


13
18 K
39

VETUS ET NOVA
ECCLESIÆ
DISCIPLINA

In tres Partes, ſeu Tomos diſtributa.

VETUS ET NOVA
ECCLESIÆ
DISCIPLINA
CIRCA
BENEFICIA ET BENEFICIARIOS,
DISTRIBUTA IN TRES PARTES SIVE TOMOS,
quæ & ipſæ in tres Libros ſingulæ diſtributæ ſunt.

PARS SECUNDA, ſive TOMUS SECUNDUS,

UBI AGITUR

Lib. I. De Vocatione & Ordinatione Clericorum, de Patronatu, de Irregularitatibus & Scholis.

Lib. II. De Epiſcoporum Electione, Confirmatione, Ordinatione, Ceſſione, Reſignatione, Tranſlatione.

Lib. III. De pluralitate Beneficiorum, de Commendis, de Diſpenſationibus, de præcipuis Officiis Epiſcoporum, de Reſidentia, de Concilis, de Comitiis Cleri & Regni, de Synodis, de Viſitationibus, de Prædicatione, de Pauperum Tuitione, de Exercitio Juriſdictionis.

Opus ex Sanctis Patribus, ex Conciliis, ex quorumque temporum Hiſtoricis decerptum.

Editio Latina prima poſt duas Gallicanas auctior & emendatior.

Authore eodemque interprete LUDOVICO THOMASSINO *Oratorii Gallicani Presbytero.*





PARISIIS,
Apud JOANNEM ANISSON Typographiæ Regiæ Directorem, via Jacobæa ſub Lilio Florentino.

M. DC. XCI.
CUM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.

INDEX CAPITUM HUJUS TOMI,

In quo agitur, De Vocatione, de Electione, Confirmatione, Præsentatione, Translatione, Cessione, Resignatione, Depositione Beneficiariorum. Item de Residentia, de Conciliis, de Visitationibus, de Prædicatione. Denique de Irregularitatibus, de Commendis, & de Dispensationibus.

LIBER PRIMUS.

In quo agitur, De Vocatione & Ordinatione Clericorum & Beneficiariorum. Quàm obnoxii sint Episcopis. De Patronatu. An eligendus semper dignior. An possit, an debeat refugere electus. De Irregularitatibus & Scholis.

Origo, Beneficium, Ordinatio Clericos Episcopo obligabat. De iis quos Papa ordinabat. De Titulo Patrimonii.

Non potuisse quondam Clericos à Clericatu resilire.

An ad nutum Episcopi Beneficiarii possent amoveri.

Poterat Episcopus Beneficiarios transferre ad Ecclesiæ utilitatem.

De Adolescentulis, quos parentes, vel qui seipsos Clericatui offerebant.

Index Capitum.

De Irregularitate Hæreticorum, Schiſmaticorum, Apoſtatarum, Neophytorum, Energumenorum.

De Irregularitate Servorum, Militum, Judicum, Curialium.

Irregularitas ex defectu natalium, mutilorum, bigamorum.

De Neophytis & Laïcis, eorumque irregularitate, media & poſtrema ætate Eccleſiæ.

De Irregularitate, quæ ex ignorantia exiſtit.

De Scholis & Univerſitatibus.

Index Capitum.

LIBER SECUNDUS.

In quo agitur, De Episcoporum Electione, Confirmatione, Ordinatione, Cessione, Resignatione & Translatione.

De Electionibus per quinque priora sæcula.

De Electionibus ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

De Electionibus ab anno octingentesimo ad millesimum.

De Electionibus post annum Christi millesimum. De Concordatis Galliæ & Germaniæ.

De Sacramentis, quæ Metropolitano, & Papæ præstabantur.

De Sacramentis & Hominiis, quæ summis terræ Principibus exhibita sunt à Præsulibus.

De Resignatione simplici Episcopatuum.

De Resignationibus in favorem Successorum & Coadjutorum.

De Translationibus Episcoporum & Abbatum.

An concupiscere quis possit, an abnuere Episcopatum, & cæteros majores Ordines.



Index Capitum.

LIBER TERTIUS.

In quo agitur, De pluralitate Beneficiorum. De Commendis. De Dispensationibus. De præcipuis officiis Episcoporum. De Residentia. De causis canonicis & justis non residendi. De Conciliis. De Comitiis Regni. De Comitiis Cleri. De Synodis Diœcesanis. De Visitationibus. De Prædicatione. De Pauperum tuitione. De Exercitio Jurisdictionis.

De Pluralitate Beneficiorum.

De Commendis.

De Dispensationibus.

De Residentia.

De legitimis canonicæ Residentiæ exceptionibus. Ac primò de Legationibus, & de commoratione in Aula Regia.

De Romana Peregrinatione.

De Synodo extraordinaria Episcoporum, qui in urbe Regia reperiebantur.

De Conciliis Provincialibus, Universalibus, seu Nationalibus, de Comitiis Cleri Generalibus. De Comitiis Regni.

Quibus cautionibus muniendi sint Episcopi, qui in Aula frequentes sunt. Quibus ibi honoribus jam olim afficerentur.

De residentia Episcoporum, dum lues, dum persecutio grassabatur.

Absoluti à residentia Professores, Studentes, Canonici aliqui.

De Synodis Diœcesanis.

De perlustrandis, visitandisque ab Episcopo & Metropolitano Diœcesibus & Provinciis.

De Prædicatione.

De tuitione Viduis, Orphanis & calamitosis omnibus ab Episcopo impendenda.

Illis qui in vinculis erant, & reis tuitio Ecclesiæ impensa.

De Jurisdictione Episcopali, charitati potissimum & animarum saluti serviente.

Finis Tabulæ Tomi secundi.

ADDENDA, EMENDANDA

IN PARTE II. LIBRO I.

PAg. 55. col. 2. lin. penult. post *factas*, adde *fuisse*. Pag. 70. n. 6. lin. 5. pro *Caroli Magni*, lege à *Carolo Magno Comitiorum* Pag. 98. n. 6. lin. 7. pro *Cui rei*, lege *Cui præcipitoni*. Pag. 100. col. 1. lin. 16. pro *Parochiali*, lege *Presbyterali*. post finem vero ejus Numeri adde: *Porro locus qui Presbytero indigeat potest ille quidem statim Parochia videri; & ita incogitanti mihi hic exciderat Sed diligentius rem expendenti Parte I. Libro II. Capite XCIII. constare mihi visum est, nequaquam de Parochia, cui animarum cura immineat, sed de simplici Beneficio, sacerdotali tamen interpretandum esse*. Pag. 117. n. 25. lin. 4. 5. pro *id foret*, lege, *id foret omnibus, quod mihi quidem dubium non esse abunde testatus sum Par. I. L. II. C. CXVII. n. 8. scilicet*. Pag. 172. n. 18. lin. 10. pro *sua*, lege *ipsorum*. Pag. 185. n. 4. lin. 4. *Romanum*, lege *Rotomagense*. Pag. 196. col. 1. lin. 17. pro *supra*, lege *alibi*. Pag. 221. n. 5. lin. 1. pro *Minus mirum accidet autem*, lege *Minus autem mirum accidet*. Pag. 228. n. 1. lin. 7. pro *iis aptare*, lege *iis placare & conciliare, quibus aperte irascuntur*. Pag. 238. n. 8. l. 22. post *Tertullianus*, adde *Libro de Monogamia*. l. 26. pro *exhortatione* scribe *Exhortatione*. Pag. 251. n. 7. l. 25. pro *ut filius* lege *quò filius*. Pag. 282. n. 15 l. 4. post *dies*, adde *qui solenni Baptismi celebrationi præibant*. Pag. 284. n. 1. l. 5. post *servum*, adde, *aut discipulum suum*. Pag. 288. col. 2. §. *Hac Cedrenus*, lin. 5. post *annos*, adde *in eo splendore*. Pag. 302. col. 2. l. 1. pro *controversatam*, lege *vexatam*.

ADDENDA ET EMENDANDA PARTE II. L. II. ET III.

PAg. 8. n. 3. lin. 2. pro *Herodis*, lege *Heresis*. Pag. 48. col. 1. n. 15. in Synopsi, dele omnia quæ ibi habentur & scribe, *Quid in his differret disciplina Ecclesiarum & Monasteriorum*. Pag. 53. n. 7. l. 11. pro *allegat*, lege *allegant*. Pag. 98. col. 1. §. Redeo. l. 17. pro *ipse* lege *ipsa*. Ibidem §. *Diuturna*, l. 17. pro *confessus fuerat*, scribe *peccata sua confessus fuerat*. Pag. 222. n. 3. l. 18. pro *si eo*, lege *si qui eo*. Pag. 223. col. 2. §. *Eximia*, l. 5. pro *vitiis purissimus*, lege *virtutis amantissimus*. Pag. 242. col. 1. linea antepenultima pro *per maximam*, lege *maximam*. Pag. 246. n. 18. l. 8. pro *vereor ut*, lege *vereor ne*. Pag. 251. n. 12. l. 3. pro *Capite superiori*, lege *Libro superiore Cap. LXIV*. Pag. 273. n. 2. l. 3. post *virorum*, adde *& Abbates dicerentur*. Ibidem n. 7. l. 4. pro *& illam*, lege *& Abbatiam*. Pag. 292. n. 7. adde ad marginem. *Conc. Gall. To. 3 pag. 372*. Pag. 291. col. 2. n. 7. in Synopsi, pro *qui tamen Papa*, lege *Hadrianus II. Papa* Pag. 306. col. 2. §. *In Concilio*, pro *anno* 1056. scribe 1054. Pag. 307. col. 2. §. *Exemplo*, l. 3. 4. pro *Illas*, scribe *Commendas*. Pag. 323. n. 6. l. 1. *Ad eundem Carolum*, dele, *eundem*. Pag. 341. col. 1. l. 5. 6. pro *non affuerint*, lege *abfuerint*. Pag. 360. col. 1. Ex Titulo Cap. XXXV. delenda hæc verba, *Diebus singulis Dominicis Ordinationes celebrabantur, per priora Ecclesiæ sæcula*. Pag. 367. n. 11. l. 14. pro *numerasi*, lege *numerati*. Pag. 374. col. 2. l. 5. pro *Placentino*, scribe *Palentino*. Et l. 13. pro *Placentinum*, lege *Palentinum*. Pag. 373. col. 2. in Synopsi, n. 1. post *Magnus*, adde, *permitti sibi ad Imperatore*. Pag. 382. col. 2. n. 12. l. 4. post *sub Zacharia*. adde, *ut jam diximus Capite superiore, n. 10 §. in eam rem*. Pag. 419. col. 1. In Synopsi, n. 14. pro *aliqua in illis observationes*, lege *aliqua in antedictis*. Pag. 432. n. 6. l. 30. pro *bis monites*, lege *semel monites iterumque peccantes*. Pag. 440. n. 9. l. 3. *Lugdunensi I.* adde *anno* 517. Pag. 536. col. 2. n. 1. l. 9. pro *sicut & illas*, lege *sicut & causas*. Pag. 549. col. 1. n. 10. l. 21. *perquam gratissimam*, dele *perquam*. Pag. 550. n. 1. l. 4. pro *sitque adeo*, lege *sitque scelus*. Pag. 555 n. 2. §. *in Concilio* l. 3. pro *contaminassent*, lege *violassent*. Pag. 561. n. 12. l. 4. 5. pro *Jurisdictione*, lege *Jurisdictio est*.



ERRATA TOMI II. SEU PARTIS II. LIB. I.

PAg. 4. col. 1. lin. 60. *consensum*, lege *consensu*. col. 2. n. x. l. 11 *for se*, lege *forsan*. p. 4. col. 1. § *Ex* l. 6. *transcribebat*, lege *transcriberetur*. p. 10. col. 1. l. 4. *apostolica*, lege *apostolica*. p. 13. col. 1. l. 6. ante finem *Palatio*, lege in *Palatio*. p. 19 num. xi l. 2. 1461, lege 1463. p. 21. col. 1. l. 1. *ordinantia*, lege *ordinatio*. In Synopsi. num. vi l. 1. *Decreto*, lege *Decreta*. p. [illegible] num. v l. 5. *vn 10*, lege *ad* [illegible]. p. 1[illegible] col. 1. l. 4. *fose*, lege *fosse*. p. 1[illegible] col. 1. l. penul. *quin*, dele. p. 18 Synopsi num. xiii. *Concilio*, lege *Concilio*. p. 1[illegible] col. 1 l. 3 *Episcopo*, lege *Episcopo*. col. 2. num. ix [illegible] *ex communicatione*, lege *excommunicatione*. p. 41. col. 1 l. penult. 12. lege 14. p. 47. num. ix l. 1. *Episcopo*, lege *Episcopus*. p. [illegible] col. 1 § *In ecclesia* adde xx. p. 81. col. 1 l. 13. [illegible], lege *septimo*. p. 83. col. 1. num. xii l. 12. *authentica Charta*, lege *authenticas Chartas*. p. 8[illegible] in titulo XXXII. lege XXXIII. p. 90 Cap. XX[illegible]V p. [illegible] l. 2 lege Cap. XXXV p. 1. l. 2. p. 91. col. 2. l. 5. ante finem *dedignantur*, lege *designaverunt*. p. 95. col. 2. § *Hadrianum* l. 7. *Origo*, lege *Originem*. p. 111. col. 2 §. *Idem* l. 3 *persecuti*, lege *persecutione*. p. 114 num. [illegible] l. 7. *illustrissimum petam*, lege *illustrissimum sperans*. p. 118. col. 1. l. 4 *tam*, lege *tam*. p. 115 num. 11. l. 15 *nulla*, lege *nulla*. l. 17 *nullus*, lege *nullus*. p. 130. col. 2. l. 10 ante finem *subjacentes*, lege *subjacentes*. p. 134. col. 2 l. 12. *olenim*, lege *verbum*. p. 138. num. v l. v *decisam*, lege *decisam*. p. 141. in titulo Paginae XLIX. lege XLVIII. p. 144. num. 10 l. ult. *Officii aclaustralia*, lege *Officia Claustralia*. p. 146. col. 1. § [illegible] l. 4. *dysfactionum*, lege *repugnationum*. p. 152 num. vii. l. 17. *subscriptio*, lege *subscripta*. p. 151. num. 11 l. 16 *sibdie*, lege *subdit Ponti*. p. 1[illegible] num. viii l. 11. anno 1221. dele. p. 162. col. 2. §. *Parrium* l. 6. *Parrius*, lege *ea*. *Parrius* p. 163. col. 2. § *Ita*. l. 2 *fon*, lege *fiam*. p. 1[illegible] num. [illegible] l. 9 *ad sensus*, lege *ad sensum*. p. 163 col. 2. l. 1 *Abbatibus*, lege iv *Abbatibus*. p. 170 num. xi. l. 1. *nondum*, lege *etiamsi*. p. 188 num. xii l. 7 *mea*, lege *omnia*. num. [illegible] p. *Alexander III* lege *Alexander II*. p. 161 num. v l. 4 *adventasset*, lege *adveniret*. iv l. 4 *Romanensi*, lege *Rotomagensi*. p. 169. col. 2 *Ha sunt*, lege *ev. Ha sunt*. l. [illegible] ante finem. *Vnde*, lege *unde*. p. 190. §. *fundus* l. 4 *et sine*, lege *obsecro*. p. 198. col. 1. l. 21. *averterbunt*, lege *avertebant*. p. 199. num. 12. l. 1 *non imperatum*, lege *imperatore*. p. 20[illegible] num. iii l. 4 *Roca*, lege *Rocca*. l. 6. *veilem*, lege *vellem*. l. 26. *abstinhantur*, lege *abstrahantur*. p. 201. num. vii l. 11 *quod*, lege *apud*. num. viii. l. 19 *passim* lege *passim*. p. 204. num. xvi l. 24 *ne*, lege *nec*. p. 2[illegible] num. [illegible] l. 16 *prostitit*, lege *prosilit*. § *Porro* l. penult. *observaria*, lege *observato*. p. 211 col. 1. l. [illegible] *ae*, lege *ne*. p. 213. num. xx. l. 10 *descendit*, lege *discedendi*. p. 207 col. 1 l. 10. VII lege VIII p. 214. col. 1 *Lateranensi*, lege *Lateranensi*. p. 2[illegible] col. 1 § *Latino*. l. 6 *tem*, lege *tam*. p. 2[illegible] col. 2. *ad*, lege *ad*. p. 238. num. viii l. 16 *abstinentiam ad ecclesiam*, lege *abstinentiae ad ecclesiam*. p. 240. col. 1 l. 9. *non habeamus*, lege *habeamus*. p. 245. num. xii l. 11 *relicta*, lege *relicta*. num. iv. l. 3 *quo virginem*, lege *quo virginem*. p. 2[illegible] num. 11 l. 4 *tempore*, lege *pro vestro tempore*. p. 2[illegible] num. 11 l. 16 *cas*, lege *quo*. p. 253. col. 1 §. *Illud*. l. 1 *pore*, lege *pore*. p. 254. col. 1. l. 3. ante finem III lege XIII. p. 251 col. 1 l. 19. *ebruptis*, lege *abrupta*. col. 1 l. 1v *brevidatur*, lege *brevitatem*. l. 26. *carnicula*, lege *carnecula*. p. 2[illegible] col. 1. l. 11. *Respondebatur*, lege *Respondebatur*. p. 219 col. 1. l. 31. *Constantiae*, lege *constitutiones*. p. 240. col. 1. l. 7. *digniorum*, lege *dignorum*. In Synopsi num. vi. l. 1 *Episcopo*, lege *Episcopo*. Ibidem num. 1 l. 1. *Nolimerem*, lege *Nolumerem*. p. 243. col. 1. num. xi l. 1. *Porro*, lege *Porro*. p. 158. num. iv. l. 7. *tatorem*, lege *ita tamen*. p. 265. col. 1 l. 18. ante finem *permanere*, lege *permaneat*. p. 270 num. xiv l. 4 *Subeamus*, lege *Discimus*. p. 272 col. 2. l. 1 ante finem *hoc*, lege *haec*. p. 274 col. 2. § *Item*. l. 1 *unum*, lege *Canonicos*. p. 278. in Synopsi num. xii l. 1. *aliquid*, lege *aliquo*. p. 2[illegible] col. 1 l. 1 ante finem *eum non*, lege *eorum non*. p. 287 col. 1. l. 1. *confiteri*, lege *confiteri*. p. 288 num. xiii. l. 9. *infamiam*, lege *infamium*. § *Sed lacrymas* l. 14 *cum*, lege *cum*. p. 496. num. cx. l. 1 *complectitur*, lege *complectetur*. p. 297. col. 2. l. 9. *anno*, lege *Anno*. l. 13. ante finem *Volfsensis*, lege *Volfangus*.

II. PART. LIB. II. ET III.

PAg. 2. col. 1. l. 9. ante finem *Concilii*, lege *Concil*. p. 5. col. 1. § *Quoniam* l. 2c *obstrepebat*, lege *obstrepebant*. p. 7. num. xii. l. 7. *reversum*, lege *reversum*. p. 8 num. iii. l. 2 *Haredo*, lege *haredo*. p. 12. num. vi l. 14 *Mysonia*, lege *Nisona*. p. 23. col. 1. l. 9. ante finem *electo*, lege *electo*. p. 14. num. vii l. 8 *dedantesque*, lege *dedantesque*. p. 1[illegible] col. 1 l. 11 ante finem, *minime*, lege *minime*. col. 1. l. 1. *moderatum*, lege *moderatum*. p. 44. num. v l. 1. *supplex*, lege *supplex*. p. 47 col. 1. l. 1 *misera*, lege *misera*. p. 5[illegible] col. 1. l. 1. *sex mensibus*, lege *sex mensibus*. p. 58 Synopsis num. vi. l. 1 *pervenebat*, lege *perveniebat*. col. 1. l. 4 *profundebat*, lege *profundebat*. p. 61. col. 2§. *Postea*. l. 10 *Vessel*, lege *Vessel*. p. 62. col. 1. l. 16. *impensam*, lege *impensam* *esset* col. 1. l. 5 ante finem. *ambrosia*, lege *ambrosia*. p. 63. num. iv. l. 17. *ignota*, lege *ignota*. p. 6[illegible] Synopsi num. x. l. 1. *Imperatorem*, lege *Episcoporum*. p. 69 col. 1§ *ofqui* l. 1 *liberatum omnino*, lege *liberatum tamen* l. 14 *agendum*, lege *agendum*. p. 78. col. 2. l. 18. *superest*, lege *pro*. p. 81. col. 2§ *sed* l. 19. *nisi drungus*, lege *Quo* p. 88 col. 2. l. 1 *ebpsor*, lege *episcopi*. num. viii. l. 1 *Cernunnorum*, lege *germanorum*. l. 7. ante finem XI lege IX num. 12. l. *Armilianus*, lege *andegavensis*. l. 1. *Samnum*, lege *Gallicum*. p. 8[illegible] col. 1. l. 1 *qua*, lege *qua*. p. 90. col. 1. l. 32. *coeasentem*, lege *convenientem* p. 95. col. 1. l. 19 ante finem *ne anno*, lege *vacantem* p. 98. col. 2 § *Rodus*. l. 17. *ipse*, lege *ipsa*. p. 113. col. 1 § *cum*. l. 1. *integre*, lege *integrorum*. p. 116. col. 1. § *cunquam* l. 10. *Paschali*, lege *Paschale*. l. 1 *In labiis*. l. 4. *Arnolda*, lege *Arnolda*. p. 117 col. 2. § *Ponitibus* l. 1 *confungeavit*, lege *confungavit*. p. 124. col. 2. l. 18. ante finem *aut*, lege *ac* p. 125. § *capite*. l. 14. *bellorum*, lege *alianus*. p. 1[illegible] *quatriram*, lege *quattuor*. p. 150 num. iv. l. 1 *Simone*, lege *Simone*. p. 153. l. 1. ante finem *confisterum*, lege *confessorum*. p. 144. col. 1 *ab*, lege *ob*. p. 148. l. penult. *eandem*, dele. p. 170. col. 2. l. 8. *prodebit*, lege *prodidit*. p. 171. col. 2. l. 2. *ammissare*, lege *dimiserim*. l. 7. ante finem XI lege X. p. 171 col. 1 l. 13 XII lege XI p. 177. num. xi. l. 1 *abbatis*, lege *abbatis*. p. 174. col. 2. § *aliorum* l. 1 *aliorum*, lege *aliorum* p. 178. num. vi. vi. *confessissime*, lege *confessissime*. p. 180. col. 2. l. 1 *in fine*, lege *sine*. p. 189. col. 2. § *Iccirco* l. 1 *In ordine*, lege *in ordine*. p. 191 col. 1 § *Post* l. 1 *sicut*, lege *sicut Apostolus*. num. viii. l. 1 *sua*, lege *sua*. p. 195. num. 2. l. 4. *duobus*, lege *duo* col. 1. l. 11 ante finem *an*, lege *an non* p. 197. 97. *plures* ante finem *adhiberent*, lege *adhiberent*. p. 198. col. 1. §. *Ex*. l. 29. *si opus*, lege *sin opus sit*. p. 207 col. 1 l. 1 ante finem *Burgundionum*, lege *Burgundionum*. p. 209. num. 11. l. 13. *Papa*, lege *Papa*. l. 16 *subdiaconus*, lege *subdiaconus*. p. 201 in titulo XLI lege LXI p. 2[illegible] col. 2. l. 11 *cum*, lege *cum*. p. 213. col. 2. num. xv. l. 10 *cum*, lege *cum*. p. 214. col. 1. l. 8. ante finem *vero*, lege *vero*. p. 217. num. vii l. 13 *Ecclesiae*, lege *Ecclesia confessor*. l. 6 *ait*, lege *ut*. p. 2[illegible] col. 1. l. 4. ante finem, *susceperat*, lege *susceperat*. p. [illegible] col. 1. l. 11 ante finem, *porrexerat*, lege *porrexerat*. col. 2. l. 4 *unum*, lege *unum*. l. 4 *abfuisset*, lege *abfuisset*. p. 222. col. 1. l. 14. *nox*, lege *nox*. p. 224 col. 1. l. 14. *cellararius*, lege *cellarius*. p. 225. col. 2. num. xiii. l. 24. *bene*, lege *bene*. p. 226. num. [illegible] l. 1 *finem*, lege *sive*. p. 229. In Synopsi num. 2. l. 1 *unde*, lege *unde*. p. 230 num. iv l. 18. *ante*, lege *ante*. p. 231 num. iv. l. 4 *Episcoporum*, lege *Episcoporum*. num. 2. l. 11 *quod*, dele. p. 233. col. 2. l. 4. ante finem, *non*, lege *nunc* potius. p. 234 num. xi. l. 1. *comp*. *lege compluens*. p. 235. Synopsi num. 2. l. 1 *quidem*, lege *quidem tertiam partem*. p. 237. col. 2. l. 7. ante finem, § *lege* *sic*. p. 240. num. vi l. 1 *denique*, dele. p. 41 col. 1. l. 10 ante finem, *plurium accredidere*, lege *plurima credidere*. p. 241 In Synopsi num. [illegible] l. 1. *Ruri*, dele. p. 2[illegible] col. 1. l. 10 *augustae*, lege *augustae*. p. 244. num. [illegible] l. 18 *terrorem*, lege *terrore* *est*. Ibid col. 1 § *Primum*. l. 1. *affatum*, lege *affatum*. p. 246. in Synopsi num. 10. num. 2. p. 2[illegible] col. 2. l. 6. *abstracto*, lege *abstracto*. p. 248. num. 11. l. 2. *Innocentius IV*. lege *Innocentius III*. p. 248. col. 1. l. penult. *iter*, lege *iter*. num. l. 4 *vocaret*, lege *vocaret*. p. 250. num. vi l. 10. *confluerent*, lege *confluerunt*. p. 249. col. 1. l. 4. *Nec serere*, lege *se ere* p. 271. num. vii. l. 2 *nostrum*, lege *nostrorum pater*. p. 272. col. 1. l. 11. ante finem, *Zacharias*, lege *Zacharias*. num. [illegible] l. 8 *illa* dcu, lege *illa*. p. 276. num. xii. l. 13. *xiii*. lege *xiv*. p. 276. num. viii l. 9. *Regularium*, lege *Regularium*. p. 28[illegible] num. 1. l. 2. *quinquagesimum*, lege *quinquagesimum*. col. 1. l. 1. *omnino*, lege *unquam*. p. 287 in Synopsi num. 1 l. 1 *Galla*, lege *Gallia*. col. 1. num. 11. l. 17. *loci*, lege *loco*. p. 286 num. iv l. 14 *nulli essent*, lege *nulli erant*. num. v. l. 4 *Abbatis*, lege *Abbatis* num. vi. l. 10 *omnibus*, lege *omnibus*. p. 291. col. 1 num. vi. l. 11 *Addo quod*, lege *Addo*. p. 294. num. 1. l. 1. *confirmaris*, lege *confirmavit*. p. 293. in Synopsi num. viii. l. 2. *faciebat*, lege *faciebat*. col. 2. num. 1. l. 1 *commendatum*, lege *commendatorum*. p. 299. col. 2. § *conservare*. l. 1 *dixerunt*, lege *dixerunt*. p. 301. num. vi. l. 13. *quod*, lege *quod*. p. 303. num. 31. l. 8. *ex finem*, lege *specialis*. p. 304 col. 2. l. 7. *cum*, lege *cum*. p. 309. num. 21. l. 1. *aliam*, lege *Aliam*. p. 310. n. 1 Cap. XXI. lege Cap. XXII. l. *anteponebat*. *Pretorio*, lege *Pretorio*. p. 311. col. 1. l. 1 ante finem, *eam*, lege *eam*. p. 313 n. xv. l. 3 *quadam*, lege *quadam*. § *Romel*. l. 9. *Ebboni*, lege *Volfadum*. p. 1[illegible] col. 1. § *Ita* l. 1 *quadraginta*, lege *quadraginta*. p. 3[illegible] col. 1. l. 1 *Concilio*, lege *Concilio*. p. 314 col. 1. l. 16 *notabilem*, lege *notabilem*. p. 341. col. 1. § *In*. In, lege *n*. In p. 345. col. 1. l. 16. VIII. lege XVIII p. 341. col. 1. l. 18. *convenire*, lege *convenire* p. 347. col. 1. l. 18. *Evangelica*, lege *evangelica*. p. 367 col. 1. l. 4. ante finem, *convenientissime*, lege *convenientissime*. p. 3[illegible] col. 1. l. 18 *vique*, lege *unquam* sic. p. 370. col. 1. l. ult. *susceperant*, lege *susceperat*. p. 375. Synopsi num. 1. l. 1. *accrementi*, lege *accrementi* p. 380. col. 2 § *eum*. l. 11. *illi*, lege *illi*. p. 380. col. 2. l. 32. *alaborur*, lege *alatur*. p. 386. col. 2. l. 9 *alios*, lege *alias*. num. viii. l. 10 *crederet*, lege *crederet*. p. 389. col. 1. l. penult. *eorum*, lege *eorum*. p. 390. num. v l. 16. *qui*, lege *qui*. p. 394. col. 1. l. 14 *quorum*, lege *quorum*. p. 40[illegible] col. 1. l. 10 *observationis*, lege *observationis*. p. 400. col. 1. § *permissus*, lege *praemissus* p. 400 num. xii l. 12. *illi*, lege *illis*. p. 401. num. iv. l. 11 *congregatione*, lege *congregationum*. p. 408. col. 1 vii. *Possessum*, lege *vi*. *Possessum*. p. 400 num. xi. l. 21 *et ait* *essent*, lege *absolverent*. p. 411. num. ix. l. 1. *Has*, lege *Hos*. num. 10 l. 7. *quod*, lege *quod*. p. 414. l. 3. ante finem, *legatus*, lege *legatus*. p. 415. in Synopsi num. 11. l. 1. *Caro*, lege *Carta*. col. 1. l. 23 *Episcopus*, lege *Episcopis*. In titulo Paginae. LIII. lege LIV p. 431. In Synopsi num. vi. l. 2. *Hrotico*, lege *Hrotico*. l. [illegible] l. 15. *rememborem*, lege *reminiscentiam*. p. 434. col. 1. § *ubi*. l. 4. *animae*, lege *animae*. p. 435. col. 1 § *Ut*. l. 7. 1174. lege 1174. p. 440. num. viii. l. 19 *Deum*, lege *Deum*. num. 1v. l. 4. *illius*, lege *illius*. p. 443. num. [illegible] l. 8 *sin*, lege *sin*. p. 444. col. 1. l. 1. VII lege XII. p. 443. In titulo XL lege LX p. 414 col. 1. § *Ecce* l. 8 *confiteri*, lege *confiteri* p. 45[illegible] In titulo LXVI. lege LXV p. 445 num. x. l. 14. *aures*, dele p. 465. col. 1. l. 4 ante finem, *illum*, lege *illud*. col. 1. l. 18 VI. lege IV p. 466. num. v. l. 1 *suscesserunt*, lege *successerunt* p. 467 col. 2. l. 12. ante finem, *accedam*, lege *accedam*. p. 471 In titulo LXXII. lege LXXI num. c. l. 11 *convenire*, lege *convenire*. p. 477. num. vii l. 1 *grege*, lege *progrediar* p. 481 col. 1 § *In* l. 10. *Diemae*, lege *Diem*. p. 484 In Synopsi num. xi. *probatur*, lege *probatur*. Ibidem num. xv. *veliant*, dele. p. 485 num. vi l. 6. ac, lege ac eo. p. 488 In Synopsi num. vii. l. [illegible] *omne*, lege *nulla*. Ibid num. vi l. 15 *sum*, lege *sive*. num. v l. 6. *Sensum*, lege *Synodum*. p. 49[illegible] col. 1. l. 4 ante finem, *sum*, lege *si* p. 491. In titulo LXXXI. lege LXXX p. 501 col. 1. § *Et*. l. 5 *praesentatione*, lege *praesentatione* p. 507 In Synopsi num. xi. l. 1 *exemplo*, lege *exemplo*. p. 510. col. 1 l. 13 ante finem *Ecce ita*, lege *ecce*. *Concilio*, lege *Concilium*. p. 513. col. 1. l. 16. ante finem, *Densque*, dele. p. 514. col. 1. l. ult. *v*. num, lege *v*. *nec*. p. 517. col. 1. *Possum*, lege *Possum*. p. 5[illegible] col. 1. l. 6 ante finem, *Sardara*, lege *Sardara*. p. 516 num. xiii l. 8. *Ancillas*, lege *Ancillas*. p. 518 col. 1. l. 4. *ait*, lege *ait*. p. 5[illegible] l. *Pars*, lege *Pars*. p. 533. col. 1. l. 4 ante finem, *nostrum*, lege *nostra* p. 534 col. 1. l. 18 *et*, lege *ea*. p. 5[illegible] col. 1. l. 5 ante finem, *obiter dictum*, lege *obiter & addam*. p. 543. col. 2. l. 21. *dura*, lege *dura*. p. 546 num. xxx. l. 27. *affectatum*, lege *affectatum*. p. 548.

col. 2. l. 4. *debitare*, lege *debilitare*. p. 552. col. 2. §. *Ne*. l. 27. *à Pio*, lege *à pio*. p. 558. In Synopsi, num. VIII. l. 1. *Pulcherrima*, lege *Pulcherrimas* p. 562. num. VII. l. 2. *tempeabo*, lege *temperabo*. p. 566. num. VI. l. 8. *pecuniacia*, lege *pecuniaria*. p. 568. col. 1. l. 1. *au*, lege *aut*. num. XIII. l. 15. *omnibus*, lege *omnibus*. p. 557. Synopsis, num. III. l. 4. *adversabantur*, lege *observabantur*. p. 575. col. 1. §. Hunc. l. 3. *Iudaeorum*, lege *Iudaeorum*. p. 578. col. 1. §. *In*. l. 2. *quorum*, lege *quarum*. Ibid. l. 23. *pecuniam*, lege *pecunia*. p. 583. col. 1 §. Decimae. l. 12. *author*, lege *allot*. p. 584 col. 1. §. Hac. l. 5., *enim*, lege *enim* p. 585. col. 2. l. 6. ante finem, *ego*, lege *ergo*. p. 586. num. V. l. 13. *Episcos*, lege *Episcopos*. Ibid. *depositepos*, lege *depositos*. p. 587. col. 1. l. 2. *approbarunt*, lege *approbarentur*. p. 590. num. 4. *rons*, lege *res*. p. 591. col. 2. l. 2. *coram*, lege *eorum*. p. 592. col. 1. l. 8. *nullus Laicum*, lege *nullus Laicus*. p. 593. num. XII. l. 13. *interomittere*, lege *intromittere*. p. 595. col. 1. l. 26. *me fuit*, lege *me servum fuit*. p. 598. num. XV. l. 10. *Christianissimo*, lege *Christianissimo*. p. 599. col. 2. l. 21. *valuerunt*, lege *valuerint*. p. 600. col. 2. §. *In*. l. 16. *canabonum*. lege *canobitarum*. p. 602. col. 1. §. *ubi*. l. 3. *profitebatur*, lege *profitebantur*. p. 606. num. VII. l. 5. *passim*, lege *passim*. p. 607. l. 13. ante finem, *Regi*, lege *pulchro Regis* p. 610. col. 1. l. 3. ante finem, *Rotamagense*, lege *Rotomagense*. p. 611. col. 2. l. 12. ante finem, *posset* lege *posse*. p. 616. col. 1. l. 20. *Corum*, lege *Clerus*. p. 619. num. IX. l. 5. *nus*, lege *non*.

APPROBATIO DOCTORUM.

NOS infrascripti Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctores, Testatum facimus, legisse nos Librum Gallice scriptum, cui Titulus est, *Ancienne & Nouvelle Discipline de l'Eglise touchant les Benefices & les Beneficiers*, ubi nihil occurrit nobis contrarium Fidei Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, uti nec bonis moribus. Datum Parisiis Novembris die decima, anno 1676.

M. GRANDIN. PIROT. G. BOUST.
LAMBERT. LE FRANC DE LA GRANGE.

PERMISSIO R. P. PRÆPOSITI GENERALIS
Congregationis Oratorii.

NOS ABEL-LUDOVICUS DE SAINTE MARTHE, Congregationis Oratorii JESU CHRISTI Domini nostri, Presbyter & Generalis Præpositus: juxta Regium diploma datum 22. Decembris 1672. quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ejusdem Congregationis imprimant & venales exponant citra licentiam nostram: Visis Privilegio Regis & Approbationibus Doctorum, permittimus Francisco Muguet Typographo & Bibliopolæ, ut Librum cui Titulus est, *Ancienne & Nouvelle Discipline de l'Eglise touchant les Benefices & les Beneficiers*, typis edere ac liberè divendere possit. Datum Parisiis die 10. Decemb. an. 1676.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre: A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hôtel, Grand Conseil, Baillifs, Senéchaux, Prevosts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Justiciers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. *Nostre cher & bien amé le Pere* LOUIS THOMASSIN, *Prestre de l'Oratoire*, nous a fait remontrer, qu'il desireroit faire imprimer *la continuation de ses Dogmes Theologiques en Latin*, & les traductions soit de Latin en François ou de François en Latin, tant de *l'ouvrage de la Discipline de l'Eglise touchant les Benefices, que des Traitez Historiques & dogmatiques sur la Discipline de l'Eglise, & sur la Morale Chrestienne, & des Memoires de la Grace*, ce qu'il ne peut faire sans nos Lettres de permission sur ce necessaires qu'il nous a tres-humblement supplié de luy vouloir accorder. A CES CAUSES, desirant favorablement traiter ledit Exposant, nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Presentes de faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nostre Royaume, Païs, Terres & Seigneuries de nostre Obeïssance, par tel Imprimeur & Libraire qu'il voudra choisir, chacun desdits Ouvrages, soit en Latin ou en François, ensemble ou separement, en un ou plusieurs Volumes, en telle marge & caractere, & autant de fois que bon luy semblera, durant le temps de dix années consecutives, à compter du jour que chaque Livre sera achevé d'imprimer pour la premiere fois, pendant lequel temps nous faisons tres-expresses inhibitions & défenses à toutes personnes de quelque qualité ou condition qu'elles soient, Imprimeurs, Libraires & autres

d'imprimer, faire imprimer, vendre ou distribuer lesdits Livres, sous pretexte d'augmentation, correction, changement de Titres, fausses remarques, ou autrement, en quelque sorte ou maniere que ce soit, ny mesme d'en faire des extraits ou abregez, & à tous Marchands étrangers d'en apporter ny distribuer dans ce Royaume d'autres impressions que de celles qui auront esté faites du consentement de l'Exposant, à peine de trois mille livres d'amende, payable par chacun des contrevenans, & applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hôpital General de nostre bonne ville de Paris, & l'autre tiers à l'Exposant, de confiscation des exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & interests; à condition qu'il sera mis *deux exemplaires desdits Livres dans nostre Bibliotheque publique, un en celle du cabinet de nos Livres* de nostre Chasteau du Louvre, *& un en celle de nostre tres-cher & feal le sieur le Tellier, Chevalier*, Chancelier de France avant que de les exposer en vente, à la charge aussi que *l'impression en sera faite dans le Royaume & non ailleurs*, & que *lesdits Livres seront imprimez sur de beau & bon papier, & de belle impression*, & ce suivant ce qui est porté par le *Reglement fait pour la Librairie & Imprimerie au mois de Iuin 1618. enregistré en nostre Cour de Parlement de Paris le neuf Iuillet ensuivant*, à peine de nullité des Presentes, lesquelles seront enregistrées dans le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de nostre bonne ville de Paris. Si vous mandons & enjoignons que du contenu en icelles, vous fassiez joüir pleinement & paisiblement ledit Exposant, ou ceux qui auront droit de luy, sans souffrir qu'il leur soit fait ou donné aucun empêchement. Voulons aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin desdits Livres une copie des Presentes ou extrait d'icelles, elles soient tenuës pour bien & deuëment signifiées, & que foy y soit ajoûtée & aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires comme à l'original. Commandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis de faire pour l'execution d'icelles tous exploits, saisies & autres actes necessaires, sans demander autre permission, nonobstant toutes oppositions ou appellations quelconques, clameur de Haro, Charte Normande, & autres Lettres à ce contraires: Car tel est nostre plaisir. Donné à Chaville le dernier jour de May, l'an de grace mil six cens quatre-vingt-un, & de nostre Regne le trente-neuviéme. Signé, Par le Roy en son Conseil, LE PETIT.

Registrées sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le 6. Octobre 1687.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 20. Decembre 1687.

Les Exemplaires ont esté fournis.

Le R. Pere L. Thomassin a cedé son droit de Privilege à François Muguet pour ces trois Tomes de la Discipline, traduits de François en Latin, pour en joüir pendant le temps porté par iceluy. Ce 2. Octobre 1687.

VETUS

VETUS ET NOVA

ECCLESIÆ DISCIPLINA

CIRCA

BENEFICIA ET BENEFICIARIOS,

DISTRIBUTA IN TRES PARTES,

Quæ & ipsæ in tres Libros singulæ distributæ sunt.

PARS SECUNDA,

In qua agitur,

De Vocatione, de Electione, Confirmatione, Præsentatione, Translatione, Cessione, Resignatione, Depositione Beneficiariorum. Item de Residentia, de Conciliis, de Visitationibus, de Prædicatione. Denique de Irregularitatibus, de Commendis, & de Dispensationibus.

LIBER PRIMUS.

De Vocatione & Ordinatione Clericorum & Beneficiariorum. Quàm obnoxii sint Episcopis. De Patronatu. An eligendus semper dignior. An possit, an debeat refugere electus. De Irregularitatibus & Scholis.

Origo, Beneficium, Ordinatio Clericos Episcopo obligabat. De iis quos Papa ordinabat. De Titulo Patrimonii.

CAPUT PRIMUM. *P. 1. l. 2. c. 1.*

Ordinatione magis quàm origine, vel domicilio Clerici Episcopo obligabantur, per quinque priora Ecclesiæ secula.

I. In Concilio Sardicensi & Carthaginensi cautum est, ne Episcopi eos ordinarent, qui oriundi essent ex alienis Diœcesibus. Et Canoni maxime obtemperatum fuisse probatur.

II. Ordinatione et Episcopo mancipabatur Clericus; qui primum Ordinem contulisset.

III. IV. In Africa poterat Carthaginensis Episcopus, quarumlibet Ecclesiarum Clericos in alias transferre, quæ sibi eos Episcopos delegissent. Multa observantur super ea re.

V. In Ecclesia Gallicana non omnino, non baptismi ratio habebatur, sed Ordinationis, vel Beneficii.

VI. Exemplo illustratur, quàm arctè ordinatio Clericos Episcoposque ipsos Ordinatori astringat.

VII. Idem evincitur ex Decretis Pontificum.

VIII. IX. Exempla Origenis, Hieronymi & Paulliniani.

X. Memoranda Cypri Episcoporum consuetudo, ut alii aliorum Clericos ordinarent, Ordinationem fugitantes.

XI. XII. Inserpserat ea consuetudo temporibus grassantium persecutionum.

I. D omnino vetuerant prisci Ecclesiæ Canones, ne ordinarent Episcopi, non Clericos tantùm aliquo jam Ordine ab alio Episcopo occupatos atque devinctos: sed ne laïcos quidem, qui origine ipsa sua aliorum Pastorum gregi & imperio adscripti fuerant. A Concilio Sardicensi ita constitutum fuisse sanctissimè affirmavit Gratus Carthaginensis Episcopus in Concilio Carthaginensi I. cui præerat. Nec enim constare posse pacem inter Episcopos, nisi mutua illa honoris vicissitudine; neminem autem Episcoporum commissurum, ut Collegæ quospiam Clericos laïcosque deposcenti, quos in suam transcriberet
Can. 5. Ecclesiam, non ultro annueret. *Privatus Episcopus dixit, Suggero, ut statuatis, non licere laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi de cujus plebe est. Gratus Episcopus dixit, Hæc observantia pacem custodit; Nam & memini in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet. Sed si fortè erit necessarius, petat à Collega suo & per consensum habeat.*

Concilium sanè Sardicense perinde prohibuerat, ne Episcopi alii aliorum Clericos Laïcosve ordinarent: quin & irritam sanxerat fore ordinationem alieni Parochiani, sine proprii Episcopi consensu.
Can. 18. 19. *Nulli Episcopo liceat alterius Episcopi civitatis hominem Ecclesiasticum & in suis Parochiis ordinare Clericum, &c. quicumque ex alia Parochia voluerit alienum ministrum sine consensu Episcopi ipsius & sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio.*

Prohibitum hoc ipsum fuerat in Concilio Niceno, sed de solis Clericis tunc agebatur. ὁ ἐν τῷ
Can. 16. κανόνι ἐξεταζόμενος. Hærere possit quis in Siricii Pa-
Epist. 4. pæ Decreto. *Ut de aliena Ecclesia ordinare Clericum præsumat.* Dubium quippe, an Ecclesia hoc loco solos Clericos, vel etiam Laïcos complectatur. Manifestiùs Concilio in Carthaginensi III. ordinari vetantur, quoscumque alius Episcopus cœperit jam collato Clericatu ordinare, sibique vendicare. *Ut*
Can. 21. *alienum Clericum nisi concedente ejus Episcopo nemo audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita. Clericorum autem nomen etiam Lectores & Psalmistæ & Ostiarii retinent.* Quæ postrema verba non oscitanter prætereunda. Docent enim luculentissimè minimo quolibet Ordine accepto quemlibet Clericum ordinatori Episcopo ita astrictum fuisse, ut citra ejus assensum non posset jam alteri sese Episcopo adglutinare. Alludere ad hunc Canonem videtur Augustinus, ubi in Epistola quadam sua disertè affirmat, eo solos Clericos, non Laïcos con-
Epist. 235. tineri. *Recense Concilium, ibi invenies de solis Cleri-*
240. 241. *cis fuisse statutum, non etiam de Laicis, &c. Hic institutum est, ut Clericum alienum nemo suscipiat.* Repetit in alia Epistola ab Episcopo Severo, quo utebatur familiarissimè Clericum quemdam suum, tametsi juratos hic fuisset à Severo se nunquam discessurum. Denique alia Epistola apud Episcopum Novatum antiqua sibi necessitudine conjunctum, excusat Ecclesiæ suæ necessitatem, per quam sibi non liceret, ei ex Subdiaconis suis unum concedere, quamvis ipsius Novati fratrem: propterea quod linguam Latinam calleret, eòque suæ Hipponensi, quàm Novati Ecclesiæ longè utilior futurus esset.

II. Verùm in hoc eodem Concilio enodatur difficultas non parum perplexa. Commendaverat Julianus Episcopus Epigonio Episcopo puerum valde inopem, *proprium civem sui loci.* Epigonii charitas eò evecta est, ut puerum non sacro tantùm fonte lustraret, sed & expensas omnes sustineret ejus educationis & institutionis in re litteraria, adeo ut Lectorem tandem ordinarit. Tum Julianus eum inconsulto Epigonio vendicavit rursum sibi, & Diaconatu auxit. De ea contumelia expostulavit Epigonius apud Concilium, à quo jussus est Julianus Clericum illi suum restituere: *Eundem* Can. 44.
Clericum revocare plebi tuæ. Alteri eorum Episcoporum suberat hic Clericus origine, alteri ordinatione. Concilii judicio plus momenti fuit in ordinatione. Cesserat quidem civem suum Epigonio Julianus, sed procul à vero est, ut ordinandum cederet eum tum, qui necdum lustrali fonte tinctus esset. Sed qui tinxerat Episcopus, an non ille Diœcesanus videri poterat Episcopus? maximè tamdiu secum commorantem cùm illum tenuisset? Ita ut Beneficium, domicilium, regeneratio Epigonio suffragarentur, adversum jus nascendi. Certè Concilium de his silet quidem, at Clericum ei restituit, qui primus illum Ecclesiasticis Ordinibus initiaverat.

III. In eodem mox Concilio contestatur Aurelius, se plurium Ecclesiarum Episcopis & Presbyteris donandarum molestissima sarcina gravari. *Scitis multarum Ecclesiarum & ordinandorum curam su-* Can. 4.
stinere, &c. Ego cunctarum Ecclesiarum dignatione Dei sollicitudinem sustineo. Cúmque Ecclesiæ viduatæ Episcopis Presbyterisque flagitarent à se Clericos aliarum Diœceseon, nunquam à se eos vel concessos fuisse vel ordinatos, nisi assentientibus Episcopis eorum propriis, à quibus repulsam passus esset nunquam. *Contingit nonnunquam ut postulentur ab Ecclesiis, quæ Præpositis egent vel Episcopis, vel Presbyteris; & tamen memor statutorum id sequor, ut conveniam Episcopum ejus, atque ei inculcem, quòd ejus Clericus à qualibet Ecclesia postuletur.* Ubi adnotanda obiter *postulationis* vox eo ipso usurpata sensu, quo eam posteriora sæcula donavere, ut ab electione differret. Deposcebat denique Aurelius, ut si tergiversaretur, aut detrectaret posthac Episcopus aliquis eum Clericum donare, quem aliæ Ecclesiæ sibi Præsidem postulassent: agnosceretur à Concilio, & confirmaretur ea, qua semper hactenus usi fuissent Carthaginenses Episcopi, autoritas, unius Ecclesiæ Clericos in aliam, ubi major eorum esset utilitas, graviorque necessitas, transferendi. *Fuit semper hæc licentia huic sedi, unde vellet, & de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum.* Tum Episcopi omnes Concilii Epigonii verbis & ore gratulati sunt Aurelio, quòd tanta esset in ipsos humanitate & indulgentia: non à se illi eam donari potestatem, sed ejus Ecclesiæ jamdiu partam firmatamque agnosci, ut Clericos ab aliis in alias transferat Ecclesias, ut communi earum serviatur utilitati. *Necesse habes tu omnes Ecclesias suffulcire. Unde tibi non potestatem damus, sed tuam assignamus, ut liceat voluntati tuæ semper & tenere quem voles, ut Præpositos plebibus vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, & unde voles.* Posthumiano Episcopo visum

est inhumanius fore, si Episcopo aufertetur Presbyter, quem unicum haberet, ut Episcopali cathedra alibi donaretur. Verùm illi cumulatissimè satisfecit Aurelius, despondens in seque recipiens, si una illi suum Presbyterum ad Episcopalem sedem suffuraretur Ecclesia, ea aliis omnibus Ecclesiis fore ut posset ille, quemcumque veller deligere, qui sibi Presbyter ordinaretur.

IV. Tanta sapientiæ luce, tantis charitatis lenociniis scatere mihi visa est hæc Africana disciplina, ut non potuerim non eam hic paulò prolixiùs expendere, quamvis alibi jam prælibatam. Antè autem quàm ultra progrediamur, pauca hæc pensiculatiùs hic erunt consideranda. 1. In his omnibus regulis & exemplis, non ab ipsis Clericis captari occasiones, quibus ambitioni avaritiæque suæ obsequantur, sacrosque solvant nexus, quibus Episcopis suis obligantur: sed Episcopos ipsos servire necessitatibus Ecclesiarum, charitatem Collegarum convenire, & Clericos eorum suis Ecclesiis utiliùs ministraturos flagitare. 2. Strictissimè vinciri Clericos Episcopis ordinatione ipsa sua, ita ut non possit dissolvi vinculum, nisi imperio legis summæ, hoc est, charitatis Episcopalis, & universalis, quæ omnibus Ecclesiarum necessitatibus infatigata providentia consulit. 3. Si qui Episcopi Coëpiscoporum inopia & precibus minùs moverentur, & obsurdescerent ad eorum postulationes, fuisse in Ecclesia Africana Episcopum potestate & authoritate superiorem, qui jure suo his malis mederi posset, & Clericos unius Ecclesiæ alteri conttadere, ubi eminentiori dignitate ornarentur, quò sublimiores, eò utiliores Ecclesiæ universæ futuri. Hoc Carthaginensis Ecclesiæ privilegium sic Ferrandus describit: *Ut soli Ecclesia Carthaginis liceat alienum Clericum ordinare.* (*Breviar. Ferr. c. 23.*) 4. Licèt potestas ea non potuisset Ecclesiæ Carthaginensi parari, nisi Africanorum Episcoporum consensione, & longo priorum sæculorum usu: profitentur nihilominus Episcopi, suo Aurelium jure & Ecclesiæ suæ privilegio id obtinere, non ipsorum concessione, adeoque nec integrum sibi esse tam legitimæ potestati refragari. Usque adeo humilitas Aurelii & concordia Episcopalis, rixarum litiumque, quæ exoriri potuissent, fibras omnes radicitus elidebat. Usque adeo jura diutinæ innixa possessioni, & Ecclesiæ utilitati, necessitatique superstructa, certa sunt & inconcussa. 5. Ad Episcopos tantùm & Presbyteros Ecclesiis suppeditandos, ut in quibus spes verteretur Ecclesiæ, fiebant istæ translationes: *Ecclesiis quæ Præpositis egent, vel Episcopis, vel Presbyteris.* Itaque Diaconis jam nullæ regendæ committebantur Ecclesiæ. 6. Ne propriæ quidem erant istæ translationes. Nec enim Episcopus ab una sede ad aliam, Presbyter ab una Parochia ad aliam migrabat. Sed uni Ecclesiæ alterius Clerici transcribebantur, ad altius fastigium sive Episcoporum provehendi, sive Presbyterorum.

V. Illud verò maximè mirabile in his Canonibus, quod cùm tam anxiè & tam sæpè vetentur Episcopi ordinare Clericos alienos, vix unquam prohibeantur alterius Episcopi ordinare Laïcos. Adde Concilium Taurinense. (*Can. 7.*) *Synodi sententia definitum est, ut Clericum alterius secundùm statuta Canonum nemo suscipiat, neque sua Ecclesia licèt in alio gradu audeat ordinare.* Adde & Arausicanum I. (*Can. 8.*) *Si quis alibi consistentem Clericum ordinandum putaverit, priùs definiat, ut cum ipso habitet, sic quoque non sine consultatione ejus Episcopi, cum quo antè habitavit, eum qui fortaßè non sine causa diu ab alio ordinatus non est, ordinare præsumat.* Quin & videntur hic ne Episcopi quidem ad id cogi, ut consensum Collegarum eblandiantur, quo eorum Clericos suo adjungant Clero: sufficere enim ut certò sciant quid causæ sit, quamobrem non ordinarentur: neque illis providerent, quo in reliquum vitæ tempus sustentari possent. Certè id totum ad Clericos solos attinet. Sequenti Canone de Laïcis agitur, sed ut illis sui ipsorum faciant potestatem, utri Episcopo adhærescant, sub quo nati, an à quo ordinati sunt. *Si qui autem alienos cives, aut alibi consistentes ordinaverint, nec ordinati in ullo accusantur, aut ad se eos revocent, aut gratiam ipsis eorum impetrent, cum quibus habitant.* (*Can. 9.*) Integrum ergo erat Episcopo, qui alterius Diœcesanum ordinarat, vel suis illum Clericis accensere, aut eum Diœcesano suo Episcopo conciliare. Ad solos quoque Clericos pertinet Synodi Andegavensis Canon. *Aliis quoque Episcopis aliorum Clericis gradum augere non liceat.* (*Can. 9.*) Sicut & Concilii Veneti in Armorica Provincia: *Episcopi ab aliis Episcopis ordinatos Clericos, sine permissu eorum, à quibus fuerunt ordinati, promovere ad superiorem Ordinem non præsumant, ne concordiam fraternam injuria illata contaminent.* (*Can. 10.*)

VI. Antequam è Galliæ limitibus digrediar, illud obiter observabo, usque adeo sacrosanctam & necessariam visam esse Concilii Taurinensis Patribus conjunctionem Clericorum cum Episcopis à quibus ordinati sunt, ut ab ea ne Episcopos quidem absolverint, qui à Proculo Massiliensi Episcopo ordinati fuerant, quanquam ipsorum handquaquam Metropolitanus esset, quod ille frustra tamen jactabat. Diffinit quidem hoc Concilium, non posse Proculum eorum Metropolitanum dici, ut qui alterius Provinciæ finibus circumscriberetur: sed illud tamen sanxit, ut quorum veluti parens evaserat ordinatione, illos sibi semper ut filios & discipulos haberet obnoxios. *Ut in Ecclesiis Provincia secunda Narbonensis, quas vel suas Parochias, vel suos discipulos fuisse ordinatos constiterit, Primatus habeat dignitatem. Ipse tanquam pius Pater consacerdotes tanquam boni filii eundem habeant ut parentem.* (*Can. 1.*) Zosimo quidem postea usque adeo displicuit, tantum sibi licentiæ sumpsisse Proculum adversùs Canonicas Sanctiones, ut illum sede dejecerit, jussseritque successorem dari. Sed eo nihilominus exemplo patet, Canonicam ordinationem ex Concilio Taurinensi, instar esse spiritalis regenerationis, qua Clerici Episcopis, & Episcopi ipsi Metropolitanis suis & agglutinantur & subjiciuntur, ut filii parentibus, qua nec sanctior fingi potest, nec suavior charitas.

VII. Silet quoque de Laïcis Leo Papa, cùm Clericis eandem inculcat legem. *Alienum Clericum invito Episcopo ipsius nemo suscipiat & nemo sollicitet, nisi fortè ex placito charitatis id inter dantem accipientemque conveniat.* (*Ep. 84. c. 9.*) Tum magni ponderis est ratio, quæ hic attingitur, tum solos ea Clericos complectitur. Iniquum est enim præripi Episcopo, quod in suo illi Clero & pretiosissimum est & utilissimum. Non potest non injuriosum esse, industriæ illi suæ & diutinæ curæ fructum suffurari: *Gravis injuriæ reus est, qui de fratris Ecclesia id quod est utilius aut pretiosius, audet vel allicere, vel tenere.* Cui concinit Gelasius Papa: *Nec ambiant Episcopi sibimet vendicare Clericos potestatis alienæ.* (*Epist. ad Episc. Lucanam.*)

VIII. Promenda nunc sunt & exempla quæ huic faveant Laïcorum libertati, ut à quolibet

Episcopo primùm ordinari potuerint. Cùm in Achaiam proficisceretur Origenes, nescio quas hæreticorum pestes, quæ illam infestabant, oppugnaturus, per Palæstinam iter egit, commendatitiis Episcopi sui Alexandrini Demetrii litteris munitus, quibus testatum omnibus fieret, quàm incredibilis esset ejus eruditionis sacræ copia; quanti pro Ecclesia exhausti jam labores. Cæsareæ & Hierosolymæ Episcopi manus illi injecerunt & Presbyteratu exornarunt. Eo rescito vehementissimè succensuit Demetrius. Episcopi qui illum ordinaverant in suæ causæ patrocinium ipsius Demetrii ostentabant commendatitias litteras. Demetrius crimini vertebat, quòd ordinatus is esset, qui sese mutilasset ipsum cruentasque sibi manus intulisset. At Episcopis Origenis ordinatoribus abundè erat, ipso Demetrii testimonio approbasse eum & eruditionis & sanctimoniæ cumulum inesse Origeni, quo major ad Presbyteratum desiderari non posset. Certè utrobique constabat nullius momenti haberi, vel locum unde Origenes oriundus esset, vel Ecclesiam ubi baptizatus. Audiendus de his Hieronymus. *Cùm jam media esset ætatis Origenes, & propter Ecclesias Achaïa quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiastica Epistola Athenas per Palæstinam pergeret, à Theoctisto & Alexandro, Cæsarea & Hierosolymorum Episcopis, Presbyter ordinatus, Demetrii offendit animum, qui tanta in eum debacchatus est insania, ut per totum mundum super ejus nomine scriberet.* Et alibi: *Alexander pro Origene contra Demetrium scripsit, eò quòd juxta testimonium Demetrii eum Presbyterum constituerit.* Litteræ *Ecclesiastica*, quibus Origenem munierat Demetrius, fidei ejus & pietati suffragabantur; sed de licentia ut à quibus libuerit sibi esset Episcopis ordinaretur, nec verbum faciebant ullum. Quin occupasset enim potiùs Demetrius illum ordinare, & eo vinculo suæ Ecclesiæ illigare. sibique ipsi? Irregularitas Origenis impedimento erat, ne vel minori ullo eum Ordine Demetrius dignaretur, ejus utique conscium. Ad omnes etiam prorsus Ecclesiasticos Ordines irregularis erat. Itaque merè laïcus erat, ex quo intelligebant Episcopi, minimè necessarium esse Demetrii consensum, ut illum ordinarent. Perspicuè verò tradit Eusebius, præter sui mutilationem, nihil habuisse Demetrium, quo Origenem insimularet. *Quando nihil aliud habebat, quod ei objiceret.* Deinceps verò Origenem affixum fuisse Ecclesiæ Cæsariensi, & Episcopo à quo ordinatus fuisset.

De scriptor. Eccles. in Origene.

Hist. Eccl. l. 6. c. 8. 26. 27.

IX. Accedam nunc ad ipsius exemplum Hieronymi & Pauliniani fratris ejus. Presbyter ordinatus Hieronymus Antiochenus ab Episcopo Paulino Antiochiæ, ubi nec nasci primùm, nec renasci per baptismum ei obtigerat. Ne fingi quidem potest Dimissorias eum ab Episcopo litteras attulisse, cùm Presbyteratum & Ordines quoscumque adeo non ambiret, ut vehementissimè recusaret, & invitus ordinatus sit. Prolata sunt superiùs testimonia Scriptorum omnia, & ipsius maximè Hieronymi, quæ ad ejus ordinationem pertinent. Sermo ibi est etiam de ordinatione Pauliniani. Testificatur ille quos Paulinus invitos & renitentes ordinavit, nec sibi, nec Ecclesiæ suæ alligare eum potuisse; adeoque integrum fuisse sibi Antiochia secedere, & Desertum petere. Posse Paulinianum eadem responsione refellere Joannem Episcopum Jerosolymitanum, si ab eo ordinatus fuisset. Sed cùm sacros Ordines ab Epiphanio susceperit, ad eum Cyprum se contulisse. *Vides eum Episcopo suo esse subjectum, versari Cypri: ad visitationem nostram interdum venire, non tuum, sed ut alienum, ejus videlicet à quo ordinatus est.*

Hieron. ad Pammach. adv. error. Joa. Hierosol.

Locus ergo dubitandi nullus erat, quin potuisset Paulinus Antiochenus Episcopus Hieronymum ordinare, quamvis nec is in Oriente originem, nec Antiochiæ domicilium sortitus esset. Operæ pretium tantùm erat, ne nullus alius Episcopus prævertisset, collato aliquo Ordine illum sibi Cleroque suo vendicare. Sed nec Joannes Jerosolymitanus ambigebat, quin potuisset Paulinianus vel ab ipso, vel ab Epiphanio in insula Cypro ordinari. Eò ergo tantùm stomachabatur, quòd in Episcopatu Hierosolymitano ausus esset Epiphanius Cypri Episcopus quemquam ordinare: cùm tam exactè prohibeant Canones, ne Episcopi extra Diœceses suas quemquam ordinent.

Eam calumniam retundebat Epiphanius eo argumento, quòd Paulinianus à se ordinatus esset, non in Parochia Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sed in Monasterio: *Quanquam in Monasterio ordinaverim, & non in Parochia quæ tibi subjecta sit.* Sed multò vehementiùs insurgit Hieronymus, affirmatque ne Monasterium quidem illud fuisse Episcopatûs Hierosolymitani, sed Eleutheropolitani. *Dicit Joannes eum adolescentulum & penè puerulum in Parochia sua Bethleem Presbyterum constitutum. si hoc verum est, cuncti Palæstinæ Episcopi non ignorant: Monasterium enim sancti Epiphanii nomine vetus dictum, in quo frater meus ordinatus est Presbyter, in Eleutheropolitano territorio & non in Æliensi situm est.* In his omnibus ultro citroque accusationibus & responsionibus, nullo usquam loco, nullo in numero habetur patria, vel locus originis.

Epist. ad Joa. Hierosol.

Epist. 62.

X. Sed præteriri sine piaculo non potest, quod reposuit Epiphanius ad accusationes quæ sibi à Joanne aspergebantur. Non sinebant Canones, ut extra fines suæ quisque Diœceseos quenquam ordinarent Episcopi. At summa Canonum dispensatrix & optima interpres charitas illum usum invexerat firmaveratque inter Episcopos Cypri, ut Clericos Ordinum detrectatores fugacesque, Episcopi quilibet in quorum manus incidissent, ordinare possent, ipsosque transfugas ad Episcopos suos remittere. Huic mori se obsecutum fecisse, & charitati servisse sperabat Epiphanius in ordinando Pauliniano. *O verè benedicta Episcoporum Cypri mansuetudo, & bonitas, & nostra rusticitas sensu tuo, & arbitratu, digna misericordia Dei. Nam multi Episcopi communionis nostræ & Presbyteros in nostra ordinaverunt Provincia, quos nos comprehendere non poteramus, & ad nos miserunt Diaconos & hypodiaconos, quos suscepimus cum gratia.* Nec eo se gyro continebat Cypri Episcoporum charitas. Si qua latiùs longiùsque pateret Diœcesis, pacatè & lubenti animo ferebant Episcopi, ut vicini Collegæ ordinarent Clericos in Ecclesiis sibi, quàm Diœcesano Episcopo proximioribus. *Et ipse cohortatus sum beatæ memoriæ Philonem Episcopum & sanctum Theophobum, ut in Ecclesiis Cypri quæ juxta se erant, ad meam autem Parochiam videbantur Ecclesiam pertinere, eò quòd grandis esset & latè patens Provincia, ordinarent Presbyteros, & Christi Ecclesiæ providerent.* Hæc tum erat Episcopalis amplitudo charitatis, cujus contemplatione facilè adducimur, ut dicamus, laudabiliùs violatos fuisse ab Epiphanio Canones, quàm à Joanne vendicatos: quòd ejusmodi nimirum incidant commissuræ rerum temporumque, ut Canonum litteram & quasi corticem vulnerari neces-

sum sit, quò eorum spiritui & menti obsecundetur.

XI. Porro ea Insulæ Cypri consuetudo erat, ut mea fert opinio, tanquam residuum quoddam vestigium vulgarissimæ Ecclesiarum disciplinæ, dum sævirent persecutiones. Cùm enim plures tunc persæpè Ecclesiæ Pastoribus viduatæ mœrerent: vel vicini Episcopi, vel longinqui etiam, quos huc illucque fugitantes, eò ejecerat procella, non poterant non obsequi charitati, quæ tam Catholica est, quàm fides ipsa, ut Presbyteros, Diaconus, atque adeo & Episcopos nonnunquam orbatis Ecclesiis ordinarent. At Presbyteri, Diaconique, & alii Clerici ita ordinati, non utique Episcopo ordinatori suo alligabantur, sed Ecclesiæ ad quam fuerant ordinati. Uno rem illustrabimus exemplo Eusebii illius sanctissimi Episcopi Samosateni. Cùm illum enim particulari sua Ecclesia exturbasset Valens, omnium Ecclesiarum universalem se ille egit Episcopum, quas ejusdem persecutionis turbo vastaverat: omnesque perlustrans in militari veste, vacuas sedes Pastoribus donabat, Presbyteros Diaconosque ordinabat, ubicumque erat Episcopus, denique exules & vacantes Episcopos vacantibus Ecclesiis præficiebat. Audiendus hîc Theodoretus:
L. 4. c. 12. *Habitu militari indutus, & capite Tiara operto Syriam, Phœniciam & Palæstinam peragravit, quò tum Presbyteros & Diaconos crearet, tum alia Ecclesiastica obiret officia. Quod si quando in Episcopos secum doctrina consentientes incidebat, eos Ecclesiis quæ carebant Pastoribus, præfecit.*

XII. Ita solers & ingeniosa semper Episcoporum charitas id præstabat, ut eorum illa non fuga jam, sed vincendi pernicitas esset; nec exilium, sed longinquarum provinciarum sanctitas & felicitas.
L. 3. c. 2. Narrat Sozomenus, ut in fuga sua Athanasius Arianos, quorum insaniam fugiebat, vicissim ipse fugaverit ab Ecclesiis, quibus incubabant, Catholicosque Pastores suffecerit. Hac nimirum accusatione gloriam ejus cumularunt, qui eum postea insimularunt, quòd Ecclesias curæ suæ & potestati non subditas Pastoribus donasset, Paulique zelum propiùs æmulatus est, qui orbem terrarum universum imperio Christi subjicere moliebatur. *Illud demum ei criminis loco objecerunt, quod scilicet in urbibus nihil ad se pertinentibus Ministros instituere auderet.* Ad eundem Athanasium scribens Basilius, id summæ laudi vertit, quod crimini dabant, qui virtutum splendore præstricti, invidere malebant, quàm
Epist. 52. imitari. *Tantam geris Ecclesiarum omnium curam, quantam ejus quæ tibi peculiariter à Domino concredita est.*

CAPUT II. *P. 1. l. 2. c. 2.*

De eadem re. Clericos propriè ordinatione sola Episcopo suo mancipatos fuisse; Residere omnes debuisse.

I. Alia eorum exempla, qui Episcopo addicti suo non fuere nisi ordinatione, cùm longinquis ex regionibus in eam Ecclesiam concessissent. De Paulino.

II. III. De Augustino & Piniano.

IV. V. De lectoris Dumiensis. De S. Martino.

VI. Disciplina hæc eo manebat, quòd tardiùs tum plerique, & longè à patria baptizarentur.

VII. Probatur ordinationis vinculo strictissimè quemque suo devinctum fuisse Episcopo.

VIII. Exceptiones duæ. Ubi vis adferebatur cuipiam. Et cum Ecclesia excisa jacebat.

IX. X. Ordinatio non Episcopo tantum, sed & Ecclesiæ alligabat, & residentiæ legi subjiciebat. Variæ ad id probationes.

XI. Cur Clerici sua ipsi sponte ab una Ecclesia ad aliam ejusdem Diœcesis migrare non possent, ab Episcopo transferri possent.

XII. Summa capitis doctrinæ de residentia & stabilitate Clericorum.

XIII. Episcopus utique in plus reverentiæ impendi tum captum est, cum ab infantia dari susceptique cœpit baptismus.

I. VEnio ad Paulinum, qui baptizatus Burdegalæ, ordinatus postea Presbyter fuit à Lampio Episcopo Barcinonis, ubi tunc sedem fixerat. Cùm extrema quædam vis ei renitenti adhibenda fuerit, ut ordinari se pateretur, hanc ille sibi licentiam jam tum usurpavit, palamque professus est, nequaquam se Ecclesiæ Barcinonensi obligatum iri, unde & postea illigari se clero B. Ambrosii assensus est. Hoc ipse de se profitetur. *Ego* Ep. ad Alipi.
etsi a Delphino Burdigalia baptizatus, à Lampio apud Barcinonam in Hispania per vim inflata subito plebis sacratus sim, tamen Ambrosii semper & dilectione ad fidem nutritus sum, & nunc in sacerdotii Ordine confoveor. denique suo me Clero vendicare voluit, ut etsi diversis locis degam, ipsius Presbyter censear. Et alibi: *Nos modo in Barcinonensi civitate consistimus, repentina vi multitudinis initiatus sum.* Simile veri non est tam diuturnas Paulinum Barcinonæ traxisse moras, ut illum quasi domicilii jure urbi suæ sibique Lampius adsereret. Potestas itaque Lampii in Paulinum non enituit nisi in impressione & vi quàm illi plebs intulit. Paulinus quoque adversùs ordinationis suæ vincula non objecit, quòd Barcinonensis civis non esset, sed vim sibi adhibitam esse excepit. Qua causa tam justa absolutus ab Ecclesia Barcinonensi, non ei se addixit, cujus civis erat origine, non ei in qua sacro fonte lustratus fuerat, sed ut omnino sui juris, Ambrosii Ecclesiæ adscribi voluit. Hinc liquet tenuissima tunc fuisse Episcoporum jura in laïcos suæ ditionis, ubi de Ordinationibus agebatur.

II. Nec minus est in Augustini exemplo momenti. Tagastæ oriundus erat, quæ urbs Episcopalis est: sedem quoque ibi fixerat. Cùm fortè Hipponem perrexisset, populi turbæ in eum impetum fecerunt, atque ita vi Presbyter ordinatus est, Nulla ratio habita Episcopi Tagastensis. Possidius rem totam narrat, nec dissimulat laicum tunc adhuc fuisse Augustinum, nec evitare solitum nisi urbes, quæ Episcopis essent orbatæ. *Solebat laicus ab* Cap. 4.
illis tantùm Ecclesiis, quæ non haberent Episcopos, suam abstinere præsentiam. Non nesciebat ergo Augustinus, in eligendis & ordinandis Episcopis, parum curari, an ejus, vel alterius essent Diœceseos, qui ordinabantur. Denique Valerius Hipponensis Episcopus, merito reformidans ne tantarum virtutum laude nobilis Presbyter postularetur in Episcopum, & præriperetur sibi ab alia quavis Ecclesia, cujus Carthaginensis Episcopus votis aspiraret: illum sibi Coadjutorem adsciscere & Episcopum ordinare maturavit. *Metuere cœpit, ne ab alia Ecclesia sacerdos* Cap. 8.
probatus ad Episcopatum quæreretur, & sibi auferretur.

III. Narrat alicubi ipsemet Augustinus, à Tagastensibus concivibus suis ne Clericatûs quidem honore affectum se fuisse: at Hipponenses, rescito ipsum temporales facultates omnes abdicasse, vim fecisse sibi, ut Episcopum eligerent & ordinarent.
Cùm Ecclesia Tagastensis, quæ carnalis patria mea est, Epist. 225.
Clericatum mihi non imposuisset, quando potuerunt Hipponenses, habendum invaserunt. Addit Augustinus Piniani nobilissimi & prædivitis viri conversione

audita exarsisse quoque Hipponensem plebem, ut illum Ecclesiæ suæ Presbyterum crearet: verùm noluisse se manus illi imponere, & eam unam allegasse causam, quòd ordinationi suæ renitereiur Pinianus. *Nec aliud dixissem, nisi eum me invitum ordinare non posse.* Non ergo extranei ordinatione arcebantur, eo tantùm nomine, quod extranei essent. Pinianus ipse professus est, & Hipponensi plebi recepit, si quando contingeret, ut Clericatui acquiesceret, Hipponensi se Ecclesiæ Clericum lubentissimè accessurum: at si vi ageretur, statim se abiturum ex Africa, satis gnarum violenta ordinatione neminem cuiquam Ecclesiæ obligari.

IV. Alibi verò idem sanctissimus Pater Clericum suæ Ecclesiæ unum nobis exhibet, sacrorum Ordinum vehementissimè cupidum, sive in Hipponensi, sive quavis in alia ejus commendatione Ecclesia. Nec votis ejus obstitere, nisi obliquiores quædam de innocentia ejus suspiciones. *Cùm promoveri in Clericatu, sive illic per me, sive alibi per*
Epist. 137.
litteras meas vehementissimè conaretur; ego autem nullo modo adducerer ei homini, de quo tantum mali existimarem, manus ordinationis imponere, aut per commendationem meam alicui fratri meo eum subintrudere.

Eo dimissorias Litteras, non laïco concessas, ut ab Episcopo quopiam alio, quàm Diœcesano ordinari posset: nec enim ejusmodi Litteris opus erat: sed Clerico indultas ab Episcopo, qui jam cœperat illum ordinare, & qui eum Coëpiscopi cujusdam sui potestati transcribebat. Porro verbis iisdem Augustini id luculentè edocemur, si quo vel consuetudinis, vel decoris jure utebantur Clerici, ut superiores Ordines spe præsumerent; Episcopos summa authoritate potuisse justis de causis, justis & suspicionibus hanc eorum spem frustrare, vel differre, ut nequa ordinatio inconcussis sanctimoniæ regulis obstreperet.

V. Natales sortitus erat B. Martinus in Pannonia, Ambiani baptizatus fuerat; Hilarius tamen suæ illum sociare Ecclesiæ enixus est, Diaconum illum ordinando; nulla vel patriæ, vel baptismi ratione habita. *Tentavit idem Hilarius imposito Diaconatûs officio sibi eum arctiùs implicare, & ministerio vincire divino.* At Martinus nisi Exorcistæ Ordini non assensus est, & deinceps parentis optimi loco habuit Hilarium.

VI. Ut ad ipsam usque enitamur originem ejus disciplinæ, quæ quoad ordinationem Episcopo originis minimum in laïcos potestatis tribuebat: illud mihi potissimum ponderandum videtur, quod tunc temporis non ferè baptizarentur, nisi provecta ætate. Argumento esse possunt exempla ipsorum Ecclesiæ luminum, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Basilii, Gregorii Nazianzeni, & aliorum complurium, quibus & ipsos adjicies, si lubet, Imperatores. His iisdem verò exemplis patet, id quoque usitatissimum fuisse, ut extra patriam baptizarentur. Episcopus porro qui ordinabat, vitam & mores ad examen revocare non debebat, nisi post baptismum. Ad eum ergo potius qui sacro fonte tinxerat, ordinandi jus spectare videbatur, quàm ad eum Episcopum, in cujus quisque Diœcesi exortus erat. Ita sensisse videri potest Concilium Eliberitanum:
Can. 24.
Omnes qui peregrè fuerint baptizati, eo quod eorum minimè sit cognita vita, placuit ad Clerum non esse promovendos in alienis Provinciis. Paulinus quoque assentiri videbatur, cum suprà aiebat, se Burdegalæ baptizatum, non potuisse nisi inconsulta plebis tumultuatione Barcinone rapi ad Presbyteratum. Sed cum non ita diu plerique demorarentur in Ecclesiis, in quibus sacro fonte lustrati fuerant, ut eorum omnium exemplo evincitur, quos modò laudavimus: hinc fiebat, ut nec ab Episcopo qui baptizasset, necessariò suscipiendi essent Ordines sacri. Itaque nec patria, ubi ne baptizabantur quidem plerique: nec baptismalis Ecclesia, ubi pauci diu commorabantur, quemquam astringebat, ut ibi potissimum ordinaretur. Sed præventionis jus præpollebat, ut qui Clericatu quempiam initiasset Episcopus, dum ne vis facta esset, eum sibi vinculo & nexu deinceps mancipatum haberet. Erat enim fas adversùs vim contestandi, reclamandique, ne qua hinc servitus ingereretur invitis: ut exemplo Paulini manifestum est: *Ea conditione in Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer in sacerdotium Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus.* Epist. 6 ad Severum.

VII. Si ea autem vis & contraria obnuntiatio Paulini, sicut & Hieronymi, legitimæ exceptionis pondus habebat: constat ergo universim id valuisse, ut ordinatio sacris quibusdam & æternis nexibus Clericos Episcopo devinciret, & Ecclesiæ, in qua ordinati fuissent. Expressissimus in eam rem est Canon Concilii Milevitani I. *Placuit,* Can. 15.
ut quicumque in una Ecclesia vel semel legerit, ab alia Ecclesia ad Clericatum non teneatur. Illustri exemplo res firmatur. Timotheum Augustinus ordinaverat Lectorem: ab alio se pòst ille Episcopo Subdiaconum ordinari curavit: denique juramento confirmavit nunquam se à Severo Episcopo recessurum. Augustinus illum repetiit, scripsitque ad Severum, suadens ut Timotheum remitteret; ita enim nec perjurii reum fore Timotheum, qui non sponte sua Severum dimitteret: & primariæ legi illi obtemperaturum, quæ illi Episcopo Clericos prorsus addicit, qui eos prior ordinarit. Audi ipsamet Augustini ad Severum verba: *Christum consulas tuæ* Epist. 54.
menti præsidentem, utrum homo, qui in Ecclesia mea dispensationi credita jam legere cœperat, & non semel, sed iterum & tertiò, non fuisse Lector possit & debeat judicari, &c. non vereor ne parum intelligas, quantus aditus aperitur ad dissolvendum ordinem Ecclesiasticæ disciplinæ, si alterius Ecclesiæ Clericus, cuicumque juraverit, quòd ab ipso non sit recessurus.

VIII. Indubium est ergo, præter illas causas duas, cum Clerico vis allata est, ut suprà patuit; & cùm Ecclesia diruta est, quod additum est in Concilio Calchedonensi: *Qui proprias amittentes patrias, seu provincias, ad alias Ecclesias transierunt:* indubium, inquam, est his exceptis causis duabus, adstrictos fuisse Clericos ejus Ecclesiæ & Episcopi obsequiis, qui primus Clericatum contulisset. Itaque non Monachos tantùm Religiosa professio vinciebat, sed & Clericos Clericalis, ut aureis his vinculis absolvi non possent, nisi exceptione legitima, vel canonica dispensatione. Ita perspicuè Concilium Toletanum I. ubi & alia profertur exceptio, quæ nonnisi rarissima est, ubi Clericus ab hæreticorum tenebris in lucem Ecclesiæ prodit.
Liberum nulli Clerico sit discedere ab Episcopo suo, & Can. 12.
alteri Episcopo communicare, nisi fortè ei, quem Episcopus alius libenter habeat, de hæreticorum schismate discedentem, & ad fidem Catholicam revertentem.

IX. Hinc verò illud quoque manifestè efficitur, Clericos olim omnes in Ecclesiis quemque suis residere debuisse. Si enim ordinatione ipsa sua Episcopo suo & ejus Ecclesiæ indivulsè illigabantur;

non poterant ergo à residendi necessitate solvi, nisi eæ dispensandi graves & necessariæ causæ incidetent, quæ conscientiam in tuto locant. Hinc Con- Can. 37. cilium III. Carthaginense: *Ut Clerici in aliena civitate non immorentur, nisi causas eorum justas Epis-* Conc. Ephes part. 1. c. 30 *copus loci, vel Presbyteri locorum perviderint.* Refertur in Concilii Ephesini I. Actis libellus suplex Monachorum adversus Nestorium, ubi gravissimè expostulant de irrogatis sibi contumeliis, infestationibusque Clericorum, Nestorii insaniæ ministrorum: qui secundùm Canones in Ecclesiis suis residere debuissent. *Opera utitur Clericorum quorundam ab externis parœciis & diœcesibus adscitorum, quibus tamen secundùm Ecclesiasticos Canones in alieno Episcopatu, vel Ecclesia degere non licet, sed iis solum locis & civitatibus, idque quieto, quibus ordinati sunt.* In Concilio Calchedonensi innovata est hæc eadem Constitutio de necessaria residentia quorumvis Clerico- Sess 6. c. 5 rum, Imperatore ipso urgente: *Clericos in Ecclesia* Sess 15. Can. 20 & 23. *ministrantes, in alterius civitatis Ecclesia collocari non oportet, sed ea contentos esse, in qua ab initio ministrare meruerunt. Exceptis illis, qui proprias amittentes provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt. Si quis autem Episcopus post hanc definitionem susceperit clericum, ad alium Episcopum pertinentem, placuit & susceptum & suscipientem communione privari; donec is qui migraverat Clericus, ad propriam fuerit regressus Ecclesiam.* Alio mox Canone jubentur Defensores Ecclesiæ Constantinopolitanæ ejicere à civitate Regia Clericos, Monachosque, qui eò se conferebant, & Episcoporum suorum injussu diutius ibi commorabantur. Hunc Calchedonensem Canonem Breviario suo Canonum inclusit Cresconius: *Quòd non liceat Clericis & Monachis absque voluntate Episcopi, ad urbem regiam proficisci.* Ex quibus liquidum fit, obedientiam, residentiam, & unius loci stabilitatem, non monasticas tantùm fuisse virtutes, sed & Clericales; quin immo in Clero, quam in Monasteriis antiquiores, cùm de antiquitatis laude non possint Monasticæ ullæ Regulæ cum Ecclesiasticis Regulis & Canonibus certare.

Can. 2. 21. X. Idem præceperat Arelatense Concilium: *In quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis perseverent.* Et mox: *Presbyteri & Diacones si relictis locis suis in quibus ordinati sunt, ad alium se locum transferre voluerint, deponantur.* Et Concilium An- Can. 2. degavense: *Clericis non liceat de loco ad alium sine Episcopi permissione transire.* Et Concilium I. Turonense: *Si quis Clericus absque sui Episcopi permissu, derelicta Ecclesia sua ad alium se transferre voluerit lo-* Can. 11. 12. *cum, alienus à communione habeatur.* Et mox: *Clerici non absque sacerdotum suorum commendatione, ad alias provincias seu civitates ambulare disponant.* Idem sancitum jam olim fuerat in Concilio Laodiceno: ne Clerici vel itineri se committerent inconsulto Epis- Can. 42. copo: *Non oportet sacerdotem, vel Clericum sine jussione sui pontificis iter ingredi.* Et Nicænum Concilium: Can. 16. *Qui discedunt ab Ecclesia Presbyteri, vel Diaconi, aut quicumque sub regula in τῷ κανόνι, prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas pa-* Can 3. *rochias revertantur.* Quòd rursus roboratur decretis Concilii Antiocheni, nec non & Sardicensis. In Sardicensi conquestus est Episcopus Thessalonicensis de diutina commoratione in civitate sua plurium Presbyterorum & Diaconorum non suæ Diœcesis, sed aliarum provinciarum. Tum verò à Synodo pronunciatum est Clericos omnes eadem residentiæ Can. 20. lege teneri, qua & Episcopos. *Universi dixerunt, Et tempora quæ constituta sunt circa Episcopos, & circa has personas observari debent.* A Concilio Carthaginensi IV. diffinitum est, non posse Episcopos transferri ab uno Episcopatu ad alium, nisi authoritate Synodi provincialis: sed alios clericos solius Episcopi authoritate posse ab una Ecclesia ad aliam traduci. *Inferioris vero gradus sacerdotes, vel alii* Can. 27. *Clerici, concessione suorum Episcoporum, possunt ad alias Ecclesias transmigrare.*

XI. Nemini non statim obvia & prompta est ratio, quæ Beneficiarios & Clericos vetat ab una Ecclesia suopte marte in aliam transilire, nec prohibet authoritate Episcopi eò traduci. Certissimum quippe est, ea potestate non uti Episcopos, nisi invitante utilitate Ecclesiæ, vel cogente necessitate: at Clericos singulos impellit frequenter avaritia, ambitio incitat, innata & propria exagitat levitas atque instabilitas. Sic enim Leo Papa I. *Illam quo-* Epist. 86. *que partem Ecclesiasticæ disciplinæ, quâ olim à sanctis Patribus & à nobis sæpe decretum est, ut nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, nec in subsequenti ordine Clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revocetis admonemus. Et unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ibi, ubi ordinatus est, perseveret: ita ut si quis sua quærens, non quæ Jesu Christi, ad plebem & Ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus.* Grande sanè habebatur piaculum non residere, cùm eo obstricti clerici, *honoris privilegio*, seu Beneficio privarentur & tum demum excommunicatione percellerentur. Ut Episcopi enim inescati poterant Ecclesiæ opulentioris & splendidioris spe & inanibus id genus illecebris, ut sponsam suam sanctiorem forsan, sed pauperiorem repudiarent: ita & Presbyteri aliique clerici illiciebantur persæpe alterius alicujus Ecclesiæ uberioribus proventibus, vel honorum splendore.

XII. Ut paucis nunc in pauca & summa constringam quæ duobus his capitibus dicta sunt: Ostensum est 1. obligatos fuisse ordinatione sua clericos Episcopo, eo vinculo, quod omnino solvi non posset, ab ipsis quidem. 2. Atque ita minoris momenti fuisse contemplationem patriæ, Domicilii, Baptismatis, etsi fuerint Canones sparsim aliqui, qui authoritatem his quærerent. 3. Ita semel quocumque ordine ab Episcopo aliquo initiati, non poterant reliquis ordinibus ab aliis Episcopis donari. 4. Stabilitatis autem in Ecclesia, in qua quis ordinatus esset, lex vigebat inexorabilis. 5. Lex residentiæ pariter complectebatur Episcopos, Presbyteros, Diaconos & Clericos omnes inferiores. 6. At Episcopus ipse poterat tamen Clericos suos aliis Episcopis commodare, & commendare, eis operas suas navaturos. 7. Poterat & ab una eos Diœcesis suæ Ecclesia in alias transferre. 8. Nec in iter se dare poterat Clericus sine litteris Episcopi sui. 9. Erant justissimæ quandoque causæ, ut de hac Canonum austeritate remitteretur aliquid. Exempli gratia, siqua devastata esset Ecclesia, poterant ejus Clerici, ad alios Episcopos convolare. Si vis facta esset, poterat quis subducere se ejus Ecclesiæ servituti. Non abs re hæc contexui hic brevissimè, & in unum congessi, ut intelligas adeo apta & concatenata hæc inter se esse, ut non potuerint non promiscuè pertractari.

XIII. Posterioribus sæculis multa mutata, novata non pauca, alliciente sæpissimè utilitate. Si

enim jam à teneris unguiculis tingi cœpere parvuli, si orbis pene universus ab ipso Episcoporum ore fidei documenta hausit, id certè in immensum cessit Ecclesiæ compendium & decus. Et inde tamen factum est, ut locus originis, & baptismi jam majoris haberetur ponderis in Ordinationibus administrandis. Æquissimum enim est, ut Episcopus ministros suos eligat, ex eorum numero, quos ipse per Baptismum sibi Ecclesiæque suæ filios genuit, & quorum vitam moresque à pueritia observavit. Cùm ex adverso prioribus quinque Ecclesiæ sæculis, nondum Christi & Ecclesiæ jugo subessent omnes orbis Romani provinciæ & civitates, nondum omnes suos haberent Episcopos; qui inde erant oriundi, non poterant Episcopo se ulli aptius aggregare, quam ei qui primus ipse illis manus injiciebat, ut eos sibi vendicaret.

CAPUT III. *P. 2. l. 2. c. 1.*

Clerici Episcopo suo astringebantur Ordinatione magis, quam origine, vel domicilio, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Concilia Gallica prohibent, ne Episcopi alii aliorum ordinent, non laicos & cives, sed Clericos. Nec vero rationem habent domicilii. Quomodo nexus inferioris ordinis vincat vinculum superioris.

II. III. In Hispania & in Italia vigebat eadem prorsus disciplina.

IV. Pœna Canonica in eos, qui præter has leges ordines vel conferrent, vel susciperent.

V. Servitutis quoddam nobile genus est ex Concilio Aurelianensi V. quo Episcopis suis Clerici mancipantur.

I. SEcunda quoque Ecclesiæ ætate, Ordinatione, potius, quam origine, vel domicilio Clerici Ecclesiæ suæ astringebantur. Prohibet Concilium Arvernum, ne Episcopi admittant, vel ordinibus superioribus donent, non laicos, & diœcesanos, sed Clericos aliorum Episcoporum, quos
Can. 18. illi nempe clericatu ipso sibi adscripserunt. *Nullus Episcopus alterius Clericum contra voluntatem Episcopi sui suscipere audeat, aut sacerdotio prærogare.* Concilium V. Arelatense idem rursus vetuit, & literam scripto dari debere significavit, qua suum Episcopus quis Clericum Coepiscopo concedit: alioqui trium mensium spatio communione privaretur alieni juris usurpator Episcopus, & desertor Clericus ordine accepto exueretur, velut defectionis
Can. 7. suæ pretio. *Ut Episcopus alterius Clericum, in gradum, sine Epistola Episcopi sui provehere non præsumat.* Nec ab his abludit Concilium Cabilonense anni
Can. 13. 650. *Ut nullus alterius Clericum retinere præsumat, sicut priscis est Canonibus statutum, nec ad sacrum ordinem, sine voluntate Episcopi sui penitus promovere.* His Canonibus satis apertè proditur, Episcopos tunc aliquando id sibi sumpsisse, ut Coepiscoporum Clericos sibi vendicarent, collato eis Presbyteratu, quo tanquam sanctiore & strictiore vinculo, solveretur prior nexus, quem per minores ordines cum alio Episcopo contraxerant. Huic improbæ spei adversantur hi Canones. Denique cum alii Episcopi diurnum prætexerent alienorum Clericorum domicilium in sua Diœcesi, ut eos suo jam Clero annumerarent, eam quoque inanem spem excussit hoc Canone Concilium III. Aurelianense.
Can. 15. *De his vero Clericis, qui sub qualibet occasione, aut conditione, aliorum civitatibus, vel territoriis crediderint immorandum, ne ad ullum Clericatus honorem, absque sui Episcopi scripto atque consensu debeant promoveri.* Unus ergo tunc Beneficii titulus, ab ordinibus ipsis indivulsus, Clericos quoslibet Episcopo uni ita illigabat, ut à nullo præterea Episcopo exteros ordines accipere possent.

II. Idem prorsus obtinebat Disciplinæ tenor in Hispania & in Italia. Concilio Valentino non interdicitur Episcopis, nisi ordinatio Clericorum alienorum, non autem laïcorum; quin & insinuatur universim eò conspirare universos Canones antiquos. *Ut nullus alienum Clericum, secundùm decreta Canonum sine consensu Episcopi sui audeat ordinare.* Can. 6.
Idem præcipit Braccharense Concilium; ubi & hoc addit, ut si Clericum suum Episcopus collegæ alicui concedat, id scripto testatum faciat. *Ut nullus* Can. 8.
Episcopus Clericum alterius ordinare præsumat, sicut & antiqui Canones vetuerunt, nisi fortè signata sui Episcopi scripta susceperit.

III. Scripsit Gregorius Magnus ad Episcopum Syracusanum, ut Clericos omnes Bacandæ Episcopi, Clerique ejus desertores, & tota sparsos Sicilia, ubi etiam sacros Ordines susceperant, ad eum redire compelleret. *Indicavit nobis Baccanda frater, &* L. 3. Ep. 42.
Coepiscopus noster quosdam de Clero suo in Siciliæ partibus, ad sacros Ordines pervenisse. Qui quoniam neque Presbyterum, neque Diaconem se habere commemorat, eos ad se petiit debere transmitti. Proinde fraternitas tua ubicumque illos repererit, hos eos sine dilatione transmittat, quatenus & illi ad Ecclesiam, in qua olim militaverunt, revocentur, & antedictus Episcopus optatum de eis possit habere solatium. Quibus Gregorii verbis edocemur 1. qui uni semel Episcopo tanquam cœlestis militiæ duci nomen dederunt, quolibet ordine ab eo suscepto: non posse jam eos se alterius cujuscumque Clero adscribere, nisi eo assentiente; & quantumvis majores ordines ab aliis Episcopis postea susceperint, ad primum ordinatorem suum redire compellendos esse, quòd ab eo semper revocari possint. 2. Quanquam minores ordines Ecclesiasticæ videri possint institutionis, sacri autem Ordines sint prorsus divinæ, strictius tamen & indissolubilius esse vinculum, quòd per minores ordines priùs contrahitur, quàm quòd posteriùs per majores. Ratio aperta est. Nec enim tam dignitas spectatur Ordinis, quam fides & devotio prior priori Episcopo dicata. Invictius est hoc vinculum, quia priùs. Vel minores spectantur ordines, ut rivuli quidam Diaconatus, & portiones quædam divini Ministerii. Unde nec fidei per hos obligatæ temere quisquam potest illudere.

IV. Concilium Ilerdense, si qua præter canones fiat ordinatio, ordinatorem Episcopum potestate privat ordinandi, ordinatum verò eo exuit ordine, quo male investitus fuerat. *Qui contra decreta Cano-* Can. 12.
num indiscretè Clericos ordinaverunt.

Concilio Aurelianensi III. eadem pœna decerni- Can. 6.
tur, sed ad sex menses contrahitur suspensio, ad omnes alioqui Episcopales functiones exporrecta. *Sex mensibus à celebrandis Officiis sequestretur.* Vetatur eodem io Concilio, ne in aliena diœcesi Epis- Can. 15.
copus ordinet quenquam, neu Clericos ordinet aliorum Episcoporum.

V. Est autem in Aurelianensi Concilio V. unde aliquid luculentius exsculpamus. Postquam enim prohibiti sunt Episcopi quenquam sibi arrogare alienorum Clericorum, etiam Lectorum, vel superiores illis ordines conferendo, vel illos sibi suæque Ecclesiæ obligando: vel quacumque demum alia ratione: *Ut nullus Clericum, seu Lectorem alienum,* Can. 5.
sine

sine sui cessione Pontificis, vel promovere; vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vindicare. Illico ibidem Can. 6. declaratur, nec servos sine dominorum assensu, à quo servitute absolvantur, nec libertos ordinari posse, nisi consentientibus Patronis. Nihil hîc inquiritur de patria, nihil de domicilio; sed spectatur tantùm perpenditurque obligatio prior, qua tenentur Clerici primo ordinatori suo, servi domino, patrono liberti: eorumque assensus desideratur, ut soluta illa priori obligatione, nova instituatur. Nobilissima ergo quædam servitus in Ordinibus etiam Ecclesiasticis spectabatur, qua non hominibus, sed Deo, sed Ecclesiæ, sed sponso Ecclesiæ Christo Clerici astringebantur.

CAPUT IV. *P. 2. l. 2. c. 2.*

Ordinatio Clericos prorsus omnes Episcopo & Ecclesiæ adglutinabat, ut residere tenerentur, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Concilia Galliæ de stabilitate Clericorum agunt, ut antiquiore, quàm Monachorum.
II. Non sinunt ut peregrinentur sine litteris Episcopi sui, nec ab alio quopiam Episcopo Beneficiis donentur ullis.
III. Clerici Oratoriorum eadem necessitate astricti.
IV. Clerus Episcopi non urbanos tantum, sed & agrestes Clericos complectebatur.
V. Residendi necessitas omnes Clericos complectebatur.
VI. Nec sine licentia Episcopi fas erat Palatium adire Principis.
VII. In Hispania eadem necessitas vel ultimos Clericos constringebat, & residendi in Ecclesia, & Clero morigerandi.
VIII. Eos quoque quos parentes ab infantia ultro devovebant.
IX. Origo aurea hujus servitutis.
X. Episcopo eo arctiùs, quàm Ecclesia alligabat. Unde poterat Episcopus Clericos transferre suos, vel cedere.
XI. Episcopus Clericos fugaces Judici Regio tradebat.
XII. Isidori sententia de Clericis Acephalis.
XIII. Eadem regnabat in Africa quoque disciplina.
XIV. XV. In Italia quoque, quod ex Gregorio Magno approbatur.
XVI. De Ecclesia Orientali.

I. Qualiscumque demum foret ordinatio, eâ obligabantur Clerici omnes Episcopo, Ecclesiæque, ut penes illum, ut in ista constantissimè residerent. Agathense Concilium communem facit Clericis Monachisque stabilitatem: sed penes Clericos antiquiorem aliquantò. Itaque nefas erat abesse Ecclesia sua, sine licentia & litteris Episcopi. Can. 38. *Clericis sine commendatitiis Epistolis Episcopi sui, licentia non pateat evagandi. In Monachis quoque par sententiæ forma servetur.* Vetat Epaonense Concilium Presbyteros Diaconosque extraneos ad communionem admitti, sine Episcopi sui Litteris. Can. 6. *Presbytero vel Diacono sine Antistitis sui Epistolis ambulanti, communionem nullus impendat.* Conc. Rem. Can. 12.

II. Sed longè aliæ erant etiam Episcopi Litteræ, quibus assentiebatur Clericorum suorum breviori itineri, vel longiusculæ peregrinationi: ab iis quibus Clericum quemlibet suum alteri transcribebat Episcopo, qui eum deinceps habebat sibi proprium, unique Ecclesiarum suarum perpetuum defigebat ministrum. Vide quid ea de re sanxerit Concilium Epaonense. *Ne Presbyter territorii alieni, sine conscientia Episcopi sui, in alterius civitatis territorio præsumat Basilicis atque Oratoriis observare, nisi fortè Episcopus suus illum cedat Episcopo illi, in cujus territorio habitare disposuit.* Ex quibus liquidum fit, Clericos ab uno Episcopo semel ordinari cœptos, jam ab alio donari non potuisse, sive Ordine quolibet, sive Beneficio. Presbyteri enim de quibus hîc agitur, nihil novi Ordinis ab Episcopo hoc alio accipiebant, sed Ecclesiæ ejus alicui sese astringebant regendæ, quod omnino nefas erat, nisi Episcopus cui se priùs addixerant, eos relaxaret, & prorsus deinceps cederet Collegæ, qui eorum in se curam & regimen recipiebat, etsi eos ipse minimè ordinasset, ut hoc eodem Canone significatur.

III. Libertatem suam maximè venditare posse videbantur illi Clerici, qui nec urbano clero, nec Parochiis agrestibus erant devincti: sed qui privatorum in Oratoriis ruri ministrabant. Et ii tamen non solùm ibidem jugiter residere tenebantur, sed præcipuas quasque anni solennitates, Natale Christi, Pascha, Pentecostem, & nonnullas alias, in civitate cum Episcopo agere adigebantur in Ecclesia Cathedrali. Nihil apertius Concilio Arverno in eam rem: *Si quis ex Presbyteris, aut Diaconis, qui neque in civitate, neque in Parochiis Canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in Oratoriis Officio sancto deserviens, celebrat divina mysteria, festivitates præcipuas nullatenus alibi nisi cum Episcopo suo in civitate teneat.* Can. 15. Si qui alii fuissent Clerici, nec Clero Episcopali, nec Parochiis ruris affixi, nec domesticis Magnatum Oratoriis, eos æquè designasset hæc Synodus, utque se Episcopo suo diebus solennioribus recolligerent, compulisset. Sed nemo tunc inter Clericos erat, qui non vel Episcopo, vel Ecclesiæ alicui, vel certo ministerio affigeretur.

IV. Est & aliud quod in hunc Canonem animadvertamus. Nempe Clerum Urbanum & Episcopalem, tunc quidem constare solitum, tum Clericis Urbanis omnibus, quanquam in omnes civitatis Parochiales Ecclesias dispersis: tum etiam rusticanis Clericis omnibus. Illud tamen intercedebat discriminis, quòd rusticani solennioribus tantùm diebus cum Episcopo congregarentur, non in Oratoriis suis, non Parochialibus etiam Ecclesiis, cum Parochis ipsis. Illustrari idipsum potest ex Concilio I. Matisconensi: *Ut Presbyteri, Diaconi, vel quolibet ordine Clerici, Episcopo suo obedienti devotione subjaceant, & non alibi dies feriatos nisi in obsequio illius liceat tenere aut celebrare.* Can. 10.

Depositio quoque hîc intentatur Clericis, qui per cujuscumque patrocinium desponsam Episcopo suo obedientiam præstare detrectabunt. Eo loci iti fitentur Concilii V. Aurelianensis Patres, ut ne libertos ordinari sinerent, nisi Patroni assentirentur, assensuque suo jus omne patrocinii sui in Episcopum transfunderent. Can. 6.

V. Narbonensi Concilio Clerici minus residentes, minus observantes Episcopi sui mandatorum, distributionibus spoliantur, & ipsa etiam Communione. *Definitum est, ut nullus audeat Clericorum ordinationem sui Episcopi contemnere, sed ubi ordinatus fuerit, ambulare debeat cum gratia & obedientia, & qua injuncta fuerint agere.* Can. 10. Hanc obedientiam devovebant Clerici Episcopo eos ordinanti, Ecclesiæ ministeriis jugiter inhærere, residere, Episcopalibus decretis mores vitamque accommodare.

VI. Concilium denique Aurelianense I. Sardicensi succinens, prohibuit ne Abbates Clericique ulli omnino ad Aulam Principis pergerent, aliquid gratiæ & beneficii petituri, nisi Episcopo suo permittente. *Abbatibus, Presbyteris, omnique Clero, vel in Religionis professione viventibus, sine discussione vel commendatione Episcoporum, pro petendis Beneficiis ad Dominos venire non liceat.* Can. 7. Concilium Aurelianense II,

illud ipsum manifestius etiam declaravit, non posse nisi ab Episcopis hanc concedi Clericis licentiam, suis ut abessent Ecclesiis. Can. 15. *Abbates, Martyrarii, Reclusi, vel Presbyteri Apostolica dare non præsumant.*

VII. Nec minor erat Hispaniæ vel religio, vel diligentia, in Clericis omnibus ad stabilitatem, ad residentiam, ad obedientiam Prælatorum compellendis. Præstantissimè Concilii Valentini Patres pia hæc & necessaria Clericorum prorsus omnium officia exequuti sunt. *Hoc etiam placuit, ut vagus atque* Can. 5. 6. *instabilis Clericus, sive etiam in Diaconi ministerio, vel Presbyteri officio constitutus, si Episcopi à quo ordinatus est, præceptis non obedierit, ut in delegatæ sibi Ecclesia officium dependat assiduum, quousque in vitio permanserit, & communione & honore privetur, &c. sed nec illum sanctorum Sacerdotum quispiam ordinet, qui localem se futurum primitus non spoponderit.* Perspicis ut omnes omnino Clerici vinculo stabilitatis, residentiæ & obedientiæ Episcopo quisque suo obligarentur, cui hoc imperium ordinatio pepererat.

VIII. In Concilio Toletano II. eisdem legibus & imperiis Episcoporum subjiciuntur Clerici omnino omnes, illi etiam ipsi qui ab infantia in Seminariis adolevere, ut quos maximè excoluit Episcopus, fructum ex eis capiat plurimum: *Quia durum est ut eum quem alius rurali sensu ac squallore infantiæ exuit, alius suscipere ac vindicare præsumat.* In Concilio Hispalensi II. ad primum suum remittuntur Episcopum desertores Clerici, qui ab eo cui se ab infantia devoverant, ad alium quemvis Episcopum defecissent. Quin & hanc perfidiam pœnitentiæ in Monasterio aliquo agendæ laboribus expiare jubentur. Can. 2. *Desertorem Clericum cingulo honoris atque ordinis sui exutum, aliquo tempore Monasterio delegari convenit, sicque postea in ministerio Ecclesiastici Ordinis revocari.*

IX. Intimas hujus disciplinæ causas non silet hoc Concilium. Agricolas quippe leges civiles ita natali solo affixerant, ut nunquam liberum ipsis esset in alias demigrare regiones. Plus suavitatis dignitatisque erat in ea servitute, quam Ecclesiasticæ leges Clericis indicebant; ager qui colendus injungebatur, amœnior, feraciorque: fruges ipsæ æternæ & incorruptæ. Hinc tantò major cura stabilitatis & assidui cultûs. Quod de agricolis attigit hoc Concilium, id ad omnes hominum ferè conditiones porrigi fas est; quibus singuli ab exortu suo per easdem publicas leges ita astringebantur, ut ad artes alias operasque nefas esset se conferre. Itaque his jam servitutibus assueverat humanum ferè genus, nec quisquam ab his compedibus resiliebat. *Scribitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi esse jam quisque cœpit, ibi perduret. Non aliter & de Clericis, qui in agro Ecclesiæ operantur, Canonum decreto præcipitur, ut ipsi permaneant, ubi esse cœperunt.*

Vera & vilis servitus ea erat, qua nascendi lex ipsa terræ tunc homines colendæ affigebat: at residentia & stabilitas Clericorum in Ecclesia, optatissima libertas est. Nec enim liber est, qui instabilis est & inconstans. Etiam fugaces & huc illucque palabundi servi, servi sunt. Longè aliud libertas, aliud inconstantia & levitas animi. Longè aliud stabilitas, aliud servitus. Est libertati sua stabilitas laudi, est servituti sua instabilitas vitiosa. Felicitas summa libertatis est, si officio suo & æquitati irrevocabiliter adhærescat.

X. Cæterùm Episcopo magis suo devincti hærebant Clerici, quàm Ecclesiæ, cui eos ille dicaverat. Cùm enim ab ordinatione ea manaret servitus, ordinatori suo utique potissimum subjiciebantur. Ideo & Emeritensis Concilii decreto fas est Episcopo, Clericos quoslibet ab Ecclesiis quibuslibet suæ ditionis in Ecclesiam suam Cathedralem transferre, quandocumque ita expedire senserit. Si enim secundùm Canones Clericos suos potest aliis Episcopis petentibus concedere: quantò faciliùs æquiúsque poterit ipse eos in principalem Ecclesiam suam traducere? *Si priorum Canonum sententia* Can. 12. *hunc rectè tenet ordinem, ut Episcopus ab alio Episcopo, si indigentiam habuerit, Clericum ad ordinandum petat, & accipiat: cur qui in Diœcesi sua habet eos, quos pro Dei officio & suo juvamine dignos repererit, ad suam principalem Ecclesiam non perducat & habeat? Pro cujus rei causa hoc elegit unanimitas nostra, ut omnes Episcopos Provinciæ nostræ, si voluerint, de Parochianis Presbyteris & Diaconibus, Cathedralem sibi in principali Ecclesia facere, maneat per omnia licentia.*

XI. Concilii Toletani XIII. Canone constat nobis, Regiis Edictis jussos fuisse Episcopos, ut publicis Judicibus sisterent fugitivos & desertores aliarum Diœceseon Clericos, & certo tempore ad proprios Episcopos eos amandarent. Monachorum & Canonicorum hoc Canone par habetur ratio. *Si dicat quis simplici animo alterius Clericum se suscepisse, nec nosse eum fugitivum existere, tunc evidens innocentiæ suæ puritas approbanda est, quando eum quem suscepit, & infra octo dies juxta legum sanctionem Judici præsentaverit, & infra tempus legibus constitutum, illuc fugitivum reduxerit, unde per fugam vagabundus exivit.* Can. 11.

XII. Fugacium & erronum Clericorum multitudini incredibili & vitæ prorsus licentiosæ plurimùm indolescit B. Isidorus Hispalensis, ut qui non Hispanias tantùm, sed & Occidentem universum erroribus suis inquinarent. Ne Clericorum quidem nomine illos dignatur; cùmque nec laici essent, eos non aliter detestatur, quàm ut portenta quædam in Ecclesiasticæ disciplinæ dedecus nata. *Duo* De Eccles. Offic. l. 2. c. 3. *sunt igitur genera Clericorum, unum Ecclesiasticorum sub regimine Episcopali degentium: alterum Acephalorum, id est, sine capite, quem sequantur ignorantium. Hos neque inter Laicos sæcularium officiorum studia, atque inter Clericos religio retentat divina; sed solutos atque aberrantes, sola vaga vita complectitur, &c. Hippocentauris similes, neque equi, neque homines, mixtumque genus, prolesque biformis, ut ait Poeta. Quorum quidem sordida atque infami numerositate, satis superque nostra pars Occidua polluitur.*

XIII. Quod ad Ecclesiam Africanam attinet, diximus jam beatum Fulgentium, cùm à Monasterio, ubi Abbatem agebat, secessisset, ab Episcopo suo revocatum fuisse, & Presbyteratu initiatum, ut Diœcesi suæ duplici hoc nexu illum alligaret, & spem ejus sibi vendicandi cæteris omnibus Episcopis præsecaret. Ferrandus in ejus vita in hunc modum rem narrat: *Repente eum sacerdos* Cap. 13. *consecrat Presbyterum: ut Abbatis & Presbyteri decoratus officio, nec Monasterium relinquere, nec in alia posset Ecclesia forsitan ordinari.* Verùm postquam profligatis Barbaris, Africam Justinianus Imperator Romano restituit Imperio, Episcopi Africani supplices petiere à Joanne Papa II. ut Clerici omnes Afri, ab Episcopis ad Lectores nemine dempto, *similes hæreticis judicarentur,* nisi tranato rursum mari in suas se reciperent Ecclesias, à quibus aufugerant. Mortuo interim Joanne, redditæ sunt eæ Litteræ Agapeto successori ejus, qui tam piis & tam necessariis votis obsecundans, rescripsit,

stabilitate Clericorum suis in Ecclesiis constabiliri virtutem, effervescere charitatem; discursationibus hanc extingui, illas in dies magis magisque extenuari. Epist. 2. *Quia permanendo in Ecclesiis in quibus militant, & ministerii sui poterunt assiduitate in Dei Salvatoris nostri amore fervescere, & quæ in pervagatione reprehensibilia sunt, vitare.*

XIV. Ex hac Agapeti Epistula edocemur, quis mores Romæ, quæ in Italia leges vigerent, in stabilitate Clericorum & promtissima in Episcopos observantia tuenda. Diximus jam ut Gregorius Magnus Bacandæ Episcopi dispersos Clericos conquiri jusserit, eique reddi. L. 3. Ep. 41. L. 4. c. 19 *Quatenus & illi ad Ecclesiam, in quâ olim militaverunt, revocentur, & antedictus Episcopus optatum de eis possit habere solatium.* Cùm è vivis excessisset Syracusanus Episcopus, successorem ei dari Catanensem Archidiaconum Gregorius exoptavit; sed intellexit & ipse necesse esse, ut assentiretur Catanensis Episcopus, relaxaretque L. 4. Ep. 30. nexum, quo sibi Archidiaconus obligabatur. *Quod si factum fuerit, etiam frater & Coepiscopus noster Leo ei cessionem præstare debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri.* Cùm de Ravennate Archidiacono Florentio in Anconitanum Episcopum eligendo ageretur, monuit Gregorius emerendum primo esse assensum Archiepiscopi Ravennatis, & ita emerendum, ut ne suspicari quidem posset, partes suas Romanum Pontificem in eam rem interposuisse, L. 12. Ep. 6. quo tanto liberius assentiretur. *Apud Episcopum ejus agi necesse est, ut ei debeat cessionem concedere, non tamen ex nostro mandato, vel edicto, ne contra suam voluntatem eum cedere videatur.* Scribebat quidem Gregorius Corsicæ insulæ Episcopo, ordinatum à L. 7. Ep. 5. se Acolythum, ad eum se remittere: *Laterem præsentium per intercessionem sanctitatis vestræ Acolythum fecimus; quem ad obsequia vestra transmisimus, &c.* Verùm aut ea erat, generalis regulæ exceptio, aut illum ordinaverat quidem Gregorius Acolythum, sed ad titulum Ecclesiæ Corsicæ, & Episcopi Corsici commendatione: vel strictissimam illam in Episcopos obedientiam à majoribus tantùm Clericis exigebat. *Quisquis in hac Ecclesia Ordinem sacrum acceperit.* Hoc exemplo id illustratur. Elias Isauriæ Abbas Epiphanium discipulum suum ad Gregorium miserat, ut ab eo Diaconus ordinaretur, sibique remitteretur. Gregorius Diaconum quidem illum ordinavit, at mox Eliam certiorem fecit, hoc ordine sacro, velut inviolabili sacraque catena novum hunc Diaconum Ecclesiæ Romanæ illigatum esse. *Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hac Ecclesia ordinem sacrum acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet, &c. Epiphanium huic Ecclesiæ Diaconatu interveniente ligavimus, &c.* Communis ea erat Clericatus ipsius lex, cui tanto lubentiùs facilinsque accommodabat se Romana Ecclesia, quod nec utilitas, nec dignitas major usquam alibi esse posset Clericatus.

Fortunatus Neapolitanus Episcopus oravit à Gregorio facultatem transferendi suam in Ecclesiam Diaconi Ecclesiæ Venafranæ. Tanto proclivior fuit Gregorius ad assentiendum, quod eam urbem hostes invasissent, eique nec Ecclesia super- L. 5. Ep. 12. esset ulla, nec Episcopus. *Et quoniam nec Episcopum cui obsecundare, nec propriam habet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non prævidimus differendam.* Clerici Lilybæi in Sicilia Romam se contulere, ubi impetrata à Gregorio potestate eligendi sibi Episcopi, Parochum elegere agri Romani, quem & concessit Gregorius: L. 5 Ep. 13. *Lilybetana Clerus Ecclesiæ huc pro ordinando sibi veniens sacerdote, licentiam eis de exquirendo sibi Episcopo nos dedisse cognoscas. Qui rapientes Decium forensem Presbyterum, &c.* Leo Episcopus Siculus sua in Catanensi Ecclesia instituerat Presbyterum Ecclesiæ Syracusanæ. Joannes novus Ecclesiæ Syracusanæ Episcopus Presbyterum suum repetebat, quem ordinaverat ipse, cesseratque Leoni. Jussit Gregorius reddi Presbyterum, quod novis potissimum Episcopis, opus sit fidis amicis, qui suis ipsos consiliis operisque levent & suffulciant. L. 5 Ep. 20 *Quia in novam Ecclesiam vadit, & suos illic proprios homines habere necesse est, ut cum causarum tumultibus premitur, in secrete suo inveniat ubi requiescat.*

L. 5. Ep. 28. Aufugerant ab Ecclesia Romana duo Clerici sine licentia Papæ: *sine nostra benedictione.* Condonavit eam culpam, pœnasque remisit Gregorius, dum Officio se suo quamprimum redderent. Calaritanum verò objurgavit Episcopum, quod in Clericos non animadverteret, qui aliis quam Ecclesiæ suæ negotiis se implicarent, nec Episcopo suo morigerarentur. L. 7 Ep. 87. *Quod fraternitatis vestræ jussionibus obedire postponant, atque in aliorum se magis obsequiis ac laboribus occupantes, sua deserant, ubi sunt necessarii, actus Ecclesia.* Observatum illud supra est, hoc cavisse Gregorium in creandis Defensoribus Ecclesiæ, ut ne cuiquam alii Ecclesiæ jam essent per Clericatum obligati. *Nec fuisse Clericus alterius civitatis.* L. 9. Ep. 33.

XV. His Gregorii testimoniis undique conspirantibus liquet, juxta decreta Canonum, Episcopos non aliter suæ ordinationis Clericos habuisse, sibique vindicasse, quàm ut sibi proprios & devotos, ut *suos proprios homines.* Ita enim loquitur Gregorius: quasi diceret solenni hominio, sive homagio Episcopis propriis obligatos; ea quippe vis erat ejus vocis, jam tum ævo Gregorii; Homines dicebantur, quos postea dixere Vassallos.

XVI. Cursim saltem adeamus Ecclesiam Orientalem, de qua jam testatum fecit Isidorus, religiosiùs ibi, quàm in Occidente observatam fuisse regulam Concilii Calchedonensis, ne ulli essent Clerici, qui non alicujus Ecclesiæ ministerio manciparentur. Execratus est Justinianus Imperator ambitiosulos Clericos, qui Magnatum patrocinia aucupabantur, ut ab aliis, & à Provinciarum quoque Ecclesiis ad Ecclesiam Constantinopolitanam majorem transferri possent. Novel 3. c. 2. *Quod hactenus indecenter fiebat, nequaquam in Repub. geratur, id est, multos reverendissimorum Clericorum dedignari quidem in his quibus ordinati sunt sanctissimis Ecclesiis, alii hic, aut Provinciis deservire, ad sanctissimam verò majorem Ecclesiam, & venerabilem Clerum ejus per patrocinium quodlibet accedere. Quod de cætero fieri omnimodo prohibemus.* Sed permirú illud est quod addit Imperator, si per leges Canonesque non licet Monachis ex Monasteriis aliis in alia demigrare: multo intolerabiliorem fore id genus instabilitatem in Clericis, quos multu vehementior exagitare potest vel pecuniæ fames, vel honorum dignitatumque cupido. *Nam si prohibemus ex uno Monasterio in aliud transmigrare, multo magis neque Clericis hoc permittimus, lucri & negotiationis habere demonstrationem hujusmodi horum desiderium judicantes.* Denique cum immunes à tutelis fore sanxisset idem Imperator Clericos, Monachosque: negat sanctioribus his nominibus comprehendi eos, qui extra Ecclesias, extra Monasteria sua vagantur, undique fugaces, ubique inertes: cum eo fructu detur ea immunitas, ut rebus divinis vacare liceat per otium. *Eos tamen Clericos & Monachos hujus-*

Cod. l. 1 De Episc. & Cler. Leg. 51. *modi habere beneficium sancimus, qui apud sacrosanctas Ecclesias, vel Monasteria permanent, non divagantes, neque circa divina ministeria desides. Cùm propter hoc ipsum beneficium eis indulgeamus, ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant.* Consule Nomocanonem Joannis Antiocheni, ut Canonum Legumque concordiam in hoc negotio intelligas.

CAPUT V. *P. 3. L. 2. c. 1.*

Subjiciebantur potius Clerici Episcopo ordinationis, quam Originis, vel Domicilii, sub Imperio Caroli Magni, & ejus stirpis.

I. Probatur ex Conciliis innexos potius fuisse Clericos Diœcesi, ubi Tonsuram & Clericatum, quàm ubi patriam, vel ubi baptismum nacti fuerant.

II. Probationes aliæ ex Capitularibus & Conciliis.

III. Probatur domicilio non translatos fuisse Clericos ex Diœcesi una in aliam.

IV. Probationes novæ ex formulis Ordinationum.

V. Quo differrent dimissoriæ tunc, & nunc litteræ.

VI. Ultra annum nongentesimum viguit hæc Disciplina.

VII. VIII. Solvuntur objectiones de loco originis.

IX. Episcopus cui alienus concedebatur Clericus, examini illum subjicere poterat.

X. In Oriente eadem vigebat Disciplina, quoad Episcopum Originis & Clericatus.

XI. Quando cœperint Episcopi aliorum Episcoporum Diœcesanis Tonsuram & Minores non conferre.

XII. Consensus utriusque Ecclesiæ.

I. TRibus his quoque admodum sæculis Imperii Caroli Magni, stirpisque ejus Regiæ, idem semper obtinuit mos, ut ei magis addicerentur Clerici Episcopo, qui primus eos clericali Tonsura initiasset, quam qui originis loco, vel baptismo præfuisset. Itaque si alienos Diœcesanos occupasset Episcopus tondere, & Clericos, aut Lectores etiam creare, tam inconvulsis censebatur illos sibi vinculis constrinxisse, ut eos nemo alius deinceps posset Episcopus, nisi à se vel permissos, vel emancipatos, ordine suo Beneficio ullo donare. Ea est haud dubio sententia Canonis Concilii Can. 12. Verni anno 755. *Clericos in Ecclesia militantes, sicut jam constitutum est, non licere in alterius civitatis Ecclesia, vel in potestate laicorum militare.* Id est non posse eos ab Episcopo recedere, à quo cœperint ordinari, ut alii se Ecclesiæ voveant, vel Capellæ domesticæ cujuscumque Magnatis: *sed ibidem permanere, in qua principio ministrare meruerunt.* Non eximuntur, nisi ii, quorum vel Ecclesia, vel civitas ipsa complanata est. *Extra eos qui amissa patria ad aliam Ecclesiam pro necessitate venerint.* Suspensione & excommunicatione plectitur alioqui tum Clericus ipse, tum Episcopus, Nobilisque qui alienum Clericum retinet. *Qui verò Episcoporum aut laïcorum post hoc constitutum, alterius Ecclesiæ Clericum susceperit, nisi ad excusandum rationabiliter, placuit à communione suspendi & eum qui suscepit, & eum qui susceptus est, quousque Clericum, qui translatus est, fecerit ad suam reverti Ecclesiam.*

II. Consuetudini & Legi eidem astipulantur Cap. 6. Capitularia Caroli Magni: *Ut nemini liceat alterius Clericum recipere, nec ordinare in aliquo gradu sine commeatu Episcopi.* Ita anno rursus 789. in alio Capi- Cap. 56. tulari Aquisgranensi: *In Decretis Leonis Papæ sancitum est & in Concilio Sardicensi, ne Episcopus ulterius Clericum ad se non sollicitet, nec ordinet.* Theodulfus Episcopus Aurelianensis Parochis suis præcipit, ut ea mutuo verecundia sint, qua sunt Episcopi in Coepiscopos, ut ne alii aliorum Clericos sollicitent & abducant. *Hoc modo omnibus prohibemus, ut* Can. 15. *nullus vestrûm alterius Clericum ad se non sollicitet, nec ordinet.* In Concilio Verno II. anno 844. innovata est suspensio olim decreta in Concilio Calchedonensi, adversus Clericos prioris Ecclesiæ suæ transfugas, & Episcopos qui non eos procul à se ablegarent: *De Clericis Ecclesiarum desertoribus antiqua* Can. 4. *forma Calchedonensis Concilii servanda est.*

III. Concilii Meldensis anno 845. habiti Patres, ut præverterent inconsultas & præcipites Clericorum eorum Ordinationes, quorum nec explorata satis est vita anteacta, nec eruditio: quod longinquis nimium è regionibus cum Magnatibus quibus adhærescunt, advenerint; sanxere, ut nullus eos ordinaret Episcopus sine Dimissoriis ejus Episcopi literis, qui eos primus clericatu ornasset. Itaque sola domicilii ratione nondum Clerici ab una Diœcesi in aliam Can. 52. transferebantur. *Qui cum Senioribus suis de aliis Provinciis ad nostras Parochias veniunt, &c. Si ad ordinandum offeruntur Clerici hujusmodi, instrui debent, ut ad Episcopos, ex quorum Parochiis sumpti sunt, eos remittant, & aut ibi ordinentur, aut litteras Canonicas ab Episcopo, ex cujus Diœcesi sunt, perferant; sicut Canonica docet authoritas.* Edicitur mox ut Diœcesani ipsi annuo saltem spatio in Episcopali immorentur Diœcesi, ut eorum & conversatio & doctrina perspec- Can. 52. tior esse possit Episcopo à quo ordinandi erunt. *Qui vero ex nostris Parochiis, nullatenus ordinentur, nisi aut in Clero certo, aut religioso, vel etiam in civitate saltem uno anno immorentur, ut de vita & conversatione atque doctrina illorum certitudo possit agnosci.* In Can. 7. Concilio Nannetensi innovatur Calchedonensis Canon, ne Clerici aliarum Diœceseon ordinentur.

IV. Inter Antiquas formulas legere est Epistolam Episcopi Venciensis ad Ganelonem Archiepiscopum Rotomagensem, qua commendat ei Vulfadum Diaconum, quem negotia nescio quæ Rotomagi remorabantur, oratque, ut & ad Ordinem superiorem illum provehat: sicut & commendatione sua illum Ebbo Remensis Archiepiscopus Diaconum ordinarat, cum ipsemet olim illum adhuc Subdia- Conc. Gall. To. 2. pag. 669. 670. conum Venciensi Episcopo concessisset. *Filium Ecclesiæ nostræ Vulfadum Subdiaconum, me petente traditum mihi per litteras formatas ab Ebbone, &c. Me suggerente ordinavit idem Ebbo in gradu Diaconatus, &c. Vobis eum committo vestræque custodiæ & providentiæ delego, & ut ad majores gradus eum provehatis suppliciter exoro. Credimus enim quoniam & sapientia & mores ad hoc eum dignum indicant.* Occurrit & alia ibidem Epistola Eneæ Parisiensis Episcopi ad Hincmarum Archiepiscopum Remensem, ut ab eo peteret cedi & transcribi sibi Acolythum. *Bernonem quem vestra fraternitas Acolythum ordinavit, &c. quoniam sine vestra licentia eum volumus in nostra Ecclesia diutino tempore immorari, petimus ut de illo nobis litteras Canonicas faciatis, quatenus eum in nostra Ecclesia possimus regulariter ordinare.* Legitur mox ibidem Epistula Hincmari in Episcopum Parisiensem transcribentis, quidquid sibi ipse pepererat authoritatis & juris in hunc Acolythum, ipsa hujus Ordinis collatione. *Canonica atque Ecclesiastica sancit authoritas, ut nemo Episcoporum alterius Ecclesiæ ordinatum, sine consensu vel litteris dimissoriis illius Episcopi cujus ordinatus fuerat, in propria Parochia retinere, aut ordinare præsumat. Rogastis, &c.* Hæsitationem omnem abstergit vox illa toties iterata *ordinatus*, ostenditque dimissoriis opus non fuisse, nisi Clericis quos

Episcopus aliquis cœpisset ordinare. Obvia ibidem est Epistola Episcopi Noviodunensis ad Laudunensem, Presbyterum suum ita cupientem concedentis. Missa facio complura alia ibidem ejusdem rei exempla, quibus patet eas Clericorum cessiones fieri solitas, vel petentibus Episcopis, ut Ecclesiis suis providerent, vel exorantibus Clericis ipsis, ad certas rerum causarumque necessitates.

V. Facilè autem intelligitur has litteras *Formatas* & *Canonicas*, quas & jam tum Dimissorias vocabant, ab eis quæ usitatissimæ jam sunt, plurimùm discrepasse. Cùm enim tunc Episcopi Clericos ordinatione ipsa sibi mancipatent, illos hujusmodi cessione emancipabant quodammodo, & jus omne suum in alium transfundebant Episcopum, cui Clerici deinceps hi æterno nexu & vinculo astringebantur. Nemo non videt quantùm ab eo distent hodiernæ dimissoriæ Litteræ: nec aliunde ea manavit diversitas, quàm ex eo quòd non jam Tonsura, Clericatus, Ordinatio spectantur, ut quondam, tanquam indissolubiles quidam nexus cum eo qui Regalis Christi Sacerdotii caput est & princeps. Non cedunt alii aliis Episcopi jus & imperium illud in Clericos, quod passi sunt delabi.

Damnat Hincmarus ordinationem ejus qui posteriores Ordines susciperet in ea Diœcesi, in qua priores, vel Tonsuram ipsam non accepisset. *Qui contra sacras regulas ab Ecclesia in qua fuerit tonsus & ordinatus, discedens ad alias Provincias convolavit.* Si vel ad Episcopatum electus esset Clericus alterius Diœceseos, non poterat is novæ assentiri & acquiescere dignitati, nisi permittente Episcopo, cui hactenus fuerat obnoxius. *Canones decreverunt, ut de alia Ecclesia petitus, vel sumptus, is qui fuerit ordinandus Episcopus, non sine placito vel litteris ejus Episcopi, cujus fuerat Clericus, ordinetur.*

De Praedest. c. 36. To. 1. pag. 329.

VI. Eadem innovata sunt Decreta in Concilio Romano anni 433. ubi demonstratur Romana ipsa Ecclesia locum originis non tanti fecisse, quanti ordinationis & clericatûs, qui tunc à Beneficio non divellebatur, & ex indeclinabili tunc lege residentiæ certum secum invehebat domicilium. *Nullus Episcoporum audeat alterius civitatis Clericum sine dimissoriis sui Episcopi suscipere.* Denique anno 895. Concilium Triburiense apertissimè prodit usque ad annum Christi millesimum Episcopos Germaniæ potuisse sibi vendicare alienos quoslibet cives & Diœcesanos, collato eis vel Clericatu tantùm, vel Ordine etiam aliquo, atque ita certo eos Beneficio & ex lege proinde residentiæ, certo domicilio affigere; dummodo ne sibi Ecclesiæque suæ ita devincire illos tentarent, qui ab alio jam Episcopo illaqueati fuissent sacris iisdem vinculis. Non aliud enim hæc Synodus in ea re, quàm Canones innovat Nicænos, Calchedonenses, Sardicenses, Africanos. Atqui his vetatur id unum, ne quis Episcopus alienos ordinet Clericos.

Can. 11.

VII. Nec tamen dissimulandum nonnullis in locis videri posse, habitam esse rationem originis. In Capitulari Angilrami, quod ei traditum ferunt ab Adriano Papa, vetantur Episcopi alienos ordinare Parochianos, id est Diœcesanos: quæ nunc enim Diœcesis, ea tunc vocabatur Parochia. *Si quis Episcopus judicaverit, vel ordinaverit alterius Parochianum, sine consilio & voluntate Episcopi sui, &c. altera non solvat Canonem.* Sed promo certiorem profectò probationem ex Capitularibus Caroli Magni: *Nullus Episcopus alienum Parochianum præsumat retinere, vel ordinare, vel judicare absque proprii Episcopi voluntate. Quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita & dijudicatio. Qui enim ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit.*

Can. 30.

L. 7. c. 559.

In antiquis Formulis impetrat Archiepiscopus Senonensis à Bituricensi, ut Presbyter natus & ordinatus in Diœcesi Senonensi possit in Bituricensi domicilium figere. *Parochianum nostrum in nostra Diœcesi natum, & sacras litteras edoctum ad Ordinem sacrum promoveri jussimus.* Hincmarus Remensis Episcopus aiebat Vulfadum in Ecclesia Remensi baptisma & Tonsuram consecutum, non potuisse Lingonensem ordinari Episcopum, nisi consentiente Remensi Archiepiscopo: *Inconsulta Remensi Ecclesia, In qua baptizatus & in Clericum tonsus, &c.* Narrat Flodoardus Episcopos provinciæ Turonensis petiisse, ut Actardus Nannetensis Episcopus ad Ecclesiam Turonensem transferretur, *quia in eadem Ecclesia baptizatus, nutritus, & ordinatus fuerat.* Plura ejusdem rei exempla capite sequenti contexentur.

Conc. Gall. To. 2. p. 665. 666.

To. 2. pag. 279.

Flodoard. L. 3. c. 21.

VIII. Verùm nec numero, nec pondere paria sunt harum probationum atque superiorum momenta. Inde ergo illud tantùm existit, locum originis, vel potiùs baptismi aliquando in pretio esse cœpisse, non semper. Viennensem Archiepiscopum objurgabat Joannes VIII. quòd intercederet promotioni Episcopi Genevensis, ea nimirum de causa, quòd nec baptizatus, nec tonsus, nec ordinatus Genevæ fuisset: nec pensi quidquam haberet quòd nec ipse horum quidquam sacramentorum Viennæ accepisset. *De hoc quod dicis, quod Optandus in Genevensi Ecclesia nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterit: interim silentio est tegendum, eo quod nihil horum habens, sanctitas vestra in Viennensi Ecclesia est consecrata.* Nec in hoc exemplo quidquam est quod assentiri cogat. Unus est Capitularium locus à me relatus, quod nulla possit cavillatione deludi. At si uni illi statuto objiciatur illa congeries testimoniorum suprà laudatorum, planum est nunquam usu receptum illud fuisse.

IX. Unum restat quod addam; potuisse videlicet Episcopum Collegis suis aliquem concedere & addicere Clericorum suorum, cum accessione suffragii & testimonii sui, ut illum ad Ordines superiores propellerent, ut superiora declarant exempla: sed non eò prohibitos fuisse alios Episcopos, quin novum hunc Ecclesiæ jam suæ militem probarent, excuterentque an superiori Ordini par esset. Quin ex adverso cùm suo in hunc Clericum jure omni sese exueret Episcopus, eoque Collegas investiret, illum ergo prorsus eorum arbitrio judicioque committebat. Unde & in Antiquis Formulis ita Episcopo Argentoratensi Clericum suum commendat Constantiensis, ut penes eum esse velit, an ille ad superiores Ordines sit promovendus. *Vobis licentiam tribuimus, ut si dignum eum judicaveritis, ad sacros Ordines promoveatis.*

Conc. Gall. To. 2. pag. 666.

X. Quod ad Orientalem jam spectat Ecclesiam, Constitutione Michaëlis Anchiali Patriarchæ Constantinopolitani, synodicè trutinata cum Episcopis compluribus, & Magistratibus Imperatoriis, sancitur juxta Canonicas sanctiones non posse ab Episcopis conferri Diaconatum, vel Presbyteratum iis qui ex alicuis Diœcesibus ad eos veniunt: *Diaconorum & Sacerdotum ordinationes facere:* vetantur autem vel maximè Episcopi Regiæ urbi vicini, manus imponere Diœcesanis ullis civitatis Constantinopolitanæ, addito etiam, ne qui Presbyteratu in aliis Diœcesibus initiati fuerint, ad eas proficis-

Jus Orient. To. 1. p. 227. 236.

cantur sacro illo Ordine perfuncturi. Ejus Decreti sensus germanissimus ad solos spectare videtur Clericos, non laicos. Clericis enim, & Ordine jam aliquo donatis, aut adjici, aut abnui possunt Ordines superiores, non laicis. Sunt tamen in ea Constitutione ejusmodi verba, quæ prohibeant tonderi, vel ordinari ab Episcopis, nisi ipsorum Diœcesanos, ut paci Episcopos inter alendæ consultum sit. *Manus autem imponere & sacros Ordines conferre, non iis qui undequaque veniunt, sed iis solis qui sunt ejus Diœcesis, unicuique Antistiti Canone cautum est; ne inter eos confusio seditioque versetur, à quibus ordo & pacis bonum aliis quoque certa debet regula dari.*

χειροθετεῖν ἱερατικῶς ἀξιῶν.

XI. Video hæc quoque verba ad Ordines sacros trahi posse, quos non possit conferre Episcopus, nisi iis qui Diœcesani ejus sunt, vel propter originem, vel propter Tonsuram & priores Ordines, quibus ei adscripti insitique sunt Diœcesi. At verò Balsamon in Responsionibus ad Marcum Patriarcham Alexandrinum, affirmat in hac Constantinopolitana Synodo actum fuisse de Laïcis, iisdemque pœnis addictos fuisse Episcopos, qui alienis ex Diœcesibus oriundos ordinarent. *De laïcis autem simul quæsitum est, in sancta Constantinopolitana Synodo, &c. Et facta est synodalis subnotatio ex æquo puniri eum qui ex aliena Provincia ordinat laïcum, præter Episcopi ipsius sententiam.*

Juris Orien. Ibid p. 382. 383.

Sed cum eodem Balsamone fateri cogimur, tum primum cœpisse id prohiberi. Cùm enim ea quæstio universim proposita fuisset, an possit Episcopus alienos ordinare Diœcesanos: respondet Balsamon, quod ad Lectores spectat, qui superiores Ordines ab alio suscipiunt Episcopo, quàm ab eo qui ipsos Lectores ordinavit, eos canonicis legibus pœnitentiæ subjici: quoad Laïcos autem, diffinitam fuisse quæstionem eam in Concilio Constantinopolitano sub Michaële Anchialo.

XII. Hinc ergo illud constantissimè efficitur, usque ad annum Christi millesimum utriusque Ecclesiæ potuisse Episcopos conferre Tonsuram & Ordines Laïcis alienæ Diœceseos: at majores Ordines iis impartiri non potuisse, qui minores jam ab alio, vel Tonsuram suscepissent. In aperto ratio est. Vigebat quippe adhuc vetustissima illa lex, ut clericatus & ordinatio Clericos quoslibet uni Ecclesiæ in reliquum vitæ tempus defigeret, adeoque connexum sibi & Beneficium haberet, & domicilium. Quo fiebat ut perinde esset, ac si ex ea regione oriundi fuissent. Tum Beneficio ergo, tum domicilio Diœcesani evadebant quodammodo: quod tunc demum desitum est, cum desiit ordinatio Clericos omnes suæ quemque Ecclesiæ in perpetuum affigere & devincire.

CAPUT. VI. *P. 3. l. 2. c. 2.*

Ordinatio Clericos uni alligabat Episcopo & Ecclesiæ, in qua residere cogebat, sub Imperio rursum Caroli Magni, & ejus stirpis.

I. Illigari ordinatione non poterant Clerici uni Ecclesiæ, quin ibi domicilium sortirentur, atque ita Diœcesani quodam suo modo evaderent.

II. Clerici omnes Episcopo obnoxii.

III. Tentata ratio in communem vitæ societatem illos adgregandi sub Episcopo.

IV. Principum & Conciliorum decreta ad residentiam Clericorum omnium in suis Ecclesiis.

V. Regibus ipsis & Optimatibus Capellani ab Episcopis assignabantur.

VI. Nefas erat transilire ab una Ecclesia ad aliam.

VII. Non poterant electi Episcopi acquiescere, citra consensum Episcopi, cui erant obnoxii.

VIII. Exempla alia accuratissima residentia Clericorum.

IX. Residentiæ vinculo interim solvebantur, qui studiorum causa ad publicas Scholas proficiscebantur.

X. Quæ leges imponerentur studentibus.

XI. In Oriente Patriarcha Constantinopolitanus sua inserebat Ecclesiæ Clericos Monachosque aliorum Episcopatuum. Quod rarò tamen fiebat.

XII. Ad id quoque Litteris propriis Episcopi opus erat.

XIII. Clerici non residentes excidebant Beneficiis. Quanto tempore?

XIV. Decreta contra vagos & acephalos Constantinopoli Clericos.

I. NOn frustra, etsi forsan ad fastidium usque Lectoris inculcamus, Clericatum & Ordines aureas veluti fuisse compedes, quibus Clerici alligarentur Episcopo & Ecclesiæ, in qua deinceps perpetuùm residerent. Inde fiebat enim, ut Episcopi alii aliorum Diœcesanos passim ordinarent, quòd ordinatione ipsa jam perpetui Diœcesani fierent novæ hujus Ecclesiæ, in qua deinceps & Beneficium & domicilium perpetuum haberent. Nec aliter etiam nunc fit; ubi vel Beneficio quis, vel domicilio fixus est alicubi, Diœcesanus censetur, & jure communi ab Episcopo Diœcesano ordinari potest, quamquam originem alibi nactus. Unum id interest, quod non statim suscipiendo Clericatu & Beneficio investitur quis, & domicilio figitur, ut olim; propter necessariam olim Clericorum omnium in Ecclesiis suis residentiam, nunc minimè necessariam.

II. Rursus ordinari Presbyteros voluit Vermeriense Concilium anni 752. qui ab Episcopis vagantibus & sine Episcopatu ordinati fuissent. *Ut ab Episcopis ambulantibus per patrias, ordinatio Presbyterorum non fiat. Si autem boni sunt illi Presbyteri, iterum consecrentur.* Poterat hæc Ordinum imputari iteratio dubitationi ei, an verè fuissent Episcopi, qui esse se venditassent. Sed in eo Decreto sublucet mira quædam animorum alienatio, & ab Episcopis, qui nulli Ecclesiæ: & à Presbyteris, qui nulli Episcopo sunt addicti. Unde & Concilium Vernum anno 755. Episcopi summæ potestati subjicit Presbyteros omnes, qui nisi eo annuente, nec tingere possunt, nec sacrificare. *Ut omnes Presbyteri, qui in Parochia sunt, sub potestate Episcopi esse debeant; & de eorum ordine nullus Presbyter præsumat in illa Parochia baptizare, nec Missas celebrare, sine jussione Episcopi, in cujus Parochia est.*

Can. 54.

Can. 8.

III. Ulteriùs verò progressi sunt Concilii hujus Verni Patres in obedientia & conjunctione describenda Clericorum cum Episcopis suis. Hinc enim cœpere Clerici colligi in unam sub Episcopo societatem, ut Monachi communem sub Abbate suo degebant vitam. *De illis qui dicunt quod se propter Deum tonsurassent, placuit ut in Monasterio sint sub habitu regulari, aut sub manu Episcopi sub ordine canonico.* Illud quoque additum, ut prohiberentur Clerici omnes ab una Ecclesia in aliam migrare, vel Magnatum Oratoriis sese addicere. *Clericos in Ecclesia militantes non licere in alterius civitatis Ecclesia, vel in potestate laïcorum militare.* Capitulare Aquisgranense anno 789. Calchedonensem Canonem innovavit. *Ut nullus absolutè ordinetur, & sine pronuntiatione & stabilitate loci, ad quem ordinatur.* Itaque uti nunc Episcopi, ita tunc vel extremi Clerici, non ordinabantur, quin alicui illigarentur Ecclesiæ: atque etiamnunc Monachi stabilitatem & residentiam vovent, ita & tunc Clerici.

Can. 11. 12. Ibidem.

Cap. 53.

IV. Rex ipſemet Carolus Magnus in Concilio Francofordienſi anno 794. cùm Epiſcopis connexus eſt, ut reſidentia poſthac religioſius obſervaretur ab Epiſcopis, Presbyteris, Diaconiſque. [Can. 7.] *Definitum eſt à Domno Rege & à ſancta Synodo, ut Epiſcopus non migret de civitate in civitatem, ſed curam habeat Eccleſiæ ſuæ, ſimiliter Presbyter & Diaconus maneat in Eccleſia ſua canonice.* Paulò pòſt in omnes [Can. 27.] Clericos idem jus exporrigitur: *De Clericis ut nequaquam de Eccleſia ad Eccleſiam tranſmigrent, neque recipiantur ſine conſcientia Epiſcopi.* Denique vagæ [Can. 28.] ordinationes proſcribuntur. *Ut non abſolute ordinentur.* Vagos Clericos, & nec Epiſcopo, nec Abbati addictos Concilium Moguntinum anni 813. carceri addixit. *Neque ſub Epiſcopo neque ſub Abbate, ſed ſine Canonica vel regulari vita degentes.* Juſſit etiam ut Epiſcopi tranafugas Clericos undique conquiri facerent, propriiſque reſtituerent Epiſcopis: [Can. 23.] *Ut unuſquiſque Epiſcopus in ſua Parochia diligenter Presbyteros, vel Clericos inquirat, unde ſint, & ſi aliquem fugitivum invenerit, ad ſuum Epiſcopum redire faciat.* Ejuſdem anni Concilium Turonenſe perquiri eoſdem juſſit, ut ne divina celebrare myſteria permitterentur ii, qui ex aliena Diœceſi advenirent, ſine proprii Epiſcopi litteris. *Ne ſine litteris commendatitiis celebrare præſumat.* Plumbo muniri has litteras ſanxit Concilium Cabilonenſe II. ejuſdem an[Can. 41.]ni 813. *In quibus nomina Epiſcopi & Civitatis plumbo munita.* Quin & Romam peregrinari, vel Cæſarodunum Turonum Presbyteros, Clericoſque prohi[Can. 44. 45.]betur, niſi permiſerit Epiſcopus. *Romam ſive Turonum abſque licentia Epiſcopi ſui adire, penitus decrevimus inhibendum.* Denique uſque adeo perſuaſiſſimum erat Carolo Magno, ſtrictiſſimæ reſidentiæ Clericos omnes ſubjici debere, ut cùm Presbyterum Anglum meritò ſuſpectum in Angliam remitteret, ad Angliæ Regem ſcripſerit, conſultius viſum eſſe Gallicanis Epiſcopis, ut eum ad proprium ablegarent Epiſcopum, cui primùm profeſſus fuerat ſe obtemperaturum. *Viſum eſt noſtris Sacerdotibus, illum ad ſui Epiſcopi, ubi Deo votum fecit, dirigere judicium.* Ponderanda hæc verba, *Deo votum fecit.*

V. Tam præclarè conſtituta Diſciplina Cleri, non multò poſt labefactari cœpit. Id enimvero eſt quod vehementiſſimè dolebat Concilio VI. Pari[Can. 34.]ſienſi ſub Ludovico Pio anno 829. *Eò quòd multi Eccleſiaſticæ regulæ ſubjecti, propoſiti ſui & loci deſertores effecti, ab aliis Epiſcopis, & Abbatibus, Comitibus & aliis Nobilibus viris recipiuntur.* Expoſtulat autem vel maximè de Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Nobilibuſque Italiæ, qui Clericos Galliæ deſertores paſſim excipiebant, & nihili faciebant Canones, quibus id toties eſſet prohibitum. Interpellatus eſt ab hoc Concilio Ludovicus Pius, ut Imperatoria poteſtate revocari ex Italia aliiſque provinciis curaret Presbyteros Clericoſque fugaces quoſlibet, & ſuis reddi Eccleſiis. *Per Miſſos veſtros perquirantur, & unicuique Eccleſiæ, à qua per contumaciam defecerunt, reſtituantur.* Concilii II. Aquiſgranenſis Patres anno 836. ne in Palatio quidem Imperatorio conſiſtere paſſi ſunt Presbyteros, qui ab [L. 3. c. 23.] Epiſcopis ſuis deſciviſſent. *De Presbyteris qui Palatio morantur, ut ſine proprii Epiſcopi conſenſu ibi locum conſiſtendi non habeant.* Concilium Meldenſe anno 845. vagas proſcripſit ordinationes, & ne Regibus quidem ipſis conceſſit, ut ſine Epiſcoporum aſſenſu, [Cap. 52. 58.] Clericum ſibi quemvis vendicare poſſent. *Cum quilibet Canonicorum ad regiam venerit majeſtatem, & ſuo ſe voluerit mancipare ſervitio, conſenſu Epiſcopi, ad cujus Diœceſim pertingere cognoſcitur, eum recipiat.* Concilium Ticinenſe anno 850. albo expunxit Clericorum, eos qui ſub nullius Epiſcopi poteſtate degerent, edixitque, ut ne viri Nobiles Capellanos Oratoriorum ſuorum acciperent, niſi à proprio Epiſcopo: *Nulla ratione Clerici aut Sacerdotes habendi ſunt, qui ſub nullius Epiſcopi diſciplina & providentia gubernantur, &c.* [Can. 18.]

VI. Joannes VIII. Papa ad Archiepiſcopum Ravennatem ſcripſit, ut Eccleſiæ Faventinæ Clericos omnes redderet, qui ab ea, ut minùs ſplendida & opulenta, ad Ravennatem confluxerant. Deteſtantur enim ſacri Canones hanc Clericorum inſtabilitatem, hanc opum, hanc honorum famem. *Quia* [Epiſt. 173.] *non licet quemlibet Clericum in duarum Civitatum conſcribi ſimul Eccleſiis, & in qua ab initio extitit, & ad quam confugit, quaſi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Et ideo eos ad Eccleſiam revocari decernimus, & de illis ampliùs nullo modo recipias.* Idem ipſe Pontifex Monacho neſcio cui reſcripſit, ut fidam & conſtantem præſtaret obedientiam ei Epiſcopo, cui ſuus Abbas & prior Epiſcopus eum volentem cupientemque per Litteras dimiſſorias conceſſiſſent. *Valpertus Epiſcopus te à proprio Epiſcopo atque Ab*[Epiſt. 238.]*bate per dimiſſoriam acquiſivit; tua potiùs interveniente petitione.*

VII. Antiquas inter formulas Epiſcopalium Promotionum inſignis illa eſt Guilleberti Epiſcopi Catalaunenſis. Cùm jam Presbyter eſſet, illum parentes obſequio Regis aſtrinxerant, conſentiente vel maximè Præſule ſuo, Archiepiſcopo Turonenſi. *Per licentiam mei Archiepiſcopi Herardi, à parentibus* [Conc. Gall. To. 2. pag. 652.] *meis regiis ſum mancipatus obſequiis.* Hincmarus qui præerat electioni Guilleberti in Epiſcopum Catalaunenſem, conſenſum flagitavit Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, qui præſens aderat. *Quia veſter natus, nutritus, vel educatus & ordinatus dignoſcitur, & Clerus, Ordo & Plebs Catalaunica illum depoſcit, habeamus veſtram licentiam, &c. Requiſita ſunt Canonum Capitula, & inventum eſt, quia ab illo eum petere debebant, cujus natus, nutritus & ordinatus foret, &c.* Omnes præter Presbyteratum ordines acceperat ab Herardo Guillebertus, qui poſtea ejuſdem Herardi Dimiſſoriis munitus à Sylvanectenſi Epiſcopo Presbyter creatus fuerat. *Ab Herardo litteris ad Erpoinum datis, Presbyterii onus ſuſcepi.* Hæ dimiſſoriæ Litteræ perſimiles erant earum, quæ nobis in uſu jam ſunt, Clericoſque prioris Epiſcopi ſui obedientiæ adſerebant. Eſt etiam hic in honore Epiſcopus originis; ſed id juris accumulatione fieri ſuſpicor, quod qui originis, idem Ordinationis eſſet Epiſcopus. Miſſas facio alias Dimiſſorias complures, quas ab Epiſcopis ſuis impetrabant Clerici, ut in alias ſe Diœceſes omnino transferrent, ob neceſſaria quædam negotia ſua. *Ob ſui commodam facultatem, &c. Ut ſua deſerviat utilitati, &c.* [Ibidem. 671. 66.]

VIII. Hincmarus ipſe Remenſis Archiepiſcopus unum ex Monachis ſuis ſancti Remigii conceſſit Epiſcopo tunc flagitanti, & cum ſacros Ordines, tum curam animarum ei crediturus. *Quem eidem Epiſcopo* [Flodoard. L. 3. c. 28.] *id petenti ad ordinandum & regendum committit.* Donatus à Carolo Magno Alcuinus, virtutum & eruditionis gloria ſuo quidem ævo nulli ſecundus, duabus Abbatiis, alieno ſolo prorſus defigi noluit, niſi antè in patriam, in Angliam inquam remeaſſet, ut à Rege & Epiſcopo ſuo eam impetraret licentiam: antè enim attonſus & Diaconus ordinatus fuerat, quàm in Galliam ſe conferret. *Albinus ut in ejus via lens abſque authoritate Regis ſui & Epiſcopi proprium ea.*

deserere locum, quo educatus, quoque comam capitis amiserat, ac in Levitam consecratus fuerat, &c. In Capitularibus Episcopis præcipitur, ut cum Parochias Presbyteris administrandas committunt, stabilitatem eis profiteri cogant. *Ut Presbyteri qui in titulis consecrantur, secundum Canones antequam ordinentur, promissionem stabilitatis loci illius faciant.* Parochi Diaconique obedientiam Episcopo suo profiteri adigebantur: *Quando Presbyteri, vel Diaconi per Parochias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere*, Monet Presbyteros suos Ahyton Basileensis Episcopus, cùm sponsi sint Ecclesiarum, infatigatam vigilantiam, & jugem residentiam præstari ab eis debere: *Sciant quia in Ecclesiis quibus præsunt, sponsi facti sunt. Et ideo omni vigilantia, qualiter eas decorent, & eis incessanter deserviant, totius vitæ suæ vigilantiam impendant.* Lupus Ferrariensis Abbas Litteris ad Ganelonem Archiepiscopum Senonensem datis, mira eruditionis copia refertis, exprimere ab eo enixus est, ut duo ejus Parochi Ecclesiis suis abire, & Monasticum institutum ipso consentiente amplexari possent. *Dignetur vestra Paternitas hæc studiosius pertractare, & Presbyteris ad melius de bono tendentibus, non cunctetur licentiæ aditum reserare.*

L. 5. c. 108. L. 7. c. 356. — In Capit. c. 23. Spicil. to 6 pag. 698. — Epist. 29.

IX. Jam verò alia se aperit multò frequentior deinceps futura occasio, à residentiæ nexu solvendi Clericos, ut in celebriores convolarent scholas strenuam litteris sacris Ecclesiasticisque operam navaturi. Tam pia vota Episcopi persæpè dissensu suo frustrabant, prætexebantque Canones residentiæ vindices. Suppeditat nobis Regino quæstionis hujus solutionem, qua declaratur; etsi vagos & fugaces Clericos proscribant Canones, non tamen inertiæ, aut imperitiæ patrocinari: residentiam ergo quæ ab illis exigitur, remorari non debere cursum & incrementa perfectioris sapientiæ ac pietatis. *Invidia Pontificum sæpè prohibentur, dum Canonem XX. Calchedonensis Concilii eis opponunt. Ubi dicitur Clericos in Ecclesia administrantes, in alterius civitatis Ecclesia statutos fieri non oportet; & sequentia invida offuscatione abolent; ubi illi excipiuntur, qui ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierint. Magna sane necessitate premitur qui fame constringitur, & qui injuria arctatur insipientiæ, opus habet refici doctrina scientiæ. Inter fugitivum denique & studiosum cautè ab Episcopo discreto prospici debet; ut ille locum delitescendi non inveniat; isti verò locum in melius mutare, & ire de virtute in virtutem volenti offendiculum non opponatur, sed charitatis adjutorio, quæ nunquam excidit, sublevetur. Igitur si piè & justè recto currebant hactenus viam tramite vitæ, pro religione perfectiora expetere loca, licentiam eis non denegandam esse censuimus, &c.*

Regino. Append. 2. c. 30.

X. Ea fuere initia incredibilis illius frequentiæ Clericorum ad Litterarias Universitates posterioris ætatis. At interim hîc observa, 1. has licentias non concedi, nisi Clericis, qui pietate præfulgent: *Si piè & justè, &c.* 2. Et qui ad studia litterarum non anhelant, nisi ut Ecclesiasticis ministeriis aptius postea & felicius inserviant. *Pro religione.* 3. Quique ingenio pollent, & acumine: *Qui capacioris sunt & argutioris ingenii.* 4. Denique non relaxantur à canonica residentia, nisi ut pergant ad celebriores Scholas. *Ad loca quæ scientia & doctrina excellentiora conspiciuntur.*

XI. In Oriente solus Constantinopolitanus Patriarcha abutebatur potestate eadem, ex Balsamone, qua Carthaginensis in Africa Episcopus, ut Clericos aliorum Episcoporum admitteret Ecclesiæ suæ gremio, eique consociaret, invitis etiam Episcopis. Admonet tamen idem Balsamo tum demum eo jure uti Constantinopolitanum Episcopum, cùm penuria laborat ipse Clericorum, deficitque in Ecclesia Constantinopolitana ille, qui Constitutionibus Imperatorum definitus est numerus. Denique id difficillimè accidere posse idem observat, propter incredibilem Clericorum multitudinem, qui regia semper in urbe diversantur. *Quod quidem Constantinopoli locum non habet, propter multitudinem Cleri ipsius, & quod nulla sit omnino eorum penuria.* Addit idem alibi, posse Imperatores Clericos ab una Ecclesia in aliam transferre: *Nota autem quod etiam Imperatori concessum est facere Clericorum translationes.* Majorem certè suprà suspeximus vel Episcoporum magnitudinem animi, vel Principum temperantiam, ut ne Canonicis Regulis fieret injuria.

In Nomoc. Tit. 1 c. 16. Et in Can. 16. Apost.

XII. Sed ne Episcopus quidem Constantinopolitanus Clero suo adglutinare poterat Clericos extraneos, nec sacras illis permittere functiones, nisi commendatitias afferrent ab Episcopis suis litteras, quibus constaret eos & Tonsura & Ordine quovis fuisse donatos. *Patriarchæ Constantinopolitano permissum est alienos suscipere sine dimissoriis litteris ejus, qui ipsos ordinavit, si modò litteras commendatitias attulerint, quibus se ordinatos & Clericos esse probent.* Nec Hierosolymitano, nec Antiocheno Patriarchis fas erat id sibi sumere, quod unius Constantinopolitani speciale erat privilegium, ut sive Clericos, sive Monachos alienos posset sibi Ecclesiæque suæ vendicare. *Ipsi enim ab alienis finibus sine impedimento Monachos & Clericos recipere concessum est.*

In Can 10 & Synod. 7. — In Can. 55 Synod Carthag.

XIII. Affirmat denique Balsamon, juxta Novellas Constitutiones, ubi Clericus à loco suo descisceret & officio, alium subrogari solitum, qui distributiones perciperet, atque ita desertori jam regressus in suam sedem non pateret. *Ut si ab aliqua Ecclesia recedant Clerici, alii qui subrogantur, annonarias pensiones percipiant: neque illi, si revertantur, illas capiant.* Videtur alibi Balsamon hujus absentiæ tempus triennio diffinire, ut eo elapso jam Clericus suo Beneficio jure spoliatus censeatur. *Si enim deponitur, qui triennio in aliena Parochia versatur.* Quin & aliqui functionum sibi incumbentium tam arcta necessitate urgebantur ad residendum, ut post semestrem absentiam successores acciperent. *Et si non ad sex usque menses ad ministerium surrexerint, extrudantur.*

In Nomoc. Tit. 8. c. 2. — In Supplem. pag. 1124.

XIV. Complectitur Jus Orientale Declarationem Heraclii Imperatoris adversus Presbyteros Clericosque errones, & licentiosos, qui undequaque Constantinopolin advolabant, irrepebantque in Ecclesias, in Xenodochia, in Oratoria Optimatum, nec ullo se obsequio Patriarchæ obnoxios profitebantur. Damnatur hæc discursatio & fuga ab Ecclesiis propriis, & prohibetur quidquid stipis in hos erogent Ecclesiæ, vel Xenodochia, vel Monasteria, [illegible], δωρεὰς, δόσεις, in eos effundant.

Juris Orient. To. 1 pag. 84. 85.



CAPUT

CAPUT VII. *P. 4. l. 2. c. 1.*

Diœcesani obnoxii Episcopo Originis, Domicilii, Beneficii, post annum Christi millesimum.

I. Vestigia quædam residua disciplinæ veteris, ubi plus momenti erat in Episcopo ordinationis.

II. Hac extrema ætate plurìs fuit Episcopus originis. Probationes.

III. Exemplum mirum trium Episcoporum, qui totam sibi mutuò potestatem communicant.

IV. Pontifices & Concilia ratas habent ordinationes factas ab Episcopo vel originis, vel domicilii, vel Beneficii.

V. Quot annorum debeat esse domicilium.

VI. Variæ Declarationes Congregationis Concilii de Episcopo originis & Beneficii, itemque de Dimissoriis.

VII. Decreta Conciliorum de examine Dimissoriis præmittendo.

VIII. Decreta alia de Regularibus & de Dimissoriis ad quaslibet Ordines.

IX. An Ordines ab Abbatibus, an à Capitulis Dimissoria dari possint.

X. De eo qui alibi natus, alibi baptizatus est.

XI. Decreta Comitiorum Generalium Cleri Gallicani anno 1655. super his rebus.

I. CUm Leodiensis Episcopus omnes ad se revocaret ordinationis suæ Clericos, interpellavit eum enixiùs B. Fulbertus, ut Subdiaconum sibi quempiam cederet, quem deinceps haberet mutui pignus amoris. *Epist. 57.* *Oramus ut nobis eum remittere, ac vestris Litteris commendare dignemini, ut præsentia ejus sit pignus vestræ charitatis erga nos.* Claromontano Episcopo cessit Hildebertus Cenomanensis Episcopus unum ex Subdiaconis, quem Archidiaconum crearet. *Epist. 65.* *Eundem Vuillelmum vobis & vestræ commodo Ecclesiæ, ab ea quam consecratori suo debet obedientiam, liberum omnino & absolutum.*

Concessit Innocentius III. Mediolanensi Archiepiscopo, quod ab eo expetitum fuerat, ut Diaconatu & Presbyteratu donare posset, quos ipse Pontifex minoribus initiaverat Ordinibus. *Qui ab ipso* *Regest. 1.* *Romano Pontifice Ordines receperunt.* Docet etiam *Epist. 20.* Radevicus Clericum & Subdiaconum Papæ non posse nisi eo assentiente à quoquam ordinari. *Cle-* *L. 2. c. 15.* *ricus de Reverentia vestra, & in Subdiaconatum à Papa consecratus, nonnisi ejus conniventia & assensu in aliam Ecclesiam transferendus putabatur.* Non obscura sanè hæc sunt pristinæ disciplinæ vestigia: ubi plurimum omnium potest Episcopus ordinationis.

II. Sed ingenuè confitendum est hac extrema Ecclesiæ ætate, post annum Christi millesimum, Episcopo originis multò plus autoritatis affuisse, quàm priùs. Vetuit Concilium Ravennas anni 997. ordinari vel promoveri quemquam ex Diœcesanis alterius Episcopi, sine ejus Dimissoriis. *Nemo no-* *Can. 3.* *strûm alterius Diœcesenses vel Parochianos recipere, aut promovere, seu retinere præsumat, sine Canonicis Epistolis.* Concilium certè Londinense anni 1075. prohibuit tantummodo ordinari à quoquam Clericos Monachosque alterius Episcopi, convenienter priscis Canonibus & Pontificiis Decretis: *Ex multis Romanorum Præsulum Decretis, & Canonum authoritatibus, ne quis alienum Clericum, vel Monachum, sine commendatitiis Litteris retineat, vel ordinet.* Urbanus verò II. permisit Archiepiscopo Lugdunensi, ut breviori perfunctos pœnitentia recolligeret eos Clericos Ecclesiæ suæ, qui ab aliis deinde Episcopis ordinati fuissent. *Append.* *Lugdunensis Parœciæ Clericos* *Epist. 19.* *contra statuta Canonum ab alterius Parœciæ Episcopis*

ordinatos, &c. Sed non docet hic Pontifex potuisse Laïcos Clericatu ornari ab Episcopo quovis alio quàm suo. Et Concilium Londinense anni 1125. ordinationem reservavit uni Episcopo Diœcesano. *Nullus Episcoporum alterius Parochianum præsumat or-* *Can. 10.* *dinare, vel judicare.* In alio Concilio Londinensi anni 1138. servata est solo Romano Pontifici restitutio Clericorum, qui sine proprii Episcopi Dimissoriis ab alio quopiam Episcopo ordinari voluissent. *Clericos à non suis Episcopis absque Litteris proprii Episcopi ordinatos, à susceptorum officiis Ordinum inhibemus, solique Romano Pontifici eorumdem plenaria restitutio reservetur, nisi Religionis habitum susceperint.* Hæc Monachorum exceptio non alio ex capite manare videtur, quàm quòd inde oriundi jam censerentur, ubi professi fuerant.

III. Admirandum prorsus Episcopalis concordiæ & pacis specimen effulsit in tribus Neustriæ Episcopis, Lexoviensi, Ebroïcensi & Sagiensi, cùm ad communem Ecclesiarum suarum utilitatem, reciproca sese licentia impartierunt fungendi Pontificalibus muniis omnibus in tribus his Diœcesibus. Audiendus hîc Ordericus: *Hi tres in Nor-* *Script. Norman. p. 478.* *mannia tunc maximè pollebant divini cultûs fervore: & unanimi consensu, tantoque nectebantur amore, ut quisquis eorum in Diœcesi confinis, velut in propria, prout tempus & ratio poscebat, omne divinum opus exerceret sine litigio & livore.* Non erant nescii Episcopi isti, sicut nec Urbanus II. cujus Epistola suprà laudata, concordiæ ejus mirabilis, quam alebant inter se olim Cypri Episcopi, qua de re nos fusiùs alibi ex B. Epiphanio.

Verùm hæc exempla, ne dicam miracula, charitatis, supra leges omnes assurgentis, non possunt esse nisi rarissima. Ideo & Mont-Pessulanum Concilium anni 1258. prohibuit ne quis Tonsuram, & multò magis ne quis sacros Ordines acciperet, ab alio quovis, quàm ab Episcopo Diœcesano, quantumvis certa spes affulgeat ab eo ratum habitum iri. *Nullus Episcopus de cætero prætextu ratihabitionis, cujuslibet alterius Diœcesanum aliquem absque licentia sui Episcopi tonsurare audeat, nec ipsum multo fortius ad minores vel majores Ordines promovere.*

IV. Episcopos Italos vetuit Clemens IV. ne ultramontanos ordinarent Clericos, sine dimissoriis Litteris Episcopi vel originis, vel domicilii. *Ne Clericum ultramontanum ordinare præsumat, nisi à nobis specialem licentiam habeat, vel ab Episcopo, de cujus Diœcesi traxit originem ordinandum, vel in cujus Diœcesi beneficiatus existit.* Si qui Decreto huic mi- *In Sexto. De Temp. ordi.* nùs morigeros se præbeant, ordinatores quidem pœnitentia, ordinati verò irrevocabili suspensionis sententia plectantur, adempta absolutè spe dispensationis. Atque adeo duplicis tantùm generis sunt Episcopi Diœcesani, qui canonicas ordinationes celebrare possint, nimirum originis & Beneficii. Episcopus Tonsuræ hîc non memoratur. Ambigitur porro an Episcopi unius Diœcesanus possit citra ejus licentiam Beneficium impetrare ab alio Episcopo, & in alio Episcopatu. Olim non potuit aliquandiu Parochianus à Parochia vel Diœcesi sua in aliam migrare Parochiam vel Diœcesim, nisi Episcopo vel Parocho suo permittente. Observari id potuit in priore Canone Concilii Ravennatis hoc ipso in capite superiùs allato. Sed parum probabile est, non potuisse à Laïcis mutari domicilium, nisi de consensu Episcopi. Id porro satis erat ad Beneficium ab alio jam Episcopo habendum. Ideo & Bonifacius VIII. tres agnoscit Epis-

copos, à quibus tanquam à Diœceſanis ſuis poſſit quiſque ordinari, nulla aliunde expetita licentia. *Ibidem.* *Cùm nullus Clericum aliena Parœcia præter Superioris ipſius licentiam debeat ordinare, Superior intelligitur Epiſcopus, de cujus Diœceſi eſt is qui promoveri deſiderat, oriundus; ſeu in cujus Diœceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeu habet, licèt alibi natus fuerit, domicilium in eadem.* Excipit Pontifex Monachos non exemptos, qui ejus Diœceſis ſunt, ubi domicilium habent, hoc eſt, ubi Beneficium. Monachi enim locus Beneficii inſtar eſt. Synodus Exceſtrenſis anno 1287. ea de cauſa Regulares & Beneficiarios *Cap. 8.* conjungit. *Religioſis & Beneficiatis duntaxat exceptis.* Copulati fuerant & in Concilio Londinenſi ſuprà laudato. Cæterùm quod modò protuli Decretum *Can. 12.* Bonifacii, confirmatum illud fuit à Concilio Auſcienſi anni 1300. ubi pronuntiatur poſſe dimiſſorias accipi Litteras à quolibet horum trium Epiſ- *Can. 5.* coporum. Concilium Senonenſe anni 1528. id quoque confirmavit.

V. At verò in Concilio Mediolanenſi IV. anno 1576. diffinitum eſt, non tantùm poſſe quemque ordinari ab Epiſcopo originis, Beneficii & domicilii: ſed & illud quoque, decem annorum eſſe debere domicilium: *Decennali domicilio.* Idem declaratum eſt à Concilio Aquenſi anni 1585. ubi & illud *Can. 8.* ex ſancto Carolo habetur. *Vel decennali domicilio, vel alia ratione Diœceſanum eſſe, aut familiarem Epiſcopi, qui per triennium cum illo commoratus ſit.* Id ve- *Seſſ. 23. c. 9.* rò ex Concilio Tridentino decerptum eſt, ubi non ſinitur Epiſcopus extraneos ordinare in familiam ſuam aſcitos, niſi totum triennium cum eo commorati ſint. Itaque domicilium aliis decennale, familiaribus Epiſcopi triennale ſufficiebat. Verùm ibidem non jubet Concilium, ut Epiſcopus ubi extraneum ordinat, quem in familiam ſuam aſcivit, ſtatim Beneficio donet, ut eum arctiùs & ſibi & Eccleſiæ ſuæ aſtringat.

Can. 21. In Concilio Narbonenſi anno 1609. cautum eſt ne Epiſcopi vel Dimiſſorias, vel Ordines concedant, niſi vel oriundis ex ſua Diœceſi, vel iis qui pacificè per triennium obtinuerint in ea Beneficium, cujus annui reditus ſint ſaltem triginta Philippeorum. Hodierna Galliæ Juriſprudentia pati jam videtur, ut Canonici Cathedralium, & Parochi, ut qui ad reſidentiam ſtricto jure obligentur, poſſint ab Epiſcopo Beneficii ordinari. Pro- *L. 1. Tit. 4.* hibuit Concilium Mexicanum anno 1585. ordinari eos qui domicilium in aliqua ſortiti ſunt Diœceſi, niſi ex diuturna jam eorum ibi commoratione conjiciatur propoſitum nunquam inde diſcedendi. Additur hîc porrò, qui ab uno cœperint Epiſcopo ordinari, non poſſe eos ab aliis Epiſcopis cæteris donari Ordinibus, niſi per prioris Epiſcopi Dimiſſorias liceat. Veſtigia hæc ſunt reſidua veteris diſciplinæ, ubi ratio potiſſimum habebatur Epiſcopi qui prior ordinaſſet.

Fagnan in l. 4. Decr. Par. 2. p. 153 VI. His addenda nonnulla ex Congregatione Concilii Tridentini Decretis declarandis præpoſita. 1. Si fraudulentè, & ad declinandum Epiſcopi Diœceſani examen, aucupatus ſit aliquis Beneficium in alia Diœceſi, & ibi ordinatus ſit, ſuſpendi illum ab functionibus Ordinum, perinde ac ſi extraneo ab Epiſcopo ordinatus eſſet. 2. Quamvis alteri quis Diœceſi alligatus vel domicilio ſuo ſit, vel Beneficio: integrum tamen ei ſemper eſſe or- *Idem l. 3. Part. 2. pag. 384.* dinari ab Epiſcopo originis. Eſt enim nativitas æternum aliquod vinculum, ut & patria. Non ita olim habebat res, quando priori quis Ordine cumque illigatus fuerat vel Epiſcopo, vel Diœceſi. 3. Ubi Epiſcopus acceptis Litteris dimiſſoriis *Ibid. p. 329.* quempiam ordinaturus eſt, poteſt, etſi non teneatur, novo examini ordinandum ſubjicere, quantumcumque de ordinandi peritia teſtimonium dixeret Epiſcopus Diœceſanus.

VII. Concilium Senonenſe anni 1528. præceperat, ut ne cuiquam Dimiſſorias darent Epiſcopi, niſi examine tam ſcrupuloſo præmiſſo, quàm ſi Ordines collaturi eſſent. Si per valetudinem autem, aut cauſam aliam quamvis id minùs liceret, per Litteras ipſas dimiſſorias monerent Epiſcopum ordinaturum, ut ejus conſcientiam onerarent, addita hac clauſula, *Super quo conſcientiam tuam oneramus.* At verò Concilii Narbonenſis anno 1551. Patribus viſum eſt, Dimiſſorias dari citra examen, & alterius Epiſcopi conſcientiam onerari, inertiæ id incuriæque inexcuſabilis argumentum eſſe: ideoque id genus Dimiſſorias irritas eſſe pronuntiatum eſt, niſi certum iis teſtimonium ederetur de ejus peritia, qui eas impetraſſet. *Hanc inſeret clauſulam,* *Can. 12.* *quem idoneum & dignum reperimus: aut nulla litteris fides adhibebitur.* Eam accuſationem prævertiſſe videbatur Senonenſe, cùm incurrentibus cauſis ſupponeret non potuiſſe Epiſcopum ipſum examini illi vacare. At Concilium Narbonenſe cenſuit, nulli Epiſcopo deeſſe poſſe, per quos uti Vicarios examinaret, quos ipſe non poſſet. Eidem ſententiæ acceſſit Tridentinum: *Subditos ſuos non aliter quàm* *Seſſ. 23. c. 3. 8.* *jam probatos & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.* Similiterque cum prohibuit ordinare eos etiam qui Romanis Reſcriptis muniti eſſent, niſi & proprii Epiſcopi teſtimonium accederet. *Niſi ejus probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimo-* *Seſſ. 24. c. 8.* *nio commendentur.* Alioqui ordinatore ab ordinandi poteſtate in annum ſuſpenſo, ordinatis autem ſuſpenſis tandiu, quandiu proprio viſum fuerit Epiſcopo.

VIII. Quanquam propria ſit Monachorum & ſejuncta ab aliis cauſa, ſtatutum eſt tamen in Concilio Burdegalenſi anni 1624. eos qui ſtabilitatem profitebantur in proprio Monaſterio, ordinari non poſſe niſi à Diœceſano ejus loci; qui verò domicilium ſubinde mutant, ab Epiſcopo loci, ubi commorantur. Confirmatum hoc ipſum fuit in Comi- *Num. 24. 25.* tiis Generalibus Cleri Gallicani anno 1625.

In Concilio rurſus Narbonenſi anni 1551. de- *Cap. 12.* cretum eſt ut ad ſingulos Ordines ſingulæ dentur dimiſſoriæ Litteræ, ut certiùs liceat peritiæ ordinandi ſuffragari: niſi is Doctoratûs inſignia conſecutus eſſet, ut ne in dubium quidem vocari poſſit ejus eruditio. Idem conſtitutum eſt in Concilio Mediolanenſi IV. anno 1576. additumque ut non ad unum duntaxat Ordinem Dimiſſoriæ coarctarentur: ſed & ad certum tempus, unius aut alterius menſis, vel anni. Cui Conſtitutioni acceſſere *Cap. 15.* Concilia complura alia, Aquenſe anni 1585. Nar- *Cap. 21.* bonenſe anni 1609. Mexicanum anni 1585. *L. 1. Tit. 14.*

IV. Prohibiti ſunt à Concilio Tridentino Ab- *Seſſ. 23. c. 10.* bates, & quicumque Prælati exempti, etiam nullius Diœceſeos, Tonſuram vel Minores aliis quibuſvis, quàm Regularibus ſuis conferre. Nec per idem Concilium eis licet, uti nec Capitulis, etiam Cathedralibus dimiſſorias Litteras Clericis ſæcularibus dare, nihil profuturis vel conſuetudinibus immemorialibus, vel Privilegiis quibuſcumque. Quòd ea ſint nimirum propria & peculiaria Epiſcoporum jura. Publicatum fuit hoc Decretum in Concilio *Cap. 6 n. 18* quoque Burdegalenſi anno 1624. Damnaverat Inno-

centius III. insolentissimam eorum Archidiaconorum audaciam, qui si quos Episcopus ab Ordinatione repulisset, iis ad alios Episcopos Dimissorias dabant. Sic ergo Innocentius ad Episcopum Tarvisinum: *Cùm à te promoveri non possint, cum litteris Archidiaconi tui ad Episcopos vicinos accedunt, & ab eis se faciunt ordinari, &c. Interdicas Archidiacono tuo, ne sine conscientia & authoritate tua concedat suas litteras promovendis.*

Regest. 2. Epist. 182. 183.

X. Cui in una Diœcesi nasci contigit, & in alia renasci: potest is jure nunc communi in alterutra ordinari. Jure quippe antiquo, baptismi fermè potiùs quàm originis ratio habebatur. Bonifacius tamen VIII. ut Episcopum Diœcesanum designet, his utitur verbis: *De cujus Diœcesi est oriundus, is qui, &c.* Et in alio capite ejusdem Tituli *de Temporibus Ordinationum*, non spectat idem Pontifex, nisi Episcopum originis: *Nullus Episcopus, vel quivis alius homini Diœcesis alienæ Clericalem præsumat conferre Tonsuram.* Itaque quanquam & originis, & domicilii, & Beneficii Episcopos tanquam Diœcesanos approbasset antè Bonifacius: hic tamen ad Episcopum originis magis videtur propendere.

In Sexto. C. Cum nullus & C. Nullim. De temp. ord.

XI. Accessit & suffragatio Comitiorum Generalium Cleri Gallicani anno 1657. ubi additum est præterea, *Vix dignosci posse quantum annorum ad domicilium figendum requiratur: & vix posse rationem haberi Episcopi Beneficii, cum non ita jam ut olim Clerici Ecclesiæ quisque suæ affigantur: cum beneficio renunciare, cum plura possidere possint in variis diœcesibus: quo Clericis evagandi & eludendæ obedientiæ ansa porrigeretur; decretum Bonifacii VIII. de tribus Episcopis propriis, vix in Gallia usu receptum unquam fuisse; porro expeditissimum jam esse, ut Episcopus proprius non esset cuique nisi unus, à quo posset ordinari. Denique decretum est, monendos hortandosque Episcopos, ne quos ordinarent, nisi suis ex diœcesibus oriundos, quod juri in primis consentit.*

Procès verbal de l'Assemblée en 1655. pag. 1176. Memoires du Clergé. To. 1. pag. 823.

Cumque in hac Cleri Gallicani Congregatione repræsentata essent Rescripta sedis Apostolicæ, quibus permittebatur, ut in aliena quis diœcesi attonderetur: statutum est, ut admoneretur Nuncius Apostolicus, litteræque scriberentur ad exorandum summum Pontificem, qui deinceps hujusmodi Rescriptorum subreptitias impetrationes prohiberet. Denique *ut Encyclicis litteris Episcopi Regni omnes invitarentur ad eos Tonsura Ordinibusque arcendos, qui ejusmodi Rescripta proferrent: nisi ut sancitum est à Concilio Tridentino litteras afferant Episcopi diœcesani testimoniales de vita, moribus & doctrina.*

Denique pronunciatum est in his Generalibus Cleri Comitiis, *consentaneè Conciliis Mediolanensibus sancti Caroli, & non paucis Provincialibus Gallicanis Conciliis, post Tridentinum habitis, rogandos Episcopos omnes, ut ne dimissorias plerumque darent, nisi ad singulos Ordines, ad quatuor, aut sex menses, & apposita cautione pii aliquot dierum secessus, qui jam mos in plerisque Ecclesiis convaluisset. Denique ut recens promoti Episcopi monerentur, revocare dimissorias omnes à prædecessoribus suis datas, vel à Capitulis vacante sede. Ita deliberatum tunc, decretumque unanimi assensu Comitiorum Generalium Cleri Gallicani.* Ita veteri posse visa sunt Decreta hæc Generalium Comitiorum.

❀❀
❀

CAPUT VIII. *P. 4. l. 2. c. 2.*

Potestas summi Pontificis in ordinandis Clericis aliarum Diœceseon. De Episcopis negantibus vel Collationes Ordinum, vel institutiones Beneficiorum, hac ultima ætate Ecclesiæ.

I. Cùm Ecclesia Romana sit cardo, & centrum communionis Catholicæ, & mater omnium Ecclesiarum, nemo Catholicus Romæ hospes, aut peregrinus est. A Conciliis quondam expetitum est, ut Collegio Cardinalium inscriberentur doctissimi quique & sanctissimi Orbis Christiani Clerici.

II. Jure Ecclesia Romana ad vendicandos sibi aliarum Ecclesiarum Clericos exempla & monumenta.

III. Quos limites addiderit Concilium Tridentinum Rescriptis Romanis, quibus conceditur, ut à quo quis velit, ordinetur Episcopo.

IV. Episcoporum potestas in abnuendis Ordinibus, patrocinio fulta Concilii Tridentini.

V. Ad Ordines id spectat, non ad Beneficia. Ante Concilium Tridentinum poterant Abbates, non poterant Episcopi ab Ordinibus rejicere, indicta causa.

VI. Concilium eadem qua Abbates, Episcopos quoque potestate ornavit, cum non postulantur Ordines, nisi sub titulo Patrimonii Probationes.

VII. Ut compulsi quandoque fuerint Pontifices summi ad eos ordinandos, vel saltem Rescriptis donandos, quos proprii Episcopi abjecissent.

VIII. Improbata Armeniorum consuetudines.

IX. De in quorum ordinatio integra servabatur Papa.

X. De Episcopis abnuentibus institutionem Beneficiariorum.

I. Cum Ecclesia Romana parens sit omnium Ecclesiarum, & communis patria Orbis Christiani Catholicique; illa omnium animos hinc persuasio incessit, ubique terrarum deligere posse Pontificem, quos Romanæ Ecclesiæ, vel Ordinatione astringat, vel Beneficio; quippe fidelium neminem in centro communionis Catholicæ peregrinum haberi posse. Perstrinximus suprà, ut Concilia, & inclyti quique doctrina & charitate Ecclesiæ viri, illud in votis habuerint, ut Collegio Cardinalium, qui Presbyteri sunt, & Diaconi Ecclesiæ Romanæ, inscriberentur ex omnibus Christiani orbis Provinciis, qui pietate & doctrina rerumque experientia omnium præcellentissimi viderentur. Illam ergo summi Pontificis esse potestatem assentiebantur, utpote quod ejus rei aliqua retro semper exempla præissent, quorum memoria prorsus abolescere non poterat.

II. Leo IX. Episcopum Portuensem constituens & jus ordinationum ei suum adserens, integrum illi servat pristinum jus in Ecclesiam sancti Joannis Lateranensis Romæ: *Confirmamus vobis omnem Ordinationem Episcopalem, tam de Presbyteris, quàm de Diaconis, vel Diaconissis, sive Subdiaconibus, &c. Nisi fortè Cardinales Diaconi, vel Subdiaconi, aut Acolythi sacri Lateranensis Palatii efficiantur.* Jus illud paulò uberius expressit Gregorius VII. *Quod de omni Ecclesia quemcumque voluerit, Clericum valeat ordinare.* Quod verò addit, ordinatum à Papa posse quidem præsidere, at non posse inferiori Ordine sedere in alia Ecclesia: *Quòd ab illo ordinatus aliis Ecclesiæ præesse potest, sed non militare:* nec possit deinceps ab alio Episcopo superiorem Ordinem accipere: *Et quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere:* His documentis omnibus liquet integram sibi servasse Pontifices potestatem, non tantùm deligendi toto ex orbe, qui dignè impleant vacuas Romanæ Ecclesiæ sedes, sed eos etiam able-

Epist. 74.

Dictatum Greg. VII.

gandi in alias aliasque Ecclesias, ubi eorum industria necessaria est. Dixi suprà hos mores fuisse Gregorii Magni, qui in Palatio suo instituerer, & in omnes orbis Ecclesias missitaret præstantissimos Clericos ad variarum Ecclesiarum gubernacula capessenda. Blandè & peramanter ad Anselmum Beccensem tum adhuc Abbatem conquestus est Urbanus II. quòd præter opinionem suam injuriosus fuisset Ecclesiæ Romanæ, Clerico Romano ad Professionem Monasticam, & ad superiorem Ordinem provecto. *In vos querela Romanæ pendet Ecclesiæ, quod ipsius Clericum monachare, & altioribus gradibus provehere præsumpsisti.* Alludit hauddubie Urbanus ad Dictatus Gregorii VII. paulò suprà allegatos, & quorum capita aliqua dici possent non omnis Romanæ Ecclesiæ propria fuisse; cùm universim indubitatissimum sit Clericos ordinatione ipsa sua uni Ecclesiæ ita illigatos fuisse, & Episcopo, ut citra ejus assensum, nec profiteri in Monasteriis possent, nec ab alio Episcopo ulteriores Ordines consequi.

Anselm. l. 2. Epist. 32.

Cùm Clerus Rotomagensis in Episcopum sibi delegisset Hugonem Abbatem Radinghensem, impetrato priùs consensu Regis Angliæ, & Episcopi Salisberiensis, cui obnoxius is erat, assensionem quoque Honorii II. Papæ flagitavit, qui sibi hunc Abbatem vendicarat, tanquam Clericum Ecclesiæ Romanæ. *Ipsum itaque sub primo jure, absque (atque) dominio nostro, tanquam specialem beati Petri & S. R. E. Clericum retinemus.* Denique Innocentius III. percontanti Episcopo Florentino de quibusdam Subdiaconi Ecclesiæ Romanæ, qui Prælaturas in Diœcesi sua obtinuerant, & canonicam tamen sibi obedientiam præstare detrectabant: respondit, consentaneum quidem esse, ut hi Subdiaconi Subdiaconis aliis præponerentur: *Etsi decens sit, ut illis quantum convenit, à te inter alios tibi subditos deferatur:* Sed non eo illos ab obedientiæ Episcopalis jugo relaxari, quòd manus illis summus Pontifex imposuisset. *Ab obedientia, quam aliàs tibi debent, minimè absolvuntur.*

Spicil. to. 3. pag. 151.

C. Per tuas. De major. & obed.

III. Quòd ad Rescripta autem Apostolica, ut à quocunque Catholico Episcopo ordinari quis possit, addita est à Concilio Tridentino clausula, tum magni momenti, tum Episcopis plurimum honorifica: Testimonium Ordinarii de probitate & moribus necessarium semper fore. *Quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis Rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur.* Alioqui Episcopus qui confert ordines à collatione ordinum per annum suspensus est, & qui eos suscipit, suspenditur ab eorum functionibus, quandiu volet Ordinarius.

Sess. 23. c. 8.

Adde quod & permittit Concilium, ut ab Episcopo examinentur, quicunque ordinati fuerint, non ex suis dimissoriis, nec ab ipso ante examinati, qua demumcunque authoritate ordinati fuerint: *quacunque authoritate promotos:* utque ab ipso suspendantur, vel interdicantur, si minus idoneos judicet, quamvis ordinator idoneus judicasset: maximè verò si ii sint superiorum Ordinum Clerici.

Sess. 14. c. 3.

Agnoscit ergo Tridentina synodus, incidere causas, ubi Clerici ordinabuntur, sine examine & sine dimissoriis Episcopi proprii; non tamen exprimit, à Metropolitano tunc, an à Primate ordinentur. Verba enim hæc extremo loco prolata, capi possunt, de Ordinibus per Apostolicum Rescriptum susceptis, vel per dimissorias Capituli, vacante sede. Promo nunc decretum, quod de Rescripto Pontificio intelligi necesse sit. Eo autem edicitur, ut *Facultates de promovendo a quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam.* Concilium Senonense anno 1528. illis succensuit, qui Episcopi sui examen fugitantes, Romam pergerent, ibi sine ejus dimissoriis ordinandi: voluitque, ut suspenderentur, donec repræsentassent ordinationis suæ litteras: ostendissentque Episcopum, à quo ordinati fuerant, ad id à Pontifice delegatum fuisse; denique donec scrupulosissimo examine de doctrina, vita, moribus, ætate, patrimonio, idonei fuissent comprobati. Placuit huic quoque Synodo, ut Parochi, quanquam Romano provecti rescripto, ab Episcopo examinarentur, eorumque loco substituerentur Vicarius cum portione congrua, si minus idonei reperirentur. Jam ad Tridentinum redeamus, quo hæc decreta ex parte confirmata sunt.

Sess. 7. c. 11.

Cap. 7. 8.

IV. Sive Pontifex spectetur, sive Primas, sive Metropolitanus, non satis in speciem constare sibi videtur Concilium, dum illis potestatem facit ordinandi Clericos cujuscumque Episcopi ejus injussu, aut eo renitente. 1. Clericos enim omnes vehementer hortatur Concilium, ut malint minoribus acquiescere ordinibus, & sola modestiæ laude clarescere: quàm ambitiosis conatibus ad superiores grassari, præter Episcopi sui voluntatem. 2. Episcopis id permittit, ut interdicant Ordinibus sacris, quos indignos compererint, etiam ob occulta crimina, & sine figura judicii. *Cui ascensus ad sacros Ordines, à suo Prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus.* 3. Non patitur, ut ii, qui ita interdicti fuerint, possint unquam licentiam impetrare ordinum præter voluntatem Episcopi propriis suscipiendorum. *Nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo suffragetur.* 4. Qui ab Episcopo suspensi fuerint Ordinibus, Gradibus & Dignitatibus, præter ejus voluntatem redintegrari non posse declarat.

Sess. 14. c. 1.

V. Ut concilientur ergo Rescripta Apostolica, & *Facultates de promovendo à quocunque*, cum hac Episcoporum potestate abjiciendi quoslibet ab ordinibus ob occulta crimina etiam indicta causa, & excisa appellandi facultate: distingui necesse est jura legesque, quæ ante Tridentinum Concilium, & quæ postea viguere. Ante Tridentinum enim poterant Abbates quidem & Ordinibus & Dimissoriis Monachos suos frustrare, indicta causa, & propter occultissima crimina: *Quoniam esse potest quod Prælati eorum commissa secreta noverunt.* Ita enim habent verba Decretalis Pontificiæ. At non eodem se modo Episcopus in Clericos suos gerere poterat. Ab Ordinibus eos arcere non poterat nisi propter publica scelera. Ita apertissimè Alexander III. ad Episcopum, qui ipsum ea de re sciscitatus fuerat: *Verumtamen quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.*

C. Ad aures. Extra. De temp. Ord.

C. Ex tenore. Ibid.

Tam diversæ porro Monachorum Clericorumque disciplinæ, duas fas est adferre causas. Prima est quod Clericis Ordines multo magis debeantur, quam Monachis, cum Clericatus ipse jam initiatio sit Ordinum, & quasi rudimentum. Altera est quod Ordines indivulse adhuc quodammodo adhærerent cum Beneficiis, ubi de Clericis agebatur, non vero ubi de Monachis. Non poterant vero Abbates tam facilè & tam crebro humanis affectibus & pri-

variis cupiditatibus exagitari, ut Monachos ab Ordinibus arcerent; quàm Episcopi, ut Clericos à Beneficiis.

VI. Ideo & Tridentini Patres cùm suo jam ævo ferè Ordines sine Beneficio conferrentur, eadem donavere Episcopos potestate in Clericos, qua jus commune Decretalium in Monachos Abbates armaverat, ut Ordines vel Dimissorias penitus abnuerent, etiam indicta causa, nec cuiquam mortalium reddita ratione. Cùm de solis quæstio vertatur Ordinibus, ad quos solo pietatis instinctu anhelare fas est, iisdem verbis utitur Concilium Tridentinum, quæ in Decretali *Ad aures* usurpata fuerant: quo Clericos adducat, ut acquiescant repulsæ & voluntati Episcopi sui, malintque humilitate crescere, & teste Deo illustrari, quàm superbia vanescere & obscurari. *Sess. 14. c. 1. Sess. 21. c. 2.*

Hinc ergo jure infertur ex Tridentini Concilii placitis, Episcopus nullius prorsus velut superiori judicio obnoxios esse, si quos ordinare recusent, nec ad ulterius Tribunal ullum provocari posse. At ubi non de meris Ordinibus agitur, sed de Beneficiis, longè aliter res habet, recusandi rationes proferant necesse est, de quibus ad superiores Ecclesiasticos Judices referri possit. Nec est quod quisquam eo moveatur; quando de Beneficiis controvertitur: cùm ante Tridentinum ne Ordines quidem ipsos posset Episcopus abnuere, nisi publicæ essent culpæ causæque abnuendi.

Cùm verò constet ea in re antiquo Decretalium juri derogatum esse à Tridentino, assentiendum est in solis Ordinibus, non in Beneficiis derogatum esse, cùm de solis Ordinibus expresse mentio habeatur. Ex solemni enim & decantatissima Juris regula, correctiones & derogationes Juris ulterius urgendæ non sunt, quàm disertis verbis exprimatur.

Adde quod cùm alicubi absolutissimè distinguatur in Tridentino Titulus Beneficii, & Titulus Patrimonii: non illud usquam ibi habetur posse Episcopum Ordines abnegare, cum Beneficii Titulo flagitantur: sed expressissimè ibi jubetur, ut Episcopi non plures sub titulo Patrimonii ordinent, quàm quos utiles necessariosque censuerint Ecclesiarum suarum ministeriis obeundis *Patrimonium verò vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos, pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum.* *Ibidem.*

Ibidem. Adde rursus quod cùm Tridentina *statuit Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs idoneus sit moribus, scientia & ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum Beneficium Ecclesiasticum pacificè possidere*; non potest ea mens esse Concilii, ut qui & his pollent virtutibus, & Beneficium præterea obtinent, possint Ordinibus arbitrio Episcopi frustrari.

Ad eum modum doctrinam & mentem Concilii Tridentini interpretati sunt benè multi Canonistæ, quorum nomina leges, si vacat, apud Barbosam, qui in eadem & ipse sententia est, Rotamque consentientem se habere præ se fert. *Illud notare oportet, denegare Ordines aut dimissorias non posse Episcopum ei qui obtinet Beneficium, vel est in dignitate Ecclesiastica constitutus: nisi canonicum habeat impedimentum. Aliis verò Ordines non tenetur conferre Episcopus; maximè stante dispositione Concilii Tridentini, illis verbis, Nisi illis quos Episcopus judicaverit assumendos. Quæ verba cùm denotent boni viri arbitrium, &c. Si Episcopus legitimè non interponat arbitrium, Deum solummodo judicem habebit, ac proinde non dabitur appellatio, &c.* *De offic. & potest. Episc. Part 3. Alleg 4. n 66.* *Sess. 21 c 2.*

Non eidem prorsus suffragatur doctrinæ Fagnanus, nec multùm tamen ab ea abludit. Statuit enim ille quidem posse Episcopum occultis de causis & criminibus, tum Ordines, tum Dimissorias denegare, etiam Beneficiariis. At illico profitetur repulsam passos posse ad Papam confugere, qui Metropolitano, vel Episcopo proximiori præcipiet, ut ab Episcopo rescifcat causas repulsæ; & si minùs canonicas judicet, ut Beneficiarium ipse sacris Ordinibus initiet. Affirmat Fagnanus hunc esse receptissimum usum Datariæ Romanæ, quæ Decreto innititur Gregorii XIII. & Congregationis Concilii. En ipsa Fagnani verba: *Cùm olim de hoc dubitatum esset, sacra Congregatione ad Gregorium XIII. relata, edidit decisionem, quæ postea perpetuò obtinuit in Dataria: videlicet, quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, committendum esse Metropolitano, vel viciniori Episcopo, ut ab eodem Ordinario requirat cur recusaverit; quo causam legitimam non allegante, liceat ibi eundem recusatum ordinare.* *In Cap. Ex tenore. & C. Ad aures L. 1. Decret. Pa 2 p. 182. & seq p. 187*

Addit Fagnanus Regulares ipsos, quos Ordinibus & Prælaturis Superior Claustralis interdicebat, ad Papam potuisse recurrere, qui Abbatem cogebat assentiri electioni factæ Monachorum suorum ad Regularem aliquam Dignitatem. Quæ Fagnani doctrina tantò plus habet momenti, quod constantissimæ innititur regulæ, in omnibus Decretis Conciliorum Generalium excipi semper & incolumem vigere atque inconcussam Papæ potestatem dispensandi. Eccui enim dubium, quin de suis ipsa statutis possit Ecclesia dispensare? At per longissima Conciliorum Generalium intervalla, hæc dispensandi autoritas in sola residet Apostolica Sede. *Ibidem.*

Nec silere possum quid senserit Compilator ipse Decretalium Gregorianarum B. Raimundus de Pegnafort. Existimat enim, si Clericus sæcularis ordinari se postulet, posse quidem Episcopum occulti ejus flagitii conscium dehortari, posse deterrere, non posse prorsus abnegare si persistat. *Si est Clericus sæcularis, admoneri potest in secreto, ut abstineat; aliàs si ille institerit, debet eum Episcopus ordinare. Et est expressum extra Cap. Ex tenore* Si Regularis autem sit, à Prælato suo absolutissimè repudiari posse, quòd Monachi arctiùs subjiciantur suis Prælatis, & strictiori vinculo teneantur ad virtutes honoribus & dignitatibus anteponendas. *Si verò est Regularis, non debet ordinari contra voluntatem Prælati sui, non enim in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei. Ratio diversitatis est, quia Regulares sunt fortiùs adstricti suis Prælatis, quàm sæculares.* His denique subjicit doctissimus vir, quod maximè consentiat iis quæ in Concilium Tridentinum commentati sumus: si Beneficiarius sit, cujus Beneficio annexus sit Ordo, non posse eum ob occulta crimina ab Ordinibus repelli: aliàs posse. *Vel aliter, Si habet Clericus jus petendi Ordinem, fortè ratione Beneficii cui est Ordo annexus, non potest Episcopus eum prohibere, quamvis sciat illum commisisse peccatum occultum: & ita potest intelligi illa, Ex tenore. Si verò non habet jus petendi, non tenetur eum Episcopus ordinare: & ita intelligas illam, Ad aures.* *Summa l. 3. pag. 315.* *Extra C. Ad aures.*

VII. Nec tempero mihi, quin referam hîc etiam quod Flodoardus narrat in historia sua Remensi. Cùm ordinasset Archiepiscopus Lugdunensis Episcopum Lingonensem, Cleri populique electione minimè expectata: eo Episcopo mortuo turbarunt Lingonenses album eligere, quem & Ro-



mam ablegarunt, ut à Papa ordinaretur. Remisit illum Pontifex ad Archiepiscopum Lugdunensem, ut eum ipsemet ordinaret. Verùm fatigati ejus tergiversationibus & procrastinationibus Langonenses, secundò eum Romam miserunt, quò à Pontifice tunc demum ordinaretur. Rursus & Pontifex illum remisit ad Archiepiscopum, quò vel ipsum ordinaret, aut causas recusationis rescriberet. *Aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile judicaret, rescribere maturaret.* Archiepiscopus adeo non paruit, ut alium Episcopum consecrarit. Tunc Pontifex electum à Clero & populo Episcopum sua ipse manu ordinavit, mandavitque per litteras Fulconi Archiepiscopo Remensi, ut eum ipse Lingonas deduceret, sedique inveheret Episcopali. Scripsit Fulco ad Pontificem, *se paratum fuisse & esse, quæcumque ab ipsius Papæ celsitudine injuncta fuerint adimplere.* Sed distulisse, quòd præciperet Rex ipse Romam Legatos ad Pontificem mittere, qui voluntatem ejus ipsius ab ore reciperent: *Dum Rex Legatos ad Papam dirigeret, ut per eos jussionem ipsius certissimè cognosceret.*

Flodoard. l. 4. c. 1.

Multa hinc emicant documenta sedulò animis commendanda, 1. Episcopos nonnunquam homines esse, & humana pati, & præjudiciis vel cupiditatibus quandoque præcipites agi in causis hujusmodi institutionum, confirmationum & ordinationum. 2. Ideoque necesse esse, ut inspectores habeant suos ipsi, qui inspectores aliorum omnium sunt: nec tanti momenti res, quanti est quidquid beneficiorum usquam est, unius hominis arbitrio absolutissimè permittatur, qui humanis potest & deludi præjudiciis, & affectibus abripi. 3. Flagitabat jure suo Pontifex, ut Archiepiscopus Lugdunensis aut electum ordinaret Episcopum, aut quamobrem id non faceret, causas aperiret, ab Apostolica Sede discutiendas. 4. Contumacius agente Episcopo, ut & ordinationem denegaret, & negationis suæ reticeret causas, ejus vicem implevit Papa, & ordinavit ipsemet electum Episcopum. 5. Ita longo sæculorum tractu fieri via aut nec vix potuit, quin causæ istiusmodi subinde inciderent, ubi interpellaretur Papa, & impetrarentur Rescripta, ut ordinari quis posset ab alio, quàm ab ordinario Episcopo.

Potuit & schisma his Rescriptis viam quoque aperire latissimam. Per longum illud enim schismaticumque dissidium, altercantium cum Romanis Pontificibus Germanorum Imperatorum, quis ambiger, plurimos perfugium habuisse Romam, ne ab Episcopis schismati implicatis ordinarentur? Perinde res habet & in simoniacis Episcopis Germaniæ & circumjacentium Provinciarum, eodem ferè tempore: quando tam latè simonia manavit, & non aliter habiti sunt, qui ab Episcopis simoniacis ordinabantur, quàm si ab hæreticis aut schismaticis Ordines suscepissent. Perdiu grassata est utraque hæc pestis; & frequentissimè tunc adeunda fuit Sedes Apostolica, vel Rescripta ejus impetranda, ut hæc ordinationum contagio declinaretur. Omnino necessaria tunc fuere hæc Rescripta, & inde originem eorum repeti debere, verbis ex ipsis facilè intelligi potest, quibus ea contexta sunt.

Inter Statuta compilata Cardinalis de Finali Archiepiscopi Turonensis anno 1512. istud quoque ad rem præsentem decretum est: *A Domino Archiepiscopo diffinitum est, ut cùm quis repulsam passus fuerit in sacrorum Ordinum postulatione, Romamque ea de causa confugerit, teneatur exponere & repulsam & causas repulsæ. Utque nullus Diœcesis Turonensis ad sacros Ordines provectus sine Dimissoriis prædicti Archiepiscopi, aut ejus Vicariorum, etiam ex commissione domini nostri Papæ, aut Legatorum Sedis Apostolicæ, possit mysteria celebrare in Turonensi Diœcesi, nisi ordinationis sua Litteras repræsentaverit Archiepiscopo, aut Vicariis ejus, alioqui contra eum ex regulis juris procedatur.* Hinc perspicitur qui usus vigeret ante Tridentinum.

Metrop. Turon Part. 2. pag. 121.

VIII. Anno 1341. Benedicto XII. Papæ exhibitæ sunt in unum compilatæ Armenorum Consuetudines variæ, quarum vitiosæ non paucæ, nonnullæ prorsus non ferendæ. At præ cæteris hæ: Ubi quis inquinamento gravi carnalis libidinis detentus fuerat ante ordinationem, confiteri Sacerdoti jubebatur; tum Episcopus ordinationem auspicaturus, Confessarium interrogabat, an Ordine sacro dignus esset, qui præsentabatur. Negabat Confessarius, atque ita pœnitentem ordinatione arcebat. Si qui in Ordine sacro constitutus jam erat, eadem contaminaretur libidinis fœditate, executione Ordinum illum interdicebat Confessarius; si pergeret nihilominus sacra fœdate Mysteria, Episcopum monebat. Multa hic sunt quæ offendiculo non possent non esse; & quæ vitari in Ecclesia Latina non facilè potuere, nisi ad eos usus se converteret, qui suprà memorati sunt.

Rain. n. 63.

IX. Nolui illis immorari, quorum videbatur olim ordinatio summo Pontifici reservata. Hoc privilegium authore Ditmaro quondam consecutus fuerat Archiepiscopus Magdeburgensis. Eodem gavisum fuisse Bambergensem locupletissimus testis est Paschalis II. quo tamen Metropolitani sui obedientiæ non subducebatur: *Salvo Metropolitani jure Præsulem ordinavimus.* Non potuere hoc privilegio ornari nisi Episcopi, & multò magis Metropolitani, ii certè quibus nulli eminebant Primates.

Rainal. an. 1003. n. 11. & 1103. n. 4.

X. Finem his faciet Edictum Blesense Henrici III. Regis, quo cavetur, ut quibus Romæ provisum fuerit de Beneficiis, ii examen subeant; & *Visa*, seu institutionem Episcopi accipiant, qui abnuere & denegare non poterit, nisi expressis in charta causis recusationis suæ: ut tunc recurri possit ad Superiorem Ecclesiasticum; ita ut nunquam sæculares Curiæ & publici Judices intervenire possint, aut Prælatus vim adferre ad Beneficiorum collationem. Perspicuè inde infertur, multo minus posse sæculares Judices, ubi de sacris Ordinibus agitur, vim adferre Prælatis; sed *Partes remittere ad Judices Ecclesiasticos superiores.* Sed non minùs perspicuè inde liquet, non posse Episcopos non causas edere, quibus adducti Ordines iis denegant, qui Beneficiis arctari sunt, ut de hic cognoscant suo jure Judices Ecclesiastici superiores.

Edit de Blois Art. 13. 64.

Edit de Melun Art. 15.

Scripsit olim Innocentius III. ad Archiepiscopum Senonensem, si pergeret Carnotensis Episcopus eos ablegare & institutione fraudare canonica, qui ab Archidiacono ad Beneficia præsentabantur, trina ipsemet monitione præmissa, eos institueret. In Concilio Remensi anni 1583. statutum est, ut ne possit prælatus Ecclesiasticus instituere Beneficiarios Prælati inferioris, nisi eo recusante, & examinatis causis recusationis. Plura de his alibi. Hæc satis sunt ad stabiliendum Edictum Blesense. Addam dumtaxat Edictum anni 1629. prorsus consentire Edicto Blesensi. Addam & Comitia Generalia Cleri Gallicani anni 1636. ubi multa tentata, multa decreta sunt, ne instituerent Episcopi eos unquam,

Innoc. III. Regest. 1. Epist. 57.

Conc. Rem. C. De Episc. n. 15.

Art. 2.

quos instituere Ordinariis Episcopus recusasset, nisi Ordinario superiores essent Præsules: & ut Ordines conferrent alienis Diœcesanis, sine dimissoriis proprii Episcopi. Quæ Decreta rursus innovata fuere in Comitiis Generalibus Cleri anno 1660. & 1665.

Memoires du Clergé. To 2. Part. 2. pag. 49. 53. 57. 58

CAPUT IX. *P. 4. l. 2. c. 3.*

De Ordinationibus sine Titulo, & sub Titulo Patrimonii; hac extrema Ecclesiæ ætate post annum Christi millesimum.

I. Decreta Conciliorum adversus Ordinationes Clericorum, maximè superiorum sine Titulo, id est, nulli affixorum Ecclesiæ. De Optimatum Eleemosynariis. Monachi ipsi sub Titulo alicujus Ecclesiæ ordinabantur.

II. Aliqua advertuntur in Canonem Concilii Lateranensis III. quem suffragatum opinantur primam Titulo patrimonii ad Ordinationem. Quid inde emerserit detrimenti

III. Posteriora Concilia Titulo patrimonii authoritatem adjecere.

IV. Hactenus semper Episcopis incubuerat cura alendorum eorum, quos ordinassent

V. Alia Concilia ad Titulum patrimonii. Quæ olim summa ejus proventuum necessaria.

VI. Decreto Concilii Tridentini longe pulcherrima de Titulo patrimonii. Non debet ordinare Episcopus, nisi quos censuerit Ecclesiæ utiles sua fore, vel necessarios.

VII. Uni quoque illos mancipare debet Ecclesiæ.

VIII. His Decretis si mos gereretur, quàm proximè accederemus ad elimatissimam primævæ Ecclesiæ Disciplinam.

IX. Concilia Galliæ & Edicta Regum, quibus confirmata sunt in Concilio Tridentino Decreta.

X. Alia Concilia ad faciliorem eorum executionem.

XI. Varia elucidamenta Congregationis Concilii, maximè circa discrimina juris antiqui, juris Decretalium, & juris novissimi post Tridentinum.

XII. Cardinalis Bellarmini doctrina.

I. EX indulgentia, Tullensi Episcopo, & ut præscotibus prospectum esset ejus Ecclesiæ necessitatibus, concessit Urbanus II. ut aliquos retineret eorum, qui sine Titulo ordinari fuerant, hoc est, sine Beneficio. *De his qui sine Titulis ordinati sunt, licet ejusmodi ordinatio sanctorum Canonum sanctioni contraria judicetur. &c.* Concilium Melphense sub eodem Pontifice anno 1089. excanduit adversus Clericos Acephalos, qui Optimatum Principumque in aula diversabantur, Magnatis alicujus vel Matronæ obsequiis devincti: statuitque, ut deinceps Episcopi Optimatibus Nobilibusque his designarent ipsimet Confessarios, & conscientiæ rectores, quibus hic esset veluti Canonicus Ordinationis Titulus. *Quia novum hoc tempore Clericorum Acephalorum genus emersit, qui demorantur in Curiis, & viris, & fœminis ad sui Ordinis dedecus subditi. &c. prohibemus ne quis retineat hujusmodi. Sed proceres ab Episcopis animarum suarum Procuratores postulent, qui Episcopi jussione pro tempore ac vicissim in Curiis conversentur.* Eo verbo *vicissim* innui videtur, ab Episcopo subinde revocatos fuisse hos Confessarios, aliosque subrogatos, ne diuturniore mora in aula, contagioso ejus afflatu inficerentur.

Epist. 87. in Append.

Can. 9.

In Concilio Placentino anno 1095. irrita pronuntiata est ordinatio, quæ sine Titulo fieret. *Ut sine Titulo facta ordinatio irrita habeatur.* Ea irritatio non spectabat nisi ad Ordinum executionem; cùm dispensatum in iis fuisse jam vidimus. Placuit Concilio Claromontano ejusdem anni, ut omnes Ordines sub titulo unius Ecclesiæ uni darentur. *Ut omnis Clericus ad eum titulum, ad quem primùm est ordinatus, semper ordinetur.* Innovatum & ibidem est illud Decretum de Capellanis & Confessariis ab Episcopo cuique designandis. Inter labantis Ecclesiasticæ disciplinæ corruptelas, hanc quoque numerabat Joannes Gersonius, quod illud Decretum in desuetudinem abiisset. *Ubi est, quod nullus Principum Laicorum Capellanum habeat, nisi ab Episcopo datum, in casu ab Episcopo deponendum, vel corrigendum.* Concilium Londinense anni 1125. necessitatem Tituli visum est arctasse ad Presbyteros & Diaconos. *Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum, nisi ad certum titulum ordinetur. Qui verò absolute fuerit ordinatus, sumpta careat dignitate.* Idque confirmatum est in Concilio Lateranensi III. anno 1179. sub Alexandro III. ubi statutum est, ut si Episcopus Presbyterum, vel Diaconum ordinaret quempiam, sine sufficienti Titulo, quo sustentari posset, suppeditaret ipse necessaria alimenta, donec aliquid Beneficii illi conferret; nisi is qui ordinatus fuerat, sui se sumptibus patrimonii alere posset.

Can. 15.

Can. 15. 18.

Gerson. To 1. pag. 205.

Can. 8.

Can 5.

Ne Monachi quidem ipsi profitebantur, nisi ad unius Ecclesiæ, vel Altaris Titulum. Narrat ipse Ditmarus, qui Merseburgensi postea donatus est Episcopatu, se triennali novitiatu perfunctum in Magdeburgensi Monasterio sancti Joannis, professionem emisisse in alio sancti Mauritii nomine dicato; quod in Monasterio nimirum sancti Joannis nullus vacuus esset locus: *Quia ad Altare hoc me dare non potuit.* De fratre suo inferius agens, qui Monachus Corbeiensis in Germania erat, ita ait: *In nova educatus Corbeia, & ejusdem Altaris servus.* Ea erat ratio, quæ Monachis stabilitatem indiceret, periode ut Clericis; illi Professione, hi Ordinatione sua mancipantur Ecclesiæ & Altari, cui ministrant, de quo vivunt. *Altaris servus.* Præposituram alicujus Ecclesiæ assecutus fuerat Ditmarus; eam ubi ad Episcopatum accitus est, fratri suo contulit, ejusdem tum Ecclesiæ Canonico: *Hujus Altaris servo.* Geron Capellanus Henrici I. Imperatoris, cùm ad Archiepiscopatum Magdeburgensem vocatus esset, Altari primùm dicavit se, tum sociatus est Capitulo. *In Ecclesia se primitus Altari tradens, & communionem fratrum decem mansis acquirens, &c.* Edgarus Angliæ Rex qui regnare cœpit anno 959. Regio Privilegio ornari Abbatiam Glastemburiensem voluit, referente Vuillelmo Malmesburiensi, ut Monachi Clericique, quos Abbas ordinari cuperet, ordinarentur sub titulo sanctæ Mariæ Glastemburiensis. *Tam Monachos quàm Clericos, quos idoneos judicarent, ad titulum sanctæ Mariæ ordinari facerent.*

L. 14.

L. 6.

II. Referamus jam nos ad Concilium Lateranense III. & ad Canonem quem ibi promulgari de Titulo patrimonii curavit Alexander III. Papa. Primò intexendus hic est Canon ipse, qui primus censetur hujus disciplinæ fundamenta jecisse. *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tandiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet. Nisi fortè talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.*

Illud primum hic observandum est, nequaquam hoc Canone revocari, aut debilitari, tot olim Synodos, tot Canones, tot Decreta, quibus inculcatum fuerat, ne qua fieret sine Titulo Ordinatio. Vigent ergo etiamnunc leges illæ sacræ, sed hoc in Concilio pœnæ decernuntur in Episcopos, qui Presbyteros vel Diaconos ordinaverint sine Titulo, & sine Patrimonio, jussis Episcopis, ut eorum ipsi

providerent sustentationi. Et sanè priscum illud & solemne statutum de non ordinandis sine Titulo, vel sine Ecclesia Clericis, duabus nitebatur gravissimis causis. Altera erat quæ ad temporalem spectabat Clericorum sustentationem. Altera autem longe potissima causa erat, ipsa Clericorum residentia jugis, & indefessa assiduitas ad Ecclesiasticas functiones. Clericus sine Titulo ordinatus, inopia premebatur, eique consulit Concilium, adsignato vel Episcopi censu, vel Clerici ipsius patrimonio. Sed aliud erat præterea quod in eo desideraretur, nimirum munus & officium aliquod juge, quo suam aliorumque salutem infatigato studio procuraret: idque mox dicemus à posterioribus Conciliis maximè provisum accuratumque fuisse. Cum Diaconus & Presbyter sine Titulo ordinatus, re familiari non carebat, justæ erant causæ non urgendi ad ejus sustentationem Episcopi. Id ab Alexandro III. præstitum, qui procul erat interim à voluntate permittendi, ut passim sub Titulo patrimonii ordinarentur. Et id tamen inde vulgo expressum, & conclusum est Ejusmodi ordinatio sine Titulo, ex quo impunè abiit, licita plerisque visa est. Exinde Clericorum vagantium mertiumque innumerabilis frequentia. Exinde & copia laudabilis optatissimaque spontaneorum Ecclesiæ militum, gratis & prætervide tamen merentium in pietatis & charitatis castris. Illud Concilia moliri postea non desiere, ut malum illud prævetterent quà fieri posset; bonum istud interim non everterent.

III. Anno 1200. Concilium Londinense Canonem illum Lateranensis Concilii III. ad Subdiaconos

Can. 6.

ampliavit. *Idem in Subdiaconi Ordinatione statuimus.* Archidiaconos quoque eidem pœnæ subjecit, si ordinandos offerrent Clericos majores, sine Titulo & sine Patrimonio. In Decretalibus Gregorianis promulgatus est Canon Lateranensis, & ejus rationem perspicies in priori Decreto, petito ex Ecclesiæ usu antiquissimo, quod nempè ad societatem & participationem asciscerct Episcopus redituum Ecclesiæ, quoscunque Clero suo per ordinationem adgregabat. *Non liceat ulli Episcopo ordinare Clericos, & eis nullas alimonias præstare. Sed duorum alterum eligat, vel non faciat Clericos; vel si fecerit, det illis, unde vivere possint.* Idem declarat Innocentius III. *C. Accepimus.*

C. Episcopus. De Præbendis.

C. Non liceat ibid. C. Accepimus. De ætat. & qual. ordinand.

IV. Inde concluditur Canone Lateranensi isto, non tam pœnam contineri, quam delinimentum Episcopis concessum. Antiquissimo enim usu, ut posteriori hoc Canone liquet, non majorum tantùm, sed & omnium prorsus Clericorum sustentationi prospicere tenebantur. Innocentius III. suo etiam ævo moris fuisse declarat, ut sub unius Ecclesiæ Titulo plures ordinarentur Clerici, qui statim ejus proventibus pro suo quisque gradu & ordine alerentur. Ait enim in Decretalibus, Clericum qui ad Subdiaconatum suspirabat, & Tituli expers erat tamen, à Parocho impetrasse, ut illum sub Ecclesiæ suæ titulo præsentaret, clam pollicitum, nihil se unquam ejus ex reditibus accepturum. *Presbyterum exoravit, ut ipsum ad Ecclesia sua titulum præsentaret, &c. Repromisit quod nunquam in Ecclesia sua aliquam peteret portionem, &c.* Pactionem hanc simoniacam damnat Pontifex. In persimili specie Gregorius IX. Episcopum fraudis conscium suspendit per triennium ab Ordinum collatione, præsentatorem ab executione eodem spatio temporis, & eum qui ordinatus fuerat, donec dispensationem Romæ impetrasset. In Concilio Ilerdensi anno 1229.

C. Per tuas. De Simonia.

Ibidem. C. Si quis.

Clericatû & Ordinibus interdicti sunt, *qui latinè loqui nesciunt, præsertim in illis locis, in quibus obtenta tonsura prima, ratione natalis soli, sibi in Ecclesia vendicant portionem.*

Conf. Conc. Tom. 1. 5. Tit. 6.

V. Quanquam eo quo diximus modo invectus sit patrimonii Titulus: certissimum est tamen exinde penes Episcopos fuisse liberam potestatem, ut Clericos ordinarent, vel sub vero & prisco Titulo, seu Beneficii, vel sub recentiore, patrimonii. Ab anno jam inde 1233. cœpit Biterrense Concilium Titulum patrimonii exigere, qui centum saltem Turonensium Solidorum esset. *Sine Titulo patrimoniali centum solidorum ad minus vel Ecclesiastico Beneficio competenti, nullatenus admittatur.* In Simoniacorum etiam classem eos rejicit hoc Concilium, qui quos ordinabant, juramento astringebant, nihil unquam sibi molestiæ creaturos, de patrimonialis, vel Ecclesiastici tituli tenuitate. Quod Decretum in alio postea Biterrensi Concilio anno 1246. iteratum est. Concilio Senonensi anni 1528. placuit, ut Titulus patrimonii, vel Beneficium, vicenarum saltem esset librarum Parisiensium. Edictum Aurelianense anni 1560. quinquaginta librarum esse sanxit. Cùm deinde & auri, argentique copia in immensum excreverit, & magno constare cœperint, quæ vilissimo antè erant pretio, necessum fuit, ut in aliis aliisque diœcesibus, pro opum rerumque copia vel tenuitate, Titulus desideraretur centum, vel centum quinquaginta librarum.

Can. 6. 8.

Can. 4.

Art. 12.

VI. Postremò Concilium Tridentinum, ne sacri Ordines mendicitate Clericorum vilescerent, constituit, ut ne posthac sæcularis Clericus ad sacros Ordines propelli posset, nisi Beneficium obtineret, quo commodè & honestè sustentaretur: nec illud cedere, vel resignare posset, nisi eo expresso, quòd ille Titulus sibi Ordinationis sacræ esset; & deinque tum irritam fore resignationem, nisi aliunde suppeteret ei quo victitaret. Quoad illos verò, qui Beneficio carent, patrimonio autem, vel pensionibus abundant, constituit Tridentinum, ut ex iis non plures ordinaret Episcopus, quam quantos Ecclesiæ suæ necessarios utilesque opus haberet ministros. Addidit & illud, patrimonialem titulum idoneum esse debere ad unius Clerici sustentationem; denique alienari non posse, nisi aliunde suppeditaretur tantum aut patrimonii, aut Beneficii, quantum opus esset.

Sess. 21. c. 2.

VII. Sed cùm inflammaretur hæc Synodus eodem cœlestis charitatis spiritu, quo primigenia fervebat Ecclesia; nec nesciret priscorum Conciliorum Providentiam in Titulo Ordinationis regendo, non ad victum temporalem modò spectasse: alia postea sessione cavit, ut convenienter regulis Concilii Calchedonensis, ne posthac ordinarentur, nisi qui utiles & necessarii fungendis Ecclesiæ muneribus existimarentur. *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi, non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis.* Et ubi ordinarentur, illigarentur protinus Ecclesiæ, cujus utilitati & necessitati destinati fuissent, ut suos ibi Ordines exercerent, & proinde jugiter residerent. *Nullus in posterum ordinetur qui illi Ecclesiæ, pro cujus utilitate, aut necessitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus.* Si ea porro discedant Ecclesia inconsulto Episcopo, ab Ordinum functionibus interdicantur. *Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicetur.*

Sess. 23. c. 16.

VIII. Primigenia hæc omnino est Ecclesiæ doctrina & disciplina de Titulo Ordinationis; hæc

Tituli

Tituli patrimonialis ad usum rectissimum, & ad Titulum Beneficii revocatio; hæc Tituli Beneficii in primævam naturam restitutio, & in antiquissimam residendi & sacris munus defungendi obligationem. Si enim in mores religiosiùs inveheretur Decretum hoc Tridentinum, 1. plus momenti esset in Titulo ad salutem animarum promovendam, quàm ad corporis alimenta. 2. Posset patrimonialis ipse Titulus instar haberi Beneficii, cùm is esset proventus Clerici, æternùm Ecclesiæ obsequiis mancipati. 3. Et quidem qui olim inter Clericos ad culmen perfectionis ferventiùs enitebantur, Ecclesiæ gratis ministrabant. Similiter & nunc qui patrimonii Titulo ordinantur complures, suo sumptu vitam tolerant, seque interim totos Ecclesiæ utilitatibus impendunt. 4. Si vigeret Decretum Tridentinum, Clerici qui sub Titulo Beneficii ordinantur, residerent utique omnes & sacras obirent functiones. 5. Jam nulli essent vagi & acephali Clerici. Canone enim isto continentur Clerici omnes, non majores tantùm.

a C. 12.
b C. 19.
c Tit. de Episc. offic. n. 6.
d Cap. 14.
e Tit. De Ordin. n. 2.
f Cap. 14.
g Tit. quam ad sac. ord.
h Cap. 7.

IX. Jam verò Decretum hoc Concilii Tridentini admiserunt adprobaruntque Concilia Provincialia complurima. a Remense anno 1564. b Avenionense anni 1594. c Rotomagense anni 1581. d e Burdigalense anni 1583. & 1624. f Turonense anni 1583. g Aquense anni 1585. h Tolosanum anni 1590. His adde Edictum Aurelianense articulis 12. 13. 14. & Blesense articulo 17.

X. Beatus Carolus in Concilio IV. Mediolanensi illud sanxit, ut qui ad ordinarii Episcopi Dimissorias à quovis alio ordinatus esset, accederet quamprimum ad proprium Episcopum, ut Ecclesiæ alicui ab eo addiceretur. Concilium Mechliniense anni 1570. concessit Episcopis, ut ordinarent quos Ecclesiæ suæ æstimarent utiles, etiam sine Titulo, dum eos alendos in se reciperent. Comitia Cleri Gallicani anno 1625. Episcopos invitarunt, ut ne Regulares amplius promoverent ullos ad sacros Ordines, nisi Monasteria ipsa sponderent, in seque reciperent, ut eos alerent, qua demum cumque causa Claustris exilirent. Si verò Conventus ejusmodi sint, qui nullos habeant certos reditus, spondeant Episcopis, hos Monachos ejectum non iri, nisi monito Episcopo, vel Vicario ejus.

Cap. 8.

Tit. 27.

XI. Suppetunt & paucula quæ hic addantur. Cùm magnopere dissiderent Canonistæ in ea quæstione, an minoribus etiam Clericis titulus necessarius esset, quem Episcopi exigerent, vel ipsi suppeditarent: id solos ad majores Clericos revocavit Concilium Tridentinum. Perspicua in eo est sessio XXI. Cui addi potest Decretum ejusdem Concilii Tridentini, ad restituendas functiones Clericorum minorum, & assignandam eis portionem congruam juxta proventus Ecclesiæ: quod longè diversum est à Titulo. *Ex aliqua parte redituum simplicium Beneficiorum, vel fabricæ Ecclesiæ stipendia assignent.* Leget qui volet Epistolam Stephani Tornacensis Episcopi ad Pontificem Romanum, qui mandaverat ut aleret ipse Clericos, quoscumque sine Titulo ordinasset, donec eis aliquid Beneficii impertiisset. Declarat Stephanus, nec id fieri posse per facultates Ecclesiæ, nec per Canones fieri debere, cùm Concilium Lateranense III. eam legem Episcopis non imponat, nisi ad eos quos Diaconos vel Presbyteros ordinarint. 2. Illud professa est Congregatio Concilii, post Tridentinum Concilium, periæquè ut & ante Lateranense III. solo Beneficio obtineri Titulum canonicum ad Ordines. Titulum

Can. 2.

Sess. 23. c. 17

Epist. 23.

Tom. II.

verò Patrimonii ex dispensatione admissum esse, ad utilitatem & necessitatem Ecclesiæ. Accipe ut ea de re disseruit Fagnanus: *Hodie solum Beneficium est Titulus legitimus ad sacros Ordines; patrimonium verò nonnisi dispensativè, quemadmodum etiam aliàs declaravit sacra Congregatio Concilii interpres.*

Fagn. in 1. Decr. Par. 1. pag. 87.

3. Tenetur Episcopus ei stipendia suppeditare, quem ordinavit sine Titulo, quamvis Subdiaconus jam vel Diaconus esset. Si plures Episcopi varios Ordines eidem Clerico contulerint, tenentur omnes in solidum. Episcopus qui tenetur examinare & ordinare in alterius Diœcesi, eandem & ipse incurrit obligationem: successor Episcopi in hanc quoque sarcinam succedit, ut qui parens in commune sit & tutor Clericorum omnium. Eadem denique obligatio transfunditur ad hæredes patrimonii Episcopi, ex sententia Canonistarum quos profert Fagnanus.

Ibid. p. 111. & seqq.

4. Innovantur in Concilio Tridentino pœnæ antiquorum Canonum in ordinationes sine Titulo. Atqui prisci Canones à Gratiano relati, *C. Neminem. C. Sanctorum*, cùm ordinationem sine Titulo irritam declararent, suspendebant ita ordinatos, unde erumpebat irregularitas, si sacris se functionibus insererent. Decretales Gregorianæ *C. Jamdudum, C. Non liceat*, & *C. Episcopus*, sanciebant id unum, ut Clericos majores sine Titulo ordinatos alere Episcopi cogerentur. Cùm jam ergo persuasissimum esset his posterioribus & mitioribus Decretis oblitteratam esse vim & austeritatem anteriorum: à sacra Congregatione declaratum est, innovatas esse à Tridentino pœnas Gregorianis Decretalibus, non Gratiani Decreto contentas. Contrariam scripserat Bullam Sixtus V. eam Clemens VIII. revocavit. Sed quoad illos Clericos, qui falsis Titulis Beneficii vel Patrimonii ludificantur Episcopos; cùm probabile esset, pœnam suspensionis ab antiquis Canonibus in eos intortam, à Decretalibus posterioribus revocatam non fuisse: ideo censuit sacra Congregatio à Tridentinis Patribus eam fuisse innuvatam.

D. 74.

Tit. De Preben.

XII. Luculentissima inter illa monita, quæ Bellarminus Cardinalis, vir nunquam nobis sine singulari laudis encomio nominandus, nepoti suo Theanensi Episcopo insusurravit: non leviter prætereundum illud est, quod ad nimiam spectat Clericorum copiam, cùm sine examine, sine delectu ordinantur. *In hac re multi falluntur, qui existimant multiplicandum esse Clerum, & ideo sine magno delectu manus imponunt.* Addit Bellarminus, esse quidem optatissimum, ut longè plurimi digni inveniantur Clericatu: at indignos ordinari Clericos, id verò perinde esse, ac fundamenta Ecclesiæ emoliri: *Optandum quidem est, ut multi Clericatu digni inveniantur: sed indignos promovere est Ecclesiam evertere.*

Contro. 5.

Declarat mox ea vitis Pontificum, qui Romanam tribus prioribus sæculis Ecclesiam rexere, quàm exiguo essent tum numero Presbyteri, quos illi ordinabant: & quanto hoc incitamento esse deberet Episcopis, ut ne manus imponerent, nisi viris eruditione juxtà & morum sanctimonia spectabilibus: cùm inde vel maximè pendeat Ecclesiæ pulcritudo puritasque, cui uni curam industriamque suam & studium omne debent Episcopi impendere. *Hæc certè paucitas tantorum Pontificum deberet omnes Episcopos seriò admonere, ut nonnisi viros doctos & probos, & eo gradu dignos eligerent: quod omnino facient, si decorem domûs Domini ex animo diligant.*

D

Denique palam profitetur Bellarminus, pravi illud esse, & si copia datur, eliminandi moris, ut tot ordinentur Presbyteri, quot sub Titulo Patrimonii id ambiunt: cùm in eis sint dubio procul non pauci, qui eum gradum concupiscunt, non utilitati Ecclesiæ, sed suæ cupiditati servire certi, & quæstum sibi ex incruento sacrificio paraturi, ut desidiosam posthac agant vitam, dedecorosam Clero, & fidelibus ipsis aspernabilem. *Proinde maximus est abusus ordinare quoslibet ad Titulum patrimonii. Plurimi enim ordinari cupiunt pro utilitate sua, non Ecclesiæ. & de celebratione Missæ faciunt artem de pane lucrando, unde Sacerdotium contemptibile redditur, & Ecclesia scandalis patet.*

CAPUT X. *P. 4. l. 2. c. 4.*

Tonsura & ordinatio Clericos Episcopo & Ecclesiæ uni obligant, postrema etiam hac ætate.

I. Varia argumenta ejus conjunctionis strictissimæ, qua Clericos omnes Episcopo & Ecclesiæ quemque suæ devinciebat.

II. Professio ea erat obedientiæ, ut Beneficia alibi consequi non possent, nisi permittente Episcopo proprio.

III. Poterat Clericos cogere Episcopus ad superiorem gradum.

IV. Summa illa conjunctio & necessitudo durabat in Ecclesia Romana hasit, quàm usquam alibi.

V. Concilium Tridentinum Clericos omnes addicens uni Ecclesiæ, etsi Beneficio careant, priscam disciplinam instauravit diseiplinam.

VI. Mira quædam posteriorum Conciliorum Decreta, ad Clericos omnes Ecclesiæ ministeriis mancipandos, & obsequiis Episcopi. Sola cupidine proventuum temporalium Beneficia exposcere, piaculare flagitium est.

VII. Cur concessione summi Pontificis opus fuerit Monasticis Congregationibus, ut Clericos seculares admitterent.

VIII. An possint Beneficiarii in Monasterio profiteri, non consentiente Episcopo.

I. NE initio quidem extremæ hujus ætatis post annum Christi millesimum, nodos illos sacros abruperant Clerici, quibus sua illos ordinatio Episcopo suo illigaverat. Diœcéseos finibus egredi non poterant sine formatis Episcopi sui Litteris. Scribebat Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis ad Episcopum Londinensem, præcipiebatque Diœcesi ut abigeret sua Clericum extraneum, apostasiæ suspectum; aut cogeret *formatas* (Epist. 14.) *Litteras Episcopi sui, sicut Canones jubent, ostendere.* Anselmus Lanfranci successor quàm arctè hæreret Clericus Episcopo suo quilibet, exemplo docet nos ejus agglutinationis, qua Clericus Abbati cohæserat, cujus Ecclesiæ suo ipsu Clericatu innexus (L. 3. Ep. 77) fuerat: *Alligatus Ecclesiæ vestræ per quandam professionem, quam in habitu Clericali vobis fecit.* Cùm enim postea Clericus iste Monasticam Professionem fecisset in Abbatia sancti Petri Carnotensis, & incertus utriusharum Professionum serviendum sibi esset, quòd neuter Abbatum eum relaxare vellet, sciscitatus est B. Anselmum, qui ad Abbates scripsit, ejus esse qui charitatis visceribus magis abundaret, ut jure suo prior decederet: & pietatem æmularetur ejus matris, quæ maluit natum in æmulæ sinu vivere, quàm in suo emori: *Nam vera mater mavult filium suum in alieno sinu vivere, quàm in suo mortuum fovere.* Certum est ergo magni utramque ponderis Anselmo fuisse hanc professionem, tum Monasticam, qua in Monasterio suo residere Monachus professus erat: tum Clericalem, qua se Clericus Ecclesiæ devoverat ei, ad quam fuerat ordinatus. Variæ autem fuere causæ, quæ illum adduxerint, ut existimaret suo potiùs in Monasterio Monachum residere debere: *Magis expedit propter plurimas causas.*

II. Id verò Clericorum omnium erat commune vinculum, ut Episcopo suo & Ecclesiæ suæ inexplicabilibus nodis cohærerent; & hæc verè professio erat, atque obedientiæ maximè professio. Inde enim fiebat, ut in alia quavis Ecclesia Beneficium obtinere non possent, nisi obedientiam sibi desponsam prior Episcopus remisisset. Ita Hildebertus Cenomanensis Episcopus Subdiaconum quendam suum cessit Claromontano Episcopo, qui eum sibi Archidiaconum adsciscere avebat. *Eum vobis,* (Epist. 55.) *& vestræ commodo Ecclesiæ, ab ea quam consecratori* (Ansel. l. 4.) *suo debet, obedientia liberum omnino & absolutum.* (Epist. 25.)

III. Eadem obedientiæ lege tenebantur Ordines sacros adire, cum ab Episcopo proprio jubebantur, ut ex Concilio Avenionensi liquet anni 1209. *Jubemus tam Præpositos, quàm alios Clericos ad* (Can. 19.) *exhortationem, vel ad mandatum sui Episcopi, sine difficultate qualibet ad sacros Ordines promoveri.* In eam rem profertur à Gratiano Carthaginensis Canon, quo Clerici Ordine & Beneficio exuuntur, si minùs se morigeros præstent Episcopo, qui Ecclesiæ suæ consulens necessitatibus, ad Ordinem illos superiorem promovere decrevit. Id amplexa est Ecclesia, potiùs quàm Decretum Gelasii, qui invitos promovere refugiens, ex Clericis potiùs inferioribus, qui nulla necessaria virtute deficerent, ordinari volebat Presbyteros, quàm ex Diaconis, qui in eum assurgere gradum refugiebant. Decretales quoque Gregorianæ Carthaginensem Canonem secutæ sunt. Ecclesiæ Tricassinæ Episcopis confirmavit Innocentius III. privilegium à Majoribus suis concessum, ut cogere possent Clericos ad majores Ordines subeundos. *Secundum privilegium ab* (Innoc. III.) *Alexandro Papa indultum.* Certum est Episcopos (Regest. 1.) persæpè antiquissima & indubitatissima dignitatis (Epist. 291.) suæ jura Apostolicis sibi Rescriptis confirmari voluisse, quo novus hic authoritatis cumulus accederet.

IV. Observatum illud jam suprà est, quos semel Pontifex Romanus ordinare cœpisset, absque ejus assensu superiores Ordines à quovis alio Episcopo suscipere non potuisse. Anno 1198. concessit Innocentius III. Archiepiscopo Mediolanensi, (Rainal. an. 1198. n. 11.) ut Ordines sacros conferre posset iis, quos Minoribus Pontifex donasset. Fuerat ea lex & consuetudo pervagatissima omnium orbis Episcoporum, eò jam propria Romanæ Ecclesiæ, quòd illa retinentior esset priscæ disciplinæ, quàm quævis alias, quod illustrari exemplis aliis compluribus posset.

Enimvero quamvis Gregorianis Decretalibus intextum esset illud Alexandri III. Decretum, quo pro- (C. Admonet) hibebantur Clerici vel irrepere in Ecclesias & Bene- (De Renunt.) ficia unius Diœceseos, vel ea retinere, vel iis renuntiare, ut in alias migrarent Ecclesias citra consensionē Episcopi; observabant tamen antiquiores Canonistæ ab illo jure & more jam passim deviatum esse, & impunè Beneficiarios unius Diœcesis inconsulto Episcopo ad alias Ecclesias & ad alia Beneficiā devo- (Fagnan. in) lare. Privatæ cupiditati indulgebant quandoque Epis- (C. Admonet) copi, ut discedentium Beneficia aliis conferrent.

V. In Concilio Tridentino non pristinus tan- (Sess. 23. c. 16.) tùm vigor huic disciplinæ redditus est, sed ulterius etiam aliquid & elimatius institutum. Etenim illi etiam qui Beneficii expertes sunt, & qui sola tamen ordinatione sua alicui sunt Ecclesiæ affixi,

veriti ibi fuere ab ea omnino recedere, nisi Episcopo permittente. Ex quo infert Fagnanus scitissimè, incogitantiam illam esse, vel mollitiem Canonistarum recentiorum quorundam, qui existimarint, Presbyteros, Clericosque alios, nullo beneficio obligatos ad residendum in una aliqua Ecclesia, posse in quo volent loco sedem sibi defigere, nec posse illis ab Episcopis suis litteras denegari commendatitias. Id quippe manifestissimè refragatur

Fagnan. ibidem. huic Concilii Tridentini Decreto: *Cavendum est à modernis Collectoribus, dum dixerunt Presbyteris & Clericis non habentibus Beneficium in titulum personalem residentiam requirens, licitum esse, ire quo velint, & Ordinarios teneri eis litteras commendatitias concedere. Hoc enim est contra præcitatum Concilii Decretum.* Ita Fagnanus.

Ibidem. Invehitur & in eos idem Fagnanus, qui scripserant, non posse Episcopum in sua Diœcesi remorari & affigere eos, qui sub Titulo patrimonii ordinati fuissent. Ostendit huic jam doctrinæ locum non esse post Tridentinum, quo sancitur, ut sub Titulo patrimonii non ordinentur, nisi ubi utilitas, vel necessitas Ecclesiæ postularit. Itaque Ordinatio ad normam Concilii Tridentini facta Clericum quemlibet inexplicabili nodo innectit Episcopo &

Sess. 21. c. 2. Ecclesiæ certæ. *Qui in sua ordinatione permisit se ascribi, ac tanquam servum ascriptitium mancipari servitio Ecclesiæ, pro cujus utilitate est ordinatus. Unde non mirum, si eo casu locum deserere non potest inconsulto Episcopo.* Verba sunt hæc Fagnani.

Cap. 11. 13. 14. 15. VI. Anno 1564. in Concilio Remensi corroborata sunt decreta hæc omnia Concilii Tridentini, & Clericorum prorsus omnium firmata sunt splendidissima illa vincula, quibus Episcopo suo, Ecclesiæque suæ tunc mancipati fuere, cùm ordinarentur.

Anno 1565. in Concilio Mediolanensi I. decretum est, ut si qua in Ecclesia essent Dignitates, Personatus, Officia, quibus nullæ adhuc sacræ functiones adscriptæ fuissent, vel ab origine sua, vel Jure communi, vel particularibus Constitutionibus: ab

Cap. 36. Episcopo adsignarentur consentaneæ quidem, adhibito duorum Canonicorum consilio, quorum unus ab ipso, alter à Capitulo deligeretur. Denique ut Beneficia quævis, etiam simplicia ab Episcopo similiter functionibus & muneribus quibusdam sibi concinentibus onerarentur. Confirmatum illud ipsum est in Concilio Aveninnensi anno 1594. sicut &

Cap. 18. in Burdigalensi anni 1624.

In Concilio Mediolanensi II. sancitum est, ut Clerici omnes in Tonsura & veste Clericali, diebus Dominicis & Festis quibusque Officiis divinis interessent in Ecclesia Parochiali, vel in ea cui eos Episcopus affixisset: jussis Parochis ipsis tertio quoque mense Episcopum commonefacere, an statuto huic obtemperetur.

In Concilio III. Mediolanensi jubentur Clerici omnes, & ipsi etiam Presbyteri, ut intersint solenni Missæ, Vespertinis Officiis, Expositioni & Processionibus sanctissimi Sacramenti, quo solennior fiat hæc Eucharistiæ pompa & circumgestatio publica. Idem quoque decretum in Concilio Bituricensi anno 1584. in Aquensi anno 1585. in Burdigalensi anno 1624. Denique anno 1581. Rotomagense Concilium idem promulgavit Decretum.

Tit. De Curat. Offic. n. 18. Tit. 35. c. 35. In Concilio Remensi anni 1581. concessum est Episcopis ut Beneficiarios cogere possent sacris implicari Ordinibus, prout Ecclesiarum suarum necessitas deposceret, utque contumaces quarta parte multarent proventuum Ecclesiasticorum. Turonense ejusdem anni, non modò Clericos omnes sacros præcepit, in superpelliceo & pileo Ecclesiastico interesse omnibus Parochiæ Officiis: sed & vetuit, ne ab Ecclesia cui adscripti fuere, discedant unquam, sine Episcopi sui scripta permissione, qua absentiæ causa contineatur. Denique cùm detestandæ avaritiæ impulsu non pauci Prioratus simplices ambirent & aliquanto post tempore abdicarent, ut sæcularibus se rursus inquinamentis immergerent: jussi sunt hoc Concilio Priores hujusmodi ad Ordines sacros accedere; jussi sunt Episcopi ad id eos compellere, cùm primum ætatem & doctrinam idoneam assecuti essent: alioqui Beneficiis suis his spoliarentur. *Tit. de Ordin. c. 4.*

Concilium Bituricense anni 1584. ulterius rem promovit. Eos enim pronunciavit ingentis piaculi reos, & ad restituendum constrinxit, quicumque Beneficia suscepissent non alio magis stimulo, quàm profanæ redituum sacrorum cupiditatis. *Cum Beneficium Ecclesiasticum non otiosis, sed officium suum exequentibus sit constitutum: & propter officium detur Beneficium: denunciat hæc Synodus omnibus cujuscumque gradus & conditionis, qui Beneficia Ecclesiastica solius temporalis proventûs gratia suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.* Ea verba ferè memini à me alio loco prolata fuisse: sed ea semel iterumque inculcari operæ pretium duxi. *Tit. 36. c. 1.*

In Concilio Mexicano anni 1585. multæ cautiones excogitatæ sunt, ut ne possent qui Titulo patrimoniali ordinati essent, ab Ecclesiis suis deficere: sancito, ut in eorum Ordinationis litteris exprimatur nomen Ecclesiæ cui illigantur, utque Visitatores explorent, an religiose satis resideant. *L. 1. T. 4. L. 3. T. 15. n. 14.*

Concilium Tolosanum anni 1590. jubet, ut in Ordinationis litteris adscribatur Ecclesiæ nomen, cui Clericus quisque defigitur, nen quis inde abesse possit, nisi licentia scripto data, nec danda sine legitima causa. *In litteris omnibus quæ ordinatis in testimonium conferuntur, Ecclesia locive pii, cui illi dicati ascriptique sunt, à quo absque Episcopi scripta licentia, in alium demigrare non poterunt, ex Tridentina Synodi decretis mentio fiat. Hujusmodi autem licentia absque justa causa non detur.* *Cap. 7. n. 9. 11.*

Burdigalense Concilium anni 1624. edixit, ut Presbyteris, qui ex aliis Diœcesibus aliquò adventarent, cum Episcopi sui litteris, ut ultra mensem ibi demorarentur, assignaretur ab Episcopo loci Ecclesia, ubi divinis adessent Officiis, & Pastorem ejus Ecclesiæ testem & monitorem haberent. *Cap. 13. n. 1.*

Nemo, ut reor, molestè feret hanc meam tantam prolixitatem in excutiendis Conciliis Canonibusque; cùm hinc tantum gloriæ & laudis redundet in nostrum hocce sæculum, ubi meditatæ, expolitæ, promulgatæque sunt ejusmodi morum & Disciplinæ Regulæ, quibus accuratiores, sanctioresque ne aurea quidem olim Ecclesiæ sæcula commentari & publicare potuerunt. Illud etiam affirmare ausim posterioribus his Conciliis absolutius aliquid & cumulatius præceptum fuisse, quàm antiquis, ad Clericos singulos alicui Ecclesiæ astringendos, ad sanciendam eorum residentiam, ad sacras functiones ab eis exigendas, ad eos Episcopali obedientiæ mancipandos. Sed quantum hinc efflorescit gloriæ, vereor ne tantundem ignominiæ emergat ex præclarissimarum legum tam rara & tam ignava observantia.

VII. Unum ferè restat, quod impensiùs attendi debeat. In antiquissimis videlicet concessionibus suis, indulsisse Monachis summos Pontifices, ut

Clericos ſæculares ad Profeſſionem recipiant. Honorius II. anno 1125. Cluniacenſibus permiſit, *Laicos, ſeu Clericos ſæculares, niſi qui pro certis criminibus excommunicati ſunt, ad converſionem ſuſcipere.* Urbanus III. anno 1185. idem rurſum permiſit confirmavitque.

Bibl. Clun. pag. 1379. 1448.

Ejus generis exempla complura occurrunt in Magno Bullario, recentioribus conceſſa Inſtitutis. Perſpicuè verò id argumento eſt, ſicut Eccleſiæ aliæ aliarum Clericos, & Monaſteria alia aliorum Monachos admittere non poterant: ita nec Monaſteria Clericos, niſi conſentiente Epiſcopo, cui jam fuerant illigati. Liquebat id ſuprà ex Anſelmo, qui negabat profeſſionem Clerici in una Eccleſia, obliterari potuiſſe per Profeſſionem Monaſticam in alia, niſi ex conſenſu prioris Eccleſiæ Prælati. Id liquet & ex his Bullis, quæ id annuunt, tanquam ex gratia & indulgentia, tanquam ex diſpenſatione. Id rurſum liquet ex nuperis Bullis, quæ recentioribus Congregationibus id concedunt, ut eos omnes admittant, qui nullo adhuc ſolenni voto ſunt obligati. Germanus is eſt eorum verborum ſenſus: poſſe à ſuperioribus harum Congregationum admitti omnes Clericos ſæculares. Perinde eſt enim ſi dicas Clericos ſæculares, ac nullo ſolenni voto conſtrictos; Idque ad id unum ſpectat, ut ſolvantur ii ab eo nexu & vinculo, quo Epiſcopo ſuo, & ejus juſſo Eccleſiæ alicui fuerant, vel eſſe debuerant alligati.

Bulla Congr. Orat. an. 1613.

VIII. Cæterum ex *C. Licet De Regularibus*, conclusum quidem eſt à Canoniſtis, ut poterant omnes à miniori ad duriorem Religionem migrare, petita Prælati licentia, quanquam non obtenta: ita poſſe ab Eccleſia ſæculari ad Profeſſionem Monaſticam tranſiliri, petita, etſi non impetrata Epiſcopi permiſſione. Verùm ea quanquam non abſurda, argumentatio tamen tantummodo eſt. Certiſſimum autem ejus rei fundamentum eſt diſpenſatio, quæ ad omnes jam permanavit Congregationes, atque ita in Jus commune non immerito recepta fuiſſe cenſetur. Cùm ardori ſectandæ perfectionis nullam debeant Epiſcopi objicere moram, qui ad eam potius eſſe debuerant incentores. Luculentiſſimè eam rem proſequutus eſt Stephanus Tornacenſis, ubi de Parochis agit: *Parochiales Preſbyteri obedientiam quam promittunt, debent Epiſcopis ſuis, & ſacramentaliter alligati ſunt Eccleſiis quas regunt, tanquam uxoribus propriis. Lege autem communi Canonum ſine licentia Epiſcoporum ſuorum, quibus obedientes eſſe debent, nec ipſi recedere, nec alii recipere eos debent. Lege autem privata, quæ inſtinctu Spiritus ſancti in corde ſcribitur, ſi ad Monaſterium, vel Canonicam Regularem tranſierint tales, etiam contradicentibus Epiſcopis recipi poſſunt. Ait enim Urbanus Papa, ſi quis in Eccleſia ſua ſub Epiſcopo populum retinet, ſi afflatus Spiritu ſancto in aliquo Monaſterio, vel Regulari Canonica ſalvare ſe voluerit, etiam Epiſcopo ſuo contradicente, eat liber authoritate noſtra: Juſto enim lex non eſt poſita. Et ubi ſpiritus Domini, ibi libertas; & ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Epiſcopum Pariſienſem monuit Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, non potuiſſe ab eo extrahi Cantorem Eccleſiæ Pariſienſis à Monaſterio ſancti Martini de Campis, ubi Monaſticam induerat veſtem: cùm beatus Gregorius Epiſcopum etiam animaverit ad pium ejuſmodi facinus: & cùm Concilio Toletano IV. vetentur Epiſcopi intercedere, aut reniti tam ſanctis Clericorum ſuorum conſiliis.

Fagn. l. 1. Decr. Par. 2. pag. 148

Epiſt. 1.

L. 3. Ep. 15.

Non potuiſſe quondam Clericos à Clericatu reſilire.

CAPUT XI. *P. 1. l. 2. c. 3.*

Per Priora quinque ſæcula non potuiſſe Clericos à Clericatu reſilire.

I. Quanquam nuptias optare poſſent Minores Clerici, tamen ne vel ipſi quidem Clericatui renuntiare poterant.

II. III. Varia ex Conciliis probationes, maximè ex Calchedonenſi, cujus Canon diligentius expenditur.

IV. Ab ea ſtabilitatis lege non divulſi Clerici, qui ad Monaſticam vitam & profeſſionem aſſurgebant.

V. An ea diſciplina mutari potuerit.

VI. VII. Argumenta varia ex Conciliis, & ex Ambroſio.

VIII. Juris quodammodo naturalis eſt, ut perſonarum conſecratio irretractabilis ſit.

IX. Hieronymi teſtimonium.

X. Horrendum Clerici deſertoris exemplum.

XI. XII. XIII. Quid ageretur cum deſertoribus Monachis.

XIV. XV. Qui alicubi impunè nupſerint Viduæ Deo devotæ.

XVI. Caſſianus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus, etſi Monachus eſſet Maſſilienſis Monaſterii.

I. Ut ipſi ſerviamus rerum & quæſtionum connexioni, patefacta Clericorum omnium arctiſſima conjunctione cum Epiſcopo ſuo, & cum Eccleſia, cui ab illo fuerant illigati: illud jam ſupereſt, ut quam Clericatui ipſi inexplicabilibus nodis devincti eſſent, pateſiat. Poterant minores Clerici ad nuptias convolare, non poterant etiam conjugati à Clericatus profeſſione recedere. Poterat eos Eccleſia è Cleri cœtu expungere, & in laïcorum claſſes deprimere; ipſi Clericatus non poterant excutere jugum. Denique ſi tam reſidentiam, ſtabilitatem, obedientiam profitebantur Clerici, quam Monachi: ita & tam non poterant illi, quam hi eam profeſſionem retractare.

II. Cæſarauguſtana Synodus adverſus Priſcillianiſtas habita, non poſſe Clericos pronunciavit à ſuis functionibus deſciſcere, ne ſpecie quidem & obtentu Profeſſionis Monaſticæ. *Si quis de Clericis propter luxum vanitatemque præſumptam, de Officio ſponte diſceſſerit, ac velut obſervatorem legis, Monachum videri ſe maluerit, quam Clericum, ita de Eccleſia repellendum, ut niſi rogando, atque obſecrando plurimis temporibus ſatisfecerit, non recipiatur.* Suffragatur & Canon Concilii Milevitani II. ut in quibuſdam editionibus habetur: *Ut quicunque in Eccleſia vel ſemel legerit, ab Eccleſia ad Clericatum non teneatur.* Docet Cyprianus legendi munus quandoque pueris antè delegatum fuiſſe, ut periculum eorum fieret, antequam Lectores ordinarentur. Canone iſto definitur, & ſi quis ſemel in Eccleſia legerit, non illico teneri eum in Clericatu perſeverare, acſi Lectoris Ordine fuiſſet initiatus. Contendebat ſuprà Auguſtinus ad Eccleſiæ cum ſuæ Clerum pertinere, qui ſæpius in ea legiſſet, nec ab alio ſibi ſubripi poſſe Epiſcopo. Rurſus in Epiſtola quadam Auguſtinus, non ſtatim Lectorem docet cenſeri, qui ſemel in Eccleſia legerit. *Miror utrum poteſt jam Lector deputari, qui non niſi ſemel ſcripturas legit.* Hinc non parum lucis affunditur ſuprà allatæ editioni Canonis Milevitani. Valde tamen propendeo in hanc aliam ejuſdem editionem, juxta quam nihil

Can. 6.

Can. 13.

Conc. Afric. ſub Cæleſt. & Bonif. c. 37.

ille ad rem nostram facit. *Qui semel susceptio officio in Ecclesia legerit, ab alia Ecclesia ad Clericatum non teneatur.*

III. At Canone Calchedonensi perspicuè res de-
Can. 7. finitur: *Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam elegerunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, ita ut redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari.*

In eum Canonem multa animadverti necesse est. 1. In eadem classe locantur Clerici, Monachique, quod attinet ad irrevocabilem professionem. 2. Omnes prorsus Clerici ea lege, iisque verbis continentur. τῆς ἅπαξ ἐν κλήρῳ κατειλεγμένους. Itaque Lectores, Acolythi, aliique minorum gentium Clerici parem profiteri censebantur in ipsa sua ordinatione stabilitatem. 3. Tacitè tunc fiebat hæc Professio, tum in Clero, tum in Monasteriis. Unum enim id satis erat superque, ut ea esset lex, ea conditio instituti, cui nomen dabant. 4. Hallucinantur ergo vehementissimè, qui eam stabilitatem solis majoribus imputant Ordinibus; cùm minores eidem prorsus omnes subessent. Sed inde manavit error, quod stabilitatem à cælibatu non satis distinxere. Hic proprius est & peculiaris majorum Ordinum, illa omnibus promiscuè communis. 5. Ubi minores Clerici conjugio se innodaverant, non tamen Cleri functiones declinare, non leges peculiares transgredi poterant. Non exempli gratia militare, & merere stipendia, qui cælesti jam militiæ essent inscripti. Non prehensare sæculi dignitates, in præcelsiori Clericatûs culmine jam locati. His addenda complura alia, illis omnibus consentanea, qui pompis & vanitatibus sæculi ubi nuntium remiserint, omnia sua in Deo uno habent. 6. Denique Clerici propositi sui transfugæ, non prioribus tantùm emolumentis privantur & ornamentis, sed & anathemate hic percelluntur.

IV. Meminit Augustinus in Epistola quadam recentioris Canonis in Concilio Africano editi, quo vetiti fuerant Clerici in Monasteriis admitti. *Recense*
Epist. 135. *Concilium & ibi invenies de solis Clericis, non etiam de Laicis fuisse statutum, ut undecumque venientes, non recipiantur in Monasterium.* Id verò intelligendum de Clericis qui ab Ecclesiis suis discedebant non permittente Episcopo. Cum licentia enim Episcopi poterant utique profiteri in Monasteriis, illæsa quam voverant Clericatûs stabilitate. Quantum adversatur Clericatui sæcularis vita, tantum illios concinit sanctimoniæ & stabilitati Monastica professio.

Non est ergo quod quisquam sibi persuadeat, Canone Cæsar-Augustano suprà laudato prohiberi Clericos à Monastica vita sectanda. Soli ibi proscribuntur Priscillianistæ pseudomonachi, qui detestandas impietates sanctissimæ professionis habitu dissimulabant. Ad prævertendam apostasiam præmonentur Clerici, non posse eos à statione discedere injussu Episcoporum.

V. Non me fallit diuturnitate temporis multa mutari in disciplina morum, & vigore suo excidisse horum Canonum non paucos. Sed cùm in canonicis quandoque regulis nonnullæ radient divini & naturalis juris scintillæ, viderit Lector an in numero sit is Canon, quem hîc versamus. Intentato quippe anathemate jubentur hîc Clerici, Monachique desertores, priorem in suam sanctissimamque se recipere stationem, quam olim Spiritûs sancti instinctu delegerant. *Ut redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt.* Atqui nulla de Monachis dissensio est, quin etsi cessent leges pœnæque in desertores, æterna tamen, invisibilis & incommutabilis, indeclinabilisque lex illis impendeat, insideatque in conscientiæ penetralibus, atque sempiternas subinde interminetur pœnas, nisi ad sanctissimum priusque propositum suum sese referant. Clerici similiter Clericatum amplexati, & minores Ordines, sanctissimæ se Professioni illigavere: Dei se religioni speciali devovère; pompis opibusque & deliciis nuntium remisere fallacissimi sæculi. Itaque quanquam ducere uxores possint, & liberos suscipere, propositum tamen sanctum violare, consecrationem sui priorem profanare, ejuratas vanitates sæculi iterum sectari, fidem Deo clam, imò & publicè desponsam fallere sine grandi piaculo non possunt. Hæc etiam atque etiam inculcanda sunt iis, qui minoribus sese illigare Ordinibus, vel Clericatui ipsi meditantur.

VI. Andegavensis Concilii Canon compendiosius idem habet quod Calchedonensis. *Clerici quo-* Can. 7.
que qui relicto Clero se ad sæcularem militiam & ad Lai- Can. 5.
cos contulerint, non injustè ab Ecclesia, quam reliquerunt, amoventur. Idem censendum de Turonensi, qui facta Clericis minoribus copia uxoris ducendæ, mox vehementissimè prohibet, ne ad Laicorum sæcularem vitam & sæcularia retro labantur munera. *Si quis verò Clericus relicto officii sui ordine, laïcam voluerit agere vitam, vel se militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.*

VII. Scripsit Ambrosius de re ista Epistolam ea spiritûs & charitatis suavitate delibutam, qua scripta ejus omnia scatent. Ea enim declarat, non posse nisi molestissimè ferri in servis Dei inconstantiam & instabilitatem, etsi in quacumque alia sorte leviter ea feratur: *Quod in alio genere hominum tolera-* Epist. 17.
bile, in iis verò qui rei divinæ intendunt, plenum doloris. Clericatus prærogativas non in temporalibus emolumentis & subsidiis sitas esse, sed in præsidiis certissimis quibus æterna salus mortalitate hac exhausta comparetur. *Quasi vero hoc solum sit in Clerico, ut sumptum expediat suum, & non divinum sibi post mortem potius subsidium locet.* Professione Clericatus servituti nos mancipari, sed nobilissimæ, suavissimæque, & ex qua vera libertas scaturit. Quid enim amabilius, quid liberalius, quàm sapientiæ & justitiæ, quàm Christo & æternæ vitæ servire? *Bonum est adhærere alteri, & inserere collum in torques ejus, & subjicere humerum, & portare illum, nec tædiare ad vincula, quia de domo alligatorum exivit qui regnet, &c. Perfecta absolutio existimata est sub Christo degere, & ejicere pedes in compedes sapientia ipsius: captivum esse, ut sis liber ab adversario.*

Denique cœlitus hausta eloquentia illud luculentè intonat Ambrosius, fas nunquam fuisse, nunquam fore, anteponere terram cœlo, æternitati tempus, infamem sæculi servitutem qualicumque participationi Regalis Christi Sacerdotii. *Dum vult regnare, quasi voluntatis suæ dominus, nec sub vinculis esse Domini Jesu, inveteratus in peccatis, stultitia incidit deformitatem. Quid enim stultius, quàm relictis cælestibus ad terrena intendisse, & posthabitis perpetuis, elegisse ea quæ caduca sunt & fragilia?*

VIII. Complurium Clericorum vita sæcularibus immersa prorsus ludibriis hoc errore & ipsorum & cæterorum hominum mentes imbuit, ut jam ferè non perpendant Clericatum, ut sanctimoniæ stationem, ut consecrationem hominis Deo devo-

ti, ut alienationem ab omnibus sæculi vanissimis oblectamentis, denique ut juge Altaris ministerium, æternitatisque meditandæ studium. Et hæc omnia tamen Clericatus complectitur ipsa sua institutione; professione expressa, quæ tum emittitur, cum quis ordinatur: obtestatione illa solenni, se Dei, Deum suam portionem & hæreditatem immarcessibilem fore: denique consecratione ipsa, quæ sejungi ab ordinatione nullatenus potest. *Tu quicumque in Clero es Domini, portio ejus & possessio, noli recedere de Domini possessione*, ut ait ibidem Ambrosius. Ordinatione Deo nos addicimus, Deo consecramus, ut portio ejus simus. Latrocinium est Deo suffurari quod dederis: sacrilegii genus est, profanare quod Deo sacrum fuit. Nec possunt hæc flagitia nisi restitutione expiari. Prisci Testamenti Levitæ irrevocabili destinatione sacris Templi ministeriis addicti erant. Non Pontifices tantùm, aut Sacerdotes, sed omnes prorsus Levitæ, tot in classes distributi, quorum omnium portio Deus erat. Si irretractabilia ea erat & professio & consecratio, quin & nostra Clericorum fuerit à Tribus Ecclesiæ prioribus sæculis, cùm necdum ulli essent Monachi, Clerici soli Collegium conflabant à Laïcis non minùs morum sanctimonia & religione semotum, quàm Altaris ministerio. Ubi deinde orbi illuxit Monastica institutio, & sanctitas atque innocentia morum: tum duo hæc Clericorum & Monachorum instituta spectari cœperunt, tanquam ex æquo voluptatibus vanitatibusque sæculi inimica. Audi quid de his Hieronymus ad Nepotianum: *Petis ut tibi digeram qua ratione, qui seculi militia derelicta, vel Monachus cœperit esse, vel Clericus, rectum Christi tramitem teneat, nè ad diversa vitiorum diverticula rapiatur.*

Bifariam ergo sæculo renuntiabant tunc temporis, aut Clericatu, aut Monastica professione. Utraque *relicta sæculari militia*, veluti cœlestis quædam militia supererat, cui inscriberentur, terrenarum nugarum pertæsi, à qua deficere non possent sine salutis discrimine.

IX. Monet ille ibidem nomine ipso suo Clericos admoneri, se Domini sortem esse, Dominum sui: ideoque degenerare se ab instituto suo, si accumulandis deinceps divitiis studeant. Quòd sæcularis nimirum illa cupiditas sit, augendo incumbe-
Ibid. Epist. ad Nepot. re patrimonio. *Si ergo pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras Tribus, sed quasi Levita & Sacerdos, vivo de Decimis, & Altari serviens, Altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Ne officium Clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plus habeas, quàm quando Clericus esse cœpisti, &c. Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quàm fuerant sæculares: & Clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant: ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit antè mendicos.* Ita minores Clerici quanquam opibus non renuntiarent, in rei tamen sæcularis administratione, à spiritu, ingenio moribusque sæculi longè aberant.

X. Ne quis verò sibi ipse fucum faciat, quasi exoleverit prorsus hujus disciplinæ memoria: audiendus hîc est author vitæ sancti Engelberti Archiepiscopi Coloniensis circa annum Christi 1200. ubi verba facit de Friderico Comite, qui Canonicus cùm fuisset, Clericatûs vestem abjecit, gladio latus munivit, ut fratris sine liberis functi locum & hæreditatem adiret. *Fridericus Comes fratre seniore in fata cadente, sine filio, ut fratris esset hæres recedens à Clericatu, factus est miles, & tantò fortassis ad malignandum promptior, quantò à gratia remotior. Non potest esse sine periculo & gratiæ detrimento, quando Clerici, qui secundùm nomen suum de sorte sunt Dei, ordine mutato, militiæ se mancipant sæculari. Tales, sicut exemplum habemus in multis, cùm ad malum, ut dici solet, deterius tendunt, etiam malis pejores, & crudelibus crudeliores fiunt. Fuerat Fridericus majoris Ecclesiæ Coloniensis Canonicus. In Comitem ex Clerico mutatus, &c.* Surius die 7. Novemb.
Apostatæ hujus atrox impietas eò tandem erupit, ut dux ipse auctorque fuerit infandi parricidii, quo Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus suo sanguine Martyrum palmas assecutus est.

XI. Accedet aliquid lucis rei huic, si recenseamus hîc obiter quid his prioribus sæculis in Monachos apostatas decerneretur. Noluit B. Ambrosius suo amplius Monasterio excipere Monachorum suorum nonnullos, qui inde exilierant præstigiis effascinati Joviniani, qui jejuniis & virginitati bellum indixerat. *Hic positi primò jejunabant, intra Monasterium continebantur: nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibriosæ disputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt, deinde volentes redire, non sunt recepti. Pleraque enim audieram, quæ deberent cavere. Monueram, nihil profeceram.*

XII. Basilius Monachos contestatur, postquam se Deo totos dedicarint, jam non posse nisi per summum flagitium sæcularibus se nugis & implicamentis inserere; si qui eorum Monasteriis exilierint, iis admitti jam illos non posse, ne iter agendo quidem, tanquam hospites. *Qui se ipsum* Sermo de instit. Mon.
semel Deo devovit, hic si ad aliud vitæ genus transierit, sacrilegii se scelere obstrinxit, quippe qui se ipsum Et Regul. fus. disput.
Deo, cui se consecraverat, veluti subterfuratus sit. Porrò hujusmodi hominibus nullo modo aperiantur fratrum c. 14. 68.
janua, ne si prætereuntes quidem, ut tecto recipiantur, ad ipsos diverterint. Jubet alibi abscindi & ablegari Const. Mon.
eos qui nulla arte emendari potuerint. Ne uno c. 33.
quidem Monasterio egressos alio suscipi sinit. Quas verò ille ad apostatas hos Monachos litteras dedit, quisquis perlegerit, is facilè doctrinæ huic nostræ assentietur, circa disciplinam eorum temporum.

XIII. Nec alia ratione Moniales coërcebantur. Ubi jam desperata erat earum emendatio, vel exilire Claustris sinebantur, vel etiam ejiciebantur, ne pium gregem contaminarent. Ita præscripserat Augustinus ipse in Regula: *Convicta secundum Præ-* Epist. 109.
posita, vel Presbyteri arbitrium debet emendatoriam sustinere vindictam; quam si ferre recusaverit, & ipsa non abscesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.

XIV. Nec aliam agendi rationem tenuerat Cyprianus erga Virgines Deo sacras: *Si se ex fide* L. 1. Ep. 11.
Christo dicaverunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseverent; ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant, quàm in ignem deliciis suis cadant.

Nec Augustini, nec Cypriani ea mens erat, ut penes ipsas esset periculum salutis earum, quæ vel Claustris exilirent, vel convolarent ad nuptias. Sed utrique ea insederat animo sententia, quantumcumque id esset flagitium, pacatè ferendum esse, ne gravius aliquid & facinorosius committeretur. Ita perspicuè sentit Gelasius Papa in Decretis, ubi verba facit de Viduis professis: *Si propria voluntate pro-* Cap. 21.

fessam castitatem calcaverit, periculi earum intererit, quali debeant Deum satisfactione placare. Nos autem nullum talibus laqueum debemus injicere, sed solas adhortationes præmii sempiterni, pœnasque proponere divini judicii: ut nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. In hunc quoque sensum trahendus Palladius in vita Chrysostomi, de professis Viduis si verba faciat, ubi ait Chrysostomum eas exhortari solitum, ut potiùs nuberent, quàm offendiculo Ecclesiæ essent.

XV. Nec enim in controversiam trahi potest, quàm piaculare flagitium sit, si desponsa Christo infringatur fides; cùm tam disertè & tam exertè Paulus de viduis quæ se primò cœlibatui dicaverant, & postea nupturiebant, pronuntiet, *Habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt.* (*1. Timot. 5.*) Ubi advertit Augustinus, in ipsa etiam voluntate hujus defectionis hærere crimen: *Nubere volunt, &c. Ut appareat voluntatem, quæ à proposito cecidit, esse damnatam.* (*De bono viduit. c. 10.*) Fatetur tamen sanctus Pater, harum tunc viduarum valida fuisse conjugia, nec posse ea nisi exaggerata quadam audacia adulteria vocari, cùm nequaquam juberet Ecclesia ea separari.

Cùm verò abuterentur nonnulli verbis Apostoli, aientis conducibiliores esse nuptias, quàm æstuantes quibus urerentur cupiditates, ita eum cuneum retundit Ambrosius: *Melius est nubere, quàm uri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterùm quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Et jam si voluerit nubere, communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum est, quæ occulta & furtiva turpitudine constupratur, & fingit se esse quod non est? Habitu virgo, facto non virgo. Bis adultera, & in actu, & in aspectu.* (*Ad virgin. lapsam. c. 5.*)

His Ambrosii verbis planum fit, non potuisse non scelestas & sacrilegas esse fœminarum Deo dicatarum nuptias; sed imminebant aliunde ea facinorum portenta, ut juxta Patres superiore numero laudatos, ad hæc declinanda, possent sibi ut nuberent permitti; non quo malum non esset ita nubere, sed quòd malum multò minus esset. Cæterùm translatè hic sumitur adulterii vox. Ita sumpsit Ambrosius. Eam vocem abjecit Augustinus, quòd proprio sensu eam acciperet. Si dicat autem idem sanctus Pater validum nihilominus esse conjugium, præter fidem Christo sponso datam contractum: Ecclesiæ suæ suique ille ævi sermoni & consuetudini sese accommodat. Nec enim ea in re eandem semper & ubique retinuit Ecclesia disciplinam.

XVI. Finem faciet huic capiti, quod majora visum est habuisse ad institutum nostrum momenta. Ea est Altaris ministrorum consecratio, quæ tam non potest vel deleri, vel revocari, quàm nec Altarium, vel Templorum. Docet nos Cassianus, se speciali adoptione insertum fuisse Clero Ecclesiæ Constantinopolitanæ à B. Joanne Chrysostomo, & ipsa ordinatione Deo oblatum consecratumque. *Adoptatus enim à beatissima memoria Joanne Episcopo in ministerium sacrum, atque oblatus Deo; etsi corpore absum, affectu illic sum; & illi dilectissimo Dei populo, etsi nunc præsentia non admisceor, tamen mente conjungor.* (*Con. Nestor. l. 7. c. 31.*) Simile veri est, ne in ea Ecclesia residere obligaretur Cassianus, eadem illi indulgentia & dispensatione concessum fuisse; quæ concessa Paulino quoque & Hieronymo aliquando fuit. Porro quamvis absentem, ejus tamen se Ecclesiæ & esse & censeri existimat, & præ se fert, quod Deo in ea consecratus fuisset ab Episcopo, à quo fuerat ordinatus. Eo Cassiani exemplo edocemur, professione Monastica nihil derogatum fuisse stabilitati, quam ipso Clericatu suo Clerici profitebantur. Cùm Monachus enim Cœnobii Massiliensis esset Cassianus, ad Ecclesiam tamen Constantinopolitanam pertinebat.

CAPUT XII. *P. 3. l. 2. c. 3.*

Nec sæculo VI. VII. & VIII. potuisse Clericos à Clericatu resilire.

I. Pœnarum acerbitas ex Justiniani legibus in Clericos desertores.

II. III. Quæ horum desertorum pœna, & eorum qui excauthorabantur. Dejectio civilis erat frustratioque civilium omnium honorum & dignitatum.

IV. In Italia transfugas istos revocat & plectit Gregorius Magnus.

V. Par & in Galliis in eos authoritas.

VI. VII. Similiter & in Hispania, ubi non multum discriminis intercedit inter Clericatus & Monasteriorum transfugas.

VIII. Non poterant Episcopi Clericos vi extrahere e Monasteriis, in quæ se ipsi conjecerant, ut Deo liberiùs vacarent.

I. CLericos omnes commonefecit Justinianus Imperator, jam integrum ipsis liberumque non esse in sæcularis vitæ ludibria revolvi ac retrolabi, nisi si servitutes & onera rursum subire velint omnia, atque dedecora, quibus eos subduxerat Clericatus. *Semel factos Diaconos aut Presbyteros nullo modo derelinquere sacerdotium. sed neque si Subdiaconus, aut fortè Lector fiat aliquis, hunc relinquere pristinum schema & ad alteram migrare vitam: scientem quia si tale aliquid elegerit, secundum quod à nobis jam sancitum est, aut in Curiam cum substantia, aut sub inopia degens, ad officialem deponetur fortunam.* (*Novell. 6. c. 7.*) Quasi dicat, si quæ his Clericis essent facultates, ubi à Clero descivissent, Curialium exactionibus, oneribus & servitutibus illos protinus obnoxios fore; si nullæ essent, ipsosmet dejectum iri in officia quæque vilissima & onerosissima Reipublicæ.

II. Eadem rursus alibi lex, eadem pœnarum acerbitas. *Et generaliter sancimus, nulli licere, in quolibet Ecclesiastico gradu constituto, discedere ab eo, & sæcularem fieri: scientibus tale aliquid facientibus, quia & quasi apposito sibi cingulo, aut dignitate, aut militia, & Curiali fortunæ propriæ civitatis tradentur.* (*Novell. 123. c. 15.*) [illegible] Quibus ultimis verbis declaratur, qui Clericatum abdicarent, eos publicis statim legibus abdicatos fuisse dignitate, militia & nobilitate prorsus omni, addictosque sorti omnium vilissimæ & molestissimæ, videlicet Curialium.

III. Ea quidem in re testatum facit Justinianus ingressum se esse in vestigia priorum Imperatorum Arcadii & Honorii, ubi eædem pœnæ in eos decernuntur, quos Episcopus Clericatu movisset. (*Cod. de Episc. & Cler. l. 1. Leg. 15. Nov. 6. c. 4.*) Nec enim inficias ire quisquam potest, quin crebræ tunc fuerint depositiones ac degradationes. At non una ea ingruebat apostatis pœna, ut Clericatûs exuerentur ornamentis & immunitatibus, ac in priorem relaberentur sortem: laicorum deinceps turbæ permixti. Ruinam illam sequebatur infamia; nec ea tantùm infamia quæ nomen & famam macularet; sed quæ illos summoveret ab omnibus civilibus honoribus, à dignitatibus, à militia; quæ denique personas ipsas & res eorum propudiosæ

& gravi subjiceret servituti, quæ ipsa per sese sine flagitio à Clericatu arceret.

IV. Nec minus honoris & reverentiæ impensum est in Ecclesia Latina Clericatus professioni, nec minus inustum ignominiæ ejus desertoribus. Decrevit Gregorius Magnus, ut Clericus transfuga, & qui in Africam aufugerat, revocatus, corporali pœnæ subjiceretur, tumque addiceretur pœnitentiæ, ut carnis vulneribus anima curaretur.
L. 3. Ep. 24. *Paulum Clericum, qui sæpè dicitur in maleficiis deprehensus, qui despecto habitu suo ad laïcam reversus vitam, in Africam fugerat: si ita est, corporali priùs proveniente vindicta, prævidimus in pœnitentiam dari, quatenus & secundùm Apostolicam sententiam, ex carnis afflictione spiritus salvus fiat, & peccatorum sordes lacrymarum possit assiduitate diluere.* Petrus Acolythus, quem Gregorius Diacono Sabiniano Constantinopoli Apocrisiario sedis Apostolicæ junxerat, Hierosolymam cum aufugisset: scripsit Gregorius ad Amos Patriarcham Hierosolymitanum, ut illum capi, Romamque remitti curaret, indicto anathe-
L. 7. Ep. 7. mate, donec Romam redux esset. *Ut diligenter requiratur, injungite, & inventum ad nos transmittite.* Consimile exemplum supra retulimus.

V. In Gallia verò communione exturbatus est ab Episcopis regni Episcopus, qui Episcopatui nuntium remiserat, capillum promiserat, priorem revocaverat uxorem, spe inescatus potiundi Comitatus Provinciæ Aremoricæ, quem frustra venditabat & falso Clodovæi Regis ditioni obnoxium fuis-
Hist. l. 4. c. 4. De gloria Mart. l. 2. c. 17. se nunquam. Audi Gregorium Turonensem: *Hic apostatavit & demissis capillis, uxorem quam post Clericatum reliquerat, cum Regno fratris simul accepit. Sed ab Episcopis excommunicatus est.* Loquitur & alibi de apostata Diaconatus, nec silet in quam se postea scelerum voraginem conjecerit, & quam atroci cœlitus vindicta oppressus sit. Ebroinus Clericatum exuit eadem, qua induerat impietate, nec Regis,
De Chesne Hist. Fran. T. 1. pag. 602. 605. quàm Dei fidem religiosiùs coluit: *Clericatum abjicient, ad mulierem ut canis ad vomitum, post sacrum redient, &c. Quia dereliquerat fidem & Deum, contra terrenum dominum etiam apertum se prodidit adversarium.* Nec idem certè sentiendum de fratre Clodovæi II. Regis, cui capillos inciderunt aulici adulatores, quasi gratiam à Rege inituri; qui factum tamen detestatus est, jussitque fratrem suum in San-Dionysiano Monasterio demorari, *donec crinem, quem amputaverunt, enutriret.* Aliquantis pòst annis regius juvenis sceptro potitus est Regni. Refertur id & ab Adone in Chronico: *Franci Danielem quendam Clericum post abjectionem Tonsuræ, in Regno stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant.* Zacharias Papa in responsione ad articulos à Pipino Majore Palatii propositos anno 748. quorum unus hic erat: *De Clericis & Monachis non manentibus in suo proposito:* respondit stabilitatem ex Concilii Calchedonensis Canone Monachis Clericisque esse pernecessariam.

VI. In Hispania defectionis suæ facinus luebant Clerici apostatæ per pœnitentiam, antè peragen-
Conc. Hispal. 2. c. 3. dam, quàm suis redderentur functionibus. *Desertorem Clericum cingulo honoris atque ordinis sui exutum, aliquo tempore Monasterio deligari convenit, sicque postea in ministerio Ecclesiastici Ordinis revocari.* Si ut desertores pœnas dabant Clerici, qui ab una Ecclesia ad aliam deficiebant, quantò detestabiliores erant, qui prorsus deficiebant à quacunque Ecclesia? Si terrenæ permagnum erat dedecus desertæ
Can. 55. militiæ, quantum cœlestis? Concilium Toletanum IV. ne iis quidem, qui infantes Clericatui à parentibus mancipati sunt, potestatem facit ei renunciandi, aut sæculari se vitæ reddendi. *Non aliter & hi, qui detonsi à parentibus fuerint, aut sponte sua amissis parentibus se ipsos religioni devoverunt, & postea habitum sæcularem sumpserunt, iidem à sacerdote comprehensi, ad cultum Religionis, actâ prius pœnitentiâ, revocentur. Quod si converti non possunt, velut apostatæ anathematis sententia subjiciantur.* Ea vox *Religionis,* tum Clericali competebat professioni, tum Monasticæ, quibus non multum interponebatur discriminis, quoad stabilitatem, obedientiam & regularitatem. Ejus rei suppetit & aliud argumentum ex eodem Concilio, quo jubentur vagi & discursantes, seu Monachi, seu Clerici, qui verè nec Monachi sunt tamen, nec Clerici, sed utrique proposito indecores, compellantur posthac indissolubili nexu Clero, vel Cœnobio adhærescere, ut quod semel professi sunt, constantissimè deinceps servent. *Religiosi propria regionis, qui nec inter Cle-* Can. 53.
ricos, nec inter Monachos habentur, sive hi qui per diversa loca vagi fuerint, ab Episcopis in quorum conventu commanere noscuntur, licentia eorum coërceantur, in Clero aut in Monasteriis deputati; præter illos qui ab Episcopo suo propter ætatem, aut propter languorem fuerint absoluti. Extremi porro illi, qui hic attinguntur, non habendi utique illi sunt, tanquam immunes functionum capitalium Cleri, vel Monastici instituti; sed earum dumtaxat, quæ operosiores & duriores erant, quod effœti viribus, vel grandævi jam essent, cujusmodi sunt, quos vulgò Jubilatos appellitant.

VII. Nil discriminis interponit Concilium Toletanum VI. inter perseverandi necessitatem Monachorum Clericorumque, si qui voluntariè se alterutri proposito devoverunt: sancitque ut utriusque propositi transfugæ compellantur abjectum induì rursus habitum, & Tonsura uti Clericali. *Aut* Can. 6.
si vir deditus Ecclesiæ choro, vel fœmina fuerit, aut fuit delegata puellarum Monasterio, in utroque sexu prævaricator, ad propositum invitus reverti cogatur, ut vir detondeatur, & puella ad Monasterium regrediatur.

VIII. Ingenue tamen fateri cogimur, si qui Clerici infucato amore sanctioris & asperioris propositi, ad Monasteria, & ad professionem Monasticam anhelarent, prohiberi eos ab Episcopo non debuisse; multò minus avelli potuisse, ubi professi semel fuerant. Itaque Gregorius Magnus Desiderium Galliarum Episcopum per litteras commonefecit, adeo non debuisse illum potestate abuti sua ad extrahendum Pancratium Ecclesiæ suæ Diaconum, ex Monasterio, cui se ad religiosam vitam dicaverat; ut illum priùs Clericum, pòst Diaconum suum accendere potius debuisset, ad constantissimè perseverandum in Monastico proposito, & in fuga illa omnium mundi ineptiarum, sollicitudinumque, à quibus non usquequaque expediti sunt Clerici. *Magis adhortationibus succendite, ut &c. Ut* L. 10. Ep. 39.
qui à turbulento curarum sæcularium tumultu se segregans, quietis desiderio portum Monasterii appetiit, rursum in Ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari, sed in Dei laudibus permittatur securè ab his omnibus remanere, ut postulat.



CAPUT XIII. *P. 3. l. 2. c. 3.*

Sub Imperio Caroli Magni, & Carolinæ familiæ Clerici nulli Clericatum abdicare poterant.

I. Iidem prorsus Canones Clericos Monachosque apostatas damnant.

II. Capiebantur vi transfugæ Clerici, & invitis crines attondebantur.

III. Transfugæ cælibatui astringebantur, quamvis minoribus tantum Ordinibus donati fuissent.

IV. Etiam depositi & degradati Clerici, Clericatus legibus obsequi cogebantur. Exemplum Principis Carlomanni.

V. Clerici depositi pœnitentiæ subjiciebantur.

VI. Pœna Clericorum apostatarum in Oriente.

VII. Ibidem Clerici propter scelera aliqua depositi, in habitu & tonsura Clericali esse cogebantur.

VIII. Vel illi ipsi qui nigra tantum veste ab Episcopo donati fuerant, abjicere eam non poterant.

IX. Clerici exauthorati secundas nuptias contrahere non poterant.

X. Conferuntur Justiniani & Leonis Sapientiæ Leges.

XI. Quæ persona Deo semel consecr. est fuere, non possunt ejus consecrationis reliquias omnes unquam abstergere.

XII. Variæ annotationes in eam rem.

I. POterant, ut jam semel iterumque monuimus, inferiores Clerici uxores ducere, non poterant Clericali professioni terga vertere, sæculares mores induere, sæculi ambire dignitates. In ea quidem re Capitulare Aquisgranense anni 789. nihil distare vult Clericos à Monachis, quòd perinde utrique voto & proposito suo teneantur, quod nefas & sacrilegum fuerit transilire ex Concilio Calchedonensi. Can. 16. *Item in eodem Concilio ut Clerici, & Monachi in suo proposito & voto, quod Deo promiserunt permaneant.* Paucioribus verbis idem sanxit Francofordiense Concilium: Can. 24. *De Clericis & Monachis, ut in suo proposito permaneant.* Concilio Arelatensi VI. præcipiuntur Episcopi Presbyteros Clericosque omnes fugaces perquirere, & ad Episcopos suos remittere. Can. 24. Postquam indoluit Concilium Tullense II. incredibili apostatarum multitudini, seu Monachorum, seu Clericorum ex occasione internecini Nurmannorum belli, tum præcipit Episcopis, ut conquiri & reduci eos jubeant ad Episcopos, vel Abbates suos, nil discriminis interjiciens An. 860. transfugis Monachis, Clericisve. Can. 5. *Sub hac occasione multi lascivi Clerici & Monachi, relicto Religionis habitu retro abierunt, & absque ulla canonica licentia & reverentia vagabundi feruntur. Ideoque Patrum authoritate volumus, ut talibus omnis necessitas imponatur, quatenus ad ordinationem & dispositionem Episcoporum & Abbatum suorum revertantur, & sub disciplina eorum maneant.*

II. Concilio Triburiensi placuit, ut Episcopus manus injiceret in transfugas Clericatus, comamque resecaret, si publicè in Ecclesia legissent, aut cecinissent, aut quovis alio munere functi essent: si rursum desciscerent, rursum tonderentur inviti, nec fas illis esset, vel uxores ducere, vel ad Ordines progredi superiores; Si denique tertio desciscerent, tum anathemate ferirentur, ut Calchedonensi Canone præcipitur, & in Regula Crodogangi. Can. 7. *Statuimus ut Clericus Ecclesiasticè nutritus in Ecclesia coram populo vel legens, vel cantans, si postmodum relicto Clericatus habitu, à castris Dominicis, quibus ascriptus est, profugus & apostata elabitur & ad sæculum regreditur, ab Episcopo canonicè coërceatur, ut ad sinum matris Ecclesiæ revertatur. Quòd si in hac indisciplinatione perdurat, ut comam nutriat, constringatur, ut iterum detondeatur, & postea nec uxorem accipiat, nec sacrum Ordinem attingat, &c.*

III. Movebitur forsan aliquis & minus probabit, cogi ad continentiam Clericos apostatas. Ut ergo eximatur is scrupulus, profero canonem Synodi Augustanæ anni 952. quæ Superiorum Ordinum & ipsorum etiam Subdiaconorum cœlibatu non contenta, Clericos prorsus omnes, etiam infimos, continentiæ astringi jussit, cùm primùm paulò maturiorem attigissent ætatem. *Cæteri autem Clerici,* Can. 11. *quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes, ad continentiam cogantur.* Regula Crodogangi non omnem amputat nuptiarum spem desertoribus Clericatus, sed vetat ad militiam, aut sæcularem quancunque dignitatem promoveri. *Qui semel in* Cap. 57. *Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetierunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam.* At Ratherius Veronensis Episcopus, non obscurè declarat, non posse parentes, quos semel filios Deo devoverint, terrenas iis postea meditari & parare nuptias, nisi ut sacrilegio se gravissimo coinquinent, qui hostiam suis Deo manibus oblatam ita contaminatum eant. *Cùm quilibet filium suum ad Clericatum adduxit, videtur quod, uti & facit, sæculo illum auferat, & Deo* Spicil. To. 2. pag. 138. *eum tradat. Unde cum antea lege ipsa deberet vivere, qua vivit Respublica, postea lege vivere incipit canonica. Et uti primitus ad Reipublicæ pertinebat Præfectum, ita post ad Ecclesiæ attinet Prælatum, hoc est Episcopum legaliter institutum. Quod cum ita sit, qui filium suum Ecclesiæ mancipat, canonicè Domino militaturum, & postea sæculare illi adquirit conjugium, perspicuè cernitur, quod eadem manu eum Domino auferat, qua illum Deo ipse tradiderat, & ablatum Ecclesiæ reddat, probi nefas Curiæ.*

IV. Enitescet etiam dilucidè, quæ tum impendebat ineluctabilis necessitas perseverandi in Clericatu, ex sævitia Conciliorum in eos qui canonico judicio abdicati fuerant & depositi, atque in Laïcorum quodammodo sortem dejecti. Memorandum cum primis ejus rei exemplum extat in Carlomanno Principe Caroli Calvi Imperatoris filio, qui ad Diaconatus Ordinem primùm evectus, postea ob enormia quædam flagitia in Concilio Sylvanectensi exauthoratus, *Deponentes illum ab omni gradu Ecclesiastico, laïca sibi communione servata:* blandiri sibi cœpit, quasi hac degradatione in laïcorum sortem & licentiam restitutus fuisset: ideoque cum conjurationis suæ consortibus etiam de regni successione, vel invasione consilia agitare: *Quod liberius ad nomen & ad potestatem regiam conscendere posset, quia ordinem Ecclesiasticum non haberet: & qui Episcoporum judicio Ecclesiasticum gradum amiserit etiam tonsuram Ecclesiasticam amittere licentius posset.* Quæ altera jam rebellio à sæcularibus ju- Aimoin. dicibus morte ulciscenda visa est, eaque sententia L. 3. 29. non aliter mitigata, quàm ut nefariæ conspirationis dux Carlomannus oculis & libertate orbaretur.

V. Concilii Parisiensis VI anno 829. habiti Patres adgressi jam erant quorundam infringere Clericorum audaciam, qui insulsissima opinione imbuti erant, se semel canonica sententia degradatos, jam nullis omnino teneri legibus: non enim Ecclesiasticis, cum Clericali ordine extrusi fuissent, non sæcularibus, quòd nec ipsa degradatio expungere potuisset penitissimas pristinæ suæ consecrationis & dignitatis notas: *ut nec publicis, quia fas* Can. 33. *non est, nec canonicis, propter quorundam Episcoporum.*

Et Capitul. Carol. Mag. L. 7. c. 138

in injuriam legibus constringantur. Ne fingi quidem poterat quidquam insceitius: & tamen insana hujusmodi præsumptio nonnullos ad Clericatum alliciebat. *Et ob id quibusdam ministerium sacerdotale non divino amore appetitur, & irreverenter tractatur, & impudenter amittitur.* Itaque mox idem Concilium præcipit, ut Episcopi adeo non Ecclesiasticis legibus solutos istos habeant Clericos discinctos, ut eos pœnitentiæ etiam legibus subjiciant, & pervigiles illis, illorumque moribus & vitæ immineant. *Decrevimus, ut unusquisque Episcoporum non solum Presbyterorum, verùm etiam sequentium Ordinum Parochiæ suæ, gradum amittentium, vitam & conversationem, morumque emendationem, tam per se, quàm per ministros suos noverit, eosque canonicæ pœnitentiæ subdere non negligat.* Non infrequens id quoque in antiquis Conciliis, ut Presbyteri gradu suo moti, ad pœnitentiam publicam peragendam constringerentur. Ad id laudatur ab hoc Concilio Canon Neocæsariensis.

Tit. 9. c. 29.

VI. Congessit in suum Nomocanonem Photius Imperatorias leges, quibus statuitur, ut Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, qui ad carnales nuptias defluxerint, non Ordine tantùm & gradu sacerdotali priventur; sed & eorum bona Ecclesiastica ærario inferantur, nec ad qualemcumque eorum partem liberi nefaria ea copula nati unquam adspirare possint. Si Monachus ad minores Ordines extollatur, conjugari non potest; si id ausit, deponitur, & à quacumque publica dignitate proscribitur. Denique Diaconissæ, si vel conjugio, vel quavis criminosa libidine contaminent fidem & continentiam in ipsa ordinatione sua desponsam, ipsæ quidem mortis supplicio, bona earum Ecclesiæ fisco addicuntur; ipsi quoque sacrilegæ contaminationis earum consortes morte luunt, eorumque res inferuntur in ærarium Principis. Miratur Balsamon, eccur non observetur tam æqua lex, ut quarumcumque dignitatum civilium & militarium spe exturbentur, qui sacris ab Ordinibus depulsi fuerint. Eædem verò Imperatoriæ leges ad Curialium sortem calamitosam deprimebant Clericos, Monachosque, qui Ecclesiasticæ militiæ sæcularem armatamque præponebant.

Ibid. c. 32.

Can. 21.

VII. In Concilio Trullano statutum fuerat, ut Clerici depositi, in veste & Tonsura Clericali esse adhuc possent, si modò crimen pœnitentiæ lacrymis extersissent: alioqui crines promittere cogerentur. Ex adverso autem Leo Imperator statuit, ut qui deponerentur propter conjugia post ordinationem inita, veste nihilominus & Tonsura Clericali uterentur, nec à Clericatu possent desciscere. Legis hujus Canonisque superioris discordiam tam manifestam, non desperavit tamen Balsamon conciliari posse. Ita ergo ille constituit, agere Canonem de iis quos criminum suorum enormitas dejecit; at legem conjugia tueri, ideoque conjugatis hic Clericis & postea depositis, permittere eas functiones, quæ extra Sanctuarium exercentur.

In Can. 33. Trull. Item in Can. 24. Synod VII.

VIII. Fuisse dicit Balsamon, quibus videretur, non statim Clericos esse, qui essent attonsi, ideoque posse eos laïcorum se turbis immiscere: sed se procul esse ab ea sententia: *Audivi dicentes, eum non esse Clericum, qui solam habet tonsuram; & ideo ei licere in laicalem habitum transmutari. Quod mihi quidem non videtur.* Sententiam verò suam præsidio munit Synodi VII. sed ulteriùs etiam rem urget. Censet enim eos qui vel nigram vestem de manu Episcopi susceperint, ut aggregentur Clero, non posse amplius eam à se vestem abjicere, qua se Deo consecrarint, & irrevocabiliter affixerint sacræ professioni. Verba ipsa Balsamonis proferemus capite sequenti. Narrat & alibi Balsamon, quanquam cavisset Justinianus ne Lectores ordinarentur nisi anno ætatis decimo-octavo: si ordinaretur ab Episcopo tenellus puer, νήπιος, non esse necesse ut rursum ordinetur anno ætatis decimo-octavo. Alioqui eo intervallo potuisset reddere se sæculari vitæ, quod perridiculum est. *Si datum fuerit, eum rursus characterem accipere debere; itaque quòd primus character non possit subsistere, ei licebit ante secundum, in laicum transformari. Quod est absurdum.*

In Can. Carth. 93.

IX. Animadvertit denique Balsamon, ut non sinebat Basilius Diaconissas nubere, etiam postquam exauthoratæ fuerant: quòd semper constaret earum corpus castitati consecratum fuisse: *Nos Diaconissæ corpus, ut consecratum, esse in usu carnali non amplius permittimus:* ita nec per Canones fas esse Clericis depositis, conjugio se iterum implicare: *Etiamsi semel sacerdotium renuntiaverint, corpora sua, quæ sunt semel Deo consecrata, prohibebuntur secundis nuptiis profanare.*

Can. 44. Epist. Basil. ad Amphil.

X. Discrepare mirum in modum Justiniani & Leonis Philosophi Imperatorum Novellas docet Jus Orientale. Prohibebat Justinianus, ne abiret quisquam Clericatu: non alia tamen sanctissimi ejus propositi transfugas afficiebat pœna, quàm ut civilibus omnibus careret in posterum honoribus, dignitatibusque, & curialium servituti manciparet, quæ ærumnosa usque adeo erat, ut non pauci ejus declinandæ causa Clericatum ambirent. *Nemo Clericatum suum relinquens, sæcularis fiat: nam & dignitate, militiave quam adeptus est, nudabitur, & municipii sui Curiæ tradetur.*

Iuris Orien. pag. 33.

At Leo Clericos Monachosque cogebat abjectas induere rursum vestes, & priori se instituto reddere. *Novella* VII. *&* VIII. *Leonis Clericos atque Monachos, qui habitum mutarunt, & laici facti sunt, etiam invitos habitui pristino restitui præcipiunt.* Hic ipse Leo Novellas revocans Justiniani, quæ sæculari vitæ & conversationi permittebat Clericos majores, qui illicita amplexi essent conjugia: sancit ut cogantur in veste & tonsura esse Clericali, utque Clericalibus etiam ministeriis fungantur, quibus hinc nihil dedecoris imprimatur. *Ab Ordine quem ante nuptias obtinuerint, solùm recedentes, satis pœnarum luere videantur, & nequaquam Clericali habitu, aliove Ecclesiæ ministerio, cujus quidem usus illicitus non est, judicio priventur.*

Novell. 7. 8. Ibid. p. 494. 495. Juris Orient.

Leonis Novell. 79.

XI. Ea autem ratione suam Leo Constitutionem illustrat, quæ illi omnino sit consentanea sapientiæ, ex qua etiam nomen illi inditum Philosophi. Docet enim nunquam profanari & plebeiis usibus inquinari debere, quod semel Deo dicatum fuerit: idque scrupulosiùs multò servari debere in hominibus, quàm in rebus iis, quæ vitæ & rationis expertes sunt. *Quæ semel Deo dicata sunt, ea deinceps auferri non oportere sancitum est; idque non in donariis solùm, verùm multò magis in hominibus, qui per sacrum Ordinem divinæ Majestati consecrati sunt.* Quod refertur autem à Cedreno de Presbytero apostata, qui Imperatorii exercitûs dux constitutus fuit, argumento id quidem est, tam præclaris legibus nec Principes ipsos semper obsecutos fuisse.

Ibidem.

Cedrenus. pag. 781.

XII. Nec leviter hic & perfunctoriè prætereunda est illa Zonaræ observatio in Canonem XXI. Concilii Trullani. Nempe eo Canone, ut & aliis quammultis, prohiberi Clericus depositus & im-

pœnitentes, ne tonsura aut veste utantur Clericali; non quò liberum jam & impunè illis sit in sæcularis vitæ sordes & nequitias revolvi: sed ut eo saltem dedecore ad pœnitentiam serio complectendam stimulentur. *Ut cùm se antea Sacerdotem aut Diaconum, nunc in Laicorum ordines relatum, non sine rubore animadvertat, ita demum se ipse colligat, mentemque à flagitio evocatam ad saniora consilia prorsus convertat.*

Jo Can. Apost. 42. Postremò denique contestatur Balsamon, si Canone Apostolico detruduntur in laicorum classes Clerici ii, qui Gentilium persecutionibus fatigati, Clericatum ejurarint: multò æquius esse, ut eadem mulctentur pœna, qui Clericali se exuerint veste, uno sæcularium cupiditatum æstu incitati: interdicanturque omnibus Ordinum functionibus, quamvis ad Clericatum postea redierint, vel Monasticam appetierint vestem.

Invaluit tandem aliquibus in Provinciis ea consuetudo, ut Monasteriis includerentur Presbyteri exauthorati, ut ibi pœnitentiæ se dederent. At inde illud perspicuè patet, Clericis quibuscumque Ordine & gradu suo deturbatis, nequaquam licuisse sæcularis vitæ licentiam illecebrasque sectari. Audienda hic verba Concilii Cabilonensis II.
Can. 40. anno 813. *Dictum nobis est Presbyteros propter suam negligentiam canonicè degradatos sæculariter gradu amisso vivere, & pœnitentiæ agendæ bonum negligere. Unde statuimus, ut gradu amisso agendæ pœnitentiæ gratiâ in Monasterio, aut canonico, aut regulari mittantur.*

CAPUT XIV. *P. 4. l. 2, c. 5.*

An postrema hac ætate post annum Christi millesimum liceat Clericatum abdicare.

I. Varia Conciliorum Pontificumque Decreta, quæ non sinunt Clericatum semel amplexos, ab eo resilire.

II. Resiliebant à Clericatu, vel promittendis crinibus, vel corona abjicienda, vel sæculari induenda veste.

III. Quæ Ecclesiæ in hoc & doctrina & disciplina. Vuillelmi Parisiensis sententia. Decreta posteriorum Tarraconensium Conciliorum.

IV. Posterioris hujus ætatis Concilia in id collimarunt, ut ne jam Clero adscriberentur, nisi qui pietatis castissimæ stimulo id perciperent, certumque perseverandi propositum haberent.

V. Eodem Concilium Tridentinum collineavit, sicut & posteriores quædam Synodi.

VI. Rigidior in hac parte Navarri doctrina.

VII. Argumenta alia ex Concilio Tridentino.

VIII. Et ex Conciliis Mediolanensibus S. Caroli.

I[illegible] Solvuntur objectiones.

[illegible]oderna Græcorum in hoc Consuetudine.

I. Vestiganda jam nobis sunt, si qua supersint, in hac fæce temporum, ut loquitur Hieronymus, antiquioris disciplinæ fugientia lineamenta, ut ne extrema quidem hac ætate professum semel Clericatum liceat abdicare. In Concilio Bituricensi à fidelium communione abscissi sunt Monachi apostatæ; Clericatûs verò desertores à communione Clericorum: *Ut Clerici Clericaturam suam dimittentes, ab aliis Clericis separentur,*
Can. 23. 24. *&c.* Concilium Remense anni 1049. ubi Leo IX.
Can. 8. præsidebat, prohibuit, *Ne quis Monachus, vel Clericus à suo gradu apostataret.* Ubi apparet etiam tunc post annum Christi millesimum, strictissimæ fuisse observantiæ Clericalem, perinde ut Monasticam stabilitatem, quanquam conjugii copia fieret minoribus Ordinibus.

Anno 1059. in Synodo Romana Nicolaus II. de-

cretum promulgavit, quo eliminabantur ab Ecclesiæ communione desertores omnes Clericatûs, donec primævæ se suæ professioni restituissent. *De his* Epist. 8.
autem Clericis, qui tonsuram projiciunt, & à Clericatu recedunt, quos apostatas Julianistas jure vocitamus; statuimus, ut nisi ad professionem Clericatûs redierint, omni Christiana communione priventur. Eadem mox feriuntur pœna Monachi apostatæ. Porro desertoribus istis, ut videt, non infamia tantùm inurebatur apostasiæ, sed & infandum illud dedecus & probrum, quasi Julianum apostatam, Clerique & Christiani nominis simul desertorem imitarentur.

In Concilio Rotomagensi anni 1072. præcipitur, ut *Qui coronas benedictas habuerunt & reliquerunt, usque ad dignam satisfactionem excommunicentur.* Can. 12.
At anni 1074. rursus Rotomagense Concilium vetuit, ne Clerici discincti & depositi possint more laicorum lascivire, ambire dignitates, militare.
Ne hi qui culpis urgentibus ab Ordine suo depositi, Can. 12.
quasi ab omni Clericatu liberi, militent sæculo more sæculi. In Concilio Juliobonensi anni 1080. apostasia Clericorum Monachorumque inter illa flagitia adscripta est, quæ Episcopo uni solvenda servantur. *Si Clericus coronam suam dimiserit, si Mona-* Can. 24. 25.
chus, vel Monacha habitum suum dimiserint.

II. Hinc palam fit, Clericorum apostasiam prodiisse se primùm ex contemptu & fastidio coronæ vestisque clericalis. *Ut Monachi, vel Clerici, qui* Can. 11. 12.
Ordinem suum abjecerunt, aut redeunt, aut excommunicentur. Ut Clerici patentes coronas habeant. Verba hæc sunt Canonis Concilii Londinensis anno 1102. In Concilio quoque Tolosano anni 1119. anathemate feriuntur Clerici, qui coronas obduxerint, barbamque aluerint, quòd ea sint veluti præludia & prima quædam apostasiæ tentamenta. *Si quis Ecclesiasticæ* Can. 10.
militiæ titulo insignitus, Monachus, vel Canonicus, aut quilibet Clericus, primam fidem irritam faciens, retrorsum abierit, aut tanquam laïcus comam barbamve nutrierit, Ecclesiæ communione privetur, donec prævaricationem suam digna satisfactione correxerit.

Postea verò apostasia Clericorum designari cœpit ex clericalis vestis fastidio & abjectione. Tunc ut reor, breviores vestes braccæque abjecta toga inter laïcos frequentiores esse incipiebant; unde prælonga & unicolor vestis propria tandem & peculiaris facta est Clericorum. Alexandri III. hujusmodi sunt verba: *Clerici qui relicto Ordine Cleri-* C. Præterea.
cali & habitu suo, in apostasia tanquam laici conver- De Apostat.
santur, &c. Iisdem penè verbis utitur Innocentius III. ut eam describat apostasiæ fœditatem: *Quod*
Clerici qui sunt de apostasiæ crimine infamati, qui vi- C. Tua. ibid.
delicet abjecerunt habitum Clericalem, non sunt in sæculari habitu tolerandi, &c.

Ipse Decretalium compilator Raimundus de Pegnafort eam quæstionem attigit, an semel attonsus in Clericum possit resilire & comam alere. Negat autem id constantissimè, propterea quod sacri Canones anathema intorqueant in eos qui ita resiliunt à Clero, comamque relaxant: vibrari autem telum anathematis non soleat, nisi in gravia flagi-
tia. *Quid si aliquis accepit primam tonsuram tantùm,* Summa l. 1.
numquid potest eam deserere? Credo quod non, quia pag. 50 51.
Clericus. & Clericus quilibet compellitur per anathema vivere clericaliter: & si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit. Addit porro, si Clericus minorum Ordinum uxorem duxerit virginem, officii ejus esse, ut Tonsura semper Clericali utatur, legat, psallatque in Ecclesia, clericalem vitam & consentanea Clericis studia sectetur: *Adhuc tenetur de-*

ferre coronam, & cantare in Ecclesia, & clericaliter vivere. Si quibus autem se vinculis innectat, quæ Clericatui repugnent, exempli gratia, si viduam ducat, vel ejusmodi quid, Clericato cum exui debere. Itaque non ille tum abibat Clero, sed illum Clerus abigebat. Hæc prisca utique erat Disciplina, quæ peritissimum hunc Decretalium Consarcinatorem præterire non potuit.

Sed ibidem mox ille subjicit eam quæ tunc gliscebat consuetudinem, & prioris disciplinæ immutationem, ut ne amplius ad perseverandum in Clero cogerentur ii, qui Clericali orbari privilegio non abnuerent; sed solis ea Beneficiariis necessitas indiceretur, *Et hoc verum est nisi in tribus casibus. Unus est si ipse nullo modo vult retinere privilegium Clericale. Alius si non potest ferre coronam absque scandalo uxoris: quod intellige, si non habet Beneficium Ecclesiasticum; quia tunc omni modo deberet portare. Tertius est cum justa causa timoris exigit tonsuram, vel habitum transformari.*

III. Ergo ne dubitari quidem potest, 1. Quin usque ad tempus ineuntis sæculi XIII. Clerici omnes, perinde ut Monachi stabilitatem profiterentur, & servare compellerentur. 2. Quin iisdem pœnis desertores Clericalis, atque Monastici instituti obnoxii fuerint. 3. Quin Apostatæ jam tum haberentur Clerici, cùm primùm Tonsuram & vestem Clericalem abjicerent. 4. Quin ne ii quidem, quos crimina suo gradu moverant, sinerentur laicali more vivere, & Cleri legibus illudere. 5. Quin ea disciplina ositatissima adhuc foret, si Decretalibus his Pontificiis, quibus hodiernum constat jus Canonicum, mores praxesque consentirent.

Locupletissimus testis est Vuillelmus Parisiensis, apostatas suo etiam ævo haberi solitos, qui à Clericatu deficerent. *Sicut apostasia Monachum præcidit ex toto à Monachatu, ita ut de Monacho non habeat nisi solum characterem Monachalem, & vincula votorum, quibus astrictus est ad hoc, ut sit verus Monachus. Ita Clericus apostata à Clericatu suo, vel Canonicatu non habet nisi characterem clericalem, & obligationem, qua obligatus est ad hoc ut sit Clericus, vel Monachus veri nominis.*

De Collat. Benef. c. 5.

In Concilio Tarraconensi anni 1338. cautum est, ne Tonsura clericali insignirentur, nisi ii qui proposuissent ad sacros aliquando Ordines provehi. *Prima tonsura nemini conferatur, de quo non sit verisimile, quod intendat ad sacros Ordines promoveri.* Hoc demum temperamento uti visum est: Clerici deficiunt ab ea stabilitate inviolabili, qua olim & Clericatus & minores Ordines continebantur: at Ecclesia ipsa instituti sui retinentissima, ordinare, immo & attondere abnuit, nisi quos in sancta professione perseveraturos non temere præsumitur.

Const. Conc. Tarrac. l. 1. T. 6.

Aliam iniit viam Concilium Tarraconense anni 1367. ad colorem aliquem veteris disciplinæ retinendum. Qui pacifice Canonicatum possedissent anno integro, eos à Clericatu postea deficere pati amplius noluit: quasi expleto noviciato annuo Professionem clericalem ipsa perseverantia professi essent: si postquam autem ætatem attigissent Subdiaconis necessariam, eo se initiari ordine non curarent, protinus illos Canonicatu spoliavit. *Statuimus ut quicumque de cætero in Canonicum Cathedralis Ecclesiæ assumptus fuerit, ne à statu retrocedere valeat Clericali, infra annum à die pacificæ possessionis adepta computandum. Postquam ad legitimam ætatem pervenerit, ad Ordinem Subdiaconatûs saltem, legitimo impedimento cessante, se faciat promoveri. Aliàs ex tunc Canonicâ sit ipso jure privatus.* Idem innovatum est statutum in aliis Tarraconensibus Conciliis anno 1370. & anno 1424. Hic ergo spectatur Capitulum Cathedralis Ecclesiæ tanquam Congregatio quædam Regularis, ubi qui primus degitur annus, is loco noviciatus habetur, quo expleto, jam nefas resilire.

Ibidem.

IV. At verò cum posteriora & finitima nobis duo hæc sæcula, plurimum studii, operæque, & industriæ posuerint, ut reflorescerет tandem aliquando primæva priorum Ecclesiæ sæculorum disciplinæ sanctimonia, posteriora quoque Concilia in eo egregiè laborarunt, ut animi illa & intentionis puritas reviviscеret, qua se olim Clerici, perinde ut Monachi, non alia mente aut voluntate sacro Ordini sacrisque ministeriis initiari cupiebant, quàm ut totam quanta quanta foret vitam in eo pietatis stadio consumerent. Concilium Coloniense anni 1538. Episcopos cohortatur, ut explorent id maximè, quo se quisque consilio, qua voluntate, quo fine, vel attonderi cupiat, vel ordinari. *Quo affectu & proposito accedant ordinandi, videndum, accuratèque investigandum est, num videlicet Dei causa tantùm, an potius suæ commoditatis gratia, ad Ordines capessendos aspirent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.* Concilium Bituricense anni 1584. absolute pronunciavit, restituendos esse fructus reditusque Beneficii, quo quis solo maximè redituum temporalium amore indui expetiisset. *Qui Beneficia Ecclesiastica solius temporalis proventûs gratia suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.* Concilium Burdegalense anni 1583. Tonsuram dari cuiquam prohibuit: *Qui ex conjectura probabili existimabitur ob alium finem, quam ut Deo fidelem & perpetuum cultum præstet, hoc genus vitæ elegisse.* Concilium aliud Burdegalense anno 1624. cavit, ne Tonsura donarentur posthac pueri, nisi annos duodecim nati, qua ætate certius & velle, & testificari possunt se velle totum vitæ curriculum Deo & sacris altaribus impendere: nisi item tum Parochi, tum Ludimagistri de puerorum voluntate testatum facerent; tum verò assignandos certæ alicui Ecclesiæ juniores hos Clericos, ubi festis & Dominicis diebus in Clericali veste sacris interessent Officiis; si ea qua par esset assiduitate, hæc pietatis rudimenta obirent, tum Tonsura donarentur, & Ecclesiæ uni affigerentur, ut Presbyteris dicto audientes essent, clericalem habitum gestarent, sacris ritibus imbuerentur. *Gestet quotidie habitum clericalem, sacerdotibus pareat ad nutum, [illegible] Ecclesiasticos discat.* Si postea verò clericalem [illegible] jicerent vestem, vel Officiis se sacris subducerent: ex hinc exortes declararentur & Ordinum, & Beneficiorum quorumlibet.

Part. 1. Can. 21.

Tit. 96. c. 2.

Con. 14.

Can. 6 n. 2.

In Hispania Concilium Toletanum anni 1566. Tonsuram clericalem conferri noluit, nisi Beneficiariis, & iis qui, *in via ad majores Ordines suscipiendos versari videantur.* Idem statuit Franciscus Gondius Archiepiscopus Parisiensis, ut ne Tonsura concederetur, nisi iis, quos non vana spes esset utiles fore, & in sacris Ordinibus strenuè aliquando militaturos.

Synod. Paris. p. 456.

V. In Concilio Tridentino innovata quidem & in usum revocata non est prisca illa Canonum disciplina, ut nefas sit Clericatum semel susceptum abdicare. At si sedulo servarentur, quæ providentissimè in eo sancita sunt, tam raræ nunc essent hoc genus defectiones Clericorum, quàm olim fuerunt beatis illis politioris disciplinæ sacræ sæculis. Si

plures non insererentur Clero, quàm quos vel utilitas Ecclesiæ, vel necessitas deposceret: si quam primùm attonderetur quis in Clericum, manciparetur Ecclesiæ certæ, cui se se injussu Episcopi subducere non posset: si minorum Ordinum functiones, nec sine certo veluti Beneficiorum fructu, redintegrarentur: si quàm cautè hæc provisa sunt, tam sanctè observarentur: non oberrarent tot vagi, totque cupiditatum servi Clerici: qui Clericalem non ineunt stationem, nisi ut tum exeant, quando eos oblata lucri, vel honorum spes invitarit.

Inde est, quod Synodus apud Noceram habita declaravit, Clericos, qui à Clericatu semel descivissent, ad eum & ad Ordines fore ut nunquam deinceps possent revocare gradum, utque graves arbitrio Episcopi pœnas darent. *Ut qui Clericalem habitum Episcopi authoritate susceptum, eo inconsulto deposuerit, non solum graves ejusdem arbitrio pœnas luat, sed sciat etiam se omni spe ulterius in ordinibus progrediendi, aut eundem habitum obtinendi cariturum.* [*Hallier. De sacris electionibus p. 135. 236.*] Præcepit Tarentina Synodus, ut consilii & propositi castimoniam, & intentionis suæ puritatem Sacramento confirmarent omnes ante Tonsuram.

VI. Navarrus porro in ea ipse quidem versatur sententia, idem Sacramentum exigi debere ab iis omnibus, qui Tonsura, vel minoribus initiantur Ordinibus, In ea se certissimè esse voluntate eluctandi aliquando ad sacros Ordines, ac proinde constantissimè perseverandi in clero. [*De horis Canon. cap. 7. n. 15.*] *Sequitur magna laude dignos esse Episcopos, qui primam Tonsuram & quatuor minores non conferunt, nisi ei, qui per se si fuerit adultus, aut per parentes, si puer juraverit se velle ad majores legitimo tempore ascendere, &c.* Quin & mox vehementius ita invehitur idem Navarrus: [*Hallier. De sacr. elect. pag. 134.*] *Sequitur compluribus, qui prima Tonsura aut quatuor minoribus initiantur, satius fore ipso Ordinationis die frangere crura, quam prima Tonsura, aut quatuor minoribus ordinari; tum propter proximè dicta, tum quod non se ordinant ad finem debitum, nimirum ut serviant Deo in Officiis Ecclesiasticis, quandoquidem non intendunt initiari sacris, aut munera sacra, ut tales subire, &c.*

VII. Ubi sanxere Tridentini Patres, necui minores committantur Ordines, nisi probabilis affulgeat spes, ad superiores aliquando progressurum: [*Sess. 23. Can. 11.*] *Nemo iis initietur, quem non scientia spes majoribus Ordinibus dignum ostendat:* Satis apertè prodiderunt neminem ingerere se debere, vel Tonsuræ, vel Minoribus Ordinibus, nisi secum ipse certo statuerit ad superiores se Ordines conscensurum, cùm Ecclesiæ utilitas jusserit, vel cœlestis vocatio non levibus significata documentis invitarit. *Cum hinc ad altiores gradus, & ad sacratissima mysteria sit ingressus.* Hæc constantissima priscorum Canonum Patrumque & sibi consentiens doctrina; posse Ordinem quemlibet sacrum haberi deligique ut tutam stationem, in qua consistere & defigi possint Clerici, nec ulteriora incrementa meditari: at inferiores Ordines non esse, nisi vias & grados ad superiores: ita neminem iis inhiare, aut donari debere, nisi ut ad superiores per eos evehatur: atque adeo nisi ea sit voluntate, ut ab hac sanctitatis professione nunquam recedat. Non aliud enimvero sunt minores Ordines, quàm sacra veluti quædam tyrocinia, quibus fingantur & præformentur, qui ad Sacerdotii culmina aliquando promovendi sunt. Atquis nisi valde vecors dubitet, quin Tyrocinia & Novitiatum quisquis init sacræ religionis, eum necessariò cupere debere, ut religioni eidem se totum totamque ætatem impendat? Quin idem ipsum Concilium dum de Seminariis agit, vetat ne juniores Clerici eo admittantur, nisi perseveraturi in sacro instituto præsumantur. *Quorum indoles ac voluntas spem afferat, eos ministeriis Ecclesiasticis perpetuò inservituros.* [*Ibid. c. ult.*]

VIII. Concilium IV. Mediolanense sub beato Carolo statuit, ut quisquis accederet ad Tonsuram postulandam, contestaretur, *se esse se in Clericalis Ordinis disciplina permansurum:* idque ut similiter tum Parochus, tum ille testaretur dux & rector spiritalis, cui ejus curam mandaverat Episcopus, cùm primùm resciverat pium ejus de profitendo Clericatu propositum. *Hoc vero testimonium à Parocho, aut ab eo sacerdote habeat, cui ab Episcopo in disciplinam traditus est, postquam Clericalis ordinis suscipiendi animum voluntatemque ei patefecit.* [*Acta Eccl. Med. pag. 144.*]

IX. Si nobis objiciatur *Caput Præterea de Apostatis* in Decretalibus Gregorianis, nec non & *C. primum, De Digamis, & C. 1. de Clericis Conjugatis* in Sexto, ubi videntur Pontifices copiam fecisse desciscendi à Militia Clericali; respondebimus, ita quidem forsan Canonistas existimasse, sed non satis perpendisse, eas potius fuisse pœnas, quæ decernerentur adversùs Clericos conjugatos, qui Tonsuram vestemque non gestarent Clericalem, & qui ideo exuerentur exemptionibus & privilegiis Cleri: itemque adversùs bigamos, qui veste & tonsura interdicerentur. Atqui permultum hæc inter se distant, permittere, ut à Clericatu quis desciscat: levi pœna ferire eum, qui desciverit: & bigamis tonsura atque habitu Clerici interdicere. Ad hunc sensum deflexæ hæ Decretales, cum superius laudatis facilè concordabunt, alioqui mirum quantum diffidebunt.

Simillimum tamen veri est, hinc ortam Clericalis stabilitatis labem; quòd post excitatos variis argumentis Clericos, ne sacra hac statione abirent; post levioribus pœnis animadversos eos, qui nihilominus desciverant: eò tandem ventum sit, ut desertores privatione tantum immunitatum Cleri plecterentur. Pœnas temperavit Ecclesia, non licentiam deficiendi indulsit: Clerici apostatæ hinc se jam liberos & solutos esse gratulati sunt, dum pœnas has subirent. Non me præterit tamen impunè deficiendi à Clero initium ductum fuisse à Clericis conjugatis, & lege pluribus in regnis promulgata, eos deinceps privilegiis Clericatus spoliatum iri. Id videtur Innocentius III. insinuasse in Epistola Decretali ad Episcopum Pictaviensem, *C. Joannes, De Clericis Conjugatis.* En ipsa ejus verba. *Quoniam igitur idem etiam tonsuratus non potest privilegio Clericali gaudere, mandamus quatenus ipsum super tonsuratione hujusmodi non molestet, dummodo nullum percipiat Beneficium Ecclesiasticum, cujus ratione teneatur Clericalem deferre tonsuram.*

X. Concinit adprimè antedictis Græcorum doctrina & consuetudo. Balsamon vehementer iis repugnat, qui sola tonsura ab Episcopo collata non statim Clericum quemquam fieri opinabantur, nisi & ordo simul aliquis conferretur: ideoque posse eum impunè, etsi attonsum, *Laicorum habitum, amictumque accipere.* Apud illos etiam quos oppugnat Balsamon, in confesso erat, non posse post minores Ordines ad sæcularem rediri vitam; de sola tonsura & veste Clericali controversiam faciebant. At Balsamo ultra provehitur, contenditque sola Clericali veste de manu Episcopi suscepta, profes-

fessionem clericatûs irrevocabilem emitti, sicut & susceptione habitûs Monastici: ita ut jam non posset quis à clericatu abire. *Mihi autem videtur, quod qui etiam nigris simpliciter vestibus fuerit indutus ab Episcopo, ut Clericus fieret, amictum amplius mutare non potest, ut qui Deo consecrari proposuerit, & ideo nec suam Deo pollicitationem rescindere, nec sanctum habitum ludificari, artificum scenicorum instar, possit, quod sæpè etiam de Monachis dixi.* Apertissima est autem hæc Monasticæ vestis comparatio. Constat enim non potuisse quemquam, qui Monasticum semel gestasset habitum, in veste postea laïca conspici. Teste idoneo Lanfranco Cantuariensi Episcopo. *Canones Decretaque sanctorum Patrum eos qui vestem Religionis aliquot diebus in conspectu hominum deferunt, ad sæculum quocumque modo postea redire non sinunt.*

In Can. 34. Synod. VII. — *Epist. 26.*

Redeo ad Balsamonem, qui alibi docet, ut jam à nobis animadversum est, ex Canone Synodi VI. ob facinus aliquod suum exauthoratos, si seriò pœnitentiæ incumbant, Tonsuram & vestem Clericalem recipere posse: Novella Leonis Philosophi deponi Clericos, qui post ordinationem conjugia ineunt, sed non exui clericatûs veste, nec sacris muniis extra Sanctuarium: denique alia ejusdem Imperatoris Novella præcipi, ut compellantur Clericalem vestem repetere ii, à quibus abjecta est.

In Can. 21. Synod. VI.

An ad nutum Episcopi Beneficiarii possent amoveri.

CAPUT XV. *P. 1. l. 2. c. 4.*

Summoveri à Beneficiis Clerici non poterant per priora quinque sæcula.

I. II. Eò stabile & inconcussum est Episcoporum Imperium, quò legibus justitia & charitatem temperatur.

III. IV. Probationes ex Paulo, & ex Concilio Nicæno.

V. VI. VII. VIII. Probationes aliæ ex Conciliis Antiocheno & Sardicensi.

IX. Canones hi omnes jubent, ut canonico judicio agat Episcopus, atque à sententiis ejus etiam canonico judicio latatis ad Concilium appellari possit.

X. XI. XII. In Conciliis Africanis sancitum est, ut ne possit Episcopus solus exauthorare Presbyterum vel Diaconum sine aliis Episcopis: & ne minores quidem Clericos suos, nisi de iis cum Clero suo judicium instituat.

XIII. XIV. Eadem Africana Concilia concedunt, ut vel minores Clerici à sententia Episcopi sui provocare possint ad Concilium Provinciale, immo & ad Concilium Universale totius Africæ.

XV. Episcopi ipsi hos imperio suo limites circumscribendo, quasi tutela m præsidium illud muniverunt.

XVI. Eadem Concilia uni Episcopo fidem haberi noluere, in occulto cujusquam crimine.

XVII. Exemplum Apiarii Presbyteri, cui Africani Episcopi annuebant, ut ad universale Africæ Concilium provocaret, dum ne ad Romanum Pontificem.

XVIII. Quo pietatis velo obtendi posset hic eorum ordo, perinde ut Augustini.

XIX. XX. Alia exempla Augustini & Ambrosii.

XXI. Objicitur Canon Africanus, & solvitur.

XXII. De Ecclesia Græca exempla proferuntur aliqua.

XXIII. XXIV. XXV. Nova exemplorum series.

I. Declarato nexu arctissimo, quo constringebantur Clerici Beneficiariique omnes Episcopo suo, Ecclesiæ, residentiæ, muniis & officiis suis, ac denique ipsi clericatui; disceptandum jam superest, an Ecclesia similiter illis mutuo alligaretur nodo, ut non pro arbitratu & nutu possent gradu suo dimoveri. Invasit enim nec paucos, nec indoctos ea opinio, antiquæ Ecclesiæ Parochos in Episcopi potestate ita fuisse, ut pro arbitrio ejus possent aut continuari, aut transferri, aut penitus spoliari, prout Episcopus conducibilius suæ Ecclesiæ fore statuisset. Porro cùm tam splendida sit secundùm Episcopos Parochorum dignitas, non potuere illi ita toti pendere ab Episcopo, quin eadem fuerit & aliorum Beneficiariorum omnium sors & conditio.

II. Sed quo demumcumque lumine & colore hanc illustrare conati sint doctrinam, ut ea delectarentur Episcopi, qui summa authoritate, & ipsis legibus Canonibusque superiore donarentur: si propiùs res introspiciatur, & si vacet antiquorum medullam Canonum altiùs penetrare; constabit contrariam sententiam non æquitati tantùm, sed & veritati magis consentaneam esse: eaque adjici Episcopis authoritatem tantò majorem, quantò firmiorem; tantòque firmiorem, quantò æquiorem & suaviorem; tantò æquiorem autem & suaviorem, quantò legibus & Canonibus superstructam. Ut æterna quippe & incommutabilis est legum justitia, ita & æternitatem inconvulsamque communicat stabilitatem iis vel Principibus, vel Principatibus, quos regit. Quibus paulò perspicaciores sunt oculi mentis, quam corporis, illis in legibus omnibus positivis, maximè Ecclesiasticis, occurrunt radii quidam, ac splendores ex æterna & incommutabili lege in eas defluentes. Sed utcumque res habeat, nativa, inconcussa & incommutabilis ea lex est, Imperium omne legibus regi: legibus subesse debere eos, quibus subsint omnia; & quantumcumque sibi quis arroget authoritatis culmen, fastigio leges sedere longè eminentiore. Imperium Episcopale summum erit, etsi infra Canones & infra leges sit. Dei unius voluntas nulli præterea legi subjicitur, quia lex legum, lex justitiæ, & justitia ipsamet est.

III. Vetat Apostolus ne Presbyteri accusatoribus aures accommodet Timotheus Episcopus, nisi idoneis testibus & testimoniis utantur. Presbyterorum ergo judices sunt Episcopi, & quidem summi judices. At vel ipsa judicis vox spem non vanam facit, judicium fore, non imperium: servitum iri justitiæ, non iræ, non affectui, non privatæ cupiditati, non voluntati denique, quæ justa ut sit, at errare potest à justitia, nisi legi justitiæ obsequatur. Summa ergo Paulus potestate Episcopos instruxit in Presbyteros, sed quæ ipsamet sit in Canonum & legum potestate, quæ ideo cæterarum omnium summa est, quia errare nescia. *1. Timot. 5.*

IV. Jubet Concilium Nicænum deponi Presbyteros, qui citra examen ordinati fuerint: vel in ipso examine nefaria aliqua confessi, ordinati nihilominus fuerint: irrita habetur hæc ordinatio, quòd præter Canones facta sit. παρὰ κανόνα. Ergo ante Episcopos ipsimet Canones damnationis sententiam in hos Presbyteros pronuntiaverant. Deponuntur in hoc eodem Concilio, quoscumque persecutionis procella dejecerat, & quamvis idolorum cultu inquinatos, ordinaverat tamen postea Episcoporum vel incogitantia, vel indulgentia, sacris Ecclesiæ legibus inimica. Supervacaneum autem esset de his leges edere, Canonesque, si totum esset positum in voluntate Episcoporum. Sed qui tandem persuadere sibi potuissent sanctissima Episcoporum Concilia, sola Episcopi voluntate in- *Can. 9.*

fligi posse depositionem, quæ ipsis quidem videbatur pœna esse tam atrox, qua enormia quæque scelera vindicarentur? Levis visa esset pœna ea, nec gravioribus sceleribus par, quam arbitrio suo in insontes sontesque Episcopis decernere potuisset.

Can. 11. V. Non excommunicationis tantùm, sed & depositionis sententia percellit Antiochenum Concilium, tum Episcopos Presbyterosque, tum Clericos denique omnes, ἢ ὅλως τῶ κανόνος, qui ad Aulam Principis proficiscerentur, sine licentia & literis Episcoporum Provinciæ, maximè autem Metropolitani. Longum esset & minimè necessarium causas omnes percensere depositionis, vel suspensionis Presbyterorum, Clericorumque omnium, & hinc leges Ecclesiis, venturisque sæculis condere, si liberum sit Episcopis arbitratu suo easdem pœnas immerentibus infligere. Quid autem de Episcopis ipsis augurandum? Hic enim eisdem legibus pœnisque subjiciuntur, si eorundem criminum affines sint cum Presbyteris Clericisque aliis. An & Episcopi ad nutum Superiorum summoveri poterunt? Nemo tam excors, cui ea vel cogitatio subire in mentem possit. Ergo & Episcopos & Presbyteros Clericosque omnes cùm iidem Canones complectantur, hinc illud efficitur, illos omnes ex æquo & his de causis potuisse, & nonnisi his de causis exauthorari suspendique potuisse.

Can. 12. VI. Verùm id rursus ex Canone proximo ejusdem Concilii multò evidentius colligitur. Edicitur enim, si Presbyter aut Diaconus ab Episcopo suo dejectus gradu, vel Episcopus à Synodo exauthoratus, cùm ad Synodum majorem pluriumque Episcoporum provocare possit, his omissis recurrat ad Principem, irrevocabili damnationis sententia exturbandum illum suo gradu esse. Nihil ergo hic libidini, nihil voluntati, totum canonico judicio datur, aut Episcoporum in Clericos suos, aut Synodorum in Episcopos. Judicium autem est, non magis in reos sævire, quàm tueri innoxios.

VII. Sed illa provocandi potestas à Conciliis concessa argumento est, non tantùm nil voluntati, nil arbitrio permitti Episcoporum in Clericos suos, sed ne judicio quidem canonico primæ instantiæ nimium permitti: cùm ad amplius & superius judicium appellari adhuc possit, ubi prius, si necesse sit, judicium irritetur. Quorsum autem appellabunt Presbyteri à sententia Episcopi, & depositione in ipsos vibrata, si sine figura judicii possit semper Episcopus suis illos locis & beneficiis summovere? Quorsum Synodi, si tantum possint singuli Episcopi?

VIII. Tantum roboris, tantùmque luminis in eo est argumento, ut aggerandis aliis supersedere possemus. Operæ tamen pretium duxi, non multùm his absimilem proferre Canonem Concilii Sardicensis. Can. 17. *Si Episcopus quis fortè iracundus, quod esse non debet, citò & asperè commoveatur, adversùs Presbyterum sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit; providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideo habet potestatem is qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur & diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille Episcopus qui aut justè aut injustè eum abjecerit, patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus à plurimis, vel emendetur.*

Nostræ huic doctrinæ impensissimè patrocinari videntur singulæ hujus Canonis voces. Persuasissimum enim erat hic tum Episcopis, si quo alicubi casu expediret Episcopos summa & irretractabili in Presbyteros potestate uti: sexcenties alibi perniciale id fore, & Episcopo ipsi calamitosum, ut cujus tum *iracundia*, aut effrænata quævis cupiditas, nec Collegarum sapientia, nec legum authoritate coërceri posset.

IX. Cùm provocandi libertatem tuerentur hi Canones, interim sanè dum coiret Concilium Provinciale, quod de judicio Episcopi judicium ferret: latæ ab Episcopo sententiæ morem gerere Presbyteros Clericosque omnes jubebant. Unde ibidem mox: *Tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem nullus alius debet præsumere, ut communioni societ.* Ea ex communicatione depositionem contineri simile veri est. Verùm Africanis Episcopis, quorum princeps & caput tum erat Gratus Archiepiscopus Carthaginensis, grave postea & periculosæ plenum aleæ visum est, ut solius Episcopi judicio interim parere cogerentur Presbyteri, dum penderet appellatio. Statutum ergo ab illis est in Concilio Carthaginensi I. cui ille ipse Gratus præerat, ut illud ipsum primæ instantiæ judicium institui non posset nisi à tribus Episcopis, si de Diacono, à sex si de Presbytero, à duodecim verò si de Episcopo quæstio verteretur. *A tribus vicinis Episcopis, si Diaconus est, arguatur; Presbyter à sex; si Episcopus, à duodecim consacerdotibus audiatur.* Can. 11. Nequaquam ergo poterat Episcopus pro voluntaria arbitrio Diaconos Presbyterosque dimovere, cùm ne judicium quidem instituere de iis posset, nisi alios asciscerat sibi collegas, judicesque, qui puri essent & immunes earum cupiditatum & suspicionum quæ in ipsum cadere poterant.

X. Concilii Carthaginensis II. Patres munimenta duo hæc astruxerunt Presbyterorum & Diaconorum innocentiæ, adversùs præcipitem quandoque Episcopi proprii excandescentiam. Alterum, ut ne solus cognosceret Episcopus, sed tres saltem de Diacono, sex de Presbytero Episcopi judicium librarent. *A duodecim Episcopis Episcopus audiatur, à sex Presbyter, à tribus Diaconus, cum proprio suo Episcopo.* Can. 10. Alterum munimentum erat appellatio ad Concilium: *Si quis Presbyter à Præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari.* Can. 8. Etsi duo hi Canones in unum conflarentur, nihil magnopere nostra referret; perinde enim liqueret Presbyteros Diaconosque adeo non in potestate fuisse Episcopi, qui ad nutum illos Beneficiis suis ejiceret: ut ne cognoscere quidem posset de eorum causa, nisi cum aliis Episcopis.

In Concilio Carthaginensi III. idem instauratur Decretum, ut Episcopus proprius duos alios adhibeat secum Episcopus, ut Diaconi causam ventilet: quinque alios, ut Presbyteri: quin & illud additur, ut judiciorum formulæ & leges peræquè serventur, atque si de Episcopi causa inquireretur. *Eadem dierum, & dilationum, & à communione remotionum, & discussione personarum, inter accusatores & eos qui accusantur, forma servetur.* Can. 8. Judiciales sanè leges hæ omnes in cassum sancirentur, si solo voluntatis suæ impetu agi, & Clericos suos Episcopus posset Ordinibus & Beneficiis summovere.

XI. Additur hoc eodem Canone posse Episcopum solum de inferioribus aliis omnibus Clericis cognoscere: *Reliquorum autem causas etiam solus*

Episcopus loci agnoscat & finiat. Et sanè nec Sardicensis Synodus, nec Carthaginensis, quarum modo Canones protulimus, eo privilegio nisi Presbyteros Diaconosque impertierunt, ut à solo non possent Episcopo judicari. Sed vel hic ipse Canon Concilii Carthaginensis III. Clericos quoscumque minusculos committit Episcopi non arbitrio, non voluntati, sed æquitati, sed judicio: solus ut judicet, sed judicet tamen, non imperet: cognoscat, non regnet. *Causas agnoscat & finiat.* Quamquam verò vel tum non necesse haberet Episcopus Coepiscopos alios sibi adjungere, sed Clerum tamen ipsum suum, sed Presbyteros Diaconosque ut in judicium secum adhiberet, Canones moresque antiquissimi præscribebant. Id verò manifestissimè declarant Concilii Carthaginensis IV. Canones duo; quorum alter vetat ne quem Episcopus Clericum ordinet, nisi cum Cleri sui consilio: alter prohibet, ne laicorum causas agitet, nisi succinctus
Can. 22. 23. Clericorum suorum cœtu. *Ut Episcopus sine consilio Clericorum suorum, Clericos non ordinet. Ut Episcopus nullius causam audiat, absque præsentia Clericorum suorum: alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur.* Perspicua inde & necessaria existunt argumenta: Si non potest dare, ergo nec auferre poterit Clericatum Episcopus sine consilio Clericorum suorum. Proclivius enim & explicatius semper fuit dignitate quemvis donare, quam exuere. Et rursum, Si irrita est Episcopi sententia in causis laïcorum, nisi cum Clero suo cognoscat: quin eadem servetur moderatio in Clericorum causis?

XII. In eodem rursus Concilio Carthaginensi
Can. 50. IV. decernitur, *Clericum inter tentationes ab Officio suo declinantem, vel negligentius agentem, ab Officio suo removendum.* Nihil excogitari potest, quod vel justitiæ, vel prudentiæ magis concinat. Sed quorsum ea vel sapientia legum, vel æquitas, si ea Episcopi potestas erat, ut diligentissimos quosque pos-
Can. 56. 57. 59. 60. 61. 62. &c. set, si vellet elidere, æque ut ignavissimos? Nec aliter æstimandum de cæteris hujus Concilii Canonibus, ubi flagitia perstringuntur depositioni obnoxia, si adulatores sint Clerici, aut perfidiosi, si obtrectatores, & desperatæ maledicentiæ veneno imbuti: si verborum spurcitie, vel perjuriis linguam inquinent: si denique qui bonus odor Christi moribus suis esse debuerant, pestifero vitiorum suorum contagio cæteros perdant. Quæ omnia manifestissimè & præcaventur & statuuntur, si sola Episcopi voluntas possit vel innocentiam allinere reis, vel innoxios reorum pœnis prosternere.

XIII. Denique cum hoc ipsum Concilium Clericos omnes, qui de Episcopi sui sævitia expostulabunt, sinat ad Provincialem Synodum confugere: hinc docet nos, 1. Clericis prorsus omnibus, quos Episcopus solus, nullis aliis ascitis Episcopis, judicarat, patefactum jam fuisse aditum ad Concilium Provinciale, ubi judicium illud Episcopi solitarii emendari posset, vel confirmari. 2. Diaconos Presbyterosque qui ab Episcopo suo cum consilio duorum, vel quinque Coepiscoporum damnati fuerant,
Can. 66. adhuc ad Provinciæ Concilium provocare. *Clericus qui Episcopi circa se districtionem injustam putat, recurrat ad Synodum.* Id enim ad minores prorsus Clericos exporrigitur; nec Synodi nomine intelligi potest cœtus trium Episcoporum, ad Diaconi causam advocandum.

XIV. Nec conjecturis utendum, ubi res ipsa conceptis verbis definita est, in Concilio nempe Milevitano II. *Placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel* Can. 22.
cæteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum questi fuerint: vicini Episcopi eos audiant: & inter eos quidquid est, finiant adhibiti ab eis, ex consensu Episcoporum suorum. Quòd si & ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur. Clerici proculdubio omnes eo Canone comprehenduntur, quibus conceditur, ut vicinos interpellent Episcopos adversùs Episcopi sui Judicium, visum sibi quidem subiniquum: utque rursus ab his Episcopis ad Concilium Provinciæ appellent: denique non interdicitur eis nisi transmarinis Conciliis & Judiciis.

XV. Hos Episcopi ipsi potestati suæ limites circumscripsere, aut firmavere: ut justitiæ & æquitatis leges in seipsos primùm distringerent, & tum licentius in alios; utque inconcussa legum authoritate, inconcussa astruerent potestati ipsi suæ fundamenta. Non arctatur authoritas, sed convalescit legum observantia. Nihilo minus infinita est potestas justitiæ, legumque, etsi æquitatis finibus terminetur. Canonum qui potestatem frænant Episcopalem, Episcopi ipsi authores conditoresque sunt; Episcopalis Collegii Capita fuere Apostoli, Caput summum per sese Christus, vel per Vicarios, utique summus Pastor & Episcopus animarum nostrarum. Non aliis ergo clauditur Episcopatus limitibus, quam quibus sese ipse conclusit.

XVI. Est & ulterius, & mirabilius aliquid, quod in Episcopis Africæ summam & incredibilem animi moderationem commonstret. Vetuere enim illi fidem soli Episcopo haberi, si quis quid criminis clam illi confessus, publicè denegaret. Vetuere & ne is tum ab eo interdici communione posset. Si faceret, ipsum à Coepiscopis suis alienari jussere à communione publica. Singularis verò sapientiæ effatum hoc ibidem mox promitur: *Ut magis* Conc. Afric. Ep. ad Bonif. & Cælest. c. 99.
caveat Episcopus, ne dicat in quenquam, quod aliis documentis convincere non potest. Si ne testis quidem potest esse Episcopus solus in crimine laicorum, qui solus judex Clericorum fuerit?

XVII. Tam pervagata tritaque est causa Apiarii Presbyteri, ut eam hic texere supervacaneum prorsus fuerit. Apud omnia Ecclesiæ Tribunalia damnatus, Ecclesiaque sua Parochiali spoliatus fuerat, quanquam scripto etiam permissus, Parochiam quamvis alibi gentium administrare, si eo munere Episcopus illum quispiam honestaret. *Placuit, ut de* ibid. infrà.
Siccensi Ecclesia, retento scilicet honore gradus sui, Presbyter removeretur Apiarius, & accepto Epistolio, ubicumque alibi vellet & posset, Presbyterii munere fungeretur; quod eidem ipsi per proprias litteras postulanti, sine difficultate concessimus. Hæc Africæ Episcopi in Epistola ad Bonifacium Papam. Quod perinde est acsi diceretur Apiarius spoliatus fuisse, Parochia sua, non Presbyteratu. Provocatum ab eo est ad Zosimum Papam, à quo & restitutus est. Eam rem molestissimè tulere Africani Episcopi, & acerbissimis querelis refertas litteras ad Cælestinum Papam scripsere, eo maximè præsidio confisi, quod Niceni Canones causas inferiorum maximè Clericorum, sed & Episcoporum Metropolitani judicio permittant; quodque in Africa Clerici possint illi quidem à judicio Episcopi ad Concilium Provinciale appellare, & à Provinciali ad universale totius Africæ; dum ne interminabiles lites suas ad transmarinos

Ibid. infrà. transmarinos perferant judices. *Decreta Nicæna sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt.* Et infrà: *Maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilium suæ Provinciæ vel etiam universale provocare.* Non meminerant disertè Nicæni Canones nisi appellationis ad Concilium Provinciale. At Concilium primò Antiochenum, tum Sardicense, ac demum Constantinopolitanum, supra Provinciales Synodos Synodos alias pleniores agnoverant, ex Episcopis plurium Provinciarum unam constantium Diœcesin, sub Exarcho, seu Primate uno. Quin & Afri ipsi in hac ipsa Epistola meminerunt Concilii universalis totius Africæ, ubi omnium Africanarum Provinciarum Episcopis congregatis præerat Episcopus Carthaginensis, & ad quod ex omnibus Africanis poterat provocari Provincialibus Conciliis. Ne ipsi quidem ergo Africæ Episcopi solis adhærescebant Nicænis Canonibus, nec ex eorum præscripto ad solum Metropolitanum & ad Provincialem Synodum omnia referebant: sed Conciliis plenioribus, Diœcesanis, Universalibus, eorumque Præsidibus plurimum tribuebant. Quin ergo & tantundem tribuerent Petro, Petrique successoribus, ampliorem & dignitatem & potestatem à Christo ipso consecutis, cum Ecclesiasticæ tantum institutionis sint illa, & Concilia, & Conciliorum universalium Capita, seu Exarchi?

Can. 5.

XVIII. Sed ab hoc jam diverticulo in viam redeamus. Ex hac planè Apiarii narratione, & ex hac Africæ disciplina perspicuum omnino est, non fuisse Clericos etiam minores, non fuisse Beneficiarios ita Episcopi voluntati obnoxios, ut ab eo quoties collibitum esset, indicta causa Ecclesiis suis eliminarentur. Canon ipse Nicænus ab Afris hic laudatus, duas jubebat quotannis haberi Synodos, ad ipsa Episcoporum judicia dijudicanda, nequa stimulati ira, æmulatione, vel cupiditate quavis alia, Clericos vel laicos communione ejecissent.
Can. 5. *Ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio, videatur à congregatione seclusus quis, seu ex Clero, seu ex laico ordine.* Cæteroqui astructa hic libertas Clericis omnibus ad provocandum ab Episcopis suis ad Africana Concilia, seu Provincialia, seu universalia; hæc inquam provocandi libertas manifestè prodit, quam non essent unius Episcopi versatili arbitrio permissi omnino Presbyteri, Clericive alii inferiores.

Nec justis tamen laudibus fraudandus nobis est Africanorum Episcoporum zelus, uti nec Augustini, qui deponendum sibi existimavit Xantippum Presbyterum, hoc est Parochum, quod jejunium Ecclesiasticum violasset, quodque sine Clerico comite noctem unam egisset apud mulierem famæ haud satis integræ, quo in judicio nihil moratus videtur Augustinus judicium quinque aliorum Episcoporum, quos illi consuetudo Africanæ Ecclesiæ socios adjungebat. Audi ut rem ipse denarret in
Epist. 226. Epistola quadam: *Quod si fortè judicibus Ecclesiasticis aliud videtur, quia à sex Episcopis causam Presbyteri terminare Concilio statutum est, committat illi, qui vult, Ecclesiam suæ curæ commissam; Ego talibus fateor quamlibet plebem committere timeo.* Summi & incomparabilis Ecclesiæ doctoris hic zelus non potest videri ex inopia scientiæ profectus fuisse; sed ex præfervidæ potius charitatis æstu, mirando nobis quidem magis, quàm imitando. Nobis enim supra leges sapere, haud integrum est.

XIX. Hoc Augustini exemplo liquet prorsus, sperasse ipsum, optasse saltem, ut solos posset Presbyterorum suorum judicia peragere & profligare, cum res urgeret, cum notoria erant crimina: non autem indicta causa eos deponere & amandare. Quàm alienus esset ab ea voluntate, ipsemet declaravit apertissimè, cum Bonifacium Seminarii ejus Presbyterum alius ejusdem loci Clericus execrandi facinoris reum egit. Cum nullæ essent juridicæ probationes, contestatus est Augustinus, non posse eum à se gradu moveri, ne iniquitate judicii sui summum & incorruptum judicem in se provocaret. *Breviter dico Bonifacium Presbyterum in nullo* *Epist. 136.*
crimine apud me fuisse detectum. Quomodo ergo juberem de numero Presbyterorum nomen ejus auferri, vehementer terrente Evangelio, ubi Dominus ait, In quo judicio judicaveritis, judicabimini? Quis ego sum ut audeam Dei prævenire sententiam, in delendo, vel supprimendo ejus nomine, de quo nec suspicari temere mali aliquid Episcopus debuit, nec dilucide judicare homo de occultis hominum potuit. In hac permolesta fluctuatione id consilii ceperat Augustinus, ut opperiretur, dum accusatur sibi dudum suspectus, graviori se aliquo constringeret crimine, quo à Clero ejiceretur: *Cogitaveram primo sic ambos Deo relinquere, donec in uno eorum, qui mihi suspectus erat, aliquid existeret, unde non sine justa & manifesta causa de nostro habitaculo projiceretur.* *Epist. 137.* Sed cùm junior ille Clericus flagitaret, aut se ad majores Ordines promoveri, aut Bonifacium Presbyterum Ordinis sui muneribus suspendi: statuit tandem Augustinus utrumque ad sepulcrum beati Felicis Martyris ablegare, ut se Sacramento purgarent: ea nimirum spe fretus, fore ut quod frequens ibi erat, perjuris reus cœlestis quodam vindictæ fulmine verberaretur. Incompertum est, qui fuerit rei exitus; sed vel hinc manifestè patet, quàm abhorreret Augustinus ab eorum doctrina quos hic oppugnamus: & quàm non speraret posse à se Clericum quemlibet, aut pristino gradu depelli, aut usitata superiorum Ordinum progressione fraudari, nisi eum antè flagitio quopiam innodatum comperisset.

Flagitiosum certè erat quidvis clam possidere proprium, eos qui semel ineuntes ejus Seminarium spopondissent, in seque recepissent, omnibus omnino terrenis renuntiare. Unde & publicè profitebatur Augustinus albo Clericorum suorum omnes eos à se expunctum iri, qui præter propositum & votum suum quidvis possiderent. *Quisquis inventus* *De divers. serm. 50.*
fuerit habens proprium, non illi permitto ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum. Vociferabatur denique non discessurum se à proposito, quantumvis ad Concilia, vel ad Papam provocaretur: *Interpellet contra me mille Concilia, naviget contra me quò voluerit, sit certè ubi potuerit, adjuvabit me Deus, ut ubi ego Episcopus sum, illic Clericus esse non possit.* Ex quo constat viros sanctissimos & supra omnem admirationis aleam positos, spiritu aliquando abreptos eo fuisse, qui supra leges est, quia conditor legum, lexque summa ipse est: in quo etiam diximus, æquum esse ut plures admiratores habeant, quam imitatores. Ejusmodi enim tanta exuberantia Spiritus, qui legibus non subest, sed præest, eò rarior, quò admirabilior est.

XX. Recusavit quidem Ambrosius Clericum ordinare eum, qui vehementer cupiebat, & hac de causa recusavit, *quod gestus ejus plurimum dedeceret.* Non tamen clericatu jam impetrato alium quempiam dejecit, qui eodem vitio laborabat; quin

inmo aliquandiu ob nescio quam culpam suspen-
Offic. l. 2. sum, muneri suo restituit: *Cùm redderetur post offen-*
c. 18. *sam muneri*, contentus præcepisse, ne unquam ante se ingrederetur.

XXI. Objicitur jam nobis Carthaginensis Canon, quo decernitur depositionis pœna & privatio Beneficiorum in Clericos, qui contumaciùs reluctabantur Episcopo volenti ad superiorem Ordinem eos extollere, & in aliam transferre Eccle-
Crescon. siam. *Quòd Clerici qui Episcopis suis non obediunt ut pro-*
Cap. 250. *moveantur, nec illic manere debeant, unde recedere no-*
Ex Conc. *luerunt*. Cui difficultati ut fiat satis, refricanda hic
Carth. T. 31. obiter memoria eorum est, quæ dicta superiùs sunt de extraordinaria Episcopi Carthaginensis potestate in omnes Africæ Ecclesias, & de jure Clericorum transferendorum ex una Ecclesia in aliam, ubi eorum opera illustrior futura esset, & in primis Ecclesiæ necessaria, facta eis novæ ordinationis dignitatisque accessione. In his rerum commissuris tenebantur Clerici obsequi necessitati Ecclesiæ, qua suæ ipsorum etiam dignitatis provectio continebatur. Eorum enim gloriæ & compendio cedebat collatio Ordinis superioris: translatio autem ab una Ecclesia ad aliam, non insidiosa illa erat, nec à malitia Episcopi proficiscebatur, sicut in exemplo Anatolii mox subjiciendo; sed ab eminentissima quadam lege charitatis, quæ tam latè patet quàm Ecclesia, cogitque privatas rationes universali bono posthaberi. Si Carthaginensis Canon, quem versamus, Episcopos omnes eadem potestate donat, ut urgente necessitate possint & ipsi Clericos transferre, eadem ipsa est sempiterna charitatis lex, quæ privatos affectus cogit Ecclesiæ publicis utilitatibus inflectere. Sed eo ita statuto, non statim Beneficiarii à nutu Episcopi uno toti pendent, ut gradu suo excuti possint. Non agitur enim hoc Canone nisi de Diaconis & de Clericis inferioribus, quos ornare Ordine superiori vult Episcopus. En verba ipsa Canonis: *Placuit ut quicumque Clerici vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.* Itaque non valet eos Episcopus transferre, nisi in Cathedralem Ecclesiam suam, & superiori locare in sede ad utilitatem Ecclesiæ.

XXII. In Ecclesia Græca disciplina eadem obtinebat. Causas adnotavit Basilius, quibus Clerici destituendi erant. *Qui peccatum ad mortem peccant*
Epist. Canon. *Clerici, de gradu dejiciuntur*. Hæ porro Basilii Re-
Can. 9. 51. gulæ ex Apostolicis haustæ sunt Canonibus, qui
Can. Apost. frustra tam varias pernumerassent justæ depositio-
25 16. 29. nis causas, si Episcopis fuisset *pro ratione voluntas*,
31 57. & citra ullam causam, eodem quemlibet potuissent damnationis jaculo configere. Theophilus Alexandrinus Archiepiscopus testatur Clericum ab Apolline Episcopo depositum, ei sententiæ paritutum, donec in Synodo innocentiam suam approbet, Apolline ipso præsente. Statuit etiam, ut Lector quem Presbyteri expulerant, ut carne lapsum, & qui tamen postea ordinatus fuerat per manûs impositionem, gradui huic suo ordinique venditetur, si nullius criminis canonico judicio convincatur. Nec enim temerè damnandi aut dejiciendi sunt Clerici, inanibus suspicionibus, vel calumniis & incertis rumoribus exagitati.

XXIII. Conquestus est apud Marcianum Imperatorem & Pulcheriam Augustam Leo Magnus, de Anatolio Episcopo Constantinopolitano, qui Ætium Archidiaconum Ecclesiæ suæ spoliasset dignitate ea, ludificatorio obtentu ejus in altiorem Presbyteratûs Ordinem provehendi: cùm tam insidiosæ provectioni nullo errore, nullo crimine suo Ætius ansam præbuisset. *Qui non inveniens quod* Epist. 57.
argueret in fide, quid improbaret in moribus, dejectio- 55. 74.
nem innocentis per speciem provectionis implevit. Cessit Anatolius, Ætiumque restituit, ut ex Leonis ad ipsius litteras responso patet. Porro illa ipsa Anatolii malitiosa machinatio apertè prodit, nec ipsum sperasse, posse se pro nutu suo Beneficiarios quoslibet abdicare.

XXIV. Qui delegati fuerant Episcopi ad componenda dissidia Ibæ Edesseni Episcopi & Cleri ejus, concordiam demum inter eos ita resarserunt, ut polliceretur etiam cum juramento Ibas, ejectum se ex animo quidquid rancoris & odii inhærere potuerat adversùs accusatores suos; eosque nec Ordinibus suis, nec gradu, quem sua cuique antiquitas contulerat, privaturum. *Neque gradu frau-* Conc. Calc.
daret, neque minores majoribus propter præfatam contri- Act. 9.
stationem praeferret. Denique ne passi quidem sunt providi pacis sequestres, ut posset unquam Ibas quidquam decernere adversùs quatuor primores & quasi principes accusatorum, nisi ex consilio & consensu Domni Archiepiscopi Antiocheni.

XXV. Nec minùs id manifestum fit ex libello supplici Theodori Diaconi ad Papam Leonem & ad Concilium Calchedonense, adversùs Dioscorum Archiepiscopum Alexandrinum, à quo præter fas Ordine suo spoliatus fuerat: itemque ex libello supplici Athanasii Presbyteri, quem idem Dioscorus gradu dejecerat: *Presbyterio me privavit, nulla* Conc. Calc.
adversùs me facta accusatione. Hi certè libelli, qui in Act. 3.
Concilio Calchedonensi perlecti fuere, apertè demonstrant, causas Presbyterorum & Diaconorum ad Concilium usque Oecumenicum perlatas fuisse: tantum aberat, ut arbitrio Episcopi permitterentur.

CAPUT XVI. *P. 2. l. 2. c. 4.*

Ad nutum Episcopi Clericos & Beneficiarios depelli non potuisse, à Clodovæi regno ad Imperium Caroli Magni.

I. Restitit Gregorius Magnus Salonensi Episcopo, Archidiaconum suum, ut loco dejiceret, ad Presbyteratum evehenti.

II. III. Gregorii præcessor jam id prohibuerat. Restitutus est Archidiaconus.

IV. Ea tamen lege, ut post quinquennium abdicet ipse sese, si ita fert ejus Ecclesiæ consuetudo.

V. Rarissima erant temporarea hæc Beneficia, & ne ea quidem auferre poterat Episcopus pro suo nutu.

VI. Quibus jam formis suum ipse Gregorius Archidiaconum exuerit.

VII. Alia ejusdem moderationis animi exempla.

VIII. IX. X. Concilia Galliæ eosdem limites delineant potestati Episcopali.

XI. Non eidem legi subjacent Abbates in dispensandis administrationibus claustralibus. Cur?

XII. Viguit in Hispania idem usus. Cur Ordines solus dare posset Episcopus, solus adimere non posset Presbyteris Diaconisque.

XIII. In Conciliis primùm Africanis hæc judiciorum necessitas constituta est.

XIV. Inde in Hispaniam trajecit.

XV. Ecclesia Græca sartam tectam Episcopis servavit priscam potestatem, Canonicis regulis temperatam.

XVI. Quomodo Vigilius Papa temporarium crearit Diaconum.

I. SI nec ab Ecclesia discedere, nec ab Episcopo suo Clerici, nec à clericatu abire poterant suo arbitratu; ita vicissim nec Ecclesia illos poterat clericatu exuere, vel Ordine, vel Beneficio, nisi nocentes & canonicè convictos, ut constaret eam esse flagitii pœnam, non Præsulis ex odio profectam injuriam. Natalis Salonæ in Dalmatia Episcopus, exturbandi Archidiaconi sui cupidine incensus, invitum Presbyteratu initiare voluit. Intercessit per Epistolas ad eum datas Gregorius; si ne Diaconatu quidem dignum æstimaret, Presbyteratu dignandum non esse: nec innoxium posse dejici, nec invitum extolli: itaque Archidiaconatui restituendum esse, aut Romam mitti debere formam judicii, quod tantopere Canonibus adver-
L. 2. Ep. 19. sari videatur. *Concilii vestri gesta plena jurgiorum esse cognovimus, cùm uno eodemque tempore una persona nolens ad sacerdotii Ordinem provehitur, qua tanquam immerita à Diaconatûs officio removetur. Et sicut justum est, ut nemo crescere compellatur invitus, ita censendum puto similiter, ne quisquam insons ab Ordinis sui ministerio dejiciatur injustè, &c. locum & administrationem suam Honorato Archidiacono restituas, admonemus, &c.* Apposite Gregorio Archidiaconatus *Administratio* vocatur. Verè enim Beneficia tunc omnia meræ administrationes dici poterant. At stabilitatis lex, tam ubique, tam in divinis rebus necessaria, nec sinebat Clericos injussu Episcopi loco decedere, vel Episcopos præter justitiæ legumque judicialium normam quemquam deturbare.

II. Gregorii præcessor Pelagius Natalem Episcopum eadem ipsa de causa increpuerat, ut qui Archidiaconum exaltando deprimere percupiebat non alia de causa, quàm quòd ab eo prohiberetur, Ecclesiæ rebus & sacra supellectile cognatos suos
L. 2. Ep. 24. Ep. 16. locupletare. *Quasi ad fortiorem honorem provehens, conatus es callida arte Archidiaconum degradare, &c. quòd vasa sacra & velamina tuis te parentibus dare prohibeat.* Cùm Romam non misisset Natalis, quò gesta sua Gregorio approbaret, ab eo interdictus est usu Pallii, donec Archidiaconum restitueret: additæ minæ negandæ communionis, nisi quod perperam factum fuerat, revocaret: exauthoratus est denique Archidiaconus novus, indictaque est ei excommunicatio, si in ejus functiones dignitatis sese interponeret. Scripsit Gregorius eadem de re ad Episcopos Dalmatiæ suffraganeos Natalis, & ad Antoninum subdiaconum E. R. quem & mandatorum suorum executorem delegavit.

III. Præter utriusque Pontificis jussa Archidiaconum suum Honoratum abdicarat Natalis. Unde & ad eum rescripsit Gregorius, si in tam audax facinus erupisset quispiam quatuor majorum Patriar-
L. 2. Ep. 37. charum, inultam rem non fore: *Quòd si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine gravissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset.* Sed tandem resipuit ab insania sua Natalis, Honoratum restituit, Apocrisiarios spopondit se Romam missurum, qui causæ suæ non deessent. At cùm præmatura mors intercepisset laudabiliores jam hos conatus, Archidiaconum restituit ipse Gregorius, qui jam ordinatus fuerat Presbyter, si Joanni Dia-
L. 3. c. 9. L. 2. Ind. 11. Epist. 32. cono in vita Gregorii fides adjicienda sit. *Item Honorato Salonitano jam ex Presbytero in Diaconatum reducto.* Ex quo firmatur quod alibi dictum est de Ætio.

IX. Cùm denique Maximus in Episcopatum Salonitanum Natali successisset, ei Gregorius Archidiaconum Honoratum commendavit; præfatus tamen, si ea obtinuisset Salonitana in Ecclesia consuetudo, ut Archidiaconi ab hac sua administratione post quinquennium cederent, & si Honoratus ipse eum usum à tribus prioribus Archidiaconis servari curaverat: æquissimum esse, ut & ipse eidem subesset legi: *Communem filium Honoratum*
L. 7. Ep. 130. *Archidiaconum commendamus. De quo si ita est, sicut per Chartularium nostrum didicimus, quia per eum jam tres antea Archidiaconi, servare consuetudinem Ecclesiasticam, quinquennio expleto, exeundo compulsi sunt: ita quidem volumus ut charitatem sanctitatis inveniat, nam flagitari de causa judicium non debet, quam ipse judicavit. Sin verò ita non est, nullatenus debet à loco, in quo inventus est, amoveri.*

V. Tria sunt magni profectò momenti perpendenda in hac Epistola. Primum est ab Episcopo quocumque neminem eorum destitui posse, quos in Beneficiis Ecclesiasticis instituerant sui Majores, seu prædecessores; uti nec qui ab ipsomet instituti fuerant. Tam non poterat enim Maximus Salonitanus Episcopus Archidiaconum Honoratum deponere, quàm nec potuerat præcessor ejus Natalis. Alterum est, fuisse Ecclesias, ubi Beneficia quædam temporaria erant, & post certum tempus revocabilia, ut ex hoc patet Salonitano Archidiaconatu. Nec improbat hanc consuetudinem Gregorius; quin potiùs confirmat eam ab Honorato ipso servari debere, qui tantum studii & operæ posuerit, ut ab aliis observaretur. Tertium est rarissima fuisse hæc manualium, ut vocant, seu temporariorum Beneficiorum exempla; & ne eorum quidem pro arbitrio suo auferendorum facultatem penes Episcopos fuisse. Lege enim privata, vel consuetudine alicujus Ecclesiæ illud tempus ita præfiniebatur, ut nec prorogare illud posset Episcopus, nec contrahere.

VI. Gregorio ipsi dura & inevitabilis necessitas incubuit deponendi Archidiaconi sui, ob gravissimas certissimè culpas. *Depositus est Laurentius, qui* L. 2. Regist. Præfatio.
primus fuerat in ordine Diaconii Sedis Apostolicæ, propter superbiam & mala sua, quæ tacenda duximus, & factus est Archidiaconus Honoratus coram omnibus Presbyteris & Diaconibus, Notariisque, Subdiaconibus, & cuncto Clero in Basilica aurea. Presbyteri, Diaconi, Notarii, qui & Subdiaconi erant, ut suprà docuimus, unde Primicerius Notariorum erat etiam Primiclerus, seu Caput & Princeps inferioris Cleri: denique Clerici omnes Romani præsentes affuere depositioni Laurentii Archidiaconi, & creationi successoris, ut quorum perinde testimonio & illius improbitas, & hujus virtus ac dexteritas constaret. Unus is est quem Gregorius suo Clero ejecerit, enormitate facinorum ejus ad eas angustias detrusus. *Nec quemquam eorum ab officio nisi Lau-* L. 3. c. 7.
rentium Archidiaconum pro superbia reliquisque criminibus sequestravit. Hæc Joannes Diaconus, qui addit ea in suos humanitate & indulgentia fuisse Gregorium, ut nulli unquam suorum vim fecerit, ut eum vel ad superiores Ordines, vel ad aliarum Ecclesiarum dignitates proveheret invitum: *Neminem prorsus quantacumque necessitate coactus, violenter promovere tentabat, ne sub hujusmodi occasione quenquam eliminando deponere videretur.* Unde & cùm Neapolitani cives vota sua contulissent in Florentium Subdiaconum Romanum, ut eum sibi Episcopum deposcerent: ubi sensit Gregorius alienum prorsus ab ea dignitate Florentii animum, ad L. 2. Ep. 14. Indic. 11.
Neapolitanos rescripsit, alium ut sibi deligerent.

VII. Ulterius etiam progrediebatur Gregorii in suos clementia. Si Canonici Cathedralis Ecclesiæ ad regendas agrestes Parochias subinviti ablegati fuerant, in pristinam ab eo stationem revocabantur.
L. 3. Ep. 20. *Item Cardinales violenter in Parochiis ordinatos, in pristinum ordinem Gregorius revocabat.* Verba ea sunt Joannis Diaconi, qui rem illustrat exemplo Cosmæ Monachi, qui Syracusanus primò Subdiaconus ordinatus fuerat, deinde invitus Presbyter inauguratus, & ruris Parochiæ mancipatus. Tanta hinc incessit animi ægritudo & mœstitia, non ipsum tantùm, sed & Gregorium, cujus charitatem ne minutiæ quidem hujusmodi fugiebant; ut ad Syracusanum Episcopum litteras dederit, quas Joannes Diaconus refert, ut in pristinam illum revocaret Ecclesiam, Presbyterumque in ea Cardinalem instituerct.

VIII. Procul erat utique Gregorius ab approbanda Episcoporum imperiosa dominatione, & licentia Clericos suos temerè abjiciendi: qui ne passus quidem est ab Archiepiscopo Calaritano Liberatum Diaconum reliquis ejusdem Ecclesiæ Diaconis præponi: quin eum jussit infra alios omnes dejici: qui insano superbiæ oestro supra alios evehi ambierat. Adeodatum Presbyterum Parochiæ suæ idem Gregorius reddi jussit, quanquam successorem illi Syracusanus Episcopus dedisset, quod per duos menses abfuisset Ecclesia sua, quanquam impetrata Episcopi ipsius licentia propter graviorem quendam morbum. Revocari denique in Abbatiam suam jussit eum, qui à priore Episcopo institutus, postea à successore destitutus fuerat: *Fortunatum Abbatis loco reformare festinet, atque ejus Episcopum digna reprehensione increpare, cur decessoris sui, nullis provocatus excessibus, destruere ordinationem molitus sit.*

L. 1. Ep. 81.
L. 3. Ep. 53.
L. 12. Ep. 1.

IX. Nec Gallicanæ disciplinæ vigor ab his deviabat sapientiæ & charitatis regulis. Vetat Agathense Concilium, ne seniorum Clericorum aut Beneficiariorum locum & honoris sedem aliis donent Episcopi, nisi illorum sicubi vel contumacia, vel superbia fuerit ulciscenda. Si non ea autem sit vel dexteritate, vel experientia Archidiaconus, quam id munus desiderat: gaudeat ipse quidem semper honore & nomine: at officium ipsum alii cuipiam exercendum delegetur. *Episcopus, quorum vita non reprehenditur, posteriorem priori nullum præponat; nisi fortesse elatus superbiâ, quod pro necessitate Ecclesiæ Episcopus jusserit, implere contemnat. Sanè si officium Archidiaconatus propter simpliciorem naturam expedire aut implere nequiverit, ille loci sui nomen teneat, & ordinationi Ecclesiæ, quem elegerit Episcopus, præponatur.*

Can. 23.

Non placuit Concilio Aurelianensi III. ut posset Episcopus revocare largitates & dona, fundos, terras, aut Præbendas, quibus Clerici ejus donati essent vel ab ipso, vel à prædecessoribus ejus, nisi sua ipsos nequitia his virtutum præmiis & ornamentis spoliaret. *Ita ut qui decessorum largitatibus gaudent, officia Ecclesiæ, obedientiam & affectum Sacerdotibus præbeant, &c. si inobedientia vel contumacia accipientis extiterit, in arbitrio sit præsidentis, utrum vel qualiter debeat revocari.* Si contumacius Clerici officio suo desint, ad laïcorum communionem hoc Canone abiguntur, donec culpæ suæ maculas pœnitentia eluerint: nec interim tamen distributionibus suis fraudantur. Denique Clericis omnibus copiam facit hæc Synodus provocandi ad Concilium Provinciale, adversùs Episcoporum vexationes: quod minimè necesse esset, si possent illos Episcopi indicta causa, nec ullo instituto judicio, gradu suo depellere. *Si quis Clericorum circa se aut districtionem, aut tractationem Episcopi sui putat injustam, juxta antiquas Constitutiones recurrat ad Synodum.* Can. 19. 20.

Can. 17.

X. In Concilio Arelatensi V. prohibetur Presbyter seu Parochus Diaconum exauthorare, vel Subdiaconum inconsulto Episcopo. *Ut Presbyter Diaconum vel Subdiaconum de Ordine deponere nescio Episcopo suo non præsumat.* Solus ergo Presbyter minores Clericos deponere poterat, sed potestatis usum justitia regit. Denique Concilium Turonense II. prohibuit, ne Episcopos de Abbatis aut Archidiaconi causa cognosceret, nisi in cœtu Abbatum & Presbyterorum omnium antè expenderet, an pœnæ acerbitati responderet flagitii atrocitas. *Nisi facto Concilio tam Abbatum, quàm Presbyterorum suorum, quem culpa aut negligentia ejicit, cùm omnium Presbyterorum concilio refutetur.* Can. 4. Can. 7.

XI. Haud equidem fidejussor sim, Abbatibus quoque ipsis easdem mordicus judiciales leges sectandas fuisse, in dispensandis revocandisque administrationibus claustralibus. Cùm enim Monachi his se muneribus gravari gemerent, exonerari gauderent, quæ eorum erat animi moderatio: cùmque his administrationibus nihil emolumenti, molestiæ & tædii plurimum lucrarentur: non erat cur tam circumspectè Abbates cum illis agerent. Qui summa fide vitam B. Cæsarii scripsere discipuli ejus duo, ii narrant, dum Cellerarius in Monasterio Lerinensi esset, eo officio spoliatum esse ab Abbate, magna cæterorum Monachorum consensione: qui gravatè admodum ferebant, incorruptam inflexamque ejus æquitatem & constantiam, denegandi superflua; quantumvis petentibus: largiti necessaria non petentibus. *In Cellerarium eligitur. Cœpit igitur attentè & studiosè illis velle largiri, quibus esset necessarium, etiamsi abstinentia amore nihil peterent: quibus verò cognosceret necessarium non esse, nihil dabat, quamvis vellent accipere. Unde factum est, ut quibus invisa erat sancta discretio, & moderatio, Abbati supplicarent, ut eum à Cellerarii functione removeret. Quod etiam factum est.* Quanquam à virtutis præstantia quadam occasionem captarint Monachi deponendi Cæsarii; poterat forsan justa quoque ea nonnullis causa videri, quod æquum nonnunquam sit, adeoque necessarium, infirmis nonnihil indulgere: ultra necessitatem ingerere aliquid ad eos deliniendos: cedere etiam quandoque fortiorum fervori, qui vel necessaria sibi denegant; ex quo usuvenit non raro, ut horum ardore illorum tepiditas aliquando tandem incalescat; & aliorum inopiam aliorum suppleat abundantia, in ea sanctissimarum Societatum communione. L. 1. c. 3.

XII. In Hispania Concilii Hispalensis II. Patres non tantùm in locum suum redintegrarunt Presbyterum ab Episcopo Cordubensi depositum: sed priscas etiam Africæ leges innovavere: ut ne Presbyteri Diaconique gradu & ordine excuti suo possent, nisi in cœtu Episcoporum. Quanquam enim Episcopus Presbyteros Diaconosque solus ordinare queat, non potest tamen solus damnare. *Ut juxta priscorum Patrum Synodalem sententiam, nullus nostrûm sine Concilii examine dejiciendum quemlibet Presbyterum, vel Diaconum audeat. Nam multi sunt, qui indiscussos potestate tyrannica, non authoritate canonica damnant; & sicut nonnullos gratia favore sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant. Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus* An. 590. Can. 6.

honorem dare potest, solus auferre non potest. Præclarissimè sane hic declarat Canon non obscurari splendorem Episcopalis authoritatis, cum ad juris regulas, limitesque coarctatur, quod regulis ipsis justitiæ nihil splendidius, nihil ad gloriam uberius esse possit; contra autem nihil à gloria & splendore alienius quam agi, *tyrannica potestate, non authoritate canonica.* Si solus dejicere non potest Episcopus, quos solus potuit provehere: id eò fit, quod iniquum non sit honores Ecclesiasticos non conferre omnibus, qui digni sunt: at semel iis donatus, immerentes detrudere, non possit non iniquum esse. Nil dedecoris est, ad Ecclesiasticas dignitates siquis non extollitur; summum dedecus est, siquis ex eis depellitur. Episcopalis tum sapientiæ; tum charitatis ille cumulus fuit, suam illam amplificare potestatem, qua prosunt; minuere, qua nocent. Non eo rigore examinis dispensantur beneficia, quo pœnæ. Ea sanè ratio videtur fuisse, quæ quinti maximè sæculi Concilia adduxit, ut sacrorum Ministrorum Presbyterorumque depositiones Conventibus Episcoporum reservatas vellent. *Qui profecto nec ab uno damnari, nec uno judicante poterunt honoris sui privilegiis exui: sed præsentati synodali judicio, quod Canon de illis præceperit, judicari.*

XIII. Concilia dixi quinti sæculi, quod Carthaginensia demum Concilia videantur eos maximè limites præfixisse, non potestati Episcopali, sed effervescentiæ quandoque & indignationi. Ad illa enim usque tempora Episcopus solus cum suo Clero judex sedebat causarum criminalium, sive de Diaconis, sive de Presbyteris quæstio verteretur; sicut & cum suo Clero solus Ordines iis conferebat, quos virtus testimonio publico fulta commendabat. Et hæc ergo Synodus erat Diœcesana, in qua vel ordinabat, vel ordinatos exauthorabat Episcopus. Itaque ne tum quidem solus judicabat, etiam cum solus esse videbatur, quia sine Collegis.

XIV. Ab Afris ad Hispanos manarat illa judiciorum Canonicorum consuetudo, & ad Concilium maximè Hispalense, ex quo in reliquas serpsit Hispanias. Etenim Toletanum IV Concilium hoc supponere videtur, Presbyteros Diaconosque, nisi synodico judicio deponi non potuisse, cum jubet ut si in secunda Synodo restituantur, restituantur illis & ornamenta atque insignia dignitatis omnia quæ acceperant, dum ordinarentur: & cum illos Episcopis consociat in causis degradationis & restitu-

Can. 28. tionis. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si à gradu suo injustè dejectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari, de manu Episcopi, &c.* At Concilium Toletanum XI Episcopos sibi permisisse videtur, ut vel antiquissimam sectentur consuetudinem consulendi Cleri dumtaxat sui, vel quandoque etiam populi: vel recentiorem disciplinam, adhibitis ad consultandum duobus, aut tribus Episcopis, quorum prudentia moderari possit cupiditatibus privatis aliquando vehementioribus. Sed & latius patet hujus Concilii Decretum, nec Presbyteros, aut Diaconos solos complectitur, sicut nec de solis agit depositionibus, sed & de gravio-

Can. 7. ribus pœnis. *Dum se simulant spiritalem adhibere correctionem, indiscretam subito afferunt mortem, cum inauditos à se projiciunt, & occultis eos judiciis sub pœnitentiâ puniunt. Non ergo de cætero perversis voluntatibus sit liberum, simulare quod fingunt: sed quotiescumque quilibet ex subditis corrigendus est, aut publicâ debet à sacerdote disciplinâ curari, aut si aliter Rectoribus placet, duorum aut trium fratrum spiritalium testimonio peculiariter adhibito, & modus criminis agnoscatur, & modus pœnitentiæ irrogetur.*

XV. Quod ad Ecclesiam denique Græcam attinet, nulla notabilis diversitas apparet. Episcoporum, sicut & Canonum Legumque potestas eadem & intaminata perstitit, damnandis dumtaxat reis, insontibus absolvendis. Joannes Eleemosynarius Alexandriæ Archiepiscopus Clericos qui se mutuis plagis ceciderant suspendit; mira ejus enituit in eum charitas, quem insecutus est fugientem, & pacem Ecclesiæ, quam omni virium contentione expetere debuerat, reformidantem. Agit Joannes Climachus de Archidiaconi depositione in Monasterio ob causam leviorem. Sed observatum jam à nobis est, quantum in hoc negotio Monachos inter Clericosque interfuit discriminis. Enimvero hic ipse Archidiaconus se non exauthoratum, sed exoneratum fuisse sapientissimè interpretatus, adduci non potuit, ut assentiretur Abbati post quadraginta dies restituere illum satagenti: injuriam tam conducibilem sibi resarciri passus non est, effecitque ut pœna irrogata & voluptati sibi esset, & laudi.

Vita ejusd. c. 13.

Grad. 4.

XVI. Objici nobis posset Vigilii Papæ Epistola ad Rusticum Diaconum, ubi Diaconus ad tempus tantum ordinatus fuisse videtur Rusticus ipse, dum Diaconi Papæ ordinarii reverterentur. *Absentibus nostris Diaconis à nobis postulasti, ut ad tempus pro implendo officio, absentium loco Diaconum te interim faceremus, donec reverterentur Diaconi memorati aut quanto te tempore in Levitarum voluissemus ordinatione ministrare, &c.* Non spectat hæc temporis coarctatio, nisi ad functiones Diaconatus ipsi Pontifici exhibendas. Qui enim ordinabantur Diaconi, Apocrisarii mox Constantinopolim profecturi, & qui ad regendum Ecclesiæ Romanæ patrimonium varias in provincias ablegabantur, non ad Diaconatus tantùm, sed & ad alia complura munera ei dignitati alligata destinabantur: Rusticus ipse diversas provincias obierat rectorem agens patrimonii sacri. Sed quod ad summam rei attinet, quam hic tractamus, hac ipsa Vigilius Pontifex Epistola Rusticum & Eleutherium Diaconos non exauthorat, nisi pernumeratis eorum defectionibus & rebellionibus, & Calchedonensi maximè Canone allegato, quo percelluntur Clerici omnes in Episcopos suos audacius insolescentes.

Synodi. V. Collat. 7.

CAPUT XVII. *P. 3. l. 2. c. 4.*

Ad nutum Episcoporum, Clerici & Beneficiarii non abdicabantur, sub Imperio Caroli Magni & Carolinæ stirpis.

I. In Oriente Clerici omnes appellare poterant ad tribunal superius, postquam ab Episcopo suo damnati fuerant.

II. Ac prima sententia semper executioni mandaretur, dum Judex appellationis eam confirmaret.

III. Cogi poterant Clerici ab Episcopo, ut ad superiorem gradum vel inviti ascenderent, non ut descenderent in inferiorem, citra suam culpam.

IV. Synodus VIII, confirmat appellationes Clericorum ab Episcopis suis ejectorum.

V. In Occidente Clerici depositi in Monasteria compingebantur.

VI. Deponi non poterant Parochi, nisi ob grave crimen.

VII. Episcopi ad Pontificem referebant quandoque causas Clericorum spinosiores.

VIII. Cœpit Metropolitano servari integrum primæ instantiæ judicium depositionis majorum Clericorum.

IX. Probationes nova canonici judicis ad spoliandos Beneficiarios postestate.

X. De appellatione Clericorum inferiorum ad Papam contenditur.

I. Neo resilire à clericatu poterant Clerici, quo Episcopis devinciebantur; nec vicissim Clericos dejicere immerentes poterant Episcopi. Judicia Canonica qui regerent, innumeri fuere Canones, ac testes totidem, non in Episcoporum arbitrio, sed in Canonum legumque constantia sitam fuisse Beneficiariorum securitatem. *In Can. Carth. 11. 12.* Narrat alicubi Balsamon, Clericum à Metropolitano suo Philippopolitano suspensum, nullum non movisse lapidem, ut ejusdem sibi gratiam recolligeret, sequestres etiam ad id expugnandum adhibuisse Metropolitanos alios complures: cùm irrita hæc omnia caderent, confugisse tandem ad Patriarcham, & ad Synodum Patriarchalem, à qua restitutus sit. Ea erat necessaria progressio ut de Episcopi sui sententia quiritantes, interpellarent primo vicinos Episcopos, & Synodum Provinciæ, antequam ad Patriarchæ Synodum & authoritatem recurrerent.

Illud quoque animadversum est à Balsamone, Antiochenos quidem Canones Episcopis potestatem fecisse Presbyteros etiam Clericosque deponendi: at experientia magistra didicisse Carthaginenses Synodos, utpote posteriores, paulò majori circumspectione tractari debere ea judicia, unde & dejici Presbyterum noluerunt, nisi à sex saltem Episcopis, Diaconum à tribus. Hæ ipsæ Carthaginenses Synodi duodecim saltem judices desiderabant, ut de Episcopi causa criminali cognosceretur: cumque Archiepiscopus Cypri cum aliis Episcopis undecim Episcopum Amathuntis exauthorasset, Lucas Patriarcha Constantinopolitanus illud judicium retractans, pronunciavit, duodecim Episcopis opus fuisse præter Metropolitanum, quin & omnium Cypri Episcoporum cœtum congregandum fuisse, *Ibidem.* cum tam facilis & expedita esset ea convocatio. Nec *In Can. 14. 23.* sanè permissum est, nisi ob paucitatem Episcoporum in quibusdam Africæ Provinciis, ut Episcopus loci unus esset ex illis sex, qui de Presbytero cognituri erant.

Ibidem. II. Est & majoris aliquanto momenti, quod *In Can. 32.* idem alibi observat Balsamo in eum Canonem Africanum, qui Clericos execratur, Episcoposque, si qui eorum se communioni ante ingerant, quam judicium quo perculsi fuere superiori in Synodo expensum fuerit. In ea erant complures sententia, quantumvis injustæ parendum tamen esse Episcoporum sententiæ, pendente appellatione. Censebant alii, cum Canones pernumeraverint ea scelera, quæ depositione feriri debeant, illis utique obtemperandum judiciis, quæ secundùm hos Canones librata fuerint; cæteris autem nequaquam, ne sinantur Episcopi tyrannica abuti dominatione. *Si enim datum fuerit Episcopo, sive rectè, sive perperam Clericos & Laicos segregare, & necesse habere eos qui segregantur, segregationem servare, tyrannidem exercebunt Episcopi, & in omni re dominium obtinebunt: & nemo erit, qui eis resistat, propter metum segregationis; fortè autem & ipsi pietati insultabunt: & divini Canones erunt multorum malorum authores, quod est absurdum.* Ea erat opinionum dissensio in re tanti ponderis. Nunc promenda Balsamonis responsio, an potius fluctuatio, & perplexitas. *Ac ipsi quidem hæc. Ego autem non habeo quemnam eorum sequar. Nam & à pietate trahor; sed ab ea quod sit contra Canones retrahor. Cupio ergo discere, quid agendum, ut qui tota vita velim esse puer & discipulus.* Verùm & hæc ipsa Balsamonis addubitatio indubium illud prodit fuisse, solo nutu & arbitrio Episcoporum excuti suis Beneficiis ordinibusque Clericos non potuisse.

III. Nec prætereunda hæc tertia ejusdem ob- *Ibidem.* servatio in Canonem alium Africanum, quo per- *In Can. 34.* mittitur Episcopus Clericos, Diaconosque deponere, si quos obstinatius sibi immorigeros experiatur, cupienti eos in altiorem propellere gradum, ut Ecclesiæ suæ necessitatibus consulat. De provectione ad Episcopatum non agitur utique hoc Canone, cum de Presbyteris nulla fiat mentio, nec Episcopi sic ad Episcopatum Clericos suos promovere, ad quem non patet aditus nisi per electionem populi, Cleri, Synodi Provinciæ, & Metropolitani. Præterquam quod ut ait Balsamon, & plures, & justiores sint causæ detrectandi Episcopatus, quàm cæterorum Ordinum.

Sed cum ex hoc Canone nonnulli argumentarentur, posse Patriarchas & Episcopos, Dignitates & Officia, ὀρχοντίκια, ὀφφίκια transferre ad Clericos alios, cum ii qui ea obtinebant, ad Episcopatum eliguntur, nec electioni acquiescunt: negat Balsamon eo sensu donari posse Canonem, qui id unum molitur, ut possint Episcopi Clericos suos, Diaconosque altius evehere, ubi ita fert Ecclesiæ necessitas. Itaque gradu suo depelletur Lector, si inertia & torpore Ordinem superiorem, sed operosiorem detrectet. Poterit & exauthorari Diaconus, si pertinacior sit in recusando officio Referendarii, vel Doctoris: διδάσκαλος. Addit denique Balsamon posse Episcopum invitos compellere Clericos suos ad hæc incrementa dignitatis. At non posse immerentes & invitos ad inferiorem gradum quenquam detrudere, ut nec juniores Senioribus præponere in dignitatum processione, nec vacantem dignitatem junioribus conferre, contemptis Senioribus. *Et nota quod Episcopis datum est, Clericos suos ad majores gradus provehere, non autem ad minores deprimere.* Denique ex Canonum norma, & meritorum æqua lance, conferri, vel auferri par est Ecclesiasticas dignitates, Ordinesque ipsos, non ex mera voluntate privatoque Episcoporum affectu. Alioqui cassæ & inanes essent omnes judiciorum leges, & merita quantacumque contemptui, & ludibrio forent. *Similiter nota, quod Ecclesiastica officia non sunt Episcoporum potestatis, ut dicunt nonnulli, sed Canonum authoritatis & dignitatis: sicut nec reliquarum Ordinum jura, scilicet Diaconorum, Sacerdotum & reliquorum. Nisi enim ita esset, non cùm distinctione, scilicet propter inobedientiam, Clerici suis gradibus exciderent: sed seu bene, seu malè, quando vellent Episcopi hoc fieri. Hoc autem sanctis Patribus minimè visum est.*

IV. Statutum denique fuit in Concilio VIII. œcumenico, ut Presbyteri, Diaconique ad Metropolitanum provocare possent, si qua se contumelia gravari sentirent ab Episcopo, vel sibi subitato, vel aliorum amantiore; Metropolitanum vero tunc operam daturum, ut & Episcopus accerseretur, & in Provinciali Concilio sententia ab eo lata retractaretur. *Et Metropolita advocet Episcopum, qui de-* *Epist. 163* *posuit, vel alio modo Clericum læsit, & apud se cum aliis etiam Episcopis negotii faciat examen, ad confirmandam scilicet sine omni suspicione, vel destruendam per ampliorem Synodum, & multorum sententiâ Clerici depositionem.* Additur & Episcopos similiter, si Metropolitanum subiniquum sibi fuisse suspicentur,

posse ad Patriarcham recurrere. Hæc judicia, hæ provocationes, hæ judiciorum retractationes argumento sunt, nunquam ita Clericos Beneficiariosque Episcoporum voluntati permissos fuisse, ut indicta causa, solo nutu exturbari Ordine vel Beneficio possent.

V. Hactenus de Oriente, nunc ad Occidentem. Concilium Cabilonense II. Presbyteros canonico judicio depositos, jubet reliquo vitæ tempore pœnitentiæ lacrymis & laboribus macerari, & si qua fieri possit, in Monasteria compingi. Non ergo gradu suo cadere poterant, nisi perpetrato scelere, quod pœnitentia eluendum esset. Ergo nullæ ibi partes erant vel voluntatis & imperii, vel odii studiive Episcoporum. (Ann. 813. Can. 42.) *Dictum nobis est Presbyteros propter suam negligentiam canonicè degradatos, sæculariter gradu amisso vivere, & pœnitentia agenda bonum negligere. Unde statuimus, ut gradu amisso, agenda pœnitentia gratia, in Monasterio, aut canonico aut regulari mittantur.*

VI. In eodem Concilio damnata Patronorum temeritate, qui sui juris Parochias inconsultis Episcopis dabant, auferebantque pro libitu suo: sancitur ut Parochi canonicè instituti non possint nisi ob crimen, & canonico Episcopi judicio exauthorari. (Can. 42.) *Nullus absque consensu Episcopi Presbytero Ecclesiam det, quam si justè adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi culpa sua & coram Episcopo canonica severitate amittat.*

VII. Quin & ad Sedem Apostolicam Episcopi ipsi quandoque referebant causas id genus aliquanto implicatiores. (Conc. Gall. To. 3 p. 519.) Rescripsit Joannes VIII. Papa ad Archiepiscopum Narbonensem, suspensum fuisse ab Episcopis ejus Provinciæ Presbyterum; & nonnullis pœnitentiæ exercitiis addictum, usque ad judicium Sedis Apostolicæ. Imputabatur autem ei Presbytero proprii fratris interitus, in quem seditionis incentor alius eum impulerat tanto impetu, tantaque vi, ut eo casu & pondere afflictus oppressusque interiisset. Sed monet Pontifex priùs causam ipsam ex rigore Canonum expendendam fuisse ab ipsis Provinciæ Episcopis, assignatis judicibus quatuor, & tum si quis inexplicabilis nodus occurreret, acta ipsa judicii Romam referri debuisse. *Sed tunc hoc solenniter agerent, si primum ipsi plenario & ex Canonibus in causa Presbyteri delegato judicio quatuor deputatis, ex venerandis decretis & legibus, personis præsentibus, hanc ventilassent, & subtili examine discussissent: ut ita facta scripto relatione, si quid dubium sit, seu difficile ingessisse videretur, nostrum super hoc more prisco decretum exposcerent.*

Addit Pontifex Romæ judicium ferri non posse de causa, cujus ibi nec instrumenta, nec testimonia sint ulla: & proinde necesse esse, ut ipsemet eam Metropolitanus definiat cum sex aliis Episcopis Provinciæ suæ, vel vicinis, præter suspensi Presbyteri Diœcesanum. *Ergo saltem nunc fraternitas sua Metropolitani jure potita, ex Episcopis sub se degentium vel vicinorum, sex unà cum Episcopo, cujus est iste parrœcia, sibi socians, tantum negotium subtili ventilet discussionis ventilabro, & invento quod justum est, canonicè decernat, & communi fratrum censura diffiniat.*

Non alibi facilè illustrior occurret occasio, ubi elucescat, quàm deberent judicia suspensionum vel depositionum, ubi de Beneficiariis agitur, summa quadam diligentia & maturitate tractari, consultarique inter Episcopos Provinciæ, Metropolitanos & Pontifices ipsos: & quàm peregrini fuerint in Ecclesiasticæ historiæ Canonumque disciplinæ monumentis, qui in voluntate unius Præsulis totum posuerunt.

VIII. Concilium Forojuliense sub Patriarcha Paulino anno 791. non sinit ab Episcopo deponi Diaconum, Presbyterum, Abbatem, nisi re cum Patriarcha Aquileiensi, seu cum Metropolitano communicata. (Can. 57.) *Item placuit, ut nullus Episcoporum Presbyterum, aut Diaconum, aut Archimandritam in dispendio honoris condemnare præsumat, absque hujus venerandæ Sedis consultu.* Synodi VIII. Canon suprà relatus hoc ipso capite, non patiebatur, ut distringere & deponere posset Episcopos Metropolitanus, inconsulto Patriarcha. Extra controversiam est, ex antiquissimo Ecclesiæ usu, in potestate fuisse Episcoporum, ut Presbyteros nocentes deponerent; similiter & penes Metropolitanos fuisse, ut Episcopos gradu synodico judicio dejicerent: sed ita ut his illisque fas esset judicium superius interpellare. Ei disciplinæ circa nonum sæculum additamentum non leve accessit, nec alio ut reor consilio, quàm ut novæ judiciis his tam gravibus cautiones adderentur, & Presbyterorum Episcoporumque depositiones aliquantò difficiliores posthac essent. Quanquam enim post depositum ab Episcopo Presbyterum, à Metropolitano Episcopum, ad superius tribunal recurratur: pendente interim appellatione jacet uterque tandiu ruina & dedecore oppressus prioris judicii, cujus præterea retractatio in multum quandoque tempus protrahetur. Video quantum etiam malorum impendeat a longa criminum impunitate. Sed cum hinc & inde formidantur & præcaventur mala, faciles esse debemus, ut nobis persuadeatur, si ad alterutram partem se conferat tandem Ecclesia, id cælesti excubante providentia ita disponi, quòd ea tum temporis opportuniora futura sint remedia.

IX. Concilium Papiense anni 855 repressa Patronorum audacia laicorum, ne ab ipsis quidem Episcopis sinit Parochos Beneficiis spoliari, nisi gravi sua culpa judicio canonico afflicti sint. (Can. 5.) *Ipsi verò qui ad gubernandas plebes legitimè sunt provecti, nullatenus à suis Episcopis repellantur, nisi aut in alicujus criminis reatum inciderint, aut easdem plebes malè tractaverint.*

Innovati sunt à Concilio Triburiensi Canones Africani, quibus Episcopi deposito Episcopis duodecim, Presbyteri sex, Diaconi tribus integra servatur, non numerato Episcopo proprio; reliquorum Clericorum causis permissis Episcopi voluntati, imò æquitati, sacris regulis accommodatæ. (Can. 10.) *Reliquorum Clericorum causas etiam solus Episcopus loci cognoscat, definiat.* Vox ea *cognoscat* abundè innuit, Episcopum judicem, non dominum agere: cognoscere, non jubere: cognoscere autem consentaneè judiciorum legibus. Itaque Nicolaus Papa Diaconum restituit, qui ab Episcopo suo depositus fuerat, non advocato Episcoporum certo numero: (Anastas. in ejus vita.) *Quia sine certo numero Episcoporum, imò sine criminis approbatione fuerat judicatus.*

X. Non hîc ego moras traham in excutienda quæstione, quam ventilavit Hincmarus Remensis Archiepiscopus, de appellatione Presbyterorum & inferiorum Clericorum ad summum Pontificem. Pertendebat enim Hincmarus non posse eos appellare omnino, nisi ab Episcopi judicio ad Concilium Provinciæ. Sed quamcumque demum in partem inclinaret animus, illud certum & indubium semper existebat, nec Clericos unquam, nec Beneficiarios fuisse ullos, ita nutui & arbitrio Episcopi obno-

xios, ut indicta causa illos posset abjicere. Ideò & cùm Hincmarus Laudunensis Episcopus uno excommunicationis laqueo inclusisset omnes Diœcesis suæ Clericos, qui quingenti vel quadringenti saltem erant; insulsitatem temerarii ejus judicii sugillavit Archiepiscopus Hincmarus, ut quo sontes & in-

Hincmar. To. 2. pag. .. sontes promiscuè configerentur. *At ubi sine aliqua ratione, vel culpa objectorum, contra omnem authoritatem, trecenti vel quadringenti, sive quingenti, solo tuo furore, & causa injuriarum tuarum sunt abjecti, &c.*

CAPUT. XVIII. *P. 4. l. 2. c. 6.*

Nec post annum Christi millesimum revocabiles ad nutum Episcopi Clericos vel Beneficiarios fuisse.

I. Diversa Concilia perpetuant Beneficiarios omnes, adeoque & Parochos, nisi eos Episcopus canonico dejiciat judicio.

II. Alii Canones, ut non Episcopi, non Patroni possint ad nutum Clericos destituere aut Beneficiarios.

III. Poterat Episcopus ad tempus delegare regimen Parochiæ, dum designatus Parochus probaretur. Deportuum origo.

IV. Quando id sibi sumpsere Episcopi & Abbates, ut ad libitum Beneficiarios sibi obnoxios destituerent, id sibi summi quoque Principes arrogavere, ut ipsos destituerent vel transferrent Episcopos.

V. Discrepantia Monachorum & Beneficiariorum quorumvis aliorum.

VI. Canones rursum & Decreta adversus doctrinam Parochorum aut Vicariorum revocabilium.

VII. Rursum Decreta alia adversus Vicarios temporarios. De numero necessario Episcoporum ad depositionem Presbyteri vel Diaconi.

VIII. Quantum malorum nascatur ex Vicariis illis temporariis.

IX. Temporariis his Vicariis adversantur Decreta & Decretales Pontificum, adeoque & Concilium Tridentinum.

I. CAnonica stabilitas Clericorum & Beneficiariorum, de qua superiùs, non naturalem tantùm frænabat inconstantiam, sed & fidem quodammodo obligabat Episcoporum, ut ne eos qui à statione sacra resilire non possent, ipsi temerè excuterent, nec omnino nisi canonico judicio. Ea est Canonum, ea est hujus maximè Canonis

Can. 15. sententia Synodi Placentinæ anni 1095. *Sine titulo facta ordinatio irrita habeatur, & in qua quilibet titulatus est, in ea perpetuò perseveret.* Necnon & Synodi Claromontanæ eodem anno habitæ. *Ut omnis Cle-*

Can. 13. *ricus ad eum titulum ad quem primùm ordinatus est, semper ordinetur.* Quo tempore Clericis, eo ipso sibi leges stabilitatis defigebant Episcopi, ut ne quod fecerant, infectum vellent: ne quos evexerant, mero nutu deprimerent. Apertius etiam Nemausense

Can. 9. Concilium anni 1096. *Sacerdotes, quando regendis præficiuntur Ecclesiis, de manu Episcopi curam animarum suscipiant, ubi & in tota vita sua Deo deserviant, nisi canonico degradentur judicio.* Nihil disertius in Parochorum etiam causa. Apertissimè hic statuitur, ut nec ipsi desciscere sua sponte possint à commendato sibi munere; nec ab Episcopo, vel alio quovis extrudi, nisi consentaneo legibus sacris judicio. Idem sancitur & in Concilio Londi-

Can. 9. nensi anni 1125. *Nullus Abbas, nullus omnino Clericus, vel laicus, quenquam per Episcopum in Ecclesia ordinatum, absque proprii Episcopi judicio, præsumat ejicere.*

Illud innuitur hoc Canone, exturbatos nonnunquam fuisse Parochos suis Ecclesiis, à Patronis laicis, vel Ecclesiasticis, maximè ab Abbatibus, quibus plures suberant Parochiæ. Illi quidem præsentaverant, at solus instituerat Parochos illos Episcopus, solusque proinde destituere poterat, non tamen sine figura judicii. Quos sanè ad nominationem Patronorum instituebat Episcopus Parochos, valde perspicuum est, non potuisse illum eos invitis Patronis dejicere. Quarum verò Parochiarum collator Episcopus erat, si sine forma judicii Parochos abruptè arbitratu suo abstulisset, næ ille Patronos exemplo suo armasset in Parochos eos ipsos, quos jamdiu satagebant Synodi adversùs eorum injurias impetusque munire.

II. Concilium Remense anni 1131. vetuit, ne conductitiis Presbyteris Ecclesiæ committerentur, sed unaquæque suum haberet Parochia Parochum, si suppeterent reditus. *Placuit etiam ne conductitiis* Can. 10.
Presbyteris Ecclesiæ committantur, & unaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem. Concilium Lateranense II. hoc Decretum totidem verbis constituavit anno 1139. Concilium Remense anno 1148. illud ipsum ingeminavit, cum hocce novo additamento: *Nec ab ejus regimine, ali-* Can. 10.
cujus, nisi Episcopi, in cujus Parochia fuerit, vel Archidiaconi canonico judicio depellatur. Cui de bonis Ecclesiæ tantum beneficii præbeatur, unde convenienter valeat assignari. Ubi notandum est, 1. ne hos quidem Parochos, quos parte aliqua proventuum Ecclesiæ Episcopus donabat, vel portione congrua, vel agellulis & fundis exiguis, ad nutum Episcopi destitui potuisse. 2. Ne Episcopus quidem eos nisi canonico judicio impetit, ut exemplo suo Patronus addoceat, quàm reverenter habendi sint. 3. Ab Episcopo & Archidiacono destitui possunt; sed ut ab Archidiacono, ita & ab Episcopo, nonnisi servato juris ordine.

III. Poterat quidem Episcopus ad anni spatium Parochialem Ecclesiam Presbytero commendare, dum eum ipse probaret, quem ei Rectorem præficere meditabatur. Nec enim improbatum est ab Alexandro III. quòd Episcopus Tornacensis ad breve tempus Ecclesiam ei commisisset, quem probare magis quàm præficere in animo habebat, & quem reapse aliquandiu probatum rejecit. *Quòd* Appen. 4. Epist. 14. 15.
Ecclesia non fuerit prædicto Danieli concessa, sed ad probationem usque ad annum commendata; ita quidem, ut si non esset idoneus, & ejus conversationis & vitæ, cujus esse deberet, exinde amoveretur, ut Ecclesia illa liberè posset honestæ personæ concedi.

Hinc manarunt forsan Deportus, quos existimare possis initio Commendas veluti quasdam fuisse ad aliquot menses, vel ad annum, ut periculum fieret eorum, quibus Parochiales Ecclesiæ destinabantur magis, quàm concedebantur. Mirum est, si ea tamen Deportuum origo est, eò rem tam piè institutam non spectari jam à permultis, nisi tanquam exactiones quasdam pecuniæ ad Episcopos vel Archidiaconos redituræ. Certè ex ejusdem Pontificis Litteris manifestum est, Tornacensis tum Diœcesis Parochos de ingravescentibus Episcopi Tornacensis exactionibus acerbissimas in ejus aures Pontificis querelas deposuisse. Verùm ut eò reflectatur oratio, unde huc deflexit, rescriptum est ab eodem Pontifice ad Episcopum Ambianensem & ad Abbatem sancti Remigii, ut Ecclesiam Parocho huic suam restitui curarent, si & antè canonicè ab Episcopo institutus, & nunc sine canonica criminis convictione destitutus fuisset: *Si Ecclesia illi fuerit canonicè tradita, & postea de aliquo crimine non fuit convictus, aut confessus, propter quod ea de jure debuerit spoliari: ipsam ei faciatis restitui, &c.*

Quod

Quod hîc cursim attigimus etiam de Deportibus, approbari potest Decreto Concilii Turonensis anno 1163. Ibi enim cauterio censorio inusta est consuetudo, quæ tum illabebatur, Parochias ad annum conductis Presbyteris committendi.
Can. 5. *Quoniam enormis quædam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum Patrum constitutiones invaluit, ut sub annuo pretio sacerdotes ad Ecclesiarum regimen constituantur; id ne fiat modis omnibus prohibemus.* Et rursus Concilium Abrincatense anni 1172.
Can. 4. *Ecclesia Vicariis annuis non committantur.* Necesse ergo tunc erat, ut tam Vicarii, quam Parochi perpetui essent.

IV. Si quando Episcopi & Abbates eam sibi arrogarunt licentiam, ut obnoxios sibi Beneficiarios, prout collibitum esset, abdicarent: non Patroni tantum laïci eandem sibi usurparunt, quod non poterat non in summum vertere dedecus Episcoporum: sed Principes ipsi Regesque adgressi sunt, suo arbitratu Episcopos destruere, vel transferre. Id plane liquet ex Edicto Regis Hungariæ anno 1169.
Num. 40. quod Annalibus suis inseruit Baronius. Eo enim sese Rex successoresque astringit suos, ne amplius spolient transferantve Episcopos Regni sui sine consensu Romanorum Pontificum. Sed mox ibidem præcipit idem Rex, ne Episcopi suos Beneficiarios, nisi canonicè convictos spolient. *Nulli Episcoporum, Electorum, Præpositorum ac Abbatum, deinceps liceat de Præpositaris suis Præpositos removere, vel alias Ecclesiasticas personas, suis dignitatibus, aut Ecclesiasticis Beneficiis privare, nisi fortè fuerint de crimine convicti canonice, vel confessi.*

V. Hanc Innocentius III. discrepantiam Monachis, aliisque Beneficiariis interjecit, quòd non necesse sit easdem juris strictissimi formulas & morositates observare, ubi deturbandus suo loco est Claustralis aliquis Collegii Regularis Officiarius,
Can. 8. aut Administrator. *Hunc tamen Ordinem circa Regulares personas non credimus usquequaque servandum, quæ cum causa requirit, faciliùs & liberiùs à suis possunt administrationibus amoveri.* Ita ille in Concilio Lateranensi IV. anni 1215. cum processus Juridicos enarrasset.

VI. Porro idem ipsum Concilium agens de Canonicatibus vel Dignitatibus, quibus adnexæ sunt Parochiales Ecclesiæ, constituit, ut instituantur ibi Vicarii perpetui, cum portione congrua redituum.
Can. 32. *Nisi fortè Præbenda, vel Dignitati Parochialis Ecclesia sit annexa, in quo casu concedimus, ut is qui talem habet Præbendam, vel dignitatem, cùm oporteat eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa Parochiali Ecclesia idoneum & perpetuum studeat habere Vicarium, canonicè institutum, qui congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem.*

Can. 13. In Concilio Lateranensi III. prohibitum duntaxat fuerat, anno 1179. ne unus plures in posterum Parochiales Ecclesias administraret. Ita qui plurimas jam fuerant consecuti, eas nihilominus retinuerunt, in earum una residentes, in reliquis Vicariis perpetuis sibi subrogatis. Quod & in Constitutionibus Synodalibus Episcopi Sarum in Anglia
Cap. 85. confirmatum est anno 1217. *In aliis perpetuos ordinet*
Can. 13. 15. *Vicarios.* Concilium Oxfordiense anni 1222. non agit etiam nisi de Vicariis perpetuis.

Concilium Moguntinum anni 1225. cui præfuit Cardinalis Legatus, omnes nervos contendit, ut enormem extingueret consuetudinem, quæ altas jam radices egerat in Germania, ut Vicarii tempo-
Can. 12. rarii, & conductitii institueretur. *Quia enormis quædam consuetudo in quibusdam Alemanniæ partibus contra canonicas sanctiones invaluit, ut ponantur in Ecclesiis conductitii Sacerdotes, Vicarii tempo alii ne id fiat de cætero, authoritate legationis qua fungimur, inhibemus. Sed cum Vicarius poni debet & potest, perpetuo instituatur, idque assensu & authoritate Diœcesani & Archidiaconi loci illius.* Biterrense quoque Concilium anni 1233. nec Parochos voluit, nec Vicarios Ecclesiis regendis præfici, nisi perpetuos:
Rectores, seu perpetuos Vicarios, &c. Ut quælibet Parochialis Ecclesia proprium habeat & perpetuum Sacerdotem. Can. 11. 12.

Constitutiones Synodales sancti Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis anno 1236. ne Vicarios quidem sinunt à Parochis ejici, nisi justæ intercedant causæ. Concilium Campiniacense anni 1162. Can. 29.
vix ipsos patitur Archidiaconos & Archipresbyteros, vel Decanos rurales subrogare sibi absentibus Vicarios, cum assensu Episcopi. Concilium Bu- Can. 6.
dense anni 1279. pœnas decrevit adversus Archidiaconos, Parochosque, qui Vicarias suas Laicis, Clericisve conjugatis commendabant. Sed non hi Can. 10.
sunt Vicarii, de quibus hic sermo est, & quos revocabiles nunquam fuisse contendimus.

VII. Fateor equidem in hactenus laudatis Canonibus, in culpa maximè fuisse Patronos, qui in suæ ditionis Parochias latius se impuniusque dominaturos sperabant, si temporariis tantum eæ Vicariis committerentur. Sed ii tamen qui prolati sunt Canones, temporariis prorsus omnibus adversantur Vicariis, sive Patronus, sive Episcopus, sive denique Capitulum eorum intercedat perpetuitati. Cùm tot Concilia Episcopos præstiterint tutores Vicariorum & Parochorum irrevocabilium, adversum Patronos, pro arbitrio revocari eos à se posse venditantes; præposterum omnino fuisset, si Parochos ad nutum revocabiles voluissent Episcopi ipsi. Unde Concilium Salisburgense anni 1274.
In Beneficiis quibus licet per Vicarios deservire, volumus, ut viri idonei Episcopo præsententur, qui ipsos in hujusmodi Vicariis perpetuet. Can. 10.
Concilium Provinciæ Ausciensis anno 1326. vel ab ipsis Monachis præsentatos Episcopo Parochos Vicariosque, voluit esse perpetuos: *Quia ex quo instituti in eis sunt, censentur* Can. 30.
esse perpetui. A Monachis sancti Benigni Divionensis impetrata sunt privilegia, quibus Episcopi Lingonensis & Tullensis concesserunt, ut Parochos & instituere possent temporarios, & destituere. Preuves pour l'Histoire de Bourgogne. pag. 208. 224.

Fateri rursum cogimur à Gregorio IX. conces- Extra. De hæret. c. 11
sum esse ut pro Episcopis, qui accersendi erant ad majorum Clericorum judicia, assumat Episcopus Diœcesanus Abbates, aliosve Prælatos: quod & Tridentinum Concilium comprobavit. Fatemur etiam hic non agere vel Gregorium IX. vel Tridentinum, nisi de solenni degradatione, non de depositione simplici. Sed cum nemo nesciat Prio- Sess. 13. c. 4.
ribus sæculis unum idemque fuisse depositionem & degradationem: potuit quidem hactenus disciplinæ vigor remittere, ut non amplius ille idem Episcoporum numerus, ad deponendos Presbyteros & Diaconos esset necessarius, qui desiderabatur juxta Carthaginenses Synodos: sed infringi & debilitari usque adeo ille non potuit, ut ne Episcopus quidem proprius Canonicorum judiciorum formulis se accommodare dignaretur, ut id perficeret, quod olim nisi ab Episcopis compluribus fieri non potuerat.

Obiter moneho Concilium Rotomagense anni 1072. primùm videri declarasse, si sex ad Presbyteri, tres ad Diaconi judicium necessarii tum Epis-

copi, convenire non possent, opus esse, ut Vicarii saltem totidem ab Episcopis delegarentur. *Vicarium quisque suum cum sua authoritate transmittat.*

VIII. Non supervacanea censeri poterit hæc tanta Canonum testiumque congeries, si in mentem veniat tot Ecclesiarum Cathedralium Collegialiumque, quæ suam, quæ longe plurimas obnoxias sibi Parochias concredunt Parochis Vicariisque temporariis. Convenit Canonistis jure id licere. Addubitassent forsan nonnihil, si hanc expendissent continuatam traditionis seriem sibi adversantem. Non dubitat certè Fagnanus, quin optatissimum sit, ut promulget Pontifex Decretum, ut omnibus in Ecclesiis Vicarii instituantur perpetui. Propterea nimirum quod, ut ait ille, expeditissimum sit cuique Ecclesiæ, proprium ut habeat sponsum & pastorem. Diligentius curamus, quæ nostra singulorum sunt, quàm quæ cum multis communia. Dissident persæpe Canonici, in nominatione Vicariorum: revocant illos quandoque levioribus de causis; Vicarii ipsi mercenarii cum sint, minus student promovendis Ecclesiæ suæ commodis; à qua prorsus etiam desciscunt, ubi aliqua pinguior occurrerit. Vix adduci possunt, qui quantulocumque merito præstant, ut eos Vicariatus admittant. Ne plebs ipsa quidem ea est in Vicarios & conductitios observantia & religione, qua in Parochos & Pastores perpetuos. Denique qui videri potest non repugnare juri ea consuetudo Capitulorum, ubi in communi exercetur cura animarum, sed per Vicarios temporarios exercetur: cùm jure sanciatur, ut unaquæque suo gaudeat sponso Ecclesia, suo quælibet proprio fruatur Pastore? Ideo & Romæ in omnibus Patriarchalibus & Collegialibus Ecclesiis, quibus animarum Cura incumbit, perpetui sunt Vicarii, per quos ea geratur.

In C. Ex parte. De Officio Vicarii.

IX. Profert Gratianus Decretum Concilii Remensis: *Sicut in unaquaque Ecclesia unus Presbyter debet esse; ita ipsa quæ sponsa vel uxor ejus dicitur, non potest dividi inter plures Presbyteros, sed unum tantummodo habebit Sacerdotem, qui eam castè & sincerè regat.* Et Decretum Innocentii II. *Præcipimus ne conductitiis Presbyteris Ecclesiæ committantur; & unaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem.* In ipsis Decretalibus præcipitur, ut Canonici qui Præbendis suis annexas habent Parochias, perpetuos ibi constituant Vicarios. Bonifacius quoque VIII. Monachis præcepit, quibus subsunt Ecclesiæ Parochiales, ut ab Episcopo in eis curent Vicarios institui perpetuos. Ideo & Concilium Tridentinum apertissimè suffragari visum est Vicariis perpetuis: in illis etiam Ecclesiis, quæ unitæ sunt Ecclesiis Cathedralibus, Collegialibus, Abbatialibus, nisi videatur Episcopis speciali aliqua ratione minus id tum expedire. *Nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur.* Nisi ergo specialis aliqua subsit ratio, abigenda est revocabilium Vicariorum consuetudo. Et eo quoque sensu capienda est Congregationis Concilii Declaratio, posse à Capitulis Vicarios ad nutum destitui temporarios, non posse ab Episcopis, nisi eo casu, quo & perpetui destituerentur.

21. q. 2.

C. Extirpandæ de Præbendis. & C. Presbyteri, De Capellis Monach. in Sexto.

Conc. Trid. Sess. 25. c. 16. Sess. 7. c. 7.

Fagnan. in L. 3 Decret. Part. 2. pag. 393.

Quæ porro hactenus disputata sunt, ea nihil pertinent ad Parochos Regulares, nec ad eam qua fruuntur eos revocandi potestatem Prælati Regulares. Vide si vacat in eam rem Epistolam Stephani Tornacensis, & quæ referuntur in Bibliotheca Præmonstratensi. Consule & Acta Cleri Gallicani, ubi occurret Constitutio Ludovici XIII. Regis anno 1629. Art. 12. & Declaratio Regis Ludovici XIV. anno 1657. ad interpellationem Cleri edita, quæ jam non patitur, nisi perpetuis Vicariis mandari Parochias annexas Abbatiis, Prioratibusque, & Ecclesiis, seu Cathedralibus, sive denique Collegialibus.

Epist. 179. Bibl. Præmonst. pag. 285. 286. 287.

Memoires du Clergé. To. 1. pag. 300.

Poterat Episcopus Beneficiarios transferre ad Ecclesiæ utilitatem.

CAPUT XIX. *P. 1. l. 2. c. 6.*

Nec cedere, nec discedere poterant Beneficiarii nisi ex Episcopi assensu. Poterat eos Episcopus transferre. Non tamen invitos.

I. Senatu & consilio Cleri opus erat ad destituendos Beneficiarios, multo magis quam ad eos instituendos.

II. Probationes ex Concilio Antiocheno, quo Beneficiariis omnes assignantur Episcopi Parochiæ, hoc est Diœcesi.

III. Poterat Episcopus Clericos suos transferre in alias suæ Diœcesis Ecclesias: poterat & aliis Episcopis cedere, sed tum nonnisi consentientes.

IV. At Beneficiarii ipsi, nec cedere poterant, nec resignare, nisi consentiente Episcopo.

V. Consimili necessitati suberant Episcopi ipsi, pro suo modo.

VI. Canones stabilitatis & residentiæ Episcopis & Beneficiariis communes erant.

VII. Carthaginensis Canon copiam facit Episcopo Beneficiarios sui territorii transferendi in Cathedralem suam Ecclesiam, etiam renitentes. Qua de causa.

VIII. Pœna acerbissima in Clericos & Beneficiarios, vagos, nec residentes.

IX. Cur tam facilè tunc Clerici Ecclesiis suis discederent.

X. Divina vocatio, quæ Ordinatione ipsa suo Clero & Beneficiis Clericos alligat, stabilem firmitatem præ se fert.

I. SI ordinatus fuerat Timotheus, authore Paulo ipso, *cum impositione manuum Presbyterii*, hoc est Presbyterorum cœtus: & si etiamnunc ad eundem modum ordinantur Presbyteri: perspicuum hinc argumentum elicitur, quanquam solus Episcopus Presbyteros ordinet, Beneficiariosque instituat, Cleri tamen sui tum ei Senatum præsto esse debere. Idem sentiendum de eorundem destitutione, cujus Paulus idem ipse summam authoritatem penes Episcopum esse jubet; sed ea quæ potestati & copulanda semper, & æquanda saltem sapientia est, multò magis sine consilio destrui vetat, quàm construi. Hæc superioribus Capitibus elucidata sunt.

1. Timoth. 4. 14. Item. 5. 19.

II. Sed etsi non potest Episcopus, nisi observatis diligentissimè judiciorum Regulis, quos semel instituit, postea destituere, an ne transferre quidem potest ab Ecclesia una ad aliam suæ similiter Diœceseos? Et an vetantur ipsi Clerici, hærentes affixique eidem semper Diœcesi, ab una in aliam migrare Ecclesiam? Id verò est quod hic enodare aggredimur.

Non animadvertit Concilium Antiochenum, nisi in eos Clericos, qui discedunt ab Episcopi sui Diœcesi citra ejus assensum, ut aliis Episcopis se dedant. *Si quis Presbyter, aut Diaconus, & omnino quilibet ex Clero propriam deserens Parochiam, ad aliam properaverit; vel omnino demigrans in alia Parochia per multa tempora nititur immorari, ulterius ibidem non ministret: maximè si vocanti suo Episcopo, & redire ad propriam Parochiam commonenti obedire contempserit. Quòd si in hac indisciplinatione perdurat, à ministerio modis omnibus amoveatur, ita ut nequaquam locum restitutionis inveniat. Si verò pro hac causa de-*

C. 7.

positum alter Episcopus suscipiat, hic etiam à communi coerceatur Synodo. Idem hic est, atque undecimus inter Apostolicos Canones. *Parochia* hic ex primorum sæculorum usu vocatur, quæ nunc Diœcesis.
Can. 9. Alio rursus Canone ejusdem Concilii Parochia, παροικία, vocatur, Diœcesia seu territorium omne Episcopi: quas autem vocamus ruris Parochias, seu Parochiales Ecclesias, eæ ibi χῶραι vocantur. *Episcopos nihil agere oportet, nisi ea tantum quæ ad suam Parochiam pertinent, & possessiones ei subjectas.* τῇ ἑαυτοῦ παροικίᾳ, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις. *Unusquisque enim Episcopus habet potestatem suæ Parochiæ* τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, *ut regat & providentiam gerat omnis possessionis, seu regionis* χώρας, *quæ suæ urbi subest, ita*
Can. 10. 18. *ut Presbyteros & Diaconos ordinet.* Canone sequenti agitur de Chorepiscopis, qui demorantur in vicis,
Conc. Anc. Can. 18. ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ταῖς χώραις. Eædem ipsæ voces vocumque significationes obviæ sunt passim, tum Conciliis in aliis, tum in Patrum litteris ejusdem ævi. In
Conc. Calched. c. 17. Concilio quidem Calchedonensi Ecclesiæ ruris appellatæ sunt *Parochiæ*; sed additum est *ruris*: ἀγροικικὰς παροικίας. Patet ergo hoc Antiocheno Canone non collineari, nisi ut prohibeantur Presbyteri & Clerici omnes inferiores, recedere à Diœcesi & Episcopo, cui sua illos nexu & mancipio ordinatio illigavit.

III. Concilium Carthaginense IV. non finit Episcopum ex una Diœcesi in aliam migrare, sine assensu Synodi Provincialis: at Episcopo potestatem facit Clericos suos ab Ecclesiis suis aliis in alias transferendi, adeoque aliis permittendi Episcopis.
Can. 27. *Inferioris verò gradus Sacerdotes, vel alii Clerici concessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias transmigrare.* Cum hic conjunctim agatur de Episcopis & de Clericis, hinc emicat de translatione agi ex una Diœcesi in aliam. Sed hinc illud certissimè concludetur, posse Clericum ab una in aliam ejusdem Episcopatus Ecclesiam traduci ab Episcopo, à quo potest & in alium Episcopatum. Sed non perfunctoriè legendum illud est *posse Clericos transmigrare*; eo quippe innuitur apertè, non Episcopi tantùm, sed & ipsorummet consensione rem perfici debere.

IV. Hinc rursus illud emergit, nisi permittente Episcopo, nec cedere, nec discedere, nec aliis sua resignare Beneficia potuisse Clericos. Si potuissent enim, potuissent utique postea ad alias migrare Diœceses. Atqui id minimè poterant; ut liquet ex iis quæ coacervata superius fuere, de necessaria omnium Clericorum residentia. Et qui potuissent, quos tam diversis validissimisque vinculis suprà ostendimus Episcopo suo constrictos fuisse?

V. Jubet Antiochenum idem Concilium, ut Episcopi, qui semel ordinati detrectarint ad destinatum sibi gregem pergere, excommunicationi subjiciantur, nec solvantur eo vinculo, donec morem
Can. 17. 18. gerant: *Donec susceperit coactus officium.* Huic legi pœnæque non eximuntur, nisi ii, qui recepti non fuerint, vel propter contumacius alienatos plebis animos, vel obice quopiam alio inexpugnabili. Quibus ita constitutis, ne optandum quidem est, ut meliore Presbyteri conditione fuerint, quàm Episcopi; potuerintque à commendatis sibi Ecclesiis impunè abire. Lex eadem cœlestis oraculi & vocationis divinæ, quæ cogebat Episcopos impactum sibi jugum subire, in Diœcesi, immo & in Cathedrali Ecclesia residere, non unquam ambire sedem quancumque, & Ecclesiam aliam, denique constanter immorari, insenescere, immorique stationi, cui eos Numinis providentia affixisset: eadem inquam lex, & superna vocatio, ad Presbyteros Diaconosque & Clericos prorsus omnes manabat, eandemque constantiam & stabilitatem præscribebat.

VI. Non permittit Concilium Africanum Episcopis, ut ab Ecclesia Cathedrali sua recedant, aut in alia Diœcesеos suæ Ecclesia demorentur diutius, aut sedem figant. Can. 32. An ergo per eosdem Canones licebit Presbyteris, & suis omnino demigrare Ecclesiis, & in alias ejusdem migrare Diœceseos? Hanc animi levitatem & inconstantiam in Episcopis juxta, atque in aliis Beneficiariis damnavit Calchedonensis Synodus: *De his qui transmigrant de civitate in civitatem Episcopis aut Clericis, placuit, Canones qui hac de re à Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.* Can. 5.

VII. Ex adverso autem damnat Carthaginensis Canon in Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ relatus, eorum contumaciam Clericorum, qui Ecclesiæ suæ etiam plus nimio affixi, renituntur Episcopo in Ordinem sublimiorem, & in aliam eos Ecclesiam traducere cupienti. *Item placuit ut quicumque Clerici vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere; nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.* Can. 31. Sed non illud tamen eo Canone significatur, posse Episcopum Clericos omnino suos & Beneficiarios omnes suis abjungere Ecclesiis, & adjungere aliis arbitratu suo. 1. Nec enim ibi nisi de Diaconis agitur & inferioribus Clericis. Non ergo ad Presbyteros, Parochosque ea res pertinere potest. 2. Nec agitur nisi de Clericis, quos Episcopus evehere cupit in superiorem gradum. Altera hæc ergo ratio est, qua constat de Presbyteris non agi. 3. Non agitur nisi de iis, quos contendit Episcopus ab agresti Parochia ad Cathedralem suam transferre. Certum est autem ordinatione Clericos addictos subditosque fuisse universim & primariò Episcopo & Ecclesiæ ejus Cathedrali. Itaque ubi rus ablegabantur, in Ecclesiis ibi sitis ministraturi, illud tacitè cavebatur tamen, posse eos ad Cathedralem deinceps revocari aliquando, cui jam inde ab initio suæ ordinationis potuissent astringi. Quod de Diaconis, & de Minoribus Clericis proclivius est intelligere, quàm de Parochis, qui cum Ecclesia sua privata arctioribus nodis constringuntur. 4. Itaque nisi malitiosè Anatolius non tam augere Presbyteratu Ætium, quam Archidiaconatu dejicere voluisset: potuisset forsan jure cum eo agere, ut ad Ecclesiæ utilitatem, forsan & necessitatem Presbyterum ordinari se pateretur.

VIII. Damnat Gelasius Papa temerarios propriarum Ecclesiarum desertores. *Quisquis propriæ desertor Ecclesiæ, nullis existentibus causis, ad aliam putaverit transeundum, &c.* In Decret. c. 23. Innovatque Canonem Nicænum, quo jubetur, ut Episcopus, Presbyter, C. 15. Diaconusque cogantur redire ad Ecclesiæ gubernacula, à qua defecerunt. Strictim tamen Gelasius tangit subesse posse justas causas deserendæ Ecclesiæ, cui se quis dicarat. Ejus rei onum, aut alterum profert Synesius exemplum in Epistola ad Theophilum Episcopum Alexandrinum, ubi desertores hos, vagosque Clericos vocat βακαντίβους, Latina voce *Vacantivos*, ad Græcæ linguæ usum deflexa. Sic autem ille statuit, abjiciendos eos esse communione, quocunque se contulerint, & pia hac inhumanitate cogendos ad Ecclesias suas regredi. Excipit tamen

eos, qui contumacissimam obstinationem creditarum sibi plebium nulla arte perfringere potuerunt; & quorum Ecclesiæ dirutæ fuere. *Hi certam nullam*
Epist. 67. *sedem habere volunt, qui quam habebant antea reliquerunt, non calamitate expulsi, sed sponte locum mutantes. Honoribus porro fruuntur, ea vagantes, ubi majus compendium est. Mihi verò, Reverende Pater, ita videtur, oportere iis qui suas Ecclesias deseruerunt, omni Ecclesia interdici, & priusquam illuc redeuntes se receperint, neminem eos ad altare admittere, neque ad primas sedes invitare, sed vulgaris illos in plebeiis subselliis relinquere, cùm in Ecclesiam irruperint. Cuò enim referent se, ubi de honore periclitati fuerint, quem capere ubivis malunt; quàm ibi, ubi convenit. Malent autem illic saltem, quam nusquam omnino percipere.* Theophilum quoque consulit Synesius, quæ sibi ratio tenenda cum Episcopo, qui populi seditione ab Ecclesia sua effugatus, nunc tamen eo emollito, faciles eò aditus habiturus, si velit, malit in ipsa Synesii civitate usque degere & peregrinari.

IX. Insinuata est à Synesio ratio, quamobrem tam frequens prioribus his sæculis esset hæc defectio, & fuga à propriis Ecclesiis. Episcopi, Presbyterique, & alii Clerici, proprias non rarò Ecclesias deserebant, quòd certi essent se aliis in Ecclesiis excipiendos esse honorificentissimè, & iisdem emolumentis ac commodis potituros, ac in propriis Ecclesiis, quanquam non paribus gravarentur laboribus, aut curis angerentur. Ea erat enim Canonum Disciplina, ea Ecclesiarum humanitas, largitasque effusissima in hospites, ut iisdem & honoribus & commodis abundarent, atque in Eccle-
Can. 20. siis suis. Jusserat Arelatense Concilium, *Ut peregrino Episcopo locus sacrificandi daretur.* Concilium Sardicense declarat, invitari solitos Episcopos, qui interim alicubi hospitarentur, ut ipsi ad popu-
Can. 14. lum concionarentur. Duo hæc Officia complectitur
Can. 33. Canon Concilii Carthaginensis IV. & utroque coli jubet Episcopos hospites. *Episcopi, vel Presbyteri si causa visitandæ Ecclesiæ ad alterius Ecclesiam venerint, in gradu suo suscipiantur, & tam ad verbum faciendum,*
Epist. 57. *quam ad oblationem consecrandam invitentur.* Agit alicubi Ambrosius de religiosissimo Presbytero, qui *in ultimo Persidis sinu* profectus erat, & *post diuturnos labores*, in Italiam venerat, elegeratque *Campaniæ littora & amœnitates*, ubi extremum beatumque vitæ mortalis finem immortalitatis auspicem opperiretur. Attulerat utique ille commendatitias Episcopi sui litteras, quo uno opus erat ut ab Ecclesiis Italiæ non necessaria tantum vitæ subsidia acciperet, sed & cœli solique deliciis abundaret. Hac temporalium spiritaliumque bonorum communione, nihil religiosius, nihil amabilius, & hinc tamen captata est à non paucis ansa, proprias dimittendi Ecclesias, & in alias immigrandi. Huic ergo
Can. 14. malo ut mederetur Concilium Sardicense, vetuit ne ultra tres hebdomadas peregrini Episcopi eadem in civitate hac Ecclesiæ humanitate foverentur. Synodi posteriores, & Synesius ipse, ægrescente malo austerioribus remediis utendum censuere. Denique ad excommunicationes deventum est.

Summa horum omnium ea est, stabilem inconcussamque esse vocationem cœlitus insonantem, Clericosque suis singulos innectentem Ecclesiis, ut ex eorum ordinatione & consecratione claresc. Jam non possunt ergo ipsi devolare ab una Ecclesia in aliam, cùm ita versatilis & volatica non sit divina vocatio. In Episcopis res clara & indubitatissima est. At Canones antiqui in ea quidem re Clericos omnes Episcopis æquabant, ut non pro libidine quisque sua desponsas sibi divinitus Ecclesias dimitterent, aut ad alias commigrarent.

CAPUT XX. *P. 2. l. 2. c. 5.*

Sæculo sexto, septimo & octavo Clericorum cessiones admittere, vel translationes facere non poterat Episcopus, nisi ad Ecclesiæ utilitatem & necessitatem.

I. Ad stabilitatem Clericorum pertinet hæc quæstio.
II. Probationes quod in Ecclesia Græca non possint Clerici una ex Ecclesia in aliam migrare, nisi Episcopi jussu.
III. In Italia ne electus quidem ad Episcopatum Clericum acquirere poterat, nisi permittente Episcopo.
IV. De permutationibus in Gallia.
V. In Hispania poterat Episcopus Parochos rusticanos transferre in Cathedralem suam Ecclesiam. Quibus legibus.

I. EX necessaria Clericorum stabilitate proficiscuntur hæc omnia, ut nec ipsi Ecclesias suas deserere, nec eas aliis resignare possint, nec in alias ab Episcopo transferri, vel vicissim permitti, ut permutent, nisi ad Ecclesiæ ipsius utilitatem perspicuam, aut gravem aliquam necessitatem.

II. Damnatur in Trullana Synodo levitas, ambitio, & contumacia Clericorum, qui à propriis deficientes Episcopis, Ecclesiisque & Diœcesibus, aliis se Episcopis Ecclesiisque adglutinant, injussu proprii Episcopi. Hi sanè ministerio omni suspenduntur, donec aut dimissorias à proprio Episcopo acceperint, aut prioribus se reddiderint Ecclesiis. *Nullus Clericus in quocumque sit gradu, potestatem* Can. 17.
habeat sine proprii Episcopi scriptâ dimissoriâ in aliena Ecclesia Catalogum referri. Habes hic priscas litteras Dimissorias, ἔγγραφα ἀπολυτικά; non ut Ordines ab alio Episcopo quisquam acciperet, non ut recederet à prioris Episcopi obsequio, vel à cujuscunque Episcopi nexu sese expediret: sed ut à priore quis Episcopo suo prorsus absolveretur, à quo Ordine vel Beneficio donatus erat: atque ad alterius Episcopi ditionem accederet, à quo deinceps posset & ordinari in reliquum vitæ tempus, & Beneficiis ornari. Addit porro Synodus quos irruens à Bar- Can. 18.
barorum colluvione procella ab Ecclesiis effugavit, cùm primùm pax & serenitas rursum illuxerit, remigrare ad eas debere.

III. Cùm Anconitana vacaret Ecclesia, & plurimorum suffragatio in Florentium Diaconum Ravennatem propenderet: monuit Gregorius Papa, ut electores eum ab Episcopo Ravennate postularent, ut ab eo in Ecclesiæ Anconitanæ transferretur jus; & ne de voto Pontificis quidquam significaretur, ne hine vel tantillum libertas ejus videretur arctari. *Florentio Diacono Ravennati, si nullum* L. 12. Ep. 6.
crimen est quod obsistat, apud Episcopum ejus agi necesse est, ut ei debeat cessionem concedere. Non tamen ex nostro mandato, vel edicto, ne contra suam voluntatem eum cedere videatur. Sed hoc ut norunt ii, qui eum eligunt, ex se agant.

IV. In Concilio Aurelianensi III. de permutatione ab Episcopo facienda mentio fit, sed rerum magis quàm personarum. Quanquam enim non posset Episcopus retractare largitates antecessorum suorum, poterat tamen Beneficiarios cogere, ut quos acceperant in Beneficium fundos, eos aliis permutarent, si in rem Ecclesiæ id esse existimaretur, & decrevisset Episcopus. *De quibus tamen munifi-* Can. 17.
centiis, quæ præsenti tempore ab his possidentur, si pro

opportunitate Episcopo placuerit; quod voluerit commutare, sine accipientis dispendio, in locus alius commutetur. At quoad personarum translationes, Pappulus Episcopus Carnotensis ad Patres Concilii IV. Parisiensis conquestus est de Presbytero Promoto, qui sine licentia prædecessoris sui scripto data, Parochia sua excesserat: *Qui reliquerat sine litteris antecessoris mei cellulam suam*, invaseratque Ecclesiam Castri Dunensis, obtentu novi Episcopatûs, authoritate regia ibi excitati.

Can. 12. V. In Hispania verò à Concilio Emeritensi definitum est, cùm possint Episcopi alii aliis vicissim Clericorum suorum aliquos gratificari; multò æquiùs posse quemlibet Episcopum ad Ecclesiam suam Cathedralem accersere & adoptare eorum aliquos, quibus Parochias rutis antè crediderat: facta illis potestate alios in locum suum sibi Parochos subrogandi, quibus congruam portionem impartientur, sicut & aliis Clericis, quos illis adjungent: primaria in prioris Ecclesiæ reditus potestate sibi servata: & nomine, aut certè jure ipso Primarii Parochi. Notabiles sunt hæ circumstantiæ omnes, ut è quibus scaturierint complusculæ disciplinæ consuetudines. 1. Transfert enim hîc Parochos suos Episcopus, sed ut ad eminentius culmen eos invehat, ad Cathedralis Ecclesiæ suæ sedes. 2. Ea erat probabiliter prærogativa honoris, Cathedrali & matrici Ecclesiæ affixa: quare nec ad alias illos Ecclesias transferre Episcopus potuisset. 3. Hic jam Parochus in Cathedralem Canonicum provectus, primarium pergit agere se Parochum, successorem sibi suum deligit, ministros et designat inferiores, reditus omnes ipse colligit, ipse dispensat, pro æquitatis suæ moderamine. Textum Canonis alio loco proferemus. Porro his mutationibus omnibus uni consulebatur Ecclesiæ utilitati.

CAPUT XXI. *P. 3. l. 2. c. 5.*

Transferre poterat Episcopus Beneficiarios inferiores, & eorum resignationes admittere sub Imperio Caroli Magni.

I. Hoc Episcopi potestas utilitati servit & necessitati Ecclesiæ.

II. Parochi, sicut & Episcopi, migrare non possunt, transferri possunt ab Ecclesia una in aliam.

III. IV. Probationes ex Capitularibus & ex Hincmaro. Rationes canonicæ hujus translationis.

V. Resignationes quæ in manus Episcoporum fiebant, simplices erant. Praescripta inde sollicitudo.

VI. Frequentissima erat abdicandarum Parochiarum causa, professio religiosa, aut ejus propositum.

VII. Exempla resignationum in favorem.

VIII. Quantum periculi sit in resignandis proximo cuicumque Beneficiis. Si meritis tamen præstent, abjiciendi non sunt.

IX. Ut ingemiscebat Hincmarus, & institutionibus & ordinationibus à se factis.

I. QUanquam non possit Episcopus Clericos ad libitum depellere Ordinibus, Beneficiis, Dignitatibus, & ne ipsa quidem gradûs aut sedis prærogativa, nisi ex norma juris & judicii Canonici: potest tamen illos traducere ab una Ecclesia in aliam, aut eorum admittere cessiones, dum in eo utrimque uni Ecclesiæ serviatur utilitati & necessitati. Minor esset vilorque potestas Episcopi, si ita in omnibus dominaretur, ut non ipsi priùs dominarentur æternæ leges justitiæ & charitatis: quæ ipsæmet sunt leges & regulæ, quibus ipsa Dei regitur omnipotentia. Est enim omnino Dei omnipotentia, sapientiæ & justitiæ potestas summa.

II. Concilium Remense II. & Turonense III. anni 813. Parochis prohibuere, ne à minore ad majorem Ecclesiam immigrarent, easdemque immorigeris decrevere pœnas, quas & Episcopis infligunt Canones, primas suas sponsas repudiantibus, ut opulentiores alias sibi adjungant. *De Titulo minori ad majorem migrare nulli Presbytero licitum est, sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est. Quod si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia, qua Episcopus si de minore ad majorem transmigraverit sedem.* Hinc necessariò illud nascitur & spontaneas transmigrationes semper in vitio esse, quod vel ab opum, vel ab honorum cupiditate proficiscantur: & in laude esse posse translationes ut Episcoporum, ita Parochorum, cùm uni Ecclesiæ utilitati donantur, & authoritate fiunt superioris, sive Episcopi in Presbyteros, sive Synodi Provinciæ in Episcopos ipsos excubantis. Can. 10. Conc. Turon. c. 14. et Add. l. 3. c. 50. et Concil. Namnet. can. 16.

III. Astipulantur apertissimè Capitularia Caroli Magni huic Episcoporum, nec aliorum prorsus quam Episcoporum facultati, Parochos ex una Parochia in aliam traducendi. *Presbyteri qui sine jussione proprii Episcopi de Ecclesiis ad alias Ecclesias migraverint, tamdiu à communione habeantur alieni, quamdiu ad easdem redierint Ecclesias, in quibus primitus sunt instituti.* L. 6. c. 25. Nec sufficit Patronorum nominatio cum assensu Parochorum, nisi interveniat authoritas Episcopi: *Nullus Presbyter creditam sibi Ecclesiam sine consensu sui Episcopi derelinquat, & laicorum suasione ad aliam transeat.* L. 6. c. 177. Si prior Ecclesia transmigrante Parocho uno alium statim acceperat, vacare cogebatur qui transmigrarat & opperiri, quamdiu superstes esset successor suus. *Quod si alius alio transmigrante, in locum viventis ordinatus est, tamdiu vacet Sacerdotii dignitate, qui suam deseruit Ecclesiam, quamdiu successor ejus quiescat in Domino.* L. 7. c. 73.

IV. Nec rigor iste Canonum erat, sed indulgentia, cui nec ipsi acquiescebat Hincmarus, sed sacris Canonum institutis, quæ edicunt, ut tum utraque careat Ecclesia unius desertor, alterius incubator Parochus, sive Episcopus. *Sicut de Episcopo canonica decrevit authoritas, ut qui per ambitionem majorem civitatem adpetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat, quam usurpare tentavit.* Capitul. Hincmar. c. 17. Conc. Gall. Tom. 3. p. 622. Parochi non pauci palliatæ pietatis fuco nescio quo, Canonicorum cœnobia frequentabant, urgebantque, ut iis non abdicata Parochia adscriberentur. At obvius illis infestusque prodibat Hincmarus, professiones tam diversas sociari non posse: nec se permissurum, ut in eas societates adoptentur, nisi suis se priùs exuant Parochiis. *Si quisquam Presbyter Parochiæ nostræ, aut infirmitate corporis, aut latente animæ peccato, senserit se non posse proficere plebi sibi commissæ, vel non debere præesse, & voluerit Monasterii portum ad agendam pœnitentiam secundum decreta B. Leonis expetere; professionis suæ libello ab ordine & titulo atque regimine plebis secundum Gregorii decreta se exuat, ut in Monasterium intret.* Pag. 638.

Et vel hic tamen Hincmarus duas indigitat rationes, & causas justissimas, quibus stimulati possint Parochi Episcopo resignare creditas sibi Ecclesias, & in Monasteriorum secessum otiumque sacrum se recipere. Primùm quidem si corporeis ægritudinibus conflictatus quis, jam minus possit gregi suo consulere & invigilare. *Si infirmitate corporis senserit se non posse proficere plebi sibi commissæ.* Secundò siquid occulti sceleris obrepserit, quo maculetur

ejus conscientia, nec jam possit satis tutò sacra ministeria obire. *Si latente anima peccato senserit se non debere præesse.* Si neutra interveniat causa, non potest quidem ille impositam sibi sarcinam excutere, quanquam possit Episcopus, cui procurandæ incumbunt omnium Ecclesiarum necessitates, illum aliò transferre. *Sin autem. Ecclesiam suam, & plebem sibi commissam secundum sacras regulas teneat & gubernet.* Ibidem.

Herardus Turonensis Archiepiscopus quanquam universim prohibeat, & Presbyterorum, & quorumvis Clericorum voluntarias transmigrationes, ut in quas non impellat nisi terrena & immoderata cupiditas: *Presbyter de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris Ordinis Clericus:* Presbyteris tamen Diaconisque concedit, ut ad alias transeant Ecclesias, si modò ita flagitent plebes, si annuant Episcopi, si uberior affulgeat Ecclesiasticæ utilitatis spes. *Si Presbyter aut Diaconus deserit Ecclesiam suam, deponatur, nisi petitione populi, licentiaque Episcopi & utilitate majori.* Ibidem. Cap. 47. 48.

V. Puræ tum erant simplicesque Beneficiorum resignationes in manus Episcopi; nec nisi fraudulenta collusione poterat quis proximis vel amicis ea quidem in re gratificari. Porro fraudes artesque istiusmodi nefariæ, execrationi semper fuere. Ejus rei exemplum suppeditat Hincmarus, qui ipsemet suadente Archipresbytero Sigloardo, Parochi cessionem admiserat, & vix tandem intellexit, ut circumventus fuisset fraudulenta Parochi ludificatione, qui ex amicis & alumnis unum subrogari sibi pervicerat. *Presbytero consenserat, ut libello sua professionis à regimine plebis sibi commissa redderet se alienum: & alium in suo loco expeteret ordinandum, sed colludium quod habebat factum, sibi celaverat, videlicet ut alumnus ejus, sine consensu Senioris sui, in loco ipsius ordinaretur.* Flodoard. Hist. Rem. L. 3. c. 28.

VI. Ea porro erat causa harum cessionum creberrima, ardor quidam æstusque amplectendæ cum laboribus suis professionis religiosæ. Archiepiscopus Senonensis Ganelo duos suæ ditionis Parochos copiam adeundi pii hujus secessus petentes rejecerat: donec ad eum Lupus Ferrariensis Abbas, in cujus illi cœnobium admitti ambiebant, litteras dedit luculentissimas in eam rem, quibus edocet conjugium spiritale, perinde ut carnale, quamvis indissolubile sit, ejus tamen legi & voluntati subjici, qui hanc illi inconvulsam contulit firmitatem, & qui utrobique nonnunquam, quos copulaverat, sejungit, ut eorum posthac in claustro, immo in cœlo conversatio sit. *Namque qui jussit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet, idem quia Deus est, quoties libuit, conjugia separavit.* Plura ejus Epistolæ testimonia in alium locum conjecimus. Hoc ipsum conjugii exemplum protulit multis pòst annis & Innocentius III. ut evinceret posse à Pontifice admitti Episcoporum cessiones: uti ex eo hic Lupus Parochorum resignationes approbarat. Utrobique enim Pontifex summus & Episcopus quilibet spiritale conjugium dissolvunt, divina quadam vi & authoritate, quanquam ejus quoque suo quodam modo inexplicabiles nodi sint. Epist. 29. L. 2. c. 32.

VII. Simplices eæ erant & puræ resignationes, mixtas nunc profero; ubi interveniebant resignantis preces in gratiam alicujus: quas aspernari cùm omnino posset Episcopus, iis tamen utplurimum obsecundabat. Lupus ille idem Ferrariensis ad eundem scripsit Senonensem Archiepiscopum, quo propitiaret illum, inclinaretque ad Parochi vota, ut ejus Parochia in nepotem Diaconum jam decoratum transferretur. Usque adeo autem oculorum invaletudine laborabat hic Parochus, ut sacerdotale munus obire vix posset. *Peto ut ad supplicationem Geraldi Presbyteri, N. Diaconum ejus propinquum in ipsius titulo dignemini ordinare, quoniam difficultate visus, frequenter non sufficit sacerdotale munus implere.* Epist. 73.

Memorat Flodoardus ipse in Historia, se anno ætatis septuagesimo Prælatura ultro sua abiisse, qua eligentibus Canonicis statim ab Episcopo investitus sit nepos ejus: *Ego verò fractus ætate & attritus infirmitate, ministerio me abdicavi Prælatura, coram eodem Præsule. Quique me hoc absolvens jugo, imposuit illud per electionem fratrum meorum Flodoardo nepoti meo, septuagesimo ætatis meæ anno.* Du Chesne To. 2. pag. 622

VIII. In suspiciones, adeoque in reprehensiones hominum semper incurrerunt nominationes istæ, vel electiones nepotum proximorumque. Nec tamen jure quisquam existimarit, Episcopos, Beneficiariosque omnes abhorrere semper debere à cognatis suis sibi substituendis, etiam tum, cùm & virtutum ornamentis clari sunt, & illis pollent dotibus, quæ ad Ecclesiæ utilitatem, animarumque salutem promovendam optatissimæ sunt. Non tacet Hincmarus, invidiam hinc sibi conflatam fuisse, quòd nepotem suum ad Laudunensem provexisset sedem. Respondet autem hinc concerpi se non immeritò posse, si Episcopos nunquam alios nisi ex cognatis promovisset suis: cognatione nec merita parari, nec obicem objici iis, qui aliunde cœlestis oraculi voce, Canonumque suffragiis vocantur: cum Christus ipse cognatorum nonnullos suorum Apostolatu auxerit. *Reputatur etiam mihi quod te nepotem meum gratia propinquitatis Episcopum ordinaverim: quasi non & alii per me sint ordinati Episcopi, qui non sunt mihi carne propinqui. Et nolunt attendere mihi hoc reputantes, quia non impedit ad quemquam ordinandum carnis propinquitas, si ordinandus fuerit electus, & petitus secundum Ecclesiasticas regulas. Nam & Dominum à quo & per quem cœpit Episcopatus, carne sibi propinquos legimus ordinasse Apostolos.* Hincmar. To. 2. pag. 538.

IX. Nec dissimulabat tamen Hincmarus, non posse se non sæpiuscule ingemiscere & contremiscere, hinc terrifica Dei judicia cogitantem, inde verò factas à se ordinationes, promotiones, collationesque Beneficiorum. *Sed licet in te nepote meo egerim unde gemo, quia nescio, qualiter de hoc, & de aliis meis factis, terribilis in consiliis super filios hominum, in occulto judicio suo, qui posuit tenebras latibulum suum, disponat: scio tamen omnipotentem advocatum, & misericordem judicem meum, & cui gemitus meus non est absconditus.* Ibidem.

CAPUT XXII. *P. 4. l. 2. c. 7.*

De solius Episcopi potestate, ad resignationes Beneficiariorum admittendas, maximè Parochorum, itemque ad eorum translationes hac extrema ætate post annum Christi millesimum.

I. II. Potestas canonica Episcoporum ad sua ditionis Beneficiariorum resignationes, translationes, permutationes. Necessarius Capituli consensus, ubi de Canonicis agebatur. Aliæ & aliæ probationes.

III. Quando frequentiores esse cœperint hæ resignationes, & quibus de causis. De resignationibus in favorem in manus Episcopi.

IV. Resignationes Abbatibus factæ.

V. VI. Tria magnopere precavenda in resignationibus iis, quæ coram Ordinario fiunt.

VII. Interfuit plurimum ad Ecclesiæ salutem, ut ne Beneficia hæreditaria evaderent.

VIII. Preclara in primis Epistola Hildeberti adversus resignationes Beneficiorum in proximos.

IX. Incontinentia Clericorum eos ferè ad id adduxerat, ut Beneficia in suos quasi hæreditario jure transmitterent.

X. XI. Decretum Concilii Tridentini in hanc corruptelam, & adversus Regressum. De Regressu.

I. EAm quidem ipsi sibi suavissimam induerunt Episcopi necessitatem, ut ne excutere gradu suo Clericos possent, nisi cogerent Canones, canonico instituto judicio: sed admittendarum cessionum, faciendarumque translationum beneficam authoritatem non illubentes exeruerunt. Cùm in manus Gregorii VII. resignasset Decanus Ecclesiæ Lugdunensis Beneficia complura, quæ inconsulto Capitulo, cujus in potestate ea erant, usurpaverat: tum verò præcepit idem Pontifex, ut & reliqui Canonici resignarent in manus Archiepiscopi sui Beneficia omnia, quæ pretio comparaverant. Odonis Parisiensis Episcopi Constitutiones Episcopo soli integram servant facultatem excipiendarum resignationum, ubi de Parochis agitur. *Inhibetur ne faciant resignationes Ecclesiarum in manu Abbatum, vel quorumlibet Patronorum, sed in manu Episcopi, vel Prelati sui.*

L. 6. Ep. 36.

Cap. 9. n. 8.

In Concilio Nemausensi anno 1096. explosa est illa Clericorum, sive opum insatiata, sive honorum cupiditas, qui alia ab Ecclesia ad alias sese transferunt, minimè assentiente Episcopo. *Quod si ambitionis vel cupiditatis causa ad aliam ditiorem migraverint Ecclesiam, utramque amittant.* In Concilio Mont-Pessulano prohibentur Monachi Canonicique Regulares, ne sine causa canonica & Ecclesiæ utilitatibus profutura ab his Ecclesiis ad alias transvolent. *Nisi propter majorem religionem vel aliam justam causam à Canonibus approbatam.* In Concilio Arelatensi anni 1275. vetitum est, antè permitti Parochos Ecclesiis suis abire, quàm omnium rerum rationem Episcopo reddiderint. *Donec de Cura sibi commissa coram Prelato suo reddiderint rationem.*

Can. 9.

Can. 25.

Can. 22.

Eos vehementissimè objurgat Petrus Cantor, qui Beneficium quodlibet exuunt, ut pingue aliud adipiscantur. *Si iste legitimè sortitus est Ecclesiam, & quærit occasionem, ut eam dimittat, quia alia pinguior est, & uberior, secundum pœnam constitutam in Canonibus puniri debet, & in ea manere omni tempore vitæ suæ.* Damnat idem ipse permutationes, quæ fiunt ad privatum potius compendium, quàm ad Ecclesiæ utilitatem. Nec tamen affirmare audet, quòd etiam tum simoniacæ sint, cum de licentia Papæ fiunt. *Nota tamen quod commutatio & personarum, & Beneficiorum, authoritate Ecclesiæ facta, & ob utilitatem ejus admittitur. Quæ verò fit propter temporale commodum, ubi attenditur scilicet magis propria utilitas, quam Ecclesiæ, naevum habere videtur. Nolo tamen os meum in cœlum ponere, ut asseram hoc esse simoniacum, cum summus Pontifex Alexander hujusmodi commutationem fieri ex dispensione concesserit, nescio, sive in scripto, sive sine scripto.* Damnat hic Scriptor permutationes has omnes, temporali tantum lucro servientes; quanquam ubi Superiorum licentia & dispensatione fiunt, simoniacas prædicare non audeat. Est in cœlis Tribunal incorruptum, ubi dispensationes istiusmodi omnes æquissima lance ponderabuntur, & ubi causam dicent, apud quos causam hic dicunt alii omnes.

Cap. 40.

II. Permutari Dignitates Ecclesiasticas vetuit Concilium Turonense anni 1163. sub Alexandro III. *Divisionem Prabendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.* Inde quæsitum est, permutare Præbendas an liceret. Urbanus III. definit non licere, propterea quod in rebus spiritalibus pactiones omnes simoniacæ sunt: posse tamen Clericos ab Episcopo ab una in aliam transferri Ecclesiam, si ei visum esset ita ad utilitates Ecclesiæ expedire. *Si autem Episcopus causam inspexeris necessariam, licitè poteris de uno loco ad alium transferre personas, ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi valeant utilius exercere.* Quæ mox sequuntur Decretales duæ Innocentii III. apertissimè demonstrant, non potuisse sua sponte permutare Clericos sua invicem Beneficia, potuisse autem authoritate Episcopi interposita.

Can. 1.

C. Majoribus. De Prebendis.

C. Quæsitum. De rerum permutat.

Hildebertum Cenomanensem Episcopum exoraverat Audegavensis Canonicus, ut veniam sibi ab Episcopo Andino impetraret, resignandi Canonicatus, & nepoti transcribendi. *Excanonicari postulabat, tuumque tibi nepotem substitui.* Narrat ipsemet, ut Episcopum inflexisset tandem, quo postulatis annueret, seu tuenda sibi veteris amici gratia foret, seu declinanda inimici ira: at intercessisse Canonicos alios, & rem totam dissipasse, illud nimirum subverentes, ne patruum superaret nepos, & ne fraudes versutiasque easdem sectaretur. Etsi ergo totum erat in potestate Episcopi; erant tamen & aliquæ Canonicorum partes, ubi saltem de Canonicis ipsis tractabatur.

Epist. 35.

Commemoratum est à Petro Abbate Cluniacensi, uti Matthæus ille, Cardinalis exinde, & Albanensis Episcopus, in juventæ flore Canonicatum aliaque Beneficia sua in manus Episcopi dimiserit, veritus, ne pater suus vir prædives, nec satis à sæculi præstigiis expeditus, inscio & imprudente se, aliquo remuneratus eos esset dono, à quibus hæc beneficia acceperat. *Prebendas omnes reditusque Ecclesiasticos, quocumque modo mihi datos, in manum vestram refundo; & omnibus prorsus Ecclesiasticis, non spiritualibus, sed corporalibus, mihi huc usque collatis Beneficiis abrenuncio.* Narratur ab Arnulpho Lexoviensi Episcopo, ut Parochi ejus duo ad Religionem profitendam properantes, Parochias suas ei resignarint.

Bibl. Clun. pag. 1301.

Epist. 79.

III. His exemplis, aliisque suprà sparsim allatis, palam fit, 1. Quanquam omni semper ævo, qui Ecclesiarum regimine exonerari se cupiebant, ad Episcopos accessissent, cessissentque eorum licentia: multò tamen has resignationes frequentiores fuisse undecimo & duodecimo sæculo, cùm incontinentia, simonia & incompatibilium Beneficiorum pluralitas, quasi contage quadam, permagnam Cleri partem corripuisset; unde & eo necessitatis ventum est, ut vix aut nec vix possent nisi resignatione omnium Beneficiorum sanari tot inflicta Regulis Canonicis vulnera. 2. Simplices erant resignationes, & interpellabat tamen Episcopum Andinum Hildebertus, ut Canonici resignantis Præbenda in nepotem ejus transferretur. 3. Ita constituit Urbanus III. etsi suo marte non possent duo aliqui Beneficia sua invicem permutare: id posse tamen Episcopum, Ecclesiæ necessitati consulentem. Vix negari posset, quin justis possent hi Beneficiarii moveri causis, ut Episcopo eam proponerent permutationem. 4. Ita videri potest resignationes etiam in favorem quandoque in manus Episcopi factas, sed sine pactione, sine conditione ulla, plenissima cum potestate dispen-

tiendi, & Beneficium in alios conferendi.

IV. Persimili consuetudine resignationes in gratiam alicujus in manus Abbatum fiebant. Henricus frater Ludovici VII. Regis Francorum, cum Abbas esset sanctæ Mariæ Stampensis, admisit resignationem Præbendæ ejusdem Ecclesiæ Stampensis à Parisiensi Cantore factam: quam & illico contulit Priori sancti Martini de Campis, ut eam mensæ suæ Conventuali adjungeret, prout Parisiensi Cantori in votis fuerat. Publicata fuit hæc ipsa Charta in

pag. 443. historia sancti Martini de Campis, ubi & observatur quo ritu fieret Præbendarum, vel resignatio, vel collatio, *per librum & panem*, redditum resignando, datum conferendo.

Constitutiones Odonis Parisiensis Episcopi has resignationes Beneficiorum in manus Abbatum, vel Patronorum prohibuere, quòd eo jure uti non de-

Synod. Paris. pag. 12. beant nisi Episcopi. *Inhibetur ne fiant resignationes Ecclesiarum in manu Abbatum, vel quorumlibet Patronorum, sed in manu Episcopi, vel Prælati sui.*

V. Cæterùm cùm pactiones universim omnes simoniacæ declarentur in resignationibus Beneficiorum: non mediocriter verendum est, ne qua pestiferi hujus veneni stilla defluat, aut respergatur, in hominum cupidorum voluntates, qui non resignarent utique, nisi aliqua lactari spe, fore ut Beneficia hæc eadem sua ad proximos suos redirent. Eo factum est, ut Pius V. Bulla sua, *Quanta Ecclesia Dei incommoda* anno 1568. prohibuerit Episcopis, Patronis & aliis, quicumque possunt resignationes admittere, ne quocunque modo sinant à resignantibus sibi designari, quos successores optent, sive per sese, sive per alios, verbis, aut scriptis, damnata non promissione tantùm, sed & occulta intentione: *Ne de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat.* 2. Prohibetur hac eadem Bulla Episcopis, Collatoribusque, ne Beneficia in suas manus resignata, vel suis, vel resignantium domesticis, proximisve conferant. 3. Denique non permittitur eadem Bulla Episcopis, Patronis, Collatoribus, ut resignationes admittant, nisi senum, vel qui valetudinarii sint, ægroti, corpore distorti, vel irregulares ex crimine, vel mox Religionem ingressuri, aut conjugandi, qui denique Beneficiis suis cedere canonica aliqua ratione suadentur.

VI. Incredibile dictu quantum momenti sit in his cautionibus tribus, si ex bona fide observarentur. Tertia cautio non est nisi ipsamet stabilitaria Clericorum primigeniæ lex innovata, quæ non sinit resilire Clericos, nisi Canonicæ sint causæ. Prima cautio efficax antidotus est cumprimis & necessaria, ad abstergendas mentales simonias, & clandestinas cupiditates complures, quibus corda inquinantur Beneficiariorum. Secunda denique eò pertinet, ut prohibeat, ne vitiosa consensione Episcoporum & Beneficiariorum, in hæreditarias tandem successiones degenerent Beneficia.

VII. Hæc enimvero pestis est, cui ab annis quingentis sexcentisque tot Concilia obviare tentarunt. Concilium Londinense anni 1125. *Nequis*

Can. 5. *Ecclesiam sibi sive Præbendam paterna vendicet hæreditate, aut successorem sibi in aliquo vendicet Beneficio. Quod si præsumptum fuerit, nullas vires habere permittimus, dicentes cum Psalmista, Deus meus pone illos ut rotam, qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Hildebertus Turonensis Archiepiscopus Concilium Provinciale Nannetis coëgit anno 1127. ejusque Decreta ad Honorium II. misit, ut ab eo confirmarentur: misit & ad Episcopos Provinciæ, ut observarentur. In his Decretis damnantur præ cæteris eæ velut hæreditariæ in proximorum Beneficia successiones.

VIII. Peregregiam idem Hildebertus Epistolam scripsit ad Episcopum Claromontanum, de corruptela ea in Ecclesiis tum pervagatissima, ut carni & sanguini, ut terrenæ cognationi ac cupiditati Canonicatus darentur, non eruditioni, non merito, non virtuti, ut par erat cœleste donum dis-

pensari: *Audivimus, & ultra quàm credi possit, ad-* Epist. 55.
mirati sumus, in vestra matre Ecclesia hæreditario jure Canonicas obtineri. Perniciosa hæc & exhæredans hæreditas. Canonica namque est stipendium gratiæ, non hæreditatis emolumentum. Perit autem gratia, ubi hæreditas principatur. Unde & hæreditate Canonicum fieri, exire de Ecclesia est, non Ecclesiam introire. His addit ille non Episcopos solos, sed Beneficiarios omnes electione & vocatione cœlesti accersendos esse, cujus interpretes sint Episcopi: ideoque cum injussu Episcoporum Clerici & Beneficiarii in Ecclesias intruduntur, Episcopatus splendori gloriæque mirum quantum detrahi. *Ceteros quoque gradus ad* Ibidem
minimum usque Clericum, pro Episcoporum deliberatione substituendos, & distribuendos, judicandos & reformandos, canonica censent & prædicant instituta. Perit autem solis Pontificibus collata hæc à Domino potestas, si substituendi Canonicum, vel aliud in Ecclesia disponendi, hæreditas alicui facultatem acquirit. Quid enim Episcopo in commissa licebit Ecclesia, in qua Clericus arbitrio assignetur alieno?

IX. Ea porro morum perversitas, quæ incontinentiæ Clericorum, & simoniæ passim latiúsque in dies grassantis proles erat; ea, inquam, morum perversitas tum latissimè dominabatur, ut patet ex duobus Conciliis quibus præfuit Innocentius II. nempè Remensi, anno 1131. & Lateranensi anno 1139. ubi percelluntur eæ clandestinæ resignationes, quibus Beneficia hæreditatum instar ad proximos

transfundebantur. *Quoniam honores Ecclesiastici san-* Conc. 15.
guinis non sunt, sed meriti; & Ecclesia Dei non hæ- Can. 16.
reditario jure aliquem, neque secundùm carnem successorem expectat, sed ad sua regimina & officiorum suorum dispensationes, honestas, sapientes & religiosas personas exposcit. Propterea, &c. Utriusque Concilii Part. 1.
communis Canon iste fuit. Idem vetitum est in Can. 20.
Concilio Parisiensi anni 1212.

X. Suo infrà loco pertractabitur irregularitas, quæ ex sanguinis proximitate oritur. De Successoribus & Coadjutoribus suo quoque loco agetur, quibus quasi perpetuari videntur Beneficia præter leges Ecclesiæ. Hic unum illud addam, quod Concilium Tridentinum, ut vel umbram expungeret hæreditariæ successionis, regressum etiam damnaverit in quibuscumque demum Beneficiis, ne exceptis quidem eminentissimis Cardinalibus. *Cùm in* Sess. 25. c. 7.
Beneficiis Ecclesiasticis ea quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria, nemini in posterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur, nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur, &c.

In Concilio Bituricensi anni 1584. proscriptis iis, qui hæreditatum instar Beneficia conferunt accipiuntque, terrenis consiliis affectibusque incitati, prohibitum denique est, ne cuiquam Beneficia resignarentur solius consanguinitatis contemplatione: declaratumque hujusmodi resignationes cassas, irritasque

irritaſque haberi debere, juxta Bullam Pii V. de qua ſuprà. *Cùm damnet Scriptura eos qui hæreditate poſſidere attentant ſanctuarium Dei, vetat hæc Synodus, ne quis deinceps conſanguineo Beneficium cedat, ſolius conſanguinitatis ratione, neve hujuſmodi ceſſiones admittantur contra Conſtitutionem Pii V. de non admittendis reſignationibus.*

Tit. 36. Can. 6.

XI. Quoad regreſſum verò à Concilio Tridentino damnatum, ſileri non debet, et jam inde ab anno 1493. Parlamentum Toloſanum, interceſſerit Reſcripto, quod Romæ ſurreptum fuerat, & quo admittebatur reſignatio Abbatiſſæ in gratiam ſororis propriæ, ſervatis ſibi fructibus omnibus, & jure regreſſus, ſi reſignataria præmoreretur. Conſimile Pariſienſis Senatus Arreſtum editum eſt anno 1494. quo damnatur illa fructuum omnium reſervatio, & regreſſus ſuperſtitis. Conſules ſi lubet & Epiſtolam Oratoris Gallicani Romæ tempore Concilii Tridentini, ubi narratur repudiatam fuiſſe reſignationem Epiſcopatus, quam Cardinalis quidam meditabatur, propter regreſſum, quem ſibi reſignans paciſcebatur. Narratur & ut Pontifex ſtatuerit nullos amplius poſthac regreſſus pati, & remiſerit tamen de eo rigore in gratiam Henrici II. Regis, qui anno 1558. in Conſiſtorio ſuo Regio pro Regreſſu pronunciavit. Porro Regreſſus hoc genus omnes prædamnarat Innocentius III. cùm graviſſimè corripuit Abbatem, qui reſignata in manus Epiſcopi Abbatia, rurſum inveſtiri ſe expetierat.

Preuves des Libertez de l'Egl. Gall. ch. 36. n. 25 26. Memoires du Concile de Trente. pag. 283. Innoc. III. Regeſt. 13. Epiſt. 140.

Perſpicuum verò eſt vitioſis his Regreſſibus non annumerari à nobis eos, quos Compermutantium fraudulentia, aut lubrica eorum fides fieri cogit, quibus cum penſionis onere reſignata ſunt Beneficia. Hæ duæ Regreſſus ſpecies non eum habent ſcopum, ut hæreditaria quaſi ſucceſſione perpetuentur Beneficia: ideoque cæteris eò collimantibus accenſeri non debent. Nec me præterit damnabilibus etiam Regreſſibus locum perſæpè fuiſſe, nec forſan defuiſſe authoritatem. Sed ea nimirum ſunt exempla implacatæ nonnunquam inter fori, polique leges diſſenſionis.

Fevret l. 11. de l'Abus. c. 5. n. 16.

De Adoleſcentulis, quos parentes, vel qui ſeipſos Clericatui offerebant.

CAPUT XXIII. *P. 2. l. 2. c. 6.*

Placuiſſe ſemper Eccleſiæ ut adoleſcentuli, necdum ſæculi contagio afflati, offerrent ſeipſos, vel à parentibus offerrentur Clericatui.

I. II. Propoſita quæſtio, Gaudentii verbis luculento explicatur.

III. IV. Dum ne quam vim faciant, poſſunt parentes hortari liberos ad Clericatum.

V. VI. Ambroſii in eam rem doctrina, itemque Auguſtini.

VII. Ex ſanctis Patribus, illa pietas ipſa, qua juvenes ſe devovent Clero cæleſte donum eſt, & divinæ vocis vocationiſque aſpiratio.

VIII. Minimè id quidem ſpectat ad eos, qui ſæcularibus jam cupiditatibus negotiiſque implicati fuere. Ex beato Gregorio Papa.

IX. Quantum utriſque interſit diſcriminis.

X. Nec rejiciuntur omnino, etiam qui matura jam ætate ſunt, & publica munera obierunt.

XI. Dummodo tamen antè Monaſticis inſtitutis probentur.

XII. Quæ probatio ſpectabat ad explorandum, quo verè fine, quo conſilio Clericatum appeterent.

XIII. Omnes ſæculi dignitates germaniſſimo quodam ſenſu ſervitutes ſunt.

XIV. In arctam illam ſalutis viam patet aditus per Clericatum, ſicut per Monaſticam profeſſionem.

XV. Doctrina conſentiens Nazianzeni.

I. ANtequam accedam ad ordinarium & univerſalem Beneficiorum omnium Collatorem, non alium utique ab Epiſcopo; operæ pretium duxi, duas ei rei conjunctiſſimas quæſtiones præponere. An poſſint privati divinæ voluntatis & vocationis oraculum antevenire, ſeque ipſos Epiſcopo & Clero offerre. Et an quiſquis eligit, vel præſentat ad Beneficia, digniſſimum quemque eligere, vel præſentare teneatur.

II. Quod ad primam quæſtionem attinet, indubitatiſſimum mihi quidem ſemper viſum eſt, unanimi ſanctorum Patrum & Conciliorum conſpiratione approbatam illam fuiſſe conſuetudinem, ut adoleſcentuli necdum peſtilente ſæculi contagio afflati, Clericali profeſſioni & regulæ vel ſeipſos dedicent, vel à parentibus offerantur, blandéque & citra vim invitentur. Cùm hæc poteſtas, quam laïcos impertimur præveniendæ Epiſcoporum voluntatis & vocationis exterioris, non aliò ſpectet, quàm ut vel ſeipſos, vel liberos ſuos Clero offerant: nihil utique illa officere poteſt authoritati Epiſcopali, qua examinandi ſunt trutinandique, tum qui offerunt, tum qui offeruntur, eodem planè jure, quo ab eis examinantur ii, qui à Patronis laïcis, Clericiſve ad Beneficia offeruntur. Ea ſanè Epiſcoporum authoritas validiſſimè & copioſiſſimè munitur à nobis & illuſtratur ſuo loco, ubi non multò pòſt demonſtramus, penes illos ſemper fuiſſe arbitrium & diſpenſationem, tum ſacrorum Ordinum, tum Beneficiorum; denique Collatores Ordinarios & Univerſales tam Beneficiorum, quàm Ordinum ſemper illos jam inde ab initio habitos fuiſſe.

Nec verò videri cuiquam poteſt prætermiſſa à nobis fuiſſe quæſtio de neceſſitate vocationis divinæ, cùm tam multis diſputatum ſit, ſuo ſuprà vel infrà loco, de Electionibus & Irregularitatibus: & an ſemper dignior eligi debeat: & an piè deſiderari poſſit Epiſcopatus, vel quælibet Eccleſiaſtica dignitas; denique quæ ſint tenendæ regulæ, qui modus in dignitatibus vel Beneficiis Eccleſiaſticis, ubi ad ea eligimur, vel detrectandis, vel ſubeundis. Hæc neceſſariò nobis hic præfanda fuere.

Jam ad propoſitam quæſtionem, ſanctus Gaudentius Epiſcopus Brixianus, negat ille quidem à parentibus urgeri cogique liberos liberaſve poſſe ad Cleri, vel ad Religionis profeſſionem: invitari autem & frequentibus hortamentis illici vehementer probat, atque ita inſtitui, ut ad eam ſanctimoniæ ſtationem formentur finganturque: denique nihil antiquius eis, nihil optatius eſſe debere, quàm ut filios ex viis ſæculi latis lubricíſque extrudant, & in arctam urgeant ſemitam Evangelicæ perfectionis, continentiæ, virginitatis, clericatus, altarium miniſterii. *Igitur & qui dat virginem ſuam nuptui bene facit, & qui non dat melius facit. Quod ego arbitror non parentibus virginum fuiſſe à beato Apoſtolo dictum, quos conſtat aliena voluntatis arbitrio dominari non poſſe; ſed unicuique homini, tam viro quam fœminæ optionem fuiſſe ab eodem ſancto propoſitam, ut virginem ſuam, hoc eſt carnem ſuam, virginem natam, aut integritati conſervet, meliorem partem liberamque* *Serm. 8.*

eligens, aut agnita conditione, nuptui eam, si se non continet, tradat.

III. Ita persuasissimum erat antiquis Ecclesiæ Latinæ Patribus, non dominari, non imperiosè imminere voluntati liberorum debere parentes, ut eos compellant ad virginitatem, vel clericalem vitam complectendam, etiam invitos & renitentes; sed nec assentari debere eorum vel inertiæ, vel cupiditatibus carnalibus, affectibusque in sæculi vanitates plerumque propendentibus: inanique abuti prætextu eo, quòd non possint ullam vim adferre. Longè aliud est cogere & vim adferre, quàm invitare, & Christianæ charitatis blandimentis quibusli bet allicere ad tutiores salutis æternæ vias sectandas. Illud quidem nefas est, istud verò jus fasque est, & officium parentum. *Parentes autem vel consanguinei quique virginum, tam puerorum, quàm etiam puellarum, nolo sibi de supradicta libertate arbitrii blandiantur, quod alienis membris eos dominari non posse tractavimus. Imperare quidem perpetuam continentiam non possunt, quia res esse noscitur voluntatis: sed voluntatem tunc in melius nutrire possunt, & debitores sunt. ut moneant, ut hortentur, ut foveant: ut pignora sua Deo magis gestiant obligare, quàm sæculo; ut de propinquis seminis sui, vel in Cleri ordine, dignos altari divino ministros exhibeant, vel in sanctarum numero fœminarum puellas castimonia dicatas enutriant: ut Ecclesiam Dei talibus nutrimentis ornantes beatitudinem debitam consequantur. Scriptum est enim, Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Jerusalem.* *Ibidem.*

IV. Non tam suam hic Gaudentius, quàm Ecclesiæ doctrinam sui ævi promulgat, cùm tam disertè, tam validè, tam sanctè affirmat, teneri parentes non cogere, sed invitare, sed prolicere & hortari adolescentulos filios ad clericatum, & totam eorum institutionem eò referre, ut abdicatis profanis pompis sæculi Deo & Ecclesiæ famulentur. *Debitores sunt, ut moneant, ut hortentur, ut foveant, ut in Cleri ordine dignos altari divino ministros exhibeant.*

V. Nec ambigebat Ambrosius, quin possent juvenculi & ipsi propendere ad clericatum, & blandissima suavitate eò inclinari à parentibus & cognatis: quando sæculi sui vicem perversitatemque dolebat, quo lubentiùs juvenes ad sæculares declinabant dignitates, fugaci inanique gloriola splendidas, quàm ad Ecclesiæ functiones sacras; malebantque in vestigia ingredi Majorum suorum, si togæ vel marti militassent, quàm si altarium ministerio inclaruissent. *Quo unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id majore implet gratia. Sed id cùm in omni vita difficile sit, tum in nostro actu difficillimum est. Amat enim unusquisque sequi vitam parentum, denique plerique ad militiam feruntur, quorum militaverunt parentes, alii ad actiones diversas. In Ecclesiastico verò officio nihil rarius invenias, quàm eum qui sequatur institutum patris; vel quia graves deterrent actus, vel quia in lubrica ætate difficilior abstinentia, vel quia alacri adolescentia videtur vita obscurior; & ideo ad ea convertuntur studia, quæ plausibiliora arbitrantur. Præsentia quippe plures, quàm futura præferunt. Illi autem præsentibus, nos futuris militamus. Unde quò præstantior causa, eò debet esse cura attentior.* *Offic. l. 1. c. 44.*

Perspicuum sanè hinc est, ea fuisse Ambrosii vota, ea consilia, ut cùm juvenes ad genus vitæ certum amplexandum animos convertunt, mallent id potiùs sectari quod solidum, quàm quod inane: quod perenne, quàm quod fugax & brevi desiturum: quod æternitati beatæ, quàm quod fugientibus sæculi deliciis studet & adlaborat: quo eur castissimè exhilaratur, quàm quo ad temporales plausus inanescit: denique id saltem percupiebat Ambrosius, ut tam in exempla & vestigia treter eorum, qui clericali, quàm qui sæculari militia floruerant.

VI. Augustinus quoque expressissimè hanc doctrinam legemque profitetur, cum ei patrocinatur parenti, qui bona sua omnia vetuerat pauperibus erogari, propterea quod filiolum haberet, cujus necdum exploratum haberet, quæ futura esset animi propensio, quæ voluntas, an religionis profitendæ, an clericalis vitæ sectandæ, an amplexandi conjugii: quod enim tutius perfectiusque est, ut sequantur juvenes, moveri excitarique à parentibus debent, non cogi, non importuniùs compelli. *Quid autem mirum, si pater communem filium nolebat hujus vitæ sustentaculis à matre nudari, ignorans quid sectaturus esset, cùm in ætate grandiuscula esse cœpisset, utrum Monachi professionem, an Ecclesiasticum ministerium, an conjugalis necessitudinis vinculum. Quamvis enim ad meliora excitandi & erudiendi sint filii sanctorum, unusquisque tamen proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic.* *Epist. 199.* Hæc omnino sunt quæ paulò fusius suprà edisseruerat Gaudentius, & quæ tribus ex his capitibus religata pendent. 1. Liberum esse adolescentulis, cùm primùm explicuit se rationis libertatisque lux à densioribus illis tenebris diuturnisque vinculis, quibus eos infantia constrinxerat: ut vel Monasteria, vel Clerum, vel conjugium optent eliganique. 2. Non posse eos à parentibus cogi vel arctari ad quidquam horum, sed excitari debere ad id quod est optimum, & ad id pro viribus institui, fingique. *Ad meliora excitandi & erudiendi sunt filii sanctorum.* 3. Si possunt parentes debentque filios invitare ad religiosam vel clericalem sectam tenendam, multò magis posse juvenes ipsos animum eò adjicere, suaque sponte eò anhelare.

VII. Adde quòd non dubitet Augustinus, quin ubi vel hortatu parentum, vel instinctu ipsi suo ad Clerum vota sua converterent adolescentes, hoc esset Dei donum, divina vox, cælestis vocatio. *Unusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius autem sic.* Adde rursum in hac quidem re nihil interponi discriminis ab Augustino, sive quis ad Clerum, sive ad Monastica instituta mentem advertat: uti nec suprà Gaudentius quidquam distare existimabat inter virgines quæ se Deo devoverent, & Clericos. Cum autem prosiliunt suo marte incitati adolescentes, vel interioris potiùs gratiæ impulsione, ad continentiam, ad virginitatem, ad Monasticam vitam profitendam, nemo non eos laudibus cumulat. Quin ergo idem concludamus de clericali vita?

VIII. Sed illud hic præ cæteris etiam atque etiam perpendendum est, non agere hîc sanctos Patres nisi de pueris, vel adolescentibus, qui sæcularibus necdum se implicamentis innexuere, qui primigeniam necdum macularunt corporis & animæ innocentiam: qui clericatum ambiunt solo castimoniæ, religionis, sanctitatis & vitæ æternæ amore accensi. Eadem erat prorsus Gregorii Magni mens, cùm in clericatum non admitteret nisi eos qui cælestium tantùm amore illum concupiscebant, reliquos procul arcebat terrenis extimulatos cupiditatibus. Ideo & Joannes Diaconus in ejus vita *L. 2. c. 15.* narrat statuisse Gregorium laïcos omnes Palatio

sun, Palatinisque Officiis exigere, solos iis donare Clericos: tumque complures laïcos attonderi in Clericos voluisse, ut Palatinorum Pontificis Officiorum Clerique libertatum consortes essent. Mauritius ex adverso Imperator enixus est publicis eos muneribus, civilibusque functionibus illigare, promulgata in eam rem lege, qua sacris Ordinibus vetabantur initiari, qui negotiis vel muneribus publicis illigati jam erant. Hanc legis Imperatoriæ partem lubens amplexus est Gregorius, ut quæ illus confirmaret Canones, qui Ordinibus eos interdicunt omnes & Clero, qui negotiis sæcularibus & ratiociniis publicis implicati sunt. *Nemo laïcorum quodlibet Palatii ministerium, vel Ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia Ecclesiastici juris munia Ecclesiastici viri subibant, nimirum laïcis ad armorum solam militiam, vel agrorum curam continuam deputatis. Ob hoc se nonnulli Procerum sub obtentu religionis primo tonsurare cœperunt. Quorum tergiversationi Mauritius Imperator prudenter occurrens, latâ lege præcepit, ut quisquis fuisset publicis administrationibus implicatus, ei ad Ecclesiasticum venire officium non liceret. Quam legem Gregorius super hoc valde laudavit, dicens, Qui sæcularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, non relinquere cupit sæculum, sed mutare.* Hi nimirum Cleri gradibus eliminabantur, & Mauritii lege, & Canonicis institutis, qui administrationibus publicis jam erant illaqueati; qui Clericatu absolvi se sperabant à publicis ratiociniis: qui attonderi avebant, ut Pontificii Palatii officia aucuparentur, unde lucri plus in se rediret, quàm ex Reipublicæ muneribus; qui denique vincula sæculi alia fugiebant, ut in alia sese inducerent. *Non relinquere cupit sæculum, sed mutare.*

IX. Distabat enim immane quantum, inter juvenes, qui se dicabant Ecclesiæ, eo tantum consilio, ut longo virtutum omnium tyrocinio imbuerentur exercendis Ordinum inferiorum functionibus; ita comparati, ut & in iis vitæ totius curriculum agerent, si superioribus eos Ordinibus Episcopus, vel minùs aptos, vel minùs utiles, aut certè minimè necessarius, ideoque abstinendos existimaret; & inter eos, qui ætate jam essent provectiores, & sæculari nequitia imbuti, quibus non rudimenta minorum Ordinum, sed illecebræ superiorum dignitatum cordi essent, & amori; vel administrationes Ecclesiastici patrimonii, quibus celeriùs, quàm dignitatibus sæculi ditescerent. Quantum in illos priores laudum, tantum in hos dedecoris & probri congeri par erat. Qui universim vota & tentamenta damnavere eorum, qui Clero innecti se cuperent, hos posteriores tantum præ oculis habuere. Paulò aliter sapuissent, si priorum illorum & puram defæcatamque ab humanis affectibus voluntatem spectassent, & pronissimam semper Ecclesiæ ad eos amplexandos disciplinam.

X. Verùm ut inter adolescentes sunt, quos malitia jam plusquam virilis infecerit; annis immaturi, inveterati vitiis: terrenis scatentes cupiditatibus, quæ æterna & inconcussa lege ab altarium ministerio semper proscribentur: ita & inter grandes ætate, & Reipublicæ muneribus affixos, sunt qui pura flamma ardeant, amoreque castissimo, renunciandi prorsus ludibriis sæculi, pioque, & religioso secessu in Clericatus professione fruendi deinceps, nec aliud quam æterna meditandi. Hi nec arcendi sunt, si verè pura sit eorum mens & voluntas: nec tamen sine probatione admittendi, cùm ea mens pura soli Deo certa, hominibus initio non possit non esse suspecta. Lege sua Mauritius iis etiam Monasteriorum aditum obstruxit: sapientia & charitate majore Gregorius, per Monasteria ipsa & longa ibi tyrocinia ad Clerum tandem admittendos existimavit. Itaque eos sanxit in Monasteriis suscipi, diutissimè ibi probari, si inculpati eam tyrocinii stationem, totam strenueque peragerent, tum & in Clerum illis aditum patefieri debere. Non ergo ubi in Clerum adscribi se flagitarunt, repulsam passi sunt, sed longo illo & necessario probationis anfractu circumducti, admissique sunt tandem.

XI. Nec eorum deludebatur postulatio, vel pro Clericali Monastica veste donabantur: sed cùm antecacta eorum vita justissimas ingereret suspiciones de eorum mente & consilio; prolixiore eo circuitu explorabantur; si constaret aliquando de casta eorum voluntate & intentione, celerius postea ad Ecclesiasticas dignitates attollendi. Ita affirmat Joannes idem Diaconus ibidem, probatque longe pulcherrime verbis ipsis Gregorii, quæ nos ab eo mendicabimus & hic assuemus. *Unde necesse est, ut si* L. 2. c. 16. *quis ex juris Ecclesiastici, vel sæcularis militiæ servitute ad Dei servitium converti desiderat, probetur priùs in laïco habitu consistens. Et si mores ejus atque conversatio bono desiderio illius testimonium perhibuerint, absque ulla retractatione servire in Monasterio omnipotenti Deo permittatur: ut ab humano servitio liber recedat, qui in divino amore districtiorem subire appetit servitutem. Si autem & in Monachico habitu secundùm Patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conversatus, post præfixa sacris Canonibus tempora, licenter jam ad quolibet Ecclesiasticum officium promoveatur.*

XII. Non improbabiliter suspicari posset quis, servituris irregularitatem purgari, eluique voluisse Gregorium pœnitentiæ lachrymis, & Monastica professione. Idque in causa forsan fuit, ut inveherentur ex consuetudines, quæ etiamnum Jure novo Ecclesiæ vigent, ut vitæ Monasticæ professione expientur irregularitates non paucæ. Verùm Gregorii Epistolæ verba palam declarant, non aliò eum collimasse, quàm ut certò liqueret de pura eorum mente & voluntate, qui à servitute ad Clericatum promoveri se cuperent, ut in unam deinceps salutis æternæ curam incumberent. *Verùm dum* Ibidem. *ad Clericalem professionem tam ex Ecclesiastica quam ex sæculari quoque militiâ diversis occasionibus quotidie penè innumerabilis multitudo confluêret: pastor ad omnia providus nequaquam eos ad Ecclesiastici decoris officium, sed ad capiendum solummodo Monachicum propositum suscipiendos esse censebat.* Ita Gregorii Epistolam interpretatur Joannes Diaconus; nec enim Gregorium statim Clero adscripsisse illam turbam Clericatus candidatorum, sed Monasticis congregationibus; iis perpurgatos, tum demum sacris decorasse ordinibus.

Nec Gregorio Pontifici, nec vitæ ejus ex ejus ipsius operibus consarcinatori venit unquam in mentem, ut diceret, hos Cleri candidatos abigi protinus debuisse, quòd nemo seipsum offerre, nemo Clero se inserere debeat; sed opperiendum, dum præcurrat vox & jussio Episcopi, electio populi, Ecclesiæ necessitas. Ne cogitationes quidem istæ tunc subibant animum, cùm de inferioribus Ordinibus agebatur: hoc uno hærebant scrupulo retardari, quod qui à servitute ad Clericatum aspirant, plerumque fugiendæ potius servitutis studio excitentur, quàm Clericalis amore sanctitudinis;

& immunitates magis Cleri consectentur, quàm virtutes.

XIII Hic enim præmonendus est obiter Lector, quod infrà uberius explanabitur, in servitutis numero & vinculis fuisse, non servos tantùm, sive Ecclesiæ, sive sæcularium, sed militiam prorsus omnem, muneraque & administrationes omnes Reipublicæ. Ut enim aureæ, ut honorificæ essent hæ catenæ, catenæ tamen erant, & eæ quidem strictissimæ, quæ Principum & Reipublicæ servitio ita homines innecterent, ut extricare se non possent, nec in illam respirare libertatem, vitamque ab uno Deo pendentem, quam Clericatus desiderat. Eo sanè sensu capienda sunt, si germano capiantur sensu, illa Gregorii Papæ, illa Joannis Diaconi verba: *Publicis administrationibus implicatus, &c. Tam ex Ecclesiasticâ, quam ex sæculari quoque militia, &c. Ex Ecclesiasticâ familiâ, seu sæculari militiâ, &c. Ex juris Ecclesiastici, vel sæcularis militia servitute, &c.*

XIV. Nec minus dilucidum ex his fit, si qui tunc apud se constituerent renuntiare sæculo, & in arctam se, Evangelicamque salutis semitam committere, eos vel Clero, vel Monasticis institutis sociari debuisse; & si Clero se addicere ii mallent, qui piæ eorum voluntati intercederet fuisse neminem, si modo nulla emergeret justa de eorum pura

L. 3. Ep. 13. mente & intentione dubitatio. Ad eum sensum interpretandus venit Gregorius, cùm exauctorari sancit Presbyterum, qui pretio ordinatus fuerit: quòd ex eo pateat cupiditate duce & instigatrice eum in sacros Ordines irrepsisse, non religiosa voluntate utilitatibus, vel necessitatibus Ecclesiæ inserviendi. *Privetur Ordine quem non causa replendæ necessitatis Ecclesiæ, sed sola comprobatur ambitione suscepisse.* Non contendit sustinendum esse & otiandum interim, donec egeat Ecclesia & nostram operam efflagitet: sed cum obvios nos illi promptosque præstamus ad obsequia quælibet obscurissima, nulla id fieri debere à nobis nisi spiritalium & cœlestium bonorum charitate: quod de simoniacis ne cogitari quidem potest.

XV. Exemplo perillustri rem conficiet Gregorius Nazianzenus, & de sua Græcorumque aliorum Patrum sententia testimonium dicet. Summis

Orat. 3. enim aliquando laudibus evexit Gallum & Julianum, Constantini Magni stirpis Principes, qui Clero inscribi ambierunt: nec enim prævertit Episcopus & ad Clericatum invitavit: sed suapte illi sponte attonsi in Clericos, Scripturas in Ecclesia legerunt publica in Synaxi, nec Regalis Christi sacerdotii gloriam Imperatoriæ purpuræ dedecori esse posse existimarunt. *Luculentissimis actionibus ac luculentum virtutis specimen præ se ferentibus incumbebant, quin etiam in Clerum se ipsos adscripserunt, adeo ut divinos quoque libros plebi lectitarent.* τῷ μέτρῳ ...... ἑαυτὺς ἐγκατέλεξαν. Sed de Juliano & Cleri & Ecclesiæ Christique postea desertore alicubi forsan copiosius.



CAPUT. XXIV. *P. 2. l. 2. c. 7.*

De eadem re, potuisse juvenes seipsos offerre Clero per priora Ecclesiæ sæcula.

I. Si poterant parentes offerre liberos Clericatui, poterant & liberi seipsos.

II. Alioqui summa & periculosissima Clericorum inopia laborassent Ecclesia.

III. Longa illa Clericorum in minoribus Ordinibus rudimenta, non ea erant, quæ ambitioni, vel avaritiæ hominum blandirentur.

IV. Qui secus sentiunt, non ea qua nos ratione rem intuentur.

V. VI. Siricius puerulos in Clerum admittit.

VII. Adultos etiam admittit, qui pura mente accedunt.

VIII. Per priora tria quatuorve sæcula, sæculo renunciare non poterat, nisi Clero nomen dando, cum necdum, aut vixdum essent Monachi.

IX. Non eligebantur ferè nisi Episcopi, Presbyterique. Inferiores ergo Clerici ex voluntariis adsumebantur.

X. Variæ probationes, quod spontanei admitterentur, & gravi Ecclesiam alioqui penuria laboraturam fuisse.

XI. Objectio ex sanctissimo Monacho Joanne petita. Responsio.

XII. Congeruntur ex Gregorio Turonensi exempla eorum, qui se Clero devoverent; nonnulli ut eo voto morbos effugerent.

XIII. Cæsarius ipse Arelatensis postea Archiepiscopus, ultro se attondendum obtulit.

I. Quidquid suo supra loco de ætate ad Clericatum necessaria, & de Seminariis dictum est, eò id etiam pertinet, idque valet, ut hinc clarescat, antiquos Patres & prisca Concilia perspectissimum illud habuisse, insigne pietatis documentum in eo esse, si parens alteruter liberos, si liberi semetipsi suapte sponte Deo & Ecclesiæ Cleroque offerrent, uno adducti pietatis & salutis sempiternæ amore. Huic parentum potestati subscribit Concilium Toletanum II. anno 531. nimirum infantulos suos Clero offerendi: unde & confestim jubet eos in Seminario suscipi, in Clericos attondeti, ordinari Lectores: *De his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in Clericatus officio mancipavit, statuimus observandum, ut mox cum detonsi, vel ministerio Lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ, sub Episcopali præsentiâ, à Præposito sibi debeant erudiri.* Si addicere possunt Clero liberos suos parentes: quin possint & seipsos liberi? Si anno ætatis decimo octavo hi adolescentes perpetuam spondere continentiam, quàm conjugio illaqueari mallent, biennio adhuc probabantur, & tunc demum Subdiaconi, quinquennio post Diaconi ordinabantur. Nec plura Concilium, silentio suo submonens, Presbyteros postea tum inauguratos, cum necessitas juberet Ecclesiæ. Can. 1.

II. Sedulo autem hic observandum est 1. cùm nihil sibi juris pararent Episcopi in quenquam specialiter, nisi ordinatione per priora illa sæcula, ut superius approbavimus: nisi se laici Clericatui, vel liberos offerre præcepissent, futurum ut exaresceret Clerus aliquando. Quæ enim à populo vis adferebatur quibusdam, ea erat injuria & illis, & juri ipsi illata, quanquam illam & excusaret populi ipsius zelus, & bene verteret Episcopalis prudentia: sed eam denique vim leges, Canonesque, Pontifices Patresque proscripsere. Electiones non pertinebant, nisi ad Episcopos, & ad superiores ut summum Ordines, saltem elapso tertio sæculo. Deinceps enim vix ulla usquam ad minores Ordines electio; quin & vix etiam ad Diaconatum

& Presbyteratum, quinto sextove sæculo.

III. Observandum 2. qui se Clero addicerent, pueritiam adolescentiamque in Seminario exigerent, minores interim dumtaxat Ordines obirent, ad Diaconatum non transcenderent, nisi ætatis anno vigesimo quinto, & post tam diuturna tyrocinia *inculpabiliter & inoffensè* decursa, necdum de adipiscendo Presbyteratu certi essent: interim non alia perciperent emolumenta, quàm quibus famem sitimque & frigus arcerent: eos non potuisse nisi cælestis sapientiæ & charitatis afflatu hæc optare, sectarique tam constanter, ut Patribus Conciliisque ne tantilla quidem præberetur ansa diffidendi, aut de eorum pia ac religiosa voluntate malè ominandi. Nulla hîc lenocinia, nullæ illecebræ, quæ avaritiæ, ambitioni, inertiæ fomenta præberent. Quin ex adverso, cùm hoc vitæ genus Claustris simillimum esset Monachorum, unde & Clericalis professio frequentissimè *professio, religio, conversio* in Conciliorum Patrumque litteris appellabatur: hîc non multùm discrepare videbantur, qui à sæculo in Clerum ea ratione, vel in Monasteria sese conferebant.

IV. Observandum 3. si qui contraria in sententia versentur, id ex eo fieri, quòd eorum non obversentur oculis animisque, nisi laïci illi avaritiæ, ambitionisque & voluptariæ vitæ sectatores: quibus cordi non est clericatus, nisi ut parandarum opum, dignitatum, deliciarumque instrumentum. Hoc genus hominum profitemur & nos à Clericatu & Ordinibus longissimè amandandum. Sed abhorret prorsus à vero, aut à similitudine etiam veri, eos qui à teneris unguiculis, vel se ipsos Deo obtulerunt in Cleri ministeriis famulaturos, vel à parentibus oblati fuere, vel parentes ipsos à quibus oblati sunt, his infandis cupiditatibus stimulatos fuisse. Quin ex adverso certum est pia plerumque fuisse ea, & puerorum vota & parentum consilia.

V. Nec illud quisquam sibi fingat, quod ex Toletano paulò antè prolatum est Concilio, id ex consuetudine quadam speciali Hispaniarum profectum esse: quæ eam parentibus addiderit potestatem, immaturæ ætatis liberos Clero vel Claustro devovendi. Quod enim ad clericalem professionem attinet, non aliud hæc Toletana Synodus, quàm disciplinam propalavit priorum Ecclesiæ sæculorum, regulamque primigeniæ pietatis. Author gravis Siricius Papa præit nobis in Epistola sua Decretali prima, qua innovat, ut probabiliter creditur, priscos mores, & antiquorum Pontificum Decreta, quæ longa nobis temporum injuria intercepit; jubetque ut qui se ab infantia Clero devoverint, statim baptizentur, Lectoresque fiant ante pubertatis annos, functiones Acolythi & Subdiaconi obeant, ad annum usque ætatis trigesimum, tum fiant Diaconi, quinquennio pòst Presbyteri, & tum rursus post decennium ad Episcopatum provehi possint, si diuturno hoc tyrocinio probata eorum pietas,
Epist. 1. c. 9. intaminata & inconcussa perseveraverit. *Quicumque se Ecclesiæ vovit obsequiis, à sua infantia ante pubertatis annos baptizari & Lectorum debet ministerio sociari.* Si quis hæc verba componat cum relato paulò antè Toletano Canone, affinitatem eorum facilè intelliget. Si agit enim Siricius de pueris qui se Clero devovent, Toletanus autem Canon de iis quos parentes devovent, in eundem uterque sensum inflectendus est, ut & parvulorum & parentum consensus interveniat, cùm de impuberibus & infantibus agatur. *A primis infantiæ annis, à sua infantia, ante pubertatis annos.* In hac enim tenella ætate voluntas parentum authoritatem conciliat parvulorum voluntati, ut efficax sit; docuitque nos suprà Gaudentius, à parentibus invitandos ad Clericatum esse parvulos, non cogendos.

VI. Quando ergo edicit Siricius Clero statim adscribi, *quicumque se vovit Ecclesiæ obsequiis ab infantia sua*, vehementer approbat, ut à teneris sese pueri ipsi Clero devoveant, Episcoporum vota anteveniant, obviosque se & spontaneos offerant. Et sanè cùm optatissimum sit non inscribi Clero, nisi qui nullo se unquam deturparint mortali flagitio, nihil expeditius vel Siricio vel Ecclesiæ visum est, quàm ut jam inde ab infantia puetuli admittantur. Nec me fallit eam innocentiam à crimine quovis puram, quam clericalis ordo flagitabat, à baptismo computatam fuisse. Verùm ubi matura jam ætate, postquam se flagitiosis sæculi voluptatibus ingurgitarant, tum demum accedebant ad baptismum, & ita abluti ad Clerum allegebantur: ea certè erat mira, & quam meritò stupeamus Ecclesiæ indulgentia, quam denique sola tunc necessitas excusaret. Quid enim illa baptismi procrastinatio, quàm longa criminum licentia, longa impunitas? Quid illa resipiscentia tam tarda, quàm fatigata nequitia? Ideo & Siricius & alii Pontifices Patresque Ecclesiæ inveteratæ huic corruptelæ medicari studuerunt, tum ad baptismum & ad Clericatum asciscendo impuberes adolescentulos, tum universim hortando compellendoque fideles omnes, ut ne hac propudiosa baptismi dilatione lasciviendi & peccandi licentiam tamdiu redimerent.

VII. Nec solos tamen pueros Siricius ad Clerum provocat, sed & maturioris ætatis homines, si qui serió converti ad Deum meditentur & ardescant; dummodo statim à baptismo recentes, in novitiatum veluti quendam se dent minorum Ordinum, ubi eas sibi parent virtutes, quibus ad sacrorum Ordinum culmina eluctentur. *Qui verò jam* Ibid. c. 10. *ætate grandævus, melioris propositi conversatione provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit.* Hæ certè voces, *provocatus, festinat pervenire, desiderii fructum*, apertè testificantur, pronissimis auribus auditas fuisse eorum preces laicorum, qui omnia sæculi ludibria aversantes, abrumpentes retinacula, urgebant & enixissimè orabant in Clerum admitti, velut in stationem tutissimam *conversionis, religionis*, & sanctimoniæ. *Melioris propositi conversione provocatus.* Electionem enim & suffragia populi ad Presbyteratum tantùm & Episcopatum jam tum pertinuisse demonstrat ibidem Siricius. *Accessu temporum Presbyterium, vel Episcopatum, si eum Cleri ac plebis vocarit electio, non immeritò sortietur.*

VIII. Ad alias progrediar probationes, ubi in Decreta hæc Siricii duo quædam rursus adnotavero. Primum quidem cùm laïcorum vita & sæculi conversatio innumeris semper periculis pateret, quos aliquando tandem pertædescebat tot discriminum, totque scelerum, ii subducere se in portum tutissimum haud alium ferè poterant, quàm in Clericatum, antequam & Monasteria & Monastica instituta increbescerent toto orbe, hoc est ante exordium quarti sæculi in Oriente, ante ejusdem exitum in Occidente, ante sextum sæculum in Hispania. Paulò seriùs ocyúsve in aliis Occidentalibus regnis. Ita enim se habent initia Monasti-

carum Congregationum toto orbe. Ergo Siricii tempore à sæculo aufugere vix aut nec vix poterant in Italia & in plerisque Occidentis partibus, nisi in Clerum, ubi nulla vel rarissima tunc erant Monasteria. Ad eam profectò temporum rerumque conditionem accommodata erant, tum Siricii, tum Toletani Canonis verba superiùs relata. Ex quo & illud concludendum nobis est, fugam piorum laïcorum à sæculo antequam Monasteria essent, non infrequentem fuisse in Clerum, etsi deinde frequentior fuerit in Monasteria. Denique si Gregorio Magno visum est, ita cum nonnullis comparatum esse, ut nisi secessu in Monasteria converti, & saluti suæ consulere non possint: idem forsan de secessu in Clerum constabat, antequam ulla essent Monasteria.

IX. Alterum verò animadversione illud nostra dignissimum est, cùm electio ad superiores tantùm Ordines spectaret: placuisse Ecclesiæ, ut nonnisi ex Clericis eligerentur. Ponebatur ergo semper multitudo ingens Clericorum in qualibet Ecclesia, ex qua deligerentur, velut ex Seminario quodam cælesti selectiores plantæ, illi quibus summarum Ecclesiæ dignitatum insignia addicenda erant. Et sanè cùm instituti eo consilio essent minores Ordines, ut in eo veluti stadio exercerentur, qui ad Ordines postea sacros progressuri erant, ex quibus Ecclesiastica constat Hierarchia, divinitus instituta: incredibilis erat cujusdam sapientiæ & charitatis, hoc veluti novitiatu admittere & diutissimè probare eos omnes, qui ad conversionem in Clero suspirabant: ut ex eo numero subinde probatiores quique ad sacerdotii fastigia extollerentur.

Is erat omnino scopus Emeritensis Concilii, ubi sancitum est, ut quàm maximo possent numero Parochi, alerent, instituerent, informarentque functionibus & officiis Ecclesiæ juniores Clericos, pro modo facultatum Ecclesiæ suæ. Porro exemplo suo Parochis præisse in eam rem Episcopos simillimum
Can. 18. veri est, ne dicta sua factis destruerent: *Instituit hæc sancta Synodus, ut omnes Parochiani Presbyteri, juxta ut in rebus sibi à Deo creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesia sua familia Clericos sibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, ut & officium sanctum dignè peragant, & ad servitium suum aptos eos habeant.*

X. Ubi jubet hæc Synodus, ut Parochi *de Ecclesia sua familia Clericos sibi faciant*: & cùm Gregorius Papa servos Ecclesiæ Clero allegebat, Claustralibus antè disciplinis expurgatos; & cum molestè ferebat suprà Ambrosius, vituperabatque, quòd adolescentibus subobscurus videretur Clericatus, longè præclarior autem sæcularis militia: quo fiebat, ut lubentiùs insisterent in vestigia majorum suorum, qui sæculo, quàm qui Ecclesiæ & cœlo militassent: in his omnibus satis argumenti est, ministrorum Ecclesiæ spiritalem sobolem exarescere tandem potuisse, nisi voluntarii omnes isti pronis animis admissi fuissent in Clerum, quem uno sanctimoniæ amore ambirent.

XI. Nec nobis excidit, insimultatos fuisse à sanctissimo Anachoreta Joanne, cujus Ruffinus vitam scriptis mandavit, eos qui sacerdotium ambirent: *Sic ergo filioli mei, neque fugiendum omnimodis dicimus clericatum, vel sacerdotium, neque omnimodis expetendum. Sed danda opera est, ut vitia quidem à nobis depellantur, & virtutes animæ conquirantur: Dei autem judicio relinquendum est, quem velit, & si velit assumere sibi ad ministerium, vel ad sacerdotium. Non enim qui se ipsum ingesserit, sed quem Dominus assumpserit, ille probatus est.* Sed non alloquebatur vir sanctissimus nisi Monachos & Anachoretas, qui solitudines incolebant invias, & qui necdum ex montibus suis in urbes defluxerant, contubernia hominum veluti quandam pestilentiæ contagionem fugitantes. 2. Non loquitur Joannes nisi de iis qui Diaconatum & Presbyteratum aucupantur, *Ministerium, Sacerdotium*: nequaquam verò de iis qui Clericatum vel minores Ordines prehensabant, in eoque collocabant votorum suorum summam. Certè plerumque Monachi statim ad Diaconatum evehebantur. Atqui Diaconatus ipse sacerdotii portio & perillustris erat dignitas; cùm minorum Ordinum stadium non esset nisi humile & modestum Clericalium virtutum adipiscendarum tyrocinium. Ideo & cum aggressus est Hilarius Martinum Diaconatu augere, exhorruit Martinus tantæ dignitatis culmen, & Exorcistæ demum officio acquievit, quòd id in speciem injuriæ magis quàm gloriæ imputari posset. *Intellexit Hilarius vir altioris ingenii, hoc eum modo posse constringi, si hoc ei officii imponeret, in quo quidam locus injuria videretur. Itaque Exorcistam eum esse præcepit. Quam ille ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorem videretur, non repudiavit.* Non hîc porro dicitur expectandam semper esse Episcopi vocem, quæ nos anteveniat, sed vocem & vocationem Dei. Atqui divina vox miris & ineffabilibus modis exauditur, quos inter non postremus ille est, qui fit inspirata cœlitus castissima & flagrantissima voluntate Deo famulandi, Deo uni vacandi.

XII. Commemoratum est à Gregorio Turonensi, ut beatus Vinocius ex Armorica profectus, & per Turones iter faciens cùm Hierosolymam peteret, ab ipso ibi detentus sit, & Presbyter ordinatus: *Quem nos quò faciliùs teneremus, quia nobis valde religiosus videbatur, Presbyterii gratia honoravimus.* L. 5. hist. c. 21.
At ex eodem Gregorio bene multa suppetunt documenta, ad minores Ordines minimè necessarium visum esse, ut vox occuparet & præcurreret vocantis Episcopi. Filiolum muliercula obtulit Monasterio B. Martini, Clericatu initiandum: *Mulier filium unicum Abbati tradidit erudiendum, ut factus Clericus sanctis manciparetur officiis.* De glor. Mart. l. 1. c. 76.
Cùm servus desperata ex ægritudine decumberet, vovit illum dominus Ecclesiæ B. Martini & Clericatui. Ergo recuperata sanitate servus libertate primùm, mox Clericatu donatus est. *Si eum reddideris sanitati, piissime domine Martine, in illo die absolutus à mei servitii vinculo, incisis capillis tuo servitio delegetur, &c. sanus surrexit, &c. tonsurato capite, & accepta libertate ibidem Domini usibus deservivit.* De mirac. S. Martini l. 2. c. 4.
Cùm ad ejusdem B. Martini tumulum Aurelianensis quidam paralyticus convaluisset, in pietatis & grati animi testimonium, statim Clericus ibidem fieri voluit. *Erectus super plantas populo teste surrexit; qui continuò Clericus factus, & in sospitate firmatus, ad domum regressus est.* Ibid. c. 6.
Ubi hîc Litteræ dimissoriæ proprii Episcopi? nullæ prorsus. Sed ea de re copiosissimè suprà. Merobaudus Picto ad tumulum B. Martini recepto visu, statim Clericus attonsus est. *Qui continuò Clericus factus in eodem loco, sanus abscessit.* Cap. 15.
Cùm distortus quidam Gregorio ipsi Turonensi sanationem suam narrasset miraculo factam, Clericatu protinus donatus est. *Clericus factus, incolumis ad hospitiolum suum rediit.* Ita tunc si ex morbo convalescerent, vovebant se futuros Clericos, qui nunc

futuros Monachos. Quod rursus firmatur hoc Claudi exemplo : *Tandem inspectis propria conscientiæ noxis, converti decrevit, scilicet ut humiliatis capillis, ipsi sancto deserviret Ansistiri. Sed prius à Rege præceptum eliciuit, ut res suas omnes Basilicæ traderet vivens. Quo facto capite tonsurato, impletoque bonæ deliberationis voto, pes ejus, qui effractis ossibus fuerat breviatus, est elongatus.* (*L. 3. c. 15.*) Nicetius qui postea ad Episcopatus Lugdunensis infulas sublimatus fuit, jam tum puerulus Clericus ordinatus est maternis in ædibus : *Defuncto Patre hic cum genitrice jam Clericus in domo paterna residens, cum reliquis famulis manu propria laborabat.* (*Vita Patr. c. 8.*) Patroclus Abbas pertæsus nugarum & præstigiarum sæculi, ad Episcopum Bituricensem se contulit, ut Clericatu Deo dicaretur ; utique compos factus, non multò pòst Diaconatu exornatus est. *Abiit ad Arcadium Bituriga urbis Episcopum, petiitque comam capitis tonderi, adsciri que se in Ordinem Clericorum. Quod Episcopus Domino volente sine morâ complevit ; nec multò pòst Diaconatus officia sumens, vacabat jejuniis, &c.* (*Ibid. c. 9.*)

XIII. Vota ipsa parentum prævertit juvenculus adhuc Cæsarius, qui postea Arelatensem ornavit Ecclesiam, & immatura valde ætate tonsuram ab Episcopo petiit, accepitque, tanquam pignus & rudimentum religiosæ vitæ, quam mox professurus esset. *Inter ipsa infantiæ rudimenta, &c. Ignorante familia & parentibus, civis cupiens regni cœlestis effici, se illius temporis Pontificis sancti Sylvestri vestigiis præmissâ supplicatione prosterneret, petens, ut ablatis sibi capillis, mutatoque habitu, divino ipsum Antistes servitio manciparet, nec pateretur ultra se à parentibus ad prædium affectusque pristinos revocari. Agente ergo Pontifice nulla injecta est votis optimis mora.* (*Apud Surium. August. 27.*) Non egimus hic autem fere, nisi de pueris & adolescentibus, quòd quæ ad grandiores spectant, ea pertineant magis ad irregularitatem Neophytorum, de quibus infrà.

CAPUT XXV. *P. 3. l. 2. c. 6.*

Sub Imperio quoque Caroli Magni, laudi datum est, si alteruter parens filios, si seipsos filii ipsi Clero offerrent Minoribusque Ordinibus.

I. Offerebantur parvuli, ideoque & se ipsi offerre potuissent ad Clericatum. Exemplum Carlomanni, filii Caroli Calvi Regis.

II. Sæpissime tum Clericalis & Monastica professio promiscuè habebatur. Vnde & utrique sese offerebant.

III. Consentium functionum Minorum Ordinum, Monasteriorum Monasticorum.

IV. Maximè hic media ætatis sæculis, quibus Clerus in societatem vitæ Communis & in Canonicorum Congregationes coaluit.

V. Seminarii Clericorum patebant fores omnibus, veræ pietatis amatoribus.

VI. Exempla eorum, qui se Clericali vitæ obvios promptosque offerrent.

VII. In Oriente Imperator ipse filium Clero dicat.

VIII. Damnantur in VIII. Synodo, qui illabuntur Monasteriis, ut ad Dignitates irrepant.

IX. Laudantur contrà ii deinde, qui afflatu pietatis Clero sese adgregant.

X. Vtriusque Ecclesiæ placita consimilia.

I. HIs ævi medii temporibus creberrimus is usus superetat, ut parens liberos devoveret altari & clericatui, offerretque impuberes. Nusquam abjectæ leguntur hæ charitatis & innocentiæ hostiæ. Eccui autem dubium, quin possent liberi, quod parentes poterant de ipsis, ut clericatui se æternùm dedicarent famulaturos? Quàm crebrum id, tritumque adhuc esset, intelligetur ex Caroli Calvi Imperatoris exemplo, qui Carlomannum filium altaribus obtulit, mox attondendum, & ita inexplicabili nexu clericatus illigandum. Accipe quid de ea re scripserit Hincmarus Remensis cum Episcopis Provinciæ suæ ad Archiepiscopum Lugdunensem ; *Karlomannus domni nostri Caroli Regis gloriosi carne filius, in Diœcesi Remorum Spiritu sancto regeneratus, & à Patre sacro altari oblatus, religiosis divini servitii obsequiis mancipandus, ac in Clericum tonsus, in Parochia Meldensi per singulos gradus usque ad Ordinem Diaconatus provectus, &c.* (*Hincmar. to. 2. pag. 358.*) Inauspicatissimus quidem fuit ejus rei exitus : tantam in vitiorum voraginem demerso postea Karlomanno ; ut hinc Ecclesia, hinc Regnum perturbaretur ; nec tamen vel Hincmarus unquam, vel quisquam tunc vel conquestus, vel suspicatus est, vocationem minus canonicam Karlomanni, & oblationem ejus ad Clericatum à Patre Rege factam his malis omnibus ansam præbuisse. Eo tamen inviitasset utique illos tam infœlix successus, si ejusmodi cogitationibus imbutæ occupatæque fuissent eorum mentes.

Hincmarus quidem idem ipse commendat eorum pietatem, quos Ebbo ordinaverat : quòd non seipsos obtrusissent, sed cessissent tantum electioni. *Non importunè ad electionem se ingesserunt, sed electi & vocati obedierunt.* Sed eo loco de sacris & majoribus Ordinibus quæstio vertebatur, non de minoribus, aut de clericatu. *Si nollent obedire volenti eos provehere ad majorem gradum, omnes illi velut procaciter renitentes reprehenderentur.* (*Ibidem. pag. 308.*) At qui vel seipsos addicunt, vel addicuntur à parentibus minoribus Ordinibus, non illi obliquis exagitantur suspicionibus, tanquam avari, aut ambitiosi ; sicut qui altiores gradus ambiunt & ipsum Sacerdotium.

II. Dilucidior tum ea res erat, cùm perparum distare videbatur, his nimirum sæculis mediis, Clericalis professio à Monastica. Diximus jam Carolomannum Caroli Martelli filium à Zacharia Papa Clericatum accepisse, eodemque tempore Monachum factum. Longobardorum Rex Rachis manibus sæculi regnique pompis terga vertens, Clero ab eodem Pontifice allectus fuit, & simul semelque Religiosæ professioni innodatus. *Acceptaque à sanctissimo Papa oratione, Clericus effectus, Monachico indutus est habitu.* (*Anastas. Bibl. in vita Zachar.*) Stephanus ipsemet IV. Papa, in primævo juventæ suæ olim flore, in Monasterio Romano sancti Chrysogoni. Clericus Monachusque effectus fuerat. *Illicque Clericus, atque Monachus effectus est.* (*Idem in ejus vita.*) Enimvero quam laudabile & pium est, professioni se Monasticæ devovere : tam erat sanctum & commendandum, Clericatus se ultro immergere irrevocabili professioni, unius suavitate pietatis illectos, tum jugi numinis cultu, tum bonorum operum frequentia, tum tumultuosarum mundi vanitatum abdicatione.

III. Qui enim nunc & jamdiu Monasticum institutum amplectuntur, nulla alia voce cœlestem insonante vocationem, quàm quæ ipsa personat animæ penetralia : ii certè Clero se quodammodo devovent una & eadem opera ; cùm Monachi jam propemodum omnes Clericalibus ordinibus functionibusque decorentur. Propositum tamen illud, quo arctiorem & Evangelicam salutis viam amplexantur, non potest à quoquam insimulari, qui non ipsi pietati, virtuti, & religioni bellum indixerit. Innoxiè hi ergo saltem ad Clericatum aspirant. Jam

verò quis ambigat, complusculos eorum, qui Clericatum tantum & minores Ordines, non ipsum sacerdotium, non dignitates, non lucra ulla terrena ambiunt, sed institutum pium, à sæculi tempestatibus tutum; quis eos inquam ambigat eo agi spiritu, quo qui in claustra convolant? Id commune habent Claustri & Cleri inferioris exercitia, quòd iis expiatur & emaculatur mens à sordibus sæculi, virtutibus imbuitur, ad sacra ministeria Sacerdotii præparatur, quibus nemo tamen propius se suo marte admovet, nisi Episcoporum & Pastorum jussu, quod ipsummet est cœlestis vocationis oraculum.

IV. Manifestissimè id eo tempore claruit, quo tot Canonicorum Collegia, tot Seminaria, tot Clericorum Congregationes Orbi illuxerunt. Unus enim pietatis æstus, & religionis amor, alios ad Cœnobia Monachorum, alios ad Canonicorum Collegia, Clericorum sodalitia compellebat. Nam & in habitu Canonico, seu Clericali, perinde virtutes Monasticæ excolebantur. Suæ Canonicorum Regulæ Crodogangus tantum non totam intexuit Regulam beati Benedicti. Expostulat ille alicubi de Episcopis iis, qui Congregationum suarum fores pandi nolebant, nisi servis Ecclesiæ, quibus impotentius dominarentur: demonstrat autem nusquam Deum nobilibus Ecclesiæ

Cap. 5. suæ muneribus interdixisse. *Nullus Prælatorum seclusis nobilibus, viles tantum in sua Congregatione admittat personas.* Perspicuum hinc fit servos nobilesque turbatim sese Ecclesiæ obtulisse, ut in Clerum cooptarentur.

V. At ne in controversiam quidem venire potest, quin ad Seminaria Clericorum convolarent adolescentes maximè, quos eò vel sua, vel parentum pietas invitabat. Interim ii omnes in spem Cleri, in tyrociniis minorum Ordinum instituebantur.

Ibid. c. 48. *Qualiter Ecclesiasticis doctrinis imbuti, & Ecclesiæ utilitatibus decenter parere, & ad gradus Ecclesiasticos quandoque digne possint promoveri.* Verba

Cap. 135. sunt Crodogangi Regulæ. Et aliquanto apertius Concilium Aquisgranense in Regula Canonicorum.

VI. Relatum est à nobis superius, quantum effuderit querelarum Ratherius Veronensis Episcopus, adversus levitatem & irreligiosam parentum inconstantiam, qui cùm filios Clero devovissent, implicabant eos postea conjugii compedibus, quamque Deo hostiam sanctam pridem obtulerant, eam

Spicil. to. 2. sæcularibus inquinamentis post immergebant. *Qui*

pag. 238. *filium suum Ecclesiæ mancipat, Domino militaturum, & postea sæculare illi acquirit conjugium, perspicuè cernitur, quod eadem manu Domino illum auferat, qua tradiderat.* Juvenili florebat adhuc Dunstanus ætate, cùm à suis rogatus, Clero ut se Ordini-

Surius die. busque innecteret, paruit, & minoribus initiatus

19. Maii. est tum Ordinibus. *Inter hæc rogatur à suis quatenus*

c. 3. *in sortem Domini transeat, & in quibus serviat Christo, sacros Ordines suscipiat. Annuit ipse petentibus,*

Idem Novemb. die 18. c. 6. *& minores gradus suscepit.* Odo Cluniacensis postea creatus Abbas, non absimili pietatis & spiritus intus sollicitantis incitamento, Clericus primùm & Canonicus Turonensis creatus est.

VII. In Ecclesia item Orientali eædem in usu erant regulæ & consuetudines piæ. A tenera ætate parvuli à parentibus Clero dicabantur. Parvuli ipsi sese altarium devovebant ministeriis. Ho-

Epist. 1. stias puras & rationabiles Ecclesia obviis manibus accipiebat. Stephanus VI. Papa singularem laudibus prosecutus est Basilii Imperatoris pietatem; quòd unum ex filiis Clero addixisset. *Cùm verò audiverimus, quod ex semine tuo filium ad Sacerdotium dedicasses, magno hac de causa repleti sumus gaudio.* Surius die 3. April. Sanctissimus Confessor Nicetas altaribus oblatus fuerat à proprio parente, penè inter ipsas innocentis infantiæ cunas. *Cum que illum in Ecclesia Pater totondisset, ut Anna Samuelem: Deo ipsi eum dedicavit, & omnino addixit, ut Æditui locum interea teneret.*

VIII. Verùm in hanc rem accuratius nihil, nihil luculentius vel optari potest, quam quod ab VIII. Synodo sancitum est; nempè qui Clero, vel Cœnobiis se innodassent, clandestina spe ad summas Ecclesiæ dignitates pertingendi, in æternùm interdicendos esse, quanquam diutius in uniuscujusque Ordinis functionibus versati fuissent, & quanquam sinuosis artibus suis in aures & in gratiam Imperatoris irrepsissent, ejusque patrocinio abuterentur. *Licet singulos Ordines divini Sa-* Can. 5. *cerdotii plurimum temporis fecisse probetur, &c. magis autem coërcemus hujusmodi, si ab Imperatoria dignitate ad hoc compellatur.* Explodendi protinus sunt, quos terrena cupiditas, non divina vocatio Clero inseruit. *Neque enim propter Religionem, vel amorem Dei, vel propter expectationem transeundi viam virtutum, sed ob amorem gloriæ & principatus, tonsus hujusmodi reperitur.*

IX. Qui verò una illecti pulcritudine humilitatis, modestiæ, pietatis, & religionis, in Clerum vel in Cœnobia irrumpunt, tanquam in tyrocinium publicum omnium virtutum: hos Ecclesia Christi fovet, amplectitur & exosculatur, ut in sacrorum Ordinum, & summarum apicem dignitatum extollendos. *Si verò quis per nullam suspicio-* Ibidem. *nem prædicta concupiscentiæ, sed propter ipsum bonum humilitatis, quæ est circa Christum Jesum, abrenuncians mundo, fiat Clericus, aut Monachus, &c. Placuit universali Synodo eligi hunc & admitti.*

X. Perspicis hic autem perinde in Græca, ut in Latina Ecclesia has regulas duas, inscriptas, altissiméque irradicatas fuisse hominum mentibus. Prima est in Clericatum Clericalesque sodalitates, complures illabi solitos, eodem prorsus spiritu adductos, quo in Cœnobia, conversionis, pœnitentiæ, religionis, humilitatis, modestiæ, abdicationis sæculi: non alio consilio prorsus, aut voto, quam impendendæ totius vitæ in religioso secessu ad Christianarum virtutum culturam. Altera est nunquam censoria nota multos à quoquam fuisse eos, qui in Clerum, vel in Cœnobia admitti se postularent; sed eos dumtaxat, qui alterutrum ambirent institutum, honorum vel opum insana cupiditate succensi.



CAPUT XXVI. *P. 4. l. 2. c. 8.*

An possint laïci Episcopis præcurrere, & ab illis postulare Clericatum, aut minores Ordines hac extrema Ecclesiæ ætate.

I. Potest ambire quivis vel sibi, vel alteri Clericatum, obsequendo uni charitati cælestium, intus flagranti.

II. Argumenta & exempla ejus spontaneæ & puræ Clericatûs professionis.

III. Ex adverso jure meritoque invehitur Bernardus in parentes qui mera cupiditate terrena æstuantes, filios suos vovebant.

IV. Pia & docta Cardinalis doctrina de utraque hac ambiendi Clericatûs ratione, ex charitate, & ex cupiditate.

V. Quàm consentiat hæc doctrina cum Decretis Concilii Tridentini.

VI. Et cum Decretis Conciliorum Tridentino posteriorum.

VII. Quo sensu docuerit Symeon Thessalonicensis, posse quem ad Presbyteratum, non posse ad Episcopatum anhelare.

VIII. De Congregationibus Presbyterorum, & de iis qui ad eas adgregari cupiunt.

IX. Etsi desiderari possit, captari non possit Episcopatus.

X. Ab Innocentio III. definitur quæstio.

I. NOn sæviunt leges Ecclesiasticæ, nisi in eos qui effrænata audacia in sacros Ordines & in dignitates quasque Ecclesiasticas prosiliunt: nequaquam autem in eos qui pietatis instinctu Clero adglutinari avent, quo facilius suaviusque à tumultuosis sæculi impedimentis sese extricent, & in religioso secessu Deo sibique vacent. Non his ergo, sed illis prioribus succensuit Con- Can. 10. cilium Rotomagense anni 1072. *Clerici qui non electi, nec vocati, aut nesciente Episcopo sacris Ordinibus se intromittunt, hi digni sunt depositione.*

II. Ludovicus VI. Franciæ Rex unum ex filiis Clero dicavit, quod ei per litteras gratulatus est Honorius II. qui & adolescentulum Regium Apo- Epist. 5. stolicæ Sedis tuitione honestavit. *Tuum itaque filium Henricum, quem divinis mancipare voluisti servitiis, & in beati Petri & in nostram protectionem suscipimus, tanquam specialem Sedis Apostolicæ filium.* Ludovicus VIII. Ludovici IX. parens testamenti tabulis constituit, ut filiorum suorum quintus & Du Chesne. To. 5. pag. 324. reliqui deinceps Clero adscriberentur. *Volumus & præcipimus quod quintus filius noster sit Clericus, & omnes alii qui post eum nascentur.* Ludovicus ipse IX. sanctitatis nomine clarissimus, authore Gaufrido de Belloloco, qui à Confessionibus ei fuerat, sanxit testamento suo, ut quos transmarinis in regionibus sustulerat liberos duos, à cunabulis enutrirentur, alter apud Dominicanos, apud Franciscanos alter, ut tam religiosa institutione à teneris instillaretur eis amor religionis profitendæ. *Ordina-* Ibid. p. 448. *vit & in testamento scribi voluit, quod duo filii qui sibi nati fuerant ultra mare, intra septa Religionis nutrirentur, ut illic sacris institutis & litteris instruerentur, & ad amorem Religionis salubriter inducerentur, & loco & tempore ipsas Religiones intrarent.* Narratur & à Roder. Tol. L. 9. c. 15. Roderico Archiepiscopo Toletano Ferdinandus Castellæ Rex plures ex suis liberis Toletanæ Ecclesiæ dedicasse. Illico Præbendæ illis ab Archiepiscopo collatæ sunt in eadem Ecclesia. Sed nemo sobrius hinc filios Regum avaritiæ vel ambitionis insimularit, si Præbendas in Ecclesia quavis Metropolitana assequantur. Si tam frequens autem erat Regum pietas, quid privati? Petrus Venerabilis de eo qui Arelatensis postea auctus est Archiepiscopatu, hoc testificatur, Ecclesiæ eum Nemausensi ab L. 5. Ep. 4. infantia dicatum fuisse. *Oblatum à patre dum puer esset, Ecclesiæ Nemausensi, nutritum à puero usque ad juvenilem ætatem in Ecclesia Nemausensi, Canonicum fuisse Ecclesiæ Nemausensis.*

Si parens alterutri liberos tam frequenter, utique & liberi ipsi se ipsos non rarò altaribus offerebant, vel utrimque etiam & à parentum & à liberorum voluntate rationabilis & sancta proficiscebatur oblatio. Ejus rei exemplum est in vita sancti Laurentii Archiepiscopi Dublinensis. Cùm enim Episcopum parens ejus oraret, ut sortiretur inter liberos suos, cui obtingeret Clero sociari, Laurentius ipse puerulus tum adhuc exoravit, ut sors Surius die 14 Novem. c. 4. ipsemet & portio Domini esset, itaque ab Episcopo susceptus & enutritus in Ecclesia fuit.

III. Sicubi autem vel parentes vel liberi illum sibi propositum habebant scopum, ut & sæculi simul & Ecclesiæ opibus honoribusque gauderent; aut ut paterna hæreditas in pauciores filios secta, copiosior afflueret: illud enimvero non possumus uno cum Bernardo vehementer execrari. *Scholares* Epist. 42. *pueri & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris. Dum huic parvulo, aut forsitan nondum nato, Ecclesiastica jam Beneficia provida sanè parentum sollicitudo parat; Hunc nos, inquiens, illi, vel illi tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui fortè servimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra dividatur hæreditas.* Sed quàm detestabile hoc est flagitium, tam laudabile eorum votum, qui sola delectati Clericatûs sanctitate, in minoribus Ordinibus acquiescendum sibi statuunt, nec de Majoribus unquam nisi verecundè & trepidè cogitant, de Beneficiis autem ne cogitant quidem, gnari horum & Ordinum & Beneficiorum dispensationem divina quadam fieri sorte & providentia.

IV. Ea erant in sententia Reges, Pontifices, virique illi sanctissimi, quorum exemplis testimonüsque suprà congerendis operam dedimus. Erat & in eadem sententia magni nominis Cardinalis Robertus Pullus, cujus hic libet verba exscribere: *Qui ad Clerum ultro appropiat, non ideo per se ad Cleri* Sentent. Part. 6. c. 10. *gradus accedere præsumat. Ad te enim pertinet, si ita libet, Clerum eligere, in Clero autem gradum te conscendere, non tui est officii, sed aliorum. Ordinem quippe vivendi, sive in Clero, sive extra, tui juris est postulare: in Clero autem positum, honorem sibi arripere gradûum prohibitum est, dicente Apostolo, Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.*

V. Eadem erat & sententia Concilii Mompessulani anno 1258. ut ad Tonsuram ii tantùm admitterentur, qui ad eam expetendam impelluntur supernæ pietatis & religionis afflatu. *In tonsurando,* Can. 10. *illos maximè qui, cum postulant tonsurari, sunt in ætate viginti annorum & supra constituti, cautelam habeat ordinator, ut talem ascribat militiæ Clericali, qui ex devotione, non per fraudem ascribi cupiat ordini Clericali, & qui non sit omnino expers scientiæ Clericalis.* A quibus non abludunt hæc Concilii Tridentini verba: *Prima Tonsura non initientur, de quibus probabilis con-* Sess. 23. c. 4. *jectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc genus vitæ elegisse.* Approbatur ergo à Concilio Tridentino, ut sua sponte Clericalis vitæ genus *eligant* privati, dum defæcatum & purum sit à terrenis cupiditatibus hoc votum.

Placuit quidem Tridentinæ Synodo, ut ne Epis- Ibi. c. 16. 18. copi plures ordinarent, quàm qui Ecclesiæ utiles

fore, aut etiam necessarii præsumerentur. Verùm id ad Tonsuram Clericalem forsan porrigi non debet. Utque ad eam quoque id pertineat, non eo prohibentur vel parentes vel liberi, quin Episcopos antevertere possint, & castissimam hostiam, ab humanis affectibus purgatam altaribus inferre, salvo & incolumi Episcopi jure ejus vel admittendæ, vel differendæ, vel prorsus repudiandæ. Enimvero cùm ibidem non multò pòst edicat idem Concilium, ut erigantur Seminaria, in eisque instituantur pueri ab anno ætatis duodecimo, & Ecclesiasticis disciplinis instituantur: *Religiosè educare, & in Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur:* evidentissimè apparet pueros bis Seminariis admitti, sive semet ipsi, sive ipsos parentes & cognati offerant. Qua enim alia authoritate ad Clericorum Seminaria accerserentur pueri; potissimum verò nobiles, divitesque, quos & ipsos admitti jubet Concilium, si modò ipsi pio Cleri desiderio æstuent: tametsi pauperiores ditioribus anteponendos censeat. *Pauperum filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modò suo sumptu alantur, & studium præ se ferant, Deo & Ecclesiæ inserviendi.* Atqui statim atque inibant Seminarium adolescentuli hujusmodi, Clericali tonsura donabantur, & Clericali veste, quam nunquam deponerent: *Ut in disciplina Ecclesiastica commodiùs instituantur, tonsura statim, atque habitu clericali semper utentur.*

Cap 9. VI. In Concilio Remensi anni 1564. confirmatum est Decretum hocce Concilii Tridentini, ut ne attondeantur in Clericatum, nisi qui id institutum *elegerint*, eo demum fine & voto, ut Deo religiosè famulentur. *Probabilis conjectura sit, hoc genus vitæ delegisse, ut fidelem Deo cultum præstent.*
Part. 2. c. 13. 15. In Concilio Mediolanensi IV. statutum est, ut Episcopi Parochique studium omne, operamque & industriam conferrent in id, ut ad Clericales informarentur ac instruerentur functiones ii ex adolescentibus, quos intellexerint vel ipsos Clericalis vitæ amplectendæ cupidos esse, vel à parentibus ei addici. *Ubi primùm Episcopus, aut Parochus aliquem norit qui vel sponte se Clericali militiæ adscribi velit, vel à parentibus adhuc infans destinetur, hoc sedulò curet, ut ille quo diligentiùs Clericalis disciplinæ vitæque religiosæ institutis primùm imbuatur, Ecclesiam frequentiùs adeat, &c.* Eodem in Concilio præcipitur Parochis, ut & ipsi veluti Seminarium sibi singuli excolant, quo alant parvulos innocentia hactenus illibata fulgentes, & quantos poterunt, maximè ex pauperibus, ut hinc nova Clero soboles, cùm opportunum fuerit, accedat. Vetat denique Mediolanense hoc Concilium, ne suæ domi alant Parochi quoscumque pueros, nisi Clericos, vel *pauperes pueros, qui ad Clericatum aspirent.*

Tit. de Episc. Offic. c. 14. Concilium Rotomagense anni 1581. Decretum istiusmodi innovavit, tum Tridentini Concilii, tum Remensis, eademque ipsa verba adhibuit. Quod & de Burdigalensi dicendum anni 1583. Prohibitum
L. 1. Tit. 4. c. 2. est in Concilio Mexicano anni 1585. ne cui Tonsura concederetur, aut Clericalis vestis, antequam sacramentum præstaret perseverandi in Clero. Non tantùm in pretio erat voluntas eligendi Clericatûs, sed & exigebatur sponsio in eo perseverandi. *Nisi præstito juramento de intentione perseverandi in habitu Clericali.* Nec permittitur hoc eodem Concilio conferri cuiquam Tonsuram ante annum ætatis decimum quartum, nisi iis qui per biennium antè in Ecclesia Cathedrali ministrarint cum Clericatûs veste, & quorum parentes tutoresque sacramento confirmabunt, operam se daturos, ut in Clero permaneant. Conventus Melodunensis Cleri Gallicani anno 1579. de Seminariis agens, sanxit ut similiter nobilium divitumque liberi in iis susciperentur, si modò pro fervent desiderio divinis se obsequiis dedicandi.

VII. Non se his cancellis circumscribi passus est Simeon Thessalonicensis Episcopus, ubi censuit expeti & postulari posse Ordines Lectorum, Subdiaconorum, Diaconorum, adeoque & Presbyterorum: quin & dignitates, officiaque & Beneficia his Ordinibus conjuncta: solum Episcopatum sine piaculari crimine optari, ambirique non posse, nec omnino adiri, nisi electione & vocatione canonica. *Omnibus quidem vita pura in orthodoxa fide tantùm amore captis, quærere & persequi licet cæteros sacerdotii gradus, Lectoris sigillum, Subdiaconi manûs impositionem, Diaconi, Presbyteri ordinationem, & in his Ordinibus promotiones quasdam & ministeriorum dignitates. Verùm Episcopatum nemini quærere licet, nec possibile, sine electione ac suffragiis.* De sacris Ordin. c. 6. Cum tradit Simeon innoxia & inculpata esse posse desideria, tum Ordinum omnium, tum Beneficiorum Episcopatu inferiorum, dum id contingat *pura vitæ tantùm amore captis:* tela subministrat ipse, quibus vacillantem alioqui, & calumniæ valde obnoxiam ejus doctrinam tueamur. Ut enim addocuit nos Paulus, Episcopatûs etiam desiderandi rationem esse quandam, pietati & religiosæ modestiæ nihil obstrepentem: si non obversentur oculis vorisque, nisi quæ Episcopatûs pene individua sunt ornamenta, labores, cruces, persecutiones, frequentes pro Christo mortes: ita, imò & aliquantò faciliùs intelligitur, posse Ordines dignitatesque Episcopatu inferiores concupisci sine, non flagitio tantùm, sed & cum laude, si una cordi sit, una amori sanctitas sacerdotalium functionum, seposito abstersoque fuco omni humanarum opum dignitatumque.

VIII. Hac omnino ratione posteriori hac ætate complurimi virtutibus clari, addictissimique in Congregationes se conjecerunt merè Clericales, quarum indubium est gregales plerosque omnes ad Ordines sacros evectum iri: eo vel jure, vel more ita jamdiu ibi vigente. Qui his Sodalitiis nomen dant, ad sacerdotium aspirare videri dicique possunt: sed nullius tamen vitiosæ ambitionis affines sunt, aut vel suspecti esse possunt, cùm nullæ interveniant humanæ illecebræ, nullæ sæcularium voluptatum, honorum opumque spes, utpote quæ ipso instituti sacri exordio funditus excisæ sint. Ecclesia autem ipsa, quæ istiusmodi & Institutiones & Congregationes authoritate sua statim munivit, satis ipsa superque ab obliquis quibuscumque suspicionibus eas purgat sollicitationes, precesque piè ambitiosas, quibus in eas aditum sibi aperiunt omnis ætatis viri; quanquam eò admitti flagitantes, flagitent & quodammodo Sacerdotio se consociari.

IX. Jure autem meritoque existimat Simeon idem Thessalonicensis, Episcopatum ipsum ambiri, prehensarique non posse. Etsi enim desiderari posset ea ratione qua Paulus docuit, quæ concupiscendi ratio, ipsa Episcopatus fuga & rarior est & difficilior, non posset tamen ambiri. Eligendi enim jus est penes eos, quibus ea de causa assentari flagitiosum est. Quin imo cùm electoribus patere non possint arcana cordium, exploratum illis nusquam esse posset, qui casto & puro, qui carnali

& impii flagrarent desiderio, ideoque omnes eos abigere à se tenerentur. Ut ergo innoxium aliquando esse possit Episcopatus desiderium: non potest sine gravi nota desiderium illud explicari, & in tantæ dignitatis ambitiosum aucupium effundi.

X. Concludet hanc aptissimè quæstionem Innocentius III. qui Episcopo Pictaviensi mandavit, ut juniori Clerico Subdiaconatum conferret, qui Clericatui consecratus fuerat ab ipsa parente sua, inter puerperii cruciatus; & qui maternis obsecundans votis, minoribus jam fuerat initiatus Ordinibus. Idonea suppetebat eruditio, suppetebat & patrimonium. Non sibi defuerat apud Episcopum Pictaviensem. Et repulsam tamen passus erat. *A te instanter petiit, ut eum in Subdiaconum promoveres. Tu licèt habeat patrimonium, acquiescere recusasti.* Magis exorabilem se Pontifex præstitit piis Clerici hujus postulationibus: *Nos pium ejus propositum attendentes, &c.* Episcopoque præcepit, ut Subdiaconum illum ordinaret. Absolutissimum mihi quidem videtur hoc Decretum Pontificis, & omnes partes complecti atque firmare suprapositæ doctrinæ. A parentibus hic primùm, inde & a se ipso Clericatui addictus fuerat; nec opibus, nec honoribus inhiabat: quin suis impendiis avebat Ecclesiæ inservire: pietati ejus gratulatur Pontifex, nec permittit tantùm, sed præcipit Episcopo, ut Subdiaconum ordinet. Una nobis objectari potest Subdiaconatus dignitas, ultra inferiorum jam Ordinum sortem evecti. Sed proclivis & expedita responsio est, cùm sacrorum Ordinum postremus esset Subdiaconatus, eo nec acui, nec sedari facilè potuisse Clericorum aut ambitum, aut avaritiam. Denique cùm Subdiaconatu primùm irrevocabiliter quis Clero Deoque astringatur, probabile prorsus est, hunc Clericum, alioqui necessariis vitæ subsidiis abundè instructum, eo ornari non alio consilio voluisse, quàm ut se insolubili nexu Deo Ecclesiæque devinciret.

Regest. 10 Epist. 154.

De iis qui declinandi tantùm lethi, extremique supplicii causa ordinabantur.

CAPUT XXVII. *P. 2. l. 2. c. 8.*

De iis qui Clericatu ab Episcopis donabantur, quamvis eos ad Clerum non appelleret nisi quædam fortunæ procella, & declinandæ persecutionis, aut justæ ultionis necessitas.

I. Varia hujus infortunii in Oriente exempla.

II. Quæ hinc documenta excipi possint. Hic Clericatus promiscuè habebatur cum instituto Monastico. Quæ Ecclesiæ consilia in his ordinationibus violentis & externis.

III. Hinc emicat Clericatum persuasissimum fuisse sæculo prorsus renuntiari.

IV. V. VI. VII. Exempla ejusdem rei per Gallias. Violentas has ordinationes, suo tamen quodam modo fuisse voluntarias, & lapsu temporis liberrimæ voluntatis holocausta.

VIII. IX. Persimilia Hispanarum exempla, ubi durior fuit consuetudo, nec tamen unquam ita dura asperaque, quin voluntariæ semper hæ fuerint ordinationes.

X. Qui criminum conscii convictique fuerant, persæpè in claustro, nunquam in Clericatu pœnas luere jussi sunt.

I. Evidentius invictiusque constabit, quàm libenter ab Ecclesia ad Clericatum susciperentur, qui sacris se obsequiis mancipare ex animo cupiebant; ubi declaratum fuerit, quàm facile admitterentur illi, qui eò variis infortuniis & vitæ tempestatibus impellebantur. A Socrate commemoratum est, Julianum, qui postea Ecclesiæ desertor fuit, & hostis cruentissimus, ut ex animo Constantini Imperatoris excuteret eas suspiciones quas vanitate ipse sua & imprudentia exciverat, Monasticum simulasse propositum, Lectoremque in Ecclesia Nicomediensi ordinari se voluisse. Haud satè probabile est prosiluisse Episcopum, ut Impe- L. 3. c. 1.
ratoriæ prosapiæ Principem inopinum invaderet & Lectorem initiaret. Obvius ergo approperavit ipse, nec repelli potuit. Narratur & à Theodoro L. 1. circa
Lectore Marcianum, qui de Imperio cum Zenone finem.
certaverat, insignesque de eo quandoque reportaverat victorias, captum tandem fuisse, & in exilium deportatum, cùm priùs Presbyter ordinatus fuisset. Perhibet & Evagrius, ut Constantinus Tyrannus, imparem se tandem expertus justitiæ, potestati, & exercitibus Honorii Imperatoris, pur- L. 6. c. 15.
puram sponte exuerit, & in Ecclesiam ingressus, Presbyterum se ordinari evicerit. Author est Theophanes, Germanum & Philippicum usque adeo vel odio, vel terrori potius fuisse Phocæ Imperatori, ut eos Presbyteratu initiari coëgerit. *Germanus de-* In Chronogr.
posita coma ad Presbyterorum ordinem ejus jussu allectus est, Philippicus etiam crinibus attonsis Sacerdotii dignitatem assecutus est, & Chrysopoli in Monasterio à se extructo moram egit.

II. Non eo animo scribuntur hæc exempla, ut iis subscribatur: quin potius, ut in ea pauca hæc animadvertantur. 1. Si non repellebantur à Clericatu & Ordinibus, qui penè inviti flagitabant, certè terrena & carnali cupiditate adacti: multò minùs rejici tum potuisse eos, quos insucata pietas ad eadem vota incitabat. 2. Increbuisse hæc exempla jam inde à quarto Ecclesiæ sæculo. 3. Qui tristibus his rerum temporumque vicibus ordinabantur, simulatè saltem eos necessitati servisse, & cessisse Providentiæ, ad voluntariam conversionem profitendam. 4. Qui Clericatui tum & Ordinibus illigabantur, eos simul & semel Monastica instituta professos, ut ex Juliani exemplo declaravit Socrates.

Et eo sanè prohibebantur tum Episcopi januam Cleri his occludere, ut qui in Monasticos se statim secessus conferrent, mundoque terga verterent, idque certa & firma posthac voluntate vociferarentur. Quanti etenim sunt, qui mala bene vertunt, & qui necessitati aliquando tandem ita sese inflectunt, & accommodant, ut quæ violenta primò fuerat, voluntaria mox evadat conversio, & in summam quandoque erumpat pietatis arcem? Docuit nos alibi Augustinus, ne agricolis quidem & opificibus quibuscumque obstrui debere cœnobiorum aditus omnes; propterea quod quanquam justissimæ sint causæ suspicandi, inertiæ potius illos & otii amore, quàm sincera ferri pietate: sint tamen ex illis aliqui qui castissimo desiderio ferveant perfectionis Evangelicæ, & qui in ejus postea fastigium evadant. Itaque ne hi rejiciantur, illos quoque esse amplectandos: cùm sibi uni Deus cordium perscrutandorum vim & laudem vendicarit.

III. Si cui verò succurrat animo, non magnopere referre ad dignoscendam Beneficiorum priscæ Ecclesiæ disciplinam: tam operosè declarari, ad-

missos fuisse in Clerum, tum eos qui sua sponte id exposcebant, tum qui violento adversantis fortunæ turbine eò urgebantur. Respondebo permagni omnino interesse, ut persuasum sit omnibus, Clericatus professionem fuisse tum verè professionem, conversionem, religionem, fugam sæculi & voluptatum vanitatumque ejus insanarum: ideoque non potuisse non eò admitti illos, quos supernè inspirata pietas, vel quos reflantis fortunæ turbo eò perpulisset. Permagni inquam interesse, ut omnino intelligatur Clericatum minoresque Ordines quendam veluti novitiatum fuisse, ubi Christi milites imbuerentur omni virtutum genere, humilitate, paupertate, veste quippe ciboque contenti: ut ne suspicio quidem esset eò homines, vel opum cupiditate trahi, vel honorum.

IV. Veniamus ad Occidentales Ecclesias, & experiamur an & in iis appareant id genus exempla, in quibus eadem quoque liceat observare. Memoratur à Gregorio Turonensi Charaticus Rex jussu Clodovæi Magni pœnas dedisse perfidiæ in hunc eundem modum, attonsus in Clericum cum filio, tum ipse Presbyteratu, filius Diaconatu, sacris altaribus ambo devincti. L. 2. c. 42. *Vinctos totondit, & Chararitum quidem Presbyterum, filium verò ejus Diaconum ordinari jubet.* Non facilè crediderim, potitum victoria Clodovæum abruptè Episcopis præcepisse, ut miserabiles Principes tonsura & sacerdotio donarent. Quin auguror potius, bis optionem fecisse, ut aut perfidiam capite luerent, aut semel renuntiarent sæculo, eique se includerent professioni, ubi res novare & turbare quidquam amplius non possent: tumque ipsos statuisse secum, & exorasse ab Episcopis, ut attonsa coma, collatoque sacerdotio, spes sæculi omnes ejurarent.

V. Et hæc quidem conjectura, non similitudine tantum veri, Regumque in Episcopos observantia nititur, & Episcoporum in Ordinibus nonnisi consideratissimè conferendis providentia: sed & aliis ab eodem Gregorio relatis exemplis, ac trium potissimum filiorum infortunatissimi Regis Clodomiti. Cùm enim in manus patruorum incidissent Childeberti & Clotarii, copiam illi fecere aviæ Clotildi reginæ sanctissimæ, alterutram ut eligeret perniciem, vel mactari pueros, vel detonderi, eoque regiæ familiæ & dignitatis insignibus spoliari. L. 3. c. 18. Contrucidati sunt duo, tertius nimirum Clodulphus elapsus est, attonsusque & tandem Presbyter factus, regiam, sed cœlestem, minus invidiosam, sed non paulò optabiliorem assecutus est coronam. *Is postposito regno terreno, ad Dominum transiit, & sibi manu propria capillos incidens, Clericus factus est, bonisque operibus insistens, Presbyter ab hoc mundo migravit.*

VI. Hoc Clodulphi exemplo dilucet, has professiones, seu Clericales, seu Monasticas, quanquam in speciem primò vi extorqueri viderentur, voluntarias tamen & jam tum aliquo modo fuisse, & omnino postea evasisse. Quanquam potuerint & aliqui fortasse ne ferreæ quidem & ineluctabili cedere necessitati, & contumacia calamitatem exaggerare. L. 5. c. 14. Merovæus sanè regii & ipse sanguinis, veste primùm donatus Clericali, tum ordinatus Presbyter, ita in Monasterium amandatus est, ubi Clericalis vitæ regulis imbueretur. *Cùm in custodia à Patre retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, quâ Clericis uti mos est, Presbyter ordinatur, & ad Monasterium Cenomanicum dirigitur, ut ibi Sacerdotali erudiretur regulâ.*

VII. Lubens omitto & alia quæ congeri possent exempla, *Ibidem.* & ad Concilium Aurelianense III. *L. 7. c. 36.* venio, ubi pœnis canonicis subjiciuntur Episcopi, qui invitos & reclamantes ordinabant; nec à communione depelluntur, etsi Ordine sacro exauthorantur, qui uxores duxerant, postquam vi adhibita ordinati fuissent. Hinc perspicies Ordinationes de quibus verba facimus suo quodam modo voluntarias fuisse. Volebant enim effugiendæ mortis causa ordinari, etsi alias noluissent. *Can. 7.* *Quod si invitus, vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur; sed non à Communione pellatur. Episcopus autem qui invitum, aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus, Missas facere non præsumat.*

VIII. His exemplis referta erat & Hispania. *L. 6. c. 43.* Eorum aliqua ab eodem Gregorio Turonensi litteris mandata sunt. Satius esse tamen arbitror hic expendere Canonem Concilii Toletani VIII. *Can. 7.* quo percelluntur ii, qui jam nefarias nuptias appetebant, postquam Ordines in difficillimis hisce temporibus suis accepissent, quòd non alios darent fugiendæ mortis exitus. *Quosdam aut eventu necessitatum, aut metu periculorum, adeptos fuisse novimus Ecclesiasticarum officia dignitatum: & quoniam cum hæc illis imponerentur, id sibi fieri noluisse testantur, idcirco hæc spernere, atque ad pristina pertentant conjugia, moresque redire.* Obtendebant illi nunquam assensos esse se Ordinationi. At contrà Concilii urgebant Patres, Ministrorum sacrorum consecrationem non minùs augustam, sacrosanctam & irrevocabilem esse, quàm Chrismatis, Altarium & Ecclesiarum: Si baptismo autem parvuli etsi minimè consentientes, constringuntur tamen Christianæ fidei legique: non minorem Ordinis sacri vim esse debere, quanquam qui eo donantur, eorum extorqueatur aliquo modo consensus. *Quanto magis non convenit violare, quod pro mortis aut pœnarum evadenda pernicie, occultâ Dei dispensatione dignoscitur obvenisse. Licet inviti perceperint, quod merebantur habere, libenter tamen ob cœleste retineant præmium, quod nolendo per terrena consecuti sunt necessitatis eventum.*

IX. Si rata habetur hoc Concilio eorum ordinatio, qui minus assentiebantur: *Id sibi fieri noluisse testantur, &c. Licet inviti perceperint, &c. Nolendo consecuti sunt, &c.* non tamen existimandum est nullum prorsus præstitum fuisse ab iis qui ordinabantur assensum. Assentiebantur enimvero, quanquam illibentes, ut illi qui ut gravius declinent malum, leviori assentiri & acquiescere coguntur. Verissimè enim dicitur, hoc malum eos pati invitos, & tamen volentes asseorri, ne graviorem aliquam cladem sibi accersant. Quibusde hic agitur ordinationi eodem pacto consenserant, necessitate constricti inevitabilis alioqui mortis. *Aut eventu necessitatum, aut metu periculorum, &c. Pro mortis aut pœnarum evadenda pernicie, &c. Per terrena necessitatis eventum.* Ecquis autem non vel amarissimas sorbet potiones, metu mortis eò adactus, invitus & tamen volens?

Episcopi ergo sacros Ordines his conferebant, tunc quidem non tantum volentibus, sed vehementissimè volentibus, orantibusque, postquam non alia superetat salutis via. Unde ita ordinati non ferè postea reclamabant, aut contrà protestabantur, velut ii de quibus suprà Concilium Aurelianense III. Hinc quoque non leve patrocinium Episcopis accedebat, quòd persæpe assensus ille vi expugnatus primùm, lapsu temporis confirma-

batur, & dulcescebat, & hinc gratiæ habebantur singulari Dei providentiæ, cui tempestates ipsæ famulantur, & diutissimè jactatos eo jubente in portum tandem conjiciunt. *Occulta Dei dispensatione dignoscitur obvenisse.* Obiter moneo non aliter interpretandos esse aliorum Hispaniæ Conciliorum Canones, ubi ratus habetur baptismus Judæis invitis datus. Et eorum enim ponitur certusque habetur simillimus consensus, vi expugnatus ille quidem, & metu mortis, sed consensus tamen & voluntarius, eadem ipsa ratione, qua tam multa in vita communi fiunt metu mortis, & voluntariè.

X. Non debet hîc denique præteriri, quod in Cleri laudem & decus eximium vergit. Nimirum gravium reos flagitiorum, Clero nunquam in pœnam addictos fuisse, quanquam tum quidem non rarò in Monasteria ablegarentur. Quod factum videtur non sacerdotii tantùm contemplatione, sed ejus etiam innocentiæ morum, quam Clericatus postularet. Non plecti, sed honestari videretur scelus, si scelesti Ordinibus Ecclesiasticis innecterentur. Denique scelus ipsum antequam sæcularis Judicis sententia damnaretur, prædamnatum jam erat canonicis institutis, & à sacerdotii quantulocumque consortio abscissum. Ideo quanquam criminosos compulerit quandoque inconsiderata & præceps iracundia tyranni ad Ordines sacros suscipiendos: verùm id nunquam canonico vel juridico judicio factum, nunquam à Judice ullo pronuntiatum. Quin & ubi tyrannica vi extortum illud est, non tam Clericali ordinatione puniebatur, quàm spe dignitatis cujuscumque civilis adipiscendæ spoliabatur reus. An verò cùm judiciali sententia Clerici laïcique detrudebantur in Monasteria, id eò pertineret ut Monachi fierent, an ut pœnitentiæ tantùm operibus sese dederent, id à proposito nostro alienum visum est inquirere.

CAPUT XXVIII. *P. 3. l. 2. c. 7.*

Nec Clero, nec Claustris excludebantur, qui vitandæ mortis causa eò confugiebant, sub Imperio Caroli Magni, stirpisque ejus.

I. Cur hoc loco ista quæstio pertractetur.

II. Qui urgebantur, ut Clericalem, vel Monasticam Professionem complecterentur, necessitati serviebant, voluntas utinque, & vel ita mortem declinari gaudentes.

III. IV. Varia exempla & inflictæ hujus necessitatis, & accommodantis se ei voluntatis, liberique consensus.

V. Observantur nonnulla in iis exemplis.

VI. VII. Proferuntur exempla alia, & nonnulla rursus in ea observantur.

VIII. In Ecclesia Orientali iidem mores.

IX. Qui eo adacti fuerant ad alterutrum propositum, in eo perseverare cogebantur.

X. Doctrina Balsamonis de Professione Monastica morte imminente facta.

XI. Antiquæ pœnitentiæ successit Monastica Professio.

XII. An aliquando fuerint relaxati, qui in Cœnobia fuerant contrusi.

XIII. Voluntarii homicidæ, qui ab asylo Ecclesiæ distrahebantur, perpetuo arctabantur carcere, nisi Claustra mallent.

XIV. Poterant Abbates ad Professionem admittere eos, qui vita mox abituri erant.

I. NOn pigebit hîc illud refricare, quo adducti sumus consilio ad hanc quæstionem pertractandam, de iis qui tyrannica vi, vel tristissima necessitate constringebantur, ut se vel Clericali addicerent, vel Monastico instituto, quòd non alia tum pateret mortis declinandæ via. Nimirum hinc facilè intelligitur, si ne hos quidem Clericatu summovebat Ecclesia, multò minùs ab ea abjici illos potuisse, qui sponte sese, & unu Ecclesiastici ministerii amore compulsi ad Tonsuram & minores Ordines offerebant.

II. Toto autem hoc capite operam nostram studiumque omne in id potissimum conferemus, ut testimoniis & exemplis medii hujus ævi hîc coacervatis, manifestissimè rursum declaretur, ideo ad Clericatum & ad Ordines admissos fuisse ab Ecclesia eos, qui de libertate, de vita periclitabantur, quòd enixissimè id & cuperent & flagitarent, ut quibus non aliud esset extremi supplicii effugium. Non poterat suo Ecclesia sinu excutere ad hoc ejus asylum confugientes reos, vel etiam sine reatu calamitosos: cùm tam invicta tunc constantia suorum asyla templorum tueretur: & cùm necdum excidisset memoria, quantos olim scelerosos ex ipsis pene Tribunalibus manibusque tortorum extorsisset, pœnæque subduxisset temporali, ut pœnitentiæ addiceret, qua & scelera & scelerum supplicia æterna expungerentur. Illud enim seriò animadvertendum, in perturbatione frequentissima rerum temporalium semper victos victoris iræ & vindictæ obnoxios fuisse, quanquam non rarò vel omnino innoxios, vel certè minùs noxios. His ergo non iniquum erat patere Monasteria, patere Clericatum, quo se hostium & victorum furori subtraherent. Minùs voluntaria primùm erat ea conversio, sed utcumque tamen, jam tum, sed omnino tandem voluntaria: cùm cedat tandem & accedat necessitati voluntas, ubi sapit, ubi insuescit, ubi virtutis longo tyrocinio mansuescit, & gratulatur tandem ei, & necessitati, & procellæ, quæ nolentem ejecit in eum portum, ubi non multò pòst lubentissimè conquiesceret.

III. In Concilio Attiniacensi Ludovicus Pius anno 822. *primò quidem fratribus reconciliari studuit, quos invitos attonderi fecerat.* Optimum Principem excandescentiæ hujus suæ pœnituit; denique publicæ pœnitentiæ lamentis eam culpam abluit. Carolus Calvus Pipinum quoque nepotem Clericali tonsura constrinxit, quòd in Aquitania res novaret, quin & habitu Monastico indui eum jussit, consilio usus Episcoporum, qui eam pœnitentiæ formam ejus & natalibus & sceleribus consentaneam fore existimarunt, in Concilio Suessionensi II. anno 853. *Conc. Gall. To. 2. pag. 448.* *Consilio reverendissimorum Pontificum & Procerum attonsus & in habitu Monastico ad Monasterium sancti Medardi custodiendus & docendus deductus est.* *Can. 5.*

IV. Thassilo Dux Bavariæ, ut perhibet vetus Chronicum, ingeminatæ sæpiùs perfidiæ & perduellionis convictus, attonsus demum fuit, & in Gemmeticense Cœnobium inclusus: *Invitus jussus est comam capitis sui deponere, &c. Clericus effectus est, & exinde exiliatus est ad Cœnobium quod appellatur Gemeticum. Duo quoque filii ejus tonsurati atque exiliati sunt.* *Du Chesne Hist. Fran. T. 2. pag. 6.*

Hæc paucis ibi: at locupletior alibi & diffusior Historiæ eorum temporum scriptor narrat Comitia Regni Generalia habita, ubi causa Thassilonis disceptata, capitalis sententia in eum dicta, Caroli Magni imperio & indulgentia suspensa ac mitigata sit, ut quem Thassilo affinitate contingeret. Denique cùm mortem ipse deprecaretur, rogaretque ut longo pœnitentiæ decursu permitteretur in Monasterio quopiam scelera sua eluere, unà cum

filio quem habebat, ut priùs perfidiæ, ita & nunc pœnæ socium, ac pœnitentiæ: voti compos factus
Ibid. p. 33. An. 782. est. *Domnus Carolus congregans Synodum ad villam Ingelhaim, &c. dum omnes una voce acclamarent capitali eum ferire sententia, Carolus piissimus Rex motus misericordia, ob amorem Dei, & quia consanguineus ejus erat, obtinuit ab ipsis Dei & suis fidelibus, ut non moreretur, & interrogatus à clementissimo Rege Thassilo, quid agere voluisset, ille verò postulavit, ut licentiam haberet sibi tonsurandi, & in Monasterio introeundi, & pro tantis peccatis pœnitentiam agendi, & ut suam salvaret animam. Similiter & filius ejus Theodo dijudicatus est, & tonsuratus, & in Monasterio missus.*

V. Hinc manifestè illa existunt. 1. Quamvis inviti viderentur hi Proceres tonderi & ordinari: *invitus jussus est comam capitis deponere*: sponte tamen, immo & cupidè hoc eos voluisse. Quid enim tam voluntariè, quid tam cupidè fit, quàm quod necessitate vitæ tuendæ, & mortis propulsandæ fit? Ideo & Thassilo Judicum sententia morti addictus, in gratiæ & beneficii loco habuit, quòd vita & professione Monastica donaretur. Eginardo etiam teste Thassilo Cœnobium & lubens primùm intravit, & lubentior postea incoluit. *Clementia Regis licet morti addictum liberare curavit. Nam mutato habitu in Monasterium missus est, ubi tam religiosè vixit, quàm lubens intravit.* 2. Ita viros nobilissimos humaniùs quandoque habitos, ut postquam morte damnati fuerant, pœnitentia publica mulctarentur; ut quondam frequentissimè capitale judicium connitentibus Episcopis Clericisque omnibus condonatum, & pœnitentiæ publicæ laboribus commutatum fuerat; eo tantùm discrimine, quòd his posterioribus sæculis pœnitentiæ stadium in Monasterio decurreretur. 3. Clericatum in his exemplis à Monastico instituto non sejungi. Hæc enim verba, *Clericus effectus est*, perspicuè de Monastica professione capienda sunt. Et cùm per hæc media sæcula aliquandiu indiscriminatim ea habita sint instituta duo; hinc forsan emersit, ut & in Clericatum aliquando adigerentur rei eorum scelerum, quæ capitali supplicio expianda fuissent. Ostensa enim morte, quam declinare jam non possent, jam multis ipsi precibus id expugnabant, ut Clericalis potiùs, vel Monasticæ vitæ institutis constringerentur.

VI. Cùm Pipinus quasi naturæ ipsius suæ immemor in parentem optimum Carolum Magnum conjurasset, in Conventu Regni generali anno 793. Ratisponæ cum conjuratis omnibus morte damnatus est. Donatus mox Caroli Magni precibus, in Clericatum & in Monasterium contrusus est. *Uni-*
Ibid. p. 38. *versus populus judicavit ut vita privarentur, & ita de aliquibus impletum est. Nam de Pipino filio suo, quia voluit Rex ut occideretur, judicaverunt Franci, ut ad servitutem eum inclinare debuisset. Et ita factum est, & misit jam Clericum in Monasterium.* Auctor est Eginardus, optasse Pipinum ipsum, ut hac occasione posset pœnitentiæ instituta seriò capessere, *Detonsum in Cœnobio Prumia, religiosa vita, jamque volentem vacare permisit.* Denique testatum facit
Ibid. p. 101. Eginardus, ne Ludovicum quidem Pium quemquam Monasteriis addixisse, nisi quos conjurationis compertos Conventu Generali morte damna-
Ibid p. 261. 280. rant. *Judicio Francorum capitali sententia damnatos, &c. prout quisque nocentior vel innocentior apparebat, vel exilio proscribi, vel detondere, atque in Monasteriis conversari jussit.* Quin & Theganus narrat à Ludovico Pio Abbatiis donatos fuisse fratres suos & Episcopatibus, quos antea in Monasteria compegerat. Pœnituit quidem Ludovicum postea suæ in fratres suos inclementiæ. Sed vel hoc ipsum incredibilis ejus clementiæ documentum fuisse author est, qui ejus vitam scripsit: quòd ipsum pœnituerit pœnæ secundùm leges irrogatæ, imò multis delinimentis mitigatæ. *Adeo Divinitatem sibi* *Ibid. p. 302.*
placare curabat, quasi hæc quæ legaliter super unumquemque decucurrerant, sua gesta fuerint crudelitate. Humanitatis ejusdem specimen aliquot interjectis annis exhibuit in eos rursus, qui novæ conjurationis architecti fuerant. *Cùm omnes judicio legali tan-* *Ibid. p. 308.*
quam reos majestatis decernerent capitali sententia feriri, nullum ex eis permisit occidi, sed laicos quidem præcepit locis opportunis attonderi, Clericos verò in convenientibus itidem Monasteriis custodiri.

VII. Struit ea & perspicuitas tanta exemplorum declarat apertissimè; ut suprà perstrictum est, 1. Non coactos fuisse ad Clericatum, nisi eos qui cogi se volebant, seu qui Clericatum morti volentes lubentesque præponebant. 2. Vetustissimæ disciplinæ has fuisse quasdam veluti reliquias, morti temporali præripi reos, ut pœnitentiæ laboribus immorerentur. 3. Priscæ quoque disciplinæ id fuisse, ut pœnitentia in Cœnobio quopiam peragetetur. 4. Tonsuram & Clericatum hîc plerumque de Monastica professione intelligi debere. Apertissimum enim illud est in superioribus exemplis omnibus, quibus & alia possent adjungi. Ita Monachus Inculismensis ait, ultimum stirpis Clodovæi Principem Clericatu donatum esse in Monasterio, hoc est, & Monastica simul veste. *Facto Clerico* *Ibid. p. 694*
in Monasterio. Ea porro erat ejus rei ratio, quòd omnis tunc distingueretur Tonsura Clericalis à Monastica: cùmque persæpè Clerici pœnitentiam acturi in Monasteria amandarentur, facilè persuasum est, posse in iisdem Monasteriis laïcos quoque accepta Clericali Tonsura pœnitentiæ laboribus defungi. Stephanus quoque IV. summus Pontifex, eos qui in ejus caput conjuraverant, vita donatos Monasteriis abdidit. *Quos salvos conservare cupiens,* *In ejus vita.*
Monachos facere præcepit.

VIII. In Orientem trajicio, ubi confestim ejusdem disciplinæ impressa observo vestigia, ejusdemque morum doctrinæ. Anastasius imperio cedens Theodosio, ut & sceptrum illi certius assereret, & sibi vitam, *Dato sacramento Clericus factus, atque Presbyter est consecratus.* Verba sunt ea Anastasii Bibliothecarii in vita Gregorii II. Addit Theophanes in Monasterii latebras conjectum fuisse Anastasium. Si Presbyter autem ordinatus est, quanquam procul sim à probandis vel defensandis hoc genus facinoribus: succurrit tamen animo, quo difficultas ea & rei insolentia elevetur. Anastasius infortunii magis sui, quàm sceleris præ Theodosio luebat pœnas. De Imperio certarant. Non ea semper causa melior, quæ felicior. Pœnas dabat Anastasius, non gravioris culpæ, sed infelicioris pugnæ. Itaque videri quibusdam potuit, non statim ubi ab Imperio excidit, etiam innocentia excidisse ea, quæ ad Presbyteratum desiderabatur. Adde quod Ordo sacer in hoc genus exemplis collatus videtur fuisse, non tam ut ejus munia obirentur, quàm ut certius constaret de ejurata spe sæcularium quarumcumque dignitatum. Quàm multi enim olim Ordine sacro donabantur, cujus functiones nunquam adirent?

Urgenti olim Bardæ, ut tonderetur & sacro velo obnuberetur imperatrix mater cum sororibus Mi-

chaëlis Imperatoris: constantissimè tenuit Ignatius Patriarcha, contestatus nullius eas sceleris conscias esse. Ita enim Nicetas in vita Ignatii: *Et verò nunc quod Reginarum est facinus, quæve in illis causa, ut majestas vestra, adversus eas talia machinetur.* Irene Constantini Imperatoris mater, *mariti sui fratres, Cæsares & Nobilissimos, raso capite in Ordinem Sacerdotum redegit, qui natalitio Christi festo sacris populum impertirent:* quòd nimirum in ipsam & Constantinum filium conspirassent, ut author est Cedrenus. Cum Nicephorus Botoniates Imperium invasisset, Michaële deturbato & in Monasterium detruso, Patriarcham & Metropolitanos immisit, qui eum detonderent & Archiepiscopum Ephesinum inaugurarent, ut perhibet Curopalates. *Michaël detonsis capillis, sententia Patriarcharum & Metropolitanorum, Ephesi Archiepiscopus deligitur.* Insolentiora sunt sanè hæc exempla & penè singularia. Longe numerosior enim eorum turba, qui ad Monasticam vitam cogebantur. Sed illud non abs re fortasse hîc observabitur, qui ad Clericalem contrudebantur professionem, eos nullius criminis infamia laborasse, cùm vigerent etiam tum Canones, per quos à Clericatu cujuscumque sceleris infamia aspersi eliminabantur. Præfestina quidem illi & præcipiti celeritate ad sacros Ordines, ad summas etiam dignitates impellebantur: verùm nemo non videt quàm non possint hæc in exemplum trahi, quæ à summa potestate, ne dicam vi proficiscebantur. Nec in crimen vocandi sunt Episcopi, qui Ordines tunc conferebant, cùm tenendi constantiam & Canonum infractam observantiam retinere non possent, nisi alienæ salutis & vitæ dispendio. Consentaneum non erat, ut laudem constantiæ tum aucuparentur Præsules, cùm de capite virorum nobilium Principumque ageretur.

Cedrenus. pag. 469.

Pag. 864.

IX. Non est etiam quod quemquam moveat, si tam religiosè observari jubebantur hæ tunc professiones, vi certè expressæ. Tradit enim Balsamon, quod magis stupendum est, illos etiam quos repentina vis morbi oppresserat, adeo ut ne sentirent quidem, cùm religiosa eis vestis indueretur, siquando sese pristinasque vires recuperarent, coactos fuisse professionis Monasticæ institutiones, laboresque omnes perfungi. *Vidimus multos qui ad extremam ferè respirationem tonsi sunt, & qui propter morbum nesciebant quidem quid ipsis fieret, qui cum postea vellent habitum recipere, propter ignorantiam, & quod morbo male affecti essent, & in secularibus vitam agere vellent, id non fuit eis permissum, sed pœna etiam affecti fuere: alios autem qui cum temere ad pristinum habitum reversi essent, rursus ad priorem Monasticum habitum vel inviti reversi sunt.* Cùm autem cavissent Carthaginenses Canones, ne ægrotis non petentibus baptismus daretur; ex quo consequens esse videbatur, ut nec pœnitentia non petentibus, nec quidquam sentientibus, ingereretur: Respondet Balsamon fidelibus omnibus insitum esse, & ipsa regeneratione insertum illud desiderium, ut ne hinc excedant, nisi peccatis per pœnitentiam abstersis; infidelium verò mentes nullo ejusmodi desiderio aut voto occupatas esse. *Orthodoxis enim ut qui futurum Dei judicium sperent, pœnitentia cohabitat, & quilibet proposito Christianus desiderat, ut per tonsuram ei sua peccata remittantur.* Ea est Balsamonis doctrina, in qua per me licet, ut suo quisque fruatur judicio.

In Synod. Constantin. Can. 2. pag. 554.

In Can. 45. Carthag.

X. Nec verò fas est silentio præteriri scitum illud ejusdem Balsamonis, quod etsi nonnihil digredi nos cogat ab instituto, excusabit breve diverticulum, rei utilitas non modica certè. Ait ergo ille qui ingravescente morbo quopiam & desperata jam penè salute, habitum induuntur Monasticum, eos coram Deo pro veris haberi Monachis: quippe de Deo scriptum est, *Ubi te invenero, illic te judicabo.* Unde apud eum quisque censetur, ex animi præparatione qua hinc excedit. At non ita res habet coram hominibus. Si quis enim habitu Monastico ita donatus est, is non potest, nec ipse, nec hæredes ejus ea gaudere donatione, quæ ab ea conditione suspensa fuerat, si Monachus fieret. At contra cui donatum est quidvis, si modò liberos suscipiat, is si sanus vegetusque Monasticum institutum profiteatur, donatione gaudebit, & rei donatæ fructus in pauperes dispensabit; at si Monachus non fiat, nisi in extremo vitæ fugientis discrimine, irrita erit donatio, ejusque fructus omnes restituentur. *Si is qui sub liberorum conditione rem aliquam gravatam acceperit, in sanitate tonsus fuit bona gratia, rectè ut eam ad pias causas relinquat, & restitutio cessabit. Sin autem in extremi spiritus tempore, eam ad pias causas non transmisisset, quod invalida fuerit conditio, & locum habebit restitutio.*

In Can. 12. Neocæsar.

XI. E diverticulo nunc in viam, à qua tantisper deflexeramus, redeundum nobis est: & illud primò recolendum: olim studuisse Clericos, ut reos morti subducerent, à qua tantumdem ferè periculi animæ, quàm corpori impendebat, ut eos pœnitentiæ subjicerent, qua & temporali nunc, & æternæ postea morti eximerentur. Recolendum illud rursum habitum pœnitentiæ injectum plerumque fuisse iis, qui in extremis agebant. Et duplici pœnitentiæ rationi successit postea Monastica professio, eique implicati fuere, tum quibus æquissima scelerum vindicta, tum quibus desperatissima quædam ægritudo proximam certamque mortem allatura videbatur.

XII. Testificatur & alibi Balsamon, qui tonsi, Monasticaque professione Imperatorum jussu illaqueati fuerant, quantacumque illis vis adhibita fuisset, nunquam eos postea tam sanctæ professioni renuntiare potuisse. *Nec qui Imperatoria authoritate tondentur, possunt transformari, habitumque mutare, sed erunt necessariò Monachi, etiamsi vi tonsi fuere.* Persuasum probabiliter erat, mandata istiusmodi Imperatoria, non æquitate tantum legum, sed & humanitate multa temperata & condita fuisse, utpote quæ vitæ sanctiori, & immortalitati beatissimæ initium daturæ, addicerent eos, qui duplici morte, temporali æternaque alioqui periclitabantur, ut suprà patebat in exemplis Caroli Magni, & Ludovici Pii.

In Can. 43. Basilii.

Specialis excubabat providentia in Matronas nobiles, quas non raro Imperatores in Monasteria fœminarum detrudebant. Cum Andronici Imperatoris conjux claustris egredi & ad Hungariæ Principem, qui eam uxorem deposcebat, averet ipsa, perciperent & complures alii, restitit Concilium Constantinopolitanum: quod nempè quanquam invita eò conjecta fuisset, non tamen nisi post mariti mortem detonsa esset, & in Monasterio perdiu versata. Ex quo ejus & conjiciebatur consensus & probabatur. Contrà autem Matronis aliis in hoc eodem Concilio indultum est, ut sæcularem vestem resumerent, propterea quod superstites essent earum conjuges, & quod post tyranni mortem professioni nunquam consensissent.

Idem pag. 1118. Supplem.

XIII. Quod suprà verò perstrinximus, vix, ac

nec vix potuisse tunc Ecclesiam asylo & perfugio eliminare suo noxios, qui ad eam recurrebant: id authoritate Emmanuëlis Comneni confirmari potest, eaque ejus Constitutione, qua prioris Constitutionis macula abstersa est. Legem enim revocavit Emmanuël Constantini Porphyrogenetæ, quæ cogebat voluntarios etiam homicidas Tonsuram suscipere Monastricam, quantumvis illi quidem renitterentur. Scitè autem monet Emmanuël, ne eos quidem quos germana & fuci nescia pietas instigat, ad Monasticam admitti debere professionem, nisi diuturno probatos tyrocinio: tantum abest, ut ad eam invitus cogi possit quisquam, nedum scelestissimi mortalium & homicidæ voluntarii; quorum professio per vim extorta, ipsis Monasteriis cædes & cruentas invehere aliquando posset carnificinas. Itaque pro claustris Emmanuël carceres perpetuos voluntariis destinat homicidis, qui in Ecclesiam Iura Orien. Tom. 1. pag. 264. confugerint. *Quamobrem tonsura loco majestas tua statuit, ut qui cædem sponte suâ præmeditatam admisit, in custodia toto vitæ suæ tempore degat, ex ea nunquam educendus, ne jussu quidem imperatorio per oblivionem fortè principis eliciti.* Ipso asyli Ecclesiastici privilegio morti subducebantur voluntarii etiam homicidæ: idque in causa erat, quamobrem Monasticæ professioni, cui addicebantur, assentiri nollent. Quo etiam adductus est Emmanuël, ut pro Monasteriis, perpetuo illos carcere concluderet. Si qui verò eorum enixius rogarent admitti se in Monasteria, diutinis probati experimentis, ea lege suscipiebantur, ut revocare gradum nunquam posthac daretur. *Quod si consulto facta cædis author, sponte sua tonsuram expetat, non temere Monachorum in Ordinem admittetur, sed magna cum accuratione & exploratione temporis.*

Ibidem, pag. 457. XIV. Restat unum hoc quod addam ex eodem Jure Orientali. Ubi Patriarcha Chartam concedebat Abbati, qua Confessiones excipere, & peccata dimittere eorum posset, qui eum sibi Patrem spiritalem adsciscerent: copiam quoque illi faciebat donandæ, & vestis, & tonsuræ Monasticæ, iis qui eam, vel valentes deposcerent, vel ex morbo decumbentes. *Eidem concedimus ut illis tonsuram impertiatur, qui eam vel in vita sua vel etiam in extremis respirationibus expetunt.* Apparet hinc tantopere propagatam fuisse eam consuetudinem induendæ in extremis Monasticæ vestis.

De Jure Patronatus.

CAPUT XXIX. *P. 1. l. 2. c. 7.*

De Jure Patronatus, seu de præsentatione per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

I. Ut quæstio hæc cum superioribus cohæreat.
II. Patronatus Ecclesiasticus in Concilio Arausicano, in gratiam Episcoporum, qui Ecclesias extruebant extra Diœcesin propriam.
III. An ad successores id jus manaret.
IV. V. Ex jure laïci ibi excluduntur. Cur.
VI. VII. Exempla Patronatus laïci in Oriente, ubi Ecclesiæ extruebantur ruri in domibus villisque Magnatum.
VIII. Nondum in Occidente ei juri locus erat.
IX. Exempla alia Patronatus laïcorum in Oriente.
X. Cæpit ergo Patronatus laïcus quidem in Oriente, Ecclesiasticus autem in Occidente.

I. EXpensis hactenus variis gradibus ejus potestatis, quam Canones Episcopis, Clero, populoque contulerant ad deligendos Beneficiarios, & Beneficiariis ipsis ad servandas, resignandas cedendasque & deserendas Ecclesias suas: pergendum ad illud jam nobis est jus Patronatus, quod parare sibi singuli quique potuere, ad nominandos præsentandosque Episcopo ministros extructarum à se Ecclesiarum. Cùm hoc autem capite propositum nobis sit, non expatiari extra quinque priora Ecclesiæ sæcula, fateri cogimur rarissima tunc fuisse Patronatus exempla.

II. Eo seu jure, seu privilegio perspicuè satis in Concilio Arausicano donantur Episcopi ii, qui extra Diœceseos suæ fines terris fundisque quibusdam gaudent, in iisque Ecclesias exædificant. Quanquam enim earum nec dedicationes altarium, nec Ministrorum Clericorumque quorumcumque ordinationes vindicare sibi possint; deligere tamen arbitratu suo possunt eos, qui in eis ministraturi sint. Hic certissimè Ecclesiasticus est Patronatus, Episcopo soli concessus in aliena Diœcesi. *Si quis Episcoporum in aliena civitatis territorio Ecclesiam ædificare disponit, vel pro fundi sui negotio, aut Ecclesiastica utilitate, vel pro quacumque sua opportunitate, permissa licentia ædificandi, quia hoc prohibere votum nefas est, non præsumat dedicationem, quæ illi omnimodis reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit, reservata ædificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat Clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, cujus territorium est: vel si ordinati jam sunt, ipsos habere acquiescat. Et omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum, in cujus civitatis territorio Ecclesia surrexerit, pertinebit.* Can. 10.

III. Satis dilucide hic pronuntiatur, hoc Patronatus privilegio donari Episcopum, qui Ecclesiam construxerit in alieno Episcopatu, & in eo agro, qui vel Ecclesiæ ejus, vel patrimonii proprius sit. Sed non satis perspicuè declaratur, an Episcopi hæredes ac successores in ejusdem agri & Ecclesiæ possessionem, eodem quoque Patronatus jure fruituri sint. Siquidem Ecclesiasticus erat is fundus, qui Episcopatus successor erat, in id quoque Patronatus jus probabiliter creditur successisse. Quanquam enim illud annueretur *ædificatori Episcopo*: cùm tamen in Ecclesiæ agro, & ex Ecclesiæ reditibus extructa esset Ecclesia, æquum erat ut Patronatus Episcopatui potius quàm Episcopo, sedi magis quàm personæ adjungeretur. Quin & in Concilio hoc ipso æquum esse significatur, ut ne habeat alios Episcopus Ministros, quam *quos desiderat Clericos in re sua videre.* At hæc eadem ratio suffragatur omnibus in Episcopatu successuris.

IV. Sed si patrimonialis hic esset ager, in quo ab Episcopo excitata hæc fuisset Ecclesia; an qui hæredes erant agri, erant & Patronatus, atque ita jam laïcus Patronatus evadebat? Non satis mentem in ea re suam aperuit Concilium. Quin immo videri potest laïcos omnino proscripsisse Patronos, quando in eodem Canone pœnas decernit in laïcos, qui constructas à se Ecclesias voluerint ab alio, quàm à Diœcesano Episcopo dedicari; & ne verbum quidem facit ullum de jure eo, quo possint hi laïci Ministros Ecclesiæ hujus suæ Episcopo præsentare.

V. In promptu illa quidem est ratio, quæ laïcis astipuletur: quod suis impendiis & hæreditariis fundis Ecclesiam construxerint: cum Clerici Ecclesiarum

ſiarum fundatores videri poſſint, ex Eccleſiaſticis proventibus eas extruxiſſe: ut potiori jure remunerandi videantur Laïci, qui de ſuo gratificentur. Verùm aliunde longè plauſibilior dicetur Epiſcoporum cauſa, qui exploratiſſimum habeant, quibus & qualibus miniſtris egeat Eccleſia, quæ eorum laudes & virtutes eſſe debeant juxta Canonicas Sanctiones, quarum nec Laïci, nec inferiores Clerici parem habent peritiam. Denique de privilegio hîc legitur, quod uni Epiſcopo expreſsè à Concilio indulgetur, cujus adeo de aliis quibuſque ſilentium nullis non præjudicat conjecturis.

VI. Preces, imò & mandata inculcavit Chryſoſtomus opulentis omnibus, ut in villis ſuis ruri Eccleſias extruerent, eoque pietatis monumento jugem cæleſtium benedictionum rorem in omne patrimonium ſuum allicerent; ut cui præſto eſſent Preſbyteri, Clericique alii, his Eccleſiis affixi, ſacra ibi Myſteria ſtatis diebus celebraturi, oratione menſam epulaſque condituri, Chriſtianæ doctrinæ rivulis irrigaturi familiam omnem, Decimas denique Primitiaſque omnium in ſuos pauperumque uſus expenſuri. *Fora quidem & balnea faciunt multi, Eccleſias autem non item. & omnia magis quàm has. Ideo oro, & ſupplico, & gratiam peto, imò & legem pono, ut nullus qui habet villam, appareat carere Eccleſia, &c. Educa Magiſtrum, educa Diaconum & ſacerdotalem Ordinem: quaſi ducta uxore dotem aſcribe. Quid non erit illic bonorum? Parumne eſt, oro, torcular benedici? Deum ex omnibus frugibus partem & primitias accipere? Simul prudentem habere Sacerdotem, ſimul converſantem? Parumne eſt in ſanctis oblationibus nomen tuum ſemper referri?* In Acta. Hom. 18.

Nemo non videt quàm probabile ſit his Eccleſiarum fundatoribus permiſſam fuiſſe eam poteſtatem, ut quos mallent Epiſcopo præſentarent Preſbyteros miniſtroſve alios, ut qui ſecum verſaturi jugiter eſſent, menſæ, familiæ, denique domi Eccleſiæ præfuturi.

Non oſcitanter hîc autem legendum illud eſt, quod teſtatum facit Chryſoſtomus Patroni jus fuiſſe, ut inter Miſſarum ſolennia è ſacris Diptychis nomen ejus recitarent. *Parumne eſt in ſanctis oblationibus nomen tuum ſemper referri?*

VII. In ſuburbio Calchedonenſis civitatis refert Sozomenus ædificatam fuiſſe à Ruffino domum Regiis impendiis longè magnificentiſſimam, extructamque juxtà ſub nomine ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Eccleſiam: denique Ruffinus *Monachos in vicino collocavit, qui Clerum Eccleſiæ ſupplerent.* Tam Monachi poſſunt, quàm Clerici Epiſcopo in Eccleſiæ miniſteria præſentari. Et hos ergo Ruffinum præſentaſſe facilis conjectura eſt. L. 8. c. 17.

VIII. Intexuit Gratianus Decreto ſuo duo capita, quibus nomen Gelaſii Papæ præfixum erat. Approbat hic Pontifex à viris prædivitibus conſtructas in ſuis latifundiis duas Eccleſias, quas & dedicari jubet, hac antè propoſita lege, ut *nihil ſibi fundator ex hac Baſilica noverit vindicandum, niſi Proceſſionis aditum, qui Chriſtianis omnibus in commune debetur.* Caligine neſcio qua hæc verba obumbrarentur, niſi lux affulgeret ex perſimilibus aliis ejuſdem Gelaſii Reſcriptis, quæ in lucem edita ſunt à doctiſſimo viro Holſtenio in Collectione ſua Romana. His enim ex Reſcriptis compertum eſt *Proceſſionem* à Gelaſio vocari ſacram omnem Officiorum & Myſteriorum in Eccleſia celebrationem. Quippe Patronus, *Poſſeſſionis dominus*, oblationes omnes invaſerat, ita ut non poſſent Clerici ſuo officio defungi, *ad proceſſionem venire*, quòd juſto & neceſſario ſtipendio fraudarentur. Ideo & Epiſcopus conſilio Papæ obſecutus, Officia celebrari interdixerat: *Proceſſionem ſub noſtra conſultatione ſuſpenderas.* Irreligioſi Patroni hujus ſucceſſor Epiſcopo, vel ei quem ipſe deputaſſet, jura ejus Eccleſiæ omnia redintegravit. *Aut ad eum cui Baſilicam deputaverit.* Tunc mandato Papæ, redintegravit & Epiſcopus Officia. *Proceſſionem ſupradictæ Eccleſiæ te convenit ordinare.* Perſpicua cum primis & conſentanea apparet hæc interpretatio. Occurret forſan & alibi aliquid non minùs opportunum. Sed illud hîc manifeſtè patet, etiam tum cum proventus hujus Eccleſiæ à ſe prius uſurpatos reſtituerunt Patroni, nihil ſibi eos juris vendicaſſe, ad Beneficiarii præſentationem: ſed ad eum fundos reditúſque omnes contuliſſe, quem *Epiſcopus deputaſſet.* Collec. Rom. p. 209 210.

IX. Præſentandi jure indubitatiùs utebantur Patroni laïci in Oriente. Refertur à Theodoro Lectore Pulcheria Imperatrix res omnes ſuas teſtamento Eccleſiis reliquiſſe: at dum vita ſuppeteret, plures Eccleſias poſſediſſe. *Poſſederat autem Pulcheria Oratorias domos multas, eam quæ Blachernenſium, & quæ Chalcopratiorum, deinde & Hodegorum, ad hæc & quæ Laurentii Martyris.* Nemo cordatus non facilè aſſentietur, à tanta & tam pia Imperatrice Eccleſias has omnes, vel fundatas, vel reparatas fuiſſe, vel locupletatas, unde illi jus certum accederet conſtituendorum in iis Miniſtrorum; ut non injuria has Eccleſias poſſidere diceretur.

Eudoxia Imperatrix Theodoſii Junioris conjux, cùm plura, eaque ſplendidiſſima templa in Palæſtina excitaſſet, quibus collibitum ſibi fuit, eorum adminiſtrationem demandavit. Scriptor vitæ B. Euthymii Abbatis Cyrillus, fidem facit de Eccleſia ſancti Stephani, quam ampliſſimè dotatam contulit Gabriëli Monacho, quem prius curaverat Preſbyterum ordinari. *Cum ei multum tribuiſſet redituum, ejus curam dedit Gabrielio.* Baron. an. 455. n. 22.

Narrat idem Scriptor, ut nobilis & pia matrona *Baſſa Andream Paſtorem effecerit, & Præfectum Monaſterii, quod ab ea fuerat ædificatum.* Si fundationis jure Abbates nominabant Monaſteriorum, quantò probabilius Rectores & Beneficiarios quarumcumque aliarum Eccleſiarum? Ann. 460. n. 24.

Conſultò omiſſa eſt à me Athanaſii Alexandrini Epiſcopi conteſtatio ad Conſtantium Imperatorem, non commiſſurum ſe, ut citra ejus mandatum Eccleſiam dedicaret, quam ipſe Alexandriæ conſtrui juſſiſſet. Nec enim hinc elici quidquam poſſe videtur, quo jus Patronatus illuſtretur.

X. Illud ergo ex his concluditur, Patronatum quidem Eccleſiaſticum in Occidente fundamenta habuiſſe primùm, Laïcum autem in Oriente prius emerſiſſe, antequam ejus ulla in Occidente eminerent veſtigia, ſaltem quoad jus præſentandi. Sed hanc Patronatûs Laïci obſcuritatem inter priora hæc ſæcula abundè compenſabat egregia illa poteſtas, qua fruebantur tum laïci in Epiſcoporum, aliorumque Beneficiariorum electionibus & ordinationibus.



CAPUT XXX. *P. 2. l. 2. c. 14.*

De Patronatu Ecclesiastico Laïcoque sub Imperio Clodovæi usque ad Carolum Magnum.

I. In Italia Ecclesiasticus, quàm laïcus patronatus per hæc tempora illustrior.

II. III. IV. Varia exempla Ecclesiastici Patronatus.

V. VI. Nec tamen incompertus tum omnino Patronatus Laïcorum.

VII. Abbates præsentabant eos qui in eorum Ecclesiis sacra faciebant Presbyteros.

VIII. IX. X. Patronatus laïcus altiores egit in Gallia radices in Beneficia simplicia & Parochias.

XI. Usque XVI. Varia exempla ex Historicis & Conciliis. Patronatus Regum. Jura diffinita Patronorum.

XVII. XVIII. XIX. In Hispania eximiis Laïci Patroni potiti sunt privilegiis, sed ad jus præsentandi tardius pervenerunt.

XX. XXI. De Patronatu maximè Imperatorum, in Oriente, & in Ecclesiis Cathedralibus.

XXII. XXIII. In unius Episcopi potestate erant Parochia.

XXIV. Quibus causis possit Episcopus rejicere præsentatos.

XXV. Intra quod temporis spatium præsentari necesse sit.

XXVI. Qui variare & alternare possit Patronus.

I. JUs Patronatûs sacri in illa præclarè emicat Gregorii Epistola, qua declarat conferri à se Beneficia, quæ essent in patrimonio B. Petri, quamvis in Gallicanorum Episcoporum Ecclesiis illa sita essent. His quidem verbis non satis exprimuntur Parochiæ: *Oratorium, aut locus, qui Presbytero, vel Abbate indiget.* Sed Abbatiales saltem illæ Ecclesiæ & Beneficia simplicia ceterarum patrimonialium sancti Petri ad nominationem, vel collationem Papæ spectabant. L. 9. Ep. 65.

II. Ecclesiasticus hic certè Patronatus erat. Laïcus enim in Italia necdum forsan eo ævo invaluerat satis. Quippe Gregorius ipse jusso Ariminensi Episcopo, ut Oratorium à religiosa & locuplete matrona conditum Deo dicaret; vetat mox ne Presbyterum ibi Cardinalem constituat, hoc est, Titularem; sed mittat tantummodo unum è suis, qui toties ibi Mysteria celebret, quoties illa sibi Mysteria celebrari flagitaverit. *Nec Presbyterum constituas Cardinalem, & si Missas fortè malueris fieri sibi, à Dilectione tua Presbyterum noverit postulandum.* Cùmque rursum alibi idem Pontifex ad Neapolitanum rescripsisset Episcopum, ut Ecclesiam dedicaret Monialium civitatis Neapolitanæ, nequaquam constitui jubet ibi Presbyteros, quos vel Abbatissa, vel Fundatrix præsentarit. Fidem tamen facit sanctissimus Pontifex nominatam à Fundatrice fuisse Abbatissam; qui utique Patronatus est, vel præstantius aliquid laïco Patronatu. *In quo Gratiosam Abbatissam præesse disposuit, simulque & Oratorium extruxisse dignoscitur, cui & pro voto suo quatuor uncias totius substantiæ suæ dimisit.* L. 2. Ep. 9. Epist. 59.

III. Credita fuerat Ecclesia sancti Pancratii Presbyteris, qui cùm incuriosiùs fungerentur munere suo, nec diebus quidem Dominicis populo satisfaciebant ad participanda sacra Mysteria undique convolanti. Cui malo ut obviam iret Gregorius, Monachos ibi Abbatemque constituit, à quo aliunde accerseretur Presbyter, & congruis assignatis sibi stipendiis, sacra faceret. *Præcipimus ut peregrinum illic debeat habere Presbyterum, qui sacra Missarum possit solennia celebrare: quem tamen & in Monasterio tuo habitare, & exinde vitæ subsidia habere necesse est.* Presbyter hic instar habebat Beneficiarii simplicis, nulla animarum cura onerati, quem deligeret & institueret Abbas, cibo & tecto donaret idoneo, tanquam congrua portione, reliquis Ecclesiæ proventibus in Monasterii necessitates convertendis. Patronatus ergo & hic erat, sed Ecclesiasticus. L. 3. Ep. 18.

IV. Subdiaconus Mamertinæ in Sicilia civitatis Basilicæ Martyrum fundamenta jecerat. Scripsit Gregorius ejus urbis Episcopo, ut fundationi diligenter perpensæ assentiretur, sed Fundatori significaret, exinde in eam Basilicam nihilo plus ei potestatis residuum fore, quàm cuicumque fidelium, procedendi videlicet & orandi in ea. *Enunciaturus ex more, nihil illic Conditoris juri ulteriùs jam deberi, nisi processionis gratiam, quæ Christianis omnibus in commune debetur.* Hæc verba, *nisi processionis gratiam, quæ fidelibus omnibus in commune debetur*, ingeniosè sanè à nonnullis exponuntur, de prærogativa honoris in procedendo & sedendo, quæ propria est Fundatoris, cùm fideles ceteri nulla speciali gratia fruantur, sed promiscuè & *in commune* procedant sedeantque. Quasi hæc verba *processionis gratiam* his opponantur *in commune*. Verba quibus utitur Gelasius in duobus Rescriptis huic finitimis, de quibus nos suprà, refragari videntur huic interpretationi: *Processionis aditum.* Et veri tamen simile est, posteriora sæcula, quæ hac utique honoris prærogativa Patronos nobilitarunt, in eam sententiam deflexisse verba Gelasii & Gregorii; quibus postea assensus est & Clemens III. in Decretali, *Nobis fuit. De jure Patronatus*, ubi hodiernam delineat consuetudinem, & ad normam priscorum Canonum eam à se delineari profitetur. L. 12. Ep. 10. 16. q. 7. C. Pia mentis. C. Frigentius.

Illud certè in controversiam trahi vix potest, quin & hoc Gregorii Decretum & illa Gelasii duo Rescripta, Patronos præsentationis jure defraudent, ut quod in Italia hactenus prorsus fuisset inusitatum. Ut rem autem altissima ab origine repetam, monebo, imò memoriam eorum refricabo, quæ alibi suprà declarata copiosè sunt, plerisque tum Capellis, Oratoriis, Basilicis, nullos adhuc tum proprios fuisse Presbyteros, sed cùm opus esset, eò ab Episcopis delegari solitos. Ita jus Præsentationis minùs sollicitos habebat Patronos. Denique tum Gelasius, tum Gregorius id potissimum laborabant, ut Patronis funditus excuteretur improba illa spes, in partem veniendi oblationum Capellæ cujusque; utque ea consuetudo ubi irrepserat, extirparetur. Ad id verò mirum in modum conducebat, ut ne ii, quos delegisset Patronus, Ecclesias vel Capellas regerent ministri.

V. Cùm Surrentina Episcopo orbata esset Ecclesia, electusque fuisset Presbyter Oratorii, quod in Castro erat matronæ nobilis; rescripsit Gregorius ad Subdiaconum Rectorem Patrimonii Romanæ Sedis in Campania, ut examen de illo institueret; & si Episcopatui gerendo idoneum comperisset, Romam destinaret, petito, etsi forsan minùs impetrato assensu matronæ. *Ne gloriosa filia nostra Clementina hoc molestè suscipiat, ad eam experientia tua pergat, & cum ejus voluntate hoc faciat. Sin verò reniti voluerit, hunc eum sine mora transmitte, &c.* Non recedit à verisimilitudine, penes hanc matronam fuisse jura Patronatûs, qui tum utique laïcus fuerit. Quò referri etiam debet, quod alibi idem Pontifex Lunensi mandavit Episcopo, ut Presbyteros ordinet, Diaconosque, quos militiæ Dux quidam præsentaret, diu antè tamen examinatos, L. 8. Ep. 18.

quo re divina in urbe quadam fungerentur. *Eos qui ad consecrandum eliguntur, fraternitas tua diligenter inquirat.* Umbra quædam hæc dici poterat Imperatorii Regiique, atque adeo laici Patronatus. Militaribus enim copiis exercitibusque præfici utique opus erat ad rem sacram & ad salutis procurationem Presbyteros, Clericosque alios, nec eos huc illucque cum exercitu circumcursaturos deligere ferè poterant, nisi Principes ipsi Ducesque.

VI. Cujus rei exemplum aliud luculentum suppeditat Pelagius Papa, cum Episcopo Centumcellensi mandat, ut examini subjiciat, & ita demum ordinet, Presbyterum, Diaconum & Subdiaconum, ab ejus urbis militaribus copiis sibi præsentatos, ex Imperatorum concessione. Laïci rursum hic habes specimen Patronatus, & quidem in Italia, & Imperatorii ut liquet Patronatus, cum eam exercitus quasi mendicatam haberet à Principe potestatem. *Principali devotissimorum militum, qui illic in civitate Centumcellensi consistunt, relatione ad nos directâ, sacram insinuant se Clementissimi Principis impetrasse, qua eis Presbyterum & Diaconum & Subdiaconum fieri debere præcepit. Ideo hortamur dilectionem tuam, ut personas ipsas videas, & diligenter inquiras, ne aliquid contra Canones commisissent.*

Collect. Rom. pag. 242.

VII. Diutinam jam Clericorum Monachorumque Siciliæ dissensionem perpacavit tandem Joannes IV. Papa, cùm ageretur de nominatione & investitura Presbyterorum, qui in Monasteriis ministraturi erant. *Utrum Ecclesia pro quiete Monachorum à sanctis Catholicisque Episcopis eis tradita, per Sacerdotes ab eis ordinatos & investitos debeant institui,* Pontifex cujus ad judicium Syracusanus Episcopus causam retulerat, secundùm Monachos sententiam dixit. *Omnino licentiam Monachis damus, suarum Ecclesiarum investitores fieri, &c. Ecclesiæ Monachis data, per suos Sacerdotes instituantur.* Huic autem Pontifex judicium suum superstruit rationi, quod *divinæ leges habeant, & sæculares, ut cujus est possessio, ejus fiat institutio.* Cùm Monasteriis Episcopi concesserint fundos, terras, Ecclesias, concessisse utique & eum censemor, qui his accedit, indivulseque cohæret Patronatum. *Etsi in dando quod majus est facilis fuit charitas, sit facilior in concedendo quod minus est sancta largitas: Majus enim fuit possessionem dare, quàm sit vestituram concedere.* Nunquam enim pacificam locorum sibi concessorum possessionem adipisci posse Monachos, nisi obnoxios suæ potestati haberent Presbyteros, quorum ministerio carere non possunt. *Quomodo possessoris jura cognoscentur, & suorum sibi tributa reddentur, ubi quod suum est, per alterum datur, & cum voluerit, aufertur?* Legebat hic Pontifex vestigia Gregorii Magni, qui Abbati permiserat nominationem Presbyteri, qui in Ecclesia Monasterii sacra celebraturus erat: addideratque id consilii, ut *peregrinus Presbyter* deligeretur; ne si indigena esset, cum reliquis ejusdem regionis Clericis in societatem coïret, & dominari jam Monasterio, ejusque rebus incubare vellet, quæ vetustissima erat Clericorum cum Monachis contentio. Denique jubet Joannes IV. ad Synodum referri jurgia, siqua Episcopos inter & Monachos emergant in hujusmodi negotio. *Ita ut judicio Synodi si contra Sacerdotium agere præsumpserint, mulctentur, & felici mucrone Episcopi, Sacerdotum piacula resecentur.* Unde liquet Presbyteros, quanquam ab Abbatibus solis institutos investitosque, jurisdictioni tamen Episcopi obnoxios semper fuisse.

Ibidem. pag 254.

VIII. Ex Italia nunc in Gallias traducenda oratio est, ubi Laicorum Patronatui & dignitatis quidam accedet cumulus & potestatis. In Concilio Aurelianensi IV. prohibiti sunt prædiorum domini Presbyteros Clericosque extraneos in Oratoriis suis habere, nisi ex Episcopi assensione. *Ut in Oratoriis domini prædiorum minimè contra votum Episcopi, ad quem territorii ipsius privilegium noscitur pertinere, peregrinos Clericos intromittant, nisi forsitan quos probatos ibidem districtio Pontificis observare præceperit.* Clerici tantum extranei hic interdicuntur, ne ejusmodi rerum minus periti sæculares, inopini admitterent hæreticos, excommunicatos, vagos, & Episcopis suis rebelles. Ejusdem verò loci qui essent Clerici, ii Episcopo suo secundùm Canones ita devincti erant, ut nil periculi esset, ne ejus injussu cuiquam se addicerent domino sæculari.

Can. 7.

IX. Nec Oratoria tantùm, sed & Parochiæ erant in Optimatum domibus: & qui in eis ministrabant Presbyteri, Archidiacono ita suberant, ut ab ejus jurisdictione, visitatione & quacunque canonica exactione subducere se non possent, quantumvis Patroni laici authoritati confiderent. *Si quæ Parochiæ in potentum domibus constitutæ sunt, ubi observantes Clerici ab Archidiacono civitatis admoniti secundùm qualitatem ordinis sui, fortasse quod Ecclesiæ debent, sub specie Domini domus, implere neglexerint, corrigantur secundum Ecclesiasticam disciplinam.* Mox excommunicatione innodantur Patroni dominique alii temporales, si Clericos suos abstrahant à Diœcesanæ legis observatione.

Ibidem. Can. 26.

X. Denique hoc eodem Concilio potestas fit laïcis habendæ in terris suis Parochiæ, si modo eam sufficienti dote instruant, Clericosque ibi habeant, qui divina concelebrent Officia. *Si quis in agro aut habet, aut postulat habere Diœcesin, primùm & terras ei deputet sufficienter, & Clericos, qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur.*

Can. 33.

XI. In Concilio Cabilonensi innovatum est Decretum Concilii Aurelianensis adversus Patronos eos, qui Oratoriorum suorum Clericos Archidiaconis immorigeros & injuriosos tuebantur, quorum ipsimet infringere audaciam debuerant. *Ut jam nec ipsos Clericos, qui ad ipsa Oratoria deserviunt, ab Archidiacono coërceri permittant.* Jam verò hujus authoritate Concilii vehementer propugnatur jurisdictio Episcopi in hæc Oratoria eorumque Ministros. *Ita duntaxat, ut in potestate sit Episcopi, & de ordinatione Clericorum, & de facultate ibidem collatâ, qualiter ad ipsa Oratoria, & Officium divinum possit impleri, & sacra libamina consecrari.*

Can. 14.

XII. Pipinus Princeps & Episcopi Galliæ Zachariam Papam percunctati de administratione Oratoriorum & Basilicarum, quas fundassent dotassentque privati quique ruri suis in prædiis: ejusmodi Rescriptum elicuere, quòd Episcopis plurimum adversus Patronos procaciores suffragaretur, ita ut in unius Episcopi potestate esse videretur, ecquos ibi Presbyteros constitueret. *Sed etsi missas facere voluerit, ab Episcopo noverit Presbyterum postulandum.* Eam rationem tenuerat olim Gregorius Magnus: sed sub Zacharia in usum idem revocari potuisse non facilè crediderim.

Conc. Gall. To. 2 p. 366.

XIII. Humanior fuerat Gregorius ipse in Galliæ Reges, quibus liberam nominationem permisit Abbatis Monasterii Augustodunensis, ubi & Xenodochium erat à Brunechilde Regina, & ab Episcopo fundatum Augustodunensi Siagrio. Voluit

tamen Gregorius, ut & Monachorum assensus interveniret.

L. 11. Ep. 10

Constituimus, ut obeunte Abbate atque Presbytero suprascripti Xenodochii atque Monasterii, non alius ibi ordinetur, nisi quem Rex ejusdem Provinciæ, cum consensu Monachorum, secundum timorem Dei elegerit, ac providerit ordinandum. Rescidit idem Pontifex libertatem Monasterii unius ab alterius obedientia subducti, præter voluntatem fundatoris factam, *contra voluntatem fundatorum.*

L. 7. Ep. 31.

XIV. Cùm orante Clodovæo Rege B. Remigius Archiepiscopus Remensis Presbyterum ordinasset, quod perinde est acsi diceres, beneficio donasset, quòd ea tunc nimirum cohærerent; Episcoporum quorundam sannis dicterisque impetitus est, quos ipse certè strenuè hoc responso propulsavit: Clodovæum jam non terrarum tantummodo Regem, sed Ecclesiarum Defensorem, fidei Christianæ Prædicatorem, Apostolumque haberi debere: tantis autem & tam splendidis laureis ac victoriis Ecclesiam esse ab eo cumulatam, ut tenui, quod petiisset, jam non posset, sine summa quadam ingrati animi infamia, & absurditate.

Du Chesne. Hist. Franc. To. 1. pag. 850.

Ego Claudium Presbyterum feci, non corruptus præmio, sed præcellentissimi Regis testimonio, qui erat non solum prædicator fidei Catholicæ, sed Defensor. Scribitis Canonicum non fuisse quod jussit. Summo fungamini Sacerdotio Regionum Præsul, Custos patriæ, Gentium triumphator injunxit.

XV. Beatam Radegundem Reginam condito apud Pictavos Monialium Cœnobio, Abbatissam ipsammet designasse author est Gregorius Turonensis.

Hist. l. 9. c. 40. 42.

Cum Abbatissa quam instituerat. Verùm habenda potius utique fides est beatæ Radegundi ipsi, quæ in Epistola ad Episcopos data testificatur, operam se dedisse, ut Agnes Abbatissa à Sanctimonialibus omnibus eligeretur. *Electione etiam nostræ Congregationis domnam & sororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate, loco filiæ colui, & eduxi, Abbatissam institui, ac me post Deum ejus ordinationi regulariter obedituram commisi.* Ubi infrà de electionibus uberior instituetur pertractatio, multis patefiet documentis, quam non ista inter se dissentiant, ut vel Radegundis Abbatissam nominarit, vel præsentaverit Congregationi Monialium, à qua eadem confestim electa sit.

Nec multùm ab eo abludit, quod de beato Audoëno Rotomagensi refertur Episcopo; cum Monasterium propriis in agris construxisset, Abbatem ibi designatum ab eo esse unum ex discipulis beati Columbani. Narrat tamen perantiquus Scriptor, donasse eum Regi Monasterium quod extruxisset, cui Rex Abbatem designarit. Nulla in his suspicanda conflictatio. Communicato consilio, & communi consensu res peragebatur, atque ita Abbas & à Rege & ab Audoëno, & ab ipsa Congregatione designatus est. Beatus quoque Eligius cum in agro Lemovicino Monasterium Solemniacense construxisset, Abbatem ipsemet instituit; similiterque Abbatissam in Cœnobio Monialium, quod Parisiis propriis in ædibus suis fundaverat. Cumque rursus per Lemovices iter haberet, in eodem suo Solemniacensi cœnobio, priori Abbati ad Episcopatum rapto, alterum subrogavit.

Le Cointe. Ann. 636. Surius die 24. August. c. 7. Spicileg. L. 5. p. 170. 172. 208.

XVI. Laïcorum Patronorum jura, vel audaciam moderatus est sanctus Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus in Constitutionibus suis. Prohibuit verò in primis, ne vel instituerent Beneficiarios, vel destituerent, inconsulto & invito Episcopo: & ne quid pretii pro præsentatione exigerent. *Ut laïci Presbyteros non ejiciant de Ecclesiis, nec mittere præsumant, sine consensu Episcoporum suorum. Ut laïci omnino non audeant munera exigere à Presbyteris propter commendationem Ecclesiæ.* Ex his porro Bonifacii Decretis illud exprimitur, Decretum illud Zachariæ quod suprà perstrinximus, neutiquam observatum fuisse: aut certè interpretando ita esse deflexum, ut intacto & incolumi jure præsentandi, quo Patroni laïci gaudebant, sola constitueretur necessitas consensionis, & institutionis Episcoporum.

Spicil. to. 9. pag. 63.

XVII. In Hispania Concilium Toletanum IV. Ecclesiarum conditoribus potestatem facit ad Concilium Provocandi, si Episcopi earum res & proventus intervertant, sibi vendicent, aut novis exactionibus præter antiquos Canones premant: De facultate autem Presbyteros Clericosque præsentandi, altum ibi silentium. *Quod si amplius quippiam ab eis præsumptum fuerit, per Concilium restauretur, appellantibus aut ipsis conditoribus, aut certè propinquis eorum, si jam illi à sæculo decesserunt. Noverint autem Conditores Basilicarum in rebus, quas iisdem Basilicis conferunt, nullam potestatem habere, sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere.* His sanè verbis, *Ecclesiam & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere*, nominatio Ministrorum uni Episcopo servari videtur integra.

Can. 33.

Ex hoc eodem rursus Canone elucet jus Patronatus ad filios cognatosque cum hæreditate ipsa transfusum fuisse; quod & apertius aliquantò fit ex Concilio IX. Toletano. Quippe manifestè ibi declaratur hæreditarii hujus Patronatus jura non in alio posita fuisse, quàm ut infatigata vigilantia tuerentur bona Ecclesiæ adversus Beneficiarios, immo & adversus Episcopos ea dilapidatores; Episcoporum nimirum authoritate interpellata adversus Beneficiarios, Synodorum autem adversus Episcopos ipsos. *Condignis filiis vel nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, qui construxit vel dotavit Ecclesiam, licitum sit, hanc bonæ intentionis habere solertiam, ut si Sacerdotem seu Ministrum aliquid ex collatis rebus prævidérint defraudare, aut commonitionis honesta conventione compescant, aut Episcopo, vel judici corrigenda denuntient. Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimare non differant. Ipsis tamen heredibus in eisdem rebus non liceat quasi juris proprii potestatem præferre, &c.*

Can. 1.

XVIII. Verùm hujus ipsius Concilii Patres nonnullorum ex Episcopis importunitate & inexhausta avaritia exasperati, Patronis & ipsi quoque laïcis concessere, ut Parochos, Abbates, aliosque Beneficiarios Ecclesiarum suæ fundationis præsentarent, à quibus illi instituerentur: si conferre autem ea Beneficia Episcopus prævertat, istas ejus Collationes irritat resciditque Concilium. Non aliam sibi hujus Concilii Patres visi sunt medicinam facere posse Ecclesiis Beneficiisque, longa extorsionum vexationumque tempestate convulsis, ex Episcoporum maximè insolentia, vel incuria, ut ipsi loquuntur. Abbatiæ & Parochiæ hic & suprà sæpiusculè promiscuè habentur, quod quantumvis quoad alia distarent, una erat tamen earum ratio in ea præsentatione & tuitione, quæ Patronis commendabatur ex jure fundationis. *Quia ergo fieri plerumque cognoscitur, ut Ecclesiæ Parochiales, vel sacra Monasteria, ita quorumdam Episcoporum vel insolentiâ, vel incuriâ, horrendam decidant in ruinam,*

Can. 2.

ut gravior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, quàm in struendo gaudii extiterat labor: ideoque pia compassione decernimus, ut quandiu earundem Fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, & sollicitudinem ferre præcipuam, atque Rectores idoneos in eisdem Basilicis iisdem ipsi offerant Episcopis ordinandos. Quod si tales forsitan non inveniantur ab eis, tunc quos Episcopus loci probaverit Deo placitos, sacris altaribus instituat, cum eorum conniventia servituros. Quod si spretis eisdem Fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam sui alios in eorum loco, quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint, ordinari.

XIX. Præsentationis hîc quidem jus nonnisi Fundatoribus ipsis annuitur, non successoribus, non hæredibus eorum. *Quandiu Fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint.* Et ea sanè probabilitet existimatur occasio, vel causa Patrocinii laici: ut dum adviverent Fundatores, ipsis vicissim aliquid Ecclesia gratificaretur. Sed cùm illis extinctis eadem urgeret necessitas propulsandæ ab Ecclesiis injuriæ, hinc rursus in posteros & hæredes ea potestas transmitti facilè permissa est.

In Ecclesia verò Orientali non statim Fundatoribus Ecclesiarum indultum fuisse summum jus sacros ministros deligendi, & Episcopo præsentandi, dilucidum fit ex Novellis Justiniani Imperatoris. Cùm enim dixisset à Fundatoribus præfinitum fuisse numerum Presbyterorum & Clericorum, qui sacra obituri essent functiones, & consentaneos ei numero proventus adsignatos esse: subjicit mox labem & ruinam earum Ecclesiarum hinc esse profectam, quòd plores ab Episcopis ordinati sint in iis ministri, quàm ferret vel Fundatorum voluntas, vel modus facultatum. *Cùm verò Episcopi ad aliquorum preces semper respicientes, protracti sunt ad ordinationum multitudinem, aucta quidem est expensarum quantitas. &c.* Præcipitur ibidem mox, ne deinceps Episcopi antè ullos ordinent, quàm minutus ad justum modum sit numerus, & ne unquam postea definitum numerum excedant, quantumlibet urgeat vel Superior ipse. *Nosque ipsi cavebimus tale aliquid agere, & ordinandos mittere. Nullusque nostrorum Judicum tale aliquid agat, nostram formidans legem. Et licentia sit beatissimo Archiepiscopo & Patriarchæ hujus regiæ civitatis ordinationi contradicere, licèt jussio de Palatio veniat.* Denique jubetur Episcopus suis posthac stipendiis alere, si quos ibi ultra statutum numerum ordinarit. *Ipsi quoque de sua & propria facultate præbeant expensam.*

Novel. 3. in Præf. & c. 2.

XXI. Uti suprà Clodovæus Rex Remigio præsentavit, quem ordinaret Presbyterum, & quem Beneficio donaret, quando Ordinum & Beneficiorum eo ævo individuus erat nexus: ita & hîc Justinianus monet idem ipsum ab Imperatoribus Constantinopolitanis, adeoque & à Proceribus factitatum fuisse, ut præsentarent Episcopo, quos ordinaret, & quibus aliquid impertiret Beneficii. Nec enim improbat hæc Novella, nisi eas hujusmodi præsentationes, quæ ultra præfixum numerum efferrentur. Preces tantùm adhibebant privati Proceres: *Episcopi ad aliquorum preces semper respicientes.* [illegible] At Imperator præcipiebat, *Licèt jussio de Palatio veniat.* [illegible]

XXII. Verùm ad Ecclesias tantùm Cathedrales vel Parochiales Novella hæc Imperatoria pertinet Constitutio. Alibi verò declaratur, si Clerici in Oratoriis sacra facere soliti, & à Fundatoribus vel eorum hæredibus ali, secederent, vel aufugerent, alios in eorum vicem ab Episcopo nominandos esse, ut nec Fundator, nec Fundatoris hæres Ecclesiam unquam possit desponsa dote fraudare. *Hæredibus eorum & successoribus scientibus, quia si etiam post hæc fraudaverint, certa possessio deputabitur ex eorum substantia sacris nostris privatis, ut hinc ministratio eis fiat.* Novel. 57.

Interminatur verò Princeps, si Fundatoris hæres Ecclesiam fraudet proventu, quem Fundator adsignavit: ipsos ejus agros pervasurum se, ut Ecclesiæ necessitati, & obligatæ fidei satisfiat. Hinc conjicitur in Oriente hujusmodi Oratoriorum ministros pensionibus tantùm annuis a Fundatoribus eorumque hæredibus fuisse sustentatos.

XXIII. Illud verò potissimum hic adverti necesse est, jus præsentandi à Justiniano non attribui nisi Fundatoribus ipsis, vel hæredibus & successoribus iis demum, qui suo ex marsupio effunderent, quo alantur ministri & Beneficiarii: ita sanè ut necessariò semper intervenire Episcopi consensio debeat & institutio. *Si quis ædificans Ecclesiam, aut etiam aliter expendens in ea ministrantibus alimenta, voluerit aliquos Clericos instituere, non esse ei fiduciam ullam quos vult per potestatem deducere tuæ reverentiæ ad ordinandos eos, sed examinari à tua sanctitate, & hos suscipere ordinationem, qui Dei ministerio digni videbuntur existere.* Ibid. c. 2. Quæ eadem Constitutio alibi etiam inculcatur. *Si quis domum Oratorii fabricaverit, & voluerit in ea Clericos ordinare, aut ipse, aut ejus hæredes, si expensas ipsis Clericis ministrant, & dignos denominant, denominatos ordinari: si verò qui ab eis eliguntur, tanquam indignos prohibent sacra regula ordinari, tunc Episcopus quoscumque putaverit meliores, ordinari procuret.* Novel. 123. c. 18.

XXIV. Habes hîc ob oculos positam legem, cui accommodare se debeat Episcopus, in refellendis quos Patroni laici temerè offerunt, & in subrogandis aliis suo ipsius judicio. Refellere debent eos, qui canonica aliqua laborant irregularitate, *prohibent sancta regula ordinari:* at nonnisi dignissimos ipsi eligere debent: *Quoscumque putaverit meliores:* [illegible] Longè accuratius enim, sanctiusque debet esse Episcopi, quàm Patroni judicium.

XXV. Tempus intra quod Patroni præsentare tenerentur, necdum videtur defixum fuisse. Occupabat illos Episcopus, si cunctarentur, ne diutiùs vacarent Ecclesiæ: eoque metu eos credere par est excitatos fuisse, ut quàm propere nominarent.

XXVI. Illud quoque observandum hîc obiter est, per hanc Justiniani Novellam variare non potuisse Patronos. Cùm primùm enim irregularem quempiam præsentarint, alium instituere jubetur Episcopus, qui sceleris & maculæ purus sit.



CAPUT XXXI. P. 3. l. 2. c. 10.

De Patronatu Laïco & Ecclesiastico sub Imperio Caroli Magni & Carolinæ stirpis.

I. Ecclesias Patroni nec dare poterant, nec auferre, nisi ex authoritate Episcopi.
II. Erant & Ecclesiastici Patroni, licet plerique laïci essent.
III. Non poterat Episcopus præsentatos sibi rejicere Parochos, nisi renuendi causas allegaret.
IV. Quid ubi hæreditas, cui Patronatus adhærescebat, in plures hæredes secabatur.
V. Quo spatio temporis nominare tenerentur Patroni, jure alioquin illo ad Episcopum devolvendo.
VI. Vnum id desiderabatur, ut Patronus dignum præsentaret, Episcopus verò tenebatur nonnisi digniori conferre.
VII. Austeritas examinis eorum qui præsentabantur.
VIII. Patronis qui haberentur honores.
IX. De Patronatu Capellarum.
X. Et Dignitatum in Capitulis.
XI. Patronatus Ecclesia Græca.
XII. Etiam quoad Oratoria & Xenodochia.
XIII. Non verò in Abbatias.
XIV. Cui rei & in Gallia quoque locus erat.

I. DUplici corruptelæ medicari studuit Concilium Arelatense VI. anni 813. ut ne laïci deinceps vel darent auferrentque injussu Episcoporum Parochiales sui juris Ecclesias, vel extorquerent munera, quæ jam virtutum & meritorum loco & numero haberentur. (Can. 4. 5.) *Ut Laici Presbyteros absque judicio proprii Episcopi non ejiciant de Ecclesiis, nec alios immittere præsumant. Ut Laici omnino à Presbyteris non audeant munera exigere propter commendationem Ecclesiæ. Quia plerumque propter cupiditatem à laicis talibus Presbyteris Ecclesiæ dantur, qui ad peragendum sacerdotale officium sunt indigni.* In Concilio (Can. 29. 30.) Moguntino eædem proscriptæ sunt pestes; at in Concilio Turonensi III. (Can. 15.) illud memoratur vitium latè jam serpsisse, ut alii aliorum opimiores Parochias invaderent, majore Patronis pecunia numerata. *Quod vitium latè diffusum summo studio emendandum est.*

II. Ex eodem verò Concilio palam fit, non Laïcos tantùm, sed & Ecclesiasticos fuisse Patronos: quanquam tam non possent hi, quàm illi, inconsulto Episcopo Ecclesiæ suæ ditiones donare. (Ibidem. Can. 15.) *Itemque interdicendum videtur Clericis, sive Laïcis, ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia & consensu Episcopi sui.* Rariores tamen fuisse Ecclesiasticos Patronos, ex eo conjicitur, quòd de Laïcis penè solis & Concilia hujus ævi meminerint, & Capitularia.

III. Ludovici Pii Capitulari monentur Episcopi, ne præpropere repellant præsentatos à Patronis laïcis, si eorum vita, doctrina, muneri respondeant, quod eis demandatur. (Conc. Gall. Tom. 2. pag. 430 c. 9.) *Et si laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos, suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos rejiciant.*

(Can. 22.) In Concilio VI. Parisiensi anno 829. ut obstrueretur os Patronis subinde expostulantibus de frequenti & iniqua eorum repulsa quos Episcopis præsentabant: statutum est, ut diligenter examinarentur causæ & rationes, quibus se Episcopi tuerentur. (Capit. Car. Mag. l. 5. c. 178.) *Et si laicus idoneum utilemque Clericum obtulerit, nulla qualibet occasione ab Episcopo sine certa ratione repellatur: Et si rejiciendus est, diligens examinatio, & evidens ratio, ne scandalum generetur, manifestum faciat.* Edere ergo & canonico judicio approbare tenebatur Episcopus rationes eos abnuendi, ac summovendi, quos Patroni præsentassent. Aliàs enim ludibrio fuisset Laïcorum Patronatus.

IV. Quoties verò scindebatur hæreditas quæpiam plures inter fratres & hæredes, nemo non eorum Patronatum sibi arrogabat ei affixum: totque jam erant Presbyteri, non quot Altaria & Ecclesiæ, sed quot hæredes. Concilium Cabilonense anni 813. statuit ut in istiusmodi importunis rerum (Can. 26.) concursibus Ecclesiam eam Episcopus interdiceret, donec convenisset hæredibus, ut vel uni eorum cederet Patronatus, vel in unum aliquem Presbyterum suffragia conferrent omnes. *Nullo modo ibi Missarum solennia celebrentur, donec* (Addit. 3. c. 22.) *illi ad concordiam redeant.* Capitulare Ludovici Pii non abnuit, quin Episcopus sacra pignora auferat ex Oratorio, si Patroni pertinaciùs rixentur. *Ac reliquias exinde auferat.* Et sententiæ inhæsit Concilium Triburiense, jusso Episcopo Sanctorum Reliquias inde avehere, donec omnis de Patronatu dissensio consopiatur. *Quia juxta Apostolum, servos* (Conc. Gall. To. 2. p. 467) *Dei non oportet litigare, Episcopus tollat inde Reliquias, atque ejusdem Ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea, ut sacrum ministerium nullus celebret in ea, antequam concordi unanimitate unum omnes eligant Presbyterum.*

V. Necdum constare nobis ullo documento potuit de certo tempore, quo Patronus jure suo uti teneatur, aliàs ad Episcopum devolvendo. Verùm Hincmarus Remensis Archiepiscopus in Litteris ad Tardunensis pagi Comitem datis, quarum extat Epitome apud Flodoardum: apertè docet certo tempore arctatos fuisse Patronos. Fidenter enim Comitem ille admonet, etsi cognationis jure sibi conjunctum, nisi proximis Quatuor-Temporibus nominet, qui in vacante Parochia ordinetur; semet ipsum suo arbitrio in ea constiturum ministros à quibus regatur. *Pro loco vacante sine Presbytero,* (Flodoard. L. 3. c. 26.) *monens ut quantociùs Clericum sacro ministerio aptum ostendat, qui valeat ibi ordinari, sciens pro certo, quia post ordinationem, quæ fieri debebat in proximo, ipsum locum sine Presbytero non dimitteret; quia nec cum mercenario, nec sine Pastore proprio ipsos homines audebat dimittere. Et si ipse non præsentaverit eum qui dignus possit inveniri, ille ordinaturus esset, qualem meliorem potuisset invenire.*

VI. Plurima hinc sanè exculpi possunt cum primis utilia, ad illustrandam ejus ævi disciplinam. 1. Cogebat Episcopus Patronum ut præsentaret Pastorem, non mercenarium: & quidem maturè, ne diutius langueret grex Pastore destitutus. Si alterutri huic officio deesset Patronus, Ecclesiæ non deerat Episcopus, ejusque vices implebat. 2. Tempus autem intra quod præsentare tenebatur Patronus, ex Quatuor-temporibus nexum & religatum probabiliter creditur fuisse. Præsentatum enim & ritè examinatum ordinabat Episcopus. Hoc verò spatium erat trium aut quatuor circiter mensium, quòd eo distent inter sese Quatuor-tempora. 3. Ut ne posset ab Episcopo repulsam pati, quem præsentabat Patronus, una re opus erat, nempe ut dignus esset. At ubi Episcopus Patroni implebat vices, & devoluta utebatur potestate, non dignus tantùm, sed dignior eligendus ei erat.

VII. Sunt & ejusdem Hincmari Litteræ ad Comitem Theodulphum, quibus submonet, ordinatum à se non iri eum Parochiæ Presbyterum, à quo ipse muneris aliquid acceperit: asperius se de eo examen instituturum, maximè ut sacramento confirmet se nihil dedisse; alioqui alium instituturum

tri Parochum, & si qui contrà nitantur. In eos anathema vibrandum. [Ibidem. L. 3. c. 26.] *Si vis ibi habere Presbyterum, adduc mihi talem Clericum, qui aptus sit sacro ministerio, & ego illum inquiram, & illi Ecclesiam dabo, & tunc illum ordinabo, si mihi talis Clericus satisfactionem fecerit, quod nullum pretium inde donaverit. Et si tu ita facere non volueris, ego ordinabo, qualiter populus ibi officium habeat, usque dum ibi ordinem Presbyterum, &c.* Invaserat hic Comes spolium defuncti Parochi & vacantis Parochiæ fundos. Comminatus est Hincmarus, interpellaturum se potestatem & tuitionem Regiam, nisi ablata restitueret, & sacrilegum facinus repararet. De his spoliis alibi agemus. Sed hic illud rotenus observandum venit, quòd ait Hincmarus delegatum à se iri, qui Parochiam regat, & Sacramenta administret, donec proprius sit Parochus, vel à se, vel à Patrono nominatus. Inde enim non obscurè emicat penes Episcopum fuisse jus Deportuum in vacantes omnes Parochias, in quibus interim administrari Sacramenta ipse curaret. *Ecclesia in potestate & ordinatione sunt Episcopi secundum sacros Canones & Imperialia capitula: unde mandat: ut quidquid de facultatibus Ecclesia acceperat, Presbyteris quibus res commendata fuerant, restituat.*

VIII. Aliunde autem Episcoporum erat decernere, quibus patronos, dominosque vicorum Parochi prosequi deberent honoribus. Ita enim jubent Capitularia. [Capit. Car. Mag. l. 5. c. 148.] *Ut Episcopi provideant, quem honorem Presbyteri pro Ecclesiis suis Senioribus tribuant.*

IX. Quanquam non diximus ferè hoc Capite, nisi de Parochiarum Patronatu: nec dubitari tamen potest quin & in Capellas & Oratoria ruris eodem Patronatus jure nobiles viri uterentur, non sine assensione Episcopi. Prolata sunt alio loco Statuta Hincmari & Concilii Nannetensis, quibus vetantur Parochi, ne à dominis vicorum impetrent eas Capellas, nisi accedat Episcopi consensus. *Sed neque Capellam apud Seniorem obtineat, sine consultu Episcopi.*

X. Erat & penes Abbates nonnunquam & Monasteria Patronatus & nominatio Canonicorum Ecclesiæ alicujus Collegialis, necnon & ejus Dignitatum. Carolus Simplex Rex fundato in Palatio suo Attiniaco duodecim Presbyterorum Collegio, Abbati Compendiensi eos subjecit, ita ut Præpositus & Decanus Abbatiæ Compendiensis, servati suffragia Monachorum suorum, Præpositum & Thesaurarium designarent Attiniacensis hujus Capellæ Regiæ. [Baluz. Append. ad Lupum Ferrar. pag. 524.] *Ea scilicet ratione ut Præpositus & Decanus ex Monasterio Compendiensi, cum aliorum sua Congregationis fratrum consilio, in præfata Capella loco constituant Præpositum & Thesaurarium ex suis.*

XI. Quoad Ecclesiam Græcam, congessit in Nomocanone suo Photius Imperatorias Constitutiones, quibus vetatur ne Catholici prædia sua, in quibus Ecclesiæ quæpiam constructæ sunt, hæreticis vendant, vel utcumque in eorum potestatem venire sinant: [Tit. 10. c. 8.] alioqui prædia ipsa fisco Principis addicuntur. Et aliæ rursus, quibus edicitur, ut si Orthodoxus quis vendat, locet, oppignoret, in Emphytheosin det ejusmodi prædia, ubi est Ecclesia, Judæo, Pagano, Hæretico, Samaritano, ea adjudicentur Ecclesiæ Parochiali ejusdem loci.

Videri poterat quibusdam Synodus VII. Oecumenica, damnasse Patronatus laïcos, cùm irritas decrevit fore electiones Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ex suffragiis Magistratuum. [Can. 3.] *Omnem electionem quæ fit à Magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere, ex Canone, dicente, &c.* Canon is est Apostolicus: [Can. 30.] *Si quis Episcopus sæcularibus Magistratibus usus, per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur & segregetur.* Verùm à Balsamone hic observatur, electionem, ψῆφον, hic sumi pro Ordinatione, nec eam damnari à VII. Synodo, nisi cum vi tyrannica illam ab Episcopis Magistratus extorquerent. *Quoniam Presbyterorum & Diaconorum hæ ordinationes potentia & vi procedunt, infirmari debent & resolvi.* Atqui jure Patronatus nulla istiusmodi vis, aut necessitas imprimitur Episcopo, penes quem libera semper potestas est indignos ablegandi.

XII. Ab eodem sanè alibi Balsamone laudantur Leges, quæ Oratoriorum, Xenodochiorumque fundatoribus & eorum hæredibus potestatem tribuunt eligendi eos omnes, qui ministraturi ibidem sint: Incolumi tamen integraque Episcopi potestate, ut minimè idoneos & indignos inde extrudat. *Qui donativum constituerit, ut Oratorium, vel Xenodochium, vel Nosocomium extruat, &c. Pro ejus arbitratu administrentur, &c.* [In Can. 1. Conc. Const. I. & II.] *Sed ex eo quod dicit lex, Domos sanctas & religiosas administrari pro ædificatoris arbitratu, non est ei permissum aliqua contra Leges & Canones facere.* Mox alias depromit Leges, per quas Episcopo fas est, rejicere Clericos à Patronis præsentatos, si pares non sint tanti ministerii amplitudini, aliosque in eorum locum subrogandi. *Dicit enim Lex, eos qui à domorum extructoribus in locum Clericorum electi sunt, si indigni inveniantur, ejici, & alios ab Episcopis ordinari debere.*

XIII. Non ita obnoxia sunt autem Monasteria eidem Patronorum Imperio, nec ipsi eorum fundatores, id sibi arrogare possunt, ut ea per sese, vel per quos volent adgubernent. Ita decrevit Concilium Constantinopolitanum, quod primum & secundum dixere, ubi explosa est eorum irreligiosa pietas & simulata religio, qui fundanda Abbatia omnia sua se Deo dicare præ se ferebant; quique tamen quod Deo dari fingebant, retinebant sibi, suæque semper ditioni adserebant, cùm vel sese, vel alium quemvis suo loco præficerent Abbatiæ. [Can. 1.] *Nonnulli suis copiis & facultatibus nomen Monasterii imponentes, & eas Deo sanctificare profitentes, se eorum quæ sunt consecrata, dominos esse inscribunt. & sola appellatione Deo dedicare machinantur, &c. Nullo modo potestatem habeat, qui consecrat Deo res suas, se ipsum præfectum, vel pro se alium constituere.*

XIV. Illud non semel adnotatum est à nobis, complures suis in Prædiis Gallos fundasse & dotasse varia Cœnobia; veritos autem, ne ut sæpè contigerat, ea in plures, vel liberos, vel hæredes suos discinderentur, unde certa illis imminebat pernicies, ea tuitioni & Patronatui Regum commisisse. Non tamen ex animi sententia res processit. Dum unum quippe malum declinarent, in aliud nihilo tolerabilius se conjecere. Interjecto enim aliquo tempore Reges ipsi, periclitanti Reipublicæ utcunque suppetias ferre laborantes, Cœnobia ea Nobilibus, Ducibusque exercituum concessere, eorum ut reditibus aliqua ex parte in impensas belli abuterentur. Quam perversitatem Reges tandem ipsi detestati sunt, primigeniamque in libertatem ea Monasteria revocarunt. Ita edocet Caroli Calvi Capitulare anno 868. [Cap. 2.] *Ut Missi nostri diligenter investigent per singulas Parochias, simul cum Episcopo, de Monasteriis, quæ Deum timentes, in suis proprietatibus ædificaverunt, & ne ab hæredibus eorum dividerentur, parentibus & prædecessoribus nostris sub immu-*

nitatis defensione tradiderunt: & postea in alodem sunt data. Ut describant quæ sint, & à quo, vel quibus in proprietatem data sunt, & nobis renunciare procurent: ut cum Episcopis & cæteris fidelibus nostris consideremus, quid & qualiter inde secundùm Dei voluntatem & nostram salutem agere debeamus. Ita ille conabatur resarcire labem Monasteriorum Regiæ olim custodiæ commendatorum, & bona diu dilapidata restaurare. Hinc facilè intelliges, quàm æquum & quàm occesse fuerit, ut Abbatiarum Patronatus, non is esse sineretur, qui aliarum Ecclesiarum: ne earum fundatores eligendorum Abbatum stabile & perpetuum jus consequerentur.

CAPUT XXXII. *P. 4. l. 2. c. 32.*

De Patronatu Laïco & Ecclesiastico post annum Christi millesimum.

I. Patroni Laïci in potestate semper Episcoporum fuere.

II. Non poterant Laïci conferre, poterant Clerici, Concilia tamen in votis id habuere, ut propria & eximia ea esset potestas Episcoporum.

III. Plura statuta de Patronatu Laïco. Si de eo litigetur, si Patroni varient, &c.

IV. Unde spatia quatuor mensium laïcis, sex mensium Clericis adsignata Patronis.

V. Laïci Patronatus præcipua quædam jura supra Ecclesiasticum.

VI. Innocentii III. varia Decreta de utroque Patronatu.

VII. VIII. Rursum de laïcè Patroni potestate variandi: de Ecclesiastici sex mensibus.

IX. De Capituli potestate instituendi vacante sede.

X. De eodem rursus. Quanta necessitas institutionis & examinis Episcopi post præsentationem, vel collationem Patroni laïci, vel Clerici, etiam secundùm Concilium Tridentinum.

XI. Statuta Conciliorum Mediolanensium, & aliorum Gallicæ Conciliorum super ea re.

XII. Varia Decreta Concilii Tridentini, & Congregationis Concilii, de Patronatu Laïcorum & Clericorum.

XIII. Prærogativa Patronatus laïci.

XIV. Ut teneantur Præsules, si præsentatos à Patronis rejiciant, causam repulsæ declarare.

XV. Istiusmodi de causis non cognoscit nisi Judex Ecclesiasticus superior.

I. IN controversiam trahi posset, an præsentatione non contenti, etiam Collationis jure usi quandoque sint Optimates Regni Gallicani in dispensandis Dignitatibus & Canonicatibus Capitulorum. Ut cum Comes Pictaviensis Thesaurariam sancti Hilarii Pictaviensis beato Fulberto contulit,
Baron. an. qui Episcopus postea fuit Carnotensis. Ita enim
1003. n. ult. Glaber: *Thesaurariam sancti Hilarii gratis contulit.*

At Parochiales Ecclesias à Patronis nisi consentiente Episcopo dari non potuisse, extra controversiam est. Examen & consensum Episcopi necessarium præ cæteris fuisse, facile intelliges ex
Can. 23. Concilio Salingestadiensi anno 1022. Quippe ibi Patroni statim præcipiuntur ad Episcopi examen & judicium eos ablegare, quibus sui juris Ecclesias destinant. *Sed eum priùs mittat Episcopo, vel ejus Vicario, ut probetur, si scientia, ætate & moribus talis sit, ut sibi populus Dei commendetur.* Non satis mihi quidem constat, an tantum Patronis indulgeret Hispania, cum anno 1050. Coyacense Concilium absolute prohibeat, nequid sibi juris laïci in Ecclesias Clericosque usurpent. *Omnes Ecclesiæ, & Clerici sint sub jure sui Episcopi, nec potestatem aliquam habeant super Ecclesias aut Clericos laïci.* Nec humanius in laïcos fuit Concilium Romanum anni 1059.
Can. 3. *Ut per laïcos nullo modo quilibet Clericus, aut Presbyter Ecclesiam obtineat, nec gratis, nec pretio.* Verùm non eò id forsan pertinet ut Patronatus perimatur laïcus; sed ut insinuetur, nihil officere Patronatum Episcopali authoritati, quæ in omnia semper Beneficia dominatur. Idque luculentius apparet in Concilio Turonensi anni 1060. ubi Patronatus laïcus sejungitur ab Ecclesiastico. *Nullus Ecclesiam ma-* *Can. 4.*
gnam, vel parvam, deinceps sine consensu Episcopi à laïcis præsumat accipere quolibet modo: sed neque à Clerico, vel Monacho, seu laïco, sub pretii alicujus venalitate.

II. Duo sunt quæ ex hoc Canone exculpsisse juvet. 1. Ex his prohibitionibus censurisque tam frequentibus constare, invasas fuisse à plerisque Patroois Parochiarum Collationes, ut abduci vix ab ea præda potuerint, & rursum cogi, ut præsentatione contenti essent. Si qui ergo supersint per orbem Christianum sparsi Collatores laïci Parochialium Ecclesiarum, non absurde conjicitur eas ferè esse inveterati & pervagatissimi olim mali raras nunc reliquias, ideoque minus curatas. 2. Hoc Canone æque præcipiuntur laïci Clericique Patroni, gratis & sine pretio præsentare: at soli laïci hic jubentur Episcoporum consensum expectare. Itaque nooabs re forsan ambigeret quis, an Clerici Collatores etiam essent, saltem Ecclesiarum non Parochialium. Ideo enim plerique omnes Canones, tum citati superiùs, tum infrà laudandi, non ferè nisi de laïcis agunt, cùm consensum Episcoporum requiri enixissimè præcipiunt. Iis annumera Cano- *Can. 9.*
nem Concilii Juliobonensis anni 1080. ubi & illud additur, præsentatum à Patrooo laïco, ab Episcopo repellendum esse, si minus dignus, aut idoneus fit. *Si repellendus est, non retineat.*

Fateri tamen cogimur, Patronos Ecclesiasticos, eo quod probabiliter existimantur usurpasse, Collationis jure, spoliatos fuisse à Concilio Lateranensi I. anno 1123. sub Callisto II. nec tantum in Parochialibus Ecclesiis, sed in Præbeodis largiendis. Quamquam enim specialius demandata sit Episcopis potestas & cura salutis animarum: in hoc tamen illud observatur Lateranensi Concilio, Canones ipsos Apostolicos summam administrationem etiam rerum Ecclesiæ temporalium Episcopis permisisse, atque adeo Præbeodarum: *Secundùm Apo-* *Can. 4. 7.*
stolorum Canones omnium negotiorum Ecclesiasticorum Curam Episcopus habeat. Ita nulla est Patronatus Ecclesiastici supra laïcum prærogativa. *Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Præpositus, vel Decanus, animarum Curam, vel Præbendas Ecclesiæ, sine judicio vel consensu Episcopi, alicui tribuat. Immo sicut sanctis Canonibus constitutum est, animarum Cura & rerum Ecclesiasticarum dispensatio, in Episcopi judicio & potestate permaneat.* Quin & Laïci usurpato investiturarum jure, ex Præsentatoribus Collatores evaserant in Anglia maximè & Suecia sub Alexandro III. qui hanc pestem opprimere enixus est, tum litteris suis, tum maximè decretis Concilii La- *Can. 14.*
teranensis III. anno 1179.

III. In eodem porro Concilio definita est & illa jam sæpius ventilata quæstio, de pluribus unius Patroni, uniusque Patronatus hæredibus. De Patronatu ipso lites erant diutinæ, plures interim à pluribus præsentabantur. Edicit ergo Concilium, *Can. 27.*
ut quando Ecclesiæ indulgentia Patronos tolerabat, *potestas in qua eos huc usque Ecclesia sustinet*, si ab hæredibus Patroni plurimis plures nominarentur, is antehaberetur aliis, qui pluribus niteretur & meritis & suffragiis: si id verò sine offendiculo non posset, aut de ipso Patronatu concertaretur, nec

intra

intra tres quatuorve menses inter se Patroni concordarent, tunc demum Episcopus Beneficium conferret. *Ordinet Antistes Ecclesiam, si de jure Patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat, infra tres menses non fuerit definitum.* Alia Editio non tres habet, sed quatuor. Et ea, ut apparet, utque ex infrà dicendis liquebit, castigatior.

In Collectione Epistolarum Alexandri III. quæ circumfertur tanquam Appendix Concilii hujus III. [Part. 25.] Lateranensis, Titulus est de Patronatu, ubi legere est hoc idem Decretum, pluribus aliis intertextum: nimirum pretio emi Patronatum, distrahique non posse: transire tamen cum ad hæredes prædii, cui est illigatus; si Patronus laicos plures alio & alio tempore præsentet idonea probitate & doctrina ornatos, Episcopi esse, ut digniorem eligat; si Pa- [Cap. 12. 13. 8.] tronus sit autem Ecclesiasticus, potiori jure niti eum, qui prior præsentatus est.

Posterius hoc Caput Lucio III. Papæ ascribitur, habeturque in Decretalium Libris. *C. Cum autem. De jure Patronatus.* Inde posteriores Canonum interpretes elicuere jus variandi, quo gaudent laici Patroni. A quo tamen alienum prorsus apparet hoc quidem Caput, & eam rem ne attingere quidem. Sed non uno hoc exemplo approbari potest, usum legum, qui ipse summam Legis authoritatem præ se ferre videtur, legibus antiquis novos pro rerum opportunitate & temporum necessitate, appinxisse sensus, limitesque vel arctasse earum, vel ampliasse.

Redeamus jam ad Decreta Alexandri III. Quamvis Patronus Patronatu evincatur cæciditque, si penes eum tamen tunc erat ejus possessio, rata habetur, tum præsentatio ab eo facta, tum Episco- [Cap. 50. 51.] pi institutio. Si Episcopo præsentatum ob imparia merita respuente, vel quavis alia ratione vacet Beneficium, Oeconomos instituet Episcopus, qui proventus ejus colligant, in Ecclesiæ usus dependant, vel successori servent. Cùm Beneficia di- [Cap. 54.] stribuant Episcopi ex assensu Patronorum, inde fit ut ea Beneficiarii resignare non possint, nisi in manus Episcopi, non autem Patroni. Causæ de Ju- [Part. 47. c. 4. 6. 7.] re Patronatûs non poterant nisi ab Ecclesiasticis judicibus judicari. Capitula & Abbatiæ non habebant nisi bimestres inducias ad præsentandum. Pol- [Part. 50. c. 33.] licitationes omnes Episcoporum de Beneficiis nondum vacantibus, irritæ declarantur à Concilio Lateranensi III. Denique ad Episcopos Galliæ manarunt hujus Pontificis Litteræ, quibus contestatur vehementer sibi doluisse, quòd rescisset in Gallia complures Beneficiorum vel juris Patronatûs compotes fieri per sæcularium Judicum sententias, non requisita Episcopi audientia & consensione: id enimvero cælestis vocationis oraculo tribui jam non posse, nec per ostium intrari in Ecclesiam, sed aliunde: ideoque nec censurarum Ecclesiasticarum jaculis abstinendum esse, quo ea deinceps calamitas ab Ecclesia propulsetur. *In sæculari foro, nec requisita Episcopi audientia, Patronatus Ecclesiarum & Ecclesiastica Beneficia sibi præsumunt in vestris Parochiis vendicare. Quoniam igitur hujusmodi personæ non intrant per ostium, sed aliunde, &c.* Denique ad Episcopos Angliæ rescripsit idem Pontifex contra usurpatas à Laïcis investituras Beneficiorum, quarum perversitas in eo maximè exectanda foret, quòd præter Episcoporum assensum laïci Patroni Beneficia dispensarent, & quibus vellent largirentur. *Beneficia præter assensum Episcoporum, ad quos eorum donatio spectat, de manu laïca accepisse.*

IV. In eodem Lateranensi Concilio spoliati fuerant Clerici potestate eligendi, vel præsentandi ad Beneficia, si qui sua indignis vota antè contulissent. *Clerici si contra formam istam quenquam elegerint, se eligendi potestate tunc privatos noverint, &c.* [Can. 3. 8.] Sex etiam menses indulti erant, intra quos provideri posset vacantibus *Prebendis Officiisque.* Non satis liquebat, an eo Decreto Patroni continerentur. Innocentius III. postea *C. Cum propter. De Jure Patronatus,* definiit, si Patroni laici, quamvis de Patronatu lites exarserint, intra quatuor menses neminem præsentent, ab Episcopo tunc tandem Beneficium conferri debere. Ita cœptum est Decretum de quatuor mensibus Patronis laicis, de sex mensibus autem Ecclesiasticis attribui, quanquam Concilium Lateranense III. cujus hi sunt Canones, nihil ejusmodi satis perspicue definisset.

In Concilio Avenionensi anni 1209. constitutum est, ut si juxta hujus Concilii Decreta, *Monachi & alia persona, sive religiosa, sive alia quæcumque,* intra sex menses non præsentassent, vacantibus Ecclesiis provideret Episcopus.

In Concilio Lateranensi IV. anno 1215. Patrona- [Can. 24.] tûs jure spoliari sunt Patroni, qui Beneficiarios interemissent. Concilium Oxfordiense anni 1222. bi- [Can. 4. 5.] mestre tantùm tempus Episcopo assignavit, intra quod præsentatum institueret; agnovitque juxta Lateranense Concilium post sex menses elapsos jus Patronorum ad Episcopum devolvi; cui ab Oxfordiensi hac Synodo præcipitur, quandiu flagrant riæ & lites inter Patronos, ne quid illis præjudicetur, ne Beneficia ulli eorum conferantur, qui ab iis nominati sint.

Hæc porro Alexandri III. Decreta permagna ex parte in Gregorianis Decretalibus radiant. In his autem perspicuè patet, non concessum unquam priùs fuisse, ut Patronatus unius Ecclesiæ plures inter hæredes divideretur, quòd nempe tunc ut plurimùm singuli singulos nominarent, qui dotem Ecclesiæ inter se partirentur, non sine gravi ejus dispendio. *Nobis visum est quod Ecclesia inter hæredes dividi non debet.* [Decretales Gregor. IX. De jure Pat. c. 1. 2.] Verba hæc sunt Concilii Mediolanensis, valde consentanea Concilio Triburiensi. Ex eisdem Gregorii IX. Decretalibus emicat, si litigiosi Patronatûs candidati intra sex menses non concordent, ab Episcopo Beneficium conferri. Hoc verò Decretum præfixa Rubrica, seu [Cap. 22.] Summa arctat ad Patronos Ecclesiasticos: quòd Patroni laïci non gaudeant nisi libero quatuor mensium intervallo. *Sed intellige de Patronis Ecclesiasticis, nam in laicis sufficiunt quatuor menses.* Quæ ibi coarctatio merè arbitraria videri potest, si textus ipse per sese introspiciatur, qui nihil ea quidem de re enucleat, nec hîc, nec in prima Antonii Augustini Collectione, nec in Concilio Lateranensi III. suprà relato, ubi etiam tres quatuorve menses leguntur, non sex, sed nullâ distinctione [Collect. 1. Ant. Aug. De ætat. & qu. ordinan. c. 5.] expressâ Clericos inter Patronos, laïcosve.

V. Nec dissimulavit tamen Innocentius III. in- [Ibid. c. 28.] signe Laïcorum supra Clericos privilegium Patronorum, qui nec Legatis obnoxii sint Apostolicis, nec ipsius Papæ mandatis, quod à Gregorio IX. [Epist. 13.] postea confirmatum est, ut alibi dicimus.

VI. Cætera autem hujus Pontificis insigniora Decreta istiusmodi sunt. 1. Non posse Ecclesiasticum Patronum præsentare semetipsum, cùm citra piaculum nemo semet possit in Ecclesiæ dignitates functionesque intrudere. *Cùm nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ Prælationis officiis.* 2. Posse à Pa-

rocho præsentari Episcopo Clericos ad Titulos & Officia inferiora suæ Ecclesiæ inconsulto Patrono, cui tamen illæsum illibatumque suum jus constat, & vacanti Parochiæ providendi, & alios tum Clericos præsentandi, nisi ejus assensu instituti fuissent inferiores hi Titulares. 3. In Ecclesia Conventuali eligendus primùm Prælatus est, & tum flagitandus Patroni assensus, nisi speciali aliquo jure is fulcitur, ut electioni ipsi intersit.

De jure Patronat. c. 26. 30. 35. *In Conventuali Ecclesia non electioni Prælati facienda, sed jam facta honestiùs Patroni postulatur adsensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ.* Confirmantur deinque ab hoc Pontifice jura honorifica Patronorum, & illud ante cætera eximium, quo modesta eis subsidia subministrentur ab Ecclesia, si quo infortunio ad inopiam delabantur. *Pro fundatione quoque Ecclesiæ, honor processionis Fundatori servatur; & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modestè succurritur, sicut in sacris est Canonibus institutum.*

De electione & electi potest. c. 51. Ab Honorio III. confirmatum est Decretum, quo Patroni laïci excludebantur ab electione Prælatorum in Ecclesiis Conventualibus, & rescissa transactio huic adversa. Quo adduci potest quis, ut quam huic legi exceptionem adjecit Innocentius III. ea ad Patronos trahatur Ecclesiasticos.

VII. Nihildum ferè attigimus de ea Patroni laïci facultate, qua ut loquuntur, variare potest, hoc est, si quem primùm præsentaverat, Episcopus jure respuerit, alium rursus nominare. Necdum id juris invaluerat, ut ex hoc ipso comprobatur silentio Canonum, quorum pedissequi sumus, utque rursus patet ex Canone Concilii ad Castrum Gunterii habiti anno 1231. quo ea vice cadunt suo jure Patroni, laïci promiscuè & Clerici, si illiteratum præsentent.

Can. 15. 16. *Accidit interdum quod Patroni Ecclesiarum, tam Clerici, quàm laici, præsentant illiteratos ad regimen animarum, quod fieri prohibemus. Et si quis Patronus contra hanc inhibitionem venire præsumpserit, jure careat præsentandi illa vice.* Proximo Canone eadem intentatur pœna in eos etiam indiscriminatim, qui Clericos ad Ecclesias Parochiales præsentarint, imperitos vernaculæ earum linguæ.

Ne id quidem satis certum est, an ubique universim usu tunc temporis recepta esset illa de quatuor aut sex mensibus Regula. Etenim anno 1279. in Concilio ad Pontem-Audemari præceptum est Canonicis Regularibus, quibus jus est ad Parochias præsentandi, ut intra quadraginta dies præsentent, quibus elapsis Presbyteros sæculares illis in Ecclesiis constituet Episcopus.

Can. 24. *Nisi sufficientes personas infra quadraginta dies à tempore vacationis Ecclesiarum præsentaverint, per Episcopum Ecclesiis vacantibus provideatur, ponendo ibi Presbyteros sæculares, si ibi videbitur expedire.*

VIII. In Synodo Pictaviensi anni 1280. sancitum est, ut qui præsentati fuerant sede vacante Episcopatûs, & quos probabile est à Capituli Vicariis Generalibus institutos jam tum fuisse, convolarent ad Episcopum tertio saltem mense post ejus consecrationem.

Cap. 9. *Monemus omnes qui sede Pictaviensi vacante, Beneficia curam animarum habentia, vel Capellanias, seu domos eleemosynarum sunt adepti, vel ad ea præsentati, intra tres menses coram nobis ubi fuerimus, se præsentent, titulum sibi competentem in præmissis ostendere.* In Concilio Virisburgensi anni 1287. excommunicati sunt, & ea vice exuti jure Patronatûs, qui præsentare procrastinarent ultra mensem, post illum temporis terminum, quem jura constituerant.

Necdum ergo tunc apertè prodita erat in contextu Juris Canonici illa Clericos inter Laicosque Patronos distinctio. Videtur autem nobis quidem Bonifacius VIII. fluctuantem hactenus & nutantem de mensibus sex quatuorve Regulam primus omnium universaliter & constantissimè definisse in Sexto, Titulo *de Jure Patronatus*. Quam & ille Regulam in eos etiam Clericos effundit, qui jura sibi adjunxere Patronatûs laici. Usque adeo amabant hac quidem in re Ecclesiasticum Patronatum amplificare.

Anno 1300. Synodus Bajocensis ab Episcopis voluit, post institutos eos, quos Patronus præsentasset, illos mitti ad Patronum, ut solenni apud eum sacramento defungerentur. *Can. 45.* Id sacramentum necdum obsoleverat in Provincia Narbonensi, ut liquet ex Concilio Avenionensi anni 1326. 2. Ut ne resignationes ullæ fierent, nisi in manus Episcoporum. 3. utque quibuscumque provisum fuerit de Beneficiis, viduata sede, Episcopo recens instituto ii omnes sistere se teneantur. *Omnia Beneficia collata vacante sede Bajocensi, & post promotionem nostram si nobis non fuerint præsentata, in manu nostra capimus, & per manus Diaconorum volumus & præcipimus detineri.* *Conc. Aven. C. 32.*

IX. Ita quidem ab his tum Galliæ Episcopis restringebantur Capitulorum institutiones dum vacaret sedes. At contrà Germaniæ Prælati communicasse videntur cum Archidiaconis, eorumque Vicegerentibus, jure vel consuetudine subnixis, instituendi potestatem. Accipe Canonem ipsum Coloniensis Concilii, anno 1310. *Nullus Ecclesiam Curatam de cætero teneat, nisi à nobis vel Archidiacono, & eorum vices gerentibus, quibus hoc de jure vel consuetudine competere dignoscitur, de eadem fuerit legitimè institutus: cùm aliàs non habeat claves ligandi vel solvendi.* *Can. 20.*

Propiùs ad Gallicanas consuetudines accedebat Concilium Ravennas anni 1317. quando decrevit, ut qui ab aliis Prælatis Regularibus vel Sæcularibus instituti fuerant, ut ferebat consuetudo, ne animarum curam susciperent, vel Sacramenta administrarent, nisi potestatem antè ab Episcopo ipso accepissent. *Sacerdotes aliqui per nonnullos Prælatos sæculares vel regulares, quibus in certis Ecclesiis Parochialibus Rectorum institutio de consuetudine competit, sine sui Episcopi authoritate, Parochiales Ecclesiarum ipsarum qui ipsius Episcopi subditi esse noscuntur, præsumunt solvere & ligare in suarum præjudicium animarum, &c.* *Can. 5.* Discriminis hujus non infulsè ea conjicitur ratio, quòd Germaniæ Præsules minùs sollicitos haberet procuratio suarum Diœceseon, Episcopaliumque jurium defensio, quàm Galliæ Italiæque Episcopos.

In Concilio Rotomagensi anni 1335. cùm prohiberi omnino non possent Patroni, quin Parochos in Ecclesiis instituerent; constitutum est, ut Parochi post quadraginta saltem dies initæ Parochiarum possessionis, Episcopo se sisterent, ut chartas titulosque repræsentarent, sacramentumque præstarent obedientiæ, totiusque muneris sui summa fide obeundi. *Quia aliqui plerumque in Parochialibus Ecclesiis instituuntur per alios quàm per Diœcesanos, sine authoritate ipsorum; statuit Concilium, quod quoties aliquem sic de cætero continget institui, idem institutus infra quadraginta dies à tempore corporaliter adepta* *Can. 9.*

possessionis, coram Diœcesano, seu ejus Vicario comparere personaliter debeat, fidem facturus debitam de titulo, ac præstiturus Diœcesano, de obedientia, fidelitate, residentia, & aliis consuetis debitum & solidum juramentum.

X. Hinc autem manifestissimè apparet, quàm necesse semper visum fuerit, ut penes Episcopum solum summa semper esset potestas, ea largiendi Beneficia, quibus animarum cura immineret; cùm tantopere tandiuque nervos omnes contenderit Ecclesia, ut Patronorum laicorum collationibus obluctaretur, utque alias iniret vias ac rationes ejus labis sarciendæ, quæ ex Collatoribus Ecclesiasticis oriretur, vel ex institutionibus aliorum quorumvis præter Episcopos.

Concilium Coloniense anni 1549. decrevit, ut à Pontifice postularetur revocatio cujuscumque potestatis ad hujusmodi Beneficia pleno jure conferenda: utque omnibus omnino aditus ad ea intercluderetur, *nisi præcedat examen Episcopale.* In Concilio Tridentino decretum est, ut quocumque demum vel privilegii, vel consuetudinis jure allegato, qui ab Ecclesiasticis præsentarentur Patronis ad quodvis Beneficium nec institui possent, nec admitti, nisi eos & examinasset Episcopus, & dignos judicasset. Excepti sunt tantùm Graduati insignes & Nominati. In alia ejusdem Concilii Sessione decretum est, ut Episcopi ipsi instituere possent, utque Episcopo soli præsentare possint Patroni, revocatis rescissisque omnibus privilegiis huic Decreto adversis.

Tit. De exam Ordi. c. 9. Sess. 7. c. 13. Sess 14. c. 12. 13.

Verùm cùm in hoc eodem Concilio statuitur, ut ad omnes Ecclesiastici Patronatûs Parochias vacantes, instituatur concursus & examen publicum asperrimumque, cui præsit Episcopus, cum examinatoribus plurimis; & ubi Collator, institutorque quivis alius, quàm Episcopus, ad eum determinatur & astringitur, quem Episcopus dignissimum declararit inter eos qui examen subierint: Patronus Ecclesiasticus eligit ipse dignissimum: Quem præsentat autem Patronus laicus, ab examinatoribus rejici potest, si minùs idoneum judicaverint: His perspicuè significat Concilium, Patronum quemvis, seu laïcum, seu Ecclesiasticum, ad id omnino studium, voluntatemque suam convertere ac conferre debere, quod animarum saluti conducibilius est. Ita non prorsus extinguitur à Concilio vel collatio, vel institutio, à quibusvis aliis præter Episcopum expectanda, sed post Episcopi examen rejicitur, eique accommodatur. Postremò de quo demumcumque agatur Beneficio, potest Episcopus à Patronis præsentatos rejicere, si ineptos inutilesque compererit: si verò eorum institutio ad alios quàm ad ipsum pertineat, jure semper utitur suo, ut eos ad examen suum vocet, & alioqui irrita sit institutio.

Sess. 14. c. 18. Sess. 25 c. 9.

XI. In Concilio IV. Mediolanensi anno 1579. constitutum est, ut ejusdem modi concursu, & examine consimili præmisso, ad Pœnitentiarii & Theologi dignitates eligeret Episcopus dignissimum omnium, cui Collator, etiam Capitulum ipsum conferre cogeretur. Parochiæ similiter collationis Prælati Exempti, vel Patronatus Ecclesiastici, aut mixti, non dabuntur ex hujus Concilii præscripto, nisi iis quos Episcopus omnium dignissimos post Concursum & Examen judicarit.

Cap. 5.

In Gallia verò Concilium Rotomagense anno 1581. Examen instituit austerum cum primis Examinatorum sex, quos Synodus Diœcesana nominarit, ad eos omnes excutiendos, quos laïci Patroni, vel Clerici ad Parochias nominarint. Concilium Burdegalense anni 1583. promulgavit Decretum Concilii Tridentini, ad Examen & Concursum vacantium Ecclesiarum Parochialium, cassatis irritatisque collationibus & institutionibus quibuscumque, & provisionibus aliter factis. Concilium Turonense ejusdem anni non modò idem ipsum promulgavit Decretum Tridentinæ Synodi, sed & eodem pertinentem Bullam Pii V. Concilium Aquense anni 1585. subjecit examini Episcopi, & trium saltem Examinatorum, quos Synodus nominarit, eos omnes quibus vel collatione, vel nominatione & institutione, vel provisione Romana, aut Legati Avenionensis, Beneficia aliqua collata fuerint. Concilium denique Burdigalense anni 1624 irritas pronuntiavit Collationes omnes, ubi Abbates, Priores Conventuales, vel Laici Beneficia conferrent iis, quos nec nominasset Episcopus, nec approbasset.

Tit de Episc. offic. n. 16. Cap 12. Cap 4. 14. Tit. De his quæ ad Coll.

XII. Nec præteriri hoc loco potest, quod docet Fagnanus, quamvis jure non possit laïcus quisquam conferre Beneficia, quantumvis suffragetur ei immemorialis consuetudo: *si tamen fama privilegii concurrat* cum immemoriali consuetudine, posse *jure communi* ea potestate uti. Verùm juri ei communi derogatum esse Bulla Gregorii VIII. qua rescinduntur præscriptiones & consuetudines omnes immemoriales, cum fama privilegii, iis in rebus, quæ in detrimentum cedunt Ecclesiæ. Propterea nimirum quòd ea probatio sit negativa quidem, sed valde efficax, quod authenticæ Chartæ horum privilegiorum, nec Romæ, nec alibi gentium reperire sit. 2. Cùm à Congregatione Concilii declaratum sit, Concursum à Concilio Tridentino adornatum ad Parochias, non habere locum in Parochiis Patronatus laïci: declaratum est etiam ab eadem, si cunctatione & desidia Patroni, qui intra quatuor menses non nominarit, jus ad Episcopum devolvatur, non posse Episcopum eas nisi per concursum conferre. 3. Quoad Parochias Patronatûs mixti, priùs quidem definierat Congregatio Concilii, locum esse debere Concursui, ut qui sit Ecclesiæ favorabilior: sed ab ea pòst discessit sententia, ne Patronos laïcos nimis arctaret, quibus tunc etiam indulti sunt eo casu sex menses. Huic posteriori definitioni Pontifex accessit. 4. Jus commune, ut habetur *Capite Cum vos, De officio Ordinarii*, præcipiebat, ut Episcopi Oeconomos instituerent in Ecclesiis Patronatus laïci vacantibus, qui fructus colligerent servarentque successori, portione congrua sibi decisa in suos usus, permissa Clericis facultate, ut Ecclesiam servent & tueantur ipsi sui Patronatus. Ita Jus commune quidem: at Episcopi à Tridentino jam jussi sunt Oeconomos omnibus in Parochiis vacantibus cujuscumque Patronatus collocare. 5. Alexander III. Papa *C. Cum vos, De officio Ordinarii*, agnoscit *quia persona minùs idonea præsentantur* à Patrono laico: cogi persæpè Episcopum, ut Ecclesias diu vacare sinat. Ex quo inferunt Canonistæ variare posse Patronum laïcum, non Ecclesiasticum. Si tamen indignum non præsentavit Ecclesiasticus Patronus, nisi ex ignorantia vel obreptione, potest alium præsentare, postquam prima præsentatio rescissa fuerit, juxta *C. Si electio, De electione. In Sexto*: quo sex alii menses dantur electoribus, quibus obreptum est. Ex adverso autem si Patronus laïcus, vel Clericus, qui ratione patrimonii sui Patronus est,

Fagn. in l. 1. Decr. Par 1. p. 158. 157. In L. 3. Pars 1. p. 355. 357. In L. 1. P 2. pag. 440. Sess. 25. c. 9. Fagn. ibid.

indignum præsentet, non nesciens indignum esse, valde dubium est inter Canonistas, an non hac vice privetur Jure nominandi. Itaque etsi interest, multum, non interest tamen tantum discriminis inter Laïcos, Clericosquè Patronos, quantum nonnulli opinantur. Maximè si spectes à Concilio Tridentino juberi Patronos, laïcos etiam, ut probabile est,
Sess. 24. c. 18. intra decem dies nominare, ut quos nominarint, il à Synodalibus Examinatoribus examinentur.

Hallier. D. Elect. Sect. 6. c. 2. art. 2. §. 2. XIII. Illud porro hinc emergit, privilegia Patronatus laici ab usu magis, quam à Decretis Pontificum profecta esse, & Canonibus Conciliorum, qui illis ex adverso subinfensi videntur fuisse. Et nihilo tamen minus, cùm usus ipsemet Lex sit, &
Fevret l. 3. c. 1. n. 12. ejusmodi Lex, qua cæteris legibus omnibus vel accedat authoritas & vis, vel decedat: tam clara in luce radiare visa sunt privilegia laïcorum Patronorum, ut dubii omnes Patroni in laïcos se transferri semper certaverint.
Chopin. De domanio. l. 3 Tit. 27. n. 12. Memorat Chopinus anno 1573. à Parlamento Parisiensi Universitatem Parisiensem Laïcis Patronis adscriptam fuisse. Actum est tam operosè de hujus celeberrimæ Universitatis Patronatu Tomo tertio ejus Historiæ, ut diutius hic immorandum nobis omnino non sit. Egit pro-
Covarruv. Pract. qq. c. 36. to 2. Vasq. Opusc. pag. 388. lixè & Covaruvias de Laici Patronatus prærogativis in Hispania, quæ non multùm abludunt à Gallicanis. Egit & Vasquesius de iisdem in eundem modum, in Opusculis suis.

XIV. Paucissima supersunt obiter delibanda de duobus, quorum alterum jam non semel perstrictum fuit. Primum est de repulsa ejus, quem Epis-
Append. 1. Epist. 37. copo præsentat Patronus. Abbatem sancti Remigii & Archidiaconum Remensem delegavit Alexander III. Papa, ad dijudicandas causas repulsæ, quam ab Episcopo Suessionensi passus erat Subdiaconus, ab Abbate sancti Petri Catalaunensis ad Ecclesiam Parochialem præsentatus. Ita autem statuebat Pontifex non potuisse præsentatum respui ab Episcopo, nisi manifesta & rationabili de causa. *Indecens est, & penitus obvium rationi, ut prænominato Subdiacono, nisi pro manifesta & rationabili causa, plebis cura denegetur, &c. Aut investiat, aut quare id facere non possit coram vobis rationabilem causam ostendat, &c.*
Append. 3. Epist. 7. *Si contempserit, vos investiatis, &c.* Concessit hic idem Pontifex Capitulo Cabilonensi, ut Beneficiarius Patronatus sui Episcopo Augustodunensi præsentaret, sibi si præsentatos respueret instituere Episcopus Cabilonensis.

In Concilio Oxfordiensi anni 1222. præceptum est Episcopis & Archidiaconis, ut intra duos menses admitterent sibi præsentatos, si idonei essent; sin minùs Superiori aperirent causas negatæ institu-
Can. 4. tionis. *Nisi causam rationabilem coram suo Superiore duxerit adsignandam, cum super hoc fuerit requisitus, &c.* Idem ipsum insinuari videtur in Concilio Sa-
Can. 23. lisburgensi, anno 1274. *Antequam per Diœcesanum loci, vel Superiorem ejus, si ipse facere, quod tenetur, neglexerit, fuerit investitus, &c.* Conventus Cleri Anglicani anno 1316. à Rege Eduardo II. impetravit, ut quos Rex præsentasset, & quos Episcopi justis de causis repulissent, ii juxta Canones ad Judices Ecclesiasticos confugerent, non ad laïcos, ut
Concil. to. 11. Part. 2. pag. 2488. nuper factum fuerat, per summum nefas. *Si Episcopus eos non admittat reputa propter defectum scientiæ, vel aliam rationabilem causam, non subeant examinationem laïcarum personarum, prout his temporibus attentatur de facto, contra canonicas sanctiones: Sed adeant judicem Ecclesiasticum, ad quem de jure pertinet, pro remedio, prout justum fuerit, consequendo.*

Utque propius accedam ad nostra tempora, Concilium Rotomagense anni 1581. ab ea omnino non recedit sententia. *Si præsentato renuerit Episcopus collationem dare, cogatur causas recusationis suæ in scriptis exprimere; nec liceat superiori collationem decernere, nisi prius discussis causis & judicatis, propter quas Episcopus recusaverit collationem dare, alioquin superioris collatio nulla erit.* Tit. De Offic. Episc. c. 26. Quod ipsum iisdem verbis decretum est in Concilio Remensi anni 1583.

His consentaneum est Edictum Blesense, quo Art. 3. præcipitur, ut si impetrantes Beneficia, non ii sint, qui iis defungi ritè possint, eoque rejiciantur ab Episcopo, Superior is ad quem recurrent, ne eos instituat, nisi excussis causis repulsæ, *quas ideo tenebitur Ordinarius exprimere & inserere Actis repulsæ ipsius.* Idem prorsus habetur in Edicto Melodunensi.

Quin & Comitia Cleri Gallicani anno 1635. si- Art. 15. militer decrevere, *Ne causa ulla vera, aut prætexta instituantur, quos proprius Episcopus, vel Vicarius ejus Generalis instituere renuerit, nisi ab eo qui superior sit Ecclesiasticus. Sed nec Ordines dentur ab Episcopo quocunque alio, quam Diœcesano, nisi acceptis Diœcesani litteris Dimissoriis.* Id verò confirmatum est Diplomate seu Arresto Consilii Regii anno 1646. sed ita ut videatur Superior Ordinarius tam ordinare, quàm instituere posse, si Diœcesanus Episcopus renuit, quamvis id minùs expressum sit in Decreto Cleri. *Nec Ordinare, Instituere, Conferre, Providere, recusante Archiepiscopo proprio, vel Episcopo, nisi superiores sint Ordinariis renuentium Ordinariorum.* Hoc verò Decretum Cleri Gallicani anno 1635. editum, innovatum confirmatumque fuit à Comitiis Cleri Gallicani anno 1660. & 1665. ne tum quidem expresso eo, quod posset Superior Ecclesiasticus Ordines conferre, renuente Episcopo Diœcesano.

XV. Alterum & postremum est, si Episcopi Prælatique cæteri conferre detrectent, ne à Judice sæculari quocumque ad id cogi & coarctari possint; sed ab eo potius partes ad Judices Ecclesiasticos superiores ablegentur. 2. Nec decernere possit Judex, ut ipsa factæ repulsæ charta locum habeat institutionis. 3. Nec alios possit Prælatos compellere ad instituendum Diœcesanos non suos. Est ad manum farrago Senatusconsultorum, Arrestorum, Edictorumque regiorum, quæ ita sanciant, in Compilatione recentiori Actorum & Monumentorum Cleri Gallicani, ubi hæc duo conjunctim pertractantur copiosissimè. Occurrent & ibidem Edicta varia rursum & Senatusconsulta, quibus prohibeantur Patroni laïci, si hæretica lue inquinati sint, præsentare, quanquam non prohibeantur Catholici eorum procuratores. Adversatur is quidem usus juri communi Canonico, ex ea nimirum causa, quod hæretici in Gallia tantum nostra tolerarentur. Quanquam & in Russia aliisque regionibus, ubi similiter impunè hæretici schismaticique inter Catholicos diversantur, persimilis tandem indulgentia necessariò fuerit adhibenda. Anno 1655. Comitia Cleri Gallicani Regiam impetravere Declarationem ad Senatum Parisiensem, qua Patronatus hæreticorum ad Episcopum Diœcesanum devolvebatur. Comitia ejusdem Cleri anno 1660. idem expetiere ad cætera prorogari Parlamenta. Minimè necesse est autem nos hic diutius immorari, in perscrutandis Judicibus controversiarum de Patronatu: cùm exploratissimum sit Jurisprudentiam Gallicano Regno receptissimam, à supralaudatis Decretalibus prorsus dissidere ea quidem in re.

Memoires du Clergé. To. 2. pag. 48. 75. Procès verbal de l'Assemblée du Clergé en 1660 pag. 168. 306. Le Prestre Cent. 2. c. 32. Fagnan. in l. 3. Decret. Par 2. pag. 251. Ibid. l. 5. part. 1. p. 231.

De Universali & Ordinaria Episcopi potestate conferendi omnia prorsus Beneficia suæ Diœceseos.

CAPUT XXXIII. *P. 1. l. 2. c. 5.*

Per quinque priora sæcula, erat Episcopus Collator Ordinarius omnium Beneficiorum.

I. Non sejungebatur tum quidem Ordo à Beneficio. Ut ergo Ordinum, ita & Beneficiorum unus erat Collator Episcopus.

II. Necesse erat & consuli Clerum, & testimonium plebis exquiri. Probationes ex Conciliis.

III. IV. Probationes aliæ ex Paulino & Augustino.

V. Tumultuationes plebis compescuere tandem Synodi Canonesque

VI. Solius erat Episcopi digniorem eligere inter eos, inter quos se Cleri plebisque vota scindebant.

VII. Cur Concilium Laodicenum ab Electionibus plebem summovendam censebat.

VIII. Ex Hieronymo probatur, partes aliquas fuisse Cleri, populique in electionibus, ut Episcopalis tamen potestas dominaretur

IX. Aliæ ejusdem rei probationes.

X. Perinde res habebat in Ecclesia Græca. Probationes.

XI. XII. Aliæ probationes ex Epistola Basilii.

XIII. Incusatur & purgatur Chrysostomus.

XIV. Cur Archidiaconi sit ad Ordines & ad Beneficia præsentare

XV. An Diaconi eligerent Archidiaconum.

XVI. Cum Apostoli & eorum successores Episcopi, Ecclesiarum omnium sint fundatores, ad eos spectat Primarium & Universale jus pastores preficiendi.

I. UT Ordinandi, ita & Beneficia conferendi penes Episcopum solum primaria erat potestas, cùm ita ferret lex inconcussa vetustissimæ Ecclesiarum Disciplinæ, ut nec ab Ordine Beneficium, nec vicissim Ordo à Beneficio disjungeretur. Attondebatur & ordinabatur prorsus nemo, cui non statim sacræ quædam functiones adsignarentur, indiceretur quæ Ecclesia, ubi & munus obiret aliquod spiritale, ex quo & temporale demeteret stipendium.

Can. 22. Si autem ut disertè jubet Concilium Carthaginense IV. antè Episcopus Cleri sui vota & populi testimonium explorare & scrutari debebat, quàm quemquam Clero adscriberet, ordinaretque; hinc & illud concluditur, & voto Cleri & testimonio populi opus fuisse ad Beneficia conferenda. *Ut Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & testimonium quærat.*

II. In his planè verbis singulis plurimum momenti est, ut ea sigillatim expendi necesse sit. Summam enim Episcopus retinet semper authoritatem: sed imperium & authoritas adeo non debilitatur sapientia & moderatione, ut augescat potius & magis magisque convalescat. Ergo Cleri *Consilio* utebatur Episcopus, *testimonium* quoque plebis expectabat, ad dignoscendos eorum mores, quos ordinaturus erat: nec regimen cuiquam adsignabat, nisi certus fore ut *acquiescerent* illi, qui regendi alicui commendabantur. Istiusmodi prudentiæ & charitatis regula nihil detrahit cujusquam imperio: quin & præsidii adjicit plurimum & ornamenti. Ita sentiebat, ita factitabat Augustinus teste Possidio. *In or-*

Cap. 21. *dinandis Sacerdotibus & Clericis consensum majorem Christianorum & consuetudinem Ecclesiæ sequendam esse arbitrabatur.* Augustinus ipse Presbyter ordinatus fuerat à Valerio Episcopo, collatione priùs habita Episcopi & populi, populique ipsius electione, non sine vi quadam, quæ non alio tamen è fonte nascebatur, quàm ex summa quadam summarum Augustini virtutum populi existimatione. *Cum Valerius Episcopus flagitante Ecclesiastica necessitate, de providendo & ordinando Presbytero civitati, plebem Dei alloqueretur & exhortaretur, jam scientes Catholici Augustini propositum & doctrinam, manu injecta eum tenuerunt, & ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno consensu & desiderio perfici petentibus, magnoque studio & clamore flagitantibus.*

III. Nec dispar fuit Paulini ad Presbyteratum electio & electioni adjuncta vis quædam, quam pietas & religio meritò excusaret. Proferam hic verba ipsa Paulini in Epistola ad Amandum, ubi declarat plurimum omnino potuisse plebem in ejusmodi Ordinationibus, ac Beneficiorum nominationibus. *Ego vermis & non homo, vi subita invitus, quod fateor astrictus, & multitudine strangulante compulsus, quamvis cuperem calicem istum à me transire, tamen necesse habui dicere Domino, verùm non mea voluntas, sed tua fiat.* Ejusdem rei argumento est Augustini ipsius narratio, de excitata in Pinianum pia quadam, ut alibi dicemus, plebis Hipponensis conjuratione.

IV. Adeo non infrequentia erant hæc exempla, ut ea creberrima fuisse, & *plerumque* ita contigisse testatum faciat Augustinus ipse. Cùm enim quorum maximè spectata erat virtus, eorum esset & humilitas, ac modestia quædam animi eximia, quæ eos ab honoribus & dignitatibus quibuscunque mirum in modum alienaret, & in fugam ageret: penè necessario sinebantur plebes in eos impetum facere & cogere, ut Ecclesiæ necessitati, Deique adeo voluntati servirent. *Solemus proponere* De adulter.
continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, tamque susceptam Conju. l. 2.
usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt. c. ult.

V. Nec tamen per Canones plebi fas erat ita exardescere, ut in electionibus plurimum posset, & quidvis expugnaret. Tolerata quandoque est violenta ejusmodi irruptio; quandiu constitit eam quanquam nimiam, & improbandam effervescentiam, non alio tamen ex capite, quàm ex pio zelo, & charitatis æstu proficisci, unique famulari Ecclesiæ utilitati. Sed cum non facile regeretur, sed ultra recti limites quandoque eveheretur populi tumultuantis impetus: eò tandem ventum est, ut dominarentur Canones, nec plebi quidquam permitteretur, quàm ut de vita & moribus eligendorum testimonium diceret. Ita suprà allatus Canon Concilii Carthaginensis IV. ita etiam antè Canon alius Carthaginensis Concilii III. *Ut nullus or-* Can. 22.
dinetur Clericus, nisi probatus vel Episcoporum examine, vel populi testimonio. Populi erat ergo rimari & nudare mores, vitam, gesta, virtutes & vitia privatorum, qui oculos, aurésque, & conscientiam fallere possunt paucorum, non omnium, non populi. Episcopi autem erat numeratis his suffragiis calculisque subductis decernere, & digniores quosque eligere.

VI. Ea est constantissima & immutabilis Electionum regula, à qua nisi in damnabilem personarum acceptionem deviari non possit. In hoc genus electionibus anteponi non possunt dignis indigni, vel

digni etiam ipsi dignioribus, nisi flagitio tantò detestabiliori, quantò graviora inde & diuturniora in posteras ætates emergunt detrimenta. Atqui manifestissimum est tanti momenti delectum judiciumque populo plerumque versatili & tumultuoso committi sine summo discrimine non posse. Certissimè ergo unius erat Episcopi, suffragia & testimonia omnia trutinari, & digniorem eligere. Audi ut Augustinus hanc indubiam & inexorabilem legem pro-
Epist. 29. mulget. *Nec sanè, quantum arbitror, putandum est leve esse peccatum in personarum acceptione, si illam distantiam sedendi ac standi ad honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere, instructiore atque sanctiore?*

VII. Ideo & in Laodicena Synodo cautum est, ne plebes turbæque jam sacros ministros eligerent.
Can. 13. *Quod non sit turbis concedendam electionem facere eorum, qui altaris ministerio sunt applicandi.* Nec me præterit hac voce ὄχλοις, *turba*, videri quamplurimis tumultuosam potiùs significari plebem & effrænatam, quàm populum sobrium & frugi. Sed ubi quæso populi conciones non his æstuant perstrepuntque studiis tumultuosis; & quasi procellis hinc illincque ingruentium cupiditatum? Vehementer ergo probabile est, ita tandem consultius visum statutumque fuisse, ut plebi proponerentur duntaxat, qui ad sacras dignitates deligendi censebantur ab Episcopo & Clero: atque abundè fuisse, ut ne plebs contrà niteretur gravi aliqua insimulatione. Eo sensu donandum, quod decrevit Si-
Epist. 1. c. 10. ricius: *Diaconus accessu temporum Presbyterium vel Episcopatum, si eum Cleri ac plebis evocaverit electio,*
Epist. ad Rustic. *non immeritò sortietur.* Et quod habet Hieronymus: *Cùm ad perfectam ætatem veneris, si tamen vita comes fuerit, & te vel populus, vel Pontifex civitatis in Clerum elegerit, agito quæ Clerici sunt.*

VIII. Admittitur quidem ab Hieronymo ad electionem Clerus, populusque: sed summa authoritatis ab eodem in Episcopum solum confertur. Quin & id ille ex Apostoli verbis invictissimè con-
Ad Tit. c. 1. cludit: sic enim Paulus ad Titum: *Ut constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Episcopo ergo Paulus authoritatem demandat constituendi tum Presbyteros, tum alios quoscumque Beneficiarios; quorum omnium una eademque ratio est.
L. 1. in Epist. ad Titum *Audiant Episcopi qui habent constituendi Presbyteros per urbes singulas potestatem, sub quali lege Ecclesiasticæ institutionis ordo teneatur. Manifestum est, eos qui Ecclesiastica lege contempta, Ecclesiasticum gradum non merito voluerint alicui deferre, sed gratia, contra Christum facere, &c.* Inflammescit mox Hieronymi zelus in Episcopos, qui affectui & favori dant, quod meritis largiendum erat, & qui Beneficia temerè dispensant, quasi arbitrariæ & privatæ beneficentiæ ea essent dona, cùm sint cumulatissimæ virtutis justa præmia. Vel ex hac vitiosa Episcoporum facilitate, & sacrarum dignitatum inconsiderata, ut ita dicam, prodigalitate, liquebat tamen certissimè, unos eos esse Beneficiorum omnium collatores: *At nunc cernimus, plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus Majorum quispiam rogaverit, vel ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt.* Tria hæc sunt simoniæ genera, *ab obsequio, à lingua, à manu*, quæ postea Gregorius Magnus luculentissimè explanavit. In Epistola ad Nepotianum uni Episcopo electiones vendicat idem rursus Hieronymus: *Gaudeat Episcopus judicio suo, cùm tales elegerit Sacerdotes.* Et rursus in Epistola ad Diaconum Sabinianum: *Recordare à quo Episcopo Diaconus ordinatus sis: nec mirum, quamvis sanctum hominem, tamen in homine deligendo potuisse falli: cùm & Deum pœniteat quòd Saul in Regem unxerit; & in duodecim Apostolis Judas sit proditor repertus.* Itaque ut olim à Deo Saul, à Christo Judas electus est, ita & ab Episcopis citra culpam quandoque suam eliguntur Ministri, qui & Episcopis postea & Ecclesiis, tum dedecori sint, tum etiam detrimento. Can. 2.

IX. Si solus eligeret Episcopus, palam hic fecit Hieronymus, quantis illudi & circumveniri posset privatis cupiditatibus: si populus partes suas interponeret, factiones ambitiosorum increscebant in dies: *Cùm manifestissimum sit potuisse paucos præmio & mercede corrumpi, eos qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum*: ut censebat Osius in Concilio Sardicensi.

Medium ergo & tutissimum illud videri poterat temperamentum, ut ne Episcopus aut Ordines conferret, aut Beneficia, nisi re tota cum Clero suo consultata. Ea erat electionum ratio in Ecclesia Alexandrina, ut colligitur ex Epistola Niceni Concilii ad illam Ecclesiam, ubi Concilium restituit quidem Ordini suo Presbyteros, qui à Meletio ordinati fuerant, necdum sedato schismate, sed ea lege, ut concedant Presbyteris omnibus ab Alexandro Alexandrino Episcopo ordinatis, nec eodem cum illis utantur jure nominandi, vel præsentandi eos qui ordinandi sint. *Ut nulla ipsis potestas* H. E. Eccl. *sit eos ministros Ecclesiæ designandi, qui ipsorum pro-* L. 1. c. 6. *bentur arbitrio, atque nominationem penes se habeant eorum, qui deligendi sunt ad Ecclesiæ munera obeunda.* Presbyteris autem qui invicta constantia steterant in unitate Ecclesiæ, potestatem eis pristinam confirmat Concilium nominandi præsentandique eos, quos Clericatu dignos existimabunt. προχειρίζεσθαι, καὶ ὀνόματα ἐπιλέγεσθαι τῶν ἀξίων τοῦ κλήρου. Certè in aliquam partem ejus facultatis plebs quoque ipsa vocatur à Concilio, ubi additur, si seniorum quis illorum Presbyterorum fato suo obeat, subrogari illi posse unum ex recentioribus, illum nimirum, quem plebs eliget, & quem Episcopus confirmabit. καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, συνεπιψηφίζοντος, ἢ ἐπισφραγίζοντος τοῦ ἐπισκόπου. Sed nemo non sentit, quantum plus momenti hic sit in Cleri, quàm in plebis suffragatione.

X. Si qua verò hic resideret adhuc nubecula difficultatis, eam omnino difflaret Canon VI. Theophili Episcopi Alexandrini apud Balsamonem. Tota ibi authoritas Episcopo vendicatur, Cleri necessarius pronuntiatur consensus, sicut præsentia populi ad Ordinationes. Ideo & eas palam publicéque fieri decernit, ut populi præsentia aut deterreat, aut prodat & coarguat omnes, qui infamia facinoris, vel flagitii alicujus laborant. *De iis qui ordinandi sunt, hæc erit forma; ut quidquid est sacerdotalis ordinis, consentiat & eligat*: συμφωνοῦν καὶ αἱρούμενον: *Et tunc Episcopus examinet*: δοκιμαζέτω. En ut nominent & præsentent Clerici: at Episcopus examinet judicetque, probet improbetque præsentatos. *Vel etiam assentiente illi Ordine Sacerdotali, ordinet.*

Subjicitur & alia hæc ratio ac forma, sed quæ eodem recidat. Episcopus ordinat & instituit quos dignos judicat, Clero idem judicante, populo præsente & testimonium perhibente. συμψηφοῦντος τοῦ ἱερα-

rem. Ordines in media Ecclesia præsente populo, & Episcopo alloquente, an etiam possit ei populus ferre testimonium. Illa necessariò observanda lex in omnibus Ordinationibus, ut publicè fiant, ut populus adsit, ut Episcopus omnes interroget, an sceleris aliquid objici iis possit, qui ordinandi sunt. Perspicuè hîc & Episcopi supra Clerum prærogativa emicat honoris & potestatis; necnon & Cleri supra populum, cui residuum id unum est in electionibus, ut pro jure, adeoque & pro officio suo, ordinandos testimonio suo vel juvet, vel deprimat.

XI. Protulit Balsamon sancti Basilii Cæsariensis Episcopi Epistolam ad Chorepiscopos suos, ex qua & roboris aliquid antedictis, & lucis non parum dicendis conciliatur. Oculis subjicit sanctus Pater miserandam disciplinæ labem ex oblivione Canonum, & licentia exitiali quosvis ad Ordines admittendi. Antiquo more etiam vigebat, ut eo examine Presbyteri Diaconique fungerentur, referrentque ad Chorepiscopum, qui re ad Episcopum perlata, ad Ordines tum demum illos præsentabat, Basil. Epist. 181. qui visi fuerant digni. *Et hæc quidem examinabant Presbyteri & Diaconi, qui cum eis versabantur; referebant autem ad Chorepiscopos, qui à verè testificantibus susceptis suffragiis, & admonitis Episcopis, ita ministrum in sacerdotalem numerum cooptabant.* Sed postquam adgressi sunt Chorepiscopi ipsi Ordinationes facere, inconsulto etiam Episcopo; passique sunt, ut Presbyteri & Diaconi sine examine quoslibet passim indignos ad sacra munia obtruderent, humanis affectibus nihil non indulgentes; unde & sacrorum ministrorum numerus ultra modum in omnibus auctus sit vicis ac Parochiis: ut aliquando tandem pristino vigori antiqui Canones redintegrarentur, jussit Basilius ad se mitti catalogum sacrorum ministrorum cujusque oppidi & Parochiæ, ut posthac nemo possit ei se inconsulto ascribi, nec quisquam jam injussu suo ordinetur. Hæc habet illa Basilii famosa Epistola.

XII. Ex ea autem illud elucet, 1. Concessam Chorepiscopis ab Episcopo fuisse facultatem & ordinandi & instituendi Beneficiarios in Ecclesiis rusticanis, quanquam & Episcopi consensus semper desideraretur. 2. Examinandi provinciam Presbyteris & Diaconis delegatam fuisse, eorumque fidei & diligentiæ acquievisse Chorepiscopum. 3. Quod ruri agebatur, expressum id fuisse ad civitatensis disciplinæ imitationem, ubi Episcopus per Ecclesiæ Cathedralis Presbyteros & Diaconos, examinari eos curabat, qui Ordinibus initiandi erant. 4. Catalogum, vel Canonem, cujus jam toties meminimus, eum ipsum esse, de quo hîc sermo fit, cui inscripta erant nomina cujusque Ecclesiæ ministrorum: & cui si dicat Basilius nonnullos sua ipsos inscripsisse nomina, eos probabile est fuisse, qui cùm nullo insignirentur Ordine, officio tamen aliquo in Ecclesia fungebantur.

XIII. Crimini datum est Chrysostomo, quòd inconsulto Clero suo, & ne convocato quidem Presbyterio, Ordinationes fecisset. ἄνευ συνόδου, καὶ οὐδὲ γνώμῃ τοῦ κοινοῦ. Tam abhorret à fide hæc criminatio, & à verisimili, quàm reliquæ omnes calumniæ, quibus impetita est summi viri innocentia. At ex ea tamen colligitur non populum quidem, sed Clerum necessariò ad Ordinationes convocandum fuisse.

XIV. Verisimillimum est autem, in Occidente quoque penes Presbyteros & Diaconos fuisse facultatem examinandi, & præsentandi, nominandique Episcopo eos, qui altarium ministerio & Beneficiis probati fuissent digni. Enim & probabile admodum est pervagatum illum etiamnunc usum, quo Archidiaconi Episcopo ordinandos præsentant, & de eorum merito quantum humana sinit fragilitas, fidejubent quodammodo, inde promanasse. Non ægrè fidem accomodabit, qui cum Hieronymo in Epistola ad Evagrium adverterit, etiam Romæ ad Diaconi, hoc est Archidiaconi testimonium Presbyteros solitos fuisse ordinari. *Sed dicis, Quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur?* Fateor eum fuisse ex eodem Hieronymo peculiarem Ecclesiæ Romanæ morem, ubi & incœperant insurgere Diaconi in Presbyteros. *Quid mihi profers unius urbis consuetudinem, &c. Orbis major est urbe.* Sed inficias nemo sanus ierit, quin ea consuetudo ex urbe Roma orbem in omnem manarit: quin Archidiaconi etiam in Oriente multis Presbyteros superarint privilegiis; denique ex eo quòd Archidiaconi Diaconos Episcopo præsentent Presbyteratu inaugurandos, nihil in Presbyteros potestatis usurpari, quum necdum Presbyteri sint, quando ut fiant offeruntur. In Concilio Carthaginensi IV. mentio fit Archidiaconi, ejusque ministerii in ordinatione, tum Can. 4. 9. 10. Acolythorum, quibus candelabrum & urceolos in manus dat: tum Ostiariorum, qui claves Ecclesiæ suscipiunt illi quidem ab Episcopo, sed eas Episcopo ipsi obtulerat Archidiaconus. In eodem Concilio permittuntur Presbyteri instituere Cantores, qui verè Clerici & Beneficiarii erant, etsi nullo Ordine donarentur.

XV. Idem porro Hieronymus insinuare videtur Diaconos suum sibi Archidiaconum delegisse, in eadem Epistola ad Evagrium. *Alexandriæ Presbyteri unum ex se electum, Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Sed in his verbis nihil est quod cogat, aut verò quod consensum extorqueat. Nec enim ait Hieronymus ad eum modum fieri electionem Archidiaconi: sed si eo ritu fieret, tum eam simillimam fore electionis ejus, qua Presbyteri Alexandrinæ Ecclesiæ unum ex suo Collegio deligunt, quem altiori sede locant, & Episcopi nomine ac dignitate cohonestant.

Porro cùm Archidiaconus & manus esset Episcopi, & oculus, abludit omnino à veri etiam similitudine, à Diaconis suis Episcopum, & non à se ipso potiùs accepisse & adglutinasse sibi oculum manumque. Quanquam qui minùs idoneum nactus erat Episcopus Archidiaconum, utpote forsan à prædecessore suo institutum, posset Diacono alicui alteri totam Ecclesiæ suæ administrationem concedere. Ejus rei insigne exemplum subministrat Ennodius in Epiphanio, qui Episcopatum postea Ticinensem obtinuit. Illum enim Episcopus suus anno ætatis vigesimo Diaconum ordinavit, cura totius Ecclesiæ suæ temporali oneravit, & exinde illum fingere ac sibi formare cœpit in Episcopatus successorem. *Volens ante Episcopatum cognoscere, qualem futuris temporibus prepararet Episcopum.* Observat porro Ennodius eodem tempore fuisse Ticinensis Ecclesiæ Archidiaconum Sylvestrum, meritis & eruditione clarum. De Archipresbyteris diximus alibi ætate & antiquitate Ordinis hanc eos dignitatem consequi solitos.

XVI. His ita præstructis jam negari non potest, quin Clericorum omnium ordinatio & institutio Beneficiariorum primùm ad Episcopum spectet;

populi partes non ferè alias fuisse secundùm Canones in electionibus, quàm ut de moribus & innocentia eligendorum proderent, siquid unde unde inaudiissent, vidissentque: denique Cleri, Presbyterorum, Diaconorumque officii fuisse, ut consilio assensuque suo firmarent quod summus totius rei moderator definiebat Episcopus. Novo rem hanc totam confirmat documento Augustinus, quo contineri videtur caput & cardo primatius summusque hujus doctrinæ, non de Parochorum origine, sed de origine potestatis summæ Episcoporum ad designandos Parochos. Episcopus enim quà Apostolorum successor, & Christi in sua Diœcesi Vicarius incumbentem suis humeris gestat Ecclesiæ suæ totius administrationem & curam animarum salutis. Extra controversiam est, Christum Apostolis suis Ecclesiam suam commendasse universam, qui si pares se solos sensissent omnium fidelium necessitatibus, nunquam sibi Ministros alios & coadjutores cooptassent. Ipsi quoque Episcopi si ab exordio omnia potuissent Ecclesiæ suæ munia soli obire, nunquam adscivissent à quibus tam pretiosæ sarcinæ parte aliqua levarentur. Initio nascentis Ecclesiæ, cùm fides in paucos tantùm & in majores urbes manasset, Episcopi ad omnia præsto, nec impares erant ideoque pauci ordinabantur Presbyteri. Verùm ubi augescere in dies magis magisque cœpit fidelium numerus in Urbibus & in vicis: novi omnes hi fideles uni Episcopo subjiciebantur, tum ut Apostolorum successori, seu primorum Ecclesiæ parentum & fundatorum; tum jure victoriæ, quod gladius Verbi à Christo creditus non fuerit nisi Apostolis Episcopisque, nec Presbyteris communicatus sit, nisi precario, & ex Episcopi delegatione, cui obnoxii semper sunt. Ad Episcopi ergo curam & imperium pertinebant novelli in dies hi cœtus fidelium: solus ille jure divino Pastor erat gregis, quem Apostoli, quem præcessores sui Episcopi genuerant, quem ipse; cui & solus ideo vicarios præstituere poterat Pastores, qui eum ex aliqua parte sublevarent. Cùm Parochum exauthorasset Augustinus, non unius criminis convictum, vereretur autem ne ab aliis Episcopis restitueretur, sanctissimè affirmavit, professusque est, nunquam se tam nefario Presbytero Ecclesiam à Christo sibi cre-

Epist. 226. ditam crediturum. *Committat illi qui vult Ecclesiam sua cura commissam, ego talibus fateor, quamlibet plebem committere timeo.* His satis prodit sanctus Pater agrestes etiam Parochias à Christo Episcopis concreditas fuisse, eisque adeo divino jure subesse, nec à Parochis eas regi, nisi ab Episcopo institutis, qui sarcinæ suæ hanc partem in eos transfudit. Quod de Beneficiariis aliis multò certius est.

CAPUT XXXIV. *P. 2. l. 2. c. 12.*

Collatores erant Episcopi Ordinarii & universales omnium Beneficiorum sæculo VI. VII. & VIII.

I. Concilia Galliæ Episcoporum jura antiquissima confirmant deligendi Archidiaconos, Archipresbyteros & Abbates.

II. Ex Conciliis Hispaniæ constat collatas fuisse ab Episcopis Capellas, Basilicas, Parochias & Abbatias.

III. IV. V. Immo & Canonicatus, fundos Ecclesiæ, dignitatesque Archipresbyterorum, Archidiaconorum & Primiclerii.

VI. VII. Agri ipsi Ecclesiæ incipiebant ab Episcopis distribui in Gallia, atque ut in Hispania. Hæ Beneficiorum primitiæ erant, quo nunc sunt statu, distributor eorum erat Episcopus.

VIII. IX. In Italia Episcopi quoque erant moderatores & arbitri, tum Ordinationis, tum distributionis temporalium. Hæ duobus constant Beneficia.

X. Nunquam meminit Gregorius Magnus electionis aut ad Ordines, aut ad Beneficia Episcopatu inferiora.

XI. Vim tamen aliquam suam interponebat populus, potestate intercedendi qua gaudebat, & prodenda, si quæ laterent, irregularitatis.

I. Media quoque ætate post annum Christi quingentesimum audiebant, erantque Episcopi Collatores ordinarii, & universales omnium Beneficiorum. Fidem facit Concilium Agathense anni 506. in potestate fuisse Episcopi, ut Archidiacono, minus idoneo defungendis functionibus suis Vicarium adjungeret. *Si Officium Archi-* Cap. 23.
diaconatus propter simpliciorem naturam implere aut expedire nequiverit, ille loci sui nomen teneat, & ordinationi Ecclesiæ, quem elegerit Episcopus, præponatur. Non patitur Concilium Turonense II. deponi ab Episcopo Abbatem, vel Archipresbyterum, nisi in Synodo Abbatum Presbyterorumque causa fuerit disceptata: sed novi vel Abbatis, vel Archipresbyteri creationem videtur hoc Concilium Episcopo prorsus permisisse. *Episcopus nec Abbatem, nec* Can. 7.
Archipresbyterum de loco suo præsumat ejicere, neque Baron. an.
per præmia alium ordinare, nisi facto Concilio tam Ab- 528. n. 25.
batum quam Presbyterorum suorum, quem culpa aut negligentia ejicit, cum omnium Presbyterorum consilio ejiciatur. Suprà tamen insinuatum à nobis est, privilegium eligendi Abbates & Abbatissas, tam multis communicatum esse cœnobiis, ut in Jus commune tandem evaserit. Adde quod & Cæsarius Arelatensis Episcopus successores suos obtestatus sit, ut liberæ Monialium suarum electioni permitterent, tum Provisorem, tum Presbyterum: hoc est tum temporalem Patrem, tum spiritalem. *Sive Provisorem, sive Presbyterum, nullum alium habeat Congregatio sancta nisi quem ipsa elegerit.*

II. In Concilio Toletano IV. ne Basilicæ quidem Martyrum à privatis hominibus fundatæ extructæque, quæque videri poterant hujus mediæ ætatis simplicia quasi Beneficia, Clericos & Beneficiarios habere poterant ullos, nisi ab Episcopo ibi ordinatos institutosque. *Multi fidelium in amore* Can 33.
Christi & Martyrum, in Parochiis Episcoporum Basi- Can. 32.
licas construunt, oblationes conferunt, &c. Noverint conditores Basilicarum, in rebus quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere: sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ejus, ad ordinationem Episcopi, pertinere. Ubi perspicio, ut ordinatio fieri non poterat, nisi ab Episcopo; ita nec provisionem Beneficii, quæ ab Ordinatione tunc non sejungebatur, nisi ejusdem authoritatis interventu fieri potuisse. Nec enim unquam vel usquam aut Clerici sine Ecclesia, vel Ecclesia sine Clericis, id est sine Beneficiariis. Erant tamen in Episcoporum maximè potestate Parochiæ & Abbatiæ. Abbatum certè institutio in hoc eodem Concilio Episcopis vendicatur, & quod magis mirere, etiam Claustralium omnium Officiorum. *Abbates aliaque officia instituere.*

In Concilio X. Toletano sævitum est in ignavos Pastores, carnalibus affectibus mancipatos, qui Ecclesiasticas has dignitates Parochialesque Ecclesias, non piissimis, non doctissimis quibusque conferebant, sed propinquis & amicis. Provisiones istiusmodi irritæ declaratæ sunt, annuaque excommunicatione, seu communionis suspensione perculsi sunt tanti authores flagitii. *Agnovimus quosdam* Can. 3.
Pontifices præcepti Principis Apostolorum ita esse immemores,

mores, ut quibusdam Monasteriis Parochialibusque Ecclesiis, aut sua consanguinitatis personas, aut sui favoris participes, iniquum sæpè statuant in Prelatum. Placet & in præsenti tale rescindere factum, & non esse de catero faciendum, &c. Deinceps quod jussum fuerit, devocetur in irritum, & qui ordinarit, annua excommunicationis ferat excidium.

III. Diximos jam ex Concilio Emeritensi, potuisse Episcopum Parochos ruris in Cathedralem Ecclesiam suam transferre, aliumque ruris designare Parochum, qui priori obnoxius futurus sit, tanquam Primitivo, sinat illum Parochiæ proventibus frui, congruaque contentus sit pensione ad suam,
Can. 32. Clericorumque suorum sustentationem. *Ut omnibus Episcopis Provincia nostra, si voluerint, de Parochianis Presbyteris & Diaconibus, Cathedralem sibi in principali Ecclesia facere, maneat per omnia licentia, &c. Pontificali electione, Presbyteri ipsius ordinatione, Presbyter alius instituatur, qui sanctum Officium peragat, & discretione prioris Presbyteri victus & vestitus rationabiliter illi ministretur, ut non egeat.*

IV. Fas erat Episcopis ex hoc eodem Concilio strenuissimos quosque & religiosissimos suorum Clericorum remunerari concesso agelli alicujus usufructu, quem tamen possent auferre & Ecclesiæ reddere, si incuria eum sua incultum jacere Clerici, & sterilescere sinerent. Hæc erant rudimenta prima Beneficiorum ea ratione, qua nunc sunt in usu; ut suo infrà loco proliriùs demonstrabitur. Atqui hujusmodi Beneficiorum non alius hic Col-
Ibid. c. 13. lator constituitur, quam Episcopus. *Placuit ut quemcumque Episcopus ad bonum profectum viderit crescere, per bonam intentionem venerandi, amandi, & honorandi, atque de rebus Ecclesiæ qua voluerit, illi largiendi habeat potestatem; hac enim causa & majoribus majorem præstat gratiam, & minores excitat, ut ad melius tendant. Quidquid ergo bonis largitur per gratiam, ita in jus habeant, ut & remedium ex hoc sentiant, & rem Deo dicatam ad augmentum perducant. Quod si id quod acceperint, per suam tepeditatem ad profectum minimè perduxerint, aut detrimentum patuerit, Episcopus habeat licentiam sine ullo præjudicio, in jure Ecclesiæ revocare rem propriam.*

V. Statuit denique hoc Concilium, ut ii quibus Episcopus plures regendas commendarit Parochiales Ecclesias, singulis diebus Dominicis in singulis illis sacra mysteria celebrent, offerantque Deo puras preces pro fundatoribus, illisque om-
Can. 19. nibus, qui eas Ecclesias suis ornarint donis. *In Parochiis multa sunt Ecclesiæ constitutæ, &c. Sacerdotali ergo decreto, Presbytero uni plures extant commissæ. Censemus ut pro singulis quibusque Ecclesiis in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre.* Suo alicubi suprà loco dictum est, ab hoc eodem Concilio institutum fuisse, ut esset in unaquaque Ecclesia Cathedrali Archipresbyter, Archidiaconus & Primicerius, quorum videtur &
Can. 10. nominationem Episcopo vendicasse. *Ut in Cathedralibus nostris Ecclesiis, singuli nostrum Archipresbyterum, Archidiaconum & Primiclerum habere debeamus.*

VI. Nec Gallicani Episcopi minus sibi licere voluerant, quam Hispani, in agellis Ecclesiæ in eos dispertiendis Clericos eximios, qui pietatis & industriæ suæ fructus uberiores in Ecclesiam conferrent. In Concilio III. Aurelianensi sancitum est, ut ne post Episcoporum obitum possent istiusmodi eorum largitates à successoribus retractari: sed earum authores ipsi, dum essent superstites, revocare utique possent gratias ingratis collatas & immorigeris. *De munifi-* Can. 17.
centiis vero præsentibus, quas unusquisque Clericis pro suâ gratiâ, eorum obsequiis æstimat conferendas, sicut in arbitrio damis est, ut tribuere, quibus voluerit, debeat; ita si inobedientia, vel contumacia in aliquo accipientis extiterit, culpâ agnitâ, in arbitrio sit præsidentis, utrum vel qualiter debeat revocari. Has munificentias, hæc Beneficia non sinit hæc Synodus conferri, nisi ab Episcopis: *De munificentiis Sacerdotum id observandum, ut &c.*

VII. Non abs re præmonui hæc tentamenta quodammodo fuisse & præludia hodiernorum Beneficiorum, inchoata, nondum perfecta moderno usu Beneficia. Quippe liberum erat Episcopo benemeritos de Ecclesia Clericos hac agrorum, fundorumque munificentia prosequi, vel largioribus tantùm distributionibus donare. 2. Poterat & ad Ecclesiam mensamque communem revocare arbitratu suo, nec ullo Canonico judicio instituto: *In arbitrio sit præsentis, utrum, vel qualiter debeat revocari, &c.* Quod omnino vel dici, vel cogitari non potest, aut de Ordinum sacro ministerio, aut de stipendiis statis, & communibus distributionibus, seu de jure vivendi de Altari: aut de Administrationibus Ecclesiasticis, cujus generis sunt Dignitates Abbatis, Archipresbyteri, Archidiaconi, & ejusmodi aliæ, quibus indicta causa nemo exui poterat. Unde illud existit, has quasi prælusorias præbendas, & precaria Beneficia ad nutum Episcopi auferri, ac revocari potuisse; quanquam in ejus potestate nunquam vel esset, vel esse posset, ut vel tantillum à pii pastoris sapientia ac æquitate deflecteret, & virtutum præmiis atque ornamentis Clericos virtute prædiitos spoliaret.

VIII. Nec discrepare ab his poterat Italicæ Romanæque Ecclesiæ disciplina, cùm & ibi perinde summa esset Episcoporum authoritas & vis in Ordinibus factis, & in rebus Ecclesiæ temporalibus dispensandis. Duo enim hæc veluti capita sunt & fontes potestatis Episcopalis in Beneficiorum Collationes quorumcumque: cùm quidquid est Beneficiorum, ex his consurgat duobus: spirituali jure, quod ab ordinatione dimanat; & inde manante temporali potestate ad participandos Ecclesiæ congrua ex parte proventus. Cùm Gregorius Magnus Episcopum Rosellæ delegaret, ad Populoniensis Ecclesiæ vacantis administrationem, præscripsit illi, ut Presbyterum Cardinalem & duos Diaconos in Ecclesia Cathedrali ordinaret, tres Presbyteros in Parochiis ruris, quorum examen & delectum penes ipsum esse voluit. *Ut unum Presbyterum Cardinalem* L. 1. Ep. 15.
& duos debeas Diaconos ordinare: in Parochiis verò tres L. 7. Ep. 130.
similiter Presbyteros, quos tamen dignos ad tale officium, veneratione vitæ, & morum gravitate prævideris. Jam suprà narratum à nobis est, ut Maximum Salonæ Episcopum compulerit idem Gregorius, ad Archidiaconum Honoratum, quem collato Presbyteratu dejicere molitus erat, pristinæ dignitati functionique restituendum. Non negabat Gregorius, quin posset Episcopus, cui collibuisset, vacantem conferre Archidiaconatum: sed vehementer renitebatur innocentis Archidiaconi fraudulentæ dejectioni. Illud quoque jam attigimus, rescriptum ab eo fuisse ad Archiepiscopum Calaritanum, ne Liberatum Diaconum sineret primas honoris & sedis sibi vendicare, supra Diaconos cæteros, nisi eum præcessor Archiepiscopus Diaconum Cardinalem, seu Archidiaconum creasset. *Si à decessore tuo non factus est* L. 1 Ep. 81.

Cardinalis, ordinatis à te Diaconibus nulla debet ratione præponi.

IX. Cautum est & illud ab eodem Gregorio, ne Clerici, qui postea Monasticum institutum essent professi, possent in Ecclesias rursum migrare, in quibus ordinati primùm fuerant: nisi conspicuæ sanctitatis privilegio assecuti id essent ab Episcopo, ut Presbyteratu, & Parochialis alicujus Ecclesiæ regimine honestarentur. Erat enim unius in potestate & jure Episcopi, ut Parochias cæteraque Beneficia conferret Ecclesiastica. *Si à Clericatu in Mo-*
L.1.Ep.40. *nachicam conversationem venire contigerit, non liceat eis ad eandem vel aliam Ecclesiam, quarum pridem milites fuerant, sua voluntate denuo remeare: nisi talis vita Monachus fuerit: ut Episcopus cui antè militaverat, sacerdotio dignum præviderit, ut ab eo debeat eligi, & in loco quo judicaverit, ordinari.*

X. Postremò denique sexcentis idem Pontifex locis zeli sui fervorem & providentiam approbavit, in tuendis populi Clerique liberis suffragiis ad Episcoporum electiones, ut infrà docebimus, ubi de Electionibus disputandum erit: at nec populi, nec Cleri partes interponi unquam ullas voluit, ad eligendos Presbyteros, vel Ministros, Beneficiariosque inferiores. Ea nimirum jam facultas in primigenium suum fontem, unde primùm effluxerat, in authoritatem scilicet Episcopalem fuerat revocata. Clerus populusque, ubi Pastorem sibi Episcopumque deligebant, in eum deponebant transfondebantque quidquid juris sibi utcumque competere potuisset ad hujusmodi Beneficiorum electiones & provisiones: & in antecessum ratum certumque habebant, quidquid ille in electionibus collationibusque id genus ex usu Ecclesiæ receptissimo moliturus esset.

XI. Posset & illud non inscitè dici, aliquam juris imaginem umbramque penes Clerum populumque fuisse in minores has ordinationes collationesque Beneficiorum, ex eo scilicet capite, quod illis intercedere poterant, si quid ibi contra Canones & Ecclesiæ regulas peccaretur. Justinianus ipse au-
Novel. 123. c. 14. thor est ejus rei: *Si tempore ordinationis Clerici cujuscumque Collegii, aut Ordinis, accusator aliquis apparuerit, dicens eum indignum ordinatione esse, differatur ordinatio, & universa procedant pro examinatione, &c.* Ubi infrà de Episcopalibus tractabitur Electionibus Ecclesiæ Græcæ, tunc opportunius id declarabimos, Nec Cleri, nec populi rationem habitam fuisse in electionibus ad alia Beneficia inferiora.

CAPUT. XXXV. *P.3.l.3.c.8.*

Collator erat Episcopus omnium Episcopatûs sui Beneficiorum, imperante Carolo, Carolique Magni familia Regia.

I. Ordinis & Beneficii connexio id præstabat, ut tam Beneficii, quàm Ordinis collator esset Episcopus.

II. Nec institui, nec destitui poterant à Patronis Parochi nisi Episcopi authoritate & judicio.

III. Archipresbyteri & Decani rurales in Italia Galliaque eligi cœperant.

IV. An Parochiæ olim in Italia electivæ fuerint.

V. Ecclesias etiam subsidiarias & succursales Episcopus conferebat.

VI. Imò & Capellas Magnatum domesticas.

VII. Confirmabat & benedicebat Abbates.

VIII. Cùm beneficentia, vel authoritate & ministerio Episcoporum, vel antecessorum fundatæ fuerint omnes Ecclesiæ, eorum juris est eas regere, vel regendas pascendasque committere.

IX. Dignitates etiam Capitulorum ab Episcopis conferebantur.

X. Idque etiam tum, cum Congregationes regulares sæcularesve Capitula occupavere.

XI. Capitulorum Præbendas & Canonicatus conferebant Episcopi.

XII. Ea Episcoporum potestas ad Regales etiam Ecclesias exporrigebatur.

XIII. Ecclesiæ Orientalis disciplina.

I. CUm non aliud summa & primæva ab origine essent Beneficia, quàm Ordines, & Ordinibus indivulsè cohærentia officia & jura quædam: cúmque Beneficiariorum officia non alia magis essent, quàm quæ in celebratione & administratione sacramentorum versabantur: hinc planum fit tam penes Episcopos fuisse summam Beneficiorum omnium, quam Ordinum & Sacramentorum administrationem. In Concilio Verno id profectò apertissimè insinuatur, etsi de Presbyteris ibi agatur tantùm, seu de Parochis. *Ut omnes Presbyte-* Anno...
ri qui in Parochia sunt, sub potestate Episcopi esse de- Can. 2.
beant, & de eorum ordine nullus Presbyter præsumat in illa Parochia baptizare, nec Missas celebrare sine jussione Episcopi, in cujus Parochia est.

II. Si Patroni laici essent, qui Parochos offerrent, Episcopo offerre cogebantur, à quo examinari & de ministerii sui legibus institui possent; quo peracto, jam non poterant Patroni eos destituere, aliosque subrogare. Sic decrevit Concilium Arelatense VI. anno 813. *Ut Laici Presbyteros absque* Can. 14.
judicio proprii Episcopi non ejiciant de Ecclesiis, nec alios immittere præsumant. Quia quando Presbyteri ab Episcopis in Parochiis ordinantur, necesse est ut ab ipsis Episcopis diligenter instructi, Ecclesias sibi deputatas accipiant. Nec inde concludas, Patroni voluntate & Episcopi consensione sola potuisse semel institutos extrudi suo loco Parochos. Nec enim eos nisi facinus aliquod suum, & canonicum Episcopi judicium exturbare gradu suo poterat. Ita perspicuè in Concilio Cabilonensi II. anno 813. *Inventum est,* Can. 42.
quod multi arbitrii sui temeritate, & quod est gravius, ducti cupiditate, Presbyteris quibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant, vel auferunt. Unde oportet, ut canonica regula servata, nullus absque consensu Episcopi cuilibet Presbytero Ecclesiam det. Quam si justè adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi culpa sua, & coram Episcopo canonica severitate amittat.

III. Hinc emergit certissimè Parochias omnes Episcopalis fuisse collationis: vel si qui Patroni essent laïci, institutionis. Controversia nobis fieri posset de Italia, ubi electivas eas fuisse subinnuere videtur Ticinense Concilium anno 855. à quo sancitum est, Parochos primùm deligi à Presbyteris Clericisque Parochiæ, & tum demum Laïcorum consensionem exquiri: at verò si ex ejus Parochiæ Clero nemo sit, qui ferendo sit Ecclesiæ regendæ oneri, Episcopus è suo deligat quempiam, instituatque. *Et primùm quidem ipsius loci Presbyteri, vel* Can. 4.
cæteri Clerici idoneum sibi Rectorem eligant; deinde populi, qui ad eandem plebem aspicit, sequatur assensus. Si autem in ipsa plebe talis inveniri non potuerit, qui illud opus competenter peragere possit, nunc Episcopus de suis, quem idoneum judicaverit, inibi constituat.

Propè tamen abest à vero, intelligendum esse hunc Canonem de Archipresbyteris, qui Rectores plebium hîc vocantur, quòd eis committerentur Ecclesiæ baptismo dando accipiendoque destinatæ, & vulgò *plebes* tum quidem dictæ. In hoc enimvero Canone voces ex *plebs* & *populus* distinguuntur, pluresque populi ad eandem plebem colliguntur;

hoc est, ad eandem Ecclesiam baptismalem: *Deinde populi, qui ad eandem plebem adspicit, sequatur assensus.* Alioqui verò cui facile persuadeatur, in unaquaque Parochia plures fuisse Presbyteros, à quibus celebrari posset Parochi electio? Denique dilucidè qui sequitur proximus Canon, eo de electione agitur Archipresbyterorum, ad quam admittebantur & Laici, quorum hinc nascebatur procacitas, ut eis imperitare vellent. *Idem. Can. 5.* *Sanè removenda quorundam Laicorum procacitas, qui hoc solo obtentu, quod ad electionis consortium admittuntur, Archipresbyteris suis dominari præsumunt.* Confirmari id rursus potest ex Hincmari Capitulari, qui jubet ut Parochi Decanum eligant alium in ejus locum, qui vel diem obierit suum, vel munere suo fungi haud satis possit, & opperiantur, dum ab Episcopo confirmetur, aut si nunc longè absit Episcopus, expectent dum ab eo alius eligatur. *Conc. Sirm. To. 3. p. 643.* *Si Decanus in ministerio vestro aut negligens, aut inutilis & incorrigibilis fuerit, vel aliquis eorum obierit, non inconsiderate Decanum eligite, &c.*

IV. Promendum nunc argumentum validius electionis Presbyterorum & Diaconorum in Italia. Author est enim Auxilius, à Morino nostro editus post suas de Ordinationibus sacris Exercitationes, cùm plures ordinationes Constantinus Antipapa celebrasset, qui ordinati ab eo fuerant Episcopi, eos à Stephano Papa ordinatos rursum fuisse; Presbyteros verò Diaconosque apud se statuisse eundem Stephanum simili ritu rursus ordinare, si rursus à civibus eligerentur. *L. 2. c. 4.* *De Presbyteris verò & Diaconibus præfixum est, ut si civium suorum electio vellet, in eosdem gradus, à quibus depositi sunt, iterum à Papa Stephano consecrarentur.*

V. Certissimum illud etiam est, ratumque, Capellas quoque ad collationem spectasse Episcopi, saltem ad ejus institutionem. Dilucidum enim illud est Concilii Nannetensis: *Can. 16.* *Ut si quilibet Presbyterorum defunctus fuerit, vicinus Presbyter apud sæcularem seniorem nulla precatione, vel aliquo xenio Ecclesiam illam obtineat, quia titulus per se constans antea extitit, sed neque Capellam sine consultu Episcopi*

VI. Capellæ quidem illæ, de quibus Hincmarus & Concilium Nannetense verba faciunt, ipsæmet sunt Ecclesiæ subsidiariæ, vulgò Succursales juris, quarum natura & conditio eadem admodum est, quæ ipsarum Parochiarum, quibus subsidio sunt, & quæ ipsæ plerumque in Parochias adolescunt. *Conc. Gall. To. 3. pag. 611.*

Verùm in eos quoque Presbyteros, quos Magnates deligunt in domesticis suis Oratoriis sacra facturos, parem prorsus authoritatem Episcopis assignat Ticinense Concilium anni 850. ut eos sedulò examinent, & tum demum approbent. *Can. 18.* *Docendi sunt igitur sæculares viri, ut si in domibus suis Mysteria divina jugiter exerceri debeant, quod valde laudabile est, ab his tamen tractentur, qui ab Episcopis fuerint examinati.*

Hîc certè obiter monebo, quid discriminis jam tum emergeret inter Parochias citra & ultra Alpes. Ejus enim rei vestigia hîc subobscura quædam apparent. Namque Concilia Galliæ jam inde ex eo tempore in id connitebantur, ut quidquid erat fidelium, ad Parochiales confluerct Ecclesias, & submolestè ferebant, nobiles divitésque Laicos usque adeo curiosos studiosósque esse propriorum domi suæ Oratoriorum. Contrà verò Ticinensis hæc Synodus miris eos evehit laudibus, qui divina Mysteria Officiaque attentiùs privatis his in Capellis sibi fieri satagunt. Consentit & hodierna utriusque gentis consuetudo his antiquis moribus regulisque.

VII. Abbatias quoque prima ab origine conferebant Episcopi; quocirca & postquam eligendi privilegium in jus commune traductum est, Abbates ipsi adhuc instituunt, vel confirmant jure communi, ordinantque. Ad Carolum Calvum Regem datis Litteris Adrianus II. Papa pleraśque Abbatias eo pessumdatas esse contestatur & excisas, quòd Episcoporum subductæ fuissent potestati, custodiæque, ut qui earum germani sint propriique custodes & vindices. *Epist. 28. Conc. Gall. Tom. 3.* *Nostis enim quia omne Monasterium in potestate Episcopi consistere debet juxta canonicam authoritatem; & quia hoc transgressum, ideo plurima Monasteria habentur destructa.*

VIII. Non fefellit Herardum Turonensem Archiepiscopum hujus doctrinæ ratio capitalis: quòd nimirum cujuscumque demum sit naturæ & sortis Ecclesia quælibet, nec fundari possit, nec dedicari, nec dotari, nec ministros sortiri, nisi Episcopi interventu & authoritate, cui tota Diœcesis concredita est, ut parenti & authori totius in ea religionis, Apostolorumque successori, & eorum Episcoporum, qui principes & fundatores primi fuerunt omnium prorsus sub Christo Principe Ecclesiarum. Ita Collator est Episcopus Ecclesiarum & Beneficiorum, quorum fundatio & dotatio profecta est & perfecta, vel ab antecessoribus ejus, vel ab ipso, vel in commune à fidelibus quidem, sed sub ejus authoritate & auspiciis; Institutor verò est Ecclesiarum, quas privati aliqui ejus concessione fundarunt dotaruntque. *De ædificationibus Ecclesiarum ut nullus antea fundamentum jaciat, donec Episcopus veniat, & in medio crucem figat, & sic accepta dote, construendi licentiam tribuat.* *Ibid. c. 113. c. 46.*

Eo scilicet stabili fundamento nititur Decretum illud Capitularium, consonantissimum utique ingenio & disciplinæ Ecclesiarum primævæ, quando Episcopus tanquam fundator, saltem successor & hæres ejus, qui fundamenta jecerat totius & fidei & religionis in ea Diœcesi, habebat in potestate proinde sua & provisione Ecclesias omnes, Ecclesiasticas res omnes, omnes denique Diœcesanos. *Placuit, ut omnes Ecclesiæ cum dotibus & omnibus rebus suis in Episcopi proprii potestate consistant, atque ad ordinationem, vel dispositionem suam semper pertineant.* *L. 7. c. 368.*

IX. Constituendum est tamen aliquid necessariò discriminis inter antiqua Beneficia, de quibus hactenus verba fecimus, & novas dignitates Clericalium Congregationum, quæ longè pulcherrimo fœtu pullulascere visæ sunt beato maximè & aureo ævo Caroli Magni. Hæ quippe dignitates plerumque electivæ fuere, sicut & Abbatiæ ipsæ electionibus permissæ fuerant Monachorum. Cùm in has tamen Congregationes, sicut & in Capitula plurimùm polleret authoritas Episcoporum, hinc illi electionibus quoque his ferè dominabantur. Exemplum suppeditabit egregium vita beati Majoli à B. Odilone scriptis mandata. Fuerat hic antè Matisconensis Archidiaconus, quàm Abbas crearetur Cluniacensis. Eam autem Archidiaconi dignitatem, etsi vel maximè fugitaret, effugere tamen non potuerat, à Clero, à civibus, ab Episcopo denique ipso tantùm non coactus. *Non potuit latere supradictæ civitatis Episcopum. A quo humiliter invitatus consultu Clericorum & civium, ut in eadem Ecclesia dignaretur administrare Archidiaconatus officium. Vir quippe ut erat humilitatis gratia præditus, parere non distulit, quod sibi divinitus per ministerium Pontificis imperari cognovit.* *Bibl. Clun. pag. 282.*

Aldricus qui Cenomanensis postea fuit Episcopus, ad Presbyteratum primò, mox ad Cantoris dignitatem provectus est, Episcopi authoritate, Cleri, populique suffragiis, ita enim testantur, qui vitam ejus litteris consignarunt discipuli. *Diaconus jam Aldricus, non ausus est divinam repellere benedictionem, ad quam sæpissimè vocabatur à Drogone Episcopo, & eligente eum Clero & populo Presbyter est ordinatus, & demum eligentibus fratribus, & suadente, sive exhortante Episcopo suo Drogone, licet coacte, senior Cantor ibi sublimatur.* Primicerii dignitate exornatus est eadem Episcopi authoritate, Cleri & populi conspiratione. *Drogo Pontifex, & cunctus Clerus, sive populus, & Primicerium, secundum Romanum Ordinem, eum constituerunt.*

Baluz. Misc. Tom. 3. pag. 4.

De Decanis Ruralibus aliquid jam perstrinxi. Nec verò vana conjectura est, si Decanos suos à Parochis eligi permitterent Episcopi, non minùs cupidè eos in re consimili gratiam à Capitulis suis inire voluisse.

X. Illud tamen certò constat, quæ prima fuit institutio & prima Regula Canonicorum, ab ea servatam esse Episcopo electionem institutionemque omnium Capituli Dignitatum, Archidiaconi, Præpositi, Decani, Cellararii, Portarii. Satis perspicua in ea quidem re est Regula Crodogangi. *Qui Archidiaconus, vel Primiciarius in omnibus omnino actibus, sint Deo & Episcopo fideles & obedientes, &c. Qui Archidiaconus, vel Præpositus, si reperti fuerint superbi, ab Episcopo secundùm modum culpæ judicentur. Quod si neque sic correxerint, de ordinibus suis ejiciantur, & alii qui digni sunt, & voluntatem Dei vel Episcopi sui impleverint, in locis illorum subrogentur.* Et infrà: *Portarius unus cum suo juniore, annum aut amplius, si Episcopo vel ei qui sub eo est, placuerit, portas claustri custodiat.*

Cap. 10. 12.

Aliquantò expressior apertiorque in Concilio Aquisgranensi anno 816. hæc Episcopi potestas, ad eos omnes eligendos & instituendos, qui quoquomodo futuri sint Capitulorum Præsides, & inspectores pervigiles, eoque Episcopalis authoritatis Vicarii & Administri. *Oportet Ecclesiæ Prælatos, ut de Congregatione sibi commissa tales eligant boni testimonii fratres, in quibus onera regiminis securè possint partiri: Quibus etiam talem conferant potestatem, ut vice illorum fungentes, & inobedientes censura Canonica corripere, & obedientes hortando ad meliora valeant provocare.* Capite autem proximo ad Præpositos sejunctim flectitur, quod de universis antè dictum fuerat Dignitaribus. *Quamvis omnes qui præsunt, Præpositi ritè dicantur, usus tamen obtinuit, eos vocari Præpositos, qui quandam Prioratus curam, sub aliis Prælatis gerunt.* Denique ne Cellararius quidem nisi Episcopi authoritate constituitur: *Debet procurare Prælatus, ut fratribus Cellararium constituat, non vinolentum, &c.*

Cap. 138. 139. 140.

XI. Porro Canonicos ipsos, vel Episcopus in Capitulum cooptabat, vel Præpositus. Submonet Crodogangi Regula Episcopos & Præpositos, ne plures inscribant Canonicorum albo, quam pro modulo facultatum. *Cavendum summopere Præpositis & Prælatis Ecclesiæ est, ut in Ecclesiis sibi commissis non plus admittant Clericos, quam ratio sit, & facultas Ecclesiæ suppetit.* Iisdem Regulæ Crodogangi, ut solet, utitur verbis Concilium Aquisgranense, & hanc Canonicorum susceptionem similiter ab Episcopi voluntate religat, quando ait facilè dissolvi & dissipari hanc exuberantem Canonicorum copiam, cùm à *Prælatis necessaria stipendia non accipiunt*; & quando Prælatis prohibet, ne nobiles Capitulis eliminent: *Nullus Prælatorum seclusis nobilibus viles tantum in sua congregatione admittat personas.* Quò referendum est & illud Concilii Parisiensis VI. quorundam Prælatorum retundentis inconsideratam jactantiam, qui de Capitulis, Canonicisque suis loquebantur, tanquam de suis hominibus. *Qua temeritate, quilibet Prælatorum dicere præsumit, illa Congregatio mea est, aut ille Presbyter, vel Clericus meus est.*

Cap. 3.

Cap. 118. 119.

XII. Dubitandi forsan locus esset, an Ecclesiæ quæ Regales appellitabantur, æque in jure & potestate essent Episcoporum. San-Gallensis Monachus has Ecclesias ab aliis discriminat, cùm ait, quando earum parietes, vel laquearia picturis illuminari necesse erat, vicinorum Episcoporum Abbatumque impensis id fieri solitum. Et cum novæ exædificandæ erant, tum Episcopos, Duces, Comites, Abbates, Beneficiarios omnes Ecclesiarum Regalium, Regios denique omnes Beneficiarios, sumptus necessarios subministrasse, donec operi ad fastigium perducto summa manus imponeretur. *Si verò essent Ecclesiæ ad jus regium propriè pertinentes, laquearibus, vel muralibus ordinandæ picturis, id à vicinis Episcopis, aut Abbatibus curabatur. Quod si nova fuissent instituenda, omnes Episcopi, Duces & Comites, Abbates etiam, vel quicumque regalibus Ecclesiis præsidentes, cum universis, qui publica consecuti sunt Beneficia, à fundamentis usque ad culmen instantissimo labore perduxerunt.* In exemplum depromit Basilicam Aquisgranensem, quam circumdari præcepit Carolus Magnus magnificentissimis ædibus Optimatum suorum, quæ tam concinnè & tam scitè extructæ locatæque erant, ut posset Carolus Magnus suo ex Palatio explorare & videre omnia, nec à quoquam videri.

L. 1. c. 32. Du Chesne Hist. Franc. T. 2. p. 119.

Utcumque hæc se quidem habeant, nihilominus à Carolo Magno declaratum est, Ecclesias Regales peræque ut alias quaslibet Episcopali esse obnoxias jurisdictioni. *Episcopi infra illorum Parochias, Ecclesias, quibus necesse est, emendandi curam habeant. Similiter tam nostras, à nobis in Beneficio datas, quam & aliorum, &c.* Suo suprà loco probatæ sunt Synodales Episcoporum Constitutiones, quibus invitabantur summi ipsi Principes, ut ne Regiis adscribi sinerent Oratoriis, nisi Clericos ab Episcopo examinatos, approbatosque.

Conc. Gall. To. 2. pag. 248.

XIII. In Oriente vel sola Monasteriorum Disciplina argumento erit, quam obnoxiæ juri & imperio Episcopi reliquæ essent Ecclesiæ. Præceptum fuerat in Concilio Constantinopolitano, ut fundator Monasterii, nec semetipse, nec alium sui Vicarium Abbatem deligere posset, nisi accedente Episcopi assensu, qui in Ecclesiæ tabulario servare debebat Chartas omnes dotationis. Ex eo quærit Balsamon an inferri possit, penes Episcopum esse dominium & proprietatem Monasterii. Negat autem posse id concludi: nec enim alia illi esse jura, nisi Episcopalia, judicia agitare & pœnas sumere de criminibus, invigilare in Præfectos cœnobii, ordinare Abbates, & suum in Diptychis honorificè nomen recitari.

Pag. 550. 551.



CAPUT XXXVI. *P. 4. l. 2. c. 9.*

Episcopos Collatores, & Provisores esse ordinarios, primarios & universales omnium suæ Diœceseos Beneficiorum, hac etiam extrema ætate, post annum Christi millesimum.

I. Episcopi, quà Successores & heredes Apostolorum, Ecclesiarum omnium fundatores haberi sunt, ideoque & Beneficiorum omnium primario hoc jure Collatores.

II. Non aliud Patroni Laici, quàm præsentant. Episcopi est examinare, approbare, instituere.

III. Damnata fuere investitura, quòd in iis laici Episcoporum jura invaderent.

IV. Simoniaca sæpè fuerunt provisiones Beneficiorum, si sine interventu Episcopi fierent.

V. Episcopi Parochos instituebant, Beneficia Cathedralis Ecclesiæ plerumque conferebant, tanquam propria Episcopatus sui membra.

VI. Cum laïci Parochias invasissent, vetiti sunt eas Monachis reddere, injussu Episcoporum.

VII. Tunc etiam præsentabant Abbates Episcopo eos, qui Parochias has Abbatiæ unitas administraturi erant.

VIII. Patroni Laici ordinarie Collatores esse non possunt, ne jura Episcoporum officiant.

IX. Similiter plerumque se res habebat in Patronis Ecclesiasticis.

X. In pluribus Ecclesiis, cum Canonicatus, tum Dignitates solus Episcopus conferebat.

XI. In aliis Ecclesiis Capitulum nominabat, aut eligebat: sejunctim, vel conjunctim cum Episcopo. Unde tam diversæ consuetudines.

XII. De optione Præbendarum.

XIII. Olim soli Episcopi de causis Beneficiorum cognoscebant.

XIV. Probationes ex Ivone Carnotensi.

XV. Probationes aliæ ex Hildeberto Archiepiscopo Turonensi.

XVI. XVII. Probationes & exempla ex aliis Ecclesiis.

I. CUm Apostoli universas fundarint Ecclesias per sese, vel auspiciis suis, vel per successores suos, & hanc longe splendidissimam hæreditatem ac successionem ad Episcopos transmiserint; hinc manifestè colligitur Episcoporum proprium illud & hæreditarium jus esse, ut Ecclesias ipsi omnes regant, vel à quibus regantur, præficiant. 2. Cum Beneficia Tonsuræ & Ordini indivulse cohæreant, ut utriusque unus propriè administer est Episcopus, ita & ordinarius idem est Beneficiorum dispensator. 3. Denique cùm Episcopus summus sit Sacerdos in sua Diœcesi, ejus est Dignitates, Officia, Beneficia omnia sacerdotalis imperii sui dispensare, & ex proprio veluti fonte effundere hos omnes Sacerdotii rivulos. Sunt enim verè Beneficia omnia odore quodam sacerdotalis dignitatis & sanctimoniæ perfusa.

II. Inde est, quod ne Laïci quidem Patroni, etsi postrema hac ætate ad longe superius quam antè fastigium evecti, nemini tamen quidquam annuere Beneficii possunt, nisi post examen & consensionem Episcopi. Ita apertè Concilium Salingestadiense anno 1022. *Nullus laïcorum alicui Presbytero* Can. 13. *suam commendet Ecclesiam præter consensum Episcopi, sed eum priùs mittat Episcopo, vel ejus Vicario, ut probetur, si scientia, ætate & moribus talis sit, ut sibi populus Dei commendetur.* Præter superiùs delibatas rationes, insinuari videntur & hæ rursus isto Canone, 1. Episcopo soli à Christo populos Dei commendatus est. Ejus est ergo probare, & asciscere sibi, quos idoneos censuerit, in quos divinæ hujus sarcinæ partem deponat. 2. Solus potest Episcopus Missione & jurisdictione canonica impartire inferiores Pastores, qui summus ipse Pastor sui gregis divinitus constitutus, & plena jurisdictione donatus est. 3. Solus Episcopus, ut suæ Princeps Ecclesiæ Doctor, & interpres Canonum, internoscere potest, qui sint, & qui non sint idonei Beneficiis administrandis.

III. Cautum est in Concilio Pictaviensi anni 1078. nequis à Regibus, Principibusve terrenis, aut laïcis quibuscumque accipiat donum Episcopatus, Abbatiæ, aut cujuslibet Beneficii; cùm divina hæc dona dispensari, nisi à Dei Vicariis non possint, videlicet Episcopis. *Nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel qualibet persona de Clero accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cujuscumque laïca persona, donum Episcopatûs, vel Abbatia, vel Ecclesia, vel aliquarum Ecclesiasticarum rerum. Sed Episcopus à suo Metropolitano, Abbas, Presbyter & cætera inferiores persona a proprio Episcopo.* Proscribuntur hoc Canone investituræ, quas à laïcis accipiebant, sed primaria ipsa & altissima ratio non præteritur, Quod cœleste scilicet munus, nisi à cœlesti & divina Episcoporum potestate ritè non distribuatur.

IV. Tota animi zelique sui contentione insudavit Urbanus II. ad elidendam Investituram laïcam, ejusque quasi pedissequam simoniam. Atqui Episcopo uni mandatum ab eo est, ut merito & virtuti donaret, non pecuniæ aut favori Ecclesiastica Beneficia, quæ quasi quædam sui Episcopatus membra: *Episcopus omnia sui Episcopatûs membra,* Epist. 55. *videlicet Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Deca-* Append. *nias, vel aliquas Præposituras, Ecclesia sua Canonicas,* Epist. 27. *gratis absque omni venalitate distribuat.* Solus ergo tunc Episcopus Archidiaconatus conferebat, Archipresbyteratus, Decanias, Præposituras Præbendasque Ecclesiæ suæ, nullo tum, vel raro Patrono, qui his sese interponeret, rarissima etiam ad eas dignitates electione. Idque rursus confirmatum est in Concilio Melfitano anni 1089. sub eodem Urbano II. *Præposituras Ecclesia, sive Canonicas, Præ-* Can. 2. *bendas etiam quæ Canonicatus dicuntur, Episcopus sine venalitate distribuat.*

V. Quibus illud quoque verbis innuitur, Beneficiorum hic recensitorum Collationem penes unum fuisse Episcopum; cum Parochias in Patronorum ferè laïcorum lapsas potestatem, ejus esset instituere, unde & de iis nulla hic memoria. Quanquam & hoc genus Parochiarum laïcis Patronis obnoxiarum verissimus esset dispensator Episcopus, cùm ejus demum consensu res tota perficeretur, alioqui in nihilum itura. Unde rursus idem Concilium Melfitanum: *Nullus laicus decimas suas aut Eccle-* Can. 5. *siam, aut quidquid Ecclesiastici juris est, sine consensu Episcopi, vel Romani consensu Pontificis, Monasteriis, aut Canonicis offerre præsumat.*

VI. Quam eodem admodum tempore ad Molismensem Abbatem dedit Joannes Cardinalis Epistolam, ea addocemur, ruente Caroli Magni stirpe, non sine gravissima Regni & Ecclesiæ perturbatione & pernicie: laïcos ferè nobiles in Parochiales Ecclesias impetum fecisse, eas usurpasse aliquandiu; & ubi postea vel Episcoporum commonitione, vel interiore animi carnificina compulsi sunt eas restituere in pristinum statum, eorum plerosque ad hoc animum adjecisse, ut eas non Parochis ipsis, non Episcopis, sed Monachis redderent & Abbatibus, numerata etiam sibi non rarò ab illis pecunia. Illam simoniacam perversitatem damnavit Gregorius VII. Papa. Efferbuerunt mox interg

Epiſcopos & Abbates acerbiſſimæ rixæ & contentiones, repetentibus jure ſuo Epiſcopis, quæ præter jus Abbates vel acceperant, vel redemerant. Ei malo ſtuduit Gregorius hic occurrere, coacto Concilio, in quo ſtatutum fuit, ut Monaſteria hactenus acquiſitas ſervarent Parochias, in poſterum ne ullas niſi conſentiente Epiſcopo ſibi compararent. [Conc. to. 10. pag. 479.] Quod & ab Urbano II. in Concilio Melfitano confirmatum eſt. Ex quibus dilucidum fit omnium Eccleſiarum, Eccleſiaſticarumque rerum & dignitatum proviſorem & diſtributorem eſſe Epiſcopum, prout ibidem ab eodem Cardinali confirmatur. *Omnes Eccleſiarum res in manu Epiſcoporum* [16. q. 7. c. 2.] *canonica decreta conſtituunt.* Idem affirmat Gratianus in Decreto. Concilium Claromontanum anni 1095. [Can. 7. 15. 56.] & Romanum anno 1099. Decretum Melfitani novo vigore roborarunt, & inveſtituras quaſcumque proſcripſerunt, ſeu conceſſiones Beneficiorum per Laïcos factas. Paſchalis II. Epiſtola ad Epiſcopos Carnotenſem & Santonenſem data teſtis locupletiſſimus eſt, à Concilio Claromontano non eſſe permiſſas Monachis, niſi eas Parochias, vel Eccleſias, quas ab annis triginta poſſediſſent: eique rei aſſenſos eſſe Gallicanos Epiſcopos: *Conſentientibus Galliarum Epiſcopis.*

VII. Compluribus ab Apoſtolica ſede privilegiis donatæ ſunt Abbatiæ, nec tamen Parochi Eccleſiarum eis obnoxiarum, ab alio quàm ab Epiſcopo Diœceſano miſſionem & animarum curam ſuſcipere poterant. *Ita tamen ut ab Epiſcopis, vel eorum Vicarius animarum curam ſuſcipiant.* Ita refertur in [Epiſt. 68.] Epiſtola Paſchalis Papæ II. ſive in privilegio Cluniacenſis Monaſterii, cujus ſimilia ſunt & alia longè plurima.

VIII. Concilium verò Lateranenſe I. ſub Caliſto II. anno 1123. illæſo Patronatu, ſive laïco, ſive Eccleſiaſtico, ſummam Epiſcoporum in quorumlibet Beneficiorum conceſſione authoritatem luculentiſſimis verbis ita proſequitur. Ac primùm de laïcis Patronis, qui præſentare tantùm, conferre [Can. 4.] verò nunquam poterunt. *Juxta Stephani Papæ ſanctionem ſtatuimus, ut laici, quamvis religioſi ſint, nullam tamen de Eccleſiaſticis rebus aliquid diſponendi habeant facultatem; ſed ſecundùm Apoſtolorum Canones, omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet Si quis ergo Principum, aut Laïcorum aliorum diſpenſationem vel donationem rerum, ſive poſſeſſionum Eccleſiaſticarum rerum ſibi vendicaverit, ut ſacrilegus judicetur.* Non otiosè prætereunda eſt hæc verborum affectata diligentia adversùs Laïcorum inveſtituras, ſacrilegam temeritatem eo colore obumbrantium, quaſi non aliud quàm temporalia conferrent. Contrà verò nititur Concilium, atque ita ſtatuit, res etiam temporales Beneficiorum & Eccleſiarum, cùm pretia ſint peccatorum, hoſtiæque pietatis fidelium, publicæ denique charitatis theſauri, ſacroſanctas & ipſas ſuo quodam modo ac jure, & ſpiritales eſſe, ideoque nec niſi ab Epiſcopis jam inde ab Apoſtolicis temporibus diſtribui potuiſſe.

IX. Jam verò de Patronis Eccleſiaſticis, qui nec ipſi ex hoc Canone Collatores eſſe poterant. *Nullus* [Can. 7.] *omnino Archidiaconus, aut Archipreſbyter, aut Præpoſitus, vel Decanus animarum curam, vel Præbendas Eccleſiæ, ſine judicio vel conſenſu Epiſcopi alicui tribuat. Imò ſicut ſanctis Canonibus conſtitutum eſt, animarum cura & rerum Eccleſiaſticarum diſpenſatio in Epiſcopi judicio & poteſtate permaneat. Si quis verò contra hæc facere, aut poteſtatem ad Epiſcopum pertinentem ſibi vendicare præſumpſerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur.* Hoc Canone implicantur omnia Beneficia in his vocibus, *rerum Eccleſiaſticarum*: atque ita confirmatur noſtra ſuperioris Canonis interpretatio. Is verò hujus Concilii Canon, quo Parochiæ attinguntur, etſi nihil decerpat de jure Patronorum, ſolis tamen Preſbyterorum ſeu Parochorum conſtituendorum poteſtatem Epiſcopis vendicat. *In Parochialibus Eccleſiis Preſbyteri per Epiſcopos con-* [Can. 18.] *ſtituantur.* Agemus infrà de Collationibus, tempuſque indigitabimus, quo cœperint Laïci conferre [Fagnan in] Beneficia, quibus affixa nulla ſit animarum cura, [l. 1. Decr.] nempe innixi poſſeſſioni & conſuetudini omnem [pag. 257.] hominum memoriam ſuperanti, addito etiam probabili privilegii rumore, juxta recentiores ipſos Canoniſtas.

X. In dubium non injuria vocatur, an Canonici Cathedralium ad aliorum Canonicorum & Dignitatum electionem concurrerent, an Epiſcopus ſolus eo jure uteretur. Vuillelmus Archiepiſcopus Tyri, de Concilio Antiocheno agens anni 1142. refert ab Antiocheno Patriarcha Decanatum ejus Eccleſiæ datum fuiſſe nepoti Præfecti arcis. *Quem Pa-* [L. 15. c. 15.] *triarcha Decanum fecerat.* Goffridus Monachus in Epiſtola ad Cardinalem Epiſcopum Albanenſem de damnatione doctrinæ Gilberti Porretani, ſtrictim attingit Archidiaconum Pictavienſem à Gilberti prædeceſſore promotum ad eam dignitatem. *Archidiaconale officium non ipſius adeptus munere, ſed ab ejus prædeceſſore promotus.* Alexander III. Epiſtola ad Epiſcopum Alexandriæ in Longobardia electum, electionem ab eo factam confirmat Præpoſiti, Archipreſbyteri & Cantoris Eccleſiæ ſuæ. *Elec-* [Epiſt. 74.] *tionem, quam de perſonis idoneis ad Dignitates Eccle-* [Append. 2.] *ſiæ tenendas feciſti, ratam habemus.* [Epiſt. 21.] Ratam eſſe ſanxit idem Pontifex tranſactionem Epiſcopi & Capituli Sueſſionenſis de duabus Præbendis, quas Epiſcopus conferri à ſe debere contendebat, nitente contrà Capitulo, earum unam ſaltem in jure eſſe Cantoris. Convenit tandem, ut poſt obitum Cantoris, harum Præbendarum, æquè ut aliarum penes Epiſcopum eſſet proviſio. *Tu, vel ſucceſſores tui facultatem habeatis Præbendam ipſam tanquam unam de cæteris Præbendis, cui volueritis aſſignare.* Diximus [Append. 3.] jam ab eodem Pontifice Decano & Canonicis Ca- [Epiſt. 7.] bilonenſibus conceſſum eſſe, ſi renueret Epiſcopus, eos inſtituere, quos idoneos ipſi ad Parochias præſentarent, Epiſcopo ut Auguſtodunenſi præſentarent, qui ab eo inſtituerentur. Ita non immeritò cenſuerit quis, non Canonicatus, ſed Parochias Capitulo Cabilonenſi obnoxias fuiſſe, ut ad eas nominarent. In Camoſatii Promptuario Antiquitatum Trieaſſinarum habetur Charta ipſa Manaſſis Trecenſis Epiſcopi anno 1183. qua electionem Decani Capitulo poſthac concedit. *In perpetuum con-* [Pag. 178. 186.] *ceſſi liberam Decani electionem.* Habetur & ibidem Declaratio Philippi Auguſti Regis, ubi Præbendæ & Dignitates, quæ vacarint vacante Epiſcopali ſede Trecenſi, præcipiuntur futuro ſervari Epiſcopo, qui eas pro arbitrio ſuo conferet. *Quòd Præbendæ, Archidiaconatus & alia Beneficia tempore illo vacantia futuro reſervarentur Epiſcopo Trecenſi, ad conferendum quibus vellet.*

XI. Nec diſſimulabimus tamen privata tantùm hæc fuiſſe facta, exempla, ſtatuta, & his alia in contrarium objectari poſſe plurima, quibus liquidò conſtet Capitulum elegiſſe, & plerumque ne vocato quidem Epiſcopo elegiſſe, quanquam celebrata ritè electio, ab Epiſcopo confirmanda eſſet. Ita

elucescit in Concilio Lateranensi III. anni 1179. ubi edicitur, ut ne Præbendæ ultra sex menses vacare sinantur, quibus consumptis potestas conferendi ab Episcopo ad Capitulum devolvatur, vel à Capitulo ad Episcopum, ab ambobus ad Metropolitanum. *Præbendas Ecclesiasticas, seu qualibet officia, &c. infra sex menses conferantur, &c. Si Episcopus ubi ad eum spectaverit, conferre distulerit, per Capitulum ordinetur. Quod si ad Capitulum electio pertinuerit, & infra prædictum terminum hoc non fecerit, Episcopus hoc secundùm Deum cum virorum religiosorum consilio exequatur. Aut si omnes fortè neglexerint, Metropolitanus disponat.* Erant ergo Ecclesiæ, ubi Capitulum, erant & ubi Episcopi Præbendas adsignabant: si enim conspirassent, non fuisset locus devolutioni.

Can. 8. C. Nulla. De concess. Præbend.

Erat autem vero prorsus consentaneum, electiones & provisiones istas Beneficiorum omnes fieri debuisse ex primigeniæ quondam Ecclesiæ institutis & exemplis, communi deliberatione Episcopi Clerique sui, & membrorum omnium cum capite suo consensione. Ea nempe ratione movebatur idem Pontifex, cùm ad Patriarcham Hierosolymitanum scriberet, nec institui ab eo, nec destitui debere, sive Abbates, sive Abbatissas, vel alia Beneficia quæcunque, nisi consilio & assensu Capituli sui. *Novit tua prudentia, qualiter tu & fratres tui unum corpus sitis: ita quod tu caput, ut fratres tui membra esse comprobentur. Unde non decet omissis membris, te aliorum consilio in Ecclesia tua negotiis uti, &c. Inde est, quod Apostolica authoritate prohibemus, ne Abbates, Abbatissas, vel alias personas Ecclesiasticas, sine assensu vel consilio Canonicorum tuorum instituere, vel destituere, aliqua de cætero ratione præsumas.*

Append. Conc. Later. Part. ult. c. 18.

C. Novit. C. Quanto. De his quæ fiunt a Prælato. &c.

Quanquam id antiquissimum fuerit commune jus, consuetudine tamen invehi potuisse usum in omni Thuscia diversum, in electione Canonicorum ut nullæ essent in Capitulo Episcopi partes, ista declarat Innocentii III. Decretalis. *Maximè si sit notorium, quod in Thuscia generalis consuetudo servetur, ut in Cathedralibus Ecclesiis solum Capitulum irrequisito Episcopo eligendi Canonicos habeat facultatem.* Contrà autem ex eodem Pontifice collatio Præbendarum in Ecclesia Eboracensi non spectabat nisi ad Archiepiscopum; cui etiam restitui jubet omnes eas, in quas se aliqui præter ejus conscientiam intruserant. Denique fatetur Pontifex Ecclesias esse, ubi conjunctim eligit Episcopus cum Capitulo, & tunc si electio ultra sex menses differatur, non fit devolutio, cùm utriusque una sit causa, una negligentiæ culpa. Si tamen electioni adesset Episcopus, non ut Episcopus, sed ut Canonicus, & per ipsum non stetisset, quin suo tempore celebraretur electio, tunc sanè totum ad illum jus devolvebatur.

C. Cum Ecclesia. De electione.

C. Quia. De concess. Præbend.

C. Postulastis. ibidem.

Quanquam autem propiùs à vero absit, eam fuisse primariam juris institutionem, ut Episcopus & Clerus consentiret, & collaboraret: ita natura ipsa monente, ut nihil sejunctim caput & membra moliantur; fieri tamen potuit, ut quibusdam in Ecclesiis residua superessent vestigia juris vetusto illo jure vetustioris, & verè ab Ecclesiarum ipsa origine altissima petiti, ut Episcopi soli conferrent; propterea nimirum quod Episcopi Capitulis sint anteriores, sicut Apostoli Clero omni, quem genuerunt; quodque ab iis utplurimùm fundatæ sint Ecclesiæ, & gentes Christo genitæ & adglutinatæ ab Episcopis sine comitatu, sine Clero. Primarius Episcoporum Clerus constabat Parochis civitatis, Utque Parochias conferebant Episcopi, ita Cleri sui parentes erant. Hinc conjice quàm inanis & cassa sit Canonistarum quorundam argumentatio, ab exemplo Monachorum petita, qui Abbatum utique & Cœnobii suffragiis admittuntur. Discrimen tum ingens, tum manifestissimum est. Nec enim quisquis Abbas est, Cœnobii sui universi procreator est, aut procreatoris successor. Hinc Honorius III. negat vacante sede conferri à Capitulo posse Præbendas, quarum collatio ad Episcopum solum pertinet. *Cùm nusquam inveniatur cautum in jure, quod Capitulum vacante sede fungatur vice Episcopi in collationibus Præbendarum.*

C. Illa. Ne sede vacant.

Si qua vero Capitula inconsulto etiam Episcopo Canonicos eligunt, non potest hic usus Canonum normæ tantopere adversus aliunde, ut auguror, irrepsisse, quàm vel ex diutino Episcopatûs interregno, aut ex frequentiore Episcoporum absentia, aut ex eorum diuturna negligentia, qui præscribi eam consuetudinem passi sunt; aut denique ex privilegio, quod Episcopi ipsi concesserint, sicut & eligendi Abbatis privilegio tam multa donarunt Cœnobia, ad faciliorem claustralis disciplinæ custodiam.

Hactenus de Beneficiis tantùm sæcularibus disseruimus. Nam quod ad Regularia pertinet, apertissimum est Innocentii III. Decretum, quo collatio Dignitatum & Præbendarum Abbati adsignatur. *Cum ratione Abbatia ad Abbatem pertineat donatio, tam custodia, quàm aliarum dignitatum, ac etiam Præbendarum in Ecclesia Parmensi, &c.* Origo juris hujus scaturiisse probabile sanè est ex Regula B. Benedicti quoad Monachos, quoad Canonicos autem Regulares ex Regula Crodogangi. Utraque enim ea Regula Abbatum voluntati permittitur Claustralium omnium Officiorum provisio, immo & Monachorum susceptio, aut Canonicorum. Ubi se Capitula Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum ad regularem & communem vitam per aliquot sæcula constrinxere: tanti hujus mutationis authores & propagatores Episcopi, Abbatum sibi ipsis quandoque jura & potestatem vendicarunt; aliquando ea Præposito & Decano permiserunt, à quibus conjunctim omnia majoris saltem momenti peragebantur cum suo Capitulo. Excussa postea Regulari professione, sæculares jam facti Canonici, eandem disciplinæ formam retinuerunt.

De Institutionibus. C. Fenale.

XII. Refert Bonifacius VIII. nec improbat quarundam consuetudinem Ecclesiarum, ubi seniores Canonici pinguiores optabant Præbendas, cùm primùm vacassent. *Consuetudo habetur, quòd antiquiores Canonici gradatim meliores, si voluerint, possint, cum vacant, per se, vel per alios optare Præbendas.* Simillimum veri est inde manasse eam consuetudinem, unde & illa effluxit, ut ne vocetur quidem alicubi Episcopus ad electionem Canonicorum.

C. Cum in sua. De consuetud. in sexto.

Verùm alibi rursus idem Pontifex docet, præter illas Ecclesias, in quibus electio conjunctim ab Episcopo fiebat, & à Capitulo: & ubi altero eorum vel suspenso, vel excommunicato, vel forsan mortuo, ab altero ritè celebrabatur electio: alias fuisse, ubi collatio ad solum spectaret Episcopum, cum consilio vel consensu Capituli, & ubi proinde Capitulum Episcopi incapacitati non supplebat. *Ad Episcopum spectat collatio, cum consilio sui Capituli, vel assensu.* Erant denique, ubi collatio pertineret ad privatum aliquem, cum consilio Episcopi, quod declarat Pontifex eo tempore minimè necessarium esse, cum Episcopus vel decessit, vel diu abfuturus

C. Si ad Episcop. Ne sede vacant.

est. *Ad aliquem collatio cum consensu Episcopi noscitur pertinere.* Dictum est alibi de Theologo & Pœnitentiario, qui cùm Vicarii sint Episcopi, ejus utique est eos nominare; sed Præbenda quæ eorum dignitati unita fuerit, ab eo conferetur, à quo ante illam unionem conferebatur. Ita à Congregatione Concilii declaratum est ex Fagnano.

Fagnan. in L. 5. Decret. pag. 207.

XIII. Quæ nunc invaluit in Galliis consuetudo & usus, non sinit nos inhærere Alexandri III. Epistolæ ad Episcopos Galliæ, qua diffinit eos qui *in sæculari foro, non requisita Episcopi audientia*, Beneficia ambiunt impetrantque, cogi debere, ut ea in manus Episcopi resignent. Is saltem hinc fructus decerpetur à nobis, olim ne ambigua quidem & litigiosa Beneficia data fuisse, nisi Episcopi judicio, quod propiùs utique semper abest ab vocatione cælesti. Et cùm tamen nostrates publici Judices jus non dicant, nisi de possessione Beneficiorum, jus titulumque semper vel ipsi intelligunt ab authoritate profectum Prælatorum, qui cælestis interpretes sunt vocationis.

Append. Conc Later. Part. 50. c. 33.

XIV. Mirè confirmat Ivo Carnutensis, quæ modò dicta sunt à nobis, in Epistola ad Daimbertum Archiepiscopum Senonensem. Narrat enim, ut in Capitulo suo cùm vacantes dispensaret Dignitates pro more: *Cùm in Capitulo nostro quædam officia secundum Ecclesiæ consuetudinem dispensarem*, cúmque Clericum valde idoneum Subdiaconatu investiret, per librum quem in manus illi dabat: *porrecto libro:* insurrexisse Decanum ejus nepotem, cum turbulentis aliis quibusdam, vociferantibus id eum minimè posse, *quia id eorum consilio non faceret*. Cessisse se tum, quòd etiam in vitæ discrimen aliàs adductus fuisset. Sed cùm persuasissimum sibi esset, repugnare consuetudinem, & ne tum quidem ei se obnoxium fuisse servituti, cùm hos rebelles in Capitulum insciberet, adeoque nec integrum sibi esse, quidquam committere, ex quo Episcopalis vilesceret authoritas: *Ego sciens quod hanc consuetudinem in Ecclesia non inveni, nec in ipsis contradictoribus, quando suos honores acceperunt, observavi: ne potestatem meam minuerem, ab incepto non destiti:* ei tandem, adversariisque convenit, ut de ea causa cognosceret Archiepiscopus Senonensis, quem & hac Epistola rogat, ut suffraganeorum aliquos ad hoc judicium evocet. Perspicis hic porro, ut Episcopi non collatores tantùm essent Beneficiorum, sed & causarum ejusmodi Judices: atque Dignitates ipsius Capituli conferrent aliquando, minimè expectato Capituli consensu.

Epist. 105.

Ingenuè tamen fateri cogimur, vehementem totius Capituli repugnantiam, sin minùs potestati, certè charitati Episcopi intercessisse, ac vetuisse ne pax Ecclesiæ perturbaretur. Testem profero ipsum eundem Ivonem, qui pium Presbyterum despoosa Præbenda frustravit, postquam intellexit eo alienatum iri totius Capituli sui animos. *In hoc negotio tota pene Ecclesia cum Decano in faciem mihi restitit, & Presbyterum petitorem Prabenda, secundum morem Ecclesia, canonicari non permisit.* Ita intrepidus Pontifex, cessit tamen, non juri Canonicorum, quo eorum consensus necessarius redderetur: sed necessitati, alendæ fovendæque pacis in Ecclesia: cui quacumque tandem promissione sua nihil derogatum volebat. *Nec aliter me daturum promisi, nisi cum pace Ecclesia posset fieri.*

XV. Ivoni accedet Hildebertus, qui ejus Episcopalis fundamenta potestatis ponit in ipsis Codicibus sacris, & exemplo Christi, qui solus ipse delegit Apostolos & Discipulos septuaginta duos: cui se normæ accommodantes Apostoli, elegerunt Diaconos septem, quorum nomine & ordine contineri videtur, quidquid est in Ecclesia Ordinum inferiorum, & Beneficiorum. Ea regula est, cui jure merito se accommodent Ecclesiæ, Apostolorum successoribus permittentes electionem omnium Ecclesiæ ministrorum. *Si Apostolos consideremus, de illis Dominus ait, Nonne ego vos elegi duodecim? si septuaginta duos, &c. In his & eorum successoribus prascripta est Ecclesia forma, quam in electione vel consecratione summorum & inferiorum Sacerdotum, seu etiam Diaconorum non custodiri, causalis est & vicinas ruina profectus. Cateros quoque gradus ad minimum usque Clericum pro Episcoporum deliberatione substituendos & distribuendos, canonica censent & pradicant instituta. Perit autem solis Pontificibus collata hac à Domino potestas, si &c.*

Epist. 55.

Cùm ad Archiepiscopatum Turonensem translatus fuisset Hildebertus, eo jure suo usus est conferendi Præbendas & Dignitates Ecclesiæ, & quidem tam intrepidè, ut ne ministris quidem Regiis cesserit, vel præceptis cedendum æstimarit, si quid obreptum esset, quo Beneficia astutiæ magis hominum, quàm pietati & virtuti donarentur. *Dignitates Ecclesiasticas nec ex Regis pracepto disposui, nec ei disponendi facultatem indulsi. Personas elegi, qua in exequendis Ecclesia negotiis pondus diei portarent & astus. Alteri igitur Archidiaconatum, alteri Decaniam dedi, &c. Nullus fuit, qui Decano aliquid opponeret, &c.*

Epist. 67. 68

XVI. Ita certè approbat Hildebertus suum esse unius, ut Dignitates & Præbendas sui conferret Capituli. In Epistolis quibusdam suis tradit Bernardus Episcopos Catalaunenses in suæ civitatis Cœnobiis Abbates constituisse: cúmque Guillelmus Episcopus Catalaunensis omnes eorum Monachos gerendæ Abbatum dignitati impares intelligeret, ipsummet profectum esse Divionem & Cluniacum, ut inde secum abduceret viros, ea virtutum præstantia & experientia ornatos, quibos eam provinciam tutò committeret. Commemorat Fulbertus ipse Ecclesiæ suæ Carnotensis Subdecanatum à Sylvanectensi Episcopo postulatum fuisse, renuisse se, & eam dignitatem Presbyterorum suorum dignissimo contulisse. Non obscurè idem alibi innuit, Præbendas quoque à se conferri solitas. Ex Stephano Tornacensi colligi posse videtur, Ecclesiæ Parisiensis Decanum à Canonicis eligi solitum; Aurelia verò Episcopum & Capitulum Præbendas conjunctim donasse.

Epist. 58. *Epist. 46 60* *Epist. 100. 101. 175.*

Radulphus Ecclesiæ Cantuariensis Episcopus, authore Eadmero, Archidiaconatum Ecclesiæ suæ cum consenso Monachorum, quibus constabat Capitulum, contulit. Ideo & confestim creatus Archidiaconus fidei sacramentum præstitit Ecclesiæ Cantuariensi. *Sacramento, quo se fidelitatem Ecclesia ipsi per omnia & in omnibus exhibiturum dum viveret, repromisit.*

Novor. l. 5.

Concessit Innocentius III. Archiepiscopo Patrarum, ut Capitulum suum Canonicis Regularibus sancti Ruffi committeret: conditione ea, ut Priorem ipsi suum eligerent, eique præsentarent. Patriarchæ verò Antiocheno, duas ut novas crearet Præbendas Capituli sui permisit, utque reditus illis ex mensa Episcopali adsignaret. Archiepiscopus quoque Patrensis Canonicis sancti Ruffi quos accersiverat, vel idoneos reditus, vel Episcopalis mensæ dimidium assignatum à se iri spoponderat. Ex his paucis conjice de toto genere Præbendarum,

Regest. 3. Epist. 159. *Regest. 14. Epist. 90.*

darum, alio & alio tempore ab Episcopis fundatarum. Quo æquius erat eas ab illis conferri.

Aliunde rursum consentaneum prorsus erat, ut cum Episcopi Capitula sua traducerent ad formam & disciplinam Congregationum Monasticarum, vel Monasticis simillimarum, copiam illis facerent eligendi Priores, vel Decanos suos, & novos subinde milites suo cœtui adgregandi. Hinc tanta inter Capitula varietas, ut incerta sint etiam quandoque unius ejusdemque Capituli jura. Ita enim apud Rogerium anno 1194. Archiepiscopus & Capitulum Ecclesiæ Eboracensis de collatione Decanatus digladiabantur.

XVII. Circa annum 1148. Gosleuus Episcopus Carnotensis: *Præpositur-am de Uno-grado ex Episcopali jure in usum fratrum, qui Matutinis interfuerint, munifica largitione perpetuò transfudit.* Successor ejus novas Abbatias excitavit tres. Res & opes omnes Ecclesiarum Diœceseos ab initio in unius potestate Episcopi fuere. Has ergo lapsu temporum partiti sunt Episcopi in Parochias, in Capitula, in Dignitates, in Canonicatus, in Abbatias, unde & hæc Beneficia omnia conferendi jus penes eos ab origine fuit. Et olim quidem, cùm eæ partitiones recentes adhuc essent, ubi primùm vacabant portiones singulæ, maximè Præbendæ Capitulorum, eas suæ Mensæ rursum Episcopi commiscebant, donec Concilio generali cautum est, ut ne eam amplius licentiam usurparent. Argumento est hæc ipsa Præposituræ Carnotensis extinctio, ut esset unde distributiones suppeditarentur residentibus & præsentibus.

Analecta Mabill. to. 2. pag. 566. 588.

Baron. an. 1194. n. 7

Giraldus Episcopus Cadurcensis, cum an. 1090. Canonicos Regulares in suum Capitulum invexisset, Dignitates conferre voluit, sed cum consilio Canonicorum. *Præpositura, sive Archidiaconatus & cæteri Ecclesiastici honores pro nostro decreto per consilia Canonicorum ordinanda sint in posterum.* Ex adverso autem cum Remigius sedem Episcopalem è Dorcestria Lincolniam transtulisset, solus ipse contulit Decanatum, Thesaurariam, & quos instituit septem Archidiaconatus. Goffridus Carnotensis Episcopus anno 1125. diutius cum Capitulo suo altercatus, eligendi Decani jus tandem illi concessit. Anno 1133. Goffridus Ambianensis Episcopus cùm Collegialem conderet Ecclesiam, Decani eligendi jus contulit Canonicis.

Spici. To. 8. pag. 163. 181. Ibidem. To. 13. pag. 304. 305.

Non potuit nisi tumultuariè tam discors suique dissimillima enarrari hic disciplina Capitulorum & Beneficiorum quorumcumque, cùm aliis alisque subinde locis & temporibus nova quædam rerum facies oriretur. Et ex promiscua tamen hac farragine dilucide satis constat, collationem omnium Beneficiorum primæva ipsa ab origine ad Episcopos spectasse, ut Apostolicæ successionis & Ecclesiarum fundationis hæredes, ut omnium suæ Diœceseos agrorum & proventuum Ecclesiasticorum primarios dispensatores: ab Episcopis autem manasse in Capitula, in Abbatias, in quosvis alios ejus potestaria conferendi titulos complurimos & diversissimos, diversissimis ex causis, unde & hæc tanta nunc in his Ecclesiasticæ disciplinæ diversitas erupit.

Quisquis eligit, præsentat, instituit, præferre tenetur indigno dignum, digno digniorem.

CAPUT XXXVII. P. 2. l. 2. c. 9.

Ex Gregorii Magni doctrina quisquis eligit, præsentat, instituit, præferre tenetur indigno dignum, digno digniorem.

I. II. Undequaque venabatur Gregorius, & accersebat dignos Episcopatu viros.

III. Eum qui melior inter inveniretur, efficaciter ordinari.

IV. Constantissima hac ejus erant placita, criminosos erga irregulares prorsus amandare, ex cæteris digniorem eligere, si digni nulli vere essent, minus indignum.

V. Inter virtutes & dotes digniores, non postrema laus est, diutissime eidem Ecclesiæ inservisse.

VI. Quin & humana cujusdam prudentia nos, & lux experientia, ad res etiam temporales administrationem.

VII. Episcopatus ille aliquando vacare sinebat diutius, penuria idonei forte sorte.

VIII. Magni etiam apud eum habebant momenta ætas, hospitalitas, jejunium.

IX. Auxit ejus cura de minoribus etiam Beneficiis.

X. E suis propriis Clericis, Monachisque optimos quosque Ecclesiarum necessitatibus commodabat.

XI. XII. Cum simoniæ infamiam aspergat Gregorius privata gratia, aut amicitiæ affectibus omnibus, boni necessario experiuntur el genui digniores.

XIII. Qui Gregorius iis, quos rerum necessariarum premabat inopia, Beneficia dari rogavit.

XIV. Utilior Gregorio est, idem qui dignior.

I. Quisquis eligit, nominat, præsentat, vel instituit Beneficiatium, is inexorabili Canonum præcepto & sempiternæ Legis authoritate constringitur dignos indignis, dignis quin etiam digniores anteponere. Hæc jam quæstio, quæ quanti ad Disciplinam Ecclesiæ intersit, nemo non videt, ex Gregorio primùm Magno enodanda illustrandaque nobis est, cui cæteri postea Ecclesiæ Patres suffragatores accedant.

II. Cùm rescisset Gregorius esse in Sicilia Presbyterum, gerendis Episcopatus infulis non imparem, ad Episcopum Syracusanum scripsit, ut excuteret & examinaret illum, tanquam judicii sui rationem summo judici redditurus: & siquidem illum Episcopatu dignum comperisset, Romam illico mitteret, vacatura quàm primùm Episcopali sede donandum. *Hunc fraternitas coram se deduci faciat, eumque sicut certus sum, propter animæ periculum, diligenter examinet. Quem si ad hunc gradum provehi dignum esse perspexeris, ad nos studeat destinare, ut eum disponente Deo, loco, cui providerimus, possimus ordinare Pastorem.* Hinc apparet Gregorium dignioribus quibusque commendari debere Episcopatus persuasum, in eam incubuisse curam, ut exploraret, qui usquam essent digni, qui digniores, & ad sese accerseret ex remotissimis etiam Provinciis. L. 2. Ep. 18.

III. Agit quidem hic Gregorius de eo, qui dignus esset Episcopatu, non qui dignior. Sed facile intelligitur, non tam anxiè & tam procul accersiturum eum fuisse, nisi digniores iis augurarus esset, quos habebat propiores: & digniores si alibi comperisset, aut vel suspicatus esset, eos vel maximè acciturum fuisse, ut illos Romæ ordinaret. Cùm Syracusanus Episcopus Maximianus, cui ejus Pres-

byteri examen Gregorius mandaverat, paulò post fato suo functus esset, actum est de Trajano Presbytero ei subrogando. Inaudierat Gregorius pietatis & religionis præsidiis non destitui Trajanum, sed doctrina & experientia ad tantæ regimen Ecclesiæ minùs esse parem; & nihilo tamen minùs censuit eligi debere, ex inevitabili quadam necessitate,
L. 4. Ep. 19. cùm melior nusquam inveniretur. *Credo quod Trajanum Presbyterum maxima pars eligat, qui, ut dicitur, bonæ mentis, sed quantum suspicor, ad regendum locum illum idoneus non est. Tamen si melior inveniri non valet, & ipse nullis criminibus tenetur involutus, condescendi ad eum cogente nimiâ necessitate potest.*

IV. Duo hæc rata fuere & inconcussa Gregorii decreta in Electionibus Beneficiorum & Ordinationibus. Primum, ut inexorabiliter rejicerentur, quoscumque criminis capitalis cujuspiam irregularitas inquinabat. Alterum verò, ut dignior assumeretur semper eorum, qui ad manum essent, & quorum copia daretur. *Si melior inveniri non valet.* Id verò bifariam contingere potest: aut enim qui dignior occurrit, is verè Episcopatu dignus est, & tum ipso juris vigore omnibus aliis eum anteferre cogimur: aut necessaria aliqua destituitur dote, quamvis eorum qui ad manum sunt, minimis urgeatur vitiis: & tunc eligendus nihilominus est, ea indulgentia, eò justa, quò necessaria. *Condescendi ad eum cogente nimia necessitate potest.*

V. Verùm longè latéque circumferendos esse oculos ad vicinas, & ad remotiores etiam Ecclesias, ubi digni Altarium Ministri inquiruntur, in hoc ipso docuit Gregorius exemplo, cùm Clero populoque Syracusano author fuit, ut Archidiaconum Catanensem, velut omnium dignissimum, Pastorem sibi deligerent. *Si autem mea voluntas ad hanc electionem quæritur, tibi secretò indico, quod volo; quia nullus mihi in eadem Ecclesia post domnum Maximianum tam dignus videtur, quam Joannes Archidiaconus Catanensis Ecclesiæ. Qui si fieri potest, ut eligatur, credo quod apta valde persona inveniatur.* Hæc verba *nullus tam dignus, quam Joannes* dilucidè commonstrant necessitatem eligendi omnium dignissimi. Si dicat autem Gregorius, *eligi jure potest*, non autem eligi tum quemquam alium non posse: in causa est, quod is Archidiaconus suæ jam Ecclesiæ, suoque obligatus esset Episcopo, cujus assensus omnino desiderabatur. Postulari ergo magis poterat, quam eligi. Adde quod Regulis Canonicis præcipiebatur, ut de gremio propriæ Ecclesiæ eligeretur Episcopus. Atque adeo poterat Syracusanus Presbyter Catanensi præponi Archidiacono, digniori minùs dignus, si ea meritorum inæqualitas tantilla esset, ut compensari jure posse videretur contemplatione diutini obsequii, officiique, ei ipsi Ecclesiæ cum laude impensi.

VI. Neapoli cùm Clerici, Nobilesque dissiderent in electione Episcopi, rescripsit ad eos Gregorius, nec mira, nec nova videri debere hæc sententiarum dissidia; unum porro satagendum esse, ut cogitationes & consilia sua uni æquitati & pietati accommodarent: nec favoris, aut gratiæ contagio quocumque afflari se sinerent. Cui rei locus non est, nisi inter dignos dignissimus eligatur. Enimvero digniori dignum præponere, hoc non
L. 2. Ep. 40. eligere est, sed gratificari. *Nec novum, nec reprehensibile est, in eligendo Episcopo populi se vota in duas partes dividere; sed grave est quando in hujusmodi causis, non ex judicio, sed de solo favore venit electio.* Vota sua conferebant aliqui in Joannem Diaconum: vetuit Gregorius, quod ei immatura & tenella adhuc esset filiola, quo prodebatur, quam non pridem continentiæ se devovisset: *Nam quâ præsumptione ad Episcopatum audet accedere, qui adhuc longam corporis sui continentiam filiolâ teste convincitur non habere.* In Petrum Diaconum alii propendebant, sed objiciebatur à Gregorio, quod quamvis doctrina alioqui non destitueretur: non ea tamen erat dexteritate ingenii, vel humanæ etiam prudentiæ sagacitate, qua carere non debet Episcopus in temporalium maximè rerum administratione. *Petrus Diaconus, quem à nobis electum asseritis, omnino quantum dicitur, simplex est. Et nostis quia talis hoc tempore in regiminis debeat arce constitui, qui non solum de salute animarum, verùm etiam de extrinsecâ subjectorum utilitate & cautelâ sciat esse sollicitus.* Ita ergo constituebat Gregorius, cum accuratè expenditur, ecquis inter plures idoneos maximè idoneus & dignissimus sit Episcopatu, aliquo etiam numero & pretio esse debere humanas quasdam dotes ad Episcopatuum regimen temporale necessarias. Postremò eam sibi semper Gregorius integram servabat facultatem examinandi Romæ, quem delegissent; & repudiandi, si minùs dignum deprehendisset. Quocirca præmonebat etiam, ut alium interim perquirerent, priori, si rejectus fuisset, sufficiendum. *Studii vestri sit etiam alium, qui aptus sit, providere, ut si fortè huic ordini hic non videatur idoneus, sit in quem se vestra declinare possit electio.*

VII. Aliquandiu vacare Ecclesiam molestè ferebat, & ferebat tamen Gregorius, quandiu non occurrebat, qui tantam subiret sarcinam. *Novit fra-* L. 12. Ep. 13.
ternitas quàm longo sit tempore Aprutium Pastorali sollicitudine destitutum ubi diu quæsivimus, quis ordinari debuisset, & nequaquam potuimus invenire. Diu conquisitum ubi tandem invenerat, serio nihilominus examinari jubebat; etiam secretò, & de spiritalibus interiorum animi virtutum incrementis. *Hunc volumus fraternitas tua ad se faciat venire, & de animâ suâ admoneat, quatenus in bonis studiis crescat. Et si nulla ei crimina obviant.*

VIII. Accedet & hoc aliud exemplum, argumentumque propensioris ejus curæ, qua invigilabat Gregorius, ut penitiores animi recessus nosset eorum, qui ad Episcopatum vocabantur, ut verè semper dignior eo culmine sederet. Cum viduata pastore esset Ecclesia Anconitana, tres ob oculos versabantur, qui eligi possent. Primus erat Florentinus Archidiaconus Anconitanus, sacrarum litterarum peritissimus, sed ita devexa jam ætate, ut regendis Ecclesiæ gubernaculis admoveri via jam
possèt. *Scripturæ sacræ scientiam habere, sed ita ætatis senio jam confectum accepimus, ut ad regiminis officium non possit assurgere.* Præterquam quod, ut ait L. 12. Ep. 6.
Gregorius, tam sordidæ erat parcimoniæ, ut hospites nunquam domi suæ ullos invitaret. Alter erat Rusticus ejusdem Ecclesiæ Diaconus, vigilantia clarus, sed qui Psalterium memoriæ non commendasset. *Vigilans, sed Psalmos ignorat.* Tertius erat Ecclesiæ Ravennatis Diaconus, cujus explorata sollicitudo, sed inexplorata erant animi penetralia: *Sollicitum esse novimus, sed qualis sit interius, omnino non scimus.* Duos tandem Episcopos delegavit Gregorius, qui de re tota & personis inquirerent, maximè autem, an puri essent tres illi, & immunes eorum criminum, quæ quoslibet à sacris arcent Ordinibus. *Diligenter de vitâ & moribus singulorum requirere, si de nullo sibi sunt crimine conscii, quod eos ad hoc officium vetet accedere, ut redditi certiores,*

quid post hæc Deo authore fieri debeat disponatur. In hujus ergo lance austerissimi examinis ponderabatur doctrina, ætas, hospitalitas, sollicitudo, vigilantia, ante omnia autem innocentia & immunitas eorum scelerum, quibus irregulares fierent. Cùm Locrensis Ecclesia Pastore orbata esset, repudiavit Gregorius electum primò Presbyterum, quia minimè dignus inventus est: adduci autem voluit Presbyterum, seu Parochum alterius Diœceseos, interrogarique de criminibus, quorum conscii Episcopatu interdicuntur. L. 6. Ep. 38. *Atque eum studii tui sit de criminibus quæ ad Episcopatum accedere non permittunt, cum omni subtilitate requirere, & si eorum se expertem esse responderit, &c.*

IX. Ex his existimari potest, quam sequeretur rationem Gregorius, quam legem in aliis Beneficiis conferendis, & an à strictioris aliquandu justitiæ orbita declinaret. Cùm Monasterii Neapolitani Abbas vita excessisset, missus est confestim à Gregorio Monachus ad Episcopum Neapolitanum, ut ab eo statim institueretur Præpositus, vel Prior; & cùm aliquandiu probatus fuisset, tum deinum Abbas constitueretur. L. 7. Ep. 92. *Quem ad præsens Præpositum esse decernimus, &c.* Non deerant merita, sed nec meritorum fiducia: una re minùs sapiebat, quòd nimiu plus sibi sapere videretur. *Sunt bona quæ in eo placent. Sed hoc est in illo vehemens vitium, quod valde sibi esse sapiens videtur. Ex qua radice quanti rami peccati valeant prodire, patenter agnoscitur.* Quod rursus argumento est, Gregorium optimus quoque ad regimen optasse, quæsisse, accersisse; sed ubi eorum non dabatur copia, utcumque dignos & idoneos adhibuisse ad illa officia, quæ sine gravissimo dispendio diutiùs vacare non poterant, cujusmodi sunt Priorum & Vicariorum; paulóque diutiùs vacua dimisisse ea, quæ quanquam multò majoris sint ponderis, suppleri tamen faciliùs possunt alieno ministerio, ut Episcoporum & Abbatum.

X. Audiendus & hîc est porro Joannes Diaconus, ut diligentiæ & integritati Gregorii astipuletur luculentissimè in eligendis dignioribus quibusque ad Episcopales sedes, iisque undecumque pervestigandis & advocandis; ut qui ne parceret quidem Ecclesiæ suæ Cardinalibus, & Cœnobiorum Romanorum præstantissimis Monachis, quos vacantibus Ecclesiis, etiam remotioribus præficiebat. Vita Greg. L. 3. c. 7. *Ordinationes summo cultu servasse docetur, in eo quod ab ipso suæ consecrationis exordio, per omnem diœcesim suam Episcopos undequaque meliores invenire potuit, studiosissimè ordinavit, &c. ut Ecclesiam illis regendam committeret, qui exemplis & verbis pariter illam ædificare melius potuissent.* His omnino innuitur, non satisfecisse sibi Gregorium, dum dignos eligeret, nisi & omnium dignissimos elegisset. Ideo & ad se pellicicbat Episcopos omnes Episcopalibus Ecclesiis suis quacumque tempestate excussos: necnon & Clericos omnes, quos præclara eruditionis & virtutum fama ei commendasset: gnarus florere, vel corruere Ecclesias pro Episcoporum diligentia vel supinitate. L. 3. c. 3. *Et quidem Gregorius prudenter cognoscens totum corpus Ecclesiæ tam per bonos Episcopos feliciter stare, quàm per malos infeliciter, non solùm diversarum gentium diversi ordinis Clericos, verùm etiam vacantes Episcopos in sua Diœceseos Episcopatus invitabat.*

XI. Verùm cùm ea quæ dicta sunt hactenus omnia ad Episcopatum ferè spectent, quanquam ex iis facilè eliciantur leges, quibus in conferendis aliis Beneficiis servire quisque debet: veniendum nobis est ad inferiores sive Ordinum gradus, sive Beneficiorum. Testatum facit Joannes Diaconus detestari solitum Gregorium artes illas & calliditates simoniacas, ubi Episcopi in Ordinibus vel Beneficiis conferendis nihil pecuniæ emungunt: sed favoris quàm justitiæ amantiores, amicos, fautores, adulatores sibi comparant, quorum majus sit pretium, quàm pecuniæ. L. 3. c. 8. *Commentum satis artificiosum reperit iniquitas, quo scilicet illos sacerdotio sublimaret, qui sibi post consecrationem tantò subjectiores esse debuissent, quantò non divino, quin potius humano judicio se fuisse promotos, ipsi procul dubio reputarent.*

XII. Ipsissima hæc est Gregorii doctrina, palliatæ simulatæque simoniæ genus esse, nihiloque minus detestandæ, cùm vel Ordines, vel Beneficia & Dignitates Ecclesiæ conferuntur, ad favoris, amicitiæ, laudis humanæ & adulationis aucupium. Hom. 4. in Evang. *Columbas vendere est impositionem manûs, qua Spiritus sanctus accipitur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare. Sed sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros Ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem, laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceptum est, non gratis tribuunt: quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris. Unde cùm justum virum describeret Propheta, ait, Qui excutit manus suas ab omni munere. Ab omni, quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à lingua, aliud munus à manu. Munus quippe ab obsequio est subjectio impensa indebitè: munus à manu pecunia est, munus à lingua favor. Qui ergo sacros Ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed et humanam gratiam non requirit.* At quisquis dignis indignos præponit, vel dignos quidem, sed dignioribus: is omnino agitur simoniacis his impulsionibus, atque adeo criminosis damnandisque ex Gregorio, ad emercandam hominum benevolentiam, laudem, & quamcumque demum gratiæ & obsequii remunerationem. Non aliis quàm his stimulis agitantur, qui æternæ legi & justitiæ in hoc delectu adversantur, jubenti nimirum, ut pietati & merito totum detur. Humanis affectibus res divinas dispensare, quid hoc aliud, quàm sacra nundinari? Hinc rursus inculcat idem Gregorius, Ordines & Beneficia ut gratis dentur, nec muneribus, nec favori, nec precibus dari debere. L. 4. Ep. 55. 58. *De Ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergo ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorundam supplicationem, aliquos ad sacros Ordines consentiatis aut permittatis adduci.* Et alibi rursum: *Nullus vestrûm denuo hoc fieri patiatur; sed neque gratia alicujus, neque supplicatione aliquos ad sacros Ordines audeat promovere, nisi eum quem vita & actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit.*

XIII. Nec dissimulabo tamen Gregorium preces quandoque suas interposuisse, ut qui rerum necessariarum penuria premebantur Clerici, illis aliquid Beneficii quasi erogaretur. Verùm duo hîc veniunt non perfunctoriè pensitanda, horum mendicitati, non cupiditati consultum voluisse sanctissimum Pontificem; & iis tantùm qui jam ordinati essent Clericis, eum ita prospexisse. Interest autem ad Christi & Ecclesiæ majestatem, ut ne ministri ejus mendicitate deturpentur. Ejusmodi fuere Gregorii Litteræ ad Episcopum Syracusanum, ut

Ecclesiæ suæ Diaconis eum Diaconum adgregaret, qui simplicitate magis quàm studio malitiæ trium Capitulorum schismate illaqueatus fuerat. *Quia*
L. 3. Ep. 14. *non in hæresin incidit, sed à sacris generalis Ecclesiæ Mysteriis, quasi recta studio intentionis erravit, imbecillitati ejus atque necessitatibus consulentes, maximèque sustentationi ejus, pietatis intuitu providentes, in tua Ecclesia Syracusana eum prævidimus ordinandum, sive ut officium Diaconatûs expleat, seu certè ut sola ejusdem officii pro sustentanda paupertate sua, commoda consequatur, in tua fraternitatis volumus hoc pendere judicio.* Vidimus jam suprà, ut ad Candidum Presbyterum scribens, à quo regebatur Ecclesiæ Romanæ in Galliis Patrimonium, commendarit ei Presbyterum quemdam Gallum, ut necessaria vitæ subsidia illi conferret, collata vel Parochiali Ec-
L. 9. Ep. 63. clesia, vel Abbatiola: *Petiit Aurelius Presbyter, ut sicubi in possessionibus beati Petri Apostolorum Principis, oratorium, aut locus, qui Presbytero vel Abbate indigeat, inveniri potuerit, ei debeat committi: quatenus & ipse subsidium vitæ præsentis inveniat, & nos inveniamur petitioni illius paruisse.* Adeo non ergo humanorum affectuum corruptelæ imputandum est, si tenuioribus Clericis studeat quis Beneficia erogare vel procurare, ut non aliud sit pietatis, charitatis & Pastoralis sollicitudinis præclarius documentum. Nam patrimonium Ecclesiæ pauperibus Clericisque sustentandis dicatum est, qui & pauperes & Clerici jam sunt, ii certè cæteris præponendi sunt omnibus. Non jubet autem Gregorius, quos commendat, eos cæteris præferri dignioribus: sed his tenuioribus urgente necessitate celeriùs succurri.

XIV. Animadverti autem jam & illud potuit, non distingui à Gregorio digniores ab utilioribus. Evenire enim posset, ut qui primas virtutis & doctrinæ obtinent, haud tamen digniores habendi essent, quod nec utiliores Ecclesiæ; propterea nimirum, quod præter virtutis & eruditionis præsidia, quibusdam aliis præterea dotibus opus sit ad temporale & spiritale regimen. Ejus rei forsan contemplatione adductus Gregorius, non semel professus est, eum à se in examine & delectu ordinandorum semper antepositum iri, qui utilior futurus præsa-
L. 4. Ep 47. giretur. *Ut utrisque cominus constitutis, ille qui Deo placuerit, & utilior visus fuerit.* Et rursus alibi: *Si in*
L. 9. Ep 74 *duorum se electione diviserint, is qui utilior fuerit, ordinetur.*

CAPUT XXXVIII. *P. 2. l. 2. c. 10.*

De eodem ex aliis Patribus Latinis, præponendum semper esse digniorem.

I. II. Populi, Cleri & Episcoporum convocatio ad eligendum Episcopum, vel ipsa argumenti satis habet, ut eligendo digniori omnes adlaborent. Nec enim fieri poterat, ut in alium quemcumque omnes consentiant. Uno charitatis affectu concordabunt omnes, humano quolibet affectu discordabunt.

III. Eam tenuere regulam ipsimet Apostoli. Qui digniores, ii ipsi vix digni sunt, si dignè quis de sacerdotio sentiat. Ita indignus eligitur, ubi non eligitur dignissimus.

IV. V. VI. VII. VIII. IX. Varia argumenta ex Augustino, Ambrosio & Hieronymo.

X. Item ex Concilio Toletano.

XI. Decretales Pontificum Epistola, ubi promuntur exempla veteris Testamenti ad juniores imbuendos, formandosque diutissime ad sacerdotium, & ad non imparem tanta dignitati sapientiam & virtutem.

XII. XIII. XIV. Ex eisdem rursus Decretalibus.

XV. Quandium digniores quique sacerdotii sarcinam enixissimè fugiunt, tantum opera dandum est, ut ad eam conquirantur & constringantur.

I. Cæteri Ecclesiæ Patres, Pontifices, quin & Synodi eandem cum Gregorio doctrinam, eandem & doctrinæ consentaneam disciplinam studiosissimè consectati sunt; ut in provisionibus honorum, dignitatum & Beneficiorum, Electores, Collatores, Institutores, Patronique tum Clerici, tum sæculares, digniores semper præferre dignis, indignisque teneantur, exitialis personarum acceptionis infamia laboraturi, si favori, si carni & sanguini virtutis & pietatis justissima præmia largiantur.

II. Tanti refert ad disciplinam & sanctitatem Ecclesiæ illustrandam, quæ hic in manibus versatur quæstio, ut eam operæ pretium duxerim à principio & ab ipsa Ecclesiæ origine ordiri. Quando in unam aliquam urbem convolabant Provinciæ Episcopi cæteri, ad Episcopi electionem, cum Clero universo & populo: quid apertius, quàm in id eos convenisse & collaborasse, ut dignum, ut digniorem, ut dignissimum eligerent? An celebri & numeroso conventu, operosaque deliberatione opus fuisset, si favoris ea res esse videretur? si fas esset utcumque dignos dignioribus antehaberi? Si privatis autem affectibus indulgere licuisset, ecqui convenire potuissent? discinduntur, non colliguntur in unam sententiam, quicumque carni & sanguini, quicumque privatis studiis obsequuntur. Una est justitiæ lex, una Ecclesiæ charitas, in quam conspirare, in quam concordare omnes tam possint, quàm debeant. Privatæ cupiditates, favor, acceptio personarum, dissensiones alere, quàm pacare magis possunt. Unus est omnium dignissimus, in quem electores oculos conjiciant, & vota convertant omnes; at minùs digni indignique plures semper sunt: qui eos ergo sectabuntur, non poterunt non studia in contraria scindi. Hæc præisse nobis videtur Cyprianus, ubi electorum jura officiaque edisserit. *In ordinationibus Sacerdotum nonnisi imma-* L. 1. Ep. 4. *culatos & integros Antistites eligere debemus, &c. Plenâ diligentiâ & exploratione sincerâ oportet eos ad sacerdotium Dei deligi, quos à Deo constat audiri, &c. Cum ipsa plebs maximè habeat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi, &c. ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.* Fieri vix poterat, ut ubi turba eligentium erat tam numerosa, & ubi tanta examinis censura distringebatur, favori aut gratiæ locus esset.

III. Observat idem Cyprianus Apostolos ipsos eadem diligentia usos fuisse, & nihil unquam intentatum reliquisse, ut eum qui dignior esset, vestigarent: nec in Apostoli tantùm, hoc est, Episcopi electione, sed tum etiam cum ordinandi fuere Diaconi. Unde & eadem ad omnes Beneficiorum nominationes propaganda lex est. *Nec hoc in Epis-* Ibidem. *coporum tantùm & Sacerdotum, sed in Diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus.* Certè cùm irreprehensibiles esse sanxerit Paulus Episcopos & Diaconos: annon verendum nobis est, ne quos digniores vocamus, ii minùs indigni vocitandi potiùs sint? ita indignus eligitur, cum non is eligitur, qui dignissimus. *Cùm in Scripturis divinis Deus ad sacrificium prohibeat accedere Sacerdotes, etiam in leviori crimine constitutos: & in Levitico dicat, Homo in quo fuerit vitium & macula, non accedat offerre dona Deo.* Qui vel semel evolverit aut Gregorii Pastoralem librum, aut Chrysostomi tractatum aureo-

lum de Sacerdotio, is utique assentietur nobis, non posse quenquam verè dignum tam divino videri munere, quàm ea eo quòd certi simus digniorem esse neminem.

L. 1. Ep. 7.

IV. Hanc ipsam disertissimè Augustinus definiit quæstionem, cùm grave pronunciavit committi piaculum, ubi in honorum & Officiorum Ecclesiasticorum dispensatione postponitur pauper, tametsi pietate & doctrina locupletior, viro diviti & opulento, cui non tanta tamen adsunt eruditionis & sanctimoniæ, quanta pauperi ornamenta. *Nec sanè quantum arbitror putandum est leve esse peccatum, in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi, si illam distantiam sedendi ac standi, ad honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore atque sanctiore?*

Epist. 29.

V. Quàm scrupulosè in istiusmodi rebus elimatissimas justitiæ leges sectaretur, abundè prodidit idem Augustinus, quando ad Primatem seu Metropolitanum Xantippum scripsit; etsi cœtus Episcoporum sex qui de causa depositionis Presbyteri judices erant futuri, eum ordini suo reintegraret Presbyterum, quem ipse destituerat: nunquam tamen fore, ut imperare sibi ipsi posset, ejusmodi Presbytero Parochiam committere, ne flagitiorum ejus posthac omnium in seipsum culpa resiliret. *Quod si fortè judicibus Ecclesiasticis aliud videtur, quia sex Episcopis causam Presbyteri terminari Concilio statutum est, committat illi qui vult Ecclesiam sua cura commissam, ego talibus fateor quamlibet plebem committere timeo, præsertim quos nulla bona fama defendit, ut hoc eis possit ignosci, ne si quid perniciosius eruperit, languens imputem mihi.* Non privatis studiis, non favori dabat certè Parochias Augustinus, qui ne sea quidem Episcoporum judicio satis fidebat.

Epist. 236.

Denique quam teneret normam sanctissimus Pater in electionibus, his verbis declarat: *In ordinandis verò Sacerdotibus & Clericis, consensum majorem Christianorum, & consuetudinem Ecclesiæ sequendam esse arbitrabatur.* Nulla hic indulgentia, nulla gratia ea privatis affectibus profecta. Nec enim vel Ecclesiæ consuetudo esse ea potest, ut minùs digni præponantur: nec piæ multitudinis suffragia conspirare possunt in unum, nisi qui omnium dignissimus sit, vel esse videatur.

Possid. in ejus vita. c. 21.

VI. Nec minus religiosus Ambrosius in excutiendis aversandisque eorum vitiis, qui Clericatui inscribendi erant. Exclusus Clericatus spe ab eo is est, qui in amicorum grege erat, qui officiis suis emereri eum gradum satagebat; exclusus inquam uno eo nomine, quod indecentior esset gestus ejus. Qui ne hanc quidem vitii umbram æquo animo ferre poterat, is sanè minùs dignis dignos, aut digniores nunquam postponebat. *Meministis filii! quendam amicum, cùm sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in Clerum à me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret.* Non improbabat Ambrosius vota & conatus hominis, qui suis se commendabat Officiis, ut Clericatus fores sibi panderet; Ambire enim Clericatum poterat uno religiosæ pietatis studio incitatus. At Clericos quos eligebat, eos volebat, ne vitiorum quidem umbra obscurari.

Offic. l. 1. c. 18.

VII. Multò autem præstantissimè idem sanctus Pater in Epistola ad Vercellenses, qui modus in his tenendus sit, declarat: hortaturque, ut ne humanis cupiditatibus vel tantillum quisquam obsequatur, in Episcopi electione, hoc est, ejus qui eo eligitur fine, ut omnium privatas cupiditates oppugnet & labefactet, spiritalisque charitatis regnum in Ecclesia constabiliat. *Cum in omni actu, tum maximè in Episcopi petitione abesse debet iniquitas, in quo vita formatur omnium, ut placito & pacifico judicio præferatur vir omnibus, qui eligatur ex omnibus, & qui medeatur omnibus.* Ne summum quidem animarum nostrarum Pastorem Christum, ad Pontificatum venisse, nisi voce & vocatione summi parentis. *Bonus medicus, qui infirmitates nostras accepit, sanavit ægritudines; & tamen iste, sicut est scriptum, non se honorificavit fieri summum sacerdotem; sed qui locutus est ad eum Pater, dixit, Filius meus es tu.* Aaronem ipsum Mosaïcæ legis umbraticum Pontificem, nonnisi vocante tamen Deo ad eum apicem conscendisse, nulla ibi partes interponente suas, vel cupiditate propria, vel gratia & voluntate humana: ut vel hinc doceret Scriptura, quales sacrorum Ministrorum electiones esse debeant. *Ideo & Aaron Sacerdotem ipse elegit, ut non humana cupiditas in eligendo Sacerdote præponderaret, sed gratia Dei, non voluntaria oblatio, nec propria assumptio, sed cœlestis vocatio.* Denique dici se voluisse Christum Pontificem secundùm ordinem, non Aaronis, sed Melchisedeci, qui sine genealogia, sine patre & matre erat, ut hinc admoneamur, carnales affectus funditus extirpandos & caurendos esse ex animis eorum, qui Episcopos eligunt, & Episcoporum, qui inferiores Clericos Ordinibus vel Beneficiis donant. *Sed refertur ad exemplum, ut tanquam sine patre & sine matre Sacerdos esse debeat in quo non generis nobilitas, sed morum eligatur gratia, & virtutum prærogativa.*

Epist. 82.

VIII. Addit porro Ambrosius quamquam tot suffragiorùm consensio non ferè potuerit, nisi ei favere, cui germana insint merita, quibus omnes favent: superesse tamen subeundum Episcoporum examen, à quibus confirmetur electus, si verè irreprehensibilis, si vitii expers comprobetur. *Supplicaturus pro populo, eligi à Domino. probari debet à Sacerdotibus, ut quid sit quod in ipso graviter offendat, cujus officium est, pro aliorum offensa intervenire. Neque enim mediocris virtus sacerdotalis est, cui cavendum non solum ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem.*

Ibidem.

IX. Nihilo mollior, aut indulgentior Hieronymi doctrina, ut ne cui vel Ordines, vel Beneficia, vel Ecclesias committant Episcopi, nisi qui meritorum suffragiis verissimè juvetur, nec caducis humani favoris incumbat adminiculis. *Audiant Episcopi, qui habent constituendi Presbyteros per urbes singulas potestatem, sub quali lege Ecclesiastica constitutionis ordo teneatur, nec putent Apostoli esse verba, sed Christi, qui ad discipulos ait: Qui vos spernit, me spernit, &c. Ex quo manifestum est, eos qui Apostoli lege contempta, Ecclesiasticum gradum non merito voluerint alicui deferre, sed gratia, contra Christum facere: qui qualis in Ecclesia Presbyter constituendus sit, per Apostolum suum in sequentibus executus est. Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus est, potuit utique successores principatûs filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus de alia tribu eligitur Jesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. Sed nunc cernimus plurimos hanc rem Beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent muneribus impetrarunt.*

Epist. ad Titum. c. 1.

Etsi permagna, nimia tamen videri non potuit hujus contextus prolixitas, quo tota continetur superiùs elucidata Gregorii Magni doctrina; & quæ de Episcopatu dicta sunt, ea de Ordinibus & Beneficiis prorsus omnibus pro singulorum modo intelligi quoque debere demonstrantur. Nec munera enim, nec officia, nec ambitiones, nec Magnatum preces, nec privati Episcoporum Patronorumque affectus, ullo loco esse debent, ubi de æterna populorum salute agitur, ubi de patrimonio Christi, de Ecclesiæ causa, de summi Numinis religione. Infinita ergo quædam intercapedo est, humanorum & Ecclesiasticorum Beneficiorum. In Ecclesiæ Beneficiis tribuendis, nefas est quidquam beneficentiæ & gratiæ donari. Hæc Beneficia non ad gratiam, sed ad summum justitiæ rigorem dispensanda sunt. Denique quod exemplo suo sanxit Moïses, id ab omnibus sanctissimè observandum est. Successorem enim sibi ille quæsivit non tantùm ex aliena familia, sed vel ex alia Tribu: ut eligantur semper ab omnibus: *Quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse.*

X. Contortum est dirum anathema à Concilio Toletano X. in eos Episcopos, qui Abbatias, vel Parochias proximis suis conferunt, vel amicis, ea qua illa tandem calamitas emergit, ut patrimonium
Can 3. Ecclesiæ mercenarii hujusmodi deprædentur. *Agnovimus quosdam Pontifices præcepti Principis Apostolorum ita esse immemores, ut quibusdam Monasteriis, Parochialibusque Ecclesiis aut suæ consanguinitatis personas, aut sui favoris participes, iniquum sæpe statuant in Prælatum: ita illis providentes commoda inhonesta, ut eisdem deferantur, aut quæ proprio Episcopo dare justus ordo poposcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia potuerit. Proinde omnibus placet, & in præsenti tale rescindere factum, & de cætero non esse faciendum. Nam quicumque Pontificum deinceps aut sanguine propinquis aut favore sibi personis quibuscumque deviactus, talia commodare lucra tentaverit; ausa nefandæ præsumptionis, & quod visum fuerit, devocetur in irritum, & qui ordinaverit, annuæ excommunicationis feras excidium.* Irritæ sunt ergo id genus provisiones Beneficiorum, atque ut ratæ fiant, necesse est, ut procul gratia & favore totum peractum sit; & meritorum sola vicerint momenta.

X I. Nec minùs austera sunt Romanorum Pontificum Decreta, in Beneficiariorum delectu, quando jubent diutissimè probari in minorum Ordinum functionibus, neve ad superiores pervehantur, nisi post diutissima sacræ hujus militiæ stipendia & ingentia virtutis & innocentiæ documenta edita. Ita quippe fiet ut nonnisi digni eligantur, qui tandiu perpoliuntur, ut digni fiant. Ita fiet ut ad majores infulas dignissimi eligantur, qui tam longo virtutum tyrocinio dignissimi quà fieri potest evaserint.
In Decret. c. 1. Audi Zosimi Papæ Decretum: *Adolescens in Domini castris, in Lectorum primitus gradu, divini rudimenta servitii; nec illi vile sit Exorcistam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri, nec hoc saltu, sed statutis majorum ordinatione temporibus. Jam verò ad Presbyterii fastigium talis accedat, ut & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia ante acta testentur.* Ingentia prorsus diutinis his rudimentis incrementa fiunt prudentiæ & religionis, ut sint qui dignissimi videri possint Presbyteratu:
C 3. *Si meretur, si inculpatè se gesserit, per tot gradus datis propria fidei documentis.* Denique à Presbyteratu attollentur ad ipsum fastigium Ecclesiasticarum dignitatum, si & ipsi ad perfectionis columen attigerint per hos religiosi tyrocinii gradus. *De quo loco si eum exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum Pontificatum sperare debebit.*

XII. Cæteris in omnibus ejus ævi Pontificum Decretis impressa sunt vestigia earundem constantissimarum Regularum, ut Deo & Clero statim dicarentur, recentes vel ab utero matris, vel à Baptismo; gradatim à minoribus sigillatim Ordinibus ad superiores adrepereut; ut interim longa decurrerent interstitia in eorum functionibus obeundis, ut plura & diuturna ederent suæ in sacerdotali hoc curriculo progressionis & perfectionis in dies augescentis documenta. Hinc verò argumenta totidem existunt ejus doctrinæ, cui hîc insudamus approbandæ: Beneficia dignioribus tantùm fuisse collata; elaboratumque fuisse, ut aut dignissimis conferrentur, aut quibus destinabantur, ii operosa hac palæstra, quam dignissimi evaderent.

XIII. Si qui verò supiniores essent Episcopi, pompæ Episcopalis cupidiores quàm sanctimoniæ & multitudinis, quàm disciplinæ sui Cleri curiosiores: hos submonebat idem Pontifex, præpostere quæsita hac gloria vilescere Episcopatum; multitudine ipsa Clericorum pretium Clericatus decrescere, dignitatem Sacerdotii deflorescere, eo minus dignis communicato: denique maxima quæque ubi increbuerint, parvipendi; minora ex adverso in pretio esse, si rarescant: *Facit hoc nimia* Ibid c. 1.
remissio Consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & putant ex hac turbâ aliquid sibi dignitatis acquiri. Hinc passim numerosa popularitas, etiam his locis ubi solitudo est talium, reperitur, dum Parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud præstare non possunt, divinos honores largiuntur. Quod oportet districti semper esse judicii. Rarum est enim omne quod magnum est, Cùm perspicua hæc sunt, tum vehementia. Si Ordines & Beneficia *divini honores* sunt, magno delectu, & suspensa manu parcaque distribui debent: *Oportet districti semper esse judicii.* Si porro hæ tunc religiosæ servabantur leges, quando Beneficia in commune possidebantur: quanto magis nunc, cum Beneficiarii semel instituti, jam deinceps sibi omnino permittuntur.

XIV. Laicos & tirones ad Episcopatum negat Cælestinus Papa posse protrudi, nisi per summum dedecus, & proculcato jure, tum ipsius maximè Ecclesiæ, tum eorum qui longo laborum & stipendiorum decursu virtutumque omnium documentis viam sibi ad eum apicem muniverant. *Quid proderit* In Decret.
per singula Clericos stipendia militasse, & omnem c. 21.
egisse in Dominicis castris ætatem, si qui his præfuturi sunt, ex Laicis requiruntur. Quæ lex & ratio Clericos laicis præponi sancit, sancit & eadem digniores Clericos minus dignis anteponi. Quorsum enim sacræ militiæ diutiùs, vigilantiùs, instantiúsque operam navasse, si summa præmia virtutum assequantur peræque molles & ignavi quique?

XV. Quanquam enim qui virtutibus maximè abundant, ii honores & Beneficia fugerent: vel fugitantibus tamen debentur ea quæ fugiunt, & ipsi eorum maximè debentur fugæ modestiæque. Quocirca rursus idem Pontifex decernit, ut ea civitatis cujusque Clero eligatur Episcopus, si quis sit meritis non impar. Quod nempè diutinæ probatæque militiæ ea debeatur merces justissima, quæ non possit, nisi per summam injustitiam fraudari. *Habeat* Ibid. c. 18.
unusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesiâ, in quâ suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam alter sibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas Clericis reni-

tendi, si se viderint prægravari. Non quo electum minùs dignum possit quisquam quasi dignior in causam agere, vel querelis suis incessere: sed quod debeat Cletus ex justitiæ norma honores sui Collegii, ei qui dignissimus est ex Collegis vendicare: & qui tantò dignior est, quantò minùs sibi videtur esse.

CAPUT XXXIX. *P. 2. l. 2. c. 11.*

De eodem ex Patribus Ecclesiæ Græcæ, Digniores semper dignis, dignos indignis præponi debere in Beneficiorum collatione, præsentatione, institutione.

I. Cùm ad Ecclesiasticas dignitates non attigissent Patres Ecclesiæ Græcæ, nisi laborum & meritorum gradibus, non alium ad eas patere aditum experti censuerunt.

II. III. Basilius carnalibus cupiditatibus implicatos fugillat, tanquam Judæos, quam Christiana Secta peritiores.

IV. Moysen imitandum objicit, qui negabat vehementer se dignum, digniorémque eligi anxius satagebat.

V. Exardescit Gregorius Nazianzenus in eos qui Episcopos eligant eos, quos sperent vitiis suis assentaturos potius, quàm medicaturos.

VI. Damnat Chrysostomus electores omnes, & præsentatores, qui humanis serviunt affectibus.

VII. Quæ ab eo elaborata est sacerdotii Christiani effigies, ea satis superque una commonstrat, quàm vix digni sint, qui digniores & dignissimi à nobis dicuntur.

VIII. Qui in naufragio, vel desperati morbi discrimine, minùs peritum, aut non prorsus peritissimum Nauclerum Medicumque eligeret, is de sua utique & aliena salute ludos ageret, non sine summa vel imperitia, vel insania. Ita qui non optimum omnium eligit Præsulem.

IX. X. Qui confert, præsentat, instituit, eligit, is indigni, vel minùs digni peccata & detrimenta tota omnia in sese recipit.

XI. XII. Dignissimo suffragantur Justiniani leges.

I. Tam exaggeratis meritorum præsidiis sanctissimi Ecclesiæ Græcæ Patres ad summas provecti fuerant Ecclesiæ sedes: ut non facilè sibi persuadere quisquam debeat, ab his deinceps admissum quemquam fuisse ad eas, nisi qui & ipse meritorum suffragiis plurimùm omnium juvaretur.

II. Certum est Basilio non opes, non dignitates sæculi, non nobilitatem, non favorem, non terrena quæcumque ornamenta vel tantillum momenti habere debere ad inclinandos eorum animos, qui ad Beneficia eligunt, præsentantque alios, aut instituunt; ne eidem obnoxii fiant divinæ vindictæ, qua perculsi sunt Judæi illi, qui electiones hujusmodi celebrabant: *Vestimentum habes, Princeps esto noster.* Sed uni studendum esse cælestium opum ubertati, sapientiæ & justitiæ fingibus redundantibus, ex quibus populorum sterilitas mendicitasque recreetur. *Oremus & nos, ut qui præsunt Ecclesiæ, quique duces sunt populi, non quidem testificationem reportent ab externo cultu, aut superinvecto corpori decoro habitu, sed ab ipsa veritate; ita ut dicere possimus, non quia externus homo tuus decenter adornatus est, quin potius quia animam tuam induit Deus vestimento salutis, & convestivit tunicâ lætitiæ omnique opum exuberantiâ magnificavit, iis de causis Princeps esto noster, ut per opulentiam penes te reconditam, tum in sermone & sapientia, tum in operibus bonis, tua unius administratione, ipsi assequamur abundantem copiam spiritualium deliciarum.* In c. 3. Isaia.

III. Judæorum perversitas erumpebat in deligendis ad moderanda Reipublicæ periclitantis gubernacula non peritissimis quibusque & expertissimis, sed amicis, proximisque suis; quasi vel consanguinitas vel familiaritas conducere posset, aut aliquid præsidii afferre adversùs incumbentes undique bellorum tempestates: *Non eum eligebant, qui esset electione dignus, sed domesticum & familiarem, neque qui salutaris esse posset Reipublicæ, sed qui in sua gente ac familia vi facultatum præpolleret. Apprehendet enim, ait, homo fratrem suum & domesticum patris sui. Idque dabsit ut contingat in creatione ac delectu Præsidum Ecclesiæ.*

IV. Usque adeo verò eligi non debent minùs digni, posthabitis dignioribus: usque adeo si electi hi fuerint, succedere & acquiescere oneri non debent: ut vel dignissimi ipsi, cujusmodi erat Moïses, etiam vocante Deo, minùs digni, imparesque sibi videri debeant, perinde ut ille: & nihil in præteritis relinquere, ut alios curent eligi digniores, fortioresque, quàm se ipsi experti sint. Hac quippe desperatione meritorum suorum Moïses ad summum meriti cumulum evectus est; hac sua fuga, hac enixissima interpellatione, ut dignior, ut melior eligeretur. Contrà ergo qui sibi videntur digni, vel non verecundantur se dignioribus præponi, illi vel hinc & indigni & impares tevincuntur. *Multi sunt, qui ambitiosius affectant principatum, multi suamet authoritate creati, dum splendorem gloriæ præsentis student assequi, nec futurum illud judicium prævident. Atqui Moyses non talis fuit, qui quum per omnia moriger, & ab omnibus hoc nomine optimè audiret, quando ad populum illum emittebatur, dicebat: Obsecro, Domine, elige alium quem mittas. Quo factum est, ut contentiosius eum sibi Deus vendicaret, quòd dum confessione propriæ imbecillitatis se excusaret, & deprecaretur eam legationem dignum se esse qui præsideret, ostenderet.* Quisquis eligit vel nominat, quisquis instituit, vel confert, vel confirmat ad Beneficia, is interpretem se agere debet vocationis cælestis, & æternæ veritatis, atque incorruptæ Dei justitiæ præconem, quæ non potest non semper digniorem cæteris omnibus anteferre; is denique propositum sibi habere Dei ipsius exemplum debet, qui maximè tergiversantem Moïsen elegit, in quo tantò major esset meritorum, quantò & humilitatis cumulus.

V. Hæc Basilius, à quo abludere non potuit Gregorius Nazianzenus. Expostulabat dolebatque vehementissimè Gregorius de iis hominum turbis, qui Pastores eligebant, non qui mederentur morbis suis, sed blandirentur: qui temporali potestate eos regerent, non spirituali institutione ad sanctitatem formarent: qui denique fundos redituique tuerentur Ecclesiæ magis, quàm novos sapientiæ & virtutum thesauros cumularent. *Non enim Sacerdotes, sed rhetores quærunt: nec animarum dispensatores, sed pecuniarum custodes; nec puros sacrificos, sed fortes ac robustos defensores.* Orat. 32.

VI. Eadem flagitia detestatur Chrysostomus electionum, quæ fiebant à plebe nobilitatis & opum splendore præstricta, cupiditatum terrenarum præstigiis excantata; cui ob oculos versari non debuerat, nisi pietas, prudentia, religio, experientia rerum sacrarum, ususque gubernaculorum Ecclesiæ regendorum. *Id unum non spectant, quod solum spectandum fuerat, nempe animi virtutem; sed alia sunt causa, quibus honores conciliantur. Verbi gratia, hic quòd claro genere natus sit, in Episcopatus, inquit, ordinem cooptetur: ille quòd opibus abundet, neque indigeat alimentis ex proventibus Ecclesiæ quæsitis: alius, quòd ab adversariis ad nos transfugerit: alius sibi genere propin-* De Sacerd. L. 3. c. 7.

quum ac necessarium, alius adulatorem cæteris anteponere mavult; nemo est qui eum qui idoneus sit, spectare velit, aut animi partes explorare curet. Si non moveatur vel eligentium vel præsentantium animus his terrenis affectibus, primas haud dubio obtinebit idem dignitarum, qui sapientiæ, qui virtutis, qui meritorum; non alii enim præter has carnales cupiditates architecti sunt earum electionum, quæ eligentibus & electis perinde dedecori & exitio sunt.

L. 4. c. 4 5. &c.

VII. In eodem hoc ipso aureo prorsus opusculo de Sacerdotio, Sacerdotis omnibus virtutum & meritorum numeris absolutissimi, elegantissimam idem Chrysostomus delineavit imaginem. Si tot tantæque præstantissimæ virtutes paulò attentiùs inspiciantur, & illud recurrat animo, Beneficia prorsus omnia decerptas esse quasdam veluti sacerdotii portiones; nemini non persuasissimum erit, non tantùm deligi debere digniores quosque: sed vehementer reformidandum esse, utcumque se acuat & intendat eligentium cura & diligentia, ne in parum dignos incurrat.

Ibid l. 4. c. 2

VIII. Sed nihil accedere potest iis vel eloquentiæ viribus, vel rationum momentis, quibus invehitur sanctus Pater in eos, qui humanis tantùm ducuntur affectibus, dum vel eligunt, vel eligentibus assentiuntur. Nec eligentibus ignorantia, nec electis quantacumque vis adhibita suffragari potest, cùm periculosissimæ plenum opus aleæ vertatur, nimirum electio Medici, Architecti, Naucleri. Nec quis ad hæc munia cogi se sineret, si inexpertus aut impar esset: nec qui inexpertos & impares eligeret prudens sciensque, ubi de summo discrimine ageretur: vel imperitiam vel imprudentiam unquam suam certissimæ damnationi eximere posset. Cùm ergo de ædificatione Ecclesiæ Christi agitur, de salute animarum æterna, de naufragio horrendo, quo aguntur in tartara præcipites, ecquis poterit non reus jure agi malorum omnium, quæ præverti, vel declinari potuissent, si meliori cessisset ipse, vel si meliores omnibus attulisset? *Decere arbitror, ut si te eò vel sexcenti vocent, atque adeo vocant, non illos spectare: verùm animi tui dotes potius examinare, viresque tuas perscrutari, atque ita demum cogentibus cedere. Jam domum se aliquam ædificaturum polliceri nemo audeat, qui idem Architectus non sit; neque ægrotantia contingere corpora, qui Medicinam non didicerit: Cui autem tam multarum animarum cura credenda sit, is non priùs se ipsum examinabit, &c. Ausculta quid Paulus ad Timotheum scribat: Manus citò ne cui imponas, neque communices cum peccatis alienis, &c.*

Quid flagitiosius autem, quàm quod nonnulli majorem adhiberent diligentiam & curam, empturi mancipium, quàm Episcopum electuri? *Quî id absurdum non sit, eos qui mancipium aliquod emptu-riunt, id tum Medicis ostendere, tum emptionis sponsores postulare, tum vicinos interrogare, &c. Eos verò qui quempiam ad Episcopale munus cooptaturi sunt, ad aliorum vel gratiam vel invidiam testimonium suum accommodare, &c.*

Nemo non erubesceret sibi, nemo non semet insimularet, si è duobus vel servis, vel vestibus deteriorem emisset: & non suffundimur pudore, vel ex hac ipsa quæstione, quam hîc vexamus, an illæsa justitiæ & veritatis lege, possit in Episcopum, in censorem morum, in Magistrum Ecclesiæ eligi, minùs peritus, minùs religiosus? Est quod meritò nos pudeat vel propositæ quæstionis. Est quod nos pœniteat vel dubitationis.

IX. Observat porro rursus idem Chrysostomus, si cautum sit ab Apostolo, ne quis *citò*, præpropereque manus imponat, & Ordines ac Beneficia conferat: id eò pertinere, ut innuatur, non uno, non iterato tantùm examine & experimento opus esse, sed sæpiùs ingeminato, & ea elimatissima diligentia, cui humanis viribus adjici nihil possit. *Manus citò nemini imponas, &c. quid sibi vult, citò? Non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia; sed ubi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio. Nec enim ea res periculo caret. Eorum quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis.*

In Epist. 1. ad Timot. Hom. 16.

X. Denique cùm declarasset alibi idem Chrysostomus, honoribus & dignitatibus ingestis restingui potiùs, quàm succendi charitatis ignem: addit postremò non posse Episcopum suo fungi munere in Ordinibus vel Beneficiis conferendis, quin in gravia identidem & apertissima se conjiciat pericula: utpote in quem recidant scelera & damna eorum omnia, qui minùs digni cùm essent, præpositi fuerint, & mox intepuerint ipsi, exitioque tandem tum aliis compluribus fuerint, tum vel maximè sibi ipsis, & dignitatis suæ authoribus. *Cæterùm ut alia omittam quæ diebus singulis accidunt, si quando contingat ut quempiam, sive amicum, sive alterius cujuslibet occasionis gratiâ, indignum ad Episcopatus promoveat apicem, & magnum illi permittat regimen civitatis, quantis se ignibus facit obnoxium? Neque enim animarum pereuntium solum, verùm & omnium quæ ab illo geruntur, ipse pœnas exolvet. Nam qui in ordine privato parum religiosus erat, multò profectò magis id patitur, cùm Ecclesiæ gubernacula regenda susceperit.*

In Epist. ad Tit. Hom. 1.

XI. Nec recedit ab Ecclesiasticarum Regularum sanctimonia in Novellis suis Justinianus, cùm edicit, ut rejiciat Episcopus præsentatos à Patronis laïcis, si qualibet sint irregularitate irretiti. Ubi verò ad ipsum spectabit Ecclesiis ministros dare, non alios det, quàm optimos quosque. [illegible] *Episcopus quoscumque putaverit meliores, ordinare procuret.* Novellæ certè hujus scopus is videtur esse, ut non possit non instituere Episcopus eos, quos Patroni offerunt, si canonico irregularitatum impedimento nullo constringuntur, adeoque indigni non sunt. At cùm sua potestate utitur, tunc digniorem eligere illum teneri.

Novell. 123. c. 18.

XII. Jam verò quoad electiones Episcoporum, ab eodem Justiniano sancitum est, ut Clerici Nobilesque civitatis tres eligerent, ex quibus Metropolitanus, vel qui electioni præerat Episcopus, dignissimum eligeret, suo ipsius periculo rationem Christo redditurus judicii sui. *Ut ex tribus personis, pro quibus talia decreta facta sunt, melior ordinetur, electione & periculo ordinantis.* [illegible]. Alibi verò jubet, ut ex tribus melior eligatur: *Ut ex ipsis idoneior*, [illegible], *ad Episcopatum promoveatur.* Hæ porro leges præclarissimæ & Novellæ non semel inculcandæ occurrent.

Ibid. c. 1. & Novel. 137. c. 2.

Cod. de Epis. & Cleric. l. 41.



CAPUT

CAPUT XL. *P. 4. l. 2. c. 38.*

An Electores, Collatores, Patroni, Digniorem præferre debeant. De litibus ad Beneficia, post annum Christi millesimum.

I. Concilio Lateranensi IV. Decretum est, ut Concilio Provinciali causam decernet, pœnasque daret Episcopus, qui indignis Beneficia contulisset.

II. De dignis agit hoc Concilium, non de dignioribus, quod de Beneficiis universim agat, & quod pœnas decernat.

III. In Decretalium libris nulla irrogantur ut pœna, qui dignos prætermissis dignioribus elegerint: at ejus electionis perversitas conscientia propria, aut æterna certe lege, & summo judici pœnam dabit.

IV. Patronus Ecclesiasticus tenetur digniorem præsentare: at quem præsentat Patronus laïcus, recusare is non potest, si modo dignus sit. Probatur ex Concilio Tridentino.

V. Dignissimum eligi jubebat Pragmatica Sanctio.

VI. Urgente necessitate, vult Petrus Damiani, ut minus indignus admittatur, cum per pœnitentiam expiatus fuerit.

VII. Sancti Bernardi placita, Vuillelmi Parisiensis & Petri Cantoris.

VIII. Sancti Thomæ doctrina, & Alexandri Alensis.

IX. Sancti Antonini placita & recentiorum Theologorum.

X. Petri Blesensis sententia.

XI. Plurimorum Pontificum Regula sanctissima in dispensandis Beneficiis.

XII. Placita Episcoporum magni nominis, & Ximenii, Caroloque Borrhomæi Cardinalium.

XIII. Placita Regum, Principum, Collatorum, ab integritate canonica disciplinæ non dissidentium.

XIV. De litibus ad Beneficia. Quid optari, quid sperari, quid permitti debeat.

XV. De Concursu ad Ecclesias Parochiales, à Concilii Tridentini Patribus instituto.

XVI. Cardinalis Bellarmini, & Clementis VIII. Papæ sententia.

XVII. Dionysii Carthusiani sententia.

I. NOn quæritur hic an dignis, quis enim sobrius ambigat ea quidem de re? Sed an dignioribus danda necessariò semper sint Beneficia. Qua quidem de re in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. editum est Decretum, cujus temperatissimam sapientiam nemo satis mirari possit. Post graviter enim objurgatos Episcopos, qui Beneficia indignis conferebant: post luculenta ad eos monita, ut nonnisi dignis posthac conferrent; sancitur ut in Concilio Provinciali suspensionis pœna mulctentur, qui semel iterumque correpti, his monitis non obtemperarint, & eorum loco substituatur, qui eam potestatem sanctiùs exerceat. Si verò immorigerus sit huic decreto Metropolitanus ipse, à Concilio causa ejus ad Superiorem referetur. *Grave nimis est, & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere, assumere non verentur indignos; quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non rationis, &c. Volentes igitur huic morbo mederi præcipimus, ut prætermissis indignis idoneos assumant, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum: fiatque de hoc in Provinciali Concilio diligens inquisitio annuatim, &c.* Can. 30. Extra De Prœbendis. C. Grave.

II. Permagni utique referret in Concilio recenseri & examinari omnium Collationes Beneficiorum. Non id tamen exigit hoc Decretum Concilii, ut Collatores digniorem semper elegerint. Dum indignis & imperitis collata non sint Beneficia, nihil præterea urget; nihil gravius comminatur. Notandum est etiam quod de omnibus indiscriminatim Beneficiis hic agatur, sive adjuncta sit aliqua, sive nulla animarum cura. Hinc autem illud concluditur, cùm de omnibus promiscuè Beneficiis hic agatur, & eo agatur consilio ut pœnæ indicantur, non potuisse ulterius quidquam præcipi, quam ut nonnisi dignis conferrentur. Quantacumque enim sit obligatio dignioribus conferendi, ea ad Parochiales maximè Ecclesias pertinet, sive ad eas quibus imminet cura animarum: nec ulla est in eos jure actio, qui dignis conferant, etiam dignioribus prætermissis, quanquam apud æternum judicem causam dicturi sint, qui rationem secuti fuerint tam alienam à ratione & lege æterna.

III. Ejusdem Innocentii III. est *C. Cum nobis, De electione*, quo similiter perspicuè constat Episcopi electionem eo confirmari, quod nihil in eo deprehenderetur, quo indignus, vel minus idoneus censeri posset. Capita rursus illa, *Cum in cunctis*, & *Bona memoria*, *Extra De electione*, & *Caput Perpetuo*, *De electione in sexto*, non exuunt eligendi, postulandi, & nominandi potestate, nisi eos, qui indigno vota sua volentes prudentesque contulerint.

Sed quanquam hæc ita se habeant, apud peritissimos tamen & laudatissimos Canonistas in confesso est, quamvis digni spreto digniori electio in judicium hominum vocari non possit: apud sempiternum tamen judicem gravi constringi eum piaculo, qui digniori quemquam anteponit alium. Audi de ea re Fagnanus quid sentiat. *Electio facta ex omissione dignioris non retractatur, ut litium occasiones amputentur. Sed ante electionem omnia jura clamant, ut meliores & sanctiores eligantur, & ideo peccant contra justitiam distributivam, qui omisso digniori eligunt dignum, ut notant omnes in C. Constitutis de appell.* Fagnan. L. 1. Decret. Part 1 pag. 169. 181. & part. 2. pag. 140. Illo autem Capite *Constitutis* id habetur, Episcopum Metensem cùm ad Præpositi electionem Canonicos hortaretur, obtestatum illos esse, ut eum eligerent: *Quem Ecclesia magis utilem & idoneum reputarent.* Laudat denique Fagnanus Canonistas, qui censent mortali se obligare peccato eos, qui digniori posthabito dignum eligunt, ubi de Beneficio agitur animarum cura onerato.

IV. Et certè de Beneficio agitur cui imminet animarum Cura in Capite, *Quoniam*, *De jure Patronatus*, qui Canon est Concilii Lateranensis III. & ubi Concilium jubet, ut si plures de Patronatu contendant, & plures præsentetur Episcopo ad Ecclesiam Parochialem, is eum præferat *qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur assensu.* Censet tamen Fagnanus, eum qui pluribus niteretur suffragiis, si dignus esset, vulgo existimari ei præponendum, qui dignior esset. Addit & in id propendere Concilium Tridentinum, cui placuit ut Collatores & Patroni Ecclesiastici digniorem semper teneantur præferre; at quem Patronus laïcus offert, examinari deberet, & institui, si modo dignus sit. Fagnan. in L. 3 Decret. Part. 2 pag. 255. Hæc enim sunt verba Concilii de Parochiis liberæ Collationis post concursum & examen factum: *Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit.* Sess. 24. c. 18. At de Parochiis Ecclesiastici Patronatus, ubi Episcopus instituere debet: *Quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur.* Si institutio autem ad alium pertineat quam ad Episcopum, tunc non Patronus, sed Episcopus digniorem designabit, quem Patronus Institutori præsentet. *Tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem.* Si Patronatus denique laïci est Parochia;

Qui à Patrono præsentatus erit, debet examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti.

Manifestissimum est discrimen, quod interponi voluit Concilium Patrooos inter Laicos, cæterosque. Profert Gratianus Decretum Concilii Romani sub Eugenio II. quo videtur præcipi Episcopo, ut admittat à Fuodatore præsentarum, dum ne indignus sit. (16. q. 7. c. 33.) *Liceat Presbytero, cui voluerit, cum consensu Episcopi, ut mulus existat, commendari.*

Sed quanqoam Cooeilium Tridentinum inexotabili hac lege Episcopos obligasset, ut digniorem semper præponereot minus digno, in Collatione, vel iostitutione Parochiarum: ab electione tamen & judicio Episcopi appellari non poterat. Primus ergo omnium Pius V. Bulla *In conferendis* anno 1567. edita, permisit appellari ab Episcopo ad Metropolitanum, & à Metropolitano ad Episcopum proximiorem tanquam Papæ Delegatum, vel ad Pontificem ipsum, ut oovum instituatur examen inter digniorem qui appellavit, & minus dignum, quem Episcopus prætulit. (Fagn. l. 1. pars. 2. pag. 240 241.) Super ea re consulta Congregatio Concilii, sæpiùs respondit, ei & provocationi, & instautato examioi locum esse debere. Responderat etiam à judicio examinatorum dari appellationem quam vocant devolutivam.

Nihil necesse est immorari in pertexendis rationibus tam suspensæ & scrupulosæ circumspectionis ad Beneficia, quibus imminet animarum cura. Perspicuum est ad ea requiri & doctrinam longè uberiorem, & experientiam, quàm ad ipsas Cathedralium præbendas. (Ibidem. pag. 275.) Ideo & Cardinalis Borrhomæus cùm Congregatiooem Concilii consuluisset, an examinandi rursus essent Diaconi & Presbyteri, quibus Papa Canonicatus contulisset in Cathedralibus *in forma dignum*: Responsum est, Minimè necesse esse: at nisi in Ordinibus sacris jam fuissent, necesse futurum fuisse eos examinari de doctrina Ordini ei oecessaria, qui Canonicatui annexus esset. Non petinde res habuisset, si his Presbyteris Diaconisque concreditæ fuissent Ecclesiæ Parochiales. Novo enim utique examine opus fuisset.

V. Sanxerat Pragmatica Sanctio, vel potins Concilium Basileeose, ut anteqnam ad Electionem Episcopi, vel Abbatis veniretur, juramentum præmitteretur eligeodi, quem quisque ad gubernaculum Ecclesiæ regendom utiliorem judicaret. *Eum eligere, quem credam futurum Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus utiliorem.* (Tit de Elect. Conc Basil. Sess. 12. Jol. 1. Dec. Par. 1. p. 273) Ita interpteranda est necessitas eligendi dignioris, id est ejus qui paratior, instructiorque sit ad moderandum clavum Ecclesiæ, tum in temporalibus, tum in spiritalibus. Ideo Fagnanus observat, in Sacramento quod præstatur ante electionem Papæ, non jurari de eligendo sanctiori, sed eo qui eligi debeat. *Testor Deum, quod eum eligo, quem secundùm Deum judico debere eligi.*

VI. Haud sanè Petrus Damiani addnbitabat, quin dignior & dignissimus quisque deberet eligi ad Episcopatum: sed calamitosis & conscceleratis illis sæculis, quibus oec uous occurrat, qui non eo fastigio indignus sit, nolebat ille Ecclesiam diutius viduatam languere, & marcescere: minus indignum assumi malebat. Clerus populusque Foro-Semproniensis in Episcopum elegerat sibi Archipresbyterum quendam, qui non aspernandas dotes alias suas fœda Episcopalis sedis prurigine fœdabat. Turpissimæ huic ambitioni nemo infensior Petro Damiani. Et nihilo tamen minus ad Gregorium VI. Papam litteras scripsit, ut ad Archipresbyteri hujus electionem confirmandam illum adduceret. *Noverit beatitudo vestra, piissime Domine, quia pro peccatis nostris, Clerici Episcopatus officio digni in nostris partibus non inveniuntur. Omnes quæ sua sunt quærunt, &c. Præesse inhiant, prodesse non curant. Veruntamen pro qualitate temporis & penuria personarum, videtur mihi hic Archipresbyter posse ad Episcopatus apicem provehi, si vestra sanctitatis id decernat authoritas; excepto quod avaritia honoris æstuat, conscendere ad pastoralis officii culmen anhelat. Hoc autem vestro relinquatur judicio. Sed si hoc non obsit, cum Semproniensis Ecclesiæ Clericalis ordo in mea mente revolvitur, hic aliquantò cæteris quasi meliusculus invenitur. Quapropter si prudentissimæ vestræ sanctitati placere potest, postquam à Clero & populo est electus, postquam ad hoc officium à pluribus utcunque judicatur idoneus, de ambitione sua pœnitentiam agat, & benedictionem consecrationis accipiat.* (L. 1. Ep. 2.) Videtur mihi quidem Petrus, vir rerum Ecclesiasticarum suo ævo peritissimus, duas tum copulasse regulas, quæ singulæ suo sejunctim tempore vigorem non mediocrem obtinuere. Altera erat Gregorii Magni: Ecclesias non diutissimè vacare sinendas esse, sed ei potius committendas, *quo melior inveniri non potest.* Altera recentior erat, & ea ipsa Damiani ætate vehementer invalescere cœperat: posse alioqui criminosos, post peractam pœnitentiam ad Ecclesiastica dignitatum culmina provehi. *Agat de ambitione sua pœnitentiam, & benedictionem consecrationis accipiat.*

VII. Cùm accepisset Bernardus ab Innocentio II. Papa juberi Monachum quendam capessere clavum Episcopalis in Longobardia Ecclesiæ: per litteras eum submonuit, Monachum illum ea verè & sanctitate esse & peritia, cui non injuria Episcopatus committi posset: sed ætate juvenem & rerum inexpertum; nec populo ferociori & tumultuoso, qualis ei credendus erat, objiciendum, sed opportuniori reservandum tempori, cùm spes aliqua lætior se aperiret ejus ad Ecclesiæ sarcinam vocandi cum uberiori fructu. *Quid putamus esse facturum juvenem, viribus corporis fractum, & quieti eremi assuetum, in populo barbaro, tumultuoso, procelloso? Quando poterit convenire tanta simplicitati & tantæ dolositati? tantæ sanctitati & tantæ perversitati? Reservetur, si placet, congruentiori loco, atque alteri populo, cui sic præsit, ut prosit, & festinatione non pereat fructus, quem poterat dare tempore suo.* (Epist. 155.)

Scribens idem Bernardus ad eundem Pontificem pro confirmanda electione Archiepiscopi Lugdunensis, Præsulis hujus ingentes pernumeravit virtutes, quibus factum esset, ut unanimi omnium consensu eligeretur. *Ut non dico contradictio, sed nec cunctatio ulla fuerit. Et meritò. Est quippe illustris, non minus mentis generositate, quam sanguinis; est scientia, est vita honestate.* (Epist. 175.) Itaque Bernardo, quo nemo unquam ab humanis affectibus alienior fuit, videbatur tamen Nobilitas, à qua præsidium protectioque accedere potest Ecclesiæ, sua habere momenta, in ea æquitatis lance, qua merita trutinantur ad Ecclesiæ summas dignitates.

Sed zeli vigor & magnanimitas Bernardi, ne Romano quidem pepercit Pontifici, cum obreptum ei esse intellexit, ut notoriè ambitiosus ad Episcopatum protruderetur. *Quis vobis suggessit hominem de ambitione notatum, convictum, condemnatum, ad Ecclesiasticam cogere dignitatem? quasi non satis per se ipse se ingerere voluisset?* (Epist. 168.) Quin nec sibi pepercit ipsi, cum ipsum sero tandem pœnituit commendatitias dedisse litteras pro Præpositura juniori

Episcopi Altissiodorensis nepoti impetranda; doluit illi, quòd nimio plus increvisse visus esset: *Pœnitet me scripsisse pro juvene illo, & velim, si fieri posset, revocari precem.*

Epist. 274.

Cautior fuit Bernardus adversùs amicorum blanditias, & humanitatis lenocinia, cùm Theobaldus Campaniæ Comes, vetere amicitia & officiis multis ei conjunctissimus, rogavit ut filio adhuc puerulo Beneficia aucuparetur aliqua. Rescripsit enim fidelissimè sanctus Pater, non posse ei Beneficia Ecclesiastica aut dari, aut danda curari, qui Ecclesiæ obsequiis necdum se mancipavit, necdum etiam per ætatem possit: non posse rursum plura uni Beneficia accumulari, nisi ubi laudabili dispensationi ex justissima compensatione locus est: non posse, inquam, amicis suis quemquam in his commodare, citra suam ipsius & amicorum perniciem; ubi quis ut ab homine mortali gratiam ineat, divinæ gratiæ jacturam & illi & sibi infert. *Offendo proculdubio, si facio quod requiris. Nam honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas dignè ac secundùm Deum administrare, & velint, & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuipiam vel adulto plures in pluribus habere licet, nisi dispensatoriè quidem, ob magnam vel Ecclesiarum, vel personarum utilitatem.* Addebat Bernardus, ubi cum ætatis incrementa fecisset & sapientia & probata juvenis virtus, nullo se illi officio, non opera, non favore defuturum, quantùm ea Dei concesserit. *Ubi verò emerserit, quod secundùm Deum habere possit, probabo me amicum, & operam meam, si opus fuerit, non negabo.* Pulcherrimum utique specimen & vigoris minimè inhumani, & observantiæ Canonum religiosæ, non sine blandioribus temperamentis.

Epist. 271.

Illis succensebat Guillelmus Parisiensis, qui usitato illo abutebantur loquendi genere, penes Episcopos esse potestatem Beneficia dandi. Castigandum prorsus eum sermonem esse, dicendumque id muneris incumbere Episcopo, ut Ecclesiæ vacanti idoneos ministros donet & instituat, qui ei ædificandæ inserviant; inserviant, inquam, exædificandæ non Ægypto, aut Babyloni, sed Hierosolymæ: *Potestas instituendi personas in Ecclesiis, quam mercenarii & horreales, sive cellariales & coquinarii Clerici vocant potestatem Beneficia conferendi. Interrogandi sunt in Confessionibus Episcopi, qualiter Ecclesias ædificent, hoc est, ex quibus personis, vel potius utrùm Ecclesias ædificent. Quidam enim nonnisi Sodomam & Ægyptum spiritualem, nonnisi Babylonem ædificant.*

De Sacram. Pœnit. c. 12. pag. 469.

Rursus idem affirmat non minùs perversum esse Beneficium indigno dari, quem Procerum aliquis commendarit, quam si ejusdem commendatione Architectus aliquis arundinem pro columna aliqua substitueret, certissimæ Palatii ruinæ secutus. *Si quis adeo insaniret, ut diceret, Magister ego festucam istam diligo, rogo te, honora eam, & pone in loco columnæ fortis: numquid subsannari se ab illo adverteret, & in faciem ejus spueret?* Impios, membra utique diaboli, divinis filiorum Dei ornamentis ornari, & quodammodo consecrari, infandum & detestabile scelus esse ait: *Membra diaboli deificata prælationibus & sacris officiis.* Non silet denique Episcopi cujusdam incogitantiam periculosissimam, qui cùm nepoti tenello adhuc pyrum arborem credere recusasset, Archidiaconatum tamen destinabat. Unde & amicorum aliquis scitè aliquando eum percunctabatur, *Domine, qualiter committetis Robertulo tot millia animarum custodienda, cui tam pauca pyra committere non audetis?* Subjicit denique Vuillelmus, ita Beneficia in potestate esse Patronorum & Collatorum, ut eleemosynas dispensatoribus commendatas, quas non possint nisi flagitiosissimè fraudatis pauperibus minùs egentibus gratificari.

De Collat. Benef. c. 1.

Cap. 3.

Non censebat Petrus Cantor Beneficiarios, seu dum vita suppeditat, seu hinc migrantes, quidquam suis dilargiri posse, etiam ad vitæ sustentationem. Quin & ita æstimabat, ne dandam quidem esse operam, ut Beneficia eis obtingant, tametsi non minùs digni idoneique, quàm alii sint, nisi ex adhibeantur cautiones, quas adhiberi servarique difficillimum sit. Ecquis enim satis munitus est adversùs præstigias privatorum affectuum & amoris affinium, cognatorumque? Ut sit aliquis purus ab omni carnalium affectuum contage, ecqui fidem aliis faciet, ecqui suspiciones & offensiones hominum declinabit? Ecqui denique exemplo non erit aliis, & exitio, qui similiter Beneficia suis conferent, ut ille, non ut ille humanas cupiditates ablegabunt? *Sed quid si æquè honestus & dignus, ut extraneus? Sed & hoc periculosum est, nisi probitas ejus exigat, & excludat omnem infamiam, scandalum & malum exemplum, quod de facili non fit. Non enim exemplum à benegestis nostris sumitur, sed à cortice, specie & superficie illorum, non à veritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii mentur meo exemplo, ut dent suis propter naturam magis quàm propter gratiam.* Ex Petri ergo sententia tum demum fas est Beneficia cognatis largiri, cùm eorum pietas & religio, peritia & dexteritas usque adeo supra omnem admirationis aleam est, ut nemo hinc ad audendum ejusmodi quidpiam excitetur.

Cap. 43.

VIII. Excussa est & à B. Thoma incomparabili Theologo ea quæstio, an peccet Episcopus, qui digno & probo confert Beneficium, cum est ad manum melior dignior que. Respondet autem, si prior Ecclesiæ utilior futurus est, seu sapientia, seu experientiâ rerum, seu authoritate, seu diuturna jam assuetudine officiorum ei hactenus impensorum: tunc eum debere præponi, ut utiliorem, & eo sensu digniorem. *Contingit quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantùm ad hoc, quod Beneficium percipiat; quia aliquis fortè potest Ecclesiam magis juvare, vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia servivit in Ecclesia. Non ergo Episcopus tenetur semper dare meliori simpliciter, sed tenetur dare meliori quoad hoc.* Enimvero nisi tota ratio unius alteri antehabendi ex Ecclesiæ ipsius utilitate religata pendeat, ea est nimirum exitialis personarum acceptio, quam Ecclesiæ & sanctorum Patrum authoritas execratur. *Non enim potest esse, quod Episcopus unum præferat alteri, nisi propter aliquam causam. Quæ siquidem pertineat ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ, jam quantùm ad hoc ille est melior: si autem illa causa ad hoc non pertineat, erit acceptio personarum, quæ tantò est gravior, quantò in rebus divinis committitur.* Suæ autem sententiæ patrocinium accersit beatus Thomas ex Augustino, cujus recitata sunt superiùs verba ex Epistola XXIX.

Quodlib. 6. q. 5. Art. 3.

Suprà c. 38. n. 4. Epist. 29.

Pertractatur & alibi copiosiùs eadem quæstio à sancto Doctore, ubi & illud subjicitur, si unum id exigant libri Decretalium, & Juris Canonici paginæ, ut dignus sit qui eligitur, nec prætereà satagunt, ut dignior etiam sit; id eò fieri, quòd ibi agatur non de strictis & interioribus legibus conscientiæ, sed de regulis jurisdictionis contentiosæ,

quæ tum acquiescit, si eligatur dignus, etsi prætereatur dignior, ne alioqui electiones omnes in controversiam veniant, & litium seges immensa exoriatur. *Non loquitur Decretalis quantum ad forum conscientiæ, sed quantùm ad forum contentiosum, in quo non reprobatur electio ex hoc, quod potest aliquis alias magis idoneus inveniri; dummodo ille qui eligitur, idoneus sit. Aliàs omnis electio calumniam pateretur.*

Quodlib. 8. q. 1 art. 2.

2. 2. q. 63. art. 2. & q. 185 art. 3 & q. 118. art. 3.

Nec aliter in Summa sua Theologica sanctus Doctor docet, qui non tantis scientiæ & pietatis præsidiis munitus erit, præponendum tamen quandoque fore, quòd & utilior futurus publicis sit Ecclesiæ commodis, ob majorem in sæcularibus negotiis potentiam, peritiamque, & experientiam. *Potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam sæcularem.* Si Prælati etiam propinqui merito non sint impares cæteris omnibus, præferri ab eo posse, quòd eos habiturus sit in rerum Ecclesiæ administratione magis fidos & amiciores. *Si consanguinei Prælati sunt æquè digni, ac alii, licitè potest absque personarum acceptione consanguineos suos præferre, quia saltem in hoc præeminent, quod de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent.* Quo tamen exemplo, ut vehementer periculoso abstinendum foret, si inde cæteri occasionem arriperent proximorum Ecclesiæ bonis & proventibus ditandorum. Porro si sanxere prisca Concilia, ut ejusdem Ecclesiæ Clerici præferentur: uni Ecclesiæ ea re consultum voluere, cui studia sua industriamque omnem diligentiùs amantiùsque impendent, qui ejus stipendiis & beneficiis jamdiu obligati illi sunt, quàm extranei. *Ille qui de gremio Ecclesiæ assumitur, ut in pluribus consuevit esse utilior, quantùm ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus.*

Idem jam senserat Alexander Alensis, quoad propinquorum prærogativam apud Prælatos. Addiderat & de subsidio aliquo impartiendo, *ut non egeant, sed non ut luxurientur.* Item de nobili illiterato, & præponendo tamen ei, qui & ignobilis & literarum peritia excultissimus sit, quando nobilium potestate & terrore propulsandi necessariò sunt Ecclesiæ adversarii. *In casu præferri potest nobilitas personæ, ad hoc ut arceantur lupi, qui non tantùm temporalem, imò & spiritalem Ecclesiæ pacem impediunt, &c. Dummodo morum honestas subservatur.* Censet denique ad Episcopatum, Dignitatesque alias eminentiores digniorem semper anteponi debere: at in minoribus Beneficiis non necessariò id requiri. *In minori Beneficio sufficit quod bonus.* Ut à Magistri vestigiis recessit B. Thomas in quæstiuncula hac postrema de minoribus Beneficiis, ita & nos æquum est ejus exemplo eam aversari doctrinam, quam suprà tot telis confixam, & ipsius Tridentinæ Synodi definitione confossam vidimus.

Part. 2. q. 119. a. 5. 2

IX. Non negat S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, jure Decretalium septenni infantulo conferri posse Beneficium simplex & Præbendam; & nihilominus subjicit idem ipse ejusmodi Collationes, etsi non damnet jus humanum Ecclesiasticum, damnari tamen eas jure divino, quo inexorabiliter sancitur, ut digniori dentur. Quanquam enim non prorsus indigni sint infantuli isti, sunt tamen, eorum comparatione, qui digniùs, sanctiùs utiliúsque ea obire officia possunt. *Tamen quamvis humano jure non irritetur talis collatio, jure divino illicitum est dare talia Beneficia talibus, nisi quando alii non inveniuntur; quia contra justitiam distributivam est, si detur minùs digno. Quamvis autem iste puer non sit indignus positivè propter defectum, quia est innocens: respectu tamen illius est indignus, quia alius est dignior. Unde contempto meliore, sanctiore, justiore, dare alteri est grave peccatum, ut dicit Augustinus.*

Summa Te. 3. Tit. 15. c. 2. n. 3.

Quæ Decretalium lex septennibus pueris Præbendas dari sinebat, ortum ea ducebat ab antiquissima Ecclesiæ disciplina, cùm Beneficia nisi manualibus distributionibus non constabant, quibus necessaria cuique alimenta & vestimenta suppeditarentur. Erat omnino & pietati consentaneum, & æquitati, non fraudare his necessariis vitæ subsidiis, immaculatæ vitæ infantulos, qui jam tum ministeria aliqua Ecclesiæ exhibebant, Lectorum, Cantorum, & id genus alia. Sed nunc longè diversissima est Beneficiorum ratio & natura. Expuncta non est ea lex ex libris Decretalium, quòd possint adhuc ejusmodi aliqua superesse Beneficia alicubi, ex meris & modicis distributionibus. Sed non deest in eisdem Decretalibus, quo occurratur malo hinc emergenti, cautio ubi illa est commendatissima, ut nonnisi dignioribus quidquid est Dignitatum & Beneficiorum addicatur.

Ubertimè & Gabriël Vasquesius hanc executus est doctrinam, Dominici Soto & Covarruviæ in his plerumque sectator; cum iisque persuasissimus, non posse eum qui eligit sine gravi piaculo præferre minùs dignum digniori: ut qui in maxima gravi ex mera ducatur personarum acceptione, & cùm merus sit dispensator legibus obnoxius distributivæ justitiæ, supra leges & contra leges eas insurgat, audeatque libidini suæ magis quàm æquitati servire. Porro, cùm ejusmodi rationes parem vim obtineant, quibuscumque demum in Beneficiis, sive animarum illis immineat cura aliqua, sive nulla, sive electiva sint, sive collativa; sive laïci, sive Ecclesiastici sint Patronatus; sive obitu, sive resignatione vacent Beneficia: nunquam non scelestum est ad ea dignum dignioribus præferri. Etiam tum cùm à Fundatoribus Beneficium addictum est genti & familiæ cuipiam, qui ejus familiæ dignior & utilior futurus præsumitur, is necessariò eligendus. Nihil inter illos discrevit B. Thomas in locis supra laudatis. Concilium Tridentinum expressè definit peccatum mortale incurri, ubi de Episcopi electione agebatur. *Mortaliter peccat, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.*

Opusc. de Benefic. c. 2.

Sess. 24 c. 1.

X. Nec adversari nobis videri potest Petrus Blesensis in ea Epistola, qua Carnotensem Episcopum adhortatur, ut nepotes extraneis præferat in distributione Beneficiorum: cùm ii & temporali premerentur penuria, & eruditionis ac virtutis copia abundarent. *Vestra discretio non ignorat, quod extranei & honesti admittendi & beneficiandi sunt: sed nunquam honestis nepotibus præferendi. Summa naturæ injuria est, nepotem pauperem & honestum abjicere, &c.* Ob oculos verò illi constituit ipsius Christi Optimi Maximi exemplum, qui ad Apostolatum accivit quinque sexve è cognatis suis. Verùm id totum ad eum necessariò modum exigendum est, & ad eam normam sancti Thomæ superiùs allegati, ut ne proximi sapientiæ & virtutum laude extraneis concedant, utque quod ad temporales proventus pertinet, una sit cura, una ambitionis meta, ut ne quo indigeant: utque uno eo stimulo ad administrationis sacræ societatem vocentur, quo paci & concordiæ prospectum sit.

Epist. 70.

XI. Quamvis duræ & asperiores videri primùm possint hæ morum Canonumque regulæ, indubium

tamen est Religionis zelo, & æquitatis amore inolescente, & in dies augescente, suaves illas & faciles, perspicuas & certissimas iis fuisse & fore semper, qui eas constanter amplexati fuerint. Supplices libellos ad impetranda Beneficia sibi oblatos primo consecrationis suæ die abjecit Benedictus XII. Papa, rescíscere antè volens aliquid certi de annuo Beneficiorum proventu, de meritis supplicantium, & an aliquo jam gauderent Beneficio. *Voluit enim scire conditionem personæ supplicantis, & summam redituum, & si impetrans ante fuerit beneficiatus.* Commendas penè omnes revocavit, & ut habet eorum temporum scriptor: *Hic justus & durus erat. Beneficia quæ dispositioni sedis Apostolicæ reservavit, vix conferre voluit, timens ut dicebatur, ne conferrentur indignis.*

Rainal. an. 1334. n. 2. 1335. n. 67.

Nec minùs religiosus fuit Clemens VI. ejus successor, ut nequas sacras conferret dignitates & Beneficia, nisi dignioribus & utilioribus; investigans qua maxima poterat diligentia illorum, qui sibi proponebantur, instituta & mores, fraudes sibi necti suspicans semper, & vacare aliquandiu Beneficia malens, quam indignis, vel minùs dignis conferri. *Et in hoc voluit quòd præferrentur meliores & sufficientiores, ad hoc alter ad quascumque personas affectum specialiter non habebat, & in hoc multoties se decipi formidavit, &c. Propter quod multa Beneficia, Dignitates & Prælaturæ quamplures diutius in vacatione permanserunt. Dicebat enim quod melius & securius erat quod vacarent, quam si haberent malos, vel minus idoneos præsidentes.* Quod ad cognatos attinet, unum evexit tantummodo, omnium ad Archiepiscopatum Arelatensem, & eum quidem tum ejus ingentibus meritis, tum Cardinalium instantissimis votis donare coactus est.

Rainald. Ann. 1340. n. 3. 4.

Nec Urbano V. minùs in hac parte suffragati sunt, qui vitam ejus litteris mandavere. Nunquam passus est quemquam duorum Beneficiorum compotem fieri; inquiri voluit anxia sanè & pervigili diligentia eos omnes, quibus dignè Beneficia conferri possent; denique Prælaturas propinquis nullas concessit, nisi alteram fratri, alteram consanguinei filio, cùm uterque meritis & virtutibus florentissimus esset: reliquos omnes simplicibus Beneficiis contentos esse voluit, vel Officiis Curiæ Romanæ.

Ibidem. An. 1370. n. 21. 22.

Hadrianus VI. procul à se omnes abegit cognatos proximosque carnales, & ubi pari lance inter eos & extraneos merita, eruditio, virtutes æquabantur, extraneos præposuit, ne sanctam Civitatem profano glutine & in sanguinibus coagmentaret. Ita enim Panuvinius, ita ipse: *Hinc fuit quod difficulter cognatos ad Beneficia proveheret, non quia eis humaniter non faveret, si alioqui idonei fuissent. Sed quia ut dicere solebat, ædificare Sion in sanguinibus nollet. Hoc est, quia in sacris respicere necessitudines natura nollet, ut quæ ibi locum non haberent. Quin immo in iis etiam paribus dotibus alienorum potius, quam suorum rationem habiturus videbatur.* Permirum illud merito videbitur, quòd præter sententiam Petri Blesensis, hic sanctissimus Pontifex æquatis cognatorum & extraneorum meritis, extraneos antehabebat.

Ibidem. An 1523. n. 124.

XII. Inter alios Pontifices, quos sanctitatis laus & fama celebravit toto orbe, principem locum assignabimus Philippo Alenconio regia Gallorum prosapia prognato, Archiepiscopo Rotomagensi, Patriarchæ Hierosolymitano, postea & Aquileiensi. Cùm Rex ab eo Beneficium flagitasset Clerico minimè idoneo dandum, constantissimè renuit: cúmque tum Judices Regii in temporales ejus reditus manus injecissent, ipse interdictum vibravit Ecclesiasticum.

Spond. ann. 1377. n. 21

Ximenius Cardinalis opulentissima Beneficia Ecclesiæ Toletanæ non dabat nisi iis, quos non sola commendaret nobilitas, sed doctrina pietasque, sequax Pontificiorum in ea re Decretorum, quibus illud inculcatur non semel, nobilitate & eruditione, veluti gemino hinc & inde præsidio Ecclesiam muniri. *Quoties digna, aut optima Sacerdotia Toleti in maximo templo vacua esse contigerat, ea in filios Regulorum, aut in viros aliquos doctrina pariter & moribus præstantes conferebat, juxta summorum Pontificum decreta, quæ in hac parte mira quadam consideratione Ecclesiarum commodis consuluerant, propositi tenax ad mortem usque contulit. Nam ex claris & nobilibus viris favorem, ex doctis vero authoritatem rebus sacris conciliari aiebat.* Propensiore verò studio curabat Parochos optimos Ecclesiis præficere; spretis proximioribus, extraneis persæpè conferebat, pietatem pluris faciens, quam doctrinam, molestissiméque ferens si postularet quis Beneficia; & nonnunquam vacua illa diutiùs dimittens, dum occurreret, qui tam sancto ministerio dignè præficeretur. *Proximis quibusque ex familia prætermissis, sæpè numero ignotos vocabat, quos vel mediocri literatura præditos aliis quamvis doctioribus, minus tamen strenuis præferebat. Dum hæc secum ponderabat, & de singulorum virtutibus certior fiebat, multa nonnunquam sacerdotia ponis se retinebat, donec dignus minister occurreret. Quod tamen æmuli quoque, ut cætera, culpabant, ipse vero consilii sui conscius, quidquid illi calumniarentur, contemnebat, &c. Quæ ut libenti animo in ignaros sponte conferebat, ita si quis aliquid hujusmodi ab ea peteret, moleste & graviter ferebat, & veluti procacem ac parum sui reverentem aversabatur.*

Gomecius in ejus vita. l. 7.

Domum & familiam suam pascere nolebat sanctus Carolus Mediolanensis Archiepiscopus, nisi Clericis doctis piisque; nec tamen ullo eos remunerabat Beneficio, idque præ se ferebat, nequa improba spe semet ipsi illuderent. Cùm Vicarius ejus Generalis simplex aliquod Beneficium Amanuensi ejus contulisset; voluit ut illud abdicaret: tergiversantem ejecit familiâ. Ut hanc semel omnino resecaret spem, singulos stipendiis amplissimis, vel pensionibus de patrimonio suo solvendis donabat. Nec favor, nec Procerum preces unquam eblandiri quidquam illi, aut extorquere potuere. Ne simplicia quidem Beneficia favori & gratiæ à se dari posse existimavit. Uniri ea & adglutinari malebat, aut Parochialibus Ecclesiis, aut mensis Capitularibus, aut Dignitatibus tenuioribus, aut in titulum conferri Clericis egenis, & strenuam tamen Ecclesiæ operam navantibus. In dispensandis Beneficiis, Ecclesiæ consuluit semper, non Beneficiario. Canonicatus dare avebat iis, qui non eo tantum fungi munere probè & naviter possent, sed & qui pio præterea zelo æstuarent subveniendi proximo, & adlaborandi publicæ saluti, operasque alias & alias præstandi pro vastæ Diœceseos suæ necessitatibus. Dignitates & Beneficia omnia, quibus affixa esset animarum sollicitudo, nunquam contulit, nisi maximè idoneis & dignioribus. Ad examen & concursum à Concilio Tridentino præscriptum procedi volebat: sed Clericorum ejus nullus eò advolabat, nisi ab eo jussus; usque adeo persuasum erat omnibus, indignum protinus censendum Beneficio, quisquis illud ambisset. Quin & multi & quælibet respuebant Beneficia, & industriam

Giussano L. 6. c. 3. *L. 8 c. 10.*

vigilantiamque suam omnem ad Ecclesiæ munia & utilitates nihilo segnius conferebant. Clericos ab Ecclesiis ad Ecclesias, à Beneficiis ad Beneficia transferebat, non ipsorum voluntate, sed sua, & solius Ecclesiæ utilitatis, vel necessitatis contemplatione; altissimè illud infixum animo gerens, & inconcussum, Ecclesiis homines, non hominibus Ecclesias impendi & donari debere. Insigne autem illud decus fuit restauratæ ab eo Disciplinæ, quod sub Carolo nullæ fuerint de Beneficiis lites, nullæ ambitiosorum hominum contentiones; Clericis ejus omnibus hujus sanctissimi propositi sui tenacissimis, ut nulla nisi eo jubente, vel admitterent Beneficia, vel retinerent.

Alterius sæculi res erat ea Caroli disciplinæ constantia & sanctitas. Erat & illud melioris sæculi præclarum decus, quod de Bituriensi Archiepiscopo refertur Guillelmo, eo qui anno 1209. vivere desiit, quinque tam sanctas & amabiles inierat rationes conferendorum Beneficiorum, ut Capitulum Bituricense transferre in illum optarit jus omne Præbendis & Beneficiis omnibus quomodocumque providendi: quam ille tamen recusavit facultatem, ne quia ea successorum aliquando abuteretur.

Boll. Janu. die 10. c. 6.

XIII. Nec illaudati prætereundi nobis sunt Patroni laici, qui easdem castioris disciplinæ regulas religiosissimè observarunt in præsentando. Author vitæ sancti Hugonis Cluniacensis Abbatis, de Vuillelmo Angliæ debellatore & Rege illud refert, sex ab Hugone expetisse illum sanctissimos ex suis Monachis, qui sacrum veluti quendam Senatum secum celebrarent, ubi omnia de conferendis Beneficiis consilia aptè concoquerentur, & quorum sententiæ & pietati acquiesceret in Episcopatuum & Abbatiarum provisionibus. Si laudi est id expetisse summum Principem, laudi nihilominus est id respuisse sanctissimum Abbatem. Nec enim ille adduci unquam potuit, ut alumnos suos in tantum discrimen conjiceret, propriæ salutis, dum alienæ prospicere confidunt. Excanduit primò Regis iracundia ad eam repulsam; sed subiit mox admiratio prorsus ingens, & veneratio tantæ honorum despicientiæ; quibus non ipse tantùm Abbas, sed & grex ejus totus inclaresceret, & hominum in se studia, atque officia converteret.

Bibl. Clun. pag. 453.

Ad sacram expeditionem in Orientales plagas profecturus Philippus Augustus Rex Franciæ, constituit ut per absentiam suam Canonici Monachique Prælatos eligerent, qui & sanctitate Deum & charitate subditos sibi conciliarent, prodessentque magis, quam præessent. *Talem Pastorem eligant, qui Deo placeat, & utilis sit Regno.* Beneficia verò quæ Regaliæ jure vacarent, Regina & Archiepiscopus Remensis conferrent de consilio Confessoris sui, conferrent autem ad summi Dei maximè laudem, Ecclesiæque & Regni utilitatem intuentes. *Secundùm quod melius & honestius poterunt, Regina & Archiepiscopus viris honestis & litteratis consilio fratris Bernardi conferant.* Et mox: *Donent secundùm Deum, ad honorem Dei & utilitatem Regni.* Ita Rigordus in hujus Regis vita.

Du Chesne. Hist. Franc. Tom. 5. pag. 30. 31.

Venio ad Scriptores vitæ sanctissimi Regis Ludovici IX. qui quam mordicus ille inhæreret sincerissimis Canonum Regulis in Beneficiorum distributione, ita perhibent. *Sanè in Beneficiis Ecclesiasticis conferendis, quæ ad Patronatum, sive donationem ipsius pertinebant, Deum semper præ oculis habebat, & electis & probatis personis, quantum poterat conferebat. Quas personas eligi & inquiri faciebat per Cancellarium Parisiensem, & alios viros bonos.* Cœlo jam maturus Rex sanctissimus, hac inter alias pulcherrimas præceptiones paulò ante obitum filium Regni hæredem instruxit, communitque: *Beneficia Ecclesiastica personis idoneis dona de consilio spiritualium virorum & eis qui non habent aliud Beneficium.* Sed illud nemo potest satis mirari, quod ad sacrum bellum cùm in procinctu esset, Episcopo Parisiensi præsentationem & collationem Beneficiorum Regiæ nominationis commendans, jussit, ut in Consilium adhiberet Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, Priorem Dominicanorum, Gardianum Franciscanorum, utque nihil perficeret, nisi duo saltem ex his sapientissimis Consiliariis assentirentur. *Plenam & liberam committimus potestatem, dum tamen de consilio discretorum virorum, & vel duorum ex ipsis, &c.* Mandaverat denique piissimus Rex, Cancellario eidem Ecclesiæ Parisiensis, Dominicanis, Franciscanisque, & quoscumque intellexerat pietate clarere, ut Catalogum sibi perscriberent Clericorum, quorum singularis pietas & eruditio explorata eis esset, ut vacatura in eos Beneficia dispensaret. *Atque Clericos in Memoriali suo scribi volebat, ut eidem loco & tempore provideret.*

Ibidem. pag. 369. 392. 423. 455.

Horum certè omnium cardo is erat, quod cùm his Pontificibus, Principibusque persuasissimum esset, dignioribus utilioribusque nisi conferantur Beneficia, & dantium & accipientium conscientiam in ingens adduci periculum: has illi artes excogitabant, ut qui dignissimi, qui utilissimi ubiquam essent, deprehendi possent. Unde rursus Odo Burgundiæ Dux anno 1211. renunciavit juri conferendi Præbendas sanctæ Capellæ Divionensis, servatis sibi Dignitatibus tantùm, cùm Decanus eligeretur. Id verò ab eo fiebat, ut ne potestate ea minus piè uterentur successores sui; quos etiam ad hoc constrinxit, ut ne possent, nisi Canonicis Dignitates conferre. Constat tamen successores ea rursum in Præbendas jura recepisse.

Recueil de l'Histoire de Bourgog. pag. 310. 314. 325.

Juvabit ad calcem hic attexuisse luculentissimum hoc caput Edicti Regii Ludovici XIII. anno 1629. *Hortamur, præcipimusque, ut Archiepiscopi & Episcopi Parochias iis conferant, quorum peritia idoneo examine fuerit comprobata. Si verè plures ad examen concurrant, is præponatur cæteris, qui magis idoneus visus fuerit; si plures occurrant æquè idonei, primas ferat, qui ex ipsa Diœcesi, vel ex ipso etiam loco oriundus fuerit. Ante cætera autem ratio maximè habeatur innocentiæ morum, & pietatis, quæ ubi mediocri fulcitur peritia præferri debet eminentiori doctrinæ, cui non par respondet pietatis & innocentiæ præstantia.* Compendiaria hæc videri potest inculcatio eorum quæ prolixiùs toto hoc sunt disceptata Capite, & eorum maximè, quæ à Concilio Tridentino constituta sunt.

Art. 14. Memoires du Clergé. Edit. ann. 1675. T. 2. pag. 48.

Concilium Burdegalense anni 1624. modestam hanc & religiosam usurpavit licentiam, commonefaciendi Christianissimos Reges, nullo magis eos demereri posse obsequio divinam majestatem, quàm ut Ecclesiæ Pastores præfici curent eo munere dignos amplissimo: nec ullo graviori eos posse periculo implicari, quam si digniores quosque & utiliores ad id eligere cunctentur. Quæ ipsissima ferè sunt verba Concilii Tridentini.

Tit. de Episc. c. 11.

XIV. Paucissima hic addam de litibus ad expugnanda Beneficia tam frequentibus, & quæ tamen videri possint ab ejusmodi proficisci cupiditate, quæ à Beneficiis arcere debeat. Si qui petit, qui ambit Beneficia, is summovendus est, quod qui vel lite-

gando extorquet? quid qui pugna belloque forensi ministerium pacis & charitatis invadit? Nec inficiari tamen quisquam potest, quo sanctissimi Pontifices Præsulesque de his causis cognoverint, easque ex canonicis institutis, legibusque Ecclesiasticis definierint. Non illis unquam etiam in mentem venit, non saltem unquam usu venit, ut competitores ex æquo pronuntiarint eliminandos frustrandosque Beneficio, quod fugiendo, non persequendo & contendendo promerendum sit. Denique alteri semper colitigantium adjudicata sunt ab iis Beneficia, non, iis ejectis, alteri cuipiam incogitanti, humili, pacifico, & tantò magis Beneficiis cumulando, quantò de illis ne cogitarit quidem unquam. Hujusmodi definitionum, quibus alteri litigantium victoria addicitur & Beneficium, pleni sunt libri Decretalium. Ait Clemens III. parum probabile esse, quòd Beneficiarius sua se sponte Beneficio exuerit, quo sustentabatur, & quod laboribus & expensis adeptus erat. *Nulla ratio hoc verisimile reddit, ut quisquam Beneficium, multis fortè expensis & laboribus acquisitum, quo sustentari debet, facilè sine causa magna, sua sponte resignet.* Litigantes censuit Alexander III. causa cadere debere, non quòd litigarent, sed quòd mala fide litigarent, & fraudulenta ludificatione subornatos sibi adversarios, & pòst cum iis transigerent. *Beneficiis super quibus collusum fuerit, eos non differas spoliare.* Itaque non improbasset Pontifex litem, in qua bona fides dominaretur.

Extra. De renunt. c. 1.

Extra. De Collus. deteg. c. 3.

A Clemente V. in Concilio Viennensi statutum est, lites omnes super Beneficiis terminari posse *simpliciter & de plano, sine strepitu judicii & figura.* Quo sanè calliditates & anfractus litium, ac tædiosæ morositates circumcidebantur, non cupiditas, non ambitio, non prosecutio Beneficiorum, quorum quò quisque cupidior est, hoc & indignior.

In Clement. De judiciis. c. 2.

Ad Episcopos Gallicanos quondam rescripserat Alexander III. sententiam Judicis sæcularis non posse à quoquam sobrio & sano haberi pro cælestis vocationis oraculo. *Nonnulli ambitione nimia tacti, in sæculari foro, nec requisita Episcopi audientia, Ecclesiastica Beneficia sibi præsumunt in vestris Parochiis vendicare. Quoniam igitur hujusmodi persona non intrant per ostium, sed aliunde conscendunt, ac per hoc indigni sunt Pastoris nomine ac prærogativa gaudere; mandamus, quatenus eos nisi resignaverint, ab officiis reddatis & Beneficiis alienos.*

Append. Conc. Later. Part. 50. c. 33.

Optandum quidem esset, ut qui Beneficia obtinent litibus quibusvis implicata, ea essent & moderatione animi & religione, ut jura sua omnia Episcoporum arbitrio permitterent, eorumque judicio stare vellent. Sed vel sic tamen constaret, quod sin minùs coram sæculari, certè coram Ecclesiastico Judice, seu mavis arbitro contendissent; sine strepitu, fateor, an etiam sine ambitu?

Can. 33.

Concilium Coloniense anni 1266. Decretum edidit circa Præbendas, quas æmuli plures sibi vendicarent, Judicesque Ecclesiasticos ad id delegavit. De his litigari nequaquam prohibuit.

Ingenuè ergo fateri cogimur, nunquam Ecclesiam ad hoc interposuisse authoritatem suam, ut litera de Beneficiis prorsus abolerentur: sed ut terminarentur, sive usitatis formulis fori, sive sine strepitu & figura judicii: interim autem Clericorum oculis objicerentur, & instillarentur cordibus quà fieri posset, divinæ vocationis leges, & Evangelicæ ad jurgiorum fugam, ad terrenorum omnium abdicationem hortamenta. Commemoratum superiùs est à Giossano vitæ B. Caroli scriptore, Clericos Caroli nunquam de Beneficiis litigasse, quanquam pateret semper audientia Episcopalis vel istiusmodi causis, si quis actor accessisset. Ne ad Concursum quidem à Concilio Tridentino institutum sua sponte veniebant piissimi illi Clerici, Caroli documentis imbuti, nisi ab eo mitterentur. E re non duxere Concilii Tridentini Patres ad tantum perfectionis culmen Clericos omnes compellere: sed has esse voluere partes Episcoporum Christi charitate æstuantium, ut has abdicationis spontaneæ leges privatim inculcarent Clericis suis, & humilitatis, & paupertatis Evangelicæ, & cælestium charitatis subjicerent faces, ut Beneficia non aliter magis, quàm fuga ipsa pararentur. Promiscua & communis omnibus non potest esse perfectio tam accurata & tam exerta. Eget Ecclesia ministrorum multitudine tanta, quantam ad hunc perfectionis apicem propelli, ne sperari quidem potest. Petrus Damiani, ille indeflexæ austeritatis indomitique rigoris vir, suadebat paulò superiùs Pontifici, ut electionem hominis licèt ambitiosuli confirmaret. Non intepuerat tunc ejus zelus, sed sapiebat ad sobrietatem, & attemperabat frangebatque se ad utilitatem Ecclesiæ, quæ vel talibus gaudebat potiùs frui ministris, quàm nullis. Haud aliter sanè Ecclesia, sapientiæ & charitatis magistra, perfectionis, paupertatis, humilitatis, abdicationis regulas ex Evangelio, ex priorum sæculorum usu longè pulcherrimas omnibus proponit: non eam autem necessitatem perfectionis sectandæ imponit, qua Ecclesiæ mox pleræque & Parochiæ Pastoribus destituerentur.

In Concilio Tridentino anno 1563. Christianissimi Regis Caroli IX. & Imperatoris jussu oblati sunt ab eorum Oratoribus selecti quidam optatissimæ Reformationis Articuli, ac præ cæteris, ut ad extinguendas prorsus omnes de Beneficiis lites, quibus tantopere Clerus dehonestatur, supprimeretur distinctio Petitorii & Possessorii Beneficiorum, nominatio item Graduatorum in Universitatibus; Beneficia verò largirentur Episcopi, non ad ea anhelantibus, sed juxta Gregorii normam fugitantibus, nec cessantibus tamen ab Ecclesiæ obsequio. *Ad Forenses controversias, quæ universum ferè Ordinem Ecclesiasticum contaminant, contrahendas, petitorii & possessorii in causis Beneficialibus nuper inventa distinctio aboleatur, & sublatis à Concilio Constantiensi introductis Universitatum nominationibus, præcipiatur Episcopis, ut Beneficia secundùm Gregorii authoritatem, non ambientibus, sed fugientibus, & de Ecclesia bene meritis conferant.*

Goldast. Const. Imp. To. 3. pag. 571. Memoir. du Conc. de Tren. p. 573.

In alia editione hujus articuli Basileensi Concilio tribuitur institutio harum nominationum Universitatum ad Beneficia, & paulò perspicuius patet, quod tunc esset Galliæ votum, nimirum ut Episcopus ipse Graduatos probaret, addiceretque tum Prædicationi, tum functionibus aliis Ecclesiasticis. Nec enim ea cogitatio incidit, ut extinguerentur Gradus, aut Graduatis fores Beneficiorum obstruerentur.

Utcumque & sapere sibi & Ecclesiæ purissima charitate fervere viderentur horum consarcinatores Articulorum: non tamen, reor, id sibi sumebant, ut vel plus saperent, vel magis ferverent quàm Concilii Tridentini Patres. At his exploratissimum fuit supra sæculi hujus patientiam fore id Decretum, ex quo tantæ fierent motum rerum-

que conversiones; Dignitates quidem Ecclesiasticas tunc ex Gregorio Magno dignis obtingere, cùm fugitantibus ingeruntur: at nihilo tamen minus ex Gregorio commendandas illis esse Ecclesias, qui etsi ii non sint qui esse deberent, ii sunt tamen, quibus in nostra non sunt potestate ulli meliores. *Quo melior inveniri non potest.* Cum horum Articulorum compilatoribus optare fas est: aliter quàm Concilium Tridentinum quidquam desinire, nefas est.

X V. Usitatas prioribus sæculis electiones ad Beneficia Episcopatu inferiora innovare revexitque quodammodo Concilium Tridentinum, ad Ecclesias Parochiales instituto Examine & Concursu. Seff. 24. c. 18. Cùm primùm orbata Pastore suo est Ecclesia Parochialis, designatusque est ab Episcopo Vicarius, qui eam vacantem administret, assignata sibi congrua proventuum parte: tum Episcopus & Patronus intra decem dies, aut quo temporis spatio statuer duxerit Episcopus, nominare jubentur Clericos, quos existimarint maximè idoneos fore ad eam regendam Parochiam, qui districtissimum subierint examen; possunt & alii ab aliis nominari ad idem ministerium, si qui utiles fore præsumantur. Potest & ab Episcopo, vel Concilio Provinciali, publicari mandatum, quo ad examen conveniant, quicumque volent. Erat id summæ Tridentinorum Patrum sapientiæ, Episcopo & Provinciali Concilio judicandum permittere, an convocandi essent, qui ultro examen subire vellent: propterea quod vel hoc ipsum ad examen vel concursum advolate, jam quodammodo concupiscere sit. Et non raro forsan ita prorsus habet. Sed cùm sit etiam ratio quæ jam pia & religiosa, authore Paulo Apostolo, desiderandæ Episcopalis Ecclesiæ, multòque adeo magis Parochialis, quanquam rara quidem ea avis est, convocare ratior albo merito videatur: satius fuit rotum Episcopi & Concilii Provincialis prudentiæ permitti, an convocandi, admittendique essent sui voluntati ad examen.

In eodem Tridentino sancitum illud quoque est, ut Episcopus, vel Vicarius ejus Generalis quotannis in Synodo proponat approbandos Examinatores sex. Ex iis tres adjungent se Episcopo, vel Vicario ejus Generali, ad examinandos eos qui propositi fuerint ad Parochiam vacantem: præmisso antè juramento hoc, *Quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros.* Post examen, inter eos qui idonei dignique Parochiali Ecclesia judicati fuerint, *Quem cæteris magis idoneum judicaverit Episcopus, eum eligat*: eique ipsi Collator conferre teneatur. Si Patronatus Ecclesiastici sit Parochia, ejusque institutio ad Episcopum spectet, *quem Patronus digniorem judicabit*, Episcopus instituet. Si institutio verò ad alium spectet quàm ad Episcopum, *tum Episcopus solus ex dignis eligat digniorem*, quem Patronus Institutori præsentet. Denique si Patronatûs laici sit Parochia, quem Patronus præsentaverit, eum examinatores excutient, nec admittent, nisi dignum probarint. Si tam tenues essent Parochiæ reditus, ut nemo examinandus occurreret, nec examen institui posset; vel si concursum turbæ aliquæ tumultuosiores interturbarint præviderentur, consultabit cum examinatoribus Episcopus, quæ ratio & via tenenda sit, ut occulto examine & pari cautione, quæ dabitur, res perficiatur. Examinatores autem Gradnatos desiderat Concilium.

Hac ratione & methodo conferendarum Parochiarum, nemo non sentit, vix sapientius, vix sanctius quidquam excogitari potuisse. Hinc porro factum recentiores etiam Canonistæ, illud emergere, tritam esse Parochiæ provisionem, nisi ex dig- Barbosa De Paroch. c. 1. n. 95. nis dignissimus ea donetur; quod nimirum non aliter observetur vel Tridentini Decretum, vel ejus Decreti confirmatrix Bulla Pii V.

X V I. Typis mandata & publicata est privata Collatio Clementis VIII. Papæ & Bellarmini Cardinalis, in qua dubium utrum admirabilitatis plus habeat, doctissimi Cardinalis libertas sancta & fiducia, an sanctissimi Pontificis singularis quædam & incredibilis pietas. Hujus admirandæ Collationis fragmenta aliqua huic nostræ lucubrationi, ut res tulerit intexta, spero Lectori & voluptati fore & utilitati. Cùm declarasset Bellarminus, quanti referret ad salutem Ecclesiæ, ut præclari deligerentur Episcopi, utque ne unquam adrepere eò sinerentur indigni: addidissetque Pontificem ipsum, quem ambitionis fascino delusi homines, in fastigio positum humanarum dignitatum suspiciebant, miserandum sibi quidem magnopere videri: *Hæc me consideratio ita vehementer exterruit, ut nulli hominum magis ex animo compatiar, quàm summo Pontifici, cui plerique omnes invidere solent.* Responsum est à Pontifice, eadem quoque consideratione subinde se perterrefieri: sed adhibita quanta maxima poterat diligentia, si res minùs procederet ex animi sui sententia in Episcoporum delectu: solatio sibi esse ipsius exemplum Christi, qui in duodecim quos elegerat Apostolis Judam: & Apostolorum tutus, qui inter septem Diaconos Nicolaum infandæ architectum hæreseos invenerunt.

Urgente præterea Cardinali Bellarmino, dari oportere Episcopos Ecclesiis, non Ecclesias Episcopis: præferri semper digniores; denique nec Episcoparus, nec alia quæcumque Beneficia dari unquam eorum cupidis, & ultro occurrentibus; vehementissimè assensus est Pontifex: contestatusque sibi magis semper curæ fuisse, ut gregibus Pastores, quàm ut Pastoribus greges daret; sed illud sibi videri intricatissimum, lubricumque inter dignos & digniores judicium; denique difficillimum prorsus esse, idoneos nancisci, qui non cupiant, qui non petant, aut pro quibus ambiat, aut petat nemo.

Idem verò Bellarminus in editione altera Epistolæ ejus, quam ad nepotem Episcopum Theanensem scripsit, hanc eandem pertractat quæstionem, Controv. 2. terminatque accumulatis testimoniis & exemplis sanctorum Patrum à priscis usque sæculis. Nec excidit illi luculentum hoc, quod Eugenio III. Papæ insusurravit B. Bernardus consilium in Libris de Consideratione: *Alius pro alio, alius forsan & pro se rogat. Pro quo rogaris, sit suspectus. Qui ipse rogat pro se, jam judicatus est.* Nec tursus elabi sibi passus est illud ejusdem Bernardi in eodem Opusculo, Pontificis esse officii, ut rejiciantur cupientes, aut etiam irrumpentes in dignitates Ecclesiasticas: accersantur autem, adeoque & compellantur ad eas capessendas, qui illas abnuunt & detrectant. *Non volentes, neque currentes assumito; sed cunctantes, sed renuentes, etiam coge illos & compelle intrare.* Hinc concluditur à Bellarmino, insanire prorsus eos & longè aberrare à via veritatis & salutis suæ, qui illas avidè aucupantur dignitates, quas docti tot & sanctissimi viri reformidarunt & constantissimè detrectarunt.

X V I I. Lethalis culpæ reos existimavit Dionysius

sius Carthusianus eos omnes qui Beneficia concupiscunt, captant, consequuntur, sola illecebra ducti temporalium proventuum; non eo proposito, ut ab indigentiæ curis & sollicitudine absoluti, Deo liberiùs impensiúsque famulentur. *Qui Ecclesiastica Beneficia optant, quærunt, impetrant, suscipiunt, non intuitu spiritalis boni, putà divini officii, ut scilicet competentiam habentes, Deo devotius quietiúsque ministrent; sed intuitu commodi temporalis, boniquc corporalis, isti sunt subversores rectissimi ordinis rerum, atque in temporalibus finem sibi constituunt. Idcirco mortaliter peccant, etiam unicum Beneficium competens taliter cupiendo, obtinendo, habendo. Tales sunt omnes, qui amore temporalium divitiarum, aut carnalium delitiarum, seu transitoriorum bonorum Ecclesiastica Beneficia quærunt, procurant, seu habent.* Cont. plural. Benef. c. 15.

De Collatione Beneficiorum Episcopatu inferiorum per Romanos Pontifices extra Italiam.

CAPUT XLI. *P. 2. l. 2. c. 13.*

An conferret Pontifex aliqua Beneficia in aliis Episcopatibus ante tempora Caroli Magni.

I. Antiquissima vestigia ejus potestatis qua nunc utitur Papa, Beneficia conferendi in alienis Episcopatibus.

II. Gregorius Magnus Episcopo qui carebat Episcopatu, Abbatiam in Sicilia confert, præmonito Episcopo Messinensi, cujus in potestate ea erat.

III. Ad alium Episcopum Presbyterum mittit, cui Ecclesiam conferat Parochialem vacantem.

IV. Charitas Pastoralis & universalis sollicitudo Gregorium concitabat, ut pios quosque & eruditos Clericos perquireret, & præficeret Ecclesiis. Et illi, & hoc adgaudebant Episcopi, & gratulabantur.

V. Numquam assensus est Gregorius, ut Episcopos ipse nominaret; at sui Cleri optimos quosque eligentibus & flagitantibus non abnuebat Ecclesias.

VI. Suas etiam ipse in Parochias extraneos accersebat Clericos, si quos nosset idoneos.

VII. Episcopis commendabat Clericos, quos rei familiaris angustia premebant.

VIII. Etsi sola ex charitate proficiscerentur hæ commendationes, authoritatis tamen & ponderis erant non mediocris.

IX. Non erant tunc Beneficia nisi alimentaria veluti pensiones.

X. XI. Deportatis & exulantibus Episcopis, Episcopatus tandem aliquos, interim pensiones conferri curabat. Abbatias dabat.

XII. Eam potestatem explicabat Gregorius maximè intra Italiam, & in circumjacentibus Insulis, nequaquam verò in Gallia.

XIII. An interponeret se Gregorius in Episcopales electiones.

XIV. XV. XVI. XVII. De jure Devolutionis, de suffragiorum divisione, de electionibus quæ Romæ fiebant per Compromissum.

XVIII. XIX. XX. XXI. Complura alia ejusdem rei exempla.

XXII. In omnia corrasa superiùs exempla nota & observationes non aspernanda.

XXIII. An Romanus Pontifex Antiochenum Patriarcham elegerit post Concilium VI. Oecumenicum.

XXIV. Post lapsum Marciani Episcopum Arelatensem non nominarat Papa?

XXV. Lucifer Calaritanus Paulinum Antiochenum delegit Episcopum, sed grassante tum maximè persecutione.

XXVI. XXVII. De Martino I. Papa, an & hic Episcopos in Oriente nominarit.

XXVIII. Eandem sibi sumpserant facultatem Episcopi Constantinopolitani.

XXIX. Jus Devolutionis à Justiniano declarari cæptum.

I. INesset proculdubio quorumdam animos hujus novitas & admiratio quæstionis. Sed neminem non delectabit aliqua olfecisse vestigia in antiquissimis Ecclesiæ Annalibus & monumentis ejus potestatis, quam nunc infinitam penè exercent Pontifices quaquaversum ab annis amplius quadringentis quingentisve.

II. Paulinus Episcopus civitatis permodicæ in Provincia Brutiorum, sive in Calabria, post civitatis suæ, Ecclesiæque, & Monasterii eversionem à Barbaris factam, in Siciliam secessit, donatusque est à Gregorio Magno Abbatia & regimine Monasterii sancti Theodori in civitate Messinensi. Collator hujus Beneficii erat Episcopus Messinensis, ideo & illum certiorem rei totius fecit Gregorius, ut ne afflictaret sese, quasi se inscio aliquid in Episcopatu suo novaretur. Addebat Gregorius rescivisse se, eandem illi fuisse voluntatem, hac beneficentia levandæ Paulini Episcopi & Collegæ mendicitatis. Denique ampliavit Pontifex hoc Beneficium in omnes prioris Paulini Monasterii Monachos, qui & ipsi effuderant se in Siciliam, & quos Gregorius in hoc revocavit omnes Monasterium Messinense. Accipe verba ipsa Gregorii Epistolæ ad Felicem Episcopum Messinensem. *Et tibi gratum confidimus, si fratris tui viri venerabilis Episcopi Paulini peregrinationis onera relevemur, & sub ejus regimine communi mercede, B. Theodori Monasterium in tua civitate fundatum studiosius omnipotenti Deo deserviat. Quod etiam te jam voluisse facere, ejus relatione didicimus. Ideoque Rectori Patrimonii nostri præcepimus, ut Monachos Monasterii memorati Episcopi perquisitos ad unum congreget, & in eadem Monasterio cum iis qui nunc ibi sunt, collocare non differat; quatenus eo rectore dignius animarum suarum curam exerceant. Quam rem venerationi tuæ innotescendam prævidimus, ne te omisso, aliquid ordinatum in tua diœcesi contristeris.* L. 1. Epi. 58.

Eadem rescripsit Gregorius ad Petrum Diaconum Rectorem Romanæ Ecclesiæ Patrimonii in Sicilia, quem & executioni præfecit, commonitum eadem à se ad Messinensem Episcopum perscripta fuisse, ne vel tantillum contristaretur, si quid eo inconsulto in ejus Diœcesi tentatum esset. *Quam rem venerabili Felici ejusdem civitatis Episcopo nos significasse cognosce, ne præter suam notitiam in Diœcesi sibi concessa ordinatum quippiam contristetur.* Epist. 59.

III. Hoc charitatis & sapientiæ ingenio temperabat Gregorius Pontificiæ & universalis sollicitudinis suæ officia, juxtaque propriæ suæ authoritatis cum potestate Episcopi proprii ejus loci, in quo sita erant Beneficia quæ conferebat. Paulò absolutiùs egit cum Episcopo Importuno, ad quem Dominicum misit Presbyterum, ut vacantem illi committeret Parochiam, addito mandato, ut & fructus illi refunderentur ejus temporis, quo Ecclesia vacaverat. *Ea quæ providè disponuntur, fraternitatem tuam credimus libenter amplecti. Et quia Ecclesiam sanctæ Mariæ quondam Campisonis in tua Parochia positam Presbytero vacare cognovimus, præsentium portitorem Dominicum Presbyterum in eadem Ecclesia ut præesse debeat, nos scito deputasse. Ideoque fraternitas tua ei emolumenta ejusdem Ecclesiæ faciat sine cunctatione præstari, & decimo fructus indictionis, qui jam percepti sunt, prædicto viro fac sine mora restitui; quatenus ejusdem Ecclesiæ utilitates, cujus emolumenta consequitur, Deo adjutore, sollicitè valeat procurare.* L. 2. Ep. 10. Hæc est quasi formula verborum concessionis Parochiæ

à Romano Pontifice factæ in aliena Diœcesi.

IV. Crebrum illud erat, ut deessent Episcopis idonei Clerici, quibus clavum Ecclesiarum commendarent. Gregorius qui in omnes pervigil excubabat Ecclesias, tam effusa sollicitudine, quàm potestate, undique perquirebat, qui usquam essent egregiis illis dotibus prædici, quibus ritè tegendæ concrederentur Ecclesiæ. Itaque cum ejusmodi aliqui in manus ejus inciderant, gratiam inire se ab Episcopis confidebat, ubi hos eorum Parochiis præficiebat vacantibus. Is erat sensus horum superioris Epistolæ verborum : *Ea quæ provide disponuntur, fraternitatem tuam credimus libenter amplecti.* Afflabat & Episcopos, idem qui Gregorium spiritus sollicitudinis pastoralis : neque ipsum non stimulabat nisi sincera & infucata charitas quam optimos Ecclesiis adsignandi Pastores : ita & ipsi impensius gratulabantur sibi, cùm undique conquisitos & à Gregorio probatos accipiebant mancipabantque destitutis suis Ecclesiis Ministros. Alienissimus erat Gregorius à studio amplificandæ suæ potestatis, dispendio Episcoporum cæterorum authoritatis propriæ; alienissimi erant & Præsules alii ab obliquis hujusmodi de sanctissimo Pontifice suspicionibus.

V. Porro non ad vacantes tantùm Parochias, sed ad Episcopales etiam Ecclesias idoneis Pastoribus committendas, vigilantiam suam & indefessam industriam conferebat Gregorius; eoque undique venabatur Clericos merito & virtute præstantes, qui nulli adhuc affixi essent Ecclesiæ, aut qui minori essent adsignati, cùm possent illustriorem operam in ampliori dignitate Ecclesiæ universæ navare.
L. 2. Ep. 28. Mariniano Syracusano Episcopo mandatum ab eo est, ut Presbyterum, quem sibi multi peritiæ & virtutis ergo plurimum commendassent, sedulo examinaret; & si res famæ responderet, illum ad se transmitteret, vacaturo primùm Episcopatui præponendum.

Nec extraneos tantum accersebat, quos egentibus & vacuis donaret Ecclesiis, sed & quos in suæ ipse gremio Ecclesiæ aluerat, instituerat que, aliis offerebat Ecclesiis, cùm essent bene multæ, quæ
L. 2. Ep. 18. hujusmodi egestate premerentur. Docuit nos jam
L. 4. Ep. 19. supra Joannes Diaconus, donatos à Gregorio fuisse
L. 5. Ep. 13. aliis Ecclesiis Presbyteros Diaconosque Ecclesiæ
Joan. Diac. suæ Romanæ, Subdiaconosque, quorum nonnulli
L. 3. c. 7. permolestè ferebant à suæ se amantissimæ parentis
& 9. sinu avelli, & in longinquas oras ablegari. Ideo nec cuiquam vis adhibebatur à Gregorio, ne eos ad eas invitos compelleret dignitates, quas ipsi non aliter quam dejectiones quasdam refugiebant. *Neminem prorsus quantacumque necessitate coactus, violenter promovere certabat, ne sub hujusmodi occasione, quenquam eliminando deponere videretur.* Joannis denique ejusdem historiæ contextus declarat, declarant & exempla, literæque Gregorii, ardorem animi & sollicitudinem ejus in vestigandis, & advocandis ex omnibus Ecclesiis, quos deinde rursus in omnes refunderet Ecclesias præstantissimos Ministros.
L. 3. c. 11. *Quanta sedulitate Gregorius idoneos quosque ad regimen destitutarum quæsierit plebium breviter indicabo, ut tantus vir, non solum doctrinis, quin & operibus verus Paterfamilias fuisse gregis Dominici probabiliter colligatur.* Alibi rursus author est Joannes, undique in Episcopatus suæ Metropoleos advocasse Gregorium Episcopos omnes, aliosque Clericos, qui quocumque infortunio, nullis amplius præessent, nullis ministrarent Ecclesiis; ut illos alias ad regendas Ecclesias destinaret. *Non solum diversarum gentium diversi ordinis Clericos, verùm etiam vacantes Episcopos in sua Diœceseos Episcopatus invitabat.* L. 3. c. 23.

VI. Si tam immensa erat Gregorii charitas & providentia, tam nulla cupiditas in Episcopis, Episcopalibusque Ecclesiis dispensandis : hinc facile intelligitur, quàm procul ille esset ab ambitiosa potestatis suæ vel ostentatione, vel amplificatione, si quando aliarum diœceseon vel Parochos dabat Ecclesiis, vel Ecclesias Parochis, uni serviens Ecclesiæ utilitati, nec ea quidem in re ullos sibi sinens limites circumscribi. Commemorat idem Joannes, ut & idem Pontifex extraneos Presbyteros cupidè præficeret suis ipsius Parochiis, Ecclesiisque. *Aliarum Parochiarum Clericos sibi & aliis discretissimus Pontifex incardinare curabat.* L. 3. c. 19.

VII. Clerici ipsi bene multi, tum patrimonio, tum Beneficio destituti, ad Gregorium, ut ad parentem & provisorem omnium communem confugiebant, maximè verò Clericorum. Illos omnes qua erant multitudine, non poterat Gregorius vel Ecclesiæ suæ sumptibus diu alere, vel Diœceseos suæ Ecclesiis adsignare vacantibus; suis in Ecclesiis Beneficiarios defigebat, quantos poterat; reliquos cogebatur commendare Episcopis, quorum in animis tanti & tam sancti Pontificis commendationes & preces, tantum non eadem habebant authoritatis momenta, ac leges & præcepta. Si lex enim Ecclesiæ charitas est, qui non ultro paruissent Episcopi voci ipsius charitatis, ex ore summi Pastoris, parentisque omnium communis erumpenti? Attexam hic verba quibus Gregorius hortabatur Episcopum Syracusanum, ut Felici Diacono, humanis prorsus omnibus præsidiis destituto, vel sedem, vel pensionem & stipendia Diaconi suppeditaret. *Imbecillitati ejus, atque necessitatibus consulentes, maximéque intuitu pietatis, sustentationi ejus providentes, in tuâ Ecclesiâ Syracusana eum prævidimus cardinandum; sive ut officium Diaconatus expleat, seu certè ut sola ejusdem officii, pro sustentandâ paupertate suâ, commoda consequatur, in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere judicio. Quod hortamur ut tua fraternitas implere festinet, &c. Ne vel nostræ commendationis inveniaris tramitem neglexisse, vel minus exhibuisse, quàm tuus exigit ordo pauperibus. Quia & nos ei annuum quid de nostra Ecclesia dari fecimus, ut ejusdem operis quod te hortamur exhibere, participes esse possemus.* L. 3. Ep. 14.

VIII. Hujus porro contextus postremis ex verbis, tria elicimus, quæ non oscitanter observanda hic sint. Primum est exemplis suis antè Gregorium Episcopos alios invitare solitum, quam monitis & hortamentis : nec eorum interpellasse charitatem, nisi postquam suæ ipse Ecclesiæ ærarium exhausisset. Huic quippe Diacono suæ jam ex fundis Ecclesiæ pensionem assignaverat, cum ab Ecclesia Syracusana parem illi gratiam conciliare satagebat. Alterum est, quamvis commendaret tantùm & hortaretur Gregorius, non potuisse tamen ferè eas preces ab Episcopis negligi : *Ne vel nostræ commendationis inveniaris tramitem neglexisse.* Tertium est charitatis saltem legi parendum necessariò fuisse. Si enim quod Ecclesiæ, idem pauperum patrimonium est : si Clericorum inopia præ cæteris sublevanda eo subsidio est; si non est Episcopus nisi pauperum dispensator patrimonii : qui jam poterunt Episcopi necessario stipendio, vel Beneficio deesse pauperibus Clericis, quos tam sanctè illis & tam enisè commendet, & summus Pontifex, & sua paupertas? Eum ut arbitror præ se ferunt sensum hæc ver-

ba Gregorii: *Ne minus exhibuisse videaris, quàm tuus exigit ordo, pauperibus.*

IX. Adde quod quæ vocantur Beneficia, ea tunc non erant, nisi distributiones, pensionesque certæ, quæ ita ad victitandum sufficerent, ut non redundarent. Erant hæ omnino statæ charitatis stipes, quæ pauperibus Clericis erogarentur. Non usque adeo autem invidiosum est, à Gregorio alienis in Episcopatibus Beneficia collata fuisse, cùm res tota eò redire intelligitur, ut pauperibus Clericis ab eo necessaria vitæ subsidia conferri curaretur. *Pro sustentanda paupertate sua*, ut loquebatur ipse in causa Felicis Diaconi. Quin imò cum ei Diacono, & Gregorius, & Syracusanus Episcopus pensionem persolverent simul & semel, ut ex Gregorio colligitur, hinc perspicis, quantulæ essent hæ pensiones, quàm tenuia Beneficia.

X. Gravior urgebat necessitas ad providendum Episcopis, sede sua exturbatis, seu vastata civitate ipsa, seu quacumque demum alia calamitate. Exempla profert Joannes Diaconus. Interim autem dum vacaret aliqua Episcopalis Ecclesia, pensiones illis adsignabat Pontifex ex Ecclesiis Episcopalibus opimioribus exsolvendas, vel eos transmittebat ad opulentiores Episcopos, eorum sumptu ut sustentarentur.
L. 3. c. 15. 20. Vide quid de his Joannes Diaconus: *Sed & expulsos Episcopos, quos tam citò Gregorius incardinare non poterat, vel quorum reditum ad sedes proprias contingere posse sperabat, aliis Episcopis, qui tunc videlicet in suis locis degebant, interim pro sustentatione ac stipendiis præsentis vitæ jungebat, generaliter dicens, Fratres & Coepiscopos nostros, &c.*

XI. Ex Epistola ejusdem Gregorii apertum est, penes eum vetustum fuisse jus nominandi Abbatem Monasterii Neapolitani, adeo ut Episcopus ipse Neapolitanus instaret executioni mandatorum ejus, institueretque eum, quem ille misisset. Vide ut ad
L. 7. Ep. 92. eum Gregorius scriberet: *Quia servorum Dei Pater, quem in Neapolitana civitate transmiseram, defunctus est, visum est mihi latorem præsentium Barbatianum Monachum pro eorundem Monachorum gubernatione transmittere.* Quæ provisionis forma nonnihil habet admirationis. Episcopum enim rogat Gregorius, non tantùm ut examinet, sed etiam ut aliquandiu probet missum Abbatem: nec antè ordinet Abbatem, quam eo munere dignum expertus sit. *Tua sanctitas instanter circa eum invigilet, & si bene, & cautum in regimine, & humilem in suo sensu fieri cognoveris, tunc eum ad Abbatis honorem, Deo authore, perducat. Si verò minus in humilitate proficit, ejus ordinationem differat, mihique renunciet.*

XII. Fatendum tamen nobis est, istiusmodi Beneficiorum provisiones omnes terminatas fuisse finibus Metropoleos, aut Primatiæ Romanæ, nec expatiari solitas extra Italiam, Siciliam, insulasque alias circumpositas. Nihil ejusmodi vel in Gallia tentatum, vel in Hispania legitur, vel in Oriente. Quod enim de Presbytero Candido jam non semel diximus, quem Gregorius præfecerat patrimonio Romanæ Ecclesiæ per Gallias, nihil id officit nostræ huic sententiæ. Nec enim istiusmodi quidquam mandavit unquam Gregorius Episcopo ulli Galliarum, quanquam de Presbytero Gallo ageretur, cui Beneficii aliquid impertiendum esset. Id ab Officiali suo voluit præstari Gregorius, & à Rectore patrimonii Pontificii, & ex Beneficiis ejusdem.
L. 9. Ep. 65. *Ut sicubi in possessionibus beati Petri Oratorium, aut locus, qui Presbytero, vel Abbate indiget, inveniri potuerit, ei debeat committi, quatenus & ipse subsidium vitæ præsentis inveniat, &c.*

XIII. De Episcopatibus à Gregorio collatis strinximus tantùm aliquid. De eo ergo nunc paulò fusiùs. Cùm non pauci Ariminensium Civium ei suffragarentur, quem Episcopatu indignum judicabat Gregorius, rescriptum ab eo est ad Episcopum Visitatorem, ut alium curaret eligi, si esset in Clero Ariminensi, cui tutò committi posset tam divinum ministerium; alioqui eum curaret eligi, quem ei indicasset is, à quo ad eum hæc Epistola deferebatur. *Ejusdem Civitatis habitatoribus edicis,* L. 1. Ep. 55.
ut si in eadem Ecclesia dignum ad hoc opus invenerint, in ipsum cuncti electione declinent. Alioquin præsentium tibi portitor personam, de qua ei diximus, indicabit, cujus debeat fieri electione decretum. Imago hæc ergo quædam erat devolutionis ad Papam, sive ad Metropolitanum, cùm diutius protrahebatur electio, vel cùm indignus eligebatur, vel cùm denique, nullum Episcopatui gerendo parem suo sibi ex sinu suppeditare poterat Ecclesia viduata.

XIV. Increpiti sunt à Gregorio Perusini, quòd diutius, quàm par esset, Episcopi sui electionem procrastinarent. *Miramur quare Ecclesiam Dei tanto tempore absque rectore conspicitis.* Diuturnior ergo Ibidem.
mora, & discrimen inde gregi impendens, Gre- Epist. 58.
gorium certè impulissent, ut Pastorem illis ipse præficeret. *Notum est enim quod grex, si Pastoris cura defuerit, per avia gradiatur.* Profitebatur id tanè Gregorius, ut non interponeret se electionibus Episcoporum, sed liberis suffragiis omnia permitteret. *Antiqua nostra deliberationis intentio est, ad* L. 2. Ind. 11
suscipienda Pastoralis Curæ onera pro nullius unquam Epist. 29
misceri persona. Sed ab hac illum sententia quandoque abducebat Ecclesiæ necessitas, cogebatque insinuare eorum nomina, quos Episcopali sarcinæ gerendæ magis idoneos æstimaret. Cùm vita abiisset Episcopus Syracusanus, nec suppeteret ei Ecclesiæ, qui dignè succedere posset in hoc onus, scripsit Pontifex ad Apocrisiarium suum, qui electioni præfuturus erat, si sua rogaretur sententia, videri sibi Catanensem Archidiaconum cæteris omnibus anteponendum. Sed quam cautè, quam circumspectè, quam verecundè Pontifex verba omnia sua libraret in ea re, nemo satis mirari poterit. *Si autem mea* L. 4. Ep. 19.
voluntas ad hanc electionem quæritur, tibi secretò indico, quod volo: quia nullus mihi in eadem Ecclesia tam dignus videtur, quam Joannes Archidiaconus Catanensis Ecclesiæ, qui si fieri potest ut eligatur, credo quod apta valde persona inveniatur. Sed ipse quoque, priùs de criminibus, quæ impedire possunt, à te secretè interrogandus est. Sic ille modestissima animi suspensione nomen promebat, ejus qui sibi eligendus videretur, cæterùm nihil eligentium votis & libertati derogatum à se volebat.

XV. Cum Neapolitani Cives in Episcopum elegissent sibi Subdiaconum Ecclesiæ Romanæ, ab eaque is dignitate mirum in modum abhorreret, non potuit Gregorius animum inducere suum, ut ei vim faceret. Rescripsit ergo ut alium eligerent, & si nemo esset ad manum, cui eam sarcinam imponere possent, tres ex suis Romam delegarent, canonicam ibi electionem Neapolitani populi nomine celebraturos. *Sin autem aptam non invenietis, in* L. 2. Ep. 15.
quam possitis consentire personam, saltem tres viros rectos ac sapientes eligite, quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum & judicio plebs tota consentiat. Forsitan huc venientes, talem reperient, qui vobis Antistes irreprehensibiliter ordinetur. Ea tum facta est veluti per Compromissum electio, in qua nihil

attinet dicere, quantum momenti fuerit in Pontificis voluntate, cùm electio Romæ à tribus Compromissariis celebraretur. Cùm segniores autem essent Neapolitani, & moras diutiùs traherent, rescripsit Gregorius ad Petrum Subdiaconum Campaniæ, ut Clero ejus urbis instaret, quò duos tresve ex suo Collegio Romam mitterent, à quibus de electione Episcopi tractaretur cum nobilibus quibusdam Neapolitanis, qui Romæ diversabantur. *L. 1. Ind. 11. Epist. 33.* *Duos vel tres de suis eligere, & huc ad eligendum Episcopum transmittere non omittant, &c. ut quia diversi hic nobiles civitatis Neapolitanæ præsentes sunt, unà cum eis de Episcopali ordinatione, & tractare, & adjutore Domino, deliberare possimus.*

XVI. Frequentissimum id erat, ut electores Romam ventitarent ad electionem ibi celebrandam, tum ob penuriam civium Clericorumve urbis suæ, qui gerendis Episcopalibus infulis pares essent: tum quia electio ubi ubi facta, necessariò à Pontifice confirmanda erat, à quo & electus erat ordinandus. Ejusmodi necessitate Lilybetanæ in Sicilia civitatis Clerus Romam venit, & permittente Papa ac concedente Parochum rursus elegit sibi in Episcopum. *L. 5. Ep. 23.* *Lilybetana Clerus Ecclesiæ huc pro ordinando sibi veniens Sacerdote, licentiam eis de exquirendo sibi Episcopo nos dedisse cognoscas. Qui rapientes Decium forensem Presbyterum, sibi eum consecrari multis precibus poposcerunt; quorum petitionem necessarium duximus adimplere.*

XVII. Cunctatio Gregorii & morositas in confirmandis electionibus, quando non satis liquidò constabant electis ornamenta virtutum & scientiæ necessaria, in causa erat, ut diutiùs aliquando vacarent Ecclesiæ. Non tamen hinc Gregorius ansam captabat nominandi Episcopos, quasi jure ad se devoluto. Ad id facit, quod de Episcopatu Neapolitano diximus. In quo rursum cùm se Clerus populusque in contraria studia distraxissent, neutrum ex duobus electis confirmari per Canones licuit; nec tamen Gregorius insidiatus est occasioni illi, ut Episcopum ipse nominaret. Quin immo alium mandavit eligi, qui oneri ferendo par esset. *L. 8. Ep. 40.* *Studii vestri sit alium qui aptus sit præparare.*

XVIII. Sed in tanta civitatum penuria, & post diuturna cunctationum ac procrastinationum tædia, fieri vix ac nec vix poterat, quin Pontifex jure ad se devoluto aliquando tandem uteretur, & Episcopum designaret. Ita liquet in Episcopatu Aprutii, qui cùm jamdiu viduatus mœreret, hominum inopia qui oneri pares essent, tandem Gregorius Opportunum designavit, cujus virtutum fama ad eum pervenerat locupletissimis fulta testimoniis. Qua de re in hunc modum idem Pontifex ad Episcopum Firmanum. *L. 10. Ep. 13.* *Bene novit fraternitas tua, quàm longo sit tempore Aprutium Pastorali sollicitudine destitutum. Ubi diu quæsivimus quis ordinari debuisset, & nequaquam potuimus invenire. Sed quia Opportunus mihi in moribus suis laudatur, &c.* Certa ea erat & inevitabilis devolutio. Nec enim poterant Ecclesiæ non persæpè tunc vacare diutiùs, in tanta paucitate virorum fastigio Episcopali idoneorum, & in tanta Pontificum censura non admittendi nisi idoneos. Quæ cùm ita se haberent, cogebatur tandem aliquando Pontifex tandiu vacantes & squallentes Ecclesias designatis à se Præsulibus commendare.

XIX. Studia eligentium ita quandoque scindebantur, ut vel ipsi Pontificem interpellarent, quò Episcopum deligeret mitteretque. Cùm fatis concessisset Maximianus Episcopus Syracusanus, à Clero & populo electus est Agathon; fuere qui & in alium quempiam suffragia sua conferrent; Nobiles Gregorium compellarunt, ut Episcopum ipse designaret. Audi quid ille ad eos rescripserit super hac hæsitatione ipsorum, qui sibi diffiderent, & mallent ab ejus voluntate pendere. *Laudis vestræ testimonium, quam direxistis Epistola, electionis vos onera sapienter declinasse significat. Et quoniam nostro hoc arbitrio commisistis, &c.* *L. 4. Ep. 47.* Ne tum quidem acquievit Gregorius, ut Episcopum ipse deligeret, sed Romam mitti ad se jussit duos illos, in quos suffragia pleraque collata fuerant, ut digniorem ex iis præponeret; aut si neuter ea esset virtutum & meritorum copia, quam Episcopatus desideraret, alium ipse subrogaret. *Ut utrisque cominus constitutis, ille qui Deo placuerit, & utilior visus fuerit, ordinetur.*

XX. Ad Castorium Notarium scripsit aliquando Gregorius, ut electionem maturaret, electum, vel electos ambos Romam propere mitteret, atque unà delegaret quinque Presbyteros, quinque Diaconos & inferiores Clericos aliquot, ut omnia accelerarentur. Quo patet eam fuisse Gregorii mentem, ut si prior electio, tanquam Canonibus inimica cassaretur, alia confestim redintegraretur Romæ. *L. 4. Ep. 23. L. 9. Ep. 74.*

XXI. Permirum verò illud est, quòd tam vehementer instaret Gregorius, ne diutiùs vacare sinerentur Ecclesiæ: quòd toties contestatus sit trimestres tantùm inducias à Conciliis datas ad consultandum & eligendum: *Sacri Canones, ut nosti, ultra tres menses Ecclesiam præcipiunt non vacare*: *L. 2. Ep. 5. 35. L. 6. Ep. 14. 39.* & quòd tam raro tamen usus sit jure devolutionis, quo credibile est frequentissimè illum uti potuisse. Dixi rarò usum. Usus enim quandoque est. Cujus rei & hoc rursus exemplum profero. Aleriæ civitatis in Insula Corsica cives usque adeo Episcopum sibi deligere negligebant, ut gravissimè illos objurgarit Gregorius, atque unà Episcopum eis ipse præfecerit, quem ex eversa civitate alia eò transtulit. *L. 1. Ep. 79.* *Etsi vos multo jam tempore sine Pastore esse Dei Ecclesiam non doletis, nos tamen de ejus regimine cogitare, & suscepti cura compellit officii, &c. Nam si gregi cura pastoris defuerit, facilè laqueos insidiatoris incurrit. Ea de re quoniam Ecclesia Aleriensis Sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duximus, Martinum fratrem & Coëpiscopum nostrum ibidem Cardinalem constituere Sacerdotem.*

XXII. Ex hac porro exemplorum congerie emergunt lumina quædam & documenta neutiquam aspernanda. 1. Multis argumentis approbavit Gregorius, quàm sincerè & quàm vehementer ipse quidem abhorreret ab electionum implicamentis, ut iis nunquam se inseruerit, nisi inexorabilis adigeret necessitas. 2. Nunquam ipse Ecclesiis Episcopos designavit, nisi postquam supina & diuturna civitatum negligentia coëgit illum non tam jure devolutionis frui, quàm officio suo fungi, & Pastores gregi destituto dare. 3. Jure devolutionis non utebatur, quoties per Canones invitabatur, id est, statim post tres vacationis menses. 4. Summam semper adhibebat diligentiam, ut ne eo jure uti, eo munere fungi, Episcopos ipse designare cogeretur. 5. Dedit tamen quandoque Episcopos Ecclesiis, quæ indignos elegerant vel quæ dignos habebant nullos, quos eligerent. 6. Toties scissis civitatum suffragiis potuisset ipse interponere authoritatem suam, & arbitrio plerumque suo Episco-

pos constituere: si ea flagrasset cupiditate, à qua erat certè alienissimus. 7. Cùm à paucis autem urbium Cumpromissariis perficiebatur electio, integrum erat Pontifici ei dominari pro sedis suæ authoritate. Sed in ejus etiam generis electionibus incredibilis semper effulsit ejus zeli puritas, & expers privatorum affectuum charitas Ecclesiæ. 8. Eam potestatem Gregorius non explicavit, nisi in Italia, Corsica, Sardinia, hoc est intra fines suæ Metropoleos. Nam inde Metropolitani plerumque confirmabantur electiones Episcoporum. 9. Ne tunc quidem Episcopos Ecclesiis ipse præposuit, cùm prioris Episcopi exauthoratione vacabant. Quo tamen jure Concilium Toletanum X. ejecto Potamio, Fructuosum Episcopum Braecharensi præfecit Ecclesiæ. 10. Hinc denique illud emergit, quantumvis certum fixumque esset Gregorio non intervenire electionibus Episcoporum, locorum tamen temporumque eas incidisse vicissitudines, quæ eum vel invitum compulerint: ut nihil jam sit quod miremur, si longo sæculorum decursu ejusmodi rerum commissuræ sæpiùs occurrerint, & ita id tandem necesse fuerit ad unius Ecclesiæ utilitatem. De eo ubertimè inferiùs. 11. Jam inde ab anno 536. cùm Agapetus Papa Constantinopolim profectus esset, & Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum exauthorasset, ejus loco ipsemet Menam subrogavit, assentiente Imperatore. *Anthimus videns se à sede pulsum, &c. Tunc Papa Principis favore, Menam pro eo ordinavit Antistitem, consecrans eum in Basilica sanctæ Mariæ.* Hactenus Liberatus, à quo etiam narratur, ut extruso pseudoepiscopo Alexandrino, successor ei datus sit Catholicus, qui Constantinopoli à Mena ordinatus est, præsentibus Apocrisiariis, Romano, Antiocheno & Hierosolymitano. Romanus Apocrisiarius erat Pelagius Diaconus, quem non multò pòst delegavit Imperator, ut Gazæ concurreret cum Patriarchis Antiocheno, Hierosolymitano & Ephesino ad depositionem Pauli Episcopi Alexandrini. Abrogato Paulo subrogatus ab illis est Zoïlus. Quo ex Liberati testimonio emicat, quàm frequentet Concilia, Pontifices, Patriarchæ ejecto Episcopo alium ipsimet sufficerent.

Baron. an 536. n. 17. 106.

Cap 10 22.

Baron an. 537. n. 14.

XXIII. Post Gregorii verò Magni tempora, Sexta Synodus Oecumenica Macarium Antiochenum Patriarcham Monothelitarum hæreseos signiferum, sede sua exturbatum Romam ablegavit cum primariis aliquibus ejusdem insaniæ sectatiis, eo, ut aiunt, consilio, quò Romanus Pontifex posset, si ex re videretur, humanius aliquid in eum consulere. Epiphanium quis illi in Antiochenam sedem subrogarit, non liquet mihi quidem, quanquam & aliqua hinc scintillet conjectura, quòd à Conone Papa successor Epiphanio datus sit. Affirmat enim Anastasius Bibliothecarius à Conone nominatum fuisse Constantinum Ecclesiæ Syracusanæ Diaconum, idque *ultra consuetudinem, absque consensu Cleri.* Ideo nec res processit, spemque Pontificis frustravit Constantinus, cujus penitissimam cordis nequitiam needum quisquam satis exploratam habebat. Jacebat jam tum Antiochia, infidelium barbarico jugo oppressa. Itaque jam minùs necesse erat ut Pontifices solliciti essent de nominando ibi Patriarcha, aut de danda opera, ut eligeretur. Anno 742. novus Antiochiæ electus est Patriarcha annuente novo Principe Sarracenorum, cujus antecessores Ecclesiam illam annis quadraginta viduam gemere coëgerant. Exinde mos invaluit, ut electiones ibidem celebrarentur.

Baron. an. 686. n. 5.

Baron. an. 742. n. 2.

Ubi autem dixi non satis compertum esse, ecquis Antiochenæ Ecclesiæ Patriarcham præfecisset post abdicationem Macarii in Concilio VI. Oecumenico, non eram nescius ea ipsa in Concilii Sessione Episcopos Clericosque Diœceseos Antiochenæ, seu Orientalis flagitasse à Judicibus Imperatoriisque Magistratibus, qui Concilio intererant, ut Imperatori suggererent, ut quamprimùm Antiochenæ Ecclesiæ novus adsignaretur Pastor. *Petimus vestram gloriam suggerere Imperatori, alterum pro Macario ad Pontificalem sedem Antiochiæ providere, ut non sit vidua hujusmodi Sedes.* Verùm iis verbis non insinuatur nisi necessaria Imperatoris permissio ad eligendum, non autem nominatio ipsa Patriarchæ. Et cùm Imperator ipse interpellante Concilio Macarium Romam ablegarit, ut suo Papa arbitratu de eo decerneret quid facto opus esset; simile veri est, permissum quoque Pontifici ab eo fuisse, ut Antiochenæ sedi provideret, vel restituto Macario si resipisceret; vel si insanire pergeret, alio subrogato. *Precati sunt, ut eos ad vestram beatitudinem mitteremus: sic igitur fecimus, eosque ad vos misimus, vestro paterno judicio omnem ipsorum causam permittentes.* Ibid. Sess. 18.

XXIV. Veri certè similiora non paulò sunt ista, quàm illud devolutionis jus, quod superstruere tentarunt nonnulli Epistolæ Cypriani ad Stephanum Papam, de lapsu Martiani Arelatensis Episcopi in Nuvatianorum laqueos. Nec enim hortatur Stephanum Cyprianus, Episcopum ipse ut designet alium, sed ut ad Arelatensem Ecclesiam scribat, quò alius substituatur. *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem à te litteræ, quibus abstento Martiano, alius in locum ejus substituatur.* Epist. 67.

XXV. Constat etiam, referente Hieronymo in Chronico, à Lucifero Episcopo Calaritano, dum in Oriente exularet, ordinatum fuisse Paulinum Archiepiscopum Antiochenum. Sed quanquam indubium id foret, Luciferum Legatione Romanæ Sedis tunc in Oriente perfunctum fuisse; posset satis probabiliter dici, dum flagrarent persecutionum incendia, id sibi jure quasi suo sumpsisse pios quosque Episcopos, ut quomodocumque possent, Ecclesiæ vulneribus mederentur, & tantum se posse considerent, quantum necessitas Ecclesiæ, quantum subveniendi charitas postularet.

XXVI. Ex Epistolis Martini Papæ I. maximè ex iis quas ad Stephanum Dorylæi Episcopum perscripsit, & ad Joannem Archiepiscopum Philadelphiæ, exempla promi possunt magis apposita & expressiora hujus jurisdictionis. Orientem Sarraceni suæ substraverant potestati, ipsasque principes urbes Antiochiam & Hierosolymam. Cessaverant in his Patriarchalibus Ecclesiis electiones canonicæ, & in Episcopatibus earum ditionis. In has Episcopales sedes intruserant se homines ambitionis oestro perciti: nonnullas insederant ii, qui ab Episcopis Constantinopolitanis, Monotheletarum lue afflatis immissi fuerant, unde & ea pestis latiùs in dies per Orientem grassabatur. Ut serpenti huic pesti occurreret Martinus Papa, suæ Sedis Legationem commendavit duobus illis Episcopis, ad quos & Litteras suprà laudatas perscripsit. En ut scriberet ad Joannem Archiepiscopum Philadelphiæ de potestate priùs à se data Stephano Episcopo Dorylæi, omnibus Ecclesiis, ubi necesse esset, Episcopos & Clericos ordinandi. *Præcepta demandata vice Apostolicæ hujus Cathedræ, quibus jussus est electiones ibi facere eorum, qui ad curam Christianis-*

ssimi populi eligendi sunt. En rursus qua potestate muniat Joannem ipsum Archiepiscopum Philadelphiæ: *Ea quæ desunt corrigas, & constituas per omnium civitatum Ecclesias, quæ sedi, tum Hierosolymitanæ, quàm Antiochenæ subsunt Episcopos & Presbyteros, & Diaconos. Hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis, ex authoritate Apostolica, quæ data est nobis à Domino, per Petrum sanctissimum & Principem Apostolorum.*

XXVII. Apertissimum hîc habes expressissimumque jus devolutionis, quo Papa Episcopos, Presbyteros, Diaconos designat ordinatque Ecclesiis Patriarchatûs Antiocheni & Hierosolymitani. Sed incredibilis tum erat temporum difficultas: cùm hinc Barbararum colluvio gentium Ecclesias omnes evastasset, Pastoribus vel obtroncatis, vel in fugam datis: & hinc rursus impetum facerent in vacantes istas Ecclesias, Monotheleticæ sectæ lupi potiùs quàm Pastores, à Præsulibus Constantinopolitanis eò incitati. In ejusmodi temporum importunitate nemo ambigit, quin Episcopi Catholici omnes, maximè autem circumpositi, possint, debeantque laboranti Ecclesiæ ferre suppetias, & Pastores orthodoxos suppeditare. Quo ita fixo & stabilito, multò amplior certiorque potestas vendicanda est Petri successoribus, cui speciali quodam jure & privilegio Christus universalem commendavit Ecclesiam suam. Non tacuit Martinus temporis angustias, quæ illum ad hæc impellerent: *Propter angustias temporis nostri & pressuram gentium, ne usque in finem in illis partibus deficiat sacerdotalis Ordo.*

XXVIII. Eandem usurpaverant libertatem Patriarchæ Constantinopolitani, ut designarent, ordinarentque Patriarchas & Episcopos in Ecclesias omnes earum Provinciarum, quas Sarraceni perpopulati essent. Hi Patriarchæ & Episcopi ita ordinati ævum omne plerumque suum Constantinopoli degebant, ut docet Eutychius Patriarcha Alexandrinus in Chronico suo Alexandrino. Titulares hi erant Episcopi, quos nec improbasset Martinus Papa sanctissimus, si Monotheletarum vesania non laborassent.

XXIX. Devolutionis jure hujusmodi mirum prorsus est, quòd tam raró usi fuerint Pontifices, cùm effulrescere illud videatur ex omnibus dignitatibus superioribus, maximè verò ex omnium suprema; cùm ad eas necesse sit revolvi, & quasi refundi potestatem omnem, qua fungi cessant negliguntque inferiores. Desperandum enim est de Reipublicæ salute, si quis muneris sui partes ac potestatis negligit inferior, eas superior non impleat exeratque. Quin & huic juri authoritas ex Justiniani legibus conciliabatur. Edicit enim ille in Novellis, ut nisi intra sextum vacantis Ecclesiæ Episcopalis mensem fiat electio, is qui jure fruitur consecrationis, nominet Episcopum ipse, ordinetque. *Si verò qui debent Episcopum eligere, ipsa decreta intra sex menses non faciant, tunc periculo propria animæ, ille quem competit ordinare, Episcopum ordinet.* Novel. 123. c. 2.



CAPUT XLII. *P. 3. l. 2. c. 9.*

An nominaret Papa ad aliqua aliarum Diœceseon Beneficia tempore Caroli Magni, ejusque Regiæ stirpis.

I. Adrianus ea maximè gloria & laude delectabatur, quòd Episcoporum electionibus se non insereret

II. Adrianus II. Episcopum Coloniensem eligere voluit, quòd ejus prædecessorem ipse deposuisset

III. Donatur Romano Pontifici Abbatia sancti Dionysii juxta Lutetiam.

IV. Varia exempla Episcopatuum à Romano Pontifice concessorum, aut potiùs electis confirmatorum.

V. Ampliori potestate in Italia utebantur Pontifices.

VI. De Genevensi Episcopo, quem ordinavit Papa.

VII. De iis qui ex ultimis orbis oris Romam adproperabant, ut à Pontifice ordinarentur.

VIII. Decreta Concilii Triburiensis circa provisiones Beneficiorum quæ Romæ impetrabantur.

I. RAró interponebatur Romani Pontificis authoritas ad provisiones Beneficiorum in aliorum Episcoporum Ecclesiis, sæculo VIII. IX. & X. regnante vel imperante Caroli Magni stirpe. Profitebatur Carolo Magno Adrianus I. Litteris ad eum datis, antè exemplo se illi, quàm consilio & præcepto præisse, ut nunquam Episcopalibus electionibus interseretet se: sed contentus esset ei suffragari, quem canonica electio testaretur merito & pietate cæteris præpollere. *Quia nunquam nos in qualibet electione invenimus, nec invenire habemus; sed neque vestram Excellentiam optamus talem rem incumbere. Sed qualis à Clero & plebe, cunctoque populo electus canonice fuerit, & nihil sit quod sacro obsit Ordini, solita traditione illum ordinamus.* Conc. Gall. To. 2. p. 96. Episcopum ordinavit Adrianus à Carolo Magno exoratus, sed non eum ipse elegerat. *Per Petrum, quem Caroli mandato Episcopum ordinarat.* Ibid p. 205. Docet Nicolaus Papa in Epistola ad Carolum Calvum data, fundos proventusque fuisse Romanæ Ecclesiæ in Galliis. Si essent in eis fundis Ecclesiæ, earum Patronatus penes Sedem Apostolicam erat & nominatio Beneficiorum. To. 3. pag. 341. Sed ne has quidem ab Episcopi Diœcesani potestate immunes fuisse ullo certo constare potest argumento.

II. At verò Adrianus II. Coloniensis Episcopi nominationem eo nomine ad se pertinere contendebat, quòd prædecessor Episcopus canonico judicio ab Apostolica Sede dejectus fuisset. Ludovicus Germaniæ Rex vehementer dissentiebat, unde & ipsum querelis suis Pontifex de novo subrogato Episcopo in hunc modum interpellavit. *Miramur præterea gloriam vestram in præficiendo Episcopo Agrippinæ Coloniæ tam indiscretè præbuisse consensum: cùm evidentissimè sciret, quod Apostolicæ sedis judicio atque consultu ibidem debuerit ordinari Antistes, cujus censura nuper fuerat eadem Ecclesia suo privata Rectore.* Anno 870. Epist. 22. Denique professus est se novo Episcopo confirmationis beneficium denegaturum, donec se Romanæ Synodo præsentem stiterit, & ab ea examinatus fuerit: *Præfatam quippe ordinationem nec confirmamus, nec ratam habere decernimus, donec, &c.* Duobus aut tribus antè annis præceperat Nicolaus Papa, ut Coloniensis Clerus alium deligeret Episcopum. *Canonicè à filiis & de filiis jam nominatarum Ecclesiarum electi, ab his qui earundem Ecclesiarum Antistites soliti sunt consecrare, regulariter ordinarentur.* Epist. 55. Sed longè alia jam rei facies erat, postquam statuerat Adrianus II. Guntharii, qui depositus fuerat, causam & judicium instaurare.

III. Joannes VIII. Papa in Concilio Tricassino Abbatiam sancti Dionysii à Carolo Calvo Imperatore Romanæ Ecclesiæ datam fuisse contendebat. Sed cùm nullis potuisset certis ea donatio probari argumentis, eos successu caruit. *Quod argumentum sicut factio, & non ratio imperfectum remansit.*

L. 5. c. 37. Aimoinus hujus narratiunculæ author, tradit in eodem Concilio perfecisse Pontificem, ut Hedenulphus Laudunensis Episcopus admitteretur, quem ipse ordinari curaverat in locum Hincmari: *Dixit Papa Joannes, ut Hedenulphus, sua authoritate ordinatus Episcopus, sedem suam teneret, & Episcopale ministerium ageret, &c.* Verùm Hedenulphus electus fuerat à Clero & populo Laudunensi, ut liquet ex Decreto electionis, quod transmiserunt ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum. *Conc. Gall. To. 3. pag. 451.* *Hedenulphum Ecclesia nostra filium elegimus.* Non aliud ergo Papa, quam in locum Hincmari Laudunensis alium ordinari permiserat Episcopum.

IV. Nec alia ratio est Hieronymi Episcopi Lausanensis, quem idem Joannes VIII. commendavit Carolo Crasso Regi, tanquam Apostolicæ sedis authoritate ordinatum. *Epist. 143.* *Jam dictum Episcopatum Lausanensem, sibi divinitus concessum, nostraque Apostolica etiam authoritate commissum, sub omni integritate recipere, habereque permittatis.* At non multo post fatetur ipse Pontifex electum hunc fuisse servata Canonum norma & ab iis ordinatum, quos proprius delegaverat Metropolitanus. *Nam regulariter illum electum, & proprio Archiepiscopo causa infirmitatis prabente consensum, & Episcopos consecratores illius, litteris quas nobis ostendit rogante, consecratum fuisse jam dicta Ecclesia Episcopum, incunctanter agnoscimus.* Præpotentior ergo tantùm tuitio his verbis declaratur, *Epist. 244. 245.* *Episcopatum nostra Apostolica authoritate commissum, largitum, &c.* quod rursus declaratur ex eo quòd spondeat Pontifex nunquam se electioni alteri consensurum. Non quod ad omnes Episcoporum electiones Pontificius desideraretur consensus. Sed quod ubi partium & suffragiorum divisio & altercatio erat, ad Pontificem persæpè res referretur, & tum certè ea impendebatur summæ Sedi reverentia, ut præter ejus voluntatem nil molirentur.

Richerii. Cùm de Episcopatu Tungrensi, seu Leodiensi Hilduinus & Richerius decertarent, flagrante ea contentione, Joannes X. administrationem ejus mandavit Archiepiscopo Coloniensi, quem & insimulavit, quod electioni quam confirmasset Rex Carolus Simplex, non esset suffragatus: cùm ex adverso electio Hilduini Patrocinio niteretur Gisleberti, quem Lotharingi sibi Ducem creaverant, excusso Caroli Simplicis Regis imperio. *Flod. Chr. Ann. 920. 922.* Romam concesserunt competitores, ubi Richerius à Papa ordinatus, Hilduinus autem excommunicatione innodatus est, ut author est Flodoardus in Chronico. *Conc. Gall. To. 3. pag. 576.*

Nec lites tantùm, sed & necessariæ dispensationes in causa frequentissimè erant, ut Romam confugerent partes & electi, seque Papæ judicio subjicerent. Abdicatus fuerat in Concilio Suessionensi II. Vulfadus, quod ab Ebbone Remensi Archiepiscopo ordinatus fuisset. Causa in Concilio Suessionensi III. redintegrata, ejusque restitutio Pontifici reservata est. *Ibidem. pag. 614.* Tum Carolus Calvus eum Bituricensis Ecclesiæ Archiepiscopum eligi fecit, confirmationemque à Romano Pontifice postulavit, ut anteverteret eas tumultuosas factiones, quæ reformidabantur, si ejus restitutio & confirmatio à Synodo expectaretur. *Sed quia nondum in futura Synodo causa sua restitutionis definita erat, noluimus, antequam vos consuleremus, ullo modo illum prædicta Ecclesia praponere.*

Actardus Nannetensis Episcopus, referente Flodoardo, Ecclesia sua ejectus cùm fuisset à Normannis, qui eam funditus diruerant: Turonensis Provinciæ Episcopos, Clerumque & populum Turonensem invitavit Pontifex, ut eum hujus civitatis Archiepiscopum eligerent; quod & præstitum ab eis est, sollicitato Hincmaro ad consensum Regis eliciendum. *Flodoard. L. 3. c. 21.* *Intimans Regi quod Episcopi ejusdem Provincia, Clerus quoque & plebs ipsius Ecclesia, invitati authoritate Apostolica sedis, Actardum sibi velint donari Episcopum.* Litteræ quoque Caroli Calvi Regis sicut & Adriani II. id produnt, expetisse Regem ipsum translationem Actardi, concessumque fuisse à Pontifice, ut Turonum transferretur. *Conc. Gall. To. 3 pag. 362. 365.*

V. Facillimè assentientur omnes, Italiæ Ecclesias reverentiùs assurrexisse Pontificibus, siquid illi molirentur in Episcoporum electionibus, vel translationibus. Cùm Faventina vacaret Ecclesia, ad eum Episcopatum Joannes VIII. evexit ejusdem Archidiaconum, rescripsitque ad Archiepiscopum Ravennatem, ut illum incunctanter ordinaret. Pontificiæ Epistolæ verba summam manifestè præ se ferunt authoritatem: *Epist. 171. 174. 175.* *Defuncto Ecclesia Faventina Episcopo prævidimus hunc Dominicum venerabilem Archidiaconum, sedis ipsius honore Episcopali dignum existere. Hoc authoritatis nostra statuto præsenti, dilectioni tua præcipimus, ut absque omni mora, vel protelatione, eundem Archidiaconum studeas secundùm morem Episcopum consecrare.* Cùm verò Romanus nomine Archiepiscopus Ravennas præter mandatum Pontificis Parochum Diœceseos Faventinæ Episcopum Faventiæ ordinasset, illum ad Romanam Synodum cum ordinato Episcopo citavit Pontifex, qui hunc interim functionibus Episcopalibus penitus suspenderat. En et ad eum scribat de ejus promotione: *Audientes te esse quasi ad Episcopalem honorem à Romano Ravennati Archiepiscopo, sine nostri Pontificii authoritate, seu licentia, & absque Canonica institutionis regula enormiter promotum, &c.*

VI. Consecratus est ab eodem Pontifice Optandus Episcopus Genevensis, à Clero & populo electus; quòd nimirum eam Ordinationem malitiosè procrastinaret Metropolitanus Viennensis, propter suam cum Bosone confœderationem, hoste infensissimo Caroli Crassi Imperatoris, qui Optando patrocinabatur, instabatque Pontifici, ne ejus consecrationem retardari pateretur. Archiepiscopus Viennensis eò erupit audaciæ, ut ordinatum à Pontifice Episcopum in carcerem compingeret, & alterum ipse ordinaret. *Epist. 281. 291.* Pontifex excommunicationis fulmen interminatus jussit, ut Optandum in Genevensem Episcopatum restitueret, ipse quamprimùm Romanam ad Synodum pergeret, facinus hoc suum purgaturus.

VII. Ab ultimis usque Orbis Christiani oris Romam ventitabant multi, pio concitati desiderio, ut à Petri successore, tanquam à Petro ipso ordinarentur. Sed & hos consentaneum est ut credamus à Clero populoque proprio electos priùs fuisse Episcopos, sicut de Optando Genevensi ostendimus. De Episcopis autem Romam confluentibus, ut Episcopatûs gratiam ab ipso Episcopatûs vertice, & à Petro magis, quam Petri successore consequerentur, luculentè disserit Auxilius in hæc verba: *Qui de longinquis terrarum spatiis per mille, ut ita dicam discrimina, tremebundi ad Apostolicam sedem* *L. 1. c. 19. L. de I.*

profecti sunt, & sacram ordinationem, ut moris est, magis ab Apostolo Petro, quam ab ejus Vicario susceperunt. Et infrà: *Mihi qui de longinquis terrarum spatiis ad Apostolorum limina profectus sum, & sacram ordinationem ut moris est, magis ab Apostolo Petro, quam ab ejus Vicario suscepi.*

Illud quoque observari par est, agere Auxilium de his qui Romam convolabant ex omnibus Orbis partibus, ut ordinarentur à Pontifice, nec significare, Episcopi essent, an Presbyteri, Diaconique, an Minorum Ordinum. Itaque probabilius est omnium promiscuè Ordinum fuisse. Nec negat Auxilius venisse eos cum Episcopi proprii Dimissoriis litteris. Cùm id verò tam instanter jubeant Canones, credere par est ita factitatum fuisse. Nisi ex adverso pertendat quis, ut Constantinopolitani & Carthaginenses Episcopi id suo quasi jure sibi sumebant, ut aliarum Ecclesiarum Clericos in Ecclesia sua retinerent illigarentque: Pontificem Romanum eodem hic jure usum fuisse. Verùm ingenuè fatendum est, eos quibus de hic agitur nequaquam Ecclesiæ Romanæ obsequiis defigendos, dicandosque deinceps fuisse.

VIII. Non satis video, an ad Provisiones Beneficiorum referri possit, quod habetur in Canone Concilii Triburiensis, ubi profitentur Episcopi, ut durum sit jugum, quod sibi à sede Apostolica imponetur, modicè se & æquo animo id laturos, memores nimirum Petri, cujus Ecclesia parens est & magistra cæterarum omnium. *In memoriam beati*
Can. 30. *Petri Apostoli, honoremus sanctam Romanam & Apostolicam sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum feramus & pia devotione toleremus.* At si Presbyteri vel Diaconi Roma redeuntes fallaces falsasque litteras deferant, quæ paci & disciplinæ obstrepant Ecclesiarum; eos Episcopi comprehendi & custodiri curabunt, donec vel per Epistolas, vel per nuncios quoslibet rescierint à Pontifice, qua eos pœna mulctari velit. *Si verò quilibet, sive Presbyter, sive Diaconus aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolico detulisse Epistolam, vel aliud quid, quod inde non convenerit: salva fide & integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per Epistolam, aut per aliquos suæ partis legatos, Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus justo ordine lex Romana statuat definire, ut & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.* Rescripta Romanæ sedis tam frequentia jam tum erant, ut & frequentes jam essent eorum adulteratores.

De Mandatis, Reservationibus, Expectativis Beneficiorum, quæ toto terrarum Orbe Pontifex contulit post annum Christi millesimum.

CAPUT XLIII. *P. 4. l. 2. c. 10.*

De initio & progressu Juris, vel Exercitii Juris summorum Pontificum in Beneficia Diœceseon aliarum. De Mandatis eorum, Reservationibus & Expectativis, usque ad annum Christi millesimum trecentesimum.

I. Istiusmodi jura needum ad usum vocata erant sub Gregorio VII. Quæ illi dimiserit Comes Provinciæ.

II. Adrianus IV. primus omnium videtur orasse, petiisse, eandem & præcepisse Ordinariis, ut Beneficia iis quos commendabat, pauperibus & bene de Ecclesia meritis conferrent. Reges ipsi Principesque Pontificem ad id instimulabant.

III. Alexander III. eo exemplo usus, precibus mandata miscuit, Optimatibus & viris quibusdam sanctissimis sollicitantibus.

IV. Vacaturas conferebant Præbendas, reservabant, & expectativas dabant.

V. Petrus Cantor cum primis vir Lucium Papam urgebat, ut imperaret, nec solis precibus ageret.

VI. Varia objiciuntur in hanc disciplinam, quæ eo collimabat, ut haberent pauperes Clerici, nec ignavi, sed pii & litterati, quo victum tolerarent.

VII. Augescit hæc Pontificia potestas, atque ei in Anglia & Gallia resistitur.

VIII. Patroni subinde immunitatem adipiscuntur.

IX. Rursum repugnatur. Querela gravissima Anglorum de Italis, qui occupaverant Angliæ Beneficia omnia reditusque sacros.

X. Aliis in Regnis quo loco res essent.

XI. De Pragmatica sancti Ludovici.

XII. Philippus Pulcher repugnat Mandatis Bonifacii VIII. à quo vicissim oppugnantur Collationes Beneficiorum Regiæ. Quid Clemens V.

I. DEmonstrata illustrataque ea, quam antiquissimam & universalem obtinebant Episcopi potestatem, conferendi omnia omnino Diœceseos quisque suæ Beneficia: defluximus ad ejus potestatis varias subinde factas coarctationes, per Patronos, per Collatores, maximè autem per summos Pontifices. Hærendum in his hic diutiùs nobis est, & ordiendum à Gregorio VII. qui illud quidem inter jura recensuit primæ Sedis, ut Abbatias novas creare possit, opulentiorem Episcopatum in duos partiri, tenuiores duos in unum conflare: sed ne verbum quidem fecit ullum, de facultate conferendi omnia ubique Beneficia: nisi id his ejus ex verbis exculpere velis, *Quod de omni Ecclesia quemcunque voluerit Clericum, valeat ordinare.* Dictatus Gregor. VII. Sed alio jam sensu, eoque germano hæc Gregorii interpretati sumus verba, quibus una innuitur Papæ authoritas, ad transferendos in Ecclesiam Romanam quoscunque aliarum Provinciarum Clericos.

Bertrandus quidem Provinciæ Comes, cùm huic Pontifici subjecisset ditionem suam omnem, ejusque successoribus, disponendas illi simul permisit Ecclesias suas omnes: *Ecclesias omnes, quæ in mea potestate sunt, domino Gregorio Papæ omnino dimitto,* L. 9. Ep. 12. *& omnibus successoribus suis: & ad ordinandum eas justè & secundum Deum pro posse meo fideliter adjuvabo,*

adjuvabo. Sed non facilè adduci possum, ut existimem eam Comitis hujus animo insedisse voluntatem, ut Episcoporum suorum legitimam potestatem frangeret & enervaret: atque ut id largiamur eum voluisse, privata hæc fuerit concessio, quæ Provinciæ finibus arctaretur, nec ad alias orbis Christiani Provincias manare posset. Quin & simile veri est has Ecclesias non fuisse nisi Cathedrales, quarum investituras à se prius usurpatas hic in Gregorii manus resignarit.

II. Primus omnium Adrianus IV. qui Sedis Apostolicæ culmen adiit anno 1154. postulasse videtur ab Episcopis & Capitulis Præbendas, vel Dignitates quasdam, quibus privatos de Ecclesia bene meritos impartiret. Hugo Cancellarius Franciæ Archidiaconus major Ecclesiæ Atrebatensis designatus ab Episcopo ejusdem urbis, ab Adriano dignitatis sibi collatæ confirmationem accepit. Cùm Episcopus & Capitulum Ecclesiæ Parisiensis eidem Cancellario Præbendam contulissent, eam
Epist. 10. 11. 12. collationem confirmavit Papa, rescripsitque ut quo ille cumque loco esset, his reditibus potiretur. Expresserat Episcopus Atrebatensis à Cancellario sacramentum, eo ipso tempore, quo ei Archidiaconatum contulerat, ut simul atque admoneretur Cancellariam abdicare, abdicaret: eo sacramento eum Pontifex absolvit. Porrò à vero abest ab ipso Cancellario, vel Rege sollicitatum ad hæc omnia impulsumque fuisse Pontificem, quæ minùs usitata hactenus fuerant, & quæ viam illi complanarunt, ut Canonicatum, aut Dignitatem postea peteret ipse à Capitulo eodem Parisiensi, qua idem Cancellarius donaretur. His sanè ille ea de re verbis ad Episcopum Parisiensem scripsit: *Fraternitatem tuam pro his qui nobis cari sunt rogare non dubitamus, &c. Cancellarius Regis Franciæ Romanæ Ecclesiæ & nobis quantum devotus sit & fidelis, prudentiam tuam non credimus ignorare. Inde est quod illum fraternitati tuæ duximus plurimùm commendandum, rogantes attentiùs, quatenus pro B. Petri & nostrarum reverentia litterarum, primum personatum vel honorem, qui in tua vacabit Ecclesia, ei concedas, ut & ipse nostras sibi preces sentiat fructuosas, & nos de nostrarum precum admissione gratiarum tibi exolvere debeamus actiones.* Perspicuum est commendatitiam eam fuisse tantùm Epistolam & precem, quam Cancellarius, quam forsan Rex ipse à Pontifice expressisset, alioqui propenso ad Regi & Cancellario gratificandum: cùm nihilo minor esset propensio Parisiensis Episcopi, ut gratiam simul & à Pontifice iniret, & à Rege, atque à Cancellario.

Acerbiores idem Pontifex Litteras dedit ad Capitulum Aurelianensis Ecclesiæ, à quo repugnatum fuerat dispensationi residentiæ eidem Cancellario concessæ, propter Præbendam, quam in eodem Aurelianensi Capitulo obtinebat. Ex alia ejusdem
Epist. 14. Pontificis Epistola ad eundem Cancellarium data,
Epist. 20. liquet eundem Cancellarium felicissimè insudasse paci inter Franciæ Angliæque Reges stabiliendæ, atque ita non immeritò Pontificem Regemque, Ecclesiam & Regnum conspirasse ad honores vicissim novos in illum congerendos.

Missas facio reliquas ejusdem Pontificis Litteras, eò pertinentes, ut collatorum sibi Beneficiorum pacificam possessionem nancisceretur Cancellarius. Venio ad eam, quæ jam non commendationes, non preces, sed mandatum præ se ferret, quæ preces imperio misceret. Antè forsan Parisiensis Episcopus vivere desierat, quàm implere posset, quod expetitum à Papa fuerat, nimirum quòd nulla vacasset Præbenda. Cùm vacasset ergo Præpositura, eam à Pontifice sibi flagitari pervicit Cancellarius, & quidem verbis tantò expressioribus, quod ad Capitulum jam scribebant. *Universitati vestræ præcipiendo per Apostolica scripta mandamus, & mandando præcipimus, quatenus præposituram, quæ in Parisiensi Ecclesia, & domos quæ in claustro ejusdem Ecclesiæ dehinc primùm vacaverint, ei concedatis, &c.* Epist. 24.

III. Exinde quæ preces Pontificum, præcepta etiam fuere; nec alius est rerum humanarum cursus usitatissimus; nec aliter se summa per varias temporum vices Principum potestas explicat. Illud certè fateri cogimur, non amplificatam tantùm fuisse authoritatem Apostolicæ Sedis, his, seu precibus, seu mandatis: sed & Episcoporum utilitatibus, privatorumque hominum eruditionis & pietatis gloria insigniorum commodis consultum fuisse. Ab Abbate sancti Remigii Alexander III. Præbendam postulavit, pro eo qui & eruditione & ipsius Abbatis gratia floreret. *Viris litteratis atque devotis* Append. 2. *tanto propensius providere tenemur, &c. Attendentes* Epist. 7. 48. *devotionem quam circa te gerit, &c. Ipsum commendamus, rogantes & rogando mandantes, quatenus pro reverentia B. Petri & nostra, & intuitu devotionis ac litteraturæ, &c.* Curæ erat huic Pontifici, ut egentibus Clericis, & qui bene mereri de Ecclesia possent, necessaria vitæ subsidia Ecclesiasticis Beneficiis compararet. *Pastoralis sollicitudo nos admonet, pro viris Ecclesiasticis, & præsertim pro his qui nullum habent Ecclesiasticum Beneficium, & sunt bonæ opinionis & famæ, sollicitos existere; &c. Rogantes attentiùs, monentes atque mandantes, quatenus, &c.* Diuturna Imperatoris & Antipapæ Victoris infestatio hunc Pontificem compulerat, ut in Gallias confugeret; ubi à Rege Ludovico VII. flagitavit Carnotensem Archidiaconatum, quo Clericum remuneraret, fugæ & calamitatis suæ socium. Cùm Rex non statim annuisset, rursus illum Pontifex per Litteras interpellavit, ubi preces & monita tantùm. *Rogantes atten-* Append. 5. *tiùs & monentes, &c.* Epist. 96. Apparet Regem Pontificiis precibus cessisse tandem, cùm & ipse ad ejus authoritatem confugerit, ut Præbendam Ecclesiæ Parisiensis nepoti Meldensis Episcopi impetraret. Hæc enim verba Pontificis Epistolæ ad Capitulum Parisiense: *Precibus illustris Francorum Regis, Reginæ quoque, &* Ibidem. *aliarum magnarum personarum inducti, universitatem* Epist. 107. *vestram per Apostolica scripta monemus, mandamus atque præcipimus, quatenus, &c.*

Joannes Salisberiensis Episcopum Vorcestrensem Litteris urgebat, ut viro multis præclaro virtutibus Præbendam conferret, quod ita cuperent Pontifex, Rex & Regina. Nec dubitavit Joannes tum affirmare, preces Pontificias vim habere præcepti. *Summi Pontificis voluntas decretum est.* Epist. 53. Hanc ille scripsisse videtur Epistolam alicujus Prælati nomine, sicut & illam, qua Cantuariensis Archiepiscopus monet Alexandrum III. Papam, paruisse se ejus mandato de Præbenda, sed Episcopum Londoniensem restitare adhuc, & Pontificis esse jam, ut dignitati suæ suarumque precum consulat. *Vos hono-* Epist. 36. *rem vestrum servabitis.* Testatum facit hic idem Scriptor, Regem Angliæ liberam eidem Pontifici dimittere voluisse provisionem omnium Angliæ Beneficiorum, si modò animum induceret ad exauthorationem Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis. *Concedens, ut tam in Ecclesia Cantuariensi, quàm in aliis* Epist. 171. *vacantibus in Anglia Pastores ordinares ad libitum.*

Agit Petrus Cluniacensis Abbas de Præbendis,

quas Tricassinus Episcopus contulerat, aut conferre debuerat Clericis quibusdam, & Abbati ipsi Cluniacensi hujus *Papæ precibus & præcepto.* Declarat hujus Pontificis Decretalis *Cap. Cùm teneamur.* L. 2 Ep. 33. 34. *De Præbendis*, mandatis suis tum posse non obtemperari, cùm ii qui ea impetrarant, alia obtinent Beneficia, de quibus non meminere mandata. Ratio in promptu, quòd horum scopus is esset mandatorum, ut mendicitati Clerici subducerentur.

IV. Indiscriminatim verò dabantur hæc mandata ad Præbendas, quæ vel tunc vacarent, vel vacaturæ primùm essent. Aliud erat & mandati genus, ut author idoneus est Stephanus Tornacensis, quo ipsum nempe Alexander III. compellebat ad alendum Clericum, & postea ad certam pecuniæ pensionem. Quin & Pontificem idem submonebat, hoc ipsos quoque sibi sumere Cardinales Romanos, ut Clericos aliquos sibi alendos commendarent. Epist. 67. *Sciat Paternitas vestra, nos in quibusdam Clericis exhibendis per aliquos dominos meos Cardinales consimilia onera sustinere.*

V. Sed ex iisdem Stephani Tornacensis Epistolis illud ante cætera observandum venit, quod quanquam mandata hæc Pontificum jam vim sibi induissent præceptorum, non tamen illis semper omnes morem gesserint. Ideo & Stephanus ipse vehementiùs instare cœpit Lucio Papæ, ut ne diutiùs inultam ferret contumaciam Capituli sancti Aniani Aurelianensis, quod non modum paruerat ejus, immo & prædecessoris ejus Alexandri mandato, quo consulebatur Subdiacono, qui etsi pietate & doctrina non mediocri esset, & patrimonio & Beneficio destitutus langnebat. Et expediri hoc Apostolicum mandatum in gratiam Subdiaconi priùs curaverat Stephanus, & idem validè urgebat, ut executioni Epist. 109. mandaretur. *Scripsit pro eo Alexander, scripsistis & vos, primò & secundò. Sed neque preces, neque præceptum vestrum, quamvis tres Præbendæ vacarent, voluerunt audire. Absit, Pater, ut inanes sint preces vestræ, contemptibilis authoritas elusorium præceptum, & nunc demum tanta si placet virtute intonet super eos majestas vestra, ut qui b andire juvari non potuerunt, imperio dicant vinci.* Nec multùm laborandum fuit Stephano, ut persuaderet quod volebat. Quin & suscepit ipse in se executionem alterius Pontificii mandati ad Episcopum Aurelianensem, ut Præbenda ejus Ecclesiæ adsignaretur Amanuensi Pontificis ipsius, oriundo ex ipsa Aurelianensi Diœcesi, cum expresso mandato irritandi collationes omnes Præbendarum ab eodem Episcopo faciendas, donec Epist. 111. mandato morem gessisset. *Et si quam Episcopus fecisset vel facturus esset de nondum vacante Præbenda promissionem, concessionem vel investituram, totum authoritate domini Papæ irritum esse & fore denunciavi.* Cessit tandem Episcopus tantæ authoritatis ponderi, non sine offendiculo Canonicorum, propter Archipresbyterum, cui pecuniariam adsignaverant pensionem, dum vacaret Præbenda.

Cùm rursum idem Stephanus executor designatus esset à Pontifice unà cum Archiepiscopo Remensi, Mandati cujusdam ad Capitulum Sanctæ Crucis Aurelianensis, in favorem Clerici Aurelianensis, rerum necessariarum penuria graviter laborantis, statim ad Capitulum Aurelianense, Rem esse perscripsit plenam periculi, Pontifici non morigerari. Epist. 131. *Tanto Patri non parere, perire est: non obedire, obire:* si illi differrent, Archiepiscopum executioni mandaturum præcepta Pontificis: *Si desides apparueritis, implebis non minus celeriter, quàm potenter:* satius esse denique volentem flecti, & parere, quàm invitum frangi, cogique. *Acceptius est spontaneum beneficium, quàm involuntarium, gratuitum, quàm extortum.*

Innocentii III. declarat Epistola quædam Episcopum Parisiensem sua sponte Præbendam Ecclesiæ suæ seposuisse & servasse, ut illam illi offerret, cuipiam propinquorum ejus conferendam. Quod Pontifici gratissimum fuit. *Præbendam vacantem re-* Regest. 13. *servasti, cuicumque vellemus conferendam, habituri* Epist. 30. *gratissimum, si alicui de sanguine nostro, &c.* Alibi ve- Regest. 11. rò rursus idem Pontifex discernit tria litterarum Epist. 95. seu mandatorum genera, ad collationem Beneficiorum spectantia. Prima erant Mandata, ut cuipiam provideretur. His succedebant iterata Monitiones. Tertio tandem loco expediebantur Executoriæ, quibus delegabantur, qui executionem urgerent, vel rem exequerentur ipsi.

VI. Ita gradatim ex precibus ad præcepta ventum est, & repugnasse, contumaciæ imputabatur: denique delegati sunt Executores, qui cessantibus Collatoribus, Beneficia ipsi conferrent. At verò 1. quidem id fiebat interpellatione & instigatione Francorum ipsorum, Regum, Principum, Episcoporum, Abbatum, virorum sanctitatis laude clarorum, qui Pontifices ipsos ad hæc stimulabant. 2. Tantò clementiores esse nos in his decet, quod totum fiebat in gratiam Francorum ipsorum civium, & plerumque Diœcesanorum, quibus & merita suffragabantur, & obsequia Ecclesiæ præstita, & demum luculentissima omnium suffragatrix paupertas.

Quæ eadem observari par est in Litteris Innocentii III. nempe ipsius permagni Ecclesiæ interest, Innoc. III. Regest. 13. Ep. 13. 17. 95. ut Clericis consultum sit, quorum illa mater est, & quorum obsequiis culta fuit, cùm tamen illis non sit, quo vitam tolerent. *Cùm reditus sufficientes non habeat.* Reg. 16. Epist. 163. 165. Illud enim Romanis Pontificibus fixum & solemne erat, non commendare, nisi qui & patrimonii inopes essent & Beneficii. *Cùm necessitatibus pauperum Clericorum, qui nullum sunt Ecclesiasticorum Beneficiorum consecuti, Sedes Apostolica duxerit succurrendum.* Quæ in Mandatis exprimi receptissimum erat: Ibi. Ep. 177. *Sicut ibidem exprimi consuevit.* Quin & in ipsas Orientis Ecclesias eandem sibi idem Pontifex licentiam usurpavit, ut Executores mitteret, juberetque, nec Censurarum jaculis abstineret.

Nec Gregorius IX. Censuris abstinuit. De Cæ- Extra. De Præb. c. 38. lestino autem III narrat Rogerius, cùm necdum posset terminari Archiepiscopi & Capituli Eboracensis dissidium de collatione Decanatûs ejus Ecclesiæ: nominatum à Pontifice ipso fuisse Decanum, illum ipsum quem Capitulum elegerat, illæsu partium jure. *Fretus sua potestate, de cujus amplitudine dubitare fas non est. Decanatum contulit.* Permira sunt ea verba, nec illud minùs mirum, quòd nemo tum obstrepuerit.

Jus erat multò luculentius, fuissetque repugnare non paulò atrociùs, cum agebatur de Clericis qui sine titulo ordinati fuerant ab Episcopo, vel ab ejus prædecessoribus. Unde idem Innocentius III. ad Braccharensem Archiepiscopum in ejusmodi causa. *Cùm etsi tecum de jure agere vellemus, te possemus* C. Accepim. *meritò ad provisionem eorum compellere, quos à te, vel* De ætate & qualit. *prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret.* Ejusmodi Regest. 1. quoque de re ad Episcopum Zamorensem in Hispa- Epist. 76. nia sunt ejusdem Pontificis Litteræ. Honorius III. C. Dilectus. ad Capitulum Andegavense misit *preces & præcepta.* De Præbend.

VII. Si verò potestas hæc verò non eodem semper se circumscripsit gyro, quo cœperat: si latius serpsit, si repugnari non est amplius passa, postquam longo usu corroborata fuit, doctorumque & piorum omnium adgratulatione & voto: illud unum occurrere debet animo, eam esse rerum humanarum sortem, ut semper adolescant, vel senescant: augeantur, vel minuantur: nunquam diu constent eodem sive in bonum, sive in malum gradu.

Erit quod magis etiam stupeamus, in eo quod narrat Matthæus Paris anno 1226. Ottonem Pontificium in Anglia Nuncium proposuisse nomine Papæ, ad abstergendas avaritiæ sordes, & profligandam munerum invidiam à Romana Curia, quam ad has pudendas angustias sua coarctabat paupertas, duæ ut illi Præbendæ adsignarentur in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, alteram mensæ Episcopalis, Capitularis alteram: similiter & duas in Abbatialibus Ecclesiis, alteram mensæ Abbatum, alteram Monachorum, ubi sejunctæ jam fuerant mensæ. Excusarunt Episcopi absentiam cæterorum Prælatorum & Patronorum Regni totius, maximè verò Regis, cujus plurimum intererat: at Barones Regni nomine Regis obnunciarunt Episcopis, quibus Feuda & Baroniæ erant, eorum non esse juris & potestatis, Ecclesiæ Romanæ subjicere Feuda Regni, ex quibus aliquando exhaustis fore ut suppeditari non posset, quo Regni oneribus satisficeret. *Districtè inhibemus ne laicum feudum suum Romana Ecclesia obligarent, unde à servitio sibi debito privaretur.* Ita rem totam tum ludificati sunt Angli.

Matthæus Paris.

Ibidem.

Legatus Pontificius in Gallia Romanus nomine idem tentavit in Concilio Bituricensi ejusdem anni, postquam dimitti curaverat Procuratores Capitulorum. At illi mox rem subodorati, haud mora redire, contestatique sunt non sine ingenti animorum effervescentia, non posse non inde schisma imminere in Gallicanam Ecclesiam, vulnusque immedicabile, quo universalis Ecclesia cruentaretur; Optimates Regni Regemque ipsum persuasissimos esse, sanguinis & vitæ ipsius impendio decertandum sibi esse ad hanc amoliendam ab Ecclesia & Regno calamitatem; denique opum abundantiam magis reformidandam esse Romanæ Ecclesiæ, quàm inopiam; & ex illa non paulò plus detrimenti emergere aliquando posse: *Ipse Rex & omnes Principes parati sunt contradicere, & resistere usque ad capitis expositionem, & omnis honoris privationem, præsertim cum videatur imminere propter hoc scandalum, subversio Regni & Ecclesiæ generalis, &c. Moveat vos zelus universalis Ecclesiæ, & sanctæ sedis Romanæ, quia si omnium esset universalis oppressio, posset timeri, ne immineret generalis discessio, quod Deus avertat.* His vel minis deterritus, vel rationibus persuasus cessit Legatus, sanctéque affirmavit, nihil à se tentatum esse in Gallia, quod non sperasset & in Imperio, & aliis in Christiani Orbis Provinciis approbatum iri.

VIII. Si inauspicato cederent reservationes hæ generales, at peculiares suo semper libero ferebantur cursu, etiam in Beneficiis laïci quandoque Patronatus. Perscripserunt super ea re Barones Angliæ amarulentissimas ad Gregorium IX. litteras, anno 1239. ut perhibet Matthæus Paris, à quo & impetratas ait Bullas, quibus Patroni laïci prorsus eximerentur. *Ne Beneficia Angliæ, quæ ad præsentationem sæcularium pertinent Patronorum, authoritate nostra cuiquam conferantur.* Hoc ipsum Regi jam concessum fuerat. Ne hac quidem Gregorii humanitate deliniri potuit Matthæus Paris, aut ab insita sibi maledicendi libidine abduci. *Solum data sunt in direptionem & prædam possessiones personarum Ecclesiasticarum, & imbellium Religiosorum. Jamjam igitur in antiquum chaos mundus ruere comminatur.*

Gregor. IX. Epist. 13.

Retunderentur aliquanto etiam æquius & validius Matthæi obtrectationes, si Pontifices, vel Pontificum potius Legati minus indulsissent privatis affectibus, suæque propensioni ad ditandos Italos, maximè autem Romanos, propinquosque suos, quorum in sinum opes infundebant Provinciarum, extraneisque hominibus universas jam Angliæ Ecclesias refererant. Non poterit non vehementer obstupescere, qui legerit quæ ab eodem narrantur ad annum 1240. mandatum esse à Pontifice tribus Angliæ Episcopis, ut quæ primùm vacarent Beneficia, trecentis conferrent Romanis: interim autem dum Mandatum explessent, à quacumque eos alia Beneficiorum collatione suspensos fuisse. Si nihil hic exaggerate dictum est à Matthæo, obreptum haud dubio fuerat Pontifici.

IX. Ex eodem verò Scriptore Canonici Lugdunenses anno 1245. coram, & fidentissimè restitere Innocentio IV. Papæ, cùm duas eorum Ecclesiæ Præbendas propinquis quibusdam suis conferre adgressus est. *Cum Papa quibusdam Præbendis vacantibus quosdam alienigenas consanguineos, vel affines suos inconsulto Capitulo intruderet, restiterunt ei in facie Canonici Lugdunenses, obtestantes, quod si tales apud Lugdunum apparerent, non posset eos vel Archiepiscopus, vel Canonici protegere, quin in Rhodanum mergerentur.* Nec de eo postea Pontifex verbum fecit ullum.

Paris.

Haud satis comperi, an eadem fuerit sors, idemque exitus querelarum, quibus in Concilio Lugdunensi Angli eundem incesserunt Pontificem, vehementer exulcerati adversùs Italos, qui omnia penè Angliæ invaserant Beneficia Patronatus Ecclesiastici, ita ut ad eos rediret annis singulis plusquam sexaginta millia marcarum argenti, quantam pecuniæ summam non facile Rex universo ex Regno exigere potuisset. *Italici percipientes in Anglia sexaginta millia marcarum, & eo amplius annuatim, plus emolumenti meri reditus de regno reportant, quàm ipse Rex, qui est tutor Ecclesiæ, & regni gubernacula moderatur.* Inducias ad deliberandum flagitavit Pontifex. Ingeminatæ sunt rursus eædem querelæ in Angliæ Parlamento anni 1246. & ad ipsas usque Pontificis aures personarunt. Iteratæ illæ sunt denuo anno 1247. & Angliæ Regem emollivit tandem Pontifex, pollicitus, ad ipsummet Regem preces posthac missum iri, ut provideatur, vel Papæ, vel Cardinalium nepotibus. *Quod quando Papa providet alicui vel aliquibus ex nepotibus suis, vel Cardinalium, ipse, vel ipsi Cardinales rogabunt dominum Regem cum instantia magna, quod placeat Domino Regi, ut provideatur sic.* Ne huic quidem temperamento acquiescit Matthæus Paris, unde & subjicit anno 1252. Episcopum Lincolniensem calculis subductis declarasse unum Innocentium IV. plura extorsisse ab Anglis, quam omnes ejus prædecessores conjunctim, annuosque reditus Italorum in Anglia ad septuaginta millia marcarum argenti excrevisse, quarum ne tertia quidem pars ad Regiam arcam quotannis redibat. *Reditus Regis merus non ad ejus partem tertiam computabatur.*

Idem.

Idem.

Quanquam ubique vehementer suspecta sit hujus Historici maledicentia, non possumus non his magnopere indolescere, & mœrori levamentum

aliquod venari, ex eo quod idem Innocentius IV. hoc admodum tempore revocaverit reservationes & mandata omnia, quæ surrepta ipsi fuerant in Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, & Prioratus. Extat Bulla in Additionibus ad Matthæum Paris: ingenuè fatetur Pontifex non importunitate tantum temporum, sed inexaturata quorundam hominum cupiditate extortas sibi fuisse invidiosas omnes istiusmodi concessiones. *Et qualitas temporis, quod diebus istis potissimum fuit ob eorum malitiam modis variis redimendum, & nonnullorum importuna instantia extorsit, &c.*

Eadem tamen trita est via successori ejus Alexandro IV. si qua fides eidem Matthæo Paris ad annum 1258. Cùm his innovationibus constantissimè reniteretur Archiepiscopus Eboracensis, prohibitum est primo, ne crux illi pro solenni Archiepiscoporum more prægestaretur. Suspensionibus & excommunicationibus in eum pertonuit Pontifex, & ne vel sic quidem de sententia dejectus ille est, & de infracta constantia, ut ne Ecclesiæ suæ Beneficia conferrentur extraneis, & imperitis ejus linguæ, quæ in Provincia sua Valliæ, quam Galliam etiam vocant, usitata & vernacula est. *Inexpertos, & lingua Gallicana ignaros renuit acceptare.*

X. In historicis horum temporum apud alias gentes commentariis, nulla exempla hujus indomitæ vel constantiæ, vel contumaciæ, quæ tam crebra
Can. 33. apud Anglos fuere. Quin immo Concilium Coloniense 1260. præcepit servari in Ecclesiis Collegialibus Bullam Alexandri IV. quæ vetabat, ne plura eis infligerentur, quam quatuor mandata Reservationum Apostolicarum. Concilium alterum Coloniense anni 1266. definiit, cùm persæpe contingeret, ut de Præbendis vacantibus litigaretur, inter plures Mandatarios Papæ, vel Legatorum ejus, vel Competitores alios, hujusmodi lites diffinirentur à Capitulo, vel ad Pontificem referrentur: pendente autem lite, proventuum altera pars Ecclesiæ, altera Vicario adsignaretur, qui ejus ministeria obiret.

XI. Quæ tribuitur Ludovico Regi IX. Pragmatica, obliquè videtur illa quidem impetere has omnes Pontificias Provisiones Beneficiorum, firmando constabiliendoque jus Patronorum, etiam Ecclesiasticorum, provisoque, ut collationes omnes Beneficiorum fiant ex norma Juris Communis. Sed cùm non occurrerit usquam mihi quidem, vel antiquus author & fidejussor hujus Pragmaticæ, vel ratio protsus inconcussa, quæ illam astruat, non immerito visum est diutius hic non immorandum.

XII. Sed inficias ire non possumus, quin tot inter jurgiorum Capita, temporibus Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri disceptata, huic quoque quæstioni locus fuerit. Pontifex quippe ulterius progressus quam hactenus factitatum esset, per Cardinalem quem in Gallias legavit, Regi significatum voluit, penes summum Pontificem *esse summam potestatem conferendi Beneficia, quæ vacarent in Curia, vel alias, nec à laico conferri ulla posse, nisi se permittente.*
Histoire du Diff. de Bonif. VIII & de Phil le Bel. pag 89. 90. 91 92. 163. In Regiis ad hæc responsionibus, ut & ad plura alia, nihil prorsus ad primam partem reponitur, quæ pertinebat ad potestatem Papæ: sed *quod, ad Jus Regium conferendi Beneficia, responsum, est eo uti Regem, usumque hactenus esse, sicut usus erat beatus Ludovicus Rex, ejusque prædecessores.* Eodem anno
Ranal an 1303. n. 39 qui erat 1303. indignanter ferens Pontifex, quod Rex Clerusque Regni minus concessissent ejus voluntati, suspendit electiones omnes, sibique reservavit provisiones Beneficiorum, quæ posthac vacarent, donec Sacerdotii, & Regni pax resarciretur.

Propè abest à vero Collationes Beneficiorum per Principes sæculares, peræque saltem novas, & antiquis Canonibus priscæque Disciplinæ pugnantes fuisse, atque eorundem Beneficiorum provisiones per Mandata, Reservationes, & Expectativas Pontificum. Ita Regi Pontificique vicissim erant quæ suffragarentur, erant & quæ refragarentur, cùm uterque niteretur usu novo illo quidem, sed qui adversùs antiquos mores præscribi potuisset. Disseremus infrà copiosius de Collationibus laïcorum.

Anno 1302. à sacro Collegio datæ sunt Epistolæ in Gallias, ad purgandum Bonifacium. In iis confirmabatur, non esse Italis ab eo concessas nisi Ecclesias majores duas, Archiepiscopatum Bituricensem, & Episcopatum Atrebatensem, & quidem iis datas, quorum explorat issima omnibus esset, & peritia & in Regem fides. *Quibus de personis providit ipsi Regi non suspectis & Regno, quorum eminens scientia late patet, nec sunt conditiones eorum incognitæ.* Adsignatos ab eo fuisse multis aliis Regni Cathedralibus, Francos gente, & fide in Regem conspicuos Pastores: *Multis verò aliis Cathedralibus Ecclesiis providit de personis oriundis de regno, &c.* Neminem prædecessorum Pontificum tanto incensum fuisse studio consulendi pauperibus Clericis, Doctoribus etiam Theologis ab eo provisum fuisse, quin & illis ipsis Clericis, qui Regum, Prælatorum, Magnatumque obsequiis affixi essent. *Quis unquam Prædecessorum suorum formas providendi pauperibus Clericis plus extendit, &c. Ad pauperes Clericos parum se extendebat pietas Prælatorum, &c. Exurgant Magistri in Theologia, quibus ipse in Parisiensi Ecclesia Canonicatus contulit, & Præbendas, &c. De nonnullis vacantibus & vacaturis Dignitatibus, Beneficiis & Præbendis, providit Clericis Regis, Prælatorum, Ducum, Comitum & Baronum.* Hist. Univ. Paris. to. 4. pag. 27. 28. Perversum illud esset & malitiosum, si quis existimaret Bonifacium callidè Beneficia sparsisse in eos omnes, qui Magnatibus sæculi Ecclesiæque adhærescerent, quo secundos eos haberet & propitios, in desensitando hoc suo Nominationum ad Beneficia jure. Sed illud certissimum est, primas illum semper dedisse paupertati & probitati; fuisse etiam in ædibus Magnatum viros pietate & meritis claros, & quibus hæc Beneficiorum subsidia opportuna cum primis essent: denique non aliam esse certiorem rationem, aut artem sagaciorem ad tuendam authoritatem legitimam, quàm ejus usum religiosum, beneficum, amabilemque.

Nec recessit à Bonifacii vestigiis Clemens V. si qua Nangio fides. Mandata & Expectativas contulit Capellanis & Clericis Capellæ Regiæ Philippi Pulcri, fratrumque ejus; ac præterea studiosissimus fuit consulendi Clericis egentioribus, nec tamen virtute & sapientia destitutis. *Pro suis fratrumque* Ann. 1305. *suorum Capellanis & Clericis de Præbendis in proximo vacaturis ferè in omnibus Ecclesiis Regni sui favorabiliter providit. Necnon pauperibus Clericis gratias amplas fecit, providens eis de Beneficiis secundum exigentiam & merita personarum.*



CAPUT XLIV. *P. 4. l. 2. c. 18.*

Rursum de Mandatis Pontificum ad Beneficia: de Reservationibus & Expectativis ab anno millesimo trecentesimo ad Concilium Basileense.

I. Quantum querelarum effusum sit in Concilio Viennensi de Mandatis, Reservationibus & Expectativis.

II. Quas sanctissimas canonicasque Regulas sectaretur Benedictus XII. in provisionibus Beneficiorum, quanquam Reservationes retineret. De Regulis Cancellariæ.

III. Quam rationem secutus sit Clemens VI. atque ad Regem Angliæ scribens instituta sua purgarit.

IV. V. In has rerum conversiones multa observantur, & in eam doctrinam quæ tum spargi cœpit, Ecclesias omnes à Petro & successoribus ejus fundatas, eoque reservatum ius fuisse jus illas conferendi. Ejusmodi placita generalia tantum valuisse, quantum usus & consuetudo cujusque ævi concessit. Translatio Sedis Apostolicæ Roma Avenionem, Mandata & Reservationes coegit multiplicari.

VI. Progressus Mandatorum & Reservationum tempore schismatis Avenionensis. Ecclesia Gallicana eo tempore Congregationes varia & molestiones.

VII. Quid gestum sit in Concilio Pisano, quid in Constantiensi. Ecclesia Gallicana ad Canonicam se revocat libertatem.

VIII. Libertas has Canonica Decreto & Decretalibus munitebatur, & Reservationibus acquiescebat ibi comprehensis. Quæ sint hæ Reservationes.

I. ACerbissimè conquesti sunt Concilii Viennensis Præsules anno 1311. de mandatis & reservationibus Romanorum Pontificum. Obtulit publicavitque jussu Clementis V. Papæ Durandus Mimatensis Episcopus opusculum prorsus aureum, varia illa eo complexus capita, quæ emendatione egere viderentur. In iis locus erat capiti de Mandatis: *Videtur Ecclesiasticus ordo confundi, quia Ecclesiastica Beneficia ad Episcoporum collationem & provisionem pertinentia, per Sedem Apostolicam & per alios conferuntur, etiam antequam vacent, non solùm in Curia Romana, sed extra. Cùm ipsi Episcopi de Cura & Curatis, quorum conscientias ignorant, quia ipsi eis non provident, reddere habeant rationem.* Illam porro Durandus certissimam inculcabat rationem, qua fieret, ut cujusque loci piis & doctis viris Beneficia obtingerent, si nunquam extraneis conferrentur, vernaculæ imperitis Regionum linguæ & disciplinæ: alienissimis autem ab ea, quæ præ cæteris necessaria est, voluntate residendi. *Provideri posset prædictis de Ecclesiasticis Beneficiis, quæ tenent multi alienigenæ in alienis regnis, quorum linguagia non intelligunt, nec habiles sunt ad Curam exercendam in eis, nec in ipsis residere intendunt, nec etiam possunt.*

Tit. 7. Par. 2

Tit. 43. Pars. 3.

Publicatum est à Rainaldo fragmentum opusculi ab alio tunc nescio quo Prælato elucubrati in eundem scopum, ex quo luculentiùs patet, quò tandem erupisset mali labes. Narrat quippe ut confluerent catervatim Romam Clerici vagi, malè morati, imperiti, impetrarentque Beneficia, *in forma pauperum, vel alias.* His eos Episcopi investiebant ad mandatum Pontificis, *tanquam filii obedientiæ.* At mox horum Beneficiariorum mores inconditi offendiculo erant Ecclesiæ, eorum multitudo immensa probos doctosque Beneficiis frustrabat, ita Episcopi necessario ministrorum idoneorum subsidio destituebantur. In Ecclesia Cathedrali viginti Præbendis instructa, intra spatium annorum viginti non potuit Episcopus conferre nisi duas, etsi triginta quinque alio atque tempore vacassent, reliquas omnes absorbentibus Papæ Mandatariis. Pauperiores Clerici, & qui si quid nacti erant patrimonii, id totum ad paranda sibi aliqua peritiæ & virtutis ornamenta consumpserant, Beneficiis fraudabantur, in quæ involabant extranei; qui vel Pontificum, vel Principum aliorum Curiæ illigati, privilegiis haud satis exploratis, etsi minimè residerent, Beneficiorum tamen opimis gaudebant proventibus.

Rainald. ann. 1311. n. 59. 60.

Utcumque elaboratum sit in Concilio Viennensi ad faciendam temperandamque his malis medicinam; nihilo tamen minus Archiepiscopatum Cantuariensem reservavit sibi Clemens V. vacantemque contulit anno 1313. eliminato eo, qui electus fuerat. Contulit certè Clemens eam Ecclesiam longè opulentissimam Episcopo Vorcestrensi Angliæ Cancellario, eoque Regem implicuit sui juris tuitioni. Anno 1320. Joannes XXII. reservavit sibi Episcopatum Vintoniensem tum vacantem, rescinditque electionem factam à Monachis Pontificiæ reservationis minùs observantibus. E suis unum Clericis nominavit Pontifex, qui gratiam Regis vix quidem, sed aliquando tandem sibi tamen recollegit, & solemniter inauguratus est in Ecclesia sancti Albani, quæ immediatæ subest potestati Romanæ Sedis.

Valsingh. An. 1313.

II. Anno 1335. à Benedicto XII. publicata est Decretalis *Ad regimen*, quæ quamplurimas complectitur Reservationes, cum veteres, tum novas. Antequam ad earum enumerationem accingamur, ne quis animi sui præjudiciis delusus de hoc Pontifice malè suspicetur, observandum est cum Rainaldo & Spondano, non alio incitamento eas Reservationes eum fecisse, quàm ut dignioribus quibusque Beneficia conferret. Assentiuntur enim duo isti nuperi Annalium Ecclesiæ conditores antiquioribus cujusque temporis Scriptoribus, religiosissimè hunc Pontificem & circumspectissimè Beneficia, nec nisi præstantibus viris contulisse. Scitè ille dicebat, *Nolle se lutum ornare.* Ideo & complures Ecclesias vacare patiebatur, præstabilius esse asens, ut nullis subessent Pastoribus, quàm malis. Propinquos sibi nullos esse dicebat: nec Papæ nullos esse posse cognatos. Cùm importuniùs instabant aliqui, ut propinquos ornaret, unum illud ex Psalmis regerere solitus erat, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Unus fuit ex nepotibus, quem Arelatensi Episcopatu auxit; quod & ejus meritis, & Cardinalium votis datum est. Neminem suorum Romana illustravit purpura. Toto Pontificatûs tempore sex tantùm creavit Cardinales, eosque omnibus & pietatis, & doctrinæ atque experientiæ numeris absolutissimos. Coævus ei Scriptor hoc eum exornavit testimonio: *Justus erat & durus, Beneficia reservavit, & vix conferre voluit, timens ne conferrentur indignis.*

Rainal. n. 67. Extravag. Comm. l. 3. Ti. 2. c. 13.

Hæc mihi præfanda & præcavenda duxi, ad amoliendas eorum suspiciones, qui iniquo alioqui tulissent animo has Decretalis *Ad regimen* Reservationes. Reservat enim sibi Pontifex, 1. Episcopatus, Abbatias, & Beneficia prorsus omnia, quæ vacarint in Curia, aut intra duas Diætas, seu morte, seu depositione, privatione, translatione, aut suspensione consecrationis. 2. Beneficia item omnia, quorum electiones, aut postulationes irritatæ fuerint, aut rejectæ, vel quorum resignationes admissæ. 3. Quidquid Beneficiorum vacat morte Cardinalium, vel Romanæ Curiæ Officialium. 4. Abbatias, Prioratos & alia eorum Beneficia, quibus Abbatias, vel Episcopatus confert Sedes Apostolica.

5. Beneficia omnia quæ vacabunt, ut incompatibilia cum iis, quorum quis largitate Sedis Apostolicæ adeptus fuerat collationem & pacificam possessionem.

Hæc Pontifex sibi reservavit in omne Pontificatûs sui tempus. Ea, ut ita dicam, rudimenta erant Regularum Cancellariæ, quarum secunda Pontifici reservat Ecclesias omnes Episcopales & Abbatiales Christiani orbis, quarum reditus superant ducentos florenos. Tertia reservat Dignitates omnes Cathedralium, quæ principem locum tenent post Episcopum: primas item Collegialium, Prioratus, aliasque Dignitates Conventuales. Inde est, ut ait Fagnanus, quod in electionibus nullus est jam in Italia & Hispania residuus locus, ubi hæ Reservationes usu receptæ sunt. Octava Pontifici reservat octo menses, quatuor tantùm Episcopis permittit ad nominationem omnium Beneficiorum. Joannem XXII. vulgò existimant prima jecisse fundamenta Regularum Cancellariæ, quas ejus successores publicarunt, auxeruntque usque ad Nicolaum V. à quo in eam, qua nunc sunt, redactæ sunt formam. Has utplurimùm Pontifex quisque promulgat Regulas immediatè post suam ordinationem. Extinguuntur enim quodammodo cujusque Pontificis morte, authoritatisque & vigoris inanes permanent, donec à novo Pontifice iterum publicatæ revivis-cant. Itaque cùm ferè constent hæ Regulæ Reservationibus Beneficiorum, in pristina sua jura quasi postliminio redeunt Ordinarii, quo primùm puncto temporis vacat Sedes Apostolica, donec creatus recens Pontifex consopitas Cancellariæ Regulas rursus excitarit. Hinc vacante Romana Sede, per omnes menses Ordinarii suo jure fruuntur, præterquam in locis, ubi Concordato Germanico locus est. Ibi enim interregni Pontificii tempore vacantia Beneficia successori reservantur in mensibus Papæ.

Fagnan. in C. Nullus. De electione

Barbosa. De Episc. Offic. Part. 2. Allegat. 57. n. 58. & seq.

III. Revocanda jam oratio est ad historicam Reservationum contextionem. Anno 1343. Eduardus III. Angliæ Rex, referente Valsinghamo, provisiones omnes à Clemente VI. factas Ecclesiarum Angliæ Cardinalibus donatarum revocavit. Intexuit Historiæ suæ Valsinghamus Litteras Regis hujus ad Pontificem datas, ubi Ecclesias omnes Anglicas ab extraneis possideri conqueritur, quorum suspecta sibi sit fides: qui non resideant, qui plebium linguæ imperiti sint, quas regnut: qui concionari, & monita salutis ideo instillare non possint: qui hospitalitatem minimè exerceant: qui Ecclesiæ domos non reparent: qui Ecclesias ipsas finant collabascere: qui indigenas Anglos spe fraudent studii litterarum, dum eos præmiis fraudant, eoque cogant exulare à patria: qui Patronorum jura & electiones canonicas extinguant. Rescriptum est porro à Pontifice, cùm in Senatu Cardinalium pertractentur Christianæ Reipublicæ causæ omnes majores, hos Ecclesiarum proventibus sustentari necesse esse, æquum esse: plures à se creatos esse Cardinales, & ex iis duos tantùm Anglicanis Beneficiis donatos; cæteris Cardinalibus à reliquis Christianis Regnis largissima gratanter & perlubenter suppeditari stipendia, amplissimæ eorum dignitati accommodata; non posse se non condolere & illacbrymari Angliæ, quæ sola desit officio tam justo, & ad suam ipsius tum utilitatem, tum gloriam pernecessario. *Certum est autem quod non solùm in regno & terris tuis, imò quasi in omnibus regnis & partibus, tam propinquis, quàm remotis, ubi Catholica fidei viget cultus, aliis novis Cardinalibus consimilem gratiam fecimus, in quibus rebellionem aliquam nullatenus audivimus, &c.* Cùm altero post anno necdum de sententia recederet Rex Angliæ, rursus ad eum perscripsit Pontifex, Christum Ecclesiam suam primò super Petrum & super Petram fundasse, tum deinde à Petro & successoribus ejus fundatas fuisse omnes Ecclesias Patriarchales, Metropolitanas, Cathedrales, in quas adeo sibi illi hoc integrum jus semper servarunt, ut & ipsas & ipsarum Beneficia possent omnia conferre. *Verbum illud, per quod constitutum est cælum & terra, Romanam fundavit Ecclesiam, quæ quidem omnes Patriarchales, Metropolitanas & Cathedrales Ecclesias, & ipsarum cujuslibet ordinis dignitates constituit. Ad cujus Pastorem & Rectorem Ecclesiæ, videlicet Romanum Pontificem, omnium Ecclesiarum, personatuum, officiorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere.*

Rainal. an. 1343. n. 90. 91. 92.

Rainal. an. 1344. n. 58. &c.

IV. Interteri hîc operæ pretium est observationes aliquas maximi sanè ponderis. 1. Objectari potest capitalem hanc rationem à nullo priorum hactenus Pontificum excogitatam, à nullo certè propositam fuisse, nisi postquam juris illius possessionem pacificam & universalem adepti erant Romani Pontifices. Et vicissim responderi à nobis potest, ut res ad eum se habeat modum, nec mirum videri debere, nec novum, si olim allegatis novæ subinde accumulentur rationes, ad astruendum jus quod universaliter jam ubique receptum est. 2. Ex contextu hoc nostro historico & chronologico liquidum fuit, inter initia meras fuisse preces, quibus Pontifices Patronos & Collatores conveniren: eas ab ipsis donari solitas preces necessitati, sollicitationi, importunitati privatorum hominum, vel petitioni Principum: oratos, & vix tandem exoratos eos fuisse, ut non jam preces, sed præcepta adhiberent: denique seu preces, seu præceptiones ab origine ipsa non fuisse interpositas, nisi ad pauperum Clericorum levationem, & quidem indigenarum. Ad Clementem VI. centum millia pauperum Clericorum confluxisse ad necessaria ex Beneficiis subsidia comparanda refert Chronologus. Rursum illud observari potuit, seu Mandatis, seu Reservationibus minuscula tantùm Beneficia comprehensa fuisse, cùm de Episcopatibus & Abbatiis inter illa initia ne veniret quidem in mentem. Inde id resultat, servitum tantummodo fuisse Ecclesiæ necessitatibus, eo omnibus persuaso & præjudicato, nunquam defieri Ecclesiam posse potestate ad salutem suam necessaria.

Hist. Univ. Paris. to. 4. pag. 276.

3. Quandiu inter has metas res cohibita fuit, & rariùs & parciùs restitum fuit. At ubi res eò evasit, ut turbæ nepotum, proximorum, extraneorum Beneficia prodigerentur; ubi donari cœpere ipsæ Ecclesiæ principes, Episcopales & Abbatiales: ubi eæ reservari cœpere, quo in sinum extraneorum effunderentur: tum verò & frequentiùs reclamatum est, & audaciùs contumaciùsque. Tum denique apparet commentatas fuisse novas rationes, quibus suffulciretur jus, quod cùm novum jam non esset, novis subinde impulsionibus concutiebatur. Inter rei primordia necessitas Ecclesiæ rationum omnium instar erat. Ubi ultra necessitatis forsan limites effuderunt se Mandata, minùs dociles eis se præbuere Præsules Principesque. Tum forsan sive altiùs, sive longiùs petitis rationibus impeti & ipsi cœpere.

4. Conveniebat omnibus orthodoxis, & de Pri-

matu sedis Apostolicæ divinitus instituto, & de fine ac scopo exercendæ hujus summæ potestatis, ad Religionis incrementa, & ædificationem Ecclesiæ. De his inter Pontifices, inter fideles omnes certo constabat. Sed inde scatebant tot concertationes, quòd non omnibus conveniret, quid ad Ecclesiæ ædificationem conducibile, quid amplum, quid necessarium esset. Hinc dissensiones & opinionum dissidia, & ex opinionum dissidiis pugnæ, tum vel maximè cum inopinis illudunt affectus terreni & cupiditatum præstigiæ.

5. Sed & illud necessario fatendum est, eo etiam tempore, & in illis rerum eventis, ubi maximè ostentabatur Principatus sedis Apostolicæ, & Potestatis vires se aliter & aliter in longo sæculorum decursu explicantes: nunquam eo uno obtentu quidquam innovatum, aut de novo tentatum fuisse à summis Pontificibus: nunquam ulterius aliquid eos contendisse, quàm ut constaret, quod receptissimo jamdiu usu stabat: quin immo & de jure ubique jamdiu recepto subinde remisere multa, ubi ita paci Ecclesiæ, ita charitati, ita modestiæ conducere intellexerunt.

6. Si ante Bonifacii VIII. Pontificatum rarissimè Pontificiis his provisionibus adversata est Gallia: multò sanè proclivior illa fuit ad gratificandum Pontificibus, postquam Avenionem traducta fuit sedes Apostolica. Avenionenses nimirum Gallicanique Pontifices eam potestatem reservationum & mandatorum ad id fastigii provexerunt, quo non potuit altius assurgere. Clemens V. qui primus ibi sedit, statim reservavit sibi Ecclesias omnes Patriarchales, Metropolitanas, Episcopales, Abbatiales, denique Beneficia prorsus omnia, quæ vacarent, vel vacatura essent in Curia. Reges & alii quibus abnuere via quidquam poterat, tot ab eo Episcopatuum & Abbatiarum Commendas extorserunt, ut vel ipse compulsus deinde fuerit has revocare omnes gratias, quas inconsideratius à se concessas fuisse ipsemet confessus est, postquam gravi morbo conflictatus, in anteactam vitam suam inquirere cœpit, & sævire in se, ne sæviret in eum summus Judex. Successor ejus Joannes XXII. reservavit sibi fructus anni primi, seu Annatas ut vocant, omnium Beneficiorum, Clemens VI. Cardinalibus suis, unde se sustentarent, contulit per reservationes & expectativas, Episcopatus complures Christiani orbis.

7. Inexorabilis quædam videbatur illis incubuisse necessitas hæc adhibendi importuna alioqui remedia levandæ egestatis suæ, post transvectam Avenionem Romanam Curiam, quòd eam arripuissent nefarii prædatores ansam invadendi Dominii, vel patrimonii Ecclesiæ Romanæ in Italia. Dolori fuit Galliæ & ingenti dispendio illa, quam gloriæ & compendio sibi fore augurabatur transmigratio. Quanquam nec illud dissimulari debeat, cum plerique Cardinales per annos hos transmigrationis septuaginta Gallicæ fuerint gentis, ingentes illas opes quæ in Cardinalium defluebant manus, à Gallia ipsa non effluxisse.

8. Habes hic ergo, ut increbrescere cœperint illa Canonistarum placita, Romanum Pontificem esse Collatorem Collatorum, & summum Dispensatorem omnium Ecclesiæ Beneficiorum: utque nulla re de novo tentata, nova tantum cœperint receptæ jam consuetudini & disciplinæ parari, aptarique fundamenta, ab ipso usque Petro petita, omnium Ecclesiarum fundatore, per sese vel suos successores, ut jam olim affirmaverat in Epistolis suis Innocentius I.

9. Superioribus quidem Capitibus declaratum est, esse Episcopos & semper fuisse Collatores universales omnium Beneficiorum, ex eo jure, quod ab origine fuerint ipsi, Majoresque eorum Fundatores omnium Ecclesiarum. Sed magnum profecto interjacet discrimen. Est enim non jus tantum ratiocinando altius petitum, sed ipsa juris hujus possessio penes Episcopos jam inde à primoribus sæculis. Cùm ne aliter quidem fieri potuerit, quin & Episcopi Apostolorum in vicem succedentes, Ecclesias fundarent, easque quibus vellent Pastoribus assignarent regendas. Valent ergo hujusmodi generales rationes, ad confirmanda, quæ jam usu invaluerunt, non ad astruendum novi aliquid juris.

V. Reflectenda jam iterum oratio est ad ejusdem Clementis VI. responsionem ad Alphonsum Castellæ Regem, qui concoquere non potuerat, Coriæ Episcopatu hominem extraneum fuisse investitum. Deliniebat illum Pontifex, prolato Apostolorum, & ipsius maximè Jacobi exemplo in Hispania, qui extranei fuerant. An ea responsione satisfactum sit Castellæ Regi, viderint & inquirant alii: mihi satius videtur observare, extraneos istos de quibus tam acerbe quiritabantur Hispani Angliqué, non alios magis quam Gallos fuisse, postquam Pontifices cum aula sua Avenionem migrarunt. Anno 1374. Gregorius XI. cum Angliæ Rege nescio quid fœderis inire cœpit, ex quo dilucebat Pontificias reservationes, & viguisse adhuc, & in easdem subinde incurrisse difficultates. *Rain. l. an. 1348. n. 14*

VI. Sed longe calamitosiora Galliæ fuere tempora ea, quæ deinde consecuta sunt schismata, ea Pontificum reditu in suam civitatem Romanam enatum. Citò illi stetit cupiditas, qua gestierat suo in sinu venerari Pontifices. Clemens VII primus Avenionensium Pontificum post exortum schisma, quam fœde & propudiose coactus sit Beneficia omnia dissipare potius quam dispensare, ut Principum & Magnatum favorem præsidiumque emercaretur, quo carere citra extremum exitium non poterat, capinat iis coloribus Nicolaus Clemangis, qui stuporem, penè abhorrorem incutiant. Reservabat omnia, ut omnia dissiparet. *Singulos ferè vacantes Episcopatus, ceterasque præcipuas dignitates his impendebat.* Nec qui Romæ sedebant Pontifices, parcius forsan aut moderatius potestatem suam exercebant; cùm anno 1391. Richardus II Angliæ Rex in solenni Parlamento suo decreverit, ut electiones ad Episcopatus & Abbatias: nominationes item Patronorum ad alia Beneficia fierent antiqua & canonica libertate: si Pontifex ea jam contulisset, insuper habita collatione ea, Rex ea vice nominaret, ut qui Primarius sit & Princeps Patronus Episcopatuum, Abbatiarum, omniumque Regni Beneficiorum. Hæc ex Valsinghamo hausta sunt & ex Constitutione Bonifacii IX. in unam hanc rem. *Spondanus. Anno 1378. n. 18. Anno 1381. n. 5. 6. Anno 1389. n. 5. Rainal an. 1379. n. 30. Ibidem. An. 1391. n. 14. & seqq.*

Anno 1399. cum Parisiis coïsset Concilium Ecclesiæ Gallicanæ, post excussam, & abjectam utriusque Pontificis, tum Romæ, tum Avenione sedentis obedientiam, constitutum est, ut ne locus amplius ullus relinqueretur gratiis Expectativis, earumve executioni, quod ex iis fomenta schismati alendo plurima suppeditarentur. *Cui lamentabili schismati proculdubio tales gratiæ magnum dederunt fomentum.* Statutum item ut Beneficiis omnibus provideretur in posterum electione Canonica, vel libera nominatione Episcoporum & Patronorum. *Histoire de Charl VI. An. 1398. Preuves des Liber. de l'Egl. Gall. c. 20. n. 5. 7. 8. 16. 17. 20*

Eodem anno Conventus Episcoporum Hispaniæ Compluti coaluit, cum Rege Henrico III. & decreta eadem prorsus facta sunt. Anno 1403. reddidit se Francia obedientiæ Benedicti XIII. consensitque ut eadem potestate uteretur in provisionibus Beneficiorum: prius tamen pollicitus, operam se daturum levamento Ecclesiarum Regni. Anno 1407. & 1408. rursus medium, & neutrius partis studium amplexata est Gallia, renovataque sunt priora illa statuta, ut Episcopales Abbatialesque Ecclesiæ, & omnia denium Beneficia canonicis electionibus & Patronorum nominationibus distribuerentur.

Histoire de Charl. VI. L. 28. c. 5. VII. Hia omnibus nova roboris accessio facta est in Concilio Pisano anno 1409. ubi creatus Pontifex Alexander V. pristina sua recuperavit jura omnia, confirmatis tamen illis omnibus, quibus dum neutri parti studeretur, provisum fuerat. Joannes XXIII. Bullam misit, à Tilletio laudatam, qua volebat ad nominationem Caroli VI. Galliæ Regis provideri quingentis una vice Clericis, tum Regis, tum Reginæ & Delphini ministrorum.

Anno 1414. convocatum est Concilium Constantiense, quo Clerus Gallicanus suo ex Collegio delegavit, qui peterent confirmationem priorum suorum Ecclesiæ Gallicanæ Decretorum circa Beneficiorum provisiones. *Marca. De Concord. L. 6. c. 9. n. 5. 6.* Sessionibus 20. 26. 40. confirmatæ sunt à Concilio Reservationes & Provisiones jam factæ à Pontificibus, statutumque ut nomine Concilii conscriberentur literæ, quæ nondum expeditæ fuerant tempore depositionis Benedicti XIII. Sed illud postremo tandem loco conclusum est, ut verus Pontifex mox creandus, hanc disciplinæ partem de reservationibus & confirmationibus Episcopatuum emendaret, refingeretque: nec enim quidquam ea de re à Concilio, nisi post creatum Pontificem constituendum esse. Martinus V. electus Pontifex Concilii & Galliæ postulata silentio præteriit.

Tum verò Galliæ Rex Clerum, Consilium & Parlamentum suum coëgit anno 1417 Edictumque libravit, quòd anno 1418. promulgatum est, quo refertur, cùm in Concilio primum Pisano & rursus Constantiensi minus satisfactum sit Galliæ Postulatis, deinceps Episcopatibus & Abbatiis provisum iri Canonica electione; cæteris verò Beneficiis nominatione Patronorum, vel Episcoporum collatione, juxta jus Antiquum & Concilia generalia, nulla posthac habenda ratione Mandatorum, Expectativarum, & Provisionum Romanæ Curiæ. Hinc satis probabiliter colligitur, quæ Decreta leguntur in Additionibus ad Concilium Constantiense, non Decreta fuisse, sed commentationes quasdam & tentamenta Decretorum. In his electiones ex parte aliqua restituuntur; octo menses Pontifici, quatuor Episcopis adsignantur, quibus immunes sunt à mandatis ad Beneficia; Resignationes simplices & permutationes liberæ permanent ex parte Papæ & Episcoporum; eximuntur à Mandatis primæ Dignitates Cathedralium & Collegialium. Hæc probabile est commentatos fuisse nonnullos, si qua possent authoritate Concilii & Pontificis rata haberi. Qui conatus irritus cecidit.

Preuves des Libertez de l'Egl. Gall. c. 15. 16. Sed exscribendum hic nobis est Edictum Caroli VI. cujus summa modo Capita perstrinxi. *Volumus & ordinamus, Ecclesias personasque Ecclesiasticas Regni & Delphinatus ad suas antiquas franchisias & libertates in perpetuum reducendo, quod Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, & earum Beneficiis electivis, sæcularibus & regularibus per electiones Capitulorum, Conventuum & Collegiorum, seu Postulationes Canonicè factas, confirmationesque superiorum; & non electivis per præsentationes, collationes & institutiones Ordinariorum, quibus de jure communi, seu consuetudine pertinet, secundum antiqua jura communia, Conciliaque generalia, de personis idoneis providebitur, cessantibus & rejectis omnino, ac non obstantibus quibuscumque ac quorumcumque reservationibus generalibus, vel specialibus, ac prohibitionibus, expectationibus aut gratiis, etiam cum appositione Decreti factis aut faciendis, concessis, seu concedendis.*

Hist. Univ. Paris. t. 5. pag. 309. 310. Inter exordia sanè harum Commotionum graviter conquesta fuerat Universitas Parisiensis de Provisionibus factis per Ordinarios, quibus alumni Universitatis arcebantur frequentius, quàm à Pontificiis. Nec illud leviter prætereundum. Quanquam jus primarium conferendi Beneficia cujusque Diœceseos Episcopis Diœcesanis vendicatum sit à nobis: nequaquam tamen dissimulare posse tam frequenter Episcopos privatis affectibus plus æquo indulgentes, contulisse Beneficia, spretis dignioribus & pauperibus: ut non raro doctrina & pietate præcellentissimi viri, nominationes Beneficiorum ad Pontificem revocari optimum factu duxerint. Nobis nihil videtur optatius, quam ut jura vigeant, Canones vigeant; ubi verò data potestate minus religiosè aliqui abutuntur, ea ad alios translata, per inevitabiles illas rerum humanarum vicissitudines, si ipsi orbentur: tum divinæ vehementer adgratulandum esse providentiæ, quæ indeclinabiles rerum & temporum conversiones ad Ecclesiæ salutem vertit; & ad Disciplinæ sacræ expurgationem.

Lib. de l'Egl. Gall. c. 12. n. 10 *Marca. De Concord. L. 6. c. 9.* *Idem l. 3. c. 1. 2. n. 2. & c. 6. n. 5.* VIII. Observatum est autem à Petro de Marca, 1. Non fuisse expressum hoc Edictum ex necessitate schismatis, cui jam finem imposuerat electio Martini V. 2. Nec ut alia priora temporarium id fuisse, dum Concilium generale cogi posset. 3. *Antiqua Jura communia*, ait ille, quæ hoc Edicto sibi redintegrabat Ecclesia Gallicana, Decreto Gratiani & Decretalibus continebantur. Id enimverò Jus erat antiquum, comparatione eorum quæ postea fuerant innovata. Hæc erat *antiqua libertas*, quam sibi restitui Ecclesia Gallicana à Rege flagitabat. *Ad suam libertatem antiquam, & Juris communis dispositionem restitui.* Petri autem de Marca istiusmodi sunt verba. *Non alia mens est, aut beati Ludovici, aut Caroli VI. & totius Ecclesia Gallicana, cum libertatem Ecclesia in jure communi versari contendunt. Antiquos enim Canones & jus commune intelligebant, quod Gratiani Decreto & Decretalibus erat comprehensum. Id manifestè probatur, non solum ex eo, quod vetus Codex Canonum illis esset incognitus; sed etiam ex Concilio Constantiensi. Etenim Sessione 39. cum de professione fidei à Papa edenda caveret, non solum octo Concilia Oecumenica ab illo conservanda decernit, sed etiam Lateranense, Lugdunense, & Viennense. Quare sæculo Caroli VI. Conciliorum generalium nomine Ecclesia Gallicana, non solum vetera, sed etiam recentiora illa intelligit. Enimvero in Gallia, quod ad disciplinam attinet, Decretalium constitutis locum damus, cum bona Pontificum Romanorum venia, quæ nostris rebus & utilitati publica accommodata sunt, id est omnibus ferè, paucissimis exceptis.* Tanti mihi visum est hoc illustrissimi viri testimonium, ut integrum repræsentandum duxerim, quanquam paulò prolixius. 4. Hoc ergo Edicto vigere permittebantur reservationes in corpore Juris Canonici inclusæ, quæ ad has tres classes rediguntur. 1. Cùm electores electo indigno, eligendi tum jure caduntur.

2. Cùm

2. Cùm in Curia Romana vacant Beneficia. 3. Cùm de transferendis Episcopis agitur.

Rainal. an. 1425. n. 8. Perhibent nonnulli anno 1422. sub Carolo VII. Rege publicatum in Parlamento fuisse Diploma de Alternativa mensium, die 9. Julii; & exorta rursus concertatione alia adsignatos fuisse Pontifici menses octo, quatuor Ordinariis, ab omnibus absolutos Reservationibus: eaque de re Martinum V. in Concilio Constantiensi Bullam promulgasse de octo mensibus, quem postea imitatus est Eugenius IV. anno 1431. ut videre est in Registro Parlamenti Parisiensis, cui nomen *Les Barbines*, fol. 31. In Pragmatica quoque Sanctione illud perhibetur Titulo de Collationibus, paragrapho *Frustra enim*, ejusmodi viguisse usum, ut Pontifex octo haberet menses reservationibus & nominationibus suis addictos: *In octo mensibus, cujus hactenus cursum habere consueverunt.* Et in paragrapho, *Quod si quis*, quatuor menses memorantur Episcoporum: *In quatuor mensibus, quibus præfatæ gratiæ, vel nominationes cursum non habent.*

CAPUT XLV. P. 4. l. 2. c. 12.

Progressus Mandatorum, Reservationum, Expectativarum, post tempora Concilii Basileensis. De Pragmatica Sanctione. De Concordatis Gallicanis.

I. Diversa Decreta ante Concilium, & Concilii ipsius Basileensis super hac re. Ejus indulgentia, ejus alicubi rigor. Pragmatica Caroli VII. Regis.

II. Flagrante Avenionensi schismate Romani temperatius se agebant Pontifices, quàm Avenionenses.

III. Quis tum rerum status esset in Anglia, Polonia, Hispania.

IV. Concordata Germanica. Quæ summa eorum capita.

V. Alternantes Pragmaticæ nostræ Sanctionis vices sub Regibus Carolo VII. & Ludovico XI.

VI. Etiam Romæ deliberatum de abolendis penitus Expectativis & Reservationibus.

VII. Concordata Sixti IV. & Ludovici XI.

VIII. Quæ fors Pragmaticæ Sanctionis sub Regibus Ludovico XII. & Francisco I. Concordata Gallicana.

IX. Summa capita horum Concordatorum.

X. Joannis Gersonis & Petri Alliacensis placita de his omnibus temperatissima.

XI. Quàm non facilè posset Pragmatica Sanctio dentibus obtineri, cùm promulgata fuisset inconsulta Apostolica Sede, cujus tantopere intererat: cùmque eo supra ipsam assurgeret Concilium Basileense, ejusque Decretis addita[illegible] apponeret.

XII. In Decreto Gratiani nec Reservationum, nec Expectativarum ulla vestigia: sed non filetur ibi, Ecclesiam Romanam Dignitatum omnium Ecclesiasticarum fundamenta posuisse.

XIII. Eam doctrinam amplexati Canonista, ulteriùs provexerunt.

XIV. In hac controversia de jure Collationum & Nominationum ad Beneficia, cujusque Ecclesiæ seculi consuetudines & disciplina inspiciendum est: sed illud tenendum, id ad coercendum & inculcandum est, ut à quocumque conferantur, non nisi ex justitia, charitatis, modestiæque regulis conferantur, & ad utilitatem Ecclesiæ.

XV. Reservationes Pii V. De Reservationibus in Hispania. Decretum Concilii Tridentini.

I. CAroli VI. Edictum, de quo paulò antè, corroboratum est Edicto Caroli VII. successoris ejus anno 1422. Sed anno 1425. ab hoc Edicto idem ipse destitit Rex, solvi se curavit per Pontificem vinculo sacramenti, quo se ad ejus observationem constrinxerat, jura denique omnia Pontificum in integrum restituit. Diplomate Martini V. quo & concessa sacramenti relaxatio, & gratiæ actæ sunt Regi, insinuari videtur, non jurasse Carolum, nisi dum Delphinum adhuc ageret, nondum Regem. Quo fit, ut dubitari utcumque posset, an ut affirmat Petrus de Marca, postquam Regni clavum capessivit, paternum Edictum confirmarit.

Anno 1424. Dux Bethfordiæ Galliæ regens regnum nomine Henrici VI. Angliæ Regis, cujus tunc ditioni suberat Lutetia, Regnique Francici magna pars, Pontifici proposuit, 1. Ut dum æstuarent bella, contentus esset, ad Episcopatus, Abbatias, Prioratus Conventuales & primas Dignitates Capitulorum, unum eligere ex tribus, qui sibi proponerentur, ut essent, quorum fidei Rex committere se, vel sua posset: cum enim obtinuisse usum sub Urbano V. & Gregorio XI. 2. Quoad cætera Beneficia, eorum tertiæ partis provisionem Pontifex liberam Episcopis permitteret, ut & duo alii Pontifices probaverant. Responsum est à Pontifice, dimissum iri Episcopis quartam partem Beneficiorum per annos quinque. Hist. Univ. Paris. p. 367

Concilium Basileense annis 1433. & 1436. electiones restituit, rescidítque reservationes omnes, accommodatè ad Edicta Regum Galliæ, præter illas, *quæ sunt in corpore Juris clausæ*. Nempe tres illas, quas paulò antè indigitavimus. Abolitæ sunt quoque in eo Concilio Expectativæ ad Beneficia non electiva, ut ab Ordinariis liberè conferantur, & canonicè: Pontifici autem reservatur libertas Mandatorum Apostolicorum ad unum Beneficium, si Collator habeat in suo jure decem; ad duo, si quinquaginta habeat, vel plura: ita tamen, ut ne unus idemque Pontifex duas det unius Capituli Præbendas, sive Cathedralis, sive Collegialis. Denique jus præventionis illæsum intactumque Pontifici in hoc servatur Concilio. Hæc Basileensia Decreta perlubentes amplexati sunt Galli in Comitiis Cleri Bituricensibus anni 1438. & mox ea intexta sunt Pragmaticæ Sanctioni. Non sine plurimis tamen modificationibus, de quibus infra copiosè. Sess. 12. 23. 31.

His adde quod idem Concilium Basileense sessione XXIII. omnes resciderit Reservationes, tam generales, quàm particulares, à Pontificibus factas, sive in Extravagantibus *Ad regimen*, & *Execrabilis*, sive in Regulis Cancellariæ, vetuerit, ne deinceps ullæ fierent, sive Electivorum, sive Collativorum Beneficiorum, sive aliorum quorumcumque; restitueritque canonicas Electiones & Confirmationes; ut Pontifici non essent residuæ, nisi Reservationes corpori Juris insitæ, & quas ipse voluerit addere in dominio proprio Sedis Apostolicæ.

Ab exordio concesserat hoc Concilium, ut posset aliquando Papa huic Decreto derogare, reservare sibi, atque conferre vacantes Episcopatus, cùm justa & evidens causa ipsius judicio subesset, quam & exprimere in Litteris tenetur. *Ex magna, rationabili & evidenti causa, in Litteris Apostolicis nominatim exprimenda.* Quo perspicuè demonstratur, hujus ipsius Concilii Patres, quos nemo causari poterat assentatos esse Pontificibus; sic tamen sensisse constituisse, posse aliquando justas & necessarias ad Ecclesiæ utilitatem subesse reservationum causas. Verùm expensis postea maturiùs malis ingentibus, quæ ex hujus facultatis abusu scaturissent, absolutissimè reservationes extinxit omnes idem ipsum Concilium, voluitque ut electionibus à Sede Apostolica cassatis, Capitulum ipsum vel Conventus ad novam procederet electionem. Verùm Concilii Basileensis Decreta ne in Galliis quidem probata usuque recepta fuere omnia, nedum in aliis

Ecclesiæ Catholicæ Provinciis, ut infrà uberiùs edisteremus.

II. Ea fuit ratio, qua extricavit se tandem Gallia ex illis laqueis, in quos se ipsa conjecerat, ab Urbano VI. ad Clementem VII. se conferens, ut author est San Dionysianus Monachus in Historia ejusdem Caroli Latinè scripta, a Laboratore vernaculæ linguæ donata: cujus hunc textum ex versione Gallica Latinè verbis nostris reddere cogimur, quòd Editio ipsa Latina nulla adhuc prodierit.

L. 5. c. 11. *Summa pace ac libertate sub Urbano celebrabantur electiones ad primarias Dignitates, virique meritis illustres ad eas vocabantur in statu Ecclesiastico. Jus quoque præsentationis & collationis integrum illæsumque constabat Patronis & Ordinariis ad omnia Beneficia vacantia. Id totum contrà erat sub Clemente, quo dispendium prorsus ingens longè plurimis importabatur viris, peritia & pietatis claritate conspicuis.* Narratur ita eadem mox Historia, cùm Rex Pontificem inviseret

L. 9. c. 7. anno 1389. *indultam illi fuisse à Papa nominationem septingentorum & quinquaginta Beneficiorum arbitrio suo, in gratiam pauperum Regni Clericorum, quos iis excludebat Curia Romana aviditas.* Concessit & quorundam Episcopatuum nominationem.

III. Non omnino à Galliæ rebus deflectemus, si hic moneamus, annis 1427. & 1429. à Martino V. acerbissimè objurgatos fuisse Angliæ & Poloniæ Reges, quòd Edictis suis conati essent Papales infringere Reservationes Episcopatuum in suis Re-

Rainal an 1427. n. 15. 26. 1429 n. 13. 14. gnis. Ad Polonum scribebat Pontifex, nunquam ita repugnasse Poloniam Pontificiis jussionibus; Poloniæ Episcopatus à se quandoque datos Regum ipsorum precibus & votis, quæ non semper tamen à Sede Apostolica exaudirentur; non multo antè tempore Episcopatus quinque à se in Anglia datos, duos in Gallia, & aliis datos, quàm quos Reges nominarant; acquievisse semper Castellæ & Arragoniæ Reges provisionibus à se factis: illud animo suo fixum statumque esse, merita personarum & Ecclesiarum utilitates Regum commendationibus & petitionibus anteferri debere. *Magis enim consideravimus personarum merita, & commoda Ecclesiarum, quàm regiam voluntatem.*

Ambigere forsan quis posset, an diu Anglia tam docilem se & obtemperantem præbuerit, quam asseverat hic Papa: cùm anno 1435. Henricum VI. Angliæ Regem Eugenius IV. adhortatus sit, ut impleret ipse aliquando tandem, quod spoponderat, & quod morte occupatus exequi non potuerat pater ipsius, nempe ut liberam Romano Pontifici per-

Rainal. an. 1434. n. 16. mitteret omnium Angliæ Beneficiorum dispositionem. Anno 1439. Clerus Andegavensis Episcopum elegit, quanquam jam alium nominasset Pontifex Eugenius IV. Anno 1440. conquestus est Portugalliæ Rex, quòd injussu suo Visevensis Episcopus possessionem misisset Episcopatûs sui; at Eugenius IV. rescripsit, Apostolicam Sedem disponere de

Idem anno 1439. n. 37. 1440. n. 2. Episcopatibus juxta Ecclesiæ utilitatem, non expectato Regum assensu; preces sibi frequenter porrigi à Regibus Galliæ, Angliæ, Hispaniæ: sed eis tantum tribui à se, quantum sineret Apostolicæ Sedis dignitas, & utilitas Ecclesiarum. *Supplicant nobis Reges Franciæ, Angliæ & Hispaniæ, cæterique pro Prælatorum promotionibus, nobisque commendant quos utiles & idoneos credunt. Nos exaudimus quantum cum Deo possumus & honore nostro preces eorum. Ubi verò aliter videtur nobis pro commodo & bono regimine Ecclesiarum, Reges & Principes acquiescunt.*

Quæ Pontificis verba enim redolent usum, qui publicationem Pragmaticæ Sanctionis antecesserat; & hæc sane Epistola illud nos admonet, eam tum Romanos Præsules exercuisse potestatem, ut omnes Episcopatus donarent, non conniventibus tantùm Regibus, sed clam suffragantibus. Preces porro illæ & commendationes Regum apud Pontifices non multùm recedebant à nominationibus, quas Concordatis posterioribus consecuti sunt illi tandem. Ecquis dubitabit, quin Pontifices & Reges mutuò sibi & faverent & gratificarentur, in ea potissimùm re, unde tantum ad eos redibat utilitatis? Si tam largè autem Episcopatus ipsius dispensaret Romanus Pontifex, non erat ad angustiores arctata limites ejus ad reliqua Beneficia potestas.

IV. Nec eam Pontificum potestatem soli Galli meditati sunt Pragmatica aliqua temperare. Anno 1457. Æneas Sylvius ad Archiepiscopi Moguntini Cancellarium scribebat, affuisse se Concordato, quod initum fuerat inter Apostolicam Sedem & Germanicam Nationem: convenisse hinc & inde Decretorum Basileensis Concilii partem alteram abjici, alteram admitti debere: electiones quidem solemniter celebratum iri; si fierent postulationes, posse eas à Pontifice vel rejici, vel admitti, juxta Regulas Juris; Canonicè factas electiones rejici non posse, nisi Pontifex de consilio Cardinalium alium subrogaret Ecclesiæ utiliorem. Rainal an. 1457. n. 47. Æneas Sylvius Epist. 169.

Anno ipso 1448. confirmatum est à Nicolao V. Pontifice hoc Germaniæ Concordatum, quo reservabantur Pontifici Beneficia quæcumque in Curia Romana vacarent: item Beneficia Cardinalium & Pontificiorum ministrorum quocumque ea loco vacarent: in Cathedralibus & Abbatialibus Ecclesiis electiones restituebantur: reliquæ dignitates, exceptis primariis cujusque Ecclesiæ Cathedralis & Collegialis: item alia Beneficia omnia inter Pontificem & Ordinarios æquatis partibus dividebantur. Nominabant Ordinarii mensibus Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, Decembri: sex reliquis Papa, adeo ut si intra trium mensium spatium non providisset Papa, jus nominandi ad Ordinarium rediret. Clemens VII. anno 1534. irritavit provisiones omnes, quas Prælati fecissent præter Concordatum & Reservationes legitimas Apostolicæ Sedis. Gregorius XIII. anno 1576. tres illos menses, quos habet Papa liberos ad Beneficia sibi reservata, declaravit computari debere ab eo die, quo ea vacare ipsi innotuit. Ea erat rerum Germanicarum facies, ubi jam inde ab anno 1510. renata erant remedia, quibus sublevarentur *gravamina nationis Germanicæ*, quibus illa se attritam oppressamque conquerebatur. Consuli alibi possunt quæ ipsi excogitassent Germani temperamenta, suis ut aliqua morbis fieret medicina. Sua quoque Poloniæ fuere Concordata. Opportuniore infrà loco aliqua rursum de Germanicis Concordatis disceptabuntur. Goldast. Const. Imp. To. 1. pag. 403. & seq. Spond. ann. 1448 n. 2. 1457 n. 5. Bullar. M. To. 1 Bulla Ad, ut am. Ibid. Bulla Admonet. Ibid. To. 2. Bul. a. Quæ in Ecclesiâ. Goldast. Const. Imp. To. 2 pag. 119 & Status. Polon p 448. & seqq.

V. Ad Galliam nostram nunc retorquendus gressus, ubi Carolus VII. Pragmaticam observari præcepit, inflexa adversùs Eugenii IV. & Pii II. preces constantia. Ubi ad Regni gubernacula sedere cœpit Ludovicus XI. seu Cardinalis Atrebatensis primarii Ministri sui instigatione, seu cupidine conciliandæ sibi Pontificis gratiæ, ad Siciliam aliquando sibi subjiciendam: seu denique obstinata aversatione eorum omnium, quæ parens suus Carolus VII. molitus esset, Authenticum & Autographum ipsum Pragmaticæ misit ad Pium II. eum

diplomate, quo illa funditus oblitterabatur, anno 1461. Fertur Romæ Charta ipsa Pragmaticæ per lutulentas Urbis vias tracta & raptata fuisse. Verùm tam vehementer Senatus Parisiensis super ea Pragmaticæ abolitione ad Regem peroravit, ut eodem ipso anno 1461. in usum revocata sit; minus jam repugnante Cardinali Atrebatensi, quem à se alienaverat Pontifex invicta sua constantia in damnanda Episcopatuum pluralitate. Cùm uno enim tempore vacassent Ecclesiæ Vesuntionensis & Albigensis, utramque simul postulans Cardinalis, expugnare à Pontifice non potuit nisi alterius optionem. Nec tamen ita restitutus est Pragmaticæ usus, ut non Reservationes & Expectativæ subinde locum haberent.

Hist. de la Pragm. & du Concor. — *Marca Concord. l. 6. c. 9. n. 10.* — *Libertez de l'Egl. Gall. c. 22. n. 24.*

Cùm Pio II. Paulus II. successisset, novas is anno 1464. machinas instruxit ad eam penitus exterendam. Cardinalitia purpura donatur Balua, quòd in se recepisset eam abolitum iri. Diploma Regium de ea re ne publicaretur intercessit Senatus Parisiensis summa virium contentione. Joannes San-Romanus Procurator Regius contestatus est illo triennio, quo sub Pio II. cessatum fuerat à Pragmaticæ observatione, immensa auri pondera Romam traducta ex Galliis fuisse. Tam audaci Oratori Rex in speciem succensuit, suoque illum Officio abdicavit: at clam favisse fertur, & eam jacturam abundè compensasse. Non paulò vehementius excanduit Universitas, & pro defensione Pragmaticæ ad Concilium generale provocavit. Contra autem nitebatur Rex, pollicitus Pontifici eam se prorsus oblitteraturum, sed tum maximè, cùm instandum ei fuit apud Pontificem, ne starri suo necessariam annueret dispensationem ad ducendam Ducis Burgundiæ filiam & hæredem.

Hist. de la Pragm.

VI. Nec quemquam movebit, quod tantoperè abhorrerent Galli à Reservationibus & Expectativis; cùm authore Cardinali Papiensi, sub Pio II. Romæ in Consistorio Cardinalium de iis abolendis deliberatum fuerit. Est enimvero quod vehementer stupeamus, ne funditus hoc tollerentur, unum maximè repugnasse Cardinalem Carvajalem Episcopum Portuensem, cujus alias incorrupta integritas sexcentis spectata fuerat experimentis. Noluit ille rem tot laboribus, tot certaminibus assertam, sponte abjici. In ejus sententiam iere Cardinales, concessit & ipse Pontifex.

Epist. 92. — *Rainal. an. 1464 n 67*

VII. Speravir Sixtus IV. æquissimi à se temperamenti viam initam esse, sex mensibus sibi sumptis, totidem permissis Episcopis Galliæ. Bulla ejus in eam rem inter Extravagantes communes radiat, & data est anno 1472. Hoc tamen Sixti IV. & Ludovici XI. Concordatum affirmat Guimierius, quanquam eosdem quos Germanicum Concordatum, sex menses annueret Episcopis, à Reservationibus & Expectativis absolutos, cùm quatuor tantum hactenus eis concessi fuissent; nunquam usu receptum fuisse, quod Juri communi & Decretis Conciliorum Constantiensis & Basileensis adversaretur.

L. 1 T. 9. c. 1. — *Guim. in Pragm Tit. de Collat. § Quod si quis.*

Parum religiosè tamen observabatur Pragmatica, dum in vivis egit Ludovicus XI. qui eam corroborare studuit in Convento Aurelianensi quodam anni 1478. Eo mortuo Comitia Regni apud Turones coacta anno 1483. eam omnino restitui flagitarunt. Sub Carolo VIII. celebratæ sunt electiones quædam Episcopales, excitæ sunt & dissensiones. Innocentius VIII. juvenem Regem per Nuntium suum admonuit, frustra tentatum fuisse à Carolo VII. ut Pragmaticam confirmaret Concilium Basileense; cassam ergo & irritam illam jacere: cùm Congregatio Bituricensis Decreta ipsa Concilii Basileensis inflectendo, & temperando infregerit, spe impetrandæ à Concilio confirmationis, sed cassa prorsus & inani spe.

Lib. de l'Eglise Gall. c. 22. n. 26 — *Hist. de la Pragm.*

VIII. Anno 1499. Ludovicus XII. publicato Edicto Pragmaticam restituit, & instantissimè observari præcepit. Eo exulceratus Julii II. animus, jam antè Ludovico ut sibi infenso infestus, in Sessione IV. Concilii Lateranensis V. anno 1512. legi fecit Pragmaticæ revocationem à Ludovico XI. factam, eoque ipso tempore Monitiones decerni curavit ad Prælatos, Principes & Parlamenta Franciæ, ut se Concilio sisterent. Anno 1513. Julio vivere desinente suffectus Leo X. Concilium Lateranense continuari voluit, prorogavitque tempus, ad defensionem Pragmaticæ. Ludovicus XII. Concilio Pisano renunciavit, ut quod non excitasset, nisi tanquam terriculamentum, ad Julii impetum retundendum, subjecitque se Lateranensi Franciscus I. ei successit, reportataque victoria perinsigni in Italia, rescivit tandem finalem & peremptoriam citationem Concilii Lateranensis ad Pragmaticam defendendam: quo adductus est ut concertationes tandem istiusmodi omnes Concordato stabili terminaret. Bononiæ anno 1515. ubi Pontificem Rex inviserat, concinnatum est Concordatum & perfectum. Bulla Leonis X. ad revocationem Pragmaticæ lecta est & confirmata, Sessione XI. Concilii Lateranensis. Approbatum & in eadem est Concordatum Bononiense, insertumque Actis Concilii anno 1516.

IX. Concordata hæc Bononiensia, seu potius Gallicana, eodem ferè constant ordine, iisdemque propemodum Decretis atque Pragmatica Sanctio; cujus statuta ibi aliqua totidem verbis intexuntur, alia ex parte, alia omnino immutata. Iis edicitur, ut ne amplius Capitula Episcopos eligant; sed Rex nominet Pontifici Doctorem, vel Licentiatum in Theologia, vel Jure, annos natum saltem 27. intra sex primos vacantis Ecclesiæ menses. Nisi Rex idoneum nominet intra sex menses, trimestres adhuc habet inducias, quibus consumptis si non sit functus Officio, Pontifex Episcopatum conferet. Solus conferet Pontifex eos etiam, qui vacabunt in Curia. Abbatiarum & Prioratuum Conventualium, verè electivorum, hoc est ubi fit electio juxta Caput, *Quia propter*, eadem ratio quæ Episcopatuum, nisi quòd ætas non exigitur nisi annorum 23. Si Rex ad Abbatias aut ad Prioratus nominet sæcularem, vel alterius ordinis Regularem, aut minorem annis 23. aut minimè idoneum, post sex menses, tres habet alios, quibus absumptis jus ad solum devolvetur Pontificem. Si Capitulis Ecclesiarum, aut Monasteriorum, aut Prioratuum, privilegia sint aliqua sedis Apostolicæ ad eligendum, illis gaudere permittentur. Reservationes & Expectativæ prorsus extinguuntur. Præter Præbendam Theologalem, quæ danda est Graduato in Theologia; Collatores omnes & Patroni Ecclesiastici dare tenentur tertiam partem Beneficiorum Graduatis, hoc est ea omnia, quæ vacaverint mense Graduatis dicato, quo elapso duo liberi subsequentur. Pontifex unusquisque sui Pontificatus tempore toto, unum poterit Mandatum Apostolicum date Collatoribus iis, quibus decem saltem Beneficia suppetent conferenda: duo autem iis, quibus quinquaginta suppetent, & amplius. Mandatarii Graduatis

Pith. n. 1. ... l. 62. anteponuntur. Denique gaudet semper Pontifex jure Præventionis, potestque creare Canonicos in Cathedralibus & Collegialibus, ut in iis Dignitates, Personatus, vel Officia obtinere possint, quod alias non possent ex hujusmodi Capitulorum statutis.

Hæc summa nostratium est Concordatorum, quod ad propositum nobis argumentum attinet. Ex quibus elucescit temperatas potius esse expectativas & reservationes, quàm omnino sublatas. Sunt enim servatæ 1. in Episcopatibus, Abbatiis & Prioratibus electivis, quos confert Papa ad præsentationem Regis, quod & aliquoties factitatum vidimus ante Concordata. 2. In Beneficiis vacantibus in Curia. 3. In præventione. 4. In Mandato uno ad Collatorem cui in decem, & in Mandatis duobus ad Collatores quibus in quinquaginta Beneficiis vel amplius jus est.

X. Ut inter has vicissitudines rerum magis magisque splendescat Sapientia Ecclesiæ Christi, nihil aptius, nihil accommodatius dici potuit, quam quod Petrus Alliacensis, & Joannes Gersonius de his scripsere, quorum & ipsi pars aliqua fuisse non immerito dicentur. Ita ergo Petrus Alliacensis :

Gerson To. 1 pag. 917. *Papa jure potuit ordinationes majorum & electivarum dignitatum, ac collationes aliorum Beneficiorum sibi & Apostolica sedi reservare, quia hac antiquissimo jure sibi competebant. Hac etiam non solùm jure universali administrationis Papalis potuerunt competere, sed etiam ex speciali causa, ratione materia subjecta : utpote quia inferiores in suis electionibus, & ordinarii Collatores in Beneficiorum collationibus abutebantur, & per potentiam laicalem sæpè jure suo non liberè uti permittebantur, seu alia aliqua speciali ratione. Ex quo subinfertur, quòd cùm sedes Apostolica in præmissis præscripserit, supposito quod summi Pontifices in hoc abusi fuerint, vel excesserint, non propter hoc est ab eis hujusmodi jus tollendum, sed abusus pellendus, & excessus restringendi sunt, & hoc fieri potest per rationabiles Constitutiones sacri Concilii generalis.* Nihil rationi, nihil veritati magis consentaneum dici poterat ad Patrocinium Concilii Constantiensis & Basileensis, immo & ad Lateranensis, ubi confirmatum est Concordatum : cùm tribus his Conciliis id in commune conveniat, quod non prorsus aboleverint, sed aliter & aliter pro temporum opportunitate temperaverint Reservationes & Expectativas. Paucioribus verbis Gersonius eandem penitùs complexus est sententiam :

Ibidem. To. 2 pag. 22. *Omnia Beneficia sunt Papæ, tanquam Ordinatori supremo, non tanquam domino, aut possessori, immo nec tanquam immediato dispensatori, regulariter & universaliter, nisi Prælatorum inferiorum iniquitas, aut manifesta Ecclesiæ utilitas casibus certis istud exigeret.*

XI. Textus ipse Pragmaticæ Sanctionis fidem facit Decreta Concilii Basileensis multis ibi modis deflexa & temperata fuisse, ut Galliæ moribus consentirent : In Proæm. *Basileensis statuta Synodi, aliqua simpliciter, ut jacent, alia verò cum certis modificationibus & formis, non hæsitatione potestatis & authoritatis condentis & promulgantis, ipsius scilicet Synodi, sed quatenus commoditatibus, temporibus & moribus regionum & personarum congruere conspexerunt.* Atqui temperamenta hæc consultanda cum Pontifice, vel cum Concilio fuerant, vel potius cum utroque, cùm utriusque tanti interesset. Unde & Guimierius existimat locum eis esse non potuisse, nisi Ecclesia Gallicana superiorem Concilio, superiorem Pontifice authoritatem sibi vendicaret. In Pragm. De Elect. §. Quod si quis. *Non puto hanc pœnam locum habere, cùm hæc modificatio non fuerit approbata per Concilium Basileense; nec potuit aut potest Ecclesia Gallicana imponere legem Papæ.* Alibi verò duas facit Guimierius classes modificationum; aliæ enim Decretis Concilii adversæ erant, quarum complures allegat; & has ait irritas statim fuisse, quòd ratas non habuerit eas Concilium : De Collat. §. Ut vero. §. Item voluit. *Istarum modificationum duæ sunt species; quædam directè contra Decreta Basileensia, & ea corrigunt vel restringunt. Et hujusmodi modificationes cum non fuerint approbatæ per Concilium Basileense, non habent aliquam vim, nec sunt servandæ. Nam Ecclesia Gallicana non potuit nec potest facere statuta contra jura, nec imponere legem Papæ.* Aliæ vel declarationes, vel pœnæ erant novæ, & has potuit sancire Ecclesia Gallicana. De causis. §. Ne tamen. § Item circa. § Item fuit. Missa facio & alia complura ejusdem Canonistæ Galli verba, Pragmaticam interpretantia, & confitentis, non potuisse eâ legem dici Concilii & Papæ. *Hoc adversamentum non potest, nec potuit imponere legem Papæ, &c. Ecclesia Gallicana ordinatio æqua est, sed non potest ligare Concilia generalia, &c. Contra Concilium Basileense non potuit legem facere.* Et ab eo tandem concluditur, cùm modificationes istæ ne à Gallis quidem admissæ fuerint, nisi ea lege, ut ad Concilium referrentur, & ab eo adprobarentur : ratas eas esse nullo modo posse, cùm ne ad Concilium quidem relatæ fuerint, ut quod antè finem acceperit. De donum & qual. Coad. § Salvo quod. De conclusione Eccles. Gallic. *Non fuerunt prædictæ modificationes admissæ per Concilium Basileense, quia dissolutum fuit, antequam ei relatæ fuissent, &c. Modificationes non fuerunt acceptatæ, nisi sub modo quod referrentur ad Concilium Basileense, & per illud admitterentur.*

Si autem Cleri Gallicani Congregationi Bituricensi visum est, tantum Decretis Basileensibus obsequendum sibi esse, quantum Regni usus & consuetudo pateretur : quin & eadem libertas Ecclesiæ Romanæ concedatur, quæ Gallicanæ ea quidem in re? De communibus vertebatur causa honoribus & prærogativis Pontificis & Galliæ, communi ergo Concordia, & communicato consilio necesse erat eas controversias finiri. Tentata ea est à Sixto IV. & Ludovico XI. perfecta est à Leone X. & Francisco I. confirmata denique est in Concilio utrimque accepto. Nec nos præterit quanta animorum contentione perdiu restiterint & Senatus amplissimæ Curiæ, & Capitula non pauca, ne Concordata admitterentur, neque retineretur Pragmatica. Verùm nec illud nos præterire debet, si laudi fuit pia & religiosa mente aliquandiu restitisse, non minori fuisse & laudi & gloriæ, quod restitare desierint, acquieverintque tandem aliquando, non aliis quam justis & necessariis de causis.

Observavit & Clarissimus Spondanus Apamiensis Episcopus, peræque ut Guimierius, quam non magni facerent authores & conditores Pragmaticæ totam illam Synodum Basileensem, à qua tamen authoritatem & pondus Pragmaticæ suæ venabantur. An. 1438. n. 21. 22. *Ita Rex. Ex cujus verbis manifestè apparet nullius ferè pretii fuisse apud Gallos Concilii Basileensis authoritatem, quam ita sensibus suis, ac dispositioni subjicerint, &c. Denique tanta libertate in recipiendis, rejiciendis, truncandis, ampliandis Basileensium placitis usi sunt, ut patentissimè se etiam judices Conciliorum generalium, quale Basileense agnoscere præ se ferebant, constituerint.* Nec ipse Petrus de Marca dissimulavit, Marca. De Concord. L. 6. c. 9. n. 13. ex eo quòd Pragmatica cum iis quorum intererat, non fuisset trutinata, Gallias tunc non potuisse per illam ex ingenti illa rerum perturbatione emergere.

XII. Scitè observatum est, in Gratiani Decreto ne vestigia quidem ulla existere Reservationum &

Expectativarum. Et tamen ingenuè confitendum fundamenta earum aliqua poni jam tum cœpisse, cùm illa insinuaretur doctrina, fundatas erectasque fuisse ab Ecclesia Romana Ecclesias omnes alias Patriarchales, Metropolitanas, Cathedrales, quin & dignitates in eis quaslibet splendidiores. Ita fertur in Epistola Nicolai II. ad Mediolanenses perlata per Petrum Damiani, cujus calamo eam exaratam D. 22. c. 1. fuisse simile veri est. *Omnes sive Patriarchii cujuslibet apices, sive Metropoleon Primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia.*

XIII. Inde certè posteriores Canonistæ præsidia accersivere posteriori disciplinæ, cum omnia urbis Christiani Beneficia subinde à Romanis conferri cœpere Pontificibus. Verùm non ex ea doctrina usus ejusmodi erupit, sed ex usu doctrina. Usum autem invexere necessitates Ecclesiæ, vel preces Principum, vel piorum etiam virorum sollicitationes, quibus eò tandem compulsi sunt Pontifices. Postquam verò is usus prorsus temporis diuturnitate convaluit, itemque Canonistarum consensione, qui electiones & patronatus interpretabantur non aliud quàm gratificationes & indulgentias fuisse Romanæ Ecclesiæ, quæ revocari ab ea potuissent: tum verò Pontifices ipsi cœpere ea quoquè placita amplecti & publicare de omnium Ecclesiarum & Beneficiorum fundatione à Petro Petrique successoribus: unde & Cancellariæ regulæ conscriptæ tandem sunt, quibus omnia ferè illis servantur Beneficia, electionesque prorsus extinguuntur, maximè in Italia, ubi hæ regulæ latissimè dominantur.

Fagnan in l. 1 Decr. Part. 2. pag. 23. Canonistæ ex adverso alii vitium in contrarium iere, electiones rati jure divino & incommutabili niti. Abundè sunt, quæ dicta superiùs sunt, ut his se errorum laqueis exuant, qui exui volent, & assentiantur Ecclesiæ, divina prorsus sapientia & charitate accommodanti se ad varias has rerum vices & temporum necessitates: quibus non potest non servire, & sese inflectere, dum unum illud inflexum & invariabile constet, ut exteriori pro tempore disciplinæ non aliis regulis, affectibus, consiliisque serviatur, quàm quæ religionis, pietatis, & charitatis propositum sibi habeant incrementum.

XIV. Collatores & Institutores primarii omnium suæ Diœceseos Beneficiorum fuere Episcopi, utpote earum omnium Ecclesiarum fundatores, vel fundatorum hæredes & successores. Longo sæculorum decursu juris illius Episcopalis rivuli aliqui in Patronos, seu laïcos, seu Ecclesiasticos, in Institutores item & Collatores alios plures dimanarunt; ita tamen ut jam inde ab exordiò Episcopi jure hoc suo gavisi sint, nominandi, nominatos ab aliis instituendo, conferendo, aliorum collationes consensu saltem tacito ratos habendo. At Romani Pontifices ex adverso etsi à Petro orti, omnium Ecclesiarum parente, non tamen ferè se interposuere in ullas Beneficiorum provisiones per cæteras extra Italiam Provincias annis amplius centum supra mille. Principum ambitione, piorum doctorumque virorum instigatione, sæculo demum duodecimo aliquid ejusmodi aggressi sunt. Ea potestas, ut solet, lapso temporis latiùs serpsit, ulteriusque progressa est, quàm plerique optassent; ita modus, fines & temperamenta ei mox adhibuere Principes, Concilis, Pontifices ipsi.

Non ea nobis hîc enodanda proponitur controversia, utra disciplina optabilior conducibiliorque censenda sit. Quàm se cumque in partem inclinaverit animus, non aliud reapse sperare datur, quàm quod Numinis providentia provisum, & in mores Ecclesiæ universalis jam invectum est. Illud nobis semper optimum videri, id gratissimum accidere debet, quod voluerit, quod permiserit Christus Optimus Maximus, qui nisi quod tandem vertat in suam, & in Ecclesiæ suæ gloriam & utilitatem, facit, aut permittit nihil. Iis acquiescamus & assentiamur, quibus assentitur & acquiescit Ecclesia. Ne nos plus sapere elimus, aut amplius aliquid Dei causa velle, quàm sempiternæ sapientiæ Christi sponsam, columnam veritatis. Illud quoque consultum est, hodiernam Ecclesiæ disciplinam antiquiori semper præferre; ut præstabiliorem, sin minùs universim, quæ infinita quædam disputationum segas esset, saltem peculiariter huic quam agimus ætati. Insanire illud, non sapere est, Conciliorum generalium sapientiam suæ posthabere, pietatem, religionem. Disciplinæ cujuscumque versatilis & exterioris potest bonus, potest & malus esse aliquis usus in conferendis Beneficiis. Unum illud refert immane quantum, non convitiis proscindi, aut irritis votis concuti & immutari eum, qui nunc invaluit, usum; sed optare, sed curare, quantum cuique supperit virium, ut ritè & sanctè omnia peragantur, convenienter ad leges sempiternas & immutabiles justitiæ, charitatis & modestiæ Christianæ. Sive Pontifices, sive Episcopi, Patroni aut Collatores Beneficia dispensent, unum id curæ, unum id cordi esse debet, ut dignioribus ea largiantur, & paratioribus Ecclesiam ædificare & ornare moribus ac obsequiis suis; ut una sit eaque religiosissima, qua omnes succeudantur æmulatio, non qui Beneficia conferant, sed qui sanctiùs, qui sanctioribus conferant.

XV. Anno 1568. reservavit sibi Pius V. omnia Beneficia, cujuscumque demum sortis, quæ vacante Episcopali sede vacarent. Unus illi scopus erat propositus, pauperibus Clericis subvenire, & quorum pietas & eruditio nullis temporalibus subsidiis juvatur. *Cupiens pauperibus Clericis & aliis benemeritis personis de Beneficiis Ecclesiasticis providere, &c.* Bulla 35. Intercessum est ejus Bullæ executioni, quanquam vel nomen ipsum Pii V. dubitare vetet, quin ad pietatem propagandam totum illud pertineret. Dubitatum est, an Pio extincto pari pietate res ab aliis tractanda foret. Vel hinc tamen suspicari rursum possumus, qui primi Expectativas invexere Pontifices, potuisse eos non alio, quàm pietatis & charitatis incitamento agi. Peculiari infrà Capite declarabimus à Regibus ipsis ad impetranda quibusdam de se, de regno, de Ecclesia benemeritis Beneficia preces adhibitas fuisse, quæ postea in necessitatem verterunt. Quin Archiepiscopi & Episcopi eandem nonnunquam sibi servatam voluere potestatem. Denique Concilium Tridentinum Expectativas & Mandata penitus sustulit, sicut & Reservationes mentales Beneficiorum nondum vacantium, licèt in gratiam Cardinalium factas. S. ss. 24. c. 9. Prohibuerat Alexander III. eas Beneficiorum pollicitationes antequam vacarent. Bonifacius VIII. eas irritas declaraverat. Vide Capita *Nulla. De concessione Prabenda*; & *Detestanda. Ibidem. In Sexto.*

Illaudata ferè nos prætetiit Hispania, sed vel una Ximenii Cardinalis historia addocebit, quàm prope illa abesset à Galliæ consiliis in Expectativarum negotio. Post impletum Theologiæ & Juris stu-

diorum curriculum, Romam profectus est, ubi Expectativam obtinuit Ximenius, cui Archipresbyteratus obtigit Archiepiscopatûs Toletani. Eo rescito Archiepiscopus tam impotenti indignatione exarsit, ut illum tetro carcere damnarit. In eo solatii non parum accepit à concaptivo Presbytero, qui narravit ei nobilem olim virum ex eo ipso ergastulo ad Archiepiscopatum Toletanum pervenisse: nec inferius quidquam augurari ipsum sibi de virtute & fortuna sua debere. Ubi jam nihil spei superfuit Archiepiscopo, ut Beneficio tam legitimè parto teneri iaret Ximenius, relaxatus è carcere, mox illud alio permutavit. Hæc Gomecius in Ximenii vita, ubi nec illud dissimulat, quàm indignanter ferrent Hispani Præsules has Romanæ Curiæ gratias, quas suæ dignitati magnopere injuriosas interpretabantur. *Is sacerdotia vindicandi modus apud omnes Episcopos invidiosus est, quòd jure suo fraudari videantur; unde quibus ad resistendum minor vis est, vel inviti cedere coguntur.*

CAPUT XLVI. *P. 4. l. 2. c. 13.*

An Pragmatica & Concordata locum habuerint in Provincia Narbonensi, & in Britannia Armorica. De Indulto harum Provinciarum, nec non & earum, quæ nuperrimè Galliæ Regno accesserunt.

I. De Armorica & Narbonensis Provinciæ revocatione & insitione in jura Gallicani Regni. Ecur in iis nec Pragmatica viguerit unquam, nec Concordata.

II. Quàm arctè nexa Duces Armoricæ & Provinciæ Comites cum Ecclesia Romana coaluissent.

III. Indulta Pontificia Francisco I. concessa in has Provincias duas, & in Monasteria eligendi privilegio speciali dotata. Eorum Indultorum continuatio.

IV. Necessaria erant ea indulta, quòd Provinciæ & urbes de novo accrescentes, in usus Regni speciales sine Indulto non transferantur.

V. Ut se Provinciæ Comes Gregorio VII. subjecerit.

VI. Alternativa à Pio V. Armoricæ Provinciæ concessa. Varii usus & abusus in provisionibus Beneficiorum Armoricæ.

VII. De Bressia, Bugeso, &c. D. Burgundiæ Comitatu.

VIII. Ubi Indulta & sæpius confirmata, & diutius continuata sunt, in jus tandem commune evadunt.

IX. Indulta ad civitates Metensem, Tullensem, Virdunensem, &c. Atrebatensem, Tornacensem, aliasque nuper Regno adjectas.

I. RENATUS Siciliæ Rex, idemque Provinciæ Narbonensis Comes, Comitatum hunc Ludovico XI. Galliæ Regi legavit anno 1476. hæredemque illum testamenti paginis inscripsit. Ma-
Spond. an. 1476. n. 5 & an. 1480 n. 7.
lunt alii oppignoratum tantùm fuisse pro quinquaginta millibus aureorum solidorum, quæ destinaverat Renatus redimendæ filiæ suæ Margaritæ, viduæ Henrici VI. Angliæ Regis, quam novus Rex Eduardus in vinculis habebat. Sed cùm idem Renatus Rex vitam cum morte commutasset ann. 1480. septuaginta tres annos natus, præmortuis ei tribus filiis, tribusque inde nepotibus, hæredem is reliquit Carolum du Maine, filium Caroli Comitis Cenomanensis, qui altero pòst anno vivere desiit, transmisitque in Ludovicum XI. & hæredes ejus Galliæ Reges jura sua & dominia omnia.

Spond. ann. 1491. n. 12. Hist. de la Pragm. sanq. par M. Dupuy.

Hinc emicat in Provincia nunquam valuisse Pragmaticam Sanctionem, cùm ea edita sit anno 1438. Comitatus autem nonnisi quadraginta amplius pòst annis Coronæ Franciæ restitutus sit. Non is erat Ludovicus XI. sub quo ea restitutio facta est, qui Pragmaticam in Provincia primùm promulgaret, cùm eam ipsemet anno 1461. ut gratiam iniret à Pontifice, abolevisset.

Aliquantò tardiùs Armorica Gallicano Regno reddita est, anno nimirum 1532. Franciscus I. Rex in Comitiis Generalibus ejus Provinciæ eam restitutionem unionemque perfecit. Itaque multò etiam certius est, nunquam ibi Pragmaticæ fuisse locum.

Spondan. An. 1532.

II. Jam inde à temporibus Ludovici IX. sanctissimi Francorum Regis, Comites Provinciæ arctissimè cohæserant Pontificibus Romanis. Carolus Ludovici IX. frater Dux Andium, Provinciæ quoque Comes evaserat, ducta in uxorem Margarita filia Comitis Provinciæ Raimundi, & hærede. Huic Carolo ejusque stirpi Pontifices Romani Regnum Neapolitanum Siculumque contulerunt, ea quo Principes hi arctissimis vinculis Sedis Apostolicæ obsequiis innexi sunt, ejusque decretis ac nutibus religiosiùs addicti. Nec me fallit Pium II. in oratione quam habuit ad Conventum Mantuanum, conquestum esse de Renato Rege, qui spem fecerat abolendæ Pragmaticæ, nec promissis steterat: *Promisit curaturum se summo studio, ut Pragmatica Sanctio deleretur. Non est deleta.* Sed facilè hoc intelligitur referri debere, non ad Comitatum Provinciæ, sed ad Franciæ Regnum, in quo confidebat Renatus posse à se præstari, quæ vires suas pòst expertus, sensit se non posse. Certè Pius ipse postea confessus est, Renato vires magis quàm voluntatem defuisse, quod de subjecta ei provincia dici vix potuisset. *Fortassis aliqua sunt, quæ non erant in sua potestate.*

Singularem quoque Duces Britanniæ Armoricæ profitebantur observantiam Sedis Apostolicæ, eoque à reliqua Gallia ferè dissidebant, quandiu per schismatis Avenionensis procellas non satis fida firmaque constabat fides & societas inter Galliæ Reges & Romanos Pontifices. Anno 1459. cùm Legati Regis Franciæ Romæ cunctarentur Pio II. assurgere, eique solitam præstare obedientiam nomine Regis Galliæ; Legati qui tunc aderant Ducis Britanniæ, non modò sacramentum edidere obedientiæ nomine Ducis, sed & solemniter contestati sunt, nunquam Duces suos vel tantillum dissensisse ab Apostolica Sede, semper Pragmaticam repudiasse? *Majores nostri post accepta semel Christi sacra, nunquam apostatarunt, vixere Romanis legibus, nec unquam primæ Sedis mandatis adversati sunt. Pragmaticam sanctionem, Galliæ Gentis inventum, respuerunt, prædecessoribus tuis constanti animo adhæserunt.* Hæc est quæ dicitur *Patria obedientiæ*, quod eo nomine continebatur, ut vulgato ferebatur adagio, *Nunquam primæ Sedis mandatis adversari, Romanis legibus vivere.* Quando verò collisus est Ludovicus XII. Rex, cum Julio II. Papa, atque adversùs eum coëgit Conciliabulum Pisanum, Galliam quidem Pontifex interdicto subjecit, at Armoricam excepit, quæ constantissima in obsequio fuerat. *Excepto Britanniæ Ducatu, Regnum Franciæ Ecclesiastico subjecimus interdicto.* Verba ea sunt Bullæ Julii II. quæ recitata fuit sessione III. Concilii Lateranensis V.

Spicil. to. x. pag. 302.

Rainal. an. 1459. n. 66. 67.

Gobel. in Comment. Pio II. l. 5.

Rainal. an. 1512. n. 30.

III. Carolus Molinæus in Regulam xviii. Cancellariæ *De Infirmis resignant.* Commentarios edens, negat in Britannia, utpote obedientiæ strictioris patria, Pragmaticam & Concordata admissa unquam fuisse. *Adhuc hodie Regio illa patria obedientiæ Papæ vulgò vocatur: nunquam ibi Pragmatica sanctio, nec Concordata recepta sunt; sed ex compacto, Papa habet ibi octo menses, sibi reservatos, in quibus, vel vaca-*

Num. 136.

tionibus tunc occurrentibus Ordinarii nihil possunt. Et contra Ordinarii quatuor menses, in quibus Papa nec prævenire, nec reservare, aut aliter disponere potest. Rationem etiam paulò post subjicit, quòd recollecta non fuerit Galliæ Regno provincia Britanniæ nisi anno 1532.

Hist. de la Pragm. de M. Dupuy. p. 99.

Anno 1516. Leo X. & Franciscus I. congressi sunt Bononiæ in Longobardia & Concordata pepigere, quibus Regnum Franciæ & Delphinatus regerentur posthac. Accipe quæ de his scribat nuperus, isque diligentissimus Scriptor vernaculo sermone, quem nos ita latinæ consuetudini reddimus: *Cardinalis Santiquatrius unus Delegatorum Papæ, ad deliberandum cum Delegatis Regis Galliæ, Charta subscripsit ante Barmam Advocatum Regium, qua præter insignia plura capita, quæ Concordatis sunt intexta, concedebatur à Pontifice Regi, quandiu superstes esset, ut ad Ecclesias & Monasteria Britanniæ & Provinciæ nominaret, ita ut si Rex approbaret Pontifici privilegium aliquod istiusmodi olim à Pontificibus concessum fuisse Ducibus Britanniæ, vel Comitibus Provinciæ, id protinus à Pontifice confirmaretur.*

Pinsson. Notes sur les Indults. pag. 470. Et in Prag. pag. 1060.

Publici juris fecit Pinssonius hoc Indultum Leonis X. Francisco I. collatum dum in vivis esset, ut nominaret ad omnia Beneficia Consistorialia Britanniæ & Provinciæ: utque nominaret etiam ad Abbatias Clericos sæculares, siquando eis Monachi deessent tantæ sarcinæ pares. Publicavit idem ipse Pinssonius Edictum Henrici II. Regis anno 1549. ut confirmaret in Armorica & Provincia complura sedis Apostolicæ jura, in Regionibus strictæ Obedientiæ usitatissima, circa Reservationes, Pensiones, Regulas Cancellariæ & ejusmodi alia. Author idem est hoc Indultum Leonis X. transfusum fuisse ab ejus successoribus ad successores Francisci I. Scriptores supra laudati Historiæ Pragmaticæ & Concordati idem confirmant, annotantque clarissimum virum Parlamenti Aquensis Senatorem doctis omnibus notissimum, ipsumque doctissimum, Authentica communicasse duarum Bullarum Pii IV. anno 1564. datarum, quibus Carolo IX. Regi concedebatur potestas nominandi ad Prælaturas & Episcopatus Regni & Delphinatus, Britanniæ & Provinciæ, testatumque fiebat à prioribus Pontificibus idem concessum fuisse prioribus Regibus.

Præf. Pinss. in Indulta. p. 39. 179. 180.

Memoires du Conc. de Trente pag. 111. 114 131. 144. 157.

Monumenta quædam evulgata non ita pridem sunt ecium ad Concilium Tridentinum pertinentium. In iis inspici potest quam ægrè extundi potuerit Romæ Indultum anno 1561. quo Carolo IX. concederentur Nominationes Provinciæ & Britanniæ. Ad sextantium menses concedebatur, tum ubi expirasset, ad sex menses alios innovandum. At apertè tandem declaratum est morositates istas affectatas eo tendere, ut meliori fide servaretur à nobis Concordatum, & verè Britannia & Provincia ad mores Patriæ Obedientiæ se componerent, ut superiores Reges in se receperant.

Non ergo vel Provincia, vel Britannia, aut Concordato unquam obnoxiæ fuere, aut Pragmaticæ; cùm nec recepta hæc ibi unquam fuerint, aut publicata: nec nisi vi peculiaris Indulti nominarint Reges ad Beneficia earum Provinciarum consistorialia.

Nec enim extensio est, aut ampliatio Concordati, quod diximus Armoricæ & Provinciæ Indultum. Mera ea est concessio nominandi ad Prælaturas, Concordati ne facta quidem mentione. Itaque reliqua Concordati tam varia Capita nihil ad has Provincias pertinent. Agam infrà numero VIII. de Indultis ad Monasteria privilegiata.

IV. Si qui velint quamprimum Provinciæ aliquæ Regno & Coronæ Regum accrescunt & adglutinantur, jam tum eas conformari legibus & privilegiis reliqui Regni totius: ii non satis adjecisse videntur animum ad ea, quæ observata sunt superius, & ad ipsam rerum historiam. Si enim res ita haberet, frustra ergo laborasset Franciscus I. ad impetrandum Indultum Britanniæ Minoris & Provinciæ. Frustra successores ejus, ambissent ejus propagationem. Frustra Reges omnes hactenus desudassent ad impetrandum Indultum trium Episcopatuum, Metensis, Virodunensis & Tullensis; nec non & Elnensis, Perpinianensis, aliorumque recentius Regno adjectorum. Supersederi potuerat posseque adhuc eo labore, cùm satis esset pomæria imperii Gallicani eo protulisse. Infirmum est autem quod de Delphinatu objicitur. Ea enim Provincia redintegrata fuerat Regno Gallicano, ante Pragmaticæ, ante Concordatorum tempora. Ita necesse fuit eam & in Pragmatica exprimi, & in Concordatis. Provincia jam cum Regno coaluerat tempore Concordati, nec tamen in eo nominatur, sed Francia solùm & Delphinatus, quod etiam post Concordata patriæ ea obedientiæ permansura esset.

V. Altius forsan reperi potuisset origo hujus peculiaris in Provincia observantiæ & obedientiæ in summum Pontificem. Legitur inter Epistolas Gregorii VII. sacramentum, quo suam illi fidem obligavit Bertrandus Provinciæ Comes, cui subjicitur concessio, ut omnes Ecclesiæ suæ in ejus potestate sint, ab eoque ordinentur. *Ecclesias autem omnes, quæ in mea potestate sunt, domino meo Gregorio Papæ omnino dimitto, & omnibus successoribus suis; & ad ordinandas eas justè & secundum Deum, pro posse meo fideliter adjuvabo.* Quoad sacramentum fidei, infrà suo loco demonstrabimus, religiosa ea fuisse obsequia, quæ Christiani Principes certatim Christo & Petro, in Vicariis & successoribus Petri exhibebant. *L. 9. post Epist. 12.*

VI. Sed quoad liberam Ecclesiarum dispositionem, perspicuum est Comitem Pontifici eam, ejusque successoribus liberam dimisisse: saltem hactenus, ut Investituras ejuraret. Facilè mihi persuaserim, Duces quoque Britanniæ idem Romanis concessisse Pontificibus: cùm suprà patuerit, octo ibi menses Pontifici, quatuor tantum Episcopis adsignari, ut suprà monebat Molinæus. Qui harum Provinciarum sint usus, penitius inspicies in Mandato Regis, quo instructus est Urseus, quando cum Legatis aliis anno 1547. ad Concilium missus est Bononiam. Præcipiebat enim Rex, ut Concilii Patribus narraret, quàm præpostere multa sentarentur in Britannia & Provincia aliisque regionibus Obedientiæ; Papam unum conferre omnia Beneficia per octo menses; quæ quatuor mensibus aliis vacarent Beneficia, ea statim involari à septem vel octo Mandatariis Apostolicis: reservationes mentales multo etiam intolerabiliores esse; quæcumque enim Beneficia per quatuor Episcopales vacarent menses, si nulli caput exererent Mandatarii, protinus emicare Bullam Pontificiam, quæ confirmaret hocce Beneficium suæ sibi in sacrario mentis reservasse Pontificem, & tali Clerico destinasse: quod & intentatis censuris statim executioni mandabatur. Reliqua missa facio quæ ad Beneficia non spectant. Comitia Provinciæ Armoricæ iisdem

Memoires du Conc. de Trente pag. 15. 16.

Preuves des Liber. Gall. pag. 902 c. 22 n. 31.

quetelis Regem interpellaverant, de Mandatis Apostolicis, etiam ad Beneficia electiva, aut Patronatus laici, de reservationibus, indultis, pensionibus, unionibus, regressibus, Coadjutoriis, aliisque quæ Patriam obedientiæ redolent. Pius V. Bulla sua anni 1568. sex menses & alternativam dedit Episcopis Britanniæ, qui in Diœcesi residerent. Donum erat ad quinquennium, quo consumpto innovabatur.

Doujat. Specimen juris pag. 54. Diximus jam Regula VIII. Cancellariæ octo menses Papæ reservari, quatuor tantum permitti Episcopis; sed illis tribui Concordato Germanico, Pium V. totidem donasse Episcopis Armoricæ Provinciæ, in qua Henrici II. Regis Declaratione anni 1550. Cancellariæ Regula VIII. recepta fuerat. Regula hæc eadem olim in Provincia convaluerat; ut quæ & ipsa Patria esset obedientiæ, sicut Armorica; at Legatio Avenionensis in causa fuit, ut Ordinariorum potestas ibi restitueretur. Receptus etiam Alternativæ usus in Armorica, id præstitit, ut præventioni locus ibi non sit in mensibus Episcoporum.

Ibidem. pag. 150. Alternativam dixi, propterea quod à Sixto V. declaratum sit, jam necesse non esse, ut acceptatio innovaretur singulis quinquenniis; sufficere enim acceptationem à quolibet Episcopo factam ad totum Papæ cujuslibet Pontificatum. Ita alternativa generalis est, pro omnibus Episcopis residentibus. Denique cum introducta & firmata non sint Graduatorum privilegia, nisi Concordatis: ut Concordatis, ita & Graduatis nullus est vel in Armorica locus, vel in Provincia.

Bresse, Bugey, Valromay & Gex. VII. Quod ad regiunculas vero attinet illas, quas pro Marchionatu Salussiarum Duces Sabaudiæ Galliæ Regibus cesserunt anno 1601. controversia ventilata est in Parlamento Burgundiæ anno 1630. an reservatio alternativa mensium ibi locum haberet, periode ut cùm illi tractus Duci Sabaudiæ suberant. Senatus pronunciavit locum non habere, tum quod ei juri non suberat Marchionatus Salussiarum, quo permutati fuerant hi tractus; tum quod ii sua cum Gallicano imperio conjunctione in eandem sortem traducerentur cum reliquis ejus Provinciis. *Ossat Lettre 101 260. 261.* Non ita sentiebat Cardinalis Ossatus, qui Romæ cùm esset, Henrico IV. Regi author erat flagitandi ea de causa Indulti. Id quidam ferè interpretati sunt, quasi officiosam reverentiam, qua quanquam minimè necessaria, caperet Ossatus deliniri à Rege Pontificem. At contra stat, quod suprà numero IV. certis documentis evicimus, non statim Provincias in mores transire & jura regni, atque regno recolliguntur. Video tamen interesse aliquid discriminis. Numero enim IV. quærebatur de Episcopalibus Ecclesiis, ad quas de novo partas nova desiderata semper sunt indulta. Hic de Ecclesiis Parochialibus, aut certè non Episcopalibus agitur; in quibus proinde visum est non ita scrupulosè sectandas juris minutias. Nec enim indulta ulla unquam flagitata sunt, ad Ecclesias tantum inferiores. *Fevret. L. 2. c. 6. n. 13.* Jam inde ab anno 1608. Senatus Parisiensis pronunciaverat secundùm Decanum Bellicensem à Capitulo electum, adversus Regalistam, & adversus eum cui providerat Pontifex vi reservationis Mensium Apostolicorum. *Pinss. Preface des Indults. n. 59.* Tradit Pinssonius Regaliam, Indultarios, Graduatos, eorumque jura in hos omnes tractus ampliata fuisse, Arrestis Parlamenti & Magni Consilii.

Ibidem. Addit Fevretus Beneficia in Comitatu Burgundiæ sita, & quocumque extra Franciam loco, conferri debere juxta leges Franciæ & juxta Concordata, si Collatores, quibus parent, Galli sint. Ratio est, quod Concordata Collatoribus Gallicanis concessa sint, ut gentis universæ privilegia. Ita hæc Beneficia quamvis extra Gallias sita, non subesse mensibus alternantibus Papæ. Sicut & Beneficia in Galliis sita, quorum Collatores ex Comitatu Burgundiæ oriundi sunt, legibus Regni peculiaribus non subsunt, sive ad menses Graduatorum, sive ad Indultarios. Citat Fevretus Canonistas, qui ita sentiant, quique confirment, ita Rotam judicare.

VIII. Confirmat rursus idem Pinssonius longa illa & continuata concessione Indultorum Pontificiorum ad nominationes Regias Episcopatuum & Abbatiarum Britanniæ & Provinciæ, in jus tandem ea certum fixumque evasisse, nec ulla jam ad id Indulta postulari. Idem affirmat de Indultis, quæ Leo X. & Clemens VII. Francisco I. concesserunt, ad suspendenda privilegia quædam eligendi, quæ sedes Apostolica forsan indulserat Ecclesiis & Monasteriis: utque Rex in iis nominaret primùm per sex menses, deinde toto vitæ tempore. Citatæ sunt à Tilletio Bullæ Clementis VII. quibus ea nominationum potestas concedebatur Francisco I. primùm ad sex menses, inde dum adviveret. Eodem Indulto Pius IV. Carolum IX. donavit. Jussa sunt interim Capitula & Monasteria, quæ privilegia eligendi habere se aliqua venditabant, ut ea ad Cancellarium Regium deferrent, examini ejus subjicienda. Exinde vero Reges jure & possessione stabili nominandi gavisi sunt, sive privilegia minus probæ notæ deprompta sint, sive possessio ipsa in jus tandem firmum & inconcussum evaserit. *Preface histor. des Indul. n. 47. 41. 44. 48. 49.* *Du Tillet Part 1 pag. 445. p.* *Pinss. Ibid.*

IX. Quoad Episcopatus Metensem, Tullensem & Virodunensem, concessum est ab Alexandro VII. anno 1664. Indultum Regi invictissimo Ludovico XIV. quo Episcopatus ad vitæ totum tempus conferret. Clemens IX. anno 1668. Indultum prorogavit ad omnes Regis successores, & ad Abbatias ampliavit, Prioratusque Conventuales, & alia Beneficia, quæ Pontifex conferebat reservatione sex mensium, convenienter Germanico Concordato. Ab eodem Pontifice permissus est Rex nominare ad Episcopatus Elnensem, Atrebatensem, Tornacensem, & ad alia Beneficia Consistorialia earumdem regionum nuper Regno Francico additarum. Anno 1518. sanxerat Maximilianus, ut Leodii vigerent Concordata Germanica. Episcopatus Metensis, Tullensis & Virdunensis iisdem subjecti fuerant Indulto speciali & ampliante, tanquam obnoxii Metropoli Trevirensi. Ita in has Diœceses Romani Pontifices multa retinuerant jura, quæ posterioribus his indultis Regi Christianissimo concesserunt. Fertur anno 1554. Carolus V. Imperator edixisse, ut & Cameracensis Ecclesia Germanicis subesset Concordatis. Dux Albanus dum Belgium regeret à Pio V. Indultum impetraverat, ut conferret seu præsentaret Beneficia, quæ Pontificiis mensibus vacarent. In Patria obedientiæ Papa solus confert Primas Cathedralium dignitates. Carolus V. ab Alexandro VI. Indulto munitus fuerat, quo ad eas præsentaret. *Ibidem. n. 60. 61. 62.* *Du Bois. Instit. au Droit Eccl. pag. 275 & 268. 9.*



CAPUT

CAPUT XLVII. *P. 4. l. 2. c. 14.*

Multiplex alia potestas Papæ ad provisiones Beneficiorum. Ac primùm de Præventione.

I. Incompertum fuit jus Præventionis usque ad sæculum XIII. Ejus rei probationes.

II. Includebatur tamen Mandatis, & Reservationibus Apostolicis.

III. Eisdem fundamentis innititur. Satisfit dua bus objectionibus adversus Decretum Innocentii III. circa jurisdictionem Papæ universalem in collatione Beneficiorum.

IV. Sub Bonifacio demum VIII. jus Præventionis radiare incipit.

V. In Concilio Basileensi propugnatur, cùm à Gallis quibusdam & Germanis oppugnaretur.

VI. In Concordatis confirmatur.

VII. Edictum Aurelianense ei intercessit. Ea intercessio mox revocata.

VIII. Canonistarum Gallorum placita circa Præventionem.

IX. Præventionis usus quam pius fieri possit.

I. POstquam universim declaratum est, ut Beneficia singularum orbis Diœceseon, ad quæ aditus fuerat olim per electionem, vel per Patronorum nominationem, vel denique per Episcoporum institutionem & collationem, in potestatem tandem Romani Pontificis magna saltem ex parte devenerint; restat ut speciales rationes ipsas expendamus, quibus ea nunc à Pontifice conferuntur. De Mandatis, Expectativis & Reservationibus copiosè jam disputatum est: ad alias ergo pergendum nobis est rationes & vias provisionum Apostolicarum ad Beneficia toto orbe sparsa.

Dicemus 1. de Præventione. 2. De provisione eorum quæ vacant in Curia. 3. De Indultis & Resignationibus in favorem. 4. De jure Devolutionis. 5. De Facultatibus Legatorum à Latere. 6. De mensibus Graduatorum. 7. De provisionibus Episcopatuum, quæ hactenus summatim utcumque perstrictæ sunt, quòd implicatæ essent aliorum collationibus Beneficiorum.

Ordiendum nobis est à Præventione, quæ iisdem quidem fundamentis niti videtur, quibus Mandata & Apostolicæ Reservationes; sed ut eadem illi constet origo, non eadem suffragatur antiquitas. Innocentius III. eo præstructo, plenitudinem Ecclesiasticæ jurisdictionis residere in Capite Ecclesiæ, & inde in longè plurimos dispergi rivos, ut nihil officiat rivulorum multitudo fontis plenitudini; *Ne plenitudo Ecclesiastica jurisdictionis in plures dispensata vilesceret, sed in uno potius collata vigeret, &c. Quæ Romana Ecclesia retentâ sibi plenitudine potestatis, ad implendum laudabilius officium pastorale, multos in partem sollicitudinis evocavit, sic suum dispensans onus in alios & honorem, ut nihil suo juri subtraheret, nec jurisdictionem suam in aliquo minueret.* Progreditur inde ad Mandata Apostolica, in provisionibus Beneficiorum, & ad jus Devolutionis, quæ ad Pontificem usque ipsum gradatim revolvi potest. At de Præventionis jure nec ibi, nec usquam alibi meminit. Consule, si vacat, plures alias hujus Pontificis Litteras, hîc ad marginem laudatas, præter eas quæ suprà delibatæ sunt, cùm de Mandatis disceptaretur: nusquam vestigium ullum de Præventione occurret.

Decret. Greg. L. 5. Tit. 1. c. 5. Innoc. III. Regest. 13. Epist. 9. Regest. 14. Epist. 32. Regest. 15. Epist. 22. Regest. 16. Epist. 165. 177.

II. Inerat tamen Mandatis imago quædam & species Præventionis. Præveniebat enim Ordinarios Pontifex, non ipse quidem statim conferens Beneficia, quæ ipsamet est Præventio; sed præcipiens, ut conferrent Patroni ipsi vacans vel vacaturum Beneficium ei, quem Papa designasset, quo apertissimè Præventioni præludebatur. Postquam enim modicè & sedatè ferre cœperunt Episcopi, ut Pontifex Beneficium quodlibet, cui vellet, addiceret, tam facilè mox passi sunt, ut ipse conferret, quàm ut conferri præciperet.

Adde quod & ejusdem doctrinæ, quæ in Reservationum medio cursu increbuerat, hic esset velut surculus. Si enim Pontifex Petri successor universim obtinet potestatem omnem & omnia jura singulorum Episcoporum; cùm Beneficiorum collatio fructus sit jurisdictionis, quo Episcopi gaudent singuli, eodem Romani Præsules gaudebunt jure Beneficia conferendi singulis in Diœcesibus. Atqui inter eos qui eadem jurisdictione fruuntur, necesse prorsus est, ut valeat Præventio. Itaque ut Papam Episcopus, ita & Episcopum Papa antevenire potest. Eo sensu Gregorius IX. ad Fridericum II. scribebat, etsi posset Imperator ad Beneficia nominare, quæ collationis sunt Episcopalis, vacante sede, non posse ab eo Papam excludi ea potestate conferendi, qua vel superstite Episcopo pollebat. *Esto quod in collatione Beneficiorum morientibus succedas Episcopis, majorem in hoc ipsis non adipisceris potestatem, nec nos ob id, qui eis viventibus conferre Beneficia non collata poteramus, Apostolicæ amittimus amplitudinem potestatis.* Quæ verba ad Reservationes & Mandata pertinent, quanquam ad Præventionem pereque trahi potuissent, si jam tum ejus usus fuisset ullus. *Raind. an. 1236. n. 6.*

III. Illud porro Innocentii III. decretum, quod hoc ipso Capite statim protuli, duæ premunt, nec aspernandæ difficultates. Prima spectat ad Episcoporum jurisdictionem, quam videtur ille ex conspicuo Ecclesiæ Capite derivare, cùm nos à summo & immortali Capite Christo haustam vendicemus. Responsio autem facilis & expedita est, tam non adversari nostræ sententiæ eam Innocentii III. Epistolam, quàm nec illam Leonis Papæ I. quem sequitur Innocentius hoc loco. Non alia enim utriusque Pontificis mens est, quàm necesse esse, ut Episcopi Capiti suo consentiant in Ecclesiæ suæ administratione, & quæ fit Ecclesiæ in varias Diœceses partitio, ea assentiente fiat Pontifice, qui superior imminet, præsidetque omnibus Diœcesibus. Nam Episcopi obtinent illi quidem immediatè à Christo jurisdictionem suam, sed non ab illo immediatè consecuti sunt territorium hoc suum & peculiarem Diœcesin: cùm hæc partitio facta fuerit volventibus sæculis ab Ecclesia, nec fieri potuerit, aut perpetuari, nisi consensione Capitis, in quo est cardo & centrum Ecclesiasticæ unitatis. Hic Innocentii germanus est sensus.

Secunda difficultas exurgit adversùs illam jurisdictionem, collationemque Beneficiorum, qua omnibus in Diœcesibus utitur Pontifex. Nec hîc minùs in promptu responsio est, ut ne nos infinitæ cuidam disputandi contentioni immergamus, abundè nobis esse, ut acceptatio & assensio Ecclesiæ, ususque universalis approbaverit has Papæ Præventiones, perinde ut Mandata Apostolica. Non interposuerunt primò Pontifices, nisi preces, quasi tentabundi periculum facerent. Ubi res processit & usu convaluit illæsa Episcopali unanimitate, tum authoritatem quoque explicuere & præcepta. Cesserunt Episcopi primùm precibus, pòst consuetudini & authoritati. Quantacumque esset penes Apostolicam Sedem jurisdictio, tantundem erat & cha-

ritatis & modestiæ, ut non aliter quàm cum Episcoporum assensione authoritate uteretur. Erat & Episcoporum in Sedem Apostolicam ea reverentia, ea charitas in Caput sibi divinitus præstitutum, ut ne de usu receptis facultatibus ulteriùs cavillarentur. Principatus à Christo Sedi Apostolicæ collatus, ejusmodi fundamentum est, cui tutò committatur potestas omnis, vel potestatis usus, qui vel Episcopis ipsis toto orbe sparsis visus fuerit Ecclesiæ ædificationi condocibilis & consentaneus esse. Sicut & charitas summi Pastoris præsto semper est & parata potestatem & potestatis usum omnem premere, ut nusquam erumpat, ubi unanimitas & universalitas Collegii Episcopalis ita judicaverit expedire, ad Ecclesiasticæ disciplinæ pacem & sanctimoniam? procul amandatis spinosis illis & interminatis quæstionibus de limitibus jurisdictionis.

IV. Ejus doctrinæ luculentissimum argumentum ex hac ipsa petitur quam hîc versamus quæstione. Quanquam enim jus Præventionis innexum esset Reservationibus & Mandatis, ducenti tamen admodum interlapsi sunt anni post Mandata, antequam Præventionis manifestè constitueretur jus; quin & probabile est illud ita sensim irrepsisse, ut antè increbuerit, quàm irrepere sentiretur. Bonifacius VIII. cùm relatum ad eum esset de Beneficio, quod eodem die à Papa, vel Legato ejus, & ab Ordinario duobus collatum esset: respondit eum præponendum, qui prior possessionem inisset: at si neuter inisset possessionem, illum præferri debere, quem Pontifex vel ejus Legatus nominasset, *propter conferentis ampliorem prærogativam.*

C. Si à sede. De Præben. in sexto.

V. Nihil antiquius fuit Concilio Basileensi, quàm ut Ordinariorum vim & potestatem ad collationes Beneficiorum in integrum restitueret. Rescissæ sunt ab eo Expectativæ omnes & Reservationes Beneficiorum needum vacantium; Mandata Apostolica summas in angustias redacta, uni obnoxiis futuris Mandato Patronis, quibus decem; duobus, quibus quinquaginta vel plura subessent Beneficia. Nec tamen eidem Concilio visum est delirari quidquam debere de jure Præventionis. *Neque etiam collationes per Præventionem fiendas intendit impedire.* Paulò inclementiores fuere authores Pragmaticæ Sanctionis. Congregationis Bituricensis Patres statuere, interpellandam esse Synodum Basileensem, ut suum de Præventione Decretum revocaret, ut Collatores uterentur ea libertate quam sibi Concilium Lateranense concessisset, intra sex menses conferendi Beneficia: quo tempore absumpto, tum eorum negligentia pœnas daret, jure conferendi per Præventionem vel Devolutionem ad Superiorem traducto. Simillimum veri est, idem à Germanis esse factitatum, cùm Synodus Frisingensis anno 1440. Synodum Basileensem & ipsa precibus convenerit, ut Præventioni locus non esset, nisi post sex menses à Concilio Lateranensi assignatos. *Declarare dignetur Concilium, quod non intendit tollere inferioribus Ordinariis tempus Lateranensis Concilii, quodque ante ipsius lapsum non habet locum Præventio.*

Sess. 31. De Collat. § Item circa.

Can. 25.

VI. Restituta prorsus est Præventio in Concilio Lateranensi V. anno 1516. & Gallicanis Concordatis, quæ in eodem Concilio confirmata sunt. In Regni Comitiis Generalibus erupere querelæ adversùs hanc Præventionis restitutionem. Ferrerius Orator missus est Romam an. 1561. ut de Annatis & de Præventione conquereretur. Jam inde ab anno 1547. Ursus & alii Legati ablegati fuerant, ut ad Concilii Tridentini Patres adversùs Præventionem inveherentur. Affirmat Pithœus eam in Gallia non tolerari, nisi in ipso Pontifice, *non in alio quocumque, quamcumque demum delegationem, Vicariatum, aut facultatem à Pontifice adeptus fuerit; quin & quantum fieri potuit, usu arctatum fuisse, adeo ut judicatum sit collatione irrita Ordinarii anteverti Præventionem.* Molinæus in Regulam *De infirmis resignantibus*, le Prêtre, aliique Galli Jurisconsulti placita Senatûs proferunt ad has Præventionum restrictiones firmandas. Nec illis excidit Edictum Aurelianense, quo supprimi omnino videbantur.

Sess. 22.

Memoir. du Concile de Trent. p. 15.

Pith. n. Lib. Gall. c. 22. Preuves des Lib. Gallic. t. 12. n. 34. 35. Molin. n. 72. & seqq. & 434. Le Prestre. Centur. 2. c. 94.

VII. At bona fide fatetur Fevretus, *Si ingenuè fari liceat, nunquam antiquis Conciliorum Decretis damnatas fuisse Provisiones Romæ factas ex Concursu, vel Præventione. Quanquam enim faverint Ordinariis legitimo jure nixis ad conferendum in proprio cujusque territorio; non tamen decerpserunt quidquam de jure Pontificis, qui Superior & Caput est. Ideo nec sancti Ludovici Pragmatica Præventiones oblitterat, sed Beneficia ab Ordinariis conferri jubet juxta Decreta & Canonicas sanctiones, quibus etiam constabilitur superior & spiritalis potestas Papæ. Nec ipsa Carol. VII. Pragmatica Præventiones revocat, nec enim id poterat illa quidem: sed Conventus tantùm id proponit instar consilii, ut ea revocatio poscatur à Concilio Basileensi, ut in Pragmatica Glossa animadversum est: Dat Congregatio Advisamentum ad impetrandam super hoc Provisionem à Concilio, sed nil disponit. Ita author Glossæ. Quod verò attinet ad articulum XXI. Edicti Aurelianensis, quo vetiti sunt Judices Possessorii Beneficiorum rationem habere Provisionum Romæ impetratarum jure Præventionis: vetiti sunt & impetrantes iis uti, nisi ex Regis permissione: satis superque est, ut respondeamus Carolum IX. sollicitante Cardinali Ferrariensi Legato, Declarationem edidisse Carnuti anno 1562. qua hic Articulus de Provisionibus Romanis jure Præventionis sublatus est.* Hæc eo loco Fevreti temperatissima doctrina, tantò plausibilior, quò ferè inexpectata.

De Collat. § Item circa.

Fevret l. 3. de l'Abus. L. 2. c. 6. n. 5. & seqq.

VIII. Addit porro, ut quanquam jus Præventionis Facultatibus Legatorum à *Latere* includatur, resecari soleat tamen à Magistratibus Regii Senatûs, cum registrantur: idemque factitari à Senatu Regio Aquis-Sextiis, Tolosæ & Gratianopoli, erga Facultates Legati Avenionensis. Aberravit à vero Fevretus, quod attinet ad Legationem Avenionensem. 2. Irritæ sunt Provisiones, nisi Regula Joannis XXII. *de verisimili notitia* observetur, hoc est, nisi à tempore obitûs ad Datam tantum effluxerit quantum necesse est, ut Papa præsumatur obitum Beneficiarii rescire potuisse. Aliàs enim fraudis aliquid intervenerit ad fraudandum jure suo Ordinarium. 3. Nec Præventioni obnoxia sunt Patronatûs laïci Beneficia. 4. Quanquam de Beneficiis electivis controversatum esset, prævaluere tandem Concordata, ubi Papa servat sibi integram collationem Beneficiorum etiam electivorum, in quæ jus nominationis Regiæ non extenditur; servat autem eam sibi jure Præventionis. Ita ratum est in Curiis supremis Judicum sæcularium, posse Papam conferre Decanatus Cathedralium & Collegialium Ecclesiarum, sive ex Præventione, sive ex Resignatione. 5. Graduatorum juri præpollet Præventio, nec abnuit Molinæus. 6. Ubique locum habet Præventio, præterquam in Beneficiis Regiæ nominationis, in vacantibus ex Regalia, & Capitibus Ordinum. 7. Si cœperit Patronus præsentare, aut utcumque inchoata fuerit collatio, perimitur tum Præventio, cui locus non est nisi *rebus omnino integris.* Ea sunt

§ Declarantes. De Mandatis.

Gallorum Jurisconsultorum placita, quæ prompsisse juvat, ut liquido constet, quantum revereatur & colat Ecclesia Gallicana universalem jurisdictionem sedis Apostolicæ in Collatione Beneficiorum, accommodata ad Concordata, & ad receptas consuetudines.

IX. Cæterùm si ii quibus providetur Romæ, sive mensibus Papæ in Britannia Minori, sive universali jure Præventionis; si ii inquam minus quandoque periti, minus pii, minus digni sint iis Beneficiis, ut qui cogniti non essent iis, qui providebant: non immedicabile id quidem malum est. Accepi enim ab Episcopo Armoricæ, cùm de ea re nuper functus Episcopus Trecoricensis Romæ conquestus esset, cùmque Pontifici & Cardinali Cibo nomina edidisset Diœcesanorum suorum aliquot, quibus tuto Beneficia committerentur, his reapse Romæ provisum fuisse, & in litteris ipsis id fuisse expressum, ad commendationem Episcopi Trecoricensis provisum fuisse. Si Pontifices, si Pontificum Ministri, si Episcopi, ea consensione animorum, ea charitatis sinceritate, eo zelo semper agerentur, agerentque, ad optimos Pastores Ecclesiis donandos, non esset, quod pristinam Disciplinam desideraremus, aut ingemisceremus hodiernæ; quæ si in aliqua incidat, quæ molestiam jure creent, id eorum ferè vitio fit, qui ea minus prudenter, minus piè utuntur.

CAPUT XLVIII. *P. 4. l. 2. c. 15.*

De Beneficiis, quæ vacant in Curia.

I. Clemens IV. primus omnium Pontifici servavi Beneficia conferenda, quæ vacarent in Curia. Encomium hujus Pontificis.

II. Quo jure dixerit antiquum hunc esse morem.

III. Concilium Lugdunense II. aliquid modi, & temperamenti adhibuit.

IV. Declarationes Bonifacii VIII. ea hanc Reservationem.

V. Clemens IV. qui genere Gallus erat, & Bonifacius VIII. in litteris suis non explicabant universalem sedis Apostolicæ jurisdictionem ad Beneficia, nisi ut munirent jus usu jam receptissimum, non ut novum inveherent in mores.

VI. Quàm latè jus hoc effuderint posteriores Pontifices usque ad Concordata.

VII. Jus hoc variè temperatur, tum in Concordatis, tum variis Regni usibus. Quibus se munire cautionibus studuerint Reges, ad Civitates in confiniis Regni positas, quarum Prælati in Curia Romana extitissent.

VIII. Quid de eo senserit, quid scripserit, cumulatissimæ sapientiæ vir Ossatus Cardinalis. Gregorii X. Papæ incomparabilis sapientia & animi moderatio, qui summo Præventionis Pontificiæ jus voluit decedere juri Regaliæ Gallorum Regum.

IX. Qua occasione Clemens IV. huic Reservationum generi initium dederit.

I. Clemens IV. Pontifex Maximus, qui anno 1265. Petri sedem implere cœpit, primus ille quidem Decretalem promulgavit, qua dispositioni sedis Apostolicæ reservaret omnia Beneficia, in Romana Curia quæ vacarent: sed perantiquam eam fuisse consuetudinem, & eam à se tantummodo confirmari, ipsemet testatum facit. Quæ in lucem pridem exiit vita hujus Pontificis, illustrem ei sedem assignat inter sanctissimos summæ illius sedis Præsules, &. à terrenis cupiditatibus ex casto cœlestium amore expeditissimus. Adeo non suos ille, propinquosque locupletavit, ut quibus plura essent Beneficia, eos uno contentos esse jusserit, cæteros nullis planè donarit. Et nihilo tamen minus Decretalem hanc suam Epistolam hinc auspicatur Pontifex, quamvis dispositio omnium per orbem Beneficiorum in potestate sit sedis Apostolicæ, et tamen specialius reservari ea, quæ vacant in Curia, idque ex antiqua consuetudine. *Licèt Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio, ad Romanum noscatur Pontificem pertinere: ita quod non solum ipsa cum vacant, potest de jure conferre: verùm etiam jus in ipsis tribuere vacaturis. Collationem tamen Ecclesiarum, personatuum, dignitatum & Beneficiorum apud sedem Apostolicam vacantium, specialius cæteris antiqua consuetudo Romanis Pontificibus reservavit.* Eam consuetudinem novo authoritatis pondere robotat hic Pontifex, prohibetque non ordinariis modo, sed privilegio etiam quopiam donatis Collatoribus, ut ne Beneficia in Curia conferant, nisi conceptis verbis concessum eis sit, ut hæc etiam conferant.

In Sexto. L. 3. Tit. 4. c. 2. 3.

II. Hujus tamen antiquæ consuetudinis monumentum existit nullum, ac ne vestigium quidem in Gregorianis Decretalibus. Si Præventionis jus viguisset, initium sumpsisset à vacantibus in Curia. Sed multò recentior est Præventio Pontificatu Clementis IV. Dicendum ergo potius cœpisse Præventionem à vacantibus in Curia, ex quibus ad alia gradum fecit. Multò ergo probabilius est, cùm percrebuissent Mandata, nec jam possent Episcopi eis refragari; satius visum esse Pontificibus, ut ipsi conferrent ea Beneficia, quæ vacarent in Curia, quàm ut ea sibi reservarent, & Episcopo rescriberent, quo ea Mandatariis conferret. Inter Gregorium IX. & Clementem IV. quatuor sedem Petri occupavere Pontifices, ex quibus facilè potuerint Innocentius IV. & Alexander IV. hujus consuetudinis fundamenta jecisse, ut jam sub Clemente IV. antiqua ea dici posset consuetudo. Antiquiores multo erant resignationes in favorem, sed non ejusmodi erant Beneficia, quæ vacare dicebantur in Curia.

Nec simile veri est Clementem IV. hoc loco intuitum esse eas electiones, quæ olim Romæ fiebant quandoque, quando nequiverant Electores propria in Ecclesia concordare. Ea quippe Beneficia non vacabant in Curia. Innocentius III. cassata electione Archiepiscopi Cantuariensis, quæ facta fuerat in Anglia, Electores qui ex parte Romam venerant ad tuendam electionem suam, coëgit Romæ alium eligere. Itaque ne cogitabat quidem ille de jure providendi vacantibus in Curia. Si contulit autem hic Pontifex Præbendam Ecclesiæ Uratislaviensis in Silesia, cùm Præbendarius Romæ excessisset: semel factum id fuit, nec in jus, aut exemplum evasit. Sed cùm plurima Innocentius sparsisset Mandata ad Beneficia per Provincias omnes vacantia, dedit & ad istud quod casu Romæ vacaverat.

Gesta Innocent. III. pag. 540. Regest. 16. Epist. 166.

III. Quin & cum Gregorius X. delinimenti aliquid adderet huic consuetudini vacantium in Curia Beneficiorum; non potuit ille quidem aliud quodvis pro ea Decretum proferre, quam illud ipsum Clementis IV. *Statutum felicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri, de dignitatibus & Beneficiis in Curia Romana vacantibus, &c.* Conjicere ergo pronum est, ante Clementem IV. tentatam magis & inchoatam fuisse rem, quàm perfectam: & Decretum de ea primum scripsisse Clementem. Nec abhorret à vero expostulatum de ea consuetudine in Lugdunensi Concilio II. fuisse, cùm in hoc eodem Concilio Gregorius X. temperamenti aliquid adjicere tentarit: nimirum ut si intra mensem Pontifex non provideret, provideret Ordinarius. *Post*

In Sexto. Ibid. c. 3.

mensem à die, quo Beneficia vacaverint numerandum, ea conferre valeant. Edidit & Bonifacius VIII. Declarationes aliquot in hanc potestatem & in has provisiones sedis Apostolicæ; nec tamen ab altiore rem unquam orsus est origine, quàm à Decreto Clementis IV. Primus ergo ille legem hanc tulit, & fluctuantem fixit consuetudinem. Hinc illud iterum iterumque admonemur, authores & architectos eorum Decretorum, consuetudinumque earum, quibus quandoque minus religiosi offenduntur, fuisse non raro eos Pontifices, qui a terrenis erant affectibus alienissimi, purissimoque æstuabant sanctioris Disciplinæ zelo. Sed ubi carnales avaritiam nunc somniant, ambitionem suspicantur, illi nova commentabantur adminicula provehendæ in melius politiæ Ecclesiasticæ.

Ibid. c. 34. 35.

IV. Bonifacii verò VIII. Declarationes in hoc Decretum hæ fuere. 1. Hoc decreto contineri Legatos, Nuntios, & Beneficiarios omnes, qui ad Romanam ventitabant Curiam, ad eamque accedentes, vel ab ea recedentes, in locis vicinis diem suum obibant, *qua ultra duas dietas legales non existunt.* 2. Si vacarent autem in Curia Parochiales Ecclesiæ, idque eo tempore, quo vacaret Apostolica sedes, ab Ordinariis posse eas conferri, sicut & eas quibus ante obitum suum Papa non providisset. Ingentis enim periculi plena res est, si diutius Parochiæ Pastoribus orbentur. *Ne ipsarum vacatio diuturna periculum valeat animabus afferre.*

Ibidem.

V. Certè Bonifacius VIII. Philippo pulcro significatum voluit, *Quod in quibusvis Ecclesiasticis Beneficiis conferendis, vacantibus in Curia, vel extra Curiam, Romanus Pontifex legitimam & potiorem obtineat potestatem.* Sed memoria repetendum est, hanc esse particulam Decreti Clementis IV. qui genere Gallus erat, erat & studio ac charitate patriæ cum primis laudabili: ut qui pridem fuisset Consilii Sanctioris sub Ludovico IX. Rege sanctissimo Senator, sanctitate inter Pontifices, eruditione inter Jurisconsultos clarissimus. Ideo & ambo illi Pontifices non depromunt hanc universalem Pontificis in Beneficia authoritatem, nisi ut astruant stabiliantque, quod jamdiu toto orbe inoleverat Mandatorum jus, & maximè vacantium in Curia reservationem. Cùm hæc enim ipsimet conferrent Pontifices, ejus quoque potestatis sibi asserendæ studio majore tenebantur. Ideo Bonifacius VIII. assentitur ille quidem, ut Mandatarius Apostolicus quorundam cedat consuetudini Capitulorum, ubi seniores Canonici optabant pinguiores Præbendas cùm vacassent; non patitur autem, ut cedat, si Præbendæ vacent in Curia, easque Papa ipse conferat.

Rainald. An. 1303. n. 34. — *Sponden. Ann. 1265.* — *In Sexto. L. 1. Tit. 4. c. 4.*

VI. Clemens V. Gallus & ipse, & Philippo Pulcro Galliarum Regi addictissimus, cùm definisset, si collitigantes de quopiam Beneficio ambo Romæ morerentur, fore ut Papa provideret: si unus, idemque Beneficii possessor, Romæ obiret, similiter rem habituram: si neuter possideret, Pontificis tum quoque fore Collationem: *propter authoritatis prærogativam*: denique conferre Pontificem, si uno Romæ mortuo, & altero liti insistente, Beneficium præmortuo adjudicaretur: hoc ita definito, contestatur Clemens, nihil eo se derogatum velle potestati illi universali, qua fretus est summus Pontifex ad omnia indiscriminatim ubivis Beneficia.

In Clement. L. 1. T. 5. c. 5.

Latius effudit hanc potestatem Joannes XXII. Avenione sedens in una Extravagantium suarum, in qua declaravit, Bonifacium VIII. quidem reservasse sibi omnes dignitates, personatus & alia Beneficia, quæ vacarent in Curia: Clementem verò etiam præterea Ecclesias Cathedrales, Monasteria, Prioratus, Administrationes, Officia, quæ vacarent eodem modo: ex consilio Cardinalium à se Decretum esse, ut non solùm eas reservationes omnes confirmaret, sed diffiniret etiam vacare in Curia etiam tum Beneficia, cùm qui ea obtinebant, Romæ exauctorabantur & privabantur Beneficiis; itemque cum rescindebantur electiones, vel postulationes rejiciebantur: cùm abdicabant sese Beneficiarii, vel cum ab aliis ad alias Ecclesias transferebantur; postremo quocumque demum loco occumberent Cardinales, Officiarii & Commensales Curiæ Romanæ, eorum Beneficia in Curia vacare censebantur.

Extravag. Comm. L. 1. Tit. 3. c. 4.

Reservationes Bonifacii VIII. & Clementis V. de quibus pauló antè verba faciebat Joannes XXII. prolixè referuntur libro tertio Extravagantium Communium. Sanctissimè confirmant illi duo Pontifices, non aliud sibi cordi esse, quam ut dignissimos adsignent Ministros iis Ecclesiis, quæ Romæ vacaverint. *Pia sollicitudinis studio ducimur, ut personis conferantur idoneis Dignitates.* Ita Bonifacius. Nec aliter Clemens: *Cum juxta canonicas sanctiones nihil sit quod Ecclesia Dei magis officiat, quàm quod indigni assumantur in regimen animarum.* Usque adeo indubitatum est, omnem Ecclesiasticam jurisdictionem, & potestatem sacram, etiam Pontificiam, unum habere sibi propositum scopum, ædificationem Ecclesiæ. Ex quo illud quoque conficitur, ut utilitas semper publica proponatur, vel prætexatur iis omnibus, qui novæ aliquid potestatis adjiciunt dignitatibus suis Ecclesiasticis.

Tit. 2. c. 1. 3.

Reservationes Clementis V. & Joannis XXII. ad eorum vitæ tempus contrahuntur, ut ex earum textu patet. Itaque præludia ea videri poterant, & quasi prævia tentamenta politiæ novæ, ut in perpetuam deinde legem sancirentur, nisi contumacior & diuturnior repugnantia eorum, qui sua interesse existimabant, inflecteret tandem authoritatem & charitatem sedis Apostolicæ, cogeretque à sententia discedere. Benedictus XII. easdem quas Joannes XXII. reservationes fecit, artavitque ad vitæ suæ tempus.

Ibid c. 13.

VII. In Concordatis confirmatæ sunt reservationes quædam generales, maximè verò eorum particulares Beneficiorum, quæ vacarent Romæ, sed quæ vacarent per obitum Beneficiarii. Ita non habetur ratio vacationum quas mortis quasi fictitiæ Jurisconsulti recensent, sed veræ mortis. Fictitiæ mortis vacationes sunt per resignationem, depositionem, translationem, & id genus alia. Assentitur Rebuffus, nec assentitur tamen Molinæo, qui eam reservationem suspendi vult vacante sede Apostolica. *Qua exceptio non habet locum sede Papali vacante. Quia tunc non vacat apud Sedem, qua non est. Verba enim apud Sedem: propriè & in potentiori significato intelligenda sunt, scilicet de Sede plena, non vacua.* Ita Molinæus. Censet Fevretus jure Rebuffum à Molinæi doctrina recessisse. Glossa propitia esset Molinæo, si de solis Parochialibus Ecclesiis ageretur. Qua in re Glossa illa in Caput, *Licet Ecclesiarum, In Sexto*, hæret prorsus Decretali Bonifacii VIII. suprà memoratæ. Per mensem illum, quem Pontifici adsignavit Concilium Lugdunense ad providendum vacantibus in Curia Beneficiis, non pauci ex nostris Canonistis existimant posse ita

Tit de Reg. Nomin ad Prælationes. — *Molinæus. De Infir. resign. c. 406.* — *Rebuff. in Concor. Tit. de regia ad Prælator. nominat.* — *Fevret. De l'Abus. L. 2. c. 6. n. 10.*

vacans Beneficium ab Episcopo conferri, quamvis Collatio effectum non sortiatur, nisi post mensem elapsum, si interim Papa non providerit. Negat posse Rebuffus, ea tum potestate Pontifici servata.

Hæc autem unius adsignatio mensis nil spectat ad Archiepiscopatus, vel Episcopatus, quos Concordata omnino Pontificibus providendos addixerunt, si vacarent in Curia. *Nec non Ecclesiis per obitum apud sedem Romanam vacantibus, semper etiam nulla Regis præcedente nominatione liberè provideri possit.* Ex quibus infert Rebuffus non posse Regem ad eos nominare, etsi intra mensem Pontifex non providerit: quod de aliis Collatoribus aut Patronis dici non potest. 2. Si Pontifex semel admisisset eum, qui à Rege nominatus fuisset, resilire non posset amplius, aut alium nominare. Sicut & contigisse ait, ut præsente se judicaretur, non potuisse Pontificem, post approbatum quem Rex intra novem menses nominasset, retractare sententiam, & alteri conferre. 3. Ait posse recusari à Rege, quem Pontifex ad vacans in Curia Beneficium nominasset, si parum sibi regnoque fidum fore auguraretur. *Posset Rex Franciæ contra provisum per Papam se opponere, & excipere, si timeret de conjuratione, seu proditione patriæ, seu revelatione secretorum suorum, ratione patriæ, unde provisus & oriundus, vel propter parentes suos, qui Regi semper fuerunt infesti.* 4. Censet denique si Episcopatus ii sint in extremis Regni finibus siti, post Papæ provisionem necessarium esse Regis assensum. *Item si Episcopatus esset in partibus limitrophis Regni, nullus ad eum recipi deberet sine Regis assensu, &c. Istud privilegium censetur semper esse exceptum, &c. Nam quando Ecclesia habet feudum à Rege, tunc ratione feudi, vel quando est Patronus, debet requiri Regis assensus, post electionem celebratam, &c. Sic post provisionem Papæ requireretur Regis assensus in his casibus, qui per fidelitatem à proviso factam Regi declaratur.*

Reb. de regia ad Prælat. nomin.

Fevret. de l'Abus l. 2. c. 6. n. 12.

Anno 1483. cùm ad Episcopatum Tornacensem nominasset Papa oriundum Montibus in Hannonia, Procurator Regius ab expeditione provocavit, quòd cùm ea civitas in confiniis regni esset, permagni interesset, ut Episcopus eam regeret fidei Regi probatissimæ. Choppinus Provocationem eam profert: *Civitas in confinibus sita, &c. Unde intererat Majestati suæ, in ea residere Episcopum, qui esset fidus & acceptus.*

De Doman. L. 2. Tit. 9. n. 4.

VIII. Anno 1600. scribebat Ossatus Cardinalis ad Villaregium, postulandum à Papa esse Indultum pro Metensi Episcopatu & tractu, interim autem *debere Pontificem ejusmodi Beneficia sub tuitione Regis sita, imò & alia in urbibus muro cinctis posita, iis conferre, quorum fidei incumbere possit Rex, alioqui forsan eos possessione ablegaturus, cùm vel maximè tractus is sit in finibus Regni positus.* Anno 1601. ad eundem rursus idem scribebat Cardinalis, Episcopatum Carcassonensem conferri à se debere Papam contendere, se verò illum commonuisse, *In Regni confiniis, & aliis urbibus munitissimis, interesse maximopere Regum, ut in iis non haberent nisi Episcopos sibi fidissimos; Rebuffum in ea esse sententia, suam Regi incolumem constare debere nominationem in ejusmodi locis, quin & ab eo exemplum referri de civitatis ipsius Carcassonensis Episcopatu.* Respondente ad hæc Pontifice, Prædecessores suos suorum quandoque jurium incautiosos fuisse, reposuit Ossatus, *Maximè consentaneam esse & conducibilem, quin imò & necessariam eam humanitatem, qua Pontifices Regesque gratiam à sese mutuò inirent, ad alendam communem inter eos pacem & concordiam, qua sublata, nihil auspicatum, nihil fructuosum ab eis geri posset.*

To. 2. Lettr. 60. 96.

Quæ verba mihi quidem visa sunt eo sapientiæ condimento temperata esse, ut non potuerim non ea hîc singulari cum animi voluptate adscribere. Malent alii res ejusmodi acriùs urgere & premere, subtilibusque sese fatigare disceptationibus de jure præciso & abrupto utriusque potestatis. Spero fore ut prudentiores & cordatiores quique aliquando tandem sapiant cum Ossato, eique assentiantur, si privatis conducibile est & suave, humanitati plusculum quàm rigori justitiæ dare, & de jure potiùs decedere tantillum, quàm contendere: id verò summis utrimque Principibus pernecessarium etiam esse: alioqui jurgia eorum nullo fine, nullo limite destituta, & utrimque dedecori, dolori, detrimento futura esse. Clementi VIII. hæc ipsa sobrietatis placita magnopere sapiebant, ut liquet ex aliis apud eundem Ossatum Litteris. Denique anno 1600. Breve Pontificium obtinuit Ossatus, ut si Romæ suum ipse diem obiret, integra Regi servaretur nominatio Beneficiorum quæ gerebat.

To. 2. Lett. 24.

To. 2. Lett. 75.

Gregorius quidem IX. Capite superiori contendebat cum Friderico II. Imperatore de jure Regaliæ, & de Mandatis Pontificiis, quæ Regaliæ antistare deberent. Sed inde scaturiebat ea contentio, quòd Regaliæ jus nullo unquam certo & legitimo fundamento in Germania munitum fuisset, & ipse sigillatim Fridericus implacato odio Romanam Ecclesiam insectaretur. Longè aliter ergo Gregorius X. erga Philippum cognomento Audacem Galliæ Regem anno 1271. Cùm enim Archidiaconatus vacasset in Curia simul & in Regalia, quanquam illum jam Clemens IV. conferre præcepisset, Gregorius X. ejus successor, acta collationis omnia revocari jussit, Beneficium Regalistæ adjudicari permisit: ipse verò adeo non juri & amplitudini Pontificum aliquid injuriæ aut labis intulit, ut gloriam illi potiùs sibique pepererit sempiternam, tam justa, tam amabili, tam necessaria indulgentia & charitate in præcellentissimum Regem, & inter Ecclesiæ Christianæ filios Reges facilè Principem.

Preuves des Lib. Gallic. c. 16. n. 21.

IX. Illud verò præclarissimè à Glossa animadversum est, eò adductum esse Clementem IV. ut Beneficia sibi reservaret, quæ in Curia vacarent, ut ne in posterum præveniretur à Procuratoribus Episcoporum in Curia degentibus, & ad id unum eò delegatis, ut Beneficia conferrent, cùm primùm ea vacarent. *Habebant Episcopi ante Constitutionem Clementis Procuratores in Curia, qui statim cum vacabant Beneficia, conferebant illa, & sic præveniebant Papam: Unde motus Clemens promulgavit constitutionem supradictam.* Jure præventionis certissimè ad Papam spectabat collatio Beneficiorum omnium, quæ in Curia vacarent, vel non longè à Curia Pontificia. Callidiores quidam Collatores ipsam Papæ præventionem præveniebant, Procuratoribus suis in Curia constitutis. Huic calliditati obviavit Clemens IV. reservatis sibi quæ in Curia vacarent. Hæc autem Glossæ conjectura non levis aut arbitraria est, sed innixa, ut videtur, Capiti *Statutum*, mutuato ex Concilio II. Lugdunensi: nisi intra mensem Pontifex hæc Beneficia conferat, posse ea conferri ab Episcopis, aut per se ipsos, aut si absint, per Vicarios Generales residentes in Diœcesi cum potestate conferendi. *Tantummodo per se ipsos, vel ipsis agentibus in remotis, per suos Vicarios Generales, in eorum Diœcesibus existentes, quibus id canonicè commissum sit.* Quæ cautio, ut non conferantur

In C. Statutum. De Præbendu.

Ibidem.

ea Beneficia nisi per Vicarios Generales in Diœcesi residentes, illis jure videtur obviare Procuratoribus, seu Vicariis Episcoporum, qui astutè alebantur Romæ ad has provisiones.

CAPUT XLIX. *P. 4. l. 2. c. 16.*

De Indultis Senatus Parisiensis, Cardinalium, aliisque.

I. Indulta hoc dicuntur Mandata Apostolica, Bulla & Brevia, quibus indulgetur potestas conferendi, aut obtinendi Beneficia, speciali quadam ratione, nec sine privilegio. Exordia Indultorum sub Bonifacio VIII.

II. Continuantur Indulta sub Clemente V. usque ad schisma Avenionense.

III. Flagrante schismate, Præsules Gallicani neutralitatem aliquando amplexati, Indulta ipsimet largiebantur: nec omnibus satisfaciebant.

IV. Erant & sua Anglis Indulta.

V. Amplissimum Martini V. Indultum, quem Concilium Constantiense Pontificem elegit. Particeps ejus erat Senatus Parisiensis.

VI. Quam necessaria tum fuerit ea gratiarum copia effusior.

VII. Eugenius IV. Senatui Parisiensi solenne concessit Indultum, quale propemodum etiamnunc est. Nec tamen executioni tunc mandatum fuit. Cur?

VIII. Innovatum est à Paulo III. hoc Indultum, clausulis quibusdam demutatis.

IX. A Clemente IX. indultum est Breve ad hujus Indulti amplificationem.

X. Animadversiones generales in hocce Indultum, & in ejus demutationes.

XI. Indulta alia. Indultum Cardinalium.

XII. Ea Indulta non sunt abolita, quanquam contineri videantur Decretis Concilii Tridentini, à quo abolentur Mandata Apostolica.

XIII. Connexio Indultorum cum Resignationibus in favorem.

I. INdulta in quorum elucidationem hoc Capite ingredimur, Expectativæ sunt Gratiæ, seu Mandata Apostolica, quibus addicuntur Beneficia iis, qui designantur universim in Bullis Pontificum, has gratias conferentium, & qui peculiariter Breviculum Regium ad hæc impetrant. Indulta etiam nominantur concessiones Papæ ad providendum Beneficiis ratione quapiam speciali. Alterutro modo Indulta potestatem conferunt dandi, vel accipiendi Beneficia, ratione & via quadam speciali & ex privilegio.

Diximus suprà, Cardinales eos, quorum Literæ in Gallias emanarunt anno 1302. ad purganda Bonifacii gesta, contestatos esse, si qua ejus Mandata oneri fuissent Ecclesiis Regni, non aliunde profectum id fuisse, quàm ex eo quòd Pontifex Regi concessisset facultatem nominandi Canonici in qualibet Ecclesia Cathedrali & Collegiali Regni: aut quòd enixiùs operam dedisset, ut paupertate oppressi quique Clerici, aliqua Beneficiorum largitione sublevarentur; aut denique quòd omni Beneficiorum genere honestasset Clericos Palatii Regii, Prælatorum, Ducum, Comitum, Baronum. *Si quando gravavit Ecclesias, hoc fecit concedendo ipsi Regi, quod ad suum dictum seu beneplacitum in qualibet Ecclesia Cathedrali & Collegiata Regni sui una persona idonea poneretur: & providendo in forma pauperum multitudini Clericorum, ad quos parum se extendebat pietas Prælatorum, & aliorum ad quos Beneficiorum Ecclesiasticorum collatio pertinebat. De nonnullis insuper vacantibus & vacaturis Dignitatibus, Beneficiis & Præbendis dicti Regni, providit Clericis dicti Regis, Prælatorum, Ducum, Comitum & Baronum.* (Hist. Univ. Paris. to. 4. pag. 28.)

Hæc Apostolica Mandata iis concessa quos Rex nominasset, vel Clericis familiaribus Prælatorum Optimatumque, antecessores veluti quidam fuere Indultorum; quin & Indulta dici possunt fuisse, sed temporaria, & personæ uni affixa. Jam antè Pontifices ansas aliquando venati fuerant urgendi Prælatos & Collatores alios, quo Beneficia iis conferrent, quorum meritis & virtutibus gratia accederet Principis & commendatio. Exemplorum sylvam congessimus, ubi originem pervestigavimus Apostolicorum Mandatorum. Cùm non posset nova illa Mandatorum & Reservationum constitui disciplina, sine tacito saltem Regum assensu, quandoque & auxilio: ita & non poterat non & aliqua gratiarum istiusmodi pars in Reges vel Regum ministros redundare.

II. Si ea erat autem Bonifacii VIII. indulgentia, nemo ambiget, quin Clemens V. & reliqui deinceps Avenione sedem sortiti Pontifices, aliquantò etiam prolixiores fuerint in gratiarum copia in Reges effundenda, in Præsules & Magnates. De ea re opportuniùs alibi, hîc unum adjiciam, cùm sæviente schismatis procellâ cogerentur Pontifices impensiùs demereri & conciliare sibi Reges, Principesque: largiore etiam manu ad eorum nominationem Beneficia illos profudisse.

Cùm anno 1408. mediam se gerere voluisset Gallia inter æmulos Pontifices, provisionesque Beneficiorum Ordinariis contradidisset: Conventus Cleri, à quo nova hæc temperabatur disciplina, excidere sibi passus non est Indultarios, sive Universitatum, sive Magnatum & Principum, illud potissimum satagens, ut ne unus idem plura surriperet Beneficia, postquam plura extudisset Indulta. *Ad occurrendum fraudulentia & ambitioni eorum, qui possent nomina sua inscribere rotulis Catalogisve variarum Universitatum, vel Magnatum, vel Principis & Facultatis unius, & ita plura suscipere Beneficia, quibus plures sustentari possent: visum decretumque est, ut nemo nisi uni Rotulo inscribatur.* Hæc ex Monacho San- (L. 28. c. 5.) Dionysiano, qui vitam Caroli VI. Regis exaravit, & quam Laborator Gallicè edidit. Hinc verò patet, id antè moris fuisse Principibus & Universitatibus, Magnatibus, Facultatibusque, ut ad Pontificem mitterent; probata autem neutralitate ad Collatores ipsos misisse Catalogum eorum, quos percuperent Beneficiis ornari.

III. Adeo non satisfecere publicæ expectationi Præsules & Collatores, quibus restitura fuerat plenissima potestas Beneficia dispensandi, ut paucis post annis ea ad Joannem XXIII. revoluta fuerit, tam larga, tam penè infinita, quam majores ejus explicuerant. Joannes Juvenalis Ursinus Archiepiscopus Remensis hanc ipsam restatam nobis faciet vicissitudinem potestatis ad Romanos Pontifices revolutæ, ubi priùs calculo suo firmaverit, quod suprà affirmavimus, schismate Avenionensi apertas esse fores redundanti Indultorum copiæ. Sic enim ille de Clemente VII. anno 1381. *Difficile dictu est, quantum hoc schismate importatum sit detrimenti, Ecclesia, Gallia, aliisque regnis. Aderant Clementi triginta sex admodum Cardinales, quorum insatiata cupiditas opimis inhiabat omnibus Regni Beneficiis. Utebatur autem Clemens Reservationibus, Expectativas Cardinalibus largiebatur.* Addit autem anno 1406. destituto Benedicto XIII. subductaque ei obedientia, Conventum Cleri Gallicani statuisse, ut Ordinarii Beneficia suæ Collationis conferrent, *factasque fuisse Nominationes Officiariorum Regis itemque in gratiam Universitatis.* Ita Gallicani Præsules

ut recuperarent, sanctamque & tectam sibi servarent potestatem antiquam & pleniorem conferendi Beneficia, eò adacti fuerunt, ut confirmarent, continuarentque, immo & augerent Pontificia Indulta, non solum ad levamentum Universitatum, sed etiam Clericorum Palatii & Officiariorum Regis, ac Magnatum.

At rursum Ordinarii hi Collatores adeo postea fefellere spem, quam sustinebant in distributione Beneficiorum, ut anno 1414. Joannes XXIII. quasi postliminio restitutus sit in antiquæ potestatis plenitudinem: Indultaque, Expectativæ & Reservationes Romanæ Curiæ rursus exundarint. Audiendus Ursinus: *Archiepiscopus Pisanus à Pontifice delegatus Lutetiam venit, Expectativas & Promotiones ad Prælaturas dispensaturus. Edicta enim tunc vigebant Regia, quibus Beneficiorum provisio Ordinariis vendicata fuerat. Dum autem ageret ille Parisiis, purpureo pileo, Cardinalitia dignitate sublimatus est. Tunc revocata sunt Regia illa Edicta. Quippe Regi, Reginæque & Delphino concessa sunt affatim Nominationes, quæ prodessent eorum familiaribus & servis, nec indonata recessit, aut inornata prærogativis Universitas. Rex & Magnates in Prælaturarum elargitione, tantumnon eadem qua Pontifices potestate gaudebant. Sequax enim erat ad eorum nutum Pontifex. Nec pecuniæ parcebatur. Licitabantur Ecclesias. Erantque Lutetiæ Longobardi, qui pecunias magno fœnore Romæ numerari curabant. Quæ causa autem Regem impulerit ad revocanda Edicta priora sua, non tacetur: nimirum inaudierat ille, quàm sordidè Ordinarii Beneficia conferrent: & gratificarentur propinquis domesticisque suis; ne tantilla quidem eorum parte notabilibus viris, Graduatis & Nobilibus distributa; eorum verò Edictorum usus conducibilis Ecclesiæ esse potuisset, si per hominum intemperantiam & cupiditates licuisset.*

Hæc verò propudiosa Beneficiorum prostitutio, inter teterrimi schismatis fructus numeranda merito suo erat. Seu veri enim, seu falsi Pontifices, ut conservarent, Episcopi ut recuperarent antiquas Beneficiorum Collationes, certatim prodigebant Beneficia prorsus omnia in omnes indiscriminatim, vel Mandata, Indultaque, quibus Beneficia nanciscerentur. In Tractatu de Senatu Parisiensi affirmat ejus author, vir doctissimus Dupuy, hunc ipsum Cardinalem Legatum anno 1414. in Curiam Parlamenti ingressum, nonaginta intulisse Nominationes, seu Gratias Expectativas, quibus Pontifex Senatores cohonestaret, qui & illis honestari se gratulati sunt.

IV. Indultis alterius generis subjiciebantur Episcopi Angliæ, de quibus perstringi hic aliquid juvabit, ut manifestius fiat, quam difficile vitari potuerint Indulta ea, de quibus hic sermonem instituimus. Anno 1417. & 1421. Henricus Chicheleius Archiepiscopus Cantuariensis statutum edidit de provisione Beneficiorum, ubi aliis omnibus quantumvis jure nixis prætulit Indultarios Regis, quos ita appellare licet, quòd donec his Beneficia conferrentur, Collatores ipsos Rex certis pensionibus eis solvendis astrinxerat. *Per hanc provisionem præ-* [Conc. Gen. To. 12. pag. 303. 348.] *judicare non intendimus Patronis, quominus de Beneficiis prædictis personis, quibus in certis pensionibus annuis authoritate Regia onerantur, quousque de Beneficiis Ecclesiasticis per eos congruè sit provisum, sed quod ipsi talibus personis ante omnia de Beneficiis hujusmodi providere possint.* Hoc sanè Indultum Angliæ Regum, aut ex concessione Pontificis ortum fuerat, aut ex usurpatione captato schismatis tempore facta.

V. Anno 1417. Pontifex Romanus Martinus V. quem nemo nescit publicæ Ecclesiæ utilitati præ cæteris studuisse, ut pacem Ecclesiæ invictissimis muniret præsidiis, utque quam arctissimè posset Principes omnes, eorum Ministros, Senatum Parisiensem & Universitatem unitati sedis Apostolicæ devinciret, Decretum edidit, quo non aliud Universitati Parisiensi favorabilius, & quo innumerabilium exuberantia Indultorum & Mandatorum ad Beneficia effusa est in omnis generis homines. Expressè enim ibi nominantur Cardinales, Imperatores, Reges, Duces, eorumque Propinqui: Rex, [Hist. Univ. Paris. To. 5. pag. 303.] Regina, Delphinus, Duces Burgundiæ, Aureliæ, Brabantiæ, Britanniæ, Borbonii & Sabaudiæ: Clerici denique Senatores Curiæ Parisiensis: *Gentibus quoque Ecclesiasticis, Regium Parlamentum Parisius tenentibus.* Exundavit hic gratiarum torrens, mox ut desiit Concilium Constantiense, quo Martinus electus, universam demum Ecclesiam sibi uni summo vertici conglutinaverat.

VI. Video quam non omnes hujusmodi gratiarum tam prodigam copiam probaturi sint. Sed qui non zelo tantùm, sed & sapientia abundabunt, ii memoria repetent exitiales quæ ab eo erumpebant schismate pestes & calamitates, & Martino, cui Annales sacri tantopere favent, assentientur, nullam nimiam esse potuisse indulgentiam; qua tam pestiferum & tam calamitosum schisma terminaretur. Anno 1421. cùm Pontifici & Episcopis convenisset [Ibidem. pag. 348.] de alternativa mensium, Universitas Parisiensis alterum ad Papam, alterum ad Episcopos Rotulum misit. Non certè inde colligi potest eodem Beneficiorum imbre perfusos tunc quoque fuisse Regios Officiarios, Magnates & Clericos Parlamenti, hoc est Senatores qui in sacris erant Ordinibus. Copiosiùs enim manabant in Universitatem hi gratiarum fontes, quam in alios quosvis.

VII. Eugenio IV. visum est, posse alienatas non paucorum voluntates ei conciliari, si Indultum perpetuum offerret Cancellario Franciæ, Præsidibus & Senatoribus Parlamenti, tanquam Expectativam, aut Mandatum: ut singuli Regni Collatores semel in vita tenerentur Beneficium conferre, seu Regulare, seu sæculare uni Indultariorum Breviculo Regio munitorum. Ejusmodi Indultum existimat Carolus Molinæus, nec à Carolo VII. Rege flagitatum, [De Infir. resign. n. 124. & seqq.] nec usu fuisse receptum, propter summam nimirum ab Eugenio animorum alienationem, & propensionem in Felicem V. Potuit certè Indultum usu receptum non fuisse, at ejus rei causa verissima Molinæum fefellit. Nec enim vel Carolus VII. Rex, vel Francia ipsa Felici unquam assurrexere: & ita inflexit Rex sua consilia, ut nec ab Eugenio, nec à Decretis Basileensis Concilii & Pragmaticæ suæ desciverit. Multò similius veri est, minùs curatum fuisse hoc Indultum, ob diuturnas postea Pontifices inter & Galliam concertationes ex occasione Pragmaticæ. Eo forsan Indulto spectaverat Eugenius inescari à se posse Galliam & Senatum Parisiensem, ut Basileense Concilium & Pragmaticam ejurarent. Satius his visum est Indulto abstinere.

Author est tamen Gobelinus in historia Pii II. [Gobel. l. 12.] Ludovicum XI. publicasse Edictum, quo declarabat Præsides Parlamenti, omnesque Ministros suos eisdem gaudere privilegiis, quibus sedes Apostolica Universitatem Parisiensem exornaverat. *Sancivit Præsides Parlamenti cunctosque ministros suos in causis etiam Beneficialibus, his privilegiis gaudere, quibus Apostolica sedes Parisiensem scholam donasse per-*

Raynal. an. 1463. n. 81. *bibetur.* Non satis comperi, an Rex eam Indulta locaret inter privilegia Parlamento & Universitati communia. At certum est anno 1478. cùm Pontifex Sixtus IV. Concordata pepigisset cum eodem Rege Ludovico XI. ad Nominationem Beneficiorum, Bullæque intercessisset, qua Extravagantium Communium *L. 1. Tit. 9. c. 2.* libris innexa est: ab eo destinatum fuisse Indultum Sex Beneficiorum, in Collatores Regni reservandorum: quorum duo iis conferrentur, qui nominati à Rege essent, vel à Regina, vel Delphino, vel Præsidibus Parlamenti aliisque ejus Officiariis. Sed cùm id Concordatum respuerit Francia, irritum quoque cecidit Indultum.

VIII. Paulus ergo demum III. anno 1538. cùm pro pace inter Carolum V. & Franciscum I. sancienda, cum illis ipsis congressus esset, & Mediatorem egisset, Francisco petenti concessit innovationem Indulti ab Eugenio IV. olim oblati, eo addito, ut Mandatariis Apostolicis cederent Indultarii, cùm contra totum esset in Eugenii Indulto: neque ne cogerentur Indultarii acquiescere Beneficiis, quorum annui reditus minores essent ducentis libris. Ita narrat Molinæus. Meminit Bulla Pauli *De Infir. Resignan. n. 218.* III. concessionis ab Eugenio factæ ad preces Caroli VII. Regis: meminit & potestatis, qua Cancellarius, Præsides & Consiliarii Parlamenti Parisiensis possunt, si laici sint, alios in suum locum subrogare; meminit de diutina negligentia utendi hoc Indulto: de metu, ne ex negligentia peremptum esset Indultum: de precibus instantissimis Regis Francisci, ut illud innovaretur, & de duabus conditionibus à se appositis, ut hi Indultarii Mandatariis cederent Apostolicis; utque possent recusare Beneficia, quorum reditus annui ad ducentas libras non assurgerent.

IX. Longo temporis lapsu dum executioni Indultorum instatur, emersere incommoda, aut quæ censerentur incommoda. Reditus ducentarum librarum exilis & jejunus videbatur. Parochiales Ecclesiæ, quæ primæ quandoque vacabant, minus congruebant Indultariis, quorum civilis dignitas residentiam in Curia jugem desiderabat; Beneficia Regularia nihilo plus eis consentanea erant. Clemens IX. anno 1667. Ludovico XIV. Regi concessit novum Indultum, quo incommodis illis omnibus obviatur: recusari permittitur Beneficia, quæ sexcentarum saltem librarum reditus annuos non adferent: sicut & Curam animarum annexam habentia; denique conceditur Collatoribus facultas, ut Regularia Beneficia in Commendam dare possint Indultariis, dummodo ne Abbatiæ sint, vel Prioratus Conventuales & verè electivi, vel Officia claustralia.

X. Mirum est ducentos & quinquaginta propemodum annos inter Bonifacium VIII. & Paulum III. interlapsos esse, dum maturescerent hæc Indulta. Sed illud magis mirari libet, quod ad nostram usque ætatem sufficiens Indultis pecuniæ annuæ summa ducentas libras non superaret. Inde enim perspicuum fit, quam verè non collimarent Mandata Apostolica, & Indulta, ab ipsa sui origine, nisi ad Clericos paupertati & inopiæ subducendos. Auri argentique copia pene infinita, quæ ex utrisque Indiis exinde influxit, usque adeo rerum omnium pretium in Europa nostra exaggeravit, ut necessum fuerit, istiusmodi summas annuorum redituum plurimum exaugescere. Nec illud silendum hic nobis est, prisca Indulta omnia ante Eugenium IV. Clericis addicta fuisse, sive in Parlamento, sive in Magnatum Palatiis. Ita superius observari potuit. Primus omnium Eugenius Laicis concessit, ut suo loco Clericos subjugarent. Primus quoque videtur Indultis subjecisse Beneficia etiam Regularia, quod jam tum vehementer increbuissent Commendæ.

Unum est quod constantissimè viguerit quatuor his circiter sæculis, quodque maximè mirari nos doceat, Ecclesiæ sapientia & charitas, quæ nihil inausum, nihil intentatum reliquit eorum, quæ conducere possint ad recolligenda sibi, arctissiméque revincienda corporis sui membra, maximè verò ad illustriora quæque corporis Christi membra cum conspicuo suo Capite inexplicabilibus nodis constringenda. Cùm enim non alia sint validiora concordiæ vincula, quam Beneficia, & munera, ac dona, consentaneum prorsus fuit, ut ad Sacerdotii & Regni pacem ac concordiam certius stabiliendam, Ecclesiæ Beneficiorum & gratiarum copia largior efflueret in Principes, Principumque Ministros, à quibus vicissim in Ecclesiam exundat benevolentiæ, protectionis, largitatis & gratiarum torrens copiosus.

XI. Præter hæc autem Parlamenti Indulta, sunt & alia de quibus suprà, utpote quæ Regibus concessa sunt, ut nominarent ad Episcopatus & Consistorialia quævis alia Beneficia Britanniæ & Provinciæ; ad Episcopatus Metensem, Tullensem, & Virduoensem; ad Tornacensem & alios regionum Regno nuper adjectarum. Sunt & alia de quibus infrà disseremus, nempè quæ Principibus multis concessa sunt ad Præbendas, quæ primæ vacarent post electionem & consecrationem Episcoporum. Sunt & alia denique quæ Collatoribus confert Papa, maximè Cardinalibus, quibus fit ut conferre possint suæ jurisdictionis Beneficia, largius liberiusque quam Collatores alii, nulla ratione habita vel Mensium sedis Apostolicæ reservatorum, vel Mandatorum Apostolicorum, vel Præventionis, vel Resignationum in favorem. Joannes Cardinalis Lotharingus anno 1530. primus omnium impetravit à Paulo III. Indultum, ut omnia suæ Collationis *Lib. de Pr. Eglise Gallic. c. 14. n. 20. & seqq.* Beneficia conferre posset, ita ut nec reservationibus, nec præventionibus Papæ, vel Legatorum ejus retardari posset. Facultatem sibi reservaverat Pontifex clausulis specialibus derogandi vastissimo huic indulto, quod exinde cum omnibus Cardinalibus communicatum est. Sed in eo Conclavi quo electus est Paulus IV. constitutum est, & postea ab eodem Pontifice sacramento confirmatum, nunquam amplius Indulto Cardinalium derogatum iri, nec præventione, nec quoquo modo derogando Regulæ viginti dierum in signaturis Resignationum. Hæc est quam vocant Compacti Bulla, anno 1555. à Paulo IV. edita, à Regibus & Parlamentis Galliæ toto Regno publicata.

XII. Perspicuum est autem his Indultis omnibus innovari, & quasi toties reviviscere Mandata Apostolica & Expectativas, quibus omnino extinguendis insudaverant Tridentini Patres. Sed speciali semper Ecclesia veneratione & indulgentia summos Principes sibi colendos professa est; eique consentientes Pontifices, eodemque sapientiæ & concordiæ spiritu incitati, justas & necessarias gratias larga manu in Christianos semper Principes effudere.

XIII. Indulta hæc omnia, quæ hoc Capite, vel superius perstrinxi, compilata fuere evulgataque in Tractatibus iis, quos charissimi viri Donjatius & Pinssonius super hac re edidere. Pergendum

dum jam nobis est ad Resignationes in favorem, quæ usitatissimis Indultis derogant, Indultis Cardinalium nil derogant; alternativis mensium in Britannia & Provincia derogant; Concordatis Germanicis derogant, in Episcopatu Metensi, nec non & Tullensi, Virodunensique vigentibus: Indulto autem ei non derogant, quod nupertimè Rex Christianissimus à Clemente IX. elicuit, propterea quod solam in Curia vacantiam hic Pontifex reservavit. Nec cum iis tantùm quæ disputata jam sunt, mira est Resignationum in favorem connexio, sed & cum iis etiam quæ supersunt nobis enucleanda de Mandatis & Reservationibus Apostolicis.

CAPUT L. *P. 4. l. 2. c. 17.*

De Resignationibus in favorem.

I. Ecclesiasticæ Disciplinæ labes sæculo X & XI. Concilia & Pontifices eò adegit, ut à simoniacis & impudicis Beneficiariis Beneficia sinerent resignari, quibus post pœnitentiam iterum restituebantur.

II. Ita percrebuerunt Resignationes cujusque modi Beneficiorum in manus Pontificis.

III. Schisma Germanicum sub Gregorio VII. innumeris etiam resignationibus locum dedit in manus Gregorii, qui eadem mox Beneficia restituebat iis, qui se paci Ecclesiæ & unitati reddidissent.

IV. Sub Urbano II. eadem resignationum frequentia. Minora Beneficia in manus Episcoporum resignabantur.

V. Ex pluralitate Beneficiorum orta etiam resignationes tempore Urbani scatebat ea pluralitas.

VI. Simonia fons longe uberrimus fuit resignationum etiam in favorem.

VII. Pœnitentia, aut Monastica professione restituti sæpe Beneficiarii, aliàs deponendi.

VIII. Solus Papa simoniacos in integrum restituebat ad Prælaturas: Episcopi ad minora Beneficia.

IX. Hæ tum dispensationes ad tempus tantum erogabantur, quæ perpetuata sunt tamen postea.

X. XI. Sub Paschali II. rursus resignationes in manus Papæ. Sed & in manus Episcoporum.

XII. Nova exempla sub Alexandro III. & in Decretalibus. Cur resignationes ad Prælaturas, & in favorem Pontifici serventur integræ.

XIII. Alia exempla, vel vestigia resignationum in favorem.

XIV. De permutationibus. Regulæ permutationum & resignationum.

XV. Non tam purgat Papa simoniam, quàm ad utilitatem Ecclesiæ dispensat. Quo tempore cœperit usus recentior resignationum in favorem.

I. ALtius repetenda est superiorum temporum memoria, ut Resignationum in favorem origo prima pervestigetur, quæ tam frequentes jam sunt, quàm inter primordia Ecclesiæ infrequentes, & penè inauditæ fuere. Simoniæ quidam & incontinentiæ torrens in universam penè Occidentalem Ecclesiam exundavit, sæculo ultimo consenescentis & deficientis Imperii Caroli Magni & Carolinæ stirpis, hoc est X. & XI. Ecclesiæ sæculo. Et hæc profectò sacrilegiorum & flagitiorum omnium colluvio, non ansam tantum præbuit, sed dolendam cum primis necessitatem infixit, vimque attulit Pontificibus, ut novam hanc sinerent illabi Disciplinam, quæ nisi inexorabili necessitate extunderetur, Disciplinæ potius relaxatio & corruptela videri posset. Primus omnium Leo IX. Canonum vigorem, ceu prævalidum munimentum objicere cœpit serpenti, & in dies singulos latius grassanti incontinentiæ simoniæque.

Concilia Romæ, Remis & Moguntiæ habita anno 1049. non potuere non humanius & indulgentius aliquid consulere in Beneficiarios simoniacos & incontinentes, postquam pœnitentia canonica functi essent. Non aliter provideri potuit, ut ne *Baron. an.* Ecclesiæ penè omnes Pastoribus suis & Ministris *1049.* orbatæ squallerent. Leonis IX. zelo & moderationi accommodavit se, qui successor ei datus est Victor II. Sub eo in Concilio Lugdunensi anno 1055. quadraginta quinque Episcopi, & viginti septem Prælati, abdicarunt sese Dignitatibus, quas turpissimè nundinati fuerant. Petrus Damiani non plures quam sex narrat abdicatos fuisse. Unde probabili conjectura assequi datur, Hildebrandum hujus Concilii Præsidem, tanquam Apocrisiarium Papæ, tametsi Subdiaconus tantùm esset, sapientissimè & humanissimè his indulsisse Prælatis, qui spontanea confessione accusatores suos præverterant, & admissa eorum resignatione, pristinæ eos dignitati sedique, penè omnes restituisse.

Alexander II. anno 1063. Concilium Lateranense coëgit, ubi par incubuit necessitas temperandi rigoris Canonum in Beneficiarios simoniacos & concubinarios, qui sinebantur sacra obire ministeria, ne viduarentur prorsus Ecclesiæ; contestante tamen Pontifice & Concilio, quæ dura & miseranda extorqueret necessitas, ea cessante necessitate pariter cessatura. Mitto plura alia Concilia per varias Ecclesiæ Provincias congregata, zelo majore, quam fructu. Anno 1070. Germaniæ Episcopi Romam evocati sunt, ut affricatam sibi simoniæ infamiam abstergerent. Nihil amplius exprimi potuit, quam ut flagitio in posterum abstinerent; quo juramento constricti, suas rursum ad regendas Ecclesias sunt dimissi.

II. Atrox ergo quædam & indeclinabilis necessitas Pontifices alioqui inexorabiles adegit, mirum quantum remittere de Canonum disciplina, & sedibus suis exauthoratos reddere Episcopos, aut ad præveniendam exauthorationem, dignitati suæ sponte renunciantes. Cùm Romani Pontifices primi & soli emicarent, exardescerentque Apostolico zelo, ad infamiam hanc duplicem ab Ecclesia abstergendam; in manus quoque illorum fiebant hæ resignationes, illos penes erat dispositio resignatorum Beneficiorum, illi soli executores erant dispensationis tot Conciliis approbatæ, ut Beneficiis & Ecclesiis suis redderentur tot Clerici Prælatique, qui juridica convictione, vel spontanea confessione abdicandi erant, aut abdicaverant ipsi sese. Denique cum tot Archiepiscopi Episcopique eodem contagio afflati fuissent, tota authoritas his medendi morbis, resignationes has admittendi, & Beneficia resignata resignantibus restituendi, denique Prælaturas conferendi post depositos Prælatos, ad Pontifices Romanos revoluta est.

III. Ubi primum Hildebrandus, seu Gregorius VII. Alexandro II. successit, anno 1073. altero pòst anno in Concilio Romano simoniacos & concubinarios Clericos uno damnationis jaculo confixit. Hoc Decretum cùm executioni mandare ag- *Baron. an.* gressus esset Archiepiscopus Moguntinus, Cleri *1074.* universi rebellantis vesania extremum vitæ discrimen adiit; nec perduellium manibus elabi potuit, nisi pollicitus, daturum se operam pro virili sua parte, ut Pontificem abduceret ab ea austeritate. Verùm cùm eadem Decreta Pontifex innovasset in alio Concilio Romano anni 1075. suspendissetque, vel citasset complures Germaniæ Episcopos, rursum conatus est omni ope idem Archiepiscopus, ut ea Concilii Decreta promulgarentur. At rursum extremo conflictatus vitæ discrimine, statuit secum

ipse deinceps nihil ejusmodi tentare, & sustinere, dum Pontifex ipse executioni Decretorum suorum instaret.

Cùm Henricus Germaniæ Imperator hanc scelerum licentiam Patrocinio ipsemet suo soveret, palamque Prælaturas pretio distraheret, ab imperterrito Pontifice Gregorio diro anathemate tandem confossus est. Consciorum Pontificum nonnulli, stupenda quadam infandaque audacia, consimile anathema in Pontificem retorserunt, eoque nefario schismati implicati sunt. Orthodoxi Germaniæ plerique Principes in Henricum conjurarunt, qui eo necessitatis telo compulsus est, sese Pontifici ad humillima quæque obsequia subjicere. Investituræ quas usurpaverat Imperator, proscriptæ sunt in Synodo Romana anni 1078. intentato etiam anathemate. Hoc schismate, sicut & investituris adacti sunt deinceps frequentissimè resipiscentes Prælati, dignitates suas aliaque Beneficia in manus Pontificum ut resignarent, ab iisque mox rursum iisdem investirentur. Anno 1080. triginta Episcoporum Conventus Brixinone in Germania Gregorium VII. nefario ausu exauthoravit, creato Antipapa Guiberto. Victor III. & Urbanus II. in sedem Petri postea provecti procellam illam difflarunt tandem, Ecclesiamque serenari sibi, ipsique gratulati sunt: quo factum est, ut & Episcopi isti se sibi reddentes & Ecclesiæ, sponte plerique Ecclesias suas in manus Pontificum resignarent.

IV. Urbanus II. Clerum populumque Carnotensem per litteras suas admonuit, Goffridum ejus urbis Episcopum Episcopatum in manus suas resignasse, depositum eum à se fuisse, & ejus ipsius consilio se usum, ut Ivonem illis Episcopum daret.
Epist. 8. *Ivonem quem Gaufredo per nos deposito, Catholicè atque canonicè secundum nostra monita elegistis, &c. Porro de Gaufredo, qui sine conditione omni nostris manibus Episcopatum reddidit, indignum se patenter agnoscens, &c.* Ita sæpè fiebant cessiones istæ, ad prævenendum depositionis dedecus; suumcumque Episcopum designabat Papa, non exclusa quæ post fieret, Cleri populique electione, quæ tamen ad Pontificis voluntatem, monita, consiliaque sese accommodaret; unde & illis ea tandem accessit authoritas, ut quæ consilia & monita fuerant summæ potestatis, pro præceptis haberentur. Abolevit & idem Pontifex infandam tum consuetudinem Capituli sancti Martini Turonensis, ubi Præbendæ promercales extabant.
Epist. 12. *Consuetudo pravitatis inoleverat, ut Præbendæ omnes, seu honores pretio acquirerentur.* Necesse tunc fuit præteritas culpas dispensando aboleri, restituique veteres Canonicos, acsi malè partas Præbendas & dignitates abdicassent, recepissentque.

Concilium Claromontanum ab hoc eodem Pontifice habitum anno 1095. coëgit omnes, qui ipsi sibi, vel quibus parentes Beneficia pretio compara-
Can. 6. verant, ea resignare Episcopis. *Ut nullus sibi Præbendam emat: quod siquis emerit, vel parentes ejus illi emerint, in manum & dispositionem Episcopi sibi reddat. Hoc idem de altari, & de omni Ecclesiastico officio fiat.* Episcopatus ergo & Abbatias tantum resignati Papæ necesse fuerat; at minora quælibet alia Beneficia in manus Episcopi refundenda erant, à quo iterum reciperentur.

V. Præter simoniam & fornicationem, in Beneficiorum quoque pluralitatem plura ex hoc Conci-
Can. 12. 14. lio tela vibrata sunt. *Nulli Clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas Præbendas obtinere; cùm duos titulos obtinere non possit.* Hæc verò Beneficiorum pluralitas, præsertim Curatorum & incompatibilium, vehementer eo tempore increbuerat, nec eam pestem propulsare ab Ecclesia dabatur, nisi jussis Beneficiariis ea abdicare, quæ non possent citra certum æternæ salutis detrimentum retinere. Simoniæ infanda proles erat hæc pluralitas. Emebat enim quisque, quot libebat. Erat & proles incontinentiæ. Cùm enim concubinarii Clerici alendæ familiæ onus sustinerent, eo excusabant hanc suam Beneficiorum congeriem. Adde quod & cùm Laici investituras darent Beneficiorum, securi admodum illi & incuriosi erant Canonum. Contextio hæc erat cohærentium sibi flagitiorum: cui non poterat promptior parari medicina, quàm ut Papæ, vel Episcopis Beneficia resignarent; qui tanto faciliores se præstabant ad ea illis conferenda, quos resignantes designassent, quantò certiores erant eam esse expeditissimam rationem perficiendi, ut resignarent, idque onus excuterent, quo alioqui ad æternæ damnationis barathrum præcipites agerentur. Cœperant jam antè Episcopi admittere resignationes laicorum, qui Parochiales Ecclesias invaserant, & ea conditione, quasi in favorem admittere, ut Monasteriis conferrentur.

VI. Denique Urbanus II. anno 1099. in Concilio Romano concessit, ut quibus infantiæ lac sugentibus & nescientibus parentes Beneficia emerant: ea primùm Pontifici resignarent, & tum illa ab eodem reciperent. *Quicumque cupiditate parentum,* Can. 5.
cùm adhuc essent parvuli, Ecclesias, vel Ecclesiarum Beneficia per pecunias adepti sunt; postquam eas omnino dimiserint, si canonicè in iis vivere voluerint, pro magna misericordia ibidem eos esse concedimus. Qui verò hæc ipsi Beneficia emerant, concessit ut ad alias Ecclesias migrarent, vel in eadem perseverarent, dum sponderent Canonicorum vitam communem servaturos se, nec ad Ordines sacros nisi ex Pontificia dispensatione accessuros. *Si in eisdem canonicè* Can. 6.
vivere promiserint, &c. Canonica hæc vita illa erat vitæ communis societas, quam instituere, restituere & propagare, tum omni ope studuerunt Concilia & Pontifices, ut supradictis disciplinæ vulneribus mederentur: & quam sufficere posse existimarunt, ad eluendas priores, aut simoniæ sordes, aut incontinentiæ. Is sensus est eorum verborum *Canonicè vivere.* Quod & dilucidius fit ex sequenti Can. 7.
Canone, quo edicitur, ut qui ordinati antè fuerant, quàm simoniaca pravitate macularentur; post resignatum Beneficium, eo rursus investiri possint, ac priori ordine & honore frui, dum ne Prælatura ea sit, & ad communem vitam amplectendam ipsi animum adducant. *Si qui tamen ante emptionem catholicè ordinati sunt, cùm ea quæ emerunt, dimiserint, & vitam canonicam elegerint, in suis gradibus permittantur: nisi fortè ejusmodi Ecclesia sit, ut ibi primum locum debeant obtinere. Primum enim, vel singularem, vel Præpositura, vel Officii locum, in emptis Ecclesiis eos habere non patimur.*

VII. Cùm eodem hoc ipso tempore, eademque necessitate urgente obviandi tantæ malorum colluvioni, cœperit relaxari antiquior Disciplina super irregularitate criminis; iis qui convicti, vel confessi fuerant, post peractam pœnitentiam priori Ordini restitutis: tunc quoque inolescere cœpit, ut eadem labes irregularitatis oblitteraretur professione Monastici instituti, aut Regularium Canonicorum Collegii.

VIII. Sed exuenda resignando priùs erant malè

parta Beneficia: quibus protinus restituebantur, nisi eæ essent Prælaturæ ex postremo hoc Canone, ubi supplenda ea priori Canone eadem clausula; *Salva tamen in omnibus Apostolica sedis authoritate.* Quo ostenditur simoniacos ad Prælaturas à solo Papa restitui posse; Episcopos vero eodem jam tum jure usos esse, ut reliquorum Beneficiorum resignationes admitterent, & ea Beneficiariis pœnitentia purgatis restituerent.

IX. Contestatur denique hæc Synodus, hanc dispensationem extortam sibi esse ineluctabili necessitate, quæ simul cessarit, simul reviviscet pristinus Canonum vigor. *Quamvis misericordia intuitu, magnaque necessitate cogente, hanc in sacris Ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen præjudicium sacris Canonibus fieri volumus, sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate, illud quoque cesset quod factum est pro necessitate.* (Can. 11.) Quòd ibi statim communitur authoritate Augustini: *Ubi enim multorum strages jacet, subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius charitati.*

Et nihilo tamen minùs jamdiu est, quod illa cessavit necessitas, nec desiit tamen, aut vel imminuta tantillum est dispensandi facilitas. Pauca sunt jam crimina, quæ irregularitatem invehant, sacrisque arceant Ordinibus. Simoniacis panduntur non raro dispensationum fores, incontinentibus ne necessaria quidem dispensatio est. A simoniacis non tam dura exigitur pœnitentia, ut communi Canonicorum Regularium vitæ respondeat. Non succurrit quid hic respondeam, nisi hanc esse dolore & lacrymis prosequendam rerum humanarum sortem; quæ Disciplinæ delinimenta primùm ea necessitate, & ad tempus adhibentur, ea paulatim veterascunt & senescendo convalescunt, & in consuetudines denique præscriptas evadunt. Retinetur indulgentia, animo excidunt & abolescunt conditiones, quibus concessa fuerat.

X. Urbano II. successit Paschalis II. & ad illum scripsit Otho Episcopus Bambergensis, ut certiorem illum faceret, eo Episcopatu investitum se fuisse, nonnisi postquam diu & sæpè illum respuisset, & postquam secum ipse certissimè statuisset, quod ab Imperatore acceperat, summo Pontifici resignare, ab eoque rursum investiri, non aliter quam si dignus ab eo judicetur. *Semel & iterum cum dare vellet, renui Episcopatum. Nunc verò jam tertiò in Bambergensi Episcopatu me ordinavit, in quo tamen minimè permanebo, nisi vestra permaneat sanctitati, per vos me investire & consecrare.* (Paschal. II. Epist. 76.) Istiusmodi temporum, rerumque crebris & permolestis eventis insuefacti sunt sensim Pontifices, Episcopique, hi resignare, illi resignationes admittere Episcopatuum, Episcopos eosdem suæ sedi restituere, consecrare. Cùm ita rem geri cogeret Ecclesiæ necessitas, non dubitabatur, quin esset penes Pontificem potestas, eo nimirum universim præjudicato, sempiternam sapientiam Christum ea tota Ecclesiam instruxisse suam potestate, quæ quandocunque ad ejus ædificationem necessaria esset. Cæterùm spectatissimæ sanctitatis hic Episcopus, qui & Imperatoris una Cancellarius erat, Romam verè concessit, Episcopatum Pontifici resignavit, eo se rursus à Papa investiri passus non est, atque ita in Germaniam rediit abdicato clarior Episcopatu, quam sexcenti alii retento, vel utcunque gesto. Coëgit tamen illum Papa Romam redire, & eum ipsemet Episcopum ordinavit.

Hinc verò illud explendescit, quàm non simulatæ essent hæ Episcopatuum resignationes in manus Pontificis, ad pristinos errores eluendos. Poterat enim male suspicax aliquis sibi fingere, persunctoriè tantùm, & certos restitutionis, Episcopatum resignare. Contra hic liquet & resignasse Episcopum, & aufugisse, nec ad Episcopales redisse infulas, nisi à Pontifice revocatum, gnaro non alios Ecclesiæ utiliores, aut gerendæ pastorali sarcinæ aptiores, quàm qui eam & lubentes abjecissent, & nonnisi jubente Christi Vicario inviti postea recepissent.

Sub hujus Pontificatu, itemque sub Gelasio II. Callisto II. Honorio II. & Innocentio II. innumerabiles pene coiere Synodi adversùs simoniam, Clericorum incontinentiam, maximè autem investituras Laicorum. Usque adeo altas egerant hæc vitia radices. Ea quo contigit, ut & magis magisque resignationes frequentarentur.

XI. Præter has enim causas, & in his ipsis quandoque, Beneficia Episcopis resignabantur. Præter superiùs delibata exempla, alia hic attingo. Cùm Abbas, cui duæ erant Abbatiæ, alteram, quæ sancti Remigii Remis erat, resignare voluisset, scripsit Gregorius VII. ad Archiepiscopum Remensem, ut resignationem admitteret, Abbatiamque resignatam ei conferret, quem resignans indigitasset. *Ut Abbatiam secundùm Deum consilio istius in alium ordinet.* (L. 1. Ep. 53.) Resignatio ea in favorem dici poterat: unde & interventu fiebat authoritatis Pontificiæ. Sed resignans *consilium* tantummodo dabat. Erant ergo ea potius inchoata resignationum in favorem rudimenta. Resignationem admisit Pontifex idem Beneficiorum (L. 6. Ep. 56.) male quæsitorum Decani Ecclesiæ Lugdunensis, rescripsitque ad Capitulum, ut & alii ejusdem flagitii, præsertim verò simoniæ conscii, in manus Archiepiscopi Beneficia resignarent, pollicitus se præstaturum, ut & temporalium & spiritalium eorum commodorum ratio haberetur.

XII. Illustrissimus Angliæ Martyr Thomas, anno 1164. Episcopatum in manus Alexandri III. Papæ resignarat, ad eluendam maculam accepti à se, & donati Episcopatus ab Angliæ Rege, à quo dati potuisse jure diffidebat. Cessionem ejus admisit Pontifex, non simulatam, non persunctoriam, sed ex animo factam, & cum serio proposito non recuperandi Episcopatus. Consilio tamen Cardinalium, & Imperio Pontificis paruit Thomas, & sacras infulas recepit. Possent & longè plura in eam rem accumulari; plena enim est historia id genus exemplorum. Quin & in Decretalium libris, quibus constat Jus Canonicum novum, aliqua ejusmodi observari possunt. Disertè profitetur Honorius III. eum qui Beneficio donatus est, nescius & insciens ejus simoniæ quæ tunc fiebat, posse eidem restitui ab Episcopo, cui nimirum illud resignabit, si simplex sit Beneficium: non posse autem nisi à Pontifice, si ea sit Prælatura: sed resignandum semper antè esse Beneficium, quod non possit nisi ex dispensatione, vel retineri, vel recipi. *Si alicujus electionem propter simoniam eo ignorante ac ratum non habente commissam, contigerit reprobari; cum eo super prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest Episcopus dispensare. Quamvis circa eum qui ignoranter recipit simplex Beneficium per simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, Episcopi dispensatio toleretur.* (C. Si alicujus. De electione.) Is ipse Canon est VII. Concilii Romani sub Urbano II. anno 1099. qui suprà laudatus fuit, hoc notabili discrimine, quòd desiderabat Concilium, ut dispensatio non daretur, nisi elueretur macula professione vitæ communis & Religiosæ Canonicorum Regularium.

Porro hæc resignatio simplex & libera esse putabatur : ita ut Pontifex & Episcopus, vel eidem posset, vel alteri cuicumque Beneficium resignatum conferre. Eum enim habent sensum illa verba, *post liberam resignationem*. Sed longa & inveterata indulgentia in legem tandem convaluit, ut resignanti resignato restitueretur Beneficio à Pontifice. Quæ indulgentia quidem non pia tantùm, sed & necessaria videri poterat, ut validius allicerentur simoniaci Beneficiarii, ad provisiones Canonicas sibi comparandas. Sed utcumque necessarium illud fuerit, fuit omnino permolestum, & amarum iis, qui purioris Canonum Disciplinæ studio flagrant.

Si Decreto autem isto potestas reservatur Papæ, & aufertur Episcopis admittendi resignationes Prælaturarum, non est quod quisquam stupeat, cùm tot suprà recensita sint Concilia, & quidem Generalia, quæ id ipsum prohibeant, jubeantque ad Pontificem recurri. Quin & illud observare est; si dispensarent Episcopi ad Beneficia simplicia, id non aliter quàm ex consuetudine tolerari, ut loquitur in hoc Decreto Pontifex. Nempè ea eo quod aut adversa erant Concilia, aut usu ipso invaluerat, ut ad Pontificem recurreretur. Usu enim verè reservatæ sunt summo Pontifici pleræque dispensationes, & antè inveteravit is usus, quàm homines animadverterent. Ita enim assolet, inopinis nobis multa fiunt, quæ non advertimus nisi ubi perfecta sunt.

Hac sanè Decretali restituitur ab Episcopo, vel à Papa Beneficium resignanti ipsi, non alii cuicumque, quem ille designasset. Sed nemo non videt multò faciliùs alteri cuicumque donari Beneficium, quàm ei ipsi, qui illud paulò antè abdicavit.

In alia Decretali Alexandri III. causa agitur Archidiaconatus Eboracensis, qui nepoti Archidiaconi conferendus erat, si ab eo in manus Episcopi resignaretur. Mandato Pontificio ad Archiepiscopum Eboracensem scripto id totum approbabatur : *Ut si avunculus suus Archidiaconatum vellet omnino dimittere, ipsum ei faceres adsignari.* Quæ verba *omnino dimittere* simplicem quidem resignationem denotant, ab omni pactione sejunctam ; sed non dissimulabat Archidiaconus, Archidiaconive nepos voluntatem retinendi penes alterutrum Archidiaconatus. Nec aliter se res habebat in non paucis suprà relatis exemplis, resignantes nihil paciscebantur, sed voluntate & spe erant non dubia Beneficii restitutionis, vel translationis in eum quem designabant. Nec sanè hic Archidiaconus Eboracensis Beneficium resignasset, nisi in favorem nepotis; & jubet tamen Pontifex ut delegatus à se Episcopus resignationem admittat, & Beneficium nepoti conferat. Verbalis pactio intercessisse etiam videri potest, unde & proclive fuit, ut & scripto mandaretur.

De Officio Legati. c. 12.

XIII. Exsculpi adhuc poterit aliquid lucis ex Epistola ejusdem Alexandri III. eisdem inserta Decretalibus. Abbatia quædam Angliæ, numerata Clerico pecunia, adduxerat illum, ut Beneficio renunciaret, quod inter eos litigabatur. Pactionem hanc suam à Papa percupiebant confirmari, quod ille ut planè simoniacum detestatus est, compulit verò Clericum, ut jura & chartas suas omnes in manus suas deponeret, datis etiam ad Abbatem & ad Monasterium litteris, ut quovis alio Beneficio Clericum hunc impertirent ; denique Episcopi duo Angliæ hujus Mandati Apostolici Executores designati ab eo sunt.

Append. Conc. Later. 3. Part. 18. c. 2.

De pactis. Extra. c. 4.

Aliqua hic obiter adnotanda. 1. Hanc concordiam partibus ultro citroque compendiosissimam fuisse, eamque ad eum exitum à solo Pontifice perduci potuisse pro singulari sua potestate. Minus ergo mirum est, si exinde recurri frequentius cœperit ad Pontificem, ob eas res etiam quæ nondum ei essent reservatæ, & quas hic ipse usus invalescens ei tandem reservavit; quippe ex libero & voluntario necessarius factus est, quod ita frequentissimè usu veniat, ut consuetudines præscribantur, & ipsa induantur denique Legum authoritate. 2. Si priorem pactionem confirmasset Papa, simoniam purgasse diceretur, quod ejus ea potestas sit. At damnata est ab eo conventio ea, ut quæ simoniam redoleret. An ergo ea sententia, quamlibet simoniam à Papa purgari posse, necdum convaluerat ? An ne in cogitationem quidem inciderat Jurisconsultorum, quos inter Pontifex hic primas utique partes tulisset laudis, etsi Pontificio culmine supra illos non assurrexisset ? Istud sanè proximè à vero abest. Complures enim toto hoc capite occurrerunt dispensationes de simonia perpetrata ; sed longè aliud est de præterita simonia dispensare, & ea indulgentia uti, ut nihilominus possit quis vel Beneficium retinere, vel exercere sacros Ordines : aliud purgare simoniam, hoc est tolerare, vel confirmare pactionem simoniæ, quam partes meditantur. Ea de re paulò infrà copiosiùs. 3. Quanquam execretur hic Pontifex pactionem simoniacam, admittit tamen resignationem Beneficii controversi, & simul resignantem donat Mandato Apostolico ad aliud Beneficium. Simplex erat resignatio, sed cùm sæpissimè vel semper contingeret, ut resignantis voluntas intima & occulta spes non frauderetur, irrepsit tandem mos exprimendæ hujus voluntatis, tanquam conditionis necessariæ.

XIV. Alioqui in fumum abibit nostra hæc omnis diligentia, nec exemplum ullum expressum & prorsus consimile resignationum in favorem cujusmodi nunc sunt, usquam occurret in Decretalibus, vel in Sexto, vel in Clementinis. Approbat quidem Bonifacius VIII. in Sexto permutationem duorum Beneficiorum authoritate Episcopi faciendam : quæ veluti duplex & reciproca est resignatio in favorem. Vide ut de eo rescribat ad Episcopum Bitettensem. *Qui secundùm formam juris sua Beneficia in eadem Diœcesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, libere ac sine fraude in manibus tuis ipsa resignant.* Vetat Papa Beneficia ita resignata subesse Mandatis Apostolicis, quod non possit Episcopus ea conferre nisi reciprocè permutantibus. Quanquam ergo resignatio simplex erat & pura, pactionisque expers, obligatus tamen erat Episcopus fidei vinculo, ut alteri alterius Beneficium conferret. Testatum facit Pontifex minimè se authorem esse ejus consuetudinis, sed eam jamdiu jure communi niti. *Secundùm formam juris.*

De rerum permut. C. Unico. In Sexto.

Jam ab Innocentio III. definitum fuerat, non posse eas permutationes fieri, nisi authoritate Episcoporum : *Beneficia sua perdunt, qui ea sua authoritate permutant.* Summa hæc est ejus Decreti. *Licet ipsi de jure per se non possent Ecclesiastica Beneficia permutare.* Verba sunt alterius ejusdem Papæ Decreti. Quorum verborum sensus ille est, Non jure permitti eas Beneficiorum permutationes, sed etsi jure prohibeantur, posse tamen ex Episcopi dispensatione fieri. Verùm ex pronissima facilitate, qua dispensationes istiusmodi passim Episcopi largiebantur, id emersit, ut ne jam dispensationes, sed quasi jure fultæ consuetudines habeantur. Sursum

Cap. Cùm olim. Cap. Cùm universorum De rerum permutatione.

autem replicata superiorum sæculorum memoria, per Canones poterant Episcopi Clericos sibi obnoxios ab una transferre Ecclesia ad aliam ad Ecclesiæ utilitatem, non poterant ipsi Clerici suo libitu demigrare. Quod totum à permutationibus hodiernis non modicum discrepat.

Suffragatur apertissimè nostræ huic doctrinæ Urbanus III. ubi permutationem reciprocam Beneficiorum in Concilio Turonensi damnatam docet, quòd pactionem simoniamque contineat. *Quæsitum est ex parte tua, si commutationes fieri valeant Præbendarum, cùm commutatio dignitatum in Turonensi Concilio fuerit interdicta. Generaliter itaque teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim cum pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem continet semper simoniæ.* Postea autem suggerit Pontifex, ut innoxiæ fieri possent permutationes, dispensante Episcopo. Author nempe & dux si sit Episcopus, ad Ecclesiæ utilitatem vel necessitatem transferet reciprocè Clericos in Ecclesias eas, in quibus fidelium utilitatibus impensiùs sedulúsque servient. *Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quæ uni loco minùs sunt utiles, alibi valeant utiliùs exercere.* (C. Quæsitum. ibid.)

Ex quibus illud efficitur, 1. Non posse Beneficiarios sua sponte Beneficia mutuò permutare, sed posse in ea reciprocè ab Episcopo traduci. 2. Nec obversari debet oculis Episcopi, nisi Ecclesiæ utilitas, aut necessitas. Nec Beneficiarii collimare debent, nisi ad obsequia quæ Ecclesiæ præstituri sint, & ad edendum aliquod suæ in Episcopum obedientiæ specimen. 3. Operæ pretium ergo est, ut caput & author rei sit Episcopus; aut si præeant Beneficiarii, uno eo stimulo agitari debent, ut utiliores sint Ecclesiæ, nec Episcopum urgeant, sed vota sua ei tantummodo insinuent. 4. Ubi res ita agitur, ne umbra quidem subest simoniæ; & authoritas vel dispensatio Episcopi intervenit, non ad purgandam simoniam, aut ad dispensandum super ea; sed 1. ad faciendam his Clericis veniam stabilitatis, quam Ecclesiæ suæ devoverant. 2. Ut divina vocatione ad novas Ecclesias accedant & ad novas in eis functiones obeundas. Ad omnes enim Sacerdotii portiones novas cælestis vocatio desideratur. 3. Ut absolvantur vinculis, quibus priori quique Ecclesiæ suæ mancipati erant. Concilium porro Turonense, quo vetita est Beneficiorum permutatio, habitum est anno 1163. sub Alexandro III. *Divisionem Præbendarum, aut Dignitatum permutationem fieri prohibemus.* (Can. 1.)

XV. Cæterùm sanctissimæ hæ leges, quas hic Pontifex subjiciebat oculis, nec ad permutationes Beneficiorum arctantur, nec ad Episcopos, qui præire ad eas debent, cùm redundaturæ sint ad Ecclesiarum utilitatem, quarum illis sarcinam summus Pastor imposuit. Manant eæ leges ad resignationes omnes, & ad summos Pontifices, à quibus illæ admittuntur. Nec necesse est trito illo uti sermone, Purgari simoniam à Papa. Satius est sermone & verbis uti Canonum & Decretalium: dispensare Pontifices, dispensare autem ad necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ, convenienter regulis Canonicis. Diximus enim, & prolixissimè suo inferiùs loco demonstrabimus, omnes Pontificum dispensationes accommodari debere utilitati aut necessitati Ecclesiæ, etiam juxta eas Decretales, quæ hodiernum Jus canonicum complectuntur. Atqui si hæ resignationes in favorem nec proponuntur à Beneficiariis, nec à Pontifice admittuntur, nisi ad publicam Ecclesiæ utilitatem, ne suspicio quidem potest ulla subesse simoniæ. Si privatæ autem servitur utilitati in resignationibus his vel proponendis, vel admittendis: potest sanè Pontifex purgare simoniam, aut de ea dispensare in foro Ecclesiæ; at imminet è cœlo Judex summus, ultorque terrificus, qui nec ipsis Judicum judiciis parcat.

Ex hoc non inutili diverticulo reflectenda nunc est oratio ad propositam doctrinam, nimirum in corpore Juris canonici nullum subesse vestigium satis expressum harum in favorem dispensationum. Animadversum jam illud fuit à Flaminio Parisio. (Fevret de l'Abus l. 3. c. 5. n. 11.) Narrat autem Ruzæus in Tractatu de Regalia, eam quæstionem magna animorum contentione Parisiis ventilatam fuisse eo tempore, quo Georgius Ambosius Cardinalis Legatus à *Latere* creatus est. (Ruzæus Privileg. 32.) Censebant aliqui resignationes his conditionibus arctatas, *Non aliàs, non aliter, non alio modo*, licitas esse, & expertes simoniæ, propterea nimirum quod posset quis innoxiè & piè, quem pium & innocuum novit, optare sibi Beneficii successorem: possit votum suum aperire Pontifici, possit Pontifex voti compotem facere, nulla interveniente pactione; nullam haberi rationem à Pontifice conditionum procurationis inutilium & vitiosarum; ex Regula Juris irritas eas esse, nec tamen irritari procurationem; coram Pontifice vel Legato eo Procuratores adigi juramento, nil fraudis, nil simoniæ intervenisse; si Notarii clausulas addant juri adversas, rem & vitium esse styli, quo resignanti nil præjudicetur; pluribus in resignationibus addi, omnia beneplacito & arbitrio Pontificis subjici: denique quibus demum cumque verbis contexta sit procuratio, solius supplicationis resignantis rationem haberi à Pontifice. Non ea tamen fuisse harum rationum momenta ait Ruzæus, quin Senatusconsulto proscriberentur hæ resignationes, ut irritæ & simoniacæ, ut quibus pactio inesset mentalis ex parte resignantis, & conventionalis in expressissimis Procurationis verbis.

Pauco ergo tempore ante annum Christi 1500. cœperunt hæ clausulæ irrepere in procurationes resignantium, vitio fortasse magis Notariorum, quàm voluntate resignantium: nec earum clausularum rationem habuit Pontifex, parique semper modo admisit ut prius resignationes has omnes, quarum etiam nonnullæ ejus à beneplacito totæ pendebant. Postquam verò is inolevit indulgentiæ usus, si quando Romæ contigit, ut Beneficia aliis conferrentur, quàm quibus resignans addixerat, tunc ut advertunt nostrates Practici, velut ab abusu appellatum est; verso in contrarium vel sæcularium Judicum judicio, vel usu. (Fevret, Louet, Brodean, &c.)

Nec abs re erit hîc observasse, cùm tempore Ambosii Cardinalis Legati res hæc tota operosè disceptata est, à Ruzæo non memorari, quod quisquam allegarit summam Pontificis in purganda simonia potestatem. Necdum forsan hominum mentes invaserat, nondum certè invaluerat ea persuasio. Compertissimum erat posse Pontificem dispensare, sed jam diximus longè aliud esse dispensare & veniam facere simoniæ jam admissæ & semel admissæ, aliud concedere ut in posterum & universim admittatur. Carolus IX. Galliæ Rex suos ad Concilium Tridentinum Oratores tum aliis instruxit monitis anno 1563. tum hoc in primis, ut postularent aboleri resignationes in favorem, tanquam Canonibus adversarias, quibus prohibe-

tur, ne Beneficiarii suos sibi deligant successores.

CAPUT LI. *P. 4. l. 2. c. 18.*

De jure Devolutionis. De Devolutis.

I. Electio Episcoporum ultra tres menses differri non potest. Similiter & consecratio. Iis elapsis jus eligendi devolvitur ad superiorem.

II. Beneficia inferiora ultra sex menses vacare non possunt; inde jus devolvitur à Capitulo ad Episcopum, ab Episcopo ad Capitulum, ab utroque ad Metropolitanum.

III. Eadem devolutio non fit, nisi ex negligentia.

IV. Alia observantur aliqua. Quando devolutio fiat ad summum usque Pontificem.

V. Quando designandi Episcopi jus ad Metropolitanum fuerit devolutum, vel ad Papam.

VI. Cur sex mensium induciæ sint ad minora Beneficia, tres tantummodo ad Episcopatus. Aliæ observationes.

VII. De Devolutis ad impetranda Beneficia, quæ de facto non vacant, sed de jure tantùm.

VIII. Quàm prima specie alienum sit id impetrandorum Beneficiorum genus.

IX. An sit aliquod ejus rei exemplum, quod antiquitate & laude commendetur.

X. Quæ possit hinc abstergeri invidia ex parte Prælatorum.

XI. Varia Regum nostrorum Decreta circa hujusmodi Devolutiones.

XII. Possessio triennalis pacifica Devolutarios excludit.

XIII. Quàm antiquum jus Devolutionis.

I. SApientia quadam incredibili Majores nostri in Ecclesiæ mores & jura Devolutiones invexere, ut negligentiæ mederentur Prælatorum inferiorum, & lasciviéntem eorum potestatem intra juris limites cohiberent. Verùm priora sunt nobis revolvenda nunc sæcula, ut ad ipsam usque rei hujus originem, si qua fieri possit, penetremur. In Concilio Remensi anni 989. quo Arnulphus Lotharii Regis filius in Remensem Archiepiscopum electus est ab Episcopis Provinciæ, Cleroque urbis, illud testatum fit, per antiquos Canones non concedi nisi triginta dies, quibus viduatis Pastore Ecclesiis Cathedralibus prospiciatur. *Elap-*
L. 3 Ep. 149. *sa sunt canonica tempora, violata sunt leges, quibus cavetur nullam sedem amplius triginta dierum spatio vacare debere.* Cùm beatus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus anno 1108. ad Thomam scriberet Archiepiscopum Eboracensem electum, non ultra tres menses vacare posse Episcopatus ex Canonicis Regulis declaravit: *Canonica authoritas præcipit, ut Ecclesia Episcopatus ultra tres menses non maneat sine Pastore.* Tum Anselmus Eboracensem Archiepiscopum invitavit, ut indicta die advolet consecrationem suscepturus in Ecclesia Cantuariensi, illud insuper contestatus, eo temporis elapso spatio totam Eboracensis Ecclesiæ administrationem ad se devolutum iri. *Quod si non feceritis, ad me pertinet ut ego curam habeam, & faciam quæ pertinent ad Episcopale officium in Eboracensi Archiepiscopatu.*

Albericus Bituricensis Archiepiscopus obiit anno 1140. Anno 1142. Innocentius II. Papa eo Archiepiscopatu donavit Petrum de la Chastre, perillustri ejus nominis familia oriundum in Biturigibus, discipulum Alberici, & cognatum Aimerici Cancellarii Ecclesiæ Romanæ. Juramento constrinxit se Rex, non passurum se ut Ecclesiæ illi præsideret, qui sine assensu suo illi fuisset præfectus: copiamque fecit civibus Bituricensibus eligendi quem vellent Episcopum, uno excluso Petro. E Clero nonnulli Codurcum elegere, cui Rex suffragatus est, Pontifex eâ Ecclesiâ interdixit. Ita rem narrant Vuillelmus Nangius, Chronicum Mauriniacense, Matthæus Paris & Scriptores alii vetusti. Pontifex Regnum interdicto subjecit, Rex eam contumeliam ultus est effusa excandescentia sua in Campaniæ Comitem, qui Petrum hortatu Pontificis sua in ditione tuebatur. Tandem interlapso tumultuationum & bellorum triennio, defessa magis quàm placata Rex iracundia, acquievit precibus Bernardi Claravallensis & Petri Cluniacensis Abbatum; & misso in possessionem Ecclesiæ Bituricensis Petro de la Chastre, ad Bellum sacrum in Orientem profectus est, ad effricandam prioris in suos sævitiæ suæ maculam, piè jam in barbaros & infideles sæviturus. Perspicuum est devolutionis jure collatum fuisse à Pontifice Archiepiscopatum Bituricensem, ut qui vacasset ab anno 1140. ad 1142. cùm eodem ipso tempore vacarent & alii Episcopatus complures, vel non permittente Rege, ut electiones celebrarentur: aut electos semel Episcopos vanis cavillationibus suspendente. Non dissimulavit rem Bernardus: *Quid meruit non jam sola Bituricensis Eccle-* Epist. 221.
sia, sed Catalaunensis, etiam & Remensis, etiam & Parisiensis? Quo jure præsumit Rex, ut Ecclesiarum possessiones & terras devastet, ut Christi Pastores præfici non permittat, ut his quidem electorum promotionem prohibeat, aliis verò quod hactenus inauditum est, dilationem electionis indicat?

Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. anno 1179. copiam facit Collatori, conferendi ejus Beneficia, qui ad Episcopatum electus ultra spatium à Canonibus præfixum consecrationem suam procrastinat. *Decurso tempore de consecrandis Episcopis* Can. 5.
à Canonibus definito, is ad quem spectant Beneficia quæ habuerat, disponendi de illis liberam habeat facultatem. Concilium Lateranense IV. anno 1215 definit, nisi in Ecclesiis Cathedralibus & Regularibus electio fieret intra tres menses, jus eligendi ad superiorem immediatum devolutum iri. *Ut ultra tres menses Ca-* Can. 23.
thedralis, vel Regularis Ecclesia Prælato non vacet; infra quos eligendi potestas ad eum, qui proximè præesse dignoscitur, devolvetur. Superiori huic immediato tres alii præfiniuntur menses, ut ad Canonicam electionem celebrandam incumbat: si differat, intentantur ei pœnæ canonicæ. *Non differat ultra tres* C. Ne pro
menses cum Capituli sui consilio, & aliorum virorum defectu. De
prudentium, viduatam Ecclesiam ordinare. Antiquis electione.
in Constitutionibus Angliæ Regum memoratur Cœlestinus V. Pontifex, cùm rescisset Laodavensem Episcopatum ab annis jam septem vacare, eique Ecclesiæ providendi jus ad se devolutum esse, mandasse Archiepiscopo Cantuariensi, ut Episcopum designaret. A Cantuariensi Episcopum delec- Pag. 576.
tum *Apostolica authoritate*, Regemque exoratum 636.
fuisse, ut temporali eum ditione Episcopatus frui sineret: acquievisse denique Regem ejusmodi provisioni, & temporalia Episcopatus dominia electo condonasse.

II. Hactenus quæ ad Episcopales Ecclesias pertinent. Idem verò Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. sex menses Episcopis, Capitulisque concessit ad Præbendarum, aliorumque sui juris Beneficiorum collationem, nisi intra sex menses provideant, jus Capituli ad Episcopum, & vicissim jus Episcopi devolvitur ad Capitulum; si utriusque demum par sit negligentia, devolutio juris fit ad Metropolitanum. *Cùm Præbendas Ecclesiasticas, seu* Can. 8.
qualibet officia vacare contigerit, non diu maneant in suspenso, infra sex menses personis, quæ dignè administrare valeant, conferantur. Si autem Episcopus, ubi

ad eum spectat, conferre distulerit, per Capitulum ordinetur. Quod si ad Capitulum pertinuerit, & intra præscriptum terminum hoc non fecerit, Episcopus secundum Deum hoc cum religiosorum virorum consilio exequatur. Vel si omnes fortè neglexerint, Metropolitanus de ipsis secundum Deum absque illorum contradictione disponat. Jubet idem Concilium, ut si peccet Episcopus adversùs leges in Beneficiorum provisione servandas, potestate sua privetur, & per Capitulum provideatur: si Capitulum sibi ipsum non consentiat, per Metropolitanum: *In conferendis prædictis potestatem amittat & per Capitulum, aut per Metropolitanum si Capitulum ordinare nequiverit, ordinetur.*

Can. 3.

Ab Innocentio III. declaratum est semestris hujus spatii initium numerari debere, non à die quo vacare cœpit Beneficium, sed quo certior de eo fit Collator: ea etenim pœna non affici nisi negligentiam Collatorum: *Cùm illa Lateranensis Concilii constitutio, contra negligentes tantùm fuerit promulgata.* Ideoque cum propter delicta quæpiam alia suspensus fuerit Archiepiscopus Eburacensis, non posse à Capitulo conferri Præbendas, quarum ad eum spectaret collatio. *Et si fuerit sua culpa suspensus, non tamen ad ipsum Capitulum ex illa culpa Præbendarum erat donatio devoluta. Sed ad illum tempore suspensionis illius Præbendarum donatio pertinebat, qui præter ejus desidiam & negligentiam, poterat Præbendas donare.*

C. Nulla. C. Quia. De concess. Præbend.

III. Postrema pars hujus Innocentii Decreti ad Pontificem quidem spectat, penes quem potestas erat Mandatis Apostolicis conferendi Præbendas Eboracensis Ecclesiæ, quandiu suspensione mulctabatur Archiepiscopus; sed nihil id quidem attinet ad jus devolutionis. Nec enim devolutio à Lateranensi Concilio III. constituta est, nisi adversùs negligentiam Patronorum, vel Collatorum. Nec illud silentio prætereundum, nec III. nec IV. Concilio Lateranensi jus devolutionis ad Pontificem usque summum esse perductum, nisi ubi ille immediatus superior est in Episcoporum, & Abbatum electionibus.

IV. In Italia cum Archiepiscopus sanctæ Severinæ vendicaret sibi ex negligentia Capituli Episcopi designationem quasi jure devoluto, factam ab eo nominationem irritam censuit Innocentius III. quòd Lateranensis III. Concilii Canon de solis Beneficiis inferioribus agat, non de Episcopatibus. Denique ab eodem Pontifice definitum est, si provisio Præbendarum conjunctim ad Episcopum & Capitulum spectaret, tum non fieri reciprocam illam devolutionem, cùm communi peccatum est negligentia: nisi Episcopus, vel Archiepiscopus Capitulo interesset, ut Canonicus, non ut Prælatus. Tunc enim devolvi ad eum eligendi potestatem, si modò nihil artis fraudulentiæque ab eo intervenerit. Ex aliis hujus Pontificis Decretalibus liquidò patet, superiorem illum ad quem fit devolutio post sex menses, esse Metropolitanum in Capitula & Episcopos: esse Pontificem ipsum in eos Metropolitanos, qui nemini præterea subsunt. *Cùm pro eo quod Eboracensis Archiepiscopus alium superiorem non habet, ex tunc fuerat ad nos donatio devoluta, &c.*

C. Dilectus. Ibidem C. Postulasti ibid. Regest. 15. Epist. 17. 38 Regest. 14. Epist. 140.

C. Licet. De supp. neglig. Prælat. C. Dilecto. Ibidem.

V. Cæterùm idem hic ipse Innocentius III. qui modò aiebat Concilii III. Lateranensis Canone Episcopatus non contineri, & qui ea de causa rescidit electionem Episcopi ab Archiepiscopo factam: ab ea discessisse postea visus est sententia, ubi in Concilio Lateranensi IV. constituit, ut suprà à nobis memoratum est, nisi Capitulum intra tres menses eligeret Episcopum, ad immediatum superiorem revolveretur jus eligendi. Nec ulla hic juris conflictatio, aut Innocentii. Verè enim Lateranense III. de solis minoribus statuerat Beneficiis: verè San Severinas erraverat, cùm id statutum traxerat ad Episcopos: verè Lateranense IV. postea re maturius pensitata, ejusmodi statutum, aut consimile, ad Episcopatus ampliavit.

C. Ne pro defectu. De electione.

Bonifacius VIII. ad Episcopatus quoque illud traxit, ut ad superiorem devolutio juris eligendi non fieret, nisi ubi negligentia peccasset Capitulum. At si electores indignum prudentes scientesque eligant, si formulas eligendi Canonicas minus observent, unde jure eligendi exuantur ea vice, tunc non ad immediatum Superiorem, sed ad Romanum Pontificem fit devolutio. Non ita verò in Beneficiis inferioribus. *Non ad dictum superiorem, sed ad Romanum Pontificem potestas eadem devolvetur. Secus autem in inferioribus Ecclesiis est censendum.*

C. Quanquam. De electione. In Sexto.

VI. Sive Innocentius autem III. sive antiquior Pontifex Synodusque præfuerit ei constitutioni, quæ tres tantum menses Episcoporum electioni præfinit, cùm aliis Beneficiis indulti sint menses sex: ea fuisse jure videtur causa discriminis, quod dum viduata mœret Episcopalis Ecclesia, imminent Ecclesiis omnibus Diœceseos periculosissimæ quædam procellæ, quibus obviam iri quamprimum necesse sit. Capite toto *Ne pro defectu* abundè proditur, eam fuisse certissimam causam hujus constitutionis.

Ex omnibus autem Decretalium contextibus hic laudatis, id colligitur, ut Capitulo sex donati sunt menses ad conferendum, ita sex alios Episcopo donari ad supplendam cessationem Capituli, totidemque Metropolitano, si ad eum ab Episcopo fiat devolutio, totidem Patriarchæ post Metropolitanum, totidem denique Pontifici post Patriarcham, vel Primatem. Id apertum rursus fit ex Capite, *Cùm accessissent, De Constitutionibus.* Cùm verò nullus sit Pontifice superior, negligentiæ ejus suppleri non potest, nisi ut habetur in Capite *Statutum*: vel si Papa intra mensem non conferat ea Beneficia quæ in Curia vacant, tunc enim ea ab Ordinario conferuntur. Quæ profectò jam non est devolutio alieni juris, sed proprii recuperatio, post summotum obicem.

Fagnan. in L. 3. Decret. Part. 1 pag. 232.

De Præben. in Sexto.

Ex ea devolutione, quæ fit ab Episcopo cunctatore ad Capitulum, manifestè patet, non semper superiorem esse eum, ad quem fit devolutio. Sed observatum non injuria illud est, devolutionem fieri non posse ad minorem, vel æqualem, nisi expressè ea in jure definiatur: cùm ex adverso etiam conticescente jure teneantur semper superiores cessationi inferiorum mederi.

Fagn. ibid.

De menstruo spatio oildum dixi, quod Concilium II. Lugdunense anno 1274. præfixit electo Episcopo, ut electioni assentiretur, aut jure suo caderet. Nec enim id ad devolutionis jus spectat. Ex Constitutionibus Synodicis Joannis Pekham Archiepiscopi Eboracensis, manifestè patet, non minus illum studuisse tuendo Pontificio juri, quam suo, in negotio devolutionum ex negligentia emergentium. *Quæ autem per tantum tempus vacaverint, ut per consimilem negligentiam ad summum Pontificem jus ea conferendi fuerit devolutum, &c.* Tam diutina autem Ecclesiæ orbitas oriri poterat ex duplici vel triplici devolutione ab aliis ad alios.

Can. 5.

Hæ sunt devolutiones Canonicæ, quæ in corpore Juris radiant, eò omnino spectantes, ut Benefi-

ciorum conferendorum potestas ab inferiori ad superiorem, quandoque & ad inferioram à superiori reflectatur. Illud verò scite nos monet Innocentius III. ubi trimestres inducias datum ad eligendum, non eò id pertinere, ut approbetur ea procrastinatio, sed ut ea impunè abeat, diuturnior pœnas det. *Non approbantes quod tandiu vacent, sed præcaventes, ne diutius.* Tenentur ergo Electores & Collatores quàm fieri potest maturiùs eligere vel conferre, dum maturo id fiat consilio: nec abuti illo interstitio mensium, nisi ad maturiùs consultandum. Monet & hoc aliud idem Pontifex, electoribus & collatoribus hoc necessariò angustius spatium præfigendum fuisse, ut eorum avaritiæ occurreretur, qui vacantium Beneficiorum proventus sibi vendicant. *Ut obviarent cupiditati multorum, qui vacantes Ecclesias suis usibus applicabant.* Ante Concilium enim Lateranense III. vacantes Præbendas Episcopi quandoque diutissimè retinebant, reditusque earum Episcopali suæ mensæ, vel aliis Ecclesiæ suæ utilitatibus addicebant.

Regist. 1. Epist. 460

VII. Sed longè aliæ Devolutiones eæ sunt, quæ ab annis jam circiter ducentis undique in Ecclesia circumstrepunt. Usitatissimum enim jam, ut cum Beneficium quodvis vacare censetur, non facto, sed jure, superstite nimirum Beneficiario, sed ejusmodi aliquo defectu, vel crimine vitiato, quo irregularitas invehatur, vel imperitia & habilitas nulla ad gerendum Beneficium, tum Romam recurratur, & provisio tanquam vacantis impetretur Beneficii. Olim quidem Bullæ deposcebantur pro omnibus ferè Beneficiis, quorum Romæ fiebat provisio: & necesse erat ut Bullis exprimeretur ratio, qua Beneficia vacabant. Ita enim apertè Rebuffus. At verò cùm publicatis semel Concordatis, jam Bullæ Pontificiæ non ferè flagitentur, nisi ad Consistorialia Beneficia: inde fit ut Devolutarii contenti sint signatura Pontificis supplicationi suæ subscripta, reservata facultate jus suum persequendi, & causas devolutionis aperiendi apud inferiores Judices. Certè non possunt illi possessionem Beneficii nancisci, nisi Judex Regius concesserit, ut adnotat idem Rebuffus.

De Devolut. n. 105. 106.

VIII. Quamvis ea ratio irrumpendi, ut ita dicam, in Beneficia, minùs Canonicis consentanea Regulis videri meritò possit; prælusum tamen aliquid ejusmodi fuit superioribus & melioris notæ sæculis. Illud ratum ante omnia & inconcussum semper viguit Ecclesiasticæ purioris disciplinæ Decretum, posse neminem irruere sua sponte in officia quælibet, muniaque Sacerdotii Christi: sed eos demum accedere debere, qui cælestis vocationis oraculo asciscantur. Necessum est ergo, ut Devolutarius pio aliquo incitamento agatur & religioso, ad Christi & Ecclesiæ laudem spectante, ad Beneficium quodlibet venandum, quod Sacerdotii Christi portio indubitatissimè aliqua est. Quocumque demum flagitio irretitus sit is Beneficiarius qui impetitur, potest quandoque non minùs flagitiosa cupiditate illaqueatus videri is, qui illum impetit, & exturbare satagit.

IX. Sed nemo jura vituperarit Devolutarios, si eo stimulentur spiritu & zelo, quo religiosus olim Presbyter Gratianus, qui vehementissimè piissiméque indignatus Apostolicam Sedem à tribus nefariis usurpatoribus profanari, numerata singulis ingenti pecunia, ut sanctissima abirent dignitate, eo perfecto, ipsemet ut liberator Apostolicæ Sedis subrogatus illis est. Otto Frisingensis Episcopus, Petrus Damiani, Glaber, Gregorius VII. qui omnes eo ævo floruerunt, tantis laudibus extulere singularem hujus Presbyteri, qui Gregorius VI. postea dictus est, pietatem & sanctimoniam, ab omnibus cupiditatum præstigiis alienam, ut ejus electioni tanquam inculpatæ & laudatissimæ subscribere cogamur. Baronius ita sensit non emptum ab eo Pontificatum fuisse, sed redemptam vexationem. Otto certè Frisingensis, quo nemo accuratiùs rem edisseruit, non ait datam à Gratiano Presbytero pecuniam, ut Pontifex eligeretur, aut ut scelesti Pontificatûs incubatores, eum sibi locum concederent: sed ut eos adduceret ad resignandam dignitatem, quam pari impietate & pepererant sibi, & exercebant; quo peracto populus Romanus sospitatorem suum ad Pontificatum provexit. Si ergo postea huic Pontifici impacta est infamia & accusatio simoniæ, adeoque & exauthoratio, scelestissima ea fuit calumnia, & vis atque oppressio infanda.

Baron. an. 1044.

Si tum approbata non est à compluribus ea ratio, qua Gregorius Apostolica Sede excussit tres sacrilegos incubatores; qui approbari, aut verò ferri potuissent hodierni nostri Devolutarii? Confugiunt hi quidem ad authoritatem legitimam, Beneficiorum dispensatricem: extrudere cum Beneficio cupiunt, quem sua eò intrusit vel asseruit perversitas. Hactenus innoxia & inculpata sunt omnia. Sed ea qua palam plerumque æstuant cupiditas, non ejiciendi indignioris ministri, sed suæ vel avaritiæ, vel ambitioni inserviendi in eodem ministerio occupando, ea vero nullò satis potest honesto prætexi velo.

X. Vidimus tum ad immediatum superiorem fieri devolutionem, cum inferiores Collatores tempore à Canonibus defixo conferre cessant. At cùm indignis vel irregularibus conferunt, tunc jus ad Papam revolvitur. Non alio consilio Romanos Pontifices eam sibi exercendam potestatem sumpsisse credere par est, quàm ut nequiores ministros ab Ecclesia ablegarent. Idcirco etiam invectum esse usum illum, ut Beneficia jure solo vacantia delatoribus ipsis conferrent, quo essent qui pervigiles excubarent in omnibus Ecclesiis ad criminosos ministros explorandos, retegendosque, tanquam publicæ disciplinæ censores. Optat cupitque Pontifex, ut tam pia & casta sit voluntas atque industria horum delatorum, quàm sæpiùs nobis laudari, & nunquam satis laudandi Gratiani. Si secus faxint, suo periculo faciunt, nec tamen sine aliquo Ecclesiæ compendio, quæ vel sic expurgatur. Edixit Concilium Lateranense IV. ut in Concilio Provinciali examinaretur, an Episcopi Beneficia quæpiam indignis impertiissent: suspenderentur ea potestate, si abusi ea essent, eaque in alios transferretur. Nihil hinc attingitur de delatoribus Beneficiariorum, eo gradu indignorum. *Can. 30.*

XI. Prohibitum est Edicto Aurelianensi, ne Devolutariis Episcopi charta sua aliqua antè adesset, quàm is qui ab Ordinario institutus fuerat, ineptus & inhabilis ad id Beneficium gerendum declararetur. Ex quo colligeret aliquis non Pontificem tunc solum conferre solitum Beneficia quæ ex imperitia quavis devolverentur. Sed cùm eo ipso Articulo prohibiti essent Judices rationem habere Rescriptorum ad Devolutarios Apostolicorum, vel aliorum quorumcumque, ante inhabilitatem solenni sententia declaratam, eo nomine is Articulus revocatus est Edicto Blesensi; ubi præterea *Art. 4.* *Art. 46.*

terea Devolutariis impactæ sunt complures onerosæ conditiones, ut quamprimùm terminandæ instituant lites, & ne possint ante sæcularis Judicis sententiam fructus Beneficii attingere, etsi potuerint induci in ejus possessionem. Hæ cautiones innovatæ rursus fuere in Edicto Ambosiano anno 1572.
Art. 7. *Art. 17.* *Tit. 14. Art. 13.* *Art. 15.* Melodunensi 1579. & Ludovici Magni Codice anno 1667. jamque antè ex parte saltem præscriptæ fuerant Edictis Henrici II. annis 1550. & 1557.

Verùm illud præ cæteris animo mandandum est, duas esse Regulas Cancellariæ, quæ usu receptæ sint in Gallia: nempe 30. & 33. quæ ab Innocentio VIII. manarunt, *De annali Possessore, & de triennali Possessore.* Prior illa durioribus constringit legibus Devolutarium, qui negotium facessit Beneficiario, unius anni possessione gaudenti. Posterior hæc conticescere & facessere prorsus jubet Devolutarios, post pacificam triennii possessionem.

Porro triennalis hæc pacifica possessio, quæ Canonici Tituli vicem gerit, si qui alio quocumque careant, non aliud est quàm triennalis illa præscriptio, quæ ante mille ducentos amplius annos authoritatem nacta est in Africanæ Ecclesiæ Concilio ad hanc ipsam speciem, qua de hîc agimus.
C. Placuit, De Præscript. c. 2. Canon hujus Concilii in Gregorianis Decretalium libris fulget, jubetque ut si quis Episcopus Ecclesiæ Catholicæ re-olligat sociarque locum aliquem, vel tractum à Donatistis insessum, eumque pacificè triennio possideat: ne evinci exinde eo possit, dummodo vicina Ecclesia, quæ illum vindicare potuerat, propria interim ne destituta fuerit Episcopo. Non conceditur etiam novis Episcopis, ex eodem Canone, nisi triennium, ad repetenda hæc Ecclesiæ suæ, ut aiunt, membra. *Si per triennium nemine repetente tenueris.*

Sess. 21. Concilium Basileense Titulum saltem coloratum flagitavit, quod extra controversiam est, cùm bonæ fidei debeat esse præscriptio. *Habens coloratum titulum:* deinceps vero possessori nullus reformidandus erit Devolutarius: *Ratione juris noviter impetrati, non possit molestari.* Quod Basileense Decretum ab Ecclesia Gallicana ratum habitum est, & Pragmaticæ insertum, Titulo *De pacificis Possessoribus*, & postea Concordatis, Titulo eodem, qui vigesimus-octavus est.

XIII. Finem huic capiti faciet Novella Justiniani jam superiùs illa quidem commemorata, sed hîc strictim saltem delibanda rursus, ubi ex instituto agitur de Devolutione, cujus in ea Novella
Novel. 123. c. 1. antiquissima jaciuntur fundamenta. *Si qui debent Episcopum eligere, citius ipsa Decreta intra sex menses non faciant; tunc periculo propriæ animæ ille quem competit ordinare Episcopum ordinet.*

CAPUT LII. *P. 4. l. 2. c. 19.*

Legatorum facultates ad conferenda Beneficia.

I. Hæ Legatorum facultates ad Beneficiorum collationem quàm antiqua sint.

II. Quàm latè illæ paterent sub Innocentio III.

III. Legatis tantummodo à Latere *annuebantur hæ facultates. Occasiones earum concedendarum.*

IV. Anglorum de hoc querela, utque eis satisfactum sit in Concilio Lugdunensi I.

V. Querela Germanorum, utque eas refelleret Cardinalis Papiensis.

VI. Quos modos, quos fines hos facultatibus Legatorum adhibeat Gallia.

VII. Earum prima & altissima origo.

VIII. De Legatione Avenionensi.

I. Legatorum in conferendis Beneficiis potestatem videtur Bernardus perstrinxisse, cum de eo tam amarulentè & tam justè Legato conqueritur, qui ministerium suum seque pari dedecore deturpabat, & vel præficiebat, vel præficere conabatur omnibus Ecclesiis, Ecclesiarumve ministeriis, adolescentulos ætate magis, quàm sapientia florentes, & carnalis suæ, quam virtutum pulcritudinis cupidiores. *Formosulos pueros in Ecclesiasticis honoribus, ubi potuit promovisse, ubi non potuit voluisse.* *Epist. 190.*

II. Innocentii III. decreto non perfectum est, *C. Cum dilectus De jur. Patron.* sed declaratum ex usu recepto posse Legatos Apostolicos reservare sibi Ecclesiastici Patronatûs Beneficia, antè etiam quàm vacarent, & conferre ubi vacarent. Quin ultra ille progreditur. Affirmat enim posse Legatos conferre Beneficia, ad Prælatorum collationem spectantia, ipsis inconsultis. *Non prajudicatur Prælato, si quando per Apostolicæ Sedis Legatum eo inconsulto Ecclesia conceditur, &c.* In Epistola quapiam meminit Legati, qui sibi *Regest. 14. Epist. ultim. Ann. 1204. n. 26.* integram servaverat primam Præbendam vacaturam, consentiente Capitulo. *Vobis consentientibus.* Narrat tamen Rainaldus, à Pontifice declaratum esse, minimè necessarium esse hunc Patronorum consensum. Sed memoratu illud dignius est, quod subdit, certiorem factum se à Legatis Prælatos quosdam & Capitula ipsa præterlapsis jam sex mensibus Concilii Lateranensis III. ubi maodiebant adventare Legatos, tum præfestinè omnia contulisse Beneficia: tunc rescriptum à se fuisse ad Legatos, ut si dignis doctisque collatæ essent Præbendæ, ex dispensatione rem dissimularent: *Eas de* *C. Literas. De supp. negl. Prælat.* *patientia permittatis ab ipsis possideri.* Alioqui aliis eas conferrent.

III. Id verò ad Cardinales Legatos *à Latere* pertinet. Quos enim extraordinariè alios Papa Legatos mittit, vel nonnullarum Ecclesiarum, qui dicuntur Legati nati, nullam ii in partem societatemque hujus potestatis vocantur. *Ecclesiæ Romana Le-* *De officio Legati. in Sexto.* *gati, quantumcumque plenam Legationem obtineant, sive à nobis missi fuerint, sive prætextu suarum Ecclesiarum Legationis sibi vendicent dignitatem: ex ipsius Legationis munere, nullam conferendi Beneficia habeant potestatem: nisi hoc specialiter duxerimus indulgendum. Quod tamen in fratribus nostris Legatione fungentibus nolumus observari. Quia sicut honoris prærogativa lætantur, sic eos authoritate fungi volumus ampliori.* Hæc verba sunt Decretalis Innocentii IV. Quæ suprà à nobis congesta sunt de primoribus Mandatis & Reservationibus, vel Expectativis, ex iis omnino dilucidum factum est, initio non ipsos Pontifices ea Beneficia contulisse: sed preces primò adhibuisse ad Collatores, postea præcepisse ut conferrent, denique Executores designasse, qui conferri urgerent, vel conferrent ipsi. Itaque quando agebant aliqui in Provincia Legati, tum ipsi ea fungebantur executione Mandatorum Papæ. Stephanus Tornacensis suprà alicubi monuit Pontificem, non semel id oneris sibi à Pontifice impositum fuisse, ut Clericos vel aleret, vel stipendio aliquo foveret. Videa quàm hinc apertus daretur Legatis aditus, ut Beneficia ipsimet conferrent.

IV. Resilierunt Angli primùm ab his Legatorum reservationibus, palamque de iis conquesti sunt apud Innocentium IV. & Concilium Lugdu-

nense I. anno 1245. Querelas eas Matthæus Paris intexuit historiæ suæ. Et hinc forsan ansa oblata est ejus promulgandæ Decretalis, quæ modò à nobis recitata est. Certè Legatus Martinus, cujus grassationes ille exaggerabat, Legatus non erat *à Latere. Magister Martinus licet non utens Legationis insigniis, &c.* Aliquandò antè Angliæ Barones querelas & ipsi suas effuderant, quod nec à Beneficiis Patronatus laici audaces Legati suas manus abstinerent; quibus abundè à Gregorio IX. satisfactum
Paris. anno 1239.
fuerat, confirmatis luculentè exemptionibus omnibus laicis Patronatus.

V. Sub Pontificatu Pii II. molestè ferebant Germani, quod suis in Ecclesiis Cardinalis Legatus *litteras reservationum passim concederet.* Scripsit verò Jacobus Cardinalis Papiensis ad Prælatum Germaniæ, nec mirandum quidquam in ea re esse, nec novum: eum esse morem omnium Legatorum, id jus iis eam ipsis Canones potestatem facere: nulla speciali ad id facultate hunc Legatum esse donatum. Juri se illum accommodare Communi, cui obstrepere non possit Concordatum Germanicum. *Nihil alienum sit, non modo à consuetudine aliorum Legatorum, sed nec à Canonibus sacris. Faciunt hoc alii & semper fecerunt, nec nisi à jure potestas illa conceditur. Nullas superinde litteras Apostolicas habet Legatus, detulit solum, quod sibi jus tribuit. Id verò Compactata nationis non tollere perspicuum est, quando juri scripto est consentaneum.*
Epist. 28.

VI. Haud scio, an inde conjici possit, necdum tunc moris fuisse, ut Legatorum facultatibus ad Beneficia apud Gallos, limites, finesque aliqui circumscriberentur. Quamvis enim jam inde à Regno Caroli VII. & Ludovici XI. scrupulosissimè exigeretur, ut ne Legati munus suum obirent, nisi permittente Rege & quandiu ille permitteret, sponderentque eo jubente munere abituros, nec quidquam juri Regio, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adversum unquam adgressuros: non tamen inde trahi quidquam poterat ad circumcidendas eorum in Beneficiorum dispensatione facultates. Anno demum 1502. eo Senatusconsulto quo prorogata est Legatio Cardinalis Ambosii, *retentum fuit in mente Curiæ, ut in provisionibus, vel collationibus, quas faceret Legatus, observaretur Regula De verisimili Notitia, sicut in provisionibus Papæ.* Anno 1515. Senatusconsulto quo Registratæ sunt facultates Episcopi Tricaricensis, concessa non est ei nisi collatio sexaginta Beneficiorum, cùm nec ipse plura postulasset. Missas facio reliquas deinceps additas coarctationes, maximè anno 1542. 1547. & aliis posterioribus.
Preuves des Liber. Gall. c. 23.
Ibi n. 11. 28.
Ibid. n. 31. 32. &c.

VII. Si non multùm autem desudavimus in vestiganda origine harum Facultatum quibus instruuntur Legati à Latere ad conferenda Beneficia: in causa id fuit, quod ipsa legationis vox & natura declaret participationem quandam Pontificiæ potestatis. Ideo & quam primùm cœptum à Pontificibus dari mandata & reservationes Beneficiorum Patronatus, vel Collationis Clericorum: jam tum Legati idem sibi pro suo modo sumpsere. Ipsis etiam quandoque Legatis mandabat Pontifex, ut hæc & illa ei Beneficia servarent integra. Sed ex eo maximè capite promanavit hæc amplissima Legatorum potestas in Beneficia: quod uno & eodem tempore illa duo illapsa sint in mores & in disciplinam Ecclesiæ: ut Pontifices Collatores quodammodo universales evaderent omnium orbis Beneficiorum: utque Legationes frequentissimas in omnes Ecclesiæ Provincias, ad castitatis disciplinæ redintegrationem mitterent. Exundaverat in omnes Provincias Occidentis effrænata incontinentiæ & simoniæ licentia: serpenti malo objecit Sedes Apostolica Legatos suos quoquo versum discursaturos, plenissima instructos potestate, ad abdicandos, aut ex dispensatione retinendos Beneficiarios, vel simoniacos, vel impudicos: ad eorum resignationes admittendas, & tum plerumque rursus eos Beneficiis quibus sponte se exuissent, investiendos, ad ea etiam nonnunquam aliis conferenda. Usque adeo autem id frequentatum jam fuerat sæculo XI. & XII. ut tempore Innocentii III. jam in commune jus receptum esset, ut suprà confirmabat Cardinalis Papiensis.

VIII. Avenionensis Legationis primordia non possunt ante ea referri tempora, quibus Avenionensis & Venaïssinus Comitatus ditionis fuere Romanorum Pontificum, ac proinde postquam Pontifices Avenione aliquandiu sederunt. Cùm enim à Joanna Regina eum Comitatum sibi persoluto pretio comparassent, expressissentque ab Imperatore sibi relaxari, & concedi jus summi dominii, quo hactenus Imperatores ex reliquiis quibusdam Regni seu Arelatensis, seu Burgundici fruebantur: exinde regio seu provincia ea status & dominii Pontificii, à Legato Pontificio administrari debuit, perinde ut aliæ Provinciæ Ecclesiastici dominii in Italia singulæ singulos Præfectos & Gubernatores habent Legatos. Gregorius XI. Avenionensium Pontificum ante schisma ultimus, cùm inde se Romam referret, unáque Sedem Pontificiam, vix ambigi potest, quin Legatum Avenione dimiserit. Legatum & eò destinavit successor ejus Urbanus VI. ante exortum schisma. Quandiu Clemens VII. & Benedictus XIII. post exortum schisma Avenione ipsi sederunt, non Legatus ibi, non Vicelegatus opus fuit ullus, nisi Roma aliqui mitterentur, aut nominarentur juris servandi gratia, sicut ad Patriarchatus & Episcopatus *in partibus* nominantur, qui nomine tenus sint Episcopi & Patriarchæ. Ex quo denique Benedictus XIII. receptui cecinit, & in Hispaniam secessit, sedere haud dubio Avenione Legati, vel Vicelegati, sicut & in omnibus aliis Status Ecclesiastici Provinciis.

Legationi Avenionensi subest Provincia, subest Delphinatus, quod Provincia *Patria obedientiæ*, ut vocant, habeatur, & necdum Francico Regno accessisset, à quo divulsa fuerat jam inde à tempore filiorum Ludovici Pii: nondum, inquam, Francico rursum Imperio conglutinata fuerat eo tempore, quo maximè vigebat Legatio Avenionensis. Cùm similiter Delphinos suos haberet peculiares Principes Delphinatus, eo etiam tempore, quo jam Pontifices Romani Avenione sedebant, suberat & ipse Avenionensi Legationi, ut credere par est, & quidem tantò propensiùs, quòd is & Princeps & Principatus Germanicis Imperatoribus esset suo quodam modo obnoxius. Inde effectum est, ut & postquam Gallicano imperio parere rursum cœpit, Avenionensis Legationis finibus peræquè ut antè circumscriptus fuerit.

Legatione utraque perfunctus est suo ævo Cardinalis Ambosius, nimirum & Avenionensi, & extraordinaria per omnes Galliæ Provincias. Ille ipse est qui interveniente Vicario suo Ludovico de la Rochechoüard Episcopo Santonensi, transegit cum Senatu Aquisextiensi de spirituali jurisdictione Legatorum & Vice-Legatorum Avenionensium. Publi-

eatæ sunt & in lucem editæ Facultates, quibus Clemens IX. Cardinalem Rospigliosum Legatum Avenionensem instruxit. Illis confirmatur ea Legatione contineri Provincias seu Metropoles Ecclesiasticas Viennensem, Arelatensem, Ebrodunensem, Aquensem & Narbonensem.

CAPUT. LIII. *P. 4. l. 2. c. 20.*

De Graduatis.

I. Jam inde à XIII. sæculo Doctores, cæterique variis Graduum insignibus clari in distributione Præbendarum & Beneficiorum præpositi cæteris omnibus fuere.

II. Bonifacius VIII. largiorem illis Beneficiorum copiam infudit.

III. Quo in re imitati sunt eum Pontifices Avenionenses.

IV. Varia vicissitudines tempore schismatis Avenionensis.

V. Statuta Cleri Gallicani, cum subduxisset se obedientia duorum sibi adversorum hinc & hinc Pontificum.

VI. Multa admoventur in ejusmodi Statuto.

VII. Restituuntur Pontifices juri suo providendi in Beneficia, quod compendio cessisse videtur Parisiensis Universitatem, cujus Prælati minus fuerant studiosi. Frequentes hæ alternat ones inter Pontifices & Episcopos. Alternatrica insidem mensium peperere.

VIII. Qui fieret ea distributio in Anglia.

IX. Decreto Basileensis Concilii, ad prærogativas Graduatorum in Beneficiis consequendis.

X. XI. in eandem rem Pragmaticæ decreta, & Concordatorum.

XII. Qui insimulari non possint Graduati, quòd se ipsi ad Beneficia obtrudant. Eorum defensio à Concilio Coloniensi, & ab exemplo Congregationum Ecclesiasticarum.

XIII. Eorum rursum defensio ex Concilio Tridentino. Ut fovere similiter Carolus Borromæus. Quàm consentaneum & opportunum, ut extra menses Graduatorum Collatores Ecclesiastici, & omni tempore Patroni laici clericis commendatorum Beneficia conferrent.

XIV. De litium frequentia ex occasione Graduum.

XV. statuta Conciliorum & Edicta Regum, ad examen Graduatorum.

I. EX quo primùm jacta sunt fundamenta Universitatis Parisiensis, tum Pontificibus, tum Conciliis curæ fuit ejus alumnos omni gratiarum genere ornare, & copia cumulare Beneficiorum. Innocentius III. Ecclesiæ civitatis Insulæ Præbendam conferri fecit Subdiacono, indidem oriundo, & qui ibi humaniorum litterarum studiis præfuerat, eo uno merito illum anteponens Presbytero, quamvis ea sacerdotalis esset Præbenda. *Nos ad litteraturam ipsius, qui Scholas dicebatur habuisse, pium habentes respectum, &c.* Longè maxima pars Reservationum, Expectativarum, Mandatorum Apostolicorum Clericis addicebatur, quos longa studiorum curricula exhauserant, vel exhaustos sustentare non poterant. Hist. Univ. Paris. to. 2. pag. 511.

Conventus Generalis Episcoporum Galliæ Parisiis coactus anno 1283. & munimenta sibi aliqua comparare satagens adversùs Mendicantium privilegia, Universitatem ipsam suæ causæ & defensioni implicare vehementer studuit. Adsciti sunt Doctores, eosque admonuit nomine & verbis totius Conventûs Archiepiscopus Bituricensis, conspirare & conniti eos debere cum Episcopis ad eundem scopum: cùm ex eorum Collegio cooptati hactenos fuissent, cooptandique posthac forent universi Galliæ Prælati. *Quod nos sumus, vos eritis. Credo enim quod non sit hodie Prælatus inter nos, qui de hac Universitate non sit assumptus.* Hist. Univ. Paris. To. 3. pag. 466.

Si vel Prælaturæ autem non donabantur, nisi Graduatis cæteris, & maximè Doctoribus, idem de cæteris utique augurandum est Beneficiis. Nullæ tum adhuc certæ ad hæc, fixæque erant leges; sed cùm minùs eo tempore fervèrent studia litterarum, cùm numerus studiosorum parcus, rarissimæ Universitates; certum est eos qui in Universitatum Gymnasiis exculti & perpoliti fuerant, multò cæteris digniores fuisse, qui ad Beneficia eligerentur.

II. Cùm Romani Cardinales anno 1302. in Gallias perscriberent ad purgandam Bonifacii VIII. famam, id singulariter contestati sunt, ei Pontifici non aliud magis cordi fuisse, quàm ut mandatis suis & Beneficiis cohonestaret pauperiores Clericos, Magistros in Theologia, & quicumque aliqua Graduum gloria florerent. *Quis unquam prædecessorum suorum formas providendi pauperioribus Clericis plus extendit, quibus per nullos ex Prælatis fiebat provisio, & mendicare quodammodo cogebantur in opprobrium Clericale. Exurgant cum ipso Domino Magistri in Theologia, quibus ipse in Parisiensi Ecclesia Canonicatus contulit & Præbendas. Exurgant Magistri & alii litterati, &c.* Hist. Univ. Paris. To. 4. pag. 27. 28. Rescripsit & sacrum Collegium eodem anno, si Ecclesias Pontifex mandatis frequentioribus gravasset, imputandum id & charitati ejus esse, & sollicitudini, pervigilanti pro sustentatione complurium Clericorum, quorum nec pietate, nec eruditione, nec paupertate moverentur, aut vel tantillum tenerescerent Prælati. *Si quando gravavit Ecclesias, hoc fecit providendo in forma pauperum multitudini Clericorum, ad quos parum se extendebat pietas Prælatorum, &c.* Duas tantùm Episcopales Ecclesias à Bonifacio datas affirmavit, nempe Archiepiscopatum Bituricensem, quo Ægidium Romanum Doctorem Theologum ornarat; & Episcopatum Atrebatensem, quo auxerat Doctorem utriusque juris peritissimum. Confirmarunt denique Cardinales, voluisse Papam concedere Regi Collationem Præbendarum omnium Ecclesiæ Parisiensis, si modò eas conferret Doctoribus in Theologia vel jure utroque, aut alterutro; vel denique viris scientiæ laude & virtutum splendore claris. *Quia Ecclesia Parisiensis est honoranda & nobilis ecclesia, volebamus ei concedere, sicut frequenter diximus, collationem Præbendarum in illa Ecclesia, ita tamen quod non poneret ibi, nisi Magistros in Theologia, vel Doctores Juris Canonici vel Civilis, vel personas alias quæ essent magnæ scientiæ & litteraturæ, non nepotes illius, vel illius, ad preces illius.* Ibid. p. 30. 32

Juanna Franciæ & Navarræ Regina anno 1304. extruxit Parisiis Collegium Navarræ, assignavitque proventus annuos ingenti Bursariorum numero, nimirum Grammaticis viginti, Logicis & Philosophis triginta, Theologis viginti; jussitque ut unaquaque hebdomada hæ solverentur singulis pensiones, donec assignarentur eis Beneficia, triginta saltem librarum Grammaticis, quadraginta Logicis, sexaginta Theologis. *Donec sibi videlicet Grammaticis de Beneficio valoris triginta, Logicis valoris quadraginta, & Theologis valoris sexaginta librarum Parisiensium, vel amplius, per quemcumque contigerit provideri.* Launoius. Hist. Colleg. Navar. p. 2. 9. 42. Has illa voluit esse non litterarum magis, quàm virtutum & pietatis scholas. *Qui Doctor & Magister scholares suos non solùm in scientia, sed etiam in conversatione laudabili, honestate vitæ & moribus, charitativè & fideliter erudiant verbo pariter & exemplo.* Denique seu docentes, seu discipulos nonnisi fortuna tenues, ac pietate & religione divites esse voluit, qui his subsidiis sustentarentur. *Et sint tales, tam ipsi, quàm alii inferiores Scholares, de quibus verisimiliter præsumatur, quod non habeant unde per*

se ipsos, aut per parentes eorum in studio sustentari valeant, sed existant pauperes bona vita. Non aliud hæc ergo erant, quam Seminaria, ubi ad disciplinas & virtutes Clero consentaneas informabantur Clerici inopes & expoliebantur, ut Ecclesiasticis aliquando Beneficiis & ministeriis defungi possent. Quæ tunc ergo leges & Decreta Ecclesiæ istiusmodi Scholarum alumnis Beneficia adsignari magna ex parte jubebant, non aliter spectari debent, quam si nunc præscriberent, ut Collatores Beneficia sui juris permagna ex parte iis conferrent Clericis, qui in Seminariis diutinum & laudabile posuere tyrocinium. Pensiones verò istæ quæ Bursariis seu tyronibus his solvebantur, poterant utique pro manualibus haberi

Ibid p. 10. 35. Beneficiis: *Percepturi Beneficium Bursæ suæ, donec sibi alias provi um fuerit.* Quæ tunc illis per singulas hebdomadas distribuebantur portiunculæ, in singulis marsupiis, seu Bursis, unde Bursariorum nomen, instar erat redituum, vel distributionum Beneficii manualis.

III. Quandiu Avenione sedem habuere Pontifices, gratiarum & Beneficiorum largissima copia perfruere omnes Universitatis Parisiensis Doctores, aliosque pietatis & doctrinæ laude illustriores. Anno 1318. Joannes XXII. Prælatos Franciæ objurgavit, quòd in Beneficiorum dispensatione Graduatos indonatos abire sinerent, inopiaque laborare, ex quo fiebat, ut & ipsa Universitas situ quodam & squallo-

Rainald ann. 1318 n. 26. re marcesceret. *Gemit Rachel pulchra habens palmites, quos Ecclesiarum Prælati respicere dedignantur. Debita namque virtutibus præmia non impendunt, honorem sapientiæ non tribuunt, sed potius Sion ex sanguinibus ædificare contendunt. Unde ipsa Universitas miserabiliter ac lamentabiliter deficere cogitur, nisi per vos cæterosque Ecclesiarum Prælatos releve ur.*

Diximus jam inter auspicia Pontificatûs Clementis VI. centum circiter millia Clericorum ejus munificentiam & charitatem interpellasse, ut Beneficiorum

Hist. Univ. Paris To. 4. pag. 276 312. 376 901 largitione aliqua sublevarentur. Anno 1342. misit ad eum Universitas Rotulum eorum, quos ad Beneficia nominabat. Non nominabantur tunc Pontifici, nisi qui reapse docebant in publicis prælectionibus Universitatis. Episcopi quandoque ipsi complura sui juris Beneficia Universitati sua sponte offerebant, Graduatis dispensanda cujusque Facultatis. Istiusmodi Universitatis Rotulos, seu Catalogos existimant Romanum ad Pontificem mitti cœpisse jam inde à temporibus Joannis XXII.

IV. Postquam verò pestiferum erupit schisma inter Urbanum VI. & Clementem VII. tum vero copiosus ille beneficiorum & gratiarum rivulus, qui in Universitatem prius influebat, aliò derivari & affluere cœpit. Clemens VII. Avenionem secedens cum triginta sex Cardinalibus suis, non potuit non eos aliis omnibus præsidiis ferè destitutos, larga saltem Beneficiorum Galliæ ubertate solari & fovere. Audi quæ de his Paulus Æmylius in vita Regis Caroli VI.

Spond. an. 1381. & 1378. anno 1389 n. 8. *Cùm Clemens sex & triginta suæ factionis Cardinales haberet, eorum cupiditati prope sola Francia proposita erat quod reliquus terrarum orbis longè maxima ex parte Urbanum unicum Pontificem maximum cognosceret. Qui verò purpuratorum Clementem sequebantur sacris Franciæ Beneficiis, ut quæ opulentissima erant, ita maxima spe, conatu, expectationum & reservationum muneribus imminebant, nullo sanctitati honore habito, litterarum Musarumque respectu nullo.*

Eadem perhibet Joannes Juvenalis Ursinius anno 1381. *Eò tandem res perducta est, ut nemini probo & docto quidquam Beneficii obtingere posset, ne alumnis quidem Universitatis.* Commemoratur etiam à San-Dionysiano Monacho, vitæ Caroli VI. Regis Scriptore, *non implesse Prælatos Franciæ, quod spoponderant, in seque receperant Universitati tempore suspensi, inter utrumque Pontificem studii, Clericisque Graduatis quam minimam Beneficiorum portionem impertiisse, &c. Exarsisse Universitatis indignationem, & toto Quadragesimæ tempore cessasse eum Lectiones, tum Conciones, unde & defluxisse, alióque dilapsa est studentium ingens multitudo. Interposuit authoritatem suam Rex, & spem fecit consulendi necessitatibus studentium; atque ita Lectiones Concionesque publicæ rursus frequentari cœperunt.* Joannes Juvenalis Ursinius ait Prælatos ex utriusque obedientiæ suspensione restitutos plenissimæ suæ ad Beneficiorum collationes potestati, *ea dilargitos fuisse servis, mancipiisque suis, ejusque rei causa Universitatem tam crebras, quàm justas querelas ingeminasse.*

Nec penitus tamen vel Clemens VII. vel Benedictus XIII. Universitatis Graduatos in præteritis habuere. Illam partibus suis adjungere & conciliare intererat prorsus ad eorum dignitatem tuendam. Ideo & Universitas suos subinde Rotulos illis misit; & si minùs frequenter misit, per ipsam stabat, non per ipsos. Quod videlicet plures ejus Magistri in Romæ sedentis Pontificis partes propenderent. Vide Historiam Universitatis Parisinæ. Tom. 4 pag. 716 592. 716. 752.

V. Conventus Prælatorum Regni anno 1408. Parisiis habitus, suspensa utriusque Pontificis obedientia, multa edidit statuta, quibus gradibus Graduati To. 4 pag. 70. 210. consurgebant ad opima illa privilegia, quibus in Conciliis non multò pòst habitis locupletati sunt. Constitutum quippe est in eo Conventu Cleri, ut refert Monachus San-Dionysianus, *Ut sæculares Clerici Graduati inscribantur Rotulis Universitatis, ita* L. 28. c. 5 *opus esse ut Regulares nomina sua scripto dent, quo & ipsis Beneficiorum sui ordinis impartitione consulatur. Abbates & Superiores illis sui juris Beneficia conferent, sin minus, ad Concilium Provinciale referetur. Beneficia quorum reditus exiles, jejunique erunt, recusari poterunt à Graduatis. Ut occurratur eorum fraudulentæ ambitioni, qui in plurium Universitatum Rotulis inscribi se facerent, aut Optimatum, aut Principis, aut Facultatis, atque ita plurium loca & ministeria occuparent Ecclesiæ perutilia: Statutum est, ut uni omnes Rotulo inscribantur, &c. Si nominati non consentiant intra mensem Beneficiis quæ sibi obtigerunt, penes Collatores erit potestas, ut aliis conferant. Nec nominari sinetur, cui jam sunt Beneficia & reditus quadringentarum librarum, nisi is paterna maternaque splendescat nobilitate, vel Doctoris lauream consecutus in Theologia, vel Jure Civili Canonicoque, vel Baccalaureus sit Medicinæ, aut Baccalaureus formatus Theologia.* Hæc Monachi San-Dionysiani Historia sanè luculenter scripta, cujus Gallicanam versionem ita Latinam rursum feci.

VI. Nemini fastidium, ut spero, creabit hujus contextûs prolixitas, tam multis fæta egregiis documentis. Observa enim 1. ab anno 1399. ad 1408. hanc omnem Graduum & Graduatorum disciplinam formatam perpolitamque fuisse. Probabile omnino est, Regem fidem suam liberasse, ut qui in se receperat, consultum iri honori & commodis Universitatis, privilegioque ad Beneficia consequenda. Antè enim non aliud quàm universim commendabatur, ut litteratorum maximè ratio haberetur in Beneficiorum collationibus. 2. Graduati hîc nomina edebant sua in Catalogis Universitatum; atque ita jus consequebantur ad Beneficia, quæ inciderent. 3. Uno gaudebant mense ad consultandum, acquiescerent oblato Beneficio, an illud abjicerent; eoque spatio

temporis non poterat Beneficium alteri conferri. 4. Recusari poterant Beneficia ob redituum tenuitatem. 5. Nomina sua inscribebant non solùm Universitatis Catalogis, sed & Optimatum & Principum. 6. Ubi ex Beneficiis jam suis colligebant reditus annuos quadringentarum librarum, non ulla præterea poterant nova admittere Beneficia, nisi Nobiles essent aut Doctores, aut Licentiati Medicinæ, vel Baccalaurei formati Theologiæ. 7. Certum est rigorem hanc omnem Graduum & Graduatorum disciplinam privilegiorumque eis concessorum, Ecclesiæ Gallicanæ & Universitati

Hist. Univ. To. 5. pag. 175. 176. Parisiensi tempus in mandam esse. Posset ea res magis magisque confirmari, si vacaret proferre, quæ tunc deliberata fuerint in hanc rem, quæ consultata, quæ Cleri Conventui proposita: Omnes Prælaturæ, omnes majores Dignitates, maxima pars Beneficiorum Doctoribus, Licentiatis, aliisque Universitatis Graduatis destinabantur. Propositum etiam fuit, ut tertia pars Beneficiorum integra eis reservaretur. 8. Ita necessariò obviandum fuit prodigiosæ Beneficiorum dispensationi, aut dissipationi, quæ Avenione fiebat tempore schismatis: cujus labis affines erant & ipsi Prælati, cùm suspensæ obedientiæ variis intervallis, ipsi interim Beneficia omnia suo arbitratu largiebantur.

VII. Hæ verò Constitutiones omnes Cleri Gallicani confectæ & irritatæ prorsus sunt anno 1414. cura & industria Cardinalis Archiepiscopi Pisani, quem Joannes XXIII. Parisios ablegarat. *Rex quippe, Regina & Delphinus nominationes obtinuere, ministris servisque suis profuturas: similiter & Universitas, non sine cumulo quodam novo privilegiorum. Rex & Optimates potestate tantum non Papali utebantur in Prælaturas, eorum enim voluntati serviebat Papa. Quin & quandoque pecunia interveniebat. Licet autem Rex facilè passus est eas revocari constitutiones, quod passim personarent querelæ de Prælatis, qui collatione Beneficiorum ad ditandos cognatos servosque suos abutebantur, nec vocabant ad ejusmodi licentia consortium aliquod, vel virtute & meritis claros viros vel Clericos Graduatos vel Nobiles.* Hæc Joannes Juvenalis Ursinus anno 1414. qui & hoc subjicit, de earum constitutionum obliteratione ingemuisse complurimos, quòd ita occurreretur hinc *rusticorum ambitioni, qui filios suos Clero importunè obtrudebant, & in Clerum semel cooptatis Beneficia comparabant, redemptis pecunia Expectativis.*

Appro. Con. Constant. Decret. 2. Si Decreta verè fuissent Concilii Constantiensis, quæ nobis visa sunt Decretorum pinulsiones & tentamina quædam fuisse; constaret jam tum placuisse, ut ne eligeretur Episcopus, *nisi Doctor aut Licentiatus cum rigore examinis, &c.* ut primæ Dignitates Cathedralium & Collegialium servarentur Doctoribus, aut Baccalaureis Theologiæ formatis, vel Doctoribus aut Licentiatis Juris Canonici vel Civilis, nisi tam tenues essent reditus, ut intra menstruum spatium, non posset Graduatus adduci ad consentiendum; ut reliquis Graduatis pateret aditus ad Rotulos Universitatum. *Cæteris autem litteratis in prærogativis litterarum præ... habitur*; ut denique in Expectativis ejusdem datæ, Graduati cæteris præferrentur; si ambo essent Graduati, is præferretur, qui Diœceseos ejusdem esset.

Hist. Univ. Paris To. 5. p. 309. 310. 348. Anno 1417. innovata est appellatio Universitatis olim interjecta adversus provisiones Prælatorum, quibus ipsa contemptui prorsus erat cum suis. Eminuit & tum quàm optatum et fuisset, ut in Pontificem rursus mera illa Beneficiorum dispensatio revocaretur. Sævit Delphinus, sævit & Senatus minus & carceribus, hæc ea tamen provocatio prohiberi potuit. Pauco pòst tempore convenit Papæ & Episcopis, de alternativa mensium, quibus vicissim conferrent. Itaque anno 1421. Rotulos suos Universitas ad Pontificem & ad Prælatos misit. Non abhorret, ut jam dixi, à veri similitudine, alternantes has vicissitudines subductæ Pontificibus obedientiæ, & restitutæ, in causa tandem fuisse, ut & alternativa mensium ad Beneficia decerneretur.

VIII. Anno 1417. Archiepiscopus Cantuariensis Beneficia omnia suæ collationis, seu curæ animarum Conc. Tom. 12 pag. 302. 303. innexa, sive ejus experta, destinavit viris litteratis: nimirum pinguiora Graduum superiorum consortibus, exiliora inferiorum. Parochiæ sexaginta marcarum argenti, & reliqua Beneficia quadraginta marcarum Doctoribus adsignabantur: Baccalaureis & Licentiatis addicebantur Parochiæ quinquaginta marcarum, & reliqua Beneficia marcarum triginta. Patroni Ecclesiastici jubebantur alternis conferre uni Graduato, postquam arbitratu suo contulerant duobus aliis. Eadem Constitutio ab eodem Archiepiscopo anni 1421. publicata rursum fuit anno 1421. ad sedandas querelas Universitatum Oxfordiensis & Cambridgiensis.

IX. Hæc veluti præludia, hæc rudimenta tentata sunt ante Concilium Basileense, à quo Graduatorum privilegia & Beneficiorum in eos dispensationes, suæ quodammodo perfectionis cumulum aliquando tandem obtinuere. Nam circumcisis Mandatis Apostolicis, unoque servato in Patronum decem, duplici in Patronum quinquaginta & amplius Beneficiorum: ut Graduatis superessent quæ conferri possent, edita est à Concilio Constitutio sequens, quæ tum demum habitura erat locum, postquam Expectativæ Papæ abolitæ essent, & postquam Episcopi præter quatuor menses quibus gaudebant, reliquos recuperassent octo, quos sibi Pontifex vindicarat.

Sanxit ergo Basileensis Synodus 1. ut non in Metropolitanis tantùm Ecclesiis juxta Lateranense Concilium, sed & in Cathedralibus omnibus prima Præbenda addiceretur Doctori, vel Licentiato, vel Baccalaureo formato in Theologia, cum Titulo Theologi, ut Theologicas prælectiones semel aut bis hebdomada qualibet faceret. 2. Ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus tertia pars Præbendarum Graduatis adjudicaretur, præsertim Doctoribus, Licentiatis & Baccalaureis in Theologia. 3. Si quibus duæ sint jam Præbendæ in Cathedralibus, aut quibus abundè redituum sit ex Beneficiis ad vitam decenter ducendam, quæ summa ad ducentos florenos taxatur: ne ii quidquam præterea in vim Graduum suorum possint extundere. 4. Urbium moris cinctarum Parochiæ concedentur, si fieri poterit, Graduatis, aut saltem Clericis, qui triennium totum consumpserint in Scholis Theologiæ, vel Juris, & qui quapiam in Universitate consecuti sint Artium Magisterium. 5. Vigilabit Conciliorum Provincialium diligentia, ut hæc Decreta mandentur executioni. Vigilabunt & Capitula Provincialia Regularium, ut Beneficia Regularia doctioribus & dignioribus quibusque adjudicentur.

X. Congregatio Cleri Gallicani, quæ apud Bituri- G. de Collat. §. Item placuit &c. 99. tigas coaluit anno 1438. constituit, ut Patroni & Collatores Ecclesiastici conferrent Graduatis duas tertias partes ejus tertiæ partis Beneficiorum, quam eis Basileense Concilium addixerat; ut Parochiæ & Capellaniæ eo numero continerentur, ad has duas tertias partes Graduatos suos nominarent Universitates; Patronis, seu Collatores inter ejusdem anni Gra-

duatos conferret pro lubitu suo; sed ne vetustiores Graduatos recentioribus postponere posset; ut ne Graduatorum spei utique subjiciantur Beneficia, quæ vacant ex permutatione, vel resignatione simplici; denique ne Universitates suis insignirent Gradibus, nisi Clericos doctrinæ & probitatis spectatæ: cùm perridiculum sit prorsus, esse, ut reapse erant, indoctos Doctores: *Nam, ut notum est, & cunctis ridiculosum, multi Magistrorum nomen obtinent, quos adhuc discipulos magis esse deceret.*

Hist. Univ. Paris. To. 5 pag. 687. 695. 701.

Anno 1467. magna virium animorumque contentione enixa est Universitas, ut Pontifici extorqueret duos menses alumnis Universitatum, maximè verò Parisiensis. Operam se daturum Rex ipse spopondit. Anno 1472. Sixtus IV. ut Francos allice ret ad consentiendum revocationi Pragmaticæ, sex menses Ordinariis permisit, sibi sex servavit. Tunc rursus Universitas laboravit, ut sibi duos impetraret. At ea Sixti IV. Bulla irrita cecidit, & anno 1499. Rex strictissimè servari Pragmaticæ & Concilii Basileensis Decreta in negotio Graduatorum, Edicto sanxit.

XI. Concordata denique illuxerunt, consentanea pene Concilio Basileensi & Pragmaticæ. De Theologo ejusque Præbenda idem edicitur. Tertia quoque pars Beneficiorum Graduatis tributa, non ut primum Graduato, duo alia Beneficia aliis pro arbitrio conferret Patronus, vel Collator: sed mensium alterno decursu: ut quæ primo post publicata Concordata mense vacarent Beneficia, ea Graduatis necessariò conferrentur. Quæ duobus sequentibus vacarent, ea voluntati Collatorum & Patronorum permitterentur. Si Beneficia mensibus Graduatorum vacuata, aliis conferrentur, collatio esset irrita: eaque ad immediatum Superiorem devolveretur, inde & ad summum Pontificem. Graduati simplices à nominatis eò discrepant, quòd illi litteris tantùm suorum Graduum ritè insinuatis muniti sunt, hi verò etiam nominati & præsentati fuere ab Universitate quapiam. Menses Aprilis & Octobris Graduatis simplicibus, Januarius & Julius Graduatis nominatis adscripti sunt. Inter Graduatos simplices, cui eorum vult, gratificatur Ordinarius: at Graduatorum nominatorum seniorem semper juniori quoad gradus præferre cogitur. Ideo & vocantur hi menses rigoris, qui nominatis Graduatis attributi sunt. Si concurrat data, Doctor præfertur Licentiato, hic Baccalaureo; & cùm hinc & inde eosdem Gradus consecuti sunt, Theologiæ Doctores Doctoribus Juris Canonici anteponuntur, hi denique Doctoribus Medicinæ. Graduati si jam pleni sint aliis Beneficiis, nihil est ultra quod sperare debeant; Beneficia quæ permutatione vacant, non possunt nisi permutantibus cedere; Episcopus quæ in suas manus resignantur simpliciter, ea liberè cui lubet confert, nulla Graduatorum habita ratione. Graduati nec regularibus, si sæculares sunt; nec sæcularibus inhiare possunt Beneficiis, si sint regulares. Parochiæ urbium muris cinctarum Graduatis conferentur, vel iis qui tres annos contriverint in studiis Theologiæ, vel qui Magistris Artium adscripti sint. Pontificis tum præventio, tum Apostolica mandata, Graduatis omnibus præpollent.

XII. Cùm lex omnium sanctissima Ecclesiasticæ professionis sit, ut nemo se suo marte ingerat, & ne irrumpat in sacra ministeria: sed operiatur vocem cælestis vocationis, ei obsequatur; pedissequus, non prævius: Quæritur qui Graduati, seu simplices, seu nominari declinare possint invidiam audacis & temerariæ ambitionis? Quippe Graduati ipsi nominati, quos excusare quodammodo videri potest ipsa Universitatum præsentatio, coguntur tamen & ipsi confiteri, & ambisse se dionùs & desudasse non parum, ut præsentarentur. Respondemus autem primum quidem, insolentissimæ fore audaciæ, si quis id vituperare adgrediatur, quod & Pontifices, & Synodi Generales complures, & Conventus Præsulum celeberrimi, famosæ denique Universitates suis Decretis sanxerunt, non solùm innoxium, sed perutile etiam & Ecclesiæ compendiosum. Nicolaus de Clemangis luculentum hac Spicil. To. 7.
quidem de re Tractatum edidit, quo & nudavit latitantes terrenarum cupiditatum venas, quæ in animis scatent complurium Graduatorum. Sed nemo tamen sui compos inficias ibit, ea personarum esse vitia, non Graduum, quibus potest quis uti mente purissima, si mente ipse purissima sit. Idque ad Graduatos etiam simplices manat, qui & ipsi suo quodam simpliciore modo ab Universitatibus tunc præsentantur, cùm suis donantur Gradibus.

Si qua supersit difficultatis nubecula, eam excutiet Concilium Coloniense anni 1536. Cum hæc enim Synodus Universitatibus illacrymata esset labefactatis & concidentibus post Lutheranæ hæreseos grassationes, ita demum has earum labes resarciri posse confidebat. 1. Si ex Ecclesiasticis proventibus nutriendo ingens pauperum studiis strenuè incumbentium sustentetur. Si bona enim Ecclesiæ pauperum sunt & Clericorum patrimonia, sunt ergo maximè dicanda pauperum usibus Clericorum, ubi studiis litterarum infixi spem faciunt uberrimi fructus in Ecclesiam redituri. 2. Si certa subjiciatur spes adipiscendorum Beneficiorum, tum Professoribus, tum studentibus, qui solertia & strenuitate sua reliquos antecellent. *Academias in-* Part. 1. a.
staurari maximè in votis est. Id fieri posse nobis videtur, n. 5.
si modus aliquis inveniatur, quo pauperibus Scholasticis ex Ecclesiasticis stipendiis aliquid possit decidi. Clericos enim illos convexit Ecclesiasticis stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla bona suffragantur. Quo insuper Professoribus, atque his qui in bonis litteris, optimisque quibusque disciplinis, ac in primis Theologia studiis multùm profecissent, spes præmii fieret. Nam spes alit artes.

Præses hujus Concilii Hermannus, qui non alio tunc quidem, quàm purioris Ecclesiasticæ disciplinæ amore ardebat; Gropperus dubium doctrina an pietate præclarior: ingenium primò hujus Concilii, postea & compilator, nulla re denique illustrior quàm recusato Cardinalatu: laudes verò eximiæ, quibus hanc exornavit Synodum Cardinalis Sado- Spond. ann.
letus, doctrinam ejus Decretaque non ab calumnia, 1536. n. 16.
non ab invidia tantùm, sed & ab obliqua suspicione quavis vendicare possunt. Inde verò id existit, privilegiis Graduatorum nil contineri, quod officiat legibus vocationis Clericalis, cùm & his legibus, & illis privilegiis suffragetur apertissimè hoc Concilium.

Si qui sint quibus necdum satisfaciat hæc Coloniensis Concilii vel authoritas, vel doctrina; adjiciendum hîc erit ejusdem Concilii votum, consiliumque, ut Collatores Universitatem exorent, quò ab ea sibi significentur, qui Graduatorum emineant eruditione, qui pietate præcellant, ut his Parochiales Ecclesiæ & Canonicatus Collegialium adsignentur. *Cuperemus omnes Collatores ordi-*

Ibid. n. 16. *narios, præsertim Parochialium Ecclesiarum, huc induci posse, ut Academiæ potestatem facerent significandi subinde ipsis viros litteratos, ad regendum ejuscemodi Ecclesias idoneos, quos Collatores Parochiis cum vacarent, præficere non differrent, &c. Quod si idem apud Collegiatas Ecclesias, &c.* Hæc certè pulcherrima Graduatorum defensio; Ab Universitatibus præsentantur, post multa pietatis & eruditionis experimenta, nec necesse est ut ipsi sese ingerant. Nihil prohibet quin alii Graduati, immo & quin omnes Beneficiarii expectent, dum ab Episcopis, dum à privatis arcanorum conscientiæ Præsidibus, Rectoribusque & Confessariis excitentur ad professionem Ecclesiasticam, & proinde ad Beneficia quæ ipsis volente Deo obtigerint: cùm ad originem & ad ingenium Ecclesiastici instituti accommodatius sit, ut Beneficio, quàm ut patrimonio Clerici victitent. Vocationi utique cælesti adscribendum est, ubi se nunc tam multi offerunt illigantque Congregationibus Clericalibus, non ante centum annos excitatis, sed ad imitationem excitatis earum longè antiquissimarum, de quibus Tomo priore verba fecimus. Ubi, inquam, se his devovent innectuntque Congregationibus Clericorum, idque faciunt consilio & impulsu piorum & doctorum virorum, quibus vitam conscientiamque suam regendam crediderunt: vocationi sanè divinæ id totum meritò vindicatur. Atqui harum Congregationum socii & gregales, totidem non immeritò Beneficiarii dici possunt, eorum simillimi, qui priora Ecclesiæ sæcula illustrabant, cibo necessario & veste contenti. Parem ad mediocritatem temperata sunt Graduatorum Beneficia. Eorum nemo non potest eodem spiritu & zelo agi, quo qui in Clericales illas Congregationes inscribi se ambiunt, ut necessariis vitæ subsidiis instructi, totos se deinceps divinis & Ecclesiasticis obsequiis ministeriisque mancipent. Hæc fuit mens, hæc voluntas Conciliorum Pontificumque, qui Graduatorum privilegiis instituendis, augendis, firmandisque tantopere studuerunt.

XIII. Concilii Tridentini Patres graviter illi quidem incubuerunt, ut ne quis irrepere, aut irrumpere posset in Ordines & Beneficia Ecclesiastica, nisi cælestis vocationis oraculo alliceretur eò, aut pertraheretur. Et nulli tamen magis indulserunt Graduatis, ad summa quæque dignitatum Ecclesiasticarum fastigia promovendis. Optatissi-
Sess. 24. c. 12. mum enim illis fuit, ut in Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus dignitates omnes & media saltem ex parte Canonicatus, nonnisi Doctoribus vel Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico conferrentur. Ubi non oscitanter illud observandum est, antiquissimorum potiùs, quàm nuperorum Conciliorum Decretis se attemperasse Tridentinam Synodum, dum non magni facit Graduatos in Medicina, vel in Jure Civili. Concilium Toleta-
Can. 29. num anni 1566. huic Tridentino Decreto subscripsit.

Sess. 7. c. 13. In eodem Tridentino Concilio cum alibi subjiciuntur Episcopali examini, qui ad Beneficia vel eliguntur, vel præsentantur, exceptis iis qui ab Universitatibus præsentati, vel nominati sunt, approbantur manifestissimè Graduatorum nominationes. Non constat quod ea exceptio revocata sit alio ejusdem Concilii loco, ubi Concursus & Examen ad Ecclesias Parochiales instituitur. Sed perspicuum est nihil esse quod obstrepat modestiæ, pietatique Clerici, ad divinam vocationem suspensi & sequacis, in eo examine & concursu à Tridentina Synodo instituto, ut Ecclesiarum Parochialium Clero regendo admoveantur, qui ab examinatoribus digni, cæterisque omnibus digniores pronuntiabuntur.

Si æqua lance perpendantur verba singula hujus Concilii, vel Spiritûs sancti, qui Præsules ejus in unum collectos vegetabat, animabatque, apertissimum erit posse eos qui ad hoc examen concurrunt, non agi nisi pietatis germanæ & obedientiæ instinctu. Sanctus Carolus Mediolanensis Archiepiscopus sanctissimus, concursus & examinis diem pro more publicabat. Verùm ut verba ipsa usurpem Latinæ consuetudini tradita Giossani, qui vitam ejus scriptis mandavit, *Clerus ejus universus us-* L. 8. c. 30.
que adeo ab ejus ore & voluntate pendebat, & ad omnia obaudiens & sequax erat, at nemo examini se sisteret, nisi ab eo jussus: cùm omnes unius illius curæ & providentia incumberent; certi se ab eo Beneficiis & muniis Ecclesiasticis admovendos pro modulo suæ quemque pietatis & industria: persuasissimi à pietatis scopo nunquam se aberraturos, cùm Beneficia officiaque non capesserent, nisi consilio imperioque Præsulis cælesti sapientia refertissimi. Unde & illud nascebatur, ut Beneficio qualicumque indignus haberetur, qui illud injussu sanctissimi Pastoris aucupatus fuisset.

Pulcherrimum verò illud, & omnibus Ecclesiarum Præsulibus studiosissimè inculcandum, quod idem Scriptor subjicit. Seminaria Caroli verè Seminaria illi fuisse, ex quibus Clericos deligebat, ad Beneficia omnia suæ Diœceseos gerenda implendaque. Nempe Clericos hos omnes in Seminariis excultos informatosque in quatuor classes digesserat Carolus, ut & pro eodem sanctimoniæ & industriæ gradu Beneficia in eos omnia dispensaret.

Erant olim ab exordio sui Universitates ipsæ Seminaria, ex quibus adsciscebant sibi Episcopi optimos quosque collaboratores & Beneficiarios suarum Diœceseon. Pari ratione post Concilium Tridentinum Episcopalia Seminaria omnia simulacra quædam sunt Universitatum; ut qui in eis longa studiorum & virtutum exercitatione expoliuntur, non injuria pro Graduatis ab Episcopo quolibet haberi possint, quibus imitator factus sancti Caroli, Beneficia liberæ suæ collationis largiatur; quibus etiam à Patronis similiter conferri curet pro virili sua parte, Beneficia liberæ ipsorum præsentationis. Ex eo ita constituto & in mores recepto, ille efflorescere longè optatissimus fructus, ut ne Clerici unquam de Beneficiis litigarent, nec in ministeria pacis & sanctimoniæ, per fores irruerent tumultuosarum concertationum, ne quid asperius dicam. Accipe & hæc rursus in eandem rem ex eodem Scriptore vitæ Caroli. *Pax & concordia* Ibidem.
tanta in ejus Clero dominabatur, ut aureo hoc ævo prorsus à nullo frequentaretur, & tota conticesceret Curia Archiepiscopalis, quod ad causas Beneficiorum attinet, resignationes, permutationes, & id genus alia. Sed cùm nemo non consideret & acquiesceret providentissima Pastoris optimi charitati, ne cogitabant quidem illi de Beneficiis, in unum demersi stadium pietatis & religionis. Mihi quidem non liquet, an inter exordia sua Graduati consimilem alerent concordiam, pacemque, & una virtutum æmulatione exardescerent: impræsentiarum certè non alia feracior litium seges est.

XIV. Inde est quod inter complures Reformationis Articulos, quos Oratores Caroli IX. Regis Galliæ Concilio Tridentino suggerere jussi fuerant

anno 1563. quibus persimiles & ab Oratoribus Imperatoris depromendi erant: propositum fuit, ut uno ictu perimerentur innumerabiles lites, sublata distinctione petitorii & possessorii, sublatis & nominationibus Universitatum, quas Constantiensis invexit Synodus, jussisque Episcopis Beneficia instituere & conferre, juxta leges sanctissimas sanctissimi viri Gregorii Papæ, rerum Ecclesiasticarum callentissimi, conferre, inquam, iis, non qui petunt & ambiunt, sed qui detrectant & fugiunt. Verba ipsa jam superiùs retulimus.

Goldast. Const. Imp. To. 3. pag. 570. Memoir. du Conc. de Tren. p. 373.

Suprà c. 40. n. 14.

Nec est quod quisquam miretur, si nihil ejusmodi decreverint Tridentini Præsules, cùm citra controversiam executio istiusmodi Decreti nusquam difficiliores exitus habitura fuisset, nusquam in graviores dissensiones incursura, quàm in Galliis. Jure enim suo Universitates nullum non movissent lapidem ad sarta tectaque tuenda privilegia sua; nec segniores fuissent Curiæ sæculares, ne sibi judicia extorquerentur possessorii Beneficiorum. Esto ut Decretum Tridentini perrogatum fuerit, verendum supererat, ne superiores Præsules in eorum exempla irent, qui sub Carolo VI. Beneficiorum omnium provisionis compotes facti, pluris servulos & mancipiola sua faciebant, quàm Universitatum Graduatos. Certè nec in dubium vocari potest, quin in tanta Patronorum multitudine complurimi ad deteriora etiam consilia defluxissent.

Anno 1583. Concilium Turonense indoluit vehementissimè de turba Graduatorum, ab omnibus doctrinæ & industriæ præsidiis destitutorum; interpellavit proinde Universitatum Doctores, ut ne posthac Nominationum & Graduum litteras darent, nisi publico rigidoque examine præmisso; illud in primis inculcans, simoniæ genus esse, ubi pretio privatim Graduum litteræ darentur; edixit denique, ne litterarum id genus ratio haberetur, nisi ipsi juramento, alii testimonio suo confirmarent, præisse earum concessioni examen publicum rigidumque.

Cap. 21.

Ulteriùs etiam aliquid tentavit Concilium Burdegalense; sanxit enim, ut coram adessent examini Doctores omnes; utque postea Episcopo potestas esset examinandi Graduatos, & ejiciendi imperitos quoscumque nactus esset. *Posse Ordinarium quosvis Graduatos, etiam nominatos pro Beneficiis obtinendis, examinare, & repellere indoctos vobis declaramus.*

Cap. 9. n. 14.

Edictum Molinense anni 1566. non permisit modò, sed etiam præcepit Episcopis, ut examini novo subjicerent Graduatos, etiam nominatos, utque procul eos ablegarent, si minùs peritos comperissent. Hoc Concilio & Edicto niti potest eorum sententia, quibus visum est revocatum esse à Tridentino privilegium illud Graduatorum, ne examini subdantur. Idem firmatum est Edicto Henrici IV. anno 1596. Itemque Ludovici XIII. anno 1629.

Art. 3.
Art. 10.

De Patronatu laïco iterum, de primis precibus Imperatorum & Regum, de lætis Regni auspiciis.

CAPUT LIV. *P. 4. l. 2. c. 21.*

De primis precibus Regum & Imperatorum. De lætis item Regni auspiciis.

I. Preces tantùm primò adhibebantur à Regibus, qui nec impatientes erant repulsæ. Quàm animosè Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus ad genus preces abnuerit.

II. Mirum Adriani IV. exemplum.

III. Impellitur Ludovicus Junior Rex, ut præcepta precibus misceat, ab Abbate qui sua interesse existimabat.

IV. Qua fiducia restiterat Hildebertus Archiepiscopus Turonensis.

V. Nec non & S. Hugo Episcopus Lincolniensis.

VI. Mirum Ludovici Junioris factum, qui Pontificium Breve respuit, quo permittebatur ad primam omnium Regni Cathedralium vacaturam Præbendam nominare.

VII. Rodolphus Imperator præsentavit ad omnes primò vacantes Præbendas Cathedralium Imperii, confirmatque eo jure usos priscos Imperatores.

VIII. In Lusitania & in Anglia quandoque usu allatum est.

IX. Philippus Pulcher privilegio gavisus est Bonifacii VIII.

X. In Concilio Tridentino huic Principum juri derogatum non est, quanquam abolita sint Expectativa omnes.

XI. Nuper Pontifices consuetudinem Germanorum Imperatorum privilegio firmaverunt.

XII. De privilegio Regum Franciæ.

XIII. De Canonicatibus, quos Reges ipsi obtinent in nonnullis Ecclesiis.

XIV. Edictum Henrici III. Regis de Præbendis primò vacantibus sub initio Regni.

XV. Edictum Henrici IV. Regis de Præbendis primò vacantibus sub Episcopo novo.

XVI. Cleri Gallicani super his monitu ad Reges.

I. NOn antè ordienda est nobis dissertatio de Electione, seu Nominatione Episcoporum à Clero, à Pontifice, à Principibus, quàm exhausta fuerit quæstio de laico Patronatu, agitata quidem illa superiùs, sed hîc tandem profliganda. Initium ducemus à Mandatis Regum, quæ vim precum tantummodo primùm obtinuerunt, sed & ex precariis postea necessaria in præcepta evaserunt, peræquè ut Mandata Pontificum.

Preces ergo primùm interposuere Imperatores, Reges, Principesque, ad Patronos Ecclesiasticos & Collatores Beneficiorum. Unde nec ex repulsa magnopere illi succensebant. Theophylactus Archiepiscopus & Primas Bulgariæ inflexam animi sui constantiam tunc prodidit, cùm à Duce rogatus, ut amicitia sibi conjunctum hominem Episcopatu donaret, pari sanctitate & fiducia respondit, non decere, ut hujusmodi se negotiis interponeret, nec verò donorum & officiorum cælestium dispensatores molliri, vel inflecti posse commendationibus mortalium. *Nec tibi, domine mi, in ista fas est teipsum ingerere, quæ magna sunt & formidanda: neque nobis ita temerè divina gratia condonare.* Necdum à se creditas esse Episcopales Ecclesias ullas, nisi iis, quos longo probasset tyrocinio virtutum & functionum Ecclesiasticarum; vel qui diutiùs Constantinopoli concionibus vel prælectionibus sacris præfuissent; vel qui non inferiorem his laudem secessu quodam pio assecuti essent, & Monasticæ vitæ exercitationibus: si ejusmodi esset qui sibi commendabatur, gratias se potiùs illi habiturum, quàm ut de

Baron. an. 1071. n. 22.

co

eo bene se meritum esse speraret. *Quod si talis est quem Dominus meus commendat, non tu gratiam habiturus es nobis, sed nos tibi.*

II. Indeflexam quoque animi sui constantiam eximiè prodidit Adrianus IV. quando preces repulit Frederici I. Imperatoris, de Archiepiscopatu Ravennatensi conferendo in Comitis filium, quem jam tamen Subdiaconum Ecclesiæ Romanæ ordinarat ad preces Imperatoris ejusdem, & jam tum acsi Diaconus esset, Titulo certo, seu Beneficio Ecclesiastico donaverat. *Tanquam si in Diaconum jam fuerat ordinatus, Ecclesiam ei specialiter assignavimus.* Id autem in causa fuit, quamobrem abnueret Pontifex, quòd Ecclesia Romana undique Clericos uberiùs dotatos eruditione & virtute ad se trahat, suo in gremio ad summa culmina evehendos: tantum abest, ut suis se ipsa filiis orbari patiatur. Itaque Pontifex ad preces Imperatoris minus Beneficium concessisse, Episcopatum recusasse videri potest.

Epist. 5.

III. Cùm perciperet Ludovicus VII. Galliæ Rex Meldensis Episcopi nepotem ornare ac beare Præbenda aliqua majoris Ecclesiæ Parisiensis, demulsit Alexandrum III. Papam, ut mandato ea de re suo Decanum & Capitulum ejus Ecclesiæ conveniret. At Abbas sancti Memmii apud Catalaunum, ut nepoti suo daretur Præbenda ejusdem Catalaunensis Ecclesiæ, non contentus Regis litteras ad Episcopum expressisse electum, ad Decanum & ad Capitulum; illum etiam compulit, ut ne causationibus acquiesceret, vel tergiversationibus cederet, sed Regia ut potestate uteretur, scriberetque Metropolitano Remensi, ut Præbendam ipsemet conferret. Unde liquet, quàm non ferè potuerit non aliquando Regum humanitas & clementia circumveniri præstigiis Prælatorum, carnalibus affectibus plus æquo indulgentium, & ea tum in alios cudentium vincula, quibus ipsi aliquando tandem illaquearentur & ingemiscerent. *Nisi sine dilatione, quod dicimus, feceritis, & nostrum erit dedecus, & honor vester detrimentum pariter patietur. Absque precibus & supplicationibus sola authoritate vestra facere potestis & debetis. Non expedit juri & potentia sua derogare, & quod in manu tenet, ab alio postulare. Restat igitur id solum ut litteris vestris fratri vestro domino Remensi, exclusa omni ambiguitate, occasione & dilatione significetis, quatenus prædictum nepotem nostrum de prædicta Præbenda investiat; cùm nec electus possit, nec prædictus Decanus precibus vestris voluerit eum investire.*

Epist. 117.

Du Chesne. To. 4 pag 669. 584.

IV. Hildebertus Turonensis Archiepiscopus diffidebat mirum in modum à sententia Abbatis hujus Catalaunensis, cùm ad Honorium II. scribebat, uno eo commisso suo incidisse se in calamitates, quas à ministro Regis patiebatur plurimas, quòd recusasset Ecclesiastica Beneficia dilargiri ad ejus mandata, seu præcepta: *His premor angustiis, quia zelo zelatus sum domum Dei, quia dignitates Ecclesiasticas nec ex Regis præcepto disposui, nec ei disponendi facultatem indulsi. Sciens enim quia magis oportet Domino obedire, quàm hominibus, personas elegi, quæ in exequendis Ecclesiæ negotiis pondus diei portarent & æstus. Alteri igitur Diaconatum, alteri Decaniam dedi.* Ista autem verba, *ex Regis præcepto*, precibus jam præceptiones accessisse declarant.

Epist. 67.

V. Necdum Rex Angliæ præcepta adhibebat, sed preces: quibus tamen si quis minùs cederet, protinus effervescebat. Cùm ab Hugone sanctissimo Lincolniensi Episcopo Præbendam vacantem flagitasset: ille eius amici consultò, vel inconsultissimè potius sperabant se ansam hanc dedisse recolligendæ Regis gratiæ, qua dudum exciderat: ea respondit intrepida fiducia, quæ pene innata & coalita ei inerat, Clericis donanda esse Beneficia, non Aulicis: esse affatim Regibus alia, quibus ministros suos donarent & locupletarent; sinerentque cælestis Regis vicissim ministros laborum suorum mercedula frui. *Non Aulicis, sed potius Ecclesiasticis personis Ecclesiastica sunt conferenda Beneficia. Habet dominus Rex unde tribuat mercedem servientibus sibi, nec debet summo Regi famulantes privare proventibus suis, ut inde servis suis provideri poscat à nobis.* Indignatio, ut assolet, primò Regis animum invasit; at ubi Episcopum audiit, incessit admiratio, & charitas in eum propensior.

Baron. an. 1186 n. 18. Surius die 17 Novem. n. 11.

VI. Miram hanc Angli Regis animi moderationem superavit, ut opinor, Ludovicus VII. Galliæ Rex ex Palæstina redux. Oblato enim sibi Mandato Apostolico, quo permittebatur arbitratu suo primam Præbendam in qualibet Regni Cathedrali conferre cum fructibus temporis quo vacasset, eo uti recusavit, conducibilius sibi fore dicens, authenticum ipsum privilegii igni tradere nunc, quàm semetipsum æternis ignibus aliquando tandem cruciari. *Cui cùm quidam Clericus Papale privilegium attulisset, quod in omni Ecclesia Regni sui primam vacaturam haberet, cum fructibus medio tempore provenientibus; ille confestim combussit litteras, dicens se malle tales comburere litteras, quàm animam suam in inferno torqueri.* Hæc Valsinghamus, ex quo liquet Regia hujus animi penetralibus insedisse miram quandam integritatem & religionem, quanquam nec cupiditatum illecebris semper, aut iracundiæ inaccessus esset.

Script. Angl. pag 2,88.

In hypodig. Neustr. anno 1148.

Scripsit aliquando Innocentius III. ad Collegialem Galliæ Ecclesiam, ut mandatario suo Præbenda assignaretur una, alteraque similiter annueretur precibus filii Regis Galliæ Philippi Augusti. *Gratum erit, si ad preces memorati Nobilis in alia Præbenda duxerint providendum.* Inter Epistolas Sugerii Sandionysiani Abbatis, & Regentis Galliæ Regni per Regis absentiam, Ludovicus idem VII. is erat, qui maria tranaverat ad bellum sacrum profectus: una est in qua Theobaldus Comes Blesensis, vendicat sibi Regaliam Episcopatus Carnotensis, tum vacantis, atque adeo collationem Capiceriæ ejus Ecclesiæ, quæ tum quoque vacabat, nisi Regens preces interposuisset, ut de ea Capiceria disponeret. *Sed si eam precibus ab Episcopo quæsieritis, inde me non intromitto.* Tum ergo Reges & Regentes his quandoque ad Beneficia precibus utebantur.

Regest. 15. Epist. 22.

Epist. 38.

VII. Hactenus præsultorii tantùm conatus, jam res ipsa subjicienda oculis est, sub Imperatore piissimo, qui sanctissimè confirmat antiquissimo eo jure usos antecessores in Imperio suos. Rodolphum dico, Austriacæ Imperatoriæ familiæ Principem. Author additionum ad Urspergensem Abbatem publicavit formulam ipsam litterarum, seu precum, quas ea de causa mittebat: *Cùm ex antiqua & approbata, ac à divis Imperatoribus & Regibus ad nos producta consuetudine, quælibet Ecclesia in nostro Romano Imperio constituta, ad quam Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinet collatio, super unius collatione Beneficii precum nostrarum primarias admittere teneatur. Devotionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico de Ecclesiastico Beneficio studeas liberaliter providere.* Scripta est hæc Epistola ad Abbatem, unde facilè conjicitur, Ecclesias omnes Cathedrales, Abbatiales, Collegiales ei servituti fuisse obnoxias. Id produnt & ea

Goldast. Const. Imp. To. 1 p 446 Post annum 1186.

verba formulæ, *qualibet Ecclesia.* Miscentur & hic præcepta precibus: *Precum primarias admittere teneatur.*

VIII. Non his se finibus continebat Rex Portugalliæ; precibus minas, præceptis vim addebat, ut eligi cogeret in Ecclesiis Cathedralibus aliisque, ubi primæ dignitates electione conferebantur. Utcumque satisfacere visus est Clero Regni sui, & Nicolao IV. Pontifici anno 1289. pollicitus non eas posthac à se preces adhibitum iri, quæ electionum libertatem perimerent. *Nec in suis precibus adjecturum, quod nullus alius eligatur, nisi is pro quo direxerit preces suas.* Anno 1316. Clerus Anglicanus ab Eduardo II. Rege obtinuit, *ut cessarent preces & op-* [Rainald. n. 50.] *pressiones ex hac parte.* In nova Compilatione Constitutionum Angliæ Regum Joannis, Henrici III. & Eduardi I. legere est litteras Eduardi I. ad Ab- [Pag. 1010.] batem, ut juberetur annua pecuniæ pensione refovere Clericum, donec Beneficio eum impartiret idoneo, quo vitam tolerare posset. *Cùm vos ratione novæ creationis vestræ præfatæ Abbas teneamini uni de Clericis nostris, quem vobis duxerimus nominandum, in quadam pensione de domo vestra singulis annis percipienda, quousque eidem per vos provisum fuerit, de Beneficio Ecclesiastico competenti.* Rex vicissim spondet tantò propensiùs se Abbatiæ necessitatibus opitulaturum: *Ita quod vobis exinde reddamur in vestris* [Pag. 1044.] *opportunitatibus meritò promptiores.* Plurima sunt ejusmodi exempla in eadem compilatione, ubi Rex orat præcipitque, *Mandamus rogantes:* & ubi manifesta elucet præcepti vis, *Cùm vos teneamini.*

Id genus libellus precum dabat & Angliæ Regina, ut patet ex litteris ab Abbate & Monasterio sancti Cornelii ad Regem scriptis, postquam & pensionem exolverant, & contulerant Beneficium. *Regina Angliæ consors vestra nobis litteras suas nuper di-* [Pag. 1041. 1046. 1050] *rexit pro quodam Clerico, ut provideremus eidem in Ecclesiastico Beneficio, vel pensione competenti, qui de nobis recepit quadraginta solidos annuæ pensionis, quousque eidem provisum extitit in congruo Beneficio.* Expostulavit de eodem Rege Athelingensis Abbatia, ad ipsum met, quòd ab eo jam tribus id genus pensionibus gravata fuisset; quarum una fuerat *quadraginta solidorum* Clerico solvendorum.

Ejusdem generis preces ad Episcopos à Regibus missitabantur. Eduardus I. ad Episcopum Lincolniensem his verbis scribebat: *Edmundo aliquam de-* [Ibid. p. 1107] *centem & honestam pensionem percipiendam singulis annis de camera vestra, quousque sibi de Præbenda pro ipso competenti in Ecclesia vestra juxta nostrum rogatum duxeritis providendum, per vestras patentes litteras concedendo.* Eduardus idem à Pontifice quandoque Indulta impetrabat, seu Mandata, ad Episcopos, ad Archidiaconos, aliosque Collatores, ut assignatis Beneficiis eorum penuriam solarentur, quos Rex suis ex servis ministrisque designasset.

[Ibid. p. 291.] Parciùs ea licentia abutebantur Galliæ Reges usque ad Philippum Pulchrum, cui Bonifacius VIII. anno 1297. concessit, ut Præbendam unam ex qualibet Ecclesia Cathedrali & Collegiali Regni sui conferret arbitrio suo: *Concessit Regi quod ad suum* [Rain. n. 46. Hist. Univ. Paris. To. 4. pag. 28. 32.] *beneplacitum in qualibet Ecclesia Cathedrali & Collegiata Regni sui una persona idonea ponerenur.* Id prescripsere Cardinales anno 1302. Non is erat Pulcher, qui exemplo oreretur Ludovici VII. & ejusmodi privilegio abstineret. Porro privilegium consuetudini præponendum jure meritò videbatur, ut quæ non rarò sit non aliud, quàm inveterata corruptela, quo solo tamen fundamento nitebantur Germani Imperatores. Quæ enim in manus nostras venerunt preces Caroli IV. Imperatoris, non alio se muniunt quàm consuetudinis clypeo, ut omnia rogentur Monasteria, cùm primùm Imperator clavum capessit Imperii, suæ ut nominationis Beneficium ejus precibus donent, siquidem cupiant suas [Goldast. Const. Imp. To. 3. pag. 343. 375.] sibi libertates sospites incolumesque servari, Imperiali benevolentia & tuitione. Cùm Carolo IV. successisset Venceslaus filius, suum ille hoc jus cessit Electori Palatino, ut Clericum præsentaret suo nomine in Episcopatibus Spirensi & Vormatiensi. Sed in his litteris nonnulla sunt, quæ observasse juvet. 1. Illas inniti tum jure, tum consuetudine. *Tam de jure, quàm ab antiqua consuetudine.* Quippe vel tolerantia, vel consuetudo diutina jam in jus evaserat. 2. Sperabat Venceslaus eo se jure bis potiturum, primò quidem cùm Rex Romanorum creatus, secundò iterum cùm Imperii corona redimitus fuisset. 3. Hoc jus ille ad omnes effundit Ecclesias Cathedrales, Collegiales, Abbatiales, Regulares, sæculares, ad omnes denique Prælatos, Patronosque Ecclesiasticos.

X. Cùm indubium sit has Imperatorum litteras Expectativis annumerandas esse, cúmque Concilio Tridentino proscriptæ sint Expectativæ omnes: in [Sess. 24. c. 19.] dubium vocatum est, an eo Tridentini Concilii decreto implicarentur Imperatores: tum potissimum cùm Pius IV. Imperatorium hoc jus confirmasset. Cùm Thesaurariam suæ Ecclesiæ hujusmodi Imperatorio mandato Archiepiscopus Cameracensis in- [Fagn. in l. 5. De r. Par. 2. p. 251.] volatam sibi fuisse vehementer doleret, Congregationem Concilii consulendam sibi esse statuit. Illa autem respondit cùm in eo decreto non fiat expressa mentio Imperatoris, eo illum non cōstringi; sit enim mentio Cardinalium, qui & ipsi eminentissimo continentur illo ordine eorum, qui hujusmodi decretis non continentur, nisi expressè commemorentur. Confirmata est à Gregorio XIII. responsio Congregationis, qui optimè se meminisse dixit in ea Sessione Concilii Tridentini, in qua quæstio ista concertata fuit, cùm molirentur aliqui hoc Imperatorum infringere & abolere privilegium, frustra illos fuisse, cùm longè pluribus suffragiis muniretur causa Imperatoris.

XI. Jam ergo non injuria affirmabitur, privilegio etiam Apostolico niti jus istud Imperatorium, cùm à Pio IV. & Gregorio XIII. novum illi auctoritatis pondus accesserit. Sed non constat eos hoc privilegio usos, eo tempore, quo de eo agebat Guimerius in Pragmaticam. Meminerat enim Pragmatica harum Expectativarum: *Facultates nominandi à summo Pontifice emanatæ:* easque damnabat in posterum. [De Collat. § Placuit.] Sed cùm nec Imperatores, nec Reges expresso nomine ibi designarentur, certum est, nec comprehensos eos fuisse.

Hæ verò summorum Principum preces longo ab iis distant intervallo, de quibus Basileensis Sy- [De Elect. § Licet. § Nec crede.] nodus & Pragmatica agunt, & à quibus vehementer dehortantur Optimates, ne unquam interponant sa pro iis, qui eorum subsidio ambiunt se juvari, quando electiones ad Beneficia celebrantur. Scitè à Guimierio adnotatum est, Pragmaticam Ba- [De Elect. C. Sicut. § Ad tollend.] sileensi Concilio assentiri, & ex ea posse Regem *motu proprio* preces adhibere; non posse, si qui suspirat ad aliquod Beneficium, per sese, vel amicorum opera Regem sollicitet.

XII. Revocanda nunc eò oratio est, unde declinaverat, ad jura nimirum & privilegia Galliæ Regum diligentius excutienda. Posset suspicari quis

privilegium quo Philippum Pulchrum ornavit Bonifacius VIII. personæ tributum fuisse, non dignitati; perinde ot illud, quo Clemens VII Avenione sedens anno 1389. Carolo VI. Regi concessit, ut duas in qualibet Cathedrali Præbendas conferret, referente Froissarto; peræquè rursus ut Innocentius VI. Joanni Regi ex Guimierio permisit nominationem triginta Præbendarum. Dilucidum est personæ hæsisse hæc privilegia, nec quidquam pertinuisse ad auspicatissima horum Principum regnandi initia.

L. 4. c. 4. De Collat. § Item verfum.

Du Moulin To. 2. pag. 5151. Arrest Parlam. Paris. Part. 7. n. 26.

Propius accedit quod apud Carolum Molinæum legitur, nimirum quamprimum Reges solenniter inaugurati fuerant, id juris sibi sumpsisse, ut in singulis Regni Abbatiis suæ custodiæ commissis Monachum, vel Monialem nominarent. *Cùm dominus Rex utendo jure suo regio, in principio sui regiminis post suam coronationem in Abbatia regni sui de gardia sua existente, possit ponere, videlicet in Monasterio Monachorum unum Monachum, & in Monasterio Monialium quandam Monialem.* Cùm Rex eo jure uti voluisset in Abbatia Cuciacensi, rejecta est à Monialibus quam Rex præsentaverat puella nobilis, eo prætextu quod necdum Abbatissam haberent. At Senatusconsulto Parisiensi pronunciatum est, admittendam utique esse, non tamen Monastica veste induendam, nisi postquam creata fuisset Abbatissa. Spectabat hoc sanè ad lætissima Regni auspicia eo quidem tempore: sed in Abbatias tantum hoc jus se porrigebat, & in eas quæ Regiæ essent custodiæ, non in alias Ecclesias; denique cum ita usus prorsus exoleverit, integrum jam non est eum revocare, postquam jura nova successere.

Ibid. Apud Molinæum, De Privil. Regn Fran. n. 7.

XIII. Ludovico XII libellum suum de Privilegiis Regni Francorum dicavit Joannes Feraldus, in quo narrat quanquam per Canones non liceat Laicis Beneficia obtinere: à Regibus tamen Galliæ obtineri Præbendas in Ecclesiis regni compluribus, ut in Ecclesia sancti Hilarii Pictaviensis, fatente Panormitano ipso; in Ecclesia similiter Cenomanensi, Andegavensi, sancti Martini Turonensis: quarum reditus permittantur inferioribus Ecclesiæ Ministris. *Cujus reditus remittit servientibus, seu bajulis:* quarum denique distributiones ipsemet Rex percipit dum præsens adest. *Et quando præsens est distributiones capit, ut expertus sum.* Hallucinatur hic Scriptor, cùm jus istud superstruit unctioni sacræ Regum Galliæ. Indigitata à nobis superiùs est hujus rei ratio, ubi de Canonicis Laicis agebamus. Agitur hic de jure obtinendi potius, quam conferendi Præbendas; idque jus ad paucissimas Ecclesias coarctatur. Non ergo ad rem facit, quam hoc Capite elucidamus, quidquid hic Feraldus disserit. Quin immo cum altissimum in ejus hocce libello silentium sit de jure nominandi ad Præbendas propter nova Regni auspicia; quanquam non sileat de Precibus Imperatorum: hinc dubitari potest an locus tum esset ei juri, aut an Feraldo illud exploratum fuerit. Ne illud quidem affirmat, à Rege dari Præbendas quas ipse obtinet in paucis his Ecclesiis, sed earum ab eo reditus in infimos Ministros ait dispensari. Denique nulla ejus rei connexio cum jure conferendi primas Ecclesiarum Præbendas in novis, lætisque Regni auspiciis.

Chopinus. De Doman. Franc. l. 3. Tit. 13. n. 11. Borden. Des Cours Eccl. c. 2. n. 28.

XIV. Commemorat Chopinus diplomata Henrici III. quibus anno 1575. integras servat Cantoribus & Presbyteris Capellæ Regiæ Præbendas novi regni auspiciorum. Author est Bordenavius ea diplomata in Parlamento, ut moris est, nunquam fuisse publicata; quanquam exinde Curia Magni Consilii ex Pasquierio pronunciet secundùm eos, qui has Regiæ nominationis litteras acceperint; verùm cum ei juri non subscribat Parlamentum, cùm non accedat consensus Episcoporum, non Concordata, non Bulla quævis, non antiquior ullus Scriptor: non posse illud universim valere, sed ad aliquas restringi debere particulares Ecclesias, ubi vigeant tituli, transactiones, concessiones, aut consuetudines antiquæ. *Ideo & Parlamenta hos regiorum Brevium in hac parte venditatores semper vacuos dimiserunt, ejecerumtque Arrestis suis: in primis Parisiense anno 1616. cum de Præbenda ageretur Ecclesiæ Constantiensis.* Ea sunt verba Bordenavii, qui Louetum laudat.

Pasquier. Recher. l. 3. c. 7.

Ibidem. n. 33.

XV. Idem ipsi à Bordenavius refert, anno 1599. in Magno Consilio publicata registrataque fuisse ex Chopino diplomata Regia, quibus jus Regi vendicatur nominandi ad primam Præbendam per obitum vacantem, postquam novus Episcopus fidei Sacramento sese obstrinxit; his consentanea emanasse complura Magni Consilii Arresta; sed eos conatus à Parlamento semper elusos irritatosque fuisse, maximè vero Senatusconsulto anni 1612. in causa Præbendæ Bajocensis. Cæterùm testatum faciunt iti viri, quibus non facile derogari possit fides, ea Diplomata Regia reperiri nunquam potuisse in Registris Magni Consilii, nec ante annum 1601. Arrestum manasse ullum ab hac etiam Judicum Curia, quod iis Diplomatibus consentiret.

Henricus III. Rex anno 1579. Edicti Blesensis articulo 3. revocavit reservationes omnes, & expectativas necdum vacantium Episcopatuum, Abbatiarum & Prioratuum: revocavit & litteras ad hujusmodi Beneficia vacatura à Regibus hactenus concessas. Quo uno significavit Rex piissimus, incunctanter se ejusmodi omnia Canonicis Regulis adversa commina revocaturum, si pie & opportunè commonitus fuisset.

Monast. Angl. to. 2. pag. 303.

In Anglia Coventrensis Monasterii Prior intercessit Regio Brevi, quod extorserat Capellæ Regiæ Clericus, ut sibi adsignaretur annua pensio, donec Beneficiu donaretur aliquo à Priore eam dignitatem assecuto. *In placito inter Regem, & Priorem Ecclesiæ de Coventre de annua pensione uni Clericorum Regis, ratione nova creationis ejusdem Prioris, quousque, &c.* Urgebat Prior Ecclesiam sua Cathedralibus non annumerari, nulla enim Baronia à Regibus donatam esse, à Comitibus Cestrensibus eam fundatam dotatamque fuisse, Abbatiolæ titulo & splendore eam olim floruisse; at cùm Abbas ad Cestrensem Episcopatum electus fuisset, tum ab eo Monachis persuasum fuisse, ut à Prioribus posthac ea Ecclesia administraretur.

XVI. Anno 1612. Clerus Gallicanus enixissimis precibus adiit Ludovicum XIII. Regem, ut abolerentur istiusmodi nominationes Regiæ ad Præbendas *obtentu sacramenti fidei, & felicium auspiciorum.* Responsum est nomine Regis perlectos Cleri libellos fuisse, nec potuisse nunc quidem concedi id totum quod flagitaretur; at id saltem concedi, ut ejus oneris immunes sint Ecclesiæ omnes Collegiales Regni. Edicto anni 1629. revocatum est jus illud ad solas Ecclesias Cathedrales, vendicatæque sunt eæ Præbendæ Clericis, qui in obsequio ipso suorum Regum, ut jure suo aliis cedere haud integrum sit. Comitia Cleri Gallicani an. 1646. a Ludovico XIV. Declarationem impetrarunt, qua confirmabatur Edictum suprà laudatum Ludovici XIII. revoca-

Cabassut Praxis pag. 129. 130.

bantur Brevia, quæcomque exorta sibi fuerant ad Præbendas Collegialium Ecclesiarum, vel ad dignitates Cathedralium, elidebaturque clausula illa, quæ irrepserat, Collationem Ordinarii his Regiis litteris adversam irritam fore. Tentavit Magnum Consilium eam Declarationem limitibus additis quibusdam arctare, sed expressiùs jubente Rege, publicari eam purè & simpliciter necesse fuit. Nova sunt hæc omnia & nupera, nec nisi novis ex Scriptoribus ea proferri potuere. Verùm ex his illud non novum, sed antiquissimum astruitur Ecclesiasticæ Disciplinæ placitum: cùm novo subinde beneficiorum cumulo à summis Principibus Ecclesia exornetur; æquissimum esse, ut & ipsa vicissim eos aliqua gratiarum remuneratione prosequatur, sinatque eos aliqua usurpare jura, quæ non constet ab eorum semper Majoribus usurpata fuisse. Ita, ut mea fert opinio, sensere Episcopi ejus Congregationis Cleri, quam modo laudavi: & illi qui ad posteriores ejusdem Cleri Congregationes coaluere. Nec ferè fas est ab ea sententia tum discedere, cùm jura ejusmodi jam penitus convaluere.

Memoires du Clergé, de la dern. édition. To. 2. pag 274.

CAPUT LV. *P. 4. l. 2. c. 22.*

De Laïcorum Collationibus.

I. Quod investituras olim prohiberas potissimum infamabat, id unum erat, quod laici non contenti præsentare ad Beneficia, ea co ferre t Probatur.

II. Rursus idem probatur. Quantum & Collationes & Investitura laicorum adversentur legibus divinæ vocationis, quæ una est janua ad Beneficia.

III. Abbates, Monachi, Clerici possunt jus sibi legitimum peperisse conferendi Probationes.

IV. Ratio hujus discriminis inter Clericos, Laicosque

V. Beneficia Curata institui unum Episcopo desiderant. nisi adlater jurisdictione fruantur Episcopali.

VI. Galliæ tamen Reges multa conferunt Beneficia ab annis jam amplius quadringentis Querela Bonifacii VIII. Defensio Philippi Regis.

VII. Vt usus ille invaluisset.

VIII. Qui usus ille cohærescat cum tot Canonibus, qui laicorum Collationes proscribunt.

IX. Tridentina Synodus Episcopis servat institutionem Beneficiorum

X. Observationes alia in jus conferendi.

XI. Aliæ observationes in Collationes privatorum quorundam.

XII. Et in Collationes Regum nostrorum.

XIII. Memoranda quadam Concilii Coloniensis II. Decreta.

XIV. Collationes Angliæ Regum.

I. CUm hæc ad eosdem summos Principes Regesque spectet quæstio, perinde ut superior, nefas duxi eas sejungi. Incurrit in oculos gravis ea difficultas, qui possint alii, quàm Episcopi, sed qui possint maximè Laici quantavis sæculari præfulgeant dignitate, suapte potestate Beneficia conferre & sacra quævis ministeria, non interveniente Episcopi, vel institutione, vel confirmatione. Illa enim demum est, quæ Collatio dicitur Beneficiorum.

Synodi complures sæculi XI. & XII. damnatis Investituris Laicorum, proscripsisse videntur, & easdem Collationes. Quod Investitura tot Conciliorum jaculis confossa, addebat Patronatui in Canonicis institutis probatissimo, non aliud videtur fuisse, quàm summa hæc authoritas à laïcis usurpata, sacras suo nutu dignitates conferandi. Si enim quos investisset Princeps, Episcopus postea instituisset, non aliud fuisset investitura, quàm præsentatio, & legitima Patroni functio. Ita perspicuè patet in Concilio Claromontano anni 1095. *Ut nullus Ecclesiasticum aliquem honorem à manu laico um accipiat. Nullus Presbyter Capellanus alicujus laici esse possit, nisi concessione sui Episcopi.* Et in Concilio Turonensi anni 1096. *Nullus laïcus det, vel adimat Presbyterum Ecclesia, sine consensu Præsulis. Nullus laicus consuetudines habeat Episcopales, vel justitiam, quæ pertinet ad curam animarum.* Et rursus in Nemausensi ejusdem anni; *Clericus, vel Monachus qui Ecclesiasticum de manu laici susceperit Beneficium, quia non intravit per ostium, sed ascendit aliunde, sicut fur & latro, ab eodem separetur officio.* Can. 15. 18. Can. 6 7. Can 8.

II. Perstringitur hoc postremo Canone caput ipsum & cardo rei totius: quòd non pandantur fores ministerii cujuscumque sacri, nisi cœlestis vocationis oraculo, cujus interpretes & præcones sunt Episcopi. Nec minus dilucidè Concilium Londinense anni 1125. *Nullus Abbas, nullus Prior, nullus omnino Monachus, vel Clericus, Ecclesiam, sive Decimam, seu qualibet Beneficia Ecclesiastica de dono laïci, sine proprii Episcopi authoritate & assensu suscipiat. Quod si præsumptum fuerit, irrita erit donatio, & ipse canonicæ ultioni subjacebit.* Et aliud Londinense rursus Concilium anno 1127. *Nulla persona Ecclesias, vel Decimas, seu qualibet alia Ecclesiastica Beneficia det, vel accipiat, sine consensu & authoritate Episcopali.* Ex alia rerum commissura emerserunt hi Canones, quando nempè laici qui longè plurimos Beneficiorum fundos invaserant, permiscuerantque suo patrimonio, cœperunt eos Ecclesiæ restituere. Ne tum quidem, ut hac illecebra ad liberalios restituendum adducerentur, concessum illis est, ut Collatorum jure uterentur, & Episcopalis authoritatis vim declinarent. Can. 4. Can. 10.

Duo hæc in unum conglutinasse videtur Londinense Concilium anno 1138. *Nullus omnino de manu laici Ecclesiam, seu quacumque Ecclesiastica Beneficia accipiat. Cùm autem investituram per Episcopum aliquis acceperit, &c.* Ex quo intelligitur, ut institutio Episcopi investitura hic vocatur; ita investituram tamdiu & tam sacrilegè à laicis usurpatam, vicem implevisse institutionis Episcopalis: adeoque Collationem verissimè dici potuisse: quod Ecclesiæ post tam pestifera experimenta, visum denique est non amplius tolerari debere. Quam ad Episcopos Angliæ dedit Epistolam de Investituris Alexander III. ea validissimè astruet, quod hic contendimus, Investituræ implicatam fuisse Collationem. *Emersit quædam prava consuetudo, & in illis partibus inolevit, scilicet quod laici Ecclesias & Ecclesiastica Beneficia soleant passim, quibus vellent conferre, & authoritate sua Clericos investire. Unde quoniam sanctorum Patrum institutionibus id cognoscitur adeo contradicere, ut danti & accipienti de manu laica sit anathema, &c.* Can. 5. Epist. 28.

Nec illud tantum hic advertendum, utriusque hujus vocis *conferre*, *investire* unam eandemque fuisse significationem: sed illud ante omnia observari necesse est, rationem potissimam Investituras execrandi, non inde peti, quod pedum pastorale Laicus, quod annulum, quod librum, quod insigne quodvis tribuat Ecclesiasticæ dignitatis: ea enim mera foret cæremonia, perridicula quidem, & præpostera, sed quæ provida ex dispensatione tolerari potuisset. Sed inde certissimè, quod Laïci Beneficia quælibet largirentur, authoritate sua, nullo examine, nulla approbatione Episcopi, nulla ejusdem institutione; quod manifestissimè repugnat necessariæ Numinis vocationi. *Beneficia quibus vellent conferre, & authoritate sua Clericos investire.* Ibidem.

Unde & idem Pontifex mox jubet, ut hæc omnia Beneficia deponantur in manus Episcoporum, & Collatorum Ecclesiasticorum.

Cùm eadem labes Sueciam quoque pervasisset, ad ejus Regni Episcopos scripsit idem Pontifex iisdem propemodum verbis, ut eorum inflammaret studia ad propriæ & sacræ authoritatis defensionem, atque ad simoniæ exstirpationem, quæ impunè semper cum Laïcorum sive investituris grassabatur, sive collationibus. *Laïci vobis inconsultis, sicut dicitur, aut contemptis, concedunt & conferunt Ecclesias, quibus volunt, omnia simoniacè, sive per pecuniam, sive per privatam gratiam, vel odium agentes.* (Append. 1. Epist. 19)

III. Ingenuè tamen confitendum est, probatas fuisse huic Pontifici collationes quasdam eorum qui Episcopi non essent, dum ne laici quoque essent. Agnovit enim hic Pontifex in Concilio III. Lateranensi anno 1179. posse aliquas Ecclesias *pleno jure* obnoxias esse Equitibus Templi, vel sancti Joannis Hierosolymitani: sed omnibus in aliis, ubi non summo illo jure utebantur, debere eos Episcopis instituendos Presbyteros præsentare. (Can. 9.) *In Ecclesiis suis quæ ad eos jure pleno non pertinent, instituendos Presbyteros Episcopis præsentent, ut eis quidem de plebis cura respondeant, ipsis verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem.* Inde concluditur, si pleno jure ad Monachos aliquæ Ecclesiæ pertinerent, minimè necesse fuisse, ut ab Episcopo instituerentur Presbyteri, sacra in eis munia obituri. Non ita autem res habebat in Laïcis, quos vetat Concilium quævis Beneficia Laïcis donare, nisi Episcoporum authoritate. (Can. 14.) *Quia in tantum quorumdam laïcorum processit audacia, ut Episcoporum authoritate neglecta, Clericos instituant in Ecclesiis, & removeant etiam cùm voluerint, &c.*

Si percontaris autem, quâ ad Regulares potuerit jus illud plenum derivari in Ecclesias aliquas, præsertim verò in Parochiales: cùm id fieri haud queat nisi decerpta aliqua juris Episcopalis portione: Respondebimus eas fuisse aut superiorum Episcoporum concessiones, aut privilegia summorum Pontificum. Luculentum suppeditat ejus rei argumentum Narbonensis Synodus annni 1090. Expostulabat Crassensis Monasterii Abbas de Archiepiscopo Narbonensi, qui negotium illi facesseret super altera Abbatia, vel Prioratu, quæ pleno jure ad Abbatem Crassensem spectabat, sub annua solutione unius vaccæ, vel decem solidorum, prout optassent Canonici Narbonenses. *Quæ Abbatia, sive Prioratus dicebatur esse pleno jure Crassensis Monasterii sub censu annuo unius vaccæ optimæ, vel decem solidorum, quod magis Canonici Narbonenses recipere elegerint.* Contendebat idem Abbas, nec Archiepiscopum, nec Canonicos sibi quidquam juris arrogare posse in complures alias Parochias & Capellanias, quòd eas Apostolica Sedes subduxisset Archiepiscopi jurisdictioni, plenoque jure Crassensi Abbati subjecisset. *Quod nihil habebant in aliquibus de prædictis, aliquo jure diœcesano, nisi unum sextarium tantùm olei, &c. Cùm omnia supradicta sint per privilegia sanctæ Romanæ Ecclesiæ exempta ab omni jurisdictione Episcopali, & dicto Crassensi Monasterio concessa pleno jure.* Archiepiscopus post accuratissimum horum Privilegiorum examen, propria authoritate ea confirmavit, annuitque ut hæc Abbatia pleno suo jure uteretur in Parochias, Capellanias, Ecclesiasque alias, immunes nimirum Episcopalis omnino jurisdictionis: *Remota omni jurisdictione diœcesana, vel Episcopali.* (Adde Innocent. III Regest. 10. Epist. 45.)

Abbatibus aliisque Clericis communicari potest pars illa Episcopalis authoritatis; cùm & ab Pontifice, & ab Episcopis delegari possint, eorumque Vicarios agere, vel semper, vel ad tempus, ad jurisdictionem Episcopalem distringendam. Ideo & Londinense Concilium anno 1201. iisdem adhibitis verbis, quibus & Lateranense, eo contentum fuit, ut Regulares, vel Equites in Parochiis quæ ad eos pleno jure non pertinent, Presbyteros ab Episcopis institui curarent. (Can. 14.)

At verò cum Laïcis communicari ea potestas non debet. Unde Innocentius III. prædiviti matronæ, à qua Capitulum fundatum dotatumque fuerat, Patronatum concessit, collationem abnuit Præbendarum: *Jus Patronatûs & Præbendarum collationem tibi ac successoribus tuis reservari petebas. Quorum primum admittimus, secundum verò non duximus concedendum, cùm tuæ non expediat saluti concedi.* (Regest. 15. Epist. 192.) Ex adverso autem idem Pontifex censuit, potuisse Abbatiam Angliæ, vel Regum duorum & Papæ Cælestini privilegiis, vel præscriptione annorum quadraginta, aliquas Ecclesias pleno jure possidere, ita ut jurisdictioni Episcopali non subessent. *Tanto tempore probantur ab Abbatibus possessa Ecclesia, pleno jure, ut videantur in eis Episcopale jus præscripsisse, &c. Locus quem à duobus Regibus libertati donatum, Cælestinus Pontifex libertati donavit.* (C. Auditis De præscrip.) Has alibi dicit idem Pontifex Ecclesias *utroque jure* Abbati subjectas: quòd Episcopalia ibi jura quoque obtineret, ex quo privilegio fiebat, ut nec Monachos posset Episcopus excommunicatione innodare. Innocentii III. est Caput *Dilecta, De majoritate & obedientia:* qui & ibi agnoscit posse Abbatissam Canonicas suas, Clericosque suspendere, suæ jurisdictioni obnoxios. *Canonicas suas, & Clericos suæ jurisdictioni subjectos ab officio Beneficioque suspendat:* quanquam non posset excommunicationis laqueos illis injicere. Glossa in hoc caput addit, potuisse eam Abbatissam etiam Beneficia conferre, & instituere Beneficiarios. *Potest conferre Ecclesias & Beneficia, & instituere Clericos in Ecclesiis sui Monasterii.* (C. Quoniam. De Privileg.)

V. Jam facilè intelliges, si Abbates & Monachi, adeoque & Abbatissæ possint hoc donari consortio Episcopalis potestatis: posse & Decanos, & Præpositos, & Capitula ipsa demum in ejusdem similiter societatem adsciri. Sed scitè illud à Canonistis animadversum est, nec consuetudine, nec præscriptione parari posse Prælatis inferioribus jus instituendi in Parochialibus Ecclesiis, quæ *institutio authorizabilis* dicitur, ut à corporali institutione secernatur, sive ab installatione, quæ ab Archidiaconis fit: nisi simul habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in populum & Clerum. (Fagn. Tot. Par. 2. p. 138) Capita, *Cùm venissent, De Institutionibus. Ad aures, De excessibus Prælatorum. Referente, De Præbendis,* apertè demonstrant Archidiaconorum muneris id fuisse, ut in Beneficiis instituerent; sed ex iis manifestum fit, eam provinciam, aut ab illis usurpatam fuisse, aut illis ab Episcopo delegatam. Verùm utcumque id quidem haberet; vel inde exsistit illud, nunquam fieri vel collationes potuisse à Laïcis, vel institutiones. Itaque certissimo jure nitebatur Archiepiscopus Burdigalensis, cùm in Concilio Campiniacensi anno 1260. pronuntiavit sui unius juris esse collationes vacantium Ecclesiarum, non sine anathematis interminatione in eos, qui secus aliquid molirentur. *Commendas Ecclesiarum vacantium, secundùm quod ipsarum collationes ad nos, & ad nullum* (Can. 4.)

alium, volumus & dicimus pertinere, inhibentes ne de his se alius intromittat, &c.

VI. Nec desunt tamen contrarii usus exempla. Inter varia jurgiorum capita Bonifacium VIII. inter & Philippum Pulcrum decertata, non postremo erat id loco, quo contendebat Bonifacius, non posse à Rege conferri tot Beneficia, quæ conferebat tamen passim, nisi tacito vel expresso consensu Sedis Apostolicæ: quod abnuebat tamen Rex. Hæc sunt ipsissima verba Pontificiæ ad Regem Epistolæ: *Ad te hujusmodi Ecclesiastica dignitatum, personatuum, Canonicatuum, Beneficiorum & Prabendarum collatio, non potest quomodolibet pertinere, nec pertinet; nec per tuam collationem potest alicui jus acquiri, sine authoritate vel consensu Sedis Apostolica, tacitis vel expressis; qua qui accipit & se denegat accepisse, eis propter ingratitudinem est privandus.* Non abnuebat Pontifex, quin posset Rex conferre, dum id faceret cum consensu Sedis Apostolicæ tacito, vel expresso: unumque urgebat, ut id Rex confiteretur, assensu se conferre Sedis Apostolicæ. Univa autem hujus responsionis gyro continebat se Rex, illo se jure ad eum uti modum, quo sanctus Ludovicus, quo tot alii Reges Majores sui usi essent: nihil à se novatum esse, idque jus superstrui consuetudini ante hominum memoriam vetustissimæ, quæ nec Pontificem ipsum latere posset. *Respondit Rex quod collatione Beneficiorum usus est & utitur, sicut ad eum pertinet de jure & bona consuetudine, sicut sanctus Ludovicus, & alii prædecessores sui usi fuerunt à tempore, cujus memoria non existit, nec circa hoc fecit, aut intendit facere aliquam novitatem, nec credit quod Papa sibi facere velit, qui longum usum suum & prædecessorum suorum in collatione hujusmodi novit plenissimè ab experto.* In aperto est, tanti non fuisse eam rem, ut meritò de ea contenderetur tantopere & tandiu; cùm & Pontifici & Regi persuasissimum esset, antiquos Pontifices non nescisse, & saltem tolerasse hanc Galliæ Regum consuetudinem; ex quo fiebat, ut tacita saltem eorum intervenisset consensio. Cùm ita se res haberet, cùm ita utrimque in confesso esset; jam vereor ut satis causæ fuerit vel Pontifici, vel Regi, quamobrem confiteri detrectarent, quod detrectare non poterant, juri Regio Pontificiam accessisse saltem tacitam consensionem.

Rainal. an. 1311. n. 14. Hist. du Differ. entre Bonif VIII. & Phil. le Bel. pag. 44. 48. 49 71. 317.

H Secr. du Differ p. 90 91.

VII. Cùm Philippus autem Pulcher à sancti Ludovici Regis exemplo patrocinium sibi & authoritatem potissimum quæreret; nec voluptates, nec fructus inanem operam navabimus, si hoc loco quam sequeretur rationem sanctissimus Rex in dispensandis Beneficiis perscrutemur. Inde enim illud forsan explendescet, Episcopum illum magis egisse quàm Regem, in eo defungendo officio, quod Episcopale etiam magis quàm Regium est: quin & plerumque Episcopos, & piissimos doctissimosque viros in consilium sibi adscivisse: ex quo factum sit, ut nec Episcopi, nec Pontifices molestiam illi crearint super Beneficiorum collatione. Jam suprà alicubi diximus, authore Goffrido de Belloloco Dominicano, & Confessario ejus, Ludovicum vehementer laborasse, ut deligerentur sibi dignissimi quique, quos præficeret Beneficiis sui Patronatûs, vel suæ collationis: *Quæ ad Patronatum, sive donationem ipsius pertinebant:* & hunc delectum ab eo commendari solitum Cancellario Ecclesiæ Parisiensis, aliisque eximiis pietate & doctrina viris, Dominicanis maximè & Franciscanis. Anno 1269. antequam ad bellum sacrum proficisceretur, collationem, præsentationemque Beneficiorum sui juris commisit Episcopo Parisiensi Stephano, jussu consiliarius uti Cancellario Ecclesiæ Parisiensis, Priore Dominicanorum & Franciscanorum Custode. Ea in constitutione sua distinxit Rex suum præsentandi & conferendi jus. Qui adeo Episcopaliter Beneficia conferebat Rex, facilè & jure merito finebatur conferre magis instar Episcopi, quàm instar laici præsentare. Adde quod nec sine Episcoporum consilio, consensu, authoritate conferebat. Si posteriores Reges ejus exemplo contulerunt, nec Episcopaliter ut ille contulerunt, vitium ipsorum fuit; & hæc fuit eritque semper rerum humanarum conditio, ut piis Principibus multò plura liceant, quia pii sunt; quæ potestatis, non pietatis eorum hæredes sibi licere velint.

Du Chesn. To. 5. p. 445

Et tamen non aliter complures Reges, qui Ludovico IX. præivere, quique successere, quàm ex Episcoporum, vel piorum virorum consilio, & instinctu sui utcumque juris Beneficia dispensarunt. Unum profero Philippum Augustum, Ludovici sancti avum, qui in Palæstinam profecturus ad expeditionem sacram, præcepit ut absente se Regina & Archiepiscopus Remensis Beneficia distribuerent, cum consilio fratris Bernardi, qui solitariam in cellula vitam degebat ad saltum Vicennarum: utque dignissimis distribuerent.

Gall. Christ. To. 2. p. 448

Du Chesne Ibid. p. 50-51.

Illud non injuria longè probabilius videbitur fundamentum ejus privilegii Galliæ Regum, qui soli ex Principibus summis, ne exceptis quidem Imperatoribus, juxta Joannem Ferraldum, & soli penè ex Laïcis conferunt dignitates & Præbendas, quanquam Canones collationibus ita Laïcos interdicant, ut ne præscribere quidem eas possint. *Licèt jus conferendi Prebendas sit adeo spirituale, quod non cadit in laïcum, nec laïcus illud possit possidere, sed nec præscribere, tamen Rex Franciæ pleno jure confert Beneficia Ecclesiastica, Canonicatus & dignitates. Quod jus Imperator non habet, &c.* Ita Ferraldus. Memorantur ei consentanei à Fevreto reliqui Canonistæ Galli, quin immo & privatorum quorundam, qui impunè conferant, exempla. Consule si vacat Statuta synodalia Ecclesiæ Rotomagensis, & occurret anno 1255. Odonis Archiepiscopi charta ad Collegialis Ecclesiæ Capituli institutionem, cujus ille Præbendas à Rege conferri voluit, ad dignitatem verò Decani & ad Parochi munus ab eo præsentari.

Car. Molin. To. 2. p. 1075 Ferrau De Privil. Regni Franc. c. 8. Fevret l. 3. de l'Abus. c. 4 n. 42.

Con. & Dec. Synod. Eccl. Rot. m. pag. 363.

VIII. Conciliari ergo poterunt, quæ sive testimonia, sive rationum momenta primam in aciem producta sunt hoc Capite, adversùs collationes Laïcorum, cùm his in adversum modò prolatis exemplis, si dicatur 1. Exceptione non infirmari regulam, sed roborari. 2. Non fuisse nescium Bonifacium VIII. qui Canones adversarentur collationibus Laïcorum, cùm juris esset omnino peritissimus: & tamen consensisse & ipsum, posse sola Romani Pontificis tolerantia, silentio, assensu tacito, validas esse istiusmodi Laïcorum collationes. 3. Congeries illa Canonum, quam & hîc & alibi prompsimus, oppugnabat illos Collatores laïcos, qui turmatim hanc licentiam arripuerant, conferebantque Beneficia sine examine, sine delectu, passim & promiscuè: at certè tantopere laboratum non esset adversùs Regem, qui non conferret nisi ex Episcoporum, ex Confessarii sui, ex virorum religione & doctrina præstantium consilio. 4. Denique pro Episcopalibus maximè & Parochialibus Ecclesiis desudarunt Concilia, ut ne earum vel in-

vestitura, vel Collatio penes laicos esset. Atqui in iis quæ de Galliæ Regibus deprompta sunt, nusquam Episcopatus, nusquam Parochias illi contulisse leguntur. Germani enim Imperatores investituras maximè Episcopatuum invaserant: inferiores autem Nobiles collationem sibi vendicarant Parochiarum. Cùm iis autem omnino incumbat animarum cura & Sacramentorum administratio, jure meritissimo vigilabat providentia Conciliorum, ut ne ea potestas in laicorum manus delaberetur. Ideo & Comitia Cleri Gallicani anno 1625. de solis Parochiis maximè sollicita fuerunt, ut ab iis collationes laicorum propulsarent, juberentque, ut quæ demum cùmque earum provisio, in simplicem præsentationem resolveretur Episcopo factam. *Utcumque provisum sit Parochialibus Ecclesiis, non habeantur ea nisi ut præsentationes Episcopo facta, nequaquam ut Collationes.*

Art. 23.

IX. Editum est à Concilio Tridentino Decretum, quod in futurum valeret ad omnia Beneficia: ut qui ea fundarent dotarentque, Patroni eorum essent: at institutio ne posset quidem ad alios unquam, quàm ad Episcopum pertinere.

Seß. 24. c. 12.

X. Nec ægrè ferat quisquam si cum Joanne de Paris, illo olim Dominicani Ordinis lumine, qui calamum strinxit in defensionem Philippi Pulcri; si cum illo inquam dicamus, quanquam Collationibus laicos interdicant Canones, ex privilegio tamen potuisse eas Principibus de Ecclesia bene meritis concedi; ita enim & Patronatum laicorum incompertum quondam, postea invectum, & consultissimè toleratum fuisse; collationes Principibus semel concessas, non magis revocari posse, quam Patronatum vulgo laïcorum indultum; collationem, & Patronatum rem esse & gratiam spiritualem, quæ utraque tamen laïcis utcumque possit obrogere; denique Christianissimo Regi plusculum quid etiam indulgeri potuisse, quàm vulgo fidelium.

Goldast. De Monarc. To. 2 pag. 538.

Conquestus est anno 1316. Clerus Anglicanus, quod ubi Episcopi instituto examine eos repellebant, quos Rex minimè idoneos ad Beneficia præsentabat, ii ad examen laicorum remitterentur. Eduardus II. his querelis faciens satis, edixit, ut ne secundum hoc examen nisi apud Superiores Ecclesiasticos ionovari posset. Inde liquet Reges Angliæ jure Collationum abstinuisse, & si tentarent ejusmodi quidquam, vehementer Episcopos refragari solitos. In posterioris ævi Conciliis multa occurrent laicorum conamina ad conferendum, sed ab Episcopis semper damnata oppressaque: maximè verò in Concilio Coloniensi anni 1536.

Conc. Gen. To. 11. pag. 1466 1457 1736. To. 14 pag. 641.

XI. Pulcherrimè doctissimus vir Acosta observavit, cùm Clemens III. scribit, Patronum & fundatorem Ecclesiæ Conventualis, contentum esse debere, si consensus ejus postuletur post electionem Prælati factam: nec interponere se, dum celebratur electio: excipiendos esse eos, qui speciali quodam ad id jure muniti fuerint. *Cæterum in Conventuali Ecclesia non electioni Prælati facienda, sed jam facta honestius Patroni postulatur ad sensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractanda.* Sensit Acosta providè ab eo Pontifice additam fuisse hanc clausulam, propter Principes Christianos & Reges, qui Patronatu gaudent; in id assentiri Glossam; in tertia Decretalium Collectione antiqua id juris tribui Comiti Flandriæ, ut Præpositum eligat Ecclesiæ Conventualis, vel Collegialis; persimili potestate donatum fuisse ab Innocentio III. Marchionem

Fagnan. in l. 3. Decr. Tit. 38. c. 25.

C. 1. De senten. & re judicata.

Brandeborgensem; Regi Portugalliæ consimilem adscribi à Bellamera; denique Tridentino ipsi Concilio placuisse, ut Patronatui Regum Principumque eæ concederentur prærogativæ, quarum exortes essent alii quicumque.

Seß 25. c 9

Professus est Innocentius III. potuisse à Principe Achaïæ conferri Archidiaconatum Ecclesiæ, à prædecessore ejus collatum illum antè fuisse, & ab Apostolicæ sedis Legato confirmatam fuisse eam Collationem. *Quanquam prædecessor suus eum contulisse dicatur, & Cardinalis Legationis officio fungens ibi, Collationem ejus postmodum approbasset.* Marchio verò Brandeburgensis voluit ille quidem, quam extruebat dotabatque Collegialem Ecclesiam Episcopali subducere jurisdictioni: at Beneficiorum tamen non Collatorem se esse gestiit, sed Patronum; ut quos ipse nominasset, Pontifex, vel Pontificis Delegatus confirmaret. *Qui debeat per eum præsentari & per Romanum Pontificem confirmari.* Nec Regi Portugalliæ quidquam idem Pontifex, nisi Patronatum concessit, etsi multa sibi præterea arrogasset. Quod ad Comitem Flandriæ attinet, in judicium pertracta res est, & ad sedem ipsam Apostolicam; proditum non est quid fuerit diffinitum: Sed vel ipsa contentio vociferatur, non caruisse causam verisimili fundamento. Anno 1236. Gregorius IX. graviter Imperatorem admonuit, etsi quæpiam conferre potuisset Beneficia, at non Parochias, quibus animarum regimen innexum est. *Esto quod aliqua Beneficia vacantia conferas, ut curam tamen animarum illis annexam committere valeas, jus spirituale quod non cadit in laicum, non permittit.* Duci Burgundiæ Alexander III. idem indulserat, quod postea Dux Brandeburgensis ab Innocentio III. postulavit.

Regest 13. Epist 23.

Ibidem Epist. 21.

Regest. 14. Epist 38.

Rainald. n. 21.

Recoeil pour l'histoire de Bourgog. pag 170.

XII. Privatos complures Nobiles Laïcos recenset Carolus Molinæus, qui Beneficia, immo qui & Parochias conferant. Puellarum etiam Monasterium commemorat, cui id jus, vel is usus jamdiu sit. Itaque minus mirum, si aliquid ejusmodi etiam Reges sibi vendicent. Sed illud ingentis omnino momenti est, quod ille animadvertit, Beneficia hæc laicæ Collationis ab origine sæcularia magis fuisse & profana Beneficia, quam Ecclesiastica, quanquam ea fundatores Clericis addixissent. *Hujusmodi Canonicatus, sacella & similia Beneficia ad meram & perpetuam Regis Collationem spectantia, magis sæcularia & prophana Beneficia sunt, quam Ecclesiastica.* Ideo nec ullam clavium habent, aut Sacramentorum administrationem; eorumque Reges vel Patroni Resignationes, sive simplices, sive conditionatas admittunt, nec non & permutationes; ad tempus etiam ea donare possunt, & antequam vacent; quòd legibus Canonicis non constringantur nisi Ecclesiastica Beneficia, non autem Officia Civilia, vel sæcularia, etsi Clericis fuerint addicta.

De Infir resign n. 416. 417. & 318.

Videtur mihi quidem Molinæus cautius & circumspectius dicere potuisse, adeoque verius, non pauca ex iis Beneficiis primæva ab origine ejusmodi fuisse. Obversantur enim nostris etiamnunc oculis in ædibus Optimatum complurium ruri Capellæ, ad quas nominant illi Clericos ad recitandas diurnas nocturnasque Canonici Officii horas, cum certis ad id proventibus; sed ita ut Clerici hi & Beneficiarii ab Optimatis voluntate una pendeant, ab eo ad arbitrium instituantur & destituantur, nullo se ad has liberas sæcularium largitates Episcopo interponente. Lapsu temporis ea Officia Beneficiis accensentur sensim sine sensu, eisque cura si fors animarum illigatur: Patronis interim usqua-

quam suo jure cadentibus, eandemque conferendi usurpantibus potestatem. Probabile cum primis est id genus fuisse non paucas, seu Capellas, seu Ecclesias Regum Collationis, ut ex liberis & pene civilibus Officiis, quæ nullis Canonum regulis tenerentur, temporis diuturnitate penè inopinè evaserint in Beneficia, quibus & eadem ratione accreverit cura & sollicitudo animarum. Postquam verò jam Beneficiis annumerantur, non amplius pretio distrahi addicique possunt, quanquam secus sentiat Mulinæus.

Conc. Gene. T. 14. pag. 641.

XIII. Non possum non & hic addere duo Decreta Concilii II. Coloniensis anno 1549. In eorum primo graves personant querelæ de Abbatibus, Præpositis, aliisque Collatoribus Ecclesiasticis, qui Parochias conferunt indoctis, inexpertis, nullo excussis examine; statuiturque ad sedem Apostolicam recurrendum, à qua rescindantur eæ Collationes omnes, nisi examen Episcopi, vel Examinatorum ab eo Delegatorum præiverit; Episcopisque permittatur, ut ne ad Ecclesiarum administrationem eos admittant, quibus eæ tam inconsideratè collatæ fuerint. *Declarationem irritantem tales collationes, quas vocant pleno jure, nisi præcedat examen Episcopale.* Alterum horum Decretorum Laïcos Patronos percellit, qui Collatorum in jura irrumpunt. Nemo nescit summos Principes semper jure ipso excipi. Si autem Concilii hujus Patribus visum est, ab Episcopis examinari debere, quos Ecclesiastici Collatores instituerint: non aliud sanè de iis existimare vel decernere potuissent, qui à laïcis Collatoribus instituuntur.

XIV. Delibarunt & Angliæ Reges aliquando hæc ipsa eadem Collatorum jura. Conferebat Eduardus I. Angliæ Rex Præbendas Capellæ Regalis Hastingensis, ut quæ immunis esset ab Episcopi jurisdictione. Cicestrensis Episcopus eam suæ jurisdictioni adserebat Capellam, instabatque, ut Præsentaret tantùm Rex, non conferret. Inquisitiones fieri Rex jussit, ut rescire posset, quis priscus fuisset usus. Hinc patet Angliæ quoque Reges id sibi sumpsisse, ut quasdam conferrent Præbendas. Henricus III. Angliæ Rex contestabatur Capellam Regiam sancti Martini apud Londinum, absolutam semper fuisse à jurisdictione Episcoporum: *Ita quod Decanus cùm debuerit institui, à sola manu regia stallum recipit in choro, & locum in Capitulo.* Is ergo erat usus. At nihilo segnius Archidiaconus eas exemptiones impetebat.

Constitut. Anti Reg. Angl. pag. 611. 62.

De Irregularitatibus. Ac primùm de Irregularitate criminis.

CAPUT LVI. *P. 1. l. 2. c. 12.*

De Irregularitate Criminis, & pœnitentiæ per quinque priora sæcula.

I. Crimina publica pœnitentia obnoxia, Ordinibus, Ordinumque functionibus summovebant.

II. Qua per pœnitentiam redintegratur innocentia, Clericatus sanctimoniæ non satis respondebat. Innocentia ab ipso usque Baptismo petita necessaria erat.

III. Probationes ex Paulo & Canonibus.

IV. An Ordinatio peccata deleat.

V. Capitalia omnia crimina Clericatu arcebant.

VI. Idque tum in Oriente, tum in Occidente.

VII. Etiam pœnitentiæ curriculo perfunctis, irregularitatis macula hærebat.

VIII. Facilior dispensatio ad minores Ordines. Occulta crimina, ut pœnitentiæ, ita & irregularitati obnoxia.

IX. Non poterant Clerici pœnitentiæ publicæ subjici.

X. An Ordines suscipere quis possit, lethalis culpæ sibi conscius.

XI. Pontificum Decreta Pœnitentibus omnibus Ordinibus interdicunt.

XII. Arcentur & Clerici à Pœnitentia publica.

XIII. Quamvis per tria priora sæcula ei subjicerentur.

XIV. Quæ fuerint causæ, quamobrem ita Disciplina nova & mitior glisceret.

XV. Christus ipse Petro pœnitenti summum Ecclesiæ suæ Pontificatum contulit, & ob hoc ipsa indulgentiæ fundamenta jecit Ecclesiæ suæ. Austeriores tum leges posteriora edidit Ecclesia, ita extorquente necessitate, ut simulatis pœnitentiis occurreretur. Horum probationes ex Augustino.

XVI. Et ex Optato. Non omnia crimina pœnitentiæ publicæ & irregularitati obnoxia erant, sed capitalia tantum.

XVII. Indulgentius cum iis actum est, qui jam fuerant ordinati.

XVIII. XIX. Probationes nova in Oriente & Occidente.

I. Disputationi hactenus nostræ de Præsentatione, Nominatione & Collatione, tempestive jam subtexetur operosa de Irregularitatibus pertractatio; nec minus tempestivè eadem præmittetur, prolixiori de Electionibus disceptationi, paulò post subjiciendæ. Nemo enim non intelligit, nec ritè conferri Beneficia posse, nec ad ea quenquam præsentari, institui, eligique vel confirmari, nisi qui sit ab his omnibus impedimentis Canonicis, quas irregularitates vocant, expeditus & liber. Irregularitates autem, seu vitia Regulis Canonicis adversa, quibus ab Ordinibus Ordinumque muniis summoventur, ab crimine ordiemur, & ea quæ crimina quævis expiat, pœnitentia Canonica publicaque. Omnino enim & criminum macula, & ipsa eorundem publica pœnitentia ab Ordinibus & Beneficiis arcebant.

II. Non aliud enixius commendavit Paulus, quam ut criminis puri essent ab homine novo per baptismum induto, quicumque sacris Ordinibus & Ministeriis altarium initiandi erant. *Sine crimine esse.* Non expectabat ut sine peccato essent, sed ut sine crimine, hoc est eorum seu flagitiorum, seu facinorum expertes, quæ nonnisi quasi altero baptismo, publica pœnitentia abluerentur. Inde enim contigit, ut pœnitentes ipsi irregularibus accenserentur à Conciliis, Pontificibus, & antiquioribus Ecclesiæ Patribus. Non quo maculam inureret pœnitentia publica, cùm ea potius omnia eluerentur scelera, criminumque sordes extergerentur. Sed cum pœnitentes ipsi sacris Ordinibus arcebantur, tota in crimina ipsa redundabat invidia, quæ nisi pœnitentiæ publicæ lacrimis ablui non potuissent. Non sola desiderabatur innocentia morum præsens, sed præterita, & illa ipsa, quæ eximium quendam ex baptismo in sanguine immaculati Agni candorem splendoremque hausisset. Instar est quidem Baptismi pœnitentia, sed quo prioris Baptismi pretium & integritas non æquetur. Est enimvero pœnitentia divinum & cœleste lavacrum, sanguine Agni redundans, maculas animæ prorsus omnes oblitterans, & eam donans sanctimoniam, quæ cœli fores recludat: sed quod tamen illam non restituat innocentiæ post baptismum illibatæ virginitatem: non illam Baptismi unius propriam gratiæ plenitudinem; quæ denique sanctos & cœlo maturos nos præstet, non tamen Presbyteros, aut Ministros sacros. Nulla magis res declarat, quam puritatem vitæque integritatem Concilia & Patres aureis Ecclesiæ sæculis flagitarent à Ministris sacris, quàm

quod

quod ne eos quidem sacro ministerio dignos existimarent, quos cælesti gloria non indignos profitebantur.

III. Paulo jam Apostolo aures animosque advertamus: Tit. c. 1. *Ut constituas per civitates Presbyteros, &c.* 1. Timot. 3. *Si quis sine crimine est, &c. Oportet enim Episcopum* Const. Apost. l. 2 & l. 3. c. 9 l. 8 c. 4. *sine crimine esse, &c. Diaconum similiter, nullum crimen habentes.* Ejus Apostolici præcepti observantiam demonstrant Constitutiones Apostolicæ, Can. Apost. 61. demonstrat & Apostolicus Canon: *Si adversus fidelem aliqua accusatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterii, vel alicujus alius prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur.* Concilium Neocæsariense Can. 9, 10. Presbyteros Diaconosque ordinari non potuisse declarat eos, qui corpus scelere quopiam inquinaverant, cùm vetet ad aras accedere, si cujus vel sua confessione, vel canonica convictione crimen patuerit.

IV. Verùm duo quædam in hos Canones observanda. Alterum est, quod ubi eo Canone spoliantur Clerici, vel Presbyteri propria inter sacra functione, reliquis tamen non spoliantur Sacerdotii ornamentis, adeoque nec Beneficiis. *Ne offerat, maneat tamen in aliis propter bonæ vitæ studium.* Diaconi verò non aliud, quàm ad Subdiaconorum Ordinem deprimuntur. *Ministri, ὑπηρέται, Subdiaconi habeant ordinem.* Quo sanè spoliantur priore & pinguiore Beneficio, exiliore donantur.

Alterum verò est, quod ait Concilium, plurimos arbitrari, ordinatione remitti peccata. *Nam reliqua peccata consueverunt plurimi per Ordinationem dimitti.* Et ea videtur ratio movisse hujus Concilii Patres, ut ne eadem irregularitate irretirent alia scelera, ab impudicitate longè diversa. Balsamoni Suppl. 1515. visum est, unctione sacra quam abundantiori plenitudine exundantem accipiunt Episcopi, deleri peccata omnia ante Ordinationem commissa, addique adeo potestatem remittendi omnia peccata; sed aliis Ordinibus ex hoc Canone remitti non posse nisi minora peccata, & eas labeculas, quæ non ad fornicationem usque erupere; ideoque ex hoc Canone irregularitatem non aspergi, nisi ei qui reipsa carne lapsus sit. [illegible] Advertit Zonaras nihil affirmari ab hoc Concilio, sed aliorum sententias recitari: *multi censent.* Quòd perhibet autem Balsamon de minoribus Ordinibus, plusculum habet probabilitatis, quàm quod de Episcopatu.

Can. 8. Sed ultra has metas effunditur austeritas hujus Concilii, ubi irregulares haberi decernit eos, quorum uxores de adulterio fuissent convictæ: si post Ordinationem verò id contigisset, aut eas repudiare jubet, aut prorsus ab Ordinum functionibus abstinere. Can. 1. Denique eo Concilio exauthorantur Presbyteri, qui uxores ducunt; qui vel fornicationis, vel adulterii infamia conspurcantur, ii non gradu moventur tantùm, sed & pœnitentiæ subjiciuntur.

Can. 1. 2. V. In Ancyrano Concilio ab omnibus Altarium muniis procul amandantur Presbyteri, Diaconique, qui Idolis sacrificassent, eamque mox maculam iterato eluissent certamine, imo & victoriam reportassent; sed Beneficio non privantur. Si duo hæc autem Concilia irregularitate non innodant, nisi eos qui vel fornicatione, vel idololatria contaminati essent: id profectò ex eo fit, quòd innovanda illis tantùm erat Canonum censura in ea flagitia, quæ tunc vel invalescerent, vel reformidarentur. Cæteroqui enim vigebant Apostolici Canones, quibus omnia prorsus capitalia crimina eadem implicantur damnatione. Testimonio utemur Nicænæ ipsius Synodi, quæ depositionis sententia confodit una omnes Presbyteros, qui quamvis scelera sua confiterentur, τὰ ἡμαρτημένα, ordinati tamen fuissent; Clericosque omnes qui Ordinibus post lapsum suum ornati essent. Ratio Concilii satis idonea ea est, quòd ea Ordinatio præter Canones facta sit, παρὰ κανόνα: nec possit ignavia, vel incuria Episcoporum vim Canonum obtundere, & intemeratas Ecclesiæ regulas debilitare: τὸ γὰρ ἀκατάγνωστον ἐκδικεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. Can. 9. 10.

VI. Nec indulgentiores fuere Synodi Ecclesiæ Occidentalis. Gradu & Ordine summovet Eliberitana Synodus Subdiaconos ante ordinationem fornicationi implicatos: propterea nimirum, quòd ordinatos semel Subdiaconos, jam facilè sinerent ad Ordines irrepere superiores, ubi præscripserat jam Paulus intaminatam quandam innocentiam: *Eo quod* Can. 30. *postmodum per subreptionem ad altiorem gradum non sit promovendus.* In hoc eodem Concilio deponuntur Can. 19. Episcopi, Presbyteri & Diaconi, de adulterio post ordinationem convicti; communione etiam ejiciuntur: rursum tam ipsi, quàm Clerici omnes alii Can. 33. exauthorantur, si ductis ante ordinationem uxoribus copulentur: denique dejiciuntur Clerici omnes, Can. 65. qui adulterii convictas conjuges non ejecerint.

VII. Hactenus hæsit irregularitas crimini, cui expiando indicebatur pœnitentia, non ipsi verò pœnitentiæ. Is sermo erat castigatior, utpote à Pauli ipsius verbis derivatus. Sed erat & in variis percensendis criminibus prolixior, nec resolvebatur dubitatio, an expleto pœnitentiæ curriculo, quàm scelus, tam irregularitas ejus expungeretur. Non abludit à vero, inde permanasse universaliorem illam regulam, quæ pœnitentibus irregularitatem adscribebat. Id verò perfacile est animadvertere in Concilio Carthaginensi IV. quo vetantur ordinari pœnitentes, quantavis in virtutum fastigia evecti sint. *Ex pœnitentibus, quamvis sit bonus, Cle-* Can. 68. *ricus non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur à Clero, quia se ordinationis tempore non prodidit esse pœnitentem. Si autem sciens Episcopus ordinaverit talem, etiam ab Episcopatus sui ordinandi dumtaxat potestate privetur.*

VIII. Humanius aliquid constituit Concilium Toletanum I. ut cùm inexorabilis quodammodo necessitas urgeret, ad minores Ordines promoveri possent pœnitentes. Qui verò sint pœnitentes, disertè hoc Canone explicatur. *Placuit ut de pœnitente* Can. 2. *non admittatur ad Clerum, nisi tantùm si necessitas aut usus exegerit, inter Ostiarios deputetur, vel inter Lectores; ita ut Evangelia & Apostolum non legat. Si qui autem ante ordinati sunt Diacones, inter Subdiacones habeantur; ita ut manum non imponant aut sacra non contingant. Pœnitentem verò dicimus de eo, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.*

Jam ergo ambigi non poterit, quin ingentia quævis crimina & pœnitentiæ subessent publicæ, & irregularitati: *Pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis.* Et cùm non exprimatur hîc necesse esse ut ea scelera publica sint, quò pœnitentiæ publicæ addicantur: hinc meritò conjicitur, tametsi occulta essent, si modò tamen gravia essent crimina, & pœnitentiæ & irregularitati obnoxia fuisse. Cùm tot sæculis remiserit elangueritque prisca illa pœnitentiæ Canonumque austeritas: non potuit tamen

adhuc id expugnari, ut homicidii, etiam occulti reus irregularitatis vinculo non constringatur. Capiendus est ergo iste Canon de homicidio, sive publico, sive occulto; nec quicquam facinori huic cæterisque in hac parte interjicitur discriminis; ad omnia æqualiter manat, ea quæ iis omnibus aspergitur irregularitatis infamia. Certò ergo constat indiscriminatim omnia prorsus crimina paulò atrociora, sive publica forent, sive occulta, authores suos pœnitentiæ & irregularitati immersisse.

Quàm non possent in unum coalescere Ordines sacri cum publica pœnitentia, designatum haud dubio voluit Optatus, quando Episcopum Donatistam inducit ita censentem, non ad ordinationem Episcopatûs imponendas esse manus Cæciliano, sed ad pœnitentiam, ut caput illi de pœnitentia conteratur, hoc est, ut ea irregularitate illaqueatus nunquam ad Episcopatûs fastigium eluctari possit. *Exeat huc, quasi imponatur ei manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de pœnitentia.* Id ille libro primo, quod & in secondo confirmat, cum probro vertit Donatistis, quòd rudes adhuc pueros pœnitentiæ subjecerant, ut ne posthac Ordinibus exornari possent. *Invenistis pueros, de pœnitentia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent.*

IX. Ut autem Clero illigari nunquam poterant pœnitentes, ita nec Clerici quidem pœnitentiæ. Usque adeo persuasissimum erat, sacerdotio sociari nunquam posse scelerosam vitam, ut ne committi quidem illud pœnitentibus posset, quorum etsi persanata essent criminum vulnera, horum tamen vulnerum superessent etiam post peractam pœnitentiam cicatrices aliquæ. Id edocet Siricius Papa, quantamcumque quis pœnitentiæ laboribus & lacrymis puritatem sibi concilie, magnopere tamen eam deficere ab ea, quam cælestis Agni sacrificium

Epist. 1. c. 14 & altare desiderat. *Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatûs adipisci. Quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.*

X. Hodierna nonnihil dissidet Theologorum Schola, in ea quæstione, in qua priscæ Synodi & antiqui Pontifices vehementer consentiebant. An videlicet Diaconi, aliique Clerici inferiores Ordinum suorum functiones obire possint citra novi sceleris labem, ante expiata sacramento Pœnitentiæ priora aliqua flagitia, quibus sauciatam gerunt conscientiam. Non difficile est divinare, quam in partem hîc inclinet antiquitas, cùm adeo non permitterent tunc Pontifices Synodique, ut ante peractam pœnitentiam Ordinum functiones ederent, ut nec post eam peractam id essent concessuri. Quin & ubi graviori necessitate quapiam coguntur aliquid remittere de Canonico rigore, ad Ordines minores admittunt illi quidem pœnitentia perfunctos, sed ea lege, ut nec Evangelia, nec Paulinas publicè in Ecclesia legant Epistolas, nec vasa sacra contrectent.

Et hinc augurari fas est de verbi divini prædicatione quid antiqua statueret disciplina, an ante, aut saltem post ablutas per pœnitentiam scelerum maculas, ea defungi liceat. Cùm enim ea quidem functio & Apostolica sit prorsus, & eminentiorem quandam redolere debeat sanctitatem, longè superabat lectionem sacrarum Novi Testamenti paginarum, inter sacrificii solemnia; cùm hanc lectionem non paucæ Ecclesiæ etiam Lectoribus committerent. Ancyrana Synodus Presbyteris in scelus lapsis prohibet sacrificare & prædicare, ὁμιλεῖν. Eademque de causa prohibet Diaconis, ne panem & Calicem sacrificii offerant, neve alta voce pronuntient, quod pronuntiare, seu prædicare solebant: κηρύσσειν. Huc tantisper digressi, non longè à proposito aberravimus. Can. 1. 2.

XI. Nicænos Canones mordicus retinet inexorabilis censor Innocentius I. & à Clero facessere eos jubet, qui nondum expleto pœnitentiæ curriculo inscripti ei fuerant. Nec clementiores se esse voluerunt Zosimus & Hilarus Pontifices ejusdem primæ Sedis, sicut nec Gelasius: qui sancit, ut juxta diligentiorem Canonum normam, gradu ejiciantur omnes, qui Clero Ordinibusque obrepserunt, cùm sceleris puri non essent: aut qui post ordinationem suam in ejusmodi flagitium aliquod prolapsi sunt. Innoc. 1. Epist. 6. Zosim. Ep. 1. c. 3 Hilar Ep. 2. c. 4 Gelas. Ep. 9.

XII. Redeo ad illud ex Siricio suprà observatum, Clericos quolibet flagitio contaminatos, non tamen publicæ subditos fuisse pœnitentiæ, non impositionem manuum cum pœnitentibus publicè subiisse, per singulas synaxes; non in cinere & cilicio prostratos jacuisse, non alia denique subisse monia squalloris & dejectionis pœnitentium insignia. Id honoris & reverentiæ habebatur sacerdotio, ut ne iis manus humi dejectis imponerentur, qui aliis imposuerant; ut ne prostrati jacerent, ut ne altaribus, ut ne ad fidelium pedes provolverentur, qui hæc humilitatis officia à pœnitentibus ipsi antè expresserant, denique verendum erat, Clericorum lapsibus ne magis offenderentur fideles, quàm pœnitentia ædificarentur, excitarenturque ad pietatem. Itaque privatim pœnitentiæ labores subibant: ad Ordines autem & Beneficia irregulares & absoni habebantur, quòd irregularitatem non p[illegible]nitentia flagitii, sed flagitium ipsum inureret. Audiendus de his Leo Papa Epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum. *Alienum à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconii gradu fuerint consecrati, pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo? Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Cap. 2. Eandem in Africa disciplinam declarat Carthaginensis Canon apud Ferrandum in Breviario Canonum: *Ut Diaconi vel Presbyteri, si à ministerio remoti fuerint, non eis manus, vel tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponantur.* Cap. 118.

XIII. Perantiqua jam tum erat ea disciplina ævo Leonis Papæ, cùm eam ille velit fuisse ex Apostolica traditione derivatam. Id equidem interpretor eo sensu dici, quo ait Hieronymus, condncibile esse, ut unaquæque Ecclesia traditiones Apostolicas auguretur esse consuetudines peculiares suas. Certissimè enim traditioni Apostolicæ innititur authoritas Ecclesiæ, quæ tuendæ pacis & concordiæ ergo pondus addit & stabilitatem antiquis omnibus Ecclesiarum usibus moribusque. Non dissimili sensu donanda sunt hic ea Leonis verba, sicut & aliorum complurium patris antiquitatis decretorum, quibus ejusdem modi verbis antiquitas conciliator.

Ut enim ad rem ipsam propiùs accedam, inficias ire vix quisquam potest; quin prioribus tribus

sæculis subjicerentur Clerici flagitiosi iisdem pœnitentiæ legibus, quibus Laici, iisdem pœdoribus, squalloribus, laboribus. Ita enim Apostolici Canones palam faciunt: *Can. 61* *Si quis Clericus, &c. cùm pœnitentiam egerit, ut laicus recipiatur.* Accedunt & Canones Eliberitani: *Can. 76.* *Diaconus si sponte confessus fuerit, placuit eum acta legitima pœnitentia post triennium accipere communionem.* Et Canones Neocæsarienses: *Can. 1.* *Presbyter si fornicatus fuerit, expellatur, & ad pœnitentiam deducatur.* Suffragatur & exemplum Natalis *Hist. l. 5. c. ult.* Episcopi apud Eusebium: *Non modò ad Cleri, sed ad Laicorum genua advolvitur.* Denique exemplis longè pluribus apud Cyprianum res conficitur, ubi Episcopi ipsi pœnitentiæ stationibus subjiciuntur. *Epist. 68 59. 52. 64.* *Episcopatum deposuisse, ad agendam pœnitentiam conversum.* Quin & quarto excurrente sæculo ejusdem priscæ severitatis in Clericos vestigia quædam superfuere. Sabinianum enim Diaconum scelerosum ad pœnitentiam cohortabatur Hieronymus: *Epist. 48.* *Hortatus sum, ut ageres pœnitentiam, & in cilicio & cinere volutareris.*

XIV. Hæc verò disciplinæ exterioris varietas & alternatio, in tanto sæculorum decursu, nihil omnino officiebat, quin potius famulabatur sanctimoniæ & religioni, quæ semper eadem & invariata vigebat in Ecclesia. Si enim initio Clerici promiscuè cum Laicis sordibus pœnitentiæ & squallori subjiciebantur, id eò fiebat, quòd criminis enormitas eos omnibus sacerdotii ornamentis orbasset & prærogativis, atque in Laïcorum sortem dejecisset. Si quarto desinente sæculo jam non permissi sunt amplius Episcopi, Presbyteri, Diaconique cum Laïcis publicæ pœnitentiæ illuviem subire: eo id consilio factum, ut ita scelerum pœnas darent, ut ne eorum dedecore Clerus universus deturparetur. Secretâ pœnitentiâ & sacerdotii honori consulebatur, & qui Ordinem sanctissimum dehonestaverant, pœnas dabant. Verùm hæc consuetudinum diversitas aliis aliisque temporibus & locis, ipsamet universa eò conspirabat, ut sacerdotalibus functionibus proscriberentur, qui scelere quovis earum sanctimoniam dedecorassent, nec unquam ad eas revocarentur, quantumvis strenuissimè pœnitentiæ stadium decurrissent. Nam post hanc etiam privatam, aut semipublicam pœnitentiam nemo unquam tunc quidem ad virginalis Hostiæ sacrificium aut ministerium redintegrabatur.

XV. Existimo tamen si penitissimam scrutemur Ecclesiæ antiquitatem, inter ipsa ejus primordia austeritati indulgentiam præcocurrisse, Christumque ipsum cælestem & sempiternum Pontificem, dum in terris ageret, hanc misericordiæ regulam dedicasse, specimenque in eo ipso edidisse, quem Ecclesiæ suæ Caput, sui Vicarium designavit. Post lapsum suum Petrus non sacerdotio tantùm, sed apici & summo fastigio sacerdotii restitutus, & à Christo ipso restitutus est; qui in primo & Principe Christiani urbis Episcopo exemplum sancire & monumentum excitare voluit humanitatis & indulgentiæ, quod posteriora omnia sæcula mirarentur. Ea fuere initia & prima Ecclesiasticæ disciplinæ fondamenta, clementiæ & humanitati suavissimæ superstructa. Nec sanè ipsius universalis Ecclesiæ origo scaturire potuit alio ex fonte, quàm effusissimæ Dei misericordiæ, invictissimæ charitatis Christi, indulgentiæ scelerum plenissimæ per baptismum datæ. Primas ergo tulit clementia, tum austeritas subsecuta est. Primigenia Ecclesiæ indoles, natura, & proclivitas indulgentiæ est, ut quæ Christi cruci innixa, sanguine ejus perfusa & coalita sit. Austeritas postarior accessit, clementiæ & indulgentiæ contemptæ vindex ultrixque. Ipsæ canonicæ pœnitentiæ primùm mitiores fuere; ea humanitatis hujus aspernatione sæviendi necessitas orta est. Clementiæ & illud fuerat, quòd Clerici pœnitentiæ consumpto curriculo iisdem gradibus redderentur, quibus exciderant. Ea restitutionis spes simulatas complurium pœnitentias peperit; cui pesti ut occurreretur, necessum fuit irrevocabiles lapsis decernere depositiones, ut seriò resipiscerent & nullo fuco, nullis simulationis præstigiis illudere se posse deinceps sperarent.

In hanc doctrinam præivit nobis Augustinus, qui Donatistas hoc admonebat, si post hæreticæ pravitatis scelus pœnitentia expunctum sinantur frui honoribus, & fungi muniis Clericatûs, eam esse salubrem dispensationem, qua Ecclesia utendum sibi existimet exemplo Christi, qui eandem humanitatem in Petrum ipsum explicuit. Si enim postea austeriores sibi leges præfixit Ecclesia, obviatum esse fallis & fraudulentis pœnitentiis. Verùm penes eam incolume semper esse jus, rigorem inflectendi & indulgentiæ postponendi, ubicumque publica vel utilitas fidelium, vel necessitas suaderet cogeretve. *Sed ne forsitan etiam de cæteris crimini-* *Epist. 50.* *bus, spe honoris Ecclesiastici animus intumescens, superbi ageret pœnitentiam, severissimè placuit, ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit Clericus: ut desperatione temporalis altitudinis, medicina major & verior esset humilitatis. Nam & sanctus David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum, quando amarissimas lacrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo supervacua putanda est posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutiùs muniretur; experti credo aliquorum fictas pœnitentias, per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.*

XVI. Id jam ab Optato scitissimè animadversum fuerat, Primatum Ecclesiæ à Christo collatum fuisse Petro pœnitenti, clavesque Regni cæteris Apostolis communicandas. *Bono unitatis beatus Pe-* *L. ult.* *trus, cui satis erat, si post quod negavit, solam veniam consequeretur, & præferri Apostolis omnibus meruit, & claves Regni cælorum communicandas cæteris solus accepit.* Et infrà: *Stant toti innocentes, & peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur. Provisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores.* Hæc ex Optato miranda prorsus Christi dispensatio, qui principalem authoritatem clavium Ecclesiæ & cœli commendavit non innoxio, qui noxios posset aversari & excludere; sed pœnitenti, qui ne pœnitentes quidem posset abigere, nedum innoxios.

Sed & illud observari par est, cùm non omnia prorsus scelera, quæ fores Regni cœlorum occludunt, pœnitentiæ publicæ subjecerentur: non omnia etiam irregularitatem Clericis importasse. Ea quippe duntaxat flagitia, quæ publicæ pœnitentiæ laboribus eluenda erant Laicis, Clericos ab ordinibus & functionibus sacris summovebant. Atqui à Morino invictissimè demonstratum est, scelerum publicæ pœnitentiæ obnoxiorum numerum paulatim crevisse, donec septimo circiter sæculo omnia prorsus ei necessitati subderentur; quo eodem quoque tempore contigit, ut publica tantùm crimina

publicæ, occulta occultæ pœnitentiæ remedia sanarentur. Verùm tametsi tunc occulta crimina pœnitentiæ publicæ legibus eximerentur, non tamen ab irregularitatis absolvebantur vinculis. Hærebat ergo illis etiam clam perpetratis hæc irregularitatis infamia, quanquam non omnibus omnino, ut hic liquebit. Tritissimo tamen sermone à sanctis Patribus dicebatur, crimine quovis Ordinum januam aditumque obstrui, quod crimen non diceretur tunc nisi capitale, cujus comparatione reliqua venialia videri & dici poterant.

XVII. Alibi certè docet Augustinus, nunquam à Petro peractam fuisse illam pœnitentiam publicam humilemque, de qua mentionem faciunt Canones Ecclesiæ. *Cavendum est, ne ita putetur egisse pænitentiam Petrus, quomodo agunt in Ecclesia, qui propriè pænitentes vocantur. Et quis hoc ferat, ut primum Apostolorum inter tales pænitentes numerandum putemus?* Sed crimine ipso, non criminis pœnitentia illinebatur irregularitas. Itaque verissimè dicitur Petrus eximium in hac parte indulgentiæ exemplum fuisse, & potuisse Ecclesiam posterioribus his sæculis exemplo Christi sponsi sui eandem explicare humanitatem, cùm hortabatur charitas, cum urgebat necessitas, & eos qui lapsi erant, his irregularitatum laqueis expedire, ut tradit author libri de Vera & falsa Pœnitentia inter opera Augustini; ubi tamen ad desiderat, ut rariusculа sint hæc exempla. C. ult.

Verùm illud imprimis observandum est, eam dispensationem, de qua disserit Augustinus, & cujus forma in Petro præluxit, ad eos spectare tantum qui jam ordinati sint. Cæteris enim à Paulo declarat Ordinibus interdictum omnino esse, si baptismo semel mundati, rursus inquinentur. *Ideo Paulus quando eligit ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos, vel quicumque ordinandus est ad Præposituram Ecclesiæ, non ait, si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait, si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi.* Ita videtur Augustinus ex Paulo flagitiis omnibus capitalibus irregularitatem indicere.

XVIII. Non declinavimus ab orbita, ubi ex Augustino & Optato patrocinium mutuati sumus posteriori disciplinæ. Nunc ad antiquiores rursus mores Canonesque reflectenda oratio est. Clericis omnibus id sedulò præcipit Julianus Pomerius, ut quolibet capitali crimine conspurcati, subducant ipsi sese sacris Altaribus, occultam & seriam pœnitentiam agant; nisi malint spontanea illa expiare confessione, & pœnitentiæ publicæ laboribus defungi. De restitutione autem sua in Ordinum munia, post impletam pœnitentiam, prorsus silet. *Exceptis peccatis, quæ tam parva sunt, ut caveri non possint, pro quibus quotidie Deo clamamus, Dimitte nobis, &c.* Non excipit ergo nisi veniales culpas: *aliquod crimen occultè admittunt, &c. Illud propriæ confessionibus produnt, aut ipsi in se voluntaria excommunicationis sententiam ferant.* Eidem ergo legi obstringebantur crimina quælibet quantumvis occulta. De vita contemplat. l. 2. c. 7.

XIX. Narrat in historia Lausiaca Palladius, ut à sanctissimo viro Macario ad resipiscentiam adductus sit Presbyter, carnalium antè voluptatum cœno immersus, spoponderitque se nunquam amplius Sacramenta celebraturum, sed in laïcorum turba latitaturum reliquo vitæ tempore. *Spopondit se amplius non peccaturum, nec Altari ministraturum, sed sortem laïcam amplexurum,* λαϊκὴ τάξει. Præclarè Hist. Laus. c. 10.

adnotavit doctissimus vir Valesius, ex Eusebii verbis colligi non posse, quod Joannes Apostolus præfecerit Ecclesiæ juvenem illum, quem ex Latronum contubernio abstraxerat, sed quod Ecclesiæ restituerit. *Restituit Ecclesiæ.* ἀποκατέστησε τῇ ἐκκλησίᾳ. Nota in hist. Eusеb. p. ;a.

CAPUT LVII. *P. 2. l. 2. c. 15.*

De Irregularitate criminum capitalium VI. VII. & VIII. sæculo in Hispania.

I. Enumerantur irregularitates ex Concilio IV. Toletano.
II. Hormisdæ Papæ authoritas & ratio. Cum censor sit criminum sacerdos, meritò crimine quolibet arceri quemlibet à Sacerdotio.
III. Irregulares sunt pœnitentes, non propter pœnitentiam, sed propter crimen. Probatur ex iis, qui adventante morte pœnitentiæ habitum induebant, etsi prorsus innoxii, nec irregularitati subjiciendi.
IV. Ilerdensis Concilii delinimenta aliqua.
V. Aliorum Conciliorum vigor inflexus. Exemplum Potamii Episcopi.
VI. Exemplum Gaudentii Episcopi.
VII. Quamvis occulta crimina irregularitas adhærescebat.
VIII. Probationes ex Isidoro Hispalensi.
IX. Ejus Epistola ad Massanum supposititia est. Probationes.
X. Alia ad idem probationes. Explicatur Canon Ancyranus, quem fabricator hujus Epistolæ minùs intellexit.
XI. Germana Isidori Epistola Conciliis consentanea.

I. IRregularitas impedimentum est Canonicum, quo tum Nominationes irritæ fiunt, tum Electiones. Postquam ergo verba fecimus de Nominationibus, antequam ad Electiones accedamus, edisserendas hic adgredimur irregularitates, quas universas uno Canone complectitur Concilium Toletanum IV. *Deinceps qui non promoveantur ad Sacerdotium, ex regulis Canonum necessario credimus inferendum, id est, qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamia nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam admisisse confessi sunt.* Hæc prima est irregularitas, quæ hic elucidabitur etiam prima, ut iisdem insistamus hujus Concilii vestigiis. *Qui in hæresin lapsi sunt, qui in hæresi baptizati, vel rebaptizati esse noscuntur.* Hæc altera est irregularitas, quæ & ipsa à crimine proficiscitur. *Qui semetipsos absciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habere noscuntur.* Hæc tertia est, partim ex crimine, partim ex defectu naturali, vel fortuito. *Qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt, aut numerosa conjugia frequentaverunt, aut viduam, vel à marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas aut fornicarias habuerunt.* Variæ sunt hæ bigamorum classes, ubi culpa nectitur cum defectu mysticæ significationis. *Qui servili conditioni obnoxii sunt. Qui ignoti sunt.* Nulla hic culpæ suspicio. *Qui Neophyti sunt, qui laïci sunt.* Nemini non exploratum est, quam hi non sint idonei sacris Ministeriis. *Qui sæculari militiæ dediti sunt. Qui Curiæ nexibus obligati sunt.* Servitutes hæ sunt, quæ cum Clericorum libertate à terrenis omnibus vinculis absoluta, conciliari non possint. *Qui inscii litterarum sunt.* Laïco non crimini vertitur ignorantia: at Clerico plurimorum ea scatebra est peccatorum. Can. 19.

II. Initium ergo sumamus à prima istarum irregularitatum, seu à convictione, & infamia, vel confessione criminis in publicæ pœnitentiæ stadio. Rescribens ad Episcopos Hispaniæ Hormisda ex Canonum norma irreprehensibiles esse debere statuerat eos, qui Ordinibus essent initiandi, hoc est Epist. 25.

fine crimine, ut criminosus liberè & fidenter objurgare & corripere possent. *Irreprehensibiles esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis.* Nec verò pœnitentibus aditum ad eos ullum posse patere. *Sed nec de pœnitentibus quisquam ad hujusmodi gradum prophanus temerator aspiret. Quâ conscientiâ absolvat reum, qui se peccata sua populo suis teste confessum? Qui enim quem paulo antè vidit jacentem, veneretur Antistitem? Præferens miserandi criminis labem, non habet lucidam Sacerdotii dignitatem.*

III. Quibus ex Hormisdæ verbis illud quoque manifestum est, non pœnitentia, sed crimina obstrui fores Ordinum. Quod perspicuè rursum patet ex Concilio Gerundensi, à quo decernitur, ut quibus impositæ sunt manus in pœnitentiam, ex gravi morbo decumbentibus, ii ad Ordines eniti possint, ubi sese & vires recuperarint, si modò nullo se unquam crimine, quo irregularitas illidatur, inquinarint. *Qui ægritudinis langore depressus, pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & postmodum reconvalescens, caput pœnitentiæ in Ecclesia publicè non subdiderit, si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.* Altero post sæculo idem confirmatum est in Concilio Toletano IV.

Can. 9.

Can. 54.

IV. Ilerdense Concilium singulari quadam humanitate delectari videtur, quando Clericos adulterii reos, peremptæque adulterinæ suæ prolis, exauthorat quidem, sed post pœnitentiam Canonicam sedere patitur inter Ecclesiæ Cantores. *Si Clerici fuerint, officium eis ministrandi recuperare non liceat, attamen in choro psallentium, à tempore recepta communionis intersint.* Plus habet etiam admirationis hujus Concilii lenitas, cùm Episcopis liberum esse jubet, ut Clericos semel carne lapsos, qui statim emerserint ex eo cœno, strenuamque exegerint pœnitentiam, permittant prioribus suis Ordinum functionibus, nulla residua spe ad superiores Ordines eluctandi. *Hi qui altario Dei deserviunt, si subito inflenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente dignè pœnituerint, maneat in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregare, ita tamen ut sic officiorum suorum loca recipiant, nec possint ad altiora officia ulterius promoveri.* Si iterum tamen in easdem sordes revolvantur, jam nulla eis communionis degustandæ spes, nisi ubi animam agere cœperint.

Can. 1.

Can. 5.

V. Multò constantiùs Concilium Toletanum X. pro antiquo Canonum vigore pugnavit, cùm irrevocabili depositionis jaculo confixit Potamium Episcopum Braccharensem, quamvis jam videri posset consimile flagitium expiasse spontanea abdicatione, spontanea secessione in carcerem, quo se ipse volens incluserat jam à novem mensibus, denique publica criminis sui confessione in Concilio, tam voce, quàm scripto. Quæ omnia sinceræ & sine fuco pœnitentiæ argumenta, lacrymis gemitibusque commendata, impulerunt illa quidem ut paulò remissiùs agerent: sed hæc ipsa lenitas & remissio infractam vel maximè Canonum observandorum austeritatem illustravit. Uno enim & inani Episcopi nomine Potamium solati sunt; dignitate, aut functione qualicunque prorsus interdixerunt, ne & seipsos, & ipsum pari damnationis periculo immergerent. *Licet hunc paterna antiquitas sacris regulis dejicere ab honore decernat: nos tamen miserationis jura servantes, non abstulimus nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis confessione jam tulerat: sed validâ authoritate decrevimus, perpetua pœnitentia hunc inservire officiis, & ærumnis: providentes nobis illum per asperam & dumosam ire pœnitentiæ solitudinem, ut quandoque perveniret ad refrigerii mansionem: quàm relictum in voluntatis suæ latitudine, ad præcipitium dejici æterna damnatione.* Denique nequa residua specula sese deluderet & deluderetur Potamius, successor illi subrogatus est in Episcopatu, innovatusque est Canon pristinus Concilii Valentini, quo Episcopatu, Presbyteratu & Diaconatu extruditur, quisquis ordinationis tempore semetipsum gravat cujuscumque *mortalis criminis* confessione.

VI. Ad Concilii XIII. Toletani Patres misit Gaudentius Episcopus, qui percontarentur, an inter angustias gravissimi morbi accepta pœnitentia, posset sibi redditus, Episcopales rursus attentare functiones. Responsum est à Synodo, Posse, si modò nil lethalis criminis admisisset, nil confessus esset. *Si se mortalium criminum professione propria non notaris.* Si enim crimine à Sacerdotio eliminamur: qui fieri potest, ut & pœnitentia criminum expiatrice eliminemur etiam? *Cùm Sacerdos tunc sibi licitum sacrificare sciat, quando à malis actibus vacat, quâ ratione, qui pœnitentiæ remedium suscipit, quod datur in remissionem peccati, à sacrificiis divinis se abigiet?* Declinandum est Presbytero, quo maculatur, nequaquam autem quo emaculatur. *Abigenda sunt ab omni Sacerdote, quæ maculant, exercenda quæ mundant.* Itaque tam Clericis consentanea est pœnitentia, quàm ab eorum instituto alienum crimen. Can. 10.

VII. Sed hujus Canonis illud potissimum animo mandandum est; si quis dum pœnitentiam subit, nihil sceleris confiteatur; postea in sese regressus, aculeis se peccatorum quorundam clandestinis compungi sentiat; tum ille se sibi judici reum sistere debet, suo se judicio premere, damnare, excommunicare, adeoque exauthorare. Nec enim crimen eò irregulares facit, quò publicum est, sed quò crimen est. *Cæterùm si sub pœnitentiæ perceptione consistens, nihil mortalis criminis se admisisse prodixerit: attamen quod fateri hominibus erubescit, absconsum intra claustra sui pectoris delitescit: noverit ipse sibi de se potestatem esse concessam, ut juxta conscientiæ suæ fiduciam, utrum audeat, aut non audeat sacrificare Deo, ex sui potius arbitrii potestate, quam ex nostri judicii permissione procedat.* Quo manifestissimum fit, quicumque sibi intus clam & Deo reus erat ejus criminis, quòd omnes prorsus mortales fefellisset, irrevocabili tamen eadem illa depositionis sententia seipsum comprimere debuisse, & ab omnibus muniis sacerdotalibus abstinere. Si enim integrum fuisset crimen silentio premere, occulta illud pœnitentia abluere, nec Dignitate interim exui, vel Beneficio; Ecquid Episcopi, cæterique Beneficiarii crimen suum nudassent? Ecquid, quam effugere poterant, depositionem sua confessione provocassent? Ecquæ tanta in eos sævitia, qui doloris & pœnitudinis vi adigebantur, ad denudandum crimen suum; & in illos ex adverso tam intempestiva lenitas, qui tegendi, quam expiandi criminis cupidiores; muniendæ famæ, servandæque dignitatis, quàm procurandæ salutis suæ amantiores, vel hinc esse probabantur? Ecquid sese ipse post crimen admissum abdicasset sponte sua Potamius? Ecquid in Concilio publicam confessionem sceleris edidisset, si per Canones licuisset pœnitentia privata fungi, & eo suam servare sibi dignitatem?

VIII. Horum Conciliorum interpres locupletior Isidoro Hispalensi eorundem ferè temporum

Episcopo, ne optari quidem potest. Atqui testatum facit ille, 1. Qui ab innocentia baptismo parta desciverit, eum spem omnem sacerdotii abjicere debere, ut sibi posthac inaccessi. 2. Qui se post Ordines susceptos mortali implicuerit flagitio, eum ab eorum sacris functionibus abstinere seipsum debere. 3. Quantumvis occultum crimen non effugere Dei oculos, eoque & Ordinibus & Ordinum functionibus abstinendum ei esse, qui sibi conscius sit. Dicam infrà de his criminibus. *Quod autem quis post baptismum aliquo mortali peccato corruptus, ad sacerdotium non promoveatur, lex ipsa testatur. Moyses enim præcepit Sacerdotibus, ne aliquod pecus vitiatum ad aram offerant, &c. Si enim is qui in Episcopatu mortale aliquod peccatum admiserit, non debet offerre panes Domino; quantò magis ante ordinationem peccator inventus, repudiari debet, ut non ordinetur? Quapropter quia lex peccatores à Sacerdotio removet, consideret se unusquisque, sciens quia potentes potenter patientur tormenta: retrahat se ab hoc non tam honore, quàm onere; & aliorum locum qui digni sunt, non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur: Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus: nam qua fronte subjectos arguere poterit, cùm illi statim possit correptus ingerere: ante doce te, quæ recta sunt. Quapropter qui negligit recta facere, desinat recta docere.* Hæc doctrina, hæc rationum summa Conciliorum Hispaniæ, quibus intercluditur aditus Ordinum & Beneficiorum omnibus sceleribus, etiam occultissimis.

De Eccles. Offic. l. 2. c. 5.

IX. Hinc prorsus colligitur commentitiam illam esse ad Massanum Episcopum, quæ Isidoro tribuitur, Epistolam. Nugatoriè pene & inconditè ibi illa propinatur doctrina de Clericis ad suas revocandis functiones, post decursum pœnitentiæ stadium: quæ nec Isidoro consentiat semetipsum alibi luculentiùs interpretanti, nec Hispaniensi eo ævo Disciplinæ sacræ, nec decretis Conciliorum ejusdem ævi & regionis, quæ paulò antè protulimus. Sed ne fingi quidem potest alienius quidquam, aut insulsius ea, quam Scriptor iste commentatur concordia inter priscos Canones, quorum alii criminosos ab Ordinibus funditus summoverent, alii post peractam pœnitentiam hanc illis januam recludant. Tantum quippe abest, ut per antiquos Canones fas fuerit pœnitentia defunctis ad Ordines anhelare: ut pœnitentes universim irregularitatis notissimæ cauterio inurerentur: & quanquam ipsa irregularitatis infamia non imprimeretur pœnitentiæ ipsi per sese: erat tamen in ore & in usu Conciliorum, Patrumque & Pontificum sermo ille tritissimus. Pœnitentes omnes & pœnitentia functos ad suscipiendos & exercendos Ordines irregulares esse.

Inter opera Isid. p. 552.

X. Illa ipsa exceptio eorum, quibus imposita fuerat pœnitentia, nullo notatis crimine, satis indicat superque, immunitate criminum, non pœnitentiæ fervore fores Ordinum pandi solitas. Hujus Epistolæ consarcinator duos in sui defensionem Canones astruit, quibus tota hæc ejus fabulosa commentatio destruitur & dissipatur. His enim definitur, ut Presbyteri & Diaconi, quibus cruciatuum vis extorsit, ut Idolis thuris aliquid adolerent, quique pœnitudine mox ducti, pugnæ se reddiderunt, nobilemque reportarunt palmam; in totum à functionibus Ordinum abstineantur; quanquam sedere deinceps sinantur inter Presbyteros & Diaconos, & copia fiat Episcopis, ut Diaconis plusculum aliquid indulgeant.

Can. 1. 2.

XI. Hanc Gratianus laudavit Epistolam, quòd eam senserit sui ævi disciplinæ consentire, de qua inferiùs agemus. Poterat ille hoc se errore exuere, si protulisset veram Isidori Hispalensis Epistolam ad Helladium, aliosque Episcopos synodicè collectos ad definiendam causam Cordubensis Episcopi, qui infanda se carnis voluptate contaminaverat. Hortatur Isidorus hac Epistola Episcopos, ut tota se arment severitate Canonum, ad ulciscendam contumeliam gravissimam sacerdotali Collegio irrogatam. *Cum effusione lacrymarum vestram sanctitatem deposcimus, ut idem lapsus, sancto cœtui vestro præsentatus, agnito à vobis confessionis eloquio, synodali sententia, à gradu sacerdotii deponatur. Melius est illi, ut temporaliter deponatur à vobis, quàm æterno damnetur judicio. Levior est illi præsentis temporis ignominia, quàm futura gehennæ tormenta. Sciat enim se amisisse nomen & officium Sacerdotis, qui meritum perdidit sanctitatis. Quapropter judicii vestri decreto, pœnitentia perpetim flagitia perpetrata lamentatione deploret, &c.* In hoc verò contextu tota refulget superiorum Hispaniensium Canonum indoles, austeritas, disciplina, connexio verborum ipsa. Denique non aliam lapso huic Episcopo spem ostendit Isidorus, quàm remissionis peccatorum, post expletum cum vita ipsa sua pœnitentiæ curriculum. *Fortasse porriget illi manum quandoque Spiritus sanctus, ut per dignam satisfactionem mereatur accipere peccatorum remissionem.*

D. 50. C. Domino sancto.

Pag. 694. ejus operum.

CAPUT LVIII. *P. 2. l. 2. c. 16.*

De irregularitatibus criminis in Gallia, iisdem mediæ ætatis sæculis VI. VII. VIII.

I. In Gallicanis Conciliis pœnitentes irregulares.
II. De Episcopis rarus sermo ante lapsum Contumeliosi.
III. Intercedit Cæsarius, ne mitius in eum consulatur.
IV. Universim Concilia & Pontifices criminum omnium conscios Cleri liminibus ejiciunt.
V. Quantumvis occulta crimina irregularitati obnoxia.
VI. VII. Nova testimonia in eos, qui prioribus uxoribus suis post ordinationem copulabantur.
VIII. IX. Exempla contraria Episcoporum Arverni & Laudunensis. Responsio.
X. XI. Alia exempla.
XII. XIII. Confirmatio antedictorum ex Epistolis petita Zachariæ Papæ, & Bonifacii Archiepiscopi.
XIV. Necessario & cum laude dispensatione usus est Bonifacius, iis locis, temporibusque & causis, quæ Ecclesiam tandem coëgerunt, ut extremis his sæculis temperatiore disciplina sese accommodaret.

I. NEc minùs religiosè Gallicana Ecclesia Ordinibus & sacro ministerio noxios & pœnitentes omnes interdicebat. Concilium Agathense aditu etiam illos minorum Ordinum propulsat, & si qua fraude irrepserint, Diaconatûs & Presbyteratûs muniis propriis eos arcet. *De pœnitentibus id placuit observare, quod sancti Patres nostri synodali sententia censuerunt: ut nullus de his Clericus ordinetur: & qui jam sunt per ignorantiam ordinati, ut sicut bigami, aut internuptarum mariti, locum teneant: ministrare Diaconus, aut consecrare ad altare hujusmodi Presbyter non præsumat.* Can. 43.

Concilium Aurelianense I. Presbyteros & Diaconos omnes gradu dejicit, capitalis flagitii affines. *Si Diaconus aut Presbyter crimen capitale commiserit, simul & officio & communione pellatur.* Si extrema premat necessitas, unum id permittat, ut bap- Can. 9.

Can. 11. tismum donent. *Si Diaconus aut Presbyter pro reatu suo se ab altaris communione sub pœnitentis professione submoverit, sic quoque, si alii defuerint, & causa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizari.*

Horum Conciliorum verbis capitalia omnia continentur crimina, & irregularitati subjiciuntur, quantumvis occulta. Idem habet de pœnitentibus
Can. 3. Epaonense Concilium: *Pœnitentiam professi ad Clericatum penitus non vocentur:* Presbyterosque & Diaconos flagitio quolibet sordidatos in Monasteria conjicit, ubi reliquum vitæ tempus omne pœni-
Can. 22. tentiæ impendant. *Si Presbyter aut Diaconus crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus, in Monasterium retrudatur, ibi tantummodo, quandiu vixerit, communione sumenda.*

II. Capite superiori patuit non semel in Hispania adversùs Episcopos ipsos incontinentes rigore Canonum toto sævitum esse. At hi Gallicani Canones distringuntur tantummodo in Presbyteros, Diaconos, atque inferiores alios Clericos iisdem sordibus implicitos. Non alio quidem ex capite necesse est eam diversitatem accessere, quàm ex eo quòd Synodorum providentia in eos maximè excubet errores lapsusque emendandos, qui quolibet loco & tempore serpunt. Juvat tamen observare, Episcopos Galliæ in varias scissos fuisse sententias, cum ventilari cœpit causa Regiensis Episcopi Contumeliosi, qui carnalis flagitii infamia Ecclesiam Gallicanam conturbaverat. Consuluit Cæsarius Arelatensis Archiepiscopus Joannem II. Papam, à quo accepit Breviculum Canonum, quibus Episcopus capitalis flagitii conscius irrevocabilis depositionis mucrone confoditur: accepit & Epistolam, qua spes veniæ & dispensationis prorsus amputabatur.
Conc. Gall. Tom. 1. pag. 232. *Dolemus de amissione Pontificis, rigorem tamen Canonum servare necesse est. Atque ideo prædictum ab Episcopatûs ordine nostra suspendit authoritas. Nec enim fas est pollutum criminibus, sacris ministeriis deservire. Sed te ordinante in Monasterio dirigatur, ubi in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, &c.*

III. Suus Cæsario exacuendus fuit zelus adversùs molliores quosdam Episcopos, qui ut Collegæ parcerent, totum Episcopale Collegium dehonestatum ibant; nec quidquam pensi habebant, nec verebantur, ne absolvendo Contumelioso damnationis sententiam in Pontificem, in Nicænos Patres dicerent, & in tot alia Concilia, qui Contumeliosum prædamnarant. *Sed fortè major est in illis pietas, quàm in trecentis decem & octo Episcopis; major in illis misericordia, quàm in sancto Joanne Apostolico Papa; major charitas, quàm in reliquis sanctis Sacerdotibus, qui hoc pro exemplo vel remedio Ecclesiarum suis definitionibus deliberaverunt.*

Præceps fuit quisquis assurgit supra tot sanctissimos Episcopos: quisquis insignem reum tuetur, ipsi patrocinatur sceleri, & malum curando exulcerat. *Quæ est ista justitia inimica benignitas, palpare criminosos, & vulnera eorum usque in diem judicii incurata servare?* Denique contestatur Cæsarius, qui sacrum ministerium ita profanarunt, eos ita ejiciendos esse, ut omnes eis in posterum aditus obstruantur, & restitutionis spes præcidatur, juxta scita Canonum. *Et ideo justum est, ut dum eis, secundum omnium Canonum statuta, redeundi ad honorem aditus clauditur, tandem aliquando tam gravi malo finis congruus imponatur.* Sede sua motus est Contumeliosus, appellavit, appellationem admisit Agapetus Papa, mandavitque ut dum Judices in partibus delegare posset, ea Ecclesia à visitatore Episcopo regeretur, alereturque ab Archidiacono Contumeliosus, suspensus interim ab omni Episcopali ministerio, & à potestate offerendi.

Non minùs indulgentes fuissent Concilii Cabilonensis Patres anno 582. adversùs duos contaminatores magis Episcopatûs, quàm Episcopos, Salonium & Sagittarium: nisi post adulteria & homicidia, quæ illi stupendum in modum effœminati, non depositione, sed pœnitentia sola elui posse sperabant, accessisset crimen læsæ majestatis. Ita rem narrat Gregorius Turonensis: *Non solùm de* Baron. an.
adulteriis, verùm etiam de homicidiis accusantur. Sed 585. n. 9.
hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, &c.

IV. Cùm hæc ita se habuissent, indiscriminatim jam comprehendi cœpere & Episcopi in Canonibus, qui hac de causa edebantur. Concilium quippe Aurelianense V. ita edicebat: *Nulli viventi Epis-* Can. 12.
copo alius superponatur, aut superordinetur Episcopus, nisi forsitan in ejus locum, quem capitalis culpa dejecerit.

Concilium Cabilonense anni 650 ad Theodosium Episcopum Arelatensem scripsit, debere eum, cùm in numero fuisset pœnitentium, inter depositos etiam semet segregare, usque ad proximam Synodum. *Nam & scripta, qualiter vos constitit esse professos, vestra manu vidimus, & Comprovincialium vestrorum manibus. Unde vos credimus jam legisse, nec penitus ignorare, quod qui publice pœnitentiam profitetur, Episcopalem Cathedram nec tenere, nec regere potest.* In responsis ad Bonifacium Archiepiscopum Zacharias Papa jubet ut in Concilio Galliæ Episcoporum dejiciat sede & gradu Episcopos, Presbyteros, Diaconosque fornicationis vel adulterii convictos, vel fusi sanguinis Christianorum, vel Paganorum in bello, cui sese præter fas immiscuerant. *Tua fraternitas in memorato Concilio, si quos re-* Conc. Gall.
pererit Episcopos, Presbyteros & Diaconos contra Cano- To. 1. p. 333.
nes vel Statuta Patrum excessisse: id est, in adulterio, vel fornicatione inventi fuerint, vel plures uxores habuerint, aut si sanguinem Christianorum sive Paganorum effuderunt, vel etiam aliis capitulis Canonum obviarunt, nulla ratione permittat sacerdotio fungi. Cúmque hi Sacerdotii profanatores nescio quas aliquando venditarent dispensationes Pontificias, ne dignitate sua exui possent: rescripsit Pontifex, commentitias, subdititiasque esse eas dispensationes, nec enim à Pontificibus unquam concedi dispensationes canonicis regulis inimicas: denique præcipit Pontifex, ut hujusmodi scelerum convicti inexorabili damnatione percellantur. *Nam & de Sacerdotibus, qui adulteri & fornicatores probantur, & sibi ab Apostolica sede indultum esse testantur, & licentiam prædicationis sibi esse concessam; hoc nulla ratione credat tua sancta fraternitas; sed similiter in eis canonicam exerce vindictam. Non enim aliud te agere volumus, præterquam quod sacri præcipiunt Canones.*

V. Ex his duabus Zachariæ & Bonifacii Epistolis edocemur, quæ illa essent *capitalia crimina & mortalia peccata*, in quæ tot jacula indeclinabilis depositionis à Pontificibus & Synodis vibrata sunt. Zacharias Papa eo numero fuisse addocet adulterium, fornicationem, homicidium qualecunque, etiam in bello, atque in prælio adversùs Gentiles; nec enim bello prælioque cuicumque Clerici interserere se debent, aut manus ipsi conserere. Cætera crimina capitalia promiscoè ibidem his verbis insinuantur. *Vel etiam aliis capitulis Canonum obviasse repereris.* Commendat autem non multò pòst debe-

re majores Clericos abstinere se ab uxoribus, si quas ante Ordinationem duxissent; sed an hujus legis prævaricator depositione plectendus foret, id verò non exprimit. Ita quidem à pristinis Synodis & Pontificibus definitum fuerat: sed non injuria ambigeret quis, an hic Pontifex lenitate & remissione utendum sibi duxerit, eo loco & tempore, quo Clerus voragine quadam luxuriæ demersus erat. Retulerat enim ad Pontificem Bonifacius de causa tantum Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, qui quod horrendum dictu, uno eodemque tempore quaternas, quinasque, adeoque & plures lateri suo affixas concubinas habebant. Retulerat & de iis Episcopis, qui nulla quidem infanda libidine sese inquinabant, *erant tamen ebriosi, injuriosi, vel venatores.* De his postremis nihil rescribit Pontifex, eoque innuit forsan non debere has culpas depositione plecti. Universim tantùm confirmat, religiosissimè servandos esse Canones: *Quidquid aliud contra Ecclesiasticam regulam eos excessisse reperieris, Canones sive instituta Patrum præ manibus habeto, & juxta quod in eis edoctus fueris, discerne.* Denique jubetur à Pontifice Bonifacius, totam distringere rigorem Canonum in eos Presbyteros, qui dum ordinarentur, superioris vitæ suæ pudenda flagitia dissimularunt. *Si quos Presbyteros, qui de laicis promoti fuerint; & antea criminalibus causis obvoluti, celantes peccatum suum, ordinati sunt; postmodum verò manifestata est eorum iniqua actio; hos Sacerdotali habitu privatos, pœnitentiæ submitte: non enim odit Deus peccantem & confitentem, sed peccantem & negantem.* Quibus postremis verbis liquet hoc criminum præteritorum silentio exaggeratam fuisse irregularitatem, confessione vero quodammodo elevatam. Odit enim Deus non confitentem, sed occultantem scelera sua, quorum ipsa jam confessio detestatio quædam est; odit similiter Ecclesia simulatam ex occultatione criminum innocentiam, eorundem confessionem ex infucata pœnitudine profectam amplexatur, etsi sacris vel muniis, vel Ordinibus non statim admoveat.

Ibidem. pag. 380.

VI. Ad Amandum Trajectensem Episcopum scribens Martinus I. Papa, laicos Clericatu summoveri pronunciaverat quocumque demum suo crimine, jam ordinatos irrevocabiliter exauthorari. *Qui simel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipisci. Sufficiat ei quoad vixerit, in pœnitentia perdurare. Si enim tales quærimus ad sacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium mentes & corpora præpediat; quanto magis, &c.* Absolutius dici non poterat restitutionis spem omnem excindi.

VII. Miserat Joannes II. ad Cæsarium Arelatensem in causa Contumeliosi Episcopi Epistolam Siricii Papæ, qua Clerici majores dejiciuntur, qui ab uxoribus ante Ordinationem ductis, postea non continuissent; itemque Apostolicum Canonem, qui perjuros & fornicatores eadem depositione percellit. Addiderat & eum Cæsarius Arausicanum Canonem, quo damnatur Presbyter & Diaconus propter incestam jam cum priore uxore sua copulam. In Concilio III. Aurelianensi eadem exauthoratione mulctabantur, qui adulterii, furti, vel falsi crimine se implicatos fuisse, vel convicti, vel confessi fuissent. *Si furtum, aut falsitatem admiserit, quia & ipsa capitalia sunt crimina.* Quoad perjurium, biennii tantùm excommunicatione, seu suspensione feritur.

Can. 7. 8

VIII. His ita præstitutis præfixisque tribus regulis, 1. quovis mortali crimine, sive publico, sive occulto, abdicatos fuisse Clericos. 2. Nec ubi ita semel abdicati essent, revocatos unquam fuisse. 3. Quolibet etiam crimine ejusmodi laicis occlusas fuisse in perpetuum Cleri Ordinumque fores: jam in his in contrarium exemplis, fruatur quisque suo judicio. Beatus Remigius Remensis Archiepiscopus in Epistola ad tres Episcopos Franciæ, assentiri videtur, ut Claudius Presbyter post exhaustum pœnitentiæ stadium à ministerio suo non cadat. Verùm præterquam quod ejus Epistolæ contextus implicatus & perobscurus est, alioque deflecti facilè potest; dici potest rursus hoc fuisse veluti consectarium dispensationis ejus, quæ orante Clodoveo Rege indulta fuerat; aut certè hoc fuisse singulare consilium beati Remigii, cui cæteri Galliarum Episcopi refragarentur. Denique dubius magis & anceps animi hærerem circa hanc Epistolam, quàm circa tot Canones indubitatissimos superius accumulatos.

Conc. Gall. To. 1. pag. 204.

IX. Propè singulare facinus memorat Gregorius Turonensis ejus Episcopi, qui in Arverno Episcopatu beato Austremonio successit. Senator ille fuerat, statimque ut initiatus sacerdotio fuit, uxorem à se ablegarat. At aliquanto pòst tempore, intempestæ noctis silentio illa Episcopalium ædium foribus cùm astaret, querelisque illum suis fatigaret, domo tandem thoroque admissa est. Filiola suscepta, aliquando tandem pœnitudine secta, sed seria stimulatus Episcopos in Monasterium secessit, ex quo rursus ad Ecclesiæ suæ gubernacula rediit. *De perpetrato scelere condolens, acturus pœnitentiam, Diœcesis suæ Monasterium expetiit: ibique cum gemitu & lacrymis, quæ commiserat diluens, ad urbem propriam est reversus.* Huic exemplo illud Genebaldi Laudunensis Episcopi attexendum est, quod ab Hincmaro in vita sancti Remigii & à Flodoardo in Remensi Historia proditum est. Fallacis spei ludibrio Genebaldus, dum frequentius diutiusque conversatur cum ea, quæ antè uxor sibi fuerat, nunc erat soror, ut eam regni cœlestis comparandi rationes edoceat, fœmineis tandem blanditiis emollitus ita & fascinatus est, ut filium ex ea filiamque susceperit. Puduit eum tandem, pœnituitque turpitudinis suæ, beatumque ipsemet Remigium, cognatum & Metropolitanum suum interpellavit, ut tetro quodam ipsum carcere concluderet, ubi per septennium ita lacrymis, squallore & macerationibus carnis flagitii sui maculam abstersit, ut cœlestibus monitis parens tandem Remigius, throno Episcopatus, pristinisque eum functionibus reddiderit.

L. 2. Hist. c. 44.

Surius die. 13 Januar. c. 42. Flodoard. L. 1. c. 14.

X. Arverni Episcopi exemplum, factum est, quod juri nihil possit officere; aut tantæ Canonum multitudini, ac perspicuitati opponi. Unius impunitate sceleris scelerum ultrix non abolescit, non debilitatur lex. Quod ad Genebaldum attinet, tam inusitata & mirabilis tota ea quidem narratio est, ut miraculo magis esse possit, quàm exemplo: si nulla tamen ex parte labat rei gestæ fides.

Cadurcensis Episcopi pœnitentia à Gregorio Turonensi scriptis mandata, mera erat suspensio; nec ejus facinus ex eorum erat genere, quibus Canones irreparabilem irrogant depositionem.

Greg. Turo. L. 8. c. 20.

Prætextatus Archiepiscopus Rotomagensis, ab exilio redux post obitum Chilperici Regis, Episcopatus sui administrationem recepit. Nimirum postquam Episcopus Parisiensis Regem Guntramnum Episcoposque cæteros certiores fecit, Synodum

dum illam quadraginta quinque Episcoporum, quam Prætextato Fredegundis objectabat, abdicationis sententiam nullam iniisse, sed ipsummet Epis-
L. 7. c. 16. copos exorasse, ut pœnitentia sibi indiceretur. *Scitote ei pœnitentiam indictam à Sacerdotibus, non tamen eum prorsus ab Episcopatu remotum.* Ita memorat Gregorius Turonensis. Id quoque certo constare videtur, Episcopos eos, quos adversus Prætextatum ad Parisiensem Synodum Chilpericus evocarat, hac arte conatos esse Regem demulcere, & Prætextati dignitati consulere, atque huc consilii ei dedisse, ut flagitaret ipse pœnitentiam sibi peragendam indici in religioso aliquo secessu. Ea verò spontanea pœnitentia, nec irregularitatem affricabat, nec sacra quenquam spoliabat dignitate. Ebbo postea & Arnulphus Remenses Archiepiscopi, aliique forsan hac eadem arte memorabili grassati sunt, ut sævientibus iræ Regiæ procellis sese interim subducerent.

XI. Venio ad exempla usitatiora, & ubi juri & Canonibus locus fuit. Salonius Episcopus Ebrodunensis & Sagittarius Vapincensis Episcopus de homicidio, adulterio, aliisque sceleribus accusati, in Concilio Lugdunensi, damnati & Episcopatu
Greg. Tur. abdicati sunt. *Præceperunt Episcopi, ut qui talia com-*
L. 5. c. 20. *miserant, Episcopatûs honore privarentur.* Assentiente Rege ad Romanum provocarunt illi Pontificem, à quo & restitui jussi sunt, quod fieri non poterat, nisi vel obreptione, vel venia Canonum facta. Verùm cùm hi duo Episcopi in eandem flagitiorum colluvionem rursus se demersissent, de homicidio rursus & adulterio rei acti sunt in Concilio Cabilonensi. Cùmque in eam propenderent Episcopi sententiam, ut pœnitentia potius, quam irremeabili ejectione ea flagitia expiarentur, objectum est crimen Majestatis læsæ. Protinus discincti, & custodiæ
L. 5. c. 27. traditi sunt, & successores eis designati: *Objiciuntur eis crimina & non solum de adulteriis, verum etiam de homicidiis accusantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, illud est additum quod essent rei majestatis, & patriæ proditores. Quâ de causâ ab Episcopatu discincti, &c.* Canonicis decretis consentiebat Lugdunensis hujus Concilii judicium, quibus irrevocabiliter dejiciuntur ejus generis facinorosi. Judicium verò Cabilonensis Concilii, quod indulgentiæ magis studebat, non tam judicium fuit, quam conatus quidam, ut à Pontifice & Rege iniretur gratia, qui ad lenitatem erant magis inclinati: *Hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi.* Quibus verbis non definitiva insinuatur sententia, sed Episcoporum opinatio mollior remissiorque. Denique ejus Concilii decretorio judicio damnati sunt illi duo Episcopi, abscissa omni restitutionis spe. Pontificum denique & Conciliorum adversus Contumeliosum conspiratio, abundè prodit, etsi pauci aliqui mollescerent Episcopi, longè plures tamen pro Canonum observantia strenuè decertasse.

L. 6. c. 36. XII. His exempla, paucisque forsan aliis apud Gregorium Turonensem, producuntur quidem aut dispensationes aliquæ justæ, necessariæ, raræ; aut minimè excusandæ nonnullorum Episcoporum defectiones à necessaria Ordinis & Officii sui constantia, quod idem & de particularibus quibusdam Conciliis dici potest: at his certè obnubilari nequaquam potest lux Canonum splendidissima, aut obrui paucis prævaricationibus inultis Ecclesiæ legum invictissima sanctitas. Danielem Vintoniensem in Anglia Episcopum consuluit Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus, qua ratione versari deberet in Aula Regum Galliæ, quorum gratia & tuitione egeret omnino, ad Apostolicæ Legationis suæ munia, & ad fidem circumjacentibus Ethnicis promulgandam: cùm in eadem Aula essent, nec declinari à se ibi possent, qui ne Episcopatu deturbarentur, passim venditabant, post adulteria & homicidia perpetrata, posse adhuc cœlestis Agni sacerdotium & sacrificium exerceri. Abstinere se quidem ab Ecclesiastica horum communione: *In sacris Mysteriis Corporis & Sanguinis Domini, cum eis non communicavimus, sed & consilium & consensum eorum devitamus.* Sed vitare se non posse, quin sibi quandoque occurrerent in Aula Regia: etsi Gregorio Papæ ordinatori suo pollicitus esset, si hos Præsules incorrigibiles experiretur, eorum se consortia declinaturum. *Recolo me ordinationis meæ tempore jurasse in* Epist. 3. *corpore beati Petri, talium communionem me declinaturum, si eos ad viam canonicam convertere nequiverim.* Hoc scrupulo tum angebatur Bonifacii conscientia. Responsionem suam Vintoniensis Episcopus ea pietate & eruditione temperavit, quæ expectationem quam sustinebat, non falleret: Nimirum cedendum & assentiendum esse Canonum sanctitati, non multitudini prævaricatorum: si homicidæ non redintegrarentur communioni nisi desinente pariter vita & pœnitentia, non committi debere Sacerdotium Christi desperatæ pravitatis Clericis; denique si vel bigamis non pateat aditus ad Clericatum, qui scelerosis aperiatur? *Si homicidis jugiter agentibus pœnitentiam, circa exitum vitæ perfectio, id est, Christi communionis gratia conceditur: incorrectis quâ ratione cura regiminis Christianæ conversationis injungitur? Adulter quâ consequentiâ sacerdotale officium usurpabit; cùm qui viduam, aut secundam duxerit uxorem, à Clericatu coërceatur?*

XIII. Egbertum quoque Eboracensem sanctissimum Episcopum percunctatus est idem Bonifacius, super causa Presbyteri, qui cùm nefarias libidines suas pœnitentia eluisset, ab Episcopis Gallicanis Parochiæ suæ regimen recuperaverat. *Dum inveni-* Epist. 85. *ro Presbyterum jam ante multa tempora lapsum in fornicationem, & post pœnitentiam rursus in officium gradus sui à Francis restitutus est, &c.* Quique Sacramenta dispensabat solus ingenti Parochianorum multitudini, quæ si eo abdicato destitueretur, fraudareturque & Pastoris & Sacramentorum subsidio, verendum erat, ne in Paganam superstitionem, à qua nuper emerserat, resorberetur. Simile veri est consensisse Egbertum dispensationi, cui compensatio tam necessaria suffragabatur. Non hæsitabat tamen Legatus Pontificius Bonifacius, quin ex vigore Canonum, etiam post actam pœnitentiam abjiciendus fuisset ille Parochus. *Si talem secundum justissimos Canones abstulero, &c. Post pœnitentiam, &c.*

XIV. Non paulo molestiorem mox attingit causam Bonifacius, de Presbytero, qui Parochiam suam sanctissimè administrat, famaque pietatis floret; & qui Episcopo tamen suo clam confitetur facinus, quod Canones depositione mulctant. *Si invenero in peccamine lapsum, & iterum post pœnitentiam priori gradui restitutum: de quo omnis multitudo sacerdotum & populorum, bonæ opinionis confidentiam habuerunt, & si ille modo degradatus fuerit, secretum peccatum revelatum fuerit, & scandalizabitur multitudo plebium, & per scandalum plurimæ peribunt animæ, & detestatio erit maxima sacerdotum, & diffidentia ministrorum Ecclesiæ, ut omnes perfidos, nulli credentes, despectos habeant.* Fatetur Apostolicus vir

visum sibi dispensatione utendum, tolerandumque potiùs, ut sacra obiret pœnitens Presbyter, quàm ut offensioni esset tantis populorum turbis, quibus hinc quanquam immeritò, suspecti tamen fierent Presbyteri omnes: satius denique sibi visum, non deponi eum, qui innocentiæ existimatione spoliaris, & nocens declarari non posset, quin insontes omnes in eandem infamiam pertraherentur. *Quamobrem audacter præsumpsimus, patientes & consentientes illum in ministerio divino persistere, existimantes levius esse dubium unius hominis periculum, & audaciam, quàm ruinam & perditionem animarum pene totius populi.*

XV. Quanquam ergo Bonifacius tuendi Canonum vigoris cupidissimus esset, ut qui in ipsa ordinatione sua spopondisset, in seque recepisset, ne post accuratam quidem pœnitentiam passurum se, ut ad Altaria ministrarent, qui gravibus se piaculis post baptismum sordidassent: cogente tamen necessitate adductum fuisse liquet, ut non paucos hujusmodi toleraret. 1. In Aula Regum, ubi immedicabile malum & turba ægrorum ingens: quòd tam non posset tunc Ecclesia Reges exasperare, quàm eorum carere tuitione & benevolentia. 2. In Parochiis, quæ Pastoribus & adminiculis omnibus orbatæ fuissent, si pœnitentes Pastores ex censura Canonum facessere jussi fuissent. 3. In nonnullis Ecclesiis, ubi gradu moveri non poterat Presbyter clam pœnitens, quin propalaretur ejus flagitium, & hinc offensio crearetur populis, infamiaque in Clerum omnem redundaret. Inferiùs autem elucescet his iisdem experimentis, rationumque momentis factum esse, ut disciplina priori exolescente, posterior, eaque ægritudinibus nostris accommodatior succederet.

CAPUT LIX. *P. 2. l. 2. c. 17.*

De irregularitate criminis in Italia & in Oriente, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Ancipitem semper & dubiam existimabat Gregorius pœnitentiam Episcoporum Clericorumque omnium, nisi restitutionis spes prorsus abrumperetur. Probationes.

II. III. IV. Probationes aliæ, spem reditus amputatam fuisse depositis semel Beneficiariis.

V. Presbyteris lapsis Gregorius, post pœnitentiam exhaustam, concedebat, ut Monasteria regerent, ut Abbates crearentur; nequaquam verò ut sacerdotales functiones delibarent.

VI. Occultorum consceios criminum nihilominus repudiabat. Monachos Episcopatu ornari non sinebat, quantacumque virtutum edidissent documenta, nisi & canonicorum semper expertes fuissent criminum.

VII. Quæ essent hæc crimina canonica, seu lethalia.

VIII. Erant nonnulla, quæ mortem animæ & æternam consciscerent damnationem, quæ nec pœnitentiâ tamen publicâ, nec irregularitati subessent.

IX. Quæ his adversa leguntur in Epistola Gregorii ad Secundinum, supposititia sunt.

X. XI. XII. Supposititia ea esse variis probationibus arguitur.

XIII. Objectiones ex Vigilio Papa.

XIV. XV. Consensus Ecclesiæ Græcæ.

I. Superiori Capite toto illud in primis diluxit, omnino constantissimos & prorsus inexorabiles fuisse Romanos Pontifices in tuendis priscis Canonibus, eliminandisque à sacro quocumque ministerio criminosis omnibus, atque adeo pœnitentibus, vel pœnitentia defunctis. Sed cùm patrocinii sibi aliquid à Gregorio accersere voluerint contrariæ sententiæ & disciplinæ sectatores: necesse fuit, ut eidem quæstioni elucidandæ hoc quoque caput adjiceretur, tum ut à Gregorio eam abstergamus invidiam, tum ut falsi arguamus eas Epistolas, quas & temerariæ manus ei affinxerunt. Scripsit sanctissimus Pontifex ad Petrum Subdiaconum Siciliæ, ut eligi curaret Episcopos ex Ecclesiæ cujusque gremio, vel ex Monachis, in eorum locum, quos sua dejecerant crimina, & quibus conducibile erat, ut omnis præsecaretur reditûs spes, quo totos se pœnitentiæ dederent. *Si quæ civitates in Provincia Siciliæ per Sacerdotum lapsus à Pastorali regimine vacare noscuntur: de Clero Ecclesiarum ipsarum, vel de Monasteriis, si qui digni ad sacerdotalem locum possunt inveniri, perspicias, &c. Ita enim & locorum ordinatio proveniet, & revertendi lapsis ad priorem gradum, quò meliùs pœniteant, suspicio non manebit.* *L. 1. Ep. 18.* Adeo non pœnitentia redintegrare suæ illos dignitati poterat, ut ex adverso quo seriò pœnitentiam amplecterentur, circumcideretur illis spes redintegrationis. Eò id quoque pertinet, quod alibi universim vetat Gregorius ordinari pœnitentes. *Præcipimus ne unquam ordinationes illicitas facias, nec pœnitentiæ obnoxium ad sacros Ordines permittas accedere.* *L. 1. Ep. 25.*

II. Leves si essent culpæ, necesse erat, ut suspensione sola, non depositione in eas animadverteretur. *Si quis forsitan cum levi culpa ad sacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indi debet, & tamen ordo servari.* *L. 2. Ep. 32.* Cùm Secundinus Abbas crimen aliquod suum confessus esset, successorem illi dari præcepit Gregorius. *Cognovimus ab eo dictum, quod dum tertius à loco esset Abbatis, à statu habitus sui lapsu corporis ceciderit. Et licèt ad Abbatis ordinem, tanta coinquinatus facinore, nulla debuerit ratione proficere, tamen quia hoc indignus arripuit, præcipimus, ut Secundino remoto ab Abbatis officio, Theodosium facias ordinari.* *L. 2. Ind. 11. Epist. 22.* Cùm gravibus premeretur suspicionibus Episcopus Tarentinus, quasi concubinam aluisset, & convinci tamen non posset, commonuit eum Gregorius, si eo flagitio quantumvis occulto sauciatam gereret conscientiam, actutum agendam ipsi esse pœnitentiam, eamque à voluntaria sui depositione ordiendam. *Si in sacro Ordine constitutus, ejus te permixtione esse recolis maculatum, sacerdotis honore deposito, ad ministrandum nullo modo præsumas accedere: sciturus in anima tua periculo te ministrare, & Deo nostro sine dubio te reddere rationem, si hujus sceleris conscius, in eo quo es Ordine, celans veritatem, permanere volueris.* *L. 2. Ep. 46.*

III. In Monasteria plerumque segregabantur Clerici exauthorati: *Si Clericus cum hujusmodi fœminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, à suo remotus officio, pro suis continuò lugendis excessibus, in Monasterium detrudatur.* *L. 3. Ep. 9.* Si supinitate sua Episcopi Clericos post lapsum sinerent sacris Ordinibus, vel Ordinum functionibus adrepere, tam exitiali remissioni & corruptelæ vehementer intercedebat Gregorius, edicebatque, ut spectata diu ante ordinationem innocentia morum & castitas, præludia & pignora veluti quædam essent perseveraturæ sanctimoniæ. *Perveniit ad nos quosdam de sacris Ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante, ad ministerii sui officium revocari: quod omnino prohibuimus, & in hac re sacratissimi quoque Canones contradicunt. Qui igitur post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro Ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat. Sed ne unquam ii qui ordinati sunt, pereant, provideri debet, quales ordinentur, ut prius aspiciatur, si vita eorum continens* *L. 3. Ep. 26.*

in annis plurimis fuit; si studium orationis, si eleemosynæ amorem habuerunt.

IV. Nefariæ libidinis ergo cùm depositus fuisset Presbyter Saturninus, sordidissimas manus suas Altaribus admoverat, divinæque quæ ibi immulatur victimæ: *De Saturnino expresbytero, &c. pervenit ad nos, quia postquam ex crimine lapsus fuit, & à Sacerdotii ordine est dejectus, ad explendum ministerium sacerdotii præsumpsit accedere, & omnipotenti Deo hostias immolare.* Scripsit ad Lunensem Episcopum Gregorius, ut eum pœnitentiæ subjiceret, nec nisi imminente morte communione impertiret, nisi diuturnus pœnitendi fervor hanc illi gratiam expugnaret, ut ante id tempus inter Laicos communicaret.
L. 4. Ep. 3. *Sin tua fraternitas talem pœnitentiam agere cognoverit, ut ei juste ad recipiendam inter Laicos communionem, etiam ante exitum debeas misereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate.*

Vides quò se usque effunderet dispensatio, invitata in pœnitentiæ decursu fervoris contemplatione. Idem ipsum præcipitur, & ad alios inferiores Clericos æquè depositos exporrigitur in alia ad
Epist. 16. eundem Lunensem Episcopum Epistula. *Saturninus Diaconum & Abbatem de Porta Veneris quem indicas cecidisse, ad sacrum Ordinem non debere vel posse ullo modo revocari. Quem quidem sacro Ordine privatum, in pœnitentiam deputare te convenit. Subdiaconi quoque, quos similis culpa constrinxit, ab officio suo irrevocabiliter depositi, inter Laicos communionem accipiant. Saturninum verò expresbyterum, ut nunquam ad sacri Ordinis ministerium præsumat accedere, scriptis cavere decrevimus.* His perspicuè patet, qui ita ejiciebantur, nullam eis remeandi superfuisse facultatem.
L. 6. Ep. 39. Quod & alibi rursum palam fit: *Quemquam criminaliter abscedentem, in locum de quo lapsus est, nulla permittis ratio revocari.*

V. Eadem præcepit Gregorius horum Clerico-
L. 4. Ep. 17. rum depositorum Metropolitano, Episcopo Mediolanensi, quem etiam atque etiam monet totam Ecclesiæ disciplinam eo uno capite enervari & frangi, nec jam futuros ullos pœnitentes veros; sed pœnitentiæ simulatores, si qua residua sit vel scintilla spei, fore ut expleta pœnitentia restituantur.
L. 4. Ep. 4. *Si lapsis ad suum Ordinem revertendi licentia conceda-*
L. 6. Ep. 10. *tur, vigor canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ,*
L. 7. Ep. 25. *dum pro reversionis spe pravæ actionis desideria quis*
L. 9. Ep. 14. *concipere non formidat.* Presbyteris quidem post
L. 12. Ep. 59. strenuam scelerum pœnitentiam annuebat lubens Gregorius regimen Monasteriorum, honoratiorem concedebat locum, si ex Monachis essent; quin & Abbatis provinciam exercere patiebatur; sed Ordinum & functionum sacrarum spem omnem circumscribebat.

VI. Ubi electio fiebat Episcoporum, nihil commendatius, nihil antiquius volebat haberi Gregorius, quàm ut essent sine crimine: etiam sine crimine occulto, quod volebat eos privatim interrogari. *Si nullis criminibus tenetur involutus, &c.*
L. 4. Ep. 9. *Prius de criminibus quæ impedire possunt, à te secretò requirendus est, à quibus si liber inventus fuerit, eligi jure potest.* Par diligentia erat in delectu Presbyterorum, eorum etiam quos de pœnitentiæ sacrariis, de Monasteriis inquam arcessebat. Nam ne Monastica quidem professio abstergebat irregularitatem ex crimine affricatam, nedum quævis alia pœnitentia. Carebant Presbyteris Urbevetani, concessit eorum Episcopo Gregorius, ut ex Monasteriis aliquos sibi adsciscerent cum consensu Abbatum, sed ea indeclinabili conditione adjecta, ut criminis putam hactenus vixissent vitam. *Sed illud præ om-* L. 5. Ep. 27. *nibus estote solliciti, ut vitam actusque eorum qui in hoc officio sunt constituendi, subtiliter debeatis inquirere, & tunc eos, si digni fuerint, ordinare. Si vero aliqua in eis culpa claruerit, quæ hos ad hunc Ordinem canonica prohibitione provehi non permittat, nullius vobis supplicatio, aut gratia personæ surrepat, ut talibus debeatis manum imponere: ne, quod absit, hic honor, & illis pœna, & vobis incipiat esse peccatum.*

Suo in Sicilia Nuntio scripsit, ut diligentissimè excuteret Presbyterum, qui Locrensi Episcopatui destinabatur. *Ad te facito evocari, atque eum studii* L. 6. Ep. 38. *tui sit, de criminibus quæ ad Episcopatum accedere non permittunt, cum omni subtilitate requirere. Et si eorum se expertem responderit, &c.* Occulta erat confessio, fidesque habenda erat ei qui se innoxium profitebatur, cùm nulla ei obstreperent indicia. Ex quo rursum patet occultis quoque sceleribus septam fuisse Ordinum januam. Non vacat hîc sigillatim referre omnes Epistulas, in quibus agitur de L. 7. Ep. 25. examine hoc secreto. Non possum tamen omnino L. 8. Ep. 65. silere quod ad Episcopum Firmanum scribebat Gre- L. 9. Ep. 13. gorius de clandestinis inquisitionibus faciendis de L. 12. Ep. 6. moribus ejus, qui vitam ducebat religiosam, & quem Episcopum creare meditabantur. *Volumus, ut tua fraternitas ad se venire faciat, & de anima sua admoneas, qualiter in bonis studiis crescat. Et si nulla ei crimina, quæ per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt, obviant, &c. Si qua verò gravia obviant, multò magis admonendus est, ut sæculum relinquat, & hæc perfectiùs defleat.* Quorum summa hæc est, qui haustam è baptismi fonte innocentiam capitalibus criminibus maculavere, debere eos ad Monasticum potiùs institutum, quàm ad sacerdotium voluntatem & studia sua conferre.

VII. Sed non oscitanter hæc transilienda sunt sanctissimi Pontificis verba: *Crimina quæ per legis* Ibidem. *sacræ regulam morte mulctanda sunt.* Ea erant mortalia & capitalia crimina, quæ Cleri aditum obstruebant. Iisdem pene verbis idem alibi: *Ea quæ* L. 7. Ep. 50. *in textu Heptatici morte mulctata sunt.* Quæ lex Mosaïca morte plectebat crimina, ea indubiè mortali vulnere animam sauciabant. Iis Ecclesia pœnitentiam indicebat, & desperationem sacrarum Dignitatum. Verùm huic Gregorii regulæ accedere debent illa additamenta, de quibus dictum est suprà: ubi fornicatio, copula carnalis cum uxore ante ordinationem ducta, perjurium & id genus alia, irregularitatis nota inurebantur, quamvis corporis morte secundùm priscas leges in ea non animadverteretur.

VIII. Nec illud etiam dissimulandum, culpas quasdam fuisse, quæ lethales videri possent, & quæ suspensione, seu brevi excommunicatione plecterentur: quin immo quæ pœnitentia eluerentur, nimirum secessu in aliquod Monasterium: & quibus tamen nulla aspergeretur irregularitas. Erat certè suspensio brevior quædam excommunicatio, & quæ à depositione multùm discreparet. Erat quin immo gradus quidam pœnitentiæ, cum in Monasteria compingebantur. Laudavit Gregorius Saturninum Jadertanum Episcopum, qui non suspenderat tantùm se ipsum, sed & Monasterio se incluserat, ut eo pœnitentiæ genere expiaret maculam communionis cum Archiepiscopo Salonæ excommunicato affectatæ. *Ut sola nullatenus patereris esse segregatione* L. 7. Ep. 12. *contentus: nisi & in Monasterii te claustra recipiens, dudum commissa defleres.* Ideo & peracta pœnitentia in pristinam à Gregorio revocatus est sedem &

communionem: *Quantum nos culpa offenderat, tantum pœnitentia mitigavit.* Idem alibi Pontifex excommunicationi & pœnitentiæ semestri in Monasterio peragendæ addicit Episcopos, qui innoxium sententia damnationis percusserant: *Excommunicenti sex mensibus in Monasterium ad pœnitentiam agendam mittendi sunt:* eademque ferit pœna eos, qui innoxio successorem suffecerant: *Item communione privati sex mensibus ad agendam pœnitentiam in Monasterio deputentur.* At is vero qui ambitionis æstu abreptus sedem invaserat innocentis per vim & per summum nefas ejecti, irrevocabili degradatione meritò conterebatur. Joannes Defensor, quem ad hujus sententiæ executionem in Hispaniam delegaverat Gregorius, mitiores æquo pronunciavit has fuisse pœnas; sed ita consentaneum esse Sacerdotio, ut vincat semper pietas, clementia dominetur. *Et quanquam hujusmodi temeritatem legum censura districtissimè feriat; Ego tamen legum vigorem sacerdotali moderatione temperans.* Missas facio & alias id genus culpas, quæ cùm lethalia inferrent animæ vulnera, non tamen depositione puniebantur. Hæc utique diligenter animo mandanda sunt, & in memoriam revocanda, quæ sanctissimus Pontifex frequenter inculcat, qui piè in Monasticis institutis vitam duxerint, posse eos Ordinibus sacris exornari, si conscientiam famamque nullo ejusmodi crimine fœdaverint, quæ lex Mosaica morte feriebat. *Si tamen illis non fuerit criminibus maculatus, quæ in Testamento veteri morte mulctantur.*

L. 11. Ep. 52. 55. — *L. 4. Ep. 31.* — *Joan. Diac. L. 2. c. 16.*

IX. Præstructis his tot invictissimis documentis indeflexæ Gregorii constantiæ, ut ne sineret sacris Ordinibus functionibusque adgregari eos, qui flagitio quopiam vitam maculassent, quanquam postea graviter in pœnitentiam incubuissent: jam arduum non erit fraudem odorari ejus additamenti, quo adulterata est Epistola Gregorii ad Secundinum Monachum, & ubi Clerici post pœnitentiam Ordinibus suis, quasi jure postliminii restituuntur. Cùm unus hic locus repugnet tot conspirantibus aliis ejusdem Gregorii testimoniis, usque & numero, & perspicuitate præcellentibus, facile est olfacere fraudulentiam audaciamque indocti interpolatoris, à quo & Epistola Isidori ad Massanum subornata non immerito existimatur.

L. 7. Ep. 54.

X. Nec alium suspicor authorem hujus commenti fuisse, quàm illum ipsum Isidorum Mercatorem, qui suppositiias tot Epistolas vetustioribus Siricio Pontificibus Romanis affinxit, quæ de impostura nunc quidem inter doctos convenit. Nova hæc commentitiarum Epistolarum farrago ex Hispania in Gallias insinuat ineunte sæculo IX. primusque Hincmarus Remensis Archiepiscopus eam Gregorii laudavit adulterinam Epistolam, nec non & aliam persimilem Callisti Papæ, ab eodem fraudulento architecto fabricatam. Angliæ complura, nonnulla etiam Galliæ vetustissima manuscripta eruta sunt, in quibus spurium illud Epistolæ Gregorii additamentum non legitur.

Hincmar. in C[illegible] ad Presbyt.

XI. Sed eam legisse Epistolam refutasse est; adeo quot lineæ, tot hallucinationes, tot flagitia. Barbarus stylus, sermo inconditus & inconcinnus, rationis & judicii prorsus inops. Vel in ipso exordio tota statim barbaries incurrit in oculos: *Tua sanctitas hoc à nobis requisivit, ut sibi de sacerdotali Officio post lapsum resurgendi scriberemus, dum se dicit de hoc Canones diversos legisse, & diversas sententias invenisse, alias resurgendi, alias nequaquam posse. Ideo sanctas nos generales Synodos à Nicæna incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur, quia ipsam sequentes, cætera in cunctis Canonicis sententiis unanimiter concordant.* Eccubi usquam tanta inconcinnitas, insulsitasque? Gregorii scripta germana nec primoribus labris degustavit, siqui possint hæc Gregorium olere, vel sapere? An his verbis, vel Monachus Pontificem percontaretur, vel Monacho rescriberet Pontifex? Conflictatio quædam Canonum mutua proponitur, nullum verbum, nulla littera reponitur, quo ea conciliari ac sedari possit. Sed hinc patet eundem hunc esse Epistolæ Isidori ad Massanum architectum, ubi eadem inter Canones discordia prætexitur, & insulsissima tentatur concordia. Sed quid alienius à Gregorii doctrina, & sanctitate, dignitateque, quàm quod hic illi affingitur, post abstersas pœnitentia nefarias carnis libidines permittendum esse aditum reditumque ad sacros Ordines, *quia pauci sine carnali delicto inveniuntur.* Quæ toto hoc capite ex Gregorio coacervata sunt, ea manifestè produnt, non tam malè illum existimasse de moribus Clericorum sui sæculi: & hanc ejus fuisse inconcussam tum doctrinam, tum voluntatem, ut qui innocentiam baptismo primùm infusam flagitiosa libidine contaminassent, sacris Ordinibus nec initiarentur unquam, nec initiati fungerentur, nec semel ejecti ad eos revocarentur.

XII. Qui verò fieri potuisset, ut singulari zelo & incomparabili constantia Pontifex ad tuitionem Canonum, in ea re emollesceret: cùm vetusti omnes Pontifices à Siricio, cùm Joannes II. sæculo ipso Gregorii, cùm Concilia denique omnia ejus ævi per Hispanias, Galliasve tam strenuè restiterint ei Canonum relaxationi? Si remisisset autem Gregorius Magnus, qui Martinus I. postea & Zacharias tam strenuè eam corruptelam priscæ disciplinæ oppugnassent? Qui Hispaniæ Galliæque Concilia, non eidem postea acquievissent indulgentiæ? Qui Bonifacius Archiepiscopus dum Romæ ordinaretur, sacramento obligasset se, ut Disciplinam quam Gregorius improbasset, ipse probaret ac tueretur? Et cùm idem Bonifacius undique venaretur superiùs testimonia & documenta, quibus muniret dispensationes quasdam, quibus uti cogebatur: ecquis non veniebat illi in mentem Gregorius, qui & his dispensationibus prætulisset facem, & authoritatem conciliasset?

XIII. A Vigilio fateor in Epistola ad Rusticum & Sebastianum, deponi Clericos quosdam, restituendosque Ordinibus suis decerni, ubi pœnitentiam sedulò impleverint. Sed ejusdem generis erant hæ culpæ, atque illæ, de quibus suprà monuimus, & quas ostendimus authore Gregorio piari solitas suspensione temporaria & secessione aliquot mensium in Monasteria. Itaque nomine tenus depositio ea dicebatur: cùm re non esset nisi suspensio.

Collat. 7. [illegible] Oecumen.

XIV. Paucissima hic ad calcem obiter suggerenda sunt de Ecclesia Orientali. In ipsa Trullana Synodo non dispar statim occurrit austeritas, cùm ii qui graviorum scelerum pœnitentia perfuncti fuerant, non aliud inde consequerentur, quàm ut Tonsuræ Clericalis gloria fruerentur, nec possent tamen unquam ad Ordinum functiones admitti. *Qui Canonicorum quidem criminum rei facti, & propterea perfectæ ac perpetuæ depositioni subjecti, in laicorum locum detrusi sunt, siquidem ad conversionem suâ sponte respicientes, peccatum deflent, propter quod à gratia exciderunt, & ab eo se penitus alienos efficiunt, Clerici habitu tondeantur. Sin autem non sua sponte hoc elegerint, comam sicut laici nutriant, utpote qui mun-*

Can. 21.

daram conversationem vitæ cælesti præposuerint.

XV. Hinc manifestum est depositionem & degradationem unam eandemque rem tunc fuisse; & quos crimina sua dejecerant, eos jam nec Tonsuram Clericalem gestare potuisse, aut haberi pro Clericis. Contemplatione pœnitentiæ peractæ indulgetur hoc illis, ut more Clericorum tondeantur. Quo concesso probabile est, eos aliis quoque minorum Clericorum privilegiis impertitos fuisse. In vita Joannis Eleemosynarii Archiepiscopi Alexandrini, exempla sunt excommunicationis & suspensionis inflictæ flagitiis quibusdam mortalibus, quibus tamen non decerneretur depositio in Canonicis Regulis. Novella Justiniani non simoniacis
Cap 13. tantum irregularitatem illidit, sed omnibus qui sceleris cujuscumque ante Ordinationem convicti fuerint.

CAPUT LX. *P. 3. l. 2. c. 11.*

De Irregularitate criminis sub Imperio Caroli Magni & Carolinæ stirpis.

I. Probationes complures, quod crimine quovis graviore occluderentur fores Clericatus.

II. N[illegible] irregularitatem expungebat pœnitentia.

III. Ex falsis [illegible] & ex frequenti cum fœminis colloquio Presbyteri exauthorabantur, quod incontinentiæ ferè indicium semper sit.

IV. Erant Canonum interpretes & animarum rectores remissi, qui pœnitentia irregularitatem criminum abolere prædicabant. In eos [illegible] Hincmarus.

V. Cœpere tamen Hincmarus & Rabanus [illegible] occulta crimina à publicis, & publica tantum irrevocabili irregularitate notare.

VI. Ne ipsi quidem dissimularunt id à se exorari. Quin & homicidio quamvis occulto eandem irregularitatem appinxerunt.

VII. Ea innovatio paucos habuit sectatores.

VIII. Mo[illegible] aliqui depositioni irrevocabili subrogarunt suspensionem temperatam cum pœnitentia.

IX. Agobardi sententia.

X. Car[illegible] indulgentius habere tur.

XI. N[illegible] argumentis ostenditur veterem Disciplinam inviolatam esse servatam.

XII. Gra[illegible] Disciplina.

I. Media etiam hac ætate sub Carolo Magno & Carolinis Imperatoribus & Regibus, omnium prima & gravissima irregularitas, & à sacris Ordinibus Ordinumque functionibus segregatio, à crimine accersitur, sive publico, sive clanculario. In Concilio Suessionensi II. anno 853. Burchardus Carnutensis Episcopus commonefactus est à tribus secretò Episcopis, ut renunciaret ei sanctissimæ dignitati, si quo sauciatam flagitio gereret conscientiam. Occulto etiam crimine gradu & spe gradus dejici potuisse. Ordinatus est autem, ubi spopondit suam se innocentiam omnibus approbaturum, refutatis quæ sibi cumque ingererentur accusationibus.
Can. 5. *Tanto quidem gradu se dignum esse profiteri, arrogantiæ asseruit esse, non veritatis. Si quis verò crimen aliquod sibi vellet objicere, ad id purgandum se paratum esse firmavit.* Ad Episcopum Bellovacensem rescriptum est à Joanne VIII. posse eum Ordines iis conferre, qui cùm adolescentes essent, juveniliterque colluderent, & se impeterent, unus
Epist. 146. ex eis exanimatus collapsus erat. *Quibusdam pueris impuberi adhuc ætate inter se rixantibus, hominum illorum instigatione, unus ex illis est interemptus. Quapropter mandamus, ut si inculpabiles post peractam pœnitentiam, legitimi vigoris secundum Canones reperti fuerint, gradatim ad Ecclesiasticos Ordines eos provehere non differas, servatis in omnibus Patrum Regulis & Canonum institutis.* Perspicuum est id donari ætati impuberum horum & innocentiæ, eo tempore quo inopinato id evenerat. Et nihilo tamen minus seria illis imponitur pœnitentia, & vita deinceps piè traducenda. Episcopo Venetensi dispensari postulante cum Presbytero homicidii reo abnuit idem Pontifex, contestatus, posse pœnitentia crimen ablui, non posse autem restitui primigeniam illam integritatem, quam sacerdotales desiderant functiones. *Miror minus doctam scientiam tuam, sacerdotem* Conc. Gall. T. 3. p. 519.
putare post perpetratum homicidium, posse in Sacerdotio 520.
ministrare: immo quod est pejus, nobis suadere velle, ut ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens, tamque perversi sensûs, tale quid æstimaret, vel post quantamcumque pœnitentiam concedendum, cùm omni sit canonicæ disciplinæ contrarium? Debet ergo Sacerdotio privatus, lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere, ut talibus saltem remediis curatus, salutis possit invenire suffragium.

II. Hinc enitescit *quantacumque pœnitentia* expungi non potuisse eam irregularitatem; & perinde esse ejusmodi dispensationes à Pontifice flagitare, atque ejus in se accendere indignationem, quasi per cuniculos peteretur ab eo impunitas criminum & Canonum conculcatio insolita. *Cùm omni sit Canonicæ Disciplinæ contrarium.* Narbonensis Provinciæ Ibidem.
Episcopi Presbyterum suspensione mulctarunt, remiseruntque ad hunc Pontificem & ad ejus judicium, propterea quod in commotione tumultuantis populi, tam graviter à nescio quo impulsus fuisset malum, ut is eo pondere oppressus interierit.

III. Quoad fornicationis flagitium, sicut admodum Trosleiensis Concilii Patres anno 909. negant sollicitos jam esse debere Episcopos de convincendis Presbyteris ejus criminis, quod semper occultum fit, maximè iis Presbyteris, qui gnari sunt, si convincantur, non abdicatum se tantùm iri, sed & facultatibus suis omnibus expoliandos. *Quanto magis Presbyter malum agens curabit abscondere, propter quod patefactum, scit se non solum Ecclesiasticum gradum amittere, sed & sua qualibet in sæculo perdere?* Sed diligentissimè inquirebatur in frequentia eorum cum fœminis colloquia: & horum convicti, vel confessi, prorsus ejiciebantur, nulla spe residua restaurationis. *Et si quicumque Presbyter non solum in nostra Parochia, sed in nostra Diœcesi, confessione vel legali ac regulari judicio fuerit convictus de cohabitatione, vel frequentatione, vel accessu cum fœminis, contra Canones, modis omnibus secundùm decreta beati Gregorii, sine gradus sui restitutione deponetur.* Can. 9.

IV. Erant & jam tum tamen molliores & Canonum interpretes, & animarum rectores, quorum ea erat sententia, Presbyteros & Diaconos criminis convictos suspendi debere, pœnitentiæ illigari, & ea peracta priorem in gradum revocari. Ita enim eorum doctrinam refert Hincmarus: *Qui ut audivimus, dicunt, non debere Presbyterum, vel Diaconum, de crimine confessum, sive convictum deponere, sed tantum suspendere, quia sic possunt confessionem & pœnitentiam, sicut & alii homines facere:* Verùm hoc eos repercussit Hincmarus responso, Unanimi conspiratione Conciliorum, Patrum, Pontificumque, qui crimine quopiam inquinatus sit, eum nec ad Clerum admitti debere, nec in Clero tolerari, nec ad Clerum posse revocari: *Qui Canones spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati, sequentes Apostolicam doctrinam dicunt in crimine detectos non* T. 2. pag. 624.

oportere ad Ecclesiasticum gradum accedere, vel in Clericatu manere, vel ad Clericatum redire. Idque Hincmarus corroborat congerie testimoniorum ex Leone Papa, ex Gregorio Magno, ex Augustino, ex quibus id ipsum rursus efficit & concludit, criminosos ad Clericatum venire non posse, nec in eo manere, nec ad eum redire. *Detecti ergo, sive confessione sua, sive convictione legali ac regulari, de criminibus, ad gradus Ecclesiasticos non accedant, & in gradibus Ecclesiasticis non maneant, vel ad Ecclesiasticos gradus non redeant; sicut sacri Canones & decreta Sedis Romanæ Pontificum apertè atque expressè decernunt.*

V. Testimonia Conciliorum, Pontificum, Patrumque, quæ accumulat Hincmarus, indiscriminatim crimina omnia complectuntur, nec segregant publica ab occultis, nec mortalia alia ab aliis. Ita omnibus inexpugnabiles injiciuntur laquei irregularitatis. Inde tamen Hincmarus contrà philosophatur, contenditque non affigi irregularitatem, nisi ei crimini, quod vel publica confessione, vel convictione juridica patuerit. *Ita nec Apostolica Sedes est sibi ipsa diversa, sive adversa, quæ secundùm sacros Canones de manifestis peccatis confessos, sive convictos, à gradu Ecclesiastico jubet deponi, & non publicè confessos, vel legaliter ac regulariter convictos damnari, vel degradari nulla ratione permittit.*

Ipso videlicet Hincmari tempore cœptum est distingui inter publica & occulta crimina in negotio irregularitatum; eaque novitas confirmabatur authoritate suppositiæ Epistolæ Gregorii Magni. Apertissima res est in Epistola Rabani Archiepiscopi Moguntini ad Heribaldum: (Can. 10.) *De his qui ante vel post ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur. In quibus, ut mihi videtur, hæc distantia debet esse, ut hi qui deprehensi vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujusmodi criminibus, à gradu proprio deponantur, &c. Qui autem de prædictis vitiis per occultam confessionem, præsente Sacerdote, qui pœnitentiam eis indicturus est, confitentur, si veraciter pœnituerint, gradu servato spes veniæ de misericordia Dei promittenda est.* Ita Rabanus totus connititur, ut nupera hæc disciplinæ blandimenta confirmet ex antiquis Conciliis, quæ infestissima illi sunt. Profert Epistolam Gregorii ad Secundinum, quam subdititiam esse demonstratum est suprà. (Epist. 50.) Nec excidit illi Epistola Augustini ad Bonifacium, ubi declaratur hanc inexorabilem austeritatem non admittendi unquam ad Ordines, aut non revocandi eos, quos eo gradu scelus aliquod excussisset, in B. Petro servatam non fuisse, nec influxisse in Ecclesiam, nisi sequentibus sæculis, ut gravioribus morbis validiora etiam admoverentur medicamenta. Denique profert Rabanus paulò probabiliùs in sui patrocinium Concilium Ilerdense, (Can. 5.) à quo potestas fit Episcopo, ut in primos redintegret gradus, nunquam ulterius progressuros, eos qui delicta sua pœnitentiæ lamentis expiarint.

VI. Nec diffitetur Rabanus suo id tempore innovatum fuisse, seque in primis authorem præisse aliis: *In quibus criminibus, ut mihi videtur, hæc distantia debet esse, &c.* Non ait ita visum Patribus, sed sibi; nec eam criminum semper fuisse distantiam, sed eam esse debere, suo quidem judicio.

Illud quoque non pigebit advertere, ubi Rabanus enumerat flagitia, quibus infligitur irregularitas, quando publica sunt, non recenseri ab eo homicidium. Et sanè etiamnunc homicidium, quantumvis occultum, irregularitatem importat, & à Clericatu segregat. Quo uno exemplo facilè conjicitur, perinde & reliqua facinora, tametsi occulta essent, irregularitatem aspersisse reorum conscientiis.

VII. Quin immo si unum aut alterum, Rabanum & Hincmarum segreges, reliqui omnes, quorum superiùs perstricta sunt testimonia, universim Clericatu arcent criminosos omnes, nulla habita ratione, occulta, an publica essent crimina. In unam omnia conjiciuntur classem in Capitularibus Caroli Magni. *Ad Clerum criminosi nequeant promoveri; & in Clero positi, si in aliquibus criminibus inventi fuerint, à suis officiis arceantur.* (L. 7. c. 50.) Profertur alibi (Addit. 4. c. 4.) ea etiam Augustini Epistola, ubi à calumnia vindicat sanctus Pater Ecclesiasticam sui ævi disciplinam, quæ indiscretè omnibus criminosis aditu sacrorum Ordinum, functione, reditúque interdicebat. Est quidem ubi temperat ille rigor, ubi de simoniacis sermo est, (L. 7. c. 146.) quos Episcopo copia fit in pristinos Ordines revocandi, ubi graviter pœnitentia perfuncti fuerint. Verùm simonia longè alterius generis est, sicut & hæresis, quàm homicidium & furtum, & alia consimilia.

VIII. Mirabili tamen anfractu quodam postea placuit rem profligari, & novam hanc stabilire disciplinam. Irrevocabili quidem depositione Clericos dejiciebant vetusti Canones, at eo contenti pœnitentiæ illos non subjiciebant nisi rarissimè, immo nec à communione inter Laïcos participanda summovebant. Sæculo decimo displicere id nonnullis cœpit; quibus & illud consultius fore tunc visum est, ut pro irrevocabili depositione infligeretur suspensio annorum aliquot, cum acerbissima pœnitentia, ut ita mundati jam & puri, accederent ad Eucharistiam, accederent & ad sacerdotii munia. Hoc colore prætexi placuit veteris disciplinæ immutationem. Sylvester II. Papa eo consilio usus est erga Abbatem: *Libros in quibus specialem sententiam legimus, in Gallia relictos recolimus.* (Baluz. in Notis ad Gratian. pag. 460.) *In illis legitur de Episcopis per pecuniam promotis, ut quisquis talis inventus fuerit, per biennium Pontificali officio carens, duos dies per hebdomadam vino & cocto se abstineat; & post finitum Psalterium comedat. Hoc quippe traditionibus priorum Patrum concordare videmus, qui hujusmodi Episcopos deponi sanxerunt. Officii suspensio evidenter fit cujusque depositio. Qui enim deponitur, à communione privatur. Valet utique tantundem biennii suspensio cum pœnitentia, quantum sola depositio. Qui verò post biennem suspensionem & pœnitentiam officio suo redditur, quasi post depositionem misericorditer reconciliatur.*

IX. Necdum comperta erant Agobardo ea disciplinæ delinimenta, cùm universim juberet, neminem posse criminosis manus imponere, quin & eorum ipse criminum invidiam infamiamque subiret. *Summopere necesse est præcavere, ut in ordinandis ministris non communicemus peccatis alienis, criminosos videlicet ad sacerdotium provehendo.* (Epist. ad Bernar. 5,6.) Quin & simile veri est, irregulares eos illum fuisse habiturum, qui ne occiderentur, occiderent, ubi alterutrum necesse esset. Ratio ea est, quòd ei persuasum esset, justos nemini unquam necem inferre, nisi publico bello, vel judicio Capitali. *Notissimum est bonos à malis interfici, nunquam autem malos à bonis, nisi in bellis publicis & legalibus judiciis.* (L. de divin. sentent. pag. 291)

X. Si humaniùs actum est cum simoniacis, illud in causa fuit, quod non fuerat id flagitium tribus illis annumeratum, quibus prisca Concilia irre-

gularitatem impleverant. Nec aliter sentiendum de illo Presbytero, quem Gregorius III. Papa ad Leonem Isauricum Constantinopolin ablegaverat. Ignavia & timiditate necupatus Pontificias Litteras non tradiderat Imperatori. Reducem statuerat Pontifex deponere: Synodi tandem & Optimatum Romanorum precibus illum donavit, ut pœnitentiæ addiceretur, & postea remitteretur Constantinopolim, ut strenuitate jam sua prioris ignaviæ dedecus oblitteraret. *Obsecrante tam Concilio, quàm Optimatibus, ut non deponeretur, sed magis isdem Presbyter pœnitentiæ submitteretur.*

Anast. Bibl. in Greg. III.

De his maximè criminibus capiendus Auxilius, cum ait, Ministros sacros bene multos semel abdicatos, pristinam postea dignitatem recepisse. *Noverint quia plurimi Sacerdotum depositi fuerunt, & postmodum reconciliati. &c. Nam quòd plurimi Sacerdotum post depositionem reconciliati sint, in authenticis apicibus sufficienter habetur.*

XI. Sed quod ad vetusta capitalia scelera, homicidium, adulterium, fornicationem, furtum, & alia ejusdem generis, indubitum est ante sæculum decimum neminem unquam iis inquinatum ad Ordines saltem sacros, neminem ferè ad Clericatum admissum, aut in Clericatu dimissum. Et quanquam Rabanus & Hincmarus suppositiciis illis delusi Epistolis, quas Isidorus Mercator in Hispania, & exinde in reliquum Occidentem disseminare cœperat, aliqua jecissent jam fundamenta posterioris hujus & remissioris disciplinæ: ne tum quidem aboleri potuit antiqua Canonum austeritas. Inde est quod & Concilium Triburiense anni 895 Presbyteros Diaconosque inexplicabilibus depositionis decretis implicuit, si vim vi repellendo, & ne occiderentur ipsi, quempiam occiderint: *Si quis Clericus nimium coactus homicidium fecerit, sive sit Presbyter, sive Diaconus, deponatur.* Ut peccatum id sit, occidere, ne occidaris; at delictum id certè multò levius fuerit, quàm quodvis aliud homicidium, vel adulterium, fornicatio, perjurium. Multò certiùs ergo tunc his omnibus inhærebat irregularitas.

Tantò autem propensior fuit Hincmarus ad lapsum Geobaldi Laudunensis Episcopi, reditumque in Ecclesiam suam fide scriptisque suis complectendum, quantò imbutus erat præjudicio Epistolarum illarum Decretalium, Callixto & Gregorio ascriptarum.

XII. Accedo ad Ecclesiam Græcam, ubi intaminata semper viguit vetustioris disciplinæ austeritas circa irregularitates. Diximus jam sugillatos à Balsamone fuisse eos, qui ordinatione, peræquè ac baptismo aboleri peccata considerent; ita ut irregularitas ipsa elueretur. Id verò prorsus adversatur Canonibus iis, quibus exauthorari jubentur vel illi, quorum flagitia non nudantur nisi post ordinationem. *Dicebant enim nonnulli, quod quemadmodum baptisma novum hominem facit eum qui baptizatus est; ita & sacerdotium ea quæ prius admissa sunt peccata, abstergit, quod non est Canonibus consonum.*

In Can. 9. Nicæn.

Illum verò Basilii Canonem, qui annuæ suspensioni & pœnitentiæ Lectorem & Subdiaconum subjicit, qui cum desponsata sibi congressus esset, resecata spe superiorum Ordinum: si verò cum non desponsata, omnino deponit: illum, inquam, Canonem illustrans Balsamon, addit præterea, si Lector aut Subdiaconus rem habeat cum non desponsata, abdicatum omnino iri, quanquam eam postea uxorem ducat. Multò verò mirabilius est quod ait, quod dictum est à Basilio de Lectoris copula cum desponsata eo tempore locum habuisse, quo sponsalia & contrahebantur consensu solo & dissolvebantur. Postquam enim iisdem propemodum legibus illigata sunt sponsalia, quibus matrimonia, longè aliter se res habet: unde nec Lector, cujus præmortua fuerit sponsa, aliam desponderé sibi potest, ne bigamus fiat, & jam non possit superiores Ordines prehensare.

Basilii Can. 69.

Habet & admirabilitatis non parum, quod idem Balsamon refert de alio Basilii Decreto. Presbyteri quidam Antiocheni vi & minis Pagani cujusdam consternati, illicita quædam juramenta juraverant. Quæsitum est, an gradu movendi essent. Censuit Basilius nunquam ab iis Antiochiæ mysteria celebrari debere, ne offendiculo essent iis qui testes vel conscii erant delicti: sed posse eos celebrare privatim, & in iis locis, quò nulla ejus rei fama penetrasset.

Basilii Can. 1.

Nec aliter se res habet de usura, quæ ex eodem Basilio in Epitome Harmenopuli, nihildum irregularitatis invehebat. *Qui usuras accipit, si lucrum injustum in pauperes expenderit, & in posterum usuras accipere desinat, ad sacerdotium potest admitti.* Tradit autem Balsamon, cùm lex civilis usuras non damnet in Laicis, ex quo primùm ab usuris exigendis cessabant, jam tum & irregularitatis vinculo absolutos eos fuisse. Quod autem Basilius Clericos omnes gradu exuebat, qui se lethali quopiam obstringunt flagitio, Nota mox affixa Harmenopuli docet, de peccatis-te perpetratis intelligendum id esse; nec enim sola confessione animi in scelus, quemquam ab Ordinibus excludi.

Iuris Orien. pag. 118. Basil. Epist. ad Amphiloch. Can. 14.

Ius Orient. Ibid. p. 55.

Ibidem Basil. c. 32.

Non sine stupore etiam quodam legitur in eodem Jure Orientali Leunclavii, inter decreta Nicephori Confessoris, sacris Ordinibus Altaribusque non arceri, nisi eos, qui flagitiosæ vitæ suæ nuntium non remiserunt, nisi post annum ætatis suæ vigesimum. *Si quis ad annos viginti & deinceps dissolute & in luxu vixerit, deinde studiosus apparuerit virtutis, non est ordinandus. Sacrum enim impollutum est.*

Cùm denique Constantinus Patriarcha Presbyterum exauthoraret, qui filios ipse suos concitarat, ut tumultuantes se immitterent turbæ, ex quo & ad cædes ventum fuerat; declaratum ab eo est, tanto facinori satis consentaneam eam esse pœnam, ut à Clero extrudatur, & abjiciatur in Laïcorum sortem. Et sanè testificatur Zonaras, juxta Canonem Trullanum non permitti Presbytero & Diacono semel depositis propter canonicum aliquod flagitium, putà fornicationem: non permitti, inquam, ut in habitu & veste sint Clericali, nisi postquam scelus pœnitentia dispunxerint. Antè enim laica veste & promisso cinere esse cogebantur more Laïcorum, ut hac ignominia facinus vindicaretur.

Ibid. p. 196. 166. Can. 21.

Quanquam homicidia quæ bello perpetrantur, & tum maximè cum contra Infideles bellatur, veniæ propiora sint etiam in Presbyteris: vel ea ipsa tamen inclinabili eos irregularitate illaqueant. Memorat Cedrenus audax facinus Presbyteri, qui cùm rei sacræ operam daret, irrupissentque Saraceni in ejus oppidum, ne exutus quidem sacra veste impetum in eos fecit, tam fortiter, tam fæliciter, ut plurimis cæsis, reliquos omnes in fugam verterit. Is ab Episcopo suo mox abdicatus: cùm restitutionem diu tentatam non obtineret, à fide & religione defecit, & Saracenis aggregatus, sævissimis eorum in nos grassationibus non interfuit solùm, sed præfuit.

Cedrenus. pag. 637.

Quanquam ergo nonnulla hactenus delinimenta

subinde observata sint, & indulgentiæ exempla in utraque Ecclesia, rarissima tamen illa fuere; viguitque priscus Canonum vigor etiam in Latina Ecclesia ad sæculi usque decimi exitum. In Ecclesia autem Græca illibatus etiamnunc viget, adeo ut quantumvis occulta sint flagitia, iis tamen illigatur irregularitas, si ejusmodi ea sint, quibus olim pœnitentia publica præscriberetur.

CAPUT LXI. *P. 4. l. 2. c. 24.*

De Irregularitate criminis, post annum Christi millesimum.

I. Integer & illibatus vigebat priscus vigor post annum etiam Christi millesimum, cum incontinentia & simonia torrente quodam fœdissimo compulsa est Ecclesia, remissione uti post completam à Clero in incontinentibus & simoniacis pœnitentiam.

II. Primi gradus hujus indulgentiæ sub Clemente II. & Nicolao II.

III. Alexander II. testificatus est temporariam eam fore dispensationem, nec in posteros manaturam.

IV. Concessa est ea remissio, in præteritas culpas, non in futuras, urgente gravi necessitate, diutina persanctis pœnitentia.

V. Huic dispensationi subscripsit Gregorius VII. Qui.

VI. Cum homicidis non dispensatur. Nec cum incontinentibus quidem, nisi in Ordines, quibus jam donati essent, & strenuè pœnitentia defunctis.

VII. Hos dispensandi limites præfigit Urbanus II. in ea quam concedit Episcopis facultate de his dispensandi.

VIII. Eandem rationem sequitur Paschalis II. Argumenta varia quibus constat, Episcopos hujus dispensationis jam auctores, ut censu fuisse, ut ea in jus commune traduceretur.

IX. Cur cœperit irregularitas non affigi, nisi publicæ pœnitentiæ.

X. Non porrigebat se hæc Episcoporum dispensatio, nisi ad occulta crimina.

XI. Ex Anselmo & Bernardo nova probationes, ut liqueat Episcopos Pontificibus Romanis indulgentiores fuisse, & Ordinum januam reclusisse occultorum criminum reis.

XII. Quid de his senserit Gratianus.

XIII. Ipse denique Alexander III. accommodavit se Indulgentiæ, quæ invaluerat, non sine modo tamen aliquo.

XIV. Innocentius III. & Decretalium Decreta jubent, ut pœnitentia peragatur, vel Monasticum institutum ante suscipiatur, quam criminum sorde polluti Ordinibus initientur, vel restituantur.

XV. Quomodo ab uno jam, aut altero sæculo, de hac etiam Disciplinæ remissione remissum sit aliquid.

I. INeunte jam sæculo Ecclesiæ XI. priscam Canonum severitatem, qua capitalium rei criminum à Clericatu eliminabantur, retinebant Pontifices, & Episcopi: nec ejus rei aut illustrius potest, aut magnificentius edi documentum, quam ipsius Joannis XX. Papæ, quem confirmat Petrus Damiani, à summo hoc dignitatum culmine semetipsum sponte dejecisse, quod simoniacè eo grassatus esset. In Concilio Lemovicensi anno 1024. narratur, ut qui parricidiales manus Episcopo intulerat, & apud Cluniacum professus fuerat, ut infandum scelus pœnitentia expiaret, nunquam sedi Apostolicæ extundere potuerit dispensationem ad Ordines suscipiendos: quanquam Romæ vehementer urgeret Odilo Cluniacensis Abbas sanctissimus. Quin ex adverso vetitus est à Pontifice, ne carnis Christi epulo sacro vesceretur, nisi appetente morte. *Vivat permanent in pœnitentia lacta, non offerent, non communicans.* Baron. an. 1024. n. 4.

Sed quod jam sæpius inculcatum & inculcandum à nobis est, eo ipso tempore cùm Clerus Occidentalis penè universus in incontinentiæ & simoniæ voraginem veluti quandam præceps isset, ea inde vulnera Disciplinæ inflicta sunt sacræ, quibus non aliunde medicamenta parari potuere, quam ex indulgentia necessaria illa quidem & inevitabili tunc, sed anterioribus sæculis inaudita. Cœpit enim tunc demum indulgeri his, qui ex eo cœno emergerent, ut peracta pœnitentia, ad Ordines suscipiendos accederent, vel hactenus susceptos exercerent.

II. Quibus autem eò gradibus deventum sit, hic edisseram. Cùm statuisset Leo IX. Ordinationes omnes simoniacè factas irritare in Concilio Romano anni 1049. ingens tumultus & turbo excitatus est à Presbyteris Romanis, & ab Episcopis quibusdam, reclamantibus, Omnes ergo Ecclesias destitutum & desolatum iri: *Proximus à Sacerdotum Romanorum multitudine magnæ seditionis tumultus exortus est, &c. Omnes penè Basilicas sacerdotalibus officiis destitutas, &c.* Verba ipsamet sunt Petri Damiani. Tunc Pontifex consilium iniit imitandi prædecessoris sui Clementis II. & innovandi Decreti quod ille publicarat, ut post quadraginta dierum pœnitentiam, Presbyteri illi omnes, qui à simoniacis ordinari se consenserant, Ordinibus suis restituerentur. Addit idem Petrus, cùm Leo ipsemet IX. Clericos omnes ab hæresi resipiscentes & Ecclesiæ se recolligentes sineret pristinis Ordinibus fungi, abrupta tantùm spe Ordinum superiorum: posse & eam effundi in simoniacos indulgentiam. To. 3. Opusc. 6. pag. 35.

Novo Decreto idem Pontifex astrinxit fibulam continentiæ Clericorum majorum Ordinum; ejusque successor Nicolaus II. anno 1059. in Concilio Romano, à muniis omnibus sacerdotalibus, & à Beneficiis ipsis suspendit Presbyteros omnes, Diaconos & Subdiaconos, qui post id Decretum rursus in pristinas carnis sordes revoluti erant. *Præcipimus, ut Missam non cantet, neque Evangelium, vel Epistolam ad Missam legat, neque in Presbyterio ad divina officia, cum iis, qui præfatæ Constitutioni obedientes fuerint, maneat: neque partem ab Ecclesia suscipiat, quousque à nobis sententia super hujusmodi, Deo concedente, procedat.* Can. 3. Ubi perspicis veniam confirmari & Ordinum libertatem iis omnibus, quorum incontinentiæ finem dederat Decretum Leonis IX. Quæ pestis in eo erat, ut concubinæ vel palam ducerentur, vel ductæ non ejicerentur. *Concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit.* Contra eos autem qui pertinaces in impudicitiæ cœno hæsissent, temporarium suspensionis edictum promulgari.

In Concilio Turonensi anno 1060. cui Pontificius Legatus præerat, Episcopos & Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos incontinentes, qui Nicolai II. Decreto & vibratæ ab eo suspensioni non paruerant, vel qui rursus cœnosis his voluptatibus abrepti fuissent, irrevocabili depositione innodatos esse declaratum est. *Nullam restitutionis in pristino gradu veniam sibi reservasse cognoscat.* Can. 5. 6. Irremeabili eidem ejectioni addicti ibidem sunt, qui pecunia numerata Ordines, vel darent, vel acciperent. *Ministerium, seu Beneficium male usurpatum, nunquam recuperaturus amittat.* Qui sub Clemente II. & Leone IX. indulgentiùs habiti fuerant simoniaci, ii erant, qui nihil pecuniæ dederant, etsi à simoniaco aliàs Episcopo ordinati fuissent.

III. Suffectus in locum Nicolai II. Alexander II. in Concilio statim Romano anno 1063. pronunciavit incunctanter, quæ iis qui non simoniacè à simoniacis ordinati fuerant, indulta fuerat dispensatio, eam ineluctabilis necessitatis telo extortam fuisse, ob innumerabilem quandam horum multitudinem; nec eam in posterum valere posse. *Hac perniciei*

Can. 2. *pernicies adeo hactenus inolevit, ut vix qualibet Ecclesia valeat reperiri, qua hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta. Tanta quippe talium multitudo est, ut dum rigorem Canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit, ut dispensatione, ad pia condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus. Ita tamen ut ne quis successorum nostrorum, ex hac nostra permissione, regulam sibi, vel alicui sumat, vel præfigat, quia non, &c.* His præmissis corroborat hæc Con. 3. Synodus suspensionem à Nicolao II. intortam in Presbyteros, Diaconosque impudicos, nullo temporis præfixo limite, quo possit ea pro depositione haberi.

IV. Liquidum est omnino, in præteritas retro culpas librari has dispensationes, & indeclinabilis necessitatis vi expugnari. Sed non ibi tamen fixus est gradus. Concilium Romanum anni 1072. priorum Ordinum suorum compotes rursus fecit, qui pristina flagitia lavacro pœnitentiæ expurgassent. Can. 19. *Statutum est, ut hi qui publicè lapsi in criminalibus peccatis inveniuntur, citissimè in sacris Ordinibus restituantur.* Et mox: *Unde hoc ratum manere oportet, ut in crimine publicè lapsus, ante peractam pœnitentiam, in pristino gradu nullatenus restituatur, nisi summa necessitate, post dignam quidem longa pœnitentia satisfactionem.* Novo huic delinimento hoc temperamentum conjunctum erat, quòd venia non fieret Canonum, nisi *summa necessitate* Ecclesiæ, & post diutinæ stadium pœnitentiæ, post dignam longæ pœnitentiæ satisfactionem.

V. Blandius etiam aliquid consuluit Gregorius VII. in Episcopum Argentoratensem, quod ex impudicis simoniacisque Germaniæ Episcopis, solus Romam peragendæ pœnitentiæ ergò advenisset; nec prohiberi posset, quin eo abjecto, simoniacus quispiam alius eandem Episcopalem sedem L. 1. Ep. 77. involaret. *Cùm fortasse hoc amoto locum ejus non alius possideret, quam qui plurimum pecuniæ dare posset.* L. 2. Ep. 26. Quanquam hæc in eum se modum haberent, nondum se ei significat Gregorius Episcopatum reddidisse.

Idem Pontifex Abbatis simoniaca resignatione L. 3. Ep. 11. admissa, alium sublegi fecit. Melphensem Episco- L. 4. Ep. 25. pum sedi restitui jussit, post ablutas culpas aliquas, L. 9. Ep. 3. quas non exponit. Presbyteratu initiari passus est nonnullos, quos melioris temporum conditione procul amandasset. Qui vel obiter Annales Ecclesiæ degustarit, is facilè intelliget, si quas hic Pontifex in dispensationes assentiretur, non favori eas, aut remissioni, sed necessitati & justitiæ datas fuisse, usque adeo inexorabilem se censorem gerebat.

VI. Sed diligentissimè illud animo commendandum est, has Ecclesiæ dispensationes, ad incontinentes tantum spectasse Clericos, & ad gratuitas Episcopi alioqui simoniaci ordinationes. Unde & hic idem Pontifex in æternum amandavit sacri ministerii exilium homicidas omnes, quoscumque functos L. 1. Ep. 34. pœnitentia. *Homicidio maculatum nulla sanctorum Patrum authoritas concedit ulterius sacris altaribus ministrare, nec nos decet Canonum statutis contraire.* Nec nisi de voluptariis Presbyteris loquitur Petrus Damiani, cùm inquirit qua illis de causa dispensa- L. Dominus vobiscum c. 13. tio facilius quam bigamis concedatur. *Bigamum nullatenus posse ad Sacerdotium promoveri, in fornicationem verò lapsum, etiam Sacerdotem, peractâ pœnitentiâ, ad pristini juris officium revocari.* Nec contexta autem isto, nec superiùs allegatis omnibus conceditur semel inquinatis, ut etiam postquam se pœnitentiæ laboribus purgaverint, ad superiores pateat Ordines accessus, sed reditus tantum in prius susceptos. Denique Rotomagense Concilium anno 1074. ne Monachos quidem ejusdem scelestæ libidinis reos, voluit aut Abbates fieri posse, aut officii quidquam extra Monasterium adipisci.

VII. Hæc verò dispensationum, & concedendarum parcimonia, & restringendarum sollicitudo, non multò minus mihi quidem videtur habere admirationis, quàm vetusta inclementia, quæ Canonum dispensationes tantopere exhorrescebat. Eam nobis sententiam luculentè firmabit Urbanus II. in ea Epistola, qua maxima ex parte has complexus est restrictiones. Ad Episcopum Constantiensem in Germania hæc ille rescribebat: *De Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, qui post acceptum Ordinem in aliquo crimine lapsi fuerint, sive palam, sive clam, constat quidem Canonum censura ab Ecclesiasticis eos officiis inhiberi. Tua tamen providentiæ discretionique committimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ notâ non fuerint aspersi, necessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum sancta conversatione promerente, in suis gradibus recuperari debeant. Hoc autem secundùm indulgentiam dico, non secundùm imperium, &c. Si quem verò, quod absit, aut post acceptum, aut ante acceptum officium contigerit, peremptorio quolibet eorum, qui in lege morte mulctantur, sive clam, sive palam occupatum crimine inveniri, eos maximè qui adhuc mundo vivunt, ab omni eos altaris ministerio sequestramus. Sicut enim pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem Clericatus adipisci, vel Clerico ad altiores Ordines promoveri.*

Quantumlibet verbis prolixus sit hic contextus, non poterit tamen non brevis videri, doctrinam qua fœtus est expendenti. 1. Nil discriminis interponitur publicis occultisque delictis; par & eadem omnibus imminet irregularitas. 2. Dispensant hic Episcopi facta à Pontifice potestate; & hac communicatione Pontificiæ potestatis in Episcopos effusa ad dispensandum de Canonibus Conciliorum generalium: usque adeo pervulgatæ sunt dispensationes quibus de hic agimus, ut tandem traductæ sint in jus commune. 3. Non potest dispensare Episcopos, nisi cum paucis, urgente utilitate & necessitate, non ipsorum, sed Ecclesiæ. Nondum ergo ad omnes id permanaverat. 4. Potestas hæc dispensandi non se porrigebat, nisi ad exercendos Ordines, quos quis jam suscepisset. *In suis gradibus recuperari.* Itaque ne tum quidem post capitale crimen poterat vel Clericatum quisquam adipisci, vel in Clericatu superiorem Ordinem. 5. Hæc quoque dispensandi potestas à Pontifice Episcopis impartita, ad ea non poterat pertinere crimina, quæ infamiam inussissent. 6. Nec in eos cadit hæc dispensatio, qui ea perpetrarunt facinora, quæ leges morte plectunt. Itaque homicidium fuit semper, estque etiamnunc irregularitati obnoxium. Istiusmodi dispensationes nihil præjudicabant, quin verissimè semper diceretur, nec Clericum posse publicam subire pœnitentiam, nec pœnitentem publicum posse Clero inscribi.

VIII. In ejusdem Disciplinæ vestigia ingressus est Paschalis II. cùm in Concilio Guastallensi anno 1106. Episcopos Germaniæ schismaticos Ordinibus suis redintegravit, dummodo ne vel simoniaci essent, vel intrusi, nec quovis alio crimine deturpati: revocata in usum per antiqua illa dispensatione, qua excepti fuerant in Ecclesiam Novatiani, Donatistæ, aliique hæresûm sectatores. *Præfati Regni*

Episcopos in schismate ordinatos, nisi aut invasores, aut simoniaci, aut criminosi comprobentur, in officio Episcopali suscipimus. Quod & aliis quoque Clericis gratificari placuit.

Non temerè autem dictum est à me, ea potestate cum Episcopis communicata, de irregularitate criminis dispensandi; tam latè paulatim apertam & complanatam fuisse viam post capitalia crimina pœnitentiæ pramentis expurgata ad Clericatum & ad ulteriores ejus gradus progrediendi, ut jam postremis his sæculis nihil opus sit dispensatione. Pauca ex multis seligo exempla. Fulbertus Carnotensis Episcopus Leutherio Archiepiscopo Senonensi author fuit, ut Presbyterum deponeret, ab alieno Episcopo ordinatum, & pretio nundinatum Spiritûs sancti dona; verùm post biennii pœnitentiam in integrum tandem revocaret. *Degradetur,* Epist. 25. & 83. *duobus annis severa pœnitentia mulctetur, postea si dignè pœnituerit, restauretur.* Non tam prolixa fuit laudatorum suprà Conciliorum humanitas. Huic Epistolæ & consilio sancti Fulberti innixus Petrus Damiani, cùm Mediolani Legatum ageret Nicolai II. simoniacorum ingentes catervas sacris reconciliavit Altaribus, pœnitentia priùs idonea purgatos. Quod in alia verò legitur Epistola Fulberti de Episcopo electo, quem cæteri Episcopi ordinare renuerunt, nihil huic nostræ obstrepit doctrinæ. Electus ès enim homicidii & aliarum quoque præterea irregularitatum invidiam sustinebat. Denique vel ex una Fulberti responsione ad Archidiaconum Aurelianensem apertè edisces, quantis delinimentis condita & temperata esset tota ejus administrandæ Ecclesiæ ratio.

Baron. an. 1509 n 58. Censuit quidem Ivo Carnotensis, eum Presbyterum, qui ut inimicos perterrefaceret, ignem subjecerat suis ædibus, quo incendio oppressus interiisset puer, exauthorandum esse: sed & peracta in Monasterio pœnitentia censuit redintegrandum. Epist. 221. *Nec sacerdotali officio dignum debemus judicare, nisi eum longa Monastica vita probet experientia, & ad intermissum ministerium ex meritorum prærogativa pastoralis revocet obedientia.* Ex Juris norma inclementius aliquid consulendum fuisset; cùm illicita actione aliqua sua Presbyter author mortis fuisset, ut non dissimulabat ipse Ivo: *Nunc quia diabolo suadente quod illicitum & contra sacerdotale propositum erat, priùs fecit, & de malo initio pejor exitus prodiit, nullo modo debemus Presbyterum immunem æstimare,* Epist. 225. *nec sacerdotali officio dignum judicare.* Nec inhumanior ille fuit, cum censuit ex rigore quidem Canonum perpetua depositione feriri debere Presbyterum, qui mendaciis & fraudulentis verborum præstigiis ad eum gradum sese extulerat: *Si in eo rigor Canonum servaretur, omni tempore ab inordinate accepto officio suspenderetur.* Sed cùm sponte sua quod à se peccatum fuerat, confessus fuisset, ex indulgentia condonandam illi eam esse culpam. Scripsit Epist. 233. & ad Pontium Cluniacensem Abbatem, Monachum eum qui virilia sibi amputaverat, ut epileptico morbo, quo laborabat, mederetur, juxta Canones irregularem esse, sed posse ex dispensatione tolerari, ot in Ordinibus pridem susceptis ministra- Epist. 21. ret, aut ulteriores susciperet. Id quidem idem Ivo consilii dedit Presbytero, ut quopiam alio quæsito prætextu sese lubens abdicaret, propterea quod flagitiosæ libidinis culpam, aut saltem infamiam sustineret. Sed videri non injuria posset, infamiæ tantùm & scandalo Ivonem tum occurrere voluisse.

Et sanè idem ipse Canonum Jurisque consultissimus Ivo, causam disceptans Cluniacensis Monachi, qui satis probabiliter existimabatur in causa fuisse, ut abortiret prægnans muliercula, immaturumque fœtum ejiceret: non censuit ab Ordinibus suspendi debere, etsi constaret quòd author fuisset certus ejus facinoris. Exempla in medium protulit Davidis, Petri, Pauli; qui post adulterium, homicidium, perjurium, & acerbam Ecclesiæ persecutionem, restituti sunt sacris gubernaculis, quæ antè tractaverant. Protulit & famosum homicidam, quem vulgò opinabantur à B. Joanne Apostolo Ecclesiæ præfectum fuisse. *Homicida ille, quem beatus* Epist. 54. *Joannes Ephesino Episcopo nutriendum, erudiendumque commiserat, post cædes & rapinas ductas pœnitentia, non solùm pœnitentiam obtinuit, sed etiam beato Joanne ordinante, Ephesina Ecclesia præfectus fuit.* De hac Joannis Apostoli indulgentia dictum est suprà à nobis accuratius aliquid. Fatetur autem Ivo cum Augustino, consultius Ecclesiæ visum esse sequentibus sæculis, Clericatûs ostium occludi omnibus, qui quovis scelere conscientiam cruentassent, tametsi postea de eo pœnitentiam peregissent, ne deluderent & Ecclesiam & se ipsos per ementitas pœnitentias homines ambitiosi, & sacras dignitates pœnitentiæ laboribus facilè redempturi: *Quoniam aliqui propter affectatas honorum potentias, falsas agebant pœnitentias.* Sed vel inde argumentatur Ivo, cùm Prælatis persuasissimum est, sinceras & infucatas esse privatorum quorundam pœnitentias, tunc adhibendam prorsus esse dispensationem. *Unde mihi videtur, quia sicut ficta pœnitentia fictos pœnitentes à Clericatu repellit, ita vera pœnitentia veros pœnitentes ad Clericatum admittit.* Contestatur denique non eo ire se derogatum statutis Patrum, Canonum que priscorum; sed in Episcoporum semper potestate fuisse dispensationes, citra injuriam aut præjudicium sacrorum Canonum. *Hæc dicentes, sacris Patrum regulis non obviamus; sed ex ratione & exemplorum commemoratione, in præsidentium intelligimus positum esse discretione, ut quos viderint veram egisse pœnitentiam, eos ad Ecclesiasticam possint promovere militiam, si tamen publicam non egerint pœnitentiam.*

IX. Hìc enimvero duo quædam nobis animadvertenda sunt. Primum est, si hæc Ivonis Epistola conferatur cum illa Urbani II. superiùs laudata, inde elucescere, multò plus sibi potestatis sumpsisse Episcopos nostros in dispensando, idque Episcopis licere voluisse, ut possent eos qui seria expiati fuissent pœnitentia, vel prioribus Ordinibus reddere, vel novis augere. Eo forsan adigebantur vastiori Ecclesiarum & Diœceseon suarum amplitudine, quarum Parochias complures Pastoribus viduatas gemere necesse fuisset, si tam religiosi fuissent Canonum custodes, quàm Episcopi Italiæ, quorum angustissimi sunt Diœceseon fines.

Alterum est, ex Ivone Carnotensi, non crimine, sed pœnitentia publica ita occludi Clericatûs ostium, ut nulla venia, nulla deinceps dispensatione recludi possit. Distat hæc à veteri recentior disciplinâ mirum quantum. Olim enim crimini, non pœnitentiæ criminis expunctrici adhærebat irregularitas. Ratio autem ea est, quòd sanæ mentis & cordati quique Clerici, Episcopique sentirent illi quidem, quod vetusti senserant Patres de pœnitentia publica, specimen id esse cumulatissimæ patientiæ & fortitudinis. At plebis oculi non ii erant, qui quondam, non eadem fidei luce perfusi; itaque jam offendebantur, quo ad pietatem excitari debuerant.

Hinc occasio, hinc justæ causæ Præsulibus, ut in disciplinæ cortice aliquid mutarent, cùm medulla eadem retineretur. Audiendus hic Ivo: *Si tamen publicam non egerint pœnitentiam. Talibus enim ideo Clericatus denegatur, quia ab insidiatoribus divinis sacramentis pro hujusmodi derogatur, & simplicium animus aut scandalizatur, aut infirmatur.*

X. Nec abs re forsan tertio hoc loco observabitur, nempe eam & dispensationem, & dispensandi facultatem de peccatis occultis intelligendam esse. Cùm enim de peccatis publicis publica semper pœnitentia usque adeo peragenda fuerit, juxta Canonum regulas, ut etiamnunc ex Concilio Tridentino, & tot aliis postea habitis Conciliis eadem lex vigeat intemerata de publicis peccatis publica pœnitentia eluendis, utque publici peccatores irrevocabili irregularitate mulctentur: inde illud efficitur, occulta ea fuisse delicta, quorum maculam & irregularitatem pœnitentia privata & dispensatio expungerent. Nec his repugnat Epistola Ivonis ad Hildebertum Episcopum Cenomanensem electum.

Epist. 179 Quas enim illi libidines objectat, tanquam ineluctabilem obicem, ne ad Episcopatum accedat, eas & proles multiplex publicasse ferebatur, & necdum necessaria expiaverat pœnitentia.

In eadem versabatur & Rupertus Abbas sententia. Sic enim ille statuit, plurimum interesse discriminis inter adulterium, aliudve quodcumque scelus, & publicationem infamiamque ejusdem criminis: propterea quod solius occulti criminis irregularitas per pœnitentiam eximatur.

De lesione Virgin. c. 16. *Magnus est non solùm venia, sed etiam gratia locus, ubi peccatum non taliter admissum est, ut vulgus sciat, & persona infamis habeatur. Exempli gratia, si adulterium perpetratum, publicè diffamatum, vel ex judicio testibus est convictum, non debet hujusmodi persona sacris Ordinibus fungi, ne scandalum populo faciat. Si autem hoc nemo scit præter Deum, & eum cui secreta confessione manifestatur, cauta discretione & misericorditer condonatum est, ut post pœnitentiam nihilominus secretam, sacris Mysteriis illa persona admoveatur, secundum exemplum David, &c.*

Non poterat accommodatius quidquam dici ad Ivonis doctrinam, nisi quod cùm paulò posterior ævo esset Rupertus, robustior jam tum quoque consuetudo inoleverat, & dispensatio frequentior usurpabatur, ut privata pœnitentia occultorum scelerum irregularitas abstergeretur. Eandem ille alibi quoque doctrinam inculcat, originemque retegit ejus regulæ juris perpetuæ, & etiamnunc retentæ, ut infamia criminis irregularitatem imprimat. Apertissimè enim prodit Rupertus, publica crimina & infamiam quæcumque aspergebant, offendebantque publicam conscientiam, nisi publica expiari non potuisse pœnitentia. Infamiæ ergo nunc quæ illinitur irregularitas, non alia est, quàm quæ jam olim criminibus omnibus publicis inhærescebat.

In Levitic. l. 5 *c.* 18 *In Num. l.* 5. *c.* 13.

XI. Eadem & Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo insederat sententia, quam & hac astruebat ratione. 1. Crimina per pœnitentiam aboleri, adeoque nec jam ea apud Deum obesse: nec officere etiam penes homines posse, cùm occulta sint.

L. 1. *Ep.* 56 *Nec apud Deum reprobatur officium alicujus, propter culpam quam ipse ignoscit: nec apud homines decoloratur sacri Ordinis dignitas, propter personam, cujus ipsi peccatum non cognoscunt.* 2. Non posse à Confessario quemquam suo Ordinum functionibus interdici ob occulta crimina, quin à confitendi peccata sua consuetudine refrigescant, & abalienentur ii, qui eo peccata sua prodi & manifestari refugient. 3. Gregorius capitalium scelerum confessis nunc januam occludit, aliàs recludit. Concordabit ipse secum, si dicas nunc de publicis, nunc de occultis criminibus eum disputare. *Ne sibi ipse contrarius sit, apertis quidem prohibuisse, de occultis verò post dignam pœnitentiam concessisse intelligitur.* Et nihilo tamen minùs monet Anselmus hos pœnitentes, invitatque, ut sponte sua discedant à ministerio altarium; cùm nec ipsis, nec pœnitentibus ullis certò & manifestè constet, quod verè oblitteratæ sint illæ graviorum suorum scelerum maculæ. *Sed quoniam ferme semper occultum est, quorum remissa sint iniquitates & quorum tecta sint peccata, quorum verò minimè; tutius semper est, conscium sibi criminis, ab his quæ placitam Deo personam exposcunt, per laudabilem humilitatem abstinere, quàm per culpabilem securitatem præsumere.* Quod documentum altissimè insculpi omnium mentibus necesse est: Non semper privatos quosque debere, quantumvis possint, ea uti indulgentia, quam concedunt Concilia, & quam necessariam quandoque existimant. Conciliorum enim mens & scopus is fuit, ut Ecclesiæ publicis necessitatibus, non ut privatorum votis satisfacerent; qui proinde multò consultiùs abstinerent sese, & expectarent, dum eos Ecclesia ad sacras functiones accerseret, ubi necessitas, vel opportunitas publica ita flagitaret. Ea est, ni fallor, Anselmi sententia, quam & ex alia ejus Epistola facile est exprimere. Vides quàm latè serpsisset Epistolarum Gregorii Magni facta ab Isidoro Mercatore interpolatio.

l. 3 *Ep.* 13. 163.

Ex his rursus illud quoque emicat, hos & sanctimoniæ & eruditionis nomine celeberrimos Præsules dispensationem latiùs effudisse, quàm suprà memoratos Romanos Pontifices. Ad omnia enim genera tam criminum, quàm hominum eam effundebant: sive eam illis potestatem concessisset, sive nondum sibi integram reservasset Sedes Apostolica. Potest & illud non immeritò existimari, non jam ferè dici debuisse dispensationem, cùm nemo ea frustraretur; sed necessariam juris prioris & austerioris remissionem: quod fieri omnino non poterat, nisi consensione, vel tolerantia saltem tacita Sedis Apostolicæ Pontificum, qui vi & jure atque ingenio suæ Sedis, executores sunt & custodes Canonum.

Beatus Bernardus Claravallensis Abbas, quanquam puri & austerioris juris retinentissimus, renitis tamen non potuit consuetudini, suo jam ævo confirmatæ. Consulenti Brunoni Coloniensi Episcopo electo, an acquiescendum sibi esset electioni ad eam dignitatem suæ, cui tantopere dissentiret vita sua hactenus tot delibuta flagitiis, quæ nullis adhuc pœnitentiæ lacrymis expurgata esset: respondit Bernardus anceps & ipse animi, dubiusque, & neutram in partem deflectens, sed utriusque partis rationum momenta librans: *Horreo considerans unde, quò vocaris: præsertim cùm nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, &c. Hæc à me suspensiva responsa sufficiant, &c.* Aliquantò etiam temperatiùs rescripsit ad Episcopum Gratianopolitanum, animoque & calamo ad indulgentiam propensiore. Optat enim hortaturque, ut quæ præire debuerat vitæ integritas morumque innocentia, saltem accedat, succedatque: utque repentino illo gratiæ omnipotentis impetu in alium hominem traducatur, quo olim Matthæus, Paulus, Ambrosius. *Bonas fac de cætero vias tuas, & studia tua: & ministerium sanctum si vita sanctitas non præcessit, sequatur*

Epist. 8

Epist. 28.

saltem, &c. Sic Paulus ex persecutore Doctor gentium, factus est, sic Matthæus de telonio vocatus, sic Ambrosius de Palatio, &c. Denique nonne multoties ubi superabundaverunt delicta, videtur superabundare & gratia?

Cùm voluisset Pontifex electionem Monachi in Episcopum confirmare, ne ejus conversio & professio Monastica censeretur simulationi potius & latenti cupiditati honorum imputanda, quam germanæ pietati: non dissimulavit Bernardus, etsi non posset non summo honore prosequi, & revereri consilium Pontificis; consultius tamen sibi videri, ut electio ea confirmaretur, ex qua tantum ornamenti in Ecclesiam, & emolumenti existere posset. Quanquam enim hujus Monachi juventa minus forsan intaminata fuisset, pœnitentia & Monastica

Epist. 249. professio in novum hominem illum refinxerat. *Quid enim si juvenis aliqua olim juveniliter egisse memoratur? Vetera transierunt, facta sunt omnia nova. Consepultus est iterum Christo per eremi baptismum. Ego olim sepulta vitia retractabo?*

Habes hic valde perspicuam posterioris hujus ævi doctrinam, & præjudicatam sententiam: professionem Monasticam instar habere & vim obtinere alterius baptismi, & spiritalis cujusdam regenerationis, qua universim eluantur irregularitates omnes à crimine profectæ. Atqui Monachi perpetui sunt Ecclesiæ pœnitentes; & pœnitentiæ ipsius vi Monastica professio irregularitates delet.

Verùm zeli sui & amoris Canonum flagrantissimi non scintillas tantum aliquas, sed faces Bernardus idem ipse subjecit Eugenio III. Papæ, quem tantum non objurgavit, æquius nescio, an audacius, quod ad Prælaturam compulisset hominem, qui canonico judicio & publica depositione infamatus

Epist. 268. fuisset. *Quis vobis suggessit, hominem de ambitione notatum, convictum, condemnatum, ad Ecclesiasticam cogere dignitatem? &c. Is est quem Lambertus Episcopus degradavit.* Denique vehementissimè urget, ut retractet, quod sibi vel extortum, vel subreptum

Epist. 272. est. *Non est nisi revocare sententiam.* Scripsit & ad Archiepiscopum Eboracensem in Anglia, nefas esse abire illum Episcopatu, nisi eo vinculo solvisset eum Pontifex, vel gravioris aliquid sceleris conscientiam remorderet. *Nisi forte mortale aliquid commissum sit.*

XII. Prolixius hanc quæstionem pertractat Gratianus, an post expletam scelerum pœnitentiam fas sit ad Ecclesiasticos Ordines adire, vel redire. Multam ille suo more testimoniorum sylvam congerit in utramque ultro citròque sententiam: & existentem inter ea pugnam ita sedat conciliatque, quod à Conciliis & Patribus non sit septa Clericatus obstructaque janua, nisi subdolis pœnitentiis, & pri-

Dist. 5. vatarum cupiditatum contagio suffusis. *Sunt quidam quos non odium criminis, sed timor vilitatis, & amissio proprii gradus, & ambitio celsioris ad pœnitentiam cogit. Hos sacri Canones irrecuperabiliter dejiciunt.* 2. His addit ille posse eam repugnantiam Canonum pacari, si quis dicat Clericatui semper adversari crimina publica; non autem occulta, quæ ubi confessio & pœnitentia privata effacuerit, tùm tuto posse quemque Ordines antea susceptos exercere. *Possunt & aliter distingui præmissa authoritates. Quorum enim crimina manifesta sunt, ante vel post ordinationem à sacris Ordinibus dejiciendi sunt. Quorum autem peccata occulta sunt, & satisfactione secreta secundum Sacerdotis edictum purgata, in propriis Ordinibus remanere possunt.* 3. Hinc excipit voluntarios homicidas. *De homicidis intelligendum, quando facultas effugiendi datur, nec necessitate clauduntur obsidionis. Cæterùm cum necessitate angustati effugere non possunt, si ture homicidium admiserint, purgati per pœnitentiam, & officio & communioni reddantur.* Profert in sui defensionem Urbanum II. qui ex indulgentia tantum parcere se profitetur fortuito homicidæ: *Clerico jaciente lapidem puer dicitur interemptus.* 4. Nec abnuit denique, quin possint, occulta exacta pœnitentia ad superiores Ordines promoveri. Verùm cùm nec ad hoc temperamenti genus, nec ad alia mitiorem proferat Pontificem ullum Romanum, vel eo rursum ipso significat, has dispensationes ab Episcopis magis, quàm à Pontificibus pervulgatas amplurasque fuisse.

In alia distinctione depromit Gratianus Gregorii VII. & Alexandri III. testimonia, quæ superiùs à nobis prolata fuere; sed ea interpretatur priscæ severitatis fuisse monumenta, cùm rudimenta potius quædam essent influentis novæ indulgentiæ. Dist. 81.

5. Clericatu arcet Gratianus hæreticos & apostatas, qui etiamnunc etiam in irregularium classem conjiciuntur.

XIII. Postquam publica & inevitabilis necessitas eò adegit Episcopos Galliæ, Angliæ, Germaniæque, usque adeo dilatare hanc dispensationem, juri quodammodo communi illam transcribere, eam denique os approbare qui doctrina, zeloque plurimùm abundarent: iisdem etiam se attemperavit Regulis Alexander III. Papa, & percunctanti Episcopo Oxfordicensi in Anglia, de Presbytero, qui nonnihil pecuniæ dederat Archidiacono, à quo fuerat præsentatus Episcopo; rescripsit, si crimen occultum foret, clam submonendum illum esse, ut Religionem Monasticam alicubi profiteretur, & à sacro sese abstineret ministerio: si resiliret ab eo salubri consilio, beneficio quopiam donandum esse, & urgendum, ut ne ingereret se sacris muniis: cùm enim occultum esset delictum, non posse eum cogi, ut vel invitus cohiberetur ab altaris ministerio, sed secretam ei indici debere pœnitentiam. *Secreto convenias, ut Ordinem alicujus Religionis assumat, & perpetuo ab officio abstineat, sine ulla tamen coactione, &c. Alioqui non erit tutum, cum sit secretus excessus, ipsum invitum ab eodem officio coërcere. Sed tamen pœnitentiam secretam secundum quod tibi visum fuerit, injungere non postponas.* Append. C. c. Later. III part. 35. c. 2.

Austeritatem hujus Pontificis non possum non mirari, etiam tum cum de ea remittit. Præter occultam enim pœnitentiam, quæ generaliter subeunda erat omnibus occultorum criminum reis: præcipit, ut invitetur simoniacus hic Presbyter ad profitendam Religionem, & ad supersedendum omnino sacris functionibus. Compara, oro te, hæc Alexandri III. consilia cum Canone Concilii Londinensis anno 1200. *Nullus etiam Sacerdos post lapsum, antequam confiteatur, ad altare præsumat accedere celebraturus.* Can. 4. Nihil postea residebit in animo tuo dubii, quin ut iterum iterumque inculcavimus, hæc disciplinæ immutatio ab Episcopis potissimum manarit, paulò indulgentioribus. Ex responsis autem consiliisque Alexandri III. illud effulget, quam multa præclare & ad priscæ severitatis gustum, non præcipiendi, sed consulendi animo, insusurranda sint pœnitentibus, eo etiam tempore quo prisca illa severitas in desuetudinem abiit. Jam enim fateor præcepta ea non sunt, sed consilia; sed quorsum consilia, si ne ut consilia quidem instillanda, aut verò inculcanda sint?

XIV. Sed illud præ cæteris magnopere dolen-

dum, quod cùm pœnitentia dispensationi, & irregularitatis remissioni præmitti deberet: eaque videretur fuisse necessaria conditio ut frueretur quis concessa indulgentia: insuper habita plerumque fuit tamen ea conditio. Eam modò perfecte percepit Alexander III. Eam expressè commendat Innocentius III.

Reg. l. 13. Epist. 85.

in Presbytero eo quem restituit. *Cùm longo jam tempore impositam sibi pœnam portaverit.* Libri Decretalium ex quibus radiat jus hodiernum Canonicum, eam passim necessitatem commendant. Gregorius IX. homicidio dumtaxat excepto disertè tradit, nec adulterio, nec perjurio, nec falso testimonio excludi quenquam ab Ordinibus, dummodo pœnitentia peragatur: alioqui abstinendum Ordinibus.

Extra. De temp. Ord. c. 17.

Quod si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam Ordinibus non ministrent.

Ibid. c. 4.

Cœperat Alexander III. indulgere, ut peracta pœnitentiæ parte aliqua, re[illegible]d functiones Ordinis; sed idem ipse con[illegible] nihil intentatum relinqueretur, quo a[illegible]us deterrerentur Ordinibus, quamvis c[illegible] possent, quorum occulta erant flagitia. *Pœnitentiam ei occultam imponas & suadeas, ut parte pœnitentiæ peracta, ordine suscepto utatur, quo contentus existens, ad superiores non ascendat. Veruntamen quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.* Testatum alibi facit idem Pontifex, non paucos ex Clericis detrectasse progressum ad Ordines superiores, quod clanculoria flagitia animam fœdassent aliqua.

De ætate Ordin. c. 6.

Si Clerici perceptione majorum Ordinum propter occulta sua peccata se indignos esse fatentur, &c. Post impletam etiam pœnitentiam redire prohibet ad Ordinum sacra munia citra Episcopi dispensationem.

De judic. c. 4.

De adulteriis & aliis criminibus quæ sunt minora potest. Episcopus cum Clericis post peractam pœnitentiam dispensare. Itaque specialis forsan illa fuerat species, ubi assensus erat, ut pars tantum aliqua ante pœnitentiæ decursa fuisset. Qui rursus alibi: *Satis potes cum eo post peractam pœnitentiam misericorditer agere.* Et rursus alibi de Presbyteris agens Concubinariis:

De Corpore vitiatis. c. 1. De Clericis conjugatis. c. 4.

Post longam pœnitentiam & vitam laudabilem continentes, officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi, ejus executionem habere. Et Innocentius III. in eadem criminis specie:

De bigamis. c. 6.

Cùm eis tanquam simplici fornicatione notatis, quoad executionem sacerdotalis Officii poteris dispensare. Approbaverat Alexander III. ut Diaconus, qui uxorem duxerat, posset exacto pœnitentiæ curriculo, gradui suo restitui, adeoque ad Presbyteratum promoveri, si illustribus se virtutum experimentis insigniret.

Qui Clerici vel voventes. c. 1. 2.

Injuncta sibi pœnitentia, post eam peractam, dispensativè poteris ei Diaconatus officium reddere; & si perfectæ vitæ & conversationis fuerit: eum in Presbyterum ordinare. Sed cùm eodem se facinore implicuisset Subdiaconus, nec reddi illum Ordini suo, nec ultra progredi passus est, nisi antè Monasticis se institutis devovisset. *Si ad Monasticum Ordinem transire voluerit.* Alioqui liberam ei tantum esse voluit functionem Ordinum inferiorum.

De Apostat. c. 2. De Clericis pugn. c. 1.

Rursus alibi censuit idem Pontifex professione religionis posse quempiam Acolythum promereri, ut ex indulgentia sibi condonaretur, quod publicæ & sacrilegæ rebaptizationi interfuisset. Episcopo concessit, ut dispensatoriè ageret cum Clerico, qui singulari certamine depugnaverat, dum nequid homicidii, vel mutilationis esset perpetratum.

De furtis. c. 5.

Si Episcopus suus misericorditer duxerit dispensandum. Eadem gratia eum prosecutus est, qui Calicem sacrum furatus fuerat. *Si non est super hoc nota, vel manifesta infamia respersus, post peractam pœnitentiam, aut congruam partem pœnitentiæ, non dubites ad sacros ipsum Ordines promovere.*

De Clerico non ordinato ministr. c. 2.

Iisdem mitioris disciplinæ blandimentis usus est Urbanus III. in eum qui cùm Diaconatu tantum initiatus esset, Missarum solennia celebraverat. Sed sollicitè Episcopum monuit, ut pœnitentiæ Diaconi pervigil esset explorator; invitaretque illum, ut Monasticis se claustris includeret. *Ut autem secutius possis hanc ei misericordiam facere, de agenda pœnitentia diligentem circa eam curam non desistas exhibere: salubrius autem sibi absque dubio providebit, si ad regularem vitam se duxerit transferendum.* Ubi rursum perspicis, quanta in animarum moderando regimine; ex consilio insinuanda sint, ingerendaque, etsi non possint ex præcepto urgeri.

De eo qui furtive Ord. suscepit c. 1.

Repulsam omnino passi sunt ab Alexandro III. qui furtim Ordinibus obrepserant, præter Episcopi sui interdictum; quin & excommunicationem intentavit, nisi Religiosum propositum amplexarentur.

De sent. excomm. c. 7.

Publicam Clemens III. pœnitentiam inflixit Presbyteris Græcis, qui damnabili quadam negligentia, filiolos suos in eodem secum lectulo accubantes oppresserant, siquidem publicum illud esset facinus. Si occultum verò esset, occultam quidem inflixit pœnitentiam, at ea lege, ut eis ad altaris munia omnia intercluderetur aditus.

De Accusation. c. 21.

Ab officio debent perpetuo abstinere, & eis gravior quam laicis, non tamen publica, nisi in publicum id veniat, pœnitentia debet imponi. Denique Innocentius III. de criminibus agens, quorum ne pœnitentia quidem exterget irregularitatem, iis annumerat homicidium & simoniam. *Utrum sit tale crimen, quod Ordinis executionem suscepti, aut retentionem Beneficii, etiam post peractam pœnitentiam impediret, puta si homicidium commisisset, vel adeptus esset Ordinem, aut Beneficium vitio simoniæ.*

Rainal. an. 1219 n. 55.

Concessit Honorius III. interpellante Ludovico primogenito Philippi Augusti Francorum Regis, dispensationem quorundam Presbyterorum, aliorumque Clericorum, ut ad dignitates Ecclesiasticas, & ad Ordines superiores eveli possent, quanquam publicam obiissent pœnitentiam.

Hæ sunt ergo Regulæ & Leges juris Canonici, quo impræsentiarum regitur & administratur Ecclesia. Quàm indubitatum est, justis & necessariis de causis remisisse Ecclesiam de antiquo rigore Canonum, & ad hæc se delinimenta attemperasse, quæ miram quandam ubique sapientiam & charitatem spirant. Unde luculentè Petrus Venerabilis:

Bibl. Clun. pag. 663.

Ut est de illis, qui in hæresim, vel in aliquod damnabile peccatum & publicum corruunt, quos primi Canones ad pristinum Clericatus, vel dignitatis gradum accedere prohibent, sequentes verò necessariis cogentibus causis aliquando permittunt. Tam dolendum est, quòd his delinimentis alia subinde delinimenta adjiciantur, & de jure remisso remittatur semper aliquid ulterius. Hodiernum enim jus Decretalium postulat etiam nunc 1. ut occultorum irregularitas criminum non relaxetur, nisi expleta penitus, aut magna ex parte pœnitentia. 2. Ut pervigilent Episcopi, & explorent, an occulti pœnitentes strenuè suas partes obeant; an eos sincerè & ex animo pœniteat. 3 Ut quæ illis venia conceditur, vel Ordines, vel Beneficia capessendi, venia semper, gratia & dispensatio habeatur. 4. Ut privatim hoc illis infundatur consilii, ipsique persuasissimum ut

habeant, longè tutius ipsis & conducibilius esse, ut sacro abstineant ministerio, etiam post impletum pœnitentiæ stadium, quòd remissa sibi fuisse pristina flagitia certò rescire non possint. 5. Ut suadeatur & inculcetur eis vita & professio Monastica, tanquam certissima eorum medicina morborum, quibus eorum anima debilitata jacet. 6. Permisit quidem Episcopis Concilium Tridentinum, ut pœnitentiam publicam pro publicis peccatis omnibus peragendam commutent in pœnitentiam occultam, *quando ita magis judicaverint expedire*. Sed haud equidem scio, an etiam permiserit, ut pœnitentiam publicam omnino in desuetudinem abire, & funditus abolere, & interire sinant pro publicis criminibus. Certè non id illis indulsit, ut absolvant de irregularitatibus, quæ criminibus publicis inhærescunt, vel
Seff. 24. c. 6 8. homicidiis etiam occultis. Quoad homicidia fortuita, aiunt Concilii Patres eorum dispensationem
Seff. 14 c. 7. quodammodo deberi: *Cum jure quodammodo dispensatio debeatur*: idque examinandum & dispensandum committi debere Episcopis, qui degunt in singulis quibusque locis.

Sanctus Carolus Archiepiscopus Mediolanensis tantam explicuit Canonum diligentiam & austeritatem, quantam postrema hæc ætas ferre potuit.
Conc Med 2 c 23. 11. c 8. *Criminosi, solenniter pœnitentes, ebriati & gulæ dediti, impudici, lapsi post Ordinem susceptum, perjuri, infames.* Hos ille irregulares ex jure recenset. Si vel hujus Decreti usus urgeret: si potissimum eo uterentur jure Episcopi, quo eos Tridentinum Con-
Seff. 24. c. 1 cilium donat, propter occulta crimina citra figuram judicii interdicendi & receptione & exercitio Ordinum; revivisceret spes non mediocris revocandæ in integrum permagna ex parte purioris antiquæ disciplinæ in sacris Ministris.

L. 5. Tit. 10 c. 1. Non referam, non expendam, sed ad marginem hic raptim indigitabo, quibus Decretalium capiti-
T. 12. c. 6
T. 16. c. 2 bus, Clericis quo delictorum pœnitentias impleant,
T. 28. c. 2. indicatur, ut in Monasteria semet ipsi segregent,
T. 30. c. 3 & reliquum vitæ decursum cœnobiticæ vitæ labori-
T. 37. c 6 bus dedicent.
T. 38. c. 12
T. 40 c. 27

De Irregularitate Hæreticorum, Schismaticorum, Apostatarum, Neophytorum, Energumenorum.

CAPUT LXII. *P 1. l. 2. c. 25.*

De his Irregularitatibus per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

I. Cur Hæretici mitiori pœnitentia addicti sint, & facilius remissa sit eorum iterum irregularitas

II. Prima Donatistis dispensatio & venia Canonum concessa in Concilio Romano.

III. Austeriùs actum est in Apostatas.

IV. Canarenses alii, alia Canonum remissiones. Novatianorum dispensatio in Concilio Nicæno

V. VI. Innocentius I. decreta de irregularitatibus Hæreticorum & Apostatarum

VII. Episcopi Africani à Papa & ab Episcopis Italiæ flagitarunt, ut dispensare possent cum Episcopis Donatistis, qui universa cum plebe sua ad Ecclesiam se Catholicam adgregarent

VIII. Eandem flagitarunt dispensationem in hæresi baptizatis.

IX. Dispensationes promiscuè concessa omnibus emergentium primo hæresium fautoribus.

X. Dispensatio indulta Episcopis Concilii Ariminensis.

XI. Eam dispensationem improbarunt Schismatici Luciferiani.

XII. Dispensatio indulta primis sectatoribus Nestorii, Eutychetis, Pelagii

XIII. Irregularitas ex iterato baptismo

XIV. XV. Irregularitas Clinicorum & Neophytorum.

XVI. Hi à superioribus Ordinibus summoventur.

XVII. Quam alienâ & absurdâ Neophyti laborent ambitione.

XVIII. XIX. XX. Plura Patrum Pontificumque suffragia ad frangendam Neophytorum audaciam.

XXI. Effricatur ab Ambrosio ea labes.

XXII. Aliud exemplum.

XXIII. Minoribus quandoque ab Ordinibus prohibiti sunt Neophyti

XXIV. Irregularitas eorum, quorum parens alteruter, vel avus hæretici sunt.

XXV. De Energumenis & Comœdis.

I. INter maxima non immeritò crimina numeratur & hæresis; unde & Hæretici irregularibus annumerantur. Non certè totus in eos intendebatur pœni[illegible] rigor: minus imputabatur, quod nati e[illegible]ndi infelicitas dolenda magis, quàm [illegible] videbatur: quamplurium ex iis culpæ [illegible] & ignorantiæ plus, minus malitiæ inesse ex[illegible]mabatur. Denique illud infixum animo & persuasissimum erat, faciliùs eximi errores, quàm cupiditates: ostenso semel veritatis lumine fugere hæresin, nec quidquam ex ea deinceps reformidandum: at criminosas cupiditates, centies revulsas, centies repullulascere. Ideoque longè expeditiorem mentis, quàm voluntatis medicinam. Species tamen quædam & umbra pœnitentiæ publicæ Hæreticis in sinum Ecclesiæ revolantibus indicebatur. Hæc omnino Augustini constantissima fuit doctrina, ubi Donatistis respondet: si post conversionem eorum & pœnitentiam expletam, quæ reditoris in Ecclesiæ gremium infligebatur, semel admissis non auferrentur functiones sacræ Ordinum, id fieri saluberrima dispensatione & matura charitate, quæ generalibus Canonum institutis derogabat; per quos nimirum non licuisse pœnitentia semel functis, vel Ordines donari, vel donatos exercere permitti. Hanc porro indulgentiam confitetur Augustinus, vulnus esse veluti quoddam, quo sauciatur Ecclesiæ disciplina; sed & arbores sauciari, ut inserantur novi surculi, ea quibus uberior fæliciorque florum frugumque proventus exuberet. *Si ergo, inquiunt, oportet ut nos extra* *Epist. 50.* *Ecclesiam & adversùs Ecclesiam fuisse pœniteat, ut salvi esse possimus, quomodo post istam pœnitentiam Clerici, vel etiam Episcopi permanemus. Hoc non fieret, quoniam revera fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur. Cum præcisus ramus inseritur, fit vulnus in arbore, quo possit recipi ut vivat, qui sine vita radicis peribat.*

Illud quoque pulcherrimè addit Augustinus, non alios fines esse potestatis clavium Ecclesiæ permissarum à Christo, quàm necessitatis & charitatis. *Ut enim constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ; sed rigore factum est disciplinæ. Alioqui contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, &c.*

II. Illa autem de qua hic disputabat Augustinus dispensatio, non spectabat nisi ad Donatistas, quos omni ope ad Ecclesiam Catholicam recolligere connitebantur Episcopi Africani. Ad turbas enim populorum innumeras, tota Africa aberrantes, faciliùs in ovile Catholicæ Ecclesiæ revocan-

das, nulla noo optanda, nolla non concedenda olito erat indulgentia. Quod ad cæteras autem hæreses, eadem irregularitas omnes prorsus inexorabili lege constringebat. *Verùm in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras, non hujus aut illius hominis, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat, &c. Sic multitudinibus per schismata & hæreses pereuntibus subveniri consuevit.* Denique testis eum primis locuples Augustinus, refert jam inde ab exordio schismatis Donati, Pontificem Romanum aliosque Episcopos, qui Romæ Cæcilianum absolverant, ita statuisse, ut solo Donato exauthorato, damnatoque, reliqui omnes cum Ordinibus quique suis susciperentur. *Cæteros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis Ordinibus suscipiendos esse censuerunt.* Quam ille alibi miris attollit laudibus Miltiadis Papæ clementiam.

Ibidem. Et L. 1. cont. Cresc. c. 31. 32.

Epist. 162.

III. Qui verò in Ecclesia Catholica nati & regenerati fuerant, & ejus splendidissimæ lucis pertæsi, in fœdissimas se hæreseos tenebras demerserant; ii jam non poterant pristinæ restitui luci, ac dignitati suæ, nisi multò acerbiore pœnitentia, quàm qua expiabantur, quos nativitas ipsa sua hæresi implicuerat. Ita enim idem tortos Augustinus: *Nec illud sine distinctione præterimus, ut humiliorem agant pœnitentiam, qui jam fideles Ecclesiam Catholicam deseruerunt, quàm qui in illa nondum fuerant.* Ergo ne hæretici quidem nisi per pœnitentiam in Ecclesiam, Catholicamque unitatem admittebantur, quanquam non paulò mitiorem, quàm qua Apostatæ. Similiter & irregularitas una eadem eis indicebatur. *Nec ad Clericatum admittuntur, sive ab hæreticis rebaptizati sint, sive primo suscepti ad illos redierint, sive apud illos Clerici vel laici fuerint.*

De unico bapt. cont. Petil. c. 22.

IV. Hanc porro irregularitatem Eliberitana Synodus promulgaverat iis verbis, ut pervetustam jam tum fuisse eam legem facilè intelligatur. *Ex omni hæresi qui ad nos fidelis venerit, minimè est ad Clerum promovendus. Vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponentur.* Hîc verò *fideles* appellantur laici, quos suæ sectæ gregales ideo fideles vocabant, ut eos à Pœnitentibus & Clericis sejungerent. Prioribus enim his sæculis Sectæ omnes, perinde ut Ecclesia Catholica, in fideles, Clericos & Pœnitentes tripartitæ erant. Apertè Laodicena Synodus de Novatianis & Photinianis agens: *Qui apud vos dicuntur fideles*: τοὺς λεγομένους παρ' αὐτοῖς πιστούς. De Cataphrygibus autem agens, Clero se suo eos jactare declarat: [illegible]. Jubetque ut Clerici hi omnes inani hactenus ejus nominis gloria se venditantes, baptismo tingantur: nec de iis in verum Clerum revocandis commeminit. Nicæna quoque Synodus Paulianistas rebaptizari sanxit: sed rursum quoque Ordinibus decorari jubet, si quos in secta sua Ordines consecuti essent. Multò proclivius verò ea ad Novatianos gratia exporrigebatur. Nec hujus loci est anxiè scrutari, an impositio manuum, qua eos excipi Synodus sancit, ad Pœnitentiam, vel ad Confirmationem spectet, vel ad iteratam ordinationem. Abundè id nobis est, ut istiusmodi dispensationes authoritate & exemplo suo probaverit, sanxeritque Nicæna Synodus, ut ejus in vestigia insisterent Patres Synodique deinceps omnes.

Can. 51.

Can. 7. 8.

Can. 19.

Can. 8.

V. Duos Nicænos hos Canones commendavit Innocentius I. Papa, nec eos tamen latiùs effundi passus est, aut amplari indulgentiam eam ultra limites à Nicænis Patribus definitos. Viguit ergo deinceps primæva & inconcussa lex Ecclesiæ adversùs omnes alias hæreses. *Nostra verò lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sint, per manûs impositionem, laicam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare, &c. Sed Canones apud Nicæam constituti, de Novatianis fieri permiserunt. Possum dicere de solis hoc Novatianis esse præceptum, nec ad aliarum hæresum Clericos pertinere, &c.*

Epist. 22. c. 4.

VI. Illud quoque contestatur ibidem Innocentius, Apostatas qui ad Ecclesiam, à qua defecerant, reverti gestiunt, multò alieniores esse & longiùs ablegandos ab Ordinibus & dignitatibus Cleri, quòd eorum flagitio nulla prætexi potuisset excusatio, eoque non paulo durior eis indicenda fuerit pœnitentia. *Si quis verò de Catholica ad hæresim transiens, aut fidelis ad apostasiam reversus, resipiscens redire voluit, numquid eadem ratione poterit ad Clerum permitti, cujus commissum nonnisi longa pœnitentia poterit aboleri? Nec post pœnitentiam Clericum fieri ipsi Canones sua authoritate permittunt.*

Ibidem.

VII. Ad Apostatas revocabitur oratio, si prius observatum sit, solos ab Innocentio excipi Novatianos, ut ne cum cæteris hæreticis omnibus interdicantur à Cleri & Ordinum accessu: idque accommodatè dici ad Nicænum Concilium, cui hoc temperamentum placuerat, ut dispensatio illis tantùm annueretur hæreticis, quorum reditus in sinum matris Catholicæ compendiosissimus esset Ecclesiæ, & abundè dispensationis dispendia solaretur. Id nos edocuit Concilium Africanum, ubi Episcopi Afri rescribendum sibi statuunt ad Episcopos ultra maria positos, maximè autem ad Apostolicam sedem, & ad Anastasium Papam, ut eorum consensionem eliciant, qua fas sit Donatistarum Clericos, Ecclesiæ se reddere expetentes, & turbas plebesque secum in eandem revocantes, suscipere citra prioris ordinis & dignitatis suæ jacturam; & Canon his contrarius in Concilio ultra maria habito editus, ad eos reflectatur, quorum conversio non tanti esset, nec tanta Ecclesiæ incrementa adderet, ut hæc justa esset dispensationis compensatio. *Non obsit eis quod contra honores eorum statutum est in transmarino Concilio, ut ordinati in parte Donati non suscipiantur in honoribus suis, exceptis his per quos Catholicæ unitati consulitur.* Hæc sunt quæ docet nos Augustinus à Papa & cæteris Europæ Episcopis, & concessa fuisse, & in Ecclesiis Africanis exinde in usu habita.

Conc. Afric. sub Celest. & Bonifat. c. 25.

VIII. Ad Siricium Papam & ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum militant olim iidem Africani Episcopi, ut æquiorem multò & faciliorem eis dispensationem approbarent, nempe eorum qui in hæresi nati, ubi primùm infantiæ & innatæ ignorantiæ tenebris in lucem rationis & qualiscumque sapientiæ emersissent, protinus contulissent se ad Ecclesiam Catholicam: *De solis infantibus, qui baptizantur penes eosdem, ne quod suo non fecerunt judicio, parentum illos error impediat, &c. maximè in tanta rerum necessitate, &c. Nondum scire valentes erroris eorum interitum apud eos baptizati sunt, &c.*

Ibid. c. 14.

Nemo satis mirari poterit, Ecclesiam Africanam tam vasta terrarum spatia complexam, tanta inter Ecclesias antiquitate fulgentem, tantis radiantem in Episcopali Collegio suo luminibus, non existimasse concedi à se debere dispensationem tam perspicue justam facilemque, nisi impertata assen-

ſione, tum Romani Pontificis, tum illuſtriorum compluriam Europæ Epiſcoporum. Penuria laborabat Clericorum Africana Eccleſia, impuberum culpam elevabat ætas & ignorantia: Civitatum populorumque reſipiſcentia, & conglutinatio ad Eccleſiam ejuſmodi erat compenſatio, quæ vehementer adulios commendaret: tranari maria, & ultro citróque reſponſa expectati longum erat: nec tamen abduci his tot rationum momentis à ſententia potuerunt, orandæ exorandæque conſenſionis Papæ & Epiſcoporum Italiæ. *Noſtra ſi placet in iiſdem ordinandis conſentiant voluntati.* Tanta erat beato illo ævo, & in Apoſtolicam ſedem reverentia, & inter Epiſcopos orbis conſenſio & religio, ne temerè Canones uſquam laxarentur.

IX. Incertum hæreticis, an apoſtatis accenſendi ſint Maſſaliani, ſive Enthuſiaſtæ, quibus parem indulgentiam annuit Epheſina I. Synodus: *Si anathematizaverint in ſcriptis, Clerici maneant Clerici, laici ad communionem admittantur.* Quin propius à vero abeſt, hos nec Hæreticos, nec Apoſtatas Concilio viſos, ſed ut ſimpliciores, quàm contumaciores; infirmitatis plus, malitiæ minus præ ſe ferentes: qui vacillaſſent in fide, non ab ea prorſus excidiſſent. Nec diſpar eſt ratio Maximi Preſbyteri, qui ad punctum temporis & velut in populi commotione ſchiſmati Novatiani ſuffragatus eſt, authore beato Cypriano. Itemque Pauli Samoſateni, qui ex Euſebio errores ſuos recantavit in Concilio I. Antiocheno. Item de octo Epiſcopis, quos Nicæni Patres ex Hieronymo ab Arianæ inſaniæ laqueis extricaverunt: denique de Meletio & Meletianis, quos Ordinibus & Beneficiis ſuis eadem Nicæna Synodus redintegravit. Omnes hi Miniſtri ſacri citra diſpendium Ordinum, graduumque ſuorum in Eccleſiam ſuſcepti ſunt, muniiſque fungi prioribus permiſſi, quòd præjudicatum id eſſet, nunquam cordis penetralia eorum invaſiſſe ſchiſmatis, aut hæreſeos virus, quod tam facilè evomuiſſent, & tam feſtinè.

Act. 7.

Cyprian. Epiſt. 46 Euſeb. l. 7 c. 24. Hieronym. Dial. adv. Lucif.

X. Idque multò certius conſtat de Epiſcopis Concilii Ariminenſis, qui adverſariorum ſtrophis meriſque præſtigiis, ab hæretica doctrina alieniſſimi cùm eſſent, una ſpe lactati fovendæ, aut revocandæ pacis Eccleſiaſticæ, uſu aliquarum vocum ſuperſederi poſſe cenſuerunt, ſano & incolumi orthodoxo dogmate ipſo; atque ita in retia impegerunt Arianorum, & ejus nominis infamia immerentes alicubi aſperſi ſunt, quamquam vehementiſſimè ab ea veſania abhorrerent. Aſſentitur Hieronymus hæreticos nunquam eos fuiſſe, & ea de cauſa vendicatos fuiſſe Ordinibus dignitatibuſque ſuis iiſdem, quibus ante Concilium gaudebant: idque fuiſſe Concilii Alexandrini judicium. *Poſt reditum Confeſſorum, in Alexandrina poſtea Synodo conſtitutum eſt, ut exceptis authoribus hæreſeos, quos error excuſare non poterat, pœnitentes Eccleſiæ ſociarentur: non quòd Epiſcopi poſſint eſſe qui hæretici fuerant, ſed quòd conſtaret eos qui reciperentur, hæreticos non fuiſſe.* His conſentit & Athanaſius: *Communi decreto placuit, ut qui lapſi fuiſſent proprio arbitrio, & anteſignani fuiſſent impietatis, ſi reſipiſcerent, ignoſcendum quidem illis, verùm non reſtituendos in Cleri numerum. Qui verò non authores, ſed violentia & neceſſitate compulſi fuiſſent, viſum eſt quidem illis ignoſcendum, & in Cleri locum reſtituendos, maximè cum probabilem defenſionem & excuſationem dederint.*

Dial. adv. Lucifer.

Epiſt. ad Ruffin.

XI. Diſcrimen illud interpoſitum eſt à Concilio Alexandrino, ut Ordinibus & Beneficiis ſpoliarentur, qui Capita & authores fuerant erroris; reliquis ignoſceretur: idque argumento eſt, quibus ignoſcebatur, eos viſos eſſe, nunquam hæreſeos, vel apoſtaſiæ vitio correptus fuiſſe. Sed cùm in penetralia cordium inſerti nunc quidem non poſſint oculi Judicum Eccleſiaſticorum; cùmque muniti debeant eſſe Epiſcopi ea ſapientia, & fortitudine, quæ artes & fraudes iſtiuſmodi facillimè refellat: exiſtimavit illa Synodus reſtituendos quidem eſſe hos prioribus ſuis ſedibus muniiſque Epiſcopos, ſed ex gratia & diſpenſatione. Id prolixè exequitur Auguſtinus, in Epiſtola ſuperiùs delibata, in qua & Luciferi pertinaci inclementiæ illacrymatur, qui in ſchiſmatis tenebras præceps ire maluit, quàm Catholicæ matris charitati, indulgentiæ, & lumini, atque ſapientiæ obſequi. *Hoc diſplicuit Lucifero, quod factum fuerat in eis ſuſcipiendis atque ſanandis, qui veneno perierant Ariano; & cui diſplicuit, in tenebras cecidit ſchiſmatis, amiſſo lumine charitatis.* *Epiſt. 50.*

XII. Pari facilitate & humanitate excepti ſunt in Concilio Epheſino I. Epiſcopi, qui Neſtorio primùm favere viſi fuerant, ut liquet ex Epiſtolis Cyrilli. Liquet & ex Epiſtolis Leonis Papæ, & ex Actis Concilii Calchedonenſis non diſſimili humanitate diſpenſatum fuiſſe cum primatiis Eutychetis ſectatoribus, ut Ordinibus & ipſi ſuis gaudere ſinerentur. Pari indulgentia proſecutus eſt idem Leo Pelagianos. Quod ad Neſtorianos & Eutychianos attinet, cùm recentiſſimè erupiſſent eæ hæreſes, facilè condonabatur iis, qui derepente, & penè inopinè præſtricti & circumventi fuiſſent, ſi modò primus ſe fulgurantibus Eccleſiæ ſtatim Decretis accommodarent. At non ita recens erat Pelagii error tempore jam Leonis Papæ. Reſponderi tamen non immerito poſſet, lenta & penè furtiva ejus hæreſeos fuiſſe incrementa, nec niſi in paucos manaſſe. Itaque non tanta diſtringebatur ſeveritas adverſùs hoſtes aſpernabiles. Nec denique hoc ſe gyro cohiberi paſſa eſt Eccleſiæ charitas & indulgentia. Infrà demonſtrabitur vetuſtiſſimarum etiam hæreſeon ſectatores pari humanitate ſuſceptos fuiſſe, quando exiſtimatum eſt ea humanitate faciliùs eos & frequentiùs ad Eccleſiæ pacem convolaturos.

Epiſt. ad Maxim & Gennad

Leo. Ep. 10. 13. 52.

Idem Ep. 86

Greg. Mag. L. 9. Ep. 61.

XIII. Eidem irregularitati illa annexi poteſt, quæ per baptiſmum extra Eccleſiam, vel in Eccleſia bis ſuſceptum contrahitur. Extat in eam rem Epiſtola Felicis III. Papæ; & conſpicuum eſt, cautum id fuiſſe providentiſſimè, ne quo hæreſeos contagio iſtiuſmodi homines afflati fuiſſent. *Epiſt. 7.*

XIV. Baptiſmus verò eorum, qui tum demum ſalutari hoc fonte tingi & refingi ſe in novos homines flagitabant, cùm eos lethalis ægritudo, & jamjam faucibus imminens mors urgebat: merito eidem patebat irregularitati. Non injuria enim ſuſpicabantur Epiſcopi, non vivaci fide & caſta voluntate adductos, ſed ſervili & degenere timore hos ad cæleſte lavacrum compulſos fuiſſe. Itaque nonnihil hæſitabant adhuc, an ex eorum animis tota Ethnicorum ſuperſtitio abſceſſiſſet. Unde & Cornelius Papa in eadem apud Euſebium Epiſtola, qua narrat plebem omnem refragatam fuiſſe ordinationi Novatiani, quod *Clinicus* eſſet, hoc eſt, quod in lecto ex morbo decumbens baptizatus fuiſſet, quæ jam tum notiſſima erat irregularitas: *Eo quod non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perfuſi eſſent, in Clerum aſſumi:* Cornelius, inquam, Papa addubitat, aut addubitari poſſe docet, an qui ita baptizati ſunt, verùm perceperint Baptiſmum. *In Lectulo perfuſus Baptiſmum ſuſcepit;* *Euſeb. hiſt. L. 6. c. 43.*

cepit;

cepit: si tamen hujusmodi Baptismum suscepisse dicendus est. Concilium Neocæsariense à Ferrando relatum, Clericos Presbyteratu donari patitur, si eam dispensationem jure veluti quodam suo elicere possint, & Ecclesiæ necessitas, & Ordinandorum virtus eximia. (Ferrand. Brev. artic. c. 86.) *Ut qui in ægritudine fuerit baptizatus, non ordinetur Presbyter, nisi forte propter vitam bonam, aut hominum raritatem.*

XV. Mediis & posterioribus sæculis Neophyti quoque hæreticis accensiti sunt; hoc est ex recentissimè baptizatis ii, qui quamprimùm Ecclesiæ accesserant, ad summos ejus Ordines gradusque contendebant. Restitit vehementer Paulus, Clerique extorres eos pronunciavit, & irregulares, ruinam prævaricatoris Angeli & superbiæ casum intentans: (1. Tim. 3. 6) *Non Neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Ambitiosos hujusmodi conatus infringit & Laodicena Synodus: (Can. 3.) *De his qui nuper sunt illuminati baptismate, quod eos non conveniat promoveri in Ordine sacerdotali in tempore [illegible].* His verbis designari videntur omnes prorsus Ordines, gradusque Ecclesiastici, atque ita iis omnibus excluduntur Neophyti.

XVI. Sed à verò non recedit, eo Canone attingi tantum quatuor priora Ecclesiæ sæcula, eosque qui receptissimo tunc usu non tingebantur unda lustrali, nisi ætate jam matura. Cùm enim senescente sæculo quarto sanctior disciplina inolescere cœpisset, ut à teneris unguiculis & recentes ab utero parvuli sacro baptismi fonte lustrarentur, legique Christi colla subjicerent; jam tum etiam invitari cœpit innocens ætas, splendidiorem Baptismi innocentiam induta, ut minorum functionibus Ordinum initiaretur. Ejus moris testes Canones, Synodosque & Patres suprà retuli.

XVII. Hinc ergo cogimur Neophytorum irregularitatem ad eos restringere, qui laïci cùm sint, ad sacros statim Ordines suspirant, & ad summas quasque festinant Ecclesiæ dignitates. Zelo verè Apostolico detonat Cælestinus Papa in eos, qui præcipiti cursu laïci cùm sint, ad Episcopatum anhelant, & necdum ullo imbuti tyrocinio, Duces se & Magistros creari concupiscunt. (Epist. 2.) *Nullus ex laïcis, &c. Debet antè esse discipulus, quisquis Doctor esse desiderat, ut possit docere, quod didicit.* Promovendus est ad Episcopales Cathedras gradus, fugiendo magis, quàm prehensando: aut per ea certè Ordinum minorum interstitia, quæ Ecclesia præfinivit. (Epist. 3.) *Ordinatos quosdam Episcopos, qui nullis Ecclesiasticis Ordinibus ad tanta dignitatis fastigium fuerint instituti, contra Patrum Decreta didicimus.* Contumeliosum omnino est Clero, & illis potissimum, qui Ordinum functionibus insenuerint, eis præferri laïcos: *Quid proderit, per singula Clericos stipendia militasse, & omnem egisse in Dominicis castris ætatem, si hi qui præfuturi sunt, ex laïcis requirantur?* Diabolicæ superbiæ foveam retegit Hieronymus, in quam præcipites eunt ambitiosi, & extemporanei Episcopi. (Epist. ad Ocean.) *Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem; indicium & ruina diaboli, nulli dubium est, quin arrogantia sit; Incidunt in eam, qui in puncto horæ, necdum discipuli, jam magistri sunt.*

XVIII. Summovet Leo Papa non modò ab Episcopatus fastigio, sed & à Presbyterorum ac Diaconorum gradibus laïcos, nisi diu antè probati exercitatique fuerint in inferioribus ministeriis: eaque disciplina est ex hujus Pontificis testimonio, à prædecessoribus ejus, à Conciliis & à Paulo ipso constituta. (Epist. 87.) *Ne aut à Baptismo rudibus, aut à sæculari actu repente conversis, Officium Pastorale credatur.* Committendæ non sunt sacræ hæ dignitates, nisi iis, qui altaribus ab infantia se dicarint: *Quorum omnis ætas à puerilibus exordiis usque ad provectiores annos per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia cucurrisset.* Vetat denique Leo, ne dispensationes, quas charitas necessitasque extorquet, exempla fiant, præjudicentque legibus Ecclesiæ intaminatis, quæ laïcos omnes amoliuntur à tribus Ordinibus superioribus, quibus Imperium Sacerdotale continetur. *Non præjudicantes Apostolicæ sedis statutis, nec prædecessorum nostrorum nostrisque decretis, quibus salubriter statutum est, ne primum, vel secundum, aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laïcorum quibuslibet suffragiis fultus ascendat.*

XIX. Sardicense quoque Concilium trium superiorum Ordinum fores non reserat, nisi illis, qui longum posuerint in inferioribus tyrocinium. *Conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temerè vel leviter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus est, &c. Sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata.* (Can. 10.) Concilio Niceno interdictus non fuerat Neophytis, nisi Episcopatus & Presbyteratus, ubi *probatione plurima* opus esset. (Can. 2.)

XX. Canone Apostolico ab Episcopatu tantum removentur Neophyti; (Can. 80.) inde etiam excipiuntur si quos uberior Dei gratia illustrarit: *Nisi ex divina gratia hoc fiat.* Inter hæc illustriora exuberantis gratiæ miracula recensendi sunt Paulus, Ambrosius, Nectarius, Augustinus, qui rapti derepente fuere in Presbyteratus Cathedras, vel in Episcopales etiam sedes, studio & æstu, ac favore inusitato quodam plebium, quem humanæ & canonicæ leges, ut præsentanum meritò coërcuissent, aut damnassent, nisi ei patrocinium & authoritas accessisset à Spiritu sancto, qui illos omnes singulari quadam virtutum sanctimoniæque gratia cumulavit.

XXI. Ideo & Basilius, homo ad adulationem minimè compositus, litteras cælesti quadam lætitia perfusas ad Ambrosium scribens de ordinatione ejus, cum beato Paulo illum confert, qui totam statim gratiæ & Apostolicæ fortitudinis abundantiam cælitus influentem accepit, cùm nullis antè rudimentis, ut cæteri Apostoli, imbutus fuisset. *Age igitur, ô homo Dei, quandoquidem non ab hominibus accepisti, aut doctus es Evangelium Christi, sed ipse te Dominus è medio terræ judicem desumptum, ad Cathedram Apostolicam transtulit, certa bonum certamen, renova prisca Patrum vestigia.* (Epist. 75.) Fatetur Ambrosius ipse, se laïcus cùm esset, non potuisse statim ad Episcopatum protrudi; sed in illos conferri potius oportere culpam, qui sibi vim attulissent, quàm sibi qui passus esset; denique ordinationem suam Occidentis & Orientis suffragatione fuisse approbatam. *Quam resistebam, ne ordinarer, postremo cum cogeret, saltem ordinatio prorogaretur. Sed non valuit præscriptio, prævaluit impressio. Tamen ordinationem meam Occidentales Episcopi judicio, Orientales etiam exemplo probaverunt. Et tamen Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur superbia. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est.* (Epist. 82.) Nemo tam excors, aut insulsus est, qui hæc Ambrosio affingere possit Neophyti ad Episcopatum provecti lineamenta, ab Hieronymo exarata in Epistola ad Oceanum. *Ignorat momentaneus sacerdos humilitatem & mansuetudinem rusticorum, ignorat blanditias Christianas, nescit seipsum contemnere, de dignitate transfertur ad dignitatem, non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpe repre-*

hendit, & assidua meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogavit. De cathedra quodammodo ducitur ad cathedram, id est, de superbia ad superbiam. Luculentissima hæc est Episcopi Neophyti effigies, cui dissimillimus tamen erat Ambrosius, quanquam neophytus.

L. 7. c. 47. XXII. Commemorat Socrates, Cæsarienses in Cappadocia Firmo Episcopo suo demortuo, Constantinopolim venisse, alium sibi adscituros. *Constantinopoli adveniunt, Episcopum quæsituri.* Proclus Archiepiscopus tum Constantinopolitanus cùm die Sabbati Senatores omnes in Ecclesia collectos nactus esset, uni ex eis manus injecit, cui nomen Thalassio, qui Præfectura Illyrici functus erat, & qui etiam tum Præfecturæ Orientis destinabatur, manibusque impositis, ex Præfecto Episcopum consecravit. *Proclus manus imponit, & pro Præfecto Episcopum Cæsarea declarat.* Nec fefellit Proclum spes & existimatio sua, de Thalassii singulari virtute & sapientia; quanquam ejusmodi res esset, ut nemo tale quidquam Episcopus tentasset hactenus, ex eodem Socrate. *Rem planè admirabilem & qualem nemo veterum Episcoporum unquam effecerit, adgressus est.* Author est Nicephorus, Imperatorem initio rem minùs probasse, acquievisse tamen postea. Idque, ut reor, est quod maximè stupendum Socrati visum est; non electio enim Neophyti, Ambrosius quippe Nectariusque præfestinè in eundem modum ex Laicis ordinati fuerant: sed Senatoris & Provinciæ Præfecti asportatio inaudita & improvisa in thronum Episcopalem citra ipsius, citra & Imperatoris assensum.

In Concilio Illyrici, de quo Theodoretus, expetitum fuit, ut Episcopi deligerentur, non ea Magistratuum collegio, ut habet infida nescio quæ versio, sed ex iis qui consecrationem jam nacti essent Episcopalem, etsi tum quidem Episcopatu vacarent,
L. 4. c. 9. vel ex Presbyteris. *Sin minus ex Presbyterorum ordine eligantur.* Presbyteri etiam Diaconique ea inferiorum Clericorum agmine asciscendi erant, non ex Senatu, aut militia. *Similiter Presbyteri & Diaconi, ut ex Clero assumantur, non autem ex Curia, aut militari officio.*

XXIII. Unum hoc superest elucidamentum de Neophytis. Nimirum vehementer approbari ab Innocentio I. quod de Neophytis diximus, eo tempore quo nonnisi maturiori jam ætate ad baptismum accedebant, Neophytos hujusmodi irregularitate hac sua à minoribus etiam Ordinibus summotos fuisse: nec nisi diutinis expolitos rudimen-
Epist. 4. tis ad eos attigisse. *Laici verò, qui habentes uxores, baptizati sunt, ac sic se instituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut Clericis juncti sint, aut Monasteriis, ex quo baptizati sunt, hæserint, & si non concubinam, non pellicem noverint, si in bonis operibus vigilaverint, non prohibentur hujusmodi ad Clericatus sortem assumi. Ita sanè ut in eos tempora à majoribus constituta serventur. Nec citò quilibet Lector, citò Acolythus, citò Diaconus, citò Sacerdos fiat.* Quo liquet Ordinum quidem minorum stationem instar habuisse tyrocinii, quo ad doctrinam sacram & pietatem fingerentur, formarenturque, qui ad Ordines Hierarchicos propellendi erant: at quendam alium præterea veluti prælusorium fuisse Novitiatum, inter baptismum & initiationem Clericatùs, aut minoris cujuscumque Ordinis, quod tempus adulti saltem consumerent in contubernio Clericorum, vel in Monasteriis, & inter ea pietatis exercitia, quæ innocentiam divina regeneratione infusam novis quibusdam virtutum ornamentis decorarent.

XXIV. Finem faciet huic capiti Canon Concilii III. Carthaginensis, quo denudabitur forsan origo hodiernæ ejus irregularitatis, qua sacris abiguntur, quorum pater avusque hæretici fuere, etsi ipsi quidem Catholicæ semper Ecclesiæ inhæserint. En Canone trium superiorum Ordinum aditus occluditur iis omnibus, qui domesticos omnes suos ab hæreticorum partibus non abduxerint. *Ut Epis-* Can. 18. *copi, Presbyteri, & Diaconi non ordinentur priusquam omnes qui sunt in domo eorum, Christianos Catholicos fecerint.* Tanto sæculorum lapsu fieri potuit, ut ex illis omnibus quibus constare potest Christiana quævis familia, designarentur nominatim pater, mater & avus, quorum procurata nunc conversio exigatur à filio, ut ad sacros Ordines ei pateat accessus. Unum suspicer interesse posse discrimen inter antiquam illam & hodiernam hanc disciplinam. Minùs olim solliciti erant Patres de infamia quæ illineretur ei, qui hæretico patre vel avo natus esset, quàm de tepore & incuria filiorum, qui non exardescerent ad sempiternam vitam illis procurandam, à quibus ipsi temporalem percepissent, ex qua ad æternam eniterentur.

XXV. Gennadius irregularium catalogo inscribit Comœdos, furiosos, energumenos. *Qui in scena lusisse dignoscitur, qui aliquando in furiam versus insanivit, vel afflictione diaboli vexatus est.* De Dogmat. Eccl. c. 70.

CAPUT LXIII. *P. 2. l. 2. c. 18.*

De Hæreticorum Irregularitate sæculo VI. VII. & VIII.

I. Gregorius Magnus suis in Ordinibus suscipi voluit eum Diaconum, qui falsis suspicionibus exagitatus adversùs V. Synodum, schismati se trium Capitulorum inopinus annexuerat.

II Nestorianos quoque ita recipi voluit, ut susceptis Ordinibus non exuerentur.

III Non tamen æquè indulgenter habuit Arianos Afros. Quæ causa indulgentiæ in Nestorianos, Eutychianos & Monophysitas.

IV. Filii etiam hæreticorum eidem implicabantur irregularitati.

V. Ariani Hispanienses ubi ad fidei castra redière, cum Ordinibus & Dignitatibus quoque suis recepti sunt.

VI. Par clementia Concilii Aurelianensis I. in Arianos.

VII. Conciliatio hujus Concilii cum Cæsaraugustano.

VIII Episcopus hæreticus à vinculo irregularitatis absolvitur tanto lubentiùs, quod id ne poscebat quidem.

IX. Irregularitate eximebant Græci quoque, non primos authores, sed primos sectatores hæreseon novellarum.

X. Gregorius eadem qua hæreticos irregularitate innodabat quoque extraneos & ignotos, de quibus ne id quidem compertum esset, quod hæretici non essent.

I. ORthodoxæ fidei duces & magistros se Clerici profitentur esse; unde & eorum instituto nihil tam adversarium est, quàm hæresis. Hinc hæretici semper habiti sunt irregulares. At rursus varialior semper visa est hæresis, mitioribus pœnitentiis obnoxia, ab irregularitatis vinculo faciliùs absolvenda. In promptu est ratio. Mens semel ostenso veritatis lumine, difficilè in pristinos errores relabitur. At voluntas cupiditatis laqueos non facilè abrumpit; & ubi abruperit, facillimè rursus in eosdem se induit. Inde est quòd passim hic occursant dispensationes. In schisma Istrianorum de tribus Capitulis impegerat Felix Diaconus, quem tamen dignitate sua excidere noluit Gregorius Magnus. Affirmavit ergo nunquam illum errori hæreticorum ex animo consensisse, nusquam hæretico

subscripsisse dogmati; sed obliquis & præposteris quibusdam suspicionibus adversùs quintam Synodum exagitatum fuisse, eoque adjunxisse se iis qui [L. 4. Ep. 14.] ab Ecclesia secessionem fecerant. *Felix Diaconus cùm nullatenus in hæreticorum dogmata lapsus sit, nec à Catholica fide discesserit, pravis illectus adversùs Constantinopolitanam Synodum suspicionibus, in Histricorum se separatione removerat. Qui cùm Romam venisset, acceptâ à nobis, juvante Domino, ratione, excessum suum acceptâ Dominici corporis & sanguinis communione correxit. Quia ergo, ut dictum est, non in hæresim incidit, sed à sacris generalis Ecclesiæ mysteriis, quasi recta studio intentionis erravit, &c.*

[Baron. an. 502. n. 20.] Indivulsis certè quibusdam nexibus cohærent sibi hæresis & schisma: utque non potest hæresis non scindere Catholicæ matris unitatem; ita nec schisma convalescere, nisi orthodoxam de unitate & authoritate Ecclesiæ doctrinam labefactet. Sunt tamen qui parti magis quàm numero schismaticorum falsis suspicionibus adglutinentur, *pravis suspicionibus*, minimè malo animo, sed quodam quasi æqui rectique studio, *quasi recta studiis intentionis*, ut ait Gregorius, quorum dolenda magis ignorantia, quàm objurganda malitia; ut qui nunquam heterodoxis dogmatibus ex animo consentiant.

Ejusmodi erat Diaconus, de quo hic Gregorius. Ejusdem modi erat & Paschasius Diaconus, de quo in Dialogis ait. Ejusmodi erant satis probabiliter eorum complures Clericorum, qui eidem Laurentii adversùs Symmachum Papam schismati cum Paschasio innexi fuerant, quibus Concilium Romanum Ordines, gradus, dignitates & Beneficia redintegrari sanxit. *De Clericis qui ab Episcopo suo schisma fecerunt, decrevimus, ut satisfacientes Episcopo officiis Ecclesiasticis se gaudeant restitui.*

II. Nec parcior fuit Gregorii indulgentia in Nestorianos, in eam spiritalem Arcam, extra quam salus nulla est, revolare cupientes. Edixit enim ut sola fidei Catholicæ professione, & errorum ejuratione pristinorum panderentur eis fores Ecclesiæ, & priorum Ordinum functiones permitterentur. *Abs-* [L. 9. Ep. 61.] *que ulla dubitatione eos sanctitas vestra, servatis eis propriis Ordinibus, in suo cœtu recipiat.* Hac enim humanitate, & pristinæ incolumitate dignitatis, suavissimè in Ecclesiæ sinum pelliciebantur. *Ut dum per mansuetudinem, nullam eis contrarietatem, vel difficultatem de propriis suis Ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis.*

III. Aliquantò antè percontati fuerant Joannem II. Papam Episcopi Afri, de ratione suscipiendorum Arianorum, persuasissimi tamen admitti eos non debere cum retinendorum Ordinum suorum potestate. *Ex omnium Collegarum tacitis motibus, nemini placere sensimus, ne in suis honoribus Ariani suscipiantur.* Joanni interim qui successerat Agapetus Papa, rescripsit ad Afros, Qui hactenus viguerant Canones & Decreta, ab iis constantissimè Arianos omnibus Ordinum functionibus excussos & alienatos [Epist. 2.] fuisse. *Maximè cum priscorum nostrorum sententia redeuntes ad nos ex Arianis quolibet modo, in qualibet ætate, illius pestilentia labe pollutos, tanta charitate in fide complexa est, ejusmodi justitia & dilectione redarguit, tanta ratiocinatione de ambitu honoris exclusit, ut erubescerent aliud magis quærere, quàm redire.* Ut tam clementer admitterentur Nestoriani, Eutychiani & Monophysitæ, faciebat spes non vana demerendi & pelliciendi eos ad unitatem Catholicam. Ex adverso autem inclementia illa qua in Arianos ex hoc Decreto sæviebat Ecclesia, non aliò collimabat, quàm ut simulationi & fictæ resipiscentiæ obviam iretur: & ne illi non tam unitatis publicæ, quàm privatæ dignitatis studio ducerentur. Amplum & erat, & videri debebat, ab erroris baratro emergere, ex imperio principis tenebrarum vindicari, & ab æternæ damnationis fovea extrahi; in regnum lucis, veritatis ad Solem, ad salutis portum attingere amplissimum erat; nec aliud propositum esse debebat quidquam pristinas hæreses suas exuentibus. *Ut erubescerent aliud magis quærere, quàm redire.*

IV. His verò verbis, *in qualibet ætate*, satisfacit Pontifex illi Relationis Capiti, An Ordinibus dignandi essent, qui dum in teneris annis agerent, ab Arianis baptismum acceperant. *Non solùm de Sacerdotibus, sed de ipsis quoque parvulis, apud eos baptizatis, utrum soleant, vel debeant ad Clericatum, si petierint, applicari, consulimus.* Pari ergo sævitia in ipsos hæreticorum filios usi sunt.

V. Sed cùm nec tam religiosa, nec tam infracta sit ulla Canonum & Disciplinæ severitas, quàm non emolliat inflectatque aliquando Ecclesiæ universalis charitas, utilitasque conspicua: hinc Arianis quoque Presbyteris ad Ecclesiam sese conferentibus sarta tectaque mansit sua dignitas, cum eo blandimento existimati sunt revocari ad Ecclesiam posse omnes sub Recaredo Rege Hispaniæ Ariani. A Concilio Cæsaraugustano decretum est, restitutum iri in Ordines suos Presbyteros omnes Arianos, qui non alio quàm hæreseos crimine constringerentur. *Ut Presbyteri, qui ex hæresi Ariana ad sanctam Ca-* [Can. 1.] *tholicam Ecclesiam conversi sunt, qui sanctam & puram fidem atque castissimam tenuerint vitam, post acceptam denuo benedictionem Presbyterii sanctè & purè ministrare debeant.* Ex Concilio III. Toletano patet Episcopos, Presbyteros & Diaconos omnes, qui palam & solenniter cum Recaredo Rege hæresin ejuraverant, confessioni fidei orthodoxæ subscripsisse, præfixis titulis omnibus Ordinum, Dignitatum, quin & Episcopatuum.

Confirmat Paulus Diaconus tempore Rotharis [Baron. an. 638. n. 12.] Regis Longobardorum, in omnibus propemodum Regni ejus Civitatibus duos fuisse Episcopos, Catholicum alterum, alterum Arianum: & unius earum Præsulem Ecclesiæ Catholicæ sese reddidisse, eidemque Episcopali sedi suæ semper deinceps præfuisse.

VI. Illud ipsum perdiu antè in Concilio Aurelianensi I. constitutum fuerat, ut Clerici Gotthi, seu Ariani, quorum pura criminum constaret reliqua vita, adeoque religiosa, ab Episcopis possent, ubi sese Ecclesiæ reddidissent, non solùm pristinis restitui Ordinibus, sed & ad superiores extolli. *De hæreticis Clericis, &c. Ut si Clerici fideliter convertun-* [Can. 10.] *tur, & fidem Catholicam integrè confitentur, vel ita dignam vitam morum & actuum probitate custodiunt, officium quo eos Episcopus dignos esse censuerit, cum imposita manus benedictione suscipiant.*

VII. Si Aurelianensi isto & Cæsaraugostano Canone jubentur Presbyteri Clericique ab Arianorum castris reduces restitui, qui fieri potuit ut in Concilio III. Toletano sineremtur subscribere cum Ordinum & Dignitatum suarum titulis? Simile veri est Clericatui omnes permissos fuisse, ab Ordinum verò functionibus suspensos, nisi spectata eorum virtus, & diutiùs probata castitas, cujus rudes & insolentes ferè erant Clerici Ariani, Episcopos adduceret ad sacra illis ministeria restauranda. *Qui sanctam fidem, atque castissimam tenuerint vitam, post*

acceptam denuo benedictionem Presbyterii sanctè & purè ministrare debeant: cæteri verò qui hanc suprascriptam vitam adimplere vel tenere neglexerint, ab officio depositi, sint in Clero. Ita & de Diaconibus, sicut & de Presbyteris constitutum est. Verba ea sunt Concilii Cæsaraugustani, ubi de Episcopis Arianis recens conversis nulla memoria, quòd appareat eos titulum tantum & honorem dignitatis retinere permissos fuisse, non functiones, non authoritatem, quòd alii jam essent iisdem in urbibus Catholici Antistites. Si enim imponendæ illis rursum manus fuissent, & sancienda aliqua inter eos & Catholicos veteres Episcopos concordiæ ratio; tanti momenti rem non oppressissent silentio Toletana & Cæsaraugustana Synodus, sicut nec Concilia Africana in Donatistarum reconciliatione. Denique Concilio
Can. 15. Toletano IV. ut suprà monuimus, irregularibus accensentur omnes, qui hæresi quapiam innodati fuere.

VIII. Porro Avitus Viennensis Episcopus præstantissimè rationes éaccurus est omnes, quibus excitati sunt Antistites Galli, Synodicique Galliæ Conventus, ut Episcopali dignitate & potestate frui finerent Episcopos eos, qui ab hæreticorum castris aufugissent: maluissentque vel laici degere in Ecclesia, quàm vano Episcopatûs strepitu gaudere inter ejus adversarios. Hæc sunt autem viri
Epist. 26. incomparabilis verba: *Cur non pascas Christi gregem, qui sapienter advertis oves non esse quas paverat, quique quia non fur latroque, meritò pastor futurus, per ostia ingressus, elegis altaria? Quare non fiat in sacerdotio nostro erectus, qui amore humilitatis à suo voluit esse decidens? Sit verax Sacerdos ex laico, qui fieri laicus ex fallace Sacerdote contentus est. Teneat in Ecclesia nostra plebem suam, qui in sua contempsit alienam.* Tam latè autem manant hæ rationes, sicut & Aurelianensis Canonis verba, ut ambigere jam vix possit quisquam, quin ad Clericatum aditus tunc pateficret omnibus ab hæresi conversis: illis saltem qui in ipsa secta priùs sua Ordinibus & Dignitatibus clari fuerant.

IX. Jam verò in Ecclesia Græca, Synodus Trullana, quæ Canones subrogati à se voluit Concilio
Can. 95. V. & VI. Oecumenico, ubi nulli editi fuerant, unum id enarrat, quam aliis aliisque rationibus admitterentur in unitatem Catholicam sectæ hæreticorum variæ, aliæ per baptismum, aliæ sola detestatione errorum suorum, aliæ denique chrismatione, sed nihil in hoc Canone de eorum ad Ordines irregularitate. At Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus testatum facit in Sessione I. Synodi VII. Oecumenicæ, in Concilio VI. Oecumenico non alios quàm quatuor Monotheleticæ vesaniæ principes & architectos proscriptos fuisse; et in suis susceptos fuisse Ordinibus asseclas eorum & discipulos omnes, quanquam sacrilega eorum manu ordinatos. Unde argumentabatur Tarasius, eadem humanitate habendos & excipiendos esse
Synod. VII. Act. 1. Iconoclastas *Tarasius beatissimus Patriarcha dixit: Sanè & plurimi qui in sexta Synodo Præsides fuere, à Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro, Doctoribus inquam, hæreseos Monothelitarum fuere creati. Sed & hi vicissim Constantinopolitanas sedes inter Clerum distribuerunt: & ab eorum extremo Doctore Petro usque ad sextam Synodum anni non pauciores quàm sexdecim intercesserunt. Qui verò intermediis temporibus fuerunt, Thomas scilicet, Joannes & Constantinus ab hæreticis fuere ordinati; verùm ea de causa non sunt reprobati. Circiter enim quinquaginta annos hæresis illa viguit: & tamen in sexta Synodo Patres quatuor illos prænominatos tantùm damnarunt, cæteros cum ordinationibus susceperunt.*

Indulgentiæ plusculum etiam favebat Benedictus II. Papa, & Macarium ipsum Monotheleticæ sectæ parentem & antesignanum Apostolico Antiochenæ Ecclesiæ throno restituturus erat, si ad recantandos errores suos animum adduxisset. Baron. an. 685. n. 8.

X. Ipsos nonnunquam Gregorius extraneos hæreticorum classi adscripsit, atque ita ferè eidem addixit irregularitati. *Afros passim, vel incognitos peregrinos, ad Ecclesiasticos Ordines tendentes nulla ratione suscipias. Quia Afri quidam, aliqui Manichæi, aliqui rebaptizati; peregrini verò plurimi, etiam in minoribus Ordinibus constituti, ad fortiores prætendisse honores aliquando probati sunt.* Ex quo non abs re conjicitur, extraneos illum, si cogniti fuissent, ab Ordinibus inferioribus vel adeundis, vel exercendis non abjecturum fuisse: nisi veritus fuisset, ne furtiva & latitans ambitio illos aliquando impelleret ad majores ambiendos, ad quorum munia minùs idoneos existimabat. Concilium Carthaginense anni 535. per litteras compellavit Joannem Papam, ut pro hæreticis haberet Clericos omnes, qui Romam pergerent sine litteris canonicis: *Similis hæretico judicetur.* L. 5. Ep. 25.

CAPUT LXIV. *P. 3 l. 2. c. 15.*

De Irregularitate Hæreticorum temporibus Caroli Magni & Carolinæ stirpis.

I. In Synodo Oecumenica VII irregulares declarati sunt hæreticarum Sectarum principes & duces, non qui primi & inopini earum præstigiis fascinati fuere.

II. Cum baptisma complurium hæreticorum iterent adhuc Græci, non magis illis, quàm Paganis conversis irregularitatem ullam affingunt.

III. Nec in numero irregularium hæreticos habent, postquam resipuerunt, quanquam nec conjuges, nec filios secum ad Ecclesiam Catholicam revocarint.

I. NOn postrema ea est irregularitas, quam hæresi Canones affinxere. In VII. Synodo Generali accuratissimè ventilata ea quæstio est, ubi & sylva prolata est testimoniorum & exemplorum à sanctis Patribus, & ab ipsa usque antiquitate petitorum: maximè autem ab Athanasio, qui parentes & opifices ipsos hæreseon ad pœnitentiam suscipi vult, non tamen ad Clerum: at pristinos in Clero honores redintegrari eis, qui primi & incauti ab iis sibi verba dari passi sunt novæ improvisæque impietatis authoribus. Providentissimam eam dispensationem Ecclesia semper retinuit, ut à Tarasio Patriarcha observatum ibidem est; & ea est via ratioque concordiæ resarciendæ inter sententias & consuetudines veterum Patrum, in speciem compugnantes, sed in speciem tantùm; nam in medulla dominatur ibi semper eodem tenore temperies quædam juris stricti & remissi. *Ubique enim Patres sibi invicem concordantes sunt, nec inest illis refragatio ulla, sed adversantur eis, qui dispensationes & intentiones eorum minimè didicerunt.* Synod. VII. Act. 1.

II. In Orientali jure Leunclavii irregulares pronuntiantur relapsi in hæresin. At hæretici, qui in Ecclesiam suscipiuntur, vel baptismo, vel unctione chrismatis, ii ordinari possunt: si verò sua in secta ordinati jam essent, iteratis iisdem Ordinibus donandi sunt rursum: denique ubi præclara & diutina ediderint virtutum documenta, ad Episco-

To. 1. pag. 378. 379. parum poterunt sublimari. *Priore Sacerdotio pro sacrilegio habito, & pro non facto, si in posteriore vita sua indemnabilis apparuerit, dignus censeatur non sacerdotali solum dignitate, sed & Episcopali, per confectos omnino gradus ad doctoralem promotus sublimitatem.* Itaque videri possunt tunc Græci hæreses nequaquam collocasse in irregularitatum numero; quam eos in doctrinæ novitatem ejecisse tandem videtur nimia illa, qua jam olim laborabant, facilitas pronitasque iterandi hæreticorum Baptismi. Ut enim Pagani quos Baptismus Ecclesiæ parturit, aggregatque, immunes habentur à macula irregularitatis: ita potuit Balsamon hujus Græcorum sententiæ signifer, eandem ampliare regulam ad eos hæreticos, qui perinde ac si Pagani fuissent, Baptismo

Can. 80. admittebantur. Et sanè patrocinium sibi ille venatur ab Apostolico Canone, qui ne ab Episcopatu quidem arcet Paganos conversos, & lustrali baptismi unda initiatos.

Proposita quidem à Marco Patriarcha Alexandrino quæstio, complectebatur omnes prorsus Episcopos, tum qui chrismate, tum qui iterato baptismo suscipiebantur. Sed tam facile videbatur forsan Balsamoni hæreticos alios ab aliis non segregare, quàm nec Paganos baptizatos ab hæreticis rebaptizatis. Canones Historicosque pervolutanti, facilè liquebit, faciliores semper quàm par esset fuisse Græcos ad iterandum baptismum eorum, qui in hæresi baptizati fuerant. Qua rursus pronitate abutebantur quoque in Ordinibus iterandis. Erant illis non minus alieni & distorti usus in Confirmatione & Matrimonio: cùm Presbyteros sinerent esse ordinarios Ministros Confirmationis, Conjugiumque ipsum adulterio solvi interpretarentur. Non semel adgressi Latini has illis obliquiores consuetudines excutere, oleum & operam perdidere, incolumi semper pacis & unitatis vinculo.

III. Accedet & aliquid præsidii his conjecturis ex hac proxima Balsamonis responsione. Quærebatur an Hæreticus, qui Ecclesiæ Catholicæ conciliatus fuisset, posset Presbyteratu ornari, quanquam uxor & filii pristinam erroris pertinaciam retinerent. Respondet Balsamon Carthaginensi Canone

Ibidem. pag. 379. eliminari ab Ordinibus sacris, eos qui domesticos omnes suos non recuperarint secum Ecclesiæ; Trullano Canone non permitti, ut sejungantur, qui cùm in infidelitate conjugati fuissent, altero eorum ad fidem se applicante, simul habitare acquiescunt: denique æquabili eo utendum esse temperamento, ut ab Ordinibus ejiciatur, qui hæreticam conjugem duxerit, donec domesticos omnes ad fidem revocarit. At eum qui in densa hæreseos caligine natus cùm esset, ad fidei lumen accessit, ordinari utique posse, antequam uxorem filiosque ab eodem pestilenti errore abduxerit: propterea quod semel ordinatus, in eam curam vigilantius ardentiusque in-

In Nomoc. Tit. 1. c. 1o. cumbet. Hæc eadem inculcat Balsamon in Photii Nomocanonem.

CAPUT LXV. *P. 4. l. 2. c. 28.*

Irregularitas Hæreticorum, Schismaticorum & Simoniacorum post annum Christi millesimum.

I. Crebra in simoniacos, sicut & in hæreticos dispensationes sub Clemente II. & Leone IX.

II. Eadem dispensationum facilitas sub Nicolao II. & Alexandro II. At iis simoniaci ii erant, qui ipsi quidem gratis ordinati fuerant, sed à simoniacis tamen Episcopis.

III. Urbanus II. his dispensationibus limites addit, quæ magni sint ponderis, maximè ut suadeantur Regularibus se dicare Collegiis.

IV. Ad minora Beneficia voluit, ut dispensare possent Episcopi, sed dispensandi finem fieri præcepit, cùm cessasset necessitas.

V. Eandem tenuit rationem Paschalis II. in schismaticos. Abnuebantur dispensationes, nisi innumerabiles quadam turbâ non aliter ad veri veritatis semitam revocare possent.

VI. Quæ illicitæ erant ordinationes, eæ tum persæpe irritæ dicebantur, quod perinde haberet ac si irritæ fuissent, ubi nullæ aut rarissimæ annuebantur dispensationes.

VII. Ad quem usque gradum manet irregularitas parentum hæreticorum in filios.

VIII. Pagani & Judæi, ubi fidei accessere, irregulares non sunt.

IX. De filiis Apostatarum.

X. De iis quorum vel Baptismus iteratus est, vel Ordo.

I. SUo jam suprà loco monuimus, cùm Leo IX. irritas fecisset omnes Ordinationes à simoniacis factas Episcopis: tanta illum Romæ oppressum fuisse multitudine Presbyterorum, ea sententia perculsorum: & tanta consternatione, ne hinc Ecclesiæ orbæ Pastoribus, incultæque jacerent, ut mentem ipse suam tandem ad dispensationem appulerit, tum vel maximè necessariam; statueritque in Concilio Romano anni 1049. ut qui ordinati fuissent ab Episcopis, quos non nescirent simoniacos esse, pergerent illi quidem suis fungi Ordinibus, sed post impletam quadraginta dierum pœnitentiam. Præcessoris sui decretum eo statuto suo innovavit Leo. Petrus autem Damiani docet ab eo constitutum esse, ut Clerici ab hæresi reducti, pristinos exercerent Ordines, nec ad superiores eniterentur; denique ut hæc indulgentia ad Clericos etiam apostatas ampliaretur. Cúmque hæc remissior disciplina in hæreticis, purioribus & antiquioribus Ecclesiæ sæculis usurpata fuisset: illam idem Pontifex in simoniacos etiam effudit, qui hæreticis olim quandoque annumerabantur.

II. Hæc omnia paulò fusiùs leges in Concilio illo Romano; sed eorum elucidationem suppeditabit plenissimam Concilium aliud Romanum anni 1059. sub Nicolao II. Hic enim Pontifex damnatis, obrutisque Ordinationibus omnibus, pretio emptis: confirmat ille quidem dispensationem, à Clemente II. & Leone IX. prædecessoribus suis concessam, iis qui jam essent ordinati ab Episcopo simoniaco scientes prudentesque, quamvis ipsi ab omni prorsus simonia alieni essent; sed simul contestatur eam dispensationem in præteritum dumtaxat tempus trahi debere: at in posterum qui se à simoniacis ordinari sinent, eos subjicit irrevocabili depositioni. Petrus Damiani & Ivo Carnotensis hæc Decreta suis scriptis intexuerunt: eosque secutus est Gratianus. Concilium Romanum anno 1063. Grat. 1 q. 1. sub Alexandro II. idem rursus Decretum totidem Ivo part. 3. verbis innovavit. c. 79.

III. At Urbanus II. in Concilio Romano anni 1099. non irritas tantum sanxit Ordinationes pretio

quopiam interveniente factas : easque quas gratis fecissent Episcopi simoniaci, quales essent cogniti. Sed hæc præterea additamenta fecit austeritatis.

Can. 1. 2. 3. 4.

1. Impuberes quibus parentes emerint Beneficia aliqua, ipsis quidem nescientibus : postquam se iis abdicarint, poterunt in ea rursum restitui, immo & ad Ordines promoveri superiores ; si modo Ca-

Can. 5. 6. 7

nonicorum Regularium vitam amplecti velint. *Si canonicè in iis vivere voluerint.* 2. Qui adulti cùm essent, emerint ipsi sibi Beneficia, si assentiantur ad alias migrare Ecclesias, & Canonicorum Regularium vitam communem ibi agere ; ibi permittentur Ordines suos exercere. At si quo insuperabili obice prohibeantur transferri ad alias Ecclesias, non poterunt nisi minores Ordines in eadem obire Ecclesia, nisi Pontificia dispensatio amplius aliquid annuat. *Salva tamen in omnibus Apostolicæ sedis authoritate.* 3. Qui à Catholicis ordinati fuerant Episcopis, postea autem Beneficia nundinati sunt ; ubi ita malè parta Beneficia resignarint, tunc enimvero Ordines exercebant suos, si tamen Canonicorum vitam communem profiteantur, & de Prælatura, vel Primaria alicujus Ecclesiæ dignitate non agatur. *Si qui tamen ante emptionem catholicè ordinati sunt, cùm ea quæ emerunt, dimiserint, & vitam canonicam elegerint, in suis gradibus permittantur, nisi forte ejusmodi Ecclesia sit, ut ibi primum locum debeant obtinere. Primum enim vel singularem, vel præpositura vel officii locum in emptis Ecclesiis eos habere non patimur.*

IV. Possunt in manus Episcopi resignari Beneficia minora, qui ex dispensatione eidem ipsi restituet, etiam simoniacè comparata. Sed non ita res habet de Prælaturis & primis Dignitatibus, quæ Episcopali authoritate & dispensatione recuperari nullatenus possunt. Valebat haud dubio & hic clausula superior de summa summi Pontificis potestate in dispensando ; sed hic, ut equidem reor, Pontifex non tam faciles, frequentesque fore eas dispensationes, quàm fuerunt deinceps, vel augurabatur, vel cupiebat. Id ipsemet disertissimè declarat in uno ex sequentibus Canonibus, ubi cassatis Ordinationibus à Guiberto Antipapa factis, & ab Episcopis ab eo ordinatis : patienter tantum & ex indulgentia sustinens eos, qui cùm ordinati priùs à Catholicis fuissent, in illud postea schisma defluxissent, tum verò subjungit ei dispensationi deinceps locum residuum nullum fore : & universim quidquid sibi veniæ & remissionis extorsisset inexorabilis necessitas, eo præjudicari non posse vigori & sanctitati Canonum, qui tum reviviscent, cùm primùm cessaris necessitas. *Quamvis autem misericordiæ intuitu, magnaque necessitate cogente, hanc in sacris Ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen præjudicium sacris Canonibus fieri volumus ; sed obtineant proprium robur ; & cessante necessitate, illud quoque cesset quod factum est pro necessitate. Ubi enim multorum strages jacet, subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius charitati.* Ea sunt justissimæ & Canonicæ dispensationis fundamenta, ex hoc Pontifice : inevitabilis necessitas, *magna cogente necessitate :* & innumerabilis plebis multitudo, quæ non possit nisi charitatis lenociniis deliniri & ad Officium revocari. *Ubi multorum strages jacet.*

V. Eadem legebat vestigia Paschalis II. in Concilio Guastallensi anno 1106. post fœdum & diuturnum Germaniæ schisma : adeo ut pauci admodum Catholici Clerici, Presbyterique superfuissent. In suis ergo Ordinibus suscepti sunt ab eo Episcopi, aliique Beneficiarii schismatici, ut olim suscepti fuerant Donatistæ, Novatiani, aliique Hæretici. *Tot ergo filiis in hac strage jacentibus, Christianæ pacis necessitas exigit, ut super hoc materna Ecclesiæ viscera aperiantur. Patrum ergo nostrorum exemplis & scripturis instructi, qui diversis temporibus Novatianos, Donatistas, & alios hæreticos in suis Ordinibus susceperunt, &c.* Pernecessariæ erant hæ illo sæculo dispensationes, quo simoniæ quædam colluvio & schisma fœdissimum omnia vastaverant. Verùm ut Pontifices hi ipsi passim vociferabantur, cessante necessitate, æquum est & cessare dispensationes.

VI. Jam ad nauseam illud inculcavimus, quod quæ illicitæ erant Ordinationes, irritæ passim dictitarentur, in causa fuisse raritatem & infrequentiam dispensationum : quæ si nullæ concederentur, non magnopere referret, illicitæ, an irritæ essent Ordinationes. At nunc faciles & obviæ passim dispensationes, penè nimio plus distinguere cogunt, quid illicitum, quid præterea irritum sit. De Diacono quodam simoniaco agens Hildebertus, ait illum Ordines emisse, & ideo non accepisse. *Ordinem dum emit, non accepit.* Mox tamen addubitat, *Fortasse non accepit.* Et de Presbyteratu agens, qui irritus utique illi habitus fuisset, si fuisset irritus Diaconatus, ait eum duntaxat malè receptum. *Revera malè accepit.* Sed constanter affirmat immedicabile id quidem esse malum, significatque ne in cogitationem quidem sibi incidisse, ut ad dispensationes recurreretur. Epist. 14.

Sanctus Fulbertus quidem Carnotensis Episcopus Archiepiscopo Senonensi author fuit, ut post biennii pœnitentiam Presbyterum simoniacum restitueret ; sed non procul à vero abest, jam tum odoratum illum fuisse, id jam consilii cœpisse Archiepiscopum, & hæsitasse tantùm in eo, an iterum ordinandus esset. Dehortatus illum est Fulbertus, ne rursum ordinaret, quòd *Reordinationes fieri Canones vetarent :* sed ut eum Presbyterum omnibus Ordinis sui insignibus & ornamentis rursum investiret. At prima Fulberti ad eundem Archiepiscopum Epistola super ea re, suadebat tantùm eum suspendi Presbyterum : ne ejus hæreseos virus latius in alias Diœceseos Ecclesias serperet. *Ab officio suspendi, ne Ecclesia tua candor immunda hæresis contagione sordescat.* Ep. 25. 23

VII. Bonifacius verò VIII. in Capite *Statutum ;* & ante eum Nicolaus IV. in Constitutione, quæ legitur in Bullario : nec non & Alexander IV. in Capite *Quicunque*, & Innocentius denique IV. quem Bonifacius allegat, declararunt eos, quorum mater, vel pater avusque in hæresi mortui fuerint, irregulares fore ad Beneficia. Longe probabilius est. 1. eo non contineri Beneficia ante lapsum patris matrisve impetrata. Idque determinatum fuit, ut numero mox IX. dicemus à Pontifice & à Congregatione Cardinalium anno 1594. quamvis quarto pòst anno contrarium Romæ judicatum fuerit. 2. Illud ad Ordines exporrigi non debere : cùm Decretum non complectatur, nisi Beneficia : nec ultra verborum vim & significationem expressam illud æquum sit dilatare, utpote quod rigore quodam novo præter antiquum jus sæviat. In contrariam abiere sententiam Navarrus, aliique Canonistæ non pauci, propter eam infamiam, quæ hæresi adhærescit. At Sayrus contra nititur, eique magis consentire videtur nostra Gallicarum disciplina, ubi cùm publicè tolerabantur Calviniani hæretici, nulla hinc eis ex multorum sententia affricabatur infamia. Henriquez ulterius progreditur, & promiscuè habitis

C. Statutum. De hæreticis. In Sexto.

Sayrus De Censuris. L. 2 c. 10. n. 40.

Soler. Nota in Pastorem. L. 3 Tit. 19.

Henriquez. L. 14 c. 5. n. 4.

Ordinibus & Beneficiis, existimat in iis regionibus ubi tolerantur hæretici, adeoque nec infames habentur, nullam ex hæresi irregularitatem emergere in filios hæreticorum. *Ex crimine alieno personæ conjuncta contrahitur irregularitas cum infamia juris: ut per lineam masculinam filius & nepos illius qui in hæresi decessit pertinax damnatus, vel de crimine læsæ majestatis: ex matre sic hæretica solus filius, non autem nepos contrahit infamiam juris. At si occulta fuit hæresis, aut in natione infecta pater decessit in publica hæresi absque infamia nota, non videtur filius Catholicus fieri irregularis.*

Quin & Bonacina affirmat, ubi hæretici fidelium se partibus recolligunt, jam irregulares eos non habendos, ubi illa invaluit consuetudo, velut in Germania. *Irregulares remanent etiam post conversionem, nisi dispensentur, aut quando aliter receptum est consuetudine in aliquo loco, ut in aliquibus Germaniæ locis servari videtur.*

Disput. 7. de Irregul. q. 3. puncto 7. prop. 1. n. 9.

Si in iis regionibus jam irregulares non amplius habentur qui ex hæresi resipuerunt, perspicuum est illos ex eorum filiis, qui semper affixi fuere Catholicæ fidei, multò ab irregularitate potiorea fore. In eadem est opinione Tannerus: *Certè in Germania hæc pœna locum non habet, præsertim in filiis.* Multò plures suffragatores huc congeri potuissent, si de solis Ordinibus quæstio verteretur. Et cùm tamen eo fundamento nitantur illi, quòd in iis regionibus nulla hæreticis infamia sit aspersa, perinde id videtur valere debuisse in Beneficiis, atque in Ordinibus. Facilè condonabit Lector, si scriptores hic & astipulatores non proferam nisi recentissimos. Recentissima quippe res est, tolerari hæreticos. Inde enim, quod nemo nescit, tanta alienatio, tanta indignatio per Gallias, ubi promulgata sunt primùm id genus Edicta, quæ hanc tolerantiam sancirent.

L. 1. de fide. q. 8. dub. 6. n. 111.

VIII. Ad hæreticos dumtaxat pertinet ea irregularitas. Qui enim ex Paganis Judæisque ad Ecclesiam se conferunt, ii in baptismo ab hujusmodi etiam maculis abluuntur. Anno 1449. Nicolaus V. plures evulgavit Constitutiones, ut revocari cogeret Edicta complura nuperrimè in Hispania promulgata, ut officiis & dignitatibus eliminarentur Christiani novi, qui non ita pridem Judæorum & Gentilium aspernati sectas, Christo nomen dedissent. Anno 1585. Concilium Mexicanum vetuit, ne Ordinibus initiarentur ullis, qui ab India, Mauris, vel Æthiopibus immediatè nati essent, nisi circumspectissimè. *Sine magno delectu non admittantur.*

Spond. an. 1449. n. 8.

IX. Nec præteriri fas est, quod docet Fagnanus, anno 1594. à Pontifice post vota audita Cardinalium Congregationis Inquisitioni præfectæ, declaratum esse, non spoliari debere natos ob parentum apostasiam, Beneficiis non impetratis. Sed aliquantò pòst, anno nempe 1598. cùm Rotæ præcepisset Pontifex, ut accuratiùs ea de re disceptaretur; pronunciavit illa tandem, superiùs citatis Decretis Pontificum, potissimum verò Nicolai III. Bulla spoliari eos Beneficiis illis etiam, quæ ante patris avique defectionem consecuti essent. Expendit rursus idem Scriptor, an possint de ea irregularitate Episcopi dispensare, concluditque non posse.

In l. 4. Decret. Part. 1. pag. 221.

X. Hæreticorum irregularitati illa copulanda est, quæ ex iterato baptismo proficiscitur, vel Ordine eodem. In Concilio Rotomagensi anno 1581. observatum est, complures eorum tinctos iterum fuisse sub conditione, qui à Calviniana baptismo primùm donati fuerant: quòd non ea his Novatoribus mens & voluntas sit, ut in remissionem peccatorum baptizent: *Eo quod non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum.* Prohibitum verò est à Patribus Concilii, ne posthac eo modo iteraretur baptisma. Propterea quod iterari sub conditione non deberet, nisi cum dubitatur, an datum esset fortè ab aliqua muliercula, vel ab alio, cujus meritò suspecta esset ejus dandi peritia. Idem prohibitum est in Concilio Turonensi anno 1583. & ab Aquensi anno 1585. ubi Rotomagensis verba ipsa Concilii usurpata sunt. Nec denuntio hæc Mechliniensi adversatur Concilio anni 1607. ubi sub conditione rursum baptizari jubentur, qui à novellis illis hæreticis lustrali unda initiati fuissent. Hæc enim non præcipiebatur iteratio in Concilio Mechliniensi, nisi propterea quod ab antiquo usu baptizandi recederent ibi Calviniani, juberentque ab alio aquam infundi, ab alio verba proferri. *Et quia frequens experientia docet modernos hæreticos sæpè contra receptam Ecclesiæ consuetudinem & antiquam traditionem baptizare, uno aquam fundente, altero formam ipsam pronuntiante: ab hæreticis, qui non sunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præsto est, baptizati, similiter sub conditione baptizentur.* Concilio visum est irritum baptisma, quod ita traderetur: & cùm non immeritò dubium esset, an qui ab hæresi ad Ecclesiam remeabant, ad eum modum baptizati fuissent, sancitum ab eo est sub conditione iterari ejusmodi baptismum.

Tit. de Sacram.

Tit. de Bapt.

Cùm Acolythus ministrasset in iterando ægroti cujusdam baptismo, cui superstitiosæ mulierculæ suaserant, eo certissimo medicamento fore, ut actutum à morbo recrearetur: res ad Alexandrum III. perlata est. A quo rescriptum est, non posse Acolythum hunc ad Ordines provehi superiores, nisi religionem profiteretur, si publicum esset hoc scelus: sin occultum foret, posse quidem, expiato priùs flagitio privatæ dignæque pœnitentiæ laboribus. *Ad superiores Ordines promoveri, si publicum est quod proponitur, non valebit, nisi ad religionem transire voluerit, ut favore religionis ipsius circa eum valeat dispensari. Si verò occultum est, promoveri poterit, & excessum dignis pœnitentiæ fructibus expiare.*

Extra De Apost. c. 5.

Prolati sunt à Gratiano antiqui Canones, qui Baptismum Ordinemque prohibebant iterari: & ille maximè Concilii Carthaginensis III. *Non licet fieri rebaptizationes & reordinationes, vel translationes Episcoporum.* Ille item Carthaginensis V. quo summoventur Clericatu, qui iterato maculati fuerint baptismo. *Nec unquam permittendum, ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur.* Non agit Canon ii de suscipientibus iteratum baptisma. Non recedit autem à vero eadem prohibitione implicari conferentes. Ita apertissimè decrevit Innocentius III. ubi Græcorum sugillat pertinaciam in schismate, quo fiebat ut & Latinos, quos suis partibus quandoque adgregabant, iterato baptismo conspurcarent. *Si quis tale quid præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus ab omni officio & Beneficio Ecclesiastico deponatur.*

De consecr. d. 4. c. 107. 108. 109.

Can. 38.

Can. 11.

Extra. De Bapt. c. ult.

Leo Magnus hæreticos ad Ecclesiam conversos permiserat suis Ordinibus, si modò rebaptizati non fuissent. *Hæretici conversi, in quo inveniuntur Ordine, maneant, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati.* Cui addendum Concilium Toletanum IV. *Non promoveantur ad sacerdotium, qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur.* Possent & Canones & Decreta his complura alia addi, quæ volens omitto, ut minimè necessaria.

Epist. 3.

Can. 18.

De Irregularitate Servorum, Militum, Judicum, Curialium.

CAPUT LXVI. *P. 1. l. 2. c. 11.*

De Irregularitate Servorum, Militum, Judicum, Curialium, quinque prioribus Ecclesiæ sæculis.

I. Ex Paulo probatur servorum irregularitas.

II. III. Ejus rei varia confertur, vel in degeneres plerumque servorum animos & mores, vel in vincula quibus adhuc constringuntur, ut ne totos se Deo & Ecclesiæ ministeriis dedere possent.

IV. Varii servitutis gradus.

V. Si qua sibi jura Patroni servarent integra, liberti ipsi irregulares erant.

VI. Irregulares erant & Decuriones quoque & Curiales, propter aliam quandam servitutis speciem.

VII. VIII. Crebra sanctorum Patrum in eam rem querela.

IX. Irregulares erant & qui ratiociniis publicis erant obligati.

X. Eorum irregularitas qui criminalibus in causis accusatores, causidici, judices fuere.

XI. Irregulares erant & Milites. Laudi nihilominus erat Militum judicumque munus & officium.

XII. XIII. XIV. Doctrina & suffragia sanctorum Patrum in eam rem. Cur professio licita, laudanda, necessaria, arceantur tamen à Clericatu.

XV. XVI. De eodem rursus.

XVII. Quanto zelo æstuarent Episcopi aliique Clerici, ut reis, qui ad mortem trahebantur, succurrerent.

XVIII. In irregularitatis laqueos impegere Episcopi, qui apud Maximum Imperatorem praefervide egerunt, ut necarentur haeretici.

XIX. Cum his Episcopis non communicavit Martinus, nisi vi compulsus, & ex indulgentia.

XX. Catholici Episcopi intercessere apud Principes, ne morte luerent, qui Christianos Martyres contrucidaverant. Ex Augustino, quantum Mosaico & Christiano intersit Sacerdotio.

XXI. Unde eorum irregularitas, qui mutilant, etsi non occidunt.

XXII. XXIII. An Gentilium etiam Pontifices prohiberentur cujusquam morti subscribere.

XXIV. An irregulares sint, qui ne occidantur ipsi, occidunt.

XXV. Pœnitentes ipsi Clero excludebantur, quanquam semet ipsi ab armis & dignitatibus publicis abstinerent. Inde conjiciendum de Clericis, quàm ab his abstinere se deberent.

XXVI. S. Basilius triennio toto eos abstinebat à communione, qui in bello occidissent.

I. QUæ servituti illigata est irregularitas, statim in oculos occurrit, cùm obvium & perspicuum sit, quàm non possit ea cum sacerdotio copulari. Absolvi enim & extricari necesse est à servitute qualibet alia, ut Ecclesiæ se quis liberæ & beatæ servituti addicat; abrumpi necesse est vincula alia omnia, ut omnino quis Ecclesiæ Episcopoque suo devinciatur. Onesimus quidem ex servo Episcopus ordinatus fuit: at domino ejus priori Philemoni cùm Paulus Apostolus libertatem conciliasset filiorum Dei: *Te ipsum mihi debes*: non (*Epist. ad Philemon.*) ægrè ab eo impetrarat temporalem Onesimi libertatem, quem in Christo genuerat, & filium lucis in tenebricoso carcere creaverat. *Quem genui in vinculis.* Ab hoc autem Pauli exemplo demonstrat Apostolicus Canon, ordinari non debere servos, nisi à dominis libertate donatos. (*Can. 82.*) *Servi in Clerum non ordinentur, sine domini voluntate. Si quis verò dignus est, qualis Onesimus fuit, domino consentiente, & libertatem ei concedente, & extra domum suam emittente, in eum gradum ascendat.*

II. Certiores tamen nos fecerat Paulus, nullum liberis servisque discrimen Christum interposuisse: *Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque* (*Gal. 3. 28.*) *liber; omnes enim vos unum estis in Christo.* Quin imo (*1. Cor. 7. 21.*) suaserat servitutem libertati anteponi exemplo Christi, summi Dei, summique Pontificis, qui in servitutem se dejecit, ut spiritalem nos in libertatem vindicaret. *Et si potes fieri liber, magis utere.* Hinc ergo fateri cogimur, non esse affixam ab Ecclesia servis irregularitatem, nisi ut ne domini suo in servos jure fraudari possent. Ideo cum primùm servos domini absolvebant, jam non spectabatur, nisi quod homines, quod Christiani essent, ejusque consortes æqualitatis, quam sanxisse videbatur Creator inter eos, quos eodem finxerat luto: necnon & Servator inter eos, quos eodem sanguine redemerat.

III. Expostulat jure quidem meritissimo Leo Papa, quòd sacerdotio dignandi viderentur, quos libertate dignos proprii domini non judicassent: *Quia dominis suis libertatem consequi minimè potuerunt,* (*Epist. 1. c. 1.*) *ad fastigium sacerdotii provehuntur.* At ea Pontificis verba, quæ contemptum redolent, *Servilis vilitas, nulla natalium dignitas*: non indicant nisi eam quæ innata, vel potius agnata ferè coalitaque servis est absurditas morum, perversitasque. Unde & ea conjungit, *quibus nulla natalium, nulla morum dignitas.* Ergo utprimùm à dominis manumittuntur, quanquam efficata non sit natalium vilitas, ordinari permittuntur. *Servorum petitio vel voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vendicant potestatis.* Alteram quoque rationem illam non tacet sanctissimus Pontifex, Quòd non ex parte quisquam debeat devoveri Ecclesiæ, & mancipari, sed totus, quòd totum hominem desiderent sacra munia; quòd sui juris ipsum necesse sit esse, qui juri se Ecclesiæ subjicit: quòd denique qui Ecclesiæ addictus sit, cum oporteat non alienæ tantùm, sed & suæ illius potestati subduci, ut in Christi sponsæ potestatem totus concedat. *Debet enim immunis esse ab aliis, qui divina militia fuerit aggregandus: ut à castris Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahantur.*

IV. Variæ erant servitutis classes, aliæ aliis molliores. Servi erant colendis agris affixi, in quibus orti erant, & quibus ea lege præficiebantur. Ea colonorum servitus quanquam mitior, aditum tamen Ordinum præcludebat. *Sed & ab aliis etiam qui originali, aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari*, ut ait idem Leo. Gelasius assentitur: *Servos* (*Epist 1. c 16.*) *& originarios, &c.* Ubi & illud addit, hos ubi facultas & occasio se dabat, aufugere solitos, & Clero, vel Monasteriis illabi. Præterquam quod ea conversio parum sincera, nec ex animo profecta videbatur: negat Pontifex posse dominos jure suo, servisque suis frustrari. *Ne per Christiani nominis institutum, aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti.* Ex æquo ergo intercludebantur eis Monasteriorum & Cleri fores. Et hinc rursus enitescit, eam inde exurgere irregularitatem, quod fraus fieri dominis non debebat, quòd eæ conversiones plerumque simulatæ essent, quòd servilis indoles plerumque ad nequitiam sit propensior, ex assuetudine etiam jam aliqua: denique quòd sacro ministerio idoneus non sit, qui dimidiatum ei se applicat.

V. Qui verò manumittebantur, non plenam illi

semper statim libertatem consequebantur à dominis, sed nexibus adhuc quibusdam liberti Patrono obligabantur. Ideo & irregularibus eos Concilium Eliberitanum accensuit, nisi Patronus eorum Clericus esset. Tum enim erat utique penes Ecclesiam ea authoritas, qua vetaret, ne ab eo quem ordinasset, exigeretur aliquid ministerii vilioris, quo vel dignitas Ordinis deturparetur, vel perturbaretur ministerium. *Liberti quorum patroni in saeculo fuerint, ad Clerum non promoveantur.* Can. 80.

VI. Militum servitus, & quorundam Magistratuum, erat illa quidem honoratior, sed nihilo tamen magis illi cum Clericatu & Ordinum functionibus conveniebat. De his ergo illud constat, quod de servis praemonuimus, cùm sub Principe Christo mereamus, qui formam servi accepit, & nobilitavit, non vilitate nascendi, non ignobilitate arceri quemquam sacris muniis & dignitatibus Ecclesiae, sed necessitate abrumpendi vincula omnia reliqua, ut rebus sacris totos sedent. *Si quis post remissionem cingulum militiae saecularis habuerit, ad Clericatum admitti omnino non debet.* Ita Siricius, ita Innocentius I. Et id quidem ad Milites pertinet. Ad Decuriones verò, seu Curiales, qui Reipublicae servi quodammodo erant, eique conditioni ita astricti, ut familia, posteritas, substantia omnis una & pari servitutis lege contineretur. *Frequenter quosdam ex fratribus nostris Curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, Clericos facere contendunt, quibus postea major tristitia, cùm de revocandis eis aliquid ab Imperatore praecipitur, quam gratia de adscitis nascitur?* ut habet ibidem Innocentius I. Epist. 4. Epist. 2.

Erat & aliud quod Curiales prohiberet à Clericatu. Ludos & spectacula populo edere cogebantur, tanquam voluptatum publicarum ministri. Abhorrebat autem mirum in modum Ecclesia ab his ludis, spectaculis, voluptatibus, tanquam ab idololatriae, luxuriaeque & flagitiorum omnium semina. *Constat eos in ipsis muniis etiam voluptates exhibere, quas à diabolo inventas esse, non dubium est, ludorum vel munerum apparatibus aut praeesse, aut interesse.* De iisdem alibi quoque agit, & eos ablegat, quòd jam Clericatum cum aliquando obrepsissent, reposcerentur: *Quoniam saepius ad Curiam repetuntur.* Et rursus alibi: *Quantos ex Curialibus, qui voluptates & editiones populo celebrarunt, &c. Nec de Curialibus aliquem ad Ecclesiasticum Ordinem venire posse, qui post baptismum vel coronati fuerint vel Sacerdotium, quod dicitur, sustinuerint, & editiones publicas celebraverint.* Haec rursus nova ejiciendi eos ratio, si post baptismum, dum munere suo fungerentur, affuissent, praefuissentque spectaculis, ita ut interim capiti eorum imponeretur earum aliqua coronarum, quae tam multiplices, tam profanae, tam impia superstitione delibutae tunc erant; vel si perfuncti essent sacrilego illo sacerdotio, quod civilibus Paganorum Magistratibus persaepe imminebat exercendum. Epist. 4. c. 3. Epist. 23.

L. 12. Tit. 1. Ex Codice Theodosiano abundè patet, qui essent hi Curiales, ecquod profanum hoc sacerdotium, & quae illi incumberent servitutes. Inde autem manifestum est, potuisse eos ad Presbyteratum aspirare, si modò tanta se exuerent facultatum suarum parte, quanta opus esset, ut functionibus & impensis his publicis fieret satis; aut alios suo loco subrogarent, aut liberos etiam suos, cum ea facultatum copia, quae satis esset. Ita quidem Imperatoriae leges ibi allatae, sic tamen interpretandae, ut his quibus ad Clerum aditus muniebatur, nulla obrep- Cod. Theod. L. 12. Tit. 1. Leg. 104. 115. 121. 123.

sisset earum irregularitatum, quas superius strictim perstrigimus. Denique ex his Codicis legibus patet, Imperatores alios alia quandoque decrevisse, & leges ipsas in dies singulos mitescere visas esse in Curiales.

VII. Suberant saepè & accommodabant se his legibus Ecclesiarum Antistites, teste Ambrosio, quanquam non deesset quod teste Deo ingemiscerent, quòd Regio Christi Sacerdotio non plenissimè Ministri ejus absolverentur ab his vinculis, non saltem post annorum triginta praescriptionem. Imperatorem ipsum de his commonuit Ambrosius fidentissimè nomine omnium Episcoporum, quibus praestare debere videretur culpas omnes Imperatorum Consilii, qui tum saepissimè Mediolani demorabantur. *Quomodo excusabo quod Episcopos, qui nunc, quia per triginta & innumeros annos Presbyterii qui jam gradu functi, vel ministri Ecclesiae, retrahuntur a munere sacro, & Curiae deputantur, graviter gemunt. Nam cùm si qui vobis militant, certo militiae tempore serventur, quanto magis etiam eos considerare debetis, qui Deo militant? Quomodo hoc, inquam, excusabo apud Episcopos?* Tum [illegible] mitigari aliquantum hunc rigorem flagitat. *Haec in notitiam clementiae tuae pervenire volui, ut de hoc ut placet arbitrio tuo consulere, & temperare digneris.* Epist. 29.

VIII. Ea Ambrosii querimonia non consulebatur, nisi honori, & libertati Ecclesiae, cui atrox inurebatur dedecus & ingens dolor, cùm Presbyteri Diaconique post sacerdotii splendidissimi tricennium, altaribus sacrisque abstrahebantur. Quod attinet verò ad patrimonia & opes, quibus cedendum erat Curiae Decurionum, ad emercandam Clericatus redemtamque libertatem, ea de re nec verbum fecit ullum, nec vel tantillum conquestus est Ambrosius, aut aliquid delinimenti flagitavit. Uno usus est solatio, cùm Symmacho responderet, & ipsum interpellaret Imperatorem Valentinianum, ut vel hinc declararet in rebus istiusmodi temporariis, quid perpeti posset Ecclesia, nec conqueri. *Si privilegium quaerat Sacerdos, ut onus curiale declinet, patria atque avita & omnium facultatum possessione cedendum est. Quomodo hanc Gentiles si haberent, ingravarent querelam, quod Sacerdos ferias ministerii sui emat potius patrimonii sui damno, &c. Praecludunt communis salutis excubias domesticae inopia se mercede solatur.* Inclementiam eam legum mitigarunt aliquando tandem Imperatores, variis subinde levamentis, ut jam diximus, adhibitis.

IX. Haud satis comperi, an ad hanc revocari possent irregularitatem, qui ratiociniis publicis erant obligati; aut Publicani, quos acutè & scitè Tertullianus vocat *ex officio peccatores.* Quos Gelasius quoque Papa ait esse *Pecuniarum rerum nexibus implicatos.* De Pud. c. 9. Epist. 9. Ita sanè credi pronum est, cùm Procuratores, Curatores, Tutores, denique privatorum etiam hominum Actores, vel Agentes, ordinari non possent, nisi post redditas rationes, & quando ita jam comparati essent, ut nulli jam [illegible], nulli [illegible] Domini subessent, & illi sarcinae, quae [illegible] portator, [illegible] & ipsa portantes se [illegible]. *Ut Diaconi [illegible] ordinentur qui procuratores & tutores, & actores & curatores pupillorum fuerint, nisi post deposita & reddita ratiocinia Conc. Carthag. Tit. 8.* Ferrand. c. 119. Fatendum tamen est cum Canonem, qui apud Ferrandum legitur, non pertinere nisi ad Diaconos & Ordines superiores.

X. Tandem effundit irregularitatem Innocentius I. in eos, qui causas egerint criminales, vel Judicum solia insidentes, capite damnarint reos.

C.

Epist. 4 c. 3 *Si quis fidelis militaverit, si causas egerit, id est, postulaverit, si administraverit.* Et alibi: *Qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pertinaciam susceperunt*. Et ibidem rursus: Epist. 13. c. 2. *Quantos ex militia, qui cum Potestatibus obedierunt, severa necessariò præcepta executi sunt? Quantos ex Curialibus, qui dum parent Potestatibus, quæ sibi sunt imperata, fecerunt?*

Hinc verò novam exculpimus rationem ablegandi à Clericatu Curiales, Decuriones & Milites, præter servitutem honoratiorem de qua jam diximus. Nempè communionem quandam suam cum Judicibus & Advocatis conscius que & consortibus omnibus criminalium causarum & capitalium judiciorum. Usque adeo abhorret Ecclesia à fundendo sanguine, reorum etiam, quos leges ipsæ addicunt, ut ne eos quidem qui justitiæ huic scelerum ultrici linguas manusque commodaverunt, in Ministris haberi velit incruentæ suæ & cælestis Victimæ. Innocentio succinit Concilium Toletanum I. Can. 8 *Si quis post baptismum militaverit, & chlamydem sumpserit, aut cingulum ad necandos fideles, etiam si gravia non admiserit, si ad Clerum admissus fuerit, Diaconi non accipiat dignitatem.* Conc. Gall To. 1 pag. 79. Author vitæ beati Hilarii Arelatensis Episcopi illud affirmat, Vesontionensem Episcopum Chelidonium in Concilio exauthoratum fuisse, ubi Hilarius præsidebat, cùm antè convictus fuisset, & ducta olim in uxorem vidua, & *sæculi administratione perfunctum, capitali aliquos condemnasse sententia.*

XI. Fatetur Innocentius I. ab ipsa divina & Scriptura & lege armatos fuisse & gladium stringere jussos, summos Principes, Magistratus, Judicesque, adde si lubet & milites, Ministrosque, & Executores sententiarum & Judiciorum à summis his manantium Tribunalibus. Ep. 3. c. 3. 5. Hinc adverte nulli unquam eos pœnitentiæ ab Ecclesia addictos fuisse. Si quis autem percunctetur, Eccur irregulares & extorres sint à Clericatu, quos nullum ad pœnitentiæ gradum Ecclesia censuit ablegari debere: Responderi primùm forsan poterit, ejusmodi homines aliquando visos esse nonnullis, ne Ecclesiarum quidem plebi sociari posse, nedum Clero. Sic enim apertissimè Tertullianus: De Idolo *Hinc proximè disputatio suborta est, an servus Dei alicujus dignitatis, aut potestatis administrationem capiat, si ab omni specie idololatriæ intactum se, aut gratia aliqua, aut astutia etiam præstare possit. Credamus succedere alicui posse, ut neque judicet de capite alicujus, vel pudore, feras enim de pecunia, neque damnet, neque prædamnet, neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat, si hæc credibile est fieri posse. &c.* Et mox: *Nunc de isto quæritur, An fidelis ad militiam converti possit? & an militia ad fidem admitti, cui non sit necessitas immolationum, vel capitalium judiciorum. Non convenit Sacramento divino & humano; non potest una anima duobus deberi, Deo & Cæsari.* Sic ille in libro de Idololatria. Quibus finitima sunt quæ habet in libello de Corona Militis.

Hinc aliquid forsan patrocinii Tertulliano parari posset, quòd militarem professionem non omnino damnarit; cùm hanc ille, & à se, & à Christiano nomine invidiam amoliatur, ubi in Apologetico contestatur in hunc modum, *Navigamus & nos vobiscum, & militamus.* Sed nemo inficias ierit, quin immensa quadam distantia abesse voluerit Tertullianus professionem militiæ, aut Judicis Capitalis, ab Evangelica perfectione: cùm non spiret Evangelium, nisi pacem, & mansuetudinem, & injuriarum ex animo oblivionem, temporalium vel jacturam, vel abdicationem citra ullum doloris sensum; pro injuriis beneficiorum vicissitudinem & gratiarum actionem: denique cùm suadeat Christiana pietas sceleratis pœnitentiam potius, quàm pœnam mortis adferre, quam nisi præcurrat pœnitentia, non poterit nisi mors consequi sempiterna.

XII. Eadem quoque ratione mitiganda interpretando sunt Cypriani verba, ubi non tam bellum, quam gerendi belli rationes plerumque & artes nefandas insectatur. *Madet Orbis mutuo sanguine, & homicidium cum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur, cùm publicè geritur.* L. 2. Ep. 2. Eadem clementia Lactantio accommodanda, cùm ait Spiritum illum pacis & concordiæ, qui regnat & dominatur in cordibus justorum, nunquam passurum, ut furoribus illi bellicis se inserant: nec sævituros unquam, qui nec sævitiæ spectatores esse se velint. *Cur belligeret, aut se alienis furoribus misceat, in cujus animo pax cum hominibus perpetua versetur.* L. 5. c. 17. Et alibi rursus: *Itaque neque militare justo licebit, cujus militia est in ipsa justitia: neque verò accusare quemquam crimine capitali, quia nihil distat, utrumne ferro, an verbo potius. Occisio ipsa prohibetur. Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet. quin occidere hominem sit semper nefas, quem Deus sanctum animal esse voluit.* L. 6. c. 20.

XIII. Scripturis, Scripturarumque luci splendidissimæ terga celerrimè verteret, qui abruptè & universim damnaret Bella, & Judicia capitalia, quibus dum nocentibus non parcitur, innocentibus consulitur, impunè alioqui opprimendis & contrucidandis. Ultra limites nonnihil evagati sunt Tertullianus & Lactantius, cùm Christianis omnibus eam indixere perfectionis cumulatissimæ legem, quam pauci perfecti consequi possint. Illud quoque succurrit animo, quod dicatur in eorum defensionem, primis his sæculis complures laicorum fidelium incredibili quodam pietatis studio exarsisse non ad præcepta tantùm, sed & ad Evangelica consilia toto pectore amplectenda. Itaque quanquam persuasissimum nobis sit, Militiam & Juris dicendi functionem non inculpata tantùm, sed & necessaria esse Reipublicæ officia: non assentiremur tamen unquam, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Monachi his Officiis admoverentur, propter summam quandam discrepantiam, & dissonantiam incredibilem inter eas hinc & hinc professiones. Quippe earum altera intaminatam quandam innocentiam & exercitissimam Sacerdotii perfectionem desiderat, atque adeo miram quandam alienationem ab iis sollicitudinibus animique perturbationibus, quibus altera conflictatur.

XIV. Celsum Philosophum refellens Origenes, ea que diluens calumnias, quibus Christiana ab eo Ecclesia incessebatur: ac illam potissimum, quæ à militiæ fuga & Dignitatum aversatione petebatur, & munerum publicorum: non hoc ille convitium propulsat, aut deprecatur, sed laudi sibi potius & Christianis vertit tam insignе virtutis eximiæ specimen. Plus præsidii Imperatoribus esse affirmat in precibus Christianorum ad Deum, quam in armis & fortitudine exercituum: ipsos Paganorum sacerdotes à belli muneribus immunes fuisse, quod ita omnibus animo præceptum & præjudicatum esset, sacrificiis pura manu & conscientia oblatis plures & certiores comparari victorias, quam prœliis: tutissima Imperii munimenta esse ipsam

Christianorum innocentiam, pietatem, religionem, denique etiam Imperium & constare, non tam militum armis, quàm piorum & religiosorum sanctimonia. *Hortatur Celsus, ut opem feramus Imperatori, & geramus justa piaque bella, &c. Respondemus ferre nos Imperatori auxilia suo tempore, sed divina, obedientes Apostoli verbis, Obsecro vos, ut faciatis deprecationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, &c. Et quò cujusque insignior est pietas, eò majorem opem Imperatori fert, magis quàm stantes in procinctu milites, & occidentes quotquot possunt ex hostibus. Ecce vestrorum quoque numinum sacerdotes dextras servant puras à sanguine causâ sacrorum, ut incruentis manibus victimas efferant solennes, &c.* Respondet denique Celsus, Non dignitates, non munera, non officia publica fugere Christianos, cùm sint & sui Ecclesiæ Magistratus spiritales, sapientia & virtute insigni eò provecti; à Civilibus autem dignitatibus subalienos eos esse, non fastidio aut alienatione animi, sed studio quodam cœlestibus se potiùs studiis adglutinandi. *Nec hoc faciunt Christiani, quòd ista publica vitæ munia refugiant, sed quòd se servent divinioribus, & magis necessariis muniis Ecclesiæ ad hominum salutem.*

L. ult. cont. Cels.

XV. Hæc veluti media est & temperatissima ratio, cui nos insistere suadet Origenes: non damnari à nobis militiam, non contemni ejus justitiæ ultricis ministros, quos sua authoritate, suis penè telis armavit Deus ad vindictam malefactorum, & bonorum tuitionem: quin honori & amori esse: sed prioribus sæculis Christianos longè plurimos dedicasse se totos iis potiùs studiis & artibus, per quas fas esset Evangelicis etiam consiliis, & perfectionis præceptis inservire. Ministros verò suos Ecclesia non solùm non sinebat sæcularia illa gerere munia, sed ne eos quidem deligebat ex illorum numero, qui ea gessissent. Si Gentiles enim, quibus non allucebat veritas, nisi multis hallucinationum errorumque nubeculis obscurata, persuasum tamen habebant, castiora fore, Deoque gratiora sacrificia sua, si per puros etiam ab hostili sanguine & prorsus incruentos Sacerdotes offerrentur. Quantò magis Christiani uberiore cœli lumine collustrati, Sacerdotum suorum sanctimoniam eam vellent esse, cui comparata quorumlibet judicum militumque innocentia & integritas sordesceret. Pari ratione Laicis castitas conjugalis virtus est magni pretii: Clericis nostris majoribus scelus esset.

Hieronymus libro primo contra Jovinianum negat vetitum esse Davidem, ne Templum construeret, quòd bellico & hostili sanguine dextram madidasset: sed quòd Uriam jussisset interfici: *Non, ut plerique existimant, propter bella, sed propter homicidium, Templum Domini ædificare prohibetur.* Pervulgatissima tamen ea sententia est, & Scripturæ verbis valde consentanea, interdictam ei Templi constructionem, quòd hostili cæde plurima pene stillarent adhuc manus ejus.

Hilarius verò in primum Psalmum luculentissimè demonstrat munerum publicorum cum Clericatu quàm difficilis sit societas. *Qui volunt Ecclesiæ legibus subditi, fori legibus judicare, necesse est eorum, in quibus diversabuntur negotiorum quodam pestilenti contagio polluantur. Publicarum enim causarum ordo manere eos volentes etiam in Ecclesiasticæ legis sanctitate, non patitur. Et quamvis religiosi propositi tenaces sint, tamen per necessitatem sedis obtentæ tum ad contumeliam, tum ad injuriam, tum ad pœnam, cum homo licèt voluntate coguntur. Ideo hanc Cathedram pestilentiæ Propheta cognominat.*

XVI. Paulinus verò Nolanus Episcopus sanctissimus in Epistola ad militem, quem abducere à militia conabatur, iisdem fermè illum impetit rationibus, quas paulo antè ex Lactantio delibavimus. Nec tamen potest Paulino vel suspiciuncula erroris ulla in hac parte aspergi.

Pulcherrimè ab Augustino observatum est, Joannem Præcursorem Christi sanctissimum, cùm salutis semitam militibus indigitaret, non præcepisse, immo ne consuluisse quidem, ut à militia abiterent, quod fecisset indubiè, si saluti inimica fuisset ea professio; sed edixisse, ut vim & alia quæ illi aliunde imprimebantur vitia, declinarent. *Alioquin Joannes cùm ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? responderet eis, Arma abjicite, militiam istam deserite, &c. Sed quia sciebat eos, cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis; & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis, Neminem concusseritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Alibi verò eleganter etiam illud monet Augustinus idem: *Non militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est.* Denique Concilium Arelatense I. non justis tantùm bellis patrocinium & authoritatem conciliat: *De his qui arma projiciunt in pace, placuit abstineri eos à communione:* sed & desertores damnat justæ & sanctæ pro Imperio & pro Ecclesia militiæ: damnat & eos qui inconsideratissimo zelo huic doctrinæ adversarentur.

Cont. Faust. L. 22. c. 74.

De verbis Dom. Serm. 19.

Can. 3.

XVII. Opportuniùs infrà prolixiùsque agemus de ea, qua sanctissimi quique olim Episcopi flagrabant, Clericique cupiditate, scelerum reos & extremo addictos supplicio, subducendi Judicum vindictæ, & pœnitentiæ subjiciendi. Vim illi non simulatam intulerunt ministris publicis: quod exorare non poterant, extorsere frequenter; carceres recludi impetrarunt, larga à Principibus eam in rem impetrarunt privilegia, & Ecclesiæ suæ asseruerunt: Asyli jura & immunitates Christianis Templis vendicaverunt; & eo zeli sui fervore non sui tantùm ævi hominum, sed & posterorum laudem & admirationem consecuti sunt: quin & cœleste quodammodo suffragium, non paucis editis in eam rem miraculis. Justitia hic videbatur in speciem adversari justitiæ, Episcopalis civili, Ecclesiastica publicæ, terrena cœlestis; quanquam aliunde civili publicæque terrenorum Principum justitiæ ipsa cælestium Scripturarum authoritas patrocinaretur. Verùm ea conflictatio in cortice tantùm rerum hærebat, cùm in medulla pax vigeret & concordia. Erat enim justitiæ consentaneum, ut paci & tranquillitati publicæ Civitatum & Provinciarum consuleretur morte scelestissimorum, & publicæ salutis hostium internecione. At rursus erat consentaneum justitiæ superiori, & incomparabiliter sublimiori, ad sempiternam hominum salutem universorum, ut Clerus precibus suis exarmaret dæmones, earum impietatum principes & authores, quibus etiam justa incenduntur bella: utque reos morti eximeret corporis, quam animæ utplurimùm sempiterna mors comitaretur; eosque pœnitentiæ manciparet, qua utrique subducerentur morti, & tantò deinceps rei forent publicæ utiliores, quantò justiores. Tam discrepat gemina hæc justitiæ species, quàm finis, quem propositum habent. Nec tamen altera alteri pugnat, sed cedit & subjicitur. Hac etenim æternitatis contemplatione & cælestis Spiritûs flamma agebantur Episcopi, ut Judicum ipsi justitiæ quandoque intercederent, eisque post crueu-

tas illas in reos sententias Clericatu interdicerent.

XVIII. Est rursum quod magis mirere. Sanctissimè confirmat Ambrosius, noluisse se contaminari eorum communione Episcoporum, qui Maximum Imperatorem interpellabant, ut novæ hæreseos machinatori Priscilliano mortem inferret. *(Epist. 27.)* *Cùm viderit abstinere me ab Episcopis, qui communicabant ei, vel qui aliquos devios licèt à fide ad necem petebant, commotus eis jussit me sine mora regredi.* Censet Ambrosius Mosaico magis, quàm Evangelico efferbuisse zelo eos Episcopos, cùm Christus suam exemplo suo verboque imbuerit Ecclesiam, reos absolvere, non damnare. Instabant Judæi, ut neci dederetur mulier adultera, & imitatores eorum erant Ithaciani Episcopi, potiùs quàm Christi, qui adulteram relaxavit à pœna, ut astringeret pœnitentiæ & pœnæ diuturniori, eòque salubriori. *(Epist. 76.)* *Quæstio facta est vehementior, posteaquam Episcopi reos criminum gravissimorum in publicis accusare judiciis, alii urgere usque ad gladium supremamque mortem, alii accusationes hujusmodi & cruentos Sacerdotum triumphos probare cœperunt. Quid enim aliud isti dicunt, quàm dicebant Judæi, reos criminum legibus esse puniendos, & ideo accusari eos etiam à Sacerdotibus in publicis judiciis oportuisse, &c. Unam Christus puniri ex lege non passus est, isti minorem numerum asserunt esse punitum.*

XIX. Ithacium solum refert Severus Sulpitius accusandi partes suscepisse Priscilliani, reliquos Episcopos eo uno peccasse, quòd ab ejus communione non abstinerent; S. Martinum verò ad Maximum profectum esse Treviros, ut ipsorum hæreticorum mortem deprecaretur. *(Hist. l. 2. Dial. 3.)* *Pia erat Martino sollicitudo, ut non solùm Christianos, qui sub illa erant occasione vexandi, sed ipsos etiam hæreticos liberaret.* Et rursus alibi: *Non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret; Maximum orare, ut sanguine abstineret infelicium.* Discessit Ithacus ab Aula, post consilium à Principe initum de capitali pœna, ante judicium quidem, sed astutè & fraudulenter: *Frustra, callido scelere jam perfecto.* Semel Martinus cum Ithacianis Episcopis communicavit, cùm una ea ratione posset sistere gladium Principis, strictumque in eorum capita mucronem, quorum indulgentiam exoraturus venerat: *Satius æstimans ad horam cedere, quàm his non consulere, quorum cervicibus gladius imminebat.* Expugnari verò à Martino nunquam potuit, ut scripto confirmaret communionem illam priorem suam, cum Episcopis humani sanguinis invidia cruentatis; & vix, ac ne vix quidem condonare sibi unquam ipse potuit illam indulgentiam & condescensionem, ad quam una illum charitas impulerat. Si enim derogaverat aliquantulum Canoni cædes approbari à Clericis vetanti: sua hac ille juris remissione cædes longè plures prævertere moliebatur. Ideo & cœlis allapsus Angelus admonuit illum, Totum necessitati damnum fuisse: *Aliter exire nequisti.*

(Epist. 158.) XX. Fæliciores fuere, Augustino teste, Episcopi Itali, qui ab Imperatore Honorio veniam & impunitatem extorsere eorum Paganorum, qui in valle Ananiæ Clericos eorum conversioni incumbentes martyrio affecerant. *Ne passiones servorum Dei, quæ debent esse in Ecclesia gloriosa, inimicorum sanguine dehonestentur.* Ubi perspicuum est, Clericos adeo non ad ulciscendas eas quæ sibi irrogatæ essent injurias, publicos judices adisse, ut indulgentiam ex adverso vehementissimè orarent, & sæpissimè exorarent. Ithacus ergo Priscilliani mortem deprecari potiùs debuerat, quàm accelerare. Ideoque in Concilio Taurinatensi statutum est, ut communione arcerentur, qui se communione Ithacianorum fœdarent, convenienter Epistolia ea de re à Siricio Papa & ab Ambrosio scriptis. *(Conc. Taur. c. 6.)* *Juxta Epistolas Ambrosii Episcopi, vel Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis.*

Rursus idem alibi adnotat egregiè cum primis Augustinus, etsi Elias, aliique Mosaicorum temporum justi impiorum sanguine manus suas cruentaverint; novo Testamento allapsum cœlitus esse spiritum alium indulgentiorem, qui scelera non tam vindicari, quàm emendari velit: nec sanguine & morte aboleri, sed lacrymis, & vita deinceps castissima. *Vidit quod videndum erat, ulia licuisse tunc* *(Epist. 164.)* *justis, &c. De novo Testamento ostendi non posse, quod justus quisquam interfecerit aliquem.* Idem & ab Optato animadversum est, ideoque ait ille Petrum à Christo jussum, ut gladium reconderet in vaginam: *Christus pati venerat, non defendi.* Nec improbata *(L. 3.)* sunt ab Augustino bella necessaria: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas; Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas.* *(Epist. 207.)* Nec extingui scelestos, quorum jam desperata sit emendatio, illi displicuit: sed compluribus suis Epistolis apertum fecit, tum demum ab Episcopis laudari severitatem Principum Judicumque in reos sævientem, cùm eos vehementissimè hortati fuerint ad clementiam, justitia ipsa justiorem ac laudabiliorem. Id nos docet Leo Papa, cùm priùs verba fecisset de Priscillianistis, quos Maximus obtruncari jussit. *Profuit diu* *(Epist. 93.)* *ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones; severis tamen Christianorum Principum Constitutionibus adjuvatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.*

XXI. Antiquissimus est ergo hujus legis in Ecclesia usus: ut extorres fiant à sacris Clerici, si qui cruentis executionibus vel consilio, vel quacumque demum re suffragentur. Initia ejus deprehendi non facilè possunt. Hoc Ithacianorum exemplo nullum vel retro, vel pòst illustrius. Me quoque fugiunt initia ejus irregularitatis, qua feriuntur ii, qui non mortis, sed mutilationis alicujus membri auctores fuere. Scripsit Augustinus ad Judicem de furentibus Circumcellionibus, *(Epist. 160.)* qui cùm duos ex suis Presbyteris deprehendissent, alterum quidem interfecerunt, alteri exciderunt digitum, oculum effoderunt. *Unum trucidaverunt, alterum effosso oculo, digitoque amputato, truncaverunt.* Et mox sanctissimus Pater instantissimè orat, ut ne talionis pœna plectantur: *Ut eis paria non retribuantur.* Et alibi: *Nolumus passiones servorum Dei, quasi vice talionis paribus suppliciis vindicari, &c.* *(Epist. 159.)* *Hoc volumus sufficere, ut vivi & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine insana ad sanitatis otium, legum coërcitione dirigantur, vel à malignis operibus alicui utili operi deputentur. Vocatur quidem & ista damnatio, sed quis non intelligit, magis beneficium, quàm supplicium nuncupandum; ubi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitentia medicina subtrahitur.* Piissima & æquissima ea est Clericorum vindicta, quam experant, non mortem inferri reis, non membra truncari, sed pœnam indici, quæ unà pœnitentia sit, iis laboribus, qui corpus exerceant, animam emaculent.

XXII. Sacerdotes Ægyptiorum, sicut & Israëlitarum memorat Synesius, Sacerdotium simul atque Imperium administrasse. Itaque vitio verti illis non potuisse, si noxiorum cruore manus tingerent. At cùm Ecclesiæ sacerdotium spiritalibus functionibus sit totum dicatum, jam non posse Clericos

eas exercere dignitatea publicas, quæ impiorum facinora ultum eunt, ut in pace & otio degant innoxii. *Non & Ægyptii, & Hebræum genus longo tempore Sacerdotum imperio usi sunt. Sed posteaquam utriusque vita factum est diversum, & alia sacris, alia principatui est attributa, aliique negotiis gerendis, nos fundendis precibus præpositi sumus: quibus lex vetat manum ad jura legesque porrigere, & vel sceleratissimum interficere, &c.* (Epist. 121)

XXIII. Quod ait autem Synesius Mosaïcum & Ægyptium Sacerdotium fuciari utique potuisse, cum eo justitiæ zelo, quo impiorum sanguis funditur: non repugnabo equidem; sed submonebo tamen, ne ipsus quidem Gentiles præteriisse eam decoris & honestatis legem, quæ sacros Ministros ad clementiam invitat; utque ne mutti, sed resipiscentiæ reorum operam dent. Author est Suetonius Titum Imperatorem acquievisse lubentissimum dignitati subeundæ summi Pontificis, ut ne cujus unquam mortis judicio subscriberet: eundemque spopondisse, in seque recepisse, adeoque præstitisse id quo nihil ad animi magnitudinem mirabilius, malle inferri sibi, quàm inferri à se cuiquam mortem. *Pontificatum maximum ideo se professus accipere, ut puras servaret manus, præstitit fidem: nec author posthac cujusquam necis, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi causa non deesset: sed periturum se potius, quàm perditurum adjurans.*

XXIV. Postremis his verbis significatur haud-dubie voluntas Titi certa & constans, occidi potius, quam occidere quenquam, etiam in sui defensionem. Inquiri hic posset, an irregulares illi etiam fuerint; qui sub moderamine inculpatæ tutelæ, quempiam ne occiderentur occiderint. Sed eam præstat segregare quæstionem in alia inferius capita. Unum hic addo, Antiquos Canones pœnitentiæ addicere homicidas, non voluntarios tantùm, sed & involuntarios: eoque videri etiam eos implicate, qui sui tuendi causa & necessitate compulsi, etsi minimè velint, quempiam occidunt. Pœnitentiæ autem comes est individua irregularitas. Canones autem indiscriminatim omnes homicidas habent, nec ab aliis eos segregant, qui vitam ne perderent abstulerint. *Ut qui voluntariè homicidium fecerint, in novissimo vitæ reconcilientur. Ut qui casu homicidium fecerit, quinque annis pœnitentiam agat.* Hi sunt Ancyrani Canones à Ferrando in Breviarium conjecti. (Ferrand. Diac. Can. 153. 154.)

XXV. Venio ad aliud priscæ disciplinæ caput, ei quam hic tractamus conjunctissimum. Pœnitentia fungentes, vel defuncti, ad militiam ire, vel redire non poterant. Apertissimè Leo Magnus in Epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem. *Contrarium est omnino Ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem: cùm Apostolus dicat, Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus. Unde non est liber à laqueis diaboli, qui se militia mundana voluerit implicare.* (C. 12. 14.) Fatetur ibidem Leo innocuam per sese esse militiæ professionem: *Etsi innocens sit militia.* (C. 10.) Sed ita & cum ea & cum hominibus comparatum est, ut qui illi diutius vacant, non ferè possint non in aliquas subinde incurrere offensiones, vitæque licentiosæ nequitias. De militibus enim dici potest, quod ait ibidem Leo de Mercatoribus: Non posse ferè eos non lapsare aliquando, dum vias decurrunt tam lubricas; non posse non aliquando delabi in foveam, circa quam eamdiu incautius oberrant. *Difficile est inter vendentis ementisque commercium non intervenire peccatum.* Si militia ergo iis prohiberetur, qui pœnitentiam vel agebant, vel egerant; quòd multis prolapsionis periculis sit implicata: qui ad Clerum admissi essent milites? Summovendi utique erant ab Ordinibus milites, à quibus ablegabantur pœnitentes, qui ne militare quidem permittebantur, ne in novos inciderent scopulos innocentia, jam recuperari cœpta. Nec alia erat ratio Munerum & Officiorum publicorum, quibus & ipsis pœnitentes interdicebantur; adeoque & multò magis Clerici, propter eamdem rationem à Leone perstrictam, à Gregorio Magno expressius etiam significatam. *Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conversionem animus non redeat.* (Hom 24. in Evang.)

XXVI. Huic Capiti coronidem imponet Basilius, qui justa esse bella pronunciat, quorum sanctus & honestus est finis; & hostili etiam & bellico sanguine fœdatam manum, censet tamen triennio à communione ablegandas esse. *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur, ignoscentes iis, qui pro pudicitia & pietate decertant. Rectè autem habet fortè consulere, ut qui sunt manibus non puris, sola trium annorum communione abstineant.* (Ad Amphil. Can. 13.) Si justa gesta sunt bella, eccur toto triennio abstinentur militea participatione sacræ Hostiæ, qui ejus forsan gloriæ, qui certè justitiæ tuendæ sanguinem suum impenderunt? Testatur Balsamon eum Canonem, quanquam Basilii nomini & sanctitati consentientem, in usum nunquam fuisse vocatum, quod is milites à communione in perpetuum excluderet. Eo tamen eo Clypeo munierunt se Græci adversùs Phocæ Imperatoris irreligiosos conatus, cùm Martyrum albo inscribi vellet milites omnes qui in bello caderent. (De Pœnit. L. 5 c. 14.) Demonstratum est à Morino nostro plures Latinorum Basilio subscripsisse, idem sensisse, idem etiam secutos esse. Utcumque se res habuerit, multò æquius fuit milites Clericatu in perpetuum ablegari, quam aliquanto tempore à communione.

Porro cùm irregularitates hæ omnea Militum, Judicum, Curialium, & ratiociniis publicis obligatorum, tantopere inter se cohæreant, non immerito hic contextæ fuere omnes, quod ad primam Ecclesiæ ætatem attinet; similiterque deinceps unà contexentur, observatio tantum temporum discrimine.

CAPUT LXVII. *P. 2. l. 2. c. 21.*

De Servorum & Curialium irregularitate, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Episcopatus absolvit à patria potestate.
II. Et à Curialium servitute.
III. Variæ Justiniani leges in Clericos qui ordinantur.
IV. De eadem re leges Ecclesiæ Hispanicæ.
V. Non sinunt Concilia Gallica, ut Clerici Majores rursus in servitutem revocentur.
VI. De libertis & servis Clericorum.
VII. His consonans Gregorii Magni doctrina.
VIII. Mauricius Imperator Curiales Clericatu excludit. Ei legi assentitur Gregorius Papa.
IX. Sed illi alteri refragatur legis capiti, quo à Monasteriis quoque excludebantur.
X. XI. XII. Ratio hujus discrepantiæ. Quantum distaret Clerus à claustris.
XIII. XIV. Qua occasione cœperint sæculares Clericatum vehementius ambire.
XV. XVI. Poterant & Curiales aliquando tandem Clero inseribi, post diutina experimenta.

I. Servitus cum Regio Christi sacerdotio copulari nulla ratione potest. Quin & à potestate patria summus Sacerdos Episcopus eximitur. Cùm eodem privilegio Patritios ornaret Justinianus, iniquum & præposterum esse aiebat, ut Patres Imperatorum cùm essent, sub alterius essent potestate.

Novell. 81. Praef. c. 1. 3.

Non enim decens putavimus, ut hos, quos nos in officium Patrum provehimus nostrorum, hi sub aliena sint potestate. Illud quoque adnotat, ipsam militiam, & vel minimam quamque publicam dignitatem, usque adeo sociari non posse cum servitute, ut qui his donantur non nesciente domino, ab ejus servitio statim absolvantur. *Nam si sancivimus, ut si quis servus sciente domino mereatur militiam, aut quamlibet dignitatem adipiscatur, repente ab imperio liberetur, & in ipsam rapiatur ingenuitatem, &c.* Sua Episcopi inauguratione fidelium omnium Patres evadunt, ita jam non possunt ipsi sub patria cujusquam esse potestate. *Palam est sanctissimis Episcopis ipsa ordinatione etiam suam potestatem acquiri. Qui enim omnium sunt spirituales Patres, quomodo sub alienâ potestate consistant?*

II. Multò æquius erat, ut à servitute eximeret Episcopatus; idque etiam alia Constitutione sancit idem Imperator.

Novell. 123. c. 4.

Post ordinationem verò servili & adscriptitia fortuna Episcopos liberos esse præcipimus. Illud quoque ab eo declaratum est, Episcopatu infringi omnes eorum compedes, qui *Curiales* & *Officiales* vocabantur, et qui mancipati essent muneribus, quæ vincula potius servituris, quam ornamenta cujusquam dicenda fuissent dignitatis; dummodo ordinati fuissent antequam ejusmodi ordinationes lege à se data, aut innovatæ prohiberentur.

Novel. 123. c. 17.

III. Quoad alios Ordines, si ordinaretur servus, domino conscio, nec reclamante, jam hinc liber erat, silentio ipso consensum præ se ferente. Si inconsulto domino ordinaretur, intra anni spatium reperi poterat; eo elapso jam non poterat. Si ad eum modum libertatem nactus, à Clericatu deficeret, in pristinæ servitutis nexus relabebatur. Qui verò terræ potius quam domino mancipati erant, ordinari poterant, invito etiam domino terræ, dummodo in ejusdem ditionis ambito, & eorumdem agrorum cultoram exercerent.

Cod. l. 1. De Episc. & Cler. c. 36 Novel. 5. c. 2.

Adscriptitios autem in ipsis possessionibus quarum sunt ascriptitii, Clericos etiam præter voluntatem dominorum fieri permittimus; ita tamen ut Clerici facti impositam sibi agriculturam adimpleant. Si denique servi triennium totum in Monasterio exigant, nec repetantur à domino, jam tum liberi sunt, nec à Monastica deinceps abstrahi possunt professione.

IV. In Hispania poterat Episcopus servos Ecclesiæ libertate donare & tum ordinare: si duplicato hoc beneficio ad eximia quædam virtutis incrementa excitarentur, ad Ordines vocabantur superiores: si ea gratiarum largitate abuterentur, bono spoliabantur, quo pejores fiebant.

Can. 11.

Qui ex familiis Ecclesiæ, servituri devocantur in Clerum, ab Episcopis suis liberari necesse est, ut percipiant donum: & si honesta vita claruerint meritis, tunc demum majoribus fungantur officiis: quos verò flagitii sordidaverit incorrigibilis noxa, perpetua servitus conditionis religet in catena. Hæc constituta sunt in Concilio Toletano IX. ubi liquebat, non vilescere oculis Ecclesiæ servos, eo uno quod servi sint: cùm qui virtute clarebant, hi ad summas vocarentur dignitates, quanquam servi fuissent; cùm denique in ipsa servitute tyrocinia possent poni earum virtutum, quæ Clericatum maximè, & deceant, & promereantur.

Hinc est, quod Emeritense Concilium Parochis præcepit, ut juniores Ecclesiæ suæ servos iis imbuerent litterarum & virtutum rudimentis, ut hinc adsciscei possent Clerici, Ministrique & adjutores ad sacra munia. *Parochiani Presbyteri, juxta ut in rebus sibi à Deo creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesiæ suæ familia Clericos sibi faciant: quos per bonam voluntatem ita nutriant, ut & Officium sanctum dignè peragant, & ad servitium suum aptos eos habeant.* Can. 18. Quæ Regulæ non se porrigunt nisi in servos Ecclesiæ, in quos summa illi potestas erat, ut cum luberet, manumitterentur. Privatorum autem servos, si ita domini manumitterent, ut aliqua sibi in eos jura & obsequia retinerent, Concilio Toletano IV. visum est irregularitate non solvi. *Qui verò retento obsequio manumissi sunt, pro eo quod adhuc à Patrono servitute tenentur obnoxii, nullatenus sunt promovendi.* Can. 73.

V. Venio ad Canones Ecclesiæ Gallicanæ, summa prorsus in hac maximè parte admiratione dignos. Statuit enim Concilium Aurelianense I. ut si servus Presbyteratu, vel Diaconatu exornaretur inscio domino, Episcopus duos ei restituere servos alios teneretur, siquidem conscius esset servilis eorum conditionis: si nescius erat Episcopus, tum domini damnum resarciri debere ab eo, qui Ordinationi præsentarat, vel qui testimonio suo juverat. *Si servus absente, aut nesciente domino, & Episcopo sciente quod servus sit, Diaconus aut Presbyter fuerit Ordinatus: ipso in Clericatus officio permanente, Episcopus eum domino duplici satisfactione compenset. Sin verò Episcopus eum servum esse nescierit, qui testimonium perhibent, aut eum supplicaverint ordinari, simili redhibitione teneantur obnoxii.* Can. 8. Ergo ad eum modum sejungi non poterat ordo sacer à libertate; nec Episcopus solus, ut à Justiniano declaratum fuerat, sed & Presbyter & Diaconus, cùm secundo sint, tertioque in gradu sacerdotii Christi, in servitutem revocari nunquam poterat ex his Ecclesiæ Gallicanæ decretis.

Aurelianense verò Concilium V. decrevit, ut servus si quis præter assensum domini ordinatus esset, obsequia illi solita exhiberet, quæ quidem Ordinis sui dignitati non obstreperent; si qua verò exigeret dominus indecora & importuna, duos Episcopus servos restitueret pro eo qui ordinatus esset. *Si sæcularium servus esse convincitur, ei qui ordinatus est, benedictione servata, honestum ordini domino suo impendat obsequium. Quod si sæcularis dominus amplius eum voluerit inclinare, ut sacro Ordini videatur inferre injuriam, duos servos, sicut antiqui Canones habent, Episcopus, qui eum ordinavit, domino sæculari restituat; & Episcopus eum quem ordinavit, ad Ecclesiam suam revocandi habeat potestatem.* Can. 6.

VI. Cùm liberti verò nexibus adhuc nescio quibus Patrono essent implicati, vetat hæc Synodus eos ordinari, nisi cum illius assensu. Si Clerici porro essent, quorum servi citra eorum consensum ordinati essent, servi iidem restituebantur domino, nec alii pro eis substituebantur; propterea quod nemo non sibi persuaderet, Clericum à Clerico, tametsi dominum à servo, nihil obsequii postulaturum, quod Clericatum dehonestaret. Nec his adversum quidquam præcipitur Canone Concilii III. Aurelianensis, sed generali tantùm legi robur adjicitur novum, ne ordinentur servi, & ne ii quidem qui agris colendis ascripti erant. Can. 26. *Ut nullus servilibus colonariisque conditionibus obligatus, juxta statuta sedis Apostolicæ, ad Ecclesiasticos honores provehatur.* His

postremis levamenti postea aliquid addidit Justinianus, cujus suprà jam dixi.

VII. Universim ab Ordinibus sacris exclusit Gregorius Magnus omnes prorsus, qui quocumque servituris vinculo tenerentur, convenienter antiquissimis Sedis Apostolicæ statutis, quæ modò à Concilio Aurelianensi III. commendabantur. *Ne vel Curia, vel cuilibet conditioni obnoxium ad sacros Ordines permittas accedere.* (L. 1. Ep. 25.)

VIII. Inde est quod & Curiales, hoc est, minorum urbium Senatores, in irregularium classem referebantur, quòd eorum tum personæ, tum res vinculo publicæ servitutis constringerentur. Eoque etiam in numero habendi sunt, qui publicis administrationibus functi fuerant, donec rationibus reddictis absoluti essent. Cùm in eam rem Mauritius Imperator legem promulgasset, vehementer illi applausit Gregorius Magnus, ex eo quidem capite, quo Canones antiquissimos confirmabat, Clericatuque interdicebat eos, qui administrassent res publicas, & necdum se iis ratiociniis explicassent. *Dominorum pietas sanxit, ut qui quis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valde laudavi, evidentissimè sciens, quia qui sæcularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere.* (L. 2. Ep. 61.)

IX. At magna animi zeli que contentione reluctatus est Gregorius alteri ejusdem legis capiti, quo janua etiam Monasteriorum his omnibus intercludebatur. Monuit enim Imperatorem, posse Monasteria succedere in eorum rationes & debita, atque urbibus satisfacere. *Quod verò in eadem lege dicitur, ut ei in Monasterio converti non liceat, omnino miratus sum, dum & rationes ejus possint per Monasterium fieri, & agi potest, ut ab eo loco, in quo suscipitur, debita ejus solvantur.*

X. Itaque Clero & Claustro multum Gregorius interposuit discriminis. Concessit enim Clero eliminandos, qui rationibus publicis obligati adhuc essent: quod & alibi sursum firmavit de Curialibus: *Ne obnoxius Curiæ compellatur post sacrum Ordinem ad exactionem publicam redire.* At postquam absoluti fuerant ratiociniis publicis, in Monasteria devolare concessit. *Quod si etiam tales Monasterium petant, suscipiendi nullo modo sunt nisi prius rationibus publicis absoluti fuerint.* Hoc temperamento sanctissimus Pontifex Imperatoriam legem mitigavit. (L. 3. Ep. 26.) (L. 7. Ep. 11.)

XI. At cùm objiceretur posse hos etiam post rationes redditas, & exsoluta debita, non sine Ecclesiæ subsidio aliquo eis præstito: posse, inquam, tum liberos videri, & Clero ascribi. Respondebat Gregorius posse adscribi & Clero, sed tardiùs & circumspectiùs: *Hoc maximè exhortant, quod hi qui sæculi actionibus implicati sunt, in Clero Ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt.* Hoc alterum est delinimentum, quo Gregorius legem Mauritii temperavit, quando ejus diploma ad Metropolitanos omnes sui Exarchatûs transmisit, pro recepto more Patriarcharum. (Ibidem.)

XII. Tardiùs autem admittendorum in Clerum, quàm in Monasteria Curialium, & aliorum id genus, ea prompta & obvia suberat ratio, quod adeundæ Monasticæ professionis propositum manare non poterat, nisi a voluntate sincera & casta profitendæ pœnitentiæ, & amplexandæ in posterum unius æternorum charitatis: cum Clericatûs cupiditas posset ex carnali terrenarum vel opum, vel dignitatum libidine profluere. *Quia dum in Ecclesiastico habitu, non dissimiliter quàm exierant, vivunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutare.*

XIII. Refricanda hic verò memoria eorum est, quæ suprà adduxit jam in Gregorii Magni vita Joannes Diaconus: profligatos ejectosque fuisse ab eo Laicos omnes a Pontificio Palatio, & ab administratione patrimonii Ecclesiæ sacri: Clericos verò in eorum locum adscitos: tum verò Laicos, ut ne sibi deessent, non jacturam facerent tanti & splendoris & lucri, irrupisse quodammodo in Clerum, & attonderi se voluisse, non ut terrenas circumciderent cupiditates suas, sed ut avaritiæ & ambitioni servirent in Clericali veste & professione, qua his maximè vitiis bellum indicitur. *Nemo Laicorum quodlibet Palatii ministerium, vel Ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia Ecclesiastici juris munia Ecclesiastici viri subibant, nimirum laicis ad armorum solam militiam, vel agrorum curam continuam deputatis. Ob hocce nonnulli Procerum sub obtentu religionis primo tonsurare cœperunt. Quorum tergiversationi Mauritius Imperator prudenter occurrens, data lege præcepit, ut quisquis fuisset publicis administrationibus implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceret. Quam legem Gregorius super hoc valde laudavit, dicens: Qui sæcularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, non relinquere cupit sæculum, sed mutare.* (L. 2. c. 35.)

XIV. Ubi observari æquum est, nec Clericatui, nec verò Ordinibus sacris studuisse mancipia hæc terrenarum cupiditatum, sed Officiis Palatinis, administrationi patrimonii sacri: ideoque non animum, non vitam sæcularem exspuere eos voluisse, sed aliis eam oblectare nugamentis. *Ecclesiastica officia, Palatii ministerium, Patrimonii Ecclesiastici procuratio.* Nec enim ambigere quisquam potest, quin immensa quædam intercapedo & distantia sit hinc Clerici, qui longis virtutum rudimentis imbutus, & æternorum charitate incensus, res Ecclesiæ temporales administrat, nullo sui amoris glutino, nullo privatæ voluptatis sensu, ingemiscens potiùs quàm adgratulans sibi: unoque perfusus gaudio pauperibus subveniendi, suique dejiciendi ad functiones tantò humiliores, quantò à spiritalibus alieniores: inde Laici qui res Ecclesiæ temporales tractat & administrat, tanquam ambitionis & avaritiæ materiam valde opportunam. Clerici quibus Palatinas & Ecclesiasticæ rei administrationes commendabat Gregorius, ejusmodi erant quales primò delineavi: quos autem arcebat Mauritii lex à Gregorio temperata, alterius hujus erant ordinis. Ideo & Gregorius unam maximè damnabat præposteram festinationem. *Festinant præpropere.* Si enim ratiociniis se primùm publicis extricassent, si deinde in Clero non ambissent, nisi inferiora minorum Ordinum subsellia, si vel maximè ad hæc adeunda longo se religiosarum virtutum tyrocinio expurgassent, nequaquam illis occludi potuisset aditus in Clerum.

XV. Præluxerat in eam rem Justinianus, admissis etiam ad Episcopatum Curialibus, qui ab adolescentia in Monasteria subiissent, abdicata antè quarta parte bonorum suorum, ad onera ea exolvenda, quibus sui eos natales subjecissent. *Et neque ex Officiali, aut ex Curiali veniat fortunâ: nisi tamen ex novella ætate, secundùm quod jam dispositum est, in Monasterio constitutus, fortunâ liberetur, quartam tamen prius substantiæ reddens Curiæ.* (Novel. 6. c. 1.) (Novel. 38.)

Alia verò quapiam Constitutione edixit Imperator, ut quindecim saltem annos conversati essent in

exercitiis antè Monasticis, quàm ad Episcopatum extollerentur. *Curialem vero, vel Officialem, qui quindecim annis in Monasterio conversatus est, & ad Episcopatum provocatus, liberum esse propriâ fortunâ, ita tamen ut liberatas à Curia quartam partem sua substantia sibi retineat, reliquis ejus rebus secundùm nostram legem Curia, & fisco vindicandis.* Liberum etiam esse vult, ut ad minores Ordines suscipiantur, qui eisdem nascendo vinculis innexi, per annos quindecim in Monasteriis decursos, singulari pietate claruerint. Edixit denique Justinianus in Lege Codicis, qui hactenus ex Curialibus Presbyteratu exornati fuissent, fruerentur privilegio, quod Theodosius & Valentinianus lege publicassent, ut Presbyteratu ipsi quidem fungerentur, domiois verò per substitutos ministrarent: at in posterum si qui ejusmodi ordinarentur Presbyteri, ii & eo honoris gradu ejicerentur, & in originis suæ loca servitutem suam obituri ablegarentur.

Novel 123. c. 1.

Ibid. c. 15.

Novel. 137. c. 2.

Cod l. 1. De Epis & Cler. Lege 52.

XVI. Servitutes ergo hæ publicæ & civiles Decurionum, Curialium, & Officialium, & Administratorum publicorum: arcebant illæ quidem à Clericatu, non à Monasteriis, per quæ postea in Clericatum ipsum aditus panderetur. Prima harum legum quartam tantùm partem bonorum Curialis Monasterium ineuntis detruncabat: leges sequentes tres partes totum Curiæ municipali addicebant. Quæ harum legum concordia excogitari possit, non satis video; nisi fortè Justinianus ipse à prima sua decessit sententia. Sed illud mihi constat, ipso ingressus in Monasterium tempore eam rerum vel pecuniæ summam dependendam fuisse, ut eo veluti pretio libertas redimeretur.

CAPUT LXVIII. *P. 2. l. 2. c. 22.*

De Irregularitate Militum, & eorum qui occidunt, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Milites duplici ratione irregulares, & propter servitutem ipsius militiæ, quam sunt professi, & propter sanguinem quem fundunt.

II. Milites Gregorius in Claustra admittit, diu probatos. Qua de causa.

III. Qui dominorum consensus minùs necessarius esset, cum agebatur de militibus, & servis Ecclesiæ.

IV. Qui sanguinem fundunt, sacerdotio obstinentur.

V. Conciliorum Hispaniæ mitigationes.

VI. Non [illegible] in eas obser[illegible]ntur.

VII. Rursus de Mauritii lege à Gregorio temperata.

I. ERant & milites irregulares, Ordinumque & Clericatûs extorres, tum ob servitutem, quam ipsa profitenda militia induerant, tum ob fundendi sanguinis quandam necessitatem. Observat quidem Gregorius lege Mauritii, tantis ejus querelis impetita, prohibitos fuisse Clericatu Administratores publicarum rerum, milites autem Monasteriorum aditu; non ait autem Clericatu eam militibus interdixisse, ut qui nunquam illis paruisset.

L. 2. Ep. 62. 65. L. 7. 11.

II. Nec prohibere potuit lex Mauritii, quin Gregorius ad professionem Monasticam admitti juberet milites, diutiùs probatos, nempe Novitiatûs triennio, quod in sæculari veste peragebant. Si eo postea virtutum studio inflammarentur, quòd Monachos deceret, non Clericatu duntaxat, sed & summis Cleri dignitatibus ornari posse censebat, dum ne quo eorum scelerum sordidassent manus, [illegible] hos lex [illegible] indicit. Favet & Joannes Diaconus in Gregorii vita huic sententiæ, de militibus servisque Ecclesiæ, qui turmatim in Clerum irruebant. Non statim illis unquam aditum ad Clerum patefaciebat, ne servitutis potiùs humanæ fuga, quàm divinæ amor illos ageret & incitaret ad Clerum. Sed post triennalem probationem Monasteriorum illis fores pandebat; si autem diutino Monasticarum virtutum curriculo exhausto, sacerdotio jam non impares viderentur, eo donari jubebat. *Verùm dum ad Clericalem professionem, tam ex Ecclesiastica, quàm ex sæculari quoque militia, diversis occasionibus quotidie, penè innumerabilis multitudo conflueret; Pastor ad omnia providus, nequaquam eos ad Ecclesiastici decoris officium, sed ad capiendum solummodo Monachicum propositum suscipiendos esse censebat, dicens: Multos ex Ecclesiastica familia, seu sæculari militia novimus ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi, in divino servitio valeant familiariùs in Monasteriis conversari. Quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi Ecclesiastici, vel sæcularis juris dominium, occasionem præbemus. Si verò festinantes ad omnipotentis Dei servitium, incautè retinemus, illi invenimur negare quædam, qui dedit omnia. Unde necesse est ut si quis ex juris Ecclesiastici, vel sæcularis militiæ servitute ad Dei servitium converti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus. Et si mores ejus atque conversatio bono desiderio illius testimonium perhibuerint, absque ulla retractatione servire in Monasterio omnipotenti Deo permittatur, ut ab humano servitio liber recedat, qui in divino amore districtiorem subire appetit servitutem. Si autem & in Monachico habitu secundùm Patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conversatus, post præfixa sacris Canonibus tempora, licenter jam ad quodlibet Ecclesiasticum officium provehatur; si tamen illis non fuerit criminibus maculatus, quæ in Testamento veteri morte mulctantur.* L. 4. c. 16.

III. Servos Ecclesiæ & milites Imperii in eadem hîc quidem classe collocat Gregorius: quòd militia ipsa quoque tot annorum quodammodo servitus esset, quot stipendia facere tenebantur milites, ex variis variorum Imperatorum decretis. 2. Non jubet Pontifex expectari assensum dominorum, ut pateant Monasteria vel Ecclesiæ servis, vel militibus. Secus autem de sæcularium servis. Ratio in promptu est. Quòd non tam stricta servitus esset militum, quàm verè servorum. Quoad Ecclesiæ servos, non poterat non longè clementius & suavius esse Ecclesiæ in eos dominium; & tantum abest, ut eorum conversioni ac saluti obicis aliquid aut morarum objicere posset, ut contra viam ipsam aperire, dilatare & complanare deberet. 3. Itaque duo tantùm præcavenda erant in servis Ecclesiæ & militibus; ne falsæ conversionis prætextu ignavi quique ab exercitu desciscerent, & ne simulatores se quidam magis quàm sinceri pietatis æmulatores, servitutem Ecclesiæ detrectarent. His malis obviabatur, tum longo illo antè tyrocinio, de quo suprà, tum Monasticarum institutionum asperitate. In pœnitentia enim & austeritate vitæ Monasticæ decurri videbatur servitus quædam & militia speciosior duriorque, quàm illa quam fugitabant. *Ut ab humano servitio liber recedat, qui divino amore districtiorem subire appetit servitutem.*

IV. Jam quoad aliud caput de fundendo humano sanguine, Zachariam Papam percunctatus est sanctus Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, de Episcopis quibusdam bellacibus, qui cum exercitibus proficiscebantur, qui palam coramque in

acie manus conferebant, manusque promiscuè Paganorum Christianorumque cruore contaminabant. *Pugnant in exercitu armati, & effundunt propria manu sanguinem hominum, sive Paganorum, sive Christianorum.* Responsum est à Pontifice discingi & deponi debere Episcopos, Presbyteros, Diaconosque, qui humano cruore manus imbuissent. *Aut si sanguinem Christianorum, sive Paganorum effuderunt, &c. ne permittas sacerdotio fungi.*

Conc. Gall. To. 1. p. 330. 333.

V. Aliquantò mitiùs consuluerat Concilium Ilerdense in eos Clericos majores, qui dum urbes obsiderentur, sanguinem hosticum fudissent. Monet Concilium manus eas quæ mysticè Agnum cælestem immolant, fundùntque ejus immaculatum sanguinem pro omnium hominum salute, tingi non debere hominum ipsorum sanguine & cæde: eo flagitio contaminatos pœnitentiæ per biennium addici; jejuniis item, vigiliis, eleemosynis, jugique precum sacrificio: ut strenuè hoc stadio decurso, suis restituantur Ordinibus, superioribus omnino abigantur. *De his Clericis, qui in obsessionis necessitate positi fuerint, id statutum est, ut qui altario ministrant, & Christi sanguinem tradunt, & vasa sacro officio deputata contrectant, ut ab omni humano sanguine etiam hostili abstineant. Quod si in hoc inciderint, duobus annis tam officio, quàm communione priventur: ita ut his duobus annis vigiliis, jejuniis, orationibus & eleemosynis, pro viribus quas Dominus donaverit, expientur, & ita demum officio vel communioni reddantur, ea tamen ratione, ne ulteriùs ad officia potiora provehantur.*

Can. 1.

VI. Multa hoc Canone lenimenta hujus irregularitatis continentur. 1. Presbyteri ipsi & Diaconi, qui dum hostes urbem circumvallatam obsident, eorum quempiam interemerint, post biennalem pœnitentiam & suspensionem, sese suosque Ordines recuperant. 2. Ne subjiciuntur quidem Clerici minores huic pœnæ. Unde & illis hæc tota prorsus remittitur irregularitas. 3. Multò minùs ergo hinc irregularitas militibus imminet, si postea cælesti se militiæ inscribi ambiant. Ita opportuniùs tunc dispensabatur in necessitate inevitabili propugnandæ urbis quæ obsideretur; quàm fuisset in ejus oppugnatione. Non improbabat Gregorius, Monachos Clericosque suo ordine operas commodare suas ad murorum obsessæ urbis tuitionem. In enarrandis Justiniani bellis in Perside, Theophanes, & ante eum Procopius, silentio non præteriere Monachorum excubias ad murorum defensionem.

L. 7. Ep. 75.

VII. Nec præteriri fas est hoc saltem loco, quid in prioribus Decretis suis novatit tandem Gregorius, circa militum Monasticum secessum. Prohibuit enim eos inconsulto se admitti, vel ante biennii tyrocinium attonderi. Certè postremum hoc decretum ad omnes pertinet Monachos. Vide quid ad Episcopum Neapolitanum perscribat. *Monasteriis omnibus fraternitas vestra districtiùs interdicat, ut eos quos ad convertendum susceperint, priusquam biennium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare.* Et infrà: *Miles verò si converti voluerit, nisi priùs nobis renuntietur, nullus eum sine nostro consensu, qualibet præsumat ratione suscipere.* Eo jam capite legem Mauritii emollierat. Vetuerat Imperator in Monasteriis suscipi milites. Id mitigavit Gregorius, concesso ut post biennii probationem susciperentur. Denique vendicavit ipse sibi examen & judicium vocationis militum, ne laborum potiùs & vexationum corporalium fuga, quàm cælestium virtutum & spiritalium deliciarum amore excitarentur.

L. 8. Ep. 23.

CAPUT LXIX. *P. 2. l. 2. c. 23.*

De Irregularitate Judicum criminalium & capitalium causarum sæculo VI. VII. & VIII.

I. Prohibent Concilia Hispania, ne Clerici ipsi pronuntient, aut à Judicibus quos in potestate sua habent, pronuntiari sinant, & executioni mandari capitales sententias, vel mutilationis.

II. III. Varia eorum Conciliorum exempla.

IV. In eos Canones aliqua adnotantur. Non inclementer tantùm alias ageretur, sed in multos peccaretur.

V. VI. Eadem in Galliis disciplina & impunitatis reis procuranda ratio.

VII. Imperatores ipsi majoribus Festis reos carceribus eximebant.

VIII. Non omnes tamen, sed tum modo.

I. Nec criminalium causarum potest quisquam Clericus judex fieri, nec earum judex qui fuit, in Clerum postea cooptari. Non sinit Emeritana Synodus, ut Episcopus in quemquam reum decernat pœnam mutilationis. Si tanta sit criminis atrocitas, debet ejus animadversionem Episcopus publicos ad Judices transferre, quamvis de servo aut liberto Ecclesiæ agatur. *Placuit ut omnis potestas Episcopalis modum suæ ponat iræ; nec pro quolibet excessu cuilibet ex familia Ecclesiæ aliquod corporis membrorum sua ordinatione præsumat extirpare, aut auferre. Quod si talis emerserit culpa, advocato Judice civitatis, ad examen ejus deducatur, quod factum fuisse asseritur. Et quia omnino justum est, ut Pontifex sævissimam non impendat vindictam, quidquid coram Judice verius patuerit, per disciplinæ severitatem, absque turpi decalvatione maneat emendatum; & ab Episcopo suo, aut donatus fidelibus suis, maneat, qui malum aliquid, quod leges graviter damnant, admisit, aut abigendi eum Episcopus licentiam habebit, &c.* Ne tum quidem ex hoc Concilio debet permittere Episcopus, ut Judex publicus toti cedat legum rigori; meminisse verò, se Vicarium esse summi ejus Pontificis, qui cœlis in terras delapsus est, non ut damnet, sed ut servet noxios. Can. 15.

II. Adjicitur mox ibidem in eodem Canone, si Presbyter aut Parochus exitiali ægritudine conflictatus, suspicatur, alicujus Ecclesiæ servorum præstigiis & maleficio eam sibi incussam fuisse: non posse eum vel aliquo corporis membro illos mutilare, vel quæstionis tormentis addicere: sed judicium implorare Episcopi, qui examinatores delegabit & Judices, qui ad eum de re tota referant, ipse verò pronuntiet quid optimum factu, ut serpenti malo occurratur. *Episcopus datis bonis hominibus ex latere suo, judicem hoc jubeat quærere, & si sceleris hujus causa fuerit inventa, ad cognitionem Episcopi hoc reducant, & processa ex ore ejus sententia, ita malum extirpatum maneat, ne hoc quisquam facere præsumat.* Definitiva hæc sententia Episcopo servatur integra, quamvis criminalis esset causa: propterea quod non criminaliter urgebatur, sed civiliter: immo ad ingenium & mores Cleri: hoc est, ut expiaretur crimen, nec noxius tamen aut morte lueret, aut membri truncatione. *Ne potestas Episcopalis pro quolibet excessu cuilibet ex familia Ecclesiæ aliquod corporis membrorum, sua ordinatione præsumat extirpare.* Ubi advertis non meras hîc adhiberi protestationes, seu obtuntiationes, quibus verbo tenus prohiberentur Judices cruenta inferre supplicia; sed re & factis prohiberi.

III. Eandem clementiæ legem Concilium To-

letanum XI. innovavit, inculcavitque Clericis omnibus majoribus, quos depositioni, & excommunicationi non ante obitum revocandæ subjecit, si unquam ita sævirent, ut mortis, vel mutilationis
Can. 6. sententiam in quemquam ipsi proferrent. *His à quibus Sacramenta Domini tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet, & idea magnopere talium excessibus prohibendum est, ne indiscreta præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria judicare præsumant, aut truncationes quaslibet membrorum quibuslibet personis, aut per se inferant, aut inferendas præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut Ecclesia suæ familiis, aut quibuslibet personis tale aliquid fecerit; & concessi Ordinis honore privatus, & loco suo, perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo; cui tamen Communio exeunti ex hac vita neganda non est, propter Domini misericordiam, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.*

IV. Duo hic quædam occurrunt, quæ animadverti interfit. Primum est, si Canone hoc posteriori prohibeatur tantum Clericus ipse pœnam mortis indicere, sinaturque pati ut eam Judex sæcularis infligat: priori autem sanciatur, ut summa judicii sit penes Episcopum, qui non patiatur capite, vel membri truncatione quemquam sceleris pœnam luere: ejus discriminis causam eam esse quod priori agatur de servis Ecclesiæ, qui unius Episcopi ditioni & jurisdictioni subessent: in posteriori verè de quibuslibet promiscuè, qui non subsint etiam jurisdictioni Ecclesiæ. Alterum est, si Clericus in quenquam capitalem sententiam, aut mutilationis pronunciaret, quamlibet justissimam, ipsum tamen ingenti obstringi piaculo, nec mitiori pœna feriendum, quàm quæ hoc Toletano Canone infligitur. Itaque non ea solum esset inopia mansuetudinis, & clementiæ: sed nefaria Christi sacerdotii contaminatio, quæ ipsi tantò acerbius luenda foret, quantò justitiæ ipsi invidiam faceret, dum ex ea sibi justam accerseret damnationem.

V. Exemplis certior & illustrior res fiet. Compilata fuerat à prædonibus Ecclesia beati Martini Toronensis. Adeo non in ultionem sacrilegorum, & furum exarsit Gregorius Archiepiscopus Turonensis, qui rem ipse narrat, ut ad Chilpericum Regem scripserit, quo veniam ipsis oraret, quam & exoravit: atque ita Martini injurias ulcisceretur, non alia ratione, quàm qua ipse ultus esset, gratià
L. 6. c. 10. & remissione. *Tunc ergo metuens ne ob illius causam homines morerentur, qui vivens in corpore pro perditorum vita sæpius deprecatus est, Epistolam Regi precationis transmisi, ne nobis non accusantibus, ad quos persecutio pertinebat, hi interficerentur. Quod ille benignè suscipiens, vita restituit.* Commemoratum est ab eodem Gregorio, ut Presbyter sancti Quintini apud Augustam Veromanduorum, cùm Judici indicasset eum, qui equum sibi furto subduxerat, non potuerit eum postea Judicis ipsius manibus extorquere, nec extremo supplicio. Exorabilior judice fuit beatissimus ipse Martyr Quintinus, & reum furcis mortisque faucibus subtraxit, Presbyteri misertus, qui incredibilem in modum excruciabatur, nec concoquere poterat infamiam, qua aspergebatur, qui reo mortis author fuisset. *Ne mihi fiat in*
De Mirac. B. Martin. L. 1. c. 3. *opprobrium, si per meam accusationem moriatur hic homo.* Tametsi enim nihil intactum intentatumque reliquisset, ut judicis animum molliret, revocaretque à sævitia, non eo tamen contentum se esse debere ducebat, ut famæ, ut ordini, ut conscientiæ etiam suæ consuleret. Missa facio exempla alia, ubi De Gloria Confess. c. 72.
cælestibus etiam portentis declaratum est, quàm alieni & puri esse debeant Presbyteri, Clericique à cruenta etiam facinorum ultione.

VI. Cæsarius Arelatensis Archiepiscopus, ut primum rescivit, Delatorem eum, qui obtrectationibus apud Principem suis in exilium se agi perfecerat, ipsummet tandem lapidatione damnatum, & mox periturum esse, protinus advolavit, ut illi à terreno Principe remissionem pœnæ, à cælesti Rege criminum pœnitentiam impetraret. *Populo ad lapides currente, subito ad aures viri Dei jussio Regis perfertur. Properat illico, & sua intercessione, maluit accusatorem suum servare agenda pœnitentia, quàm justa animadversione puniri, &c. Et hosti domestico clementer ignoscens, antiquum adversarium in una re bis vinceret.* Vita Cæsar. n. 10. L. 1. apud Surium die 27. August.

VII. Imperatoribus verò ipsis & Magistratibus usque adeo persuasum erat, immortalis Agni sacerdotes non posse non omni virium contentione eniti ad reos morti subducendos: ut eo ipso tempore & die, quo primum cælestis illa Hostia aram cruentavit pro omnium salute, suique sacerdotii hæreditatem Apostolis consignavit, carceratos omnes solverent, & liberos abire sinerent. Audi quid de ea re Eligius disserat Episcopus Noviodunensis:
Vocatur hac dies Cœna Domini, &c. Hac die pœnitentibus per indulgentiam subvenitur, discordes ad concordiam hodie redeunt, pacificantur irati judices, & jam latronibus parcunt. Patefiunt carceres in toto orbe, dant indulgentiam Principes criminosis, servis malis indulgent domini. Si ita Principes & Judices ipsi afficiebantur, semel anno quolibet cum ad Christi mysteria accedentes, ejus quodammodo spiritu imbuebantur: nonne eodem semper spiritu sacerdotes indui æquum erat, cùm eadem quotidie Agni mysteria celebrent, & omnis eis dies Pascha sit? Hom. 10.

Potuissent huc congeri leges Bojoaricæ, Alemannicæ, aliæque id genus complures, quæ sexto maximè, septimoque sæculo viguerunt; & quibus quisquis Presbyteros, Monachos, & Episcopos sauciaverit, mutilaverit, interemerit, non morti unquam, sed pecuniariæ tantum mulctæ addicitur. Landericus Episcopus Parisiensis Abbatiæ sancti Dionysii cessit ac dono dedit emendas omnes eorum pecuniarias, qui Clericos in territorio sancti Dionysii, aut vulnerassent, aut affecissent morte.

VIII. Codici suo inseruit Justinianus eam Theodosii Magni Constitutionem, qua Paschæ die jubebantur recludi carceres omnes, dimitti rei. *Ubi* L. 1. Cod. de Episc. Aud. leg. 3.
primus dies Paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula dissolvantur. Excipit quidem Theodosius enormis quædam crimina, sacrilegia, adulteria, stupra, incestas copulas, raptus, violata sepulcra, homicidia, crimina læsæ majestatis. Sed non sanè Clerici, Monachique ii erant, qui his exceptionibus acquiescerent. Quin impetum faciebant in reos, quos pœnæ estimebant, ut pœnitentiæ substernerent. *Reos ad locum pœnæ pergentes, nullus teneat aut defendat, &c. At si tanta Clericorum, aut Monachorum audacia est, ut bellum potius quam judicium futurum esse existimetur, &c.* Ea Ibidem. Lege 6.
est Arcadii & Honorii Constitutio, qui compescere satagebant zelum ultra metas quandoque inconsideratius effervescentem Monachorum, Clericorumque. Sed Imperatores vel illi ipsi laudibus extulerunt Episcoporum & Clericorum aliorum humanitatem, qui patientia & clementia sola irrogatas sibi injurias ultum ibant, eòque inopini addu-

cebant ipsos Principes & Magistratus, ut ad eorum defensionem, Ecclesiæque tuitionem armarentur. *L. 1. Cod. de Episc. & Cler. Leg. 10.* *Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in Ecclesias Catholicas irruens, Sacerdotibus & Ministris, vel ipsi cultui locoque aliquid importet injuriæ: quod geritur, à Provinciæ Rectoribus animadvertatur. Atque ita Provinciæ moderator Sacerdotum & Catholicæ Ecclesiæ Ministrorum, loci quoque ipsius & divini cultus injuriam capitali in convictos seu confessos reos sententia noverit vindicandum. Nec expectet, ut Episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit. Sitque cunctis laudabile, factas atroces Sacerdotibus aut Ministris injurias, veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reis ultionem mereri.* Ita tum affirebantur Clerici, hac mansuetudine & suavitate diffluebant. *Nobis professio repressit studia coercendi:* aiebat Ambrosius de Obitu fratris.

CAPUT LXX. *P. 3. l. 2. c. 12.*

Irregularitas militum & eorum qui in Bello sanguinem fuderint, sub Imperio Caroli Magni.

I. Orientis Imperatori significatur, adeo non Martyribus annumerari non posse milites in acie cæsos, ut si superstites essent, pœnitentiæ subjicerentur.

II. In Concilio Constantinopolitano declaratur Canon Basilii, qui milites triennio communione suspendit.

III. Ad cautelam videri potest id decretum fuisse. Æquius in Clericos succensebant Synodi, qui quoquo modo occiderent.

IV. Austeritati Canonum non semper obsequebatur Græcorum disciplina.

V. Qui præter voluntatem occidebant, erant nihilominus irregulares, si eo se tum oblectabant lusu, qui legibus improbaretur.

VI. Cùm pœnitentia fructuosissima & salutaris sit pœna, illis etiam imponebatur, qui sub moderamine inculpatæ tutelæ occisuros occiderent: cùm id per leges liceret.

VII. Inclementia ex mpla in Ecclesia Græca.

VIII. In Ecclesia Latina venia & indulgentia peccatorum illis despondetur, qui ad Ecclesiæ destructionem machinaventur.

IX. Et in ea tamen quandoque milites pœnitentiæ mancipati sunt.

X. Omnes vias pacis tentabantur, antequam in causa Ecclesiæ armis decerneretur.

XI. Discriminati quandoque sunt, qui justo quidem bello, sed privata cupiditate instincti se ipsi imp icabant.

XII. Animadversiones in has Disciplinæ varietates.

XIII. Cùm in ambiguo esset, quo quisque stimulo incitaretur ad arma capessenda in militia, ad cautelam pœnitentia militibus imponebatur.

I. QUantumvis justæ sint bellandi causæ, irregulares habentur tamen, quicomque in acie sanguinem fuderint. Voluit impius Nicephorus Imperator Martyrum honoribus & cultu affici milites, qui Imperii defensioni vitam impenderant, referente Cedreno. At contra nitebantur Episcopi, eamque explodebant legem, objecto Basilii Canone, quo à communione triennio toto abstinentur, *Cedrenus. pag 658.* qui etiam in prælio quempiam occiderint. *Patriarcham & Episcopos conatus est ad eam legem probandam adigere. Sed horum quidam fortiter resistentes, eum à proposito dimoverunt, prolato in medium Basilii Magni Canone, qui per triennium sacris arceri jubet eos, qui hostem in bello interfecissent.*

II. Profert Harmenopulus ipsum Basilii Canonem: *Qui hostem occidit, licet pietatis propugnator, triennio non communicet.* Quin & hoc minimè prætereundum addit: sub Patriarcha Constantino Chliareno coaluisse Synodum, à qua declaratum est, qui latronem interimeret, cùm posset sibi fuga consulere, eum homicidarum pœnis affici debere. *Synodalis est facta cognitio, quod si quis dum latronis insidias effugere posset, non hoc contentus, sed data opera latronem adgressus, interfecerit, tanquam homicida sit puniendus.* *Juris Orien. pag. 59.* Si prior autem latro strinxisset in eum gladium, nulli pœnæ obnoxium fore, si illum occupasset occidere. Si quem autem insignem latronem & civibus formidolosum rogatus quæsisset & interfecisset, laudibus ornandum esse: sed provida tamen cautione hos omnes, vel laudabiles, vel saltem innoxios homicidas per triennium à communione suspendendos esse. *Sin primus latro gladium adversùs eum sustulerit, tunc ejus interfector nulli pœnitentiæ subjacebit. Enim verò qui utilitatis publicæ causa, cum valdè rogatus est, latronem quæsitam invenerit & occiderit, non pœna, sed præmiis dignus habebitur. Cautionis tamen causa placuit & hos ad triennium continuari.*

III. Hæc ad laïcos qui triennio abstinentur à communione propter homicidium, vel necessarium, propriæ vitæ tuendæ causa: vel etiam laude dignum, cùm pestis publica exterminata est. Idque fiebat *cautionis causa, ἀσφαλείας ἕνεκα.* Nimirum fieri vix unquam potest, ut qui ejusmodi facinus aliquod edit etiam justissimum, non perturbetur tamen aliquantum, & ultra justitiæ modum commoveatur, & effervescat aliquantula iræ, vindictæ, inimicitiæ flamma. Itaque verendum semper est, ne in his actionibus quantumvis justis, irrepat cum amore, vel pro amore justitiæ injustus aliquis iracundiæ impetus. Idque in causa fuit, ut alligata sit irregularitas justis etiam his actionibus, ut in eadem rursus Harmenopuli nota observatur. *Clericos autem qui quamcumque cædem admiserint, confestim puniri par est, nullo discrimine hostis habito, vel latronis, vel cujuscumque. Quo factum est, ut Pontifex qui occiderat Agarenum tempore belli, qui gladium adversùs ipsum strinxerat, de Synodi sententia depositus sit.* Erat ergo & ea Græcorum pervagata consuetudo, ut Clericos homicidas deponerent, quamvis mortis à se amoliendæ necessitate compulsi fuissent. Laudata est à Paulo Diacono, dubium an etiam approbata sit fortitudo Zenonis Diaconi Ticinensis, qui pugnam inivit & in acie interemptus est Regiis amictus insignibus, & pro Rege ipso habitus. Cunipertus is erat Rex Longobardorum, qui haud mora *L. 5. c. 17.* in hostes tumultuantes, & quasi de occiso adversariorum Rege ferocientes bacchantesque impetum faciens, insignem cum primis victoriam reportavit, Zenonis sanguine emptam, cujus egregiam fortitudinis laudem sola obumbrat, fuscatque Diaconi dignitas.

Legere est in Jure Orientali Gesta illius Synodi *Pag. 210. 211.* sub Patriarcha Constantino prolixius enucleata, cum legibus & rationibus, quæ tum prolatæ in medium fuere: concluditur denique una & eadem ratione in laïcos Clericosque. *Et hæc quidem de laïcis, Clerici enim quomodocumque occidentes deponuntur, nulla habita differentia hostium, vel latronum, vel aliorum aliquorum.* Quibus & Balsamonis Commentarius adjungendus est in Canonem LV. Basilii. Inde autem liquidum est adhærescere irregularitatem homicidio, etiam in acie, etiam ad vitæ propriæ tuitionem perpetrato. Quin & complures à Balsamone laudantur leges Imperatorum, quibus Canonum Basilii in hac parte observatio religiosissima commendatur. *Et diversi sancti Basilii Canones* *In Can. 65. Apost.* *Clericum, qui quomodocumque interfecerit, deponi jubent.*

IV. Sed ex ipso eodem alibi Balsamone proditur, has leges, hos Canones in Oriente non tam religiosè observatos reapse fuisse, quàm verbis *In Can. 13. Basilii.* commendatos. Cùm enim enarrasset, à Nicephoro Phoca interpellatam fuisse Episcoporum Synodum, ut Martyrum albo inscriberentur ii, quos Canones toto triennio à Communione arcebant: addit in eadem Synodo ex Episcopis unum, pluresque ex Presbyteris confessos esse, interfuisse se & pugnasse in prælio: tumque nonnullos ex Episcopis exauthorandos censuisse, at longè plures, ut putà bellatores, laude & mercede dignos exclamasse. *Complures autem, & qui erant magis militares, eos etiam præmiis dignos esse contendebant.*

V. Nec facilè omittendum quod idem adjicit, homicidarum in numero locatos fuisse, qui in ludicro certamine aliquem interemerant: quanquam enim ludicrum id esset certamen, & animi oblectandi causâ, non in iis tamen quinque ludorum generibus habebatur, quæ per leges approbabantur. Itaque in his quinque ludicris pugnis, qui quempiam inopinatò & præter voluntatem suam occidunt, extra crimen sunt: at qui occidunt peræquè præter voluntatem, in cannarum, seu bacolorum ludo, & rei & irregulares habentur, quòd etsi non cædi, cædis tamen discrimini assensi sint. Et ab his etsi dissonent verba, non dissonat tamen Canonistarum Latinorum sententia, incurri irregularitatem, ubi volens se quis ludo vel exercitio minùs licito committit, in quo quempiam fortè & nolens occidit. *Multi qui in tempore ludicri cum virgis certaminis homines interfecerant, homicidis annumerati sunt, qui involuntariam voluntariè cædem perpetrarunt, utpote cùm hoc ludicrum non sit ex iis quinque, quæ lege agnoscuntur, scilicet pugillatus, cursus, saltus, discus, palæstra. Quare qui in eis ludicris interficiunt, præjudiciis non afficiuntur.* Hæc Balsamon de Laicis, quippe Clericis ea ludicra tam licita non fuissent, quàm nec consentanea.

VI. Ex occasione verò alterius Basilii Canonis, quo pœna in eos decernitur, qui vitæ suæ tuitionis necessitate quempiam peremerunt; tradit Balsamon his Canonibus non obstrepere leges, per quas fas est vim vi repellere, & occidere, ubi ita necesse est ne occidamur, propterea nimirum, quòd pœnæ Canonum medicinæ sint potiùs, quàm pœnæ. Itaque involuntariorum horum conscii homicidiorum, immunes illi quidem sunt pœnarum civilium, sed obnoxii nihilominus pœnis Canonum medici- *Ibidem. In Can. 43.* nalibus. *Pœnæ Ecclesiasticæ non puniunt, sed sanctificant & medentur; & ideo decernit Canon, ut qui quomodocumque Dei permissione in cædem inciderit, & ipsi etiam qui in bello occiderunt, in anima medicinam accipiant.*

VII. Ex his subjicit Balsamon exempla, quæ tantum rigoris & asperitatis præ se ferant, quantum alibi observavimus indulgentiæ. Ait enim depositum fuisse synodico judicio Presbyterum, qui Presbytero librum quempiam Ecclesiasticum auferenti extorsisset illum tanta vi & impressione, ut deliquio animi statim exanimatus omnino sit. Exauctoratum fuisse & Monachum Presbyteratu ornatum, qui contumelia affectus ab alio Monacho, adeo contumeliosè illum ipse vicissim excepit, & tam acerbo dolore affecit, ut is mœrore animi expiraret.

Addit denique idem Scriptor in Canonem VIII. Concilii Constantinopolitani primi & secundi, irregulares declarari Presbyteros, qui virilia vel amputari jubent, vel amputant ipsi cuipiam. Porro etiam tum cùm ad vitæ incolumitatem, morbique lethalis medicinam ità fieri necesse est, posse jubere Presbyteros, non exequi autem citra irregularitatem. Multò minùs posse in suum ipsos grassari corpus in eundem modum, etiam eadem urgente necessitate.

VIII. Accedo ad Ecclesiam Latinam, ubi Stephanus II. Papa nobiles Gallos acuebat excitabatque ad arma induenda ad B. Petri & Ecclesiæ Romanæ defensionem, remissionem peccatorum pollicitus, quasi ea militia sacra pœnitentiæ in loco futura esset. *Pro certo tenentes, quod per certamen, quod* *Conc. Gall.* *in ejus Ecclesiam vestram spiritalem matrem feceritis,* *To 2. p. 10.* *ab ipso Principe Apostolorum vestra dimittantur peccata.* *Epist. 144.* Joannes VIII. eandem spem fecit Episcopis Gallicanis, fore ut milites, qui casto religionis & pietatis amore adversùs Infideles certarent, & mortem opperterent, hinc merita ad vitam æternam sibi pararent. *Audenter Christi Dei nostri pietate respondemus, quoniam illi qui cum pietate Christianæ religionis in belli certamine cadunt, requies eos æterna vitæ suscipiet, contra Paganos atque Infideles, strenuè dimicantes.* Pulcherrima erat hæc laus, longè pulcherrima spes, & hi tamen milites hinc irregularitatis maculam contrahebant.

IX. Cùm exarsisset bellum inter Reges Robert- *Ann. 923.* tum & Carolum, Remensis Provinciæ Synodus *Conc. Gall.* triennalem pœnitentiam indixit militibus utriusum- *T. 3. p. 578.* que partium: nec ea mera fuit abstinentia à Communione & Mysteriis, sed jejunia fortissima panis & aquæ per tres quadragesimas, præter minores alias quadragesimas duas quolibet anno, quindecim dierum ante natalem diem Joannis Baptistæ, & totidem ante Natale Christi.

X. Scripsit Hincmarus Remensis Archiepiscopus ad Episcopos suæ Provinciæ Epistolam cum primis luculentam, de Bellis civilibus, quibus tota tunc conflagrabat Gallia; & de ratione qua Episcopi Regibus auxiliari tenerentur, tum precibus ad Deum fusis, tum copiarum militarium subministratione, ut tamen enixissimè contenderent, ut ne quid Christiani sanguinis funderetur. Quin & illud addit, à Stephano Papa, de quo paulò suprà, interpellatum vehementissimè esse Pipinum Regem, ut Longobardorum cædibus abstineret, cum eos cogebat ad ea Ecclesiæ Romanæ restituenda, quæ in eam compilaverant. *Sed Papa sanctus, ne sanguis effunderetur* *Hincmar.* *Christianorum, admonitiones & obsecrationes Apostolicas exhibuit, & apud Domnum Pipinum obtinuit.* *To 2 pag. 159.*

XI. Post cruentissimam verò aliquando pugnam inter filios Ludovici Pii Imperatoris commissam, author est Nithardus à Regibus & populis consultos fuisse Episcopos, quid sibi officii immineret, quæ suæ partes essent in tam calamitosa rerum temporumque difficultate; Respondisse autem Episcopos, justas quidem belli causas fuisse: qui illi se implicuissent solo justitiæ amore ducti, nulli subesse pœnæ: qui verò pertracti eò fuissent vel odio, vel ira, vel vindictæ prurigine, cùm occulta hæc esset eorum culpa, privatam quoque ab eis & occultam confessionem ac pœnitentiam frequentandam esse. *Unanimes ad Concilium omnes Episcopi con-* *Du Chesne.* *fluunt, inventumque in publico Conventu est, quod pro* *To 2. pag.* *sola justitia & æquitate decertaverint, & hoc Dei judi-* *371.* *cio manifestum effectum sit. Ac per hoc immunis omnis Dei minister in hoc negotio haberi, tam suasor, quàm & effector deberet. At quicumque conscius sibi aut ira, aut odio, aut vana gloria, aut certè quolibet vitio, quid-*

dam in hac expeditione suasit, vel gessit, esset verè confessus secreti, secreti delicti, & secundum modum culpa dijudicarentur.

XII. Simillimum veri est, 1. bellum illud quod suprà perstrinximus inter Carolum Simplicem & Robertum gestum, minùs justis de causis gestum, aut minùs moderatum visum fuisse, quàm istud de quo postremò diximus, ævo utique longè antiquius. Si periode enim æquitati consentire visum esset Episcopis Concilii Remensis, nequaquam illi pœnitentiam publicam & canonicam militibus omnibus indixissent. 2. Episcopos à Principibus consiliorum participes non raro factos fuisse, maximè super justis bellorum causis. Si enim, ut infrà elucidabitur, pollebat & in arcanis Principum Consiliis authoritas & fides Episcoporum: non poterat sanctissimæ dignitati agnata lux & sapientia splendidiùs utiliùsque ulla in alia re effulgescere, quàm in delectu causarum belli justarum & injustarum, quanquam ab omnibus omnino bellis abstinere optatissimum illis esset. 3. Quanquam verò justitiæ bella consentiant, illis tamen non semel duces militesque non alio usu fructuque proposito intricantur, quàm ut vanis terrenisque serviant cupiditatibus. Idque in causa est, ut privata eis pœnitentia designetur, & à sacris muniis milites omnes abigantur. 4. Nec ullius se irregularitatis laqueo innecti posse verebantur Episcopi, si quod bellum justum esse affirmarent, si militem in illud invitarent, si copias militares eò mitterent, vel ipsimet eò ducerent, si Ecclesiæ sumptu militem alerent, Regni & Ecclesiæ usibus profuturum.

Petiit Joannes VIII. à Gallicanis Episcopis, ut accurrerent & ipsi, sibique adessent, ad Ecclesiæ
Epist. 114. 115. Romanæ sedem recuperandam. *Cum omnium hominum vestrorum armata bellico apparatu manu.* Scripsit & ad Reges, ut Episcopis præciperent eo in communem parentem Ecclesiam Romanam pietatis munere fungi. *Regalis censura Regali authoritate compellat eos, quantotius hostiliter Romam venire.* Affirmat Hincmarus si bellum ingrueret adversùs Infideles gerendum, Episcopos ipsos incunctanter ejus
Hincmar. To. 2. pag. 159. incentores & hortatores fore. *Si enim contra Paganos bellum immineret, consilium daremus bellatoribus nostris, & hortaremur eos adhortationibus, quas in litteris Ecclesiasticis legimus.*

Agit Triburiensis Synodus de bello Paganis indicto, & iis verbis agit, ut luculentè appareat, non vereri Episcopos, ne videantur istiusmodi bellorum signiferi & faces fuisse. Sed cùm in ea quæ de Paganis tunc reportata est victoria, ex Christianis quidam occisi fuissent, nempe Paganorum servi, à quibus in ipsa prælii flamma segregari non potuissent: hujus Concilii Patres quadraginta dierum pœnitentiam præscripsere victori militi peragendam.
Con. Tribu. c. 34. *Quare unà cum interfectis Paganis perempti fuerunt Christiani, captivi à Barbaris, quia in impetu belli nequeunt distingui. Idcirco justum decernentes, statuimus cum interfectoribus misericorditer agendum, ita ut quadraginta diebus pœnitentia indulgentius transactis, penes Episcopum sit authoritas & potestas, ut perpendat culpam, agat indulgentiam.*

XIII. Rabanus Moguntinus Archiepiscopus iis strenuissimè restitit, qui nihil pœnitentiæ publicæ
Regino. l. 2. c. 50 de Eccles. Discip. Et Epist. ad Heribal. pag. 474. infligi debere vociferabantur militi, qui ad Fontenacum pugnaverat, in internecino illo inter filios Ludovici Pii prælio. Hac se ratione illi jactabant, quòd utrimque summis Principibus obtemperatum esset. *Quasi non necesse sit pro hoc cuilibet agere pœnitentiam, eo quod jussu Principum nostrorum peractum sit.* Verùm Rabanus non ipsum tantum persæpè bellum perpendens, sed privatos cujusque plerumque militis affectos sordidos & inquinatos terrenis cupiditatibus; demonstrat nulla satis solida unquam excusatione prætexi posse avaritiam, à qua nihil non malorum pullulat; & ambitionem, quæ nihil habet pensi, quid fas nefasque sit; quæ justa bella injustissimis vexationibus contaminat; quæ non auscultare Principi, sed privatæ servire libidini satagit. *Verum excusare possim eos, qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix est, atque propter favorem dominorum suorum temporalium æternum Dominum contempserunt: & mandata illius spernentes, non casu, sed industria homicidium perfecerunt.* Ideo & mox his subjicitur à Reginone illa libri Pœnitentialis lex, quæ quadraginta dierum pœnitentia mulctat eum, qui hostem in bello occiderit publico. *Si quis hominem in bello publico occiderit, quadraginta dies pœniteat.* Hujus Canonis verbis non segregantur bella justa ab injustis, non variæ cupiditatum privatim instigationes etiam in bellis justis. Ardua & perdifficilis est ea perscrutatio: cautiusque semper & consultius est, ultronea pœnitentia expiare culpas, quibus se quisque gravari sentit, aut saltem suspicari & vereri debet. Facilè assensus esset Rabanus, in bellis justis, qualia semper interpretanda sunt, quandiu de eorum injustitia nihil exploratum aut compertum est, debere Duces militesque Principum parere imperiis; nec necesse esse, ut obedientia legi consentanea per pœnitentiam eluatur. Sed inter armorum strepitus tot surrepunt privatæ & nefariæ cupiditatum pestes, ut nemini magnopere verendum sit, ne Ecclesia plus æquo sollicita & anxia sit, ad earum exigendam expiationem. Hæ sunt nimirum peculiares & iniquæ æquissimi belli gerendi rationes, quas Rabanus juxta Canones animadverti, quas Concilia expiari per pœnitentiam præcipiebant.

CAPUT LXXI. *P. 3. l. 2. c. 13.*

De Irregularitate Judicum capitalium sub Imperio Caroli Magni.

I. Clerici persæpè evicerunt, ut privatis inimicis suis venia scelerum & pœnarum fieret.
II. Satis sit duobus ubique consulere.
III. Quo ex fonte manat tanta Ecclesiæ clementia.
IV. Pacis misericordiarumque sacris jam actibus, seu ministris, seu locis non conveniunt cum cruentis executionibus, tametsi justa.
V. Contrarium Durstani exemplum.
VI. Decreta temperatissima Nicolai I. qui legum asperitatem suavitate Canonum condulcat.
VII. Alterum conservitatis exemplum à Papa laudatum in Metropolitano.
VIII. Ut purgaret Durstanus hujus & Papæ & Archiepiscopi famam.
IX. Summa Græcorum clementia disciplina.

I. Justitiæ multò certiùs operam dant litantque Judices, dum reos morti addicunt, quàm milites, & nihilo tamen minùs irregulares illi sunt ad Clericatum. Clerici ipsi ne eadem irretiantur irregularitate, abstinent ab accusandis inimicis capitalibus suis, quin & illis injuriarum sceleruumque impunitatem procurant, dum persuadeant & pœnitentiam. Ita cùm Carolus Magnus capitis damnasset eos, qui in vitam Leonis III. Papæ conspiraverant, pius Pontifex sola exilii pœna plecti eos pervicit. *Ut majestatis rei capite dam-*

Ademarus in vita Car. Mag. *nati fuat. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit, & vita & membra eis concessa; & pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt.* Cùmque idem Pontifex apud Ludovicum Pium infamatus fuisset, quòd extremo supplicio addixisset eos qui rursum in eum conjurassent: quo suboffensus etiam Imperator stupuerat; delegatis tandem Pontifex ad eum Episcopis, totam illam calum-*Du Chesne To. 2 pag. 296.* niam temerè effutitam dissipavit. *Hac agrè tulit Imperator velut à primo orbis Sacerdote tam severe animadversa.* Et mox: *Leonem Apostolicum criminibus abjectis purgavere.*

II. Ideo & cum Hincmarus convellere, & confutare cœpit illam Canonum Compilationem, quam ab Adriano Papa Angilramno datam contendebant: ab eo exorsus est Canone, quo jubetur Delatori-*Hincmar. Tom. 2 pag 475.* bus lingua excidi, aut caput demeti. *Delatori lingua capuletur, aut convicto caput amputetur.* Tum verò exclamat Hincmarus, nec injuria, nihil tam inimicum Canonibus fingi potuisse. *Qua quantum aliena sint à sacris Canonibus, & quantum contraria sint Ecclesiasticis judiciis, nemo est qui ignoret.*

Cùm verò Joannes VIII. excommunicatione solvit Episcopum Neapolitanum, qua eum innodaverat; utráque præcepit, ut ad se Sarracenorum Proceres *Epist. 294.* aliquos mitteret, reliquis jugulatis: *Si majores Sarracenorum quantos melius potes, quos nominatim quærimus, cum omnibus aliis ceperis, & jugulatis aliis, eos nobis direxeris, à vinculo excommunicationis absolvimus*: non eo hæc sensu donanda sunt, quasi jubeat Pontifex eorum aliquos ad se mitti, reliquos jugulari. Sed cum cæteri antè jugulati fuissent, præcipit Pontifex paucos superstites ad se perduci.

Luculentè Hincmarus suo more rationes exequitur, quibus adducitur Ecclesia ad cædes quascumque fugitandas, etiam tum cum per eas justitiæ litatur. Hortatur Scriptura Clericos, ut convitia benedictionibus remunerent, ut orent pro persecutoribus, mala bonis repensent; ne damna ita propulsent, ut aliis ea inferant; ut iræ locum dent, clementia & mansuetudine adversarios mitigent. Denique non sinit Augustinus eo sacrorum Codicum ingenio & spiritu imbutus, ut Episcopus cuiquam noxio apud Judices mortem acceleret, cùm operam navare & quidem strenuam debeat, ut tandiu vivant, dum per pœnitentiæ labores ad sempi-*Conc. Duziacen Colon. p. 92.* ternam sibi vitam aditum patefaciant. *Cum Cyprianus & Innocentius in Decretis suis ex Apostolica sententia judiciaria potestati gladium legaliter vindicem doceant esse permissum, quem Ecclesiasticis Ministris, vel in bello, vel in seditione corripere, vel etiam portare, à majoribus nostris legimus non esse concessum. Et Dominus dicit, Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro persequentibus vos. Et Petrus, Non reddentes malum pro malo. Et Paulus, Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Et Augustinus ad Bonifacium Africa Proconsulem. Fas, inquit, non est, ut reus Episcopi suggestionibus occidatur, qui venia, si pœnituerit, reservatur.* Hactenus Hincmarus. Ea sunt autem Evangelica seu consilia, seu præcepta patientiæ, humanitatis & charitatis, perfectis data, & iis qui ad Clericatum vel contendunt, vel jam pertigere, ut quæ statio sit perfectioni cognatissima, & perfectionis exercitiis vehementer dedita.

Quin & inter laïcos fuere non pauci, quibus ardens perfectionis Evangelicæ studium suasit, ut & has devitarent justitiæ functiones, innoxias illas quidem, immo & cum laude conjunctas, sed clementiæ infestas, eique charitati, quæ pietatis & misericordiæ suavitate quadam tota colliquescit. Ejus generis fuit Geraldus Comes, cujus vitam litteris mandavit sanctus Odilo Abbas. Turbam ingentem reorum elabi & aufugere permisit, præter solennes justitiæ leges, sed authoritate legis longè præstantioris, quæ non temporalis, sed sempiternæ salutis præsidia instruit, consuluitque, ne ante temporalis abrumperetur vita, quàm per pœnitentiam munitus sit aditus ad sempiternam. *Personas illas reorum, qui se in malum destinaverunt, aut damnis coërcebat, aut charactere adustionis inurebat. Illas autem personas, qua non per consuetam malitiam, sed qualibet malum aliquod perpetrassent indemnes dimittebat. Nunquam tamen auditum est, ut se præsente aut morte punitus sit, aut truncatus membris.* *Bibl. Clun. pag. 78. 79.*

IV. Ea de causa Concilium Moguntinum Nundinas, & Judiciales Conventus celebrari vetuit diebus Dominicis, ne cui mors tunc violenta inferretur: *Ut mercatus in eis minimè sit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur.* Sua semper laus, sua merces justitiam manet, sed non quævis justitia quamlibet addecet diem, personam, locique circumstantiam. Deus justitia, sed & clementia, & misericordia est, nec justitia illa ultrice, sed indulgentia & mansuetudine clarescere voluit dies festos, loca sacra, templorum Ministros. *An. 813. Can. 37.*

V. Nec inficiabor Dunstanum Cantuariensem Archiepiscopum ab hac tritissima Patrum & Conciliorum semita aliquantum deviasse. Ipso enim sacratissimæ Pentecostes die Mysteriorum celebrationem auspicari abnuit, nisi priùs executioni mandata Judicum sententia adversùs tres publicæ monetæ adulteratores. Non remissam, sed dilatam fuisse pœnam ob festi diei sanctitudinem affirmabant. *Respondetur ob reverentiam tanti diei, in alium diem esse dilatam justitiam*: At ferventissimi zeli vir Dunstanus eodem ipso die voluit de reis pœnas sumi, quanquam *manus erant perdituri*, adeoque mutilandi. Porro suam hanc Dunstanus præproperam festinationem excusabat necessitate satisfaciendi populo, qui ab his pestibus innumera passos erat detrimenta. Verebatur etiam fortasse, ne dilatione, & audacia, & occasio illis præstaretur aufugiendi. Denique factum istud est singulare, quo legi generali derogari non potest. Aliàs autem tam inusitata & à vulgari consuetudine plerumque aliena erat Dunstani & sapientia, & vitæ morumque sanctimonia, ut meritò etiam tum censuræ & vituperio eximatur, cùm ejusmodi quidpiam fecisse legitur, quod citra vituperium nemo alius gesserit. *Surius die 19 Maii. c. 32.*

VI. Canonibus Synodicis accommodatiora, & imitationi posteriorum plausibiliora Nicolai Papæ I. decreta, ad Bulgarorum super hac eadem re consultationes quasdam. Leges ad eos misit austeriores adversùs Reipublicæ & Regum perduelliones: monuitque posse legum severitati Principem servire, posse & clementiæ plusculum aliquid indulgere. Quoad eos, qui turpi ignavia ex acie fugiebant, aut imperia ducum periculi formidine detrectabant, consulebat, ut vel omnino eam culpam condonarent, aut mitius plecterent: *Si non misericorditer præveniat compassio, saltem legum temperetur severitas.* Eorum qui mortem intulerint patri, matri, fratri, sorori, pœnæ à Legibus designantur: at si quis eorum in Ecclesiæ asyla evaserit, quid pœnæ subiturus sit, ab Episcopo, vel ejus Vicario generali definietur. *Quid parricida pati debeat, leges indicant. Porro si ad Ecclesiam confugerit, id quod Episcopus loci, vel Sacerdos, qui ab illo constitutus est, providebit, agendum decernimus.* *Cap. 22. 23. 24.*

Quanquam verò suadeat Pontifex, ut capitalia omnia supplicia apud Bulgaros molliantur, isque proponatur imitandus, qui non exemit nos tantum Cap. 25. morti, sed & beatæ donavit vitæ æternitate; *Ut sicut hactenus ad mortem facile quosque pertraxistis, ita deinceps non ad mortem, sed ad vitam, quos potestis, nihilominus perducatis, &c. Et sicut vos Christus de morte perenni, qua detinebamini, ad vitam æternam reduxit, ita ipsi non solum innoxios quoque, verum etiam & noxios à mortis exitio satagite cunctos eruere.* Jubet tamen obsequi legibus inexorabilibus adversùs parricidas, homicidasque omnes voluntarios & adulteros. *Veneranda leges proprium robur obtineant.* Idem ipsum commendas de incestuosis, quanquam ita sentiat, hujus flagitii, perinde ut homicidii involuntarii judicia Episcopo esse permittenda. Denique quicumque horum ad Ecclesiam confugerit, morti subducetur ille quidem, sed tam acerbæ addicetur pœnitentiæ, ut ea abundè pensentur ii cruciatus mortiferi, quos per leges erant

Cap. 16. 27. 28 29. 30. passuri. *Sed si ad Ecclesiam convolaverint, mortis quidem legibus eruantur, pœnitentia verò, quam Antistes loci, vel Presbyter consideraverit, absque dubio submittantur.*

VII. Ea est ergo quorundam enormitas criminum, ut vel propensissimi ad indulgentiam Pontifices ea permittere debeant inexorabili Legum vindictæ, & cum Nicolao, dicere, *Veneranda leges proprium robur obtineant.* Ac hinc purgari etiam possit, quod suprà de Dunstano retulimus, viderit Lector.

Venio ad exempla alia, quæ plus incutiant stuporis. Sergium Neapolitanum Ducem anathemate perculerat Joannes VIII. Papa, quod contumacius concordiam & confœderationem nescio quam aleret cum Sarracenis, in perniciem Christianæ rei, ut Pontifex quidem existimabat, sub cujus ditione Dux ipse degere videbatur. Athanasius ejusdem civitatis Archiepiscopus, Sergii Ducis fratrisque sui perfidiam impatientius ferens, ipsum comprehendi fecit, effossisque oculis Romam perduci. Cædes quidem & proditiones Sergii atrociori etiam potuerant pœna jure vindicari, ipsaque morte. Ideoque illa quam Archiepiscopus intulit fratri, non

Epist. 66 tam pœna, quàm pœnæ mitigatio fuit. Congratulatorias dedit Epistolas Pontifex ad Archiepiscopum, quod tam graviter obsequutus esset Evangelico Christi præcepto, de eruendo nobis oculo, si offendiculo sit: de utilitate & salute Ecclesiæ Christi anteponenda parentum fratrumque charitati; denique quòd Neapolitanam civitatem illis exemisset cædibus & grassationibus diutinis, quibus à temporalibus hic dominis, Ducibusque fuerat conflictata. Eodem enim ipso tempore Archiepiscopus temporalem civitatis administrationem capessivit.

Ea porro Joannis VIII. in Epistola satis, ut opinor, momenti est, ad calumniam non ab Archiepiscopo tantum Athanasio, sed & à Dunstano propulsandam. Quin & inde conjectura duci possit, quî intelligi debeat alia ejusdem Papæ Epistola ad eundem Athanasium Archiepiscopum, paulò ulterius, quàm suprà factum sit à nobis. Si enim potuit laudibus evehere Archiepiscopi facinus, qui oculos exculpserat fratri, quòd cum Sarracenis suspectam aleret societatem: potuerit forsan, & præcipere Episcopo, ut Sarracenorum duces, quos in carceribus suis tenebat, juxta belli leges, jugulari juberet.

VIII. Si quibus autem videatur illi ipsi defensione opus esse, qui Dunstani & Sergii defensionem texere laboraverit: ne ea quidem destituemur, & quidem ab eo adornata, cujus nec pietas, nec eruditio in controversiam trahi possit. Baronius ipse Cardinalis is est, ejusdem ante nos causæ patronus. Quanquam enim censeat Athanasii factum Archiepiscopali nomini & dignitati minimè consentaneum fuisse, non dubitat tamen, quo ab eodem zeli & charitatis æstu profectum visum sit Romano Pontifici, quo Christus in Templo quibusdam Templi violatoribus vim quandam attulit, ut profanatores ejiceret; quo Petrus Ananiam & Saphiram exanimavit: quo Paulus Elymam magum cæcitate percussit: ne dicam quo Phinees geminato homicidio æternum stirpi suæ Sacerdotii principatum asseruit; quo Moïses Levitas laudibus cumulavit, qui fraterno sanguine manus consecrassent, & labem expiassent prioris idololatriæ. Audiendus ipse jam Baronius ad annum 877. *Ita quidem Pontifex indecens Episcopo factum Moysis exemplo laudavit, qui Levitas à cæde fratrum & filiorum suorum revertentes laudavit dicens, Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio & fratre suo. Quantumlibet enim debeat esse Christi Sacerdotium incruentum & Episcopi percussores esse non debere ab Apostolo admoneantur: tamen qui spiritu oris sui interfecit Ananiam & Saphiram Petrus, ista tunc decuit scribere successorem suum, atque probare ab alio justè factum, quod ipsum sciret impellente Spiritu perpetrasse. Zelus purgat facinus, quo excæsus Dominus noster, mitis & humilis corde, percussor est factus: & Petrus eodem exæstuans, occisor evasit, eodemque ardens Paulus excæcator. Zelus igitur non aufert, nec polluit Sacerdotium, sed quod prædicatur in Phinee, reddit illud perpetuum & illustrius.* Num. 5.

IX. Nec prorsus hic obmutescet Ecclesia Græca. Nec jam dubium esse poterit, quin eodem clementiæ spiritu vegetata fuerit, si recolantur quæ sit Balsamon de Christianis legibus, nempè ubi ab illis capitale supplicium decernitur, non eò id pertinere, ut capite truncetur quis, vel cruci appendatur, vel impetatur lapidibus, aut præfocetur aquis; Barbarica enim hæc esse ille docet, & ab humanitate alienissima: sed capitali nunc supplicio luit, cui eruuntur oculi, cui manus truncantur, qui in exilium ejicitur: quo exhausto supplicio, superest & tempus & facultas, ut scelerum pœnitentiam seriò quis peragat, & sempiternam mortem effugiat mortalis vitæ spontaneis cruciatibus. *Dic non esse capitale supplicium, capitis amputationem, nec in furca suspendi, nec lapidibus obrui, nec in profundum mergi, sed crudelem, & inhumanam mortem. Capitale autem supplicium esse relegationem, excæcationem, manus amputationem, & reliqua, quæ dant ei, qui punitur, tempus se convertendi & discendi à peccatis, eo quòd longo tempore plectatur.* Balsamon. in Nomoc. Phot. Tit. 9. c. 25.

Hinc porro infert Balsamon, si quæ sint leges, ubi capitale supplicium inclementiore sensu usurpatur, eas è Digestis esse decerptas, non ex Novellis Constitutionibus; adeoque servandas non esse, propterea quod Christianæ leges Ethnicorum legibus semper præponantur.

Hinc etiam vir Canonum idem consultissimus, ansam arripit expostulandi de Constantinopolitana Synodo sub Patriarcha Michaële Oxyte, ubi præceptum, vel permissum est ut Bogomyli heretici igni damnarentur: Suspicatur tamen Balsamon nequaquam ejusmodi pœnam à Synodo decretam fuisse, sed sponte sua furentes hæreticos, spe & ostentatione damnabili Martyrii, semet in voraces flammas conjecisse. Denique eam legem, cum usum an

Ecclesia vigere memorat, ut hæretici ab Ecclesiæ corpore abscindantur, atque ita legibus & publicis Imperii permittantur Magistratibus. *A Christianorum enim corpore hæreticos abscindere jubemur: sed eos punire non docemur: sed si sint pertinaces, eos tradere legi sæculari, & à sæcularibus Magistratibus de iis sententiam ferri.*

CAPUT LXXII. *P. 3. l. 2. c. 14.*

Sub Imperio Caroli Magni afflatu quodam Juris Canonici, & manante ejus suavitate ac lenitate in Leges civiles, capitalia ferè supplicia in pœnas civiles, & in pœnitentias publicas fuisse commutata.

I. Probationes hujus mitigationis legum & Tribunalium civilium sub Pipino & Carolo Magno.

II. Probationes sub Ludovico Pio.

III. Quamvis ea lenitate complures immaniter abuterentur, & impunè jam vel Episcopi contrucidarentur, à sententia tamen non recessit Ecclesia, & pœna mortis semper intercessit.

IV. Perpetrata in Ecclesiis facinora nunquam morte luebantur.

V. Laicorum etiam cædes publicæ subjiciebantur pœnitentiæ.

VI. Constantia Ecclesiasticæ clementiæ, etsi tam multi ea abuterentur.

VII. Hujus lenitatis progressio & propagatio in Leges civiles.

VIII. Nec tamen cessavere omnino capitalia supplicia.

IX. Mira Principum clementia documenta, æmulatione Legum canonicarum.

X. Eadem indulgentia & lenitas extra Galliam etiam.

XI. Sacerdotalis quodammodo imperii Caroli Magni hæ fuere illecebræ, hæ artes.

XII. Hinc illud eo ævo pervagatum, expiata per pœnitentiæ publicæ macerationes scelera, jam non posse à publicis Magistratibus vindicari. Ejus placiti quæ fundamenta.

I. JAm Capite superiori emicuere scintillæ aliquæ ejus lenitatis & indulgentiæ, quam canonicæ leges legibus sæcularibus invexere, in reorum cruciatibus remittendis. Eidem argumento elucidando dicabitur & hoc Caput; nec enim veremur ne vitio vertantur hæc nobis, quasi minùs utilia diverticula. Est enim & utilitatis permagnæ, & eximiæ cujusdam voluptatis, penitiùs inspexisse quàm altè descenderit Evangelica lenitas, patientia, indulgentia, charitas, non in Canones tantùm & mores Ecclesiarum, sed & in leges ipsas civiles regnorum & civitatum: & quantum æternitatis amori datum exinde sit, cùm antea nonnisi terrenæ civitatis securitati tot noxiorum morte consuleretur, quos postea salutaribus pœnitentiæ laboribus mactare didicimus.

Conc. Gall. To. 2. pag. 5. Can. 2. Sub Rege Pipino habita Synodus pœnas pecuniarias indixit Laïcis incestuosis, Clericis autem ejusdem flagitii convictis pœnas corporeas. Si quod *Ibid. p. 243.* capitale supplicium decerni debuisset, eo in homicidas utique maximè sævitum esset. At Carolus tamen Magnus scripta ad Pipinum filium Italiæ Regem Epistola, solas pecuniarias diffinit pœnas in interfectores Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum. In Capitularibus statuit, ut pro interempto Subdiacono nummi solvantur trecenti, quadringenti pro Monacho & Diacono, pro Presbytero sexcenti, octingenti denique pro Episcopo. *Ibidem. pag. 245. Can. 2. & Capitular. Car. Mag. l. 3 c. 25.* *Qui Subdiaconum occiderit, CCC. solidos componat, qui Diaconum CCCC. qui Presbyterum DC. qui Episcopum DCCC. qui Monachum CCCC. solidos culpabilis judicetur.* Cùmque ea lege diffinitum non esset, cui cederet ea pecuniæ summa, constituit Concilium Cabilonense II. super ea re percunctandum Imperatorem, quod perinde est, ac si eam legem Synodus confirmasset. *De Episcopis verò, Presbyteris, & Diaconibus & Monachis interfectis, quærendum à Domino Imperatore est, cui illius homicidii pretium exolvendum sit.* *Anno 813. Can. 24.*

II. Ista enimvero Clericorum lenitas, legumque indulgentia, usque adeo Laicorum insolentiam & immanitatem provocavit, ut præter inferiorum Ministrorum cædes, etiam Episcopus interemptus sit. Tum verò Concilium ad Theodonis-villam congregatum precibus suis adiit Ludovicum Pium Imperatorem, non ut secundùm leges Romanas jure ageretur: sed, 1. ut emendæ pecuniariæ in horum conscios facinorum augerentur. 2. Ut eæ Episcopis adjudicarentur, & Ecclesiis, quarum Episcopi summi erant dispensatores bonorum temporalium. 3. Ut facinorosi hi omnes cogerentur pœnas subire canonicas, in Conciliis designatas. *Ob nimiam præsumptionem quorundam Tyrannorum, in Sacerdotes Domini debacchantium, & propter factum quod noviter acciderat de Episcopo morti dato, &c.* His ab Imperatore subscriptum est, nec non ab Optimatibus Gallis, impressa à singulis cruce. *Et Imperator & pene omnes Galliæ & Germaniæ Principes subscripserunt, singuli singulas facientes cruces, &c.* Ea certè lex Ludovici Pii triginta duorum Episcoporum precibus concessa, confirmata in Comitiis Regni Generalibus ibidem ad Theodonis-villam congregatis, deinde in Tribuniensi etiam Conventu, summas adauxit emendarum solvendarum ab iis, qui vulnera aut mortem intulerint Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris, adeoque & Episcopis; utque eam pecuniam Episcopis Ecclesiisque adjudicat, interemptores ad pœnitentiam publicam ablegat. *Pœnitentia canonica pœniteat. Juxta id quod Canones præcipiunt, pœniteat. Ut Synodus dijudicaverit, pœniteat.* *Anno 821. Ibid. p. 446. 447.*

III. Quanquam parricidiales persæpè manus in omnis generis Clericos, in Episcopos etiam ipsos nonnunquam grassatæ essent, triginta duo illi Episcopi tota Principum benevolentia fulti, Magnatumque muniti præsidio: non tamen remittendum sibi quidquam censuerunt de prisca priscæ Ecclesiæ lenitate, nec permittendum Judicibus, ut Legibus Romanis agerent, quando de ulciscendis quærerent Clericorum injuriis, expilationibus, adeoque & interfectionibus. Hinc judicium quisque feret, quàm feræ tum, quàm graves essent, quàm vehementes Clericorum obnuntiationes, ne truncatione vel morte expiarentur cruentissimæ sacrorum ministrorum cædes: cùm vel ipsis legibus illata vis quodammodo esset, ut ad hanc Cleri lenitatem traducerentur.

IV. Quæ in Ecclesia, vel Ecclesiæ vestibulo patrabantur homicidia, non aliter etiam, quàm mulctis & pœnitentia publica luebantur. Ita declaratum fuerat à Ludovico Pio in Capitulari Aquisgranensi. Iraque in templa, in templorum ministros per sicarios, in sacramenta per incestuosos commissa facinora flagitiaque, pecuniaria pœna, aut pœnitentia publica mulctabantur; nec fundebatur cujusquam sanguis. Nam qui solvendo non essent, servi Ecclesiæ interim addicebantur. *Qui non habet unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitium ejusdem Ecclesiæ, usque dum totum debitum persolvat.* *Ann. 828. Conc. Gall. Tom. 2. pag. 471. Et Capitul. L. 4 c. 13. & 24.*

V. Puduit tandem cædes alias sæviùs puniri, quàm eas quæ omnium gravissimæ essent, & sacrilegio cumulatæ, in Sacerdotes nimirum ipsos perpetratæ.

tratæ. Hinc factum est, ut homicidia ipsa Laicorum quorumlibet, immo & parricidia nihilo graviùs plectenda decernerentur, quàm Clericorum, per emendas nempe & pœnitentias publicas, ut ex eodem

Ibid. p. 472. Addit. 4. c. 15. liquet Capitulari Ludovici Pii. *Quicumque propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratrem, aut sororem, vel nepotem, vel alium propinquum suum interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat. Interfector verò ordinante Episcopo publicæ pœnitentiæ subdatur.*

Nec inclementiùs consulebatur in innoxiæ conjugis peremptorem. Ibid. p. 472. Et Cap. l. 5. c. 149. *Quicumque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam uxorem duxerit, armis depositis publicam agat pœnitentiam.* Diurnæ mortis corporeæ instar habebatur pœnitentia publica, quam exciperet vitæ & innocentiæ æternitas; cùm mors corporea præfestinè inflicta plerosque forsan, certè non paucos sempiternæ corporis & animæ morti immersura fuisset.

Can. 13. VI. In Concilio Trosleiensi anno 909. cùm increbrescerent in dies parricidia, & in Episcopos etiam ipsos: *Insuper & summorum Sacerdotum temerariè sanguis effunditur:* statutum est ad tuitionem Regum recurri debere, ut hominum formidine deterrerentur, qui Numinis non cohibebantur reverentia. *Quos divinus non restringit saltem humanus timor coërceat.* Quæ cùm ita se haberent, quis non statim existimasset ab Episcopis Principes & Magistratus commonitum iri, Ne frustra gladium divinæ authoritatis, justitiæ, vindictæque gererent; meminissentque sui esse muneris, ut multæ licentiæ Legum vim & authoritatem objicerent? At ad excitandos tamen Judices, acuendumque eorum zelum, non publicas illis Episcopi, non Romanas, non Imperatorias ostendunt Leges, quæ mortem cuiquam infligant; sola eis inculcant Caroli Magni Capitularia, quæ interfectorem Monachi Clericique pœnitentiæ in septennium devovent, eoque consumpto, jubent ut se Monasterio includat, reliquum vitæ tempus Deo famulaturus, nec unquam in sæculum reversurus. Capit. l. 6. c. 90. *Qui occiderit Clericum, aut Monachum, arma relinquat, & Deo in Monasterio serviat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam ad sæculum reversurus, & septem annos publicam pœnitentiam agat.* Additur & alia lex eorundem Capitularium, ubi pecuniaria mulcta adjungitur pœnitentiæ non ante L. 6. c. 97. vitæ finem desituræ. *Si quis Sacerdotem vel Levitam, aut Monachum interfecerit, juxta capita priorum Capitulorum quæ Legi Salicæ sunt addita, componat, & insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos nobis persolvat, & arma relinquat, atque in Monasterio diebus vitæ suæ sub ardua pœnitentia Deo serviat, nunquam postmodum sæculo, vel sæcularibus militaturus, neque uxori copulaturus.*

Capit. l. 7. c. 183. 184. Aliquantò pòst tamen idem Concilium aliam eorundem Capitularium legem profert, qua homicidia capite luuntur; alio mox Canone eadem pœna decernitur in latrones; additurque graviùs indubitatissimè plectendos, qui violentas Episcopo manus injecerint. *Quid censebitur de nece Episcoporum?* Si Capitularia enim de occisis Episcopis nihil decernunt, id eò factum, quòd nequedum tantum facinus perpetratum esset. Esse tamen Capitularium locum, ubi nongentorum nummorum mulcta L. 3. c. 25. taxantur Episcoporum parricidæ. *Hoc tantùm inter cætera Capitularium scripta reperitur, quod qui Episcopum occiderit, nongentis solidis culpabilis judicetur.* Sed allato Moisis exemplo, qui Levitas incendit, armavitque ad Idololatrarum fundendum sanguinem, tametsi fraternum, videntur tandem hi Præsules assentiri, ut pœnitentium classibus infandi omnes hi sicarii inscribantur.

VII. Hinc verò colligere fas est, 1. A Carolo Magno capitis pœnæ subrogatam fuisse pœnitentiam publicam, non aliorum quàm qui Clericos occidissent: at Ludovicum Pium eam indulgentiæ legem ad omnes ampliasse homicidas, immo & parricidas, denique ad facinorosos omnes. 2. A Concilii Trosleiensis Præsulibus non depromi ulla ex his Ludovici Pii Capitularibus; unde & conjici datur usu recepta non fuisse. 3. Eminet tamen in Capitularibus Caroli Magni Decretum, quo homicidæ universim exilio tantùm & mulctis quibusdam plectuntur. *Qui cumque hominem aut ex levi causa, aut sine causa interfecerit, wiridum ejus iis ad quos ille pertinet, componat; ipse propter talem præsumptionem in exilium mittatur, ad quantum tempus nobis placuerit.* L. 4. c. 20. Verùm hoc caput facilè conjicies esse Ludovici Pii, sicut & illud quod ibidem legitur, quo pœnitentiæ publicæ subjicitur, qui priorem conjugem suam interfecerit. Carolus Magnus enim L. 5. c. 140. ex adverso lege sanxit, ut quisquis sæculari cuicumque vitam eriperet, pari ipse pœna afficeretur. L. 7. c. 183. *De homicidis ita jussimus observare, ut cuicumque ausu temerario alium sine causa occiderit, vitæ periculo feriatur, & pretio se redimere nunquam valeat.*

Ad eum modum utcumque conciliari possunt ea Capitularium placita, quæ alioqui adversa fronte videntur collidi. Porro cùm in Isaaci Lingonensis Conc. Gall. To. 3. pag. 851. Episcopi collectione Canonum hæc omnia Capitularium legantur capita, in eo forsan argumenti satis est, ut ea existimemus usu recepta fuisse in Galliis. Si compilator verò hic Canonum duo hæc simul capita intexuit, quæ apertissimè confligantur, cùm hic morte, ibi pœnitentia publica tantùm Laïci cædes puniatur: id eò forsan fiebat, quòd aliud alio tempore & loco, aliud his illisve placeret, & usu frequentaretur. Et sanè Carolus Magnus, qui Capitulare anni 802. c. 32. 33. hîc homicidas morte modò damnabat, in aliis Capitularium locis videri potest eos, sicut incestuosos publicæ tantùm pœnitentiæ substravisse.

VIII. Cùm de Institutione Principis Hincmarus ad Carolum Calvum scriberet, in ea se versari sententia testificatur, ut neci dedantur consceleratì quidam, quorum desperatur resipiscentia; quamvis dicantur esse qui secus sentiant. *Quæ debeat esse* Hincmar. To. 2. p. 4. *discretio in misericordia, & de ultione specialium personarum, quæ si exitialiter agentes, aliter non potuerint corrigi, temporali morte præcipiuntur mulctari, quod à quibusdam dicitur contradici.* Soli ergo erant desperatæ emendationis homines, in quos censebat Hincmarus ex Legibus Romanis animadvertendum esse: quòd cùm jam nullo pœnitentiæ sensu affici possent, ne dignandi quidem essent Christianarum legum humanitate. Cùmque contrariæ & mitioris authores sententiæ, ne hos quidem incorrigibiles morte Ibid. p. 18. extingui debere putarent; in ejusdem libelli contextu Hincmarus in suæ doctrinæ ratiocinium corradit testimonia ex Scripturis & Patribus, quæ eò Cap. 10. tandem collimant, ut parato resipiscere & pœnitenti venia indulgeatur. *Qui convertenti & pœnitenti ignoscat.* Cùmque sciscitarentur nonnulli, qui tandem incorrigibiles habendi essent, respondet eos esse, qui bis terve correpti, in eadem iterum commissa impingunt. *Sed fortè quis dicat, Quomodo sciam si se quis cui pepercero, correxit, & in correctione permanserit? Redeat hac inquiens ad sententiam Domini, ut si evangelicè, & secundò & tertiò correptus non se*

correxerit, qui ab illo sicut ethnicus & publicanus haberi præcipitur, legis severitatem à Principe necesse est sustinere cogatur, ne qui sibi consulere noluit, in pace vivere volentibus nocere possit.

IX. Splendidius etiam aliquanto effulgebit hæc duo Christianorum Principum lenitas & abstinentia cruoris humani, exemplis, quam legibus editis. Conflata est in Germania adversùs Carolum Magnum *valida conjuratio.* Non periere conjuratorum nisi tres, qui comprehendi se contumacissimè repugnabant, nec antè occisi sunt ipsi, quam nonnullos occidissent eorum, qui ad eos comprehendos immissi fuerant. *Neque ullus ex iis interfectus est, nisi tres tantùm, qui cum se ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter coërceri non poterant, interempti sunt.* Ea sunt Eginardi verba. Sangallensis Monachus hoc ipsum testificatur, neminem unquam capitali pœna animadversum esse à Carolo, ne eos quidem, qui in ejus, regnique ejus perniciem conjurassent, nisi semel, aut bis, ubi non aliter extricari res potuit, & conjuratio dissipari. *Quippe qui nunquam linguam suam judicio, aut manus suas effusione sanguinis Christiani macularet, præter ultimam necessitatem, &c. Postquam tamen eadem, nullo unquam modo compelli potuit, ut quempiam condemnaret ad mortem.* Remisit Ludovicus Pius pœnam capitis omnibus conjuratione Bernardi Regis Italiæ implicatis, quamvis Generales Regni Conventus morti illos addixissent. *Conjurationis authores judicio Francorum capitali sententia damnatos, luminibus tantum jussit orbari.* Obiit quidem Bernardus tertio post effossos sibi oculos die. Sed affirmat Theganus in Consiliarios Ludovici, non in Ludovicum refundi debere causam ejus supplicii: ipsum verò Pium pœnitentiam penes Episcopos peragere voluisse, non de irrogato supplicio, sed de eo non prohibito. *Illud judicium mortale quod cæteris factum est, Imperator exercere noluit; sed Consiliarii Bernardum luminibus privarunt, &c. Tertio die post amissionem luminum Bernardus obiit. Quod audiens Imperator, magno cum dolore flevit, & confessionem dedit coram omnibus Episcopis suis, & judicio eorum pœnitentiam suscepit propter hoc tantùm, quia non prohibuit Consiliarios hanc crudelitatem agere.* Postremo denique author vitæ Ludovici, hoc ejus clementiam exornat encomio, quòd ne modum quidem in ea tenuerit, constantissiméque id retinuerit, ut ne quis morte plecteretur, & ne ipsi quidem authores infandarum conspirationum. *Impia conspirationis principes sub privata custodia adservari præcepit. Quos postea in judicium adductos, cùm omnes Juris Censores filiique Imperatoris judicio legali tanquam reos majestatis decernerent capitali sententia feriri, nullum ex eis permisit occidi: sed usus, ut multis visum est, leniori quam debuit pietate, sibi tamen consueto benignitatis & clementiæ more, laicos præcepit attonderi, Clericos in Monasteriis custodiri.*

De Chroniс. To. 2. pag. 201.

Ibidem pag. 128.

Ibid. p. 261. Ex Annal. Egin.

Ibid. p. 280.

Ibid. p. 308.

In parentis optimi vestigia hac quidem in parte ingressi sunt filii Ludovici Pii, nec capitalibus ferè, sed mitioribus aliquantò sævire suppliciis, quibus tamen publica tranquillitas, quantum satis erat, muniretur. Ludovicus Germaniæ Rex oculos effodi jussit Restitio Vindismarkiæ domino. Cùm in Francorum tandem manus incidisset Salomon Brittonum Dux, sui ipsum Brittones oculis orbavere. Carolus Calvus pœnam mortis remisit Carlomanno, qua damnatus fuerat, solaque eum mulctavit oculorum orbitate, ut spatium daret implendæ ejusmodi pœnitentiæ, quæ utcunque consceleratissimam ejus vitam expurgare posset. *Secundùm sacrarum legum decreta pro admissis suis judicio mortis addictum, mitiori sententia, ut locum & spatium pœnitendi haberent, & graviora admittendi locus & spatium, sicut meditabatur, non daretur, luminibus acclamatione cunctorum, qui affuerunt, orbari.* Hæc Aimoinus, qui & illud significat, ne truncatione quidem ulla corporis mulctandum fuisse, nisi necesse omnino fuisset vel sic prohiberi & præverti seditiones turbulentissimas, quibus ille publicam pacem impetiturus videbatur.

Aimoin. L. 5. c. 26. 31.

Ibid. c. 9.

X. Uno de Franciæ Regno hactenus verba fecimus. Sed cùm ea tunc gens sub Imperio Caroli, & Carolinæ stirpis præ cæteris Occidentis Provinciis radiaret sideris instar splendidissimi: vix ambigere quisquam potest, nisi valdè rudis & hospes, quin Franciæ tunc Occidentis totius disciplina vehementer consentiret. De Italia & Roma uno verbo rem conficiam. Meminit Hincmarus in Epistolis suis Rescripti, quod Pontifex ad Regem Carolum & ad ipsum misisset, ad dispensandam scelerosissimi hominis pœnitentiam, qui Monachum eundemque Presbyterum interemisset. *Pro litteris quas Apostolicus Papa Regi Carolo sibique miserat, pro quodam, qui Monachum atque Presbyterum interfecerat: in quibus litteris tenorem injunctæ pœnitentiæ exposuerat, &c.* Cùm Archiepiscopus Ravennæ Paulum neci dari curasset, quantavis fuissent Pauli facinora, nunquam adduci potuit Adrianus I. Papa, ut eam noxam Archiepiscopo condonaret, quia secundùm Canones, non alia quam peccati per pœnitentiam mors fuerat decernenda. *Nam certè ego animam ejus salvari cupiens, pœnitentiæ eum submitti decreveram.*

Flodoard. L. 3. c. 25.

Anast. Bibl. in vita Adriani.

In ea quam ad Leonem Isauricum luculentissimam scripsit Epistolam Gregorius III. Papa, hoc interjicit discriminis Pontifices inter & Imperatores, quod hi morte & bonorum proscriptionibus in reos sæviant: illi condonata morte, cruci eos Christi & Evangelio astringant, secessibus piis latibulisque includant; pœnitentia, jejuniis, vigiliis fatigent: peccato mori cogant, per corpus & sanguinem Christi, justitiæ & immortalitati reviviscentis, sibi Deoque restituant. *Vides Imperator Pontificum & Imperatorum discrimen. Si quispiam te offenderit, domum ejus publicas, illum & suspendio necas, vel capite truncas, &c. Pontifices non ita, sed ubi peccaverit quis & confessus fuerit, suspendii, vel amputationis capitis loco, Evangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem, in secretaria conjiciunt, in Ecclesia Diaconia, & in Cathecumena ablegant, ac visceribus eorum jejunium, oculisque vigilias, & laudationes ori indicunt. Cùmque probè castigaverint, probèque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini corpus impartiunt, & sancto illo sanguine potant, & cùm illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum insontemque transmittunt.*

In Actis Niсænæ II. Synod. Ep. 2.

XI. Cùm eas litteras perscribebat Gregorius, needum lenitas & clementia sacerdotalis altius penetraverat in Aulas summorum Principum & in Regnorum leges, regimenque civitatum. Singulare id & proprium fuit decus Imperatoriæ Caroli Magni prosapiæ, ut Imperii sacerdotalis fundamenta jecerit, illudque propagaverit Occidente toto; pietatis, humanitatis, indulgentiæ & religionis legibus inspersis insinuatisque, in interiorem exterioremque regnorum & provinciarum disciplinam. Toto pene Occidente dominatus est Carolus,

dominata & cum eo est illa Reipublicæ disciplina ad Ecclesiæ ingenium & mores contemperata. Pervasit & Orientem Caroli admiratio, terror, amorque: pervasit & ejusdem Ecclesiasticæ lenitatis in regnorum etiam regimine temperies, ac suavitas quædam.

XII. Unum restat, quod observemus, sed ponderis non exigui. Leges Alemannicæ sicarios etiam cognatorum, immo & parricidas, rebus eorum fisco adjudicatis, pœnitentiæ publicæ addicebant. [Capit. 40.] *Si quis homo valens occiderit patrem suum, aut patruum, &c. Res ejus infiscentur, &c. Pœnitentiam autem secundùm Canones agat.* Leges Saxonicæ quæ [Cap. 3. 4. & 8. 9. &c.] Capitulari Caroli Magni anno 789. continebantur, paulò inclementiores erant. Reos non rarò capite mulctabant. Sed aliunde moti subducebant eos omnes, qui occultè capitalia flagitia cùm admisissent, ea Presbytero erant confessi, pœnitentiamque expetierant: nec alio quam Presbyteri testimonio opus erat. [Ibid. c. 14.] *Si quis verò pro his mortalibus criminibus latenter commissis sponte ad Sacerdotem confugerit, & confessione data, agere pœnitentiam voluerit, testimonium Sacerdotis de morte excusêt.* De criminibus agebatur idololatriæ, perduellionis, interfecti propter dominum, & qui horum tamen clam sibi conscius est, si voluntaria pœnitentia & occulta apud Presbyterum confessione Judices & accusatores præveniat, in judicium deinceps de his non potest vocari. *Testimonium Sacerdotis de morte excuset.* Mirum prorsus hoc erat præventionis jus, quo Reges Christiani publicam donaverant pœnitentiam, in gratiam eorum, qui non semper forsan latuissent, atque ita rigori legum succubuissent. Et sanè si tot aliæ suprà memoratæ leges capitali supplicio pœnitentiam publicam substituebant: quin & is qui se ultro eidem pœnitentiæ subjecerat, eidem supplicio eximeretur? [L. 1. c. 18.] Formulis suis intexuit Marculphus concordiam sicarii cum cognatis ejus, qui ab eo interemptus fuit. Pecunia res transigitur, sed Clerici interventores erant. *Sed intervenientes Sacerdotes & magnifici viri nos ad pacis concordiam ob hoc nisi fuerunt revocasse.* Septentrionales hæ Gentes antè Christianis, quam Romanis legibus imbutæ fuerant. Ideo & ad Christianos, quam ad Romanos mores magis accedebant. [Capitul. Ann. 802. c. 32. 33. Capitul. Ann. 829. Te. 3. c. 2. 3. Addit. 4. c. 117. 118.] Cùm ita verò comparatæ res essent, non difficile fuit Carolo Magno, his pecuniariis pœnis publicam adjungere pœnitentiam, ut incruentè crimina expiarentur. Ita enim ille in Capitularibus decernit de homicidis voluntariis & de incestuosis. Ita Ludovicus Pius ablegat ad pœnitentiam publicam eum, qui proximos, fratres ipsumque parentem suum peremerit. *Ipse verò ordinante Episcopo publica pœnitentia subdatur.* Qui uxore sua interempta alteram duxit, non aliter habetur: *Armis depositis publicam agat pœnitentiam.*

Hinc illud existit, Episcopalem jurisdictionem incrementa fecisse longe maxima, cùm ad eos ablegarent eorumque judicio subjicerent, maximorum quorumcumque criminum reos Christiani Imperatores Regesque. Id quoque perspicuum est, hinc manasse illud effatum posterioribus sæculis celebratissimum, non posse jam publicos judices inquirere in ea crimina, quæ publica pœnitentia, vel expiata essent, vel expiari cœpissent.

CAPUT LXXIII. *P. 3. l. 2. c. 16.*

De irregularitate Servorum, Curialium, publicis ratiociniis obnoxiorum sub Imperio Caroli Magni.

I. De irregularitate servorum, variæ leges Caroli Magni & Ludovici Pii.
II. In Ecclesia manumittebantur, ad Ordines quidem.
III. Aliquibus in Ecclesiis non ordinabantur ferè, nisi servi.
IV. In aliis Ecclesiis opera data, ut ne ordinarentur, nisi Nobiles, hoc est, ingenui & liberi homines.
V. Imperatores ipsi servos altius evexerant.
VI. De Diacono, quem matrona commendabat, ut servum suum.
VII. Cœpit tandem relaxari servitus. Cur servos suos omnes non statim manumiserit Ecclesia.
VIII. Adversæ sibi mutuò Justiniani & Leonis Leges.
IX. Irregularitas Curialium.
X. Et eorum qui administrationum publicarum ratiociniis nondum fuerant absoluti.

I. AD servos jam devolvitur oratio, quorum in Clero, ut & in Monasteriis ingentes erant omnino turbæ, teste locupletissimo Carolo ipso Magno, qui Episcopus hortabatur, ea ut essent vitæ integritate, morumque sanctimonia, ut ad Clerum suum allicerent adgregarentque, non servilis tantum generis homines, sed & ingenuos. *Et non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios aggregent, sibique socient.* [Capitul. L. 2. c. 72. L. 1. c. 23. 57.] Perspicuum est hic verba fieri de puerulis, quos in seminaria sua Episcopi conjiciebant, in spem Cleri. Sed non ex hujusmodi adolescentulis tantum servis Collegia Clericorum coalescebant. Ludovicus Pius constitutione edita, vetuit ne Episcopi amplius promiscuè servos & gregatim ad Ordines Ecclesiasticos cooptarent. *De servorum vero ordinatione, qui passim ad gradus Ecclesiasticos indiscretè promovebantur.* [Conc. Gall. Tom. 3. pag. 430. & Capit. Car. Mag. l. 1. c. 88.] Prohibuit autem ne quem eorum ordinarent, nisi à domino prius manumissum: quod & à Concilio Francofordiensi & Triburiensi confirmatum fuit. 2. Jussit ut abdicarent, & dominis eos [Can. 23.] restituerent, qui furtim in Ordines irrepserant, [Can. 29.] occultata origine & conditione sua. *Decretum est, ut deponatur, & dominus ejus eum recipiat.* 3. Quorum patres avique longinquis in regionibus peregrinabantur, unde & ipsi dubium, liberi an servi essent, hi dominis suis restituendi erant, si eos reposcerent, sed antè Ordinibus exuendi. Nec enim poterat servilis conditionis vilitas cum sacerdotalium functionum regia quadam dignitate sociari. *Quia juxta sacros Ordines vilis persona manens, Sacerdotii dignitate fungi non potest.* 4. Haud dubio servi Ecclesiæ frequentissimè in Clerum adoptabantur: sed antè astante Clero & Plebe libertate donabantur, cùm Principes eam facultatem dedissent Ecclesiis. *In ambone ipsa authoritas coram populo legatur: & coram Sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis, ante cornu altaris, sicut in nostra authoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem consequantur, & tunc demum ad gradus Ecclesiasticos promoveantur.* 5. Poterant & laici ipsi Ecclesiæ servorum aliquem ad Ordines præsentare, sed quos antè profectò redimerent, & servitute absolverent. *Similiter de his agendum, quos laïci de familia Ecclesiarum ad sacros Ordines promovere voluerint.* 6. Episcopi, Abbates & Præpositi, seu Monasteriorum, seu Capitulorum in potestate habebant, servorum Ecclesiæ aliquos primùm libertati vindicare, tum ad

Capit. Car. Mag. l. 5. c. 217.

Ordines offerre. *Sed & de his quos Præpositi Canonicorum aut Monachorum ordinandos expetiverint, eadem forma servanda est.* 7. Denique si homines prorsus ignoti in Monasteria admitti se peterent, triennio in veste laica esse cogebantur; interim si reposcerentur, reddebantur dominis; ubi id tempus effluxerat, tum verò veste donabantur Monastica; atque si posteriùs vendicaret eos dominus, non ipsi quidem, sed quascumque intulissent res, ei restituebantur. Quod Justiniano & Gregorii Magni decretis cum primis consentit.

Quod attigi autem de servis Ecclesiæ, quos Laïci quandoque ordinari curabant, trahi forsan id posset ad eos Ecclesiæ servos, qui uno eodemque tempore ita obligati erant Nobilibus laïcis, ut Concilium Meldense anni 845. unum id ab illis anno quolibet exigendum censuerit, ut viginti dierum operas suas conferant ad resarciendas Ecclesiarum

Can. 62.

ruïnas. *Servi Ecclesiarum quibuscumque potestatibus subditi, saltem viginti diebus in anno eidem Eclesiæ ad reficiendas ipsius ruinas absque molestia servire sinantur.*

Regino l. 1. c. 401. 402.

Farragini suæ inseruit Regino hocce Ludovici Pii Capitulare, addiditque mox chartam libertatis, qua Episcopus, Abbas, vel Ecclesiæ Rector quilibet servum donabat ad Ordines sacros accipiendos. Dabatur nimirum ea libertas *ad cornu Altaris, in nobilium virorum præsentia*, ut eadem libertate fruerentur, *sicut alii cives Romani.*

II. Immo ne laïci quidem domini nisi in Ecclesia manumittebant, quos ad Clericatum destinabant, ut eorum libertas quasi sacrosancta haberetur, prorsusque immunis & explicata ab omnibus

Idem ibid c. 403. 404.

sæcularibus vinculis. *Instruendi sunt præterea laici, ut sciant quod nullatenus alio loco manumittere proprios possunt servos, quos Dominicis castris adgregari decreverunt, nisi in sacrosancta Ecclesia ordine suprà notato. Quomodo enim Clerici extra Ecclesiam libertatem consequi possunt, qui a lege mundana extranei sunt? Et quibus interdicitur, ne ad sæculare judicium procedant, quomodo sæculari judicio à jugo servitutis absolvuntur?* Illi quin etiam servi, quos religionis contemplatione & instinctu pietatis domini absolvebant servitute, in Ecclesia absolvi debebant, ut dehinc essent sub Ecclesiæ patrocinio. *Hi quos qui pro remedio animæ suæ emancipare vult, secundum legem mundanam in Ecclesia absolvi debent, & ejusdem Ecclesiæ patrocinio commendari.*

Et hæc probabilis admodum ratio suberat, ut in Ecclesia ipsa celebraretur eorum manumissio servorum, qui Clero inscribendi essent. Reliquo enim vitæ tempore habebantur liberti Ecclesiæ, ejus ditioni & jurisdictioni obnoxii, ejus patrocinio adstricti, ejus tuitioni commendati; si denique sine prole vita cederent, hæreditatem eorum adibat Ecclesia. Id ait Regino, *scriptum esse in pacto Francorum*: id denique in Ripuariorum Legibus legitur:

Ibid. c. 405.

Tam ipse, quàm liberi sub tuitione Ecclesiæ consistant, & omnem reditum status sui ad Ecclesiam persolvant, & non alibi nisi ad Ecclesiam, ubi relaxati sunt, mallum teneant; & si absque liberis decesserint, nullum nisi Ecclesiam relinquant heredem.

Capitular. Baluz. l. 6. c. 213. Marculph. L. 1. c. 22. Appe. Marc. c. 24.

Si paulò altiùs & ab ipsa origine res ista repetatur, erit ut spero operæ pretium. Erant enim duo genera manumissionis: altera coram Rege, jactato denario; unde & hujusmodi liberti *Denariales* appellitabantur. De iis frequens mentio in Capitularibus. Formulam quoque hujus manumissionis publicavit Marculphus: *Præceptum denariale*; fiebat enim *jactante denario*. Manavetat is usus à *Lege Salica*, ut in alia ejusdem formula refertur.

Ibid. & Capit IV. anno 819. c. 8.

Erant & alii ex Lege Salica liberti, qui *Chartularii* in iisdem Capitularibus dicuntur. Fluebat, ut suspicor, ea vox à Charta seu Breviculo Principis, quo donabantur.

Erat & alia manumittendi ratio *secundùm Legem Romanam*, ut habetur in Legibus Ripuariis, qua fiebant Romani Cives. *Si quis servum suum libertum*

Art. 61.

fecerit, & civem Romanum Jubent Capitularia, ut manumissiones in Ecclesia fiant: *Manumissiones in Ecclesia celebrandæ sunt.* Et alibi: *Qui per Chartam in Ecclesia juxta altare dimissi sunt liberi, &c.*

L. 5. c. 91. Et Capitul. anni 816.

Postrema hæc autem manumissio illa ipsa erat, quam constituerat Constantinus, cujusque celebrandæ potestatem Ecclesiæ concesserat. Ea erat libertas plena ac Romana. Denique ea erat, quam necessariam ducebant, ut in Clerum quis cooptaretur, antequam Salii, Franci, aliæque Boreales gentes in Imperii Romani Provincias irrumperent & exundarent. Ideo & quanquam singulis his gentibus suæ essent propriæ & peculiares manumittendi leges & consuetudines: omnes tamen consenserunt in eum Ecclesiæ usum, qui pridem in ea inoleverat, ut necessaria ad Clericatum ea esset libertas, qua in Ecclesia ipsa liberti donabantur. In Concilio Triboriensi anni 895. discriminatæ sunt hæ libertatis species duæ, vetitumque ordinari, nisi qui plenam essent & perfectam consecuti libertatem. *Nullum servum Episcopus ordinare præsumat, antequam perfecta ditetur ingenuitate.*

Can. 29.

Sed multò manifestior ea res in Concilio & Canone, Gregorianis Decretalibus inserto. Nomine Toletani Concilii refertur; sed verba ipsa Canonis apertè produnt Synodum Gallicanam. Ibi enim refertur, Francis convenisse, ut libertatem in Ecclesia consequerentur, qui in Clerum promovendi essent, aut quorum manumissio in pretio apud Deum futura esset. *Non solùm qui ad Clericatus ordinem promovendi sunt, in Ecclesia manumittendi sunt; verùm etiam hi quos quisque pro remedio animæ suæ emancipari vult, quia sic scriptum est in pacto Francorum.*

Extra. De servis non ordin. c. 1.

Decreto suo Ivo hanc Constitutionem inseruit, sed nonnihil interpolatam. Integra autem & sana legitur in prima Collectionum antiquarum Antonii Augustini, sub eodem Titulo, *De servis non ordinandis.* Ibi & alia perstringitur ejus usus ratio, hic certè non silenda. Nempe dum servus manumittitur, ut Clero societur, eadem ipsa libertatis charta non debere eum cuicumque alii quàm Ecclesiæ, quantulacumque in re, mancipari. *Quomodo enim Clerici extra sanctam Ecclesiam libertatem consequi possunt, qui à lege mundana extranei sunt? & quibus interdicitur ne ad sæculare judicium procedant, quomodo sæculari servitio à jugo servitutis absolvuntur?*

Ivo Decret. Part 6. c. 128. 129. 131.

Idem ipse Ivo Chartam hujus libertatis publicavit, ubi dominus & manumissor contestatur, hunc libertum posthac uni Deo & Ecclesiæ obnoxium fore. *Ante cornu Altaris absolvo servum meum, &c. Pergat quò ei canonica authoritas permiserit. Nulli heredum meorum, aut proheredum, nec cuiquam personæ alii quidquam debeat servitutis, vel libertatis obsequium, nisi soli Deo.*

Ibid. c. 132.

Ripuariæ Leges disertis verbis tradunt, quoad manumissiones, Ecclesiam Leges Romanas secutam. *Secundùm legem Romanam, qua Ecclesia vivit.* Lege Romana utebatur Ecclesia ante Barbararum harum Nationum colluvionem in Romanas Provincias infusam. Sed & per harum Reges ei semper licuit ea uti.

Tit. 60 n. 1.

Can. 5. III. Amarulentè expostulat Crodogangus Episcopus in Regula Canonicorum, de Episcopis & Abbatibus iis, qui in Congregationes suas aditum patere nolebant nisi servis, quibus imperiosiùs dominarentur, quos & impunè possent stipendiis fraudare: & ibidem ipsemet tamen profitetur, etiam servis Cleri januam pandi debere, *cùm apud Deum non sit personarum acceptio* (*Et Concilio Aquisgran. c. 119.*): verùm illud omnino præcipi debere, ut & nobiles liberique admittantur. *Nullus Prælatorum, exclusis nobilibus, viles tantùm in sua Congregatione admittat personas.* Concilium Aquisgranense idem præcepit iisdem omnino verbis. Perspicuè hîc autem vides Nobiles eosdem esse, atque liberos & ingenuos. Opponuntur enim hic Nobiles servis. Et qui hîc *Nobiles*, hoc ipso capite suprà *Ingenui* dicti sunt.

IV. Hinc ille perantiquus usus paucarum Ecclesiarum, ut soli Nobiles, id est Ingenui admitterentur, exclusis servis. Quod cùm & ipsum per sese jam subalienum esset ab antiquiore disciplina, quæ servos quoque libertate donatos suscipi jubebat; tum multo alienius lapsu temporis evasit, ubi soli longo avorum stemmate clari admissi sunt. Cui tamen consuetudini alicubi jam robustissimæ potest & inde forsan aliquid conciliari patrocinii, quòd necesse fuerit hoc propugnaculo muniri dignitatem libertatemque nonnullarum Ecclesiarum, quibus pergebant Episcopi nonnisi servos ascribere & ordinare, ut impotentiùs dominarentur. Idem porro usus etiam tum postea retentus est, ubi non liberi, non ingenui omnes Nobiles dici cœpere, sed præcipua quadam nobilitate clari.

V. Minùs mirum accidet autem tanta Episcopos fuisse animi propensione in servos, si perpendamus ipsos Reges atque Imperatores in eundem errorem abreptos, si Thegano fidem habeamus. Inde enim ille scaturisse auguratur primam malorum labem in Ludovicum Pium, quòd jam penè inolevisset & confirmatus esset mos, nonnisi sordidorum natalium homines ad Episcopatus promovendi. *Quia jam dudum illa pessima consuetudo erat, ut ex vilissimis servis summi Pontifices fierent: & hoc non prohibuit, quod tamen maximum est malum in populo Christiano.* (*Du Chesne To. 2 pag. 279. 281.*) Hi nimirum Præsules, non minùs animo, quàm natalibus degeneres beneficia Ludovici maleficio pensarunt, audacissiméque in eum postea data occasione insurrexere. *Omnes enim Episcopi molesti fuere ei, & maximè hi, quos ex servili conditione honoratos habebat, cum his qui ex Barbaris Nationibus ad hoc fastigium perducti sunt.* Eo in numero erat Ebbo Archiepiscopus Remensis, *ex originalium servorum stirpe.* A Consiliis Ludovico erant id genus plerumque homines, si Thegano fides, qui ne suorum obscuritas natalium probro esset, Nobilium & Ingenuorum prærogativas omnes conculcare gestiebant. (*Ibid p. 284.*) *Sed summopere cavendum est, ne amplius fiat, ut servi sint Consiliarii sui: quia si possunt, hoc maximè construunt, ut Nobiles opprimant.* Ubi rursum vides, ut Nobiles originarus servis opponantur, utque cùm à servis dignitatum fastigia consecutis obtriti aliquandiu fuissent Nobiles, illos tandem & ipsi vicissim ab eminentioribus Collegiis ejecerint.

VI. Nec silentio prætereunda Hincmari Epistola ad Matronam nobilem, quæ Diaconum repetebat, pridem sibi servitutis nexu obligatum. Respondet verò Hincmarus, 1. Nunquam in grege servorum verè fuisse eum Diaconum, sed colendis agris affixum. *Qui colonus Ecclesiasticus, & non alicujus servus fuerat.* (*Flodoard. L. 3. c. 27.*) 2. Libertati ab ea ipsa domina sua redditum fuisse ante ordinationem suam. *Legaliter liber factus, & canonicè ordinatus, &c. Et quomodo ejus recipiens libertatem, Diaconum licenter ordinaverat.* Quo rursum liquet, quod animadversum jam suprà fuit, varios fuisse servitutis gradus, & unum eundemque & Ecclesiæ, & sæcularibus dominis innexum quandoque fuisse, alio & alio compedum genere. 3. Quanquam is Diaconus verè servus fuisset, tanta post temporis intercapedine, non posse jam repeti, & in servitutem revocari, post ordinationem, ex Imperialibus Constitutionibus. *Ostendens quod si servus ipsius fuisset, & tanto tempore post ordinationem suam sine ipsius repetitione mansisset, secundùm sacras leges jam in servitium repeti non posset.*

VII. Finem hic faciam dicendi de servis, ubi monuero, multùm jam ipso tempore remisisse servitutis rigorem. Cùm Geraldus Auriliacensis Comes in suos ipsius incidisset colonos, qui ab agris ejus demigrabant, remque suam singuli asportabant omnem, *derelictis colonis suis*, duriùs quandoque se habitos fuisse prætexentes, quanquam per leges revocare eos posset, maluit ut liberi abirent, & sensim augescentem etiam in servorum levamentum libertatem experirentur. Cùm plurimos manumitteret, percunctantibus, eccur non omnes, respondit, Eam ipsam donandæ libertatis licentiam legum imperio cohibitam esse. *Justum est ut lex mundialis in hoc observetur, & ideo numerum in eadem lege præstitutum prætergredi non debere.* (*Bibl Clun. p. 79. 105.*) Non absurdè conjiceret quis ea ipsa ratione prohibitam fuisse Ecclesiam, ne & ipsa, immo ne ipsa maximè ante alios, servos omnes suos vinculis his absolveret. Potuit & in mentem Præsulibus venire, non minimam patrimonii & census Ecclesiastici partem esse in mancipiis; dissipari autem non debere patrimonia pauperum. Adde quod & ex Ecclesiæ servis bene multi in Clerum, & demum ad sacros Ordines accersebantur; quo fiebat, ut ea statio nec ignobilis esset, & ad salutem sempiternam non paucis fulta esset præsidiis. Cùm & ipse Paulus suaserit, ut qui liber fieri posset, servire nihilominus pergeret, quòd ea humilitas vanæ mundi libertati jactantiæque eò anteponenda sit, quò tutior est, & ad comparandam Christi sapientiam & charitatem, quæ germana libertas est, accommodatior.

VIII. Revocata est à Leone Imperatore Novella Justiniani, qua intra unius dumtaxat anni spatium fas erat domino servum repetere, qui eo inconsulto Clericus esset ordinatus. Voluit autem Leo ut semper repeti posset servus, qui nesciente domino ordinatus esset. Si Monasticam autem induisset vestem inscio domino, repeti posse voluit, etiam post triennium; quod non difficile sit, ut per triennium servus dominum fallat, & suffuretur se ei: quodque vel ea ipsa servorum fuga argumento sit, nequaquam cælesti instinctu eos ad Clerum & ad Ordines allici. Id verò totum legibus Justiniani infestum erat; & tantò magis stupendum, quòd ne Episcopatum quidem exceptum Leo voluerit. Ex his porro concluditur à Balsamone, posse servum à domino reposci, etiam si Episcopus esset ordinatus, si eo nesciente est ordinatus: idque posse toto triennio, numerando ab eodem die quo primùm rescivit. (*Justin. Novel. 123. c. 17. Leon. Nov. 9. 10 11. Just Nov 5. Balsam in Nomoc in Phot Tit. 1. c. 36.*) *Collige & dic servos præter voluntatem domini Clericos, aut etiam Episcopos factos, ad pristinum dominum, quamvis invitos reverti, dic similiter dominum hos non posse indifferenter revocare, sed intra triennium, posteaquam rem cognoverit, supputandum.* Et paulò

inferiùs : *Domino autem porrigi usque ad triennium ordinati servi revocationem, est ex Novella Leonis sapientis & servatur, etiamsi est gravis libertati propter justum & æquum.* Et tamen Novellæ Leonis nullum certum tempus definiunt domino; Justiniani Novellæ annum unum assignant Clericis, triennium Monachis, numerandum à die ordinationis, vel secessionis in Monasterium. Itaque quod hic definitum est à Balsamone, usus magis videri potest tunc receptus, vel privata ejus sententia, quàm Imperialium definitio Constitutionum.

IX. Irregularitas Curialium, qui Municipiorum Senatores erant, desiisse videtur, ubi invecto novo regimine desiere & illi Magistratus. Argumento esse possunt duæ Leonis Philosophi Novellæ, à quo abrogatæ sunt Leges antiquæ de Curialibus omnes, quòd in recentiore Reipublicæ administratione reliquus illis locus esset nullus, eorumque jam functiones omnes Principis arbitrio
Novel. 46 delegarentur. *Quæ leges nunc ex eo quòd res civiles in alium statum transformata sint, omniaque ab una Imperatoris solicitudine atque administratione pendeant, tanquam incassum circa legale solum oberrent, nostro decreto illinc submoventur.* Observat etiam Balsamon in Nomocanonem Photii, leges quæ de Curialibus agebant, in Basilicas relatas non fuisse, in quas non referebantur, nisi quæ etiam tunc vigerent.

Latinis autem mediæ hujus ætatis hominibus, ne comperta quidem satis videtur fuisse hujus *Curialium* vocis significatio. Joannes VIII. vetuit ne Constantinopoli amplius Patriarchæ eligerentur ex
Epist. 199. laïcis, vel ex Curialibus. *Nullus de laïcis, vel Curialibus.* Eo tum nomine donabantur Aulici, Magistratus, & Senatores Constantinopolitani; & ne in cogitationem quidem cadebat, eo nomine Municipalium urbium Senatores designatos fuisse. En secùs *Curialis & Neophytus* vocatur Leo in Concilio Romano, sub Pontifice Joanne XII. anno 964. quòd illum Otto III. Imperator ad Pontificatum promovisset.

X. Paucis absolvam quod de iis restat qui publicarum administrationum à se gestarum necdum ratiociniis perfuncti, necdum fuerant absoluti. Cùm Hincmarus Remensis Archiepiscopus Canonicum examen instituisset de Guilleberto Catalaunensi Episcopo electo, compertoque eum in Palatio Regio Descriptorem fuisse Regalium stipendiorum:
Conc. Gall. To. 2. pag. 652. *Quod ministerium in regio obsequio suscepisti, &c. Inbreviator, sive Descriptor, stipendiorum regalium, & relator à domno Rege sum constitutus.* Diffidere cœpit Hincmarus, ne eo officio administer & procurator Regiæ pecuniæ fuisset, & ratiociniis innexus, quo alienatus fuisset à sacris Ordinibus. Sed eam ille à se suspicionem amolitus est : *Non fui conductor alienarum rerum, nec turpia lucra, vel exactiones, sive tormenta in hominibus exercens, sed descriptor & relator solummodo stipendiorum regalium.* Interrogati sunt Aulici & Palatini, Clerici, Nobilesve laici, *Hi qui in Corte degebant, & Clerici, Nobiles laici :* & assensi sunt omnes Clerici, Laicique, nihil in ea defungenda Provincia à Guilleberto commissum fuisse, quod eum à Sacerdotio alienare posset. Voluit denique Hincmarus, Regis ipsius testimonio & assensu, exoneratum & absolutum sibi confirmari Guillebertum ab omni administratione, quæ concredita illi fuerat; ut ne posset posthac ea de re ad rationes vocari. *Et porrecta sunt littera cum sigillo domni Regis, continentes, quod de omnibus quæ illi commisit, optimè ei rationem reddiderit; & nihil ab eo repetebat, vel unquam repetere deberet.* Hac ipsa de re tractabitur inferius copiosissimè, ubi declarabitur, quàm seposita etiam irregularitate, non possit Clericatus sociari cum his quibuscumque nexibus terrenarum administrationum.

CAPUT LXXIV. *P. 4. l. 2. c. 31.*

Irregularitas servorum, æere alieno & ratiociniis publicis innexorum post annum Christi millesimum.

I. De servis Ecclesiæ & eorum manumissionibus.
II. Postrema hac ætate cœpit Ecclesia servitutes funditus abolere, servisque omnes vetustissima absolvere vincula.
III. Superfuere obsequia quædam necessaria, tanquam antiqua vestigia servitutis.
IV. In Decretalibus ipsis reliquiæ antiquarum servitutum.
V. Funditus extincta servitutes.
VI. Eis succedunt jura quædam dominicalia.
VII. In Hispania & in Oriente duriores servitutes.
VIII. De Curialium irregularitate.
IX. De irregularitate æris alieni, & ratiociniorum. Exempla his contraria sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, & Episcoporum Sueliæ.
X. Adversa Sixti V. & Clementis VIII. Decreta.

I. EX Concilio Papiensi anno 1014. sub Benedicto VIII. Papa multos adhuc & numerosos servorum greges Ecclesiis superfuisse constat: eos omnes ad Clericatum anhelasse, ut voti compotes facti, liberas uxores ducerent, liberosque ex eis susciperent, verè liberos futuros : eo abusu Ecclesias non paucas exhaustas & ad extremam adactas inopiam; elaboratum esse ab hoc Concilio, ut ejus statuta ab Henrico II. Imperatore confirmarentur : iis verò statutis sancitum, ut filii omnes servorum Ecclesiæ, tum Clericorum, tum laicorum, servi ipsi quoque essent, quamquam libera & ingenua matre nati essent; denique ne quidquam possent unquam nisi Ecclesiæ acquirere, quamlibet emensititiis nominibus abuterentur.

Concilium Bituricense anni 1031. ordinari, aut tonsura donari servos vetuit; *Nullus servorum, vel Collibertorum Clericus fiat;* nisi priùs à dominis manumitterentur. At ex Epistola Paschalis II. ad Episcopum Parisiensem Galonem & ad Clerum ejus, longè pulcriora existunt de servis elucidamenta. Servos enim Ecclesiæ, mavult Pontifex famulos appellari. *Famuli Ecclesiæ, qui apud vos servi vulgo impropriè nuncupantur.* 2. Quanquam Galli Servos adhuc eos appellarent, qui famuli erant Ecclesiæ : ex hac tamen Epistola patet, Regem, Episcopos, Barones unanimi consensu decrevisse, ut in posterum servi Ecclesiæ plenissima potestate instruerentur ferendi testimonii in judicio adversùs ingenuos. 3. Idque statutum suum confirmari voluisse hac Pontificis Epistola, qua declaratur æquum esse, ut potioribus gaudeant privilegiis Ecclesiæ servi, quam sæcularium. *Neque enim æquum est Ecclesiasticam fa-* An. 1114.
miliam iisdem conditionibus coërceri, quibus servi sæcularium coërcentur. Editum est non ita pridem privilegium, quo Carnotensem Ecclesiam donavit Ludovicus VI. ut ejus Ecclesiæ servi possent testimonium dicere adversùs homines liberos, eoque à laicorum servis sejungerentur. Spicileg. To. 13. pag. 309.

II. Illud ergo Ecclesiæ primum vendicandum est decus, ut ipsa primum libertatem cœperit universim effundere, & promulgare, & servituris squallorem atque injuriam ab humano genere excutere, dum ipsa primùm plerosque servos suos,

nec paucos Laicorum ordinatione in libertatem asserit: & dum suis potestatem impertit, ut in judiciis testimonium dicant; quo factum est, ut pulcherrima hujus gloriæ æmulatione accenderentur tandem aliquando & Laici, quo & ipsi celebrarentur tanquam humanæ gentis liberatores. In Concilio Londinensi, cui præfuit B. Anselmus anno 1102. proscripta est propudiosa consuetudo homines ceu
Eadmer. Novor. l. 3. bruta animalia venundandi. *Ne quis illud nefarium negotium, quo hactenus in Anglia solebant homines, sicut bruta animalia venundari, deinceps ullatenus facere præsumat.*
Can. 27. Concilium Vaterfordiense in Hibernia anno 1158. libertate donari jussit Anglos omnes, qui in Hibernia divenditi, emptique fuerant. Liberos enim suos Angli vendebant, cùm fame & inopia rerum premebantur. Ea ergo tum proscripta est inhumanitas.

III. Sed altiores egerat antiqua servitus radices in humana gente, quàm ut excidi omnino ita posset, ut ne fibræ quidem ejus ullæ residuæ superessent. Ecclesiæ *homines* cœpere dici, qui antea servi dicebantur: nec poterant alias uxores ducere, quàm quæ in ejusdem essent ditione Ecclesiæ. Vituperatus est ab Alexandro III. Abbas sancti Remigii, quòd ad alios quàm Ecclesiæ suæ Judices citasset duos homines sui Monasterii, qui uxores alteri
Append. 1. Lat. 11 13 domino obnoxias duxissent. *Homines Monasterii tui trahis in causam, quia de alterius dominio uxores duxerunt.* Cùm Hamensis Abbas ad Monasticam suscepisset professionem *hominem* Abbatis Humblariensis cum facultatibus omnibus suis, hujus precibus interpellatus idem Pontifex, Hamensem compulit, ut restitueret, vel componeret. *Hominem cum rebus suis restituat.*

Hi *homines* igitur ad professionem Monasticam, adeoque ad Ordines irregulares habebantur. Angliæ certè Regibus Magnatibusque id perfussissimum erat. Inscriptum enim erat & hoc caput Consuetudinibus Regiis Henrici II. Regis Angliæ, quas ille promulgari pervicit in Conciliabulo Clarendunensi anno 1164. *Filii rusticorum non debent ordinari absque consensu domini, de cujus terra nati dignoscuntur.* Cessit his tum Consuetudinibus Angliæ Clerus, cessit, inquam, vi & furori Regio, cessit tum & Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, qui & ignaviam illam suam postea magna lacrymarum vi, & martyrio tandem suo expiavit. Erant in iis Consuetudinibus nonnulla multò atrociora capita, quæ sanguinis impendio propulsari debuere. Nam quod ad filios rusticorum injussu domini non ordinandos attinet, hoc tolerari posse censuit Alexander III. Papa, ut habetur in Actis beatissimi Martyris Thomæ. *Hoc toleravit.*

Extra. De servis non ordinan. IV. Quas Gregorius IX. orbi Christiano promulgavit Decretales, ex Toletanos ostentant adhuc antiquissimos Canones de Servis, nempe irregularitatem adhuc vigere declarant, quanquam servi jam pauci, pauca ergastula dicerentur. Altheimensi Concilio jubetur Presbyter sub Conrado Rege horas Canonicas decantare domino, à quo libertati ea conditione redditus est: alioqui abdicandus est ab Episcopo. Quin & ipsius Ecclesiæ homines docet Innocentius III. Clericatu insigniri non potuisse, nisi assentiente domino, qui annuere poterat ea lege, ut ad aliam nunquam demigrarent Ecclesiam. Gregorius denique IX. ad Episcopum Neapolitanum rescripsit, ut Nobilem quendam virum interpellaret, ne ordinationi Clerici renitteretur, matre quidem libera nati, sed cujus pater ipsius homo esset. *Patrem ipsius hominem suum esse proponit.*

V. Altum deinceps in Jure Canonico silentium de servitute, & de appicta ei irregularitate. Quin ex adverso Clemens IV. cùm rescisset anno 1266. à Bela Hungariæ Rege rejici Episcopum Regni sui, ea de causa, quòd origine servus esset; luculenter ad eum rescripsit, pro nihilo reputanda hæc jam esse discrimina, quæ inter homines alios ab aliis humana commenta est imprudentia, imparesque esse voluit, quos Deus coæquaverat: hominum voluntate præscribi non potuisse contra naturam, quæ humanum genus omne libertate donavit: denique quanquam Præsulem illum certò constaret origine servum fuisse, eam ignobilitatem Pontificatûs gloria & splendore absorptam devoratamque ita fuisse, ut ne memoria quidem ejus superesse deberet. *Nec ei potest obesse originalis servitus, etsi de ipsa constaret, quam dignitas Episcopalis absorbuit & elisit.*

In Concilio Londinensi anni 1328. contortum est anathema in eos, qui testamenti executioni intercederent eorum, qui vel tertis adhuc quibusdam, vel dominis obnoxii aliqua ex parte erant. *Omnes illi,* Can. 4.
qui ascriptitiorum, vel aliorum servilis conditionis testamenta, vel ultimas voluntates quovis modo impedierint, contra consuetudinem Ecclesiæ Anglicanæ hactenus approbatam, per excommunicationis sententiam compescantur.

Speculum Saxonum, seu Jus Saxonicum, qui in unum Codicem consarcinavit, sui de Servitutibus silentii illam depromit causam, quòd eæ jam exolevissent, velut ipsius ingenio naturæ infensæ, eique nobilitati, qua conditor humanum genus omne illustravit. *Secundum rei veritatem servitus per captivitates injustas, comminationes & injurias initium habet, quam homines propter longi temporis consuetudinem, tanquam juris essent, usurpare cupiunt.* Quoad obsequia verò & jura quæ servituti successere, ea ibidem affirmatur longè diversissima alia ab aliis exigi, ut collibitum fuit Episcopis, Abbatibus & Abbatissis. Servis, seu hominibus in commune id licebat, ut testari, & hæreditates adire possent, dum in domini sui ditione totum fieret. *Ministeriales hæreditant, & hæreditatem accipiunt sicut liberi, &c.* Denique cùm servi hujusmodi plerumque Slavi essent in Germania, unde & Gallorum vernacula vox, qua servos designant, geniti ab eis filii, Teutones, vel Slavi habebantur, pro matre de qua nascerentur. Quæ eadem omnia observari fas est in Collectione Consuetudinum Magdeburgensium.

Goldast. Const. Imp. pag. 238. 154. 165.

Ibid. p. 168.

VI. Coacervari hîc possent quamplurima documenta, quibus liqueret Abbates, Decanos, Episcopos, Comites, Dominos antiquas relaxasse servitutes, seu singulis privatim hominibus, seu vicis & conventibus hominum, à quibus non exigebatur *pro patrocinio & defensione, atque Mundeburdo,* nisi census annuus, jus molendini, & coquendi panis, jus in matrimonia, in successiones caducas, jus vindicandi usurpandique agros eorum, qui ipsi injussu domini alias in regiones demigrarent. Dominicalia hæc jura ipsæ quoque Ecclesiæ comparabant sibi, vel cùm his legibus libertates condonabant, vel cùm ea à sæcularibus dominis in ipsas transfundebantur. Ludovicus X. Galliæ Rex quidquid servitutum in Gallia supererat, prorsus extinxit eo Edicto, quod publici juris nuper fecit Lucas Dacherius in Spicilegio.

Preuves de l'histoire de Tournus. pag. 412. Recueil pour l'histoire de Bourgogne. p. 57. 58. 404 418. Histoire des Comtes de Toul. p. 163. 195. ibid. Chan. Note 70. 77 91 92.

Spicil. to. 11. p. 385 & seq.

VII. Ita extinctæ fuere in Occidente Servitutes. Etenim tyrannica potius ea fuit conspiratio, quàm definitio juridica, quando in Arragoniæ Comitiis

Hispan. illu. T. 3. pag. 243. Spondanus. Anno 1381. n. 4.

Generalibus anno 1381. conquerentibus rusticis quibusdam de vi & sævitia quorundam Nobilium, absoluté responsum est, Ea de re actionem non dari: nec Regem ipsum in ejusmodi causas posse inquirere, penes Nobiles esse jus vitæ necisque in subditos omnes, nec judicio eos nisi summi Numinis subesse, iis quidem in causis. Minus forsan jam quis mirabitur, si tandiu gemuerit Hispania sub Maurorum jugo, cùm & ipsi Hispani alii aliis tam grave servitutis jugum injecerint. In Orientales Christianos sævisse tandem cælestem iram Guibertus Abbas advertit, Barbarorumque in servitutem eos impegisse, ea forsan de causa, quòd infanda immanitate homines divenderent, distraherentque etiam gentibus procul dissitis. Quod horrori ille ait fuisse Latinis. *Taceo quoque contra consuetudinem Latinam, marium, fœminarumque, dignitatis etiam Christiana personas, indifferenter emi, ac si bruta animalia distrahi, & longiùs à patria ad crudelitatis argumentum, ut Gentilium fiant mancipia vendendas emitti.*

Gesta Dei p. Francos L. 1. c. 2.

VIII. Ita oblivione obruta est & quasi contumulata tum servitus, tum irregularitas servituti affixa. Gradum jam facio ad servitutem aliam, hominum judicio minùs vilem, Clericatui nihilominus infestam, ut quæ plusculum etiam & mentes & voluntates hominum à Deo alienaret. Ea est Curialium irregularitas, & publicæ rei Administratorum. Curialium jam & nomen ipsum obsolevit, quòd tota exterior rerum politia antiqua extincta sit. Diximus jam aliqua eorum superfuisse vestigia post annum millesimum, cùm Concilii Papiensis sub Benedicto VIII. confirmavit Henricus II. statuta, ubi servituti huic Curialium addicuntur Clerici, qui uxores contra Canones ductas abjicere detrectarint. Ubi & Justiniani citantur Leges, quæ eam pœnam indicunt. *Servata Justiniani Augusti auctoritas, Curia civitatis tradatur, cujus est Clericus. Jure etenim manebit miser in Curia, quem Ecclesia regula depositum ejecit ab Ecclesia.*

IX. Quæ ex ratiociniis autem publicis emergit irregularitas, ea & fuit & erit semper notissima.

L. 1. Ep. 13

Misit Anselmus ad Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum, Officialem ære alieno obrutum, & professionis tamen Monasticæ cupidissimum, ut persolutis ejus debitis Lanfrancus Monasteriorum fores illi aperiret. Cùm Canonico Lincolniensi persuasisset B. Bernardus, ut pro Hierosolymitana peregrinatione, cui se devoverat, & cui se jam commiserat, apud Claram-vallem iter meditaretur ad cælestem Hierosolymam: ad Episcopum Lincolniensem protinus litteras dedit, orans obtestansque, ut debita Canonici ejus exolveret, in idque Præbendæ reditus insumeret: *Ne in aliquo fraudator debiti, & prævaricator pacti inveniatur:* utque matri ejus condonaret usumfructum ejus domus, quam ipse in fundo Ecclesiæ construxerat, & agelluli quem ei legaverat.

Epist. 64.

Decretales ipsæ Pontificum ad Clericatum non admittunt Administratores, & obligatos ad ratiocinia, nisi post *deposita onera, & reddita ratiocinia:* quæ ipsæmet sunt voces perantiqui Concilii Carthaginensis. Servituti enim obligatus est ex hoc eodem Concilio, qui non habet *libertatem negotiorum & officiorum.* Hæc primùm accusatio impacta fuit beatissimo Cantuariensi Archiepiscopo Thomæ, quòd nullas rationes ante ordinationem suam reddidisset redituum tot Episcopatuum & Abbatiarum vacantium, quorum administrator & custos erat. *Quòd cùm Cancellarius esset, & haberet vacantes Episcopatus & Abbatias, & multos reditus per annos plurimos in manu sua, nullam super his reddiderit rationem, quam modo Rex ipse requireret exhiberi.* Perculsus ea criminatione Thomas in Concilio Northamptonensi anno 1164. adhibitis in consilium amicis respondit tandem, ante ordinationem absolutum se à Rege fuisse nexibus omnibus Curiæ & rationibus administrationis quam gessisset. *Quæsitum est, qualem me redderent, Cantuariensi Ecclesiæ. Et responsum est, liberum & absolutum ab omni nexu Curiali.* Vides hîc qui *Curiales* dici cœperint extremo hoc ævo, quod ab antiqua significatione distabat minimum quantum. Ita habet historia quatuor ex illis Authoribus contexta, qui Thomæ alumni fuere. Joannes Salisberiensis ab his non discrepat. *Quis enim nesciebat, quod Rex Cancellarium suum ab omni administratione & obligatione liberum reddidit ad regimen Cantuariensis Ecclesiæ?*

Extra. De obligat. ad ratiocin. c. 1.

Baron. an. 1164. n. 16. 21.

Epist. 186.

Ab illustri Thomæ Cantuariensis exemplo & imitatione alienissimi erant Episcopi Siciliæ, quorum eodem propè tempore Petrus Blesensis commemorat, & implicamenta voluntaria in Officiis Aulicis, & probrosas servitutes, in quas sese ipsi dejiciebant, æstu quodam ambitionis & fœdissimæ cupiditatis abrepti. *Quidam per usurpatas sæculi administrationes se vinculo Curiali obnoxiant, & quasi renuntiaverint sua privilegio dignitatis, calculum durioris eventus expectant. Nam pro causa hujusmodi hodie in Sicilia mancipati sunt Episcopi quidam carceralibus vinculis; Nec aliquod expectant ab Ecclesia Romana solatium. Quibus improperatur à summo Pontifice, ut bibant de calice quem sibi temerè miscuerunt.* Non immerito Pontifices suam illis tuitionem abnuebant, qui semet ipsi præcipites ultro agerent in Aulicæ hujus servitutis vincula.

L. de instit. Episc.

Ad Monasticam Sixtus V. vetuit eos admitti professionem, qui ære alieno demersi, aut solvendo non essent, aut certè interminabilibus litibus implicandi præsagiebantur; rescissis istiusmodi professionibus omnibus. Hanc posteriorem clausulam, qua revocabantur hæ professiones, revocavit Clemens VIII. Joannis Gersonis ea de re Consultationem leges, si voles, in historia Universitatis Parisiensis.

Fagnan. in L. 1 Decret. Part. 2 pag. 342.

To. 5. p. 205.

CAPUT LXXV. *P. 4. l. 2. c. 25.*

Irregularitas Militum, & eorum omnium, qui vel mutilant, vel occidunt, post annum Christi millesimum.

I. Qui Pontifices exercitum instruxerint ad Ecclesiæ defensionem.

II. Concilia nihilo tamen minus milites pœnitentia subjecere. Exceptio belli justi, & pro Religione suscepti.

III. Quia & pœnitentia vice indicebantur expeditiones sacræ adversus Sarracenos.

IV. Non idem licebat ad privatorum defensionem, quod pro causa Ecclesiæ universalis.

V. Ordines Militares Equitum sacræ militiæ addictorum omnem à bellis sacris suspicionem eliminant.

VI. Militia justa sociari jam potest cum pœnitentium stationibus.

VII. B. Bernardus concionibus suis sacri belli tubam canit, quin & ipse summus Dux & Imperator sacræ militiæ deligitur. Id muneris ipse quidem abnuit, at belli ejus justitiam miracula ab eo patrata declararunt.

VIII. De Ordinibus Religiosis Equitum. Eorum militia regula sanctissima. Quantos hæc bella sacra emacularint milites Ducesque, & beata Patria intulerint.

IX. Nec fas tamen unquam fuit Clericis vel pugnare, vel militare quemquam, vel occidere, etiam in sui moderatam tutelam prioribus quidem sæculis.

X

X. Clemens V. Papa primus omnium pronuntiavit, nihil incurri irregularitatis, si quis sui tuendi necessitate quempiam occidat.

XI. Ad singula ista quadam exempla respondetur.

XII. De Clericis, qui ægrotos, vel sauciatos curant, vel rem Chirurgicam tractant.

I. FUere antè Gregorium VII. Romani Pontifices, qui militaribus expeditionibus Ecclesiæ libertates facultatesque tuendas quandoque esse censuerint. Prævierant in eam rem Leo IX. aliique anteriores complusculi Pontifices, Pipini & Caroli Magni temporibus. Subjecit oculis Baronius ipse Leonem IX. exercitu succinctum adversùs Normannos in Appulia grassantes, & devictum quidem cruentissima pugna, sed à victoribus ipsis illo apparatu, honore, & triumpho exceptum, quo victores solent. Scripsit ad Leonem Petrus Damiani, ut admoneret longè aliis, & præstantioribus armis olim de adversariis Ecclesiæ pulcherrimas retulisse victorias Gregorium Magnum, Ambrosium, aliosque seu Pontifices, seu Patres Ecclesiæ. Hortatus est aliquando Gregorius VII. Episcopos ipsos, ut militem armarent, cogerent, incenderent ad ferendas suppetias Constantinopolitano Imperatori; voluit ipsemet armata manu rebellantes Ravennates Præsules cogere ad officium obsequiumque. Sed admirationi non potest non esse illud potissimum hujus Pontificis consilium, quo decreverat exercitum quinquaginta millium hominum jam congregatum ducere ipsemet Constantinopolin, ut Imperatori Græco adversùs Sarracenos opitularetur, Constantinopolitanam Ecclesiam Romanæ recolligeret, inde Hierosolymam pergeret, eam Christianis vindicaret partibus, denique ad Armenorum aliarumque Orientis schismaticarum sectarum conversionem arma zelumque invictissimum converteret. Hæc ille ad Imperatorem Germaniæ perscripsit, quem & invitabat ad Ecclesiæ Occidentalis absente se tuitionem. Qui huic Pontifici suffecti sunt, sacrorum omnium in Orientem bellorum authores & buccinatores fuere.

An. 1053. n. 10. 11.

L. 1. Ep. 6. 7.

L. 2. Ep. 4. 31. An. 1074. n. 49.

II. Eodem tamen ipso tempore, & Pontificatum gerente eodem Gregorio, Concilia Angliæ pœnitentiæ subjecere anno 1076. milites Guillelmi Regis, ejus qui Normannorum Ducum primus Angliam debellavit: in eorum singulos quos occiderant, unius anni definita est pœnitentia: triduum pro voluntate sauciandi; quadraginta dies in singulos eorum quos vulnerassent; Clericis verò eidem addictis pœnitentiæ, acsi crimine quopiam maculati fuissent. Concilium ipsum Romanum anno 1078. eam pronunciavit falsam & simulatam esse pœnitentiam, si miles, si mercator, si iis implicatus quis artibus, quæ sine peccato exerceri vix possunt, illis non antè expliraret subduceretque se, quàm pœnitentiam publicam amplecteretur. *Falsas pœnitentias dicimus quæ non secundùm authoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non potest, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi arma deponat, ulteriusque non ferat, &c.*

Can. 6.

Vetustissima ea est Ecclesiæ disciplina: ludibrium merum & inane spectaculum esse pœnitentiam, nisi se segreget quis à proximis peccandi occasionibus & illecebris, cujusmodi sunt artes illæ & professiones, quæ vix, aut ne vix quidem implent citra peccatum possunt. Sed cùm exterior Ecclesiæ disciplina nonnihil deflexisset, eidem Concilio Canonique inserta est clausula illa, quæ bellis pro Ecclesia & justitia gerendis suffragaretur. *Nisi arma deponat, ulteriusque non ferat, nisi consilio religiosorum Episcoporum pro defendenda justitia.*

III. Cùm sacra bella sub Urbano II. cœpissent, adeo non jussi sunt Pœnitentes arma deponere, ut militia ipsa in pœnitentiam infligeretur. Ideo & Melfense Concilium circumspectiùs jam verba libravit, dixitque fucatam illam esse, vanamque pœnitentiam, si qua inimica justitiæ bella gererentur. *Falsa pœnitentia est, si arma quis contra justitiam gerat.* Denudatæ sunt in Concilio Claromontano rationes variatæ in hac parte Ecclesiasticæ disciplinæ, & tamen inconcussis, & semper sui similibus Evangelicæ pietatis regulis consentaneæ. Possunt esse bella justa, sanctaque. Tot ejus rei argumenta, quot veteris Testamenti paginæ, quot capita. Sanctitas finis & justitia propositi, quo quisque oculos convertit & cor, armis ipsis & cædibus mistam fateor, sed certam tamen innocentiam aspergunt. Tam poterant ergo regulis justitiæ & sanctimoniæ aptari bella sacra, quæ Sarracenis inferebamus, quam quorum olim Israëlitis Dux authorque fuit ipse Deus exercituum. En verba ipsa Canonis Claromontani, quo declaratur fore, ut vim & meritum pœnitentiæ publicæ militia illa obtineat. *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.*

Can. 16.

Can. 2.

Scripsit Paschalis II. Urbani II. successor ad Episcopos, Clericos, Duces exercituum, ipsusque exercitus in Asia: *Militiæ Christianæ in Asia triumphanti:* ut eos hortaretur ad parendum mandatis Episcopi, qui Apostolica fungebatur legatione. Gelasius II. absolutionem à peccatis omnibus, hoc est indulgentiam veniamque plenissimam impartit iis omnibus, qui in obsidione urbis Cæsaraugustanæ in Hispania occumberent, quam ejectis Mauris Christiani expugnare civitatem moliebantur. Concilium I. Lateranense sub Callisto II. anno 1122. eas indulgentias confirmavit Cruce-signatis in Palæstina & in Hispania. *Suorum peccatorum remissionem concedimus.*

Epist. 1.

Epist. 5.

Can. 11.

IV. Non alia poterat quam Ecclesiæ universalis contemplatio, utilitas, necessitas, salus in extremum adducta discrimen, exæquare ac compensare tot cædes, grassationesque, tot flagitia sceleraque, sine quibus non geruntur bella. Testem & fidejussorem idoneum citabo Ivonem Episcopum Carnotensem, in Epistola ad Clerum Plebemque Carnotensem, ut eos abduceret ac deterreret à consilio quod inierant, de eo armata manu extrahendo à carceribus, quò à Vicecomite conjectus fuerat. Commonstrat autem non aliis olim armis, quam lacrymis & precibus decertasse Ecclesiam pro Petro educendo è carcere: ideoque nec jam committendum esse, ut incendia, expilationes, cædes adhibeantur, aliaque bellis hærentia mala, ad Episcopum libertati vendicandum. *Nolo adversùm me implere faciatis aures Dei pauperum clamoribus, lamentis viduarum. Neque enim decens est, ut qui armis bellicis ad Episcopatum non veni, armis bellicis recuperem, quod non est Pastoris, sed invasoris.*

Epist. 100.

Baron. an. 1095. n. 25.

Ab hoc exemplo non recessisset Hildebertus Cenomanensis Episcopus, quandoquidem consulenti Episcopo Carnotensi, de Presbytero, qui irruentem in se prædonem, & certam cædem illaturum

Epist. 60.

lapide percussisset, occidissetque: quem ea de causa ab annis jam septem suspenderat à sacris altaris functionibus: respondit, non videri sibi sacerdotio unquam restitui eos posse, qui occiderint, tametsi necessitate salutis propriæ defendendæ compulsi fecerint. *Non videtur Sacerdotem reum sanguinis oportere deinceps ministrare, quamvis tuenda necessitatis homicidium incurrerit.* Continetur tamen si quid ejusmodi sua in Diœcesi contigisset, reum se ad Pontificem remissurum fuisse. *Reum ad Apostolicam misissem audientiam.*

Illud ergo fateri cogimur, quantumcumque jam & bella & calamitates individuæ belli comites non recusarentur pro causa & incolumitate universalis Ecclesiæ, nec Episcopos tamen, nec Presbyteros fas sibi esse duxisse, vel pro vita, & libertate sua tuenda remittere quidquam de priscis Ecclesiasticæ lenitatis regulis, & de humanitate ea, quæ cum Ecclesia Christi nata, alta & adulta est.

V. Enimvero ut pœnitentes vidimus expeditionibus militaribus piè & religiosè implicatos: ita jam in conspectum se dabunt, non Religiosi tantùm & Monachi, sed religiosæ & monasticæ Congregationes, quæ sacræ militiæ & armorum gestationi sint dedicatæ. Ita sanè patuit minus dissidere à professione Monastica & religiosa bellum & cruorem, quam à Clericatu.

Anno 1118. ex Vuillelmo Tyrio nobiles aliquot Equites in manus Patriarchæ Hierosolymitani professi sunt vitam vivere Canonicorum Regularium, religiosissima observatione obedientiæ, castitatis & L. 12. c. 7. paupertatis. *Mors Canonicorum Regularium in castitate, obedientia, & sine proprio velle vivere professi sunt.* Patriarcha & Episcopi in remissionem peccatorum eis injunxere, ut arma induerent, & circumferrent, ad itinera purganda, tuendosque peregrinos Hierosolymitanos. *Ut vias & itinera, maximè ad salutem peregrinorum contra latronum, & incursantium insidias pro viribus conservarent.* Nono pòst anno Concilium Trecense id institutum confirmavit, Regulamque ei præscripsit; cùm ei Concilio interessent cum Legato Pontificio & Episcopis Abbates Cisterciensis, & Pontiniacensis. Confirmarunt & Pontifices illud Equitum Templi institutum. Tanta sanè nec minor opus erat authoritas, quàm Pontificum, Conciliorum, Episcoporum, sanctissimorumque Abbatum, atque in primis Bernardi, ut approbaretur nobis institutio Ordinis & Religiosi, acti dicas Monastici, simul & militaris, in ea & ab ea ipsa Ecclesia, quæ Ministros semper suos tantopere à cæde & sanguine absterruerat. Vix quisquam sibi forsan persuasisset, Religiosam professionem cum militaris sociari posse, nisi tantæ authoritatis pondere obrui, fateri cogeremur, nomina mille, mille juvandi artes esse charitati: atque in dies singulos novas depromi sapientiæ machinas, quibus Numinis providentia suam fovet, amplificat & tutatur Ecclesiam. Ejus Regulæ unum Cap. 31. hoc Caput hîc adscro: *Sumpsit à nobis exordium genus hoc novum Religionis, ut videlicet Religioni militiam admisceretis, & sic Religio per militiam armata procedat, hostem sine culpa feriat.*

Anno 1158. Sanctius III. Castellæ Rex Calatravam urbem dono dedit Ordini Cisterciensi, sub authoritate Abbatis Fiteræ, ab Abbatia Scalæ-Dei prognatæ, ut eam illi adversùs Sarracenos tuerentur. Eam Ordini suo Cisterciensis Abbas consociavit, ejusque Pater immediatus declaratus est Abbas Morimundensis, addita authoritate visitandi, & corripiendi, immo & exauthorandi Magni Magistri, qui locum obtinet Abbatis.

Anno 1162. Alphonsus I. Rex Portugalliæ Girito Abbati Tarucensi, quæ filia est Claravallensis Abbatis, donavit Castrum Avisii, ubi & instituit Militiam sancti Benedicti Avisiensis. Equites ejus Ordinis omnes Abbati Claravallensi obnoxii subjectique sunt.

Alcantaræ Equitum Ordinem instituit Ferdinandus Legionis & Gallæciæ Rex, confirmavit Alexander III. Papa, conseruitque cum Ordine Cisterciensi sub authoritate Capituli Generalis circa annum 1170.

Montesæ Militiam Equestrem instituit Joannes XXII. anno 1317. orante Jacobo II. Aragonum Rege, subjecitque Ordini Cisterciensi.

Denique idem ipse Pontifex à Portugalliæ Rege exoratus Ordinem Equitum Christi constituit, subjecitque Abbatiæ cuidam Ordinis Cisterciensis, de propagine Claravallis. Hæc paucis de Militaribus unà, & Religiosis Ordinibus; de quibus paulò fusiùs infrà, ubi ostensum rursus fuerit, quàm ex innovatione hac Ecclesiasticæ Disciplinæ facillimè jam pœnitentia & militia conjungi & conglutinari possent.

VI. Concilium Lateranense II. sub Innocentio II anno 1139. Decreto suprà relati Concilii Melfensis sese accommodans, stylum antiquum deflexit, ut novo se huic aptaret usui, cùm falsas describeret pœnitentias: *Falsa fit pœnitentia, cùm pœnitens ab officio, vel Curiali, vel negotiali non recedit,* Can. 22. *quod sine peccato agi nulla ratione prævalet, &c. aut si arma quis contra justitiam ferat.* Illud in eo Canone & in eo usu mirabile, quod innocentiæ propior, & à crimine alienior existimetur militia, quam fori, vel negotiorum & mercium professio.

VII. Expeditiones sacras Eugenius III. publicavit, iisdemque pœnitentiarum remissionibus prosecutus est, quibus prædecessores sui. Harum præco Epist. 2. expeditionum & penè vexillifer fuit beatus Bernardus, cujus conciones tot cœlitus miraculis & ostentis illustratæ sunt, ut novæ huic Ecclesiarum Disciplinæ apertissimè Deus, vel suffragator accederet, vel dux & incentor præiret. Longè pulcherrima est Baron. Annalium Ecclesiasticorum hæc portio. Synodus, seu Conventus Carnotensis anno 1146. ubi Crux proposita, expeditio promulgata fuit, ejus belli Ducem & summum Imperatorem Bernardum ipsum delegit. Id narrat ipsemet Bernardus, non sine stupore, & summa animi alienatione ab eo munere, quod tam immaniter dissentiret à se, à Presbytero, ab Abbate. *Me quasi in Ducem & Principem militiæ* Epist. 256. *elegerunt, &c. Quis sum ego ut disponam castrorum acies? Ut egrediar ante facies armatorum? Aut quid tam remotum à professione mea?* Quàm sibi tamen videretur, & utilis ea militia, & necessaria, præstantissimè edisseruit idem Bernardus in ea, quam ad Spirenses scripsit Epistola, ubi edocet, quàm accommodata sint hæc bella, ut servire justitiæ, Ecclesiæ, Deo, edoceantur & insuescant homines magno prorsus numero, magnoque animo, & ad arma, ad prælia, ad vim, & cædes, quasi naturæ sponte propensissimi. *Quid est enim, nisi exquisita* Epist. 322. *prorsus & inventibilis soli Deo occasio salvationis, quod homicidas, raptores, adulteros, perjuros, de servitio suo admonere dignatur Omnipotens, &c. Habes nunc fortis miles, habes vir bellicose, ubi dimices absque periculo: ubi vincere gloria, & mori lucrum est, &c. Suscipe crucis signum, & omnium pariter, de quibus*

corde contrito confessionem feceris, indulgentiam obtinebis.

VIII. Cistercienfibus Monachis hoc ipso ævo, dum inter ipsa sui instituti exordia vehementiùs fervetent, accepta feruntur Ordinum Militarium complurium instituta, ut paulò antè ostendimus. Ingenio, zelo & fervori Bernardi, ut vides satis manifestè, hæc consentiebant, qui lumen ipse & insigne decus erat Ordinis Cisterciensis. Quinto aut sexto post obitum Bernardi anno, nempe 1158. jacta sunt fundamenta Ordinis Equitum Calatravæ, auspiciis & industria Cisterciensium.

Annal. Cist. To. 2. pag. 303.

Anno 1175. Alexander III. approbavit & certis regulis astrinxit Ordinem Equitum sancti Jacobi in Hispania, quibus & conjugii copiam fecit, sed ad extergenda per pœnitentiam peccata, indictam sacram indixit illis perpetuam. Erat enimvero horum Equitum continuata & perpetua belli sacri expeditio adversùs Sarracenos jamdiu Hispaniæ incubantes. Eam Regulam confirmavit Innocentius III. qua illis imitandos ostendit primigeniæ fideles Ecclesiæ, qui tum religiosissimam vivebant vitam, nec tamen conjogia repudiabant. Quod ad militiam verò pertinet, vide quibus eam Innocentius temperaret documentis, ut pietati conciliat, & Christianæ religioni. *Districtè præcipitur, ut in Sarracenos, non humana laudis amore, non desiderio sanguinis effundendi, non terrenarum rerum cupiditate grassentur sed id tantùm in pugna sua intendant, ut vel Christianos ab eorum tueantur incursu, vel ipsos ad culturam possint Christianæ fidei provocare.*

Append. 3. Epist. 10. Reg. 8. 11. Ep. 1. 11.

Qui non oscitanter pervolutarint commentarios expeditionum sacrarum, maximè verò sancti Ludovici Galliæ Regis, & quæ de his potissimum scripsit Joinvillæus; facillimè sibi persuadebunt, non hunc tantùm Regem sanctissimum, sed & complures alios Optimates, Nobiles, Militesque his sese commisisse bellis, animo ad pietatem, ad religionem, ad sanctimoniam composito, & eo quem desideraverat Innocentius III. quem præscripserat Concilium Claromontanum. Pulcherrimè Neubrigensis in Historia sua declaravit, sacra hæc bella auspicatiora multò fuisse & fæliciora ad cælestis, quàm ad terrenæ Hierosolymæ incrementa gloriæ: illos omnium an fortunatissimos fuisse, qui in iis infortunio quopiam, vel morbo oppressi, piæ & salubri qua fungebantur pœnitentiæ immortui essent; cùm ex adverso, qui rediere incolumes, in pristinorum flagitiorum voraginem sese demerserint.

Neubrig. l. 3. c. 30.

Scholæ Theologicæ lumen Thomas Aquinas speciali articulo patrocinatus est Militaribus Religionibus; ubi approbat pium esse, & virtuti adprimè congruum sua non repetere: impium vicissim fore, non repetere aliena bona, nostræ fidei commendata; denique religiosissimum esse Religionis contumelias & damna ulcisci.

2. 2. q. 188. art. 3.

In Hispania tantumnon Martyrum honoribus affecti sunt, qui interfecti fuere in obsidione Ulyssiponensi, quando è Mauris ea recepta est, & in ejus victoriæ memoriam extructa Ecclesia B. Mariæ de *Martyribus*, unde postea oriundus fuit Bartholomæus ille de Martyribus, Bracharensis Archiepiscopus, fama virtutum & sanctitate conspicuus, tempore Concilii Tridentini.

Annal. an. 1152. n. 52.

Complura apud Guibertum Abbatem exempla legere est, ubi Pontifices & Episcopi tela signaque militaria non explicabant, nisi ut justitia, pax, fælicitas iis conciliaretur, qui mitterentur sub jugum.

Pag. 519. 671. 677.

IX. Sed quanquam his bellis se & pœnitentes, & religiosi Equites à pristinis maculis expiarent, cælestique contemplarentur patriæ: fas tamen nunquam fuit sacris ministris, à quibus illa immolatur quotidie Victima, quæ sanguinem non alienum, sed suum fudit, huic se inserere militiæ, aut religionis & pietatis adversariorum sanguinem effundere. Concilio Budensi anni 1279. permittuntur tantùm hostem propulsare Ecclesiæ patriæque, urgente necessitate, non adgredi, non congredi. *Nec bellicis actibus se implicent vel involvant, nisi forte pro Ecclesiarum suarum & patriæ defensione; non ad impugnandum, vel propulsandum, sed ad defensionem tantùm, si necessitas eos compellat, & tunc in propriis personis non pugnent.*

Can. 7.

Synodus Nemausensis anno 1284. vetuit etiam ne Clerici Chirurgiæ illi vacarent, quæ ferrum ignemque admovet. *Nullus quoque Clericus in sacro Ordine constitutus, aliquam Chirurgiæ artem exerceat, quæ ad ustionem vel incisionem inducat.* Synodus Bajocensis anni 1300. idem decrevit. Prudentiæ ea erat cautio, cùm Innocentius III. Capite *Sua nos. De homicidio*, vellet Monachum levi saltem purgari antè pœnitentia, quàm rem sacram faciat, si Chirurgiam exercens, quantacumque esset & industria & diligentia, ita curasset quempiam, ut in ipsa curatione exanimaretur. *Licèt Monachus multùm deliquerit, alium officium usurpando, &c.*

Can. 35.

Irregulares pronuntiaverat Alexander III. qui occiderent vel mutilarent eos quibuscum depugnarent, nulla in his dispensandi copia Episcopis facta. *Si homicidium, vel membrorum diminutio fuerit subsecuta.* Cælestinus III. Presbyterum irregularitate innodatum censuit, quòd ut pro illorum temporum consuetudine lis aliqua prælio terminaretur, militem suo loco subrogasset, à quo adversarius neci deditus fuerat. Et hi quidem duo Pontifices alibi edixerunt, nihil irregularitatis illatum fuisse iis duobus Clericis, qui socii & comites eorum fuerant, qui hostes & prædones armata manu propulsabant: sed ideo certè, quòd neuter eorum quemquam percussisset. *Aliquem non percussit.* Irregularem Innocentius III. eum judicavit Presbyterum, qui à prædone percussus, ferro vicissim caput ejus percusserat: propterea quod quanquam vim vi repellere fas sit, in eo ipso tamen is tenendus sit modus, qui à vindicta omnino procul sit. *Quamvis vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittant: quia tamen id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, &c.*

Extra De his qui fil. occid. & c. in pugn. c. 1. 2. De Cleric. percussore. c. 1. C. Significasti De homicidio.

Paulò dilucidiùs Pœnitentiale Romanum pronuntiarat Presbyterum, qui latronem à quo sibi mors intentabatur, occidisset, exauthorari non debere: quanquam dum vita superaret, de eo pœnitentiam agere deberet. *Si sine odii meditatione, te tuaque liberando, hujusmodi diaboli membra interfecisti, secundùm indulgentiam dico, propter imaginem Dei, si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi, & eleemosynam fac largiter: Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur; tamen quandiu vivit, pœnitentiam agat.* Ingens rursus ibidem discrimen inter laïcum, cui vim vi repellenti, & ita occidenti, nihil pœnitentiæ infligitur; & Presbyterum, qui eadem de causa præcipitur, quandiu vitam, tandiu & pœnitentiam protrahere. Abundè hinc patet eo sæculo, immo & sequenti, irregulares fuisse adhuc ejusmodi homicidii authores Presbyteros, dum vim vi repellunt. Nec illud quidem rescire potuimus, quo tempore id Decretum Pœnitentiali Romano inscriptum

C. Interfectis. ibid.

sit, cùm id genus libris nova in dies accedant additamenta.

Primus ergo omnium existimari potest Clemens V. irregularitate posthac solvisse eos, qui quemquam occiderent, propriæ salutis tuendæ necessitate. *Nullam ex hoc irregularitatem incurrit, qui aliter mortem vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* Et in hac ipsa tamen specie Tridentina Synodus dispensatione opus esse declaravit, quanquam eam censuerit recusari non posse: *Vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, &c. Quam ob ob causam etiam ad sacrorum Ordinum & Altaris ministerium, & beneficia quacumque ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur, &c.* Pœnitentia quam Pœnitentiale Romanum Presbytero infligit, occidenti prædonem, à quo alias occideretur: & ea quam Tridentini Patres necessariam adhuc existimant dispensationem, satis argumenti habet, ut quondam irregularitas his homicidiis inhæsisse intelligatur.

C. Si furiosus De homicidio.

Sess 14. c. 7.

XI. Hac excepta reliquæ omnes cædes mutilationesque, etiam in bellis factis, ex quibus tantum gloriæ & sanctitatis affluebat Pœnitentibus, Religiosis Equitibus, & pene Martyribus, canonicam irregularitatem invehont, quæ Ordines & suscipi vetet, & exerceri. Quæ sanctissima videri possit Agni cælestis æmulatio, ne ministri sui alium quàm suum ipsius effundant sanguinem, qui semel fusus, & ipsis, & orbi universo immortalem vitam refudit. Concessit Pius II. censurarum & irregularitatum omnium obliterationem Monachis, Presbyteris, Clericisve omnibus, qui Portugalliæ Regi affuerant, Alcaceram obsidenti, anno 1459. in Africa ipsa. Ex quibus inferes, ubi Alexander VI. anno 1501. Episcopo Vilnensi in Lithuania concessit, ut in Ecclesiæ & patriæ defensionem copias militares contraheret, non tamen id Episcopis, vel Clericis ullis esse permissum, ut arma induerent ipsi, vel distringerent.

Rainal. num. 82.

Rainal. n. 48.

XII. Excidit nobis de re chirurgica per Clericos exercenda superiùs agentibus, quod hic suppleri satius sit, quàm prorsus omitti. Anxium non habebat beatum Fulbertum ea sollicitudo & charitas, quæ ægrotos curabat, ne hinc aliqua ei crearetur irregularitas, cum per Epistolas præscribebat, quæ salutifera fore illis augurabatur. Censuit quoque Innocentius III. Monachum Presbyteratu gaudentem, chirurgica exercentem, abstineri non debere à sacris muniis, etsi muliercula, cujus scrophulas curabat, extincta fuisset, quòd validiori se vento objecisset, præter ejus vetitum, postquam ulcus ab eo fuerat incisum. *Licèt Monachus deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi minimè congruebat: si tamen culpa pietatis, & non cupiditatis id egit, & peritus erat in exercitio Chirurgia, omnemque studii diligentiam quam debuit adhibere, non est ex eo quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeo reprobandus, quin post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare.* Itaque si par adsit dexteritas & diligentia, nihil contrahitur irregularitatis exercendis chirurgicis sectionibus, etsi iis abstinere sese debeant Clerici.

Epist. 62, 113.

Regest 15. Epist 159.



CAPUT LXXVI. *P. 4. l. 2. c. 26.*

Irregularitas Judicum criminalium causarum post annum millesimum.

I. II. Sæpiùs prohibentur in Conciliis Clerici, saltem majores, ne præsentes sint judiciis mortis, nec ea sanciant quoque modo per se, vel per alios, ne denique præsto sint executioni.

III. De iis quos Curia sæculari permittit Ecclesia, quinquam pœnarum veniam fieri deposcit.

IV. Decretalis Bonifacii VIII. qua usus hodiernus constituitur, ut Ballivi Episcoporum reos morti addicant.

V. Utque Clerici reos judicibus dimittant, contestati, abhorrere à judicio & à pœna capitis. Quæ ratio & origo hujus novæ disciplinæ.

VI. Frequentes & inultæ Clericorum interfectiones eam importarunt disciplinæ immutationem.

VII. Judicio mortis nunquam præsto adsunt Clerici.

VIII. IX. Superstites quædam reliquiæ priscæ Ecclesiarum clementiæ, adeoque & Principum Clericis rem gratam facere cupientium. An pœnitentia publica possit vicem implere extremi & capitalis judicii.

X. In hac Disciplina innovationes aliquæ observantur.

XI. Græcorum consuetudines.

I. IN Concilio Londinensi anno 1075. innovata sunt Decreta Eliberitani & Toletani Concilii adversùs eos Clericos, qui vel Judices, vel ministri forent judiciorum mortis vel mutilationis. *Nullus ex Clero hominem occidendum, vel membris truncandum judicet, vel judicantibus sua authoritatis favorem commodet.* Non ita facile est hæc verba, *sua authoritatis favorem commodet*, iis aptare Episcopis, aliisque præpotentibus Beneficiariis, qui temporali jurisdictioni suæ Ballivos, aliosve ministros præficiunt exercendæ, cum potestate vitæ & necis. Specialiter enim hoc Canone designantur Episcopi, & Abbates, & secernitur qui judicat, ab eo qui judicandi potestatem delegat, etiam in causa mortis; denique utrumque declaratur à Clericatu alienum.

Concilium Londinense anni 1102. à Clericatu summovit Judices sanguinis. *Clerici ne sint Judices sanguinis.* Paulò prolixiùs ejusdem urbis Concilium anno 1175. habitum: *His qui in sacris Ordinibus constituti sunt, judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus ne aut per se membrorum truncationes faciant, aut inferendas judicent. Quod si quis tale fecerit, concessi Ordinis privetur officio, & loco. Inhibemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos habeat Vicecomitatum, aut Præpositi sæcularis officium.* Can. 8. Can. 3.

Hinc quidem Clericos tantùm majores hic Canon complectitur, & ea prisci rigoris nonnulla remissio est. At cùm aliàs prohibeat Episcopis, ne Vicecomitatus, vel sæculares gerant Præposituras, subvereri videtur, ne eo munere adducantur ad judicia mortis, capitaliaque supplicia, authoritate sua aliquando munienda. Non præcipitur eo Canone, ut alios ad id Officiales præficiant & sufficiant sibi; sed omnino vetatur, ne Vicecomites sint, quòd ei muneri illigatum sit jus & officium capitalium judiciorum.

Strictiùs etiam aliquantò Concilium Lateranense IV. anno 1215. Nec enim dumtaxat prohibuit ne Clerici sententiam mortis dicerent, aut suffragium ferrent: sed etiam ne præsentes essent ejusmodi sententiis, ne dictarent: nec damna & contumelias aliis telis ab illis arceri voluit, quàm excommunicationibus & censoria: denique prohibuit, ne qua in bellicas machinas Præfectura inducerentur: nec illam unquam Chirurgiæ partem

Can. 18. exercerent, quæ urit, secatque. *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut proferat. Sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, intersit. Si quis autem hujusmodi occasione statuti, Ecclesiis, aut Ecclesiasticis personis aliquod dispendium præsumpserit inferre, per censuram Ecclesiasticam compescatur. Nec quisquam Clericus litteras scribat, aut dictet, pro vindicta sanguinis destinandas. Unde in Curiis Principum hæc sollicitudo non Clericis, sed laicis committatur. Nullus quoque Clericus ruptariis, aut balistariis, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur, nec illam Chirurgiæ partem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceant, quæ ad ustionem vel incisionem inducit.* Cùm ea ætate Cancellarii, Notarii, Secretariique Principum ex Clericis plerumque asciscerentur, necessaria prorsus cautione provisum est hoc Concilio, ne eorum manus immolandæ cœlesti Victimæ quas consecrassent, adhiberentur conscribendis iis chartis, quæ mortis nuntiæ & ministræ essent. Quoad aliam cautionem ne publicis adsint reorum cruciatibus, non ex eo tamen spectaculo pertimescenda ulla est irregularitas: sicut nec ex Chirurgica operatione, si modò abfuerit periculum mortis, vel mors ipsa, & mutilatio.

II. Anno 1222. in Concilio Oxfordiensi innovatæ sunt hæ prohibitiones, scribendi, dictandive chartas sanguinis; itemque ne judicio capitali,
Can. 7. ejusve executioni Clerici adsint. *Aut ubi judicium sanguinis tractatur, aut exercetur.* Sed ibi arctatum est hoc Decretum Lateranensis Concilii ad Beneficiarios & ad Ordines sacros; additaque cautio, ne Officia, vel Dignitates induantur, quibus functio-
Can. 10. nibus Judicum Capitalium implicentur. *Clerici Beneficiati, aut in sacris Ordinibus constituti non sint Senescalli, aut Ballivi talium administrationum, nec jurisdictiones exerceant seculares, præsertim illas, qui-*
Can. 6 7. *bus judicium sanguinis est annexum.* Ea statuta innovata sunt in Concilio Burdigalensi anni 1255. & in Londinensi anni 1268. ubi ampliata res est ad Clericos omnes; qui functionibus quoque Advocatorum & Assessorum in causis capitalibus interdicuntur. In Concilio Budensi anni 1279. post innovatum Canonem Concilii Lateranensis IV. etiam quoad Chirurgicas sectiones, ustionesque; & prohibitionem ibi disertis verbis factam, ne benedictione & prece ulla perfunderentur instrumenta probationis tunc usitatissimæ, ad eruendam veritatem, per aquam calidam, aut frigidam, aut per ignitum ferrum: causa subjicitur, nimirum ea, quod si cujus inde fortè mors emergat, irregulares sint habendi. *Sciens quod si ex hujusmodi mors vel membri mutilatio fuerit subsecuta, irregularitatis laqueum non evadet.*

Pleríque eorum Canonum in hodiernis Decretales conjecti sunt: sed & ibi legitur adhuc exauthoratus ab Innocentio III. Episcopus Albingaunensis, quòd ignita ferri probationi præsens affuisset, ubi reus manum adusserat; quodque à Judice sententiam rogatus, responderat, perperam facturum, si reum elabi sineret: denique quòd supplicio præ-
L. 5. Tit. 50 sens affuisset. *Cùm his non tantum authoritatem præstiterit, verùm etiam præsentiam exhibuerit corporalem, ipsum indignum altaris ministerio reputamus. Cùm igitur Pontificale officium sine altaris ministerio non valeat adimpleri, &c.*

III. Verùm ad subtiliorem progrediendum nobis est speciem. Idem ipse Innocentius III. Canones illuminans antiquos & Decretum, quo jubetur, ut Clericus falsi convictus deponatur, & Curiæ mox tradatur sæculari: *Ut verbum illud, quod in antiquis Canonibus, & in nostro decreto contra falsarios edito continetur, videlicet ut Clericus per Ecclesiasticum Judicem degradatus, sæculari tradatur Curiæ puniendus.* Statuit mox ibidem, ut efficacissimè pro eo intercedat Ecclesia apud Judices sæculares, ne quam mortis sententiam proferant: *Pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.* C. Novimus De verborum signif.

Cùm hæc Ecclesiæ interventio frustretur utplurimum, addubitari possit, an ea definitio satis consentiat doctrinæ & disciplinæ priscorum Ecclesiæ sæculorum, quando non rarò extorquebantur Ministris cruentis rei, nec Judici unquam restituebantur, qui in Ecclesias confugerant, nisi de vita salutem condonanda impetratus esset eorum assensus. Ideo & fatetur hic Pontifex, non unam Antecessoribus suis omnibus sententiam placuisse. *Cùm quidam Antecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint.* Atque idem ipse ad Episcopum Parisiensem scripsit, ut pœnitentia & perpetuo carcere animadverteret in falsarium, quem mandato suo comprehendi fecisset. *Pro illo falsario scelerato, quem ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum, ut in perpetuum carcerem ad agendam pænitentiam ipsum includas.* Hæc denique efficax intervention, nomine tenus efficax erit, nisi judicibus blandiatur, vel expugnet pollicitationem non auferendæ vitæ.

Scripsit quidem rursus idem Pontifex ad Episcopum Slesvicensem, potuisse ab eo implorari Re- C. Postulasti De homicidio.
giæ potestatis opem, quo Decimas solvere adigerentur, cùm Censuræ Ecclesiæ nihil promovissent: Regest. 16. Epist. 26.
denique si quos ea de causa Rex capite plecteret, *eorum foret duritiæ, & malitiæ imputandum.* Verùm longa erat hujus speciei distantia. Poterant enim rustici Decimas persolvere, atque ita à Regiæ vindictæ laqueis sese explicare. Necdum conjuratum ab illis erat, cùm tuitionem Regiam interpellavit Episcopus. Denique non ipse eos Episcopus Judici tradit: & vel à Judice comprehensi, possunt parere legi, & supplicio eximi.

IV. Utrumque hunc scrupulum exemit Bonifacius VIII. Ecclesiasticamque Disciplinam eò perduxit, quò nunc redacta est: tum circa Ballivos, aliosque Judices à Prælatis Ecclesiasticis delegatos, & à quibus persæpè mortis pœnæ decernuntur: tum circa Clericos quoslibet, qui apud Judices sæculares conqueruntur, de iis criminibus hominum sibi infensorum, quæ capitalia quidem ipsa sunt, sed in quæ contestentur ipsi nolle se, ut rigor legum distringatur. Promo ipsa verba Decreti Bonifacii: cujus si verba singula accuratè pensitentur, facilè intelligetur, quantum discedat hoc Decretis ab aliis aliorum Pontificum suprà relatis. *Episcopus* Sexti. l. 5.
sive quicumque alius Prælatus, vel Clericus jurisdictio- Tit. 24. c. 3.
nem obtinens temporalem, si homicidio, vel alio maleficio commisso, Ballivo suo, vel alii cuicumque injungat, ut super hoc veritatem inquirens, justitiæ debitum exequatur; irregularis censeri non debet, quamvis ipse Ballivus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, justitia mediante. Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen cum jurisdictionem obtinent temporalem, debent & possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare.

Haud equidem dubito, quin hic jam recentior vigeret usus, cùm hoc Decretum Bonifacius promulgabat. Verùm necdum ita obsoleverat memoria prioris consuetudinis & mansuetudinis Eccle-

siasticæ, ut non aliquo angerentur scrupulo, cùm ab ea deviare se sentirent. Canonicis antiquis regulis abundè obsequi se putabant, eo quòd Vicecomites & Ballivi dominorum temporalium esse recusarent, ad eorum jurisdictionem exercendam: at propriam ipsi jurisdictionem suam temporalem exercebant suis Beneficiis innexam, si non minus per se, saltem per substitutos sibi Dominos, vel Ballivos. Hic enimvero non improbabiliter creditur sua ipsos pupugisse conscientia, & intus persuasisse, Si non possent ad exercendam jurisdictionem cruentam ab aliis delegari, tam non posse etiam alios delegare: si Ministri esse non poterant, multò minùs authores esse posse primarios delegatæ jurisdictionis ad fundendum sanguinem. Denique cùm vel primoribus ferè sæculis Episcopi Ducum Comitumque dignitates & munia essent adepti, cum temporali jurisdictione, nunquam tamen eos illam sive per se, sive per alios ad cruentas executiones adhibuisse; cùm familiare tunc usque adeo esset, capitalia crimina publicis pœnitentiis expiari, & impunitatem reorum morti addictorum à Judicibus publicis, vel impetrari, vel extorqueri. Visum est forsan Bonifacio, ea utilitate & dignitate, quæ ad Ecclesiam redundabat ex temporali dominio, compensari posse eam disciplinæ remissioris labeculam. Itaque palam permisit, quod jam prohiberi non poterat, nisi difficillimè: cùm jam non ferè posset Ecclesia antiquam retinere mansuetudinem suam, nisi omnium prorsus flagitiorum impunitatem tandem inveheret, ex qua quantum periculi Reipublicæ Christianæ immineret, quorsus attinet nos dicere, cùm res ipsa vociferetur?

Illud enim sedulò observandum venit, paulò ante tempora Bonifacii, jurisdictiones temporales, & altas ut vocant justitias, perpetuas esse cœpisse, & hereditarias, cùm antea ad tempus tantùm delegarentur. Adde & illud Tilletii, anno 1287. à Rege Philippo Pulchro constitutum esse, ut Prælati ipsi, quibus temporales aliquæ essent jurisdictiones, jam non possent eas, nisi per laïcos Præpositos Ballivosque exercere. Antè ergo Clericis hæ præpositura, vel Ballivatus demandabantur. Unde nec ex his unquam Tribunalibus stilla sanguinis ulla manabat. Sed senescebat humanum genus, ingravescebat improbitas, nec jam tam castæ disciplinæ & tam lenis patiens erat.

Du Tillet To. 2. pag. 54.

V. Novitas altera disciplinæ, cui favorem & vim addidit Bonifacius VIII. Clericos spectat, qui noxios insimulant capitalium flagitiorum, subducuntque se irregularitati, una illa obnunciatione, quod pœna sanguinis eos affici nolint. *Protestando expresse, quod ad pœnam sanguinis non intendunt.* Rationem verò eam prætendit Pontifex certè gravissimam, quod alioqui Clerici passim cæderentur, compilarentur. *Daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bonum libere deprædandi.* De his sollicita minus fuerat antiquior Ecclesia: sed tempore Bonifacii ad eum furoris & insolentiæ cumulum evaserat nequitia scelestorum hominum adversùs Clericos, Clericorumque res, ut ea in re quidem veterem immutari disciplinam, exasperari mansuetudinem Ecclesiæ necesse fuerit, ut consultum esset saluti Clericorum temporali, & æternæ hujusmodi grassatorum.

Sexti. l. 5. Tit. 4. c. 2.

Narrat Petrus Damiani, ut impiis qui Martyrum sanguine manus suas cruentaverant, Rex Christianis imbutus institutis vitam condonaverit; utque catenæ ipsæ quibus eos constrinxerat tantùm, ad ipsa Martyrum sepulcra divina quadam vi obtritæ fuerint. Edidit tamen idem ipse Petrus tractatum de eo argumento, ut Christianos Principes temporales ad ulciscenda impiorum facinora incenderet: hoc solemni constituto discrimine, inter Magistratum temporalem & Ecclesiasticum. *Non omnia membra Ecclesiæ uno funguntur officio, aliud nempè Sacerdoti, aliud competit Judici, &c. Aliud gladius Principis, aliud infula Sacerdotis.*

In vita sancti Romual. c. 28.

Opusc. 57.

VI. Corripuit gravissimè Hildebertus Presbyterum, qui torqueri jusserat, eum qui furti suspectus esset: admonuitque Sacerdotum esse, non reos plectere, sed suis eos precibus relevare. *Neque enim carnifex es, sed sacrifex, pro reis quidem, sed non reos immolare constitutus.* Sed plus satis confidebant cælesti huic Clericorum clementiæ. Usque ad annum 1176. in Anglia, qui vulnere gravi, vel morte affecissent Episcopos, Presbyteros, Clericosque, non alia afficiebantur pœna, quàm ut Romam pergerent, à Pontifice absolvendi ab excommunicatione, qua innexi essent, quod & facilè consequebantur. Hoc eodem anno Cantuariensis Episcopus Richardus litteras ad Episcopos Angliæ dedit, quo ea consuetudo expungeretur. Pauca hic delibo ex iis litteris: *Si quis Sacerdotem, sive Clericum, minoris aut majoris status occiderit, sola excommunicatione contenta Ecclesia, materialis gladii opem non requirit, &c. Porro Clerici vel Episcopi occisores Romam mittuntur, omnesque in deliciis, cum plenitudine Apostolica gratiæ & majore delinquendi audacia revertuntur.* Servata fuerat integra Pontifici ejus facinoris & illigatæ ei excommunicationis absolutio, ut Romana hæc peregrinatio pœnitentiæ canonicæ loco infligeretur, latronumque immanitatem retardaret. Sed postquam ipso usu trita fuit & facilis, Romana peregrinatio; & ludus jam magis, quam labor: alia tentanda fuere remedia. Authores fuerant Episcopi, ut ea excommunicatio Pontifici absolvenda reservaretur, utque Romam omnino pergendum esset. Ubi ea re parum profici jam compertum fuit, illi ipsi Episcopi efficacius commentati sunt remedium, ut ad gladium Principis recurreretur. *Duo sunt gladii, qui mutuum à se mendicant auxilium, atque ad invicem sibi vires impertiuntur alternas: Sacerdotium Regibus & Sacerdotibus regnum.* Gregorii Papæ, Nicolai item I. & Concilii Carthaginensis III. authoritate niti se jactabat Archiepiscopus Cantuariensis. Ex iis quæ hactenus disputata sunt à nobis, non facilè adducetur quisquam, ut in ea fuisse credat vel Gregorium, vel Nicolaum sententia, vel Patres olim Africanos. Sed ne id quidem necesse est. Sufficit enim, ut eo jam novo opus esset medicamento, ad novas Ecclesiasticæ disciplinæ ægritudines abigendas.

Epist. 50.

Spicil. to. 8. pag. 472. Annal. Cist. To. 3. pag. 50.

VII. Illud constantissimè observatum est extrema hac ætate, ut ne Prælati, vel Clerici Capitalibus unquam judiciis interessent. Quando sub Carolo VII. Galliæ Rege instauratum est judicium Ducis Alenconii, Joannes Juvenalis Ursinus Archiepiscopus Remensis, qui præsens aderat cum aliis Patribus Ecclesiasticis, à Rege impetravit, ut inde ipsi secederent cum Magistris Libellorum supplicum, Episcopo Parisiensi, & Abbate sancti Dionysii, cùm primùm sententiæ rogarentur in causa capitali; præfati & contestati tamen, *ut indulgentia rigori juris anteponeretur*; quibus Prælatorum precibus Rex ipse in eam indulgentiam assensus est, postquam reus Judicum sententia morti addictus fuit.

Alain Chartier. Vie de Charl. VII. pag. 104. & seqq. Procez du Duc d'Alençon. p. 425. Procez du Connest. de Bourbon. pag. 453.

Episcopi Pares., & Consiliarii Clerici discesserunt etiam, cùm anno 1523. in Borbonium Comitem Stabuli capitale judicium institutum est.

VIII. Juvabit & illud hic monuisse, quanquam varias Ecclesiasticæ disciplinæ vicissitudines temporum lapsus & importunitas invexerit; ut remitti necesse tandem fuerit permultum de avita & primigenia lenitate: fulgurasse tamen subinde aliqua vetustissimæ clementiæ lumina & exempla. Observatum est ab historiæ Scoticæ Scriptoribus ad annum 1402. cessasse miracula & ostenta cælestia ad tumulum Davidis Principis, ex quo Jacobus germanus ejus Scotiæ Rex ultorem gladium in eos exeruit, qui eum inedia necaverant in carcere, quo eum Robertus Rex & pater conjecerat, ut lascivientis juventæ ferocitatem comprimeret. *Sprnd. an. 1402. n. 4.*

Fatetur Covarruvias Hostiensem aliosque Canonistas existimasse, pœnitentia publica ita extingui abolerique crimen, ut ne Judices quidem publici de eo jam cognoscere possent. His recentioribus Canonum interpretibus, antiquioris sub Imperio maximè Caroli Magni disciplinæ aliquid interluxerat: tum enim pleraque capitalia crimina pœnitentiæ publicæ actione revera dispungebantur, ut jam in ea Regii Judices inquirere non possent. Quanquam autem Hostiensi repugnet Covarruvias, in eandem tamen videtur tandem ipsemet reflecti sententiam, quantum ad eos qui perpetuæ mancipantur pœnitentiæ. *Posset profectò opinio Hostiensis & Imolæ procedere in eo qui damnatus est ad perpetuam pœnitentiam, nam hic censetur constitutus, sub Ecclesia protectione. Dubito tamen, an id admissuri sint Judices sæculares.* *Covarruv. Var. Resol. l. 2. c. 10. De arcus. ster n. 23.*

In postremis Editionibus Conciliorum Generalium, obvias se dant Constitutiones variæ Regum Anglorum, antequam eam Insulam Duces Neustriæ suæ ditioni subjicerent. Crimina ibi omnia castigantur Ecclesiastica verè lenitate. Matthæus Paris de Conventu Clarendunensi agens anno 1164. eam fuisse testificatur Regis mentem, ut Clericus facinoris convictus, ab Episcopo primùm deponeretur, tum sæculari permitteretur Judici: at contrà Cantuariensem Archiepiscopum Thomam contestatum esse, ubi Clericus ab Episcopo gradu & ordine suo ejectus esset, jam in eum nihil sibi juris vindicare posse Judices Regios, ne unum idemque scelus duplici pœna afficeretur. *Decrevit Rex, ut Clericos, quos in publico flagitio Episcopi invenirent obnoxios, præsente Regis Justitiario exauthorarent, & post Curia Regis traderent puniendos. Archiepiscopus in contrarium sentiebat, ut quos exauthorarent Episcopi, à manu laicali postmodum non punirentur, quia bis in idipsum punire viderentur.* *Conc. Gen. To. 9. p. 791. 71. 52. & 93. 1023.*

Cùm eo loco Clericis esset depositio, quo Laïcis pœnitentia publica, non abs re contendebat Thomas Clericum ea pœna & ignominia defunctum jam non posse apud sæculi Judicem conveniri; ne bis in idipsum vindicaretur. Paulò antè Thomas in Monasterium compegerat Presbyterum homicidii convictum, nec adduci potuerat, ut Judicibus publicis illum permitteret. Solis etiam Ecclesiasticis censuris ultus erat Canonicum pluribus flagitiis infamatum. Ei clementiæ Rex vehementissimè infestus erat. At ii fuerant antiqui complures Canones, ad lenitatem temperari. Concilium Lambethanum anni 1261. præcepit Episcopis, ut carceres haberent, iisque in reliquum vitæ tempus coarctarent Clericos, ejus sceleris convictos, quod Laïci morte luerent. *Talis Clericus perpetuo carceri addicatur.* *Baron. an. 1163. n. 19.*

Decreverat sanctus Ludovicus Rex Galliæ cruentas quasdam in eos pœnas, qui Dei numen venerandum blasphemis vocibus incesserent. Addocuit nos doctissimus usquequaque vir Cangius in suis ad ejus vitam Commentationibus, anno 1268. literis Clementis Papæ IV. & hortamentis abductum à priore sententia sua sanctissimum Regem, illa abrogasse supplicia, & alia constituisse, *citra membri mutilationem, aut mortem.* Simon Archiepiscopus Cantuariensis anno 1351. constitutionem edidit synodalem, ad exaggerandas corporeas macerationes jejuniaque Clericorum, atrocissimorum criminum ergo in Episcopales carceres conjectorum, & qui extrahi inde non possunt citra labem concordiæ Sacerdotii & Regni.

In Concilio Provinciali Hafniensi anno 1425. narrat Isaacus Pontanus statutum fuisse, ut homicidæ ab Ecclesia abscinderentur toto tempore pœnitentiæ publicæ, cui addicebantur, eidem postea restituendi. Addit hic Scriptor posterioribus sæculis visum esse homicidas morte plecti debere. Acta hujus Concilii fidem faciunt, homicidas ut Ecclesiæ sibi valvæ patefierent, muniendos fuisse parochi sui testimonio, quo significaretur eorum pœnitentiam sinceram & sine fuco fuisse peractam jam ex parte saltem. *Rerum Danicar. l. 9.*

Leges Polonicæ ad annos 1368. & 1496. atrocissimis quibusque homicidiis non indicunt nisi pecuniarias pœnas, carcerem unius anni & sex insuper hebdomadarum. Anno 1510. Sigismundus Rex Poloniæ statuit prævertere in posterum ne tam crebra homicidia Poloniam cruentarent; itaque pœnas homicidarum exaggeravit, nec tamen ultra carcerem strictiorem progressus est, sanguine prorsus abstinuit. Et ne ea quidem lex austerior valde religiosè observari potuit. Innovanda ergo rursum fuit annis 1523. & 1538. Sed ne tum quidem illi obtemperatum est. Itaque anno 1539. priscæ leges aliquantò leniores in usum revocatæ sunt. Fateor anno 1532. editam à Sigismundo Rege legem, qua morte damnabatur plebeius & rusticus, qui Nobilem occidisset, *cùm nullam causam vel occasionem so invadendi Nobilis dederit.* *Statuta Polon. p. 134. 135. 136. 197. 144.*

Author est Saxo Grammaticus in Dania atrocissima quæque crimina solis pœnis pecuniariis expiata fuisse, & fustuario. Cùm Rex ipse violentissima animi conturbatione abreptus & sui tum impos, militem occidisset, regio se dejecit solio, cum primùm furor ille desedit, & à Militiæ summis Ducibus voluit de suo facinore judicium institui & pœnam decerni. Cúmque profiterentur omnes ipsum fuimet judicem unum esse posse, ea se ipse emenda pecuniaria secundùm leges mulctavit, quæ & errori suo & dignitati responderet. *Lib. 10.*

Cùm Germaniæ Clero Cardinalis Campegius Pontificius Legatus leges conderet anno 1525. illud quoque sancivit, ut Episcopus reos incorrigibiles acerbissimè plecteret, aut Judici eos dimittendo sæculari, ut in Sexto habetur: vel perpetuo carceri addicendo. Habes hîc ergo jam quibus gradibus & quàm lentis ab antiqua humanitate ad præsentem deventum sit legum inclementiam, uno semper Antistitum vigente irrevocabili proposito, præveriendi, sistendique torrentem iniquitatis, quo volvitur & inquinatur sæculum, impensa nunc indulgentia, nunc austeritate, ad cujusque sæculi patientiam, & pia æmulatione omnipotentis ejus sapientiæ, quæ utrumque Testamentum dispensavit tam opportunè, alterum rigore & pœnis horridum, al-- *Cap. 54.*

aum mansuetudine plurima conditum.

IX. Cùm ad Alexandrum III. Papam perscriberet Clerus Anglicanus in defensionem Angliæ Regis, cujus zelus æstuaret ad neci vicissim dandos Clericos homicidas, quos Archiepiscopus Thomas pertendebat pœnitentiæ tantùm subjici debere laboribus: illud omnino pax se tulit, utrisque partibus, utrique sententiæ suas deberi laudes; sed dissimulare tamen non potuit, quin ea quidem in re Angliæ Episcopi omnes Thomæ Archiepiscopo assentirentur, quin immo ea in re non aliis quàm Ecclesiæ legibus assentirentur. *Qua in re partis utrius zelus innotuit. Episcoporum in hoc stante judicio, ut homicidium, & si quid hujusmodi est sola exauthoratione puniretur in Clero, &c. Clero itaque statuto cælitus ordini deferente, &c.* Anno 1205. Barones Normanniæ unanimi assensu confirmavere, sub prioribus eum Regibus obtinuisse usum, ut Clerici de furto & homicidio comperti, exauthorarentur primùm, mox exulare cogerentur, nec redire possent nisi annuente Rege: at verò si in eadem se rursus demergerent facinora, eodem quo Laici supplicio mactarentur.

Baron. an. 1167. n. 43

Du Chesne Hist. Norm. pag. 106.

Urspergensis Abbatis historiæ continuator ad Clementem IV. Papam accessisse tradit pœnitentiæ flagitandæ causâ, eum qui infando parricidio Albertum Imperatorem interfecerat; ab eo verò remissum esse ad novum Imperatorem Henricum VII. qui illum perpetuæ addixit pœnitentiæ & Monasticæ professioni, quod & ab illo præstitum est. *Venit ad Henricum VII. à quo jubetur Monachus fieri, perpetuò pœnitere.* Quod communicato cum Pontifice ab Imperatore consilio factum esse non temerè conjicitur.

Narrat Cæsarius incidisse aliquando Bernardum in latronem, qui ad patibulum pertrahebatur; illum vinculis à Bernardo absolutum, & ad Claravallense Monasterium abductum, ubi & Monasticis illum vestibus institutisque mancipavit; cùm antè Theobaldo Campaniæ Comiti declarasset, Eam cui nefarius homo astringebatur pœnitentiam publicam, crucem esse, illa & diuturniorem, cui subducebatur, & acerbiorem. Alia & idem Scriptor exempla congerit eorum, qui à Judicibus capitali sententia afflicti & interventioni Abbatum Cisterciensium donati, eam Religionem profitebantur, ut sese diuturnioris cujusdam pœnitentiæ cruciatibus Deo mactarent *Frequenter huic similia audivi, scilicet ut homines flagitiosi, pro suis criminibus variis suppliciis deputati, beneficio Ordinis sint liberati.*

Annal. Cist. To. 1. p. 406. Bibl. Cister. To. 1. d. 2. c. 15. Et Tom. 2 d. 1. c. 31.

Anno 1394. cùm Pontificium Legatum Parisiis ageret Cardinalis à Luna, qui Præpositum Mercatorum falso testimonio suo oppresserant, à Parocho suo, cui confessi fuerant, remissi sunt ad Pœnitentiarium, à Pœnitentiario ad Episcopum, ab Episcopo ad Legatum; sceleris enormitate exterritis iis omnibus. Legatus pœnitentiam illis indixit, criminis veniam fecit, jussitque ut ad Præpositi pedes se abjicerent, à quo tum non ægrè veniam consecuti sunt. Ita refert Joannes Juvenalis Ursinius Archiepiscopus Remensis in historia Caroli VI. Regis.

Pag. 104.

X. Plus satis, ut spero, jam hæc erunt, ut difflata omni dubitatione, jam assentiantur omnes, plurima ad nostram usque hanc ætatem superfuisse vestigia & monumenta, quibus eluceat quàm constanter prioribus sæculis abhorruerint semper Synodi, Episcopi, Clerici omnes, à cruentis quibusque suppliciis. Eò enim tandem redit tota illa legum diversitas, Canonumque & exemplorum, ubi Laici qui vitam aut membra cuiquam ademerint, irregulares habentur ad Clericatum: Clerici ipsi ad Ordines vel suscipiendos, vel exercendos jam anhelare non possunt, Clerus pro virili sua parte connititur, pœnæ ut omnes capitales in pœnitentias publicas emolliantur, molestissimè fert, si Clerici quorumcumque scelerum infamia obliti, convictique, aliis quàm canonicis pœnis subjiciantur; vix tandem & ægrè cedit legibus, ut gradu suo ejectos Clericos scelerosos, Judici sæculari permittat puniendos.

Ea autem Ecclesiæ disciplina manat primò quidem ex inexhausto quodam humanitatis, lenitatis, patientiæ & charitatis fonte, qui proprius est Christiani Sacerdotii genius, & cujus non semel editum à Christo ipso sit specimen ejusmodi, cui se coaptare meritò studeant perfecti ejus æmulatores. Secundò rursus ex zelo & ardore quodam vehementissimo noxiorum animas solvendi à crimine prinsquam è vita, & æternis magis quàm temporalibus pœnis præripiendi; cujus rei spes haud sanè satis firma allucebat, ubi patrato crimine, mox vitæ eximebantur.

Hinc ansam arripiam conjiciendæ in caput sequens ejus dissertationis, Qui se Ecclesia habuerit in reos à publico Judice morti jam addictos, & quæ vices fuerint, hac maximè Ecclesiæ ætate, administrandorum illis cælestium Sacramentorum. Finitimum utique est & conjunctissimum id argumentum iis quæ multis jam capitibus exequimur & extricamus.

XI. Finem hic faciam dicendi, ubi monuero Græcos non aliis ferè moribus usos esse. Erant tamen inter eos opiniones, & opinionum dissidia. Author est enim Theophanes, Michaëlem Curopalatem Imperatorem, qui anno 811. Imperium auspicatus est, hæreticos quosdam morte damnasse, suadente Patriarcha Nicephoro. Erant porro illi secta Manichæi. Postea Michaëlem ab ea sententia & voluntate avocarunt alii, nimirum ut rei pœnitentiæ potiùs decurrendo stadio alligarentur. Quo tamen non potuit prohiberi, quin morte plecterentur eorum aliqui. Ita statuebat secum Theophanes, hujusmodi hæreticos nunquam seriò & sincerè pœnitere posse: & à vero aberrasse tum eos, qui Præsules negarent posse in scelestos capitales pœnas decernere. *Isti dogmatum novatores asserebant, haud licere Sacerdotibus capitalem sententiam adversùs impios ferre:* eorum doctrinæ palam adversari Petrum, qui Ananiam & Saphiram gladio verbi exanimavit: quin & Paulum ipsum, aientem, *Qui talia agunt, morte digni sunt.* Mauritium Imperatorem tradit Theophylactus Simocatta, reos pœnitentiæ, quàm morti addicere maluisse; sed necari tamen jussisse Magos quosdam, suadente Joanne Patriarcha. Matthæus Blastares Monachus, qui Alphabetico ordine Canones compilavit, luculenter prorsus commonstrat, ut Imperiales ipsæ Leges Canonum ingenio se accommodantes, pœnas mortis longè plurimas in medicinales pœnas commutarint, ad incitandos Pœnitentes ad pœnitentiam. *Imperator enim qui istam repetitam prælectionem fecit, nullum eorum quæ sunt in Digestis vel institutionibus crudele supplicium protulit. Neque enim capite plectere decrevit, neque destruere, vel comburere, vel laqueos intendere; prohibuit etiam in maris profunditate suffocationem. Licèt autem quasdam capitales dare pœnas aliquando jubet: non tamen inquit mortiferas: sed solùm relegari, vel in carcerem includi,*

Chronog. pag. 419.

L. 1. c. 11.

Blastares Litera M. c. 9.

includi, oculorum effossionem, manus ablationem & aliam corporis injuriam pati; qua conversionis opportunitatem illi, qui puniendus, temporis extensione præbeat, & illis qui lapsi sunt resipiscentiam. Si vero leges politicæ humanitatem adeo exerceant, multò magis Ecclesiasticæ.

CAPUT LXXVII. *P. 4. l. 2. c. 27.*

An Absolutione, & Eucharistia fraudari possint, qui extremo supplicio afficiendi sunt.

I. *Probabile prorsus est, prioribus sæculis frustratos fuisse Sacramentis eos, qui judicum sententia capite plectebantur.*

II. *Sæculo 12. sapius statutum est ne nostro frauderentur Sacramento.*

III. *Antiqua austeritas nonnullis in Provinciis Regnisque perpetuata est, usque ad tempora Concilii Viennensis.*

IV. *Cur Clemens V. Papa edixerit tantùm, ut ne pœnitentia abnueretur. Ne eo quidem beneficio in Gallia donati sunt, nisi paulo ante annum Christi 1400.*

V. *Exempla & rationes denegati Sacramenti, vel Eucharistia solius, vel etiam Pœnitentia.*

VI. *Statuta synodalia Stephani Poncherii Episcopi Parisiensis, Eucharistiam administrari mandabant.*

VII. *Quas docti & antiqui Theologi protulerit rationes abnuenda Eucharistia.*

VIII. *In Anglia solam vitis interficiendis Eucharistiam abnuebant.*

IX. *In Italia Eucharistia conceditur, sed eo die in suspenso est mortis judicium.*

X. *Idem usus Germania, Hispaniaque.*

XI. *Quæ hic potissimum observari debeant.*

I. INterceſſiſſe Eccleſiam pro virili ſua parte capitalium ſuppliciorum executioni, ea quoque de cauſa diximus, quod in incerto ſluctuaret eorum ſalus, qui à culpa ad pœnam rapiebantur, nullis conceſſis ad pœnitendum induciis. Multò major ſanè viſa eſſet ea fluctuatio, & de eorum ſalute anxietas, ſi uſitatum jam tum fuiſſet, ut nihil Sacramentorum in ejuſmodi pœnæ mancipia erogaretur. Atqui ita prioribus illis Eccleſiæ & durioribus ſæculis factitatum eſſe, ſimillimum veri eſt.

Vetat quidem Nicæna Synodus ſacro fruſtrari Viatico eos, qui in extremis agunt. Concilium Carthaginenſe IV. Braccharenſe & non pauca alia, præcipiunt vel illis pœnitentiam concedi, & Euchariſtiam, qui eam tum demum flagitare incipiunt, cùm jam adventantis mortis afflatu urgentur, & morè ſenſu orbantur, quàm cœleſti eo beneficio donari poſſint. At bona tamen fide fatendum eſt, ex his Canonibus nihil ſatis certi colligi poſſe: quin & iis agi duntaxat de ægrotantibus. *De his qui recedunt ex corpore, &c. Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si oppressus infirmitate, &c.* Ita Nicænus & Carthagienſis Canon. Nec ab his abludit Leo Papa: *Qui in tempore necessitatis & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentia & mox reconciliationis implorant, &c. Si aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, &c.* Pars multò major Canonum quos ad hujus quæſtionis illuſtrationem accumulavit Gratianus, de illis agit ægris, qui poſt convaleſcunt, manentque eam decurrere pœnitentiæ palæſtram, quæ propoſita illis fuerat, & qua mors illos abſolviſſet. Concilio Nicæno nihil expreſſius: *Si desperatus aliquis recepta Communione supervixerit, sit inter eos qui sola oratione communicant.* Similiter & Carthaginenſi IV. *Si supervixerit, subdatur statutis pœnitentia legibus, &c.* quæ prorſus non conveniunt iis, qui ad patibulum rapiuntur.

Gratian. 26. q. 6.

Can. 12.

II. Non hærebit amplius in eo dubio, quiſquis æqua lance expenderit eas Synodos, Canoneſque, ubi ei rigori cœpit delinimenti aliquid & humanitatis temperari. Concilii Provincialis Remenſis ſub Archiepiſcopo Sonnatio Canones circa annum Chriſti 630 præcipiunt muniri & roborari cæleſti hac eſca, eos, qui mox neci dandi ſint. Promit Gratianus Canonem Concilii II. Moguntini ſub Rabano Archiepiſcopo: *Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus & dignè pœnitentibus Communio in fine secundùm canonicum jussum danda est, cur non eis qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt? Scriptum est enim, Non vindicat Deus bis in idipsum.* 13. q. 2. c. 30. An. 845. Can. 17.

In eum Canonem tria quædam adnotaſſe operæ pretium eſt. 1. Tam diſertè & tam expreſſè res hîc promulgatur, ut facilè intelligas novam hanc fuiſſe conſtitutionem, cùm nihil ejuſmodi in antiquis Synodis Canoniciſque regulis vel ſuſpicari fas ſit. 2. Proponitur hîc quæſtio, & diffinitur, ut quæ hactenus controverſata fuiſſet. 3. Eodem ſæculo plures manarunt in publicum ejuſmodi definitiones. Quo rurſus conjicitur, laboratum fuiſſe tum in expugnanda, delendaque antiquiore, eaque diuturniore conſuetudine. Hunc Canonem ante Gratianum publicaverant Ivo & Burchardus, ſicut & alios in idipſum conſpirantes Canones Vormacienſis & Triburienſis Concilii. En verba ipſa Canonis Triburienſis: *Fures & Latrones si in furando & prædando occiduntur, visum est pro eis non orandum. Si comprehensi, aut vulnerati, Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, Communionem eis non negamus.*

Ivo Decret. Part. 14. c. 124. Burchard. L. 1. c. 59. Vormac. Conc. Can. 80. Triburiens. Concil. Can. 31.

Poſſet & illud quarto hic loco animadverti, his Conciliis annui non Pœnitentiam tantùm, ſed & Euchariſtiam: maximè quòd etiam Euchariſtiam, ſi Diaconus tantum præſto ſit, non Presbyter. Is enim Diaconus ex hoc Canone Euchariſtiam diſpenſare debebat, quam in poteſtate habebat; at à peccatis abſolvere omnino non poterat.

III. Compertiſſimum tamen eſt pluribus in Provinciis, potiſſimum verò in Galliis denegatam fuiſſe his Biothanatis & abſolutionem & pœnitentiam, per multa etiam ſæcula poſt editos illos Canones. In Concilio demum Viennenſi Clemens V. quarundam regionum conſuetudinem damnavit, ſubtrahendi Pœnitentiæ Sacramenti iis, qui morte luituri erant; compellavitque Judices omnes, ut imposterum ab ea diſcederent inclementia: quin & Epiſcopis ſtimulos ſubdidit, ut Judices ad id cenſuris compellerent; quod is uſus Canonicis inſtitutionibus ſit prorſus infeſtus. *Cùm secundùm statuta canonica ultimo deputandis supplicio, negari, si petant, non debeat Pœnitentiæ Sacramentum, abusum damnabilem in quibusdam partibus contra hoc introductum, aboleri omnino volentes, &c.*

Rainal. an. 1312. n. 54.

In Clement. De pœnit. & remiss. c. 1.

Canonicæ porro Conſtitutiones quarum hîc Clemens meminit, non aliæ mihi quidem videntur, quàm Caput *Fures & latrones, Extra, De furtis:* qui Canon eſt Concilii Triburienſis ſuprà allegatus: & Caput *Super eo, De hæreticis, in Sexto.* ubi ab Alexandro Papa IV. diffinitur Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta ne hæreticis quidem relapſis denegari debere, ſi eos flagitii ſui ſeriò pœniteat: quamquam poſtea nihilominus ſæculari Judici permittendi ſint. *Etiamsi sine ulla penitus audientia, relinquendi sint judicio sæculari, si tamen postmodum pœniteant, & pœnitentia signa in eis apparuerint manifesta, nequaquam sunt humiliter petita Sacramenta Pœnitentia ac Eucharistia deneganda.* Poſſet & ex

Gregorii IX. Decretalium libris evinci, quam abhorreret jus Canonicum novum ab ea inhumanitate, salutaribus Sacramentis quemquam frustrandi extremo in illo vitæ fugientis periculo. Cùm enim ibi referatur Canon Concilii Sardicensis adversùs Episcopatuum nundinatores, & pœna ibi ea decernatur, quæ in fine etiam Eucharistiæ spem aufert: hæc ibi clausula ex ingenio novæ disciplinæ adjungitur, *Nisi de hoc pœnituerit.* Ubi Sardicensi Concilio appingitur usus & sermo sæculi XIII.

IV. Est omnino quod stupeamus, cùm Alexander IV. expressissimè inculcarit Pœnitentia & Eucharistia donari eos qui capitali afficiendi sunt supplicio: cùmque anteriores Canones complures jusserint specialiter eos Eucharistia impertiri; quid causæ sit, quamobrem Clemens V. solius Sacramenti Pœnitentiæ meminerit. An Eucharistiam Pœnitentiæ implicatam volebat, ut quæ ejus scopus cumulusque perfectionis sit? An desperabat plura tum quidem impetrare se posse, cùm non paucis in regionibus utrumque ex æquo subtraheretur Sacramentum? Maximè verò in Gallia.

Posterior hæc responsio à verisimili forsan longius, à vero certè propius abest. Quippe anno demum 1396. Carolus VI. Galliæ Rex cœpit permittere, ut reis non multò pòst ad patibulum agendis Presbyter concederetur, qui eorum confessiones exciperet; quin ne id quidem concedebatur, nisi in via ipsa qua ad crucem ducebantur. Rem ad eum modum narrat Monachus San-Dionysianus in historia Caroli VI. Edictum verò ipsum Regium apud Fontanonem legitur.

L. 16. c. 15. L. 18. c. 8.

V. Si nec Clemens porro V. Pontifex, nec Carolus VI. Rex Eucharistiam Pœnitentiæ sociarunt in his placitis suis, alioti forsan & abstrusiori ab origine ratio derivari posset. Narrat Vuillelmus Nangius in vita sancti Ludovici, ut Germanus ejus Carolus Siciliæ Rex obtruncari fecerit Conradinum, & quinque alios nobilissimos juvenes ejus partium, concesso tantùm ut antè Presbytero confiterentur, & interessent Officio & Missæ Defunctorum, quæ sacra coram ipsis, pro ipsis celebrabantur, more iis temporibus usitatissimo. *Sed antequam eos feriret lictoris gladius, juxta quandam Capellam, Placebo, Dirige, Missamque pro animabus suis secundùm morem Christianæ Religionis propriis auribus audierunt, indulto etiam sibi spatio crimina confitendi, & ita post ad loca pœnalia sunt perducti.* Eandem inclementiam expertus esset Henricus frater Hispaniæ Regis, nisi Abbas Cassinensis Monasterii, quò ille post infœlicem pugnam victus confugerat, ea lege eum Carolo in manus dedisset, ut ne vitam illi eriperet, saltem quandiu Abbati ipsi vita suppeteret, ne Henrici cæde irregularis evaderet. *Ne incurreret mortem, quandiu Abbas præsenti vita fungeretur, ne mortis ipsius occasione secundùm Canones impeditus, totaliter amitteret officium Sacerdotis.* Promisit & promissis stetit Carolus, persuasus, ut opinor, istiusmodi Clericorum interventiones frustrandas non esse.

Du Chesne. To. 5. pag. 382.

Si ulterius autem progrediamur, occurret Monachus Floriacensis Helgaudus, vitæ Roberti Regis scriptor, à quo refertur parricidas duodecim qui in piissimi Regis hujus vitam conjuraverant, captos fuisse, die Paschæ communicare permissos; & crastina statim die cum eos sæculari Rex judici permisisset, ut sensit omnium suffragiis morte damnatum iri, ipse pœnæ subduxit, liberosque dimisit, cùm pati non posset, ut qui immortalitatis esca paulò antè saginati ac beati fuissent, cruentam & infamem subitè mortem cogerentur. *Ipsos absolvit dicens, Non debere damnari, qui fuerant præmuniti cibo potuque cælesti.*

Ibidem. Tom. 4 pag. 64.

Viderit Lector, an duabus his de causis, vel earum altera, adductæ fuerint civitates & provinciæ quædam, ut Eucharistiam, immo & pœnitentiæ Sacramentum iis denegarent, quos vitæ subduci è re & salute publica esse ducebant. Prima ea est, quod author vitæ, author gratiæ, vita & gratia Christus, aut abnuendus iis esset, quibus vita non condonabatur: aut quibus donaretur ipse, iis vitam quoque donari pervinceret. Secunda ea est, quod peccata per pœnitentiam obliterata, jam non deberent inquiri, nedum plecti per Judices publicos. Tertia quæ momenti plurimum olim habebat ratio, impræsentiarum vana & cassa erat, incertus exitus & fructus confessionum & pœnitentiarum hujusmodi præfestinatarum. Quippe hoc Clementis V. & Caroli VI. ævo, jam nec absolutio post confessionem, nec post absolutionem Eucharistia protrahebatur.

Principem Regii sanguinis & Comitem Stabuli, qui à sancto Paulo dicebatur, referunt anno 1475. cùm capite obtruncandus esset, petiisse, ut post peccatorum confessionem permitteretur sacro Eucharistiæ epulo vesci, & repulsam passum esse. Pane dumtaxat Benedicto donatus est ad exitum Missæ, cui interfuit.

Guaguin Nicole Gilles.

VI. Quæ cùm ita se haberent, Stephanus tamen Poncherius Episcopus Parisiensis in publicandis Statutis Synodalibus suis anno 1515. constituit & quidem excommunicatione intentata, ut morti addictis fincerent Judices Pœnitentiæ Sacramentum administrare; adeoque & Eucharistiæ, si quo pœnitentiæ sinceræ sensu tangi & fervere existimarentur. *Juxta Concilium Viennense, sub pœnis excommunicationis, monentes Judices locorum vestrorum Ordinarios, quatenus damnatis ad mortem faciant, antequam patiantur, Pœnitentiæ Sacramentum per personam idoneam administrare, contrariam consuetudinem abolentes, Necnon Eucharistiæ Sacramentum, verè pœnitentibus, denegari nolumus, si petierint, eisdem.* Summa quadam prudentia hujus decreti librata sunt verba, ut discriminari possit quod edixerat Concilium Viennense sub interminatione censurarum: & quod Poncherius Episcopus propria authoritate adjunxerat. Conceditur mox & eisdem Ecclesiastica sepultura. *Cùm non prohibeantur qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus, habere Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, permittimus habere, & in Ecclesiis, aut Cœmeteriis inhumari.*

Synodicum Paris. pag. 176 a 12.

Tit. De Sepulturis.

VII. Cùm autem Carolus VI. Rex in suprà laudato diplomate suo author sit consuetudinem illam ante hominum memoriam abnuendæ pœnitentiæ reis mortem subituris, non habuisse locum, nisi *in eis Regni partibus, quæ jure consuetudinario reguntur:* Ingenuè fateor non potuisse me divinare, ecquid causæ sit, quamobrem in aliis etiam provinciis, quæ Jure scripto reguntur in Galliis, eadem retineatur consuetudo denegandæ Eucharistiæ, cùm ante Concilium Viennense Canones usque adeo ei rei adversarentur.

At quanquam Canonicis Regulis inimicus hic esset subtrahendæ Eucharistiæ usus, fuerat tamen per Occidentis provincias vulgatissimus. Testem profero Robertum Pullum, qui gente Anglus cùm esset, & Theologus Parisiensis, denique Cardinalis & Cancellarius Romanæ Ecclesiæ, non poterat

non exploratissimas habere hujusmodi Ecclesiæ Occidentalis consuetudines. Suppar erat Bernardi, & de his agens, conceptis verbis pronuntiat, sacramento quidem pœnitentiæ privandos non esse, qui scelerum pœnas morte mox daturi sunt, non tamen impartiendos illos esse Eucharistiæ communione, nisi statuerint Judices mortis pœnam omnino remittere. Templum enim Dei viventis præsentia nudò consecratum ecquis ausit infamia supplicii contaminare? Si mors relaxatur lapideum subeuntibus templum, quid iis quos Christus ipse ut templa sua subiit paulò antè? Qui verò dignandi videantur Eucharistia, qui digni non habentur Ecclesiastica sepultura? Hæc admodum sunt Theologi

Sentent. L. 6. c. 53. hujus argumenta: *Sed si Christus à pœnitente & confesso suscipitur, quo ausu præsertim à Christianis templum Dei probro cruciatuum violatur? Aut si Presbyter sacrarium Christi ab injuria se defendere non posse novit, quare in dedecus inhabitantis habitaculum consecravit? Reus si ad saxis constructum templum confugerit, liber est, si verò ipse pœnitentia & confessione construitur, perceptione Eucharistia in vivum & verum templum dedicatur, liber non est? Judices ergo aut Sacerdotes arceant; aut reos & convictos, quoniam patronum suscepere Jesum, ne sacrilegi sint, absolvant.* Ex his porro ille argumentatur optimum factu esse, ut Presbyter post confessionis indultum sacramentum supersedeat ab Eucharistia danda, ne ea infamia supplicii quodammodo aspergatur. *Satius erat, ut convictos, confessosque Sacerdos vitaret, cùm nec ipsis, tantummodo ritè pœniterent, ullum omnino periculum salutis immineret, & Judices à violatu templi Domini liberi fierent, &c.* Non jam enixè in eam rem incubuisset vir pius & doctus, si plures habuisset Ecclesias ejus sectatrices.

13. q. 2. Porro Glossa in Caput *Quæsitum* quæstionem solvit à Roberto Pullo propositam, & iis patrocinium impendit Ecclesiis, quæ reos sacra pascebant primùm Eucharistia, mox necì dedendos; quæ denique confugientibus ad Ecclesiam multa sinebant abire scelera, non autem confugientibus ad ipsum Christi Corpus, eoque in sacramento pastis: *Quæri consuevit quare liberetur ille qui fugit ad Ecclesiam, & non ille qui recipit Corpus Christi, cùm Corpus Christi majus sit omnibus. Resp. Quia Corpus Christi est cibus animæ, & non corporis. Ergo animam liberat, & non corpus. Vel dic, quod privilegium Ecclesiæ est, & non debet tradi ad consequentiam.*

Raynald. n. 18. Anno 1375. Gregorius XI. ad Carolum V. Galliæ Regem scripsit, rogans ut exitialem illam aboleret consuetudinem, negandæ Biothanatis pœnitentiæ. *Hujusmodi ultimo deputandis supplicio, Pœnitentiæ sacramentum dari permittas, atque mandes.* De sacramento Eucharistiæ verbum facit nullum. Ex quo colligitur, altè in animos descendisse rationes Cardinalis Pulli suprapositas, nec Clementem V. impetrasse, nisi ut ne pœnitentia abnueretur. Et Carolus V. quidem, exploratæ non sunt nobis causæ, quibus minùs obsecutus sit Pontifici; sed Carolus VI. filius & successor ejus Constitutionem edidit, de qua nos suprà.

VIII. Antiquissimus quoque is erat usus Angliæ, ut Eucharistia frustrarentur, pœnitentia & absolutione donarentur capitalium criminum rei &

L. 4. p. 124. damnati. Perillustre ejus rei exemplum scriptis mandavit Vuillelmus Malmesburiensis sub Vuillelmo I. Rege, de nobili viro, qui patibulo suspensus est, postquam ejus confessionem exceperat Episcopus, ad locum ipsum crucis deduxerat, Commendationis animæ preces effuderat solennes, ipsumque aqua lustrali consperserat. Id ipsum licebat per antiquas Saxonum Leges: *Si quis reus mortis profiteri desideret Sacerdoti, nunquam negetur ei.* Et alibi: *Si quis morti damnatus confiteri desideret, nunquam negetur ei. Et si quis ei perneget, emendet Regi, &c.*

Cùm in Anglia Legatum ageret Cardinalis Ottobonus, tum multa alia præclarè, tum hoc constituit, ne reis incarceratis pœnitentia denegaretur. *Scrip. Angl. p. 850. 927.* Concilium Lambethanum anni 1271. anathema vibravit in eos qui prohiberent, ne reorum morte plectendorum confessiones exciperentur. *Quibus incarceratis sacramentum Pœnitentiæ sæpiùs inhumaniter denegatur, ut dicamus infideliter.* *Conc. Angl. To. 2. p. 165. 114. 337. 485.* Idem præcepit anno 1287. Synodus Excestrensis, de sola similiter pœnitentia. Anno 1316. Rex Eduardus Anglicani Cleri postulatis scripto mandatis subscribens, concessit ut quoties liberet, Presbyteris confiterentur rei, dum ne qua illis Presbyteri consilia insusurrarent, justitiæ Judicumque voluntati inimica. *Quandocumque voluerint, possint Sacerdotibus sua facinora confiteri. Sed caveant Confessores ne erroneè hujusmodi informent.*

IX. Nemo ergo jam inficias ibit, quin eam tunc Anglia foveret consuetudinem annuendæ pœnitentiæ reis, abnuendæ Eucharistiæ. Quoad Italiam, Joannes Chiffletius, qui eruditissimam edidit Dissertationem de hoc ipso argumento, quod hoc capite versamus, complures protulit Pontificum Bullas, in gratiam evulgatas earum Confraternitatum piarum, quæ reis & carceratis juvandis dicatæ sunt: potissimum verò, ut Eucharistia opportunè impartiantur ante mortem. Profert & Scholasticos Doctores, & Casuum conscientiæ tractatores recentiores, quorum alii censent, non ea ipsa die capitali supplicio affici debere, qua sacro epulo pasti sunt: alii existimant, etsi ea ipsa die morte afficiantur, non inde tamen dedecoris quidquam in Eucharistiam resilire, cùm facinora vindicari jubeat lex justitiæ, nec id alienum esse possit à Christo, qui princeps ipse justitiæ lex est. Circumspectissimè Toletus Cardinalis ait, etsi non is ubique sit usus, esse tamen omnino consentaneum, ut aliquanto temporis spatio ante mortis pœnam sacro hoc Viatico instruantur. *Licèt in aliquibus locis hoc non sit in usu, profectò melius est, ut Communionem recipiant aliquo spatio temporis ante mortem.* *L. 5. Instit. sacerd. c. 28. & l. 6. c. 17.* In Concilio V. Mediolanensi decrevit sanctus Carolus Borromæus, ut orarentur Judices, ne eadem ipsa die reis mors inferatur, quo Corpus Christi degustaverint. *A piis Judicibus Magistratibusque tribuatur, ut ne eo die supplicio afficiatur, ut multis locis pia & laudata consuetudinis est.* *Acta Eccl. Mediol. pag. 222.* Confirmat Caroli vitæ scriptor Giossanus Carolum id expugnasse à Magistratibus, & exinde rem ita observatam fuisse. *L. 2. c. 12.*

X. Addit idem Chiffletius ab Philippo II. Rege in Hispania publicatum fuisse Edictum, quo executioni mandari jubebatur Pontificium Pii V. diploma, ne reis morte plectendis Eucharistia subtraheretur: *Anno 1610.* & ante triginta admodum annus in Germania idem constituisse Synodum Augustanam. *Damnatis ad mortem de peccatis ritè confessis & contritis negari non debet Eucharistia, sed tamen danda ante diem supplicii.* Agit mox de Edicto Caroli V. Imperatoris, quo morte damnatis spatium daretur temporis idoneum, quo & pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta ritè perciperent. Nec ab his abludit statutum Concilii Mechliniensis anno 1607. *Ultimo quoque supplicio afficiendis tempestivè de sacra* *Tit. 7. c. 6.*

Eucharistia provideatur. Quod ut fieri jubeant, rogentur serenissimæ suæ Celsitudines.

XI. His porro tot tantisque Conciliis certissimum fuit nihil decerpi honoribus, sacratissimæ victimæ Christo dependendis, ubi ejus participes fiunt, qui proptio mox erunte residuas scelerum suorum maculas abstersuri sunt: cùm Hostiæ omnium hominum saluti impensæ non possit non congruere quidquid hominum eorundem saluti conducibile est. Ita planè sentiebat magni nominis vir Theodorus Siceota, olim Episcopus Anastasiopolitanos, qui Eucharistiæ furtivo beneficio donavit militem clarissimum in ipso carcere, quo eum Phocas abdiderat, morti mox dedendum, quòd Mauritii partibus studuisset. Unum illi in votis fuerat, ut tantisper vinculis solveretur, dum liberatoris Christi sacro vesceretur Corpore: repulsam passus ab hominibus, voti compos è cœlo factus est.

Vita Anast. 51. apud Surium. die 22. April.

Cùm tantum operæ studiique hactenus posuerimus in approbanda fulciendaque ea, quæ nunc in Galliis viget hac in parte disciplina: nemo molestè feret, ut spero, si non dissimulemus, in votis omnino nobis esse, ut iis quæ congessimus in hunc locum testimoniis, probationibus, exemplis, Conciliis, moveantur aliquando Magistratus Regni & Ministri Regum, quo concinere se velint reliquis Ecclesiæ Catholicæ regionibus in hac parte disciplinæ merè spiritalis, & præcipere, ut executioni mandentur Constitutiones Synodales Ecclesiæ Parisiensis, de hacce eadem re anno 1515. à Stephano Poncherio editæ, & à nobis suprà laudatæ.

Supponere videtur Guimierius Eucharistiam in carcere reis administratam fuisse, quando ait Asyli quidem vim & majestatem inesse Eucharistiæ sacramento augustissimo, cum ad ægros circumfertur, si ad eam quis tunc accurrat: non ita tamen rem habere, cùm vinctis & incarceratis administratur. Ratio ejus rei in promptu est, cùm majestatem & venerationem eam Eucharistia templis conciliet, æquum esse, ut & ipsi eadem saltem dependatur. *Confugiens ad illud, dum portatur in via, gaudet immunitate & per eam est defendendus, & hoc teneas, licet multi teneant contrarium.* At cùm incarceratis defertur, sufficit ut in alium diem retardetur interfectio reorum: propterea quòd jam vincti sint illi: nec invidiam hinc esse Eucharistiæ conflandam, si facinoris impunitatem, & inde erupturas calamitates humano generi importet. *Si vero homicidis vel latronibus in captivitate pœnitentibus portatur Corpus Christi, talibus non subvenitur, ut à carcere liberentur, licèt illa die justitia sit differenda. Quia in primo casu confugientem ad se in libertate reperit & ipsum salvat: in secundo verò servum & captivum, unde & talem dimittit, ne videatur omnino damnare justitiam.*

In Pragm. § Quomodo divin. offic. &c. Et de interd. non ponendo. §. Statuit.



Irregularitas ex defectu natalium, mutilorum, bigamorum.

CAPUT LXXVIII. *P. 1. l. 2. c. 8.*

Irregularitas mutilorum & bigamorum quinque prioribus Ecclesiæ sæculis.

I. Irregularitates ex corporeis defectibus & maculis tardiùs in Occidente memorata.

II. In Oriente penè incomperta. Exemplum Ammonii.

III. Probationes ex Constitutionibus Apostolicis.

IV. Et ex Canonibus Apostolicis.

V. Olim unum spectabatur in mutilis & corpore truncatis, facinus, quo se ipsi truncassent.

VI. VII. Unum id quoque spectatum in iis qui virilia sibi abscidissent.

VIII. Bigamorum irregularitas ex Scripturis.

IX. Illa ipsa etiam bigamia est, quæ ex vidua conjugio nascitur. Unum olim potissimum spectabatur incontinentia.

X. Secunda nuptia semper libera, innoxiaque fuere. Sed incontinentia, quæ hoc eget medicamento, ægritudo quædam est. Mirum B. Macrina exemplum.

XI. Mulieris bigamia dedecus in conjugem redundat.

XII. Varii Canones, qui minores Ordines bigamis permittunt.

XIII. Ab Innocentio I. bigamis annumerantur, quorum prius conjugium ante baptismum initum fuit. De iis qui integritate carnis excedèrant ante baptismum.

XIV. XV. De iis quibus plures erant conjuges ex Leone Papa. Iis solis majoribus Ordinibus bigamos arcet.

XVI. Tres ejusdem rationes, cur bigamus fiat, qui viduam ducit.

XVII. Gelasii Papa doctrina.

XVIII. Ex Hieronymo Ecclesia tolerat magis, quàm probat iterata conjugia.

XIX. Hieronymus sententia Innocentii I. de bigamia eorum qui ante baptismum primam uxorem duxerant, palam infestus.

XX. Doctrina Innocentii suffragatus fuerit Ambrosius.

XXI. Suffragatus est & Augustinus. Ab isto maximè manarunt rationes mysticæ excludendi bigamos à Clericatu, maximè maritos viduarum.

XXII. XXIII. Partes & sententiam Hieronymi sectatus est Gennadius. Hieronymus Græcos sequebatur. Græci secundas nuptias infestiores, quàm Latini: eam tamen irregularitatem clementiùs interpretabantur.

XXIV. Doctrina Epiphanii.

XXV. XXVI. XXVII. Doctrina Chrysostomi, Origenis & Theodoreti, cujus minùs probatur excusatio.

I. AD eas jam progredimur irregularitates, quæ ex corporeis proficiscuntur defectibus. De his primus, aut inter primos meminisse videtur Hilarius Papa: *Prospiciendum est ne duo simul sint in una Ecclesia Sacerdotes; nec litterarum ignarus, aut carens aliqua parte membrorum.* Idem rursus inculcatur in Concilio Romano sub eodem Hilaro: *Inscii quoque litterarum nec non & aliqua membrorum damna perpessi.* Idem observare est in Gelasii decretis, qui Ordinibus eliminat *corpore vitiatos.* Et infrà: *Illiteratos, & nonnulla parte corporis imminutos, sine ullo respectu ad Ecclesiasticum didicimus venire servitium. Quod simul antiqua traditio, & Apostolica sedis vetus forma non recipit. Quia nec litteris carens sacris esse potest aptus officiis, & vitiosum nihil prorsus Deo offerre legalia præcepta sanxerunt.* Diffidebat doctissimus Pontifex, inveniri posse Canones, quibus hæc statuta firmarentur; eoque videtur adduci, ut dicat eum esse usum antiquissimum Romanæ Ecclesiæ & à Majoribus traditum; denique hanc unam esse ex iis laudatissimis consuetudinibus, quas à lege Mosaïca hausit Ecclesia Christiana.

Epist. 2. Can. 3. Epist. 9. ad Episcop. Lucan.

II. Nulli enim prorsus occurrunt in antiquioribus quinque horum sæculorum monumentis Cano-

nes, maximè verò apud Græcos, ex quibus hanc irregularitatem subodorari saltem possimus. Ad id omnino facit, quod de Ammonio sanctissimo Monacho litteris proditum est, & quod juvat hic attexere. Omnibus enim virtutum ornamentis locupletissimus vir, humilitate verò præcellens, quæ virtutum parens & custos cæterarum est; videns impetum factu os in se, qui vim adferrent, cogerentque Episcopatu initiari: auriculam sibi abscidit alteram, atque ita demum securus, ut sibi videbatur Episcopalis sarcinæ, ad turbam quæ confluxerat, dixit: *Me deinceps ne volentem quidem lex Sacerdotalis ordinari permittit. Nam neminem qui non sit integris membris Sacerdotem institui fas est.* Illi re infecta defluxerunt: at cùm interim rescissent, ei legi pondus & vim in Synagoga fuisse, at de ea observanda nihil omnino laborare Ecclesiam, ut quæ virtutum, non membrorum integritatem carissimam & commendatissimam habeat: *Sed ubi intellexere, hæc esse Judæis solum observanda. Ecclesia autem Christi membra corporis minimè curæ esse, sed ut* Sozom. l. 6. c. 30. *Sacerdos dumtaxat sit integris moribus*: regressi sunt protinus, ut ei manus injicerent: & abstinuerunt se tamen à vi inferenda, quòd comminaretur, linguam se sibi ipsam excisurum, ut ne posset quidem Sacerdotio fungi. Hæc Sozomenus, hæc ante eum Palladius, qui rem paulò accuratius narravit, meminitque Episcopi cujusdam, qui plebi adgregatæ eum errorem exemerat, monens ea lege non teneri Ecclesiam, & ipsum se impositurum manus Ammonio, si eum ad se perducerent, quanquam vel nares sibi truncasset. *Hæc lex in usu sit apud Judæos:* H. Lausi c. 12 *mihi autem si vel truncatis naribus adduxeritis, qui sit bonis moribus, ego eum ordinabo.*

III. Expressissimè Author Constitutionum Apostolicarum à Christo affirmat arctatum ad unam familiam gentemque non esse Sacerdotium ejus Regium, sed omnibus qui virtutibus præstarent communicatum: ita & in delectu habendo Clericorum, præceptum esse, ut ad animæ virtutes & vitia non ad corporis partes, vel maculas & labes oculi converterentur. *Pro una tribu Sacerdotali jussi ex unaquaque gente optimos quosque ad Sacerdotium eligere, neque corporum vitia contemplari, sed religionem & vitam.* L. 7. c. 23.

IV. Verùm ut certissimè constet, nihili omnino fecisse Græcos has sive maculas, sive truncationes membrorum in irregularitatibus expendendis, audiendus unus est Balsamon in Responsionibus ad Episcopum Alexandrinum: ubi doctrinæ suæ præsidia comparat ex Canonibus Apostolicis, quibus & suorum temporum disciplinam Ecclesiasticam apprimè consentire docet. Interrogatio ejusmodi est: *Mancus, aut monoculus, habebiturne gradu sacerdotali dignus, aut qui post Sacerdotium mutilatus est, permitteturne post vitium sacrificare, an non?* Respondet porro Balsamon in hæc verba: Iuris Orient. pag. 374. *Et alibi diximus, hos ad Sacerdotium Mosaica lege non promoveri. Canon autem LXXVII. Apostolorum hæc ait, Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæsus, Episcopatu autem dignus sit, fiat: non enim corporis damnum eum polluit, sed animæ inquinatio. Et Canon LXXXVIII. eorundem Apostolorum sic loquitur. Qui autem est surdus & cæcus, ne sit Episcopus, non ut pollutus, sed ne Ecclesiastica impediantur. Quicumque igitur morborum aliquorum vitio prohibiti fuerint sacerdotalium graduum jura exequi, ordinatione digni non habebuntur. Qui autem post ordinationem sic malè affecti sunt, sacra facere morbo non impediuntur. Et ita imbecilla constituti valetudine liberè sacrificabunt. Dei præceptis enim placuit, per mutilationem corporis à sacrificatione non prohiberi quemquam. Quod si morbi debitum officio Sacerdotii sit impedimento, exercere desinet ægrotans, à dignitate tamen non alienabitur; quin potius miserandus erit, ac priore quidem honore fruetur, habebit autem etiam quæ ad vitam sustentandam sufficiant, & reliqua juxta priorem consuetudinem.* Non ergo in loco & numero erant irregularitatum, nisi vel ægritudines, vel mutilationes eæ, quibus prohiberetur, ne posset quis fungi muniis Ordinum. Quin & ubi jam ordinatis eæ incidebant, indulgentissimè sinebantur, quantum fieri poterat, functiones obire sacras. At ex iis fieri non poterat, ut quis Beneficio spoliaretur; quòd eæ miserationem magis, quàm vindictam excitare possent.

V. Non satis comperi, an suprà laudatæ Pontificum Decretales Epistolæ ad eandem clementiam inclinari interpretando possint: generalibus enim tantùm verbis exprimuntur. Utcumque res habeat, illud indubium penè est, prioribus quatuor sæculis multò humaniorem in hac quidem parte fuisse Ecclesiam Latinam, quàm posterioribus. Iis enim alias irregularitates complures indigitaverant Concilia & Romani Pontifices, cùm de ista omnino muti essent. Adde quod Innocentius I. expressè declaravit, nequaquam irregularitatem contrahi ab eo, qui sibi fortè & inopinus absciderit digitum; propterea nimirum quod mutilatio à sacris Ordinibus eos arceat tantùm, qui cruentas sibi manus volenter in alicujus membri detruncationem intulerint. *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit,* Epist. 4. c. 4 *hunc ad Clerum Canones non admittunt: qui verò casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos Canones præcipiunt & Clericos fieri, & si in Clero fuerint reperti, non abjici.* Quod apertè videtur repugnare verbis posteriorum Pontificum Hilari & Gelasii. Sed nodum vadiùs incidunt, quæ mox sequuntur: *In illis enim voluntas vindicata est, quæ sibi causa fuerit ferrum injicere; in istis verò casus veniam meruit.* Solæ ergo illæ mutilationes, quæ ab audacia voluntatis in propria membra armatæ proficiscebantur, à Clericatu summovebant: non eæ autem, quæ casu, vel vi aliunde irrumpente imprimebantur membris. Vir doctissimus A Costa in hoc Innocentii Decre- A Costa in l. 3. Decr. T. 20. tum observavit, quos Mutos hîc appellavit Pontifex, eos omnino esse qui ex Ammiano Marcellino pollicem sibi præcidebant, ne militiam profiteri cogerentur. Sævitia hæc erat hominis in seipsum, ideoque irregularitati obnoxia. Denique astipulator accedit Gennadius in Dogmatibus Ecclesiasticis: *Nec eum ordinandum, qui seipsum quolibet corporis sui membro indignatione aliqua, vel justo injustove timore superatus, truncaverit.* Cap. 31.

VI. Illud verò Innocentii I. Decretum innovatio quædam fuit Canonis Niceni: *Si quis à Medicis propter languorem desectus est, aut à Barbaris abscissus, hic in Clero permaneat. Si quis autem se ipsum sanus abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum talium promoveri.* Can. 1. Quæ mox sequuntur Canonis verba, in eos torquentur, qui Origenis audaci æmulatione ferro se incidunt & mutilant, unde & eidem pœnæ subjiciuntur. Sed priora Canonis ejusdem verba apertum faciunt, quamcumque passus quis fuerit detruncationem, vel à Medicis, vel à Barbaris, ea privarum non iri priori, vel suscipiendi Ordines libertate, vel exercendi. Nec enim opus erat addere, si ea detrunca-

tione fieret, ut jam non poſſet quis exercere Ordines, tum ad eos accedere non debere. Conſpicuum eſt enim diſcrimen impoſſibilitatis & irregularitatis. Vetat enim irregularitas, ne fiat, quod aliàs fieri poſſet. Canones autem conduntur, ut edoceant, non quid fieri omnino non poſſit, ſed quid non debeat.

VII. Inopini penè delapſi ſumus ad genus illud aliud irregularitatis, quod meminerant jam Apoſtolici Canones, quos & Nicæna Synodus innovavit. Sed Canones Apoſtolici palam declarant cauſam hujus irregularitatis: *Eſt enim ſui homicida, & Dei opificii hoſtis.* Quo planum fit eam irregularitatem ex crimine ſcaterе, non ex defectu corporis. Succenſuit vehementiſſimè Demetrius iis Epiſcopis, qui Origenem huic & culpæ & irregularitati innexum ordinaſſent. Pulchrè Ambroſius advertit, eam audaciam truncandi & ferro violandi opificii divini non à firmitate, ſed ab infirmitate animi profectam fuiſſe. *Ad profeſſionem infirmitatis, non ad firmitatis gradum.* Corporis partes omnes poſſe & peccato ſuccumbere, & peccati victrices evadere: *Caſtos ergo, non infirmos eſſe nos convenit.* Qui ſeipſos abſcindunt, non vincere, ſed vinci: non caſtos eſſe, ſed furere. *Nemo ſe debet abſcindere, ſed magis vincere; victores enim recipit Eccleſia, non victos.*

Can. Apoſt. 21. 22. 23. 24.

Euſeb. hiſt. L. 6. c. 8.

L. De viduis.

Nec ſolus Origenes facinore ejuſmodi ſe inſignivit. Leontius ille, qui Antiochenus poſtea creatus eſt Epiſcopus, cùm ante fungeretur Preſbyteratu, ut liberiùs cum virgine Euſtolio verſari poſſet, ſemet abſciderat, eoque ab Ordine ſacro fuerat deturbatus. Sed admirationis plurimum habet, quod narrat Juſtinus Martyr in Apologia II. de juvene illo, qui ut purgaret Conventus Chriſtianorum, illamque abſtergeret libidinum infamiam, quam Ethnici nobis illinebant: Præfectum Alexandriæ adiit: ut per eum liceret ſibi abſcindi, quòd id jam non poſſent Medici per leges, ſine Magiſtratus publici conſenſione.

Theod. hiſt. L. 2. c. 24.

VIII. Ad Bigamiam jam accedo, de qua frequentes Concilia, & Patres, poſt Paulum; quorum omnium ſi placita penitius introſpicere vacat, perſpicuum erit caſtigandæ potiſſimum incontinentiæ eam irregularitatem conſtitutam eſſe. Perſpicuum eſt non diſſerere Paulum, niſi de virtutibus, quibus abundare; vel de vitiis, quorum immunis debet eſſe Epiſcopus, vel Diaconus: quando ait: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, &c. Diaconi ſint unius uxoris viri, qui filiis ſuis bene præſint, & ſuis domibus, &c.* Myſtica illa verò contemplatio & imitatio Chriſti unam virginem ſibi caſtam Eccleſiam deſponſantis, necdum vel Pauli, vel aliorum tunc Doctorum Eccleſiæ oculis obverſabatur: cùm eadem conditione velit Paulus eſſe Viduas Eccleſiaſticas, ut unius viri & ipſæ fuerint, nec ad ſecundas devolarint nuptias. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis teſtimonium habens, &c.* Nec aliter ad Titum de Epiſcopis: *Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir.* Exprobrabat olim nobis Tertullianus Bigamorum ordinationes, tanquam iis Apoſtolo Paulo inſultaretur. *Quot enim digami præſident apud vos, inſultantes utique Apoſtolo.* Sed fatetur tamen & ipſe in exhortatione ad caſtitatem, à nobis dejici ſolitos, cùm convinci poterant. *Memini digamos loco dejectos.* Is erat Tertullianus, quem incontinentiæ ratio magis moveret.

1. Timot. 3. 2. & 12.

Ibid. 5. 9.

Timot. 1. 6

IX. Quin & illud à probabilitate non diſſidet, ubi ampliari viſa eſt bigamia, & ad eos dilatari, qui viduam duxiſſent, vel impudicam, vel repudiatam: habitam eſſe maximè rationem ejus infamiæ quæ ex ſecundis nuptiis reſilit, & inter conjuges non poteſt non communicari. Liquet id ex Canone Apoſtolico, quo primùm hæc irregularitas ex conjugio viduæ publicata eſt: *Si quis viduam, aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut ſervam, vel mimam ſeu ſcenicam, non poteſt eſſe in Clero.* Manifeſtum eſt ſolam hic infamiam perpendi, quæ emergit ex connubio cum mima, & ſcenica muliere, cum proſtituta, vel repudiata. Ac proinde non aliam in ſenſum trahendus Canon Concilii IV. Carthaginenſis. Can. 18 Can. 69.

X. Nec eò hæc pertinent, ut prohibitas aliquando dicamus fuiſſe in omni Eccleſia ſecundas nuptias, immo & tertias quartaſque in Occidente, & quantaſcumque. Sed morbi non innoxii innoxium poteſt eſſe medicamentum. Melius eſt ſecundò, tertióque & quartò nubere, quàm uri: ſed incontinentia uſque adeo inextincta, non poteſt non ex vituperabili quadam flamma naſci. Inde eſt, quòd & ſecundas & tertias nuptias Eccleſia contrahi fineret, & contrahentes tamen pœnitentia quadam mulctaret. Beatiſſima Macrina poſt ejus mortem cui fuerat deſponſata, alteri ut deſponſaretur, vel nuberet, adduci nunquam potuit, uſque adeo vel umbras bigamiæ averſabatur. Ita enim Gregorius Nyſſenus in ejus vita: *Iniquum eſſe dicebat, ſibi non permitti, illud conjugium colere, quo ſemel à patre devincta eſſet, ſed ad alterum cogi reſpicere, cùm unum natura ſit matrimonium, quemadmodum unus ortus & una mors. Enim verò cui à parentibus fuiſſet deſponſata, non eſſe mortuum contendebat, ſed ſpe reſurrectionis Deo vivere; non obiiſſe eam, ſed peregre profectam eſſe, & nefas eſſe ſi peregrinanti ſponſo fidem non ſervaret.*

Hieron. in Apol. adv. Iovin. Et Ep. ad Marcell. cont Montanum.

Nyſſenus in vita ſancta Macrina.

XI. Neocæſarienſi Canone vetatur Clericus fieri is, cujus uxor adulterio contaminata eſt; quin & Clerici jam ordinati uxores repudiare præcipiuntur, ſi eo ſe flagitio inquinent eorum conjuges. *Clericus non fiat, cujus uxor, dum adhuc eſſet laïcus, adulterata eſt: & ut Clericus uxorem adulteram deſerat.* Nec aliunde id prodit, quàm ex ignominia criminis, quæ ex uxore in virum refunditur.

Ferrand in Breviario. c. 137.

XII. Indulſiſſe aliquid novi viſum eſt Concilium Toletanum I. cum Lectorem, qui viduam duceret, ab Officio non dejici conceſſit, immo & ad Subdiaconatum provehi. Similiter & cum permiſit Subdiaconum iterantem nuptias, inter Lectores, vel Oſtiarios ablegari. Sed hæc eadem Synodus in Laïcorum claſſes deprimit, & pœnitentiæ biennio ſubjicit Clericos, qui tertiam aſciverint ſibi conjugem. *Qui verò tertiam, quod nec dicendum, nec audiendum eſt, acceperit, abſtentus biennio, poſtea inter laïcos, reconciliatus per pœnitentiam communicet.* Copiam quoque facit Bigamis Arauſicana Synodus, ut ad Subdiaconatum provehantur. Similiter Andegavenſis ſolo eos interdicit Preſbyteratu & Diaconatu. Eodem ſe gyro continet Epiſtola Lupi Epiſcopi Tricaſſini, & Euphronii Epiſcopi Auguſtodunenſis; ſed in Eccleſia Auguſtodunenſi ibidem adnotatur, ne inter Oſtiarios quidem Bigamos poſſe conſiſtere. In minoribus ut ſint Ordinibus, acquieſcit Concilium Turonenſe I. *Ultimum in Officio Clericali teneat locum.* Valentinum I. omnibus prorſus proſcripſerat in futurum, in præteritum nil ſtatuerat.

Can. 3. 4.

Can. 25.

Can. 11.

Conc. Gall. To. 1. p. 122.

Can. 4.

Can. 1.

XIII. Teſtamenti Veteris paginas teſtes citat Innocentius I. ut irregularem declaret viduæ maritum,

Epist. 2. c. 4. 5. Et Epist. 22. c. 2. Celest. in Epist. 2. c. 6. *Viduam Clericus non ducat uxorem, quia scriptum est, Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non ejectam.* Ea est Levitici lex in Ecclesiam illapsa. Nec multò pòst demonstrat idem Innocentius æquè irregularem esse, qui ante, vel post baptismum viduam duxerit: similiter & qui duas uxores duxerit, alteram ante, alteram post baptismum. Eam ille autem designat ejus placiti rationem, quòd baptismo diluantur crimina, conjugiorum numerus non minuatur. *In baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur.* Sed in hoc prolixiore suo de Bigamia sermone Pontifex nec litteram facit ullam de mystica illa significatione, quam posteriores excogitarunt Patres, & de qua nos infrà hoc eodem capite. Illud autem longè pulcherrimum addit Innocentius, ea benedictione Sacerdotis, qua consecrantur primæ nuptiæ, & qua fraudantur secundæ, cæteræque deinceps si sæpius iterentur, exhiberi, & renovari quadammodo, ac perpetuari benedictionem illam, qua primos parentes, primosque conjuges Deus cumulavit, & ea donavit fœcunditate, ex qua totum genus humanum postea propagatum est. Non benedixit Deus nisi uni primoque conjugio unius cum una. Divinam ad eam formam finxit Ecclesia suam Disciplinam; & quanquam alteras toleret nuptias, quas Deus non prohibuit, primas tantum laude & benedictione prosequitur, & à Ministrorum suorum grege eos arcet, qui his non insistunt vestigiis, quasi Dei digito in Scriptura divina impressis.

XIV. Insurgit quoque Leo Magnus in Bigamos, & in viduarum maritos, eosque oppugnat authoritate Apostoli, & Levitici. (Epist. 87.) *Nec Apostolica, nec Legalis authoritas Sacerdotium obtinere permittit.* Tum verò Leo novam attingit Bigamorum classem, quæ nec nobis prætereunda est; eorum nimirum, qui alteram ducunt uxorem, priore à se repudiata, vel ipsi ab ea repudiati. *Qui à prima uxore dimissus: vel Prima uxore dimissa, alteram duxisse perhibetur.* Non modò civili & Romano jure licita erant liberaque repudia: sed in ipsa Ecclesia prioribus sæculis aliquandiu visum est quamplurimis ab innocuo marito posse repudiari uxorem adulterii convictam, & aliam duci. Non satis dilucida eis videbantur Evangelica ea de re oracula, ut eam sententiam abjicere cogerentur. Primus omnium Augustinus illam omnem dubitationem removit, quæstionemque eam prius implicatissimam tam dilucidè in libris duobus *de adulterinis conjugiis*, explicuit, & illuminavit, ut paulatim Occidentalis omnis Ecclesia in unam eandemque cum eo doctrinam conspiraverit, ut repudiata adultera uxore nefas sit prorsus alteram ducere.

XV. Clericatu multò certiùs submovet Leo illos digamos, quibus duæ simul erant uxores, utpote qui alteram duxissent, vel repudiata priore, vel ab ea repudiati. (Idem Ep. 87. Et Epist. 1. c. 2.) *Multò magis illum, qui duarum simul est maritus uxorum, vel istum, qui à prima uxore dimissus, alteram duxisse perhibetur.* Sed & illud constat, non abigi à Leone Bigamos, nisi ab Ordinibus sacris. *Nequaquam vel ad Diaconii gradum, vel ad Presbyterii honorem, vel ad Episcopatus culmen ascendat, si aut ipsum non unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuisse claruerit.*

XVI. Quid autem rei sit, cur Bigamorum irregularitatem impingat illis etiam Ecclesia, qui viduas duxerint, tres proferuntur ab eodem Pontifice rationes. Primò quòd à Presbyterorum conjugibus exigat Paulus, quòd à Presbyteris ipsis, & à viduis Ecclesiasticis exigit, scilicet ne bis nupserint. Secundò quòd Sacerdotibus Mosaïcæ legis imperatum esset, ut virginem uxorem ducerent. Tertiò quòd conjugia Sacerdotum adumbrare & imitari debeant conjugium cæleste Verbi incarnati cum Ecclesia semper una, semper virgine. *Dicente Apostolo, ut is Episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuisse aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, ut etiam de muliere Sacerdotis eligendi, eadem intelligatur servanda conditio, ne fortè illa prinsquam in matrimonium ejus veniret, qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri esset experta conjugium. Nec divina legis statuta defuerunt, quibus evidenter est definitum, ut virginem Sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat conjugii, quæ uxor est futura Pontificis. Jam tunc enim in Sacerdotibus figurabatur Christi & Ecclesiæ spiritale conjugium, ut quoniam vir caput est mulieris, discat Sponsa Christi non alium nosse quam Christum, qui meritò unam elegit, unam diligit, &c.* (Epist. 87.)

XVII. Continentiæ unius rationem habet Gelasius, cùm causas edisserit, cur Laici faciliùs sinantur iterare conjugia, quàm Clerici. *Secundas nuptias sicut sæcularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad clericale sinitur venire collegium. Alia enim est humanæ fragilitati generaliter concessa licentia, alia debet esse vita, divinarum rerum servitio dedicata.* (Epist. 9.)

XVIII. Accedendum nunc nobis ad suffragia Patrum roganda, ut eorum cum Conciliis & Pontificibus concentus elucescat. Illud in primis commendat Hieronymus, ut perpendamus serò, quid cupiat Apostolus, & quid toleret; quid probet, & quid patiatur. Cupit continentiam, probat primas nuptias, secundas vix patitur, & subinvitus; quod nec dissimulat, cùm Bigamos arcet à Sacerdotio, & à stipe atque eleemosyna Ecclesiæ. *Non solum ab officio Sacerdotali digamus excluditur, sed & ab eleemosyna Ecclesiæ: dum indigna putatur stipe, quæ ad secunda conjugia devoluta est.* Et infrà: *Aliud est quod vult Apostolus, aliud quod cogitur velle. Ut concedat secunda matrimonia, mea est incontinentia, non illius voluntatis, &c. Duæ sunt Apostoli voluntates, una qua præcipit, altera qua indulget. Vult nos permanere post nuptias, sicut se ipsum: sin autem nos viderit nolle, quod ipse vult, incontinentiæ nostræ tribuit indulgentiam.* (Ad Geront. De Monogamia.) In alio verò Opusculo imitandum esse nobis tradit, aut primum Adamum, cui una tantum fuit uxor: aut secundum, cui una fuit conjux, eaque virgo; cùm tertius fuerit nullus, humani generis parens, qui iteratò conjugem duxerit. (L. 1. Adv. Jovinian.) *Primus Adam Monogamus, secundus Agamus; qui digamiam probat, exhibeat tertium Adam Digamum quem sequatur.* Et rursus alibi docet Hieronymus, eum qui geminæ conjugis præfestina morte viduatus, reliquum vitæ tempus omne incorruptæ dicat continentiæ, virtutum quidem gloria superiorem fore, eo qui una cum conjuge totum vitæ tempus transegerit: & tamen irregularem fore, eòque inferiorem quodammodo illo, quem virtutum meritis antecedit, propterea quod non jam possit eo fungi munere Clericis omnibus imminente, ut omnes ad continentiam hortentur, & ne verba sua exemplis infirment. *Ut non omnem monogamum digamo putemus esse meliorem: sed quod is possit ad monogamiam & continentiam cohortari, qui suum exemplum præferat in docendo.* (In Epist. ad Tit. c. 1.)

XIX. Ibidem mox, sed longè operosiùs in Epistola ad Oceanum convellit Hieronymus eam, quam suprà tuebatur Innocentius I. sententiam de duplici matrimonio, quorum alterum baptismo

præisset. Sed non possumus non Innocentio astipulatores accedere, à quo & Hieronymi elisa sunt argumenta: ubi fatetur Pontifex baptismo elui sordes criminum, non minui numerum conjugiorum; quin & priscæ fuisse consuetudinis, ut qui ante lustrales sacri fontis latices nefaria venere corpus inquinassent, in ipsius baptismi susceptione profiterentur, abstenturos se conjugio, si ad Clericatum anhelarent. *Maximè cùm vetus regula hoc non habeant, ut quisquis corruptus, baptizatus, Clericus esse voluisset, sponderet se uxorem non ducere.* Unde mox subjicit idem Pontifex, eum qui ante baptisma carnis integritatem amisit, post baptismum, etiamsi in Monasterium secedat, non posse unquam conjugari, si ad Clericatum suspiret; quin immo & si conjugium inire vellet, sacerdotali benedictione donari non posse, quòd antè jam nefaria libidine carnem maculasset. *Si corruptus, postea baptizatus & in Monasterio sedens, ad Clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit: quia nec benedici cum sponsa potest, jam antè corruptus.*

Ad hæc sacræ disciplinæ instituta animum non advertebat Hieronymus, cum Innocentii doctrinam hoc argumento quatiebat, conjugiis ante baptismum initis irregularitatem illidi non debere, cùm ne illidatur quidem flagitiis innumeris, in veteri tunc homine perpetratis. Verè enim & nonnulla habebatur ratio flagitiorum tunc admissorum, ex Innocentii ea Epistola. Tradit rursum alibi idem Hieronymus, Episcopi non solùm vitam, sed & domum familiamque odore virtutum refertam esse debere. Inde fieri, ut ad Episcopatum non cooptentur quandoque viri pietate singulari, propter vitia liberorum, quorum respergantur & ipsi infamia. *Intelligant propterea quosdam à sacerdotio remotos, quia eos vitia liberorum impedierunt.* Potuerunt ergo & uxores bigamæ impedire, ne mariti ad sacros Ordines vocarentur. In potestate enim fuit viri, uxorem ducere non bigamam; at parentum egregii non rarò conatus in liberorum correptione frustrantur.

XX. Ambrosius verò pro Innocentii doctrina ante Innocentium ipsum decertaverat. Professus enim fuerat ab ipsa rerum primæva institutione, unum esse debere omnino conjugium, ideoque secundas nuptias, nonnisi ex pia quadam & provida indulgentia (*Offic. l. 1. c. 50.*) tolerari. *Una tantùm nec repetita permittitur copula. Et in ipso ergo conjugio lex est, non iterare conjugium, nec secunda conjugis sortiri conjunctionem.* Potest illud quidem ad Clericos coarctari. At mox idem quæstionem illam adgreditur, qui possint iterata quod fas est conjugia ante baptismum magis à Clericatu retardare, quàm iterata per summum nefas tot flagitia. *Sed intelligere debemus quia in baptismate culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In conjugio non culpa, sed lex est. Quod culpa est igitur, in baptismate relaxatur; quod legis est, non solvitur.* Eadem ipsa est, quæ Innocentii Papæ responsio. Aliam mox subjicit, quòd cùm sacri ministri ad viduitatis continentiam hortari omnes eos easque debeant, quibus is congruit castimoniæ gradus, non debeant doctrinam suam moribus infringere. *Quomodo autem potest hortator esse viduitatis, qui ipse conjugia frequentaris?*

Hieronymo quoque illa displicebat incontinentia bigamæ viduæ, cùm ejusmodi omnes bigamas ab eleemosynis Ecclesiæ alienabat, hoc est, ab earum numero segregabat, quæ Ecclesiæ sumptibus alebantur. Id ipsum & alibi ab eo inculcatur. Ubi & illud hinc argumentatur, quod non immerito & admirationem creare debeat & pavorem. *Si autem panis illi tollitur eleemosyna, quantò magis ille panis qui de cælo descendit; quem qui indignè comederit, reus erit violati Corporis & Sanguinis Christi?* (*L. 1. adver. Iovin.*) Denique nec Pagani ipsi sacerdotium suum voluerant bigamorum contagione sordidari. *Nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum.* (*Ibidem.*)

Quod ad bigamos autem pertinet, quorum prius conjugium ante baptismum celebratum fuerat, sentiens Hieronymus suam minùs probari sententiam, contestatus est, ingenuè se quid sibi videretur declarasse, aliorum doctrinæ nihil obtrectare voluisse. *Quid nobis videretur, respondimus; nulli præjudicantes sequi, quod velit, nec alterius decretum nostra sententia subvertentes.* (*Apolog. adv. Ruffin.*) Hilarius Arelatensis Episcopus Chelidonium Episcopum Vesontionensem gradu dejecit, tanquam viduæ maritum; illum Leo Papa restituit, ut præpropere damnatum, nullis satis certis documentis editis bigamiæ, cui non negaretur inhærere irregularitas. (*Leo Epi. 89. Conc. Gall. T. 1. ad an. 444*)

XXI. Suffragatus est & Augustinus Innocentii sententiæ adversùs Hieronymum. Sed illud Augustini proprium & peculiare est, quod una ei obversetur hujus irregularitatis causa, defectio à mystica significatione conjugii Christi cum Ecclesia, unius cum una, virginis cum virgine: à qua significatione necesse sit non recedere Clericorum maximè conjugia. *Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad unum maritum & unam uxorem redactum est, ut dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus vel paganus habuerit alteram ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato; peccata enim omnia in baptismo dimittuntur, &c. Noster Antistes unius uxoris vir, significat ex omnibus gentibus unitatem uni viro subditam Christo.* (*De bono conjug. c. 18.*)

Magnifica & sublimis est ea ratio, & Augustino authori ejus primo consentiens, cujus insistere vestigiis, & tutum semper fuit, & splendidum. Sed cogit nos veritatis ipsa lux & charitas fateri, eam rationem in medium proferri non cœpisse, nisi re perfecta, ut ea illustrarentur decreta, non ut decernerentur. Subscripsit Augustino Leo Magnus, eandemque rationem mysticam exprompsit Epistola LXXXVII. Quanquam Epistola LXXXIV. incontinentiam magis ponderet, à qua Clericos deceat alieniores esse. *Sacerdotum enim tam excellens est electio, ut quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.*

XXII. Gennadius posthabitis Innocentio & Augustino, totus ad Hieronymi sententiam propendet, de matrimonio ante baptismum contracto. Ut verò altiùs & ab origine repetatur res hæc tota, consumpserat Hieronymus in Oriente longè maximam ætatis suæ partem, hauseratque suam illam doctrinam à Græcis Patribus, qui eidem sententiæ omnes suffragabantur, ut fidem faciunt Balsamon & Zonaras in Canonem XVI. Apostolicum, quo apertè res ad eum sensum definiebatur. *Si quis post baptismum secundis fuerit nuptiis implicitus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter aut Diaconus, aut prorsus ex numero sacerdotali.*

Quod verò majorem meritò conciter admirationem, illud est, quòd cùm multò infestiores fuerint Græci quàm Latini secundis nuptiis, censuerint tamen iterata non esse conjugia, si eorum alterum ante baptisma sit initum. Verbis conceptis jubet Canon Neocæsariensis bigamum pœnitentiæ subjici: *Cùm pœnitentia bigamus egeat.* (*Can. 7.*) Ideo & Presbyteros interesse vetat conviviis secundò nubentium. Ancyrana Synodus virgines, quæ à proposito suo desciverint, (*Can. 19.*)

eadem

eidem pœnæ subjicit, ac bigamos. Denique Laodi- Can. 1. ceni Concilii Patres communioni bigamos non restituunt, nisi aliquandiu purgatos jejuniis & precibus, & tum quoque indulgentiùs eos tractari insinuant.

Quod verò magis stupeas, & quo ipsum etiam stuporem illum diluas, causa ipsa est & origo tantæ Græcos inter & Latinos dissonantiæ. Græci enim animum maximè adjicientes ad eam incontinentiæ maculam, quæ plerumque & præfultrix est ad secundas nuptias & comes: existimarunt baptismo ablui eam & culpæ maculam, & irregularitatem. At ex adverso Latini secundas nuptias persuasissimi licitas esse, nec culpam eis vel minimam inhærere, baptismo eam elui aut minui non censuere, quo sola eluantur peccata; eoque nec earum irregularitatem solvi. Ita Græci ex austeriori principio in mitiorem defluxere conclusionem: à Latinis verò ex clementiore de secundis nuptiis sententia durius aliquid conclusum est. Redeo ad Gennadium Græcorum doctrinæ affusum, æquè ut Hieronymum. Ejus hæc sunt verba de dog- Cap. 70. matibus Ecclesiasticis: *Maritum duarum post baptismum matronarum, Clericum non ordinandum. Neque eum qui unam quidem, sed concubinam, non matronam habuit; nec illum qui viduam, aut repudiatam, vel meretricem in matrimonio sumpsit.*

XXIII. Nec pœnitebit hoc rursus observasse; ubi a Græcis bigami ad pœnitentiam ablegati sunt, non eò id pertinere, ut aliquid culpæ illinerent secundis nuptiis. Sed persuasum illis erat, eam incontinentiam, cui medebantur secundæ nuptiæ, non omnino culpæ vacuam esse. Itaque pœnitentia indicebatur morbo incontinentiæ, non remedio, sive nuptiis etiam secundis. Contrà autem si Latini nec bigamis pœnitentiam præscriberent, nec bigamiæ irregularitatem baptismo ablui vellent: ne inde suspiceris tamen minùs infensos eos fuisse incontinentiæ bigamorum: sed hanc quoque nuptiis condonantes, unum urgebant, ne Clero inscriberentur ii, quorum duplicatum conjugium infringeret atque debilitaret omnes illos præclaros conatus, quibus Clerici omnes conniti debent, ut laicos ad continentiam impellant. Luculentè omnino Augustinus in libello de Bono viduitatis, ait nec improbari à se secundas nuptias, & ægrè tamen ferre se dedecus duplicati conjugii. *Nec* Cap. 15. *ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre.*

Hær. 48. n. 9. XXIV. Præclarè Epiphanius tradit ab Ecclesia laudari virginitatem, & ad eam omnes invitari: approbari primas nuptias, tolerari secundas in Laïcis, Hær. 59. n. 4. 11. non in Clericis. Alibi ait arceri bigamos à Clericatu, ea ipsa ratione, qua cœlibatus exigitur à Subdiaconis, & aliis superioribus Ordinibus, contemplatione & reverentia majestatis & sanctimoniæ sacerdotalis. Expos. fid. Cath. c. 21. *Et quod incredibilis est honor sacerdotii & dignitas:* διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς τιμῆς τῆς ἱερωσύνης. Denique cum urget necessitas, docet bigamos ordinari Lectores, idque eò fieri, quòd nulla ex parte Lector sacerdotii sit consors. *Quippe Lector Sacerdos non est.*

XXV. Etsi Chrysostomus suspicatus aliquando sit bigamos quos eliminat Paulus ab ordinatione, eos esse, qui repudiata priore conjuge alteram duxissent: eidem tamen irregularitati illos quoque innexos agnovit, qui è vivis abeunte priore conjuge alteram sibi copularent. Quin & ejus rei hanc allegat causam, quæ necdum hactenus delibata fuit. Nimirum qui ita obduruerit ad priorem conjugem, ut ei defunctæ aliam superduceret, ei committendam non esse sponsam Ecclesiam. Addit & secundis nuptiis plurimum ex conjugiis eas scatere rixas, solicitudines & calamitates; quibus Clericos æquum sit esse prorsus expeditos. *Castigat impudicos Apostolus, dum non eos per-* In Epist. ad Tit. hom. 2. *mittit post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatemque Pastoris assumi. Nam qui benevolentiam nullam servasse deprehenditur defunctæ uxori* πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν, *quo pacto hic Ecclesiæ præceptor esse optimus poterit? Imò quibus criminibus non subjicietur in dies? Nostis enim profectò omnes, quod etsi per leges secundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet. Nullam ergo subjectis occasionem præbere Præsulem vult.* Sunt qui ea verba detorserint ad uxorem repudiatam: πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν: at verbis minùs ambiguis declaravit Theophylactus, de uxore præmortua capi illa debere.

XXVI. Origeni visum est, ut à Clericatu bigamos abjicit Ecclesia, quin & bigamas ex albo viduarum honoratiorum: ita à summo & extremo Judice exturbatum eos iri, non à cælesti Hierosolyma, sed ab eminentioribus gradibus, quæ virginibus & continentibus destinantur. *Sicut enim ab Ecclesiasticis* In Lucam. Hom. 17. *dignitatibus non solùm fornicatio, sed & nuptiæ repellunt: Nec enim Episcopus, vel Presbyter, nec Diaconus, nec vidua possunt esse digami. Sic forsitan & de cœtu Primitivorum immaculatorumque Ecclesiæ, quæ non habet maculam neque rugam, ejicietur digamus.*

XXVII. Desinam in Theodoreto, qui ut se purgaret ab ordinatione Irenæi Episcopi, qui bigamus erat, ait celeberrimos Episcopos Alexandrum Antiochiæ, Acacium Berœæ, Praylium Hierosolymæ, Proclum Constantinopolis, Episcopos Ponti, Palæstinæ & Phœniciæ id genus ordinationes aut celebrasse ipsos, aut approbasse. Atque ita se consuetudini obsecutum esse. *Consuetudinem ergo secuti sumus.* Paucis Epist. 110. illis exemplis, quæ vel laudabili dispensationi, vel dissipationi Canonum damnabili imputanda erant, præscribi non poterat adversùs tot Conciliorum Canones, contra conspirantes Ecclesiæ Patres, contra Apostolum ipsum. Refert Epiphanius Josephum il- Epiph. Hær. 30. n. 5. lum meritis clarissimum, veritum ne conjecta sibi Hær. 42. n. 9. Episcopali sarcina & ordinatione, Ariani se nefariis Hær. 59. n. 4. suis partibus vindicarent, prævertisse eorum conatus, iterato conjugio, ut ordinari jam ne posset quidem. *Horum igitur metu alterum se matrimonium iniisse dicebat, quo se ab illa manum impositione liberaret.* Idem ipse verò Epiphanius alibi demonstrat religiosissimè in Ecclesia Paulinam illam legem observatam fuisse, ne ad tres majores Ordines bigami adreperent. *Atque istud ipsum sacrosancta Dei Ecclesia cum* Conc. Ephes. Par. 3. c. 47. 48. *omni provisione diligentiaque servat.* Ideo & Theodosius Imperator jussit Irenæum deponi, qui Episcopus Tyri ordinatus fuerat præter Canones Apostolicos, quibus bigami sacris summoventur muniis. *Post secundas nuptias contra Apostolicos Canones ordinatus est.* Ex ipsius naturæ instinctu scaturisse primitus hanc legem & consuetudinem bigamos arcendi à Pontificatu, inde non temerè augurari forsan quis posset, quod non solùm Mosaicis & Christianis, sed & Gentilium institutionibus ita sanciretur, ita observaretur. De Gentilibus fidem facit Tertullianus, nam de aliis jam satis superque dictum. *Sacerdotium viduitatis celebratum* L. 1. ad uxo. *est, & apud Nationes, pro diaboli scilicet æmulatione. Regem sæculi, Pontificem Maximum rursus nubere nefas est.*

Cæterùm quæ hoc capite tractatæ sunt irregularitates conjunctim, propter cognationem quandam suam, conjunctim quoque sequentibus capitibus elucidabuntur, observata dumtaxat temporum distinctione.

CAPUT LXXIX. *P. 2. l. 2. c. 19.*

Irregularitas Eunuchorum & Energumenorum, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Concilia Galliæ & Hispaniæ Ordinibus interdicunt Eunuchos voluntarios & dissectos.
II. Corporis vitia parvi fecerunt Græci.
III. Energumeni irregulares declarantur, & non semel promiscue habentur cum Epilepticis & Lunaticis.
IV. Ea in re Concilia ipsis obsequuta sunt Scripturis, & ad ipsa earum verba sese accommodaverunt.
V. Cur alicubi jussum, ut sacrificanti Presbytero semper præsto esset, qui eo deficiente vices ejus suppleret.
VI. Narratio de Energumeno ea lege sanato, ut ad Ordines sacros nunquam accederet.

I. EUnuchi spontanei, tanquam audaciores sui homicidæ, irregularium classi ascribuntur à Concilio Toletano IV. ut suprà diximus, eique unà sociantur, quibus quæ demumcumque membra corporis amputata sunt. Harum irregularitatum prima manat ex crimine, secunda ex detrun-
Can. 6 catione vel fortuita, vel naturali. Hujus irregularitatis meminit & Aurelianensis III. Synodus: *Aut*
L. 2. Ep. 25 *semus corpore.* Sicut & Gregorius Magnus: *Vel in qualibet corporis parte vitiatus.*

II. Minimum verò momenti videntur Græci posuisse in his corporis vitiis. Vide enim, ut Joannes Presbyter Antiochenus quodam verborum compendio complexus sit tres Canones Apostolicos,
Bibl. Juris Canonici pag. 503. ubi agitur de hac re: *Eunuchum dummodo se ipsum non exsecuerit, si Episcopatu dignus sit, non esse rejiciendum. neque verò claudum, aut unoculum, præterquam si surdus, aut cæcus sit, ne Ecclesiæ munia impediantur.* Ea est sententia Canonum Apostolicorum XXI. LXXVII. LXXVIII.

III. Huic irregularitati illa affinis, quæ Energumenos amplexatur. Hanc enim illi subtexuit Con-
Can. 6. cilium Aurelianense III. *Vel qui publicè aliquando arreptus est.* Obmutuit hic Concilium Toletanum IV. quòd rariuscula tunc fortasse occurrerent exempla. At copiosè de Energumenis Concilium Toletanum XI. à quo hæc seu irregularitas seu ægritudo, promiscuè penè habita cum sontico morbo; quasi aut semper, aut plerumque Epileptici iidem essent & arreptitii: ut hisque se corporeis morbis insinuaret quædam occulta dæmonum contagio. En ipsa
Can. 13. Canonis verba, necessariò hîc inserenda. *Bene quidem majorum regulis definitum est, ut dæmoniis aliisque similibus passionibus irretitis, ministeria sacra tractare non liceat. Cui præcepto, consensu rationis adhibito, id communiter definimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut qualibet modo vexationis incursibus efferantur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussi se divinis ingerant Sacramentis: Exceptis illis qui variis corporum incommoditatibus deditì, in ejusmodi passionibus in terram approbantur elisi. Qui tamen & ipsi tandiu erunt ab officii sui ordine & loco suspensi, quousque unius anni spatio, per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu dæmonum alieni.*

IV. Hanc porrò hujus Concilii Præsules doctrinam ex ipso Evangelico contextu mendicaverant, ubi exitiales quædam corporis ægritudines, membrorumque debilitates malignorum spirituum affla-
Matth. 9. 32 tui, quin immo & insinuationi imputantur. *Obtulerunt ei hominem mutum & dæmonium habentem, &*
Luca. 11. 14 *ejecto dæmonio locutus est mutus.* Et alibi: *Erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Quasi dæmonium non auctor duntaxat morbi, sed morbus ipse fuisset. *Spiritum infirmitatis.* Sed longè plures ejusmodi ægritudines videtur Matthæus ascribere dæmoni insidenti, vel obsidenti. *Obtulerunt ei omnes malè* Matth. 4.
habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, 24.
& qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos. Lunaticus qui Epileptico morbo sæpè corripiebatur, qui mutus, qui surdus idem erat, his afflictabatur malis omnibus infessione illius dæmonis, quo lancinabatur, & cujus infestationes his se maximè prodebant morbis. *Accessit* Matth. 17.
homo, dicens, Domine miserere filio meo, quia luna- 14.
ticus est & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem & crebro in aquam, &c. Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer. Eadem verò narratio eis verbis apud Marcum contexitur, ex quibus planum fit, totam illam ægritudinum congeriem non esse inspiratam nisi contagio quodam & afflatu dæmonis. *Dixit unus de turba, Magister* Marc. 9.
attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui allidit eum, & spumat, & stridet dentibus & arescit. frequenter eum in ignem & in aquas misit, &c. Comminatus est Jesus spiritui immundo dicens, Surde & mute spiritus, exi ab eo, &c. Incubatione ergo quadam dæmonis misellus puer fiebat surdus, mutus, lunaticus & epilepticus. Nec aliter apud Lucam dæmones, morbique quasi in unum conflantur. *Mulieres quæ erant curatæ à spiritibus immundis* [illegible] 8. 2.
& infirmitatibus. Denique quæ ab annis duodeviginti mulier toto corpore curva & dejecta in terram erat, sanari non potuit, nisi ejecto dæmone, cujus vi & infestatione ita deprimebatur. *Mulier quæ ha-* Ibid. 13.
bebat spiritum infirmitatis, annis decem & octo, & erat inclinata, nec poterat omnino sursum respicere, &c. Respondens Dominus dixit, Hanc filiam Abrahæ, quam alligavit satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto, die Sabbathi. Si idem sensere, si eadem verba usurpavere Toletani Patres atque Scriptores Evangelici, uno & eodem spiritu animati fuere.

V. Eodem in Concilio proximo Canone agitur de Presbytero sacris operante, qui cùm interim possit aliqua corporis, vel etiam animi perturbatione corripi & elidi, providè præcipitur, ut præsto sit semper alius Presbyter quispiam, qui ejus vicem supplere possit, si quo eum deliquio deficere contingat. *Habeat quisquis ille cautus Deo, atque sa-* Can. 14.
crificans, post se vicini solaminis adjutorem: ut si aliquo casu, ille qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, à tergo semper habeat, qui ejus vicem exsequatur intrepidus.

VI. Sed quod ad veros Energumenos, permirum prorsus est, quod narrat Gregorius Magnus in Dialogis de juvene Clerico, quem corripuerat dæmon, & qui eo vinculo solutus est à beato Benedicto, eademque opera jussus, ne unquam ad sacros Ordines accederet; alioqui fore, ut à molestissimo rursus hospite, & dominatore invaderetur.
Cui sanato præcepit dicens, Vade, & posthac carnem L. 2. c. 16.
non comedas, & ad sacrum Ordinem nunquam accedere [illegible] *Quacumque autem die ad sacrum Ordinem accedere præsumpseris, statim juri diaboli iterum mancipaberis.* Cohibuit aliquandiu is terror Clericum; at lapsu temporis, quasi dilapsa pristinæ calamitatis memoria, permolestè ferens juniores Clericos jam sibi in dies anteferri nunc hos, nunc illos ulteriori ordinatione: *Cùm priores illius de hac luce migrassent, & minores suos sibimet superponi in sacris Ordinibus*

cerneret. Ordinanti Episcopo ordinandum se exhibuit, & illico invasit eum spiritus nequissimus, quoad ultimum usque vitæ diem afflictatus est.

CAPUT LXXX *P. 2. l. 2. c. 20.*

De Bigamis in Oriente & Occidente sæculo VI. VII. & VIII. Item de Filiis illegitimis.

I. Bigami in Hispania majoribus prohibiti Ordinibus, quandoque & minoribus. Varia genera bigamiæ. Cur post Clericorum mortem non sinebantur eorum viduæ rursum nubere.

II. III. Eadem observantur & in Gallia Conciliis.

IV. Et in Italia pariter ex Gregorio, ubi Clericorum sacrorum priores conjuges videntur induisse religionis habitum, quem abjicere non possent conjuge viduata.

V. In Oriente leges eadem vigebant, nec ferè ratio habebatur nisi incontinentia in hac disciplina parte.

VI. Summa austeritas & dispensandi parcimonia in bigamis.

VII. VIII. De illegitimis & de filiis Presbyterorum. His affixa non est irregularitas, nisi post annum Christi millesimum. Varia ejus rei argumenta.

IX. De filiis Presbyterorum in Oriente.

I. PRoximi sequuntur bigami in Concilii Toletani IV. irregularitatum recensione. Iis non interdicit Hispalensis Synodus, nisi Diacona-
Can. 4. tu & superioribus Ordinibus. *Nec ultra provehi ad Diaconii Ministerium, qui contra divina atque Ecclesiastica jura instituta reperiuntur.* Clero prorsus omni
Can. 5 eos ejecerat Concilium Gerundenense: *Si quis de laïcis, post uxorem, aliam cujuscumque conditionis cognoverit mulierem, in Clero nullatenus admittatur.* Quibus verbis designari videntur illæ, quæ in Concilio Toletano IV. dicuntur concubinæ, quòd quanquam verè uxores essent, nulla tamen nuptiarum solennitas intercessisset, propter quandam sortis inæqualitatem, nec proles inde orta solennibus filiorum privilegiis uteretur.

Apertissimè quoque Concilium Tarraconense innuerat, legi bigamiæ vel minusculos subjici Clericos, cùm Lectores & Ostiarios præciperet ab uxoribus suis omnino & in perpetuum segregari, si quæ earum adulterio essent infamatæ. Si bigamus enim habetur, qui impudicam ducit: quid qui pro-
Can. 9. stitutam non abjicit? *Si quis Lectorum adulteræ mulieri voluerit misceri, vel adhærere consortio, aut relinquat adulteram, aut à Clero habeatur extraneus. Similis sententia Ostiariorum manebit scholam.* Posset tamen cuipiam videri in maritos redundasse flagitium & infamiam adulterarum, eisque irregularitatem affricuisse, sicut ait Hieronymus Patrem arceri ab Episcopatu eum, qui liberos habeat incontinentiæ ergo infamatos. Quomodo enim corripiet emendabitque cæteros, si ne in filios quidem ausit, vel
In 1 Ep. ad Titum. possit? *Sed quod propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi sumus. Quâ enim libertate possumus alienos filios corripere, & docere, quæ recta sunt, cùm nobis statim possit, qui fuerit correptus, ingerere, Antè doce filios tuos?*

Can. 1. & 43. II. Agathensi quoque Concilio consultius visum est, mitigata austeritate priscorum Canonum, idque bigamis indulgere qui jam Diaconatu, jam Presbyteratu ordinati essent, ut honore & sede Ordinis sui gauderent, muniis non fungerentur: *Ut qui huc usque ordinati sunt, habitâ miseratione, Presbyterii vel Diaconatus nomen tantum obtineant, Officii verò Presbyteri consecrandi, & ministrandi hujusmodi Diacones non præsumant.* Ex quo & illud elicitur, minorum Ordinum ne functiones quidem bigamis prohibitas fuisse. Quod rursum dilucidius fit ex Can. 10
Concilio Aurelianensi IV. quo annua suspensione Epao. c. 2.
percellitur Episcopus, si bigamum Diaconatu, vel Arelat 4. c. 1.
Presbyterato initiet: nulla cæterorum Ordinum Aurel. 3.
mentione habita: ut quos nec Paulus bigamiæ legi c. 6.
alligasset, nimirum suo ævo raros adhuc, ut mollissimè loquar. Suor & alia Concilia complurima, in quibus idem observetur.

III. In his verò Conciliis nihil differunt bigami à conjugibus bigamarum. *Bigami, aut internuptarum, vel renuptarum mariti.* Propterea quod dedecus incontinentiæ ab uxore in maritum respergeretur: itaque qui bigamam ducebat, bigamiæ applaudere videbatur. Eò adductæ sunt Synodi plures, ut Clericos minores ab adulteris uxoribus æterno divortio sequestrarent; atque Clericorum viduas ne sinerent novis implicari nuptiis; si rursum nuberent, sejungerentur ab impiis Clericalis sanctimoniæ contaminatoribus, vel excommunicatione plectentur. *Si se cuicunque mulier duplici conjugio,* Can. 13.
Presbyteri, vel Diaconi relicto conjunxerit, aut casti- an 32.
gati separentur, aut pari excommunicatione plectantur. Can. 16.
Ita decrevit Concilium I. Aurelianense, cui subscripsit & Epaonense. Accessit & Matisconense II. quoad viduas subdiaconorum, Exorcistarum & Acolythorum.

Non injuria mirabitur quis, cùm per tam multas Synodos liceat bigamos minoribus exornari Ordinibus, quid causæ sit, ut non sinantur minorum Clericorum viduæ nuptias iterare. Sed illud forsan reponi potest, ordinatione impositam esse continentiæ eam legem, quæ utrumque conjugem à secundarum saltem nuptiarum incontinentia cohibeat. Irregulares in Concilio III. Aurelianensi de- Con. 9.
clarantur, qui conjugem duxerint, & postea concubinam. Dixi jam concubinas has in numero fuisse legitimarum conjugum, sed minus solenniter ductas. In his verò omnibus non dissimulamus alios alias in diversis Ecclesiis usus & Canones obtinuisse.

IV. Gregorius Magnus Ordinibus summovet bigamos, omnesque eos, quorum prima & unica conjux virgo non fuisset. *Nec bigamum, nec qui vir-* L. 1 Ep. 25.
ginem est sortitus uxorem. Probabile sacros ab eo tantum Ordines occludi. Eum enim sibi limitem defigit in Epistola ad Brunechildem Reginam. *Si-* L. 12. Ep. 8.
militer de quodam dignino requisitis, An ad sacrum Ordinem potuisset accedere: Juxta Canonicam regulam omnino vetuimus. Absit enim ne vestris temporibus, in quibus tam multa pia ac religiosa aguntur, aliquid contra Ecclesiasticum institutum fieri permittatis. Cùm vita excessisset Siciliæ Diaconus, quæ ejus conjux habita fuerat, alteri nupsit. Rescripsit Gregorius, L. 11 Ep 62.
ut sejungerentur, si ante Diaconus verè eam duxisset; alioqui nil molestiæ inferretur. Erat autem non paulò probabilius, conjugem eam Diaconi nunquam fuisse, tum quòd virgo jam non esset, cùm in domum venerat Diaconi: tum rursus quòd religionis habitum non induisset, cùm Diaconi celebrata fuerat ordinatio. *Dicens nec virginem illam ad eum venisse, denique nec religiosam mutasse vestem, postquam ille in Ordine sacro promotus est.* Et ea forsan religiosa vestis has fœminas alienabat à secundis nuptiis, etiam tum cum Clericus conjux obiisset. Cui rationi accedere poterat & alia ratio ab incontinentia petita.

V. Nec minus abhorrebant Græci à Bigamorum Ordinatione. Justinianus Imperator id argumenti executus est omnium præstantissimè, ubi de Episco-

Nov 6. c. 1. potum ordinatione verba facit. *Et neque uxori copulatus, sed aut in virginitate degens à principio; aut qui uxorem quidem habuerit, sed ex virginitate ad eum venientem, & non viduam, non sejunctam à viro, neque concubinam.* Easdem mox leges sancit Presbyteris & Diaconis, illudque disertè confirmat, quidquid istud est legum & constitutionum, uni maximè impendi castimoniæ & puritati, qua sacros mi-
Cap 5. nistros necesse sit effulgescere. *Nihil enim sic in sacris ordinationibus diligimus, quàm in castitate viventes, aut cum uxoribus non cohabitantes, aut unius uxoris vir qui vel fuerit, vel sit, & ipsius pudicæ, atque ex virginitate.* Addit, castitate seu fundamento niti & firmari virtutes omnes sacerdotales. *Primum principium & fundamentum manifestum secundùm divinas regulas residua virtutis.* Denique ubi gravissima ingruit necessitas, tum demum conceditur, ut Lectores bigami ordine suo fungantur, septo aditu ad superiores quoscumque. Roborantur hæc de-
Nov. 123. creta Justiniani ejusdem altera Novella, qua præ-
c 12. 14. cipitur Episcopus gradu & dignitate moveri, si in ordinandis Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis nequedum conjugatis, non compellat eos incorruptam posthac profiteri continentiam, & inviolabilem abstinentiam conjugii. Denique testatum facit Justinianus has à se non edi Constitutiones, nisi ut novo quodam vigore sacros Canones cor-
Nov. 137. roboret *His igitur quæ sacris Canonibus definita sunt,*
c. 1. 2. *insistimet, &c.*

VI. Jam ergo minùs stupebimus, si tam difficiles in posterum erunt dispensationes de bigamia.
Vita Joann. Joanni Eleemosynario Episcopo Alexandrino ma-
Eleemosyn. gna auri argentique copia eo tempore offerebatur,
c. 19. quo extrema inopia pauperes conflictabantur, ea conditione, ut bigamum sineret Diaconum ordinari. Sanctissimus Pontifex donum & dispensationem abnuit, certus Deum nulla re Ecclesiæ suæ defuturum, quandiu constanter leges & Canones Deificæ disciplinæ observarentur. Nec minor vel obscurior fuerat Gregorii Magni constantiæ gloria, cùm Theodorico Rege & Brunechilde Regina per Epistolas & per Oratores orantibus enixissimè, ut cum bigamo dispensaret, ad hujusmodi preces penitus obsurduit, ut ex ejus Epistola ad Brunechildem patuit.

VII. Venio ad eos qui defectum natalium patiuntur, & ad filios Presbyterorum, quibus constat nullam adhuc fuisse aspersam irregularitatem. Nonnisi post annum demum millesimum hæc disciplinæ sacræ invecta est irregularitas ad Ordines & ad Beneficia. Ejus rei origo infrà vestigabitur. Unum hîc observari operæ pretium est, nec in Conciliorum hactenus, nec in Pontificum Constitutionibus, quibus irregularitates, vel singulæ, vel complures recensitæ fuere, ne verbo quidem uno perstrictam fuisse irregularitatem, vel spuriorum, vel filiorum Presbyterorum. Si non vacillat suprà memorata Genebaudi Laudunensis Episcopi narratio, argumenti in ea satis est, ut hæc tunc irregularitas intelligatur nihil habuisse loci. Qui enim ex Laudunensis hujus Episcopi lapsu ortus est filius, cui ex natalium dedecore nomen fuit *Latroni*, nihilominus in Episcopatu ei successit. Polycrates Ephesinus Episcopus in Epistola ad Victorem Papam data, testificatur ipsemet se octavum suæ stirpis esse, qui
Euseb. l. 5. ejus Ecclesiæ clavum rexerit. *Fuerunt septem omnino*
c. 24. *ex cognatis meis Episcopi, quibus ego octavus accessi.* Hæc Eusebius. Alibi verò ostensum à nobis est leges Imperatorum & Canones Conciliorum per priora sæcula in id conspirasse, ut in Clerum semper sufficerentur Clericorum filii aut cognati. In Concilio I. Aurelianensi prohibitum injussu Regis ne sæculares Clero insererentur: sed Clero tunc dicabantur, qui patre avoque Clerico nati essent. *Nullus sæcularium ad Clericatûs officium præsumatur,* Anno 511.
nisi aut cum Regis jussione, aut cum Judicis voluntate, c. 4.
ita ut filii Clericorum, id est, patrum, avorum ac proavorum, quos supradicto ordine parentum constat observationi subjunctos, in Episcoporum potestate ac districtione consistant.

VIII. Disputatur à nobis alibi de necessitate consensûs Principum, ut Clero quis inscribatur. Hujus verò Aurelianensis Canonis pars posterior perspicuè demonstrat filios parentibus avisque successisse in Ordines & functiones sacerdotales, nullo obice irregularitatis tunc amoliendo. Multi Pontifices Romani à prioribus Pontificibus legitima successione orti sunt, ex conjugio ante ordinationem prognati Sylverius Hormisdæ filius fuit ex Liberato. Agapetus ortus erat ex Gordiano Presbytero, teste Anastasio. Gregorii Magni pater nepos erat Felicis Papæ.

In Concilio Toletano IX. actum est de filiis Clericorum sacrorum, post eorum ordinationem natis ex legitima priùs conjuge. Successione paterna hic spoliantur, servique addicuntur Ecclesiæ, cujus ministerio parens illigatus erat. Verùm hæc erat peculiaris Hispaniæ consuetudo, qua non tenebantur nisi Clericorum filii post parentum ordinationem nati, quales hic illegitimi pronuntiantur. Inter Francos cùm ne regno quidem arcerentur illegitimi, facilè suspicor nec sacerdotii fuisse exortes & irregulares.

IX. In Oriente cùm libera essent Presbyteria conjugia, non poterat degener aut irregularis videri proles, quæ inde gigneretur. Damnati sunt in Trullana Synodo Armeni, qui ad Clericatum solos evehebant Sacerdotum filios, vel aliorum Clericorum. Ita enim natalibus dabant, quo donandæ Can. 32.
erant virtutes. Præcipit Synodus, ne eliminentur sacerdotio, qui virtute & meritis ei gerendo non sint impares.

CAPUT LXXXI. *P. 3. l. 2. c. 15.*

Irregulares filii Presbyterorum, illegitimi, bigami; sub Imperio Caroli Magni.

I. Græcorum Presbyterorum filiis legitimis nulla illuditur irregularitas.
II Similiter habet in Ecclesia Latina.
III Filii illegitimi in Occidente irregulares.
IV. Nequaquam in Oriente.
V. In Græcorum bigamiam aliqua adnotantur.
VI. Et in maritos adulterarum.
VII. Clericorum minorum bigamia.
VIII Græci recentiores plurimum remisere de vigore prisco in bigamos.
IX. Cur non possint nubere viduæ Clericorum majorum.
X. Cum maritus in Monasterio profitebatur, poterat uxor alteri nubere, non verò cum Clero majori ascribebatur.
XI In Occidente etiam Clerici majoris vidua nubere non poterat. Observationes Agobardi in bigamias secunda classis.

I. Superiori jam capite diximus nihil irregularitatis illitum fuisse apud Græcos filiis Presbyterorum, quin damnatos in Concilio Trullano Armenos, qui Clericatum intra ipsas Clericorum familias circumscriberent; quòd id usus Levitico magis concineret Sacerdotio, quàm Christiano.

Hoc certè Canone non excludebantur Clericorum filii, sed cavebatur, ne cæteri excluderentur omnes. Atheniis narrat Balsamon, & urbibus in aliis quibusdam conqueri solitos Episcopos de filiis Clericorum, qui vi Ordines extorquerent sibi, citra peritiæ & pietatis examen, quasi carnali successione obtingeret cælestis hæc hæreditas.

II. Ne in Ecclesia quidem Latina irregulares erant Sacerdotum filii, dummodo ante ordinationem geniti fuissent. Ideo & Ratherius Veronensis Episcopus in eos tantùm invehitur Presbyteros, qui sua in eos transfundebant beneficia, quos in sacerdotio genuerant.

Epist. 10. 2. pag. 240. *Presbyter aut Diaconus cùm uxorem legitimam habere non possit, si filium de ipsa fornicatione, aut quod pejus est, adulterio genitum, facit Presbyterum, &c.*

III. Quoad illegitimos, cùm Arnulphus Lotharii Franciæ Regis frater Episcopus Remensis creatus fuisset, & cùm novo Rege Hugone Capetio graves suscepisset inimicitias, exauthorari illum Hugo curavit in Concilio Remensi, quòd ex concubina ortum duxisset. *Dicens non debere esse Episcopum, natum ex concubina.*

Du Chesne. t. 1 p. 353. Conc. Mosom. & marl. Frodoard. l. 3. 14. Eniente pòst tamen Romano Pontifice restitutus est Arnulphus, & rescissa sunt omnia Concilii hujus Remensis Acta. De Genebaudi filio Latrone ex Flodoardo suprà jam diximus, quem ei in Episcopatu successisse ferunt, quanquam in Episcopatu genitum.

In Concilio verò Meldensi anno 845. arcentur Ordinibus ii etiam qui ea concubina geniti sunt, quam quis postea legitimo matrimonio sibi copulavit.

Can. 64. *Filii verò ex ejusmodi vituperabili conjunctione ante conjugium etiam minùs laudabile procreati, ad Ecclesiasticam dignitatem nullo modo provehantur, nec de tali conjugio generati Ecclesiasticis Ordinibus applicentur, nisi fortè eos vel maxima Ecclesiæ utilitas aut necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet.* Videntur porro hoc Canone omnino Ordinibus excludi, qui nati vel concepti antè sint, quàm legitimum connubium celebraretur, quod postea tamen celebratum sit; quin immo ne ii quidem qui hinc postea exorti sint, admitti, nisi ex ea dispensatione, quam extorqueat Ecclesiæ necessitas.

Hunc Canonem postquam allegavit Regino, eumque lege Romana communiit, quæ nothis infamiam inurit: hinc exprimit rationem hujus irregularitatis: quòd nolit Ecclesia sacras dignitates suas iis parere, qui in sæculo insigni laborent infamia.

L. 1. De Eccl. disc. c. 428. *Eos itaque quos publica leges non admittunt, sed velut infamia maculis respersos respuunt, & quasi degeneres despiciunt, Ecclesiastica dignitas nullatenus recipit, præsertim cùm nihil maculosum Deo ritè possit offerri, vel ejus servitio applicari.*

IV. Magis exorabiles fuere Græci in hoc natalium defectu condonando. Patriarcha Nicephorus in Orientali jure aditum ad sacros Ordines aperit illegitimis, perinde ut & natis ex secundis tertiisve nuptiis.

To. 1. p. 196. *Qui ex concubina & scorto, & ex digamis aut trigamis nati sunt, si virtutibus præditi appareant, & sint sacerdotio digni, ordinentur.* Addubitabatur etiam nonnunquam de iis qui ex secundis tertiisve nuptiis nati essent, quanquam nunquam non secundùm eos pronuntiaretur. Quin & Nicetas Heracleæ Metropolitanus promoveri posse respondet, eos qui quartis ex nuptiis orti sint; atque hanc universim promulgat regulam nihil filiis præjudicare posse parentes.

Ibid. p. 320. 392. *Parentes ei non præjudicant.* Expressissimè denique Balsamon diffinit, illegitimos filios nulla attingi irregularitate: quòd cùm penes matrem tota sit culpa, nulla debeat in filios innoxios pœna retorqueri. *Sed & qui ex ancillis nati & donati libertate, parique modo qui ex concubinis geniti, non vetantur sacrari. Matres enim eorum pœnis scortantium obnoxiæ fuerunt; ipsi autem nihil deliquerunt; quamobrem nec pœnis subjiciuntur. Ut reliqui igitur homines, qui nihil deliquerunt, honorem sacerdotalem secundùm Canones consequentur & ipsi.*

V. De bigamis qui hic occurrunt, contexatur nunc sermo. Bigamis annumerat Harmenopulus eos, qui altera sibi desponsata alteram ducunt; sicut & eos qui alterius ducunt sponsam. Michaël Cerularius Patriarcha Presbyterum deponit, qui uxorem adulterii convictam non repudiat: ubi verò illam repudiat, dotis bessem vendicant sibi communes liberi, reliquum secum ipsa avehit in Monasterium, in quod compingitur raditurque.

Juris Orien. pag. 87. 263. 311. 322. *Sacerdos qui noverit uxorem suam adulterio pollutam, si eam expulerit, à munere suo non arcetur; sin receperit, sacerdotium amittit. Dotis autem, quam per adulterium cognita Sacerdotis uxor marito attulit, duo trientes pro utroque filio retinebuntur; reliquus ipsi concedetur, ei tribuendus Monasterio in quo tondebitur.* Plurimæ ab Alexio Comneno editæ sunt Constitutiones, ut sponsalibus eadem penè vis & authoritas conciliaretur, atque nuptiis quoad bigamiam, dummodo puella septennis esset. Id verò manabat ex sponsaliorum per preces Ecclesiæ consecratione. *Non enim ipsa conjunctio, sed quæ precum interventu fit consecratio, sponsalia pro nuptiis haberi facit.*

VI. Referuntur à Photio in Nomocanone Conciliorum decreta, quæ eorum ordinationes prohibent, quorum uxores adulterio fuerint inquinatæ; additurque civilibus etiam legibus mulctari eos omnes, qui adulteras conjuges domo non ablegant.

Tit. 9. c. 32. *Lex quoque civilis omnes qui suas uxores in adulterio deprehensas non dimittunt, punit.* Quin & addit Lege Codicis maritum declarari suæ conjugis lenonem, nisi eam repudiet, non leviusculis suspicionibus aspersam, sed certis convictam documentis. *Lex Codicis dicit eum esse lenonem, qui suam uxorem adulterio pollutam non dimittit, non tamen is qui solùm suspicatus est.* Fidem tamen facit Photius suo ævo eam austeritatem obsolevisse, & posse jam maritum uxorem repetere, & Monasterio abducere, in quod contrusa fuerat. *Hodie autem post condemnationem potest maritus suam adulterio pollutam uxorem ex Monasterio recipere, convenienter Novellæ de repudiis.*

Balsam. ibi. & in Can. 8. Neocæsar. Profertur à Balsamone Lex civilis Basilicorum, qua biennium marito conceditur, quo possit uxorem revocare à Monasterio: verùm ad Laïcos solos id pertinere; qui enim Presbyter adulteram revocaret domum, vel qui adulteram duceret, is & bigamus & irregularis foret.

VII. Alibi testatur Balsamon subesse iisdem legibus & pœnis bigamiæ Clericos etiam minores, quanquam faciliorem veniam & dispensationem consequerentur.

In Can. 17. Apost. In Can. 69. Basilii. *Quomodo autem multi Lectores, qui digami fuerant, in suis gradibus conservati, & per Archiepiscopalia pittacia ad majores gradus promoti sunt, ignoro.* Alibi verò docet Lectores ipsos & Subdiaconos irregulares fore, si conjugio sibi copulassent eas quibuscum antea fornicati fuerant; ut non tantùm ad ulteriores Ordines eluctari jam non possent: sed ne eos quidem exercere, quos jam suscepissent. Qui verò priore conjuge vita abeunte aliam ducerent, eos pro bigamis habitos, & abdicatos fuisse Ordinibus superioribus, si eos jam

essent adepti : iis interdictos verò, si in minoribos adhuc agerent. Ideo & confitetur Novellis Justiniani depoui Clericos majores omnes, si bigamiæ se innodarent : lectores Clericatu exui, si ante Clericatum bigami fuissent : si autem jam Clerici ordinati, postea alteram conjugem, aut viduam ducerent, tum non Clericatu eos ejici, sed Ordinibus superioribus excludi. Quod autem dicerat de dispensationibus quas Archiepiscopi darent : fatetur non eò illas pertinuisse, ut Diaconatu exornarentur, vel Subdiaconatu ; sed Officia ut quædam exercerent Ecclesiastica, unde commodius & pinguius sustentarentur. *Officia sunt honores, & victus subministrationes.*

In Supplem. pag. 1119.

VIII. Adnotat autem alibi idem interpres Canonum relaxationem aliam, quæ inoleverat circa bigamiam, à qua usque adeo alienos esse Clericos præcipiebant Canones, ut ne nuptialibus quidem bigamorum conviviis interessent. Atqui sua ætate author est Balsamon, interfuisse Episcopos epulo Imperatoris alteram conjugem ducentis ; nihil jam pœnarum canonicarum bigamis infligi : communione eos non suspendi, aut eam incunctanter à Chartophylace pœnam relaxari. *Quia autem videmus offendi aliques, eo quòd nullus eorum, qui secundum matrimonium contraxerunt, aliquando puniatur, nec eis Sacramentorum participatio impediatur, sed potius Chartophylacis Pittacium permittatur. Vidimus autem & Patriarchas & alios Antistites, comedentes cum Imperatoribus qui secundas uxores ducant.*

Ibidem. pag. 1126.

Enititur tamen Balsamon eam Canonum incuriam eo obumbrare colore, quod promulgato Unionis Edicto Leo Philosophus Imperator, secundas nuptias exæquasset primis, quartas omnino vetitis sub interminatione excommunicationis ; & ne tertias quidem indulgens, nisi certis quibusdam causis intervenientibus. Nemo nescit ubi Imperatoriis legibus anathemata, & cæteræ id genus illigantur pœnæ Ecclesiasticæ, ex eo id fieri, quod eæ leges Synodalium Canonum executrices sint & vindices. Adde quod pars non minima Constitutionum Imperialium Constantinopoli editarum, promulgatio quædam fuerit Decretorum Synodalium Patriarchalium Regiæ ejus Civitatis.

Ann 921. Vide & Zonaram, in Can. 7. Neocæsar.

IX. Redeo ad Clericos majores & eorum conjuges, quibus leges bigamiæ potissimum imminebant. Nec enim defunctis Presbyteris poterant eorum uxores in alias lascivire nuptias : propterea quòd cum eo qui Deo sacer esset, in unam carnem semel conflatæ cum essent, ad ipsas quoque ea permanabat consecratio, quæ profano ac novo conjugio conspuicanda non esset. Similiter & Presbyteri, cùm Sacerdotio vel abibant, vel abdicabantur, non poterant tamen iterata inire conjugia, propterea quod consecrata Deo & altaribus corpora sua jam non poterant revocare, aut ad profanos usus convertere. *Nec Sacerdotum uxores, sicut nec qui sunt sacrati, Sacerdotium recusantes, permittentur vivere, ut laici, & secundo matrimonium contrahere. Sacerdotum enim uxores unum corpus & una caro sacerdotalis per legitimam Sacerdotii conjunctionem appellata, & ea de causa veluti consecrata, non profanabuntur per secundas nuptias. Sacerdotes autem qui semel secundas nuptias, eo quòd sunt Deo consecrati, rejecerunt, & Deo hoc utique professi sunt : non sinentur per carnalem cupiditatem sacerdotalem dignitatem repudiare, & quam Deo fecerunt professionem infirmare, & carnali libidini servire : sed etiam si semel Sacerdotium renuntiaverint, corpora sua quæ sunt Deo semel consecrata, prohibebuntur secundis nuptiis profanare.*

Balsam. In Can. 44. Basilii.

X. Quærit alibi Balsamon, cur citra conjugis assensum possit vir profiteri in Monasterio, non possit autem Episcopatu inaugurari. Respondet autem ex eo id proficisci, quòd cujus maritus vitam complectitur in Cœnobio Monasticam, illi sospes & illibata constet postea libertas alteri nubendi : non ita verò rem se habere in ea, cujus vir Episcopalibus infulis decoratur. Ex quo rursus infert Balsamon, eo ipso quo assentitur uxor maritum suum Episcopum inaugurari, assentiri quoque, ut & ipsa radatur, & in Monasterium abdatur. *Quoniam autem per consecrationem divortium eligit, per tonsuram cogetur separationem perficere, & non ludere, ubi non est ludendum.* Addit & indutum fore & pudibundum, si hæ matronæ Monasteria ineant, & nec sæcularem ponant vestem, nec regulam profiteantur. Solæ enim impudicæ mulieres in Monasteria ita recondunotur, ut vestem non mutent. Hinc autem facilè intelligis emarcuisse Novellam Justiniani eam, qua eligi vetabantur Episcopi, quibus uxor esset & liberi, tametsi ea in Basilicis radiaret. Contrà autem viguisse contrariam Leonis Philosophi Novellam.

XI. Vetuit & Vermeriense Concilium anno 752. nequis Presbyteri viduam acciperet sibi uxorem. *Quia reprehensibile est, ut relictam Sacerdotis alius homo habeat.* Concilium Romanum anni 743. sub Zacharia Papa viduas Presbyterorum & Diaconorum eo loco habuerat, quo sanctimoniales professas ; si quæ enim earum nuberent, separabantur ab adulterinis maritis, & pœnitentiæ subjiciebantur. *Can. 3.* *Can. 5.*

Claudet hoc caput Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, à quo scitè observatur, cùm bigamos non pronunciaverit, nec excluserit Paulus, nisi primæ classis, qui alteram conjugem verè duxissent : hinc non temerè conjectari reliquas bigamiæ & irregularitatis species Ecclesiam à lege Mosaica mutuò accepisse. *Videtur mihi, ut interrogare studeas, unde Patres doceant, non posse quemquam ad Sacerdotium promoveri, si viduam, vel repudiatam, sive meretricem, & ut compendiosius dicam, non virginem in conjugium sumpserit, etiamsi secundum Apostolum unius uxoris vir esse doceatur. Cumque hoc in novo non potuerint demonstrare, fateantur necesse est decreto veteri contineri. Neque hoc solum, sed & multa forsan hujusmodi.* *L. De dispensat.*

CAPUT LXXXII. *P. 3. l. 2. c. 16.*

Irregularitas Eunuchorum, Mutilorum, & Energumenorum sub Imperio Caroli Magni.

I. Cur in Collectionibus Canonum cruenta quædam sint leges.
II. Irregularitas Eunuchorum in Ecclesia Latina.
III. De mutilis, truncis, tacitis, &c.
IV. In Ecclesia Græca surdi, cæci, aliique mutili, irregulares non sunt, nisi ad eas functiones, quas exercere omnino non possunt.
V. Ne morbi quidem causa sinunt cuiquam virilia abscindi.
VI. De Energumenis.

I. IRregularitas Eunuchorum eadem hac ætate media fuit, quæ antiquitus. Consarcinationis suæ inseruit Regino Romanam legem, qua capite plectuntur, qui virilia cuiquam amputarint, turpibus, aut vilibus adducti rationibus. *Qui hominem libidinis, aut negotiationis causa castraverit, castrandumve tradiderit, sive servus, sive liber sit, capite* *L. 2. c. 88. 89.*

plectatur. Sed ibidem ille eam Regulam suggerit, & commendat, quæ ad omnes valeat Canonum Collectiones, his non inseri leges has cruentas, nisi ut inde conjiciator, cujusmodi pœnitentiæ addicendus sit reus. Consentiebat enim eatenus lex Canonica Romanæ, quod ubi hæc capite truncabat, illa publicam indicebat pœnitentiam. *Hæc totum idcirco ex lege Romana posuimus, ut Sacerdos ex lege perpendat modum pœnitentiæ in talibus transgressionibus. Canonica enim authoritas cum lege Romana ex maxima parte concordat.*

II. Fuit tamen ubi animi dubius penderet Hincmarus, vir juris Canonumque peritissimus, ut nemini non est exploratum, in Presbytero, qui ejusmodi truncatione in seipsum sævierat, cælestibus ut aiebat ipse monitis ad id incitatus; Canonum autem, qui id vetarent, prorsus ignarus. Hac cum de re percontatus fuerat Episcopus Cameracensis, responderatque Hincmarus, ut nequid contra Canones & contra Ecclesiæ authoritatem decerneretur, necesse esse expectari Concilii Provincialis Congregationem: interim verò clementia uti, nec
Folcard. L. 3 c. 23. ministerio suo Presbyterum exui. *Pro quodam Presbytero Cameracensis Parochiæ, qui se ipsum castraverat, frequenti monitus id agere visitatione: nesciens quid inde sacri decernerent Canones; consiliumque dat, monens, ut diligenter investigetur, quibus sit modis admissum, & interim per indulgentiam Presbyter idem maneat in ordine suo, donec in Provinciali Synodo, quid exinde tenendum sit, inveniatur, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis sanctorum reperiatur adversum.* Non audebant hi duo Præsules præcipitare sententiam, propter Presbyteri insciitiam Canonum, & cælestia monita quæ ab eo prætendebantur.

Can. 33. III. Concilium Triburiense, allatis in medium Decretis Concilii Nicæni de Eunuchis, nec non & Innocentii I. de eo qui digito truncavit sese ipse, vel ab alio truncatus est casu, quorum ille Ordinibus interdicitur, non iste; Gelasii denique, qui mutilos omnes Clero arcet: hæc quidem omnia confirmat, ac præterea addit, qui superveniente ægritudine aliqua claudicare cœperint, non debere eos Ordinibus summoveri. *Hanc authoritatem sanctorum Patrum confitemur & confirmamus, sequimurque; ita ut si quis à medicis per languorem desectus est, vel per aliquam infirmitatem claudus effectus est, inveniatur, aliàs dignus, permaneat Clericus, & sacro Or-*
Append. 2. c. 36. *dini aptus.* Eidem Reginoo adhæsit sententiæ quoad claudos.

Est quod magis miremur in Hincmaro Episcopo Laudunensi, à quo Joannes VIII. Papa concessit sacra Mysteria celebrari, quanquam oculis orbatus esset. Aderant & Episcopi complures in Concilio Tricassino cum Pontifice, qui compulere ut celebraret. *Episcopi fautores Hincmari, audientes, quod Papa Joannes dixerit, ut si vellet Hincmarus cæcus Missam cantaret, &c.* Verùm ea erat dispensatio, ut liquidum est, & cæcitas oonnisi jam ordinato acciderat.

IV. Iidem prorsus fuere mores Canonesque Ecclesiæ Græcæ, ut constabit ex responsionibus Balsamonis ad percontationes Archiepiscopi Alexandri-
Juris Orient pag. 59. ni. Declaratur enim posse Claudos, & quibus alter effossus est oculus ad Sacerdotium & ad Episcopatum promoveri, ex Canonibus Apostolicis. Nec enim corporis, sed animi vitiis à divino summovemur ministerio. *Non enim corporis damnum polluit, sed animæ inquinatio.* Si surdi autem cæcique irregulares habeantur, non alia ejus rei ratio est, quàm ipsa exequendæ tunc sacræ functionis impossibilitas. *Non ut polluti, sed ne Ecclesiastica impediantur.* Denique universim obtinet hæc regula, ordinari non debere, qui Ordinum muniis fungi aliqua corporis infirmitate præpeditur: si verò jam ordinato ea infirmitas incidat, nihilominus solita obibit munia. Si ea verò sit imbecillitas, per quam non possit quidem munere fungi, at Beneficio, reditibus, dignitate, honore & gradu ut priùs gaudebit. *Quicumque morborum aliquorum vitio prohibiti fuerint Sacerdotalium graduum jura exequi, ordinatione digni non habebuntur. Qui autem post ordinationem sic malè affecti sunt, sacra facere morbo non impediuntur; & ita imbecilla constituti valetudine, libere sacrificabunt. Dei præconibus enim placuit, per mutilationem corporis à sacrificatione non prohiberi quemquam. Quod si morbi debitum officio Sacerdotii sit impedimentum, exercere desinet ægrotans, à dignitate tamen non alienabitur, quin potius miserandus erit: ac priore quidem honore fruetur; habebit autem etiam quæ ad vitam sustentandam sufficiant, & reliqua juxta priorem consuetudinem.*

Addit Balsamon complures Diaconos, Presbyteros & Episcopos provecta, vel ingravescente ætate surdos cæcosve evasisse, nec tamen dignitate sacra spoliatos fuisse: ipsaque lege civili sanciri, ut qui Judex, aut Senator cæcitate laborare tunc incipit, pergat esse qui fuerat, & munere fungi: non finantur autem quibus hæc corporis vitia inciderunt, novas sibi parare dignitates. *Excæcatus* In Can. 77. Apost.
etiam Judex esse potest, & Senatu non movetur; novum autem Magistratum non suscipit; sed quem ante morbum habebat, habere perseverat.

V. Admirabilius est quod idem alibi tradit, non posse majores Clericos, ut qualicumque medeantur ægritudini, virilia amputare sibi Medicorum vicaria manu, nisi dispensante, vel permittente Episcopo: alioqui irregulares fore. Quin & illud adjicit, rarissimè id permitti, & complures à Synodis repulsam passos, quòd periculosæ sit plena aleæ ea coratio, paucisque feliciter cedat. *Et si* In Can. 1. Nicæ. Et in
nullum vidi sacris initiatum, cui propter morbum per- Can. 8.
missum fuerit, ut castraretur: idque cùm hoc multi Sy- Conc. Const.
nodice petierint, & cum Chartophylacis officium exer- 1. & 2.
cerem & postea Patriarcha essem, propter periculosam suspicionem eventus medicinæ.

VI. Quoad Energumenos, in Capitularibus Caroli Magni Canones antiqui innovantur. *Dæ-* L. 7. c. 31.
moniis, aliisque passionibus irretitis, non licet Ministeria sacra tractare. Concedit illis Balsamon sacræ communionis usuram per ea, quibus respirare illis datur intervalla; non autem Clericatum, nisi omnino purgati & sani fuerint.

CAPUT LXXXIII. *P. 4. l. 2. c. 30.*

Bigamorum, Eunuchorum, & mutilorum irregularitas post anum Christi millesimum.

I. Irregularitas bigamorum non ex incontinentia tantum suspicione oritur, sed & ex defectione à virgineo Christi cum Ecclesia sua conjugio, quod ne adumbrare quidem illi possunt.

II. Quanquam bigamos Paulus Clero prorsus arceat, non est tamen ea irregularitas de jure divino: potest de ea Pontifex, non potest quivis Episcopus dispensare.

III. Probatur ne ad Clericatum quidem, aut ad minores posse Episcopos cum bigamis dispensare.

IV. Potest tamen Episcopus de ea dispensare bigamia, si minor Clericus ducat uxorem. Verum tamen illud est, non conjugium.
V. Doctrina sancti Thomæ.
VI. Nonnisi iteratò nubentibus quisquam insultat.
VII. Irregularitas Eunuchorum.
VIII. Irregularitas aliarum mutilationum.

Append. Epist. 17. 35.

I. ANtiquis de bigamorum irregularitate Decretis novum ab Urbano II. Papa robur accessit, cui illud quoque displicuit, quòd secundis nuptiis Regis benedixisset Episcopus Sylvanectensis. Vexata est à Petro Damiani illa quæstio, cur non præcludatur aditus Ordinum ipsa fornicatione, ubi longo pœnitentiæ curriculo fuerit expiata: præcludatur autem bigamiâ, quæ nullius criminis affinis est. Respondet autem Petrus cum Augustino & aliis irregulares esse bigamos, quòd eorum conjugium immane quantum abludat ab æterni Pontificis Christi conjugio cum Ecclesia virgine una & incorrupta. *Sicut Christus, qui est Pontifex futurorum bonorum, & verus Sacerdos, vir est unius sponsæ, sanctæ scilicet Ecclesiæ, quæ procul dubio virgo est, quia fidei integritatem inviolabiliter servat; ita quilibet Sacerdos unius uxoris vir esse præcipitur, ut illius summi Sacerdotis præferre imaginem videatur.* Subscribit & Innocentius III. eo fundamento niti hanc irregularitatem, *propter defectum sacramenti:* hoc est mysticæ illius significationis. Unde & illud elicit, si conjugium non sit consummatum, nec bigamiam quidem contrahi: propterea quod conjugii consummatio sola accuratè exhibet Verbi divini cum humana natura conjugium. Ex adverso, si Presbyter vel Diaconus uxorem duxisset, esset utique ille bigamus, quanquam irritum esset matrimonium. *Non propter sacramenti defectum, sed affectum intentionis, cum opere subsecuto.* Sic ille in Decretalibus, Titulo *de Digamis*, cujus reliqua capita perspicuè docent, eam irregularitatem ad solos pertinere majores Ordines, & de ea dispensare solius esse Pontificis.

T. Dominus vob. sc. c. 12.
Extra. De Digam. c. 5.
Cap. 7. ibid.

II. Quanquam autem fateantur hi Pontifices bigamiam à Paulo proscriptam esse à Clero, non tamen hanc ab eo tanquam juris divini legem promulgatam fuisse arbitrantur. Unde & penes Pontifices est de ea dispensare. Ultra veri æquique orbitam prætervectus est Almahinus, ubi scripsit, authoritate Christi subnixum B. Paulum eam legem publicasse, adeoque divino eam jure fulciri, nec de ea potuisse Lucium Papam, nisi improvida dissipatione dispensare. Hallucinatus est Almahinus, si mandata Pauli omnia ad jus divinum pertinere existimavit. Eruere hunc errorem potuisset, si tot alia Pauli mandata observasset, quibus Ecclesia ita jubente temporum necessitate derogavit. Sed vel hinc illud saltem emerget commodi, ut minùs gravatè feramus, si Episcopis facta non sit copia dispensandi de bigamia, ne ad Tonsuram & Clericatum quidem, vel simplicia Beneficia, ut à Congregatione Concilii declaratum est, & à Sixto V. qui Episcopum, à quo usurpata fuerat ea facultas, à collatione Ordinum suspensum pronuntiavit. Criminosos omnes Apostolus idem Ordinibus summovit, & de ea tamen irregularitate dispensant Episcopi, propterea quòd Concilia extremæ hujus ætatis superiùs relata, hanc eis potestatem contulere dispensandi.

Gerson. T. 1. p. 802. De pot. Eccl. & laic. c. 13.
D. 34. C. Lector.
Fagnan in lib. 1. Decret. Part. 1. pag. 180.

III. Nec in dubium vocari tamen potest, quin Theologi & Canonistæ plurimi consentiant, posse ab Episcopis de bigamia ad minores Ordines & ad minuscula dispensari Beneficia. Illi verò patrocinium sibi accersunt ab iis decretis minoribus & indulgentioribus, quæ subinde edita sunt in longo sæculorum decursu, quoties angustiæ temporum rerumque difficultates remitti cogebant. Canonistæ verò & Theologi contrariæ vindices & austerioris sententiæ, ne ea Episcopis facultas annuatur, authoritatem sibi conciliant à Decretis & Canonibus longè plurimis, quibus tunc locus fuit, cùm jure stricto & rigido fas erat uti. Hinc non infrequentia illa sententiarum dissidia in rebus, quæ aliàs aliter pro locorum & temporum opportunitate vel importunitate tractandæ fuere.

Ut ergo impræsentiarum certa nobis regula allucescat, non aliunde illa quàm ex Concilio Tridentino accersenda nobis est. Jubet autem Tridentinum Concilium in integrum restitui functiones omnes Ordinum minorum, easque exerceri per Clericos innuptos; vel si eorum copia non sit, à conjugatis quidem, sed qui bigami non sint. Ergo non dubitabant Tridentini Patres, quin à bigamia alieni & sejunctissimi essent Ordines etiam minores. Unde nec illud addidere, si monogami deessent, subrogari posse digamos. Concluditur hinc ergo, Decretum Sixti V. solidis nixum fuisse munimentis, seu Canonibus antiquissimis, seu Decretis Tridentinis; maximè autem Constitutione Concilii Lugdunensis II. anno 1274. ubi bigami privantur omnibus privilegiis Clericatûs, vetaturque sub anathemate, ne Tonsuram gerant, vel Clericalem vestem. *Ipsis sub anathemate prohibemus, deferre Tonsuram, vel habitum Clericalem.*

Sess. 23. c. 17.
In Sexto De Digam. c. 1.
Can. 16.

IV. Est tamen expressa in Jure species, ubi de umbratica quadam bigamia dispensat Episcopus. Vocantur enim etiam bigami, similitudine nescio qua, Clerici sacri, qui matrimonium contrahunt, quod utique matrimonium non est. Concedit Episcopis Alexander III. ut eos Ordinis sui functionibus restituant, ubi flagitium piis lacrymis deterserint. *Sacerdotes illi qui nuptias contrahunt, post longam pœnitentiam officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi, ejus executionem habere.* Bigamia non fuit, si nec verum fuit conjugium. Nec meminit Pontifex ullius eorum Presbyterorum conjugii. Unum ergo ille attendebat ad crimen infandæ luxuriæ, quam per pœnitentiam elui debere censebat, cum ea irregularitate, quæ illi olim hærebat comes. Prolixi suprà plus satis forsan fuimus in ea explananda Episcoporum potestate dispensandi de crimine, postquam pœnitentia ex parte saltem impleta fuerat. In confesso est denique, si laïcus defuncta conjuge sacris Ordinibus initietur, & post ordinationem suam cum alia matrimonium ineat, non posse eum ab Episcopo absolvi.

Extra. De Cler. conjug. c. 4.
Pastor. l. 3. Tit 24. n. 6.

V. Visum est olim sancto Thomæ, posse Episcopum veniam facere irregularitatis bigamiæ ad minores Ordines; addebatque ex nonnullorum sententia posse & ad majores Monacho, qui non facilè debeat petendæ Romanæ dispensationis gratia, per orbis Provincias discursare. *Papa potest dispensare in tali irregularitate totaliter. Sed Episcopus quantùm ad minores Ordines. Et quidam dicunt quod, &c.* Si consuetudo certa & propria esset ad minores, ea standum esset, cùm Jus commune non sit apertè adversum. Sed longè aliter se res habet.

In lib. 4. Sent. d. 27. q. 3.

VI. Quantùm æstuavit Ecclesiæ zelus, ad secundas Clericorum nuptias prohibendas; tantùm & in eos efferbuit, qui secundas nuptias contrahentibus Laïcis molestiam crearent. Præteriri prorsus

hic

hic non debet Concilium Andegavense anni 1448. ubi molestissimè tulerunt Præsules tumultuosas insultationes & insolentissimas sugillationes in tierata conjugia, adeo ut non pauci, ne in hæc ludibria incurrerent, mallent secundis abstinere nuptiis, & vaga interim venere lascivire. Prohibitæ sunt ergo
Cap. 16. tum illæ intemperiæ, quarum tamen reliquiæ non paucis in locis nonnullæ supersunt.

VII. Eunuchos irregulares habuit Concilium Lemovicense II. anni 1031. sicut & eos qui perpetrato homicidio, professionem Monasticam sunt
Epist. 14. 15. professi Imperatori Constantinopolitano Leo IX. Pontifex exprobrabat incredibilem in Græcis Canonum incuriam, cùm Eunuchi promoverentur non ad sacerdotium tantùm, sed & ad Pontificatum; adeo ut rumor increbuerit, Constantinopoli fœminam etiam aliquando Patriarchali in dignita-
Conc. Gen. Tom. II. pag. 992. te & solio sedisse. *Eunuchos & aliqua corporis parte minoratos, non solùm ad Clericatum, sed ad Pontificatum etiam indifferenter ac solenniter adhuc promovetis.* Eodem Græci opprobrio stupescebantur in narratione Legationis Humberti Cardinalis Constantino-
Extra. De corp. vitiat. c. 4. 5. poli. *Sicut Valesii, sospites suos castrant, & non solùm ad Clericatum, sed insuper ad Episcopatum promovent.* Porro criminationes hæ omnes ad eus trahendæ sunt Eunuchos, qui sua ipsi manu opificium Dei
Conc. III c. 11. Epist. 19. consciderint. In eum enim sensum conspirant Gregorianæ omnes Decretales, accommodatè ad Canones Apostolicos & Nicænos, qui ibi laudantur.

Quin & ibidem intexitur dispensatio, quam Papa & Episcopus conjunctim concedunt ad sacerdotium omne, seposito dumtaxat Altaris ministerio: *Ei sacerdotale officium absque altaris ministerio, auctoritate nostra fretus & tua, prout videris expedire, con-*
Epist. 225. *cedas.* Denique Ivo Carnotensis Episcopus irregularitatem incurrisse sensit eum Presbyterum, qui ut epileptico se morbo expediret, virilia sibi ipse absciderat; in quam utique non induisset se, si medicorum manus adhibuisset. Posse tamen veniam Canonum hic fieri censuit.

VIII. Quoad alias mutilationes irregularitatem importantes; eam præfigit regulam Alexander III. ut ejusmodi sint, per quas non possint *sine*
Extra. De Corp. vitiat. c. 1. *scandalo* obiri functiones Ordinum. *Cùm non perdiderit tantum de digito, quin sine scandalo possit solenniter celebrare.* Agebatur ibi de Presbytero, qui parte digiti truncatus fuerat in pugna, quam ipse concitarat. De irregularitate, respondet Pontifex, nihil illi loci fuisse, cùm posset adhuc ea manu sine cujusquam offendiculo ministrare. Quod ad pugnam attinebat, docet idem Pontifex, posse post impletam pœnitentiam dispensare & absolvere Episcopum ab eo scelere, juxta eorum temporum consuetudinem, de qua suprà tam copiosè. Perspicua res est, & verba ipsa tam disertè exprimunt, ut mirum sit, qui potuerit Rubricæ ejus capitis author, rem aliò torquere, quasi Episcopo permittiset Pontifex, ut de eo genere mutilationis dispensaret. De crimine enim, non de irregularitate mutilationis agitur eo loco, unde & pœnitentia peragenda inculcatur. Is erat forsan usus quem præfert Rubrica, cùm Rubrica ipsa ei capiti præfixa est.

Ibid. c. 2. Decretalis vel Tituli ejusdem capite proximo rescribit Papa ad Cicestrensem in Anglia Episcopum, cui nævus erat in oculo, ejus dispensationis librandæ & examinandæ curam se Archiepiscopo Cantuariensi & Episcopis ejus suffraganeis delegasse. Ejusmodi erat etiamnunc usus, ut dispensationum brevicula mittat Pontifex ad Episcopos in locis, ut accuratiùs ipsi inquirant in ea vitia. Quod rursus patet ex ejusdem Tituli capite ultimo. Alibi
Extra. De Cler. ægrot. vel debilit. c. 2. autem irregularem ad sacrificii celebrationem, non ad cæteras functiones sacerdotales pronuntiat Pontifex eum Presbyterum, cui dimidia manus detruncata fuerat, ita ut *nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri celebrare posset.* Docet alicubi Innocentius III. posse Canonum variam in hac materia videri doctrinam, non tamen sibi adversam; quòd quæ vitia arcent à majoribus Ordinibus, ea à minoribus non eliminent, propterea quod minùs in, quàm illi Clericos hominum oculis objiciant. Non censuit idem ipse Innocentius III. incurri irregularitatis notam ei debere Presbytero, cui digitus sinistræ manûs à scelesto quopiam amputatus fuerat: quòd ea mutilatio non præcessisset, sed secuta esset ordinationem. *Quædam enim interdum impediunt promovendum,*
Regest. 10. Ep. 114. Regest. 15. Epist. 107. *quæ non dejiciunt jam promotum.* Denique idem ipse Pontifex Abbatem abdicari jussit, qui tota manu sinistra truncus erat, nec Presbyterii actu fungi unquam potuisset, quam ille astutè corporis sui labem in electione dissimulasset.

CAPUT LXXXIV. *P. 4. l. 2. c. 29.*

De Irregularitate ex defectu natalium post annum Christi millesimum.

I. Irregularitas fiebat non ex Clericis genitorum, qui Ecclesiæ serviebant, addicebantur.

II. De filiis Clericorum majorum, post Ordinationem genitis, & de eorum irregularitate.

III. Irregulares non erant filii legitimi Clericorum majorum ante Ordinationem geniti.

IV. Cur religiosa professio illegitimorum irregularitatem diluat.

V. Quæ causa hujus irregularitatis, & instituendæ, & opportune relaxandæ.

VI. VII. Prohibitum ne filii parentibus in eodem succedant Beneficio, nimirum immediatè.

VIII. Interdicta ea successione interdicitur æque legitimis, & illegitimis filiis.

IX. Quibus gradibus ea Disciplina firma invecta sit. Nova antiquitates.

X. Filii Presbyterorum post ordinationem geniti ex uxore legitima, illegitimi sunt & irregulares. De his solus Papa dispensat. Aliqua tamen ejus potestatis pars ad Episcopos manavit.

XI. In ea harum irregularitatum, & dispensationum.

XII. Quando prohibita sit mediata etiam successio Beneficiorum paternorum filiis illegitimis.

XIII. Austerissima Concilii Tridentini Decreta adversus illegitimos, ne quomodocumque paternis succedant Beneficiis. Decreta Gregorii XIII.

XIV. Cur discrimen tantum interpositum sit a legitimis Laicorum & Clericorum filiis. Cur Beneficiatis conjugia interdicantur.

XV. XVI. De illegitimis Laicorum filiis, & de potestate dispensandi cum eis.

I. Paterna irregularitate afflantur quodammodo Presbyterorum filii, quasi contagio paternæ ex incontinentia infamiæ. Paulò post annum Christi millesimum manare cœperunt à Concilio Papiensi & à Benedicto VIII. Papa decreta quædam dimora in Clericos Ecclesiæ servos, qui ad Ordines anhelabant, ut conjuges mox liberas ducerent, vel seducerent, ex eisque liberos gignerent, paterni & maternæque libertatis compotes futuros. Vana hac spe eos expulsavit hoc Concilium, filiosque servituti addixit Ecclesiæ, quo fiebat ut & irregulares essent ad Ordines. *Filii & filiæ omnium Clericorum, omnimoque graduum de familia Ec-* Can. 5.

clesia, ex quacumque libera muliere, quocumque modo fuerint geniti, servi proprii sint ejus Ecclesia, &c.

II. Rejecta est ab hoc Pontifice & à Concilio ad aliud post habendum Concilium controversia eadem circa filios Clericorum ingenuorum. *Tacto nunc de filiis qui ingenuæ Clerico, & libera matre, licet contra leges nascantur; contra quos alia manu erit agendum, & in proxima Synodo consilio altiore tractandum.* Simile veri est coactum fuisse hoc posterius Concilium, sed ejus Acta naufragio illo temporum, quo tot alia intercepta sunt. Et ex hujus satis probabiliter Concilii Decretis hausta fuere statuta Concilii Bituricensis anno 1031. quo sanciunt filios Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum post Ordinationem susceptos, nec sacris Ordinibus decorari posse, nec hæreditates adire, nec dicere testimonium; concesso Ordinis quem adepti jam sint
Can. 8. 11. usu, ulteriorum spe abscissa. *Ut filii Presbyterorum, sive Diaconorum, sive Subdiaconorum, in Sacerdotio, vel Diaconatu, vel Subdiaconatu nati, nullo modo ulterius ad Clericatum suscipiantur, &c. Nec apud sæculares leges hæreditare possunt, neque in testimonium suscipi. Et qui de talibus Clerici nunc sunt, sacros Ordines non accipiant, sed in quocumque gradu nunc sunt, in eo tantum permaneant, & ultra non promoveantur.*

Can 10. Quando hoc Concilio legitimi declarantur eorum filii Clericorum, qui Clero ejecti legitimas ducunt uxores: sive peracta pœnitentia ad priorem Clericatus gradum revocentur: sive semper in laicorum versentur fæce: de Clericis minoribus id utique capi par est, quorum status facillimè cum matrimonio copulabatur. Ille ipse Canon quem modò depromsimus, apertum facit, quantum discriminis hoc Concilium interjiceret Majoribus Minoribusque Clericis in negotio cœlibatus.

III. Soli ergo Clericorum majorum illegitimi filii Clericatu summovebantur, unde & in Concilio Remensi anni 1049. sub Leone IX. facta dignitate abdicatus non est Episcopus Nanoetensis, & in Ordinem Presbyterorum depressus, nisi quòd esset simoniacus; nec vitio illi datum est, quòd filius esset, idemque successor Episcopi prius Nanoetensis. Ex ipsis Concilii verbis manifestè patet, mera dispensandi clementia, Leonem Pontificem qui præsens aderat, Episcoporum precibus id donasse, ut quanquam indignus Episcopatu judicaretur, sineretur tamen in gradu & officio Presbyteratus consistere, præter antiquorum Canonum normam, ex quibus, quisquis Episcopatu abdicabatur, non poterat dignus videri, qui Presbyteratu fungeretur. Hæc mittamus, quæ minus ad rem nostram faciunt, & ipsa ponamus Concilii verba, quæ dispensationem annuant: *Privatus est Pontificali munere in, condonato ei, intervenientibus Episcopis,*
D. 56. c. 12. *tantummodo Presbyteratus officio.* Ad eum sensum trahi quoque debet Decretum Alexandri II. qui eum ordinari jubet Episcopum, qui eo ministerio omnium dignissimus est, quamvis filius sit Presbyteri. Ante paternis ordinationem is genitus fuerat, sed hærebant in eo tamen scrupulo laïci, ut rerum sacrarum admodum rudes. Alioqui dispensatio ea fuisset. Acta autem hujus Pontificis apud Baronium, produnt Episcopum Eboracensem ipsum
Baron. an. fuisse. Contrà autem Rotomagensis Archiepisco-
507 n. 6. 7 pus, cujus electionem confirmare abnuebat Grego-
Regest l. 7. rius VII. illegitimus prorsus erat. *Audivimus Roto-*
Epist. 1. *magensem Archiepiscopum Sacerdotis filium esse: quod si verum deprehenditur, noveris promotioni illius nos assensum nequaquam tribuere.* Idem æstimandum de Arnulpho Patriarcha Hierosolymitano, cujus ea- Guibert. Ab-
dem causa electio rescissa est. Huic horum decre- bas. Gesta
torum interpretationi fidem & auctoritatem con- Dei per
ciliabit Canon Concilii Pictaviensis anni 1078. cui Fran. l. 8.
præfuit Legatus ejusdem Gregorii VII. & cujus ip- c. 1.
se meminit in Epistola quadam sua. *Ut filii Presby-* Extra De
terorum, & cæteri ex fornicatione nati ad sacros gradus filiis Presb.
non proveh antur, nisi aut Monachi fiant, aut in Con- c. 1.
gregatione Canonica regulariter vivant. Prælationes verò nullatenus habeant.

IV. Nec illud tantùm in hoc Canone observari volo, quod spurii tantùm Presbyterorum & majorum quorumcumque Clericorum filii irregulares sint: verùm etiam quod 1. Solis sacris Ordinibus excludantur. 2. Eam irregularitatem expungi potuisse professione Religiosa, sive inter Monachos, sive inter Canonicos Regulares. Vidimus suprà non semel alterutra hac professione faciliorem evasisse dispensationem. Altera quippe quasi generatio hæc erat, & hominis totius innovatio, priorum expunctrix macularum. Cùmque secessus ipse & segregatio regulares subduceret hominum conspectui & contubernio, hinc prævertebatur quidquid offendiculi nasci potuisset ex eorum infamia natalium. 3. At quanquam ad Ordines sacros purgetur irregularitas per Religiosam professionem, non tamen ad Prælaturas. In promptu est ratio; quòd Prælatura rursus immergatur quis contubernio sæcularium, eoque refricari possit memoria, & offensio maculosæ originis.

Eum Canonem in Epistola quadam sua contexuit Append.
Urbanus II. ubi & eam dispensationem significat Epist. 17.
indultam fuisse ei eruditionis & pietatis copiæ singulari, qua plerumque eminent viri religiosi. *Pro religionis ac scientiæ prærogativa.* Addit porro & rationem aliam. Nempè quòd hi paternæ successioni nuntium remiserint. Jure enim timebatur, ne si Beneficiario patre nati Clero cooptari possent, in
Beneficia quasi hæreditario jure invaderent. *Quia* Can 14.
patrum peccata cum sæculi possessionibus abdicarunt. Statutum idem innovatum est in Concilio Melphensi, Can. 15.
cui idem Pontifex præerat anno 1089. similiter & in
Claromontano anni 1095. Sed additus ibi & alius Can. 11.
Canon, quo laicorum quoque spuriis filiis, & Ordinum aditus sepiebatur, & professione Monastica pandebatur. *Ut nulli filii concubinarum ad Ordines, vel aliquos honores Ecclesiasticos promoveantur, nisi Monachaliter, vel canonicè vixerint in Ecclesia.*

V. Tam frequentes Synodi Canonesque argumenti satis habent, ut intelligamus, eos necessariò tunc obices objiciendos fuisse latissimè serpenti Clericorum incontinentiæ. Plura jam indagitavimus novæ disciplinæ Capita, quæ tunc demum astrui necesse fuerint, ut novis morbis nova adhiberentur medicamenta. Et istud ergo in iis numera-
bitur. Qui Urbano II. in Petri sedem successit Pas- Epist 99.
chalis II. tantam colluvionem Presbyterorum, alio- 102.
rumque Clericorum hac originis infamia conspersorum in Angliam omnem exundasse expertus est, ut tolerandos sibi necessariò duxerit Presbyterorum & Diaconorum filios hac irregularitate contaminatos, dum susceptis jam Ordinibus contenti ad superiores ne anhelarent. Concessum ergo ab illo est Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, ut in his pro arbitrio suo dispensaret, dum uni serviret temporum necessitati, & utilitati Ecclesiæ, atque operam daret, ne quid hinc præjudicaretur revocandæ posthac Canonum observantiæ. *De Presbyterorum filiis, &c. Quia in Anglorum regno tanta hujusmodi*

plenitudo est, ut major pene & melior Clericorum pars in hac specie censeatur, nos dispensationem hanc sollicitudini tuæ committimus, &c. Pro necessitate temporis & utilitate Ecclesiæ. &c. Ut in posterum constitutionis Ecclesiasticæ præjudicium caveatur.

VI. Probabile cum primis est, has Anselmum dispensationes ea conditione arctasse, ut ne filii in parentum Beneficia succederent: id enim ille caveri & constitui curavit in Concilio Londinensi anno 1102. *Ut filii Presbyterorum non sint hæredes Ecclesiarum patrum suorum.* [Can. 7.] Id præ cæteris Præsules contendebant, in hac tota Disciplinæ purgatione, ut ne quasi hæreditario jure ad Beneficia venireiur. Hinc & exorta lex, quæ postea paternis Beneficiis filios exclusit. Emicabit id prorsus ex Concilio Nannetensi, anni 1127. cui præfuit Hildebertus Archiepiscopus Turonensis; nec enim harum calamitatum expers omnino fuerat Gallia. *Ordinari filios Sacerdotum, nisi prius Canonici Regulares aut Monachi fierent, Synodus interdixit. His autem quos jam ordinatos constabat, abolendæ successionis intuitu, in Ecclesiis quibus patres eorum ministrarent, ministrandi absolutam facultatem Præbendas & quasi hæreditate obtineri.* Ita pari libertate in Gallia Angliaque dispensatio adhibita.

VII. At in Concilio Lateranensi II. anno 1139. sub Innocentio II. primævus Canonum vigor redintegratus est, abolitæque dispensationes omnes, nisi ad Monachos Canonicosque Regulares, qui filii Presbyterorum etsi essent, ad sacros tamen Ordines admitti possent. *Presbyterorum filios à sacri altaris ministeriis removendos decernimus, nisi aut in Cœnobiis aut in Canonicis religiosè fuerint conversati.* [Can. 21.] In Concilio Abrincatensi anno 1172. prohibitum rursus est ne filii parentibus in Beneficia succederent: *Filii Sacerdotum non ponantur in Beneficiis parentum.* [Can. 2.] Concilium Londinense anni 1175. ea decreta lenivit hoc temperamento, Ne immediatè in paterna Beneficia filii subrogarentur. *Ne filii Sacerdotum in paternis Ecclesiis amodo personæ instituantur, nec eas qualibet occasione, media non intercedente persona, obtineant.* [Can. 1.] Voces ex *Persona* & *Vicarius* opponuntur, ut alibi dictum est à nobis; conjici vero hinc possit, Londinensi hunc forsan Concilio minimè displiciturum fuisse, si ejusdem Beneficii cujus pater Persona, hoc est Titularis & Caput fuisset, esset postea filius Vicarius. Eadem hæc porro temperamenta gemina in Decretalibus Epistolis Alexandri III. observare est. [Extra. De filiis Presb. c. 1. & seq. [illegible]] Ibi enim manifestè necesse est, ut filius patri succedere probibeatur: 1. ut pater *Persona, vel Vicarius perpetuus* fuerit. 2. ut *media non intervenerit persona.* 3. Ut filius sit *in Sacerdotio genitus.* 4. Hac irregularitate Presbyteratus tantum & Diaconatus aditum præcludi. 5. Sicubi autem idem Pontifex Personas & Vicarios promiscuè habere videtur, id rapi debet ad Vicarios perpetuos.

VIII. Sed illud potissimum in hujus Pontificis Decretis animadverti necessum est, quod in immediata filiorum successione in paterna Beneficia, filios legitimos & illegitimos promiscuè habet, omnesque ex æquo excludit. Et sanè cum eo collimetur, ut ne quasi hæreditarias in possessiones involent in Beneficia, indiscriminatim arcendi sunt filii quicumque. *Si qui filii Clericorum teneant Ecclesias nulla persona media, in quibus patres eorum ministraverant, tanquam persona, vel Vicarii, sive geniti fuerint in Sacerdotio, sive non, ab ipsis Ecclesiis non differas amovere.*

IX. His igitur gradibus perventum est ad hanc posteriorum sæculorum Disciplinam. 1. Ut effrænis & torrens incontinentia Clericorum sisteretur, redundare placuit parentum pœnam & infamiam in filios. 2. Accessit altera necessitas prohibendi, ne Beneficia hæreditariis successionibus accenserentur. 3. Cùm ne ad legitimos quidem filios Beneficia instar hæreditatum transfundi possent, hinc data occasio, ut & immediatè in paterna vocari Beneficia prohiberentur. 4. Ad omnes prorsus illegitimos filios eadem dilatata est irregularitas, ut laicorum etiam illegitimi filii irregulares jam essent, qui antè non fuerant. Nec enim possunt justæ non videri pœnæ, quibus & laïcorum incontinentia coërcetur. Ita sancitur in Concilio Dalmatiæ anno 1199. *Filii Presbyterorum & qui de legitimo non sunt nati matrimonio ad sacros Ordines non accedant.* [Can. 11.] In Concilio Lateranensi IV. anni 1215. legitimi & illegitimi filii indiscriminatim vetantur in paterna succedere Beneficia, idque in Ecclesiis Collegialibus & Cathedralibus, [Can. 31.] ubi ne alias quidem Præbendas obtinere permittuntur eodem tempore quo pater: *Ne Canonicorum filii, maximè spurii, Canonici fiant in sæcularibus Ecclesiis, in quibus instituti sunt patres.* [Extra. De Prabend. c. 15.] Innocentius III. ei Concilio præerat, & hunc Canonem promulgans, luculenta hac eum ratione illustrat, non debere impuro patri impurum ministrare filium in Sacerdotio virgineo Agni immaculati. Concilium Londinense anni 1237. detestatur illegitimos, qui in paterna succedere gestiunt Beneficia, cùm nec legitimis id concedatur. *Ut in eis etiam sit interdicta successio sobolis bene nata.* [Can. 17.] Concilium Langeacense [Can. 4.] anni 1278. vetuit nequid amplius Clerici majorum Ordinum spuriis legare possent filiis: si facerent, legata addicerentur Ecclesiæ. Lambethanum denique Concilium anno 1281. promiscuè damnavit filiorum qualiumcumque successiones in paterna Beneficia. [Can. 23.]

X. Ne illud quidem addubitari fas est, illegitimis Presbyterorum filiis, quorum irregularitatem hactenus pedetentim prosequuti sumus, annumerati debuisse eos etiam, qui ex legitima uxore geniti essent in Sacerdotio. Ita enim Canones testatum fecere, sufficere ut *in Sacerdotio geniti* essent. [Extra. De filiis Presb. c. 14.] Speciali nihilominus ea de re Clemens III. promulgavit Decretum, ubi viam illis sepit ad Ordines & Beneficia, nisi dispensatio illam pandat. Quin & dispensationum ejusmodi in hoc ipso decreto specimen quoddam ipse dedit, ut ne dispensatio ea desperetur. 2. Honorius III. uni summo Pontifici eam servat integram facultatem, ut immediatè filius patri succedere permittatur in Beneficio. 3. Gregorius IX. per Epistolas Archiepiscopum Turonensem admonuit, illegitimos solius Romani dispensatione Pontificis admitti posse ad Dignitates, Personatus & Parochiales Ecclesias. [Ibid. c. 17. 18.] Quæ duo Decreta ei Regulæ juris innixa videbantur, De Conciliorum Generalium Decretis solum posse Pontificem Romanum dispensare, nisi siquid aliter caverint Concilia ipsa. 4. A Bonifacio VIII. declaratum est, posse Episcopos ex dispensatione illegitimis permittere, ut minoribus Ordinibus, & simplicibus Beneficiis donarentur. [In Sexto. De filiis Presb. c. 1.] Si quibus dubium fuit an ea potestate in Sexto collata uti possent Episcopi Galliarum: ii non satis perpendisse videntur, plurimum abesse, ut Sextus Decretalium liber in Gallia omnino non admittatur: suis quippe ipsa refragaretur commodis & libertatibus, si quæ his vehementer consentanea & Episcoporum potestati conducibilia

in eo statuuntur, ipsa repudiaret. Quin & in eo aberrarunt à vero, cum hanc Bonifacii VIII. novam esse concessionem augurati sunt. Nascitur enim illud necessariò ex Constitutione Gregorii IX. quam modò laudavimus, & ea infinita quadam Canonum sylva suprà congestorum, ubi illegitimorum natalium irregularitas ad sacros Ordines arctata fuit, ad Canonicatus, ad Dignitates & Parochias. Denique cùm sinerentur Ordinibus ornari minoribus, necesse erat ut & simplicibus sustentari possent Beneficiis, cùm minores ipsi Ordines Clericos affigerent Ecclesiarum ministerio, propè dixerim Beneficio, quo vicissim alerentur. Denique verba ipsa Bonifacii fidem facere videntur, nihil novæ potestatis ab eo Episcopis adjici. *Dummodo sit tale, super quo valeat per Episcopum dispensari.*

XI. Non ergo nova ea fuit dispensandi potestas à Bonifacio Episcopis concessa: quanquam ita visum sit Canonistis non paucis. Sicut nec dispensatione ulla olim Felix, Gelasius, Agapetus & Sylverius ad Petri sedem Apostolicam evecti sunt, quanquam patre Presbytero, vel Episcopo geniti essent: etsi secus senserit Ivo Carnutensis, nec adverterit non esse ab Ecclesia Presbyterorum liberos irregularibus annumeratos, nisi longo post tempore, quàm illi Pontifices vivere desierant. Sed iti

Marca Concord. l. 4. c. 14. n. 6. sunt indeclinabiles scopuli, in quos non possunt non quandoque illidi Canonum Commentatores, qui non ad ipsam usque superiorum temporum historiam, rerumque originem eluctantur, in aliis & aliis sacræ Disciplinæ capitibus perscrutandis. Est

Script. Ant. Angl. p. 532. inter Angliæ Historicos, qui quatuor his Pontificibus tres alios adjungit, Adeodatum, Theodorum, & Adrianum IV. quorum parentes Episcopos fuisse ait, vel Clericos certè majores; ex quibus illud tandem conficit, potuisse Archidiaconum Conventriensem Cestrensem Episcopum ordinari, in locum patris sui. In eo multa peccat hic Scriptor, qui spurios Clericorum majorum filios non sejungit à legitimis: cùm illi sint, hi verò nequaquam sint irregulares; quanquam immediatè succedere nequaquam possint parentum Beneficiis. Roscelinus Canonicus Compendiensis & Caput nascentis Nominalium Philosophiæ, nihilo oculatior erat in hac irregularitatum sylva, ne dispensatione quidem

Hist. Univ. Paris. To. 1. pag. 491. Spicil. To. 3. Presbyterorum filios ordinari posse, dum clamitat: unde & damnatus est in Concilio Suessionensi anno 1093. ut plurium novitatum artifex. Oxfordiensis quidam Professor calamum in eum strinxit, ut demonstraret ordinari posse Presbyterorum filios, quantumvis illegitimos. In extremos & è diametro oppositos errores abierunt duo illi Scriptores Angli. Litem eam diremit Urbanus II. in Concilio Claromontano, irregulares eos pronuntians, sed Religionis professione eam maculam abstergeri, ut suprà dictum est.

XII. Propiùs jam ad nostra tempora moliendus est gradus. Ubi animadvertit Clemens VII. abuti complures licentia ea quam fecerat Alexander III. ut illegitimi filii in patrum Beneficia succederent,

Bullar. Tom. 1. dum ne immediatè: anno 1530. diploma Pontificium promulgavit, quo successiones istiusmodi omnes proscripsit, seu mediatas, seu immediatas. Infanda prorsus ludificatione & corruptela, parentes Beneficia amico cuidam subornato resignabant, qui mox ea rursum nobo eorum filio restitueret.

Sess. 25. c. 15. XIII. Concilii Tridentini Patres, quo propudiosæ Clericorum incontinentiæ notas & vestigia abstergerent omnia, vetuere ne illegitimi Clericorum filii Beneficia ulla cujuscumque demum generis in ea obtinere possent Ecclesia, ubi obtineret, vel obtinuisset pater eorum, sive idem, sive aliud quodcumque, adeoque nec pensiones in Beneficia, quæ ille vel obtineret etiamnunc, vel antè obtinuisset.

Cùm autem ex hoc gemino Clementis VII. & Concilii Tridentini Decreto illud dubium emer- *Fagnan. in L. 1 Decret. Par. 2. pag. 322.* sisset, an filius legitimus illegitimi filii Beneficiarii, possit succedere in Beneficia avi: responsum est à Gregorio XIII. consulta priùs Congregatione posse. Ex quo argumentari fas est, multo magis posse nepotem avo succedere legitimum. Quod & in nepotibus collateralibus multò manifestius; quanquam ante Decretum Gregorii XIII. in his quæstionibus omnibus opiniones fuissent inter Canonistas. Nec illud tacendum est, jure cautum nunquam fuisse, ut ne pater filio in Beneficium succederet, seu legitimo, seu spurio. Sed multò probabilius est post Tridentinum non posse patrem Beneficium obtinere in ea Ecclesia, ubi filius spurius jam obtineat.

Adnotantur à Fagnano capita sex, quibus hoc Clementis VII. Decretum, & Concilii Tridentini Constitutio Jus Decretalium coarctarunt. 1. Jure communi Decretalium non erat satis exploratum, quòd successione Beneficiorum prohiberentur filii illegitimi omnium Clericorum: cùm soli Presbyteri plerumque ea quidem in re caperentur. 2. Sola olim immediata prohibebatur successio. 3. Poterat filius obtinere Beneficium, non paternum, sed aliud quodvis in eadem Ecclesia. 4. Poterat filius in ea Beneficium gerere Ecclesia, in qua pater Vicarius fuisset temporarius. 5. Poterat vicissim filius temporarius esse Vicarius ejus Ecclesiæ, cujus esset vel fuisset Beneficiarius ejus pater. 6. Poterant filio adsignari pensiones in paternum Beneficium. Atqui decretis Clementis VII. & Tridentini omnium prorsus Clericorum illegitimi filii implicantur; & quinque illa alia hæc capita prohibita sunt. Anno 1581. Concilium Rotomagense, & Burdigalense anno 1583. decreta edidere simillima his Clementis VII. & Tridentinis placitis.

XIV. Segregandi necessariò fuere illegitimi Presbyterorum, cæterorumque Clericorum filii à spuriis Laïcorum; quòd speciales sint rationes, quæ ad solos se exporrigant Clericos. 1. Illegitimi sunt Clericorum filii post Ordines sacros susceptos, quanquam legitima & justa ex uxore nati, ante ordinationem ducta. 2. Quo primùm tempore hæ Constitutiones novæ in illegitimos circa annum millesimum editæ sunt, plerique Beneficiarii conjuges duxerant, nec in tanta rerum omnium perturbatione facilè poterant secerni legitimæ conjuges à concubinis. 3. Etiam tum cum constabat legitimas esse uxores, jam certum fixumque erat Ecclesiæ non amplius pati, ut Beneficiarii filios procrearent, etiam in minoribus Ordinibus. Et hæc sanè origo est novæ hujus disciplinæ, quæ Beneficia & conjugia sociari jam omnino non patitur. Expedita & obvia ratio est, quòd non aliter prohiberi posset, ne hæreditaria evaderent Beneficia. Id verò malum omnino præverti necesse erat, postquam Beneficia, non jam ut olim distributionibus & sportulis constarent, sed terris, latifundiis & opulentis possessionibus. 4. Si Canonicis quibus nulla sacrorum Ordinum necessitas incumbebat, licentia conjugii data fuisset, quis non sentit Præbendas omnes Ecclesiarum liberis eorum & nepoti-

bus quasi hæreditario jure cessuras fuisse? 5. Qui Parochias & Dignitates Ecclesiarum obtinebant, ægrè & vix imperassent sibi, ut conjugio abstinerent, si cœlibatûs lege solutos tam multos alios conspexissent Beneficiarios. Perspicua in eo est de-
Can. 1. finitio Concilii Londinensis anno 1175. *Si infra Subdiaconatum constituti matrimonium contraxerint, ab uxoribus suis, nisi ad Religionem transire voluerint, nullatenus separentur; sed cum uxoribus viventes, Ecclesiastica Beneficia nullo modo percipiant.*

XV. Redeo ad illegitimos Laicorum filios. Narrat Continuator Aimonii anno 991. in Concilio Remensi depositum fuisse Arnulphum Remensem Archiepiscopum, quòd concubina matre natus esset. *Dicens non debere esse Episcopum natum ex concubina.* Noluit Gregorius VII. acquiescere cessioni Episcopi Arragonii, quamvis Sancii Regis precibus interpellatus: propterea quod duo illi, quorum alterum à Pontifice deligi Rex & Episcopus flagitabant, illegitimi ambo essent, quamvis alioqui cla-
L. 1. Ep. 50. ri essent virtutibus. *Propterea quod de concubinis nati erant.* Contestabatur Pontifex non posse se ea in re veniam facere Canonum, propterea quod Sedes Apostolica præteritos errores ex indulgentia persæpè tolerat: at in futurum licentiam peccandi in
Ibidem. Canones non unquam concedit. *Ne quidquam à nobis contrarium sanctis Patribus, in exemplum & authoritatem posteris relinquatur. Solet enim sancta & Apostolica Sedes, pleraque considerata ratione tolerare; sed nunquam in suis Decretis & Constitutionibus à concordia canonica traditionis discedere.* Inclinatiora jam
Epist. 15. erant ad dispensationes tempora Gregorii IX. unde & admisit ille postulationem spurii, sed virtutum suffragio ad Episcopatum Zuverinensem vocati.

Quo prætereà exemplo patet ad ampliores dignitates Pontificia dispensatione opus fuisse. Contrà autem anno 1233. in Concilio Biterrensi confirmata est Episcoporum potestas dispensandi ad Clerica-
Can. 7. tum. *De libero utero & de legitimo matrimonio sit procreatus, nisi ex causa visum fuerit Episcopo loci super procreatis ex contubernio dispensandum.* Memorat Matthæus Paris, ut in extremum se vitæ discrimen conjecerit Legatus Pontificius post Concilium Londinense anni 1237. ubi pluralitatem Beneficiorum proscripserat, & colluvionem illegitimorum, qui ea obtinebant. Inde patet quàm necessum fuerit, uni Pontifici integram servari dispensationem de majoribus Beneficiis.

Can. 12. Veritum est in Concilio Salmuriensi anni 1253. ne in album Canonicorum Cathedralium referrentur, nisi legitimè nati. Anno 1240. declaravit Gregorius IX. quam ipse concesserat ad omnes Ecclesiasticas dignitates dispensationem Francorum Regis Philippi filio illegitimo, ampliari non posse ad Episcopatum: quòd in turba & congerie sacrarum etiam dignitatum non sit Episcopatus, sed eminens & extra, ac nominatim semper exprimendus. *Dispensationes enim, quæ defectum natalium patientibus, super dignitatibus & honoribus generaliter conceduntur, non extenduntur ad Episcopatus, nisi de ipsis specialiter*
Raynal. an. 1240. n. 31. *exprimatur in eis.* Ita tunc non potuit ille ad Episcopatum Noviodunensem pertingere, ad quem electus fuerat: sed postea pertigit anno 1243. dispensante Innocentio IV. in gratiam sancti Ludovici Regis.

Hinc sanè liquet ad superiora Beneficia dispensare solitam in defectu natalium Apostolicam Sedem. Sed permirum prorsus est, quod ait Matthæus Paris Gregorium IX. primum Apostolicæ Sedi reservasse potestatem dispensandi cum illegitimis ad Prælaturas. *Gregorius IX. Decretales Gre-* *Anno 1235.*
gorianas divulgari præcepit, in quibus quadam innovavit, ne scilicet illegitimi Prælatias, vel Ecclesiastica Beneficia nisi adepta à Sede Romana legitimationis dispensatione obtineant.

Multò forsan mirabilius accidet, quod rescribens ad Lucium Papam Stephanus Tornacensis pro Cancellario Franciæ, quem nonnullæ Regni Ecclesiæ renuebant adgregare sui Cleri Collegio, quòd defectu natalium laboraret; has ille sugillat Ecclesias, tanquam ridiculis & inanibus observantiunculis inhærentes, unde & vel has abrogari postulat, vel cum Cancellario dispensari. *Quoniam in Regno* *Epist. 69.*
Francorum aliqua Ecclesia quadam scrupulosa nobilitate, gloriosam ut æstimant sibi consuetudinem assumpserunt, ne aliqui nisi ex licito complexu geniti promoveantur in eis, meritorum & virtutum excellentiam origini postponentes, prædicto Cancellario superbè potiùs quàm superne titulum nativitatis obiiciunt, ne vel ad eos accedat, vel inter eos ascendat. Verum pater legibus Ecclesia Romana non subditur, potens si volueris, vel eis derogare in partem, vel eas penitus abrogare.

Hinc porro existit usque ad finem sæculi XII. irregularitatem ex defectu natalium emergentem, multis in Ecclesiis novam, inauditam, inusitatamque fuisse; ideoque conducibile fuisse, ut ejus dispensatio summo Pontifici reservaretur, saltem ad illustriora Beneficia; at in minoribus Beneficiis dispensasse Episcopos antiquo suo jure. Hoc porro exemplo Stephani Tornacensis apertum est, ad summum Pontificem recursum fuisse ad has eblandiendas dispensationes, quibus Ecclesia de Regibus benemereretur, & eorum patrocinium ac tuitionem in difficillimis temporibus sibi suis conciliaret.

Ejusdem generis fuit & dispensatio, quam ab *Order. Vital.*
Innocentio II. expressit Rex Angliæ pro Bajocensi *Anno 1135.*
Episcopo, cui manus imponere recusaverat Rotomagensis Episcopus, quòd infamia natalium laboraret. Præter regulam illam generalem, quæ Pontifici vendicat dispensationes de Decretis Conciliorum Generalium: non pœnitebit hanc aliam reservandi rationem observasse, ea usu inolescente paulatim, & convalescente tandem aliquando, ut ad eum recurrant Reges, Principes, & Episcopi ipsi.

XVI. Cùm Lateranensis III Concilii Canone *C. Cum in*
sub Alexandro III. imperatum sit, ut qui in Episcopum eligendus est, *ex legitimo matrimonio sit natus*: existimatum est à Canonistis quibusdam, Episcopum esse non posse, qui ex soluto & soluta natus, ex subsequuto postea conjugio legitimus evaserit. Ut communior tamen, ita & probabilior est *Fagn. l. 1. part. 2. pag. 37.*
contraria sententia; quòd matrimonio macula illa extergatur. Edita est anno 1588. à Sixto V. Constitutio pro Ecclesia Hispaniæ Valentina, qua prohibetur, ne qui restituti natalibus & legitimi declarati fuerint a Pontificibus, ab Imperatoribus & Regibus, possint in ea Ecclesia Canonicatus consequi, vel Dignitates. Sed ingenuè confitendum est, hanc per diplomata Principum restitutionem ne accedere quidem posse ad eam quæ fit per matrimonium ipsum.

cunctis De electione.

Ediderat & aliam idem Sixtus V. Constitutionem, qua vetabat in Religiosas Congregationes admitti spurios, atque ita exuiverat eam Religiosæ professionis prærogativam, ut eâ defectus natalium expietur, prout compluribus supra decretis confirmatum est. Inde est quod eam Sixti

Fagnan. in L. 1. Decret. part. 2 pag. 314. 316. 319.

Bullam revocarit Gregorius XIV. Bulla sua *Circumspecta*. Consules si vacabit Bullarium.

Sed cùm ea natalium restitutio, quæ fit per professionem religiosam, non porrigatur ad Prælaturas, & ne ad Claustrales quidem, immo nec ad Monialium: ab eodem Gregorio XIV. concessa est Pœnitentiariæ Romanæ facultas, dispensandi cum Regularibus ad Prælaturas Claustrales: & cum Monialibus spuriis, ut Priorissæ & Abbatissæ possint creari; etiamsi eæ Prælaturæ sint triennales.

Caput *Veniens*, *De filiis Presbyterorum*. Speciem exhibet mirabilem prorsus & luculentam. Rescribit enim Alexander III. Episcopo Londinensi, si Clerico contulerit Capellam, à parente ejus immediatè priùs administratam, hujus obicis non nescius, jam in ejus potestate non fuisse, ut eam spoliaret; restituendam proinde illi eam esse, cùm eo demum Titulo Presbyter fuerit ordinatus. Si verò nescius esset Capellani prioris hunc esse filium, cùm Capellam ei contulit: permittendam esse, ut ejus proventibus victitet, dum aliud aliquid Beneficii ei conferat. Cùm in hac quidem re dissensio sit inter Juris Canonici interpretes, an possit Episcopus ex dispensatione concedere legitimo filio paternum immediatè Beneficium, visum est Fagnano, in hac sententiarum inter doctos alternatione potuisse Episcopum dispensare. Verùm Canonistæ qui in hoc vado æstuant, non paulò posteriores sunt tempore hujus Decreti, & facti de quo in eo agitur. Ingenuè ergo confitendum est necdum eam dispensationem reservatam fuisse tunc Pontifici: & ne hic quidem etsi invitaret occasio, hanc illum sibi reservare. Mirabilior multò res esset, si filius is fuisset spurius. Sed circumstantiæ tam conspicuæ utique meminisset Pontifex author decreti. Cæterùm jam nemini dubium est, quin à Tridentino Concilio Capitis hujus *Veniens* abrogata sit dispositio: cùm tot ibi quæsitæ sancitæque sint cautiones, ne patri unquam in eadem Beneficia filius succedat.

Ibidem. pag. 318. 319.

De Neophytis & Laïcis, eorumque irregularitate, media & postrema ætate Ecclesiæ.

CAPUT. LXXXV. *P. 2. l. 2. c. 24.*

Neophytorum & Laïcorum irregularitas, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Quàm finitimæ sibi sint irregularitates Neophytorum, Laïcorum & Illitteratorum.

II. Æstuans Gregorii Magni zelus in Neophytorum Ordinationes.

III. IV. Maxime in Gallia. Quibus pugnet rationibus.

V. Concentus hodiernorum Neophytorum, cum illis quos exagitat Paulus.

VI. Hujus Regula dispensationis legitima.

VII. VIII. Quæ interstitia alia aliàs observata sint, nunc mitescente jure, nunc recrudescente.

IX. Mira Concilii Epaonensis austeritas.

X. Dispensationes à Conciliis concessa, ubi necessaria visa sunt.

XI. Decreta Hormisdæ Papæ.

XII. Justinianæ in hanc rem leges.

XIII. Præstantissimi Episcopi, è laicis delecti.

I. NOn supersunt jam nobis, nisi Neophyti, Laici & Illiterati ex illis irregularium classibus apud Concilium Toletanum IV. *Neophyti, Laici, Inscii litterarum.* Est sanè inter hos magna cognatio: & sejungi vix possunt laïci à Neophytis; quibus utrisque viam ad sacros Ordines una maximè intercludit imperitia sacræ disciplinæ. A Laicis & Neophytis exordiemur, ut per otium postea liceat immorari expendendæ doctrinæ & eruditioni, qua Clericos & Beneficiarios, ceu necessario instrumento, communiri necesse erat. In prima ætate Ecclesiæ perlustranda Neophytos Hæreticis permiscuimus, quòd iis reapse persæpe à Conciliis & Patribus permixti fuerint, quando nimirum errori suo non veniam, sed patrocinium quærebant, quasi in leges Ecclesiæ nihil commisissent. Cùm ergo prima Ecclesiæ ætas & ejus in Neophytos disciplina profligata jam sit, ad mediam & ad postremam ætatem jam delabemur.

II. Abdicationem & anathema intentat Gregorius Magnus Episcopis, Laicis, Clericisque, qui Laïcum Episcopali sedi intrudere machinabuntur, quamvis sanctitatis laude & suis in Ecclesiam obsequiis inclytum. Pœnæ enormitas flagitii gravitatem prodit. *Provisuri ante omnia ne cujuslibet vitæ vel meriti laïcam personam præsumatis eligere, &c. Ab officio & à communione alienos faciendos procul dubio noveritis omnes, quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit.* *L. 1. Ep. 19. 27.* *3. Ep. 39.*

III. Nihil in prætermittis reliquit Gregorius, ut eum abusum extirparet ex Ecclesia Gallicana, in qua altiores egerat radices. Excitavit per Epistolas Arelatensem Archiepiscopum, cui vices suas in Galliis legaverat, ut Regem interpellaret, animaretque ad ejus corruptelæ expurgationem: *Nobis res est valde detestabilis nuntiata, quod quidam ex laico habitu per appetitum gloriæ temporalis defunctis Episcopis tonsurantur, & fiunt subitò Sacerdotes, &c. Qua de re necesse est ut fraternitas vestra præcell. fil. nost. Regem Childebertum admonere studeat, ut hujus peccati maculam à regno suo funditus expellat.* Et idem rursum Gregorius præclarissimè: *Qui miles nunquam extitit, Dux Religiosorum fieri non pertimescit? Quam iste prædicationem habiturus est, qui fortasse nunquam audivit alienam? Aut quando aliena mala corrigat, qui necdum sua flevit?* Denique Neophyti, quos lancinabat Paulus, ex laicis illi quidem erant; at in quos stomachabatur Gregorius, erant ii certè ex recentioribus Clericis. Olim enim Neophyti dicebantur, qui nuper ad fidem Christi accesserant: at postea dicti sunt eo nomine, qui ad pietatem & ad Clerum è grege fidelium non ita pridem se aggregaverunt. *Et cùm ad sacros Ordines Paulus Apostolus Neophytum venire prohibeat, sciendum nobis est, quia sicut Neophytus tunc vocabatur, qui adhuc noviter erat eruditione plantatus in fide, ita nunc Neophytus deputandus, qui adhuc novus est in sancta conversatione.* *L. 4. Ep. 50.*

IV. Scripsit idem ipse invictæ constantiæ Pontifex ad Regem Childebertum, & ad Reginam Brunechildem, ut eos commonefaceret, ponenda autè esse militiæ etiam cœlestis tyrocinia, quàm dux & præfectus quisquam creetur; ediscendam antè, quàm docendam Ecclesiæ disciplinam: si essent ex laicis, quos jure augurarentur moderando Ecclesiæ clavo idoneos fore, antè probandos tamen illos esse, & imbuendos iis disciplinis virtutibusque, quarum Magisterium postea profiteri possent. *Si cujus ergo vita talis constiterit, ut ad hunc dignus sit Ordinem promoveri, priùs Ministerio debet Ecclesiæ deservire, quatenus longa exercitationis usu videat quod imitetur, & discat quod doceat: ne forte onus regiminis* *L. 4. Ep. 53. L. 7. Ep. 5.*

conversionis novitas non ferat, & ruina occasio de provectus immaturitate consurgat.

L. 7. Ep. 111. V. Indefessa denique sollicitudine scriptitavit ad Episcopos Galliæ Gregorius, si Paulus sacris Ordinibus interdixisset Neophytos, hoc est, nuper fidei adgregatos laïcos; eodem jure, eademque necessitate compulsam postea fuisse Ecclesiam, ut à sacris Ordinibus summoveret eos, qui nuper ex laïcis ad Clerum accessissent. Quòd perversum esset inde auspicari cursum, ubi terminandus est; & ad summas dignitates non per gradus iter moliri, sed involare. *Neophytum Paulus ad Ordines vetat sacros accedere. Sicut autem tunc Neophytus dicebatur, qui initio in sancta fidei erat conversatione plantatus; sic modò Neophytus habendus, qui repente in Religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinatè ergo ad Ordines ascendendum est. Non casum appetit qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum.*

VI. Sicubi tamen justa immineret necessitas, contrahebat Gregorius sacrorum Ordinum stata intervalla. Cùm jamdiu Episcopo vacaret quædam in Samnitibus Civitas; ad Firmanum scripsit Pontifex Episcopum, ut virum probum, qui proponebatur, excuteret sedulò, & si idoneum judicaret, invitaret eum ad Monasticam professionem, vel Subdiaconatu initiaret, & aliquanto pòst tempore
L. 9. Ep. 13. pastorali eum sarcina ornaret. *Tunc hortandus est ut vel Monachus, vel à vobis Subdiaconus fiat; & post aliquantulum temporis, si Deo placuerit, ipse ad Pastoralem curam debeat promoveri.* Ex minoribus Ordinibus unum hic Gregorius præscribit Subdiaconatum, cui tamen ipsi Monasticam præferebat professionem, ut qui Episcopatui gerendo idoneus visus erat, quamprimum tantæ dignitati pararetur.
Baron. an. 614. n. 1. Observatum est à Baronio Adeodatum Papam ex Subdiaconis primum fuisse electum.

VII. Scriptor ipse vitæ Gregorii Diaconatu eum initiatum fuisse meminit, de minoribus Ordinibus
L. 1. c. 25. altum illi silentium. Fulgentium ab Episcopo suo narrat Ferrandus Presbyterum Ordinatum fuisse,
Cap. 15. ut mox Abbatem crearet: *Repente eum Sacerdos consecrat Presbyterum, ut Abbatis & Presbyteri decoratus officio, &c.* Hæc ille in vita Fulgentii. Sed supponenda hic est Diaconatûs prior collatio. Id à simili argues ex Cæsario Arelatensi postea Archiepiscopo, quem tum adhuc juvenem Eonius Arelatensis Archiepiscopus Lerinensi subduxit Monasterio, statimque Diaconum, mox Presbyterum ordinavit.
L. 1. c. 4. Ita authores ejus vitæ: *Illico primum Diaconus, deinde Presbyter ordinatur.* Cæsarius certè cùm à puero attonsus fuisset ab Episcopo suo, non temerè jam tum existimatur Lectoris Officio donatus. Eutychius ille, in ore & admiratione quondam omnium, cùm assensus tandem expugnatus ei esset, ut Episcopatum gereret, attonsus primùm fuit & creatus Lector, deinde Diaconus, tum Presbyter, ubi annum ætatis trigesimum nactus est. Eo quidem
Vita Eutyc. c. 10. 11 12 apud Sur. die 6. April. tum Episcopatu frustratus est, sed Constantinopolitanæ sedis tandem aliquando fastigium est adeptus. His exemplis liquet Monasticum persæpè institutum minorum Ordinum vicem obtinuisse.

VIII. Profert à Gregorio Turonensi ejusmodi Neophytorum ordinationis exemplum, quæ tam frequens & tam justa Gregorio fuit causa succensendi. Singuli tamen Ordines conferebantur suo quisque loco, sed brevissimo tempore. Cùm Badegisilum Majorem Palatii Rex ad Cenomanensem delegisset Episcopatum, quadraginta dierum spatio omnibus Ordinibus inauguratus est, & tantula temporis mora ex laico in Episcopum emersit. *Qui tonsuratus, gradus quos Clerici sortiuntur ascendens, Post quadraginta dies, migrante Sacerdote successit.* L. 6. c. 9.
Sed idem ipse alibi Scriptor palam facit, quàm longa emetienda essent interstitia Ordinum, ut invidiam & probrum Neophyti quis declinaret. Vide enim ut Presbyterum inducat, sua ad Episcopatum impetrandum consilia, sua jura venditantem. *Nec* L. 4. c. 6.
me patitur Deus hac Ordinatione privari, cui tantum famulatum exhibui. Nam & ipsos Clericatus gradus canonicâ sum semper institutione sortitus. Lector decem annis fui, Subdiaconatus officium quinque annis ministravi, Diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui, Presbyterii autem honore viginti annis jam potior. Non satis liquet, utri horum adjungendus sit Eligius Noviomensis Episcopus, qui cùm laicus adhuc esset electus est Episcopus Verumanduorum, Tornacensium, Noviodunî Flandriæ, Gandavi, Cortraci, ut idololatriæ reliquias his regionibus pertinaciùs adhuc inhærentes persequeretur & elideret. Non acquievit tamen ille ordinari, nisi initio minoribus Ordinibus ducto. *Ne in ullo Catholica re-* L. 2. vitæ ejus. c. 1.
gula deviare videretur, non se permisit priùs Sacerdotem consecrari, nisi sub normula Clericatus aliqua temporis curricula exigeret. Simile veri est datum id fuisse, & ingentibus electi Præsulis virtutibus & urgenti Ecclesiæ necessitati, ut intervalla illa Ordinum arctarentur. In Bracharensi Concilio unus non amplius annus desideratus est, ut ex laico quis in Episcopum effingeretur. *Item placuit, ut ex laico* Can. 20.
ad gradum Sacerdotii nemo veniat, nisi priùs anno integro in officio Lectorum vel Diaconatus disciplinam Ecclesiasticam discat, & sic per singulos gradus eruditus, ad Sacerdotium veniat. Nam satis reprehensibile est, ut qui nondum didicit, jam docere præsumat.

IX. Concilio Epaonensi placuit, ut ne Clericatus quidem cuiquam conferretur, nisi præmissa Religione. *Ne laïcus nisi religione præmissa Clericus ordi-* Can. 37.
netur. Ei Canoni præfigitur hic Titulus, ex quo possit elucidari: *Laïci nisi præmissa conversione non ordinentur.* Quòd nimirum ad Clerum non admitterentur laïci, nisi sæculum abdicassent, & perspicuæ suæ ad Deum conversionis vitæ religiosæ specimen edidissent. Unius anni spatium desiderasse videtur Concilium Aurelianense III. ut laïcus conversionis suæ documenta det, & tum Clero Ordinibusque minoribus adscribatur. *De Clericorum præmittenda* Can. 6.
conversione, id omnimodis observandum; ne ullus ex laicis ante annualem conversionem ordinetur.

X. Sed legibus tam sanctis morigerari, etsi semper fuit voluntas, non semper facultas adfuit. Tam arcta enim nonnunquam incubuit necessitas, ut unius quandoque anni intervallo, fingendus, expoliendus, efformandusque fuerit ex laïco Clericus, Presbyter, adeoque & Episcopus. Professi sunt Arelatensis IV. Concilii Patres Canonicis regulis longum & operosum sanciri tyrocinium, sed rem contrahi & accelerari quandoque ejusmodi necessitate inexorabili, quæ dispensationem non posceret, sed extorqueret. *Et licet de laicis prolixiora* Can. 2.
tempora, antiqui Patres ordinaverint observanda, tamen quia crescente Ecclesiarum numero necesse est nobis plures Clericos ordinare: hoc inter nos sine præjudicio dumtaxat Canonum convenit antiquorum, ut nullus Metropolitanorum cuicumque laico dignitatem Episcopatus tribuat; sed nec reliqui Pontifices Presbyterii, vel Diaconatus honorem conferre præsumant, nisi anno integro fuerit ab eis præmissa conversio. Hæc delinea-

menta necessitas excusabat aliquanto tempore, intaminata semper vigente Canonum priscorum necessitate, ut redintegranda semper esset prior observantia, ubi illa necessitatis vis remisisset. *Sine præjudicio Canonum antiquorum.*

In Concilio Aurelianensi V. eidem subscriptum est dispensationi, annuum ut interstitio tyrocinii etiam ad Episcopatum proveherentur; interim autem pios doctosque juxta viros adhiberent, qui eos necessaria instruerent pro angustiis temporum, & pietatis & eruditionis & virtutum supellectile. *Nullus ex Laicis absque anni conversione præmissa Episcopus ordinetur; ita ut intra anni ipsius spatium à doctis & probatis viris, disciplinis & regulis spiritalibus plenius instruatur.* Hunc, ut suspicor, saltem probationis annum extundere nitebatur Gregorius Turonensis ab eo qui Episcopatûs Nannetensis prurigine tenebatur, ut remissis saltem & laxioribus Canonibus
L. 6. c. 15 motam gereret. *Habemus scriptum in Canonibus, fili, non posse quemquam ad Episcopatum accedere, nisi prius Ecclesiasticos gradus regulariter sortiatur. Tu ergo pete, ut qui te elegit, debeat tonsurare; cùmque Presbyterii honorem acceperis, ad Ecclesiam assiduus esto, & cùm eum Deus migrare voluerit, tunc facilè Episcopalem gradum ascendes.* Episcopi is erat Nannetensis nepos, quem sibi ille successorem dari percupiebat.

XI. Sermoni nostro de Occidentali in hac parte disciplina finem faciet Hormisda Pontifex, cujus verba exscripsisse videri posset Gregorius Magnus,
Epist. 15. à quo exordium duximus. *Discere prius quisque debet antequam doceat. Emendatiorem esse convenit populo, quem decet orare pro populo.* Addit porro antiquæ Legis Sacerdotes ex solis Levitis selectos fuisse, & jam inde à teneris unguiculis in Templo imbui solitos Sacerdotalium functionum rudimentis; quod illis erat nasci, hoc nobis est imbui & informari. *Nunc est doctrina pro genere. Quod illis fuit nasci, hoc nobis imbui. Illos Tabernaculo dabat natura, nos Altaribus parturit disciplina.*

XII. Ad Ecclesiam jam Græcam properemus, ubi non injuria Justinianus deridiculo habet extemporaneos illos Episcopos ex laicis pene hesternis.
Novel. 6. c. 1 *Neque ex idiota, & ex iis qui vocantur laici, existens, ita mox ad Episcopatum ascendat, nec imaginariam suscipiat ordinationem, tanquam modò quidem idiota, mox autem Clericus, deinde parvum aliquod tempus prateriens, Episcopus appareat.* Præclare quidem ille hæc præfatur, sed nihilo tamen minus eò res tandem revolvitur, ut semestre tantùm spatium ab eo deposcatur, ad secedendum in Monasterium, vel in Clericatum, cùm nusquam tantùm de vigore suo remisissent Canones. *Prius autem vel Monachicam vitam professus, aut in Clero constitutus, non minus mensibus sex.* In alia ille Novella tres tantùm menses desideraverat. Verùm in hac quidem parte desciivit
Novel. 123 c. 1. prorsus Justinianus ab officio Custodis & Conservatoris Canonum. Tam breve temporis spatium non respondet alteri ejusdem Constitutioni, ubi depromit verba quædam magnificentissima Gregorii Nazianzeni, adversùs eos Episcopos, qui nihil pensi habent, ut se ipsos antè quàm alios abluant; comparent prius sapientiam, & tum impertiant: divino se sanctimoniæ consortio quodam consecrent, & tum deificandis aliis studeant: posse enim testaceum vas uno die fingi, at non vas electionis, Apostolicumque Episcopum, cujus ministerium angelici, divini, Christi ipsius Ministerii & Pontificatûs portio quædam delibata est. *Mundari oportet primùm, ac deinde mundare; sapere, ac deinde sapien-* Novel. 137. c. 1. *tiam docere; lucem fieri, & postea illuminare, propinquare Deo, tum alios adducere, &c. Quis instar figuli uno ipso die fictilia sua tornantis, ita repente fingat veri cultûs Antistitem, cum Angelis stantem, & cum Archangelis laudes canentem, & Christo consacrificantem?* Quis enim æquo & sedato animo ferre possit Pastores eos, qui impuris manibus mundare alios aggrediuntur? Heri sacrilegos, hodie Pontifices? heri prophanos, hodie Presbyteros? inveteratæ malitiæ, virtutum vixdum tyrones: quos denique nemo non videt aura favoris, non Spiritu sancto afflante ad sacras infulas anhelare. *Simul discipuli & Præceptores ostenduntur, & priusquam purgati sint, purgant: heri sacrilegi, hodie Sacerdotes: heri extra sacra, hodie Præsules mysteriorum: veteratores malitia, novitii pietate: qui sunt opus atque fabrica humana gratia, non Spiritus sancti.* Hæc Nazianzenus, hæc ex eo Justinianus, hæc divinis, hæc canonicis institutis consentanea: & quæ aliàs molliùs remissiùsque dicuntur, aut fiunt, danda necessitati inexorabili venia est; aliàs inexorabilis vigilat Numinis censura & incorrupta lex.

XIII. Hinc porro illud concluditur, Præsidum conniventia & supinitate multa quidem peccata esse, sed Christi providentia excitatos semper aliquos fuisse Præsules præstantissimos, ex ipsis etiam Laicis, qui primævum splendorem Ecclesiæ restituerent. Ejusmodi fuit Patriarcha Alexandrinus Joannes cognomento Eleemosynarius, ex Laicorum fæce ad summum non dignitatis tantùm, sed & sanctimoniæ fastigium provectus, ut author est in ejus vita Neapolitanus Insulæ Cypri Episcopus. *Hoc erat* Cap. 41. *admirabilius sanctissimi hujus Patriarchæ, quoniam nec* Baron. ann. 525. 526. *Monachicam vitam ducens, neque in Clero moratus in Ecclesia: sed & fœmina legitimè dudum conjunctus, ita tenuit vigorem Ecclesiæ, ab ipso initio quo Patriarcha consecratus est; & in talem sublimitatem exaltatus est, ut multos Eremitarum, & in arcta vita degentium superaret.* Hæc sunt omnipotentis Christi gratiæ portenta.

Nec minùs stupendum gratiæ specimen in Ephræmo Antiocheno Patriarcha effulsit, ejusque summæ legis, quæ legibus omnibus etiam sacris dominatur. Ex Comite Orientis Apostolicæ ejus Sedis solio invectus est, remunerante Deo effusissimam vim largitionum, & indefessæ charitatis, cujus ex fonte inexhausto manabant hæ largitates, ad resarciendas labea Antiochenæ civitatis terræ motu obrutæ & conquassatæ. *Sedes Apostolica veluti merces & præmium tanta ei erga civitatem providentia donata fuit.* Hæc ex Evagrio.

CAPUT LXXXVI. *P. 3. l. 2. c. 17.*

Irregularitas Clinicorum, Neophytorum, Extraneorum sæculo VIII. IX. & X.

I. Recens baptizati irregulares sunt ad Ordines superiores.

II. Multi erant tum Clinici, propter gentes recens conversas.

III. Irregularitas Neophytorum juris naturalis insita.

IV. Juris naturalis & innata legis non rarò veluti radii quidam sunt Canones.

V. Exemplum Neophyti Photii quàm fuerit Orientali Ecclesiæ exitiale.

VI. Providentissimè in octava Synodo consignatur, qui eo simulationis consilio interstitia Ordinum observabant, spe una lactati, pertingendi ad Ecclesiasticos honores.

VII. Ut Photius fuerit substitutus.

VIII. Remissio & ignavia Græcorum, qui unius hebdomada interstitio

interstitia contenti sunt, ut ab uno Ordine ad alterum gradus fiat.

IX. Austerius cum Photio actum est, quod non neophytus tantùm, sed & intrusus esset.

X. Ecclesiæ Latinæ vigor in Neophytos.

XI. Ecclesiæ Gallicanæ constantia in servandis Ordinum interstitiis.

XII. In ea Episcopis subrogabantur excellentissimi quique ex Presbyteris.

XIII. Ante Episcopatum Presbyteratus nunquam omittebatur.

XIV. Respondebatur objectioni cuidam.

XV. Quàm necesse sit ex gremio ejusdem Ecclesiæ Episcopum deligi.

XVI. Callidum commentum in re hujusmodi in causa Hincmari.

XVII. Confirmatur eadem regula.

XVIII. Non ævo senior, sed dignior ex Presbyteris eligendus.

XIX. Regulis qualibet Monastica Canones sequitur & imitatur.

I. EX quo tempore inoleverat serpseratque in omnes Ecclesias ea consuetudo, ut recentes ab utero infantes tingerentur: quis non speraſset illam oblivioni datum iri irregularitatem, quæ Clinicorum dicitur, hoc est eorum, qui extremo morbo conflictati, intermorientibus penè vocibus baptismum deposcunt, & accipiunt? Expostulabat tamen Concilium VI. Parisiense anni 829. quòd persæpè Canonicæ leges infringerentur, collatis Ordinibus ei qui tinctus esset inter ipsa periculosæ
Can. 8. ægritudinis discrimina. *Sicut in plerisque, ita & in eo authoritas à nonnullis sæpè violatur canonica, quando scilicet hi qui in ægritudine, baptismatis suscipiunt sacramentum, ad gradus Ecclesiasticos contra fas provehuntur. Is usus, quia authoritati canonicæ resultat, oportet ut corrigatur, quoniam hujuscemodi baptizatos, quos vulgaris sermo grabatarios vocat, canonica authoritas à gradibus Ecclesiasticis patenter repellit.*

Eodem mox numero eos habet Concilium, eodemque implicat vinculo, qui nec primò ad baptismum, nec postea ad Ordinem sacrum suscipiendum stimulantur, nisi morbo quodam longè deteriori, quàm sint omnes corporeæ pestes, terrena & inconsideratissima cupiditate. *Multo magis illi arcendi sunt à gradibus Ecclesiasticis, qui aut per cupiditatem aut per temeritatem, contempta canonica authoritate baptizantur, & postea similiter ad gradus Ecclesiasticos provehuntur.*

II. Cùm verò Caroli Magni Imperii propagatio complures complexa Nationes barbaras, ad fidem illas paulatim pellexiſset; cùmque horum Neophytorum nonnulli Episcopales & ipsi honores degustarent interdum, authore Thegano: *Cum his qui ex*
De Chosue To. 2. pag. 181. *barbaris Nationibus ad hoc fastigium perducti sunt:* facilè contingebat, ut eorum aliqui tingi se baptismo non cuperent, non flagitarent, nisi improba spe grassandi ad Episcopales sedes. Contingebat & illud forsan non tardò, ut rudes Catechumeni pigritarentur quandoque, nec ad cælestem properarent regenerationem, nisi corporeæ ægritudinis flagello mortisque metu urgerentur.

III. Proxima huic est irregularitas Neophytorum. Sive Neophytos autem dicamus recentes à sacro baptismi fonte, sive nuperos Cleri tyrones, & præposterum est, & justitiæ Canonicisque regulis inimicum, eos ad Ordines sacros & ad primarias protrudi dignitates, iisque anteponi, quibus diuturna ministerii sacri suffragia, virtutum documenta jus veluti quoddam pepererunt, viamque straverunt ad eas dignitates, quibus una virtus, sapientia & rerum sacrarum experientia remuneranda est. Juste ergo meritissimo scripserat Nicolaus Papa I. ad Photium Constantinopolitanæ Cathedræ incubatorem: etsi Canones, etsi Concilia, etsi Scripturæ, etsi Decreta Pontificum Neophytos à sacris Ordinibus & a summis Ecclesiæ Dignitatibus non deterruiſsent: in ipso pectoris sui penu potuiſse eum perspicere eam legem, naturæ ipsius manu exaratam, cùm ea palam & clarissimè vociferetur, quod sibi quis detrimenti afferri nolit, id ipse ne cuiquam afferat. Quis enim æquo animo ferat præripi sibi à novo hospite diutini obsequii sui præmia, & præcerpi sibi à violento & extrinsecus irruente usurpatore laborum suorum fructus? *Hanc legem si-* Epist. 11.
bi datam, si volumen cordis tui conscientia scrutata fueris, proculdubio non negabit. Ibi quippe scriptum reperies, lege naturæ dicente, A nemine velle lædi, à nemine velle sua prorsus auferri. Quapropter aptè præcipitur, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quid enim decreta Sedis Apostolicæ dicunt, nisi quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: quando præcipiunt ne subitò factus Clericus Clericis dominetur, qui per singula stipendia militaverunt, & omnem in dominicis Castris ætatem egerunt. Quando præcipiunt, ne quilibet saltu præpropero in alienum honorem ambiat immoderata cupiditate transcendere, vel pro suo libitu jura studeat aliena pervadere.

IV. Quæ Nicolai Papæ doctrina altissimè sanè infigenda animis est, ut persuasissimum sit omnibus, Canonicas leges non in arbitrariis haberi debere constitutionibus; sed hos esse rivulos veluti quosdam sempiternæ & incommutabilis illius legis, quæ justitia, quæ charitas, quæ Deus ipse est; ex qua & leges omnes promanant humanæ & temporariæ, pro rerum, locorum, temporumque opportunitate & necessitate temperandæ. Unde rursus idem Pontifex. *Igitur cùm ea quæ Sedis Apostolicæ Præsules instituerunt, in litteris sacris invenias, imò verò in temetipso jugi perseverantia relegas, noli, quia decreta ipsorum non susceperis, amplius asservare; cùm ipsi nihil, nisi quod naturalis, quod Mosaica, nec non & gratiæ lex jussit, instituant.*

V. Photius porro à Foro & à Palatio ad Clericatum & ad Patriarchalem sedem simul irruperat, ut idem Pontifex author est. *Ex foro, ac sæculari* Epist. 6.
militia & habitu, atque à Palatinis ædibus eductum, ac subitò tonsuratum, Ecclesiæ contra Canones præfecerunt. Eam ille sacrilegam usurpationem prætexebat speciosis exemplis Ambrosii, Nectarii & Tarasii. At respondet Pontifex nullo eum consimilium virorum præsidio niti, nec ullam jam posse prætendi necessitatem tam licentioso Canonum contemptui.
Quod per necessitatem fieri eventus comprobatur, non in Epist. 6.
authoritate tenendum est.

Exitiali hoc autem Photii exemplo ingentem in Ecclesias alias etiam Patriarchales labem sacræ disciplinæ invectam fuiſse idoneus testis & author est Anastasius Bibliothecarius. Ea quippe Laïcorum licentia usque adeo increvit convaluitque in Ecclesias Alexandrinam & Antiochenam, ut vix aut ne
via quidem extirpari potuerit. *Penes Alexandriam* Præfatio
& Antiochiam in tantum radix pestis hujus excrevit, Syno VIII.
ut à tempore promotionis Photii hactenus evelli non possit. Quin & Hierosolymis, quod jam inde à temporibus Jacobi Apostoli, qui eam dedicaverat sedem, nondum contigerat, laïcus homo Apostolicam illam profanavit sedem. *Mox Hierosolymis quidam laïcus extemplo Clericus factus, est ordinatus Antistes, quod nunquam factum est, etiam ab ipso Jacobo.* Istæ sanè disciplinæ Ecclesiasticæ calamitates Syno-

dum VIII. Oecumenicam impulere, ut austerius in Photium ageret, eumque decerneret non esse, non fuisse unquam Episcopum; si quos vel creasset Episcopos, vel Abbates, eos ab eo qui Episcopus non esset, nihil accipere potuisse: ideoque quas illi Ecclesias dedicassent, dedicandas rursus esse. Itaque tanti visa est hæc Neophytorum irregularitas
Can. 4. Oecumenico huic Concilio, ut etiam Ordinationes efficeret vel irritas, vel inutiles.

VI. Cùm verò plures laici natalium splendore spectabiles Constantinopoli inescati fuerint, ut fucatis se & personatis induerent virtutibus, quo ad eandem aliquando Patriarchalem sedem eluctarentur: ut ab eodem Anastasio observatum est: ideo & in eadem Generali Synodo decretum aliud instantia Pontificiorum Legatorum promulgatum est, quo arcentur Patriarchali sede Senatores, aliique laici, qui eo allecti lenocinio, vel Clericalem amplexi fuerant, vel Monasticam professionem, quanquam
Can. 5. omnes Ordinum gradus pervasissent. *Definimus neminem de Senatoria dignitate, vel mundana conversatione nuper tonsum, super intentione, vel expectatione Pontificatus, vel Patriarchatus honoris, Clericum aut Monachum factum, ad hujusmodi scandere gradum: licet singulos Ordines divini Sacerdotii plurimum temporis fecisse probetur.* Consultissimè enim censuit Synodus, quantumvis vel Clericalibus, vel Monasticis sese institutis insererent homines ambitionis oestro perciti, & servatis legitimis interstitiis Ordinum omnium functiones non perfunctoriè, sed sedulò exercerent: non posse tamen eos extricare se à vinculo Neophytorum irregularitatis, cùm jam inde ab exordio, in laïca adhuc veste summas Ecclesiæ dignitates concupiissent, easque jam tum spe devorassent, adeoque in sacra deinceps professione non alios quam sæculares, & profanos animos gessissent. *Neque enim propter religionem, vel amorem Dei, aut propter expectationem transeundi viam virtutum, sed ob amorem gloriæ ac Principatus, tonsus hujusmodi reperitur.*

VII. Et post incredibiles quidem calamitatum vicissitudines Photius idem ipse per Joannem VIII. Papam pristinæ Constantinopolitanæ sedi restitutus
Epist. 199. fuit. At contestatus est Pontifex, ut famæ saltem suæ consuleret, enixissimis id à se donatum fuisse precibus aliorum omnium Patriarcharum, Metropolitanorum, & Episcoporum Orientis, qui eam dispensationem sibi extorsissent; adhibitam verò eam esse à se necessariam in posterum cautionem, ut Patriarchæ posthac non ex Senatoribus, non ex Aulæ Proceribus accerserentur, sed ex Presbyteris Diaconisque Cardinalibus ejusdem Ecclesiæ. *Decernimus ut post hujus Patriarchæ obitum nullus de laicis, vel curialibus in Patriarchatus eligatur & consecretur honore, nisi de Cardinalibus Presbyteris, & Diaconibus Constantinopolitanæ sedis, secundùm sacros Canones.*

VIII. In Concilio etiam illo, quod à Græcis Primum & Secundum vocitatum est, prohibiti sunt rursos vehementissimè Clerici, Monachique, ne uno unquam temporis puncto, & impetu rapiantur ad Episcopatum, sed longis antea singulorum Ordinum rudimentis imbuantur. Quanquam enim præfestinatio auspicatò cessisset in paucis quibusdam præmaturæ pietatis & experientiæ hominibus, ea in miraculis, non in exemplis collocari debere,
Can. 17. ut admirationi essent, non imitationi. *Decernimus ut nullus deinceps laïcus, vel Monachus repente ad Episcopalem altitudinem evehetur, sed in Ecclesiasticis gradibus primùm examinatus.* Sed cùm eo Concilio non definiantur singulorum intervalla Ordinum, visum esse nonnullis ait Balsamon, hebdomadis unius ut mora interponeretur post cujusque susceptionem Ordinis: eos verò patrocinio usos Gregorii Nazianzeni, aientis intra septem dies suam Presbyteris perfectionem obtingere: τελειοῦσθαι
δ' ἑπτὰ ἡμερῶν τὸ ἱερεῖα. Additur verò a Balsamone, Not. in Pentec.
Sardicenses Patres justa quædam intervalla singulis Ordinibus interjecisse; edici in Justiniani Novella Novel. 137.
quadam, ut Apparitores & Administratores publici quindecim annos in Monasteriis antè agant, quàm Ordinibus initiari possint; in alia Novella laï- Novel. 123.
cus qui nec Apparitor sit, nec Curialis, tres in Clericatu antè menses agat, quàm ad Episcopatum propellatur. Sed his præstructis priori se Balsamon sententiæ propensius favere non dissimulat, quæ septem non amplius dierum intervallum desiderat: quin & eam significat usitatissimam fuisse consuetudinem, quæ pro lege non scripta habenda sit. *Dico necessariò per septem dies uniuscujusque gradus fieri ordinationem, & eo magis, quod etiam non scripta Ecclesiastica consuetudo, hoc suscepto, sic graduum Ordinationes facit.* Hæc ex Latina versione, quod Græcus ibi textus deficiat.

Non potest autem ea Balsamonis Commentatio eò detorqueri, ut septem diebus Ordines septem, singuli singulis suscipiantur, 1. Vel ipse enim Photius Ordines singulos aliis aliisque diebus suscepit, ut refert Nicetas in vita Ignatii Patriarchæ. 2. Et ne septem quidem dies numerari possunt. Narrat enim Nicetas sex diebus continuatis creatum esse Photium, Monachum, Lectorem, Subdiaconum, Diaconum, Presbyterum Episcopumque. 3. Disertè Balsamon ait septem dies cuique Ordini tribuendos. *Debemus observare, si non plura, sed certè necessariò id ipsum tempus in unoquoque gradu.* 4. Ea autem dierum definitio inde videtur hausta fuisse, quòd non nisi die Dominico Ordines conferrentur.
Denique jam nimia est illa indulgentia & remissio Ibidem.
Canonum, ut Ordinum singulorum interstitia unius tantum sint hebdomadæ: quod idem Balsamon inde fluxisse conjectat, quòd Novellæ Justiniani ad Suppl. pag.
eam rem spectantes, in desuetudinem abierint ex 1127.
eo, quòd in libros Basilicorum non fuissent relatæ.

Porro quæ suprà perstricta sunt Nazianzeni verba, quibus etiam incumbit hæc recentior Græcorum disciplina, non de Christianæ, sed de Mosaicæ Legis Pontifice interpretanda fuerant, cujus septem dierum spatio Pontificatus inauguratio celebrabatur. Cassum ergo & ruinosum fuisset hoc eorum doctrinæ munimentum: sed cùm ea increbuisset consuetudo, ortumque duxisset ex antiquiori alia consuetudine, diebus tantum Dominicis Ordines conferendi; cupidè Græci illam Nazianzeni authoritatem aucupati sunt, qua in alienum sensum detorta disciplinæ suæ remissionem tuerentur. Non rara sunt autem id genus exempla, ubi recentibus institutionibus antiqua substruuntur authoritatum fundamenta, audacius quandoque, quàm sincerius.

IX. Simillimum autem veri est ea maximè de causa tantopere in Neophytum Photium æstuasse, & succensuisse Ecclesiæ Pontifices, quod superstitis Patriarchæ Ignatii sedem involasset. Sanctissimus Secretaire
vir Nicephorus præfestinè similiter ex Imperii ad- d'Etat.
ministro Patriarcha institutus fuerat: & quanquam ejus provectioni adversati sint viri præstantissimi
Plato & Theodorus Studitarum Monasterii Ab- Cedrenus, &c.
bates, ut quæ Canonibus repugnarat, Ecclesiam

tameo non pœnituit dispensationis, qua perillustrem fidei defensorem prosecuta est.

X. In Ecclesia autem Latina Synodus Romana anni 964. sub Joanne XII. Papa exauthoravit Leonem Antipapam, non tantùm ut Neophytum, sed ut intrusum in eam Sedem, quæ vacua non esset. Multò antè tempore depositus quoque fuerat Antipapa Constantinus, anno nimirum 767. ut Neophytus & intrusus. Quæ sub Stephano IV. coaluit Romana Synodus ad ejus abdicationem, constituit ut ne amplius eligeretur Papa, nisi ex Collegio Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium: utque Ordinationes Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum à Constantino Antipapa celebratæ, irritæ haberentur, data copia eosdem rursus ordinandi, si rursus canonicè eligerentur: ita ut nemo posthac posset suspicari, valida esse potuisse Sacramenta quæcumque alia à Constantino collata, præterquam Baptismi & Confirmationis. *Ita enim in eodem Concilio statutum est, ut omnia, quæ idem Constantius in Ecclesiasticis Sacramentis ac divino cultu egit, iterata fuissent, præter sacrum baptisma atque sanctum chrisma.* Non advertebant tunc animos tam studiosè, quam ab Augustino olim factum fuerat, & quam posterioribus his sæculis rursum fieri cœpit; unam esse Ordinationis cum Baptismo & Confirmatione causam, ut omnino iterari non debeant, ubi forma solemni & verbis Ecclesiæ collata fuerint. Aderant autem & Galliarum Episcopi nonnulli huic Romanæ sub Stephano IV. Synodo, ubi præceptum est præterea, ut ad superiores Ordines non præcipiti cursu quisquam, sed gradibus pervenirent omnes. *Nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus, ad sacrum Pontificatus honorem possit promoveri.*

Anal. XII. tom. IV.

XI. Ab hac verò Græcorum remissione recesserat mirum in modum Ecclesia Gallicana, si bona fide in ea tum observarentur, quæ in Capitulari suo præcipiebat in hanc rem Herardus Archiepiscopus Turonensis. *Qui se divina militia mancipari desiderat, sive inter Lectores, sive inter Exorcistas, quinquennio teneatur, exinde Acolythus, vel Subdiaconus, quatuor annos sit, & sic in benedictione Diaconatus, si meretur, accedat. In quo Ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, hærere debebit, & postea probatus Sacerdos efficietur.*

Gall. ... 115. 91.

XII. Sed ea imminebat maximè sollicitudo, ne ad Episcopatum venirent, nisi ex Presbyteris florentissimi quique sanctitate & peritia rerum sacrarum. Id nos edocuit Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ubi ait à Christo in Regali Sacerdotio suo duos Ordines creatos distinctosque fuisse, Episcoporum & Presbyterorum, ex quibus qui cæteris religione, pietate & rerum prudentia antistaret, is Episcopo hinc excedenti sufficiendus semper esset. *Rex simul & Sacerdos Christus duos in Sacerdotibus Ordines constituit, in summis videlicet Pontificibus, & in minoris Ordinis Sacerdotibus, qui nunc Presbyteratus funguntur officio, ea videlicet provisione, ut dum quilibet Pontificum vita decederet, quicumque Sacerdotum optimus putaretur, & in Pontificatum succederet.* Certissimè enim instituti sunt à Christo, non Apostoli tantùm, quorum in dignitatem & sedem succedunt Episcopi: sed etiam Discipuli, quorum vices Presbyteri gerunt. Atqui cum exsecrandi Judæ vacua sedes implenda fuit, ad Apostolatum gerendum, unus ex Discipulis subrogatus fuit, ut testatum fecit Lucas in Actis. *Ut decedentibus Episcopis, de his secundi & inferioris Ordinis Sacerdotibus, secundum Canones, ad summi Sacerdotii apicem provehantur, sicut sacra Scriptura Actuum Apostolorum patenter ostendit.*

...mar. ... pag.

XIII. Suessionensis illa Synodus, in qua disceptata fuit causa Ebbonis Archiepiscopi, eum qui Presbyter ordinatus fuisset, suscepto ab Ebbone tantum Diaconatu: exauthorari debere censuit: uti qui ad Presbyteratum non accepto Diaconatu properasset. *Judicatum est à Synodo, qui saltu sine gradu Diaconi ad Sacerdotium prosilierit, in degradationem debitam resilire debere.* Hinc verò dilucidum fit, quàm temerè Photius Latinæ obtrectaret Ecclesiæ, quasi in ea Episcopi ex Diaconis non suscepto Presbyteratu ordinarentur. *Quia Diaconus non suscepto Presbyteratus officio apud nos Episcopus Ordinatur.* Ita Nicolaus Papa calumnias eorum commemorat. Qui Presbyteratu supersederi posse existimassent, qui ne Diaconatu quidem? Ideo & Ratramnus Monachus in refellendis his Græcorum imposturis, ait vel ex hac una evidentissimè confictas calumnias, constare posse, quàm temerè & impudenter Græci ubique Latinis obloquerentur. *In cæteris sibi demunt authoritatem fidei, quandoquidem in istis tam evidenter mentiuntur.* Inde verò forsan Græci ansam captabant conviciandi Latinis, quòd Canones nostri sanxissent, ut ex Presbyteris, vel Diaconis Episcopi deligerentur. Inde illi concludebant, tam immediatè Episcopatum à nobis conferri Diaconis, quàm Presbyteris. Quod totum contra erat.

Flodoard. l. 3. c. 21.

Epist. 70.

Contra Græcorum opposita l. 4. c. 8.

XIV. Nec dissimul abo Æneam Parisiensem Episcopum, paulò molliùs has Græcorum criminationes confutantem, illud fateri, Romæ eos ex Diaconis ordinari Episcopos, qui Presbyteri nunquam sint ordinati. *De hoc quod quæritur, quare apud Romam plerumque Diaconus quodam saltu, non percepta Presbyterali benedictione in Episcopum subitò consecretur.* Hunc ille usum approbare conatur, ex eo quòd Presbyteratus eminentissimè contineatur in Episcopatu, in quo totius est Sacerdotii plenitudo: vel ex eo quòd Romani Hieronymo assentiantur, Presbyteros ab Episcopis minus secernenti. Sic ille eo excusatius, quod trepidè scribit, & pene suspenso calamo, re videlicet non satis comperta sibi & explorata. Probabilius equidem duxerim Ecclesiæ Romanæ res Ritusque Ratramno, quam Æneæ exploratiores fuisse: unde & hujus verba titubant, ille asseverantissimè loquitur. Et sanè Romana Synodus sub Joanne XII. narrat, ut Antipapa Leo ordinatus primò fuisset Ostiarius, tum Lector, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, & tandem Presbyter, antequam Pontifex inauguraretur. *Dico Episcopus in nostro Patriarchio Leonem Curialem & Neophytum, jam Ostiarium, Lectorem, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum, atque subitò Presbyterum ordinavit: eumque sine aliqua probatione, in nostra Apostolica sede consecrare non dubitavit.* Joannem XII. excepit Benedictus V. qui jam Diaconus erat, & cui citra controversiam collatus est Presbyteratus ante Episcopatum, cùm sedi rursus Apostolicæ redintegratus Leo, utroque illum spoliavetit Ordine, solo Diaconatu posthac gavisurum. *Benedictum omni Pontificatus & Presbyteratus honore privamus, Diaconatus eum honorem habere permittimus.*

Spicil. to. 7. pag. 114.

Sentio hæc exempla Photianis & temporibus & criminationibus posteriora esse. Sed à specie veri alienissimum est, Photii calumniis id datum ut fit, ut aliquid in Occidentalis, vel in Romanæ saltem Ecclesiæ moribus oovaretur. Capitibus omnibus

aliis calumniosæ Photii censuræ nihil concussum, nihil mutatum in nostra est disciplina: quòd ne objectari quidem ab eo potuisset quidquam, nisi aut perspicuè commentitium, aut per sese indifferens, aut laudi potiùs quàm probro vertendum.

In vita quidem Stephani IV. Papæ legitur ordinatio Constantini Antipapæ, & de Presbyteratu suscepto verbum fit nullum, quanquam non sileatur progressio ejus ad Clericatum, ad Subdiaconatum, ad Diaconatum, denique ad Episcopatum. Sed tanti res ista quidem est, ut solo silentio perfici certè nihil possit. Adde quòd Antipapæ ordinationis ea esse possent vitia, quibus aliæ similiter non claudicarent. Multa ibi præcipitantur, quæ aliàs expediuntur lentiùs.

XV. Constitutio illa canonica, quam superiùs strictim delibavimus, ut Episcopi asciscantur è superiori cujusque Ecclesiæ Clero, paulò operosiùs hîc nobis excutienda nunc est. Postquam justissimis affecerat laudibus Nicolaus I. Papa Caroli Calvi Regis zelum & pietatem, qui numeris virtutum omnibus absolutum Episcopum Senonensi præfecisset Pastorem: dissimulare tamen non potuit, quo dolore pungeretur, ex eo quòd Monachus, & non potiùs unus aliquis ex florentissimæ Ecclesiæ Collegio tractandis ejus gubernaculis admotus fuisset. Id ait Pontifex non multò minùs stupendum videri, quàm si extraneo cuipiam committeretur regimen alicujus Monasterii, & non ei potiùs qui inter ejus Monachos emineret. Iniquum esse ut hospes superveniens fructus carpat laborum à proprio Ecclesiæ Clero diutissimè exhaustorum. Extra fidem esse, nullum in tam numeroso & famoso collegio idoneum fuisse regendo Ecclesiæ illius clavo. In eum scopulum frequenter impingi in Gallicana Ecclesia. Eoque operæ pretium fore, ut in posterum Reges Pontificesque in eam curam & tanti mali medicinam incumbant. Sunt hæc prorsus ad Ecclesiæ leges illustrandas componendosque mores luculentissima. Quo æquius est ipsa Pontificis verba adscribi. *Quamvis hæc nos valde lætificent, multùm tamen contristant, quia idem venerabilis vir non de ipsa Ecclesia, sed de quodam Monasterio fuisse perhibetur. Denique cùm erga Monachos eadem profectò regula, quæ circa Clericos qui promovendi sunt, conservanda sit: indecorum tamen, quin potiùs illicitum est, in aliena stipendia quemquam obrepere, & ex transverso venientem in castra, inter quæ non militavit, ducatum arripere.* Et infrà rursus: *Aut de Ecclesia Senonensis Clericis, qui ordinaretur, nullus dignus inventus est, quod evenisse non credimus; Maximè cùm sit Metropolis, & Clericorum numerositate non careat: aut certè his jure minimè reprobatis, aliunde qui eis irregulariter præponeretur, inventus est, & qui aliorum fructum laborum comederet electus est, &c. Cùm ergo familiariùs in regionibus vestris sit hæc temeritas, & sacrorum super hoc Canonum violatio dilatata, necesse est nostram sollicitudinem pro hac amputanda specialiùs impendere diligentiam.*

Ann. 863. Conc. Gall. To. 3. pag. 073.

XVI. Concilium Tricassinum paucis pòst annis, anno nimirum 867. ut eidem Nicolao Papæ I. approbaret electionem Hincmari ad Archiepiscopatum Remensem, per litteras illum monuit, Archiepiscopum Senonensem, Episcopum Parisiensem, qui proprius Hincmari Episcopus, Episcopos Provinciæ Senonensis, Abbatem & Monachos Sandionysianos, Hincmarum suum concessisse Episcopis, Clero & populo Ecclesiæ Remensis, atque adeo cùm jam insitus esset Ecclesiæ Remensi, ejusque velut membrum, eligi potuisse eum in Archiepiscopum. *Unde à Clero & Populo ipsius Metropolis Remorum, sed & ab Episcopis ipsius Provinciæ petitus, sicut petitio eorumdem manibus subscripta declarat, & ab Archiepiscopo tunc suo Senonensi, & proprio Episcopo Parisiorum, nec non & à Coepiscopis aliis Senonensis Provinciæ, cum consensu Abbatis sui & Fratrum Monasterii in quo degebat, favente etiam domno Carolo Rege glorioso, Episcopi Remensis Provinciæ, & Clero ac plebi ipsius Metropolis per canonicas litteras ipsorum subscriptas manibus, frater Hincmarus est traditus.* Atque hinc enitescit Metropolitanum, Episcopos, Clerum, populumque suo in Hincmarum jure cessisse Clero Remensi, ut ei jam insertus, propriusque factus, in Episcopum eligi posset. *Sicque de proprio jam Ecclesiæ ipsius Clero affectus, in ea est ordinatus.*

Conc. Gall. Tom. 3. pag. 356.

Flexuosus is erat circuitus, ut in speciem saltem reverentia qualiscumque Canonicis regulis haberetur. Nec enim is scopus fuerat, non ea Canonum mens, ut traducerentur uno temporis puncto unius Ecclesiæ Clerici, in aliam, & mox ibi raperentur ad summæ culmen dignitatis. Eò collineant Canones, ut Ecclesiarum regimen eis committatur, qui in eis ab adolescentia stipendia fecerint, qui bene de ea diu meruerint, qui laboribus sudoribusque suis excoluerint eam & rigaverint, eoque jam ii non sint, quibus hesterni hospites præponantur.

Plusculum fuit sinceritatis & candoris in Clero Senonensi, Ansegisum sibi Episcopum deligente, qui Presbyter Remensis erat, & Abbas Bellovacensis. Ingenuè enim confessus est, extraneum à se electum fuisse, quòd nullus in suo sinu satis dignus occurrisset, eòque se decreto paruisse Cælestini Papæ: *ex propria Ecclesia deficiente electione.* Ea inopia ominabatur Nicolaus Papa laborare non posse Clerum Constantinopolitanum, utpote numerosissimum: ideoque præposterum esse, si extranei irruant in præmia propria filiorum Ecclesiæ, qui præclaros ei diutinosque labores suos dicaverunt. *Ne contemptis Clericis, quorum utpote in tam magna urbe, copiosa multitudo est, quique ab ipsis cunabulis impratermisso labore in Ecclesia Christi desudant, & indesinentia Domino exhibens servitutis obsequia: is qui de foris principatum repente arripiat.*

Ibid. p. 394.

Epist. 7.

XVII. Antiquissimam hanc disciplinæ legem Synodus VIII. Generalis in Ecclesia Constantinopolitana restauravit, constituto, ut omnes ejus dignitates iis conferrentur, sicubi vacarent, quorum insignis eluxisset pietas & industria in inferioribus Ordinibus & ministeriis; quos ideo nefas esset, & Evangelicis justitiæ præceptis infestum, mercede hac justissima defraudari. *Quoniam quidem dicit alicubi divinum eloquium, Dignus est operarius mercede sua. Hujus rei gratia & nos decernimus & promulgamus, ut magnæ Ecclesiæ Clerici, qui in subjectis Ordinibus morati sunt, ad majores gradus ascendant; & si digni claruerint, melioribus perfrui mereantur honoribus. Sed non ex illis qui foris sunt, aliqui se his innectentes, debitas eis qui multo tempore laboraverunt, dignitates vel honores recipiant; ac per hoc inveniantur Ecclesiæ Clerici nullo modo posse proficere.*

Can. 13.

XVIII. In Jure Orientali Joannes Episcopus Citri, plura percunctante Cabasila Archiepiscopo Dirracheno, potissimum verò de electione Episcopi, an conferenda tunc essent suffragia in seniorem Presbyterum, qui Græcis Protopapas dicitur, an in cæteros Presbyteros, an in Diaconos, qui offi-

cia Ecclesiæ exercebant, [illegible]: incunctanter respondet, non ejusmodi dignitatem esse Episcopatum, quæ provectam desideret ætatem, sed doctrinam, sed experientiam, sed virtutis constantiam, & eloquentiam, atque adeo ei suffragandum esse, qui his maximè præcellat. *Digniorem enim, non gradu altiorum, & potentiorum sunt throni.* Orat. pag. 343.

Canonicis Regulis obsequebantur semper Regulæ Monasticæ. Ii enim eligendi erant Abbates, qui in eis Tonsuram accepissent, & Professionem emisissent. Edita est Synodalis Constitutio à Patriarcha Luca, qua concedebatur Abbatiis, quæ idoneos ex suis nullos haberent ad Pastoralem dignitatem gerendam, ut ex ejusdem Provinciæ Monasteriis aliquem accerserent. *Scias tempore Patriarchæ Lucæ Synodale decretum factum esse, ut sine præjudicio constituantur Præfecti in Monasteriis Patriarchæ territorio subjectis, quæ non habent Monachos idoneos, ut præsint, ex altero Monasterio, quod est ejusdem regionis, etiamsi statuta eorum caveant ne [illegible], hoc est, qui in externo Monasterio tonsus est, fiat eorum Præfectus.* Ibid. p. 112.

CAPUT LXXXVII. *P. 4. l. 2 c. 32.*

Neophytorum irregularitas post annum Christi millesimum.

I. Per minorum Ordinum gradus & longa in eis rudimenta jubet Ecclesiæ lex ad sacros Ordines conscendi, & ad Ecclesiasticas dignitates.

II. Non poterant Episcopi eligi nisi ex Presbyteris vel Diaconis. Quando cœpti sint eligi ex Subdiaconis.

III. Subscribit S. Fulbertus ei dispensationi, qua fiebat ex neophyto Archiepiscopus.

IV. Has olim dispensationes dabant Episcopi. Qui tandem ea potestas Pontifici Romano sit reservata.

V. Qui promoveatur, ubi minores Ordines ex parte fuerant omissi.

VI. Vel Ivo Carnotensis & Goffridus Vindocinensis Episcopi sugillant eos, qui præcipiti cursu intra paucos dies omnes Ordines suscipiunt.

VII. Variæ regulæ ad interstitia Ordinum.

VIII. Ecclesiæ Parochiales & Dignitates complusculæ id efflagitant, ut intra anni spatium Presbyteri fiant, quibus eæ sunt collatæ; propterea quod eas olim non conferebant nisi Diaconis vel Subdiaconis.

IX. Quid remitti ea in re ex dispensatione possit ex regulis juris.

X. Pulcherrimè Concilii Tridentini Constitutiones de interstitiis Ordinum.

XI. Rationes annuendæ, vel abnuendæ interstitiorum veniæ.

XII. Varia exempla dispensationum.

XIII. De Episcoporum potestate cogendi Clericos suos ad majores Ordines.

XIV. Ne tamen cogantur qui indignè vel impediti prorsus sunt.

XV. Sana B. Bernardi doctrina.

I. Clericatus & minorum Ordinum stationes quasi prælusoria sunt tyrocinia, lentè & piè decurrenda, ut ne temerè & præpropere prosiliant, aut ad majorum Ordinum, aut ad Ecclesiasticarum sanctimoniam dignitatum. Qui præfestinata cupiditate intra paucos dies, vel uno eodemque die plures suscipiunt sacros Ordines, & puncto temporis devolant ad summas sanctissimasque dignitates: non satis ii seriò pensitant, irregularitati se Neophytorum implicari, olim usque adeo invidiosæ, ut inter hæreses locum haberet. In Concilio Romano sub Nicolao II. Papa anno 1059. prohibitum est ne Laïci ad dignitates Ecclesiasticas conscenderent, nisi diutissimè in minoribus Ordinibus exercitati fuissent. *Ut nullus laïcus ad quemlibet gradum Ecclesiasticum repente promoveatur, nisi post mutatum habitum sæcularem, diuturna conversatione inter Clericos fuerit comprobatus.* Can. 1.

Doctissimus vir Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, percunctanti Episcopo, à quo ordinatus fuerat Diaconus, is qui nullis minoribus Ordinibus initiatus fuisset: rescripsit auferendum primò illi Diaconatum esse, tum conferendos canonicis intervallis Ordines minores: *Diaconatum ei auferte, ad cæteros minores Ordines congruis eum temporibus removete:* deinque reddendas Diaconatûs functiones, dato in manus Evangeliorum Codice, in Synodi, vel Cleri Congregatione, nequaquam tamen iterata ordinatione. Epist. 13.

Concilium Rotomagense anno 1072. exauthorandos censuit Presbyteros, Diaconosque, qui nullis unquam minoribus donati fuissent Ordinibus: *Alii cæteros Ordines non habentes, Diacones aut Presbyteri consecrantur: hi digni sunt depositione.* At Concilium Rotomagense anni 1074. ad Abbates ampliavit Decretum Concilii Romani sub Nicolao II. ut nec ipsi possent ad eum promoveri dignitatis apicem, nisi longis imbuti Monasticæ vitæ rudimentis. *Ut nullus ordinetur Abbas, nisi prius diuturna conversatione Monasticæ vitæ disciplinam assecutus fuerit. Quod ex Canonicali authoritate atque ex decretis B. Nicolai Papæ sancitum est.* Can. 10. Can. 2.

II. Anno 1091. Concilium Beneventanum, cui præerat Urbanus II. præcepit, ut ne possent Episcopi eligi, nisi qui jam in sacris Ordinibus constituti, in Diaconatu & Presbyteratu, claris virtutum documentis radiassent, quòd in primigenia olim Ecclesia non alii essent Ordines sacri. Dispensante tamen Papa, vel Metropolitano, eligi possent Episcopi ex Subdiaconis, dum id ratò fiat, & hanc dispensationem compenset singularis quædam virtutum & meritorum prærogativa. *Nullus deinceps in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris Ordinibus religiosè vivens inventus est. Sacros autem Ordines dicimus, Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva Ecclesia, &c. Subdiaconos verò, qui & ipsi Altaribus administrant, opportunitate exigente concedimus, sed rarissimè, si tamen spectatæ sint religionis & scientiæ. Quod & ipsum sine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia non fiat.* In Concilio Claromontano confirmatum est idipsum Decretum, *Ut nullus laïcus, Clericus, vel tantum Subdiaconus in Episcopum eligatur.* In Concilio III. Alexander III. Papa anno 1179. in irritum misit electionem Episcopi Bremensis, quòd needum Subdiaconus, needum Acolythus in Episcopum electus fuisset, quanquam nec sapientiæ & eruditionis, nec virtutum necessariis præsidiis destitueretur. *Placet scientia, placet eloquentia, placent mores: verùm modus electionis displicet, præsertim quia est infra sacros Ordines, non dico Subdiaconatum, sed Acolythatum electus, quo gradu secundùm rigorem juris licet contrahere matrimonium, quod canonicis obviat institutis.* Can. 2. Can. 5. Helmod. Abb. Stad.

III. Erant hauddubio Pontifici causæ justissimæ abnuendæ hujus dispensationis, quanquam vir sanctitate & doctrinæ gloria clarus Fulbertus Carnotensis Episcopus suasisset Episcopo, ut Archiepiscopi Remensis quantumvis neophyti electioni acquiesceret, propter eminentissimas virtutum laudes, quæ facilè & abundè illam labem resarcirent. *Ab infantia sano sensu, sacris litteris eruditus, sobrius, castus, amator pacis & dilectionis, nullo crimine, nulla infamia nota turbatus, tandemque à Clero & populo* Epist. 3.

sua civitatis electus. Objiciebat illi mox Ambrosii Germanique exempla, qui ex laïcis Episcopi, summa laudum & virtutum fastigia attigissent. *Magni etiam viri, ut optimè nosti, Ambrosius Mediolanensis & Germanus Altisiodorensis, aliique nonnulli, quia tales in laïco habitu extiterunt, subitò nobis sancti Præsules exierunt.* Confirmabat denique nihil ei extimescendam esse Romani Pontificis excandescentiam, cùm ea in re nihil ei propositum esset, quàm ut in antiquum splendorem Remensis Ecclesia restitueretur. *Dominus Papa, cujus animadversionem te revereri significasti, non habet quod tibi meritò debeat succensere, &c.*

IV. Tempore ergo B. Fulberti ea dispensatio in Episcoporum potestate erat: at ævo Alexandri III. ad Romanum Pontificem revocata ea fuerat. Quippe cùm Episcopi Pontificiam iram & correptionem reformidarent, sicubi molliùs & præter urgentes Ecclesiæ necessitates dispensassent, malebant sæpiculè abstinere ipsi, & rem totam Pontifici permittere. Potuit & nimia Episcoporum remissio in dispensando in causa esse ut ea potestas ad Pontificem revocaretur. Cùm denique Concilium Claromontanum, quod utique in Conciliis Generalibus locum habet, hac ipsa de re Decretum ediderit, juxta receptissimas Juris regulas de eo solus potuit deinceps Romanus Pontifex dispensare. Potest & huic juris dispensandi devolutioni, quæ sensim sine sensu fiebat, ad Romanum Pontificem, præsidii aliquid accedere, ex Epistola Fulberti ad Leutbericum Senonensem Metropolitanum, ubi querelarum, ubi objurgationum mira quædam libertas. Cùm enim molestissimè ferret, ab eo ordinari Epis-
Epist. 28. copos se inconsulto: *Sine meo consilio ordinando Episcopos:* & eos ordinari, qui ob suam cum canonicis regulis dissonantiam populis essent horrori, nec ab illis admitterentur, cùm potissima aversandi eos ratio esset ætas immatura: his tandem verbis audacioribus illum extimulat: *Sed tu Pater non solùm mirandus, sed insuper exhorrendus, quem nec imprudentia fallit, nec casus turbant, nec urget ulla necessitas, sed scienter & quasi cum deliberatione quadam, te atque alios perdis.*

V. Consuluit quoque Ivonem Carnotensem Episcopum Archiepiscopus Rotomagensis de Subdiacono, qui Clericatu nunquam initiatus fuerat. Responsum est autem ab Ivone, ex juris norma deponi eum debere, interdicique ne unquam ad superiores Ordines anhelaret. Verùm si ea esset vel Subdiaconi pietas singularis, vel Ecclesiæ necessitas, ut locus esset dispensationi, tum Clericatum ei conferendum esse, & mox restituendam functio-
Epist. 80. num Subdiaconatûs facultatem. *Si autem honesta vita ejus, aut utilitas Ecclesiastica ita exigit, poterit ei dispensatoriè dato Clericatu, &c.* Ut autem responsioni suæ aliquid authoritatis adjungat, ad eum unà mittit Epistolam Alexandri II. Papæ ad Episcopum Constantiensem, cui præcipiebat ut Subdiaconatum ei conferret, qui antè eo prætermisso ad Diaconatum & Presbyteratum esset vocatus.

VI. Porro is ipse Ivo apertissimè detestatur neophytorum hæresin, hoc est ambitiosorum hominum, qui non progrediuntur, sed statim involant in sacros Ordines, summasque Ecclesiæ dignitates: *Eli-*
Epist. 174. *minata est spurcitia puerorum, nova & inaudita Neophytorum hæresi, Cathedram Episcopalem usurpantium.* Scripsit & Goffridus Vindocinensis Abbas ad Urbanum II. Papam, incidisse in manus suas Decretum Paschalis II. Papæ, quo Neophyti Hæreticis aggregantur, & eisdem afficiuntur pœnis atque Simoniaci. *Neophytum factum Episcopum hæreticum vocat; & sicut Simoniacum, ita & Neophytum à sancta Ecclesia debere separari docet & præcipit.* Invicta prorsus animi fortitudine Goffridus hic idem Episcopum Andegavensem hoc probro incessebat, quòd præter omnes Canonum leges electus fuisset, ut qui Ordines hactenus refugisset, quò licentiùs cupiditatibus indulgeret, & nunc eos suscepisset præfestinè, quò ad Episcopatum eluctaretur. *Prius qui-* L. 3. Ep. 14.
dem Ordines suscipere contempsistis, ut vobis liceret ea liberius exercere, quæ minimè licent ad animæ salutem. Omnes postmodum Ordines, sed sine ordine, quoniam in octo diebus & non certis temporibus accepistis propter Episcopatûs ambitionem. Unde probatur, quod eos amore gloriæ temporalis accepistis, non Christi charitate.

Scriptoribus his profectò persuasissimum erat, graviori se piaculo eos constringere, qui præcipiti festinatione omnes simul Ordines susciperent, quò ad summam aliquam dignitatem viam sibi munirent, quàm qui prætereito inferiori Ordine aliquo ad superiores eniterentur. Quanquam sanctissimus is usus ritusque sit, ut inferiorum Ordinum si suppleantur qui prætermissi fuerant: indubiè tamen constat, non alio consilio instituros eos fuisse, quàm ut in iis longa ponerentur rudimenta, & ita demum his robusti ad superiores & sacros Ordines assurgerent. Atqui ludibrio habetur tota hæc Ordinum institutio, cum simul omnes suscipiuntur. Non secus ac si quis uno die assumptis insignibus omnibus officiorum graduumque militarium, nullo vero eorum perfunctus munere, nullo armorum usu, nullo bellandi exercitio perpolitus, summum se exercitus Ducem & Imperatorem creari obtineret. Elegantissimè Gratianus ait, ea lege, ut discipuli antè sint, quàm magistri: tyrones priùs quàm duces, neminem solvendum esse, nisi qui Nicolao vel Ambrosio, vitia supra omnem admirationis aleam positis, possit exæquari: ut inter laïcos non laïcam duxerint vitam, sed eam quæ vel Clericis optimis eos sociaret. *Ut laïcus in Episcopum non eli-* D. 61.
geretur, hæc causa fuit, quia vita laicalis Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non erudita, nescit exempla religionis de se præstare aliis, quæ in se ipsa experimento non didicit. Cùm ergo quilibet laïcus merito suæ perfectionis Clericalem vitam transcendit, exemplo beati Nicolai, & Severi, & Ambrosii, ejus electio potest rata haberi.

VII. In Concilio Dalmatiæ, cui præfuere Legati Can. 2.
Innocentii III. an. 1199. annuum sancitum est inter Subdiaconatum & Diaconatum, annuum similiter interstitium inter Diaconatum & Presbyteratum; si secus faxit Episcopus, à collatione Ordinum suspensus sit usque ad beneplacitum Papæ. Vetuit Gregorius IX. ne ex Laïcis Abbates fierent, qui Monachi nunquam fuissent. Eos damnavit Innocentius III. qui Monasticum induunt habitum, ut propediem fiant Abbates. *Cùm nullus spem vel promissum* Extra. De
habent ut Abbas fiat, debeat monachari. Ideo & ab Elect. c. 49.
hoc Pontifice cassata est laïci electio in Abbatem.

Illæ verò Innocentii III. Decretales, quæ suspen- Innoc. III.
sione eos mulctant, qui uno & eodem die, vel con- Regest. 2.
tinuato biduo susceperint vel contulerint duos Or- Epist. 123
dines sacros, obscura & tenuissima præferunt adhuc vestigia priscæ in his austeritatis. Expressis verbis ibi declaratur, nec Episcopo, nec Metropoli- Extra. De
tano fas esse in his dispensare, quòd non ea à sa- temp. ordin.
cris Canonibus potestate impartiantur. *Cùm illi hu-* c. 13. 15.
jusmodi à Canone minimè sit permissa. Residua ea sunt

vestigia strictissimæ olim observantiæ, canonicorum inter singulos Ordines interstitiorum. Denique concessit idem Pontifex Episcopo Bononiensi, ut Diaconatum conferret ei, qui eo prætermisso Presbyter fuerat ordinatus.

Extra De Cleric. per saltum promot.

Can. 10. VIII. Prohibitum est in Concilio Londinensi anno 1237. ne Vicarii vel Parochi crearentur, nisi qui Presbyteri jam essent, vel saltem Diaconi, ut primis quatuor Temporibus Presbyteratu donarentur. Ea erat mens, ea lex Ecclesiæ, ut ne Beneficia, quibus cura immineret animarum, conferrentur, nisi Presbyteris, vel Diaconis, qui quàm primùm Presbyteratu donarentur; ut nimirum nonnisi lenta per omnes gradus progressione ad has veniretur dignitates. Relaxata pòst disciplinæ fibula, præceptum est ut saltem intra annum Presbyteri ordinarentur. Ita præcepit Concilium Avenionense anni 1290. *Qui habent personatus etiam sine cura, seu Beneficia Curam animarum habentia, compellantur per Diœcesanos per substractionem Beneficiorum infra annum in Presbyteros ordinari, nisi rationabilem causam ostenderent, quare infra annum non possent, vel deberent.* Decretum huic Canoni geminum ediderat olim Alexander III. quod & in Concilio Lugdunensi II. anno 1274. innovatum est, ubi & statutum, ut alioqui *ipso jure* Beneficiis orbari censerentur. In Concilio Budensi anni 1279. hoc decretum ad Abbates exporrectum est, ad Præpositos, ad Priores, & ad omnes denique animarum curæ sarcina gravatos. In Concilio Ravennatensi anno 1286. statutum est, ut ne qui merita hac sua Beneficiis excidissent, eligi vel nominari prima vice possent ad illud idem Beneficium. Concilium Ravennas anni 1317. præcepit, ut Abbates, Decani, Archipresbyteri, & Præpositi intra annum Presbyteratu exornarentur; Archidiaconi similiter Diaconatu.

Can. 4. *Can. 4.* *Can. 5.*

In Extra. De elect. c. 34.

IX. Plures Pastoribus vacare & mœrere Parochias ægrè ferens Bonifacius VIII. ob inexorabilem illam legem & necessitatem, qua cogebantur intra annum ad Presbyteratum accedere, & in Ecclesiis suis residere: quòd ita ab instituto avocarentur studiorum curriculo: eam Episcopis indulsit potestatem, ut dispensare cum Parochis possent de residentia, per septem priores annos, ut serio possent ad studia literarum animos convertere; ea tamen cautione servanda, ut illico Subdiaconi crearentur, ne Ecclesiæ opimis saginati redditibus, ad sæculum deficerent: utque septimo anno Diaconatu & Presbyteratu ornarentur. Hoc Bonifacii Decretum confirmavit Martinus V. in Concilio Constantiensi; cæteroqui revocatæ sunt ab eo dispensationes omnes, quæ per subreptionem impetratæ fuerant, ut ne tenerentur tempore in sacris Canonibus constituto, vel Episcopalem suscipere consecrationem, vel Abbatum benedictionem, vel sacros Ordines Beneficio, quod quisque possidet, annexos.

Sess. 43.

X. Postremò tandem Concilium Tridentinum pristino vigori reddidit sanctissima & accuratissima omnia potioris olim Disciplinæ in hac parte decreta. Jussit enim 1. conferri Ordines minores sejunctim, & certa per intervalla singulos, nisi ejus momenti rationes essent Episcopo, quæ eum aliquando ab hoc usu abducerent. *Per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire videbitur, conferantur.* 2. Singulos quosque activari & exerceri Ordines in ea Ecclesia, cui quis ipsa sua ordinatione affixus fuerit, quandiu visum fuerit Episcopo: nisi studiorum quis causa abesse cogatur. 3. Gradatim alios & alios conferri Ordines, perinde ut incrementa quisque faciet in litterarum & virtutum curriculo: cujus profectus sui documenta dabunt, morum innocentia, frequentandis Ecclesiis, crebriore Sacramentorum participatione, singulari denique veneratione & obsequio in omnes superiorum Ordinum Clericos. *Atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum & doctrina major accrescat.* 4. Non conferri Ordines inferiores nisi iis, qui sacris Ordinibus aliquando idonei fore portendantur. 5. Subdiaconatu non exornabuntur, nisi annuo saltem spatio post susceptionem ultimi Ordinis minoris, nisi id tempus præverti Ecclesiæ utilitas, vel necessitas cogat Episcopum. *Nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiæ judicio Episcopi aliud exposcat.* 6. Non ordinari Subdiaconos, nisi minorum Ordinum Officiis perfunctos; nec ad Diaconatum evehi, nisi post annuum à suscepto Subdiaconatu spatium, nisi Episcopus justa de causa dispenset. 7. Diaconos non donari Presbyteratu, nisi per anni curriculum perfunctos functionibus Diaconatus: *Nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur.* 8. Denique duos uno die nunquam conferri Ordines sacros, etiam Regularibus. Postremò potestas facta est Episcopis, eos restituendi qui aliquem inferiorum Ordinum præteriissent, ante superioris susceptionem; dum ne ejus munia obiissent.

Sess. 23. c. 11. 13. 14.

Moneo hìc autem illud obiter, cùm eodem uno in loco Tridentina Synodus hæc omnia constringat, de gradibus & interstitiis Ordinum, de Ordinationibus per saltum, de non conferendis uno die duobus Ordinibus sacris: hinc satis patere, hæc omnia nexa aptaque alia aliis esse, nec posse nisi promiscuè pertractari. Uno enim ex eo principio, quod Neophyti sint irregulares, quodque per longa graduum & rudimentorum experimenta in inferioribus Ordinibus edita ad superiores veniendum sit: hinc consectaria hæc existunt omnia. 1. Inter Ordines sacros interstitia servanda esse non mediocria. 2. Etiam inter minores, si qui fieri possit. 3. Nullum inferiorum Ordinum præteriri posse, antequam ad superiorem accedatur. 4. Ne duo Ordines uno die suscipiantur. 5. Non debere ad Episcopatum, vel ad Beneficia quibus animarum conjuncta est sollicitudo, provehi quemquam, nisi qui diu sit in Ordinibus sacris versatus. Sed cùm jam non reserventur Papæ, nisi dispensationes Ordinationum per saltum, Ordinum duorum uno die collatorum, & Quatuor Temporum Ordinationibus dicatorum: jam non possunt Episcopi non seipsos incusare, si decreta alia, non minoris ponderis quam ista, minus observentur. Penes ipsos enim est tota hujus disciplinæ sollicitudo, penes ipsos totum periculum est.

Hæc verò Tridentini Concilii Decreta, firmata, iisdemque admodum verbis promulgata fuere in Concilio Remensi anno 1564. Burdigalense vero Concilium anno 1624. in votis sibi esse testatum fecit, ut Episcopi canonica interstitia inter minores ipsos Ordines servari juberent.

Can. 10. & seq.

XI. Illa verò, quam Episcopis permisit Ecclesia, potestas dispensandi de interstitiis Ordinum, approbari & defendi posset exemplo beati Norberti, qui sæcularis primùm Canonicus, & sæcularis vitæ plus æquo studiosus sectator, usque adeo præfestinata gratiæ & repentina exuberantia subactus, & in virum alterum mutatus est, ut statim ad Coloniensem Archiepiscopum convolarit, à quo pri-

Surius die 6. Junii c. 3.

mùm repulsam passus, mox admissus ad Diaconatum uno eodemque die est, & ad Presbyteratum: comperto hæc esse inusitatissimæ & efficacissimæ gratiæ prodigia, non exempla. Neutra hæc enim dispensatio Pontifici summo reservata adhuc fuerat. Nec aliunde ei dispensationi patrocinium venandum est, quàm ex ipsius deinceps Norberti vita.

Non tam justæ erant causæ Ordinationis Episcopi Andegavensis, cui Hildebertus Cenomanensis Episcopus obluctabatur, propterea quod electus needum sacris Ordinibus initiatus, nedum exercitatus erat. *Præterea quisquis in sacris non fuit Ordinibus inventus, ad summum Sacerdotium accedere, canonicis prohibetur Ecclesiæ institutis.* Hic idem ipse est Episcopus Andegavensis, cui tantopere renitebatur Goffridus Vindocinensis Abbas, in Epistola suprà laudata, ubi authoritate muniebat se Hildeberti Cenomanensis Episcopi, quem tradit esse Provinciæ primum a Metropolitano Episcopum, sive Protothronum, de quo nos aliàs.

Hildeb Epist. 9. 12. 13.

XII. Jam inde à temporibus Cælestini III. qui Pontifex creatus est Romanus anno 1191. nec novum erat, nec inusitatum, quatuor minores Ordines uno die suscipi, vel conferri, cùm id tolerandum duxerit Pontifex *juxta consuetudinem patriæ*. Paulò suprà in Episcopum Andegavensem insurgebat Goffridus Vindocinensis, quòd octo dierum spatio Ordines suscepisset omnes. Æquioribus de causis, ut credere par est, Clemens VI. anno 1350. Delphino Viennensi tres Ordines sacros contulit, singulos ad singula Missarum solemnia, pervigilio, & ipso die Natalitio Christi, & octavo pòst die Episcopum consecravit, postquam resignaverat transtuleratque in Galliæ Reges Principatum suum omnem terrenum.

Extra De eo qui furtive Ordinem suscepit. c. 2.

Rainal. an. 1350. n. 40

Nec pigebit hoc loco adscripsisse Responsa Congregationis Concilii ex Fagnano; posse nimirum ab Episcopo conferri uno die quatuor minores Ordines, si ejusmodi alicubi vigeat consuetudo. Item qui Sabbato quatuor Temporum Subdiaconatum suscepturi essent, posse sexta antè feria suscipere quatuor minores Ordines, dum esset dies festus in populo, & pauci tantum occultè ordinarentur. Denique annum illum qui sacrorum Ordinum interstitia ex Concilio Tridentino conficit, Ecclesiasticum annum intelligi, qui civili quandoque brevior est, propter festorum mobilium anticipationem.

In l. 1. Decr. Part 2. pag 180. 190.

XIII. Nec necesse est de Quatuor temporibus verba facere, quæ orationi, jejunio & Ordinationibus dicata sunt; cùm is usus toto Occidente receptissimus sit, jam inde saltem à temporibus Gelasii Papæ, cujus ea de re Epistola & Decretum est ad Episcopos Lucaniæ. Verùm Gelasius de Diaconatu tantùm & Presbyteratu agit. Needum tunc Subdiaconatus albo sacrorum Ordinum inscriptus fuerat. Minorum Ordinum conferendorum tempus modò audivimus non adeo arctè defixum etiamnunc esse. Dixi Occidente toto unum vigere & viguisse saltem post Gelasium ritum. Propterea quod in Oriente nulla certa sunt Ordinationum tempora etiamnunc; quilibet Dominicus dies, vel festus Dominicis æquaodus Ordinationi apud Græcos dicatur, sicubi usus est.

Gratian. d. 75. c. ult

XIV. Unum restat, quod cursim expediam de Episcoporum potestate, immò & de Officio cogendi Clericos nonnunquam suos, præsertim Beneficiarios, ut ad eos accedant subeundos Ordines, qui vel eorum Beneficiis alligati sint, vel Ecclesiæ ministerio necessarii. Ea de re in hunc modum statuit Concilium Londinense anni 1125. *Statuimus ut Clerici, qui Ecclesias seu Beneficia habent Ecclesiastica, & ordinari, quo liberius vivant, subterfugiunt, cùm ab Episcopis invitati fuerint, si ad Ordines promoveri contempserint, Ecclesiis simul & Beneficiis earum priventur.* Æquissimum enimvero est, Beneficiis spoliari eos, qui iis abutuntur, ut materia otii delicati & voluptarii; quique Ordinationem declinant, quo licentiosiùs vitam agere pergant.

Can. 6

Commonitus Innocentius III. à Legato in Longobardia suo, plurimas esse Ecclesias, ubi plures essent Canonici quàm Præbendæ, & ubi pluribus junioribus Canonicis unam in commune Præbendam obtinentibus, Ecclesia ipsa Presbyterorum inopia laborabat; mandavit, ut quos idoneos judicaret, eos ad Presbyteratum suscipiendum compelleret, immorigeros Beneficiis mulctaret. *Si quos inveneris in ipsis idoneos ad gradum Sacerdotii assumendum, tu illos ut se ad superiores Ordines faciant promoveri, per subtractionem Beneficiorum, appellatione cessante compellas.* Eadem hæc ipsa erant pene verba Decreti Alexandri III. *Si suaserit utilitas Ecclesiæ, vel necessitas, ipsos dummodo idonei sint, ad majores Ordines suscipiendos per Beneficiorum subtractionem compellas.* Cùm verò essent, qui ut subducerent se ordinationi, se apud Episcopum profiterentur reos alicujus occulti sceleris ejusmodi, quo ab Ordinibus sacris summoverentur: *Se tale quid secretò commisisse dicentes, quod eos salva conscientia ordinari non sinit, &c. Propter occulta sua peccata se indignos esse fatentur:* fatetur Pontifex non licere per Canones eis vim adferre; sed Beneficiis exuendos esse, nisi aliàs permagna ex eis utilitas ad Ecclesiam redeat. *Nisi in aliis Ecclesiæ servitiis valde utiles fuerint.* Addit denique supra hujusmodi tergiversatores ordinatione provehi debere eos ex inferioribus Clericis, qui pietatis & peritiæ laude floreant.

Regist. 14. Epist. 170.

Extra. De ætate & qualitat præfic. c. 6.

In Concilio Valentino in Gallia anno 1248. innovata sunt hæc decreta adversùs Canonicos Regulares, Sæcularesque, qui Subdiaconatum refugiebant, aliosque Ordines sacros. In Concilio Salmuriensi Beneficiis orbati sunt suis, qui cùm *Sacerdotales Præbendas* obtinerent in Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus, Presbyteralem Ordinationem diutius procrastinabant. Concilium Burdegalense anni 1255. Beneficiis eos spoliari sanxit, qui singulis Quatuor temporibus ordinandos se non offerrent, si Beneficii sui necessariis Ordinibus carerent. *Ad singula tempora Ordinum se offerant ordinandos.* Concilium Avenionense anni 1270. jussit, ut non solum Parochi, sed & Personatus & Dignitates Capitulorum, quanquam nulla eis esset animarum cura præscripta, intra annum Presbyteratu initiarentur. Concilii Ravennatensis Patres anno 1314. nec Canonicos in Capitulis Cathedralibus, nec Præbendarios esse voluere, nisi saltem Subdiaconi essent: quod tunc esse poterant anno ætatis sexto decimo. Concilium Avenionense anni 1337. compulit omnes Personatus, seu Dignitates Capitulorum, tum Cathedralium, tum Collegialium, ut intra annum Presbyteratûs Ordini se innecterent; nec enim integrum jam esse in sæculum resilire, postquam tamdiu opimis Ecclesiæ proventibus saginati essent. *Quasi sperantes viri similiter, sed damnabiliter, quod cum de Christi patrimonio fuerint sublimati, à Clericali statu, illusis Ecclesiis, retrocedent.*

Can. 4.

Can. 31.

Can. 1.

Can. 4.

Can. 15.

Sancitum est denique in Concilio Tridentino, ut

Sess. 24. n. 12.

Episcopus

[Seff. 24. c. 12.] Episcopus cum consilio Capituli, singulis Canonicatibus & portionibus Ecclesiarum Cathedralium Ordinem aliquem sacrum affigeret: ut dimidia saltem ex parte Presbyteri essent; sicubi autem ea invaluisset consuetudo, ut omnes, vel longè majori ex parte Presbyteri essent, ea religiosissimè servaretur. [Tit. de Semin. n. 14.] Concilium Remense anni 1583. statuit, ut Clerici omnes qui Seminariorum sumptu sustentati & imbuti disciplina sacra fuissent, cogerentur ad Ordines sacros suscipiendos, cùm primùm ætatem necessariam attigissent; nec injussu Episcopi possent è Diœcesi demigrare. Concilium Turonense anni 1583. præcepit ut Episcopi simplices etiam Beneficiarios cogerent ad sacros Ordines, si necessitas Ecclesiæ flagitaret; alioqui Beneficiis eos suis excuterent. *Quod necessitas vel utilitas Ecclesiarum ad majores Ordines suaserit ordinare.*

XV. Simillimum veri est in his omnibus statutis valere illam inconcussam regulam ex Alexandro III. suprà deprompram, ad sacros Ordines cogi nunquam eos debere, qui vel ob occulti criminis maculam indigni sint, vel propter imperitiam prorsus absurdi, quanquam ingens sit Ecclesiæ ministrorum penuria. [Regum in 21. Decemb. pag. 149.] Ea fuit responsio Congregationis Concilii ad Ecclesiæ in Italia Cathedralis consultationem, Quantacunque urgeret necessitas ex Presbyterorum paucitate, imperitis Diaconis vel Subdiaconis conferri non debere Presbyteratum: sed compellendos eos esse, ut gnaviter studiis operam darent; pro incrementis quæ facerent promoveri debere: interim autem accersendos Regulares, qui Presbyteri essent.

XVI. Piaculare fuerit præteriri hoc loco verba Bernardi ad Eugenium Papam, à quo reposcebat executionem Canonum eorum, qui vetant eligi Archipresbyteros, vel Archidiaconos, nisi qui jam sint in Ordine sacro, atque sub intermminatione amittendi Beneficii, actutum Ordinem susciperent, [De Consid. l. 3.] quem nomine ipso præferrent. *Nullus in Archidiaconum, vel Decanum, nisi Diaconus & Presbyter ordinetur. Prohibemus ne adolescentibus, vel infra sacros Ordines constitutis, sed qui prudentia & vita merito clarescunt, prædicti conferantur honores. Verba tua hæc, Tu sanxisti: Quid effectus mancipatur? Adhuc adolescentes, adhuc qui infra sacros Ordines sunt, in Ecclesia promoventur.* Quoad eos verò qui immediatè à sæculari vita devolant ad Episcopatum, monet illum, Matthæum quidem à Telonio ad Apostolatum fuisse vocatum; sed seria & diuturna mox pœnitentia purgatum antè fuisse in Schola Christi, quàm ad pro- [Epist. 28.] mulgandum orbi Evangelium ablegaretur. *Non primò audiit cum cæteris Coapostolis suis, Ite in universum orbem prædicare Evangelium omni creaturæ, quàm egerit pœnitentiam multo tempore ac labore sequendo Dominum quocumque iret, permanens cum eo in tentationibus suis.* A Præfectura ad Pontificatum abreptus est Ambrosius, sed certissimè ipse non venit, sed abreptus est; & jam antè in laïca veste Episcopalem præ se ferebat sanctimoniam. *Cùm à puero mundam in mundo duxeris vitam, & sic etiam fuga & latebris, multisque dissimulationum modis declinare conatus sis.* Denique non exemplo hæc esse debere, sed miraculo. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi, non tam exemplum, quàm miraculum afferre debet.* Verùm his ita præstructis Bernardus non statim desperationis laqueo innectit Neophytos, qui non sua sponte, sed alieno impulsu ad summas dignitates præpropere evecti sunt; fatetur necdum hausta esse omnia omnipotentis Dei gratiæ miracula; posse malè cœpta benè verti, & auspicatiùs procedere, si longa & diuturna pœnitentia, si strenuæ & heroicæ virtutes præsidio sint.

De Irregularitate, quæ ex ignorantia existit.

CAPUT LXXXVIII. *P. 1. l. 2. c. 9.*

Irregularitas quæ ex ignorantia proficiscitur, per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

I. Decreta Pontificum, quæ illiteratis irregularitatem illi... Presbyterorum litteratura, ex Hieronymo. Scriptura, Patres.

II. Permissu Episcoporum, & in præsentibus incipiunt Presbyteri prædicare. Primus in Occidente Presbyter prædicavit Augustinus.

III. Quæ Concionatoris perita esse debebat ex Augustino.

IV. Quam necessaria Canonum peritia.

V. Monachi Ordinibus arcentur, si illiterati.

VI. Perita lingua cujusque loci vernacula.

VII. Ex longo Presbyterorum silentio elucescit Episcopos semper concionari solitos.

VIII. Ædes Episcopales Schola Clericorum erant. Qua occasione quibusdam in Ecclesiis concionibus habendis interdicti sint Presbyteri, Monachique.

IX. Chrysostomus Presbyter concionatur pro Episcopo, & coram Episcopo. Generalius Presbyterorum silentium ex consuetudine magis prisca, quàm ex ulla prohibitione profisciscebatur.

X. In Gallia serdius Presbyteri concionari cœpere. Schola in adibus Parochorum. Quæ ibi studia frequentarentur.

XI. Officium concionandi Episcopi proprium. Modus concionandi.

I. Irregularibus annumerat Hilarus Papa illiteratos. *Litterarum ignaros.* Et Concilium Romanum sub eodem Pontifice, *Inscia litterarum.* [Epist. 2.] Et Gelasius Papa, *Sine litteris.* Et mox, *Illiteratos.* [Epist. 9.] Sed nullus hîc innuitur scientiæ gradus. Præscripsit [Epist. 1.] Siricius gradus omnes, quibus promovendi sunt juniores Clerici, qui se jugo suavi Christi dicarunt; sed quæ illis studia decurrenda, quæ incrementa necessaria, omnino siluit. Testatum facit Severus Sulpitius nullum temporis punctum B. Martino vacasse, vel à prece, vel à lectione; quanquam ne lectione quidem oratio interrumperetur. *Nunquam hora ulla momentumque præteriit, quo non aut orationi incumberet, aut insisteret lectioni: quanquam etiam inter legendum, aut si quid aliud fortè agebat, nunquam animum ab oratione laxabat.* [De vita B. Martini. c. 26.]

Hieronymus dum Clericum numeris omnibus perfectum fingit, Scripturarum studia ante cætera omnia præstituit. *Divinas Scripturas sæpiùs lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas; obtine eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem; ut possis exhortari in doctrina sana.* [Ad Nepot.] Nepotianus quem his monitis informabat Hieronymus, miros in eo Scripturarum studio progressus fecit, quos necesse est hic audire ex ipso Hieronymo, In eo quod postea eidem Nepotiano contexuit Epitaphio, pio juxtà & eleganti. Sunt autem hæc non magis encomia Nepotiani privata, quàm Hieronymi ad Clericos omnes præcepta, & ad consimilem sacrarum litterarum amorem incitamenta. *Sermo ejus per omne convivium de Scripturis aliquid proponere, libenter audire, respondere verecundè, &c. Eruditionis gloriam declinando, eruditissimus habebatur. Illud aiebat Tertulliani, istud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii est: sic Minutius Felix, ita Victorinus, In hunc modum est locutus Arnobius. Me quoque* [In Epitaph. Nepot.]

quia pro sodalitate avunculi diligebat, interdum proferebat in medium. Lectioneque assidua, & meditatione diuturna pectus suum Bibliothecam fecerat Christi.

Ad Presbyteratûs apicem provectus fuerat Nepotianus, nec æquum fuerit tantam eruditionis copiam ab omnibus Clericis expectare. Sed ex ea tamen forma facilè conjectura assequi possumus, qui cuique Ordini gradus scientiæ admetiendus sit. Adsit enim Presbytero necesse est eruditio longè uberior, præstantiorque, quàm Clericis inferioribus; sed his nimirum inferioribus Clericis ea est otii abundantia, ea debet esse Litterarum aviditas, qua comparentur illæ sapientiæ & eruditionis opes, quas Diaconi postea, Presbyterique creati in fidelium greges spargant. Jam inde ergo ab exordiis Clericatûs operæ pretium est in Scripturarum lectione versari, commentarios Patrum excuti, ut qui fidissimi sint interpretes earum; ut cùm ab his initiis ad sacrorum Ordinum fastigia pervenerint, tum de iis dici possit, quod de Nepotiano aiebat Hieronymus, eos Scripturarum & Patrum *lectione assidua & meditatione diuturna, pectus suum Bibliothecam fecisse Christi.*

II. Conqueritur Hieronymus, quòd quibusdam in Ecclesiis quasi subinviderent Episcopi Presbyteris suis, non sinerent eos publicè concionari, maximè ipsis præsentibus: cùm gratulari potiùs illis, tanquam filiis debuissent, & eorum gloriæ tanquam & sibi communi suffragare. *Pessimæ consuetudinis est, in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut invideant, aut non dignentur audire. Gloria patris est filius sapiens. Gaudeat Episcopus judicio suo, cùm tales elegerit Sacerdotes.* *Ad Nepot. de vita Cler.*

Id moris in Africa fuisse tradit Possidius, ut Presbyteri ne concionarentur unquam, nisi absente Episcopo; primum autem Valerium Hipponensem Episcopum, cùm gente Græcus esset, nec Latinam linguam satis calleret, Augustino præcepisse, ut præsente se concionem haberet: quod exemplum Augustini eloquentia commendatum reliqui Episcopi non admirati sint tantùm, sed & imitati. *Eidem Presbytero potestatem dedit Valerius coram se in Ecclesia Evangelium prædicandi, ac frequentissimè tractandi, contra usum quidem & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum. Unde etiam nonnulli Episcopi detrahebant, &c. Postea currente & volante ejusmodi fama, bono præcedente exemplo, accepta ab Episcopis potestate, Presbyteri nonnulli coram Episcopis populis tractare cœperunt verbum Dei.* *In vita Augustini. c. 4.* Et in Occidente quidem imitandum sibi complures Valerium proposuere; sed & ille Orientales habebat quos imitaretur. *In Orientalibus Ecclesiis id ex more fieri sciens.* Augustino ergo primo & principi debent omnes Occidentis Presbyteri, quòd Apostolico prædicandi munere fungantur.

III. Doctior & tota eruditionis Ecclesiasticæ supellectile instructior videbatur Valerio Episcopo Augustinus, quàm ipsi sibi. Per Litteras ergo Valerium interpellavit, ut aliquid sibi otii & induciarum concederet, quo divinis Codicibus legendis & commentandis attentiùs incumberet, eosque hauriret copiosiùs divinæ sapientiæ latices, quibus creditos sibi populos recreare posset. Luculentè prorsus ea Epistola declarat Augustinus, quanto in errore versentur Presbyteri, Diaconi, Episcopique ipsi, si regendas suscipiant Ecclesias, nec antè regendi artem sacris ex Litteris nocturna diurnaque manu volutatis exculpserint. *Debeo Scripturarum omniam medicamenta perscrutari, & orando ac legendo agere, ut idonea valetudo animæ meæ ad tam periculosa negotia tribuatur; quod antè non feci, quia tempus non habui. Tunc enim ordinatus sum, cùm de ipso actionis tempore, ad cognoscendas divinas Scripturas cogitaremus, & sic nos disponere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium posset esse.* *Epist. 148.* Versatissimus in omnibus divinis humanisque disciplinis Augustinus, vix tyrocinium se posuisse earum existimabat. *Dicet fortasse sanctitas tua, Vellem scire quid desit instructioni tuæ. Tam multa autem sunt, ut faciliùs possim enumerare quæ habeo, quàm quæ habere desidero.* Ea elucubravit Augustinus adhuc laicus, vel recens Presbyter opuscula, quæ illum prodant jam tum in arcem quandam totius Ecclesiasticæ eruditionis conscendisse. Contestabatur ille tamen, suas sibi quàm aliis exploratiores esse vires, opesque; indigere se vehementissimè Scripturarum lectione & meditatione plurima; *nihil miserius, tristius, damnabilius* esse, quàm munus Episcopi, Presbyteri & Diaconi *perfunctoriè* obire; sicut & *nihil in hac vita difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi, Presbyteri & Diaconi officio*, ea qua par est accuratione gesto.

IV. Quàm necessaria sit autem Clericis Canonum peritia, vel hinc etiam Augustinus intellexit, quòd à Valerio ordinatus sit Episcopus ipsius Hipponensis civitatis, cùm utrumque lateret Canon Nicænus, quo vetatur, ne civitatis & Ecclesiæ ejusdem duo sint usquam Episcopi. Hinc & in hominum reprehensiones uterque incurrit. Verùm ut in posterum id malum præverteretur, curavit Augustinus promulgari in Concilio Carthaginensi Canonem, quo Canones legi præcipiuntur Episcopo, antequam ordinetur. Sed quorsum ea lectio, aut quantulus ejus fructus, nisi studio Canonum Clerici, Episcopique se seriò dedant? Cùm senuisset Augustinus, Coadjutorem & ipse sibi adscivit, sed ordinari eum noluit Episcopum se superstite, ne in eundem lapidem bis impingeret. *Quod reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo.* *Epist. 110.* Qui potuisset Augustinus Africanorum Conciliorum *ingenium* à Prospero dici, & omnium longè præstantissimam disciplinam Africanæ Ecclesiæ editis tot Canonibus condere & temperare, nisi sedulò ipse in Canonum studia incubuisset? Qui alias potuisset in tot Conciliis particularibus & universalibus controversias diffinire? Et qui statui fecisset in Concilio Carthaginensi IV. ut ne fori Ecclesiastici causas disceptaret Episcopus, nisi in Conventu Cleri sui, nisi antè induisset curam ejusdem Cleri sacrorum Canonum peritia imbuendi, cùm canonicis regulis finiendæ sint lites?

V. Jam alibi observatum est, ex Augustino non omnes tum Monachos ejusmodi fuisse, ut iis tutò Ordines committerentur; nec enim solam desideratam fuisse pietatem, sed & eruditionem aliquantulam: *si desit instructio necessaria:* adde & integritatem eam quam nullæ sauciarent irregularitates: *aut persona regularis integritas.* *Epist 76.* Erat ergo is eruditionis modus, quo destitui non posset Clericus, etsi posset Monachus.

VI. Augustino visa est cum primis necessaria peritia linguæ vernaculæ. Ideo & cùm Episcopum daturus esset Fussalæ oppido, quod schismati Donatistarum subduxerat, eum elegit qui Punicè sciret. *Aptum loco illi congruumque requirebam, qui & Punica lingua esset instructus, & habebam paratum Presbyterum.* *Epist. 261.* Effoderat enim se, invalueratque Romana lingua in omnes civitates urbesque paulò cla-

riores : at in oppida & loca obscuriora & recondítiora non pervaserat, solusque ibi vernaculæ linguæ usus erat, qua & necesse erat, vocem Pastorum ut exaudirent oves, ovium Pastores informatos esse. Basilius quoque Episcopos Armeniæ designaturus, eos quærebat qui regionum linguam & idiomata callerent. *Ep. 187.*

VII. Augustini & Valerii exemplo Aurelius ipse Carthaginensis Archiepiscopus copiam fecit Presbyteris publicè præsente se concionandi : qua de re illi per Epistolas congratulatus est Augustinus: *Præcipuè de sermone Presbyterorum, qui te præsente infunditur populo, per quorum linguas clamat charitas tua majore voce in cordibus hominum, quàm illi in auribus, Deo gratias.* Morem eum jam obtinuisse significat sanctus Pater in Sermonibus de verbis Domini. Alibi autem plebem suam stimulat, ne Severum Episcopum abire sinant, nisi charitatis Episcopalis officium concione habita impleat. Quod hic observasse juvat, ut constet, damni quidem aliquid forsan ex Presbyterorum longo in Ecclesia silentio contigisse, sed & illud emolumenti vicissim accessisse, quòd Episcopi prorsus omnes promptè & expeditè passim concionari insuevissent. Ideo teste eodem Augustino, Ambrosius Mediolani concionabatur *omni die Dominico.* *Ep. 77. Serm. 49. Enarrat. in Psal. 95. Confess. l. 6. c. 6.*

VIII. De Alexandro Alexandrino Episcopo narrat Socrates, quanta ejus sollicitudine Athanasius à puero in Ecclesia Alexandrina institutus fuerit, cum aliis adolescentulis : ut ab illo aliquantis post annis Diaconus sit ordinatus, & comes adscitus, cùm ad Concilium Nicænum proficisceretur, tanquam commilito invictissimus futurus in tanta de fidei rebus concertatione. [illegible] Ibant in Alexandrinæ Ecclesiæ exempla cæteræ, ut existimo, Ecclesiæ, habebantque & ipsæ juniorum Clericorum scholas, scientiæ & disciplinæ Ecclesiasticæ veluti officinas, in quibus fingerentur & imbuerentur Diaconi, Presbyteri, Episcopi aliquando Ecclesias moderaturi. Si enim Alexandriæ, ut authores sunt Socrates & Sozomenus, prædicationis munere interdicti primò fuere Presbyteri, occasione tantùm Arii cautum id fuit, nec diuturna fuit ea cautio. *Alexandria non concionatur Presbyter, qui mos eo tempore initium habuit, quo Arius perturbavit Ecclesiam.* Ario ante lapsum testatur Theodoretus mandatam fuisse provinciam explanandarum ad populum Scripturarum. Eò pertinet forsan, quod supra nos docuit Possidius, exemplo & authoritate Orientalis Ecclesiæ usum Valerium Hipponensem, ut Augustinum concionandi officio decoraret. Ex Concilio Calchedonensi & Epistolis Leonis id colligitur, suspensos à prædicandi facultate fuisse Monachos, postquam errores suos & effutivit Eutyches, & defenditavit. *L. 1. c. 15. Socrat. l. 5. c. 22. Sozom. l. 7. c. 19. Theodoret. l. 1. c. 2.*

IX. In Presbyteratûs adhuc gradu hærebat Chrysostomus, cùm eloquentiæ suæ splendore Antiochenam illustraret Ecclesiam : ubi tamen nec ipse dissimulabat primariam verbi divini facultatem penes Episcopum esse. *De Martyribus sermonem reservemus Martyrum æmulatori, nobisque vobiscum communi Doctori.* Et infrà : *Hæc servantes excipiamus perfectionem. Nam nostra, qualiacumque sunt, habent juventutis ostentationem, hujus autem qualiacumque fuerint, cana quadam prudentia sunt ornata.* Alibi verò commonstrat Chrysostomus, prædicationem ipsam mirum esse quoddam sacrificii genus, quo Sacerdos gladio verbi plebes immolat veritati & charitati, immorique cogit errori & cupiditati. *Ipsum mihi sacerdotium est prædicare & evangelizare : hanc offero* *In verba Isaiæ, Vidi Dominum. Serm. 3. In Epist. ad Rom. Ho. 29.*

hostiam. Ex quo id quoque concluditur, Presbyteros sacerdotio ipso suo, ut ad sacrificium, ita & ad prædicationem aliquid sibi juris usurpare posse; quod tamen nonnisi precarium est jus, & summæ summorum Sacerdotum, Episcoporum, inquam, potestati obnoxium. Denique idem Chrysostomus alibi promiscuè jam indicat Presbyteris patuisse licentiam concionandi; ubi docet ex Presbyteris minùs peritos baptismi administrationi vacare, peritiores quosque prædicationi. *Nam nunc quoque simplicioribus Presbyteris hoc munus baptizandi mandamus, verbum autem ad docendum pertinens sapientioribus. Illic enim est labor & sudor; quamobrem Paulus quoque dicit, Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Hinc verò proclivis est conjectura, generale illud olim silentium Presbyterorum non ex aliqua prohibitione profectum fuisse, sed ex antiquissima consuetudine, ut res sacras non ferè administrarent Presbyteri, nisi per absentiam & in vicem Episcoporum. Inter res sacras autem specialis erat ratio, quæ prædicationem maximè suaderet Episcopis reservari. Ideo & Hieronymus & Possidius consentiunt, *consuetudinis* suisse, ut ne coram Episcopis Presbyteri è superiore loco ad plebes concionarentur. *In Epist. ad Corinth. hom. 3.*

X. Seriùs ergo, nec diu Presbyteri in Oriente à prædicatione abstinuere. Ab Africa & Oriente in Galliam propero, in qua petitum mihi visum est, revocatam non fuisse suspensionem eam, nisi in Concilio Vasionensi II. anno 529. *Non solùm in civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem.* Juvat & ex eodem Concilio hunc quoque Canonem hic attexere, quo jubentur Presbyteri Parochiarum, quantos poterunt juniores enutrire Lectores, Psalterium addocere, insuefacere ut Scripturas legant & meditentur, denique eas illis omnes instillare disciplinas, quibus aliquando possint in earundem Ecclesiarum regimen succedere, juxta laudatissimam Italiæ Ecclesiarum consuetudinem. *Secundùm consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores Lectores quantoscumque in domo recipiant, & eos quomodo boni Patres spiritualiter nutrientes, Psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant, ut sibi dignos successores provideant.* Quanquam nonnisi post annum Christi quingentesimum ea lex in Galliis promulgata fuerit, pervetustus is erat tamen in Italia & vulgatissimus mos, ut juniores Clerici in istiusmodi scholis expolirentur, & diutissimè præpararentur iis sedibus, quibus aliquando in Ecclesia sessuri essent. *Can. 2. Can. 1.*

Si autem decretales Pontificum Epistolæ quæ illiteratos Clero summovent, de studiis cuique Ordini consectaneis silere : non siluit prorsus Concilium hoc Vasionense, ubi admonuit usitatum in Italia fuisse, Clericos ad hoc juniores institui, *Psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire.* De linguæ Latinæ cultura nec verbum fit ullum, quòd ea tunc popularis & vernacula esset toto Romano Imperio.

XI. In aureolis de Vita Contemplativa libellis Julianus Pomerius concionandi munere non donat, nisi Episcopos, qui & soli ab eo Doctores appellantur. *Nec se per imperitiam Pontifex excusabit, quòd propterea docere non valeat, quod ei sufficiens & locutelentus sermo non suppetat, quando nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quàm vita, satisque auditores* *L. 1. c. 13. & 14. 15.*

possint proficere, si à Doctoribus suis, quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari. Ita doctissimus Presbyter Episcopis prædicationes, quantumvis extemporaneas simplicesve, cœlesti tamen eloquentia quadam semper fulgurare arbitrabatur, si modo verbis facta responderent. Quin & innatam malebat in Episcopi sermone simplicitatem, quò facilius simplicium populorum animis infunderetur. *Tam simplex & apertus, etiam minus Latinus, debet esse sermo Pontificis, ut ab intelligentia sui nullos quamvis imperitos excludat.* Simile veri est tum temporis Presbyteros Gallicanos prorsus obmutuisse. Et sanè eruditissimorum Presbyterorum Massiliensium opuscula quidem alia pulcherrima ad nos permanarunt; Conciones verò, Homiliæ, Sermones, Tractatus ad populum prorsus nulli.

CAPUT LXXXIX. *P. 2. l. 2. c. 25.*

Irregularitas ex ignorantia, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Irregularis omnino ad Clericatum, qui litterarum prorsus, hoc est legendi rudis est.

II. Quàm necessariò Clerici superiores Scripturas evolvere & scrutari debeant.

III. Humaniores litteræ Episcopis non sunt consentaneæ.

IV. Propria illis & prorsus necessaria Scripturarum scientia.

V. Mediocri saltem peritia Diaconi sint & Presbyteri, ex Conciliis Galliæ.

VI. Ex Conciliis Hispaniæ necessaria Scripturarum & Canonum peritia.

VII. Quid solatio esse possit hujus ævi Episcopis.

VIII. IX. X. Sanctiores & clariores Episcopi majoribus doctrinæ præsidiis munitos desiderabant Presbyteros & Diaconos. Vicem illis suam ad prædicandum delegabant. Diaconi ipsi suo quodam modo prædicabant.

XI. Concilium Vasionense præcepit, ut Diaconi homilias Patrum in populi Concione legerent.

XII. XIII. XIV. Parochi etiam in Hispania prædicabant, & in Italia.

XV. Gregorio Magno placet Diaconi munus potissimum in prædicatione versari.

XVI. Nec ab his multum abludebat Orientis Disciplina.

I. His verbis hanc irregularitatem designavit Gregorius Magnus. *Aut ignorantem litteras.* (L. 5 Ep. 55.) Ita designantur, qui nec legere sciunt. His quoque verbis idem alibi declarat Gregorius, ubi commendat eruditi Clericum, qui ne appellare quidem litteras noverat. (L. 6. Ep. 15.) *Inquisitus à nobis, utrum sicut decet Clericum, litteras didicisset, eas se ignorare respondit. Qui nescit legere, lingua vestra illi sit codex, ut in bono prædicationis vestræ, vel operis, quod imitetur, aspiciat. Solet enim plerumque strictius cor viva vox trahere, quàm lectio dicta per transitum.*

II. Et hæc quidem de Clericis minoribus. Jam quod ad eos attinet, qui superiores implent sedes, agens alicubi Gregorius de iis qui ad Episcopatum Anconitanum alii ab aliis destinabantur, unum ex iis ait in Scripturis versatum abundè esse, sed tam devexa jam ætate, ut Episcopali sarcinæ gerendæ impar haberetur. (L. 12. Ep. 6.) *Scriptura quidem sacræ scientiam habere, sed ita ætatis senio jam confectum accepimus, ut ad regiminis officium non possit assurgere.* Alteri aderat indefessa illa vigilantia, quæ Pastorem maximè decet, sed Psalmos ignorare ferebatur. *Vigilans quidem homo dicitur, sed quantum asseritur, Psalmos ignorat.* Jubet inquiri, quantos Psalmos memoriter minus teneret. *De Rustico Diacono quantos Psalmos minus teneat, perscrutandum est.*

III. Scripturarum ergo potissimum eruditione locupletari debere Episcopos existimabat Gregorius, & pro suo quemque modo Clericos alios. Unde certior factus Episcopum Galliarum in exponenda Grammatica, humanioribus litteris insudare, acerbissimis illum litteris castigavit; quid enim alienius quam Christi Dei laudibus dicatam linguam Jovis encomiis sordidari? nec abhorrere Episcopum, quod vel laicus mediocri pietate imbutus exhorresceret? *Pervenit ad nos fraternitatem tuam, Grammaticam quibusdam exponere.* (L. 9. Ep. 48.) *Quam rem ita moleste suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea quæ priùs dicta fuerant, in gemitum & tristitiam verteremus: quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt. Et quàm grave nefandumque sit Episcopis canere, quod nec laico religioso conveniat, ipse considera.* Si ex Gregorio Magno ne pio quidem laico consentit studium profanum humanæ litteraturæ: fixum ergo illud statumque debet esse, in Scripturis lectitandis meditandisque versari & delectari debere, etiam laicos fideles, etiam fœminas pietatis gustu aliquo imbutas. Unde idem Gregorius Matronas duas nobiles piis monitis instruens, hortatur ut Scripturarum lectioni ex animo incumbant. *Opto ut sanctam Scripturam legere ametis: ut* (L. 9. Ep. 75.) *quandiu vos omnipotens Deus viris conjunxerit, sciatis qualiter vivere, & domum vestram quomodo disponere debeatis.*

IV. Sed in Pastorali maximè libro inculcavit Gregorius, quam frequens, quam totus esse debeat Episcopus in volutandis, in commentandis sacris litteris, ut inde veritatis lumen, inde charitatis faces mutuetur, illuminando gregi suo, & ad æternorum charitatem succendendo; & ne sua ipsius charitas inania curarum tumultuatione intepescat. *Studiosè quotidie sacri eloquii præcepta rector meditetur; ut in eo vim sollicitudinis, & erga cœlestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter destruit, divina admonitionis verba restaurent: & qui ad vetustatem vitæ per societatem sæcularium ducitur, ad amorem semper spiritualis patriæ, compunctionis aspiratione renovetur.* (Pastor. part. 2. c. 11.) Non poterit pastor cœlestis doctrinæ lumina flammasque spargere, & non lassescere, non exhauriri unquam, nisi jugi Scripturarum lectione hauriat quod effundat: incalescat ipse, ut accendat alios. *Nimirum necesse est, ut qui ad Officium prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant.* Meditata hæc antè diu debent esse sacræ arcana sapientiæ, ut non tum quærat doctor ediscere, cùm necesse est docere. *Quia videlicet cum spiritale aliquid pastor inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare.*

V. Vetat Concilium Aurelianense II. ordinari Presbyteros, vel Diaconos sine litteris, & qui ritum nesciant baptizandi. *Presbyter vel Diaconus sine litteris, vel qui si baptizandi ordinem nesciat, nullatenus ordinetur.* (Can. 16.) In Concilio IV. Aurelianensi præcipitur Episcopis, ut Parochis & Parochianis Clericis suppeditent Canonum statuta, quæ regendis Ecclesiis Parochialibus accommodata sunt. *Parochiani Clerici à Pontificibus suis necessaria sibi statuta Canonum legenda percipiant, ne se ipsi, vel populi, quæ pro salute eorum decreta sunt excusent postmodum ignorasse.* (Can. 6.) In Concilio Matisconensi I. anno 581. statutum fuit, ut à die festo sancti Martini usque ad Natalitia Christi tribus per hebdomadam quamque diebus jejunaretur, utque illi jejuniorum dies impenderentur lectitandis canonibus. *Ut à feria sancti*

Can. 9. *Martini usque ad Natale Domini, secundâ, quartâ & sextâ Sabbathi jejunetur, & sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus Canones legendos esse speciali definitione sancimus; ut nullus se fa-*
Can. 11 *teatur per ignorantiam deliquisse.* In Concilio Narbonensi anno 589. prohibitum est, ne Diaconi, vel Presbyteri crearentur, qui essent illiterati, litterarum ignorantes, *non exercitati ad legendum.* His verò extremis verbis explanari videtur, qui dicantur illiterati, nempè qui ne legere quidem possint planè & expeditè. En ipsa Canonis verba: *Amodo nulli liceat Episcoporum ordinare Diaconum, aut Presbyterum, literas ignorantem, sed si qui ordinati fuerint, cogantur discere, &c. Ad quid erit in Ecclesia Dei, si non fuerit ad legendum exercitatus? Et si perseveraverit desidiosè, & non vult proficere, mittatur in Monasterium, quia non potest ædificare populum.*

VI. In Hispania Episcopi esse non poterant, qui Scripturarum & Canonum periti non essent. Accipe Canonem Concilii Toletani IV. quo exponitur in quantum discrimen veniat Ecclesia, ubi doctrinæ legisque divinæ & Ecclesiasticæ imperiti sunt, qui ejus præcones, & vindices esse debent.
Can. 15. *Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere Scripturas admonentur, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum, Intende lectioni, exhortationi, doctrinæ, semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas & Canones, &c.* Sed quod ad Parochos attinet, unum hoc præscribitur, ut dum eos ordinat Episcopus, suppeditet illis librum *Officialem*, seu Ritualem, quo quidquid eorum officii est contineatur, maximè quoad Sacramentorum administrationem; ut ubi ad Rogationes, vel ad Synodum convocati consenserint Parochi, de his omnibus interroganti satisfaciant Episcopo. Non temerè conjicitur, cùm periti Canonum necessariò essent Episcopi ex hoc eodem Canone, Officialem ejusmodi librum ab illis suppeditatum fuisse, quo Canones etiam continerentur ii, qui ad Parochorum officia perti-
Can. 16. nent, pertinent autem plurimi. *Quando Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum officialem à Sacerdote suo accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam, etiam in ipsis divinis Sacramentis offendant: ita ut quando ad Litanias, vel ad Concilium venerint, rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrent, vel baptizent.*

VII Hinc verò perspicuè existit, & Scripturarum & Canonum peritia necessariò non imbui tantùm, sed & abundare debuisse Episcopos, ut & Concionari, & sua hac copia sacræ eruditionis Clerum omnem locupletare possent; cùm & Presbyteri & Diaconi pro suo quique gradu eandem & Scripturarum & Canonum doctrinam degustasse, atque in dies haurire tenerentur. At in necessitate inexorabili tamen tot vacantibus Parochiis sufficiendi Pastores, ubi deficiebant peritiores, iis Presbyteris Diaconisque eæ committebantur, qui & eleganter ac expeditè legerent, & ritum administrandi Sacramenta probè scirent. Si hoc quo nunc agimus sæculo, sed easdem quandoque angustias Episcopi adiguntur, eademque doctorum premuntur Presbyterorum penuria: ut Parochias imperitis potius quam nullis credere cogantur Pastoribus; habent in præteritis sæculis, quæ consolentur eos exempla non dissimilis inopiæ: habent & quæ adhibeant huic malo medicamenta, priscarum exemplo Synodorum, ut imperitos Presbyteros initient peritia aliqua ministerii sui leviori, in frequentioribus Synodis, Visitationibus, Colloquiis & Collationibus, ubi Scripturæ leges, ubi Synodorum Canones inculcentur.

VIII. Verùm non in eo hærebat quorundam præstantiorum Præsulum indefessa sollicitudo. Vide quò erumperet Cæsarii Arelatensis Episcopi sagax industria: Diaconum ordinabat nullum, nisi annum ageret saltem trigesimum, & qui quater Scripturas omnes utriusque Testamenti perlegisset. *Adjecit hoc, ut nunquam in Ecclesia sua Diaconum ordinaret, ante trigesimum ætatis ejus annum. Verùm etiam hoc addidit, ut nec in qualibet majore ætate unquam ordinaretur, nisi quater vicibus in ordine libros veteris Testamenti legerit, & quater novi.* Vita ejus. L. 1. c. 18.

IX. Cœpit tandem aliquando Cæsarius suos sibi ad prædicandum Presbyteros, Diaconosque subrogare, ubi ingravescens ætas coëgit illum receptui canere, & immenso zelo modum aliquem ponere. Mira autem hac ille ratione addocuit, sua vice ut prædicarent Presbyteri, publicè recitando è superiore loco homilias quas ipse lucubrasset, vel Ambrosii, Augustini, aliorumque Patrum sermones. Quin & Episcopos alios, ut idipsum factitarent, adducere conatus est, hac potissimum usus ratione: si finantur in Ecclesia coram legere conciones & Scripta Prophetarum & Apostolorum, & ipsius Christi: quin ergo & homilias Episcoporum? Denique Episcopos omnes contestabatur reos fore æterno Judici, si cùm non possent, ipsi prædicare, illis qui eo munere fungi possent, ora obthurarent. *Quandiu potuit alta voce semper in Ecclesia prædicavit, in quo opere tam pia atque salubris ejus provisio fuit, ut cum ipse pro infirmitate jam non posset ad ipsum officium peragendum accedere, Presbyteros & Diaconos imbueret, atque statueret in Ecclesia prædicare; quo facilius nullus Episcoporum se ab hac necessaria cunctis exhortatione, cujuscumque impossibilitatis excusatione suspenderet: hæc dicens. Si verba Domini & Prophetarum atque Apostolorum à Presbyteris & Diaconis recitantur, Ambrosii, Augustini, seu parvitatis meæ, aut quorumcumque Doctorum Catholicorum, à Presbyteris & Diaconis quare non recitentur? Non est servus major Domino suo. Quibus data est authoritas Evangelium legendi, credo licitum esse homilias servorum Dei, seu expositiones Scripturarum Canonicarum in Ecclesia recitare. Ego me exuo, hoc instituendo. Sancti Sacerdotes qui hoc implere contempserint, causas inde in die judicii se noverint esse dicturos. Non quidem credo, quod quisquam tam obduratum sensum habeat, ut cui Deus dixit: ne cesses, nec ipse clamet, nec alios clamare permittat. Etenim quantæ oves, tacente Sacerdote, aberraverint, de tantorum animabus redditurus est rationem.* L. 1. c. 18. Si verba, si lineas numeres, prolixus est & tædiosus hic contextus: brevis autem idem, & suo fructu suavissimus, si res & pulcherrima ponderes documenta, quibus scatet. Inde enim emicat. 1. Lex sanctissima & inexorabilis, ut prædicandi proprio sibi officio fungantur Episcopi. 2. Cùm per ætatem devexam jam non possunt ipsi prædicare, Presbyteris & Diaconis suis id delegare debent munus. 3. Nec Presbyteri tantùm, sed & Diaconi sub Cæsario cœpere concionari. 4. Cùm Ordinis ipsius sui jure possint publicè legere Evangelium in Ecclesia, hinc aptum nexumque est prædicandi officium. Prædicat enim quisquis Evangelium promulgat. 5. Cœpit Cæsarius, ubi non possent concionari Episcopi, urgere, ut ea tum functione Presbyteros & Diaconos honestarent. 6. Hæ tum primæ

fuere in Galliis Prædicationes Presbyterorum & Diaconorum, quæ ipsæmet erant conciones vel præstantium Episcoporum, vel antiquorum Patrum, quas illi recitarent è suggesto. 7. Quibus ita constitutis, minùs stupebimus jam, si mediocris admodum desideraretur peritia, ubi majores etiam Clerici ordinabantur; & ea potissimum desideraretur, ut expeditè & promptè legerent. 8. Cùm Cæsarius autem instituisset, ut homiliæ à Presbyteris & Diaconis publicè recitarentur, vehementiùs instare etiam cœpit, ut Scripturarum studiis incumberent, quo & ipsi possent aliquando suo ex penu sermones & homilias depromere.

X. Hinc est quòd non multò pòst, cùm Presbyteri civitatum cœpissent concionari, ut doctrinæ præsidiis instructiores, eadem potestas Parochis quoque concessa sit à Concilio Vasionensi, ita ut si qua ægritudine Parochus distineretur, Diaconus ejus loco homiliam Patrum aliquam in Ecclesiæ conventu recitaret. Can. 2. *Hoc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem, ita ut si Presbyter aliqua infirmitate prohibente, per se ipsum non potuis prædicare, sanctorum Patrum Homiliæ à Diaconibus recitentur. Si enim digni sunt Diacones, quod Christus in Evangelio locutus est, legere, quare indigni judicentur sanctorum Patrum expositiones publicè recitare?* Hæ sunt rationes, hæc penè verba Cæsarii.

XII. In Hispania quoque primævum vigorem retinuerant Concilia, concesserantque ut absente Episcopo Presbyteri concionarentur. Enucleatè recensentur in Concilio Hispalensi munera Episcoporum omnia; quæ illis propria, quæ Presbyteris communia sint: prædicatione vero non abstinentur Presbyteri, nisi præsente Episcopo. Can. 7. *Nec Episcopo præsente sacramentum Corporis & Sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere, vel benedicere, aut salutare, nec plebem utique exhortari.* Toletanum etiam Concilium IV. ubi absurdam expungit consuetudinem in sacra Domini Parasceve januas occludendi Ecclesiarum, cessationemque irreligiosam eo die tum divinorum Officiorum, tum concionum de Passione Domini: præcipitque ex adverso, ut mysterium Crucis eo die exertissimè prædicetur, utque à populo clara voce misericordia imploretur Redemptoris, criminumque condonatio: manifestè ea prædicandæ Christi Passionis provincia Parochis demandatur. Ibidem. *Comperimus quod per nonnullas Ecclesias in die sexta feria Passionis Domini, clausis Basilicarum foribus, nec celebratur Officium, nec Passio Domini populis prædicatur, &c. Ideo oportet eodem die mysterium Crucis prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, &c.* Id etiamnum in agrestibus Parochiis plerumque factitatur. His autem in Hispania ibidem mox accedebat generalis absolutio, ut peccatorum maculis abstersis, in die Paschæ Corporis & Sanguinis Christi communionis participes fierent, ut in eodem mox Canone habetur. *Ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ Resurrectionis, remissis iniquitatibus suscipere mereamur, Corporisque ejus & Sanguinis sacramentum mundi à peccatis sumamus.* Proximo Canone expressa habetur mentio Absolutionis generalis: *Ante peractas indulgentiæ preces.* In hoc eodem Concilio permittitur Diaconis stolam gestare, ex eo quòd prædicent: quæ mihi quidem prædicatio non alia videtur, quàm Evangelii decantatio, vel recitatio, similiter & aliarum precum inter Missarum solennia. Can. 40. *Unum orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat.*

XIII. Id quoque confirmat Isidorus Hispalensis Episcopus, speciale Episcoporum officium esse, ut Scripturas lectitent, & Canones. De Offic. Eccles. l. 2. c. 5. 7. 8. *Cujus præ cæteris speciale officium est, Scripturas legere, percurrere Canones.* Quoad munia vero prædicandi, ea Presbyteris omnibus, id est Parochis communia facit. *Præsunt Ecclesiis Christi, & in confectione divina Corporis & Sanguinis consortes cum Episcopis sunt, similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi.* Quod ad Diaconos autem spectat, docet idem Isidorus, quæ eorum esset prædicandi ratio, hortando nimirum plebem, ut sursum corda habeant ad Dominum, ut gratias agant, ut inflectant genua, ut orent, ut Psalmos concinant; Evangelium denique personando. *Hi voces tonitruorum; Ipsi enim clara voce in modum præconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendo genua, sive in psallendo, sive in lectiones audiendo; ipsi etiam ut aures habeamus ad Dominum clamant: ipsi quoque evangelizant.*

XIV. Nec ambigi potest, quin eadem Presbyteri & Diaconi facultate fruerentur prædicandi in Italia, quamvis videatur Vigilius Papa Diaconis precariam tantùm eam annuere, & ex Episcopi speciali permissione. Hinc & illa acerbissima ejus expostulatio de Rustico & Sebastiano Subdiaconis, quòd præter Episcopi sui voluntatem concionari aggressi sint, quo consuetudines & jura Ecclesiæ conculcabantur. Synodi V. Collat. 7. *Adjecistis execranda superbia, quæ nec leguntur, nec sine sui Pontificis jussione aliquando ordinis vestri homines præsumpserunt, authoritatem vobis prædicationis, contra omnem consuetudinem vel Canones vendicare.*

XV. Contrà autem Gregorius Magnus significare videtur ea esse primaria Diaconorum munia, ut prædicent, & pauperibus opitulentur: quibus ut toti deinceps vacarent, à cantu eos & musica alienavit. L. 4. e. 44. *Consuetudo valde reprehensibilis exorta est, ut quidam sacri Altaris ministri Cantores eligantur, & in Diaconatûs ordine constituti, modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat.* Et sanè ut primùm Gregorius ipse Apostolicæ Sedis administrationem iniit, cùm Diaconus tantùm adhuc esset, cœpit, ex Joanne Diacono, verbi divini sementem spargere, si non antè id jam munus delibaverat. L. 5. e. 42. *Venerabilis Levita Gregorius verbum ad plebem exorsus est, dicens &c.*

XVI. In Ecclesia verò Orientali, vetiti sunt Laïci à Trullani Concilii Præsulibus publicè docere, ne temerè sibi id arrogarent officium, quod Clericis Christus integrum servari voluisset. Can. 64. *Quod non oportet laïcum publicè disputare, vel docere, docendi authoritatem ex eo sibi vendicantem, sed ordini à Domino tradito cedere, &c.* Justinianus ne extremo quidem Clericatûs gradu evehi permisit eos, qui rudes essent litterarum. Nov. 6. c. 3. *Litteras ignorantes omnino nolumus neque unum ordinem suscipere Clericorum, videlicet Presbyterorum & Diaconorum, tam sacras orationes docentium, quàm Ecclesiarum & Canonum legentium libros.*

❀ ❀
❀

CAPUT XC. *P. 3. l. 2. c. 18.*

Irregularitas ex ignorantia sub Imperio Caroli Magni.

I. II. Quæ peritia ab Episcopis & Presbyteris exigeretur.
III. IV. De linguæ diversitate. Et qua lingua vernacula fierent Conciones.
V. Necessitas peritiæ linguæ Latinæ.
VI. Quibus de rebus interrogarentur, qui Presbyteratum suscipiebant.
VII. Varia capita doctrinæ Parochis pernecessaria.
VIII. De sæculis ignorantiæ, & quanta tum indulgentia opus esset.
IX. Etiam in Ecclesia Orientali. Explicatio Canonis Synodi VII Generalis.

Can. 10. I. IN Concilio Francofordiensi sancitum est, ut Episcopi Canones & Regulam B. Benedicti callerent. *Ut Episcopum Canones & Regulam non liceat ignorare.* Cùm enim summus esset moderator Episcopus disciplinæ Clericorum, qui Canonicis regulis, & Monachorum, qui B. Benedicti regula regebantur, utriusque Regulæ peritissimus esse debebat, ut utriusque religiosam observantiam exigeret. Cùm verò Presbyteri nihil juris obtinerent in Monachos, sola Canonum peritia illis commendatur.
Can. 33. *Ut nulli Episcoporum & Sacerdotum liceat sacros Canones ignorare.*

II. Nec tam arcti limites scientiæ Presbyterorum delineati erant. Exigebant præterea Caroli Magni sanctiones, ut in Scripturarum scientia versati essent, fidei sacramenta imperitæ plebi explanare possent, memoriæ Psalterium integrum commendassent, edidicissent formulas Baptismi, Canones, librum Pœnitentialem, cantum, computumque, seu rationem Festa Ecclesiæ mobilia computandi.
Conc. Gall. To. 2. p. 353. *Ut Sacerdos Dei de divina Scriptura doctus sit, & fidem Trinitatis rectè credat, & alios doceat: & suum officium bene possit implere. Ut totum Psalterium memoriter teneat. Ut de Canonibus doctus sit, & suum Pœnitentiale bene sciat. Ut cantum & compotum sciat.*

Ut in hac doctrina multiplici Scripturarum, Canonum, Theologiæ, cæremoniarum & regularum pœnitentiæ progressus facerent non pœnitendos, Parochos suos Theodulfus Aurelianensis Episcopus hortabatur, ut otium omne suum prece & lectione interpungerent, nec ab altera cessarent, nisi ut alteri se dederent.
Ibid. p. 232. c. 1. *Oportet vos & assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi. Quia vita viri justi lectione instruitur, ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo à peccato.*
Ibid. To. 8. pag. 2. c. 3. Atto Vercellensis Episcopus in Capitulari volebat & ipse, ut Parochi Scripturas Canonesque perdiscerent. *Sciant Sacerdotes Scripturas & Canones.*

III. Nec nos fallit tamen, quàm toto hoc sæculo, quo Litterarum sacrarum studia restaurabat Carolus Magnus, Beneficiarii adhuc complures tolerandi fuerint, sacræ hujus peritiæ inanes propemodum & valde rudes. Ideo & illud in Capitularibus præcipitur, ut ne admittantur Parochi, nisi qui gregis sui linguam calleant, & qui possint cum fidei mysteria, tum Christiana morum decreta addocere.
Capit. Car. Mag. l. 6. c. 182. Si non possit Parochus suis ipse verbis plebem alloqui & docere, dictata ab aliis scripto excipiet & ad gregem suum recitabit, de fide, & de regulis morum, compendiariè quidem, & quantum satis sit. Denique ut ne quis inertiæ se dedat, vel inscitiam prætexat, nemo tam ignavus, nemo tam rudis in Parochis est, qui non possit fideles monere, ut pœnitentiam agant, quòd Regnum scilicet Dei adventet, & præstò sit. *Nullus sit Presbyter qui in Ecclesia publicè non doceat, lingua quam auditores intelligant, fidem omnipotentis Dei in unitate & trinitate simpliciter credere, & ea quæ generaliter omnibus dicenda sunt de malis evitandis, sive faciendis bonis, & judicio in resurrectione futuro. Si verò ipse verbis manifestè explicare non poterit, petat sibi ea à doctiore taliter transcribi, qualiter apertè legat, quod qui audiunt, intelligant. Et qui amplius non poterit, vel his verbis admoneat, Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum.*

IV. Hoc certè Canone innuitur, fidei morumque doctrinam eam, quæ ad salutem parandam necessaria sit, tam facilem cuique, tam obviam & parabilem esse, ut nemo sit inter Presbyteros, qui non possit eam populis instillare, si patriæ modò linguæ non sit imperitus. Atqui eo ævo Caroli Magni triplex lingua usitata erat. Teutonica, quam Franci, Majores nostri, ipsique Reges in Gallias è Germania intulerant, ut originis & patriæ suæ propriam. Latina, quæ olim Romanis in usu fuerat, & quam in omnes quoque versum Imperii sui Colonias diffuderant, nobilibusque & ingenuis omnibus communem & usitatissimam fecerant, qua patebat Occidentale Romanum Imperium. Romana denique, quæ à Latina non discrepabat, nisi propter interspersas sordes aliquas vel Gallicanæ antiquæ, vel Teutonicæ linguæ, vel denique privatarum quarumcumque Provinciarum. Hoc Decretum nulli peculiarius harum linguarum suffragatur; unum urget, ut eam linguam calleat persoonæque Parochus, quam grex propriùs capiat. Quin minus probabile est de lingua Latina illud capi debere: cùm tot in Regnis & Provinciis Caroli Magni Imperio subditis, Teutonica lingua, utpote patria: cùmque in eis etiam regionibus in quibus obtinebat usus linguæ Romanæ, usque adeo illa jam à Latina deflexisset, ut qui illam calleret, ægrè tamen hanc caperet.

V. Nec inde tamen efficies minimè necessariam fuisse Latinæ linguæ scientiam, cùm ejus præsidio destituti, nec Scripturas possent, nec Canones legere. Latinæ linguæ imperitia fecit, ut ab Archiepiscopatu Remensi ejiceretur Gillemerus, qui ad eum electus fuera. Cum enim ad examen illum vocassent Episcopi provinciæ, obtulissentque Codicem Evangeliorum, legit quidem ille, sed tam imperitè, ut manifestè proderet se non intelligere. *Qui dum ante Episcopos discutiendus adsedisset, oblatus est ei textus Evangelicus. Cùm autem ipsum aliquatenus legere, nihil tamen intelligere omnes pariter cognovissent, reprobatus, ac velut insipiens ab omnibus est ejectus.* *Conc. Gall. To. 3. p. 159.*

VI. Ad cæteros Ordines non tanta examinandi austeritas, sed aliquanta tamen adhibebatur, juxta suum cujusque modum. Jubet Concilium Nannetense, ut Episcopus ante ordinationem convocet *omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt*: utque ii ab Archipresbyteris præsententur, *una cum Archipresbyteris, qui eos præsentare debent*: examinatores denique ut Episcopus deligat, sanctionum Ecclesiasticarum apprimè peritos, ut ordinandorum in vitam, mores, institutionem, studia & peritiam diligentissimè inquirant. *Can. 11.* *Tunc Episcopus à latere suo diriget debet Sacerdotes, & alios prudentes viros, gnaros legis divinæ, & exercitatos in Ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint*

bene litterati, si in lege Domini instructi, diligenter investigent.

VII. Hincmarus quoque expressit, quid specialiter addiscere, quid docere Parochos necesse sit, explanationem Symboli & Orationis Dominicæ, juxta doctrinam sanctorum Patrum. *Ut unusquisque Presbyterorum expositionem Symboli, atque orationis Dominicæ, juxta traditionem orthodoxorum Patrum plenius discat. Exinde prædicando populum sibi commissum sedulo instruat.* Missalem quoque librum ut probe intelligant, discretè, mitiè, & clarè ut legant Collectas, Epistolas, Evangelia. *Orationes Missarum, Apostolum quoque & Evangelium bene legere possit.* Psalterium & Athanasii Symbolum memoriter teneant. Athanasio enim tribui tunc incipiebat luculentissima illa fidei expositio: *Sermonem Athanasii de fide.* Denique Cantum ut bellè scirent & computum, Homilias autem Gregorii in Evangelia legendo conterrerent.

Hincmar. To. 1. pag. 710. 712.

Hæc omnia inseruit Regino capiti primo suæ Canonum Collectionis, ubi & varia refert capita, de quibus inquirere debet Episcopus, in perlustrandis Parochiis suis. Addit porro præterea, ut habeant Parochi *Pœnitentiale Romanum*, aut Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, aut Bedæ; ut convenienter ejus præceptionibus, & pœnitentes serventur, & pœnitentias admoderentur. *Ut secundum quod ibi scriptum est, interroget confitentem, aut confesso modum pœnitentiæ imponat.*

Cap. 95.

VIII. Manifestissimè rursum se prodet, quanta tunc indulgentia opus esset per illorum temporum ignorantiæ tenebras, ex Epistola commendatitia Lupi Ferrariensis Abbatis ad Hincmarum Remensem pro Episcopo, qui nec fideles sibi creditos docere, nisi moribus suis: nec Ecclesias regere, nisi suis ad Metropolitani monita & mandata obsequiis. *Nam licet desit ei forsitan aliquid eruditionis, tamen poterit esse utilis cùm & vestra doctrina parebit; & si plenè non potest docere instituta divina, poterit tamen facere, unde & ipse, & eum sequentes efficiantur salutis æternæ capaces.* De hac necessaria tamen imperitorum Parochorum tolerantia agens Agobardus, monebat primùm, plus impendere detrimenti ab imperitis persæpè, quàm à criminosis Pastoribus: *Ne communicemus peccatis alienis, criminosos videlicet ad Sacerdotium provehendo, aut quod adhuc deterius est, ignorantia cæcos, qui cæcis ducatum præbeant ad foveam æternæ damnationis.* Sed tolerandos esse tamen, tum eos quorum tota doctrina in exemplis virtutum erat, tum rursus eos qui eruditione clarerent, quam obscurarent moribus. *Tolerandum genus Pastorum bene quidem docentium, sed reprehensibiliter viventium; aut bene viventium, & propter simplicitatem sensus docere alios non valentium.*

Epist. 79.

Epist. ad Bernardum De privileg. & jure Sacerdotii.

Nec his temporibus uberior erat in Oriente eruditorum proventus. Utcumque id conjicies ex Canone VII. Synodi Generalis, vetantis inaugurari Episcopum, qui Psalterium non teneat: ut ea peritia instructus Episcopus, excubet in alios, ut & ipsi Psalmos edisçant. *Definimus omnem qui ad Episcopatus provehendus est gradum, modis omnibus Psalterium nosse: ut ex hoc etiam omnis Clericus, qui sub eo fuerit, ita moneatur, & imbuatur.* Electum Episcopum examinet Metropolitanus, an possit, an velit intelligentia & diligentia pari, lectitare & meditari Canones, Evangelia, Epistolas Pauli, Scripturas omnes: & divinas has leges ubi ebiberit servare, aliisque servandas infundere. *Inquiratur autem diligenter à Metropolita, si in promptu habeat legere scrutabiliter & non transitoriè, tam sacros Canones, & sanctum Evangelium, quàm divini Apostoli librum, & omnem divinam Scripturam; atque secundum Dei mandata conversari, & docere populum sibi commissum.* Substantiam denique, animamque & vitam Sacerdotii affirmat hæc Synodus in meditatione Scripturarum versari. *Substantia enim Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita.*

Can. 2.

Quærit Balsamon, Ecquid causæ sit, quamobrem hoc Canone præcipiatur, ut electus in Episcopalem sedem, jam Psalterium teneat: Canones autem, & reliquos Scripturæ libros spondeat se in posterum continuata lectione & meditatione frequentaturum. *Dixerit quispiam, Quomodo sancti Patres non dixerunt eos debere ordinari, qui sacros Canones norunt, sanctum Evangelium, & reliqua, sed, Eos qui Psalterium tantum norunt, curam gerere.* Respondet autem diutina & sævissima Iconoclastarum persecutione oppressa & extincta pene fuisse inter Catholicos litterarum studia: atque ideo dispensatione plurima pòst indultum fuisse. Quoad Psalterium, ne prima quidem posse Clericum suæ professionis elementa tenere, nisi laudes divinas canere didicisset. *Scire quidem Psalterium, ut requisitum ex necessitate, à sanctis Patribus postulatum est, eos qui citra condemnationem debent ordinari: reliquarum autem doctrinarum comprehensio non est postulata, eo quod nondum ab iis jure exigi potest, ut qui docendi authoritatem & manus nondum sunt assecuti.* Nec multùm dispar in Occidente Provinciarum vastatio, eidem & ignorantiæ, & indulgentiæ locum dederat.

In Can. 2. Synod VII.

CAPUT XCI. *P. 4. l. 2. c. 33.*

Irregularitas ex ignorantia post annum Christi millesimum.

I. Doctrinæ mediocritas, quam virtutum præstantissima comitetur, nihil officit Episcopo sanctissimo, utpote Valdeno.

II. Paulò post flagitat Episcopos Gregorius VII. scholis destinari, ut Reges aliunde accersant.

III. Innocentius III. uberrimam cupit in Episcopo scientiam; mediocri contentus est, quam exuberans compenset charitas. An ad temporalium etiam administrationem porrigat se Episcopi scientia.

IV. Quàm necessaria ex Anselmo & Arnulpho peritia administrandorum temporalium.

V. Inter tenebricosa quædam ignorantiæ sæcula mediocris scientia applaudendum fuit.

VI. In Conciliis Lateranensibus instituti sunt Magistri Grammaticæ & Theologiæ. Per ea tempora effulsere & invaluere Universitates, ita lux litterarum revixit, ignorantia profligata est.

VII. Decreta Conciliorum de ratione & via docendi addiscendique humanas divinasque litteras.

VIII. Et de Capitulorum & Monasteriorum officio & diligentia mittendi aliquos semper ex suis ad generalia hæc studia.

IX. Regula Concilii Tridentini, & Conciliorum sancti Caroli, de studiis Clericorum.

X. Eadem Decreta à Gallicanis postea Conciliis confirmata.

XI. Quem modum tenuerint Tridentini Patres in definiendo quibusque Cleri Ordinibus eruditionis modulo.

XII. Quàm necessaria beato Carolo visa sint studia Theologia, Canonum, Scripturarum, Patrum, Historiæ Ecclesiasticæ, & Priscorum Conciliorum.

XIII. Quid de his Gersonem.

XIV. De studio Juris Civilis.

XV. Quibus rationibus aliquando studia legum inter Clericos viluerunt. De Facultate Decreti.

XVI. De Facultate Medicinæ. Ut non possit esse gradus ad Beneficia.

I. Quanquam labia sacerdotis custodiant scientiam, & ex imperitia irregularitas existat, qua vel à Clericatu quis summoveatur: in

confesso

confesso tamen illud est, mediocrem peritiam non mediocribus succinctam virtutum luminibus, conducibiliorem Episcopis & Beneficiariis omnibus esse, quàm singularem & immensam quandam peritiam. Testem hic laudabo Vulstanum Episcopum Vuccestrensem in Anglia, quem Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus sede ejecit in Concilio Lundinensi anni 1070. gratificaturus, ut referunt, Vuillelmo notho Angliæ Regi, suæ gentis Neustricæ Episcopis novum illud Regnum suum munire, & sibi asserere cupienti. Iniquæ huic exauthorationi prætexebant imperitiam Vulstani: sed præter mirabile patrocinium, quod è cœlis adversùs temerariam calumniam affulsit, habent & Historici
Cont. Greg. Ta. 9 pag. 1104. 1283. 1123.
Angli certissima documenta, quibus hæc ab eo infamia propulsetur. Commemorant enim pauco pòst tempore ab Eboracensi Archiepiscopo exoratum esse Vulstanum, ut Diœcesin Eboracensem solenni visitatione obambularet, quod ipse officium detrectabat, vel inimicorum incursionibus deterritus, vel quòd Regionis ejus linguam minùs calleret. Ea sanè delegatio apertè demonstrat, non imparem fuisse Vulstanum difficillimis quibusque Episcopatus muniis obeundis.
Math. Paris. An. 1095.

II. Repudiatus est à Gregorio VII. vir alioqui nullo non laudis genere cumulatissimus, sed illitteratus, quem Castellæ Rex Alphonsus ad Archiepiscopalem Ecclesiam promovere studebat; utque Regi fieret satis, rescripsit ad eum Pontifex, litterarum peritiam non Episcopis tantùm, sed & Presbyteris omnino necessariam esse; ideoque eo quirendum illi esse Archiepiscopum alium, qui nec litterarum, nec virtutum necessariis præsidiis destitueretur; cujusmodi si nullus Regno in suo haberet, undecumque accersendos esse: nec verò natalium obscuritate quemquam despicabilem videri debere; cùm & Romana olim Respublica, & Christiana postmodum Ecclesia ad summum gloriæ & potestatis fastigium eluctata sit, non alio magis, quàm earum nobilitate virtutum, præ quibus natalium splendor nihili fieret. *Disciplina fundamento, videlicet litteralis scientia peritia indiget. Qua virtus cùm sit non modò Episcopis, sed etiam Sacerdotibus necessaria, &c. Eligatur inde si inveniri potest, sin autem aliunde expetatur talis persona, cujus religio & doctrina Ecclesia vestra & regno decorem conferat & salutem. Neque verò te pudeat, aut extraneum fortè, vel humilis sanguinis virum, dummodo idoneus sit ad Ecclesia tua regimen, quod propriè bonos exoptat adscire. Cùm Romana Respub ut Paganorum tempore, sic & sub Christianitatis titulis inde maximè Deo favente excreverit, quod non tam generis, aut patria nobilitatem, quàm animi & corporis virtutes perpendendas adjudicavit.*
L. 9 Ep. 2.

III. Innocentius III. ex adverso electionem Archiepiscopi Capuani confirmavit, quanquam mediocriter litterati. *Litteratura licet non eminens, tamen conveniens.* In justis voluntariæ abdicationis Episcoporum causis idem Innocentius recensuit & ignorantiam: quanquam nec ibi dissimulet posse cum fœnore etiam resarciri exuberantia charitatis scientiæ mediocritatem. Scientiam autem hic Pontifex geminam desiderat, alteram ad spiritalium, alteram ad temporalium regimen comparatam. *Pro defectu quoque scientia plerumque potest quis petere cessionem; quia cùm ipsa circa spiritalium administrationem sit potissimum necessaria, & circa curam temporalium opportuna: Præsul qui commissam sibi Ecclesiam regere debet in utrisque, salubriter ei renunciat, si scientiam, in qua ipsam regat, ignorat. Quanquam etsi desideranda sit eminens scientia in Pastore, in eo tamen sit competens toleranda, quia imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis.* Honorius III. Germaniæ Episcopum ex peritiæ penuria exauthoravit, confessum scilicet, ne Grammaticæ quidem elementis se operam dedisse. *Confessus est se nunquam de Grammatica didicisse: nec legisse Donatum.*
Extra De elect. l. 19. Renunc. l. 10. Extra De ætate & qualitate præfic. c. 15. Rainal. an. 122. n. 38.

IV. Scripsit Anselmus Beccensis adhuc Abbas ad Urbanum II. Papam, ut adduceret eum ad consentiendum cessioni Episcopi Bellovacensis, cujus & innocentia morum, & virtutum præstantia eximia & propè singularis erat: sed quem ea deficiebant calliditatis & experientiæ adminicula, quibus muniendus alioqui fuisset, adversùs clandestinas artes & insidias undique circumpositorum inimicorum. *Non est talis, qui tantam malitiam irruentem repellere, tantas insidias circumstantes cavere possit.* Ab ejusmodi verò dexteritate & scientia non immunitus erat Episcopus ille Bajocensis, cujus laudes executus est Arnulphus Lexoviensis Episcopus in Epistola ad Adrianum, quem obtestabatur, suam ut illum in Ecclesiam remitteret, cujus instaurator erat, omnium idem Episcoporum Provinciæ munimen & Patronus in Consiliis Regiis, & in causis omnibus Ecclesiasticis. *Homo enim consilii & fortitudinis est, potens in opere & sermone, in Regalibus consiliis & negotiis Ecclesiasticis acceptus, plurimumque tam ipsi Archiepiscopo, quam omnibus provincialibus Episcopis necessarius est ad reprimendam & repellendam ab Ecclesia Dei insolentiam malignorum.*
L. 2. Ep. 34. Epist. 7.

V. Affirmabat paulò suprà Innocentius III. eruditionem copiosissimam optari in Præsulibus, mediocrem tolerari, dum ea inopia cumulo virtutum pensetur. Eminentior verò illa doctrinæ copia ratò cum experientia rerum plurima sociatur: unde plurimæ dispensationis plerumque in his usus est. Quin & sequioribus aliquot sæculis ulterius amplianda fuit indulgentia. Anno 1260. Concilio Coloniensi visum est, ne eos quidem abjiciendos Clericus, qui legere saltem & canere addidicissent. *Qui sciant legere & cantare ad divini Officii ministerium competenter.* Nec plura deposcebat Concilium Ravennatense anni 1311. ubi ita de Parocho statuitur: *Competenter sciat legere & cantare divinum Officium.* Tantundem flagitat à Canonicis Collegialium: at Cathedralium Canonicos, *legere, & cantare vult, & competenter construere.* Plusculum ad majores Ordines deposcebat Concilium Vaurense anni 1368. *Grammaticam sciant, & Latinis verbis loqui valeant competenter.*
Can. 3. Can. 15. de Lavaur Can. 19.

VI. In eodem ipso Concilio Vaurensi statutum est, ut duo semper ex cujusque Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, ingenio ad litteras valentes, ablegarentur ad studia generalia Universitatis cujuspiam, ubi Theologiæ & juri Canonico operam darent; & his duo alii justo ex intervallo succederent, missis in irritum statutis quibuscumque contrariis. Si ultra sex menses autem Capitula cessarint ab hac delegatione facienda, ad Superiorem immediatum ea potestas devolvatur. His accessere Concilia Lateranensia III. & IV. ubi instituti Magistri Grammaticæ & Theologiæ Lectores in omnibus Ecclesiis Metropolitanis & Cathedralibus. Tum cœpere etiam increbrescere Universitates, veluti Cleri luculenta Seminaria. Quin & Beneficiorum pars non Mediocris Gradibus Universitatum dedicata fuit. Et his tandem machinis expugnata est ignorantia. Utcumque rem conjicies ex Decreto
Lavaur Can. 18.

Concilii Coloniensis anno 1442. ubi præcipitur, ut Parochi gnaviter incumbant in Tractatum sancti Thomæ de Sacramentis, & in menstruis colloquiis de eo inter se conferant.

VII. Cautum est in Concilio Lateranensi V. anno 1513. ut qui essent, vel ratione Beneficiorum esse tenerentur in Ordinibus sacris, ne diutiùs quàm quinquennio in humaniorum litterarum & Philosophiæ stadio morarentur: accederent autem confestim ad Theologiæ & Canonum studia, ut his ceu limpidioribus fontibus eluere possent, quidquid sordium & macularum seu Poësis, seu Philosophia inspersisset. *Sess. 8.* *Ut in his sacris & utilibus Professionibus Sacerdotes Domini inveniant, unde infectas Philosophiæ & Poësis radices purgare & sanare valeant.* Præceptum est & illud in eodem Concilio, *Sess. 9.* ut qui instituendæ juventuti præsunt, non liberales tantùm litteras doceant, sed & legem Dei, & fidei Symbolum, & Hymnos Psalmosque, & Sanctorum vitas ac gesta; his sacris prælectionibus totos insumant dies festos; curent denique ut divinis Officiis omnes intersint.

Part. 3. Can. 25. Part. 10. Can. 7. VIII. Anno 1536. Concilium Coloniense decrevit, ut Canonici omnes aliquot annos statim in generali aliquo studio degerent; quò & ex Monachis mitti voluit eos, qui acumine valerent ad res Theologicas: ut gratis pauperiores studiis dediti alerentur; præmia strenuioribus ostenderentur, Beneficia eis aliqua assignarentur; *Part. 12. Can. 5. 67.* ut Canonici, qui ibi quinquennium in studiis ponerent, maximè Theologiæ, fructus Præbendæ suæ perciperent, nulla ex parte truncatos; ut denique statuta omnia his contraria oblitterarentur.

Can. 26. Anno 1549. in Concilio Moguntino præceptum est, ut Capitulis ab omnibus mitterentur juniores aliqui Beneficiarii, qui in Universitatum palæstra totos quinque annos agerent, gauderentque fructibus Beneficiorum, præterquam distributionibus; ea cautione, ut qui mitterentur, sponderent se in Clero perseveraturos, & impensam omnem Ecclesiæ restituturos, si in laïcalis vitæ sordes retro laberentur. Quoad Regulares, innovatum est in hoc Concilio statutum illud juris communis, ut in Monasteriis paulò ditioribus studia Theologiæ instituerentur, & è minoribus Cœnobiis eò ad studia convolarent, qui valerent ingenio.

Sess. 5. c. 1. IX. In Concilio Tridentino primævo vendicata sunt vigori antiqua omnia statuta de Theologia & prælectionibus Theologicis, vel Scripturarum, in Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus insignibus, uti & in Abbatialibus; innovata sunt & privilegia omnia, tum docentibus, tum studentibus omnibus in Jure concessa. In iis Constitutionibus, *Conc. Gen. To. 14. pag. 1744.* quas ad Ecclesiæ Anglicanæ restaurationem concinnaverat Polus, confirmata quidem fuere privilegia ea omnia, sed ea cautione addita, ut in studentes pervigil immineret Episcopus, *Decret. 3.* exploraretque, an apti essent studiis: & ubi comperisset, vel parum solertes, vel inertes & desidiosos, vel studiis deditos, ex quibus nulla ad Ecclesias redundaret utilitas, revocaret eos ad suæ quemque Ecclesiæ ministerium.

Conc. Med. 1. p. 22. Juniores Clericos hortatus est sanctus Carolus, quatuordecim annis majores, librariam sibi ut supellectilem paulatim pararent, nec quosvis, sed selectos libros habere curarent, utriusque Testamenti Codicem, Catechismum Concilii, Concilium Tridentinum, Constitutiones Synodales, tum Mediolanensis, tum suæ quemque Ecclesiæ. Præcepit & præterea Parochis, ut Summam Antonini lectitarent, vel quamvis aliam ab Episcopo designatam, Pastoralem librum sancti Gregorii, Tractatum denique Chrysostomi de Sacerdotio.

Concilium IV. Mediolanense præcepit, ut Episcopi diebus singulis temporis aliquid impenderent lectioni Scripturarum, Canonum & Theologiæ, interdictis penitus libris humanarum & profanarum litterarum, juxta Concilii Carthaginensis placitum. *Ne omittant etiam sacra Theologia sacrorumque Canonum, aliarumque Ecclesiasticarum doctrinarum, muneri & officio Episcopali propriè congruentium studiis quotidie statis horis operam dare; quotidieque aliquid è sacris Bibliis studiosè legere. Gentilium autem libris, ut Carthaginensis Concilii Canone vetitum est, ne operam dent.* *Part. 1. c. 1.* Mandavit ut Clericos omnes compellerent ad lectitanda Gregorii Magni opera, *Ibid. c. 7.* Cypriani, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Bernardi, aliorumque sanctorum Patrum, maximè verò Ambrosii. Voluit Concilium Mediolanense V. ut in omnibus Seminariis legeretur Catechismus Concilii Tridentini, *Part. 5. c. 1.* cæremoniæ, ritus & historia Ecclesiastica certis diebus exponerentur. *Studia etiam sacrorum Rituum, Historiaque omnis Ecclesiastica certis diebus instituantur.* *L. 8. c. 50.* Docebit nos infrà Giossanus, quantas Carolus ipse diebus singulis horas lectioni & studiis dicaret.

X. In Concilio Turonensi anno 1483. decretum est, *Cap 15. De Episcopis.* ut in omnibus Cathedralibus & Collegialibus Ecclesiis communes essent Bibliothecæ, unde privati quique Clerici mutuos acciperent libros. In Conciliis Galliæ Provincialibus post Tridentinum confirmata & promulgata maxima ex parte fuere statuta illa omnia Conciliorum Mediolanensium longè præclarissima sub B. Carolo; maximè verò in Concilio Aquensi anni 1585. quo sancitum est, ut Episcopi statas diebus singulis horas sibi seponerent ad studia Canonum & Theologiæ. In Concilio Aquileiensi anno 1596. præceptum est, *Cap. 2.* ut prælegerentur publicè in Monasteriis Tractatus Theologici, etiam in Cœnobiis Carthusianorum, ubi fieri commodè id posset. In Concilio Burdigalensi *Cap. 12.* anni 1624. concionator describitur in Scripturis evolvendis versatus, in Patribus, in Conciliis, & Theologia mystica.

XI. Simpliciùs Tridentina Synodus & altiùs *Sess. 23. c. 11. 14.* consulens, ne Ecclesiæ ministris destitutæ squallerent & pessum irent, decrevit ut Tonsura non conferretur nisi iis qui legendi & scribendi peritiam nacti essent: ne Minores, nisi qui Latinam linguam callerent; ne Subdiaconatus vel Diaconatus, nisi eorum peritis, quæ ad functiones horum Ordinum necessaria sunt; denique ne Presbyteratu initiarentur, nisi qui possent plebem ea docere, quæ ad æternam salutem parandam desiderantur, & Sacramenta administrare qui probè scirent. *Fagnan. l. 1. Par. 2. p. 32.* Quocirca nec passa est unquam Congregatio Concilii, ut Presbyteri ordinarentur, qui litterarum rudes prorsus essent, quantacumque urgeret necessitas; quanquam permiserit committi Parochias jam ordinatis, ubi non sunt in potestate peritiores. Episcopos autem vult Tridentinum omni ea doctrinæ copia *Sess. 22. c. 22.* abundare, qua tanta dignitas eget, imprimisque ut sint Doctores, vel Licentiati in Theologia, vel Jure Canonico.

Observatum est à Baronio, *Baron. an. 398. n. 69.* illud ipsum quod olim in optatis habuerat Concilium Carthaginense IV. accuratissimum de Episcopis promovendis examen à Clemente VIII. Romæ institutum fuisse,

designatis Cardinalibus ad eos excutiendos, Theologisque & Canonistis peritissimis: quin & ipse Pontifex propositis quæstionibus urgebat, *ut planè nullum nisi bene disertо ad Episcopatum aditus patere sinatur, unde ambitiosus lageat imperitus.* Verba sunt Barunii. Quibus finitima sunt quæ habet Fagnanus in hoc Examinatorum collegio sæpissimè & diutissimè versatus sub Urbano VIII. Examen autem extra urbem qua forma institui hoc debeat, publicata sunt Gregorii XIV. & Congregationis rerum Consistorialium placita, quorum diligentiæ accuratissimæ addi nihil possit. Non definiit Tridentinum, an hoc examen institueretur à Nuntio Apostolico, vel ab Episcopi electi Ordinario, vel ab Episcopis vicinis.

Fagn. in l. 1 Decr. Par. 2. pag. 158.

Sess. 24. c. 2.

XII. Non immeritò autem tam multus fuit sanctus Carolus in inculcanda in Conciliis & Actis Ecclesiæ suæ necessitate compellendi Clericos ad seria Canonum, Patrum, & Ecclesiasticæ Historiæ studia. Pulcherrimè enim advertit Fagnanus ex Cardinali Ostiensi, citra periculum ignorari non posse Canones, cùm eæ demum sint regulæ, ad quas componi fingique debeant Clericorum mores. *Hæc autem secundum Hostiensem ignorant puri Theologi, non sine periculo animarum, quia ad Canonum observationem, qua censentur regula omnium, & ipsi & omnes Catholici astringuntur.* Sed ne sibi nimio plus assententur Canonistæ, apertiendum hîc est quæ illa fuerit Canonum peritia, quæ tantopere visa est necessaria Conciliis Mediolanensibus & B. Carolo, juxta mentem Concilii Tridentini, cujus adprimè conscius erat Carolus. Ejus vitæ Scriptor contestatur in Scripturis versandis & in Patrum Commentariis positam fuisse ejus Theologiam; Canones ejus fuisse ex antiquis Conciliis promptos, & Historiæ Ecclesiasticæ luce illuminatos; in his enim fontibus exquisisse eum, quæ Patrum Ecclesiæ placita, qui mores, quæ consilia: quæ purioris olim disciplinæ regula. Utpote qui eam perciperet excitare redivivam his temporibus, quorum vicem sæpissimè doleret: & Canonistis ingemisceret, qui ei tantùm adhærescunt Canonum & Decretorum parti, quæ dijudicandis terminandisque litibus vacat, & quæ tamen hominum importunitate non aliud magis præstat, quàm ut lites sint interminabiles. Videtur de his disserat Carolus à Basilica Petri, in vita Caroli: *Usitatam Jurisconsultorum scientiam qua fuerat occapatus adolescens, minimè ad se pertinere ratus, Theologica & Canonica tantùm novit, quantùm Cardinali magnam Ecclesiam regenti efficere posse concessum est. Ex Theologia Scripturas divinas sequebatur, tum veteres Patres, &c. Canonum ea scientia perjucunda erat, qua Patrum mores & acta repræsentans, Ecclesia componendæ atque ordinandæ rationem continet: dolens eos communi consuetudine tantùm Canones ad interpretandam seligi, qui ad lites judicaque valent.* Carolus ipse in Actis Ecclesiæ Mediolanensis formam exhibens Concionatoris, præter peritiam sanctorum Patrum & Historiæ Ecclesiæ, Canonum quoque doctrinam desiderat. *Tenebis præterea aliquam veterum Canonum scientiam, summorumque Pontificum descripta jura & Conciliorum Decreta.*

Ipse ibid. pag. 280.

L. 1. c. 11. 34

Tom. de 4. Ìtroomb

Act. Eccl. Med. pag. 476.

Glossanus rursum in Caroli vita disertis verbis ita affirmat, *Cùm in Ecclesia sua residebat, totam se dedit lectioni perpetua Patrum, Scripturarum, Historia Ecclesiastica, ternas quaternasque quotidie horas consumens in eo studio; illo etiam tempore quo Diœcesim suam obambulabat, visitabatque Parochias: qua de causa semper unà devehebantur arcæ duæ libris referta.* Et quantum crebrum illud esset in ore Caroli, *donari non debere litteris, nisi eas horas qua à negotiis Ecclesia vacua superfuat, & quantum necesse est, ut suo quis munere probè fungatur:* usque adeo tamen certum illi erat fixumque necessaria prorsus Episcopis esse sanctorum litterarum studia, *ut magis magisque in eo studiorum amor inflammaretur, ita ut extremis vitæ sua annis plerumque sex horas singulis diebus antequam sacra faceret, impenderet lectioni sacræ.* Dixi alibi de speciali Lectore, seu Doctore, quem Carolus instituerat ad explicandos publice Canones.

Glossano. L. 6. c. 19.

Legum Canonumque lectioni usque adeo totum se affixerat illustris Angliæ Martyr Thomas Cantuariensis Episcopus, ut eum hinc abducere compulsus fuerit Joannes Salisberiensis, cujus ille consuetudine plurimùm & consiliis utebatur: subjicerat autem ei, dum sæviret truculenta persecutio, lectionem Psalmorum & Moralium Gregorii, ex quibus solatii aliquid & supernæ suavitatis hauriret, qua amaritudines seculi temperarentur. Colocensis in Hungaria Episcopi electionem confirmare abnuit Innocentius III. quòd electus Theologiæ & Canonum peritia imbui se non curasset. *Theologicis & Canonicis instrui documentis.*

Baron. an. 1163. n. 4.

Innoc. III. Regest. 10. Epist. 19.

XIII. Scitissimè à Joanne Gersonio animadversum est, per priora quatuor aut quinque Ecclesiæ secula, eosdem ipsos Ecclesiæ sanctissimos Patres, & Canonistas fuisse & Theologos; quòd Canones non essent nisi velut conclusiones, quæ ex suis principiis elicerentur, hoc est ex fidei regulis, ex Scripturis, ex Theologia cujosque ævi propria. *Sic instituta videtur & gubernata fuisse sufficienter Ecclesia primitiva sub Apostolis, ac deinde per successiones varias, usque ad Doctores sanctos inclusivè, per quadringentos annos & amplius, quibus non erat distinctio Theologorum & Canonistarum, &c. Hi verò Canones, si bene inspiciamus, non sunt nisi conclusiones elicita, vel illata ex principiis Theologicis, & aliis libris Canonicis, &c. Nihil igitur admirandum si ad eosdem pertinebat cognitio & legislatio conclusionum illarum Canonicarum, ad quos pertinebat notitia principiorum.* Hac sanè ratione Carolus aliique horum temporum Episcopi, ingenti pietate, nec dispari eruditione, in Ambrosii, Augustini cæterorumque Patrum vestigia insistentes, uno eodemque sunt tempore, & Ecclesiæ Theologi, & Scripturarum Canonumque interpretes. Eo prorsus consilio Ecclesia Christi postrema hac ætate in Universitatibus thronum veluti quemdam sublimem excitavit Scripturæ, Theologiæ, & Juri Canonico, ex quibus una sacra conflatur disciplina. Mitto cætera doctrinæ Gersonii suprapositæ capita, ne longiùs excurrendum mihi sit. Digna sunt planè ea & eruditionis & pietatis Gersonii documenta.

Gerson. To 1. p. 835. & Tom. 4. pag 17. 65. 79 575.

XIV. Jus Civile Clericis usque adeo non consentit, ut Petrus Blesensis, qui ejus encomium texuerat, rem tandem judicarit plenam discriminis. *Res plena discriminis est in Clericis usus legum:* addideritque abjectum illud fuisse à Chrysostomo, ut primùm se Clericatui innexuit; totum quippe illud hominem deposcere, cùm totus à Deo uno pendente, unus uni vacare debeat Clericus; professionem denique legum jam non esse nisi avaritiæ instrumentum. *Hodie soli avaritia militant Patroni causarum.* Alibi verò dolet vehementer, malè contritum sibi tempus illud periisse, quod studio legum insumpserat, quo mallet divinæ legis castas delicias degustasse. *Dicant Legista, quid illis ad salutem animæ conferunt illæ Principum leges, quibus ego infelix*

Epist. 9. 26.

In lib. Job c. 2.

aliquando militavi. Unus est Rex, & illius vera est lex; &c.

Studebat tamen Legum peritiæ Thomas Cantuariensis Episcopus, & mox Martyr, nec illum inde avocavit Joannes Salisberiensis, nisi eo tempore, quo persecutio infrendebat, & alia vel arma quærebat, vel levamenta. Author vitæ Tarasii apud Surium, scitè observat inclytum hunc Constantinopolis Patriarcham cùm Juris civilis Canonicique consultissimus esset, utramque eam peritiam opportunissimè accommodasse ad fidelium mutuas lites componendas. Scripsit ad Pataviensem Episcopum Lucius Papa, ut causas diffiniret ex Legum, Canonumque decretis, cùm mutuam sibi lucem Leges, Canonesque refundant. *Quia sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari: ita & sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adjuvantur.*

Surius die 25. Febr.

Extra De novi operis nunc. c. 1

Honorius III. edita Decretali *super specula* fatetur & ipse leges Canonibus præsidio esse. *Licet sancta Ecclesia Legum sæcularium non respuat famulatum.* Si verò idem Pontifex ibidem prohibet, ne Parisiis, vel vicinis in urbibus Juris civilis publicæ prælectiones fiant, id totum eò pertinet. 1. Quòd Gallia Romanorum Imperatorum Legibus non uteretur. *Quia in Francia & nonnullis provinciis Laici Romanorum Imperatorum Legibus non utuntur.* 2. Quod causæ omnes Ecclesiasticæ per Canones terminari possent. 3. Quòd cætera studia decurtanda essent, *ut plenius sacræ Theologiæ insistatur.*

Extra De privileg. & excess. privil. c. 28.

Sanxit Innocentius IV. ut in Curia Romana esset semper Schola utriusque Juris: *Ibidem vigeat studium Juris divini & humani, Canonici videlicet & civilis.* Joannes XXII. in annos alios septem prorogavit Universitati Bononiensi privilegium, quo ad decennium eam donaverat Clemens V. ut Clerici omnes, exceptis Episcopis, Monachis & Presbyteris, Juri Civili & Medicinæ operam navare possent.

In Sexto De privil. c. 2.

Raynal an 1317. n. 16.

XV. Hinc liquet Pontifices Romanos nunquam ipsas per sese aversatos esse Leges civiles. Sed illud certè simillimum veri est, quandiu Germaniæ Imperatores, ac præ cæteris Friderici, inani ea se spe vanaque jactantia lactavere, se Orbis dominos, se Reges esse Regum, cujus rei argumentum inde exprimi venditabant, quod Legibus Romanis toto orbe assurgeretur: Pontifices diutissimè cum his Imperatoribus conflictatos, quin & Reges illos, quibus illa displicebat Imperatorum supra Reges imaginariæ Jurisdictionis jactantia; nonnihil depressisse aliquandiu, aut summovisse studia Legum. Ex Decretali Honorii III. id quidem jam emicuit. Sed & emicabit rursus ex Constitutione Innocentii IV. ad Occidentales Episcopos omnes, præterquam Germaniæ missa. Ibi conqueritur Pontifex, quòd avaritiæ & ambitionis facibus incensi Clerici, in Legum studia se demerserint, cæterarum disciplinarum immemores, Theologiæ prorsus incuriosi: *Ut ad præsens de divina scientia taceamus, tota Clericorum multitudo ad audiendas sæculares leges concurrit.* Vetat porro, ne quid momenti ponatur in scientia legum ad Beneficiorum dispensationem, vel Dignitatum Ecclesiasticarum: denique cùm lites inter Laicos finiantur non Legibus Romanis, sed locorum consuetudinibus per omnem ferè Europam; *Præterea in Francia, Anglia, Scotia, Vallia, Hispania & Hungaria regnis causæ laicorum non Imperatoriis legibus, sed locorum consuetudinibus decidantur*: cùm causis Ecclesiasticis finem imponere debeant Canones; denique cùm impediantur potius & obscurentur Canones, quam exercicentur & elucidentur per Legum scientiam, importunitate eorum, qui illa abutuntur: *Et tam Canones, quam consuetudines plus confundantur legibus, quam juventur, præcipuè propter nequitiam.* His omnibus præstructis vetat Pontifex ne his in omnibus Regnis publica sint ulla Legum studia: cujus tamen rei arbitrium sit & summa potestas penes Reges cujusque gentis. *Si tamen hoc de Regum & Principum processerit voluntate.* Hanc Constitutionem Pontificiam reperire est in Additionibus ad Matthæum Paris, qui quàm necessaria ea fuerit declarat in Historia sua ad annum 1254.

Jam olim verò Alexander III. prohibuerat in Concilio Turonensi ne Regulares Juri civili ediscendo, aut Medicinæ vacarent in Universitatibus. *Post votum Religionis ad Physicam, legesve mundanas legendas exire.* Nec enim probabatur Pontifici inanis illa causatio, ex qua Monachi curiositati suæ & ventosæ discursationi patrocinium quærebant, Præsidio sibi leges fore ad controversias sedandas, Medicinam ad curandas ægritudines. *Sub obtentu languentium fratrum consulendi corporibus, & Ecclesiastica negotia fidelius pertractandi.* Sed vel hinc clarescit & Medicinam & leges in Universitatibus prælegi solitas, & potissimùm Clericos utrique sese studio addicere, quo soli Monachi arcerentur. Decretum hoc certè Alexandri III. dilatavit postea Honorius III. ut non Monachi tantum his studiis interdicerentur, sed & Archidiaconi, Decani, Præpositi, Parochi, Cantores, Personatus, Dignitates & Presbyteri denique omnes; cæteris Clericis inferiorum Ordinum pristinam retentur is libertatem utriusque studii frequentandi. *Hoc extendi volumus ad Archidiaconos, Decanos, &c. Presbyteros, &c.* In eum autem scopum collimabat hoc additamento Pontifex, ut studio & contentione majore Theologicas disciplinas amplexarentur. *Quia verò Theologiæ studium cupimus ampliari, ut dilatato sui tentorii loco, &c.* Itaque privatim cuique fas est Legibus vacare; & quod ad Diaconos attinet, Congregatio Concilii declaravit, dum civili Juri navabant operam, ut ejus ope expeditiores & paratiores venirent ad Jus Canonicum, proventibus Beneficiorum suorum fraudari eos nihilo plus debere, quam si Theologiæ, aut Juris civilis scholas sectarentur. At Presbyteris nunquam facta est copia studendi Juri civili, quocumque prætextu Canonum expeditius exinde perlegendorum.

Extra. C. Non magnopere. Ne Clerici, vel Monac. c. 3.

C. Super specula stud.

Fagnan in L. 2. part. 2. pag. 436.

Gratianum ipsum ferunt, postquam Decretum suum consarcinasset, dicassetque Eugenio III. eidem persuasisse, ut illud prælegi juberet, in Universitate Bononiensi, instituneretque gradus eosdem Baccalaureorum, Licentiatorum & Doctorum, ut pervagatum jam erat in Jure civili, qui gradibus quinque secernebantur pro modo peritiæ suæ. Bononiæ Galli ipsi prima tunc ponebant rudimenta Juris civilis, ut patet ex Epistolis Petri Blesensis & Stephani Tornacensis.

Hist. Univ. Paris to. 2. pag. 255.

Anno 1150. proscriptæ sunt leges civiles ab Anglia Stephani Regis Edicto. Illud refert Joannes Salisberiensis exulcerato prorsus animo. *Ne quis etiam libros retineret, Edicto prohibitum est.* Author est Petrus Blesensis suo ævo Legibus & Decretis perdiscendis docendisque dicatas fuisse scholas: *Cùm biennium in Legibus & Decretis expenderis, &c. Qui interrogant, interrogent Parisius, ubi difficilium quæstionum nodi intricatissimi resolvuntur.* Idem testatur Rigordus ad annum 1209. sub Imperio Philippi

De Nugis Curial. l. 8. c. 22.

Epist. 19.

Augusti. *In diebus illis studium litterarum florebat Parisius, &c. Cùm in ea civitate de quæstionibus juris Canonici & Civilis, & de ea facultate quæ sanandis corporibus & sanitatibus conservandis scripta est, plena & perfecta inveniretur doctrina, ferventiori tamen desiderio sacram paginam & quæstiones Theologicas docebantur.* Hinc non absurdè conjicitur interpellatum à Rege Franciæ Honorium III. vetuisse, ne jus Civile Parisiis prælegeretur in posterum : cùm Innocentius IV. in reliqua Occidentis ferè regna eandem prohibitionem amplians, professus sit tamen totum esse in Regum potestate. Adde quod Philippus Pulcher, in instituenda Aurelianensi Universitate, & Juris Civilis Professoribus ibi designandis, contestatus sit Romanas & Imperatorias leges authoritatis esse per Gallias omnino nullius. Nec siletur hic (A Costa Duret l. 1. In. 30.) debet quod animadvertit A Costa, Tolosæ Comites, & Aquitaniæ Duces, quo se fidentiùs absolutos à jugo Regum Galliæ declararent, id affectasse, legibus ut potius Romanis & Juri scripto se suasque ditiones subjicerent.

Non poterit hæc de Jure Civili disceptatio nostra aliena à proposito nostro videri, aut quasi quædam aberratio à via quam insistebamus : cùm necessariò suscipienda nobis fuerit. Ecclesiasticæ defensio disciplinæ, quæ Juris Civilis studia & magisteria, prælectiones & gradus in Ecclesiasticis scholis approbavit, hisque gradibus aditum pandi voluit ad præclarissimas Ecclesiæ dignitates. Quasi enim in desuetudinem abiisset Constitutio Innocentii IV. quæ vetabat ne Juris Civilis peritia adminiculo cuiquam esset, ut Beneficia consequeretur : Leo X. in Concordatis cum Rege Galliæ Francisco, & (Sess. 11.) Concilium ipsum Lateranense anno 1516. statuerunt septennio Doctores vel Licentiatos Juris Canonici, vel Civilis, vel Medicinæ posse viam sibi munire ad Beneficia.

Hæ verò Juris civilis vicissitudines, conferendæ utique sunt in ipsas temporum & rerum alternantes & inconstantes semper vices. Applaudebatur ferventibus studiis legum, eo quo primum tempore eæ emerserunt è tenebris, quibus per plura sæcula insepultæ fuerant. At ubi mox hinc frigescere visa sunt Theologica studia, quod ad Legum Jurisque Civilis splendorem conversi essent omnium oculi, animique, tunc verò modus adhiberi cœptus novæ huic & contentiosæ Legum palæstræ. Vel ipsæ Synodi Leges lectitari probavere, dum hinc lux Canonibus accerseretur. At cum hinc aucupari litium & rixarum semina cœpere, cœpta est & authoritas detrahi ei peritiæ, qua homines ambitiosi & cupidi Reipublicæ pacem concutiebant. Denique Legum Romanarum gloria adversarios passa est, quandiu habuit & Imperatores & Imperatorum adulatores Jurisconsultos, qui ex ea insidiabantur aliorum Regum summæ & uni summo Deo obnoxiæ potestati. At ubi temporis diuturnitate conticuit hæc inanis adulatorum jactantia, Juris Civilis & Canonici tantùm non æquati sunt honores, æquatæ prærogativæ.

XVI. Medicinæ, quanquam rei dissimillimæ, simillima tamen sors, & eadem ferè fortuna fuit ac Legum. Unde & hoc aptari possunt, quæ de Legibus dicta sunt. Clarissimi olim sanctissimique Episcopi hanc quoque disciplinam delibaverant. (Epist. 10. 47. 113.) Beatus Fulbertus Carnotensis Episcopus suis ipse in Epistolis prodit probe versatum in ea se fuisse, & complura à se amicis medicamenta ad varios morbos solita mittitari. Id ipsum de Ivone Carnotensi Episcopo constat, (Epist. 257.) & de beato Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi. (Epist. 46.) Non injuria videri possit eos Medicas quoque artes hausisse, studium dum decurrerent Artium liberalium, maxime autem dum Physicæ, seu Philosophiæ operam darent. Non semel enim hactenus observari potuit in Canonibus, vel Decretis, quæ suprà laudavimus, *Physicæ* nomine Medicinam indigitari. Porro ante Ordines sacros his disciplinis incumbebant. Audi quid referat Ordericus Vitalis ad annum 1059. de Rodolpho Monacho, qui laudem non mediocrem adeptus erat inter Medicos Salernitanos, toto orbe longè clarissimos. *Ut in Grammatica & Dialectica, in Astronomia quoque nobiliter eruditus est, & Musica. Physicæ quoque scientiam tam copiosè habuit, ut in urbe Salernitana, ubi maximæ Medicorum scholæ ab antiquo tempore habentur, neminem in medicinali arte, præter quandam sapientem matronam sibi parem inveniret.* Ita in Orbe liberalium Artium, quem tunc solemniter juvenes decurrebant, Physica Medicinam complectebatur ; & huic se Clerici dedebant complusculi, seu cupiditate incitati, seu ægrotis succurrendi charitate. Author idoneus Petrus Aurelius (To. 2. pag. 264.) affirmat non ita pridem in Parisiensi Universitate Professores omnes, etiam Medicinæ & Juris, Clericalem vitam professos fuisse & continentiam ; nec ejus fibulæ relaxationem impetrasse Medicos, nisi eo tempore quo Cardinalis Tutiavillæus, anno nimirum 1452. reformandæ inclytæ huic Universitati vacavit. Anno 1534. idem tentatum est à Doctoribus Decreti, incassùm ; quod consecuti sunt tamen non multò pòst, anno nempe 1552. Senatus Parisiensis suffragatione & Romani Pontificis indulgentia. Non repetam, quod dixi, ex Concordatis, perinde ut priùs Pragmatica sanctione, Medicinæ, peræquè ac Juris Civilis & Canonici gradibus ad Beneficia veniri. Petro Aurelio assentitur vir doctissimus Hallerius ; (De Honor. pag. 12.) additque Doctores Juris Canonici, Professores Artium & Medicinæ Clericatu initiandos fuisse ; qui conjugati essent & bigami, nullo etiamnunc posse munere fungi in Universitate ; affuisse se cùm bigamis in Facultate Artium controversia fieret de jure suffragii. Illa verò cœlestis vocatio, qua duce & auspice necesse est ad Clericatum & ad Beneficia perveniri, nihil præ se ferre videtur, quod sociari non possit, cum Gradibus & professione ipsa Medicinæ. Qui enim ad Beneficia quæpiam his Gradibus attigissent, possent utique etiam inter Clericos virtutum laude florere, si animum adducerent ad vitam Beneficiorum quidem fructibus tolerandam, artem verò Medicinæ pauperum usibus gratis dicandam ; ut quæ plerumque immoderatæ servit terrenarum opum cupiditati, cœlestium uni charitati famularetur.



De Scholis & Universitatibus.

CAPUT XCII. *P. 1. l. 2. c. 70.*

De eadem ignorantiæ irregularitate. De Scholis antiquis per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

I. De Schola Alexandrina. Ejus antiquitas. Qui viri, quæ studia in ea claruerint.

II. Humanarum disciplinarum contagio Origenem pessumdedit. Quæ ibi ardore in Litteris sacris desudarent. De Doctoribus vicis.

III. De Schola Edessena.

IV. Summi quique Principes filios impuberes Clericis educandos instituendosque commendabant.

V. Ut littera humaniores Scripturis sociarentur, imme ancillarentur.

VI. Studia Scripturarum & Patrum præscribit Hieronymus Monachis, Mentalibus, Fidelibus laicis.

VII. Litteris profanis additi homines Deo sacros molestissime patiebatur.

VIII. Eas adolescentibus indulgebat.

IX. Pamphili Martyris & Augustæas Bibliotheca.

X. Memorandum B. Matrina & Gregorii Nysseni exemplum.

XI. Commendatissimus fervor ad sacras Litteras. Quàm est stillum dolendum, si tota adolescentia fles in solis sæcularibus litteris male conteratur.

XII. Qui essent prioribus sæculis Ecclesia Latina Doctores Episcopi ii erant, Presbyteri, Diaconi. An etiam ex Laicis aliquod?

XIII. Catechistæ ipsi, seu Doctores Catechumenis instituendis præfecti, Episcopi erant, Presbyteri & Diaconi.

XIV. Quos Doctores commendarunt Apostolus? Episcopos.

XV. Episcopi ipsi Catechumenos instituebant; Catechistas ex aliis Ordinibus informabant. De Presbyteris & Doctoribus vicorum variis in Ægypto.

I. SCholæ illæ Italicæ, quas suprà cursim perstrinximus, & in quibus Clerici fingebantur, ut antiquæ fuerint, non tamen omnium antiquissimæ. Attigimus obiter aliquid de Alexandrina Schola, cujus alumnus primò, & lumen fuit Athanasius. Sed ab origine ipsa res altiùs repetenda nunc nobis est. Pantænus quidam, Eusebio teste, eam rexerat Scholam, sed ea Pantæno longè antiquior erat; porro Litterarum ibi maximè sacratum fervebant studia, & miros in eis progressus in dies faciebant. Audiendus Eusebius ipse: (L. 5. c. 10. 11.) *Per idem tempus fidelium Scholæ præerat vir doctrina causa celeberrimus Pantænus, quippe jam inde à priscis temporibus sacrarum Litterarum schola in ea civitate fuerat instituta, quæ quidem nostra adhuc ætate perseverat.* Ubi notanda hæc maximè verba, eam fuisse *sacrarum Litterarum scholam*, διδασκαλεῖον τῶν ἱερῶν λόγων. Addit Eusebius eodem ibi tempore Clementem Alexandrinum Scripturarum eruditione floruisse, & Pantæni antè magisteriis imbutum fuisse, quàm aliorum Magister fieret. Claruere pòst in ea Ammonius & Origenes, magna nominis fama, majore virtutum gloria. Origenes Catechumenis imbuendis primùm præfectus fuerat. (L. 6. c. 3.) *Institutio Catechumenorum ipsi soli mandata fuerat.* (L. 6. c. 6.) Successerat enim Clementi, magistro discipulus: *Clemens qui Pantæno successerat, apud Alexandriam Catechumenorum institutioni adhuc præerat, adeo ut auditor ejus etiam tum puer fuerit Origenes.* Tanti sub muneris pondere gemuit Origenes; utque posset paulò largiùs eos haurire sacræ Scripturarum doctrinæ latices, quibus abundè & jugiter irrigandæ ei erant aures mentesque, tum Catechumenorum, tum fidelium, socium sibi adscivit Heraclam, cujus curæ rudiores commisit, provectiores sibi ipsi ulteriùs provehendos servavit. *Divisa omni Auditorum multitudine, Heraclam ex familiaribus suis deligens,* (L. 6. c. 15.) *virum rerum divinarum studiosum & alioqui doctissimum, nec expertem Philosophiæ, in docendi officio socium sibi atque administrum adjunxit; & huic quidem institutionem eorum qui primis adhuc imbuerentur rudimentis mandavit, sibi verò perfectiores docendos reservavit.* Cùm verò Origenes ab Episcopo Cæsareæ Presbyter ordinatus fuisset, & ea præscripto Canonum ei deinceps ad exitum usque vitæ ei Episcopo affixus esset, in Heraclam unum totam transmisit Alexandrinæ Scholæ Præfecturam. Sed cùm Demetrius Alexandrinus Episcopus è vivis excessisset non multò pòst, illi quidem in Ecclesia ea successor datus est Heraclas, ipse verò in Schola sua successorem nactus est Dionysium, ut author est Hieronymus, qui eam *Catecheseon scholam* appellat. *Dionysius Alexandriæ urbis Episcopus* (L. 7. c. 16.) *sub Heracla Scholam κατηχήσεων Presbyter tenuit.* Ori- (29. 35.) genis quoque discipulus fuerat Dionysius, & Heraclæ in Episcopalem Cathedram postea successit, sicut & priùs in Catecheticam. Non alius eo ævo doctrinæ laude clarior quisquam fuit, quam & evulgatis compluribus libris pro variis Ecclesiæ necessitatibus prodidit. Memoranda præ cæteris damnatio Nepotis schismatici, quem in Synodo pro- (L. 7. c. 24.) scripsit Presbyterorum, & eorum Doctorum, qui (Theodoret. L. 1. c. 2. Socrates.) per vicos sparsi, fidelibus sacram instillabant doctrinam. *Convocatis Presbyteris & Doctoribus, qui per singulos vicos fratribus prædicabant.* Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis Pierium præstantissimum eruditissimumque Presbyterum præfuisse & ipsum ait Scholæ Alexandrinæ sub Episcopo Theona. Theodoreto referente, Arius Presbyter demandato sibi in ea munere interpretandæ & elucidandæ Scripturæ, infanda mox æmulatione incensus, ob præpositum sibi in Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatu Alexandrum, eam commentus est hæresin, quæ & ejusmodi patris, & superbiæ matris proles esset non degener. Vult etiam Socrates, Didymum illum doctrinæ ubertate & fama notissimum Scholam Alexandrinam ipsum quoque aliquandiu administrasse.

II. Plura dicemus, ubi in his pauca quædam observata fuerint. 1. Sola ferè Scripturarum studia viguisse in Alexandrina hac Schola, cui cæteras Christiani orbis Scholas attemperatas deinceps fuisse perquam probabile est. Fores aperuit inopinus Origenes errorum colluvioni, cùm humanas disciplinas catervatim eò invexit. *Discipulos acutioris* (L. 6. c. 18.) *ingenii ad Philosophiam introducebat, Geometriam illis tradens & Arithmeticam, aliasque previas disciplinas: inde ad varias Philosophorum sectas eos perducens, &c. Hebetiorum multos ad humaniorum artium studia hortabatur, &c.* Hæc Eusebius, plurimus semper in laudes Origenis: sed res ipsa vociferatur, illa ab origine manasse errores omnes, quibus ille se primum, pòst & innumerabiles alios immersit. Ex hoc enim immodesto conjugio Theologiæ Christianæ cum Philosophia Platonica ebullicre illi tandem errores complurimi, quos cum autore suo Origene Ecclesia postea confixit. 2. Fuerat Pantænus Indiarum Apostolus, inde ad Scholam Alexandrinam redierat. Clemens Presbyter fuit Alexandrinus. Origenes Presbyter ordinatus fuit à duobus Episcopis, quos remorari non potuerat scrupulus ille, in quo hærebat Demetrius, cui molestiam non creabat nisi ea, quam in se ipsum Origenes exer-

cuerat sævitiam. Heraclas & Dionysius Presbyteri fuere, Catechistæ, & Professores famosissimæ ejusdem Scholæ, ac deinque Episcopi Alexandrini. De Alexandro, de Episcopali ejus Schola, & de Athanasio ejus discipulo & successore aliquid suprà perstrinximus. Merè ergo Ecclesiastica & Clericalis erat hæc Schola: simillimum quoque veri est, non Catechumenos tantùm & fideles, sed & Clericos in ea pro suo quemque modo institutos fuisse. Denique hujus Scholæ Gradibus ad Beneficia, ad Parochiales Ecclesias, ad ipsam Alexandriæ Episcopalem sedem conscendebatur. 3. Vacuus forsan & subalienatus ab humanis litteris animus, tantò vehementiùs ad divinas inflammescebat, & pro ardore erant incrementa. Ex eodem Eusebio exempla depromam duo. Inter illustres Palæstinæ Martyres admirationi potissimum fuit Valens Ecclesiæ Hierosolymitanæ Diaconus: cui venerationem non sola canities, sed Scripturarum maximè ardens amor, jugisque meditatio, quas & ita memoriæ insculpserat, ut ex tempore recitaret, quocumque demum ex libro, ac si ex libro legisset. *Eas usque* De Martyr. Pal. c. 11. *adeo fideli memoria complectebatur, ut nihil omnino interesset, an ex codice legeret, aut cujuslibet Scripturæ integras paginas memoriter recitaret.* Fuit & inter eos Martyres Joannes, memoriter recitare solitus Scripturæ libros in Ecclesia: jamdiu enim oculis orbatus erat, & divinas paginas tam altè, tam fidè inscripserat immortalibus tabulis mentis suæ, ut per singulos libros, per singula capita, quod quisque vellet, hoc recitaret. *Quippe qui totos divinæ Scripturæ libros, non in lapideis tabulis, nec in membranis, sed in carneis tabulis, in anima scilicet candida & in purissimo mentis lumine, perscriptos habuerit.* Id quidem Eusebius testatur se ipsum expertum esse, & vix tum demum id se credere potuisse, antea autem ne vix quidem. 4. Erant & in oppidis vicisque Doctores. Διδασκάλους τοὺς ἐν ταῖς κώμαις ἀδελφῶν. Edixit Vasionense Concilium, ut Parochi ipsi juniores Clericos addocerent, at in Ægypto præter Presbyteros, seu Parochos, erant rurì in Parochiis Doctores. 5. Erat porro non mediocris eruditionis copia agrestium hujusmodi Doctorum, cùm Episcopus, & quidem Dionysius Episcopus omni doctrinæ genere refertissimus, eos consuleret ad novellæ hæreseos condemnationem. Diximus alibi à Siricio Papa damnatum fuisse Jovinianum in Cleri sui conventu, *Facto Presbyterio.* Is fuit usus Pontificum Romanorum per hæc priora quinque sæcula. Clerus Romanus cum Pontifice, sub Pontifice Ecclesiam administrabat, & addiscebat, insuescebatque eam, post illius mortem pro Pontifice administrare. Nec ab his dissidebant aliarum mores Ecclesiarum. Quo fiebat, ut aurea hac ætate non posset non mira & copiosa esse Clerus eruditione.

III. Collaudat aliam quoque Theodoretus in Historia Scholam, quæ non assequeretur quidem, etsi sequeretur Alexandrinæ splendorem; sed ex qua apertius forsan fiet, quibus tandem studiis fidelium, maximè autem Clerici curam suam industriamque conferrent. Prissimus Presbyter Edessenus Protogenes Ludum aperuit, ubi pueros edocebat per compendiarias notas scribere, concinere Psalmos, meditari & memoriæ mandare Scripturas. *Protogenes vir admirabilis ludum aperuit, & pue-* Hist. l. 4. c. 16. *ris docendis operam dedit, atque eos non modò exercuit ad celeri manu scribendum, verùm etiam sacra Dei eloquia edocuit. Nam hymnos Davidis tanquam dictata illis proposuit, & eas Apostolicæ doctrinæ sententias, quas eorum ingeniis accommodatas putabat, ediscendas tradidit.* Ejusmodi erat Protogenis Edessena Schola. Διδασκάλιον, παιδευτήριον. Hinc augurari fas est, quæ ab ordinandis eruditio desideraretur. Celeberrimam sanè hanc Edessenam fuisse Scholam, vel ex ipsa ejus ruina conjectura duci potest. Ait enim Theodoretus Lector, eam *Persidis Academiam* appellatam fuisse, & in ejus excidium conspirasse Zenonem Imperatorem, Nestorii & Theodori Mopsuesteni veneno & furore insanientem. Eusebium Emesenum Episcopum testatur Socrates ab incunabulis imbutum fuisse litteris in schola Edessenæ urbis, quæ L. 2. illi patria erat, humaniores indidem hausisse litteras, sed tandem reversum esse ad Scripturas sacras L. 2. c. 6. sub magisterio Eusebii Cæsariensis Episcopi, & Patrophili Episcopi Scythopolitani. Suffragatur & Sozomenus, qui illud quoque ipsum addit Edessæ in more positum fuisse. *Ab ineunte ætate, ut mos patriæ* L. 3. c. 5. *fert, sacris in Litteris educatus, deinde disciplinis humanioris litteraturæ institutus, postea ab Eusebio Pamphilo & Patrophilo interpretibus & magistris suis sanctos Scripturæ libros exquisitiùs perdidicit.*

IV. Dum Juliani Apostatæ insaniam exequitur Sozomenus idem ipse, illum ait ut Christianis ortum parentibus, Ecclesiæ more initiatum statim fuisse sacris Litteris, Præceptoresque habuisse tum Episcopos, tum Clericos alios *Ex piis & religiosis* L. 5. c. 2. *parentibus ortus, & ab ineunte ætate, ut ritus Ecclesiæ postulat, initiatus, sanctas Litteras didicit, & in eisdem ab Episcopis, & ab aliis viris Ecclesiasticis fuit educatus.* Eadem fuere & Galli initia, germani ejus, atque ambo Clericatui inscripti sunt, ac Lectores ordinati; *Ut in numeram Cleri inscriberentur, & Ecclesiasticos libros populo legerent.* Narrat Socrates Mar- L. 2. c. 9. rianum Presbyterum sectæ Novatianorum, Grammaticam tradidisse duabus Valentis Imperatoris filiabus.

V. Hinc verò liquidum est, etsi primas semper tenerent sacræ Litteræ, non prorsus tamen contempsisse humaniores disciplinas. Scriptor Græcus & pervetustus vitæ Gregorii Nazianzeni, ait quanquam à piissima matre Deo consecratus esset statim ac natus, immo antequam conceptus fuisset: nihilo tamen remissius insudatum ab eo esse postea Grammaticæ, Rhetoricæ, Philosophiæ, Medicinæ, Musicæ, Geometriæ, Astronomiæ, donec annum ætatis suæ trigesimum attigisset; quando sacro fonte initiatus statuit humanis posthac illis omnibus subdocere se disciplinis. Comes illi studiorum fuerat Basilius, fuit & ad pium secessum dux. Hæc olim sæculi, mox Cleri duo lumina, spoliis Ægypti Ecclesiam locupletarunt, hoc est, sæcularibus omnibus disciplinis: cúmque postea Julianus Apostata addoceri à Christianis vetuit litteras Græcas, tantam omnis generis lucubrationum sylvam suo ex penu ejecit Gregorius Nazianzenus, nil nisi pium & religiosum redolentem, ut eam jacturam cum fœnore se plurimo resarsisse fideles gratularentur. Agit Palladius in vita Chrysostomi de Philippo Mo- Cap. 20. nacho *atque Presbytero Scholarum*, asseclarum & defensorum Chrysostomi non postremo.

VI. Non is erat Hieronymus, qui Clericis aliarum quàm sacrarum Litterarum copiam faceret, aut qui non eas illis vehementer inculcaret: cùm iisdem urgeret incumbere, non Monachos tantùm, aut Moniales, sed fideles ipsos & matronas. De Hilarione hoc affirmat, post orationes & Psalmos frequentissimum ei fuisse otii piè & suavissimè consumendi modum, ut arrecto in Deum animo Scrip-

turas, quas tenebat memoriter, usque recitaret. *Scripturas quoque sanctas memoriter tenens, post Orationes & Psalmos, quasi Deo præsente recitabat.* Ubi Lætam necessariis instruit præceptis ad filiæ institutionem adhuc tenellæ & infantis, non in alias priùs voces solvi jubet linguæ ejus vincula & balbutiem, quàm in nomina Patriarcharum & Prophetarum, atque Apostolorum; utque à teneris consuesceret, orationi lectionem, lectioni orationem contexere: *Orationi lectio, lectioni succedat oratio.* Psalterium primò ediscat; tum ad libros Salomonis & Jobi gradum faciat, denique ad Evangelia, quæ de manibus nunquam ponat. *Ad Evangelia transeat, nunquam ea positura de manibus.* Inde ad Acta, & ad Epistolas Apostolorum; quo cursu confecto, accedet ad Prophetas, ad Pentateuchum, ad cæteros dein Scripturæ libros, quibus tam pura veritatis & charitatis cœlestis flamma in ejus corde accendatur, ut tutò possit ad Canticum Canticorum accedere. Sanctorum denique Patrum opuscula volutari etiamque vult Hieronymus à piis & religiosis puellis, ea assiduitate, quæ nostris his temporibus admirationem creare possit. *Cypriani opuscula semper in manu teneat. Athanasii Epistolas & Hilarii libros inoffenso decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet.* Eadem monita insusurrabat & Christi Virgini Demetriadi. *Statue, quot horis sanctam Scripturam ediscere debeas.* Et sanctissimæ Viduæ Furiæ: *De Scripturis sanctis habeto fixum versuum numerum: istud pensum Domino tuo redde. Nec antè quieti membra concedas, quàm calathum pectoris tui hoc subtemine impleveris. Post Scripturas sanctas Doctorum hominum Tractatus lege, eorum dumtaxat quorum fides nota est.* Hanc studiorum Scripturæ normam Monialibus suis præscripsit beata Paula: *Nec licebat cuiquam sororum ignorare Psalmos, & non de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere.* In his omnibus locis par Hieronymo cura, & exitiales proscribendi libros, & eos inculcandi, ex quibus Christianæ pietatis odor exhalaretur.

In vita Hilar. — *Ad Lætam De Institut. filiæ.* — *Ad Demetr. de virg. ser.* — *Ad Furiam de vidu. servan.* — *In Epita. Paulæ.*

VII. Gentilitias verò litteras cùm accuratissimè olim in ipso juventæ flore perdidicisset Hieronymus, nec tenaci memoria eas excutere tam facilè posset, quàm olim mandaverat, hinc stillabat in ejus calamum & lucubrationes exinde aliquid, unde insidiatus est illi calumniamque struxit Ruffinus, quasi Sacramentum, quo olim se in somnio obstrinxerat, infregisset. Illum hoc responso retudit Hieronymus, quæ à teneris unguiculis memoriæ inhæserint, ea ne senio quidem quandoque exolescere posse: quod sibi objectaretur perjurium, tanti faciendum esse, quanti somnium: somnio autem abuti ad criminandum quemquam, hominis esse, qui tam nullius esset frontis, quàm judicii. *Hæc decerem, si quippiam vigilans promisissem. Nunc autem novum impudentiæ genus, objicit mihi somnium meum.* Et alibi: *Magni criminis reus sum, si puellis & virginibus Christi, dixi sæculares libros non legendos, & me in somnis commonitum, promisisse ne legerem.*

Apolog. adv. Ruffin.

VIII. Cæterùm qui profanorum Scriptorum lectione tam anxiè Religiosos, & Deo dicatos homines interdicit Hieronymus, juvenes ab ea nequaquam deterret, quòd inevitabile reor id malum existimaret, & quòd longè uberior illud compensaret utilitas. Siquis verò Episcopus profana hac profanorum pura Poëtarum lectione oblectaretur, in hunc Hieronymus quadam styli atrocitate vide ut sæviret. *At nunc etiam Sacerdotes Dei omissis Evangeliis & Prophetis videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium; & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis.*

Epist. ad Damas. 10.

IX. Quid Clericorum, quid Episcoporum modestæ curiositati indulgeri debeat, prodidisse videbatur Pamphilus Martyr, Scriptorum Ecclesiasticorum coacervata supellectile, instructaque Bibliotheca, minore numero & parciore sumptu, sed majore delectu & pretio, quam Demetrius olim Phalereus & Pisistratus Gentilium monumenta congesserant. *Cùm Demetrium Phalereum & Pisistratum in sacra Bibliotheca studio vellet æquare; imaginesque ingeniorum, quæ vera sunt & æterna monumenta, toto orbe perquireret.* Hæc Hieronymus ad Marcellam. Fatetur Eusebius Historiam se suam corrasisse ex iis scriptorum monumentis, quæ in Bibliotheca Ecclesiæ Hierosolymitanæ servarentur, cujus Alexander Episcopus fundamenta jecerat. Aperuit alicubi Augustinus ipse, quàm cupidus esset amplificandæ Bibliothecæ suæ: *Ut sint unde libri, vel parentur, vel reparentur, Bibliothecam nostram adjuvare dignatus est.* Eam Ecclesiæ Hipponensis fuisse Bibliothecam author est Possidius, & sollicitè præceptum esse ab Augustino, ut postquam ipse excessisset, ejus cura ageretur. *Ecclesiæ Bibliothecam & omnes codices diligenter posteris custodiendos semper jubebat.*

Epist. ad Marcell. to. 3. — *L. 6. c. 10.* — *Epist. 264.* — *Cap. ult.*

X. Macrinæ sororis suæ oculos testatur Gregorius Nyssenus Poëtarum lectione contaminatos nunquam fuisse, nunquam sordidatam mentem: incumbente in eam curam matre piissima, & ubi primùm erepsit è cunis, in manus tenellas dante Sapientiam Salomonis, ut venam limpidissimam sacrarum præceptionum: commendasse & ediscendum memoriter Psalterium, cujus cantu opera sua omnia condiret ac præveniret. *Studebat mater, ut filia erudiretur; sed non ista tamen externa disciplinarum serie, qua plerumque ex Poëtarum lectione prima discentium ætas imbuitur. Turpe enim & indecorum prorsus existimabat, &c. Promde quæ ex divino Spiritu dictata Scriptura primæ illi ætatulæ faciliora aptioraque videbantur, discenda proponebat. Cum primis autem Sapientiam Salomonis, &c. Erat enim Psalmorum haudquaquam ignara, præfinitamque eorum partem statutis temporibus percurrebat. Nam sive surgeret è lectulo, sive ad studia accederet, sive discederet ab eis, sive cibum sumeret, sive à mensa recederet, sive cubitum se conferret, sive ad precandum exurgeret, semper ut bonam, seque nullo tempore deserentem comitem, habebat Psalmorum cantilenam.* Educabatur Macrina ad conjugium, & hæc tamen erat ejus institutio, quòd institutio nempè ea esset Christianæ puellæ. Eam formam secuta est postea Macrina ipsa, in instituendo fratre suo Petro, & ab infantia Scripturis imbuendo, ut ne ad punctum quidem temporis respirare fineret ad profanas litteras. Unde & à teneria senilem pene sapientiam adeptus est Petrus, & provectior, non tam Episcopatu illustratus est, quàm virtutum gloria Episcopatum ipse illustravit. *Paulò post ejus ortum ab ubere nutricis sublatum, ipsa statim enutrivit, excellentique disciplina educavit, sacris institutis à puero ipsum erudiens, adeo ut nihil otii concesserit, quo posset studiis inanibus vacare.*

In vita sanctæ Macrinæ.

XI. Docet alicubi Augustinus Antonium Scripturas tenuisse, quamvis litterarum esset rudis: *Qui sine ulla scientia litterarum Scripturas divinas & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse prædicatur:* usque adeo anxiè satagebat Antonius, ut essent semper, qui sibi sacros Codices

De Doctr. Christ. l. 2. In Prolog.

lectitarent,

lectitarent, ut eos jugi meditatione concoqueret: ut memoriæ inculcaret. Addit rursus idem sanctus Pater captivum quendam Christianum precibus Deo per triduum fusis exorasse atque impetrasse cœlestis intelligentiæ rivulum, ut divinas Scripturas legeret, qui legendi prorsus ignarus hactenus fuisset. Alibi vero Diaconum Catechumenis instituendis præpositum ubi instituit Augustinus, edocetque qua via & ratione munere suo fungi debeat, *L. De Catechiz. rudibus.* illud diligentissimè monet, ut compendio illis totam Scripturarum utriusque Testamenti historiam contexat, ponatque ob oculos, tum Christi mysteria, tum morum regulis illustratam, depromptis nimirum opibus, quæ in iis latitant. Quin & suam idem ipsius vicem ex eo dolet, quòd à puero nugamentis Poëtarum & pene anilibus fabulis imbutus fuerit, cùm initianda potius fuissent præcordia & labia sua laudibus Creatoris summi, Optimi, Maximi, & lectione Scripturarum consectanda. *Confess. l. 1. c. 17.* *Itane aliud non erat in quo exerceretur ingenium & lingua mea? Laudes tua Domine, laudes tua per Scripturas tuas suspenderent palmitem cordis mei, & non raperetur per inania nugarum turpis præda volatilibus. Non enim uno modo sacrificatur transgressoribus angelis.* His omnibus Augustini testimoniis patet, nostræ prorsus dolendam nunc esse adolescentiæ sortem, quando flos primævus ætatis, & studiorum primus impetus conteritur & detorquetur ad studia profanæ curiositatis referta, inutilia, exitialia quandoque æternæ saluti; & non potius ad cœlestia lumina veritatis ex divina Scriptura radiantis, in quibus deliciæ sitæ sunt verissimæ præsentis vitæ, futurarum prægustationes, cùm nusquam alibi sint nisi deliciarum ludibria & mera insomnia. Conteri porro videtur Augustinus, ne remedia quidem ei malo & dolori nostro quærenda esse, ne remediis ipsis exasperetur. *Theodoret. L. 3. c. 4.* Cum Profanis & Gentilium litteris Julianus Apostata Christianos abstinuit, arcuitque; gravissimo vulnere ab eo sauciatam rem Christianam fuisse sanctis Ecclesiæ Patribus persuasissimum fuit. De hoc argumento libellum scripsit Basilius, *De legendis Gentilium libris*, ubi ait disciplinas sæculares instar habere foliorum, quibus ornantur arbores, inumbrantur fructus & muniuntur. *Epist. 79.* Dolet illi alicubi, quòd tantum temporis consumpsisset in Philosophia: quod tamen nos nobis quidem perutile fuisse judicamus.

XII. In Ecclesia quoque Latina Tertullianus Doctores nobis aliquos ostentabit, quos tamen subvereor ne laïci fuerint. *De Præscrip.* *Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Inter spectabiles Ecclesiæ viros Doctores numerat, sed sejungit eos à Clero. Et infrà: *Si quid tibi videtur, vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari, est utique frater aliquis Doctor, gratia scientiæ donatus, &c.* Poterat ex Tertulliano laicus dono scientiæ cœlitus impartiri; exemplo & ipse forsan erat, utinam auspicatu. Pantænus & Origenes laïci adhuc Alexandriæ studiis præfuerant: sed & hinc Demetrii Episcopi querelæ, ut de re nova & inaudita. *Eusib. l. 6. c. 13.* Et quanquam Episcopi Cæsareæ & Hierosolymæ, ad quos aculeatas ea de re litteras scripserat, rescripserint ei, ab Episcopis quandoque rogatos esse laïcos doctrina singulari præditos, ut ad fidelium cœtum exhortationis verba depromerent: certissimum est perpauca ejus rei ab iis exempla proferri, nec in usum tem eam vocari posse. Quin & Leo I. Papa eam laïcorum licentiam damnavit in Epistolis suis ad Maximum Episcopum Antiochenum, & ad Theodoretum Episcopum Cyri: *Ut præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare, sive sit Monachus, sive Laïcus, cujuslibet scientiæ nomine glorietur.* Ne illos quidem Doctores, quorum meminit Tertullianus, probabile est, publicè in Ecclesia prædicasse.

XIII. Nec Cyprianus ipse tacuit de Doctoribus, quos in Clerum videtur cooptasse. *Optatum cum Presbyteris, Doctoribus, Lectoribus, Doctorem audientium constituimus.* *L. 3. Ep. 24.* Cùm Optatum ornasset Subdiaconatu, curam ei mandaverat instituendorum Catechumenorum, qui Latinè *Audientes* dicebantur. Doctor ergo iste Catechumenorum Catechistes erat; & quanquam in ordine esset Subdiaconorum, vel Lectorum, doctrina tamen sacra illum præcellere necesse erat, cùm eo ævo adulta, plerique etiam matura ætate baptizarentur, & inter Catechumenos locum haberent quandoque viri Philosophia & litteratura sæculari instructissimi. Sed quinam illi erant Cypriani Doctores, quos à Presbyteris segregat & à Lectoribus? Diaconorum ea erant Officia, quæ majorem doctrinæ copiam desiderarent. Officium porro Catechistæ, quod hic Cyprianus Lectori, vel Subdiacono adsignat; quodque suprà vidimus in Ecclesia Alexandrina Presbyteris plerumque creditum, proximis pòst sæculis ad Diaconos traductum est. Majorinum perhibet Optatus fuisse versatum in Schola Cæciliani Archidiaconi: *In Diaconio Archidiaconi Cæciliani.* Luculentissimum *De Catechizandis rudibus* libellum scripsit Augustinus ad Diaconum Carthaginensem, qui informandis Catechumenis præfectus fuerat. *Petisti à me frater Deo gratias, ut aliquid ad te de catechizandis rudibus scriberem, quod tibi usui esset.* *De Catech. Rudib. l. 1.* *Dixisti enim quod sæpè apud Carthaginem, ubi Diaconus es, ad te sæpè adducantur, qui fide Christiana primitus imbuendi sunt, eo quod existimerit habere catechizandi uberem facultatem, & doctrinam fidei, & suavitatem sermonis.* Est autem pulcherrima ea ratio & via, quam hic præit Augustinus erudiendi Catechumenos, ut vel hinc intelligas, quàm non potuerit hæc provincia demandari, nisi eximiæ eruditionis viris. Vult enim Augustinus Catechumenos edoceri compendiariè totam veteris & novi Testamenti historicam dispensationem, tenegique ut omnia Christi mysteriis sint fœta, omnia Christum spirent, Christum significent, promittant, repræsentent: omnia æternorum charitatem aspirent, ut unam omnium virtutum, nostrorumque in Deum officiorum medullam. At Scripturas eo modo tenere, is verò eruditionis Theologicæ cumulus est. Quanquam enim non proponantur nisi Scripturæ, sancti tamen Patres, ut germani Scripturarum interpretes, unà implicantur. Cæterùm cùm ad catechistas accederent tum Gentilium quique peritissimi, tum ex hæreticis omnibus sectis, & utrique multa dedocendi, multa docendi essent à catechistis, hos utique necesse erat Ecclesiasticæ Traditionis & Patrum doctrinæ peritos esse. Scripsit Chrysostomus ad Theodorum Diaconum, ut erudiendum illi commendaret juniorem Clericum ex Lectorum classe. *Epist. 135.* Paulinus is ipse qui Ambrosii vitam edidit, se dum Lector esset, narrat operam dedisse Diacono Mediolanensi Casto & sub eo litteratum tyrocinium posuisse. Narrat Chrysostomus cùm abesset Episcopus, cùmque Presbyteri innumerabiles plebis turbas unius noctis spatio baptizarent,

nec necessaria simul imbuerent doctrina; Diaconum quendam amicitia sibi conjunctum, ultro curam eam suscepisse, ut turmatim tingendos erudiret, centenos, vel ducentenos simul. Non pauci hinc Diacono invidiam fecere, quasi ambitioni suæ magis, quàm charitati serviret. Qua maledicentia ille nihil quidem à proposito deterritus est. Sed paulò pòst cessatum est ab ea re. Itaque non publicè tunc prædicabant Diaconi, sed privatim ad cuneos hominum verba faciebant, cum se dabat occasio. Author quoque Commentariorum in Paulum apud Ambrosium id ipsum observat. *Neque Diaconi in populo prædicant.*

Chrysost. Hom. 46. in Acta.

XIV. Erant ergo germanissimi Ecclesiæ Doctores Episcopi, Presbyteri & Diaconi, quibus aptandus Cæsaraugustani Concilii Canon: *Ne quis Doctoris sibi nomen imponat, præter has personas, quibus concessum est, secundùm quod scriptum est.* Si qui ex Laicis eo nomine donati sunt, ii fuere singulari & inusitata prorsus eruditionis copia viri, qui admirationi magis esse possint, quàm exemplo. Usque adeo verò desperanda semper Laicis fuit ejus nominis gloria, ut solius Episcopi primariò & principaliter ea sit propria, nec nisi precario, & liberali ejus concessione potuerit utcumque Clericis aliis eo inferioribus communicari. De Episcopo sanxit Paulus, *Oportet Episcopum esse pudicum, hospitalem, Doctorem.* De se ipso ut Apostolo & Episcopo dixit idem Paulus, *In quo positus sum ego Prædicator & Apostolus, Doctor Gentium in fide & veritate.* De Episcopis, ut Apostolorum successoribus, & primariis Ecclesiæ Pastoribus dixit, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii.* Et alibi rursum: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores.* Hujusmodi Doctores, referente Luca, magno numero erant in Ecclesia Antiochena, & inter eos Barnabas, de quo non video qui dubitari possit, an fuerit Episcopus. *Erant in Ecclesia Antiochia Prophetæ & Doctores, in quibus Barnabas.* Certum illud & inconcussum prorsus est, docendi & prædicandi munus præ cæteris Apostolicum & Episcopale esse.

Can. 7. — In c. 4. Epist. ad Ephes. — 1. Timot. 3. 2. — 1 Tim. 2. 7. — Ephes. 4. 11. — 1. Cor. 12. 28. — Actor. 13. 1.

Suum sanè Episcopi, sibique maximè proprium docendi & prædicandi officium esse demonstrarunt, cùm Arianæ perfidiæ temporibus Oriente & Occidente toto prædicatione Presbyteros interdixere, si certò tamen id constet. Minus probarunt aliqui, Presbyteros universim conticescere jussos; fraudarique Ecclesiam eo quem ex eorum doctrina demessuisset fructu, doluerunt. At nemini dubium fuit, quin ea potestas penes Episcopos esset, concedendi, vel abnuendi, ne Presbyteri prædicarent. Ea certè prohibitio in Gallicana Ecclesia ultra annum Christi quingentesimum obtinuit, & à vero non abludit in causa fuisse Epistolam Cælestini Papæ. Cùm enim Presbyteri in Galliis Semipelagianorum errores disseminassent, rescripsit Pontifex ad Episcopos Gallicanos, cùm docere & concionari propria sit & amplissima Episcoporum dos & gloria: inconsultum esse, quòd ab eis impunè sinerentur Presbyteri tam audacter eo munere fungi. *Vestræ dilectioni justiùs imputamus, quando illi Presbyteri supra vos habent copiam disputandi. Legimus super Magistrum non esse discipulum: hoc est, non sibi debere quemquam ad injuriam Doctorum vendicare doctrinam. Quid illic spei est, ubi Magistris tacentibus, hi loquuntur, qui si ita est, eorum discipuli non fuerunt? Sciant se, si tamen censeantur Presbyterii dignitate, vobis esse subjectos. Quid in Ecclesiis vos agitis, si illi summam teneant prædicandi?*

XV. Quin & ipsum catechizandi munus penes Episcopos erat. Libelli Augustini *De Symbolo ad Catechumenos*, eas partes ipsum obiisse declarant. Per illos enim quadraginta dies ab Episcopis expiabantur & erudiebantur selecti ex Catechumenis ii, qui *Competentes & Electi* vocabantur, quòd proximo festo Paschæ vel Pentecostes die in Occidente quidem essent baptizandi. Liber autem *de Catechizandis rudibus*, quode jam diximus, satis prodit disertissimos quosque Catechistas ab Episcopis addidicisse artem & disciplinam Catecheticam. Hoc forsan spectant illi apud Eusebium Catechistæ, ubi Dionysius Alexandrinus Episcopus grassantes ut Millenarios, seu Chiliastas in Provincia Ægypti Arsinoitide compesceret, *Convocavit Presbyteros & Doctores fratrum, qui erant in vicis.* Συγκαλέσας τοὺς πρεσβυτέρους, καὶ διδασκάλους τῶν ἐν ταῖς κώμαις ἀδελφῶν. *Euseb. l. 7.*

CAPUT XCIII. *P. 2. l. 2. c. 26.*

De Scholis in Gallia à Chlodovæo ad Carolum Magnum.

I. Schola à Concilio Vasionensi instituta in ædibus Parochorum ruri.
II III Scholæ in ædibus Episcopalibus & in Monasteriis.
IV Scholæ Clericis ab Episcopo delegatæ.
V. Schola Archidiaconi.
VI. Quam his Scholis studia fervuerint, Psalmorum, Scripturarum.
VII VIII IX. De humanioribus litteris.
X. Reges ipsi incumbebant litteris. Studia linguarum.
XI Schola Cæsarii, & quanta ibi copia Clericorum, in pervolutandis Patribus, maximè in Augustino versatorum.
XII. Quid præscribant Monastica Regula de Scholis Monasteriorum.

I. SCholæ veluti quædam erant Seminaria, in quibus Clerici à Clericis aliis ad virtutum cultum & ad sacras Litteras instituebantur. Jussit Concilium Vasionense II. ad imitandam Italiæ laudatissimam consuetudinem, ut Parochi ruris suis in ædibus quotquot possent juniores Clericos sibi adjungerent, non conjugatos, ut filios alerent, decantandis Psalmis, meditandis Scripturis, excolendisque virtutibus ita fingerent & informarent, ut dignos quandoque possent habere successores. *Placuit ut omnes Presbyteri qui sunt in Parochiis constituti, secundùm consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores Lectores, quantoscumque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant: & eos quomodo boni Patres, spiritaliter nutrientes, Psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant: ut & sibi dignos successores provideant, & à Domino præmia æterna recipiant.* *Can. 1.*

II. Ex Concilio quoque II. Turonensi perspicuum est Episcopales ædes scholas fuisse, quas incolerent cum Episcopo Presbyteri & Diaconi, & cæteri minores Clerici, ut sub Episcopi magisterio Litterarum sacrarum & virtutum vel tyrocinia ponerent, vel ad culmina ipsa evolarent. *Licèt Episcopus, Deo propitio, Clericorum suorum testimonio castus vivat, quia cum illo tam in cella, quàm ubicumque fuerit, sui habitent, cumque Presbyteri & Diaconi, vel deinceps Clericorum turba juniorum, Deo authore conservent, &c.* *Can. 12.*

III. Præter has scholas, vel ruris apud Paro-

chos, vel in Episcopali & civitate & Palatio; erant & aliæ in Monasteriis; in quibus vetat Turonense illud ipsum Concilium, ne cellulis separatis habitent Monachi, ubi vel soli, vel duo, tresve simul agant; quin & jubet ut omnes in eodem conclavi cubent, ut in omnes excubet, omnes observet seu Abbas, seu Præpositus, aliis alisve vicissim aliquid legentibus quod ad pietatem conducat. Quæ ad corporum castimoniam fiunt excubiæ, eæ ad animarum quoque salutem sint conducibiles. Can. 14. *Sed Schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant, aut Abbate, aut Præposito gubernante, ut dum duo vel tres vicissim legant & excubent, alii consolentur; ut non solùm sit custodia corporum, sed & surgat pro lectione assidua profectus animarum.* In his ergo locis somno capiendo destinatis pervigiles agebantur vicissim excubiæ, & interim lectitabatur semper aliquid, quod in rem esse posset. Quo factum est, ut à Concilio non Dormitorium, sed *Schola* diceretur.

IV. Quartum Scholæ genus indigitat Gregorius Turonensis, cum ait Etherium Lexoviensem Episcopum omnes civitatis suæ puerulos Clerico, quem ex captivitatis vinculis redemerat, concredidisse, L. 6 c. 36. ut eos litteras doceret. *Profert se litterarum esse Doctorem, promittens Sacerdoti, quod si ei pueros delegaret, perfectos eos in litteris redderet. Gavisus auditu Sacerdos, pueros civitatis colligit, eique ad docendum delegat.*

V. His accedit Archidiaconi Schola notissima, quam designasse videtur idem Gregorius Turonensis, cum ait ab Episcopo Innocentio Clericum, quem Tonsura sacra donarat, mox Archidiacono L. 10 c. 8. commendatum. *Suscepto Innocentius Episcopus puero, totondit comam capitis ejus, deditque eum Archidiacono* L. 1 de Mirac. c. 78. *Ecclesiæ suæ.* Archidiacono enim cura imminebat & sollicitudo institutionis Clericorum minorum. Unde idem Gregorius de Archidiacono Nemausensi: Vit. Patr. 9. *Erat hic Joannes nomine, valde religiosus, & in Archidiaconatu suo studium docendi parvulos habens.* Quod ipsum idem alibi insinuat de Archidiacono Burdigalensi.

VI. Quod ad studia quæ in his scholis celebrabantur, præter ea quæ diximus suprà ex Concilio Vasionensi, de Psalmis & Scripturis: idem Gregorius Turonensis de juvene Leobardo disserens, non Senatoriæ quidem, sed perillustris tamen prosapiæ, ait eum scholas frequentasse, Psalmos addidicisse, atque ita Clericatui quodammodo prælu- Ibid. c. 20. sisse. *Qui tempore debito ad scholam cum reliquis pueris missus, quempiam de Psalmis memoriæ commendavit, & nesciens se Clericum esse futurum, jam ad Dominicum parabatur innocens ministerium.* Narrat idem ipse, ut B. Nicetius, qui ad Lugdunensem postea Episcopatum ascitus est, ab infantia sacris Litteris addictus fuerit. *Summa nutritum diligentia Litteris Ecclesiasticis mandavit institui genitrix.* Inde verò suscepto Presbyteratu, anno ætatis trigesimo, sacris Litteris edocendis ut præfuerit, maximè Psalmis, & jugi orationi, in illis quidem ædibus, quas incole- Ibid. c. 8. bat. *Illud omnino studebat, ut omnes pueros, qui in domo ejus nascebantur, ut primum vagitum infantiæ relinquentes, loqui cœpissent, statim litteras doceret, ac Psalmis imbueret, scilicet ut ingressui tale jungeretur psallentium, tam antiphonis, quàm meditationibus diversis, ut devotio flagitabat, omnium posset implere.*

VII. Qui sæcularibus etiam dignitatibus addicendi erant juvenes, ii primævum tamen pueritiæ florem, primaque litterarum rudimenta Psalmis ediscendis dicabant: inde ad alia procurrebant studia, et quam optassent sorti consentanea. Vide quid scripserit idem Gregorius de Senatoris filio, & de servo qui et adjunctus fuerat studiorum socius & commilito. *Nam de operibus Virgilii, Legis* L. 4. c. 46. *Theodosianæ libris, arteque calculi, adprimè eruditus est.* Austregisillus, de quo mox plura, sacris primò Litteris imbutus est à teneris annis, inde ad Aulam perductus est Regis Guntranni, cui illum parens dicabat. *Cùm in pueritia sacris Litteris fuisset institutus, in obsequio Regis deputatur à patre.*

VIII. Nec abnuerim Clericos ipsos, illibatâ Ordinis sui sanctimonia, artes etiam illas & disciplinas delibasse, quæ profanæ non sunt, nisi cum solæ sunt, nec finibus iis usibusque inserviunt, quibus religio & pietas promovetur. Austregisillus Archiepiscopus Bituricensis à Theodorico Rege donari sibi flagitavit Sulpitium, cognomento Dulcem, ut Tonsura initiatus, in Ecclesia doceret eo fructu & successu, quo hactenus privatus fecerat; utque dignitatis & authoritatis plusculum docenti conciliaret, Diaconatum ei contulit. Eo gradu Sulpitius postea ad Archiepiscopatum Bituricensis Ecclesiæ evectus est. *Austregisillus à Principe Theodorico obti-* Surius die 17. Ianuar. *nuit ut liceret ipsi, sancto Sulpitio docendi in Ecclesia munus deferre; videbat enim doctrinæ gratiâ multos ad eum confluere. Annuit sine mora Rex, ut tonsis capillis in Clerum ille transiret. Itaque per gradus ad altiora promotus, etiam Leviticum est adeptus ministerium.*

IX. Veri autem simillimum est, sæculares à Clericis litteras adhibitas non fuisse, nisi ut hinc incitamenta captarent ad pietatem. Concilium Arelatense II. vult, ut possit Episcopus, quos instituerit laïcos, eos sibi vindicare, ac si eos ordinasset. *Si quis sæcularium amore religionis se ad quemcumque Sa-* Can. 35. *cerdotum crediderit conferendum, ipse sibi eum, quem erudiendi gratiâ susceperit, vindicabit.*

X. Reges ipsi Galliæ non patroni tantùm & fautores, sed & studiosi cultoresque fuere litterarum. Childebertum primum notat Fortunatus Latinæ linguæ sibi peritiam comparasse. Chilpericum Gregorius Turonensis litteris & disciplinis adprimè instruit; in deliciis maximè illi fuisse docet Poëticen; ab eo additas Alphabeto quinque litteras duplices Græcorum; denique in ipsa Theologiæ penetralia invasisse. Affirmat idem alibi Regem Guntrannum Hist. l. 5. c. 45. Aureliæ exceptum fuisse à grege juvenum, qui laudes ejus concelebrabant, alii Syriaca, alii Hebraica, alii denique Latina lingua. *Processit ei obviam* L. 8. c. 1. *immensa turba cum signis atque vexillis, canentes laudes, & hinc lingua Syriaca, hinc Latinorum, hinc etiam ipsorum Judæorum in diversis laudibus variè concrepabat.* Ea linguarum peritia Ecclesiæ amplitudini maximè conveniebat, ut quæ Catholica cùm sit, toto orbe terrarum linguis prorsus omnibus divinas laudes decantat. Confluebant & in Gallias Syri, mercimonii causa. Unde & alibi idem Gregorius refert Eusebium Syrum ex Mercatore Episcopum Parisiensem factum parum propitiis Canonibus, Scholam, hoc est, Clerum prædecessoris sui dissipasse, & subrogasse Syros. *Eusebius quidam negotia-* L. 10. c. 26. *tor genere Syrus, multis datis muneribus subrogatus, accepto Episcopatu, omnem scholam decessoris sui abjiciens, Syros de genere suo Ecclesiasticæ domui ministros statuit.* Planum hic est Scholæ nomine Clerum omnem designari, maximè verò Palatii Episcopalis. Non solùm ergo Lectorum seu Cantorum Collegium eo Epist. 4 nomine insigniebatur, ut liquet ex Epistola sancti Conc. Gall. Remigii ad Tungrensem Episcopum: *Primicerium* To. 1 pag. *Scholæ clarissimæ, militiaque Lectorum.* Clero verò 205.

Episcopalis civitatis universo inhæsisse scholæ nomen, propter frequentia litterarum studia, nihil prohibet credere.

XI. Huic de scholis Gallicani Cleri dissertatiunculæ nostræ addenda illa præstantissimorum Theologorum schola, cujusmodi erant Episcopi, Presbyteri & Diaconi, quos misit Cæsarius Arelatensis Archiepiscopus, vice sua Concilio Valentino affuturos, & incomparabilis Præsulis Augustini doctrinam adversùs obtrectatorum maledicentiam tuituros. Præcellentissimi hi Cæsarii alumni, qui alumnum se ipse Augustinianæ doctrinæ profitebatur, in Concilio Valentino hocce de victrice Christi gratia ea decreverunt, quibus rursum Augustinus, rursum victrix ea gratia Christi de adversariis triumL. 1. c. 30. pharet. *Misit Cæsarius præstantissimos viros de Episcopis, cum Presbyteris & Diaconis, inter quos etiam Cyprianus Tolonensis Episcopus, Antistes magnus & clarus enituit, omnia quæ dicebat, de divinis utique Scripturis firmans, & de antiquissimis Patrum institutionibus probans, &c.* Hæc ex ipsis vitæ Cæsarii Scriptoribus, ejusdemque discipulis. Hinc porro enitescit, quàm hi Episcopi, Presbyteri Diaconique exercitati tritique essent in lectione Scripturarum & Patrum, maximè verò Augustini, de quo Cæsarius aiebat: *Scitis quantùm dilexi catholicissimum ejus sensum.* Ideo & secundùm eos pronuntiavit Sedes Apo-
L. 2. c. 22 stolica in his controversiis finiendis. *Bonifacius Papa ea collustratione comperta, prosecutionem sancti Cæsarii Apostolica authoritate firmavit.*

XII. Bene multa nobis suppeditassent Monasteriorum scholæ, nisi nosmetipsos nostræ quandoque jam puderet prolixitatis. Unum dicam ex Regula sancti Ferreoli, nulli per eam fas esse illiterato, Monachum se profiteri. Jubet autem illa, ut memoriæ studiosissimè mandaverint Psalterium, hisque ut se cælestibus oblectent Canticis, etiam tum
Cap. 11. cum ruri oves pascunt. *Omnis qui nomen vult Monachi vendicare, litteras ei ignorare non liceat, quin etiam Psalmos totos memoriter teneat, &c. Similiter his qui pastores pecorum, ut est moris, de congregatione mittuntur, cura erit vacare Psalmis, ut cæteri, &c.*

Regula Magistri horas designat maximè hybernas, quæ operi manuum minùs accommodatæ sunt, easque impendi præcipit lectioni, scribendi labori, meditationi Scripturarum, ediscendo memoriter
Cap. 50. Psalterio, partito agmine toto in Decurias, & præstituto singulis Decuriis Lectore, quem cæteri audiant. Quin & dum labori ipsi manuum insistitur, jubet laborantibus lectitari aliquid à non laborantibus, ut dum manus vacant terreno operi, assurgat animus ad cælestium contemplationem. *Ideo ordinavimus quotidie laborantibus legi, ut cum à malis tacemus, de bonis audimus & loquimur, nunquam peccemus. Ipse namque frater legat, quem Abbas per aliquam impossibilitatem necessitatis non posse laborare cognoverit.*

CAPUT XCIV. *P. 2. l. 2. c. 27.*

Scholæ Hispanicæ, & Africanæ, per eadem mediæ ætatis sæcula VI. VII. & VIII.

I. Tria Scholarum genera instituta, vel confirmata à Conciliis Hispaniæ, & quàm piè juvenes in iis instituerentur.
II. Erat & in Palatio Episcopi Schola.
III. Quæ ibi artes, quæ litteræ excolerentur.
IV. Scholarum harum omnium connexio & subordinatio.
V. De Scholis Monasteriorum ex Isidoro.
VI. In Fulgentio adumbrata effigies pulcherrimæ studiorum, quæ in Africa commendarentur infantibus, Monachis, Clericis, Episcopis.
VII. Plures ille faciebat lectionem, quàm manuum laborem, etiam in Monachis.

I. Florebant in Hispania quoque, ut & in Gallia scholæ. Ilerdense Concilium in uniuscujusque Clerici privata domo scholam excitare videtur, cui filii, servique omnes discipuli assignantur. *Nullus Clericorum servum, ad Ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare præsumat.* Nemo Can. 8.
nescit eo ævo has particulas *aut*, & promiscuè, & eodem sensu plerumque fuisse habitas. In Concilio Toletano II. præceptum est ut pueri qui recentes ab ubere Clero oblati dicatique fuissent, privata in domo simul omnes à Præceptore sibi proprio instituerentur, in eosque excubias vigilaret Episcopus: Can. 1.
Quos voluntas parentum, à primis infantiæ annis Clericatus officio manciparit, statuimus observandum, ut mox cum detonsi, & ministerio Lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à Præposito sibi debeant erudiri.

Instituta, vel confirmata est in Concilio Toletano IV. alterius generis Schola, seu mavis Seminarium puberum, aut etiam majorum, ut unam domum omnes, unam noctu aulam omnes simul incolerent, ut ne vel ad punctum temporis oculos effugerent Rectoris & Magistri. Is secessus, eæ excubiæ id præstabant, ut præfervida juventus ardorem suum & industriam ad sacrarum litterarum stu- Can. 23.
dia conferret. *Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in Clero puberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno Conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuriâ, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo Seniori, quem & Magistrum disciplinæ, & testem vitæ habeant.* In Monasteria ablegabantur, si qui ex his adolescentibus minus morigeri essent Rectori suo, vel legibus Scholæ. *Qui his præceptis resultaverint, Monasteriis deputentur, &c.*

II. Præter hæc tria genera Scholarum, erant & in singulis Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum domibus singulæ scholæ. Cogebantur enim hujus ipsius Concilii decretis, socios semper habere secum Clericos alios, & innocentiæ suæ testes, & virtutum imitatores. *Placuit ut quemadmodum* Can. 22.
Antistites, ita Presbyteri, & Levitæ, quos fortè infirmitas aut ætatis gravitas in Conclavi Episcopi manere non sinit, ut iidem in Cellulis suis testes vitæ habeant, vitamque suam sicut nomine, ita & meritis teneant.

III. Quo ita constituto, jam arduum non erat, ad illum mediocris eruditionis gradum exurgere, quem Concilium VIII. Toletanum desideravit à Clericis. Psalterium nempè, & Sacramentorum administrationem ut addidicissent. *Ut nullus cujus-* Can. 8.
cunque dignitatis Ecclesiasticæ percipiat deinceps gradum, qui non totum Psalterium, vel Canticorum usualium & Hymnorum, sive baptizandi perfectè noverit supplementum. Hæc erat ut opinor doctrina, qua his in Seminariis imbuebantur. *Ad sacra mysteria tractanda solus is accedat, quem morum innocentia & litterarum splendor reddunt illustrem.* Innovatum est id Decretum in Concilio Toletano XI. præceptumque Metropolitano, ut Episcopos: Episcopis, ut omnes suæ jurisdictioni obnoxios compellerent in studia Scripturarum tantum operæ, industriæque & contentionis ponere, quantum necesse est, ut primùm ipsi cælesti infundantur veritatis & charitatis imbre, quo & alios mox irrigare possint. *Qui officium præ-* Can. 2.
dicationis suscepimus, nullis curis à divina lectione privemur. Nam quorundam mentes Pontificum, ita cor-

peris otio à lectionis gratiâ secluduntur, ut quid doctrinæ subditis exhibeat gregibus, non inveniat præco mutus. Insistendum ergo semper eris majoribus, ut quos sub regiminis sui cura tuentur, fame verbi Dei perire non sinant. Sic Metropolitanis in confinitimos, cæterosque Ecclesiasticis Ordinibus deditos; sic confinitimis incommisse sibi Religiosorum numero vigilandum est, qualiter nescientia talium divinæ legis traditionibus imbuatur. Ita ut indesinenti sollicitudine prælatus quisque subditos quærens, aut profectum eorum lætabundus agnoscat, aut nescientiam sine arrogantia instruat.

IV. Erant ergo in Episcopalibus Hispaniæ civitatibus duæ Scholæ numerosiores: altera eorum quos parentes tenellos & impuberes obtulerant Ecclesiæ: altera juniorum omnium Clericorum usque ad Diaconatum. At cùm præterea Episcopi, Presbyteri, Diaconique tenerentur domi habere testes vitæ & conversationis Clericos aliquos, videri possint hæ Scholæ totidem fuisse. Censor invigilabat Episcopus in omnes Diœceseos suæ Clericos, Metropolitanus in omnes Episcopos Provinciæ, ut omnes acueret, compelleretque ad studia tam necessaria, quam præclara: *Aut à majoribus ad lectionis exercitia cogantur inviti.* Quæ censorum diligentia, Scholarumque industria non facilè dictu est, quàm promovendis studiis sacris idonea esset.

Sentent. l.3 c.8. V. Edisseruit elegantissimè Isidorus Hispalensis Regulas studiorum, & litteraturæ fidelibus usitatæ, quæ nimirum Scholis Hispanicis proponerentur. In Regula Monachos ipsos suos jussit cujusque diei partem impendere lectioni, prohibitis tamen libris

Regula c. 9. Paganorum & Hæreticorum. *Gentilium libros, vel Hæreticorum volumina Monachus legere caveat. Melius est enim eorum perniciosa dogmata ignorare, quàm per experientiam in aliquem laqueum erroris incurrere.* Vel ipso tamen Isidori exemplo, & Originum ejus plus satis constat, nequaquam illi persuasum fuisse eadem profanorum librorum abstinentia astringi debere Clericos prorsus omnes. Leander frater ejus Archiepiscopus & ipse, vel ipsis Monialibus continuas & infatigabiles præcepit vices & alternationes

Regula c. 7. orationis & lectionis. *Lectio tibi sit assidua, jugisque oratio. Dividantur tibi tempora & officia, ut postquam legeris, ores: postquam oraveris, legas.* Inculcaverat etiam lectionem pene omnium veteris instrumenti librorum, una insinuans, qui litteræ occidenti superfundi deberet spiritus & intellectus vivificans. *Meritò isti libri prohibiti sunt legere carnalibus, hoc est, Heptateuchum, & Cantica Canticorum: ne dum eos spiritaliter nesciunt, libidinis ac voluptatum incitamento solvantur.*

VI. Suo antedicta exemplo firmabit beatus Fulgentius, & quæ potissimum in Africanis Ecclesiis frequentarentur studia addocebit. Quod jure mireris, religiosa & pia mater, voluit, ut à litteris Græcis ipse auspicaretur, nec antè passa est elementis imbui linguæ Latinæ, quàm memoriter edidicisset omnes Homeri libros, & linguæ Græcæ absolutissimam assecutus esset perfectionem.

Ferrand. in vita Fulg. c.1. *Quem religiosa mater, moriente celeriter patre Græcis litteris imbuendum primitus tradidit, & quandiu totum simul Homerum memoriter reddidisset, Menandri quoque multa percurreret, nihil de Latinis permisit litteris edoceri: volens eum peregrina lingua teneris adhuc annis percipere notionem, quo facilius posset velut inter Afros locutionem Græcam, servatis aspirationibus, tanquam ibi nutritus, exprimere. Nec fefellit matrem piam cauta provisio; sic enim quoties ei Græcè loqui placebat, post longam consuetudinem locutionis ejus & lectionis, non inconditis sonis verba proferebat; ut quasi quotidie inter Græcos habitare putaretur. Litterarum proinde Græcarum percepta scientia, Latinis litteris quas Magistri Ludi docere consueverunt, in domo edoctus, artis etiam Grammaticæ traditur auditorio.* Hæc primordia fuere studiorum Fulgentii. Qui sibi deinceps, & hac etiam ætate nostra eandem proposuere regulam instituendæ juventutis, & extraneis primum imbuendæ linguis, antequam vernacula: non possunt ii luculentiorem sibi formam ullam exhibere, vel scopum, quàm Fulgentii imitandi. Unde & Fulgentius ipse cùm se postea in Monasterium abdidisset, Scholarum præfectura illico donatus est, fratrumque magisterium capessivit. *Docendis fratribus peculiariter vacabat, &c. Supervenientibus fratribus verbum Dei singulariter prædicabat.* Cap. 8. 18. 20. Latitare se posse speravit ille aliquando in alio Monasterio ad quod confugit, sed & ibidem mox eadem illi inflicta est sarcina. *Lectioni in Cellula frequenter cum fratribus insistebat.* Quo fervore æstuaverit postea in Episcopatu ad inflammanda Cleri studia, non ex eo tantum conjicies, quod de Monasticis ejus ante scholis diximus, sed & ex iis quæ postea dum exularet in Sardinia Insula excitavit studiis. Duos enim alios Episcopos, Clericosque & Monachos complurimos in unum secum cœtum coëgit, ubi in commune omnes simul orationi & lectioni, precibus librisque vacabant. Denique non multo pòst tempore ex ea schola oracula, & responsa ad quæstionum implicatarum enodationem expectabantur. *Similitudinem magni cujusdam Monasterii, Monachis & Clericis adunatis sapienter effecit. Erat quippe eis communis mensa, commune cellarium, communis oratio simul & lectio, &c. Domus illa tunc Calaritanæ civitatis oraculum fuit, &c. Divinam volentibus audire diligentius lectionem, ministrabat ibi Dominus plenissimæ expositionis ædificationem. Delectabat nobiles viros, si fieri posset, quotidie beatum Fulgentium cernere disputantem, &c.* Cap. 21.

VII. Denique lectionem & doctrinam sacram Fulgentius arctioris esse necessitatis arbitrabatur, etiam in regenda Monasteriorum disciplina, quam laborem manuum. *Laborantes fratres, & opera carnalia indefessis viribus exercentes, lectionis autem studium non habentes, minus diligebat, nec honore maximo dignos judicabat. In quo autem fuisset scientiæ spiritalis affectus, etiamsi virtute corporis destitutus operari manibus nunquam posset, ab eo peculiariter habebatur dilectus & gratus.* Cap. 27. Si amantiores lectionis, quam laboris Monachos iis anteponebat Fulgentius, qui laboris patientissimi, à lectione alieni essent: quanto vehementiore studio urgebantur ab eo Clerici, ut toti se in sacras litteras abderent?

CAPUT XCV. *P. 2. l. 2. c. 28.*

De Scholis Italiæ, Angliæ, Orientis per eadem mediæ ætatis sæcula VI. VII. & VIII.

I. Schola urbis Romæ.
II. Schola Palatii Pontificii.
III. Quas ibi disciplinas Gregorius excoluerit.
IV. Episcopos litteris abstinere volebat sæcularibus.
V. De Bibliotheca Vaticana.
VI. Schola Italica maxime in Monasteriis B. Benedicti.
VII. Regula beati Benedicti vocare jubet lectioni.
VIII. Operam navabant litteris humanioribus, antequam Clero se, vel Monasteriis dedicarent.
IX. X. XI. XII. Schola Anglicana exorta à Schola Gal-

ke, Italie, Romæ, Hibernia, ipsum etiam Græcia. Quæ ibi studia. Abbates iidem Doctores erant.

XIII. De Scholis Germaniæ

XIV. De scholis Orientis

XV. Lucubrata tabella Scholarum Christianarum, ex præ-dictoque Cassiodoro.

I. AD Italicarum formam suas Gallia finxit Scholas, ut ex Vasionensi II. Concilio jam ostendimus. Cum Arator Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus historiam Apostolicam versibus Heroicis pepigisset, obtulissetque Vigilio Papæ, Romani nobiles & doctrinæ amantes Pontificem exorarunt, ut publicè carmen illud recitaretur. In Ecclesia S. Petri ad Vincula confluxere Cleri, Populique spectabiles quique, quorum plausibus, precibusque, ut illustriora quæque loca iterum iterumque legerentur, factum est, ut legendis duobus ejus opusculi libris quatuor dies consumpti sint. *Litterati omnes rogaverunt, ut juberet publicè recitari, &c. Religiosorum simul ac Laicorum nobilium, sed & è populo diversorum turba convenit. Atque adeo Aratore Subdiacono recitante, distinctis diebus, ambo libri, quatuor vicibus sunt auditi. Cùm unius medietas libri tantummodo legeretur, propter repetitiones assiduas, quas cum favore multiplici postulabant.* Erat tunc & Ecclesia, & urbs Romana instar mirandæ cujusdam Scholæ, doctis viris cujuscumque sortis & ætatis frequentissimæ. Consilium olim ceperat Agapetus Papa, fundandæ & excitandæ in Urbe scholæ Theologicæ, ubi divinæ Scripturæ elucidarentur. Ita perhibet Cassiodorus, qui tam pium ipsemet consilium Pontifici insusurraverat, cuique vel maximè doluit, quòd tam præclaram spem bellorum calamitates intercepissent. Docet idem Nisibi in Syria Judæis Scholam ejusdem generis fuisse, ubi Scripturis commentandis vacabant.

Bibl. Patr. To. 8. pag. 700. Baron. an. 515. n. 29. 92.

II. Perstrinxi jam alibi Gregorii Magni Palatium Pontificium, in quod ille doctissimos quosque accersiverat ex Clero, & ex Monasteriis, quorum plerique postea Episcopalibus sedibus ornati sunt, & ornamento vicissim fuere. Ex iis Æmylianus Notarius homilias ejus collegit, Paterius Notarius ex omnibus ejus operibus Excerpta luculentissima edidit, Petrus Diaconus in ejus Dialogis confabulator ab eo inducitur, Claudius Abbas Commentarios consarcinaverat in multos Scripturæ libros, ex iis quæ à Gregorio disputante audisse se sperabat. *Claudius Abbas Classitana civitatis, de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris Regum, deque Heptateuco, Papa disputante, multa licèt non eodem sensu composuit.* Videntur docti, quæ in libros Regum & in Cantica Canticorum circumferuntur scripta, sub nomine Gregorii & quæ illi abjudicant emunctioris naris censores; an ea possint Claudio huic Classensi Abbati tribui.

Joan. Diac. in Greg. vita. l. 2. c. 11 12.

III. Erat tunc Roma domicilium Disciplinarum omnium sacrarum, & Schola litterarum florentissima, sicut & Artium; linguæ autem potissimum Latinæ ibi puritas & elegantia colebatur, ut author est idem Joannes Diaconus in vita Gregorii. *Videbantur passim cum eruditissimis Clericis adhærere Pontifici religiosissimi Monachi, &c. Tunc rerum sapientia Roma sibi templum visibiliter quodammodo fabricarat, & septemplicibus artibus veluti columnis nobilissimorum totidem lapidum, Apostolica sedis atrium fulciebat. Nullus Pontifici famulantium barbarum quodlibet in sermone, vel habitu præferebat: sed togata, Quiritium more, seu trabeata latinitas suum Latium in ipso Latiali Palatio singulariter obtinebat. Refloruerant ibi diversarum artium studia.*

Cap. 12. 13.

IV. Ita sanctissimi Pontificis studio florebant Romæ, in ipso Pontificio Palatio inter Clericos Monachosque artes omnes, quas vocant Liberales, & tum maximè Liberales dicendæ, cùm Christo & liberatrici veritati ancillarentur. Episcopos tamen, ut idem author est, interdicebat Gregorius lectione Gentilium Scriptorum. *Omnes omnino Pontifices à lectione librorum Gentilium Gregorius inhibebat.* Diximus suprà de Desiderio Episcopo Gallo, quem graviter objurgavit Gregorius, quod litteris Ethnicorum se dederet. Objurgatus est ab eodem Pontifice Episcopus Salonitanus, quòd lectioni non incumberet, nec quæ sui essent muneris perdisceret. *Nam quia nequaquam lectioni studeas, nequaquam exhortationi invigiles, sed ipsum quoque usum Ecclesiastici Ordinis ignores, &c.*

L. 1. c. 13. 14.

V. Ecclesiasticarum Disciplinarum penu locupletissimum jam habebatur Vaticana Bibliotheca. Ei præfectus tunc fuisse videtur Primicerius Scholæ Notariorum. Quippe huic servandum commendavit Vigilius Papa Aratoris Poëma Apostolicum. *Viro venerabili Primicerio Scholæ Notariorum, in Scrinio dedit Ecclesia collocandum.* Ei porro Bibliothecarii officio tantum postea dignitatis accessit, ut ea etiam Cardinalis Episcopus Ostiensis honestari se sentiret sub Leone IV. Pontifice. *Cùm Megistus Ostiensis Episcopus & Apostolicæ sedis Bibliothecarius, &c.*

L. 4. c. 86.

VI. Ad Scholas venio Monasteriorum Italiæ. De beato Benedicto testatum facit Gregorius, conversionis suæ primordia illum insignivisse, litterarum ac studiorum incuria & despicientia, atque adeo in secessum & Monasteria sua tetulisse peritissimam imperitiam nugatoriarum sæculi scientiarum, & ejus generis sapientiam, quam mundi sapientes ne delibassent quidem. *Despectis itaque litterarum studiis, relicta domo, rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conversationis habitum quæsivit. Recessit igitur scienter nesciens, & sapienter indoctus.* Hanc semel professus Benedictus sæcularium omnium scientiarum nescientiam, nemini non videretur sua è Monasteriis studia prorsus omnia, Scholasque longè amandaturus fuisse. Et totum contra tamen est. Cùm enim aggressus sit puerorum, maximè nobilium, à teneris annis institutionem, non potuit non tot Scholas, quot Monasteria construxisse. *Cœpere tunc ad eum Romanæ urbis Nobiles, & Religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare.* Ad id certè Benedictus Monachos suos exemplo imbuit suo, ne ita privatæ studerent saluti, quin cæteris quoque consulerent, Christo & pietati lucrifaciendis, immo & Gentilibus ad Ecclesiam adgregandis. *Commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat.* Sacrarum ergo studiis litterarum suos ut addiceret, necessum prorsus erat. Denique author est ipse Gregorius, non minus scientia, quam sanctitate floruisse Benedictum: & ipsam ejus Regulam, tum innocentiæ morum, tum cœlestis cujusdam sapientiæ illustre cum primis monumentum esse. *Hoc nolo te lateat, quod vir Dei inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrina quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit Monachorum Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam.*

L. 2. Dialog. Præfat. *Ibid. c. 3.* *Ibid. c. 8.* *Ibid. c. 36.*

VII. Hac enimvero Regula sua sanctissimus Legislator, suos jubet, orationem lectione, lectionem opere manuum interpolare: ut otium fugiant & inertiam, quo non alia capitalior virtutum adversaria; aut plusculum otii insumant Lectioni Quadragesimæ tempore, Dominicos denique dies ut totos lectioni, orationique impendant. *Otiositas*

Cap. 48 *inimica est animæ, & ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum; certis item horis in lectione divina, &c. In diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui codices in capite Quadragesimæ dandi sunt, &c. Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his, qui variis officiis deputati sunt.* Constituti sunt denique à B. Benedicto, qui Monasterium obambularent, observarentque an Monachi præscripti sibi quisque lectionibus vacarent. *Ante omnia sanè deputantur unus, aut duo seniores, qui circumeant Monasterium horis, quibus vacant fratres lectioni, & videant ne fortè inveniatur frater acediosus, qui vacat otio, aut fabulis, & non est intentus lectioni.*

VIII. Indubium est autem, quæ in Clero, quæ in Monasteriis colebantur studia, ea sacra & religiosa fuisse. At verò antequam innecterent se laqueis sacræ hujusmodi professionis, non iniquo ferebatur animo, si juvenes humaniores litteras imbiberent, quibus aliquando velut Ægyptiorum spoliis cælestem Hierosolymam locupletarent. Ea dum sic confirmat Ennodius in Epistola ad eam exaratam matronam, quæ filium antè Monasticæ professioni
L. 5. Ep. 9 devoverat, quàm liberalibus artibus tingeretur. *Intercepisti nostrum, nescio quem secuta, consilium: nam parvulum tuum, quem studiorum liberalium debuit cura suscipere: ante judicii convenientis tempora, religionis titulis insignisti. Veneranda quidem Ecclesiastici forma servitii, sed quæ ad duas partes animum non relaxet. Unum & difficile iter est, quo itur ad Christum, nec occupatos multipliciter aliquando visa arcta suscepit. Properantes ad se de disciplinis sæcularibus salutis opifex non refutat; sed ire ad illas quemquam de suo non tore non patitur. Jam si eum mundo substraxeris, mundi in eo schemata non requiras. Erubesco Ecclesiastica professionem, ornamentis sæcularibus expolire.* Sunt hæc omnino pulcherrima, validissimaque, ut illud expugnetur, qui semel se Clericatui dicaverint, non debere eos arctam Evangelii viam ingressos, profanis postea vacare litteris, semet Deo mundoque bipartiri, implicamentis sæculi sese inserere, ejusque se ornamentis venditare; sed expeditos ad cælestia properare.

Præteriri sine piaculo non possunt geminæ scholæ, quas in duobus Monasteriis suis instituit Cassiodorus, Solitariorum altero, altero Cœnobitarum. Liberales artes & litteras jusserat non contemni, sed ad Scripturarum subsidium ministrare accersi, quarum intelligentia germana ex sanctis Pa-
Baron. an. 562. n. 13 tribus exculperetur. *Indubitanter ascendamus ad divinam Scripturam per expositiones probabiles Patrum.* Si verò Cassiodorus Monachis suis lucubravit transmisitque elementa Astronomiæ, Geometriæ, Musicæ, ut ex ejus operibus perspicuum est, Dialecticæ, Rhetoricæ, Grammaticæque, eas nimirum disciplinas arbitratus est ad Scripturarum intellectum aliquando conducibiles fore.

IX. Conveniebat olim mirum in modum Angliæ Ecclesiæ cum Romana. Osuvaldus Rex ex Hibernia accersivit in Angliam sanctissimum Episcopum Aidanum: Insulamque ei & Ecclesiam adsignavit Lindisfarnensem, ubi Episcopale solium statueret. Ex hac scilicet schola Hiberni Monachi Ecclesiasticæ sapientiæ & disciplinæ fontes in omnem Angliam derivarunt, seu concionibus suis, seu adolescentum institutione. Ita Episcopales & Monasticæ scholæ cœpere nec injucundè nec infructuosè per-
Ibid. l. 3. c. 3. misceri. *Construebantur ergo Ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes, donabantur munere regio possessiones & territoria ad instituenda Monasteria, imbuebantur præceptoribus Scottis parvuli Anglorum unà cum majoribus, studiis & observatione disciplinæ regularis. Nam Monachi erant, maximè qui ad prædicandum venerant.* Hæc Beda.

Sigebertus East Angliæ Rex, qui in Gallia baptismum susceperat, scholas in regno postea suo construxit, earum consimiles, quas in Gallia viderat sub Episcoporum moderamine florere. *In patriam* Ibid. c. 18.
regressus, ubi regno potitus est, mox ea quæ in Galliis bene disposita vidit, imitari cupiens, instituit scholam, in qua pueri litteris erudirentur, juvante se Episcopo Felice, quem de Cantia acceperat, eisque Pædagogos ac Magistros juxta morem Cantuariorum præbente. Regias hîc habes scholas, & Ecclesiasticas tamen, Regio sumptu, Cleri studiis excitatas. Trajiciebant aliquando Angli in Hiberniam, cælestis inde sapientiæ venas, quasi in ipsa sui origine haus-
turi. *Multi Nobilium simul & mediocrium de gente* L. 3. c. 27.
Anglorum, vel divinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratiâ illò secesserant. Et quidam quidem mox se Monasticæ conversationi manciparunt: alii magis circumeundo per cellas Magistrorum, lectioni operam dare gaudebant. Quos omnes Scotti libentissimè suscipientes, victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum, & magisterium gratuitum præbere curabant. Mirabiles hæ omnino Hibernicæ scholæ, ubi non sapientiæ tantùm & disciplinarum manabant fontes, sed & libri, & necessaria affluebant alimenta, nullo cujusquam dispendio.

X. Splendor verò multò maximus Anglicanarum scholarum effulsit tempore Theodori Cantuariensis Archiepiscopi, qui eò intulit infuditque largissimè opulentiam omnem Græcæ simul & Latinæ Ecclesiæ. Patria ille & origine Græcus erat, delegaveratque eum in Angliam Vitalianus Papa, addito socio Adriano Abbate oriundo ex Africa. Græca & Latina lingua uterque pollebat, quin & omni prorsus eruditionis sacræ supellectile. Instar ergo duorum amnium ab illis in Anglicanas Ecclesias sacrarum maximè, sed & liberalium disciplinarum fluenta
permanarunt. *Et quia litteris simul Ecclesiasticis &* L. 4. c. 2.
sæcularibus, ut diximus, abundanter ambo erant instructi, congregatâ discipulorum catervâ, scientiæ salutaris quotidiè flumina irrigandis eorum cordibus emanabant: ita ut etiam Metricæ artis, Astronomiæ & Arithmeticæ Ecclesiasticæ disciplinam, inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod usque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam Græcamque linguam, æquè ut propriam in qua nati sunt, norunt. Nemo nisi valdè excors crimini verterit eam sacrarum humanarumque scientiarum coalitionem, cui ut authores fuerint Vitalianus Papa, Theodorus Archiepiscopus, & Adrianus Abbas. Enimvero Beda ipse huic instituto suffragatur, ubi declarat has humanas litteras, jam non humanas, sed Ecclesiasticas dici debere, cùm Ecclesiasticis famularentur & collaborarent. Ita vox illa apud Bedam, *Ecclesiasticæ*, non Arithmeticæ modò, sed & Astronomiæ & Poësiæ aptanda est. Quippe Poëticen etiam Ecclesia hymnis & laudibus Creatoris sui dedicat, cogitque Astronomiam & Arithmeticam inservire annorum, festorumque dierum, & sacrarum solennitatum computo. Denique eam minimè pudet, linguas eas & ediscere & docere, quas Spiritus sanctus Apostolis Apostolicisque primùm Evangelii præconibus inspiravit. Consecrantur ergo quodammodo sæculares litteræ, cùm sacris hujusmodi usibus addicuntur.

XI. Observat alibi Beda, quantum incrementi fieret, ubi quis à Monasteriorum scholis ad Episcopales Theodori, & ab his ad Romanam gradum promovebat. Hæc enim ille de sanctissimo Monacho, qui his gradibus venerat ad Episcopatum.
L. 4. c. 23. *Cùm in utraque Hilda Abbatissa Monasterio lectioni & observationi Scripturarum operam dedisset, tandem perfectiora desiderans, venit Cantiam ad Archiepiscopum Theodorum; ubi postquam aliquandiu lectionibus sacris vacavit, etiam Romam adire curavit; quod eo tempore magnæ virtutis æstimabatur.* Romam quoque se contulit fama ille notissimus Vilfridus, Eboracensi postea Archiepiscopatui præpositus; ut Romæ perdisceret, quæ doceri non poterat in Anglia. Contulit autem se primùm ad Archidiaconum Bonifacium, & ab eo accepit eam purioris Theologiæ medullam, quæ ex ipsis Scripturarum codicibus exprimitur: perdidicit & methodum festos Ecclesiæ dies computandi, & quidquid ad Clericalem per-
L. 5. c. 20. tinet disciplinam. *Veniens Vuilfridus Romam, & orationi atque meditationi rerum Ecclesiasticarum quotidiana mancipatus instantia, pervenit ad amicitiam viri sanctissimi ac doctissimi Bonifacii videlicet Archidiaconi, qui etiam erat Consiliarius Apostolicus Papæ, cujus magisterio quatuor Evangeliorum libros ex ordine didicit, computum Paschæ rationabile, & alia multa, quæ in patria nequiverat, Ecclesiasticæ disciplinis accommoda, eodem Magistro tradente percepit.* Antequam vivis excederent Vuilfridus & Adrianus, ea accenderunt in Ecclesiis Anglicanis lumina; eos discipulos informarunt, & successores, qui diutissimè eas postea illuminarent. Acca Vuilfridi successor nomen suum posteris commendavit locupletissima instructa Bibliotheca, quæ ingenti Ecclesiasticorum
Cap. 21. librorum copia redundaret. *Sed ut historias passionum unà cum cæteris Ecclesiasticis voluminibus summâ industriâ congregans, amplissimam sibi & nobilissimam Bibliothecam fecit.*

XII. Fateri ergo jam cogimur perillustres fuisse Angliæ in primis & Hiberniæ scholas, in quas avectum & coacervatum fuerit, quidquid erat tota Gallia & Italia spiritalium hujusmodi opum, toto Occidente & Oriente. Certatim adlaboraverant Episcopi Monachique, & in promiscuus ex Clero & Monachorum grege scholis inoleverat sanctimonia, nec decreverat eruditio. Denique studia linguarum, Poëtices, Astronomiæ, Arithmeticæ & Historiæ sanctimoniam jam redolebant, cùm totæ jam servirent Ecclesiæ, divinis laudibus & Theologiæ, hoc est, Scripturarum meditationi. In Epistola Agathonis Papæ ad Concilium VI. Oecumenicum, vocatur Theodorus Archiepiscopus & Philosophus Magnæ Britanniæ. τ̃ μεγάλης νήσου Βρεττανίας Ἀρχιεπισκόπου, ἢ φιλοσόφου. Hæc omnia approbabit Beda, exemplis meliusculè suis, quàm verbis. Æterna enim omnium harum disciplinarum monumenta ille ad nos transmisit, etsi jam inde à puero in Monasteriis enutritus fuisset. Quæ ergo in Monasteriis & in Ecclesiis hauriuntur disciplinæ, & ad cælestes usus retorquentur, eas ne humanas, ne terrenas quisquam posthac dixerit.

Unum hic postremò adnotabo in ea Epistola, quam Joannes Papa dedit ad Episcopos, Presbyteros & Abbates Hiberniæ, Doctoris nomen ita Abbatibus aptari, ut pene idem sonare videatur Abbas & Doctor. *Cæterisque Doctoribus, seu Abbatibus Scotis.* Certè splendidissima sidera orbis illius ut ita dixerim Insularis, non alii magis quàm Abbates Monachique fuere; quin & ipsi Episcopi, quos famosarum scholarum institutores declaravimus, Aidanus, Theodorus, Vuilfridus, è Monasticis Claustris prodierant.

XIII. Ne in rebus Germaniæ omnino muti simus, dicam ab Archiepiscopo Moguntino B. Bonifacio in Germaniæ Monasteriis institutas fuisse easdem disciplinas, artesque, quæ in Anglia vigebant, demandata Presbyteris Diaconisque cura puerorum, immo & Monachos instituendi. *Vuigbertus Presbyter* Epist. 12.
& Magimborus Diaconus Regulam vestram vobis insinuent, & speciales horas, & cursum Ecclesiæ custodiant, & cæteros admoneant, & Magistri sint infantium, & prædicent verbum Dei fratribus.

XIV. Cùm scientiarum & artium parens & magistra semper audierit Græcia, nemo ambigere jure potest, quin apud Græcos & Orientales studia semper litteræque viguerint. Ne Latinæ quidem linguæ incuriosi penitus, aut imperiti erant. In Synodo VI. Generali prodit sæpè in medium Constantinus Presbyter, tanquam *Grammaticos Latinus,* Act. 14.
γραμματικὸς ῥωμαϊκός. Quod equidem ita interpretor, quasi interpres Latinæ linguæ exhibeatur.

Concilii Tridentini Patres testati abundè sunt, quàm sibi Scripturæ, quàm Patrum scripta in pretio essent, vibratis terribilibus quibusdam fulminibus in eos, qui vel codices ipsos minùs religiosè tractarent, quique eos ita distraherent, ut dedecoris aliquid & dehonestamenti inciderent. En ipsa Canonis verba: *Nulli ex omnibus liceat veteris & no-* Can. 68.
vi Testamenti librum, nec sanctorum præconum ac Doctorum corrumpere, vel conscindere, vel librorum cauponatoribus, vel iis qui dicuntur unguentarii, vel alicui alii ex omnibus ad eum delendum tradere; nisi utique vel à tineis, vel ab aqua, vel aliquo alio modo redditus fuerit inutilis. Qui autem tale quid facere deinceps deprehensus fuerit, anno uno segregetur. Similiter & qui libros emit, si eos quidem ipse non ad suam utilitatem retineat, nec alteri ad ejus beneficium, & ut ii permaneant, tradat; sed eos corrumpere adgressus fuerit, segregetur.

Spectatissimus Martyr & Monachus Stephanus, professioni sacræ ab ubere matris addictus, statim se Scripturarum lectioni dedidit, quas & memoriæ mandavit; nec non & sanctorum Patrum, maximè verò Chrysostomi. Frequentissimæ scholæ excidium attulit persecutio Leonis Isaurici in sacras imagines; ei nimirum quæ Constantinopoli floruerat jam ab usque temporibus Constantini Imperatoris. Ejus sedes in Palatio & in Palatina Bibliotheca defixa fuerat, cui præerat *Doctor Oecumenicus*, ita enim appellitabatur, cum duodecim aliis doctrina præstantibus viris. Os illud & oraculum erat Imperii, Imperatorumque, qui eos in rebus difficillimis percunctabantur. *Adeo ut Schola cùm sacra doctrina exciderint, quæ à sæculo sancti Constantini Magni usque ad ea tempora floruerant. Apud Regiam Cisternam Palatium erat venerabile, in quo juxta antiquam formam œcumenicus Magister sedebat, duodecim habens discipulos, conditione & vita graves. Hi cùm omni dicendi scientiam celeritate & amplitudine ingenii percepissent, Ecclesiasticam divinarum rerum sapientiam acri studio tractabant. Absque horum consilio quidquam agi, ipsis quoque Imperatoribus nefas putabatur.*

Hæc Cedrenus, cui succinit & Zonaras, additque eos publicis impendiis sustentatos fuisse. Addit & Codinus ex ea schola erupisse Archiepiscopos & Patriarchas complures: sed cùm ea non ultra centum & quatuordecim annos perdurasset, cum ab impio Leone persecutore, in fide tuenda infractos

fractos Doctores, incendio enim Bibliotheca ipsa absumptos fuisse. Litteris sacris & Theologicis studiis incumbebat ea Schola, quanquam qui in ea clarebant, sæcularibus antè litteris operam dedissent. Tum verò immersus est Oriens tenebris ignorantiæ densissimis usque ad ætatem Bardæ Cæsaris qui sub Michaële Imperatore, Scholas litterasque luci & gloriæ pristinæ reddidit, ut infrà declarabitur.

XV. Sermoni huic de Scholis studiisque Clericorum hac priore parte ætatis mediæ finem facient Cassiodori verba in Præfatione divinarum Lectionum. Narrat enim ipsemet vehementer se indoluisse, quòd cùm tanta circumfusæ gloria florerent humanæ litteræ, nulli Magistri publici essent, qui sacras litteras elucidare profiterentur. *Gravissimo dolore permotus, quod Scripturis divinis Magistri publici deessent*: tum omni animi contentione enixum esse, ut publicæ Scholæ Romæ erigerentur, earum similes, quæ olim Alexandriæ effulsissent, vel quæ etiam tum Nisibi florerent: *Nisus sum cum beatissimo Agapito urbis Romæ, ut sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi civitate Syrorum Hebræis sedulo fertur exponi, collatis expensis in urbe Romanâ professos Doctores Scholæ potius acciperent Christianæ, unde anima susciperet æternam salutem, & casto atque purissimo eloquio fidelium lingua comeretur*. Cùm verò tam pia cœpta abrupissent bellici tunc in Italia tumultus, quod suarum erat partium, viriumque, implevit Cassiodorus hoc edito Opere de divinis Lectionibus, ubi palam facit, quibus clarere debeant studiis Christianæ Scholæ. Non prætermittuntur miriores & politiores litteræ; sed Scripturæ divinæ Græcorum Latinorumque Patrum testimoniis & commentationibus illuminantur. *Per quos & Scripturarum divinarum series, & sæcularium litterarum compendiosa notitia panderetur, &c. Ascendamus ad Scripturam divinam per expositiones probabilium Patrum, &c.* Tum verò ille in medium profert Clementem & Cyrillum Alexandrinos, Chrysostomum, Gregorium Nazianzenum, Basilium, quanquam Clericos nostros malit Latinis affigi & immorari Patribus.

CAPUT XCVI. *P. 3. l. 2. c. 19.*

Scholæ sub Regno & Imperio Caroli Magni.

I. Reparandarum Scholarum & Litterarum fundamenta ponere Carolus à Grammatica incipit.

II. Scholæ primo fuere in Episcopalibus ædibus & in Monasteriis, ubi edocebantur juniores Clerici Grammaticam, Psalterium, Cantum, Computum & Orthographiam.

III. Medicinam, Scripturas, Canones, Patres & Leges.

IV. Præter duas illas Scholarum species, erant & aliæ in Parochorum ædibus, aliæ denique in Palatio Regum. De Parochorum scholis.

V. Ab his promovebantur ad illas Episcopales, vel Abbatiales.

VI. Quàm in omni litterarum genere versatus esset Carolus Magnus.

VII. Excitabat nonnunquam & ipse studentes. Episcopatuum & Abbatiarum spem faciebat peritioribus, nulla natalium habita ratione.

VIII. IX. Omnium florentissima erat Palatina Schola.

X. Non parum ei splendoris conciliavit Alcuinus.

XI. Fœminæ ipsæ nobiles ad litteras perdiscendas certatim incumbebant.

XII. Excolebatur & Theologia Scholastica.

XIII. De Alcuini Schola Turonensi.

XIV. Quanti momenti & adjumenti sint litteræ politiores ad studia Scripturarum.

XV. Summa antedictorum. Schola Clericis una destinabatur.

I. CUm anno 787. Roma abduxisset Carolus Magnus in Gallias nobiles Grammaticos, encyclicas ad omnes Regni Episcopos & Abbates dedit litteras, ut hortaretur eos ad exstruendas Scholas, ubi Clerici Monachique litteris iis incumberent, quarum subsidio freti, altiùs inbire possent in arcana Scripturarum divinarum penetralia. *Cum fidelibus nostris consideravimus, utile esse, ut Episcopia & Monasteria, nobis Christo propitio ad gubernandum commissa, præter regularis vitæ ordinem, etiam in litterarum meditationibus docendi studium debeant impendere.* Scripserant ad Carolum Abbates complures Epistolas, quæ pietatem quidem spirarent, sed incondito & rudi sermone: *Sensus rectos, & sermones incultos.* Inde ille subodoratus est, quàm non altè descendissent in Scripturæ abditam intelligentiam: *Unde factum est ut timere inciperemus, ne fortè sicut minor erat scribendo peritia, ita quoque & multò minor esset, quàm rectè esse debuisset, in sanctarum Scripturarum ad intelligendam sapientia.* Adhortabatur ergo eos, ut humanis litteris diligentiùs animum advetterent, quo in divinæ Scripturæ sensus faciliùs penetrarent. *Hortamur vos litterarum studia certatim discere, ut faciliùs & rectiùs divinarum Scripturarum mysteria valeatis penetrare.* Cùm verò literali sensui, veluti fundamento, innitatur tota Scripturarum intelligentia, humanioribus litteris opus est, quæ verborum vim, figuras, & id genus alia aperiant. *Cùm in sacris paginis schemata, tropi, & cætera his similia inserta inveniantur, nulli dubium est quod ea unusquisque legens tanto citiùs spiritaliter intelligit, quanto prius in litterarum Magisterio plenius instructus fuerit.* Conc. Gall. To. 2. p. 128.

II. Ergo in Episcoporum Palatio & in Monasteriis hæ primùm redivivæ excitatæ sunt Scholæ: & litteræ artesque liberales ibi personuere, eo dumtaxat consilio, ut ad faciliorem, uberioremque Scripturæ intelligentiam via munirent. Accessere Psalterium, Notæ, Cantus, Computum, Orthographiæ: & hæc quidem tam accurata diligentia, & censura, ut Evangelia, Psalterium & Mysteriorum Codicem, seu Missalem librum exscribere nemo permitteretur, nisi qui ætate jam provectior esset & doctrina. Ita statutum fuit in Capitulari Aquisgranensi, anni 789. *Et ut Scholæ legentium puerorum fiant, Psalmos, Notas, Cantus, Computum, Grammaticam per singula Monasteria vel Episcopia discant; sed & libros Catholicos bene emendatos habeant: quia sæpè dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros malè rogant. Et pueros vestros non sinite, eos legendo, vel scribendo corrumpere. Et si opus est Evangelium, vel Psalterium & Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia.* Cap. 72.

His fundamentis superstruendæ erant eminentissimæ Scholæ. Quàm non verò in his rudimentis hæreret Carolus, satis superque ab eo proditum ibidem est, quando acumen, & delectum, censuram & criticen desideravit, qua proscriberentur ab Ecclesia *Pseudepigrapha & dubia narrationes*: & cùm solos admisit Scripturarum & sanctorum Patrum Codices. *Sed soli Canonici libri, & Catholici tractatus, & sanctorum Patrum dicta legantur & tradantur.* Can. 78.

Erexit & Scholam Carolus Osnabrugi in Germania, sed quæ Græcis maximè litteris addicta esset. Baron. an. 804. n. 12. Ideo & muniis oneribusque omnibus Episcopum Osnabrugensem subduxit, prætetquam Legationi Constantinopolitanæ, cùm defungenda ea foret,

ad Imperialem utramque gentem conjugio fœderandam: tum enim eximi & absolvi hoc munere non posse illum Episcopum, quod ejus Ecclesia viris Græcè, Latinéque doctis abundatura semper esset. *Episcopo suisque successoribus perpetuam concedimus libertatem, & ab omni regali servitio confirmamus absolutionem. Nisi fortè contingat, ut Imperator Romanorum, vel Rex Græcorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant: tunc Ecclesiæ illius Episcopus omni sumptu à Rege, vel Imperatore adhibito, laborem simul & honorem illius legationis assumat. Et hoc ea de causa statuimus, quia in eodem loco Græcas & Latinas Scholas in perpetuum manere ordinavimus, & nunquam Clericos utriusque linguæ gnaros ibidem deesse in Dei misericordia confidimus.*

In pervetusto quidem Chronico perhibetur Carolus Roma adscivisse Magistros Grammaticæ & Arithmeticæ, primumque fuisse eum politiorum litterarum suo ævo parentem & restauratorem: *Et* Baron. an. 787. n. 69 *domnus Carolus Rex iterum à Roma artis Grammaticæ & Computatoriæ Magistros secum adduxit in Franciam, & ubique studium litterarum expandere jussit. Ante ipsum enim in Gallia nullum studium fuerat liberalium artium.* Sed eo Chronico non memoratur, unde Professores linguæ Græcæ accersiverit. Pronum est conjicere Constantinopoli advectos, ut vel ipsa declarat Osnabrugensis Scholæ institutio. Jonas porro Aurelianensis Episcopus fidem facit unum in eum finem desudasse has omnes Galliæ & Germaniæ Scholas, ut divinis Scripturis quamplurima lux affunderetur. *Non solum apud Germaniam studium* Advers. Claud. Taurin. initio. *litterarum, & amor sanctarum Scripturarum, verùm etiam apud Galliam ejus studio & ferventissimo desiderio actum est, ut in sibi commissa Ecclesia solis & liberalium artium apprimè disciplina, & divinarum Scripturarum perfecta polleret intelligentia.*

III. In alio Capitulari anni 805 adjicitur à Carolo studium Medicinæ. *De medicinali arte, ut infantes hanc discere mittantur.* Ut ne verò ambiguum esse possit, quàm latè tunc paterent studia Ecclesiastica, unum hic adnotabo ex Præfatione Concilii Moguntini anni 813. ubi Episcopi, Abbates, & Comites coadunati, & in tria discreti Collegia, multum diuque commentati sunt eam disciplinæ formam, quæ Ecclesiæ, quæ Regni saluti & laudi accommodatissima foret: quam & expiscari enixi sunt ex Scripturis, ex Conciliis, Canonibusque, ex Commentariis sanctorum Patrum; ex Pastorali potissimum sancti Gregorii, ex Regula sancti Benedicti, & ex Legibus. *Tres fecere turmas, &c. Episcopi tractantes sanctum Evangelium, Epistolas & actus Apostolorum, Canones, diversa sanctorum Patrum opuscula, Pastoralemque librum Gregorii, &c. Abbates Regulam sancti Benedicti, &c. Comites & Judices in mundanis legibus decertantes, &c.* Hæc erat ergo summa eruditionis Clericorum, ad quam ab exordio anhelabant, ad quam cum ætate proficiebant, cui denique vitam omnem etiam ad summas provecti Du Chesne To. 2 pag. 144. dignitates impendebant. De ea emendatione Legum in ea Nobilium turma copiosiùs disserit Chronicum Moissacense. *Emendatam legem scribere.*

Hæ sunt ergo partes, hæ Facultates celeberrimæ Scholæ, seu Universitatis, Grammatica, Medicina, Leges, Canones, Theologia Scripturarum & Patrum. Sed ne tibi fingas in singulis Scholis locum fuisse his omnibus disciplinis. Ne necesse quidem id erat, sed pro modo & usu locorum & temporum omnia dispensari.

IV. Universim autem observandum venit quatuor Scholarum ordines fuisse. Nam præter Episcopales & Abbatiales, erant & aliæ in Palatio Regum, & in ædibus Parochorum. De his postremis agitur in Concilio Moguntino, ubi prima fidei elementa vernaculo saltem idiomate pueri edocebantur. *Filios suos donent ad Scholam, sive ad Mo-* Can. 45. *nasteria, sive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam discant & Orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.* Quæ autem patria & vernacula hæc esset lingua, manifestum fecit Concilium III. Turonense, cùm Episcopis mandat, ut suas ad rudes populos conciones studeant transferre in Rusticam Romanam linguam vel Theotiscam, seu Germanam. *Ut easdem Homilias quisque apertè transferre studeat* Can. 17. *in Rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quo faciliùs cuncti possint intelligere quæ dicuntur.* Concionabantur enim Episcopi lingua Latina, quam imperiti tum minus capiebant: capiebant autem Germani quidem Teutonicam, Galli Rusticam Romanam, hoc est Latinam situ, & rubigine obductam, vitiatamque aspergine plurima, & contagione linguarum barbaricarum. In Scholis porro Parochiorum gratis edocendi erant pueri indigentes. Unde Theodulfus Aurelianensis Episcopus in hunc modum sanxit: *Presbyter per villas & vicos Scholas* Cap. 20. *habeant, & si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere & docere non renuant. Cùm ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliud ab eis accipiant, excepto, quod eis parentes caritatis studio, sua voluntate obtulerint.*

V. Sed cùm primoribus tantum elementis informarentur pueri in his vicorum Scholis, hortabatur Theodulfus Parochos, ut nepotes suos mitterent ad Scholas Episcopales, aut Monasteriorum eorum, quæ essent sub Episcopi ditione, nempè sancti Aniani, sancti Benedicti, & sancti Lifardi: *Si quis ex Presbyteris voluerit nepotem suum, aut ali-* Cap. 19. *quem consanguineum ad Scholam mittere, in Ecclesia sanctæ Crucis, aut in Monasterio sancti Aniani, aut sancti Benedicti, aut sancti Lifardi, aut in cæteris de his cœnobiis, quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* Illud porro innui videtur Francofordiensi Canone, si in Scholis Monasticis informarentur & expolirentur Clerici administrandis Parochiis pares meliusculè, quàm in Parochiis ipsis: æquum esse, ut in Episcopali Schola ea celebrarentur studia seu litterarum, seu virtutum, quibus expoliti Clerici ad summas quasque dignitates, & ad Episcopatum ipsum tutò possent promoveri. *Ut unusquisque Episcopus sibi subditos* Can. 29. *bene doceat & instruat: ita ut in domo Dei superdigni inveniantur, qui canonicè possint fieri electi.*

VI. Carolum Magnum ea maximè laude exornat Monachus Inculismensis, quòd primus Galliæ invexerit studia & Scholas Artium liberalium, cùm Roma Grammaticos abduxisset: *Carolus iterum à* Du Chesne. To. 2. pag. 75. 76. *Roma artis Grammaticæ & Computatoriæ Magistros secum adduxit in Franciam, & ubique studium litterarum expandere jussit. Ante ipsum enim in Gallia nullum studium fuerat liberalium artium.* Et rursus infrà: *Reversus est in Franciam, adducens secum Cantores Romanorum, & Grammaticos peritissimos & Calculatores.* Unde conjici possit, cùm iidem sint *Calculatores, & Computatoriæ Magistri*: Computum illud, quod nobis tam crebri Canones inculcarunt, non aliud esse quam Arithmeticam, quàm perinde ut & Notas addiscere cogebantur pueri, hoc est

rationem scribendi per notas & apices compendiosiores, quo fiebat ut calamus linguæ pernicitatem assequeretur. Ubi autem hîc audio *Magistros Computatoria*, seu Computi, non possum non suspicari jam hinc auspicia & præludia aliqua nominis eorum, qui in summa Magistratuum gloria jam constituti, Magistri Computorum dicuntur, & uni maximè Arithmeticæ vacant in fisci Regii & diplomatum Regiorum administratione.

Redeo ad Carolum, quem ait Eginardus litteris politioribus plurimum vacasse ipsum, & voluisse, ut filii nepotesque eadem imbiberent studia. *Liberos* Ibid. p. 102. 103. *suos ita censuit instituendos, ut tam filii, quàm nepotes primò liberalibus studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur.* Sed delectabatur præterea Carolus lectione Historiæ sacræ, Patrum, Augustini maximè. *Inter cœnandum aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ & Antiquorum rerum gesta. Delectabatur & libris sancti Augustini, præcipuè his qui de Civitate Dei prætitulati sunt.* Linguas excoluit, Latinam ita calluit, ut non minùs expeditè Latina, quàm patria peroraret lingua. Græci quoque sermonis peritus erat. *Nec patrio tantùm sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, ut æquè illa ac patria lingua orare esset solitus. Græcam verò meliùs intelligere, quàm pronuntiare poterat.* Præter Grammaticam, ab Alcuino didicit Rhetoricam, Dialecticam, Astronomiam, Arithmeticam. *Artes liberales studiosissimè coluit. Alcuinum Diaconum de Britannia, virum undequaque doctissimum Præceptorem habuit. Apud quem & Rhetorica, Dialectica: præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ plurimum & temporis & laboris impertivit. Discebat & artem computandi, & intentione sagaci syderum cursum curiosissimè rimabatur.* Speciali autem cura & contentione animi in Scripturas sacras incubuit, quarum codices utriusque Testamenti expurgavit emendavitque. Laborem eum hac spe solabatur, fore ut & alii exemplo suo acuerentur ad idem tentandum. Vide ut ipse de ea re differat in Præfatione Homiliarii, seu Homiliarum à Paulo Diacono compilatarum. *Cura est nobis, ut Ecclesiarum nostrarum ad meliora semper proficiat status, oblitteratam pene litterarum reparare satagimus officinam, & ad pernoscenda sacrorum librorum studia, nostro etiam quos possumus invitamus exemplo. Inter quæ jam pridem universos veteris ac novi Testamenti libros, Librariorum imperitia depravatos, ex amussim correximus.* In animo habuit Supplementum seu Concordiam Legum edere, cujus Ibid. Addit. 1. p. 11 usus per universas propagaretur Gallias, ubi duæ Legum species obtinebant, pugnabantque mutuò. Quid tentarit, quid perfecerit, explanat his verbis Eginardus; Eginard. ubi supra. *Post susceptum Imperiale nomen, cùm adverteret multa legibus populi sui deesse; nam Franci duas Leges habent plurimis in locis valde diversas; cogitavit quæ deerant addere, & discrepantia unire: prava quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud factum est ab eo, quàm quod pauca Capitula & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen Nationum quæ sub ejus dominatu erant, jura quæ scripta non erant, describere ac mandari litteris fecit.* Ea erat eruditionis ubertate & copia, qui litterarum pateris & reparator audiebat, posteriore hac mediæ ætatis parte.

VII. Commodandæ jam sunt aures Sangallensi Monacho, edisserenti, ut Carolus Magnus è scholis his suis & Seminariis accerseret deligeretque Episcopos, Abbates & Majores omnes Regni & Imperii sui Beneficiarios; propterea quòd eæ Scholæ non litterarum tantùm, sed & virtutum ac religionis quædam essent domicilia, impensasque earum omnes ad Magistrorum alumnorumque sustentationem Principis ærarium suppeditaret. *Clementem in Gallia recipere præcepit, cui pueros nobilissimos, mediocres & infimos satis multos commendavit, &* L. 1. c. 2. 3. 9. *eis prout necessarium habuerunt, victualia ministrari præcepit, habitaculis opportunis ad habitandum deputatis.* Aliquantis pòst annis quàm extructa & dotata fuerat hæc schola, accessit ipsemet ad examen instituendum; quæ carmine, quæ soluta oratione scripserant, legit ipse, & excussit: cúmque comperisset inferioris infimæque sortis juvenes majores fecisse progressus, gaudio perfusus, & palam exhilaratus, hortatus est illos, ut pergerent maturarentque ad perfectionis culmen progredi, certaque hac se spe recrearent, fore ut eis potissimum Episcopales, Abbatiales & primariæ quæque Regni dignitates conferrentur. *Nunc ergo ad perfectum attingere studete,* Du Chesne. To. 2. pag. 108. 111. *& dabo vobis Episcopia & Monasteria permagnifica, & semper honorabiles eritis in oculis meis.* Nobiles autem juvenes, qui otio & ignavia torpuerant, contestatus est, nullam eos in partem Regiæ largitatis adscitum iri.

Quàm totus exarsisset Carolus studio & amore litterarum, prodidit ipse luculentè, cùm Alcuino hæc animi sui vota, hæc desideria aperuit; *O utinam haberem duodecim Clericos ita doctos, omnique sapientia sic perfectè instructos, ut fuerunt Hieronymus & Augustinus!* Cui reposuit scitissimè Alcuinus: *Creator cœli & terræ similes illis plures non habuit, & tu vis habere duodecim.* Narrat Theganus ubi Carolus Imperium in manus Ludovici filii deposuit, aut ubi illum sibi Imperii socium ascivit, totum se contulisse ad pietatem, orationem, sacrorumque emendationem librorum: collationemque cum Græcis & Syris Exemplaribus. *Nihil aliud cœpit agere, nisi in* Ibid. p. 277. *orationibus & eleemosynis vacare, & libros corrigere. Nam quatuor Evangelia in ultimo ante obitus sui diem cum Græcis & Syris optimè correxerat.*

VIII. Erat ipsius Caroli Palatium schola longè splendidissima. Ipsi Principis Palatio scholæ vocabulum tributum fuerat, quòd ea sedes esset potissima, in qua humanæ omnes divinæque litteræ efflorescerent. Ita apertè pronuntiat Monachus sancti Germani in Epistola ad Carolum Calvum: *Ita ut* Du Chesne To. 2. pag. 471. *meritò vocitetur Schola Palatium, cujus apex non minus scholaribus, quàm militaribus consuescit quotidie disciplinis.* Nec sub Carolo demum Calvo id nominis Palatio Regio inditum est, sed jam inde ab ævo Caroli Magni. Sic enim testatur Alcuinus ejus scholæ lumen, in Epistola ad Carolum Magnum data. *Ego ignarus, nesciens Ægyptiacam scholam in* Epist. 94 *Palatio Davidica versari gloria; Ego abiens Latinos ibi dimisi, nescio quis subintroduxit Ægyptios.* Author vitæ Aldrici Archiepiscopi Senonensis Alcuinum refert à Carolo Magno institutum esse *Præceptorem Palatinum*, ut ejus responsis ardua quæque negotia terminarentur: *Imperator Augustus eum Præceptorem Palatinum instituit, ut vita Imperialis Aulæ & majora negotia suæ discretionis arbitrio diffinirentur.* Si his addas quæ San-Gallensis Monachus habet, Caroli Magni Palatio frequentes inhospitari solitos Reges, Duces & Tyrannos, qui ei prandenti cœnantique ministrare, amplum sibi & honorificum esse interpretabantur. *Comedente Carolo ministrabant Duces & Tyranni, vel Reges diversarum gentium.* Facilè ex his assentieris nullam unquam scholam huic æquari aut vel comparari potuisse.

IX. Hæc ipsa forsan est Imperatoria schola, quam *Athenarum* nomine insignivit Alcuinus, quamque Academiæ Platonis eò antecellere statuit, quòd hæc Artes septem Liberales ostentaret, illa septem Spiritûs sancti Dona, & plenitudinem infunderet

Alcuinus Epist. 10. cœlestis cujusdam sapientiæ. *Forsitan Athenæ nova perficeretur in Francia, imò multò excellentior, quia Christi Domini nobilitata magisterio, omnem Academiæ exercitationis superat sapientiam. Illa tantummodo Platonis erudita disciplinis, septenis informata claruit artibus; hæc etiam insuper septiformi sancti Spiritûs plenitudine ditata, omnem sæcularis sapientiæ excellit dignitatem.* Non distat à veri specie, quod quibusdam persuasum fuit, hanc Palatii scholam ambulatoriam fuisse, & Principi semper adglutinatam, quo se cumque ille ex Palatiis suis inferret. Caroli Magni

Le Coi to. An. 802 n. 79 92. sedes frequentissima fuit, & Palatium longè magnificentissimum Aquisgrani.

X. Quæ Alcuini operibus præfixa est ejus vita, à pervetusto Authore scripta, somnio & flagello consimili, ac de Hieronymo ferunt, admonitum refert Alcuinum, persuasumque, ut Psalterium Davidis Virgilio anteponeret; ubi memoriæ mandavit Psalterium, tum in Egberti schola meruisse, qui magisterio Bedæ imbutus quondam fuerat; ibi Grammaticæ, Artibus Liberalibus, & Scripturis operam navatam fuisse: cùm postea verò Caroli Magni Præceptor audiret, & celeberrimarum per Gallias Angliamque scholarum parens & institutor, jam non amplius passum esse, ut ibi prælegeretur Virgilius, aut quisquam Gentilium Scriptor, non temere sperantem è Scripturis divinis scatere venas totius prorsus eruditionis. *Legerat juvenis libros antiquorum Philosophorum, Virgiliique mendacia, quæ nolebat jam ipse nec audire, neque discipulos suos legere. Sufficiunt, inquiens, divini Poëtæ vobis, nec egetis luxuriosa sermonis Virgilii vos pollui facundia.*

XI. Moniales ipsæ sacrum otium suum horasque vacuas consumebant Scripturarum Patrumque lectionibus; ex eisque duæ Alcuinum inceoderunt ad illum pulcherrimum in Evangelium Joannis Commentarium concinnandum: Posse enim eum Cæsaroduno Turonum Parisios mittere vigiliarum suarum in Scripturas & commentationum fructus; cùm olim Hieronymus Matronarum Romanarum votis obsecundans, plures in Scripturam lucubrationes suas è Bethleemo Romam missitaret. *Multò*

Alcui. oper. pag. 375. 590. *faciliùs Chartarum portator tuarum ad Turonis Parisiacam civitatem, quam illius de Bethleem Romam pervenire poterit.* Hunc laborem abrupit jussio Caroli Magni, ut veteris & novi Testamenti Codicum emendationi incumberet: *Si me non occupasset domini Regis præceptum in emendatione Veteris Novique Testamenti* Hæc porro editio emendatior Scripturarum in omnes Gallicanas Ecclesias disseminata fuit jussu Caroli Magni, & Missorum ejus Dominicorum sollicitudine, ut planum fit ex Capitularibus. *Volumus*

Capit. Car. Mag. l. 6. c. 227 *& ita Missis nostris mandavimus & præcepimus, ut in Ecclesiis libri Canonici veraces habeantur, sicut jam in alio Capitulari sæpè mandavimus.*

XII. Nec minimum operæ & curæ ponebatur in Scholastica Theologia. Explosit Alcuinus absurdas eorum causationes, aniles que nænias, qui vitio vertebant, quòd Carolum Magnum impulisset ad studia Dialecticæ. Contrà autem ipse palam fecit, eam Augustino visam esse adprimè necessariam, ad elucidationem qualemcumque ejus mysterii in quo latet adoranda divinarum Hypostaseon Trinitas: in quo usus est opportunus Categoriarum. *Ut convincerem eos, qui minus utile existimabant, vestram nobilissimam intentionem Dialecticæ disciplinæ discere velle* Alcui p. 703 *rationes, quas Pater Augustinus in libris de sancta Trinitate quæstiones nonnisi Categoriarum subtilitate explanari posse probavit.*

Hæc sunt Theologica studia, Dialecticæ adminiculis fulta, quibus Alcuinus dignitatem authoritatemque conciliabat in Galliis, in Palatio maximè Regum & Imperatorum. Sic enim ille ad Carolum Magnum: *Ad hanc sapientiam omni studio discendam,* Ibidem. *& quotidiano exercitio possidendam exhortare, domne Rex, juvenes quosque in Palatio Excellentia vestra, quatenus in ea proficiant ætate florida, &c.*

XIII. In ipsa Turonensi civitate scholam erexerat Alcuinus, in qua prælegebat ipse adolescentioribus Clericis Scripturas, Grammaticamque, Philosophiam, Astronomiam, humanarum scientiarum instrumentum omne ad illustrandas divinas Scripturas revocabat. *Aliis per tecta sancti Martini, sanctarum mella Scripturarum ministrare satago. Alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo. Alios Grammaticæ subtilitatis pomis incipiam enutrire. Quosdam stellarum ordine illuminare studeo. Plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctæ Dei Ecclesiæ & ad profectum Imperialis Regni vestri erudiam.* Sed Theologicis maximè studiis claruerant iti Episcopi, qui Doctores & Magistri appellabantur. Istiusmodi erant Episcopi Richebonus & Theodulfus, quibus curante Alcuino commendata est provincia consultandi Felicis Urgelitani Episcopi. *Richebono & Theodulfo Episcopis, Doctoribus &* Epist. 4. 8. 15. *Magistris.*

XIV. Missa facio complura ejusdem Alcuini testimonia, quibus validissimè astruitur necessitas copulandæ cum Theologia & Scripturis Philosophiæ, Arithmeticæ & Astronomiæ. Finem faciam, ubi addidero, quæ ille ad Carolum Magnum perscripsit, de restituendo punctorum & virgularum usu, qui Amanuensium imperitia obsoleverat; & de cohortandis scholæ Imperatoriæ Alumnis, ut ei se usui accommodarent, ut à quo orationi & lucis accederet plurimum, & ornamenti. *Punctorum verò distinctiones,* Alcuinus *vel subdistinctiones licèt ornatum faciant pulcherrimum* pag. 1511. *in sententiis, tamen usus illorum propter rusticitatem pe-* 1512. *ne recessit à Scriptoribus. Sed sicut totius sapientiæ decus, & salutaris eruditionis ornatus per vestræ nobilitatis industriam renovari incipit; ita & horum usus in manibus scribentium redintegrandus esse optimè videtur. Ego itaque licèt parum proficiens, cum Turonica cottidie pugno rusticitate. Vestra verò authoritas Palatinos erudiat pueros, ut elegantissimè proferant, quidquid vestri sensûs lucidissima dictaverit eloquentia; ut ubique Regalis nominis carta decurrens, regalis sapientiæ nobilitatem ostendat.*

XV. Summatim jam ex superioribus constat, Carolum Magnum litterarum sui ævi, scholarumque instauratorem fuisse; quadruplices tunc fuisse scholas, Presbyterales, Episcopales, Monasticas & Palatinas; studia in iis efferbuisse humaniorum litterarum, Philosophiæ, Arithmeticæ, Dialecticæ, Astronomiæ, Theologiæ scholasticæ, Canonum, Legum, Patrum, ac postremò, vel primùm omnium Scripturarum, ad quas disciplinæ cæteræ omnes collimarent. Adde castigatiores in iis elaboratas fuisse Bibliorum editiones, consultis Hebraïcis, Syriacis, Græcisque Exemplaribus: vernaculæ quoque linguæ consuetudini multa esse donata; Principem omnium scholam & doctrina florentissimam fuisse Palatinam; Imperatorem ipsum in suis ipsis

disciplinis non parum operæ & industriæ suæ posuisse; post Palatinam Scholam, quæ plerumque Aquisgrani, vel Parisiis erat, secundas tenuisse aliquandiu Turonensem: Episcopales & Abbatiales infulas desponsam iis fuisse mercedem, qui in his Scholis diligentia, eruditione, virtute præcellerent; quantumvis sordidos natales nacti essent. Clericis ideo tantum dicatæ erant & frequentatæ hæ Scholæ, ut docet nos Beatus Hispaniæ Presbyter cum primis inclytos, in priore suo adversus Elipandum libro. Disertis enim ille verbis pronunciat ad Scholas ablegatos non fuisse adolescentulos, nisi qui Clero addicerentur: reliquos Christianæ Doctrinæ elementis dumtaxat initiatos fuisse. *Ex ipsis baptizatis alii traduntur Scholæ, & offeruntur à parentibus Christo, ut possint futuri esse Sacerdotes, & serviant Christo. Alii tantum doctrina traduntur, ut legant & cognoscant Christum, & accipiant cum benedictione intra Ecclesiam uxores, ut serviant conjugio.*

CAPUT XCVII. *P. 3. l. 2. c. 20.*

Scholæ sub Ludovico Pio Imperatore.

I. An statim ab obitu Caroli Magni retro labi cœperint Scholæ.
II. Non pœnitenda fuit adhuc earum gloria sub Ludovico Pio.
III. Ejus sollicitudo ad Doctorum numerum augendum, maxime in Palatina Schola.
IV. Quam vir ipse utriusque esset in Dei plenus lit.
V. Ejus anxietas, ut Scholæ ubique excitarentur.
VI. Concilium Parisiense cum interpellavit, ut tres novas publicas erigeret Scholas.
VII. VIII. De Schola Turonensi & Lugdunensi.
IX. De Schola Fuldensi.
X. De Schola Parisiensi.

I. ITa statuebat Lupus Ferrariensis Abbas, ad Caroli Magni nominis gloriam immortalitati commendandam, non minùs contulisse Scholarum restaurationem & amplificationem disciplinarum omnium, quàm armorum & tot victoriarum splendorem. At verò cum eo extincta penè, certè Epist. 1. plurimùm refrixisse studia litterarum. *Siquidem vestra memoria per famosissimum Imperatorem Carolum, cui litteræ eo usque deferre debent, ut æternitati parent memoriam, cœpta revocari studia aliquantulum quidem extulere caput, satisque constitit veritate subnixum præclarum dictum. Honos alit artes, & accenduntur omnes ad studia gloria. Nunc oneri sunt, qui aliquid discere affectant; & velut in edito sitos loco, studiosos quosque imperiti vulgo aspectantes, si quid in eis culpa deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant.*

II. Hæc ille Caroli Calvi temporibus, quibus difficilè creditur usque adeo despicabiles jam fuisse visas litteras, & maledicorum multis obtrectationibus ita objectos litteratos omnes, ut eorum maculæ, immo & flagitia quibus nonnunquam & ipsi deturpantur, non tam privatæ ipsorum pravitati, quàm ipsis per se scientiis imputarentur. Sed antè explorandum est nobis, qui rerum status fuerit sub Lodovico Pio, qui Carolo Parenti successisset, venturis inde ad Carolum Calvum, Pii filium & successorem. In ea Epistola qua Carolo Calvo Jonas Aurelianensis Episcopus, suum de Imaginum cultu dicavit opus, testatum facit Ludovicum Pium non æquasse tantùm, sed longo superasse intervallo zelum & ardorem Caroli Magni in propagandis disciplinis liberalibus, Scripturarumque & sanctorum Patrum Codicibus acervandis, ut hoc esset veluti armamentarium, unde tela depromerentur ad configendas hæreses omnes. *Quantum Ecclesiam Christi suo regimini divinitus commissam, morem patris sui, videlicet pii & homonymi viri Caroli nobilissimi Augusti imitans, immo supergrediens, disciplinis liberalium artium educaverit, & utriusque Testamenti sanctis paginis atque eximiorum Patrum dictis ad propulsanda hæreticorum dogmata venenata, & instruxerit, & instructam fecerit, cunctis Catholicæ Apostolicæ fidei filiis perspicuum esse non ambigitur; quoniam revera id quod dicitur, in promptu esse cernitur.*

III. Ejus rei probationem mox profert Jonas, nempè cùm primùm certior factus est Ludovicus Pius vacare Ecclesiam Taurinatensem, & circumjectos Italiæ populos magna in ignorantia versari Mysteriorum fidei Christianæ, eò misisse Presbyterum Hispanum, nomine Claudium, in Palatio suo probatum & exercitatum, ut Episcopus ejus Civitatis inauguraretur. *Qui aliquid temporis in suo Palatio, in Presbyteratus militaverat honore.* Sed cùm Ludovici spem fefellisset Claudius, & subditam sibi plebem novis fascinasset erroribus, librum ejus Ludovicus ab Imperatoriæ suæ Scholæ Doctoribus præsente se examinari, & censuræ cauterio inuri curavit. *Qui libellus ab eo prudentissimisque Palatii sui viris examinatus, justo judicio est repudiatus.* Tum Jonæ mandavit, ut eum librum scripto confutaret, quod & præstitit, eo opere, quod postea Carolo Calvo dicatum est.

IV. Ludovici Pii singularem eruditionem luculento encomio prosequitur Theganus: *Lingua Græca & Latina valde eruditus, sed Græcam magis intelligere poterat, quam loqui: Latinam verò sicut naturalem æqualiter loqui poterat. Sensum verò in omnibus Scripturis spiritalem & moralem, nec non & anagogen optimè noverat.* Utriusque Testamenti Scripturas omnes voluit germanico verti idiomate & quidem stricta oratione, *Ut illiteratis etiam sacra divinorum librorum lectio panderetur.* Du Chesne To. 2. pag. 279. 320.

V. Jam ergo minus mirum erit, si dicamus anxiè cum primis Pium instare solitum Episcopis omnibus, ut Scholas Clericis suis extruerent. *Scholæ sanè ad filios, & Ministros Ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum est, à vobis ordinari non negligatur.* Capitular. l. 2 c. 5. Conc. Gall. T. 2 p. 452. 505. Voluit et & Parochi ad Concilium Provinciale aliquos ex studiorum amantioribus alumnis secum adducerent, ut hoc documento suam in excolendis Scholis litterisque diligentiam facerent testatiorem. Can. 30. *Et quando ad Provinciale Concilium ventum fuerit, unusquisque Rectorum Scholasticos suos eidem Concilio adesse faciat, ut suum solers studium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat.* Ipsissima hæc sunt verba Concilii Parisiensis VI. anni 829. cui compertissimum erat, non aliud antiquius, aut majori curæ Episcopis esse debere, quàm Scholarum & studentium Clericorum incrementa. *In Scholis habendis & educandis militibus sancta Dei Ecclesia operam daremus.* L. 3. c. 1.

VI. Sed præter has Scholas, in Palatio, in Episcopalibus ædibus, in Parochiis & in Monasteriis, in quibus posterius Aquisgranensis Abbatum Conventus anno 817. docet admitti non solitos, nisi qui vitæ Monasticæ essent consecrati: *Ut Schola in Monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.* Cap. 45. Præter has, inquam, Scholas aliæ erant, quæ publicæ dicebantur, & quæ propius utique accedebant ad postremæ hujus ætatis Universitates. De his egit

Concilium idem Parisiense VI. eo Canone, quo Ludovicum Pium interpellavit, ut tres saltem ejusmodi Scholas erigeret, in Imperio suo, ne marcesceret & intercideret fructus tot tantorumque & gloria laborum, quibus & ipse & Carolus Magnus æternam sibi apud posteros memoriam & laudem L. 3. c. 12. comparassent. *Obnixè ac suppliciter vestræ celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis Imperii vestri locis, Scholæ publicæ ex vestra authoritate fiant; ut labor Patris vestri & vester per incuriam, quod absit, labefactando non depereat. Quoniam ex hoc facto & magna utilitas, & honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accrescet.*

Conc. Gall. To. 3. pag. 632. VII. Schola Turonensis non improbabiliter in ea publicarum Scholarum classe collocatur. Præter ea quæ Capite superiori dicta sunt, adde quod de Gilleberto refertur Episcopo Catalaunensi electo, qui ad interrogationes respondens Hincmari Metropolitani sui, respondit in hæc verba: *In Schola* Du Chesne To. 3. pag. 417. *Turonica liberalibus Disciplinis erudiendus traditus sum.* Josephus quoque Presbyter & Præceptor Ludovici Regis, antequam sacri Palatii Cancellarius crearetur, Turonis operam dederat literis sub Archiepiscopo Almarico. *Sacri Palatii Cancellariorum ministerio functus, olim studiis Turonis sub conditione Almarici Turonensis Archiepiscopi eruditus, cum Paulo Rotomagensi Archiepiscopo.*

VIII. Simile quoque veri est inter publicas Scholas locum fuisse Lugdunensi. Pulcherrimam ejus effigiem delineat Ledradus Archiepiscopus ejus urbis in Epistola ad Carolum Magnum data, ubi primùm in Cantu & divinis Officiis, eam affirmat Scholæ Palatinæ simillimam esse, *Secundum ritum sacri Palatii:* addit sibi præterea esse copiam ingentem virorum in Scripturis divinis peritissimorum. *Præter hæc verò habeo Scholas Lectorum, non solum qui officiorum lectionibus exercentur, sed etiam in divinorum librorum meditatione spiritalis intelligentiæ fructus consequantur. Ex quibus nonnulli de libro Evangeliorum sensum spiritalem ex parte adipisci possunt. Plerique verò librum Prophetarum secundùm spiritualem intelligentiam adepti sunt. Similiter libros Salomonis, vel libros Psalmorum, atque etiam Job.* Florus, Amolo, Agobardus, Remigius splendidissimæ hujus Lugdunensis Scholæ lumina & Theologi fuere. Inclyta ejus erat adhuc fama ducentis pòst annis, quando eò profectus est beatus Majolus, Philosophiæ curriculum ingressurus, authore B. Odilone in ejus vita. *Apud Lugdunensem urbem Philosophiæ nutricem & matrem, & quæ totius Galliæ ex antiquo more & Ecclesiastico jure, non immerito retinet arcem: Antonium eruditum virum & prudentem habere voluit in liberalibus studiis præceptorem.*

IX. Potest & celeberrimarum Scholarum albo inscribi Foldensis in Germania, quo Rabani doctrinæ fama, & post illum Strabi discipuli ejus & successoris in Scholasticæ Palæstræ exercitiis, incredibilem quandam contraxerat multitudinem ex Germania, Galliaque ipsa discipulorum. Ita de ea Trithemius. Unius equidem Lupi Ferrariensis Abbatis verba proferam, qui eò ablegatus fuerat ab Episcopo suo, ut litterario ibi Tyrocinio in sacris Scrip-Epist. 1. turis fungeretur. *Nam à præfato Episcopo ad venerabilem Rabanum directus sum, uti ab eo ingressum caperem divinarum Scripturarum.* Testatur Ardo Benedictum Abbatem Anianæ tot Monasteriorum Præpositum Generalem, Scholis excolendis speciali quadam solertia invigilasse. *Instituit Cantores, docuit Lectores, habuit Grammaticos, & scientia Scripturarum peritos, de quibus etiam quidam post fuere Episcopi, aggregavit. Librorum multitudinem congregavit.* Adelardus Abbas Corbeiensis in Germania & in Gallia suo ævo celebratus est, ut fidissimus Augustini Discipulus, & Augustinus alter, ex Paschasio Radberto, qui vitam ejus litteris mandavit. Hinc conjice quantæ illi curæ fuerit utraque hæc Schola. *Alter Augustinus, Augustini velut pedissequus, operum clarissimus imitator.*

X. Non est forsan, quòd diutius sollicitos nos habeat triplicis illius publicæ Scholæ pervestigatio, ut quæ fortè ne institutæ quidem tum fuerint, sed postea. Constat enim eas institui depoposcisse Concilium Parisiense VI. à Ludovico Pio. An institutæ autem tum fuerint, certi nil constat. Illud profectò ex supradictis exsistit, tres illas de quibus diximus, famosissimas fuisse Scholas, & proximè accessisse ad splendorem Palatinæ, quam probabiliter Parisiensem fuisse conjectant. Ultrajectensis Episcopi Radbodi vitam qui scripsit, illum primò venisse ait in Palatium Caroli Calvi, inde in Palatium Ludovici Balbi, non vana illectum terrenarum opum, aut dignitatum cupiditate; sed litterarum & disciplinarum, quarum ibi fructus uberrimus demetebatur. *Primò ad Caroli Regis Francorum,* Surius die 29 Novem. *inde ad Ludovici ejus filii Aulam se contulit, non quod Palatinos ambiret honores: sed quod intra Regis Palatium liberalium disciplinarum studia præclara colerentur. Præerat illi Gymnasio Manno Philosophus.* Nec asperoanda forsan eorum prorsus conjectura est, qui jam tum suspicantur Palatium Regum ad Lupatam fuisse, vel ei loco Parisiis proximum, unde à Palatina Schula nomen factum olim sit, quod residuum etiam nunc est, & fori quod *Scholam* vocitarit, & *Portus Scholæ* ibidem ad Sequanam. Observant quod eodem pertinet, quæ vetustissima Lutetiæ litterarum fuere Gymnasia, eodem ipso in loco superesse, sancti Thomæ ad Luparam, sancti Nicolai ad Luparam, Bonorum Puerorum sancti Honorati. De Scholis Seminariorum hic non repetam, quæ alibi dicta sunt. Regulas eis præscrip- Anno 816. c. 135. sit Concilium Aquisgranense, quæ ibidem expensæ sunt.

CAPUT XCVIII. *P. 3. l. 2. c. 21.*

De Scholis sub Carolo Calvo.

I. Restaurata sunt à Carolo Calvo Scholæ, quas bella civilia, & Normannorum incursiones labefactaverant.
II. III. De Scholis Parochorum & Episcoporum.
IV. Distantia harum Scholarum. Scholæ publicæ omnibus patebant, & omnibus perstrepebant disciplinis.
V. Sæculares litteræ divinis famulari se profitebantur.
VI. VII. Hæ publicæ Scholæ Regum magnificentia, largitate, authoritate consistebant.
VIII. Doctorum virorum sub Carolo Calvo copia ingens.
IX. De Schola Palatina.
X. De vocabulo Scholæ.
XI. De Pædagogiis, seu Ephebiis Nobilibus.
XII. De Scholis Monasteriorum.
XIII. Reges ipsi perplexis quæstionibus doctos lacessebant.

I. VEnio ad Scholas sub Imperio Caroli Calvi, nam & ipse tandem ad Imperatorium fastigium provectus est. Inter filios Ludovici Pii diutina conflagrarunt bella civilia, quibus cùm accessissent infestationes Normannorum, Reipublicæ & Ecclesiæ status miserandum in modum labefactatus est. Scholæ & litteræ eodem infortunio

attritæ jacuerunt. Iis restaurandis strenuè incubuit Carolus Calvus, suffragantibus sibi Patribus Concilii III. Valentini anni 855. quorum hic promo decretum, ut ea eo constet humanas divinasque disciplinas in pretio & honore tunc fuisse, & ne cantum quidem divinorum Officiorum excoli desiisse.
Can. 18 *Ut de scholis tam divinæ, quàm humanæ litteraturæ, nec non & Ecclesiasticæ cantilenæ, juxta exemplum prædecessorum nostrorum, aliquid inter nos tractetur. & si potest fieri, statuatur atque ordinetur. Quia ex hujus studii longa intermissione, pleraque Ecclesiarum Dei loca, ignorantia fidei, & totius scientiæ inopia invasit. Placet. Firmatum.*

II. Non abs re id quidem ad publicas & majores scholas trahetur, ut in quibus efflorescere posset *humana & divina* litteratura. At minoribus interim scholis egere Parochos monebat Herardus Turonensis Archiepiscopus anno 858. in quibus hortabatur ut nonnisi emendati haberentur libri, & Computum Presbyteri edíscerent.
Can. 17. 113 *Ut Scholas Presbyteri pro posse habeant, & libros emendatos. Ut Presbyteri computum discant.*

III. De solis Episcopalibus scholis agit Meldense Concilium anni 845. ubi præcipit ut singuli Episcopi peritum habeant Theologum, in Scripturis, Patrumque Commentariis adprimè versatum, qui Parochos addoceat.
Can. 35 *Ut quisquis Episcopus talem juxta se pro viribus habere decernet, qui juxta sincerissimum & purissimum sensum Catholicorum Patrum, de fide & observatione mandatorum Dei, seu & prædicatione e doctrina Presbyteros plebium assiduè instruat & informet, ne domus Dei vivi, quæ est Ecclesia, sine lucerna verbi divini remaneat. Sed & idem talis existat, quem amor pecuniæ non vexet, aut reprobi mores, & conversatio reprehensibilis periculosè devastet.* Hoc Canone resticatur nobis memoria ejus Capitis, quod
Capitular. Car. Mag. l. 6. c. 163. suprà excerpsimus ex Capitularibus Caroli Magni, quo Episcopi jubebantur Parochos suos omnes per alternantes turmas in Episcopales ædes adgregare, ut ibi accuratiùs de officiis suis legibusque Ecclesiæ edocerentur. His ad Parochos seu sermonibus, seu lectionibus dicatus erat ille Theologus. Nec illud hic tacendum, ut Parochis præceptum fuerat, ne quid pecuniæ acciperent à pueris, qui scholas frequentabant: ita & hic aliquantò æquiùs præscribi, ut gratis omnibus pareant Episcopales scholæ.

IV. Duo potissimum erant, in quibus publicæ, Episcopales, & Parochorum scholæ discrepabant. 1. In scholis publicis non Theologicæ tantùm disciplinæ, sed & humaniores litteræ prælegebantur, quæ præsidio esse possent ad Theologiam & Scripturam penitiùs faciliùsque perdiscendam. In cæteris autem scholis sacræ tantùm Litteræ, & potissima capita Clericalis professionis tradebantur. 2. Ad scholas publicas omnibus dabatur aditus, nullo Diœceseon Regnorumque discrimine: cùm Parochorum scholæ Parochianis, Episcopales Diœcesanis suorùm, Monasticæ denique Monachis solis paterent, vel si quos ad eas Episcopi amandassent. Firmari hæc duo possunt discrimina ex *iis* quæ superiori capite disputata sunt, tum universim de scholis publicis, tum specialiter de Turonensi, Lugdunensi, Fuldensi. Potest & argumenti aliquid exprimi ea Valentini Concilii Canone, modò allegato. Omnem denique dubitationem diluit Conci-
Can. 10. lium Tullense, ubi Episcopis, Imperatoribus, Regibusque faces subjicit, ad restituendas ornandasque publicas has scholas, ubi humaniores disciplinæ sacris Litteris consocientur; nec enim propudiosam illam imperitiam divinarum Litterarum, in qua tum jacebant Ecclesiæ, aliunde profectam esse quàm ea ruina & occasu earum scholarum. *Ut scholæ sanctarum Scripturarum, & humanæ quoque litteraturæ, unde annis præcedentibus per religiosorum Imperatorum studium magna illuminatio Ecclesiæ & eruditionis utilitas processit: deprecandi sunt Principes nostri, & omnes fratres & Coepiscopi nostri, instantissimè commonendi, ut ubicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, hoc est, fideliter & veraciter intelligentes donare dignatur, constituantur undique publicæ scholæ: scilicet ut utriusque eruditionis, & divinæ scilicet, & humanæ in Ecclesia Dei fructus valeat accrescere. Quia quod nimis dolendum est, & perniciosum maximè, divinæ Scripturæ verax & fidelis intelligentia jam ita dilabitur, ut vix hujus extrema vestigia reperiantur. Et idcirco ingenti cura & studio remedium procurandum est.*

V. His observationibus duabus duæ rursus aliæ necessariò sunt attexendæ, quæ ex hoc eodem Canone ultro promicant. 1. Non posse quidem vel Scripturarum, vel Theologiæ absolutissimam parari intelligentiam absque adminiculo liberalium litterarum: sed nec Imperatores, nec Reges Christianissimos, nec Episcopos, aut Concilia scholas humanarum disciplinarum instituisse, nisi ut Theologiæ & Scripturis famularentur. Perspicuum id quidem est in hoc Canone Concilii Tullensis ad Saponarias, & in Canone Valentini III. 2. Nullum locum specialiter designari, ubi publicæ excitentur hæ scholæ, sed deposci tantùm ut erigantur, ubicumque ea fuerit eruditorum copia, quæ tantò oneri par sit. Rarissimi tunc erant, qui ita in sacris humanisque litteris præcellerent. Nec spes quidem esse poterat singulis Episcopis, ut ejusmodi aliquem nanciscerentur: Episcopi Regesque conspirarent necesse erat, ut fingerentur aliqui, vel accerserentur aliunde? ubi verò ad manum erant, tum schola eis publica aperienda erat, ad quam omnes undequaque convolarent. Ea causa illud fortè fuit quamobrem in Canonibus nusquam designata sint loca earum scholarum publicarum; quòd desultoriæ quodammodo essent, & ea occasione ibi effulgescerent, ubi hæc scientiarum humanarum divinarumque lumina occurrissent.

VI. Quanquam autem Episcopalium & Monasticarum scholarum institutores ipsi essent Episcopi & Abbates: Regum & Imperatorum hortamentis & præceptis incitati: at publicas scholas nec instituere nisi authoritas summorum Principum poterat, nec dotare & tueri, nisi eorundem munificentia. Ideo & superiori Capite Concilium Parisiense VI. Ludovicum Pium interpellabat, ut authoritate sua eas scholas erigeret: *Schola publica ex vestra authoritate fiant:* ut paternis exemplis insisteret: *morem paternum sequentes.* Valentinum quoque Concilium & Tullense à Carolo Calvo scholas publicas flagitabat.

VII Sed ut persuasissimum omnibus sit, authoritate & beneficentia Regum & Imperatorum excitatas fuisse has scholas, qui in eas vicinis ex Regnis præstantissimos quosque & eruditissimos viros alliciebant; unde & extraneos peræquè ut indigenas eò admitti jubebant: consulenda est Præfatio Monachi ejus, qui vitam sancti Germani Altisiodorensis Episcopi litteris mandavit, dicavitque Carolo Calvo. Ibi enim enitescit, ut Caroli hujus Imperatoris beneficentia doctissimi quique omnes invitarentur ad has scholas, & copiosè su-

Baron. an. 876. 38. 39. Du Chesne. To 2. pag. 470. 471.

stentarentur. *Id tibi singulare studium effecisti, ut sicubi terrarum Magistri florent artium, quarum principalem operam Philosophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem undequaque tua celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapsilitas provocaret.* Invidia urebatur Græcia, quæ gentes alias tandiu æmulatione sui vexaverat. *Luget hoc Græcia, novis invidiæ aculeis lacessita.* Philosophi ex Hibernia celeberrimi in Gallias properabant, ut sapientiam suam largiùs & splendidiùs profunderent. *Quid Hiberniam memorem contempto pelagi discrimine, pene totam cum grege Philosophorum ad littora nostra migrantem? quorum ut quisquis peritior est, ultro sibi indicit exilium, ut Salomoni sapientissimo famuletur ad votum.* Quidquid usquam doctorum erat toto orbe, illis patrium jam solum Gallia erat, tanquam litterarum litteratorumque omnium domicilium. Denique scholæ Gallicanæ sua luce reliquas orbis scholas obscurasse videbantur. *Dum te tuosque ornamentis sapientiæ illustrare contendit, cunctarum ferè gentium scholas & studia sustulisti.* Non poterant enim non collabi cætera litterarum Gymnasia, cùm quidquid erat eruditiorum hominum, confluxisset in Galliam: *Sublatis enim Praeceptoribus, consine & consequens est, facilè omnium ingenia otio congelasse.* Denique vehementissimus hic laudum Caroli Calvi præco, ejus litterarum amorem & munificentiam ultra etiam Caroli Magni famam exaggerat. *Caroli studium erga immortales disciplinas non modò ex æquo repræsentas, verùm etiam incomparabili fervore transcendis, dum quod illo sopitis eduxit cineribus, tum fomento multiplici, tum beneficiorum, tum authoritatis usquequaque provehis.*

VIII. Minùs ampullata forsan hæc videbuntur Caroli Calvi encomia, si in mentem veniat & multitudinis & eruditionis incredibilis eorum qui tum Galliam frequentabant Doctorum. Nec enim ea quidem in re Carolo Magno major quin fuerit, ambigi potest. Sed & hæc Calvi gloria non immeritò in Carolum Magnum refunditur, qui tumulo insepultas excitaverat litteras, easque quasi serere cœperat disciplinas, quæ sub Pio postea & Calvo Imperatoribus adultæ, in longè pulcherrimos fructus exuberaverunt.

IX. Scholam Palatinam idem ipse tradit cæteris omnibus magnopere antecelluisse, cùm principem, seu fontem ipsum suo sinu complecterentur, è quo rivulorum instar scholæ manarent cæteræ. Palatium ipsum Regium *Schola* dicebatur. *Ita ut meritò vocitetur schola Palatium, cujus apex non minùs scholaribus quàm militaribus consuescit disciplinis.* Carisiacensis Concilii Episcopi anno 858. litteris datis ad Ludovicum Germaniæ Regem, quo eum absterrerent à consilio usurpandi Regni Caroli Calvi fratris sui; monuerunt eum, si Palatium Regum *Schola* vocetur, id eò pertinere, ut Regum Palatium & Palatini omnes exemplo sint universo Regno, non ad litterarum solùm, sed & ad morum virtutumque

Can. 12.

ornamenta. *Et ideo domus Regis schola dicitur, id est disciplina; quia non tantùm Scholastici, id est disciplinati & bene correcti sunt sicut alii, sed potiùs ipsa schola, quæ interpretatur disciplina, id est correctio, dicitur, quæ alios habitu, incessu, verbo & actu, atque totius bonitatis continentia corrigat.*

X. Vox ea *Schola* jam ab aliquot sæculis latiùs patebat, quàm vel antè, vel postea. Non Ludimagistris tantùm & litteratis erant scholæ, vel Cantoribus, sed & Militibus. Ut erat militia litterata, erat & Ecclesiastica, erat & schola militaris. Curia ipsa Pipini patris Caroli Magni schola jam tum dicebatur. Armis ea magis, ut suspicor, quàm litteris tum strepebat. Scriptor vitæ B. Benedicti Abbatis Anianæ, tradit eum adhuc impuberem à Comite Magalonensi Curiæ Regis Pipini implicatum fuisse, quo cum aliis Scholaribus educaretur. *Hic pueriles gerentem annos filium suum in Aula gloriosi Pipini Regis Reginæ tradidit inter Scholares nutriendum.* Ex quo autem Carolus Magnus Palatium suum sedem esse voluit litterarum, scholæ nomen quo jam gaudebat, aptiùs utique elegantiùsque immortalibus his sapientiæ studiis cœpit accommodari.

Du Chesne Tom. 3. pag. 189.

XI. An qui hic *Scholares* dicuntur, & qui in Concilio Carisiacensi dicuntur *Scholastici*, iidem sint, qui posterioribus his sæculis nomen trahunt à *Pædagogio*, vocabulo perantiquo, quo designantur Nobiles iidem illi Ephebi, Regiæ Aulæ & personæ asseclæ, id ego malim ab aliis peritioribus doceri, quàm docere. Est non modica probabilitas, quæ tamen egeat certioribus documentis. Author est Hincmarus ipse, institutum imbutumque litteris, legibusque tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus fuisse Carolum Calvum, in Regia hac ipsa schola. *Sacris litteris, ac legibus, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus ab infantia eruditum.* Ipsa denique nominis Etymologia favere videtur, ducta nimirum à voce Græca παιδίον, I. vocali in J. consonantem, vel in G. abeunte, ut consuetudinis est frequentissimæ in Gallicano idiomate.

Les Pages.

Hincmar. To 2. pag. 784.

XII. Quoad Monasticas scholas, quas cursim tantùm perstrinximus, refert Hincmarus à Carolo Calvo translatum fuisse è Cœnobio sancti Dionysii Presbyterum Monachum ad Abbatiam Laudunensem, non ut Abbas aut Præpositus crearetur, sed ut studiis & lectionibus præesset. *Ad doctrinæ atque religionis institutionem: non autem ad regularem prælationem accersit.* Hinc clarescit, nec Monasticarum scholarum curam abjecisse Principem, & ad eas Professores interdum misisse. Nec ea cura Regibus indecora erat, si certa fide constet quod legitur, ut jam diximus, in Chronico Centulensi. *In hoc Cœnobio Duces, Comites, filii Ducum, filii Comitum, filii etiam Regum educabantur.* Præterit me autem hujus rei concordia cum statuto quod suprà delibavi, Conventus Aquisgranensis Abbatum, ne paterent scholæ Monasteriorum, nisi pueris, quos impuberes parentes professioni Monasticæ devovissent. Nisi dicas in usum vocatum non esse illud statutum, aut non ubique vocatum, aut denique in desuetudinem abiisse.

To. 2. p. 418.

Spicil. to. 4. pag. 501.

XIII. Corollarii instar addam, de Ludovico Pio & de Carolo Calvo non injuria dici posse, quod Alcuinus de Carolo Magno magnificentissimè senserat, dixeratque, illos à Deo in sublimem quandam sapientiæ sedem evectos fuisse, ut juvenes omnes ad amorem incenderent disciplinarum Ecclesiasticarum, variis eos lacessendo quæstionibus circa sensum Scripturæ locorum difficiliorum. *Patenter agnosci poterit non tantùm Imperatoriam vestræ prudentiæ potestatem à Deo ad solum mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium & sapientiæ decorem collatam: & juvenum mentes quadam inertiæ rubigine obductas ad acumen ingenii per vestram sanctissimam solertiam elimandas. Siquidem præter Imperiales & publicas curas, Evangelicas quæstiones Academicis vestris à nobis enucleandas inquiritis.* Has ille vocat alibi *Palatinas quæstiones.*

Epist. 106.

Epist. 17.

CAPUT

CAPUT XCIX. *P. 3. l. 2. c. 28.*

De Scholis Galliæ & Germaniæ sub sequentibus Regibus.

I. Quam ample & latè fusa tunc esset litteratura, in saecularibus omnibus, diu usque discipimus.
II. Plurium Germaniæ Episcoporum exempla.
III. Alia exempla Episcoporum Clericorumque, etiam Regia prosapia.
IV. Imperium & litteras simul Ottones in Germania excitaverunt.
V. Ceperunt & in Gallia litteræ, artesque liberales reflorescere.
VI. Qui publicis Scholis operam dabant, residentiæ lege solvebantur. Probationes.
VII. Novæ probationes ejusdem dispensatio nis.
VIII. Rursus in eam dispensationem aliqua observantur.

I. INter humanarum divinarumque restauratores litterarum, primas sibi gloriæ partes vindicant tres illi Galliarum Imperatores, de quibus tribus superioribus Capitibus à nobis disceptatum est. Narrat ipsemet Ferrariensis Abbas Lupus, ut cùm Grammaticæ, Rhetoricæ, artibusque omnibus liberalibus se aliquandiu dedidisset, à Metropolitano suo Fuldam ire jussus sit, quò sub doctissimo viro Rabano in Scripturarum studia incumberet.

Epist. 1.

A præfato Episcopo ad venerabilem Rabanum directus sum, uti ab eo ingressum caperem divinarum Scripturarum. Ex Epistolis Lupi emicat vasta ejus eruditio, & mira cum omnibus cujuscumque modi Scriptoribus familiaritas.

Epist. 3. 5. 10. 16.

Imperatorum Romanorum viros & Historiam compendio scripsit, dicavitque Carolo Calvo, cui Trajanum & Theodosium proponebat, ad quos effingeret sese & efformaret.

Epist. 93. 96.

Misit ad eum Augustini tractatum, sive concionem adversùs juramenta, ut ea se lectione

Epist. 103

ineunte Quadragesima roboraret. Quin & ad Pontificem scribens, mitti ab eo flagitavit opuscula quædam Hieronymi, Ciceronis & Quintiliani, quæ in Gallia non inveniebantur.

II. Ea porro conjugatio humanarum divinarumque litterarum, quarum illæ tamen his ancillabantur, exinde in Ecclesiis Franciæ, Germaniæque perdurare visa est. Ejus enim modi fuere sancti Heriberti studia in Ecclesia Vormaciensi, ejus qui Coloniensis postea fuit Archiepiscopus.

Surius die 16. Martii. c. 4.

In Ecclesia Vormacensi studiis liberalibus traditus est. Tanta quippe facilitate divina pariter & humana Philosophia fluenta potavit, ut, &c. Sancti Meinverci Episcopi Paderbonensis vitam qui scriptis mandavit, admirandam is prorsus delineavit nobis tabellam studiorum & artium liberalium, quibus illa frequentabatur Ecclesia. Grammatica, Rhetorica, Philosophia, Geometria, Astronomia, Mathematicæ omnes disciplinæ quasi in vestibulo sedebant, quo ad sacras litteras aditus patefiebat.

Surius die 5. Junii. c. 52.

In Paderbonensi Ecclesia publica floruerunt studia, quando ibi Musici fuerunt, & Dialectici enituerunt, Rhetorici, clarique Grammatici. Ubi Mathematici claruerunt, & Astronomi habebantur, Physici, atque Geometrici. Viguit Horatius, magnusque Virgilius, Sallustius & Statius. Ulterius proferri vix, aut nec vix possunt fines litteraturæ. Clericis solis fores ejus Scholæ patebant. *Dum studium nobilium Clericorum usu perpenditur utilium librorum.* Indeflexa quadam austeritate imminebat Episcopus, & ne semel quidem toto studiorum decursu sinebat, ut vel parentes inviserent, vel ab eis inviserentur, ne his supervacaneis congressibus aliquid eis vel inertiæ affricaretur, vel superbiæ. *Dicente Episcopo pueros & adolescentes cum districtione erudiri: & non nocivis blandimentis deliniri, quoniam audacia & ferocia nutrimenta eis ministrarent blandimenta.* Ex his denique litterarum & virtutum gymnasiis, prodibant tot Præsules summa sapientiæ & sanctitatis luce clari, quibus Germaniæ tunc illustrata est Ecclesia. *Adolescebant quoque secum tyrones militiæ cælestis, Anno Archiepiscopus Coloniensis, Fridericus Monasteriensis, & perplures alii strenui postmodum in vinea Domini operarii.*

III. Udalricus Augustanus Episcopus non dispari diligentia usus est, ut Ecclesiæ juvenes omnes strenuissimè litterario stadio fungerentur, servi Ecclesiæ, liberi, nobiles, omnes indiscriminatim, quorum postea peritissimos Ecclesiæ suæ dignitatibus & beneficiis honestabat.

Surius die 4. Julii. c. 3.

Clericos suos ex familia, vel liberos, mediocres vel nobiliores, summa diligentia nutrire & docere præcepit: & quoscumque inter eos honore dignos cognovit, ministeriis & congruis Beneficiis ditiores fecit. Suo ipse Bruno exemplo commonstrabit nobis, is qui Coloniensi postea præfuit Ecclesiæ, etiam summorum Principum filios hujus litterariæ palæstræ gradus omnes solitos fuisse decurrere. Jam inde ab anno ætatis quarto puerulus adhuc Baldrico commendatus est Trajectensi Episcopo, ut litteris initiaretur; *Generosa Regum proles, annos circiter quatuor habens, liberalibus litterarum studiis imbuenda venerabili Baldrico Episcopo, Trajectum missa est.* Ubi Grammaticæ studia delibare cœpit, in deliciis illi fuit Prudentius Poëta. Exinde verò Scriptores omnes Græcos & Latinos elegantiores perlustravit.

Surius die 11. Octob.

Postea nullum penitus erat studiorum liberalium genus in omni Græca, vel Latina eloquentia, quod ingenii sui vivacitatem aufugeret. Frater ejus major natu Otto Imperii compos factus, è Scholis eum ad Palatium sevocavit, sed in ipso ipsemet Palatio Scholam sibi condidit, in qua cum Historicis omnibus, Oratoribus, Poëtis, Philosophis, Græcis & Latinis familiariter versatus est. *E Scholis in Palatium evocavit Germanum Otho, &c. Oblitteratas diu septem liberales artes ipse retexit. Quidquid Historici, Oratores, Poëtæ & Philosophi, novum & grande perstrepunt, diligentissimè cum Doctoribus cujuscumque linguæ perscrutatus est.* Magistro usus est Hiberno Episcopo. *Israël Episcopus Scotigena, sub cujus Magisterio illustrissimus hic plurimum se profecisse testatus est.* Quo se cumque conferret, suam circumferebat Bibliothecam, sæcularibus semper, aut sacris sese oblectans litteris, sed ita tamen ut in his scopum, in his delicias haberet suas. *Quocumque circumagebantur tabernacula, aut castra Regalia, Bibliothecam suam, sicut arcam dominicam circumduxit; ferens secum & causam studii sui, & instrumentum: causam in divinis, instrumentum in Gentilibus libris: utputa doctus pater familias, qui novit de thesauro suo proferre nova & vetera.* Ea fuit institutio litteraria nobilissimi juvenis, germani Imperatoris fratris, ac demum Præsulis sanctissimi. Vulfansus qui Ratisponensis postea fuit Episcopus, usitata vulgarium Scholarum peritia haud contentus, famosam adiit Scholam Augiensis Abbatiæ.

Surius die 31. Octob.

Non contentus in Scholis trivialibus, aut privatis erudiri, patre deducente, eo sibi properandum statuit, ubi tum intra Germaniæ fines maximè florerent studia litterarum. Itaque ad Augiense Monasterium se contulit.

IV. Inopini ferè è Gallia in Germaniam trajecimus, quia una cum litteris eodem quoque tempore videtur imperium trajecisse. Normannorum irrup-

tionibus, & Carolinorum demum Principum bellis intestinis extincta propemodum sunt in Gallia illa literarum lumina, quæ Franci Imperatores tres excitarant. Contrà autem tres Ottones Germaniæ mox Imperatores, illum eundem disciplinarum splendorem suæ Genti infuderunt.

V. Reviviscere tamen visæ sunt in Gallia literæ, ubi Hugo Capitius novus Rex antiquam Regni gloriam innovavit. Is ipse Abbo qui Floriacensis postea fuit Abbas, in Schola primùm Floriacensi cùm prima litterarum tyrocinia posuisset, & Monasticam professionem amplexatus esset, litteras mox & Cantum ibidem docuit : *Lectione simul & Cantilena per aliquot annorum curricula erudivit*, Sed ea non contentus mediocritate, qua utcumque posset alios edocere, maluit sub aliorum disciplina ulterius ipse promoveri. Cúmque jam non pœnitenda assecutus esset incrementa, in Grammatica, Arithmetica, Dialectica, Parisios, Remosque profectus est, cætera ab iis edocendus, qui Philosophiam profiterentur. Astronomiam edidicit, non pro votis tamen suis. Aureliam perrexit, ut Musicæ incumberet. Ex Artibus septem Liberalibus cum in hunc modum jam sibi comparasset quinque, nec exhaurienda sibi superesset, nisi Rhetorica & Geometria, ad has postremò se contulit. Sed accuratiore quadam diligentia & majori contentione incubuit in Dialecticæ calliditates, Computique & Astronomiæ computationes. Ea fuere curricula studiorum sanctissimi viri, Abbatis, & denique Martyris perinclyti. Si qui trsilant ad hæc humanarum disciplinarum impedimenta, & tantam in ea implicationem viri sacris Ordinibus initiati, Monachi, singularem sanctimoniam præ se ferentis : eis repetenda animo sunt quæ suprà demonstravimus, approbavimusque exemplis Caroli Magni, & Caroli Calvi ; cùm excitandæ revocandæque sunt in lucem è tumulo quodam suo sacræ & liberales disciplinæ, necesse tunc esse initium duci ab humanioribus litteris, in quibus posita sunt veluti fundamenta litterarum sacrarum.

Surius die 13. Novem. c. 3.

Hinc porro perspicuum est, fuisse tunc Parisiis Scholas admodum celebres : sed nequaquam jam tunc eam exsplenduisse Universitatem, quæ cæteras Scholas nominis sui gloria, ut postea contigit, obscuraret. Odo qui postea Cluniacensem rexit Abbatiam, tum Canonicus cùm esset sancti Martini Turonensis, Parisios quoque venerat, Dialecticæ operam daturus, ei nimirum, quæ jam tam Augustino tribuebatur, & prælegebatur ibi publicè, antequam Aristotelis Dialectica increbuisset. Remigius Autisiodorensis his tunc magna cum laude studiis præerat. *His diebus adiit Parisium, ibique Dialecticam sancti Augustini, Deo dato filio suo missam perlegit, & Martianum in liberalibus artibus frequenter lectitavit. Præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium.* Diximus suprà de Schola Lugdunensi, quò se Majolus, Cluniacensis postea futurus Abbas, contulit, ut Artium liberalium studiis imbueretur.

Surius die 18 Novem. c. 9.

Quoniam autem subinde hic incurrimus in artes liberales, non abs re erit eam quoque hic adjicere conjecturam. Ea fuisse veluti fundamenta prima earum quæ postea eruperunt Universitatum, initio ducto ab ea Artium Facultate, quæ & omnium antiquissima, & pervagatissima fuerat. Quas deinde ea Facultas nacta est prærogativas, profectæ ex sunt ab ejus antiquitate ; antiquitas autem ejus inde orta, quòd ea sit basis veluti quædam totius structuræ scientiarum humanarum, divinarumque. In Chronico Centulæ commendatur ex eo Fulbertus, Carnotensis Episcopus, qui ubi suos Grammaticæ, Musicæ, Dialecticæque præceptis instruxerat alumnos, ad celebriores Scholas illos ire jubebat, ut apicem scientiarum consequerentur. Possent & alia proferri argumenta ejusdem prærogativæ Artium, quibus reliqua superstruitur eruditio tota : ni res ipsa clamaret. Unum est quod doleamus, longè plurimos inertia sua ibi desinere, unde necessariò incipiendum fuit.

Spicil. to. 4. pag. 543.

VI. Antequam ad Italiæ pergamus Scholas, Græciæque, illud publicarum Scholarum privilegium non possum silere, aut si jam attigi, non possum non aliquantò accuratiùs commemorare hoc loco, etsi infrà accuratiùs pertractandum loco magis idoneo, ubi de Beneficiariorum residentia disputatio instituetur. Ea enim est demum prærogativa publicas has frequentantium Scholas, quod lege Residentiæ in suis Beneficiis solvantur, ut in his abundantioribus purioris doctrinæ fontibus copiosè hauriant, quo suas post Ecclesias ubertim rigent. In omnibus suprà Conciliorum Decretis, Scriptorumque testimoniis, ubi de Scholis his publicis agebatur, tanquam de Universitatum præludiis quibusdam, observari id potuit, implicatam ibi fuisse hanc dispensationem, nec ferè potuisse non implicari. Cùm enim Scholæ omnes Clericis dedicatæ essent, cùm Scholæ publicæ nonnisi tres toto Regno Galliæ deposcerentur, necesse erat illud intelligi, illud fixum certumque esse, posse in eas ex omnibus Regni Imperiive Gallicani Ecclesiis adventare Clericos, advolare Beneficiarios, inhospitari, immorari diutius, curricula stata emetiri, & tandiu residentiæ legem relaxari. Eccur enim publicæ vocarentur, ecquid Diœcesanis & particularibus præstitissent, ecquid Principum in eas munificentia sese copiosiùs effudisset, nisi undequaque pluribusque ex provinciis & regnis ad eas Clerici & Beneficiarii confluerent, quicumque doctrinæ incremento egerent ad munus suum probè obeundum. Denique cum exemplis suprà allatis pateat, Monachos ipsos eosque laudatissimos, per plures discursasse Scholas, ut quidquid usquam esset sacræ eruditionis, id colligerent : quantò faciliùs ea Clericis discursatio annuetur ?

VII. Adde quòd & à Reginone proponatur ea quæstio, An junioribus Clericis ingenio pollentibus, & jam proventu non pœnitendo eruditionis locupletatis, annuendum sit, ut ad publicas Scholas proficiscantur, cùm non satis liqueat, an laudabili scientiæ cupiditate ducantur, an fœda trahantur opum cupidine. *An ingenui Clerici qui capacioris & argutioris sunt ingenii, ad loca quæ scientia & doctrina excellentiora conspiciuntur, transcendant, &c.* Respondet autem Prælatis ab aliquibus eam abnui dispensationem, invidiæ solo veneno imbutis : & incassum ab eis obtendi Canones de Residentia, cùm hi Canones necessitati se profiteantur cedere, nec ulla sit necessitas inexorabilior quàm fames, nec fames aut sitis implacatior, quàm veritatis & sapientiæ. *Invidia Pontificum sæpè prohibentur, &c. Opponunt Canones, ubi illi excipiuntur, qui ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierint. Magna sanè necessitate premitur, qui fame constringitur ; & qui injuria arctatur insipientiæ, opus habet refici doctrina scientiæ.* Facilè dijudicabit Episcopus, ex moribus Clerici, & propenso in litteras animo, vagandi, an doctrinæ studio incitetur ad hanc residentiæ veniam

Reg. App. 2. Can. 29. 30.

flagitandam. *Inter fugitivum & studiosum cautè ab Episcopo discretio prospici debet.* Ne denique hac dispensatione eos frustretur Episcopus, qui tam bene morati hactenus fuere, ut ex incremento peritiæ virtutum quoque & religionis augmenta meritò augurari debeat. *Igitur si piè & justè recto currebant hactenus viam tramite vitæ, pro religione perfectiora expetere loca licentiam eis non denegandam esse censemus.*

VIII. Hinc liquidum fit, 1. Quanquam Jure communi venia fieret antiquorum residentiæ Canonum, in gratiam studiorum in scholis publicis, impetrandam nihilominus Episcopi proprii licentiam fuisse; quod exemplis suprà firmatum est. 2. Nec eam annuere licentiam debebat Episcopus, nisi iis qui & ingenio valerent ad penitiores disciplinas imbibendas, & peritia sua Ecclesiæ adjumento atque ornamento futuri essent. 3. Uni Ecclesiæ utilitati donabantur hæ dispensationes. Nam nec ipsæ publicæ scholæ institutæ fuerant, oblectandæ hominum inani curiositati, aut satiandis cupiditatibus, sed ad Ecclesiæ præsidium aliquod novum à litteris sacris divinisque comparandum. Quode rursus capite sequenti.

CAPUT C. *P. 3. l. 2 c. 23.*

De Scholis Italiæ & Orientis sub Imperio Caroli Magni usque ad annum Christi millesimum.

I. Ex Italia & Oriente litteræ & scientiæ ad nos demigrarunt.

II. Jure merito in crimen aguntur, qui scholas non frequentant, nisi ut sibi viam muniant ad Episcopatum.

III. Omnium Italiæ Scholarum celeberrima Romana.

IV. V. Mira consonantia Scholarum Gallicanarum cum Constantinopolitanis. Varia capita ejus consonantiæ.

VI. Constantinopoli litteræ accidunt, & resuscitantur.

VII. Caroli Magni laus qui litteras restauravit, suâ et suo in Occidente, exemplo in Oriente.

I. TEmpestivum jam est Italiam Græciamque adire, unde ordienda nobis hæc fuisset de scholis disputatio, si qui temporum & litterarum ipsarum cursus fuit, idem esse debuisset & nostrarum penitus dissertationum. Nec enim dubitari potest, quin ab Oriente in Occidentem litteræ migrarint, & ex Græcia in Italiam, ex Italia in reliquas Occidentis Provincias propagatæ sint. Nec tamen ubi fons & origo, ibi ubertas major & abundantia aquarum est. Certè tribus his mediæ ætatis sæculis ante annum Christi millesimum, nusquam toto Christiano orbe splendidiora effulsere disciplinarum lumina, quàm in Ecclesiæ Gallicanæ sinu.

II. Et ne penitus abrumpam institutum capite superiori sermonem de Residentiæ dispensatione scholis publicis donata, pergam & hic de ejus dispensationis usu & abusu, qui in Italia increbuerat, ubi nobiles adolescentuli itabant illi quidem ad scholas, & venia dispensationis utebantur; sed uno sibi fine proposito, ut litterarum præsidio aucuparentur Episcopales sedes. Gravissimè de ea re conquerebatur Ratherius Veronensis Episcopus. Spicil To. 2. pag. 183. *Pone quemlibet Nobilium Scholis tradi, quod utique hodie magis fieri ambita videtur Episcopandi, quàm cupiditate Domino militandi, &c.* Statum ergo illud sit, si cui scopus studiorum is est, qui ab eorum ingenio abhorret vehementissimè; & instrumenta explendarum cupiditatum sunt ex ipsæ litteræ, quæ iis sedandis ac restinguendis natæ sunt, nequaquam huic residentiæ veniam concedendam esse, quæ uni annuenda est religioni & pietati, cui servit quidquid in Ecclesia studiorum est.

III. Et id quidem universim ad scholas pertinet, quas inter splendebat Romana, tanquam cæterarum omnium per Italiam parens & fundatrix, cùm ex ea mutuatus sit Carolus Magnus, quos in Galliam primos abduxit Magistros. Ut verò Carolinarum scholarum princeps fuit Palatina, probabile est etiam Palatinam, seu Pontificiam Romæ scholam omnium Italicarum splendidissimam fuisse. Multa in hanc rem argumenta suggerit Scriptor vitæ Pontificum. Ecclesia sancti Joannis Lateranensis ibi semper tanquam primaria Clericorum schola celebratur. Audi quid ille disserat de Leone III. *Qui à parva ætate in vestiario Patriarchii enutritus & educatus, omnemque Ecclesiasticam disciplinam spiritualiter eruditus, tam in Psalterio, quàm in sacris Scripturis pollens, Subdiaconus factus, &c.* De Paschali autem I. vide quid narret: *Qui à primævo ætatis sua divino cultui mancipatus, atque in sacrosancta Ecclesia Patriarchio, studiis divinis, salutiferaque Scriptura imbutus, tam in Psalterio, quamque in sacris paginis Novi ac Veteris Testamenti specialiter eruditus Subdiaconus quidem factus, &c.*

Leo IV. humaniorum litterarum auspicatus fuerat studia in Monasterio sancti Martini, ut his elementis imbutus, paratior accederet ad sacras Litteras. *Hic primùm à parentibus ob studia litterarum in Monasterium sancti Martini, quousque sacras Litteras pleriùs disceret, sponte concessus.* A Gregorio IV. postea ad Lateranense Palatium accitus est, & Subdiaconus ordinatus: *In Lateranensi Patriarchio esse præcepit.* Replicanda memoria eorum est, quæ suprà de Gregorii Magni sollicitudine diximus, ut doctissimus quisque, & ex Clero, & ex Ordine Monastico suum in Palatium adgregaret. Inde enim illud manifestè efficitur, Pontificium Romæ Palatium totius eruditionis sacræ augustissimum fuisse domicilium.

Quoad alias scholas, in Concilio Romano anni 826. Eugenius II. & in Episcopalibus civitatibus, & in Parochiis eas vigere ponens, ut rem indubitatissimam, edixit tantùm, ut illic haberentur utriusque litteraturæ, sacræ & sæcularis, quàm fieri posset peritissimi. *De quibusdam locis ad nos refertur, non* Can. 34. *Magistros neque curam inveniri pro studio litterarum. Idcirco in universis Episcopiis subjectisque plebibus & aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura & diligentia habeatur, ut Magistri & Doctores constituantur, qui studia litterarum liberaliumque Artium, ac sancta habentes dogmata, assiduè doceant: quia in his maximè divina manifestantur atque declarantur mandata.* Ita sacris litteris servire jubebantur sæculares. Anno 853. Leo IV. illud ipsum Decretum confirmavit in Synodo sua Romana, hoc addito, quòd ferendum sit prætermitti à nobis, ut si quando deessent in his scholis Artium liberalium Professores, ne Catechistæ certè deessent & Theologi, qui scientiam salutis docerent, & Episcopum quotannis certiorem facerent de sua diligentia ipsorum, de studentium progressibus. *Et si liberalium Artium Præceptores in plebibus, ut assolet, rarò inveniuntur, tamen divinæ Scripturæ Magistri & institutores Ecclesiastici officii nullatenus desint, qui & annualiter proprio Episcopo de ejusdem actionis opere sollicitè inquisiti debeant respondere. Nam qualiter ad divinum utiliter cultum aliquis accedere possit, nisi justa instructione doceatur?* Præci-

pit Pontifex, ut vel in ipsis vicorum scholis Professores sint, qui Scripturas interpretentur, & Officia divina elucident.

IV. Jam verò Constantinopoli, & in Oriente, qui occasus, qui rursum novus exortus fuerit litterarum, peræquè ut in Gallia, narrant Cedrenus & Curopalates. Quandiu enim altiùs demerso in voluptatum voraginem Michaële Imperatore, Imperii clavum regebat Bardas Cæsar, hujus consilio & providentia reviviscere visæ sunt litteræ, quæ priorum Imperatorum incuria & supinitate intermortuæ pene fuerant. Singulis ille particularibus Artibus & disciplinis singulas & proprias extruxit scholas, & variis in locis collocavit, Philosophiæ verò ipso in Imperatorum Palatio fixit sedem. *Idem profanas quoque litteras, quæ Imperatorum barbarie atque inscientia jam à multis annis prorsus obsoleverant & evanuerant, recreavit; singulis scientiis certo loco suas scholas attribuens, suprema autem omnium Philosophia ad ipsam Regiam in Magnaura. Itaque rursum ex eo florere scientiæ cœperunt.* Qui tunc Philosophicæ præerat Scholæ, nomine Leo, cognatus erat Joannis Patriarchæ. A famoso Psello Constantinopoli didicerat Grammaticam & Poëticen: Philosophiam verò, Arithmeticam, cæterasque disciplinas in Insula Andro; inde longè plurima perlustraverat Monasteria, ut Bibliothecas scrutaretur. Scholæ Geometriæ præfecit Bardas fratrem Leonis Sergium: Astronomiæ & Arithmeticæ Theodegium; impensas ex ærario omnes suppeditavit, & quo juvenibus calcaria adderet, frequens ipse scholas lustrabat. Ita demum revixerunt litteræ pridem extinctæ. *Largè iis sumptus suppeditavit: atque erat studiosus bonarum Artium, sæpè ipse quoque scholam frequentavit, alacritatem discentium suo exemplo confirmans, hoc pacto bonas litteras prorsus antè extinctas, ita ut ne vestigium quidem earum aut scintilla extaret, brevi temporis spatio ad magnam evexit amplitudinem.* Nec minùs anxiè Bardas curavit, ut & legum studia jam dudum oblitterata reflorescerent. *Effecitque ut leges reflorescerent, cùm horum quoque temporum vitio accurata obsolevisset tractatio.* Tam præclari ad excitandas litteras conatus æternæ Bardam commendassent memoriæ apud posteros, si non sua illum ambitio ad Imperium prehensandum compulisset, & in præcepa demum egisset.

V. Proclive autem fuit in hac Curopalatæ narratione observare pleraque eorum, quæ superioribus in capitibus indigitata fuerant. Constantinopoli enim, æquè ut in Gallia, 1. Et concidunt extinguunturque litteræ Reipublicæ calamitatibus, Principumque bellis. 2. Et eorundem Principum cura & benevolentia iterum reflorescunt. 3. Nec benevolentia tantùm, sed & beneficentia Principum opus est. 4. In Palatio Regum & Imperatorum præstantissimæ omnium semper fuere scholæ. 5. Litterarii Imperii fundamenta semper ponenda sunt in Artium liberalium institutione. 6. Geometria, Arithmetica & Astronomia magno in honore sunt semper, & impenso excoluntur studio. 7. Astronomia & Arithmetica unius Magistri curæ commendantur; ut suprà observavimus *Computum* nunc Arithmeticam sonare, nunc Astronomicas supputationes, seu Ephemeridas Festorum mobilium. 8. Denique his Constantinopolitanis scholis nemo arcebatur eorum, qui sub Imperio Romano degeret. Ita facilè Ecclesiarum aliarum Clerici cum commeatu sui Episcopi, ab eoque facta residentiæ secundùm Canones venia, ad publicas has scholas confluebant.

VI. Qui Michaëli in Imperium successere Basilius & Leo, nihil passi sunt ejus splendoris decedere, quem litteris Bardas conciliaverat. At impube- *Anno 924.*
re Constantino Leonis filio ad gubernacula sedente, qui libertatem publicam, iidem & litteras Tyranni oppressere. Hos Imperii sui usurpatores adultior tandem exturbavit Constantinus, litteras primævæ restituit gloriæ, conquisitis undecumque viris peritissimis, quos præficeret scholis Arithmeticæ, Musicæ, Astronomiæ, Geometriæ & Philosophiæ. Audiendus hic Cedrenus ipse: *Scientias enim Arithmeticam, Musicam, Astronomiam, Geometriam & omnium principem Philosophiam, quæ jam longo tempore, ob incuriam & inscitiam Imperatorum perierunt, sua industria instauravit: conquisitis qui in quovis genere excellerent, ac constitutis Doctoribus, studiosisque receptis & conductis. Quo factum est, ut exigui temporis decursu barbarie profligata, urbs litteris floruerit.* Quibus postremis verbis non obscurè insinuatur, ab hoc pio & munificentissimo Imperatore ita dotatas esse has scholas, ut non Professores tantùm, sed & studiosi publico sumptu alerentur. Extinctum fuisse cum hoc ipso Imperatore litterarum lumen, *L. 5. Alexia.*
testatum facit Anna Comnena Alexiados suæ libro quinto, usque ad Imperium Alexii Comneni, qui eas rursus revocavit in lucem, Privilegiis iis & salariis Magistrorum constitutis, quæ commemorata sunt à Balsamone in Canonem XIX. Concilii Trullani.

In Notitiis iis Imperii Constantinopolitani, quæ Codino subjunctæ sunt, inter dignitates Imperii & Palatii Constantinopolitani, honorifico loco recensetur *Summus Philosophorum*, ὕπατος τῶν φιλοσόφων. Quod argumento est Philosophiæ scholam in Imperatorum Palatio retentam fuisse. Psellus ea dignitate decoratus fuit ex Cedreno.

VII. Extrema tandem manus imponenda hic est nostro de antiquis scholis Tractatui huic, eo encomio quo ornatus est à Dungalo Carolus Magnus in ea Epistola quam ad ipsummet dedit, ubi illum depingit, ut exemplar omnino absolutissimum, quod exhiberi objicique posset imitationi, non summorum tantùm Principum, ut Christi legibus tam accuratè se, quàm suis suos subjicerent: non Ducibus tantùm & Præfectis terrenæ militiæ: sed etiam Clericis, Philosophis, litterarum cultoribus, ut indefessa & diligentia & pietate in divinas & humanas litteras animum adverterent. *Qui omnibus* *Spicil. to. 10.*
æqualiter omnium bonorum operum, & virtutum, & ho- *pag. 156.*
nestarum disciplinarum Doctor præcipuus, & perfectum habetur exemplar, Rectoribus ad suos subjectos regendos militibus ad suam exercendam legitimè militiam, Clericis ad universalis Christianæ Religionis ritum rectè observandum, Philosophis & Scholasticis ad honestè de humanis philosophandum & sapiendum, reverenterque atque orthodoxè de divinis sentiendum & credendum. Caroli exemplo Græci excitati ad litterarum amorem recaluerunt.

VIII. Mutæ hic fuere Anglia & Hispania, quòd hac tempestate jacuerint fœdissima Barbarorum servitute oppressæ. Quod de Beato Presbytero jam retuli, eo declaratur aliquas saltem residuas fuisse in Hispania scholas. Quod autem refert Vuillelmus *L. 1. De*
Malmesburiensis de Concilio Cloveshoviensi anno *Pontif. Ang.*
747. sub Archiepiscopo Cantuariensi Cuthberto, ex eo colligitur institutas tum fuisse, vel restitutas in omnibus Monasteriis Scripturæ sacræ lectiones. Sic enim habet Canon ille VII. *Septimò ut per Monasteria lectio sanctarum litterarum frequentetur.* Quanta

Idem l. 1. De gestis Reg. Angl. quanta fuit Bedæ vita, studendo, docendo, scribendo consumpta est. *Semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui.* Bedæ & Alcuini jam latè patuit eruditio, ut in ea satis argumenti sit, ut dicamus quantacumque invaserint Angliæ tenebras Septentrionales Barbaricæque gentes, sublustrem tamen fuisse eam noctem, intermicantibus paucis, sed clarissimis luminibus: si vel maximè alios adjicias nonnullos, qui indidem in Gallias immigrarunt.

CAPUT CI. *P. 4. l. 2. c. 34.*

De Universitatibus post annum Christi millesimum.

I. Tria luculentissimè observat Morinus, de Ordinibus minoribus per priora sæcula, de Congregationibus Clericalibus antemodis & de Universitatibus postremo hoc ævo.

II. Ubi refrigescere visa est pietas in Universitatibus, excitata sunt rursum a Concilio Tridentino minorum Ordinum exercitia, & Seminaria.

III. Ex Episcopalibus Cathedralium Ecclesiarum Scholis natæ sunt Universitates. Argumenta de Parisiensi.

IV. De Scholis Episcopalibus De Facultate Theologica, ejus ortu, incremento, consensu cum Episcopis Parisiensibus, qui per eam censorio mucrone libros configere, Doctorum laurea suos solent agmine sociari.

V. Universitas Parisiensis reliquarum omnium apex & forma.

VI. Facultatis Consilio Parisiensis Doctores quandoque juncti sunt ab Episcopo Censuræ librorum edendæ.

VII. Præcellentia & angustiæ Episcoporum in quæstionibus fidei.

VIII. De Scholis Monachorum.

De sacris Ordinat. art. 3. Exerc. 13. c. 1. I. EGregiè prorsus tria quædam à Morino nostro observata sunt. 1. Vetustissimâ Ecclesiæ disciplinâ Neophytos, Laicosque à sacris Ordinibus summotos fuisse, institutis minoribus Ordinibus, seu Ordinum functionibus, & in eo veluti Cleri vestibulo, instituto longo tyrocinio promovendorum ad sacros postea Ordines. 2. Concidente regia Chlodovæi Magni prosapia corruisse & elegantissimam illam disciplinam; quæ sub Imperio Caroli Magni mox rediviva, non paulo sublimius ad culmen perfectionis venerit, institutâ vitæ communis societate, in plerisque Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus, tum Regularibus, tum etiam sæcularibus. Totidem enim ea erant Seminaria, ubi multò expeditiùs feliciúsque ad litteras & ad pietatem Clerici fingebantur. 3. Ruente Caroli Magni stirpe & Imperio, collapsa dilapsáque sunt & hæc Clericorum & vitæ communis Collegia: substantia autem temporali Ecclesiæ scissâ in complures Beneficiarios, uti nunc usus est, defluxisset Clerus in altissimas ignorantiæ tenebras, nisi imminenti ei calamitati obviassent publicæ Scholæ & Universitates. Earum institutio non ignorantiam tantùm à Clero propulsavit, propulsatque etiamnunc; sed id præstitit, ut & expeditior via sit ad quaslibet disciplinas attingendas, utque ad longè sublimiorem quam antè earum apicem perveniatur. *Academiæ institutæ sunt, in quibus doctrina Christiana perfectiùs, diligentiùs & splendidiùs, quàm in Seminariis Clericorum tradita est. Itaque quod prioris disciplinæ alteratione de doctrina deperdiderat Ecclesia, frequenti Academiarum institutione cum usura recuperavit.*

II. Nec minoris est momenti, quod summus vir mox advertit: nimirum paolò lentiora fuisse pietatis in Universitatibus, quàm litterarum incrementa: unde & postquam invaluere stationes & gradus studiorum, Ordinum minorum functiones tantum non in desuetudinem abierunt. Ita enim Morinus ibidem pergit: *Utinam in regimine Pastorum, & morum censura tam felix fuisset. Hac ratione Ecclesiastica vita candidati, paucissimis annis perficiunt, quæ plurimis per gradus Ordinum vix attingere poterant. Facundissimo hoc scientiarum rore perfusi Clerici, & allecti, de stadio minorum Ordinum decurrendo parum solliciti fuerunt.* Ut ergo æquis passibus litterarum stadia pietas sequeretur, restituta sunt à Concilio Tridentino Seminaria in singulis Episcopatibus propria, de quibus alibi nos, & exercitia minorum Ordinum, de quibus suprà.

III. Nec tamen dissimulabimus ab Episcopis ipsis prima jacta fundamenta Scholarum publicarum, forsan & Universitatum, hac extrema ætate, quam ab Hugonis Capeti Regno auspicamur. Quod dictum est à nobis, Facultates Universitatum omnes, quosdam esse gradus ad Beneficia, dominari in eis debere Theologiam, Jus civile admitti non debere, nisi ut ex eo Canonicum illustretur, continentiam Clericalem in iis observatam fuisse ad hanc usque propemodum ætatem nostram: Scholares omnes Clericos vocari solitos, omnes immunitatibus Cleri gaudere; Hæc omnia certè documento sunt non fuisse institutas Universitates, nisi ad Ecclesiæ commoda promovenda. Observatum est à Petro Aurelio, cùm Doctores Parisienses sacri Magisterii insignia suscipiunt in Aula Archiepiscopali à Cancellario Ecclesiæ Parisiensis, qui idem Universitatis Cancellarius est: quanquam *authoritate Apostolica* pileo donentur; hoc ipso tamen testatum fieri, primordia scholarum Theologicarum Parisiensium originem ducere ab illa ipsa Ecclesia Cathedrali Parisiensi, à qua & politiam suam, meritè Ecclesiasticam, mutuatæ sunt. *Hujus Academiæ* To. 1. p. 766. *Professores omnes & Magistros primarios Clericalem* To. 2. p. 574. *vitam quammaximè æmulari, & cælibes esse juberi antiquissimis legibus, & perpetua consuetudine declaratum est, velut alumnos Ecclesiæ, & filios Ecclesiastica quodammodo Academia, quæ ad perennem beneficii erga se Ecclesiæ Parisiensis, ex qua oriunda est, recordationem, hanc legem filiis suis indixerat, ut primam originem suam hoc symbolo profiterentur, & etiamnunc ad eandem testificationem, Candidatos suos præcipuarum Facultatum ad aulam Archiepiscopalem Parisiensem adducit, ubi à communi Ecclesiæ Parisiensis & Academiæ Cancellario, Magisterii laurea donantur.* Idem alibi advertit Parisienses olim Episcopos in more habuisse, ut consilio Doctorum Parisiensium in confodiendis censorio stylo libris uterentur.

Meminit non semel Abælardus scholarum juxta Claustrum Ecclesiæ Parisiensis, in ea Epistola, qua longam infortunii sui fabulam contexit. Ludovicus Crassus Rex filios suos ambos institui voluit in Claustro ejusdem Ecclesiæ, tanquam in celeberrima schola. Horum minor natu, Archidiaconus postea creatus est Parisiensis, & cùm in Episcopum electus esset, sede ea Petro Lombardo cessit. Major natu fuit Lodovicus Junior Rex, qui tam sanctâ in schola institutum se fuisse sibi ipse gratulatus est. *In ejus claustro pueritiæ nostræ exegimus tempora.* Ita habet ille in eo privilegio, quo Ecclesiam ornavit Parisiensem, quodque ab Hemeræo repræsentatum est in Tractatu de Universitate Parisiensi. Jam monuit nos Rigordus, etsi in ea magna essent gloria cæteræ Facultates, primas tamen facilè tulisse Theologiam, cui se acriùs passim intendebant. *Ferventiori tamen desiderio sacra pagina, & quæstiones Theolo-*

gica docebantur. Anno 1256. Pontifex ipse Alexander IV. duos nepotes suos Parisios ablegavit, ut vacarent studiis, litterasque perscripsit ad Capitulum Ecclesiæ Parisiensis, ut in ambitu Claustri ædes illis quas incolerent concederentur, ut commodè interesse possent Scholis Claustri, in quibus etiam tum Canonici Theologiam & Jus Canonicum prælegebant. Ea enim ipsa Epistola, quàm Parisienses scripsere Doctores adversùs novos Mendicantium Ordines anno 1253. conceptis verbis docet, duodecim tunc Parisiis fuisse Cathedras Theologicas, quarum tres erant penes Canonicos Ecclesiæ B. Mariæ Parisiensis, pluresque penes eos futuræ erant, quando & majori numero forent eis Theologi, docendi provinciæ non impares. *Considerantes autem Canonicos Ecclesia Parisiensis, quorum tres apud nos in eisdem litteris sunt Regentes, numerum suum secundum quod eis persona suppetunt, juxta morem Ecclesia sua multiplicare consuevisse.* Anno 1285. adhuc Theologicæ prælectiones fiebant in Scholis Episcopalibus Ecclesiæ Parisiensis. Penes Cantorem ejusdem Ecclesiæ providentia adhuc est & cura minorum omnium Scholarum Parisiensium, sicut olim erat majorum Scholarum omnino cura penes Cancellarium ejusdem.

Hist. Univ. Paris. to. 3 pag. 307.

Ibid. p. 255.

Ibid p. 471

Hallier De Hierarch. pag. 87.

IV. Egimus alibi de Theologis & de Magistris Grammaticæ, qui in Conciliis Lateranensibus constituti sunt sub Alexandro III. & Innocentio III. in omnibus Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis. Ab his Scholis prodiere primi Universitatum Professores, ut colligere est ex Launoi Doctoris Parisini Compilatione Scholarum omnium post tempora Caroli Magni. In Concilio Basileensi, in Pragmatica, in Concordatis, in Concilio Lateranensi sub Leone X. in Tridentino denique unanimi favore conspiratum est ad tuitionem harum Cathedrarum Theologicarum, Scholarumque Episcopalium.

At cùm Schola Theologicæ Facultatis Parisiensis longè omnium spectatissima esset, Plures à Romano Pontifice erectæ sunt Universitates, Theologicæ Facultatis expertes, ut ad Parisiensem undique concurreretur, quæ Europæ una videbatur posse sufficere. Hæc sanè Facultas Episcopo semper conjunctissima & devinctissima fuit. Jam dixi errorum damnandorum Censuram olim perdiu factam fuisse ab Episcopo cum Consilio Doctorum. Anno 1227. *de consilio Magistrorum Theologia* Stephanus I. Parisiensis Episcopus in complures hæreticas propositiones damnationis anathema intorsit. Anno 1240. Vuillelmus Parisiensis Episcopus anathemate eos constrinxit qui propositiones aliquas tenerentur *convocato consilio omnium Magistrorum, tunc Parisiis regentium.* Stephanus II. Episcopus Parisiensis anno 1270. propositiones alias damnavit, *Tam Doctorum sacra Theologia, quàm aliorum communicato consilio.* Quidam ei tribuunt quod diximus de Stephano I. Docet Bonaventura à Stephano Parisiensi Episcopo *excommunicatam* fuisse eam propositionem, quæ tradit Angelos malos primo sui ævi puncto malos fuisse, idque factam fuisse de *communi Consilio Magistrorum.* Agit & Braduvardinus de his Propositionibus à Stephano excommunicatis. Testatur Gandavensis nunquam se eis Propositionibus suffragaturum, quas damnarint Episcopi. *Quanquam non appareat mihi rationis solutio, nunquam tamen coget ad dogmatizandam, quod dogmatizare prohibet Pontificalis interdictio.* Vuillelmus Episcopus Parisiensis convocationem fecit omnium Magistrorum, ut ait Thomas Cantipratensis, ut excuteret doctrinam,

Bibl. Patr To 4 par 1 pag 917. 925. 928.

Bonav in l. 2 Senten. d. 3 art 1 q. 2.

Braduar. pag 542. 543.

Gandav. Quodlib 2. q. 9 Quodlib 4 q. 17.

Hist. Univ Paris. to. 3 pag. 163 177 397. 709. 433. 448.

rum antè controversatam de pluralitate Beneficiorum. Idem ipse Stephanus II. Parisiensis Episcopus molestè ferens dissensionem flagrantissimam in Universitate Parisiensi, aliis Thomæ Aquinatis doctrinam omnio certandi æstu propugnantibus, aliis importunissimè oppugnantibus, duce & auspice Henrico Gandavensi: Doctores omnes congregavit, & de eorum assensu pronunciavit, qui ex B. Thomæ operibus decerpti fuerant articuli, eos impunè, & defendi posse, & impugnari citra fidei periculum. Joannes Pescham Franciscanus, Cantuariensis postea creatus Archiepiscopus, vehementissimè tunc certaverat in tuenda Thomæ doctrina, etiam quoad unitatem formæ in Composito. Sed ubi postea advertit eam unitatem formæ minus probari à Parisiensibus Doctoribus, eam sententiam retractavit & ipse B. Thomæ modestiæ & humilitatis tenacior, ut par erat, quàm doctrinæ: ut quem ipse audisset, suæ quidquid esset doctrinæ & Theologiæ, id totum subjicientem judicio Episcopi & Doctorum Parisiensium. *Præstatemque Thomam audisse, Parisiensis Episcopi, & Theologorum judicio & censura, se, & tum illud suum dogma subjecisse.* Ubi anno 1283. coïere Archiepiscopi quatuor, Episcopi viginti in Aula Episcopali Parisiensi, adversùs Monachorum privilegia, convocati eodem ab iis sunt Doctores, & Baccalaurei Universitatis, ut se ad eorum causam suffragatores adjungerent. *Rogavit Episcopus Universitatem, ut eis in hoc casu assistere dignaretur.* Anno 1285 Honorius Papa IV. Parisios temisit Ægidium Romanum, ut quarundam palinodiam caneret propositionum, quas inconsideratiùs effuderat ipse, & quas confiaetar Episcopus Parisiensis Stephanus, cùm eas & excussisset ipse, & excuti fecisset à Cancellario & Doctoribus. Ita Pontifex ipse de his in Epistola ad Raoulphum Episcopum Parisiensem. *Aliqua dixit qua bona memoria Stephanus Parisiensis Episcopus per se ipsum examinans, & per Cancellarium Parisiensem ejus temporis, & per alios Theologica Facultatis Magistros examinari faciens, censuit revocanda.*

Ibidem. Pag. 465. 486. 472. 482.

Epist. 160.

V. Cæterarum Universitatum forma, & veluti Regula semper fuit Universitas Parisiensis. Confitetur Stephanus Tornacensis doctrina semper cæteras civitates antecelluisse Parisiensem, sicut & Remensem disciplina & regularitate. *Usurpabant sibi hactenus nec immerito Civitas Parisiensis doctrinam, Remensis Ecclesia disciplinam.* In cæteris ergo Christiani Orbis Provinciis ad eundem modum adgregaverunt sibi Episcopi complusculos Doctores, ad inurendos errores: quanquam & ipsi seorsim Universitatum Doctores doctrinales censuras emiserint. Joannes Pescham doctrinam beati Thomæ de unitate formæ confixurus, Parisiensem Episcopum imitari, & Doctorum grege cingi se voluit.

Utque altiùs res, atque ab ipso capite repetatur, cùm Pontifices Romani, qua Petri: & Episcopi, qua Apostolorum successores, sint jure divino Ecclesiæ Doctores, & Theologiæ totius Christianæ Magistri; cúmque Episcopi à Conciliis excitati sint, tum sub Imperio Caroli Magni, tum etiam post tempora Hugonis Capetii, ad erigendas Scholas in Episcopalibus Ædibus, & ad Theologos, Magistrosque Grammaticæ designandos: non potuere, nisi eorum authoritate & auspiciis freti, aut privilegiis Apostolicis, ulli præterea alii Doctores, Magistrive Cathedras sibi excitare, & Ecclesiasticas profiteri publicè Disciplinas. Anno 1290. Archie-

piscopus & Capitulum Lugdunensis Ecclesiæ decertarunt de potestate dandæ licentiæ publicè docendi Jus Canonicum & Civile: *Cùm inveniremus discordiam esse inter Archiepiscopum & Capitulum, super danda licentia Doctoribus, legere volentibus in civitate Lugduni, in jure Canonico & Civili, &c.* Verba ea sunt Concordiæ tunc initæ. Cùm enim Cathedras Scholarum Episcopalium plerumque insiderent, tegerentque Canonici, ut suprà attigimus; ita & jus forsan sibi vendicabant alios quospiam sibi subrogandi.

Du Chesne, Hist. des Card. Tom. 2. p. 62.

Cùm anno 1289. Nicolaus IV. Papa Universitatem erigeret Mumpessulanam, in eaque institueret Facultates Juris Canonici & Civilis, Medicinæ & Artium: sanxit ut Episcopus pileo Doctores donaret, priùs examinatos, & ex suffragatione cæterorum Doctorum ad hoc congregatorum. Anno 1290. idem Pontifex Universitatem excitavit Ulyssiponensem, cum eisdem Facultatibus, & eadem in ipsam Episcopi authoritate. Universim dici potest eam esse formam excitatarum à Romano Pontifice Universitatum, quibus in omnibus Episcopo permissa est Facultas creandi Doctores, præmisso examine, & adhibitis in consilium cæteris Doctoribus. Loca tantùm ad marginem adnotabo, ubi horum Bullæ reperiantur.

Ranald. a. 1289. n. 31. 33.
Bullarium To. 1. p. 157. 171. 214. 294. 404. 314. 180. 321.
... 2. pag. 4. 194. 3. pag. 179.

VI. Nec mirum si Doctores seorsim ab Episcopo doctrinale suum judicium interponerent ad censuram errorum; cùm ad Provincialia etiam Concilia invitarentur, quod suprà allatis exemplis confirmatum est. Gratulatus est Ludovico Regi Galliæ sanctissimo Innocentius IV. quòd Cancellarius & Doctores Parisienses librum Judaicæ superstitionis Thalmudicum igni adjudicassent. Anno 1368. Archiepiscopus Cantuariensis multas propositiones proscripsit *de congregato consilio Doctorum sacræ paginæ.* Vuiclefi hæresis proscripta est anno 1382. Londini à decem Episcopis, & à pluribus Doctoribus ac Baccalaureis. *Hæreses damnatæ à decem Episcopis, & septemdecim Doctoribus in Theologia & sexdecim Doctoribus juris, & pluribus aliis Bacchalaureis, tam Theologiæ, quàm etiam juris.* Ut ab Episcopis asciscebantur persæpè Doctores ad configendos errores novos, ita & ipsi per sese coibant ad Censuras persimiles edendas. Cùm Joannes Montesonius Dominicanus quædam effutiisset de Conceptione beatissimæ Virginis Deiparæ, quæ offendiculo essent, voluit Parisiensis Universitas eum compellere ad Palinodiam. Illo detrectante, & Avenionem sese surripiente ad Ruminum Pontificem, adiit Universitas Petrum Orgemontium Episcopum Parisiensem, à quo nefarii errores proscripti sunt, Montesonius ipse mox jussus est à Pontifice, ut sui se Episcopi & Universitatis subjiceret judicio.

Judæa sacra. To. 2. pag. 38.
Innoc. IV. Epist. 15.
Ranald a. 28.
Juv. Jovem. des Ursins. Histoire de Char. VI. pag. 62. Spondan. an. 1387. n. 7. 1388.

Tergiversatus fuerat Joannes hic Montesonius, negaveratque posse à Facultate Theologiæ doctrinale Judicium pronunciari. Facultas Tractatum publicavit, quo evincebat, posse à se, vel conjunctim cum Episcopo, vel sejunctim hæreses proscribi. Cùm enim ex officio teneantur Doctores Fidei dogmata & Scripturas elucidare, eo munere fungi non possunt, nisi hæreses incorrentes confodiant. Ideo & Paulus Doctores sejungit ab Apostolis, id est, ab Episcopis in Corpore Ecclesiæ: & Gregorius IX. docet secundùm Episcopos proximum esse Ordinem Doctorum. *Doctorum Ordo est in Ecclesia quasi præcipuus.* Sed hujus tamen Tractatûs author ipse non dissimulabat, quin plerumque adhuc Doctores conjunctim cum Episcopo erroneas propositiones censorio cauterio inurerent. *Episcopi Parisienses & Theologiæ Doctores conjunctim & communicato invicem consilio, pro majori veritatis confirmatione, & roboris firmitate solent errores condemnare.* Bonifacius certè VIII. copiam faciebat Inquisitoribus, ut vel conjunctim cum Episcopo, vel sejunctim hæreses damnarent. Sed Inquisitores speciali Papæ delegatione muniebantur.

Launoy. De Scholis. pag. 492.
Lenra. C. bras De hæreticis.
C. Per hoc. in Sexto. De hæreticis.

Agens alicubi Cæsarius de Albigensibus quibusdam hæreticis, qui Parisiis igni absumpti fuerant, ait eos antè ab Episcopis & à Doctoribus Theologis examinatos fuisse. *Congregati sunt ad eorum examinationem vicini Episcopi, & Magistri Theologiæ.* Et mox sursum: *Consilio Episcoporum & Theologorum degradati sunt.* At ubi damnatæ fuere ab Episcopo Parisiensi propositiones Joannis Petiti, de infanda cæde Ducis Aureliæ à Duce Burgundiæ perpetrata, & de potestate cuique libera occidendi tyrannum; postquam Episcopalis ea censura sobreptione rescissa quâ à tribus Cardinalibus proscripta fuit: tum verò Universitate tuitionem Episcopi in se suscipiente, tradit Gersonius Doctores Theologos centum quadraginta & unum subscripsisse censuræ Episcopi, præter Doctores Decreti, aliusque aliarum Universitatum Doctores innumeros. Edidit & Tractatum Gersonius, quo revinceret jure divino id potestatis penes Episcopos esse. Quanquam Censura errorum Joannis Petiti, seu Parvi, pronuntiata fuisset ab Episcopo & ab Inquisitore, præsentibus Prælatis & Doctoribus compluribus: ut tradit Monachus San-Dionysianus in vita Caroli VI. ingens inde sanè decus in Doctores redundavit, qui ejus patrocinium susceperunt adversùs tela superioris Censuræ, quam quidam falsò venditabant ab Concilio Constantiensi approbatam. Fruitivum veri est exinde Censuras Facultatis Theologicæ, merè doctrinales, & sejunctim ab Episcopo frequentiores fuisse eo maximè tempore, quo ex occasione schismatis Avenionensis, Universitas frequentissimè ipsa per sese congregari cœpit, eo authoritatis culmine tunc provecta, ut omnium in se oculos converteret, non precario jam, non alieno, sed suo ipsa splendore spectatissima.

Bibl. Cister. To. 2. pag. 142.
Histoire de Charl. VI. Anno 1419.
Gerson. to. 3. pag. 71. To. 4. pag. 224.
L. 3. c. ult. Histoire de Charl. VI. par le Fevre Seigneur de S. Remy. c. 62. 38.

VII. Nec plura accumulari necesse jam est, ut constet Universitates ab iis manasse Scholis, quæ in Ecclesiis antè Cathedralibus effulserant. Perstitit semper penes Episcopos prisca honoris & potestatis prærogativa in iis, quæ ad Doctrinam pertinent, convenienter Epistolæ Alexandri III. ad Archiepiscopum Senonensem, à quo jubebat Suffraganeos Episcopos Lutetiæ congregari, & damnari propositionem Petri Lombardi, Magistri Sententiarum, de Persona Christi. Gregorius VII. anno 1078. in Concilio Romano edixerat, ut omnes Episcopi Scholas haberent, *Ut omnes Episcopi artes litterarum in suis Ecclesiis doceri faciant.* Nihil ejusmodi mandatum est Episcopis, postquam institutæ fuere Universitates. Fuerat Schola Episcopalis Lutetiæ jam ab ortu suo splendidissima, ut minus mirum sit, si ex ea prodierit longè splendidissima Universitas.

Illud quoque non perfunctoriè observandum, quòd cùm persæpè Lutetiæ coïrent Concilia ad res Ecclesiæ Gallicanæ pertractandas, vel Provinciæ: cúmque plures ibi semper diversarentur Episcopi, ut in Regia urbe, ubi potissimæ quæque ventilantur & dirimuntur causæ; his tum Conventibus non Parisiensis Episcopus, sed Archiepiscopus præerat Senonensis, Doctoresque accersebat. Id liquet ex Epistola Alexandri III. paulò antè laudata, & ex

Con. Gener. T. 11. p. 51. Concilio Parisiensi anno 1201. ubi Legatus Pontificius conspirantibus Archiepiscopis, Episcopis & Doctoribus hæreticum nescio quem damnavit. Gregorius IX. in Bulla anni 1231. ad Doctores Parisienses data, docet nos Physicam Aristotelis in Concilio ibi Provinciali damnatam & prohibitam fuisse, donec diligentiùs examinata & purgata fuisset. Cæsarius & Robertus Altisiodorensis triennio tantùm suspensum fuisse aiunt ejus usum. Venio ab hoc diverticulo ad scholas Monasteriorum.

VIII. Quæ enim Concilia Episcopis præcepere suis ut in ædibus scholas haberent: eadem ipsa jussere, ut & in opulentioribus Monasteriis scholæ essent & Magistri. Scholæ exinde celeberrimæ fundamenta posuit Lanfrancus in Abbatia Beccensi. *Publicas Scholas de Dialectica professus est, ut egestatem Monasterii scholarum liberalitate temperaret &c. Eratque Beccum magnum & famosum litteraturæ Gymnasium.* *Malmesbur. pag. 105.*

Non ergo jam publicæ hæ erant in Monasteriis Scholæ, nisi ad eas disciplinas, quæ ætatis quandam & judicii maturitatem desiderant. Non ergo pueriles eæ erant scholæ, instituendis puerulis addictæ: quippe ab his jam abhorrere cœperant Monasteria, tanquam inimicis ejus silentii, quietis & secessûs, in quo Religiosarum Congregationum sitæ sunt deliciæ. Id enimvero se testatur Petrus Damiani admiratum esse in Monasterio Cassinensi, postquam illuc profectus est. *Inter cæteros virtutum flores, hoc mihi non mediocriter placuit, quod ibi scholas puerorum, qui sæpè rigorem sanctitatis enervant, non inveni: sed omnes aut senes, aut juvenili decore latantes, qui ut filii Prophetarum, idonei sint ad Eliam per deserta quærendum.* *Opuscul. 36. c. 16.* Erat adhuc in Floriacensi Abbatia infantium schola, in qua Abbo puerulus rudimenta prima posuit. *Schola Clericorum in Floriacensi Monasterio traditur litteris imbuendus.* *Aimoin Flor. in Abbonis vita. c. 1.*

Can. 18. Anno 1179. sancitum est in Concilio Lateranensi III. ut scholæ restituerentur in Ecclesiis illis Collegialibus & Abbatialibus, ubi pridem fuerant. *In aliis quoque restituantur Ecclesiis, sive Monasteriis.* Vetustior erat schola sancti Victoris apud Parisios. Ejus initia referuntur in annum 1109. quo Vuillelmus de Campellis Archidiaconus Parisiensis Canonicorum Regularium ibi donatus est veste, quos ibi paulò antè instituerat Hugo Victorinus, ex mandato Regis. Accersiti illi fuerant ex Abbatia sancti Ruffi justa Valentiam, substitutique in locum Benedictinorum, qui ibi antè sedem habebant, ut in Prioratu obnoxio Abbatiæ sancti Victoris apud Massiliam. *Hist. Univ. Paris. To. 2. pag. 24.* Erat & schola percelebris in Abbatia San-Dionysiana juxta Parisios, ubi & Petrus Abaelardus aliquando docuit, confluentibus undique ad ejus famam auditoribus.

Can. 6. In Concilio Remensi anno 1131. prohibiti primùm sunt Monachi sancti Benedicti & Canonici Regulares sancti Augustini, ne posthac ad scholas publicas proficiscerentur, Legibus & Medicinæ operam daturi, ut eas inde Causidicorum, vel Medicorum artes profiterentur, à propositi sui sanctimonia alienas. Id rursus ipsum prohibitum est in Concilio II. Lateranensi anno 1139. *Can. 9.* & in Turonensi anno 1163. *Can. 8.* & in Parisiensi anno 1212. *Part. 2. Can. 20.* Sed hoc in Parisiensi Concilio disertis verbis expressum est, quod in aliis intelligendum veniebat, ut suis in Claustris Regulares addiscerent eas, quæ professioni suæ consentirent, disciplinas. *Ne quis exeat causâ eundi ad Scholas, sed in Claustro si voluerit, addiscat.*

Dictum est suprà, constitutis semel Universitatibus, permissos fuisse Regulares eò commeare, ut pura putaque à scaturigine summas quasque disciplinas haurirent. Concilium Coloniense anni 1549. voluit, ut Philosophia Medicina, Jurisprudentia, Theologia, seu Scriptura, *Theologia, aut Scriptura sacra*, in Universitatibus tantùm addiscerentur; nisi si Theologicæ prælectiones fierent in ditioribus Cœnobiis Monachorum, aut Canonicorum Regularium. *Conc. Gen. To. 14. pag. 634.*

Ne muti prorsus simus in Græcis, dicam anno 1118. in Palatio Constantinopolitano celeberrimam viguisse adhuc scholam temporibus Alexis Comneni. Cum illis Doctoribus Imperator ipse de Scripturis conferebat, quibus plurimùm oblectabatur. *De iis cum viris eximiis, quorum egregia multitudine, Regia semper referta esse solebat, colloquebatur.* *Euthymius apud Baron. anno 1118. n. 26.* Anno 1145. Anselmus Episcopus Havelbergensis, quem Legatum Lotharius Imperator Constantinopolim misit, & qui ibidem cum Græcis frequentes collationes habuit, non tacuit Collegium illud Imperatorium duodecim Doctorum, quorum Nechites Archiepiscopus dux erat & caput. *Præcipuus inter duodecim didascalos, qui juxta morem sapientum Græcorum, & liberalium Artium, & divinarum Scripturarum studia regunt, ad quos omnes quæstiones difficillimæ referuntur, & ab eis soluta, sine retractatione tenentur.* *Spicil. to. 13. pag. 89. 90.*

CAPUT CII. *P. 4. l. 2. c. 35.*

De Seminariis post annum Christi millesimum.

I. Universitates & Collegia ab origine Seminaria fuerant.

II. Congregationes Canonicorum & Monachorum instar habebant & ipsa Seminariorum.

III. Congregationes Canonicorum Regularium expressiorem Seminarii speciem præ se ferunt.

IV. Degeneraverant hæc omnia Seminaria temporibus Concilii Tridentini.

V. Clero Gallicano optatissimum fuit, ut Seminaria eis crederentur regenda, qui jurisdictioni Episcoporum lubentes subessent.

VI. Eadem in sententia versabatur sanctus Carolus.

VII. De tribus sancti Caroli Seminariis, & de eorum concentu cum Decretis Concilii Tridentini.

VIII. Eos pileo Doctorum donabat Carolus, qui in Seminario stadium omne studiorum strenuè compleverant. Quanti ea res esset momenti.

IX. In majori Seminario suo prælegi volebat Historiam Ecclesiasticam, Concilia, Canones, & priscam Ecclesiæ Disciplinam.

X. Consensus decretorum Cardinalis Poli in Anglia, cum decretis Tridentinis.

XI. Provincialia Galliæ Concilia post Tridentinum Mediolanensibus Caroli Conciliis adprimè consentanea.

XII. Urgent etiam atque etiam Concilia, Regumque Edicta, ut Seminaria ubique excitentur.

I. Diximus suprà Parte I. Libro III. Capitibus IV. V. VI. de Seminariis priorum Ecclesiæ temporum. In postrema verò ejus hac ætate post annum Christi millesimum, non alia usquam Seminaria facilè invenias, nisi quæ Capite superiori oculis subjecimus, Cœnobia nimirum Monachorum vel Canonicorum Regularium, aut Universitates. Diximus suprà Galliæ Episcopos, quò suæ causæ adversùs Mendicantium Privilegia adgregarent Doctores Universitatis Parisiensis, ita compellasse eos, Se non ex alio quàm ex eorum cœtu adscitos ad Episcopatum fuisse, nec vel optare sibi alios, vel sperare successores, quàm ex eorum pio eruditissimoque Collegio. Ubi de Gradibus

bus Universitatum disputatum est à nobis, ostensum est illud quoque, ab ipsis earum exordiis maximam partem Beneficiorum illis à Pontificibus, à Conciliis, & Regibus desponsam fuisse. Nemo nescit Collegia & scholas Universitatis ea plerumque lege constringi ab ipsa fundatione sua, ut Officia ibi divina decantentur, assignata ea proventuum mediocritate, quæ satis sit sustentandis pauperibus Clericis, quorum alternæ sint orandi & studendi horæ, deliciæque. Hinc facilè intelligis vera fuisse Universitates quædam veluti Seminaria, ex quibus deligerentur Episcopi, ex quibus innumerabiles Clerici ad quævis Beneficia piè & religiosè administranda.

II. Nec minùs id manifestum in Congregationibus, seu Monachorum, seu Canonicorum Regularium. Nam præterquam quod hi ipsi Regulares poterant clarissimas quasque Ecclesiæ obire dignitates: in eorum Cœnobiis numerosa & eximiæ spei instituebatur juventus, unde postea & ad Religionem & ad Clericatum complurimi litterarum & pietatis amantissimi vocarentur. Cùm primùm Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus suffragante & auspice Villelmo Rege Ecclesiam Anglicanam refingere ac reformare adgressus est, curam illico industriamque suam omnem contulit innovandis scholis, seu juvenum Seminariis, in Cœnobiis sancti Benedicti. En verba ipsa Canonis ab eo editi in Concilio Londinensi anno 1075. *Infantes præcipuè & juvenes in omnibus locis, deputatis sibi idoneis Magistris, custodiam habeant.*

Docuit nos Aimoinus Floriacensis capite superiori, Abbonem elementa prima hausisse litterarum & religionis inter Clericos Monasterii & Scholæ Floriacensis: *Schola Clericorum in Floriacensi Monasterio traditur.* Erat & in Beccensi Monasterio schola percelebris, in qua humanioribus literis præfuerat Anselmus ipse. In Oriente Seminaria esse non possent nisi Episcoporum, cùm cæteri Clerici conjugiis sint illaqueati. At in confesso est Episcopos ibi omnes è Monasteriis acciri.

Anselm. l. 1. Epist. 55.

III. Canonicorum Regularium ædes scholæque potiori profectò jure Seminaria videri poterant Clericorum. Certum enim denique illud est, non aliam ibi quàm Clericalis vitæ, sed perfectissimæ professionem viguisse. Eadem nuncupabantur vota, quæ Augustinus à Seminatii sui Clericis omnibus exigebat. Canonicorum nomen ipsum non aliud sonat, quàm Clericos strictæ Canonum observantiæ deditos. Regularium vox à Regula illa manavit, quæ Clericorum propria erat, & à Regula Monachorum distabat plurimùm. Hactenus eo fruuntur jure Canonici Regulares, ut & Parochias regant, & Capitula Ecclesiarum etiam Cathedralium impleant. Denique cùm altero ab hinc sæculo Caraffa Cardinalis, qui summo pòst sublimatus Pontificatu Paulus IV. dictus est, & inclytæ sanctimoniæ vir Caïetanus jussi sunt à Clemente VII. naviter incumbere in Cleri reformationem, non aliud tum eis auspicatius, aut consultius visum est, quàm ut Congregationem Clericorum Regularium instituerent, qui cùm meri sint Clerici, tribus se tamen Religionis votis astringunt, quibus & quartum addunt, paupertatis multò austerioris, quàm quæ à Monachis colitur. Usque adeo hac etiam extrema ætate persuasum fuit, nihil habere Clericatum, quod non posset facillimè sociari cum consiliis Evangelicis, immo & cum votis, seu particularibus, seu solennibus, quibus se viri religiosi ad Consiliorum Evangelicorum observantiam obligant.

IV. Et tamen ante Tridentinam Synodum, vix nomen, vix memoria supererat aliqua Seminariorum; quòd nimirum in Universitatibus literarum fervore & scholarum pompa penè oppressa languescerat pietas: Regulares vero Congregationes subalienatæ essent ab illa strictissima cum Episcopis conjunctione, qua olim ab ipsis totæ pendebant, & quam Clericis omnibus inspirare avebant Episcopi, tanquam Ecclesiasticæ unitatis vinculum. Gradus Universitatum glicente corruptela, non jam primævæ institutionis suæ sanctimoniæ respondebant: quin & plerumque ad avaritiam & ambitionem detorquebantur hominum Beneficiis inhiantium, & ad ea per inexplicabiles etiam lites contendentium. Parco ne ea hîc referam, quæ habet Jacobus de Vitriaco, Historiæ Occidentalis capite septimo. Si quæ in Monasteriis superessent scholæ, earum non alius uberior fructus, quàm ut Ordini Monastico juvenes se adglutinare insuescerent, non etiam ut Clerus ipse nova sanctaque in dies prole accedente augesceret.

Concilii Moguntini Patres anno 1549. conquerebantur, quod juniores Canonici, quos *Domicellares* vocabant, jam non sub unius Prælati disciplina continerentur, ut olim moris erat, antequam pateret illis aditus in Capitulum: *Juniores Canonicos, quos Domicellares vocant, ad tempus sub jugo Prælatorum detineri, &c.* Videri hoc potuisset Seminarium juniorum Clericorum, si certò constaret eos communem egisse vitam, & aliquanto numero fuisse. Non attingo hîc eas Congregationes Ecclesiasticas, de quibus suprà egi prolixiùs, in quas Pontifices & Concilia sæculi XI. & XII. compellere tentarunt Clericos omnes majores, ut tutiùs faciliùsque cœlibatum colerent. Sodalitia ea potius erant, in quibus totius vitæ tempus transigeretur, quàm Seminaria fingendis formandisque ad Clericalem perfectionem junioribus consecrata. Denique non aliò id spectabat, quàm ut Canonici Regulares propagarentur.

Can. 86.

V. At verò apertissimè significavit Clerus Gallicanus, quàm sibi cordi esset, ut Seminaria Clericorum regerentur potiùs ab iis, qui in Episcoporum potestate protsus essent, quàm à Regularibus: quando per Oratores suos Ludovicum XIII. Regem his vocibus compellavit: *Quoniam verò expostularunt complurimi, quòd cum fundamenta Seminariorum jecissent Archiepiscopi & Episcopi Diœcesani, & per suos Officiales administrassent, nunc tamen pleraque eorum subducta fuerint jurisdictioni Episcopali, & in potestatem venerint Regularium diversorum Ordinum. Interpellabitur Majestas Regia, ut Episcoporum jurisdictioni restituantur Seminaria, qui Rectores eis præficient ad nutum revocabiles, ut ne posthac ea possint subduci Episcopali authoritati.* Quibus Cleri precibus ex animo assensus est Rex.

Memoir. du Clergé. to. 3. Par. 1. 125. 90. 91.

VI. Is videtur tum scopus fuisse Cleri, ne Seminariorum administratio & regimen mandari posset Regularibus; quos cùm sua privilegia immunes plerumque faciant Episcopalis jurisdictionis, hinc minùs idonei videri possunt ad Clericos Episcopali imperio arctissimè & religiosissimè devinciendos. Exemplo illis suo præierat sanctus Carolus, Oblatorum constituta Congregatione, quibus & Seminaria sua contradidit omnia, quæ priùs crediderat Patribus Societatis Jesu; quippe hos demum expertus fuerat aliis longè plurimis gravissi-

misque Ordinis sui functionibus distendi. Ea autem potissima ratione adductus est Carolus ad instituendum illud Oblatorum Sodalitium, cujus Caput & summus semper administer erat Episcopus, ut posset illis sua Seminaria & Collegia regenda commendate, atque ita illa semper habere Episcopali imperio devinctissima. Commemorat autem idem Giossanus ex quo hæc deprompsimus, molestè tulisse Carolum, quòd Clerici, quos & sumptu & labore plurimo excoluerat, complures exinde in Monasterium unum aliquod ad professionem Monasticam se conjecissent: Breve Apostolicum impetravit à Gregorio XIII. quo huic sive Monasterio, sive Ordini prohibebatur, ne quem horum exciperet Clericorum, nisi tribus saltem pòst annis, quàm è Seminario digressi essent. *Giossano. L. 5. c. 4.* *L. 2. c. 5.*

VII. Si conferas autem, quæ hic Scriptor perhibet de tribus beati Caroli Seminariis Mediolani ab eo extructis, cum Decretis Concilii Tridentini de Seminariorum institutione, perspicuè intelliges Concilii votis Carolum cumulatè satisfecisse, vel spem potius & vota Concilii prorsus superasse. Mediolanensis & Episcopatûs & Metropoleos amplitudo, sed immensa potissimum quædam sollicitudo Caroli & charitas Pastoralis effusissima, tria hæc utique Seminaria deposcebat. Unum ad informandos ejusmodi viros, & pietatis & doctrinæ præsidiis omnibus, studiis autem maximè Philosophiæ & Theologiæ, quibus totò committi possent maxima quæque in Diœceseos administratione Officia. Alterum ad instituendum Parochos, lectione Scripturæ, Catechismi Concilii Tridentini, & Casuistarum. Tertium denique ad eos plenius instruendos roborandosque, qui jam pridem Parochialibus Ecclesiis onerati, & ad id munus minus pares, Catechismi Concilii & Casuistarum lectione muniri egerent.

VIII. Obvias se dabunt in vita & gestis Caroli, & in Actis Ecclesiæ Mediolanensis Constitutiones sanctissimi Archiepiscopi, ad Seminariorum administrationem; prodet se ibidem infatigata & pervigil ejus sollicitudo ad eorum observationem. Duo hic tantum adnotabo, quæ omnino necesse sit altius infigere animo. Primum est quod jam attigimus strictim, Brevi Pontificio instructum fuisse Carolum, ut Doctorum pileo & insignibus eos investiret, qui sacrarum litterarum curriculum in Seminario peregissent. Quippe ut vetustissima Seminaria defecerant tandem in studia mera & Universitates, ubi non in aliud quidquam magis, quàm in studia incumbebant; ita sanctus Carolus Seminario suo, ubi pietati multò etiam plus operæ dabatur, quàm litteris, studebat conciliare aliquam partem privilegiorum Universitatum. Enimvero gradus hac ratione qui consequerentur, castius si fas & religiosius ad Beneficia pertingerent. Monuimus jam Clericorum, qui Caroli institutis imbuebantur, neminem prorsus fuisse, qui ad Beneficia, vel precibus, vel litibus contenderet, immo nec qui Concursui ad Parochias impetrandas se sisteret, nisi Caroli ipsius jussu. Ita una Dei voce vocabantur, & ad hos gradus, Caroli manu collatos, & ad hæc Beneficia Caroli jussu impetrata.

IX. Alterum verò illud est, quod adnotari velim, voluisse beatum Carolum, ut in majori Seminario suo opera daretur Ecclesiasticæ Historiæ, & perdiscendæ antiquiori Ecclesiasticæ Disciplinæ, ut quæ adhuc ob oculos constituenda nobis esset in refingendis Cleri moribus, & æmulanda, pro hominum patientia temporumque. De his ita habet Concilium V. Mediolanense. *Studia etiam sacrorum rituum, historiaque omnis Ecclesiastica certis statis diebus instituantur, quæ Clericalis ordinis hominibus maximè accommodata sunt, ad optimam religiosæ disciplinæ rationem.* Est autem simillimum veri, illius majoris Seminarii contemplatione, in quo centum quinquaginta alebat Clericos, perpoliebatque ad difficillima quæque Diœceseos, & Provinciæ suæ ministeria; hujus, inquam, maximè Seminarii contemplatione institutam ab eo fuisse Præbendam Doctoralem, ut Canones Conciliorum Clero prælegerentur, bis saltem unaquaque hebdomada in Capella Archiepiscopali. *Acta Eccl. Mediol. pag. 258.* *Giossan. L. 2. c. 9.*

X. Cùm anno 1556. Cardinalis Polus articulos quosdam commentaretur Reformationis Cleri Anglicani, primam ibi Seminariorum formam delineavit. Ea verò effigies ita consentit cum ea, quam Concilii postea Tridentini Patres exhibuerunt anno 1563. hoc est Sessione XXIII. ut fateri cogamur cognatissimas, & simillimas eas esse, & vel Cardinalem Polum ea præsumpsisse, quæ Tridentini Episcopi meditabantur; vel Tridentinos postea Patres summam manum iis adjecisse, quæ Polus inchoaverat. Et nihilo tamen minus uni potissimum Carolo Archiepiscopo Mediolanensi illud decus insigne vindicandum est, ut Pater sit & Patronus omnium Seminariorum, quòd eam illis consummatissimam contulerit perfectionem, qua majorem, nec nos fingere, nec illa optare possint. *Conc. Gen. To 14 pag. 1733.* *Acta Eccl. Med. p. 947.*

XI. Sancti Caroli vestigiis hîc inhæserunt suo more Concilia nostra Provincialia Galliæ. Maximè verò Rotomagense anni 1581. Item Remense anni 1583 ubi exoptatum est, ut qui gradus ambirent, eos assequerentur, sin minus in civitate Episcopali, saltem in Seminario, vel in Universitate Metropolitanæ urbis. Item Burdigalense anni 1583. & Turonense eodem habitum, ubi destomachati sunt Patres in eos Gradus, quos clanculùm quidam suffurantur, in quibusdam remissioris Disciplinæ Universitatibus. Aquense anni 1585. Tolosanum anni 1590. ubi inculcatum illud quoque est, ut Historiæ Ecclesiasticæ saltem compendio legerentur Commentarii. *Ecclesiasticæ Historiæ explicationis compendiaria certis statisque diebus Seminariorum alumnis perlegantur.* Denique Avenionense anni 1594. *Conc. Gene. To. 15. pag. 864 903. 974 992. 1045 1179 1405. 1406*

XII. Conspirarunt hæc Concilia, ut urgeantur Episcopi ad excitanda quamproperè Seminaria, quod & urgent statuta Concilii Tridentini, Edicti Blesensis, Melodunensis, & ejus quod promulgatum est anno 1629. Quæ insomnis pro Ecclesia excubat Numinis providentia, cùm postrema hac ætate complures excitarit Congregationes & Societates merè Clericales: his Episcopi incunctanter & lubentissimè sua credunt Seminaria: vel in hoc ipso in sancti Caroli ingredientes vestigia, & cum ipso experti, vix, aut nec vix posse perpetuari Seminaria, nisi Congregationum subsidio, quarum propria dos ea videtur esse perpetuitas. Non omnium in potestate est Episcoporum, ut instar Caroli Sodalitium ipsi erigant, cujus ipsi, ut ille Oblatorum, Præfecti generales & Capita sint. Sed cùm ad manum habeant ejusmodi Cœtus Clericales jam institutos, utuntur dono & subsidio, quo occupavit Deus illos munire; gnari ne Carolum quidem ipsum de novo Cœtu instituendo consilia initurum fuisse, si jam institutos reperisset; nec hos denique merè Clericales Cœtus, aliud quidquam esse, quàm Seminaria, quibus fingantur & præformentur ii, qui Seminariis alii moderaturi sint. *Art. 14.* *Art. 1.* *Art. 6.*

CAPUT CIII. *P. 4. l. 2. c. 36.*

Extraneis feptus ad Beneficia aditus. Neceffitas, ut Gregis fui linguam calleat Paftor.

I. Connexio quæftionis hujus cum antecedentibus.

II. Juxta Leges Ecclefiæ Beneficiarii eligi debent ex ipfius loci incolis, ex ipfius Ecclefiæ gremio.

III. Ubi indigenæ digni, aut fatis periti nulli funt, extranei accerfendi.

IV. Ecclefia Romana accuratius aliis omnibus hanc regulam obfervabat, nunquam fuorum alios Ecclefiis dabat.

V. Sed ad laudi fibi vertebat, extraneos quofcumque, modò meritis inclytos, fi poffet allicere. Nemo peregrinus in Ecclefia Romana. Proximiora capitis membra nec ipfa unquam extranea funt.

VI. Quam circumfpecte caverint Pontifices, ne ufquam Ecclefiis extraneos præficerent. Poft eos Quo zelo æftuarint Ecclefiæ & Regna ad fuis quoque fuos tuitionem.

VII. Quibus rationibus Pragmat. ea extraneos Beneficiis excludat.

VIII. Ribaffi obfervatio in linguam vernaculam duas, quæ univerfam nunc Galliam bipartiuntur.

IX. Cur olim extranei effent, qui non ejufdem effent ex Ecclefiæ gremio. nunc qui non ex eodem uno Regno oriundi.

X. Beneficiis arcentur extranei in Hifpania, ficut in Gallia.

XI. Quam neceffaria lingua patria peritia.

XII. Singularis ufus Ecclefiæ Valentinæ in Hifpania.

XIII. De primordiis Regni Polonia.

I. NEc Epifcopo certè, nec Parocho ignorare fas eft linguam vel Civitatis fuæ, vel Parochiæ, ut & Paftor gregis & grex Paftoris viciffim vocem audire & votis obfequi poffit. A quo non abludit illa pervetufta lex Cleri, ut ex ejufdem Ecclefiæ finu deligantur Beneficiarii, quam adminiftraturi funt. Si enim indigenæ fint, erunt & vernaculæ linguæ callentes. Etfi autem promifcuè Beneficia cujufcumque regionis iis addicantur, qui indidem oriundi funt: nonnulla funt tamen quæ ejus loci Nobilibus fpecialiter deftinata dicantur, vel Cantoribus Capellæ cujufdam Regiæ. Hæc ergo fuperfunt hic nobis enucleanda, tanquam fuperioribus connexa, & ad ignorantiæ etiam pertinentia quodammodo irregolaritatem.

II. Ratum ergo illud certumque eft, optatiffimum femper Ecclefiæ fuiffe, ut regionis cujufcumque Beneficia ejufdem incolis & inde prognatis conferrentur. In Concilio Remenfi anni 989. ubi Arnulphus electus eft ejus urbis Epifcopus, prætermiffa non eft illa ratio, quòd Lauduni in lucem ortus cùm effet, Remenfis Ecclefiæ filius haberetur, cùm Remenfis & Laudunenfis Ecclefiæ in unam quodammodo coaluerint jam olim à temporibus beati Remigii. *Hunc dicimus Laudunenfis Ecclefiæ filium, & ut verius fateamur, Remenfis. Ea quippe civitas Remenfe territorium, Remenfis Parochia eft, nec fic à B. Remigio divifa, ut fieret aliena.* Itaque cùm à Remenfi Ecclefia decerpta effet Laodunenfis, fperabant hujus Concilii Patres, Laudunenfis Ecclefiæ filios à Remenfi veluti matre cooptari poffe.

Petrus Damiani ex adverfo conteftabatur Ecclefiam Romanam Imperatori gratificatam effe in ejufmodi re, in qua momenti effet omnino plurimum, ubi fuo juri & priftino derogaverat mori, eligendi fuo tantùm ex gremio Pontificis, quem nunc tamen delegiffet ex media Imperatoris Aula. *In conftituendo Pontifice Romano Ecclefia à charitate regia non receffit, quia cùm in Clero fuo religiofis viris & fapientibus abundaret, non de propriis, fed eum qui Regi* Difcepatio mem adv. Reg. & Dom. Ecclef.

tanquam domefticus & familiaris erat, elegit, &c. Et privilegium non tulit, fed roboravit, dum non de Romana Ecclefia, fed ex Aula Regia Sacerdotem ad Apoftolicæ fedis culmen evexit.

III. Citra controverfiam tamen, ubi nemo eft in Ecclefia quapiam, qui par fit ejus gerendæ adminiftrationi, tunc extranei accerfendi funt. Indigenæ enim non anteponuntur univerfim extraneis, nifi ut magis idonei, propter linguæ morumque peritiam. Sicubi ergo nemo prorfus ex indigenis idoneus fit, tunc præponentur jure merito extranei. Gregorius VII. recufato Archiepifcopo, quem promovere geftiebat Alfonfus Caftellæ Rex, illum hortatus eft, alium ut quempiam fuggereret ex fubditis fuis: aut fi non haberet nifi tanto impares faftigio, extraneos accerferet. *Eligatur inde, fi inveniri poteft: fin autem, aliunde expetatur.* Ratio prompta eft: *Ecclefia regimen propriè bonos exoptat.* Boni ergo dignique fi adfint, non longè quærendi funt: fi defint, unde unde accerfendi. L. 9. Ep. 2

IV. Singularem hanc Ecclefiæ Romanæ laudem dabat Adrianus IV. quòd nunquam pateretur, qui fibi femel inferti fuiffent, ad alias transferri Ecclefias. Sed ea non erat Romanæ Ecclefiæ propria, nifi diligentia quædam potiffima legis obfervandæ, quæ Ecclefias omnes alias complectebatur, ut ne extraneos admitterent, ut ne fuos à fe divelli, & aliò migrare facilè finerent. Vide quid ad Fridericum I. Imperatorem refcripferit Adrianus, ut illi approbaret confilium fuum, non relaxandi Ecclefiæ Romanæ Subdiaconi, etfi ad Ecclefiæ Ravennatis Archiepifcopatum poftularetur. *Convenientius fiquidem eft, ut qui filius & Clericus eft Romanæ Ecclefiæ, ab ejus gremio non recedat, & ipfa ei circa fe locum dignitatis conferens, eidem inde provideat altiora.* Baro an. 1159. n. 3.

V. Sed quod mox fubjicit idem Pontifex, Amplitudini Romanæ omnino confentaneum eft, ut à Gregorio VII. obfervatum jam fuerat in ea, quam modò laudavimus Epiftola. Nec enim vel Romana antè Refpublica, vel Chriftiana & Romana poft Ecclefia magnitudinis fuæ pondus ferre potuerunt, nifi accito abforptoque in finum fuum quidquid ufquam erat clarorum & fpectabilium toto orbe virorum. *Ipfa enim Ecclefia Romana, viros & fcientia adornatos, præditos honeftate, & fanguinis nobilitate præclaros, ad fe libenter evocat, & eos aliunde confuevit admittere, non fe talibus, cùm ipfos in gremio fuo habeat, facilè fpoliare.* Ibidem.

In Epiftola quadam fua Decretali Innocentius III, narrat Archiepifcopo Ravennate mortuo, ab aliis electum fuiffe Presbyterum Cardinalem Ecclefiæ Romanæ, ab aliis Epifcopum Imolæ; contendentibus utrifque fatisfactum à fe effe fponfioni præftitæ eligendi Epifcopi ex propria Ecclefia: quòd Epifcopus Imolenfis fuffraganeus effet Ravennatis Ecclefiæ, adeoque illi conjunctiffimus: *Cùm tanquam fuffraganeus Ravennatis Ecclefiæ, ex ipfius gremio exivisset*: quòdque Cardinalis ille Presbyter, cùm membrum effet Romanæ Ecclefiæ, quæ Caput eft omnium Ecclefiarum, non poffet extraneus & ab eis fejunctus haberi. *Cùm membra Capitis à membris Corporis cenferi non debeant aliena.* Extra. De poftul. c. 3.

Idem ipfe Pontifex ratam habuit electionem Archiepifcopi Capuani, quanquam electus effet extraneus. 1. Quòd potuiffet Capuanum Capitulum non uti privilegio & Canone in fui gratiam & compendium condito; cujufmodi eft, ut ne Epifcopus affumatur nifi ex Ecclefiæ ipfius Collegio. *Licèt cantum reperiatur in Canone, ut tunc alter de altera* Extra. De elect. c. 19.

Ecclesia eligatur, cùm nullus in propria fuerit repertus idoneus: quia tamen hoc in favorem introductum est Clericorum, & cuique licet renuntiare juri, quod pro se noscitur introductum, &c. 2. Canoni ei tunc locus est, cùm vi intruditur extraneus. *Præsertim cùm illud Decretum locum habere videatur, quando Clericis renitentibus & invitis, per alicujus violentiam potestatis, extraneus ingeritur ex adverso. Propter quod sequitur in Decreto, ut Clericis sit facultas renitendi, si se viderint prægravari.* 3. Nullibi hospites aut peregrini sunt Ecclesiæ Romanæ matris omnium filii: *Cùm à capite non debeant membra aliena reputari.*

VI. Strigoniensi in Hungaria Metropoli Archiepiscopatum daturus idem Innocentius, tanti momenti esse duxit, ut ne extraneo cuiquam Ecclesia illa crederetur, ut eò transferre maluerit Metropolitanum Colocensem, quem probè noverat Capitulo Strigoniensi gratissimum fore. *Quia non plenam de personis illius Regni notitiam habebamus, ideoque non poteramus salva conscientia eidem Ecclesiæ in alia persona, quæ de Regno Hungariæ originem duceret, congruè providere, nec vellemus ei præficere alienum, &c.*

Extra De Postul. c. 4.

Fuit & cùm alii Romani Pontifices consilii inierint, extraneosque Ecclesiis præposuerint, quod molestissimè non rarò & impatientissimè tulere Principes. Narrat Matthæus Paris ad annum 1146. ut Eugenius III. Papa Archiepiscopatu Bituricensi donavit nepotem Cancellarii Ecclesiæ Romanæ. Excanduit vehementissimè Rex, & juramento se constrinxit, ne illum unquam admitteret. Interdicto tamen triennali & precibus denique beati Bernardi Claravallensis Abbatis emollitus est, iramque & indignationem convertit ad Saracenos in Palæstina debellandos.

Refertur ab eodem Matthæo Paris ad annum 1245. Epistola Anglorum ad Innocentium IV. quiritantium de immensa quadam Italorum multitudine, qui omnia invasissent Angliæ Beneficia, omnes proventus corraderent, & extra Angliam traducerent, tuendis, reparandisque Angliæ Ecclesiis nequaquam studerent; immo, quàm corpore alieniores.

Cùm Clemens VI. extraneum nescio quem Episcopatu ornasset Coriensi in Regno Castellæ, iniquo animo id tulit Alphonsus Rex. At eum Pontifex blandissimis his monitis demulsit, Etsi in genere Ecclesiarum regimen indigenis maximè delegandum sit, esse tamen causas justissimas non paucas extraneos his quandoque anteponendi; Apostolos, & ipsum Hispaniarum Apostolum Jacobum longinqua ex regione adventasse; porro qui à se tum designatus esset Episcopus, eum esse, qui & doctrinæ ubertate & virtutum splendore ubique agnosci & ambiri, nusquam hospes & peregrinus videri debeat.

Rainal. an. 1348. n. 14.

Philippum Pulchrum Regem delinire similiter conatus est Bonifacius VIII. quòd duas Gallicani Regni Ecclesias Italis duobus contulisset, Bituricensem Archiepiscopatum, & Episcopatum Atrebatensem, nec contulisset nisi viris pietate & meritorum laude clarissimis, *ipsi Regi non suspectis, nec Regno*, cùm uterque fuisset *nutritus in Regno*. Anno 1346. Clemens VI. Galliarum Reginæ per litteras congratulatus est, quòd Regium diploma revocari curasset, quo extranei omnes Beneficiis summovebantur, nulla vel Cardinalium ipsorum exceptione. Anno 1408. Comitiorum Generalium Cleri Gallicani decretum, extraneis omnibus aditus interclusus est Beneficiorum quorumcumque, nisi saltem decennium in publica alicujus Regni Universitatis palæstra contrivissent, & ne tum quidem ad Prælaturas aspirare possent. Manavit certè decretum ejusmodi inter schismatis Avenionensis procellas. Anno 1429. Martinus V. ad Ladislaum Poloniæ Regem litteras dedit stomachosiores, ob promulgatum Edictum, quo peregrini omnes, ne Cardinalibus quidem exceptis, Regni Beneficiis excludebantur. Ita enim statuebat Pontifex, cùm nulli Romæ, undecumque affluant, peregrini sint Clerici: cúmque Cardinales Romani indefessam darent operam universalis Christiani orbis, & singularum Ecclesiarum extricandis negotiis, causisque dirimendis, eminentissimos hos Romanæ Ecclesiæ filios, quæ patria est fidelium omnium, patriam habere tam latè fusam, quàm ipsa fides, quàm Ecclesia, quàm Christiana Respublica latissimè fusa & propagata est.

Hist. Univ. Paris. To. 4. pag. 27. 29. 30. 296.

Tom. 5. Ibid. p. 177.

Rainal. num. 13.

VII. Sed ne diutiùs ei exceptioni immoremur, nullis potest exceptionibus concuti aut labefactari generalis illa lex & regula, iis omnino rationibus gravissimis, quæ in Præfatione Pragmaticæ Sanctionis conjectæ sunt: Quòd advenæ qui sunt, ignoti ferè sint; nec eorum fieri periculum potuerit; non facile adduci possint, ut resideant: patrium indigenarum sermonem non capiant, nec ab illis vicissim capiantur; unum id studeant potissimum, ut Ecclesiæ suæ dispendio locupletentur; ejus sarta tecta non curent; ab hospitalitate abhorreant, ignoto sibi gregi minùs prodesse possint; quòd denique cives ipsi animum despondeant, & litterarum studia aspernentur, quorum præmia videant ab extraneis sibi præripi & involari. *Ecclesiarum peculia manus occupant indignorum, & nonnunquam exterorum, & plerumque dignitates & opulentiora Beneficia personis conferuntur incognitis & non probatis, qua in eisdem Beneficiis non resident, sicque vultus sibi commissi gregis non agnoscunt, linguam aliquando non intelligunt, &c. Sic animarum cura negligitur, subtrahitur hospitalitas, Ecclesiarum jura depereunt, ruunt ædificia. Clerici nostrorum regni & Delphinatus scientiarum studia deserunt, propter promotionis congrua spem eis ablatam.* His alias accumulat rationes Author Glossæ in Pragmaticam Sanctionem, ex Panormitano, aliisque Juris Canonici Commentatoribus decerptas. Quod nimirum Regibus Principibusque suspecta semper sit peregrinorum fides, ne arcana Regni prodant, & foris evulgent. *Admitteretur exceptio domini temporalis, si promovendum haberet suspectum de proditione terræ suæ, vel consiliorum & secretorum suorum.* Addit denique non incerto rumore ita circumferri, Esse Regibus Galliæ speciale privilegium, ut ne injussu suo peregrinos sinant Regni Beneficiis donari. *Et ut ferunt, Rex Franciæ habet privilegium, quod externus & alienigena non potest beneficiari in suo Regno sine ejus permissione.*

Rationes has omnes conglobaverat Carolus VII. Rex in Edicto suo anni 1431. quo contestabatur, Majores suos semper intercessisse extraneorum provectionibus; ejusmodi querelis à parente ipsius suo compellatos fuisse Concilii Constantiensis Patres, ipsumque Pontificem Martinum V. quas & ipsemet ingeminasset querelas apud eundem Pontificem, & successorem ejus; cùm verò ne tot quidem machinis abduci potuissent Pontifices à sententia, aut à spargendis in extraneos maximis quibusque Regni Beneficiis avocari, cogi se tandem hoc Edicto serpentem in dies perniciem cohibere.

Preuves des Libertez de l'Egl. Gall. pag. 1124.

VIII. Nulla hic superiùs perstricti privilegii memoria, vestigium nullum: ut non injuria posterius impetratum fuisse conjicias. Ejus meminit Rebuffus, ubi affirmat, et Privilegio nullis Papæ dispensationibus derogari posse: eo porro non Parochialibus tantùm Ecclesiis, juxta regulam Cancellariæ, sed omnibus indiscriminatim Beneficiis peregrinos ablegari. *Sed in Francia idem in omni Beneficio, ratione privilegii, cùm alienigena in Francia Beneficia sine Regis consensu non possit habere, quæcumque sint illa Beneficia.*

Illud non abs re hic obiter advertemus, in ea versari sententia Rebuffum, cùm duas in linguas universa scindatur Gallia, quarum altera *Occitana* dici potest, *Langue d'Oc*; altera Francica, & Aulæ Regiæ, Urbique propior, *Langue d'Ouy*, quòd his maximè affirmandi quidpiam signis & vocubis discrepent hæ regiones: sententia, inquam, Rebuffum in illa versari, non posse harum regionum incolas alius in aliorum finibus Beneficia obtinere. Quin & Gomesio videri, cùm plures Provinciæ Galliarum utriusque linguæ hujus consuetudine utantur, cujusque Provinciæ incolas extra ejus limites peregrinos haberi debere: sed ea in re latuisse Gomesium, quanta sit affinitas & consensio sermonis inter omnes alterutrius hujus linguæ Provincias. Unde nec immeritò nos hic addemus necdum ævo Rebuffi tantam fuisse & consuetudinum & linguæ communionem inter omnes utriusque hujus linguæ regiones, quanta postea fuit: ubi Provinciæ illæ omnes, non suos sibi singulæ jam habuerunt Principes; sed unius summi Regis & Galliarum moderatoris imperio constrictæ & consociatæ sunt; ut jam nihil prorsus loci relinquatur ei, sive regionum distinctioni, sive peregrinitati. Quanquam ubi Parochialibus Ecclesiis donandi Pastores sunt, specialis adhibenda sit cautio & providentia, ut Pastores ovium, oves Pastorum vocem audiant, capiantque.

In Regulam Quod quis intelligat idioma.

IX. Hactenus de lingua & sermone vernaculo, nam Decretis Cælestini Papæ, Capitularibus Caroli Magni, & Legibus Codicis præfici & ordinari cuique Ecclesiæ non sinebantur, nisi proprii ejus cives, dum in iis essent, qui omnes ejus officii numeros obire possent. Itaque longo ex intervallo sequimur prisca illa statuta, si non alios Beneficiis abigimus, quàm qui ex ipso Regno oriundi non sunt, aut jura Regni Principum diplomate speciali non sunt assecuti. A vero, aut à veri certè similitudine non aberrabis, si existimes, quidquid novatum est in hac disciplinæ parte, profectum id esse à majori Ecclesiarum tum inter sese privatim communione, tum conjunctione cum summo vertice suo, posteriori hac ætate. Monuit nos suprà Innocentius III. cujusque Provinciæ Episcopos in Metropolitana Ecclesia hospites jam non haberi, aut extraneos. Clerici Romanæ Ecclesiæ ubique terrarum ut in propria patria versabantur. Adrianus IV. id præ se ferebat, Romam allici Clericos omnes virtutum & eruditionis gloria spectabiles, ut in communem fidelium omnium patriam & natale solum. Quos toto ex orbe Clericos invitabat Romam Pontifex meritis claros, in omnem mox Orbem illos disseminabat, & præcipuis mancipabat Ecclesiarum dignitatibus. Adde quòd cùm fuerint Universitates velut publica quædam Seminaria omnium unius Regni Provinciarum, immo & complurium quandoque Regnorum, hinc dulcior strictiorque fiebat conjunctio plurimarum inter sese Ecclesiarum. Aliunde accersebantur, aut advolabant plerumque Professores: Tyrones alteri huic quasi patriæ suæ adhærescebant, longo & decennis persæpè domicilio. Qui Gradus ibi consequebantur, quia Universitas, qua Regnum latissimè patebat, cives habebantur. Inde est ergo quòd potissima habita sit ratio incolumitatis Regni, eaque justissima, ubi extranei à sacris arcebantur Ecclesiæ Dignitatibus; non assensionem tantùm, sed & authoritatem etiam suam accommodante Innocentio III. cum Colocensem Archiepiscopum in Strigoniensem Ecclesiam transferre maluit, quàm extraneo eam sedem concredere.

X. Cùm variis mandatis instruerentur Oratores Gallicani ad Concilium Tridentinum anno 1562. hoc præ cæteris commendatum est, ut ne cui extraneo committi possent Regni Beneficia, nisi vernaculam calleret linguam, & in propria resideret Ecclesia; hanc verò legem nec Pontifex ipse relaxaret. L'Ambassade de Trente pag. 174.

In Hispaniis jam inde ab anno 1395. Conventus Generales Regni Castellæ decreverant, ne paterent extraneis Regni Beneficia; quin & in omnium quos Pontifex nominaverat Ecclesiasticos proventus manus injecerant. Quanquam interpellante Pontificis Nuntio, & Aulicis ipsis Proceribus nihil non sibi de Papæ indulgentia & largitate pollicentibus, à sententia se deduci Rex facilè passus est, utpote tenera adhuc ætate. Ita Mariana; at author est Covarruvias, post edicta Caroli V. impervia fuisse extraneis omnia ejus gentis Beneficia; in Concilio Tridentino deliberatum fuisse ex Dominico Soto, an omnes cujusque regionis Parochiales Ecclesiæ indigenis velut patrimoniales addicerentur: quin & optabile esse, ut ejusmodi statutum promulgatum fuisset. Mariana. l. 19. c. 2. Tom. Prochiar. quæst. pag. 55.

Narrat Ossatius in Epistola quadam anni 1600. omni ope tum connixos fuisse Hispanos, ut suæ gentis homini Dublinensis in Hibernia Archiepiscopatus conferretur, contrà nitentibus Hibernis, ut ei Ecclesiæ præficeretur non alius, quàm qui proprii ejus regionis idiomatis consuetudine imbutus esset: *allegato Regis ipsius Hispaniæ exemplo, qui Episcopum nisi Hispanum præfici patitur nullum.* Tom. Ep. 55.

XI. Beneficiariis quidem omnibus, sed iis potissimum quibus cura animarum, & regimen Parochialium Ecclesiarum incumbit, consentaneum est, ut ne rudes sint vernaculi ovium sermonis. Eo se limite cohibuisse videtur Concilium Provinciæ Turonensis apud Castrum Guntherii anno 1231. *Ne quis instituatur in aliqua Ecclesia, cui sit animarum cura annexa, nisi loci illius loquatur & intelligat idioma. Si contrà præsumptum fuerit, & institutus privetur Beneficio, & instituentes potestate instituendi careant illa vice.* Can. 26.

Narrat Cæsarius ipsum Romanorum Regem à proposito resiliisse ambiendi Archiepiscopatûs Coloniensis, ubi primùm ab electoribus certior factus est Episcopum Cameracensem, cui eam dignitatem conferri percupiebat, ejus regionis linguæ imperitum esse. *Cùm ab electoribus responderetur, quod idioma terræ ignoraret, cessavit.* Guimundus scientiæ & sanctitatis fama celeberrimus ille, qui calamum strinxit adversùs Berengarium, Episcopales Angliæ infulas à Vuillelmo Notho Rege oblatas constantissimè recusavit, quòd in ejus gentis moribus & lingua hospes omnino esset. *Quoniam extraneos mores, barbaramque locutionem nescio.* Cùm in Concilio Lateranensi IV. leges daret Innocentius III. Orien- Order. Vital. anno 1070. pag. 524. Baronius an. 1079. n. 4.

talibus illis Ecclesiis, quarum in singulis sæpenumero plebes erant, quæ alio & alio uterentur idiomate: jussit, ut singulis ab Episcopo designarentur Ministri sacri propriæ earum linguæ periti; quin immo si necesse foret, ut alium ille sibi asciscetet Episcopum, Vicarii Generalis munia obiturum & ejus linguæ callentem, cujus ipse rudis esset. In Concilio Mexicano anni 1585. peculiaribus aucti sunt privilegiis Clerici, qui Indorum idioma edidicissent, & vehementer excitari Episcopi, ut Beneficiarios acuerent, impellerentque, ut ejusdem Indicæ linguæ studio sedulam operam navarent.

Extra. De Officio Ordinarii. c. 14.

Conc. Gen. To 15 pag. 1210. 1252

XII. Non liquet mihi quidem, an vernaculi sermonis imperitiæ imputandum sit, quod Regni Valentini in Hispania cives ad cæterarum ejusdem Hispaniæ Provinciarum Beneficia non admitterentur, an illi residuæ animorum alienationi, qua extraneos solebant aversari. Certè Bulla anno 1587. publicata à Sixto V. sancitum est, ut peræquè Valentini Regni Beneficiis excluderentur ex aliis oriundi Hispaniæ Provinciis, quanquam graduum laurea decorati essent in Universitate Valentina, ab Alexandro VI. Papa excitata. Simillimum veri est, ex eo id totum manasse, quòd perdiu, & non ita pridem discreta ea fuerant Regna, quæ suis singula Regibus subessent, ut ex hac Regum Regnorumque diversitate linguarum etiam dissonantia quædam major nasceretur.

XIII. Author est Longinus anno demum 1062. Joannem Uratislaviensis Ecclesiæ clavum administrare cœpisse, gentis Polonicæ primum, cùm hactenus Episcopalem illam sedem Itali semper occupassent. *Primus ex Polonis, abrogatis Italis Pontificale Pedum in Uratislaviensi Ecclesia gessit.* Texuit Longinus perpetuam ferè seriem Episcoporum Poloniæ omnium, nec ad hunc usque annum propemodum nisi Italos nominavit. Nec secus penè contigit annis sequentibus. Pronum est conjicere, vastissimas illas Provincias, quæ nuperrimè ex altissima & inveterata Barbaria & idololatria emerserant, non statim, non facilè potuisse ita refingi, ac expoliri, ut suo ex sinu Episcopos sibi crearent. Cùm verò Pontifex Romanus Episcopos omnes ejus gentis confirmaret, teste eodem Longino, in historiæ suæ contextu: hinc via Italis ad Episcopatus Italiæ complanabatur. Commemorati sunt ab eodem Scriptore Episcopi etiam aliqui Poloni: quanquam non magno sanè numero. Sunt & in quibus nulla fiat mentio confirmationis Pontificiæ.

CAPUT CIV. *P. 4. l. 2. c. 37.*

Beneficia quædam addicta Nobilibus, Cantoribus, Capellæ Regiæ Clericis.

I. Præbendas suas Ecclesia Lugdunensis addixit Nobilibus quarto etiam stemmate conspicuis.

II. Ejus usus an pia quæpiam origo fuerit.

III. Statuta Polonia solis Nobilibus aditum pandunt ad Beneficia, & ad Ecclesias, quibus & illi soli præsidio esse possunt, quæ ab ipsorum persæpe majoribus fundatæ sunt: quorum ad regimen paratiores accedunt ex liberali sua educatione.

IV. Quam effusa in favorem nobilium sit Bulla Concordati, & Pragmatica Sanctio.

V. Quam propitii Nobilibus fuerint Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. & Joannes XXII. Papa.

VI. Fulgentii, Bernardi, & beati Caroli Mediolanensis Episcopi, quanta animi propensio in Nobiles.

VII. Non facilè potest Clerus Nobilium tuitione carere.

VIII. Ad Beneficia digniter habendus, non solum qui virtute præstat, sed & qui tuenda, regendaque Ecclesiæ accommodatior est.

IX. Solvitur objectio.

X. Nudatur origo statutorum, sive consuetudinum, quibus solis Nobilibus aditus est ad Beneficia.

XI. De Beneficiis, quæ Capellanis & Clericis destinantur Capellarum Regiarum.

I. Affirmat nuperus Galliæ Scriptor, evulgasse diploma Clementem VII. Romanum Pontificem anno 1532. quo confirmabatur prior Bulla Martini V. declarantis Præbendas triginta duas Ecclesiæ Lugdunensis, addictas esse Nobilibus longo majorum stemmate claris, quarto ab usque gradu. Probabile cum primis est, his Bullis non aliud, quàm priora ejus Ecclesiæ statuta novo hoc authoritatis pondere corroborata fuisse. Cùm vel maximè Seuuertus in Chronologia Ecclesiæ Lugdunensis, demonstret ex Tabulario Cameræ Computorum, anno 1245. quo coaluit Concilium Lugdunense I. fuisse in ea Ecclesia septuaginta quatuor Canonicos, quos inter eminebat unus Imperatore Patre conspicuus, novem à Regibus prognati, quatuordecim à Ducibus, triginta à Comitibus, à Baronibus viginti.

Choppinus. De sacra Politia p. 64.

II. Prona fides est, hanc Ecclesiam Primaria sacra eminentem, alias nonnullas in sui imitationem pellexisse: & ipsam forsan quoque in aliarum quarundam vestigia & exempla ingressam esse. Cave autem tibi persuadeas, solo nobilitatis fulgore, & quodam veluti fuco humanæ gloriæ ductos fuisse primos hujus instituti authores. Castius, sublimius & divinius aliquid jubet Ecclesia obversari oculis Ministrorum suorum, & eorum omnium qui ad sacras dignitates invitantur. Ratio habita est tuitionis, quam Nobiles impenderent Ecclesiæ, quam eorum Majores jam impendissent. Fuit & non parum momenti in institutione Nobilium, quæ plerumque liberalior est, quàm plebeiorum, & virtuti propior, eo potissimum ævo, quo hæc statuta condebantur, aut quo hæ invalescebant consuetudines. Tunc enim plebeii propemodum omnes quibusdam variarum servitutum sordibus obliniebantur. Denique ita ferè animo præsumptum fuit, in Nobilium & potentum virtutibus plus esse momenti, ad cæteros omnes in sui æmulationem pertrahendos. Itaque non humano & carnali affectu Nobilibus adjudicata fuere Beneficia complura; uni religioni, uni Ecclesiarum servitum est utilitati, vel necessitati. Nec enim Ecclesiæ ascribendæ sunt vitiosæ privatorum cupiditates, quibus non sapiunt nisi quæ carnis sunt: cùm ipsa ex adverso carnalium etiam hominum conatus & consilia insanissima contorqueat ad cœlestis sapientiæ regulas, & ad spiritalis cœlestisque civitatis amplificationem.

Spond. ann. 1245. n. 11.

III. Ignobilibus & plebeiis voluere Reges Poloniæ septas & occlusas esse Dignitates & Præbendas principalium Ecclesiarum. Nec enim posse plebeios illam Ecclesiis præstare defensionem, qua cessante collapsuræ sint prorsus, cùm in eo regno nulla sit intercapedo bellorum. *Ad defensiones Ecclesiarum in Regno nostro pernecessarias, præsertim propter homines licentiosos, & crebras expeditiones bellicas, parum aut nihil prodesse possunt Ecclesiis.* Ecclesias ergo regere jubeantur Nobiles, qui & tueri possint. *Barones, Generoses & Nobiles, è quibus prompta & facilis Ecclesiarum defensio esset.* Quòd ei statuto minus obtemperatum sit, hinc agri Ecclesiæ inculti, domus dirutæ jacent. *Magna ex parte vastata & destructa fuerunt, & in nonnullis locis adeo annihilata, ut non extent domus, &c.*

Statuta Regni Poloniæ. pag. 327. 330.

Quæ mox sequuntur decreta, ea declarans una-

cuique Capitulo fas esse, adgregare suo cœtui Doctorem Theologum, alium quoque Juris Canonici, tertium denique Medicinæ gradibus decoratum, ex plebeiorum fæce; additur & in Nobilium collegio esse non paucos Doctores; accuratiorem plerumque esse Nobilium institutionem jam inde à puero; cùm denique illis accepta feratur Ecclesiæ Regnique defensio, consentaneum esse, ut illos Ecclesia hoc grati animi & pietatis testimonio prosequatur. *Ab antiquis temporibus, laborum & virtutum suorum officio eisdem dignitatibus Ecclesiasticis semper præficiebatur Nobilitas: tum quod suis propriis cervicibus à casibus bellicis regnum ipsum defendere consuevit, & astricta est, tum etiam Ecclesiam.*

Testatum denique faciunt hæc statuta Poloniæ, pleraque Beneficia extructa & dotata fuisse à Nobilibus, quo æquius sit in eorum dispensatione rationem haberi Nobilium. *Cernentes omnia Monasteria* (Ibid. pag. 3.) *ex liberalitate non solum Regum, sed etiam Baronum & Nobilium bene dotata esse, & nunc quoque Nobilitatis favore plurimum indigere. Caventes etiam ne nova dogmata in Regnum nostrum ex Germania inferantur, &c.* Anno 1496. & 1505. Albertus & Alexander Poloniæ Reges acerbioribus insectati sunt pœnis eos omnes, qui in Romana Curia vel alibi Beneficia impetrarent Regii Patronatus, vel Nobilium, a quorum majoribus fundata sunt ea Beneficia, recreandis, sustentandisque proximis suæ quibusque stirpis; qui ex adverso compellerentur in lites expendere eam & pecuniam & operam, quam satius, dulciusque est cum sanguine impendere patriæ defensioni. *Benefi-* (Statuta Polon. 251. 459.) *cia per terrigenas de bonis eorum ad consolationem amicorum viventium & mortuorum fundata impetrant, sicque non mediocribus jacturis pauperem nobilitatem pro sui defensione juris impendentem afficere consueverunt, &c.* Anno 1433. Jagello Rex fidem suam obligaverat, nihil à se dignitatum sacrarum collatum iri, nisi Nobilibus, & quidem ejusdem Provinciæ.

IV. His causis, quas hic strinximus, adducti sunt Patres Concilii Lateranensis V. & Leo ipse X. Pontifex, in Bulla confirmationis Concordatorum Gallicanorum: ut enumeratis virtutibus, & ornamentis iis, quibus instrui necesse est eos, qui ad Ecclesiasticarum dignitatum apices promovendi sunt: longè plurimum tribuerent, Principum, Regumque sanguine ortis, & natalium gloria præclaris. *Consanguineos Regis, & personas sublimes.* Cùmque mox diffiniretur, quot annos necesse esset literarum studiis insumptos esse à Graduatis, non paulò indulgentiùs habiti sunt, qui clara utriusque parentis nobilitate fulgerent. Nec illiberalior fuerat Pragmatica Sanctio, ex Constantiensi & Basileensi Conciliis excerpta, in (Tit. De Collat. Tit. De elect.) *Nobiles ex utroque parente, & ex antiquo genere.* Nec displicuerat à Regibus ad Beneficia eos præsentari, qui patriæ dignitati & saluti ex animo studerent. *Bene meritos, & zelantes bonum Reipublicæ.*

V. Aliquam diu antè cùm in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. districtè prohiberetur, nequis plura unus retineret Beneficia Curata, vel aliàs incompatibilia: subjiciebatur mox relaxari posse à Romano Pontifice ejus legis austeritatem, sicubi obvii essent viri nobilitate & eruditionis laude spectabiliores. (C. De multa Extra. De Præben.) *Circa sublimes tamen & litteratas personas, quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, cùm ratio postulaverit, per sedem Apostolicam poterit dispensari.* Joannes quoque XXII. Pontifex de his agens Beneficiis, quæ sociari & ab uno eodemque obtineri non possunt, Regum progeniem excipi jubebat: *Qui propter sublimitatem eorum & generis claritatem, sunt potioris prærogativa gratia attollendi.* (Extravag. Execrabilis.)

VI. Speciale Nobilium Gymnasium exædificavit B. Carolus Mediolanensis Archiepiscopus, & eo se potissimum oblectari, eas suas esse delicias nec ipse dissimulabat. Nullam habebat Carolus personarum (Glossara. L. 3. c. 4.) rationem, providus, cautus & diligens hic erat omnino delectus eorum, quorum indoles & institutio amplius Ecclesiæ saluti profutura esset. Hinc sanè Bernardus aiebat, nullo personarum delectu, nullo discrimine habito, non posse nos tamen non impensiùs congratulari, ubi virtus nobilitati adhæresceret. *Minimè quidem Deus est acceptor personarum,* (Epist. 113.) *nescio tamen quo pacto virtus in nobili plus placet.*

Quòd hic Bernardus ait nescire se, hoc est impræsentiarum non inquirere, id scitissimè edisserunt Fulgentius, Augustini, ut solet, vestigiis insistens. Illud his convenit sanctissimis Ecclesiæ Patribus, & Doctoribus, uberiorem illam lætitiam, qua probi quique perfunduntur, ubi Nobiles & Magnates seculi ad pietatem se & religionem serò conferunt, uno ex eo capite totam scaturire, quòd eorum exemplo & authoritate illiciantur alii plures ad eamdem mcondam virtutum palæstram. Itaque utilitatis publicæ, & ipsorum pauperum, ac plebeiorum salutis contemplatione, tum incitantur justi, cùm nobilium divitumque bene moratorum laudibus suffragantur. *Quamvis Christus sit æqualiter* (Epist. 6.) *pro omnibus fidelibus mortuus, & æquale cunctis Beneficium redemptionis impenderit; tamen conversio potentium seculi multum militat acquisitionibus Christi. Sicut enim multi fratres & amici, noti pariter & ignoti, talium authoritate ad mundanæ dilectionis ardorem excitantur: ita talium conversione multi ad subsidium divinæ miserationis confugiunt. Ita fit, ut qui sunt in seculi culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in via salutis acquirant.* Non aliter existimari, dicique potest, si qua pinguiora Beneficia Proceribus, Nobilibusque adjudicata sint, quorum se tuitioni committebat cum pauperibus suis omnibus Ecclesia, id ipsorum potius pauperum charitati indultum esse, quàm divitum honorificentiæ.

VII. Suo superiùs loco dictum est de Præbendis, sive Cathedralium Ecclesiarum, sive Cœnobiorum, quæ ante aliquot secula cœperunt Imperatoribus, Regibus & Principibus vindicari, quod & etiamnunc obtinet. Summos Principes istos diximus affuisse quandoque in veste Clericorum linea, Clericis ipsis permixtos, divinas in Choro laudes concinentibus. Dubium utri plus & gloriæ & voluptatis afferat hæc mira Imperii & Sacerdotii conjunctio. Hoc caput est, hic fons totius Nobilium cum Clero conglutinationis. Suis ipsius rationibus & utilitatibus Nobilitas Clero devincienda fuit. Oppressa & labefactata non semel fuisset Clericorum & Ecclesiæ dignitas à Plebeiis, nisi in ejus defensionem conspirasset nobilitas. In his rationibus ad universalis Cleri incolumitatem pertinentibus, plus satis momenti est, ut omnino inflectantur leges aliæ, in quibus salus Ecclesiæ nihil admodum periclitatur.

VIII. Nec excidisse potest animo, quod operosissimè alibi astruimus, dignis, quin immo dignioribus conferenda esse Beneficia. At assentiuntur Theologis Canonistæ, ut æqua lance pendantur merita, & peritiæ, dexteritatisque momenta ad regendam Ecclesiam, non virtutem, non eruditionem tantùm trutinari debere. Ille utique dignior

habendus est ad capessendum quodlibet Beneficium, in quo plus præsidii est ad Ecclesiam sanctissimè administrandam, eandemque præpotenter tuendam. Omnium Theologorum nomine hic suffragabitur
2. 2. q. 185. art. 3. sanctus Thomas. *Ille qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo providere: non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundùm charitatem; sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ: qui scilicet possit Ecclesiam & instruere & defendere, & pacificè gubernare.* Si necessariis alioqui non destituantur Nobiles adminiculis eruditionis & innocentiæ, hi utique cæteris præponendi erunt, ut pacem Ecclesiæ confirment, ubi præsertim variæ undecumque ingruunt procellæ.

IX. Video objici posse Decretalem Gregorii IX. qua concerpi videtur Ecclesiæ Argentoratensis consuetudo, ubi aditus non erat ad Canonicorum Præbendas, nisi paterno maternoque stemmate illustribus, doctrina & religione illustrioribus. *Nobilem,*
C. Venerab. Extra. De Præbendis. *liberum, & ab utroque parente illustrem, honestæ conversationis, & eminentis scientiæ.* Respondeo autem, 1. unum id eo loco moliri Pontificem, ut valeat collatio Beneficii à Legato facta, quòd nec sibi, nec Legato suo infligi possit necessitas obsequendi consuetudinibus Capituli. Nec sanè jubet Pontifex eam aboleri consuetudinem, sed ratam haberi collationem à Legato factam, tametsi consuetudini adversam. 2. Intacta perstitit hactenus & intaminata ea consuetudo in Capitulo Argentoratensi, & in compluribus aliis Germaniæ Ecclesiis, etsi Pontificiorum illæ semper fuerint decretorum observantissimæ. Illarum ergo ea fuit persuasio, Gregorii decreto suam hanc consuetudinem non inuri. Etsi verò ibidem docet Gregorius, plus esse tribuendum nobilitati virtutis, quàm sanguinis: & à Paulo ipso significari; Non multos Potentes, non multos Nobiles à Deo primùm electos: non tamen apertè ab eo pronuntiatur, eam consuetudinem aut à se damnari, aut à Capitulo proscribendam decerni. 3. Jamdiu est quod non potest latere summos Pontifices, qui usus sit, qui mores in hoc negotio complurium Germaniæ Capitulorum, Poloniæque, nec non & Galliæ, atque Hispaniæ, quorum fores non patent nisi Nobilibus. Nec tamen vel nutu significatum unquam ab illis est, displicere, & expungi debere hunc usum. Tam diutino ergo silentio suo ei consuetudini assentiri censentur. 4. Quorsum attinet commemorare tot Concilia cujusque modi in his Provinciis vel Regnis coacta, à quibus abrogatus utique esset is usus, si pietati, si Ecclesiæ legibus adversaretur. 5. Funditus excisæ essent, corruissentque Germanicæ omnes & Polonicæ Ecclesiæ ab uno aut altero jam sæculo, nisi grassantium hæreticorum & ad arma prosilientium furorem propulsassent Episcopi Canonicique earum Ecclesiarum, summa quadam potestate & opulentia freti.

X. Ex hoc verò statuto Argentoratensi, quo desiderabatur & natalium claritas, & ubertas doctrinæ: perspicuum est nec scientias exulasse, nec virtutum studia ab his Capitulis, nobilitatis gloriæ amantissimis. Ex his porro vocibus, *nobilem & liberum,* ansam arripiemus non intempestivè, ut spero, retegendæ arcanæ originis hujus singularia nonnullarum Ecclesiarum disciplinæ, ex quo spes est, nonnihil etiam voluptatis Lectoribus creari posse. His enim verbis insinuatur, non multũ intercessisse discriminis inter nobiles & liberos, inter ignobiles similiter & servos, ex quo primùm Consuetudines, ita enim dici placuit, cùm Servitutes dici potuissent, invectæ fuerunt. Qui enim antiqua, qui mediæ ætatis sæcula non perfunctoriè prorsus excusserunt, illis exploratum est propè abfuisse ignobilitatem à servitute, libertatem à nobilitate. In Russia, & Polonia etiamnunc, multisque aliis circumjacentibus Provinciis is ipse usus retinetur. Gallicanarum ipsi Consuetudinum libri, paulò saltem antiquiores, & antequam in novam hanc & liberaliorem formam refingerentur, fidem faciunt plebeios & rusticos omnes servitutibus quibusdam innexos fuisse. Hinc Nobiles soli litteris operam dabant, cæteris ad agriculturam & ad illiberales artes alias ablegatis. Hinc & Magistratus omnes Nobilibus demandabantur. Solis Nobilibus & Clero constabant Comitia Regni Generalia, & Parlamenta, in quæ plebi aditus non patuit nisi ab annis trecentis vel quadringentis. Non ante ducentos annos admissi sunt plebeii ad officia publica. Minùs ergo mirum, si aut Præbendæ, aut dignitates Ecclesiasticæ, perinde ut sæculares, Nobilibus tantùm annuerentur. In Germania & Polonia diutiùs & constantiùs hæserunt mores antiqui, ut ne litterarum studiis incumberent, aut ad dignitates pertingerent, nisi Nobiles. In Gallia verò cùm jam ab annis amplius ducentis in id insudetur, ut refingantur libri Consuetudinum, & ad optatiorem quandam humanitatis & libertatis formam revocentur: hinc abolescere paulatim prisca illa tristissimæ servitutis vestigia, ut ad dignitates tum sacras, tum etiam civiles admissa sit plebs. Pauca supersunt Capitula, quæ cum Lugdunensi, Brivatensi, & paucis aliis priorem retinuerint morem non admittendi nisi germana nobilitate fretos. His addi posset & illud non prorsus aspernandum, quod Capituli Argentoratensis statuto requirebatur, ut candidati Canonicatuum paterna maternaque linea nobilitatem suam approbarent. Atqui nemo nescit fuisse certissimè plenam, fuisse & dimidiatam libertatem, seu mavis nobilitatem, ubi quis juxta varias regionum Consuetudines servo parente, libera matre natus erat. His Capitulis non placebat nisi plena libertas, nobilitasque, ex utriusque parentis stemmate. Denique facilè quisque refricabit sibi memoriam non infrequentium temporibus Caroli Magni & Ludovici Pii querelarum de Episcopis, animi perquam pusilli, & degeneris, qui non cooptabant in sacrum Clerici sui Collegium, nisi servilis conditionis homines, quibus præfractiùs imperitarent. Capitulis forsan quibusdam placuit adversùs hanc excludendorum Nobilium insolentiam munire sese hujusmodi statuto, quo soli Nobiles & ingenui allegebantur. Constitutione Regia Ludovici XIII. Articulo 199. anno 1629. sanciebatur, ut usus ille retineretur non admittendi nisi Nobiles ad certa quædam Beneficia, ubi ea fuerat lex fundationis, non ubi consuetudo sola, aut statutum quodlibet ita juberet. Quod non immeritò consentire Canonicis Regulis & Decretalibus videri possit.

XI. Quod ad Clericos spectat, Capellanos & Cantores Capellæ Regiæ, non apparet temporibus B. Ludovici Regis ulla eis Beneficia destinata & propria fuisse, quanquam ex ejus testamento anni 1269. abundè constet larga manu eis à Regibus provisum fuisse. Statuebat enim Rex idem Ludovicus testamento suo, ut si qui ex Clericis vel Capellanis suis tempore sui obitûs nullo adhuc Beneficio donati fuissent, annua interim fruerentur viginti librarum pensione ex ærario successoris sui

regio,

tegio, donec vel Beneficii aliquid, vel cujuscumque subsidii nactus esset, quo vitam sustentaret. *Volumus ut Clerici nostri, & Capellani, tempore decessus nostri, de nostro existentes hospitio, quibus in aliquo Beneficio Ecclesiastico provisum non fuerit, habeant & percipiant in bursa haredis nostri Regis quilibet eorum viginti libras annua pensionis, quousque sibi de Beneficiis Ecclesiasticis, vel aliàs sit provisum.*

Du Chesn. To. 2. p. 430.

Commemoratur à Tilletio Bulla Clementis V. qua concedebatur Meldensi & Sylvanectensi Episcopis, *ut admitterent Beneficia, qua resignassent Episcopi Altisiodorensis, Bajocensis & Abrincatensis, in quos Philippus Pulcher Rex nominasset.* Vacabant hæc Beneficia illorum Episcoporum promotione: Pontifex, cui reservata proinde erant, ea gratificari Regi voluit, ut & ipse quibus vellet gratificaretur. Probabile est utique largè iis donatos fuisse Capellæ ejus Clericos, Ministros alios, & Eleemosynarios. Laudat & idem Tilletius Bullam Bonifacii VIII. sive diploma ad Episcopum Aurelianensem, quo decem Clericis ejusdem Regis Philippi Pulchri decem Præbendas conferret, ab aliis ejusdem Regis Clericis resignandas. Ejus simillimam concessit Clemens V. Perstringitur denique ab eodem Tilletio Bulla alia Joannis XXIII. qua jubet ut ad nominationem Caroli VI. Regis Beneficia spargantur semel in quingentos, sive Regis & Reginæ, sive Delphini Officiales. Litteris proditum est à Froissarto, invisum fuisse aliquando à Carolo VI. Rege Clementem VII. Avenione sedentem, à quo in Ministros regios effusa est incredibilis quædam copia Beneficiorum. *Unde provisum est multis Clericis Regis.* Ubi idem ipse Rex nuntium remisit Benedicto XIII. qui Clementi VII. suffectus fuerat, notat Froissartus cœpisse eum Præbendas conferre Clericis Capellæ suæ, inconsulto Papa. Effugerat penè nos Bulla Clementis VI. à Tilletio eodem memorata, qua *permittebat Philippo Valesio Regi, ut semel dum adviveret, Monachum unum, & unam Sanctimonialem præsentaret cuique Monasterio & Prioratui Conventuali sui Regni.* Nec in his tamen omnibus ullum est certum argumentum Beneficii, Oratorii, vel Capellæ Regum Clericis destinati. Primus omnium Carolus IX. addixisse illis videtur anno 1572. Præbendas omnes complurium Ecclesiarum suæ collationis, nec non & omnes, quæ Jure Regaliæ aperto vacarent. Recognovit & comprobavit Senatus hoc Edictum, exceptis Regaliæ Præbendis, & coarctato etiam numero Præbendarum, perinde ut esset earum numerus in unaquaque Ecclesia. Henricus III. anno 1585. & Henricus IV. anno 1594. ei privilegio novum robur addiderunt, non sine multa novarum gratiarum accessione.

Tillet. Recueil des Rois de France. To. 1. pag. 451. 452. 454.

Froissart. To. 4. c. 4. pag. 583.

Du Tillet. pag. 452.

Peyrat. Antiquité de la Chapelle du Roy. l. 3. c. 10.

Finis Libri primi Partis secundæ.

VETUS ET NOVA

ECCLESIÆ DISCIPLINA

CIRCA

BENEFICIA ET BENEFICIARIOS,

DISTRIBUTA IN TRES PARTES,

Quæ & ipsæ in tres Libros singulæ distributæ sunt.

PARTIS SECUNDÆ, LIBER SECUNDUS,

IN QUA AGITUR,

De Episcoporum Electione, Confirmatione, Ordinatione, Cessione, Resignatione & Translatione.

De Electionibus per quinque priora sæcula.

CAPUT PRIMUM. *P. 1. l. 2. c. 14.*

De Electionibus ante tempora Constantini.

I. Intemerata & inconcussa lex, exemplo sancita, ne ad Sacerdotium nisi vocati veniant.
II. Probationes ex Cypriano, eligunt Episcopi, ut interpretes vocationis divinæ, populus testimonium dicit de vita & moribus.
III Electio Cypriani ipsius. Electio Pontificum veteris Testamenti.
IV Probationes aliæ ex Cypriano eodem, & Tertulliano.
V. Eusebii testimonia ut in electionibus dominaretur Episcoporum authoritas.
VI Alia exempla ex Epiphanio & Gregorio Nysseno.
VII. De Canonibus Apostolicis.
VIII. IX. De electionibus ad minores Ordines. Exempla ex Cypriano & Eusebio.
X. Cur Origenes creatus sit Presbyter à pluribus Episcopis.
XI. Ut Ecclesia Synagogam quandoque imitata sit, Gentilitas Ecclesiam.

I. ELECTIONES prima statim ab origine ordiemur. Primus omnium electus est Matthias. Cœtum fidelium admonuit Petrus subrogandum esse Judæ in Apostolatu successorem, eligendumque ex iis, qui Christi in terris agentis & in cœlos sese recipientis testes affuissent. Electi sunt duo, & cecidit sors super unum ex duobus Matthiam. Si veræ fuere eæ sortes, cujusmodi exempla in veteri Testamento, Synagogæ potius illa fuit residua sug entis Act. 1

consuetudo, quam Ecclesiasticæ Disciplinæ auspicium. Cum suo ipse numero Christus Apostolos cæteros delegisset, visum ipsis forsan est, vacuam tunc Apostolatus sedem qui impleret, à Deo solo designari debere. Certè Paulus immediata Christi vocatione eidem Collegio adgregatus fuit, ut ipsemet
Ad Galat. c. 1. testatur: *Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.* Electi à cœtu fidelium Diaconi, ut qui temporalia dispensaturi erant, confirmati mox, & ordinati ab Apostolis fuere. Quod enim pronunciavit Paulus de Christo, ut Summo Pontifice, quòd *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret*, sed Patris voce & imperio ad summam illam Pontificatus dignitatem venerit: ea regula constantissima & lex est inviolabilis, ad nullas quantulascunque sacerdotalis Officii partes venire quemquam non vocatum & injussum debere. Ut exiles enim & obscuri videantur hi cœlestis sacerdotii gradus, guttulæ quædam sunt, vel rivuli à Christi fontibus manantes. Ita qui Beneficia utcumque confert, ad sacerdotii Christi partes aliquas vocat, & ea vocatio cœlestis illius vocationis imitatio esse debet, qua sempiternus Deus & Pater Filium unigenitum carne nostra vestitum ad summum vocavit Sacerdotium.

II. Ita constantissimè Cyprianus, Episcopos Ecclesiæ Catholicæ docet ad Cathedras suas non accedere, nisi judicio, voce, & imperio Dei, qui voluntates Episcoporum eligentium, & testimonia populorum ipse regit, agitque. Consultò dixi voluntate Episcoporum, populorum testimonio electos fuisse olim Præsules. Eligebant Episcopi, testimonio suo plebs eam electionem approbabat, atque ita & ipsa eligebat. Plusculum etiam momenti erat in suffragio Cleri, quam populi testimonio. Sed utrique eminebat authoritas Episcoporum Provinciæ Synodicè ibi collectorum, vota Cleri, testimonia populi audientium, librantium, nunc probantium, aliàs improbantium, suo denique judicio & arbitratu rem conficientium. Et quidem cùm potestas illa divina Clericos ad Episcopatum, & ad summam Sacerdotii Christi amplitudinem vocandi, participatio quædam sit & imago expressissima authoritatis, qua in Filium incarnatum pollet Deus
In Psal. 2. & Pater, & qua illum in Pontificem gignit, *Ego hodie genui te*: non potest ea consultius cuiquam quàm Episcoporum cœtui credi, qui vices Dei & Patris in terris gerunt.

III. Id valent, ut equidem interpretor, illa Cypriani verba, ubi docet nunquam non obtemperandum esse Episcopo, qui canonicè electus, hoc
L. 1. Ep. 3. est divinitus vocatus sit. *Post divinum judicium, post populi suffragium, post Coëpiscoporum consensum, &c. Nisi si est aliquis ita perditæ mentis, ut putet sine Dei judicio fieri Sacerdotem, &c. Dispensatores Dei non de ejus sententia ordinari, &c. Plane Episcopi non de Dei voluntate fiunt qui extra Ecclesiam fiunt, &c. Christus Sacerdotes constituit. &c.*

L. 1 Ep. 4. Dixit quidem alibi Cyprianus primariam potestatem eligendi dignos & repudiandi indignos Episcopatu, penes populum esse: sed his verbis non significarit nisi conscientia & testimonium populi, cui potissimum explorata sunt, vel virtutum insignia, vel vitia eorum, qui candidati sunt sacrarum dignitatum. Multa fallunt Episcopos, quæ plebem non fallunt, sive in vitio, sive in laude posita privatorum gesta. Hac ergo libertate, immo & hac necessitate denudandi, quidquid quisque rescisset de moribus & factis eorum, qui ad Episcopatum invitabantur, videbatur electio in plebis potestate esse. Quanquam reapse non indubia semper essent populorum testimonia, quin immo non raro incerta, fluctuantia, scissa, ut dicam quandoque corrupta, empititiaque: Episcoporum summa semper erat potestas, illa examinandi, dijudicandi, probandi, improbandique, & alia ex aliis revincendi. Quo judicio Episcopali electio tandem certa & constans depromebatur. *Cum ipsa maximè plebs habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina authoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.*

Id illustrat Cyprianus Eleazari exemplo, qui totius Synagogæ conspectibus repræsentatus fuit, & tum Pontificiis Aaronis vestibus indutus à Moïse; non à Moïse tamen, sed à Deo, Aaroni successor datus. Perspicuum est Eleazarum à Deo ipso electum fuisse; divinæ illius electionis interpretem, præconem, & executorem fuisse Mosen; electionem eam denique executioni mandatam fuisse, præsente & assentiente plebe, quæ intercedere potius debuisset, si quæ justæ fuissent causæ. *Coram omni* Ibidem.
Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales, nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere; ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur; & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.

IV. Vides quam in partem veniat plebs earum electionum, quæ in ejus formam reguntur, qua Moïses Dei jussu Eleazarum Aaroni substituebat. Nihil effugere potest oculos, aurésque, & conscientiam innumerabilis multitudinis: ita præter ejus conscientiam & testimonium non eligebantur Episcopi. Profertur mox à Cypriano exemplum Apostolorum, qui turbam fidelium convocarunt, *In Episcoporum & Sacerdotum, & Diaconorum ordinationibus*, & quod idem valet electionibus: electi enim protinus ordinabantur. Convocabatur autem multitudo, *ne quis ad altaris ministerium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet.* Eo exemplo ait jussos esse ab Ecclesia Provinciæ Episcopos omnes adgregari in ea civitate, cui donandus esset Episcopus, neque electio celebraretur præsente populo, quem cujusquam facinora & virtutes non possunt præterire. *Propter quod diligenter de traditione divina, & Apostolica observatione servandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit.* Eligebant ergo Episcopos Episcopi Provinciæ *præsente plebe*, cujus oculis suffurari se non poterant ea facinora, flagitiave, ex quibus nascebatur irregularitas. Unde rursus Cyprianus Sabinum Episcopum electum fuisse ait, *de universa fraternitatis suffragio, de Episcoporum qui in præsentia convenerant judicio.* Testes erant vitæ morumque populi, judices arbitrique electionum Episcopi. Quocirca rursus: *Episcopo semel facto, & Collegarum* L. 2 Ep. 12.
ac plebis testimonio, & judicio comprobato. Ubi vides testimonium populi, judicium Episcoporum esse. Et alibi rursus de Cornelio Papa & de ejus electione, *Factus est Episcopus à plurimis Collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant.* Et paulò post: *Factus*

L. 1. Ep. 2. *est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio.* Et alibi : *Episcopo à sex-* L. 4. Ep. 2. *decim Coepiscopis in Ecclesia facto.* Idem summatim dixerat Tertullianus in Apologetico : *Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.*

L. 2. c. 1. L. 3. c. 4. V. Refert Eusebius ex Clemente Jacobum cognomento Justum electum fuisse Episcopum Hierosolymitanum à Petro & Joanne. Apostoli omnes Mathiam elegerant ex Luca in Actis. Idem alibi testatur Eusebius, fundatis à se Ecclesiis eos ab Apostolis assignatos fuisse Pastores, qui Apostolicæ charitatis & sapientiæ æmulatores essent. *Quot verò & quinam horum Apostolorum veri imitatores, eorundem judicio digni judicati sint, qui fundatas ab ipsis Ecclesias pastorali officio gubernarent.* Addit & Pauli Apo- L. 3. c. 21. stoli jussu Clementem in Gallias esse profectum, Dionysium Athenis præpositum fuisse Episcopum; Apostolos, cæterosque Domini Discipulos Hierosolymis esse congregatos post mortem Jacobi, à quibus successor in Episcopatu ei subrogatus sit Simeon filius Cleophæ. Cùm Narcissus aufugisset à sua Hierosolymorum Ecclesia, ab Episcopis vicinis L. 6. c. 10. 11. substitutus est ei Dius. *Post Narcissi fugam, ignaris omnibus ubinam gentium ageret, visum est finitimarum Ecclesiarum Episcopis alium ejus loco Episcopum ordinare, Dium nomine* Longo post tempore redux Narcissus Ecclesiæ suæ gubernacula recepit : cúmque annum ætatis demum attigisset sextum-decimum supra centesimum, additus est illi ab Episcopis Coadjutor Alexander, Cappadociæ priùs Episcopus. Episcopali quidem sedi illatus est Fabianus Papa concursione populi, qui columbam quandam cælestem spectaverat capiti ejus insidentem. *Quo spec-* L. 6. c. 29. *taculo permotus populus, ac divino Spiritu incitatus, summa cum alacritate, uno consensu simul omnis exclamare cœpit, Dignum esse, statimque comprehensum sacerdotali Cathedra imposuit.* At miraculi plus ea res habet, quàm exempli. Adde quod ut ab Episcopis ordinandus fuit Fabianus; ita & ab iisdem eligendus, tum demum electionem populi, alioqui irritam suo judicio firmantibus. Observat enimverò Eusebius, coactos tum Romæ fuisse Episcopos ad ordinandum, hoc est, ad eligendum & ordinandum Episcopum. Utrumque enim conjunctum fiebat, utrumque græca voce insinuatur : χειροτονίας ἕνεκεν; erant quippe iidem Episcopi ordinatores, qui & electores. Nec enim adduci potuissent, ut manus imponerent, nisi quos ipsi priùs examinassent, & summæ sanctissimæque dignitati idoneos experti es- L. 6. c. 43. sent. Refert apud eundem Eusebium Cornelius Papa, Novatum schismaticum à tribus Episcopis, quibus astutè obrepserat, ordinatum quidem illum fuisse; sed eorum unum ab errore jam suo resipuisse; reliquis duobus quos nullus pupugerat tanti flagitii dolor, successores à se datos esse. *Reliquis duobus Episcopis successores ordinavimus, eosque in loca illorum direximus.* Denique author est idem Eusebius, Episcopos Concilii Antiocheni abdicato Paulo Samosateno, successorem quoque elegisse & L. 7. c. 30. ordinasse. *Hunc cùm abdicassemus, necesse habuimus alium ejus loco Ecclesiæ Catholicæ Episcopum ordinare, &c.*

VI. Narrat Epiphanius ipse ab Alexandro Episcopo Alexandrino missum ad Aulam Imperatoris Athanasium Diaconum : eo verò temporis intervallo, cùm gravi ipse ex morbo decubuisset, declaratum ab eo fuisse successorem Athanasium eundem. Cùm autem ea inolevisset Alexandriæ consuetudo, ut ne electio procrastinaretur, ad populi factiones & ambitiosorum turbas prævertendas, electum fuisse Achillam. *Athanasio moriens Alexander Epis-* Hæresi 69. n. 11. *copatum committi mandaverat. Verùm cùm hæc sit Alexandriæ consuetudo, ut post Episcopi mortem successor non diutiùs differatur, sed subinde pacis tuendæ gratia subrogetur, ne aliis hunc, aliis illum amplectentibus, jurgia in vulgus & contentiones existant; absente Athanasio Achillam substituere coacti sunt.*

Docuit nos alibi Hieronymus, cùm primùm animam egisset Episcopus Alexandriæ, ejus Ecclesiæ Presbyteros unum ex suo cœtu confestim eligere solitos fuisse. Quibus ex Epiphanii & Hieronymi testimoniis illud emicare nimirum videtur, primariam eligendi authoritatem penes Presbyteros Alexandrinos fuisse, qui ne Provinciæ quidem Episcopos expectarent, sed accelerata electione plebis tumultuationes antevertterent.

Gregorius Nyssenus in vita Thaumaturgi disertè tradit solum Phædimum Amaseæ civitatis Episcopum tacito imperio, arcana vi, manus visibiliter extensæ invisibili potestate, Gregorium ipsum hunc Thaumaturgum Episcopatui destinasse : fugam ejus compescuisse, elegisse denique & ordinasse. Nec minùs dilucidè idem ibidem ait, Alexandrum Carbonarium à Gregorio Thaumaturgo solo ad Episcopatum evocatum & segregatum esse, ut cui soli interlucerent, in ea vestium vilitate, & despicabilis professionis obscuritate, Episcopalis sanctimoniæ radii, & incluti Martyris virtutes.

VII. Jubent Apostolici Canones, à duobus saltem vel tribus Episcopis fieri ordinationes Episcopales. Diximus & ad nauseam jam usque inculcavimus, ea voce χειροτονίας significari tum electionem Episcoporum, tum ordinationem. Non recedit autem à verisimili, numerum illum quem desiderant Canones, Episcoporum, primis his quidem sæculis ad electionem potiùs quàm ad ordinationem exquisitum fuisse; cùm vel maximè multò probabilius sit ordinationi ipsi unum satis esse Episcopum, qui Consecrator dicitur : cæteros Assistentes & dici, & esse. Vetant iidem Canones ambiri Episcopales sedes, aut pecunia ad eas quemquam, vel potentum gratia & suffragio grassari. Jam tum ergo his corruptelis locus erat, & turbis Laicisque omnibus necesse erat moderatores imminere Episcopos, ne his artibus aut pollicitationibus eos sinerent circumveniri in electionibus celebrandis. At verò Canon Apostolicus 2. a a v. longè apertius facit, quàm in Collegarum electione dominaretur Episcoporum potestas, cum vetantur eligere vel ordinare fratres, filios, cognatos, ne quæ summa fuerit impietas, Episcopalis dignitas, tanquam hæreditaria quædam terræ portio ad posteros traducatur. *Quod non oportet Episcopum fratri, vel filio, vel alii cognato gratificantem humano affectione ad Episcopatus dignitatem, quem vult, eligere. Episcopatus enim hæredes facere justum non est, ea quæ Dei sunt, largientem.*

Can. 2. Can. 30. 31.

VIII. Quoad inferiores Episcopatu Ordines, certum est illos multò magis in arbitrio & potestate Episcoporum fuisse : quanquam ne ipsi quidem tum inconsulto Clero populoque, aut sine eorum suffragatione & testificatione cuiquam conferrentur. Vide quid scripserit Cyprianus *ad Presbyteros, Diacones, plebemque* Carthaginensem, de lege quam sibi ipse præscripserat, ne quem unquam præter

L. 2. Ep. 5. eorum conscientiam ordinaret. *In ordinandis Clericis, fratres carissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare.* Episcopi ergo partes erant, ut eligeret, nominaret, ordinaret Clericos & Beneficiarios Ecclesiæ suæ. Sed cùm rescire unus ipse non posset, qui essent singulorum mores, quæ vita, testimonio uti cogebatur Cleri populique. Sed quando tam conspicua & tam spectata erat cujusquam pietas, ut testimoniis omnino opus non esset, tum illum ordinabat Episcopus, & ita populum Clerumque certiorem rei totius faciebat. Id ibidem additur à Cypriano: *Sed expectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt divina suffragia.* Id ille scribit ex occasione Aurelii, qui juventutis suæ florem documentis decoraverat consummatissimæ virtutis, illustri edita Christi nominis confessione. Ideo illum Cyprianus Lectorem ordinavit, mox Clerum populumque

L. 5. Ep 22. admonuit. *Hunc igitur, fratres dilectissimi, à me & à Collegis, qui præsentes aderant, ordinatum sciatis quod vos scio & libenter amplecti, & optare tales in Ecclesia quamplurimos ordinari. Et quoniam semper gaudium properat, Dominico legit.* Ordinavit & Subdiaconum atque Lectorem, de eaque ordinatione ad Clerum Carthaginensem statim rescripsit, quocum priùs illos ad examen vocarat, ubi & eorum promotionis assensus fuisse Cletus videbatur. *Examinantes, an congruerent illis omnia, quæ esse deberent in his qui ad Clerum parabantur. Nihil ergo a me vobis absentibus factum est, sed quod jam pridem communi consilio omnium nostrûm cœperat, necessitate urgente promotum est.* Celerini Lectoris & electio & ordinatio simillima fuit, iisdemque laudibus celebrata, atque Aurelii. Mirabili quadam & infracta fortitudine persecutores fidei superaverat. Cyprianus & alii Episcopi, qui unà erant, illum ordinarunt, & tum ad Clerum populumque Carthaginensem litteras de-

L. 4. Ep. 20. derunt. *Exultate igitur & gaudete nobiscum lectis litteris nostris, quibus ego & Collegæ mei, qui præsentes aderant, referimus ad vos Celerinum fratrem nostrum virtutibus pariter & moribus gloriosum, Clero nostro non humana suffragatione, sed divina dignatione conjunctum.*

IX. Quanquam autem testetur Cyprianus alios etiam præsentes affuisse Episcopos, ubi hos ordinavit Lectores; indubium tamen est, nonnisi unum desiderari Episcopum ad electionem & ordinationem Presbyterorum, cæterorumque minorum Cle-

Can. 2. ricorum. Apertè ita pronuntiat Canon Apostolicus: *Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.* Commemorat quidem Eusebius, cùm Origenes per Palæstinam iter ageret, Cæsareæ Presbyteratu initiatum fuisse ab Episcopis regionis:

L. 6. c. 23. *Cùm per Palæstinam transiret, Presbyterii gradum ab illius regionis Episcopis accepit.* Propè à vero abest hanc Episcoporum frequentiam in ordinatione Origenis non aliò pertinuisse, quàm ut consilio suo eas elevarent difficultates, quæ ordinationem ejus remorabantur.

Ideo non multò pòst profertur ab eodem Eusebio Epistola Cornelii Papæ ad Fabium Episcopum Antiochenum, ubi confirmat Cornelius ordinatum olim fuisse Presbyterum Novatum schismatis architectum, præter vota populi, Clerique, qui irregularem ex eo astruebat Novatum, quòd baptismum non accepisset, nisi vi morbi lecto affixus, & adventante jam morte perterritus. *Post susceptum*

L. 6. c. 43. *baptismum Presbyteri gradum consecutus fuerat, idque per gratiam Episcopi, qui manus illi imponens, cum ad Presbyterorum ordinem evexit. Cui cùm universus Clerus multique ex populo reflagarentur, eo quod non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi, in lectulo, perinde ac ille perfusi fuissent, in Clerum assumi, postulavit ab iis Episcopus ut hunc solum à se ordinari paterentur.* Quo exemplo patet in arbitrio fuisse Episcopi ordinare quorum operam existimaret Clero suo conducibilem, aut necessariam; sed eas fuisse populi Clerique partes, ut intercederent tum, cùm irregularitate aliqua maculati ordinabantur: quanquam etiam tum posset Episcopus declarare, ex usu esse Ecclesiæ, ut tum quidem venia fieret Canonum.

X. Origenis autem ordinatio singularis planè fuit, non ex sola dumtaxat irregularitatis venia, sed & ex eo quòd nulli illigatus fuerit Ecclesiæ. Ex suprà dictis enim abundè constat, ordinatione sua Clericos & Ecclesiæ affixos suæ fuisse, & Episcopo à quo ordinabantur. Argumento ejus rei etiamnunc est Episcopatus ipse, quo Ecclesiæ quisque suæ indivulsis nexibus devincitur Episcopus. Ejusdem generis erant olim omnia Beneficia, quòd eis implicata semper essent ministeria quædam sacra, quæ in Ecclesia cuique sua defungenda esset, & ex quibus existeret jus temporalis sustentationis.

XI. Nec verò fas est silentio præterire, quod de Alexandro Severo Imperatore narrat Lampridius, Historiæ Scriptor. Publicabat enim ille nomina eorum, quibus officia & dignitates Imperii primarias destinabat, Provinciarumque Præfecturas: ut si quid haberet quis criminis, quod illis objectaret, interim posset. Non dissimulabat autem Alexander, id à se fieri exemplo Judæorum & Christianorum. *Ubi aliquos voluisset vel Rectores Provinciis dare, vel Præpositos facere, vel Procuratores, id est rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probaret, subiret pœnam capitis. Dicens grave esse, cùm id Christiani & Judæi facerent, in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita.* Lamprid. in Alexand. Sever.

CAPUT II. *P. 1. l. 2. c. 15.*

De Electione Episcoporum. Quæ ibi partes fuerint populi, Cleri, Monachorum, Magistratuum, in Oriente post Imperium Constantini.

I. II. Nonnullæ semper fuere populi partes in electione Episcoporum. Explicatur Canon Laodicenus.

III. IV. V. Probationes ex Conciliis Antiocheno, Constantinopolitano, Ephesino.

VI. VII. Item ex Concilio Calchedonensi.

VIII. Electio B. Athanasii.

IX. Clerus, populus, Nobiles, Magistratus conspirabant ad electiones.

X. Probationes novæ ex Eusebio & Theodoreto.

XI. Vim quandoque adferebat plebs, idque Patrone, si credere fas est, Nazianzeno.

XII. Episcopi quandoque ipsi plebis furori cedebant.

XIII. Qui cogebantur, cedebant tandem necessitati, vel voci potius & voluntati Numinis. Argumenta ejus rei.

XIV. XV. Argumenta alia ejusdem violentæ necessitatis, cui libera se charitas accommodaret.

XVI. Cùm malitiosè qui jam abuti inciperent ea vi & impressione plebis, exinde prohibitæ sunt.

XVII. Ut electus sit Basilius à Clero, Monachis, Nobilibus, Magistratibus, populo.

I. II. PAulò accuratiùs jam nobis exploranda est ipsa electionum ratio post Imperium Constantini, ut liqueat qui modus, quæ vis, quæ partes authoritatis fuerint populi, Cleri, Episcoporum, Principum, & Magistratuum. Initium ducemus à Clero & populo in Oriente; tum ad Episcopos pergemus & Principes, atque in Occidentem.

Quanquam visa sit multis Laodicena Synodus populum spoliasse pristina potestate eligendorum Altaris Ministrorum: certum est tamen illum suas semper aliquas ad eam partes interposuisse. *Turbis,* Can. 13. τοῖς ὄχλοις *non esse permittendum, eorum qui in sacerdotio sunt constituendi, electionem facere.* Itaque hoc Canone non suo suffragii qualiscumque, aut testimonii jure excussa est plebs; sed aut summotæ sunt tantùm tumultuosæ turbæ, quæ negotio pacis & sapientiæ, suarum quadam cupiditatum procella plerumque obstrepebat: sed illud diffinitum est, non ex voluntate plebis, cui facilè illudit vel imperitia, vel cupiditatum fascinatio, sed ex judicio & arbitrio Episcoporum terminandas esse electiones, aut eorum qui sapientia & religione præstant: ut ponderari magis debeant suffragia, quàm numerari.

III. Jubet certè Antiochena Synodus, ut Episcopus Episcopatu suo quo demum cumque casu exutus, ne vacantem possit invadere Episcopatum alium, quamvis plebs universa percupiat, nisi Metropolitanus & Episcopi Provinciæ ei suffragentur translationi: quòd facile fuerit Episcopo populum
Can. 16. lactare ac delinire. *Etsi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit.* Agitur ibidem mox de Episcopis, qui possessionem inire Episcopatûs sui non potuere, *propter populi recusationem.* Vetantur Episcopi ex Ecclesia una in aliam migrare, quan-
Can. 18. tumcumque plebs vim adhibeat: *Non vi coactus à*
Can. 21. *populis* Nec minùs flagravit Sardicensis Concilii zelus, ad ejusmodi Episcoporum translationes proscribendas, quamvis eis prætexeretur populi vis, qui facilè potuerat inescari. *Cùm manifestum sit po-*
Can. 2. *tuisse paucos præmio & mercede corrumpi, eos qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum.*

IV. Scripsit Oecumenica Constantinopolitana prima Synodus ad Damasum Papam & ad cæteros Occidentis Episcopos, Regiæ hujus urbis Episcopum electum esse Nectarium ab Oecumenica ipsa Synodo, assensu & suffragio Episcoporum Cleri & populi. *Nectarium in Concilio generali, communi omnium consensu, præsente Imperatore, totius denique Cleri, totiusque civitatis suffragiis Episcopum constituimus.* πάσης τῆς ψηφιζομένης τῆς πόλεως. Additur & Flavianum electum fuisse Antiochenæ urbis Episcopum, omnium consensione clarissimæ illius Ecclesiæ alumnorum. *Tota illa Ecclesia suffragante, & velut uno ore virum illum honorificè collaudante.*

V. In Concilio Ephesino Memnon ejus urbis Episcopus, tantumnon ejectus est ea sede, Joannis Antiocheni Episcopi factione, à quo Senatores & Proceres Ephesini ad eligendum Episcopum alium concitati fuerant. De ea re conquestus est Memnon litteris ad Clerum Constantinopolitanum datis;
Epist. Cath. in Ephes. Synod. *Quotidie venerandum Senatum, illustrissimosque cives,* τὴν βουλὴν, καὶ τοὺς κτήτορας, *ad se evocant, magna importunitate flagitabat, ut eorum suffragiis alius in meum locum ordinaretur Episcopus.* Hinc emergit multò plus momenti fuisse in Senatûs & honoratorum civium, quàm in infimæ plebis votis, quamvis & ipsius plebis aliquo loco esset suffragium. Inde est quòd dissipato Conciliabulo Ephesino, Leo Magnus & Concilium Romanum Romæ coactum, literas dederunt ad Clerum, ad Optimates & ad populum Constantinopolitanum, ut eorum in fide Catholica tuenda constantiam roborarent, & ad amorem ac tuitionem accenderent orthodoxi Episcopi sui Flaviani, qui in ea pseudosynodo abdicatus fuerat *Clero, Honoratis, & plebi* Con. Calch. par. 1. c. 22. 23.
consistenti apud Constantinopolim.

VI. In Concilio Calchedonensi Stephanus Episcopus Ephesinus, ut nutantem firmaret dignitatem suam, affirmabat Episcopum se constitutum fuisse ab Episcopis quadraginta, assentientibus Optimatibus & Primoribus Populi, Clerique. *Me quadra-* Act. 11.
ginta Episcopi Asiani, suffragio & Nobilium & Primatum populi & totius reverendissimi Cleri, & omnis civitatis ordinaverunt. ψήφῳ καὶ τῶν λαμπροτάτων, καὶ τῶν πρώτων, καὶ τοῦ εὐλαβεστάτου παντὸς κλήρου, καὶ τῆς πόλεως πάσης. In sui defensionem æmulus ejus & competitor Bassianus, aiebat se approbatum & pene coactum à plebe, à Clero urbis, & ab Episcopis; denique ab Imperatore confirmatum: ὁ λαὸς, καὶ ὁ κλῆρος, καὶ οἱ ἐπίσκοποι. Certè mox testatur contrà Basilius Episcopus, non fuisse nisi à ducentis vel trecentis sedi intrusum Bassianum. Utramque eam electionem irritam fecere Calchedonenses Patres, Episcopum verò eligi alium sanxere ab illis omnibus, qui ejus jurisdictioni & imperio obnoxii futuri erant. *Ab omnibus, qui pascendi sunt, eligendus.* ὑπὸ πάντων τῶν μελλόντων ποιμαίνεσθαι ψηφιζόμενος.

VII. Ab eodem Calchedonensi Concilio concessa est Episcopo Constantinopolitano ordinatio Metropolitanorum Exarchatuum Ponti, Asiæ & Thraciæ, postquam canonicè electi fuissent à Clero cujusque Ecclesiæ Metropolitanæ, à Civibus, à Nobilibus, & ab Episcopis Provinciæ. *Decreto fa-* Act. 16.
cto à Clericis uniuscujusque Metropolis, & Possessoribus, κτητόρων, *& clarissimis viris,* καὶ λαμπροτάτων ἀνδρῶν, *super hæc, & à reverendissimis Episcopis Provinciæ omnibus, aut pluribus.* Post ejus Concilii finem, cùm Proterius Episcopus Alexandrinam regeret Ecclesiam, intrudi se in ejus sedem fecit impius Timotheus à duobus Episcopis, & à Clericis quibusdam extraneis, cùm Imperatori Leoni interim ementiretur, electum se fuisse à populo & honoratis Ci-
vibus; *De Timotheo, quem Alexandrinorum popu-* Con. Calch. Par. 3. c. 25.
lus, & Honorati, & Curiales, & Naucleri Episcopum sibi petunt.

VIII. Si sursum autem reflectamus vestigia, obvia prodibit Epistola encyclica Concilii Alexandrini, ubi perhibetur Athanasius electus fuisse & expetitus ab universo populo Alexandrino, tam cupidè, ut in eam rem enixissimas preces & ad Deum funderent, & ad Episcopos, cùm nec exire eos sinerent foribus Ecclesiæ, nec exirent ipsi per plures dies, donec voti compotes fierent. *Testamur* Athan. Apo. 2.
omnem multitudinem, populumque Catholicæ Ecclesiæ in unum coactum, quasi in speciem unius corporis & animæ; clamoribus vociferationibusque postulasse Athanasium Episcopum dari, idque publicis votis à Christo expetisse, nosque ut faceremus, per multas dies ac noctes jurejurando obtestatos fuisse: cùm interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque nobis facultatem discedendi permitterent.

Testabatur & ipsemet alicubi Athanasius, quanquam de facinore quopiam convictus fuisset, & necessariò sibi dandus fuisset successor, electionem tamen ipsam à populo, à Clero, & ab Episcopis

Epist. ad Orthod. faciendam fuisse. *Juxta Ecclesiasticos Canones, & Pauli verbum, congregatis populis & spiritu Præsidentium cum virtute Domini nostri Jesu Christi, omnia Canonicè inquiri & peragi decebat præsentibus populis & Clericis.* Id quoque confirmat Gregorius Nazianzenus, totius primùm populi suffragiis electum fuisse Athanasium: ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντός. *Suffragiis totius populi.* Testatur Julius Papa in ea quam in Athanasii defensionem scripsit Epistola, Gregorium non potuisse illi obtrudi successorem, *neque plebi cognitum, neque postulatum à Presbyteris.* Testificatur & Theodoretus Lucium Arianum, nec à Synodo Episcoporum electum fuisse Episcopum, nec suffragiis Cleri, nec postulatione plebis, ut volunt Canones. *Non Episcoporum Orthodoxorum Synodo, non Clericorum verorum suffragio, non petitione populorum, ut Ecclesiæ leges præcipiunt.*

Orat. 21.

Athanas. Apol. 2.

Theodoret. L. 4. c. 20.

IX. Nec plura, opinor, aggeranda hic sunt argumenta, ut constet, 1. In Ecclesia Græca non parum momenti ad electiones Episcopales in populi suffragatione fuisse. 2. Sed multò tamen plus fuisse in favore Senatorum, Nobilium, Honoratorumque, quos natales, quos dignitas, quos sapientiæ fama suprà vulgi fæcem eveheret. 3. Sed non paulò plus adhuc ponderis habuisse Clerum, & in Clero Presbyteros: maximè in urbibus celebrioribus, ubi & frequentior erat Clerus. Illud enim observari potuit, in majoribus tantum civitatibus factam esse Cleri mentionem, nec nisi sequentibus seculis. Augescebat enim in dies Clericorum numerus, & cum numero authoritas. Ab exordio solus penè populus apparebat, solus commemorabatur in tanta Clericorum paucitate; pòst conspicuus factus est, uti & numerosior Clerus; qui & numero tandem & ordinis sui authoritate magis magisque convaluit.

X. Balsamoni & Zonaræ imposuit sui seculi consuetudo. Cùm enim nihil loci tunc residuum esset populo in electionibus Episcopalibus: hinc illi augurati sunt eam illi fuisse abrogatam potestatem, eo Canone Nicæno, quo electio & ordinatio Episcoporum Metropolitano & Episcopis provinciæ commendatur. Sed quæ deprompta sunt à nobis hic testimonia, nihil prorsus dubitationis residere sinunt in cujusquam animo, apertéque vociferantur, duos hos medii ævi Canonum interpretes suæ ætatis præjudicio & usu delusos fuisse, ut non aliter rem habuisse ominarentur temporibus Concilii Nicæni, cujus & Canonem eò detorserunt.

Can. 4.

His adjici posset Epistola Imperatoris Constantini *ad populum Antiochenum*, ut cum avocaret à priore sententia eligendi sibi in Episcopum Eusebium Episcopum Cæsariensem: adduceretque ad alium quemlibet eligendum, *omni seditioso, & immodico clamore procul amoto.* Scripsit Constantinus & ad Episcopos Antiochiæ Synodicè collectos, ut eos absterreret ab electione Eusebii, quem conjunctim cum populo asciverant. *Quandoquidem hoc litteris vestris continebatur ut juxta populi ac prudentia vestra suffragium ac voluntatem*, κατὰ τὴν τοῦ λαοῦ, καὶ ὑμῶν ψῆφον ... *Eusebius Ecclesiæ Antiochenæ præsideret.* Scripsit & ad Nicomedienses de eligendo sibi Episcopo. Hanc ejus Epistolam historiæ suæ intexuit Theodoretus, in qua & illud edisseris, Petrum Athanasii in Alexandrina Ecclesia successorem, in id culmen provectum fuisse ipsius Athanasii antè mortem suffragio, assensu Cleri & Magistratuum, secundis & vehementibus populi acclamationibus: *Quem primùm Athanasius suo suffragio designarat, ejusque electioni ab omnibus tam Sacerdotibus, quàm Magistratibus assensum est; populus quoque universus acclamationibus, quantum lætitiæ percepisset, demonstravit.* In hac vero conspiratione suffragiorum perspicuum est, Episcoporum, Presbyterorum & Magistratuum calculos plurimum habuisse momenti: à populo autem unum id expectatum fuisse, ut applauderet, vel ne refragaretur. Scripsit & Leo Imperator apud Evagrium ad Alexandrinos, ut Episcopo subesse vellent, quem Cleri populique electio designaret: ὃν ἂν ὁ κλῆρος, καὶ ὁ λαὸς ψηφίζηται. Erat tamen & cùm vis populi vehementior ingrueret, vinceretque, ut cùm Constantinopoli electus est Sisinnius post mortem Attici. Ita enim ea de re Socrates: *Laicorum studium tulit superiores, & Sisinnius ordinatus est.* Incredibiles Sisinnii largitates & eleemosynæ hæc illi plebis flagrantissima studia conciliaverant.

Eusèb. de vita Const. L. 3. c. 60. 62.

Theodoret. L. 1. c. 20. L. 4. c. 18.

Evag. l. 3. c. 12.

L. 7. c. 26.

XI. Nusquam tam perspicuè patent rationes, artes, strophæ, machinæ, vicissitudines variæ & semper alternantes electionum Episcopalium, quàm in narratione Gregorii Nazianzeni, de electione Eusebii, & post Eusebium Basilii in famosa civitate Cæsarea Cappadociæ principe. Cùm convenissent Episcopi ad creationem Archiepiscopi & Exarchi ejus Ecclesiæ, aliquandiu fluctuatus est populus, hinc cupiditate, hinc pietate polliciente, perinde ut quisque affectus erat; cùm tandem omnium suffragia in unum consensere Eusebium, religione & nobilitate spectabilem illum quidem, sed adhuc Catechumenum. Huic electioni reluctatus est pro virili sua parte Eusebius, at plebs adminiculantibus militaribus copiis, vim attulit, ad Episcopos eum pertraxit, quos & coëgit, ut illum ordinarent, sedique Episcopali inveherent. Episcopi templo digressi, irritam contendebant eam ordinationem, quòd sibi facta vis esset. Gregorius Episcopus Nazianzenus, ejus Gregorii parens, cui divinæ cujusdam eloquentiæ & sapientiæ cumulus Theologi nomen peperit, animo infracto novi Episcopi tuitionem adgressus est, quippe cùm non minor Eusebio ipsi allata esset vis: si ut ille, ita & ipsi vi cessissent, ex æquo vel reos omnes teneri, si cedere nefas erat: vel innoxios haberi, si fas erat: cùm communis ergo esset causa, non posse alios ab aliis damnari: ut verò Eusebius cùm diu ex animi mira modestia & demissione repugnasset, charitate & obedientia tandem vinci debuerat, quo & iis se proderet non destitui virtutibus: Episcopos quoque charitate Episcopali & provida consultissimaque dispensatione, assentiri denique populo debuisse, quem vehementior quidem, sed ex pietate tamen profectus zelus transversum egisset. *Aderant Episcopi, ut Archiepiscopum darent: sed cùm in plures sententias multitudo distraheretur, aliique alium proponerent, vel benevolentia in aliquem, vel pietate in Deum: tandem plebs tota uno consensu, primarii ordinis virum unum, vita quidem & moribus eximium, divino tamen Baptismo nondum consignatum, invitum & repugnantem corripiunt, simulque militaribus copiis, quæ tum in urbe erant, opem afferentibus, in sacrario collocarunt: & Episcopis obtulerunt, suasioni vim admiscentes: non id quidem admodum modestè atque compositè, admodum tamen piè atque ardenter, &c. Episcopi discesserunt, &c. Consilium ineunt, ut nihil eorum quæ gesta fuerant, ratum esse ducerent, vim ei objicientes, qui non minorem ipsi vim passi fuerant, &c.*

Nazianz. Orat. 19.

XII. Crebra erant id genus exempla, validæque hæ & canonicæ habebantur ordinationes; quòd

compertum esset, eam populi vim, à zelo manante pio certè, tametsi immoderato. Quod qui renisus diu fuerat electioni, sponte tamen cedebat, non tam vi populi, quàm voci Dei, cujus voluntatis index certissima est ea, ad quam deprimimur, ineluctabilis necessitas. Quòd denique præsumptum id esset animo, Episcopos, qui rei non aderant tantùm, sed præerant, nequaquam cessuros fuisse, si quid inde detrimenti importari Ecclesiæ sensissent: & quæ Episcopalis est magnanimitas, sanguinis etiam impendio hoc à se, hoc ab Ecclesia dedecus amolituros, ne ordinationem facerent, quam mox infectam declararent; fingerentque quod mox diffingerent. Unde idem ibidem Nazianzenus: *Longè enim satius fuisse, ut ipsi tum temporis, periculum adirent, atque ad extremum usque obsisterent, quàm ut postea insidias compararent.*

XIII. Et sanè Eusebii electio rata tunc fuit, ratæ fuere & aliæ id genus omnes. Ita præjudicatum semper fuit, ubi cesserunt Episcopi Synodicè collecti, cedere eos debuisse: & quod fecerant, voluisse tandem; cùm si noluissent, ne fecissent quidem. Ita persuasissimum fuit, electum qui pietatis & religionis instinctu renitebatur, revisum etiam fuisse sapienter & circumspectè, atque adeo convenienter humilitati & obedientiæ, quam religio, quam pietas, quam sapientia sancit: unde & tandem consensisse voluntati divinæ, quæ nusquam se nobis apertius prodit, quàm ubi nos indeclinabili premit necessitatis laqueo. Suis & exemplis nos, & verbis addocebant suprà Augustinus & Paulinus, esse quandam vim, qua fiat, non quo faciamus, quod nolumus: sed qua velimus, quod nolebamus. Utrique enim illorum furor quidam incubuit incursionis popularis, ut Presbyteri incunctanter & abruptè ordinarentur. Restitum ab illis est strenuissimè: sed ubi quantamcumque repugnantiam suam vinci agnoverunt; senserunt que non quid populus cogeret, sed quid Deus hac ipsa tempestate significaret, quid moderatio, quid patientia, quid humilitas, quid charitas suaderet, jugum tandem subiere, quod frustra contumacius declinassent. Vide quid Augustinus universim sentiat de his ordi-

Epist. 124. nationibus vi impactis: *Tam multi ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Testatur Paulinus se ea coactione & necessitate quam expertus est, intellexisse quid Deus juberet, atque ita coactioni lu-

Epist. ad Severum. bens cessit. *Repentina vi multitudinis, sed credo ipsius Domini ordinatione correptus, & Presbyteratu initiatus sum, fateor invitus. &c. Novum inperatumque placitum divinæ voluntatis expavi: data igitur cervice in jugum Christi, &c.*

XIV. Nec dispar fuit vis, qua Epiphanius Episcopus Cypri Paulinianum oppressit, ut Diaconatum primò, mox & Presbyteratum impingeret,

Epist. Epiphan. ad Joan. Episc. Hieros. quantumvis renitenti. *Per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus; ne fortè liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi: & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut ministraret; valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus, testimoniis Scripturarum, & propositione mandatorum Dei. Et cum ministraret in sanctis Sacrificiis, rursus eum, ingenti difficultate tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iisdem verbis, quibus antea suaseramus, impulimus, ut sederet in ordine Presbyterii.* Hic observamus porrò non à temerariis tantùm populi turbis adhibitam quandoque fuisse vim, sed & ab Episcopis sapientia & gravitate conspicuis, ut jugum imprimerent Regii Sacerdotii Christi. 2. Non manu tantùm, sed rationibus vim fieri insolitam, ut mens flectatur, divini timoris aculeis compuncta, & fracta inexorabilis necessitatis sibi incumbentis pondere. 3. Ita paruisse tandem aliquando, non vi tantùm, sed & voluntate. Unde & *invitum* se ordinatum fuisse Presbyterum fatetur Paulinus, & cessisse se tamen divinæ voluntatis imperio. Ita vel duæ voluntates, vel unius ejusdemque voluntatis duo sejungenda sunt tempora; resistitur cum nondum constat de ineluctabili, tum rei necessitate, tum Dei voluntate; jam non ulterius resistitur, ubi constat. 4. [illegible] renituntur, solo humilitatis & pietatis instinctu, ut Paulinianus, *indignum se esse contestans*: eos nihil in se habere, quod repugnet legibus & officiis obedientiæ, quæ humilitatis comes est individua; sed sui despicientia, & ponderis quod ingeritur metu, extimulari, ut subducant se oneri, & Episcopos abducant à sententia & proposito eos ordinandi. Interim tamen mens verè humilis & Deo subjecta, in sinu fovet arcanum penitissimumque propositum subeundi, quod Deus jusserit, quod Dei vicarii Episcopi constantissimè voluerint. 5. Si replicetur memoria Abramii & Salamani, qui ordinati sunt Presbyteri, ne id quidem scientes, quòd sacro Ordine tum initiarentur, ut narrat Theodoretus, facilè intelligetur horum Ordinationis authoribus Episcopis persuasissimum fuisse, viros omnibus virtutum numeris absolutos, ideoque jure meritissimo sacerdotio exornandos, ne posse quidem in animi sui penetralibus dissentire, vel tantillum repugnare, vel Dei, vel Dei Pontificum imperio. Non nescii enim erant, non posse veram humilitatem non pari obedientia propendere in ea omnia, quæ lex charitatis, quæ legitima Pastorum authoritas sancit.

XV. Iterum docebit nos Paulinus, ut vis illa foris circumstrepens, non everterit liberam ejus voluntatem, sed mentem illustraverit, ut videret, ita necesse esse, ac proinde ita Deum velle, & proinde demum omnino parendum esse & necessitati & Deo. *Cùm pro meritorum meorum conscientia* Epist. ad Amandum. *recusarem, vel potius non auderem recipere, ego vermis, & non homo, vi subita, invitus, quod fateor, astrictus & multitudine strangulante compulsus, quamvis cuperem calicem ipsum à me transire, tamen necesse habui dicere Domino, Verum non mea voluntas, sed tua fiat.* Liquet ergo ea vi, qua authoritas legitima, & charitas vegeta urgent homines religione, & humilitate medullitus animatos, non debilitari, non violari libertatem, sed flecti, & quo æquum est, converti. Sicut & repugnantia, qua viri pii humilesque obnituntur, non pugnacitas, non pertinacia est, sed fastidium & contemptus sui, & modestia vehementior.

XVI. Sed cùm eam vim fraudulenter quandoque & insidiosè adhiberent, sive plebes, sive Episcopi, ut viros potentes per speciem provectionis deprimerent, consultissimè Ecclesia posthac ejusmodi quidquam prohibuit tentari. Acerbissimè Ravennatem Archiepiscopum objurgavit Simplicius Papa, quod affectata malitia vim attulisset, & Episcopum ordinasset eum, qui ab ea dignitate abhorreret. *Non electione, sed invidia, inexcusabili violentia per-* Epist. 2. *trahi ad te passus es, atque vexari, ut ei honorem tantùm per amentiam irrogares: quem non provectum*

constat esse, sed pulsum. Imperatores Leo & Majorianus irritas declararunt ordinationes, ubi *per parentum colludia filii* ordinati fuissent inviti. *Illo sua reddito voluntati, qui coactus non potuit consecrari.* *Tit. 2. Legū Novell.*

XVII. Præmisso hoc tam necessario elucidamento, redeo ad Gregorium Nazianzenum, ut ab eo audiamus, qui post Eusebium electus sit Basilius Cæsariensis Episcopus. Gregorius Episcopus Gregorii Theologi pater Coëpiscopis eligendum illum proposuit, nec non & Clero, Monachis, Magistratibus, Senatoribus, Plebi. *Hæc iis scribo, qui sacerdotii munere funguntur, & Monachis, & iis qui dignitates gerunt, & Senatorii ordinis sunt, ac denique plebi universæ.* Hæc erat canonica eligendi ratio, horum erant suffragia ad Pastorem creandum corroganda. Si unanimes omnes consentiant, restatur Gregorius se spiritu illis affuturum & electioni assensurum: dissensurum autem prorsus, si ea fiat *per sodalitia & cognationes*, κατ' ἑταιρείας ᾗ συγγενείας; & si in eos dominetur tumultuosa turba, ὀχλώδης χείρ. Agnoscis verbum illud ipsum, quod usurpatum est initio hujus capitis à Concilio Laodiceno. *Epist. 22.*

CAPUT III. *P. 1. l. 2. c. 16.*

De electione Episcoporum in Occidente post Imperium Constantini.

I. In Occidente quoque Episcoporum electionibus populus intererat. Probationes ex Conciliis Africanis.

II. De Episcopo Visitatore, cui imminebat cura vacantium Episcopatuum.

III. Probationes ex Epistolis Pontificum. Clerus, Senatus, Nobilitas, Populus conspirabant ad electiones.

IV. V. Argumenta rursum alia ex Epistolis Leonis Papæ.

VI. Argumenta ex Conciliis Galliæ.

VII. Exempla electionum Episcopalium in Gallia ex Sidonio Apollinari. Miræ factiones.

VIII. IX. Alia ejusdem rei exempla. Competitorum numerus. Episcoporum authoritas summa & moderatrix omnium.

X. Quàm necesse esset ut ea dominaretur.

XI. De electione Metropolitanorum.

XII. De electione S. Martini. Ac ubi præponderarit populi authoritas.

XIII. Tristissimum exemplum in Africa, ubi populus prævaluit.

XIV. Ut successorem suum eligi fecerit Augustinus à Clero & populo.

I. UT in Græcis, ita & in Latinis Ecclesiis libera populo fuere sua suffragia in electionibus Episcoporum. Author est Optatus populi Carthaginensis suffragatione electum fuisse Cæcilianum. *Suffragio totius populi Cæcilianus eligitur.* De Sardicensi Concilio dictum est capite superiori. Vetitum est in Concilio Carthaginensi II. ne Episcopi Provinciæ ordinarent eum, quem populus expetisset, nisi à Metropolitano confirmatum. *Ad desiderium populi Episcopum ordinare contempto Primate Provinciæ* Concilium Carthaginense III. facta copia, ut tres Episcopi Episcopum possint ordinare: edicit, ut unus insuper vel duo adsint, si plures de Episcopatu contendant, aut si quibus flagitiis electus impetitur, quæ purgari coram plebe oporteat. *Si qua contradictio fuerit oborta, non præsumant ad purgandum eum qui ordinandus est, tres jam; sed postulentur ad numerum supradictorum unus vel duo; & in eadem plebe cui ordinandus est, discutiantur primò personæ contradicentium; postremò illa etiam, quæ objiciuntur, pertractentur. Et cùm purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur.* Eam ergo oportebat esse electi morum innocentiam, quæ tot haberet testes, tot non reformidaret censores, quot erant in populo capita: antè enim de Episcopo judicabant, quàm ei subjicerentur. *Optat. l. 1.* *Can. 12.* *Can. 40.*

In Concilio Carthaginensi IV. conscripta est formula examinis morum, & fidei, cui subjiciendi erant electi Episcopi; subditur autem hoc examine præmisso consecrari debere Episcopum, assentiente Clero & populo, præsentibus Episcopis Provinciæ, præsente aut assentiente Metropolitano. *Cùm in his omnibus examinatus, inventus fuerit plenè instructus, tunc cum consensu Clericorum & Laicorum, & conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximéque Metropolitani vel præsentia vel authoritate, ordinetur Episcopus.* Cautum est in Carthaginensi Concilio V. ne Episcopus, cui vacantis Episcopatûs regimen commendatum est, possit ibidem ipsemet Episcopus eligi, quantocumque ejus studio ardeat populus. Si intra annum non perfecerit, ut electio canonica celebraretur, inde jubetur facessere, & loco cedere novo Intercessori. Eo enim nomine etiam designabatur Episcopus, cui Ecclesia quæpiam Pastore orbata, concredita fuerat. *Nulli intercessori licitum sit, Cathedram, cui Intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere, sed dare operam, ut intra annum eisdem Episcopum provideat. Quod si neglexerit, anno exempto, interventor alius tribuatur.* *Can. 1.* *Can. 8.*

II. Ex eo Canone illud elicitur, cùm primùm defuncto Episcopo vacabat Ecclesia, statim vel à Metropolitano, vel ab Episcopis Provinciæ designatum fuisse unum ex iisdem Episcopis, qui & exequias curaret Collegæ mortui, & spiritalium temporaliumque ejus Ecclesiæ administrationem susciperet, qui denique canonicam electionem maturaret. Ubi verò propediem perficienda erat electio, Metropolitanus ab eo & Episcopi Provinciæ convocandi erant, ut advolarent, electioni præessent, electum consecrarent. Si vertente anno nondum processisset electio, delegabatur alius Intercessor, seu Interventor, qui nec ipse quidem poterat in eam tum sedem eligi, tum quòd Episcopus jam esset, tum vel maximè quòd quamvis ambitionis purus esset & integer, non esset tamen suspicionis.

III. Damnatus est à Zosimo Papa in Decretis ambitus effrænis Lazari & Herodis, qui Episcopales sedes duas invaserant, in ea Provincia, ubi ignoti, ubi extranei essent, & ubi Clero populoque adversante, ne fuco quidem justitiæ audaciam suam obumbrare possent. *Plebe Cleroque contradicente, ignotos, alienigenas, intra Gallias Sacerdotia usurpasse.* Expressit ab Honorio Imperatore Bonifacius I. Papa Constitutionem, qua percellerentur, qui fœdo ambitu Romanam sedem prehensabant; & statueretur, ubi scissis in duos suffragiis ambo se ordinari properassent, utrumque ambitionis ergo repudiatum iri, nec futurum Episcopum, nisi in quem omnium suffragia consensissent. *Si duo contra fas temeritate certantes, fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus Sacerdotem; sed illum solum in Sede Apostolica permansurum, quem ex numero Clericorum, nova ordinatione divinum judicium & universitatis consensus elegerit.* Perscripsisse ad se ait idem alibi Bonifacius Clerum, Senatum, populumque Lutevensem in Occitania, gravatè ferentes quòd eorum suffragia pro nihilo putarentur in electionibus Episcoporum. *Lutubensis Ecclesia Cleri, ordo, vel plebs preces suas ad nos miserunt.* Legendum, ut suspicor, *Clerus Ordo, vel Plebs.* Cui conjecturæ etiam fidem astruet Epistola Cælestini ad Episcopos Galliæ super eadem re. *Epist. 3.* *Epist. 8.*

Nullus

Epist. 1. *Nullus invitis detur Episcopus; Cleri, Plebis & Ordinis consensus ac desiderium requiratur.*

IV. Senatum & Magistratus Leo Papa I. nomine *Epist. 84. c. 5.* Populi complectitur: *Cum de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postularit, &c. Metropolitano defuncto, cùm in locum ejus alius fuerit subrogandus, Provinciales Episcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium Clericorum, atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconibus, optimus eligatur.* Et tamen alibi doctissimus idem Pontifex duas illas diligenter discriminat populi portiones, hinc dignitate vel nobilitate conspicuas, hinc vulgi turbam. *Epist. 106.* *Secundùm desideria Cleri, Honoratorum & Plebis unanimiter consecrastis Episcopum.* Et rursus alibi: *Epist. 89.* *Expectarentur certè vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus, ab his qui norunt Patrum regulas custodiri.* Ubi primarias partes tribuit Clero, deinde Honoratis, vulgo non permisit nisi testimonia & vota sua promere, ut ne taceat quid de cujusque moribus sibi compertum sit. Id verò ex Apostolo hauserat Leo, jubente ut ab inimicis testimonium diceretur de incontaminata Ministrorum Ecclesiæ innocentia, quam arrodere nec hostes possent. *Ut Apostolicæ authoritatis norma in omnibus servaretur, qua præcipitur, ut Sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solùm attestatione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt, testimonio muniatur.* Et rursus Leo in eadem Epistola: *Teneatur subscriptio Clericorum, Honoratorum testimonium, Ordinis consensus, & plebis.* Quin & ratio ejus disciplinæ à Leone non siletur. Ingenua quippe & libera Christianorum in Pastores & duces suos obedientia est: eligebant ergo, qui sibi præessent. *Qui præfecturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Et ibidem rursus: *Nullus invitis & non petentibus ordinetur; ne Civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit: & fiat minùs religiosa, quàm convenit, cui non licuit habere quem voluit.*

Expostulavit & Hilarus Papa de Episcopo, qui vota populi prævertisset, & ordinasset Episcopum. *Epist. 1.* *Nullis petentibus populis Episcopum ordinavit.* Modus tamen hic aliquis adhibendus est ex Conciliis Africanis. Sola enim plebs civitatis Episcopalis, non Parochiarum rutis ferè consulebatur, & tamen omnes æquè parebant Episcopo. *Ferrand. Can. 11.* *Ut ad eligendum Episcopum sufficiat matricis arbitrium.* Ita Ferrandus ex Conciliis Africanis.

V. Clericis specialiter electionem vendicat Leo, cum eorum *subscriptionis* necessitatem meminit, reliquorum *testimonii & consensus.* Et rursus alibi: *Epist. 92.* *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti.* Si in Occidente autem à Clericis duntaxat subscribebatur tunc electionis decretum: at in Oriente etiam à Laïcis. Testem profero Eusebium illum fama percelebrem Episcopum Samosatenum, qui decretum electionis Meletii, quod sibi commendatum fuerat, tam fidè tamque constanter custodivit, quodque Catholici omnium subscriptionibus muniri fecerant, etiam Arianorum, qui suæ se hominem sectæ eligere rati, Catholicæ fidei invictissimum elegerant defensorem, ut prolixè commemoravit Theodoretus. *Theodoret. L. 2. c. 31. 32.*

VI. Concilio in Gallia Regiensi paulò diversa ab Africanis Conciliis placuit disciplina, ad regimen vacantium Episcopalium Ecclesiarum. Constituit enim ut proximioris Ecclesiæ Episcopus mortui Collegæ procuraret funus, viduatæ Ecclesiæ rem temporalem regeret, impensis in id diebus non amplius septem, in suam se reciperet Ecclesiam, nec eò rediret nisi cum aliis Provinciæ Episcopis à Metropolitano vocatis ad electionem canonicam celebrandam. Hoc Canone cautè occurrebatur flexuosis artibus ambitiosorum, & alienæ sedis cupidorum, qui plebes clam delinibant, ut optatissimam sibi vim palam inferrent. *Ne quis ad eam Ecclesiam,* *Can. 6. 7.* *quæ Episcopum perdidisset, nisi vicinæ Ecclesiæ Episcopus exequiarum tempore accederet, qui visitatoris vice Ecclesiæ curam gereret, &c. Hunc autem omnia exequiarum tempore usque ad septimam defuncti diem aget; Exin se Ecclesiæ referens, mandatum Metropolitani simul cum omnibus sanctis Episcopis opperiatur. Nec quisquam ad Ecclesiam, quæ summum amiserit Sacerdotem, nisi Metropolitani litteris invitatus, accedat, ne à plebe decipiatur, & vim pati voluisse videatur.* Ita ambitionis oestro perciti Præsules fallebant & fallebantur; & quod perditissimè concupiscebant, ad id se volebant cogi.

VII. Sed ut explicatior Gallicanarum Electionum ratio subjiciatur oculis, excutiendæ sunt nobis Sidonii Apollinaris Epistolæ. Cùm Pastore orbata gemeret Cabilonensis Ecclesia, ad eam accessit Patiens Lugdunensis Archiepiscopus cum Episcoporum Provinciæ cœtu. *Provincialium Sacerdotum præ-* *L. 4. Ep. 25.* *vio partim, partim comitante Collegio.* Hoc certè *Pontificale Concilium* in tres competitores invenit partita populi vota. *Triumviratus accenderat Competitorum plebem.* Hic nobilitatis gloriam & stemmata ostentabat. Ille complurimos sibi adjunxerat conviviorum sumptu & splendore. Postremus clam spem faciebat deprædandorum Ecclesiæ prædiorum. *Tacita pactione promiserat Ecclesiastica plausoribus suis prædia prædæ fore.* Fœdissimas has grassationes Metropolitanus oppressit, ordinavitque Episcopum unum ex ejusdem Ecclesiæ Clero, ingenti pietate & eruditione virum, Joannem, qui omnes Cleri gradus, omnes Ecclesiæ ejus functiones à puero exhauserat. Ita perfecta est electio, *stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis.* Eæ demum fuere populi tum partes, ut non reclamaret, *reclamantibus nullis.* Electio certè ab Episcopis, potissimùm verò à Metropolitano perfecta est. Nec minus admirationis habet, quod mox subjicio exemplum.

VIII. Sidonius ipse Apollinaris Arvernus seu Claromontanus cùm esset Episcopus, à Bituricensibus accitus est, Episcopo nempe destitutis, Provinciæ totius Metropolitano. Studia partium mirum in modum efferbuerant inter Clerum & populum. *Utriusque professionis ordinibus quoddam sacerdo-* *L. 7. Ep. 5.* *tii classicum cecinit. Fremit populus per studia divisus. Pauci alteros, multi sese non offerunt solùm, sed inferunt.* Propudiosa hinc sese obtrudentium insolentia, hinc sacram nundinantium dignitatem. Agroecium Senonensem Metropolitanum accivit Sidonius, ut suppetias sibi ferret; nequedum enim electum esse quemquam, & ejus se judicio integram reservare eam electionem. *Nullus à me hactenus nominatur, nullus adhibetur, nullus electus est; omnia censuræ tuæ salva, illibata, solida servantur.* Ne verò gravaretur opitulari Ecclesiæ alienæ, cùm nusquam aliena, nusquam extranea sibi sit Ecclesia, charitatis glutine sibi arctissimè compaginata; ut enim jurisdictionis limites defixi sint, non tamen charitati defigi potuisse. *Nec te, quanquam Senonia caput es, inter hæc*

dubia subtraxeris intentionibus medendis Aquitanorum, quia minimum refert, quod nobis est in habitatione divisa Provincia: quando in religione causa conjungitur, &c. Ostendite quia terminus potuerit poni vestra quidem regioni, sed non poterit charitati. Nusquam poterat gravior incumbere necessitas ex aliis Provinciis auxiliares Episcopos accersendi, cùm Reipublicæ & Ecclesiæ hostes totam prorsus eam Provinciam occupassent, nec reliquas fecissent civitates ullas, nisi Bituriges & Arvernum: *De Urbibus Aquitanicæ primæ solum oppidum Arvernum Romanis reliquum partibus bella fecerunt.*

IX. Scripsit & de eadem re Sidonius ad Euphronium Episcopum Augustodunensem, ut ejus sententiam sciscitetur de Simplicio, quem Bituricenses
L. 7. Ep. 8. cives Episcopum sibi postulabant. *Quem Episcopum sibi flagitat populus Biturix ordinari.* Tam spectata expertaque probitate is erat, ut de eo nec mali obloqui, nec boni silere possent. *De quo civis malus loqui, bonus tacere non posset.* Electus tandem fuit Simplicius, reique gestæ seriem scripsit Sidonius ad Perpetuum Episcopum Turonensem Epistola ad eum data, & in Concione quam Epistolæ subjunxit, quam nimirum apud Biturigas habuerat, cùm electionem concluderet. In Epistola tam ingenti numero fuisse candidatos tradit, ut duobus scamnis sedere omnes non possent: merito tam exili & casso, ut magnopere quidem sibi ipsis singuli plauderent,
L. 7. Ep. 9 sed soli plauderent. *Tanta erat turba Competitorum, ut Cathedra unius numerosissimos candidatos, nec duo recipere scamna potuissent. Omnes placebant sibi, omnes omnibus displicebant.* Non potuisset ea sedari concertatio, nisi delinitus populus cupiditates denique suas obedientiæ postposuisset, judicioque Episcoporum acquievisset. *Nec valuissemus aliquid in commune consulere, nisi judicii sui faciens plebs lenta jacturam, Sacerdotali se potius judicio subdidisset.* In Concione verò Sidonius hinc difficultatem exaggerat tam pugnantibus inter se votis satisfaciendi, inde verò in laudes effunditur Simplicii, quem Episcopum tandem elegit Biturigum, & Provinciæ Metropolitanum, populo sponte sua jurato eum adprobare Episcopum, quem ille delegisset. *Et quia sententiam parvitatis meæ in hac electione valituram esse jurastis: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti Simplicius est, quem Provinciæ nostræ Metropolitanum, Civitati vestræ summum Sacerdotem fieri debere pronuntio.* Necessariò expressum forsan fuerat id jusjurandum, quòd Episcoporum Provinciæ unus adesset Sidonius, nec posset Episcopus unus Episcopos designare. At cùm conveniebat *Sacerdotale Concilium* omnium Episcoporum Provinciæ cum Metropolitano, ab ejus nimirum judicio & delectu religata erat electio Episcoporum, nec necesse tum erat, ut sacramento adigeretur plebs ad eam Pontificibus obedientiam præstandam, quam ab ipso sacro baptismi fonte illis devovit. Idque patet in alio exemplo quod Sidonius retulit de electo Cabilonensi Episcopo, à sancto Patiente Lugdunensi Metropolitano, cæterisque Provinciæ Episcopis, ubi nulla ratione eorum habita in quos populi favor propendebat, is electus est, cujus suffragia & vota omnia, in meritis & virtutibus propriis fuere.

X. Copiosiùs infrà agemus de hac Episcoporum suprema potestate, maximè verò Metropolitani. Vel ex hoc Sidonii exemplo jam liquet, quàm non solum res ita habuerit, sed & quàm necesse fuerit, ut ita se haberet. Cùm enim plebs tam facilè, vel nobilitatis splendore præstringeretur, vel conviviis delinıretur, vel inescaretur muneribus, pecunia, promissis: cùmque Candidati & tanto essent numero, & tam fructus nullius, ut oculatus testis narrabat Sidonius, cui dolebat valde, quòd non etiam vindex esse posset: indubium est, nisi in his eximia quædam & dominatrix potestas penes Episcopos fuisset, electiones has omnes in detrimentum Ecclesiæ cessuras fuisse, & in dedecus Episcopatus.

XI. Observa rursus in his Sidonii litteris, 1. Morem vetustum promulgandæ, publicandæque electionis, hodierno usui valdè consentaneum, juxta Regulas juris Canonici. 2. Morem invitandi Episcopos vicinæ Provinciæ, sicubi ex usu erat: aut consulendi, antequam res finiretur. 3. Eligi solitum Metropolitanum à Clero & populo Metropolitanæ civitatis tantùm; quanquam Provinciæ universæ præfuturus esset. Regula tunc pervagatissima, eligendum ab eis Pastorem, quibus præficiendus esset, non habebat hic locum, nisi ex eo quòd Episcopi in eligendo principatum authoritatis obtinerent.

XII. Objectari posset nobis non injuria forsan, quod commemorat Severus Sulpitius de electione beati Martini ad Episcopatum Turonensem. Concurrisse enim narrat ingentem hominum multitudinem ex vicinis urbibus ad ferenda suffragia; quin & populo videtur eam maximè vendicare electionem, ut qui Martino propensissimè suffragaretur, cùm ejus & vestium vilitatem, & paupertatis atque humilitatis sordes impatienter ferrent Episcopi. *Mirum in modum incredibilis multitudo, non solum ex illo oppido, verum etiam ex vicinis urbibus ad suffragia ferenda convenerat. Una omnium voluntas, eadem vota, eademque sententia, Martinum Episcopatu esse dignissimum, fœlicem fore Ecclesiam tali sacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex Episcopis, qui ad constituendum Antistitem fuerant evocati, impie repugnabant, dicentes scilicet contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu hominem, vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem. Ita à populo sententia sanioris hoc illorum irrisa dementia est, qui illustrem virum, dum vituperare cupiunt prædicabant. Nec verò aliud his facere licuit, quàm quod populus Domino volente cogebat.* Nec tamen vel universum populum suffragatum esse Martino, vel omnes adversatos esse Episcopos affirmat Severus. Erant Martino utrobique fautores, erant & obtrectatores. Refragabantur aliqui, *pauci, nonnulli*, ex Episcopis, alii suffragabantur, & hi pervicerunt tandem conspirante secum populi multitudine. Quoad urbes vicinas, quæ in societatem quandam faciendæ electionis venisse videntur, erant illæ Diœceseos magis, quàm Provinciæ Turonensis. Sed etsi fuerint aliquæ ex Provincia, nihil moror, quin & lubens adsentiar, aliquando ita factitatum esse.

De vita S. Mart. c. 7.

XIII. Ex Gallia in Africam trajicio, in qua Hunericus Vandalorum Rex id Zenonis Imperatoris precibus donavit, ut Catholicæ Carthaginensi Ecclesiæ Episcopi electionem permitteret ea conditione, ut persimili libertate fruerentur Ariani Catholicarum Romani Imperii civitatum. Non fefellit Episcopos Afros, quanto Ecclesiæ universæ detrimento futura esset hæc sibi impensa gratia: intercessere ergo insidioso favori, & exitiali Beneficio. *Si ita est, interpositis his conditionibus periculosis hæc Ecclesia Episcopum non delectatur habere. Gubernat eam Christus, qui semper dignatus est gubernare.* Sed quantumcumque conniterentur Episcopi, ut ne alius sibi tunc Carthagine esset Pontifex, quàm æternus

Victor. De persec. Afric. L. 2.

ille & inconspicuus in cœlis sessitans & inde regens Ecclesias suas; cohibere non potuerit plebis ardorem, & tot juvenum, qui Episcopum nunquam spectassent sublimiori & ornatiori throno insidentem; Ea ergo tum inconsiderata & effræni curiositate præcipites Eugenium elegerunt Episcopum. *Simul & populus, ut tunc fieret, ut ignis exarsit, cujus erat clamor intolerabilis, qui nulla posset ratione sedari.* Vicit tunc impotentia populi Episcoporum potestatem; sed exitialis ea sanè fuit & detestanda populi victoria, tot præsultrix calamitatum.

Epist. 110. XIV. Cùm consilium inisset Augustinus designandi sibi successorem, Clerum, populumque convocavit, statimque contestatus est, sapere se velle calamitoso Severi Episcopi admonitum exemplo, qui cùm successorem sibi superstes designaret, Cleri tantùm sui assensum expetierat; quo factum est, ut cùm ille è vita migrasset, vix adduci potuerit populus, ut Episcopo præter conscientiam suam electo morem gereret. Populo ergo suo edixit Augustinus, velle se ut Eradius sibi successor accederet. *Presbyterum Eradium mihi successorem volo.* Tum verò & præjudicio Cleri, & Episcopali authoritati cessit populus: *A populo acclamatum est, Deo gratias, Christo laudes. Dictum est vicies ter.* His duobus exemplis in firmanda assensu suo electione Episcopali, ita primas patet fuisse Cleri partes, ut suas esse secundas non nesciret populus: quem acquiescere omnibus modis necesse erat. Cùm autem faustis acclamationibus consensionem suam plebs prodebat, curaverat Augustinus ut Notarii Ecclesiæ adessent, qui Gesta exciperent. *A Notariis Ecclesiæ sicut cernitis excipiuntur, quæ dicimus.*

CAPUT IV. *P. 1. l. 2. c. 17.*

In electionibus Episcopalibus Ecclesiæ Latinæ summa potestas penes Episcopos fuit per quinque priora sæcula.

I. Variæ probationes ex Sidonio Apollinari.

II. Aliæ probationes ex Ambrosio.

III. Soli poterant Episcopi dignos ab indignis, à dignis digniores secernere.

IV. Nusquam justiores erant causæ, ut Pastorum vocem audirent oves, quàm in eligendo Pastore.

V. Ad duo quadam jus populi coarctabatur, ut testimonio ejus aures præberent Episcopi, & ut ne invitis Pastores darentur.

VI. De numero Episcoporum, quos electioni interesse necesse erat.

VII. Quanta Metropolitani authoritas.

VIII. IX. Numerus trium, septem, duodecim, omnium Provinciæ Episcoporum, ad electionem potius quam ad Ordinationem pertinebat Episcoporum.

X. Summa necessitas consensionis Metropolitani & Episcoporum, ex occasione Armentarii.

XI. Probationes novæ ex Collectione Canonum Martini Bracharensis Episcopi.

I. Aliquanto uberius hic pertractari operæ pretium est, summam illam & principem Episcoporum in Episcopalibus electionibus authoritatem, imprimis Metropolitani; quanquam vel ex superiori uno Capite possit res ea videri jam extra controversiam constituta. Lugdunensis Metropolitanus Patiens Joannem delegit in Episcopum Cabilonensem, quem nec Clerus, nec populus poposcisset. Unus maximè Euphronius Augustodunensis Episcopus Patienti suffragatorem se adjunxit, authore eodem Sidonio: *Creaverunt Episcopum Eu-* L. 4. Ep. 25.

Tom. II.

phronius testimonio, manu Patiens, ambo judicio. Nec inferior fuit Sidonii ipsius authoritas in creatione Bituricensis Episcopi, etsi solus esset; si advolasset Senonensis Episcopus, arbitrium illi electionis Sidonius obtulisset: *Nullus à me hactenus nominatus,* L. 7. Ep. 5. *nullus electus est, omnia censuræ tuæ illæsa servantur.* Severus Africanus Episcopus, elegit sibi successorem, solo Cleri sui assensu fretus. Augustinus consensum populi etiam expressit, sed imperiosa usus voce, Se velle: *Presbyterum Eradium mihi successorem volo.*

II. De Acholio Thessalonicensium sanctissimo Episcopo agens Ambrosius, ait illum à populis Macedoniæ expetitum, ab Episcopis electum fuisse. *Ille se Monasteriis puer dedidit, ad summum Sacerdotium à Macedoniæ obsecratus populis, electus à Sacerdotibus.* Epist. 59. Astipulatur & ipsa Scriptura huic Episcoporum potestati ex eodem Ambrosio. Nec enim populus, sed Moïses à Deo jussus successores Aaroni designavit filios, illosque ipsemet summi Pontificatus insignibus vestivit, ut inde clarescere, ea solos Episcopos esse sapientia & authoritate prorsus divina, qua examinandi, eligendi, confirmandi & inaugurandi sunt summi Sacerdotes. *Quid autem illud significat, quòd post defunctum Aaron non* Epist. 82. *universo populo, sed soli Moïsi, qui est in Sacerdotibus Domini, imperavit Deus, ut exuviis Aaron Sacerdotis filium ejus indueret Eleazarum, nisi ut cognosceremus, quod Sacerdos consecrare Sacerdotem debeat, & ipse induere eum vestimentis, hoc est virtutibus Sacerdotalibus; ac tunc si nihil ei deesse adverterit indumentorum Sacerdotalium, & apte quadrare omnia, sacris eum adhibeat altaribus? Supplicaturus enim pro populo, eligi à Domino, probari à Sacerdotibus debet, ne quid sit, quod in ipso graviter offendat, cujus officium est, pro aliorum offensa intervenire.*

III. Inest his Ambrosii verbis ejusmodi vis, & ratio, quæ refelli & ludificari non possit. Non ordinandus est ab Episcopis, quem plebs Clerusque postulant, nisi diligenter examinatus. At eo uno jure Episcopi Judices sunt & arbitri electionum. Quin immo & ante electionem examine prævio opus est, cùm ne eligi quidem debeant, nisi digni & digniores. At solos pene in Episcopos ea cœlestis sapientiæ copia exoberat, qua & dignos ab indignis, & à dignis digniores sejungant. Episcopos creat vox divina, cœlestis vocatio, Spiritus sanctus: creat autem promovetque eorum maximè ore & manu, quibus se ubertimè infundit.

IV. Si minutioribus in rebus etiam Pastorum voci obaudire & morigerari, non suo frui sensu ac judicio debent fideles; quid in re omnium multo gravissima, & ubi de summa rerum agitur: in præficiendo, inquam, sibi pastore, an suam ipsorum magis quàm Pastorum vocem audient? Id verò vehementissimè deprecatur & prohibet Leo, ne Episcopi tumultuosis plebis postulationibus cedant, neu indulgeant votis multitudinis imperitæ, & effrænatæ. Ita enim Leo ad Episcopos Mauritaniæ. *Miramur tantum apud vos per occasionem temporis im-* Epist. 87. *pacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse populorum, ut indignis quibusque & longè extra Sacerdotale meritum constitutis, Pastorale fastigium & gubernatio Ecclesiæ crederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere: nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium salus est subditorum, &c. Principatum autem quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipso tamen judicii sui est perniciosus*

exemplo; & difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

V. Præcipit idem Pontifex, ut ubi scissa sunt eligentium vota, Episcopatum addicat Metropolitanus ei qui meritis & virtutibus præcellit, suffragante interim Clero & plebe, saltem non refragante. Epist. 84. c. 5. *Ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postularint, ita ut si in aliam fortè personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & studiis juvatur & meritis; tantùm ut nullus invitis & non petentibus ordinetur.* Id erat nimirum tunc juris populis, ut ne invitis obtruderetur Episcopus, quem protinus recusassent; utque quam præstaturi erant obedientiam, Christianæ ea libertati consentiret. Aliud superiori capite edisseruit nobis Leo idem populorum jus, ut eorum testimonia ne prætermitterentur. Ad hæc duo illos poterant Episcopi in electionibus coarctare.

VI. Siricius Papa illud dilucidè demonstrat, quod à nobis pene ad fastidium inculcatur, eò maximè pertinuisse illam Episcoporum frequentiam, quæ ad ordinationem Episcopi desiderabatur, ut Episcopus quasi Synodali conventu & judicio electus videretur. Uno enim eodemque tempore electi statim ordinabantur Episcopi; & qui ordinatores erant, iidem fuerant & primarii electores. Epist. 4. *Extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis nemo audeat ordinare. Integrum enim judicium est, quod plurimorum sententia consequatur. Ne unus Episcopus Episcopum ordinare præsumat, propter arrogantiam, ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim in Synodo Nyssena constat esse definitum.* Verissima quidem ea ratio est, cur Metropolitani requiratur præsentia, quem Pontifex ad Afros scribens, ex eorum consuetudine Primatem appellat; requiratur & Comprovincialium; quòd cùm essent censores & judices cognituri de electione; cùmque Episcopus electionem suam eorum judicio, sicut & consecrationem eorum manu assecuturus esset: æquum erat tanti momenti causam & judicium plures inter Episcopos agitari: *Integrum judicium, plurimorum sententia.*

Eandem Siricii Constitutionem innovavit Innocentius I. & paulò clarioribus verbis expressit. *Ut extra conscientiam Metropolitani nullus audeat ordinare Episcopum. Integrum enim est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur.* Expressius id est, nec recedit à vero iisdem verbis legi debere Siricii decretum. Cresconius Episcopus Afer in eandem rem laudat Cælestinum Papam & Concilium Laodicenum: *Judicio multitudinis ordinationem fieri non debere. Laodic. Conc. tit. 13. Ex Decretis Papæ Cælestini, Quòd docendus sit populus, non sequendus.*

VII. Id ipsum novo decreto roboravit Hilarus Papa, ne citra præsentiam Metropolitani quisquam Episcopus ordinaretur; utque populi inconsideratis petitionibus obturarentur Episcoporum Epist. 2. aures. *Nec tantùm putetis petitiones valere populorum, ut cùm his parere cupitis, voluntatem Dei nostri, quæ* Epist. 3. *nos peccare prohibet, deseratis.* Denique si vel ipsi Provinciæ Episcopi emollescant, & ab austeritate Canonum deflecti & abduci se sinant, jubet Pontifex, ut Metropolitanus tam periculosæ licentiæ intercedat. *Quia pro loco & honore tibi debito, cæteri Sacerdotes docendi fuerant, non sequendi.* Quæ eadem pene verba sunt Cælestini Papæ in Decretis: *Docendus est populus, non sequendus; nosque, si nesciunt,* Cap. 21. *eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non iis consensum præbere debemus.* Ita indeflexus Episcoporum vigor in his electionum conventibus, populorum vel castigabat levitatem, vel cupiditates coercebat.

VIII. In Sardicensi Concilio illud sancitum est, si unus tantùm superesset Episcopus in plurium Episcopatuum Provincia, & is superstes Episcopus pigritetur, & cesset Collegas sibi alios ordinare, ubi civitates aut plebes flagitabunt; tum Episcopi vicinæ Provinciæ ad eum accedant, unaque cum eo conspirent ad creandos novos Episcopos: aut soli creent, ordinentque. Populi potestas hic eo circumscribitur, ut Episcopum petat sibi ordinari. *Et populi petant Rectorem.* Can. 5.

IX. In Concilio Carthaginensi III. quibusdam Can. 39. Episcopis visum est, statui debere, ut ne posthac ordinarentur Episcopi, nisi præsentibus duodecim aliis Episcopis: quòd non ita pridem in Numidia duo Episcopi tertium consecrassent Episcopum. Contrà autem nitebatur Carthaginensis Episcopus Aurelius: propterea quòd essent Provinciæ, quæ quinque tantùm sedes Episcopales haberent; Carthagine singulis pene Dominicis celebrari ordinationes Episcopales; atque adeo nec sperari quidem posse, ut singulis Episcoporum ordinationibus adessent Episcopi duodecim, ideoque retinendum pristinum usum, ut tres Episcopi sufficiant.

Concilii Arelatensis Patribus optatissimum fue- Can. 10. rat, ut septem saltem præstò essent Episcopi; sed tribus tamen contenti fuerant, ubi plures non possent: quin & ibidem adverterant ab uno tantùm Episcopum quandoque ordinatum fuisse. Canone Apostolico primo duobus vel tribus Episcopis per- Can. 1. missa fuerat Episcopi ordinatio. Concilii Nicæni Canon quartus tres saltem desideraverat. Canon Sardicensis paulò antè commemoratus Episcopo ei Can. 4. qui solus superfuerit in sua Provincia, copiam facit, immo onus imponit alios ordinandi; nec nisi eo cessante jubet vicinos Episcopos advolare, & novos ordinare Episcopos. Illud ergo hinc elucescit, si lex & votum Ecclesiæ primò fuerit, ut Episcoporum ordinationi adessent omnes Provinciæ Episcopi: si optatissimum fuit, ut adessent saltem duodecim: si alii voluerunt, ut essent saltem septem: si difficultas eo numero illos adgregandi, fecit ut tres sufficere existimarentur: si duo tantùm quandoque sufficere visi sunt: denique si cogente necessitate unus eo munere fungi posse declaratus est, hinc sanè, inquam, elucescit, non aliò quàm ad electionem spectasse, illam priorem Episcoporum desideratam frequentiam. Ordinationi enim vel unus sufficiebat validè celebrandæ: at antevertendis sedandisque ordinationum tumultuationibus nulla nimia poterat esse Episcoporum frequentia. Verba faciens Sidonius de ordinatione & consecratione Joannis Cabilonensis Episcopi, ab una Patientis Metropolitani manu eam derivat: *manu Patiens, Euphronius testimonio, ambo judicio creaverunt Episcopum.* At ejusdem electionem idem ipse refundit in Synodum Episcoporum: *Exceperunt Pontifi-* L. 4. Ep. ult. *cale Concilium varia oppidanorum voluntates.*

X. Concilium Regiense irritum declaravit Ebrodunensis Episcopi ordinationem, quòd duo tantùm non tres Episcopi affuissent; quòd nec intervenisset Metropolitanus, nec cæteri Provinciæ Episcopi litteris saltem suffragati essent. *Absque trium Episcoporum præsentia, absque Comprovincialium litteris, sine Metropolitani authoritate, irritam ordinationis speciem à duobus temerè convenientibus præsumptam esse*

claruerat, &c. Ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque evacuandam esse censuimus. Exauthorato tamen huic Episcopo concedunt Concilii Patres, ut conferat Confirmationis sacramentum; quoad illos autem, quos ordinasset jam, copiam faciant futuro Ebroducensi Episcopo, ut Ordinum suorum munia illos sinat obire. Non ergo dubitabant, quin valida & rata fuisset ordinatio ab eo celebrata, atque adeo ejus ipsius in Episcopum ordinatio. In electione ergo tantùm vitia stomachabantur. Quòd abfuerit Metropolitanus, quod Episcopi Provinciæ non per litteras saltem affuerint, ejusmodi ea sunt vitia, quæ electionem irritare possint, non ordinationem, in quam nihil à litteris illis, nihil à mera Metropolitani præsentia manare posset virium, aut gratiæ.

XL. Martini Braccharensis quondam Episcopi Collectio vetustissimorum Canonum Ecclesiæ Græcæ, ut Latinæ utcumque vigentium, opportunè hic se objicit, ut ex ea decerpamus, quæ antiquis Conciliis moribusque Ecclesiæ illustrandis usui sint. Vide in Canonum & Juris antiqui peritissimus Præsul, voluntati & judicio Episcoporum permittat potestatem & arbitrium electionum Episcopalium.

Can. 1. *Non licet populo electionem facere eorum qui ad sacerdotium promoventur: sed judicium sit Episcoporum: ut ipsi eum qui ordinandus est, probent si in sermone & fide & in spiritali vita edoctus sit.* Et alio Canone: *Episcopum* Can. 2. *oportet maxime quidem ab omni Concilio constitui: sed si hoc aut pro difficultate, aut pro longinquitate itineris difficile fuerit, ex omnibus tres colligantur, & omnium præsentium vel absentium subscriptiones teneantur; & sic postea ordinatio fiat. Hujus autem rei potestas in omni Provincia ad Metropolitanum pertinet Episcopum.* Canone sequenti idem inculcatur, ut ordinatio fiat assentientibus omnibus Episcopis Provinciæ, tum præsentibus, tum etiam absentibus. *Et sic omnium facto consensu, ordinationem Episcopi fieri oportet.* Alio Canone cavetur, ne quis Episcopus dum superstes est, successorem sibi adoptet; propterea quòd nonnisi eo mortuo confluere debeant Provinciæ Episcopi ad successorem designandum. Can. 3. *Non ergo aliter fieri oportet, nisi cum consilio & judicatu Episcoporum, qui post exitum præcessoris potestatem habent dignum eligere.*

CAPUT V. *P. 1. l. 2. c. 18.*

In electionibus Episcoporum per Orientem summa erat Episcoporum authoritas quinque prioribus sæculis.

I. Summatim conglobantur exempla superiùs relata.
II. III. Canones Concilii Laodiceni, & Niceni, & Antiocheni.
IV. De Concilio I. Constantinopolitano. Electio Nectarii, Flaviani, Cyrilli.
V. VI. Ex Concilio Ephesino & Calchedonensi.
VII. Argumenta nova ex Nazianzeno, & Vita ejus Scriptore vetustissimo. In votis erat Nazianzeno, ut in Clero & Monachis plura essent momenta, quàm in populo ad electiones.
VIII. Ad Ecclesias recentissimè fundatas mittebant Episcopi electos à se Episcopos.
IX. Nec aliter res ea habere poterat, cùm parentes filiis, Pastores gregibus suo priores sint.
X. Vocatio, electio, ordinatio, generatio quædam spiritalis est & cælestis, ea non possunt Episcopi nisi ab Episcopis generari & procreari, ut Christus à Patre Deo.

I. Diximus jam in Ecclesia Græca non minùs viguisse, quàm in Latina, Episcoporum in Episcopalibus electionibus exortem quandam & principem potestatem. Hinc Eusebius narravit à Petro, Jacobo & Joanne electum fuisse Jacobum *L. 2. c. 1.* cognomine Justum, & Hierosolymæ creatum Episcopum. Extincto Jacobo Apostolos Discipulosque *L. 3. c. 11.* Domini conglobatos designasse et successorem Simeonem, Cleophæ filium. Post fugam Narcissi *L. 6. c. 9.* Hierosolymitani Episcopi Episcopos vicinarum Ecclesiarum ordinasse & suffecisse illi Dium. Narcisso sedem suam repetente, fideles urbis Hierosolymæ *L. 6. c. 11.* Alexandro Episcopo manus injecisse, qui Christi monumenta veneraturus venerat, & Coadjutorem ei adjunxisse, consentientibus vicinis Episcopis. Patres denique Concilii Antiocheni Paulo Samo- *L. 7. c. 30.* sateno deposito, Demetrianum subrogasse.

II. His exemplis imbuta Concilia Episcopalibus electionibus leges fixerunt, earúmque moderatores fore sanxerunt Episcopos Provinciæ, duce Metropolitano. In Concilio Laodiceno statutum est, ut terminentur omnia judicio Metropolitani, & vicinorum Episcoporum. *Ut Episcopi judicio,* χρίσει, *Can. 12.* *Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circumcirca sunt, provehantur ad Ecclesiasticam potestatem.* Jubet Nicæna Synodus ad constituendum Episcopum, ut adsit Metropolitanus cum omnibus Provinciæ Episcopis; si minùs id fieri possit, tres ut saltem præsentes sint, reliquorum consensio scripto teneatur. Perspicuum est illum apparatum ad electionem spectare, cujus arbitrium & jus summum penes Episcopos est. *Episcopum convenit, maximè* *Epist. 4.* *quidem ab omnibus qui sunt in Provincia, Episcopis constitui. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in id ipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.* Quanquam ergo rogarentur Cleri suffragia, & testimonia plebis, certo tamen constat ipsam Episcopi electionem authori & principi Metropolitano, Synodoque Episcoporum Provinciæ vendicandam fuisse.

III. Suppetunt & ex Antiocheno Concilio invictissima quædam argumenta. Prohibetur Episcopus Episcopali sede sua excussus, vacuam occupare sedem Episcopalem, quantumcumque instet & faveat populus, nisi à Metropolitano & Concilio Provinciæ ea translatio approbetur. *Si quis Episcopus* *Can. 16.* *vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedemque pervadat absque Concilio,* δίχα συνόδου, *hic abjiciatur necesse est, etsi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes.* Ibidem mox sancitur, ut Metropolitanus omnes vocet Episcopos Provinciæ, ut affluant illi omnes, ut saltem plures adsint, cæteri scripto suffragentur. *Saltem plures adesse con-* *Can. 19.* *venit, aut certè scriptis ejusdem sententiæ comprobari.* [illegible] Si suffragia in plures eant, major vincat numerus. *Si verò juxta dictam regulam fiat, & nonnulli pro contentione propria contradicant, obtineat sententia plurimorum.* κρατείτω ἡ τῶν πλειόνων ψῆφος. Major ergo numerus suffragiorum, non Cleri, non populi, sed Episcoporum, rem profligabat, & electionem perficiebat. Denique hac Synodo cassatur decretum Episcopi, qui successorem sibi suum, dum spiraret adhuc, delegisset, quòd leges Ecclesiæ non sinant quemquam in Episcopalem sedem succedere, nisi qui Concilio Provinciæ & judicio Episcoporum

allectus sit. *Servetur autem jus Ecclesiasticum, id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum Synodo, & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent, eum qui dignus extiterit, promovere.* Non eo consilio vetantur Episcopi suos sibi sublegere successores, ut sartum rectumque Clero & Populo servetur eligendi jus: quin immo ut ea Episcopis constet semper intacta potestas, Synodicè eligendi post cujuscumque Coëpiscopi mortem, & successoris illi Synodico judicio assignandi, ut leges ferunt Ecclesiæ.

IV. Ab Episcopis Concilii Oecumenici apud Constantinopolin primi, datæ sunt litteræ ad Episcopos Occidentales: ut certiores eos facerent, electum esse à se in Oecumenica Synodo Nectarium, communi omnium consensu, astante Imperatore, Clero populoque applaudente. *In Concilio Generali, communi omnium consensu.* Illud quoque addebatur, convenisse Episcopos Orientalis Diœceseos, sive Exarchatus Antiocheni, & in eadem civitate ordinasse Flavianum, consentiente universa ejus Civitatis Ecclesia, eamque ordinationem ratam habitam esse à Concilio Oecumenico. Denique approbatum & illud fuisse, quod Cyrillus Hierosolymis ordinatus esset Episcopus juxta Canones ab Episcopis Provinciæ. Exemplis in his omnibus non ordinatio tantùm, sed & electio significatur voce τ χειροτονίας. Ea est Græcorum ipsorum consuetudo. Adde quod & ipse narrationis contextus vociferatur de electione potius agi, quàm de Ordinatione.

V. Concilii Ephesini Oecumenici Patres abdicato Nestorio, sui muneris esse duxerunt, ut successorem ei darent: qua de re & ad Imperatorem scripserant: *Liceatque nobis futuri Episcopi ordinationi incumbere.* Ubi rescivit Imperator quæ gesta fuerant in Synodo, Nestorii abdicationem ratam esse jussit, Episcopis à Synodo ad eum Legatis præcepit, ut novum Episcopum Constantinopolitanæ Ecclesiæ donarent, quod & fecerunt. *Imperator Legatorum Synodi sententia approbata, Orientales quidem condemnat, Nestorium verò exilio mulctat: Illis præterea qui ex sancta Synodo legati venerant injungit, ut ad Ecclesiam se conferant, ibidemque sancta Ecclesia Constantinopolitana Episcopum creent. Illi in Ecclesiam ingressi, Maximianum Episcopum mox creant.* Gratulatus est Imperatori Cælestinus Papa per litteras, de Maximiano ab Episcopis in locum Nestorii electo. *Huic tanta pro suo merito illius Ecclesiæ Sacerdoti, electo taliter & consensu sanctæ Congregationis quæ interfuit, ordinato.* Hæc denique Ephesina prima Synodus secundùm Cypri Episcopos pronunciavit adversùs Joannem Episcopum Antiochenum, eisque intactam & incolumem constare jussit libertatem pristinam, qua se jactabant, suum sibi Metropolitanum, ac proinde Episcopos eligendi. *Synodus nostra Provinciæ congregata, constituebat Metropolitanum.*

Act. 5. Conc. Ephes. Part. 3. c. 24.

Ibid. c. 25.

VI. In Calchedonensi Concilio post discinctum dejectumque Dioscorum Episcopum Alexandrinum, omnes Ægypti Episcopi Concilium interpellaverunt, ut ab ipso Alexandrinus eligeretur Episcopus, & postquam hic Concilii Decretis subscripsisset, tum ei se vehementer & ex animo assensuros subscripturosque. *Fiat hic Archiepiscopus, & subscribimus & consentimus.* Visum est Concilio è re esse, ut hac vice ea potestate non uteretur. Proterius ergo in Ægypto ab Episcopis sui Patriarchatus electus est, cumque is non multò pòst martyr occubuisset, scripsere Episcopi Ægypti ad Imperatorem, ut in eligendo Patriarcha Alexandrino suum sibi jus juxta

Act. 4.

Canones integrum servarent. *Jubeat, sicut sancta Patrum regula præcipiunt, & antiqua consuetudo tradit, Ægyptiaca Diœcesis omnem Synodum orthodoxam, & communicatricem totius orbis Episcoporum; quempiam sancta vita eligere, dignum Sacerdotio virum, &c.* Part. 3. c. 20.

VII. Narratur à Scriptore vitæ Gregorii Nazianzeni electio Gregorii hujus Theologi, & ordinatio ad Episcopatum Sasimorum, sola authoritate Basilii facta Archiepiscopi Cæsareæ. *Invitum & repugnantem ordinationi admovet, negotiumque conficit.* Cùm hoc abiisset Episcopatu Gregorius, & ad gubernacula postea Ecclesiæ Constantinopolitanæ accessisset, hac quoque sarcina exonerari se voluit. Tantisper ergo sustinuit, dum Concilium Oecumenicum Constantinopoli coïret, ut ab eo maximè successor sibi deligeretur. *Tantisper se apud eos mansurum recepit, quoad Episcopi, quorum adventus in spe & expectatione erat, aliquem Episcopatu dignum elegissent, sibique curis libero potestatem abeundi fecissent.* Coaluit ergo Concilium, tum multis de causis, tum ut Episcopum Regiæ urbi daret: *Sancta centum quinquaginta Episcoporum Synodus coacta est, tum ut pium Præsulem augustæ civitati proficerent, tum ut, &c.* Meletius Antiochenus Episcopus Concilii Patres vehementer cohortabatur, ut eam sedem Gregorio confirmarent: *Hujus consilio atque hortatu, Gregorio augustæ urbis Episcopatus, Concilii decreto confirmatus est, συνόδου ψήφῳ ἐπόμενος.* Sed cùm dissensiones inter Episcopos recaluissent, abdicavit se Gregorius Episcopatu, eique à Concilio successor datus Nectarius. *Nectarius Ecclesiæ à Synodo Episcopus constituitur.* His exemplis liquet Episcopos in arcem quandam authoritatis evasisse, ut Episcoporum electionibus dominarentur, eoque ineluctabili quadam necessitate adactos fuisse, ne tumultuosis plebis factionibus omnia pessumdarentur. Ei malo existimabat Gregorius medicinam fieri posse, si Clero & Monachis multò plus annueretur potestatis, quàm populo. *Perspicuum est cum aliis omnibus, tum selectissimæ præsertim ac purissimæ populi parti, hoc est, iis qui altare circumstant, & nostri temporis Nazaræis, quibus solis vel certè potissimum, electiones hujusmodi committi oportebat. Sic enim numquam Ecclesiis malè esset, ac non iis qui opibus ac potentia pollent, aut plebis impetui & temeritati, atque etiam plebeiorum vilissimo & contemptissimo cuique.* Orat. 19.

VIII. Dum rediret ab exilio Athanasius, omnibus in Ecclesiis, quas vel vacantes, vel ab Arianis Episcopis infessas invenit, Catholicos Episcopos collocavit. Eusebius, ille virtutum fama notissimus, Episcopus Samosatenus, insania Valentis exturbatus ab Ecclesia sua, plures peragravit Provincias, militari veste amictus, & orthodoxos præfecit Episcopos Ecclesiis omnibus, quas vacuas invenit. Idem qui suprà Athanasius, Frumentium Indis ordinavit Episcopum, ab eo edoctus, rudimenta jam ibi aliqua esse Ecclesiæ Christianæ. Misit Constantinus Imperator Episcopum & Clerum Regi gentique Iberorum, qui Pastores deposcebant, novellæ Ecclesiæ suæ excolendæ insudaturos. Id fieri non potuit quidem nisi assentientibus & connitentibus Episcopis, qui mittendum Episcopum ordinaverunt. Ex quibus manifestum est, id muneris esse Episcoporum Orthodoxorum, ut Episcopos quoquo versum mittant, priùs à se electos & ordinatos, ad omnes Ecclesias, quas Pastoribus indigere intelligent.

Sozom. l. 6. c. 12. Theodoret. l. 7. c. 30. L. 1. c. 23. Socrat. l. 1. c. 15. l. 4. c. 29. Theodoret. L. 4. c. 2.

IX. Et sanè Episcopi & Pastores populis fideli-

bus ævo majores & priores sunt, ut qui eos genuerint, & gignere pergant, tum prædicatione Verbi, tum baptismo, ut idoneus testis est Paulus : *Per*
1. Cor. 4. 15. Galat. 4. 19. *Evangelium ego vos genui. Filioli, quos iterum parturio.* Naturæ igitur ipsi repugnat, quisquis vult filios patribus seniores, & fideles jam inde ab exordio elegisse sibi Pastores. Nec enim fideles olli primùm fuere, nisi quos in fide Pastores aliqui genuissent. Pastores ergo gregibus seniores & antiquiores sunt, ab aliis nimirum prioribus electi Pastoribus, donec ad Apostolos sursum revolvamur, quos elegit Christus, à sempiterno Patre genitus ipse & electus, vocatusque ad Pontificatum.

X. Missio, vocatio, electio, ordinatio Pastorum, generatio quædam admiranda & divina quodammodo est; ubi qui mittit, qui eligit, Pater est, participatione & imitatione quadam ineffabilis illius paternitatis, & generationis, seu missionis, ex qua prodiit proditque Christus. Nec enim Christi vocationem ab ejus generatione sejungit Paulus :
Hebr. 5. *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es*
Psal. 109. *tu, Ego hodie genui te.* Et juxta Prophetam : *Ex utero ante Luciferum genui te, juravit Dominus & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum.* Communione quadam & participatione ejus divinæ generationis summi Pontificis Christi factum est, ut & Christus ipse Apostolorum, Apostoli Episcoporum, Episcopi alii aliorum Patres & genitores evaserint; eorum scilicet quos elegerunt, ordinaruntque perpetua quadam propagatione cœlestis & divini Sacerdotii sui. Ideo aiebat suprà Epiphanius id valere Ordinem Episcoporum, ut Patres gignat Ecclesiæ, cùm Ordo Presbyterorum ad procreandos tantùm filios pertineat. Episcopus enim electione & ordinatione Presbyteros & Episcopos alios procreat. Ideo Nicopolitanis civibus scribebat Basilius, officio functos Episcopos, qui Episcopum eis dedissent; jam ipsorum esse, ut eum suscipiant
Epist. 194. *Quod Episcopos concernebat, impletum est. ad vos spectat, ut datum Episcopum ex animo complectamini.* Ecquis denique ambigat, septuaginta illos Episcopos qui
Pallad. in vita Chrys. c. 14. cum Chrysostomo Episcopum Ephesi constituerunt, principem locum authoritatis obtinuisse? Ita certè author est Palladius in vita Chrysostomi.

CAPUT VI. *P. 1. l. 2. c. 19.*

Quæ Imperatorum potestas fuerit in electionibus Episcoporum. Per quinque priora sæcula.

I. Cùm tantum Ecclesia concesserit populo, Magistratibus, Senatui, Nobilibus, in electionibus Episcoporum, non potuit non & Imperatoribus plurimum tribuere.

II. Quantum sibi sumpserit Theodosius Magnus in electione Nectarii Episcopi Constantinopolitani.

III. Quàm id tunc necesse fuerit, ut pax Ecclesiæ conciliaretur.

IV. Qui verò tamen tunc diceretur electio fuisse libera, & canonica.

V. Jura Principum.

VI. Quam libertatem desideret electiones, tum in electis, tum in eligentibus.

VII. Jam idem jus tribuerat Valentiniano Concilium Mediolanense, quo electus fuerat Ambrosius.

VIII. Acres tum erant Mediolani animorum dissensiones.

IX. Quàm necesse esset, ut in electionibus potior esset Episcoporum potestas.

X. Utque interponeretur quandoque Imperatorum authoritas, conciliandæ pacis ergo.

XI. Non inferunt se electionibus Constantius Constantinus [illegible] Ecclesia dant o [illegible] se aliter interposuit.

XII. Arcadius Chrysostomum promovet, ut Competitorum violentissimas conspirationes frangeret.

XIII. Ut electi sint Nestorius & Sisinnius.

XIV. Synodus Oecumenica Ephesina Imperatorem compellavit, ad Episcopi nominationem.

XV. Similiter & Chalcedonensis.

XVI. Alia exempla Concilii Chalcedonensis.

XVII. Roma cùm schisma essent [illegible] inter Symmachum & Laurentium, interpellatus est Rex Gothorum Theodoricus.

XVIII. Paucis post annis Papam Rex nominavit, ejus judices confirmarunt tantum.

XIX. Alias Constantius Papam designarat.

XX. Conatus nefarii Anastasii Imperatoris.

I. Perpensa Populi, Cleri, Episcoporum legitima in Episcoporum electionibus potestate : excutiendum nunc incumbit nobis, an aliquam in ejus partem venirent Principes & Imperatores ipsi. Illud jam observatum fuit non semel, Pontificibus ipsis Romanis & sanctissimis Episcopis placuisse, ut Nobilium & Magistratuum ratio potior haberetur, quàm plebis, eorumque in suffragiis plusculum ut esset momenti. Nec imputandum id tunc erat, vel fœdæ adolationi, vel acceptioni personarum turpiter terrenis potestatibus servienti; sed quod ejusmodi viri plerumque emineant, non opibus, non natalium gloria tantùm, sed sapientia, & zelo & charitate Ecclesiæ longè castiore & flagrantiore quàm plebs, cui aut inani specie facilè imponitur, aut cupiditatum illuditur præstigiis.

Jam verò si plebi, si populo, si populi Honoratioribus, si Magistratibus, si Nobilibus multum pro suo quibusque modo tribueret Ecclesia : quid summis Principibus, ut Populi & Rei totius publicæ Capitibus, quorum & prudentia, & sagacitas tantò copiosior, quorum pietas in Ecclesiam, quorum potestas ad promovendam pietatem tantò amplior? Si falli quandoque, si à recti orbita aberrare nonnunquam Principes contingat, quid populum, quid Vulgi fæcem? Si ejus rei contemplatione exclusi non sunt populi ab electionibus : ergo ne Principes quidem. His autem justissimis de causis constat quod dixit Socrates, Ex quo Christi jugum subiere Imperatores, maxima quæque in Ecclesiæ negotia, plurimum illis tributum fuisse juris & potestatis. *Ex quo Christiani esse cœperunt Imperatores, Ecclesiæ negotia ex illis pendere cœperunt.* Quo loco insinuatur, Conciliis ipsis approbatam fuisse ejusmodi authoritatem, cùm ab eis se convocari & confirmari, non placidè modò, sed & gratanter tulere.

II. Sed cùm profiteamur & præ nobis feramus, nihil nos nostro ex penu promere, nihil proferre, nisi ex Conciliorum, Canonum, & Historiæ Ecclesiasticæ testimoniis & exemplis quasi consectatum : hinc jam ex fontibus hauriendum nobis est, si qua ibi sint hujus Principum documenta potestatis ad Episcoporum vel electiones, vel nominationes.

In Concilio I. Oecumenico Constantinopolitano & in Epistola ejus Synodali, dicitur tantùm Nectarium constitutum esse Episcopum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, præsente & spectante Imperatore, ἐπ' ὄψει τοῦ βασιλέως, Clero, Populo & Concilio ipso conspirante ad ejus electionem. Socrates ait Nectarium à populo abreptum, ut sedi Episcopali inveheretur : ἁρπασθεὶς ὑπὸ τοῦ λαοῦ εἰς τὸν ἐπισκοπικὸν θρόνον. At Sozomenus ita rem sigillatim & L. 7. c. 8.
perspiculatè denarrat, ut non possit non hic stupor

aliquis menti injici. Tradit enim Theodosium Episcopis præcepisse, ut conscriptea sibi eorum nomina singuli ederent, quos Episcopali ei fastigio non impares arbitrarentur; servata potestate deligendi quem sibi collibitum esset. *Cum sibi ipsi unus ex illis electionem reservasset.* Sibi quos perspectiores haberent, eorum nomina singuli inscripsere. Meletius post omnes alios Nectarium addidit, id donans importunis precibus Diodori Tarsensis Episcopi, qui eum ad Episcopatum protrudere meditabatur. Eum Catalogum semel iterumque legit Imperator, & Nectarium cæteris omnibus prætulit. Admiratione tantò majore perculsi sunt Episcopi, quòd ne baptismo quidem tinctus esset adhuc Nectarius. Itaque Imperatorem adiere, quò illum à sententia deducerent. At ille à proposito abduci se non est passus. *In sententia perstitit multis Sacerdotibus reluctantibus.* Cesserunt ergo Episcopi, Nectarius sacro fonte initiatus est, & confestim suffragatione totius Concilii electus. *Postquam igitur omnes cesserunt, & in Imperatoris calculum consenserunt, baptizatus fuit, & communi suffragio Synodi declaratus Episcopus.* κοινῇ ψήφῳ τῆς συνόδου. Addit Sozomenus complaribus visum fuisse ea in re Theodosium, summi Numinis speciali Providentiæ & altiori consilio fuisse obsecutum: cùm illam Ecclesiam Nectarius non sine summæ sapientiæ & moderationis laude administrarit.

L. 6. c. 7.

III. Simillimum veri est altiùs consuluisse Theodosium, Religionis & Ecclesiæ aliàs amantissimum Principem, nec tantam sibi tunc potestatis sumpsisse, aut Nectarium delegisse, nisi ut sedaret dissensiones inter Episcopos hujus Concilii tum flagrantissimas. Ante Concilium Episcopi Ægyptii Maximum Philosophum Cynicum elegerant Episcopum Regiæ urbis, deduxeratque Thessalonicam, Episcopatum Regiæ urbis ab Imperatore petiturum. *Augustæ urbis Episcopatum ab eo petens.* Cùm enim meritis legibusque nihil se posse consequi speraret, rem perficere moliebatur Imperatoria Constitutione. *Quoniam enim in legibus sanctionibusque Ecclesiasticis nihil habebat quo niteretur, Imperatorio edicto Sacerdotium vendicare cogitabat, ut qui non Sacerdotem, sed tyrannum agere in animum induxisset.* Verùm Theodosius, cujus animo altiùs insederant Episcopales virtutes, quam his Episcopis, illos ejecit, subiratus & minax. *Verùm illinc ejiciuntur, Imperatore cot ira minisque vehementiùs insectante.* Hæc ex Scriptore vitæ Nazianzeni. Denique Imperator reportata de Barbaris insigni victoria, Constantinopolim rediit, Gregoriumque Nazianzenum nactus, ab adversariis suis, huic est Ecclesiæ, graviter exagitatum, illam ei sedem his verbis confirmavit. *O Pater, Deus tibi tuisque sudoribus per me Ecclesiam committit. En sacram ædem & thronum tibi trado.* Gratulatus est tam benefico Principi Gregorius, & confestim illum Episcopi in ejus Ecclesiæ sedem invexerunt. *At beatus Gregorius mirifica lætitia perfusus, &c. Cæterum ei ad extremum usque obsistere non licuit, quominus in throno collocaretur. Pontificum enim multitudo eum quamvis nolentem, vehementerque recusantem in Archiepiscopali sede constituit.* Unus plurimùm omnium connixus est Meletius Antiochenus, ut Gregorium Nazianzenum illi sedi adsereret. Tum temporis porro Timotheus Alexandrinus Episcopus ad Concilium Constantinopolitanum cum Ægyptiis suis Episcopis, ea maximè causa Gregorium sibi labefactandum statuit, quòd ei Meletius impensiùs suffragaretur. Ea sanè inter Episcopos Alexandrinum & Antiochenum internecina conflictatio, ingens in Ecclesia incendium excitatura videbatur, nisi consilium sponte misisset Gregorius abjiciendæ ejus sarcinæ, & nisi partes suas interposuisset Imperator ad antevertendas opprimendasque dissensiones omnes, quæ in eam electionem incidissent. Is illi forsan visus est Nectarius, qui ab ejusmodi Episcopalibus dissidiis, cùm procul semper fuisset, iis componendis esset paratior. Cùm thronum etiam urbis Regiæ Gregorio dedisset plurimùm assentientibus Episcopis Orientis: cùmque orassent antè Ægyptii Episcopi, ut eo Maximum donaret: hinc visus est etiam sibi posse se eam sedem donare ex utriusque partis consensione, maximè verò si ei, vel uni ex eis donasset, qui ab illis nominati fuissent.

IV. Sed illud præ cæteris hic observandum; quanquam Theodosius Episcopum suo nutu & arbitrio designasset Nectarium, spretâ Episcoporum repugnantiâ, ne dicam Canonum regulâ, qui Neophytos arcent, & multò magis eum, qui ne Neophytus, ne tinctus quidem erat baptismo: nihilo tamen minus & vulgo prædicatum, & ab ipso etiam Concilio affirmatum, Nectarium electum fuisse ab Episcopis Concilii, à Clero, à populo. Jam illud suprà monuimus, cùm populus vehementiùs quàm sapientiùs Episcopos adegerat, ut eum ordinarent, qui ipsis minimè placeret: hanc Episcoporum indulgentiam prudentiamque valde tempestivam, ad præveniendam plebis insaniam, habitam fuisse pro consensione, quam cordati quique sufficere non dubitarent, ut electio rata censeretur. Idem existimandum de iis electionibus, ubi Episcopi inflexa constantia retundebant populi petitiones, ordinabantque Episcopos, quos nemo postulasset: cùm populus ipse tandem quanquam subinvitus acquiesceret, canonica habebatur electio. Gregorius Theologi pater, & Theologus ipse electionem laudaverunt prioribus illis simillimam, Sidonius Apollinaris posterioribus, ut ex antedictis patet. Ea vis non prohibet, quin liberum sit & voluntarium, quidquid ex ea fit. Nec enim id vis ea præstat, ut facias quod nolis, sed ut quod nolebas, velis. Ita volentes faciunt, sed quod noluerant velle incipiunt. Nolebant Nectarii electionem, voluerunt cedere urgenti Theodosio, & Nectarium ingerenti. Noluerant Episcopi ordinare, quos violenta plebs obtrudebat. Sed ne ea violentia amplius grassaretur, voluerunt & plebi cedere, & electo Episcopo consentire. Cessere, quia voluere, qui poterant non cedere. Ita verò qui cedit, utique consentit.

V. Reipublicæ summi vertices, populorum summa Capita, Principes, inquam, Regesque, suo sibi jure vendicare poterant aliquas in electionibus authoritatis partes, non exclusis populis: eo jure sua illos singularis abstinuit pietas. Si subjectis tandiu cesserunt ipsi populis, ecquid est cur mirum novumque videatur, si quando eis populi suo decedebant eligendi jure? Quin possit ea vicissim observantia, & cedendi alternatio voluntaria & libera videri? Seu populo Princeps, seu Principi populus eligenti, tacitus ipse tunc acquiesceret & assentiretur, liber hic erat utrobique consensus, libera electio.

VI. Vis etiam quandoque adserebatur electis, ut ne pertinaciùs obluctarentur, & dignitatibus assentirentur, quò eos sua pietas, sua etiam humilitas, sua dignitatum fuga vocabat. Suavibus quibusdam cruciamentis, ut suprà docebat Augustinus, extundebatur

extundebatur illis & voluntas & assensio, à qua tantopere abhorrebant. Is consensus tametsi ita expressus, extortusque, liberæ electioni & canonicæ sufficiebat. Nec verò majorem desiderant libertatem electi, quàm eligentes. Hæc vis, hæc coactio neutris officit, cùm bono publico, Ecclesiæ utilitati, pietatis incremento utrobique serviatur. Si ad incudem revocemus pleraque nostramet ipsorum gesta, & libera comperiemus ea, & persæpè ab hujusmodi necessitatis vinculis non prorsus absoluta.

VII. Ne Ambrosii quidem electio ad exitum perduci potuerat, nisi Valentiniani Imperatoris interposita authoritate. Hinc exemplum accersi poterat, ut Theodosius Nectarium nominaret. Nec Ambrosius baptismo initiatus fuerat, cùm eligeretur, uti nec Nectarius. Itaque Episcopis Ambrosius ne in cogitationem quidem veniebat. At cùm populus molestissimis dissensionibus discerptus fuisset, tandem ita unanimis in Ambrosium consensit universus, ut Episcopi eam dexteræ Excelsi mutationem interpretati sint: & sibi quò ducebat Deus obsequendum. Unde Socrates: *Nam Episcopis qui aderant, videbatur hæc consentiens populi vox à divinitus*
L. 4. c. 15 *sanè emissa.* Restitante porro Ambrosio interpellatus est Valentinianus Imperator, qui Episcopis rescripsit, ut Ambrosium ordinarent, cùm ea electio tam unanimis Deo pacis & unitatis Principi referenda potiùs esset, quàm populo sua sponte semper versatili & tumultuoso. *Valentinianum de re gesta faciunt certiorem, qui populi admiratus consensum, opusque Dei ratus, quod factum fuerat, significat Episcopis, ut voluntati Dei inservirent, jubens, ut illum ordinarent. Nam Deum potiùs quàm homines suffragium tulisse.*

VIII. Rem gestam illustrat Theodoretus iis circumstantiis, quæ sileri prorsus non debeant. Ait enim cùm intestina in civitate Mediolanensi flagrarent dissidia, ad Episcopos ibi convocatos dixisse Valentinianum, ipsorum esse, qui exploratas haberent Episcopales dotes & virtutes, eum deligere Episcopum, cui nec ipse Imperatorium subjicere verticem gravaretur, ejusque monitis & correptionibus morigerari. Orasse vicissim Synodum, ut Episcopum designaret potiùs Imperator, ea sapientiæ luce, eo pietatis æstu succensus, qui Imperatorem deceret. Respondisse denique Imperatorem, eum delectum, rerumque sacrarum peritiam supra suas vires esse, esse autem Episcoporum cælesti lumine & gratia perfusorum, Episcopos ei muneri pares deligere. Tum populum postulasse Ambrosium Episcopum, Imperatorem jussisse ut ordinaretur, baptismo priùs initiatus. *Concilium Episcoporum*
L. 4. c. 16. *contendit ab Imperatore, ut ipse, utpote sapientia & pietatis insignibus praeclarè exornatus, Episcopum deligat. At ille, Major est, inquit, hæc Provincia, quàm quæ viribus nostris sustineri queat. Proinde vos divina*
ἐμπίπλασι. *repleti gratia, & illius splendore illuminati, multò melius hoc Episcopi deligendi negotium transigetis, &c. Jubet Imperator extemplo Ambrosium & initiari ministeriis, & Episcopum ordinari.* Aliquanto pòst tem-
ψηφίζεσθαι ἐγχειρίζει. pore Imperatorem Ambrosius Episcopus corripuit, ea fiducia, quam pietas suggerebat, tum sua, tum Principis: magnanimo Episcopo Imperator Christiana & ipse moderatione, ac magnanimitate ea reposuit, quæ ipsam Imperii purpuram novo splendore illustrarent. Debere Ambrosium Episcopum suæ suffragationi quòd Episcopus esset: & id beneficii repensari ab eo non aliter aptiùs posse, quàm crebris hujusmodi salubrium monitorum medicinis.

Non modò non restiti tuæ in Episcopum ordinationi, verùm etiam suffragatus sum. Quare sicut divina præcribit lex, nostrorum animorum erratis medicam facito. σύμψηφος τῇ χειροτονίᾳ γεγένημαι.

IX. Hinc patet quantacumque testificandi & suffragandi libertate populus frueretur, primarios semper electores fuisse Episcopos, & ex eorum delectu atque judicio terigatas fuisse electiones. Ponderabantur potiùs quam numerabantur suffragia. Integritate & sapientia ea opus erat, quæ in Episcopos magis caderet, quàm in populos, ut tot hinc & inde rerum momenta librarentur, locorum, temporum, meritorum. Adde & illam propriam Episcoporum peritiam, quæ in irregularitatibus & in legitimis dispensandi causis versabatur. Irrita per sese erat Ambrosii popularis electio, cùm is nec baptizatus esset. Episcoporum fuit judicare, an quæ ex Ambrosii Episcopatu redundatura in Ecclesiam erat utilitas, satis compensare posset & resarcire disciplinæ labem, ex irregulari ordinatione erupturam. Episcopis ergo canonica Ambrosii electio accepta ferenda est. Verùm ea quidem de re jam nimis multa.

X. Advertamus hîc ergo à Concilio Mediolanensi permissam fuisse tunc Valentiniano Imperatori nominandi Episcopi potestatem: nec dubitatum esse, quin ea ille & sapientia & religione polleret, quam is delectus desideraret. Non tam commodè Imperator ipse quidem de se sentiebat, quàm Episcopi: sed Episcoporum judicium eo maximè confirmabat, quod ab eo recederet: & quò minus sibi sumebat ipse, eo præstabat, ut ei tantò plus jure arrogaretur. In privatum quemlibet cadere posset vel dejectioris animi, vel adulationis suspicio: sed ea ne afflari quidem potest Concilium. Ea erat tunc rerum temporumque conditio Mediolani, quæ fuit postea Constantinopoli, cùm Nectarius eligeretur, & nominaretur à Theodosio. Ecclesiæ insidiabantur Ariani, nec satis inter se Catholici concordabant. Utrobique unius maximè in potestate Imperatoris erat, ut dando Episcopo pacem daret. Eum Episcopum nominavit Theodosius, quem Episcopi sibi sceptro designassent Episcopatu dignum. Valentinianus eum confirmavit, qui ab Episcopis & à populo fuerat electus. Atque adeo non numerò iis se annumeravit, qui Ambrosii suffragatores fuissent. σύμψηφος.

XI. Nullis se electionibus sacris interposuerat Constantinus, nisi ut dissensiones compesceret, Canonesque suaderet observari. Cùm Antiocheni Episcopum sibi elegissent Eusebium, Cæsariensis in Palæstina Ecclesiæ Episcopatu jam devinctum, scripsit ad eos Constantinus, ut turbulentas coïtiones, factiones, insanas cupiditates exprobraret, & inconsideratas machinationes adversùs Canones Ecclesiæ, qui translationes damnant Episcoporum. Scripsit & ad Concilium Antiochiæ convocatum, eamque translationem prohibuit. Successit in Imperium Constantini Constantius, non in religionem & pietatem, modestiamque. Expostulabat de eo fidentissimè æquissiméque Athanasius, quòd è Palatio misisset primò Gregorium, postea Georgium, ut se exulante Alexandrinam invaderent Sedem. *Cur enim se Ecclesiasticum Canonem cura habere prætexit, omnia contra Canonem facit? Ubi enim ille fertur Canon, ut è Palatio mittatur is, qui Episcopus futurus est?* ποῖος γὰρ κανὼν ἐκ παλατίου πέμπεσθαι τὸν ἐσόμενον. Eò quoque pertinet quod alibi ait, postulandos esse Episcopus Cleri populique votis, non vi intruden-

Eusebius de vita Constant. l. 3. c. 60. 61. 62

Athan. ad solit. vitam agentes.

Epist. ad Orthod. dos, contra civium voluntatem. Pari ergo vi ab eodem Constantio ejectus est Constantinopolitana sede Paulus, eoque intrusus Eusebius, Nicomediæ jam Episcopatum gerens. *Eusebium eo traductum Episcopum Constantinopolitanum renuntiant.* Verba ea sunt Socratis. Socrat. l. 2. c. 5. 13. 12. Paulum restituit Julius Papa, sed eo rursus exturbato, suffectus est à Constantio Macedonius.

XII. Ante Theodosium ergo & Valentinianum nulli fuerant ab Imperatoribus ita nominati Episcopi, ut Episcopi cæteri, Clerus populusque assentirentur. Sed his prælucentibus exemplis, seu pietas horum spectetur Imperatorum, seu nominatorum ab ipsis Episcoporum aut confirmatorum religio & sanctimonia, nemo jure ambiget, quin sequentibus sæculis probabile cum primis sit Principes in eadem vestigia ingressuros, & eorum voluntati Episcopos pari sese accommodaturos indulgentia. Migrante è vita Nectario, plures erupere è Clericis, qui sacrosanctam dignitatem iis ambirent artibus, precibus, muneribus, assentationibus, quibus ea meritò arcendi & eliminandi essent. Improba spes aliquos eò impulit, ut & Imperatorem ipsum Arcadium insaniæ suæ ministrum & adjutorem habere vellent. Id subolfecit populus, & Imperatorem adiit, ut Pastorem ipsemet eo culmine dignum præficeret. *Viri Sacerdotalis quidem ordinis, sed nihil habentes dignum Sacerdotio, dum meritis diffidunt suis, Pontificis solum electione fidelium adipisci desperantes, partim Palatii obsident fores, alii munera potentibus tribuunt, alii populis genu posito supplicant. Ad hac plebs fidelis indignans, Regem pia intentione sollicitat. Pastorem peritum sibi dari suppliciter postulant.*

Hæc Palladius in vita Chrysostomi, qui ab Arcadio tum electus est, & Antiochia, ubi Presbyterum & Vicarium Generalem agebat, Constantinopolim abductus. Compromisisse tunc videbatur Clerus populusque, in Imperatorem, & ejus arbitrio rem totam commisisse, ut sua ipsorum vice eligeret. Nec temerè idem de Concilio Constantinopolitano, & de Mediolanensi diceretur, compromissum ab iis esse in Theodosium & Valentinianum, quorum hic dissensus, ille assensus est. Verùm tam auspicatus fuit exitus electionum à Theodosio & Arcadio factarum, ut non potuerit non exinde vehementer augescere Imperatorum potestas in electionibus. Cæterùm quanquam Arcadius Chrysostomum delegisset, nihilo tamen minus dicitur à Socrate Chrysostomus, Cleri populique suffragiis

L. 6. c. 2. electus. ψηφίσματι κοινῷ πάντων, κλήρου τε φημὶ, ἐ λαοῦ. Nec

L. 8. c. 2. ab his abludit Sozomenus: *Postquam populus & Clerus suffragium suum contulissent, etiam Imperator assensus fuit, & qui Chrysostomum adducerent, emisit. Convocavit etiam Synodum, ut ea ratione venerabiliorem redderet illius ordinationem.* Narrat Theodore-

L. 5. c. 25. tus Arcadium accersisse Antiochia Chrysostomum, Episcoposque exorasse, ut eum Episcopum ordinarent, insigni vel sic edito pietatis documento.

XIII. Quanto fuit Ecclesiæ & ornamento electio Chrysostomi & præsidio, tanto fuit exitio & dedecori Nestorii nominatio, tametsi & ipse ex eadem accersitus sit civitate & Ecclesia Antiochena, ubi Presbyteri munere & ipse fungebatur. Disertè Socrates testatum facit, Imperatorem molestissimè ferentem tantum factionum & ambitionis exarsisse in Ecclesia Constantinopolitana post mortem Sisinnii, Clericos omnes ejus Ecclesiæ ejus adipiscendæ spe dejecisse, & Antiochia Nestorium accivisse.

L. 7. c. 29. *Visum est Imperatori propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa Ecclesia ad Episcopum illum eligere, sed ex Antiochia accersere.*

XIV. Certo ergo constat, per varias dissensionibus & ambitiosis machinationibus compulsam fuisse Ecclesiam, ut Imperatoriam interponeret electionibus potestatem. Id & superioribus emicuit exemplis, nec minus ex infrà addendis emicabit. Cùm Ephesina Generalis Synodus Nestorium sede dejecisset, ad Presbyteros, Oeconomos, aliosque Clericos Ecclesiæ Constantinopolitanæ rescripsit, ut pro Ecclesia excubarent, suæ fidei curæque commendata, donec Episcopus sufficeretur alius Dei voluntate, & Imperatorum nutu. *Omnia quæ ad Ecclesiam pertinent custodite, ut & rationem reddituri ei, qui Dei voluntate, piissimorumque ac religiosissimorum Imperatorum nostrorum nutu ordinandus est Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus.* Act. 1. κ) νεύματι θεοῦ, κ) νεύματι βασιλέων. Nestorio etiam exauthorato tot supererant asseclæ & fautores, ut ex eis Conciliabulum coalesceret Ephesi, germano Concilio adversarium & infestum. Itaque ne sperari quidem poterat, ut à sede Constantinopolitana abstraheretur, & successor ei daretur, nisi suffragante & opitulante Imperatore. Maximianus in locum Nestorii subrogatus est. Ingenuè profitetur Cyrillus ab Imperatore rogenti eo beneficio non Maximianum, sed Ecclesiam ipsam affectam fuisse. *Et hoc rursum illustre pii Regis munus est, prævio cælesti suffragio.* Conc. Ephes. Pars 3. c. 18. Eadem Cælestini Papæ sententia, illis quibus Theodosio gratulatus est litteris. *Nec sufficeret pestilentium repulisse, nisi & salubres auras redderes, talem illi Ecclesiæ constituendo Pontificem, qui olim, &c.* Id quoque laudi vertit L. 7. c. 39. 40. Socrates Theodosio, quòd omnia ex Maximiani obitu pullulatura mala præsecuisset, maturata ejus jussu Procli electione per Episcopos qui tum aderant.

XV. Concilium Calchedonense abdicato Dioscoro Alexandrino Episcopo, ipsa pene adhibuit Ephesini Concilii verba, ut viduatam Ecclesiam suo commendaret Clero, quo ejus administrationis rationes aliquando probè redderent Episcopo Dei voluntate & Imperatorum consensu substituendo. Cùm eadem sint ac Ephesinæ Synodi verba, Act. 3. lubens hîc ea prætermitto. Ex tunc autem turbulentarum seditionum procellæ Ecclesiam Alexandrinam incesserunt, ut satis superque patuerit, quàm necessariò compellata esset tota Imperatorum potestas, paci revehendæ, & orthodoxo Episcopo constituendo.

XVI. In eodem Calchedonensi Concilio disceptata & finita est controversia de Ephesinæ Ecclesiæ Pontificatu, totius Asiaticæ Diœceseos summo. Contestatus est Bassianus competitorum alter à populo primum & Clero electum se fuisse, & tum ab Imperatore confirmatum, acceptis etiam ab eo litteris authenticis hujus confirmationis. *Multa necessitate & vi inthronizaverunt me in eadem civitate Ephesi. Populus, & Clerus, & Episcopi. Agnoscens autem hæc piissimus Imperator, repente hoc confirmavit, & repente per Commonitorium apertè declaravit, confirmans Episcopatum. Postea direxit iterum Sacram per Eustachium Silentiarium, qua confirmaret Episcopatum.* Act. 11. Vides ut Clero populoque abutente suis ad electiones Episcopales suffragiis, promissisque & donis atque partium studiis pudendum in modum indulgente, cogeretur & Imperator intervenire, & Ecclesia interventionem Principis tum quidem probare, quamvis ne tum quidem ipsam falleret, non semper incorruptos fore Principum ministros, nec eum modum quem primò tenuissent Principes ipsi, semper retenturos.

XVII. Nec in ipsa Romana civitate & Ecclesia partium studia, ac dissidia, semper conticuere. Itaque nec ibi vel Clerus, vel Populus extra metas justæ potestatis evagari potuit, quin ejusdem potestatis pristinæ parte aliqua mulctaretur. Cùm scissis hinc & hinc suffragiis, alii Symmachum, alii Laurentium elegissent, convenit tandem, ut ad Regem Theodoricum referretur, cujus & sapientiæ & æquitati singulari plauderet adhuc posteritas, si Arianæ sectæ contagio maculatus non fuisset. Pronunciatum, ut par erat, ab eo est, ejus causam meliorem, qui prior, aut à pluribus electus fuisset. *Hoc construxerunt partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici. Qui dum ambo introissent Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt, ut qui primò ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in sede Apostolica.* Eo judicio Pontificatum Symmachus tum obtinuit, at quartò demum pòst anno revocato ab ejus adversariis Laurentio, scissoque rursus Clero, populoque, recurrendum rursus fuit ad Theodoricum Regem, qui Episcopum Visitatorem Ecclesiæ Romanæ præfecit, & demum Concilium Romæ coire jussit, ubi causa illa finita est. Ita pax Romanæ Ecclesiæ reddita. Sed jam inde opprimi cœpta ejus libertas cujus Præsules vel nominari, vel confirmari à se debere Gothi Reges, etiam Ariani deinceps voluerunt. Liber Pontif. in vita Symmachi.

XVIII. Symmacho enim, Hurmisda & Joanne ejus successoribus hinc excedentibus, & ne tum quidem sopitis Cleri populique concertationibus, cùm sedes Petri quinquaginta octo dies vacua mœreret, Fœlix IV. Papa à Theodorico in eam suffectus est Pontifex. Vel ipsa impietas suggerebat, ut eum eligeret, qui meritis & virtutibus facilè præcelleret, ne electio quam fecisset, infirmari posset; utque ne refragari quisquam posset ei, quam sibi sumpserat potestati, nisi qui una pietati & religioni adversaretur.

Nec multò pòst fato concessit Theodoricus, Athalaricus successit, cujus nomine & jussu Cassiodorus Senatui Romano scriptis gratias egit, quòd acquievisset designationi factæ à Theodorico Athalarici avo. Eam porro Papæ à Rege factam nominationem iis Cassiodorus illuminavit coloribus, iis argumentis astruxit, ut vix legi possit & improbari. *Gratissimum nostro profitemur animo, quo gloriosi Domini avi nostri respondistis in Episcopatus electione judicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri, qui sapienti deliberatione pertractans, quamvis in aliena religione, talem visus est Pontificem delegisse, ut nulli meritò debeat displicere: ut agnoscatis illum hoc optasse præcipuè, quatenus bonis Sacerdotibus Ecclesiarum omnium Religio pullularet. Recepistis itaque virum & divina gratia probabiliter institutum, & regali examinatione laudatum. Nullus adhuc pristina contentione teneatur. Pudorem non habet victi, cujus votum contingit à Principe superari.*

Causa ipsa nihil turpius, causæ defensione nihil pulcrius, aut validius. Qui vir erat optimus, amoveri ab Episcopali sede non poterat. Longam & exitialem dissensionem consopiri, quis jure improbarit? Pacem & Episcopum præstantissimum, non poterat abnuere Ecclesia, nisi suæ fœlicitatis inimica: sed quod optatissimum sibi erat & maximè conducibile, non ab Ariano Principe, sed ab omnium bonorum largitore Deo concessum id sibi esse illa quidem non immeritò interpretabatur.

Denique si posteritas Fœlicis memoriam consecravit; si ea fuit in sententia Cassiodorus, non debuisse tum Fœlicem Pontificatum vel sic traditum abnuere, debuisse Ecclesiam assentiri, & sese ineluctabili accommodare necessitati: est in hoc sanè exemplo, quod in rem nostram, & in nostra regenda, moderandaque sive judicia, sive consilia retorqueamus, si posterioribus sæculis incurramus in eos Principes Catholicos, qui Episcopalibus electionibus, vel nominationibus interveniant. Hæc Fœlicis Papæ per Theodoricum provectio non contigit nisi post annum quingentesimum. Sed cùm religata ex eis pendeat, quæ ante eum annum cœpta fuerant, hic omnia simul necessariò connectenda fuere. Prolixius infrà de hoc eodem argumento verba faciemus. Cap. 16.

XIX. Ejusdem nominis Pontificem olim Constantius Romæ dederat, post exturbatum sede Petri Liberium. Quàm sancto & laudato fine, tam detestando initio fuit hujus Fœlicis Pontificatus, quod ei cum Arianis conveniret, teste idoneo Athanasio, in Epistola ad Solitarios: *Incredibile facinus Constantius designavit, & quod ferè referat imaginem Antichristi: ut qui in locum Ecclesiæ Palatium suum succedere voluerit, & pro conventu populi & jure Comitiorum, tres Eunuchos præsentes esse jusserit, tres item κατασκόπους, hoc est, exploratores, non enim Episcopos dixeris, ut ipsi Fœlicem quendam Episcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterùm populi omnes cognita hæreticorum pravitate, non permisere eos in Ecclesiam intrare, proculque ab eis recesserunt.*

XX. Haud satis scio, an his tot exemplis adjiciendum sit illud Anastasii Imperatoris, qui Euphemium Patriarcham Constantinopolitanum deponi ejicique fecit à Synodo Episcoporum, Aulæ, quam Ecclesiæ addictiorum; tumque legit ipsemet Macedonium Presbyterum, & Scevophylacem ejusdem Ecclesiæ. Theodorus Lector, è quo hæc prompta sunt, laudabiliùs gessisse Episcopatum, quàm iniisse, eaque pietate fuisse Macedonium testatur, ut impii Principis offensionem mox incurrerit, à quo & extrusus sit pari insolentia, ac intrusus fuerat, designato successore Timotheo, qui & ipse ejusdem Ecclesiæ Presbyter erat & Scevophylax.

CAPUT VII. *P. 1. l. 2. c. 20.*

Electio Episcoporum confirmanda erat à Metropolitano per quinque priora sæcula.

I. Probationes ejus rei ex Canonibus Apostolicis.
II. Item ex Conciliis Laodiceno, Niceno & Antiocheno.
III. Eidem Disciplinæ locus erat in Occidente. Argumenta ex Conciliis Carthaginensibus.
IV. Et ex Decretalibus Pontificum.

I. ELectioni Episcoporum roboris & authoritatis cumulus accedebat ab confirmatione Metropolitani, qui Caput erat, & Princeps Episcoporum Provinciæ, cujus nutu & assensu regebantur omnia, quæ alicujus essent momenti. Ita præcipit Canon Apostolicus, qui hanc mirandam Episcoporum comprovincialium inter se concordiam & communionem referre videtur ad divinarum Personarum individuam societatem & unitatis nexum ineffabilem. *Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut Caput existiment, & nihil amplius præter ejus conscientiam gerant, quàm illa sola quæ Parochiæ suæ com-* Can. 35.

petunt. Sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid. Sic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto. Titulum huic Canoni præfixit Dionysius Exiguus *de Primatu Episcoporum*, quod Metropolitanus nihil aliud primùm, quàm *Primus* Provinciæ Episcopus, seu *Primas* diceretur.

Can. 52. II. Jubet Laodicena Synodus electiones fieri *Judicio Metropolitanorum & Episcoporum.* Jubet Nicæna Synodus, ut omnes Episcopi Provinciæ, aut tres saltem electionem celebrent, & ordinationem Episcoporum, sed ut omnium rerum confirmatio
Can. 4. 6. ad Metropolitanum referatur. *Firmitas autem, τὸ κῦρος, eorum quæ geruntur, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.* Irritas hæc eadem Synodus pronuntiat electiones Episcoporum, nisi eas assensu suo confirmet Metropolitanus. *Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non posse.* Jubet
Can. 59. Antiochena Synodus, ut Metropolitanus Comprovinciales omnes convocet Episcopos, ad novi Episcopi electionem & ordinationem, utque absentium nomina saltem & assensus scripto teneantur. Id ipsum
Can. 6. jus Metropolitanus obtinet in Synodo Sardicensi, ubi *Exarchus Provinciæ* dicitur, ἔξαρχος τῆς ἐπαρχίας.

III. Nec minor erat Metropolitanorum potestas in Occidente. In Concilio Carthaginensi II. quantumvis numerosa sit Congregatio Episcoporum Provinciæ, non stabit electio ibi celebrata, nisi robur ei, & firmitas accedat, vel præsentia, vel
Can. 12. litteris, & assensu Metropolitani. *Ab universis Episcopis dictum est, placet omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ tam facilè nemo præsumat, licet cum multis Episcopis in quocumque loco, sine ejus præcepto Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi in quocumque loco sint, cum Primatis præcepto ordinare debeant Episcopum.* Episcopos confirmandi jus Metropoliticum hic splendidius fulget, ubi constat eo absente, nec electionem perfici, nec ordinationem potuisse *sine ejus præcepto*; sive assensu scriptis edito. Quod idem jus corroboratur in
Can. 1. Concilio Carthaginensi IV. *Cum consensu Clericorum & Laicorum, & Conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximéque Metropolitani vel authoritate, vel præsentia ordinetur Episcopus.* Ubi perspicuum est non in Orientali tantum Ecclesia usu invaluisse, ut voce χειροτονίας tum electio, tum ordinatio designaretur. Nam in hoc quoque Occidentali Canone his verbis, *ordinetur Episcopus*, electio includitur, cùm facienda præscribatur ordinatio *cum consensu Clericorum & Laicorum*: Ad solam enim electionem spectat ille consensus.

IV. Innovatur ab Innocentio I. Siricii constitu-
Epist. 2. c. 1. tio jam laudata: *Ut extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare Episcopum.* Bonifacius Papa idem decretum promulgavit, convenienter Nicæno Concilio. Leo I. jus illud ipsum Metropo-
Bonif. Ep 3. litanis asserit. *Ordinationem sibi singuli Metropolitani suarum Provinciarum, cum his qui cæteros Sacerdotii antiquitate præveniunt, restituto sibi per nos jure*
Leo. Ep 89. 92. *defendant.* Et alibi: *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati.* Et Hilarius Papa:
Hila. Ep. 2. *Hoc juxta Patrum regulas volumus custodiri, ut nullus præter notitiam atque consensum fratris Ascanii Metropolitani, aliquatenus consecretur Antistes, quia hoc & vetus ordo tenuit, & trecentorum decem & octo Patrum definivit authoritas.* Quod Canones vetant Episcopos eligi, vel ordinari, ἄνευ γνώμης Metropolitani, latinis verbis his illud scitissimè Pontifex interpretatur, *Præter notitiam & consensum.*

CAPUT VIII. *P. 1. l. 2. c. 21.*

De confirmatione electionum ab Exarchis, à Patriarchis, à Papa, per quinque priora sæcula. Item de Consecratione.

I. A Nicæna Synodo datum, aut assertum est tribus antiquissimis Patriarchis jus confirmandi & ordinandi electos Episcopos omnes suæ territorii.

II. Probabile est ordinatos ab eis fuisse Metropolitanos omnes, confirmatos solum Episcopos, saltem remotiores. Id consilio Innocentius I. Episcopo Antiocheno intervenit.

III. Eadem erat Romani Pontificis consuetudo.

IV. Quid novatum sit in Concilio Constantinopolitano I. & in Calchedonensi.

V. Archiepiscopus Thessalonicensis suæ ditionis Metropolitanos ordinabat, Episcopos confirmare contentus.

VI. In his omnibus Exarchatibus non à solis Metropolitanis confirmandi erant Episcopi.

VII. Cùm primum Metropolitanos creavere Apostoli, sive se immediato in Episcopos jure antiquo quodammodo exuerunt.

VIII. Jus Metropolitanorum Apostolicum jus est.

IX. Potuit Ecclesia Exarchos & Primates instituere, perinde ut Metropolitanos.

X. Potuerat solus Petrus, si collibuisset & ex re fuisset, eligere Matthiam ex Chrysostomo.

XI. His ex omnibus liquet, longè plurimos Episcopos non necessariò à Papa confirmandos fuisse.

XII. De consecratione Episcoporum.

XIII. De anniversario die Natalis sui, hoc est, ordinationis suæ, quem quisque celebrabat Episcopus, ad fervorem animi & zeli pristinum instaurandum.

I. CONstituto jure Metropolitanorum in electionibus & ordinationibus Episcoporum suæ Provinciæ: expendendum jam nobis est, an sint & alii Episcopi superiores Metropolitanis, qui authoritate ipsi quoque legitima intervenient electis Episcopis examinandis, ordinandisque: & an disciplina Ecclesiæ posterior, quæ eam omnem potestatem ad Romanum Pontificem ferè unum revocavit, aliquo nitatur priscorum Conciliorum Canonumque exemplo, aut documento. Confirmavit Nicæna Synodus antiquam consuetudinem, quæ Can. 6.
potestatem Episcopi Alexandrini propagabat in Ægyptum, Libyam & Pentapolim: propterea quod consimilis consuetudo effundat & in longè plures Provincias potestatem Romani Præsulis. Quocirca & Antiochiæ & cæteris Ecclesiis prisca servari privilegia æquum esse. Ea admodum sententia est famosi Canonis Niceni, quem Catholici & Heterodoxi tractatores tantopere infestis calamis vexavere, quem tot luculentis Catholici illustravere dissertationibus.

Nostri non est nunc instituti ejusmodi concertationes in hanc de Beneficiis lucubrationem intexere. His ergo supersedebo, & unum monebo, convenire doctis nunc omnibus, & Ecclesiasticæ disciplinæ peritis, agi hoc Canone de Ordinationibus Episcoporum; eoque juberi, ut sicut Papa Episcopos omnes ordinat plurium tota maximè Italia Provinciarum: ita & Episcopo Alexandrino sarta tectaque servetur potestas ordinandi Episcopos trium illarum Provinciarum, ita ut non possit ei obstrepere Archiepiscopus Meletius: similiter ut Episcopo Antiocheno asseratur jus pristinum ordinandi Episcopos omnium Orientis strictè sumpti Provinciarum; ut omnes denique Metropolitani alii similiter

Episcopos ordinarent prisco more in sua sibi Provincia obnoxios.

II. In dubium tamen vocari posset, an eo Canone tribus illis maximis Episcopis, Romano, Alexandrino & Antiocheno concedatur jus ordinandi singulos prorsus Episcopos omnium harum Provinciarum: an ordinandi tantùm Metropolitanos, & confirmandi electiones omnium Episcoporum, ad se relatas, antequam illi à Metropolitano quique suo ordinarentur. Postremæ huic interpretationi suffragari visus est Innocentius I. in Epistola ad Alexandrum Antiochenum Episcopum data, ubi exemplo Ecclesiæ Romanæ, quam imitandam proposuerat Nicæna Synodus, suadet ut Metropolitanos ipse ordinet, Episcopos omnes semel electos confir- Epist. 18 met antequam ordinentur. *Revolventes authoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, &c. Quæ super Diœcesin suam, prædictam Ecclesiam, non super aliquam Provinciam recognoscimus constitutam. Unde advertimus, non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quàm quòd prima primi Apostoli sedes esse monstretur; ubi & nomen accepit Religio Christiana, & quæ conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit; quæque urbis Romæ sedi non cederet, nisi quòd illa in transitu meruit, ista susceptum apud se, consummatumque gauderet. Itaque arbitramur, frater carissime, ut sicut Metropolitanos authoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine permissu conscientiaque tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum rectè servabis, ut longè positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu; vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire. Quorum enim te maxima expectat cura, præcipuè tuum debent mereri judicium.*

III. Circumcidendus fuisset & decurtandus hic contextus, nisi arcana veteris disciplinæ eo continerentur longè plurima. 1. Si ab Ecclesiæ primordiis Romæ, Alexandriæ & Antiochiæ tres principes Episcopatuum sedes collatæ sint, non urbium amplitudini id esse tributum honoris, sed Petri qui in eis sederat principatui supra alios Apostolos. 2. Ita Nicænum Canonem VI. Interpretatur Innocentius Papa, ut eo concedatur Antiocheno Episcopo jus ordinandi Metropolitanos totius Orientalis Diœceseos, qua plures Provinciæ circumscribebantur. Quoad Episcopos autem harum Provinciarum omnium, ita censet Pontifex, ut ordinet Antiochenus proximiores quosque, quos & Antiochiam accerset; cæterorum electionem litteris confirmet, eosque à Metropolitanis quemque suis jubeat ordinari. 3. Propè abest ergo à vero, eam senuisse Romanos Pontifices rationem in Provinciis suburbicariis, quarum eis ordinationes integræ reservabantur. Unde & Cælestinus Papa in Epistola ad Episcopos Calabriæ & Appuliæ permirum sibi videri ait, quòd cùm Episcopos ex Laïcis sibi eligant earum Provinciarum cives, in spem adducantur, fore ut ab ipso ordinentur. *De nobis pessimè sentientes, quos credunt hoc posse facere.* 4. Condendi Canonis hujus VI. occasio nata est ab Episcopo Alexandrino, cui tributas ordinationes usurpabat Meletius Archiepiscopus. Ita author est Theo- Hæret. fabu. l. 4. c. 7. doretus: *In Alexandria Meletius adversùs Alexandrum seditionem movens, multis urbibus & Episcopos ordinavit, & Presbyteros, & Diaconos. Hunc Nicæni Patres ab Ecclesiæ gubernaculis repulerunt, &c.*

Hær. 68. n. 1. Author est etiam Epiphanius ab Episcopo Alexandrino regi solitas Provincias complures circumjacentes, Ægyptum, Thebaidem, Lybiam, Pentapolim. Ex Epistolis quoque Synesii Episcopi Pto- Epist. 67. 76. lemaidis, quæ Metropolis erat Pentapoleos, perspicuum est id ei curæ fuisse, ut Episcopi suæ Provinciæ eligerentur, ut eos ipse quidem confirmaret, ordinandos verò dimitteret ad Episcopum Alexandrinum. Epistola certè Nicænæ Synodi ad Alexandrinos cavetur omnino ne Episcopi Ægyptii ab alio quovis ordinentur, quàm ab Archiepiscopo Alexandrino.

IV. Præter tres illas Diœceses majores, seu Exarchatus Concilii Nicæni, tres Diœceses alias similitèr majores, & plurium singulas Provinciarum Concilium I. Constantinopolitanum commemorat, quibus singulis suus præerat Exarchus, seu mavis Patriarcha, cujus in jure & potestate erat Episcopos omnes earum Provinciarum ordinare. Eæ sunt Asiæ, Conc. Constantinop. Can. 2. Ponti & Thraciæ Diœceses, quarum principes & capita urbium sunt Ephesus, Cæsarea & Heraclea. In Concilio Calchedonensi illud novatum est, ut Can. 28. ab Episcopo Constantinopolitano posthac ordinarentur Metropolitani trium horum Exarchatuum, nec non & Episcopi omnes Barbaricarum circumpositarum regionum: permissis unicuique Metropolitano ordinationibus Episcoporum sibi obnoxiorum in singulis Provinciis.

V. Constitutus fuerat à Pontifice etiam Romano Exarchus seu Primas in Provinciis Græciæ omnibus, quæ in ditione erant Romani Patriarchatûs. Erat is Archiepiscopus Thessalonicensis, ad quem referre jubebantur Metropolitani omnes earum Provinciarum electiones Episcoporum, ut ab eo antè confirmarentur, quàm eos ipsi ordinarent. Lubet hîc proferre, quæ in hanc rem Leo Papa ad Anastasium scripserit Archiepiscopum Thessalonicensem. *De persona consecrandi Episcopi, & de Cleri ple-* Epist. 84. c. 6. *bisque consensu, Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia bene placuit, scire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet authoritas.* Ubi vita migraverat Metropolitanus, in Metropolim confluebant omnes Episcopi Provinciæ, Clerum Populumque convocabant ad electionem Pastoris, de ea referebant ad Archiepiscopum Thessalonicensem, & ubi ab illo confirmatus esset electus, tum verò ipsimet Metropolitanum novum ordinabant. *Optimus eligatur, de cujus nomine ad tuam notitiam Provinciales referant Sacerdotes, impletari vota poscentium, si quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognoverint.*

VI. Erat ergo inter hos Primates, seu Exarchos discrepantiæ nonnihil. Cùm alii ordinarent suæ vastissimæ ditionis non Metropolitanos tantùm, sed & Episcopos prorsus omnes: alii solos Metropolitanos manu sua ordinabant; alii neutros ordinabant, sed ordinationem suspendebant, donec electionem examinassent, approbassentque. In commune verò illud observabatur, ut confirmarentur hi Episcopi omnes, non à suo tantùm Metropolitano, sed à Primate, seu Exarcho & Patriarcha totius Diœceseos seu territorii Patriarchalis. Et consentanea quidem erat hæc Ecclesiasticarum tum Provinciarum, tum Diœceseon distributio distributioni earundem civili: sed quod attinet ad tres antiquiores & majores Patriarchas, jam inculcatum est à nobis nihil hîc momenti fuisse in magnitudine earum civitatum Regiarum, ubi sedissent Imperatores Romani, Regesque sive Ægypti, sive Orientis; nisi ut eo potiùs alliceretur Princeps

Apostolorum Petrus à Christo constitutus, ut ibi massivè suam, Christique fidem defigeret, utque idololatriam in ipsis arcibus Imperii sui debellaret, ut quæ antiquissimæ fuerant magistræ errorum, fierent discipulæ veritatis.

VII. Porro si Romanus Pontifex ante aliquot jam sæcula cœpit solus pene dispensare omnes Episcopatus orbis Christiani, qui & ipse ferè jam Romani Patriarchatûs finibus coarctatus: si unum in eum propemodum coaluisse videntur omnia Metropolitarum prisca jura; si postremæ hujus ætatis interpretes Canonum & Decretorum, Collatorem, & summum omnium Beneficiorum ferè dispensatorem illum dixere: ea quidem Ecclesiasticæ disciplinæ immutatio vicissitudini rerum humanarum & temporum lapsibus meritò adscribenda est; sed ejus tamen recentioris disciplinæ prælusiones quasdam & vestigia juvabit observasse prioribus, adeoque & vetustissimis sæculis impressa. Ne dubitari quidem potest, quin Apostoli, & maximè Apostolorum Principes summa quadam potestate uterentur in creandis Episcopatibus novis, & in Episcopis deligendis. Ubi ab illis creati sunt Metropolitani, non suo se illi fundius prisco exuerunt jure in Episcopos, & in ipsos Metropolitanos. Iterum iterumque inculcandum illud est, Episcoporum imperium super alios Episcopos Apostolorum æquè successores, profisci ab ejus prærogativæ imitatione & expressione, qua Christus Petrum decoravit, extulitque supra alios Apostolos. Itaque tres illi majorum gentium Episcopi, qui Petri peculiares fuere successores in tribus Ecclesiis Patriarchalibus, ingentem semper retinuere authoritatem & jurisdictionem in Metropolitanos & Episcopos omnes complurium Provinciarum sibi subjectarum. Episcopi Alexandrini in sede Marci, discipuli Petri confirmabant, ordinabantque Metropolitanos omnes, & cum libebat, Episcopos omnes Provinciarum suæ ditionis. Ita soli quodammodo erant Metropolitani. Vetustam hanc consuetudinem non aliud Nicæna Synodus quàm novo robore firmavit, & sive Alexandrinæ, sive Antiochenæ Ecclesiæ disciplinam exemplo Romanæ in hac parte constituit. Electiones omnes Episcopales ab Episcopis cujusque Provinciæ fiebant, Cleri votis, populi testimoniis libratis, sed is sanè plurimum habet in electiones potestatis, qui earum examinandarum, confirmandarum, irritandarum jure fruitur. Ideo & primariam authoritatem, τὸ κῦρος, electionum Metropolitanis Canones vendicabant: quòd eorum esset muneris eas confirmare.

VIII. Quantavis antiquitatis gloria donetur jus Metropolitanorum, posterius certè est privilegio Apostolorum, Sediumque Apostolicarum. Alibi jam demonstratum est à nobis Metropolitanarum Sedium prærogativas inde maximè emersisse, quòd & ipsæ suo quodam modo Apostolicæ sint Sedes.

IX. Si potuere Apostoli jam inde ab exordio Metropolitanos creare, qui mediam quodammodo potestatem exercerent inter ipsos & Episcopos: ut penderent illi quidem ab Imperio Apostolorum, Episcopos verò suis mandatis obsequentes haberent: Potuit ergo & Ecclesia, quæ authoritatis Apostolicæ depositum & jus in sinu semper suo gestat; potuit, inquam, eodem modo, iisdemque de caussis creare Primates, Exarchos, aut Vicarios Legatosque Apostolicos, qui medii essent inter Apostolicas Sedes & Metropolitanos. Ejus generis fuere Primates, seu Exarchi, Ephesinus, Cæsareensis & Heracleensis in Imperio Orientali: Primas seu Archiepiscopus Carthaginensis, Legatus Apostolicus Thessalonicensis, & non pauci alii, eadem potestate à Romanis Pontificibus in Occidente muniti. Non hærebo hîc in Legatis & Vicariis Apostolicis, qui supra Metropolitanos à Papa collocati sunt ante annum Christi quingentesimum. Unum adnotabo, inter eos antiquitate sua excelluisse Thessalonicensem, ei cæteros persimiles fuisse, patuisse Ecclesiam Gallicanam bis Papæ Vicariis, qui Metropolitanis etiam præerant, idque omnino argumenti satis habere, ut evincatur, in ordinationes Episcoporum omnium Patriarchatûs Romani Romanos Pontifices jus non mediocre jam olim non obtinuisse tantùm, sed & exercuisse.

X. Chrysostomo visum est, potuisse Petrum suo id sibi jure sumere, ut Mathiam solus eligeret; sed eo jure abuti noluisse, ne cui suspicionem moveret, favori & gratiæ privatæ aliquid datum esse. Sic enim ille Homilia III. in Acta Apostolorum. *Quid an non licebat ipsi Petro eligere? Licebat & quidem maximè; verùm id non fecit, ne cui videretur gratificari.*

XI. Quantumcumque desudatum sit à nobis, ut exploraremus, num vestigia aut monumenta aliqua suppeditaret antiquitas ejus quæ nunc viget consuetudinis, ut omnium ferè per orbem Episcoporum electio vel ordinatio soli Pontifici reservetur: ea adverso enititur, omnes ferè Episcopos, maximè Orientalium Patriarchatuum, Sedes suas administrasse inconsulto Papa. Quanquam enim post ordinationem suam litteras ad eum darent, ut vertici se conglutinarent unitatis & communionis Catholicæ; nihil id attinebat ad confirmationem novæ dignitatis suæ ab eo flagitandam. Quin immo nonnisi Patriarchæ, Exarchi & Primates hac Epistolarum ultro citroque commeantium alternatione alere tenebantur eam Sedis suæ cum Sede Petri societatem, reliquis Episcopis ei cohærentibus medio hoc Primatum suorum nexu. Denique si vel Leo I. Papa hoc unum desideravit, ut Episcopi Illyrici Occidentalis, qui parebant Exarcho Thessalonicensi, Legato & Vicario Sedis Apostolicæ, ab eo confirmarentur; ut nihil præterea opus esset, ut Romam vel commearent ipsi, vel mitterent, quò Pontificem suæ vel electionis, vel ordinationis certiorem facerent: quid conjectandum restat de Episcopis longinquioribus, & qui ne Romani quidem Patriarchatûs finibus claudebantur?

XII. Consecratio jam Episcoporum usque adeo electioni eorum cohærebat prioribus bis sæculis, & ita de proximo sequebatur sequentibus mediis sæculis, ut eam Græci exprimerent una & eadem voce, atque electionem, χειροτονία. Qui ad electionem convolarant Episcopi, iidem ipsi plerumque electum mox consecrabant, nisi differri rem cogeret necessitas expectandæ confirmationis Exarchi. Vetuit Calchedonensis Synodus, ne ea sine gravi necessitate ultra tres menses differretur. *Episcopi or-* Can. 25.
dinentur intra tres menses à Metropolitano, nisi ex caussa necessaria. Consecrandi munus obibat Metropolitanus, aut illud delegabat. Quæ exceptiones hîc erant, jam pertractatæ sunt. Intererant ex officio omnes Episcopi Provinciæ, ut qui authores & censores fuissent electionis. Voluit Nicæna Synodus, Can. 4.
ut tres saltem interessent, cæteris per scripta assentientibus. Eidem numero cætera ferè deinceps subscripsere Concilia. Canonum porro hujusmodi omnium verba scrupulosa lance pensitata, illum nume-

rum declarant Episcoporum, præter Consecratorem, ad solemnitatem magis & pompam consecrationis pertinere, quàm ad ejus necessitatem.

XIII. Hujus porro consecrationis suæ pompam quilibet Episcopus privatim deinceps sua in Ecclesia anniversariam recolebat. Plurimi extant Patrum sermones in hoc habiti Natali Episcoporum die annis singulis recurrente, & admonente, ut primigenium Episcopatus sui fervorem languescere ne sinerent. In ejusmodi sermone aliquo docet nos Augustinus, eum à se celebrari annuum ordinationis suæ diem, quasi tum primum gravissima sanctissimaque ea sarcina sibi infligeretur. *Cùm dies anniversarius nostræ ordinationis exoritur, tunc maximè honor hujus officii tanquam primo imponatur, attenditur.* Eo die sanctissimus Pater replicabat animo gesta hactenus sui Episcopatus omnia, & in futurum meditabatur, quo expiari possent præterita commissa, quo futura præcaveri; ut accusator ipse sui, accusationes communis omnium accusatoris & adversarii declinaret: exarmaretque Judicem illum inexorabilem, qui illis demum unis parcet, qui sibi non pepercerint ipsis. *Non solum futura quemadmodum deinceps geri debeant, cauta prævisione consulimus, verùm etiam præterita, quemadmodum gesta sint felicita recordatione recolimus; ut nosmetipsos in benefactis imitemur, & si qua culpanda transierunt, ne repetantur, curemus; ut ignoscantur, oremus: & accusat enim diabolus, ubi possumus rectè agendi sedulitate fugiamus; ubi autem non possumus, confitendi pietate vincamus. Sicut peccata ne fiant prospicit charitas; ita facta delet humilitas.*

Leo homil. hom. 24. 25.

De Electionibus ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

CAPUT IX. *P. 2. l. 2. c. 29.*

De Electionibus in Oriente à quingentesimo ad octingentesimum annum.

I. Imperator, Optimates, Episcopi, Clerus, Populus suo quisque gradu & modo electioni Patriarchæ suffragabantur.
II. In Electionibus primas tenebat auctoritas Episcoporum.
III. Fuit ubi a Clero Populoque tres eligerentur, ex quibus Metropolitanus dignissimum eligeret, vel senior Provinciæ Episcopus.
IV. Ita sanxerat Justinianus, quasi priscæ eu viguisset consuetudo.
V. Ita penes Metropolitanum residebat summa auctoritas.
VI. VII. Ex populo Optimates solis aliqua erat potestate.
VIII. Quanto tempore per Canones vacare possint Ecclesiæ vacare possint sedes Episcopales. Usus Orientalium tota Occidente pervagatissimus.

I. AD mediæ jam ætatis priora sæcula accedimus, quæ à Chlodovæo Rege ad Carolum Magnum effluxere: & quæ tum Electionum regulæ fuerint, perscrutari adgredimur. Initium ducimus ab Ecclesia Græca, ubi quantum potuerint Episcopi Provinciæ, Metropolitanus, Clerus, Populus, liquet ab exemplo Epiphanii, quo post obitum Joannis Patriarchæ Constantinopolitani electo, Synodus Episcoporum ex iis solenni more conflata, qui tum fortè Constantinopoli versabantur, de ea re ad Hormisdam Papam litteras dedit, testatumque fecit, unanimi consensu electum eum fuisse ab Imperatore & Imperatrice, Magnatibus Imperiis & Episcopis. *Secundum rectam & probabilem. Christianissimi nostri Principis, & piissimæ Reginæ & gloriosissimorum communis Reipublicæ Procerum, sententiam, nostra quoque etiam omnium in hac urbe habitantium testificatione, &c.* Scripsit & ipse Epiphanius ad Pontificem, electum in suam approbatum fuisse Imperatoribus, Proceribus Aulæ, Episcopis, Monachis, Populoque. *Sententia & electione Christianissimi Principis Justini, & piissimæ Reginæ, sequentiumque eorum, his quibus est bona conversatio, & qui regiis honoribus sunt sublimiores, simul & Sacerdotum, & Monachorum, & fidelissimæ plebis consensus accessit.*

Post Ep. 70. Hormisdæ.
Ibid. post Epist. 71.

Electus quoque fuit Sophronius, ille virtutum fama celebratissimus, Hierusolymorum Patriarcha, non consensione solum, sed penè violenta conspiratione Cleri, Monachorum, Populi, ut testificatur ipsemet in Epistola ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum data: *Necessitate magna & vi, Deo amabilium Clericorum, religiosorumque Monachorum, & fidelium laicorum, omnium civium hujus sanctæ Civitatis, qui violenta manu me compulerunt, & more tyrannico coegerunt.*

Sext. Synod. Act. 11.

II. Sed quantamcumque in societatem electionum vocaretur Clerus, Populusque, Episcopi soli semper Principem potestatis locum obtinebant, & ante omnes Metropolitanus. Id testatum facit Trullana Synodus, ubi ait, cùm Metropolitanus Cypri insulæ coactus fuerit incursationibus Barbarorum sedem suam transferre, immo & plebem suam omnem traducere in Hellespontum: æquum esse, ut omnibus ille ejus Provinciæ præsit Episcopis, utque eligatur & ordinetur ab eis. *Præsit omnibus Hellespontiorum Provinciæ Episcopis, & à suis Episcopis eligatur, χειροτονείσθω, ex antiqua consuetudine.* Qui hic ordinabat, elegerat: qui elegerat, ordinabat. Una utrobique Græca vox, quod eorum qui eligerent Princeps esset ordinator ipse. Ita perspicuè Joannes Antiochenus in suo Nomocanone. *Oportere Episcopum tum à Metropolitano, tum etiam ab omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis ordinari, vel præsentibus ipsis, vel scriptis consentientibus, ac non multitudini permittere Episcoporum facere electiones.* ἐκλογάς. Itaque idem sonant duæ hæ voces, χειροτονία, ἐκλογή.

Can. 39.
Tit. 7. Bibl. Juris Canonici. p. 610.

III. Accipe & alias non paulo validiores probationes. Cùm Proclus Episcopus Larissæ vivis abiisset, Stephanus in ejus locum substitutus est, coactusque Romam proficisci ut in Synodo coram Bonifacio II. Papa anno 531. causam suam tueretur. Ibi hanc fuisse significavit electionis suæ rationem; Clerum & Populum tres elegisse, quorum dignissimus duobus aliis anteponeretur. *Decretum factum est communiter tam Cleri, quàm populi. Metropolitani, atque eorum, quorum adsensus erat actui necessarius, & secundum priscam consuetudinem tribus electis, Alexandro Presbytero, N. Presbytero, ac me exiguo, meliori, testimonio sortito, electionis palmam promerui, &c. Et quia ordinationem secundùm priscam consuetudinem non alibi, sed in eadem Civitate fieri oportebat, convenit sancta Provinciæ Synodus, & totius Civitatis possessores, omneque corpus Ecclesiæ, & communi omnium testimonio, nihil consuetudini detrahente, in Ecclesia sum ordinatus Episcopus.*

Collect. Rom. Holst. enii. p. 07.

IV. Observandum hic venit, moris jam fuisse vetusti, ut à Clero, Populoque tres proponerentur, ex quibus qui electioni præerat, unum, eumque dignissimum deligebat. Porro præesse non poterat electioni, nisi Metropolitanus, aut alius quis ejus vice Episcopus. At ecce ipsissimam Justiniani Constitutionem, qua confirmatur eadem consuetudo.

ut Clerus & Populus tres primùm deligant, & Metropolitano, vel Consecratori Episcopo copia fiat *Novel. 123. c. 1.* ex tribus illis dignissimum deligendi. *Sancimus, quoties opus fuerit Episcopum ordinari, Clericos & Primates civitatis, cujus futurus est Episcopus ordinari, mox in tribus personis decreta facere, &c. ut ex tribus personis pro quibus talia decreta facta sunt, melior ordinetur, electione & periculo ordinantis.* ὁ βελτίων χειροτονῆται τῇ ἐκλογῇ καὶ τῷ κινδύνῳ τοῦ χειροτονοῦντος.

V. Si tres tantæ dignitati pares non occurrant, possunt per eam Justiniani legem eligentes ad duos sese coarctare, immò & ad unum; verùm si intra sex menses non eligant, quorum id juris est, sancitur, ut Consecrator solus eligat, ordinetque Episcopum. *Ibidem.* *Si verò, ut evenit in quibusdam locis, non inveniantur tres personæ, ad talem electionem opportunæ, liceat decreta facientibus, in duabus, & in unâ personâ decretum facere. Si verò qui debent Episcopum eligere, citius ipsa decreta intra sex menses non faciant, tunc periculo propriæ animæ, ille quem competit ordinare Episcopum, ordinet.* Perspicuum est & hoc ultimo casu electionem & ordinationem ab uno & eodem Episcopo peractam fuisse. Itaque cùm electio fieret, vel duobus, tribusve nominatis, qui essent idonei: vel uno nominato, quòd plures non essent idonei: vel denique prætterlapsis sex mensibus vacuæ sedis: hoc ultimo casu solus consecrator Episcopus eligebat, quem voluisset: primo casu eligebat idem ipse dignissimum, ex duobus tribusve electis: secundo casu, illius, æquè ut Cleri & Populi, ad unum arctabatur electio, quòd unius tantum copia esset idonei.

Novel. 137. c. 2. Cod. l. 9. De Episc. & Cler. l. 42. VI. Hæ Justiniani Constitutiones Novellæ confirmantur etiam alibi in ejus Novellis & in Codice. Præmittere his voluimus causam Stephani Metropolitani Larissæ agitatam in Synodo Romana, paucis pòst annis, quàm Imperii clavum capessiverat Justinianus; ut certius liqueret, à Justiniano nonnisi confirmatam & observari jussam antiquam Ecclesiæ consuetudinem, *Secundùm priscam consuetudinem*: ut Clerus Populusque tres eligerent, è quibus Metropolitanus, vel Consecrator quicumque alius futurum Præsulem digniorem eligeret. Illud autem hic præterea emituit, populi sive suffragia, sive testimonia in electionibus devoluta jam ferè fuisse ad solos honoratiores, quibus cæteri applauderent.

Sanctissimus Archimandrita Theodorus Siceota à Clero populoque Anastasiopolitano ex suo Monasterio vi abreptus est, *Accesserunt Clerici & Cives &c. Vi quadam pia illata*: ad Metropolitanum An- *Vita ejus apud Surium die 22. Apr.* cyram pertractus, à quo & ordinatus est, commendatusque Episcopo Cynatæ, qui eum in Ecclesiam sedemque suam deduceret. Author vitæ Stephani Junioris, Monachi & Martyris, tanquam rem stupendam & inauditam narrat & lamentatur, intrusionem Presbyteri Constantini in sedem Patriarchalem Constantinopolitanam, audacia infanda & sacrilega Constantini Copronymi, cùm eum nec elegissent Episcopi, nec Synodus examinasset.

VIII. Nullibi opportuniùs quàm hoc loco pertractari potest ea quæstio, Quandiu fas sit vacare Ecclesiam Episcopalem. Canone VIII. Concilii Carthaginensis V. jubebatur Episcopus Visitatur intra annum perficere, ut electio fieret & Episcopus ordinaretur; alioqui Visitator alius eidem Ecclesiæ designabatur. *Can. 8.* *Intra annum eidem Episcopum provideant, quod si neglexerint, anno exempto, alius Interventor tribuatur.* Non distat à verisimili, ante Concilium Calchedonense in Ecclesiis Orientali nullum certum ad id tempus præfinitum fuisse. Verùm cùm Calchedonensis Canon ea de re editus sanciat, ut intra tres saltem menses ordinatio fiat: inde augurari datur, eam disciplinæ partem minùs in Oriente, quàm in Africa relaxatam fuisse. *Quoniam quidam Metropolitanorum commissos sibi greges negligunt, & ordinationes Episcoporum facere differunt, placuit sanctæ Synodo intra tres menses Ordinationes Episcoporum celebrari, nisi fortè inexcusabilis necessitas coëgerit tempus dilationis extendi.* *Can. 25.*

In Oriente ergo refundebatur culpa in Metropolitanum, in Africa verò in Episcopum Visitatorem, ubi ultra statum tempus electio procrastinabatur. Capite autem ab eo manabat ea diversitas, quod in Oriente Metropolitano vacantium Episcopatuum cura & custodia mandaretur: in Africa & Occidente ferè toto Episcopo Visitatori. Quod autem Carthaginense Concilium unius anni inducias daret ad eligendum Episcopum, ex eo forsan id proficiscebatur, quòd longè difficiliores essent in Occidente electiones, propter non mediocrem in eis plebis potestatem: at cùm in Oriente multò minùs plebi tribueretur, longè proclivius erat Episcopis, dissensiones sedare omnes, & rem totam trimestri extricare spatio.

Locus tamen fuit in Occidente Calchedonensi huic Canoni, quanquam non satis mihi quidem constet, quod satis religiosè fuerit observatus. Ejus alicubi memoria est in Epistolis Gregorii: *Sacri Canones ultra tres menses Ecclesiam præcipiunt non vacare.* *L. 6. Ep. 24. 39.* Episcopi Concilii XII. & XIII. Toletani, eam sibi prætexuere causam concedendæ Episcopo Toletano potestatis, ut nominatos à Rege Episcopos Toleti ordinaret, ne diutius vacare sinerentur Ecclesiæ Episcopales: *Ut Episcopi alterius Provinciæ cum conniventia Principum in urbe regia ordinentur, &c. Quoscumque potestas Regalis elegerit, &c.* *Can. 6. Can. 9.* Ea cautione, ut tertio post ordinationem suam mense, suo se sistant Metropolitano: *Infra trium mensium spatium, proprii Metropolitani præsentiam visurus accedat.* Fidem facit Hincmarus Calchedonensem eum Canonem Gallis nostris haud incompertum fuisse: *Episcopi in Calcedona sexcenti triginta & eo amplius constituerunt, ut ultra tres menses Ordinationes Episcoporum non differantur.* *Epist. 22. c. 3.* In Concilio Lateranensi sub Innocentio II. insinuatur ea fuisse Occidentalium Ecclesiarum regula: *Ultra tres menses vacare Ecclesias prohibent Patrum sanctiones.* Copiosiùs alibi de Innovationibus in ea re posteriùs factis.

De Decretali Pelagii Papæ omnino silui, quòd commentitia prorsus ea sit, ut dictum est suprà, ubi de Pallio ageretur. Quæ autem hic dicta sunt de Ecclesiis Occidentalibus, planum faciunt nullam in eis habitam fuisse rationem Novellæ Justiniani, quæ sex menses concedebat, pro tribus mensibus Concilii Calchedonensis. *Novel. 123. c. 1.* Non dissidet à verisimilitudine, ut huic Canoni de tribus mensibus obtemperaretur, retentam esse ad Episcopales Ordinationes antiquam consuetudinem singulis Dominicis ordinandi: cùm cæteræ Ordinationes quatuor temporum jejuniis sint affixæ.

CAPUT

CAPUT X. *P. 2. l. 2. c. 30.*

De Electionibus Episcoporum in Italia, in Gallia, in Occidente reliquo, per eadem media sæcula.

I. In Italia Præsides, Nobiles, Senatus, Populus cum Clero conspirabant ad electiones, & Decreto electionis subscribebant.
II. Si sui in Civitatibus & Ecclesiis non suppeterent idonei, Compromissarios Romam delegabant, qui sibi eligerent.
III. Primaria authoritas penes populum erat.
IV. V. Quàm alienus esset Gregorius à nominandis suo nutu Episcopis.
VI. De electione Pontificum Romanorum.
VII. Clerus ibi etiam dominabatur.
VIII. In Gallia omnes Episcopi Provinciæ concurrebant, maximè ad electionem Metropolitani.
IX. Populo & Clero suffragii locus erat, sed dominabatur Metropolitanus.
X. XI. Non ferè nisi ad electionem Metropolitani convolabant Provinciæ Episcopi omnes.
XII. Permissio Regia necessaria.
XIII. Hinc Clotarius I. ansam arripuit nominandi Episcopos.
XIV. Restitum est ab Episcopis, immo & à posterioribus Regibus.
XV. Temperamento quandoque huic acquievere, ut quem Rex nominasset, is ab Episcopis, à Clero, à Populo examinaretur & probaretur.
XVI. Occupabant quandoque Episcopi præsentare Regibus eos, qui Episcopatu digni censerentur: quos tum Clerus Populusque eligebat.
XVII. XVIII. XIX. In Hispania & in Africa Populus, Clerusque eligebant.

I. IN Ecclesia Latina constitit media etiam hac ætate Populo Cleroque prisca libertas eligendi. Ab Italia ordiar. Scripsit Gregorius Magnus
L.1.Ep.56. 58. Papa *Ursicino Duci, Clero, Ordini, & Plebi* Ariminensi, ut eos hortaretur ad eligendum Episcopum, qui eam dignitatem sacratissimam non dehonestaret. Eadem de causa scripsit *Clero, Ordini, & Plebi* Perusitanæ civitatis. *Clero & Nobilibus, Ordini &*
L.2.Ep.5. 8.30. *Plebi* Neapolitanæ. *Clero, Ordini & Plebi* Nepensis. Cùm autem Subdiaconum Ecclesiæ Romanæ delegaret ad accelerandam electionem Episcopi Mediolanensis, præcepit ut Genua iter ageret, & vota audiret complurium Mediolanensium, qui eò aufugerant propter hostium incursiones. Usu receptissimo in plerisque Italiæ urbibus, qui electus fuerat, Romam proficisci tenebatur, ad Metropolitanum videlicet suum, cum Decreto authentico suæ electionis, sigillis monito eligentium, & Episcopi, qui electioni præfuerat, tanquam Ecclesiæ vacantis
L.1.Ep.19. 27.38. Visitator. *Qui dum fueris postulatus, cum solennitate Decreti omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio litterarum, ad nos veniat sacrandus.*

II. Scripsit idem Gregorius ad Ducem Campaniæ, et Primates Neapolitanæ civitatis, Populumque convocaret ad alterius Episcopi electionem: & si fortè Neapoli nullus occurreret, qui ei oneri ferendo par esset, Romam tres spectatæ sapientiæ & probitatis viros delegarent, à quibus is eligeretur Episcopus, cui tota civitas consentiret. *Sin ap-*
L.2.Ep.15. *tam non inveniatis, in quam possitis consentire personam, saltem tres viros rectos ac sapientes eligite, quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum & judicio plebs tota consentiat.* Tres hi ad eligendum delegandi erant ex Clero, eisque se Romæ adjungere debebant Neapolitani quidam Nobiles ad Episcopi electionem. Accipe enim quæ idem Pontifex scripserit ad suum in Campania Apostolicum Nuntium.
L.2.Ep.31. *Experientia tua Clerum Ecclesiæ Neapolitanæ conveniat, quatenus duos vel tres de suis eligere, & huc ad eligendum Episcopum transmittere non omittant. Sed & sua nobis relatione insinuent, quoniam ii quos transmiserint, omnium in hac electione vice fungantur, &c. Sub omni hac celebritate electos de Clero transmitte, ut quia diversi hic Nobiles civitatis Neapolitanæ præsentes sunt, unà cum eis de Episcopali ordinatione tractare possimus.*

III. Ex his enitescit Duces & Præsides civitatum ac Provinciarum, Nobiles, qui alicubi suum privatim & quidem primarium constituebant Collegium, ut Neapoli, quæ civitas eo etiamnunc nomine Nobilis habetur & dicitur; Senatum denique, & populum, partes suas aliquas ad electionem interposuisse, sed primas authoritatis vendicasse sibi Clerum. Illi quippe Neapolitanæ civitatis Delegati, vel Compromissarii, ex Clero erant. Nec idem Gregorius nisi ad *Presbyteros, Diaconos & Clerum* Me- L.2.Ep.29.
diolanensem scripsit de eligendo ab ipsis Episcopo. Ad Epiri quoque Episcopos scribens, electionem confirmat à Clero & Episcopis Provinciæ factam. *Cujus consecrationem, quoniam Cleri & Provincialium* L.5.Ep.7.
provenisse signato assensu, gaudemus.

IV. Quod autem præ cæteris jure demiremur, unum illud est à privatis affectibus & cupiditatibus quibusvis alienissimum Gregorii pectus, constansque ratio & voluntas, ut ne se unquam ipse electionibus Episcoporum interponeret, non eas in suum torqueret usum, non ex qualicumque parte sibi vendicaret; non antiquius denique, aut dulcius haberet quidquam, quàm Ecclesiarum singularum jura & libertates tueri. Cùm idonei Episcopi copiam non haberent Panormitani, illud idem eis Gregorius insusurravit consilium, ut Romam aliquos ex suis mitterent, qui eorum nomine eligerent Episcopum: contestatus non aliud sibi cordi esse, quàm ut eis consuleret, utque unaquæque Ecclesia proprio ex Clero suum sibi Pastorem cooptaret. *Hortandus est Clerus & populus, ut eis qui ad* L.11.Ep.14.
nos venerint, sua debeant vice mandare, quatenus hic habeant eligendi licentiam; ut si vel hic inveniri potuerit, consecretur. Quod tamen nos non voluntate impulsi loquimur, sed necessitate compulsi; quia quantum est ad nostræ authoritatis judicium, de suis volumus ut debeant habere Pastorem. Idem rursum alibi inculcaverat, Ecclesiæ cujusque Clericos extraneis omnibus antehabendos in Episcopali electione. *Nullum de al-* L.2.Ep.38.
tera eligi permittas Ecclesia, nisi fortè inter Clericos earundem civitatum, in quibus visitationis impendis officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri.

V. Indigitavit tamen quandoque sanctissimus Pontifex quem eligi cuperet, sed ita demum si nemo esset in Clero proprio idoneus, & ne tunc quidem aliud quàm eligendum proponebat, imperio abstinebat prorsus: *Habitatoribus civitatis edicito, ut si* L.1.Ep.55.
in eadem Ecclesia dignum ad hoc opus invenerint, in 56.
ipsius cuncti electione declinent. Alioquin præsentium tibi portitor personam, de qua ei diximus, indicabit, in cujus debeat fieri electione decretum. Cùm denique rescisset Gregorius Mediolani electum fuisse in Episcopum Constantium Diaconum, qui ei civitati & venerationi erat, & amori propè singulari: per litteras mandavit, ut circumspectissimè nihilominus agerent, sibi enim jamdiu certissimum esse, nullis se electionibus immiscere. *Veruntamen quia antiqua* L.2.Ep.29.
meæ deliberationis intentio est, ad suscipienda pastoralis curæ onera, pro nullius unquam misceri persona.

VI. Electus fuerat Gregorius ipse à Clero, Se-

Joan. Diac. in ejus vita. L. 1. e. 19. Cassiod. L. 2. Ep. 57. L. 3. Ep. 49. L. 4. Ep. 8. 45. L. 6. Ep. 24. L. 8. Ep. 29. L. 9. Ep. 5.

natu & Populo Romano. *Renitentem totis viribus Clerus, Senatus Populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt.* His tum constabat Romana Civitas. Quoad urbes alias docet nos Cassiodorus, qui essent earum viri spectabiles: *Honoratis, Possessoribus, Defensoribus, & Curialibus. Comitibus, Defensoribus, & Curialibus. Episcopis & Honoratis.* Hi nimirum ad electiones concurrebant. Symmachus Papa Clerum tantùm & Cives commemorat, quorum consensus constare debet testimonio Episcopi Visitatoris, qui Ecclesiæ vacanti præerat & electioni. *Decretum sine Visitatoris præsentia nemo conficiat, cujus testimonio Clericorum ac Civium possit unanimitas declarari.* (Epist. 5.)

At verò prima Synodus Romana sub eodem Symmacho constituit, ut si Cleri Romani vota omnia in unum conspirent, is Episcopus inauguraretur: si dissiderent suffragia, vinceret major numerus. *Si in unum totius inclinaverit Ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus Episcopus; si autem, ut fieri solet, studia cœperint esse diversa eorum, de quibus certamen emerserit, vincat sententia plurimorum.* His vocibus *Ecclesiasticus ordo* solus videtur primò designari Clerus, nec tamen in dubium vocari potest, quin Populus electionibus adhuc interesset. Itaque ne consuetudini inconvulsæ obstrepamus, satius est aliquantulùm torquere ea verba, & ex illis unum id exprimere, quantò potior esset Cleri quàm Populi in electionibus authoritas. Etenim Hormisda ipse Pontifex ita pronuntiavit, In electionibus in voce & consensione Populi divinam quandam inesse vim, & eum esse optimum divinæ voluntatis interpretem: *Istam Sacerdotibus ordinandis reverentiam servet electio, ut in gravi murmure populorum divinum credatur esse judicium. Ibi enim Deus, ubi simplex sine pravitate consensus.* (Epist. 25.) A Clero tamen Vigilium eligi expressit Belisarius, authore Liberato: *Belisarius convocatis Presbyteris, & Diaconibus, & Clericis omnibus, mandavit eis, ut alium sibi Papam eligerent.* (Breviarii. c. 22.)

VII. His ergo testimoniis, quæ totam Clero vendicare uni videntur electionum facultatem, potissima saltem ejus pars ei jure suo adseritur. Ejus rei argumento rursus est electio Cononis Papæ, ut ab Anastasio Bibliothecario refertur. Archipresbyterum Clerus elegerat Petrum, Theodorum Presbyterum Exercitus. Multum diuque desudatum est, ut concordiæ aliqua ratio iniretur, sed cùm irritus caderet conatus, tandem à Clero electus est Conon, vir supra omnem comparationis, supra omnem admirationis aleam positus. Ei electioni Optimates populi protinus consensere, eoque Exercitus fractus consensu cessit. *Sacerdotes & Clerus unanimiter elegerunt tertiam personam suprafati Pontificis, &c. E vestigio omnes Judices unà cum Primatibus exercitus pariter ad ejus salutationem venientes, in ejus laude omnes simul acclamaverunt. Videns autem exercitus unanimitatem Cleri populique, in decreto ejus subscribentium, post aliquot dies & ipsi flexi sunt, atque in ejus Decreto devota mente subscripserunt, &c.*

Vides ut Clerus primò eligeret, tum spectabiles laïci, & plebs ipsa assentirentur, subscriberentque Decreto electionis, quod denique ad eum referebatur, cui jus erat illud confirmandi. Excedente hinc Conone, contraria rursus in studia scissus est populus, & diu, contumaciterque secum ipse conflictatus. Denique Optimates Cleri, Populi, Exercitus, Sergium elegerunt, eaque pars quia validior, utique prævaluit. *Cùm unus alii locum non cederet, inito consilio Primates Judicum & Exercitus Romanæ militiæ, vel Cleri plurima pars & præsertim Sacerdotum, & populi multitudo in personam Sergii se contulerunt, &c. Quæ pars quia validior erat, prævaluit.*

VIII. In Gallias ex Italia concedo, ubi Concilium Aurelianense II. sanxit, ut omnes Episcopi Provinciæ ad Ordinationem, hoc est ad electionem confluerent Episcoporum. *Nullus Episcoporum, admonente Metropolitano Episcopo, ad Ordinationem Consacerdotis venire detrectet.* (Can. 1.) At electionem contineri voce Ordinationis, ex Canone alio ejusdem Concilii apertum fit, ubi edicitur, ut eligantur Metropolitani ab Episcopis, Clero & Populis, ac confestim ordinentur præsentibus omnibus Provinciæ Episcopis. *In ordinandis Metropolitanis Episcopis antiquam institutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus omissam. Itaque Metropolitanus Episcopus à Comprovincialibus Episcopis, Clericis vel Populis electus, congregatis in unum omnibus Comprovincialibus Episcopis ordinetur.* (Can. 7.) Ubi palam est tot Episcoporum cœtum ad electionem magis, quàm ad Ordinationis necessitatem desiderari. Sed non dissimulamus enixiùs flagitari hoc Canone præsentiam omnium Episcoporum Provinciæ, ad Ordinationem Metropolitani, qui ipsis ut Pater & Caput præficiendus erat. Itaque uniuscujusque Episcopi ordinationi adesse cogebantur ex Episcopis ii, quos Metropolitanus evocasset: at Metropolitani electioni & ordinationi nemo eorum subducere se poterat.

IX. Ex hoc rursus Canone patet ad electionem Metropolitani requisita fuisse suffragia Episcoporum, Cleri & Populi. *Metropolitanus à Comprovincialibus Episcopis, Clericis, vel Populis electus.* Concilii Arverni Patres suffragia Cleri & Populi, consensumque Metropolitani desideravere, ad electiones Episcoporum: propterea quod Decretum electionis à Clero & Populo celebratæ ad Metropolitanum deferebatur, ab eo confirmandum: *Episcopatum desiderans, electione Clericorum, vel Civium, consensu etiam Metropolitani ejusdem Provinciæ Pontifex ordinetur.* (Can. 2.)

X. Illud verò discrimen electionis Metropolitani, & Episcoporum evidentissimè declaratur in Concilio Aurelianensi III. ubi utrique electioni necessaria Cleri Populique sunt suffragia: at Episcoporum electioni unus sufficit Metropolitanus, cùm electioni Metropolitani omnes suffragari necesse sit Episcopos Provinciæ. *Ipse tamen Metropolitanus à Comprovincialibus Episcopis, sicut decreta sedis Apostolicæ continent, cum consensu Cleri, vel Civium eligatur: quia æquum est, sicut ipsa sedes Apostolica dixit, ut qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur. De Comprovincialibus verò ordinandis, cum consensu Metropolitani, Cleri & Civium, juxta priorum Canonum statuta, electio & voluntas requiratur.* (Can. 3.)

XI. Non obscurè hic significatur Decretis maximè Siricii Papæ & Successorum ejus, eam constitutam esse discrepantiam electionis Metropolitani & Comprovincialium: ne toties, ne tandiu peregrinari & abesse cogerentur Episcopi suis ab Ecclesiis, si singulis interesse jussi essent electionibus Episcoporum, quæ diutius quandoque protrahebantur. Rariores verò erant Metropolitanorum electiones, & æquum erat alioqui ab Episcopis eligi, qui præfuturus eis esset.

XII. Superaddita est ab Aurelianensi Concilio V. necessitas consensus Regii, aut permissionis. *Nulli Episcopatum præmiis, aut comparatione liceat* (Can. 10. 11.)

adipisci. Sed cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri ac plebis, sicut in antiquis Canonibus tenetur scriptum, à Metropolitano, vel quem in vice sua praemiserit, cum Comprovincialibus Pontifex consecretur. At cùm Regum permissio in praeceptum facilè delitesceret, in Concilio Parisiensi III. irritae & cassae pronunciatae sunt electiones omnes, quae sola Principis authoritate factae essent, quod jam tam non raro dignitatum amatores abutebantur, nullo Cleri interveniente, Populique consensu. *Nullus Civibus invitis, ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissimâ quaesierit voluntate. Non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem, vel Episcoporum Comprovincialium ingeratur. Quod si per ordinationem regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate praesumpserit, à Comprovincialibus loci illius recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum agnoscunt.* [Can. 8.]

Nec minore constantia ambitiosos hos & violentos impetus fregit Concilium Parisiense V. *Decedente Episcopo in loco ipsius debet ordinari quem Metropolitanus, à quo ordinandus est, cum Provincialibus suis, Clerus vel populus civitatis absque ullo commodo vel datione pecuniae elegerint. Quod si aliter aut potestate subrepat, aut quacumque negligentia, absque electione Metropolitani, Cleri consensu vel Civium, fuerit in Ecclesiam intromissus, ordinatio ipsius secundum statuta Patrum irrita habeatur.* [Can. 1.]

XIII. Confirmatum est hoc Statutum Concilii V. Parisiensis Regio Clotarii II. diplomate, cui insinuata simul est hujusmodi clausula, qua electionum potestas in Regem tota denique refundebatur. Integra enim servabatur Principi potestas confirmandi ejus, quem Episcopi, Clerus & Populus elegissent; aut ex Palatio mittendi Episcopum Ecclesiis vacantibus, permissa Metropolitano & Episcopis potestate ejus examinandi, nec ordinandi, nisi cujus virtutes & merita constarent. *Ut Episcopo decedente, in loco ipsius, qui à Metropolitano ordinari debet, cum Provincialibus, à Clero & Populo eligatur, & si persona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur. Vel certè si de Palatio eligitur, per meritum personae & doctrinae ordinetur.*

XIV. Planum est è diametro repugnare eam clausulam Canonicis statutis suprà relatis, maximè autem Conciliorum Parisiensium III. & V. Obsecundare utcumque coeperat Concilium V. Aurelianense votis Principum, statuens ut electiones fierent *cum voluntate Regis*. At ex iis verbis exculpi id non facilè poterat, ut è Palatio posset Princeps quos vellet Episcopos nominare & mittere. Hinc facili conjectura assequimur, novae huic Clotarii II. clausulae haud unquam assensos fuisse tum Episcopos. Unde & in Concilio Remensi paucis pòst annis habito sub Dagoberto Rege innovata est antiquissima Electionum libertas. *Ut decedente Episcopo, in locum ejus non alius subrogetur, nisi loci illius indigena, quem universale & totius populi elegerit votum, ac Provincialium voluntas assenserit. Aliter qui praesumpserit, abjiciatur à Sede, quam invasit potius quàm accepit; ordinatores autem triennio ab officio cessare decernimus.* [Can. 25.] Adversa prorsus haec sunt Clotarii II. Regis Decreto. Dagobertus I. Rex Thesaurarium suum Desiderium misit, ut Cadurcensis Episcopus crearetur, utpote quem Abbates, Clerus, Populusque ejus civitatis postulassent. *Dum Civium Abbatumque Cadurcorum consensus hoc exposcit, &c. Acclamante Clero, vel populo.* Acta haec ipsa publicavit doctissimus Baluzius, in editione pulcherrima Capitularium. Nec minùs adversabatur Clotarii diplomati Concilium Cabilonense sub Chlodovaeo II. *Si quis Episcopus de quacumque fuerit civitate defunctus, non ab alio nisi à Comprovincialibus, Civibus & Clero, ulterius habeatur electio. Sin aliter, hujusmodi ordinatio irrita habeatur.* [Can. 12.] Quae perspicuè est innovatio Canonis Concilii V. Parisiensis, praetermissa Clausula Edicti Clotarii.

XV. Videntur porro haec Concilia, Cabilonense, Remense, Parisiense item V. & III. expressiùs inculcasse necessitatem consensûs Episcoporum Provinciae ad electiones Episcopales, ut eo repagulo frangeretur ambitio eorum, qui Aulae Regiae praesidio ad sacras infulas contendebant. Nec illud tamen silendum, aut dissimulandum nobis est, ipsos quoque Reges Regumque Ministros, non facilè abduci potuisse ab inceptis, & ab ea quam semel sibi sumpserant potestate. Non infrequens fuit illud quasi medium temperamentum, ut Episcopis & populo approbaretur, quem Rex nominasset. Cum viduata lugeret Arverna Ecclesia, sanctissimum virum Quintianum Theodoricus Rex eo donavit Episcopatu, à Gallici nominis & regni hostibus Episcopatu suo exturbatum, videlicet Rutenicae Civitatis. Ea de re haec habet Gregorius Turonensis, ut demonstret, Regi curae fuisse, ut Quintianus à se nominatus Episcopis & Clero approbaretur, ut qui illum olim elegissent. *Jussit Theodoricus inibi sanctum* [L. 3. Hist.]
Quintianum constitui, & omnem ei potestatem tradi Ecclesiae, dicens, Hic ob nostri amoris zelum ab urbe sua [c. 2.]
ejectus est. Et statim directi nuncii, convocatis Pontificibus & Populo, eum in Cathedram Arvernae Ecclesiae locaverunt.

XVI. Praecurrebant nonnunquam ipsi Episcopi, & ne ambitiosorum precibus occuparentur Regis aures, ipsimet occupabant illi eos suggerere & commendare, qui verè Apostolicis virtutibus Apostolicos thronos implere & illustrare possent, nusquam tamen excluso vel Cleri suffragio, vel populi assensu. Postulavit à Childeberto Rege, à quo invisebatur in extremis agens Lugdunensis Episcopus, ut Nicetium Presbyterum sanctissimum & nepotem suum in Episcopatu successorem sibi daret; professus illud se non cognationi, sed virtutibus clarissimis Nicetii donare. Assensus est Rex, & Nicetium populus tum elegit. *Respondit Rex: Fiat vo-* [Vita Patr.]
luntas Dei. Et sic pleno Regis & Populi suffragio, [c. 8.]
Episcopus Lugdunensis ordinatus fuit. Ejusmodi fuit electio sanctissimi Episcopi Nicetii. A populo electum fuisse idem Gregorius testatur Gregorium Lingonensem Episcopum: *Post mortem uxoris ad Domi-* [Ibid. c. 7.]
num convertitur, & electus à Populo Lingonica urbi Episcopus ordinatur.

XVII. Nunc obiter saltem perstringendae sunt nobis electiones Hispaniae Ecclesiarum. Concilium Barcinonense sub Recaredo Rege Clero Populoque integras servat electiones: sed ea cautione, ut duos, tresve eligerentur, ex quibus Metropolitanus & Episcopi Provinciae unum deligerent, vel sortito, ut Canonis verba innuunt, vel ratione quavis alia legitima. *Ita tamen ut duobus aut tribus, quos antè consensus Cleri, aut plebis elegerit, Metropolitani judicio, ejusque Coëpiscopis praesentatis, quem sors praeeunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante monstraverit, benedictio consecrationis accumulet.* Ex eodem tamen Canone perspicuè insinuatur, jam se Reges electionibus immiscere solitos; his nempè verbis: *Nulli laicorum liceat, ad Ecclesiasticos ordines praeter-* [Can. 3.]
misso Canonum praefixo tempore, aut per sacra Regalia, aut per consensionem Cleri, vel Plebis, vel per electio-

nem assensionemque Pontificum, ad summum Sacerdotium aspirare, ac provehi.

At Concilium Toletanum IV. de consensione Principis prorsus silet, totum ponit in Populi, Cle-
Can. 18. ri, & Episcoporum voluntate. *Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec Populus propriæ civitatis elegerit, vel authoritas Metropolitani, vel Comprovincialium Sacerdotum assensio exquisivit.*

XVIII. Non satis liquet, an convenienter Justiniani legibus & Decreto suprà memorato Concilii Barcinonensis, electi quandoque fuerint à Clero Populoque duo, tresve, ex quibus sortitò unus à
Ann. 452. Metropolitano & Episcopis deligeretur. Longè diversam priùs rationem inierat Concilium Arelatense II. nimirum ut Episcopi Clero Populoque tres proponerent, ut ex his quem vellent, deligerent sibi Episcopum. Quod rursus an in usum vocatum
Can. 54. fuerit, latet me prorsus. Totus potius eò propendeo, ut irrita potius hæc fuerint tentamenta. *Placuit in ordinatione Episcopi, hunc ordinem custodiri, ut primo loco venalitate, vel ambitione submota, tres ab Episcopis nominentur, de quibus Clerici, vel Cives erga unum eligendi habeant potestatem.*

XIX. Nec dissimilis erat electionum ratio in Africa. Mittebatur à Primate, sive à Metropolitano Episcopus Provinciæ qui præesset electioni faciendæ in Ecclesia viduata. Dissidebant quandoque Clerus & Populus diutius, quàm Ecclesiæ conduceret.
Cap. ult. Id exemplo confirmat Ferrandus in vita Fulgentii Ruspensis Episcopi, ubi de ejus successore agit.

CAPUT XI. *P. 2. l. 2. c. 31.*

Summa Potestas Electionum Episcopalium penes Episcopos ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Varia probationes ex Gregorio Magno, plus tributum esse in electionibus Episcoporum Clero, quàm populo. Episcopis, quàm Clero.

II. Quandoque solus eligebat Metropolitanus, vel Papa.

III. Nec aliter res habebat in Gallia; in arbitrio Episcoporum erant electiones, maxime in Metropolitanorum.

IV. Similiter & in Hispania.

V. Iidem mores erant Ecclesiarum in Anglia. Pastores Ecclesiarum nascentium à suis Gregibus eligi non poterant, cùm suos sibi greges ipsi genuissent.

VI. Nova probationes, quod ad electionem magis quàm ad consecrationem, desiderent Canones præsentiam, aut consensum scripto testatum omnium Provinciæ Episcoporum.

VII. VIII. Alia rursum ejusdem rei argumenta, in Occidentali & Orientali Ecclesia.

I. TAnti semper nobis visa est hæc doctrina de summa Episcoporum jam olim in electionibus potestate, ut quanquam ea jam ex Capite superiori diluxerit, non possimus non & hic eam magis magisque illuminare, quo ex vetustissima disciplina recentiori munimenta aliqua semper astruamus. Mandabat Petro Subdiacono & Apostolicæ sedis in Sicilia Nuntio Gregorius Papa, ut renuntiaret sibi, an essent in Sicilia Ecclesiæ aliquæ ideo Pastoribus vacuæ, quòd in Clero suo non haberent, qui Episcopalem Sarcinam subire & gestare posset: ut in eam ipse curam incumberet, quò eis
L. 1. Ep. 18. provideret Pastorem. *Ut Deus quem dignum talibus ordinationibus judicaverit, valeat providere.* Scripsit & ad eum, quem delegarat ad electionem expediendam Episcopi Ariminensis, si inopia consimili premeretur ea Ecclesia, à quo litteras has suas acceperat, ab eo accepturum nomen ejus, cui illa Ecclesia committenda foret. *Alioqui præsentium tibi* L. 1. Ep. 55.
portitor personam, de qua ei diximus, indicabit, in 56.
cujus debeat fieri electionis decretum. Episcopo Justinianæ Primæ scripsit, incredibili se gaudio perfusum esse, quòd ejus electioni unanimi consensione faverint Episcopi omnes Comprovinciales, & imperator ipse: *Manifestum bonitatis liquet esse indicium,* L. 4. Ep. 8.
in unius electione cunctorum convenire consensum. Quia igitur suscepta fratrum & Coepiscoporum nostrorum relatio, ad locum vos Sacerdotis, totius Concilii unito consensu, & serenissimi Principis voluntate declarat accersiri, &c. Ad Castorium Notarium scripsit, cùm primùm celebrata foret electio Episcopi, electum ad se ut Romam mitteret, vel electos duos, cum quinque senioribus Presbyteris, quinque item Diaconis provectioris ætatis, aliisque Clericis qui venire cuperent, ut unà cum eis examinarentur electi:
Sive autem unus, sive duo electi fuerint, quinque de L. 4. Ep. 24.
prioribus Presbyteris, & quinque de præcedentibus Diaconibus simul venire ad nos per omnia commoneto. De Clericis verò, præter eos qui venire deliberant, si quos alios necessarios præsentes æstimas, ad nos sine mora transmitte, &c. Ubi palam est plurima momenta habuisse Clerum, Metropolitanum verò ipsum penes quem erat jus examinandæ electionis, ejus arbitrum & moderatorem fuisse.

Cùm vita excessisset Maximianus Syracusarum Episcopus, Nobiles ejus civitatis per Epistolas Gregorium interpellarunt, ut Episcopum ipse eis deligeret, non eos se esse rati, qui electionis faciendæ
periculum in se vellent suscipere: *Quam direxistis,* L. 4. Ep. 47.
Epistola, electionis vos onera sapienter declinasse significat. Et quoniam nostro hoc arbitrio commisistis, &c. Interim verò Clerus & populus Agathonem elegerant, alii alium prætulerant. Mandavit Gregorius, ut utrumque Romam ablegarent, ut ex ambobus alterum ipse, quem digniorem probasset, ei Ecclesiæ Pastorem designaret. *Hunc qui à Clero & plebe electus est ad nos interim venire necesse est: ut utrisque cominus consistentis, ille qui Deo placuerit, & utilior visus fuerit, ordinetur: Nam desiderii nostri est, talem illic ordinare Pontificem, &c.*

II. Itaque seu penuria hominum tanto culmini parium laborarent Ecclesiæ, seu in plures suffragia irent, seu Clerus, Populus, Nobilitas rem totam Papæ, aut Metropolitani judicio & providentiæ permitterent; is erat verè electionis author, arbiterque. At sæpiusculè id contingebat. Eò referri debet, quod monitos nos voluit Joannes Diaconus, à Gregorio Papa compluribus Ecclesiis Præpositos fuisse Episcopos, quos ipse dignissimos undique accersere potuisset: nec abstinuisse ab ipsis Ecclesiæ suæ Cardinalibus, Monachisque sanctissimis ad variarum Ecclesiarum regimen amandandis.
Episcopos undecumque meliores invenire potuit, studio- L. 3. c. 7.
sissimè ordinavit: Et si quando necessitas ordinandi Sacerdotis obrepsit, neque Cardinales Ecclesia sua, neque Monachos Monasterio sui penitus excusavit.

III. Si probavit vehementer Gregorius electionem Episcopi Justinianæ Primæ, quòd facta fuisset *totius Concilii unito consensu*: probatum est &
in Gallia Patribus Concilii Aurelianensis II. ut *Me-* Can. 7.
tropolitanus Episcopus à Comprovincialibus Episcopis, Clericis, vel Populis eligeretur. Placuit & Concilio
Aurelianensi III. ut *ipse Metropolitanus à Compro-* Can. 3.
vincialibus Episcopis, sicut decreta sedis Apostolica continent, cum consensu Cleri & Civium eligatur. Utque Episcopi eligantur à Clero & Populo cum consensu
Metropolitani. *De Comprovincialibus verò ordinandis,* Can. 3.

cum consensu Metropolitani, Cleri & Civium electio & voluntas requiratur. Damnat Concilium III. Parisiense electiones omnes, quæ fient *contra Metropolis voluntatem, vel Episcoporum Comprovincialium.* Irritam decernit Concilium Parisiense V. electionem Episcopi, qui electus non fuerit à Metropolitano cum assensu Cleri & Populi: Can. 1. *Si absque electione Metropolitani, Cleri consensu, vel Civium fuerit intromissus ordinatio irrita habeatur.* Etenim ea hoc Concilio Lex illa omnino retinenda est, & sanctissimè colenda, ut *decedente Episcopo ille debeat ordinari, quem Metropolitanus, à quo ordinandus est, cum Provincialibus suis, Clerus, vel Populus civitatis elegerint.* A quo non recedit Remense Concilium anno 630. Can. 25. *Quem universale, & totius populi elegerit votum, ac Provincialium voluntas assenserit.* Et Concilium Cabilonense: Can. 10. *Non ab alio, nisi à Comprovincialibus, Clero & Civibus suis alterius habeatur electio.*

IV. Ingenuè verò confitendum est in his omnibus Canonicis sanctionibus, promiscuè & in eundem sensum usurpari has voces omnes *suffragium, votum, electio, consensus,* & nunc Metropolitano, vel Episcopis, nunc Clero tribui, vel populo. At quanquam verba usurparentur eadem, non eadem tamen jura tribuebantur. Ejus rei ratio inde ducitur, quòd electio consurgeret ex conspiratione Nobilium, Exercitûs, Honoratorum Civium, Cleri, Comprovincialium Episcoporum, Metropolitani, quorum vis crescebat decrescebatque pro personarum gradu, pro temporum locorumque varietate. Atqui in hac unanimi conspiratione non poterat non plus esse momenti in Honoratis, & Nobilibus, quàm in vulgi fæce, in Clericis quàm in laicis, in Episcopis, quàm in Clero populoque. Ut enim receptissimum illud erat axioma, *Nullum invitis ordinandum Episcopum:* Ita & jure cautum, & inculcatissimum erat, vulgi turbulenti inconstantiæ non esse permittendas electiones. Quàm indignanter tulerit Avitus Viennensis Archiepiscopus, quod alicubi populi voluntas præponderâsset, ipsemet Epist. 66. testatum fecit his verbis: *Siquidem satis gravis exempli est, ut nunc Sacerdotalis ordinatio à populis regenda dicatur.*

V. Ex hac quoque diversissimorum Collegiorum consensione electiones constare significat Concilium Toletanum IV. ubi ne fieri quidem, fingive potest, quin plerumque summa potestas penes Episcopos sit: *Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec Populus propria civitatis elegerit, vel authoritas Metropolitani, vel Comprovincialium Sacerdotum assensio exquisivit.* Sed multò præclariùs in Concilio Toletano X. manifestatum est, plenissimam eligendorum Episcoporum facultatem Episcopis ipsis esse commendatam, cùm exauthorato Potamio Braccharensi Metropolitano, qui semetipse atrocioris flagitii spontanea confessione dejecerat: in Concilio ipso successor ei subrogatus est Fructuosus, nulla usquam alibi celebrata electione. *Tunc venerabilem Fructuosum Ecclesiæ Dumiensis Episcopum, communi omnium nostrum electione, constituimus Ecclesiæ Braccharensis gubernacula continere.*

VI. Jam verò in Anglia Episcopus constitutus fuerat à Gregorio Papa Augustinus, ejusque jussu à Gallicanis Episcopis ordinatus. Quin nec cæteri Episcopi ejusdem Anglicanæ tunc Ecclesiæ, suis ex cineribus quodammodo ressuscitatæ, ab aliis eligi ullis potuere, quam ab Episcopis, à quibus ordinabantur. In novellis enim omnibus primùm, vel resurgentibus postea Ecclesiis, necesse est, ut Pastores ipsi gregem sibi parturiant adaugeantque, antequam grex Pastores sibi subrogare alios aliis possit. Atqui parturiuntur & numero augentur greges, non puncto temporis, non brevi aliquo plerumque spatio, sed diu & tardè, lentisque incrementis, & interim Pastores insuescunt cogente necessitate successores sibi ipsi subrogare: nec fieri potest, quin ejus exempli vis aliqua ad posteras propagetur ætates. Joannes Diaconus ea de re in hæc verba disserit: *Sed & Augustinum penes Anglos à* L. 3. c. 7. *Galliarum Episcopis ordinari præcepit. Per quem nihilominus ad Episcopatum in eadem gente, Monachi ejusdem Patris diverso tempore provecti sunt, Mellitus, Justus, Laurentius & Paulinus.* Possem & ex Bedæ Anglicana Historia corradi plura exempla, quibus supersedeo, uno duntaxat deprompto de sancto Cutberto, qui Episcopus Lindisfarnensis electus est in Concilio, cui præerat Archiepiscopus Theodorus, præsente Egfrido Rege: *Contigit, ut con*- Beda l. 1. c. 22. 28. *gregata Synodo non parva, sub præsentia Regis Egfridi, cui Theodorus Archiepiscopus præsidebat, uno animo, omniumque consensu ad Episcopatum Ecclesiæ Lindisfarnensis eligeretur.*

VII. Diximus jam sæpiùs, quod & rursum novis astruere argumentis non abs re erit, ideo condi Canones, ut omnes, ut saltem plurimi Provinciæ Episcopi adsint ordinationi: ut & iidem ipsi intersint electioni Episcoporum, eique etiam absentes scripto astipulentur. Denique cùm tres saltem adesse necessum sit prorsus ex sacris Canonibus, unum consecrationi sufficere, cæteros electioni potius assistere & suffragari innuit Gregorius ad Augustinum scribens: reliquos præter unum L. 12. Ep. 31. Consecratorem, testes assistere. *Tibi testes assistant.*

Isidoro Hispalensi Episcopo visum est, eo agmine præsentium Episcoporum convocato, cautum fuisse, ne Metropolitani suo arbitratu Episcopos obtruderent, etiam minùs orthodoxos. *Porro quod* De Offic. Eccl. L. 2. c. 5. *Episcopus non ab uno, sed à cunctis Comprovincialibus Episcopis ordinatur, id propter hæreses institutum agnoscitur: ne aliquid contra fidem Ecclesiæ, unius ordinantis tyrannica authoritas moliretur. Propterea ab omnibus convenientibus constituitur, ac non minus quam à tribus præsentibus, cæteris consentientibus testimonio litterarum.* Concilium Toletanum IV. Episcoporum aliorum præsentiam, aliorum litteras in unum constringit, & eodem collineare insinuat, cum suffragiis Cleri, Populique. Can. 18. *Cum omni Clericorum, vel Civium voluntate, ab universis Comprovincialibus Episcopis, aut certè à tribus in Sacerdotium die Dominica consecrabitur, convenientibus cæteris, qui absentes fuerint, litteris suis: & magis authoritate, vel præsentia ejus, qui est in Metropoli constitutus.*

VIII. In Concilio Arelatensi II. disertis verbis significatur, vel præsentiam, vel absentium litteras Episcoporum, non aliò magis attinere, quàm ut ad electionem concurrant. Can. 5. *Episcopum sine Metropolitano vel Epistola Metropolitani, vel tribus Comprovincialibus non liceat ordinare, ita ut alii Comprovinciales Epistolis admoneantur, ut se suo responso consensisse significent. Quod si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, majori numero Metropolitanus in electione consentiat.* Dilucida res est, Episcoporum præsentium vota, vel absentium litteræ robur addunt electioni, interest Metropolitanus, præestque, ut plura vincant suffragia. Præiverat in hæc omnia illud vetustissimum Arelatensis Concilii primi Decretum, quod jam sæpius laudavimus: Can. 20. *Ordinare Episcopos nullus præsumat, nisi assumptis secum aliis septem*

Episcopis. Si tamen non potuerit septem, infra tres non audeat ordinare.

CAPUT XII. *P. 2. l. 2. c. 32.*

Unum Episcopum sufficere, ut valida sit Ordinatio. De loco, tempore, & die Electionis & Consecrationis.

I. Unum ordinando Episcopo Episcopum sufficere, ex Conciliis primum Africanis probatur.
II. Idem probatur ex Ecclesiæ Gallicanæ Conciliis.
III. IV. Ex Conciliis item Orientis & Ægypti.
V. VI. Ex Decretis Ecclesiæ Romanæ & Anglicanæ.
VII. Ex Canonibus & Constitutionibus Apostolicis.
VIII. Objectio ex Synodo.
IX. Idem confirmatur ex Legibus Justiniani.
X. De loco & die Ordinationis.
XI. XII. Quando cœperint dicari cœpere quatuor jejuniorum tempora.

I. Etsi autem nec duo quidem illi Assistentes Episcopi præstò fuissent, affuissentque Ordinationi, rata illa nihilominus & valida, tum erat, tum censebatur; idque facillimè evincitur ex uno illorum Carthaginensium Conciliorum, quæ à Ferrando & Cresconio, adeoque & à Dionysio Exiguo prolata sunt. Expostulatum ibi est enim graviter de Episcopis Numidiæ duobus, qui Episcopum sine tertio Episcopo ordinaverant, qui hîc tamen, nec abdicari, nec rursus ordinari jubetur. In Concilio Arausicano I. exauthorantur Episcopi duo, qui tertium soli, & quidem invitum ordinarint, & hic recens ordinatus, in alterius eorum locum subrogatur, nec rursus ordinari jubetur. *Unius eorum Ecclesiæ is qui vim passus est, substituatur, si tamen vita respondet.*

Dionys. Exig. c. 49

Can. 21.

II. In Regiensi quidem Concilio irrita declarata est ordinatio Armentarii, qui à duobus tantùm inauguratus fuerat Episcopis. *Absque trium Episcoporum præsentia, absque Comprovincialium litteris, sine Metropolitani authoritate irritam ordinationis speciem, à duobus temerè convenientibus præsumptam esse clarebat.* Verùm irritari à Concilio nobis quidem videtur electio potius, quàm ordinatio. 1. An necessariæ enim jactabuntur absentium Episcoporum litteræ, ut rata sit ordinatio? ne veri quidem simile id est. Atqui ea ratio eodem est loco, quo trium Episcoporum non plenus numerus. 2. Idem argumentandum de Metropolitani consensu non præstito. Eo enim potest electio, non potest ordinatio irrita fieri. 3. Armentario abdicato indulget hæc Synodus, ut Sacramentum Confirmationis conferre possit; quod non facilè permitteret ei, qui Episcopus non esset. 4. Quos ante abdicationem suam ordinarat Armentarius, ii arbitrio permittuntur & indulgentiæ Metropolitani Ebrodunensis, an suo illos Clero velit adgregare, nulla mentione iterandæ ordinationis. *Aut in Ecclesia sua ministerio tenendos, aut transferendos, &c.*

Can. 3.

III. Paulinus Antiochenus Episcopus, ille Occidentalium Communioni adglutinatus, schismatis Antiocheni tempore, suum sibi successorem solus ordinavit Evagrium, appetente jam morte. Reclamat quidem Theodoretus, uno eo facto plures conculcatos fuisse Canones; quòd successorem sibi asciscerct: quòd non omnes Provinciæ Episcopos, aut tres saltem convocasset: *Quippe solus Paulinus eum ordinavit, in qua re complures simul violavit Canones, &c.* At non ille tamen affirmat ea Canonum transgressione irritam fieri Ordinationem; quin immo Evagrii Ordinationem author est ab Occidentalibus approbatam fuisse. *Illi nihil horum scire cupientes, Evagrii communionem amplexati sunt.* Ea demum lege Innocentius I. pacem & communionem Ecclesiæ Occidentalis Alexandro Antiocheno Episcopo reddit, ut communicatores Evagrii suæ consociaret communioni.

Hist. Eccl. L. 5. c. 23.

Epist. 14.

Ægyptii Episcopi longe æquiùs conquerebantur, quòd spirante adhuc Alexandriæ Episcopo Proterio, impius Timotheus ejusdem urbis Episcopum ordinari se curasset à duobus tantùm Episcopis, insaniæ suæ, ut & hæreseos consortibus, inconsultis Ægypti cæteris Episcopis: *A duobus illorum creatur Episcopus, nullo omnino Episcoporum orthodoxorum ex Diœcesi Ægyptiaca, sicut in creando Episcopo Alexandrino fieri solet, præsente.* Pseudoepiscopus item Alexandriæ Petros Mongus à duobus tantùm similiter Episcopis ordinatus est, erroris furorisque ejusdem imbutus contagio. Sed ea quantacumque irregularitas obruebatur quodammodo & non apparebat, in tanta facinorum flagitiorumque utriusque colluvione.

Evagr. l. 2. c. 8. L. 3. c. 20.

V. Longè alia ratio Pelagii Papæ, qui ne ipse quidem plures duobus habere potuit Episcopos à quibus ordinaretur, addito tertio quasi subsidiario Presbytero Ostiensi; sive suspicionibus obliquis exagitaretur Pelagius, quasi Vigilii Papæ mortis assensus esset: sive quòd complures adhuc animi penderent, & anxiè fluctuarentur circa Tria Capitula, à Concilio V. generali damnata, cui adhærere ferebatur Pelagius. Hæ quippe tum causæ esse poterant, quæ Episcopos ab ejus ordinatione abalienarent. Narrat quidem Anastasius Bibliothecarius, quàm anxiè laborarit Pelagius, ut mortis Vigilii suspiciones à se abstergeret: sed nec verbum facit ullum, aut à quoquam factum esse commemorat, de eo rursum ordinando.

VI. Percontanti Augustino Anglorum Apostolo, de numero Episcoporum necessario ad Episcopi ordinationem; Respondit Gregorius, inter illa quidem exordia necessum esse, ut solus ordinet Episcopos, cùm & solus sit ejus reviviscentis Ecclesiæ Episcopus; sed ordinari ab eo Episcopos novos debere in Ecclesiis, urbibusque tam vicinis, ut in posterum tres possint, vel quatuor coïre ad novi Episcopi ordinationes. Si enim carnales nuptiæ tanta perstrepunt pompa, multò majori celebritate spiritale Episcopi cum Ecclesia sponsa sua conjugium frequentari æquum esse. Non ergo hæsitabat Gregorius, quin Episcopo ab uno ordinari posset Episcopus, & quin inter Ecclesiarum cunabula jam inde ab Apostolicis temporibus plures id genus fuissent Ordinationes Episcoporum ab uno Episcopo consecrante, nullis Assistentibus celebratæ. *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopis potes.*

L. 2. Ep. 31.

VII. Primo Apostolico Canone duo desiderantur tantùm Episcopi, novo Episcopo consecrando. *Episcopus à duobus, aut tribus Episcopis ordinetur.* Constitutionum Apostolicarum author rationem propalat, cur duorum requiratur, aut trium præsentia Episcoporum. Id enim fit ad authoritatem electioni conciliandam, & novi Pontificis innocentiam eo testimonio muniendam. *Jubemus, ut à tribus Episcopis Episcopus ordinetur, & ut minimum à duobus, ita ut ab uno constitui non possit. Testimonium enim duorum & trium firmius est, & certum.* Sed tam

L. 3. c. ult.

constanter prohibita ordinatione ea, quam unus conferret Episcopus: idem nihilominus Scriptor fateri cogitur, ratam validamque fore unius ab uno Episcopi ordinationem, si per litteras cæteri assensum præstitissent, & eas rerum angustias ex- L. 8 c. 27 cusaret necessitas. *Quòd si necessitas coëgerit ab uno ordinari, quòd propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum.*

VIII. Summa illa penuria Episcoporum, quæ inusitatas & raras excusabat unius ab Episcopo uno ordinationes, non facilè obtendi poterat in ordinatione Episcopi Palebiscæ, de qua tam æquas & tam acerbas fudit querelas Synesius, quòd nec Alexandriæ facta fuisset, nec à tribus Episcopis, nec Epist. 67 assensu Episcopi Alexandrini. *Cum neque sit Alexandria constitutus, neque à tribus hic, ut maximè eligendi illinc signum datum fuerit. Etenim solum beatæ memoriæ Philonem ausum esse Collegam suum Episcopum pronuntiare.* Utcomque tamen elevat Synesius eam ordinationis absurditatem Canonibus minùs convenientem, ut difficillimis factæ temporibus, quibus ægrè servari poterant leges Ecclesiæ, adeo ut Athanasio ipsi visum sit dispensatione utendum fuisse. *Sed formidolosis temporibus, summum jus prætermitti necesse est: ideo magnum illum Athanasium tempori id dedisse, &c.*

Novel. 6 Novel. 123 c. 1 Novel. 137 c. 2. IX. In Novellis Justiniani Constitutionibus da ordinatione Episcoporum ita semper librantur verba, ut unus Episcopus ubique ordinare videatur, unus periculum subire, si quid perperam in ordinatione fiat. *Ex tribus pro quibus decreta facta sunt, melior ordinetur, electione & periculo ordinantis.*

X. Libanda supersunt nobis paucissima aliqua de loco & die consecrationis Episcoporum. Monebat nos modò Synesius omnes Patriarchatûs Alexandrini Episcopos Alexandriæ ordinari debuisse, vel ubi Episcopus Alexandrinus indixisset. Concilium Toletanum IV. præcipit ut Metropolitanus in civitate Metropolitana ordinetur: designetur autem ab eo locus, ubi singuli sint Episcopi ordinandi. Can. 18 *Episcopus ibi consecrandus est, ubi Metropolitanus elegerit. Metropolitanus autem nonnisi in civitate Metropoli.* Dies autem Dominicus tantùm ab eodem Concilio præscribitur. *A tribus die Dominica consecrabitur.* Querebatur Zosimus Papa de ordinationibus Episcoporum à Proculo Massiliensium Episco- Epist. 6. po f[illegible]is diebus haud legitimis: *Ne dies quidem legitimus ordinationis adsciscitur, &c. Nec saltem diei custodita solemnitas.* Abdicationis pœnam videtur Leo Magnus intentare, si quo alio tempore ordinentur Episcopi, præterquam vesperascente Sabba- Epist. 89. c. 3. to, aut dilucescente Dominica die. *Nec sibi constare Ordinis sui noverit firmitatem, qui non die Sabbati vespere, quod lucescit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die, fuerit ordinatus.* Quasi dicat exordiendam esse ordinationem ea nocte, quæ Sabbatum Dominicumque intercurrit, non interrupto Sabbati jejunio usque ad Dominicæ diei tempus matutinum. Ita sanctissimus Pontifex fusiùs rem edisserit in Epistola ad Episcopum Alexandrinum, qua de re mox.

XI. Ea quippe Leonis Epistola ad Dioscorum Alexandrinum, non Episcoporum tantùm, sed & Presbyterorum ordinationes, immo & Diaconorum præfigit, vel ad vespertinum Sabbati desinentis tempus, vel ad matutinum ineuntis Dominicæ diei: quòd eo maximè tempore innovetur memoria resurrectionis Christi, cæleste & sempiternum sacerdotium suum tunc dedicantis. Itaque ad Leonis usque Papæ tempora, quæ in medium incidere sæculum quintum, quolibet Dominico die promiscuè celebrabantur ordinationes Diaconorum & Presbyterorum, peræquè ut Episcoporum. *Quod à* Epist. 81. c. 2. *Patribus novimus esse servatum, à vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati, ejusque noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, &c. Jejunis & à jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso dominico die, continuato Sabbati jejunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem resurrectionis pertinere non dubium est, &c. Ut his qui consecrandi sunt, nunquam benedictio nisi in die resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui à vespera Sabbati initium constat adscribi, &c. In hac denique die promissus à Domino Apostolis Spiritus sanctus advenit.* Displicuit eidem Leoni, quòd Anatolius Patriarcha Constantinopolitanus Presbyterum ordinasset feria sexta.

XII. Quatuor jam temporum jejunia Romæ celebrabantur temporibus Leonis, ut ex ejus liquet sermonibus. Sed non liquet, an eis jam tum affixæ essent ordinationes. Altum de ea re silentium, & in his Leonis Sermonibus & in ejus Epistola modò tam copiosè telata. Brevi ergo illo temporis spatio, quod Leonis & Gelasii Papæ Pontificatum dispescuit, ascriptæ sunt ordinationes jejuniis quatuor Temporum, Presbyterorum certè & Diaconorum. Episcopos enim quolibet Dominico die celebrari, pro antiquo more & tunc concessum est, & deinceps semper usurpatum. En Gelasii decretum de hac ordinationum lege, quatuor Temporibus jam defixarum. *Ordinationes etiam Presbyterorum & Diaconorum, nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id est, quarti mensis jejunio, septimi & decimi; & etiam Quadragesimalis initii, ac mediana Quadragesimæ die, Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.* Epist. 9. Cui usui accommodaverunt se posteriores Pontifices & ætates. Vide si vacat Gregorii II. Epistolam quartam.

CAPUT XIII. *P. 2. l. 2. c. 33.*

De potestate & authoritate Regum & Imperatorum in electionibus Episcoporum, ac primùm in Gallia, post Clodovæum ante Carolum Magnum.

I. Ex Conciliis ipsis Galliæ necessaria erat Regum consensio, qui permitterent electionem celebrare, & qui electum confirmarent, ita ut nihil eo decerperetur de libertate electionis.

II. III. Subreptum est quandoque Regibus, ut amplius aliquid auderent.

IV. V. Nitebantur contrà Synodi ad tuendam electionum libertatem.

VI. VII. VIII. Clotario II. placuit, ut aut confirmaret ipse quos Episcopi canonicè elegissent, vel quos ipse nominasset Episcopos, ipsos Episcopi examinarent & confirmarent. Æquiore animo id ferendum fuit, quàm ea spiritalis anarchia, in quam postea prolapsa est Ecclesia Gallicana.

IX. X. Carlomannus & Pippinus Principes, Concilia Liptinense & Suessionense Episcopatum aliquando tandem restituerunt, electione Episcoporum facta à Principe, confirmata ab Episcopis.

XI. XII. Probatur ea potestas Principum utcumque conglutinari posse cum electionum libertate.

XIII. XIV. XV. XVI. Series electionum vel nominationum ex Gregorio Turonensi.

XVII. XVIII. XIX. Continuatur ea series & contextio.

I. SÆpiùs jam animadversum est, non potuisse electiones Episcoporum celebrari, nisi

interposita quandoque Regum potestate. Ab Ecclesia Gallicana initium ducemus. In Concilio Arverno anni 535. damnatæ sunt electiones, quæ Principum & Optimatum favore aut potestate fierent. *Eminentissimæ dignitatis apicem electione conscendat omnium, non favore paucorum, &c. Non patrocinia potentum adhibeat.* Cùm ergo paucis pòst annis, nempè anno 549. Concilium V. Aurelianense decrevit, ut electiones fierent *cum voluntate Regis*, id nimirum statum inconcussumque constare volebat nihilominus, ut vetustissimi vigerent Canones de liberis suffragiis Cleri, Populi & Episcoporum. Idque disertis verbis in hoc Concilio expressum est: *Sed cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri & plebis, sicut in antiquis Canonibus tenetur scriptum, à Metropolitano cum Comprovincialibus Pontifex consecretur.* Ea certè voluntas Regis, quæ nihil officeret libertati electionis, aliò pertinere non poterat, quàm ut permittente Rege fieret electio, vel liberè electus ei sisteretur confirmandus, vel utrumque.

II. Si his cœpere Concilia summos Principes concessionibus demereri, non his statim adulatores Aulici acquiescere & contentos esse passi sunt. Concilium Parisiense III. anno 557. habitum, hoc est, octavo tantùm post Aurelianense V. anno, prohibuit admitti Episcopos, qui regia nominatione & commendatione grassarentur ad Episcopatus, non à Populo, non à Clero, non ab Episcopis electi; & religiosissimè antiquos Canones observari præcepit, pro tuenda eligendi libertate. Can. 8. *Et quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta Canonum violantur; placuit ut juxta antiquam consuetudinem, Canonum decreta serventur. Nullus civibus invitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissima quæsierit voluntate. Non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem, vel Episcoporum Comprovincialium ingeratur. Quod si per ordinationem Regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à Comprovincialibus loci illius Episcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum agnoscunt. Si quis de Comprovincialibus recipere contra interdicta præsumpserit, sit à fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omnium charitate summotus.* Nec repugnat hic Canon Canoni Concilii Aurelianensis V. cùm altero desideretur is Regum consensus, qui libertati electionum nihil obstrepat, altero arceatur jussio ejusmodi Principum, quo ea libertas perimatur.

III. Paucis pòst annis Leontius Metropolitanus Burdigalensis Provinciale suum Concilium apud Santonas convocavit, ubi & Emerium sede ejus civitatis ejecit, qua illum donaverat Clotarius Rex, nec à Populo electum, nec à Metropolitano confirmatum. Cùm verò Episcopum ejus loco eligi fecisset unum ex Presbyteris Burdigalensibus, Heraclium nomine, illum actutum cum Decreto electionis misit ad Charibertum Regem anno 563. Greg. Turo. l. 4. c. 26. *Emerium ab Episcopatu depulit, asserens non canonicè fuisse hoc honore donatum. Decretum enim Regis Clotarii habuerat, ut absque Metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens. Quo ejecto consensum fecere in Heraclium, quod regi Cariberto subscriptum propriis manibus per nuncupatum Presbyterum transmiserunt.* Concinebat hoc judicium Synodali Concilio III. Parisiensi. At eam Caribertus contumeliam interpretatus, Clotario Regi parenti suo inostam, Heraclium exulare jussit, Emerium restituit, pœnis pecuniariis mulctavit Burdigalensem Metropolitanum cæterosque Episcopos, qui ei affuerant Concilio. Proditum est à Gregorio Turonensi Cariberti ejusmodi verbum, quo facilè conjiciatur, non ita exarsuram fuisse ejus iram, si priùs illum adiissent Episcopi, orassentque, ut sarciret ipse labem, quam Ecclesiasticæ disciplinæ & Canonicæ electionum libertati invexerat Clotarius. Illud enimvero observare est in Conciliorum Oecumenicorum Actis, siquid peccatum, siquid adversùs Ecclesiæ leges commissum esset ab Imperatoribus, ipsos primùm aditos esse & exoratos, ut quod inopini vulnus inflixerant, sanarent. En ipsa apud Gregorium Cariberti verba, quæ id non obscurè insinuent. *Quod hi Episcopum, quem Regis Clotarii voluntas elegit, absque nostro judicio projecerunt.*

IV. Sed illud præ cæteris observandum, hos Præsules libertatis electionum tam studiosos, tam fortes & infractos vindices: electum à se Presbyterum misisse utique ad Regem Caribertum cum Decreto electionis suæ: ut ne austerissimi quidem libertatis electionum defensores, suspicarentur quidquam in eo esse, quod ei derogaret libertati.

V. Incolumis tamen & integra vigebat electionum plerumque libertas, quanquam interdum id genus contumeliis aspergeretur. Inde est quod Concilio V. Parisiensi anno 615. novo robore muniti firmatique sunt prisci Canones omnes de libertate suffragiorum Cleri, Populi, Episcoporum, Metropolitani: irritæque decernuntur electiones omnes aliter factæ, etiamsi interposita sit Principis authoritate, cui tum surreptum fuisse præsumitur. *Quod si* Can. 8. *aliter aut potestate subrepat, aut quacumque negligentia, absque electione Metropolitani, Cleri consensu, vel civium, fuerit in Ecclesia intromissus, ordinatio ipsius secundùm statuta Patrum irrita habeatur.*

VI. Hujus Acta Concilii confirmavit Clotarius II. additis tamen clausulis iis, quibus jus Regium amplificari videbatur. Assentitur enim & electiones esse liberas, & servari Canones: ac sicut quem Populus, Clerus, Episcopi liberè elegerunt, ordinari is debet, postquam Regi præsentatus, ab eoque confirmatus fuerit: ita quos Princeps nominarit, admitti, ordinarique debere, postquam eos Episcopi examinarint, approbarintque: *Ideoque definitionis nostræ est, ut Canonum statuta in omnibus conserventur; & quod per tempora ex hoc prætermissum est, vel dehinc perpetualiter observetur. Ita ut Episcopo decedente, in loco ipsius, qui à Metropolitano ordinari debet, cum Provincialibus, à Clero & Populo eligatur; & si persona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur. Vel certè si de Palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur.* Quæ posterior clausula manifestè additititia est, complectiturque novam rationem instituendi Episcopos, nominatione Regia, quam posterius confirmet Metropolitani & Episcoporum Provinciæ examen & consensus, immo & Cleri Populique suo etiam quodammodo assensus, ut qui intercedere potuissent, & varias accusationes atque irregularitates objicere. Id sonant, ut mihi quidem videtur, hæc verba: *Vel certè si de Palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur.* Hoc est ordinatum iri tum demum ab Episcopis eum, quem Rex nominarit, si omnibus pietatis & doctrinæ necessariis præsidiis munitum probaverint examine instituto. Id autem jus examinandi, attestandi, accusandi, convincendique erat penes Clerum etiam, Populumque.

VII. Videbatur sibi quidem Rex eo decreto antiquis obsequi Canonibus, maximè verò Concilio

V.

V. Aurelianensi, ubi ex his verbis, *Cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri & Plebis*, emergere videtur, liberam fore & canonicam electionem, non modò ubi confirmavit Rex, quem cum Clero Populoque elegerint Episcopi: sed etiam cum ei quem Rex nominavit, Episcopi, Clerus, Populusque, ob ejus innocentiam vitæ & eruditionem non potuerunt non acquiescere.

Epist. 10. VIII. Non satis exploratum habeo, an ejus ævi Episcopi huic additamento, seu temperamento subscripserint. Non pauca jam suprà congessimus, quæ contrà niti videantur. Et illud tamen ingenuè fateri cogimur, si vel eo temperamento usi essent Gallicani Antistites Regesque, evertere potuisse eas Ecclesiæ Regnique calamitates, & morum inauditas corruptelas, quas obiter perstrinxit Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus in Epistola ad Zachariam Papam. Narrat quippe ab annis jam octoginta nullum superesse in Galliis Archiepiscopum, nulla celebrari Concilia, Episcopatus à laicis invadi, aut ab iis Clericis, qui contaminatissimos laicorum Epist. 1. mores improbitate vincant. *Modo autem maxima ex parte per civitates. Episcopales sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis; scortatoribus, & publicanis sæculariter ad perfruendum.*

IX. Tantæ morum rerumque omnium perturbationi mederi cœpit Carolomannus Dux & Princeps Francorum, in Concilio Liptinensi sub Childerico III. Rege anno 743 electis Episcopis consilio Cleri, Optimatum laicorum, & ipsius maximè Bonifacii. Vide ut Carolomannus ipse dilserat in Can. 1. ejusdem Concilii Actis: *Ego Carolomannus Dux & Princeps Francorum, Episcopos cum Presbyteris ad Synodum congregavi, ut mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei & Ecclesiastica Religio recuperetur, &c. Itaque per consilium Sacerdotum, Religiosorum, & Optimatum meorum, ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus sancti Petri.* Poterat hoc Concilium Consilium quoque videri, ubi Princeps in commune deliberabat, consulebatque cum Episcopis, cum Cleri primoribus, cum Magnatibus, eorumque de sententia & assensu Episcopatus dabat. Non potuissent nisi interveniente summi Principis authoritate extrudi ab Episcopalibus sedibus, qui in eas se intruserant homines sceleratissimi. Itaque ei tum electionum disciplinæ lubentes assentiebantur Episcopi, & Legatus ipse Pontificius.

X. Eadem sectatus est vestigia Dux & Princeps Francorum Pipinus altero pòst anno, nimirum in Concilio Suessionensi, pro iis Provinciis, quæ ipsi Can. 2. administrandæ cessissent: *Ego Pipinus Dux & Princeps Francorum, &c. unà cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, vel Servorum Dei consilio, sive Comitum & Optimatum Francorum, &c. Constituimus per consilium Sacerdotum & Optimatum meorum, & ordinavimus per civitates legitimos Episcopos, & idcirco constituimus super eos legitimos Archiepiscopos Abel & Ardobertum.* Viginti tres Episcopi ei Concilio subscripsere, atque unà consensere ei potestati, quam sibi sumebat Pipinus, tum Princeps, mox Rex Francorum, Episcopos nominandi novos, Episcoporum & Optimatum consilio usus.

XI. Nec commentitia ergo est, nec impossibilis ea concordia suffragiorum Cleri, Populique & Episcoporum, cum potestate Principis electionibus intervenientis. Eminet enim illa splendidissimè in his duobus Conciliis Suessionensi & Liptinensi, & in electionibus Episcoporum ibi celebratis. Elucet & pax eadem, & concordia in electione Eremberti Corbiensis Abbatis, à Monachis suis electi, impetrata priùs Regia permissione: denique ubi electum Rex confirmavit Abbatem, & tum illum instituit Episcopus. Ex eo diplomate Theodorici Regis elucescit, 1. Permissio Regia eligendi Abbatis, vel potiùs Privilegium olim ad id concessum. 2. Permissio à Monachis expetita, & à Rege tum concessa defuncto Abbati alium subrogandi. 3. Electi novi Abbatis impetrata confirmatio à Rege, antequam ab Episcopo institueretur, anno 670. *Monachi petierunt ut liceret eis secundum privilegium, quod ex regali munificentia & Sacerdotum concessione indultum est, ex semetipsis eligere Rectorem. Et dum eorum petitio serenitati congrua esse videretur, venerabilem virum Erembertum cum voluntate Episcopi elegerunt, &c. Præcipientes concessimus & jubemus, ut Erembertus Abbas & Rector Monasterii Corbeiensis in omnibus sit constitutus.*

XII. Gregorio ipsi Magno perfacilis & consentanea visa est ea concordia, ubi eo Privilegio munitum ab eo est Xenodochium & Monasterium Augustodunense, ut ejus Abbas à Rege & à Monachis eligeretur. Nemo porro nescit, quàm intrepidus & incorruptus fuerit Gregorius Canonum vindex & Ecclesiasticarum Patronus libertatum. *Obeunte Abbate, non alius ibi quacumque obreptionis astutiâ ordinetur, nisi quem Rex ejusdem Provinciæ, cum consensu Monachorum, secundum timorem Dei elegerit ac providerit ordinandum.* L. 13. Ep. 10.

XIII. Plura depromemos hujus Concordiæ documenta, ubi perlustraverimus, quæ Gregorius Turonensis de Episcopalibus, sive electionibus, sive nominationibus Regiis, scriptis consignavit. Post Eufrasii Episcopi Arverni obitum electus est à Populo Quintianus, qui ab inimicis Ecclesiæ & Regni Ruthenensi ejectus fuerat Episcopatu. Apollinarius muneribus expugnavit Regis benevolentiam, & Quintiani in locum intrusus est. *Qui abiens ad Regem, oblatis multis muneribus in Episcopatu successit.* L. 3. c. 2. Sed cùm quarto pòst mense vivis abiisset Apollinaris, Theodoricus Rex gnarus Quintianum Episcopali sua sede ideo ejectum fuisse, quòd sibi impensiùs studeret, in Arvernæ Ecclesiæ sedem tum vacantem institui illum fecit à populo & Episcopis Provinciæ. *Theodoricus jussit Quintianum inibi constitui. Et statim directi nuncii convocatis Pontificibus & Populo, eum in Cathedram Arvernæ Ecclesiæ levaverunt.* Vita Patr. c. 4. Ex hoc exemplo eadem emicat concordia, cùm & hic ita à Rege nominetur Episcopus, ut Episcoporum tamen Provinciæ assensio, & populi favor requiratur.

XIV. Clodomiri Regis jussu Ommatius ad Episcopatum Turonensem evectus est, quo non multis pòst annis donati sunt à Clotilde Regina Theodorus & Proculus. *Hic ex jussu Clodomiri Regis ordinatus est, &c. Theodorus & Proculus ordinante Clotilde Regina, tribus annis Turonicam rexerunt Ecclesiam.* Hist. Fran. L. 3. c. 17. Post obitum Injuriosi ejusdem urbis Episcopi, suffectus ei est Baudinus Clotarii Regis ex domo. *Cui Baudinus ex domestico Regis Clotarii successit.* L. 4. c. 3.

XV. Ad Arvernum me refero Episcopatum, qui à Rege post beati Quintiani mortem collatus fuit Gallo: *Gallus in ejus Cathedram Rege opitulante substitutus.* Post excessum Galli à Clero populoque electus est Cato Presbyter. L. 4. c. 5 6. *Continuo à Clericis de Episcopatu laudes accepit.* Comprovinciales verò Episcopi cùm confluxissent, ut celebrarent beati Galli exequias, Catoni polliciti sunt, se eum illico ordi-

naturos, si vellet eis consociari, & nominatione Regis Theobaldi supersedere, ut qui tum immaturæ esset ætatis: in se quoque recipiebant, quidquid ei ab eo immineret periculi, & mulctas ipsas se persoluturos, si quæ illi ea de causa indicerentur. *Episcopi dixerunt Catoni Presbytero: Videmus quia te elegit pars maxima populorum, veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad Episcopatum. Rex verò parvulus est, & si qua tibi adscribitur culpa, nos suscipientes te sub defensione nostra, cum Proceribus & primis Regni Theodovaldi Regis agemus, ne tibi ulla exciseteur injuria: nos quoque in tantum fideliter credo ut spondeamus pro te omnia, etiamsi damni aliquid supervenerit, de nostris propriis facultatibus id reddituros.*

Non acquievit his Cato Episcoporum consiliis, & cunctatione interim sua locum dedit Cautino Archidiacono, ut ad Regem Metas properaret, eoque donaretur incunctanter Episcopatu. Delegati sunt à Rege, qui eum in Ecclesiam eam deducerent, quod non sine Cleri Populique assensu peractum est. *Cautinus Theodovaldum Regem petiit, adnuntians transitum sancti Galli. Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, convocatis Sacerdotibus apud Metensem civitatem, Cautinus Archidiaconus Episcopus ordinatur. Cum autem venissent nuntii Catonis Presbyteri, hic jam Episcopus erat. Tunc ex jussu Regis, traditis ei Clericis, & omnibus quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant, ordinatisque qui cum eo pergerent, Episcopis & Camerariis, Arvernos eos direxerunt. Qui à Clericis & Civibus libenter exceptus, Episcopus Arvernis est datus.*

Cùm vita interim migrasset Episcopus Turonensis, Clerus ejus Ecclesiæ à Rege interpellatus Catonem sibi Episcopum postulavit. Nec dissimularunt qui à Clero ad Catonem delegati sunt, mandato Regis eum à se electum fuisse: *Non enim nostra te voluntate expetivimus, sed Regis præceptione.* Porro Turonensem Episcopatum abnuit Cato, quòd à Chramno Principe expressisset eam pollicitationem, fore ut post mortem Clotarii Regis in Arvernum Episcopatum ejecto Cautino eum revocaret. *Cato amicitias cum Chramno nexuerat, promissionem ab eo accipiens, ut si contigerit Regem mori Clotarium, statim ejecto Cautino ab Episcopatu, iste præponeretur Ecclesiæ.*

XVI. Tædium creare potuissent hæ narratiunculæ, nisi ex his plusculæ emergerent quæ operæ pretium sit observari. 1. Post Theobaldi Regis mortem enisos esse Episcopos, ut prisca sua recuperarent jura, & pleniorem electionum libertatem; eoque ordinare voluisse Presbyterum Catonem, à Populo Cleroque electum, nec ad electionem, nec ad electi consecrationem explorata Regis voluntate. 2. Clerus Populusque percupidus & ipse suæ eligendi libertatis, confestim Catonem Presbyterum elegit. 3. Nec ipse juri suo incuriosus Theobaldus Episcopatu eum donavit, qui primus ipsum adiit. 4. Ea in nominatione obsecutus est Theobaldus Episcoporum Aulæ suæ consiliis, quos & ablegavit, ut Cautinum in Episcopali sede collocarent. 5. Clerus Populusque Arvernæ civitatis assensi sunt Regiæ nominationi Cautini. Ita quodammodo coalescebat electio cum nominatione Regia. 6. Sollicitatus est & ab ipso Rege Clerus Turonensis, ut Catonem Episcopum eligeret. Non obruebatur ergo prorsus eligentium libertas Regiæ authoritatis pondere. 7. Clerici ipsi ambitionis æstu abrepti circumveniebant plerumque Reges, & ea ab illis extorquebant, quæ legitimæ & moderatæ potestatis fines præterirent.

XVII. Electus est in Episcopum à Turonensibus Euphronius Presbyter, cujus à Rege confirmationem cùm efflagitarent, percunctatus est Rex, quid causæ esset, quamobrem non obsequerentur suo eligendi Catonis mandato. Responderunt Catonem eum Episcopatum renuisse. Tum Cato in conspectum se Regis dedit, & Arvernum postulavit Episcopatum; cùm verò sensisset ludibrio Regi fuisse suam hanc petitionem, tum Episcopatui assensurum se Turonensi significavit. At verò Rex indignum tunc pronuntiavit facinus, ut quam repudiasset Ecclesiam, illam jam sponsam obtineret: ita ab eo Euphronii electio confirmata est. *Turonici* L. 4. c. 15 *audientes, regressum fuisse Regem de cæde Saxonum; facto consensu in Euphronium Presbyterum, ad eum pergunt, dataque suggestione, respondit Rex, Præceperam enim ut Cato Presbyter illic ordinaretur, & cur est spreta jussio nostra, &c. Rex ait Catoni, Ego primùm præcepi, ut Turonis eum ad Episcopatum consecrarent, &c. Respondit Rex, Fiat voluntas Dei, & B. Martini electio compleatur, & data præceptione, Euphronius ordinetur Episcopus.* Celebrata fuerat electio Euphronii permittente Clotario Rege, ejus confirmatio tum flagitata ab eo est, cùm victor domitis Saxonibus rediret; ejus quem nominarat pertæsus, hanc confirmavit.

XVIII. Missam facio nominationem Pascentii Abbatis ad Episcopatum Castri Sellensis in Pictonibus, quod alibi dictum est à nobis. L. 4. c. 18. Sileo & nominationem Munderici ad Episcopatum Lingonensem: *Lingonici Mundericum expetunt, qui à Rege indultus & consuratus, Episcopus ordinatur.* At cùm Tetricus Episcopus Lingonensis nondum efflasset animam, Castrum Ternodorense Rex Munderico dono dedit, ut interim ibi Archipresbyteri munere fungeretur. Incurrit interim Mundericus in offensionem Regis, L. 5. c. 5. carcere & exilio dedit pœnas ambitionis, & ne tum quidem resipuit. Itaque ad Regem Sigebertum aufugiens, vici Arisitæ Episcopus factus est.

Rursus *Lingonici Sylvestrum expetunt.* At eo paucis pòst diebus vi sontici morbi oppresso, Pappolum Archidiaconum Augustodunensem iidem expetiere. *Episcopum flagitantes Pappolum accipiunt.* Ubi vides has quandoque non tam electiones fuisse, quàm propositiones & petitiones civitatum Episcopis destitutarum: ac vicissim non tam nominationes Regum eas fuisse, quàm consensiones in eos, quos Ecclesiæ sibi privatæ optassent donari.

XIX. Cùm vita hac mortali migrasset sanctus Ferreolus Ucecensis Episcopus, Dynamius Provinciæ Præfectus substitui illi fecit Albinum priùs Præfectum, extra Regis mandatum. Tertio pòst mense vita excessit Albinus, atque ita subductus est abdicationi, quæ ipsi à Rege impendebat. *Albinus ex Præfecto per Dynamium Rectorem Provinciæ extra Regis consilium suscepit Episcopatum.* L. 6. c. 7. *Quo non amplius utens quàm tribus mensibus, cùm ad hoc causa resti isset ut removeretur, defunctus est* Jovinus qui ejus Provinciæ Præfecturam gesserat, eo Episcopatu donatus est à Rege. At Marcellus Diaconus, filius Felicis Senatoris, Dynamii Præfecti consilio & favore subnixus, elegi se, & à Provinciæ Episcopis ordinari pervicit. *Jovinus iterum, qui quondam Provinciæ Rector fuerat, Regium de Episcopatu præceptum accipit. Sed Prævenit eum Marcellus Diaconus, qui convocatis Provincialibus, ordinatus.* Armis certatum est inter duos æmulos, denique qui viribus inferior, is muneribus superior fuit

CAPUT XIV. *P. 2. l. 2. c. 34.*

Nova contexuntur argumenta ex Gregorio Turonensi, nonnulla & ex Marculpho de electionibus & nominationibus Episcoporum.

I. Alterum contextio ex Gregorio Turonensi exemplorum, ubi electio concurrit cum Regia nominatione.

II. III. IV. Nova iterum exempla. Sanctissimi quandoque Episcopi ita electi, ita nominati fuere.

V. Nec Gregorius Turonensis, nec viri sanctitate conspicui, nec Concilia magnopere repugnarunt iis nominationibus Regiis, à quibus procul esset simonia, & ejusmodi pestes aliæ.

VI. Alia ex aliis Historicis exempla.

VII. Quid summatim observari debeat in his omnibus exemplis.

VIII. Probatur ex Formulis Marculphi ad has Episcoporum nominationes Reges usos esse consilio Episcoporum & Optimatum suorum.

I. Tantum operæ studiique oavaverat Regi Clotario Dumnolus Abbas sancti Laurencii apud Parisios, ut constitueret Rex Episcopatu eum hoocstare, qui primus vacasset. *Præstolabatur Rex locum, in quo Pontificatûs honorem acciperet.* Cùm viduata ergo esset Aveuionensis Ecclesia, eam illi sedem Clotarius *dare deliberaverat.* At eum Episcopatum aversatus Dumnolus, Regem oravit, exoravitque, L. 6. c. 9. *ut non quasi captivus ab ejus elongaretur aspectu, nec permitteret simplicitatem illius in Senatores Sophisticos, ac Judices Philosophicos fatigari; adserens hunc locum humilitatis sibi potius esse, quàm honoris.* Cenomanensi ergo à Rege donatus est Episcopatu; *Ipsum Ecclesia illi Antistitem destinavit.* Addit Gregorius Dumnoli sanctimoniam miraculis compluribus illustratam fuisse, expleto autem altero supra vigesimum Episcopatûs anno, adventante jam morte successorem sibi delegisse Theodulphum Abbatem, quod & à Rege confirmatum est, quanquam pauco pôst tempore electus sit Badechisilus Palatii Regii Major. *Theodulphum Abbatem in locum suum prælegit, cujus assensui Rex præbuit voluntatem: sed non multum post tempus mutatâ sententiâ, in Badechisilum domus Regiæ Majorem transfertur electio.*

II. Exemplo Dumnoli monemur, sanctissimos viros inservisse temporibus, & nominationibus Regiis accommodasse seipsos, ne aut ipsimet Episcopatu vel sic investirentur, aut alios sanctimoniæ non disparis oominati curarent. Plura id genus attingemus exempla, plura jam attigimus. Felix Episcopus Nannetensis paulò ante obitum suum vicinos obtestabatur Episcopos, ut cum quem sibi successorem elegerat, Burgundionem nepotem confirmarent. L. 6. c. 15. *Vocatis ad se Episcopis qui propinqui erant, supplicat ut consensum, quem in Burgundionem nepotem suum fecerat, suis subscriptionibus roborarent. Quod cùm factum fuisset, eum ad me dirigunt.* Assentiebantur Episcopi, at Metropolitanus, Gregorius videlicet Turonensis præcipitare noluit Neophyti ordinationem. Felice interim vivis erepto, et *Nonnichius consobrinus Rege ordinante successit.* Infestissimi quidam Etherii Lexoviensis Episcopi hostes coëgerant eum ad Regem Guntramnum se recipere, eaque arrepta ansa, Episcopatum ejus à Chilperico Rege extorquere se posse speraverant. Sua tamen illos spes delusit, nec eorum calumniis cessit Chilpericus. L. 6. c. 36. *Ad Regem Chilpericum properant pro Episcopatu petendo.* Innocentius Comes Gabalorum electus est Episcopus Ruthenensis, Brunechildis Reginæ favore. *Eligitur ad Episcopatum, opitulante Brunechilde Regina.* L. 6. c. 38. Ad Bituricensem Episcopatum electus est B. Sulpitius, connitente Guntramno Rege, & muneribus inaccesso, cùm sanctissimas dignitates pretio distrahi constantissimè semper prohibuerit. *Sulpitius ad sacerdotium Guntramno Rege favente, prælegitur.* L. 6. c. 39. *Nam cùm multi munera offerrent, hæc Rex Episcopatum quærentibus respondisse fertur: Non est Principatus nostri consuetudo Sacerdotium vendere pro pretio, &c.*

III. Eligebantur ergo adhuc à Populo & à Clero Episcopi, sed plura in dies momenta habebat Regum potestas in electionibus. Quandiu non erat usui ea potestas, nisi ad donandos Ecclesiæ Episcopos meritis clarissimos & sanctimonia, cujusmodi erat hic Sulpitius: & ad retundendam ambitiosorum hominum, vel Simoniacorum audaciam: tandiu approbari utique eam æquum erat, & Reges ipsos commendari, ut divino instinctu incitatos, ut principem quendam locum etiam inter Ecclesiæ membra tenentes, denique ut afflatos aura quadam Sacerdotii Christiani. Is erat plerumque Guntramni Regis animus: nequaquam verò Chilperici Regis, cùm de eo hæc scribat Gregorius: *In cujus tempore pauci quodammodo Episcopatum Clerici meruerunt.* L. 6. c. 46.

Assensus est idem Guntramnus judicio Episcoporum, qui Promotum abdicarant Episcopatu Castellodunensi, quem nuper erexerat Sigebertus, ut illum eo decoraret. *Ordinante Sigeberto Rege Episcopus fuerat institutus.* L. 7. c. 17. Ab Episcopis Aquitaniæ ordinatus est Faustinianus Presbyter in Episcopum Aquensem, quanquam ea sede donatus esset à Rege Chilperico Nicetius Comes. *Nicetius Comes illius loci Præceptionem à Chilperico elicuerat, ut tonsuratus, civitati illi Sacerdos daretur.* L. 7. c. 31. At Rex Guntramnus Nicetium ei restituit Episcopatui; Burdegalensem verò Archiepiscopum & duos Episcopos, qui unà cum eo Faustinianum ordinaverant, præcepit annos aureos centum illi exolvere ad ejus sustentationem, quod & à Concilio Matisconensi confirmari curavit. *Nicetius ex laïco, qui prius à Chilperico Rege præceptum elicuerat, in ipsa urbe Episcopatum adeptus est.* L. 8. c. 20.

Idem verò Burdegalensis Archiepiscopus gravissimo ex morbo decumbens, ex Diaconis suis unum successorem sibi designavit. Is Burdigalensium civium consensu munitus, & munerum ingentem copiam secum advehens in Aulam Regiam properavit. Rex illum quamprope redire jussit, dona domum referre, ejusque loco ordinari Gondegisilum Comitem Santonensem: *Diaconus cum muneribus & consensu civium ad Regem properat, sed nihil obtinuit.* L. 8. c. 22. *Tunc Rex data præceptione jussit Gondegisilum Santonicum Comitem Episcopum ordinari, gestumque est ita.* Sapaudo Episcopo Arelatensi excedente, successit Licentius Guntramni Regis Referendarius. *Licentius Regis Referendarius adscitus est.* Evantio Viennensi Episcopo mortuo, Virus Presbyter Rege eligente ei substitutus est. *Virus Presbyter de Senatoribus Rege eligente substituitur.* L. 8. c. 39. Agerico Episcopo Viennensi hinc demigrante, Buccovaldus Abbas ad Aulam iter maturavit, & spes tamen illum sua fefellit, Rege nominante Referendarium, seu Cancellarium suum, & ipsum etiam ad id civium consensum eblandiente. *Buccovaldus Abbas ejus pro Episcopatu cucurrit, sed nihil obtinuit. Charimerem enim Referendarium cum consensu civium Regalis decrevit authoritas fieri Sacerdotem.* L. 9. c. 23.

Fronimius creatus fuerat Agathensis Episcopus à
L. 9. c. 24 Rege Visigothorum Leuva : *A Leuvane in urbe Agathensi Episcopus ordinatus est.* Leovigildus qui Leuvani in Regnum successerat, Fronimio Episcopo sicarios subornavit, suspicatus ab eo instillatam esse Ingundi Reginæ, Sigeberti Regis Filiæ, eam invictam tenacissimam que fidei Catholicæ constantiam, quam Hispaniæ intulerat, cùm Hermenegildo filio nuberet. Ille in Gallias secessit, ubi Childebertus
L. 10. Rex Venciensem Episcopatum ei contulit. *Potestatem Pontificalem Rege largiente suscepit.* Postremò denique ad calcem Historiæ suæ Gregorius Turonensis, summatim percensens Episcopos omnes Turonenses, rursum narrat ut Dinifius Episcopus Turonensis creatus sit eligente Rege. *Per electionem Regis ad præfatum Episcopatum accessit* : utque sancta Clotildis Regina duos ibi priùs constituisset Episcopos, qui ei Comites adhæserant ex Burgundia, ut conjunctim Ecclesiam & sedem beati Martini administrarent.

IV. Eandem sibi Duces, Comites & Præfecti Provinciarum vendicabant aothoritatem, adsciscendi ad Episcopales infulas quos sibi aut virtus, aut gratia commendasset. Præter ea quæ perstricta sunt exempla, ex eodem Gregorio Aramus Dux, à Rege Theodorico ex Italia Arelatem Legatus, jussit ibi Episcopum eligi Archidiaconum Nemausensem Joannem, sanctitatis fama clarissimum, cùm
De Mirac. S. Martini L. 1. c. 78 primùm ea Sedes vacaret. *Ut decedente illius urbis Sacerdote, ipsum Sacerdotem mandarit institui.* Nundinatio & simonia non absurdè creditur multò tunc fuisse frequentior, cùm par Duces, quàm cùm per Reges dispensarentur Episcopatus. Hinc tot querelæ Gregorii Magni, hinc tot correptiones. Eam labem Gregorius ipse Turonensis permolestè ferebat,
Vita Patr. c. 6. in vita sancti Galli Episcopi Arverni. *Jam tunc germen illud iniquum cœperat pullulare, ut Sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis.* Eum Gallo sanctissimo viro Rex Episcopatum contulerat, repudiatis Arvernorum civium muneribus, qui alium sibi Episcopum asciscere percupiebant. Non expendit Gallus nisi minimam stipem qua remuneratus est coquum, convivii ergo quod ille instruxerat Regio jussu, ad provectionis ejus lætitiam testificandam. Sed quod merito stuporem menti injiciat, illud est, cœlitus monitum jussumque Gallum, ut propere ipse accurreret, & Episcopatum
Ibid. c. 8. postularet. *Gallus irruente in se Spiritu sancto, ait, Quid hi mussitant? quid cursitant? quid retractant? Vacuum est opus eorum : ego ero Episcopus, mihi Dominus hunc honorem largiri dignabitur. Tu cum me audieris redire de præsentia Regis, &c.* Non petiit Nicetius Episcopatum Lugdunensem, sed petiit Archiepiscopus Lugdunensis à Childeberto Rege, obtinuitque Nicetio nepoti suo. Nicetius Trevirensis Episcopus à Rege etiam Theodorico nominatus est,
Ibid. c. 17. sed non sine assensione populi. *Cumque dato consensu Populi, ac decreto Regis, ad ordinandum adduceretur, &c.*

V. Illud rursum nobis paulò pensiculatiùs observandum est, quanquam purissimo, vehementissimoque inflammaretur zelo Gregorius Turonensis, nec eum à Regibus ipsis abstineret, sicubi tanti esset ad Ecclesiæ salutem : nusquam tamen eum gravatè ferre in historiæ suæ decursu, aut suis querelis exagitare has nominationes Regias, tanquam Canonibus vehementer infensas. Laicorum ordinationes insectatur : Reges qui distraherent, Clericos qui emerent sacras dignitates acerbiùs perstringit; in ipsas per sese nominationes, ejusmodi vitiorum expertes, nunquam stomachatur. Ei autem styli temperantiæ, & Historiæ moderationi patrocinium multiplex comparari potest. 1. Cùm sanctitate florentissimi tot viri, à Regibus acceperint Episcopatum. 2. Cùm quos Reges elegerant promoverantque, ii præstantissimos exinde Pastores evaserint. 3. Cùm cœlesti non semel impulsione excitati sint viri piissimi, ut Episcopatus à Regibus peterent, ad quos à Clero populisque vocabantur. 4. Cùm earum Nominationum ea esset persæpè ratio & modestia, ut nihilominus electionis libertas Populo Cleroque constaret. 5. Cùm ne Concilia quidem ipsa sibi cum Regibus decertandum existimarent, ne ab eis expectaretur vel eligendi permissio, vel confirmatio electi. Immo ne certabant quidem de eo quod capitalius erat, ne mitterentur à Palatio Principis ordinandi Episcopi, quanquam priùs illi ab Episcopis, à Clero, à Populo examinandi, probandique. 6. Cùm ipsimet quandoque Episcopi, Clerici, Cives Principem sua sponte adirent, ut ejus potestate summa turbæ compescerentur, sedarentur Competitorum intemperiæ, incubatores violenti sedium sacrarum ejicerentur, donarentur Ecclesiæ Aulici Proceres & Palatii optimates, sicubi ex eis electi aliqui essent ad sacras infulas. 7. Cùm Principes Canonum non jam custodes & vindices, sed quandoque oppugnatores essent : cùm ipsi multa peccarent Episcopi, Clerici, populique, vel in eligendis præter Canones successoribus, vel nepotibus obtrudendis, aut in Episcopatibus preheosandis, aut muneribus præter fas accipiendis : Rex siquis justitiæ zelo flagrans, siquis Ecclesiasticæ Disciplinæ amantior, rerum gubernacula capesseret, unus ille malis his omnibus medicabatur; quod non poterat, nisi se paulò altiùs in electiones immergeret. Si verò ejus & regni & potestatis hæres, non idem hæres esset pietatis, eæ erant rerum humanarum vicissitudines; dolendæ illæ quidem, modicè tamen ferendæ : cùm ea sit nostri generis peccato semel afflicti sors, ut & bona non raro malè vertant, & remedia in morbos degenerent.

VI. Nec soli Gregorio Turonensi illa placuit animi stylique moderatio, in edisserendis nominationibus Regiis ad Episcopatus. Verba faciens Fortunatus de alio antiquiori Gregorio Turonensi Episcopo, post designata suffragia & vota populi : *Quem prospera vota petebant*, Regis & Reginæ con- L. 5. c. 3.
sensum prædicat, veluti cumulum auspicatissimæ electionis. *Huic Sigebertus ovans favet, & Brunichildis honori, Judicio Regis nobile culmen adest.* Auctor vitæ sanctissimi Ducis Pipini, tradit B. Amandum mandato Papæ in Gallias profectum ad Evangelicam fidem disseminandam, jussu Dagoberti Regis Episcopum esse ordinatum. *Ad Aulam invitatus, jussu Dagoberti Regis, Trajectensis Ecclesiæ ordinatur Episcopus.* Narrat authot vitæ sancti Leodegarii Episcopi Augustodunensis, duorum de Episcopatu certantium immanitate, eam urbem cruentatam fuisse, alterum interfectum, alterum ejus cædis authorem exulare jussum; cùm biennio vacasset Sedes, à Bathilde Regina, quæ Clotarii impuberis filii Regnum administrabat, eò missum Episcopum Leodegarium, cujus conspectu & interrito vigore pax ei tandem Ecclesiæ & civitati affulsit. *Siquidem nuper* Du Chesne
inter duos contentio de eodem Episcopo exorta fuerat, & To. 1. pag.
usque ad sanguinis effusionem certatum. Cùmque unus 597. 602.
ibidem occubuisset in morte, & alter pro perpetrato scelere datus fuisset in exilii trusionem; tunc Bathildis

Regina, quæ cum Clotario filio Francorum regebat Palatium, divino, ut credimus, inspirata consilio, ad memoratam urbem hunc direxit virum, ut inibi esset Episcopus, &c. Quid multa? ita in adventu ejus territi sunt omnes Ecclesiæ vel urbis illius adversarii, necnon & hi, qui inter se odiis & homicidiis incessanter certabant, &c. Nemo non intelligit istiusmodi Competitorum diffidiis, præliis, cædibusque, aut prævertendis, aut sedandis necessariam prorsus fuisse Regiæ potestatis in electionibus interventionem.

A Clero populoque Arvernæ Civitatis electus fuerat B. Projectus; Archidiacono tam procax insolensque nihilominus fuit audacia, ut Episcopalem sedem invaderet. Post ejus obitum populus ad Senatoris cujusdam perillustris electionem totus propendebat. Ille virtutum quàm natalium splendore non paulò illustrior, studia & vota omnium rursus in Projectum traduxit, utque ne rursus ejus electioni quidquam obstreperet, authoritas Regia interpellata est. Is erat Clodovæus II. *Ipse vir potens* (Ibidem. pag. 672.) *& sapiens hunc gradum incautè non appetens, indignum se hoc officio fatetur coram cunctis. Quin potius concionatur ad cives, ut Projectum à Rege poscerent, in sede Pastoris. Tunc itaque favore populi concordante, immo magis sancto Spiritu gubernante, inito consilio Projectum elegerunt Antistitem, Decreto etiam Regis petitionibus populi annuente.* Sancti Ansberti Archiepiscopi Rotomagensis vitæ Scriptor, illud primum commemorat, ut Lambertus Abbas Fontanellensis creatus fit Episcopus Lugdunensis, unanimi consensu Regis, Magnatum Palatinorum & populi. *Pius Rex Theodoricus, & inclytus Rex Princeps Pipinus, cum Proceribus Palatii salubre agentes consilium, eum unanimi populi voto eum constituerunt Antistitem.* (Ibidem. pag. 682. 683.) Ejus loco electus est Ansbertus in Abbatem Fontanellensem, nec multo pòst tempore extincto beato Audoëno Rotomagensi Episcopo, Ansbertum elegit populus successorem, eumque à Rege Theodorico postulavit. Is regni sui Comitia tum apud Clypeacum in agro Parisiensi celebrabat, Ansbertique electione rescita, ipsum accersivit, quasi de gravissimis negotiis sententiam ejus sciscitaturus. *Nam Confessor illius erat.* Iterato mandato Regio tunc demum venit Ansbertus, & *Tunc eligentibus civibus præfata urbis Metropoleos, cum unanimi voto sanctorum Sacerdotum, Regis & Principum, eligitur, trahitur, &c.* Avitus Arvernus Episcopus appetente morte Bonitum germanum fratrem eligi fecit sibi successorem, qui ex Pincerna Regio Referendarius creatus fuerat Sigeberti Regis. *Annulo ex manu Regis accepto, Referendarii officium adeptus est.* (Ibidem. pag. 684. 685.) Et tandem fuerat *Præfectus Massiliæ primæ Provinciæ.* Eam Præfecturam ita gesserat, *ut non tam Judex, quàm Sacerdos esse videretur.* Regnum Theodorici Regis tunc Pipinus Senior administrabat. Ab eo postulavit Avitus confirmari electionem fratris. *Missa ab illo ad Regem legatio est, ut is authoritate Regia electioni Boniti suum quoque consensum adjiceret.* Nec multo pòst tempore ab eodem Rege obtinuit B. Bonitus abdicandi Episcopatus copiam, facultatemque adsciscendi sibi B. Nordbertum successorem, ut in Magnilocense cœnobium liber & solutus secedere posset. *Missi sunt Legati ad Regem, &c. Inde ad Magnilocense profectus Cœnobium, &c.*

Postquam ex mortali in immortalem raptus est vitam Honoratus Ambianensis Episcopus, missus est ab eodem Theodorico Rege Episcopus Noviomensis ad Ambianenses cives cohortandos, ut Pastorem eligerent, ei muneri graviter obeundo parem. Indixit tum Clerus tridui jejunium, quo expleto (Ibidem. pag. 626. 522.) electus est sanctissimus Anachoreta Salvius, qui & in fastis Ecclesiæ sacris celebratur. In Vambæ denique Regis Gestis narrat, qui existimatur ejus opusculi author Julianus Archiepiscopus Toletanus, ab Ilderico Nemausensi Comite scelestissimo in vincula conjectum Nemausensem Episcopum, quem nefariis machinamentis suis in regni & Ecclesiæ perniciem eruptu ris implicare nequisset, datumque ei in Episcopatu successorem Abbatem Ranimirum, ejusdem consortem perfidiæ, nec Regis interposita voluntate, nec authoritate Metropolitani: denique ad insolentissimæ cumulum audaciæ à duobus Episcopis extraneis illum jussum esse ordinari. *Deinde in sublati Pontificis locum perfidiæ suæ socium Ranimirum inducit Episcopum. In cujus electione nullus ordo attenditur, nulla Principis vel Metropolitani definitio præstolatur: sed erecto quodam mentis superba fastigio contra interdicta Majorum, ab externæ gentis duobus tantum Episcopis ordinatur.*

VII. Ea postrema verba stylum & mores redolent Hispaniensis Ecclesiæ, ubi Episcopalium electionum jus omne ad Reges & ad Archiepiscopos Toletanos revocatum tandem est, ut sequenti capite prolixiùs disseremus. Ex his autem Scriptoribus, quos Collectione sua omnes complexus est Quercetanus, apertissimè confirmantur argumenta eadem omnia, & Disciplinæ sacræ Capita, quæ suprà ex Gregorio Turonensi elucidata sunt. Factionibus, tumultuationibus, cædibus adigebantur Reges partes suas electionibus interponere, populi quin etiam ipsi ad Patrocinium Regium convolabant. In ejusmodi rebus consilio Episcoporum in Aula tum diversantium utebantur Reges. Nominatione Regum Episcopi bene multi sanctitate spectatissimi Episcopales infulas assecuti sunt. Regiæ nominationi plerumque aut accedebat, aut præibat populi Clerique electio. Beatus Medardus Noviodunensis Episcopus à Tornacensibus electus est, & utriusque Episcopatûs, velut in unum coagmentari clavum rexit, Regis, Episcoporum, Magnatum, Populorumque unanimi consensione: *Unanimiter* (Surius die 8. Junii.) *Medardum elegerunt, id populus acclamabat, in hoc Rex ipse, Proceresque Palatii, præcipuèque Comprovinciales Episcopi consentiebant.* Nec minus conspiratum undique est ad Audoëni Rotomagensis Archiepiscopi electionem: *Illum solum ea sede dignum, tam Rex,* (Die 24 Augusti.) *quam Proceres, itemque Clerus & Populus una voce testabantur.* Ejusdem generis fuit & B. Remacli electio, Episcopi Trajectensis, quæ postea Episcopalis sedes Leodiensem in Civitatem traducta fuit. *Re-* (Die 3. Sept. Die 27 Sept.) *gi verò Trajectenses ex communi Sacerdotum electione, Magnatum multa frequentia, & omnium ordinum postulatione, ejusmodi preces offerunt. Neminem ipsis nisi beatum Remaclum Pontificem præfici debere. Rex assentiens statuit præstare quod rogabatur.*

VIII. Postremo denique inter Marculphi Formulas supersunt, radiantque eæ, quæ exhibent tum *Praeceptum de Episcopatu*, quem Rex dono dabat ex consilio Episcoporum & Procerum: tum Populi supplices preces, ut à se electus Regio jussu firmaretur. Ita liquidum est peragi tum solitas Episcoporum creationes, provido quodam & suavissimo temperamento, tam publicæ libertatis populi Clerique qui eligebat, quàm summæ Regum authoritatis, qui cùm Capita sint Reipublicæ, Clerique beneficentissimi defensores, non poterant non immisceri rebus, quarum tanta erant ad Reipublicæ pacem & ad Ecclesiæ salutem momenta. En ipsissi-

ena verba Regii *de Episcopatu Præcepti*; ut à Gregorio quoque Turonensi vocitatum est. *Cognovimus Antistitem illum ab hac luce migrasse, de cujus successore sollicitudinem congruam unà cum Pontificibus vel Proceribus nostris plenius tractantes, decrevimus inlustri viro illi Pontificalem in ipsa urbe committere dignitatem.* Tum scribebat Rex ad Episcopos, qui novum Antistitem ordinaturi erant. In alia Formula ejusdem Marculphi ita habetur: *Cum Pontificibus vel Primatibus populi nostri pertractantes.* Quibus ex verbis planum est, ita Regibus & Proceribus persuasum fuisse, sui esse & juris & officii, ut tanquam populi vertices & rectores, ad electiones cum ipso conspirarent. Supplex verò Civium ad Regem libellus ita habebat: *Suppliciter postulamus, ut instruere dignemini illustrem virum illum, aut venerabilem illum Cathedra illius successorem.* Nec ab his dissonant Formulæ, quas Sirmundus edidit in Appendice Tomi II. Conciliorum Galliæ.

In Append. Tom. 2. Conc. Gall.

CAPUT XV. *P. 2. l. 2. c. 35.*

De eadem re, Quantum sibi sumpserint Reges Hispaniæ in electionibus Episcoporum, sæculo VI. & VII.

I. Martinus Braccharensis Episcopus edita Collectione Latina Græcorum Canonum, magnopere extenuat plebis potestatem in electionibus.

II. Nec in Græcia tamen, nec in Hispania exors planè fuit populus, & ab electionibus summotus.

III. In Concilio demum Toletano XII. indubium fuit, nominationes Episcoporum Hispaniæ Regibus absolutissimè tributas esse, quas Archiepiscopi Toletani examinarent, confirmarentque.

IV. Eo Concilio jus illud ipsum Regi concessum est ut alia Beneficia ejusdem generis.

V. VI. Eligebantur ab Episcopis Reges Hispaniæ, unde & vicissim Reges ipsi Episcopos eligere ambierunt. Varia ejus rei argumenta.

VII. Nec despicabilia prorsus vel tum erant Cleri populique vota, quorum rationem habere debebat Archiepiscopus Toletanus, in Confirmatione annuenda, vel abnuenda.

VIII. IX. X. Novis argumentis antedicta confirmantur.

I. PRopiùs absuere Hispanicæ electiones ab Orientalibus, ex quo Martinus Braccharensis Episcopus publici juris esse voluit suam Græcorum Canonum Latinam Collectionem. Tres enim famosæ hujus compilationis Canones priores vetant ne à populo eligantur Episcopi, sed ab Episcopis ipsis, ut qui soli ea sint Canonum & Disciplinæ totius sacræ peritia, quæ desideretur ad dignoscendas virtutes, dotesque omnes tam sanctæ dignitati utcumque consentaneas. *Non licet populo electionem facere eorum qui ad sacerdotium promoventur, sed sit judicium Episcoporum; ut ipsi eum qui ordinandus est, probent, si in sermone & fide, & in spirituali vita edoctus sit.* Additur Episcopos omnes Provinciæ præstò esse debere, aut certè scripto assentiri novi Episcopi ordinationi. *Episcopum oportet maximè quidem ab omni Concilio constitui, &c. Absentium subscriptiones teneantur, &c. Et sic omnium facto consensu, ordinationem Episcopi fieri oportet.* Si quis Episcopus à Collegis dissentiat, vincent plurium vota. *Plurimorum consensus obtineat.*

Can. 1. 2. 3.

II. Sed illud tamen fateri cogimur, nec in Orientali Ecclesia, nec in Hispanica eam fuisse unquam Conciliorum, ex quibus decerpti sunt hi Canones, voluntatem, ut ab electionibus populum penitus summoverent: sed ut ne penes eum esset potestas definiendi qui futuri essent Pontifices, quòd ea videlicet facultas ei committenda sit sapientiæ abundantiori, & incorruptæ integritati, à qua procul sunt populi, quæ Episcopali amplitudini coalita & concreta ferè est. Semper ergo Populi Clerique in Hispania libera fuere vota, libera testimonia, sed his Episcopi non astringebantur, ubi per canonicas & divinas leges id quidem nefas erat. Audiebant ergo Episcopi Clericorum desideria, testimonia populorum, tum ipsi supernæ auscultabant legi, & Episcopos eligebant.

Ex quo primùm autem Reges esse cœperunt in Hispania Catholicæ fidei & Ecclesiæ alumni, jam tum etiam illi non tacuerunt, quo propenderent, quos cuperent Episcopos: ex quo facilè colliges, quanta hinc fieret in Episcopis animorum inclinatio, ut Regiæ voluntati obsecundarent. Ex ipso Barcinonensi Concilio, ubi anno 599. Recaredus Rex semetipsum primò, tum Regnum universum Catholicæ recuperavit Ecclesiæ, manifestè perspicitur electiones Episcoporum Regis, Cleri, Populi & Episcoporum communi consensione finitas fuisse. Prohibet tamen ea Synodus, ne præfestina & præceps sit ea conspiratio, neu sacris contumeliosa Canonibus, qui intestitia certa & stata servari jubent in ordinationum variis gradibus. *Nulli liceat prætermisso Canonum præfixo tempore, aut per sacra Regalia, aut per consensionem Cleri, vel Plebis, vel per electionem assensionemque Pontificum, ad summum Sacerdotium aspirare, vel provehi.* Additur eo Canone, ut à Clero & Populo duo tresve eligantur, quorum Metropolitani & Episcoporum judicio dignissimus seligetur: ita enim fora ea interpretanda forsan est: *Duobus aut tribus, quos antè consensus Cleri & Plebis elegerit, Metropolitani judicio præsentatis, quem sors monstraverit, &c.* Can. 3.

In Concilio rursus Toletano IV. anni 633. concurrunt Cleri Populique desideria cum Episcopis, nec Regiæ nominationis mentio fit. Non improbabiliter ergo suspicamur abstinuisse se tunc prorsus Reges Hispaniæ ab electionibus, & Episcopos suam rursum plenissimam recepisse electionum potestatem usque ad tempora Concilii Toletani IV. immo & usque ad tempora Toletani XII. Eo enim toto temporis interstitio nulla prorsus existunt Regiæ in electionibus interventionis vestigia. Quin ex adverso eo temporis intervallo Concilia omnia Hispaniensia Comitia quædam erant generalia Ecclesiæ & Regni, ubi primum authoritatis gradum obtinebant Episcopi; ubi Reges ipsi eorum pene tuitione indigebant, ad amoliendos opprimendosque, tum publicos regni, tum privatos hostes; ubi denique constat eligi solitos Reges ipsos, præfuisse autem Episcopos his electionibus. Huc pertinet Canon Concilii Toletani VIII. *Ab hinc ergo & deinceps ita erunt in Regni gloriam præficiendi Rectores, ut aut in urbe Regia, aut in loco ubi Princeps decesserit, cùm Pontificum, Majorumque Palatii omnimodo eligantur assensu; non forinsecus aut conspiratione paucorum aut rusticarum plebium seditioso tumultu.* Quæ verba apertissimè produnt, tumultuosis populorum factionibus, & ambitiosorum Regni Competitorum cruentis dissidiis, compulsos fuisse Episcopos & Proceres Hispanos, ut Comitiis his utriusque Ordinis generalibus electiones Regum vendicarent. Si Concilio Toletano VII jubentur Episcopi ejus Provinciæ quotannis mensem unum Toleti degere, ad Regem in Aula, vel Archiepiscopum in Ecclesia sua colendum: si rursus Emeritensi Concilio copia fit Episcopis, ut ab alio quovis or- Can. 19. Can. 10. Can. 6. Can. 4.

dinari possint Metropolitano, quàm suo, dum sui, Regisque consensu nitantur: nulla inde satis certa existunt argumenta, ut Episcopos existimentur nominasse Reges, vel in eorum electionibus amplam quandam exercuisse potestatem.

III. At in Concilio Toletano XII. anni 681. tam certa & illustria extant documenta ejus facultatis Regibus additæ nominandorum suo nutu Episcoporum, ut ne in controversiam quidem trahi possit, quin aliquanto antè tempore illa eis indulta fuerit potestas. Testatum faciunt ejus Concilii Præsules, diutiùs vacasse Ecclesias, Sedesque viduitati tam diuturnæ ingemuisse, propter earum distantiam urbium, unde monendi erant Reges de Episcopi obitu, opperiendumque dum adscitis in consilium Episcopis successorem designassent. Ut has moras amputarent, id à se constitutum esse, ut unus Toleti Metropolitanus in nominatos à Rege Episcopos inquireret, eos examinaret confirmaretque, ea cautione, ut tertio post ordinationem suam mense quilibet Episcopus proprio se coram exhiberet Can. 6. Metropolitano. *Unde placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ, ut salvo privilegio uniuscujusque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscumque Regalis potestas elegerit, & jam dicti Toletani Episcopi judicium dignos esse probaverit, in quibuslibet Provinciis, in præcedentium sedibus præficere Præsules, & decedentibus Episcopis eligere successores.* Ex hujus Concilii verbis pressiùs suspectis, *eligere* dicitur Rex, dicitur & Toleti Metropolitanus. Rex quidem quòd Episcopos nominet: Metropolitanus Toletanus, quòd eos ad examen vocet, nec admittat, nisi sacrosanctæ dignitati haud impares.

IV. Nec eos sibi, Regive limites delineavit idem Concilium. Eodem quippe armat jure, cum Regem, tum Episcopum Toletanum in Prælaturas quoque cæteras, & alia quævis Beneficia, quæ nisi ex Regis & Episcoporum assensione conferri non poterant, & quibus cùm eadem impenderent ex cunctatione pericula, eadem quoque cogebat ratio, ut eidem cum Episcopatibus statuto subjicerentur. Eo mihi sensu donanda visa sunt hæc ejus Canonis Ibidem. verba: *Hanc quoque definitionis formulam, sicut de Episcopis, ita & de cæteris Ecclesiarum Rectoribus placuit observandam.*

V. Eo certè Canone nihil novæ potestatis Regi accrescere, cum primis probabile & consentaneum est. Eo enim tempore, quod inter IV. & XII. Toletanam hanc Synodum interlapsum est, eam sibi in electiones authoritatem peperere Visigothi Reges: æquum forsan rati, ut postquam Reges ab Episcopis eligi cœperant, Episcopi vicissim ipsi à Regibus eligerentur. Unum id novatum in hoc Concilio XII. Toletano, quod Episcopos omnes à Rege nominatos permittitur Toleti ordinare Metropolitanus unus Toletanus, cùm antè, cùm alibi à propriis singuli Metropolitanis ordinarentur. Non reservatur hic Metropolitis propriis, nisi ut eis se sistant & religiosam impendant suffraganei omnes, tertio post inaugurationem suam mense.

Porro eum esse germanum hujus Canonis sensum, ex ipsius palam fit Ervigii Regis Edicto, quo Toletanum istud Concilium confirmavit, cui ipsemet cum omnibus Palatinis Proceribus affuerat. *A venerandis Patribus, & clarissimis Palatii nostri Senioribus.* Hæc enim ejus Canonis summa in Edicto Regio exhibetur. *Item de concessa Toletano Pontifici generalis Synodi potestate: ut Episcopus alterius Provinciæ, cum connivenția Principum in urbe Regia ordinetur.*

VI. Nec est quod cuiquam in mentem veniat, hanc quoque Episcoporum à Regibus designatorum, sive electionem, sive nominationem, cum Cleri Populique liberis suffragiis, ut compluribus suprà patuit exemplis, copulari potuisse. Contrà enim totum est. In hoc quippe Concilio totum datur Regi, de Clero & Populo, ejusque ad electiones jure, nulla fit mentio. In Concilio Toletano XVI. ab Egica Rege proponitur, ut Episcopi qui idololatriæ superstites fibras non diligentissimè persecuti fuerint eliserintque, suspensione & pœnitentia annua animadvertantur, quo temporis spatio Episcopatum reget, cui id muneris Rex delegavit. *Alio tamen principali electione ibidem constituto.* Cui petitioni Regiæ consenserunt Episcopi: *Eodem tempore quo ille à loci sui propulsus fuerit officio, specialiter à Principe eligatur, qui &c.* Can. 2.

VII. Si qua adhuc ratio habebatur votorum Cleri & Populi, unum id ad Metropolitanum vel Concilium spectabat, à quo nominatio Regia confirmabatur, & cui ex officio incumbebat, ne eos confirmaret, quibus subjici se Clerus Populusque magnopere abhorresceret.

In eodem autem Concilio Toletano XVI. deposito Sisberto Episcopo Toletano suffecerunt Episcopi Felicem, Episcopum priùs Hispalensem, cui Toletani jam Episcopatûs regimen delegaverat Rex, non dubia spe, ut à Concilio id ratum haberetur. Porro cùm hic non de electione, aut nominatione agatur mera, sed de depositione Episcopi, & de alterius in ejus sedem translatione, non immeritò totum hic Regi non datur, datur plurimum Episcopis, datur aliquid Clero etiam & Populo, ut ad Toletanam sedem Felix transferretur. *Secundum prælectionem atque authoritatem Domini nostri,* Can. 12. *per quam in præteritis jussit, venerabilem fratrem nostrum Felicem Hispalensis Sedis Episcopum de prædicta Sede Toletana jure debito curam ferre, nostro eum in posterum reservans ibidem decreto firmandum. Ob id nos cum consensu Cleri ac Populi ad sæpedictam Sedem Toletanam pertinentis, prædictum Felicem de Hispalensi Sede in Toletanam canonicè transducimus.*

VIII. Postremò in Hispalensem ipsam sedem, unde Felix migrabat, traductus est ab hujus ipsius Concilii Patribus Faustinus Episcopus Braccharensis, in Braccharensem denique Ecclesiam Portuensis, vel potius Portucalensis Episcopus. In his duabus posterioribus Episcoporum translationibus, nec Regis nominatio, nec Clericorum, & Civium vota memorantur. Sed nemo facilè ambiget, hoc decretum, periæquè ut alia hujus Concilii omnia, authores & suffragatores habuisse Episcopos, Optimates, Regemque ipsum, qui intererant omnes, ut Comitiis Regni generalibus: *Vos honorabiles Dei Sacerdotes, cunctosque illustres Aulæ Regiæ Seniores, quos in hoc Concilio nostræ Serenitatis præceptio fecit adesse, &c.*

IX. Inter eas Epistolas quæ præmittuntur Libris Originum Isidori Hispalensis Episcopi, obvia ea est, quam perscribebat Braulio Episcopus ad Isidorum ipsum, & qua illum monebat, Eusebium Metropolitanum vitam cum morte commutasse, & ipsius jam esse muneris, ut Regem interpellet, quo alius ab eo præficiatur Metropolitanus, qui tanto oneri ferendo par sit. *Quia Eusebius noster Metropolitanus decessit, habeas misericordiæ curam: & hoc filio tuo, nostro Domino suggeras, ut utilem illi loco præficiat, cujus doctrina & sanctitas cæteris sit vitæ forma.* Rescribit Isidorus explurasse se Regis voluntatem,

needum certi quidquam eum statuisse; sed alienatum esse omnino ejus animum à danda Metropoli Tarraconensi, ei cui illam Braulio dari avebat. *De constituendo autem Episcopo Tarraconensi, non eam quam petisti, sensi sententiam Regis, sed tamen & ipse adhuc ubi certiùs convertat animum, illi manet incertum.*

X. Jam attigimus quod scribit Julianus Archiepiscopus Toletanus in Historia Regis Vambæ, non potuisse Ranimirum non videri, & esse, intrusum, & Episcopatûs Nemausensis sacrilegum incubatorem, cùm nec Regis, nec Metropolitani authoritate in eam Sedem involasset: *In cujus electione nullus ordo attenditur, nulla Principis, vel Metropolitani definitio præstolatur.* Quo nihil dici poterat magis consentaneum Canoni Concilii Toletani XII.

CAPUT XVI. *P. 2. l. 2. c. 36.*

De potestate Regum in electionibus Episcopalibus Italiæ, Africæ, Angliæ ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Dissidio suffragiorum in electione Symmachi factum est, ut ad Theodoricum Italiæ Regem confugeretur.

II. Jam tum cœperat Odoacer Rex interserere se electioni Pontificum.

III. Sed multò intemperantiùs quàm Theodoricus.

IV. V. Qui Reges deinceps alii & Imperatores eadem authoritate usi in electione Papæ.

VI. Eam Gothi Reges usurparunt potestatem, ut illam Imperatoribus præriperent. Imperatores contra postea Gothorum Regno eam sibi vindicarunt.

VII. Quam electioni constare libertatem voluere Imperatores, etsi eam ipsi confirmarent.

VIII. Ejus rei probationes adferuntur.

IX. X. Non receditur unquam à Gregorio Magno solutam fuisse eam pecuniariam pensionem, quam ab ejus successoribus exegere Imperatores pro jure hoc Confirmationis, usque ad tempora Constantini Pogonati, qui eam remisit, immo qui & ipsum remisit jus confirmationis.

XI. Objectio, ejusque solutio. Quis author Commentarii Gregorio perperam tributi in Psalmos Pœnitentiales.

XII. XIII. XIV. Ut res se haberent in Africa & in Anglia.

I. NEc minus posuere curæ studiique Reges Italiæ & Imperatores, ut Episcopatum, & ipsius summi Pontificis Romani electionem in potestate haberent. Clero Populoque Romano studia in contraria scisso, ut suprà perstrinximus, (Suprà cap. 6) electoque ab his Symmacho, ab illis Laurentio, utrumque ad Theodoricum Regem relatum est, qui definiit, ut is vinceret, qui prior & à pluribus esset electus. Vicit ergo Symmachus, teste Anastasio in ejus vita: *Ex qua causa separatus est Clerus, & divisus est Senatus. Alii cum Symmacho erant, alii cum Laurentio. Et facta contentione, hoc construxerunt partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici.* Quarto pòst anno ea calumniarum procella impetitus est Symmachus, ut rediret Laurentius, ei Cleri pars se adglutinaret, adduceretur Theodoricus Ecclesiæ Romanæ administrationem committere Episcopo Altinensi, tanquam Visitatori. *Tunc Festus & Probinus Senatores miserunt Relationem Regi, & cœperunt agere ut visitatorem daret Rex Sedi Apostolicæ. Tunc Rex dedit Petrum Altinæ civitatis Episcopum: quod Canones prohibent.*

Concilium III. Romanum ab eodem Theodorico, permittente Symmacho convocatum est, ad criminationes excutiendas, quibus incessebatur Symmachus: *[illegible]* *præsumpsit.* Contestabatur vicissim Theodoricus nihil ad se in rebus Ecclesiasticis præter religionem pertinere. (Synod. III. Rom.) *Respondit Rex in Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere.* Denique Synodi sententia, quam ei Rex liberam permiserat, restitutus est Symmachus toti Pontificalis authoritatis amplitudini. *Secundum principalia præcepta, quæ nostræ hoc tribuunt potestati, ei quidquid Ecclesiastici intra sacram urbem Romam vel foris juris est, reformamus.* Disertis verbis professus est Theodoricus, scripta ad Concilium Epistola, non potuisse se Judicis partes sustinere in causa merè Ecclesiastica. *Si mihi visum fuisset, aut justitia habuisset, ut ego debuissem audire cum Proceribus Palatii mei, potueram tractare, quomodo & Deo placuisset, & posteritati ingratum non fuisset. Sed quia causa est Dei & Clericorum, ideoque modo ad petitionem Senatûs & Cleri, ex diversis civitatibus convenere Antistites, &c.*

II. Aliquantò antè Odoacer Rex Theodorici præcessor Edicto publicato vetuerat, ne novus se inconsulto Pontifex eligeretur post mortem Simplicii Papæ; & à Simplicio ipso exoratum se affirmaverat, ut hoc Edictum promulgaret ad compescendas eas tumultuationes, quibus electiones plerumque fœdabantur. *Hoc nobis meministis sub obtestatione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum & venerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce migrare contigerit, non sine nostra consultatione cujuslibet celebraretur electio.* Id decretum protritibi fecit Symmachus cum nonnullis aliis ejusdem Edicti clausulis in Concilio IV Romano, ubi luculentè à Tudertino Episcopo declaratum est, ita obteri & conculcari leges omnes canonicas, cùm electiones Laïcorum potestati subjicerentur, ab eisque excluderentur Clerici, quorum & sapientia uberior, & incorruptiora studia ad bonos Pastores deligendos. *Perpendat Synodus, ut prætermissis personis Religiosis, quibus maximè cura est de tanto Pontifice, electionem Laici in suam redegerint potestatem, quod contra Canones esse manifestum est.* (Synod. IV. Rom. sub Symmac.)

III. Primi hi fuere & veluti prælusorii conatus, ut in Italiæ Regum potestatem devolveretur Romanorum Pontificum electio. Sed ea quidem tum abrupta & dissipata sunt consilia, diutinis cruentisque Odoacrum inter & Theodoricum Regem bellis, quibus Theodorico tandem parta est victoria, Italia subjugata. Felix, Gelasius & Anastasius post Symplicium electi fuere, liberis secundùm Canones Cleri Populique suffragiis. Eo schismate quo vexata sunt Symmachi Papæ exordia, opportuna porrigebatur ansa Theodorico Regi, vendicandæ sibi totius in electionem Papæ potestatis. Sed maluit ille præstantissimus & consultissimus Rex, unam si excipias Arianæ vesaniæ contagionem; maluit, inquam, justitia & pietate, quàm potestatis incremento clarescere: & cum Episcopis non aliter quàm moderatione & mutua certare reverentia. Hinc est quòd Symmachus Papa Edictum Odoacris de alienatione rerum Ecclesiæ acerbissimè insectatus, levissimè perstrinxit, quod ad electiones Pontificum pertinebat. Theodoricus non armis quàm humanitate & obsequiis in Episcopos invictior, post Symmachi mortem Hormisdam Papam, & post Hormisdam Joannem canonica libertate eligi permisit. Sed ubi nec vera fides, nec religio constat, quæ potest esse cujuscumque virtutis constantia? Post Joannis Papæ obitum Theodoricus bimestres concertationes terminavit, prætermisso eo cui plura aspirabant suffragia, & electo Felice,

cui virtutum laude in Clero Romano nemo par, nemo secundus erat.

Sævire & vivere desiit tandem Theodoricus, cuique Athalaricus ex filia nepos successit, à quo statim congratulatoriæ ad Senatum Romanum litteræ datæ sunt, quòd nominationi Felicis assensus tandem esset. Nec enim fas esse à judicio & voluntate Principis dissidere. *Gratissimo profitemur animo, quod gloriosi domini avi nostri respondistis in Episcopatus electione judicio: Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri.* Eligi non potuisse, cui plura virtutum inessent ac meritorum momenta: *Qui sapienti deliberatione pertractans, quamvis in aliena religione, talem visus est elegisse, ut nulli merito debeat displicere.* Denique Principi cedere & obsequi, non pudoris materiam esse, sed gloriæ cumulum. *Pudorem non habeat victi, cujus votum contigit à Principe superari.*

Cassiod. l. 8. Epist. 15.

Post Felicis obitum fœdum schisma rursus erupit inter Bonifacium & Dioscorum. An ea eo id emerserit, quòd Athalaricus Pontificem obtrudere tentarit, omnino non constat. Post Bonifacii obitum Joannes & Agapetus sedem Apostolicam obtinuere inconsultis Gotthis Regibus, qui & ipsi variis alibi bellis distinebantur. At postquam Agapetus Constantinopoli mortem obiit, Sylverius Hormisdæ Papæ filius à Theodato Gotthorum Rege Pontifex creatus est, ne umbra quidem electionis adhibita, quin & intentata morte, siqui voluntati Regiæ reniterentur. *Hic levatus est à tyranno Theodato, sine deliberatione decreti. Qui Theodatus corruptus pecunia data, talem timorem indixit Clero, ut qui non consentirent in ejus ordinatione, gladio punirentur.* Sylverio verò jam Apostolicum thronum insidenti assensus est tum demum Clerus Romanus, ratumque jussit esse, quod irritare non dabatur. *Jam autem ordinato Sylverio, sub vi & metu, propter adunationem Ecclesiæ & Religionis, postmodum subscripserunt Presbyteri.* Ita Anastasius Bibliothecarius in Sylverio.

Anast. Bibl. in Sylverio.

IV. Vides hic fontem alium ejus audaciæ inusitatissimæ, qua Reges Italiæ in electionem Romanorum Pontificum invaserunt, ipsorum quidem avaritiam, Clericorum autem simoniacorum ambitionem, qui sacrosanctam & tremendam dignitatem licitabantur. Nec à veri specie illud distat, Theodatum occupare voluisse electionem Papæ, quam suspicabatur Constantinopoli faciendam. Perhibet enimvero Liberatus Theodoram Imperatricem Vigilio Agapeti Diacono faces subdidisse desponso Romano Pontificatu, ostensa & ingenti pecunia, si modò adduceretur, ubi creatus fuisset Pontifex, ut Concilium Calchedonense damnaret, & Anthimum restitueret sedi Constantinopolitanæ. Assensus est tum quidem Vigilius, Romamque advolavit, diplomate munitus, quo Petri sedi intruderetur; at Sylverium invenit jam ordinatum. *Promittens ei dare Præceptum ad Belisarium, ut Papa ordinaretur, & auri centenaria septem.* Non paulò gravioris flagitii conscius Vigilius, qui accepit, quam Sylverius qui dedit pecuniam, ut Pontifex fieret: sed uterque ipsa mox sedis Petri sanctitate occupatus subactusque, & in alium virum demutatus, culpam expiavit, alter martyrio, alter ea infracti animi constantia inter persecutionum sævissimas procellas, quæ martyrium posset exæquare. Jussus ab Imperatrice Belisarius Sylverio in exilium amandato, Vigilium sedi Apostolicæ intrusit, frustra tentato & ad electionem ejus sollicitato Clero. *Belisarius convocatis Presbyteris & Diaconibus & Clericis omnibus, mandavit eis, ut alium sibi Papam eligerent. Quibus dubitantibus, & nonnullis ridentibus, favore Belisarii ordinatus est Vigilius.* Quàm fœda amborum Pontificum istorum primordia, tam præclara fuere incrementa, exitus sanctitatis gloria splendidissimus. Deportato Vigilio ex occasione Trium Capitulorum & Concilii V. Generalis, Justinianus Imperator optionem fecit Cleri Romani parti, quæ tunc Constantinopoli versabatur, an Vigilium recuperare mallent, an Pelagium eligere Archidiaconum. Illi Vigilium restitui postularunt, eoque excedente tum demum se ex ejus mandato in Pelagium consensuros. Audiendus hic Anastasius Bibliothecarius in Vigilio: *Dixit Imperator: Vultis recipere Vigilium, ut fuit Papa vester? Gratias ago. Minusne? Hic habetis Archidiaconum vestrum Pelagium, & manus mea erit vobiscum. Responderunt omnes, Restitue nobis modò Vigilium, & quando eum voluerit Deus transire de hoc sæculo, tunc vestra præceptione nobis donetur Pelagius Archidiaconus noster.* Ita Pelagius Pontificatum consecutus est, usque adeo vel exulceratis, vel certè alienatis omnium ab eo animis, ut vix duo potuerint adduci Episcopi, qui illum ordinarent.

Liberat. c. 22.

V. Exhinc autem cum victricibus Belisarii armis, & occasu Gotthicæ Monarchiæ Imperatores Italiæ universæ, Romæque Urbis principatum recepissent, jam nemo jure dubitarit, quin electio Romanorum Pontificum ad eos magna ea parte spectarit. Eò pertinet & quod narrat Anastasius in Pelagio II. ordinatum eum fuisse absque mandato Imperatoris, quod tum à Longobardis circumvallata esset civitas Romana, & tota Italia eorundem populationibus devastaretur. *Hic ordinatur absque jussione Principis, eo quòd Longobardi obsiderent civitatem Romanam; & multa vastatio ab eis in Italia fieret.*

VI. Tentata ergo & aliquando usurpata fuerat à Regibus Gotthis Papæ eligendi potestas, nunquam satis fixa aut firmata: ut quæ bis terve duntaxat eruperit ex occasione tumultuosarum electionum, & grassantis Clericorum quandoque ambitionis. At illam sibi jam successoribusque suis Justinianus, quasi certo & constantissimo jure vindicavit: ut nec Romæ deinceps, nec in famosioribus aliis Italiæ urbibus Episcopi crearentur ulli, nisi quos Constantinopolitanus Imperator confirmasset. Perspicuè id astruitur ex Epistola Pelagii I. ab Holstenio publicata, qua Patricio Valeriano mandat, ut manus injiciat Pseudoepiscopo Aquileiensi, & ei qui eum ordinarat Metropolitano Mediolanensi, utque refrigescere ne sineret eum pietatis zelum, quo olim exarserat, etiam tum cum Totila Italiam popularetur, prohibueratque ne Mediolani Episcopus eligeretur, nisi priùs ad Imperatorem rescripsisset, rescissetque ejus voluntatem: acciveratque Ravennam, tum Episcopum ordinandum, tum ordinatorem ejus futurum. *Non antè tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, nisi ad clementissimum Principem exinde retulissetis, & quid fieri debuisset, ejus iterum scriptis recognovissetis, & inter ubique ferventes hostes, Ravennam tamen, & is qui ordinabatur, & is qui ordinaturus erat providentia culminis vestri deducti sunt.* Quæ omnia repetuntur in Epistola III. ejusdem Pontificis ad Narsetem Patricium & Ducem in Italia.

Collect. Romana Holsten. pag. 227. 231.

VII. Quàm sæpiùs interruptam arripuerant Reges Italiæ, confirmandi, aut etiam eligendi Romani Præsulis facultatem, eam dixi stabilem jam & perpetuam penes Imperatores Constantinopolitanos fuisse, & quasi certo jure ratam, nimirum

indulgentiæ & tolerantiæ. Id dilucidè patet ex hac Pelagii I. Epistola. Patuit rursus ex crebra dispensatione Cleri Romani, posteriori suo consensu, & indulgentia tum necessaria ratas habentis promotiones, quæ per sese invalidæ & cassæ erant. Patet denique ex ipsius Gregorii Magni electione, quam ipsemet frustrare conatus est, intercedendo ne Mauritius Imperator assentiretur. Sed vel hoc postremo exemplo rursum patet certam quidem sibi ejus juris possessionem adseruisse Constantinopolitanos Imperatores, sed modestiæ & temperamenti plurimum in eo exercendo adhibuisse. Nihil enim prorsus delibarunt de libertate ea suffragiorum, qua gaudebant jam olim Clerus, Senatus, populusque Romanus, servato sibi dumtaxat jure confirmandi ejus, qui electus fuisset, antequam ordinaretur. Accipe Joannis Diaconi verba de electione Gregorii Papæ.
L. 1 Ep. 39. 40. *Gregorium licèt totis viribus renitentem, Clerus, Senatus, Populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem evitare decernens, &c. At ubi decretum generalitatis evadere nequivit, consensurum se tandem aliquando simulavit. & Imperatori Mauritio, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, latenter litteras destinavit, adjurans & multa prece deposcens, ne unquam assensum populis præberet.* Confirmata nihilominus est ab Imperatore Gregorii electio. *Data præceptione ipsum ordinari præcepit.*

VIII. Hic porro ex Joannis Diaconi verbis duo quædam emicant, quæ sedulò observasse juvet. Primum est, libera semper suffragia sua ad Pontificis electionem contulisse Clerum, Senatum & Populum Romanum, nec vel tantillas ab Imperatoribus moras injectas fuisse. Alterum est, non aliud quidem Imperatores, quàm confirmasse electionem, sed ita tamen, ut si electum abjecissent, alius fuerit eligendus. Ita manifestè Gregorius persuasum habebat, cùm Mauricium dehortabatur, ne assensum electioni suæ accommodaret. Audiendus ipse est in Epistola hujus argumenti, ubi & illud mirari libet, quàm modicè, quàm parcè, quàm religiosè disserat de ea usurpata ab Imperatoribus confir-
L. 1. Ep. 5. mandæ summi Pontificis electionis potestate. *Ecce Serenissimus Dominus Imperator fieri simiam Leonem jussit. Et quidem pro jussione illius, vocari leo potest, fieri autem leo non potest. Inde necesse est, ut omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit.* Ea confirmatione Imperator, peræquè ut nominatione, recipiebat in se quidquid peccatum fuisset ab indigno Pastore, siquem non abjecisset.

IX. His verò jam Joannis Diaconi, quàm Gregorii ipsius verbis non oscitanter expensis, facilè colligitur imputandum Gregorio non esse Com-
In Psal. 5. Pœnit. mentarium in septem Psalmos Pœnitentiæ, qui ejus tamen nomine circumfertur: cùm evidentissimè ab ejus ingenio abhorreant inflammata illa & aculeata dicta in Imperatores avaritiæ servientes, simoniacos, tyrannicæque potestatis in Romanam Ecclesiam usurpatores. Ab ingenio & moribus Gregorii alibi spectatissimis, ne fingi quidem alienius quidquam poterat. Observantissimus ille semper fuit Imperatorum, verbis semper eos honorificentissimis prosecutus, & obsequii ac modestiæ plenissimis, de hoc confirmandi Pontifices jure Imperatorio conquestus nusquam est. Ne illud quidem satis liquet, an ejus ævo pecuniæ aliquid & census solveretur Imperatoribus propter illam confirmationem. Satis probabiliter alii eum Commentarium Gregorio VII. ascribunt; alii Abbati Bonævallensi in Carnutibus.

X. Ei quidem pecuniæ pensioni parum Canonicæ obnoxii fuere Romani Pontifices, qui Gregorio successere, usque ad Imperium Constantini Pogonati, qui fœdæ servitutis dedecus à Romanæ Ecclesiæ cervicibus excussit, remissa pensione, servata confirmatione electi Pontificis. Admovendæ hic aures Anastasiu in vita Agathonis Papæ: *Hic accepit divalem jussionem, secundùm suam postulationem, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari, pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen ut si contigerit post ejus transitum, electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi priùs decretum generale introducatur in Regiam urbem, secundùm antiquam consuetudinem, & cum eorum conscientia & jussione debeat ordinatio provenire.* Ulterius effusa est Pogonati pietas sub Pontificatu postea Benedicti II. ubi confirmationis quoque jure se posterosque abdicavit, scriptis ad Clerum, Populum & Exercitum litteris, ut electus semel Pontifex statim ordinaretur. *Concessit, ut electus è vestigio absque tarditate Pontifex ordinetur.* Ita Anastasius Bibliothecarius, à quo perhibetur Joannes V. eo Beneficio primùm usus: *Hic post multorum Pontificum tempora, juxta priscam consuetudinem, &c.* Successor ei datus Conon, in cujus electione tumultuatus Exercitus, in causa fuit, ut ad Exarchum recurreretur, & inde mos authoritasque invaluit interpellandi Exarchi. Ita enim interpretandus videtur Anastasius: *Ad excellentissimum Theodorum Exarchum, ut mos est, direxerunt.* Non ait, *ut mos erat*, tunc enim tantùm cœpta, vel innovata ea est consuetudo.

XI. In Epistola quidem Athalarici Regis ad Joannem Papam apud Cassiodorum, præfinitur certa pecuniæ summa, quæ ubi duo à dissidentibus electi sunt, in Palatio Principis in expensas consumenda ab iis sit ad causæ definitionem. Sed ea sunt partium necessariæ impensæ in litis cujusque suæ persecutione. Non facilè ergo deprehendi possunt initia pecuniariæ illius pensionis, quam remisit Pogonatus. Sed facillimè intelligitur Commentarium in Psalmos Pœnitentiæ Gregorio VII. aut ejus temporibus meliùs, quàm Magno concinere. Verè enim turpissimæ servitutis jugo gravabatur Romana sub Gregorio VII. Ecclesia: unde illius tam crebræ querelæ, tam justæ molitiones ad illud excutiendum. Aggerabo & alias proximo capite Epistolas Gregorii Magni, quibus manifestius adhuc fiat, nunquam tam immodicè eum doluisse, nunquam acerbius quidquam effudisse de potestate, quam sibi sumpserant Imperatores confirmandæ electionis Pontificiæ, nunquam de exactione pecuniæ expostulasse, cùm toties & tam vehementer exarserit in simoniacas Ordinationes.

XII. Veniam ad Græcos, ubi de Afris aliquid cursim delibavero. Gensericus Vandalorum Rex, non tam edomita, quàm obtrita; non subacta, sed conculcata Africa, pulsis in exilium Episcopis Catholicis, nec alios ordinari sinens, precibus tamen Valentiniani Imperatoris id donavit, ut Carthagine Deogratias Episcopus ordinaretur. *Factum est supplicante Valentiniano Augusto, Carthaginensi Ecclesia post longum silentium desolationis, Episcopum ordinari, nomine Deogratias.* Ea sunt verba Victoris Vitensis L. 1. in historia Vandalicæ persecutionis. Triennio pòst vivere & præesse desiit Carthaginensis Episcopus, nec deinceps creati sunt Episcopi ulli in Provincia Africa Proconsulari. Ita numerus Episcoporum, qui centum sexaginta quatuor fuerant, ad tres redactus est. Genserico successit Hunericus filius, & L. 2.

hic quoque Zenoni Imperatori illud, & Imperatrici Placidiæ indulsit, ut Episcopus in sede Carthaginensi collocaretur, quæ annos jam viginti quatuor vacua squallebat. Verùm eam ille cautionem adjecit, ut sineret vicissim Imperator Arianos, toto qua longè latéque patebat Imperio, plena Religionis libertate frui. Ibidem. Intercessere Episcopi, ne tanto universæ Ecclesiæ detrimento Episcopus Carthagine crearetur. At verò tam impotenter efferbuit plebs, ut incunctanter ad electionem & ad suffragia iretur, ut ne differre quidem rem, nedum prohibere potuerint Episcopi.

XIII. Id certè providæ dispensationi adscribendum est, non ignaviæ & timori, quòd tanto tempore Episcopi Africani Ecclesias suas passi sint viduas gemere & mœrore confici, quamdiu conjurati Christianæ rei & Ecclesiæ hostes Episcopos novos vetabant subrogari. Sed non eadem semper placent Christi Ministris, quia non eadem semper expediunt Christi Ecclesiæ. Aliàs alia tentantur & procedunt remedia. Nihil non experitur ingeniosa & infatigata Christi charitas. Inde est quod Episcopi Afri statuerunt tandem aliquando, cælesti magis, quàm terreno parere Regi, & omnibus Africanis Ecclesiis Episcopos donare; ea nimirum spe ducti, ut aut iram Vandali Regis pòst emollirent, aut Martyres haberet Ecclesia, quæ non posset Episcopos. Decerpta hæc sunt ex Ferrando Diacono, in ea quam exaravit vita B. Fulgentii Ruspeosis Episcopi, qui unus ex eo fu[illegible]beato Episcoporum Collegio, qui electi fuere, incertum, ad Episcopatum, an ad martyrium. *Postquam verò sacra turba* Cap 16 17. *Pontificum qui remanserant, communicato inter se consilio definierunt, adversùs præceptum Regis in omnibus locis ordinationes celebrare Pontificum: cogitantes, aut Regis iracundiam, si qua forsitan existeret, aut si persecutionis violentia nasceretur, coronandos etiam fidei confessione, quos dignos inveniebant promotione.* Primate, seu Metropolitano concedente, ut vi Fulgentius è Monasterio suo abstraheretur, *Violenta multitudinis manu invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex esse non rogatur, sed cogitur.* Hildericus qui Hunerico successerat, hos omnes Episcopos deportavit: sed qui in locum postea ejus adscitus est Trasamundus, clementia maluit regnum suum commendari, & electiones ordinationesque tota & antiqua prorsus libertate celebrari permisit. *Cunctis-* Ibid c. 18. *que in locis ordinationes Pontificum fieri clementissima authoritate mandavit.*

L. 5. c. 20. XIV. Ne prorsus obmutescat Anglia, unum hoc ex Beda proferam, à Rege Alfredo missum in Gallias Vilfridum, quem jam fecerat ordinari Presbyterum, ut Gallicanis ab Episcopis ordinaretur. Eodem ipso tempore Ceadda creatus est Eboracensis Episcopus, jussu Regis Osuvi, *Jubente Rege.* Lubens omitto exempla id genus alia.

CAPUT XVII. *P. 2. l. 2. c. 37.*

De potestate Imperatorum in electionibus Orientalibus sæculo VI. VII. & VIII.

I. Exempla duo, ubi placidè refert Gregorius, intervenire Imperatorem & præcepta dare de Episcopatu.

II. Laudat Gregorius Imperatorem, quòd Patriarcham creaverit Cyriacum.

III. IV. Jamdiu ante ea tempora Imperatorum eximia quædam erat potestas in electionibus Patriarcharum, qui eligebantur tamen

V. VI. Novis id astruitur argumentis.

VII. Cùm cæteræ Patriarchalium Ecclesiarum civitates in Sarracenorum potestatem venissent, earum Patriarchæ à Principe Sarraceno confirmabantur.

VIII. Rursum probatur non ita intervenisse Imperatores electionibus, ut eligendi ...tas eliminaretur.

IX. Ad Heraclium Imperatorem recurritur, ut cogatur Joannes Eleemosynarius electioni suæ assentiri, in Patriarcham Alexandrinum.

X. Variæ nominationes Imperatorum, ubi tamen quandoque indultum est libertati.

I. EXtremam ut manum adjiciamus hujus medii ævi electionibus, Orientales hoc capite omnes Ecclesias complectemur. Auspicabimur verò à Gregorio Magno, qui cùm iniquo ferret animo ordinationem Maximi in Metropoli Salonensi, cui illum minùs idoneum sentiebat, monuit eum per litteras, Præceptum Imperatorium, quo fidebat, aut subrepititium esse, aut commentitium; propterea qoòd is esset Imperator, qui lubens causis Ecclesiasticis abstineret, ne alienis implicaret se peccatis; denique tandiu illum suspendit, & Episcopos à quibus ordinatus fuerat, dum sibi certa fides constaret ejus præcepti seu diplomatis Imperatorii. *Cognovimus quod vel surrepta vel simulata piissimorum Principum jussione, dum vita dignus non fueris, te sacerdotii Ordinem cunctis venerabilem præripuisse. Quod nos ideo sine ulla hæsitatione credidimus, quia vitam ætatemque tuam non habemus incognitam. Ac deinde quia serenissimi domini Imperatoris animum non ignoramus, quod se in causis Sacerdotalibus miscere non soleat, ne nostris in aliquo peccatis gravetur, &c. Præcipimus, ut usque dum dominicis, vel Responsalis nostri apicibus cognoverimus, quòd non subreptitia, sed vera fueris jussione ordinatus, nullatenus tu, Ordinatoresque tui quidquam præsumatis Sacerdotalis officii.* L. 3. Ep 20.

Notoria Maximi indignitas & imperitia satis argumenti habebat, ut augurarètur Gregorius diploma ejusmodi aut fictitium esse, aut surreptum. Aliàs enim idem Pontifex Joannem Episcopum Primæ Justinianæ tum demum confirmavit, ubi rescivit electum eum fuisse consenso Episcoporum Provinciæ & voluntate Imperatoris. Vide ut ad Episcopos Illyrici ea de re scripserit. *Quia in persona Joannis fratris & Coëpiscopi nostri consensum omnium vestrûm, & serenissimi Principis convenisse cognovimus voluntatem, &c. juxta postulationis vestræ desiderium, prædictum fratrem & Coëpiscopum nostrum nostri assensûs authoritate firmamus, &c.* Tondem penè verbis ad Joannem ipsum Archiepiscopum scriptum sit. L. 4. Ep. 7. 8. *Quia suscepta fratrum & Coëpiscoporum nostrorum relatio ad locum vos sacerdotii, totius Concilii unito consensu, & serenissimi Principis declarat voluntate accersiri, gratias Deo retulimus.*

II. Nec minùs studiosè gratulatus est Gregorius Mauritio Imperatori de electione Cyriaci Episcopi Constantinopolitani, quàm si unus suo ipsum suffragio elegisset. Commendat illum, quòd diu libravit consilium, quòd multorum sententiam sciscitatus sit, quòd anxiè in primis & piè scrutatus sit Dei voluntatem: quòd denique longa hac curarum & sapientiæ meditatione Patriarcham ipse quodammodo genuerit. *Non enim parva potuit esse mercedis, quod Joanne sanctæ memoriæ de hac luce subtracto, ad ordinandum Sacerdotem pietas vestra diu hæsitavit, tempus paulò longius distulit, cum metu omnipotentis Domini consilium quæsivit, ut videlicet causa Dei cum magno debuisset timore disponi. Unde & aptum valde existere in Pastorali regimine fratrem & consacerdotem meum Cyriacum existimo, quem ad eundem ordinem* L. 6. Ep. 6.

pietatis vestræ consilia longa genuerunt.

III. Si superiora revolvamus sæcula, occurret nobis tempore Hormisdæ Papæ Paulus Constantinopolitanus Presbyter Antiochena sede sublimatus, testimonio maximè Justini Imperatoris, virtutibus ejus palam suffragantis. Dioscorus Diaconus, qui tum Constantinopoli versabatur, & tunc jussu Papæ prohibuit, ne novus hic Antiochenus Patriarcha Constantinopoli ordinaretur, ea de electione in hæc verba Hormisdæ scripsit: *Antiochena Ecclesia ordinata est, electus est Paulus Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quem huic honori aptissimum Imperatoris testimonio comprobatum est.* Verùm in alia ejusdem Dioscori, & duorum Episcoporum relatione apertè prædicatur Imperator eum Patriarcham nominasse. *Post multas afflictiones & pene in tres menses à partibus protracta certamina, piissimus Imperator sua authoritate Paulum Presbyterum de Ecclesia Constantinopolitana elegit Episcopum fieri in Ecclesia Antiochena.* Ubi vides penè necessariò eum intervenisse Principem, cùm non aliter ambitiosorum hominum dissidia componi, aut dirimi possent.

Post Epist. 65. Hormisd.

IV. Vigebant ergo semper electiones, sed præter Populum, Clerum & Episcopos, eis se interponebant etiam Proceres Palatii, & Imperatores ipsi. Joanne Patriarcha Constantinopolitano in beatæ pacis Patriam hinc avecto, postquam conciliandæ Ecclesiis paci multùm insudasset, in ejus sedem suffectus est Epiphanius, cum assensu Imperatoris Augusti & Augustæ, Optimatum & Episcoporum. De eo Synodus Constantinopolitana Hormisdam Papam ejus rei his verbis certiorem fecit. *Unde secundum rectam Christianissimi nostri Principis, & piissimæ Reginæ, & gloriosissimorum communis Reipublicæ Procerum sententiam, nostra quoque etiam omnium in hac urbe habitantium testificatione, &c.* Scripsit & ipse Epiphanius ad Hormisdam, Clerum, Monachos Populumque assensu suo confirmasse electionem, quo Imperatores & Optimates ipsum provexerant. *Deus qui Sedem Episcopalem urbis Regiæ mihi conferre dignatus est, sententia & electione Christianissimi Principis Justini, & piissimæ Reginæ, quæ ei ad omne studium communicat divinum, sequentiumque eorum, his quibus est bona conversatio, & qui Regiis honoribus sunt sublimiores, simul & Sacerdotum & Monachorum & fidelissimæ plebis consensus accessit.* Rescripsit Pontifex incredibili quodam gaudio exhilaratum se fuisse tescita ea electione.

Post Epist. 70 Horm.

Post Epist. 71. Hormisd.

Epist. 76.

V. In Concilio Constantinopolitano sub Agapeto & Mena perlectus est libellus supplex Monachorum ad Patriarcham Constantinopolitanum Menam, Concilii hujus Præsidem: in eo autem electio Patriarchæ Menæ suffragationi tribuitur Imperatorum, Cleri, Magnatum, Monachorum, Populi. *Vestram verò Beatitudinem in Pontificem ordinavit secundùm electionem & sententiam, κατ' ἐκλογὴν καὶ ψῆφον, piissimorum Imperatorum, & venerabilis Cleri hujus sanctissimæ Ecclesiæ, & Christo amantissimorum virorum in diversis Dignitatibus & Principatibus existentium, & nostram, & pariter omnium fidelium Christianorum.*

Act. 1.

Agapetus ipse Papa, qui exanthorato Antimo Menam ordinavit, idem testatum fecit: *Cui licèt præter cæteros serenissimorum Imperatorum electio arriserit, similiter tamen & totius Cleri ac Populi consensus accessit, ut & à singulis eligi crederetur.* Post mortem Menæ Eutychius virtutum gloria celeberrimus à Justiniano Imperatore electus est, cui Clerus & Senatus lubentissimè vota sua accommodarunt. *Sancto Clero sacroque Senatui liberè consilium suum exposuit Christi studiosissimus Imperator, &c. Omnes conclamarunt, Dignus est, dignus est.*

Ibidem. Baron. an. 536. n. 29.

Vita Eutyc. c. 29. apud Surium die 6. April.

VI. Nec arctioribus se finibus cohibebat Imperatorum authoritas in aliis deligendis Patriarchis. Postquam Antiocheno Patriarchatu exturbatus est Macarius in VI. Synodo Generali, Episcopi ejus Patriarchatûs & Clerici Antiocheni expetiere ut Imperator quamprimùm provideret Sedi vacuæ, neu diu viduam sineret squallere. Ita enim habent Acta ejusdem Synodi VI. *Reverendissimi Episcopi ac venerabiles Clerici, qui sub Sede sunt Antiochiæ civitatis, accedentes ad gloriosissimos Judices dixerunt, Petimus vestram gloriam suggerere piissimo Imperatori, alterum pro Macario ad Pontificalem Sedem Antiochiæ providere, ut non sit vidua hujusmodi Sedes.* In eodem Concilio recitatum est Scriptum Patriarchæ Alexandrini Cyri, cujus ea ipsa inscriptione enitescit par authoritas Imperatorum. *Satisfactio facta à Cyro, misericordiâ Dei Episcopo, per divinam sanctionem benignissimorum & triumphatorum dominorum nostrorum, obtinente locum Apostolicæ Sedis Alexandriæ.*

Act. 12.

Act. 13.

VII. Postquam hæ verò Provinciæ in ditionem venere Sarracenorum, illud idem jus confirmandorum Patriarcharum integrum sibi servari voluere Principes Sarraceni. Narrat Theophanes sub Imperio Constantini Copronymi, cùm Maruam Damascum occupasset & finitimas regiones, confirmatam ab eo fuisse Antiocheni Patriarchæ electionem à Christianis celebratam. *Hoc anno 736. Maruam Christianis postulantibus, Theophylactum Presbyterum Edessenum Antiochiæ Patriarcham, post Stephani obitum ordinari permisit, eundemque publicis litteris honorificè ab Arabibus salutari sanxit.*

VIII. Episcopatibus aliis in omnibus fiebant electiones, ut jam ostensum est à nobis ex Novellis Justiniani Constitutionibus. Fiebant & Constantinopoli, Alexandriæ & Antiochiæ, ubi paulò plura sibi licere volebant Imperatores. Quæ de Patriarchis modò diximus, ea abundè demonstrant, ad Patriarcharum etiam electiones aliquid fuisse momenti in suffragiis Cleri, Senatûs & Populi, sive à se electum peterent ab Imperatore confirmari, sive electum ab Imperatore consensu ipsi suo & applausu prosequerentur. Promo ejus rei exemplum & argumentum longè invictissimum. Anno 754. Constantinus Copronymus Sedi & Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfecit hominem sibi amicitia conjunctissimum, adeoque Ecclesiæ & pietatis hostem perinfensum. Scriptor vitæ & gestorum inclytissimi Martyris Stephani, id factum fuisse exclamat tyrannica vi, cùm nec Episcoporum electioni, nec Synodi examini locus datus sit ullus, nec suffragiorum libertati. *Sacri Ordinis quendam nactus, cui & nomen cum ipso idem, & eadem fidei sententia erat ei, proh scelestum facinus! Ecclesiæ curam administrationemque committit. Non Patrum electione, non Synodi examinatione, non denique canonico suffragio atque decreto, sed tyrannica potius potestate, Antistitem ipsum constituens.* Sed tum insolentissimè impudentissiméque Ecclesiæ libertati dignitatique illusum est, cum Copronymus ipse è superiori loco Pseudopontifici huic Patriarchatûs insignia & investituram contulit. *Ambo in pulpitum ascenderunt, ac deinde Imperator manibus impuris diploidem sacram homini prophano imponit, dignum Episcopatu esse clamans.*

IX. Religiosiùs antè Heraclius cum Patriarcha Alexandrino Joanne, cui ab eleemosynis cognomen

& decus sempiternum. Elegerat illum Alexandrina Civitas, & Heraclii authoritatem interpellabat, ut fugitantem cogeret acquiescere dignitati, hinc sacrosanctæ illi quidem, sed & hinc formidolosæ. *Cùm Civitas Alexandrina esset orbata Patriarchâ, ad hunc virum toto contendit desiderio, & rogabat Imperatorem, ne ipsa à suo scopo excideret, &c.* Ubi tem tentavit Heraclius, desperavit frangi à se posse Joannis sive modestiam, sive pugnacitatem; animum despondenti calcaria addidit Nicetas Patricius, persuasitque ut certamen repeteret. Paruit ille, & *majore impetu, & spiritu urgens*, vicit tandem, nec ea victoria minus Ecclesiæ profuit, quàm toties alibi debellatis hostibus imperii & pietatis.

Leontius in vita Joan. Eleem. Baron. an. 610. n. 7.

X. His exemplis alia accumulari possent, non eodem semper exitu, nun semper auspicato. Electionibus enim nunc libertas, nunc dignitas constitit sua; aliàs vis illata est; aliàs arcti limites circumscripti: nunquam tamen penitus sublatæ sunt. Justinianus Imperator Paulum nominaverat Patriarcham Alexandrinum ex Theophane & Liberato: sed pietatis instinctu excitus, ad Eutychianorum machinationes & dissensiones dissipandas. Justinus II. plurimum deflexit à legibus Justiniani, eoque libertatem & electiones labefactavit. Author est Evagrius factas ab eo dignitates pretio distrahi solitas: *Ut ipsa etiam Sacerdotia plebeiis hominibus venalia palam exponeret*. Pyrrhus Patriarcha Sergio subrogatus est in sede Constantinopolitana ab Heraclio, ex Epitome historiæ Nicephori Patriarchæ. Ab eodem Heraclio memorat Anastasius Bibliothecarius Patriarchæ Jacobitarum Athanasio spem injectam Patriarchatûs Antiocheni, si Concilio Calchedonensi subscriberet. Ex eodem Anastasio Justinianus II. & Philippicus nonnullos nominarunt ad istiusmodi Sedes eminentissimas. Verùm tunc demum eversa protsus & oppressa est electionum libertas, cùm rerum potiti sunt Iconoclastæ Imperatores, insaniæque suæ sectatores Ecclesiis intrudere voluerunt. Ideo & in VII. Synodo, ubi restitutus est imaginum cultus, damnatæ sunt & eorum machinationes adversùs antiquissimam electionum libertatem.

L. 5. c. 1.

CAPUT XVIII. *P. 2. l. 2. c. 39.*

De Confirmatione Episcoporum per Metropolitanos, eodem ævo medio, sæculo VI. VII. & VIII.

I. II. Electiones Episcoporum à Metropolitanis confirmabantur, probatur ex Conciliis Galliæ.

III. Non confirmabat tantum Metropolitanus Suffraganeos, sed & saluberrimis instruebat preceptis.

IV. Percunctari quoque debebant Episcopi Metropolitanum in rebus dubiis.

V. Sicut & Metropolitani Papam.

VI. Iidem vigebant & in Hispania mores.

VII. Episcopi ubi ordinabantur in Civitate Metropolitana. Cur.

VIII. Concilium Toletanum XII. jus omne confirmandi Episcopos transfert ad Episcopum Toletanum.

IX. Id rursus Hispaniæ proprium quod Rex Metropolitis immineret censor, ipsi Episcopis.

X. De examine & de confirmatione Episcoporum per Metropolitanos in Italia.

XI. XII. Pulcherrima Gregorii Magni præcepta ad Suffraganeos suos Episcopos.

XIII. Justiniani Constitutio de Examine & Confirmatione Episcoporum.

I. II. PEnes Metropolitanum erat indubitatissimè potestas electos confirmandi Episcopos, cùm ille demum electioni præsideret, cùm primas in ea authoritatis partes obtineret, cùm majore suffragiorum numero victoriam ipse, majoribusque addiceret meritis, ubi votorum facta erat discessio: cùm postremò etiam absens, per litteras omnia quæ gesta fuerant firmaret & rata haberet. Ejusmodi est definitio Concilii Arelatensis II. *Episcopum sine Metropolitano, vel Epistola Metropolitani, vel tribus Comprovincialibus non liceat ordinare. Quod si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, majori numero Metropolitanus in electione consentiat.* Cui succinit Arvernum Concilium: *Episcopatum desiderans electione Clericorum vel Civium, consensu etiam Metropolitani ejusdem Provinciæ Pontifex ordinetur.* Jubet Aurelianense IV. Concilium, ut electus Episcopus propria in Civitate & Ecclesia ordinetur: si id quidem non liceat per temporis importunitatem, ut in Provincia saltem, & ab Episcopis ordinetur Provinciæ, præsente, vel authoritatem saltem suam accommodante Metropolitano. *Licèt melius esset in sua Ecclesia fieri, tamen aut sub præsentiâ Metropolitani, aut certè cum ejus authoritate intra Provinciam omnino à Comprovincialibus ordinetur.* In Concilio Parisiensi V. cassa & irrita decernitur Episcopi ordinatio, si citra Metropolitani electionem, seu confirmationem fiat: *Si absque electione Metropolitani, Cleri consensu, vel Civium, fuerit in Ecclesia intromissus, ordinatio ipsius secundùm statuta Patrum, irrita habeatur.* In Concilio denique Agathensi innodantur minori excommunicatione Episcopi, si non pareant Metropolitano, illos devocanti ad Collegarum ordinationem.

Can. 5. Can. 5. Can. 5. Can. 1. Can. 35.

III. Nec confirmabat tantùm electos Episcopos Metropolitanus, sed & sanctissimis instruebat præceptionibus ad Ecclesias suas piè administrandas. Quin & deinceps imminebat eis, ut animos adderet, ut moneret, ut excitaret, ut solaretur, ut levaret laborantes, ut in causis dubiis facem præferret. *Decrevimus ut Metropolitanus hortetur cæteros, & admoneat, & investiget, quis sit inter eos curiosus de salute populi, quisve negligens servus Dei. Statuimus quod proprium sit Metropolitano juxta Canonum statuta, subjectorum sibi Episcoporum investigare mores, & sollicitudinem circa populos, quales sint.* Summa ea est Synodicarum Constitutionum sancti Bonifacii Archiepiscopi Moguntini; quibus ea tandem memoranda subnectebatur clausula, in causis perplexis & spinosioribus, percontandum esse ab Episcopis Metropolitanum, à Metropolitanis Papam. *Omnes Episcopi debent Metropolitano, & ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere, & sic alieni fient à sanguine animarum perditarum.*

Epist. 105.

IV. Splendet & in Aviti Viennensis Metropolitani Epistolis pernecessaria hæc Episcoporum cum Metropolitano suo conjunctio & consensio. Certabant hinc & illinc observantia & modestia, obsequio & charitate. Metropolitanum suum Victurius Episcopus consulebat, ut præstitutum sibi cœlitus Oraculum, ejusque responsa, ut divina quædam edicta excipiebat: *Qui vobis constituit tenere loci principis principatum, nos voluit exequi quod præceperitis in opere; quod autem operandum est, vos jubere.* Ex adverso, immo convenienter ei moderationi responsabat Metropolitanus, ut qui sententiam suam promeret, non legem conderet: ut qui humanitate & charitate magis interrogari se consulique sentiret, quàm necessitate: *Probata summaque pietatis est, ut de causis ad Pontificium vestrum pertinentibus, meum*

Epist 14. 15.

quoque consilium consulendum esse ducatis. Quod facere vos, non, ut dixistis, ambiguitatis animo, sed dilectionis ostenditis, &c. Ego certè sinceritati vestra, quod rationabiliter credidi, quia tanti habuistis jubere, suggessi.

V. Ad eum modum ex Avito adibant Episcopi, & consultabant Metropolitanum. Vide jam ex eodem, ut Metropolitani, si qua se rerum offunderet ambiguitas, Romanum Pontificem convenirent Epistolis suis & precibus, ut eam discuteret, & Apostolicæ sedis radio caligantibus prælucceret. Epist. 36. *Quia scitis Synodalium legum esse, ut in rebus, qua ad Ecclesia statum pertinent, si quid fuerit dubitationis exortum, ad Romana Ecclesia maximum Sacerdotem, quasi ad Caput nostrum membra sequentia recurramus.* Occupabat quandoque Pontifex, & sui muneris Episcopos admonebat. Confitetur Avitus ipse mordacibus se Papæ litteris extimulatum fuisse, quòd Epist. 80. Provincialia Concilia sua cogere pigritaretur. *Nam & venerabilis Papa urbis, nobis hanc negligentiam succensentis, mordacia nonnumquam mihi scripta perlata sunt.*

VI. Nec segniores Metropolitani Hispani erant ad examinandos, confirmandosque suffraganeos, divinis deoique legibus, & canonicis institutis imbuendos. Statutum est in Concilio Tarraconensi, ut si ordinatus fuisset Episcopus, non in Metropoli, ut mos ferebat, sed alia quapiam Civitate ex consensu Metropolitani: altero post ordinationem suam mense Metropolitano se sisteret, cœlestibus ab eo mandatis informandus ad omne Episcopatûs Can. 5. sui regimen strenuè obeundum. *Siquis in Metropolitana civitate non fuerit Episcopus ordinatus, posteaquam suscepta benedictione, per Metropolitani litteras, honorem fuerit Episcopi adeptus; id optimum esse decrevimus, ut postmodum statuto tempore, id est, impletis duobus mensibus, se Metropolitani sui representet aspectibus, ut ab illo monitis Ecclesiasticis instructus, plenius, quid observare debeat, recognoscat.*

VII. Dilucidum est ex eo Canone in Hispania quidem ordinationes Episcoporum in Ecclesia Metropolitana celebrari solitas fuisse: cùm illud in Galliæ Conciliis præciperetur, ut in suis maximè Civitatibus & Ecclesiis singuli ordinarentur Episcopi. Antiquis moribus, Conciliisque magis concinebat Gallicana ea consuetudo, ut quibus placuerit extincto Episcopo cujuscumque Civitatis, in eam convolare Comprovinciales Episcopos, ut successor eligeretur, electus inennctanter ordinaretur à Metropolitano, qui electionem confirmasset, & ab Episcopis Provinciæ, qui ei duces & arbitri præfuissent. Mira verò consensio erat morum, Canonumque Hispaniæ & Galliæ, in sancienda Episcoporum observantia erga Metropolitanos, tum ut ab eis confirmarentur, tum ut regendi Episcopatûs imbuerentur necessariis præceptionibus.

VIII. Vetustissima ea Hispaniarum disciplina à Concilio Toletano XII. aliò deflexa est, translata in unum Toletanæ Ecclesiæ Metropolitanum tota potestate confirmandi Episcopales electiones, seu Regias nominationes: adeo ut jam tunc possent ita confirmati, solenni pompa inaugurari, ea tantùm ut jam diximus cautione, ut trium spatio mensium Metropolitanum adirent, qui eos sacræ disciplinæ Can. 6. legibus informaret. *Licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscumque potestas Regalis elegerit, & jam dicti Toletani Episcopi judicium dignos esse probaverit, in quibuslibet Provinciis eligere Episcopis decentibus, successores. Ita tamen ut quisquis fuerit ille ordinatus, post ordinationis sua tempus, infra trium mensium spatium, proprii Metropolitani præsentiam visurus accedat; qualiter ejus authoritate, vel disciplina instructus, condignè suscepta sedis gubernacula teneat.* Ubi planum est, electiones, sive nominationes, confirmationes, & consecrationes Episcoporum Hispaniæ Toleti celebratas fuisse, proprio Metropolitano ab iis postea religiosè invisendo & venerando. Concilium Emeritense Episcopos, qui ad Concilium non adproperassent, quo eos Metropolitanus invitasset, Pœnitentiæ subjiciebat, mandata interim Metropolitano provincia Ecclesiæ eorum administrandæ. *Cella verò & res ad eum pertinentes, quousque ille sub* Can. 4. *pænitentia fuerit, instantiâ & sollicitudine regantur, Metropolitani.*

IX. In Concilio denique Toletano IX. peculiaris hæc memoratur Hispanicarum Ecclesiarum lex & consuetudo; ut Ecclesiarum fundatores & eorum hæredes Metropolitanum moneant, an Episcopi suffraganei Ecclesiarum sui patrocinii res & bona expilari & dilapidari sinant: si ejusmodi facinore se Metropolitanus ipse contaminet, Regem faciant certiorem. *Quod si talia Episcopus agere ten-* Can. 2. *tet, Metropolitano ejus hac insinuare procurent: si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hac auditibus intimare non differant.*

X. Adeunda nunc nobis Italia, ubi Gregorius Magnus cùm Ariminensis Episcopus gravissimo dolore capitis afflictatus, in manus ejus resignasset Episcopatum, cujus munia gerere jam non posset: Clero, populoque ejus orbis concessit, ut alium sibi eligerent Episcopum: *Datis ex more præceptis Clerum, plebemque ejusdem Ecclesia non destitimus admonere, &c.* Moxque ad Metropolitanum Ravennatem litteras dedit, quibus commendabat, ut electum ad se evocaret, excuteret, examinaret, & ubi nullo capitalium flagitiorum contaminatum comperisset, tum Romam illum mitteret, ubi ordinandus erat, cum decreto electionis, & confirmationis epistola. *Hortamur, ut fraternitas vestra eum, quem* L. 7. c. 50. *uno consensu omnes elegerint, ad se faciat evocari, quem cauta ex omnibus examinatione discutite. Et si ea in eo, qua in textu heptatici morte mulctata sunt, minimè Domino fuerint opitulante reperta, atque fidelium personarum relatione, ejus vobis quidem vita placuerit, ad nos eum cum Decreti paginâ, vestra quoque additâ testificationis Epistola destinate, quatenus ejusdem à nobis Ecclesia, disponente Domino, consecretur Antistes.* Ubi perspicis alibi electum, alibi à Metropolitano suo confirmatum Episcopum, Romæ ordinari à Papa, seu Patriarcha debuisse, quòd ex Canone Nicæno ea esset Patriarcharum prærogativa, ea Romani Præsulis, ut in Suburbicariis Regionibus singulos etiam Episcopos, & aliis obnoxios Metropolitanis ordinarent.

Perspicis hic rursus ecquod examen de electo Episcopo instituendum esset. Primùm an eorum capitalium scelerum, quæ lex morte plectebat, contagio aliquo inquinatus fuisset. Rursus in omnem ejus vitam, & in pristinos mores inquirendum erat, & proborum virorum testimonia venanda. Eæ inquisitiones in cujusque patria fiebant, in domicilii loco, etsi ordinatio fieret Romæ. *Cujus vita* L. 8 Ep. 12. *vel actus, quia melius possunt illic ubi diu est conversatus, agnosci, cura tua sit cum fratre & coëpiscopo nostro Fortunato de eo diligenter inquirere.* Id perscribebat ad suum in Campania Nuntium idem Gregorius, adjuncto ei Episcopo, quocum illis inquisitionibus incumberet. Ad suum verò in insula Corsica

Defensorem idem scribebat, ut electiones in Ecclesiis Pastore orbatis acceleraret: si in plures autem scinderentur suffragia, ambos electos Romam mittere, ut utroque ad accuratissimum examen expen-
L. 9. Ep. 74. so, dignior confirmaretur. *Si in duorum se electione diviserint, similiter decretis ad nos de more factis adveniant, ut requirentes de vita, actu & moribus eorum, his qui utilior visus fuerit, ordinetur.*

Cùm Panormitani in Abbatem sanctissimum vota sua contulissent, noluit Pontifex eam electionem confirmare, ne inter inexpertas mundi illecebras & tentationes Abbatis pietas ipsius frangeretur aut intepesceret, & aliorum saluti invigilans, suæ ip-
L. 11. Ep. 14. sius jacturam faceret. *Sed quia cæteris sic est aliquis præponendus, ut dum ipse exteriùs proficit, interiùs non decrescat, quietem ipsius turbare non possumus: ne cum eum ad altiora producimus, minorem illum se ipso fieri missum in fluctibus compellamus.* Sed nec Diaconi electionem firmam ratamque esse passus est, ubi rescivit in administrando priùs Xenodochio non ea illum fuisse vel vigilantia, vel certè prudentia, vel
Ibidem. etiam integritate, quæ desideraretur. *Ut ex minimis, qualis esse posset, in maximo nesceremus.* Non de solis ergo criminibus capitalibus ex lege morte mulctandis sollicitus erat Gregorius, ut nullius eorum affines essent, quos confirmaret: sed & de minusculis etiam nævis laborabat.

XI. Quibus verò subjectos sibi Episcopos instrueret præceptionibus Gregorius, quibus correptionibus objurgaret, quibus animaret hortamentis, perinde ut rerum temporumque vices flagitabant, longiosculus sim, si hic enarrare sigillatim adgrediar. Ex his paucis reliqua omnia facile erit conjectura assequi. Audi quid ille ad Sipontinum scrip-
L. 7. Ep. 9. serit Episcopum: *Si custos Religiosi habitus, aut esse nosses Episcopus, &c. Sed quia nimia desidia ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præsens illicita impunè commissa est, &c. Quia tantum hebes, tantumque es negligens, ut nisi canonicam in te fueris coërcitionem expertus, in aliis districtionem & disciplinam nescias custodire, qualiter debeas esse sollicitus, congruo tibi, si Domino placuerit, tempore demonstrabimus. Præsentia igitur scripta suscipiens, evigila, & excitatus saltem exequere, quod pressus usque nunc ignavia distulisti.*

Nemini non jam exploratissimum est, qui Annales sacros primoribus saltem labris delibarit, inter summos sanctissimosque Pontifices Gregorium, mira quadam præcelluisse in Episcopos observantia, charitate, amorisque teneritudine. Aculeatissima tamen non immeritò videri potest hæc Epistola. Nimirum suavissima per sese est charitas; sed res cogit quandoque ut aculeos exerat, ut pungat, ut sæviat: ut columbæ, inquam, ira, ut apis mellitissimæ aculeus exeratur.

Vide ut & in Calaritanum Metropolitanum sæ-
L. 7. Ind. 2. Epist. 1. 2. viret charitas ejusdem Pontificis: *Tanta nequitia ad aures meas de tua senectute pervenit, &c.* Nec mora, statim ei significat eam esse verissimæ charitatis in loco inclementiam. *Quod objurgo, quod increpo, non ex asperitate, sed ex fraterna scito dilectione descendere. Nam dum unum in Redemptoris nostri corpore membrum sumus, sicut in culpa tua dilaceror, ita quoque & in bona actione lætificor.*

Cùm unus sit omnium Antistitum Episcopatus, singuli universorum Coëpiscoporum nævis maculantur, sauciantur vulneribus. At sacri hujus Collegii Caput tantò acerbiùs his pungitur & cruentatur, quò arctiùs singulis, quàm ipsi sibi mutuò conglutinatur.

Manabat hæc corripiendi sollicitudo à Gregorio in proximiores ei Episcopos; utputa in Episcopum Arelatensem Virgilium, Pontificias vices in Gallia gerentem, cui Sereni Episcopi Massiliensis castiga-
tionem delegavit. *Cura vobis sit, nostra hoc sic vice* L. 9. Ep. 49.
corrigere, &c. Pari vigilantia usus est ad excitandum Archiepiscopum Primæ Justinianæ, qui per Illyricum ejus fungebatur legatione. Verùm Ita-
liæ maximè Episcopis, qui plerique Romanæ Me- L. 10. e. 33.
tropoli parebant, imminebat indefessa Gregorii sollicitudo. Nuntios suos, seu Apocrisiarios quoquo versum spargebat, ut Episcoporum torporem excuteret. Vide quid ad Campaniæ Nuntium rescrip-
serit: *Nuntiatum est nobis Campaniæ Episcopos ita ne-* L. 11. Ep. 33.
gligentes existere, &c. Præcipimus ut eis à te convocatis ex nostro illos mandato districtè commoneas, quatenus desides ulteriùs esse non debeant; sed sacerdotalem se habere zelum & sollicitudinem opere doceant, atque ita vigilantes existant, ut nullus nos de eis denuo murmur exasperet.

XII. Gregorius II. Primi premens vestigia, & Vicarios Apostolicos in Bavariam ablegans, ut novos ibi conderent Episcopatus, illud in primis inculcabat, ut Metropolitanum eis præficerent, qui Caput, Magistrum, Lumen & Ducem se illis exhiberet. *Si talem reperire potueritis virum, qui possit doctrinis salutiferis, & operum exemplis, instruere sibi subditos Sacerdotes.*

XIII. Quæ toto hoc Capite executus sum, una complexus est Constitutione luculentissima Justinianus Imperator, qua docet Episcopum semel electum perlegere statim debere, & nocturna diurnaque versare manu fidei regulas & leges Ecclesiasticæ Disciplinæ: interrogari eum debere à Metropolitano, an velit, an possit eas sanctissimas regulas accuratissimè observare: si abnuat, ordinari non debere: si assentiatur, & in se recipiat, tum renuntiandum ei esse, nisi promissis stet, tum divinæ indignationi, & canonicæ vindictæ obnoxium fore; quin immo fore ut nec civilium legum pœnis subduci possit, propterea quod Imperatores eodem quo leges civiles vigore, Ecclesiasticas etiam re-
gulas donavere. *Sic constitutum, & ad Episcopatum* Novel. 6.
præparatum, competens est venerabiles & undique probatas legere regulas ante ordinationem, quas recta & inviolata nostra suscipit fides, & Catholica Dei Apostolicaque disposuit & tradidit Ecclesia. Et dum ex frequenti earum lectione transierit, qui ad ordinationem deducitur, tunc is qui ordinationem impositurus est, interroget eum, si sufficiens est custodire & agere quæ sacræ regulæ sanciverunt. Et siquidem ille declaraverit non se valere servare, nullo modo ordinationem imponi. Si verò susceperit, & dixerit, quia quantum homini possibile est, complebit hæc quæ his continentur: tunc monere eum, & dicere, quia nisi hæc observaverit, & à Deo alienus erit, & cadet à jam dato honore, & neque civiles leges delictum inultum relinquent; eò quòd à præcedentibus nos Imperatoribus, & à nobis ipsis rectè dictum est, oportere sacras regulas pro legibus valere. Et si etiam sic permanserit, causam amplectens, tunc super his professionibus, unumquemque sacram suscipere Episcopatûs ordinationem. Ea nimirum erant de quibus interrogabantur Episcopi ab examinatore Metropolitano, Fidei Catholicæ placita, & decreta morum. Ea se servaturos ubi solenniter professi erant, tum à Metropolitano confirmabantur, & manûs impositione consecrabantur. Ad hanc professionem recurret oratio, ubi confirmatio etiam illa disceptata fuerit, quæ à Primatibus, à Patriarchis, & ab ipso Papa expectabatur.

CAPUT XIX. *P. 2. l. 2. c. 40.*

Confirmatio Episcoporum à Primatibus, à Patriarchis, à Papa, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Officiosa tantum humanitatis & charitatis testificatrices erant ea Epistolæ, quas Patriarchæ ad se mutuo & ad Papam missitabant initio Episcopatûs sui.

II. Quando cœperit his addi professio, vel promissio retinendæ semper communionis Ecclesiæ Romanæ, & observantia Canonum.

III. Metropolitani, quibus proprius præerat Primas, sive Exarchus, ab eo confirmari debebant.

IV. V. Complures Metropolitani, quibus nulli erant Exarchi, à Pontifice Romano confirmandi erant.

VI. VII. VIII. Italiæ maximè Metropolitani, Ravennas, Mediolanensis, Aquileiensis.

IX. Metropolitani Galliarum, cùm Primatem seu Exarchum non haberent, non tamen à Papa, sed à Concilio Provinciali confirmabantur. Probationes.

X. Probationes aliæ. Nec dissimilis erat Angliæ consuetudo.

XI. Cur Ecclesiarum conditores hoc confirmandi jus non semper Ecclesiis suis reservarint.

XII. Nec à Vicariis Apostolicis confirmabantur Metropolitani Galliæ.

XIII. XIV. Par disciplina retinebatur in Hispania, Africaque.

XV. Cur in Africa is esset Primas, seu Metropolitanus, qui ovo, seu senio ordinationis primus esset.

XVI. XVI. An jus aliquando dixerint, egerintque prisci Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati in iis etiam quæ ordinariæ essent jurisdictionis.

I. Datis ad Romanum Pontificem Epistolis omnes Patriarchæ primitias ordinationis suæ dedicabant. Conquestus est Hormisda datis ad Epiphanium Constantinopolitanum Patriarcham litteris, quòd ab antiquissima ea consuetudine cessaret. *Decuerat siquidem, frater carissime, te Legatos ad Apostolicam Sedem inter ipsa tui Pontificatûs initia destinasse, ut & quem tibi debeamus affectum bene cognosceres, & vetusta consuetudinis formam ritè compleres.* Epist. 72.

Nihil hoc attinebat ad electionis vel ordinationis confirmationem. Officiosa ea erat omnino humanitas, & religiosæ venerationis testificatio, vel mutuò sibi inter Collegas, vel multò reverentiùs exhibita Vertici sacro hujus Collegii, atque professio fidissimæ & constantissimæ perseverantiæ suæ in unione & communione primæ Sedis, atque in Decretorum Sedis Apostolicæ, Canonumque observatione. Id docet nos Epiphanius ipse in Epistola protinus ad Hormisdam exarata. *Necessarium duxi hoc primum judicium inserere litteris meis, ut ostendam quam circa vestram Apostolicam Sedem habeo voluntatem. Est mihi oratio magnopere, uniri me vobis, & divina amplecti dogmata, quæ ex beatis & sanctis Discipulis & Apostolis Dei, præcipuè summi Petri Apostolorum Sedi sanctæ vestræ sunt tradita, & nihil eis pretiosius existimare.*

Ea est certissimè professio retinendæ constanter fidei Catholicæ & Romanæ. Jam sequitur ibidem promissio indivulsè semper inhærendi vertici unitatis Catholicæ Cathedræ Petri. *Sub me Ecclesias hoc prædico, festinant per omnia eas mihi vestra Beatitudini vinculo charitatis adunari, quas omnino oportet esse unitas & inviolabiles, & corpus unum communis Apostolicæ Ecclesiæ perpetuè custodiri.*

II. Ingenuè tamen fateri cogimur, geminæ hujus professionis exordia non ante Hormisdæ Pontificatum cœpisse, cui non alia visa sunt opportuniora adhiberi posse medicamenta Acaciani furoris schismati. Antea enim initio Pontificatûs sui Romanus Pontifex, cæterique Patriarchæ ultro citroque litteras missitabant cum Catholicæ fidei & charitatis mutuæ significatione: quod vix aut nec vix fieri poterat, quin aliqua exprimerentur Primatûs Petri supra alios vertices omnes eminentissimi documenta. At ea professio retinendæ semper constantissimè fidei, unionis & communionis Catholicæ atque Romanæ necdum expressiùs usurpabatur; ejus quippe consuetudinis initium fecit Joannes Epiphanii in Patriarchatu Constantinopolitano præcessor, cùm sese Ecclesiasque omnes Orientales Romanæ Catholicæque Ecclesiæ unitati restituit, ejuratis Eutychianæ communionis, & Acaciani schismatis reliquiis.

III. Qui Primati vel Exarcho parebant cuicumque Metropolitani, dignitatis suæ confirmationem ab eo flagitabant. Postquam Acacianum schisma ejuravit Metropolitanus Nicopolitanæ civitatis, eo officio obsequioque fungi non potuit in Exarchum Thessalonicensem, qui iisdem necdum se laqueis exuerat, & Romanæ Sedis communioni necdum fuerat redintegratus. In ea contentione Hormisda Pontifex secundùm Metropolitanum pronuntiavit, qui non antiquo derogare mori, sed contagio se adulterinæ communionis abstinere studuerat; eique detrectarat subesse Primati, qui ipse totius non pareret Primati Ecclesiæ Catholicæ. *Potuisset neglectus esse culpabilis, si unum esset inter omnes mysterium charitatis. At cùm multi se à Petri illius, qua Christus est, soliditate diviserint, quis non velit ab errantium conjunctione discerni; ut mereatur cum his qui in veritate consistunt, conjungi? Non igitur est consuetudo neglecta, sed vitata contagio.* E. ist. 2.

IV. Si quibus verò Metropolitanis nullus Primas, nullus emineret Exarchus, ii à summo Pontifice confirmandi erant, ut cui immediatè subessent. Veritus Gregorius Magnus ne Episcopi Dalmatiæ Metropolitanum sibi Maximum Salonæ ordinarent, datis ad eos litteris prohibuit, ne illum, sed ejus loco alium quemvis ordinarent, quem unanimi modò consensu elegissent. *Ex B. Petri Principis Apostolorum authoritate præcipimus, ut nulli penitus extra consensum permissionemque nostram, quantum ad Episcopatûs ordinationem pertinet, in Salonitana civitate manus præsumatis imponere, &c. Si in qualibet persona omnium voluntarius consensus accesserit, hanc à vobis ex præsentis Epistola nostra concessa licentia volumus consecrari, excepta duntaxat persona Maximi.* L. 3. Ep. 15.

Illa erat autem repudiandi Maximi causa justissima, quòd semet ipse in eam sedem intrusisset, subreptitio nixus Rescripto Imperatoris. Ubi verò rescivit Gregorius spreta prohibitione sua ordinatum fuisse Maximum, protinus illum Sacrorum celebratione interdixit, donec certior factus esset, an verè expressè illum ordinari Imperator præcepisset. E. ist. 20. *Salonitanæ civitatis Episcopus, me ac responsali meo nesciente, ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus evenit.* L. 4. Ep. 34. L. 5. Ep. 26. Cùm Nobiles Clericique penè omnes nihilominus Maximi se communioni sociassent, blandiùs quidem, sed objurgavit tamen illos ea de causa Gregorius. *Debuistis pensare Ordines vestros, & quem Sedes Apostolica repellebat, repulsum cognoscere: ut priùs, si posset, ab illatis criminibus mundaretur, & tunc ei vestra Dilectio communicaret, ne particeps obligationis ejus existeret.* Sed ubi Maximus inaudita quadam & insolentissima temeritate publicè proscindi fecit chartam, qua illum

sacris

ſacris Myſteriis celebrandis arcebat Gregorius; tum vero juſtiſſima ſanctiſſimaque indignatione inflammatus Pontifex, ne Majeſtas Apoſtolicæ ſedis vileſceret & dedecoraretur; remiſſione & indulgentia ſua, impium & nefandum facinus ulciſci ſtatuit, & ſepoſita paulisper patientia & lenitate, tota ſe juſtitiæ & zeli intrepidaque armavit fortitudine : L. 7. Ep. 1. *Quæ ſcripta mea publicè relecta, vel in civitate poſita, publicè ſcindi fecit, atque in contemptum ſedis Apoſtolicæ apertius exiliit. Quod ego qualiter patiar, ſcis, qui antè paratior ſum mori, quàm beati Petri Apoſtoli Eccleſiam meis diebus degenerare. Mores etiam meos bene cognitos habet, quia diu porto; ſed ſi ſemel deliberavero non portare, contra omnia pericula latus vado.* Denique ut invicta ſemper, ut nunquam non victrix tandem aliquando juſtitia eſt, fatigatus Maximus ſeptennii contumacia & rebellione, Ravennam ſeceſſit, publicaque ibi Pœnitentia exhauſta, enormitatem facinorum pene ſuperavit pœnitendi conſtantia. Gregorius quàm contumacibus infractum, tam reſipiſcentibus mitem ſe & humanum præſtans, Pallio illum honeſtavit tum demum, idque ad eum miſit confirmationis ſuæ ſpecimen. L. 9. Reg. ep. 7. *Motus ad miſericordiam, direxit Pallium, ad confirmationem ejuſdem Epiſcopi.*

V. Illis ipſis honoris inſignibus confirmatus eſt ab eo Joannes, Archiepiſcopus, ſeu Primas & Exarchus Juſtinianæ Primæ electus. En ejus ad Synodum Illyricanam Epiſtolæ verba : L. 4. Ep. 7. 8. *Juxta poſtulationis veſtræ deſiderium, prædictum fratrem & coëpiſcopum noſtrum, in eo in quo eſt Sacerdotii ordine conſtituimus, noſtri aſſenſus authoritate firmamus : ratamque nos ejus conſecrationem habere, dirigentes Pallium indicamus.*

VI. Si tam longinquas in regiones ſummoti Metropolitani & Archiepiſcopi, Imperioque ſubjecti Orientali, confirmandi tamen erant à Papa, quid de Italis augurandum? Cùm Clerus Mediolanenſis poſt Laurentii obitum Conſtantium Diaconum Epiſcopum elegiſſet, Joannem Subdiaconum delegavit Gregorius, qui à Mediolanenſibus quibuſdam Civibus, qui Genuam ſe receperant, an ei electioni aſſenſi eſſent, reſciret, & an qui Conſtantium elegerant, ab ſententia priore non receſſiſſent : *Siquidem in Conſtantio omnium voluntates atque conſenſum perdurare cognoſcis :* & ſiquidem ea conſtarent omnia, tum verò illum ordinari faceret ab Epiſcopis Provinciæ, convenienter vetuſtiſſimo ejus Eccleſiæ privilegio, ut ne is Metropolitanus juberetur Romam commeare, ibique ordinari. L. 3. Ep. 19. 30. 31. *Tunc eum à propriis Epiſcopis, ſicut antiquitatis mos exigit, cum noſtræ authoritatis aſſenſu, facias conſecrari. Quatenus hujuſmodi ſervata conſuetudine, & Apoſtolica ſedes proprium vigorem retineat, & a ſe conceſſa aliis jura non minuat.* Contendit his extremis verbis Pontifex, eo ſedis Apoſtolicæ Beneficio & privilegio munitam fuiſſe Eccleſiam & Provinciam Mediolanenſem, ut Metropolitanus ibidem à Comprovincialibus Epiſcopis inauguraretur, accepta priùs Romani Pontificis confirmatione. Eximius ille Conſtantii virtutum ſplendor, ejus mox fato ſuo abrepti deſiderium vehementer accendit, & luctum. Diaconus ejuſdem Eccleſiæ Deuſdedit à Mediolanenſibus electus eſt, utque ut pro more is ordinaretur, miſſus eſt à Gregorio Pantaleon Notarius : L. 8. Ep. 4. *Quis enim ut moris eſt, annuente conſenſus noſtri authoritate, faciat conſecrari :* expendendum tamen antè illi erat, an unanimi omnium aſſenſu electus eſſet, an anteacta vita criminis pura eſſet, an eæ ejus eſſent vires, opeſque animi, & virtutum, quibus tuto regenda tanta crederetur Eccleſia. *Si nihil eſt quod ei ex anteactâ vitâ criminis per ſacros poſſit Canones obviare, aut ſe ad tenendam diſciplinam, vel exhibendum regimen idoneus reperitur : atque cunctorum in ejus, ſicut ſcribitis, electione concordet aſſenſus.*

VII. Cùm propior eſſet Ravenna Civitas, electus ibi Metropolitanus Romam ordinandus ex lege & more properare cogebatur. Excuſſerunt hoc aliquando tandem jugum Ravennates Epiſcopi : at priſtina ſua jura Reſcripto Imperatorio recuperavit Leo II. ut in ejus vita perhibet Anaſtaſius Bibliothecarius. *Hujus temporibus divali juſſione clementiſſimi Principis reſtituta eſt Eccleſia Ravennas ſub ordinatione ſedis Apoſtolicæ, ut defuncto Archiepiſcopo, qui electus fuit, juxta antiquam conſuetudinem in civitatem Romanam veniat ordinandus.* Joanne Epiſcopo Ravennate hinc excedente, memorat Joannes Diaconus commendatum interim fuiſſe ejus Eccleſiæ regimen à beato Gregorio juxta antiquum morem Epiſcopo Severo, conſecratum poſtea Marinianum, L. 4. c. 3. cui demque miſſum ſit Pallium.

VIII. Decreto ſuo alligavit Gratianus Epiſto- 24. q. 1. C. Pudenda. lam Pelagii I. qua ſignificat, ex ingenti locorum diſtantia factum eſſe, ut Mediolani & Aquileiæ Metropolitanis ea facultas annueretur, ſibi ut mutuò conſecrationis munus impertirent, à Papa priùs confirmati; ita ut neuter ſubeſſet alteri, & conſecratio in ipſa conſecrandi Eccleſia celebraretur, quo faciliùs dignoſcere & ſcrutari poſſet Ordinator, numqua labes Canonicis regulis inimica, vel electionem deturparet, vel electum. *Nempè is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apoſtolico onerosum illis fuerat ordinari; ipſi ſe invicem Mediolanenſis & Aquileienſis ordinare Epiſcopi debuiſſent; ita tamen ut in ea civitate in qua erat ordinandus Epiſcopus, alterius civitatis Pontifex occurrere debuiſſet. Ut & ordinandi electio à præſenti Ordinatore, ex conſenſu univerſali Eccleſiæ, cui præficiendus erat, meliùs ac faciliùs potuiſſet agnoſci.* Conſentiunt iſta Gregorio, ſuprà aienti, hoc à ſede Apoſtolica dotatam eſſe privilegio Eccleſiam Mediolanenſem, ut ejus Metropolitanus ordinaretur à Comprovincialibus Epiſcopis. Aliis viſum eſt, ex eo quòd Mediolanenſis Civitas Caput ſit Diœceſeos Italicæ, in duas Provincias ſectæ, penes Mediolanenſem jus fuiſſe ordinandi Aquileienſis Metropolitani : ſi viciſſim autem ab eo ipſe ordinaretur, id eo proficiſci, quòd Aquileienſis primus ſit Epiſcoporum Mediolanenſi obnoxiorum.

Ei conjecturæ non eſt quod repugnemus, ſi modò ea concilietur cum Decretis Pelagii & Gregorii ſuprà relatis. Potuere enim priſci Pontifices, cùm ſuum illud ordinandi jus remiſerunt, ejus civilis diſpoſitionis rationem habere, eique convenienter annuere, ut duo illi Metropolitani mutuò alter ab altero ordinarentur. Quod verò objicitur inconſulto Romano Præſule ordinatum fuiſſe B. Ambroſium, nec expectata ejus confirmatione : id faciliùs objicitur, quam probatur. Simplicianus Romanus Presbyter à Damaſo miſſus eſt ad Ambroſium, ut inter novi & inexperti Officii ambages illi præiret ac prælucerert unde de eo Auguſtinus : *Patrem in* Confeſſ. l. 8. c. 2. *accipienda gratia tua tunc Epiſcopi Ambroſii.* Hinc verò proniſſima conjectura eſt, cùm Damaſus Neophyti electionem confirmaret, Patrem illi & Magiſtrum addere debuiſſe, ut regendæ Eccleſiæ Chriſti legibus illum informaret.

Non ſaltem Petrum, Petrique ſucceſſores propiores ea fraudabis gloria, ut primos Satores fidei

Christianæ, primosque parentes & Episcopos immiserint fundandæ excolendæque ei Ecclesiæ. Porro hinc partum jus Episcopos ibi ordinandi. Ea Pontificum Romanorum authoritas in Italiæ & circumpositas et Provincias, trecentis aut ducentis annis antecessit distributionem & Notitiam Provinciarum Romani Imperii, ac Diœceseon, quæ ab Exarchis, seu civilibus, seu sacris regebantur. In confesso est eam accuratam Diœceseon Majorum descriptionem quarto demum sæculo increbuisse: at jam inde ab altero & tertio sæculo satæ propagatæque fuerant pene omnes Italiæ Ecclesiæ.

IX. Diu peregrinati nostram nunc in Galliam nos tandem referamus. Jubet Aurelianense II. Concilium anno 533. ordinari Metropolitanos ab omnibus Provinciæ Episcopis, quòd ea pervetusta sit Ecclesiæ consuetudo: *In ordinandis Metropolitanis antiquam institutionis formulam renovamus. Itaque Metropolitanus congregatis in unum omnibus Comprovincialibus Episcopis ordinetur.* Satius visum est Aurelianensi III. anno 538 à Metropolitanis aliis ordinari Metropolitanos, astantibus omnibus Provinciæ Episcopis: *Placuit, ut Metropolitani à Metropolitanis, omnibus si fieri potest, præsentibus Comprovincialibus, ordinentur: ita ut ipsi Metropolitano ordinandi privilegium maneat, quem ordinationis consuetudo requiret.* Postremis his verbis duplex sensus affingi potest; aut ut novus Metropolitanus ordinetur ab eo, qui inter Metropolitanos senior est; aut ut consecrator sit is, qui præest Metropoli omnium earum Principi, quæ cognomines sunt, & eidem Diœcesi Majori, seu Exarchatui accensentur.

Can. 7.

Can. 3.

IX. In his porro ne vestigium quidem ullum existit, ex quo suspicari possis, Galliæ Metropolitanos à Papa confirmandos fuisse. Constat quidem ex Gregorio Turonensi, Bricium Turonensem Episcopum, Salonium & Sagittarium Episcopos, Vapincensem & Ebrodunensem, provocasse ad Papam, & ab eo Sedibus suis redditos fuisse: sed nihil inde extundi potest ad confirmationem Episcoporum à Papa. Probabilius depromerentur Episcopi ii, quos idem Gregorius Turonensis author est primos ab Apostolica sede in Gallias destinatos fuisse. Conceptis enim verbis docet Gatianum primum Turonensis civitatis Episcopum sub Decio Imperatore eò missum fuisse: *Primus Gatianus Episcopus, anno Imperii Decii primo, à Romana sedis Papa transmissus est.* Alibi verò refert non Gatianum tantùm sub Decio missum esse ad Turonensem, sed & Trophimum ad Arelatensem Civitatem, Paulum ad Narbonensem, Saturninum ad Tolosanam, ad Parisiensem Dionysium, ad Arvernam Austremonium, Martialem ad Lemovicensem. Et quanquam non existimat æquè reliquos à Romania Præsulibus missos esse, atque Gatianum: simillimum tamen veri est hanc esse mentem ejus. Ebullivere ex his Gregorii Turonensis verbis infinitæ quædam inter doctos lites, & à nostro nunc quidem instituto prorsus alienæ dissensiones.

Hist. l. 2. c. 10.

L. 5. c. 20

Hist. l. 10.

L. 1. c. 30.

Unum quippe nobis sufficit, quanquam omnes Gallicanæ Ecclesiæ Primigeniam originem suam Apostolicæ Romanæ sedi acceptam referrent, quod de plerisque earum omnes, ut opinor, assentiuntur: nihil inde tamen argumenti derivari posse, ut affirmetur Metropolitanorum ordinationem eidem Sedi fuisse reservatam. Missus est enim indubitatissimè Augustinus à Gregorio Magno in Angliam, jussusque ea gente ad Christi fidem adgregata, tum verò duos ibi creare Metropolitanos, quorum alter alterum vicissim confirmaret, ordinaretque, non expectata Romanæ Sedis confirmatione. Si Gregorius ita statuit eo ævo, quo receptissimum jam erat, ut à Primate aliquo Metropolitani confirmarentur: quid ominandum nobis est de Pontificibus primorum sæculorum, cùm locorum distantia, cùm persecutorum furor liberam inter Episcopos societatem & communionem consiliorum plerumque intercipiebat? Præceptionem eam Gregorii de duobus Angliæ Metropolitanis novo robore firmavit Honorius Papa: illud præ se ferens & professus, æquum non esse, ut tantum terrarum & marium tranarent, quò Romæ ordinarentur. *Is qui superest consors ejusdem gradus, habeat potestatem alterum ordinandi, in locum ejus qui transierat, Sacerdotem: ne sit necesse pro ordinando Episcopo ad Romanam usque civitatem fatigari, per tam prolixa terrarum & maris spatia.* Ubi non obscurè innuere videtur Pontifex, cùm duas illas Metropoles sedes Romana condidisset, consentaneum fuisse, ut Metropolitani ab ea confirmarentur: sed itinerum longinquitati & difficultati datum id esse, ut jure suo Pontifices decederent.

Non aliter mihi quidem videtur sentiendum de Ecclesia Gallicana & Hispaniensi. Non aliter sentire sinit Agapetus Papa de Byzantina ipsa, in ea videlicet Epistola, quæ legitur in Concilio Constantinopolitano sub Mena. Cùm ab Agapeto enim Papa ordinatus fuisset Menas ejus Ecclesiæ Patriarchalis Episcopus, bene inde ominatur Pontifex, quòd is primus & solus esset ibi ordinatus à Successoribus Petri, post eum, quem ibi primum Petrus ipse ordinarat. *Et hoc dignitati suæ addere credimus, quod à temporibus Petri Apostoli nullum alium unquam Orientalis Ecclesia suscepit Episcopum, manibus nostræ Sedis ordinatum, &c. Ut illis ipse similis videatur, quos in his quandoque partibus ipsius Apostolorum primi electio ordinavit.* Conc. Const. sub Agape. & Mena. Act. 1.

XI. Eæ fuere conditarum primùm Ecclesiarum leges, ii primorum fundatorum mores. Non dominandi libidine, sed consulendi charitate urgebantur Apostolici illi Pontifices, ut plusculum sibi jurisdictionis retinerent in Ecclesias eas quæ proximiores essent, quàm in remotiores: quòd id ipsa flagitaret Ecclesiarum charitas, utilitasque: Pastorum verò universalium gaudium afflueret longè maximum, & gloria splendidior ex utilitate Ecclesiarum particularium.

XII. Non supersunt nisi Vicariatus Apostolici, à quibus repeti posset confirmatio, atque ordinatio Metropolitanorum. Constat quippe à Leone Magno definiente ac delineante jura Archiepiscopi Thessalonicensis, Apostolicæ sedis vices circumgestantis in Illyrico, declarari 1. Metropolitanos ejus ditioni obnoxios ab Episcopis suæ Provinciæ ordinari non posse, nisi ab eo examinentur priùs, & confirmentur: *De cujus nomine ad tuam notitiam Provinciales referant Sacerdotes, impleturi vota poscentium, si quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognoverint.* 2. Ne à Metropolitano quidem ordinari posse suæ Provinciæ Episcopos, nisi ratum id habente Episcopo Thessalonicensi: *Ut ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet authoritas.* Epist. 84. c. 6.

Sed quàm indubium est, ea potestatis amplitudine usos esse Primates Thessalonicenses; tam certum est Vicarios Apostolicos in Ecclesiis Gallicanis eo jure abstinuisse. Quinque devenerunt in manus nostras Epistolæ Vigilii Papæ de Vicariatu Apostolico, quo decorati sunt Auxanius, & Aurelianus Arela-

tensis Episcopi, & vel ad ipsos datæ, vel ad Episcopos Galliæ eis subjectos. His Epistolis quinque præclarissimè explicantur jura omnia Apostolicæ hujus delegationis. Atqui ne vocula quidem ulla exsculpi ex iis potest, quæ huic suffragetur Metropolitanorum confirmationi per Episcopos Arelatenses. Nec aliter res habet in Epistolis Pelagii ad Sapaudum, & Gregorii tum ad Virgilium Arelatensem, tum ad Episcopos Gallicarum: nec non & Zachariæ Papæ ad Bonifacium, quando perpetuam ei Apostolicæ Sedis Legationem contulit in Gallias, & in Bavariam. Enimvero qui potuissent eam Romani Pontifices suis seu Legatis, seu Vicariis conferre in Metropolitanos Gallos potestatem, quam ne ipsi quidem unquam exercuissent?

Greg. l. 4. Epist. 50. 52. Zachar. Epist. 5.

XIII. Quæ de Gallis diximus, ea non minus valent in Hispania. Ut quæ longiùs etiam Româ distet. Inde est quod nec monumentum, adeoque nec vestigium ullum exstat hujus à Papa Metropolitanorum confirmationis, vel in Conciliis, vel usquam alibi. Dicimus jam ne ad translationes quidem Episcoporum, vel Metropolitanorum ex una Ecclesia in aliam recursum olim fuisse ex Hispania ad Romanum Pontificem: & Concilii Toletani XVI. Patribus visum esse, satis sibi juris & præsidii esse in seipsis, ut transferrent Felicem Episcopum Hispalensem ad Toletanam Ecclesiam, Faustinum Braccharensem ad Hispalensem, Portucalensem denique Felicem ad Sedem Braccharensem. Habes ibi tres Episcopos, & in illis duos Metropolitanos in alias traductos Sedes, non interpellato Romano Præsule. Multò minùs, ut apparet, necesse erat eam intervenire ad confirmationem Metropolitanorum, quàm ad translationem.

Can. 19.

Jubet Toletanum Concilium IV. propria in Ecclesia ordinari Metropolitanum, convocatis omnibus Provinciæ Episcopis. *Metropolitanus nonnisi in civitate Metropoli, Comprovincialibus ibidem convenientibus.* Divinet necesse est, qui plura affirmat. Adde quod Hormisda in Epistola ad Joannem & Sallustium Metropolitanos Hispaniæ, quibus delegat vices Apostolicæ suæ Sedis, omnino non meminerit juris hujus Metropolitanos confirmandi: quin immo declaret eo Primatiæ jure novo nihil decerpi de prisco jure Metropolitanorum. In Concilio Emeritensi professionem edit Metropolitanus observandorum religiosè Canonum, in Concilio Episcoporum Provinciæ. Eam potiùs edidisset in confirmatione ipsa sui, sicubi extra Concilium Provinciæ confirmatus fuisset.

Can. 4. Epist. 24. 25. 28.

XIV. Quoad Primates Africæ, qui & Metropolitani erant earum Ecclesiarum, cùm ii demum eo gauderent honore, qui ordinationis tempore seniores essent inter Episcopos, perspicuum est nullam in eam rem opus fuisse confirmatione Apostolicæ Sedis. Ætas ipsa & antiquitas eam afferebat & confirmabat seniori Episcopo dignitatem, cùm primùm Primas aliquis animam egerat.

L. 1 Cod. Epis. & Cler. Leg. 46.

XV. In Monasteriis verò eam ætati & senio honoris ac potestatis prærogativam deferri, minùs probavit Justinianus Imperator. Abbatum & Abbatissarum electionem liberis utrinsque Conventûs suffragiis concessit, in quibus non annos numerari voluit, sed merita ponderari. Electionem examini suo subjiciebat Episcopus, & in Sedis suæ possessionem mittebat eos, quibus suæ eam dignitatem peperissent virtutes. Sed inter Cœnobii Monachos, & Provinciæ Episcopos magna est rerum morumque distantia. Nec enim necesse est ut ea sint Monachi omnes pietate, experientia, peritia, qua Abbates. At Episcopis illa superesse debet sapientia, qua Christi gregem & Ecclesiam regant; & quam illis ætas attulit experientiam, illos ea aptat, roboratque ad Metropolitani provinciam fungendam.

XVI. Perstringam hic obiter eam quæstionem, quæ ultro sese ingerit, & quæ à proposito nobis scopo non discrepat. An hoc ævo olim quandoque Episcopi in iis quæ propriæ & ordinariæ suæ jurisdictionis erant, Delegatione aliqua vel Vicariatu Apostolicæ Sedis indoti fuerint. Affirmanti sententiæ suffragari primò videretur Cyrillus Alexandrinus Episcopus, ubi Ephesinæ primæ Synodo præfuit, tanquam vices gerens Cælestini Romani Pontificis, quanquam per Cælestini & Legatorum ejus absentiam ea potestas ordinario jure ad Cyrillum Alexandrinæ, seu secundæ Sedis Antistitem revolveretur. Apocrisarii Patriarcharum, qui sub Anastasio II. Papa Constantinopoli versabantur, Anastasii ad Imperatorem Legatis libellum supplicem obtulerunt, ubi affirmabant eum esse receptum morem: *Ita ut si quando contigerit in rebus ambiguis quædam Episcoporum Concilia celebrari, sanctissimus is qui Romanæ præsideret Ecclesiæ, Reverendissimum Alexandrinæ civitatis Archiepiscopum deligeret, ut sui curam loci susciperet.* Verùm non satis concinere videri possit illud Cyrilli exemplum: propterea quòd potuisset à Pontifice ea delegatio non Cyrillo, sed Legatis aliis commendari, quibus Apostolicis Legatis præsentibus expunctum fuisset Cyrilli præsidendi jus. Patriarcham ipsum Constantinopolitanum delegavit Hormisda Pontifex ad Monachorum Scytharum causam dirimendam: *Quomodo visum fuerit Apostolatui vestro Episcopo Constantinopolitano causam delegare, ut ipse inter eos, & qui ab eis impetantur, audiret.* Sed ii Monachi forsan non suberant Episcopo Constantinopolitano, aut ad Papam confugerant, vel appellaverant. Delegavit Hormisda Epiphanium Constantinopolitanum Patriarcham, ut in unitatem Catholicæ communionis eos recolligeret, qui ab ea secessionem fecerant. *Personam meam in hoc te oportet subintrare.*

Inter Epist. Anast. Pap.

Post Epist. 67 Hormis.

Conc CP. sub Mena. Act. 5.

XVII. Scripsit Gregorius Papa ad Virgilium Arelatensem Episcopum, ut inquireret in mores Sereni Episcopi Massiliensis, Episcopali sanctitudini minùs consonantes: utque conveniret illum suis verbis & increparet: *Quod à vobis subtiliter requirendum est Et si ita constiterit, nostra hoc sic vice corrige, at, &c.* Suvibertus vir sanctissimus Apostolico zelo succensus jam Frisones Christi fidei conjunxerat, jam eorum Episcopus fuerat ordinatus: cùm Villibrordus à Sergio Papa Frisonum Archiepiscopus ordinatus, eò profectus est, & potestate sua fungi cœpit. Ei se adjunxit, subjecitque Suvibertus, nec Ultrajectis Episcopus dictus est, sed Coëpiscopus sancti Villebrordi Archiepiscopi Ultrajectensis. *Et ideo sanctus Suvibertus non Episcopus Trajectensis appellatur, sed Coëpiscopus sancti Villebrordi.* Ea sunt quæ non prorsus dissonant à te proposita.

L. 7 Ep 49.

Surius die 1 Martii. 1. 13. in vita S. Suviber.



De Electionibus ab anno octingentesimo ad millesimum.

CAPUT. XX. *P.3.l.2.c.24.*

De Electionibus sub Imperio Caroli Magni.

I. Libertas constabat sua electionibus sub Carolo Magno.

II. Monuit illum Adrianus, ne electionibus intervenirct unquam, in quod & ipse et suo exemplo probat.

III. Liberæ erant & Abbatum electiones, quanquam in eis Reges plusculum sibi tere vellent, quàm in Episcoporum.

IV. Capitulari edito sancit Carolus Magnus liberas fore electiones.

V. Credulis hominibus imposuit Sigebertus, cum scripsit, ab Adriano I. Carolo Magno concessam fuisse nominationem & investituram Episcoporum. Argumenta in contrarium.

VI. Cùm Carolus Calvus Episcopum nominasset, patrocinium sibi accivit non ab Adriani concessione in Carolum Magnum, sed à Zacharia in Pipinum.

VII. Concessio Zacharia in gratiam Pipini non aliud quàm dispensationem continebat nominationis semel facta, cogente maxime necessitate.

VIII. Respondetur ad exempla nominationum Caroli Magni

IX. Varia in eam rem observationes.

I. ILls ferè opinione occupati sunt complorium animi, qua non facilè exui se sint passuri, sub Imperio Caroli Magni & stirpis ejus, locum canonicis electionibus fuisse nullum. Dabimus autem nos hîc primùm operam, ut ne ulli serviamus ejusmodi præsumptæ, animoque præceptæ opinationi. Idque ut facilius feliciusque procedat, exempla primùm omnia depromemus electionum canonicarum, & si qua conducont ei rei argumenta. Accedemus postea ad fundamenta & exempla Regiarum nominationum. Postremò denique ex hac Legum Canonomque & exemplorum farragine eliciemus, quà fas erit, regulas quasdam universales, & constantes, ad quas tota illa varietas expendi & referri possit.

II. Quoad canonicas electiones præclarissimè sanctissiméqoe illud consilii impertiit Carolo Magno Adrianus I. ut ne se ullis unquam Episcopalibus interponeret electionibus: ad quod & suo illi prælucebat exemplo, in nullas prorsus authoritatem suam inserens, ne quid detereret de libertate suffragiorum Cleri & populi: *Quia nunquam nos in qualibet electione invenimus, nec invenire habemus, sed neque vestram Excellentiam aptamus talem rem incumbere. Sed qualis à Clero & Plebe, cunctoque populo electus fuerit canonicè, ordinamus.* (*Conc. Gall. To. 2. pag. 96. 120.*)

Alibi fidem facit Carolo idem Pontifex, Episcopos Ravennates electos semper fuisse liberis Cleri Populiqua suffragiis, nec vel Pontificis Romani, vel Regum Legatos eis unquam electionum Comitiis affuisse. *Nos nullo modo meminimus, neque à prædecessoribus nostris sanctis Pontificibus, neque à genitore vestro Pipino, neque à vestra in triumphis regali victoria, Missum ad electionem Ravenna directum esse. Sed olitana traditione Clerus & Plebs, Apostolicam suscipientes admonitionem, eligebant Pastorem, &c.*

III. In Concilio Francofordiensi rarum illud certumqoe habetur, eligi Abbates à Monachis cum consenso Episcoporum. Est autem in confesso, ab Episcoporum, quàm ab Abbatum electionibus multò religiosiùs sibi Reges temperavisse. Hinc illud efficitur, si liberis Abbatum electionibus vehementer assentiebatur Carolus Magnus, non paulò impensiùs favere solitum illum electionibus Episcoporum. *Ut Abbas in Congregatione non eligatur, ubi jussio Regis fuerit, nisi per consensum Episcopi loci illius.* (*Can. 17.*) Video trahi posse hunc Canonem non ad omnia, sed ad ea tantùm Cœnobia, quæ Regio ad eligendos Abbates privilegio gaudebant. At verò num facilè quis sibi persuaserit, Carolum disciplinæ & religionis amantissimum, privilegia [illegible] concessisse Cœnobiis, aliis ea sustulisse, quæ jure communi ubique terrarum jam tot sæculis confirmata, in eligendis Pastoribus suis obtinerent? Ergo satius est hunc Canonem ita interpretari, ut *jussio Regis* ibi dicatur ea permissio, seu licentia ejus, quam non negamus desideratam fuisse, etiam ubi summa electionum vigebat libertas. Acsi sanciretur, non sine Regis licentia eligi Abbates, & electos Episcopali assenso confirmari debere.

IV. Profitetur ipse Carolus Magnus in Capitularibus, concessam à se esse Clero Gallicano electionum Episcopalium libertatem, non tanquam novæ aliquid gratiæ & largitatis suæ, sed tanquam jus antiqnum quod sanxissent Canones, tanquam libertatem, quæ Ecclesiæ agnata, unáque adulta esset, cujus custodes sunt Reges, & defensores. (*L. 1. Capit. c. 84.*) *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberiùs potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico prebuimus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri & Populi secundum statuta Canonum de propria Diœcesi eligantur.* (*Capitular. Car. Mag. anno 803.*) Decerptum est hoc Decretum ex Capitularium Libro primo, quem Ansegisus Abbas ejos consarcinator testatum facit ex solis Caroli Magni statutis constatum esse.

V. Ex his facilè explodes, ut ne umbra quidem probabilitatis vestitum, quod ait Sigebertus in Chronico, concessam esse ab Adriano I. in Synodo Romana Carolo Magno facultatem eligendi Pontificis Romani, & Episcopos atque Archiepiscopos investiendi. Primus eam fabulam publicavit Sigebertus, trecentis & triginta admodum annis ævo Adriani posterior. Enimvero an tot Historici, tot Scriptores alii, an Eginardus, qui Carolo Magno à Secretis erat, & individuus illi adhærebat comes, rem aut nescissent, aut siluissent, quæ tanti esset momenti? De investituris tempore Caroli Magni altum erat ubique terrarum silentium: iisdem tempore Sigeberti totus perstrepebat Orbis, cum Henricus Imperator tanto sibi eas fragore vendicatum iret. Non distat igitur à vero, aut à veri certè similitudine, tunc primùm erupisse commentitiam illam Adriani I concessionem, qua color & patrocinium accederet investituris.

Quæ circumferuntur Adriani ejusdem ad Carolum Magnum Epistolæ duæ, manifestissimè huic commentitio diplomati adversantur. Eas contulit Sirmundus in annos 784. & 788. Itaqoe posteriores sunt fabuloso Sigeberti Concilio Romano, quod ab illo refertur in annum 774.

Denique quod modò Caroli Magni Capitulare protulimus, ex eo apertissimum fit, usque adeo persuasum illi fuisse electiones canonicas necessariò retinendas esse, ut non potuerit deinceps ita sibi pugnare secumque conflictari ipse, ut vel ultro peteret à Pontifice, vel oblatam acciperet Episcopatuum nominationem. Nec excipi potest eo Capitulari renuntiasse Carolum ei facultati & gratiæ, qua à Pontifice donatus fuisset. Nec enim id silentio oppressum fuisset, quo tantum potuisset inuri

gratiæ ab universo Clero Gallicano. Sed qua tandem ratione Adrianus Carolo nominationes indulsisset Episcopales, quem dehortatus esset, ne se unquam implicaret electionibus, quem certiorem fecisset sese ab eis semper constantissimè abstinuisse? nec aliud quidquam tentasse, quàm ut canonicè à Clero & populo electos confirmaret?

VI. Adde quod cùm Carolus Calvus Episcopum nominasset Augustodunensem, vereretur que ne Amulus Archiepiscopus Lugdunensis manus illi imponere detrectaret: vicario calamo Lupi Ferrariensis Abbatis usus, litteras ad eum perscribi fecit nomine Gauelonis Episcopi, & Comitis Gerardi, hortantium, ut quem nominasset Rex, ipse confirmaret. Ea potissimum ratione invalescebat Lupus, quòd Pipino Regi à Zacharia Papa concessa esset nominatio ad Episcopales sedes, quòd tumultuosissimis illis temporibus difficillimè expedirentur Episcoporum promotiones. *Nam Pipinus, à quo per maximum Carolum & religiosissimum Ludovicum Imperatores ducit Rex noster originem, exposita necessitate hujus Regni Zacharia Romano Papa in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis industria sibi probatissimorum decedentibus Episcopis mederetur.* An tacuisset loco tam opportuno Lupus, indultas Carolo Magno ab Adriano nominationes, si quid exploratum de iis habuisset? Nec enim Pipino concessum unquam fuit à Zacharia, nisi dispensatio, quam calamitosissimi temporis necessitas extorqueret. *Exposita necessitate hujus Regni, &c. Acerbitati temporum mederetur, &c.* Et ne tum quidem dispensabatur, nisi ut semel provideretur Ecclesiis longo jam interregno languentibus, & inter eas temporum locorumque calamitates ac perturbationes, ut nisi Regiæ potestatis interventione, ne spes quidem reliqua esset ulla restituendæ pristinæ in Ecclesia pacis & disciplinæ. Denique ne vel tum quidem Episcopos nominavit Pipinus, nisi conjunctim cum Synodo Episcoporum, ut Synodus ipsa vociferatur, à nobis alibi laudata.

Lupus Epist. 81.

VII. Qui verò eo Lupi contextu nixi, inde argumentati sunt Episcopales nominationes non aliter Pipino à Zacharia indultas fuisse, quàm nuper Francisco Primo & Posteris à Leone X. ii certè hæsisse in cortice, nec in ipsam rei medullam videntur introspexisse. Nec enim vel ipsa Lupi verba illam exprimunt facultatem constantem & perpetuam, & ad successores trajiciendam. Quin ex adverso disertè ibi significatur, ad tempus dumtaxat, & cogente tum inexorabili quadam necessitate id concedi. Canones Concilii quos allegat, non paulò plus habent perspicuitatis; nec significant nisi semel factam nominationem, immo electionem à Rege pariter & à Concilio factam. Quî verò Carolo Adrianus consuluisset, nunquam ut se interscreret electionibus, si prædecessor ejus Zacharias Pipinum Caroli patrem jure nominandi, posterosque donasset? Quî Carolus ipse ejurasset jus & privilegium parenti suo concessum? Qui dum electiones restauraret, non uno saltem verbulo innuisset, & Zachariæ, & Adriani privilegiis se sponte in Cleri gratiam abstenturum?

Du Chesne To. 2. pag. 108. 109. 110.

VIII. Nec dissimulabo à San-Gallensi Monacho memorari nonnullas Episcoporum nominationes à Carolo factas: non sileri ambitiosorum certamina, Aulicorum artes, Reginarum etiam conatus, ut suæ familiæ Clerici Episcopatibus ornarentur, Caroli contrà ut ne Pastores nisi digni crearentur, constantiam inflexam. Sed præterquam quod hujus Scriptoris fides & authoritas apud doctos vacillat: potuere incidere ex temporum molestiæ, rerumque discrimina, quæ Carolum cogerent, ne vacare diutiùs sineret Ecclesias, ne dissensiones protrahi, ne viri cujuspiam præpotentis, & gerendæ Episcopatûs sarcinæ minimè idonei factionem grassari & dominari pateretur. Denique facta ea sunt, non jura: exempla sunt, eaque non multa, nequaquam decreta: nec ex iis in posterum condi jura possunt, cùm Carolus homo esset, nec humani quidquam à se alienum esse duceret. Exemplis aliquot contrariis non præscribitur adversùm seu Leges, seu Canones.

IX. Scripsit Hincmarus Remensis Archiepiscopus Ludovico III. Ludovici Balbi filio, ut electiones liberas celebrari permitteret, proposito ei exemplo Caroli Magni, & hoc ipso, quod hîc deprompsimus, Capitularium ejus Decreto. Absonum insulsumque fuisset, authoritatem & exemplum Caroli Magni ostentare, si nominationes ille Episcopales usurpasset, nec iis abstinere in animum unquam induxisset. Monebantur quidem Reges de Episcoporum obitu, nec nisi de eorum licentia conveniebat sive Clerus, sive Populus ad eorum electiones: at longè aliud est, ut Reges eligendi licentiam impertiant; atque ut occupent ipsi, & Episcopos nominent. Longè aliud etiam est, ut permittant congregari Clerum Populumque ad eligendum Episcopum, atque ut eligendi privilegium ipsi donent. Non indulgetur eligendi privilegium, nisi iis qui eo jure aliàs carerent: at permissio conveniendi & eligendi, argumento est jam eo jure dotatos esse eos, qui uti eo nolint, non possint etiam, si lubet, nisi eo erga summos Principes honoris & observantiæ temperamento. Mirum est, quòd doctos homines prætererit tam perspicuum discrimen.

Epist. 1 c. 5.

CAPUT XXI. *P. 3. l. 2. c. 25.*

De Electione ad Prælaturas sub Imperio Ludovici Pii.

I. Liberas Episcoporum & Abbatum electiones statim confirmavit Pius.

II. Quàm differant duæ illæ concessiones

III. Electio Drogonis ad Episcopatum Metensem. Erat is Pii frater.

IV. Ut illæsa & incolumi electionum libertate eis se Pius implicuerit

V. Discrepantia libertatis electionum, ejus quæ prioribus & mediis sæculis usitata fuit, & ejus quæ etiam nunc in usu est, extrema hac ætate.

VI. Novæ probationes electionum libertatis.

VII. Ut electionum tam laus, quàm culpa in Principem redundaret.

VIII. Ut Imperator, Magnates, Clerus, Populus conspirarint ad electionem Ebbonis Archiepiscopi Remensis.

IX. Si simoniacæ electioni plebs assentiretur, Principis erat nominare.

X. De Devolutionibus.

I. IMperii sui primitias dedicavit Ludovicus Pius publicato Decreto, quo non Episcopalium tantùm electionum libertatem confirmaret, convenienter Capitulari Caroli Magni; sed electionum quoque ad Abbatias, quibus & ipsis voluit canonicam libertatem sartam tectamque servari. Non referam hîc prius id Decretum, cujus ipsissima sunt & eadem quæ antè verba Edicti Caroli Magni superiùs relata. En secundi quod ad Abbates pertinet, qui sit tenor: *Monachorum siquidem*

Capit. ann. 816. c. 2. 4.

Conc. Gall. Tom 2. pag. 429.

causam qualiter Deo opitulante ex parte disposuerimus, & quomodo ex seipsis sibi eligendi Abbates licentiam dederimus, in alia schedula diligenter adnotari fecimus, & ut apud successores nostros ratum foret, & inviolabiliter conservaretur confirmavimus.

L. 1. c. 86.

Nec nos fallit hoc quoque Statutum contineri libro primo Capitularium Caroli Magni, quod testatur Ausegisus Caroli tantum ex Statutis compactum esse. Sed vel Ansegiso compilatori obrepsit aliquando error; aut id Decretum meditatus quidem fuerat Carolus Magnus, sed illud & publicavit primus & executioni mandavit Ludovicus Pius.

Hincmar To 2. pag 590 591.

Doctissimus Hincmarus & Carolo, & Ludovico illud adscribit, ut quod ab utroque manarit. Ei sententiæ favet quod dictum est nobis capite superiori, numero 2. dum Canonem Francofordiensem illustraremus.

II. Sed non oscitanter prætereunda est utriusque Decreti distantia, uno ad Episcopos, altero ad Abbates spectante. Disertè enim profitetur Princeps Monachis à se dari libertatem eligendi Abbatis. *Quomodo ex seipsis sibi eligendi Abbates licentiam dederimus.* At electiones Episcoporum jubet esse liberas juxta Canonicas sanctiones, quæ eam illis libertatem semper adseruerunt. *Sacrorum Canonum non ignari, &c. Secundum statuta Canonum, &c.*

III. Commemoratum est ab Egioardo in Annalibus ad annum 823 ut Drogo ex Canonico factus fuerit Episcopus Metensis, electione libera, cui consensus Ludovici Pii accedebat. *Drogonem fratrem ejus sub canonica vita degentem, Metensi Ecclesiæ, Clero ejusdem urbis consentiente, atque eligente, Rectorem constituit, eumque ad Pontificatus gradum censuit promovendum.* At ex authore vitæ Ludovici Pii, non Imperator tantùm & Clerus, sed & Optimates Aulæ Populique suffragati sunt electioni Drogonis. *Clerus omnis populusque ejusdem Ecclesiæ, veluti uno spiritu animati, Drogonem Imperatoris fratrem sub canonico habitu nobilissimè viventem, sibi poscunt dari Sacerdotem: mirumque in modum tam Imperatoris, quam Procerum ejus, sed & totius populi consensus, quasi quodam coagulo in unum conjuravit, ut omnes id velle, nullus nolle reperiretur.*

Du Chesne. To. 2. pag. 302.

Nec absimilem nobis repræsentant electionem, quæ nuper prodierunt luculentissimè scripta Aldrici Senonensis Episcopi Acta; ubi Episcoporum, Cleri, Magnatum, Populique suffragia concurrebant, unà conspirante & ipso Imperatore. *Episcopatum Cenomanis eligente Archiepiscopo Landramno, atque Comite ejusdem Parochiæ Roricone, sive omnibus prædictæ Parochiæ nobilibus hominibus, atque cunctis Palatinis, & Clero & populo, per baculum Landramni Metropolitani, jam dictum Episcopatum in sua præsentia, & instigante à Ludovico gloriosissimo Imperatore, orantibus cunctis, cura Pastorali est commissum.* Episcopum investiebat Metropolitanus dato in manus pedo; quod dedit tunc Imperator, orante Metropolitano, cujus & pedo usus est. Non immorabor in ea hic versanda quæstione, an ab his liberis & humanioribus officiis cœperint Investituræ, quæ tantis postea & tam diutinis concertationibus inter Pontifices & Imperatores agitatæ sunt.

Baluzius. Miscellan. To. 3 pag. 5.

IV. Hic autem dilucidum est, ut tunc librarentur electiones, providentissima omnium, quorum intererat, suffragatione, & spontanea consensione Regum & Cleri, Optimatum & Plebis. Eam rationem tenuit Carolus Magnus, eam retinuit Ludovicus Pius. Sua electionibus libertas constabat, quanquam eis se interponerent summi Principes: sive quòd id sibi sumerent tantùm, ut probarent, quos Clerus & Populus elegisset; sive quòd Clerus Populusque præceptis Principum & votis, aut præirent, aut obsequerentur, gnari, expertique ea ad spectatæ peritiæ & pietatis Clericos semper propendere. In ea mirabili sanè conspiratione, qui unam spectarunt incredibilem Regum potestatem, cassas & inani sono caducas electiones augurati sunt fuisse. Imposuit autem illis rerum species, & præjudicium nostri hujus ævi electionum, quas non satis discrevere à primævæ, adeoque & mediæ Ecclesiarum ætatis electionibus.

V. Illud enim omnino intercedit discrimen electionibus illis antiquissimis & hodiernis. Iis nunc arcentur Principes, arcentur Laïci omnes. At olim nemo nescit quantum in iis tribueretur populis, quantum proinde & Principibus, ut Populi Capitibus quandoque licere posset. Non ergo electiones antiquæ ad nostras nunc metiendæ sunt.

Sicut tunc temporis præcurrebat quandoque populus Clero, præcurrebat vicissim aliàs Clerus: ut in sua sæpissimè vota Clerus Populum pertrahebat, etiam subinvitum, quandoque & populus Clerum: integra autem & sospes constabat semper electionis canonica libertas, quòd alii aliis tandem concederent & concordarent, expunctis animo dissensiunculis, quæ inciderant. Ita & cum Reges Clero, Populoque eligenti sese adjungebant, justa poterat libertas electioni constare, seu Reges acquiescerent ei, quem vox publica deligebat; seu approbarent ipsi Clero, Populoque eos, quos suffragii sui prærogativa cohonestarent. Id genus fuit electio Drogonis Metensis.

VI. Nec obscurius est quod subjicio argumentum ex Concilio Parisiensi VI. Quanquam enim multis tandem pòst annis habitum sit, quàm Ludovicus Pius Canonicam electionum libertatem iteratis sanciverat edictis: interpellatus est tamen ab eo Concilio Imperator, ut curam, industriam, vimque omnem conferret, ad præstantissimis Episcopis & Pastoribus instruendam Ecclesiam Christi. *Monendo suppliciter suggerimus, ut deinceps in bonis Pastoribus rectoribusque in Ecclesiis Dei constituendis magnum studium atque solertissimam adhibeatis curam.* Non poterat tum Princeps partes cum laude obire suas, nisi dissensu suo eos rejiceret, quos immerentes Clerus & Populus elegissent: aut alios majoris peritiæ & probitatis approbando, extollendoque, quibus tum & Cleri Populique favor accederet. Denique quantacumque esset Canonica electionum libertas, permagna nihilominus in iis erat Regum authoritas, cùm palam pronunciet Concilium, pro earum successu periculum salutis eos incurrere. *Anima vestra, quod non optamus, periculum generabitur.*

Ann. 829. Can. 22.

VII. Non parum his præsidii accedet ex Thegano, qui ait, exitio cum primis id fuisse, quòd ex servis Episcopi asciscerentur, quòdque tam ingenti Ecclesiæ calamitati Ludovicus Pius non mederetur. *Jam dudum illa pessima consuetudo erat, ut ex vilissimis servis summi Pontifices fierent, & hoc non prohibuit, quod tamen maximum est malum in populo Christiano.* Addit in potestate Regum esse, ut ea corruptela expungatur. Disertè alibi scribit à Ludovico Pio datos fratribus ejus Episcopatus, datas & Abbatias. *Drogoni Episcopatum dedit, & Hugoni Cœnobialia Monasteria.* Vidimus suprà canonicè à Clero & Populo electum fuisse Drogonem Metensem Episcopum. Hic Theganus docet datum ei à Pio Episcopatum. Non ergo ea erat Canonicæ electionis li-

Cap. 20.

Cap. 24.

bertas, quæ eam Principis potestatem excluderet tam quidem. Usque adeo vel ad assentiendum Principibus proni erant Clerici, laïcique; vel Principibus ipsis curæ erat, ut non alios Episcopalibus infulis ornatos cuperent, quàm quorum sapientia & virtus spectatissima assensum statim Cleri populique impetraret.

VIII. Ebbonem ab eodem Ludovico Pio Remensi sede donatum fuisse author est Theganus, qui ingrati illum animi ideo crimine incessit, quòd eum abdicarit imperio, à quo è mancipio in Episcopum, in Ecclesiæ Principem esset provectus. *O qualem remunerationem reddidisti ei. Fecit te liberum, non nobilem, quod impossibile est post servitutem.* Ubi obiter adverte Libertos liberos fuisse, non nobiles. Qui enim servus fuerat, in libertatem poterat vindicari, non in nobilitatem, quæ proinde videri potest non aliud tum magis fuisse, quàm diuturna & avita libertas. *Vestivit te purpura & pallio, & tu eum induisti cilicio. Ille pertraxit te immeritum ad culmen Pontificale, &c.* Atqui fuit Ebbo electus unanimi consensione Cleri & Populi Remensis. Ludovico ergo tribuitur ejus promotio, quòd eligendi canonicam libertatem concesserit; quòd Ebbonem proposuerit, postquam electus alius ab Episcopis examinatoribus repudiatus fuerat; quòd denique Clericis, Civibusque conciliaverit eum, quem ipse elegerat, ipsiusmet maximè virtutibus & experientia rerum sacrarum sibi commendatum. Id perspicuè colligitur ex Epistola Caroli Calvi postea ad Nicolaum Papam data. *Ab Imperatore secundum sacrorum Canonum institutionem plebi electione concessa, contigit eos Gislemarum elegisse. Qui dum ante Episcopos discutiendus adsedisset, &c. reprobatus est. Tunc domno Imperatori visum est, ut Ebbo pro scientiæ capacitate, meritorumque reverentia ad jam dictum promoveretur Episcopatum. Quod cùm plebi, atque omnibus sanè sapientibus relatum esset, placere sibi omnes unanimiter affirmavere: ac sic secundum canonicam institutionem est Archiepiscopus ordinatus.* Quo nihil accommodatius constitutæ à nobis suprà doctrinæ.

Thegan. c. 44.

Conc. Gall. To. 3. pag. 319.

IX. Si muneribus, aut pecunia inescatum vulgus laïcorum, Clericorumve, simoniacè quempiam eligeret, Episcopus Visitator, qui imminebat electioni, Regem monebat, ad quem tum jus eligendi, seu nominandi devolvebatur. Ita manifestè evincitur ex sermone Episcopi Visitatoris, qui à Ludovico Pio missus fuerat, ut electioni Episcopali præesset. Eum autem sermonem legere est inter Antiquas Formulas electionum Episcopalium. *Si fortè aliquis vestrum per præmium, aut per aliquam malitiosam artem hanc sedem subripere conatus fuerit & hoc vobis malum consentientibus, ut in illum electio veniat: hoc nequaquam consentiemus vobis, sed domno Imperatori annunciabimus. & ille sine ullo periculo, & cum licentia Canonum, undecumque & cuicumque Clerico voluerit, dare poterit.*

Conc. Gall. To. 2. pag. 646.

Quid ergo causæ fuit, quamobrem eo jure non uteretur Lodovicus Pius, nec coram nominaret Ebbonem, cùm rescissa ab Episcopis fuisset prior electio hominis, ei sarcinæ prorsus imparis? An quòd ea devolutio juris eligendi ad Principem locum non haberet, nisi in Simoniacis electionibus? Qui enim tam propudiosè jure suo abutebantur, eo certissimè exuendi erant; nec eadem inclementia in eos exercenda erat, quibus bona fide agentibus & eligentibus, obreptum fuisset.

Ea porro hic observanda Regula, quod qui data potestate abutuntur, ea spoliantur, sed ea tantùm vice, non ut semper ea careant. In Capitularibus Caroli Magni eadem Episcopis indicitur pœna, qui indignos ordinarint. Hinc manarunt Regulæ Juris Canonici hodierni, his consentaneæ. L. 7. c. 14.

X. Erant ergo jam tum devolutiones, vel ad Regem, vel ad Metropolitanum, ut Capite sequenti patebit, in crimine maximè simoniæ. At nondum hic ultro erumpebant, vel Clerici, vel Laïci, quos ambitio magis, quàm zelus inflammaret, ut extruso indigno, ipsi Beneficiis se donari flagitarent. Quin ex adverso primus hîc occupat Episcopus Visitator Regem monere, qui mox Beneficium confert, *cuicumque Clerico voluerit.*

CAPUT XXII. *P. 3. l. 2. c. 26.*

De Electione ad Prælaturas, sub Imperio Caroli Calvi.

I. Mira sub hoc Rege societas publica libertatis electionum, cum interventione Principis.

II. Permissio eligendi, non dabat, sed confirmabat, quod jam priùs aderat jus eligendi. An Regis esset Visitatorem Episcopum nominare.

III. Abbatia, Parochia, Nobiles concurrebant ad electiones.

IV. V. Enea Episcopi Parisiensis electio, aliaque illustriora exempla.

VI. Confirmat Romanus Pontifex Principis interventionem in electionibus.

VII. Quàm lubentes se Regibus accommodarent Præsules, eisque obsequerentur cum quos e Palatio mittebant Episcopos, non impares in fastigio erant; ubi verò impares & indigni erant, quam fortiter iidem & invicto pectore obluctarentur.

VIII. Cur intercesserit Hincmarus Concilio, à quo profectum est hoc Decretum

IX. Regum jura & Metropolitanorum, quando in plures dividebantur vota eligentium, aut indigni eligebantur.

X. Missi Dominici aderant quandoque electionibus, ut tumultus coliberent

XI. Carolus ipse Calvus jura Episcoporum confirmat.

I. NOn minùs providè ac temperatè Principum potestas cum electionum libertate sociari visa est sub Carolo Calvo. Inter Formulas Promotionum Episcopalium radiat Epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Carolum Calvum, ut Canonicam ab eo impetraret eligendi libertatem in Ecclesia Sylvanectensi, quæ tum vacabat, postquam ejus urbis Clerus Populusque tres Clericos & duos delegassent Laïcos ad Metropolitanum, ut datis ad Regem litteris eam ipsis licentiam obtineret. *Ut apud solitam misericordiam vestram, liberam illis & regularem electionem obtinere satagerem.* Id quoque petebat à Rege Hincmarus eadem Epistola, ut sibi Episcopum indicaret, quem mox ipse designaret Visitatorem Ecclesiæ vacantis, ut electioni immineret; ea peracta Metropolitanum certiorem faceret, vel per Epistolas, vel ad eum ipse profectus; ut Rex à Metropolitano resciscat, quis electus sit; tumque electus à Metropolitano ordinetur, si Cleri Populique unanimi electioni accesserit Regis assensio. *Dignetur mihi dominatio vestra litteris suis significare, quem vultis coëpiscopis nostris, ut ei ex more litteras Canonicas dirigam, & Visitatoris Officio fungens in eadem Ecclesia electionem Canonicam faciat; & aut per se, aut per litteras suas, Vicario suo deferente, eandem electionem, cum decreto canonico singulorum manibus roborato, ad me referat: ut per me ipsa electio ad dominationis vestræ discretionem perveniat. Et cum vota concordia Cleri ac plebis in electione regulari, vel vestræ dominationis consensum cognoverimus, &c.*

Conc. Gall. To. 2. pag.

II. Itaque quanquam eligendi jus ipsi quodam-

modo esset Ecclesiæ coævum concretumque, ad singulas tamen electiones innovandum quodammodo & confirmandum à Principe erat. Erat tamen ejusmodi confirmatio iis contexta verbis, quæ jus eligendi astruerent ex canonicis regulis derivatum, & inconcussa possessione jam inde à cunabulis Ecclesiæ munitum. 1. Itaque Princeps hic se agebat, non ut novæ gratiæ collatorem, sed ut custodem & defensorem primarium Ecclesiæ libertatum. 2. Quantumlibet unanimis fuisset electio, Principis consensu cumulanda & firmanda erat. 3. A Rege indicari voluit Hincmarus, quis sibi constituendus esset Ecclesiæ vacantis Visitator. Posset in controversiam duci, spontanea ea esset & officiosa humanitas, an necessaria.

Etenim vacantis Ecclesiæ Cameracensis idem Hincmarus Visitatorem nominavit Hedenulphum Episcopum Laudunensem, nec expressit ea charta, quod sanè non siluisset, Regia id voluntate factum. Alibi id expressit, ita expetiisse Regem. Denique extincto Hincmaro Clerus ipse Remensis constanter negavit eligendum à se Episcopum, nisi antè Rex Visitatorem nominasset, quamvis diversi ea de re rumores in vulgus manassent.

Ibid p. 639. 640. 643.

III. Illud quoque indidem enitescit, non leviter prætereundum, non Civitatum dumtaxat Cleri, sed & Monasteriorum totius Diœcesis, & Parochiarum ruris, & Laicorum denique civium suffragia ad electionem corrogata fuisse. Ab omnibus quippe eligendus erat, qui & omnibus erat præfuturus. *Quæ electio non tantùm à civitatis Clericis agenda, verùm & de omnibus Monasteriis ipsius Parochiæ, & de rusticanarum Parochiarum Presbyteris, occurrant Vicarii, commorantium secum concordia vota ferentes. Sed & laici Nobiles ac Cives adesse debebunt, quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Per Procuratores ergo, seu per *Vicarios* Monasteria & Parochi electioni intererant; atque adeo nonnisi per præsentes suffragia conferebantur, quæ juris canonici hodierna regula est. Sed Procuratores hi Decretum proferebant uniformis suffragationis eorum omnium, à quibus mittebantur, quod & hodierno rursus Juri canonico consentaneum est. Denique in partem aliquam veniebant electionis Monasteria omnia, *de omnibus Monasteriis*, quòd & omnia Episcopo subessent, *Ab omnibus obediri.*

IV. Cùm Pastore suo viduata esset Parisiensis Ecclesia, Carolus Calvus Rex Eneam Episcopum nominavit. Et nihilo tamen minus Clerus Ecclesiæ Parisiensis, Monachi sancti Dionysii, sancti Germani, sanctæ Genovefæ, sancti Mauri Fossatensis, aliique complures Archiepiscopum Senonensem, aliosque Provinciæ Episcopos & eorum Clerum per litteras certiores fecere, electum à se unanimi consensione Eneam: & quanquam judicio Regis & testimonio plurimum tribui sanè debuisset, tamen electum illum à se quoque fuisse, vitæ ejus, morumque accuratissimo examine præmisso. *Ipse in cujus manu cor Regis est, Domini Caroli mentì infudit, ut ejus nos regimini committeret, quem in divinis & humanis rebus sibi fidissimum multis experimentis probasset. Igitur Dei pronam in nos amplectentes misericordiam, & Regis nostri suscipientes providentiam, Æneam concorditer omnes elegimus. Quamvis enim tanta providentia & probitate Rex noster polleat, ut solum ejus judicium de viro memorato possit sufficere: tamen conditionis humanæ non nescii, futurarumque curiosi rerum, nos ipsius propositum & mores longe priùs inspeximus, & inter graves probabilesque personas & sanctitate fervente, hunc quem Antistitem habere cupimus, absque errore annumeravimus.*

Ibid p. 648.

Vix fingi quidquam possit accommodatius ad eam quam hic inculcamus concordiam libertatis electionum cum authoritate intervenientium iis Principum, qui vel nominabant, vel indicabant, vel insinuabant tantummodo ejusmodi viros, quorum singularis prorsus & exploratissima religio, virtus, eruditio ad assensum eos cogeret, quos Principis humanitas invitarat.

Hoc autem rursus exemplo liquet omnia Episcopatûs Monasteria conspirasse ad electiones cum Clero Cathedralis & matricis Ecclesiæ. Vide rursus ibidem oppida omnia Diœcesis Senonensia conspirent cum Clero Senonensi ad electionem Metropolitani. *Senonum Ecclesiæ Clerus cum totis ejusdem Parochiæ plebibus sibi conjunctis.* Ansegisus tum electus Presbyter Remensis. Quæ autem hic *Parochia* dicitur, non ea est quæ Parocho subest, non ea etiam provincia quæ Metropolitano, sed quæ cuique Episcopo paret propria Diœcesis. Ea tunc usitatissimè Parochia dicebatur, more antiquissimo, & à vetustissimis hausto Conciliis, Antiocheno, aliisque tertii & quarti sæculi.

Ibid. p. 649.

V. Concilium Vernum II. preces suas interposuit ad eundem Carolum Regem, ut ne diutiùs intercessione sua suspenderet electionem Aurelianensis Episcopi, à Ganelone Metropolitano factam, ab Episcopis Provinciæ, à Clero denique, Laïcisque. Cùm decennio jam toto vidua mœreret Ecclesia Remensis, eundem Regem ejusdem Concilii Patres exorarunt, ut sineret canonicam tandem ibi celebrari electionem: *Juxta venerabilium Canonum Constitutionem dignus ei celeriter quæratur Episcopus.* Cessit tam æquis & tam necessariis precibus Rex, quæ & in Concilio Bellovacensi iteratæ fuere. Hincmarus ergo Monachus sancti Dionysii à Clero populoque Remensi electus est, accedente assensione Archiepiscopi Senonensis, Episcopi Parisiensis, Abbatis & Monachorum sancti Dionysii. Nec enim nisi his consentientibus, quibus arctiori jam nexu obligatus erat Hincmarus, potuisset ille demigrare ex Provincia Senonensi, ex Episcopatu Parisiensi, & ex sancti Dionysii Monasterio. Hæc in eam rem Flodoardus: *Igitur à Clero & plebe ipsius Metropolis, nec non ab Episcopis ejusdem Provinciæ, Archiepiscopo Senonensis Ecclesiæ Vuenilone, atque Ercanrado Parisiorum Episcopo annuente, cum consensu Abbatis sui & Fratrum Monasterii sancti Dionysii, in quo degebat, favente quoque Carolo Rege Hincmarus electus est.* Ubi vides necdum tunc omnino percrebuisse eam distinctionem, quæ postulationi & electioni postea interjecta est. Porro hæc Fludoardi verba mutuata videntur ex Epistola Concilii Tricassini anni 867. ad Pontificem Nicolaum. Eadem habet & Hincmarus.

Can. 10.

Can. 9.

L. 3. c. 5.

Hincmar. To 2 p. 278

Qui verò hic memoratus est Ercanradus Parisiensis Episcopus, is ipse fuit cui successit Eneas, de quo nos suprà. At Ganelo Senonensis Archiepiscopus is nimirum fuit, quem diris accusationibus in Concilio Tullensi *ad Saponarias* anno 859. incessivit Rex Carolus Calvus, à quo consentientibus Provinciæ Episcopis in eam Metropolitanam sedem provectus fuerat. En ipsissima Caroli Regis verba in eo Concilio: *Vacabat Metropolis Senonum, quam juxta consuetudinem prædecessorum meorum Regum, Vuenilon tunc Clerico meo, consensu sacrorum Episcoporum ipsius Metropolis ad gubernandum commisi, & apud Episcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem*

dem Archiepiscopum ordinarent, obtinui.

VI. Denique ut indubitatissimè constet quàm sibi tum Reges in electionibus authoritatem sumebant, eam facilè conjungi potuisse cum canonica electionum libertate, refricanda tantùm memoria est expostulationis Joannis VIII. Papæ, de Metropolitano Ebrodunensi, qui alium Venciensium ordinarat Episcopum, quàm quem Clerici, Laïcique ejus Ecclesiæ elegerant, & Imperator Carolus
Epist. 70. Calvus confirmarat. *Nunc quia mortuo Venciensi Episcopo, non præfatum Sacerdotem quem Clerus & populus civitatis elegerat, piaque memoria Carolus Imperator suo consensu firmarat, consecrasti, &c.*

VII. Nec inficiamur tamen missos esse quandoque è Palatio Calvi eos, quibus ipse Episcopatus dari percuperet. At integram tum sibi intactamque Episcopi potestatem servaverant, eorum scrupulosissimè examinandi & vitam, & mores, & experientiam, doctrinamque, & abnuendæ ordinationis, ubi ea non responderent dignitati & sanctimoniæ Episcopali; preces autem monitionesque Cleri & populi ingeminandi apud Principem, & quidvis potiùs, quàm sinendi ut scelerosus indignusque incubator sanctissimum Ecclesiæ Thronum profanaret. Ita fidenter decrevere Patres Concilii III. Valentini, cujus luculentissimum Canonem
Can. 7. jam semel iterumque protulimus. *Si quando Episcopus decesserit, à Principe postuletur, ut canonicam electionem Clero & populo ipsius civitatis permittere dignetur. Sed etsi à servitio pii Principis nostri aliquis Clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Episcopus, timore casto sollicitè examinetur, primùm cujus vita sit, deinde cujus scientia: & vigore Ecclesiastico agat Metropolitanus, Episcopis sicut Dei ministris adjutorium ferentibus, ne maculata vita, & pompis sæculi turbidus, & simoniaca hæresi pollutus Ecclesiæ superponatur Episcopus. Si necessarium idem Metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, ut indebitè honorem bonis tantum debitum tradat, instruat populum, informet Clerum potius adire clementiam Imperialem, & ipse cum Coepiscopis, quibus valuerit modis, adeat, ut Ecclesiam Dei gloriosus Imperator digno honoret Ministro.*

Sicubi circumventi fuerant Reges, nominaverantque eos Episcopos, quos Episcoporum Provinciæ, Clericorum & Civium consensio detestaretur, non facilè poterant illi tantæ vel observantiæ, vel constantiæ reluctari Metropolitani, Episcoporum, Cleri & populi. Quo ita constituto, jam nemo non proniùs assentietur electionem eam legitimam haberi potuisse, ubi ei quem Rex vel nominasset, vel innuisset prior, Metropolitanus, Episcopi, Clerici, Civesque acquiescebant, qui reniti potuissent, nisi eum comperissent tanto dignum fastigio.

To. 2. p. 318. VIII. Hunc Canonem molestè tulit & exagitavit Hincmarus, at non iis ille offendebatur, quæ hîc nos amplexi sumus. Quæstio erat tunc magna animorum contentione partiumque dissidiis inter Episcopos Gallicanos de Gratiæ divinæ auxiliis vexata. Secta erat tunc Gallia in plures Reges, & diversorum Regnorum Præsules in diversas abisse sententias videbantur, quibus & authoritatem parabant à diversis aliarum aliarumque Provinciarum Conciliis. Compulit eos ea dissensio ad Nicolaum I. Papam referre. Suffragabatur Prudentius Episcopus Tricassinus Gottescalco Monacho, harum concertationum incentori: cui non minùs animosè Hincmarus refragabatur. Inde est quod & Epistolæ quam scripsit, ut ratam haberet ordinationem Eneæ Parisiensis Episcopi, cui adesse non poterat, hanc addiderit clausulam, ut subscriberet Æneas quatuor Propositionibus, quæ in controversiam vocatæ fuerant. *Si confitendo subscribere, & subscribendo* Conc. Gall.
confiteri voluerit, ejus me ordinationi consentaneum esse To. 2. pag.
profiteor. Sin aliàs, prorsus neque assentior, neque fide- 657.
libus Christi assentiendum suadeo.

IX. Ab eodem porrò Hincmaro alia Devolutionis species refertur, ab ea diversa quam suprà attigimus. Metropolitani enim in Suffraganeos prærogativas cùm explicaret, exhibereretque nepoti suo Episcopo Laudunensi: Metropolitano id juris adscribit, ut unum aliquem ex Episcopis Provinciæ designet, qui Visitatoris munia obeat in viduata Ecclesia: ut jubeat Electioni incumbi juxta Canones, ut digniorem eligat, si in plura scissa sunt studia, ut denique scrupuloso examine electum
excutiat. *In Provincia si fuerit defunctus Episcopus, ego* To. 1. pag.
& non tu, Visitatorem viduatæ designabo Ecclesiæ, ele- 408.
ctionem cum decreto canonico præcipiam fieri; & si in partes se eligentium vota diviserint, meum & non tuum erit eligere, qui majoribus ad ordinandum studiis juvetur & meritis, & meum est ordinandum examinare non tuum. Hoc jus devolutionis non erat ejusmodi, ut arbitrio suo eligeret quem vellet Metropolitanus, sed ut ponderaret numeraretque merita & suffragia eorum in quos Cleri plebisque secessio facta erat: ei autem Episcopalem addiceret sedem, qui juvaretur *majoribus studiis & meritis.*

At ubi notoriè indignus electus fuerat, Episcopi quandoque ipsi integrum Regi reservarunt eligendi seu nominandi arbitrium, ut quod ad eum tum quidem esset devolutum. Mira quadam observantia & humanitate coluit Carolus Calvus Rex Episcopos Carisiacensis Concilii, cum ad eos rejecit electionem Episcopi Lingonensis, etsi ab illis antè interpellatus fuisset, quo provideret ipse ei sedi, quam occuparet indignus. Audiendus hîc est
Flodoardus: *Suggesserat eadem Synodus Regi, ut al-* Flodoard.
terum ad regendam Ecclesiam Lingonicam constitueret, L. 3. c. 4.
quam Valfadus Ecclesiæ Remensis alumnus contra canonica occupaverat decreta. Et Rex jusserat, ut Episcopi quærerent talem, qui posset in Episcopali ministerio eidem Ecclesiæ proficere; eorumque vota in Isaac Hildnini discipulum convenerant.

X. Superest porrò & hæc, intacta hactenus prærogativa Regum & Imperatorum in electionibus Episcopalibus. Rescribens ad Hincmarum Archiepiscopum Remensem Joannes VIII. Papa pro electione Episcopi Laudunensis facienda, jubet ut Caroli Calvi tum Imperatoris Missus seu Legatus ei intersit, ut turbas factionesque prævertat, aut sedet omnes, Canonesque curet servari. *In quem om-* Colvenerii
nium vota consentiant, eidem Ecclesiæ præfice prorsus Scholia in
Episcopum. Cui electioni volumus etiam Missum piissimi Flodoard
Imperatoris interesse; ut sine sæcularium strepitu, omni L. 3. c. 22.
latere talis eligatur, qui aptus sacris Canonibus modis omnibus approbetur.

Prolixiùs infrà verba faciemus de hujus Decreti observatione. Impræsentiarum sufficit id animadvertisse, canonicæ libertatis in electionibus non adversarios, sed custodes & vindices fuisse Regum Missos & Delegatos, qui turbas compescerent & tumultuosas dissensiones. Concilium ad Theodonisvillam anno 844. confugit ad Reges, quò Ecclesiis
vacantibus Pastores providerentur: *Aut Episcopos à* Can. 2.
Deo datos, & à vobis regulariter designatos. Eò autem id tum fiebat, quòd Regum inter se dissensionibus & bellis electiones retardarentur.

Cum Rex Lotharius canonica irregularitate maculatum Clericum Cameracensi donasset Episcopatum, scripsit Nicolaus Papa ad omnes Regni ejus Episcopos, non sine intermination excommunicationis, nisi Regem impellerent ad canonicam in-
Epist. 63 dicendam Cleri & Plebis electionem. *Clero & Plebi licentiam tribuat eligendi.* Tanto vehementiùs rem eam urgebat Pontifex, quòd jam decem amplius menses præter Canonum normam vacaret ea Sedes. *Ultra decimum mensem contra sacrarum regularum definitionem Ecclesiam viduatam permanere permiseritis.* Hinc dubitare cogimur, an ea fuerit, quæ Franciæ nostræ Regum, moderatio & temperantia cæterorum quoque Carolinorum Regum. Hic ipse Rex Lotharius à fratre suo Ludovico II. Imperatore postulavit Episcopatum Gratianopolitanum, Bernario Clerico suo conferendum. Assensus est Ludovicus, & Adoni Archiepiscopo Viennensi mandavit,
Conc. Gall. to. 3. pag. 377. ut Bernarium in Episcopum ordinaret. *Rogavit, ut Bernario Episcopatum Gratianopolitanum concederemus, quod & fecimus. Idcirco monemus, ut voluntati fratris obedias, certus de nostra concessione, ut in Gratianopolitana Ecclesia ordinetur Episcopus.* In eandem sententiam scripsit & Lotharius Adoni. Nulla ibi mentio Cleri & Plebis consensus.

XI. At multò modi sui, & observantiæ avitæ in Canones retinentior fuit Carolus Calvus. Scripsit enim ad Adonem Archiepiscopum Viennensem, eum à se Bernario tributum esse Episcopatum ea cautione, ut summa authoritate dijudicaret Metropolitanus, an nominatio, an nominatus cano-
Ibidem. nicis institutionibus consentirent. *Ita concessimus Gratianopolitanum Episcopum, ut vestro judicio, si canonicè probaveritis, ibi à vestra sanctitate ordinetur Episcopus.* Addebat Carolus, qua erat animi prudentia in his, Archiepiscopi partes fuisse, ut Episcopum eligeret, si Imperator Ludovicus cessaret; Episcopis enim commendatam esse à Christo Ecclesiam: *Vobis enim, & omnibus Episcopis suis omnem Ecclesiam suam Christus Deus noster conclusit.* Unde verè Christianissimus Rex argumentatur in negotiis Ecclesiasticis Reges ipsos Episcopis subdi. *Cui & nos in omnibus venerabiliter subdi oportet.*

CAPUT XXIII. *P. 3. l. 2. c. 27.*

De Electionibus ad Prælaturas sub Regibus & Imperatoribus Carolinis posterioribus.

I. Hincmari magnanimitas ad tuendam electionum libertatem.
II. Alia ejusdem magnanimitatis documenta & libertatis.
III. Alia rursus utriusque documenta. Progressiones variæ in electionibus.
IV. Præpellebant Episcopi, & Principum desideriis, & petitionibus populorum.
V. VI. Privilegia eligendi, quæ à Regibus concedebantur, eò pertinebant, ut Episcopi e gremio eligerentur Ecclesiæ, non è Palatio mitterentur. Reliquum privilegiis jus tantum commune confirmabatur.
VII. Concordia liberæ electionis & Regum potestatis. Nova exempla.
VIII. IX. Quales quandoque Episcopi è palatio mitterentur.
X. Vis illata Remensi Ecclesiæ.
XI. Jus Regum in electionibus honori habitum, inter bellicos etiam tumultus.
XII. Cum Reges Custodes essent temporalium rerum Episcopatus, non facilè quisquam eò poterat contingere, nisi eorum assensione.
XIII. Quid senserit Florus de Regum consensu ad electiones.

I. Cum adeo constans & intaminata viguerit consensio, atque concordia Regiæ in electionibus authoritatis cum earundem canonica libertate, regnantibus Pipino, Carolo Magno, Ludovico Pio & Carolo Calvo; nemo non jam facilè sibi persuadebat eandem sub eorum successoribus retentam esse pacem, cùm & hi, ut Regni, ita & regiæ in Ecclesiam venerationis atque observantiæ hæredes se professi sint.

Animi magnitudine verè Episcopali scripsit Hincmarus ad Reges Ludovicum & Carlomannum, *pro electione canonica obtinenda*, in Ecclesia Tornacensi, sive ut tunc res erant, Noviomensi. Peracta autem secundùm Canones electione, cùm minùs probarent Reges, quòd tantum in ea potuisset Hincmarus, purgavit se apud eos ipse, præfatus quàm prono & propenso fuisset animo in eorum promotionem & consecrationem: nec dissimulavit interim, qui essent limites Regiæ & Pontificiæ authoritatis, qui demum & quibus dotati virtutibus ad Episcopales sedes essent accersendi, quantum studii Reges, operæque ponere deberent in Ecclesiasticis Regulis ediscendis; denique quanto se obligent piaculo, qui orbitatem protrahunt Ecclesiarum; vel retardatis electionibus, vel ubi factæ fuerint, objectis difficultatum molibus, ne convalescant. Audiamus Flodoardum: *Item pro ipsa ele-* Flodoard.
ctione jam facta, quam indignè tulerant, ab ipso Ar- l. 3. c. 19.
chiepiscopo fuisse dispositam. Item pro eadem re, ostendens qualiter in electione eorum consenserit, quando electi sunt ad regni Principatum, & quæ ab eis pro hac electione mandata perceperit: & quale sit ministerium regale & quale Pontificale, & qualis eligendus, vel ordinandus sit Episcopus, & qualis vel qualiter non debeat ordinari & ut divinas authoritates addiscere curent. Item pro eadem re sacris demonstrans authoritatibus, quam graviter in Deum peccarent, qui ordinationem illam tamdiu differre facerent.

II. Sub impuberibus his duobus Regibus sedebat ad regni gubernacula Hugo Abbas. Dedit & ad illum Hincmarus Epistolas, ut animaret alumnos Reges, *Quatenus voluntatem Dei & Antecessorum* ibid. c. 24.
suorum consuetudinem in hac causa conservarent: sanctissimè affirmans in electione Tornacensi easdem prorsus se leges, regulasque tenuisse, quas ab annis jam triginta quinque secutus esset: non diutius ergo Regiam consensionem ei electioni abnuendam, aut suspendendam esse; sanciti Canonicis institutis, liberæ ut sint electiones; ut eligantur Episcopi non ex Palatinis Clericis, sed ex Ecclesiæ cujusque proprio Collegio; non Regum, non Aulicorum, non Regiorum Ministrorum testimonia canonicis Regulis requiri, ut Ecclesiæ Pastor ordinetur; sed Cleri populique esse, ut eligant: Metropolitani, ut judicet de electione, Principis ut assentiatur, & tum demum celebrandam ordinationem. *Et quia ipse nihil inde aliud egerit, nisi quod per triginta & quinque annos in hujusmodi negotio solitus erat, &c. Adjungens sacrorum Canonum promulgatas super electione canonica authoritates, & ostendens, quod non Episcopi de Palatio præcipiantur eligi, sed de propria qualibet Ecclesia: & quod de ordinando Episcopo, non Regis, vel Palatinorum debet esse commendatio, sed Cleri & Plebis electio, & Metropolitani in electione dijudicatio, deinde terreni Principis consensio, & sic fieri Episcoporum manus impositio.*

III. Nisi temporum vicissitudine, vel edacitate interceptæ nobis fuissent hæ Hincmari litteræ, suppeteret ex iis mira quædam opulentia antiquæ & mediæ purioris Ecclesiarum disciplinæ, Decretorumque & Conciliorum, quibus Ecclesiarum liber-

tas validissimè municetur. Vel ex hoc frustulo cem conjectabis. Epistola scilicet ea est ex ipsis Hincmari Opusculis decerpta, quæ ab illo data est ad Ludovicum III. Balbi filium. Exordium autem ducit ab alia Epistola, quæ ab omnibus Concilii cujusdam Episcopis exarata fuerat ad eundem Regem, ut eum hortarentur, quo Archiepiscopis, Episcopisque pleniorem juxta Canones libertatem annueret eligendi Pastores Ecclesiarum, & ubi eos Cleri, Populique assensione commonuissent, tum eos ipsi sisteret, ut temporalia Ecclesiæ bona eis conferat, quorum Custos & Defensor est, consensuque & diplomate suo eos confirmet, ut mox à Metropolitano & Comprovincialibus ordinari possint. *Litteras direximus, in quibus hæc continentur: Ut sicut sacræ leges & regulæ præcipiunt. Archiepiscopis & Episcopis Conlimitanearum diœceseon electionem concedere dignemini, undecumque secundùm formam regularem electionis, Episcopi talem eligant, qui & sanctæ Ecclesiæ utilis & regno proficuus, & vobis fidelis ac devotus cooperator existat: & consentientibus Clero & Plebe, eum vobis adducant, ut secundùm ministerium vestrum, res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis dominus commendavit, suæ dispositioni committatis, & cum consensu ac litteris eum ad Metropolitanum Episcopum & Coepiscopos Diœceseos, qui eum ordinare debent, transmittatis.*

Hincmar. To. 2. p. 189

Ea erant Concilii verba, cujus os, & ingenium erat Hincmarus. Quocirca & ejus adgressus est defensionem, ubi gravissimis ab eo verberantur opprobriis, mejstisque conviciis Aulici adulatores, qui Regias aures pestiferis his imbuebant susurris, Cùm licentia eligendi à Regibus postulatur, eum quasi despondere eligendum, quem ipsi designarint. *Nam si quod à quibusdam dicitur, ut audivi, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Episcopi, & Clerus ac Plebs eligere, quem vos vultis, & quem jubetis: quæ non est divinæ legis electio, sed humanæ potestatis extorsio: si ita est, ut dici à quibusdam audivi: ille malignus spiritus, qui per serpentem primos parentes nostros in paradiso decepit, & inde illos ejecit, per tales adulatores in aures vestras hæc sibilat.*

IV. Subdit infernis ex antris eructatam esse tam exitialem doctrinam, Scripturis, Canonicisque & Imperatoriis legibus prorsus inimicam: *Nec in Scripturis neque in Catholicorum dictis, vel in sacris Canonibus, vel etiam in legibus à Christianis Imperatoribus vel Regibus promulgatis, hoc scriptum vel decretum invenitur, sed talia dicta infernus evomuit.* Id verò quod ad Leges Imperatorum spectat, confirmat ex Lege, seu Capitulari Caroli Magni suprà jam sæpiùs commendato, & quod in Capitularium

L. 1. c. 84 libris legitur: *Sacrorum Canonum non ignari, &c.* Ex quibus id denique infert, non Regis esse eligere, sed assentiri electioni per Episcopos factæ, qui dignoscere possunt, qui sint sacræ dignitati sustinendæ & muniis ejus obeundis idonei, qui absurdi. *Sicut & leges & regulæ dicunt, In electione Episcopi assensio Regis sit, non electio, in Episcoporum verò executione sit electio, sicut & ordinatio.*

Regem ibidem obtestatur Hincmarus, Professionis ut meminerit, cui se astrinxerit, subscripseritque inter ipsa inaugurationis Regiæ solennia, utque eam frequenter sibi perlegi jubeat: ut ne quid moliatur ultra eos limites, quos sibi summi Reges, sanctissimique Imperatores, avi atavique circumscripserunt. *Talia vestro tempore in sanctam Ecclesiam introducere non tentetis, qualia magni Imperatores & antecessores vestri suis temporibus introducere non præsumpserunt.* Tom. II.

Certabatur de electione Episcopi Bellovacensis. Contendebat Rex eum confirmandum in quem *vota omnium concordarent.* Episcopi ex adverso pertendebant, electum ei gerendæ sarcinæ prorsus imparem esse, ejus rei judicium ad se spectare: quin imo & devolutam ad se esse electionem, quòd cùm Bellovacenses binas ternasve continuassent electiones Canonibus infestas, ex canonicis sanctionibus excidissent jure eligendi. *Perdiderunt electionem sicut ostensum est illis in Synodo, & per sacras regulas non ulterius illorum: sed Episcoporum esse electionem, quam non præire, sed subsequi, &c.* Cùm denique conniteretur Rex, ut ea saltem vice suis votis se inflecteret & accommodaret Hincmarus, constantissimè ille respondit: Si quid præter suam & præter Regiam professionem, si adversùs divinas humanasque leges committeret, fore ut æternum & ipsi sibi exitium accerseret, & eodem Regem implicaret. *Etsi vobis consensero, ut contra divinas & humanas leges, & contra vestram & meam, coram pluribus in Synodo Episcopis cohibentibus, professionem faciatis, me perdam, & vos non salvabo.* Ibidem. pag. 194.

V. Humaniùs Carlomannus Rex in Aurelianensem Episcopum consuluit, cui ejusdem Hugonis Abbatis, aliorumque Consiliariorum suorum, tum ex Clero, tum ex Proceribus suasione concessit, ut omnia ejus Ecclesiæ privilegia innovarentur, quæ Normannis omnia populantibus exusta fuerant: utque integra & incolumis ibi servaretur electionum libertas, Pontificum hactenus, & Regum tuitione defensa. *Unà cum consultu venerabilis Hugonis Abbatis, totiusque regni nostri utriusque ordinis Procerum, &c. Privilegia sive præcepta in eligendis sibi Pontificibus, tam authoritate Apostolica, quamque Patrum nostrorum confirmatione habuisse firmata, &c. Exoravit, ut nostræ authoritatis præceptum super hoc suæ denuo confirmassemus Ecclesiæ, atque liberam à nostra parte licentiam eidem concessissemus, antiquam authoritatem more canonice à sede Apostolica impetrandi.* Spicil. to. 2. pag. 149.

Duo hic autem obiter notanda. Primum est, ita sibi persuasisse hunc Episcopum, nec concessionem, nec confirmationem Ecclesiæ suæ privilegiorum à Papa postulandam sibi esse, nisi Rex assentiretur peti. Alterum est, quod hic privilegium dicitur, non esse tamen nisi juris communis Beneficium. Sed cùm Procerum frequentes essent in Ecclesiasticas libertates contumeliæ & incursiones; his eas novorum Rescriptorum præsidiis, quibus plerumque plus tribuitur, quam antiquis, eas vallare & munire optimi quique laborabant Episcopi.

VI. Non sinebat eo ipso tempore Carolus Crassus Italiæ Rex, Hieronymum Episcopum Lausanensem Ecclesiæ suæ possessionem inire. Monuit illum per litteras Joannes VIII. Papa, ejus Episcopi & electionem fuisse canonicam, & ordinationem, utpote ab Episcopis Provinciæ celebratam, quibus eam curam delegarat Metropolitanus, tum gravi ex morbo decumbens. *Jam dictum Episcopatum Lausanensem sibi divinitus concessum, nostraque Apostolica etiam authoritate commissum sub omni integritate recipere, habereque securiter permittatis: ne amplius eadem Ecclesia contra statuta Patrum sine proprio Rectore consistat. Nam regulariter illum electum, & proprio Archiepiscopo causa infirmitatis præbente consensum, & Episcopos consecratores illius, litteris quas nobis ostendit, rogante, consecratum fuisse agnoscimus.* Conc. Gall. To. 3. pag. 100. 518.

Cùm Optandus electus fuisset de licentia Caroli Crassi Imperatoris Episcopus Genevensis, hortatorias ad Genevenses idem Pontifex scripsit Epistolas,

eidem ut morigeros se præberent: *Præcognita vestrûm omnium in eodem Optando electione, & qualiter idem serenissimus Imperator eidem Ecclesiæ electionem perenniter de proprio Clero donaverat, &c.* Adverte hîc porro ut ex Pontificia Epistola hac Carolus Crassus Imperator Ecclesiam Genevensem eo exornasset privilegio, ut Episcopum semper suum è proprio eligeret gremio: *Electionem perenniter de proprio Clero donaverat.* Non ergo ex privilegio annuebant Ecclesiis Principes eligendi libertatem, sed eligendi ex *proprio Clero*, non expectatis, non suscipiendis unquam, qui è Palatio ordinandi mitterentur: quanquam id sibi quasi ex jure arrogarent Principes, etsi & ex indulgentia quandoque Episcopi eis obsequerentur, & servirent tempori, quo ampliora inde in Ecclesiam ornamenta aliquando redirent.

Id quoque præcipiebant Canones, ut ex cujusque Ecclesiæ Clero Episcopus deligeretur. Sed non ea erat horum Canonum antiquitas, nec tam religiosa eorum observatio, ut non & illis sæpissimè ipsæ sua sponte Ecclesiæ derogarent, & Episcopos sibi aliunde arcerent. Itaque multò minùs Reges iis Canonibus se obligatos existimabant, quibus & ipsæ minùs parerent Ecclesiæ. Inde erat quòd & Episcopi citra assentationem in his Regibus plerumque assentirentur, si modò ab iis illi è Palatio mitterentur ordinandi Episcopi, quorum virtutes & insignes dotes & Regiæ responderent benevolentiæ, & amplitudinem Episcopalem non dedecorarent, ad quam non sine Cleri Populique assensione promovebantur. Nec illa Capitularium lex, qua Carolus Magnus & Ludovicus Pius libertatem restitutam voluerunt electionum, aliud concedebat, quàm ut Episcopus ubique è Clero Ecclesiæ, & è propria

L. 1. c. 84. Diœcesi eligeretur. *Adsensum ordini Ecclesiastico præbemus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri & Populi secundùm statuta Canonum de propria Diœcesi eligantur.*

Nec dubitandum, quin ubi Reges *electionem canonicam* in perpetuum alicui concedebant Ecclesiæ, eam facultatem ejurarent, exuerentque, mittendi quos vellent Episcopos è Palatio suo. Id genus fuit privilegium, quo idem Carolus Crassus Ecclesiam Cabilonensem donavit: *Ut obeunte Pastore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeat electionem.* His munitæ privilegiis Ecclesiæ nihilominus receptæ morem gerebant consuetudini, monendi Regis de obitu sui Pastoris, & impetrandæ licentiæ novi deligendi. Adversùs eos tantùm qui è Palatio immitterentur Episcopos septæ & armatæ erant ab ipsis Regibus.

VII. Carolum Simplicem Regem interpellarunt Tungrenses, ut Richerium sibi daret Episcopum, quem elegissent in locum Hilduini usurpato-

Conc. Gall. To. 3. p. 575. 576. 577. ris. *Omnes tam Clerici, quàm Laici, addentes in precibus, ut illis ad ordinandum daremus Pontificem Richerum, quem concorditer elegerunt.* Castigavit acerbissimè Hermannum Coloniensem Archiepiscopum Joannes X. quòd Hilduinum ordinasset, qui electus non fuerat, nec à Rege donatus Episcopatu, à quo solo poterat eo donari. *Cùm Hilduinum canonicis sibi obviantibus regulis, absque Clericorum electione & Laïcorum acclamatione, Episcopali infula decorare non denegastis, cùm prisca consuetudo vigeat, qualiter nullus alicui Clerico Episcopatum conferre debeat, nisi Rex, cui divinitus sceptra collata sunt.* Colpæ autem vertitur, quòd tenuerit Richerium ordinare, quem Clerus Populusque elegerat, quod ipsius etiam Caroli Regis & Berengarii Imperatoris testimonio confirmabatur. *Quia Richerius, ut Caroli Regis testimonium perhibet, & Berengarii Imperatoris litteræ testantur, primitus à Clero electus, & a Populo expetitus est.* Ex quo id efficitur, ubi Rex Episcopatus dabat, eo confirmatam, non explosam fuisse electionem. Unde subjicit mox Pontifex, velle se, ut Carolus Rex Majorum suorum augustissimorum jura & privilegia retineat omnia in confirmandis electionibus. *Et sicut priores suos Antecessores, nostrorum Antecessorum authoritate, Episcopum per unamquamque Parochiam ordinare probabiliter statutum est, ita ut Rex Carolus faciat confirmando jubemus.* Quod confirmat datis ad ipsum etiam Regem litteris. *Eo quod prisca consuetudo & Regni nobilitas censuit, ut nullus Episcopum ordinare debuisset, absque Regis jussione.*

VIII. Fulconi Archiepiscopo Remensi crimini vertit Formosus Papa, quòd Presbyterum Berthatium Catalaunensem Episcopum non ordinasset, cùm à Clero & Plebe electus fuisset, & eam electionem Rex Odo assensu suo confirmasset. *Scribit Archiepiscopo pro Berthario, quem Clerus & Plebs Ec-* Flodoard.
clesiæ Catalaunensis consensu Regis Odonis ad Episco- L. 4. c. 3 4.
patum dicebatur elegisse, succensens quod hunc vocatum canonicum noluerit consecrare. Simile veri est Fulconem eas criminationes diluisse apud Stephanum Formosi successorem, cui & exposuit totam anteactæ vitæ suæ rationem, & ipsa Episcopatûs sui primordia: Se enimvero sacris Litteris à pueritia innutritum, & in Aula Caroli Calvi, Ludovici Balbi, & Carlomanni institutum: sub Carlomanno tandem à Clero & Plebe Remensi expetitum se ad Metropolitanam eam Sedem fuisse. *Adnectens simpliciter, ut ab ipsis pene cunabulis educatus canonicis fuerit disciplinis, donec à glorioso Rege Carolo Imperatoris Ludovici filio, in Palatinis ac domesticis ejus sit assumptus obsequiis. Sicque in aula Palatii perseverans usque ad tempora Carlomanni Regis, Ludovici Junioris filii, nepotis ejusdem Caroli; quando à sanctis Remensis Provinciæ Episcopis, necnon à Clero & Plebe hujus electus sit, & Episcopus ordinatus.* Quo exemplo perspicis, qui in Aula & Palatio Regum ætatem agerent etiam ab infantia, eos sacris nihilominus & canonicis disciplinis operam dedisse: & qui è Palatio Regum prodibant, canonica tamen electione sacras non rarò infulas consecutos esse.

IX. Idque luculentè declaratur alia ejusdem Fulconis Archiepiscopi ad Odonem Regem Epistola, qua obtestatur ut Ecclesiæ Laudunensi liberam permittat electionem, nec populis invitis & renitentibus Pastorem obtrudat. *Odoni Regi litteras dirigens* Ibid. l. 4. c. 5
rogat, pro concedenda Ecclesiæ Laudunensi post decessum Didonis Episcopi electione libera; ostendens non oportere violenter eos, ad eum quem nolunt suscipiendum, compelli.

Liquidum est ergo, si quos è Palatio suo Clericos Rex averet Episcopos deligi, non tamen vim adferre Ecclesiæ debuisse, cui ea erat potestas, id officium, ut eos examinaret, abnueretque quos indignos comperisset. Denique ubi idoneus erat, quem Princeps ionuerat immiseratque, tum ei Clerum & Plebem acquiescere, hoc ipsum jam eligere erat, cùm dissentire & abjicere potuissent.

X. At tyrannica prorsus ea vis fuit, cùm Herebertus Comes Clerum, Populum, Episcopos, Regem, Papam eò adegit, ut eligerent confirmarentque in Archiepiscopum Remensem Hugonem filium suum, annos vix quinque natum. *Tractans super electione, tam Clericos, quàm Laicos ad voluntatem suam*

intendere facit. Nimirum reformidatum est tunc, ne à prædonibus aliis compluribus expilaretur Ecclesia Remensis: itaque consultius visum est uni acquiescere deprædatori, qui cæteros compesceret
Ibid c. 20. 24 33. omnes. *Sequentes igitur consilium ejus, ne fortè per extraneas personas Episcopatus divideretur, eligunt filium ipsius, qui nec adhuc quinquennii tempus expleßet.* Quamprimùm autem repressa est Hereberti Comitis tyrannica vis & insania, Rodolphus Rex, qui non potuerat non vel simulatè Hugonis electioni assentiri, canonicè Artoldum eligi fecit. *Rodulphus Rex litteras Remis misit ad Clerum & Populum pro electione Præsulis celebranda, &c.* Quod & Artoldus ipse in Concilio Ingelheimensi anno 948. testatum fecit: *Admonet Rex Clerum & Populum de Pastoris electione, dans eis id agendi facultatem, ad Dei honorem, & sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis, tam Clericis, quàm Laïcis eligitur humilitatis nostræ persona.*

XI. Quanquam ergo tunc ingruerent undique & sævirent bella, Canonum tamen vox & authoritas in honore erat: cùmque majestas Gallicanorum Regum ab insolentissimis undique Tyrannis incesseretur, colebatur tamen illa religiosissimè ab Ecclesia, quæ præter eorum voluntatem nullos sibi Episcopos præfici patiebatur. In Concilio Remensi anni 975. excommunicatione innodatus est Theobaldus Episcopus, quòd se tyrannicè in Sedem Ambianensem injussu Regis intrusisset: *Convenerunt medici, qui morbos tuos optimè noverint, tyrannicam scilicet vim qua infulatus es contra regium velle.* Præerat ei Concilio Stephanus Benedicti VII. Papæ Legatus, cum Adalberone Remensi Archiepiscopo. Hic ille est Adalbero, qui in alia quadam Epistola id laudi sibi ducebat, id venditabat, quòd à Deo & à Rege Episcopatu esset donatus: *Quondam nobis Episcopio gratia Dei, & benignitate Regia contradito.*

XII. Ingenuè fatemur, cùm custodiam & tuitionem profiterentur Reges penes se esse omnium Ecclesiæ bonorum temporalium: non potuisse electos Episcopos non assensu & beneficio eorum Episcopatus ipsos adire, & possessionem eorum capessere. Id forsan sonant illa Adalberonis verba, *Episcopio nobis benignitate Regia contradito.* Id apertiùs significant illa Hincmari verba: *Quia Princeps terræ res Ec-*
Du Chesne. T. 2. pag 485. *clesiasticas, divino judicio tuendas & defensandas suscepit, consensu ejus, electione Cleri ac Plebis & approbatione Episcoporum Provinciæ, quisque ad Ecclesiasticum regimen provehi debet.* Sed necessaria illa Regis consensio, & Episcopatûs donum, seu collatio temporalium, nihil officiebat electioni liberæ priùs peractæ: siquid autem præterea auderent Ministri Regii, injuria ea erat Canonum, quæ detestationi deinceps esset, non imitationi. Ejusmodi fuit nominatio ejus qui Rabano suffectus est Archiepiscopo Moguntino, ubi Annales Fuldenses aiunt plus momenti fuisse in Rege & Consiliariis ejus, quàm in
Ibid p. 553 Cleri & plebis suffragiis. *Cui successit Karlus, magis ex voluntate Regis, & Consiliariorum ejus, quàm ex consensu & electione Cleri & populi.* Nec verò ea res animadversa esset ab horum compilatore Annalium, nisi præter usum receptissimum usurpata tunc fuisset.

XIII. Finem faciet huic Capiti Florus Diaconus & Doctor Ecclesiæ Lugdunensis, qui hæc observavit circa necessitatem Regii consensûs ad electiones Episcopales. In his certè nec sobriam audaciam desideres, nec prudentiam singulari fiducia & fortitudine munitam. Docet ergo ille ex Apostolica traditione in solius Cleri Populique suffragatione positas primò fuisse electiones. *Quem communis Cleri & Plebis consensus elegerit.* Prioribus sæculis consensum Principis ne potuisse quidem expeti. *Præfuisse Antistites absque ullo consultu mundanæ potestatis, à temporibus Apostolorum, & postea per annos ferè quadringentos.*

Ubi Christianis Mysteriis initiati fuere Imperatores, Ecclesiæ primævam illam electionum libertatem sospitem constitisse in plerisque saltem Provinciis: cùm ne fieri quidem posset, ut admoneretur Imperator, atque assensus ejus expectaretur, quoties obisset Episcopus, eique sublegendus esset successor, per Europæ, Asiæ, Africæ Provincias omnes Christianas, etiam remotissimas. *Ex quo Christiani Principes esse cœperunt, eandem in Episcoporum ordinationibus Ecclesiasticam libertatem ex parte maxima permansisse, manifesta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cùm unus Imperator orbis terræ Monarchiam obtineret, ut ex omnibus latissimis mundi partibus, Asia videlicet, Europa & Africa, omnes qui ordinandi erant Episcopi, ad ejus cognitionem deducerentur.* Opusculum Flor. post oper. Agobar.

Peculiaria gesta B. Martini Turonensis, Eucherii Lugdunensis, aliorumque, palam id prodere, injussu Principum terrenorum celebratas tum fuisse electiones; eo adhuc ævo Romanos Præsules eligi solere, nullo interveniente Principe sæculari: quin & Provincias omnes Romani Præsulis temporali mancipatas ditioni, eadem immunitate gaudere: *Sed & in Romana Ecclesia usque in præsentem diem, cernimus absque interrogatione Principis, solo dispositionis judicio, & fidelium suffragio legitimè Præsul consecrari: qui etiam omnium regionum & civitatum quæ illi subjectæ sunt juxta antiquum morem, eadem libertate ordinant, atque constituunt Sacerdotes* Non illaudata tamen consuetudine in quibusdam Provinciis ad alendam indivulsam Sacerdotii & Regni pacem atque concordiam inolevisse, & constanter retineri, ut consensus Principum requiratur. *Quod verè in quibusdam Regnis postea consuetudo obtinuit, ut consultu Principis fieret ordinatio Episcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem & concordiam mundanæ potestatis, non tamen ad complendam veritatem vel authoritatem sacræ ordinationis.* Ex quo & illud emergit, sequi, non præire debere Principis consensum.

CAPUT XXIV. *P. 3. l. 2. c. 28.*

De libertate electionum in Germania, Anglia, Italia temporibus Caroli Magni, ejusque in Imperio & Regno successorum.

I. Eadem viguit in Germania suffragiorum Cleri, Plebis & Episcoporum concordia cum authoritate Principum in electionibus.

II. Potissimum verò Imperantibus Ottonibus. De electionibus in Anglia

III. In Italia libertati electionum Romani suffragantur Pontifices, quanquam in illis & Pontificum & Imperatorum consensus requireretur.

IV. Nova argumenta necessarii hujus consensus Pontificum, Imperatorum vel Regum Italiæ.

V. Temporalia hi quoque Reges occuparant Episcopatuum vacantium bona: ex quo necessitas illa exsistebat eorum consensionis

VI. Unde necessitas consensus Romanorum Pontificum

I. PErlustrandæ nobis supersunt electiones Germaniæ, Italiæ, Romæ, Græciæque, ut in his explorata fiat eadem libertatis canonicæ concor-

dia cum interventione Principum, qui iis se qua-
dam ex parte inserebant. Et Germania quidem cùm
pareret tunc Gallis Regibus & Imperatoribus, non
poterat non illa Gallicanæ obsequi & servire Eccle-
siarum disciplinæ. Itaque cum Tricassina Synodus
anno 867. ad Nicolaum Papam scripsit, Ebbonem
Episcopatu Remensi in Gallia spoliatum, à Ludo-
vico Germaniæ Rege Hildeshermensi donatum fuis-
[Conc. Gall. To. 3. pag. 316.] se in Provincia Moguntina: *Largitione Ludovici Re-*
gis Episcopium vacans obtinuit: sem ita capies, ut
[Flodoard. L. 2. c. ult.] Rex approbata electione, tum Episcopatum con-
cesserit. Et sanè in Concilio Coloniensi anni 887.
perhibetur à Cleso Mindensi electus in Episco-
pum fuisse Drogo Presbyter, & à Concilii Episco-
[Surius de 16 Mart. c. 5.] pis inauguratus. Scriptor quoque vitæ sancti Here-
berti Archiepiscopi Coloniensis, narrat ut Can-
cellarium ille priùs egerit Ottonis III. Imperatoris,
à quo invitatus sit, ut Presbyteratu initiaretur;
cúmque non multò pòst vacante Coloniensi Eccle-
sia, non posset Clerus in suam sententiam Plebem
adducere; ut Præposito ejusdem Ecclesiæ suffraga-
retur, ipsemet tandem Præpositus eligendum osten-
dit Heribertum, cui confestim accessit Cleri, Po-
pulique *una omnium vox, una voluntas*. In Italia
tunc versabatur Imperator, qui mox ut ejus electio-
nis certior factus est, impensas Deo gratias quòd
tacitis animi sui votis obsecundassent Cleri Populi-
que suffragia, anno 998. *Ubi Coloniensium adfuit*
Legatio, viri complures honorati, tam de Clero, quam
de Populo, cum quibusdam de principibus terræ maxi-
mis, electionem coram deprompserunt personæ talis.
Tunc vehementer exhilaratus Imperator prudenti con-
silio civitatis grates non minimas egit, quia quod ipse
optabat, quodque optimum sibi videbatur, hoc ipsi
quoque sentirent, & eligerent uno eodemque secum spi-
ritu. Ambitiosos omnes Episcopatus Ratisponensis
candidatos priùs ablegarat, & spe frustraverat Ot-
to II. ut sanctissimum virum Volfangum promove-
ret, cui incunctanter Cleri Populique studia aspi-
[Surius die 31. Octob. c. 12.] rarunt. *Cum Legatis Imperatoris profecti sunt Ratis-*
ponam, ubi Clerus & Populus, ut Imperator petebat,
more Ecclesiastico sanctum Volfangum unanimiter ele-
gerunt, electumque cum Imperatoris nunciis ad ejus
Aulam dimiserunt.

II. Germani ergo imitatores Caroli Magni pie-
tatis fuere Ottones Imperatores, ideoque & incor-
rupti Ecclesiasticæ in electionibus libertatis vindi-
ces. Id novo hoc firmabimus exemplo. Erat Mein-
vercus Regio sanguine nobilis, eumque Otto III.
Capellanorum suorum collegio inscripsit. *Regia stir-*
pe genitus evocatur ad Palatium, & Regius Capellanus
efficitur. Regebat tunc Paterbonensem Ecclesiam
sanctissimus Pontifex Rethardus, qui ab Ottoni-
bus II. & III. confirmari pervicit privilegium Ec-
clesiæ suæ olim indultum à Carolo Calvo, & à Pon-
tifice Romano, ut electiones à Clericis urbis fie-
rent, & de ipso urbis Clero Episcopi deligerentur:
[Surius die 5 Jun. c. 7.] *Electionem quoque Episcoporum, inter ejusdem & ab*
ejus Ecclesia filiis faciendam, quam eis diversi Reges
diversis temporibus liberaliter concesserunt, &c. Post
ejus Episcopi obitum Henricus Rex consilio Epis-
coporum & Procerum Curiæ nominavit Meinver-
cum, quem statim communefecit, ea de causa il-
lum à se eligi, quòd cùm opibus affluerer, sponsam
senuem inopemque ducere ex officio charitatis de-
beret. Ejus unius paupertatis contemplatione assen-
sus est Meinvercus, ut qui virtutibus etiam quàm
terrenis opibus instructior & locupletior esset, &
Episcopatum ne spe quidem unquam, vel cogita-
tione præsumpsisset. *Adscitis Episcopis & Principibus*
qui aderant, de successore tali loco, & tempore idoneo
consilium habuit, & diu scrutatis perspectisque plurimis,
Meinvercum, &c. Mirum illud hîc accidit, qua tan-
dem ratione priùs confirmato libertatis electionum
jure & privilegio, Meinvercus à Rege nominatus sit,
accitusque ad sacras infulas, Clero & Plebe incon-
sultis. Verùm pluribus jam exemplis proditum est,
Cleri & Plebis suffragia præisse sæpissimè, etsi si-
lentio premantur. Nec verò sinit nos Henrici hujus
Regis pietas singularis, qua & ad Imperium mox
adscitus est, dubitare, quin tenacissimus fuerit,
observandarum Ecclesiasticæ Disciplinæ Regularum,
in rebus iis, quæ tantum haberent momenti ad Ec-
clesiæ & Reipublicæ salutem.

Nec aliter, ut reor, res habebant in Anglia. Me-
morat enim Vuillelmus Malmesburiensis, tum de-
mum Cantuariensis Ecclesiæ sarcinam subisse Odo-
nem, ubi sensit Episcopos cum Rege in eam rem
conspirare; assensum tunc extorquente voce Popu-
li, & confessionem, quòd ea vox quoque sit Dei:
Sed cum Regiæ voluntati Episcoporum omnium assensus [De gest. Pon. Angl. L. 1. pag. 200. 202.]
accederet, tandem vix propositi sui rigore edomito, in
communem porrexit sententiam, recogitans illud prover-
bium, vox populi, vox Dei. Non potuisset consensio-
nem Regis & Episcoporum Odo vocem populi in-
terpretari, nisi Regis & Episcoporum suffragiis vo-
ta Cleri Plebisque prælusissent.

Nec ab eo more abhorret electio sancti Dunstani
in eandem Sedem. Non cessit ille importunis Ed-
gari Regis precibus, nisi ubi illis invicta quædam
vis addita est Episcoporum consensione. *Regis Ed-*
gari ambitur precibus, ut sedem Primariam dignaretur
sanctitatis suæ industria. Sed ipse non semel surdis auri-
bus rogantem differens, tandem concordi omnium Epis-
coporum assensu pressus manus dedit. Non quidem his
vocibus excluduntur Cleri & Plebis suffragia, aut
vota, sed longè plurimum momenti ponitur in Epis-
copis & Regibus ad electiones Episcopales. Attin-
gemus & infrà aliquid rursus de Angliæ electioni-
bus capite XXVII. n. XIII.

III. Venio ad electiones Italiæ Episcoporum,
quibus illibatæ præ cæteris libertatis gloria ex eo
vendicatur, quòd Apostolicæ essent Sedi propio-
res, cui potissima incumbit cura & sollicitudo li-
bertatum Ecclesiæ. Jam semel iterumque diximus,
Adrianum I. id Carolo Magno professum esse, nun-
quam intervenire se electionibus Canonicis; con-
secrari à se, quem Clerus Populusque delegisset,
præmisso examine scrupuloso; denique authorem
fuisse Carolo, ut idem ipse sequeretur. *Qualis à* [Conc. Gall. To. 2. pag. 96.]
Clero & Plebe cunctoque populo electus canonicè fuerit,
illum ordinamus. Confirmavit eidem Carolo Adria-
nus, nec à se, nec à Pipino Rege delegatos un-
quam fuisse Apocrisiarios, seu Missos, qui interes-
sent electioni Episcopi Ravennatis, ut quæ liberis
semper fuisset permissa Clericorum & laïcorum suf-
fragiis ejus Ecclesiæ. *Nos neque à prædecessoribus no-* [Ibid. p. 120.]
stris, neque à genitore nostro Pipino Rege, neque à ve-
stra in triumphis regali victoria, Missum ad electionem
Ravennæ directum esse, meminimus. Sed Clerus & Po-
pulus, &c. talem sibi eligerent Pastorem, &c.

In Concilio Romano sub Stephano IV. post-
quam abdicatus & ejectus fuit Constantinus Anti-
papa; postquam gradu dejecti sunt Episcopi omnes,
quos ordinaverat: constitutum est, ut si Clerus sur-
sum, & populus eos eligeret, Episcopalibus eos
sedibus Pontifex redintegraret. *Etsi placabiles fuis-* [Anast. Bibl. in Steph. IV.]
sent coram populo civitatis suæ, denuo facto decreto

electionis more solito cum Clero & Plebe, ad Apostolicam advenissent sedem, benedictionis susciperent consecrationem. Et mox: *Electi denuo à Clero & Plebe, factoque Decreto, ab eodem Papa consecrati sunt.* In Concilio autem Romano Nicolaus I. Archiepiscopo Ravennati præcepit, ne quos posthac ordinaret Episcopos, nisi à Duce, Clero & Populo electos. *Item sancimus, ut Episcopos per Æmyliam non consecres nisi post electionem Ducis, Cleri & Populi, per Epistolam Apostolicæ sedis Præsulis acceperis eos consecrandi potestatem.*

IV. Necessarius erat ipsius Papæ consensus, ut Provinciæ suæ Episcopum canonicè electum ordinare posset Archiepiscopus Ravennæ. Liquet id quidem ex hoc Nicolai I. Decreto & Synodi Romanæ. Eadem lex vigebat & in Episcopis Provinciæ Mediolanensis, post electionem Cleri & Populi, desiderabatur adhuc confirmatio Papæ & Regis, ut tum demum possent à Metropolitano Mediolanensi ordinari. Id nos edocet Epistola Joannis VIII. ad Archiepiscopum Mediolanensem super ordinatione
Epist. 160. Episcopi Astensis. *Accidit ut Astensis Ecclesia Pastore proprio obeunte, permissu Caroli gloriosi Regis, idem Joseph post electionem Cleri & Populi expetitionem, in eadem Ecclesia deberet ordinari Episcopus. Tua fraternitas tam nostra absolutione, quam etiam ipsius Regis exhortatis monitionibus, hoc libenter admisit, & canonicè jura complere ignara est.* Scripsit idem Papa ad Clerum, Senatum, Populumque Ravennatem, quò eos excitaret ad canonicam Episcopi electio-
Epist. 304. nem: *Sacerdotibus & Senatui, Populoque Ravennati*
Epist. 171. *fidelibus nostris.* Cùm vacaret Vercellensis Ecclesia, & desperata jam esset populi secum confligantis concordia, Episcopum nominavit ipse Pontifex, juxta Canonicas inter hæc impacata dissidia sanctiones, Regemque Carlomannum oravit, ut in possessionem illum mitteret Episcopatus. Diaconus is erat, cùm Papæ, tum Regi fidei vinculo obligatus. *Rogamus ut Episcopatum huic Diacono, communi fideli nostro, ac vestro tribuatis.*

Cùm abdicatus depositusque fuisset Anspertus Mediolanensis Archiepiscopus in Concilio Romano, scripsit Pontifex ad Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos & omnem Clerum Mediolanensem, ut convocarent Populum, Præsulemque sibi eligerent, delegatis eodem tempore Episcopis Papiensi & Ariminensi, qui vice sedis
Epist. 118. Apostolicæ præessent electioni. *Omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omni Clero S. Eccles. Med. &c. Jubemus, ut convocantes populum civitatis, de electione alterius, qui de Cardinalibus Presbyteris aut Diaconibus dignior fuerit repertus, ad Archiepiscopatus honorem promoveatis, &c. Sanè fratres & Coëpiscopos Ticinensem & Ariminensem illuc vice nostra dirigimus, qui vobiscum pariter eandem electionem faciant.* Propè abest à vero Carlomanni Regis tum Italiæ assensum quoque præstitum esse, etsi non expressum sit. Idem enim ipse Pontifex ut Vercellenses cives cogeret Conspetto assentiri, quem ipse nominaverat, significavit eis Carlomannum Regem ex Majorum suorum more, Regum & Impera-
Epist. 123. torum, dono ei hunc Episcopatum dedisse. *Carlomannus gloriosus Rex istius Italici regni Vercellensem Episcopatum, more prædecessorum suorum Regum & Imperatorum concessit huic Conspetto, præsentibus Missis nostris.* Dictum est jam à nobis, non antè vel Pontificem, vel Regem cum Episcopatum donasse, quàm inexpiabiles dissensiones electionis spem excussissent.

V. Elucet autem splendidissimè Pontificum & Regum Italiæ potestas circa Episcoporum electiones, in provectione Ratherii ad Episcopatum Veronensem. Tam enixe à Pontifice rogatus & interpellatus est Rex, ut non potuerit ille non acquiescere, quamvis longè diversum aliquid ipse moliretur. *Allatæ sunt litteræ Papæ Joannis, quibus contine-* Spicil. to. 2.
bantur preces ejusdem totiusque Romanæ Ecclesiæ, uti pag. 247.
ego Veronensibus darer Episcopus. Displicuit hoc non parum Regi, contraria molienti, sed obtinuit deprecatio Apostolica, instante cum primoribus regni domino meo.

Ut verò in Gallia tantò certiùs donabantur à Regibus Episcopatus, quòd ipsimet vacantis cujusque Ecclesiæ bonorum temporalium custodiam sibi & tuitionem sumpsissent: simillimus vigebat & in Italia usus. Affirmat enim Ratherius, etsi jam admissus esset ad Episcopatum Veronensem, res tamen ejus temporales à Rege sibi non nisi minima ex parte restitutas esse; quin & voluisse eum, ut sacramento sese astringeret, nec ab ipso, nec à filio ejus amplius quidquam expetiturum. Constantissimè quidem Ratherius seu Sacramentum, seu promissum detestabile abnuit: sed ira exæstuans Rex in carcerem illum detrusit. *Misit ergo in pitaciolo, certam quantitatem stipendii, quod tenerem de rebus Ecclesiæ, de cæteris exigens jusjurandum, ut diebus illius, filiique sui amplius non requirerem. Ego intelligens, quanta absurditas hoc consequeretur, non consensi, &c. Nactus est, cepit me, retrusit in custodiam, &c.* Usque adeo perturbatæ tum erant res Italiæ, ut creberrimæ undique streperent hæ grassationes. Ex iis autem quæ tam perversè machinabantur Canonum & pietatis adversarii, nihil exprimi potest, quod ad canonicam valeat disciplinam illustrandam.

VI. Sed inde manifestè paret, exulasse tum ab Italia priscam illam & eximiam canonicarum electionum libertatem, cui suprà Adrianus Papa, cui Florus Magister suo ævo gratulabatur. Jam enim etiam in Italia necessarius erat Regum assensus, intervenîebat & consensus Pontificum: quanquam suffragia Cleri, Nobilium & Plebis adhuc rogarentur. Consensio certè Pontificum multò antiquior erat quàm Regum in Italia: cùm suprà Adrianus I. Nicolaus I. Joannes VIII. ut alios missos faciam, illud commeodarint, non potuisse injussu Romani Præsulis consecrari à Metropolitanis Ravennæ & Mediolani suæ cujusque Provinciæ Episcopos. Propè abest à vero ea fuisse velut residua quædam vestigia veteris disciplinæ, cùm à Papa plerique Italiæ Episcopi ordinarentur, ut ex Canone VI. Nicæno suprà declaratum est. Aut certè Primatum & Exarchorum quorundam ea erat prærogativa, ut Metropolitanos suæ ditionis omnes ordinarent, suffraganeos eorum ab ipsis ordinari sinerent non sine suo consensu. Sed de ea re suprà uberius.

CAPUT XXV. *P. 3. l. 2. c. 29.*

Variæ vicissitudines libertatis electionum Romæ sub Imperio Caroli Magni, & ejus stirpis.

I. Electiones contexuntur Romanorum Pontificum, collatis suffragiis Cleri, Senatus, Populi, nullis adhuc se Principibus interponentibus.

II. Variis argumentis efficitur, nec Carolum Magnum, nec Ludovicum Pium id arrogasse sibi, ut electi Pontifices Romani ab ipsis antè confirmarentur, quàm ordinari possent.

III. Dubia contrarii usus exordia.

IV. Multa in id tentata, nec in prætervitis quidquam reliquere Pontifices, ut ejus servitutis nodos effugerent.

V. Negari non potest, quin Ludovici Pii successores id aliquando juris arripuerint.

VI. Præsentia Missorum Dominicorum, seu Legatorum Imperatorum in electione Pontificum paci & concordiæ plurimum conducebat.

VII. Eam consuetudinem redintegrarunt Ottones, atque unà pacem electionibus invexere.

VIII. Variæ vices hujus consuetudinis.

IX. Imperatores hic electionem Pontificum nullo soluto censu confirmarunt.

I. UT unitatis, ita & libertatis ab Ecclesia Romana fons semper manavit. Summa ergo ibi libertas electionum. Post Zachariæ obitum Stephanus II. à populo electus est. *Stephanum Presbyterum ad Pontificatûs ordinem cunctus populus sibi elegit*: ut habet liber Pontificalis Anastasio Bibliothecario tributus. Post Stephani excessum, Paulum quoque Populus elegit. *Populi Congregatio eum in Pontificatûs culmen elegerunt.* Idem ipsum per litteras Pipino Regi Paulus significavit, & interea Missos ejus Romam appulisse, non tamen electioni interfuisse memorat. *In Apostolatûs ordinem à cunctâ populorum caterva mea infelicitas electa est. Et dum hæc agerentur, convenit Romam Christianissimæ Excellentiæ tuæ Missus.* Post excessum Pauli Toto Nepesinus Dux in Romanam civitatem irrupit, & germanum suum Constantinum eligi extorsit. Sed spectatissimi quique Romæ Optimates, Antipapæ tandem pertæsi, Desiderium Longobardorum Regem interpellarunt, acceptoque ab eo exercitu Romam occuparunt, eâque potiti, Clerum, Exercitum, Populum convocarunt, atque electione libera & canonica Stephanum IV. Throno Pontificio invexere. *Christophorus Primicerius aggregans Sacerdotes ac Primates Cleri & Optimates militiæ, atque universum exercitum & cives honestos, omnisque populi Romani cœtum, à magno usque ad parvum, pertractantes pariter concordaverunt una voce, &c.* Stephano successit Adrianus I. successoremque habuit Leonem III. qui consonantibus & ipse votis electus est, Cleri, Nobilium & Populi Romani: *Una concordia, eademque voluntate à cunctis Sacerdotibus, seu Proceribus, & omni Clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto Populo Romano electus est.*

Conc. Gall. To. 2. p. 40.

Pag. 767.

Anast. Bibl. in vita Stephani IV.

II. Antequam ultra progrediar, duo quædam adnotare juvat. Alterum est, à schismate Antipapæ Constantini, historiam hanc Pontificalem, vitas Pontificum complexam, accuratiùs commemorare unanimem suffragationem Cardinalium, qui *Proceres & Primates Cleri* vocantur, reliqui item Cleri, Senatûs & Magnatum urbis, denique totius populi. Simillimum est veri, ne in eosdem schismatum scopulos rursum Ecclesia illideretur, cautiones quasdam adhibitas esse diligentiores.

Alterum verò est, cùm hæc Leonis III. electio simillima prorsus sit earum quæ hactenus celebratæ fuerant, in eo argumenti satis esse ad refellendam commentitiam illam Adriani Papæ concessionem, qua Carolum Magnum donarit jure eligendi Romani Pontificis, & Præsules Ecclesiæ cæteros investiendi. Eam jam explosimus fabellam in disceptandis electionibus sub Carolo Magno. Sed & apertissimè ea confutatur ab ipsa Romanarum Papæ electionum narratione historica. Postquam vita migravit Leo III. Stephanus V. *à populo Romano est electus*, ut habet Pontificalis historia. Addit Theganus Stephanum statim atque electus est, expressisse sacramentum fidelitatis ab omni Populo Romano, nomine Ludovici Pii Imperatoris. Imperatores enim, iidemque tum Galliæ Reges Romanæ Civitatis principatum & dominium integrum sibi servaverant. *Jussit omnem Populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico.* Ita ille, nec plura. Itaque non immeritò vacillat eorum fides, quæ adduntur ab Authore vitæ Ludovici, quem Ademarum Monachum suspicantur fuisse: nimirum quòd is Pontifex ante suum in Galliam adventum, *præmisit Legationem, quæ super ordinatione ejus Imperatori satisfaceret.* Nisi eò tantùm spectaret ea Legatio, ut Imperatorem certiorem faceret suæ electionis, sicut à priscis Pontificibus Romanis factitatum semper fuerat, erga Imperatores, Reges, Patriarchas.

III. Stephano V. successit Paschalis I. libera & unanimi electione: *Una voluntate à cunctis Sacerdotibus, seu Proceribus, seu omni Clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto Populo Romano in Sedem Apostolicam Pontifex elevatus est.* Quo uno fictitium evincitur Decretum Stephani V. à Gratiano relatum, quo statuerit ne ordinari posset electus Papa, nisi astantibus Imperatoriis Legatis. Refellitur denuo id commentum Constitutione ipsius Ludovici Pii, promulgata eodem ipso anno Pontificatûs Stephani & promotionis Paschalis. Ea porro sancit Imperator, ut electio Romani Præsulis, similiter & consecratio gaudeat plenissima libertate; at consecratus novus Pontifex ad Reges nostros eosdemque Imperatores Legatos mittat, qui antiquissimam innovent confirmentque pacem Gallicani Imperii cum Ecclesia Romana, illibatam hactenus & inconcussam à temporibus Caroli Martelli, Pipini, & Caroli Magni. *Quem omnes Romani uno consilio, atque concordia Pontificatûs ordinem elegerint, more canonico consecrari. Et cùm consecratus fuerit, Legati ad nos, vel ad successores nostros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum charitatem & pacem socient, sicut temporibus Caroli atavi nostri, sive Pipini avi, vel Caroli Imperatoris consuetudo erat faciendi.*

D. 63. c. 28.

Anno 817.

Conc. Gall. To. 2. pag. 445

Grat. d. 63. C. Ego Ludovicus.

Vita migrante Paschali electus est Eugenius II. *à Romanis cunctis.* Eugenio successit Valentinus, cujus in electione Cardinales Episcopi, Senatus, Populusque specialiter memorantur: *Collectis in unum Episcopis, & gloriosis Romanorum Proceribus, & cuncto Populo.* Gregorius IV. successit Valentino, perhibetque Eginardus dilatam fuisse ejus ordinationem, donec Romam pervenisset Legatus Ludovici Imperatoris, & electionem à Populo factam examinasset. *Gregorius electus, sed non priùs ordinatus est, quàm Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi examinaret.* Idem habet Author vitæ ejusdem Imperatoris: *Gregorius electus est, dilata consecratione ejus usque ad consultum Imperatoris; quo annuente, & electionem Cleri & populi probante ordinatus est.*

Anno 827.

Du Chesne. To. 2. pag. 305.

Gregorio successit Sergius, cujus rescita ordinatione Lotharius Imperator filius Ludovici Pii Ludovicum filium Romam ablegavit cum Drogone Metensi Episcopo, ut ne posthac electi Pontifices ordinarentur, nisi antè perrexissent Romam Legati Imperatorii, & electionem approbassent. Sic enim scribunt Annales Bertiniani: *Sergius substituitur, quo in Sede Apostolica ordinato, Lotharius filium suum Ludovicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturus ne deinceps decedente Apostolico, quisquam illic præter sui jussionem, Missorumque suorum præsentiam ordinetur Antistes. Qui Romam venientes,*

Du Chesne, To. 3. pag. 200.

honorificè

honorificè suscepti sunt, peractoque negotio, &c.

IV. Est omnino quod stupeamus, cùm Ludovico Pio priùs & Apostolicæ Sedi ita convenisset, ut nonnisi post consecrationem Pontificis mitterentur Roma, qui in Galliis firmarent sempiterna concordiæ Sacerdotii & Imperii fœdera: eundem postea Pium, Lotbariumque Imperatorem ejus filium consecrationem Pontificis electi retardasse, dum missis Legatis electionem ejus excussissent probassentque. Ea quidem potestate utebantur Galliæ Reges in electionibus Episcoporum Regni, & eo ævo Romana ipsa civitas eorum dominationi subjiciebatur. Verùm præterquam quod ei juri renuntiasse videbatur Ludovicus Pius, cùm ea potestate non uterentur Galli Reges in Episcopatus Italiæ, qua in Gallicanos, indubium est multò majori observantia eos coluisse Romanam Ecclesiam. Unde nec Anastasius Bibliothecarius in eorum vitis Pontificum quidquam eorum commemurat, quæ apud Ademarum & Annales Bertinianos leguntur; nec Ado Viennensis in Chronico. Et Anastasius enim & Ado consentiunt, eo tantùm pertinuisse iter Romanum Ludovici Lotharii filii, ut Imperatoria corona cingeretur. Non temerè ergo conjicimus ex eadem errorum scatebra, Chronico nempe Sigeberti, commentum hoc totum derivatum esse in Bertinianos, & in Eginardi Annales, & in vitam Ludovici Pii. Et sanè vir doctissimus Florus, & cui plus habendum sit fidei, quàm his omnibus, in eo Fragmento, quod Operibus Agobardi insertum est, conceptis verbis pronuntiat suo etiam tum ævo Pontifices Romanos & eligi & ordinari, nullo Principum terrenorum interveniente. Atqui sub Carolo Calvo ætatem agebat Florus. Quæ ergo de Gregorio IV. & de Sergio II. commenti sunt, verè commentitia ea sunt omnia. Audiendus omnino Florus: *Sed & in Romana Ecclesia usque in præsentem diem cernimus absque interrogatione Principis Pontifices consecrari.*

Nec abhorret à verisimilitudine, tentata esse multa, ut eidem necessitati subjicerentur Romani Pontifices, cui serviebant Ecclesiæ Galliarum. Confitetur Anastasius ipsemet Bibliothecarius in vita Leonis IV. eo electo Romanos ausos aliquandiu non fuisse illum ordinare sine Imperatorum consensu; nec ordinasse eo nondum impetrato, nisi extremæ necessitatis ineluctabili telo adactos, ut sese adversùs Sarracenos munirent, aliosque hostes undique imminentes. *Romani novi electione Pontificis gaudentes, cœperunt iterum non mediocriter contristari, eo quod sine Imperiali non audebant auctoritate futurum consecrare Pontificem; periculum Romanæ urbis maximè metuebant, ne iterum ut olim aliis ab hostibus fuisset obsessa. Hoc timore & futuro casu perterriti, eum sine permissu Principis Præsulem consecraverunt, &c.*

Fateri sanè cogimur permagna esse in hoc uno testimonio Anastasii momenta; eoque pene uno, si vel maximè ei accedant Annales Eginardi, elevari posse quæ in contrarium disputata sunt omnia. Sed & regeri illud potest ex adverso, prætentata magis tunc hæc fuisse, & vicissim alternata, quàm ut certa dici possint fuisse decreta, & in usum perpetuum recepta. Cùm vel maximè ipsemet Leo IV. Papa de re tota hac cum Imperatoribus tandem pepigerit, & hanc totam servitutem ab eis relaxari atque aboleri pervicerit. Ea porro Leonis IV. & Imperatorum fœdera apud Gratianum referuntur his expressa verbis: *Item Leo IV. Lothario & Ludovico Augustis, Inter nos & vos pacti serie statutum est & confirmatum, quod electio & consecratio futuri Pontificis Romani nonnisi justè & canonicè fieri debeat.* Nec multùm dissimilis fuit is conatus, quo tentavit Lotharius Romanos legibus subjicere Capitularium, ut in Legibus Longobardicis petitur. Assensus erat & ipse Leo IV. ut liquet ex ejus Decreto apud Gratianum. Sed hujus ipsius tandem Pontificis interpellatione eam Constitutionem revocavit Lotharius, quod revocationis diploma intexuit etiam Decreto suo Gratianus. Eo restituitur Romanis usus & libertas Romanarum Legum.

D. 63. c. 31.

Leg. Longob. L. 3. T. 35.

D. 10 c. 9. 13

V. Cæterùm concordia illa Leonis IV. Papæ cum Imperatoribus Lothario & Ludovico, non usque adeo constat: aut non ita saltem fixa certaque est ejus interpretatio à nobis prolata paulò antè, ut non possit etiam jure in controversiam trahi. Etenim Anastasius Bibliothecarius narrans electionem Benedicti III. in locum Leonis IV. cui ipsemet interfuit, affirmat pristinam consuetudinem esse servatam, ne differretur ordinatio, donec ad Imperatores mitteretur decretum electionis. *Clerus & cuncti Proceres Decretum componentes, propriis manibus roboraverunt, & consuetudo prisca ut poscit, invictissimis Lothario & Ludovico destinaverunt Augustis.* Qui ad deferendum id decretum delegati fuerant, subornati cùm fuissent, subornassentque tum ipsi Missos Imperatorios, Romam reduces Presbyterum Cardinalem Anastasium curarunt eligi Pontificem, Benedicto in carcerem truso. Verùm Episcopi, Clerus & Populus universus Romanus facto agmine schismaticos hos omnes exturbarunt, & Imperatorios adegerunt Legatos, ut suæ Benedictum restituerent sedi.

Ann. 855.

Nicolaus I *præsente Cæsare coronatus est*, anno 850. Post Nicolaum Adrianus II. electus est, *collectis omnibus tam Episcopis cum universo Clero, quàm Primoribus Urbis, cum obsecundantibus sibi populis, &c.* In Urbe tunc degebant Legati Ludovici Imperatoris, eisque vehementer doluit, quòd ad electionem nec invitati fuissent. Sed cùm ingenuè faterentur Romani, non justæ quidquam Imperatorum observantiæ decerptum se voluisse; sed reformidasse, ne novæ janua panderetur consuetudini, Legatorum Regiorum in electiones inducendorum: acquievere Legati, & novum Pontificem solemni more venerati sunt, cujus electionis decreto accepto Imperator, adgratulatus est, eamque Imperatoria Epistola confirmavit. *Missi Principis accepta ratione, quòd non Augusti causa contemptus, sed futuri temporis hoc omissum fuerit omnino prospectu, ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præsulum mos expectandi per hujusmodi fomitem inolesceret, omnem mentis suæ indignationem medullitus sedavere, & ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accessere, &c. Ludovicus Imperator cognoscens qualiter decretum suis subscriptionibus roboraverant, valde gavisus est, &c. Imperialem scribens Epistolam, &c.* Hactenus ex historia Pontificali.

Grat. d. 63. c. 29.

VI. Quæ deinceps celebratæ sunt electiones & ordinationes Pontificum Romanorum, eæ tum Legatis Imperatoriis, tum Imperatoribus ipsis inconsultis peractæ sunt. In iis verò ita persæpè turbatum, ita tumultuatum est, ut compulsus sit Joannes IX. in Concilio Romano, anno 904. decernere, ut ne posthac fieret Romani electio Antistitis, nisi publicè ab Episcopis & Clero, Senatu & Populo, & ne consecraretur electus, nisi astantibus Legatis Imperatorum. Promenda sunt ipsa Decreti verba, quo apertissimum est, necessaria tum & salubri dispensatione sanciri sinendam fuisse graviori

illo volnete canonicam electionum libertatem, ne locus esset tumultuosis illia & cruentis factionibus, quæ Ecclesiam deturpabant, & quæ electiones tandem ipsas extinxissent. *Quia sancta Romana Ecclesia plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte: quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris notitia, & suorum Legatorum præsentia Pontificis fit consecratio; nec canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt Nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri. Volumus, ut id deinceps abdicetur, & constituendus Pontifex convenientibus Episcopis & universo Clero eligatur, expetente Senatu & populo: qui ordinandus est, sic in conspectu omnium celeberrimè electus ab omnibus, præsentibus Legatis Imperialibus consecretur.*

Hoc porro ex Decreto patet, 1. non ad electionem, sed ad ordinationem tantùm admissos fuisse Imperatorios Oratores. 2. Nec admissos fuisse, nisi prævertendis dissensionibus & grassationibus: *Qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri.* 3. Morem advocandi Imperatorios Legatos ad Pontificis ordinationem jam tum habitum fuisse pro *canonico ritu & consuetudine.* 4. Permirum esse, quòd is usus, quem tandiu Pontifices exhorruerant, & tam anxiè amoliri enixi fuerant, ut suprà narravimus: longo annorum lapsu, rerumque stupenda vicissitudine, tantæ utilitatis, tantæ necessitatis evaserit, ut in Legem canonicam cooptatus sit. Usque adeo certum est, leges moresque, quibus ex dispensatione authoritas accedit, tam cupidè amplexari Ecclesiam, ubi necessitas incubuit, quàm anxiè priùs aversabatur.

VII. Et eo quidem ævo optatissimum fuisset, ut ei Decreto religiosiùs obtemperatum esset. Eo enim excussa esset ab Ecclesiæ Romanæ cervicibus fœdissima & exitialis quædam vis complurium Tyrannorum, grassatorumque, qui compesci conterique non antè potuere, quàm Otto I. Imperator Romæ rerum potiretur, anno 962. vel 963. Commemorat Luitprandus, ut in urbem admissus ille sit tandem, eique præstito sacramento, receperint in se Romani, nec electionem, nec ordinationem Papæ posthac celebratum iri, nisi ex ejus, filiique ejus Ottonis II. consensu. *Cives sanctum Imperatorem cum suis omnibus in urbem suscipiunt, fidelitatemque repromittunt, hæc addentes, & firmiter jurantes, Nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos, præter consensum atque electionem domni Imperatoris, Ottonis Cæsaris Augusti, filiique ipsius Regis Ottonis.*
L. 6. c. 6.

Cùm primùm Otto Romam priùs venerat, facilesque in eam aditus nactus, Imperatorio diademate redimitus fuerat; eo, ut ferunt, excitatus fuerat, ut novo Edicto confirmaret antiquissimas Imperatorum donationes Ecclesiæ Romanæ factas, idque insuper adderet, ut eligerentur posthac & ordinarentur Pontifices Romani, non expectato Imperatorum assensu, vel adventu Legatorum. Hæc Baronius in Annalibus, quibus & ipsam inserit Ottonis donationem, ubi ea clausula attexitur. Verùm ea tum donatio, tum maximè clausula ei intexta, tot vexatur difficultatibus, ut vehementer diffidam tam dubio fundamento committi quidquam posse, quod fixum ac ratum sit. Silet enimvero de ea re Luitprandus, silent Regino & Flodoardus, ejus ævi Scriptores. Ecquid erat autem, quo adduceretur Imperator id jus, eum morem relaxare, ex quo tantum ornamenti in Imperium, tantum compendii in Ecclesiam redundaret: immo tantæ tunc necessitatis, ut subduceretur Ecclesia Romana jugo pudendo tot latrunculorum, à quibus jamdudum lancinabatur? Postremò quid causæ fuit, cur nullas exprimeret rationes revocandi retractandique hujus beneficii, cùm postea, ut jam diximus, in Concilio Romano priscum renovavit privilegium Imperatorum in electionibus Pontificum?

Expeditissimum ergo fuerit amplecti narrationem Luitprandi, & ei nos committere. Subditur verò ab eodem, cùm Imperator Romæ Leonem VIII. eligi fecisset, eo inde profecto Romanos Benedictum V. sibi Pontificem delegisse. Tum redisse Ottonem, restitutum ab eo Leonem, exauthoratum Benedictum, à quo expressa ea confessio est, depositioni Joannis XII. & Leonis VIII. creationi suffragatum se esse: jurasse quin etiam cum Romanis cæteris omnibus, nec electioni cujusquam Pontificis, nec consecrationi se unquam assensurum, nisi Ottone, filioque ejus priùs assenso. *Num inficiari potes, præsenti domino Imperatori juramento promisisse, nunquam te cum cæteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum, absque illius filiique sui Regis Ottonis consensu.*

Nec dissimulabo meminisse Gratianum ejus Ottonis I. concessionis, quam modò explosimus: immo & parenti etiam ejus Henrico I. eam tribui. Sed nemo nescius est, quàm frequenter vacillet fides Gratiani. Eodem porro loco profert Gratianus Constitutionem Leonis VIII. & Concilii sub eo Romani anno 964. quam eodem anno supposititiam contendit Baronius. Baronio validè resistitur ab illustrissimo Petro de Marca, qui eam bonæ notæ esse declarat, evincitque non aliud complecti, quàm quod Luitprandus ait concessum juratumque fuisse Ottoni I. à Romanis.
Grat. d. 65. c. 32.
D. 63. c. 22. 23. 32.

Reponi autem contrà posset ea Leonis Constitutione concedi Ottonis successoribus omnibus, quod Romani non annuerant, authore Luitprando, nisi Ottoni I. & filio ejus; concedi jus prorsus idem in alios Episcopatus, eorumque adeo investituras, de quo Luitprandus & Romani verbum fecerant nullum. Itaque tam periclitatur fides hujus concessionis Leonis, quàm Adriani, cui innititur.

VIII. Ex antedictis verò illud existit, Tota ex Caroli Magni prosapia Imperatoria solos Lotharium & Ludovicum ejus filium eam extorsisse testificationem subjectæ Imperio suo Romanæ Civitatis, ut ne citra eorum assensum fierent Romanorum Præsulum ordinationes, quanquam de electionum libertate nihil prorsus delibaretur. De eo usu confirmandæ ante ordinationem electionis altum deinceps silentium usque ad Joannem IX. quando eum restitui curarunt ipsimet jam purioris disciplinæ amatores. Ea interruptio autem non improbabiliter ex eo orta conjectatur, quòd Carolus Calvus, ut Imperatoriam coronam præriperet iis qui Ludovico nupero Imperatori propiores erant carnis cognatione, Joanni VIII. pactus sit dominium urbis Romæ in Romanam Ecclesiam transferre. Hoc ergo ille dominio Urbis cessit Pontifici, & quod inde nascebatur, hoc ejuravit jus confirmandæ electionis Pontificiæ. In eum sensum interpretandus est Eutropius Presbyter: *Removit etiam ab eis regias Legationes, assiduitatem vel præsentiam Apostolicæ electionis.*
Balux. Nota in Grat. pag. 467.

Sed quantumcumque connixus esset Joannes IX. ut vim & grassationes ab electionibus arceret, interposita authoritate Imperatorum: fractum adeo & debilitatum fuit Imperium ipsum, usque ad auspicatissima exordia Ottonis I. & Pontifices ipsi in

retinendo Romæ dominio usque adeo laborarunt, ut nunquam major colluvies & rerum omnium perturbatio fuerit, in Principe omnium sanctissimaque Ecclesia Romana. Lucem & libertatem non minùs Ecclesiæ, quàm Reipublicæ Romanæ & Imperio retulit Ottonum exortus. Audivimus à Luitprando, quid Ottoni I. quid II. juratum sit. Quidquid autem tunc concessum fuit potestatis, non is fuit Otto III. qui elabi sibi pateretur; quandoquidem ubi Romam venit, Brunonem cognatum suum in sede Apostolica sedentem invenit, aut ejectum restituit, obtruncato Crescentio, qui eum spoliaverat.

IX. Cæterùm ea laude nec Ottones fraudandi sunt, nec posteri Caroli Magni, qui integrum sibi servari voluere jus confirmandæ electionis Papæ, quòd ea potestate gratis functi sint, nullo pecuniæ censu persoluto. Quo videri potuere, illo potissimum consilio & fructu, eam sibi potestatem servasse, ut simoniæ pestem ab electione & consecratione Pontificum propulsarent. Qua quidem in re longo post se intervallo reliquerunt, non dicam Reges Italiæ, sed Justinianum, Mauritium, & tot Imperatores alios, qui non tam liberaliter, non tam humanè Romanam Ecclesiam tractaverant. Accipe verba Epistolæ Ludovici II. Imperatoris ad consecrationem Adriani II. *Per Epistolam innotuit, nulli quidquam præmii fore, pro consecratione Romani Pontificis, quoquo modo pollicendum, &c. Maximè cum reddi, quæ ablata fuerant, non auferri à Romana Ecclesia, vel deperire quidquam se diceret anhelare.* Vide quod refert Baronius ad annum 867. n. 145.

CAPUT XXVI. *P. 3. l. 2. c. 30.*

Libertas Electionum in Oriente per eadem sæcula Imperii Caroli Magni.

I. In Oriente interveniebant Imperatores electioni Patriarcharum Constantinopolis, ubi Episcopi, Clerus, Populus gaudebant suffragiorum libertate. Exponitur Canon Concilii VII. Oecumenici.

II. Canones Concilii VIII. de electionibus elucidantur.

III. IV. Non esse labefactatam in hoc Concilio potestatem, quam hactenus amplexi erant Imperatores in electionibus. Varia exempla earum electionum.

V. Primus omnium impius Nicephorus Imperator dominari se voluit in electionibus omnium Imperatorum. Diploma ejus recensetur.

VI. Vel illæ, quæ Sarracenorum oppressæ jugo gemebant Ecclesiæ, hujus electionum libertatis imaginem retinebant.

VII. Tempore Balsamonis Episcopi ternos eligebant, è quibus unum deligebat Metropolitanus.

VIII. Non tam antiqua ab origine in usus derivabatur, quàm existimavit Balsamon.

I. EXcutiendæ supersunt nobis Orientis electiones, & illa in eis pulcherrima primùm exploranda concordia est Imperatorum & Episcoporum, Cleri & Populi ad Episcopos Ecclesiis vacantibus donandos. Perlecta est in Concilio VII. Generali Epistola, qua Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha pro more Majorum exordio sui Pontificatûs Patriarchas omnes salutavit. Non dissimulat ex laicorum se grege ad Pontificalem sedem protrusum esse, ea vi quam sibi attulerunt Imperatores, Episcopi & Clerici. *In Cathedram Pontificalem hortatu valido ab orthodoxis Imperatoribus, atque sanctissimis Episcopis, seu Clericis, in me violenter effecto evexit me Dominus.* In eodem tamen Concilio damnatæ sunt electiones, quæ temporalium Principum authoritate fiunt, innovato etiam Canone Apostolico adversùs eos, qui terrenorum Principum favore grassantur ad Episcopales sedes; statutumque ibidem est, ut electiones fierent ab Episcopis, consentaneè Nicæno Canoni, qui omnes prorsus Provinciæ Episcopos concurrere jubet ad electiones & ordinationes novorum Pastorum. *Omnis electio à Principibus facta Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, irrita maneat, secundùm regulam quæ dicit, Si quis Episcopus sæcularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur. Oportet enim, ut qui promovendus est in Episcopum, ab Episcopis eligatur; quemadmodum à sanctis Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, definitum est, &c.*

Act. 3. Synodi VII.

Can. 3.

Ut ergo Nicæni I. Concilii Canone ita Episcopis adsignabatur summa electionum potestas, ut Cleri Populique nihilominus momenti aliquid haberent suffragia, quorum tamen omnium arbitri & judices essent Episcopi. Non aliter Nicænæ II. Synodi Canone suprà laudato, ita constituitur Episcoporum quidam authoritatis apex, ut nec Clero tamen, & populo sua excutiantur suffragia, nec Principibus temporalibus quidquid modestæ & legitimæ hactenus usurpaverant potestatis. Summa ergo tantùm hic authoritas Episcopis vendicatur, ut electionibus dominentur, non conterendo, sed moderando, regendoque libero suffragiorum jure consensuque Cleri, Populi, Principumque. Non ergo hic proscribuntur, nisi electiones eæ, ubi Principum authoritas Episcopali præpolleret, quam usque præesse par est. Alioqui inureretur hoc Canone Patronatus Laicus, qui longè antiquissimus tamen est, & altissimas in utraque Ecclesia radices egit. Ut ergo eo Canone non vetatur, quin Presbyteri, Diaconique promoveantur à Principibus in Ecclesiis sui Patronatus, propterea quòd Episcopi semper sit examinare præsentatos, & pro meritis eos vel instituere, vel procul amandare: ita nec prohibetur, ne Episcoporum electionibus, quos ipsi maximè elegerunt Episcopi, Principes suo certè consensu interveniant.

II. Permagna his fiet luminis accessio ex Sessione vi. Concilii VIII. Generalis, ubi probarunt, non potuisse Photium in numero Episcoporum haberi, cùm una eademque tyrannica vis & Ignatium Patriarchali throno excussserit, & Photium eo intruserit, nulla interposita Episcoporum authoritate, nisi si qui fuerint, in quos eadem vis sævierit. Cùm ex adverso Ambrosius, Nectarius, Tarasius, Nicephorus, ad Episcopatum acciti sint, nulla vi allata per Imperatoriam potestatem. *Beatum Nectarium Synodus universalis & sancti Patriarchæ diversi, & elegerunt, & promoverunt Archiepiscopum Constantinopolitanum, nullo modo Imperatore cogente illos, sed neque quempiam viventem ab hujusmodi Cathedra manus Imperialis tyrannicè pepulit, & tunc provectus est Nectarius. Pari modo Tarasius à Paulo, qui propter orthodoxam fidem sequestratus est à throno Constantinopoleos, & testimonio approbatus est & promotus, eo illum dignum esse tali throno asseverante, & omnibus propugnatoribus pietatis. Post dormitationem Tarasii Nicephorus Patriarcha Synodicè electus & consecratus est, sponte ac voluntariè collectis Episcopis, &c.* Ea est germana Canonis Concilii II. Nicæni interpretatio: eæ sunt electiones verè canonicæ, eæ violentæ ex Principum impotentia, atque adeo irritæ.

Nec minùs perspicui in eandem rem sunt Canones ipsius Concilii VIII. Oecumenici. Neophyti sacris summoventur dignitatibus, maximè si qua vis à Principe fiat. *Magis autem coërcemus hujusmodi,* Can. 5.

si ab Imperatoria dignitate ad hoc compellatur. Promotiones omnes, ubi Episcopis vis illata fuerit ab Imperatoria potestate, cassæ & irritæ pronunciantur. Can. 12. *Apostolicis & Synodicis Canonibus, promotiones & consecrationes Episcoporum, potentia & præceptione Principum factas penitus interdicentibus, concordantes, definimus, & sententiam nos quoque proferimus, ut si quis Episcopus, per versutiam, vel tyrannidem Principum, hujusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis, &c.* Denique prohibet hæc Synodus electionibus Episcoporum Imperatores palam interesse, ne eorum præsentia paci officiat, vel Episcoporum libertati, qui electionibus moderari debeant. Can. 22. *Promotiones atque consecrationes Episcoporum concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum Collegii fieri, sancta hæc & universalis Synodus definit, ac statuit; atque jure promulgat neminem laicorum Principum, vel potentum semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, aut cujuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio, vel contentio.* Atqui in exemplorum hactenus prolatorum tanta farragine, nusquam ipsi electionibus affuere Principes: eorum assensu, ut fierent, opus fuit: eorum confirmatione, ut semel factæ convalescerent, factum est; nusquam adhibita eorum præsentia. Si interfuerint eorum Delegati, id plerumque ipsi flagitarunt Episcopi, quo pax & tranquillitas confirmaretur: quod ne in hoc quidem Concilio improbatum est. Quin immo ab illo copia fit laïcis, ut præstò sint electionibus, si ad eas ab Episcopis invitentur, quò una collaborent ad idoneos Pastores deligendos. Ibidem. *Si verò quis laicorum ad concertandum & cooperandum ab Ecclesia invitatur, licet hujusmodi cum reverentia, si forte voluerit, obtemperare se asciscentibus. Taliter enim sibi dignum Pastorem regulariter ad Ecclesiæ suæ salutem promoveat.*

III. Hujus Concilii Patribus media quædam tenenda erat orbita, & æquabilis temperamenti mediocritas retinenda, Imperatori in electionibus ne totum darent, ne totum auferrent; cùm incumberet eis approbanda Ignatii in Patriarcham electio, Photii detestanda. Quanquam enim non eadem adhibita vi Ignatii electionem Imperatores extorsissent, qua Photii; eam tamen interposuerant authoritatem, ex qua adversarii Ignatii, ejus calumnias suas exagitandæ ansam arripuerant. Nicetas vitæ Ignatii scriptor, Imperatricem ipsam ait sciscitari voluisse Joannicium Monachum tunc sanctissimum, antequam Episcoporum Collegium & Populus Ignatii electionem molirentur: *Antistitum authoritate & sententia honore sacro dignissimus judicatus, &c. Cùm ante omnium Episcoporum & populi sententias Imperatrix ad Joannicium Anachoretam consultum misisset, &c.* Nec multò pòst idem ipse agens de criminationibus, quibus exagitatus est Ignatius: *Tricesimum Canonem Apostolorum subjiciunt, Si quis Episcopus secularibus usus, per ipsos Ecclesiam obtineat, deponatur, &c* Et mox rursum: *Quis ignorat, Ignatium Episcoporum omnium calculis & totius populi applausu legitime canonicéque creatum fuisse.* Presbyter & Syncellus Michaël, qui Encomium Ignatii exaravit, inter Synodi VIII. Præliminares Tractatus conjectum, affirmat Imperatricem coacto Episcoporum Concilio, Senatu & Clero, Ignatium Patriarcham declarasse. *Beatissimo Methodio solium vitamque relinquente, Theodora pia Augusta celebrato Patrum Concilio, præsente quoque Senatu, & universo Clero, Ignatium Patriarcham dicit.* Certum est ergo conspirasse Imperatoriam potestatem cum Episcopis, Senatu & Clero, ad creationem Ignatii Patriarchæ, ac proinde eum usum proscribi & damnari non potuisse ab Concilio VIII. ubi de obtrectatoribus suis clarissimum egit Ignatius triumphum. Ignatii prædecessor Methodius propositus fuerat ab Imperatrice, & tum ab Episcopis, Monachis, Laicisque approbatus, authore Cedreno: *Imperatrix Methodium introducit, omnibus piis Sacerdotibus, Laïcis, Monachis ejus designationem approbantibus.* Cedrenus. pag. 535.

Quando migrante terris Tarasio, novus Constantinopolitanæ Ecclesiæ præstituendus fuit Patriarcha, misit Imperator, qui percontarentur Abbates quosque sanctitatis fama celeberrimos, imprimis verò Platonem, illum Theodori Studitæ discipulo nobilem: *Quæsitum est & Patris nostri suffragium, non solum ab his qui Sacerdotio insignes erant, sed ab ipso Imperatore.* Surius die 16. Decemb. c. 38. Cedrenus. pag. 477. Surius die 11. Febr. c. 16. Cùm Plato autem, tum Theodorus vehementer refragati sunt ei, quæ tum facta est electioni Nicephori: quòd is inter laicos tunc degeret adhuc: sed Imperatoris, Populi & Episcoporum consensio pervicit: *Creatur Patriarcha totius Populi, Imperatoris & Sacerdotum suffragiis*: ut habet Cedrenus. Electionis suæ vitium purgavit, & fautorum suorum excusavit incogitantiam Nicephori pietas, & religiosissima Ecclesiæ administratio. Nec alia ratione electus fuit Antonius cognomento Cauleas suffragiis Monachorum, Episcoporum & Senatus, quibus accessit & Imperatoris confirmatio. *Suffragia universi cœtus Pontificum & Sacerdotum, & eorum qui vitam agebant Monasticam, & ipsius quoque Senatus ad dignum Ecclesiæ sponsum ferebantur. Hoc videns Imperator, confirmavit electionem.*

IV. Non satis comperi, an Leo Imperator deportato Photio Stephanum Syncellum fratrem suum Patriarchali donans Regiæ ejusdem urbis sede, eidem se moderationi summæ potestatis accommodaverit, Clerique & Populi suffragiis rem totam commiserit. Huic Stephano successor datus Antonius ille Cauleas, de quo paulò antè dixi, & cujus in locum succedens Nicolaus in ipsum Imperatorem Leonem dirum contorsit anathema, quòd quartam duxisset uxorem, præter Ecclesiæ Græcæ vetustissimam consuetudinem, & præter suas ipsius leges. Cùm Nicolai frangere, aut emollire constantiam frustra tentasset Leo, eo ejecto Euthymium Syncellum in sedem ejus subrogavit, ea quidem amplitudine dignum, sed sanctiori dignandum electione. Ideo forsan & cœlestibus monitis impulsus est, ut vocanti non tam Principi, quàm Deo obsequeretur, teste Cedreno: *Quem ferunt cum id munus detrectaret, divina patefactione ad id suscipiendum impulsum fuisse.* Et ubi tamen postea Leoni fratri in Imperium successit Alexander, revocato in pristinam sedem Nicolao, Euthymium exauthorari fecit in Silentio, hoc est in Concilio; atque ita ejectus Euthymius nullo non contumeliarum genere divexatus est. Cedrenus. pag. 593. 602. 607.

V. Ne veri quidem speciem habet, ut in ejusmodi Patriarcharum subrogationibus, Canonum Regulis accuratè servierint Imperatores, nec ultra eos limites quidquam ausi sint. Sed vigebant tamen semper leges Canonesque in Ecclesiæ & religiosorum quorumcumque Pastorum pectore. Derogabatur indubitatissimè quandoque institutis Canonicis, sed rariusculè forsan. Primus enim omnium Nicephorus Imperator, ille impietatis signifer, legem promulgavit, qua prohiberet eligi quemquam, vel ordinari Episcopum, citra assensum Imperatoris,

Episcopi quidam Aulico infecti contagio ei legi subscripsere, ut refert Cedrenus. *Id omnium gravissimum, quod legem tulit; cui & Episcopi quidam leves adulatores subscripserunt, ne absque Imperatoris sententia ac permissu Episcopus vel eligeretur, vel ordinaretur.* μὴ ἄνευ τῆς αὐτοῦ γνώμης, δὲ προβάλλεσθαι ἐπισκόπους ἢ ψηφίζεσθαι, ἢ χειροτονεῖσθαι.

Cedrenus pag. 658.

Quæ hactenus certè coacervata sunt exempla, non spectant ea nisi ad Regiæ urbis Patriarchas, ut inde etiam conjectare possis nec ad electionem cæterorum per orbem Episcoporum, nec ad eorum confirmationem intervenisse Imperatores. Hac etiam Nicephori lege idem astruitur, quam idem ipse Scriptor, à quo refertur, omnium fatetur, quæ à Nicephoro adversùs Ecclesiæ libertates promulgatæ sunt, maximè infandam & execrabilem fuisse. Ideo & Joannem Zemiscen Nicephori interfectorem & successorem, adduci non antè potuit, ut Imperatoriis ornamentis insigniret Polyeuctus Patriarcha, quàm revocata ab eo esset lex, libertatibus Ecclesiæ usque adeo contumeliosa. *Patriarcha jubet conscindi libellum edicti, quo ad confundendas res Ecclesiasti as Nicephorus Phocas ediderat.* Itaque cum mox subjicitur ab Imperatore Theodorum Monachum donatum esse Patriarchatu Antiocheno, nefas est dubitare, quin solennes electionum leges observatæ sint. Nisi si forsan in mentem veniat Ecclesiam Antiochenam tum temporis in Saracenorum ditione positam, canonicas electiones non potuisse ritè celebrare; adeoque Patriarchas ei ab Imperatoribus fuisse designandos.

Anno 969. Cedrenus p. 664. 665.

Usque adeo denique certum erat, quantacumque sui in quemquam studii & favoris indicia proderet Imperator: liberam tamen electionem populi, Cleri & Episcoporum pernecessariam fuisse, ut non alia magis ratione exauthoratus sit Alexis Patriarcha, quàm quòd eam sedem invasisset, non Episcoporum suffragiis, sed una Basilii Imperatoris authoritate. Nec magnopere nostra refert, ex vero, an nefariè ea accusatio confingeretur, ut in eam sedem proveheretur Joannes Michaëlis Paphlagonis Imperatoris frater: peræquè enim quod volumus inde perficitur, cùm procedere non possit mendacium & fraus, nisi veritatis quadam se specie induat. Inde omnino emicat, usu tunc etiam vulgatissimo abdicandos fuisse sacris dignitatibus, qui nullis Episcoporum suffragiis fulti, solo Imperatorum favore ad Episcopales Cathedras prorepserent. Audi quid tunc ab Alexi pronuntiatum sit, ut declararet, si eo crimine sibi intentato dejiceretur, dejiciendos pariter ea eodem Canone eos omnes esse, qui à se ordinati fuissent. *Quando, ut vos dicitis, non suffragiis Pontificum, sed jussu Basilii Imperatoris, ego hoc solium contra Canones conscendi, agendum, quos ego constitui Metropolitas, jam per annos undecim Ecclesiam gubernans, deponantur.* Narrat denique in historia sua Curopalates, ut post mortem Patriarchæ Michaëlis Cerularii, ad sedem illam Constantinopolitanæ Ecclesiæ provectus sit Constantinus Lichudes, suffragiis Metropolitanorum, Cleri & populi, nulla Imperatoris suffragantis habita ratione. Quin ubi Presbyteratu initiatus fuit Constantinus, prohibuit Imperator, ne reliqua perageretur inauguratio, nisi antè diluta ab eo & abstersa essent ea crimina, quæ illi affingebantur. Non dissidet ergo à verisimilitudine, in ejus priùs electionem nullas suas Imperatorem partes interposuisse. *Constantinus Metropolitanorum, & Cleri, totiusque populi suffragiis delectus fuerat.*

Idem anno 1025. pag. 740.

Idem p. 809 anno 1059.

VI. Si tam intemerata autem constaret libertas Patriarchæ Constantinopolitani electioni, etsi ea inter Imperii Orientalis dignitates principatum teneret, etsi sub ipsius Imperatoris oculis celebraretur: ne trahi quidem in dubium potest, quin multò liberiores fuerint cæterorum per Imperium Episcoporum electiones. Nova ejus rei aggerabo argumenta, postquam duo quædam hîc attexuero, cum primis memoranda. Idem enim ipse, sive Cedrenus, sive Curopalates, Ecclesiam Antiochenam perhibet totos quadraginta annos Pastore & sponso viduatam jacuisse, quòd electionis copiam non facerent Sarraceni, quorum jugo suberat: at Monachi cujusdam Stephani amore incensus Arabum seu Sarracenorum Imperator, potestatem tunc concessit Antiochenis deligendi sibi Patriarchæ, si modò in hunc Stephanum vota sua conferrent. Eo non barbari Principis, sed summi & providentissimi Numinis favore excitati Antiocheni, Stephanum protinus elegerunt, cujus singularem sanctimoniam mira quædam & amabilis rusticitas commendabat. *Cùm haberet charum sibi Syrum quendam Monachum, nomine Stephanum, pium hominem, sed rusticum: Antiochensibus significavit, siquidem cupiant sibi Patriarcham concedi, ut id muneris huic Stephano committant. Illi divinitus hoc fieri rati, Stephanum Theopolis throni Patriarcham elegerunt.*

Pag. 460. 461.

Cùm ejusdem Arabici Imperii habenas moderaretur Marvanus, Christiani Orientales non ægrè illi persuasere, ut Theophylactum Presbyterum Edessenum suffici permitteret post Stephani obitum in Sedem Antiochenam. Eam electionem confirmavit Arabs, eo Edicto promulgato, quo jubebantur vel Arabes ipsi usitatis honoribus in eum Patriarcham defungi. *Eumque publico Edicto jussit ab Arabibus in honore haberi.*

Ab his exemplis multa sunt, quæ exprimi possint. 1. Posse aliquando patronatûs & nominationis ad Beneficia jus devolvi ad Ethnicos & Hæreticos, ab eisque exerceri, inter hos inexplicabiles necessitatis nodos accommodante se Ecclesia ad sempiternas quasdam sapientiæ & charitatis leges; nec temporibus serviente, sed temporum moderatori Christo. 2. Nonnihil loci fuisse electionibus, in media etiam barbarie & Infidelium colluvione. 3. Quæ fiebant ab his Principibus nominationes, non eæ erant, quæ electionum libertatem prorsus perimerent; quanquam eam ad arctiores quandoque angustias adducerent. Ubi aliquantò minus erat loci libertati, plusculum persæpè erat sapientiæ. 4. Si eam Ecclesia humanitatem indulgentiamque in Principes barbaros explicuit, quid in Christianos, si & ipsi quandoque potestatem suam non eo prorsus gyro circumscribant, quem Canones, quem leges delinearunt?

VII. Audiendus est jam nobis Balsamon de Græcorum & Orientalium moribus sæculo 11. & 12. quo senescente ipse degebat. Testatur hic autem Canonum interpres longè peritissimus, quanquam Novella Constitutio Justiniani Basilicis insuta fuisset, pleraque tamen ejus capita jam in desuetudinem abisse: at non illud tamen ejus caput, Ut ab Episcopis tres designarentur, quorum dignissimum seligeret Metropolitanus. *Ut autem in tribus personis fiant hodie ab Episcopis electiones, ut existimo, ex præsenti Novella necesse est.*

Novel. 137.

In Nomoca. Tit. 1 c. 23.

VIII. Optarim equidem, ut tam in historia versatus fuisset Balsamon, quàm in Canonibus Legibusque; cùm nomen famamque ægrè sustinere

possit peritissimi Canonum Commentatoris, qui non æquè in historia Ecclesiastica versatus tritusque sit. Cùm jamdiu observaret Balsamon, electiones Episcoporum à solis frequentari Episcopis, & nec Clerum, nec plebem ad eas vocari, hinc auguratus est à temporibus Nicæni Concilii I. ita res comparatas fuisse, jam tum suffragii jure Clerum & Populum excidisse, & eam potestatem penes solos resedisse Episcopos. Eò ille etiam torquet Canonem IV. Concilii Nicæni, ubi agitur de confirmatione electionis, & de ordinatione, quæ fieri debet ab omnibus Provinciæ Episcopis, aut à tribus saltem, cum cæterorum scriptis exarata consensione. Ex hoc Canone contendit Balsamon, accommodatè ad mores sui temporis, per eos tres Episcopos solos peragi solitam electionem, ψῆφον: peræquè ac ordinationem, χειροτονίαν; & ubi ex eadem Provincia tres Episcopi coïre non possunt, ex vicinis Provinciis alios acciri. Sugillantur autem ab eo jure meritissimo Metropolitani, qui cùm Constantinopoli agerent, certioresque fierent de interitu alicujus suffraganeorum suorum, accersebant adgregabantque sibi tres Episcopos alios, sive suæ, sive cujuscumque alienæ Provinciæ, & in eo Convento mortuo Episcopo successorem subrogabant.

In Can. 4 Nicæn.

Ex his porro illud existit, quanquam ex suprà congestis testimoniis & exemplis, ad electiones Episcopales Græcorum Clerus Populusque suffragiis suis concurreret; ævo tamen ipso Balsamonis totam eam facultatem ad solos Episcopos revocatam fuisse, extruso Clero & Populo. Quin & enim usum jam inveteratum tunc fuisse necesse est, cùm ejus originem à Concilio Nicæno repeteret Balsamon.

Sed cùm illud maximè intersit mandari animo: penitissiméque infigi, quantumcumque & Populo & Clero in electionibus tribueretur: palmariam tamen vim & authoritatem suo sibi jure Episcopos vendicasse; in Caput sequens ea conjiciemus, quæ eam in rem dicenda nobis supererant. In eo ergo hîc desinamus, unde rursus disserendi sumatur initium.

CAPUT XXVII. *P. 3. l. 2. c. 32.*

In electionibus Episcopalibus dominabatur semper Episcoporum potestas, sub Imperio Caroli Magni, & Carolinæ prosapiæ.

I. Electionum Episcopalium potestatem universam gradatim arripuerunt Episcopi, exclusis tandem Cleri populique suffragiis.

II. Ut Episcopi ternos eligebant, quorum unum Metropolitanus Episcopali præponeret Ecclesiæ: ita Metropolitani ternos Patriarchæ præsentabant, quorum unum ille deligeret, & vacanti præficeret Metropoli.

III. Zonaras & Balsamon ea disciplina occupati, quæ eorum temporibus vigebat, in eum sensum antiquos Canones deflexerunt.

IV. V. VI. Constantinopoli plerumque celebrabantur electiones Episcoporum, quòd ibi bene multi semper Episcopi versarentur. Episcoporum electioni adesse non debebat Metropolitanus.

VII. Ad has electiones convocabantur Episcopi omnes, qui tum forte agebant Constantinopoli.

VIII. IX. In Ecclesia quoque Gallicana arcem authoritatis invaserant etiam Episcopi, etsi ab electionibus, nec Clerus excluderetur, nec populus. Variæ in id probationes.

X. Variæ Devolutionum species, quæ Episcopis solis nominandi jus reservabant.

XI. XII. XIII. Nec minùs omnino obtinebat principatus Episcopalis authoritatis in electionibus Italiæ, Hispaniæ, Angliæ.

I. NOn uno impulsu, nec uno temporis puncto in Ecclesia Græca rescissis Cleri populique suffragiis, tota illa Episcopalium electionum potestas ad solos Episcopos revocata est. Jam Capite superiori ex illis ipsis quæ ibi deprompta sunt exemplis, abundè patuit, longè plus momenti semper fuisse in voluntate Episcoporum; & quo illi cumque vergerent, eò inclinatas fuisse electiones. Canone III. Synodi VII. apertissimè sancitur, eligi Episcopum ab Episcopis, juxta Nicænum Canonem: *Oportet ut qui provehendus est in Episcopum, ab Episcopis eligatur; quemadmodum à sanctis Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, definitum est.* At Canon Nicænus Episcopos faciebat moderatores magis & arbitros electionum, quàm electores: sed ex eo quoque summa illis permittebatur authoritas, ex quo gradatim quidem factum est, ut exclusis aliis, tota deferretur. Nec minùs dilucidè Capite superiore comprobavimus ex Concilii VIII. verbis Tarasium, Nectarium, Nicephorum ab Episcopis electos fuisse. *Nectarium Synodus universalis, & Patriarcha elegerunt. Tarasius à Paulo promotus & Nicephorus synodicè electus.* Denique ejusdem Concilii XXII. Canone electiones committuntur arbitrio Episcoporum: *Promotiones Episcoporum decreto & electione Episcoporum fieri statuit universalis Synodus.* Et eam ostenditur fuisse disciplinam Ecclesiæ, prioribus Conciliis confirmatam: *Concordans prioribus Conciliis.* Possunt ex hoc Canone & ad electiones Laïci invitari: *Si quis Laïcorum invitatur, &c.* Sed eorum præsentia minimè necessaria censetur. Cætera missa facio, quæ Capite superiori in hanc rem dicta sunt.

II. III. Sunt & alia ex eodem Balsamone, quæ juvet hoc loco observasse. Jam dixi electionem Metropolitanorum ab eo aliis reservari Metropolitanis, qui ternos eligant, ex quibus unum deligat Patriarcha. Eas electiones Constantinopoli celebrari solitas res ipsa clamat, nempe ubi aderat Patriarcha, quò confluebant plerumque plures etiam Metropolitani, quàm arctæ residentiæ leges forsan permitterent. Inde est quod VIII. Synodus præcepit illa quidem ut promotiones Episcoporum fierent ab Episcopis; non autem ut Constantinopoli fierent eæ vel electiones vel ordinationes, seu Episcoporum, seu Metropolitanorum, ab Episcopis & Metropolitanis, qui in Regia tunc urbe versarentur. En ipsa verba Balsamonis: *Metropolitanorum electiones à Metropolitanis de more fieri, & quod factum est, ad eorum Patriarcham referri, ut ejus examinatione ex tribus electis unus ordinetur.* In Can. 28. Calched.

IV. Fatetur & ipse Balsamon improbatum fuisse quòd Constantinopoli eligerentur Episcopi, in locum eorum qui per Provincias fato fungebantur. Non sanè ex eo capite, quòd Constantinopoli fieret ea electio, cùm Canones nullum certum determinent locum: *Locus non constituit Episcopum, sed suffragium & Antistitum electio;* sed propterea quod ad eam alienæ Provinciæ Episcopos adhiberent electionem. Ibidem. Impingit & hic Balsamon in antiquorum Canonum conspirationem quandam, qui usitatissimè electionem Episcoporum indicebant ipsa in Ecclesia viduata, vel in civitate Metropolitana. Episcopos autem alienæ Provinciæ adhiberi nihil prohibebat, si modò in urbe propria cum Episcopis Provinciæ coïssent. Istæ ergo tunc erant recentiorum Græcorum corruptelæ.

V. Multò autem magis stupendum, quod ait

Balsamon, Metropolitanum electioni Episcoporum interesse non debere. [Ibidem.] *Notu ergo quod Primas, seu Metropolitanus non debet interesse electioni, sed soli Episcopi.* Contrà enim non adesse tantùm, sed præesse electioni Episcoporum Metropolitanum edicunt Canones. Quomodo ergo illum nunc ejicit Balsamon? Facilè solvitur is quidem nodus. Nam ubi Populus, Clerus, Episcopi Provinciæ ad electiones convolabant, bis Metropolitanus necessariò præerat. At ubi circa XII. sæculum desiit Clerus Populusque convocari, & soli Episcopi ternos elegerunt, quos Metropolitano præsentarent, unum ex iis designaturo: tum æquum non erat, ut ei Episcoporum Conventui interesset Metropolitanus. Hinc autem facilè intelliges quàm abhorreret ab antiquis Canonum institutis hæc ratio trium ab Episcopis eligendorum in absentia Metropolitani, qui unum solus pòst ex iis accerseret. Non temerè ergo suprà dictum est à nobis, eum usum ab antiquæ & mediæ ætatis disciplina ferè abhorruisse.

VI. Addit denique Balsamon ad electiones, quæ Constantinopoli ferè omnes celebrabantur, advocatos fuisse Episcopos omnes, qui in urbe essent: [In Can. 6. Sardicen.] *Propterea accersuntur omnes, qui in hac urbium regina diversantur ἐνδημοῦντες, Episcopi, quando debet alicujus Ecclesiæ fieri electio, & eam unius absentia impedit.* Quod hic ait Balsamon unius absentia electionem impediri, non video quî constare possit cum priscis Canonibus, qui omnes vocari jubebant, at tres tamen tantùm necessariò requirebant. Quorsum verò unius absentia impediretur electio, cùm plerique horum Episcoporum alienæ essent Provinciæ? quos adeo ne vocari quidem necesse fuerat. Hæ rursus erant degeneris Græcorum Ecclesiæ vitia, & disciplinæ sacræ laxationes.

VII. In Leunclavii Orientali jure fulget Constitutio Isaaci Angeli Imperatoris, librata disceptataque ab Imperatore ipso, & ab Episcopis omnibus, qui tum fortè Constantinopoli versabantur, ut fieret satis querelis complurium Episcoporum, qui advocati ad eos cœtus non fuerant, ubi Constantinopoli Episcopi plurimi eligebantur. Concilii hujus Decretum huic Imperatorio diplomati implicatum est, eoque sancitum, ut convenienter Canoni IV. Nicæno, & XIX. Antiocheno, invitarentur ad electiones Constantinopoli faciendas Episcopi & Metropolitani, qui tum fortè Regia in urbe degerent. [Juris Orient. T. 1. p. 169.] *Deinceps sancit majestas nostra Imperatoria universos qui ad urbem sunt Pontifices esse convocandos, &c.*

Balsamon ipse in suis ad Marcum Alexandrinum Responsis, disertè tradit, olim suffragiis populi & authoritate Optimatum perfectas fuisse electiones; expunctum eum fuisse morem à Conciliis Nicæno & Laodiceno; & ab Episcopis solis eligi debere Episcopos. Denique in Formulis, quæ eodem [Ibidem. pag. 391.] Jure Orientali continentur, habetur Bulla Patriarchæ concessa ei quem elegerat Metropolitano: [Ibidem. pag. 426.] *Cùm piissimum Presbyterum elegissemus:* & cui unum comitem addebat ex suis Prælatis, seu Ministris, qui iret & in Ecclesiæ suæ possessionem illum mitteret: *Cæterùm qui designatum Pontificem vestrum ipsi gregi exhiberet, eumque sacro in solio collocaret, religiosissimum N. ablegavimus.* In Commonitorio quo instituit Patriarcha Metropolitanum, studiosè præcipit, ut ne nisi dignos provehat ad Episcopatum.

VIII. Constat ergo permagnam in electionibus semper Episcoporum viguisse authoritatem, cùm ea tandem eò eruperit, ut quo potiebantur Clerus Populusque suffragiorum jure ab annis admodum mille, eo exuerentur. In Occidente autem quantum semper hoc medio ævo valuerit Episcopalis in electionibus authoritas, quanquam à Cleri Populique sejuncta non esset suffragiis, id superest nobis aperiendum. Tradit Ado Viennensis Agobardum ex Lugdunensi Chorepiscopo factum fuisse Archiepiscopum ab Imperatore, & à Synodo Episcoporum. *Consentiente Imperatore & universa Gallorum Episcoporum Synodo Episcopus substitutus est.* Concilii [Can. 10.] Verni Patres anno 844. Carolum Calvum Regem rogarunt, ut electioni assentiretur Episcopi Aurelianensis, qui ordinatus fuerat à Metropolitano Senonensi, annitentibus Comprovincialibus Episcopis, conspirante Cleri ac Populi testimonio & petitione. *Archiepiscopus annitentibus suffraganeis ordinavit, probabilium Canonicorum ac laicorum attestatione instructus, & petitione impulsus.* Idem ipse Rex Carolus Calvus in Synodo Tullensi anno 859. testatum fecit, si Archiepiscopatu Senonensi donatus à se esset Ganelo Clericus Palatii sui, factum id esse consentientibus Provinciæ Episcopis: *Consensu sacrorum Episcoporum ipsius Provinciæ ad gubernandum commisi, & apud Episcopos, quantum ex me fuit, ut eum ordinarent, obtinui.* [Conc. Gall. To. 3. pag. 142. 154. 222.] Priscorum Conciliorum Canonumque in eodem Tullensi Concilio, innovata est authoritas, ut deinceps Episcoporum electio, non populi tumultuosis factionibus permitteretur, sed Metropolitani, & Episcoporum judicio. *Ut* [Can. 8.] *ubi qui ordinandi sunt, secundùm Ordinem Ecclesiasticum & institutionem sanctorum Patrum ordinentur. Videlicet ut Episcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circumcirca sunt, provehantur ad Ecclesiasticam potestatem, &c. Et juxta excerpta Martini, ut non liceat populo electionem facere, sed judicium sit Episcoporum, ut ipsi eum qui ordinandus est, probent.*

IX. Cùm Lotharius Lotharingiæ Rex Capellæ suæ Clericum Episcopatu donasset Cameracensi, Hincmarus Remensis Metropolitanus, cui obnoxia erat Cameracensis sedes, Episcopali sarcinæ munerique imparem Clericum illum judicavit. Tum verò ad Lotharium rescripsit Nicolaus Papa, ut eam curam providendi idonei Pastoris Metropolitano permitteret: *Ut Metropolitanus juxta suum illic Privilegium disponere queat.* [Epist. 64.] In Decreto electionis Ansegisi Archiepiscopi Senonensis, Clerus Populusque Senonensis professus est, Episcoporum esse eligere Metropolitanum, cum assensu tamen suo: *Canonicis Regulis & Apostolicis institutionibus sancitum esse recolimus, ut Suffraganei Metropolis convenire debeant,* [Conc. Gall. To. 3 pag. 394 411.] *& electionem futuri Pontificis cum consensu Cleri & Plebis facere.* Cùm Clerus Populusque Laudunensis Hedenulphum Episcopum sibi delegissent, Decretumque electionis mitterent ad Hincmarum Metropolitanum & ad Episcopos Provinciæ, non dissimularunt eorum permissione & licentia celebratam à se esse electionem. *Quem per licentiam vestram pari consensu elegimus.*

Intexuit Hincmarus suæ ad Ludovicum III. Regem Balbi filium Epistolæ, fragmentum earum litterarum, quas ad eundem Regem miserat Concilium ad sanctam Macram, ut illum verecundè & intrepidè tamen commonefacerent, per Leges, Canonesque liberas permitti Episcopis & Metropolitanis electiones, ut tanto ministerio aptos deligant Præsules, eosque Cleri Populique consensu impetrato, Regibus præsentent. *Ut sicut sacræ Leges &* [Hincmar. To. 2. pag. 189 193.] *Regulæ præcipiunt, Archiepiscopis & Episcopis consi-*

mitanearum Diœceseon electionem concedere dignemini, ut undequaque secundùm formam regularem electionis, Episcopi talem eligant, qui & sanctæ Ecclesiæ utilis & regno proficuus existat; & consentientibus Clero & Plebe eum vobis adducant. Quam Concilii doctrinam communit Hincmarus congestis pluribus Canonicis Pontificiisque Decretis, ex quibus id efficitur, Regum esse assentiri, sed Episcoporum esse, & eligere, & ordinare Episcopos. *Quoniam sicut Leges & Regulæ dicunt, in electione Episcopi assensio Regis fit, non electio, sicut & ordinatio.* Bis jam tertve factas à Bellovacensibus electiones cassas pronunciaverant Episcopi, ut Canonibus injuriosas; tum verò eos per litteras monuit, jure eos excidisse tum eligendi, quod ad Episcopos solos esset devolutum. *Perdiderunt electionem, sicut ostensum est illis in Synodo & per sacras Regulas non illorum ulteriùs, sed Episcoporum esse electionem. &c.*

In omnibus ergo electionibus plurimum omnium poterant Episcopi, in quibusdam totum soli, exclusо etiam Clero & Populo. Sunt autem omnino altiùs infigendæ animis hæ causæ, & rerum commissuræ, ubi ad Episcopos solos tota revocabatur facultas, nullam in ejus partem jam vocandis Clericis, laicisque. Inde enim posterior manavit & recentissima disciplina, quæ primò populum, deinde & Clerum arcuit. Ejusmodi causæ ita percrebuere, & tam frequenter summovendi fuere Clerus Populusque ab electionibus Episcopalibus, ut in commune jus denique is usus convaluerit.

X. Præter eam devolutionis speciem ab Hincmaro adnotatam, ubi qui indignum elegere, eligendi ea vice jure spoliantur: sunt & aliæ non prætereundæ. Depromit Hincmarus vetustum Canonem, qui totam eam facultatem in solos transfert Episcopos, ut Clero etiam, Populoque anathema intentent, si minùs morigeros se præstent ei quam fecerint Episcopi electioni, ubi nimirum diutius cessavit Clerus Populusque ab eligendo sibi Pastore, quod facere debuerat, vota sua in aliquem conferendo, quem Metropolitani & Episcoporum Pro-

Ib dem. pag. 243. vinciæ judicio, & ordinationi subjiceret. *Si providere sibi & eligere jubente Metropolitano suo neglexerint, tunc judicio & potestate sua Metropolitanus cum aliis Episcopis ordinet & faciat Episcopum, &c. Si tunc Presbyteri, aut Majores civitatis non adquieverint, ut rebelles anathematizentur.* Addit & Imperatoriam legem, qua jubetur Metropolitanus Episcopum nominare, si à mensibus amplius sex vacarit Ecclesia. Eam Justiniani legem alibi jam laudavimus: *Si qui debent eligere Episcopum, intra sex menses talia decreta non fecerint, tunc Metropolitanus ordinet & consecret sua potestate Clero & Populis Episcopum.*

Quando in plures dividebantur suffragia, Metropolitani erat eligere, hoc est, & numerare suffragia, & ponderare, expendere denique merita

To. 2. pag. 408. personarum. Rursum idem Hincmarus: *Si in partes se eligentium vota diviserint, meum erit eligere, qui majoribus ad ordinandum studiis juvetur & meritis.*

Ubi plures certabant candidati, ea dissidia in Synodis dirimebantur, à quibus & declarabatur rector vacantis Ecclesiæ. Altercatum diu fuerat de Remensi Archiepiscopatu inter Artaldum & Hugonem. Artaldi obitu recaluit spes Hugonis. At Synodus Remensis refricta excommunicatione, quæ ab Episcopis Galliæ & ab ipso Pontifice inustus fuerat, frustravit spes conatusque ejus omnes, electo

Ann. 962. Conc. Gall. 3. p. 595. in Episcopum Odolrico, cum assensu Regis & Reginæ. *Favente Lothario Rege cum Regina matre elegimus Odolricum.*

Eæ fuere causæ, quæ ubi increbuerunt, eò res tandem evasit, ut in Occidente, sicut & in Oriente ad solos Episcopos redirent Episcoporum electiones, sed in Occidente tardiùs id contigit, nec tam latè patuit, nec tam diu viguit. Proditum est à Gerberto, ut electiones fierent ab Episcopis, quanquam Clerus, Populus, Princeps nonnihil adhuc in eis possent. *Quid deinceps stabilietur, si id dissolvitur quod actum est consensu Principis, Episcoporum electione, Cleri & Populi voluntate, postremò omnium hominum excellentissimi Papæ consecratione.* Epist. 23. Vide ut idem alibi describat electionem Arnulphi Archiepiscopi Remensis: *Nos qui dicimur Episcopi Diœceseos Remorum Metropolis, cum omni Clero, diversi ordinis populo acclamante, orthodoxis Regibus consentientibus, eligimus nobis in Præsulem, &c.* Epist. 5. à Sirmundo editarum. Audi & Decretum electionis ipsius Gerberti ad Archiepiscopatum Remensem, ubi expressius significatur, non eò semper secutos esse Episcopos, quò plura ducebant suffragia Clericorum, Laicorumque: illorum intemperantiæ, & inconsideratis votis sæpiùs & intrepidè adversatos esse, ut verissimi fuerint electores Episcopi ipsi. *Ergo non omnis vox po-* Ibidem. Epist. 25. *puli vox Dei est. Nec omnis Cleri & Populi vota & desideria in electione Episcopi perquirenda sunt, sed tantum simplicis & incorrupti. Sententia Patrum exponenda. Non liceat, inquit, turbis electionem facere, sed judicium sit Episcopi Remorum Diœceseos, secundùm has constitutiones Patrum, favore & conniventia utriusque Principis nostri Ugonis Augusti, & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in Clero & Populo, eligimus nobis Archiepiscopum Abbatem Gerbertum, &c.*

XI. Nec minùs in Italia electionibus moderabantur pro sua potestate Episcopi. Id Luitprandus tyrannicis ascribit Berengarii consiliis, quòd Episcopatus daret Episcopis inconsultis. *Nullo consilio* L. 5. c. 13. *habito, nulla deliberatione Episcoporum.* Episcopum Vercellensi Ecclesiæ designavit Joannes VIII. idque quasi suo sibi jure sumpsit, quòd scissus esset ejus civitatis populus in factiones duas mutuò infensissimas, & quæ à contumacia abduci se non sinerent. Affirmavit tamen consensisse Episcopos Du Chesne T. 3. p. 894. 897. 902. Provinciæ. *Consentientibus omnibus Comprovincialibus Episcopis.*

XII. In Hispania Episcopatus dabant Episcopi Provinciæ, aut Provinciæ certè vicinæ. Inter Cordubenses Martyres fama clarissimus Eulogius ad Archiepiscopatum Toletanum electus est, quanquam inauguratus nunquam fuerit. Solis Episcopis eam electionem vendicat Scriptor ejus vitæ. *Nec illud* Hispan. Illust. To. 3. pag. 894. 897. 902. *omittendum est, quod post obitum Toletanæ sedis Episcopi, in eandem sedem ab omnibus Comprovincialibus, & confinitimis Episcopis electus, & dignus est habitus, & pro velam omnium comprobatus.* Hic obiter advertes non in Gallia sola vicinarum Provinciarum etiam Episcopos, aut accitos esse, aut sua sponte coaluisse ad electiones. Ita suprà Hincmarus docuit. In illo ipso Remensi Concilio, quo repudiato Hugone electus est Odolricus Archiepiscopus, simul affuere Remensis & Senonensis Provinciæ Episcopi. Ita jubebant Capitularis Caroli Magni: *Episcopi* L. 7. c. 602. *judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circumcirca sunt, provehantur ad Ecclesiasticam potestatem.* Eam inter vicinarum Provinciarum Episcopos alternam communionem, & indivulsam charitatem mirificè olim declararunt sanxeruntque Sardicenses & Antiocheni Canones.

XIII. In Anglia cùm Vintoniensis Ecclesiæ Clerus

rus in diversa studia distractus esset, propterea quod Monachi, qui in Canonicorum sedes subrogati fuerant, sui propositi Collegamque Episcopum cuperent,
Surius die 16 April. c. 3. Clerici reliqui ex Clero: *Ex quo factum est, ut in electione Episcopi, Clerici Clericum, Monachi Monachum utrique suæ voluntatis fautorem vellent.* Dunstanus Cantoariensis Archiepiscopus devoluto ad se jure usus est, & Elphegum elegit, quem postea habuit in Cantuariensi Ecclesia successorem; cujus & ex vita hoc decerptum est.

At vitæ sancti Dunstani Scriptor mirificam quandam dandorum Episcopatuum potestatem Regibus Angliæ adscribit. Dunstanum Vigorniensi Ecclesiæ Edgarus Rex precibus certè suis præfecit: *Eum Vi-*
Surius die 19 Maii. c. 28. 27. *gorniensis Ecclesiæ Episcopatum suscipere petiit Rex, nec à precibus destitit, quoad eum suæ voluntati consentaneum fecit.* Electioni tamen nonnihil erat loci, ut liquebit ex ipsius translatione Dunstani à Vigorniensi ad Londinensem Ecclesiam. *Defuncto Episcopo Londoniensi quæsitum est, quis in Episcopatum dignè succedere posset. Tandem electio omnium super Dunstanum versa est, & ipse Pontificatum prædictæ Ecclesiæ suscipere communi cunctorum acclamatione coactus est.* In simplicibus electionibus multùm poterant Episcopi: postea enim Dunstanus *Oswaldum in regimen Ecclesiæ Vigorniensis succedere sibi fecit.* Unanimi denique electione Dunstanus ad Cantuariensem translatus est Metropolin. *Unanimis omnium electio Dunstanum inclamitat, &c. Hac Dunstanus acclamatione, quasi voce verè divina constrictus, primatem totius Britanniæ sedem regendam suscepit, & in eam immensa omnium adjacentium Ecclesiarum ac populorum exultatione deductus ascendit.*

CAPUT XXVIII. *P. 3. l. 2. c. 33.*

De electione Abbatum & Abbatissarum sub Imperio Caroli Magni.

I. Summa earum regularum, quæ hoc Capite statuenda sunt.

II. Distinctio Regalium & Episcopalium Abbatiarum sub Pipino Rege. In his frequentior erat electio.

III. Varia exempla Abbatiarum à Carolo Magno donatarum.

IV. Ut complures Abbatiæ Regales evaderent, fundatoribus eas in jus & tuitionem Regum conferentibus.

V. Electionum libertatem in Abbatiis restituit Carolus Magnus.

VI. Saltem de Ludovico Pio id constat. Etsi sub eo quoque plurimùm vacillavit ea libertas.

VII. Multò certius est à Carolo Calvo datas fuisse Abbatias.

VIII. Contestabantur nihilominus Episcopi, Abbatum & Abbatissarum electionis libertatem, Canonicis regulis & ipsa B. Benedicti Regula sanciri.

IX. Reipublicæ perturbationes & calamitates gravissimæ compellebant Reges ad ea tentanda à quibus aliàs abhorruissent; compellebant & Ecclesiam, ut indulgentia uteretur, & de jure suo remitteret.

X. Sub Regibus posterioribus non minùs turbatum est in electionibus, minorum maximè Cœnobiorum.

XI. Instabant vehementissimè Concilia, ut Canonum & Regulæ B. Benedicti observantia strictiùs sanciretur.

XII. Fundatur Cluniacensis Abbatia cum eligendi plenissima facultate.

XIII. Ubi Reges Cœnobia nova omnia B. Benedicti Regulæ addicebant, libertatis quodammodo legem eo promulgabant.

XIV. In Germania sejunguntur majora Cœnobia à minoribus; majoribus integra servabatur eligendi libertas.

XV. I[m]peratium Abbatiarum labes & ruina. Miserrima Imperatorum conditio, qui Abbatias dabant, aut alias Abbatias auferebant.

XVI. Cùm complures Abbatiæ extructæ & dotatæ fuissent à summis Principibus, ingenti ab illis pietate, gratitudine & obsequio eos coli necesse fuit.

XVII. Græcorum quæ in his fuerit interim Disciplina.

I. PErtractatis sub Imperio Caroli Magni Episcopalibus electionibus, opportuoè jam ad electiones Abbatum defluemus, in quibus hæc summatim observanda nobis veniunt. 1. Abbatias plerumque à Regibus donatas fuisse, acsi ea fuissent Regiæ Coronæ feuda, seu Beneficia. 2. Ab illis concessa quibusdam eligendorum Abbatum diplomata, tanquam ex privilegio. 3. Contrà verò pertendisse Ecclesiam, Jure communi, & Legibus canonicis sanciri in Abbatus etiam libertatem electionum. 4. Pipinum, Carolum Magnum, & Ludovicum Pium conniti non potuisse, ut Cœnobia omnia Regulæ B. Benedicti addicerentur, quin electionum libertatem eis annuerent. 5. Et tamen tum ipsi, tum eorum successores sæpissimè Abbatias suo nutu dono dederunt, vel importuna temporum necessitate compulsi, vel restituendæ in iis disciplinæ amore. 6. Iisdem rationibus acti non raró, ut Abbatias donabant, ita & auferebant. 7. Erant & Ecclesiæ causæ justissimæ, ut ea licentia abuti sineret Principes dandarum & auferendarum Abbatiarum. Sed in ea ratione plurimum erat momenti, quód plurimarum Abbatiarum fundamenta, incrementa & reparationes Regibus accepta ferrentur. 8. Quæ clientelæ & tuitioni Regum suberant Monasteria, canonica nihilominus libertate Abbates eligebant. 6. Potuissent & Episcopi forsan aliquid sibi juris in electionibus Abbatum vindicare; sed eo cesserant, cùm toties Reges adhortarentur, ut electiones Abbatum restituerent, Regulam autem B. Benedicti omnia prorsus in Cœnobia Monachorum & Monialium propagarent.

Fluctuabunda nonnunquam nostra hæc dissertatio Lectori non immeritò videri poterit; nimirum alternarunt & ipsi Ecclesiarum in hac parte mores, ususque. Hærebimus autem ipsi maximè ordini temporum: à Pipino & Carolo Magno ad Ludovicum Pium & Carolum Calvum delabemur, & ad postremos tandem regnatricis hujus familiæ Principes. Deducent illi nos in Germaniam, unde in Græciam & in Orientem facilè trajiciemus. Ea erit hujus Capitis & sequentis contextio.

II. Ordiamur à Pipino & Carolo Magno. In Concilio Verno sub Pipino anno 755. duo sejunguntur Cœnobiorum genera, seu Monachorum, seu Monialium. Aliæ enim Episcopales erant Abbatiæ, aliæ Regales: Illæ Episcopo, hæ Regi rationem reddebant redituum, quos ipsis administrandos Rex permittebat. *In alia Synodo nobis perdonastis, ut illa Mona-* Can. 10.
steria ubi regulariter Monachi vel Monachæ vixerunt, hoc quod eis de illis rebus dimittebatis, unde vivere debuissent, exinde si Regalis erat, ad dominum Regem faciant rationem Abbas, vel Abbatissa: & si Episcopalis, ad illum Episcopum. Simillimum veri est à Rege nominatos Abbates, nominatas & Abbatissas Regalium Cœnobiorum, cùm non frustra Regalia dicerentur, cùm partem redituum Rex sibi decerperet, ut infrà ostendetur, cùm denique proventuum rationes Regi exhiberentur.

At in Abbatiis Episcopalibus propiùs à vero abest electos fuisse Abbates, cùm Regalibus etiam non raró jus seu privilegium eligendi à Regibus concederetur. Cæterùm in electionibus quoque Regalium Abbatiarum Episcopi consensus necessarió interveniebat. Ita decrevit Concilium Francofordiense. *Ut Abbas in* Can. 17.
congregatione non eligatur, ubi jussio Regis fuerit, nisi per consensum Episcopi loci illius. Eodem in Concilio edi-

citur, ut si qua Abbatissa neutri se Regulæ obsequentem præstet, hoc est, nec B. Benedicti, nec Canonicarum, Episcopus Regem submoneat, & tum illa abdicetur dignitate. Can. 47. *De Abbatissis, quæ canonicè aut regulariter non vivunt, Episcopi requirant, & Regi adnuntient, ut ab honore priventur.* Si Rex unus Abbatias donabat, minùs stupenda tunc erit ejus Abbatissæ abdicatio.

III. Audivimus suprà Sangallensem Monachum magnificas venditantem pollicitationes Caroli Magni junioribus Clericis ab eo fieri solitas, quò ad studia Artium & Scientiarum eos incenderet. *Dabo vobis Episcopia & Monasteria permagnifica.* Du Chesne Tom 2. pag. 108. 112. Testatur idem Sangallensis Monachus Carolum Magnum, ne in unum aliquem plura unquam Beneficia cumularentur, Episcopos nunquam donasse Abbatiis, nisi justissimis & necessariis causis eò adigeretur. *Nulli Episcoporum Abbatiam vel Ecclesias ad jus Regium pertinentes nisi ex certissimis causis unquam permisit.* Rursus ea eodem vehementissimè aliquando exacerbatus Carolus in Episcopos, Abbates, Comites: Episcopis quidem pœnam indixit pecuniariam, Comites & Abbates beneficiis & honoribus suis exuit. Ibid. p. 126. *Omnes Comites & Abbates cunctis honoribus denudavit, Episcopos infinita pecunia mulctavit.* Certum est denique à Carolo Magno collatas statim Alcuino fuisse Abbatias sancti Lupi apud Trecas, & Ferrariensem: eidem ex Anglia reduci Abbatiam sancti Martini Turonensis ab eodem esse concessam, ut perhibet vetustus Author vitæ Alcuini. Illum quoque donaverat Carolus Monasterio, seu Cella sancti Jodoci, authore Lupo Ferrariensi Abbate: Epist. 21. *Cellam sancti Jodoci, quam Magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat.* Alcuinus ipse datis ad Carolum Magnum litteris donatum se ab eo profitetur Epist. 23. Abbatia sancti Martini. *Pia providentia vestra consilio translatus sum in servitium sancti Martini.* Postremò cùm abdicatione temporalium omnium rerum spontanea, cuperet Alcuinus viam sibi munire ad beatissimæ Patriæ æternitatem, copiam sibi fieri obtinuit à Carolo Magno, ut *Monasteria sibi commissa inter discipulos divideret.*

IV. Quanquam hinc satis liqueat, Abbatias à Carolo Magno datas fuisse, ab eodemque ablatas, ubi justas & necessarias nactum esse causas ipse æstimabat. Constat nihilo tamen minus concessa ab eodem sæpissimè fuisse Cœnobiis jura seu privilegia libertatis canonicæ in electionibus; quin & forsan aliquando tandem generale promulgatum ejusmodi libertatis Edictum, quo omnes prorsus Abbatiæ fruerentur. In historia Abbatiæ sancti Galli memoratur Valtramus hæres priscorum ejus Abbatiæ Fundatorum præsentasse Abbatem Othmarum Regi Pipino, quo ejus eum committeret clientelæ, Abbatiamque ipsam illius tuitioni adversùs tyrannicos deprædatores Ecclesiarum. Pipinus incunctanter eam Abbatiam sua impertivit custodia & tuitione, unáque confirmavit libertatem eligendorum Abbatum. Du Chesne. To. 3. pag. 481. *Othmarum Abbatem Pipino Regi præsentavit, ipsique Regi Monasterium quod adhuc hæreditario jure in sua potestate retinebat, cum ipse pariter Abbati contradidit, ea videlicet causa, ut ipse Abbas ejusque successores idem Monasterium Regia authoritate retinentes, nullius violentia deinde premerentur; sed tantummodo Regum jussionibus obedirent. Quod benevolus Princeps benignè suscipiens, præcepit ut Monachi ejusdem loci deinceps potestatem haberent Abbatem eligere, sibi atque solis tantummodo Regibus subjacerent.* Sed cùm post Othmari obitum Abbatiæ Episcopi Constantienses eam Abbatiam invasissent, Caroli Magni opem interpellarunt Monachi, à quo innovatum est liberæ electionis privilegium, Episcopo ipso tantò impensiùs consentiente, quòd nepotis sui eligendi spe lactabatur; qua frustratus à Monachis, ea rursus excivit jurgia, quibus sedandis adeundus fuit Imperator.

Ea ex narratione facilè odoramur, ut in Regum potestatem & clientelam complurimæ concesserint Abbatiæ. 1. Fundator Cœnobii sancti Galli, vel ejus posteriorum aliquis patronatum tanquam hæreditarium obtinet ejus Abbatiæ. 2. Is suum tandem jus Regi transcribit, ut ejus patrocinio & tuitione propulsentur sacrilegi usurpatores, qui privatos Patronos contemptui habuissent. 3. Abbatiæ in hunc modum Regi transcriptæ Rex ipse chartam annuit libertatis, & liberas ejus tuetur electiones adversùs Episcopos, quos non rarò illa incessebat libido, ut uno eodemque tempore Episcopi essent & Abbates.

V. Denique Carolus Magnus, aut si mavis Ludovicus Pius Magni Patris voto obsecundans, ab ipso Imperii sui primordio Abbatias omnes electionum libertate donavit. Ea Capitularibus id certè emicat, ubi de concinnata jussu ejus Regula Canonicorum & Canonicarum in Concilio Aquisgranensi cùm verba fecisset, mox eam Princeps legem promulgat libertatis Monasteriorum in electionibus celebrandis. *Monachorum siquidem causam, qualiter Deo opitulante ex parte disposuerimus, & quomodo ex se ipsis sibi eligendi Abbates licentiam dederimus, in alia schedula diligenter adnotare fecimus, & ut apud successores nostros ratum foret, & inviolabiliter conservaretur, confirmavimus.* Capit. Car. M. l. 1. c. 85. 86. In alio loco Capitularium jubetur eligi Abbatissa, & ubi juramento confirmatum fuerit, nulla terrestri cupiditate instigatos fuisse, qui eam elegerint, tunc ab Episcopo quoque eam confirmari. *Abbatissa eligatur à cuncta congregatione, &c. Qui eam eligunt, proponant sanctis Evangeliis, &c. Tunc confirmetur ab Episcopo, cui Monasterium subjectum est.* L. 5. c. 231.

VI. Quàm piè, quàm optatò sancitum id fuerat, tam inconstanter, ut suspicor, & infidè observatum est. Unde & plerumque deincept etiam occurrunt Abbatiæ à Regibus donatæ. Anno 825. præcepit Ludovicus Pius, ut Abbates quibus ipse Cœnobia dono dederat, ea administrarent ex Episcoporum consilio. *Abbatibus & Laïcis specialiter jubemus, ut in Monasteriis quæ ex nostra largitate habent, Episcoporum consilio peragant ea quæ ad Religionem Canonicorum, Monachorum, Sanctimonialium pertinent.* Cap. 8. In alio Capitulari anni 828. Abbates locantur inter eos qui Beneficia Regia, seu Feudos Coronæ, ut nunc loquuntur Galli, obtinent. *Episcopi, & Abbates, & reliqui qui Beneficia habent.* Ibidem. Non ad Episcopos, sed ad Abbates ea verba pertinent, *qui Beneficia nostra habent:* per *reliquos* autem intelliguntur Comites, & alii Beneficiarii laici, ut loco consimili jam patuit.

In Concilio Parisiensi VI. anni 829. statutum est, Can. 37. si qui Canonicorum Abbates contumaciùs in Episcopos insolescerent, ii vel à Concilio in ordinem redigerentur, vel authoritate Principis abdicarentur. *Synodali judicio aut corrigantur, aut principali authoritate interveniente, honore prælationis priventur.* Interpellatus est ab hoc eodem Concilio Ludovicus Imperator, ut cogeret Abbates & Abbatissas, tum Monastici Ordinis, tum Canonici, ut mores suos professioni aptarent, creditas sibi ne dilapidarent res Ecclesiæ, Episcopis obtemperantes essent. *De Abbatibus verò Canonicis & Regularibus, & de Abbatissis, à vestra Serenitate admoneantur, &c. Loca sibi à vobis concessa deperire & destrui per negligentiam non dimittant, &c.* L. 3. c. 28.

Et nostram admonitionem libenter audiant, &c.

Tam arcta ex conjunctione Abbatum cum Principe, nec non & Abbatissarum, cui multò amplius obnoxii esse videbantur, quàm Episcopo proprio: non injuria conjicitur ex ejus largitate Abbatias obtentas fuisse. Ideo & Concilium II. Aquisgranense eundem Imperatorem submonebat, quantum ipsi incumberet discriminis ab ea largiendarum Abbatiarum difficillima provincia. Can. 10. *Similiter poscimus, ut in Abbatissis constituendis, & Rectoribus Monasteriorum, vestrum specialiter caveatis periculum, sicut vobis sæpè est dictum, & per divinam authoritatem crebriùs manifestatum.*

Novum his lumen affundent Acta Aldrici Cenomanensis Episcopi. Quo ille primùm die Episcopatum iniit, controversia illi facta est de Abbatia sancti Vincentii in civitate Cenomanensi, de qua venditabant, *Quòd fiscus esse debebat Imperatoris*, delegatis jam à Luduvico Pio Judicibus, qui de eadem causa cognoscerent. Auspicatò tamen res cessit Aldrico, qui pervicit quòd ea Abbatia *sub dominatione & jure Episcopatûs esse deberet*. Quin & authenticum invenit Privilegium, quo constabat Dumnolum Cenomanensem Episcopum eam Abbatiam dotasse rebus & opibus Episcopatûs. Baluz. Miscell. tom. 3. pag. 16. 17. *De rebus sua sedis Ecclesia ditavit.* Ubi apertum est, Imperatores spectasse Abbatias suæ fundationis tanquam fisci & dominii sui partem: Episcopos autem ex adverso omni virium contentione enixos, ut Episcopalium Abbatiarum privilegia tuerentur, in quibus principem semper locum habebat libertas electionum.

VII. Sed etsi interpretando, molliúsque tractando possent hæc omnia alium in sensum flecti: at indubium est Carolum Calvum usum antiquum, vel abusum potiùs innovasse, dandarum sine electione Abbatiarum, sin minùs omnium, certè longè plurimarum. Interpellatus est Carolus hic Rex à Concilio ad Theodonis-villam habito, anno 844. ut Abbatias Clericis daret, vel Monachis, non Laicis, ut hactenus ab ipso, immo & ante ipsum jam inde à temporibus Ludovici Pii factitatum fuerat. Can. 3. 5. *Devotissimè obsecramus, ut loca venerabilia, & habitum ac ordinem sacrum, eis qui ad hoc vocati sunt, viris scilicet & Clericali & Ecclesiastico, vel Monastico ordine religiosis, seu fœminis Deo dicatis, & in schola Christi eruditis, ad custodiendum & providendum committatis; qui & quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddant.* Additum est ut & Provisores Monasteriis daret, ad tuitionem rerum temporalium, iis nimirum, quibus Regulares Abbates donasset. *Per loca etiam Monastica ejusdem ordinis Provisores necesse erit disponere, cùm vestra authoritas eos qui vices Christi secundùm regulam divinitus dictatam in Monasteriis agant, studuerit ordinare.* Carisiacensis etiam Concilii anno 858. habiti Patres, ad Ludovicum Germaniæ Regem scribentes, ab ipso quoque Abbatias dari insinuant. Can. 9. *Rectores Monasteriorum quibus Monasteria committitis, &c.*

Sed ne optari quidem potest expressiùs quidquam privilegio, quo Cœnobium Corbiense donavit Concilium Parisiense anni 846. urgente Carolo ipso Calvo Rege. Contestantur enim Episcopi ideo flagitasse Monachos illud libertatis privilegium à Rege & Episcopis, quòd ex omnibus pene Abbatiis expunctæ & oblitteratæ jam sint electiones. *Cernentes viri religiosi electionis jura multis in locis non servari, verentes similia pati, sacras litteras clementissimi Principum expetierunt, electionem sibi & rerum suarum liberam dispositionem, juxta institutionem divinæ legis confirmantes. Nec eas sufficere arbitrati ex nutu nobilissimi Regis, nostra quoque authoritate, sibi eadem confirmari postulaverunt.* Tum Reges obtestatur hæc Synodus, ut quando alibi ferè oppressæ extinctæque sunt electiones, ea hanc saltem Abbatiam donent libertate, sed sincera, non simulata: *Quocirca hortamur filios & dominos nostros piissimos Principes nostri & futuri temporis, quia pene in omnibus locis id confunditur, saltem propter amorem Dei, electionis gratiam & liberam dispositionem facultatum suarum illi loco conservare satagant, & sit in illo Monasterio semper privilegium electionis, sicut antiquitus in Ecclesiis electio conservata fuit, non supposita aut suffecta, sed libera, juxta authoritatem canonicam & regulam sancti Benedicti.*

VIII. Illud sanè in primis hîc observandum, quòd hæc Synodus restitui flagitet electionum libertatem, ut legi divinæ, ut canonicis Sanctionibus, ut antiquis Ecclesiæ moribus consentaneam. *Juxta institutionem divinæ legis, &c. Sicuti antiquitus in Ecclesiis electio conservata fuit, &c. Juxta authoritatem canonicam & regulam sancti Benedicti, &c.* Ulteriùs etiam progreditur Synodus, vibrato in eos anathemate, qui hanc Abbatiam à Principibus posthac impetrarint, ut qui gravem inusserint contumeliam canonicis Regulis, quæ cœtu Ecclesiæ eos exscindunt, qui potestate Principum ad involandas dignitates Ecclesiasticas abutentur. *Si quis gratia apud dominos rerum Monasterium illud impetrare voluerit, primò secundùm canonicam authoritatem, quia sæculari potestate Ecclesiam Dei obtinere voluit, anathematizamus, cum sanctis omnibus Patribus, qui sacros Canones edidere.* Nicolaus verò Papa anno 863. cùm innovaret & confirmaret *regularem canonicamque libertatem* hujus Abbatiæ, ut quæ Regula B. Benedicti & canonicis institutis niteretur: Reges ipsos deinde interpellabat, ut Deo impenderent quod ab eo expectarent; divinasque & Ecclesiasticas leges inviolatas servarent, quò & Deus eorum leges regnumque perpetuaret. *Neque Rex, neque potestas aliqua ullam Monasterio Corbeiensi præponant personam, quam non fratres ipsius elegerint Monasterii. Debent enim mundi Principes honorem præstare Deo, quem sibi volunt præstari à Deo: ut quemadmodum cupiunt à Deo sibi collatum Regni honorem conservari, sic Ecclesiæ Christi suam non dedignentur servare legem.*

IX. Observari hæc eadem poterunt in ea Privilegia, quæ vel Romani Pontifices, vel Episcopi contulerunt Monasteriis sancti Carilephi, Solemniacensi, aliisque compluribus, ubi Principum quidem beneficio libertas electionum conceditur, sed ea libertas, quam suo sibi jure & Canonum jussu cùm olim obtinerent, temporum importunitate & bellorum civilium tumultuationibus factum fuerat, ut ea exuerentur. S. Calais. Solognac. Certissimè enim sola ferè civilium bellorum diuturnitas & bacchatio Carolum Martellum, Pipinum, Carolum Magnum, Ludovicum Pium, & Carolum Calvum adegit, ut Laïcos quosdam Abbatiis donarent, ad expensas bellicas; ut Cœnobiorum reditus eodem aliquando derivarent, parte tantùm aliqua Abbatibus seposita: ut denique Abbatias sibi quodammodo vindicarent, quò earum proventus & res ipsas in suos Regnique usus licentiosiùs converterent. Conc. Gall. Tom 3. pag. 218. 234. 302. Opportunus alibi occurret locus eas enucleandi causas & temporum necessitates, quæ has infandas alioqui usurpationes excusare utcumque potuerint, Ecclesiamque adducere, ut necessariæ indulgeret clementiæ & dispensationi. Unum hîc monebo, ubi res sacras ita usur-

patas restituebant in integrum Christiani postea Principes, tum eos & legum justitiæ, & suæ ipsorum bumanitati ac beneficentiæ obsecutos esse.

Cùm ex toto se non posse arbitrabatur, dimidiatis saltem his Beneficiis de Ecclesia beoe mereri studebat Carolus Calvus. Scripsit ad eum aliquando Lupus Ferrariensis Abbas, Cellam seu Cœnobium sancti Judoci à Carolo Magno collatam fuissa Alcuino, *ad eleemosynam exhibendam peregrinis*; à Ludovico Pio eandem postea commissam fuisse Abbatiæ Ferrariensi, *at quod eleemosyna superesset, in usum cederet* Monachorum Ferrariensium; denique infortunio nescio quo factum esse, *partem at ejus optimam sæcalari homini traderet, non regendam, sed evertendam.* Ferrariensis Cœnobii Abbas creatus fuerat Lupus electione Monachorum septuaginta duorum, ei tum Collegio sacro inscriptorum: & eam tamen Abbatiam à Carolo Calvo sibi commissam fuisse ipsemet profitetur: *Septuaginta duo Monachi, quos ad eorum votum electionemque mihi commisistis.* Non ergo semper electionès cessabant, quando Cœnobia donabantur à Regibus; sed illud jure verendum, ut satis liberæ eæ fuerint electiones. Ea porro Lupi electio assensu Regis firmata, facit ut non facilè persuadear de Abbatia ipsa Ferrariensi intelligi, quod alibi Lupus ait, *Fama dispersit datum nostrum Monasterium Egilberto.* Proclivius est id opinari de Cella sancti Judoci, quam & ipsam alioqui constat ei restitutam postea fuisse ab eodem Carolo Calvo. Extant & alia in Annalibus Fuldeosibus exempla electionis Abbatum, & confirmationis Regum. *Decessit Hatto Abbas, in cujus locum per electionem Fratrum & authoritatem regiam ordinatus est Thioto unus ex ipsis Monachis.*

Epist. 13.
La Celle saint Josse.
Epist. 44. 45.
Epist. 92.
Baluz. Nota ad Lupum Ferr. p. 507.
Annal. Ful. Anno 856. Du Chesne Tom. 2.

X. Non paulò operosius est eam libertatum & electionum seriem deprehendere in minoribus Abbatiis, quàm in majoribus, quæ qua florebant gratia & authoritate, privilegia sibi subinde & dari evincebant, & confirmari. Forsan & ubi à Carolo ad ejus posteros delabemur, tantò rariores occurrent electiones. In Annalibus Bertinianis dicitur Carolus Calvus Abbatiam sancti Martini Clerico conjugato dedisse, quam & antè inconsultè alii concesserat. *Abbatiam sancti Martini, quam inconsultè Ludovico donaverat, non satis consultè Hucberto Clerico conjugato donavit.* Postquam vita migravit Calvus, Ludovicus II. ejus filius, quos sibi cumque voluit conjunctissimos & obsequentissimos habere, eos Abbatiis & Comitatibus donavit. *Accepto nuntio de morte patris, quos potuit, reconciliavit sibi, dans eis Abbatias, & Comitatus & villas, secundùm uniuscujusque postulationem.* Excanduere Abbates & Comites, quòd illis inconsultis id perfecisset: *Regni Primores, tam Abbates, quàm Comites indignatos, quia quibusdam honores dederat sine illorum consensu.* Et hos tamen rursus Rex demeruit, dispositis quibuscumque dignitatibus, quas expetissent. *Pactis honoribus singulis, quos petierunt.* His peractis ubi Rex solenni pompa ab Hincmaro inauguratus fuit, tum Episcopi ejus se commendavere tuitioni, fideles se fore polliciti: at Abbates fidei sacramento ei se obligarunt, cum Comitibus, cæterisque Regni Vassallis. *Abbates autem & Regni Primores, ac Vassalli Regii se illi commendaverunt, & sacramentis secundùm morem fidelitatem promiserunt.*

Annal. Bert. anno 862. Du Chesne To. 3. p. 213. 253. 254.

XI. Hinc verò plus satis liquet, difficillimis his temporibus Abbatias plerumque à Regibus numeratas quodammodo fuisse inter Regia Beneficia, peræquè ac Comitatus. Indubitatissimè tamen jus in eas regium istud erat, ut eas defenderent, tuerentur & protegerent; quo sive jure, sive officio fungebantur etiam in Abbatiis, libertatis & electionum retinentioribus, sive ex antiqua & nunquam interrupta possessione, sive eorum privilegiis confirmata. Ex quo rursum patet, jure custodiæ & defensionis nec nominationem Regum includi, nec excludi Monachorum electiones. Eo privilegio, quo Marinus Papa Cœnobium Solenniacense decoravit, explicantur dona & privilegia, ab Imperatoribus & Regibus concessa, usque ad Ludovicum Balbum & ambos ejus filios; & confirmatur tamen plenissima libertas eligendorum Abbatum ex canonicis Constitutionibus. *Nullus ibi quacumque subreptione Abbatem constituere præsumat, nisi quem ejusdem loci Monachi, secundùm authenticam & regularem institutionem ex se ipsis elegerint ordinandum.*

Conc. Gall. To. 3. p. 520.

Ideo & Concilii Trosleiani Patres anno 909. eo semel præstituto, in Regula B. Benedicti electionem Abbatis constitui statim ut totius cardinem Monasticæ disciplinæ: *In ipso ingressu lectionis sanctæ Regulæ, legitur de eligendo Abbate, & qualis esse debeat*, redintegratam fuisse à Carolo Magno in Capitularibus eligendi libertatem: *Sibi Abbates eligendi licentiam dederimus:* affirmant tandem tam pia Regulæ Canonumque decreta à Regibus & Imperatoribus religiosè custodita fuisse. *Hæc ita post primam sanctorum Patrum duce sancto Spiritu ordinationem, ac deinde post canonicam de his authoritatem, à prioribus Imperatoribus & Regibus decreta & custodita fuerunt.*

Can. 3.

XII. Ubi Cluniacensis Abbatiæ fundamenta jecit Vuillelmus Arverniæ Comes & Aquitaniæ Dux, liberam permisit Abbatum electionem juxta Regulam B. Benedicti anno 910. *Habeant Monachi licentiam, quemcumque sui Ordinis, secundùm Regulam sancti Benedicti, eligere maluerint Abbatem.* Berno qui primus eam rexerat ante obitum suum deligi curavit successorem sibi Odonem: *Odonem cum fratrum consensu mihi succedere delegavi.* Privilegio Agapeti Papæ confirmatur ea libertas eligendi, ne petita quidem consensione terrenorum Principum: *Habeant liberam facultatem sine cujuslibet Principis consulta, quemcumque secundùm Regulam sancti Benedicti sibi voluerint ordinare.*

Conc. Gall. To. 3. p. 570.
Bibl. Clun. pag. 3. 9. 273. 283.
Spicil. To. 6. pag. 420.

Aimardus III. Cluniacensis Abbas eo privilegio à Pontifice Cluniacum decorari curavit, unde & ipse ante obitum operam dedit, ut successor sibi sanctus Majolus eligeretur. *A fratribus eligitur, à populo acclamatur, à Pontificibus benedicitur.*

XIII. Cùm Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius promulgarint toto Regno & Imperio Regulam B. Benedicti, ut suprà pluribus declaratum est: cùmque in Regula sanciatur tanquam fibula quædam Monasticæ disciplinæ electio Abbatum: inde manifestum est promulgatam eadem opera indultamque fuisse omnibus Monasteriis electionum libertatem: ex quo id efficitur, quoties iidem Principes, vel eorum successores arbitrio suo Abbates nominarunt: toties vel obreptum eis fuisse, vel molestissimam incubuisse necessitatem, quæ eos impelleret ultra eos fines, quos sibi ipsi præscripserant.

Nec alia ratio est Episcoporum, qui cùm ovilis Christi universi summi sint Pastores, primarium utique jus obtinent vicarios sibi Pastores asciscendi, quibus partem aliquam sarcinæ suæ communicent, & curæ pascendarum ovium. Cùm tamen ipsimet Regibus collaborarint, ut omnia prorsus Monasteria Regulæ B. Benedicti manciparentur, vel eo

certè nomine constrinxerunt se ad tuendam electionum in eis libertatem. Et plurima certè hactenus deprompta sunt à nobis testimonia, ubi connitebantur Episcopi ad electiones liberas Cœnobiis asserendas, aut restituendas, adversùs frequentissimas eorum molitiones, qui eas labefactabant. Aldricus Senonensis Archiepiscopus eam libertatem
Spicil. to. 2. pag. 582. Abbatiæ sancti Remigii confirmavit. *Quem omnis Congregatio sibi ordinandum poposcerit.* Ubi verò non esset in Cœnobio, cui ejus administratio demandari posset, voluit Aldricus, ut ab Episcopo Abbas tunc designaretur, cum assensu Episcoporum Pro-
Ibid. p. 733. vinciæ, & Abbatum circumpositorum. *Consentientibus Coëpiscopis ejusdem Diœcesis & circumpositis venerabilibus Abbatibus.* Id Concilium Magdunense annuit precibus Archiepiscopi Senonensis anno 891. ut ne deinceps possent Archiepiscopi Senonenses Abbatiæ sancti Petri Vivi Abbates accire ex aliis Cœnobiis, uti hactenus fecerant, *præter Regulam B. Benedicti, & institutionem Canonum*; ex quo mirum quanta pernicies Monasterio illata esset: sed Abbatem Monachi *ipsi sua dispositione & libitu voluntatis ex suis eligerent.* Petrus Archiepiscopus Mediolanensis Monasterium sancti Ambrosii privilegio ejusdem modi instruxit, ut suo semper sibi ex Collegio Monachi Abbatem præponerent. *Neque Ab-*
Le Cointe. Anno 789. n. 183 & 790. n. 26. *bas ibidem ordinetur extraneus ullo unquam tempore, nisi aut in eodem Monasterio prius sumpserit habitum, aut quem Fratres eligant.* Pipinus Italiæ Rex suo assensu altero pòst anno illud privilegium roboravit. Posset ejusmodi exemplorum strues huc congeri.

XIV. Transmisit ad nos Regino Decretum Conventûs Episcoporum & Principum Germaniæ sub Ottone Rege, quo statuebatur anno 952. ut Abbatiæ quæ jure gauderent eligendi, nemini privato dari possent, nec vel subjici, vel uniri aliis Cœnobiis. Sed si quæ ea eligendi libertate non fruerentur, possent illæ à Rege subjici Abbatiæ cui-
Regino Ap-p. l. 2. pag. 410. piam, quæ esset sub Regis tuitione: *Ut nulla Abbatia quæ per se electionem habet, ad Monasterium, nec alicui in proprium donari possit. Illa verò quæ electione carent, Regis donatione & privilegio ad aliud Monasterium, quod sub ejus mundiburdio consistit, surrogari possint.*

Vides hîc ut majora Cœnobia minùs laborarent in suis propugnandis libertatibus: cùm minuscula succumberent aliquando tandem tot alienæ tunc libertatis insidiatoribus. Vides hîc rursus, ut quæ Regio patrocinio, seu ut tunc loquebantur, mundiburdio suberant, canonica nihilominus eligendi libertate fruerentur. Denique exemplum hîc habes optimum in usum convertendi minusculos Conventus, sua sponte caducos & fluxæ corruptæque utplurimùm disciplinæ, nimirum eis majori & vegetiori cuipiam uniendis, ubi incorrupta faciliùs servatur morum Regulæque censura. Quod ad eos quoque pertinet Principes, Collatores, Patronos, qui tenuiora quædam Beneficia in potestate habent.

XV. In pervetusto Chronico oculis subjicitur tristissima conditio Imperialium Abbatiarum, quæ sæpenumerò devastatæ jacebant, vel propter impensas militiæ Imperatoribus suppeditandæ, vel propter frequentissimas depopulationes hostium Imperii per absentiam Imperatorum. Itaque his Abba-
Spicil. To. 3. pag. 299. tiis compendiosius erat, ut eas Princeps Episcopis concederent: quanquam etiam tunc rursus metus esset, ne ipsi Episcopi Abbates earum se ipsos esse concupiscerent.

Est autem inter Gerberti Epistolas ea conjecta, qua Otto Imperator luculentè declarat, quàm acerba, sed & ineluctabili quandoque necessitate optimi nonnunquam Principes cogantur invadere & transgredi leges Ecclesiæ. Excusat Imperator eas rerum suarum angustias, quæ eum compulerint, ut Joanni Monacho concederet S. Vincentii Abbatiam apud Capuam, quæ tum minimè vacaret; jubetque aliis donari Beneficiis Abbatem, qui nulla sua culpa deturbabatur. *Diversa Regni negotia interdum cogunt nos* Epist. 156.
incidere diversa imperia. Hinc est quod Abbatiam sancti Vincentii ob quarundam rerum necessitudines nuper Joanni Monacho donavimus, Rothfrido Abbate nec adjudicato, nec deposito. Quando B. Ludgerum, qui Monasteriensis postea fuit Episcopus, donavit Carolus Magnus Abbatia Canonicorum in Brabantia: cùm ei priùs obtulisset Abbatiam Sanctimonialium; non id dabatur necessitati & difficultati temporum in Imperio: sed aliquantò probabilius est, id tum à Surius die
Carolo fuisse tentatum, ut labefactatæ succurreret 26. Mart.
seu temporali Monasteriorum substantiæ, seu spiri- in vita S. Ludger.
tali disciplinæ.

XVI. Præter geminam eam causam, ex Imperii calamitatibus, & ex concussa Monasteriorum disciplina; erant & aliæ nonnullæ, quæ Episcopos & Episcopales ipsas Synodos cogerent, indulgentiùs & remissiùs, hoc est, prudentiùs & blandiùs agere cum Regibus iis, qui dabant adimebantque Abbatias, non expectata electione, non canonici judicii sententia. Harum autem causarum primaria ea erat, quòd Cœnobia longè plurima Reges ipsi aut primò exædificassent, aut postea restaurassent. Concilium Remense II. anni 813. Imperatoriam interpel- Can. 33.
lavit munificentiam, ut opis aliquid & largitatis suæ impertiret Monialium Monasteriis, quæ rerum penuria vehementer laborabant. *Domni Imperatoris misericordia imploranda, ut victum & necessaria consequi possint Sanctimoniales.* In Concilio VI. Parisiensi Can. 15.
anno 829. excitatus est ab Episcopis Ludovicus Pius, ut in avita iret vestigia, & largitatis exempla, & Episcopatus sublevaret tenuitate & inopia fatiscentes. *Morem paternum sequentes, quasdam sedes Episcopales, quæ rebus propriis viduata, imò annulata esse videntur, de earum sublevatione & consolatione cogitetis; memores semper quomodo progenitores vestri hujusmodi piissimis studiis intenti fuerint.* At Concilium Meldense anni 845. Carolum Calvum non Can. 53.
tam precibus, quàm paternis constrinxit pollicitationibus, ut impleret quod promiserat decreveratque Ludovicus Pius, ut ex fisco Regio suppeditarentur impendia quæcumque necessaria, vel Capitulis Cathedralium, vel Abbatiis Cœnobiorum, ad Claustra, ad Dormitoria, ad infirmorum ædiculas, ad structuras denique, & ad alimenta. *Qui Episcoporum loci convenientiam aut facultatem non habuerit, ut hoc perficere & ordinare possit, Princeps secundum Constitutionem domni Imperatoris Ludovici annuat.* Nec iis se finibus cohibuit Concilium Tullense anno Can. 9.
859. Regem quippe promulgavit Provisorem esse universalem Monasteriorum omnium utriusque sexûs, Ordinisque tum Canonici, tum Regularis. *Ut Congregationes Monachorum & Canonicorum ac Sanctimonialium à propriis Episcopis strenuè visitentur. Subsidia autem illorum pia Dominorum providentia exquirantur, & disponantur quatenus clementia vestra in omnibus fulti, &c.* Prolixè enumerat Aimoinus, quæ L. 5. c. 8.
Ludovicus Pius vel excitarit à fundamentis, vel corruentia repararit Monasteria in suo Aquitaniæ Regno, parente superstite. Episcopi, immo & Laïci complures eo exemplo inflammati, mirificis cer-

tarunt in Monasteria largitatibus. Ita dici potest Ludovicus, zelo & munificentia æquasse, vel etiam superasse Edgarum Angliæ Regem, à quo exædificata, vel restaurata fuerant Monasteria numero quinquagiota: quòd eo nempè numero remissio & indulgentia portendatur. Consule, si vacuum est, ea de re Eadmerum in Historia Novorum.

Eadmerus. Hist. Nov. L. 2.

Hia ita præstructis, nemo cordatus magnopere mirabitur, si Episcopi & Concilia rariùs contendendum sibi, rixandumque censuerint cum Regibus de Nominationibus Abbatum: & rursum si Monachi, si ipsi denique Episcopi minùs aut nihil molestiæ facesserent Abbatibus, quos Regea immisissent. Nun facilè obcallescere potest quisquam ad sensum pietatis, gratique animi in beneficiorum tot tantorumque authores. Quin & ipsa non semel Abbatum nominatione, rursum pristini Principea restaurabant, sin minùs mænia, certè labantem Monasteriorum disciplinam. Monasterium Insulæ Barbaræ in civitate Lugdunensi conditum fuisse testatur Ledradus ejus urbis Archiepiscopus à Carolo Magno, qui & Abbatem ibi designavit Benedictum illum Monasticæ totios per Gallias sanctimoniæ & observantiæ restauratorem. *Recens videtur fundatum jussu Caroli Imperatoris, qui ibidem præfecit dominum Benedictum Abbatem.*

Epist. ad Carol. Imp. inter opera Agobardi.

XVII. Græcorum moribus exequendis non immorabor diutius; rem conficiam uno verbo, Accuratissimè ab iis observatas fuisse Justiniani Constitutionea, ut ex Nomocanone Photii manifestum est, & ex Balsamonis in eum Commentariis. Itaque eligebant Abbatem omnes prorsus Cœnobii Monachi, aut certè ex iis selectissimi quique, in Evangelia jurati, nihil amicitiæ à se, nihil humania affectibus dari. *Episcopus Abbatem promoveat, quem Monachi omnes, vel qui bonæ sunt existimationis, elegerint, tactis Evangeliis dicentes, quod nec propter amicitiam, nec propter gratiam eum elegerint.* Verba ea sunt Photii Nomocanonis.

Tit. 11. c. 3

CAPUT XXIX. *P. 3. l. 2. c. 34.*

De Confirmandis Episcopis à Metropolitano, Abbatibus ab Episcopo, sub Imperio Caroli Magni.

I. Exemplo luculentissimo declaratur Examen & Confirmatio Episcopi à Metropolitano.

II. Polliceri cogebatur religiosam observationem Pastoralis libri sancti Gregorii & Canonum.

III. Audiebantur & excutiebantur accusationes omnes, quibus impetebatur.

IV. Scrupulosius instituebatur de iis examen, quos Rex nominasset.

V. Exigebatur promissio, nil accepturos pro ordinationibus.

VI. Episcopus electus & confirmatus, jam tum Episcopus erat, & dicebatur, etsi nequedum consecratus.

VII. In Oriente pari rigore Metropolitanus examinabat omnes electos ad Episcopatum.

VIII. Abbates similiter & examinabat Episcopus & confirmabat.

IX. Quamvis Abbates à Rege nominati essent.

X. Quanquam ei legi minùs obtemperaretur.

XI. Confirmari necesse erat etiam Abbatissas.

Conc. Gall. To. 2. pag. 651.

I. ELectioni tum demum accedebat authoritas, cùm confirmabatur; idque fiebat præmisso examine scrupulosissimo, cujus Formula accuratissima superest inter Gallicana nostra Concilia. Ex ea decerpam hoc loco, quæ usui potissimum fore videbuntur. Electo Gillebertoo Presbytero in Episcopum Catalaunensem, confestim Hincmarus Archiepiscopus Remensia, cum reliquis Episcopia ejusdem Provinciæ, aut absentium Vicariis, Abbates item plures, Canonici, Monachi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi Carisiacum confluxere. Affuere & Archiepiscopi Rotomagensia, Turonensis, & Senonensis. Civitatis Catalaunensis *Clerus, Ordo, Plebs* Decretum electionis Hincmaro & Coëpiscopis obtulere, à quo & objurgati sunt, quòd non primi omnium certiorem se fecissent de Episcopi sui obitu. Docuit eoa qua de causa prior eorum electio fuisset rescissa. Canonicis omnium Regulis repugnabat Decretum. *Quoniam Decretum non canonicè factum fuit.* Canonicum fuit Decretum iteratæ electionis, quod et Visitator Episcopus præfuisset; una omnium vox, una omnium fuisset subscriptio. Postquam perlectum fuit id Decretum, interrogati sunt Canonici & Monachi, Parochi & Nobiles, qui aderant, an assensi essent electioni Gilleberti. Suo & absentium nomine responderunt, se vehementer, omnesque assensos esse. Tum Metropolitanus electum percontari cœpit, de patria, de conditione, de studiis litterarum. Respondit ille se in agro Turonensi oatum, conditione ingenuum esse, denique navasse operam litteris in Schola Turonensi. Interrogatus, an Ordinibus initiatus esset, & à quo: respondit se ab Herardo Archiepiscopo Turonensi, qui ibidem præsens esset, se per omnes Ordinum gradus provectum fuisse, ac demum ab Erpoino Sylvanectensi Episcopo Presbyteratu initiatum. Percontanti Hincmaro, ecquid in Remensem Diœcesin migrasset, respondit à parentibus se suis permittente Archiepiscopo suo addictum fuisse Regiis obsequiis: sed non ejusmodi ullam se functionem obiisse, quam Canones interdicerent, aut qua irregularitas aliqua aspergeretur: propterea quod *non fuisset Conductor alienarum rerum, nec turpia lucra, vel exactiones, sive tormenta in hominibus exercens.* Clerici & Nobiles Laici, *qui in Corte degebant*, id ipsum testatum fecerunt, eo illum Officio Palatino functum esse, quo nullis impedimentis Canonicis implicaretur. Scitatus est Hincmarus, an ratiociniis Regiia obligatus adhuc aliqua ex parte esset: quo fieret, ut nisi assentiente Rege ordinari non posset. *Nescimus si Rex aliquid ab eo repetere debeat, inde nobis sua voluntas, vel authoritas necessaria foret.* Tum Gillebertus Regium diploma protulit, sigillis suia probè munitum, quo purgabat eum Rex absolvebatque, ut nec ab eo quid unquam repetere posset: denique gratissimum sibi fore affirmabat, si eum se Episcopis approbaret, qui statim ordinaretur. Anteactam autem Gillebertua vitam suam commendavit, quandiu Præposituram gesserat Ecclesiæ sancti Vedasti, prolatis chartis & testimoniis Episcopi & Monachorum. Tunc Hincmarus Archiepiscopum Turonensem compellavit, an Ecclesiæ Catalaunensi concedere vellet Clericum apud Turones natum, educatum, Ordinibus initiatum. Cùm annuisset Herardus, mox juxta Hincmarum sedit, ut unà cum eo examinaret novum Prælatum. Jussus est hic legere capita aliqua Pastoralis libri sancti Gregorii; legit tam perítè, ut à se intelligi proderet, reciperetque in se sanctissimis hia regulis suam se vitam accommodaturum: perlecti sunt ei Canones, & Regulæ illæ, quibus ordinatum Episcopum instruit & donat Ordinator. Iis quoque pollicitus est se obsecuturum. Oblatam quoque fidei Formulam legit, eique subscripsit: quin & totam sua manu exscribere jussus

est, subscriptamque proprio Metropolitano dare, à quo custodiretur. Recitatæ sunt litteræ absentium Episcoporum, qui ratum se habituros profitebantur, quidquid ibi fieret. Tum locus diesque consecrationis designatus est, monuitque Hincmarus Episcopum electum & confirmatum, ut secretò confiteretur præteritæ totius vitæ delicta, quo gratiæ Episcopalis infundendæ abundantiæ paratior esset. Id quippe mihi quidem sonare videntur ea verba ejusdem Formulæ. *Commonitus est Villebertus ab Archiepiscopo suo, ut ab infantia sua per singulos gradus suos pronuntiaret Domino viam suam, quatenus in denominata die ad tanti oneris dignitatem gratiosus accedere valeret.* Feria sexta concionem habuit Hincmarus ad Episcopos, Clericos, Laicos, de novo Præsule ordinando, die Dominico inaugurationem peregit, libellumque consecrato Episcopo dedit, qui monita illa omnia complectebatur, quibus Canones jubent instrui ordinandum ab ordinatore suo, cum data diei & Consulis, & subscriptionibus Archiepiscopi & Episcoporum.

II. Operosum forsan non esset capita hæc minutatim omnia approbare testimoniis variis ipsius Hincmari. Satius erit pauca hîc addere, quæ delibata strictim tantùm hactenus fuerint, aut ne fuerint quidem. Non illam dico fidem, cujus sacramento se Episcopi Regi astringebant, non obedientiam quam pollicebantur Metropolitano. Pluribus ea de re infrà disceptabitur. Sed observandum hîc & diligenter mandandum animo est, quàm accuratè & religiosè adigerentur novi Episcopi ad aras, & astante Ecclesia Christi profiteri religiosam Canonum observantiam, librique Pastoralis B. Gregorii præceptionum omnium, tum in moribus, tum in doctrina, judiciisque. Ea de re Hincmarus in hæc verba scribebat ad nepotem suum Episcopum Laudunensem: *Quando tibi librorum sacrorum Canonum, & regulam Pastoralem beati Gregorii coram altare, in præsentia omnium qui adfuerunt, in manum misi, obtestans ut ita, quantum tibi Deus scire & posse daret, servares in vivendo & docendo, & judicando, & ipsos libros sub testimonio divino, & prædicta fidelium Ecclesia susceptos, te ita observaturum consensione tua confirmasti.*

Hincmar. To 2 p.389.

III. Scripsit idem Hincmarus ad Adventium Metensem Episcopum libellum de ritibus qui servarentur in examine & consecratione Metropolitani, vel Episcoporum Provinciæ. Discrepant nonnulla ab antedictis. Sed non unam forsan minutiæ omnes exigebantur ad formam. Illud præteriri nefas, præter testimonia præsentium omnium in commendationem electi, rogari præterea an quisquam sit, qui crimine quopiam electum incessat, ut extempore canonicum de eo judicium instituatur. *Debent interrogare Episcopi, si aliquis ibi est, qui contra electum aliquid dicere vel electioni Episcopali contrarium illi velit objicere.* Denique post peracta consecrationis solennia, post peracta & à Consecratore terrifici sacrificii Mysteria, tum consecratus eadem incipit Mysteria celebrare. Missam facio Epistolam Hincmari ad Clerum & Populum Bellovacensem de electione Episcopi sui. Pulcherrimè hinc confirmantur, quæ suprà à nobis dicta sunt.

Formul ante promot Episcopa. 4.

IV. Ex his manifestum est, Metropolitano potissimum incubuisse curam & periculum Examinis Episcoporum. Sed tum vel maximè distringendus erat examinis rigor, ex Concilio Valentino III. anni 855. cùm Episcopus è Palatio mittebatur ordinandus. Tunc armandus erat tota austeritate Canonum Metropolitanus, ne irrepere in ovile Christi sineret Pastorem imperitum, ambitionis vento inflatum, simoniacum, denique iis morum sordibus inquinatum, quibus divini prorsus ministerii sanctitas contaminetur. Denique ejus erat reformidare divinam imprimis vindictam ignavis maximè Pontificibus imminentem, nec dubitare interim de ultione & pœna à Concilio Provinciali infligenda. *Si à servitio Principis aliquis Clericorum venerit, timore casto sollicitè examinaretur, primum cujus vita sit, deinde cujus scientia, & vigore Ecclesiastico sub oculis omnipotentis Dei agat Metropolitanus, &c. Si negligenter fuerit executus, judicium omnia cernentis Dei se incurrere non dubitet, sed & sententia fratrum se noverit esse culpandum.* Can. 7.

V. Adrianus I. in Epistola ad Carolum Magnum habet quæ ad hoc examen pertineant, publicè faciendum, maximè verò de sacramento quo constringebantur, fore ut nihil unquam extunderent pecuniæ pro ordinationibus: *Sub jusjurando in scriptis respondent, nunquam se aliquid accepturos de manûs impositione.* Du Chesne To 3 p 801.

VI. Illud denique advertendum, electos Episcopos, & à Metropolitano confirmatos, jam tum ante ordinationem suam Episcopos se dixisse. In Concilio Bellovacensi sub Carolo Calvo post omnes Episcopos sobjicitur nomen *Hincmari Presbyteri, & vocati Archiepiscopi.* Inter Lupi Ferrariensis Epistolas illa legitur Reginæ Irmentrudis ad Pardulum Episcopum Laudunensem, cui se precibus ad Deum suis suffragaturam pollicetur die qua consecrabitur. Electus ergo & à Metropolitano suo confirmatus Pardulus, jam tum vocabatur Episcopus etiam ante ordinationem suam.

Anno 845. Conc. Gall. To. 3. p 85.

VII. Nec minùs tenaces erant Græci priscorum Canonum observantiæ in examinandis & confirmandis Episcopis à Metropolitano. Concilium VII. Oecumenicum Metropolitanum huic examini præfecit, quem & prohibuit cuiquam manus imponere, nisi qui sit abundè in Scripturis canonicisque institutis versatus, possitque hæc æternæ vitæ lumina in populos dispergere, & ipse se recipiat spondeatque cælestibus præceptionibus ante alios obtemperaturum. *Inquiratur diligenter, si in promptu habeat legere scrutabiliter, & non transitoriè, tam sacros Canones & sanctum Evangelium, quàm divini Apostoli librum, & omnem divinam Scripturam, atque secundum Dei mandata conversari, & docere populum sibi commissum.* Can. 2.

Censet porro Balsamon posse Episcopum à Metropolitano ordinari, cui duo adsistant ejusdem, vel alterius etiam Provinciæ Episcopi. Idque ille pronuntiat adversùs eos qui propriæ Provinciæ Episcopos necessariò desiderabant, vel ternos saltem Episcopos requirebant præter Metropolitanum. Denique extat etiamnunc in Jure Orientali Professio fidei, quo astringebantur Episcopi, cum ordinabantur: necnon & promissio vitæ ad sacrorum Canonum sanctorumque Patrum normam componendæ. *Recipio septem Synodos, promittens me statutos ab eis Canones servaturum, itemque Constitutiones à Patribus promulgatas.* In Can 53 Carthag.

VIII. Non minùs Abbatum quàm Episcoporum electio canonicis Sanctionibus aptanda erat. Examine ergo & confirmatione opus erat, ut constaret in Canonum leges nihil in ea peccatum esse. In Episcopalibus Abbatiis ne in dubium quidem trahi potest, quin eas examinandi & confirmandi partes impleverint Episcopi. Hæsitaremus forsan in Regalibus, nisi eum scrupulum exemisset Concilium Francofordiense, ubi cavit ne injussu Episcopi Diœcesani Abbates etiam jussu Regis eligerentur. *Ut Abbas in Congregatione non eligatur, ubi jussio Regis fuerit, nisi per consensum Episcopi loci illius.* Can. 17.

IX. Sed cùm non agatur eo Canone, nisi de Ab-

batibus eligendis, residere poterat aliquid dubitationis de iis sive Abbatibus, sive Abbatissis, quibus nominatione Principum gradus struebatur ad eas dignitates, an illi etiam canonico examine excutiendi & ab Episcopo confirmandi essent. Jus quidem ipsum extra omnem dubitationis aleam positum est. Si enim ut supra diximus, Episcopi quos è Palatio Rex designasset, obnoxii erant examini Metropolitani, & quidem multò scrupulosiori, quàm cæteri: ecquid causæ subesse poterat, quæ Abbates & Abbatissas ei subduceret necessitati? Sunt & irregularitates canonico Jure designatæ, quæ a Monasticis arceant dignitatibus. Examine ergo hîc quoque opus est, & censore Episcopo. Omnes tunc prorsus Abbatiæ jurisdictioni suberant Episcopi. Qui potuissent autem Episcopo subesse, qui regendi Cœnobii curam ab Episcopo non suscepissent? Cùm denique gregis Christi portio melior & illustrior Cœnobiis includatur, ecqui potuisset illa Episcopis subduci, quibus eam Pastor ipse summus subjecisset?

X. Sed quam dilucide jus quidem ipsum Episcopis suffragatur, tam adversaria & infesta videntur facta, & sparsa passim exempla. Præcepit Ludovicus Pius Abbatibus, quos nominaverat, ut Episcoporum salu-
Anno 823. Can. 8. Conc. Gal. To. 2. pag. 455. taribus monitis morigeros se præstarent: *Abbatibus & Laïcis hoc aliter jubemus, ut in Monasteriis, quæ ex nostra largitate habent Episcoporum consilio & documento, ea quæ ad religionem Canonicorum Monachorum, Sanctimonialium pertinent, peragant, &c.* Et Ludovici præceptioni pauci obsecuti sunt, cùm eam iterare rogatus sit à Concilio Parisiensi VI. anno 829. *De Abba-*
Can. 18. *tibus & Abbatissis illud deposcimus, ut expressè à vestra serenitate admoneantur, &c. Ut nostram admonitionem libenter audiant, benignè suscipiant, & obedienter adimpleant.* Minùs necessarium fuisset id vel præcipi, vel inculcari, si dari non potuissent Abbatiæ, nisi assentiente & confirmante Episcopo, qui canonicam tunc obedientiam sibi promitti expressisset.

Nec tantopere forsan laborasset id Concilium apud eundem Ludovicum, ut nonnisi dignos deligeret Pastores Abbatiarum, si in potestate Episcoporum fuisset, ubi minùs digni obtruderentur, eos repudiare & confirmatione abnuenda frustrare. Postremò nec eundem forsan Imperatorem monuissent hujus Concilii
Cap. 22. Præsules, quanto se periculo immergeret nominandis Abbatissis; cùm ei malo jam facienti posset Episcopus adferre medicinam, confirmatione similiter abnuenda. *Deposcimus, ut in Abbatissis constituendis, ve-*
Can. 25. *strum specialiter caveatis periculum.*

XI. Principes denique illud à se amoliti essent periculum, si Capitularibus ipsi suis sese accommodassent, ubi præceperant, ut eligerentur Abbatissæ sola meritorum contemplatione, & tunc eas Episcopus confirmaret. *Abbatissa eligatur à cuncta Congregatio-*
Capitul. l. 5. c. 231. *ne, &c. Et tunc confirmetur ab Episcopo, cui Monasterium subjectum est.*

CAPUT XXX. *P. 3. l. 2. c. 35.*

De confirmatione Episcoporum per Romanos Pontifices sub Imperio Caroli Magni.

I. Insuetis tantùm quibusdam casibus confirmatæ sunt à Pontifice electiones Episcoporum.

II. Ut inexpugnabiles quidam obices summoverentur post electionem canonicam.

III. Ad irritandam Metropolitani confirmationem Canonibus infestam.

IV. Ad confirmationem dandam, quæ dari nisi dispensando non poterat.

V. Misso Pallio Archiepiscop. quodammodo confirmantur.

VI. Ut nominabat, ita & confirmabat quandoque Papa jure devoluto.

VII. Devolvebatur quandoque ad eum sola confirmatio, ut quam præter fas Metropolitanus abnueret.

VIII. Primatus quandoque, seu Exarchatus ea erat prærogativa, ut non Metropolitani tantùm, sed & Episcopi ipsi ab eo confirmarentur.

IX. Confirmatio cum dispensatione erubescenda.

X. Probatur Romanos Pontific. è jure Metropolitico confirmandi patrocinatos semper fuisse, nec ipsosmet confirmandi sibi jus sumpsisse, nisi ad utilitatem Ecclesiæ.

XI. Summa rationum, quibus adducti Pontifices electiones ipsimet confirmarunt.

I. Patefactum est satis superque capite superiori, ex Canonum regulis electos, examinatos, confirmatos, denique ordinatos fuisse Episcopos, non interposita tum quidem authoritate Papæ. Solemnis ea & usitatissima erat disciplina. Sed ingenuè fatendum insuetas fuisse quasdam rerum, locorumque & temporum causas, quibus necesse fuerit intervenire Sedem Apostolicam, stabiliendæ Episcoporum quorundam electioni, quibus ex initiis ea profecta sunt incrementa, ut tandem postrema hac ætate Episcoporum confirmatio ab Apostolicæ Sedis examine & assensu toto pene Christiano orbe suspensa & religata sit. Quàm tenuia fuere quandoque principia & quæ oculos pene fallerent, tam immania inde manarunt mutationum documenta in moribus Ecclesiæ, ut non immeritò pro virili desudandum nobis sit, quò has disciplinæ variantis & ad nostros nunc usus declinantis vices exploremus, oculisque subjiciamus. Exhinc enim tantò propensiùs Numinis Providentiam mirabimur & colemus, quæ constantem quandam & incorruptibilem pulcritudinem ex hac mutationum inconstantia molitur.

II. Ordinatus fuerat Hieronymus Lausanensis Episcopus ab Episcopis iis, quos gravi morbo jacens delegarat Metropolitanus. Carolus Crassus Italiæ tum Rex Ecclesiæ suæ aditus ei intercludebat omnes. Scripsit Joannes VIII. ad hunc ipsum Regem, ad Metropolitanum Vesuntionensem, ad Episcopum denique Vercellensem, qui gratia apud Regem pollebat, ut huic amoliendo obici operam navarent, contestatus, quandiu Hieronymus vitam ageret, non passurum se, ut ab alio quovis Lausanensis Ecclesia rege-
retur. *Nam eo vivente in alterius electione vel Episco-* Epist. 243.
pali consecratione assensum nullo modo præbebimus. Quin 244. 245.
potiùs Apostolica hoc fieri authoritate modis omnibus inhibebimus: ne contra statuta Patrum duo in una videantur civitate esse Episcopi. His extremis verbis innuitur, non se interposuisse Pontificem, nisi ut universalem Canonum vindicem & executorem, per quos nefas est Episcopo superstiti alterum subrogari; denique non aliud Joannem, quàm authoritate & ope sua adfuisse ordinationi & confirmationi secundùm Canones factæ.

III. Prodeat ex adverso causa alia, ubi factam præter Canones ordinationem & confirmationem Papa infirmavit, confirmavit autem electionem aliam canonicis institutis magis consentaneam. Confirmaverat ordinaveratque Herimannus Archiepiscopus Coloniensis Hilduinum Tungrensem, seu Leodiensem Episcopum, qui nec Populi electione & Cleri, nec Regis assensione niteretur: in præceps autem Metropolitanum Coloniensem agebat, solus terror novi Lotharingiæ Ducis Gilleberti, qui Hilduino studebat. Hanc illi ignaviam exprobravit anno 99·. Joannes X. Papa, admonuitque solos tanti esse Reges inter temporales Principes, ut eorum consensionis ratio habenda sit in electionibus Episcoporum. Cùm verò

Richerius

Richerius à Clero & Populo electus fuisset, approbatusque à Carolo Simplici Rege, illum sibi potiùs ordinandum fuisse. Denique Romam citavit Pontifex Archiepiscopum, & duos Competitores, ut ibi causa finiretur. *Quia magis hominis, quam Dei formidine metuistis, quod inutiliter gestum est, nostra imbuti admonitione, ut citius emendare delectemini, omnino monemus.* In Chronico Abbatum Lobbensium affirmatur Richerium à Papa confirmatum, & ordinatum fuisse.

Conc. Gall. To. 3. pag. 556. 570. seq. To. 6. pag. 562.

IV. Promo nunc exemplum longè diversum, ubi pro confirmando Archiepiscopo Bituricensi, quem nominasset, Rex Pontificem interpellat. Certè id ea fiebat necessitate, quod dispensatione opus esset, quam sola in potestate haberet sedes Apostolica. Ebbo Remensi abdicatus Metropoli, Vulfadum nihilominus ordinaverat. Eam ordinationem irritam pronuntiaverat Concilium Suessionense II. Retractata ea causa est in Concilio Suessionensi III. ubi decretum est, ut Pontifici Romano integra servaretur eorum restitutio quos Ebbo post abdicationem suam ordinasset. Antequam Vulfadus posset restitui, immo & antequam coiret Concilium Suessionense III. Carolus Calvus illum Archiepiscopatu donavit Bituricensi, & incunctanter ad Nicolaum I. Papam litteras dedit, ut postularet. 1. Quo Vulfadus ordinari posset Presbyter proximo mense Septembri. 2. Ut Presbyter initiatus Bituricensem Ecclesiam administrare posset, dum posset Episcopus ordinari. 3. Ut si Pontifex opperiendum censeret Concilium Suessionense III. sineret saltem commendari interim à Rege eam Vulfado Metropolin. *Si verò hoc vobis displicet, antequam vobis de jam dicta Synodo renuncietur, liceat mihi vel ipsam Ecclesiam propter sæpè dictam necessitatem illi committere, ne undique à pravis concutiatur hominibus.* Et in alia Regis ad Pontificem Epistola: *Bituricensem Ecclesiam quia dare absque Apostolatus vestri determinatione distulimus, commendare sibi eandem Ecclesiam cum rebus sibi pertinentibus acceleravimus.* Electus tamen fuerat Vulfadus in Archiepiscopum Bituricensem à Diœcesanis omnibus, & ab Episcopis Provinciæ, ex ipsius Regis testimonio: *Consilio accepto omnes Episcopi & fideles regni nostri, ipsaque etiam Diœcesis unanimiter in electione prædicti Vulfadi consenserunt.* Confirmanda igitur necessariò erat à Pontifice, tum electio, tum Regia nominatio, propterea quod dispensatione opus esset. Quanquam enim potuissent & Episcopi tunc dispensare, si in Concilio Suessionensi III. Vulfadum restituere in ann[...]um induxissent: rem ipsi totam tamen ad Pontificem referre maluerunt.

Conc. Gall. Tom. 3. pag. 300. 304.

V. Cum Adrianus I. petente Carolo Magno Pallio decoraret Bituricensem Archiepiscopum, ea adhibuerat verba, ex quibus conjectura duci posset, ipsa Pallii co[...]cessione confirmari Archiepiscopum. *Prædicto Ermemberto à nostra Apostolica sede, atque authoritate, Archiepiscopo constituto in Metropol. civit. qua Biturigas cognominatur, usum Pallii concessimus.* Reapse tamen mera ea erat Pallii concessio, qui cumulus est honorum & insignium ornamentorum, quibus honestari possunt Archiepiscopi. Nisi si eo Pallio addita fuerit Primatis, seu Exarchi prærogativa & potestas in Aquitanicas tres Provincias, quo de aliàs, ubi de Primatibus & Exarchis disputatum est.

Du Chesne. To. 3. pag. 14.

VI. Non ea confirmatio, sed nominatio fuit Episcopi, cùm Joannes VIII. Vercellensem Clerum plebemque videns impacato dissidio inter duos Competitores fluitare, utrumque ejus Episcopatûs spe dejecit, Gospertum Diaconum ipse nominavit, Carlomanni Italiæ Regis assensum elicuit per litteras, tumque ipsemet Gospertum, seu Conspertum ordinavit, vehementer assentientibus Episcopis Provinciæ; in Concilio denique Romano Anspertum Mediolanensem Metropolitanum sede exturbavit, quòd præter Papæ & Regis voluntatem Episcopum alium ordinare adgressus esset. *Contra Regiam & nostram Apostolicam voluntatem.* Ibid. p. 895. 897. 921.

VII. Contrà autem confirmatio ea fuit, non nominatio, cum Archiepiscopo Viennensi pervicaciùs partes Bosonis Regis tuente, & partium studio differente confirmationem, & ordinationem Optandi, electi Episcopi Genevensis; muneris sui duxit Joannes VIII. cessationi Archiepiscopi mederi, nec diutius pati ejus Ecclesiæ lachrymas & orbitatem. Itaque ordinavit ipsemet Optandum, à populo electum, & assensu Imperatoris firmatum. Vide ut ipsemet eadem rescripserit ad Clerum & Populum Genevensis civitatis. *Caroli Imperatoris Principumque relatu, vestram Ecclesiam viduatam cognoscentes Pastore, & propter dissensionem Bosonis, cui sociatus ejusdem sedis videtur Metropolitanus, ordinationem electi vestri Optandi differri, authoritate & potestate Apostolica, secundùm deprecationem ejusdem Imperatoris atque Optimatum ejus, præcognita vestrum omnium in eodem Optando electione, ne diutius Ecclesia viduata maneret Pastore, consecravimus eum, &c.* Cessante Metropolitano, & devoluto ad se jure confirmavit & ordinavit Optandum Episcopum Pontifex, & ne id quidem molitus est, nisi confirmatis in posterum privilegiis vetustissimis Ecclesiæ Viennensis: *Salvo deinceps loci ejusdem privilegio antiquo propria Metropolis.* Ibid. p. 909. Joann. VIII. Epist. 181. 192. 195.

Confirmatam dixi à Papa Optandi electionem, quam confirmare detrectaverat Archiepiscopus Viennensis, causatus nimirum quòd Optandus nec Baptismo fuisset, nec Tonsura initiatus, nec ordinatus, nec litteris imbutus in civitate Genevensi, nec denique acclamatus, quod fit, ut nunc loquimur, Bannorum publicatione. *Nec baptizatus, Clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterit Ecclesia Genevensis.* Has tergiversationes uno verbo sepsit & interclusit Pontifex, responso nimirum hoc, iisdem omnino rationibus abigendum ipsum fuisse ab Ecclesia Viennensi. Cæterùm ei juris ad Pontificem devolutioni non acquievit Viennensis Præsul, & nihili ducens quod ab eo factum fuerat, Optandum in carcerem conjecit, & alium ipse Genevæ Episcopum substituit. Præcepit per litteras Pontifex, ut Optandum restitueret, & Romam properaret, ut in Concilio Romano mox habendo causam ipse suam defensitaret.

VIII. Rursum & nominatio illa fuit, & confirmatio, ubi idem Pontifex rescita Faventini Episcopi morte ad Archiepiscopum Ravennatem scripsit, ut Dominicum Archidiaconum ejus loco ordinaret. Alium subrogavit Archiepiscopus, & vibrato statim anathemate Pontifex, ad Romanum illum citavit Concilium. Erat causa omnino specialis. Contendebat enim Papa nullos posse à Ravennate ordinari Episcopos, nisi assentiente Apostolica sede, ut alibi ostensum. *Sine nostri Pontificii authoritate, sive licentia.* Eo quidem uno poterat repudiari, quem Ravennas ordinarat. At jus quod sibi sumebat Papa nominandi fundamento quopiam alio nitebatur, putà si fors concordia aliqua inter utramque sedem fuisset inita: quod insinuari Epist. 271. 274.

videtur his verbis : *Tua sponsionis juratoriam paginam.*

Videbatur sibi quondam Nicolaus Papa reservasse confirmationem Episcoporum Provinciæ Ravennatis, post electionem canonicè factam ante ordinationem à Ravennate faciendam. Sive id jus esset Exarchi in suæ Primatiæ Metropolitanos, sive mulcta in Archiepiscopus decreta, nempè tam contumacitet & tam diu potestate sua abutentes. *Sancimus ut Episcopos per Æmiliam non consecres nisi post electionem Ducis, Cleri & Populi, per Epistolam Apostolica sedis Præsulis acceperis eos consecrandi licentiam.*

Anast. Bibl. in vita Nic. col. 1.

IX. Confirmatio illa fuit, sed cum propudiosa qua aut dispensatione, ubi Hugo Hereberti Comitis filius, quinquennis adhuc electus est Archiepiscopus Remensis, & confirmatus à Joanne X. Papa, cujus vita contaminatissima, & infandis libidinibus meritò exhorrescenda, spem faciebat pudendarum id genus dispensationum. *Rodulphus Rex Legatos Ecclesia Romam mittere satagit, hujus electionis decretum secum ferentes, & assensum Papæ super ea petentes. Joannes Papa petitioni eorum consensum præbens, &c.* Seulphus quidem, cui in eam sedem succedebat Hugo, consensum antè postularat ejusdem Joannis X. sed nonnisi postquam ordinatus fuerat, & non ad aliud, quam ut Pallium impetraret. Ita dici non poterat verè ea confirmatio. *Hic Præsul Legatos hujus Ecclesia Romam dirigens, pro consensu Papæ Joannis in ordinatione sua, Pallium ab eodem sibi missum cum litteris privilegii hujus sedis suscepit.* Similiter etiam utcumque dici posset Metropolitanos omnes flagitando Pallio confirmationem postulare. Sed cùm id perfecta demum ordinatione fiat, ad cumulum fieri dici potest; Canonica autem confirmatio dici non potest, quod ea necessariò ordinationi præire debeat.

Flodoard. L. 4. c. 20

Ibid. c. 18.

X. Denique ut fixa & inconcussa stent duo illa Placita, quæ in hoc toto negotio dominari debent: 1. Canonicè antiquiùm devolutionis jure, ex utilitate & necessitate Ecclesiæ emergente, confirmatos fuisse à Papa extra Italiam Episcopos & Archiepiscopos electos. 2. Eosdem Pontifices serió incubuisse ad tuenda Metropolitanorum jura, & necessitate sola succurrendi Ecclesiæ laboranti, compulsos fuisse, ut cessantibus illis ipsi supplerent. Ut altius, inquam, constantiusque animo insideant duo hæc placita, refricanda memoria est obiter ejus rei, quæ fusiùs suprà à nobis narrata est. Episcopum Lingonensem ordinaverat Aurelianus Metropolitanus Lugdunensis, non expectata electione Cleri & Civium. Eò hinc migrante Lingonenses elegere Theutboldum Ecclesiæ suæ Diaconum, ablegaruntque ad Stephanum VI. Papam, ab eo confirmandum ordinandumque. Pontifex Metropoli Lugdunensi jura sua volens sarta rectaque servari, electum remisit ad Aurelianum, ad quem rescripsit, ut eum examini subjiceret, & vel approbatum ordinaret, vel causas ab se perscriberet, abnuendæ confirmationis, seu ordinationis. *Clerus & Populus Teutboldum eligentes, ab ipso Papa ordinari petierunt. Sed ille uniuscujusque Ecclesiæ privilegium inconcussum servare volens, id agere distulit, eumque Aureliano direxit, scribens ad eum, ut si Cleri populique vota in eum concordarent, & sacri Canones illi non obviarent, manus illi imponere nequaquam differret. Quod si fieri ratio prohiberet, & id ipsum sibi rescriberet.* Aurelianus & Pontificias litteras, & Episcopum earùm executorem ab illo missum contemptui habens, tamdiu procrastinavit ordinationem, ut Lingonenses moratum pertæsi electum suum denuo Romam miserint. Remisit & illum denuo Pontifex ad Metropolitanum, iteratis mandatis, ut illum ordinaret, aut ejus abnuendi causas exponeret. Nil poterat desiderari honorificentius, ad tuenda Metropolitani jura : *Volens Papa Lugdunensi Ecclesia privilegium immutilatum consistere, &c.* At Aurelianus contumaciam nova cumulans audacia, alium ordinavit Lingonibus Episcopum, ne consulto quidem Clero, vel Populo. Tunc Pontifex se omnium Ecclesiarum sollicitudine sentiens gravatum, devolutas ad se etiam ratus partes Metropolitani, electum confirmavit primò, & tum denique ordinavit. *Nos qui omnium Ecclesiarum in B. Petro Apostolorum Principe curam suscepimus, scientes, inter Episcopos non haberi eum, qui neque à Clero electus, neque à populo est expetitus, Teutboldum ordinavimus, &c.*

Flodoard. L. 3. c. 1.

XI. Præter ea duo placita, quæ mirificè effulgescunt ex hoc Stephani VI. exemplo : sunt & alia duo, quæ ex hoc Capite emicant; nimirum præter negligentiam & contumaciam Metropolitanorum, rogatos esse Pontifices, ut electiones Episcoporum ipsi confirmarent : 1. Quando opus fuit ejusmodi dispensatione, quam sola sedes Apostolica concedere posset. 2. Quando is incidit obex, quem sola Petri sedes & majestas amoliri posset. 3. Adde & cum dissidia partium sedari non poterat, nisi interventione summæ Sedis. Crebrescentibus in dies his causis gliscebat & irrepebat paulatim recentior Disciplina.

De Electionibus post annum Christi millesimum. De Concordatis Galliæ & Germaniæ.

CAPUT XXXI. *P. 4. l. 2. c. 39.*

Series historica Electionum Episcopalium in Gallia, à Clero & Populo, cum assensu Regum, ab anno Christi millesimo ad centesimum supra millesimum.

I. Ad hæc tria summatim Capita revocatur tota electionum pertractatio, Electores primarios fuisse ipsos Episcopos. Clero in iis plus tributum esse, quàm populo. Consensum Regis necessariò intervenisse. Exemplum Arnulphi Archiepiscopi Remensis.

II. Episcopi Autissiodorensis exemplum, ubi apparet quantum in his potuerint Episcopi.

III. Alia exempla, ubi mira Principum authoritas, longè tamen major & admirabilior authoritatis moderatio.

IV. Quam rationem secutus sit Gregorius VII. in electionibus Episcoporum.

V. Consiliorum sub eo Pontifice exempla & statuta. Confessio Abbatum & Agricolarum.

VI. De electionibus sub Urbano II.

VII. Ex Epistolis sancti Fulberti confirmantur tres summatim perstricta hic regula.

VIII. Earumdem probationes alia ex Epistolis Ivonis Carnotensis.

IX. Ut extraordinariè quandoque incidant ea, quibus coguntur Pontifices & Reges, ut Episcopatus ipsi donent, non rem incerto electionum committant.

1. INter ipsa Hugonis Capeti auspicatissima Regni exordia paucissimis ante annum Christi millesimum annis, prima omnium occurrit electio Arnulphi Remensis Archiepiscopi in Concilio Remensi, anno 989. Decretum ipsum electionis ad nos perlatum est, & ex eo exculpuntur ea prorsus om-

nia, quæ alicujus momenti sint in hoc toto electionum negotio pertractando. Primò enim id inde effulgescit, maximum semper in iis authoritatis pondus penes Episcopos fuisse. Secundò plusculum semper Clero tributum esse, quàm populo, quandiu ad eas vocata est plebs. Tertiò pernecessarium semper habitum fuisse Regium consensum. En ipsa Concilii verba, quibus satis apertè tria hæc insinuentur. *Nos Episcopi Diœceseos Remorum Metropolis, cum omni Clero, diversi ordinis populo acclamante, orthodoxis nostris Regibus consentientibus, eligimus nobis in Præsulem.* Ponderanda sunt hæc omnia verba. Episcopi eligunt cum Clero, applaudit testimonio suo populus, Reges assentiuntur.

Abdicato Arnulpho paucis pòst annis, nempe anno 991. iidem ipsi Episcopi Gerbertum elegerunt, qui postea ad Petri Sedem sublimatus, Sylvester II. dictus est. Decretum porro electionis iisdem pene verbis temperatum fuit. *Nos Episcopi Remorum Diœceseos, favore & conniventia utriusque Principis nostri, domni Hugonis Augusti, & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in Clero & populo, eligimus nobis Archiepiscopum Abbatem Gerbertum.* Ab his tum Episcopis jactatum est, populi violenta impressione expugnatam priùs, violentamque fuisse Arnulphi electionem; eoque, ut aliàs sæpiùs, comprobatum esse, non semper vocem populi vocem esse Dei.

Conc. Gene. Tom 9. pag. 714. 719.

II. Subolet nobis, quæ possit hic nasci suspicio; Ecclesiam nempe Remensem Metropolitanam esse, eóque pluribus præpositam Episcopalibus Ecclesiis, quarum proinde Episcopi quasi suo sibi jure partes aliquas vendicent in ejus electione, cui & ipsos postea necesse sit esse obtemperantes. At non ullum ei rationi fore locum in Episcoporum quorumlibet electione. Et sanè in Concilio Romano anni 998. exauthoratus est Stephanus, qui Episcopus Aniciensis Ecclesiæ electus fuerat, superstite adhuc Episcopo cujus nepos erat, & citra Cleri plebisque suffragia: *Et quòd sit electus sine Cleri & populi voluntate.* Decretum ibi est, ut Clerus & populus alium eligerent: *Ut Clerus & populus Civitatis Vallavorum licentiam habeant eligendi Episcopum.* Denique ut ne Rex Robertus quidquam obicis interponeret, contentus verò esset eo obsequio, quod Regni Episcopi ex officio ei impenderent. *Ut Cleri & populi faveat electioni, salva sibi debita subjectione.*

Du Puy.

Le Velay.

Can. 5. 7. 8.

Verùm cùm examen, confirmatio & consecratio ejus quem populus Clerusque elegisset, spectaret ad Metropolitanum, & ad Episcopos Provinciæ: non absurdè dicetur in hoc examine, in hac maximè factæ electionis confirmatione ipsam sitam fuisse eligendi authoritatem. Et certè in hoc ipso Concilio suspensione animadversi sunt Archiepiscopus Burdegalensis & Episcopus Nemausensis, quòd Episcopum ordinassent eum, qui præter Regulas canonicas electus fuisset. Eadem lex novo robore munita est in Concilio Remensi anno 1049. ut electiones fierent à Clero & populo. *Ne quis sine electione Cleri & populi ad regimen Ecclesiasticum proveheretur.*

Ibidem. Can. 6.

III. Concilio Rotomagensi anno 1050. execrationi fuit eorum sacrilega ambitio, qui muneribus Aulæ Regiæ adreperent, & Optimates demererentur, quò pervenirent ad Episcopales infulas: *Multa munera undecumque collegisse audivimus, quibus Principem Regni & familiares ejus corrumpere valeant, ut ad Episcopatûs honorem valeant pervenire.* Non quò jam à Regibus donarentur Episcopatus, sed quòd eorum commendationi tantum adderet ponderis regni majestas, ut in electionibus non raró plurimum, aut totum possent: nisi suaderet religio longè pulcriorem & uberiorem aucupari gloriam ex tuitione Ecclesiasticæ libertatis, & ex moderatiore usu suæ potestatis, eo circumscriptæ, ut ipsis permittentibus fiant electiones, canonicè factæ ipsis assentientibus firmentur.

Can. 2.

Nec alia erat cæterorum Principum ratio. Cùm anno 1052. Lemovicensis obiisset Episcopus, Clerus populusque alium expetierunt à Vuillelmo Aquitaniæ Comite. Enixus est & ipse, ut dignum tanto fastigio inveniret: omnes denique ad electionem Ilderi conspirarunt, unus ipse electioni suæ refragatus est. Vide ut ea suffragiorum conspiratio describatur. *Postremò sententia Cleri & populi, nec non & Comitis totiusque Aquitaniæ potestatis in unum convenit, &c. Elegimus reluctantem & contradicentem, ex voluntate & consensu domini Guillelmi Comitis & Ademari Vicecomitis, omniumque Procerum, & Casatorum, totiusque populi, atque totius Cleri.* Tum deductus est ad Metropolitanum Bituricensem, ut ab eo ordinaretur, tanquam qui *ab omnibus Comprovincialibus Episcopis collaudatus* esset. Statim ab exordio Episcopum à Comite flagitarant: *ut Deo dignum Episcopum provideret.* Nihil tamen de libertate electionis imminutum est, cùm communicato cum Clericis Laïcisque consilio tractata sint omnia, sanctissimi autem Episcopi electioni incunctanter suffragati sunt Comprovinciales.

Conc. Gene. Tom 9. pag. 1068.

Ibidem.

IV. Illustrabitur non mediocriter Canon iste Rotomagensis Concilii, prolatis in medium Epistolis Gregorii VII. Papæ. Munera enim de quibus ibi agitur, non aliò spectabant, quàm ut Regius expugnaretur assensus, accederetque electioni jam factæ à Clero & populo. Quæ munerum corruptela & frequentissima eo ævo erat, & eò vel maximè abominanda. Petebat Papa, ut Rex Philippus gratis Episcopatum daret ei, qui consentiente ipso electus fuisset: *Unanimi Cleri & populi consensu, ipsius etiam, ut audivimus, Regis assensu electum, Episcopatûs dono gratis, ut decet, concesso, Ecclesiæ præesse patiatur.* Ad eum modum Rex Episcopatus dono dabat, post electionem canonicam electo temporales res omnes Ecclesiæ concedendo, quarum custodiam, dum vacaret sedes, per ministros suos exercuerat. Meminit alibi idem Pontifex Episcopi Diensis, qui electus & ipse fuerat consensu unanimi Cleri, Populi, & Comitis ipsius, qui statim ei se fidelitatis sacramento astrinxerat. *Cum consensu omnium aliorum in Episcopum elegeras, & fidelitatem sibi ex more feceras.* Ita Pontifex ad Comitem.

Ann. 1073. L. 1 Ep. 35. 69.

Cùm Dolensis in Armorica Provincia civitatis Clerici Laïcique Episcopum elegissent, qui necdum idonea esset ætate; Romamque misissent, ut ibi à Pontifice ordinaretur: ille quidem à Pontifice repulsam passus est; at incunctanter ipsemet cum iis quos habuerat Romani hujus itineris comites, elegit Abbatem sancti Melanii apud Redones, qui unus ex suis comitibus erat, rogavitque Pontificem ut illum certè ordinaret. Annuit lubentissimè Gregorius, quòd ei muneri strenuissimè obeundo non impar esset Abbas. *Cum multa petitione & electione illius, & eorum qui cum eo venerant, Episcopum ordinavimus, licèt invitum.* Erat ea electio per compromissum. Cùm verò Pontifex idem gradu movisset Episcopum Carnotensem simoniæ convictum, ad *Clerum* scripsit, & *populum*, ut alium eligerent, *præmissis orationibus, atque triduano jejunio, & eleemosy-*

L. 4. Ep. 4. 5

nis. Scripsit & ut dejiceretur Episcopus Aurelianensis, utpote intrusus, *sine idonea Cleri & populi electione.* L.4 Ep 16. Congratulatus est *Clero & populo* ejus civitatis, L. 5. Ep. 5. 11. 14. quòd Ecclesiæ suæ Clericum Samsonem Episcopum sibi elegissent. Cùm crebris illum precibus fatigaret Philippus Franciæ Rex, quòd Carnotensem Episcopatum cuidam Calabriæ Abbati daret, *ut eum ad regimen Carnotensis Ecclesiæ probaremus & ordinaremus*: non speravit tamen Pontifex regiis votis indulgeri id à se posse sine canonica electione: *Verùm quia sanctorum Patrum statuta sequi & observare cupimus, nihil de eo, aut de promotione ejus sine electione Ecclesiæ nobis probandum esse judicavimus.* Rescripsit ergo ad suum per Gallias Legatum, Episcopum Diensem, ut certiorem se faceret, an posset canonicè eligi, quem Rex proponebat: *Ut illorum in hunc Abbatem voluntas libera, consideratio prudens, electio canonica, & sanctorum Patrum regulis consonans dignoscatur.*

Si is fuisset Gregorius VII. qui lubenter donandorum Episcopatuum potestatem sibi sumeret, dabat se sanè occasio plausibilis, cùm Dolenses Episcopum sibi creaverunt ætate immaturum, & ubi Rex Italo Abbati Carnotensem conferri Ecclesiam urgebat. Sed nondum is usus inoleverat, & observantior erat Canonum Gregorius, quàm ut viam illi panderet. Nondum usu receptum aut confirmatum erat, ut ubi electionem minùs canonicam cassaverat Pontifex, Episcopum ipse designaret; aut ubi vacatat Episcopatus in urbe Roma. En novum ejus rei documentum. Jamdiu vacabat Arelatensis sedes. Scripsit Gregorius *universo Clero & populo* ejus urbis, mitti à se ad eos Episcopum Vapincensem, qui cohortetur eos, ut vel idoneum sibi deligant Episcopum, quem sibi testimonio suo ap- L.6. Ep. 21 probare possit Diensis Episcopus Legatus Apostolicæ suæ Sedis: aut si non habeant qui ferendo par sit oneri tantæ dignitatis, spondeant se admissuros eum, quem ipse Romam mittet, Pallio exornatum. Non captabat, ut vides, Pontifex ansam dandi Arelatensi Ecclesiæ Pastoris, sed molestissimè ferebat tamdiu eam sponso & Pastore destitui. Non tam circumspectè egit hic idem Pontifex cum Ab- Bourdieux en Berry. batiæ Dolensis Monachis in Biturigibus. Rescito enim electum fuisse ibi in Abbatem, eum quem Romana Ecclesia anathemate illaqueasset, illum protinus in Concilio Romano exauthoravit, eique Cœnobio Abbatem præfecit Archiepiscopum Vien- L.7. Ep 27. 28. nensem. *Archiepiscopum Viennensem vobis in Abbatem ordinavimus, et per omnia ut Patri & Abbati obediatis.* Jam invalescebat ea lex, ut qui indignum eligunt, eligendi jure ea vice careant, idque ad Superiorem devolvatur.

Canonicam Archiepiscopi Narbonensis electionem Gregorius toto authoritatis suæ pondere fir- L. 8. Ep. 16 17. 18 19. 20. mavit. Cùm Manasses Remensis Archiepiscopus à Pontificio Legato Episcopo Diensi abdicatus fuisset, eique judicio subscripsisset Concilium Romanum, scripsit Pontifex ad Clerum & populum Remensem, alium ut eligerent *assentiente Diensi Episcopo.* Ad Hebolum Comitem scripsit ut Episcopum admitti curaret eum, quem sanior Cleri pars elegisset cum assensu Legati, *Quem saniori consilio pars Cleri melior cum consensu Legati nostri elegerit.* Episcopis autem Provinciæ suffraganeis scripsit, ut à Clericis Laïcisque eligi juberent assentiente Legato eum Episcopum, qui tantæ dignitatis molem sustinere possit. *Quatenus adhibitis illius Ecclesiæ Clericis talis persona cum consensu Legati nostri ut eligatur procuretis, quæ, &c. Nos enim eam electionem, quam pars Cleri & populi melior & religiosior fecerit, confirmamus.* Ad ipsum denique Regem scripsit, ut ne labotanti ei tum Ecclesiæ, authoritate, ope, favore suo deesset. Assensus certè hic Legati locum obtinebat confirmationis alioqui à Romano Præsule repetendæ.

Comprovinciales Episcopi nonnihil hîc adhuc authoritatis obtinebat in electione Metropolitani; sed ea in dies extenuari videbatur. De ea rursus idem Pontifex agit, in electione Archiepiscopi Lugdunensis, ubi litteras dat ad Episcopum, in eam Sedem ut se transferri sinat, cùm à Clero & plebe electus in eam sit, & à Comprovincialibus rogatus. *Rogatus à fratribus tuis, & electus ab ejusdem Ecclesiæ filiis.* L.9. Ep 18. Nondum hic accuratè distinguit postulationes ab electionibus, & permittere adhuc videtur Episcopis provinciæ facultatem transferendi Præsules, ubi cogit Ecclesiæ necessitas. Nec ei enim translationi locus esse debebat, nisi ne diutiùs amplissimæ ejus Ecclesiæ Sedes vacare sineretur. *In magna Sede Lugdunensi non diu differatur ordinari Episcopus.*

V. In Concilio Cabilonensi anno 1073. exauthorato Diensi Episcopo simoniaco, electus est alius Episcopus *de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, de Sacerdotum & bonorum virorum collegio.* Concilium Augustodunense anni 1077. cui præerat Legatus, ejecto Archiepiscopo Lugdunensi simoniæ convicto, in ejus locum Gebuinum elegit: *Hoc totius Concilii acclamavit assensus, hoc etiam Lugdunensis Ecclesiæ Clericorum & Laicorum qui aderant, expetiit bona voluntatis affectus.*

Romanum denique Concilium anno 1080. sub eodem Gregorio VII. hunc edidit Canonem luculentum, ad modum in electionibus delineandum. Eo autem sancitur, ut à Papa vel à Metropolitano mittatur Episcopus Visitator, qui Clericis Laïcisque eligentibus præsit; si favore aut muneribus ab æquitatis orbita abducantur electores, jure tum eligendi exuantur, & irrita sit ea electio: principem locum authoritatis ubique obtineat Metropolitanus; qui si indignum confirmet, confirmandi jure excutitur. *Instantia Visitatoris Episcopi, qui ab* Can. 6. *Apostolica vel Metropolitana Sede directus est, Clerus & populus remota omni sæculari ambitione, timore atque gratia, Apostolicæ Sedis vel Metropolitani sui consensu, Pastorem sibi secundùm Deum eligat. Quod si corruptus aliquo vitio aliter agere præsumpserit, electionis perperam factæ omni fructu carebit, & de cætero nullam electionis potestatem habebit. Electionis verò potestas omnis in deliberatione Sedis Apostolicæ, sive Metropolitani sui consistat. Si enim is ad quem consecratio pertinet, non ritè consecrando, teste B. Leone, gratiam benedictionis amittit, consequenter is qui ad pravam electionem declinaverit, eligendi potestate privatur.*

Non exprimitur hoc Canone, ad quem fiat juris devolutio, ubi Clerus & populus favore vel donis fascinati aberrarunt, aut Metropolitanus ipse eodem iniquitatis se torrente implicari abstrahique passus est. Nec tamen arduum est id divinare. Cùm enim *omnis potestas electionis* in Metropolitano resideat, perspicuum est Cleri populique caerrantia jura ad eum devolvi, & ad Episcopos Provinciæ, quorum in Collegio ille hæc tantæ molis consilia ponderat. Si verò Metropolitanus & Comprovinciales à recti tramite & ipsi desciscant, vix ac ne vix fieri potest, ut ad alium quemvis fiat devolutio, præterquam vel ad Pontificem, vel ad Exarchum, seu Primatem, si quis ejusmodi sit, qui ei Metropoli

immineat. Ideo & in hoc Canone alternis memoratur Metropolitanus, aut Papa.

Tot Simoniacis Episcopis sede sua depulsis, totque aliis occursantibus occasionibus, quibus posset Gregorius Episcopales Ecclesias suo arbitratu conferre, si illa eum incendisset, aut vel afflasset cupiditas: cùm ea re semper ille se abstinuerit, universim & tutò pronunciari potest, nusquam omnino illum ultro se ullis electionibus interposuisse; atque adeo nec diversum quidquam exprimi posse ex una Epistolarum ejus in Appendice. *Appendix. Epist. 3.*

Conc. Gen. To. 10. pag. 356. Habitum videri non injuria potest eodem anno 1080. Cabilone Concilium, cùm electus ibi fuerit Episcopus Cabilonensis, confirmatusque ab Episcopis Matisconensi & Augustodunensi, & ab Archiepiscopo Lugdunensi, ut ex electionis Decreto ipso addiscimus. Ex eo autem rursum enitescit Abbates Cluniacensem, Trenorchiensem, & sancti Petri Cabilonensis cum suis Monachis assensum suum accommodasse, cum Clero & Populo, non urbano tantùm, sed & ruris & circumpositæ regionis.

VI. Gregorii VII. vestigia sectatus est Urbanus II. eodemque zelo æstuavit Canonum servandorum. Cùm in ejus manus Carnotensem Episcopatum resignasset Goffridus ejus urbis Episcopus, ab eo antè depositus: *Gaufrido per nos deposito, &c. Gaufrido, qui sine conditione omni nostris manibus Episcopatum reddidit.* *Clerum* & *Populum* hortatus est tantummodo, ut Ivonem eligerent, quem & electum postea ipse ordinavit. *Ivonem canonicè secundum monita nostra elegistis.* *Epist. 1.*

VII. Quæ ex Conciliis & Pontificum hactenus decretis hoc xi. sæculo observata sunt, confirmari ea & illustrari possunt ex Epistolis beati Fulberti Episcopi Carnutensis. Fatetur Fulbertus voluisse Regem, ut ei præesset Ecclesiæ, eoque præjudicatum esse, ut & ipse Regi fidem, Rex ipsi tuitionem præstaret. *Succurrite Ecclesia, cui nos fideles vestros quantum possumus, præesse voluistis.* Sed in litteris ad eum datis, qui Episcopatu sponte abierat, & cui successor jam datus fuerat, apertè idem declarat, donatione Episcopatûs per Regem facienda, nullas electioni canonicæ injici moras: *Substitutus est Franco, eligente Clero, suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonensis.* Si Pontifex Romanus hic interveniat, id eò fit, quòd ageretur de successore dando ei Episcopo, qui superstes esset, quod per Canones non licebat. Si unus hîc autem nominatim commemoratur Metropolitanus, non ideo cæteri Provinciæ absunt Episcopi, sed ille omnibus præest. Unde idem ipse Fulbertus suas de Metropolitano suo querelas in aures ipsiusmet Metropolitani deponebat, quòd non communicato secum consilio Episcopos ordinaret. *Sine meo consilio Episcopos ordinando, dignitatem suam Ecclesiæ Carnotensi derogas.* *Epist. 3. 8.* *Epist. 28. 30.*

Coluit tamen, colique & observari pervicit Fulbertus Metropolitanum suum, quando Episcopus Aurelianensis electus, quem Presbyteratu ornaverat, Romam proficisci voluit, ut à Papa consecraretur. Ab hoc illum proposito dehortatus est Fulbertus. *A Clero & Populo sua civitatis electum, sacravi Presbyterum. Quod cum Romam ire velle audistis, & ibi creari Episcopum, dissuasi, vestri honoris gratia. Sed & ipse gratanter dissuadenti paruit.* Quin & Capitulum suum Fulbertus intrepidæ constantiæ suæ afflatu aliquo animaverat, ut liquet ex hujus Capituli Epistolis duabus ad Archiepiscopos Turonensem & Senonensem, & ad Episcopos Bellovacensem & Aurelianensem, ubi eos inflammat, ut demissè quidem & moderatè, sed & constanter fortiterque Regi occurrant, sicubi libertatem electionum labefactatum eat. Cùm non alio magis documento prodi & insigniri possit Episcopalis in Regem fides, pietasque, quàm Regni & Ecclesiæ vulneribus medicina adhibenda, & Regi ipsi approbanda. *Nec propter Regis reverentiam hoc agere pigritemini; quasi hoc pertineat ad fidelitatem Regis. Verè enim illi fideliores eritis, si qua sunt corrigenda in regno ejus, correxeritis, & animum ejus ad eandem correctionem compuleritis.* *Epist. 131. 132.*

Sed cùm vel hinc prodatur, Metropolitanos & famam quandoque suam, & conscientiam gravi vulnere sauciasse, dum permittunt Episcopos obtrudi invito Clero, & inconsultis Episcopis Provinciæ: hinc occasio data Capitulis, ut electiones sibi, quà dabatur, solis vendicarent. Verùm tardissimi fuere ii progressus. Idem alibi verba faciens de electione Archiepiscopi Remensis, hæc habet: *A Clero & Populo sua Civitatis electus.* Alibi testatur prætermissam tunc esse Episcopi ordinationem, quòd eò nec litteras cæteri Provinciæ Episcopi, nec Legatos misissent. *Comprovincialium Episcoporum qui aberant, nec litteras, nec Legatos habuimus.* Ibidem addit electionem jam esse non posse, ubi sic unus aliquis à Principe obtruditur, ut alius eligi non concedatur. *Quomodo electio rectè dici possit, ubi sic à Principe unus obtruditur, ut nec Clero, nec Populo, nec ipsis summis Sacerdotibus ad alium deflectere concedatur.* Alibi denique Regi Roberto recepit, se Franconi suffragaturum, ut Parisiorum Episcopus eligeretur, si assentirentur cæteri Provinciæ cum Metropolitano Senonensi Episcopi. Alibi denique Episcopum repudiavit, qui eò provehi se volebat *sine jussu Regis, & consensu Episcoporum.* *Epist. 28. 131. 132. 85* *Epist. 38.* *Epist. 62.* *Epist. 88.*

VIII. Jam ad Ivonis Epistolas accedamus, ex quibus id primò elucescit, si ejus eligendi copiam fecisset Papa Populo & Clero Carnutensi, id eò tantum spectasse, quòd priori Episcopo non tantùm vita superaret, sed & spes recuperandi Episcopatus. *Nostra fulti licentia in Episcopum elegerunt, &c. Clerus & Populus elegerunt, &c.* Et certè nullas non tentarunt artes Metropolitanus, & Episcopi Parisiensis, Meldensis, Tricassinus, Regiæ subnixi authoritate, ut eum restituerent, & destituerent Ivonem, qui procellam illam appellatione Romanæ sedis suspendit, discussitque. *Ivonis. Ep. 2. 3. 12.*

Cùm Episcopum sibi delegisset Ecclesia Parisiensis Clericum Carnotensem, qui acquiescere abnuit electioni, nisi jussu Episcopi sui urgeretur: *Sine consilio & assensu nostro nihil tale præsumere voluit:* alios cum ipso Canonicos Ivo Lutetiam ablegavit, ut inquirerent & renuntiarent sibi, an canonica, an pura fuisset electio, an nullam sæcularis potestas vim adhibuisset: *Qui inquirerent, utrum in eum vota omnium concurrerent, utrum hæc electio mediante pecunia, vel aliqua esset à Rege extorta violentia.* Scripsit & ad Urbanum II. Papam, quò ætatis veniam faceret electo. Increbrescebant, ut jam dixi, ut dicendum infrà sæpiùs, hæ dispensationum causæ, seu necessariæ, seu probabiles, nec displicebant viris sæpè sanctissimis, & Ivonis similibus id genus dispensationes. Itaque frequentiùs in dies ad Papam recurrebatur, cui tunc quidem nec in mentem veniebat dandorum Episcopatuum; sed vix poterat eminentissima omnium Sedes crebrò electionibus intervenire, quin eam paulatim sibi in illas pararet potestatem & consuetudinem, cujus & ipsos quan- *Epist. 26.*

doque forsan pœniteret, qui eam interpellarant. His adde frequentes appellationes ad primam Sedem, etiam impiorum hominum canonicas electiones oppugnantium. Et in his enim necesse erat Pontificem intervenire.

Monendus fuit Ivoni Urbanus Papa, ne Aureliæ fineret Episcopum ordinari ejus Ecclesiæ Archidiaconum, cui infandæ horrendæque criminationes ingerebantur, & cui ad eam tamen dignitatem viam sternebat Archiepiscopus Turonensis, authoritate

Epist. 67. 68.

& gratia apud Regem florentissimus. *Si ad vos venerit pro electione, ne aurem præbeatis, &c. Nunquam eum consecrari permittatis.*

Cùm ad Metropolin Remensem electus fuisset Manasses, scripsit Ivo ad Pontificem, ut faveret impensissimè homini Ecclesiæ Romanæ studiosissimo, Remensi autem plurimum & ornamenti allaturo, & emolumenti. *Apostolicæ Sedi devotum.* Præsertim cùm in Ecclesia Remensi servetur pignus æternum Gallicani Regni, Diadema Regium, & inde manent in universum Regnum exempla tum sancti-

Epist. 116.

taris, tum morum depravationis. *Novit eam Sedem diadema regni habere, & omnibus pene Gallicanis Ecclesiis exemplum ruinæ vel resurrectionis existere.*

IX. Cogebant nonnunquam Reges ipsos & Pontifices, ut Episcopos ipsi nominarent, violentissimæ factiones, intrusionesque Præsulum continuatæ.

L. 5. c. 4. Baron. an 1034. n. 27.

Narratur à Glabro, ut post mortem Episcopi Lugdunensis, nepos ejus, qui Augustudunensem jam regebat Episcopatum, sese intruserit ipsemet in eam Sedem: utque eo abacto Gerardus Comes juvenculum quendam ex filiis suis in ejus locum subornarit; quo effugato Benedictus tandem IX. Papa Odilonem Cluniacensem Abbatem ea dignitate decoravit, comperto in eum fervere Cleri & Populi vota. *Sic enim totius Cleri ac Plebis optans acclamabat devotio.* Cùm adduci non potuisset Odilo, ut tantæ succederet sarcinæ, Archidiaconum Lingonensem Henricus Rex eo donavit Episcopatu, Populi & Episcoporum votis obsecutus: *Suggestum est tam ab Episcopis, quàm ab omni plebe.* Postquam ergo tot incurrentibus causis justissimis interpellati fuerint Romani Pontifices, ut in partem aliquam venirent electionum, sive interjectis ad eos appellationibus, sive dispensationibus flagitandis, sive flagrantibus inter Populum, Clerum & Episcopos dissensionibus, quas una posset Petri Sedes restinguere & sedare: fieri omnino non potuit, quin tandem principalis & pene tota electionum Episcopalium authoritas ad illam Sedem devolveretur.

CAPUT. XXXII. *P. 4. l. 2. c. 40.*

Continuatur historica series earundem electionum ab anno centesimo supra millesimum ad ducentesimum.

I. Quando Henrico Imperatori Paschalis II. concessit investituras continuare, libertati electionum provisum fuit, saltem in speciem.

II. Quando à Principe investiebatur quis Episcopatu, oblato pede & annulo, non ea hæresis erat à fide, sed usurpatio à jure alieno.

III. Id genus usurpationes, quæ æternæ Legi non adversantur, ex provida & consulta indulgentia quandoque tolerari debent.

IV. Plurimi eorum qui sacris infulis ab Imperatoribus investiti fuerant, Episcopatus suos resignabant Pontifici, qui eos rursum canonice instituebat, atque ita dandorum Episcopatuum potestatem Sedi suæ magis magisque conciliabat.

V. An Galli Reges investituras darent Episcopatuum. Ejus rei defensio.

VI. Cùm post electionem confirmatam Reges dono dabant electis res temporales Ecclesiæ, sensim insuescebant ipsos Episcopatus dare.

VII. Plura documenta magnanimitatis Ivonis pro libertate electionum. De Canone Concilii VIII. Generalis.

VIII. De electionibus & investitura sententia Goffridi Vindocinensis Abbatis.

IX. X. Sententia Hildeberti Archiepiscopi Turonensis, & Bernardi Claravallensis Abbatis.

XI. In Archiepiscopi Bituricensis electione & ordinatione dissensio Innocentii II. Papæ, & Ludovici VII. Regis, sedatur aliquando tandem à Bernardo Claravallensi Abbate, & à Petro Cluniacensi.

XII. Doctrina hujus Petri Cluniacensis.

XIII. Nonnulla observantur in ea quæ dicta sunt.

XIV. De electionibus sub Ludovico VII. & Philippo Augusto. Permagna Regum authoritas, quando prorsus dignos suggerebant. Monachi ad electiones vocati.

I. Tristissimo illo congressu, quo fracta Paschalis II. Papæ, aut emollita constantia, concessæ sunt investituræ rursum Henrico Imperatori, quas extorquere & abolere cœperant duo ejus prædecessores, Gregorius VII. & Urbanus II. in tuto collocata est, perfunctoriè saltem & simulatè, electionum libertas. In ea enim ipsa Epistola ad Legatum in Gallia suum Archiepiscopum Viennensem, qua Paschalis retractat quod fecerat, revocatque quod concessum à se fuerat: illud omnino contestatur, ne investituras quidem ipsas unquam toleratas fuisse, nisi ea cautione, ut Clerus populusque prisca semper gauderent eligendi libertate: sed ita ut ordinari non posset electus, nisi Principis assensus esset, annuloque & baculo electum investisset. *Ut electione libera, facta sine vi & simonia, consensu Regis, facultatem habeat Rex investiendi per virgam & annulum, & electus à Clero & Populo non consecretur, nisi à Rege investiatur.* Paschal. II. Epist. 14.

II. Duo hæreseon cauterio inusserunt hanc Paschalis concessionem Archiepiscopi duo Viennensis & Lugdunensis, eademque proinde infamia aspersferunt Laïcorum investituras. At qui tunc summa & sapientia florebat, & doctrina, ac moderatione Ivo Carnutensis Episcopus, mediam quandam & temperatissimam secutus est rationem, qua declaravit, Episcopalibus insignibus ubi à sæculari Principe quis investiebatur; eam quidem meritò dici posse usurpationem juris alieni, hæresin nec esse, nec dici posse: nisi si animo præsumptum id haberent his exterois tesseris dari à se spiritalem potestatem cælestis & divini ministerii: cujus vel imperitiæ vel dementiæ reus agi nemo potest, nisi qui excors & mentis inops sit prorsus. *Si quis ergo laicus ad hanc prorumpit insaniam, ut in datione & acceptione virgæ putet se tribuere posse sacramentum, vel rem sacramenti Ecclesiastici; illum prorsus judicamus hæreticum; non propter manualem investituram, sed propter præsumptionem diabolicam. Si verò congrua volumus rebus nomina dare, possumus dicere, quod manualis illa investitura per laicos facta, alieni juris est pervasio, sacrilega præsumptio, quæ pro libertate Ecclesiæ & honestate, salvo pacis vinculo, si fieri potest, abscindenda est. Ubi ergo sine schismate auferri non potest, cum discreta reclamatione differatur.* Epist. 238.

III. Ex his postremis verbis alia subrutilat Regula, moderationis & temperamenti plenissima. Nimirum ubi consuetudines, quæ in controversiam veniunt, apertè & directè non confligantur cum divina & æterna lege, cujus observantia nullius dispensationis patiens est; sed cum iis usibus & libertatibus, ex quibus in Ecclesiam non mediocris re-

dundat utilitas: tunc aboleri quidem eas debere, ubi non scandala gravissima, non schismata reformidantur: sed tolerari tunc certè & posse & debere, salubri & necessaria indulgentia ac juris remissione, quando declinari omnino non possunt, quin incurratur in crimina longè atrociora.
Ibidem. *Cùm ergo ea quæ æterna lege sancita non sunt, sed pro honestate & utilitate Ecclesiæ instituta vel prohibita, pro eadem occasione ad tempus remittuntur, pro qua inventa sunt, non est institutorum damnosa prævaricatio, sed laudabilis & saluberrima dispensatio.*

Hinc concluditur à viro consultissimo Ivone, Privilegium investiturarum continuandarum, quod sibi extorqueri passus erat Paschalis, profectum esse non ab ignava prævaricatione, sed à dispensatione Canonum prudentiæ & charitatis illecebris temperata: cùm non posset tum quidem vel revocari is usus, vel interrumpi, quin præceps ageretur Ecclesia in summum vel cruentæ persecutionis discrimen, aut pestiferæ & irreparabilis dissensionis.
Epist. 239. *Unde hunc ejus excessum non tantùm non accusamus, sed dictante ratione approbamus, si imminente strage populi, paterna charitate, cum nonnullo vulnere suo, se tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis posset sincera charitate subvenire.*

IV. Sed cùm assentiretur vel ipse Ivo, hæresin sapere si quis diceret jure investituras Laicis competere: *Sentire ac defendere, fieri debere, indubitata hæresis est.* saltem sacrilegæ usurpationis facinore constringi, qui eas præter Ecclesiæ concessionem usurparet: inde contigit, ut complures Germaniæ & Galliæ Præsules baculos Pastorales à terrenis Principibus traditos, in manus summi Pontificis resignarent, eosdemque postea ab eodem, hoc est, à Christi Vicario reciperent. Plurima ejus rei exempla inferiùs congerentur. Hic ea tantùm intexam,
Epist. 238. quæ ea de re idem Ivo edisseruit. *Videmus in partibus Germaniarum & Galliarum multas honestas personas purgato isto nevo per quamlibet satisfactionem. Pastorales virgas reddidisse, & per manum Apostolicam refutatas investituras recepisse.*

Ita sensim insuescebant Pontifices Episcopatus dare, nullo tunc suo, nullo Episcoporum consilio alio, quàm ut tum resignantes, tum restituentes Episcopalia insignia, servirent indeclinabili temporum necessitati.

V. Missas facio alias ejusdem Ivonis Epistolas, ubi multa disputat in harum quas modò prompsimus regularum confirmationem. Venio ad quæstionem illam, de qua idem Ivo non prorsus siluit; An Galliæ etiam Reges investituras & ipsi darent sacrarum dignitatum. Negat Ivo, ut mihi quidem videtur. Expostulante enim Archiepiscopo Lugdunensi de electo Senonensi Episcopo, quòd investituram à Rege suscepisset, respondit Ivo, nec inaudisse se quidquam de ea re, nec qui viderit invenisse. *Quod*
Epist 65. *scripsisti prædictum electum investituram de manu Regis accepisse, nec relatum nobis ab aliquo, qui viderit, nec cognitum.* Addit tamen eo etiam dato, nihil admodum ea eo detrimenti creari posse, cùm externo eo ritu sacramenti Ordinationis virtus nec minui posset, nec augeri. *Quod tamen si factum esset cùm hoc nullam vim sacramenti gerat, in constituendo Episcopo vel admissum vel omissum, quid fidei, quid sacræ religioni officiat, ignoramus.*

Cæterùm cùm per Conciliorum Canones & Decreta Pontificum Regibus liceat Episcopatus dare post electionem: cùm Pontifices ipsi interposuerint preces & commendationes suas apud Reges, ut ea Episcopatuum dona Episcopis impetrarent, & ordinationes tandiu retardarint: non magnopere referre, Episcopatus à Principibus dari prolatis aliquibus verbis, vel baculo manibus inferendo; cùm ne veniat quidem illis in mentem Sacramentorum quidpiam dandi, sed mittendi electi in possessionem omnium prædiorum & quorumcumque temporalium bonorum, quæ Ecclesia Regum munificentia & largitate consecuta est. *Cùm post canonicam electionem Reges ipsos Apostolica authoritate à concessione Episcopatuum minimè prohibitos videamus. Legimus enim sanctæ recordationis summos Pontifices aliquando apud Reges pro electis Ecclesiarum, ut eis ab ipsis Regibus concederentur Episcopatus, ad quos electi erant, intercessisse; aliquorum, quia concessiones Regum nondum consecuti fuerant, consecrationes distulisse.* Et aliquantis interjectis: *Quæ concessio sive fiat manu, sive nutu, sive lingua, sive virga, quid refert? Cùm Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantùm aut votis petentium annuere, aut villas Ecclesiasticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere.*

VI. Si ex Episcopatuum autem resignationibus, & per Pontifices restitutionibus, quo investituræ laicæ dedecus abstergebatur: si ex iis, inquam, invehebatur sensim consuetudo, ut Episcopatus à Romanis Pontificibus darentur: nonne & ea concessionibus Episcopatuum per Reges, quas ab investituris non magnopere differre censet Ivo, adducebantur & Reges in eam persuasionem, suo se jure Episcopatus dare, quorum custodes fuissent vacantium, & posse se intacta electionum libertate, non mediocrem in illis sibi authoritatem vindicare? Ita sanè contendit Ivo, qui & Regem, tanquam Reipublicæ Caput vult electioni interesse posse; nec ei usui intercessisse Urbanum II. ut qui Canonis Concilii Generalis VIII. rationem nullam habuerit, in quo Principum præsentia prohibetur. *Dominus quoque Papa Urbanus Reges tantùm à corporali investitura exclusit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione: quamvis octava Synodus solùm prohibeat eos interesse electioni, non concessioni.*

VII. Ea est rerum humanarum sors, ea conditio, ipsis ex malorum remediis mala nascuntur alia; & potestates eæ quæ erant ad pacem & tranquillitatem publicam stabiliendam summopere conducibiles, non possunt non aliquando, non aliquantulum evagari extra metas eas, quas ipsa tranquillitatis publicæ ratio præscripserat. Sed quanquam non vetet Ivo, quin intersint Reges electionibus, non alius tamen fuit quisquam eo studiosior canonicæ earum libertatis asserendæ, tum Populo & Clero, tum Episcopis Provinciæ & Metropolitano. Suo enim quodam modo Episcopi Provinciæ collegarum electioni adhuc suffragabantur. Cùm abesset ipse, confirmavit nihilominus Ivo assensu suo electionem Episcopi Meldensis, quæ fiebat in Concilio Provinciali. *Cum eligentibus eligo, & manus* Epist 144.
impositionem, quam ei facturi estis præsentes corpore, hanc ego confirmo, & facio quantum in me est, præsens corde.

Cùm electio minùs unanimis celebrata fuisset in Ecclesia Parisiensi, vide quas ille conditiones statuerit, ut assensionem suam accommodaret. *Ele-*
ctioni assensum non dabimus, nisi quem aut Cleri plebis- Epist. 61
que consensus elegerit, aut Metropolitani judicium cum connivenția suffraganeorum, habita legitima discussione probaverit. Nec altercatio hæc eò pertinet, ut non

à Metropolitano & Suffraganeis confirmanda fuerit electio Cleri & Populi quantumvis concors : sed eâ insinuatur, sicubi Cleri & Populi dissiderent suffragia, tum Metropolitani & Comprovincialium judicio & electione ordinatum fuisse Episcopum viduatæ Ecclesiæ.

Nec ignavo silentio Ivonis constantia cessabat, ubi impiorum hominum artibus per quosdam quasi cuniculos obreptum fuerat Regibus, ut vis adferretur electionibus. Litteris ille suis interpellavit eos, qui ei malo medicinam facere poterant, edocuitque quantum distet innocuam inter modestamque Principis interventionem, & preces seu commendationes imperiosas.

Epist. 67. 68 136.

Electionem Regiis precibus, quæ idem valent secundum vulgare proverbium, quod mina, extortam. Cùm electus fuisset Episcopus Parisiensis, suscepit ipse Ivo sacramentum quod præstitum est à Primoribus Cleri, tum Papæ, tum Regis mandato, ad eam electionem adductos se non fuisse, aut munerum illecebris, aut Regis, vel Reginæ minis & terrore.

Epist. 118.

Se nullo terrore Regis vel Reginæ compulsos dominum Guillelmum Episcopum sibi elegisse, neque aliud simoniacæ pravitatis intendisse, &c. Verba sacramenti hæc ipsa sunt : *Non elegimus Episcopum Vuillelmum, propter munus acceptum, vel promissum ab aliquo, vel gratia contubernii quod habebat soror ejus cum Rege, vel propter minas nobis illatas à Rege, vel prædicta ejus sorore. Sic nos Deus adjuvet, &c.* Eo verò juramento astringi Cleri principes *Rege postulante Papa præceperat.* Non tacuit denique Ivo, ubi electus Episcopus authoritate Regia fretus, pervicit, ut antè ordinaretur clavumque Ecclesiæ suæ capesseret, quàm criminationes dilueret coram Metropolitano & Suffraganeis sibi intentatas.

Epist. 112.

Diem examinationis subterfugit, & violentia Principis consecrationem adeptus, sedi Episcopali est intrusus.

Ita Ivo canonicæ hinc disciplinæ, inde accommodantis se ad necessitates temporum prudentiæ & charitatis præsidio, nec Regum in electionibus authoritatem imminutam voluit, nec in eas vel munera, vel minas, corruptelas artesque irrepere passus est. Appositum ad hoc declarandum meritò videbitur exemplum Episcopi Bellovacensis, cujus electio temerè & iniquè impetebatur. Ea enim de re ita Ivo ad Metropolitanum perscripsit.

Epist. 47.

Non enim licet Regibus, sicut sanxit Octava Synodus, quam Romana Ecclesia commendat & veneratur, electionibus Episcoporum se immiscere, vel aliqua eas ratione impedire. Francorum Reges Carolus & Ludovicus electiones Episcoporum Ecclesiis concesserunt, &c. Habeat Deus in Ecclesia sua principaliter quod suum est. habeat Rex posteriori ordine post Deum quod sibi à Deo concessum est. Scripsit & ad Paschalem Papam, cùm canonica ea fuisset electio, si Rex dissentire pergeret, & Ecclesiæ temporalia bona retinere, solius esse Apostolicæ sedis suppetias ferre. Cùm juramento obligasset se Rex non admissurum se in Ecclesiam illam Galonem, qui electus fuerat, per litteras eundem Pontificem hortatus est Ivo, quò eum Parisios transferret, cùm Rex, filiusque Regis Pontificis gratiæ colligendæ gratia eo Galonem Episcopatu gratificari statuissent.

Baron an 1101. n 8. 1104. n. 4.

Episcopatum Parisiensem ei gratanter & devotè concedunt pro vestro amore Rex & Regis filius.

In verborum tantùm cortice hæret ea Ivonis secum ipsius conflictatio, ubi ait Concilium VIII. admitti, & rursum negat : ubi tradit Reges electionibus adesse posse, & rursum adesse vetat. Quandiu enim Regum præsentia nihil officiet electionum canonicæ libertati, Canoni Concilii VIII. quo ea prohibetur, minùs forsan parebitur : quanquam sic minùs verbis, certè menti & scopo ejus parebitur, cùm tota in tuto collocabitur libertas electionum. At ubi eorum præsentia suffragiorum libertati obstrepet, ubi precibus minas addent, tum ad hunc Canonem recurretur, ut ad munimentum Ecclesiasticæ libertatis.

VIII. Cùm non Canonici tantùm, sed & Gallicani potissimum juris peritissimus fuerit Ivo, & Germanarum Gallicanæ Ecclesiæ libertatum vindex strenuissimus, ejus doctrinæ paulò fusiùs elucidandæ consultò immorati sumus. Vestigandum jam nobis restat, an ejus ævi Scriptores alii nostrates, eandem sectati sint rationem. Prodibit ante alios Goffridus Vindocinensis Abbas, qui Andegavensi Episcopo conquerenti, quòd electioni suæ adversatus esset, ita satisfecit, ut quæ superiùs de electionibus placita explanata sunt, ea omnia complectatur. 1. Non potuisse se assentiri ei electioni, quam vulgi conspiratio & furor expugnasset. *Vulgi conspiratione, &c. Vulgo furente vos creatus estis.* 2. Ut Episcoporum est ordinare, ita principaliter eligere, ut ejus prædecessor Mauritius olim à B. Martino & electus antè fuit, & postea consecratus. Ut Apostoli à Christo electi, pòst ordinati; mox & ipsi ut Christi Vicarii & imitatores, elegerunt, ordinaruntque Episcopos.

L. 3. Ep 11. Et Opuscula. 2. 3. 4.

Mauritius eligente Martino electus & consecratus est, &c. Tota ordinatio Episcopi in sola electione consistit & consecratione. Hæc prius per semetipsum fecit Christus, deinde verò Vicarii ejus. Et in Apostolis quidem à Christo facta sunt, quoniam ab ipso electi & consecrati fuerant; in aliis vero omnibus, à nullis aliis fieri licet, nisi à Vicariis Christi : sunt autem Vicarii Christi, Clerici in electione, Episcopi in consecratione. Cæteri omnes petere quidem Episcopum possunt, eligere verò vel consecrare non possunt. 3. Quibus extremis verbis pulcherrimè statuitur prærogativa Cleri in electionibus Episcoporum. Scitè enim à Goffrido demonstratur, cùm Christus ipse Apostolos elegerit & ordinarit, duplicemque pòst in eos transfuderit eam potestatem, solos propriè Clericos & Episcopos, qui ad successionem Apostolicæ potestatis pro suo quique modo adoptati sunt, id juris assecutos esse, ut Episcopos eligant. Populi verè *petere possunt, eligere non possunt.*

4. Mox Andegavensem vituperat Goffridus Episcopum, qui Investituram à Rege accepisset, quam à Consecratore suo debuerat expectasse : cùm in Concilio Gregorius VII. damnarit hæresin Investiturarum; eamque necdum orco eructatam Canones Apostolici prædamnarint, interdicto, nequis unquam sacras dignitates per laïcos Principes adipiscatur. *Hanc investituram ab ipso solo suscipere debet, à quo consecrationem habet.* 5. Ut plurimum simoniæ contagio inquinabantur Laïcorum Investituræ. Nec enim ferè Principes quemquam annulo, vel pedo ornabant, à quo non vel pretii aliquid, vel obsequii acciperent. *Nam quæ sæcularis potestas sibi vendicare nititur investituram, nisi ut per hoc, aut pecuniam extorqueat; aut quod est gravius, sibi inordinatè subjectam efficiat Pontificis personam?*

XI. Subduxerat se Hildebertus Cenomanensis Episcopus ei ordinationi Episcopi Aurelianensis, ut fidem fecit Ganfridus. Verùm ut irrogatam eo loco canonicis institutis injuriam absentia sua ultus est : ita & aliàs meritis laudibus cumulavit Regis pietatem & religionem, qui Clericum virtutibus meritisque clarissimum Episcopatu donarat. *Virtuti*

gratulor,

Epist. 1. *gratulor, qui sub solo Rege nostro suam video non deesse mercedem. Novis ille regiam manum melius donativo splendere, quam sceptro; nec satis esse Principi, subditos ad bene agendum exemplis provocare, nisi provocentur & præmiis. Hinc est quod defæcati mores tui summo donati sunt Sacerdotio. Sanè sana Regis est dispositio, qua Christi Ecclesiæ nihil potuit melius providere, quam te, &c.*

Si jam tum fuissent Episcopatus in potestate Regum, ita ut eos arbitrio & nutu suo largirentur, non potuisset Hildebertus splendidiùs commendare Episcopatûs Beneficium summa sapientia & religione collocatum. Atqui non ita res habebat. Constabat enim adhuc electionum libertas. Hinc ergo illud monemur, qui prudentia & pari animi magnitudine claruerunt Episcopi, eos nunquam molestè tulisse, si prosilirent Reges, ut darent, vel dari curarent Episcopales infulas virtuti & sapientiæ cumulatæ: quòd unum in eum scopum collinearint tum Canones omnes de electionibus, tum intercessiones Ecclesiæ adversùs præfervidos quandoque Principum conatus, ut præstantissimi Episcopi Ecclesiis præficerentur.

Revocanda oratio est ad electionem Episcopi Andegavensis, cui assentiri detrectavit Hildebertus, non tantùm quòd nec ea ætate esset, nec in eo Ordine quem Canones desiderant, is qui electus fuerat; sed etiam quòd non à Clero electus esset, sed à tumultuante plebe obtenderetur. Epist. 9. 12. *Nec à Clero electum, &c. Seditiosus turbata turba clamor Pontificalem detorsit electionem, &c. Non elegit te Clerus, sed minæ populares intrusere, &c. in electione populo minimè licet Clerum præcedere, sed assensu prosequi eligentem.* Cleri ergo erat certissimè Episcopos eligere, non populi, cujus partes erant electionem Cleri assensu suo munire, quod ille confirmat Decretis Cælestini I. & Leonis Papæ I.

Incipiebat ergo populus semet ipse ejicere ex electionibus, factionibus iis seditiosissimis, & vi persæpè Clero Episcopisque allata, ut Præsules crearentur ii, quorum flagitia & electos & eligentes peræquè infamarent, eaque potestate dejici cogerent. Addit porro Hildebertus eidem electioni reluctatos esse Abbates pietate conspicuos. In iis erat Goffridus Vindocinensis, ut antè diximus. Erat ergo & Abbatibus suus in electionibus locus.

Spicileg. To. 2. pag. 481. 508. Author est Arnulphus Lexoviensis Episcopus in Epistola quadam sua, temporales res suas omnes à Comite Andegavensi invasas fuisse, & toto amplius biennio retentas, nec priùs relaxatas, quàm ingentem pecuniam sibi extorsisset: idque una ea de causa, quòd canonicè electus, consecratus fuisset citra Comitis assensum, quanquam ea quidem in re consilio & authoritate usus esset Innocentii II. Papæ. *Quia electus canonicè, sine ipsius designatione fueram consecratus.* Cum Comites & Duces istiusmodi summam sibi quandam & penè regiam arrogarent authoritatem, jure etiam quasi suo electiones à se confirmari debere spectabant. Pontificibus certè Romanis optatissimum id fuisset, ut soli Reges eo privilegio fruerentur, ut suprà declaratum est.

Alio quodam loco affirmat Arnulphus præsentiam Comprovincialium Episcoporum in Archiepiscopi electione desiderari, sed non posse quandoque Capitula expectare tandiu, dum omnes advenerint. *Verum est in Archiepiscopi electione suffraganeorum desiderari præsentiam.*

X Progredior ad B. Bernardum, qui Honorium II. per litteras excitavit, ut electionem Catalaunensis confirmaret Episcopi, Cleri & Populi unanimi & mirabili quadam consensione factam. *In quam utique totus tam Clerus, quam Populus pari voto & voce convenerant.* Epist. 13. Cùm delegati Capituli Lingonensis Romam adventassent, licentiam ab Innocentio II. flagitaturi, eligendi sibi Episcopi: *Quærentes licere sibi & Capitulo Lingonensi, eligere sibi Episcopum:* annuit Pontifex ea lege, ut nequid faceret, nisi ex consensu B. Bernardi, qui tum Romæ versabatur. Jam eadem res prorsus illis mandata fuerat: *Mandatum acceperant à Papa, nequaquam præsumere hoc nisi ad consilium Religiosorum virorum.* Epist. 164. 166. 168. 169. Facta est tamen electio absente Bernardo. Ideo & ad Apostolicam Sedem appellatum est. Redux in Gallias Bernardus, tum Pontificem, tum Cardinales de toto negotio per litteras certiores fecit; & quanquam investitus jam à Rege esset Monachus Cluniacensis, qui electus fuerat: Roma tamen Bernardus Rescriptum expressit, quo altera & nova electio instauraretur. *Festinavit ad Regem, Regalium investituram obtinuit, &c.* Propterea nimirum quod in prima electione, plura momenta fuissent in auro & argento, & in authoritate Lugdunensis, Matisconensis, & Augustodunensis Præsulum, Cluniacensi Ordini addictissimorum, quàm in Canonicis Constitutionibus: Unde Bernardus, *Ubi jus, ubi lex, ubi sacrorum authoritas Canonum?* Iterata ergo electione Goffridus electus est, Prior Abbatiæ Claravallensis, non sine Regis offensione, qui Monachum Cluniacensem jam investierat. Placare Regis animum enixus est Bernardus, per litteras spondens, Canonicam fuisse electionem, inconcussa in eum fide fore electum, nec se in temporalium administrationem antè interpositurum, quàm ab eo investitus esset. *Electio ritè celebrata est, electus fidelis est.* Epist. 170. *Non autem esset fidelis, si vestra, & non per vos habere vellet. Necdum ad vestra manum extendit, necdum civitatem vestram ingressus est, necdum prorsus se intromisit de aliquo, quanquam invitatio Cleri & Populi, & oppressorum afflictio & vota bonorum id ab eo vehementissimè flagitaverint.* Nihil poterat temperantius dici, nihil opportunius, ut declararetur, quam certò in Regia potestate essent omnia Ecclesiæ bona temporalia: *Regalia vestra quæ ad Ecclesiam pertinent:* & quàm Regum injussu nemo posset ea consequi, vel administrare.

At verò Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas, primæ electionis à Bernardo oppugnatæ defensionem arripiens, ipsum submonebat Bernardum, quem Rex, & Metropolitanus, & Clerus & Populus uno consensu approbassent, non debuisse eum sugillari, aut infamari antè, quàm ut res tota se haberet, exploratum fuisset. *Rex collaudavit, & de regalibus, sicut solet fieri, manu propria solemniter investivit. Cumque ita Cleri, Populi, Metropolitani, ipsiusque ut dixi Principis in hanc unam sententiam, in hunc unum electum vota convenerint, &c.* Bibl. Clun. pag. 693. Pet. Clun. L. 1. Ep. 29. L. 2. ep. 28. Declarat denique non esse mirum, si ex Ordine Cluniacensi Abbas Viseliacensis adscitus sit ad sedem Lingonensem, cùm ex eo Ordine hactenus tot prodierint Episcopi, Metropolitani, Patriarchæ, summique Pontifices. *Quid indecens si inde in Pontificem Lingonensem electus est, unde Episcopales, Archiepiscopales, Patriarchales, & ipsa omnium vertex Ecclesiarum, Apostolica & Romana sedes Patres sibi assumere consueverunt.* Scripserat antè Petrus ad Innocentium II. Papam, ne sineret Abbatem Viseliacensem assumi ad Lingonensem Cathedram, cùm arctius Romano Pontifici hæreret Viseliacensis, quàm Lingonensis

L. 2. Ep. 25. Ecclesia. *Etsi Lingonensis Ecclesia vestra, multò magis Vizeliacensis vestra.* Ex quo facilè intelliges, fuisse, quod miremur in Bernardi fervore & zelo, fuisse & quod stupeamus in Petri Venerabilis suavitate & charitate.

Epist. 17. 171. 248. Redeo ad Bernardum, & omissis quibusdam Epistolis, ubi commeminit incredibilis cujusdam conspirationis suffragiorum Cleri & Populi: ubi agit & de frequenti necessitate adeundæ Sedis Apostolicæ, potissimum in electionibus Metropolitanorum: venio ad aliam ejusdem Epistolam, qua Senonensem Clerum post Archiepiscopi obitum prior occupavit, ut moneret quanti ea electio foret ponderis, & quàm necesse esset expectari consilia & Epist. 201. vota Episcoporum & Monachorum. *Expectandum suffraganeorum consilium Episcoporum, expectandus assensus Religiosorum qui sunt in Episcopatu, &c. conveniant Episcopi, Religiosi asciscantur.* Scripsit ad Eu-Epist. 275. genium III. de duabus electionibus Altisiodori factis, sicut & de duabus Nivernensis Ecclesiæ, defunctis utrobique Episcopis. Miserat ipse Altisiodorum unum ex suis Monachis, ut in rem totam inquireret, & se faceret certiorem. Hic de sola inquisivit Cleri suffragiorum partitione, hoc est, Presbyterorum, Diaconorum, & Clericorum inferiorum, ut qui in Clero non nesciret maxima esse electionum momenta. Scripsit & ad Regem, non posse jam ipsum dissentire, qui semel assensus esset; affuisse se electioni, & eam canonicam esse certò Epist. 182. profiteri. *Ego electioni interfui, concors fuit; quia Clerici qui antehac in partes dissilierant, sine contradictione tandem consenserunt, &c. Neminem arbitror affuisse, qui de assensu vestro dubitaret, cùm idem assensus vestris litteris teneretur.* Ubi rursum vides quàm à solo Clero omnia penderent.

XI. Nec abs re etiam pene ad nauseam usque animadversum & inculcatum à nobis est, interventionem Pontificum in electionibus, tempori & necessitatibus Ecclesiæ servientium, eò tandem erupisse, ut volventibus sæculis tota ea potestas ad eos ferè devolveretur. Eò impulsus est, ut nonnulli opinantur, Innocentius II. cum primùm rescivit obitum Alberici Archiepiscopi Bituricensis, illuc ut mitteret Archiepiscopum novum, quem ipse consecraverat. Vehementissima indignatione succensus est Baron. ann. 1141. n. 3. Ludovicus Junior, ex eo *quod sine ejus assensu consecratus fuerat:* prohibuitque ne in urbem admitteretur. Ita continuator Sigeberti. Verùm hæc paulò enucleatiùs edisseruntur in Chronico Nangii. Nempe post Alberici obitum datam à Rege fuisse licentiam quemlibet eligendi, excepto tamen Petro de la Châtre, clarissima in Biturigibus gente prognato & consanguineo Aimerici Cancellarii Ecclesiæ Roma-Spicil. to. 11. pag. 425. næ. *Rex concesserat Ecclesiæ Bituricensi libertatem eligendi Episcopum quem vellent, excepto Petro, publicéque juraverat, quod se vivente non erat futurus Archiepiscopus.* Electus fuit nihilominus Petrus, statimque Romam profectus & à Pontifice consecratus, ita nempe secum statuente, minùs liberas esse illas electiones, ubi excluderentur forsan viri dignissimi ex privato affectu. *Adjecit Papa veram non esse electionis libertatem, ubi quis excipitur à Principe, nisi fortè docuerit coram Ecclesiastico judice, illum non esse eligendum: tunc enim auditur, ut alius.* Rege Archiepiscopum non admittente, secessit ille in ditionem Co-Gall. Christ. To. 1. p. 167. mitis Theobaldi, ubi *ei omnes obediebant Ecclesiæ.* Ejusdem rei fidem faciunt plura alia Chronica, ad-Matt. Paris anno 1146. ditque Matthæus Paris Regem triennio toto interdicto vinctum fuisse, donec Bernardo interveniente deferbuit ejus ira, & cum Archiepiscopo ac Pontifice in gratiam rediit. Improbata est à Bernardo & jurandi temeritas, & pertinax ira Regis Junioris: *De duobus non excusavit Regem, nam & juravit illicitè, & perseverat injustè.* Damnavit & ipse Rex iracundiæ suæ intemperantiam: *Parcatur, si fieri potest, salva in omnibus Ecclesiæ libertate, & Archiepiscopo debita veneratione servata, quem manus Apostolica consecravit. Hoc ipse Rex humiliter petit, hoc nostra universa citramontana deprecatur Ecclesia.* Hæc scripsit Bernardus ad Cardinales Romanos, ut eam Regis cum Ecclesia necessariam concordiam accelerarer; quam in rem testatur ipse alibi tota se virium contentione incubuisse, flagrantissimo in Regem amore excitatum. Bern. Epist. 219. 221.

XII. Operam quoque navavit Petrus Cluniacensis Abbas, Regem ut ei conciliaret Pontifici, à quo fuisset consecratus. Occupavit & aures Pontificis idem Petrus, ne exaudiret vocem Comitis Andegavensis, appellantis adversùs electionem Episcopi Leaoviensis, qui concordibus Cleri populique suffragiis electus, & à Metropolitano Rotomagensi ordinatus fuerat. *Clerus & populus, & tota simul Ecclesia elegit.* Quin & hujus confirmandæ electionis necessitatem inculcavit. *Ut electio & consecratio confirmetur.* Scripsit idem Petrus ad Eugenium III. Papam de electo Inculismensi Episcopo à Clero, à Nobilibus, à Magistratibus, & à populo ipso: *Nullo de Clero excepto ab unanimi electione, assensu, ut Canones præcipiunt, honoratorum & totius populi:* Archiepiscopum Burdegalensem confirmata ea unanimi electione, indictaque solenni die consecrationis, ipsummet abfuisse, fœdissima cupiditate habendi in Provincia ejusmodi tantùm Episcopos, quos imperiosa posset premere dominatione. Epist. l. 4. Epist. 3. L. 4. Ep. 7. L. 5. Ep. 5.

Cùm Petrum consuluisset Bernardus, an assentiendum sibi esset electioni Henrici, qui frater erat Ludovici Regis & Monachus Cisterciensis, in Episcopum Bellovacensem; Respondit Petrus assentiendum necessariò esse ei electioni, quam Populus & Clerus fecisset, quam Episcopi Provinciæ, Metropolitanus denique & Pontifex confirmassent. *De Clero vel Populo Belvacense dissentire nec unus dicitur, Metropolitani & Coëpiscoporum assensus, &c. Papæ voluntas, &c.* Cessit Bernardus Petri sententiæ, unde amarissimæ ipsius Henrici querelæ, quas ille datæ commisit ad Petrum Epistolæ, non sine suavissimæ charitatis multo lenocinio. L. 5. Ep. 29.

Missam facio aliam ejus Epistolam, ubi narrat ipsa Carthusiensium Cœnobia inter se dissentire circa electionem Episcopi Gratianopolitani. Eugenius III. paulò ulteriùs progressus est, quàm Innocentius II. ubi rescivit Tornacenses jam diu Episcopo carere, nunquam apud illos administrari sacramentum Confirmationis, propterea quod is Episcopatus cum Noviodunensi unitus fuisset. Episcopum ergo ipsemet delegit eis & consecravit, Abbatem nimirum sancti Vincentii apud Laudunum: & ita demum Regem per litteras rei totius certiorem fecit. L. 6. Ep. 32. Eugen. III. Epist. 63. 64.

XIII. Ex hac verò proliziore exemplorum contextione liquet 1. sæculo XII. suum adhuc fuisse populi suffragio locum in electionibus. 2. Multò plus ponderis fuisse in suffragatione Cleri. 3. Necessarium adhuc tum multis saltem in locis fuisse Comprovincialium Episcoporum assensum. 4. Multò magis autem necessarium Metropolitani consensum, qui electionem confirmabat, & ordinabat electum. 5. Discriminis aliquid quandoque interpositum

fuisse Optimatibus, honoratis Civibus, Magistratibus, & vulgo. 6. Cœnobia Monachorum, etiam abstrusissima suas in solitudines, vocata fuisse tamen ad aliquas partes electionum. 7. Neminem nisi judicio canonico excipi potuisse. 8. Dissensiones factionesque partium, Metropolitanorum cupiditates effrænes, sæcularium potestatum impressiones, appellationes justas injustasve in causa fuisse, ut pleræque electiones ad Pontificis judicium referrentur. 9. Petitam à Pontifice quandoque fuisse confirmationem ejus Episcopi, quem Metropolitanus jam confirmasset. 10. Non gravatè ferebant, si confirmaret & consecraret ipse, quos Metropolitanus præter jus confirmare abnueret, & consecrare. 11. Cùm diuturniores dissensiones scindebant Ecclesiam, propè necesse erat, ut nominaret Episcopum Pontifex, eumque omnes admitterent. 12. Eæ sunt latentes & imperviæ causæ vicissitudinum earum, quæ novam Ecclesiæ disciplinam pepererunt; & si altiùs penitiùsque res inspiciantur, qui huic innovationi vehementiùs succensent, ii ejus authores primarii fuere, vel eorum Majores.

XIV. Cùm nomine & vice Ludovici VII. Franciæ Regis Regni habenas moderabatur Sugerius Abbas, electus est à Capitulo in Episcopum Augustodunensem Archidiaconus, Regiæ stirpis Princeps & Ducis Burgundiæ germanus; electus est suffragiis populi, Cleri & Monachorum. *Consilio & assensu Religiosarum personarum, & totius Cleri & populi.* Adiit tunc autem precibus suis Capitulum Augustodunense hunc Vicarium Regni moderatorem, ut assentiretur electioni, & electum Papæ commendaret. *Suger Abb. Ep. 63.*

Quando Philippus Augustus sacri belli cupidus in Palæstinam proficisci statuit, regni gubernacula ille quidem demandavit Reginæ parenti suæ, & Archiepiscopo Remensi; diligentissiméque præcepit, ut quando licentia flagitaretur eligendi Episcopos & Abbates in Ecclesiis vacantibus, eam ne abnegarent, sed Regalia ne electo restituerent, nisi ubi consecratus aut benedictus fuisset. Ita Rigordus ad annum 1190. *Si fortè contigerit sedem Episcopalem vel aliquam Abbatiam Regalem vacare, volumus, ut Canonici Ecclesiæ, vel Monachi Monasterii vacantis veniant ad Reginam & Archiepiscopum, sicut antè ad nos venirent, & liberam electionem ab eis petant, & nos volumus, quod sine contradictione eis concedant. Nos verò tam Canonicos, quàm Monachos monemus, ut talem Pastorem eligant, qui Deo placeat, & utilis sit regno. Regina verò & Archiepiscopus tandiu Regalia in manu sua teneant, donec electus consecratus sit vel benedictus, & tunc Regalia sine contradictione eis reddantur.* *Du Chesne. To 5 p. 30.*

Hic verò perspicis ut Episcoporum electio in Cleri, Abbatum in Cœnobii potestate esset. Ut jubeat Rex licentiam eligendi dari, nullo addito limite, nulla apposita exceptione. Ut denique facta electione non aliud Rex quàm temporalia retineat, donec electus consecretur. Siqua enim justa Principi fuisset causa recusandi electi, de ea Metropolitanum monuisset, ne confirmatio vel consecratio concederetur.

Mira ea piissimi Regis sobrietas in jure suo commendando in electionibus. At aliquantò prolixiùs in eo amplificando Stephanus Tornacensis. Cùm enim Petrus Cantor Ecclesiæ Parisiensis in Tornacensem Episcopum electus fuisset, eique electioni Rex impensissimè gratularetur: scripsit Stephanus ad Archiepiscopum Remensem, cùm eam ad electionem conspirassent *vota Civium, testimonia populorum, Honoratorum arbitrium, electio Clericorum*: cúmque Rex Petrum nominatim designasset: *Dominus Rex personam istam nominatim expressit, nominatim pro ea rogavit, nominatim Ecclesiæ Tornacensi præesse voluit & intendit*: confirmandam incunctanter esse eam electionem: *Deferte Regio mandato; confirmata electione.* *Epist. 173.*

Concilium ipsum Trecense anno 1104 electionem olim confirmaverat viri sanctissimi Goffridi Episcopi Ambianensis, quòd *unanimiter à Clero & Populo electus fuisset, Rege quoque assentiente.* Nominatim hunc etiam Rex designaverat. Non aliò conspirat amor Ecclesiæ ad tuendam electionum libertatem æstuantis, quàm ut sanctissimos habeat Episcopos. Ubi ad hoc ipsum suffragantur Reges, ut conducibilis est Ecclesiæ eorum interventio, ita & gratissima.

XV. Ideo & hoc sæculo certatum est vehementiùs, ut electionibus Monachi interessent. Non ii erant tunc Carthusiani, Cluniacenses, Cistercienses, Claravallenses, qui sua se sponte majoribus Ecclesiæ negotiis insererent. Ad electiones ab Ecclesia accersiti sunt, quibus pietatem & pacem aspirarent. Ea de re Decretum editum est in Concilio Lateranensi II. sub Innocentio II. *Ne Canonici de sede Episcopali ab electione excludant Religiosos viros, sed eorum consilio honesta & idonea persona in Episcopum eligatur. Quod si exclusis eisdem Religiosis electio fuerit celebrata, quod absque eorum assensu & conniventia factum fuerit, irritum habeatur & vacuum.* Non diu tamen equidem viguisse suspicor eam clausulam, qua irritæ pronuntiabantur electiones omnes, quibus non essent Monachi suffragati. Facilè id ex proximè sequentibus Capitibus colligetur. *Can. 28.*

In literis ad Apostolicum suum in Gallias Legatum Alexander III. de electione Episcopi Meldensis, totam ejus authoritatem vendicat *Archiepiscopo & Canonicis.* Quo nihil decerpebatur de potestate Regis, cui ut tunc res comparatæ erant, ferè mos gerebatur, ubi vel Metropolitano, vel Capitulis suggereret aliquem ingenti sapientiæ & virtutum laude florentem admodum virum, & certissimè parem Episcopali sarcinæ. Unde & hic idem Pontifex Ludovicum VII. Regem per litteras interpellavit, ut quæ primùm vacasset Episcopalis sedes, vel Abbatia, eam Thomæ conferret Archiepiscopo Cantuariensi, in Gallis tunc exulanti. *Si quem Episcopatum aut Abbatiam in regno tuo interim vacare contigerit, sibi ad sustentationem sui ac suorum, Regia liberalitas faciat assignari.* *Append. 2. Epist. 13. 71.*

Disceptabimus alibi proliziùs de Privilegio, quo Ludovicus Crassus anno 1137. munivit Archiepiscopum Burdegalensem, & omnes ejusdem Provinciæ Episcopos, eo tempore quo filius ejus Ludovicus Junior uxorem ducebat Eleonoram filiam & heredem Vuillelmi Ducis Aquitaniæ, ut possent deinceps Prælati eligi summa suffragiorum libertate. *In Episcoporum & Abbatum suorum electionibus, canonicam omninò concedimus libertatem, absque hominii, juramenti, seu fidei per manum datæ obligatione.* *Bollandus mense Febr. pag 440.*



CAPUT XXXIII. *P. 4. l. 2. c. 41.*

Electionum in Galliis ſeries hiſtorica continuatur ab anno Chriſti ducenteſimo ſupra milleſimum, uſque ad Concordata.

I. Innocentius III. & Concilium Lateranenſe IV. ab electionibus Epiſcoporum populum arcent, & Epiſcopos Provinciæ, eaſque ad Capitula omnino revocant.

II. Poſteriores Pontifices eum uſum confirmant.

III. Erat tamen adhuc aliquid momenti in votis populi & Comprovincialium Epiſcoporum ſuffragiis.

IV. De Pragmatica ſancti Ludovici. Quæ ſtatu fuerint electiones uſque ad eum annum, quo Avenione Romani Pontifices ſedere cœperunt.

V. Quibus cauſis incidentibus reſervarint ſibi Pontifices plurium Epiſcopatuum proviſiones. De reſignationibus eorum, qui obeunt in Curia.

VI. Ut quo tempore ſedes Apoſtolica Avenione hæſit, & poſtquam Romam revecta, longè maxima pars Beneficiorum à Pontificibus, vel à Principibus collata fuit.

VII. Poſt Concilium Baſileenſe, & Pragmaticam noſtram rurſum pleraque alicujus momenti Beneficia à Pontificibus, vel à Principibus donata fuere.

VIII. Ita Concordata neceſſaria quodammodo evaſerant, rerum viciſſitudine & temporum, uſque illis ſimillimo duorum, vel trium retro ſæculorum.

I. SÆculo demum XIII. Cathedralia Capitula electionum Epiſcopalium vim & authoritatem ad ſe totam revocarunt, non populi tantum votis, ſed & Epiſcoporum Provinciæ ſuffragiis ceſſantibus. Sed cùm illæ rerum converſiones leniſſimè fiant, ſub Innocentio III. memoratur adhuc conſpiratio Populi & Epiſcoporum cum Clero Cathedrali in electione Epiſcopi Genevenſis, aut in ejus potius tranſlatione ad Archiepiſcopatum Ebrodunenſem, cui ſuam Innocentius III. accommodavit authoritatem. *Cleri, Populi, & Suffraganeorum deſideriis concurrentibus, te in ſuum Archiepiſcopum poſtulavere.*

Innoc. III. Regeſt. 15. Epiſt. 175.

Et hic tamen ipſe Innocentius III. dum certam & conſtantem delinearet futuris electionibus formam in Concilio Lateranenſi IV. anno 1215. his tum laïcos abegit, tum Epiſcopos Provinciæ. Propoſito enim triplici tantum electionum genere, Scrutinio, Compromiſſo & Adoratione, ſeu Inſpiratione; in Scrutinio deſcribendo, quod genus longè uſitatiſſimum eſt, apertè prodidit, totam ſuffragiorum poteſtatem penes unum fuiſſe Capitulum. Declaravit enim ſcripto conſignatis ſuffragiis omnibus, eum cæteris præferendum, cui major, vel ſanior Capituli pars ſuffragata fuerit. *Is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel major, vel ſanior pars Capituli conſentit.* Proſcribuntur ibidem mox electiones *per ſæcularis poteſtatis abuſum* factæ, pœnæque definiuntur in Metropolitanos, qui minùs canonicas confirmarint electiones.

Conc. Later. IV. can. 24. 25. 26.

Ubi infrà accedemus ad electiones Eccleſiæ Anglicanæ, hunc eundem Innocentium audiemus confirmantem Archiepiſcopi Cantuarienſis electionem, à ſolis celebratam Monachis, quibus conſtabat Cathedrale ejus Eccleſiæ Capitulum, nullis Epiſcoporum Provinciæ calculis adhibitis. Huic ergo potiſſimum Pontifici non injuſtè imputabimus illam Juris novi conſuetudinem & regulam, quæ & populum ſummovet ab Epiſcopalibus electionibus, & ipſos Epiſcopos Provinciæ. Sed ne invidiam faciamus Pontifici verè ſummo, juriſque conſultiſſimo Innocentio III. fateri cogimur jam eum ferè uſum invaluiſſe, nec invectum eum, ſed confirmatum fuiſſe à Concilio IV. Lateranenſi, quanquam & priſcæ conſuetudinis non pauca alicubi ſuperfuerint veſtigia, in dies ſingulos fugientia.

II. Voluit Gregorius IX. ut Capitulum Veſontionenſe ſuffragia admitteret Abbatum ſancti Benigni, & Morimundi, & Fratrum Dominicanorum, edixitque ab his ſanctiſſimis Monachis & Abbatibus Archiepiſcopum eligendum, ſi ultra quadraginta dies ceſſaret Capitulum. *Cum conſilio Abbatum &c. Alioqui dicti Conſiliarii de Archiepiſcopo vobis providerent.* Denique ſummovit omnino in poſterum idem Pontifex laïcos omnes ab electionibus Epiſcopalibus: *Edicto perpetuo prohibemus, ne per laïcos cum Canonicis Pontificis electio præſumatur. Quæ ſi fortè præſumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem. Non obſtante contraria conſuetudine, quæ dici debet potius corruptela.* Spectabat quidem ea ſpecies ad Eccleſiam in Sicilia Meſſinenſem, ſed generale erat Decretum, quo inſerto in libros Decretalium, in Gallia etiam receptiſſimos, ubi ab hoc Pontifice in Orbem Chriſtianum promulgati fuere, jam ambigi non poteſt, quin his conſentanea deinceps fuerit Eccleſiæ Gallicanæ Diſciplina. Jam ab Honorio III. declaratum fuerat, *Jus eligendi non cadere in Laïcum in Eccleſia Collegiata*, vel in Prioratu Conventuali. Itaque mandabat Papa Abbati Cluniacenſi ut Priorem ipſemet nominaret, quem confirmaret Patronus, ſi judicaret idoneum. *Denuntiando ordinationem factam Patrono, ut ſuum, ſi voluerit impertiatur aſſenſum.* quanquam anteriore tranſactione Abbas Patrono conceſſiſſet eligendi Prioris poteſtatem. Damnata eſt à Cæleſtino III. Capituli conſuetudo, duos præſentandi Patriarchæ, vel Principi, qui alterum deligerent, juſſi ſunt ipſimet Canonici unum eligere, aſſenſum Patriarchæ, & Regis mox petituri. *Quo facto non prohibemus, quin Regis, ſeu Patriarchæ requiratur aſſenſus.*

Extra. De elect. c. 51. 56.

Ibid. c. 52.

Ibid. c. 14.

III. Nec tamen in unius Capituli gremio ita circumſcriptæ erant electiones, ut populi, Abbatum, Comprovincialium Epiſcoporum, Metropolitanorum vota pro nihilo reputarentur. Certè quidem Scrutinium in ſolo & à ſolo fiebat Capitulo, conferebantur, numerabantur, ponderabantur ſuffragia, & ita electio concludebatur: ſed nihilo tamen minus certiſſimè ea dicebatur, teſtimonio populi, & conſenſione Epiſcoporum roborari & invaleſcere. Ex ipſo Innocentio III. ejus rei memorandum ponemus exemplum. Scribens enim ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, memorata Vorceſtrenſis Epiſcopi electione in Capitulo peracta, non tacet accumulata ei fuiſſe hæc alia quoque ſuffragia. *Faciebant ad id non modicum concors Capituli Vigorienſis electio, petitio populi, aſſenſus Principis, votum tuum, ſuffraganeorum ſuffragia.* Electio uni Capitulo tribuitur, ad quam & reliqua hæc omnia conſpirant.

Ibid. c. 20.

Fatetur hic ipſe alibi Pontifex Epiſcopos & Abbates ad electionem Archiepiſcopi Armachani in Hibernia advocandos fuiſſe. Declaratum eſt & ab eodem Pontifice, à Capitulo Strigonienſi in Hungaria convocari debere Suffraganeos ad electionem Metropolitani, ſi ea viguiſſet priùs conſuetudo. *Requiſito Suffraganeorum aſſenſu, ſi eſſet de antiqua & approbata conſuetudine requirendus.* Denique hic idem Pontifex ad Sutrinum in Italia Capitulum ſcribens, confirmat electionem ab eo factam Epiſcopi, quanquam ad eam vocati non fuiſſent *Clerici Conventualium Eccleſiarum*, qui trium anteriorum Epiſcoporum electionibus & affuerant, & ſuffragati erant.

Ibid. c. 28.

Extra. De Poſtulat. c. 4.

Ea verò ratione nititur Pontifex, quòd tantulo tempore, quo celebratæ fuerant tres illæ electiones, præscribi non potuisset; vigere autem eam regulam generalem, solum Cathedrale Capitulum jure frui electionis, nisi & aliqui præterea hoc sibi quoque jus præscripserint speciali consuetudine. *Secundum statuta canonica electiones Episcoporum ad Cathedralium Ecclesiarum Clericos regulariter pertinere noscuntur, nisi alicubi secus obtineat de consuetudine speciali.* Ita præsentia Comprovincialium Episcoporum, aliorumque Collegiorum, seu Clericalium, seu Regularium, quæ olim jure Communi & ubique recepto nitebatur, jam tunc evaserat propria & peculiaris earum Ecclesiarum, ubi præscriptio convaluerat, cæteris eo jure per supinitatem spoliatis & desuetudinem.

Extra. De causa possess. & propriet. c. 3.

IV. Pragmatica, quæ sancti Ludovici Galliæ Regis nomine circumfertur, libertatem electionum novo quodam munimento firmat, tum in Cathedralibus, tum in aliis Regni Ecclesiis. Dixi eam Pragmaticam sancti Ludovici numine decorari, quòd non nesciam viros esse doctissimos, qui ejus fidem labare putent. Eorum verò animos movit longum de ea Scriptorum omnium silentium, non ævo tantum sancti Ludovici, sed duorum admodum post sæculorum. Nec enim nisi anno 1461, cœpit Parisiensis Senatus ejus meminisse articulo 12. suæ ad Ludovicum XI. Admonitionis, seu cohortationis. *Quia sancti Ludovici tempore cœpere Romani obstrepere electionibus, Edictum à Rege sanctissimo promulgatum est, quo sanxit electiones toto Regno celebrari, &c.* Ejus Pragmaticæ postea quoque innovata est memoria in Comitiis Turonensibus, anno 1483. & in appellatione Universitatis anno 1491. Quoquo se modo res habeat, constat in gestis sanctissimi ejus Regis nihil occurrere, quod possit ansam dedisse ei Pragmaticæ publicandæ, cùm nihil unquam ei causæ, vel negotii fuerit cum Romano Pontifice, vel cum Curia Romana. Denique ne tum temporis quidem allegata est à quoquam, quando dirissima efferbuit dissensio inter Bonifacium VIII. Papam & Philippum Pulchrum Regem; quanquam peropportuna tunc quidem fuisset ejus authoritas.

Cap. 2.

Preuves des Libertez de l'Egl. Gall. c. 15. n. 35. & c. 22. n. 12.

Non à Romana tunc Curia proficiscebantur electionum dissidia, & intemperiæ, sed à laïcorum factionibus tumultuosis, ex quibus extrema vis, cædes etiam quandoque erupere, in Ecclesias Bituricensem, Burdigalensem, Carnotensem, ubi & aliquandiu intermittendæ electiones fuere. Fidem ejus rei facit Canon Concilii Bituricensis anno 1276. ubi præerat Legatus Pontificius, & unde vibrata sunt anathemata in authores facinorum tantorum. *Multitudine populi per iniquitatis filios concitata, in electores impetum faciente, electiones ipsæ in nonnullis Ecclesiis impediuntur totaliter, &c.* Decrevit & alias pœnas hæc Synodus, quæ rursus in Concilio Ausciensi anno 1300. innovandæ fuere adversùs facinorosas easdem grassationes. Jure ergo meritoque Decretales Pontificum Constitutiones, & ipsi mox Decretalium libri ab Episcoporum electionibus populum summoverunt.

Frequentabantur ergo electiones in Cathedralibus Capitulis, quibus ea licentia a Rege fiebat, cui & postea Episcopus electus & confirmatus à Metropolitano, sistebat se, temporalia ab eo Ecclesiæ prædia & domos accepturus, ac vicissim ei præstiturus, vel fidei Sacramentum, vel hominium, pro cujusque & Ecclesiæ & temporis varietate, de qua inferius. Exempla horum complurima coacervata sunt variis in Compilationibus.

Gall. Christ. To. 3. pag. 283. & to. 10. pag. 268.

Matisconense tamen Capitulum eo privilegio ornavit Philippus Augustus, ut Episcopos eligeret non petita etiam Regum licentia, dum electus eis se sisteret, postquam confirmatus fuisset. *Ne propter locorum distantiam damnum aliquod immineret, si Canonici eligere non possent, nisi à nobis prius peterent eligendi licentiam, volumus ut eligant non petita eligendi licentia.* Anno 1290. Vuillelmus Major electus est in Episcopum Andegavensem, impetrata ad eligendum licentia, non solùm Regis, sed etiam Capituli Turonensis, vacante tum Sede Metropolitana. Ea porro fuit electionum conditio ad tempora usque Concilii Basileensis, & Pragmaticæ Sanctionis.

Preuves des Liber. Gall. c. 15. n. 25. 34 36. 37. 38 40. 47. 48. 50. 52. 56. 63.

V. Sed cùm Pontifices Romani à Minorum Beneficiorum ad Episcopatuum quoque Reservationes progressi essent, idque frequentius in dies factitaretur; quæsita sunt monimenta quædam nova firmandis electionibus penè labefactatis. Devolutionis jus ne in controversiam quidem trahi poterat, & eo nominationes Episcopatuum ad Pontificem frequentius quam sibi quisquam fingere possit referebantur. Eo jure Innocentius IV. anno 1245. Episcopum Cabilonensem ad Archiepiscopatum transtulit Vesontionensem: *Cum Ecclesia Bisuntina, quæ diutius Pastore vacaret, fuisset ad nos provisio devoluta.* Eadem de causa idem Pontifex Metropolim Bituricensem Guidoni de Soliaco Dominicanæ familiæ contulit: *Bituricensis Ecclesia per multos annos permansit destituta Pastore, & sic vacando gravia dispendia pertulit.* Nec tunc tantum fiebat devolutio juris ad Pontificem, cùm defixo à Canonibus tempore non expediebatur electio, sed & cum indignum conscii eligebant.

Gall. Christ. To. 2. pag. 129 178.

Istæ sunt nimirum, sive electiones, sive postulationes, rescissæ, aut repulsam passæ, de quibus agebat Benedictus XII. in Extravaganti *ad Regimen*, qua sibi earum tum Ecclesiarum provisionem reservabat, sive Metropoles eæ essent, sive Episcopales sedes, seu quævis alia Beneficia.

Agit & ibi de Depositionibus, quæ eodem referri possunt, ut quæ locum dent Reservationibus Pontificiis. Denique cùm agat & de Resignationibus, recurrere animo debent tot suprà memorati Prælati, qui malebant dignitates ultro abdicare, quam iis mox spoliari.

Anno 1263. Sam-Macloviensi Episcopatu, olim Alethensi, Urbanus IV. Claravallensem Abbatem donavit. Electio celebrata fuerat, sed partitis suffragiis inter Archidiaconum ejus Ecclesiæ & Capellanum Papæ, reque per appellationem ad Romanum Pontificem perlata, cœptis abstitit Papæ Capellanus, nec ambitioso litis anfractu voluit aditum sibi facere ad Episcopatum. *Nolens ambitiosè cum aliquo de Episcopali dignitate contendere, electioni de se taliter factæ non consensit.* Ea sunt verba ipsissima Urbani IV. Papæ Epistolæ ad Abbatem Claravallensem. Abjecit & Archidiaconus quoque spem, litéque destitit nimis diuturna, ne viduitatem Ecclesiæ protraheret diutius, *volens magis Ecclesiæ commodis, quam propriæ utilitati consulere.* Admisit Papa resignationem Archidiaconi, Abbatem autem Claravallensem, & imperiosa vi obedientiæ, & authoritate Cisterciensis Abbatis Pontificiis Mandatis accumulata, coëgit acquiescere Episcopali ejus Ecclesiæ sarcinæ. Non alius inter Romanos Pontifices sanctitatis fama clarior fuit hoc Urbano; & sanè nihil non hîc animi magnitudinem & sanctimoniam spirat. Et tamen San-Macloviensis Ecclesia suo electionis jure fraudabatur.

Nomast. Cisterc. pag. 389.

Capitulorum dissensionibus, electionum pravitatibus creberrimis invitabantur, cogebantur etiam non rarò Pontifices, ut Ecclesiis viduatis ipsi providerent. Cùm Capitulum Remense elegisset, immo postulasset Episcopum Bellnvacensem, sed turbantibus & contradicentibus multis, irritavit postulationem eam Innocentius III. & gratificari Capitulo volens potestatem reddidit eligendi, ut narrat ipsemet in Epistola quadam: *Postulationem exigente justitia repellentes, de gratia vobis electionem liberam duximus concedendam.* Mandavit autem eodem ipso tempore Episcopo Altisiodorensi, Abbati de Porsenia, & Canonico Noviodunensi cuidam, ut nisi intra mensem à Capitulo electus esset Metropolitanus, ipsi nominarent. Alteram ad electionem processit Capitulum, quam aliquantò plura dissidia flagitiaque deturparont. Itaque ei Ecclesiæ conducibile fore visum est Pontifici, adeoque & necessarium, ne diuturniori permitteretur tempestati, ut ipsemet ei provideret, nominato ad eam dignitatem Gallicanæ gentis homine, qui tum Cisterciensem regebat Abbatiam, postea ad Cardinalatum, & ad Prænestinæ Ecclesiæ regimen provectus fuit. *Ne si denuo restitueremus vobis licentiam eligendi, denuo Apostolica Sedis licentia abutentes, Remensem scinderetis Ecclesiam.*

Gall Christ. Tom. 1. pag. 520.

De Perseigne.

VI. Benedictus XII. ut alibi demonstratum est à nobis, Beneficia conferebat tam religiosè, tam accommodatè ad regulas pietatis, ab omni cupiditatum contagio defæcatissimæ, ut ne optari quidem vel fingi quidquam possit religiosius. Et ille tamen publicata anno 1335. Decretali *ad regimen* Apostolicæ Sedi reservavit innumera protsus Beneficia. Ea nimirum quæ vacarent *in Curia*, qua demum cumque ratione ibi vacarent, vel obitu, vel depositione, translatione, resignatione. Quæ vacarent interitu Cardinalium, vel Officialium Curiæ Romanæ. Quæ vacarent provisione Prælaturæ, quam Pontifex contulerit. Regulæ Cancellariæ reservarunt nominationi Pontificum Episcopatus & Abbatias orbis Christiani omnes, quorum reditus majores essent ducentis florenis; primas omnes Cathedralium Dignitates, Episcopatu inferiores, primas omnes Dignitates Collegialium Ecclesiarum, Prioratus, aliasque Dignitates Conventuales. Ex translatione Sedis & Curiæ Romanæ in civitatem & Ecclesiam Avenionensem Reservationibus his omnibus non excusatio tantùm parabatur, sed & perspicua quædam necessitas providendi Curiæ Romanæ & sustentandi sacri Collegii. Accedebat & alia gravissima necessitas ex electionum corruptissima jam disciplina. Non siluimus alibi quæ tentata sint in Gallia, Hispania, Anglia, ut novæ huic Beneficiorum disciplinæ gliscenti occurreretur: sed & ostensum ibidem est, id eò factum esse, quòd jam nec mala ferre nostra possemus, nec malorum remedia. Curiæ Romanæ provisionibus obstrepebant persæpè Principes, mox & ipsi in societatem emolumenti veniebant; ita non magnopere obluctabantur consuetudini novæ quidem, sed sibi compendiosæ.

Electi Pontifices resignabant quandoque Episcopatus suos in manus Papæ, occultis de causis, à quo mox iisdem restituebantur. Ita Bonifacius VIII. Robertum de Courtenai restituit assensu Cardinalium Metropoli Remensi, ad quam electus fuerat, & quam in Pontificis manus resignarat. Diximus jam sæpiùs de resignationibus frequentissimis Episcoporum, ut Ecclesiæ, ut sibi consulerent. Sed nec illud tacuimus, ea fuisse quasi præludia posterioris disciplinæ, quæ Episcopatuum pene omnium provisiones Romanæ Sedi erat aliquando vendicatura.

Rainald. ann. 1299. n. 24.

A Continuatore Nangii proditum est anno 1330. translatos esse à Pontifice Archiepiscopos Senonensem & Bituricensem, & Episcopum Abrincatensem in alias sedes, donatos esse ab eodem Episcopatus Noviomensem & Abrincatensem. Ut ea animi sententia procederent hæ sive translationes, sive collationes Sedium, eblandiendus erat Principum assensus, ac proinde vicissim illis commodandum in multis erat. Ita fiebat ut Principes his Disciplinæ innovationibus, aut nequaquam, aut simulatè, ideoque non diu reniterentur.

Qui in Curia obibant Episcopi, successores non habuere, nisi quos Sedes Apostolica nominasset, ex quo Bonifacius VIII. ea reservavit Beneficia omnia quæ in Curia vacarent. Nominavit Bonifacius ad Episcopatum Tolosanum Ludovicum, illum virtutibus & sanctimonia clariorem, quàm Regia apud Gallos prosapia; diplomate suo contestatus non alio se eas Ecclesias Sedi Petri reservare consilio, aut fructu, quàm ut eas viris commendaret præstantissimis, & Ecclesiam novo gloriæ cumulo illustraturis. Contulit idem Bonifacius & Episcopatum Mimatensem Guillelmo Durando, qui in Curia Romana vacaverat perinde ut Tolosanos. Diximus alibi confessum esse ipsummet datos à se fuisse extraneis Archiepiscopatum Bituricensem & Episcopatum Attrebatensem: cæterùm qui viris eruditione & pietate maximè conspicuis. Eorum alter erat celebratissimus Augustinus de Roma.

Hist. Univ. Paris. To 3. pag. 515. 517 To. 4. Pag. 28 30.

Quod mox emersit schisma Avenionense, vel justiores attulit causas vel prætextus probabiliores, utrisque hinc & hinc Pontificibus, ut Episcopatus passim partium suarum hominibus donarent, quanquam jam illæ ipsæ Ecclesiæ suos haberent, sed non illis partibus addictos Episcopos. Ei calamitati indoluere Concilii Constantiensis Patres, & in Ecclesia quidem Bajocensi mederi studuerunt, prohibito Capitulo ne faceret, prohibito & Metropolitano ne novam confirmaret electionem, dum unius facta sponsi Ecclesia, eo viduaretur.

Sess. 32.

Confirmatum à nobis est, ut Ecclesia Gallicana in Conventus Generales semper coierit ante & post Concilium Constantiense, quo electiones Prælatorum in integrum restitueret, & aliorum quorumlibet Beneficiorum vel electiones, vel collationes liberas. Vani cecidere conatus hi omnes, aut brevi emarcuit eorum fructus. Spes fuerat & à Concilio Constantiensi, & à Martino Papa V. redintegratum iri antiquam seu electionum, seu collationum & nominationum libertatem. Sed ea quoque fefellit spes. Demonstratum est à nobis Clericos pios, doctos & pauperes, ipsas etiam Universitates amarulentissimè expostulasse, de Ordinariis Beneficia præposterè dispensantibus, per ea subinde intervalla, quibus tota ea potestas ad eos revocabatur: nec enim tum magis sibi consuli, quàm cùm omnia sibi Pontifices reservarent. Quod Constantiensis Concilii Patres non attigerant ferè, Basileenses animosiùs aggressi sunt; sed cùm ei Concilio repugnarent complures Ecclesiæ Occidentalis Provinciæ, non is ex eo fructus qui sperabatur existere potuit. Cùm Gallicana ipsa Ecclesia Eugenio IV. adhæresceret, Basileensibus infesto, ipsi vicissim infestis: & cùm Basileensia Decreta in Pragmaticam sanctionem suam non admisisset, nisi compluribus modis & limitibus circumcisa, facilè hinc intelligitur eum rerum statum diuturnum esse non po-

tuisse. Germanicis Concordatis superstites sospitesque sunt electiones complures, sed earum, qui ignari conscuque sunt, non facilè desiderio tangentur.

VII. Verùm iis etiam locis & temporibus, quibus per Concilium Basileense & per Pragmaticam Sanctionem restitutæ fuerant electiones, & antiquæ libertati redditæ: per Pontifices nihilominus & Reges frequentissimè Episcopi dati sunt Ecclesiis, seu conspirarent illi, seu alteruis sibi gratificarentur. Carolus ipse VII. Rex Pragmaticæ Sanctionis author & parens, illud à Callisto III. Papa pervicerat, ut Tornacensem sibi Episcopatum reservaret, Regio cuidam ministro conferendum. Callisto mortuo Rex successorem ejus Pium II. eadem de re interpellavit. Dux Burgundiæ Pium non segniùs urgebat, ut sibi potiùs eum Episcopatum reservatum vellet, quòd ejus portio longè maxima suæ ditionis esset. Utrique spondebat Papa se obsecuturum, ubi vacasset ea Ecclesia. Rex Cardinalem Coustantiensem, Dux Episcopum Tullensem Tornacensi sedi intrudere meditabatur. Pontifex solenniter profitebatur, nemini se unquam Ecclesias nondum vacantes desponsurum. Interim Tornacensis & Tullensis Episcopi, rationibus iis adducti, quas ipsi quidem Canonicis regulis consentaneas interpretabantur, Episcopatus permutarunt, annuente & confirmante Papa, Cardinalium Consistorio approbante. Vita excessit Tornacensis, nondum executioni mandata Episcopatuum permutatione. Pontifex de consilio Cardinalium Tullensem Episcopum Tornacensem in Ecclesiam transtulit. Hactenus ex Pii litteris ad Regem, quem & illud monebat, Si Carolus Magnus & Otto privilegiis quibusdam amplioribus donati fuerant, cessante Ecclesiæ necessitate & illa quoque cessasse: non posse autem Gallias Pragmaticæ satis tutò adhærescere, ut in qua Conciliorum Canones sine authoritate legitima truncati & interpolati sint. *Nam etsi Decreta aliquorum Conciliorum inserta sunt, & Pontificum sanctiones, nihil tamen ita repertum est, ut promulgatum fuit, sed vel additiones facta sunt, vel mutilationes, quod Prælatis tui regni facere haudquaquam licuit, & sine damno animarum suarum illis uti non possunt.* Addit Pius Caroli Regis Majores persimilem Pragmaticam meditatos fuisse, sed ipsosmet eam silentio oppressisse, conscios sine consensu Sedis Apostolicæ stare & vigere eam non posse. *Tui aliquando antecessores Pragmaticam fermè similem ordinaverunt; videntes id sine Apostolica Sede facere non posse, abstinuerunt.* Conqueritur denique Pontifex, quòd cùm Eugenius IV. Nicolaus V. & Callistus III. Regiam majestatem precibus fatigarint, ut Pragmaticam revocaret, ad eorum preces Rex obsurduerit. Cessit tandem piissimus Rex provisioni Pontificiæ ad Ecclesiam Tornacensem.

Æneas Sylv. Epist. 375.

Illud quoque à Jacobo Cardinali Papiensi refertur, Carolum eundem Regem ab Eugenio IV. Archiepiscopatum poposcisse, quo ornaretur vir nobilis nondum idonea ætate; stupuisse autem & doluisse quòd voti compos factus esset, annuente Pontifice. Quo factum est, ut & suam damnaret Rex indulgentiam ac mollitiem, qui præter fas exoratus ab importunia hominibus, præter spem exorasset Pontificem. *Intercessi, sed non credidi concessum hoc iri.*

Cardin. Papien. Epist. 180.

Anno 1446. idem Rex eundem Pontificem Eugenium IV. enixissimè interpellavit, ut Metropoli Bituricensi donaret Joannem Cœur, famosissimi illius Jacobi Cœur Thesaurarii sui filium, propterea quòd plurima in eo Archiepiscopatu castra juris & ditionis suæ haberet. *Supplico Sanctitati vestræ ut eum præficere dignetur ad ipsum Archiepiscopatum.* Denique post canonicam electionem Meldensis Episcopi exorandus fuit Regi idem Pontifex, ne cui alteri eandem Sedem conferret.

Spicil. To. 7. pag. 285. 293.

Si Carolus VII. qui tantopere exarserat ad Pragmaticam moliendam ac promulgandam, ipsemet tamen Pontifices hortabatur, ut Episcopales Ecclesias, & necdum vacantes sibi reservarent, & vacantes fidissimis sibi ministris conferrent: quid de Ludovico XI. existimabimus, qui Pragmaticam aliquando abrogavit? Anno 1475. Sixtus IV. per litteras Ludovicum hunc Regem certiorem fecit, Episcopatum quidem Laudunensem à se collatum esse ei quem Rex nominasset; at Beneficia novi hujus Episcopi Episcopo Vasionensi se contulisse, Referendario suo. Pleraque Galliæ Beneficia per sese vel per Legatos suos Sixtus IV. donavit, adeo ut Carolus VIII. in regnum Ludovico XI. parenti suo succedens, à Cardinali Balua Legato ejus, & ab ipso appellari curarit. Sed idem ipse Carolus VIII ab Innocentio VIII Papa plurima expressit Rescripta anno 1486. & 1487. quibus Papa Episcopatum sibi Bellovacensem reservabat, ei quem Rex cuperet donandum. Ea Rescripta Capitulo Bellovacensi significata fuere, non sine fulminum comminationibus, si ad electionem pergeretur. Capitulo & ante & post Episcopi obitum renuntiavit Rex voluntatem suam. Nec his tamen repagulis cohiberi potuit Capituli zelus intrepidus, quin Episcopum sibi eligeret Ludovicum de Villers de l'Isle-Adam, qui anno 1488. confirmationem petiturus ad Remensem accessit Archiepiscopum. Quem Rex designabat, is ad Senatum provocavit Parisiensem, à quo pronuntiatum est secundùm eum quem Capitulum elegerat. Cessit tunc quidem junior Rex; at nemo non facilè suspicatur cum ætate adolevisse & authoritatis volantatisque suæ roborandæ cupidinem.

Hist. Univ. Paris. To. 5. p. 761. 763.

Preuves des Liber. de l'Egl. Gall. c. 15. n. 70. 72. 73.

Inde est quòd anno 1493. Senatus Parisiensis hæc ad eum peroravit, *Omnia electiva Regni Beneficia, Metropoles, Episcopatus, Abbatias Pastoribus orbari & gemere, propterea quod simul ac vacarent Ecclesiæ, eas Pontifices conferrent, nec electionibus locus daretur.* Quo eodem anno Pontificem Rex ipse commonefecit, *Concordatis olim initis inter Pontifices Romanos & Reges Galliæ, Juri canonico adprimè consentaneis, sancitum esse, ut ne possit Papa conferre Beneficia electiva, ubi vacarunt in Regno, nisi de Regis consensu, & oriundo ex ipsa Gallia.* Innocentium VIII. à se sæpiùs compellatum, ut Episcopatum Andegavensem qui Romæ vacarat, conferret Doctori Theologo, qui sibi à Confessionibus erat; quòd cùm ea tempestate Angli numerosissimo exercitu Armoricam insiderent, sua permagni interesset, ut apud Andes Episcopum haberet sibi fide & nexu conjunctissimum: nominatum tamen ab Innocentio VIII. fuisse Italum quendam; sed à Capitulo Andegavensi electum ex adverso fuisse Doctorem illum, quem à Confessionibus habebat, eumque ex Juris canonici norma confirmari se fecisse ab Archiepiscopo Turonensi: denique cùm causa verteretur Episcopatûs positi in finibus Regni, referre mirum quantum, ut quamprimùm Papa Bullas expediret, mitteretque ei, quem Rex & Capitulum delegissent.

Ibidem.

Anno 1509. Ludovicus XII. Rex & Julius II. Papa dissentire & dissidere cœperunt, ea occasione,

Rainal. an. 1509. n. 2. quod Papa Episcopatu Avenionensi hominem donasset, à quo Regia animus alienatus esset. Vicissim prohibitum est à Rege, ne quibus Papa Episcopatus, vel Cœnobia contulerat, eorum possessionem vel inire possent, vel tueri. Animadversum ab aliis est jam inde ab anno 1514. Leonem X. Papam & *Hist. Univ. Paris t. 6. pag 61. 71.* Franciscum I. Regem clam consentire sibi mutuò cœpisse, ad abrogationem Pragmaticæ, & ad donandos Episcopatus.

VIII. Nec pluribus opus est, ut constet ante Pragmaticæ abrogationem in Concilio Lateranensi V. factam electiones jam ferè toto Regno abrogatas fuisse; & ante edita ac confirmata in eodem Lateranensi Concilio Concordata Gallicana, provisum jamdiu fuisse Beneficiis eadem propemodum ratione, quam Concordata præscripserunt, quoad Beneficia electiva. Efficaces plerumque erant Regum preces, vel apud Pontificem, qui vicissim Episcopatus reservabat & conferebat; vel apud Capitula, quæ suis electionibus aliquid hinc etiam præsidii fore sperabant, & libertatis umbram saltem aliquam, si quos Rex commendaret, hos elegissent. A Petro de Marca præstantissimè observatum est, præter clancularias, vel apertas factiones & artes, ipsas Regum preces impertosas tantum non vim attulisse electionibus, adeo ut Guillelmo Benedicti visum sit, Regias preces imperii vim obtinere debere apud eligentes. *Marca. De Concord. L. 6. c. 9. n. 12. 13.* *Electiones sane Capitulorum ambitu fiebant, eisque persæpè vim inferebant Regum preces à Pragmatica Sanctione approbata. Adeo ut Guillelmus Benedicti, celeberrimus illa ætate Jurisconsultus, affirmet preces illas habuisse & habere debuisse vim imperii apud Canonicos electores.*

Nec dissimulat illustrissimus idem & consultissimus vir, quantas in ambages, & inexplicabiles nodos conjecisset Gallos Pragmatica. Electiones enim litigiosæ Romam adhuc referebantur; & ubi *Ibidem.* electus minùs idoneus probabatur, *id quod sæpè eveniebat*, Beneficium à Papa conferebatur. Electiones Metropolitanorum à Papa confirmandæ adhuc erant, mittendumque *Pallium*: facilè autem hæc ille abnuebat, exacerbatus nostra retinendæ Pragmaticæ constantia. Ne Episcopos quidem ferè ordinare audebant Metropolitani, nisi eorum electio à Papa confirmata fuisset, propter eas quæ alioqui ebulliebant interminabiles lites. Concordatis lites eæ omnes conticuerunt, Papæ permissa potestas confirmandi Episcopos à Regibus nominatos, sicut ante Pragmaticam certissimè utebatur jure confirmandi electiones Episcopales. *Nominationis jus sic conceditur Principi, ut ad summum Pontificem pertineat confirmatio electionum, qua potiebatur absque ulla controversia ante Pragmaticam Sanctionem editam.*

CAPUT XXXIV. *P. 4. l. 2. c. 42.*

Electionum series Historica in Anglia post annum Christi millesimum.

I. Forma electionum in Anglia sub Vuillelmo Notho. Quantum in ea ipse posset. Quàm religiosè ea potestate uteretur, illæsa Cleri & Populi suffragiorum libertate.

II. Novum argumentum ejusdem Concordiæ, publicæ libertatis electionum, & Regiæ simul authoritatis.

III. De electionibus sub Rege Vuillelmo Rufo. Labefactata libertas.

IV. De electionibus sub Henrico I. restituta libertate, dominatu abolitisque investituris. Observantur aliqua in Ecclesiæ disciplinam irrepentia, præsertim quam diu toleraffet.

V. Rursum aliqua libertas electionum: Rege, Episcopis, Magnatibus, Clerique & Populi suffragiis ferè comprimentibus, maximè sub Henrico II. usque ad tempora martyrii Thomæ Cantuariensis.

VI. Sub regno Richardi & Joannis sine Terra, nihilo liberiores fuere electiones. De Episcoporum præsentia & jure in electionibus Metropolitanorum.

VII. De electionibus sub Rege Henrico III. diu obtrita libertas.

VIII. Rursum in eas libertatis oppressæ calamitates aliqua observantur.

IX. De electionibus in Scotia.

X. De electionibus in Hibernia.

XI. Rursum de Anglicanis electionibus. De reservationibus Pontificum sub Rege Eduardo II.

XII. De electionibus & reservationibus sub Eduardo III.

XIII. Series continuata electionum, sæviente Avenionensi schismate, & ante sedentibus Avenione Pontificibus.

I. CUm ab annis amplius sexcentis nonnisi Francicæ originis Principes in Anglia regnarint: qui & plurimarum interim Galliæ Provinciarum antiqua ditione gauderent, earumque contemplatione Galliæ Regibus fide & hominio constringerentur: inde profectò manavit tanta utriusque Ecclesiæ in Disciplina etiam electionum consensio: ut non possit non plurimum lucis ex hac in illam refundi.

Qui beati Lanfranci vitam litteris consignavit, illum perhibet diutius reluctatum, ne ex Abbatia Cadomensi sua in Metropolitanam Rotomagensem transferretur sedem, ad quam Cleri & Populi suffragatione vocabatur. Tum verò Vuillelmum Regem *Vita Lanfr. c. 5. 6.* precibus suis egisse apud Pontificū ut eò illum transferret, quem paulò antè creaverat Episcopum Abrincatensem. Non multò pòst, nimirum anno 1070. habitum est Concilium ad Castrum Regium Vindsorium, ubi Rex qui ei præerat, Legati Pontificii, & Episcopi elegerunt eundem Lanfrancum in Archiepiscopum Cantuariensem. Renitebatur ille quidem, sed non potuit tandem non concedere Regi, vim facienti. Unus Legatorum legem illi & necessitatem imposuit obediendi. *Denuncians ei in Concilio Episcoporum & Abbatum Normaniæ petitionem Regis, simulque voluntatem suam & reliquorum sedis Apostolicæ Legatorum, &c.* Coactus ergo cessit authoritati Legatorum Pontificis, & Optimatum Neustriæ. *Apostolica authoritate, & Optimatum Normanniæ assensu.*

Episcopi complures eo in Concilio discincti, graduque dejecti sunt, ut vacuas in eorum Ecclesias subirent, qui novo Regi fide & antiqua origine devinctiores essent. Inter eos qui solio excidebant, fuit B. Vulstanus Vorcestrensis Episcopus, à quo & Episcopalis Baculus sepulcro sanctissimi Regis Eduardi restitutus est, utpote à quo se institutum fuisse profitebatur. Simul autem ea fulgurarunt in eo sanctitatis insignia, ut à Rege & Lanfranco cogeretur Baculum rursus & Episcopatum recipere.

Concilium in Anglia habitum anno 1072. dissidia inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos componere cupiens, constituit ut Eboracensis *accepto à Rege Archiepiscopatus dono*, à Cantuariensi ordinaretur. Alexandrum II. Papam per litteras certiorem fecit Lanfrancus, Hermanum Angliæ Episcopum, Monastici otii & secessus sanctioris cupidissimum, jamdiu resignaturum fuisse Regi Ecclesiam suam, nisi ipse intercessisset. *Nisi ego censura* *Epist. 2.* *Canonica obstitissem, jam pridem Regi Episcopatum reddidisset.*

Consuluit & eundem Pontificem de alio Episcopo, qui conscientiam gestans gravissimis flagitiis inquinatam, nec volens Concilii Canonicum subire judicium,

judicium, à Legatis Pontificiis excommunicari maluerat, Episcopatumque Regi resignarat, cui ferebantur Legati permisisse, ut alium eligeret. *Legati vestri eum excommunicaverunt, Regique substituendi successorem, ut dicitur, licentiam concesserunt, &c. Regi in conspectu Episcoporum & Laicorum Episcopatum reddidit.* Subdit denique se in Angliam nuper advenisse, & necdum ausum esse, cedenti ei Episcopo alium subrogare, donec Pontificiis litteris edoceatur, quid sibi gerendum sit.

Eadem pene ratione Vuillelmus hic perdomitæ primum Angliæ gloria celebratissimus, Episcopatus Normanniæ conferebat, antequam in Angliam excenderet. Nec sa illi quisquam adversarium objiciebat, quòd à tota ejus authoritas & vis unonimid conniteretur, ut clarissimos quosque virtutibus & doctrina viros Episcopalibus ubique sedibus ioveberet. Hoc illum encomio exornat Scriptor ejus vitæ, cùm Episcopos Lexoviensem, & Abrincatensem nominasset. *Quorum in electione penes judicium ejus probitas ipsorum valuit.* Eadem illum authoritate donat Vuillelmus Gemmeticensis, de Episcopatu Bajocensi agens, quo fratrem suum ornavit. *Dux præfatum Episcopatum Odoni fratri suo commendavit.* Cùm Maugerius Rotomagensis Archiepiscopus Ecclesiam illi suam reddidisset, eam Monacho Fiscanensi contulit in Concilio Provinciali. *Archipræsulatum Duci reddidit, ' Tunc Synodi decreto Metropolitanam sedem Maurilio Fiscanensi Monacho multis virtutibus excellenti tradidit.*

Script. Norman. p. 195. 208. 275. 281.

II. Quantacumque videri possit ea potestas Vuillelmi, Ducem in Normannia, Regem in Anglia agentis; electiones omnes istæ tesseram adhuc præ se ferebant antiquissimæ libertatis. Vide ut Ordericus id declaret in describenda priori Lanfranci electione in Archiepiscopum Rotomagensem: *Ecclesia Rotomagensis Lanfrancum Præsulem elegit, Rex Guillelmus cum Optimatibus suis omnique populo libentissimè concessit.* Vides electionem à Capitulo fieri, consensu Regis, Magnatum, & populi firmari. Abnuit tunc Lanfrancus, eique suffecto Episcopo Abrincatensi, Abrincatensi Ecclesiæ Pastor assignatus est *electione canonica.*

An. 1067.

Ibidem pag. 507.

Ne fingi quidem quidquam amplius potest, aut magnificentius ad illustrandam Vuillelmi hujus memoriam eo encomio, quod illi lucubravit idem Scriptor, Nihil carius, nihil antiquius eum habuisse, quam ut Ecclesiæ præstantissimos Pastores præficeret: convocasse Episcopos, Abbates, & quidquid erat pietate, & sapientia præcellentium virorum, quoties vacanti Ecclesiæ dignus præponendus erat Pastor; easque semper dignitates iis contulisse, qui religione, qui prudentia, qui morum innocentia cæteris eminerent: nihili fecisse munera, opes, nobilitatem; totum posuisse in Innocentia, in sapientia, & sanctitate vitæ, per annos quinquaginta sex, quibus Normanniam Angliamve administravit. *Multimoda honestatis studio in multis Rex Guillelmus laudabilis claruit; maximèque in ministris Dei veram religionem semper amavit. Nam cum Pastor quilibet completo vitæ suæ termino de mundo migraret, sollicitus Princeps Præsules, & Abbates, aliosque sapientes Consiliarios convocabat, & eorum consilio quis melior & utilior, tam in divinis rebus, quam in secularibus ad regendam Dei domum videretur, summopere indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito & sapientiæ doctrina provisio sapientum eligebat, benevolus Rex dispensatorem & rectorem Episcopatus vel Abbatiæ constituebat. Hanc nimirum observationem quinquaginta sex annis custodivit, quibus regimen in Ducatu Normanniæ, seu regno Angliæ tenuit. Et inde religiosum morem & exemplum posteris dereliquit. Simoniacam hæresim omnimodis abhorrebat, & ideo in eligendis Abbatibus & Episcopis, non tam opes, seu potentiam, quàm sanctitatem & sapientiam personarum considerabat.*

Ibid. p. 516

Encomii hujus Scriptori erat certissimè persuasissimum, minimè controversiam faciendam esse Regibus de ea quam sibi sumunt in rebus etiam hujusmodi potestate, quandiu ea utuntur ea religione, prudentia, & obtemperantia in Conciliorum Canones, ac Disciplinæ Ecclesiasticæ charitate, qua Vuillelmus iste Rex. Ideo & ab eo subjicitur sub ejus regno restoruisse pietatem & observantiam Regularem in omnibus Angliæ Cœnobiis. Lanfrancus ex Cadomensi Abbate Cantuariensem ad regendam Ecclesiam adscitus est, *Regis & omnium Optimatum ejus benevola electione.* Qui in Cadomensi Abbatia Lanfranco successit, nono pòst anno Rotomagensi Metropoli donatus est ab eodem Rege: *Rex ad regendam Metropolim provexit.*

Ibidem. pag. 519. 520. 528. 531.

Pullimus quidem Neustriæ Monachus, nomine Guimundus, non repudiavit tantum Episcopatus, quos ei Rex in Anglia largiebatur; sed & mira prorsus fiducia illi occinuit, cùm Angliam armis & vi invasisset, quando ejus Episcopales sedes distribuebat, non ea jam dona esse, sed prædæ partes in quam involasset: porro nullas per leges licere, populis vi oppressis Pastores ex potestate imponere magis, quam præponere. *Videte si qua lege sancitur, ut Dominico gregi Pastor ab inimicis electus imponatur violenter.* Sed cùm iis verbis adeo non exasperatus sit Rex, ut in admirationem iam eximiæ constantiæ adductus, pro virili sua parte connixus sit, ut ad Rotomagensem Ecclesiam electione canonica illum promoveret, hinc meritò cogimur non paulò plus mirari Regis moderationem, quàm sanctissimi etiam Monachi animi magnitudinem; & ejusmodi Principem facilè persuadebimus Ecclesiasticas dignitates ea qua dictum est integritate dispensasse.

Ejus rei suppetunt & alia argumenta. Cenomanensi Episcopo hinc migrante, statuit Vuillelmus eo Episcopatu unum suis è Capellanis donare, quod ea civitas frequentibus tumultuationibus, rebellionibus & cædibus conterereretur. Tam sancto oneri succedere omnino detrectavit is Capellanus, contestatus non eam fuisse superioris suæ vitæ integritatem & innocentiam, quam Paulus in Præsulibus creandis desideravit: sed Clericum Capellæ Regiæ indicavit, specie quidem prorsus despicabilem, verùm virtute & religione numeris suis omnibus absolutissima. Incunctanter Rex Episcopatu illum exornavit, nec dissensit Clerus. *Clericum ad se accersiit Rex, eique curam & seculare jus Cenomanensis Episcopatus commisit. Decretum Regis Clero insinuatum est, & præfati Clerici bona vita testimonium ab his qui noverant ventilatum est. Pro tam pura & simplici electione devota laus à fidelibus Deo reddita est.* Vides nominationi Regiæ, utcumque cohærere electionem Cleri & populi assensum; sed in eo versabatur rei cardo, quod & Clerus & Populus de assensu, de testimonio suo, de libertate electionis incuriosus, in sollicitudine Regis pervigili dignissimos conquirendi Episcopos totus conquiescebat. Erant & forsan adhuc nonnullæ electiones prisco more omnino liberæ, cùm idem Scriptor ad annum 1079. dicat Archiepiscopum Rotomagensem *canonicè electum fuisse*...

III. Successit in Regnum quidem filius Vuillelmi Vuillelmus Ruffus, sed virtutum & religionis ejus prorsus expers & degener. *Pastores Ecclesiis imponere differebat*, quò earum reditus in suum fiscum converteret. Germanus ejus Dux Normanniæ multò laudabiliùs, si modò Episcopatus omnes eadem integritate dispensabat, qua concessum ab eo Sagiensem memorat idem Ordericus, post electionem factam in Concilio Provinciali: *Archiepiscopus Synodum Episcoporum & Abbatum apud Rotomagum congregavit, & cum Duce Roberto, suffraganeisque Præsulibus de Sagiensi Præsulatu tractare cœpit, tandem finita consultu elegit Serlonem, Uticensium Rectorem, eique Episcopatum renitenti commisit.*

Script. Nor. p. 679. 697 Ann. 1089.

Anno 1091.

Redeo ad Vuillelmum Ruffum Regem Angliæ, qui Episcopatus plerumque dabat Capellanis suis, vel ambitiosulis Aulicis, qui quas antè habuerant Præposituras, cum Episcopatu retinuerunt, effrænı quadam cupiditate & avaritia. *Sic utique Capellani Regis & amici Præsulatus Angliæ adepti sunt, & nonnulli ex his Præposituras, ad opprimendos inopes, sibique augendas opes nihilominus tenuerunt.* Nec abjudicanda fides est Orderico eidem, aienti complures Præsules tam obliquo tramite in Episcopatum ingressos, dedecus illud initiorum suorum eluisse postea, virtutum verè Episcopalium incredibili quodam fervore. Quanquam enim ambitio ejusmodi homines, vel avaritia transversos primùm agat, probrosis artibus ad Episcopatum grassantes: illa tamen Numinis providentia, quæ malè fieri non sinit, nisi ut de malis ipse faciat bene, pleniorem in eosdem persæpè gratiarum infundit ubertatem & copiam, ut salus Pastoris donetur ovibus, ab eodem ad æternam salutem promovendis. *Plerumque leves & indocti eliguntur ad regimen Ecclesiæ tenendum, &c. Quibus ita promotis clemens Deus parcit, ac miseretur, & cœlestis sophia per eos luce Dei domus illuminatur, & inutilibus studiis plures salvantur.*

Ibid. p. 764

Diuturnæ maximè orbitati Ecclesiæ Cantuariensis, communis omnium parentis, ingemiscebant omnes Angliæ Antistites. Cùm eorum precibus non molliretur Regis animus, qui sese ipsum esse Archiepiscopum Cantuariensem dictitabat; obtestati sunt tandem ipsum, ut sineret publicas toto Regno fundi ad Deum preces, quò illi voluntas creandi Archiepiscopi divinitus inspiraretur. Quam preces non inflectebant contumaciam, fregit gravissimus morbus; permisitque tum Rex Episcopis, ut de eligendo Archiepiscopo in Consilium irent. *In Episcopos ejus rei considerationem transmittunt.* Maluerunt Episcopi ejus voluntati rem committere. *Transfunditur tamen in eum consultationis dignatio, pronisque mentibus in assensum Regium pendetur, ut quem ipse dignum pronuntiaret, cuncti profectò susciperent.* Tunc enimvero Rex nominavit Anselmum, cui paulò antè confessus fuerat. Optatissimum id fuit Episcopis, solus Anselmus renisus est, ætatis & ægritudinis excusatione utens, affirmansque non sibi magis & Regi convenire posse in Angliæ administratione, quàm si bos indomitus & ovis effœta & emarcida ad currum vel ad aratrum conjugarentur. *Velle illos dissonantia facere, ut aratrum sanctæ Ecclesiæ, quod in Anglia duo boves validi & pari fortitudine ad bonum certantes, id est Rex & Archiepiscopus Cantuariensis debeant trahere, nunc ove vetula cum tauro indomito jugata, distorqueatur à recto.* Vis tandem ab Episcopis ei allata est, ut pedum manui ejus insereretur.

Malmesbur. De Gestis Pont. Angl. lib. 1.

Anselm. L. 3 Ep. 2. 3

IV. Quod præsagiebat Anselmus, eventus mox comprobavit. Illico Regem inter & ipsum dissensiones exarsere, cùm nil remitteret Rex de servitutibus & oneribus Ecclesiæ inflictis. Nec multò feliciùs cessit Anselmo apud Ruffi Regis fratrem & successorem Henricum I. maximè verò postquam proscriptæ sunt à Romanis Pontificibus Investituræ Episcopatuum & Abbatiarum, quas Reges dabant. Postremò tamen Rex morigerum se Ecclesiæ præbuit, investituris renuntiavit & nominationibus Regiis, restitutis in integrum electionibus. Audiendus hic Edinerus in vita Anselmi. *Adunatis in Palatio Regis Londini cunctis Primoribus Angliæ, victoriam de libertate Ecclesiæ, pro qua diu laboraverat, Anselmus adeptus est. Rex enim Antecessorum suorum usu relicto, nec personas, quæ in regimen Ecclesiarum sumebantur, per se elegit, nec eas per dationem virgæ Pastoralis investivit.* Possent ex Epistolis Anselmi plura ejusdem rei hîc accumulari argumenta. Rem abundè elucidat unus hic Edineri contextus.

Ediner. L. 4.

Anselm. L. 3. Ep. 126. L. 4. Ep. 2.

Hinc porrò multa colliguntur, ex quibus plurimùm omnino Disciplina electionum illuminetur. 1. Quanquam investituræ præire deberet ex Juris norma electio, ab hoc tamen exemplo, & ex innumeris aliis patet, non ferè solitos Principes investituras dare, nisi quibus & Episcopatus dedissent. 2. Ita quanquam ex Ivone investituræ tolerari potuissent, ut quæ æternæ legi non adversarentur: consultissimum tamen Ecclesiæ visum est eas aboleri, quòd ex eis pernicies electionibus crearetur. 3. Et cùm tamen non spectet electionum libertas, quàm ut perquam optimi Pastores Ecclesiæ præficerentur, quandiu Reges eos vel nominarunt, vel investierunt Episcopos, quorum pietas & doctrina dignitati tantæ responderet: lubens passa est Ecclesia eos uti seu privilegio, seu consuetudine, quæ investituris authoritatem conciliabat. Ottones Imperatores & Vuillelmus Angliæ debellator impunè & suffragante Ecclesia eo jure usi sunt, quia cum laude, & ad pietatis incrementum. At qui successere, vel Imperatores Germaniæ, vel Angliæ Reges, ea excussi sunt potestate, quæ Laïcis non congrueret, & quam jam non excusaret usus cum pietate & Ecclesiæ utilitate conjunctus. 4. Quanquam dilucidum esset, vos seu Reges, seu Imperatores Episcopales & Abbatiales donasse Ecclesias, assensus tamen & congratulatio Ecclesiæ has nominationes suadebat pro electionibus haberi, ut quæ in decus & incrementum cederent religionis & pietatis. Vide ut de sua provectione ad Cantuariensem Ecclesiam ad Anselmum ipsum scriptum sit: *Quod generalis vel omnium, vel certè quam multo maximè plurium, & eorum sapientissimorum, Deo placere clamat, solus tu displicere contendis, &c. Te quem divina vocavit electio, &c. Dei inenarrabili potentia operante, dedit dominus noster Rex Anglorum, consilio & rogatu Principum suorum, Cleri quoque & populi petitione & electione Anselmo Abbati Cantuariensis Ecclesiæ gubernationem.*

L. 3. Ep. 2. 3.

Existimabat haud dubiò Anselmus eas omnes consensiones includi suo quodam modo in Eboracensis Archiepiscopi sive electione, sive nominatione, ad quem scribebat in hæc verba: *Quoniam Regi placuit, consilio Baronum suorum & nostra concessione, ut vestra persona eligeretur ad Archiepiscopatum Eboraca.* 5. Sed postquam Reges Angliæ in nominandis Episcopis pessimas duces secuti sunt cupiditates suas, meritò illis Anselmus intonuit, jure in usum revocatos esse Canones antiquos, qui Principes electionibus arcebant. *In Synodo nuper apud Lateranum.*

L. 3. Ep. 149

L. 3. ep. 44. l. 74. 86.

&c. Sanctorum Conciliorum reverenda majestas sæcularium Principum potestatem ab Ecclesiasticis electionibus decrevit arcendam. Postquam verò ea permanaverant Ecclesiæ decreta, jam ab Angliæ Rege, nec Episcopatus donari poterant, nec Abbatiæ, quanquam privatim illi quidam insusurrassent Episcopi, vivæ vocis oraculo id illi Pontificem permisisse, dum Christianæ pietatis instinctu in his ageretur. Id ex Anselmi litteris intelligi potest. Vani procul dubio erant hi susurri. Ubi enim morum corruptela Ecclesiam compulit, ut his expiandis nova condat leges, novas temperet medicinas: his utique nec secius obsequendum est, nec ab iis declinare quisquam potest, inutili eo obtentu, ac vana spe, fore ut se non abstineat, abstineat abusu. Contrà enim omnino cedendum est legibus, iis maximè quæ non novæ cuduntur, sed recuduntur vetustissimæ, nec nisi ad tempus ex necessitatis indulgentia intermissæ.

Pag. 84.

Non mihi tempero, quin hîc insertam frustulum aliquod ejus sermonis, quem author est Vuillelmus Malmesburiensis à Gregorio VI. habitum esse paulò ante obitum. Eò id pertinet, ut approbetur ea ratio quam secuti sumus in enucleanda Investiturarum causa, & electionum: in quibus Ecclesia in speciem sibi dissensisse videri potest, & aliis aliisque usa indultis consiliis: cùm reapse sibi semper simillima fuerit, utpote uni semper constantissimæ & immutabili obsecuta legi veritatis & charitatis. *Laudatus est prædecessor noster Adrianus primus, quòd investituras Ecclesiarum Carolo Magno concesserit, ita ut nullus electus consecraretur ab Episcopo, nisi prius à Rege insigniretur, & annulo, & baculo. Contrà laudatur in nostri sæculi Pontificibus, quòd has donationes tulerunt Principibus. Poterat tunc rationabiliter concedi, quod nunc laudabiliter debet auferri. Cur ita? Quòd erat animus Caroli Magni adversus avaritiam invictus; nec facilè invenisset aditum aliquis, nisi intrasset per ostium. Præterea per tot terrarum interstitia nequibat requiri Sedes Apostolica, ut unicuique electo accommodaret assensum suum, dum esset propè Rex, qui nihil per avaritiam disponeret, sed juxta sacra Canonum scita religiosas personas Ecclesiis introduceret. Nunc omnia Palatia Regum luxus & ambitus occupavit. Quare meritò libertatem suam Sponsa Christi asseverat, ne illam tyrannicæ ambitiosè usurpatori prostituat.* Quanquam supposititia sit hæc Adriani I. concessio, quanquam hujusmodi verba aliqua à Gregorio VI. dicta fuisse, aut dici potuisse, nolim equidem meæ fidei periculo affirmare: ea tamen pulcherrima omnino est ratio, & solidissima, purgandæ in non paucis rebus ab inconstantiæ labe Ecclesiasticæ disciplinæ.

V. Annales Anglicanæ Ecclesiæ si persequamur, in eosdem semper errores & abusus incurremus. Matthæus Paris ad annum 1100. & 1103. commemorat, ut Henricus I. Rex Episcopatuum investituras daret, conticescentibus electionibus, quin & Pontifici significarit, Regno se potiùs quàm investituris cessurum. Anno 1107. investituras ejuravit Rex, & vicissim Anselmus illi recepit, nunquam Pontifices Romanos molestiæ quidquam iis creaturus Episcopis, qui ei se hominio obligassent.

Anno 1114. scripsit Ivo Carnotensis Episcopus ad Paschalem Papam, Henricum I. avecto in cœlum Anselmo pluribus annis passum esse vacare Ecclesiam Cantuariensem, ut ejus redditibus ipse frueretur, nec copiam fecisse electionis, nisi longa fatigatum interpellatione Episcoporum Regni & Apostolicæ Sedis. *Episcopalem electionem ibi fieri non permisit. Nunc post increpationes vestras, post multas Episcoporum Diœcesanorum admonitiones, prætaxata Ecclesia, consensu Episcoporum, Rege connivente, elegit sibi Radulphum, &c.* Eam Regis procrastinationem maturiori deliberationi affingit Vuillelmus Malmesburiensis. At toto quinquennio cessasse Regem, vacasse, ut ipsemet fatetur, Ecclesiam, non ex ulla deliberandi morositate, sed avaritiæ sordes. Optarim equidem ut sincerius verumque ab eodem scriptum sit, ab eodem Rege Concilii Vindsoriensis Episcopis eligendi Archiepiscopi libertatem plenissimam esse concessam; sedato etiam animo eum tulisse, ut rejiceretur, quem ingerebat; & pari modestia in ejusmodi semper negotiis fuisse. *Nihil vero indulgens sibi, in commune arbitrium refudit electionem, quod & tunc & aliàs insigni continentia fecisse dignoscitur.* His satis consentanea habet Eadmerus, L. V. Novellæ Historiæ.

Baron. n. 9.

In Gestis Pont. An. l. l. p. 230.

Ex hac testimoniorum exemplorumque congerie perspicuum fit, in Anglicanis electionibus summum quoddam jus penes Reges & Episcopos fuisse; at minimum in iis potuisse Clerum reliquum. Inde est quod idem Scriptor perhibet, cùm Britannicas Ecclesias regerent Angli, & in eas needum Normanni irrupissent, needum eas sibi subjecissent, electiones factas fuisse à Clericis, Monachisque, qui Cathedralium Capitula ferè occupabant. *Electio olim Præsulum & Abbatum, tempore Anglorum penes Clericos & Monachos erat.*

Ibid. l. 1. pag. 276.

Ad annum 1095. B. Vulstanum affirmat Matthæus Paris electum fuisse Vigorniensem, seu Voicestrensem Episcopum, *unanimi consensu tam Cleri, quàm Plebis, Rege annuente, ut quem vellent eligerent.* Id confirmabat Vulstanus ipse, cùm electioni ipse suæ patrocinari cogeretur. *Fratrum non deerat electio, plebis petitio, voluntas Episcoporum, gratia Procerum; sed ecce nunc novus Rex, nova lex, &c.* Quibus postremis verbis manifestè innuitur, Normannos Principes missa sub jugum Anglia, quò eam sibi arctiùs constringerent, id laborasse, ut electiones Episcopales magis magisque in potestate essent Regum & Episcoporum. Ab eodem Matthæo refertur anno 1138. Theobaldum Beccensem Abbatem electum fuisse ab Episcopis Archiepiscopum Cantuariensem, præsente tantommodo Priore Monachorum, quibus totum illud constabat Capitulum. *Ab Episcopis electus est, Priore Ecclesiæ Cantuariensis Jeremia præsente.* Et idem nihilo tamen minus perhibet anno 1162. Thomam electum fuisse Cantuariensem Archiepiscopum, *congregato Clero & Populo totius Provinciæ Cantuariensis.* Sed cùm Thomas idem ipse postea Episcopatum Pontifici resignarit, ab eoque novam ejus collationem & investituram acceperit, hinc abundè prodiit, ne ipsum quidem electioni suæ pristinæ tanquam canonicæ confidere potuisse.

Caput illud ipsum quod ad Electiones spectabat, inter Regias Consuetudines, quas sibi tuendas esse Rex contendebat, electiones omnino labefactabat, cùm eas circumscriberet in Capella Regia, & inter eos quos Rex accersisset. *Cùm vacaverit Archiepiscopatus, vel Abbatia, vel Prioratus, &c. Debet dominus Rex mandare potiores personas Ecclesiæ, & in Capella ipsius Regis debet fieri electio, assensu ipsius Regis, & consilio personarum Regni, quas ad hæc faciendum advocaverit.* Nonnisi post consignatas Thomæ Martyris sanguine Ecclesiasticas libertates, Henricus II. Rex caput istud expungi assensus est Consuetudinum Regiarum, liberaque posthac fore

Matt. Paris anno 1164.

Idem anno 1173. electiones spopondit. *Ad instantiam Cardinalium Rex Anglorum Henricus liberas fieri electiones vacantium Ecclesiarum concessit.* Non multò pòst electus est Archiepiscopus Cantuariensis ab Episcopis Comprovincialibus & ab Capitulo: *Ibidem.* *Suffraganti Cantuariensis Ecclesiæ & ejusdem loci senior pars conventus, de electione Episcopi tractantes, elegerunt Richardum, &c. Electus Regi fidelitatem juravit, &c.* Refertur à Rogerio ad annum 1184. electio alia Episcopi Cantuariensis, ubi longa dissensio Episcopos inter & Monachos Cathedrales flagravit: sed aliquando tandem Balduinus Vorcestrensis Episcopus ab Episcopis electus est, eique coëgit Rex Monachos assentiri.

Rogerius pag. 623. 635. 658. 663. 727. VI. Qui Henrico II. successere Reges, ejus ferè pertinaciam magis, quàm pœnitentiam æmulati sunt. Non silentur à Rogerio electiones violentæ & simoniacæ inter exordia ipsa Richardi Regis. Unde & ab iis ad Papam provocatum est. Nec *Neubr. l. 5. c. 11.* in illo liberiores, & Canonicis institutis accommodatiores fuere, quandiu Richardus Germanico carcere attinebatur. Tragica nescio quæ narrat Vuillelmus Neubrigensis de violentis eorum quos Rex nominarat incursionibus in Capitula, ut ab iis eligerentur. Joannes Sine Terra dictus Richardum excepit, isque Lincolniensem Ecclesiam, utpote opulentissimam, diu vacare, redituſque ejus fisco accrescere passus est; denique copiam fecit eligendi præstantissimi illius è Carthusia Monachi Hugonis. Hujus constantia frangi non potuit, sive ut assentiretur antè electioni, quàm certissimè comperisset, libertimè assensos esse Canonicos Lincolnienses. *Nisi sibi priùs de communi Lincolniensis Ecclesiæ consensu Canonicorum constaret.* Ut omnis illi ambigendi locus præsecaretur, iterato illum Canonici elegere. *Paris. An. 1200.* *Ut illi certius eorum consensus innotesceret, ibi enim denuo elegerunt, & tunc primò consensit.* Hac sanctissimi Præsulis cautione admonemur, libertatem suffragiorum non raro disturbatam fuisse Principum potestate.

Sed ejus rei exemplum hic promam non paulò certius, & majoris omnino momenti futurum in posteras ætates. Anno 1205. excedente Cantuariensi Archiepiscopo, Monachi Cantuarienses clam & præfestinè Subpriorem suum in Archiepiscopum elegere, Romamque confirmandum misere, jussum in primis, ut rem religiosissimo premeret silentio. Cùm silentii fidem Subprior infregisset, Capitulares Monachi licentiam eligendi à Rege flagitavere, quam annuit ille quidem, sed enixissimis precibus urgens, ut Norvicensem Episcopum sibi devinctissimum eligerent. *Matth. Par. Anno 1205. 1206.* Clericos una suos Rex misit, qui electioni interessent. A Monachis electus est, Sedique invectus quem Rex commendarat: at Episcopi Provinciæ querelis suis Apostolicam sedem, eique tum præsidentem Innocentium III. adiere, expostulantes de Monachis, qui eos non vocassent ad electionem, quanquam tres priores ad electiones convocati fuissent omnes Episcopi Provinciæ, *Gesta Innoc. III. p. 140.* idque communi jure sanciretur. *Cùm ipsi una cum illis de jure omnium & consuetudine antiqua electioni interesse debuissent.* Allegabant Monachi ex adverso Privilegium & morem antiquum. Petrus Blesensis infesto calamo Monachos impetivit, qui nec Episcopos, nec Abbates ad electionem vocassent. *Ut* *Blesens. Epist. 27.* *contempta & abjecta Episcoporum & Abbatum deliberatione communi fieret electio clandestina, furtiva & consuetudini contraria, inimica legibus, damnata decretis & moribus reprobata.* Paulò ultra veri metas evehebatur Petrus. Innocentius III. causam addixit Monachis, ut qui Privilegium & antiquam consuetudinem ritè approbassent: eo quoque perpenso quod tres illæ nuperæ electiones ab Episcopis allegatæ, annorum numerum non explerent præscriptioni figendæ necessarium.

At verò ne Monachi quidem Cantuarienses reportata in Episcopos victoria frui potuere. In duas enim illas electiones à se celebratas rursum scissi, hinc & inde adversa fronte collidi inter se cœpere. Pontifex utrasque rescidit, ut Canonibus pugnantes, & utriusque partis Delegatos satis magno Romæ numero ad electionem faciendam, intentato *Ibidem. An. 1208.* anathemate coëgit rursum eligere; & quidem eligere Stephanum de Langton Cardinalem, gente Anglum, quem Pontifex in se recipiebat Regi gratissimum fore: addito etiam, ubi electiones Romæ fierent, Regio assensu haud opus esse. *Nec super electionibus apud sedem Apostolicam celebratis, solet assensus Principum expectari.* Morem Pontifici gessere Monachi. Nec ille artes ullas, aut blanditias reliquas sibi fecit, ut Regis assensum eliceret. At Rex indignatione & ira effervescens, Monachos omnes Cantuariensi Ecclesia expulit, ab obedientia etiam Pontificia se recessurum comminatus. Interdicto tunc Pontificio in Angliam vibrato, ea in illam irruerunt agmina calamitatum, ut Rex pœnitudine ductus, libertatem redintegrarit electionum, eo etiam concesso, ut si Rex assensum, aut licentiam abnueret, ad electionem nihilominus pergeretur. *Si fortè accidat, quod denegaremus, vel differremus,* *Idem. Ann 1215.* *nihilominus procedant electores ad electionem canonicam faciendam:* Addito etiam ut ne posset quidem Princeps electionem factam assensu suo fraudare, nisi iis causis, quæ à se juridicè probarentur. *Post electionem celebratam, assensum non denegabimus, nisi adversùs eandem rationabile aliquid proposuerimus, & legitimè probaverimus, propter quod non debemus consentire.*

Iterum quidem pax composita, at ea minimè diuturna fuit. Eodem ipso anno Rex copia facta Capitulo Eboracensi eligendi Episcopi, preces inculcavit, ut Vorcestrensem Episcopum eligerent. Illi fratrem Cantuariensis Archiepiscopi elegere. Rex Romam delegavit, qui ei electioni Pontificias aures obstruerent. Rescripsit Pontifex, ne ea electio rata haberetur, sed suo ex Collegio aliquos delegarent ad Concilium Lateranense jamjam habendum, ubi & Archiepiscopus non sine Papæ consilio eligeretur: *cum nostro consilio:* alioqui ei Ecclesiæ se provisurum. Romam convenere Eboracenses Canonici, Episcopum Vorcestrensem à Papa postulaverunt; à quo & concessus est. *Nos eum damus vobis.*

Possunt & in antiquis Constitutionibus Regum *Pag. 21. 22. 30. 35.* Angliæ perlegi frequentissimæ Regis hujus in canonicas electiones contumeliæ, sive Abbatum, sive Episcoporum; cùm Abbates, aliosve ministros Regios mitteret, ut præsentes essent, & electionem suo nomine confirmarent, si eam ipse probaret. Designabat etiam nonnunquam quos cuperet Episcopos creari.

VII. Joannem Sine Terra successor & filius Henricus III. religione, quod difficile quidem non erat, superavit; at inter initia Regni nihilo fuit ille electionibus indulgentior. Mortuo Dunelmensi Episcopo Priorem & Capitulum ejus Ecclesiæ ab eo flagitasse perhibet Matthæus Paris copiam eligendi. *Ann 1226.* Eam ille non abnuit quidem, sed preces minasque permiscens, unum ex suis Capellanis ut eligerent,

hortatus est, alioqui septennio toto Ecclesiam illam vacuam fore. Elegerunt tamen illi Archidiaconum Vorcestrensem, virtutum omnium præsidio tam instructum, quam Capellanus Regius eo destituebatur. Eum confirmare detrectante Rege, illi ad Pontificem misere. *Quem cum Rex recusasset, Romam miserunt, ut electionem factam authoritate Apostolica confirmaret.* Romam delegavit & Rex, qui impedirent, obstarentque ne res procederet. Denique rescissa est ea electio, & tum postulatus est Episcopus Salisberiensis, quem Papa eò transtulit.

Ibidem An. 1238.

Anno 1238. Vintoniensis Capituli Monachis liberam Episcopi eligendi facultatem non concessit Rex, nisi spondetent electuros se Valentinum electum Episcopum. Illis constanter recusantibus, agros domosque omnes Episcopatus deprædatus est, ibi metatus cum exercitu. Rescito post ab eis electum fuisse Cancellarium suum Episcopum Cicestrensem: & ipsum, & ipsus infandis lancinavit contumeliis, & in ipsa urbe Roma tantum potuit, ut ea postulatio irritaretur. Monachi Roma redire fiduciæ & libertatis chartis à Pontifice instructi, ne imperiosis unquam Regum precibus arctarentur: *Per acerbam Regis instantiam, vel imperiosas preces*, utque ne vetarentur extraneos eligere. Eo Rex in furorem actus est, quasi toto ex Regno non posset Vintoniensi Ecclesiæ Pastor provideri. *Quasi non potens Angligenam illi Episcopatui sufficientem invenire.*

Paris.

Ideo & Prælati omnes Angliæ Londini cum Baronibus congregati anno 1240. præsentibus Apostolicis Legatis vehementer conquesti sunt de oppressis Ecclesiasticis Libertatibus à Rege & à Ministris Regiis, maximè verò in electionibus. *Annis plurimis Ecclesias in manu sua detinet, nec patitur electiones canonicas celebrari.* Iisdem querelis Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus Pontificem compellavit, & ab eo impetrare conatus est, ut sibi fas esset Episcopos Ecclesiis orbatis dare, ubi earum orbitati intra sex menses Rex non mederetur. Verùm tum quidem ea non fuit in Pontifice, quam Ecclesiæ necessitas desiderabat, vel animi magnitudo & constantia, vel certè potestas. Ideo & Monachi Cantuarienses anno 1241. Bonifacium sibi Archiepiscopum delegere, propterea tantum quod Rex ita se velle non dissimularet, & ea etiam Romæ esset, vel gratia, vel potestate, ut quamcumque aliam electionem rescindi faceret. *Quia si alium elegisset, Rex adinventis exceptionibus quibuscumque cassasset. quia favorem Papalem in omnibus obtinebat.* Pervulgata & manifesta prorsus erat ejus Bonifacii indignitas; sed testimonia in ejus laudes effusissima Rex extorsit, & obsignata Romam misit.

Idem. Ibid.

Eodem hoc anno Norvicensem Episcopum Rex conviciis & probris oneravit, quòd assensus esset postulationi suæ in Episcopatum Vintoniensem; extorsitque ab eo pollicitationem nunquam assentiendi translationi suæ. Electum tamen Vintoniensem Innocentius IV. suo Patrocinio obumbravit, scripsitque ad Regem, potuisse sedem Apostolicam eam translationem eo inconsulto perficere, & tamen enixum se esse, ut ea illi approbaretur, cùm is electus addictissimus semper fuisset Regiæ voluntati. Denique pervicit tandem modestia sua novus Episcopus Vintoniensis, ut in gratiam Regis recolligeretur.

Ibidem. Raynal. an 1244. n. 45 46

Anno 1246. Canonici Salisberienses virum Aulicum elegere, quod non alios Rex admitteret: *Comperientes nullum fore acceptum domino Regi, nisi aulicum & curialem.* Nec multum diversæ erant electiones Abbatum: eo enim collineabant Monachi, *ut domini Regis confiscantis omnia declinarent indignationem.* Perotavit & ipse Rex in Capitulo Vintoniensi, ut eligeretur, quem volebat: nec nimis abstinuit. Author est Matthæus Vuestmonasteriensis anno 1253. decimas sacras redituum suorum Clerum Regi concessisse ad triennium, ad impetrandam confirmationem libertatum, potissimum verò in electionibus. Rex pollicitus est suo more, fide qua solebat. Cùm vacasset Eboracensis sedes, consilium cepit suspendendæ diutius electionis, ne tam opima præda citius sibi elaberetur. *Ait enim, nunquam illum Archiepiscopatum antea in manu tenui, ideo cavendum est ne nimis cito elabatur.* Denique anno rursus 1257. redimendæ Clero fuere antiquæ suæ libertates, maximè in electionibus, infinita pecunia Regi repræsentata.

Paris. Ibid. An 1249. 1250.

VIII. Non potuit non plus doloris, quam tædii creare Lectoribus tam prolixa calamitatum, pravitatumque contextio; si quibus cordi est Ecclesiæ disciplina. Ejusmodi tamen certè erant electiones, quas tantopere desideravimus, postquam nova invecta est ratio creandorum Episcoporum. Ipsa quidem per sese electionum ratio & natura animo occurrit pulcherrima, votisque & amore impensiore expetenda. Sed earum historia, & imago sincera rerum gestarum, maxime in Anglia, non potest non vel mærorem, vel indignationem excitare, quòd res omnium longè sanctissima, Pastorum & Pontificum Ecclesiæ Christi creatio, tam profanis & pudendis artibus, & cupiditatum sordibus contaminaretur. 2. Dictum est à nobis suprà alicubi, finitimam fuisse Ecclesiæ Anglicanæ & Gallicanæ in multis Disciplinam. Hic sanè excipienda nobis est libertas electionum, cui multò plus venerationis & observantiæ in Gallia impensum est. 3. Non videntur Angliæ Capitula, quæ ferè Monachorum erant, liberas electiones habere cœpisse, nisi post sæculum XII. 4. Episcopi eo jure exciderunt post Decretum Innocentii III. quodam quasi repetundarum jure. Quippe ex tempore debellatæ per Neustriæ Duces Angliæ, soli ferè Episcopi cum Rege & Proceribus Episcopos elegerant. 5. Ab imperio Normannorum & Andinorum Principum in Anglia, non aliæ propemodum fuere populi partes in electionibus, quam ut iis applauderet, ubi canonicè fiebant. Ita capienda Epistola Capituli Cantuariensis ad Paschalem II. ubi eum orant, ut Episcopum Roffensem Cantuariensem in Ecclesiam transferat, utpote à Clero & Populo electum. *Electus à nobis, & Clero & Populo.* Eodem quoque sensu scribit Matthæus Paris anno 1239. electum fuisse Episcopum Nurvicensem, *assensum tam populo præbente, quam Clero.* Monachis quoque Capituli Coventrensis eligentibus Episcopum, *Regem acceptasse, & Clerum & Populum.* 6. In Anglia quoque id, quod & alibi contigit, frequentiores dissensiones, postulationes, translationes, dispensationes, abnegatas à Regibus confirmationes, in causa tandem aliquando fuisse, ut hæc tota electionum potestas in manus veniret Pontificis, & sensim sine sensu sedes Apostolica impelleretur ad dandos Episcopatus. 7. Frequentia & diuturna Ecclesiarum interregna, dum electiones à Regibus vel negata eligendi licentia, vel objecto pòst obice, vel recusato denique assensu suspenderentur; ea, inquam, interregna id præstabant, ut jure devoluto Pontifex nominare posset. Minus ergo mirum si tandem nominarit. 8. Quin & ubi nominarunt Episcopos, id Pontifices ex

Post Ep. 104 Paschal.

Regum assensu facere studuerunt : volueruntque ut à se nominati, à Regibus Episcopatus administrationem & possessionem susciperent. Ita Paschalis II. orabat Henricum I. Regem, ut Herveo Episcopo vacantem aliquam Ecclesiam daret ; utpote à Barbaris sede sua pulso, cum sanctissimi Episcopi Officiis
Epist. 104. fraudanda non esset Ecclesia. *Volumus & rogamus, si qua cum apud vos vacans Ecclesia vocaverit, ibi authoritate Apostolica constituatur, ne infructuoso diu silentio torpeat, qui vita documenta cœlestis in scientia & moribus portat.* 9. Quando sanctissimi complures Episcopi ab Principibus sæcularibus investiti, eos Episcopatus abdicabant in manus Pontificis, & eosdem suos ab eodem de Cardinalium consilio recipiebant : hæc sanè rerum inclinatio & proclivitas eo jam tum vergebat, ut dandorum Episcoporum facultas ad Pontificem delaberetur. Assuenda hic necessario verba B. Thomæ Cantuariensis, ubi Episcopatum Papæ resignavit :
Baron. an 1164. n. 39 *Ascendi in Ovile Christi, sed non per ostium, velut quem non canonica vocavit electio, sed terror publicæ potestatis intrusit. Et licet hoc onus susceperim invitus, tamen ad hoc me induxit humana, non divina voluntas.* 10. Post obitum hujus Thomæ Martyris potissimum, Pontifex per suos in Anglia Legatos canonicis electionibus Episcopos vacantibus omnibus Ecclesiis donari curavit, accedente assensu Regis Henrici II. Ab his verò provocavit ad sedem Apostolicam Henricus Junior, Henrici II. filius, regno & ipse inauguratus. Provocavit autem, quòd non requisito assensu quoque suo irritæ essent eæ omnes electiones. Necesse ergo fuit, ut Episcopi illi novi magno certè numero, vel irent ipsi, vel mitterent Romam, ad impetrandam sedis Apostolicæ confirmationem. Ex ea quoque ingenti multitudine electionum controversatarum, & Romæ confirmandarum, via complanabatur devolutioni juris ejus ad Pontificem. Consules, si vacuum sit, Epistolas Joannis Salisberiensis super hac concertatione inter duos Reges pro electionibus. Lubens prætereo alias quoque complures ejusdem Salisberiensis Epistolas, in quibus multa sparguntur, his adprimè consonantia quæ à nobis dicta sunt.

Joan Salisb. Epist. 297. 298. 299 Ejusdem. Epist. 44. 55. 54. 56. 59. 292. 299.

IX. Propius absuere Scotiæ Reges ab Anglis, quam Angli à Gallis. Narrat Eadmerus Alexandrum
Historia Novo. l. 5. Scotiæ Regem expetisse sibi Monachum dari Cantuariensem, quem Sant-Andreanum crearet Episcopum, Missus est is Monachus à Rege Angliæ & ab Archiepiscopo Cantuariensi. Ut Scotiam attigit, *eligente eum Clero & Populo terræ, & concedente Rege,* creatus est Episcopus. Memorat & Robertus de Monte, anno 1175. cùm coëgisset Rex Angliæ Scotiæ Regem, ut hominium sibi præstaret, sineretque decem Episcopos Scotiæ, & Abbates eodem sibi obligari obsequio : Episcopos Scotiæ sacramentum fidei sine hominio præstitisse, at à Rege Angliæ datos Scotiæ Episcopatus, vel ex ejus voluntate datos. *Rex Angliæ dabit honores, Episcopatus, Abbatias, vel ut minus dicam, consilio ejus dabuntur.*

Anno 1180. defuncto Rogerio Sant-Andreanæ vacantis Ecclesiæ Canonici Joannem Doctorem in Episcopum sibi elegere. Rex unum e suis Capellanis nominavit, & quanquam ad Papam provocatum esset, eum fecit ordinari. Missus à Pontifice Legatus Joannis electionem confirmavit, & ipso consentiente Rege consecrari curavit. Levitate nescio qua Rex illico novum Episcopum Regno facessere jussit. Legatus Episcopatum Sant-Andreanum interdicto subjecit, Alexander III. vetuit ne Joannes Episcopus dignitati suæ renunciaret, Regi anathema intentavit. Postremò cùm Rex Episcopum Regno ejecisset, ab Archiepiscopo Eboracensi jussu Pontificis anathemate innodatus est, Scotia interdicto percussa. Petiit Rex, ut eum Episcopum Pontifex in aliam transferret quamlibet regni sui Ecclesiam, sed abnuit Pontifex. Cùm anno 1183 Lucius III. Alexandro III. successisset, solutis excommunicationis & interdicti vinculis, Legatum in Scotiam misit, qui eam litem componeret. Denique eò Regem adduxit Legatus, ut Capellanus Hugo, quem Sant-Andreanum ordinari fecerat Rex Episcopum, eo Episcopatu exueretur : Joannes pro Sant-Andreano Dunkeldensem acciperet. Hugo Romam appellavit, quò ambo se contulere Episcopi anno 1183. Ibi Pontifex in Cardinalium Consistorio ab utroque ejurari fecit Sant-Andreanum Episcopatum, & post eam resignationem puram simplicemque, Pontifex Episcopatum Dunkeldensi reddidit Joannem, Hugonem Sant-Andreano. Anno 1188. Clemens III. mortuo Hugone, quidquid dissensionum supererat compescuit, & Episcopatus Scotiæ omnes immediatè Romanæ Ecclesiæ subjecit. Porro nihil non hic magnopere consentit cum electionibus Anglicanis.

X. Quod ad Hiberniam attinet, Innocentius III. Regest. 13.
confirmatis privilegiis omnibus Metropoleos Cas- Epist. 48.
sellensis, statuit ut post mortem Episcoporum, eorum Baculus & Annulus in eadem deponantur Ecclesia, donec iis investiantur à Consecratore suo Episcopi successores. Ita proscribebantur Investituræ Laicæ. Et quoad electiones, sancit Innocentius, ut Archiepiscopi Cassellenses eligantur à Suffraganeis Episcopis & à Canonicis. *Nullus ad eandem Ecclesiam in Archiepiscopum eligatur, nisi quem suffraganei Episcopi & Canonici ejusdem Ecclesiæ, vel major pars consilii sanioris, sicut est hactenus observatum, secundùm Deum providerint eligendum.*

Si retro flectamus gressum, occurret anno 1097. Concilium Hiberniæ, ex quo Rex, Episcopi, Clerus & Populus litteras dedere ad beatum Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum, tanquam ad Primatem suum, ut Vaterfordiensem Ecclesiam & Civitatem Episcopatu augeret, & ordinaret Episcopum quem ipsi elegissent. Non satis video, quî Eadmer.
cohæreat hoc Concilium cum vita B. Malachiæ Hist. Nov.
Armachani Archiepiscopi à B. Bernardo scripta. L. x.
Nimirum narrat Bernardus, antequam Malachias ab Ecclesia Hiberna depulsis ignorantiæ densissimis tenebris, abstersisset incredibilia quædam inquinamenta ; quindecim jam extitisse Archiepiscopos, una omnes stirpe editos, ex illis octo fuisse conjugatos, sed omnes prorsus tota flagitiorum colluvione inquinatissimos. Non multum temporis intersuit huic Hiberniæ Concilio, & Malachiæ initiis. Ideoque vereor ut satis constet hujus Concilii fides. Utcumque se res habuerit ante B. Malachiæ tempora, indubitatissimum est restauratam ab eo ejus Ecclesiæ Disciplina, restitutas quoque in integrum fuisse electiones.

XI. Ad Angliam nos referamus, cujus & certior & illustrior historia est. Commemorat porro Thomas Valsinghamius, terris demigrante Thoma de Vinchelsey Archiepiscopo Cantuariensi anno 1312. electum fuisse à Monachis virum pietate valde conspicuum ; Pontificem qui sibi eam Ecclesiam reservarat, eam electionem irritasse, utque Angliæ calamitosissimis tunc factionibus & dissidiis laceratæ pacem redintegraret, Episcopum Vorcestrensem

nominasse Regis Cancellarium, Primarium Regni Ministrum, & Anglis tamen omnibus acceptissimum; quòd ab eo jam Rex & Optimates in concordiam revocati essent: *Et quia constabat Papa Ecclesiam Anglicanam multis laborare tribulationibus, cogitabat sollicitè providere Ecclesia viduata, de viro per quem vexationes melius sedari possent. Oculos dirigebat ad Vigorniensem Episcopum. Regis Cancellarium, considerans nimirum quantam gratiam coram Rege pra ceteris regni Pralatis inveniebat, quam maturè se in suo officio Cancellarii, & quam sapienter habebat, & quanta discretione motus, & rancorem inter Regem & Proceres temperabat, sperans talem virum Ecclesia & Regno plurimum profuturum. Huic igitur honorem Cantuariensis Ecclesia gratis cum pallio conferebat.*

Si eos semper mores retinuisset Clemens V. si nec ipse, nec qui in Petri sedem ei successere, vacantes unquam Ecclesias suæ collationi reservassent, nisi ad manifestam Ecclesiæ, ad religionis, ad sanctioris Disciplinæ propagationem, si humanis cupiditatibus nihil unquam indulsissent; non temerè auguramur, non Reges, non Capitula, non denique Concilia eis Reservationibus tantopere, ut infrà liquebit, adversatura fuisse. Ex eodem ipso Scriptore, mortuo Vintoniensi Episcopo, ejus quoque
Anno 1320. Sedis nominationem Pontifex sibi reservavit. Monachi Cathedrales securi Pontificiæ reservationis, obtentaque Regis licentia, unum ex suo Collegio magna rerum peritia & experientia præditum elegere. Pontifex eam electionem rescidit, nominato in eam sedem *Clerico suo speciali, quia pingue erat Beneficium.* Verba sunt ipsissima Valsinghami. Sed tandem Clericus ille Pontificius multis perfunctus laboribus, in Regis irrepsit benevolentiam, & in Abbatia exempta sancti Albani consecratus est.

XII. Si quid memorandum occurrisset sub Eduardo I. Henrici III. filio, Eduardi II. Patre, non id saoè in præteritis reliquisset Valsinghamus. Sub Eduardo III. Eduardi II. filio, cùm vita abiisset Archiepiscopus Cantuariensis, postulatus est à Capitulo Episcopus Vintoniensis, gnarum eum & Pontifici gratissimum esse, & Regi, qui de eo jam ad
Idem. Pontificem scripsisset. *Sciverat enim quod dominus*
Ann. 1333. *Rex scripserat summo Pontifici, & ipse fuit bene in gratia Papæ.* Vintoniensem ergo ad Cantuariensem sedem provexit Papa, non contemplatione Capituli postulantis, sed proprio motu, ut qui eam sibi reservasset. *Providit Papa non virtute postulationis Capituli Cantuarb. sed proprio suo motu.* Viden ut Reges ipsi Papam occuparent, excitarentque, ut pinguiores ipsemet Prælaturas conferret, siquando eum suis voluntatibus satis propitium experti erant? Aliàs autem molestissimè ferebant ea à Pontifice tentari, ad quæ ipsimet priùs illum incitassent. Unde & cùm idem Pontifex paulò pòst Episcopum Vigorniensem ad Vintoniensem transtulisset Ecclesiam, id donans precibus Regis Galliæ: Eduardus III. qui eum Episcopatum alteri cuipiam conferri avebat, vehementer succensuit, & temporales omnes ejus Ecclesiæ res per ministros suos invadi & retineri fecit, donec Episcopi, qui Comitiis Regni intererant, effervescentem ejus animum delinierunt.

Eodem anno Capitulum Dunelmense unum ex suis Monachis in Episcopum elegit, quem & Eboracensis confirmavit & consecravit Metropolitanus. At stimulante Rege Pontifex alium nominavit, qui Regio Pontificioque favore munitus, æmulum compulit ad suos se Commonachos recipere. Simillimum veri est, nihil antiquius fuisse his Pontificibus, quam ut de Regibus omnibus bene mererentur. Sed incidebant eæ rerum & temporum molestiæ, ut non possent non hos, vel illos à se alienare, cùm mutua nimirum æmulatio illos concitabat committebatque, vel cùm bella inter eos flagrabant. Nemo nescit Eduardi hujus III. Angliæ Regis strenuitas quanta fuerit, & quantis ab eo Galliæ attritæ sint cladibus. In ejus belli conflagratione de Pontifice conquestus est Eduardus, quòd Galliæ Regi omnium Regni sui Beneficiorum collationem annuisset. *Quod institutionem personarum Ecclesiasticarum* *Idem.* *eidem concesseramus in omnibus Ecclesiis regni sui.* Rescripsit ad eum Pontifex, vanis id falsisque rumoribus jactatum fuisse, nec tam putidæ calumniæ fidem adjiciendam. Denique non temerè creditur sæviente eo inter Gallos Anglosque bello diutino, suspectos usque adeo fuisse Eduardo Romanos Præsules, Avenione tunc sedentes, ut prohibuerit, ne Cardinales inire possent eas Angliæ Ecclesias & Prælaturas, quibus eos exornaverat Clemens VI. anno 1343. neve ejusmodi provisiones amplius Pontificiæ deferrentur. *Provisiones per Papam factas cassavit, & ne quis deinceps tales provisiones afferret, sub pœna carceris & capitis interdixit.*

Ea certè occasione Rex Pontificem per litteras compellavit, obtestatusque est, ut liberas Ecclesiis electiones permitteret, maximè Cathedralibus: cùm Reges Angli quondam Episcopales Cathedras ipsimet darent, & Pontificum postea precibus id condonarint, ut electiones celebrarentur, adjectis cautionibus quibusdam, quibus jam non posset, uti nec electionibus sedes Apostolica derogare. *Quas* *Idem.* *quidem Ecclesias progenitores nostri dudum, singulis vacationibus earundem, personis idoneis jure regio conferebant liberè, & postmodum ad rogatum & instantiam Apostolica sedis certis modis & conditionibus concesserant, quod electiones fierent in dictis Ecclesiis per Capitula earundem. Qua concessio fuit per sedem Apostolicam ex certa scientia confirmata. Sed contra formam concessionis & confirmationis prædictarum, dicta Sedes per reservationes & provisiones suas dictis Capitulis electiones adimit supradictas; & nobis jus & prærogativam, qua juxta formam dicta concessionis nobis competunt in hac parte, &c.*

Mira & incredibilia quædam animo suo præsumpserat Eduardus Rex, vel quicumque alius ejus concinnator Epistolæ: Antiquos Reges jure suos esse nominandi Prælatos in omnes Ecclesias: jus illud regno ipsi & diademati adnatum & connexum esse; Pontificum precibus electiones liberas ab eis indultas fuisse; & vel tunc tamen quædam sibi reservasse privilegia, quibus frustrari non possent. Fucata, & decora, & exaggerata sunt hæc omnia. Certissimè enim Romanorum Pontificum precibus & conatibus diutinis interruptæ non fuerant nisi antiquorum Angliæ Regum usurpationes, ut suprà demonstratum est, & restitutæ electiones Regibus illis omnibus antiquiores.

Longè probabilius & accommodatius ad rei veritatem contendebat Pontifex, Leges electionum incolumes & illæsas superesse, nec extingui potuisse paucis exceptionibus, legitimisque, ubi à se donatæ fuerant aliquæ Prælaturæ Anglicanæ, Cardinalibus Anglicæ Gentis, & tum Ecclesiæ universalis, tum Anglicanæ continebatur, ministerio strenuè incumbentibus. Addebat porro Pontifex, quod à se in Angliam, idem & in alias omnes Ecclesiæ Christianæ Provincias tentatum factitatumque esse, nec usquam suis his provisionibus repugnatum esse;

quo perspicuè revinceretur & sedis Apostolicæ æquitas, & eorum qui illi non acquiescerent incogitantia. *In omnibus regnis consimilem Cardinalibus gratiam fecimus, in quibus rebellionem aliquam præter prædictam nullatenus audivimus.*

Idem.

Sed non eo diu loco res steterunt. Anno enim 1373. Oratores suos Eduardus Romam ablegavit, ut Pontifex deinceps Reservationibus abstineret, sineretque à Clero Episcopos eligi, & à Metropolitanis confirmari. *Rogans ut super reservatione Beneficiorum de cætero supersederet, ut etiam Clerici ad Episcopales dignitates suis electionibus pleno jure gauderent, & ut à suis Metropolitanis, prout antiquitus fieri consuevit, iidem Clerici confirmari valerent.* Idem & à Parlamento Angliæ constitutum est, liberæ ut essent electiones, nec Rex litteris suis adversaretur iis, qui electi fuissent, sed adlaboraret potius, ut confirmarentur. *In Parlamento erat decretum, quod Ecclesiæ Cathedrales suis gauderent electionibus, & quod Rex de cætero contra electos non scriberet, sed per litteras suas ad eorum confirmationem juvaret.* Verùm idem ipse Scriptor mox fidem facit, cassa & inutilia fuisse hæc statuta, quod indignaretur Rex tam angustos limites suæ potestati adsignari. *Sed hoc statutum in nullo profecit.*

Eodem anno Archiepiscopatum Eboracensem Papa contulit, necnon & duos alios Episcopatus *authoritate Papali.* Nimirum clam Rex suffragabatur. Anno sequenti tractatum rursus est de Pontificio & Regio jure ad modum quendam & ad concordiam revocando. Convenit ergo, ne Pontifex sibi deinceps antè reservaret beneficia, quam ea vacarent; neu Rex ea conferret, quo priùs modo solebat; sed de restitutis tum electionibus nec verbum fit ullum. Valsinghamus horum Scriptor diligentissimus, ejus rei causam in eos refundit, qui meriti & virtutis inanes, de electionibus desperabant, at tum apud Regem, tum penes Pontificem gratia pollentes, aliquid inde beneficii se extundere posse confidebant. *Et hoc ascribitur aliquibus, qui sciebant se potiùs per Curiam Romanam, quam per electiones, ad dignitates Episcopales quas ambiunt promoveri.* Cùm eodem anno Monachi Cantuarienses in Archiepiscopum elegissent Cardinalem Angliæ, usque adeo stomachatus in eos est Rex, ut illum sibi placare non potuerint, nisi ingenti numeratâ pecunia.

XIII. Longa itaque Pontificum Romanorum apud Avenionem commoratione, factum est, ut exarescentibus Pontificii in Italia Patrimonii reditibus, non posset Romana Curia sustentari, nisi reservandis sibi Prælaturis majoribus, aliisque opimioribus Beneficiis. Cùmque Reges Angliæ Episcopos habere nollent, nisi sibi fidissimos, propterea quòd Episcopi Angli in Regiis suo ordine & gradu sedebant Consiliis, in Parlamentis, & Comitiis Provinciarum particularibus: Cùm denique Capitula, quorum erat electiones tueri, tanquam primarium suum decus, & splendorem, in iis tamen plerumque in dissidia, & in fœdas abriperentur cupiditates: hinc scilicet fiebat, ut electionibus totidem essent reapse adversarii, quot in speciem Patroni.

Ubi Romam denuo concessere Pontifices, illud conflatum est schisma, quod restituendæ electionum disciplinæ minimè opportunum esset. Anno 1390. & 1391 sub Richardo II. Eduardi III. filio prohibitum est in Angliæ Parlamento, ne quæ Beneficiorum provisiones Roma expeterentur. Anno 1395. Archiepiscopus in Hibernia Dublinensis translatus est in Episcopatum Cicestrensem, reditibus abundantiorem. At *Regis instantia* Excestrensi Episcopatu donatus est, qui minorem Regia annulum gerebat. Episcopatus Cicestrensis datus est etiam à Pontifice Regis hortatu Monacho Cistercicnsi, qui Regius erat Physicus, hoc est Medicus, habita prorsus contemptui Capituli electione. *Ad preces Regis, Papali permissione, spreta & cassata legitima electione.* Anno 1396. obeunte Vuillelmo de Contrenay Archiepiscopo Cantuariensi, electus est à Capitulo Thomas Arundelius Cancellarius Regis. Altero pòst anno illum Anglia exulare jussit Parlamentum Angliæ: Romam Rex misit, quò aliam in Ecclesiam transferretur, ejusque loco Magnum Thesaurarium suum ordinari fecit; sed eum biennio pòst abdicavit Papa, quòd superstitia adhuc Episcopi sedem occupasset.

Anno 1398. Episcopum Lincolnensem transtulit Pontifex in Ecclesiam Cestrensem, Lincolniensi autem Ecclesia donavit filium Ducis Lancastriæ. Eam translationem impatientissimè tulit prior Lincolniensis Episcopus, maluitque reliquum vitæ stadium conterere inter Monachos Cantuarienses. Hinc rursum data occasio Papæ, ut Episcopum Landafensem Ordinis Dominicani, transferret in Ecclesiam Cestrensem. Congregatus est à Rege Clerus Anglicanus, percontari eum volente, an posset Papa eas translationes perficere *pro arbitrio suæ voluntatis.* Respondit Clerus Regiis litteris submonendum esse Papam, Libertates Anglicanas sospites ut esse vellet, & his in posterum translationibus abstinere. *Dignaretur Papa scribere, ut à talibus translationibus cessaret pro commodo totius Ecclesiæ Anglicanæ.* Quo Cleri responso Rex obstupuit. Ulterius pedem non proferam, ne in eas ingrediar calamitates, in quas Viclephi hæresis, tum deinde Henrici VIII. Regis ab Ecclesia Catholica secessio Angliam conjecere.

Quæ hactenus disceptata à nobis sunt, ea abundè, ut opinor, sufficiunt, ut Lectoribus persuasissimum sit, esse in historia antiquarum electionum, quo leniamus earum desiderium, postquam alias sibi disciplinæ leges ascivit Ecclesia universa: & quo jam nobis approbetur, quod nec Concilio Tridentino improbatum est.

CAPUT XXXV. *P. 4. l. 2. c. 43.*

De Electionibus in Hispania post annum Christi millesimum.

I. Cùm Reges Hispaniæ ditiones & Ecclesias suas omnes debellatis Mauris sibi & Christo recuperassent, in diesque recuperarent, magnis hinc privilegiis & juribus gaudebant

II. Quanto Ecclesiæ, tanto restituebantur & invalescebant electiones Cleri, Populi & Episcoporum suffragiis.

III. Monachi, Optimates, Episcopi, Reges ad Episcopales electiones conspirabant.

IV. Nec aliter res habebat in Regno Aragoniæ.

V. In Hispania luculentiùs constat, quàm alibi authoritas Pontificum, quanquam & pacis ergo paterentur sibi quandoque repugnari. Reges ipsi quandoque relaxarunt necessitatem petendi consensus sui.

VI. Jura Pontificum in Episcopos Lusitaniæ.

VII. Mutua inter se Regum & Pontificum consensio, ad reservandos, & dandos Episcopatus.

VIII. Ante Privilegia & Concordata, quibus Nominationes Episcoporum Hispaniæ Regibus tributa sunt, privatis eorundem Pontificum concessionibus iidem Reges eodem utebantur jure.

IX. Refelluntur recentiores Canonistæ, qui jus illud velut individuum Regiæ coronæ inhærere fabulantur.

I. Quanquam historica litterarum monumenta paucissima enatarint ex illa Maurorum inundatione, quæ compluribus sæculis Hispanias omnes obruit, vel ex iis tamen plus satis elucebit, eandem propè & ibi Populo & Clero, Episcopis & Regibus affuisse libertatem in electionibus Episcoporum, quæ & in aliis Ecclesiis obtinuit. Certè Reges illi Provincias, Civitates, Ecclesias omnes suas perdomitis Mauris receperant, eoque speciale jus quoddam fundationis & Regii patronatûs comparaverant. Sed non ii erant Reges Hispaniæ, qui dimidiato beneficio Ecclesiam afficerent: nec liberatores illi sibi visi essent Ecclesiæ, nisi subductæ à servitute Infidelium, totam refudissent antiquissimam libertatem. At vicissim Ecclesia tanti beneficii vicem rependere Regibus studuit, quibus adeo & Pontifices uberrimè infuderunt, quidquid gratiæ, quidquid indulgentiæ concedi patitur Ecclesiæ sanctitas & incolumitas.

Petiit à Gregorio VII. Sancius Aragoniæ Rex, ut assentiretur spontaneæ cessioni Episcopi Aragonii, propter frequentiores jam corporis ægritudines: simul duos offerebat Clericos, suo & Episcopi judicio non impares ei Ecclesiæ administrandæ. *Indicavit nobis de duobus Clericis, quorum alterum in Episcopatum eligi, tuam & ipsius voluntatem atque consilium fore nuntiavit.* Responsum est à Pontifice, Clericos eos defectum natalium pati, eóque irregulares esse; sed alium quempiam eligeret sibi Episcopus, in quem Episcopatûs regimen transfunderet; si post unum autem & alterum annum ex ea ægritudine non convalesceret, & si temporarius hic tum ei Coadjutor satis idoneus videretur, testimoniales ad se Romam litteras mitteret suas, & Episcopi, & Cleri, & tum demum voti sui compotem futurum.
Greg. VII. L. 2. Ep. 50. *Tui, & Episcopi litteris, nec non & sub testimonio Regis.* Ita Pontifex ad Regem. Rex ergo & Episcopus successurum in Episcopatu deligunt, favet testimonio suo Clerus, totum Pontifex ratum facit.

Abbatem quendam idem Papa Episcopum Hispaniæ ordinavit ad preces Regis, & consilio usus
L. 5. Ep. 25 Hugonis Abbatis Cluniacensis. *Abbatem sicut Rex Hispaniæ præcepit, & vos consilium dedistis, Episcopum ordinavimus.* Alphonsus is erat Castellæ Rex, quem Regem Hispaniæ hic Pontifex vocat, & qui paucis pòst annis ad Archiepiscopalem sedem Pontifici præsentavit hominem plurima quidem sapientia, sed litteris nullis. Abnuit id quidem Pontifex, sed suasit ut alium deligeret in regno suo idonea peritia: alioqui aliunde dignum & peritum accerseret, sed in eo delectu uteretur consilio sui in Hispania Legati, & religiosorum regni sui virorum.
L. 9. Ep. 2 *Cum consilio Legati nostri Richardi Massiliensis Abbatis, aliorumque religiosorum virorum, eligatur inde, si inveniri potest.*

II. In hac Ecclesiarum Hispaniæ restauratione post tam diuturnas ruïnas, non facilè poterant id genus electiones celebrari, quæ canonicis prorsus institutis consentirent. Vix populi Christiani reliquiæ supererant, vix novi Cleri rudimenta. Scrupulosi tamen illi Canonum custodes, Gregorius VII.
Appen Epist. Greg. VII Epist. 4. & Alexander II. non ulterius quidquam Arragoniæ Regibus concessere, quàm nominationem ad alias Ecclesias, quas à Mauris recepissent, nequaquam facta copia conferendi Episcopatus. Inde est enim quòd hi Reges ad Pontifices confugiebant, & vota scrutabantur Episcoporum, Cleri, Monachorum. Ea erat species quædam canonicarum olim electionum, inter hæc cunabula renascentis Ecclesiæ Hispanicæ: quæ quò in dies magis magisque roborabatur, eò arctiùs etiam se ad canonicas electionum leges astringebat.

En ejus rei argumentum illustre. Postquam per litteras Paschalis II. Papa Toletano Archiepiscopo præcepit, ut electionem Burgensis Episcopi confirmaret; à Clero & populo ejus civitatis per litteras submonitus est, eam electionem peractam fuisse, inconsulto Rege & populo, solius consilio Archiepiscopi Toletani. *Tuo quidem consilio, sed Rege nesciente, & populo nesciente significabatur electus:* ex adverso autem electionem celebratam esse aliam à Populo, Clero, & Rege, quo germanus Regis frater ad eam assumptus fuerat dignitatem. *Populo expectante, universo Clero consentiente, Rege quoque volente.* Rescripsit Pontifex Toletano, Episcopos ut Pro- Paschal. II.
vinciæ suæ congregaret, eam causam dirimeret. *Com-* Epist. 65.
provincialibus Episcopis convocatis. Vides ut Populus, Clerus, Rex electioni interveniant; ut interveniat & Pontifex, si non aliter dissidia pacari queant: denique etiam tum Pontifex ea judicia refert ad Concilium Provinciæ, ubi olim causæ omnes hoc genus ventilabantur.

III. Cùm Monachi Abbatiæ Leitiensis suum in religiosum secessum admisissent Episcopos Pompe- Mariana.
lonenses, atque ita eos subduxissent incursionibus L. 8. c. 24.
Barbarorum: illis à Papa Joanne XIX. & à Rege Sancio concessum est hoc privilegium, ut soli Episcopum eligerent Pompelonensis Ecclesiæ. Sancii Regis fortitudine & victoriis ubi postea regio illa Christianæ fidei & paci reddita est, in Concilio Provinciali Pompelone habito ejus urbis Episcopus restitutus est pristinæ suæ Sedi. Eadem ipsa de causa, Idem l. 9.
ut alibi retulimus, Episcopi Arragonii, seu Jaccen- c. 5. 17.
ses eligebantur semper ex Monachis Cœnobii Jaccensis, ex statuto Concilii Arragonii anni 1060. In hac certè restauratione Ecclesiæ Hispanicæ Episcopi Hisp. illust.
non raro in Conciliis Provincialibus eligebantur; To. 3. pag.
quòd in Provincia plures essent Episcopi, in mul- 624.
tis autem urbibus rara plebs, nullus ferè superesset Clerus.

Cùm perdiu viduata jacuisset Ecclesia Toletana, eligi tandem cœpit novus in ea Episcopus in Conventu Episcoporum & Procerum, quem Alphonsus Castellæ Rex convocavit anno 1085. *Episcopi & Proceres evocati, in eo conventu, omnium communi suffragio delectus est Bernardus, &c.* Ita Mariana post Rodericum Archiepiscopum Toletanum, à quo enumerantur prædia ingentia & opima, quæ illi Ecclesiæ contulit Alphonsus, novus ejus conditor & parens, qui ejus tamen designare seu eligere Episcopum abstinuit, nisi in Conventu Episcoporum, Abbatum, Monachorum & Procerum. *Convocavit Regni Proce-* Rodo. Vital.
res, & majores Episcopos, & Abbates, & viros Reli- L. 6. c. 24.
giosos. Cumulatissima Ecclesias gratia religiosi Principes isti afficiebant, & earum libertatis fundamenta jaciebant in electionibus Episcoporum, ut verè fundatores dici possent.

IV. Eandem propemodum rationem tenuerunt Arragonii Reges in Ecclesia Insulæ Majoricæ. Qui Balearibus impetitabat Insulis Princeps Sarracenus, eam dono dederat Episcopo & Capitulo Barcinonensi; Barcinonenses Principes & Prælati consenserant, accesserat & confirmatio Apostolicæ Sedis. Cùm deinde consilium iniisset Rex Arragonius constituendi ibi Episcopatûs, & dotandi, acquievere omnes, conveniteque, ut primus ibi Episcopus à Rege designaretur solo; at successores Episcopi

eligerentur ab Episcopo & Clero Barcinonensi cum consensu Regis, utque è gremio accerserentur Barcinonensis Ecclesiæ, vel Majoricensis, aut si fors io eis nemo idoneus occurreret, alia quavis ea Ecclesia. Futuris electionibus necessarius semper futurus erat Regis assensus, sed non ultra duos menses expectandus. Denique eadem cautio adhibenda erat, si quando & in Minorica Iosula Episcopus institueretur, hoc addito, ut civitatis & regionis portio Barcioooensi integra servaretur Episcopo, contemplatione exercituum & impendiorum ejus in ejus Insulæ & urbis expugnatione.

Hisp. illust. To. 3 pag. 76. Ann. 1269. Spicil. to. 7. pag. 212.

V. Postquam eversa funditus Maurorum dominatione, in integrum omnino restitutæ fuere Hispaniarum Ecclesiæ, eadem ibi viguit electionum forma, quæ aliis in Ecclesiis. Eadem in iis Romani Pontifices explicoere jura, forsan & effusiùs, usque ad tempora Petri Castellæ Regis, cognomento Crudelis, de quo hæc habet Mariana. *Episcopos, Militares Magistros, Priorem Hospitalarium instituendi, aliave majora Sacerdotia donandi, nisi Regum accedente consensu, Pontificibus Romanis potestas sublata.* Vehementer se mirari testatur ibidem Mariana, qui assensi sint Pontifices tantæ imminutioni suæ potestatis, cùm ea concordia consuetudini & antiquitati esset adversa. Sed paci videlicet dandum id fuisse, & cedendum ferocissimo Regi, quem priores calamitates & posteriores victoriæ, & quasi duplex insania exagitaret. *Id studio datum publica tranquillitatis, quamvis contra quam moribus erat susceptum, & contra omnia vetustatis exempla. Et miror Pontificem ad cujusquam gratiam passum esse tantum de sua authoritate in Hispania diminui. Sed tanti fuit ea ætate Regis unius vecordiam sanare, malis priùs, deinde victoria multò quàm antea ferocioris.* Quibus ex verbis Marianæ elucescit mira quædam & incredibilis Pontificum authoritas in Hispania.

Ann. 1367. Mariana. L. 17. c. 11.

Huic Petro Castellæ Regi lubet æmulum objicere Petrum alium Arragoniæ Regem, centum admodum & quinquaginta annis superiorem; qui veritus ne quid decerperetur de electionum libertate, si nonnisi de licentia Regum ad eas accedere fas esset, ea necessitate absolvit Ecclesias Regni sui, abundè contentus, si electus sibi, suisque successoribus sisteret se, suæ in Regem fidei id specimen editurus. *Sancta Ecclesia integram libertatem conservare volentes, pessimam consuetudinem à nobis hactenus observatam, qua electionem Prælatorum sine nostro assensu & consilio procedere non permittebamus, amore Dei & Ecclesiæ relaxamus, &c. Liberam eligendi facultatem assensu Regio minimè requisito in perpetuum indulgemus, &c. Hoc solum reservantes, ut liberè electus in signum Regiæ fidelitatis nobis debeat præsentari.* Lubens hoc Edictum confirmavit Innocentius III. Ita providentia Numinis alternis Pontifices Regesque instimulat, ut suo se jure & more antiquo abdicent identidem, ut Sacerdotii & Imperii concordia sempiterna alatur mutuæ indulgentiæ temperamento.

Anno 1206.

Innoc. III. Regest. 10. Epist. 144. Baluz. in l. 8 de Conco. Pet. de Mar. c. 10.

VI. Ut verò referamus nos ad ea quæ Mariana stupebat, concessisse Pontificem voluntati Castellani Regis, & spopondisse abstenturum se Reservationibus & Collationibus Beneficiorum ejus regni sine Regis assensu; minimè mirandum est, id Marianam esse admiratum. Longo enim pòst tempore Eugenius IV. rescribens Alphonso Lusitaniæ Regi, molestius ferenti, quòd Episcopatum Visensem à Rege fundatum inconsulto Rege Pontifex contulisset: monuit illum ex usu tunc per omnes Ecclesias pervagatissimo, ea se potestate ubique terrarum gaudere, ex ipsius Canonici Juris regulis: Reges Angliæ, Hispaniæ, Galliæ Episcopales à se Ecclesias vacantes flagitare, si quibus eas conferri perciperent, & eorum se votis tum obsequi, cùm Ecclesiæ ita conducere consulique judicaret: sed & Ecclesias à se proprio motu donari, ubi ex re esset. *Jura tribuunt Sedi Apostolica & Petri successoribus liberam Ecclesiarum omnium dispositionem, ad quarum regimen eligit & præficit, secundum Ecclesiarum utilitatem, neque requirit consensum Regum, sed disponit, prout dignitas Sedis Apostolica & Ecclesiæ commoditas postulat, &c. Non erravit Visensis Episcopus, si acceptavit provisionem per nos, motu proprio factam, &c.*

Rainal. an. 1430. n. 3.

Non facilè forsan his Eugenii verbis subscripsissent Reges; quin & Capitula ipsa non intra eas se cohibuissent metas, quas & Reges eis & Pontifices præscribebant. Sed æterna illa sapientiæ & charitatis lex, quæ Christi Ecclesiam temperat & moderatur; ita semper dispensat hujusmodi omnes de cujusque jure & potestate præsumptas animo opiniones, pro locorum, temporumque & circumstantiarum aliarum varietate, ut pax & concordia publica rarò disturbetur; & si quæ illam quandoque obumbrent nubeculæ, iis mox difflatis, pulcrior & serenior tranquillitas succedat.

VII. Nec minùs impatienter Castellæ, quàm Lusitaniæ Rex tulit, quòd Pius II. Papa mortuo Legionensi Episcopo, eam Ecclesiam contulit magnæ famæ Theologo Cardinali de Turrecremata. Prohibuit Henricus Rex ne ejus Ecclesiæ possessionem posset capessere.

Rainal. an. 1460. n. 45.

Non raræ tantùm, sed & breves erant hæ dissensiunculæ inter Pontifices & Hispaniæ Reges. Ideo nec ea ex occasione ferè unquam electiones restituebantur. Magni sua illi interesse sentiebant, ut ne dio dissentirent. Occupabat nonnunquam Pontifex, non reservatione, non nominatione Episcopi, sed interpellato Rege ut ipsemet reservaret & daret ei, quem Papa ornatum vellet. Ita Pius II. cum Rege Lusitaniæ, orans ut secum conspiraret: *Cum provisione, quam faciemus, concurrat.* Orans ut oraret pro eo quem provehi esse cuperet. *Et si supplicare pro aliquo intendat, pro Alvaro supplicet.*

Card. Pap. Epist. 77.

Cùm non rarò Reges à Pontificibus provehi eos cuperent, qui meritis destituebantur, hinc ut faciles & propitios illos experirentur, faciles se & ipsi illis exorabilesque exhibebant. Ubi tamen Regum preces omnino ab æquitatis orbita deviabant, nec ulla poterat ratione sarciri injuria, quam Canonibus inferebant, tunc certè Pontifices ita omnia modulabantur arte quadam mirabili sapientiæ & charitatis, ut nec officio deessent suo, nec Reges exasperarent. Laudatus est jam à nobis est Sixtus IV. à quo Rex Arragonum extundere cupiebat, Archiepiscopatum Cæsaraugustanum nepoti ut suo conferret, ætatis adhuc tenellæ. Rescripsit Pontifex Regi, *Pro te pati omnia possumus, sed jacturam animæ facere nec possumus, nec debemus.* Interim verò Cardinalem Regi proposuit, ejus gratia & fide præcipuum, cui eam Ecclesiam commendaret.

Ibid. Ep. 512

VIII. Hinc liquet sæculo xv. in omnibus Hispaniæ Regnis, Lusitania, Castella, Arragonia, aut Reges Pontificibus, aut Pontifices Regibus præsentasse, communique eorum consensione datos Episcopatus, electionibus ex hominum memoria propemodum expunctis. Novum & perillustre exemplum profecto. Avebat Isabella Regina, illa virtutum.

fama, rerumque gestarum laude commendatissima, Toletanum Archiepiscopatum, quo non alius toto orbe splendidior, aut non alius saltem opulentior, Francisco Ximenio Franciscanorum Provinciali, sibique à Confessionibus conferre. Scripsit illa ea de re ad Pontificem, à quo & Rescriptum elicuit, cui hic titulus erat præfixus, *Venerabili fratri nostro Francisco Ximenio, electo Toletano.* A viro religiosissimo Ximenio repugnatum est per sex menses, nec cessit tandem nisi abrupto Papæ imperio. Ea utique, ut ea titulo liquet, Provisio Papæ electionis locum obtinebat. Unde & idem Pontifex Alexander VI. Ximenio non multò pòst in hæc verba scripsit. *Sedes Apostolica te de inferiori statu ad Archiepiscopalem dignitatem evexit.*

Gomez. l. 1. de gestis Ximenii.

Illud rursum hinc existit, ante Concordata, quibus nominatio ad Episcopatus & Abbatias Regibus conceditur, usum ipsum eundem admodum fuisse, atque pòst Concordata: nisi quod crebriores essent & dissensiunculæ, & gratiæ redintegrationes ultro citroque. A Mariana animadversum est, uno maximè verbo constare totam illam discrepantiam. Ante enim pro Episcopatibus Pontifici Reges supplicabant, nunc nominant. Vide ut luculentus Scriptor de Adriano VI. disserat, qui Pontificiam dignitatem Carolo V. debere ferebatur, & qui illi nominandorum Episcoporum potestatem contulit. *Adrianus VI. in gratiam Caroli alumni, cui debebat Pontificatum, ei & successoribus concessit lege perpetua jus præsentandi Episcopos Hispaniæ, qui antè ad eorum supplicationem precario à Pontificibus Romanis instituebantur.*

L. 26. c. 5.

Hoc ipsum jam suprà affirmaverat idem Mariana, quando justissimis laudibus prosecutus Sixti IV. constantiam in refellendis precibus Ferdinandi Regis Arragonum, & insimulata mox ejusdem postea Pontificis mollitie, ubi assensus est tandem dari eam Ecclesiam in Commendam nepoti regio quidem, sed notho, & sexenni tantùm: subdit denique ut culpam elevet utcumque, quæ non potuit tamen non esse gravissima, non alios tunc præfuisse Hispanicis Ecclesiis Episcopos, quam quos Reges Pontificibus nominabant. *Et erat ea tempestate moribus usurpatum, ne Episcopi Ecclesiis Hispaniæ darentur, nisi quos Reges postularent, nominarentque.* Affirmat id quoque privilegii Regibus Castellæ à Sixto IV. concessum fuisse. *Regibus Castellæ in perpetuum, ut quos ipsi expetiissent, ii Episcopi præficerentur, addita prærogativa.*

L. 24. c. 16

IX. Nec pluribus opus est, ut confutetur Salgadus, aliique Hispanorum Jurisconsulti, qui non his Pontificum innituntur Concessionibus ad Regias Episcoporum Nominationes stabiliendas. Altiori ab origine rem repetunt, quasi hoc agnatum insitumque sit jus coronæ Regiæ, uni Deo obnoxiæ; aut certè profectum à victoriis in Sarracenos reportatis, atque ita quasi conditis de novo, fundatisque à se, & mox magnificè dotatis Ecclesiis. Familiare illud cum primis est Canonistis & Jurisconsultis posterioris ævi, uni suorum temporum disciplinæ oculos animosque advertere, superiora sæcula fingendo ad illam accommodare, & arbitratu suo comminisci, vel pro affectuum privatorum ingenio fabricare eas rerum occasiones & causas, quas nec vestigare, nec invenire jus fasque est, nisi in historicis, Synodalibus, aliisque id genus antiquis litterarum monumentis. Sapientius feliciusque Mariana priores revolvit, retexuitque ætates, de quibus historica fide ea posteris tradidit, ex quibus certissimè concludatur, non tantopere laboraturos fuisse Catholicos Hispaniæ Reges, ut à Sede Apostolica ea impetrarent Privilegia & Concordata Regiarum ad Prælaturas nominationum, si illis præjudicatum fuisset, Regiæ suæ coronæ primæva ab origine jus illud insertum concretumque fuisse.

CAPUT XXXVI. *P. 4. l. 2. c. 44.*

De Electionibus in Italia, post annum Christi millesimum.

I. Quid sibi juris vel haberet, vel sumeret Papa in electione Abbatum Cassinensium.

II. Libertas electionum Episcopalium in Italia sub Gregorio VII.

III. De Abbatum electione, & nominatione ab Imperatoribus.

IV. De jure Investiturarum.

V. Episcopatus Cardinalibus addictos primos omnium donarunt Romani Pontifices. Cur.

VI. Liberè constabant electiones, sed & persæpè illis interferebantur nominationes Imperatorum, vel Pontificum.

VII. Summa electionum libertas in Italia sub Innocentio III.

VIII. Tentatum aliquoties à Pontificibus, ut ab exigendo petendoque consensu Regio supersederetur.

IX. Quando, & quibus causis, vel occasionibus Pontifices reservarint sibi in Italia Episcopatuum provisiones.

X. Ex historia Pii II. probatur, Pontifices, vel sibi sumpsisse, vel Regibus concessisse nominationes Episcoporum, vel consensisse, ut quos Reges nominassent, illis ipsi conferrent, Optatum Cardinalibus, ne id fieret nisi de consilio suo.

XI. Nova exempla Pontificiæ nominationis ad Prælaturas Italiæ.

I. QUanquam liberius in Italia, quàm alibi gentium dominaretur Pontificum authoritas: non illi tamen unquam electionibus intercesserant, sive Episcoporum, sive Abbatum usque ad annum 1057. quo Cassini Montis Abbate præter Pontificis, præter Imperatoris assensum electo, ea de causa Pontifex apud Imperatorem expostulavit. *Nequaquam absque suo & Imperatoris nutu electionem illam celebrari debuisse.* Contendebant ex adverso Monachi Cassinenses liberam semper fuisse Abbatis sui electionem, nec ad Pontificem pertinere, nisi jus ejus confirmandæ. *Sed electio libera semper Monachis fuerit, sola confirmatione ad Papam pertinente.* Qui tamen electus fuerat, coactus est semet ipse abdicare, postquam gravissimè peccatum est à Monachis, armata manu aggressis tueri electionem, quo tempore à Papa examinabatur. Ejus loco electus est Fridericus, quem confirmavit Papa, & sacro Ecclesiæ Romanæ Cardinalium murice exornavit; moxque vita hac mortali defunctus, successorem habuit, nomine Stephanum X. Cassinensis is Abbas erat, & ubi postea ad Petri sedem evectus est, Cassinensem quidem alium voluit eligi Abbatem; non tamen passus est, ut se superstite in possessionem ejus dignitatis & Ecclesiæ mitteretur.

Leo Ostien. L. 2. c. 95.

Idem. L. 3. c. 9.

Ultrà progressus est Honorius II. Rescito enim nonnihil dissensionis fuisse in electione Abbatis Nicolai, Gregorium Cardinalem eò ablegavit, ut eligi curaret Præpositum Monasterii Capuani, Seniorerum nomine. Novæ huic servituti repugnarunt Monachi, *dicentes non debere Abbatis Cassinensis electionem in alterius potestatem transire.* At Ecclesias omnes Romanæ Ecclesiæ subjectas & obsequentes esse debere intonuit illis Gregorius Cardinalis: *Quænam Ecclesia, vel Monasterium à Romana Ecclesia non disponatur arbitrio?* Cassinensem Ecclesiam à

Gregorio & Zacharia Romanis Pontificibus extructam fundatamque fuisse, immo & ab Agapeto restauratam, postquam à Sarracenis incensa fuerat. *Cassinensem Ecclesiam non alii, quàm Romani Pontifices extruxerunt, &c.* Electum suum tuebantur Monachi, sed rem tam præposterè ille administravit, ut non multò pòst exauthoratus sit, tumque in locum ejus electus est, quem Pontifex nominarat.

Sed longè exitialior procella in Cassinense Cœnobium incubuit anno demum 1136. & 1137. cùm pestifero schismate Petrus Leonis Ecclesiam dilaniaret, ejecto Innocentio II. Pontifice. Importuna enim ea tempestate in partes Petri Leonis Pseudopontificis abrepti sunt Cassinenses, seu Rogerio Comiti ut assentarentur, seu ne ab eo expilaretur Ecclesiæ suæ sacrum penu & opulentissima supellex; quin & schisma domesticum conflatum est, scissis Monachorum studiis in duos Abbates. Necessum ergo fuit, ut eò convenirent Pontifex & Imperator, & præsentiæ suæ splendore illos dissensionum turbines discuterent. Tunc sanè famosa instituta est ibi disceptatio de jure, quod sibi sumebat Pontifex, & de quo ei controversia fiebat, in electione Abbatis Cassinensis. Lotharius Imperator Monachis patrocinabatur, quamvis vel tunc Pontificiæ observantiæ, & reverentiæ retinentissimus. Urgebant Cardinales, hoc saltem lapsu suo fœdissimo in schismaticorum partes Monachos suo excidisse jure eligendi. At delinitus tandem ab Imperatore Pontifex, legi & examinari jussis privilegiis omnibus, quæ illi Abbatiæ Pontifices & Imperatores contulissent, ut ad ea hujus causæ definitio attemperaretur: concessit Monachis plenissimam eligendi sibi Abbatis libertatem, servata sibi confirmandi potestate, Imperatori autem quadam veluti investitura. *Victus rationibus Pontifex, Cassinensis Abbatis electionem fratribus, ordinationem Lothario Imperatori, ejusque successoribus concessit, atque firmavit, sibi verò suisque successoribus Abbatis confirmationem.*

Ibidem. L. 4. c. 91. 95.

Chron. Cass. L. 4. c. 112. 114.

II. Cassinensi Ecclesiæ præfuere aliquando pro Abbatibus Episcopi. Ita potuit de hac electione inter Episcopales à me disputari: cùm ejus Ecclesiæ authoritas & potestas longo intervallo plures alias etiam Episcopales post se relinqueret. Hinc studium Papæ, ut & ipse in ea jura sibi sua vendicaret. Tunc electiones summa libertate in Episcopalibus Ecclesiis omnibus celebrabantur. Rescita Gregorius VII. Firmani Episcopi morte, Clerum ejus urbis, populumque per litteras admonuit, ejus administrationem à se Archidiacono commendatam, donec de sedis Apostolicæ & Imperatoris consilio & assensu Episcopus ibi institueretur. *Totius Episcopatus procurationem Archidiacono commisimus, donec cum nostra sollicitudine, tum Regis consilio & dispensatione, idonea ad Episcopalem dignitatem persona reperiatur.* Cùm Feretrini, & Eugubini Episcopo orbati essent, ad Clerum Populumque scripsit earum urbium idem Pontifex, delegari ad eos à se Abbates duos, ut cum ipsis & ex ipsis eligere contenderent Episcopos tanto muneri obeundo idoneos: aut aliunde tandem, si inter ipsos nulli essent pares. *Ecclesia Romana filios ad vos misimus, ut personam vestra electione collaudatam & canonico decreto probatam, nobis ad ordinandum quantocius studeant præsentare.*

2. Ep. 38 41.

Communicato idem ipse cum Volterranis consilio diutissimè desudavit ut idoneum ipsis Episcopum provideret: duos tandem illis assentientibus misit Episcopos, ut electio perfici & confirmari posset. *Quia in personam Mantuani Archipresbyteri, & nostra consilia, & voluntas eorum, qui de illa Ecclesia sunt, convenit, monemus ut qualiter generalis electio fiat ab omnibus procuretis.* Apocrisiarios Aquileiam misit, qui electionem excuterent à Clero & Populo factam, & examinarent. *Clerus & Populus Aquileiensis Ecclesiæ nunciaverunt nobis se elegisse, &c.* Episcopum quidem ipse forsan suo arbitrio dedit Ravennati Ecclesiæ: sed nonnisi postquam diutissimè viduata, sacrilegis & infandis ab usurpatoribus divexata fuisset: cùm non aliter tunc posset illa subduci huic servituti, quam ut illam quondam Petrus idololatriæ subduxerat, misso Apollinari. *Fratrem nostrum quem post longas & innumeras pervasorum occupationes nuperrimè, sic ut olim à beato Petro Apollinarem, ita hunc Ravennas ab Ecclesia Romana meruit recipere.* Interpellatus ut confirmaret electionem Episcopi Melitensis & Trojani, primam confirmare abnuit, quòd eam Ecclesiam rescisset ab Rhegiensi Metropolitano pendere: alteram confirmavit, quanquam præter morem, nec assensus suus postulatus esset, nec Nuncius eius affuisset suus: statuto duntaxat, ne posthac hæc omitterentur, quæ prætermissa tum fuissent: *Licet electioni ejus hoc defuerit, quòd Legatus Apostolicæ sedis & consensus noster non affuit, &c.* Hinc edocemur, in Episcopalibus Ecclesiis Romanæ Metropoleos, necessarium fuisse Papæ consensum, utque Nuntius ejus electionibus interesset aliquis. Cùm enim præesse Metropolitanus iis deberet ex Canonicis institutis; hoc duplici jure frui etiam debere videbatur, ut censeretur præesse. At Pontifex hoc utroque jure sibi temperabat in Ecclesia Melitensi, utpote Rhegiensi obnoxia Metropoli.

L. 5. Ep. 3.

Ibidem. Epist. 5. 2.

L. 8. Ep 14.

L. 9 Ep 24.

III. Ad Clerum Populumque Faventinum litteras dedit Petrus Damiani, hortatorias ne præfestinè Episcopum antè eligerent, quàm advenisset Imperator, qui consopiret omnes inter eos dissensiones. *Ut non eligatis Episcopum, usque ad Regis adventum, qui scilicet, & errorem tollat, & vos & Ecclesiam vestram, sedatis undique jurgiis, in pacis tranquillitate disponat.* Suadebat etiam, ut Pontificem orarent ne dare ipsis Episcopum adproperaret. *Rogandus est Papa, ut Episcopum vobis modò non ingerat;* sed ut Diœceseos administrationem commendaret Clerico inter eos præ cæteris experientissimo: addens iturum se, ubi opus foret, ea administraturum, quæ soli possunt obire munia Episcopi. Videat ut vir Canonum peritissimus, zeloque castioris disciplinæ, & Ecclesiasticæ libertatis exæstuans, censeat præsentiam Imperatoris electionibus quandoque, non tolerandam, non utilem tantùm, sed & necessariam esse.

L. 5. Ep. 10.

Eam tum quidem Imperatores sequebantur in his rationem, qua sanctius nihil optari posset. Testem profero Ottonem III. Imperatorem, qui anno 996. Abbatem dare volens Classensi ad Ravennam Abbatiæ, liberam permisit Monachis electionem. *Abbatiam Classensem ordinare desiderans, optionem fratribus dedit, ut quem ipsi vellent, indubitanter eligerent.* Hæc erat Imperatorum, qui se exteriores Ecclesiæ Episcopos profitebantur, eligendorum Episcoporum & Abbatum ratio. Illud erat quod tum his verbis significabatur, *ordinare Ecclesiam:* ubi ea potestate laïci Principes impertiebantur. Cùm Monachi iidem Classenses Romualdum elegissent sibi Abbatem, Imperator ipsemet ad ejus Cellam perrexit, coëgitque ut acquiesceret, interminatus Concilii Provincialis anathemata. *Rex anathema ab omnibus Epis-*

Petr. Dam. in vita beat. Romu. c. 22. 23. 25.

copis, Archiepiscopis, & toto Synodali Concilio numeretur. Non placuit Monachis suis Romualdus: ei verò quò justiùs, eò vehementiùs Monachi sui displicuerunt. Venit ergo ille, & Pedum Imperatori & Archiepiscopo Ravennati resignavit. *In utriusque conspectu virgam projecit.* Hæc Petrus ipse Damiani in vita B. Romualdi. Oravit Romualdus ipse Abbatiam sibi dari ab Imperatore Henrico, & exoravit. Nec stupeas, si Abbatias dispensaret Imperator, cùm authore eodem ipso Petro Damiani, dicatur idem Henricus Imperator ea donatus fuisse potestate, ut ejus authoritate electio Romani Pontificis regeretur. *Ut videlicet ad ejus nutum sancta Romana Ecclesia nunc ordinetur, ac præter ejus authoritatem Apostolicæ Sedi nemo prorsus eligat Sacerdotem.* Opusc. 6. c. 36. Admiranda planè hic donatus est ea potestate Imperator, quòd simoniam ab electionibus omnino abstersisset.

IV. Ad solam Romanam Sedem spectabat hoc Privilegium pio tunc Imperatori concessum; quod non multò pòst utique revocatum est, ubi qui in ejus dignitatem successere, à pietate, religione & modestia ejus deviarunt. Ita investitura laica aut mera fuit usurpatio, aut temporaria Ecclesiæ tolerantia: aut si quam ei juris speciem velis appingere, qui eo fruebatur Princeps, nec obesse liberæ electioni poterat, nec adesse. Ita enim Paschalis II. Epist. 3. ad B. Anselmum. *Alienum est ab Ecclesia, & à sacris Canonibus inhibitum, ne Principes & sæculares viri investituras non solùm dare, sed nec electioni Episcoporum audeant se violenter inserere.*

V. Non alios antè à Pontificibus datos Episcopatus, quàm Titulos Episcoporum Cardinalium, satis probabiliter conjectamus. Cùm urbes eæ essent raro populo, nulloque penè Clero: cùm splendore Cardinalatûs jam ferè obscuratus esset Episcopalis dignitatis fulgor: hos Cardinalium Episcoporum Titulos æquè dispensabat Papa, ac cæteros Presbyterorum & Diaconorum. Adde quòd cùm Cardinales, præsertim verò Cardinales Episcopi Coadjutores sint & cooperarii Papæ in tractandis Ecclesiæ universalis gubernaculis, æquissimum erat, ut non ab aliis magis, quàm ab ipso & à sacro Collegio eligerentur. Id observatum est à Petro Venerabili Abbate Cluniacensi, dum verba facit de inclyto illo Cluniacensi Monacho, quem Honorius II. anno 1126. Cardinalem Albanensem creavit. Baron. ann. 1126. n. 3. *Injungit ei Papa Honorius majoris honoris & oneris pastoralem curam, & eum labori suo sociam adhibens, in Episcopum Albanum consecrat.*

VI. Quando anno 1137. Sedem Episcopalem Beneventanam Innocentius II. Metropolitico auxit culmine, novum nominasse Archiepiscopum probabiliter creditur; sed illum Clero & Populo propositum Civitatis, ut posset à quolibet recusari, siqua gravi labe fama ejus claudicaret. Baron. ann 1137. n. 12. *In conspectu Cleri & Populi Beneventani clamavit, ut si quis contra personam & electionem Gregorii Beneventani electi canonicè & rationabiliter opponere vellet, libera fronte opponeret.* Approbata eo modo electi innocentia, à Pontifice ordinatus est.

Ejusdem modi, aut non multùm dissimilis fuit Archiepiscopi Ravennatis electio, ubi Fridericus I. Imperator in Italiam profectus est. Scripsit ipsemet ad Adrianum IV. Papam, ne diutiùs tanto Archiepiscopo sua careret Aula. Baron. an. 1159. n. 2. *Ne Curia nostra tanto diutius careret Principe:* elegisse se ad eam Ecclesiam filium Comitis Blandratæ: *quem vos in Clericum Ecclesiæ Romanæ, & filium, nostra petitione assumpsisse recordati sumus:* ut habetur in illis litteris: cæterùm electum eum fuisse universa ab Ecclesia Ravennate, astantibus Legatis Imperatoris & Papæ: *In electione illius concorditer & voluntariè universa Ravennas convenit Ecclesia, præsentibus Legato vestro & nostro.* Justas sibi causas esse existimavit Pontifex non confirmandæ ejus electionis. Sed ea repulsa exulceratus Imperator, miras postea tragœdias excitavit. Electus erat Subdiaconus Ecclesiæ Ravennatis, Ravennas autem Metropolitanus Sedi Apostolicæ immediatè suberat. Duplici illa ex causa confirmatio Papæ requirebatur. Sed inde patet electiones adhuc vim suam in Italia sospitem retinuisse, etsi non raró, seu Regiis, seu Pontificiis nominationibus permiscerentur.

Cùm Placentinus verò Episcopus à Civibus suis apud Apostolicam Sedem gravissimis criminationibus impetitus, Episcopatum in manus Adriani IV. resignasset; Pontifex Placentinos Cives, qui Romam delegati fuerant, compulit Romæ Episcopum sibi eligere; paruerunt illi, electum ipse confirmavit. *Nos participato fratrum consilio, dilectis filiis nostris Clericis & Laicis civitatis vestræ, qui pro eodem negotio à vobis fuerant destinati, concessimus facultatem eligendi.* Epist. 34. 35.

Cùm Alexander III. novam civitatem Alexandriam Episcopali solio decorasset, non expectata electione Episcopum ipse in ea instituit. Factum excusavit ipse postea datis ad Clerum litteris, quibus sanctissimè affirmat necessaria tum quidem de causa id factum esse, in posterum verò vendicatum illis iri eandem eligendi libertatem, qua cæteræ omnes Provinciæ Mediolanensis Ecclesiæ in commune fruerentur. *De novitate & necessitate processit, quod nullà præcedente electione, authoritate nostra, vobis & Ecclesiæ vestræ electum providimus, &c. Statuimus ut non præjudicetur in posterum, quominus electionem liberam habeatis, sicut Canonici Cathedralium Ecclesiarum, quæ Mediolanensi Ecclesiæ subjacent, &c.* Baron. an. 1180. n. 3. 4.

Plusculum certè concedebant Pontifices earum electionibus Ecclesiarum, quæ Romanæ Metropoleos suffraganeæ non essent. Ideo & idem Pontifex, cùm Aquensem Episcopum & Episcopatum Alexandriam translatum cuperet, eam curam Archiepiscopo Mediolanensi demandavit, cujus ea erat Provincia & Metropolis. Vides porro, ut & creatio novorum Episcopatuum, & translatio Episcoporum frequens esset vel occasio, vel causa, ut Pontifex Episcopos suo nutu deligeret.

Nec minùs frequentes eæ causæ scatebant à depositionibus Episcoporum. Baron. ann. 1163. Senatus Populusque Florentinus legarunt ad eundem Alexandrum III. Papam, ut Episcopum suum gradu canonico judicio dejiceret, ut qui nequissimè convictus esset simoniæ, stupendo prorsus miraculo Monachi Cœnobii sancti Joannis Gualberti, qui igneam pyram illæsis prætergressus erat vestigiis. Nec dejici tantùm illum orabant, sed & successorem à Pontifice dari. *Velit Episcopum ea dignitate privare, & alium substituere.* Surius die 12. Jul n. 18. Hæc habet author vitæ beati Joannis Gualberti.

VII. Extra has autem insolitas causas, ingenuè fatendum est viguisse adhuc in Italia electiones ineunte sæculo XIII. quanquam coarctatum esset jus suffragii ad solum Cathedralium Ecclesiarum Clerum, ad Abbates, ad Capellanos & ad Episcopos Provinciæ conjunctim cum Canonicis, ad nullam jam earum partem vocatis populis. Cùm in tres partes scissa esset Mediolanensis Ecclesia, ubi

de eligendo Archiepiscopo agebatur: eò delegavit Innocentius III. Abbatem & Archidiaconum, ut ipsi inquirerent, & se certiorem facerent, an ea illi Ecclesiæ insolita esset consuetudo, ut Abbates, Præpositi & Capellani jure suffragii æquè ac Canonici gauderent: an non singuli quidem ipsi, sed singulorum collegia singula promererent suffragia; an præstò essent tantùm, nec in suffragia vocarentur; denique an Episcopi etiam suffraganei in creationem Metropolitani sua conferrent suffragia.

Regest. 15. Epist. 233. *Utrum de antiqua & probata consuetudine, omnes & singuli, tam Abbates, quàm Præpositi, ac etiam Capellani, parem cum Ordinariis in electione vocem habeant. Et si non omnes, nec parem, qui & quantam, utrum videlicet qui in singulis ordinum, sed in ordinibus singulorum sit paritas attendenda; vel potius jus eligendi penes Ordinarios tantùm resideat, & cæteri propter honestatem solummodo vocari consueverunt ad cautelam, &c. Quid potestatis aut juris habeant Episcopi suffraganei.*

Idem ipse porro Innocentius deposito Melfensi Episcopo, Capitulo Cathedrali copiam fecit eligendi successoris. Cùm rescisset autem frequentissimas dissensiones Ecclesiarum Alexandrinæ & Aquensis, quarum geminis Cathedralibus unus erat & communis Episcopus, constituit, ut convenirent duo Capitula, ubi celebranda foret electio, electum autem Metropolitanus Mediolanensis confirmaret; Vel electores eligerent, hoc est, Compromissarios; vel Procuratores Romam mitterent, quibuscum communicato consilio Pontifex constitueret, qui illis Episcopus conducibilior esset. *Aut electores eligant, &c. aut Procuratores idonei ad Sedem Apostolicam dirigant, per quos recipiant in Episcopum, quem Romanus Pontifex eis duxerit concedendum.* (Rainal. an. 1206. n. 140.) Infinita quædam aliquando dissentiendi & altercandi libido, partes cogebat, ut totam eligendi Episcopi curam in Pontificem unum conferrent. (Surius die 16. Maii. n. 6.) Ejusmodi fuit electio B. Ubaldi Episcopi Eugubini, sub hoc eodem Innocentio III. Papa.

VIII. Ad Italiam referri potest, quod Pontificii Legati à Comite Tolosano Raimundo & à Consulibus Avenionensibus expresserunt in Concilio Montiliensi anno 1209. quodque Pontifices Romani observari fecerunt, locis in omnibus stricta sibi obedientia obligatis: videlicet ne potestates unquam sæculares sacris se interfererent electionibus. (Can. 8.) *Electioni Episcopi, vel alterius Rectoris Ecclesiæ facienda, per me vel per quamcumque personam, me nullatenus immiscebo.* Quod confirmatum etiam fuit in Concilio Avenionensi ejusdem anni 1209. præsentibus & præsidentibus Papæ Legatis.

IX. Proximè sequenti Capite, ubi de Sicilia agemus, ostendemus tum cœpisse Pontifices electiones suspendere, & Episcopatus sibi reservare, cùm eò compulsi sunt iis bellis, quorum occasione Episcopi insurgebant in Apostolicam Sedem, & in Principes Regiæ Francorum prosapiæ, quibus tum Pontifices Siciliam vindicabant. Easdem artes tentavit Bonifacius VIII. ut Gallicanæ Ecclesiæ Episcopales suspenderet electiones, donec Philippus Pulcher ad ea se consilia converteret, quæ Pontifex cuperet. (Rainal. an. 1303. n. 39.) Sed ii conatus inauspicati fuere. Primus omnium Joannes XXII. anno 1322. reservavit sibi collationem Episcopalium sedium omnium in Provinciis Aquileiæ, Mediolani, Ravennæ, Genuæ & Pisarum, propter interminabiles dissensiones, quæ ibi conflagrabant omnibus in electionibus, dum Pontifices Avenione sederent, & per eorum absentiam (Rainald. in Append. Tom. 15.) intestinis dissidiis universa laceraretur Italia. Præ se ferebat Joannes temporarias esse eas translationes, dum detumescerent procellæ & bella sedarentur in Longobardia; ut tum demum possent electiones pristinæ & libertati restitui, & paci. *Donec favente Domino, sublata procella temporis impacati, eisdem Ecclesiis plena in eligendo securitas ministretur.* (Rainal. an. 1343. n. 83. 84.) Clemens VI. ut partes roboraret Roberti Regis utriusque Siciliæ anno 1343. reservavit sibi provisiones omnes Episcopatuum, Abbatiarum, & Collegialium Ecclesiarum, non Siciliæ tantùm, sed & regni Neapolitani.

Refertur verò à Theodorico de Niem, postquam Carolus Dyrrachenus utramque Siciliam invasit in Reginam Joannam, Urbano VI. infensam, cujus partibus innexus erat Carolus; Cardinalem Legatum Urbani in Sicilia sævisse in Episcopos & Clericos, qui Reginæ studuissent; ab Urbano verò datos illis omnibus successores. (De Durac. L. 1. c. 26.) Uno die creatos ab eo Archiepiscopos vel Episcopos triginta, omnes Neapolitanos, omnes nimirum qui Carolo suffragati fuerant, ut Neapolin invaderet.

X. Ante electionem Pii II. anno 1458. in sacro Cardinalium Collegio multa consultata sunt, multa decreta, quibus moliebantur, adeoque sperabant futurum illigare & constringere creandum Pontificem. Præ cæteris illud erat memorandum, ut nonnisi ex consilio & suffragiis Cardinalium, immo & ex majori numero suffragiorum, Pontifex vel Episcopos nominaret, vel Abbates; vel Regibus, aliisve Principibus permitteret ut nominarent; vel denique illis sponderet, reciperetque se non nominaturum, nisi ex eorum sententia & votis. *Nullam provisionem faciet de Ecclesiis Cathedralibus, Abbatiis, &c. Nullam facultatem præsentandi aut nominandi ad Ecclesias Cathedrales concedet Principibus, &c. Nullam Bullam concedet, per quam astringat se Principibus, quod nullas Ecclesias Cathedrales, aut Monasteria conferet, nisi de ipsorum beneplacito.* (Rainald. ann. 1458. n. 6.) Eò redibant omnia. Aut enim Pontifex Episcopatus dabat, ut in Italia: aut Principibus annuebat, ut nominarent; aut spondebat ex eorum se voluntate nominaturum extra Italiam. Ubi extra has metas egrediebantur Pontifices, varios in scopulos incurrebant.

Quin & in Italia quandoque ipsa eis repugnabatur. Cùm anno 1460. Pius II. Episcopatum Papiensem contulisset Amanuensi suo Jacobo Lucensi: is fuit sapientiæ laude celebratissimus Cardinalis Papiensis, toties laudatus, toties & laudandus adhuc à nobis: (Rainald. ann. 1460. n. 55.) Franciscus Sfortia Mediolanensis Dux vehementissimè renisus est; nec minis abstinuit. Fregit tamen ejus contumaciam constantia Pontificis. Commentarios hujus Pontificis, qui Gobelino tribuuntur, si consulas, perspicies ut dati sint ab eo Episcopatus Patavinus, Feltrensis, Ferrariensis, Anconitanus, Venetus. Observatum ibidem est, à Senatu Veneto expetitum fuisse, quem ei Civitati Pontifex præfecit. Ut etiam non constantiæ tantùm, sed & moderationis ac charitatis specimen ederetur, certior factus idem Pontifex Ferrariensis Episcopi labores omnes irritos & infrugiferos cadere, ex alienato Ducis animo, illum ad Feltrensem transtulit Episcopatum. *Episcopum Ferrariensem, cum suis ovibus, Principis odio, prodesse non posset, ad Feltrensem transtulit.* (Gobel. l. 4.) Tradit verò Cardinalis Papiensis, non minùs infracto fuisse animo eundem Pontificem in Mutinensem Ducem, atque in Mediolanensem fuerat, ut Episcopum Mutinensem sua excuti sede ne pateretur. (Cardi. Papi. Epist. 149. 162. 170. 171.) Agit & alibi de

Abbatiis, quibus eum Papa donaverat. Unam poposcerat ab eo Dux Mediolanensis, quæ in Civitate Papiensi sita erat. Sed à Pio jam concessa fuerat eidem Cardinali.

Rainald. an. 1484. n. 33. 34. Idem anno 1486. n. 13. 14. 36.

XI. Post Sixti IV. obitum jurarunt Cardinales in eorundem observantiam Decretorum, quibus futuros constringere Pontifices tentaverant antè creationem Pii II. Ubi pacis fœdus iniit Innocentius VIII. cum Ferdinando Rege Neapolitano anno 1486. utrique convênit, ut Episcopatus, & alia Regni Neapolitani Beneficia à Pontifice conferrentur. *Quod Episcopatus & Beneficia Regni Neapolitani distribuantur per Papam.* Ægrè patiebatur Venetorum Respublica Patavinæ Ecclesiæ possessionem ab eo Cardinali capessi, quem Papa nominarat; enixiusque poscebat, ut ei committeretur illa Sedes, quem sibi præfici ipsa cupiebat civitas. Pontifex in hæc verba illis rescripsit: *Deus quæ ab Ecclesia disponenda sunt, non ad sæculi potestates, quas Ecclesia sua Sacerdotibus voluit esse subjectas, sed ad Sacerdotes pertinere voluit.*

Constat indubitatissimè Principes Italiæ arrogaturos sibi fuisse nominationes omnium Beneficiorum, nisi eorum conatus retudisset Pontifex, novamque invexisset rationem ea conferendi, ex qua, quoniam electionibus per depravatissimos hominum mores jam locus esse non poterat, elucesceret non terrenas potestates, sed Ecclesiasticas, dandorum Ecclesiis Pastorum jus utrimque obtinere. Præter superiùs congesta exempla novum hic adjiciam.

Rainald. an. 1487. n. 12.

Nova quædam jurgia emersere inter eundem Innocentium VIII. & Ferdinandum Regem Neapolitanum, qui Beneficia à se dispensari debere causabatur, ut qui civium suorum merita & vires probè nosset; non à Pontifice, cui minùs explorata eorum esset, & vita & industria. Ita ne contra Apostolicos Canones terreni Principis nutu sacræ dignitates distribuerentur, necesse fuit, ut eam ad se Pontifex potestatem pertraheret.

CAPUT XXXVII. *P. 4. l. 2. c. 45.*

De Electionibus in Sicilia post annum Christi millesimum.

I. Siciliæ Regibus ab Adriano IV. id conceditur, ut citra eorum assensum fieri, vel perfici non possint electiones Episcopales.

II. Revocatur illud privilegium, ob vim ab his Regibus frequentissimè electionibus allatam.

III. Reges ipsi Siciliæ, illi certè qui Regia Francorum stirpe prognati fuerunt, profitebantur solenniter, nullum suum opperiendum esse consensum, seu faciendis, seu confirmandis electionibus.

IV. Quo tempore & qua demum causa reservati Pontificibus fuerint Episcopatus Siciliæ.

V. De Regno Sardiniæ.

I. NOn is ego sum, qui ventilandæ me implicem spiritali Regum Siculorum Monarchiæ. Ut meo serviam instituto, nec ultra eos fines exspatier, id observabo, circa annum Christi 1159. Adrianum IV. pepigisse cum Vuilelmo Siciliæ Rege, ut electiones liberas esse vellet, eo contentus, ut ejus flagitato assensu confirmarentur.

Baron. an. 1097. n. 66. & an. 1156. n. 5.

Electiones secundùm Deum per totum regnum canonicè fiant, de talibus quidem personis, quibus vos & hæredes vestri requisitum à vobis præbere debeatis assensum. En verba ipsa diplomatis Vuillelmi Regis: *De electionibus quidem ita fiet. Clerici conveniant in personam idoneam, & illud inter se secretum habebunt, donec personam illam excellentiæ nostræ pronuncient. Et si persona illa de proditoribus, aut inimicis nostris, aut hæredum nostrorum non fuerit; aut magnificentiæ nostræ non extiterit odiosa, assensum præstabimus.*

II. Nil periclitari primò videbantur electiones ab hoc Regum assensu. Sed ea potestate tam impotenter usi sunt Siculi Reges, ut per Pontifices revocanda tandem fuerit. Exclamavit quam justè, tam vehementer Petrus Blesensis adversùs Capellanum junioris Siciliæ Regis, datis ad eum litteris, quòd Regiæ non moderamen esset, non intercessisset intemperantiæ, in nuperâ maximè Episcopi Agrigentini electione. *Intendit episcopare fratrem Comitis, & ipsum reclamante Capitulo violenter intrudit.* Regia adolescentuli intemperias in ejus Eleemosynarium refundit Petrus, quod ab eo non cohiberetur. Epist. 10.

Goffridus Monachus Rogerio Comiti ascribit fundationem, seu dotationem complurium Siciliæ Episcopatuum. Quocirca & Episcopos eos nominabat Comes. At cùm non fundarentur, vel dotarentur eæ Ecclesiæ, nisi restitutis iis rebus, quas olim possedissent: hinc penes Ecclesiam jus fuit semper electiones iis nominationibus subrogandi.

Hisp. Illust. To. 3. pag. 333.

Ubi Innocentius III. Constantiæ Imperatrici, filioque ejus Juniori Frederico II. Regnum Siciliæ confirmavit: ab iis quoque vicissim id expressit, ut confirmarent electiones, & primigeniam in libertatem restaurarent. *Electiones Prælatorum liberè & canonicè fiant, &c.* Confirmatum est ab eodem Rege idem Decretum anno 1213. ne ipso quidem tum dissimulante ab antecessoribus suis Regibus contumeliosissimè habitas, oppressasque fuisse electiones. *Illum volentes abolere abusum, quem quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dignoscuntur, decretum de electionibus Prælatorum concedimus, &c.* Eo Friderici Edicto assensus Regius siletur omnino. Certum est tamen anno 1226. expostulasse Fridericum eundem, quod Honorius III. Papa Episcopatus Siciliæ donasset se inconsulto, & jura Siciliæ Regibus concessa in electionibus violasset. *Te inconsulto quibusdam Ecclesiis Regni vacantibus præfecisse personas.* Monuit illum Pontifex constituendorum Episcoporum jus Apostolicæ sedi & Potestati indivulsè cohærere. Potest tamen Friderici querela de assensu Regio capi, qui & necessarius olim, & prætermissus tamen tunc fuisset. Anno enim 1245. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi legi jussit Rescriptum Friderici, quo abdicabat se ab omni prorsus jure in electiones Siciliæ. *Concedebat ac quitabat, si aliquod jus habuisset in electionibus Ecclesiarum regni, &c.* Postquam autem Fridericum idem Pontifex anathemate confixit, hanc præ cæteris compluribus causam allegavit ejus censuræ, quòd undecim Ecclesiæ Metropolitanæ, aut Cathedrales jamdiu viduæ mærerent, vetante Friderico electiones celebrari.

Baron. an. 1097. n. 71. 72. 73.

Rainal. an. 1226. n. 8.

III. Ideo & cum idem Pontifex Carolo Andium Comiti, fratri beati Ludovici Francorum Regis Siciliam contulit clientelari ab Apostolica sede jure obtinendam, in Feudorum morem: eam clausulam adjecit, ut admoneretur quidem Rex de morte Episcoporum, si ita ferret mos, sed nec ante, nec post electionem ejus assensu opus fore. *Denunciatio mortis Prælati Regi fiat, si fieri consuevit, sed ejus consilium vel consensus in prædictis non requiratur, nec ante electionem, nec post electionem.* Cum Carolum Andinum Comitem Clemens IV. Papa Siciliæ Regno donavit & investivit, eadem cautio adhibita est. *Nec ante electionem, sive in electione, vel post,*

Rainal an. 1253. n. 3.

Rainal an. 1265. n. 9. Spicil. to. 9. pag. 238.

regius assensus, vel consilium aliquatenus requiretur, quam utique libertatem vos & vestri hæredes semper manutenebitis.

Ea autem tunc Pontificum charitas & benevolentia effusior in Galliæ Reges, proficiscebatur tum ex memoria & pietate in eos, à quibus tot beneficiis cumulata esset Romana Ecclesia: tum ex spe & necessitate ingentis & præpotentis tuitionis ad Ecclesiæ hostes pertinacissimos propulsandos. Itaque non Gallicæ gentis Regibus Siculis hinc conflanda invidia est, quasi adversùs eos illud tunc novatum primò sit, ut ne assensus Regius amplius requireretur, tum ad sciendas, tum ad confirmandas electiones. Sed cùm innovatum invectumque jam id fuisset adversùs Fridericum II. internecinas cum Pontificibus inimicitias exercentem: tantis & ab ipso & à prædecessoribus ejus grassationibus in electiones olim iteratis; ex re visum est Pontificibus Romanis retinendum id esse, ut ab assensu Regio requirendo abstineretur, cùm ea non novi juris institutio esset, sed restitutio vetustissimi. Est certè causa specialis & pernecessaria, ut vigeant & dominentur libertates Ecclesiasticæ in iis maximè regnis & locis, quæ in ditione sunt Apostolicæ sedis, earum vindicis & custodis.

IV. Honorius IV. anno 1285. videtur primus omnium sibi integram servasse collationem omnium Siciliæ Episcopatuum, dum æstuarent bella inter Francos & Arragonios Principes, ne ii eligerentur Episcopi, qui Arragoniis studerent, & adversarentur Gallis, hoc est Pontificibus, qui Gallis
Rainal. an. 1285. n. 62. hoc Regnum donarant, & asserebant. Laudat eam Papæ Epistolam Rainaldus, nec eam inseruit Annalibus suis. Ubi restincta sunt bella, revisisse electiones probabile est, sospite & illibato Pontificum jure, ut cùm conducibile sibi videretur, vacantes Ecclesias reservarent. Illud profectò emicat in fœdere inito Gregorium XI. inter & Fridericum Siciliæ Regem anno 1372. ubi & illud rursum inculcatum est, necessarium minimè fore, ut assensus
Rainal. an. 1372. n. 25. 1385. n. 18. 24. 5. 8. Regius electionibus interveniret. *Omnes Ecclesiæ Cathedrales & aliæ in electionibus plena libertate gaudebant, nec ante electionem, nec in electione, nec post dicti Friderici seu ejus successorum consensus vel consilium aliquatenus requiratur, &c. Salva semper circa Ecclesias Cathedrales & alias in reservationibus Romani Pontificis jurisdictione.* Clausula eadem liberarum electionum citra Regium assensum inserta fuit concessioni Urbani VI. anno 1381. in gratiam Caroli Dyrracheni, ex regia Francorum stirpe in Hungaria tum imperitante. Verùm ea concessio complectebatur utramque Siciliam, hoc est Siciliam Insulam & Regnum Neapolitanum. Ei simillima est ea, qua Eugenius IV. Alphonsum Arragonum Regem anno 1445. honestavit.

Rainal. an. 1297. n. 2. V. Quando Bonifacius VIII. Regno Sardiniæ & Corsicæ Jacobum Arragonum decoravit anno 1297. eadem implicata cautio est, ut liberæ essent electiones, Regum consensu nec antè, nec post desiderato.



CAPUT XXXVIII. *P. 4. l. 2. c. 46.*

De Electionibus in Germania, de Investituris, & de Concordato Germaniæ, post annum Christi millesimum.

I. Tres Ottones Imperatores Episcopatuum & Abbatiarum investituram dedere, illæso electionum jure & usu. Fuere & eorum nonnullæ nominationes. Nec aliter B. Henricus Imperator.

II. Duces ipsi quandoque eodem investiendi jure utebantur.

III. Gregorius VII. & qui ei mox successere, Investituras Laicas damnarunt, quod jam cum electionibus sociari non possent. Quanto intervallo Franciæ Regum & Germaniæ Imperatorum investituræ distarent. Paschalis II. assentitur, ut cedant Episcopi & Abbates feudis omnibus Regiis, dum cedant & Principes investituris, eo prætextu palliatis. Sed non eo contentus Imperator, Paschali Investiturarum concessionem extorsit.

IV. Callistus II. provido temperamento, & Imperatorem demeretur, & eam controversiam sedat.

V. Quæ essent in Gallia investituræ.

VI. Novi irritique conatus sub Lothario II. restituendæ Investituræ Laicæ.

VII. Ut sub Friderico II. in electionibus turbatum sit.

VIII. Innocentius III. ab Imperatoribus exprimit, ut ne consensus eorum in electionibus desideretur.

IX. Quæ exordia Investiturarum, quæ causa eas revocandi.

X. Universim aliqua adnotata in electiones Germaniæ.

XI. XII. De Concordato Germaniæ.

XIII. De electionibus in Regna ad Boream porrectis.

I. Indubium est à tribus Ottonibus Imperatoribus Ecclesias Episcopales & Abbatiales donatas fuisse, donatas & earum per Pedum investituras. Sed tria sunt, quæ in eo observari conducat. 1. Illos ipsos fuisse primos institutores sub Romani Pontificis authoritate, & fundatores complurium Episcopatuum eorum, in regionibus Germaniæ non ita pridem Christo subjugatis. 2. Semper ferè spectatissimæ pietatis & sapientiæ viros ab eis designatos fuisse. 3. Non semper exclusas fuisse ab eis electiones, sed vel toleratas, vel perpetuo privilegio quibusdam Ecclesiis indultas; denique pro virili operam datam fuisse, ut Regiæ nominationes Cleri & Populi electionibus permiscerentur.

Ditmarus Mersburgensis Episcopus in horum Imperatorum Chronico sexcentis locis declarat Episcopos & Abbates ab eis complures nominatos fuisse, concessas investituras. Sed & ex eodem Ditmaro complusculа exprimuntur documenta, quibus confirmentur tria illa summatim Capita, à quibus hic apta & religata pendebunt omnia. Cùm *Chron. l. 2.* crexisset Otto I. & fundasset tres Episcopatus, Misnensem, Merseburgensem & Cicensem, seu Nauburgensem, Bosoni *electionem de tribus Episcopatibus dedit.* Erat Boso probatissimæ sanctitatis Monachus in Cœnobio Ratisponensi sancti Emmerami. *Inde ad servitium Cæsaris assumptus fuerat*: à quo & Beneficium obtinuerat, cujus incolas accolasque pene innumeros Gentilium superstitione exuerat, Christique adglutinaverat Ecclesiæ. Ita ergo de Ecclesia benemeritus, eoque etiam de Imperio; Baptismo enim fideles, non in Christi tantùm, sed & in Imperatorum fide stabiliuntur; merito & jure ad Episcopatum Mersburgensem accessit. *Quia in Oriente innumeram Christo plebem prædicatione assidua & baptismate vindicavit, Imperatori placuit, electionemque de tribus constituendis Episcopatibus ei dedit.*

Otto II. Regio Rescripto Capitulum Magde- *Ibid. l. 3.* burgense muniit, ut Archiepiscopos suos eligeret. *Licentiam Archiepiscopum eligendi Præcepto Imperiali dedit.* Adelbertus Archiepiscopus, post

Evangelii

Evangelii recitationem inter Missarum solennia concionatus ad populum, Imperatorium hoc præceptum promulgavit, *recitato coram præcepto Imperiali:* terrifica in eos jaculatus est anathemata, qui illud utcunque temerassent.

Mortuo Mersebergensi Episcopo Bosone, Otto I. Gisilerum nominavit. Tenues erant res ejus Ecclesiæ. Otto II. Gisilero, ut sibi devinctissimo, gratificatus, illam ingentibus prædiis dotavit. *Pauperem adhuc Episcopatum Merseburgensem largiflua pietate respexit, & ejus Provisori Gisilero, quia hunc multum dilexerat, civitatem Suelcam tradidit, &c.*

Gerone obeunte Coloniensi Episcopo, suffectus est Vuarinus electione & dono Imperatoris. *Electione & Imperatorio munere protinus ungitur.* Mortuo quoque Roberto Archiepiscopo Moguntino, Villigisum illi Imperator substituit, Cancellarium suum: *Cancellarium suimet eidem præfecit Ecclesiæ.* Mimmilevitanam Abbatiam fundaverat idem Imperator, liberamque declaraverat: *Liberam fecit Abbatiam.* Matronæ duæ opulentissimæ alteram fundavere, & Imperatorum subjecere clientelæ. *Hoc privilegio & Imperiali præcepto firmantes, ut Abbatia ibidem liberaliter facta, Imperatoris suorumque potestatem ac tutelam respiceret successorum.* Præpostero quorundam consilio abreptus idem Imperator, Merseburgensem dejecit, & Episcopali culmine orbavit Ecclesiam, Abbatiamque esse maluit, ubi & ex Monacho Abbatem præfecit.

Otto III. in Concilio Romæ habito restitui fecit Episcopatum Merseburgensem, ab Ottone I. avo suo institutum, ab Ottone II. parente suo destitutum, quando & Gisilerus ejus Episcopus ad Metropolin Magdeburgensem translatus est. Gisilerus utroque Episcopatu perfruebatur, & in hoc Romano Concilio anno 998. aut utroque excidere jussus est, si sola bonorum vel opum cupiditate à minore ad majorem Ecclesiam devolaverat: aut sola Metropoli se cohibere, si ad eam vocatus esset *Populi & Cleri invitatione & electione.* Sororem suam idem Imperator Abbatia donavit, misso ad eam pedo aureo, jussoque Episcopo, ut eam solenni be-

L. 4. nedictione initiaret. *Germana per Becelinum portitorem virga à longè commisit aurea Abbatiam, & ut ab Episcopo benediceretur Arnulpho præcepit.* Episcopales Ecclesias Capellanis suis duobus destinaverat, Erponi & Raconi. Verùm, ut author est Ditmarus, præfestina hinc illi morte abrepti sunt, ut pietas, qua pollebant, cælesti potius & æterna, quàm temporali gloria radiaret. *Hi duo quamvis pii, tamen inter Episcopos non debent ascribi.* Uterque totum animam tantummon jam agens, misso ab Imperatore baculo Pastorali, ante mortem ornatus est. *Et his in lecto ob infirmitatem validam jacentibus pastoralem baculum dedit, sed uterque sine sacerdotali unctione discessit.*

Ditm. id. in L. 5. Cùm urgeret verò Gisilerus Concilio Romano morem gerere, contracto animi mœrore, ut conjicitur, fato suo præmaturè functus est. Rescita ejus morte Imperator, misso Magdeburgum Guiberto Capellano suo, Canonicos hortabatur ut Tagmonem eligerent. Imperii tum habenas tractabat Henricus, sanctitatis laude in Annalibus sacris inclytus, & Ottoni III. suffectus. Erat autem is Tagmo, qui ab Imperatore sanctissimo non injuria eligeretur. Institutus enim fuerat à B. Volfango Ratisponensi Episcopo, qui illum ita informabat & perpoliebat virtutibus Episcopalibus, ut successurum sibi in Episcopatu. Interim verò ab Imperatore donatus est Episcopatu Ratisponensi Gebehardus Capellanus ejus: Tagmo autem electus est à Canonicis Magdeburgensibus, quibus integrum non erat preces frustrate præsentis & blandientis Imperatoris, quanquam in Præpositum ipsi suum oculos & vota sua convertissent. *Rex baculo Arnulphi Præsulis Clerum & populum Tagmoni commisit, eundemque in Cathedram Episcopalem constituit ipse.*

Non multò pòst idem Imperator Merseburgensem restituit Episcopatum, eoque Guibertum Capellanum suum investivit, Pedo utens Tagmonis L. 6. Archiepiscopi, qui eum mox ordinavit. *Dedit Episcopatum Capellano suimet Vuiberto, cum Archiantistitis baculo Tagmonis.* Anno 1005 Præsentes aderant Regiis his nominationibus Episcopi, Principesque. *Convocans ad se omnes Regni Primates.* Ita ex horum consiliis & suffragiis poterat species quædam existere electionis. Bambergensem civitatem idem Imperator Ecclesiæ dono dedit, quam & Episcopatu voluit augeri. Eam in rem Concilium convocavit apud Francofordiam. Ibi graviter expostulavit de contumacia Episcopi Virsburgensis, qui suæ Ecclesiæ eam civitatem subduci non assentiebatur, nisi Pallio ipse donaretur, Metropolitico verò jure gauderet Ecclesia sua in novum illum Episcopatum. Virsburgensis Præsulis intercessionem & conditiones non probavit Concilium, cujus assensu Imperator Bambergensem Episcopatum Cancellario suo Eberardo contulit, ita ut mox à Tagmone Archiepiscopo consecratus sit. *Eberardo Cancellario cura Pastoralis committitur.*

Vivis erepto Luidolpho Archiepiscopo Trevirensi, electio celebrata est, sed ita præceps & temeraria, ut ejus rationem non habuerit Imperator, & Meingardum Camerarium Villigisi Archiepiscopi nominarit, quem & ipse venit missurus in Sedis suæ possessionem. Narrat & Ditmarus, ut ipsemet ad Episcopales infulas venerit Merseburgensis post Guiberti obitum. Jussus est Augustam proficisci, ubi tum Curia versabatur; ibi ad Capellam Episcopi statim perductus, à Rege, necdum enim Imperatorio diademate cinctus fuerat, pedo Pastorali ante Missarum solennia donatus est, astantibus Episcopis & Magnatibus, quorum in conspiratione & applausu quoddam erat instar electionis. *Me ad Capellam Episcopi, ubi Rex expectabat, duxit, &c. Rex cum electione præsentium Pastoralem mihi curam commisit cum baculo, &c.*

Tagmone Magdeburgensi Archiepiscopo ad Cœlestum sedes migrante, misit Valterus Capituli Præpositus ad Imperatorem, qui ejus consilium & voluntatem explorarent: *Voluntatem suam in rebus faciendis inquireret.* Renunriari fecit illis Imperator, ut ne solenni forma eligerent, sed in aliquem clam consentirent, idque significarent sibi. *Ut electio à nobis non fiat, sed tantùm consensus unanimis, & hoc indicetur ei.* Capituli vota in Præpositum convenere: *Si Dominus consensit, & vult Rex.* Eo temporis puncto Ditmarus, qui è Suffraganeis erat, accessit, animosque & calcaria subjecit Capitulo, ut canonicam facerent electionem, quando id & juris eorum esset, & muneris; asseverans se, qui consors esset & faciendæ tunc electionis, & consecrationis pòst conferendæ, calculum suum Præposito addicere. Tunc à Capitulo electus est Præpositus, delegatique sunt ad Regem, qui ejus exposcerent consensum. *Sum unus ex his, qui electionis hujus ac consecrationis participes esse debent, & hoc vobis consilium do, ac illud adjuvare in quantum possum volo. Senior meus imperet quod velit, vos autem quod accepistis à Deo & antecesso-*

ribus suis vidste ne perdatis. Primus eligo te, &c.

Cum aiebat Ditmarus jussione Regis non esse diutius suspendendam electionem, sed utendum jure quod Deus annuisset, & quod superiores Imperatores confirmassent: non hoc volebat ille tamen, ut concordia Sacerdotii & Imperii sollicitaretur. Sed persuasissimum habebat, piissimo Imperatori displicere non posse libertatem Capituli justam, & reverentiæ moderationisque plenissimam in jure suo retinendo. Et sanè ut primùm electio Capituli Ditmaro ipso comitante ad limina appulit Curiæ, annulo illum donavit Imperator, iterataque imagine quadam electionis per Imperatorem ipsum & Optimates, donavit illum & Pastorali baculo. *Annulum portat in manu sua. Tunc omnes in præsentiam venientes, examinatione Regis, ipso primitus cum laudante, prædictum patrem eligimus; & optimi quique aspirabant, & mox à Rege accepit baculum Pastoralem.*

Tres habes hic electiones. Prima fuit illa Capituli unanimis consensio in Præpositum suum. Altera fuit electio, suadente Ditmaro, ea forma Canonum celebrata. Tertia fuit, qua Rex, Episcopi & Optimates Curiæ duas priores confirmaverunt. Ditmarus secundam promoverat egregiè, idemque ipse tertiæ intervenit. Duos non amplius menses Valterus, eo nomine erat Præpositus, Archiepiscopatum obtinuit. Eo ex morbo extincto, Episcopi & Canonici in ejus locum elegere Theodoricum, Ditmari nepotem. *Nos omnes Confratres ad Capitulum venientes elegimus, &c. Postera die renovata electione, &c.* Aberat tunc Imperator, qui mox ut advenit, electores omnes in Refectorium convocavit, quibus & ità blanditus est, ut ad eligendum Capellanum suum adduxerit, incolumi jure eligendi. *In Refectorio Fratrum omnes nos convenire præcepit; ibi tunc Regali petitione & salva in posterum electione, Gero communiter eligitur, &c. Baculum à Rege accepit Pastoralem.*

Lievizo Bremensis Archiepiscopus paulò ante obitum suum à Capitulo suo eligi fecit Ottonem Canonicum, qui sibi succederet in Archiepiscopatu. Otto eo extincto ad Imperatorem profectus est, quo ejus assensu confirmaretur, ingenti Cleri populique sui multitudine comitante. Hos adduxit, ac penè compulit Imperator, ut Unvanum Capellanum suum eligerent. Rerum gestarum magnitudine & vitæ sanctimonia floruit Unvanus, sicut & complures alii eorum, quos hic diximus è Palatio Imperatoris ad Episcopale fastigium ascitos fuisse. *Oddo Clericis comitantibus & Laicis supplex venit, &c. Quos Rex nullatenus audit, sed Capellano suimet Unvano cum laude advenientium, etsi non spontaneis, Episcopatum dedit.*

Sanctissimus hic denique Rex tùm Romæ Imperatoria Corona ornatus fuisset, fratrem suum Ravennatem creavit Archiepiscopum, priore Archiepiscopo, qui atque meritò exauthorandus fuisset, Aricinum in Episcopatum translato. Ex Episcoporum consilio Bobiensem instituit Episcopatum: *Communi & licentia Comprovincialium Episcoporum construxit in Bobia civitate Episcopatum.* Rediens in Germaniam, ad Treverensem & Misnensem Ecclesias vacantes nominavit, ne verbum quidem ullum de electionibus faciente Ditmaro. Nominavit & ad Ecclesias Ferdensem, Constantiensem & Pragensem. Invisus ibi est à Rodolpho Burgundiæ Rege, cujus effœminatos mores & vitam mollitie diffluentem descripsit Ditmarus, mira & amabili styli animique simplicitate. Illum ait solo nomine Re-

Dithm. L. 7.

gem fuisse, & Episcopatus iis dedisse, qui à Principibus Aulicis eligerentur. *Nomen tantum & Coronam habes, & Episcopatus his das, qui à Principibus his eliguntur.* Non ea erat ratio, quam sequebatur Germaniæ Imperator.

Hæc historica epitome est electionum & investiturarum, sub imperio quatuor aut quinque Cæsarum eorum, quos nemo nescit religioni & pietati fuisse deditissimos: hanc autem unius ex Chronico religiosissimi Episcopi decerpsimus. Patefacta hic prorsus sunt, quæ antè summatim præmonueramus. 1. Ab Imperatoribus utplurimùm nominatos fuisse Episcopos. 2. Cùm Episcopatus plerosque in Germania erexerint Imperatores, adeo ut affirmet Ditmarus anno 800. in Saxonia uno die à Carolo Magno octo institutos fuisse; novi in dies ab eis erigebantur, atque unà, ut apparet, Regiarum ad Episcopatus nominationum jaciebantur fundamenta. 3. Nominabantur autem ab eis Episcopi longè præstantissimi. 4. Annuebant & multa eligendi privilegia. 5. Nec funditus summovebant electiones, sed vel assentiebantur iis qui præsumpta hac assensione electi fuissent: vel quem ipsi nominassent Capitulo approbabant: aut à Clericis Laïcisque, qui electum suum præsentaturi in Curiam venerant, aliam institui electionem suadebant: vel ex votis Episcoporum & Magnatum in Aula præsentium electionem celebrabant; non semel denique concurrebant plures simul istiusmodi electiones. 6. Si complusculi vel Canonici fuissent, vel Episcopi, ea animi fortitudine, qua Ditmarus, facilè restitutæ omnino in integrum fuissent electiones, nec repugnassent, qui ità affecti animatique erant, Imperatores. 7. Molliùs suo jure utebantur Episcopi & Capitula, quòd plerasque Episcopales Ecclesias & erigerent Imperatores, & prædiis ditionibusque suis locupletarent, tuerenturque à sæculi Principibus aliis, & ab iis denique incursiones propulsarent Barbaricarum gentium undique circumpositarum. 8. Non facilè abstinebant Imperatoria potestate, quanta maxima sibi permittebatur, propterea quòd magni interesset, ut fidos sibi & astrictissimos haberent Episcopos, quibus fiduciarias conferebant Imperii ditiones & Provincias: & quos cum Principibus sæcularibus habituri erant Imperii regendi administros. Ad castra enim & ad militiam Episcopi Imperatoribus comites se adjungebant cum suis quique copiis militaribus. Quippe non Religionis tantùm munimenta erant Episcopatus & Abbatiæ, sed & Imperii. Nationes quippe barbaræ, quibus ferè constabat olim Germania, tum demum cicuratæ & insuefactæ sunt Imperii Romani subeundo ferendoque jugo, postquam illas Christiana pietas mansuefecit, pristinamque omnem dedocuit ferocitatem. Sola religio, sola pietas corda ipsa mollit, edomatque, & spontaneas subesse persuadet Principibus & Potestatibus à Deo constitutis. 9. Episcopi prorsus sanctissimi ad eum modum in Aula ab incunabulis educati, ad Episcopatus venere, & cum Imperatoribus collaborarunt, ut alios similiter instituerent. 10. Eo tempore res ad eum modum gerebantur, quo vigere & valere debebant electiones canonicæ, necdum revocatæ, necdum antiquatæ. Hinc autem perspicias, quo se usque effundat providentissima Ecclesiæ indulgentia in Christianos Principes, qui plusculum sibi sumunt, quàm per Canones liceat, in rebus sacris, sed eam potestatem totam conferunt, ad donandas præstantissimis Episcopis Ecclesias. 11. In-

Ibidem.

vestituræ quoque Episcopatuum & Abbatiarum per annulum & baculum ab his Imperatoribus dabantur. Quanquam autem ea symbola sint spiritalis potestatis, non ea tamen ratione ab his Principibus spectabantur. Sapientissimè verò dissimulabat Ecclesia eam incogitantiam & alienam consuetudinem conferendi temporalia Ecclesiæ bona per symbola spiritalis jurisdictionis. Dissimulabat, inquam, consultissimè Ecclesia, quòd illi Principes purissimo flagrantes Ecclesiæ zelo, & disciplinæ purioris amore, utiles præficiebant Ecclesiis Pastores, & gratis præficiebant. At ubi non multò pòst occœpere Reges & Imperatores electiones proterere, nondinari Episcopatus, Episcopos obtrudere sacro ministerio impares, statim Pontifices & Episcoporum Concilia insurrexere, & injuriosum jus laïcæ investituræ illis extorsere. 12. Propè abest à similitudine veri, Pipinum & Carolum Magnum Episcopos quandoque nominasse, quin & investituras dedisse, quando restaurandus fuit Episcopatus, & à tumulo excitanda sanctior Ecclesiæ disciplina post cladem familiæ Clodovæi. Ratò illis controversiam fecere Pontifices & Synodi de finibus eorum in rebus spiritalibus potestatis, quòd ea rariùs, quòd sanctissimè uterentur. At ubi eorum successores abjecta ea modestia & religione eandem potestatem usurparunt, tum enimvero Ecclesia Christi toto se suo armavit zelo ad restituendas electiones, & expungendas investituras. Jam diximus apud Vuillelmum Malmesburiensem his consentaneè philosophari Gregorium VI. Papam de investituris patientissimè primò toleratis, postea pari constantia oblitteratis.

II. Episcopales tres Ecclesias octoginta jam amplios annis vacantes tribus Episcopis concesserat Hartuvicus Hamburgensis Archiepiscopus, propterea quod Slavi penitus omnes à Christiana fide defecissent; cùm autem Ducis vel Comitis Holsatiæ assensum non priùs elicuisset, ille Vicelinum Aldemburgi Episcopum unum ex illis tribus admittere recusavit, nisi Episcopatùs investituram à se susciperet. Abnuebat & indignabatur Vicelinus ab alio Episcopum, quàm ab Imperatore investiri. *Visum est Episcopo verbum illud durum, eò quòd esset præter consuetudinem. Episcopos enim investire solius Imperatoriæ majestatis est.* Hæc Helmodus in Chronico Slavorum. Erat vir tum illi, tum Duci amicitia conjunctissimus, qui suadebat, ut ad Ducis se flecteret voluntatem, consuetudini quidem adversam, & novam, sed quæ declinari vix posset citra ingens Ecclesiæ suæ discrimen, eo certè tempore, quo nec Archiepiscopus posset, nec Imperator ferre suppetias: denique nihil admodum ex eo rei Ecclesiæ publicam periclitari posse, si Dux illi in manus Pastorale pedum inseruisset. *Alioqui frustrabitur labor vester, eò quòd nec Cæsar, nec Archiepiscopus possit juvare causam vestram, domino meo obnitente; Deus enim dedit ei universam terram hanc. Quid grande requirit à vobis dominus meus, ut accipiat virgulam & det in manum vestram, &c.* Bremensem in civitatem profectus Vicelinus Archiepiscopum & Capitulum consuluit, cujus responsum & tantumnon oraculum illud fuit, Non debere Episcopos nisi ab Imperatoribus investiri, qui beneficentia & munificentia in Ecclesias suas, domini & Patroni jure evasissent Episcoporum, quibus & ipsis eadem opera complurium dominia urbium & patrocinia contulissent Provinciarum. *Investitura Pontificum Imperatoriæ tantùm dignitati permissa sunt, quæ sola excellens, & post Deum in filiis hominum præminens, hunc honorem non*

Helmodus Chr. Slav. l. 1 c. 69

sine fœnore multiplici conquisivit. Neque Imperatores dignissimi levitate usi sunt, ut Episcoporum domini crearentur; sed compensaverunt noxam hanc amplissimis regni divitiis, quibus Ecclesia copiosiùs aucta, decentiùs honestata, jam non vile reputet ad modicum cessisse subjectioni, nec erubescat uni inclinari, per quem possit in multos dominari.

Ei sententiæ vehementer assensus est tum profectò Vicelinus, sed ineluctabili necessitatis telo compulsus est postea investituram à Duce suscipere, non aliàs passuro ut res Episcopatûs temporales in potestate haberet. *Fecit quod necessitas imperabat, & suscepit Episcopatum per virgam de manu Ducis.* Doluit id quidem Archiepiscopo Hamburgensi, qui & Vicelinum urgere cœpit, ut aliam ab Imperatore susciperet investituram. Verùm non is erat ille, qui Ducis iram & ultionem in se accenderet, cui uni Regio illa suberat. *Ille non consensit, ratus iram Ducis implacabiliter accendi; in hac enim terra Ducis authoritas sola attenditur.* Ibid. c. 70. 73.

Unus enimvero Dux Holsatiæ & regionem armis subegerat, perdomitis Barbaris Ethnicisque, & Episcopales exædificarat Ecclesias. Pervicit etiam ut assentirentur Imperatores, nec molestè ferrent hominium & clientelaris fidei nexum, quo deinceps Dux obligavit sibi Episcopos, Aldeburgensem, Ratzemburgensem & Mexelburgensem, quorum Ecclesias amplissima dote instruxerat, unde nec eæ sine ejus assensu Pastoribus donabantur. Trecentas ille terræ *Mansas* præter decimas Episcopatui Aldeburgensi dederat: tantundem addidit Mexelburgensi: *Et facta copulatione obtinuis apud Cæsarem authoritatem Episcopatus suscitare, dare & confirmare in omni terra Slavorum, quam vel ipse, vel progenitores sui subjugaverint in clypeo suo & jure belli. Quamobrem vocavit Aldeburgensem, Racisburgensem, Magnopolitanum, ut reciperent ab eo dignitates suas, & applicarentur ei per hominii exhibitionem, sicut mos est fieri Imperatori. Qui licèt hanc impositionem difficillimam judicarent, cesserunt tamen propter eum qui se humiliavit propter nos, & ne novella Ecclesia caperet detrimentum. Et dedit eis Dux privilegia de possessionibus & de justiciis.* Geroldus denique Vicelini successor Aldemburgo civitate tum penè eversa, Episcopalem sedem suam transferri curavit Lubecam non paulò populosiorem, quam & instruxit Capitulo duodecim Canonicorum cum Præposito suo, ne interpellata quidem Imperatoris authoritate, quòd abundè & potestas sufficeret Ducis, & munificentia.

Ibid. c. 87

Ibid. c. 89.

Hinc intelligis, 1. in vestigia & exempla Caroli Magni ingredi voluisse posteros Imperatores, reservandis sibi investituris, hominiis, fidei sacramentis, & tuitionibus Episcoporum. 2. Hinc & securitatis & gloriæ non parum accedebat Episcopis, quibus etiam ægrè persuadebatur, ut regnum Sacerdotale dedecorarent, inclinarentque Ducum & Comitum imperio. 3. Verùm ut ne tenellæ & inter cunas suas repenti Ecclesiæ procella alicunde ingrueret, ut tempori & necessitati serviretur, vel ipsorum exemplo Imperatorum, qui jura sua quanquam subinviti relaxabant, cedebantque quæ retinere non poterant: denique ut vicissim rependeretur aliquid beneficentissimæ Ducum pietati, qui contritis Barbaris regionem Christo subegerant, Ecclesiisque extructis illuminaverant, quibus postremò solum nomen aberat Regiæ Majestatis; statuerunt Episcopi non solis Imperatoribus & Regibus suam hanc profiteri clientelam,

Quòd autem Investituris conjungi possent elec-

tiones, nova rursus ex eodem Helmodo suppetunt documenta. Narrat quippe ille, ut electus sit Geroldus. Absente Duce Saxoniæ illum Ducissa proposuit Capitulo, à quo electus, mox à Duce reduce confirmatus est. *Idem. L. 1. c. 79.* *Episcopalis electio domino Duci reservata est. Domina Ductrix Geroldum Capellanum Ducis transmisit, &c. Accessit petitio Principis, concordia Cleri, aptitudo persona.* Obstrepere voluit Hamburgensis Archiepiscopus, nec potuit. *Nostri ostendere cœperunt, ratum esse opus electionis, quam perfecisset postulatio Principis, concordia Cleri, aptitudo persona.* Monasticam professionem jamjam amplexaturus erat Geroldus, quando illum Ducissa compulit Episcopalem in Cathedram succedere.

Nunquam Henrico IV. Germaniæ Regi abjudicatæ, extortæque fuissent Investituræ, si præire illis passus esset electiones, sed liberas, sed gratuitas, sed eorum quorum moribus non sordesceret sanctissima dignitas. Id illi certè probro datum est à Germaniæ Principibus apud Gregorium VII. Papam: *Ibidem. L. 1. c. 23.* *Qualiter omnem in statuendis Episcopis canonica electionis libertatem adimeret: ponens per violentiam Episcopos, quos voluisset.* Id ipsum Germaniæ Præsules Imperatori filio ejus exprobrarunt sub Paschali II. *Ibid. c. 32.* *Meministi qualiter Episcopatus, Abbatias, & omnia Ecclesia regimina fecisti venalia; nec fuit in constituendis Episcopis ulla legitima electionis facultas, sed sola pecunia ratio.* Postremò nec Pontifex quidem ipse improbabat investituras à Duce Saxoniæ datas, cum Geroldum ipsemet tandem ordinarit, quanquam illud primùm detrectasset, ut Archiepiscopo Hamburgensi blandiretur, cui Metropolitico jure suberat Geroldus: *Ibid. c. 80.* *Recusavit cum molestia, dicens, libenter se facere postulata, si posset fieri sine injuria Metropolitani.*

Arnoldus Lubecensis Abbas, Helmodi Chronici Continuator, audiendus & ipse nobis hîc est, ubi Abbatis Brunsvicensis electionem commemorat factam à Canonicis in Episcopatum Lubecensem. Et hîc enim quoque Saxoniæ Ducis & consensu & investitura opus fuit. *L. 2. c. 23.* *Accipiens à Duce vestituram Pontificalem, &c.* Præiverat libera electio: *Ibid. c. 22* *Omnes unanimi consensu convenisse.* Investituræ hærebat hominium, de quo facilè conveniebat, cùm Regionis Duces Principatum obtinerent, & beneficentia sua Ecclesias cumularent, opibusque & honoribus. Audi quid tum dixerit recens creatus Episcopus Ratzemburgensis: *Duci Henrico dicebat se hominium fecisse, non tantùm propter ejus principatum, sed quia per eum Ecclesia multum accepisset, & pacis, & religionis incrementum.*

Indubitatissimè ab Imperatoribus quoque tum dabantur investituræ. Sed & electionum libertati apertè illi ipsi suffragabantur. *L. 3. c. 13.* Refertur ab eodem Arnolo electio Theodorici in Episcopum Lubecensem, canonicis institutionibus adprimè consentanea, & cui solus adversatus sit Theodoricus. Et tamen cùm acquievisset tandem, ab Imperatore investitus est: *accepta Pontificali investitura de manu ipsius:* suoque ævo melioris & prisci ævi Episcopum repræsentavit, asello invectus in solenni pompa sui primùm in Civitatem & Ecclesiam suam adventus.

Nulli non sanè tunc explotatissimum erat, investitura à Principibus datæ non dari nisi Ecclesiæ temporalia. Unde & eo tempore quo secessione Principum Electorum facta, de Imperio certabatur inter Philippum Suabiæ & Ottonem Saxoniæ Ducem, Moguntina Ecclesia in duos Competitores scissa, cui Philippus favebat, is rebus temporalibus potiebatur: *Ille Imperialia à Philippo tenens, civitatibus & castris militari manu longè latèque prævalebat.* *L. 6. c. 3.* Cui autem Clerus & Papa suffragabantur, is spiritali potestate tota gaudebat: *Ille spiritalibus confirmatus, sibi subditos quietè regebat.*

Sed non semper intra has sobrietatis & temperantiæ metas cohibuit se Principum potestas, ut à Vuillelmo Tyrio animadversum est. Mos enim pòst irrepsit, ut mortuo Præsule annulus ejus & Pedum mox ad Imperatorem perferrentur, ut quos vellet, his donaret, non expectata Canonica electione. *Inoleverat consuetudo, præsertim in Imperio, quod defungentibus Ecclesiarum Prælatis, annulus & virga pastoralis ad dominum Imperatorem dirigebantur.* *L. 1. c. 13.* *Unde postmodum unum quemlibet de familiaribus & Capellanis suis investiens, ad Ecclesiam vacantem dirigebat, ut ibi Pastorali fungeretur officio, non expectata Cleri electione.* Eò denique compulsi sunt Romani Pontifices, ut accingerent se ad Investituras proscribendas, ut mox dicemus.

III. Scripsit quidem Gregorius VII. ad Imperatorem Henricum, piorum ut virorum consilio Episcopum Ecclesiæ Bambergensi daret. *Religiosorum virorum consilio eadem Ecclesia ordinetur.* *L. 3. Ep. 3.* Sed cùm eodem ipso tempore litteras dederit ea de re ad Archiepiscopum Moguntinum, ad Clerum & ad populum Bambergensem, perspicuum hinc est, ad electionem ex mente Gregorii conspirare debuisse Regem, Archiepiscopum, Clerum, Populumque. Cùm aliquanto pòst tempore ab eodem Pontifice Germaniæ Rex Henricus diro anathemate illaqueatus fuisset, vetitumque esset ne à laïcis deinceps Principibus investituræ Episcopatuum susciperentur: vehementer illi doluit, excanduitque, quod Cameracensis Episcopus, quanquam præeunte electione Canonica, ab eodem Henrico investiri se passus esset. *Non denegans post factam Cleri & Populi electionem, donum Episcopatus ab Henrico Rege se accepisse.* *L. 4. Ep. 22.* Deruntur tamen Pontificia indignatio, ubi rescivit, Cameracensi Episcopo illam nec excommunicationem suisse compertam, nec Investituræ Laïcæ prohibitionem.

Quandiu ergo toleratæ fuere Investituræ, præcurrere debebat electio Canonica. *Bibl. MM. SS. Labbei. To. 1. p. 196.* Id rursus nos docet Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, ubi narrat ab Henrico Rege Germaniæ missos Oratores ad Concilium Romanum anno 1074. ut prohiberent ordinari à Papa Episcopos, qui post electionem suam Regia manu investiti non essent. *Ne contra morem prædecessorum suorum Dominus Papa eos consecrare vellet, qui Episcopatus electionem solam, non autem donum per regiam acceperant investituram.* Infractæ constantiæ Pontifex nihilominus Investituras in eodem Concilio damnavit, eamque sententiam suam communivit Canonibus Conciliorum Generalium VII. & VIII. Constantinopoli habitorum, quibus hactenus Occidentalis Ecclesia minus obsequebatur. Unde & idem Scriptor ibidem testatum facit, tunc à Gregorio demum restitutam electionibus lucem & libertatem. Quòd nempè priùs Investiturarum specie in illis aperta vis grassaretur. *Per hanc occasionem sub Papatu Gregorii multis retro annis obnubilata electionis Ecclesiastica splenduit veritas. Videant igitur viri cordati, quid juris Imperatoribus, Regibus & Principibus in electione Pontificis reservetur.*

Quod celebratum est anno 1080. Romanum Concilium, ubi & idem Pontifex rem istam, ut ita dicam, profligavit, perfecitque, ea habet, ex qui-

bus Episcopalium electionum arcana retegamus, ut tunc res gerebantur. *Defuncto Pastore alicujus Ecclesiæ, instantia visitatoris Episcopi, qui ei ab Apostolica vel Metropolitana sede directus est, Clerus & Populus remota omni sæculari ambitione, timore atque gratia, Apostolicæ sedis vel Metropolitani sui consensu Pastorem sibi secundùm Deum eligat. Electionis verò potestas omnis in deliberatione sedis Apostolicæ sive Metropolitani sui consistat.* Ubi planum est, quanquam Clerus & Populus plenissima pro suo modulo libertate fruerentur suffragiorum, eminuisse tamen mirandum in modum Metropolitani potestatem, quòd omnium arbiter ipse & judex esset cum Episcopis Provinciæ.

Can. 6

Post illa duo Concilia Romana sub Gregorio VII. anno 1078. & 1080. ubi investituræ prohibitæ sunt, damnatis & Episcopis qui suscipiebant, & Principibus, qui dabant manu laïca sacræ potestatis insignia: quo non aliud quam executioni mandabatur Canon II. & XXII. Concilii VIII. quibus & Canon Apostolicus prælucebat. Idem ipsum Decretum confirmatum fuit à Victore III. anno 1087. & ab Urbano II. anno 1095. in Concilio Claromontano. *Interdictum est ne Reges vel alii Principes aliquam investituram de Ecclesiasticis honoribus faciant.* Cùm in Galliis habitum sit hoc Concilium, hinc probabile fit, Francos Reges cæteris Christianis Principibus præisse in ejurandis Investituris, quas & ipsi aliquando saltem dedissent. *Regi præsentatus & inde cum virga pastorali à Rege mihi intrusa, ad Ecclesiam Carnotensem adductus.* Verba ea sunt Epistolæ Ivonis, Carnotensis Episcopi, quo deinceps non alius perspicacior, aut disertior fuit in excusandis Investituris, si qua illis excusatio reliqua facta fuisset per Germanos Imperatores, tam immaniter iis abutentes.

Can. 16.

Epist. 8.

Iis Galliæ Reges ut modestissimè utebantur, ita & facillimè abstinendum sibi imperarunt. Inde nimirum Paschalis II. in Gallias, tanquam in tutissimum se subduxit portum, adversùs Henrici V. Imperatoris infestationes, qui vi expugnare nitebatur novam in ipsa urbe Roma investiturarum concessionem. Non secessisset Pontifex in Gallias, si Regem Ludovicum Crassum sensisset earundem investiturarum cupidum & tenacem. Ex Comite Flandriæ poterit aliquid conjecturæ duci. Gratulatus est enim per litteras Anselmus Comitissæ Flandriæ, quòd Comes Flandriæ conjux ejus investiendis Abbatibus abstineret. *Nullam manu sua daret investituram.* Voluit Anselmus certionem se fieri, idque per litteras à Paschali Papa datas consecutus est, nunquam concessuros in investituras Romanos Pontifices. Dedit & ipse tandem congratulatorias ad Comitem Flandriæ litteras ejusdem argumenti, quòd investituris nuntium remisisset.

Anselm. L. 3. Ep. 59. 73. 74. 88. 140. 152. 313. L. 4. Ep. 5.

Anno 1107. Catalauni Pontificem convenerunt Legati Imperatoris præsente Galliæ Rege Ludovico Crasso. Principem inter Legatos locum qui tenebat Archiepiscopus Trevirensis, id moris prisci fuisse contestatus est, ut electio non antè publicaretur, quàm ad Imperatorem relata fuisset: ut ubi eam probasset Imperator, tum à Clero, Populo & Nobilibus publica fieret electio & canonica; tum accederet electus ad Imperatorem, temporali Ecclesiæ ditione ab eo investiendus per annulum & virgam, eique sacramentum fidei præstiturus: cùm æquissimum sit his subjectionis argumentis revereri eum, cujus beneficio obtineantur castra, urbes, & Imperii Provinciæ variæ & in confiniis etiam positæ. Decerpta sunt hæc ex Abbate Sugerio, qui audiendus jam ipse nobis est. *Temporibus Antecessorum nostrorum, Sanctorum & Apostolicorum virorum, Magni Gregorii & aliorum, hoc ad jus Imperii pertinere dignoscitur, ut in omni electione hic ordo servetur: Antequam electio in palam proferatur, ad aures domini Imperatoris proferre, & si persona deceat, assensum ab eo ante factam electionem assumere, deinde in conventu secundùm Canones, petitione populi, electione Cleri, assensu honoratorum proferre: consecratum liberè, nec simoniacè ad dominum Imperatorem pro regalibus, ut annulo & virga investiatur, redire, fidelitatem & hominium facere. Nec mirum. Etenim Civitates & Castella, Marchias & Telonea, & quæque Imperatoriæ dignitatis nullo modo aliter debere occupare.*

Suger. in vita Ludovici Grossi. pag. 289. Du Chesne Tom. 4.

Pontificis nomine responsum est ab Episcopo Placentino, Conclamatam esse Ecclesiæ libertatem, illam quam suo illi Christus consanguinavit sanguine, si à versatili Imperatoris voluntate penderent electiones. *Si Ecclesia eo inconsulto Prælatum eligere non possit, cassata Christi morte ei serviliter subjacere:* Manus suas Imperatorem sacrilego ausu temerare, si investiret per annulum & virgam, quæ pignora sunt spiritalis potestatis. *Si virga & annulo investiatur, cum ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum ipsum usurpare.* Ea responsione Principes Germani exulcerati sunt, tam immeritò, ut innuit Sugerius Abbas, quam meritò Galli in illos succensebant. *Cùm hæc cervicosi audissent Legati, Teutonico impetu frendentes tumultuabant, &c.*

Cùm ait Eadmerus in limine ipso Historiæ suæ Novæ. Reges Angliæ omnes Neustriæ Ducum gentis, investitura donasse Episcopatus & Abbatias omnes ad Anselmi usque tempora, præter duos Episcopos Roffenses, quos investierat Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, peculiari jure ejus Ecclesiæ: vel eo uno Scriptor ille designat, quàm prophana esset investitura, quam consecratori Episcopo cùm Canones vendicarent, laïca manus traderet. Redeo ad Germaniam.

Cùm non processisset ea congressio Pontificis Imperatoriis Legatis: cùmque præ se ferret Imperator cessurum se Investituris, si modò Præsules quoque cederent feudis & dominiis, quæ beneficio Imperatorum obtinuerant: ei conditioni assensus est Papa, Romæque Imperatorem Investituras ita ejurantem, Imperii diademate cæterisque insignibus exornavit. Audi ut rem edisserat Chronicum Cassinense: *Convenit, ut Imperator die coronationis suæ omne malè usurpatum Ecclesiasticum jus, astante Clero & Populo per scriptum deponeret, cùm id ipsum Papa de negotiis Regalibus faceret, idque sacramento firmaret: dimitteret Ecclesias liberas cum oblationibus & possessionibus suis, quæ ad regnum non pertinent.* Prolixius rem executus est Pontifex in Epistola, quam ea de re ad Imperatorem exaravit, in qua & illud expressius confirmavit, Præsules Imperatori resignaturos, quidquid Imperatoris juris erat, temporibus Caroli Magni, Ludovici, Ottonis & successorum: ac vicissim Imperatorem nunquam se electionibus interpositurum, quod in se dum coronaretur receperat. *Sicut in die coronationis tuæ omnipotenti Domino in conspectu totius Ecclesiæ promisisti.*

L. 4. c. 17. An. 1110.

Epist. 22.

Compendiosissima fuisset Imperatoribus ea concordia, si Investituras cohibuissent, ut verè cohiberi debuerant, in exteriore quadam formula & pompa, investiendi de feudis & beneficiis Imperii, inserto in digitos annulo, pedo pastorali in manus Præsulum. Hoc imaginario honore sese exuentes, recuperassent, sceptroque suo redintegrassent innu-

mera prædia & dominia. Verùm manifestissimè tunc demonstratum est ab Imperatore, quàm non ea tantùm umbratica honoris pompa inescati antecessores sui, tandiu de investituris decertassent: sed quàm verè obtentu investiturarum vendicassent sibi Ecclesias omnes, Episcopales & Abbatiales, quas pro arbitrio darent, quarum vacantium reditus involarent, quas quandiu liberet vacare sinerent, atque ita ditioni suæ adsererent, non prædia tantùm & dominia feudalia Imperii, sed & quidquid præterea agrorum, opumque privatorum munificentia in Ecclesias illas collatum esset.

Non alia certè contemplatione potuit idem mox Imperator ab eo fœdere, quod inisset, resilire, tyrannicam vim inferre Pontifici, & ab eo denique contumeliosissimè habito novam extorquere investiturarum concessionem. In eo privilegio, quod vix tandem extundi sibi passus est Pontifex, quo ipse Clerusque suus carcere & vinculis eximeretur, incolumes tamen & integras paciscebatur electiones servatum iri; at testatum ipse fecit literis ad Guidonem Viennensem Episcopum datis. *Epist. 24.* *Ut electione libera facta sine vi & simonia, consensu Regis, facultatem habeat Rex investiendi per virgam & annulum, & electus à Clero & populo non consecretur, nisi à Rege investiatur.* Idipsum constat ex ipsis Privilegii verbis, quod historiæ suæ intexuit Vuillelmus Malmesburiensis. *Malmesb. l. 5. de Gest. Reg. Angl.* Hoc illud est quo pro Privilegio *Pravilegium* appellitarunt, quodque idem ipse Papa damnavit in Concilio Romano anni 1112. Linguis calamisque certatum est, an ea hæresis dicenda esset. Diximus suprà quam rationem secutus sit Ivo. Illum enim censuimus mediam tenuisse viam, & pulcherrimo rem temperamento tractasse. Cæterùm si minùs auspicata fuere Paschalis cum Germanis certamina, fæliciùs illi cessit res, non in Gallia solùm, sed & in Anglia, à qua profligatas omnino fuisse investituras narrat Eadmerus in Historia nova, quam ita concludit. *Præsente Anselmo, astante multitudine annuit Rex, & statuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per dationem baculi Pastoralis, vel annuli, quisquam Episcopatu, vel Abbatia per Regem, vel quamlibet laïcam manum investiretur in Anglia.*

IV. Paschali II. successit Gelasius II. ei Callistus II. qui anno 1119. Concilium Remis coëgit, cui & Ludovicus Crassus Rex affuit. Ibi porro constitutum est, ut liberæ posthac essent electiones Præsulum & consecrationes; investitura per annulum & baculum daretur ab Episcopo consecratore. *Ut per investituram Pastoralis virgæ & annuli, per ostium, id est, Christum ingrediantur:* nec posthac Laïci investituris dandis se interponerent: *Et investituram rerum Ecclesiasticarum nihil omnino sibi laïcalis exigat persona.* A Rogerio id narratur, qui & addit Henricum Imperatorem, qui non procul aberat, cæteris Concilii decretis annuisse, ab isto de investitutis vehementer abhorruisse, atque à Concilio demum anathemate confixum esse. Hinc rursus firmantur, quæ suprà semel & iterum diximus de Galliæ Regum abstinentia facillima ab investituris, ut quas nunquam, aut raró opprimendis electionibus prætexuissent.

His Hasso, qui ei Concilio affuit, multa addit, quæ multùm juvet observasse. Ait enim initio damnatas universim esse à Pontifice investituras quaslibet rerum sacrarum, manu laïca factas. Tum verò Laïcos Clericosque longè plurimos insurrexisse, contumaciter repugnasse, & tumultuatos esse usque adeo dum advesperasceret, veritos nimirum ne Decimæ infeodatæ periclitarentur: ut compulsus fuerit Pontifex ad mitiora se reflectere consilia, & postera die pronuntiare damnatas à se non fuisse, nisi Episcopatuum & Abbatiarum investituras. *Investituram Episcopatuum & Abbatiarum per manum laïcam fieri omnimodis prohibemus.* Consultissimum id fuit temperamentum. *Decretum illud unde murmuratum fuerat, saniori consilio temperavit*, ut ait idem Scriptor, qui rerum se oculatum testem fuisse profitetur, quas scripserit. *Quod vidi & audivi, scripsi.* Nec eo uno charitatis & indulgentiæ documento idem Pontifex pacem Ecclesiæ reddere tentavit.

Rursus enim Romæ congregato Lateranensi Concilio anno 1122. sedata sunt prorsus diuturna hæc Sacerdotii & Imperii dissidia, annuente Pontifice. 1. Ut in Germania electiones Imperatore præsente celebrarentur, citra vim, citra simoniam. 2. Si dissensiones exorirentur in electionibus, eas ipse pacaret, adhibito in Consilium Metropolitano cum Episcopis Provinciæ. 3. Daret investituras feudorum tantùm Imperii Episcopis & Abbatibus, non jam per baculum & annulum sacrum, sed per suum ipsius sceptrum. 4. Episcopi jura & officia feudorum illi exolverent. 5. Extra Germaniam electi Episcopi consecrarentur primùm, atque intra sex menses ei se sisterent investiendi. Decretum hujusmodi exscripsit Otto Frisingensis Episcopus, nos ex eo hîc ascribemus: *Concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri, absque simonia & aliqua violentia. Ut si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio & judicio, saniori parti auxilium & assensum præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur. Et quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii consecratus infra sex menses Regalia per sceptrum à te recipiat.* *Chron. l. 7. c. 46.*

Vicissim spopondit Imperator absolutissimè liberas fore electiones & consecrationes, nec Præsulum quemquam annulo & baculo sacro posthac à se investitum iri. *Dimitto Deo & Ecclesiæ investituram omnem per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis, quæ in Regno vel Imperio meo sunt, canonicam fieri electionem, & liberam consecrationem.* Ex quo rursum liquet restituendæ electionum libertati tandiu certasse Ecclesiam, quæ investiturarum obtentu penitus obrutæ fuerant.

V. Eo temperamento in auctoritatem recepto, Pontificique & Synodo approbato, investituris usi sunt Galliæ Reges, ad Ecclesiæ has leges accommodatis, ut docet Bernardus, ubi de Episcopo electo hæc habet: *Festinavit ad Regem, Regalium investituram accepit.* *Epist. 164.* Nec sceptro tamen forsan, sed rescripto Regio investiebantur, quod videtur adnotasse Ivo Carnotensis: *Investire manu, nutu, lingua.* *Epist. 62.*

VI. Redeo ad Germaniam, ubi Imperator concordiam cum Pontifice initam confirmavit in Conventibus Virtsburgensi, Vormaciensi & Bambergensi, ut legere est in historia Abbatis Urspergensis & Vuillelmi Malmesburiensis. Commemorat porro Scriptor vitæ B. Bernardi Claravallensis Abbatis, ut anno 1131. Lotharius Germaniæ Rex apud Leodiensem civitatem, quo maximo potuit honore & cultu veneratus Innocentium II. instare rursum cœperit quò sibi restituerentur investituræ. Non facilè extricasset se Pontifex hoc discrimine, ut qui Anacleti Antipapæ infestatione in summas jam adductus

esset angustias, nisi Bernardus singulari quadam & divina propè eloquentia Lotharium à proposito deterruisset. *Nec consilium suppetebat, donec murum se opposuit sanctus Abbas. Audacter enim resistens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit.* (Baron. an. 1131. n. 7)

VII. Nec diuturna Imperii & Sacerdotii pax illa fuit. Cùm enim Magdeburgensis vacaret Ecclesia, & Capituli vota Præpositum inter & Decanum ejusdem Ecclesiæ fluctuarent, suasit Fridericus Rex, ad quem confugerant, Decani sectatoribus, ut in Guicmanum Episcopum suffragia sua conferrent, quem & mox investivit: *Eique accersito Regalia ejusdem Ecclesiæ concessit*, ut ait Otto Frisingensis Episcopus, Friderici Regis consanguineus. Quo consanguinitatis nexu videri potest Otto in Fridericum tuendum propensior, ubi ait, Aulicis omnibus persuasissimum fuisse, fœdere illo inter Callistum II. & Henricum V inito convenisse, ubi scinderentur suffragia, Principum suorum adhibito consilio judicem fore Imperatorem. *Tradit enim Curia & ab Ecclesia eo tempore, quo sub Henrico V. de investitura Episcoporum decisa fuit intra Regnum & Sacerdotium controversia, sibi concessum autumat, quod obeuntibus Episcopis si fortè in eligendo partes fiant, Principis arbitrii esse, Episcopum quem voluerit, ex Primatum suorum consilio ponere; nec electum aliquem antè consecrandum, quàm ab ipsius manu Regalia per sceptrum suscipiat.*

Ad Guicmanum Episcopum & Fridericum Germaniæ Regem revocanda oratio est. Scripsit Eugenius III. ad Episcopos Germaniæ, reniti eos debuisse, ne ea canonicis regulis contumelia aspergeretur, & ne Episcopus ex Ecclesia una transferretur in aliam, maximè *Clero nolente, imo ut dicitur, magna ex parte reclamante*. Paucis pòst annis Capitulo similiter Coloniensi in duos æmulos vota sua partiente, Fridericus ad quem relatum fuerat, *consilio & judicio Episcoporum aliorumque Principum*, auditis partibus litem diremit. Illud postea multò audaciùs, & hinc tamen profectum, cùm idem Fridericus I. Ecclesia similiter Romana inter duos competitores dissidente & alternante, suarum esse partium duxit ut Concilium congregaret, & litem dirimeret. Redeo ad Germaniam. (Baron. ann. 1152. n. 7. Otto Frising. l. 2. c. 6. Idem l. 2. c. 31. 32. Radevic. l. 2. c. 54. 55. 56.)

Vigebant in ea electiones: sed ex ea quam Callistus II. Imperatoribus concesserat facultate rei dijudicandæ, ubi essent aliquæ dissensiones, quæ erant utique frequentissimæ, dissensiones aliæ emergebant difficiliores. Alterum profero nunc exemplum. Trevirenses Canonici, alii in Volmarum, alii in Rodolphum suffragia sua contulerant. Prior ille ad Pontificem retulit, à quo ejus electio canonica pronuntiata est; posterior ad Imperatorem, qui causam ei adjudicavit, contendens in ea dissidii causa suas esse judicandi partes. *Apostolicus affirmabat partem Volmari, propter canonicam electionem, Imperator pro Rodulpho erat, propter electionis dissensionem.* Ita Arnoldus Lubecensis, qui addit possessionem Archiepiscopatus ex sententia Imperatoris adjudicatam fuisse; qui rursus simultates cum Urbano III. susceperit, ex occasione Regaliæ vacantium Ecclesiarum. Cùm autem in Italiam profectus esset, à filio ejus contumeliosissimè exceptum idem narrat fuisse Episcopum, qui ingenuè professus esset, se nonnisi à Pontifice investituram accepisse Episcopatûs, quod nihil omnino haberet feudorum Regalium. *A quo Pontifice alem investituram suscepisti? A Papa. Nihil de Regalibus possideo, nec ministeriales, nec curtes Regias habeo, idcirco de manibus domini Papæ Parochiam, cui præsum, teneo.* (Baron. an. 1185. n. 3. 1186. n. 3. & 1059.)

Fridericus verò usque adeo vacantium Ecclesiarum fructibus abstinebat, aut prioribus usurpationibus suis quibuslibet, ut ex adverso defensoribus libertatum Ecclesiæ, uti probrum objecerit, quòd restitutis electionibus jam Præsules Germaniæ multò obscurioris essent & peritiæ & sanctimoniæ, quàm cùm antè ab Imperatoribus nominarentur. Quod argumento rursus est Germanicas investituras labefactandis electionibus prætextas semper fuisse.

VIII. Omnium auspicatissimè Innocentius III. in ea incidit tempora, quibus Imperatores facilè compulerit, ut eo decederent consentiendi jure, quo hactenus usi fuerant in electionibus, & quo via pandebatur innumeris molestissimisque Imperii & Sacerdotii dissensionibus. Cùm enim de Imperio decertarent Philippus Sueviæ, & Otto Saxoniæ Duces, qui partitis eligentium studiis electi fuerant, non adjunxit ille se ad Ottonis partes tuendas anno 1209. nisi postquam ab eo expressit hujus consensûs abdicationem. En ipsissima verba: *Illum volentes abolere abusum, quem quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, ut electiones Prælatorum liberè & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars ipsum duxerit eligendum, dummodo nihil ei obstet de canonicis institutis.* Ita duplex ea abdicabatur potestas, & assentiendi electionibus, quæ concordes fuissent, & dijudicandæ litis, ubi controversæ. Ubi Fridericus postea II. electus est Rex Romanorum, anno 1213. quò Pontificem eundem suis partibus conciliaret, eadem se sponsione obligavit, & iisdem verbis. (Rainald. ann. 1209. n. 10. Idem anno 1213. n. 23.)

Ista ergo fuit in Germania electionum plenissima libertas. Ad Pontificem recurrebatur, ubi postulationes, vel necessariæ dispensationes ita cogebant, ut ex Gregorii IX. litteris patet. Cùm in manus Clementis IV. Papæ Ecclesiam suam resignasset Archiepiscopus Salisburgensis: quòd ætas ingravescens, quòd frequens etiam ægritudo non fineret Episcopali amplius fungi officio; Clemens eum Archiepiscopatum Præposito Vicegradensi contulit, vetito antè Capitulo, ne ad eligendum pergeret. Erant ergo usitatissimæ electiones, extraordinariæ & rariores Pontificiæ nominationes. (Epist. 25. Epist. 2.)

Rodolphus ubi primùm ad Imperii clavum accessit, quem & deinde ad clarissimam Austriacam gentem suam transmisit, Gregorio X. Papæ anno 1275. recepit in se & spopondit illud ipsum, quod antè Otto IV. & Fridericus II. Cùm exinde eodem ipso tempore renuntiaverint iidem Austriacæ prosapiæ Imperatores juri Regaliæ, ut nec jam necesse esset, ut res Ecclesiæ temporales electis redderent, minimè necessarius quoque fuit eorum deinceps consensus. (Rainal. an. 1275. n. 38.)

IX. Vestigari faciliùs potuit finis, quàm initium investiturarum. Eo quidem privilegio quod Paschali II. expugnatum est, illo jure profitebatur ipse à Prædecessoribus suis fuisse donatos priores Imperatores. *Illam igitur dignitatis prærogativam, quam prædecessores nostri vestris Catholicis prædecessoribus Imperatoribus concesserunt, nos quoque dilectioni tuæ concedimus, &c.* Sed vel ea ipsa confessio, peræquè ut privilegium Pontifici tyrannica vi extorquebatur. Nec enim usquam vel probatio, vel memoria Pontificiæ hujus concessionis. Perdiu quidem ante (Malmesb. l. De gest. R. g. Ang.)

Gregorium VII. Imperatores Ottones & Henrici in Germania, Reges Italiæ, Galliæ & Angliæ, per baculum Præsules investiebant: at quamdiu eo jure & ritu Reges longè sanctissimi utebantur, Præsulibus sanctitate & eruditione sacra florentissimis, non religio hinc, non scrupulus ullus injiciebatur. Robertus Franciæ Rex, Eduardus Angliæ, Ottones & Henrici Germaniæ tam religiosè utebantur ea potestate, ut silentio saltem suo lubens acquiesceret Ecclesia. Tam profunda ex bellorum & calamitatum voragine enatabat Ecclesia, ob Carolinæ Regiæ stirpis excidium, ut nihil rei Christianæ conducibilius esset, quam illos roborare Principes & fulcire, per quos roborabatur ipsa, & convalescebat. Electionibus nihil officiebant investituræ horum Imperatorum. Novum propono exemplum in Lietberto
Spicil. To. 9. pag. 684. & seq. Cameracensi Episcopo, qui à Clero Populoque electus, Henrico III. Imperatori anno 1050. præsentatus est, ab ipso rursus & Principibus ejus electus, tertiò denique ab Archiepiscopo Remensi & Provinciæ ejus Episcopis electus fuit.

Cùm Pontifex ipse Leo IX. successorem sibi designasset in Episcopatu Tullensi, quem ante summum Pontificatum administrarat, ad Imperatorem illum ablegavit, ut ejus assensu confirmaretur. Qui verò potuissent Imperatoribus Pontifices de eo usu controversiam facere, si in creatione ipsa Romanorum Pontificum illos ea ipsa instruxerant facultate? Id non dissimulat Petrus Damiani, cùm in eo libello, sive Dialogo, quem conscripsit de hoc ipso argumento, altero hinc Pontificis, altero hinc Imperatoris causæ patrocinante, Advocatum Regium inducat, asseverantissimè confirmantem, à Romanis Henricum III. Imperatorem creatum esse Patricium Romanorum, & ea potestate donatum, ut primatia semper authoritate esset in creatione Pontificum: denique à Nicolao II. eandem potestatem filio ejus confirmatam, curatumque, ut & in Con-
Petr. Dam. Opusc. 4. cilio confirmaretur. *Henricus Imperator factus est Patricius Romanorum, à quibus etiam accepit, in electione semper ordinandi Pontificis principatum. Huc accedit quod præstantius est, quia Nicolaus Papa hoc domino meo Regi privilegium, quod ex paterno jam jure susceperat, præbuit, & per Synodalis insuper Decreti paginam roboravit.*

Præsidere & principem authoritatis locum obtinere in Romani Pontificis electione, amplius quid, & admirabilius est, quàm Episcopatuum investituras dare. Is tamen qui & sapientiæ laude & Ecclesiasticæ expurgandæ disciplinæ studio præcipuus erat, id necessarium existimavit fore præsidium, ad arcendas, vel comprimendas latrunculorum molitiones, qui electiones Pontificum jamdiu disturbabant. Henricus pater ea potestate usus est ita temperanter, ut tam inauditi privilegii à se concessi Ecclesiam tum non pœnituerit. At Henricus filius tam impotenter eo jure usus est, ut eo excutiendus necessariò fuerit, quo in suam & Ecclesiæ ignominiam, ac perniciem abutebatur.

Nec aliter investituræ revocatæ fuere, quam quòd iis abuterentur ii, quorum majoribus illæ non ex privilegio concessæ, sed usurpatæ, & in necdum abstinentibus toleratæ fuerant. Quanquam enim minimè malitiosa fuisset ea primùm investiturarum usurpatio, minùs advertentibus tum seu Principibus temporalibus, seu Præsulibus Ecclesiæ, quid præposterum in illis, quid obliquum esset; erat tamen res ipsa per sese & honori ac libertati Ecclesiæ ejusque sanctissimis legibus inimica: ut à terreno Principe acciperet in Aula Antistes, quod non posset nisi in templo & inter sacra Mysteria à Consecratore suo. Ideo & Gregorius VII. & Urbanus II. & Paschalis II. qui diutius invictiusque adversùs investituras certarunt, ne memoraverunt quidem, vel in Epistolis suis, vel in Conciliis, privilegium unquam ullum, aut Canonem, quo eæ ad tempus permitterentur: sed abusum tantùm rei sacræ perspicuum, & Ecclesiasticarum legum conculcationem.

X. Illud arcanæ Numinis Providentiæ non possumus non magnopere mirari consilium, quòd cùm in Germania electiones & audacius fuerint & diutius oppugnatæ: ea ipsa nunc sit earum retinentissima, & una prope modum Christiani Orbis Provincia, in qua adhuc vigeant. Nec illud forsan minùs stupendum, quod ut priùs Romani Pontifices invictissima constantia fregerunt contumaciam Principum Germanorum electiones impugnantium: ita pòst Germani Principes strenuè certarint, ut Concordata sibi sua ad tuendas electiones concederentur à Pontificibus, adversùs Pontificias maximè Reservationes.

XI. Edita sunt hæc Germanica Concordata anno Christi 1448. inter Nicolaum V. Papam, & Fridericum III. Imperatorem, seu Nationem Germanam. Illis Pontifex integra sibi servat Beneficia omnia morientium in Curia, vel duabus non longius diætis: omnium similiter Cardinalium, vel Officialium & Ministrorum Curiæ Romanæ, quocumque obeant loco. Electio canonica celebranda est in Ecclesiis omnibus Episcopalibus & Abbatialibus. Quoad alia Beneficia sex Pontifici alternatim menses tribuuntur, initio ducto à mense Januario: ita certè, ut si tertio pòst mense quam vacare cœpit Beneficium, non innotescat Pontificia provisio, ad Ordinarium ea revolvatur. Annatæ Episcopatuum & Abbatiarum Apostolicæ sedi exolvuntur.

Summa quidem ea capita sunt Germanici Concordati. Sed enarrandæ omnino hic sunt Reservationes aliæ, quæ in eo confirmantur, præter superiores duas. Hoc est, 1. Præter Beneficia quæ vacant in Curia, vel duabus propè diætis; 2. & præter Beneficia Cardinalium; & Officialium Papæ, quocumque loco obeant. 3. Reservantur & Papæ Beneficia quæcumque vacatione, depositione, privatione, translatione, quæ fiat per authoritatem sedis Apostolicæ. 4. Eorum etiam quorum rescissa fuerit electio, aut recusata postulatio, aut admissa per Pontificem resignatio. 5. Omnium eorum, quibus conferuntur a Papa Ecclesiæ Patriarchales, Metropolitanæ, Episcopales & Abbatiales. 6. Beneficia omnia incompatibilia cum iis, quæ pacificè possideri incipiunt per Apostolicæ sedis collationem. Reservationes hæ omnes continentur Benedicti XII. Extravaganti *Ad regimen*. 7. Potest adhuc Pontifex Episcopatus & Abbatias conferre, nisi canonicæ earum electiones ad se referantur tempore præfinito à Nicolao III. in Decretali *Cupientes*, *in Sexto*. 8. Quantumvis Canonibus consentaneæ fuerint electiones, penes Pontificem illibata semper potestas est, digniorem & utiliorem Ecclesiæ nominandi, ex causa rationabili & manifesta, & de consilio Cardinalium. *Si Canonicæ fuerint electiones, confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerimus providendum.*

Ut uberior lux affundatur, observa duo cum primis commoda Concordatis his accrevisse Germanis, quibus antè frustrabantur, cùm Regulis regebantur

Cancellariæ.

Cancellariæ. Primum est, quòd Ecclesiæ omnes Episcopales & Abbatiales Pontifici reservarentur per Regulas Cancellariæ, cùm Concordatis restituantur electiones, nec reserventur Pontifici Episcopatus & Abbatiæ, nisi eum eatum Præsules in Curia obeunt, vel Cardinalatu, aut officio aliquo in Curia Romana gaudebant, dum essent superstites. Alterum est, quod juxta Regulas Cancellariæ, quæ per sex menses Beneficia Papæ reservantur, à solo Pontifice possint dari, quantumvis cunctetur Papa in eorum collatione. At ex Concordatis nisi intra tres menses provideat Pontifex, postquam vacare Beneficia rescivit, jam tum mirabilis fiat juris devolutio ad Episcopum, vel Ordinarium, à superiori ad inferiorem. Certè tribus etiam illis mensibus elapsis penes Pontificem superest jus præventionis: & si tum etiam ante Ordinarium nominet, valet ejus nominatio, ut declaratum est à Gregorio XIII. quanquam Pontificia nominatio non innotescat, nisi postquam Episcopus nominavit. Ante Gregorium XIII. aliud jam diploma publicaverat Clemens VII. ad tuenda jura sedis Apostolicæ convenienter Concordatis, & ad cohibendas usurpationes Germanorum Præsulum, postquam urbs Roma à Teutonibus fuerat expilata.

XII. Cùm unum in id studiosissimè conniteretur Nicolaus, ut Germanis perquam gratissima essent Concordata, gnarus eos jamdiu amarissimè conqueri de suis libertatibus oppressis, & diu alternasse inter Pontifices & Concilium Basileense: hinc facilè conjicitur Reservationes eas omnes, non ab eo innovatas, non tunc primum invectas, sed jam olim usitatissimas, & in jus commune receptas fuisse. Earum vestigia sparsim superius observavimus. Hic unum in locum juvabit omnes conjecisse. Una est de qua altum hactenus ferè silentium, & quæ plurimum admirabilitatis habeat, ubi potest Pontifex electionem vel maximè Canonicam non confirmare, & præstantiorem ipsemet subrogare Præsulem.

Verùm vel ea ipsa reservatio si penitius introspiciatur, cum iis quibus septa est clausulis, non erit forsan quod magnopere stupeamus. 1. Causam necesse est subesse justam & rationabilem. 2. Immo & evidentem. 3. Idque fiat ut Pastor dignior subrogetur. 4. Et ex quo major in Ecclesiam redundet utilitas. 5. Denique consilio Cardinalium rem trutinari opus est.

Expostulante Friderico III. quòd Romani minus observantes essent Concordatorum, quodque Germanicæ electiones contemptui haberentur: Responsum est à Callisto III. electiones omnes eas confirmatas fuisse, quæ canonicæ visæ essent: nec usum esse, & nec uti velle Pontificem, nisi summa & ineluctabili necessitate coarctatum, ea potestate, quam Legibus divinis & humanis, & ipso Concordato obtineret, Episcopum digniorem nominandi, eo qui canonicè etiam fuisset electus. *Potestate autem illa quæ nobis ex divino atque humano jure,* Inter Epist. Æneæ Sylvii Ep. 371 *simulque Concordatis ex prædictis competit, providendi Ecclesiis de persona magis idonea, etiamsi canonica in illis electio facta reperiatur, adhuc non sumus usi, nec uti proponimus, nisi ex magna & urgentissima causa.*

Has querelas refellens Æneas Sylvius, qui Conventibus illis nomine Imperatoris affuerat, in quibus Concordata concinnabantur: eam fuisse confirmat Pontificis voluntatem, ut nihil admitteretur Basileensium Decretorum; eam ex adverso Germanorum, ut nihil eorum prætermitteretur, mediam tandem illam placuisse viam & rationem, ut aliis daretur locus, aliis occluderetur. *Propter Decreta enim Basileensis Concilii inter sedem Apostolicam & Nationem vestram dissidium cœpit, cum vos illa prorsus tenenda diceretis, Apostolica verò Sedes omnia rejiceret. Itaque fuit denique Compositio facta, in qua nos Imperatorio nomine interfuimus. Ea certam legem dedit deinde inviolabiliter observandam, per quam aliqua ex Decretis Concilii prædicti recepta videntur, aliqua rejecta.*

Fidem faciunt Annales Historici ejusdem rei, Spondanus. quam hic affirmat Æneas Sylvius, Concordatis an. 1457. Germanicis medium quoddam temperamentum n. 5. continere, quo nec omnia includantur Basileensium Rainal. an. placita, quod urgebant Germani: nec omnia ex- 1457. n. 47 cludantur, quod Romana Curia gestiebat. Pragmaticæ Sanctionis Gallicanæ idem scopus, eadem mens fuerat. Sed cùm opera data non sit, ut interveniret ei sedes Apostolica, cujus permagni intererat, hinc nec tam felix exitus, nec tam diuturnus fuit ejus fructus, quàm optatum fuerat; & eò tandem res exiit, ut electiones deinceps ad Prælaturas in Gallia ferè conticescerent, in Germania retinerentur.

Restat id nobis observandum, quantumvis liberæ, & canonicæ sint electiones in Germania, eas à Papa confirmandas esse ex Concordatis; quo non prohibetur, quin Episcopi ita confirmati & provisi à Pontifice, in potestate sint sui quisque Metropolitani. Verbis conceptis id statuunt Concordata. Inde ergo conjicitur ante Concordata Bullis Pontificiis & Provisionibus Romanis institutos fuisse Episcopos & Abbates omnes. Scripsit anno 1484. Rainal. an. Sixtus IV. Papa litteras acerbissimas Episcopo Co- 1484 n. 4. nimbricensi in Lusitania, quod à Conimbricensi 5. Ecclesia ad Braccharensem Metropolim translatus, spiritalem & temporalem novæ hujus Ecclesiæ administrationem capessiverat ante susceptas Pontificias Bullas.

XIII. Nec multùm diversa fuit ratio electionum in Ecclesiis Regnorum ad Septentrionem projectorum, à Germanicis moribus. Innocentius IV. Papa anno 1250. perversas damnavit Sueciæ electiones, ubi *per potentias Regis & Baronum, & ad clamorem tumultuantis populi*, Præsules eligebantur; jussit autem ut in posterum electio fieret à Canonicis in Capitulo. Ulterius si Annales ejus regni revolvamus, occurret electio Lincopensis Episcopi sub Alexandro III. à quo & confirmata est, cùm à Clero & Populo celebrata fuisset, cum assensu Archiepiscopi, Regis & Ducis. *Clerus & Populus ejus-* Rainal. an. *dem loci, de assensu Archiepiscopi & Regis atque Ducis* 1250. n. 40 *terræ, te in Episcopum elegerunt.* Ea tum erat electionum forma, cùm necdum ad solos Canonicos coarctatæ fuissent.

Anno 1273. in Norvegia definita est causa momenti longè maximi, cùm hæreditario sibi jure Rex regnum vindicaret, at Archiepiscopus Nidrosiensis contenderet electione Reges ibi creari, & penes se esse prærogativam suffragii. Postremò tandem Archiepiscopus eligendi jus Regis abdicavit, abdicavit & Rex jus omne in electiones Episcoporum & Abbatum. *Concessit quod in electionibus Epis-* Rainal. an. *coporum vel Abbatum Nidronensis Provincia nulla vis,* 1273 n. 20. *nulla potentia, nulla authoritas Regis vel Principis interveniat.*

Ladislao Poloniæ Rege anno 1429. contendente, suum esse, non Papæ, Episcopos regni Poloniæ

nominare & instituere : ut illum ab ea sententia avocaret Martinus V. monuit, Christianis Regibus ab omnibus se interpellari, ut Episcopatus eorum alumnis & charissimis ministris conferret; se verò ad eorum preces prorsus obsurdescere, nisi illis obsequi charitas & utilitas Ecclesiæ suaderet; se non ita pridem quoque in Anglia Episcopos creasse, duos in Gallia, præter Regum preces, qui acquievissent tamen; nec aliter à se in Regnis Castellæ &

Rainal. an. 1429 n. 14 Arragoniæ factitari. *Supplicant sæpè Reges & Principes, & nos eis interdum complacemus : interdum aliter disponimus, quàm Reges & Principes supplicant. Nuper siquidem quinque provisiones in regno Angliæ fecimus, alio modo quàm ipse Rex scripserat. Magis enim consideravimus personarum merita & commoda Ecclesiarum, quàm Regiam voluntatem. Hoc similiter aliàs fecimus in regno Castellæ, & noviter in regno Franciæ, in duabus Ecclesiis; fueruntque provisiones nostræ reverenter, ut dignum erat, à Regibus acceptatæ. Nec Aragonum Rex, licèt sua culpa alienatus à nobis extiteris, unquam adversatus est provisionibus Ecclesiarum, quas arbitrio nostro in Regno suo fecimus.*

Quanquam hæc jam superiùs alicubi relata fuerant, non abs re tamen hîc rursus inculcanda visa sunt, ut hinc perspicuè intelligatur, parum discrepare illam, quæ tum obtinebat consuetudinem, ab ea quæ per Concordata nunc invaluit in omnibus Catholicis Regnis, excepta Germania. Non quòd non Reges ipsi quandoque electionibus Capitulorum suffragarentur, adversùs Pontificias nominationes, ut in Polonia contigit anno 1460. cùm Cracoviensem Episcopum nominasset Pius II. unáque Capitulum solennem suam celebrasset electio-

Raińald. n. 41. nem. Eò tandem res erupit, ut indeflexæ Regis voluntati cedendum fuerit, ita ut designatus à Papa cum electo Capituli pacisceretur, & jure suo illi decederet. Sed rariores erant illæ dissensiones, & facilem in concordiam Reges Pontificesque mutua ultro citroque utilitas adducebat.

CAPUT XXXIX. *P. 4. l. 2. c. 47.*

De electionibus ad Abbatias post annum Christi millesimum.

I. Ut Episcopales electiones consentirent cum electionibus ad Abbatias.

II. In quibus rursum eæ dissentirent.

III. Electiones ad Abbatias liberæ erant, ab Episcoporum & Pontificum parte.

IV. At Comites ac Duces dandis Abbatiarum investituris, earum electiones perturbabant, Abbatias ipsimet dabant.

V. Ea potestate temporales domini pessimè alii, alii perversissimè utebantur.

VI. Nominationes ad officia Claustri.

VII. Exempla Abbatum, qui eligerentur quidem, sed non à Monachis suis.

VIII. Peculiaris consuetudo Cœnobii sancti Albani in Anglia.

IX. Regula electionum ab Innocentio III. delineata.

I. AB electionibus ad Concordata defluxeramus : de quibus extra Germaniam quoque dicere hoc capite pergeremus, nisi extrema hîc manus admovenda visa esset electionibus Cœnobiorum. Quanquam enim electiones, nominationes & reservationes Abbatiarum ejusdem ferè semper modi fuerint, atque Episcopatuum : unde & ad Abbatias pertinent, quæ de Episcopatibus disputata sunt hactenus omnia : erunt tamen nonnulla de Cœnobiis, quæ non pœniteat peculiariter observasse, & in unum hoc caput conjecisse.

II. Nullum capitalius discrimen inter electiones ad Episcopatus & ad Abbatias, quàm quòd longè maxima pars Episcopalium Ecclesiarum ab Episcopis ipsis & à fidelibus laicis jam inde ab exordio Christiani nominis exædificatæ & dotatæ fuerint : cùm Abbatiæ contrà multis pòst sæculis pleræque excitatæ sint, atque utplurimum larga Principum munificentia.

Ab origine ergo sua id consecutæ sunt Episcopales Ecclesiæ, ut electione suos ipsæ sibi præficiant Pastores : at Abbatiæ plerumque à Principibus & Patronis opulentissimis fundatæ, iis obnoxiæ fuerunt, vel nominationibus, vel conditionibus aliis, quas fundatores inter ipsa earum initia præscripserant. Exemplo res illustrabitur. Anno 994. Hugo & Robertus Galliæ Reges à fundamentis excitarunt Abbatiam Burgoliensem, interpellante Emma Comitissa Pictonum, quæ fiduciario ab iis Regibus jure eam regiunculam obtinebat. Episcopi & Barones assensi sunt. *Cum consilio & assensu tam Episcoporum, quàm Optimatum.* Addita est porro ea clausula, ut ad electionem Abbatis Comitissæ assensus requireretur & filiorum ejus : *Ut decedente Abbate, alium constituendi à fratribus electum, respectus ad prædictam Comitissam ejusque filios habeatur.* *Conc. To. 9. p. 742. 779. 787. 997. 999. 1002.*

Cluniacensis, Vizeliacensis, Corbiensis, & nonnullæ aliæ Abbatiæ minùs obnoxiæ erant Laicorum potestati, ut quæ solius Papæ confirmatione indigerent. Robertus Rex ex adverso & Concilium ad Calam congregatum anno 1008. Abbatiam sancti Dionysii, non expectata electione, spectatissimæ virtutis homini contulerunt, quòd non alia affulgeret spes, ejus Cœnobii miserrimè labefactati disciplinæ in integrum restituendæ.

III. Jure communi examinabant Episcopi, & confirmabant electiones Abbatum, intaminata prorsus earum libertate, ut Gregorii VII. Epistolis de- *L. 1. Ep. 52. 53.*
claratur ad Archiepiscopum Remensem scriptis, &
ad Episcopum Metensem. Plenissima libertate Gre- *L. 2. Ep. 27.*
gorius volebat gaudere Italicas in electionibus suis Abbatias, quæ immediatè subessent Sedis Apostolicæ jurisdictioni. Vizeliacensi Abbatiæ Abbatem donavit Innocentius II. sed cogente necessitate, postquam ex Abbatis absentia Cœnobium illud *in*
spiritualibus & temporalibus maximum sustinuit detri- *Epist. 20.*
mentum. Alexander III. nec Abbatiæ sancti Victo- *Append. 2.*
ris apud Lutetiam, nec Bonævallensi Abbates dedit, *Epist. 45. 54.*
quanquam electiones utrobique factæ essent post cessionem priorum Abbatum.

IV. Æquum non erat, ut tanta semper sobrietas & moderatio à sæcularibus Principibus expectaretur. Antequam Episcopalibus ornamentis fulgeret
B. Fulbertus, ad Abbonem Floriacensem Abbatem *Epist. 21.*
perscripsit grassationes Theobaldi, cognomento *Baron. ann. 1033 n. 14.*
Fallacis, Comitis Blesensis & Carnotensis, in va- *Le Tricheus.*
cantem Abbatiam sancti Petri apud Carnutos. Ambitiosulum antè Abbatiæ donaverat Monachum, quàm Abbas animam egisset. Extincto Abbate permisit quidem electionem fieri, sed à duobus, tribusve Monachis scelestissimis delusus, quasi unus ex iis electus fuisset, *statim eum Pastorali baculo publicè donavit.* Quanquam denique rescisset, needum electum quemquam fuisse, advolavit tamen ut suum illum intruderet, quem & ibi retinuit, quamvis Monachi omnes aufugissent.

Ubi verò postea Fulbertus Carnotensem Ecclesiam administrare cœpit, in ejus manus abdicavit se Abbas Bonævallis, Monachi alium elegerunt,

quem & Odoni præsentarunt Comiti, ab eo investiendum, antequam ab Episcopo ordinaretur. *Ep. 39.* *Obtulerunt Odoni Comiti Abbatia illa donandum, ut mos erat, mihique deinde consecrandum.* Inter Epistolas denique alias ejusdem B. Fulberti illa quoque occurrit, qua narratur electio Abbatis Cellæ in Episcopatu Tricassino, cui mox Comitissa cum filio temporalia contulit Abbatiæ, antequam spiritalem *Epist. 107.* Episcopus conferret jurisdictionem. *A Comitissa donum rerum temporalium suscepit, &c. A Tricassinorum Præsule animarum curam suscipi oportuit, &c.*

In his porro exemplis multa advertere fas est. 1. Qua vi, qua nonnunquam truculentia sævirent temporales isti domini, quorum expectabatur assensus, & quàm facilè à recti orbita variis cupiditatibus aberrarent. 2. Jam tum datas fuisse investituras in Gallia. 3. Nec ab Imperatoribus tantùm eas, & à Regibus datas fuisse, sed à Ducibus quoque & Comitibus. 4. Quod eò facilè tolerabatur, quòd, ut hic perspicis, electiones suam vim retinerent, & satis intelligeretur, quo distarent temporalia, quæ ab investiente; à spiritalibus, quæ ab ordinante conferrentur. 5. Suo infrà loco dicemus, ut lapsu temporis temporales isti domini quibusdam in Provinciis fructus sibi vacantium Abbatiarum vendicarint, quæ à nobis Regalia dicitur; cúmque ea esset eorum feudorum conditio, ut extinctis sine prole temporalibus his dominis, eorum successio ad summos Principes & ad Reges tandem devolveretur, in ea demum Regaliæ jura Reges ipsi Italiæ successerint.

Suppeditat & Glaber exempla donatarum à Comitibus & minusculis aliis Principibus Abbatiarum, ubi verba facit de celebratissimo omnium tunc laudibus Vuillemo Abbate, cui certatim Reges, Comites & Episcopi Cœnobia quæ vacassent omnia subjiciebant, ut ea regeret, ac sanctioribus Regulæ Monasticæ imbueret institutis. *L. 3. c. 5.* *Quodcumque Monasterium proprio viduabatur Pastore, statim compellebatur, tam à Regibus, vel Comitibus, quàm à Pontificibus, ut meliorandi gratia illud ad regendum susciperet.*

Idem emicat ex Duce ipso Aquitaniæ Vuillelmo, *Malleacais Burguoil* qui Malleacense Cœnobium reparavit, fundavit Burgoliense, præstantissimoque subjecit Abbati. *Baron. ann. 1024. n. 6. 1025. n. 5.* Jure suo, id est, fundatoris utebatur. Jus roborabat pius juris usus. Fuerunt & quædam temporum gravissimæ difficultates, quæ Cœnobia compulerint, ut ab Imperatoribus, aliisque Principibus sæcularibus Abbates deposcerent; ut constat exemplo Cassinensium Monachorum, *Idem anno 1038.* qui Conrado Imperatori enixissimis precibus extuderunt, ut Abbatem sibi præficeret; cùm ipse omnino repugnaret, urgeretque, ut consentaneè Regulæ B. Benedicti eligerent ipsi sibi Pastorem.

V. Si hos Conradi mores imitati essent cæteri Principes, ne in mentem quidem unquam venisset abstinendi eos investituris, immo verò nec forsan nominationibus. Sed horum temporum laudatissimus Scriptor Lambertus, sub Pontificatu Alexandri II. & Gregorii VII. Aulam Imperatoriam velut emporium fuisse testatur, ubi Abbatiæ venales *Baron. ann. 1072. n. 3.* prostarent. *Ut Abbatia publicè venales prostituantur in Palatio, nec quisquam tanti venales proponere queat, quin protinus emptorem inveniat.* Quis de jure investituræ vel nominationis litigasset cum Vuillelmo Duce Normanniæ, mox & Angliæ Rege Gallicæ gentis primo, qui appetente morte, cùm confessione & pœnitentia reliquos anteactæ vitæ nævos expiaret, professus est vocatos à se semper fuisse ad Ecclesiasticas dignitates, & ad Regia Consilia, quos novisset dignissimos: id ex Lanfranco, Anselmo, aliisque sanctissimis Abbatibus constare; à Majoribus suis fundatas in Normannia Abbatias decem fuisse, à se fundatas unam supra viginti, & iis se inexpugnabilibus propugnaculis ditiones suas communisse. *In electione personarum vita meritum & sapientiæ doctrinam investigavi, & quantum in me fuit, omnium dignissimo Ecclesiæ regimen commendavi. Hoc nimirum probari potest veraciter in Lanfranco Cantuariensium Archipræsule, hoc in Anselmo Beccensium Abbate, hoc in Gerberto Fontanellensi, & Durando Troarnensi, & in multis aliis Regni mei Doctoribus, &c.* *Baron. ann. 1087. n. 29*

Tom. II.

Non dispari forsan sanctimonia Henricus III. Imperator & investiturarum & nominationum consuetudine utebatur; & alicubi tamen ne ipse quidem dissimulavit, invadere sese quodammodo in Sacerdotii munia. Cùm enim Abbas quidam dono ei equum dedisset, & is cui furto sublatus fuerat idem ipse equus, ad ipsummet de illato sibi damno conquestus esset, dum equo eodem sessitaret, jussit Henricus, ut baculum Pastoralem is Abbas resignaret, quem mox ipse in manus Christi, seu statuæ ejus ibidem sacræ restituit, ut ab eo Abbas eum illico reciperet, & perdisceret à Christo ipso se, non à terreno Principe investitum ea Abbatia fuisse. *Depone baculum regiminis Pastoralis, quem credit largitione mortalis hominis debere gestari.* *Glaber. l. 5. c. 4.* *Quem cùm à se projecisset, suscipiens Rex, imposuit dexteræ imaginis Salvatoris, Vade, inquiens Abbati, & suscipe illum de manu omnipotentis Regis, ne sis ultra pro eo debitor alicujus mortalis, & liberè utere eo, ut decet culmen tanti honoris.* Hactenus Glaber. Nec minùs luculenta, quæ suprà retulimus de B. Romualdo, quem Otto Imperator Abbatem constituit. Hugo Capetius Francorum Rex Regumque prosapiæ longè toto Christiano orbe clarissimæ & certè antiquissimæ parens & author, Burchardum Comitem Parisiensem donavit Abbatia Regia sancti Mauri Fossatensis, ut Monasticam disciplinam ibi collapsam restauraret: quod ab eo præstitum est sancti Majoli opera. Data est & à Roberto Rege Capetii filio eadem Abbatia Monacho Cluniacensi. *Deinde Abbatia dedit.* *Bibl. Clun. pag. 299. 301.*

Eadem, ut apparet, ratione qua Capetius, dedit & Rodolphus Rex anno 988. Abbatiam Romanensem Diœcesis Lausanensis, sorori suæ Adelaïdi, ut superstes ea poriretur, moriens cui vellet hæredum legaret. Cùm enim præstantissima ea domina Abbatias alias excitarit, dotaritque, quas Majolo Abbati Cluniacensi subjiceret; hinc apparet qua pietate dono sibi datam Abbatiam regeret, protegeret, reformaret, & eos demum ex ea pulcherrimos fructus caperet. *Ibid. Nota. pag. 71.*

Possent & coacervari exempla datarum à Principibus Abbatiarum, integra & incolumi electione. Sed & exemplis contrariis plena est historia. Narrat Ordericus à Duce Normanniæ datam Abbatiam, occupata electione, utque color aliquis rei audaci affingeretur, investitum esse Abbatem baculo Archiepiscopi Rotomagensis. *Anno 1059. Anno 1063. Script. Nor. p. 303. 310. 458. 477. 494. 676.* *Ei nihil tale suspicanti per Cambutam Maurilii Archiepiscopi in Synodo Rotomagensi curam Uticensis Abbatiæ commendavit.* Paucis antè annis cùm ejusdem Cœnobii Monachi Abbatem sibi elegissent, illum Dux confirmarat per baculum Episcopi Sagiensis. *Sais.* *Per cambutam Ivonis Episcopi Sagiensis exteriorem Abbatiæ potestatem tradidit; Vuillelmus verò Ebroicensis Episcopus interiorem animarum curam commendavit.* Si Theologorum vel Cano-

nistarum doctrina imbutus fuisset Dux, & temporalia à spiritalibus discrevisset, cœcur Pedo Episcopali usus esset, ut temporalium administrationem commendaret? Diximus jam, ubi perpacatæ fuere lites de investituris, convenisse, ut Imperatores per Sceptrum regiis Feudis Episcopos investirent. Ea ergo distinctio Orderici calamo & ingenio tribuenda, qui posterioris ætatis lumina & decreta in superiores retorquet ætates. Refertur ab eodem Scriptore ad annum 1122. diploma Henrici I. Angliæ Regis, quo anno 1120. Abbatiam in Normannia sitam contulit; & quanquam curasset ipsemet electionem celebrari, dono tamen à se dari Abbatiam significabat, temporalium tantum facta mentione.

Ibidem. pag. 874. 921.

Ab ipso Sugerio Abbate perhibetur, ut absens electus fuerit ipsemet à Monachis Abbas Cœnobii sancti Dionysii; utque Monachi à Rege mox confirmationem flagitantes, in carcerem contrusi fuerint, quòd non antè poposcissent eligendi licentiam. Dubius animi pendebat Sugerius, & percontari Papam decreverat, quid opus facto sibi esset: cùm Rex eam illi exemit mentis anxietatem, confirmata paulò pòst ejus electione, & Monachis carcere absolutis. Regens inde & Administrator Regni declaratus Sugerius à Rege Ludovico Juniore in Palæstinæ Bellum sacrum proficiscente, Burgoliensis Abbatis electionem confirmavit, quod Aquitaniæ Ducatus, in qua sita erat illa Abbatia, in Regum rursus ditionem rïadnecta fuerat. *Ad Regem Ducatus Aquitaniæ translatus est.* Eodem Sugerius jure regia vice usus est in compluribus aliis Abbatiis: cúmque esset religione & virtutum præstantia nulli non exploratissima, eo sanè nomine abstergebat invidiam & obliquas omnes suspiciones, quæ illini potuissent his electionibus Regiæ consensioni obnoxiis.

Du Chesne To. 4. pag. 320.

Sugerii. Epist. 3 4. 5. 8.

VI. Paulò alia erat ratio Prioratuum, & aliorum Claustri Officiorum. Cùm enim Eugenius III. Papa, & Ludovicus VII. Rex Galliæ in locum Canonicorum sæcularium sanctæ Genovefæ subrogassent Canonicos Regulares, è Cœnobio sancti Victoris accitos anno 1147. designatus primò suus illis Abbas est. At cum mox Prior quoque instituendus esset, is in quem Abbas & Conventus oculos & vota sua convertebant, contestatus est Regiam illam esse Abbatiam, ideoque constituendos ibi à Rege ipso esse Officiales. *Dicens in Regia Abbatia merito per Regem debere constitui Officiales.* Obtulit enimverò se ipse Regi, qui Claustralium minùs gnarus Constitutionum, Priorem illum instituit. *Estque in Regis Palatio ab ipso Rege Ordinis constitutiones ignorante, factus Prior.* Abbati & Conventui vehementer doluit, res ad Pontificem delata est, qui posthac Officiales definiit ex Ordinis Constitutionibus creandos esse: *Mandat Pontifex severissimè, ne deinceps Officiales contra Ordinis instituta eligantur.*

Baron. an. 1147. n. 4. Surius die 6. Aprilis.

VII. Quam primam suprà laudavimus B. Folberti Epistolam, fidem facit solitos fuisse Canonicorum aliquos interesse electioni Abbatis sancti Petri Carnotensis, unà cum Monachis. Inter Epistolas Joannis Salisberiensis illa jacet, quam nomine Archiepiscopi Cantuariensis ipse exaravit, & ex qua illud intelligitur, Archiepiscopum ne diutius vacaret Abbatia quædam, electionis faciendæ licentiam à Rege exorasse, cúmque adesse ipse non posset, vice sua delegasse Episcopos duos & Abbates duos, qui interessent, & quorum ex consilio fieret electio.

Epist. 22.

Epist. 37.

Cùm B. Goffridus Ambianensi postea Episcopatu augendus, electus primùm fuit Novigenti Abbas, conspiravit Dominus Cuciaci, cum Episcopo Landunensi, Episcopis Provinciæ & Archiepiscopo Remensi, ad eam electionem: cui nec electus, nec Abbas sancti Quintini assensum præbiturí fuissent, nisi eam Philippus Rex non assensu tantum confirmasset suo, sed & interposita authoritate Regia. *Communicato cum Archiepiscopo Remensi, cæterisque Episcopis consilio, &c. Cùm Regis voluntati & Episcoporum postulationi reluctari non auderent, &c.* Ita Scriptor suppar vitæ hujus sanctissimi viri. Qui beati Laurentii Dubliniensis Archiepiscopi vitam litteris mandavit, illum perhibet Abbatiæ primum præfuisse, ubi ea vigebat consuetudo, ut à Clero & Populo Abbates eligerentur. Tum voluisse Regem eam conferre suo nutu, cùm Laurentius Abbas creatus est: sed non multò pòst Clero suum, populoque jus redintegratum fuisse. *Jus consuetudinis quo tam Clerus, quàm Populus ibidem Abbatem eligere consueverat, &c. Clero & Populo in jus eligendi restituto, &c.*

Nogent.

Surius die 8 Novemb. c. 18.

Surius die 14. Novem. c. 16.

Odo Bajocensis Episcopus, Angliæ Regis frater, Abbatem & Capitulum sancti Benigni Divione donavit Cœnobio sancti Vigorii, in finibus Diœcesco Bajocensis sito; ea cautione, ut si quando hujus excrescerent Cœnobii opes, ut Abbatem habere sibi suum posset, tum is novus Abbas ab Abbate & Capitulo sancti Benigni perpetuo jure eligeretur, ejusque imperio subesset.

Recueil pour l'histoire de Bourgogne. pag. 217.

Excito inter Canonicos Turonenses sancti Martini & Monachos Cormericenses dissidio, finem dedit Urbanus II. Papa, jusso Abbate Cormericensi subesse Capitulo B. Martini, à quo eligeretur, baculumque Pastoralem susciperet è tumulo B. Martini; quòd ii Canonici Abbatiam à fundamentis excitassent. Anno 1036. electus est Abbas sancti Albini Andegavensis à Monachis ille quidem suis, sed de consensu Episcopi, Comitis Fulconis, Cleri, Populi, Nobiliumque utriusque sexus. *Per assensum Huberti Præsulis, per favorem Fulconis Comitis, assentientibus quoque Nobilibus, Clericis & Laicis, ac utriusque sexus insignibus personis.*

Spicil. To 6. pag. 23. 416.

Glastemburiensem in Anglia Abbatiam narrat quidem Vuillelmus Malmesburiensis à Rege Edgaro fundatam, plenaque libertate donatos Monachos creandi Abbatis qui ab eo Pedum acciperet; *Sibi vero suisque hæredibus potestatem retinuit, tribuendi baculum pastoralem electo.* Sed cùm mox subjiciat statutum ab eodem Rege fuisse, ut non solum Monachi, sed & Clerici sub Titulo illius Abbatiæ ordinarentur: hinc ansa porrigitur inquirendi, an hujusmodi essent Clerici, vel Canonici, qui ad electionem Abbatum admittebantur, ut suprà relatis patet exemplis. Ut ante calcem sæculi XII. accersebantur Abbates, cum Episcopis, Clero & Populo ad electiones Episcoporum: mirum nòn est, si & Clerici admitterentur vicissim ad electionem Abbatum ex parte saltem aliqua, & quibusdam in Provinciis.

De gestis Reg. Angl. L. 2. c. 57.

Omnes pene Episcopos Angliæ author est Rogerius anno 1175. omnesque Abbates Provinciæ Cantuariensis convenisse ad electionem Episcopi Norvicensis, & ad Abbates designandos omnibus Angliæ Cœnobiis vacantibus. *Venerunt etiam illuc omnes Abbates Cantuariensis Diœcesis, & magnum celebraverunt Concilium, de Pastore eligendo ad sedem Pontificalem Norvicensis Ecclesiæ; & de Pastoribus eligendis ad Abbatias, quæ tunc vacabant per Angliam.*

VIII. Admirabilis cum primis est ratio eligendorum Abbatum Sant-Albanensium in Anglia, à Mathæo Paris memorata ad annum 1235. Qui enim tres vel quatuor erant à Confessionibus ejus Cœnobii Monachis, quibus omnium patebant cordis penetralia, duodecim designabant, qui mox eligerent, vel unum ex seipsis, aut è Cœnobio, aut ex Cellulis ei obnoxiis. *Confessores tres, vel quatuor, utpote qui cognoscunt corda & renes singulorum, eligant duodecim periter, &c.* Rescripto Pontificio ea consuetudo firmabatur, & Gregorius IX. Papa ipsemet confirmavit ejus generis electionem.

Conc. To. 11. pag. 481. & seq. Epist. 4.

IX. Valuere eæ eligendorum Abbatum diversissimæ rationes ante Innocentium III. qui formam præfixit accuratiorem electionibus in Concilio Lateranensi IV. anno 1215. & in *C. Quia propter, De electione*, quod ex eo Concilio decerptum est. Non quò tres illæ electionum formulæ, quæ ibi delineantur, inositatæ hactenus fuissent, *Scrutinium, Compromissum, Inspiratio*: sed quòd eas sæpè disturbarent atque adulterarent alienissimæ circumstantiæ, & præcipites electiones.

Cœpit & Innocentius electiones absolvere à necessitate consensus Principum sæcularium, ubi expugnare id potuit illæso pacis publicæ vinculo; qua in re illi convenit cum Galliarum quibusdam Regibus, qui eo privilegio Episcopatus & Abbatias quasdam donaverant. Cùm primùm Ludovicus VI. Rex Canonicos Regulares Benedictinis Monachis substituit in Ecclesia sancti Victoris apud Parisios: licentiam illis fecit ut Abbatem eligerent, nullius, ac ne Regis quidem expectato assensu. Concessum est id Privilegium in Conventu Episcoporum & Baronum Regni apud Catalaunum, anno 1115. *Ita ut pro illa Abbatis electione, nec Regis assensum quererent, nec Regis authoritatem nullatenus expectarent, nullinsque alterias persona voluntatem, vel laudem attenderent, sed quem Deus eis concederet, inconsulto, ut diximus, Rege, vel qualibet alia persona canonicè eligerent, & Parisiensi Episcopo irrefragabiliter consecrandum offerrent.* Cæterùm potestati Episcopi & Archiepiscopi Abbas permittebatur: *In supradictis omnibus salva authoritate, salvo jure, salva debita obedientia Senonensis Archiepiscopi, & Parisiensis Episcopi.*

Hist. Univ. Paris. to. 2. pag. 37.

CAPUT XL. *P. 4. l. 2. c. 48.*

De Nominationibus, & Electionibus in Gallia post Concordata.

I. Capita Concordatorum circa Nominationes ad Episcopatus.
II. De Nominationibus ad Abbatias.
III. De Cœnobiis Privilegio quopiam munitis.
IV. De Expectativis & vacationibus in Curia Romana.
V. De Indulto Armorica & Provincia.
VI. Collatio temporum anteriorum & posteriorum Concordatis. Spiritalia Episcopalium Ecclesiarum nequaquam sæcularibus Principibus permitti per Concordata.
VII. In Comitiis Aurelianensibus Electiones expetuntur, & restituuntur.
VIII. Cur invalescere non potuerit Caput illud Comitiorum Aurelianensium. Edictum Blesense Concordatis sese accommodavit, & Concilio Tridentino, cui non displicuere Nominationes Regia ad Episcopatus & Abbatias.
IX. Episcopatus Metensis, Tullensis & Virdunensis Concordatis Germanicis non implicantur. Eorum Indultum exorari avebat Ossatus, quod & postea factum est.
X. De Indulto aliorum Episcopatuum, qui nuper ab invictissimo Rege regno adjuncti sunt.
XI. De Indulto Ducum Sabaudia.
XII. Quorundam Conciliorum Decreta, adversùs Episcopos, consecrationem suam diutius protrahentes.
XIII. Puellarum Monasteria Concordatis non includebantur.
XIV. Indulto Clementis VII. eorum Nominatio Francisco I. concessa est. Prolixius de eo Indulto.

I. Multa supersunt eaque magni prorsus momenti de Concordatis dicenda, & quæ vix satis aut dici possint, aut capi, nisi eorum quæ superius contexta sunt, aliqua hic obiter retexantur. Concordatis ergo iis, quæ Bononiæ in Italia Leo X. iniit cum Francisco I. Gallorum Rege, & quæ confirmata mox sunt in Concilio Lateranensi V. anno 1516. declaratum est, eò devenisse jamdiu electiones, ut *pleraque per abusum sæcularis potestatis* tumultuosæ & violentæ essent, vel simoniacæ, vel carnis & sanguinis pluribusque aliis cupiditatibus sordidatæ, vel implicatæ perjurio, quod electores quanquam juramento constricti ad eligendum *idoneiorem*, privatis nihilominus indulgerent affectibus, vel precibus & blanditiis amicorum delinirentur: quod plus satis constabat ex innumeris absolutionibus, quæ Romano ex tribunali expetebantur post ea perjuria: ideo Pontifici & Regi convenisse, ut cessarent electiones in omnibus Ecclesiis Metropolitanis, aut Cathedralibus Regni & Delphinatus, Comitatusque Diensis & Valentini. Sed ubi vacarent posthac illæ Ecclesiæ, nominaretur à Rege Doctor, vel Licentiatus in Theologia, vel Jure, annos natus viginti & septem, sex saltem mensibus postquam vacare cœpisset Ecclesia; à Pontifice verò Romano Bullæ & Provisiones darentur. 2. Si à Rege nominaretur is, qui his careret dotibus, penes Pontificem potestas esset illius repudiandi, Regi tres alii menses ad novam Nominationem condonarentur. 3. Elapso trium mensium spatio, si nullus à Rege nominatus esset, eam nominandi facultatem ad Papam devolvi. 4. Si Prælati moriantur *in Curia*, Pontificis unius erit nominare. 5. Principes Regiæ stirpis, & natalium splendore clari Proceres, nominari & provehi poterunt, nullos Gradus in Universitatibus assecuti. 6. Sicut & Regulares doctrinæ præstantia insignes, iis inscripti Collegiis, vel Ordinibus, ubi ad Gradus non aspiratur.

II. In Monasteriis verò, seu Prioratibus verè electivis, sive in quibus electiones fiunt juxta Caput *Quia propter*, ubi morte, vel resignatione vacarint, nominabit Rex intra sex menses ejusdem Ordinis Regularem, natum saltem annos viginti tres, qui Papæ Rescripto instituetur, aut Bulla. 2. Si nominetur verò à Rege, vel Presbyter sæcularis, vel Regularis alterius Ordinis, vel minor annis viginti tribus, vel certè minùs idoneus, repulsam à Pontifice patietur, Regique fas erit intra menses tres alios alium nominare. 3. Si intra novem menses nemo sit à Rege nominatus, jus ad Pontificem devolvetur. 4. Nec alia his Beneficiis via poterit Pontifex providere, ubi morte, vel resignatione vacaverint.

III. Hinc eximes Episcoparus, Abbatias & Prioratus, quibus speciali privilegio concesserat Papa, ut Prælatos eligerent. In his enim electiones semper fient juxta formam Capitis, *Quia propter*, dummodo litteris sedis Apostolicæ authenticis hæc privilegia approbentur.

IV. Nullæ jam poterunt à Pontifice Gratiæ dari Expectativæ, nulla servari Beneficia antequam vacent.

Cæterùm non ait Molinæus obreptione factum assa, ut Episcopatos in Curia vacantes Papæ refer-

varentur. 1. Censet tantùm illud esse novi juris additamentum; quod à vero non abhorret, si ad jus antiquum oculi retorqueantur. Verùm à nobis superiùs abundè patefactum est, inter novi Juris decreta antiquissimum istud videri posse. 2. Addit idem Molinæus, cùm Pontifex hic integros sibi servarit eos tantùm Episcopatus qui vacabant in Curia per obitum: ad vacantes per resignationem id exporrigi non posse; quod indubitatissimum sanè est. 3. Ait denique intelligi id debere de tempore, quo vacua non est Sedes Apostolica. Dum enim ea vacat, dici non potest stricto Jure, quòd ii Episcopatus vacent *apud Sedem Apostolicam*, quæ verba sunt Concordatorum.

V. Inde rursus efficies nihil ea quidem in re obrepinm esse, quòd cùm eodem anno 1516. Rex idem Franciscus I. impetrarit ab eodem Leone X. Indultum sibi uni suffragaturum, ad nominationea Armoricæ & Provinciæ, quas Concordata non complectebantur, eadem clausula & reservatio iterata ibidem est, si Prælati mortem obirent *apud Sedem Apostolicam*. Adde denique, quòd cùm ea reservatio nec Basileensi Concilio, nec Pragmatica Sanctione expuncta fuisset, de ea Galli admittenda ne ambigebant quidem.

Verùm quoad Armoricæ, seu Britanniæ Minoris & Provinciæ Indultum, cujus alibi propagationem ad nostra hæc usque tempora narravimus, paucula rursus hîc veniunt observanda. 1. Eo contineri tantùm Episcopatus & Abbatias, non Prioratus. Nam *Monasteria*, seu Abbatiæ, & *Prioratus* in Concordatis sejunguntur, hîc verò sola memorantur Monasteria. 2. Sed & hîc conceditur Regi, ut si quæ Abbatiæ suo in gremio non habeant, qui Abbatis personam & munus obire possint, nominet vel Clericos sæculares, vel Monachoa alterius Ordinis, etiam Mendicantium, dum ejusdem Ordinis vestem induant, & in ea profiteantur. Exinde tamen Pontifices æquo animo passi sunt à Regibus nominati ad Prioratus Conventuales & Electivos Britanniæ & Provinciæ, & ad eorum nominationes Bullas concessere.

Spond. ann. 1515. n. 10. VI. Vir illustrissimus & optimè de Ecclesia meritus, Spondanus, Episcopus Apamiensis in Annalibus Ecclesiasticis, miratos ait fuisse Gallos, quòd cùm Pontifices Romani à Cardinalibus eligantur, cæterorum electiones Capitulorum resciderint: & servatis sibi temporalibus, spiritalia Ecclesiarum jura Regibus permiserint. Denique Genebrardo viro docto visum esse, eo maximè labefactatam fuisse Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam, quòd tota ratio præficiendorum Ecclesiis Pastorum demutata sit. Verùm si religiosissimus Antistes oculos conjecisset in posteriores quinque aut sex retro sæculorum electiones, plerumque impacatas, vitiosas, nefariis cupiditatibus inquinatas; si spectasset quoties jamdiu & quantis in Regnis vel Pontifices vel Reges Prælatos nominassent: & quàm penè necessariò ad id compulsi fuissent, Populi Clerique & Monachorum dissensionibus quibusdam infinitis; si denique æqua lance ponderasset merita & virtutes Prælatorum, atque observantiam castioris disciplinæ ante & post Concordata: longè aliter, ut reor, sensisset, & reflorescenti forsan applausisset nuperæ hujus ætatis Prælatorum complurium sanctimoniæ.

Quoad temporales Ecclesiæ res & spiritalia jura Antistitum, horum omnium potestas & administratio penes Pontificem est summa eadem, quæ priùs; penes Reges est Patronatûs & præsentationis jus. Sicut & penes Episcopos semper est potestas summa in minora Beneficia, maximè quoad jus spiritale, quanquam ea conferat ad nominationem Patronorum Laïcorum. Nec alia de his unquam fuit Ecclesiæ sententia ante mille amplius annos, ex quo locus nimirum fuit laïco Patronatui.

Jam verò eligitur quidem ipse Papa à Cardinalibus, nec aliter ea quidem in re fieri potuit; cùm nusquam ullus sit, aut esse possit Antistes superior, qui Papam nominet. Est autem Antistes unus summus Papa ipse, qui Episcopos nominet, sicut Christus nominavit Apostolos, sicut Apostoli singuli Episcopos elegerunt & ordinarunt, non qui à gregibus electi fuissent, sed qui greges ipsi sibi novos procreaturi essent; denique ut in toto hujus Operis nostri contextu tot indigitavimus Episcopos, & quidem sanctissimos, non electione institutos, sed vel ab aliis Episcopis, vel ab Archiepiscopis, vel à Conciliis Provincialibus, à Patriarchis, à summis Pontificibus. Postremò tandem non frustra est, quod superiùs in texenda electionum historia non potuimus non iterum iterumque animadvertere & admonere, non alia tum persæpè ratione factas esse ante Concordata electiones, quàm post Concordata.

VII. Clerus, Parlamenta, Universitates Concordatorum promulgationi intercessetunt ardentiùs, quàm feliciùs. Author est Spondanus sub Carolo demum IX. integram eis authoritatem suam constare cœptam. Sed & postea interpellati fuere adhuc Reges à Conciliis Provincialibus, Rotomagensi anni 1581. Remensi anni 1583. Burdigalensi anni ejusdem 1583. sed & à Conventu Melodunensi anni 1579. electiones ut Episcopales in integrum restitutas vellent. Spond. an. 1516. n. 14. Conc. Roto. T. de Episc. & de Mona. Conc. Rem. Tit. de Episc. Conc. Burd. Tit. 16.

In Comitiis Aurelianensibus Clerus, Nobiles, Populus restitui electiones vehementissimè expetiere: peroravit & Senatus Parisiensis ad Regem Carolum IX. ut easdem ab eo exsculperet. Tum editum est Edictum Regium Aurelianense, cujus hoc primum Caput, quod è vernaculo sermone Latinæ consuetudini ita tradidimus. *Archiepiscoporum posthac & Episcoporum electiones fient & nominationes. Nimirum Archiepiscopi ab Episcopis Provinciæ, & Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ. Episcopi ab Archiepiscopo, ab Episcopis Comprovincialibus & à Canonicis Ecclesiæ Cathedralis; accitis præterea duodecim Nobilibus, quos elegerit universa Nobilitas Diœceseos, & duodecim honoratis Civibus, qui & ipsi electi fuerint in publicis ædibus Civitatis Metropolitica aut Episcopalis. Hi nimirum omnes à Capitulo vacantis Ecclesiæ convocati, ternos eligent iis moribus, ea doctrina & experientia instructos, quam Canones desiderant, quam Decreta Pontificum præscribunt: natos saltem annos triginta; hos ita electos præsentabunt nobis, ut ex iis judicio & arbitratu nostro unum deligamus, qui vacantis Ecclesiæ administrationem adgrediatur.* Senatui placuit, ut interpellaretur denuo Rex, quò Abbatiæ quoque eo libertatis Edicto includerentur.

VIII. Vix quidquam poterat eo Decreto luculentius excogitari, quo pulcherrimè priscorum Canonum sanctitas instaurabatur, & libertas; quo denique electiones nominationibus Regiis miro quodam temperamento conjugabantur. Sed illud perpendendum seriò fuerat, Ecclesiam Catholicam, unam, unicam & uniformem ab origine sua fuisse, non in fidei tantùm decretis, sed & in Disciplinæ etiam præcipuis placitis, quanquam in alii temperata & sobria varietas non displiceret. Canones, quibus hoc Edictum accommodare se videbatur, à

Conciliis, à Pontificibus & Episcopis Orbis universi commendatos olim & probatos fuisse, non à Gallis tantùm, quibus tunc nihil erat antiquius, quàm cæteras sequi atque imitari Ecclesias, sicut & Ecclesiis aliis curæ erat Gallicanam imitari, ut quæ omnes unum coalescunt Christi corpus, in unam coagmententur Christi sponsam. Unam hactenus fidem, unam legem, unum Jus canonicum viguisse in omni Ecclesia Occidentali, ab ipsis usque Ecclesiæ incunabulis. In ipsis electionibus effinxisse & conformasse se Ecclesiam Gallicanam ad Gregorii IX. Decretales, peræquè ut alias Occidentis Ecclesias. Ne à Carolo quidem VII. & Congregatione Bituricensi anno 1438. consarcinatam fuisse Pragmaticam Sanctionem, nisi ex Constantiensis & Basileensis Concilii Decretis; si quæ autem his clausulæ & modificationes additæ essent, id ea spe factum, ut à Basileensi Concilio probarentur. Longo sæculorum lapsu sensim sine sensu & inopinatò penè exolevisse antiquas consuetudines, nec restitui easdem posse nisi eadem prorsus ratione lentissima, & quæ oculos fallat: abruptis enim & præfestinis mutationibus nihil exitialius esse publicis rebus & Imperiis. Ne libertates quidem Gallicanas constare statutis adproperatis & præcipiti deliberatione usurpatis, sed consuetudinibus Regni antiquissimis, cóque robustissimis. Si singulæ denique Ecclesiæ Provinciæque suum sibi jus canonicum privatim conderent, brevi collapsuram Christiani nominis unitatem, vim, majestatem, dissidentibus partibus à corporis compage, & ea secessione debilitatis. His rationibus revocatum mox est Aurelianense Edictum promulgato Blesensi, & ad Concilium Tridentinum atque ad Concordata adprimè contemperato.

Cùm enim post publicatum Aurelianense Edictum statim cœperit Concilium Tridentinum continuari, donec ad exitum optatissimum proveheretur, ejus saltem silentio & tacito consensu confirmatæ sunt Regiæ ad Episcopatus nominationes, quæ toto jam Occidente convaluerant. Tanti enim ponderis res, tantaque per orbem fama & authoritate, non poterat à Concilio taceri & dissimulari, quin confirmaretur. Non aliter fas est tanti Concilii, & ad omnia arrecti armatique, quæ emendari egerent, silentium interpretari, quàm ut pro consensu habeatur. Adde quod in Tridentino nominationes Regiæ ad Episcopatus manifestissimè apponuntur & approbantur, cùm jubentur inquisitiones de vita & moribus eorum, qui ad Episcopatus cooptantur, Romam mitti ad Pontificem, à Legatis vel Nuntiis Papæ per Provincias sparsis, vel ab Ordinario, vel ab Ordinariis vicinis. Adde quod ibidem anathemate percelluntur, qui dixerint Episcopos à Papa creatos, verè Episcopos non esse. *Si quis dixerit Episcopos, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos ac veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.* Denique hujus Concilii Episcopi, qui plerique à Regibus fuerant nominati, de creatione Episcoporum agunt, cujusmodi nunc est, quando obtestantur tam enixè omnes, quibus ab Apostolica Sede indulta fuerint privilegia donandorum Episcopatuum, ut iis donent, qui divini ministerii sanctitatem non dedecorent. *Omnes verò & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumque jus, quacumque ratione à Sede Apostolica habent, hortatur & monet sancta Synodus, &c.* Agitur mox de examine Episcoporum nominatorum, vel electorum, & destinanda ad Pontificem ejus examinis charta.

Ann. 1562. Sess. 22. c. 2.

Sess. 23. c. 8

Sess. 24. c. 1

Regio verò in Galliis Edicto anni 1629. sancitur, *Ut Monasteria & Abbatiæ Capita Ordinum eo jure electionis fruantur, sicut & alia Monasteria, quibus ea nunquam excussa possessio est, dummodo electiones fiant ex norma Juris Canonici, juxta Edictum Blesense.*

IX. Anno 1601. pro ea qua pollebat sapientia & integritate scripsit Cardinalis Ossatus ad Regem Henricum IV. abolendis electionibus nequaquam priùs suffragaturum se fuisse; sed ne nunc quidem suasurum se Pontificibus, aut Regibus, ut ea se abdicent possessione, quam in Ecclesia præscriptam invenerint, & in Regno. Cœpisse enim Joannem XXII. gente Gallum reservare sibi Episcopatus & Abbatias Christiani orbis totius; easdemque reservationes meri studuisse successores ejus. A Leone X. tollatam fuisse Galliæ Regibus nominationem ad Episcopatus, ad Abbatias & ad Prioratus electivos in Regno & Delphinatu anno 1516. Itaque ea concessione includi necdum potuisse Episcopatus Metensem, Tullensem & Virdunensem, qui non venere in potestatem Galliæ Regum nisi anno 1552. Cùm hæ Ecclesiæ Concordatis se Germanicis contineri contenderent, Episcoporum eas & Abbatum electiones retinuisse. At cùm Geographi eas civitates non Germaniæ adscriberent, sed Galliæ, aut Lotharingiæ: cúmque definitum sit à Rota Tractum Metensem Germaniæ non includi finibus, quanquam Imperator & Rex Italiæ pro virili certarint, ut is Concordato Germanico accenseretur: Pontificem Romanum illis Episcopatibus & Abbatiis Pastores hactenus semper præfecisse, nihili habita Capitulorum electione. Hortabatur ergo Ossatus compellari Pontificem, ut Indultum annueret ad Tractum Metensem; sed donec Reges id ab illo precibus expugnassent, ne Pontificiis nominationibus adversarentur, quocumque obtentu electiones defensitandi. Nec alia mens erat Ossati de Bressia, quam non ita pridem Sabaudiæ Dux Regi concesserat. Nam & ad Episcopatum Bellicensem & ad Abbatias ejus Tractûs nominabat Pontifex, etsi eos tantùm ferè designaret quos Dux indicaverat. In lucem postea exiit, & in Magni Consilii Curia sæpius ostentata est Bulla Pontificia, qua Concordata Germanica ad Episcopatum Metensem prorogantur, quòd Metropoli Trevirensi is sit obnoxius. Tom. 2. Epist. 136

Quanquam autem jam tum conniteretur Ossatus ad extundendum illud Indultum: certum est tamen indultum non fuisse Regibus privilegium nominandi ad eos tres Episcopatus, Metensem, Tullensem & Virdunensem, nisi anno demum 1664. quo illud Alexander VII. Ludovico XIV. consulit, quandiu superstes esset Rex invictissimus. Sine singulari enim ominis encomio nunquam memorandus est nobis Rex supra omnem admirationis aleam positus, etsi nostris obscurari encomiis magis possint, quàm illustrari ejus virtutes & facinora Sole ipso illustriora. Anno 1668. Clemens IX. Pontifex hoc Indultum ad successores propagavit, cui & implicuit Abbatias, Prioratus Conventuales, & alia Beneficia, quæ soleret Pontifex conferre ex reservatione sex mensium, quæ observatur in tribus illis Episcopatibus, aut vi Concordati Germanici, aut usu & possessione. Solenni Monasteriensis pacis fœdere tres illi Episcopatus Francico Regno asserti fuerant. Pinson. Traité des Indults.

X. Ab eodem Clemente IX. donatus est idem Rex Christianissimus nominatione Episcopatûs

Elnensis, aliorumque Beneficiorum Comitatus Ruscinonensis: Episcopatus item Atrebatensis aliorumque Consistorialium Beneficiorum in illis regiunculis, quæ armis nuper partæ Regno Francico accesserant; Episcopatus denique Turnacensis, aliorumque Beneficiorum earum ditionum, quæ Fœdere Aquisgranensi eidem Regi permissæ sunt. *Ibidem.*

XI. Quod ad Sabaudiæ Ducis ditiones pertinet, cujus jura voluit Henricus IV. Rex sibi esponi, ut inde lucis aliquid mutuaretur ad tuendam suam jam Bressiam: per litteras illum certiorem fecit Ossatus idem, Nicolaum V. Pontificem Ludovico Duci Sabaudiæ concessisse primum eximia quædam privilegia, quæ deinde confirmata sint à Sixto IV. ab Innocentio VIII. à Julio II. Leone X. Clemente VII. Julio III. Gregorio XIII. & Clemente VIII. Nec tamen propriè jus nominandi à Pontificibus his indultum fuisse Sabaudis Ducibus; unde & stylo solenni Bullarum conferant Pontifices purè & simpliciter, mentione nulla nominationis Ducis. Sed eodem pene res redit, cùm spopondetint Pontifices, non conferre Episcopatus & Abbatias nisi explorata priùs voluntate & consensione Ducum, circa eos qui his gerendis dignitatibus pares & idonei sint. Quoad verò primas Capitulorum Dignitates, Prioratus Conventuales, & alia Beneficia Regulis Cancellariæ Pontifici reservata, ea non conferebat Pontifex nisi Sabaudicæ ditionis hominibus, aut extraneis, quos Dux probasset. Alioqui irritæ erant Pontificiæ Provisiones istæ omnino omnes. Additur & illud ab eodem Ossato, cùm Henricus II. Sabaudiam & Pedemontium suæ ditioni subjecisset, illud quoque à Pontifice impetrasse, ut & Indulta Sabaudiæ Ducibus concessa secum communicarentur. *Ossat. to. 2. Epist. 141.*

XII. Nec dissimular idem Cardinalis bene multa esse, in quibus ab observantia Concordatorum descitum sit. Ideo & in Concilio Rotomagensi anno 1581. statutum est, ut si intra tres menses post Pontificia Dipplomata non consecrarentur Episcopi, fructibus Ecclesiæ suæ spoliarentur. Si Abbates & Priores à Rege nominati, intra sex, aut ut summum novem menses provisionis suæ Bullas non impetrassent, jure suo exciderent. Ut Priores & Abbates, etiam Exempti, etiam Commendatarii, intra annum Presbyteratu initiarentur, postquam eam attigissent ætatem, quam Canones præscribunt: ne posset vetita ætatis Pontificiis dispensationibus facta, ultra annum prodesse, eo elapso Beneficus excaderent. Concilium Burdegalense anni 1585. voluit, ut Episcopi ex præcepto Concilii Tridentini intra tres menses ordinarentur, post susceptas Pontificias Chartas: at si ultra tres alios menses rem protraherent, Episcopatu ipso privarentur. *Tit. De Episc. n. 4. Tit. De Monast. c. 2. 4. Can. 16.*

XIII. Quod ad Monasteria Monialium, certum est Concordatis nihil juris Regibus concessum esse ad eorum Nominationes, ex Caroli Molinæi sententia. Disertis verbis ita ille pronunciat, & ex eo etiam probat, 1. quod in odiosis masculino fœmineum non contineatur. *Et certè Concordata nullo modo extenduntur ad Moniales: tum quod in odiosis masculinum non concipit fœmininum.* 2. Ex eo quòd Concordatis non tribuantur Regi nominationes ad Monasteria, nisi ubi electiones fiebant ad formam Capitis, *Quia propter.* Atqui nullo prorsus in Monialium Cœnobio ea electionum forma usurpata fuit. *Tum quod verba Concordati non congruunt, immo repugnant. Quia ubi textus Concordati loquitur de Monasteriis & Prioratibus Conventualibus & veri electivis, restringit se in ea in quibus forma Capitis, Quia propter, De electione, servari consuevit. Sed nunquam servari consuevit in Monasteriis Monialium, in quibus non forma dicti capitis, Quia propter, sed forma capitis Indemnitatibus de electionibus in Sexto attribuitur & servatur.* 3. Addit Molinæus Senatum Parisiensem, & Magnum Consilium cœpisse insurgere adversùs executiones nominationum istiusmodi ad puellares Abbatias, quæ Consilio Regis Privato surreptæ fuissent. *Ita tandem contra Moniales nominatas à Rege judicari cœptum in magno Regis Consilio, & in hoc supremo Senatu, &c.* *Molinæus. De infirmis Resign.*

XIV. Eo supponitur Franciscum I. id jam sibi sumpsisse, ut ad Cœnobia Sanctimonialium nominaret. Nec de eo controversia est ulla. Sed fatendum est, non antè id ab eo tentatum fuisse, quam à Clemente VII. Indultum elicuisset eo tempore, quo Henrico II. ejus filio neptim suam idem Pontifex elocabat. Eo enim Indulto, quod anno 1531. concessum est, & publicatum registratumque Magno in Consilio anno 1533. suspendebantur privilegia olim concessa Ecclesiis Metropolitanis vel Cathedralibus & Monasteriis, suos sibi eligendi Prælatos, exceptis Ordinum Capitibus. Regi nominationes eæ condonabantur; denique non ultra Regis vitam prorogari poterat id Indultum. *Suspendi privilegia Capitulis Metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum Cathedralium, & Conventibus Monasteriorum, præterquam eorum quæ per Generales suorum Ordinum regi consueverunt, eligendi sibi Prælatum concessa, quandiu vixerit Rex Franciæ nunc existens.* Hæc Rebuffus in Concordata. Ecclesiæ omnes Cathedrales, Abbatiales, seu Conventuales, quæ non jure tantum Communi nitebantur ad eligendum, sed Privilegiis etiam Apostolicis, ex Concordatis ipsis subducebantur nominationi Regiæ, & juri suo, seu privilegio adserebantur. Hoc Indulto suspensa sunt ea Privilegia, Regique Francisco I. concessum, ut eas ad Ecclesias nominaret. Sed luculentè Rebuffus demonstrat, ad quæ illud pertineret Indultum, ad Ecclesias nimirum Metropolitanas, vel Cathedrales, ad Abbatias, vel Prioratus Conventuales. *Rebuff. De regia ad Prælat. Nomin. § Per Præmissa Verbo, præjudicare.*

Illud tamen ampliavit ad Cœnobia Puellarum Franciscus I. quorum Abbatissas nominare cœpit anno 1535. ut ex Molinæo colligitur. Senatus Parisiensis & Magni Consilii Arresta his se Regiis accommodavere Nominationibus. Quin & Roma illis ipsis sese attemperabat, hoc tantum discrimine, quod Indulto ipso exprimitur, nimirum quòd cùm in cæteris Pontificiis Bullis exprimatur totum fieri *vi & virtute Concordatorum:* illæ quæ ex hoc Indulto concedebantur, hanc præ se ferebant clausulam, *Pro quo Rex Christianissimus scripsit.* *Molin. De Infirm. Resign. n. 313.*

Cœpit Paulus III. reniti huic ampliationi Indulti, anno 1543. juxta eundem Molinæum. *Paulus III. Papa refragari cœpit.* Romæ jam non amplius pro Abbatissis diplomata Pontificia, nisi cum ea ordinaria clausula expediebantur: *De consensu majoris partis Conventus dicti Monasterii, vel de consensu meditatis Monialium.* *Ibidem. n. 316. Ibidem. n. 324.*

Postquam vivis excessit Franciscus I. Henricus II. teste eodem Molinæo, *illico habuit prorogationem dicti Indulti.* Sed multò inexorabilior fuit Julius III. quam Paulus III. circa Nominationes Monialium. *Papa Julius III. præ suo decessore valde contra Regem excanduit, eò quòd Rex attentaret in Monasteria Monialium.* Narrat Molinæus idem cùm Altisiodori vacasset Abbatia Monialium, Monialea quidem

quidem elegisse Abbatissam, ac Regem aliam nominasse, cui & Bullas cum hac clausula impertavit, *cum Clausula, Proviso, quod majoris partis, aut dimidiæ Monialium consensus accedat*. Exinde Rex nominavit, & diplomata Pontificia executioni mandari fecit, pro nihilo reputata ea clausula, quasi meri Curiæ styli res esset, nullius alioqui momenti, periculi nullius.

Obeunte Henrico II. Francisci II. regni brevitas, ejusque germani & successoris Caroli IX. minor ætas variis rerum vicibus & mutationibus Regnum objecit. Illud quo de agimus Indultum antiquatum haudddubio erat: quin adeo non in mentem veniebat ejus innovationis petendæ, ut & ipsa emarcuisse Concordata, atque expirasse jactaretur. Inde est quod in Comitiis Aurelianensibus restitutæ sunt electiones ad Episcopatos & ad Monasteria. Sed cùm temerè prorsus & insulsè dicerentur emarcuisse Concordata, electiones ita restitutæ brevi rursus conciderunt.

Alia erat ratio Indulti, cujus tempus verè elapsum erat. Capiata ea occasio est in Comitiis Aurelianensibus restituendæ electionis Abbatissarum & Priorissarum, quando & illud constitutum est, ut Triennales omnes essent, quo nominatio Regum penitus excludebatur. *Abbatissæ & Priorissæ posthac eligentur à Monialibus cujusque Cœnobii, quod triennio tantum administrabunt, innovanda semper post tertium quemque annum electione*. Senatus ipse Parisiensis anno 1560. Franciscum II. Regem admonuerat, *Nominationes ad Cœnobia Puellarum Concordatis non contineri*. Ferrerium Præsidem Carolus IX. ad Pium IV. Papam delegavit, ut ei causas exponeret Edicti Aurelianensis, sed ejus Legationis fructus nullus omnino fuit, nec aliter res se habuere post illud Edictum atque priùs, ut habetur in Historia Pragmaticæ & Concordati.

Non displicuisset utique Pontifici aboleri nominationes omnes Regias ad Abbatias puellarum; sed non poterat non illi magnopere displicere abrogatio jactata Concordatorū. Apparet dimissis Comitiis, non illibenter Carolum IX. rursus nominasse ad Episcopatus, & ad Monasteria vi Concordatorum, immo & ad Cœnobia Monialium vi Prorogationis Indulti, quam & impetravit, ut in eadem habetur Historia Concordati: *Pius IV. anno 1564. diploma annuit Carolo IX. quo suspensis privilegiis eligendi, quibus gaudebant quædam Monasteria, Regi concessit ut ad eas nominaret Prælaturas in Gallia & Delphinatu, Britannia & Provincia*. Duo hic Indulta designantur, alterum ad Britanniam minorem & Provinciam, alterum ad Monasteria privilegio eligendi munita.

Postremum ergo hoc Indultum prorogatum fuit ad Carolum IX. & ad Henricum III. aliosque deinceps Franciæ Reges horum successores, qui & ampliatione aa quam ipsi fecerant hujus Indulti, ad Cœnobia quoque Sanctimonialium nominationes suas porrexerant. Consule, si lubet, Indulta à Pinsonio clarissimo Jurisconsulto publicata, & incides in eam quam fecit Henricus II. abdicationem juris nominandi Abbatissas; incides & in eam quam verbo tenus fecit Henricus III. declarationem penitus contrariam, quam etsi verbalem, registrari tamen voluit in Consilio Magno; unde & secundùm eam deinceps in ejus generis causis pronunciatum est.

Exinde sequuta sunt Comitia Blesensia, quorum in Placitis Edicto Blesensi insertis, multa præclarè sancita de Regiis ad Episcopatus, ad Abbatias, &

ad Prioratus Conventuales Nominationibus: quo perspicuè revocabantur statuta & Comitia Aurelianensia. Sed de nominatione ad Monasteria Puellaria, ne littera quidem ibi fit ulla. Hinc conjicies, si voles, restitutas tum illis fuisse aliquantisper electiones, ex vi etiam Edicti Aurelianensis, quo restauratæ fuerant. Eodem certè propemodum tempore Gregorius XIII. pio fervebat studio ad extinguendam perpetuitatem Abbatissarum, omniumque apud Moniales Prælatarum, quo & Tridentino vehementer ille Concilio obsecundabat. Radiat ejus Bulla anni 1583. qua jubet omnium Monialium Abbatissas, seu Præpositas triennales esse in Italia. Optatissimum illi fuisset, ut & extra Italiam ea triennii Abbatissarum lex propagaretur: cui cùm adversarentur nominationes ad eas Regiæ, hinc ejus Pontificis mira morositas & alienatio circa Abbatissarum nominationes. Eam sibi tamen authoritatem vendicavit Henricus III. per Aresta Magni Consilii, eo quem paulò antè dixi modo. Plura non dicam, ne altius me in ea inseram, quæ hujus mei non omnino sunt instituti.

CAPUT XLI. *P. 4. l. 2. c. 49.*

De Electionibus in Oriente, post annum Christi millesimum.

I. Ut fieret electio Patriarchæ Constantinopolitani.
II. Ut eligerentur Episcopi.
III. Singularia quædam in electione Patriarchæ.
IV. Simeonis Thessalonicensis observationes in electiones hujusmodi, & in Investituram Patriarchæ per Imperatores. Nec Patriarchæ, nec Episcopi potestatem spiritalem ab Imperatoribus derivabant.
V. An usus iste à Novellis Justiniani manasset.
VI. Quo tempore cœperit.
VII. Continuatur historia electionum Orientalium.
VIII. Ut in electione Patriarchæ Imperator Episcopos ludificaretur.
IX. De electione Patriarchæ post occupatam à nobis Constantinopolim, & post eandem rursus à Græcis receptam.
X. De electione aliorum sive Patriarcharum, sive Episcoporum.
XI. De electionibus sub Cantacuzeno Imperatore. Tres ab Episcopis Imperatori proponebantur, quorum ille unum in Patriarcham deligeret. De Investitura. De numero duodecim Episcoporum ad electionem Patriarchæ.
XII. Ut consonarent & dissonarent Orientales electiones ab Occidentalibus.
XIII. De electionibus Græcorum, post occupatam à Turcis Constantinopolim.
XIV. Observationes aliæ de Græcorum electionibus.

I. THessalonicensem Archiepiscopatum eo tempore administrabat Simeon is, qui elegantissimum de Ordinationibus Tractatum edidit, quo Franci Constantinopoli & Græcia tota potiebantur ineunte sæculo decimo-tertio. Terni eligebantur, ut docet ille, in Episcoporum Conventu, è quibus unum Imperator in Patriarcham cooptaret. Quoad alios verò Episcopos, terni rursum in Episcopali eligebantur Convento, ex quibus suo Metropolitanus arbitrio unum in Episcopalem sedem asciscebat; tumque omnes ad illius inaugurationem confluebant.

II. Summatim hæc idem illa habet de ritibus Episcopalis electionis. Omnes, qua fieri possit, Episcopos Provinciæ convocat Metropolitanus. Tres saltem coïre necessum est, cum aliorum testimoniis & subscriptionibus. Vicem Christi, qui Apostolos primos elegit, sustinet Metropolitanus, Episcopi verò personam gerunt Apostolorum, qui Matthiam

elegerunt. Si tres verò tantùm conveniant Episcopi, per eos illi repræsentantur Apostoli tres, qui eximio quodam amoris privilegio potissimis quibusque Christi Mysteriis conscii & testes futuri ab eo seligebantur. Subducit se Metropolitanus, postquam Episcopos in unum coëgit, quorum Conventui Cartophylacem suum præsidere jubet. Id eò fit, ne in suffragiis conferendis Episcoporum libertati sua officiat præsentia, utque tantò decentiùs & ipse postea unum eorum possit deligere, quos illi sibi præsentarint. Soli Episcopi jus habent suffragii, soli etiam huic intersunt Conventui cum Cartophylace & Amanuensi ejus, ut ne quid in publicum exeat eorum, quæ ibi de quibuslibet ultro citroque dicuntur. Postquam ternos Episcopi delegerunt, secedunt; eorum verò electionis decretum refertur ad Metropolitanum cum suffragiorum circumstantiis, ut eligat ipse ex iis unum, nullo Episcoporum tum præsente. Eadem habet & Matthæus Blastares in Alphabetica sua Juris Compilatione, nec affuisse Patriarcham Conventui, ubi eligeretur Metropolitanus, sed unum ex tribus sibi nominatis delegisse: nec Metropolitanum cœtui Episcoporum interfuisse, ubi tres designarentur, sed ex tribus illis unum præposuisse cæteris.

Simeon Thess. c. 6. *Blastares L. 3 c. 11.*

III. Patriarchæ verò Constantinopolitani electio ita habet. Post obitum Patriarchæ non accedunt Episcopi illi ad eam Ecclesiam, ne eminentissimam illam videantur ambire sedem. Imperator ipse tunc Conventum illum Episcoporum convocat, tum eorum qui in urbe degebant, tum aliorum: & eo munere fungitur Imperator, sibi à sanctis Patribus commendato, ut Ecclesiæ defensori. *Imperator Synodum convocat, ea utens authoritate sibi antiquitus à divinis Patribus, ut Ecclesia defensori concessa.* Episcopi ita adunati ternos eligunt cum Cartophylace, qui electorum nomina ad Imperatorem perfert, adjunctis sibi duobus Episcopis. Ex illis tribus Imperator unum eligit, tanquam hanc potestatem nactus à sanctis Patribus, propter cœlestis unctionem chrismatis, quo delibutus fuit, & propterea quòd tres illi jam à Concilio Episcoporum electi sint; dignique visi, qui Pontificalem implerent dignitatem. *Unius de tribus à Concilio nominatis, electio antiquitus Imperatori, ut uncto, à Patribus permissa est, eò quòd omnes sunt à Synodo electi, & digni eo honore judicati.*

Sim. Thess. c. 9.

IV. Ut verò electo electio & nominatio sua significaretur, sic rursus ex eodem Simeone. Ad illum dignitatis sacræ apicem vocari declarabatur ab Imperatore & Episcopali Concilio. En verba ipsissima: *Fortis & sanctus dominus noster & Imperator, & divina sacraque & magna Synodus, advocant sanctitatem tuam ad excelsissimum thronum Patriarchii Constantinopolitani.* Vidit Simeon horum verborum ambiguitate quadam deludi & in errorem posse agi lectorem, cortici hærentem, & suaderi Patriarchas ab Imperatore creari. Occurrit ergo ille obliquiori huic interpretationi, docetque non aliud Imperatoris hîc esse munus, quàm ut Decreti Synodici executor sit, cum unum ex tribus deligit, quos Synodus tantæ dignitati non impares judicavit: & ne rum quidem ea potestate utitur, nisi ut ab Ecclesia ea donatus, tanquam ejus defensor & Patronus. *Testantur quod Imperator, non à seipso, sed qua Synodus statuit, simul cum Synodo pronuntiat, & solum ministerium hic præbet. Quapropter nugantur quidam rerum novarum inventores, invidia impulsi, cum dicunt, Imperator creat Patriarcham. Nullo modo id facit Imperator, sed Synodus ministrante Pio Imperatore.* ἐξυπηρετοῦντος βασιλέως.

Pergit Simeon in concerpenda eorum doctrina, qui nugabantur Patriarchas ab Imperatoribus creari, & sacra donari dignitate, idque satagebant ex eo colligere, quòd baculum Imperator illi Pastoralem in manus insereret. Contrà Simeon nititur non dari ab Imperatore sacram virgam, nisi ut ab Ecclesiæ ministro, quod vel ipse mox testificabatur, cùm ad eum illico accederet, ei caput inclinaret & aperiret, ejus benedictione impertiretur, osculareturque denique manum. *Non igitur creat illum Patriarcham, neque illi dat aliquid, sed operi jam facto consentit & obsequitur. Clarum est enim quod nihil ei dat, sed potius ab eo accipit, & veluti minister est rerum Ecclesiasticarum. Nam cùm electo sacram virgam propria manu tradidit, ad eum accedit, & illi caput inclinat & aperit, & sicut meritò est, benedictionem accipit, osculaturque electi Patriarchæ manum.* Colligit & alia ejusdem rei ex eo argumenta, quòd Imperator ad Patriarcham *Pallium* mitteret, & Crucem pectori appendendam, *qua ut pignus velut minister & custos conservat.* Ait denique jussu Imperatoris mox solitum adduci equum magnificentissimè instructum, quo Patriarcha sederet. Unus ex Comitibus cum habenis deducebat usque ad Palatium Patriarchale *vice Imperatoris*, qui & gloria perfundebatur & gaudio, quòd in vestigia ingrederetur Constantini, qui eodem honore perfunctus est in Sylvestrum Papam. *Ut olim sancto Sylvestro fecit magnus Imperator Constantinus.* Hactenus ex Simeone.

V. Nec facilè divinari potest, quibus ab initiis orta sit hæc eligendi nova ratio. Statuerat quidem Justinianus, ut ex tribus sibi præsentatis unus à Metropolitano deligeretur: sed 1. edixerat, ut dignior eligeretur. *Ex tribus electis melior eligatur electione & judicio ordinantis.* 2. Jubebat ille ut tres illi à Clero & populo eligerentur, hîc eliguntur ab Episcopis. 3. Minùs probabile est hoc Decretum Justiniani in mores passim deductum esse, quòd rariora ejus occurrant exempla in Ecclesiasticis monumentis.

Justin. Nov. 123. 137.

VI. Non tantopere succensuisset Synodus VIII. Oecumenica his electionibus, in quibus Imperatores plusculum sibi sumebant, quàm par fuisset, si jam tum invaluisset ea consuetudo, ut Imperator investituram daret Patriarchatûs Constantinopolitani per Pedum, Pallium & Crucem. Habita est ea Synodus anno 869. Tradunt autem Zonaras & Cedrenus circa annum 963. flagrante inter Patriarcham & Episcopos dissensione circa jus & modum electionum; Nicephorum Phocam Imperatorem arrepta ea occasione, in eos invasisse, & vetuisse ne præter suum consensum Ecclesiarum suarum gubernacula capesserent Episcopi. *Imperator ex hoc sumpta occasione, & omni authoritate designandi Episcopos sibi vendicata, edixit, ne quisquam injussu suo in eam Ecclesiam mitteretur.*

Hæc, ut suspicor, exordia fuere novæ hujus Disciplinæ. Qui in locum Nicephori Phocæ successere Imperatores, nec remittere prorsus quæ ab eo usurpata erant voluere, sed nec eam incurrere infamiam, quæ Nicephori Phocæ impietatum sectatoribus adhærescebat; itaque in hanc facilè inclinarunt se quasi mediam & temperatam rationem, ut Episcopi ternos ex omnibus, Imperatores unum ex ternis jam electis eligerent. Tzimiscen qui impium Nicephorum vita & Imperio spoliaverat, constantissimè negavit Polyeuctus Patriarcha se Imperiali diade-

Anno 969. Cedrenus. pag 684.

mate redimiturum, donec illud abrogasset Nicephori Decretum, Ecclesiæ libertatibus adeo infestum. Illud forsan ea rerum & temporum opportunitate temperamentum circa electiones Episcopales excogitatum invectumque est.

Cedrenus. Zonar. Anno 1025 VII. Basilius & Constantinus Romani Imperatoris filii, cui Nicephorus Phocas successerat, successere & ipsi Tzimiscæ, cùmque Constantino germano suo superstes fuisset Basilius, sua unius voluntate Alexin Patriarcham Constantinopolitanæ præfecit Ecclesiæ. In Imperatoria ei sede successit Romanus, qui & successorem cùm accepisset Michaëlem Paphlagonium, tum verò à Metropolitanis & Episcopis conspiratum est in Alexis Patriarchæ exauthorationem, ut Imperatoria potestate intrusi, sine Episcopalibus suffragiis, subrogationem verò fratris Imperatoris novi, qui ejus erat cupidissimus dignitatis. Sed veterator Patriarcha Alexis Episcopis significavit, ubi exauthoratus ipse fuisset, abdicandos utique mox fore Metropolitanos, quos ordinasset, & Imperatores ipsos, quos cinxisset Imperatoria Corona, toto Pontificatûs sui curriculo, annorum undecim, vel duodecim. Eo audito Episcopi à conjuratione resilierunt. Audi

Baron. ann. 1036. n. 5 Curopalat. ipsa Alexis Patriarchæ verba: *Quando, ut asseritis, non suffragio Archiepiscoporum, sed Imperatoris jussu ad Sedem ascendi contra Canones, abdicentur ii quos ego Metropolitanos elegi, dum, &c.* Hinc perspicis intrusos habitos fuisse Patriarchas, quos Imperator citra Metropolitanorum suffragationem promovisset.

Ex ea verò Epistola, quam Theophylactus Archiepiscopus Acridæ in Bulgaria ad Ducem quemdam dedit, à quo interpellatus fuerat, ut ex amicis suum Episcopatu decoraret: ex ea, inquam, perspicuum fit, persuasissimum tunc fuisse Græcis, non posse temporales Principes inserere se Episcopatuum dispensationi, ne precibus quidem suis, ne-

Baron. ann. 1092 n. 22. dum dono ipso Episcopatûs. *Nec tibi, Domine mi, in istis fas est te ipsum ingerere, quæ magna sunt & formidanda.* Verba mox facit Theophylactus, tanquam qui Episcopatus dandos in potestate habeat, sed qui nunquam donet, nisi diutiùs in suo Clero probatis, aut qui diutiùs Constantinopoli vel concionibus sacris, vel lectionibus præfuerint, aut qui denique institutionum Monasticarum diuturno elaturint decursu.

Leo IX. in Epistola ea quam vicissim Petro Antiocheno Patriarchæ scripsit, subinnuit illum à Clero

Epist. 5. Populoque electum fuisse. *Promotionem suam ad Episcopale fastigium electione Cleri & Populi, sicut asseris factam, &c.* Sed poterat Patriarcha eam posteriorem intellexisse Cleri & Populi electionem, vel potiùs assensionem, postquam aut Principes, aut Episcopi eligendi vel nominandi partes suas impleverunt. Habes ejus rei exemplum in Patriarcha Latino Hierosolymitano, anno 1100. Datis enim hic ad Principem Boamundum litteris significare videtur, se priùs ab eo Principe fuisse designatum, & tum demum Cleri & Populi assensionem accessisse.

Baron. ann. 1100. n. 31 *Scio, fili carissime, quoniam me ignorantem in Patriarcham elegeris, electumque communi tam Cleri ac Plebis, quàm Principum assensa in hujus dignitatis sedem locaveris.* Scribit tamen Paschalis II. in Epistola quadam sua Gibelinum Metropolitanum Arelatensem electum fuisse in Episcopum Hierosolymitanum

Epist. 25. Cleri & Populi suffragiis. *Quod eum Clerus & Populus communi desiderio & unanimi voto in Pastorem sibi elegerunt.*

Sed illud proximè à vero abest, Latinas eo ævo in Oriente Ecclesias, Occidentali se potiùs, quàm Orientali aptasse disciplinæ. Docet Cinnami historia, dum in Oriente bellarent & vincerent Latini, id contendisse Græcos Imperatores, ut Patriarcha semper Antiochenus Constantinopoli mitteretur. Affirmatur & illud ibidem Kioviensem Russiæ Me- Cinnamus L. 4. p. 106. tropolitam semper Constantinopoli creatum & eò 107. &c. missum fuisse. Hoc est, electum eum usitatissimè L. 5. p. 136. fuisse ab Imperatore, à Patriarcha, & ab Episcopis, qui Constantinopoli morarentur. Alexiadoa suæ libro XIII. profert Anna Comnena fœdus cum Boamundo Antiocheno Principe percussum, quo hic spondebat nullum fore Antiochiæ Latinum Patriarcham, sed susceptum iri eum quem mitteret Imperator Constantinopoli, ex gremio assumptum ipsius Ecclesiæ Constantinopolitanæ. At id quidem nunquam observatum fuisse fatetur.

VIII. Ut ad Græcos rursus me recipiam, ubi refert Nicetas Choniates electionem Michaëlis Patriarchæ anno 1141. quo Manuël Comnenus Imperium auspicabatur: illum ait electum fuisse suffragiis Imperatoris, Principum ejus Regiæ stirpis, Senatûs, & Episcoporum, & majori suffragiorum numero rem perfectam fuisse. *Proinde sententiam suam* L. 1. pag. 34. *cum cognatis, Senatoribus & Sacerdotibus communicat, &c. Eorum sententia vicit, cæteris ferè omnibus assensis, qui, &c.*

Non ea animi moderatione usi sunt, qui successere in Imperium, ubi creandi fuere Patriarchæ. Horrori potiùs esset, quàm vel voluptati vel utilitati enarratio usurpationum & intrusionum frequentium: quas idem Scriptor, aliique non pauci scriptis mandavere. De eo vel uno ab hoc exemplo conjicias. Cùm diutiùs Patriarchis illusisset Isaac Angelus Imperator, eos nunc destituens, nunc restituens, sola animi sui libidine & levitate incitatus; statuit denique Patriarchatum Constantinopolitanum in Dositheum transferre, Patriarchatu Hierosolymitano jam gaudentem. Sed cùm non nesciret inimicissimas esse translationibus Canonicas regulas, Theodoro Balsamoni Patriarchæ Antiocheno verba dedit, *viro ea ætate consultissimo*, & spem fecit Patriarchatûs Constantinopolitani, sed ei translationi non assensuros forsan Episcopos, ut Canonibus adversæ. Facile fuit Balsamoni Synodo Episcoporum persuadere, utiles quandoque esse Ecclesiæ translationes Episcoporum, adeoque & necessarias, & in iis rerum ac temporum angustiis consentaneas canonicis institutis. Ergo assentiri Synodum translationi, ubi primùm rescivit Imperator, protinus Dositheum Constantinopolin transtulit. Illum ejecerunt Episcopi, ejectum Imperator armata mano restituit. Sed rursum postea abdicatus fuit, & utraque privatus Ecclesia Patriarchali, quam non vita minùs & moribus, quàm intrusione fœdaverat. Hactenus ex Niceta.

IX. A Gregorio Acropolitano conscripta eorum temporum historia est, quibus Franci Constantinopoli imperitabant. Ex ea non minùs manifestè de- Pag. 39. 57. claratur summa Imperatorum & arbitraria potestas 58. in Patriarchis sua sponte eligendis, & iis eligendis, quos aut cupiditas, aut quædam animi hebetudo sequaces faceret ad omnia eorum imperia. Si eodem tempore scripsit Simeon Thessalonicensis, ut conjecit Morinus noster, illud statuendum erit, fluxam & subinde labefactatam fuisse eam, de qua ille agit, Imperatoris & Episcoporum concordiam ad Patriarchæ electionem. Nemo nescit quàm ste-

quentes sint hæ canonicarum institutionum conculcationes.

Postquam verò depulsis Latinis Michaël Palæologus Constantinopolin sibi Græcisque suis recuperavit, dubium est an religiosiùs canonicæ disciplinæ concinuerint electiones. Georgius Pachymeres L. 2. c. 11. Palæologi hujus Michaëlis res stylo elegantissimo prosecutus, narrat ut à solo Patriarcha Constantinopolitano constituti sint Episcopi Thessalonicæ, Sardibus & Dyrrachii, ut ne vestigium quidem ullum existat electionis, vel Episcopalium suffragiorum. Fuerat quidem Patriarcha ille ipse creatus suffragiis Synodicis, consensu Imperatoris, qui acquievit tunc ut Epheso Constantinopolin transferretur, quamvis antè prohibuisset, ne ab eadem Synodo ex Archidiacono Patriarcha crearetur. Sed in his duabus electionibus, quarum priorem irritam fecit Imperatoris intercessio obstinatior, nec verbum fit ullum de eo Simeonis Thessalonicensis ritu, ut ex tribus synodicè electis unum Imperator L. 2. c. 16. suo nutu deligeret. Quin immo flagrantissima indignatio, qua efferbuit Nicephorus Archidiaconus in Imperatorem, qui electionem Synodicam ejus in irritum miserat, ex Pachymere: apertissimè prodit L. 3. c. 12. electionem à sola Synodo factam fuisse. Nicephoro huic successit Arsenius senior, qui Patriarchali sede olim ejectus fuerat, & qui in eam revocatus tandem est Synodi & Imperatoris suffragio.

Arsenius senio suo nihilo segnior factus, in eundem ultor exsurgit Imperatorem, eumque sacris summovit, quòd legitimum Imperii hæredem, impuberem adhuc oculis orbasset; cúmque hæc anathematis vincula exsolvere constanter abnueret, quantumvis ab Imperatore interpellatus, à Synodo Episcoporum abdicatus est iisdem. Tunc Episcopos plenissima libertate donavit Imperator, ut eligerent L. 4. c. 9. 10. 12. quem mallent, & tum *universi convenerunt in Germano Adrianopoleos Episcopo.* Et hunc simile veri est Patriarcham nil descivisse à præcessoris sui invicta fortitudine, cùm nullas non machinas adhibuerit Imperator, ut ad voluntariam abdicationem eum vel alliceret, vel pertraheret. Id assecutus, rursum prorsus liberis, saltem in speciem, suffragiis eligi voluit Patriarcham. Perspicaciores quidam penitiora ejus consilia rimati, suffragiis inclinarunt in Josephum, qui in Aula à puero metuerat, Aulæque faciles & flexibiles animos induerat. Haud ægrè igitur ille Imperatorem nodis anathematis absolvit. In his porro exemplis ne subodorari quidem eorum quidquam potuimus, quæ à Simeone Thessalonicensi narrata sunt.

Hic Patriarchæ docilis versatilisque animus non paulò opportunior fuisset, cum Palæologus Græcam Ecclesiam Latinæ consociavit, subjecitque summo utriusque Capiti. Ille indomita restitit contumacia, eoque sede exturbato, rursus Imperator canonicam fecit Episcopis eligendi successoris potestatem. Cùm vota sua contulissent in Patriarcham Antiochenum alii, alii in Veccum Cartophylacem, permissa est Imperatori alterius eorum electio. Ille Veccum digniorem censuit. Tunc coïere in Ecclesiam Archiepiscopi, & Veccum Patriarcham elegerunt. *Primis, secundis, tertiisque suffragiis Veccum* L. 5. c. 24. *unum Patriarcham declarant*, πρῶτον, ἢ δεύτερον, ἢ τρίτον τὸ, ἢ ἔσχατον. Vides quàm hæc accedant ad ea quæ superiùs dicta sunt non semel de electione ejus ipsius à Clero, vel Episcopis, quem Imperator jam nominasset.

X. Quod alios, vel Episcopos, vel Patriarchas nullo prorsus argumento constat, vel consuetudinis fuisse, vel voluntatis Imperatorum, ut ipsorum consensus, vel ante, vel post electionem exposceretur. Si enim hic idem Pachymeres narrat mortuo L. 6. c. 5. Constantinopoli Antiocheno Patriarcha, timari voluisse Imperatorem & explorare eum qui successor illi ab Episcopis destinabatur ejus rei, ut novæ & tonsitsiæ novæ etiam ab eo propalatur causa, quòd vereretur non immeritò Imperator, ne quis amplissimam illam invaderet Sedem, qui sectæ cum Latinis unioni clam adversaretur. Obiter illud quoque adverte, Constantinopoli factam Patriarchæ Antiocheni electionem, & tot Episcopos ex ejus Patriarchatu accersitos, quot necessarii erant, ut electio canonica foret. Numerum non declarat hoc loco Pachymeres, at illum postea retegemus.

Si quis autem nobis objectet Decretum Cælestini III. *Cum terra. De Electione*, quo permittitur, ut canonica electione celebrata, flagitetur postea consensus Principis, vel Patriarchæ, quod capi nisi de Orientalibus Ecclesiis non potest. Respondemus ad Latinos tum Patriarchas, tum Principes in Oriente trahi necessariò debere id decretum. Latinam illis Pontifex Disciplinam præscribit, prohibetque quod Græcis usitatissimum erat, ne id Pachym. Andronic. L. 1. c. 13. 27. 28. L. 5. c. 6. 7. L. 4. c. 12. tentetur, ut plures eligant, quorum Patriarcha vel Princeps unum designet; vel ut ne malitiosè & vetetatoriè indignos eligant, ut eligendi potestas ad Patriarcham devolvatur.

XI. Narrat Cantacusenus, quo flexuoso anfractu & qua arte Episcopos ipsemet circumvenerit, ut in Patriarcham Constantinopolitanum eligerent Joannem Presbyterum, Capellanum suum, quemque ipsemet Clero Palatino inscribi fecisset. Fastidiosiùs primùm Episcopi abjecerunt rem ab illo propositam: sed cùm exorasset tandem eos, ut Episcopatum saltem illi aliquem annuerent, illis annuentibus Archiepiscopatum Thessalonicensem: facilè mox demonstravit, qui Episcopatu quolibet dignus haberetur, quamvis minimo, majori indignum reputari non posse, atque ita inopinos induxit ad ejus electionem, quem ipse cupiebat. L. 3. c. 20.

Magni tunc adhuc Domestici munere ille fungebatur. Ubi pòst adeptus est Imperium, non minùs cupidè ad Patriarchalem sedem provehere curavit, quoscumque sibi collibuisset. Verùm blanda semper quadam arte & industria illos Episcopis conciliabat. Cùm Callistum Monachum Patriarchali dignitate augere animo suo constituisset, ex Atho L. 4. c. 16. monte illum accersivit, quamvis alienatas ab eo Episcoporum mentes delinivit, permulsit, & perfecit tandem, ut non illubentes eum eligerent.

Sed quando postea Callisto huic Patriarchæ designandus fuit successor, ingenuè professus est Cantacuzenus, improbè & ludificatoriè omnino superiores Imperatores, & se ipsum eorum exemplis fervientem, postquam clam, sed certo & indeflexo proposito secum ipsi statuissent, quem vellent Patriarchali sedi intrudere, adhortatos esse Episcopale Collegium, ad Numen precibus tundendum, & ab eo exundendum divinum lumen, quo dignoscere possent, quis sacro eo ministerio & Pontificatu exornandus sibi esset. Nec mora, jam tum pronuntiavit Imperator, leges posthac canonicas in electionibus sibi & Episcopis mordicus sectandas, ut ab Episcopis terni eligerentur dignissimi, unus ex eis ab Imperatore. *Eligant Episcopi, tribusque propositis,* L. 4. c. 37. *qui in primis digni videantur, Imperatori unius electionem concedant.* Hanc Imperator tunc appellavit cano-

nicam & antiquam libertatem. *Veterem vobis libertatem restituo, ego unum ex tribus, ut mos est, decernam.* Elegere mox Episcopi Philotheum Episcopum Heracleæ, Macarium Episcopum Philadelphiæ, & virum doctissimum Nicolaum Cabasilam. Ex his tribus Imperator primum delegit.

Morinus De sacr. Ordin. To. 1. pag. 195. Ex ea narratione dilucidum est, eam eligendi rationem rarius usurpatam fuisse; eam consuetudine, sed paucis exemplis nixam fuisse; minimè omnium approbatam ipsis Imperatoribus fuisse, ut quæ nec expedita satis, nec tuta esset, ut quos ipsi vellent, ii ad Patriarchatum venirent. Matthæus Blastares, quem probat Morinus sub Andronico Seniore floruisse, id ipsum testatum facit, secundùm Canonicas sanctiones penes Episcopos solos liberam esse electionem Patriarcharum & Episcoporum, nulla necessaria interventione Imperatoris. At reapse Canonis regulis quantumvis adversantibus, ab Imperatoribus creari solitos, tum Patriarchas, tum Episcopos, etiam inconsultis Episcopis. Littera K. c. 32. *Licet Canones reservent Episcopis Provinciæ suffragia in Episcoporum electionibus, prohibeantque ne aliquid ejusmodi cum quovis Principe communicetur; Imperatores tamen sine Episcoporum suffragiis, & Patriarchas, & Episcopos eligunt & promovent.*

Sub Cantacuzeno eodem ætatem agebat Nicephorus Gregoras, qui in illum ipsum non semel calamum strinxit. Arsenii senioris Patriarchæ electio ab L. 3. c. 56. eo narratur in hunc modum: *Patriarcha creatur communi Pontificum suffragio, Imperatore maximè approbante, & Pontificum illud suffragium, ut moris est, approbante.* Ex quo suspicari quis posset, ubi in unum aliquem omnium vota conferebantur, tum Imperatoris fuisse juris & officii, ut electionem confirmaret. Sed ubi in plures dividebantur suffragia, tum Imperatores id sibi arrogasse, ut ex eo numero, quem mallent, præponerent. Vidimus suprà, ut hac sibi spe blandiretur Imperator Germaniæ. Idem verò mox Gregoras referens electionem Josephi Patriarchæ, ait Imperatorem id primò inisse consilii, ut illum promoveret, tum perfecisse ut ab Episcopis eligeretur, electum autem Investisse per baculum, quem illi porrexisset, throno sublimis Impe- L. 6. c. 77. 88. ratorio. *Est tamen ab Imperatore post debita suffragia & testimonia designatus, & pastorale pedum in Imperatorio suggestu veteri more ab Imperatore porrectum accepit.* Simillima fuit & electio Patriarchæ Joannis Sozopolitani. *Decreto Imperatoris, & suffragiis Sacerdotalis Synodi.* Pronissimum facillimumque erat Imperatori, quantos vellet emereri & sibi adjungere Episcopos, ut Patriarcham crearet quem cuperet, si ex tribus Episcopalibus calculis electis, ipse quem maluisset eligebat. At satis superque procedebat Andronicus Senior, nec se, nec antecessores suos eo se limite cohiberi voluisse, sed electionibus L. 9. pag. 201. imperiosiùs dominari. *Sic acciderat, ut Imperium olim Ecclesiæ privilegia dedisset, ea quæ etiamnunc cernuntur: Ac vicissim Ecclesia id Imperio concessisset, ut quem vellet è designatis Patriarcham declararet, &c.*

Electionum Græcarum Formula, quam capiti XX. intexuit Codinus, manifestè significat, duodenario non amplius Episcoporum numero opus fuisse, ad Patriarchæ creationem, sive eorum qui jam in Urbe demorarentur, sive qui ex Provinciis accerserentur aliis & civitatibus. Subditur denique in eadem Formula, seu Rituali libello, Archimandritas & Abbates, postquam Patriarchali Benedictione fuerant ordinati, ab Imperatore Pastoralem baculum suscepisse, à quo & ipse susceperat Patriarcha. Narrat & Phranzes, ubi primùm electus fuerat Patriarcha, ad Imperatorem accessisse, & ab eo Virgam auro gemmisque radiantem accepisse, cùm Imperator interim his illi verbis imprecaretur. *Sancta Trinitas quæ mihi Imperium donavit, te in Patriarcham novæ Romæ deligit.* L. 3. c. 19. Nemo tam rudis est rerum sacrarum, nemo in historicis Annalibus tam hospes, cui non exploratissima sit fœdissima servitus, qua Græci Imperatores posteriores obtrivere, tum Patriarchas, tum Ecclesiam & Electiones.

XII. Jam verò ad collationem ingrediamur electionum Græcarum & Latinarum, Orientalium & Occidentalium: consonare nobis permulta citra dubium videbuntur, forsan & plura dissonare. Utrobique enim 1. electione creati sunt Episcopi. 2. Electores, vel soli, vel primarii ipsimet fuere Episcopi. 3. In partem aliquam venerunt Principes temporales. 4. Episcopi ab iis investiti sunt. 5. Immo & Abbates. 6. Principum authoritas in electionibus pene semper dominari visa, sive per cuniculos, sive simplici & aperta vi, inverecunda Canonum oppugnatione. 7. Constantia unius Disciplinæ, & observantia Canonum fuit rarissima inter tantas morum corruptelas, & in re tam lubrica, humanisque cupiditatibus proliciendis tam idonea, hoc est provisione Ecclesiasticarum omnium dignitatum, opumque. 8 In tanta rerum inconstantia nihil constantius, nihil laudabilius fuit, Principum quorundam tanta & provida moderatione; qui Ecclesiæ, qui Imperio consultum simul voluere; & res ultro citroque ita temperavere, ut utrique consultum esset; qui denique ita sua ipsi humanitate & observantia in Ecclesiam, in Canones, in Episcopos & charitate, Episcopos adduxere, ut & ipsi illis vicissim plerumque assentirentur. Ea hauddubio fuit, & diuturnior disciplinæ sacræ ratio & felicior. Nec enim diutius unquam potuit retineri, nedum perpetuari, vel strictissima Canonum observantia, nec atrocior Principum authoritas, in iis rebus, quæ natura ita comparatæ sunt, ut indulgentia plurima, plurimis egeant delinimentis.

Nec minus conspicabiles fuere dissonantiæ utriusque Ecclesiæ. 1. Populo non parum potestatis fuit apud Latinos aliquandiu. 2. Cleri longè semper major potestas quàm populi, quod non æquè apud Græcos observari potuit. 3. In electionibus Latinorum ferè semper dominati sunt Episcopi cujusque Provinciæ: at in Oriente ferè Constantinopoli eligebantur Episcopi Provinciarum, & quidem ab Episcopis in urbe Regia degentibus, additis paucissimis, qui ex Provinciis accersebantur. 4. In Occidente electionibus intervenerunt summi Principes, consensu & auro, & pòst dando, nihil obstrepentibus vel Conciliis, vel Pontificibus, quando ita ferebat usus. At verò nihil istiusmodi apud Græcos. 5. Et tamen summi Principes in Occidente impensius reveriti sunt electiones, quam in Oriente. 6 Callidius verò obumbrabantur usurpationes Imperatorum Græcorum, ubi ex tribus quos Episcopi dignos judicassent, unum ipsi deligebant. 7. Adde quod nec unquam in mentem vicissim venerit Imperatoribus Græcis, ut ad Episcopatus omnes cum Patriarcha nominarent. 8. Non litem, non controversiam moverunt Græci Imperatoribus suis, de Patriarchæ & Abbatum Investituris. 9. Nec Investitura illa Imperatoria spectabat, nisi ad Patriarcham & ad Abbates, qui ab eo benedicerentur. Nec enim cæteri toto orbe Orientali Episcopi, & Abbates Pastorali baculo ab Imperatore donabantur. Nisi

De sacris Ordinat. c. 8. fortè ad investituras detorqueas, quod ait Simeon Thessalonicensis, imposuisse, & fucum fecisse Imperatoribus Aulicos assentatores, ut auderent *promovere Episcopos, & translationes facere.* 10. Rarissimè in Occidente usurpatum illud Orientalium, ut ex tribus, quos elegissent Episcopi, unum Imperator seligeret. Contrà nunc in Occidente factitatur, ut Principes Pontifici præsentent, ille eligat, aut instituat.

XIII. Illud porro non injuria stupendum, restitutas tum demum fuisse Constantinopoli electiones, in dissipati ejus ac discerpti Imperii miserandis ruderibus, postquam barbara Turcorum & truculenta natio Imperium olim longè splendidissimum obtrivit. Contulit Patriarchæ Græco Germano Mahumetes II. expugnata Constantinopoli, quidquid rescivit conferri solitum à priscis Imperatoribus Christianis. Mitram pretiosam, Pallium, Equum albom ad solennem in Urbe pompam, denique virgam ipsemet Pastoralem in manus ejus ingessit. *Crusii Turcograecia. pag. 108. 120. 124.* Germani successor Isidorus *suffragiis Antistitum, Clericorum, totiusque populi Patriarcha factus est.* Quatuor priores Constantinopolitani Patriarchæ post occupatum à Turcis Imperium, ad eundem modum creati fuere, Sultanis, seu Imperatoribus Turcis conferentibus munera, nedum quidquam exigentibus. Primi omnium cives Trapezuntii, ut suæ gentis homini Patriarchatum pararent, ingentem pecuniæ vim Sultani fisco refuderunt, quæ & in dies major postea collata est, non tam Sultanorum avaritia, quàm Græcorum turpissima licitatione sanctissimæ dignitatis infulas nundinantium. Sed quod ad electionum libertatem attinet, nihil de ea deceptum est; Episcopi, Clerus, Abbates, Nobilitas, Populus jure suffragii fruebantur. *Ibid. p. 131.* *Coacta fuit frequens Synodus, Metropolitis, Archiepiscopis, Episcopis, Clericis, Abbatibus, Prioribus, & aliis Sacerdotibus, nec non Nobilibus viris, & quos interesse referebat, concurrentibus, denique plebeia multitudine.*

Electio Niphonis Archiepiscopi Thessalonicensis, quam in eadem Turcogræcia sua publicavit Crusius, hoc est in Ecclesiastica Græcorum historia, post occupatam à Turcis Constantinopolin; electio, inquam, Niphonis argumento est pari libertati suffragiorum locum fuisse in cæterorum Archiepiscoporum & Episcoporum electionibus. *Ibid. p. 139. 141. 142. 140.* *Congregati Episcopi Thessalonica cuncti, Metropolin ingressi sunt. Ubi Synodo facta, præsentibus Clericis & aliis sacrorum Ordinum viris, Primoribusque civitatis & cuncto populo, legerunt Niphonem, &c.* Cæteræ denique deinceps Patriarcharum electiones pari semper & libertima Episcoporum, Cleri, Nobilium & Populi suffragatione celebratæ sunt.

Con. Gener. To. 11. pag. 2355. XIV. Sanxerat jam pridem Alexander IV. ut Episcopi Græci insulæ Cypri à Clero eligerentur, & à Latino ejusdem Diœceseos Episcopo confirmarentur, cujus illi veluti Suffraganei habebantur, aut Vicarii Generales ad Græcorum curam gerendam. Potuerant quidem Græcorum electiones emendari, & Canonicis institutis propius admoveri, exemplo Latinorum per Orientem longè latéque sparsorum. Sed non ea tamen ratione, ut reor, adducti sunt Græci labefactato Imperio ad eam electionum formam, quæ modò à nobis delineata est. Persecutioni & captivitati imputandum illud potius fuerit, qua compulsi sunt, ut se sibi mutuò recolligerent, & ad jacentis Ecclesiæ suæ tuitionem conspirarent, uti fieri solet, quandocumque aut primum efflorescit, aut ex cineribus postea reviviscit Res aliqua publica.

Leoni X. Maronitæ suam eamque valde stupendam exposuere eligendi Patriarchæ rationem. *Rainal. an. 1514. n. 91. 107.* Duodecim Presbyteros virtutis & sapientiæ laude spectabiles singulis singulos Cellulis includebant, & sejunctim quotidie eorum suffragia scrutabantur. Ubi omnium calculi in unum aliquem consenserant, is erat Patriarcha. *Conc. Gene. To. 14. pag. 349. 350.* Abyssinorum quæ passim circumferuntur historiæ recentes, iis confirmatur electiones Patriarchæ à Monachis, Episcoporum à Rege fieri.

CAPUT XLII. *P. 4. l. 2. c. 51.*

De Confirmatione Episcoporum à Metropolitano, post annum Christi millesimum.

I. Jure Decretalium permittitur adhuc Metropolitano confirmatio electionum Episcopalium.

II. Metropolitani Galliæ, Angliæ, Germaniæ, poterant Ecclesias suas administrare, cùm primùm electi fuerant unanimi suffragiorum conspiratione.

III. Nec aliter se res habebat in Episcopis longinquis, qui & ipsi omnium consensione calculorum electi fuissent.

IV. Vitio datum est, si qui de confirmatione sua minus solliciti, interim Ecclesiæ vel spiritalia, vel temporalia administrare aggrederentur, obtentu Oeconomatus sibi adjudicati.

V. Quo temporis spatio electioni assentire, quo confirmationem deposcere teneantur.

VI. An Episcopi electi sedere inter Episcopos possint ante confirmationem.

VII. Ubi confirmati fuere, necdum ordinati jurisdictionem suam exercent.

VIII. Cur olim non ita, uti nunc secerneretur Confirmatio à Consecratione.

IX. De privilegiis administrandi ante Confirmationem.

X. Quam necesse sit, ut Pontificias antè Bullas obtineant, quàm Ecclesiam administrent.

XI. Memorabilia Conciliorum Galliæ Provincialium statuta post Concilium Tridentinum, & post abolitas electiones.

XII. Provinciales hæ Synodi Tridentinum inhæsere Decreto, in pœnam adversus eos decernendo, qui cunctantur, & ultra tres, aut sex etiam menses consecrationem suam procrastinant.

XIII. Ubi vacabat Metropolitana Sedes, Episcopales electiones examinabat & confirmabat Capitulum Metropolitanum.

XIV. Quid Bellarminus de Ecclesiis diutius vacantibus præclarissimè, & dixerit, & scripserit.

I. INformes erant & steriles electiones sine confirmatione, quæ earum veluti cumulus & absolutio erat. Hinc factum necessariò est, ut aspergerentur multa de confirmatione superioribus de Electione dissertationibus. Jure hodierno Decretalium Metropolitanis antiquum vendicatur jus suum ad examen vocandi, & confirmandi, infirmandique, tum electionem, tum etiam electum ipsum. Sunt & canonicæ in eos pœnæ, qui vitiosas confirmaverint, aut electiones, aut personas. *Extra De elect. c. 20. 32. 44.* Sed cum Metropolitano confirmationem abnuente ad Papam provocaretur; cùm ipsi non rarò Metropolitani spinosis causarum perplexitatibus implicati, nec inde facilè se expedientes, rem ad Papam referrent, hinc sensim via sternebatur recentiori disciplinæ, quæ soli Pontifici reservavit Episcoporum omnium confirmationes. Qua de re Capite sequenti.

II. Si quis Metropolitanus consentientibus omnium calculis electus fuisset, poterat jam tum ille Ecclesiæ suæ clavum & administrationem capessere, si longo terrarum tractu distaret ejus Ecclesia à su-

perioris Paſtoris ſede, penes quem jus erat cum confirmandi. Ita decrevit Innocentius III. eo quod in Decretalibus radiat ſtatuto, quo ait Pontifex jam neceſſe non eſſe, ut Apoſtolicæ Sedis confirmationem expectent Metropolitani Angliæ, Galliæ & Germaniæ, qui electi fuerint conſpirantibus omnium votis, ſed jam tum poſſe eos moderari Eccleſiæ ſuæ gubernacula, ne viduitatis Eccleſiæ diuturnitas aliquid importet detrimenti. *Cum de Metropolitanis Anglia, Francia, Alemannia, & aliarum partium remotarum, qui concorditer ſunt electi, Romana Eccleſia patiatur ſtatim miniſtrare, Eccleſiarum utilitate penſata. Quia ſi tanto tempore, quouſque poſſet electum confirmationem cum Pallio à Sede Apoſtolica obtinere, Regalia non reciperet Eccleſia, qua interim adminiſtratione careret, non modicum incurreret detrimentum.*

Extra De elect. c. 28. Ex Auguſt. Conſid. 1 Ta. ... c. 13.

III. Eadem libertate gaudere jubentur Epiſcopi extra Italiam, ſi qui egeant immediata Papæ confirmatione. *Si electi fuerint in concordia, diſpenſativè propter neceſſitates Eccleſiarum & utilitates, in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtrent, ſic tamen ut de rebus Eccleſiaſticis nihil penitus alienent.* Tanta ſuffragiorum conſenſio argumento erat, electionem infirmari, confirmationem recuſari non poſſe. Ita & in Romani electione Pontificis conſtitutum eſt, ut quoniam à ſuperiore nullo ea vel examinari poteſt, vel confirmari, ad eam deſiderentur ſuffragia duarum ſaltem partium.

Extra. De elect. c. 44.

Con. Later. ... c. n. 26 Anno 1215.

IV. Extra ſpeciales has cauſas, in nullam partem inſerere ſe poterant electi Epiſcopi ſacræ adminiſtrationis ante confirmationem ſuam. Cùm verò legi huic canonicæ illuderetur ab electis, Eccleſiæ ejuſdem Oeconomatum, Procurationem, vel Vicariatum eblandientibus, ſinuoſæ huic & fraudulentæ ſive avaritiæ, ſive ambitioni obviavit Gregorius X in Concilio Lugdunenſi II. edito hoc Decreto, quod & ſexto Decretalium libro intextum eſt. *Avaritia cæcitas & damnanda ambitionis improbitas, &c. Eccleſiam ſibi tanquam Procuratoribus & Oeconomis committi procurant, &c. Sancimus, ut nullus de cætero adminiſtrationem dignitatis, ad quam electus eſt, priuſquam celebrata de ipſo electio confirmetur, ſub œconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quæſito colore, in ſpiritualibus vel temporalibus, per ſe, vel per alium, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis ſe immiſcere præſumat. Omnes illos qui ſecus fecerint, jure, ſi quod eis per electionem quæſitum fuerit, decernentes eo ipſo privatos.*

De elect. in Sexto. c. 5

V. In eodem Concilio Lugdunenſi II. juſſi ſunt electores operam dare, ut quamprimùm electus de electione ſua certior fiat. 2. Menſtruum tantùm ſpatium adſignatum eſt, quo electioni conſentiret, alioqui eo jure fruſtraretur, niſi ſi electus Superiori abſenti vel longinquo obnoxius eſſet, cujus aſſenſio quoque neceſſaria eſſet. Tum enim protrahendum utique eſſe ſpatium illud. 3. Denique ubi electus aſſenſum ſuum præſtitit, intra tres menſes confirmationem poſtulet neceſſe eſt. *Confirmationem electionis petere non omittat. Quod ſi juſto impedimento ceſſante intra trimeſtre tempus omiſerit, electio ipſo jure viribus vacuetur.* Cùm verò loca aliis alia longinquiora ſint; definita ſunt à Nicolao III. in Decretali *Cupientes* tempora conſentanea diſtantiæ, intra quæ confirmatio petatur.

De elect. In ... c. 6.

In Sexto

Raimundus de Penna-forti non Compilatione Decretalium, quàm ſanctimonia clarior, Regulas Juris ad hæc tria capita revocat, Intra tres menſes celebrandam eſſe electionem, intra tres alios conſecrationem, denique intra tres alios Pallium poſtulandum. *In ſumma ergo nota, quod electio Epiſcopi debet fieri infra tres menſes a tempore vacationis computandos. Conſecratio debet peti ſimiliter intra tres alios menſes, à tempore electionis computandos; Pallium debet peti infra alios tres menſes; & hoc, niſi juſto impedimento differatur.* Quæ dicta ſunt autem de tempore electionis, ſervanda ſunt etiam in Regularibus Prælaturis. *Quod dictum eſt de electione Epiſcopi, quòd debeat fieri intra tres menſes, extenditur hodie ad Prælatos Eccleſiarum Regularium.* Reliquis Beneficiis inſta ſex menſes providendum eſt.

Summa l. 3. pag. 332.

VI. Ab Helmodo & Alberto Abbate Stadienſi narratum eſt, ut electus Archiepiſcopus Bremenſis Alexandro ſe III. præſentem exhiboerit, ut ab eo confirmaretur & ordinaretur. Confeſtim illum Pontifex inter Archiepiſcopos ſedere juſſit cum mitra & ornatu Pontificio. *Ipſi omnem honorem deferebat, ita ut in Concilio Prælatorum Cathedram ſuam inter ſummos Pontifices collocaret, & eum infulatum coram ſe reſidere faceret.* Illum poſtea ſummovit abjecitque Pontifex, quòd non ultra Acolythorum gradum tunc conſcendiſſet, cum ad Archiepiſcopatum electus fuerat. Sed vel hinc tamen illud certò arguitur, ex Pontificis judicio ante conſecrationem ſuam gaudere illum debuiſſe & ſede & ornatu Epiſcopali.

Baron. an. 1179. n. 7 8

VII. Qui ſuprà verò vetabant Canones, ne electi Epiſcopi ante confirmationem ſuam intruderent ſe, vel illaberentur utcumque, & quavis prætexta cauſa, quovis palliato nomine, in adminiſtrationem, ſeu temporalem Eccleſiæ, ſeu ſpiritualem: ii certè Canones perſpicuè innuebant, poſſe ab illis, immo & debere poſt confirmationem ſuam, ante conſecrationem, in Epiſcopales functiones obiri omnes, quæ ad juriſdictionem ſpectant, non ad Ordinem ipſum Epiſcopalem. Prohibuit tamen B. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ne Epiſcopum Scotiæ Sanct-Andreanum conſecrari ſua in Eccleſia faceret Archiepiſcopus Eboracenſis, niſi ſe priùs ipſe conſecrari curaſſet, adſignato ad id trimeſtri ſpatio, ex Canonum norma. Eam verò promit Anſelmus rationem, quòd cui necdum ulla incumbit animarum cura, is ejuſmodi cura neminem onerare poſſit. *Quia non pertinet ad vos dare, vel commendare alicui curam animarum, quam nondum accepiſtis.*

Anſelm. L. 3. Ep. 149.

Non abhorret à vero necdum ſatis diſtinxiſſe Anſelmum conſecrationem à confirmatione, quòd uno eodemque ferè tempore eæ tunc plerumque celebrarentur. Cùm enim minetur Anſelmus perfunctu rum ſe tota Eboracenſis Eccleſiæ adminiſtratione, niſi adproperaret Eboracenſis intra tres menſes petere à ſe conſecrationem: *Quod ſi non feceritis, ad me pertinet, ut ego Curam habeam, & faciam quæ pertinent ad Epiſcopale officium in Archiepiſcopatu Eboracenſi:* abundè vel eo innuit, ab Eboracenſi adminiſtratam fuiſſe ſuam Eccleſiam ante conſecrationem.

Nec à vero etiam diſſidet, ne Epiſcopum quidem Catalaunenſem confirmatum adhuc fuiſſe, cùm diceret nihilo plus ſibi juris eſſe, quàm Canonico cuilibet alteri, ad gratificandum de Præbenda aliqua puerulo illi, qui à Rege Ludovico Juniore commendaretur. Is etiam nunc viget uſus in Decretalibus, ut promoveri quis dicatur, cum conſecratur; utque non aliter quàm electus dicatur, quiſquis necdum conſecratus eſt, quanquam confirmatus, & vel ab ipſo Papa præpoſitus ſit. Ne Ponti-

Du Cheſne Tom. 4. pag. 665.

Fagnan. in L. 1 Decret. Part. 1. pag. 103. & seqq.

fex quidem Romanus ipse ante consecrationis suæ solemnia Pontifex Romanus dicitur, nec numerat annos Pontificatûs sui.

VIII. Ea sunt antiquissimæ Disciplinæ vestigia, quæ confirmationem à consecratione minùs secernebat, quòd eas nec sejungeret; & ubi rariùs de confirmatione agitur, quòd ea partim electioni, partim ordinationi permisceretur. Quod & apud Græcos etiamnunc observatur, qui confirmationem non disjungunt ab electione, vel ab ordinatione, quod non alii quàm Episcopi eligant, consecrentque. Cùm ex adverso in Ecclesia Romana cœperint aliquando tandem electiones frequentari, nullis præsentibus Provinciæ Episcopis, solius Cleri & populi suffragiis, mox & Cleri solius; atque ita demum arctior necessitas emerserit, earum à Metropolitano confirmandarum, serio examine præeunte. Ex ipsis B. Fulberti Epistolis liquidum est, uno eodemque tempore confirmatos & consecratos fuisse Episcopos; & cùm terreni Principes electionibus disturbandis se intricabant, tum frequenter Metropolitanos constantiam suam & invictam animi fortitudinem ostendisse, donandis vel frustrandis optata confirmatione electis.

Epist. 28. 8, 2.

IX. Non ambigunt Canonistæ, quin potuerint Cistercienses eo Pontificum muniti privilegio, ut electi eorum Abbates incunctanter administrent, non expectata confirmatione. Haud dubio id manavit à judicio Pontificum & existimatione, atque admiratione hujus Ordinis inter ipsa sua recentis institutionis & stupendæ regularitatis primordia. Inde enim fiebat, ut ne examinandas quidem censerent eorum electiones. Quo eodem privilegio eadem ferè de causa donari potuere complura alia pia Sodalitia, dum primigenius eorum fervor miraculo adhuc esset orbi Christiano.

Fagna. ibid. pag. 166. & L. 1. Part. 2. pag. 106.

Sed non omnes forsan Canonistæ iis assentirentur, quibus visum est, potuisse Episcopum Lusitaniæ Ecclesiam suam administrare necdum confirmatum, cum abesset Metropolitanus triginta dierum itinere. A probabili tamen non recedit ea sententia, cùm consentanea usque adeo sit Decretalibus paulò suprà allegatis, & eadem licentia donantibus, tum Metropolitanos, tum Episcopos à Pontifice longis & difficillimis Alpium jugis, terrarumque tractibus summotos.

X. Publicata est à Bonifacio VIII. Decretalis *Injunctæ*, inter Extravagantes communes locata; qua prohibentur Prælati promoti & confirmati, immo etiam, si velis, Romæ, ne se quantuluncumque immisceant administrationi Ecclesiarum, nisi Pontificiis instructi sint Bullis; alioqui parto jure exuantur. Ab Alexando V. & Julio II. statutum est, ut Episcopi & Abbates quos promovit Pontifex, intra annum Pontificia diplomata impetrent: alioqui eadem privationis pœna afficiantur. Bonifacius ea ratione fulciebatur, quòd etsi diplomata non conferant ad promotionem faciendam, at totum conferant ad eam approbandam. Atqui usus ille tota Ecclesia & antiquissimus, & etiam nunc usu receptissimus est, ut sine Chartis & Provisionibus scripto editis, nulli unquam admittantur Clerici ad Beneficia, ad officia & munia Ecclesiastica. Quærunt Canonistæ, an extrema quapiam urgente necessitate, & locorum maxima distantia, possit aliquid dispensationis adhiberi. Ea quidem in re sunt opiniones, sed laudi datur Archiepiscopo Goano, qui nunquam interponere se voluit in regimen Ecclesiæ suæ, quanquam certò sciret consignatas fuisse, sed casu aliquo interceptas Bullas, maluitque toto quinquennio Ecclesiam suam Pastore vacare.

Fagnan. in L. 1 Decret. Part. 2 pag. 66 106. 107. 108.

XI. Constantiense Concilium, ne jam amplius Bajonensis Ecclesia duobus subesset Episcopis, alteri hujus, alteri alterius obedientiæ, sæviente adhuc schismate, prohibuit, ne altero eorum extincto Capitulum ad novam pergeret electionem: si quis eligeretur, vetuit ne à Metropolitano Auscienси confirmaretur. Poterat illa pestilentissimi schismatis importunitas opportuna videri, ad restituenda Metropolitanorum jura, vacillante Sedis Apostolicæ à duobus Pontificibus scissæ auctoritate, & frequenti Ecclesiarum secessione à Pontificum obedientia. Sed quovis malo exitialius remedium erat schisma. Sess. 31.

Post Concordata, quibus Episcoporum & Abbatum nominatio in Reges, promotio & confirmatio in Pontifices confertur, jam confirmandi jure excidisse videntur Metropolitani. Sed à Concilio tamen Turonensi anno 1583. restituta utcumque est consensio antiqua, & conjunctio arctissima Metropolitani & Suffraganeorum, statuto hoc promulgato, ut ne posset Metropolitanus consecrari, nisi à Primate, vel à Seniore Suffraganeorum, cui Suffraganei alii duo à Metropolitano ipso adjungerentur. Episcopi autem suffraganei ordinarentur à Metropolitano, & duobus aliis ejus Provinciæ Episcopis, & in propria Ecclesia, si fas sit; saltem in aliqua Provinciæ Ecclesia. Ne differri posset eorum consecratio ultra tres menses à die provisionum datarum. Denique nec spiritale, nec temporale attingeret Metropolitanus regimen Ecclesiæ suæ, donec Pallio donatus fuisset. Primi autem vel secundi anni sui Pontificatus partem impenderet, visitandis Suffraganeis suis, ut conferre cum illis posset in Concilio Provinciali, de abstergendis expiandisque morum corruptelis, quas in suis quisque Parochiis observassent. Cap. 12.

In Concilio Rotomagensi anni 1581. decretum est, ut datis ad Pontificem litteris, rogaretur, ut ne ullis provideretur Provinciæ Episcopis, neu Bullæ concederentur, nisi acceptis testimoniis Metropolitani, & Episcoporum Comprovincialium, super doctrina, vita & moribus promovendorum. Decretum est etiam, ni Episcopi post tres à susceptis Provisionibus menses ordinarentur, ne Ecclesiæ fructus suos facere possent. Tit. de Episc. n. 3. 4.

XII. Ex rigore Canonum sævierat olim Alexander IV. in Philippum Carinthiæ Ducem, electum Salisburgensem Archiepiscopum, quòd novem annos et præfuisset Ecclesiæ, eamque administrasset, mira quadam contumacia adversùs Pontificia hujus statutum, quo Ecclesiæ administratione suspendebat eos, qui ultra tres menses consecrationem suam prolatarent; & ea prorsus spoliabat, si intra sex alios saltem menses non ordinarentur. Spoliatus est Archiepiscopus Ecclesia sua, eique ab Capitulo successor datus. Obiter verò hic observandum est in hujus Pontificis Epistola, spectari ab eo consecrationem, tanquam spiritalis Episcopi cum Ecclesia sua conjugii consummationem. *Ecclesiarum Cathedralium sponsis, contractum hinc inde spiritale conjugium differentibus consummare, differendo munus consecrationis recipere, &c.* Rainal. an. 1257. n. 9 10. Sess. 23. c. 2.

Scripserat olim Innocentius III. Episcopo Tripolitano, si Episcopus electus ultra quinque menses retardaret consecrationem suam, jam per Canones nullam ei reliquam fieri spem recuperandi Episcopatûs.

Epist. 1. lib. 117. 447. 502. 532. Episcopatus. *Quia licet inveniatur in Canone, quod si electus ultra quinque menses post suam electionem retinuerit Ecclesiam viduatam, nec ibi, nec alibi consecrationis donum percipiat; non tamen intelligitur Ecclesia viduata, quasi sponsum non habeat, sed quia cum sponsus ejus nondum sit consecratus, adhuc quoad quadam manet viri solatio destituta.* Pluribus in aliis ejusdem Papæ Epistolis eorum quoque fit mentio quinque C. Quoniam D. 100. mensium. Eam in rem laudat ille Decretum, quod Pelagio Papæ tribuit post Gratianum & Ivonem Carnutensem; quanquam illud Burchardus & Anselmus Damaso tribuant. Non annuebant Canones nisi tres menses, at hoc Decreto simile veri est contineri inducias etiam eas, quæ electo condonabantur, dum assentiretur electioni. Eæ autem erant unius aut alterius mensis.

Non hic sermonem instituam de eo, cujus est Episcopos consecrare. Nemo nescit principatum authoritatis Canones reservasse Metropolitano, ad eligendos, mox & ad consecrandos Episcopos. Pragmatica Sanctio in Paragrapho, *Quod si quis, De electionibus*, centum Philippæis mulctabat eum, qui extra Romam consecraretur, nec à Metropolitano consecraretur suo, quantumvis Pontificium venditaret Rescriptum, *Etiam in vim cujuscumque commissionis Apostolicæ.* Sed illud in ea verba animadversum est à Glossa, cùm id quidem Caput in Concilio Basileensi firmatum non fuerit, non potuisse illud usu convalescere, aut vim debilitare Rescriptorum Pontificis contrariorum.

Remeandum nobis ergo est ad tempus consecrationis. In Tridentino Concilio jubentur Episcopi, qui intra tres priores menses consecrati non fuerint, fructus restituere; si tres rursus alios menses procrastinent, eo ipso sancit illos Episcopatu excidisse. Si tam necessaria statuta minus nunc obser- Sess. 23. c. 2. ventur, ingenti sanè piaculo se obligant, per quos fit, ut tandiu viduatæ gemant Ecclesiæ.

XIII. Nil dicam de confirmatione, quam Episcopi, Abbates, Abbatissæ expectant à Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ, quandiu Metropolitana vacat Sedes. Examini subjiciebat Capitulum, tum electionem, tum electum ipsum, & perinde ut suaderet æquitas, Canonumque norma, confirmationem annuebat, aut abnuebat. Hujus rei exempla alibi prolata à nobis sunt illustria cum primis, ubi de Capitulis Cathedralibus disputatum est. Possent & alia corradi ex Ecclesiarum particularium Chronicis: in quibus & illud observare est, in irri- Bibl. MSS. lib. 1. pag. 376. tum missa ab Archiepiscopo electione Abbatissæ, & Cœnobio interdicto, ne ea vice eligeret, non ignatam ab Archiepiscopo ipso Abbatissam.

XIV. Capitalia inter illa monita, quæ sanctissimo Pontifici sanctissimus suggerebat, & doctissimus idem Cardinalis, Clementi VIII. Bellarminus: primo loco inculcabatur longa viduitas Ecclesiarum Cathedralium. Nec dissimulavit Pontifex in ea re à se peccatum esse, & peccari adhuc. *In hoc primo Capite fatemur nos peccare, & peccasse.* Sed ejus errati causam contulit in difficultatem inveniendi idoneos viros gestandæ Episcopali sarcinæ; hallucinari persæpè eos, qui idoneos sibi suggererent; imponi sibi ab illis, & illis ab aliis; justum metum aberrandi in re tanti discriminis, injicere sibi moras, ne Apostolo obstreperet, monenti, Nemini cito manus imponendas: denique Gregorio ipsi Magno familiare fuisse, ut Episcopatus aliquos diutius vacare pateretur, quos aliis interim Episcopis regendos commendabat. Si quæ nunc persæpè vacant Ecclesiæ, tam justis vacarent causis, facilè querimoniis supersederemus, nec ægrè ignosceremus erratis, à quibus ne Clemens quidem VIII. purum se profitebatur.

CAPUT XLIII. *P. 4. l. 2. c. 51.*

De Confirmatione Episcoporum & Metropolitanorum à Papa, post annum Christi millesimum.

I. Jure Decretalium Papæ reservabatur confirmatio Metropolitanorum electorum.

II. Variæ in Provinciis causæ & necessitates, quæ impulerint, ut ad Papam referretur confirmatio Metropolitanorum, adeoque & Episcoporum, quin & utrorumque ordinatio.

III. De eodem rursus. Exemplum Ivonis Carnutensis.

IV. Quid sibi sumserit jure Archiepiscopus Lugdunensis, idemque Legatus Pontificius. Quam strenue illi repugnaret Ivo Carnutensis.

V. Nova causa recurrendi ad Pontificem.

VI. Conciliorum Provincialium cessatio in causa fuit, ut jure confirmandi caderent Metropolitani.

VII. De eodem, ubi cœperint Reges Episcopos nominare, necessario Metropolitanorum confirmatio à Pontifice repetenda fuit, cum nulla jam Concilia Provincialia haberentur.

VIII. Ubi desierunt Episcopi Provinciæ interesse electioni Metropolitani, desiere & ab eo Synodice confirmando.

IX. Appellationes, injuriosa nonnunquam Metropolitanorum recusationes, ansam præbuerunt Romam recurrendi.

X. Nequaquam ea sibi jura reservavit Papa, nec astrui illud potest necessitate petendi Pallii.

XI. Reservationes Pontificum & Nominationes Regum hoc totum denique jus ad Papam traduxerunt.

XII. Quid super hac re constitutum sit in Constantiensi & Basileensi Concilio, in Pragmatica & Concordatis.

EXpediri non potuere causæ illæ implicatissimæ & diversissimæ, quæ electiones tandem ferè omnes & promotiones Episcopales, ad unum Pontificem summum retulere: quin una eademque opera patefaceremus eandem necessario fuisse sortem juris & potestatis confirmandorum, tam Episcoporum, quam Metropolitanorum; cum Pontificia quoque diplomata id totum perficerent conferrentque, quod antè electione & confirmatione illi sua consequebantur.

Observandum illud tamen est, jus Decretalium, quod annis ab hinc quadringentis, aut quingentis arcem authoritatis obtinuit, Metropolitanis priscam vendicasse potestatem confirmandorum suæ Provinciæ Episcoporum: quo & illud innuitur, Metropolitanos ipsos nonnisi à Pontifice confirmandos fuisse; tametsi necessaria ex indulgentia permitterentur suas antè administrare Ecclesias quam confirmarentur, si eæ ultra montes, adeoque longinquiores essent, & unanimi consensione electi fuissent. Sed jam de eo superius.

II. Cùm permagna hæc quæstio momenta habeat ad illustrandam Ecclesiasticæ Disciplinæ factam posterioribus his sæculis mutationem, non abs re erit eam paulò penitius perscrutari, & in antiquioribus historiæ monumentis causas vestigare, & sensim emergentes serpentesque fibras hujus innovationis.

Cùm Imperator Otto à fundamentis excitaret Ec- Baron. an. clesiam Metropolitanam Magdeburgensem, hoc illi 1003. n. 12. & ipse concessit, & à Pontifice confirmari fecit Privilegium, ut solus illum Metropolitanum Pontifex consecraret. Joannes IX. Papa anno 1003. Legatum in Germaniam delegavit ad Tagmonis Magdeburgensis Archiepiscopi consecrationem. Ita enim Ditmarus: *Quia is à solo ordinandus Apostolico.* Perspicuum est ea Consecratione Confirmationem conti-

neti. Nec dissimili Privilegio Bambergensis Episcopalis Ecclesia Ordinationi Papæ integra servabatur. Perhibuit jam supra Fulbertus Carnotensis Episcopus, Episcopo Parisiensi abdicante Episcopatum, ejus in locum electum alium fuisse, confirmatamque à Papa electionem. Quippe cum metueretur, ne prior Episcopus motata sententia restitui vellet, Papæ confirmatione posterior hæc electio irretractabilis fiebat. *Eligente Clero suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis.*

Fulber. Epist. 8.

Ubi Clemens II. & Leo IX. Metropolin Salernitanam confirmarunt, solenniter professi sunt, jam non ultra à Pontifice Romano consecratum iri Episcopos novæ illi Metropoli obnoxios. *Non habeant potestatem successores nostri in cunctis Episcopatibus, quos vobis Apostolica authoritate concessimus, deinceps in perpetuum Episcopos consecrare.* Si tam humane & liberaliter agebant se Pontifices in eas Metropoles, quæ à Romana tum primum Metropoli truncabantur: hinc apertissimum fit, aliorum Metropolitanorum suffraganeos, nec ordinatos ab iis, nec confirmatos fuisse, nisi justæ & necessariæ intercederent causæ, utpura privilegii, de quo paulò antè, & aliæ de quibus infrà, aut de quibus jam suprà delibatum aliquid est.

Baron. an. 1047 n. 12. 1051. n. 8.

Anno 998. Concilium Romanum sub Gregorio V. exauthorato Episcopo Aniciensi, suspensoque Archiepiscopo Bituricensi, qui illum superstire priore Episcopo ordinaverat, non expectata Cleri & Populi electione: constituit novum eligi Episcopum, eumque à Papa consecrari. *Ut electus à domino Papa consecretur in Episcopum, judicatum est.* Audaci Bituricensis Præsulis facinore, & suspensione jus consecrandi ad Pontificem devolvebatur.

Can. 7.

Romæ Gregorius VII. Hipponensem Archiepiscopum consecravit, quem Mauritaniæ Rex, Clerus & Populus ea de causa Romam miserant. *Servandum Archiepiscopum, quem à vobis electum, ad nos consecrandum misistis.* Abbatem quendam Hispanum idem Pontifex Episcopum ordinavit, ab Hispaniæ Rege exoratus. *Sicut Rex Hispaniæ rogavit, Episcopum consecravimus.* Cùm Clerus autem & Populus Aurelianensis Samsonem Episcopum, in Renerii locum electum Romam consecrandum ad Gregorium misissent, ut ejus electionem confirmaret; de Renerii antè causa cognoscere voluit Pontifex, quem illi abjecerant. *Postea electionem vestram secundùm Deum confirmare, & corroborare secundùm canonica instituta curabimus.* Rogatus idem Pontifex à Roberto Comite, ut Melitensem consecraret Episcopum, tamdiu distulit, donec constaret, ejusmodi consecrationem Rhegiensis in Calabria Archiepiscopi juri vendicandam non esse. *Non aliter postulationi tuæ annuendum perpendimus, nisi diligenter examinata justitia. Melitensem Ecclesiam ad Regitanæ Parochiæ consecrationem non attinere constiterit.*

L. 3. Ep. 19. 20. 21. L. 5. Ep. 21. L. 6. Ep. 23. L. 9. c. 24.

Longinus, qui & Dlugossus, Polonicæ scriptor historiæ, à quo & series contexta est Episcoporum cujusque Metropoleos, nec non & cujusque Cathedralis Ecclesiæ, is ubique ferè post canonicam electionem & assensionem Regis, Apostolicæ meminit confirmationis. Et tum quidem ex regulis juris minimè necesse erat Episcopos à Pontifice confirmari, cùm eæ partes essent Metropolitanorum. An ergo gens ea bellatrix nuper Christi jugo subjecta ab Apostolicis Concionatoribus, parenti suæ Ecclesiæ Romanæ amantius arctiusque cohærere gaudebat, nec nisi ab ea Pastores nancisci? Sanè longè plurimi eorum, quos Longinus commemorat Episcoporum, Italicæ gentis erant, omnes ferè aliunde accersiti. An in eo Regno cùm needum fingi formarique potuissent, qui Episcopali oneri ferendo essent, postulationes sæpiùs, quam electiones fiebant, eoque necesse erat ad Pontificem recurri? Memorat sanè Longinus postulationes aliquas, & à Polonis factas, & à Pontifice admissas. Poterant & electionum dissidia ea esse, quæ Romam referri necesse esset. Certè cum anno 1072. consentientibus omnium suffragiis electus fuisset Episcopus Cracoviensis, incunctanter illi & confirmationis munus impensum est ab Archiepiscopo Gnesnensi, & consecrationis: *Et electio sua quoniam uniformis erat, & illi præsens aderat, à Petro Gnesnensi Archiepiscopo confirmata, & consecrationis munus fuit illi ab eodem impensum.* Cùm anno 1087. vivis excessisset Episcopus Ploscensis, in ejus locum electus est Polonus, nil non tentavit Victor III. Papa, ut Italus potius subrogaretur; at pervicit tandem Regis pro Polono constantia. Probabiliter tamen creditur, etiam tum cum Poloni eligebantur, à Pontifice confirmatos eos fuisse. Hinc Longinus ait anno 1104. cum à Legato Pontificio Galone Episcopo Bellovacensi Episcopi Poloniæ duo gradu dejecti fuerint, alterum eorum videri fuisse Czeslaum, qui Cracoviensem Episcopatum sola Principis authoritate assecutus fuerat, nulla Pontificis interventione. *Qui Cracoviensem Episcopatum nulla summi Pontificis authoritate, sola Ducis Uladislai donatione detinebat.*

III. Goffrido Carnotensi Episcopo Episcopatum, quem aliquandiu moribus suis contaminaverat, abdicante in manus Urbani II. Papæ, copiam fecit Pontifex Clero & Populo Carnotensi alterius eligendi. Electus est ab illis Ivo, Præpositus sancti Quintini apud Bellovacum. Richerius Archiepiscopus Senonensis, cujus erat eum ordinare, munere suo fungi detrectavit. Tum Carnotenses Ivonem Romam deduserunt, quo à Pontifice ipso ordinaretur, à quo & ad Archiepiscopum Senonensem datæ sunt litteræ in hæc verba. *Nostra licentia fulti Carnotenses, Ivonem in Episcopum elegerunt. Cùm autem à te consecrationis gratiam pro more Ecclesiæ petiissent, tua fraternitas imponere manum recusavit. Ad nos igitur ipsis venientibus & consecrationis ejusdem gratiam poscentibus, petitioni justæ deesse nequivimus. Consecratum igitur salva tua Ecclesiæ obedientia remittentes, &c.* Scripsit & Richerius ad Ivonem litteras contumeliis & probris refertas, quasi proscissa ab eo fuisset Senonensis Metropolis. *Demembratorem Metropolitanæ Sedis non apte satis appellaris.* Respondit Ivo, quam à Pontifice & Cardinalibus accepisset consecrationem, posthaberi ei non posse, quam Metropolitanus conferret, cum Ecclesiæ Romanæ sit confirmare, vel irritare consecrationes alias quascumque Episcoporum & Archiepiscoporum, canonica videlicet appellatione, vel devolutione ad se relatas. *Irreverentissimè os vestrum posuistis in cœlum, cum benedictionem per manus impositionem Papæ datam & Cardinalium Romanæ Ecclesiæ, non simpliciter benedictionem, sed qualemcumque hostili irrisione appellatis; cùm ad ipsam principaliter & generalissimè pertineat, tam Metropolitanorum, quàm cæterorum Episcoporum consecrationem confirmare & infirmare.* Hinc certè Ivoni Richerius invidiam conflavit, quasi Regni jura minuisset, qui Romæ inauguratus fuisset. *Dicens me in Majestatem Regiam offendisse, quia à Sede Apostolica consecrationem præsumpseram accepisse.* Cùm autem is Goffridi restitutionem moliretur, ac proinde ejectionem Ivonis, Ivo interposita appellatione

Epist. 8. 9. Ivo. Ep. 8. Baron. an. 1092. Epist. 12.

conatus ejus repressit, atque pro virili parte suffragantium ei Parisiensis, Meldensis & Tricassini Episcoporum. Vides ut Metropolitanorum injuriosa detrectatio aut tergiversatio Capitula, Episcoposque compulerit, ut ad Pontificem confugerent, & Apostolicæ Sedis jura ad quorumlibet consecrationem vel confirmationem Episcoporum roborarent. His enim exemplis clarescit, non multum discriminis tum interjectum huic atque illi fuisse.

IV. Ubi Richerio autem in Archiepiscopatum Senonensem suffectus est Daimbertus, tum Hugo Archiepiscopus Lugdunensis & Pontificius Legatus contendere cœpit, non posse eum consecrari, nisi priùs ei se præsentasset, & obedientiam spopondisset, quam Primati suo Archiepiscopi profitentur. Novæ huic spei & molitioni vehementissimè reluctatus est Ivo Carnotensis. Epist. 65. *Veteres consuetudines removere contenditis, præcipiendo ut Senonensis electus ante consecrationem suam vobis præsentetur, & jure Primatus vestri subjectionem & obedientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonensi Provincia, nec in aliis Provinciis antiquitas instituit, nec consuetudo servavit.* Voluerat & idem Lugdunensis Primas, ordinari non antè debuisse Episcopum Aurelianensem, quàm certior ipse factus fuisset, & rescripsisset, Epist. 64. *Ut tunc eum demum consecraremus, cùm quod vobis bene placeret, agnosceremus.* Explosit & hanc Ivo novitatem, respunditque si quo ejusmodi privilegio Archiepiscopum Thessalonicensem Leo Papa ornasset: *personale hoc fuisse privilegium, non generale decretum.* Deinque cùm tempestivam occasionem aucupatus Primas suspensi Senonensis, Augustoduni Episcopum consecrari Nivernensem fecisset, eòque convocasset Episcopos Provinciæ Senonensis, non paruit Ivo, quòd justa Canones in Provincia ipsa Senonensi consecrandus fuisset Nivernensis ab Episcopis ejusdem Provinciæ, Metropolitani tum vice fungentibus. Epist. 66. *Cùm Metropolitana Sedes ad præsens ab hoc officio suspensa sit, possemus nos pro Sede Metropolitana cum fratribus nostris secundum consuetudines nostras intra Diœcesin hoc sacramentum confirmationis implere, confirmata per ministerium vestræ Legationis prætaxatæ personæ electione; quam aliter facientes, quàm cum ea, vel pro ea, vel confirmantes, videremur prælatam nobis Cathedram quodammodo subvertere.*

Hic Ivo sejungit confirmationem à consecratione. Seu Legato enim, seu Primati concedit Ivo jus confirmandi Episcopi Nivernensis, dum Metropolitanus Senonensis esset suspensus: at consecrandi munus Comprovincialibus vendicat Episcopis. Hinc autem patet, quàm non incuriosus fuerit Ivo tuendi ejus Metropolitarum juris, ut ab iis potissimum Provinciæ suæ Episcopi ordinentur. Liquet hinc etiam tum Metropolitanos necdum à Pontifice necessariò confirmandos fuisse in Galliis; si res enim ita habuisset, non id sibi Primas, vel Legatus vendicare tentasset.

V. Ex canonicis quidem institutis, ubi in plures suffragia se effuderant, Metropolitani erat eum præponere, Epist. 130. *qui majoribus studiis juvaretur, & meritis.* Et si non satis expeditum id esset, aut facile judicium, Daimberto suadebat Ivo, ut ad Provinciale Concilium rem differret: *Differendum mihi videtur usque ad futuram Synodum.* Sed in his tamen non tarò causis ad Pontificem convolabant, qui litem dirimebat, Episcopum confirmabat. Scribens Ivo ad Episcopum Aurelianensem electum, negat illum à Senonensis Provinciæ Episcopis ordinatum iri, nisi Papa jubeat, aut ipsemet criminationes diluat, quibus impetitus fuit. *Nemo Condiœcesanorum manum tibi audebit imponere, nisi aut Papa præceperit, aut te immunem ab his criminibus legitima discussio monstraverit.* Epist. 100. Epist. 119. Dolensis Ecclesiæ Romam destinati Legati, Vulgrinum ibi Cancellarium Ecclesiæ Carnotensis in Episcopum sibi elegere. Electionem Paschalis II. Papa confirmavit; at illum per litteras interpellavit Ivo, ut ne toto summæ authoritatis suæ pondere abuteretur, & ne cogeret eum illi acquiescere dignitati. *Dolensis Ecclesia destinatis Legatis eum sibi in Episcopum sub præsentia vestra elegit, & huic electioni ad petitionem eorum vestra Paternitas assensum præbuit.* Rescribens denique Ivo ad Hugonem Primatem Lugdunensem, Epist. 55. alt. edit. oransque ut Pontificem urgeret ad maturandam electi Bellovacensis confirmationem, & ad annuendam dispensationem qua opus erat: hinc nos monet confirmationes quandoque à Papa flagitatas esse, quòd dispensatione opus esset.

Ut quidquid erat Epistolarum Ivonis unà contexeremus, huc distulimus electionem Lamberti Episcopi Atrebatensis, post diuturnum ejus Ecclesiæ interregnum, quæ Cameracensi interim Episcopo obsequebatur. Ejus confirmationem recusavit Reginaldus Remensis Archiepiscopus, ne Cameracensem à se abalienaret, disjungeretque, quòd ea nimirum essent Imperii & Galliæ confinia. Atrebatenses ad Pontificem retulere, à quo jussus est Archiepiscopus aut Lambertum consecrare, aut recusationis suæ causas aperire. Communicato cum Episcopis Comprovincialibus consilio Remensis, Electum ad Pontificem transmisit, remque totam ejus permisit arbitrio. *Ut eum vobis transmitteremus, & quidquid inde altitudinis vestræ solertia faciendum decerneret, arbitrio vestro relinqueremus.* Post Epist. 26. Urbani III. in append. Lambertus Romæ consecratus est.

VI. Parisiensem Episcopum ipsa Parisiensi Ecclesia interpellante consecravit Urbanus II. nec derogatum quidquam voluit obedientiæ, qua is Metropolitano Senonensi teneretur. *Ecclesiæ preces duximus audiendas, &c. Salvo in omnibus Senonensis Ecclesiæ jure, &c.* Epist. 38. Sub hoc eodem Pontifice cùm Ambianenses Goffridum, virum humilitate & sanctitate clarissimum Episcopum sibi elegissent, isque constanter abnueret, electionem illi hanc suam in Concilio Tricassino confirmari curarunt anno 1104. præsidente Legato Pontificis. Quanquam autem nullus præfuisset Legatus, eam tamen, ut apparet, Synodos electionem confirmasset, ut in Chronico Malleacensi legitur, in Concilio Inculismensi anno 1118. confirmatum fuisse Archiepiscopum Turonensem, cum aliis duobus Episcopis.

Potest & in cessationem Conciliorum Provincialium conferri causa electionum ad Pontificem toties relatarum, ut ab eo confirmarentur. Si enim semper synodicè coïssent Episcopi ad electiones Episcoporum Provinciæ; si primarii semper ipsi & principes fuissent electores, primigeniam quoque suam retinuissent illibatam authoritatem, suoque judicio lites omnes diremissent, sedassent jurgia, electos consecrassent, atque triplex illud consertumque jus sibi suum adseruissent, Episcopos eligendi, confirmandi & consecrandi. Sed ubi convenire ad electiones destitere, ubi eas omnino Clero permisere & populo, ubi unum è suo Collegio ad eas delegavere Visitatorem, viam munierunt frequentioribus ad Pontificem appellationibus, & confirmationibus Romæ expetendis. Si annua saltem Concilia, ut edicunt Canones, Episcopi cele-

brassent, pronum fuisset illa in eam convocare Civitatem, quæ orbata esset Pastore, & ad eos, non Romam relatum fuisset, ut his duobus exemplis manifestatum est. Hæc ergo disciplinæ mutatio profecta ex parte est à cessatione Conciliorum Provincialium, cui tantò æquius est nos indolescere, quòd & ipse dolor infructuosus est.

VII. Erant tamen certissimæ causæ, quæ cogerent summam Apostolicæ Sedis authoritatem implorari, tum propter necessarias quasdam dispensationes, tum ob impendentia discrimina, quæ non aliter declinari possent. Abdicatus Episcopus Virdunensis in Ecclesiam Catalaunensem impetum fecisset, nisi B. Bernardus interposuisset authoritatem Honorii II. Papæ, ut ab eo confirmaretur alterius electio, Cleri Populique suffragantibus calculis facta, & ubi tamen nonnihil dispensationis desiderabatur. *Sentimus pacem turbandam, si electioni Clerus & populus vestræ pietatis assensum impetrare nequiverint.* Et mox: *Vestra discretionis est, judicare, an meritò flagitetur à vobis facienda dispensatio, unde talis potest sperari recompensatio.*

Baron. ann. 1129. n. 3.
Bernard. Epist. 15.

Hinc elucescit Synodicos Conventus ad electiones singulas non amplius tum habitos fuisse; cúmque illi in dies magis & magis rarescerent, crebriùs Romam commigrandi inolevisse morem. Jam diximus suprà vacante Lingonensi Ecclesia, cùm Romæ unà versarentur Archiepiscopus Lugdunensis & B. Bernardus, utrique gratissimum fuisse, ut electionis modum præscriberet Innocentius II. ex quo contigit, ut alıis Abbatem Vizeliacensem eligentibus Ordinis Cluniacensis, alıis Priorem Clarævallensem, commissis inter se Bernardo & Petro Cluniacensi Abbate, necesse tandem fuerit, ut de utraque electione Pontifex cognosceret.

Baron. ann 1138 n 5
Bernard Epist. 154. 156. 167.

Potuit & hæc forsan Conciliorum Provincialium cessatio aut infrequentia animos addere sæcularibus Principibus, & licentiam exaggerare, ut in electiones & nominationes Episcopales antè se ingererent, quàm ab Ecclesia eo privilegio ornarentur. Proclivius utique ipsis fuit in Canonicorum Capitulum, quàm in Episcoporum Concilium insurgere & præpollere. Sed illud indubitatissimum est, ubi usurpatæ primùm sunt à Principibus nominationes Episcoporum, speciali tum ea ratione nominatos Episcopos confluxisse Romam, ut confirmarentur à Pontifice, promoverentur, sæpè etiam consecrarentur; atque ita emacularetur & firmaretur promotio, cujus primordia vacillabant.

Ad Archiepiscopatum Cantuariensem, aliosque plures Episcopatus nominavit Henricus II. Angliæ Rex, quantumvis intercederet Henricus Junior filius ejus, & Rex, atque ad Pontificem appellaret. Qui tum nominatus fuit Archiepiscopus, & Bathensis Episcopus Romam approperavere, ut suam cæterorumque confirmationem impetrarent. *Romam profecti sunt, pro electione sua & aliorum electorum Angliæ confirmatione.* Hæc sunt verba Rogerii. Pontifex minùs sollicitus de Henrici filii obnuntiatione, confirmavit electionem Archiepiscopi Cantuariensis, illum consecravit, illum Pallio donavit, & Primatia, tribus quatuorve diebus continuatis, ut patet ex Epistola Bathensis Episcopi ad Regem Henricum Seniorem data: *Tandem ad instantiam nostram domini Papæ duritia est emollita, adeo quod domini Cantuariensis electi electionem solemniter in præsentia omnium confirmavit, eumque consecratum Dominica sequenti consecravit, consecrato Pallium tertia die addidit, & modici spatio temporis intercurrente Primatum addidit.*

Baron. an. 1173. 1174.

De aliis Episcopis nominatis Pontifex, Alexander III. is erat, diffinitâ abstinuit, donec inter ambos Reges pax coaluisset. Addit Bathensis spem sibi affulgere, fore ut Pontifex causam, examen & confirmationem aliorum Episcoporum judicio Cantuariensis Archiepiscopi permitteret. *Speramus quod mea & electorum aliorum promotio Cantuariensis Archiepiscopi providentia committetur.*

Ita gradatim deventum est ad necessitatem adeundæ Sedis Apostolicæ ad confirmationes Episcopales. Ita confirmatio sejungi cœpta a consecratione. Ita Metropolitanorum confirmatio universim à Romano Præsule expectanda fuit. Cùm enim nec ad Metropolitani electionem conveniret Provinciale Concilium, ad Superiorem necessariò confugiendum erat, qui examinaret & confirmaret electionem ab Ecclesia Metropolitana factam. Poterat Metropolitanus Suffraganeorum omnium, nullus Suffraganeorum poterat electionem Metropolitani confirmare. Imputanda est ergo ea disciplinæ immutatio desuetudini Provinciales Synodus convocandi.

VIII. Hinc Jure canonico novo confirmatio Episcoporum Metropolitano, Metropolitani Pontifici vendicatur. Si appellationes ad Pontificem hanc potissimum invexissent innovationem, æquè Episcoporum confirmatio Jure canonico ad Papam rejecta fuisset. Nam & ab eorum electionibus creberrimè Romam appellabatur. Adde quod inter varias causas hoc Capite conglobatas adeundæ Sedis Apostolicæ, pauciora appellationum exempla hic relata sint. Denique recolenda hîc & animo replicanda sunt ea quæ superiùs diximus de judicio Innocentii III. & de Constitutione canonica, quæ hinc manavit, de electione Metropolitanorum à Capitulo, præsentibus, vel absentibus Episcopis Comprovincialibus. Quæ ibi disceptata sunt, fidem faciunt, paucissimas tum superfuisse Provincias, in quibus is usus adhuc constaret, convocandorum Comprovincialium ad qualescumque electiones. Provincias reliquas per omnes ab Capitulis solis eligebantur Metropolitani. Non quò ab electionibus Episcopi abigerentur, aut prisco jure exuerentur. Quî enim fieri id potuisset? qua vi? qua ratione? sed quòd etiam se diutiùs electionibus subduxissent, contrariæ consuetudini locum dederant, easque diuturnitate vires addiderant, quibus jam fieret, ut jure excluderentur.

IX. Fateor equidem appellationibus novis quandoque electiones fuisse divexatas, & antiquam tranquillitatem obnubilatam. Sed nihilominus quandoque electos ordinabat Metropolitanus, & appellationi id dabatur tantùm, ut à Pontifice peteretur non confirmatio tantùm electionis, sed & confirmationis ac consecrationis à Metropolitano datæ. Ita enim Innocentium II. per litteras obtestatus est Petrus Cluniacensis Abbas, ut electionem confirmaret Arnulphi Lexoviensis Episcopi, & consecrationem ab Archiepiscopo Rotomagensi factam, spreta appellatione malitiosa Comitis Andegavensis. *Utrojus electio & consecratio à Sede Apostolica confirmetur; nec contra eum, non solum ejus, sed & totius Ecclesiæ Dei, quæ in partibus illis est, hostis, Comes Andegavorum aliquatenus audiatur. Certum est eum appellasse, non ut gravatum, sed ut gravare volentem, &c.*

L. 4. Ep. 7. Bibl. Clun. p. 819. 885.

Compellavit & Eugenium III. idem Petrus pro Episcopo Inculismensi, cujus electio unanimis *canonicè confirmata* fuerat ab Archiepiscopo Burdega-

L. 3. c. 5. lensi; sed Indificatoriis causationibus consecrationem eodem in dies protrahente, recurrendum tandem fuerat ad Apostolicam Sedem. Ejusdem generis fuit & consecratio Attaldi Episcopi Alectensis apud Gratianum; consecrationis munus illi impendit Urbanus II. Papa, quòd officio eo fungi contumacius recusaret Metropolitanus Narbonensis, nulla probabili ratione deprompta.

X. Quanquam non infrequentes essent hæ Metropolitanorum tergiversationes; non tamen sibi Pontifices unquam reservatas voluere, vel confirmationes Episcoporum, vel consecrationes. Etsi enim reservationes istæ postea increbuerint, non tamen Decreto primum factæ sunt ullo: sed lento & inopino progressu, ut ante pene factas esse, quam fieri eas animadversum sit.

Nec Pallii petendi necessitas fecit, ut Archiepiscoporum confirmatio soli tandem Pontifici tribueretur. Ejus rei expedita & in promptu est ratio. Complures Archiepiscopi in Provinciis suis consecrati, Pallium postea consequi nequiere. Inter eos annumerabis Malgerum Archiepiscopum Rotomagensem; Pallii repulsam passum, quòd gulæ & venationi deditus esset. *Tota vita Pallii usu caruit, quod negaret sedes Apostolica, honoris hujusce privilegium, homini qui sacratum negligebat officium.* Pari pœna vitam seculari pompa & vanitate infamatam luit Strigandus Archiepiscopus Cantuariensis. *Nunquam pallium à Roma meruit, quanquam & ibi venalitas multum operetur.* Hæc ex Vuillelmo Malmesburiensi. Idem perhibet Vuillelmus Neubrigensis de Turstini successore in Eboracensi Archiepiscopatu; à Vintoniensi Episcopo fuit ille quidem consecratus, sed Romanæ Curiæ Pallium extundere nunquam potuit, & exauthoratus tandem fuit. Eligebantur ergo tunc, confirmabantur, & ordinabantur Archiepiscopi ab Episcopis Synodicè congregatis, & tunc demum ad Pallii impetrationem sese accingebant. Non ergo Pallii impetrandi necessitas fecit, ut eorum confirmatio ad Pontificem devolveretur.

Malmesbur. ... 103. 104.

L. 1. c. 37.

XI. Fateamur ergo necesse est, antiquas Decretales, à Gregorio scilicet IX. publicatas æquo illas quidem & provido usas esse temperamento, permissa Metropolitanis confirmatione suffraganeorum, Metropolitanorum autem confirmatione Pontifici vendicata, ut quorum electio examinari jam & confirmari non posset à Conciliis Provincialibus, quæ nulla amplius haberentur: at non facilè eandem laudem in posteriora sæcula refundi posse. Frequentius reservati à Pontificibus Episcopatus, frequentius nominati à Regibus Episcopi, Regum & Pontificum consensio ad ista omnia, verissimæ hæ tandem fuere causæ, revocandæ ad sedem Apostolicam Episcoporum confirmationis. Nec enim vel quos Papa promoverat, vel quos nominaverant Reges, ii confirmari poterant nisi à Pontifice.

Per Legatos Pontificem adiit Eduardus III. Angliæ Rex anno 1373. ut abstineret deinceps à reservandis sibi Angliæ Episcopatibus, sineretque electiones prisco more, antiqua libertate celebrari, & confirmari à Metropolitanis. *Rogans ut super reservatione Beneficiorum de cætero in Anglia supersederet, ut etiam Clerici ad Episcopales dignitates suis electionibus pleno jure gauderent, & ut à suis Metropolitanis, prout antiquitus fieri consuevit, iidem Clerici confirmari valerent.* Addit Valsinghamus, à quo hæc decerpta sunt, de restituendis electionibus Decretum à Parlamento Angliæ tunc esse factum, utque ne Rex eas posthac disturbare pergeret, sed conspiraret potius, ut confirmarentur. Verùm præclarissimus conatus irritos prorsus cecidisse. *Hoc anno in Parlamento erat Decretum, quòd Ecclesiæ Cathedrales suis gauderent electionibus, & quod Rex de cætero contra electos non scriberet, sed per litteras suas ad eorum confirmationem juvaret. Sed tamen hoc statutum in nullo profecit.* Ex quo elucet, utcumque fingeret & simularet Eduardus, nunquam serio voluisse eum nominationum Regiarum fructu semet spoliare, aut à Pontificis concordia recedere, utrimque ut ipsi quidem opinabantur conducibili. Unus prædecessorum ejus Henricus III. cum obstinatius renuerat assentiri electioni Monachorum Dunelmensis Capituli anno 1226. quod renuissent & ipsi eligere Capellanum ejus, nullo virtutum Episcopalium, nullo meritorum præsidio subnixum: expetiit Capitulū à Papa confirmationem electionis suæ, qua Regius suppleretur assensus. *Ut electionem factam, authoritate Apostolica confirmaret.* Rex datis ad Pontificem litteris & misso Episcopo, pios Monachorum conatus intercipere conatus est. Vides hic porro ut Parlamentum Angliæ percuperet, ne Eduardus III. Rex electionibus adversaretur, datis Romam adversùs Episcopos litteris, & confirmari eos prohibens. *Anno 1226. Matth. Paris.*

XII. In istiusmodi autem rebus, quas nec laudare fas nobis est, quod legibus Ecclesiasticis vehementer obstrepant; nec earum authores vituperare, quod eos Numinis Providentia in summo quodam majestatis & amplitudinis fastigio locatos nobis imminere voluerit: præstantissimè à Concilio Constantiensi declaratum est, qua judicii trutina, qua animi moderatione uti debeamus. Hoc enim Concilium ratas habuit provisiones & confirmationes Episcopatuum, à Pontificibus factas, quos mox gradu dejecit, & abdicavit; jussit & nomine Concilii consignari Bullas, quæ consignatæ nondum fuissent, cùm abdicati sunt ii Pontifices: sed eodem ipso tempore Decretum edidit, quo urgetur futurus Pontifex multa & magni omnino ponderis in meliorem formam revocare, maximè circa reservationes, & confirmationes electionum. *De reservationibus sedis Apostolicæ. De confirmationibus electionum.* *Sess. 40.* *36. 40.*

Quod commentata fuerat Constantiensis Synodus, id à Basileensi profligatum, perfectumque est. Rescissæ sunt enim reservationes tam generales, quam particulares, sancitumque ut in posterum electiones & confirmationes fierent ex Canonum præscripta forma. *Ut electiones in Ecclesiis sine impedimento omnino fiant, quæ causa cognita juxta juris communis dispositionem confirmentur.* Fatetur tamen hæc Synodus recurri ad Pontificem adhuc posse, ad confirmandas electiones etiam Canonicas, si quo casu ex iis grave aliquod dispendium Reipublicæ, vel Ecclesiæ immineret: si modò tunc confirmatione Romæ recusata, altera electio ad Capitulum referretur. *Si fortè aliquando contingat electionem aliquam, etiam alias canonicam fieri, quæ in perturbationem Ecclesiæ, aut patriæ, vel boni publici vergere timeatur, summus Pontifex, si ad ipsum confirmatio delata fuerit, si talem, &c.* *Sess. 23.*

Basileensi Concilio in Gallia & Germania plus honoris & reverentiæ quam alibi impensum est; & tamen ne ibi quidem ejus decreta tum admissa sunt, nisi compluculis limitibus circumscripta. In Synodo Diœcesana Frisingensi anno 1440. affirmatur plures principes Nuperi Conventus Moguntini, tum Ecclesiasticos, tum sæculares, Decretis Basileensibus assensos esse, cum additamentis tamen

Cap. 25. quibusdam, Germanicæ disciplinæ necessariis. *Cùm certis tamen restrictionibus modificationibusque, temporum qualitatibus, ac Germanæ nationi accommodis.* Eadem ratione illis subscripsit hæc quoque Synodus, addiditque in votis sibi esse, ut quos etiam Papa promuveret, ii confirmarentur & ordinarentur ab immediato superiore, cui Sacramento obedientiæ astringerentur.

Prolixè suprà de Pragmatica & Concordatis Galliæ. Nec fieri quidem poterat, ut Pragmaticæ, seu Concilii Basileensis placita diu observarentur, præter voluntatem Pontificum, penes quos erat potestas confirmationis Metropolitanorum, & ipsorum etiam electionis Episcoporum, quando diffidere quis poterat, ne alterutra exitio foret publicæ rei & paci. Author est Gobelinus, fuisse Episcopos, qui non contenti confirmatione electionis suæ à Metropolitano juxta Pragmaticam Sanctionem, Romam pergerent, novamque confirmationem à Pontifice flagitarent, certissimi nullam se passuros repulsam. Comment. Pii l. 3. pag. 85. *Carnotensis electus secundum Pragmaticam Sanctionem a suo Metropolitano confirmatus, non tamen satis tutum se existimabat, nisi à Romano Præsule approbaretur.*

De Sacramentis, quæ Metropolitano, & Papæ præstabantur.

CAPUT XLIV. *P. 2. l. 2. c. 41.*

De Sacramento, vel promissione, Obedientiæ & fidei ab Episcopis præstandæ Metropolitano & Papæ, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Thessalonicensis Archiepiscopus primus videtur ab Episcopo extorsisse promissionem obedientiæ, scripto consignatam. Eam novitatem Leo Papa damnavit.

II. III. Verùm hujusmodi Sacramentorum exempla, nunquam tamen in usum & legem recepta.

IV. In Hispania primùm Conciliis Sacramenta hæc in authoritatem recepta

V. VI. Nova & varia ejus rei documenta.

VII. VIII. Episcopi maximè Schismatici hæc Sacramenta frequentarunt. Plura eorum exempla alia, nulla tamen adhuc certa lege.

IX. Primus in Gallias eas invexit Bonifacius Germaniæ Apostolus, quo nostros Episcopos Apostolicæ sedi arctiùs devinciret.

X. XI. XII. Hæc Sacramenta Episcopi in se recipiebant, spondebantque, religiosissimè Canones observare, nec ab unitate sedis Apostolicæ unquam dissilire. Qua necessitate hæc inducta sint.

XIII. Probabile est, tum quidem hæc Sacramenta usu perpetuata fuisse.

I. Confirmationi subnectuntur sacramenta, juramenta & promissiones, seu fidei, seu obedientiæ, quibus Clerici Episcopis, Episcopi Metropolitanis, Primatibus, Papæ obligati fuere. Primus omnium videtur hæc expressisse sacramenta Anastasius Thessalonicensis Archiepiscopus, & Apostolicæ sedis Vicarius in Illyrico Orientali. Cùm enim Thessalonicam pertrahi fecisset Metropolitanum Epiri Atticum, vi ac potestate Regiorum Judicum & Provinciæ Præsidum usus, promissionem Epist. 84. c. 2. obedientiæ scripto ab eo extorsit. *Cartulam de obedientia sponsione. Legebatur in litteris tuis quod frater Atticus chartulam de obedientia sponsione conscripserat, in qua signum prodebatur injuria.* Ita Leo Papa I. datis tum acerbioribus ad hunc ipsum Anastasium litteris, quem & commonefacit, abstinendam ab Episcopo eam vim fuisse, & contumeliam: nec extundendam scriptis obedientiam, quam reipsa jam præstitisset. *Non enim necessarium fuerat ut obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso jam voluntarii adventus probabat officio.* Hinc concluditur ad Pontificatum usque Leonis Magni, & ad annum Christi 450. inauditas fuisse has obedientiæ promissiones scripto editas; nec vel ab Episcopis, vel à Clericis, sive ordinandis, sive confirmandis, aliud exprimi solitum, quam Fidei confessionem, & servandorum universim Canonum pollicitationem.

II. Vigilium Diaconum successorem sibi eligi voluit Bonifacius II. Clerumque omnem ei electioni subscribere, etiam cum juramento. *Cum Chirographis sacerdotum & jurejurando, ante confessionem beati Apostoli Petri.* Anast. Bibl. in Bonif. II. Sed sui mox erroris puduit ipsum, pœnituitque Pontificem, cujus etiam jussu, spectante Synodo, Chirographa illa omnia igni consumpta sunt.

III. Vigilius autem ipse Apostolicæ tandem Sedi invectus, etsi non exegit, suscepit tamen sacramentum fidei & obedientiæ à Sebastiano Diacono, cujus hic necessario adscribenda nobis Formula est, quod ea se postea armaverit idem Pontifex ad condemnationem ejusdem Sebastiani, in parentem & Pontificem suum rebellantis. Intexuit autem Vigilius eam præstiti sibi juramenti Chartulam ei Epistolæ, quam ad Sebastianum ipsum scripsit, & quæ in V. Synodo Oecumenica recitata est. *Absentibus filiis nostris Diaconis Anatolio atque Stephano, postulasti à nobis, ut ad tempus pro implendo officio, absentium loco, Diaconum te interim faceremus.* Collat. 7. Synodi VII. *Quod ideo tibi ad præsens speranti concessimus, quia ante ordinationem tuam cautionem nobis propria voluntate legeris emisisse, quam & testibus roborasti, & tactis Evangeliis juramentum corporaliter præstitisti, ut quidquid tibi à nobis pro Ecclesiastica utilitate fuisset injunctum, fideliter & sine aliqua fraude compleres: officium vero licumque Diaconi sine aliquo vitio, sine aliqua superbia, sine aliquo neglectu, donec reverterentur Diaconi memorati, aut quanto te tempore in Levitarum voluissemus ordinatione ministrare, cum omni humilitate & studio, sine omni neglectu, modis omnibus impleturum. In eadem cautione rursus adjiciens, quod si de his omnibus quæ cum sacramento tactis corporaliter Evangeliis promisisti, aliquid minus implesses, tunc à sancta communione esses suspensus: ita ut si à die excessus tui intra annum pœnitentia noluisses colla submittere, tu tibi anathema manu propria scribendo dixisti.* Habes hic fidei & obedientiæ Sacramentum scripto datum. Non illud expressit Pontifex, quod necdum is mos inolevisset. At oblatum suscepit, ejusque in Canonico judicio mentionem fecit, quod nihil in eo esset, quod non liceret.

IV. In Concilio Toletano IV. jussi sunt Presbyteri omnes & Diaconi, quos regendis Parochiis Episcopus præficiebat, eidem Episcopo polliceri, ac profiteri cœlibatum, & Canonum observantiam. *Quando Presbyteri, vel Diacones per Parochias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere, ut castè & purè vivant sub Dei timore; ut dum eos talis professio religat, vita sancta disciplinam retineant.* Can. 27.

Eam legem ad Metropolitanos & Episcopos amplavit Concilium Emeritense, constituitque, ut Metropolitanus Episcopis Provinciæ omnibus, Metropolitano Episcopi singuli tempore Ordinationis suæ pollicerentur eandem continentiæ &

strictioris Canonum observantiam disciplinæ: Si qui verò Episcopi ab alio quàm à proprio ordinarentur Metropolitano, eam rum illos professionem edituros, cùm primùm juxta Canones recens ordinati proprium adirent, ut illum venerarentur, & ab illo vicissim sacris instruerentur regulis & monitis. *Tempore quo Metropolitanus in Ecclesia Dei fuerit ordinatus Episcopus, placitum in nomine suorum Comprovincialium Episcoporum faciat, ut castè, sobriè, rectèque vivat. Similiter & quando consinitimis Episcopi in Ecclesiis, quibus praesse potuerint, fuerint ordinati, placitum faciant in nomine Episcopi sui Metropolitani, ut castè, rectè & sobriè vivant. Quod si juxta canonicam sententiam per voluntatem Metropolitani, atque informationis ejus Epistolam, per Regiam jussionem ab alio Metropolitano aliqui fuerint ordinati; tempore quo ad Metropolitanum suum post suam venerint ordinationem, tale placitum non differant facere.* Ea seu fidei, seu obedientiæ professio dici non poterat, nisi qua bis per Canones astringebantur; ex quo fiebat, ut eam non Parochi solùm Episcopis, Episcopi Metropolitano præstarent: sed & Metropolitanus Provinciæ suæ Episcopis synodicè congregatis. (Can. 4.)

V. Verùm in Concilio Toletano XI. anno 675. Confessioni fidei, & promissioni generali servandorum Canonum accessit professio expressa obediendi Prælatis & Superioribus; propterea quod quanquam ea jàm lex & obligatio officiis implicata esset Clericatûs ipsius; consultissimum tamen esset eam expressiùs inculcari, quò & constantiùs observaretur. *Quanquam omnes qui sacris mancipantur Ordinibus, canonicis regulis teneantur astricti, expedibile tamen est, ut promissionis sua vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus Ecclesiastica provehit disciplina: solet enim plus timeri quod singulariter pollicetur, quàm quod generali innexione concluditur. Et ideo placuit huic sancto Concilio, ut unusquisque, qui ad Ecclesiasticos gradus est accessurus, non ante honorem consecrationis accipiat, quàm placiti sui innodatione promittat, ut fidem Catholicam sincera cordis devotione custodiens, justè & piè vivere debeat, & ut in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat, atque ut debitum per omnia honorem atque obsequii reverentiam praeminenti sibi unusquisque dependat.* Ad hoc extremum caput constituendum simile veri est hunc potissimum conditum fuisse Canonem. Additur enim ea gravissima ratio, qua Metropolitani & Episcopi implicantur, qui canonicam exigunt à subditis sibi præstandam obedientiam, illos eandem illis præstare debere, quibus & ipsi subditi sint. *Juxta illud beati Papa Leonis edictum. Qui scit se quibusdam esse prapositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse pralatum: sed obedientiam quam exigit, eam ipse dependat.* (Can. 10.)

VI. In Hispania ergo prima se explicuere documenta expressæ seu promissionis, seu professionis obedientiæ, qua fungi necesse est, Episcopis Clericos, Episcopos Metropolitanis in ipsa sui ordinatione. Ex hoc eodem Canone illud etiam noscebatur, ut cùm Metropolitanis superior non immineat, nisi Papa, hinc illi eandem profiterentur obedientiam. Sed cùm ea de re in Conciliis Hispaniæ nullum fiat verbum, nec nos temerè quidquam affirmabimus; cùm multò probabilius sit viguisse Canonem Concilii Toletani IV. suprà laudati, ut eam professionem ederet Metropolitanus in Synodo omnium Comprovincialium, à qua & ordinabatur.

VII. Illa verò juramenti formula, quæ Regesto Epistolarum Gregorii Magni intexta est, cùm Episcopi sit, qui cum Clero suo è schismate in sinum se recolligit Ecclesiæ & unitatis Catholicæ, juratque nunquam se ab unitate Catholica & à communione Papæ secessurum: nihil ea ad rem nostram pertinet, nec ulla ibi vel obedientiæ vel fidei cuiquam præstandæ professio emicat. *Unde jurans dico, per Deum omnipotentem, & hec sancta quatuor Evangelia, qua in manibus meis teneo, & salutem geminamque illustrium dominorum nostrorum Rempublicam gubernantium, me in unitate, sicut dixi, Ecclesia Catholica, ad quam Deo propitio sum reversus, & communione Romani Pontificis semper & sine dubio permanere.* (L. 10. Ep. 31.)

VIII. Qui Aquileiensi Patriarchæ parebant Episcopi schismatici paulò ante annum Christi 600. ad Mauritium Imperatorem litteras dedere, quibus affirmabant se ordinationis suæ tempore spondere solitos Patriarchæ suo, eandem cum illo fidem se constantissimè tuituros, nec à fide recessuros Romani Imperii, cui vehementer subesse cuperent, excusso barbarico Longobardorum jugo. Quòd à Patriarchæ sui fide non deviaturos se unquam promitterent, ea erat schismatis pertinacia. Quòd fidei Romani Imperii sese arctissimè astringerent, in id excitabantur tædio & impatientia Longobardicæ dominationis. *Suggerimus, pie dominator, quia tempore ordinationis nostra unusquisque Sacerdos in sancta Aquileiensi sede cautionem scriptis emittimus, studiosè de fide ordinatoris nostri: nos fidem integram sancta Reipublica servaturos. quod ipse novit Dominus, nos fideliter toto corde & servasse, & hac usque jugiter conservare.* (Apud Baron. ann. 590. n. 28.)

Viderint alii an hæc dici possit professio obedientiæ Metropolitano exhibendæ. Unum mihi exploratissimum est, nihil hinc manare potuisse in mores Ecclesiæ Catholicæ, ut ejusmodi quidpiam æmularetur. Apparet schismaticos hos Præsules, quò partes suas munirent, has excogitasse scriptas fidei promissiones; sicut & quondam Stephanus Episcopus Ephesinus, ut suos sibi Presbyteros adversùs æmulum suum & ejusdem Cathedræ competitorem devinciret, juramenta id genus ab illis extorquebat: *Veni, jura non discedere ab illo, sed vivere cum eo, & mori cum eo, & non tradere eum.* Quantumvis detrectarent ea juramenta fidei, hi Presbyteri cogebantur ea exolvere. (Conc. Calch. act. 11.)

Æquiora fuere sacramenta fidei, quæ Gregorius Turonensis Episcopus ad tumulum B. Martini exprimebat à Riculpho Presbytero suo, infido jamdiu sibi & subinde rebellanti, ut ipsemet perhibet: *Qui tertiò aut amplius mihi sacramentum super sepulcrum sancti Martini dederat, in tantum me convitiis & sputis egit.* Persimile fuit & fidei sacramentum, quod Dynamius Provinciæ Narbonensis Præses præstare jussus est Theodoro Episcopo Massiliensi & Regi, cùm diutina & sævissima infestatione illum Episcopum exagitasset. *Tunc Dynamius veniam petens, reddito etiam sacramento, se fidelem Episcopo deinceps, Regique futurum, &c.* (L. 5. c. 49. — Ibid. l. 6.)

IX. Bona ergo fide fatendum est, extra Hispaniam sacramenta ea quæ vel Episcopi Metropolitano, vel Metropolitani Papæ præstant, non antè usurpata, quàm Bonifacius Germaniæ Apostolus solenne juramentum Gregorio II. præstitit Papæ, tempore ordinationis suæ. Ejus hæc præcipua capita & verba ipsa sunt: *Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus, tibi, beate Petre Apostolorum Princeps, Vicarioque tuo B. Gregorio Papa, & successoribus ejus, me omnem fidem & puritatem sancta fidei Catho-*

lica exhibere, & in unitate ejusdem fidei persistere, &c. fidem & puritatem prædicto Vicario atque successoribus ejus per omnia exhibere. Sed & si cognovero Antistites contra instituta sanctorum Patrum conversari, cum illis nullam habere communionem aut conjunctionem; sed magis si prohibere valuero, prohibeam; sin minus fideliter statim domino meo Apostolico renuntiabo, &c. Hunc indiculum sacramenti ego Bonifacius scripsi ponens supra corpus sanctissimum sancti Petri, &c. Ea certè professio spiritalibus tantùm vinculis Bonifacium obligabat, fideique formulæ Catholicæ non alia ferè addebat, quàm quæ necessaria erant Legati Apostolici officia, vel Primatis & Vicarii sanctæ Sedis, nimirum ut urgeantur Episcopi ad observantiam Canonum, Decretorumque Pontificiorum, & si quæ difficiles occurrent difficultatum moles, ut commoneatur Pontifex, qui eas authoritate sua amoliatur. Quidquid hactenus laudatum est à nobis Pontificiarum litterarum ad hos Vicariatus constituendos, vel Legationes demandandas, id totum ad hanc conspirabat curandam Canonum observantiam.

X. Narrat idem ipse Bonifacius in Epistola ad Cutbertum Episcopum data, eam se professionem elicuisse ab omnibus Episcopis Concilii à se coacti, inconcussæ stabilitatis & constantiæ in fide, in unitate & obedientia Sedis Apostolicæ, & Papæ, observantiaque ejus Decretorum. *Decrevimus in nostro* Epist. 105
Synodali conventu, & confessi sumus fidem Catholicam, & unitatem & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, fine tenus vitæ nostræ velle observare; sancto Petro & Vicario ejus velle subjici; Synodum per omnes annos congregare; Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere; & per omnia præcepta Petri sequi canonicè desiderare. Isti confessioni universi consensimus & subscripsimus.

XI. Eo in Decreto duo quædam certè innovantur, sed ut novis morbis nova temparentur medicamenta. Ab ipsomet Bonifacio animadversum est, annos jam admodum octoginta effluxisse, ex quo nullus in Galliis esset Archiepiscopus, Episcopatus autem insiderentur à Laicis, vel ab ejusmodi Clericis, qui veste magis quàm vita à Laïcis distarent; canonica deinque labefactata prorsus esset disciplina. Illæ erant ruinæ Clodovæi Regiæ stirpis concidentis, atque eodem impulsu Ecclesiæ Gallicanæ Reipublicæque pessumdatæ. Ei calamitati medicinam se facere posse desperavit Bonifacius, nisi in locum Arelatensis Archiepiscopi, qui Vicarius Sedis Apostolicæ, executor & custos Canonum diu fuerat, subrogarentur Archiepiscopi alii, quibus Pallium Roma mitteretur, non ornatus ad pompam, sed stimulus & incitamentum, impellendis Episcopis aliis ad religiosam canonicarum legum observantiam, & ad commonefaciendum Papam de iis morum & disciplinæ corruptelis, quibus expurgandis ipsi quidem incumberent, sed impares se experirentur.

Audi quid in eo Concilio à Bonifacio decretum
Ibidem. fit. *Decrevimus, ut Metropolitanus, qui sit Pallio sublimatus, hortetur cæteros & admoneat, &c. Statuimus quod proprium sit Metropolitano, juxta Canonum statuta, subjectorum sibi Episcoporum investigare mores, & sollicitudinem, circa populos quales sint, &c.* Et paulò post: *Eodem modo quo nos Romana Ecclesia ordinatos cum sacramento constrinxit, ut si Sacerdotes, vel plebes à lege Dei deviasse viderim & corrigere non potuerim, fideliter semper Sedi Apostolicæ & Vicario sancti Petri ad emendandum indicaverim. Sic enim, ni fallor, omnes Episcopi debent Metropolitano, & ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere.*

Ea sunt, quæ olim Reges flagitaverant Arelatensi Archiepiscopo ab Apostolica Sede annui, & quæ nunc omnibus communicantur, aut pene omnibus Metropolitis, Pallium nimirum, & Pallii veluti consectanea quædam, & speciale jus & officium excubandi in Episcopos & in populos, ad inculcandam Canonum obedientiam, & ad certiorem faciendum Pontificem de iis morbis, quibus ipsi curandis operam & industriam lusissent incassum. Archiepiscopo Arelatensi, & aliis Apostolicis Vicariis ea in commune incumbebant munia, omnibus uno vinculo constrictis, ut sicubi superaret vires suas vis mali, Pontificem admonerent. *Si qua* L. 4 Ep. 50.
verò inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum causa emerserit inter Episcopos, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, discussa veritate, ad nostrum judicium referatur.

Ea sunt Gregorii Magni verba ad Virgilium Arelatensem Archiepiscopum scribentis, Palliumque & Legationem Apostolicam ad Childeberti Regis preces annuentis. Eandem legem indixerat & Vigilius Papa Auxanio Arelatensi Episcopo, cum ejusdem Childeberti Regis interpellatione, Pallio illum & Legatione consimili honestaret. *Si qua certamina, aut de religione fidei, aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, relationis ad vos seriem destinantes, Apostolicæ Sedi terminanda servate.* Crebrum illud est in Conciliis Hispaniæ, ut Metropolitani Regis opem interpellent ad summovendas difficultates, si quæ Canonum custodiæ adversentur: quidni ergo summi Pontificis potestas inter hujusmodi discrimina ab iisdem Metropolitanis invocetur? Hactenus de prima Bonifacii innovatione.

XII. Altera est, professio Episcoporum retinendæ unionis & obedientiæ Sedis Apostolicæ, servandorumque ejus Decretorum. Vetustissima ea erat obligatio, at expressa ejus professio tunc cœpta fieri, Principum unanimi & Episcoporum consensione. Id enim Bonifacius ipse contestatur, ortantibus ipsis Francorum Principibus, eam à se Synodum convocatam. *Synodum congregandam jussu Romani* Ibidem.
Pontificis, & rogatu Principum Francorum & Gallorum suscepi. Dux ipse & Princeps Francorum Carlomannus in Concilio Liptinensi contestatur, Episcoporum & Optimatum suasione constitutis per civitates Episcopis, præfectum à se fuisse Archiepiscopum Bonifacium, Sedis Apostolicæ Legatum. *Per consi-* Conc. Lipt. c. 1.
lium Sacerdotum, Religiosorum & Optimatum meorum ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est missus sancti Petri. Ex concessione ergo summorum Principum, Episcoporum & Optimatum Regni concinnata sunt Decreta Concilii, quod egit Bonifacius. Unio sanè & obedientia in sedem Petri, Episcopatui ipsi agnata, coæva & concreta quodammodo est. Eodem enim ipso tempore Christus & Episcopos constituit, & Caput illis præfecit, & membra Capiti coagmentavit.

XIII. Etsi autem Bonifacius illo perfunctus sit unionis & obedientiæ in Sedem Apostolicam sacramento, etsi eodem ipsemet constrinxerit Episcopos Gallicanos in sua Synodo: non tamen vel exemplum valuit in posteros, vel ea lex ita perpetuata tum est, ut eorum successores & ipsi quoque obsequerentur. Nec qui suffecti ei sunt in Moguntina

sede,

fede, nec Episcopi postea Gallicani ejusmodi se sacramentis ullis vel professioni illigarunt: quanquam ea professio, ut permaneat quis indivulsè cohærens & religiosè subjectus Vicario Christi & Ecclesiæ Capiti, non Clericis tantùm & Episcopis, sed & Laïcis omnibus fidelibus, Ecclesiæ Catholicæ filiis intima & penitissimè insita sit.

CAPUT XLV. *P. 3. l. 2. c. 36.*

De sacramentis & professionibus obedientiæ & fidei in Metropolitanum & Pontificem sub Imperio Caroli Magni.

I. Ea sacramenta in Gallia proscribuntur.
II. Ex Italia probabiliter in Gallias irrepserant.
III. Usitata tamen erat promissio vel professio stabilitatis & obedientiæ.
IV. Ea obligantur Episcopi ipsi.
V. Solemni etiam cum pompa fiebat.
VI. Nulla se suffraganeis promissione obligabat Metropolitanus.
VII. Nec Episcopi, vel Metropolitani ullam obedientiæ professionem Papæ præstabant.
VIII. Eo tantùm involvebat sacramento Metropolitanus Episcopos quos ordinabat, Ne quid pretii pro Ordinibus conferendis exigerent.
IX. Causæ erant justæ & peculiares, ut à Ravennatibus Archiepiscopis professionem obedientiæ Romani Pontifices exigerent.
X. Ne in dando quidem Pallio obedientiæ professio exigebatur.
XI. In VIII. Synodo adacti sunt complures promittere, non secessuros se unquam ab Apostolica Sedis unitate, sed id nove & necessariò tum cavebatur adversùs schisma Photianum.
XII. Versipellis Patriarcha Photius varias professiones scripto extorserat.
XIII. Illum sanctissimus Patriarcha Ignatius simpliciter imitatus fuerat.
XIV. Has universim innovationes omnes explosit VIII. Synodus.
XV. Nec ea tamen prohibitio professiones omnes obedientiæ convellebat, sed eas tantum quæ spectarent ad consecratorum tutelam.
XVI. Græcorum mores Photii perversitas.

I. Cœperant alicubi jam Episcopi eos quos Ordinibus initiarent, hoc sacramento adigere, fidos & devinctissimos semper fore canonicis regulis, Episcopo & Ecclesiæ. Quamvis ea essent antiquissima Clericatûs officia, & universalia atque inconvulsa jura, ea tamen Concilio Cabilonensi II. anni 813. displicuere juramenta, utpote nova, eóque periculosa & omnino prohibenda: *Dictum est interea de quibusdam fratribus, quod eos* Can. 13 *quos ordinaturi sunt, jurare cogant, quod digni sint, & contra Canones non sint facturi, & obedientes sint Episcopo, qui eos ordinat, & Ecclesiæ, in qua ordinantur. Quod juramentum, quia periculosum est, omnes una inhibendum statuimus.* Non ex his verbis, *quod digni sint*, invidia his sacramentis conflata est: nec enim aliud significabatur, quàm ab irregularitatum canonicarum labe quavis puros & expertes esse eos, quos hoc testimonio ornassent. Sed hanc jurandi novitatem damnavit Synodus; cùm juramenta omnia minùs necessaria Evangelicis litteris proscriberentur.

II. Ex Italia, ut apparet, in Gallias ea consuetudo influxerat; eam enim nominatim in Episcopis Longobardiæ sugillat Capitulare Ludovici Pii anni 816. *De Episcopis verò in Longobardia constitutis,* Cap. 16. *qui ab his quos ordinabant, sacramenta & munera contra divinam & canonicam authoritatem accipere, vel* [illegible] l. 1. c. 97. *exigere soliti erant, modis omnibus inhibitum est, ne ulteriùs fiat.*

Cùm his verò sacramentis munera quoque copularentur, *sacramenta & munera*: non ineptè suspicabitur quis ea fuisse subjectionis & veluti servitutis quædam pignora: quippe tum à subditis suis Reges, ut infrà copiosè declarabitur, & sacramenta exigebant, & dona annua.

III. Aliàs enim non permittuntur tantùm, sed & jubentur Presbyteri & Diaconi, quibus regimen Parochiarum concreditur, Episcopo suo profiteri obedientiam & accuratam Canonum observantiam. *Quando Presbyteri aut Diaconi per Parochias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere.* L. 6. c. 356. Titulo ipso Canonis hujus in Capitularibus meliusculè declaratur vis hujusmodi professionis, à Conciliis Toletanis haustæ, ut ex superiori capite facilè colligitur. *Stabilitatis & obedientiæ suæ atque statuta servare promissionem suo faciant Episcopo.*

IV. Eandem Episcopi Metropolitano profitebantur obedientiam juxta Canones, in ipsa sui ordinatione. Subscriptione etiam propriæ manûs ligabantur, sed nihil juramenti exprimebatur, uti nec à Presbyteris & Diaconis, de quibus modò dicebamus. Promemus hîc eam professionem, quam Adelbertus Teroanensis Episcopus Hincmaro Remensi Metropolitano & ordinatori suo exhibuit. *Privilegio etiam* Conc. Gall. *Metropolis Remorum Ecclesiæ ac ejus Præsulis secundum* To. 2. pag. *sacrosanctos Conciliorum Canones & Decreta Sedis Apo-* 655. *stolicæ, ex sacris Canonibus & legibus promulgata, pro scire & posse, absque dolo & simulatione, vel indebita & pertinaci contradictione me obediturum profiteor.* Eadem ipsa verba sunt professionis Hincmari Episcopi Laudunensis Hincmaro Remensi factæ, & ab Aimoino commemoratæ, quam & ait in Concilio Attiniacensi anno 870. subscriptione ejus innovatam fuisse, ad diluendas, quæ illi ingerebantur, inobedientiæ criminationes.

V. Docet nos Hincmarus ipse Remensis, solenni pompa eam obedientiæ professionem à Suffraganeis solitam præstari; eam ab Hincmaro Laudunensi præstitam fuisse post fidei confessionem, spectante Ecclesia Remensi universa, astantibus delegatis Ecclesiæ Laudunensis, & Episcopis Comprovincialibus, vel eorum Delegatis. Eam propria subscriptam manu professionis chartam servabat in chartulario suo Metropolitanus, opportunum si fors aliquando futurum instrumentum. Unde Hincmarus Remensis ad Laudunensem nepotem: *Libel-* Hincmar. *lum professionis tuæ de regulari obedientia tua, quem ha-* To. 2. pag. *beo, & tu negare non potes, quoniam ipsum exemplar* 189. 412. *de manu mea in eadem Synodo accepisti.* 601.

VI. Poposcerat & Hincmarus Laudunensis à Metropolitano suo, ut & ipse vicissim scripto promitteret libertatem canonicam, eamque tuitionem, quam impendi Suffraganeis à Metropolitano, jus fasque est. Vide ut eam professionem commentatus esset & penè dictasset Laudunensis. *Et ego Hincma-* Ibid. p. 60. *rus Remorum Archiepiscopus tibi Hincmaro Laudunensi Episcopo tuum debitum sacris Canonibus privilegium conservabo, & in quibuscumque Ecclesiasticis negotiis indigueris, secundum sacras regulas debitum tibi jure adjutorium Archiepiscopali authoritate adhibebo.* Verùm hos illum responso abegit Metropolitanus, Benedici inferiores à superioribus, nec vicissim illis benedictionem rependere: ita nec leges eis dictare posse ullas, sed ab eis dictatas audire. *Sicut enim secundum Scripturam minor à majore benedicitur, ita prorsus minor à majore, & non major à minore judicatur, ligatur & solvitur.*

VII. Necdum vel vestigium usquam extitit vel

promissionis, vel juramenti obedientiæ, quam Episcopi vel Metropolitani Papæ sponderent. Sanè cùm & illorum, & horum tam electio, quàm ordinatio Provinciæ finibus concludebatur, nusquam interveniente Pontifice, ne ad alterutrius quidem confirmationem: ita probabile cum primis est, nec juramento, nec professioni locum fuisse ullum obedientiæ Pontifici præstandæ. Nisi si utrisque solenniter & cum subscriptione propria pollicentibus observaturos statuta summorum Pontificum & Sedis Apostolicæ, ea tanquam obedientiæ promissio haberetur. Accipe verba ipsa professionis Adalberti Episcopi Teroanensis, suprà jam laudatæ. *A sacris Canonibus, atque à Regularibus Decretis Apostolicæ Sedis, me per contemptum pertinaciter non deviaturum profiteor.*

Conc. Gall. To. 2. pag. 255.

Dictum est capite superiori de sacramento per Archiepiscopum Moguntinum Bonifacium præstito Gregorio II. Erat haud dubiè longè alia ratio professionis quam ederet Legatus & Vicarius Apostolicus, & ejus qua ligarentur Episcopi, vel quivis Metropolitani. Si in Conciliis Suessionensi & Liptinensi ejusmodi aliquid eblanditus est Bonifacius Episcopis Gallicanis, semel id tentatum, semel usurpatum est, tanquam necessarium tunc collapsæ jamdiu Disciplinæ in pristinum vigorem restituendæ munimentum.

Post Epist. 2. Greg. II.

Inter Formulas antiquas publici Juris fecit Sirmundus professionem Metropolitani, ex Manuscripto Bibliothecæ Floriacensis deceptam: qua se Pontifici spondet Metropolitanus dicto audientem fore, & Suffraganeis suis nulla re, nullo officio defuturum. *Beato verò Petro & Vicario ejus debitam subjectionem & obedientiam: Suffraganeis verò nostris adjutorium me exhibiturum profiteor; & huic professioni meæ coram Deo & Angelis, sub testimonio quoque præsentis Ecclesiæ subscribo.* Sed cùm nota temporis nulla sit, simillimum veri est, nihil istiusmodi sub Imperio Caroli Magni usitatum fuisse. Tot Conciliorum interim & tot Scriptorum altissimum ea de re silentium id apertissimè vociferatur. Adde & hoc argumentum, quod non facilè quis eludere, vel infringere possit, quòd certissimos nos modò fecerit Hincmarus Archiepiscopus, nulla se Metropolitanos Suffraganeis suis obligasse promissione: & dicteriis omnium incessendum objecerit nepotem suum Hincmarum Laudunensem, cùm ab eo elicere vellet eam auxilii pollicitationem, qua Floriacensis Formula Metropolitanos Suffraganeis suis obligat.

Conc. Gall. To. 2. pag. 652.

VIII. Quòd summos ipsos Pontifices, non videntur illi ab Episcopis quos ordinarent, sacramentum ullum poposcisse, nisi illud quod Epistola Adriani Papæ ad Carolum Magnum continetur. Testatum enim facit Pontifex, ubi ordinandus Episcopus sanctissimè affirmasset, se nihil dedisse ut eligeretur: sacramento statim & sacramenti subscriptione astrictum fuisse, ne Episcopus ubi ordinatus esset, quidquam ab ordinandis unquam acciperet. *Unde simili modo sub jusjurandum in scriptis respondet, nunquam se accepturum de manûs impositione.* Putarat hoc sacramentum manasse ex Novella Justiniani, quæ illud exprimi præcipit ab Episcopo ordinando: *Jusjurandum suscipere eum qui ordinatur, quod neque per se ipsum, neque per aliam personam dedit quid, aut promisit: neque posthac dabit, vel ordinanti ipsum; vel his qui sacra pro ea suffragia fecerunt; vel aliis cuiquam ordinationis de ipso faciendæ nomine.*

Conc. Gal. Tom. 2. pag. 97.

Novel. 137. c. 2.

IX. Erat autem illud omnino diversissimum sacramentum ab eo, quo Papæ obedientia despondetur. Ea Adriani Epistola ne meminit quidem promissionis servandorum Canonum, & Apostolicæ Sedis statutorum, quæ utcumque videri potuisset obedientiæ promissio. Non siletur tamen in vita Nicolai Papæ I. professio quam scripto edebant Pontifici Archiepiscopi Ravennates tempore ordinationis suæ. Illigatum ei erat juramentum, erant & innexæ cautiones tam strictæ, ut ejus vim eludere quandoque tentarint Archiepiscopi, iis artibus quæ alienæ prorsus essent ab amplissimæ dignitatis suæ sanctimonia. Cùm Archiepiscopum Joannem ab officio deviantem in ordinem redegisset Nicolaus Papa, ipsummet adegit expungere, quidquid falsi & adulterini inseruisset priori sacramento suo. Audiendus hîc Anastasius Bibliothecarius in ejusdem Nicolai I. vita. *Tunc ille confestim apprehensa charta repromissionis & juramenti sui, Scripturas quas tempore consecrationis suæ imperfectis confusisque repleverat dictionibus, propria manu scribens, juxta consuetudinem antecessorum suorum composuit.* Non dilucidè quidem exprimuntur hujus professionis vel sacramenti capita. Sed indubitatissimum est, principem inter ea locum tenuisse obedientiam & subjectionem Papæ exhibendam; cùm id potissimum esset, quod concoquere non possent Ravennates Præsules: cùm id Joannes iste ludificationibus suis declinare tentasset; cùm eo jamdiu illos fræno coërcere niterentur Romani Pontifices, & à frequentissimis cohibere defectionibus.

Horum plena est historia jurgiorum Pontifices inter Romanos & Archiepiscopos Ravennates. Hinc apparet eo jugo eos duntaxat onerandos & subigendos fuisse, ne de sede quondam Imperii in urbe sua, ne de Exarchorum ibidem diutina commoratione sibi blandirentur; & hinc ferocirent, quasi nec Roma summum Principatûs sacri fastigium adepta esset, nisi ex eo quòd Imperii & Imperatorum diutina & splendidissima sedes quondam fuisset.

Ut summum de Italiæ Metropolitanis conjici aliquid posset, ut eam promissionem obedientiæ fecerint Papæ eos ordinanti, quam eliciebant ipsimet suo sibi jure ab Episcopis, quibus manus imponerent. At nihil ejusmodi vel conjectari potest, vel de Episcopis ipsis Italiæ, vel de cæteris per orbem Christianum Metropolitanis.

X. In Pallii maximè concessione opportunitas se dabat exigendi has seu promissiones, seu sacramenti formulas. At cùm suprà egerimus satis copiosè de Pallio, etiam temporibus Imperii Carolini, nusquam vestigium earum, aut monumentum ullum, ex quo de iis conjectura duci posset.

XI. Patet sub Nicolao I. & mox sub Adriano II. missam fuisse Constantinopolin formulam professionis, cui subscribere jussi sunt Metropolitani, Episcopi, Clericique omnes Patriarchatûs Constantinopolitani, Actione I. Concilii VIII. Oecumenici, qua profitebantur se indivulsè adhæsuros Sedi Apostolicæ, ejus parituros Decretis, ejus denique communioni immorituros. *Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & observantes ejus omnia constituta, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur.* Sed nihil hæc professio ad ordinationem, unde & Monachi ei subscripsere, ut in eam Actionem adnotatum est ab Anastasio Bibliothecario. *Non solùm diversæ dignitatis Episcopi, sed & reliqui Sacerdotes & Clerici ac Monachi, sicut chirographum, ita & subscriptionem*

hujuſmodi patraverunt. Soli Patriarchatûs Conſtantinopolitani Clerici & Monachi ei neceſſitati ſemel addicti fuere, ut è ſchiſmate tandem emergerent, in quod illos Photius tranſverſos egerat.

XII. Profeſſiones denique iſtæ orthodoxæ mederi videbantur ſchiſmaticis ſubſcriptionibus, quas ab Epiſcopis extuderat Photius, & à Clericis, quos ſpondere cogebat, ipſum habituros ſe ut Patriarcham Patriarcharum, & Archiepiſcopum Archiepiſcoporum; ſicut ipſimet confeſſi ſunt Actione II. ejuſdem Concilii, in qua receperunt ſe tandem in gremium unitatis Catholicæ. *Suaſit ut ſe chirographis terribilibus profiterentur eum habituros Patriarcham Patriarcharum, & ſummum Sacerdotem ſummorum Sacerdotum.* Notat & illud Anaſtaſius Bibliothecarius in hiſtoria Synodi ejuſdem VIII. ſubſcriptiones ab iis etiam omnibus Photium elicuiſſe, quos humanas litteras addocebat, non aliam unquam, quàm eandem ſecum fidem ſectaturos. Eas
Can. 9. profeſſiones ſpeciali Canone damnavit Synodus.

XIII. Orthodoxos quoque Epiſcopos inceſſit aliquando eadem cupido muniendæ authoritatis ſuæ ejus generis ſubſcriptionibus: quo factum eſt, ut & à Clericis ſuis omnibus ſponſiones ſcriptas exigerent fidei & obedientiæ. Proſcripta eſt & hæc novitas ab hac eadem VIII. Synodo, qua & illud præſcriptum eſt, mores retinerentur antiqui, & ab iis qui conſecrarentur, tum demum fidei exprimeretur confeſſio. Huc ſpectat ejuſdem Synodi Canon VIII ex occaſione maximè editus Patriar-
Can. 8 charum Conſtantinopolitanorum. *Quoniam fama ſonuit, quod legitimi & orthodoxi Patriarchæ à Sacerdotali catalogo propria manus ſcripta facere, ad propriam tutelam, favoremque ſuum, & quaſi ſtabilitatem exigant & compellant. Viſum eſt ſanctæ Synodo, nequaquam id ex hoc à quopiam fieri, excepto eo quod ſecundùm formam & conſuetudinem pro ſincera fide noſtra tempore conſecrationis Epiſcoporum exigitur.*

XIV. Ignatius ipſemet ſanctiſſimus Patriarcha has primus inuſitatas cautiones invexerat. Qua neceſſitate id ab eo factum ſit, & quo animi candore, eventu declaratum eſt. Perhibet enim Nicetas in vita ejus, cum primùm in exilium deportatus eſt, miſſos ad eum Epiſcopos fuiſſe, qui pellicerent & ſuaderent, ut ſponte ſe abdicaret Patriarchatu: hos autem fuiſſe ipſiſſimos illos Epiſcopos, qui ſcripto juraverant, non conſenſuros ſe unquam ejus exauthorationi, niſi poſt canonicum judicium. *Et quinam hi? Qui antea illi per ſcriptum juraverunt, ſe prius ſupremam Trinitatis majeſtatem negaturos, quàm ſine canonica damnationis ſententia, Paſtorem ſuum exauthorari paſſuros.* Quin & Actione II. Synodi VIII teſtatus eſt Ignatius eos Epiſcopos ſua ſponte his ſe ſubſcriptionibus aſtrinxiſſe in ejus gratiam & tutelam; cùm Photius lubentes & illubentes ſubſcribere coëgiſſet. *Etenim cùm duplex ſit ſacrorum hominum conſecratio, aliorum quidem qui à nobis initiati ſunt, quique pro nobis ſponte chirographa conſcripſerunt: aliorum verò qui à ſceleſtiſſimo Photio conſecrati, chirographa vel lubentes, vel coacti ſubſcripſere; Rogamus, ut de his omnibus aliquid decernatur.*

Id ſaltem ponderis ineſſe his rationibus videbatur, quo ſubſcriptiones eæ excuſarentur, in gratiam Ignatii. At non tam clementer illas interpretatur Synodus; quod ſuo ſecum animo præſagire Ignatius ipſe videbatur, cum inſtantiùs expetiit, ut de ea re Synodus pronuntiaret. Actione VIII. exuri juſſæ ſunt ſubſcriptiones omnes, quas Photius extorſerat: prohibitumque eſt Canone VIII. ne quid unquam iſtiuſmodi tentarent Catholici Patriarchæ in ſui defenſionem.

XV. Cùm dominaretur quodammodo in hoc Concilio Pontificiorum Legatorum authoritas, non illi utique octavum hunc Canonem promulgari paſſi eſſent, ſi in Romana vel Occidentali Eccleſia profeſſiones id genus uſitatæ aut probatæ fuiſſent. Ravennatium, ut diximus, Archiepiſcoporum peculiaris & propria erat cauſa, nec ad alias ſerpebat Eccleſias. Pluſculum aliquid in Gallia exigebatur, ſed quod nihil ad hunc Canonem pertineret. Non vetantur enim hoc Canone niſi ſubſcriptiones ad defenſionem & tutelam perſonæ conſecrantis. At Gallicani Epiſcopi Metropolitano non deſpondebant, niſi reverentiam & canonicam obedientiam.

XVI. Inſinuare videtur Balſamon, ævo ſuo tenaciſſimos fuiſſe Græcos obſervandi Canonis hujus octavi octavæ Synodi. Perhibet enim ſolam I. Can 19. Carthag.
fidei confeſſionem Epiſcopi novi manu conſcriptam fuiſſe in Chartulario Conſecratoris. Sed cùm ea fidei confeſſio in Jure Orientali habeatur, eique ad calcem aſſuta ſit promiſſio obedientiæ, Metropolitano devovendæ, vel Patriarchæ: hinc probabile fit Græcos peræquè ac Latinos in id conſpiraſſe tantùm, ut ſacramenta & ſubſcriptiones exploderent, quibus Conſecratoris perſonæ tuendæ conſulerent, non promiſſiones canonicæ obedientiæ, Eccleſiaſticis impendendæ Prælatis, & canonicis intextæ Conſtitutionibus, quarum obſervantiam novi profitentur Prælati. Elucet id quidem in hac profeſſione Græca, ubi poſt fidei orthodoxæ confeſſionem, contexitur approbatio Conciliorum, Canonum, Decretorum ſanctorum Patrum, denique profeſſio medullitus complectendæ pacis Eccleſiæ, & obedientiæ in Patriarcham.
Præterea pacem Eccleſiaſticam ſpondeo me conſervaturum, nec toto vitæ tempore quidquam illi adverſum in Iuris Orien. To. 1 p. 441.
animo habiturum, ſed in omnibus obſecuturum & conſenſurum Nicolao ſanctiſſimo & univerſali Patriarchæ. Scripta ſunt hæc manu propria N. Preſbyteri, ac deſignati Epiſcopi. πρεσβυτέρου καὶ ὑποψηφίου. Ita ſubſcribebant Epiſcopi electi, qui nunc ferè ſubſcribunt ſe in Latina Eccleſia nominatos.

Nec illis ſe modeſtiæ & Canonum finibus continuit Photius. Affirmat enim Nicetas paulò ante finem vitæ Ignatii, rurſum cœpiſſe eum ſacramenta & ſubſcriptiones exigere illis ab omnibus, quos ordinaret. *Atque ut peccatum fieret ſupra modum peccans, ubique jusjurandi ſacramenta, ubique Chirographa exigebat: ſive initiaret, ſive honores & dignitates Eccleſiaſticas conferret, ſive Epiſcopatus permutabat.*

CAPUT XLVI. *P. 4. l. 2. c. 52.*

De obedientia & fide ab Epiſcopis promittenda vel juranda Papæ, Patriarchæ, Metropolitano; A cæteris Beneficiatis Epiſcopo, à Monachis Abbati, poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Varia ſacramenta ab Archidiaconis & Abbatibus Epiſcopo, ab Epiſcopis Metropolitano, à Metropolitanis Primati, ſeu Patriarchæ, vel Papæ perſolvenda. De ſpecie & ritu hominii cohærente quandoque cum ſacramento aut promiſſione obedientiæ.

II. De profeſſione obedientiæ, quam Clerici majores Epiſcopo præſtabant.

III. Gregorius VII. primus omnium à Metropolitanis sacramenta fidei, seu fidelitatis expressit. Ex necessaria ea id factum est occasione, quod Germaniæ & Italiæ Principes atque Episcopi longe plurimi à Gregorio VII. & à successoribus ejus centum amplius annis defecissent.

IV. Quærimonia Polonorum & Hungarorum: quo Pontificum responso sedata.

V. De sacramento Metropolitano ab inferioribus præstando.

VI. De sacramento quo Metropolitani se Primatis obligabant.

VII. Quam vulgata hæc essent sacramenta à sæculo XII.

VIII. Defensio sacramentorum quæ à Gregorio VII. expressa sunt.

IX. Continuatur historica narratio Sacramentorum obedientiæ & fidelitatis sæculo XI. & XII.

X. De sacramentis, quibus & elucidatio & authoritas accessit à Decretalibus Gregorianis.

XI. Historia sacramentorum inter Clericos, usque ad annum millesimum quingentesimum.

XII. Abolitum pleraque hæc sacramenta. De iis quæ residua supersunt.

XIII. Nonnulla alia observantur in hæc eadem sacramenta.

I. SUccensuit quam justè, tam vehementer B. Fulbertus Carnotensis Episcopus, in Archidiaconum Parisiensem Lisiardum, qui factioni adversùs Parisiensem Episcopum rebellanti, non affuerat tantùm, sed & præfuerat, cujus tamen obe-
Epist. 34. dientiæ & fidei sacramento erat obligatus. *Quid dicemus de juramento fidelitatis, quod ita contaminat, ut Episcopo suo, non corde, nec verbo, nec opere fidelis existat.* Ad alium Episcopum rescribens idem Fulbertus, illum dehortatur ab obedientiæ & fidei sacramentis exigendis ab Abbatibus, satius ducens suadensque, ut contentus sit obedientiæ & subjec-
Epist. 41. tionis Canonicæ promissione. *Si Abbas sancti Benedicti illam deinceps subjectionem promiserit, quæ vobis canonicè debetur, hortor & suadeo, ut recipiatis. Sacramenta verò & cætera quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem domini Regis missa faciatis; ut religionem magis quam sæcularem ambitionem vos sectari cognoscat.* Appicta erat sacramentis species quædam & imago sæcularis pompæ ex Fulberti judicio, eoque iis Abbates absolvendos censebat.

Hac ipsa olim de causa Clerici ipsi ab iisdem immunes habendi sacramentis videbantur. Argumento est illa affirmandi, vel negandi simplicitas, quam in Evangelio Christus commendat. Sed ut hoc ipso capite infrà declarabitur, novis in dies morbis emergentibus nova quoque tentanda fuere medicamenta. Tullensis Episcopus Bruno, qui postea Apostolico evectus fastigio Leo IX. dictus est, cùm à Trevirensi Metropolitano suo urgeretur, ut juramento affirmaret, nihil unquam se, nisi ejus consilio moliturum: quod in ordinandis suffraganeis suis soleret Trevirensis id generis juramenta exigere; constantissimè renuit. *Sublato omni excepto, nihil extra suum præceptum aut velle, aut quasi quidam servus agere præsumat.* Conradus Imperator litem eam composuit, mitigatis iis conditionibus, ut refertur à Scriptore vitæ hujus Pontificis.

Quum Archiepiscopos Remensis Gervasius ad Nicolaum II. scripsit Epistolam, & qua illum *Patrem Patrum, Episcopum Episcoporum* salutat; ea insinuare videtur, sin minus Episcopos, certè Metropolitanos omnes Pontifici Romano obedientiam pro-
Du Chesne To. 4. pag. 206. fiteri solitos. *Dicant adversarii quantumlibet me infidelem & rebellem Magistratui vestro. Ego subjectionem meam vobis profiteor. Et quicumque illam vobis negaverint, cujuslibet ordinis sint, mihi communicare non poterunt.*

Discrepabat utique hæc professio ab eo sacramento, cujus officia omnia luculentè & prolixè descripsit Fulbertus Carnotensis Episcopus, in Epistola ad Ducem Aquitaniæ data. Sed ritus præ cæteris memorandus ille est, de quo Petrus Damiani in narratione Legationis suæ in civitatem Mediolanensem; qua tum Archiepiscopum, tum Clericos solemni sacramento constrinxit ipsemet omnes, ut ab Ecclesia sua simoniam proscriberent, clericalique continentiæ addictiores in posterum essent. Manibus ejus manus singuli suas interseruere. *Archiepiscopus ante* Epist. 101.
sanctum Altare juravit in manum meam, &c. Omnes alii qui aderant Clerici similiter manus suas in manum meam dederunt, & hæc eadem excommunicationis & anathematis verba dixerunt. Juravit & Archiepiscopi nepos, una manu manibus Archiepiscopi inser- Petr. Dom.
ta, altera libro Evangeliorum imposita. *Archiepis-* Opuscul. 9.
copi nepos, honestus Clericus, cujus unam manum Archiepiscopus tenuit, alteram ipse super sanctum Evangelium posuit & juravit, &c.

Illi sunt proprii ut, videtur, hominiorum ritus, juramento canonico conserti. Sed cùm nova ea machinamenta non spectarent nisi ad puritatem & sanctimoniam Ecclesiasticæ disciplinæ validius constabiliendam: quis gravatè ferat, tam valida adhiberi vincula ad sanctissimas leges corroborandas? Ita enim si sapimus, interpretanda sunt nobis hæc nobilissimæ servitutis vincula. Nec enim hominibus hæc dependuntur sacramenta, hæc juramenta, hæ professiones, promissionesque, sed divinis Ecclesiæ legibus, sed fidei & pietati, sed religioni, & Canonum intaminatæ puritati, cujus imaginem & speciem præ se quandam ferunt, qui ejus custodes & defensores à Deo sunt constituti.

Cùm primùm Lanfrancus creatus est Archiepiscopus Cantuariensis, accessit ad eum Thomas Eboracensis Archiepiscopus, ut ab eo ordinaretur. Lanfrancus ex prisco more obedientiam exigebat, scripto, & cum sacramento. Thomas recusavit, Rex indoluit, eas suspicatus esse calliditates & strophas Lanfranci, viri sanè doctissimi, eoque, ut solet, indoctis suspecti. At mox Lanfrancus iis & jus suum, & priscum morem elucidavit, ac roboravit documentis, ut Regio jussu Thomas obedientiam scripto præstiterit publicè, ejusque spoponderit obsequi mandatis, rebus iis in omnibus, quæ ad Ecclesiæ regimen & disciplinam spectarent. Audi ut hæc edisserat author vitæ Lanfranci. *Regio Edicto,* Vita Lanfr.
communique omnium decreto statutum est, debere Tho- c. 10. 11.
mam professionem scribere, scriptam legere, lectam inter examinandum in præsentia Episcoporum more Ecclesiastico Lanfranco porrigere: in qua præceptis quidem ejus in omnibus quæ ad Christianæ legis cultum pertinent, se obtemperaturum absolute, nulla interposita conditione promitteret. Non omnibus quidem Lanfranci successoribus eadem se exsoluturum obsequia pollicitus est Thomas, nisi si demonstraretur prædecessores suos iisdem honoribus eodemque cultu perfunctos fuisse in Archiepiscopos Cantuarienses. Denique eandem Lanfranco professionem exhibuere cæteri omnes Angliæ Episcopi, illi etiam ipsi, qui à Papa fuerant ordinati. *Ab universis Regni Anglici Episcopis, qui diversis temporibus, diversis in locis ab aliis Archiepiscopis, vel à Papa, tempore Stigandi sacrati sunt, professionem petiit & accepit.*

Cùm ambo illi Archiepiscopi id consequi non potuissent, ut ea contentio Romæ ab Alexandro III. dirimeretur, suas se in Anglicanas recepere Ecclesias; ubi re tandem accuratissimè, & qua summa fieri potuit diligentia perpensa coram Rege, astantibus Episcopis & Abbatibus, confessus est tandem Thomas debere se & successores suos Lanfranco

& successoribus ejus, canonicam obedientiæ professionem etiam cum juramento; quod juramentum Thomæ, non successoribus ejus remisit tum Lanfrancus, à Rege interpellatus. *Ego Thomas, &c.* Malmesbur. l. 1. de gest. pont. Angl. l. 205 *tibi Lanfrance, & auditis cognitisque rationibus absolutam tibi tuisque successoribus de canonica obedientia professionem facio, & quidquid à te vel ab iis justè & canonicè injunctum mihi fuerit, servaturum me esse promitto.* In Decretu hujus Concilii, habiti anno 1072. hæc rursus hic non omittenda habentur. *Quod Archiepiscopo Cantuariensi professionem facere debeat Eboracensis etiam cum sacramento, Lanfrancus ex antiqua Antecessorum consuetudine ostendit. Sed ob amorem Regis Thomæ sacramentum relaxavit, non prajudicans successoribus suis, qui sacramentum cum professione à successoribus Thomæ exigere voluerint.*

Id porro hic velim animadverti; Regibus displicuisse hæc sacramenta, quæ hominii apparatu quodam vestirentur, quanquam illi à professionibus non abhorrerent. Sibi enim Reges unis hominia lubentes vendicassent. Petrus Damiani illum nobis suprà delineavit ritum, in Legatione sua Mediolanensi. Id apertissimè suprà insinuavit Fulbertus, ubi sacramenta dixit redolere nescio quid sæcularis fastus, nec ea Episcopus ab Abbatibus exigere debere, quod subinique id animo ferant Reges. Nihil ejusmodi Fulbertus de sacramento, quod Archidiaconi Episcopis persolvebant: propterea quod Reges unum sibi sumpserant, ut immediatè fidei suæ & clientelæ Episcopi subessent & Abbates. Quin immo ne omnibus quidem Episcopis Archidiaconi sua ea præstabant, vel hominia, vel sacramenta. Ea enim super re cum Lanfrancum Bajocensis & Constantiensis Episcopi percontati essent, rescripsit ille nihil ejusmodi vel vidisse se usquam, vel audisse Epist. 57. usurpatum. *Respondi me, nec vidisse tale aliquid, nec legisse.*

II. Utcumque sentiret Lanfrancus, abhorrebat ab ejus sententia Rotomagensis Archiepiscopus, ad quem dabantur hæ literæ: abhorrebat & Gregorius VII. Papa, qui literis ad Placentinos scriptis, eorum à se Episcopum exauthoratum fuisse scribit, & quicumque illi sacramento fidelitatis innexi erant, L. 2. Ep. 54. eos à se absolutos. *Quicumque sibi fidelitatem juraverunt, ab omni vinculo sacramenti absolvimus.* Erant in eo numero Clerici utique aliqui. Certè nemo inficias ire potest, quin Canonicos Anicienses idem Gregorius liberos esse jusserit à sacramento, quod Episcopo suo præstiterant, postquam eum Pontifi- L. 4. Ep. 18. cius Legatus Episcopali sede movit. *Ab omni sacramento & obligatione, quam prafato simoniaco contra Dominum fecistis, ex parte sancti Petri vos absolvimus.* Concilium Rotomagense anni 1074. cui præerat Joannes Archiepiscopus idem ipse, ad quem suprà scribebat Lanfrancus, sanxit ut Clerici majores his obedientiæ professionibus innecterentur, conve- Can. 5. nienter Canonibus Toletanis. *Quod Subdiaconi, sive Diaconi, sive Sacerdotes Parochiani, non ordinentur secundùm confirmationem Concilii Toletani, absque legitima professione, quam coram Episcopo & omnium circumstantium audientia faciant, qui ordinandi fuerint.*

III. Copiosiùs mox hac eadem de re; ne verò à temporum contextu & serie discedamus, dicendum nunc nobis de eo quo se Papæ Metropolitani obligant sacramento. Pollicitationem servandæ fidei & canonicæ disciplinæ, seu professionem, à Bonifacio Legato & Germaniæ Apostolo invectam fuisse suprà docuimus. Tempore Caroli Calvi spondebant præterea Metropolitani, obnoxios se & subjectos fore Apostolicæ sedi, & suffraganeis suis auxilium exhibituros. *Beato Petro & Vicario ejus debi-* Formula 13. in Append. Conc. Gall. Tom. 2. *tam subjectionem & obedientiam, suffraganeis verò nostris adjutorium me exhibiturum profiteor.* Ea verò obedientia circumscribebatur scrupulosa Canonum observantia, cujus ne summi tum quidem Pontifices immunes se volebant esse.

Primus omnium Gregorius VII. à Patriarcha Aquileiensi in Concilio Romano anno 1079. expressit non obedientiæ tantum Canonicæ professionem, *Canonicè obediam:* sed etiam juramentum fidelitatis, ejus simillimum, quod dominis suis vassi, seu vassalli & clientes præstabant, ne quid unquam in eorum vitam, honorem & libertatem machinarentur. *Non ero in consilio, neque in facto, ut vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capti sint mala captione.*

Ut rei tam novæ causa & origo nudetur, memoria revolvenda est Annalium Ecclesiasticorum, quibus testatum fit anno 1077. Episcopos omnes Longobardiæ in Gregorium hunc Pontificem insurrexisse, ut qui plures eorum diro confixisset anathemate, vel Episcopali solio exturbasset, tanquam publicè & manifestè simoniacos & concubinarios. Horum eo tandem erupit vecors insania, ut Legatos Pontificis ludibrio habuerint, ejus excommunicationes nihili à se fieri contestati sint; vel in ipsum enim retortum fuisse anathema ab Episcopis Italiæ omnibus; causæ publicæ prævaricatorem teneri Henricum IV. Germaniæ Regem, qui in gratiam cum eo redisset; certum sibi fixumque esse Henricum juniorem, filium ejus, sibi Regem præficere, eoque duce & antesignano, Romam ipsos contendere, ubi alium Pontificem crearent. Coætaneus & diligentissimus scriptor Lambertus hæc omnia historiæ suæ intexuit. *Se excommunicationem* Baron. an. 1077. n. 26. 36. *illius nihil æstimare, quem ipsum omnes Italiæ Episcopi justis ex causis jam pridem excommunicassent, &c. A lulta seditione, una omnium sententia erat, ut abdicato patre filium ejus impuberem Regem sibi facerent, ut cum eo Romam profecti, Papam alium eligerent, per quem ipse protinus Imperator crearetur, & omnia Papæ hujus Apostolici gesta cassarentur.* Ea defectione Episcoporum adductus est Henricus Rex, ut pacem jam coalescere cœptam cum Gregorio abrumperet, & fœdissimæ se seditiosorum Præsulum turbæ ducem præberet. Quin & consilium iniit cum Archiepiscopo Ravennate invadendæ ipsius Gregorii personæ & constringendæ. Anno 1078. infracti pectoris Pontifex Gregorius in Synodo Romana Episcopos illos omnes Italiæ, ea rebellione implicatos, anathemate implicuit, nominatim verò Mediolanensem & Ravennatem Archiepiscopos. Germani interim in fidem & tuitionem Pontificis concesserunt, Regemque sibi pro Henrico Rodulphum adsciverunt. Eo probabiliter prohibitus est Aquileiensis Patriarcha, qui Italiæ Germaniæque confinia insidebat, ne defectioni se Italorum innecteret, utque fidelitatem Pontifici suam novo & hactenus inusitato, sed tum necessario sacramento consignaret.

Quibus perpensis jam, ut opinor, mirari desines, eccur Gregorius hæc sacramenta exigere cœperit eo tempore, quo in ipsum Imperatores & Episcopi conjuraverant, vitæque & libertati ejus undique insidiabantur. Anno 1080. Imperator Henricus Brixinone Conciliabulum congregavit, ubi triginta Episcopi aliorum undeviginti consentientibus suffragiis muniti, depositionis sententiam impiam ir-

titamque dixerunt in Gregorium, ejusque loco Papam sibi elegere Guibertum Archiepiscopum Ravennatem. Henricus Imperator Gregorium Romæ obsidione cinxit, quam solvere coactus est a Roberto Viscardo gentis Gallicæ, seu Normannicæ, Appuliæ Duce. Cassinum secessit Gregorius, inde Salernum, ubi anno 1085. ad cœlites mortali stadio functus commigravit.

Successores ejus Victor III. & Urbanus II. adversarios eosdem reformidandos sibi & oppugnandos habuere; sed non aliis quàm anathematum telis instructi, salutem fugæ commisere. Antipapam Guibertum Romani urbe pepulerunt, quem & mox Henricus Imperator restituit. Author est Bertholdus anno 1089. in Germania quatuor non amplius Episcopos defectionis & schismatis immunes & exortes fuisse. Paschalis II. Urbano II. successor datus est, quem & ipsum cum tota Curia sua Henricus V. Imperator custodia & captivitate fœdissima afflixit anno 1110. ut se suosque libertati recuperare non potuerit, nisi restituto laicarum investiturarum usu. Successit in Apostolicam Sedem Gelasius II. in quem manus injecere Schismatici, & tam sanctæ majestati carceres & vincula adhibuere. Anno quidem 1118. Catholici libertati eum reddidere; at mox Romam adproperavit Imperator Henricus, ubi Burdinum Antipapam excitavit, Braccharensem prius Archiepiscopum, tum Gregorii nomine ornatum. In Gallias secessit Pontifex, ubi & Cluniaci obiit anno 1119. Callistus II. loco ejus suffectus, Roma Burdinum exturbavit tandem ille quidem, sed nonnisi valido instructus exercitu.

Subjiciendæ oculis necessariò fuere diutinæ hæ calamitatum procellæ, per annos admodum quinquaginta post Gregorii VII. Pontificatum, ut perspicuum & persuasissimum jam nemini non sit, si eo tempore Pontifices à Metropolitanis expresserint illud idem fidei sacramentum, quod Gregorius VII. ab Aquileiensi Archiepiscopo acceperat: adactos eò illos fuisse ineluctabili quadam necessitatis telo, deficientibus tot Principibus, tot Civitatibus, tot Episcopis, & in eorum libertatem ac vitam conjurantibus. Missum facio exitiale schisma inter Innocentium II. & Antipapam Anacletum. Pestifera item illa Imperii à Sacerdotio dissidia sub Friderico I. & Henrico VI. ejus filio Imperatoribus, itemque sub Pontificibus Adriano IV. Alexandro III. & Cælestino III. quibus dissensionibus fœdatum est reliquum sæculi XII. tempus, impactaque bis Pontificibus necessitas, ab his necessariis cautionibus & sacramentis non discedendi. Narrat Albertus Stadiensis Abbas anno 1179. Archiepiscopos Moguntinum & Coloniensem, repudiato schismate, abjectisque Friderici I. & Antipaparum partibus recollegisse se tandem Alexandro III. anno 1179. in Concilio Lateranensi III. novum ab eo Pallium accepisse, ac vicissim fidei perfunctos esse sacramento. Ducem se perdiu Archiepiscopus Moguntinus schismaticis exercitibus signiferumque exhibuerat contra Alexandri III. defensores. Paternas avitasque adversùs Apostolicam Sedem inimicitias non minùs strenuè innovavit, exercuitque Fridericus II. Ita diutissimè & necessariò convaluit sacramentum illud quode agimus, ut non potuerit illud non conjici in libros Gregorianarum Decretalium, tunc temporis publicatos.

IV. Resistebatur vehementer huic sacramento à Polonis sub Paschali II. at eorum Archiepiscopo rescripsit Pontifex, muniendæ unitati Ecclesiæ, & religiosæ Canonum observantiæ, tot exhaustis periculis, distensionibus & rebellionibus, nulla satiatura munimenta, nulla nimia comparari posse subsidia. *Nonne malum est ab Ecclesiæ unitate, & à Sedis Apostolicæ obedientia resilire, & contra Canonum statuta prorumpere? Quod multi etiam post sacramentum præstitum præsumpserunt. Hoc nimirum malo, & necessitate compellimur, juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere.* Hujus Epistolæ verba hæc, *Numquid Hungarico Regi dictum est*, viris doctissimis non immeritò locum dedere conjectandi, eam ad Metropolitanum Colocensem in Hungaria perscriptam fuisse, & Amanuensium errore factum, ut *Polonensi* scriberetur pro Colocensi. Extra De jurejur. c. 4. Epist. 45.

V. Confirmatum jam à nobis est, Metropolitanis & Episcopis familiare jam fuisse, ut non obedientiæ tantùm, sed & fidelitatis sacramenta exprimerent, non à Clericis tantùm & Abbatibus, sed & ab Episcopis sibi obnoxiis. Archiepiscopus Cantuariensis ab Archiepiscopo Eboracensi invidiosissima exigebat juramenta, quibus vel ipse Rex tantum non ad æmulationem excitaretur. Ne ergo stupeat quisquam, si prælucentibus his exemplis eadem sacramenta elicuerint & Romani Pontifices. Ait Anselmus se dum Cantuariæ Archiepiscopus inaugurare tur, Pontifici obedientiam professum fuisse, quanquam vel ipsi qui eum ordinabant Episcopum, ambigerent an verus Pontifex esset Urbanus II. *Sub professione obedientiæ Romani Pontificis me consecrarunt.* L. 3. c. 36.

Ivo Carnotensis Episcopus temerè prorsus & immeritò ait à quibusdam insimulari Abbatem, quòd obedientiam professus esset Metropolitano suo. Sic enim ille ad Abbatem Majoris Monasterii. *Quod calumniantur non rectè vos fecisse, quod ante benedictionem promisistis obedientiam Sedi Metropolitanæ, vana & nulla calumnia est.* Dissilitet enim Ecclesiæ unitas, nisi Ecclesiasticarum & Monasticarum Congregationum apices eam exhibeant fidem & obedientiam Prælatis suis, quam ipsimet ab illis exigunt, quibus Prælati sunt. *Quomodo enim sibi connexa ad invicem poterunt esse membra corporis Christi, nisi dispensatores Monasticarum vel Canonicarum Congregationum, eam obedientiam exhibeant Prælatis suis, quam sibi exhiberi volunt à subditis suis.* Post laudatum in eam rem Concilium Toletanum XI. tradit Romanos quoque Præsules dum consecrantur, juramento constringi ad servandas Ecclesiæ Romanæ consuetudines, & Decreta Prædecessorum. *Ipse summus Pontifex antequam consecrationis gratiam consequatur, consuetudines Romanæ Ecclesiæ & Decreta prædecessorum suorum se inviolabiliter servaturum profitetur.* Episcopos denique omnes alios dum ordinantur, Consecratori suo obedientiam profiteri, Canonumque strictissimam obedientiam. *Sic reliqui Pontifices cum ante consecrationem examinantur, omnem veterum morum honestatem & debitam obedientiam se exhibituros suis ordinatoribus pollicentur.* Epist 57.

Ecclesiasticæ Adami Bremensis Ecclesiæ Canonici Historiæ assuta sunt, & publicæ luci credita privilegia Ecclesiæ Hamburgensis; & inter ea duplex sacramentum Archiepiscopo Bremensi præstitum anno 1247. ab Alberto Episcopo Lubecensi, Sedis Apostolicæ Legato in Livonia, Estonia, Prussia. Eorum primo astringit se tantùm, ut ne quid alienet, & ut omnia potius alienata pro virili parte recuperet Ecclesiæ suæ bona. Alterum verò his verbis exprimitur: *Ego Albertus Lubecensis Episcopus,*

Livonia, Estonia & Prussia Apostolicæ Sedis Legatus, ab hac hora in antea fidelis ero tibi & obediens in omnibus, tuisque successoribus in Bremensi sede constitutis: Mandatum tuum quodcumque mihi ore, sive per certam Epistolam tuam manifestaveris, sine malo ingenio adimplebo. Ad omnem terminum & locum quem mihi indicaveris, nisi corporis mei infirmitate, vel alia aliqua gravi necessitate detentus, venire non possim. Hæc omnia per fidem rectam sine omni malo ingenio observabo, quandiu vixero. Consentaneè huic sacramento jussus est ab Archiepiscopo Episcopus polliceri pollicitusque est, nihil se unquam moliturum, ut ab Archiepiscopi Bremensis obedientia recederet: auxilio ei futurum ad tuenda jura ejus omnia, in Hamburgenses maximè: nihil se Legatione sua illaturum detrimenti Metropoli Bremensi, quin ex adverso daturum operam, ut Primatûs ei dignitas adderetur. Continetur mox ibidem & hoc sacramentum eidem Archiepiscopo exsolutum anno 1248. à Vuillelmo Episcopo Suerinensi: *Non ero in consilio, nec in facto, ut vitam perdat, aut membrum; vel capiatur mala captione. Consilium quod mihi per se, aut per litteras, aut per nuntium manifestabit, nulli pandam. Archiepiscopatum Bremensis Ecclesiæ, & Regulas sanctorum Patrum & Statuta Conciliorum adjutor ero ad defendendum & retinendum salvo ordine meo, contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam, nisi impeditus fuero canonica præpeditione. Legatum ipsius & Ecclesiæ Bremensis, quem certum Legatum esse cognovero, in eundo & redeundo bene & honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo; & omnem fidelitatis formam, ad quam de jure teneor, fideliter observabo.*

VI. Cùm Lugdunensis Primas electum Archiepiscopum Senonensem ordinari vetuisset, nisi antè sibi obedientiam profiteretur: super eo negotio adiit Ivo Carnotensis Urbanum II. per literas, non dissimulans ipse tamen, nullo consuetudinis, nullo legum Ecclesiasticarum præsidio niti eam spem ac
Epist. 58. voluntatem Primatis. *De Senonensi electo, cujus consecratio à Legato vestro Lugdunensi Archiepiscopo prohibetur ob hoc, quia ei jure Primatûs sui ante consecrationem suam, obedientiam non profitetur, quid nobis agendum sit, rescribat vestra Paternitas, &c. Cùm de professione à Metropolitanis Primatibus facienda, nihil legamus consuetudine confirmatum, vel legibus institutum.* Inculcavit eadem ille prorsus omnia Primati ipsi, datis ad eum Epistolis, ubi & congestis plu-
Epist. 65. ribus testimoniis hæc subjicit: *Contenditis ut Senonensis electus ante consecrationem suam vobis præsentetur, & jure Primatus vestri subjectionem & obedientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonensi Provincia, nec in aliis Provinciis antiquitas instituit, nec consuetudo servavit.*

Cùm Sanson electus fuisset Episcopus Aurelianensis, Ivo Episcopus Carnotensis, aliique ejusdem Provinciæ Episcopi illum confirmarunt, expressa antè ab eo pollicitatione obediendi Primati.
Epist. 122. *Eum promissa vobis obedientia consecravimus.* Inde conjici potest eandem Primati suo obedientiam profiteri Metropolitanum debuisse in ordinatione sua.
Epist. 218. Eò enim tandem res erupit, idque aliquando tandem Ivo persuasum voluit esse Metropolitano Senonensi.

Hæ verò professiones omnes, sive ore tantùm, sive scripto fierent, non aliam quàm inexorabilem illam complectebantur legem servandorum Canonum, Prælatis Ecclesiasticis obsequendi, in eorum vitam & salutem nihil machinandi, jura & honorem eorum tuendi, quantum sineret Ecclesiæ lex, charitasque. Accipe hîc sacramentum, quo Papa ipse fungebatur tempore ordinationis suæ, ex Diurno Ecclesiæ Romanæ depromptum, sive ex Rituali libro, ut ab Ivone Carnotensi refertur. *Nihil de* Epist. 65.
traditione, quam à probatissimis prædecessoribus meis traditam & servatam reperi, diminuere, vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer ut eorum discipulus & sequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonicè comperio, observare ac venerari profiteor.

At ubi Ivo Carnotensis contestabatur Primati professionem ab Episcopis & Metropolitanis exhiberi, nec consuetudinis esse, nec legis ullius Ecclesiasticæ; de Primatu Lugdunensi agebat inter ipsa sui exordia. Præter ea enim quæ de Lanfranco Angliæ Primate disputata sunt, ipsa Anselmi historia non minus eidem professioni astipulatur. Cùm indignationem enim ille Regiam in se concitavit, quod Urbano II. Papæ assurgere Rex detrectaret, nonnulli Episcopi Angliæ ab ea obedientia secesserunt, quam illi desponderant in Concilio Angliæ
anno 1095. *Quidam ex Episcopis Archiepiscopo suo at-* Edmerus in
que Primati omnem subjectionem, professamque obedien- vita Anselmi.
tiam uno impetu abnegant. Scripsit ad Gerardum Ebo- Tom. 2. Epist. 17.
racensem Archiepiscopum Paschalis II. Papa, & præcepit eadem in Anselmum ut fungeretur professione, quam Lanfranco olim edere jussus fuerat ab Alexandro II. prædecessor ejus Thomas. Cùm verò in Concilio Londinensi tergiversaretur Gerardus, quod eam professionem jam edidisset, cùm Herefordensis antè Episcopus ordinaretur: pervicit Anselmi constantia, ut eam innovaret, cùm hac singulari ceremonia, de qua suprà: *Gerardus sua manu imposita manu Anselmi, interposita fide sua pollicitus est, se eandem subjectionem & obedientiam ipsi & successoribus suis in Archiepiscopatu exhibiturum, quam Herefordiensi Ecclesiæ ab eo sacrandus Antistes*
promiserat. Cùm Gerardo successisset Thomas alius, Anselm.
vetuit Anselmus, ne ordinari se curaret, vetuit & L. 3 Ep. 158.
ne qui Episcoporum eum antè ordinarent, quam eandem ac prior Thomas & Gerardus professionem exhibuisset. Ei officio satisfecit Thomas in Concilio Londinensi anno 1109. *Profiteor subjectionem & canonicam obedientiam Primati, &c. Salva fidelitate domini mei Regis.* Addebatur porro ea clausula, *salva fidelitate domini Regis*, quod eæ professiones proximè accederent ad sacramenta fidelitatis.

VII. Clero Parisiensi rescribens Paschalis Papa vitio vertit consuetudinem prorsus insolentem, ut Majores Præbendarii à minoribus hominia exige-
rent. *Illud quod apud quosdam Clericorum fieri audivi-* Epist. 77.
mus, ut videlicet majores Præbendarii à minoribus hominia suscipiant, ne ulterius fiat interdicimus. Non ergo à Metropolitanis exigebat hic Pontifex ejusmodi hominium, quod Vassalli domino exolvunt: vel id genus sacramenti, quod hominium redole-
ret. Ad Hugonem Archiepiscopum Rotomagensem Synod. Ro-
rescripsit Innocentius II. quanquam potuisset pro- tomag.
fessionem & obedientiam juxta juris Regulas ab pag. 131.
Abbatibus exigere, eo jure tamen abstinere de- Epist. 4. 5.
buisse, cùm eo Rex tantopere exulceratus fuisset.

Confirmata est ab Eugenio III. vetus consuetudo, ut Capellani Ecclesiarum Romæ urbis obedientiam profiterentur Cardinalibus earumdem Eccle-
siarum: *Secundùm antiquam & rationabilem consue-* Ep. 63 64.
tudinem, vestra Ecclesia obedientiam promittere nullatenus contradicat. Cùm Tornacensem Episcopatum disjunxisset Eugenius III. ab Noviodunensi, & ordinasset proprium Tornacensibus Episcopum;

voluit ut qui obedientiam & fidem Noviodunensi Episcopo pepigissent, eo nunc solverentur, & iisdem se obedientiæ & fidei vinculis Tornacensi Episcopo obligarent. *Illos qui occasione Episcopatus Tornacensis Noviomensi Episcopo sacramento, vel fidelitate, seu obedientia astricti sunt, ab eadem fidelitate & juramento, vel obedientia Apostolica authoritate absolvimus, & ut Anselmo Tornacensi Episcopo eadem fidelitate & obedientia teneantur præcipimus.* Eadem fidei sacramenta præstabantur Metropolitanis & Episcopis Germaniæ ab eorum Clericis, ut liquet ex Epistolis Alexandri III. qui solvit Clerum Salisburgensem à vinculo Metropolitani, qui Episcopatu abierat, ut ineundæ inter Sacerdotium & Imperium concordiæ viam complanaret.

Ep. 64. 65.

Conc. Gene. To. 10. pag. 1500.

VIII. Undecimo ergo & duodecimo sæculo usitatissima erant sacramenta fidei, crebertimæ obedientiæ professiones inter varios Clericorum gradus. Ea exigebant Primates à Metropolitanis, ab Episcopis Metropolitani, Episcopi denique ab Abbatibus, Canonicis, aliisque Beneficiariis, quin & Parochi à Capellanis & Vicariis suis. Increbuerat is usus, antequam Gregorius VII. exigeret sacramentum fidei ab Archiepiscopis. Quis unquam puriori flagravit zelo, & à sæculari ostentatione magis alieno fuit animo, quàm Anselmus? Sed & quis unquam inflammatior ad tuenda Ecclesiæ suæ jura, & ad ea extorquenda ab Archiepiscopis & Episcopis obsequia, quibus eorum antecessores in antecessores suos perfuncti essent? Nemo cordatus ergo, nemo sanæ mentis zelum cui similem vituperabit in Gregorio VII. in Paschali II. aliisque Pontificibus, qui non alia ratione potuissent simoniam & incontinentiam Cleri effræni antiquam cohibere, aut Investituras Laicorum. Quæ nunc horum sit magnopere utilitas sacramentorum, non satis intelligere possumus. At illud utique animo augurandum est, tot Concilia, tot Pontifices, tot sanctissimos Episcopos Hispaniæ, Italiæ Galliæ, Angliæ & Germaniæ huic stabiliendæ consuetudini non tantopere adlaboraturos fuisse, nisi conducibilem eam, & Ecclesiæ necessariam suo ævo intellexissent. Perversissimum est de statutis sæculi XI. judicare ex moribus sæculi XVII. Ut judicium feras de statuto ante sexcentos annos edito, oriente tibi ejus ævi conditio, situs, mores, calamitates, infortunia revolvenda sunt. Si iis minus nunc forsan egemus sacramentis, eam illa pacem & securitatem peperere, qua fit ut minus egeamus. Satius est autem remediis minus necessariis uti, quam iis abstinendo in easdem revolvi calamitates, quibus rursum summopere necessaria sint. Utque uno rem verbo conficiam: cùm tam frequentia essent fidelitatis sacramenta inter cæteros Cleri ordines, cùmque pervetusta jam tum essent tempore Gregorii VII. ab ipsis enim usque Toletanis Conciliis repetebantur: nemo jure stupebit ipsum quoque Gregorium ea exprimere voluisse difficillimis iis temporibus, quibus ita utcunque mederi se posse sperabat.

IX. Cùm verò non tam Gregorii VII. sejunctim, quam universæ hic causam defensitemus Ecclesiæ, quæ in jus suum Canonicum hæc juramenta, has professiones admisit: operæ pretium est, in Ecclesiæ mores paulò uberiùs effundi, hæc sacramenta religiosè exigentis. Cùm Hildebertus Cenomanensis Episcopus unum ex Clericis suis cederet Episcopo Arverno, ad Archidiaconatum suum eum provehere cupienti, hæc ad eum scripsit. *Eum vobis & vestra commodo Ecclesia, ab ea quam consecratori suo debet obedientiam, liberum omnino & absolutum.*

Epist. 55.

Tradit Arnulphus Lexoviensis Episcopus, hominio & fide ligia, hoc est strictissima ligatum sibi suum fuisse Archidiaconum. *Hominio & fide ligia tenebatur obnoxius.*

Pietate & zelo conspicuus Ecclesiæ Parisiensis Cantor Petrus, senescente sæculo XII. expostulabat de Episcopis, qui minus solliciti erant de crebris collationibus, quibus instruendi, & animandi fuissent ii, quos audiendis confessionibus præficiebant; nec curabant ab eis sacramentum fidelitatis exigere, ut eos constringerent non aliter quam ex sanctissimis pietatis legibus officio suo fungi. *Officialium Episcopi tria sunt genera. Confessor cui Episcopus vices suas in spiritualibus, in audiendis confessionibus, & curandis animabus committit, &c. Primus licet Deo dignior, Episcopo tamen est vilior. Cum isto ei est rarus sermo, rara consultatio super reddenda villicationis suæ ratione super regimine animarum, in quo patet quantum amabat eas, & Redemptorem, & summum Pastorem earum, &c. Sed & quod detestabilius est, primum mittit ad officii sui executionem sine magna fidelitatis ejus examinatione prohabita, sine sacramento jurisjurandi, de fidelitate ei servanda in regimine animarum, interposito.* Primus hic est Petro Officialis Episcopi, quem tritius nunc, & usitatius Pœnitentiarium appellamus. Duo alii ii erant, qui contentiosam ejus jurisdictionem in urbe exercebant. *Quæstor Palatii, Decanus, Archipresbyter, & hujusmodi, qui incrementis & profectibus causarum & negotiorum Episcopi per fas & nefas invigilant.* Et qui rure eam exercebat *Præpositus ruralis.* Episcopi tunc terrenis cupiditatibus, quàm cœlesti charitate flagrantiores, de quibus expostulat Petrus, hæc nulli demandabant officia, nisi expresso fidelitatis sacramento, etiam rationes reddi crebrius urgebant. *Quibus tutelam pecuniæ suæ sine juramento interposito non committit.* Ultro missas facio exactiones sordidissimas horum sive Episcoporum, sive Officialium. Non aliter enim tum temporis exercebatur Episcopi contentiosa jurisdictio, quàm pecuniariis pœnis, emendis, & exactionibus creberrimis. Hinc sacramenta querebatur Petrus adhiberi exigique ad confirmandam eorum fidem, qui Episcopi pecunias & reditus colligebant, non ab iis, qui animarum procurandæ præerant æternæ saluti.

Petr. Cantor. De verbo abbreviato. c. 24.

Irrita pronunciata est ab Innocentio III. electio Episcopi Pennæ in Italia, quòd ante confirmationem suam Ecclesiæ administrationem occupasset, admisissetque usitatissima Clericorum & laicorum sacramenta. *Recipiendo tam à laicis, quam à Clericis juramenta.* Cum Episcopus Hildesheimensis sua semet authoritate in Ecclesiam Virsburgensem transtulisset, sub anathematis interminatione vetuit idem Innocentius, ne plebs Clerusve illi obtemperaret, *non obstante juramento fidelitatis.* Abdicandum censuit Honorius III. Archidiaconum Ambianensem, quod quanquam fide & hominio obligatus esset Episcopo, illum negasset dominum suum esse, contra illum testimonium dixerat in sæculari judicio; hostibus ejus consilio & opera affuerat. Ea quippe omnia ejusmodi erant, quibus fides Vassalli violaretur. *Si constiterit Archidiaconum semel, & iterum contra fidem homagii præstiti, ac reverentiam, Episcopum suum esse dominum negasse, vel in foro sæculari deposuisse contra eum, &c.* Mitto Paschalis II. Epistolam ad Episcopum Panormitanum datam, quæ Decretalibus illigata est, quod simillima sit ei quam suprà diximus scriptam ab eo fuisse ad Archiepiscopum

Spicil. to. 15. pag. 258.

Extra. De Elect. c. 17.

Extra. De transl. c. 3.

Extra. De excess. Prælat. c. 15.

Extra. De Elect. c. 6.

copum Polonorum, sive Hungarorum.

Narrat Petrus Diaconus in Chronicu Cassinensi, ut Honorius II. Papa, cùm Cassinatem ordinasset Abbatem, *sacramentum fidei vehementer cœperit exquirere.* Cùm vehementissimè contrà Abbas & Monachi renitterentur, affirmavit Pontifex non aliud se ab Abbate exigere, quam quod sibi ab Archiepiscopis & Episcopis præstabatur. *Quod Episcopi & Archiepiscopi omnes facerent, id Abbatem quoque Cassinensem facere debere.* [L. 4. c. 97.] Responsum est ab Abbate & Monachis, eo necessario fræno coërcendos fuisse Episcopos, qui exitiali se quandoque schismate ab Ecclesia Romana abscidissent: sed procul ab eo facinore semper fuisse Abbates Cassinenses. *Nostri è contra. Illos hæresum causa merito jurare compelli, fidemque exigi, quia sæpius in hæresin lapsi, contra Romanam Ecclesiam fecissent. At vero Cassinensis Ecclesia nunquam in hæresin lapsa est, aut contra Apostolicum sensit.* Acquievit mollitus eo responso Pontifex, tanta charitatis & indulgentiæ temperamento commendandissimus. Hoc verò responso id videtur innui, fidei magis quam fidelitatis esse sacramentum, quo Papam colunt Episcopi. Nec sanè illud Sacramenti frænum invexit Gregorius VII. nisi ut Episcopos Longobardos, Italos & Germanos strictius illigaret unitati Ecclesiæ & communioni Catholicæ cum Capite.

Ex illa fidei & pietatis in Pontifices suæ constantia aliquam inanis gloriæ auram hauserant forsan Monachi Cassinenses, cujus non multò pòst pœnas dedere. Antipapæ enim adglutinarunt se Anacleto, adversùs Innocentium II. Pontificem, Honorii II. successorem. Unde & cum mox eos Innocentius in ordinem redegisset, auxilio fretus Lotharii Imperatoris, cœpit tum demum ab iis idem sacramentum exigere, quod & ab Episcopis. *Per sacramentum Innocentio Papæ ejusque successoribus obedientiam ac fidem polliceri.* Tuebantur se Monachi Regula sancti Benedicti, quæ quocunque demum casu jurare prohibet, & privilegiis Imperatorum Caroli Magni, Ludovici, Hugonis, Lotharii, Berengarii, Alberti, Ottonum trium, Henricorum quinque, & Conradi, quibus cavebatur, ne Monachi [Ibid. c. 110.] jurare unquam compellerentur: *Statuimus ut Monachi ad sacramentum non compellantur.* His Lotharius Imperator Monachorum suffragabatur privilegiis, sospite & intacta Pontificis reverentia, qui illis infestus erat. Postremò denique re diu ultro citroque decertata, remisit Pontifex, idque donavit Imperatori, ut sacramento fidelitatis Monachos absolveret, solo obedientiæ juramento contentus [Ibid. c. 114. 116.] esset. *Ut fidelitate omissa, sacramentum solummodo, obedientiamque requirat.* Sed eam postea indulgentiam suam revocavit Pontifex, voluitque ut juramento constringerentur Monachi, cùm schismate illaqueati fuissent, jusseratque Nicæna Synodus schismaticos in Ecclesiam non aliter, quam juramento admitti. Ita & Abbas & Monachi juramento constricti sunt.

[L. 1. Tit. 9. c. 14. L. 1. Tit. 33. c. 10. L. 2. Tit. 27. c. 13.] X. In Gregorianis Decretalibus Monachi obedientiam nunc pollicentur, nunc jurant. Aliquando Archipresbyter Abbati sacramentum obedientiæ & fidei præstat. *Ut Archipresbyter fidelitatem & obedientiam præstet Abbati.* Vetantur & Episcopi à Clericis sacramentum exigere, nisi ab eis, quibus res Ecclesiæ administrandas credunt; hoc est à Beneficiatis. Cùm enim primùm penes Episcopos fuerit tota rerum Ecclesiæ administratio, quibus earum partem aliquam concedebant, ii demum Beneficiarii evasere. *Nullus Episcopus Clericos suos nisi forte quibus Ecclesiasticarum rerum commissa fuerit dispensatio, sibi jurare compellat.* [L. 2. Tit. 24. c. 5.] Cùm Ecclesia quædam solo æquata fuisset, Canonici soluti sunt sacramento, quo ei tenebantur. *Canonicos ab obligatione præstiti juramenti pro eo quod ibidem instituti fuerant, denunciari præcipimus absolutos.* [L. 5. T. 32. c. 2.]

In Ecclesia Placentina Italiæ sacramentum his verbis præstabant Clerici: *Ego talis ab hac hora in antea fidelis ero & obediens Placentinæ Ecclesiæ & domino meo Episcopo Placentino.* [L. 5. T. 40. c. 19] Papam percontati sunt de sensu hujus sacramenti, à quo responsum est, his verbis, *Ecclesia Placentina*, non contineri Clerum totius Diœceseos, sed Capitulum Cathedralis Ecclesiæ tantùm, maximè autem Episcopum. Perspicuum hoc est sacramentum: *Cum Clerici juramentum præstant.* Immo & sacramentum fidei, adeoque & Vassalli, *Fidelis ero domino meo Episcopo.* A Vicariis idem Parocho exolvebatur sacramentum: *De Vicariis, qui personis fide & sacramento obligati sunt.* [L. 5. T. 31. c. 6.] Ab Innocentio III. pronunciatum est, à Monachis [Regest. 11. Epist. 127.] revocari non potuisse Parochum in Italia, quem Episcopo præsentassent, & qui fidei sacramentum Episcopo exolverat. Damnat Alexander III. *C. Ex diligenti, De simonia* hominium & sacramentum fidei, quod à Clerico exprimebat Archidiaconus, ob annuam qua eum donabat pensionem. Erat id quidem inter laicos usitatum, at à Cleri moribus alienissimum.

Vetuit Gregorius IX. ne Gradensis Patriarcha aliud exigeret ab obnoxiis sibi Episcopis sacramentum, quam quod Papæ præstarent Episcopi immediatè illi subjecti: *Contentus forma canonica, quam nos à Coëpiscopis nostris, nobis immediatè subjectis recipimus:* [L. 1. T. 33. c. 15.] quodque suis exhibent cæteri Episcopi Metropolitanis. *Formam Canonicam, quam cæteri suffraganei Metropolitanis suis consuevere præstare.* [L. 2. T. 24. c. 4.] Hinc edocemur eamdem sacramenti formulam Episcopis omnibus communem fuisse, sive illi uni Pontifici, sive Metropolitanis quique suis parerent: nec aliam esse eam formulam, quam illam ipsam, quam à Patriarcha Aquileiensi expressit Gregorius VII. cujus hoc initium: *Ego N. Episcopus.* Et certè rubrica hujus Capitis declaratur, illud esse sacramentum quod *Episcopi* Papæ præstant, nulla Metropolitanorum mentione facta. Tribuitur hoc Caput Gregorio Papæ. Frustra fuere, qui illud in Registro Gregorii Magni quæsiere. Excerptum enim est ex Concilio Romano sub Gregorio VII. Erat autem ea forsan formula sacramenti quod tum Episcopis à suis eliciebant Metropolitani, & quod exigere cœpit Gregorius VII. à Metropolitanis, quos ordinaret, aut confirmaret; quod denique expressit Papa ab omnibus etiam Episcopis, postquam solus ipse conferre cœpit omnes ferè Orbis Christiani Episcopales Ecclesias, sive ad regias nominationes, sive quovis alio modo. Observatum est à Rainaldo, [Rainald. ann. 1235. n. 65.] eundem Gregorium IX. idem sacramentum exegisse ab Edmundo Archiepiscopo Cantuariensi, ab Archiepiscopo Rotomagensi, ab Upsalensi, ab Episcopo denique Legionensi.

In Concilio denique Lateranensi IV. ab Innocentio III. constitutum est, ut quatuor Patriarchæ alii Pallium acciperent à Papa, *Præstito sibi fidelitatis & obedientiæ juramento*, [L. 5. T. 33. c. 23.] utque ipsi pòst palliis donarent Metropolitanos quique suos, *recipientes pro se professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab iisdem.* Aurea ea fuere & sacra vincula, quibus Innocentio III. & Concilio

huic Lateranensi visum est constringi & ipsos inter se debere, & cum Capite suo in indivisam unitatem, principes orbis Episcopos. Quòd autem à Patriarchis exigat sacramentum hic Pontifex, nec sinat eos à suffraganeis exigere nisi professionem Canonicæ obedientiæ: meminisse necesse est, formulam illam sacramenti fidei in Episcopatu Placentino usitati, & supra relati, meram fuisse obedientiæ professionem. Ea ergo ibi non disjungebantur: at cum alibi vehementer secernerentur, visum est fortassis consultissimè, tantò conjunctionem Patriarcharum cum Papa arctiorem & arctioribus vinculis constringendam esse, quantò si ea dissueretur, graviora Ecclesiæ incumberent detrimenta. Quod eventa certè ipsa approbarunt, non sine Reipublicæ Christianæ damno gravissimo.

Inter Gesta Innocentii III. reperire est Formulam sacramenti, quod Patriarchæ & Primatea à Metropolitanis acciperent, prorsus consentaneam ei quam Gregorius VII. adhibuit, nisi quod Episcopos, quos ordinabunt, promittant se juramento obligaturos, ut in unione & obedientia Romani Pontificis perseverent. *Faciam illi jurare, ut Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ perpetuam obedientiam & debitum honorem impendat.* *Pag. 64.*

XI. Cùm in Monasterio sancti Albani in Anglia, uni Apostolicæ sedi obnoxio, curasset Gregorius IX. eligi Abbatem, fidei sacramentum mox ab eo elicuit: *Recepturi ab eo pro nobis & pro Romana Ecclesia fidelitatis solita juramentum.* *Epist. 4.* Monachi mox Abbati obedientiam promisere. *Con. 3.* In Concilio Provinciæ Turonensis ad Castrum Guntherii habito anno 1231. statutum est, ut non antè ab Episcopo Parochus institueretur, quam juratum ab eo esset, nihil se vel donasse, vel pemisisse pro obtinenda Ecclesia, quin abiturum etiam Ecclesia, ubi rescisset ab alio quidvis datum esse; denique ut institutus ab Episcopo Parochus, alio mox juramento constringeretur: *Jurabit, quod Diœcesano, & aliis Magistris suis obediens erit, & ad mandatum suum se faciet ordinari, & jura Ecclesiæ defendet, & alienata revocabit bona fide.* *Gall Christ. To. 2. pag. 303.*

Syn. Paris. pag. 18. Gall. Christ. To. 2. pag. 303. Statuta Synodica Odonis de Soliaco Parisiensis Episcopi ejusmodi Decretum ponere videntur ut jamdiu usitatum. Guido Episcopus Altisiodorensis anno 1249. constituit Scholasticum Ecclesiæ suæ deinceps Capellanum suum fore, hoc est Vicarium suum in functionibus Chori: sed & hominem suum ligium, salva fide quam Capitulo deberet. *Erit homo ligius Episcopi, & ei fidelitatem faciet, salva fidelitate quam debet Capitulo, tanquam Canonicus.*

In Concilio Cicestrensi anno 1289. damnata sunt juramenta, quæ exigebant Abbates à Parochis, qui sibi instituendi præsentabantur, tanquam pactio quædam simoniaca. *Fidelitatis exigunt juramentum, &c. Nec exactores finimus impunitos, cùm simoniacam contineant pravitatem.* Nimirum fidei sacramento, quasi ligius homo & vassallus quis evadebat; eo quoque se obligabant non rarò, qui pensiones à quopiam annuas accipiebant, ut suprà ostensum est: hinc ergo suspiciones pactionis simoniacæ.

Cap. 33. Prohibuit Bajocensis Synodus, anno 1300. ne quis Patrono sacramentum antè præstaret, quam ab Episcopo institutus in eo Beneficio fuisset, Episcopo in se recipiente, post institutionem illud quidquid est obsequii præstitum iri. *Cap. 43.* *Episcopus receptum faciat jurare quod ad Patronos accedet, ut debitum faciat juramentum.* *Can. 9.* Concilium Rotomagense anni 1335. sanxit, ut Parochi qui ab aliis instituti fuissent, quam ab Episcopis, aut eorum Vicariis Generalibus, intra quadraginta dies eis se sisterent, Chartas exhiberent provisionis, & sacramentum præstarent fidei, obedientiæ, residentiæ, totiusque Officii pastoralis. *Præstiturus Diœcesano de & super obedientia, fidelitate, & residentia & aliis consuetis, debitum & solitum juramentum.* *Spicil. to. 12. pag. 165.* Anno 1218. cùm tres in Ecclesia sua dignitates crearet novas Episcopus Ambianensis, & Parochias eis aliquas in dotem adsignaret, Parochis juramentum præscripsit exolvendum illis, qui eis dignitatibus investirentur. *Ibidem. To. 13. pag. 229.* Anno 1313. Archidiaconi Andegavenses hominium ligium & juramentum fidelitatis Episcopo præstabant. Cum enim fuissent Archidiaconi Vicarii Generales, & velut Administri universales Episcoporum per plura sæcula, non in spirituali tantùm, sed & in temporali rerum administratione, minimè mirum est, quòd eorum fidem his vinculis Episcopi sibi astringerent.

Ecclesiæ Nicosiensis Constitutiones in insula Cypro, ab Apostolicæ sedis Legato promulgatæ anno 1248. edicunt ut Decanus electus, si Presbyteratu initiatus nondum est, juret intra annum se ordinatum iri, & hominium præstet Episcopo. *Can. 9.* *Archiepiscopo Nicosiensi homagium facere teneatur.* Anno 1370. Urbanus V. voluit, ut Episcopi qui à Papa promoti fuissent, immo & consecrati, vel ex ejus delegatione: & qui proinde illi sacramentum persolvissent usitatissimum fidei: *ac fidelitatis nobis & eidem Sedi præstant solitum juramentum*, nihilo tamen minus tenerentur ad præstandum Metropolitanis quoque suis sacramentum solenne. *Reinal. an. 1370. n. 10.* Editum est hoc Decretum curante Metropolitano Tolosano. Ex quo vides, quàm tota hæc in Galliis vigeret Disciplina. Quod & antea patefactum fuerat sub Innocentio III. cum Archiepiscopus Burdigalensis apud eum conquestus est de Episcopo Pictaviensi, qui ex quo ordinatus fuerat, ne semel quidem Ecclesiam invisisset Burdegalensem, quanquam eò incitatus & excitatus fuisset, ipsius sacramenti sui contemplatione. *Nunquam Metropolitanam Ecclesiam postmodum visitavit, licet pluries vocatus fuerit ad eandem in virtute obedientiæ, ac sub debito juramenti, quo Ecclesiæ Burdegalensi tenetur.* *Regest. 13. Epist. 92.*

In Concilio Salisburgensi anni 1420. jussi sunt Parochi, vi sacramenti, quod Episcopo dum ordinarentur persolvissent; ne alienæ Parochiæ cives admitterent suis in Ecclesiis. *Sub debito juramenti, quod Episcopo in receptione sacerdotii præstiterunt, &c.* *Cap. 25.* Synodus Frisingensis anno 1440 in votis habuit, ut etiam tum cum Episcopus quis à Papa designaretur, ex Reservationibus iis, quibus Basileensis ipsa Synodus subscripsisset; solito nihilominus fungeretur sacramento, quo se suo etiam astringeret Metropolitano: *Ut immediato superiori præstet debitum juramentum.* *Ibidem.* In Comitiis Bituricensibus, ubi fabricata est Pragmatica Sanctio, anno 1438. idem expressum, ut quos Pontifex Episcopos promovisset, eos ad proprium amandaret Metropolitanum, ab eo consecrandos: nisi si Romæ essent, & ibi cuperent consecrari. Quo etiam dato, tenerentur tamen postea Metropolitanos adire, eisque sacramentum obedientiæ exolvere. *Debita obedientia juramentum.* *Titulo. De Elect. C. Licet. § Et nihilominus.*

XII. Author Glossæ in Pragmaticam fidem facit, Episcopos adhuc aliquos à Beneficiariis omnibus sacramenta exigere; sed in dies exolescere eam consuetudinem, quòd tacita insectatur ipsi beneficiorum provisioni ea promissio. *Sed mos iste non est com-* *Ibidem.*

munis, cùm ille intelligatur tacitè. Beatus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui diem suum obiit anno 1459. author est in Summa hominium pro rebus spiritalibus improbari ab Ecclesia Romana, ad cujus formam reliquæ Ecclesiæ effingere se debent: propterea nimirum quod hominio contineatur sacramentum fidelitatis, quod non exolvitur, nisi

To. 2. Tit. 10. pag. 292.

pro rerum temporalium administratione. *Homagium indignum est, & à Romana Ecclesia alienum, ut pro spiritualibus facere homagium compellatur quis, &c. Homagium dicitur juramentum fidelitatis, quod non licet facere pro aliquo spirituali, &c.* Eo ergo admodum tempore cœpit paulatim exolescere usus sacramentorum in minoribus Beneficiariis; solisque integrum servari Episcopis & Abbatibus.

Cap. 12. § 6.

Nonnullis tamen in Ecclesiis subobscura superfuere vestigia aliqua. Concilii Mexicani Actis anno 1585. intextum est sacramentum, quo Præbendarii Ecclesiæ, Capitulo & Episcopo subjiciebantur; multa ibi ad spiritale, multa ad temporale regimen pertinebant; nec aberant, quæ sacramenti fidelitatis propria & peculiaria sunt. In Concilio Avenionensi anno 1594. jussi sunt Episcopi, nequod unquam conferrent Beneficium, nisi expresso obe-

Can. 36.

dientiæ & fidelitatis juramento: *Juro fidelitatem & obedientiam.* Sunt & specialia aliqua in sacramento Parochorum. In Concilio Mediolanensi I. commentati sunt Præsules novam sacramenti formulam, qua Beneficiarii devinciantur; ea verò non spectat nisi ad detestandam simoniam, & ad res Ecclesiæ

Act. Eccl. Med. pag. 24. 98.

temporales in tuto collocandas. Alia accuratior Parochis temperata est in Concilio Mediolanensi III. ut astringantur obtemperare Pontifici, & Episcopo proprio, residere, & temporalia Ecclesiæ non dilapidare. Eam consuetudinem quibusdam *jam* in Ecclesiis *vigere* ibi affirmatur; *Ut jam in nonnullis hujus Provinciæ Ecclesiis consuetudo est.* Mallem dixissent *adhuc vigere*, antiquissima enim & vulgatissima ea fuerat.

Quid causæ autem fuerit, ut paulatim exolesceret ea consuetudo, non difficile est divinare, veternus scilicet & ignavia, qua tot alia extincta sunt lumina antiquioris disciplinæ. Cæterùm aut laxatis, aut abruptis his vinculis, non jam Clerici, & Beneficiarii potissimum, ita ut quondam, congl'utinari Episcopo suo, & toti ab eo pendere nisi sunt: non ita Ecclesiæ suæ innecti, & in ejus sinu residere: non ita denique priscis addici Canonum constitutionibus. Sacramentis illis sacratissima hæc omnia & sanctissima vincula constringebantur. Illæsum superest sacramentum, quo Episcopi omnes obligantur Papæ, quo certè Ecclesiastici Sacerdotii vinculo nihil sanctius, nihil ad Ecclesiæ perpetui-

Reinald. Anno 1531. n. 90

tatem invictius. Non pœnitebit, si vacat, consuluisse Annales Ecclesiasticos, & observasse, quam ægrè potuerit scelestissimus mortalium Chramnerus, ad Archiepiscoparum Cantuariensem designatus ab authore schismatis ipso Henrico VIII. in eam irrumpere sedem, per quos cuniculos, quibus artibus grassatus sit, cùm id non posset, nisi exoluto Papæ sacramento, quo schismatis virus prævertebatur.

XIII. Cæterùm præter duas formulas Episcoporum juramenti suprà memoratas, supersunt & aliæ duæ. Altera fuit Alexandri VI. Papæ, quæ bre-

Floren: ad Tit. 8. Decretal.

vi conticuit. Altera est Clementis VIII. in Romani Pontificalis revisione, seu recensione. Sacramentis his omnibus inserta sunt capita fidelitatis quædam, quæ suspicantur aliqui ex natura & legibus

Feudorum manasse. Sed ea sacramenta Feudis non paulò antiquiora esse, simillimum veri est. Quanquam nec inter doctos constet de origine initiisque Feudorum. Nec mei est ea quæstio instituti, nec mearum virium. Sed proximè ad verum accedit, & ex antedictis subolet, antè in Ecclesia locum fuisse his sacramentis, quam juramentis feudorum. Vix potest quisquam inficiari, quin *Beneficia* primùm laici obtinuerint ab Ecclesia, quæ verè Feuda dici poterant, antequam ulla alia essent Feuda.

De Ecclesia Orientali tacui, quòd horum illa sacramentorum expers fuerit. Unde & facilè conjicitur ex consuetudine & contubernio Latinorum profectum id esse, ut Patriarcha Maronitarum sacramenta acciperet ab Episcopis omnibus, Clericisque suæ ditionis, forsan & à laicis Montis Libani. Perspicua res est in litteris Maronitarum ad Leonem X. Papam: *Patriarcha confirmatur, & juratur, daturque ei obedientia ab omnibus Prælatis, totaque natione.* Conc. Gen. To. 14. pag. 310. Periculosissima Photii molimina Synodum VIII. Oecumenicam impulere, ut ea præscriberet sacramenta, ad conturandam pertinentia Patriarchæ personam. Nulla tum ejusmodi in Ecclesia Latina exigebantur. Quæ postea nefariè & truculentissimè iterata sæpius sunt in vitam & libertatem summorum Pontificum, vel inusitatis his medicamentis uti coëgere. Conquestus est Ivo Carnotensis ad Metropolitanum suum de Capitulo Carnotensi, & de contumeliis sibi ingestis, quanquam sacramento sibi Canonici essent omnes obnoxii. *Ipsi igitur, quamvis mei homines essent, & per manum & per sacramentum, furiosè & clamosè sedem meam circumdederunt, &c.* Illud *hominium*, illud fidei sacramentum erat, quo Canonici Episcopo suo constringebantur, & quo vix satis poterant contumeliæ & probra cohiberi. Ita in exemplis Photii & Ivonis, in Ecclesiæ ipsius Orientali & Occidentali Jure improbantur, & approbantur ea juramenta, pro locorum temporumque variis vicibus, pro multiplici Ecclesiæ necessitate.

De Sacramentis & Hominiis, quæ summis terræ Principibus exhibita sunt à Præsulibus.

CAPUT XLVII. *P. 2. l. 2. c. 38.*

De Sacramento fidelitatis & de Hominio, quod summis sæculi Principibus Præsules Ecclesiæ præstiterunt ante annum Christi octingentesimum.

I. In Oriente, nec Patriarcha, nec Episcopi Imperatoribus sacramento ullo obligabantur: quia ab ipsis exprimebant quandoque juramentum non desciscendi à fide Ecclesiæ.

II. Vetuerat Justinianus, ne Episcopi jurare unquam adigerentur, etiam in judicio.

III. Cœpere in Hispania Episcopi Regibus fidelitatem jurare. Argumenta varia ex Conciliis Toletanis.

IV. Generalia tantum ea erant juramenta.

V. VI. Documenta alia ex Conciliis Toletanis.

VII. VIII. Nullus adhuc eorum usus in Gallia, quanquam Regibus obsequentissimi essent Episcopi.

IX. X. XI. Græci à juramentis olim alienissimi, ut ad ea tandem deflexerint.

XII. XIII. De sacramento quod Vandali Reges à Catholicis Episcopis exigebant. Cur jurare eorum alii non abnuerint, alii constantissimè detrectarint.

I. Cum & electionibus Episcopalibus jamdiu constet intervenisse Reges, & nominatos etiam ab eis fuisse Episcopos: jam minus mirum erit, si hominia quoque ab eis, & fidei sacramenta elicuerint. Vidimus jam Cyrum Patriarcham Alexandrinum subscribentem se Episcopum misericordiâ Dei, & voluntate Imperatorum, *per divinam sanctionem, καὶ θείαν θέσπισμα.* Ejusmodi verbis locum fuisse superiore etiam ævo, & sanctiore, alibi diximus. Sed nihil hic usquam, quod hominia, vel sacramenta redoleret Principibus exhibita. Quin ex adverso Euphemius Constantinopolitanus Patriarcha constanter negavit Anastasium Imperatorem regia corona à se redimitum iri, donec scripto pollicitus esset, & firmasset sacramento, tuiturum se fidem Concilii Calchedonensis. *Euphemius usque eo consentire noluit, quoad Anastasius chirographum jurejurando confirmatum ei dedisset, quod planè declararet, cum si sceptra Imperii susciperet, fidem sinceram servaturum.* Hanc Imperatoriam chartam Patriarcha servandam dedit Custodi sacrorum vasorum. Omni ope enixus est Anastasius, ut eam reciperet, & extorqueret Euphemii successori Macedonio, quasi pudendum foret Imperatoriæ Majestati, ejus se fidei tuitioni sacramento obligari, cujus saluti salus Imperii contineretur. Maluit porro Macedonius ipsam sibi Patriarchalem extorqueri dignitatem, quàm istiusmodi chartam, antiquæ fidei pignus. *Quippe dedecori est Imperio, si chirographum illud reservetur, &c.*

Theodorus Lector. l. 1. Evagr. l. 3. c. 22.

Ejusdem modi Chirographum expressit Cyriacus Patriarcha à Phoca Imperatore, ut author est Theophanes, & ex eo Anastasius Bibliothecarius. *Cyriacus Patriarcha sponsionem à tyranno exigit, quâ se rectam fidem retenturum, Ecclesiamque à turbis immunem conservaturum promitteret.* Nec ab eo deinceps more descitum est; quocirca & idem Theophanes testatum facit Germanum Patriarcham iniquissimo animo ferentem sacrilegas innovationes Leonis Isaurici Imperatoris, in memoriam illi revocasse, quo se sacramento in capessendis primùm Imperii gubernaculis obligasset, nihil novaturum in fide Ecclesiæ, vel in Apostolicis traditionibus. *Fidei vero cautionem ante susceptum Imperium oblatam in memoriam Patriarcha revocavit, ut nimirum Deo in fidejussorem dato, nihil Apostolicarum & traditarum à Deo legum, circa Dei Ecclesiam penitus se innovaturum promisisset.*

Theophanes in Chronog.

II. Qui venisset in mentem Imperatoribus, ut ab Episcopis qualiacumque exculperent juramenta, cùm vetuerit Justinianus in Codice Legum, ne quis eos unquam jurare adigat, & ne in judicio quidem: quod Episcoporum verbis, quam aliorum sacramentis plus fidei sit, plus authoritatis insit. *Ut propositis sacris Evangeliis, secundùm quod decet Sacerdotes, dicant ea quæ noverint, non tamen jurent.*

Cod. l. 1. De Episc. & Cler. leg. 7.

III. Non ergo in Oriente vestigandæ sunt origines sacramentorum ab Episcopis sæculari Principi exolutorum. Occurrent illæ potius extremis in Occidentis finibus, videlicet in Hispania. Cùm enim eligerentur Reges, damnanda levitate, aut execrabili potius perfidia Clerici quandoque ipsi incitabantur, ut novis tyrannis fidem adderent, legitimis jam pridem Principibus desponsam. His ut malis obviam iretur, Clericis æquè ut laïcis impacta necessitas est, ut solenni sacramento fidem suam Principibus astringerent. In Concilio Toletano VII. commemoratur ea, tanquam vetustate jam roborata consuetudo, cui communiendæ, pœnæ decernuntur novæ, adversùs eos qui & Ecclesiæ sanctitati, & Reipublicæ incolumitati tam necessarium temeraverint juramentum. *Sed quia plerosque Clericos inconstantiis levitatis, interdum pravitatis præsumptio ita elevat, ut prætermissa Ordinis sui gravitate, ac polliciti sacramenti immemores, constante Principe, cui fidem servare promiserant, in alterius electionem temeraria levitate consentiant.* Pœnæ ipsæ in rebelles sancitæ eo sacramento implicabantur, de quibus nihil unquam remittendum jurabatur, quantumvis Rex præciperet. *Quoniam potestati Principis nullus Sacerdotum in hoc prebere debet assensum, unde vel perjurium videatur incurrere, &c.*

Concilii tamen VIII. Toletani Patribus levandas nonnihil eas esse visum est; utque ne sacramento suo obstrepere viderentur, prolixè antè præfati sunt, fidei clementiam nihil officere: *Ut nos nec juramenti teneat cautio reos, nec inhumanitas faciat execrandos:* denique commutanda necessariò decreta, ut utilitati publicæ serviatur, cui nisi illis aliquando mutandis non satis consulitur. *Etenim incommutabilis Dei natura, sua sæpè in sacris litteris legitur mutasse promissa, & pro misericordia temperasse sententiam. Crebro Dei, quamlibet immutabilis & impassibilis, leguntur juramenta, & pœnitentia.* Episcopos, Clericos, Monachos eo sacramento innecti solitos fuisse, & obligari Regibus; exauthoratos verò fuisse, si ejus violati crimine convincerentur, nec restitui unquam, nisi à Regibus ipsis potuisse: docet nos Concilium X. Toletanum: *Ut si quis Religiosorum ab Episcopo ad extremi usque Ordinis Clericum sive Monachum, generalia juramenta in salutem Regiam gentisque aut patriæ data, reperiatur violasse voluntate prophana, mox propria dignitate privatus, & loco & honore habeatur exclusus, & miserationis obtenta solummodo reservato, ut an locum, aut honorem, an utraque possideat, concedendi jus licentiamque principalis potestas obtineat.*

Can. 2. *Can. 2.*

IV. Obiter monebo hujus Canonis verbis insinuari, *Religiosos* dictos ibi tunc fuisse non Monachos solos, sed Episcopos, omnesque Cleri gradus, usque ad minores Clericos, eoque in Ordine *Religiosorum* extremos fuisse Monachos. Non injuria autem vocantur hæc *generalia juramenta*. Cùm enim ea jurandi lex Monachos etiam, & Clericos minusculos complecteretur, non poterant ii omnes sigillatim juramenta hæc Regibus præstitisse. Necesse est ergo ut vel in solenni Conventu Regiæ coronationis, vel in Comitiis Regni Generalibus, vel in Conciliis, Episcopi, & Clericorum, Monachorumque Prælati, in hanc se jurando inviolabilem obligarent fidem, suo & inferiorum suorum nomine. Etiamnunc enim Regum subditi omnes sacramento fidei eis devinciuntur, sed ejusmodi quod eorum origini & nascendi conditioni sponte sua implicatum est, quodque solenniter præstatur in Regum inauguratione, non à præsentibus tantum omnibus, sed & ab omnibus qui ibidem per alios repræsentantur.

V. In Concilio Toletano XVI. anno 693. ejectus est sede Sisbertus Toleti Metropolitanus, tanquam violati sacramenti reus, inita adversùs Regem conjuratione. Ne communio quidem concessa illi est, nisi ad exitum vitæ, nisi Regis clementia hanc mitigaret pœnæ acerbitatem. *Est quorundam sæcularium, & quod pejus est, Sacerdotum improbanda satis obstinatio animorum, ut fidem suis Principibus sub juramento firmatam observare contemnant. Sisber-*

Can. 6.

tus pro sui juramenti transgressione, facinorisque tanti machinatione, repellatur à communione, &c. Eadem cursus pœna innovatur in Religiosos omnes, hoc est in Clericos, Monachosque.

VI. Sed cùm generalia attigerimus sacramenta, Regibus Hispaniæ persolvi solita, in Regni Comitiis, vel in Conciliis Nationalibus: eorum prima constitutio & forma ex Concilio Toletano IV. exploranda nobis hic est. Quibus incomperta non est ratio, qua fiunt hæc etiamnunc juramenta, cùm regia decorantur corona, vel Reges ipsi, vel iis jubentibus eorum filii, vel hæredes: illis hinc facilè patebit illustria quædam in his superesse veteris Disciplinæ vestigia. Ergo in eo Toletano Concilio IV. anni 633. post confixos diris execrationum jaculis proditores Principis & Patriæ: *Tanta extat perfidia animorum, ut fidem sacramento promissam Regibus suis servare contemnant, & juramenti professionem.* Post præfixas regnorum leges, quæ ad sedem Regiam veniri jubent, non violenta grassatione, sed Pontificum & Optimatum electione: *Nullus apud nos præsumptione Regnum arripiat, nemo meditetur interitus Regum; sed defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum Sacerdotibus successorem regni Concilio communi constituant.* Post declaratam juramenti sanctimoniam, quo in summum Principem fungi debent subditi omnes: *Quicumque à nobis, vel totius Hispaniæ populis qualibet conjuratione vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro Patriæ gentisque Gothorum statu, vel conservatione regiæ salutis pollicitus est, temeraverit:* His præmissis omnibus ter idem sacramentum à Concilio innovatur: *Hoc etiam tertiò acclamamus, dicentes, Quicumque ex nobis sacramentum fidei suæ, &c. Et ideo si placet omnibus qui adestis, hæc tertiò reiterata sententia, vestræ vocis eam consensu firmate. Ab universo Clero, vel Populo dictum est, Qui contra hanc vestram definitionem præsumpserit, Anathema, Maranatha, &c.* Ita Clerus Populusque universus per delegatos suos religioso hoc se fidei vinculo Regibus obligabat. Hinc patet etiam usum hujusmodi sacramenti paulò vetustiorem hoc Concilio fuisse. In Concilio Toletano V. sancitum est, ut hoc deinceps Decretum in omnibus Hispaniæ Conciliis ad Regum Regnique defensionem innovaretur. Concilium Toletanum VI. & alia posteriora omnia ei paruerunt decreto, & tot tantisque consultissimis cautionibus, aperuerunt quantis vallentur periculis regna ea, ubi electione Reges creantur. Ex vi autem Canonis hujus Toletani Concilii IV. damnatus est proditor Paulus cum consortibus perfidiæ suæ in Regem Vambam, quos inter erant & Episcopi, ut narrat Julianus Toleti Metropolitanus.

Can. 75.

Can. 7.

VII. Cùm hæreditario jure ad Regum proles posterusque Galliæ Regnum devolveretur, non erat quod metueretur, non erat his cautionibus locus. Cadurcensis quidem Episcopus Desiderius ad Sigebertum Regem scribens, ejus se beneficio & gratia Episcopum, servumque nuncupat: *Sigeberto Regi servus vester, Desiderius Cadurcæ urbis Episcopus, Sigeberto Regi Desiderius servus servorum Dei, atque per gratiam ejus Cadurcæ urbis Episcopus.* Sentio fore, qui *gratiam ejus* hoc loco referant ad Deum, nec *servi* nomine Vassallum designari sinant. Sed inficias ierit nemo, quin scripta mox ad Dagobertum Regem Epistola illud apertissimè sonet quod volumus, & priores illas litteras ad hunc eundem sensum cogat traduci. *Dagoberto Regi servus servorum Dei, & vester fidelis, &c. Ut de conditione Cadurcinæ Ecclesiæ, cui Deo authore ex jussu vestro præsideo.*

Epist. l. 4. 5. Bibl. Patr. to. 3. p. 412. 413.

VII. Constat etiam S. Leodegarium Episcopum Augustodunensem, cùm urgeretur accedere partibus Clodovæi Regis, quem in eum apicem factio temeraria quædam extulerat, contestatum fuisse fidentissimè, vita se antè, quàm fide spoliari posse, quam Regi Theodorico devovisset. *Quousque me Deus in hac vita jusserit superesse, non mutabor à fide, quam Theodorico promisi coram Domino conservare.* Nec tamen in his ulla juramenti memoria, sed fidei tantùm, quam ex officio dependere & deberent & vellent, ut summum polliciti essent, non jurati tamen. Beati Eligii Noviomensis Episcopi vitam litteris mandavit B. Audoënus, ubi & illud præstantissimè commendavit, ut spectata ejus pietas & ipsa à juramentis religiosa mentis alienatio plus fidei & momenti habeat, quibuslibet juramentis. Cùm in Regio Palatio juventæ florem transigeret Eligius, expetiit Rex, ut ad sanctorum Martyrum Reliquias fidei sibi sacramentum exolveret. Ille pari vigore & modestia detrectavit, nec eo Regem ira, sed admiratio incessit, atque non fucata congratulatio, sponsioque tantò se plus illi fidei injurato habiturum: *Pollicens se plus eum ex hoc jam crediturum, quam si multimodo tunc dedisset juramenta.* Æquum est ergo, ut eam existimemus adhuc viguisse persuasionem Episcoporum fidei constantis & inconcussæ in omnium passim fidelium animis, ut eorum simplex promissio & affirmatio certior haberetur, quam iterata cæterorum sacramenta.

Vita S. Leodegarii. Du Chesne. To. 1. pag. 607.

L. 1. c. 6.

IX. Si quæras autem cur tantoperè à juramentis abhorrerent Orientales, respondebimus Concilio ipso Calchedonensi ei dubitationi elucidamentum accersi posse. In ejus enim Actis legitur Theodosius junior Imperator flagitasse, ut Episcopi juramento firmarent fidem instrumentorum quorundam, quæ in medium proferebantur. At Basilium Episcopum Seleuciensem contestatum protinus esse, novum esse & inauditum, cogi Episcopos ad jurandum: prohibita à Christo esse quæcumque juramenta, denique stabili jam consuetudine firmatum esse, ut Episcopi non aliud quam sanctè affirmarent, siquid haberent comperti, religioso illo tremore, quo sacris operari solent. *Hactenus juramentum Episcopis nescimus oblatum. Sed & præceptum est nobis à Domino Christo, non jurandum, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque, &c. Unusquisque verò sicut ante altare stant, Dei timorem habens præ oculis, & propriam conscientiam mundam servans Deo, quod in memoria retinet, nullatenus debet intermittere.* Et sanè mox Thalassius Episcopus non aliud à Presbytero expressit, quam ut quod deposuerat, ad Evangelicum Codicem affirmaret: *Sufficiebat quidem & opinio Joannis Presbyteri; Quoniam vero Evangelium nobis omnibus est antepositum, rationabile est & ipsum super his quæ dicis, coram Evangelio roborare.* In alia ejusdem Concilii Sessione querimoniæ personant Cassiani Presbyteri, graviter expostulantis de quibusdam Episcopis, quorum vi & impotentia compulsus fuisset ad Evangelia jurare, quod ne laicus quidem fecerat unquam, etsi Fori negotiis & molestiis implicatus tum esset. *Dixi, Hodie viginti quinque annis communico, Constantinopoli negotium agens, & Deus est, qui novit, quia nunquam juravi alicui: & nunc dum Presbyter sum, cogitis me jurare? Qui sumentes Evangelium dederunt mihi, & juravi eis.*

Act. 1.

Act. 11.

X. In Sexta tamen Oecumenica Synodo Georgius Diaconus, idemque Chartophylax & Bibliothecarius Ecclesiæ Constantinopolitanæ, sacra Act. 13.

Evangelia manu attingens, per eas divinas litteras, & per eum à quo sunt inspiratæ, jurasse legitur, in nulla se incidisse Acta, ex quibus obliquæ suspicionis aliquid aspergi posset fidei, memoriæ, & famæ Thomæ, Joannis & Constantini Patriarcharum Constantinopolitanorum: quo juridico testimonio contenta sacra Synodus, secundùm tres illos Patriarchas pronunciavit, sacrisque Diptychis, quæ inter sacrorum solennia recitantur, vetuit eorum nomina expungi. *Et tactis propositis sacrosanctis Dei Evangeliis, juravit hoc modo, per has sanctas Scripturas & Deum, qui per eas locutus est, &c.*

XI. Remiserat jam tum ergo Ecclesia Græca, priscosque Canones, & Civiles Leges ipsas molliori tractare pollice cœperat, concesso Clericis eo, ut Canonicis in Judiciis jurare possent, clementiusque interpretarentur ipsa Evangelia, super quibus juramenta disertè prohibentibus jurabatur. Antea autem vel sola Marciani Imperatoris Constitutio in Codicem Justiniani conjecta, argumento est, ad horum usque tempora Imperatorum, Evangelicos Codices, Ecclesiasticos Canones, & ipsas leges Imperatorias unanimi consensu conspirasse ad juramenta à Clericis non exigenda. Jubet Constitutio Marciani, ut Clerici, quibus lites intenderentur, cautiones dent, quod jurare adigi nequeant, propterea quod prisci Canones jurare eos vetent. *Det cautionem suam, cui nullum tamen insertum erit jusjurandum, quia Ecclesiasticis regulis & Canone à beatissimis Episcopis antiquitus instituto, Clerici jurare prohibentur.* Quin & suo ævo videtur Balsamon confirmare, Episcopis & Clericis relaxari solita sacramenta, scripto data promissione, vicem obeunte corporalis sacramenti. Ex quo ille argumentatur temerè & contumeliosè fieri, ubi à Lectoribus juramentum exigitur: cùm in Clero censeantur Lectores: *Prohibitus est omnino Episcopus, vel Clericus jurare. Propterea enim etiam loco sacramenti corporalis, excogitata est inscriptio, quæ sacramenti locum obtinet, & implet omnia, quæcumque sacramentum corporale facturum est. Lectores itaque malè coguntur dare juramenta corporalia: Sunt enim Clerici.* Sacramentum verò Chartophylacis Constantinopolitani in VI. Synodo suprà memoratum, videri potest minimè conflictari cum Balsamone, cui, uti & Marciano suprà Imperatori, sermo institutus est de iis tantummodo, quæ ad sæcularium Tribunalia Judicum gererentur.

Codic. De Episc. & Cler. leg. 25

In Nomoc. Tit. 9. c. 27

XII. Venio ad Ecclesiam Africanam, ubi à Victore Episcopo, libro tertio de Persecutione Vandalica narratur, Hunericum Vandalorum Regem Episcopis Catholicis præcepisse, ut in id jurarent, quod præsenti Charta contineretur. *Festinabant extorquere ab Episcopis sacramentum.* Responsum est à duobus Episcopis, cæterorum omnium nomine, non posse se, ceu brutas animantes, in ea jurare, quæ ignorarent. *Numquid an malia nos irrationabilia sumus, ut nescientes quid carta contineat, facilè aut temerè juremus?* Renunciatum est illis, sacramentum illud esse fidelitatis, quo testarentur, cupere se, ut Hildericus Hunerico parenti in Regnum succederet, nec quidquam se litteratum daturos, ad regiones trans mare positas; eo defunctis sacramento despondebatur, suis omnes Ecclesiis restitutum iri. *Si sacramentum hujus rei dederitis, restituet vos Ecclesiis vestris.*

Pia quadam simplicitate horum Episcoporum nonnulli, opinati sunt sibi fas esse, illud persolvere sacramentum, quod non negabant illi quidem præceptis Evangelicis refragari: sed verendum esse existimabant, ne eo recusato fideles exprobrarent, in causa fuisse Episcopos, ut ne suæ Catholicis Ecclesiæ restituerentur. *Cogitavit tunc multorum pia simplicitas, etiam contra prohibitionem divinam sacramentum dare, ne Dei populus diceret, &c.* Cautiores alii, & fraudem in his verbis delitescentem subodorati, id sacramentum omnino repudiarunt, quæsito sibi ab ipsis Evangelicis verbis patrocinio, ubi proprio Christus ore, æterna & incorruptibilis veritas, jurare prohibet. *Alii quoque astutiores Episcopi, scientes dolum fraudis, nequaquam jurare voluerunt, dicentes prohibitum fuisse Evangelica authoritate, ipso Domino dicente, Non jurabis in toto.* In exilium mox acti sunt hi omnes Episcopi: alii quod præter Evangelicas præceptiones jurassent: *Jurantibus dictum est, Quare contra præceptum Evangelii jurare voluistis?* alii quod alieno essent animo à regii filii successione in Patris sedem.

XIII. Facilè subolet ex hac narratione Victoris Vitensis Episcopi, in eorum numero fuisse Victorem ipsum, qui ab eo præstando sacramento abhorrebant; sed & illud emicat, sacramentum id præstituros fuisse Episcopos omnes, si nullam eo obtendi fraudulentiam, nec fucum sibi fieri certi fuissent. Namque 1. incunctanter statim omnes Episcopi, duorum sui Collegii ore & verbis testati sunt, Non posse se juramento assentiri, nisi aperiretur prius, quid illa Charta sibi juranda contineretur. *Pro omnibus & cum omnibus dixerunt, Nunquid animalia nos irrationabilia sumus, ut nescientes quid charta contineat, facilè aut temerè juremus.* Quorsum illud expiscari, quid jurandum sibi præciperetur, si certi erant omnino jurari non posse? Generalis hæc exceptio minus Regem exasperasset, nec obliquis eos suspicionibus, & criminationibus objecisset, quibus mox lacessiti fuere. Non ergo jurare abnuebant, sed temerè & inconsultè jurare, *Ut nescientes, facilè, & temerè juremus.* 2. Non insimulat Victor nisi *piam simplicitatem* eorum, qui jurandum censebant, quòd malitiosas Arianorum artes non deprehenderent: prævaricationis in leges divinas reos egisset, si juramenta prorsus omnia damnasset. 3. Qui verò juramentum detrectarunt, eò adducti sunt, quod imposturam eo verborum fuco obductam perviderent. *Alii quoque astutiores Episcopi, sentientes dolum fraudis, nequaquam jurare voluerunt.* 4. Nec in Christianam simplicitatem commissum est ab his Episcopis, cùm ut captiosi sacramenti laqueos effugerent, responderunt, Evangelicis litteris omnino prohiberi juramenta: quanquam parati essent ad præstandum juramentum, si fraudulentia abfuisset. Jurari enim ideo prohibet Evangelium, ut ne falsò, vel leviter & temerè, ac citra necessitatem juretur. Liberum ergo licitumque juramentum est, ubi procul sunt hæc jurandi vitia. Cùm ergo Episcopis his Afris persuasissimum esset, eo juramento obumbrari fraudes & laqueos, quibus irretirentur, ut eventu ipso plus satis comprobatum est: jurare utique illi tum nequibant, nisi levissimè, temerè, in suum & Ecclesiæ dedecus. Tunc ergo fas non erat eis jurare, si Evangelio obaudire vellent; unde & simpliciter, & pia tamen sagacitate responderunt, Evangelica præceptione vetari juramenta, nimirum id genus circumstantiis vestita. Ex adverso autem alii minimè suspicaces, quibus nihil subolebat fraudis, jurare poterant intemerata Evangelii reverentia, cùm sacramentum illud infucatum reputarent, & Ecclesiæ compendiosum.

In histor. Vandal. persec.

Opinionum igitur dissensio in eo negotio inter Episcopos hinc scatebat, quod in variis & peculiaribus ejusdem negotii circumstantiis, alii sapientius adversariorum artes & machinas suspicari declinarunt, alii simplicius secum agi, & agendum sibi esse persuasi fuere: neutri vel ab Evangelicis de juramento regulis, vel à se mutuò in ea quidem re dissentientes. Nec sanè poterant Africanos Episcopos fallere, quæ tam copiosè & luculentè de juramentis edisseruisset Augustinus. Enimvero collaudat ibidem mox Victor, invictissimæ patientiæ germanos duos Martyres, qui sese mutuò cohortabantur, incendebantque renovata memoria juramenti, quod super Christi corpore & sanguine persolvissent. *Noli, noli frater, non ita juravimus Christo. Quia super corpus ejus & sanguinem juravimus, ut pro eo invicem patiamur.*

CAPUT. XLVIII. *P. 3. l. 2. c. 37.*

De Sacramentis fidelitatis, quæ summis Principibus persolvere Episcopi, & Abbates sub Imperio Caroli Magni.

I. Per octingentos annos Principes Catholici nulla à Clericis juramenta expressere, ob spectatissimam eorum religionem, & aversationem juramentorum.

II. III. Probationes ex Legibus Romanis & Longobardicis.

IV. Cœpere Carolus Magnus, & Ludovicus Pius exigere ab Episcopis ipsis sacramenta & promissiones fidelitatis.

V. Quàm justis ad id adducti sint causis.

VI. Nihil hæc tunc sacramenta pertinebant ad ordinationem Episcoporum. In ipsis Regni Comitiis ab omnibus Ordinibus id obsequii præstabatur

VII. Quando cœperint Episcopi hæc sacramenta detrectare.

VIII. Nunquam major fidei labes, quàm inter creberrima hæc fidei sacramenta

IX. X. Author hujus temperamenti videri potest Hincmarus fuisse, ut ab Episcopis promissio, à cæteris juramentum extorqueretur. Argumenta ejus rei varia.

XI. De Hominio

XII. Argumenta alia Promissionis Episcoporum, juramenti cæterorum. Rursum tamen cœpere ante tempora Hugonis Capeti, exigi ab Episcopis sacramenta, non promissa tantum.

XIII. Quo differret promissio à juramento.

XIV. XV. Varii usus, moresque Germaniæ, Italiæ & Romæ.

I. CONstabat adhuc Episcopis illa sanctitatis integritas & fama, quæ eorum fidem, vel suspicionibus ipsis huminum subduceret. Itaque nullis adhuc subjiciebantur juramentis. Eodem pro modo suo Clerici alii fruebantur publico probitatis testimonio, ut simpliciter affirmantibus plus adjiceretur fidei, quam laïcis ferè cæteris jurantibus. Inconcussæ religionis famæ accedebat & alia ratio arcendorum à Clericis juramentorum, tum prohibitio scilicet Evangelica jurandi, tum publica persuasio, viri probi & fidelis nusquam verba à vero vel tantillum deviare.

In Nomoc. II. Laudat Photius in Nomocanone leges Co-
Tit. 9. c. 27 dicis, quæ vetent à Clericis usquam juramenta extundi, quòd jurare Clericos prohibeant Canones, & Leges. *Quoniam & Leges & Canones prohibent Clericum jurare.* In commentando hoc Nomocanonis textu declarat Balsamon, in Basilicis prohiberi semper, ne Episcopi, & Clerici jurent: loco juramentorum Clericis permissas esse subscriptiones, denique ne à Lectoribus quidem exigenda juramenta, cùm & illi in Clero numerentur. Quod superiori jam capite prælibatum est.

L. 1. Tit 55. III. Sartam tectamque hanc Clericis servavere
L. 3. Tit. 5. prærogativam non jurandi Leges Longobardicæ. Carolum Magnum augurantur eas compilari jussisse, vel posterorum ejus aliquem. Supersunt, eminentque in Capitularibus ipsis vestigia religiosi hujus tremoris, quo à jurando avocabantur. Concilio Meldensi sub Carolo Calvo anno 845. expressiùs prohibentur Episcopi jurare *super sacra.* Ea verò lege constringebantur, non tam Episcopi, quam qui ab eis sacramenta aliqua elicere tentabant. *Ut nullus deinceps veritatis Episcopus, solito super sacra jurare præsumat. Non enim in hæsitatione & malitia exigentis, sed in charitate non ficta fides servatur.* Capit. Car. Mag. l. 2. c 38. L. 3. c. 42. L. 5. c. 197. Can. 38.

IV. Sub Carolo tamen Magno emersisse videntur sacramenta fidei Regibus præstanda ab Episcopis & Abbatibus. In Concilio III. Turonensi anno 813. mentio fit saltem promissionis. *Admonuimus generaliter cunctos, qui nostro Conventui interfuere, ut obedientes sint domino Imperatori, & fidem quam ei promissam habent, inviolabiliter custodire studeant.* Can. 1.

Si ea tantum fuit promissio, at quæ mox erupere in Ludovicum Pium facinorosissimæ conjurationes, quibus & Episcoporum nonnulli innexi fuere, in iis satis causæ fuit, ut Pius Imperator deinceps ab eis certam juramenti formulam exigeret. Verbis conceptis id confirmatur in Concilio Aquisgranensi II. anno 836. *Statuimus, ut si quispiam Episcoporum, aut quilibet sequentis ordinis Ecclesiastici, deinceps à domno Ludovico Imperatore defecerit, aut etiam sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, proprium gradum canonica atque Synodali sententia amittat.* Cap. 2. Can. 12.

V. Magnis & Piis Imperatoribus his duobus justissimæ fuere causæ, ut ab Episcopis nova hæc elicerent antiquissimæ fidelitatis documenta. Sub illis, & ex eorum religiosa regnandi ratione, cœpere Episcopi altius insinuari Reipublicæ administrationi. Conventuum Generalium semel iterumque anno quolibet coëuntium, primam & summam ipsi Cameram implebant, ibi porro de summa Reipublicæ, & de Regni negotiis in commune consulebatur. In Regiis Consiliis primas ferè sedes Episcopi occupabant. Vassos & Vassallos habebant sibi obnoxios, copiasque militares, quas ad exercitus Regios nunc mitterent, nunc deducerent ipsi. Denique opimiora Regni Beneficia, seu feuda, Ducatus, Comitatus, Provinciæ, ditionis complures erant Episcopalis. Unum hic promo testimonium Vuillelmi Malmesburiensis, nobilissimi inter Anglos Historici, ubi docet Carolo Magno, ut sibi arctius devinciret provincias à se subactas, & Imperio suo adjectas, eam placuisse sententiam, religionem, cautionem, ut amplissima latifundia, opulentissimasque ditiones Ecclesiis conferret; tum quòd probatior sibi esset Cleri fides: tum quòd sanctiore Episcoporum authoritate, & terrore cœlestium Ecclesiæ fulminum speraret laïcos ipsos intra limites fidei & obedientiæ facilius cohibendos. *Carolus Magnus pro contundenda gentium illarum ferocia, omnes pene terras Ecclesiis contulerat, consiliosissimè perpendens, nolle sacri Ordinis homines, tam facilè quam laicos, fidelitatem domini rejicere. Præterea si laici rebellarent, posset illos excommunicationis authoritate, & potentiæ severitate compescere.*

VI. Sed quod Ludovico Pio Episcopi sacramentum, aliique exolverant Clerici, sejunctum id utique erat, & segregatum ab eorum ordinatione. Ut enim id sumas; Episcopali consecrationi conjunctum illud fuisse, an etiam cum aliorum Clericorum ordinatione censebis conjugatum fuisse? Si autem dum consecrabantur Episcopi, eo juramento Regibus astringebantur: qui fieri potuit, ut inter

to: formulas Promotionum Episcopalium nullum ejus rei vestigium sit residuum? Finitimum ergo vero est, in Generalibus Regni Conventibus, vel in solennitate inaugurationis Regiæ illa præstita fuisse sacramenta. Suppetit ejus rei argumentum ab ipsius Ludovici Pii exemplo, qui id sacramentum præstari fecit filio Carolo Calvo, ab omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus & Vassallis earum Provinciarum, quas in regnum Caroli Calvi compegerat. *Sicque jubente Imperatore, in sui præsentia Episcopi, Abbates, Comites & Vassalli dominici, in memoratis locis Beneficia habentes, Carolo se commendaverunt, & fidelitatem sacramento firmaverunt.* Confirmati & ipsi tunc Episcopi petiere libertates suas, ut antecessores Regis suis antecessoribus eas servassent intactas. *Ut jus Ecclesiasticam, & legem canonicam nobis ita conservetis, sicut antecessores vestri nostris prædecessoribus conservaverunt.*

Annales Bertini. Anno 837.

Conc. Belluaci anni 845. c. 1.

VII. Episcopos juvabat gratiam Regum colligere, hisque fidei suæ pignoribus & testimoniis eos demereri, eoque delinimento condulcare studebant non paucas amaritudines & difficultates cum his sacramentis & hominiis devorandas. Ideo nec erumpere sibi & prodi passi sunt, quantum sibi dolerent hæc humanæ servitutis vincula, nisi cum qui aliunde in eos irruebat, nec legitimus eorum erat Rex, Ludovicus Germaniæ Rex, eos ad se pellicere enixus est. Concilii enim Carisiacensis Episcopi omnes anno 858. annos addente, & styli sui facundam audaciam commodante Hincmaro Archiepiscopo Remensi, ad Ludovicum hunc Regem scripsere, Non parum discriminis interponi ab eo debere inter Episcopos & Vassallos, inter Ecclesias & prædia Imperialia, Regiaque: quibus juramentis Evangelia & Canones Episcopis interdicunt, ea ab eis Reges exigere non debere; Manus cœlesti chrismate delibutas, & Agno immortali quotidie immolando dicatas, profanandas non esse juramentis & hominiis sæcularibus; denique Sacerdotum linguas, quas in cœli claves consecravit Christus, contaminandas non esse sacramentis iisdem, quibus super sacra laïci constringuntur; quanquam tum toleranda sint juramenta Ministrorum sacrorum, quando juxta Canones infamiæ eluendæ & dissipando scandalo, purgandæque juxta Canones innocentiæ famulantur. *Et nos Episcopi Deo consecrati, non sumus hujusmodi homines sæculares, ut in Vassallitico debeamus nos cuilibet commendare, seu ad defensionem & adjutorium gubernationis, in Ecclesiastico regimine nos Ecclesiasque nostras committere, aut jurationis sacramentum, quod nos Evangelica & Apostolica atque Canonica auctoritas vetat, debeamus quoquo modo facere. Manus enim chrismate sacro peruncta, quæ conficit Corpus & Christi sanguinis sacramentum, abominabile est quidquid ante ordinationem fecerit, ut post ordinationem Episcopatus, sæculare tangat ullo modo sacramentum. Et lingua Episcopi, quæ facta est per Dei gratiam clavis cœli, nefarium est, ut sicut sæcularis quilibet super sacra juret in nomine Domini & Sanctorum invocatione. Nisi forte, quod absit, contra eum scandalum accideret Ecclesiæ suæ, & inde sic temperanter agat, sicut Domino docente constituerunt Rectores Ecclesiæ Synodali Concilio.* Subjiciunt denique magnanimitate prorsus Episcopali, si præter has causas Canonicis institutis expressas, expressa sint ab Episcopis aliqua sacramenta, injuriam eam gravem divinis Ecclesiasticisque legibus, magis quam Episcopis fuisse irrogatam. *Et si quando sacramenta ab Episcopis exacta, aut acta fuerunt, contra Deum & Ecclesiasticas Regulas, quæ Spiritu sancto dictata, & Christi sunt sanguine confirmata, acta sancta Scripturæ paginis declarantur, & exigentes atque facientes medicamento exinde salutaris pœnitentiæ indigent.*

Cap. 15.

Conc. Gall. To. 3. pag. 129. 130.

VIII. Quem ceperint Episcopi ex his querelis suis fructum, dicam, postquam uno hoc exemplo palam fecero, quam frequenter iteranda, atque adeo quam incautiosè servata fuerint hæc sacramenta. Nusquam enim crebrius & impunius violatur fides, quàm ubi tot præstruuntur in dies nova munimenta, ne violetur. Conquestus est Carolus Calvus Rex anno 850. in Concilio Tullensi ad Saponarias de Ganelonis Archiepiscopi Senonensis perfidia, qui sacramento suam illi fidem obligaverat, ex quo Clericus fuerat ejus Capellæ. *Clerico meo, in Capella mea mihi servienti, qui more liberi Clerici se mihi commendaverat, & fidelitatem sacramento promiserat.* Sed præter hoc sacramentum à Ganelune præstitum, cùm primùm Regiæ se mancipaverat Capellæ, tria ejusdem alia commemorant Episcopi hujus Concilii in Epistola ad eundem Archiepiscopum data; nempè cum Archiepiscopus creatus est, quando Imperium inter fratres Reges divisum est, & quando Carolus ipse Calvus Regia exornatus fuit corona. *Imputat quod cum juramento fidei à vobis accepto Senonum Præsulatum vobis largitus sit, & in divisione regni juramentum cum aliis feceritis, cùmque vestra electione & aliorum Episcoporum cæterorumque fidelium consensu, in Regem à vobis sit divina gratia consecratus, & Chirographo, quod vestræ fidei qualitatem & immobilitatem erga se continet, illius verò in vos firmam benevolentiam, ad omnes sinistras suspiciones utrimque abolendas competitè subscripseritis, quod omnes absque recusatione fecerunt duntaxat fideles. Post repetita toties sacramenta, &c.*

Conc. Gall. T. 3 p. 142. 143.

IX. Invidiosa ergo tunc ista sacramentorum iteratio Episcopos forsan concitavit, Regesque movit, ut pro sacramentis promissiones subscriberentur, & darentur fidelitatis. Hincmarus Laudunensis Episcopus, quo suspectam jam fidem suam Carolo Calvo Regi purgaret, hanc illi ejus novam dedit & subscripsit sponsionem in Concilio Duziacensi: *Ego Hincmarus Laudunensis Ecclesiæ Episcopus, amodo & deinceps domno Seniori meo Carolo Regi sic fidelis & obediens secundum ministerium meum ero, sicut homo suo Seniori, & Episcopus per rectum suo Regi esse debet.* Cùm vellent autem novo quopiam auctoramento suam Carolo Calvo fidem approbare omnes ejus subditi, adversùs Ludovicum Germaniæ Regem: id perfecere Episcopi professione, laïci juramento fidelitatis, quæ utraque Charta ad nos incolumis pervenit. Cùm in offensionem Caroli Calvi Imperatoris incurrisset Hincmarus Remensis, fidem illi rursus suam professus est, non alio tamen usus quam promissionis verbo. *Sic promitto ego, quia fidelis, & obediens, & adjutor Seniori meo, &c.* Et ipsemet tamen juramenti nomine donavit hanc promissionem suam Hincmarus in eo libello, quo ultus est injuriam & vim sibi factam: *Quod in isto juramento absolutè positum est, &c.* Certè ea promissio ritu sacramentorum facta fuerat, super sacra pignora Martyrum: *Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Patrocinia.*

Anno 870. Du Chesne. To. 3. pag. 139. Conc. Duziac. Collo. pag. 87. Du Chesne To. 2 pag. 413 462. Ann. 873. Anno 876. Conc. Pontigon. Conc. Gall. To 3. pag. 447.

Hincmar. To. 2. p. 834

In eo Tractatu, magni animi & doctissimus Præsul Hincmarus, sacris Codicibus vetari juramenta affirmat; à Christo ipso pronunciatum esse, quidquid simplici superadditur affirmationi, malum esse, à malo esse; hoc est, ex sententia sanctorum Patrum, à vitio proficisci, vel jurantis, vel juramentum exigentis;

gentis : à Conciliis Nicæno & Calchedonensi, à Pontificibus Leone & Gregorio susceptos fuisse Arianos, Nestorianos, Eutychianos sola fidei professione, sine juramento; denique Ludovicum ab Episcopis, qui conjurationi adversùs eum turbæ, vel lubentes, vel illubentes implicati fuerant, non expressisse nisi professiones ejusmodi : & ne ab Ebbone quidem, qui signifer & dux aliis præfuerat, amplius quidquam extorsisse. *Patres Nicæni, Synodus Chalchedonensis, Leo, Gregorius, Episcopos, qui Ariana, vel Eutychiana perfidia consenserunt, & Nestorianos sola professione ac subscriptione sine juramento alio recipere in suis ordinibus decreverunt. Et pia memoria pater vester ab Episcopis, qui vel voluntarii, vel inviti in sua dejectione consenserunt, sed nec ab ipso Ebbone, qui author & inventor ipsius dejectionis duntaxat inter Episcopos fuit, non aliud sacramentum, nisi libellos professionis à se subscriptos, quos ego habeo, requisivit.*

X. Cùm ab Hincmaro Regiis primùm insignibus cinctus fuerit Ludovicus Balbus Rex post obitum parentis Caroli Calvi, hinc ambigi vix potest, quin author ille fuerit ejus discriminis inter Episcopos & Abbates servati. Quippe promissa ab Episcopis, ab Abbatibus jurata est fides. *Episcopi se suasque Ecclesias illi ad debitam defensionem & canonica privilegia sibi servanda commendaverunt : profitentes secundùm suum scire & posse, juxta suum ministerium consilio & auxilio illi fideles fore. Abbates autem & regni Primores ac Vassalli regii se illi commendaverunt, & sacramentis secundùm morem fidelitatem promiserunt.* Cùm antè Episcopi Carolo Calvo suam oppignerarent in filium ejus eo mortuo fidem, studiosissimè laboraverant, ut emineret hoc discrimen promissionis Episcoporum, & juramenti Laïcorum.

An. 877. Annal. Bertin. p. 253.

Du Chesne To. 2. pag. 462.

XI. Excerpta sunt ista ex Annalibus Bertinianis, quibus intexta sunt verba ipsa utriusque Chartæ, quam uno & eodem tempore conscripserunt Episcopi, his verbis, *Commendatio, Professio.* Priori scripto commendant Episcopi suas Ecclesias clientelæ & tuitioni Regiæ. Altero fidelitatem, obedientiam & auxilium pollicentur. Neutra sacramenti ullius meminit, aut hominii. Vixdum hominia satis elucidata erant. Et vestigia tamen eorum aliqua insunt his verbis Commendationis : *Me ac Ecclesiam mihi commissam vobis commendo.* Et in auxilii pollicitatione, copiarumque militarium : *Auxilio & consilio fidelis & adjutor ero.* Hincmarus denique Laudunensis Episcopus ad hominii vocem proximè accessit. *Obediens & fidelis ero, sicut homo suo Seniori esse debet.* Hominem se Regis profitebatur, ideoque & hominio obnoxium.

XII. Carolus Simplex ad Episcopos Regni sui scribens, promissam tantum sibi fidelitatem commemorat anno 921. *Propter Deum & debitam, quam mihi polliciti estis fidelitatem.* Multa sunt tamen quæ suadeant, posteriores Carolinæ Prosapiæ Reges, quo labanti authoritati suæ præsidii aliquid & fulcimenti pararent, juramenta Episcopalia in integrum restituisse. Hugo enim Capetius Rex ad Romanum Pontificem scripsit, ab Arnulpho Remensi Archiepiscopo præstitum sibi fuisse sacramentum, quod sacramentis quibuscumque aliis antè, vel pòst præstitis præpollere deberet. *Arnulphus Metropoli Remorum gratis donatus, jusjurandum prebuit quod contra præterita & futura valeret sacramenta.* Ex quo emicare illud videtur, postremis Regibus Carolinis Arnulphum sacramento obligatum fuisse.

Du Chesne Tom. 4.

XIII. Nec illud hic silebo, quanquam malim hac in re, ut & in quacumque ejusmodi alia, peritiores audire, quàm meas ipse in publicum ejicere conjecturas : Inter juramenta & professiones, seu promissiones hactenus hic enarratas, vel indigitatas, illud potissimum intercessisse discriminis, quod juraretur super Evangelia, Crucem, sanctorum Reliquias; cùm nulla istiusmodi solennitas in professione, vel promissione ferè usurparetur, præterquam quod juramenti, vel sacramenti voces premebantur. Quanquam enim in promissionibus nunquam sonaret juramenti vox, non eo tamen ea inter se discrimine dirimebantur. Nam & in compluseulis juramentis juramenti vox ipsa omittebatur. Nusquam ea vox in juramento quod Carolus Calvus ab Hincmaro expressit in Concilio Pontigonensi, de quo jam diximus Hincmarum tam amarulentas exinde & tam doctas effudisse querelas. Nec jurandi vel juramenti vox inerat ei sacramento, quod Carolo Calvo subditi ejus omnes præter Episcopos exolverunt, apud Castrum Galdulphi an. 873. Sed utrobique leguntur hæc verba, quæ pronunciabantur in tangendis manu sacris Pignoribus, *Sic me Deus adjuvet & hæc sancta patrocinia.* Istum sacrorum Pignorum contactum iniquissimo ferebant animo Episcopi Concilii Carisiacensis in Epistola ad Ludovicum Germaniæ Regem, ut qui Episcopali dignitati minimè consentiret : *Ut sæculare tangat ullo modo sacramentum. &c. Super sacra juret in nomine Domini, & Sanctorum invocatione.* Ideo & corporale sacramentum vocabatur, cujus & omnes Clericos immunes esse sanxit Concilium Triburiense anno 895. *Laicus juramento, si necesse sit, constringatur : Presbyter vero vice juramenti per consecrationem suam interrogetur, quia Sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Manus enim per quam Corpus & Sanguis Christi conficitur, juramento polluetur? Absit, cum Dominus dixerit, Nolite omnino jurare.*

Du Chesne Tom. 2. pag. 455.

Can. 52.

XIV. Utque extra Gallias aliquantulùm spatiemur, hærebimus vestigiis Lotharii, nuper à parente suo Ludovico Pio ad Imperii societatem asciti. Ut primùm ille Romam attigit, à Clero & Populo sacramentum fidelitatis exsculpsit. *Et hoc est juramentum, quod Romano Clero & Populo ipse & Eugenius Papa facere imperavit : Promitto ego ille, &c.* Collaborabat & ipse Eugenius Papa, ut hoc illi sacramentum præstaretur, cujus nec ipse exors fuit. Ejus enim sacramenti postrema clausula ea est, Ne electio Papæ fiat nisi Canonica, & ne ordinetur antè electus, quam præsentibus Imperatoriis Legatis idem præstet sacramentum, quod Eugenius Papa. *Et ille qui electus fuerit, me consentiente, consecratus Pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in præsentia Missi domini Imperatoris & populi, cum juramento, quale dominus Eugenius Papa sponte pro conservatione omnium factum habet præscriptum.* Id certè datur hujus honori Pontificis, ut dicatur ipsemet voluisse jurare, publicæ incolumitatis ergo potius, quam Officii sui necessitate : *Sponte, pro conservatione omnium.*

Du Chesne To. 2. pag. 107.

Et sub Joanne tamen IX. habitum Concilium Romanum anno 904. eadem necessitate adactum innovandi hujus Decreti, ad propulsandas ab electionibus Pontificum frequentes tunc tumultuationes, ut ne electus Papa inauguraretur nisi præsentibus Imperatoriis Oratoribus; præcepit, ut ne ab eo aliud quodvis eliceretur sacramentum, quàm quod usu & consuetudine jam convaluisset, ne offendiculo sit Ecclesiæ, & ne Imperatorios honores imminutum eat. *Nullusque sine periculo juramentum, vel*

promissiones aliquas nova adinventione ab eo audeat extorquere, nisi quas antiqua exigit consuetudo, ne Ecclesia scandalizetur, vel Imperatoris honorificentia minuatur. Constitutione Ottonis I. postquam Joanni XII. Leonem Papam subrogasset, confirmatum est anno 962. hoc ipsum Decretum, ne electus Papa antè ordinetur, quàm præsentibus Legatis Imperatoris, eandem emiserit promissionem ad Reipublicæ conservationem, quam modò fecerat Leo Papa libentissimus. *Faciat promissionem pro omnium satisfactione, atque futura conservatione, qualem domnus & venerandus spiritalis Pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur.* Mirificè sanè consentiunt inter se tria hæc Eugenii, Joannis IX. & Leonis testimonia. Postremò ibidem Otto vehementissimè excandŭit in Joannem XII. Papam, qui cùm Imperii & Ecclesiæ inimicis iniisset fœdus, præter juramentum fidelitatis, quo illaqueatus fuerat. *Oblitus juramenti & fidelitatis, quam mihi supra corpus beati Petri promisit.*

De sacramento Gregorii IV. verbum feci nullum, quòd in responsione ad Episcopos Galliæ non omnino ita fateatur illud à se elicitum fuisse. Objectabatur quippe illi sacramentum ab eo præstitum priùs Ludovico Pio, cui tamen adversatus fuisse videbatur, cùm Lothario adversùs eum in Gallias proficiscenti comitem se addiderat. *Bene subjungitis memorem me esse debere jurisjurandi causa fidei facti Imperatori. Quod si feci, in hoc volo vitare perjurium, si annunciavero ei omnia, quæ contra unitatem & pacem Ecclesiæ & Regni committit. Quod si non fecero, perjurus ero, sicut & vos. Si tamen juravi. Vos tamen quia proculdubio jurastis & rejurastis, &c.* Cùm illud à se præstitum fuisse sacramentum confessus quidem non sit Gregorius, nec disertè tamen negarit, non paulò probabilius est præstitum ab eo fuisse, cùm illud exprobrantibus Episcopis Gallicanis non negarit, & à successoribus ejus præstitum sit. Non temerè creditur ab eo primùm expressum illud fuisse, eoque cavisse eum, ne confessione sua authoritas ei pararetur innovationi.

An. 945. XV. In hanc jurandi necessitatem facilius concessere Episcopi Italiæ, decimo saltem sæculo. Manifestè id patet ex Epistola Attonis Vercellensis Episcopi ad alium Episcopum, quem testimoniis & argumentis validissimis nitebatur revocare ad eam Regibus fidem servandam, ad quam semet ipse

Spicileg. To. 8. pag. 106. 132. juramento astrinxisset. *Quapropter ad gratiam serenissimi Regis & Domini nostri reverti non dedignemini, recolentes qualem ei jurejurando polliciti estis fidelitatem.* Pio & docto Episcopo permolestum postea fuit, quando promissione & juramento Episcoporum non contenti Reges, obsides etiam poposcarunt. *Nec nostris contenti pollicitationibus, nec de fidelitate juramento firmata confisi, obsides insuper à nobis accipere laborant.*

CAPUT XLIX. *P. 4. l. 2. c. 53.*

De fidei Sacramento & Hominio, quod Episcopi & Abbates Regibus exolverunt post annum Christi millesimum.

I. De Hominiis & Sacramentis Episcoporum in Reges. Qui eorum ritus

II. In proscribendis sacrilitatis, data est opera, ut & hominia explo derentur.

III. Qui modus ei prohibitioni adhibitus. Sacramenta & Hominia Episcoporum in Reges in Gallia & Anglia perpetuantur. Assentientibus deinque ipsis Pontificibus.

IV. Reges Galliæ acquievere tandem, ut solum fidei sacramentum præstaretur.

V. In Anglia & Germania sacramento & hominio fungebantur Episcopi.

VI. Quis usus fuerit sacramentorum & hominiorum extra Gallias post annum millesimum ducentesimum.

VII. Immo & in Gallia, ubi Episcopi & Abbates sacramenta & hominia non præstabant nisi Regibus, quamvis Ducibus, vel Comitibus subiissent Provinciæ, in quibus sitæ erant eorum Ecclesiæ.

VIII. Quando evanuerint hominia, & sola fidei sacramenta retenta sint

IX. De Ecclesia Græca.

I. CApite superiori præstructum illud est, ab Archiepiscopis & Episcopis Galliæ persoluta fuisse sacramenta fidei posterioribus Regibus Carolinis. Cùm Arnulphus anno 989. electus esset in Remensem Metropolin, eo se sacramento obligavit Hugoni Capetio & Roberto filio ejus. Id probro illi datum est in Concilio Remensi anni 991. *Certè in præsentia Regis, in præsentia Episcoporum, ante ora Cleri & Populi, sacramento volens obligatus est, se Principibus suis adjumento futurum, consilio & auxilio, secundùm suum scire & posse, contra Carolum: itemque inimicis dominorum suorum, nec consilium, nec auxilium scienter se laturum ad eorum infidelitatem; neque pro præterito, aut futuro sacramento se præsens relicturum.* *Du Chesn. To. 4. pag. 102.* Idem testatur Hugo ipse Capetius Epistolis ad Papam datis. Ipsa sacramenti verba leguntur in utroque Remensi Concilio anni 989. & 991. *Promitto me fidem purissimam servaturum, &c.* *Ibid. p. 107.*

Ritus ejus sacramenti & hominii profectus fuerat à Carolinis etiam Regibus, isque eleganter describitur à Scriptoribus Historiæ Normannorum. Cùm enim ægrè tandem adductus esset Rollo Dux, ut eo obsequio Carolum Simplicem Regem veneraretur, quo Majorum ejus nullus in Galliæ Reges perfunctus fuerat, pollicitus est se sub fidei & hominii nexu Normanniam & Britanniam ejus beneficio possessurum, inter manus Regias missis manibus suis. *Manus suas misit inter manus Regis.* Cùm postea Dux *Du Chesn. Script. Normann. p. 81. 86. 91. 103. 123. 157.* Robertus ditiones suas resignasset Vuillelmo filio, sacramento & hominio astringi illi voluit Proceres omnes suæ Curiæ, eodem servato ritu: *Inter manus Vuillelmi adolescentis manus suas mittentes Principes, colligavit illi conjurationis sacramentum.* Et infrà: *Juramento sacræ fidei illi se colligaverunt, manusque suas manibus illius vice cordis dederunt.* Et quando Dux Vuillelmus I. Richardum filium loco suo eligi fecit: *Ducem me superstite eligatis, & intentione custodiendæ fidelitatis, & militationis, manus vestras manibus ejus detis. Continuò Normanni & Brittones commendaverunt se Richardo unanimes, sacramento veræ fidei illi sese connectentes.* Et infrà: *Manus vestras vice cordis ejus concedatis manibus, &c. Datis manibus subdiderunt se libenter illi, ut promiserant olim Patri viventi. Pignoribusque pretiosorum Sanctorum delatis, sanciunt illi tenorem integerrimæ fidelitatis, & militationis, more Christiana conjurationis.* Et cùm rursus idem Dux eodem ritu eligi colique voluit filium suum: *Manibus illorum manibus ipsius vice cordis datis.*

Cùm eodem ipso ritu Episcopi Gallicani eodem sacramento & hominio aliquandiu in Reges defuncti sint; cùmque postea Ecclesiæ subinvisa fuerint hæc hominia, ob illum etiam maximè ritum: non alienum à proposito nostro fuit ejus originem penitius indagasse, & rationes quæ inesse poterant indigitasse. Nemo nescit pervagatissimum fuisse apud Græcos & Romanos, ut ineundis fœderibus dextras

jungeretur, atque ita fidem mutuò obligarent. *Sacramenta inter Clericos*, de quibus supra, manuum contactu confirmabantur. In his modo accumulatis exemplis illud prætereà additur, quod manuum contactu cordium & animorum conjunctio significaretur: implicatis simul hinc & hinc, & interferis digitis, unum armorumque socieras, & fidissima conjuratio sanciretur ad Christiani nominis gloriam. *Integerrima fidelitatis, & militationis, more Christiana comparationis.* Tametsi militaris ritus, militaris ea interpretatio sit, ad fidei tamen Christianæ & religionis tuitionem illud pertinebat, unde & ad sacras fiebat Reliquiarum Thecas.

II. Incunctanter ergo tunc Episcopi hæc Regibus præstabant sacramenta & hominia, cùm ab eis investirentur. Sed ubi Germani Imperatores cœpere obtentu Investiturarum nomine abuti, electionum libertatem opprimere, libertates pessumdare Ecclesiarum, suo nutu Episcopatus dare; tum verò in Investituras, quæ tolerari aliàs potuissent, destomachati cœpere Pontifices & Concilia, atque in earum abolitionem conspirare. Eo factum est, ut & Investiturarum quasi corollaria, sacramenta & hominia eodem impulsu everterentur. Exemplo successoribus prælnxit Gregorius VII. cujus est hoc Decretum: *Ut Clericus à laico nunquam investiatur: nec pro terra, nec pro aliis rebus, quas ab illo teneat, nec sibi hominatum faciat. Sed omnino, qua ab eo tenet, sibi antequam ullam patiatur injuriam, dimittat.* Marca de conc. l. 8. c. 21. n. 4.

Paucioribus verbis, sed disertioribus damnavit illud idem juramentum & hominium Urbanus II. in Concilio Claromontano, anno 1095. *Ne Episcopus, vel Sacerdos Regi, vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciat.* Erat ei Pontifici causa specialis, quæ eum ad id concitaret. Cùm anno superiori ab Angliæ Rege Anselmus Cantuariensis Episcopus licentiam poposcisset, Romam proficiscendi, petendi Pallii ergo, abruptè responderat Rex, Necdum se Urbanum pro Pontifice habere; eo verò infringi fidem sibi debitam, everti regiam sedem, diadema capite excuti, si antè sui sese ulli devoverent Pontifici, quam eum ipse approbasset; Regni se denique sui finibus ablegaturum, quicumque jubente se, Urbano nuncium remittere non essent parati. *Si Urbanum, aut quemlibet alium sine mea electione & authoritate, in Regno meo, pro Papa suscipis, aut susceptum tenes; contra fidem, quam mihi debes, facis, nec in hoc me minus offendis, quàm si coronam meam mihi tollere conareris. Unde scias in Regno meo nullum te participium habiturum, si non apertis assertionibus probavero, te omnis obedientia subjectionem Urbano pro voto meo negaturum.* Præpostero præjudicio hoc occupata tum erat hujus mens Regis, conjungi ac sociari non satis posse fidem, quæ sibi juraretur, & obedientiam Papæ ab omnibus impendendam. Acriter disceptata ea quæstio est in Concilio Angliæ Rochingensi, anno 1094. Monuimus jam displicuisse Regi, ideoque à Lanfranco relaxatum fuisse sacramentum, quo Eboracensis Archiepiscopus Cantuariensi tenebatur. Ab Episcopis & Principibus schismaticis ea passus erat Gregorius VII. quibus probabiliter creditur alienatus fuisse ab his juramentis, quæ Regibus ab Episcopis præstarentur.

Can. 17.

Eadmerus. pag. 26.

Author est Rogerius ab eodem Urbano II. ingeminatam rursus fuisse eam prohibitionem in Concilio Romano, anno 1099. eamque abeo subjunctam fuisse rationem, quod Episcoporum manus divinis Altaribus consecratæ, eique cœlesti Agno immolando, qui pro Orbis universi salute offertur, non debere vilescere & contaminari earum amplexu manuum, quæ toties humano sanguine, toties impura sordidantur libidine. *Excommunicavit etiam eos, qui pro Ecclesiasticis honoribus, laicorum homines fiunt: dicens, nimis execrabile videri, ut manus quæ in tantam eminentiam excreverant, ut quod nulli Angelorum concessum est, ut Deum cuncta creantem suo signaculo creent, & eundem ipsum pro salute totius mundi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignaviam vel stultitiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ diebus ac noctibus obscœnis contactibus inquinantur, sive rapinis, ac injustæ sanguinis effusioni addictæ maculantur.* Dictum alibi easdem rationes ab Episcopis Galliæ ad hoc ipsum perdiu antè inculcatas fuisse. Rogerius pag. 497.

III. Qui Concilio Claromontano affuerunt Provinciæ Rotomagensis Episcopi, ii altero pòst anno, nempe 1096. Concilio affuere Rotomagensi, ubi hunc Canonem edidere, quo Claromontanum roboraretur Decretum, sed iis blandimentis temperatum, in quibus momenti esset plurimum, & quibus se Pontifices ipsi postea accommodavere. *Nullus Presbyter efficiatur homo laici. Quia indignum est, ut manus Deo consecrata, & per sacram unctionem sanctificata, mittantur inter manus non consecratas. Quia est aut homicida, vel adulter, vel cujuslibet criminalis peccati obnoxius. Sed si feudum à laico Sacerdos tenuerit, quod ad Ecclesiam non pertineat, talem faciat ei fidelitatem, quòd securus sit.* Can. 8.

Concilii Claromontani his verbis: *Ne in manibus ligiam fidelitatem faciat*, hominium & sacramentum unà explodebantur. At contrà Concilium hoc Rotomagense, 1. hominium tantùm damnavit, quo Presbyteri Laicis devincirentur. Ita tacitè indultum Episcopis & Abbatibus, ut hominia Regibus præstarent. 2. Presbyteris etiam concessit, & Parochis, ut sacramentum fidei facerent Laicis, à quibus feuda laïca haberent, & ad Ecclesiam nihil attinentia: ex quo id nascebatur, ut Regibus idem fidei sacramentum persolvi posset. In votis fuisset Urbano II. & Gregorio VII. ut illis se feudis Clerici exuerent. 3. Concilio eodem Rotomagensi innuitur, sacras esse & manus Regum, cùm eorum quoque fiat consecratio. Inde fit, ut hominium illis persolvi possit. Hoc verò Concilium Rotomagense ad annum 1095. prolixè retulit Ordericus Vitalis.

Cùm postea Paschalis Papa prædecessorum suorum Decreta confirmasset, & hominia prohibuisset sub interminatione anathematis, quæ à Clericis exigebantur, Radulphus Remensis Archiepiscopus experiri voluit, an posset in Ecclesiæ suæ possessionem venire, nullo hominio à se præstito Regi Ludovico Crasso. Verùm in solenni Curia, seu Conventu Aurelianensi anno 1115. eo in se defungi officio ab eodem Rege compulsus est. Aderat ei Curiæ Ivo Carnotensis Episcopus, qui & Paschalem Papam per litteras commonuit, serviendum tunc fuisse tempori & necessitati, cui tot sanctissimi hactenus Episcopi cessissent: in his verò obsequiis, quæ æternæ & incorruptibili justitiæ legi non obstrepunt, quamvis honori & dignitati, libertatique sacerdotii subinfesta sint, consultissimum, adeoque & necessarium esse, ut dispensatio adhibeatur, cùm accuratissima mordicus retineri non potest Canonum disciplina, quin Ecclesia in schismatis discrimen conjiciatur. *Sed reclamante Curia plenariam pacem impetrare nequivimus, nisi prædictus Metropolitanus per manum & sacramentum eam fidelitatem* Baron. ann. 1096. n. 50 Ivo Ep. 190

Regi faceret, quam prædecessoribus suis Regibus Francorum antea fecerant omnes Remenses Archiepiscopi, & ceteri Regni Francorum quamlibet Religiosi, & sancti Episcopi. Quod persuadentibus & impellentibus omnibus Curiæ Optimatibus, etsi propter mandatorum rigorem minus liceat, factum est tamen, quia Ecclesiasticæ paci & fraternæ dispositioni sic expediebat. Et infrà: *Consulendo & monendo rogamus, ut ibi consilii & pietatis studeatis vigoribus abundare, ubi fas non debitam fortitudinem exercere.*

Inclementius fuerat Angliæ Rex Henricus in beatum Anselmum, quem jusserat Anglia exulare, aut solio fungi hominio; contumeliosius etiam in Decreta Pontificum, quæ in Regni sui libertates infensa interpretaretur.

Malmesb. De gestis Pont. Angl. l. 1.

Quid ad me de litteris Apostolici? Jura regni mei nolo amittere. Infregit se tandem cœlitque ineluctabili necessitati Anselmus, qua de causa & ipse Pontifex ei congratulatus est. Dedit etiam ad Anselmum litteras, ut ne gravaretur ordinare, & sinere, ut & alii ordinarent eos electos Episcopos, qui Regibus hominia fecissent, dum ne ab iis investituras accepissent. *Si qui verò deinceps præter investituras Ecclesiarum prælationes assumpserint, etiamsi Regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc à benedictionis munere arceantur.* Quam tamen non nisi temporariam fore indulgentiam sperabat Pontifex, dum omnium molliretur à Deo Regis Angliæ cor, ut plenæ Ecclesiarum assentiretur libertati.

Epist. 26. inter Epist. Ansel. l. 3.

Donec per omnipotentis Dei gratiam ad hoc omittendum, cor regium tua prædicationis imbribus molliatur.

Epist. 140.

Sed ne ea quidem dispensatio porrigebat se, nisi ad Episcopos & Abbates. Item quippe Pontifex variis respondens percunctationibus Anselmi, ac præcipuè iis, An possent Clerici Laicis hominia præstare, eorumque homines fieri, seu vassalli: *Si ullus Clericus debet fieri homo laici, & aliqua beneficia, aut possessiones non Ecclesiasticas debet tenere de laico, nec laicus vult ei dare, nisi fiat suus homo; quid faciet?* Responderat dimittenda hæc esse feuda, quòd iis fœdissimæ Laïcorum servituti manciparetur Clericatûs nobilitas, & contaminaretur, nec possent liberæ & cœlesti Clericorum professioni cohærere ea vincula humanarum obligationum. *Liberam esse*

Epist. Ansel. l. 3. Ep. 45.

Ecclesiam Paulus dicit. Indignum est igitur, ut Clericus, qui jam in Dei sortem est assumptus, & jam laicorum dignitatem excessit, pro terrenis lucris hominium faciat laico; ne fortè dum reperitur servi sæcularis obnoxius, vacet aut gravetur Ecclesia. Scriptum est enim, Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.

Quæ gravissima difficultas conciliandæ libertatis Clericatûs, qui à Deo totus pendere, & in cœlestia totus erigi debet, cum obligamentis hominii & feudariæ clientelæ, non paulò forsan majoris erat ponderis, quàm quidquid hactenus in eam rem dictum fuerat à Pontificibus aliis & Conciliis. Et sanè mox Episcopi & Abbates, quasi explicante se hominio quod præstiterant, jussi sunt militares cuneos cogere, & ad exercitus regios ducere, vel delegatis eos committere Vicariis. Cùm Episcopis, Abbatibus, Pastoribus citra perniciem carere non possit Ecclesia, retinenda utique erant ea feuda, & in illis plurimo indulgentiæ utendum erat lenimento; quod non ita habebat in aliis feudis, quibus abstinere se Clerici & Ecclesiæ potuissent.

Cùm ista ergo in controversiam ducta essent, Investituræ, Hominia & Sacramenta; investituras abdicarunt Reges, hominia Pontifices tolerarunt, atque ita ne controversatum quidem amplius est de sacramento fidelitatis. In eam denique concordiam & juris æquabilitatem venere hinc Paschalis II. & Anselmus, inde Henricus Angliæ Rex *Investituras Ecclesiarum Anselmo in perpetuum in manum remisit Rex, eodem concedente ut propter hominium Regi factum nullus arceretur à benedictione.* Præmissi jam fuerant in Angliam à Pontifice duo Legati, per quos ad id temperamenti ultro citroque convenerant; ut ex eodem liquet Malmesburiensi, ex quo contrata sunt hæc omnia. *Controversiam tot annis agitatam singulari probitate sedaraat. Concessit siquidem Papa, ut Rex homagia de electis acciperet, sed nullum per baculum & annulum investiret.* Malmesb. De gestis Pont. Angl.

At ex litteris Anselmi constat, nonnisi post diutinas altercationes, in hæc demum Pontifices cum Regibus concordasse. Scripserat aliquando Anselmus ad Abbatem, certum sibi fixumque id esse, nunquam cujusquam hominem fieri, nulli per quodcumque fidei sacramentum obligari. *Hoc autem sciatis, quia voluntas mea est, ut adjuvante Deo, nullius mortalis homo fiam, nec per sacramentum fidem alicui promittam.* Hoc ipsum & Episcopo cuidam in aurem insusurravit consilium: *Nulla minæ, nulla promissio, nulla astutia à religione vestra extorqueat, aut homagium, aut jusjurandum, aut fidei alligationem. Si quid horum aliquis egerit, hæc sit vestra responsio, Christianus sum, Monachus sum, Episcopus sum, & ideo omnibus volo fidem servare, secundum quod unicuique debeo. Quidquid aliud vobis dicatur, his verbis nec addatis quidquam, nec minuatis, &c. Hoc ipsum de me dico, nec super hæc aliquid addere volo, &c.* Anselm. l. 3. Epist. 36. 40. 41. 77. 88. 90. 92.

In ipso concertationis æstu hæc scriptitabantur, dum quasi consilii dubia & anceps penderet sedes Apostolica, sive eo tempore, quo uno damnationis telo configebant Romani Præsules, tam hominia & sacramenta, quàm investituras ipsas. Ex his enim Epistolis dilucidè constat, Urbanum II. & Paschalem, atque Concilia quæ sub eis coaluerunt, nihil interjecisse discriminis inter hominia & fidei sacramenta. Hæc discriminare cœpit Concilium Rotomagense, sacramenta fidei persolvi sinens etiam minusculis dominis, hominia Regibus servans solis: sed ea nec Anselmus distinxit, dum ab iis abhorreret, nec Paschalis, cum hominia concessit. Et quidem Regis homines evadebant, non hominio solo, sed & fidei sacramento. Hinc enimvero religio fiebat Anselmo, qui eo vexatus scrupulo, sciscitatus est Archiepiscopum Lugdunensem, postquam etiam Pontifex Episcopis & Abbatibus permisit ut hominia præstarent. *Dubito quid me facere oporteat, si aliquis Religiosus electus, homo Regis pro Episcopatu vel Abbatia fieri respuat. Durum mihi videtur, ut hoc illi præcipiam per obedientiam, &c.* L. 3. Ep. 123.

In Concilio Pictaviensi anno 1114. cui præerant Legati Paschalis II. prohibita sunt adhuc indiscriminatim hominia omnia pro qualibuscumque feudis. *Ut Clerici nunquam alicui laico hominium aliquo modo facere præsumant, &c.* Can. 5. Cùm Henricus Rex Angliæ Vuillelmum filium designasset sibi successurum anno 1116. narrat Eadmerus Barones omnes sacramento ei se & hominio astrinxisse: *Facti sunt homines ipsius, fide & sacramento confirmati*: at Episcopi & Abbates *fide & sacramento professi sunt*, eum se Regem habituros patre obeunte, & tunc demum ei *hominia fideli mente facturos.* L. 5.

IV. Quoad Gallias verò ex Sugerii Abbatis Sandionysiani narratione, ubi colloquium memorat Paschalis II. & Legatorum Henrici Imperatoris,

evincitur Galliæ Reges investituras incunctanter abjecisse, ejecisse etiam ex hominiis eum sæcularem ritum quo Præsules maximè offendebantur. Audi ut ille Pontificem inducat Imperatoris Legatos alloquentem. *Si virga & annulo investiatur, cùm ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum ipsum usurpare: si sacratas Dominico corpori & sanguini manus, laici manibus gladio sanguinolentis obligando supponant, ordini suo & sacra unctioni derogare.* Addit tunc furere cœpisse Germanos hos Legatos: *Cùmque hæc & his similia cervicosi audissent Legati, Teutonico impetu frendentes tumultuabant, &c.* His verbis Sugerius abundè prodit, & Pontifici consentaneum se cum cæteris Gallis fuisse, & Galliæ

De Chesne. Tom. 4. pag. 290.

jamdiu Reges invidiosum abjecisse hominii ritum, & investituras omnino abdicasse; vel sacramento fidei contentos, cui hominium tacitè, non expressè implicatum esset: vel hominium suscipientes, cujus circumcisus erat ille ritus, quo dehonestari se Præsules augurabantur.

His adde Edictum Ludovici Crassi anno 1137. concessum Episcopis & Abbatibus Aquitaniæ, seu Provinciæ Burdigalensis, quæ Ludovico Juniori filio ejus obtingebat post obitum Vuillelmi Ducis, cujus ille filiam duxerat Eleonoram. Eo Edicto contulit illis libertatem canonicam electionum, citra sacramentum tamen hominii vestitum. *Canonicam omnino concedimus libertatem, absque hominii, juramenti, seu fidei per manum data obligatione.* Videri possit alicui relaxatum hic fuisse, tam hominium,

Belan Pet. To. 2. pag 460.

quàm illum hominii ritum qui sacramento quandoque adhærescebat, *fidei per manum data*: non autem sacramentum ipsum fidei, ea hominii umbra exutum. Gradum revocabimus in Galliam, ubi observatum fuerit à nobis, quid interim rei in Germania gereretur.

V. Non ea erat Friderici I. Imperatoris in Ecclesiam sive humanitas, sive reverentia, non ea libertatum ejus cura. Hominium ille ab Episcopis extorquebat, & sacramentum fidei, & manuum insertionem, quæ maximè Præsules angebantur, & ad sæculares se compedes & sordes querebantur devolvi. Id illi probro dedit Adrianus IV. Papa anno 1159. *Quid dicam de fidelitate B. Petro, & nobis à te promissa & jurata, quomodo eam observes, cùm ab iis qui dii sunt, & filii Excelsi omnes, Episcopis videlicet, homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum sacratas manibus tuis innectis.* Cùm tentarentur multa ad resarciendam Sacerdotii & Imperii concordiam, vel his vinculis expetiit Pontifex ut saltem Italiæ Episcopi absolverentur, & fidei sacramentum sine hominio præstarent. *Episcopi Italiæ solum sacramentum fidelitatis sine hominio facere debere domino Imperatori.* Assensus est ei petitioni Imperator, dum Episcopi Italiæ omnibus se Imperii feudis exuerent. *Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen & eos de nostris Regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint à Romano Præsule, Quid tibi & Regi? Consequenter eos ab Imperatore non pigeat audire, Quid tibi & possessioni?*

Baron. an. 1159. n. 4. 14 &c

Radevic. De gest. Frider. l. 2. c. 30. 31

Spicil. to. 8 p. 90 107. 132 136.

Ex Epistolis Attonis, qui ante annum Christi millesimum Vercellensem regebat Ecclesiam, liquidum fit Episcopos Italiæ Regibus solum fidei sacramentum obtulisse. Petebantur & obsides à Regibus: sed difficilè ab Episcopis annuebantur.

Nec multò aliter in Anglia, ut ex Conventu patet Clarendunensi anno 1164. quo admitti pervicit Henricus II. Rex capita XVII. Consuetudinum Regiarum, nulla Episcoporum intercessione, nisi unius Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis. Inter ea capita erat & illud de hominio Regi ab electis Episcopis solvendo: *Electus homagium & fidelitatem Regi, sicut ligio domino suo, de vita sua, & de membris, & de honore terreno, salvo ordine suo faciet, priusquam consecretur.* Contestabatur & ipse Thomas, Regi se fidelitatem jurasse; *Quod fidelitatem ei juraverat, vitam scilicet, membra, & honorem terrenum, salvo ordine suo.* Præcepit per Epistolas Episcopis Angliæ Pontifex, ut ne quod aliud præstarent sacramentum, quàm quod Regibus præstare solerent Episcopi. *Præter id juramentum, quod Episcopi suis Regibus facere consueverunt.*

Baron. an. 1165. n. 20. 26.

Nec mirum est si indecoris se his Episcopi Angliæ & Germaniæ subjicerent sacramentis, sive hominiis, cùm & feuda marsupii, ita enim vocabantur, hoc est annuas pecuniæ pensiones à Principibus ambirent, pro iisque hominia ac fidei persolverent sacramenta. De his fidem facit Rogerius, ubi narrat Richardi Angliæ Regis è carceribus Germaniæ egressum, concessasque ab eo ejusmodi tum chartas feudorum, seu annuarum pensionum Archiepiscopis Moguntino & Coloniensi, Episcopo Leodiensi, pluribusque aliis Ducibus, Comitibus, & Baronibus Imperii, à quibus eo nomine hominia suscipiebat & sacramenta. *Rex Angliæ promisit & chartis suis confirmavit quibusdam Archiepiscopis, & Episcopis, & Ducibus, & Comitibus, & Baronibus de Imperio, reditus annuos pro homagiis & fidelitatibus & auxiliis eorum contra Regem Franciæ. Recepit itaque homagium de Archiepiscopo Moguntino, &c. Salva fidelitate Imperatoris.*

Roger. pag. 734.

VI. Eo loco res erant in omnibus Ecclesiæ regnis, cum ad ejus summa gubernacula sedere cœpit Innocentius III. Itaque non potuit non ille obliquè saltem confirmare ea sacramenta toto orbe receptissima, ut & hominia, quando in Concilio IV. Lateranensi anni 1215. unum id prohibuit, ne ne Laïci à Clericis iis exigerent fidei sacramentum, quibus temporalia nulla, seu Beneficia, seu feuda contulissent. *Nimis de jure divino quidam laici usurpare conantur, cum viros Ecclesiasticos nihil temporale detinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis juramenta compellunt. Sacri authoritate Concilii prohibemus, ut tales Clerici personis sæcularibus præstare cogantur hujusmodi juramentum.* Et hominiis tamen illis & sacramentis Innocentius IV. anno 1250. Sueciæ regno interdixit, quòd necdum eò irrepsissent, aut usu convaluissent. *Ne aliqua sæcularis persona contra statuta hujusmodi quidquam attentare, aut à vobis vel successoribus vestris homagii vel fidelitatis exigere, seu oblatum recipere audeat sacramentum.* Ex adverso autem Alexander IV. rescito jam in Scotia vetustate roboratam esse consuetudinem eam, ut non antè Rex temporalia vacantium Ecclesiarum bona electis restitueret Episcopis, quàm ab eis sacramenta fidei accepisset: voluit ut Episcopus Glascoviensis, quem ad eam ipse provexerat Ecclesiam, eo obsequio fungeretur anno 1260. *Cùm tibi, prout fieri consuevit, fidelitatis debita præstiterit sacramentum, Ecclesiæ tuæ Regalia seu temporalia de manibus tuis recipias subsequenter.* Cùm Carolus Andium Comes Siciliæ Regno investitus est anno 1265. à Pontifice, permissus est sacramenta fidei exigere ab Episcopis Siciliæ, qui ea priscis Siciliæ Regibus exolvissent, justa canonicas sanctiones. *Sacramenta fidelitatis præstabuntur, secundam antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis Ecclesiarum Prælatis, quorum prædecessores antiquis*

Extra De jurejurando. C. Nimis.

Raynald. n. 40.

Raynald. n. 14.

Spicil. To. 9. pag. 239.

Rainal. an 1501. n. 61.

illa Siciliæ Regibus præstiterunt. Quæ eadem verba adhibita sunt in concessione ejusdem Regni anno 1501. ab Alexandro VI. facta.

Hi erant ergo cæterorum Christiani Orbis regnorum mores, 1. Si necdum consuetudo Prælatos his in Reges obsequiis mancipasset, hæc eorum libertas & dignitas retinebatur, comperto Episcopos ordinis & ministerii sui sanctimonia arctissimè illigari Dei Regisque obsequio & fidei, eorumque verbis tantundem inesse ponderis, quantum aliorum sacramentis. 2. Si verò jam usu longo convaluissent Episcopalia fidei sacramenta, ei consuetudini non derogabatur, ut quæ nec ipsa institutis derogaret canonicis. Sed nulla sinebantur novæ servitutis fieri per hominium additamenta. 3. Modicè ferebantur & hominia iis in Regnis, ubi ad eorum defensionem Principes exarserant, quòd ibi necdum cessasset ea dispensationis & indulgentiæ necessitas, qua primùm adducti fuerant Pontifices, ut ea ad tempus aliquod tolerarent. 4. Sed ne Regia Ecclesiastici Sacerdotii majestas dedecoraretur, non aliis quàm Regibus Prælati hæc seu sacramenta præstabant, seu hominia. 5. Minorum gentium Beneficiarii minusculis etiam dominis per eadem sacramenta & hominia obligabantur. Anno 1214. cùm Dux Burgundiæ in sancta Capella Divionensi quatuor novas instituisset dignitates, præstandum sibi hominium illis indixit. *Cum osculo pacis homagium facient.* Haud satis scio, an eo canonicis regulis aliquantulum obstreperetur: at ex ipso hominii ritu, seu ex osculo pacis, non poterat invidia conflari.

Recueil pour l'hist. de Bourgogne p. 315. 491

VII. Gallia verò iis se moribus semper aptavit, qui Canonum menti & Ecclesiæ libertati magis consentirent. Unde & paucissimis ejus Episcopis incubuit necessitas hominii exhibendi, reliquis omnibus uno in Reges fidei sacramento defungentibus. Ad fidei sacramentum anno 1291. susceptus est Andegavensis Episcopus Vuillelmus major, postquam à Metropolitano confirmatus fuerat. Accipe verba ipsa Chartæ seu Instrumenti, ex quibus ediscas qui ritus sint usurpati, quæ voces. *Fecimus Regi Philippo juramentum fidelitatis in hunc modum; videlicet quod stola nobis ad collum posita in modum crucis ante pectus, & manu ad pectus missa, libro Evangeliorum coram posito, dixit nobis de mandato Regis dominus de Chamberry Miles, Vos juratis domino Regi fidem & legalitatem, & filio ejus Regi Francorum post eum, & quod servabitis eisdem corpora, & membra, & vitam, & jura sua, & honorem suum temporalem; & si petat à vobis consilium bonum & fidele, sibi dabitis. Ita juratis. Et nos respondimus, Ita juro.*

Spicil. to. 10. p. 283. 285.

Tum concessa est Vuillelmo Episcopo à Philippo Pulchro eadem declaratio, quam antecessoribus ejus superiores annuerant Reges, Philippus Audax, sanctus Ludovicus, & Ludovicus VIII. Qua significabatur, eo sacramento nihil derogari antiquissimis libertatibus ejus Ecclesiæ; immunem semper fore Episcopum à Regia militia, & à copiis in eam mittendis: verùm ut electus Andegavensis, quamprimùm à Metropolitano confirmatus fuisset, temporalium Ecclesiæ suæ rerum administrationem reciperet à Legatis quos Rex mitteret, cum diplomate confirmationis: intra quadraginta mox dies adventaret Episcopus ad Aulam Regiam sacramentum præstiturus Regi, nisi regno Rex abesset; alioqui temporalia Episcopatûs bona rursus à ministris Regis occupatum iri, dum eo fungeretur Episcopus officio. *Quando electus confirmatus erit à Metropolitano, nos reddemus ei Regalia sua, per nuntios deferentes litteras patentes confirmationis ejus. Ipse tamen electus tenebitur bona fide nos adire, si fuerimus in Regno, infra quadraginta dies, post susceptionem Regaliam, & nobis juramentum fidelitatis præstare, &c.* Minimè autem silentio præteriri fas est extremam ejus Declarationis clausulam, Si Comitatus Andinus à Regia Corona & ditione aliquando sejungeretur, nequaquam eo sacramento fungi debere Episcopum in Comitem Andegavensem. *Episcopus non teneretur facere hujusmodi juramentum Comiti Andegavensi.* Observatum jam à nobis est, Carolum Magnum & successores custodiam & tuitionem immediatam Episcopatuum & Abbatiatum semper sibi integram servasse, quo demumcumque loco sitæ essent eæ Ecclesiæ.

Preuves des Liber. Gal. c. 17. n. 7.

Ex Decreto Bonifacii VIII. *in Sexto* colligitur, minùs displicuisse sacramentum & hominium, quo Abbatissæ & Priorissæ quædam Principibus sæcularibus tenerentur, propter feudum Monasterio innexum. *Quando Abbatissa vel Priorissa debebit homagium vel fidelitatis sacramentum, &c.* Anno 1274. Semurii domini Ecclesiam Collegialem in Diœcesi Augustodunensi condidere, servato sibi sacramento & hominio Decani & Canonicorum. *Decanus & Canonici nobis & successoribus nostris dominis Sinmari fidelitatem jurabunt.*

De statu Regular. c. 1.

Spicil. to. 12. pag. 198.

Edita est anno 1332. Declaratio, qua Episcopi secernebantur, qui hominio & sacramento essent obnoxii, ab iis qui solo sacramento fidei tenebantur. Hos posteriores pronum est eos conjicere, quorum Ecclesiæ nullo Regio feudo donatæ essent, aut quas Rex iis obsequiis absolvisset.

Marca de Concor. l. 8. c. 21. n. 7.

Conquestus est Carolus VII. Rex Galliæ, quòd Eugenius IV. ad alios quàm ad ipsum destinaret eas Bullas, quibus Episcopales Regni Ecclesias conferebat; scriptisque ad eum litteris, declaravit ab omnibus Regni Episcopis præstari sibi fidei sacramentum, ab aliquibus etiam hominium, ne iis quidem exceptis, quorum sitæ essent Ecclesiæ in illis Provinciis, quæ suos sibi peculiares duces & Comites haberent; quòd Prælati omnes illarum etiam Provinciarum immediatè Regi subessent, qui & ipse vicissim custos illorum esset & proprius defensor; unde & superiores hactenus Pontifices ad ipsos semper Reges miserant Episcopatuum provisiones. *Beatissime Pater, credimus Sanctitatem vestram non ignorare, quod Prælati regni nostri in Præfectionis suæ primordio nobis præstant & præstare tenentur ligium plerique homagium, & alii omnes fidelitatis juramentum, pro suarum temporalitatibus Ecclesiarum, etiam illarum quæ nostrûm quorumcumque circumdantur à terris subditorum, aut quæ sita sunt infra dominia ipsorum; sive sint Duces, sive Comites, aut alii domini temporales, in ipso Regno nostro quovis honore, seu titulo fulgentes. Sumus enim unicus Prælatorum & Ecclesiarum hujusmodi Princeps, protector & conservator sæcularis: nec subditi sunt ipsi Prælati, aut eorum Ecclesiæ aliis temporalibus aut sæcularibus dominis, quàm nobis, omnesque in & sub Regalia continentur.*

Spicil. to. 7. pag. 286.

Quæ Episcoporum prærogativa eò quoque insignior est, quod ab illis maximi Duces fiduciario, & hominii jure terras aliquas & ditiones obtinerent. Anno 1258. Dux Burgundiæ cum Hispaniæ Regi sacramentum fidei præstaret, propter feudum marsupii, seu pecuniarum, eos excepit, quibus jam ut dominis obligabatur, Regem, Reginam & Episcopos Augustodunensem, Lingonensem & Cabilonensem. *Salva fidelitate Regis, Reginæ, & aliorum*

Recueil pour l'histoire de Bourges. *dominorum dicti Ducis, videlicet Lugdunensis, Lingonensis & Cabilonensis Episcoporum.* Hortatus est Bernardus Theobaldum Campaniæ Comitem, hominium ut persolveret, quod Lingonensi Episcopo præstare teneretur.

Epist. 39. *Pro casamento quod tenetis, homagium quod debetis, reverenter ei & humiliter offeratis.*

Quàm curæ erat Carolo VII. cæterisque Regibus, ut Episcopi omnes Abbatesque Regni sibi immediatè subessent, & sacramenta præstarent: tam Conciliis & Pontificibus cordi fuit, ut ne aliis quibuscumque quàm Regibus Episcopi & Abbates ea impenderent obsequia. Consensere Pontifices & Reges in eam mutuam & individuam copulam, ut indivulsa cohæreat & in sæcula perpetuetur Regia Christi majestas, quæ in illos transfusa & secta videtur fuisse.

Ex hac autem Caroli VII. Epistola liquet 1. eo adhuc ævo observatum fuisse discrimen Episcopatuum, quibus hominii & sacramenti, & quibus sacramenti tantùm lex immineret. 2. Episcopatibus omnibus incubuisse saltem necessitatem præstandi sacramenti. 3. Eos verò qui exemptionis privilegio aliquo donati essent, hominii, non sacramenti fuisse immunes.

Eundem Regem interpellavit Nicolaus V. anno 1453. ut quando passus erat Cardinalem Rotomagensi Ecclesia donatum, ejus capessere possessionem, pateretur & primi anni reditus colligere, quanquam necdum ei vel hominio functus esset, vel sacramento.

Ibid. p. 159 *Quia nuper intelleximus annuam temporalitatem ipsius Ecclesiæ eidem Cardinali denegari, cum juramentum solitum fidelitatis & homagii non præstiterit, rogare decrevimus, &c.* Repulsam passus non est Pontifex ab eo Rege, qui idem ipse anno 1447. eo re persimili gratificatus est Episcopo Cenomanensi;

Memoires du Clergé. Edit. de l'an 1675 To. 1 p. 167 169. Beneficiis suis sinens eos frui, quibus ea contulisset antè Episcopus, quàm Regi præstaret sacramentum, incurrentibus impedimentis iis, quæ tum quidem summovere non posset. Cujus rei & alia ad manum sunt exempla anno 1493.

Anno verò 1456. Ludovicus Pictaviensis Valentinos & Diensis Episcopos & Comes, hominium exolvit Delphino Ludovico XI. Franciæ postea Regi, cum eoque de controversis quibusdam juribus concordiam iniit. Vide ut in ea charta de hominio verba fiant, quæ vernaculo ex sermone in Latinum ita vertuntur.

Memoir. du Clergé To. 2. pag. 83. *Ligium rursus hominium persolvit, & sacramentum fidei, eidem summo domino suo temporali, nudo capite, manibus junctis & insertis inter manus domini, cum osculo, in perpetua & intaminata fidei ac dilectionis pignus: seque & suos professus est vassos ligios ac fideles, adversùs quoscumque alios indiscriminatim, præter Romanum Pontificem.*

Preuves des Lib. Gallic. c. 17. n. 9. 10. VIII. Exinde jam non hominia ferè usquam ulla, sed fidei sacramenta, quibus verecundius aliquid, honorificentiusque in Principes, & ad posterioris hujus ævi probitatem fidemque testificandam commendatius inesse videtur. Quasi ne in cogitationem quidem venire possit, ut impiè & facinorosè attentetur aliquid in eos, qui expressissimæ sunt in terris summi Numinis imagines. Præter ea capita, Ut fideles Regi sint & Regno; ut renuntient si quidpiam aliquos machinari rescierint; ut ne hostes in quemcumque Regni locum admittant: voluit hanc quoque geminam adjici clausulam Ludovicus XIII.

Ibid. n. 11. Ut intra tres menses Episcopos se consecrari curarent, utque in sua quisque Diœcesi residerent.

Visum est quibusdam hominium in unum conflatum esse cum juramento. Sed Consilii Privati Aresto anni 1652. secundùm Augustodunensem Episcopum pronuntiato, magna fit ad hanc rem totam novi nobis luminis accessio. Cùm is enim Episcopus sacramento fidei in Regem defunctus esset, molestias nescio quas passus est in Camera Computorum, ubi illud promulgari & registrari necessum erat; quippe ibi prætetea ab eo hominium deposcebatur, & enumeratio feudorum ac dominiorum quæ obtineret. Supplicem ille Regi super ea re libellum obtulit, adjunctis sibi Cleri Gallicani Agentibus: eoque significabat, *Regiis diplomatibus Caroli IX. Henrici III. & IV. ac Ludovici XIII. in Parlamento registratis, & in Camera Computorum, Clericos hujus Regni immunes esse declaratos hominii, fideique sacramenti: & ne cogerentur chartis publicis edere singula, terras & dominia Ecclesiæ sua, cùm anno 1522. & 1547. à Francisco I. & Henrico II Regibus hoc vinculo absoluti essent, ingenti Cleri pecunia ad id repræsentata, & in Regium illata fiscum. Pleraque enim Cleri instrumenta bellorum civilium incendiis consumpta fuisse; Regi Regnoque pecuniaria subsidia subinde ingentia prorsus subministrata fuisse, & in id alienata Ecclesiarum prædia longè plurima, &c. Exoneratos Reges à solvendis debitis, quibus gravabatur ærarium publicum Civitatis parisiensis, idque factum numerata Cleri pecunia, cui vicissim despondeant Reges nihil amplius negotii facessendum esse, fidei & hominii obtentu, &c.* Et mox: *Quibus omnibus mitiùs perpensis eandem Computorum Cameram Episcopis molestiam creare prætextu ejus fidei & hominii, &c. Porro lego & antiquissimo more non teneri Episcopos nisi sacramento fidei Regi persolvendo, quo fides & hominium implicari censetur, antiquissima Regni consuetudine, his rationibus subnixa, & Regum Edictis.* A Rege secundùm Episcopum pronuntiatum est.

Hinc liquet Franciscum I. hominii necessitate absolvisse Prælatos Gallos, in eoque vestigia & exempla ejus sectatos esse Reges deinceps alios, sicut & in eadem pecunia ab universo Gallicano Clero accipienda. Adde ea tum hominia ad jejunum & inanem ritum redacta tum fuisse, cùm nec Episcopi, nec Abbates jam tenerentur, aut verò possent, ut olim, delectum habere militum, copiasque colligere, & vel per vicarios duces mittere, vel ipsi ducere ad Regias expeditiones, quæ primaria erat olim feudorum sive prærogativa, sive servitus. Ecclesiæ & optatissimum fuit, & cum primis consentaneum, nec minùs Regibus conducibile, ut Episcopi eo solverentur militari vinculo & servitio, sacræ professioni infenso: insuescerent autem Ecclesiæ suo etiam ex sacro fisco conferre impensas pro suo modulo, ad defensionem Regni, quo Ecclesia, ut nobilissima ejus portio, continetur.

IX. Obmutuit hactenus de his Ecclesia Græca, quòd inaudita ferè illi fuerint, & incomperta hæc sacramenta. Nec quanquam his expedita fuerit compedibus, de sua sibi magnopere gratulari potuit libertate. Nemini non exploratum est, ex quo se illa à Latina disjunxit Ecclesia, libertates ejus omnes sub Imperatoria dominatione oppressas obtritasque jacuisse. Ex quo jugum excussit suavissimum Capitis, quod Ecclesiæ suæ universæ Christus præstituerat: aliud illa experta est jugum Caputque, quòd cùm prorsus sæculare & regium sit, non potest non imperiosiùs dominari. Prosecutus est Simeon Thessalonicensis prolixè & accuratissimè ordinationes non Presbyterorum tantùm, sed Episcoporum etiam, Archiepiscoporum, & Patriar-

n

charum; nec usquam tamen meminit sacramenti, quod vel sibi mutuò, vel Imperatori præstare cogerentur.

At Nicephoro Grægoræ non excidit sacramentum, quod Patriarcha & Clerus persolverunt Andronico Imperatori, cùm illum ad Imperii societatem cooptavit Michaël Palæologus parens. Memorandum quoque juramentum Parenti tum suo edidit junior Imperator, quo una eademque opera, & Patri fidem, & Ecclesiæ privilegiorum suorum tuitionem profiteretur. *Jurat Patri se Dei Ecclesiam piè veneraturum, ejusque privilegia modis omnibus culturum, & inviolata conservaturum esse. Postea se vitam & Imperium Patris sui expertem insidiarum usque ad ejus obitum pro virili conservaturum.* Tum eodem juramento constringi se non illubentes passi sunt Patriarcha, Episcopi, Clerici. Notat Gregoras usitatum fuisse id jusjurandum. *Usitatum jusjurandum novo Imperatori dedit*: à Clero etiam scriptis datum fuisse. Sacramento fidelitaria finitimum id erat: *Se & successores suos ejus Imperio non esse insidiaturos profitentes.* Non ergo ab his nexibus liberi prorsus erant Episcopi Orientis; verùm sacramentis his astringebantur non electionis, vel ordinationis suæ singuli tempore, sed universi conjunctim, ubi novi inaugurabantur Imperatores: eoque non semel tantum ipsos, sed & successores suos astringebant. L. 4.

De Resignatione simplici Episcopatuum.

CAPUT L. *P. 1. l. 2. c. 26.*

De Cessione & Resignatione Episcopatuum, per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

I. Cessiones olim, & Resignationes simplices Episcopatuum fiebant apud Concilia Provincialia, vel apud Metropolitanos.
II. Sensim moleuit mos, ut apud sedem Apostolicam fieret.
III. Per Canones non licet Episcopis Episcopatu abire, nisi justis de causis.
IV. Nisi ubi à contumaci plebe non suscipiuntur.
V. Ex his plebis tumultuationibus aliquid semper invidiæ & culpæ in Clerum resilit.
VI. Constantinopolitano Episcopatu abiisse se negabat Nazianzenus, qui ei nunquam facti acquievisset.
VII. Cessit Episcopatu Sasimorum, quem nisi pugna & cæde tueri non poterat.
VIII. Is erat locus, ubi supprimendus esset Episcopatus, vel potius nunquam creandus.
IX. Nec poterat ibi Gregorius prospera unquam uti valetudine.
X. Cessio Joannis Silentiarii, facta refragantibus Canonibus, suffragante cœlo.
XI. Exemplum aliud finitimum.
XII. Vetat admitti Cyrillus Alexandrinus Episcoporum cessiones, sive culpæ affines sint, sive puri.

I. EJus vinculi solvendi, quo suis Ecclesiis ligari tenentur Episcopi, & cessionis eorum approbandæ, jam dudum tota potestas ad sedem Apostolicam devoluta est: at non ita res habebat ab incunabulis Ecclesiæ ad annum usque Christi quingentesimum. Ea Disciplinæ innovatio tam lentè & inopinatò facta est, ut dum fieret, nemo suspicaretur; quod & in aliis complu culis id genus vicissitudinibus observare est. Quo fateri cogimur, divina magis providentia & voluntate, quàm mortalium prudentia & libidine has rerum motumque vices dispensari.

II. Illud enim interest inter humanæ & divinæ, sive sapientiæ, sive potestatis consilia, quod humana perspicuis machinis, artibusque haud sanè inscrutabilibus peraguntur: at Numinis providentia maximas quasque res in humana & Ecclesiastica Republica torquet & retorquet, rotat, evertit, innovatque miris & arcanis, atque imperviis modis; ut ne ipsi quidem per quos divina extricantur consilia, advertere ea possint, nisi ubi jam vel suo ipsorum ministerio perfecta & profligata sunt. Non ea Metropolitanorum, Episcoporum, Populorumve mens erat, ut munia Metropolitanorum, & Provincialium Conciliorum ad sedem Petri transferrentur, cùm ea ipsi tamen eò inopini sensim transferrent, ubi dissensionum suarum vi & veluti procella quadam jactati, ad eam confugiebant, & confugere assuescebant, & rariora jam habere, aut non ita magni facere Concilia Provincialia. Nec is erat Pontificum scopus, cùm his medebantur Provinciarum morbis, suam ut ad Ecclesiam illam causarum Ecclesiasticarum farraginem & molem importunam pertraherent. Sed non potuit longo sæculorum decursu non eò tandem res erumpere, quo eam videmus nunc esse loco.

III. Primam Ecclesiæ legem in moderandis Episcoporum resignationibus promulgasse videntur, sive Apostoli, sive quicumque Canonum Apostolicorum auctores, ubi communione arcent Episcopos, Presbyteros & Diaconos, qui semel ordinati, cessarint, & flagitiosa supinitate greges sibi creditos adire & pascere detrectarint. Si rebellantis autem populi regimen capessere nequiverint, gradu quidem ipsi suo potientur, sed eidem pœnæ mancipabitur Clerus, qui populi contumaciam non fregit. *Si quis Episcopus non susceperit officium & curam populi sibi commissi hic communione privetur, quoadusque consentiat, similiter Presbyter & Diaconus, &c.* Innovata est hæc eadem Constitutio in Concilio Antiocheno, à quo Apostolicus hic Canon in duos sectus est; Conciliique Provincialis judicio & decretis subesse ac parere jussi sunt Episcopi, tum qui ignavia excussennt onus, tum qui gregis rebellia pertinaciam perdomare nequierint. Hinc verò manifestum est, Episcopis, ac Presbyteris, semel ordinatis, adeoque & Diaconis integrum jam non fuisse, ut ingestam sibi sarcinam subirent, vel excuterent. Si enim anathematum jaculis urgebantur, ut onus subirent; quantò magis, ut ne quod semel subissent, illud temerè excuterent? Ideo & à Nicænis Patribus anathema in omnes Clericos intortum est, [illegible], Ecclesiarum suarum desertores, donec ad eas se recipiant. *Omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parœcias revertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communione privari.* Can. 37. Can. 17. 18. Can. 16.

IV. Consultum quidem volebant Canones ingenio & libertati populorum, & ne cui subjicerentur, nisi cui ultro ipsi parere delegissent. Sed inter nascentis Reipublicæ Christianæ angustias, frequentes occurrebant causæ, quibus explorari vota & desideria populorum non possent. Non enim semper coadunatis jam gregibus præficiebantur Pastores. Sed agni ad lupos mittebantur, qui ex lupis agnos facerent, atque ita demum illis præessent. Ita Christus Apostolos, Apostoli Christum imitati Episcopos ablegavere, ut Provincias & Civitates regerent, sed quas priùs sub lene Evangelii jugum misissent. Non infrequens ergo ea erat populorum malè sana obstinatio in Pastores, à superioribus Pastoribus ad se delegatos, quibus hinc satis

satis justæ nascebantur abdicationis causæ.

V. Sed non eo propriè sensu donari potest Apostolicus Canon, qui Clerum civitati jam præsidentem ostendit, in quem & culpam confert populi tumultuantis. Nec injuria. Si Clerus enim ea qua par erat diligentia & strenuitate incubuisset ad mansuefaciendos & Christianæ charitatis dulcedine imbuendos plebis animos, non fuisset ab ea Episcopus tam contumeliosè repudiatus. Quin apparet Clerum ejusmodi publicæ conjurationis contagio semper aliquo afflari; ut patet exemplo Martyrii Episcopi Antiocheni, qui Sedi renunciavit, abiitque Episcopatu, palam antè in Ecclesia contestatus his verbis: *Clero immorigero & populo rebelli, & Ecclesia contaminata renuncio, servata interim mihi Sacerdotis dignitate.* Author est Theodoretus Meletium Episcopum Sebastenum impatientius ferentem intolerandas populi sui intemperias, abisse Episcopatu, & secessisse in eremum, ubi pacis & virtutis deliciis inebriaretur: unde rursus tamen abreptus est in sedem Antiochenæ Ecclesiæ.

Theodoret. lector. l. 1.

l. 2. c. 31.

VI. Cessit Episcopatu Constantinopolitano Gregorius Nazianzenus, ne semetipsum, ne Ecclesiam universam ei tempestati objiceret, quam ii excitabant, qui aliunde excitatam sedare præ cæteris debuissent. Nec dissimulabimus tamen Gregorio persuasum fuisse, tutorem se & custodem magis ejus Ecclesiæ fuisse, quàm sponsum: eique à se, non ut suæ, sed ut sibi commendatæ inservitum fuisse. *Quod si Ecclesiam, ut scribis, relinquere periculosum est, quam tandem? Si nostram, rectè dicis, idemque ipse aio. Si vero nihil ad nos attinentem, nec nobis assignatam, culpa vacamus. At idcirco tenemur, quia ipsius curam aliquantisper egimus? Nimirum multi alii eadem ratione tenentur, nimirum quotquot extranearum curam susceperunt.* Nec aliter fere sensit ille de Ecclesia Nazianzena, non ei se unquam ut Episcopum præfuisse, sed ut subsidiarium & vicarium Pastorem. Propè abest à vero, utcumque conniti sint Episcopi & Imperator, ut perillustrem hunc Theologum adducerent, ut Regiæ urbis Episcopalem sarcinam subiret, & utcumque annuere visus esset: sustinuisse tamen illum assensum suum, usque ad Concilium Constantinopolitanum, ubi cùm infestos sibi sensisset Episcopos nonnullos, maximè Ægyptios, tam lubens cessit odio adversariorum, quam invitus alioqui amicorum consiliis paruisset; cùm otio cujus erat cupidissimus, faverent adversarii, amici adversarentur. Hæc ex Sozomeno.

... 65. ... 19. ... 42. ... 56.

L. 7. c. 7.

VII. Sed utcunque res habeat de Episcopatu Constantinopolitano, fuit certissimè Gregorius Sasimorum Episcopus à Basilio ordinatus, eoque Episcopatu abdicavit sese invito Metropolitano suo Basilio. Nec rem ipse dissimulat, sed nec rationes silet suæ spontaneæ cessionis. Erat is ignobilis & permodicus vicus, tam graminis, quam aquæ inops, viæ apporrectus, eoque pulverulentus, tumultuosus, scelerosis ferè tantùm, tortoribus, & carnificibus frequentatus. Erexerat ibi Basilius primus sedem Gregorio Episcopalem, quanquam suæ jam ditioni obnoxias haberet quinquaginta Ecclesias alias Episcopales, idque eo consilio fecerat, ut eam velut arcem objectaret Metropolitano secundæ Cappadociæ, qui vicum cum suis finibus vindicabat, atque ita objecto Gregorio Basilius subducebat se discrimini, in eum unum convertendo toto posthac adversariorum impetu. Præposterum sibi visum aiebat Gregorius, quod Episcopali ministerio, ad pacem & charitatem composito, non posset fungi, nisi vi & cæde, illata, aut propulsata. Tam ab omnibus præsidiis destitutum esse eum locum, ut nec vitæ tolerandæ sufficeret, nedum exercendæ hospitalitati, quam Apostolus Episcopis commendatissimam esse voluit. Ex his rationibus quas elegantissimè exequitur Nazianzenus in Carmine de vita sua, illa una quæ spectat ad vim quam inferre vel pati oportebat ejus Ecclesiæ administratorem Episcopum, illa, inquam, una eademque est, atque illa, quæ gemino hoc Canone apprehendatur, altero Apostolico, altero Antiocheno. *Thronum haud licebat consequi sine sanguine. Namque æmulorum Præsulum confinium erat hoc duorum, pugnaque haud certè levis. Quid facere, quæso, per Deum par hic erat? Retinere sedem? tam graves ferre impetus? Tolli ferri, sordido immergi luto?*

VIII. Quoad rationes alias à Gregorio perstrictas, non minimum momenti in ea est, quæ à loci inopia, rerum penuria, & inclementia cœli petitur: *Vicus, limphis carens, exors viroris, libero indignus viro, arctumque prorsus oppidum. Hic cuncta strepitus, pulvis hic cum curribus, lamenta, fletus, carnifex & compedes, tormenta, Cives hospites hic & vagi, &c. Nec panem haberem, quem ministrarem hospiti, ut rector ipse pauperis pauper gregis.* Harum rationum ea etiam momenta, quæ non Episcopum tantùm absolverent, sed & Episcopatum ipsum extinguerent, quin potius vetarent, ne unquam erigeretur.

IX. Sed vel ipsa loci, cœlique ea erat vel asperitas, vel contagio, quæ valetudini absolutissimè infesta esset, & satis in ea causæ erat, ut per Canones Episcopatu abire liceret. Narrabitur infrà ubi de translationibus agetur, Sylvani Episcopi religiosissimi exemplum, qui ab Episcopo Constantinopolitano Attico exonerari se pervicit Episcopatu in Thracia suo, quòd languida & tenella cùm esset valetudine, ne consistere quidem posset in loco, quem jugis nivium copia vallaret, & inde mira intemperies.

X. Viderint alii, an possit Canonicis resignationibus annumerari Joannis Silentiarii cessio. Perdiu reluctatus, Coloniensis tandem Ecclesiæ sub Metropoli Sebastena regimen adire compulsus fuerat. Totum decennium consumpsit in sanctissimè & vigilantissimè obeundis Episcopalibus muniis. Cùm verò postea impatientius ferret, & contumelias & calamitates ab Armeniæ Præside, quantumvis affinitate sibi conjuncto, Ecclesiæ suæ Cleroque illatas, Constantinopolim petiit, ubi Patriarchæ consilio & auxilio usus, Ecclesiæ suæ necessitatibus cùm pro virili sua consuluisset, Hierosolimam petiit, unde & in Lauram S. Sabæ secessit. Ibi pristinis se ille reddidit Monasticæ vitæ institutis, quibus tanto animi fervore, tanta virtutum edidit documenta, ut in eo satis argumenti sit, ut cum authore vitæ ejus pronuntiemus, quando Episcopatu se exuit, illum *Deo gratum iniisse consilium.* Ipsa per sese spectata cessio, Canonibus haud sanè consentanea videri poterat. Sed tanta illam prodigia illustrarunt, tanta cœlestis favoris confirmarunt argumenta, ut fateri cogamur Legem esse quandam summam, Legibus omnibus etiam Ecclesiasticis antecellentem & imperitantem, quæ his quandoque suffragetur, quos nostris calculis nos quidem damnaremus; & quæ his authoritatem conciliet insolitis & laudandis magis, quam imitandis facinoribus.

Cyrill. Monac. in ejus vita apud Surium die 13. Maii.

XI. Nec alia forsan ineunda nobis ratio de eo Alexandro, qui suo se in Cappadocia Episcopatu

suffuratus est, ut Hierosolymam concederet, *tum*
L. 3. c. 11. *orandi, tum locorum visendorum causa*, ut ait Eusebius, & quem ibi cælestia monita defixerunt, quo Narcissi ejusdem Episcopi Coadjutor primùm, mox & successor esset.

XII. Voluntarias omnes Episcoporum cessiones damnare videtur Cyrillus Alexandrinus: itaque nec iis unquam censet assentiendum esse: sed Episcopos, si digni sint, in Ecclesiis, quibus illos addixit cæleste suffragium, constantissimè defigendos: si indigni sint, canonico judicio feriendos:
Epist. ad Domnum apud Balsa. *Si sunt digni qui sacra Mysteria obeant, in iis maneant: si autem indigni, nec per renuntiationem exeant, sed potius condemnate.*

CAPUT LI. *P. 1. l. 2. c. 27.*

De resignatione aut cessione Episcopatuum in Ecclesia Latina per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

I. Ratio laudatissima abdicandi Episcopatus, ad Ecclesiæ pacem constituendam.

II. Episcopi non sibi Episcopi sunt, sed Ecclesiæ.

III. Sacerdos Christus ipse ejus rei exemplum.

IV. Trecenti Africæ Episcopi præsto fuere ad exuendum Episcopales infulas, ut Donatistæ in Ecclesiam sinum revocarentur.

V. Resignationes hæ omnes simplices erant, & utilitati serviebant Ecclesiæ. Nulla earum in favorem.

VI. Velare Augustinus cedere Episcopatu, ad eluendam vel imprudentiæ culpam, vel præcipitis consilii.

VII. In capitali crimine est canonica ratio resignandi Episcopatus.

VIII. Nec tamen in fervidine imminentium difficultatum, quas quis superari a se posse desperet.

IX. Mira in eam rem Leonis Magni Epistola.

X. Quantacumque invaletudine aut ægritudine conflictati Episcopi, ad cedendum cogi non possunt.

XI. Ex Latinis Græcisque Patribus patratum jam capitale facinus, voluntaria Episcopatûs resignatione expiari posse.

I. Quanquam summum sit Episcopatus fastigium, sanctissimumque, nec altiùs possint Clerici assurgere: longè tamen non sanctius tantùm est, sed & ad gloriam præclarius, inde se dejicere ad pacem Ecclesiæ vindicandam, aut schisma imminens anteverrendum, quàm eo provehi, aut provectum confirmari. Nulla magis canonicis institutionibus consonat ratio cedendi Episcopatûs, nulla ad laudem & admirationem splendidior, quàm ut in procellam dejiciat se quis, quam in mare se præcipitem det, quod tranquillet; ab Ecclesia discedat, quò ejus arctiùs constringat unitatem. Eam laudem consecutus est Nazianzenus, cùm Constantinopolitana cessit Ecclesia, Episcoposque synodicè congregatos his verbis affatus est, *Si propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare.* Id præstitit & Maximianus Africæ Episcopus, ad cujus fratrem Castorium luculentissimas dedit Augustinus literas, ut hortaretur eum, quo fratri in ejus Ecclesiæ gubernacula succederet, tum dignissimo viso qui præesset Ecclesiæ, cum præesse desiit.
Epist. 238. *Ut succedas fratri, non ignominiosè cadenti, sed gloriosè cedenti.* Nihil enim Episcopalius, quàm Ecclesiæ ipsius charitate, ab ejus complexu divelli. Qui jubente vel hortante utilitate Ecclesiæ, ab ea disjungi abnuit, non ille Ecclesiæ, sed sui amore flagrat; Episcopalisque dignitatis ac pompæ, quàm sanctitatis cupidior est. *Longè est gloriosius Episcopatûs sarcinam propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quàm propter regenda gubernacula suscepisse. Ille quippe se honorem, si pacis ratio exigeret, dignè accipere potuisse demonstrat, qui acceptum non defendit indignè.*

II. Docet idem alibi Augustinus, Episcopos non sibi Episcopos esse, sed Ecclesiæ: utilitate ergo Ecclesiæ diffiniri ac regi debent, suscipiendi aut exponendi Episcopatûs consilia. *Neque enim* Cont. Cresc. L. 2. c. 11.
Episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus verbum & sacramentum dominicum ministramus; ac per hoc ut eorum sine scandalo gubernandorum se necessitas tulerit, ita vel esse, vel non esse debemus, quod non propter nos, sed propter alios sumus. Denique nonnulli sancta humilitate prædicti viri, propter quædam in se offendicula, quibus piè religioseque movebantur, Episcopatûs officium non solum sine culpa, verùm etiam cum laude posuerunt.

III. Si è sinu paternæ se gloriæ Christus dejecit, quo Corpus istud sibi Ecclesiæ coagmentaret, cujus nos membra censemur: eccur Episcopi suis non è soliis ultro defluent, ne cælestis ejus Christi corporis lacerentur membra, aut à compage sua divellantur? *An ille de cælis in humana membra descendit, ut membra ejus essemus: & nos ne ipsa ejus membra crudeli divisione laniantur, de cathedris descendere formidamus?* De gest. cum Emerit. Donat.
Non est præponendus temporalis gloriæ flos, eorum æternæ saluti, quorum quis curam & regimen sustinet: *Si servi utiles sumus, cur Domini æternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus invidemus? Si eam volo retinere Episcopatum meum, dispergo gregem Christi, quomodo est damnum gregis, honor Pastoris?* Jam Pastoris nomine & gloria orbatur, quisquis id officii vel init, vel retinet cum gregis pernicie.

IV. Nec plus splendoris quàm ponderis inest his rationibus, ex quibus cessio non licita tantùm demonstratur, sed necessaria, ubi ea est rerum conditio. Ita consentiebant Episcopi Africanæ Ecclesiæ Catholici, numero trecenti, synodicè coacti, ubi in commune consulentes, decreverunt, Ecclesias suas omnes Donatistis earundem Civitatum Episcopis cedere & concedere, si vel sic animum adducerent, ut unitati Ecclesiæ Catholicæ sociarentur. E trecentis duo tantùm hæsitarunt, an communi & magnanimo assentirentur Decreto: senior alter dissensum suum non dissimulavit: alter verbo dissimulare potuit, non vultu. At senior ille Collegarum monitis expugnatus, statim resipuit, exemploque suo Collegam quoque suum ad resipiscentiam pertraxit; itaque & ipsi quoque in communis gloriæ societatem venerunt. *In Concilio universorum* Ibidem.
tam frequenti pene trecentorum Episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, ut parati essent Episcopatum pro Christi unitate deponere, & non perdere, sed Deo tutius commendare: Duo ibi vix inventi sunt, quibus displiceret. Unus annosus senex, qui hoc etiam dicere ausus est, alter voluntatem suam tacito vultu significavit. Sed postquam illum senem liberius hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, ille mutavit sententiam, vultum etiam ille mutavit.

V. Non ignaviæ, non inerti otio, non cupiditati privatæ, sed publicæ charitati & paci donabantur hæ cessiones, ut de Maximiano idem author est Augustinus: *Ministerium non desidia, aut aliqua* Epist. 238.
sæculari cupiditate, sed pacifica charitate deposuit. Adde quod nec in gratiam cujusquam resignabantur Episcopatus, sed simpliciter & illæsa electionum canonica libertate. Ideo & Augustinus author erat ille quidem Castorio, ut in Episcopale fratris solium succederet, non ut in id succederet, quod sibi ab eo resignatum esset. Si fratri resignasset, non

pari jure dixisset forsan Augustinus, cessisse eum sacris insulis, *non aliqua sæculari cupiditate, sed pacifica charitate.*

VI. Quin & ipse aliquando Augustinus cessionem meditatus est, ratione longè alia, sed ad pietatem ejus & sanctimoniam commendandam non minùs opportuna, quanquam ipse se ipsum ignominia quadam erroris conspergere niteretur. Aberraverat ipsemet in delectu Antonii alumni sui, quem Fussalæ Castri Episcopum ordinari curaverat; probum domi suæ expertus, quem instituerat, probum fore etiam foris augurabatur: fefellit eum opinio, fefellit spes, sed ejus non erat futuros præstare eventus. Facinorum ergo & flagitiorum suorum damnatus est Antonius in Concilio Africano, à quo ad Cælestinum Papam cùm appellasset, decretum ab eo sibi propitium impetravit, quo munitus, timebatur, ne Magistratuum potestate & militaribus copiis abuteretur, irrueretque in suam Fussalensem Ecclesiam, juxta Pontificium Decretum. Alumni scelera sibi imputavit Augustinus, & quasi unus ipse invidiam sustineret ejus flagitiorum omnium, quem ordinari fecisset Episcopum: ad Cælestinum Papam rescripsit, si restitutione Antonii iisdem rursus Ecclesia calamitatibus objiceretur, certum sibi fixumque esse voluntaria abdicatione imprudentiam ulcisci suam, & semet ipsum prædamnare, ne à vivorum & mortuorum terrifico judice aliquando damnaretur. *Me sanè, quod confitendum est Beatitudini tuæ, in isto utrorumque periculo tantus timor & mæror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi Episcopatum abscedere, si per eum, cujus Episcopatui suffragatus sum, vastari Ecclesiam Dei, & quod ipse Deus avertat, etiam cum vastantis perditione conspexero. Recolens enim quod ait Apostolus, Si nosmetipsos judicaremus, à Domino non judicaremur, judicabo me ipsum, ut parcat mihi qui judicaturus est vivos & mortuos.*

Epist. 261.

VII. Hoc imbuendi sunt Episcopi omnes Augustini exemplo, qui teste Deo convulneratam graviori aliquo flagitio conscientiam suam sentiunt, tametsi de eo ne possint quidem convinci. Si enim Augustino visum est, quod semel imprudenter fecisset, spontanea abdicatione luendum sibi esse, quòd ea fuisset plurium scaturigo malorum: si persuasum habuit, ita paratum esse debere Episcopum, ut semet ipse judicaret, ne à Domino judicaretur: semet ipse abjudicaret, ne à summo Judice abjudicaretur; erat illi ergo persuasissimum, ex Ecclesiæ lege summovere à sacris Ordinibus & Dignitatibus semetipsos debere eos, quorum vel famæ palam vel conscientiæ clam vulnus hujusmodi aliquod inflictum est. Quippe quæ flagitia canonico judicio declarata, depositione sacrorum ministeriorum ferienda sunt; iis omnibus ex priscorum Patrum & Conciliorum consensione, & usitata tunc disciplina, excitari privatim quisque debebat, ut judex & ultor in se ipsum insurgeret, & abscinderet ipse se ab Agni immaculati sacerdotio, à quo eeo fonte rivuli omnes manant sacrarum dignitatum.

VIII. Nec isti tamen regulæ locus est, nisi in flagitiis quæ re ipsa admissa sunt. Pius enim juxtà & doctus Julianus Pomerius post exaggeratam difficultatem ministerii Episcopalis obeundi, ea quam lex æterna desiderat indefessa vigilantia, & vehementi charitatis flamma: illam tandem his mitigat lenimentis, quibus suadeantur Episcopi, animum non despondere; nec Ecclesias metu naufragii abdicare suas, sed clavum constantissimè retinentes,

suæ gregisque saluti consulere. *Volentes Ecclesiam vobis creditam velut impares ei regenda admittere, atque in aliquam solitudinem non tam studio quietis, quàm ipsius officii vestri desperatione secedere: nulla res alia à vobis exegit in melius mutare consilium nisi quod veriti estis periculum majus incurrere. Quoniam si periculosum est navim inter fluctus non regere quantò periculosius est eam undis intumescentibus fluctuantem in tempestate relinquere!*

De vita contemp. l. 1. c 16. 17. 8.

Hinc ille progreditur ad Episcopos, qui tametsi prædicandi verbi dono careant, ne in cogitationem quidem venire debent dimittendi Episcopatus. Pulcherrima enim & efficacissima prædicatio est, religiosæ vitæ constantis; exemplorum, quàm verborum vehementior est eloquentia; satius est imitatores allici, quàm auditores; denique sanctioris Præsulis vita non viam tantùm aperit ad virtutes quaslibet, sed & amorem earum instillat, obices amovet. *Orando vos dixi posse perficere, quod non possetis docendo suggerere: plurque fideles bonis exemplis, quàm luculentis verbis solere proficere.*

IX. Hæc confirmabit omnia Leo Papa de cessionibus; sed & illud adjiciet, quod nondum satis in superiori exemplorum congerie dilucescere potuit; quæ superior intervenire debeat authoritas, ut vinculum solvatur, quod solvi non posse videbatur; utque disjungantur quæ Deus ipse in mystico Episcopi cum Ecclesia connubio conjunxerat. Leoni denudaverat Rusticus Narbonensis Episcopus exponendæ Episcopalis sarcinæ ingens desiderium; quòd gregis sui vitia jam nec emendare posset, nec pati. At Pontifex adeo non votis ejus obsecundat, ut urgeat ex adverso, scelestum fore, si crediti sibi gregis salutem posthaberet otio: persecutionibus semper fuisse, semper fore, & illustrandos justos & coronandos; non posse ab eo abjici clavum Ecclesiæ, quin eam in certum naufragii discrimen conjiciat: lupis objici gregem, si deseritur: justitiam indulgentia temperandam, odium peccatis, amorem peccatoribus impendendum: acerbissimis persecutionibus non frangi, qui sciant, qui confidant eas non humana, sed divina & invictissima Christi sapientia & potestate superati: denique inter persecutionum turbines, si qui animo concidant, eos vel de omnipotentia Christi desperare, vel de promissionum ejus veritate diffidere. *Miror dilectionem tuam in tantum scandalorum quacumque occasione nascentium adversitate turbari, ut vacationem ab Episcopatûs laboribus optare te discas: & malle in silentio atque otio vitam degere, quàm in his quæ tibi commissa sunt, permanere. Dicente verò Domino, Beatus qui perseveraverit usque in finem, unde beata erit perseverantia, nisi de virtute patientiæ? Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur, &c. Quis inter fluctus maris navem diriget, si gubernator abscedat? Quis ab insidiis luporum gregem custodiet, si Pastoris cura non vigilet, &c. Permanendum ergo est in opere credito & in labore suscepto. Constanter tenenda est justitia, & benignè præstanda clementia Odio habeantur peccata, non homines, &c. Ne expavescamus, quasi propriis viribus adversitati sit resistendum, cum & consilium nostrum & fortitudo nostra sit Christus, &c.*

Epist. 92.

XI. At si non facilè debent Episcopi à desponsatis sibi Ecclesiis sese divellere: multò minùs ab iis abscindendi sunt vi aut temerario & inconsiderato zelo superiorum. Projecto Episcopo successorem dedit Hilarius Arelatensis Archiepiscopus, quòd graves illum ac diuturnæ morborum molestiæ officio fungi minùs sinerent. Querelas & Projecti &

ovium ejus excepit Leo. Mox & illum restituit, datis ad Episcopos Viennensis Provinciæ, cui præerat Hilarius, litteris, quibus significabat, Eo facto declaratam esse Hilarii animi inclementiam, qui superstiti Episcopo successorem dederit. morbumque crimini verterit: *quod Projecto ægrotare liberum non fuisset*: Ægrotum vitæ extrudi, cui suæ dignitas præripitur: *Is illi subtraxit lucem, abstulit vitam, qui hunc ei dolorem, in locum ejus alterum subrogando, ne ad salutem illi recursus esset, injecit*: Denique mortifera ea sævitia, innoxio Episcopo mortem accelerari potuisse, non legitimum dari successorem. *Non ergo Hilarius tam studuit Episcopum consecrare, quam eum potius qui ægrotabat, occidere.*

Epist. 89.

XII. Nec Leo autem, nec Pomerius de capitali videntur egisse crimine, quod Episcopus patrasset. Nec enim super ea re dissentire à Chrysostomo potuissent, cui visum est, Episcopo istiusmodi facinore cruciatam gerenti conscientiam, ut sese abdicet, non opperiendum esse Ecclesiæ judicium, nedum Christi longè formidolosius, nisi ejus ultricem manum ultor ipse sui exarmet. *Oportere puto tanta cum religione & cautione ad Episcopatum accedere, ut illius molem magnitudinemque prorsus detrectes: deinde adepto honore aliorum judicia sententiasque non expectare, si quod fortè commissum deprehendatur, propter quod oporteat te honorem illum deponere; quin potius antevertens, te ipse munere abdicee. Sic enim par est, ut divinam concilies, impetresque misericordiam: qui si tibi honorem illum præter decorum tanquam mordicus retinere studueris, indignus es qui veniam consequaris: tum vero divinam iram magis ac magis incendis, altero peccato, & eo graviore per te addito.* Ea quidem de re copiosissimè alibi ex Latinis Patribus. Ea quippe erat severissima ubique castitas antiquioris Disciplinæ.

De Sacerd. L. 3. c. 10.

CAPUT LII. *P. 2. l. 2. c. 43.*

De Resignatione & Cessione Episcopatuum, ab anno Christi quingentesimo ad octingentesimum.

I. Varia ex Gregorio exempla, qui dabat Coadjutores & successores sinebat ab Episcopis, ex morbo afflictis, qui spem præciderent remeandi ad Episcopales functiones.

II. Nec eos tamen sic afflictos, cogi sinebat ad resignandum.

III. Vetat Martinus Papa, ne sanctus Amandus Episcopatu se exuat.

IV. Necdum tamen tunc hac de causa ad Papam recurrebant.

V. VI. VII. Nisi qui ad Apostolicas Missiones delegabantur. Ejus rei exempla in Gallia. Regum quoque licentia deposcebatur.

VIII. IX. X. Exempla alia Hispaniæ, Africæ & Angliæ.

XI. In Oriente necessaria Imperatorum licentia.

XII. Joannis Silentiarii exemplum, Regulis Canonicis adversum, cœlo tamen approbatum

XIII. Anastasius Sinaita à præfracta & indomita contumacia gregis secedit, cumque à Metropolitano extorquere veniam non posset, ad Patriarcham & Imperatorem confugit.

XIV. Ne ab Episcopis quidem summa pietate præditis Canonica semper regula observabantur

I. PErmolesto ac pene desperato, ut infrà dicemus, capitis dolore afflictabatur Archiepiscopus Justinianæ Primæ. Assentiebatur Gregorius, ut successor illi daretur, si cedere cuperet. Idem rescripsit Gregorius & de Episcopo Ariminensi, quem vehementissimus capitis dolor ita lancinabat, ut jam dudum nec munere suo fungi, nec in Ecclesia sua potuisset residere. *Quem dum moniti Cleri Civiumque instantius hortaremur, ut si valeret, remearet, data in scriptis supplicatione nos petiit, ut quia ad ejusdem Ecclesiæ regimen vel susceptum officium, pro eâdem quâ detinetur molestiâ, assurgere nullatenus posset, Ecclesiæ ipsi ordinare Episcopum deberemus.* Consensit Pontifex ei cessioni, quòd spem abjecisset prorsus Episcopus obeundi posthæc ulla ex parte muneris sui. *Ex sui impossibilitate.* Verùm ea cessio simplex erat, non in cujusquam gratiam. Unde & mox Pontifex ad Ariminensem Clerum plebemque scripsit, alium ut sibi Episcopum eligerent. *Datis ex more præceptis ad Clerum plebemque ad eligendum sibi Antistitem.* Simplicem similiter resignationem expectabat Gregorius ab Episcopo Justinianæ Primæ: *Si petierit, ut ab Episcopatus onere debeat vacare, concedendum est.*

L. 7. Ep. 50.

L. 9. Ep. 41.

Eandem explicuit humanitatem in alium quoque Episcopum, qui vehementissimo Capitis dolore alienabatur quandoque à mentis sanitate, ut sui compos non esset. Passus non est tamen invitum Episcopatu spoliari. Morbi enim acerbitate miseros, eoque tantò magis miserandos nos effici, non noxios. Voluit ergo, ut si per dilucida aliqua remittentis morbi intervalla resignare vellet, daretur illi successor, à quo & stipendia ei ad tolerandam vitam deinceps suppeditarentur. Si nunquam autem remitteret mali vis, ut nec resignare posset, nec Episcopatum regere, Coadjutor ei jungeretur, qui eo superstite Ecclesiam administraret, nec ordinaretur tamen Episcopus, nisi post ejus mortem. *Quia vivente Episcopo, quem ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus recusante eo, nulla ratio sinit ordinari. Sed si intervalla ægritudinis habere est solitus, ipse data petitione, alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto omnium electione alter consecretur. Enimvero si nullo tempore ad sanæ mentis redit officium, persona vita probabilis est eligenda, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea possit existere, qui etiam si Episcopo qui nunc ægrotat, superstes extiterit, loco ejus debeat consecrari.* Erat is Episcopus Gallus, & hæc rescribebat Gregorius ad alium Episcopum Galliarum & ad Reginam Brunechildem.

L. 11. Ep. 7. 8.

Universim affirmat Joannes Diaconus, non abnuisse Gregorium, quin successores daret Episcopis, qui sponte cederent, quin & idoneas illis assignasse pensiones ex reditibus ejusdem Ecclesiæ decerpendas: *Pontificibus voluntariè suis renunciantibus sedibus, successores Gregorius nullo modo denegabat, eosque postmodum de reditibus relictæ Ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat.* Id verò ex antedictis facilè colligitur, de iis dici Episcopis, quos ægritudo acerbissima omnibus arceret Episcopatus functionibus.

L. 4. c. 38.

II. Duæ sunt ergo ex Gregorio cedendi causæ Canonicæ, crimen, & ægritudo corporis desperata. Crimini depositio magis, quàm cessio consentiret. Sed ubi qui ejus sibi conscius est, canonicum judicium sincera pœnitentia occupat, seque ipsum suo exauthorat judicio, non ea probrosa depositio est, sed spontanea & decora cessio. In corporali autem ægritudine satis quidem causæ est, ut spontanea Episcopi cessio admittatur, non ut ab invito extorqueatur. Si ab ea autem abhorrescit, aut si mali vis ita rationem & libertatem obnubilat, ut ne liberum quidem ei sit cedere, dandus Coadjutor, nec nisi tamen post ejus mortem ordinandus, ne una duos simul sponsos habeat Ecclesia, duos Episcopos una civitas. Et hæc quidem ex Gregorio,

III. Martinus I. Martyrio, quam summo Pontificatu clarior, cupienti beato Amando discedere ab Ecclesia sua Trajectensi, vehementer restitit. Molestissimè ferebat Amandus Cleri sui flagitia, Presbyteros ipsos Diaconosque exectabatur, qui spurcissima libidine contaminati, immaculati Agni sacrificia frequentabant. *Suggestum est nobis, eo quod Presbyteri, seu Diaconi, aliique sacerdotalis officii post suas ordinationes in lapsu coinquinantur; & propterea nimis mœrore fraternitatem tuam astringi, velleque Pastorale obsequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Episcopatus laboribus eligere.* Rescripsit Martinus virtutum omnium decus & gloriam perseverantia cumulari, cui conjunctissima sit patientia, patientiæ comes persecutio: non dimittendum Clerum Pastori, sed castigandum, & ad meliorem frugem revocandum; invictaque animi fortitudine ejiciendos sacerdotali collegio, qui ejus innocentiam flagitiis suis inquinarent. Et Martino, ut reor, & Amando exploratissimum erat, posse jure suo Episcopum dignitati & oneri renunciare, cùm constantia & sollicitudine sua expertus est ægrescere potius, quam sanari morbos obstinatissimi Cleri sui, aut intractatæ plebis. Sed non convenisbat eis de Trajectensi Ecclesia, an desperanda verè esset ejus curatio, an potius instandum operi tam pio cœlestis medici ope profligando.

VI. Consultissimum est, ut ne suo nimis de se ipsis judicio confidant Episcopi, & ne privatæ innitantur prudentiæ, sed Christi potius audiant Vicarium in ejusmodi negotio, quod tanti ad ipsorum, tanti ad Ecclesiæ salutem refert. Sed dissimulandum non est hoc loco, ne tum quidem in more positum fuisse, ut à Pontifice exoraretur licentia dimittendæ Episcopalis curæ; nec ipsum forsan Amandum super ea re consuluisse sedem Apostolicam, sed suis litteris prævertisse Papam, sparsis rumoribus excitatum, ut ab ea illum sententia abduceret; denique capite superiori satis superque est declaratum, & mox ulterius declarandum, sæpiusculè resignatos à Præsulibus Episcopatus, tum simpliciter, tum in favorem, inconsultis Romanis Pontificibus.

V. Romam profectus est B. Corbinianus Frisingensis Episcopus, ut copia sibi fieret exuendi Episcopatus. Verùm is ab ipso Pontifice Romano ordinatus fuerat Episcopus, & delegatione Apostolica ornatus, missusque ad nationes Barbaras Christi imperio & Ecclesiæ adgregandas. Itaque speciali ille nexu Romano Pontifici obligabatur, ut nisi eo annuente solvi non posset. Quocirca & tunc repulsam ab eo passus est.

VI. Verùm Maurillus Andegavensis civitatis Episcopus, unum judicem, & quidem inexorabilem, seipsum audiens, sibi obsequutus Episcopatu abiit, exauthorante illum propria conscientia, quòd sopinitate sua pusio obiisset sacramento confirmationis nondum initiatus. Ejusdem civitatis Episcopus beatus Licinius, enixissimis precibus Regem & Episcopos compellavit, ut successorem sibi darent, & in Eremum aufugiendi copiam facerent. Irrita cecidere ejus vota. Beatus Sulpitius Bituricensis Archiepiscopus anno 641. Ecclesiæ suæ nuntium remisit, permittente Rege, & quem expetierat successorem dante. Trajectensis Episcopus Remaclus sarcinam & ipse annuente Rege abjecit. Ea quoque fuit ratio B. Bonito Arverno, & B. Burchardo Virtsburgensi Episcopis, suis Ecclesiis renunciandi; ut liquet ex eorum vita apud Surium & Bollandum. A Dagoberto Rege extorsit magis, quàm

Surius die 5 Septemb. & Leon. Surius die 13 Septemb.

Boll. die 1. Febr. & 17. Ianu. Surius die 16. August. & die 2. Octob.

obtinuit cedendi Episcopatu licentiam B. Arnulphus Episcopus Metensis, & adeundæ solitudinis. Beatus Leodegarius Augustodunensis Episcopus clam suæ se subduxit Ecclesiæ, missisque à Rege qui eum revocarent, instantissimè ab eo oravit, exoravitque tandem, ut permitteretur sese in Monasterium Luxoviense abdere.

VII. His exemplis constat, necdum vel usu, vel Canonicis institutis vendicatam fuisse uni summo Pontifici potestatem, Episcopos absolvendi à sacro Ecclesiarum suarum nexu ac conjugio. Memorat quidem B. Ado Viennensis Episcopus, Vilicarium Viennensem Episcopum Romam contendisse, anno 727. à Stephano Papa Zachariæ successore humanissimè exceptum, & in Agaunum denique Monasterium secessisse. Sed nullum facit Ado verbum de petita, vel de impetrata dimittendi Episcopatus licentia. *Vilicarius relicta Viennensi sede, Romam primum abiit, ibique Papæ Stephano notus efficitur.*

VIII. East-Anglorum, sive Anglorum Orientalium Episcopum perhibet Beda gravissimo concussum morbo, per quem nullas Episcopatus functiones expedire posset, duos ejus loco electos, ordinatosque fuisse Episcopos, atque exinde eam Provinciam à duobus Præsulibus administratam fuisse. *Quo adhuc superstite, sed gravissimâ infirmitate ab administrando Episcopatu prohibito, duo sunt pro illo electi & consecrati Episcopi. Ex quo usque hodie Provincia illa duos habere solet Episcopos.* Eo inflictum est vulnus Canonicis regulis, non scissa in duos Episcopos Provinciæ cura, sed ordinato ante præcessoris obitum successore. Sed ea tum Ecclesiæ Anglicanæ inter cunabula sua reptantis adhuc necessitas interpretanda est. Nec dispar judicium de eo quod infrà ibidem narratur, Baselo Episcopo, ad nullas amplius Episcopatus functiones assurgere se posse speranti, propter ingravescentis morbi vim, Coadjutorem à Rege datum & ordinari jussum. L. 4. c. 5. 23.

IX. In Hispania Concilii Toletani X. Patres Potamium Braccharensem Episcopum discinxere, & sede ejecere; sed qua ipse jam sese ejecerat, sui pudore & pœnitudine sincera flagitii. Itaque cùm novem antè mensibus Concilii damnationem ipse suimet judex incorruptus prævertisset: *Ferme per novem menses sponte deseruisse regimen Ecclesiæ suæ, & ergastulo quodam se conclusisse.* Ambigi pene possit, damnarint illum Episcopi ejus Synodi, an sententiam damnationis ab eo pronunciatam, & executioni mandatam confirmarint.

X. In Africa B. Fulgentius Monasterii, cui oneratus fuerat, providentia & cura sponte sua se abdicavit, ut in secessu contemplationis se deliciis oblectaret. At Episcopus, cujus assensu absolutus non fuerat, coëgit, ut ad dimissa rediret Abbatiæ gubernacula. Ex quibus vides in his cessionibus nulla Superiorum licentia tum frequentatis, eminere pietatem, non æquè sapientiam; eumque tametsi laudabilem charitatis æstum, castigandum tamen aliquando fuisse, & ad certas sobrietatis & prudentiæ regulas frænandum. Ferrand. in ejus vita. c. 14. 15.

XI. In Oriente verò Paulus Antiochenus Patriarcha, flagrantissimam Cleri plebisque suæ invidiam, odium, criminationes jam non sustinens, à Justino Imperatore abdicandi licentiam flagitavit. *Libellos obtulit, ut liceret ei secedere à suscepto Episcopatus officio.* Annuit ejus votis Justinus, pertinacissima ratus gregis universi aversatione irritos futuros conatus ejus quantoscumque. *Quoniam cordi*

nobis est, & fuit, ut semper civitatum Antistites in amore sint omnium communi, &c. Imperator & Epiphanius Patriarcha Constantinopolitanus ad Hormisdam Papam ea de re litteras dedere, ut certiorem potius eum facerent, quàm ut ejus assensionem opperirentur. *Post Epist. 80. Hormis.*

XII. Jam diximus Joannem Silentiarium ordinatum fuisse Episcopum à Metropolitano Sebasteno, sed invitum. Hinc, ut suspicor, crevit illi fiducia, ut injussu Imperatoris, Patriarchæ & Metropolitani, eam sarcinam tandem excuteret. Jam enim, ut vidimus, ad Imperatores & Patriarchas Constantinopolitanos ad solvenda istiusmodi vincula recurrebatur. *Surius die 13 Maii.*

XIII. Anastasiopolitanæ civitatis Clerici Laïcique impetu facto in virum sanctissimum Theodorum Siceotam Abbatem, Ancyranum ad Metropolitanum illum rapuere, ut Episcopus civitati suæ ordinaretur. Interjectis aliquot annis tandiu expertus Theodorus incassum operam suam & industriam perire, nullo plebis immorigeræ & effrænatissimè in flagitia quæque præcipitis fructu: persuasusque prioribus se Monachis suis utiliùs præfuturum, Clero Populoque valedicens, Ancyram properavit, quo successorem à Metropolitano expugnaret. Cùm infestum illum pareretur, evicit tandem, ut ad Cyriacum Patriarcham Constantinopolitanum res, & ad Mauritium Imperatorem referretur. Litteras ambo ad eos dedare, rationum ultro citroque suarum momenta subjicientes. Jussu Imperatoris rescripsit ad Metropolitanum Patriarcha, votis ut Theodori obsecundaret, sed insignia Episcopatûs permitteret, viro ob innocentiam & ob vitæ sanctimoniam commendatissimo. Paruit Metropolitanus, & redux in Cœnobium suum Theodorus, ipsa Episcopatûs ornamenta splendore virtutum superavit, approbavitque suum abjiciendæ Episcopalis sarcinæ consilium, canonicis sanè regulis non paulò consonantius, quàm Joannis Sileotiarii. *Surius die 22 April.*

XIV. Ex his emicat, nondum satis certas fuisse & definitas cessionum leges, aut certè nondum satis religiosè observatas. Crimen, ægritudo desperata, gregis intractabilis pertinacia, ejusmodi erant causæ, quibus canonica cessio condonaretur. Sed immoderatior secessûs pii & contemplationis amor viros quandoque sanctissimos incessebat, & præter Canonum normam transversos agebat. Ad Papam àliquando, non semper, ad Imperatorem, ad Patriarchas confugiebant & ad Metropolitanos; nulla certa, & quæ ubique retineretur forma. Ac si dicas, disciplinam Ecclesiæ in istiusmodi rebus in dies singulos magis magisque elimatam fuisse, necdum ad unguem perpolitam.

CAPUT LIII. *P. 3. l. 2. c. 38.*

De cessione Episcopatuum & Abbatiarum ab anno octingentesimo ad millesimum.

I. Quamvis diuturna & acerba decumberet ex ægritudine, non cogebatur unquam Præsul dignitate & gradu cedere. Aldrici Cenomanensis Episcopi exemplum.

II. III. Exemplum Hermanni Nivernensis Episcopi. Exemplum aliud Abbatis.

IV. Civitate & Ecclesia eversa, fas est Episcopatu decedere.

V. In honesto & pii otii cupiditate non satis est causa, ut quis jure Episcopatu abeat. Exemplum Ledradi Lugdunensis Archiepiscopi.

VI. VII. Effœta senectus potest canonicæ cessioni locum dare. Exempla.

VIII. Desperatio emendandi gregis Episcopatûs vincula solvere potest. Exemplum S. Adalberti.

IX. Nec idem censendum de Abbatia. Exemplum S. Romualdi.

X. Enormitas vitæ & morum eosdem solvit nexus.

XI. Authoritas Metropolitanorum, Conciliorum, Regum abunde erat ad cessiones hujusmodi, nonnunquam tamen Pontificia interponebatur.

I. EXpendemus hîc primò quæ justæ tunc existimarentur causæ canonicæ cessionis, tum defluemus ad authoritatem eam canonicam, qua exsolvi possent vincula, quæ Deus ipse constrinxisset.

Antiquissima hæc autem semper habita est cessionum regula, ne quis cogeretur Præsul sacro sese Magistratu exuere, quanquam gravissimo & prorsus desperato conflictaretur morbo. In Concilio Suessionensi anni 853. luculenta duo suppeditantur ejus rei exempla. Alterum est Aldrici Cenomanensis Episcopi paralytici. Concilio visum est. Metropolitano tantùm ejus Ecclesiæ sollicitudinem commendandam, eò ut ipse se conferret, & ex usu Ecclesiæ omnia disponeret. *Metropolitano Turonicæ urbis Amalrico, ut ad eandem urbem accederet, injunxerunt, & quæcumque essent eidem Ecclesiæ proficua, ut strenuè exequeretur, unanimiter præceperunt.* Ea certè cura Metropolitano ipsi officio implicabatur. Aderant eidem Concilio Remensis & Senonensis Archiepiscopi, quibus in Provinciam Turonensem nihil erat juris. Sed Gallicanis tum Episcopis persuasum erat, Gallicanæ Ecclesiæ Conciliis universalem in Gallias suppetere authoritatem, tum vel maximè cùm præsentia Regis illustrabantur, quod & huic contigit, ad Regni sacram politiam delineandam. *Can. 4.*

Alterum est Herimanni Nivernensis Episcopi exemplum, cujus corporeæ ægritudinis virus in animum ipsum & in mores respergebatur, effluebatque in levitates & nænias, ab Episcopali gravitate alienissimas, qua de causa illum jam non semel objurgaverant cæteri Episcopi, eo utique vigore qui plurimis charitatis temperaretur blandimentis. *Pro suis excessibus, quos corporali molestia sæpè dicebatur admittere, à sanctis Præsulibus modestè & acriter increpatus est, quòd priùs frequenter correptus, ordini sacratissimo perseverantia levitatum injuriam adhuc faceret.* *Ibid. c. 2.*

Delegatus est à Concilio Archiepiscopus Senonensis cum aliis Episcopis, ut ei Ecclesiæ præsens pacem & concordiam conciliaret, secum Senonas abduceret Herimanum, & æstivo retineret tempore, quòd eo maximè morbus ejus ægresceret; atque ubi illum abstinentiæ, gravitati, & Episcopali vitæ insuefecisset, tum Clerum Populumque Nivernensem alliceret ad eum revocandum. *Et sic abstinentia competenti assuetum, Episcopali gravitate instructum, Apostolicis moribus informatum, Clerus & populus eum ad sedem propriam utiliter favente Dei gratia revocaret.* Plura hic utique innuuntur, quàm narrantur, ea quippe silentii reverentia sanctissimam toto orbe dignitatem coli par erat. Sed non obscurè tamen plurima hîc interlucet humanitas in Episcopum, cujus corporis ægritudines in animum refundebantur, & in mores: indulgentiæ verò impensiori locus datur, quòd non ii essent errores, qui gravi pœna comprimendi essent: & ægritudines corporeæ commiserationem magis, quàm ultionem provocarent.

Non multis pòst annis habitum est Concilium Vermerrense, à quo plura perdiscimus de ejusdem Episcopi vitiata corporis animique valetudine. Ex debilitata enim mente dilapidatio etiam bonorum Ecclesiæ nascebatur. *Infirmitate præpeditus corporea, sæpè ineptire, & ad naufragium rerum & facultatum Ecclesiasticarum pertinere, &c.* Pia Senonensis Metropolitani sollicitudine redintegratus est Herimannus pristinæ sanitati, unde & à Concilio restitutus est Ecclesiæ suæ, ut quem illi morbus, non scelus, eoque ad tempus tantùm subduxisset. *Non morum vitiis, aut peccatis publicis.* Verùm cùm recidiva postea morbi vis Herimannum invasisset rursum, ea de re Nicolaum Papam Ganelo Senonensis Metropolitanus per Epistolas percontatus est. Ad austeritatem natura & ingenio comparatus erat Nicolaus. Sed hinc nihil decerpebatur de pissimi Pastoris & parentis teneritudine, ubi suadebat veritas charitasque. Quanquam relatum ad eum fuisset, Herimannum quandoque mente omnino alienari: *Aliquoties integritate privatus, quadam insano simillima admittebat, &c. Diu impeditus est Episcopale rectè implere officium.* Summa quadam sapientia tamen & charitate hanc esse culpæ pœnam censuit, non culpam, ideoque pietate, non rigore libranda consilia, nec cogi debere ad abdicandum Episcopale munus. *Satius arbitramur, quamlibet interim infirmitatem, ad pœnam peccati, quàm ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum sit, & compatiendum, quàm puniendum, vel aliquo modo feriendum.*

An. 860. Con. Gall. To. 3 p. 188.

III. Nec Episcopi tantùm, sed & Abbates in ea incurrunt discrimina, ubi quam suis olim impenderunt pietatem & commiserationem, eam ipsi ab illis expectantur. Hoc documentum Hincmarus Remensis Monachis Corbiensibus inculcavit, cùm inaudita penè sævitia Abbatem suum gradu movissent, quasi morbis, quibus afflictabatur, rerum noxiumque agi posse censerent. Contrà Hincmarus declaravit, postquam calculis suis Abbatem elegissent, eumque Episcopus confirmasset; jam in eorum potestate non esse, ut illum abdicarent. *Regulariter electum, & Archiepiscopi ordinatione rationabiliter institutum.* Jubet denique ut suæ illum reddant dignitati, fidamque præstent obedientiam: donec si convaluerit, & senserit ipse ferendo tanto oneri minùs se parem, ad Regem accederet, cujus jussu & Episcopi authoritate alius tum demum in ejus locum sublegeretur. *Donec si convaluerit, & ipse tale onus ferre non potuerit, ipse ad Regem excrsaturus accedat, ut ejus præceptione, & Archiepiscopali authoritate, ipsius in loco alius substituatur Abbas.* Ipsissimæ hæ sunt Gregorii leges: Quamlibet gravi morbo laboret Pastor, successor dandus non est, nisi petenti, & sponte cedenti dignitate, cui ferendæ & sustinendæ jam quidem imparem se sentiat.

Flodoard. L. 3. c. 7.

IV. Narrat Ado Viennensis unius ex suis antecessoribus resignationem, longè alia causa factam, nempe Ecclesia sua à Francis penitus vastata, qui temporales res ejus omnes invaserant. Ultro exulans Pastor Romam primò petiit, mox in Monasterium Agaunum cedit, cujus administrationem suscepit. Rem jam perstrinximus capite superiori, paulò fusiùs hîc Adonis verba referemus de eodem Vilicario, id enim Episcopo nomen erat. *Cùm furiosè & insano satis consilio Franci res sacras Ecclesiarum ad usus suos retorquerent, videns Viennensem Ecclesiam suam indecenter humiliari, relicto Episcopatu, &c. Romam primùm abiit, ibique Papa Stephano notus efficitur. Interjecto non multo tempore Agauni Monasterium martyrum in curam suscepit.*

An. 726. 727.

V. Cessionem illam non vituperat Ado, qui non potuit non vitio vertere Leidrado Archiepiscopo Lugdunensi, quòd anno 815. in Abbatiam Suessionensem secedens, Agobardum Ecclesiæ Lugdunensis jam Chorepiscopum sibi fecerat subrogari. Quanquam ea cessio roborata fuisset, non Imperatoris tantùm, sed Concilii universalis Ecclesiæ Gallicanæ consensu; contestatur tamen Ado canonicas leges fuisse tum ludibrio habitas, quæ vetant, ne quis Episcopus suum sibi deligat successorem, & ne duo sint unquam unius Ecclesiæ superstites Episcopi. *Leidradus Lugdunensis initio Imperii Ludovici Imperatoris Suessionensis Monasterii locum petiit, & in loco ejus Agobardus ejusdem Ecclesiæ Chorepiscopus, consentiente Imperatore & universa Gallorum Episcoporum Synodo Episcopus substitutus est. Quod quidam defendere volentes, dixerunt, eundem venerabilem Agobardum à tribus Episcopis in sede Lugdunensi jubente Leidrado fuisse ordinatum. Sed canonica authoritas est, in una civitate duos Episcopos non esse. Nec vivente Episcopo successorem sibi debere eligere. Ac idcirco illa quacumque causa regula Ecclesiæ præteriri in tanto ordine fixa non debent.*

VI. Si uno ignobilis otii amore agebatur Leidradus ad abjiciendas Episcopales infulas, non temerè invidiam illi faciebat Ado. Si verò longo Episcopalium curarum & laborum curriculo defessus, exhaustisque viribus, voluit illam sarcinam juniori & vegeto ingerere Præsuli, qui non nomen tantùm & honores sustineret, sed munia obiret, & officia impleret omnia: Jubentes concedemus & nos in sententiam Imperatoris & Concilii Nationalis Galliarum, quibus ea cessio consentanea visa est canonicis institutis. Atqui ea Epistola Leidradi ejusdem ad Carolum Magnum, quæ inter Agobardi litteras conjecta est, perspicuum fit, hanc postremam illum secutum esse causam dimittendi Episcopatûs. Tanta enim ibi opera se molitum esse, tam gnaviter & tam diu ad disciplinæ instaurationem se insudasse testatur, ut vix jam cuiquam possit ignavi otii amator sectatorque fuisse videri.

Eadem ratione adductus est & B. Burchardus Vuirtsburgensis Episcopus, ut cùm longioris vitæ stadium Episcopalibus studiis & indefessis laboribus exhausisset, nec jam posset Ecclesiæ suæ nisi enervem impendere senectam, satius duceret juvenem sibi, & fervore charitatis, quàm ætatis vigore vegetiorem Episcopum subrogare. Nec tamen id aggressus est, nisi Cleri, Populi, Imperatoris, Principum, Metropolitani & Episcoporum consensione. *Pondus diei & æstus jam à mane puerilis ætatis usque ad vesperam pene decrepita senectutis portavit, &c. Cum Senioribus & Magnatibus Ecclesiæ suæ iniit consilium, quatenus successorem sibi provideret, &c. Misit ad Imperatorem Carolum & ad Lullum Metropolitanum, &c. Missi redeunt, utique consensum referentes, tam Regum, Principum, quam Archiepiscopi, cæterorumque Episcoporum &c.* Megingaudum ab illis sibi successorem dari poposcit: assensere omnes judicio Episcopi sanctissimi. *Aderant Legati cum litteris Regis & Principum, nec non Metropolitani Lulli, confirmantes in omnibus electionem Meguingaudi.*

Vita ejus apud Surium die 14 Octo. L. 2. c. 12.

VII. In Chronico Senonensis Abbatiæ in Episcopatu Tullensi sitæ, Guldelbertus Senonensis Archiepiscopus narratur abdicasse Episcopatum, & ad montes Vosagos se contulisse, ad illam Abbatiam ibi exædificandam, non alio magis consilio, quàm ut in secessu eam consequi posset Evangelicæ perfectionis integritatem, ad quam inter Episcopa-

De Vauge.

Spicil. To. 3. pag. 274.

Le Cointe ad an. 681. n. 5.

is sollicitudines non poterat nisi tardo properare gressu. *Cùm videret sibi ad culmen perfectionis, ut optaverat, conversationem sæcularium haud satis sufficere, dispositus se omnibus quæ possidebat abrenuntiaturum.* Integram sibi servavit potestatem Ecclesias dedicandi, & Ordines administrandi in ea solitudine, quam cælestibus colonis frequentare avebat. *Solo sibi Episcopi officio reservato, quo in tanta & tam vasta solitudine ad Ecclesias consecrandas, vel personas uti potuisset.* Esto, renideat quædam in ea spontanea renuntiatione lux sanctimoniæ, nihil moror; at Canonum regulæ jacebant omnes, nec populo, nec Clero interveniente, nec Principis, aut Episcoporum assensu, nec denique ostensa ratione ulla, quam sacræ leges approbarent. Nec enim in Episcopalibus muniis & laboribus minus præsidii aut adjumenti est, ad invadendum summæ perfectionis culmen, iis certè qui sacro jam sunt innexi ministerio, quàm in piis eremi & contemplationis deliciis.

Spicil. To. 6. pag. 381.

Leodiensis Episcopus Franco præter annos quinquaginta exhaustos in Episcopalibus muniis, excitabatur alio quoque stimulo, ut abiret sacro munere. Normannis Gallicanas Provincias populantibus, ille insignes, sed & cruentissimas in eo bello reportarat victorias. Ita stillantibus hostili cruore manibus, non ausus amplius contrectare aras, incruentamque Victimam, Romam misit Clericum Leodiensis Ecclesiæ & Monachum Abbatiæ Lobbensis, ut suo loco ordinarentur. Ubi reduces fuere, Episcopatum illis resignavit. *Franco Episcopus sciens illicitum esse, quemquam sanguineis manibus sancta tractare mittit Romam Bericonem Laodiensem Clericum, & Tentricum Lobiensem Monachum, quos ordinari Episcopos, qui vicem suam supplerent, oravit, & exoravit.*

Annal. l. 5. n. 37.

Hedenulphus qui in Episcopatum Laudunensem Hincmaro subrogatus fuerat, à Joanne VIII. cedendi licentiam impetrare nunquam potuit, quanquam contestaretur per accisas corporis sui vires & labantem valetudinem, minùs se jam posse functiones obire Episcopatus, ac Monastici secessus se cupientissimum profiteretur. *Cùm Hedenulphus apud eundem Papam peteret, ut eum ab illa Sede absolveret, dicens se esse infirmum, & velle intrare Monasterium, obtinere non potuit.*

VIII. Cessit & Episcopatu B. Adalbertus Pragensis Episcopus, non præpropero quietis amore, & mellearum contemplationis deliciarum, quod ostendimus Canonibus obstrepere, & charitati sanæ atque oculatæ: non senectæ deficientis infirmitate, ut complures: non criminis contagio, quo remorderetur ejus conscientia, & à sacro ministerio retardaretur: sed inauspicato laborum Apostolicorum eventu, & inita desperatione revocandæ ad meliorem frugem ejus gentis, quæ nulla non in flagitia projectissima esset. Nec sibi tamen uni satis fidens, Romam adiit, remque Pontificis maximi Benedicti VII. judicio permisit. Assensus est Pontifex, ut sibi prodesset, qui aliis non poterat: & contemplationi se totum dederet, quando ex prædicationibus ejus nullus ad quemquam fructus

Ann. 983. Surius die 23. April.

redibat. *Fili, inquit Apostolicus, quia te sequi nolunt, fuge quod nocet. Opera pretium est enim, si cum aliis fructum facere non potes, vel te ipsum non perdas. Quare in eo consilio arripe tibi otia contemplationis, &c.* Ita ad annum 983. At anno 989. Pragensis civitas suum hunc Episcopum à Pontifice sibi restitui flagitavit, despondit que se aliquantò monitis & hortatibus ejus obsequentiorem fore. Collaboravit & Archiepiscopus Moguntinus. Joannes XV. interim Concilium coëgit, Adalbertumque rursus ad priorem suam Ecclesiam ablegavit, facta copia ejus rursum repudiandæ, nisi faciliores ad obsequium cives experiretur. Resipiscentiæ suæ spem fecerat populus, sed ea mox in irritum cadente, cessit rursum Adalbertus sævienti procellæ, & per Poloniam iter agens, non sine uberiori Prædicationum suarum fructu, Romam redit, & Cœnobio inclusus totum quinquennium Monasticis se exercitiis & maceratonibus dedidit Cùm denique Romani profecti essent Otto III. Imperator & Archiepiscopus Moguntinus, compulsus ab iis est Gregorius V. Papa, ut Adalbertum suæ redderet Ecclesiæ. Tertiò redit, & à Principibus populisque rursum contumeliosissimè depulsus, ad Prutenos anno 996. profectus est, ubi Apostolicæ invictæque constantiæ documentis editis, martyrii tandem optatissimam lauream consecutus est.

IX. Habes ergo in Adalberto exemplum, quo non aliud usquam memorabilius, ejus cessionis quæ fit ob indomitam insolentissimi gregis contumaciam. Porro invicta ea vicissim Præsulum constantia, etsi aliis infructuosa, sibi fructuosa, & exemplo posteris profutura certè est. Monachorum nonnunquam etiam ea fuit pervicacia, quæ sanctissimos Abbates aufugere cogeret. Classensis justa Ravennam Monasterii regimen non susceperat B. Romualdus, nisi postulantibus Monachis, urgente Imperatore Ottone, & Episcoporum Concilio: à quo ni pareret, intentabatur excommunicationis mucro. Sed expertus remediis morbum redintegrascere, Pastoralem baculum Imperatori & Archiepiscopo resignavit, quantumvis reluctantibus. *Romualdus videns & suam perfectionem aliquatenus minui, & eorum mores proclivìus in deteriora converti, Regem impiger adiit, & non leviter reluctantes unà cum Archiepiscopo Ravennate, in utriusque conspectu virgam projecit, & Monasterium dimisit.*

Surius die ... unu 19.

X. Hæc ex Petro Damiani, à quo scripta est Romualdi vita: & qui alibi illum ait longè alia ratione bene multos compulisse Abbates, ut sponte Pastoralibus renuntiarent baculis, propterea quòd eorum mores tota sæculi nequitia delibuti essent, & immane quantum abhorrerent ab ea quam profitebantur modestia, & sæcularis vanitatis detestatione. *Erat beato viro tam odiosa ista, quam cernimus, Abbatum conversatio, ut non minùs gauderet, si de manu cujusquam Abbatiam potuisset excellere, quàm si ei datum fuisset potentissimum quemlibet sæcularium ad sancta conversationis ordinem convocare.*

Cap. 50.

XI. Hanc primam nobis proposueramus partem elucidandam de causis justis canonicæ cessionis. Nunc ad alteram de authoritate interponenda ad dissuendam conjugii spiritalis copulam inter Ecclesiam & Pastorem. Ex suprapositis autem exemplis huic quoque parti lux non mediocris affunditur. Perspicuè enim patuit 1. Abbatibus, ut renuntiarent muneri suo, consensu tantùm opus fuisse Principis & Episcopi. 2. Si eum consensum aut extorsere aliquando, aut ne petiere quidem, ut oneri sacro se subducerent, ea fuit vel temeraria Canonum conculcatio; vel charitatis & humilitatis æstuatio quædam vehementior, nec sui compos, & legi cordam summæ legum cæterarum dominatrici obsecundans. 3. Usus is fuit Episcoporum laudatissimus, ut ne à suis sese divellerent Ecclesiis, nisi consentiente Clero, Populo, Principe, Metropolitano. Quàm necesse fuerat horum omnium conspiratione

ratione

tatione eligi Episcopos, tam non poterant nisi eorundem authoritate, vel assensu sacris vinculis absolvi. 4. Metropolitani saltem & Principis authoritas omnino desiderata fuit; quòd includerentur Metropolitani nomine, Clerici omnes: Principis autem, laïci. Si qui Præsules præter has regulas cessetur, eorum aut excusanda incogitantia est, aut damnanda temeritas, aut admiranda æternorum charitatis abundantia, qua abrepti sint, non contra, sed ultra usitatas Ecclesiasticæ Disciplinæ leges. 6. Rarius interpellata est Papæ authoritas ad has cessiones, quod nec ad electiones intervenisset. Manifestum est, necdum Apostolicæ iuri fedi reservatas fuisse cessiones ac resignationes Episcoporum, & Abbatum. Ea erat tunc penes Metropolitanos & penes Concilia Provincialia authoritas, ut Episcopi vel instituerentur, vel destituerentur, vel ultro discederent. 7. Nonnullis tamen exemplis emicuit ad sedem Apostolicam telatum esse. Non potuit Vilicarius Concilium Provinciale cogere, cui suam cessionem approbaret, eo tempore quo intestinis bellis flagrabat Gallia, & Reipublicæ atque Ecclesiæ extrema pernicies imminere videbatur. Itaque ad summum Pontificem confugiendum illi fuit. Sciscitatus est Ganelo Archiepiscopus Senonensis Nicolaum I. Papam de Herimanni ægritudine gravissima. Sed super ea re jam manaverant Decreta Suessionensis & Vermeriensis Conciliorum, & sapientiæ, & charitatis & authoritatis numeris omnibus absolutissima. Unde non aliud Nicolaus, quàm gemini illius Concilii placita confirmavit. Franco Leodiensis Episcopus Pontificem interpellavit, quod Episcopatum resignare vellet in favorem, immo & in duos, quos vellet habere Coadjutores, inde & Successores. Plurima ibi dispensatione & inusitatissima opus erat, pro qua meritò sedes Apostolica adiretur. Sed ejus rei narratio nec explicata satis mihi visa est, nec satis cohærens, ut inde certi quidpiam elici possit. Volebat à Pontifice absolvi Hedenulphus vinculis Ecclesiæ suæ, quod ab eo iis ligatus fuisset, viventi Episcopo successor datus. Adalbertus cedere permissus est à Papa, sed à Metropolitano & à Concilio Provinciali tandiu repetitus est, donec Ecclesiæ suæ restitueretur. Initia ergo & fundamenta jam tum ponebantur aliqua posterioris disciplinæ, quæ cessiones summo Pontifici examinandas, annuendas, abnuendasque reservavit: sed hujus ea erant taurum veluti rudimenta. Si qui sibi finxerint Romanos Præsules eas captasse occasiones amplificandæ authoritatis suæ, ii præjudiciis suis nimio plus indulsere, & ab historica rerum fide ac simplici veritate mirum quantum aberrarunt. Metropolitanis & Provincialibus Conciliis per summos Pontifices hactenus licuit tota sua potestate uti in cessionibus permittendis, vel prohibendis, ut tota illa superiorum exemplorum strue declaratum est. Tum ad Apostolicam sedem ventum est, cùm ejusmodi opus fuit dispensatione, quam non facilè concederent Synodi Provinciales. Quin & ex contextu hujus operis patebit, majoris ponderis dispensationes à sede Apostolica flagitatas esse, volentibus & ita sancientibus ipsis Provincialibus Conciliis. Denique suo ipsi marte Episcopi ab Apostolica sede mendicatunt, & lumina expediendis difficultatibus, & necessaria curandis Ecclesiarum suarum vulneribus medicamenta, nemine urgente, nemine invitante, sed ipsa cogente necessitate, ut sibi ne ulla re deessent.

CAPUT LIV. *P. 4. l. 2. c. 54.*

De Cessione & Resignatione simplici Episcopatuum & Abbatiarum, post annum Christi millesimum.

I. Duo potissimum hic elucidanda in Historia cessionum

II De cessione Arnulphi Archiepiscopi Remensis, & Gregorii VI. Papæ.

III Cessio Petri Damiani. Varia exempla sæculo XI. petita, vel non petita Pontificis licentia ad cedendum.

IV. Exempla sæculi XII. ubi jam crebrius adibatur sedes Apostolica.

V. De eodem rursum Filius Regis Angliæ cedere cogitur, quod ordinare renueret. Consilium Arnulpho Luxoviensi insusurratum, ut Episcopatu ultro abiret, si eum per anticas cuniculos irrepsisset

VI. Sub Alexandro III. convaluit jam usus, ut ne injussu Papæ cederent Episcopi.

VII. Eo jam adhuc res erant cum Innocentius III. Apostolicæ sedis culmen insedit Elucidantur ejus Decretales, ubi spirituale conjugium carnali comparat, & utriusque solutionem uni summæ Sedi arrogat, quasi jure divino.

VIII Ex eodem Papa quæ rationes & justa causa cedendi Prælaturis

IX An Episcopus qui recessit, & in Monasterium concessit, revocandus sit Canon Concilii Constantinopolitani.

X De irregularitate criminis, & de morbo perpetuo ac desperato.

XI De Ecclesia Orientali.

XII Querela Bellarmini ad Clementem VIII.

I. IN contexenda hic & pensiculanda cessionum maximè Episcopalium historia, duo erunt potissimum, quæ perscrutari & illustrare studeamus. 1. An Pontificum semper authoritas interposita sit, an intervenerint tantum Concilia, Metropolitani, Reges. 2. Quæ legitimæ fuerint causæ Canonicarum resignationum.

II. Non hic locum dabimus ullum cessionibus vi expugnatis, cujusmodi fuit illa Arnulphi Remensis Archiepiscopi, cui non ægrè persuasum est ab Episcopis Concilii Remensis sub Hugone Capetio Rege, probrosam ut, & inevitabilem damnationem præveniret cessione in speciem saltem voluntaria. *A seipso in se ipsum damnationis sententia lata, hoc solum cum in omni vita sua preclare egisse dijudicatum est.* Verba ea sunt Concilii Mosomensis anni 995. ubi à Joannis XV. Papæ Legato suspensus est Gerbertus, qui Arnulpho successor fuerat datus; restitutus est Arnulphus in pristinam sedem eodem anno, & exauthoratus Gerbertus in Concilio Remensi. Ei judicio non acquievit Hugo Capetius, Gregorio V. Papæ obsequentiorem se voluit esse Robertus ejus filius, missoque Romam Abbone Floriacensi Abbati, mox ut ille in Gallias redux fuit, carcere Arnulphum absolvit, fruique passus est Ecclesia sua Remensi, & Pallio Roma ad eum misso. De iis Abbo certiorem fecit Pontificem, ut narrat in ejus vita Aimoinus. Hinc meritò vocatur in dubium à viro doctissimo Cossartio secunda Silvestri II. Papæ Epistola: Gerbertus eo nomine uti voluit, ubi Apostolica sede potitus est. Ea Epistola restituitur Arnulphus, quasi adhuc rum prostratus jacuisset: eique invidiam tamen illa facit, quasi non alio nomine claudicasset ejus depositio, quàm quod consensus Pontificis non accessisset. Eo Gerberti causa juvabatur, qui Arnulpho subrogatus fuerat.

Cessio Gregorii VI. in Concilio Sutrino anno 1046 parum distat ab hac Arnulphi resignatione. Tradit Hermannus à Concilio depositum illum fuisse, tanquam qui in sedem Apostolicam simo-

Baron. an. 1046. L. 2. c. 80. niacus usurpator irrepsisset. Minùs infestus illi quidem est Leo Ostiensis, nec tamen cessisse illum scribit, nisi simoniæ convictum. *Simoniacus probatus, sponte sua sede desiliens, &c.* Dictum est à nobis alibi de ea simonia, cui legitimum non defuisset patrocinium, nisi præsens Concilio affuisset Imperator.

III. Ad paulò diversam accedo speciem. Cessit Episcopatu suo Ostiensi Petrus Damiani Cardinalis, anno 1059. remisso ad Nicolaum II. Annulo suo. *Cedo jure Episcopatus, & per hunc annulum, virgam enim tulistis, desperata deinceps omni repetendi querela, renuncio;* datisque ad eum litteris, quibus significat, quicumque Episcopali se pompa & dignitate exuissent pura mente, castoque salutis con-L. 1. Ep. 9. 10. silio, eos à salutis scopo nunquam aberrasse. *Quia plerique qui Pontificatus jura non deserunt, de sinistris sunt; quotquot autem legimus recta intentione dimisisse, certa spes est eos de æterna cum Christo societate gaudere.* Resignabat Petrus Episcopatum Ostiensem in manus Papæ, an ut Papæ, an ut Metropolitani? Nec enim alius ibi Metropolitanus, quam ipse Papa. Ea certè Epistola coacervantur exempla pene innumera eorum, qui Episcopatus vel Abbatias resignarunt, & in iis rarissima vestigia necessarii, aut expetiti Pontificum assensus.

Quanquam Petro Damiani invito & renitenti eam Episcopatus sarcinam impegisset Pontifex, non tamen adduci potuit, ut eum absolveret: uti nec Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem, qui & eandem vim ab Alexandro II. passus est, ut ordinaretur Episcopus, & eandem repulsam, ne eo pondere exoneraretur. Ne inauguraretur antè, ita restiterat, ut nec Regi cederet adhortanti, nec Episcopis cogentibus, sed Legatis Pontificiis nomine Pontificis jubentibus, ut ipsemet testatum facit in Baron. an. 1070. n. 18. ea Epistola, qua abeundi licentiam postulabat. *Factus sum te cogente speculator, &c. Legati tui ex Apostolicæ sedis authoritate præceperunt, &c. Rogo, sicut vestra, cui contradici fas non fuit, me authoritate alligastis; sic quoque alligatum, abrupto per eandem authoritatem hujus necessitatis vinculo absolvatis.*

Adde quod cùm Archiepiscopi & Primatis dignitate radiaret Lanfrancus, nec superiori subesset ulli in Ecclesia præterquam Papæ: vix ab alio quoquam solvi poterat. Sed nihil hinc validè colligetur, quo alii ligentur Episcopi. Et sanè Pontificem consuluit idem Lanfrancus, super Hermanno Episcopo, qui secundò meditabatur Episcopatum abdicare, ut secundò se in reconditam abderet solitudinem, & religiosæ vitæ ac contemplationis delicias amplexaretur iis immoriturus: uno autem retardabatur metu censurarum à Metropolitano suo Lanfranci. Epist. 8. 2. vibrandarum. *Nisi ego censura canonica obstitissem, jam pridem aut Regi Episcopatum reddidisset, aut clam ad Monasterium confugisset.* Nec licentiam Lanfrancus huic Episcopo reposcit à Pontifice, sed consilium, licentiam illam debeat ipse aliquando tandem concedere, an constanter abnegare. *Apostolicæ sedis celsitudinem consulendam putavi, quatenus ab ea instructi, certissimè teneamus, quid concedere vel facere debeamus.* Consulit & de alio Episcopo, qui justam & indeclinabilem præverterat depositionis sententiam, voluntaria cessione. *Regi in Conventu Episcoporum, atque Laicorum Episcopatum reddidit.*

Si fateatur autem Lanfrancus, sola excommunicationis intentatæ formidine cohibitum fuisse Hermannum Episcopum, ne rursum cederet, sicut primò cesserat; inde perspicis needum desuevisse Episcopos eo ævo ab abdicandis Prælaturis, nulla Superiorum authoritate fretos, idque XI. jam sæculo. Habes & aliud ejus ævi exemplum in Petro Anagniæ Episcopo, qui Diœcesanorum suorum perversitatem & inflexam contumaciam jam non ferens, Hierosolymam adnavigavit, cùm ad bellum sacrum copiæ eò tranarent. Ecclesiæ ejus Patronus B. Magnus visendum ei se exhibuit, peregrini specie & habitu simulatum, narravitque uxoris se suæ pertæsum, trajicere in Palæstinam, ubi reliquum vitæ tempus contereret. Tum Episcopus instare, Non potuisse ab eo abrumpi uxorium vinculum, quo illum Deus constrinxisset. Tum verò reposuit Baron. an. illi cœlestis hospes, ab eodem authore Deo, nec 1099. n. 42. minus arctè constringi spiritale Episcopi cum Ecclesia sua conjugium. Nec pluribus opus fuit, ut Petrus iter in Ecclesiam suam remetiretur.

Ea, ut vides, erat Episcoporum quorundam simplicitas, quæ eos ad has ageret cessiones Ecclesiasticis regulis obstrepentes. Gregorius VII. ejusmodi simplicitatem nihilominus castigandam sibi duxit, in Episcopo Italiæ, quem pœnitentiæ subeundæ causa Cassinum ablegavit, *propterea quod Epis-* L. 5. Ep. 15. *copatum sine ratione dimiserat.*

Sed non paulò admirabilior hujus Pontificis au- L. 5. c. 19. steritas explicuit se in Epistola ad Vuillelmum Angliæ Regem data, qua mandat, Archiepiscopo Rotomagensi ægritudinum suarum diuturnitate eam Ecclesiam pene viduatam jamdiu distinenti, persuadendum esse, aut etiam præcipiendum, ut Pastorem ordinari assentiretur, qui non solo nomine Pastor esset. *Persuadere non desistant, si oportuerit, etiam authoritate Apostolica, ut suo consensu ordinetur Ecclesia.* Eam persuasionem quæ Apostolica Gregorii VII. authoritate fieret, præceptionem interpretatus sum, quo solet more dici, summarum potestatum preces Imperii vim obtinere.

Eidem Vuillelmo Normaniæ Ducem adhuc agenti, Malgerius Archiepiscopatum suum Rotomagensem resignavit, cùm alienata, ut reor, mente sui compos non esset: *desipere cœpit, insipientia duc-* L. 7. c. 24. *tus;* ut ait Monachus Gemmeticensis. Dux Concilium Provinciale percunctatus, in eam sedem provexit Monachum Cœnobii Fiscannensis, nulla interventione Papæ ab eo Scriptore memorata. Post ejus quidem Præsulis obitum, Maurilius vocabatur, ejus in locum Lanfrancus Abbas sublegi fecit Episcopum Abrincatensem, cùm Clero, Regi, Magnatibus adlubesceret ipsum maximè Lanfrancum ejus sedis honore decorari. Verùm non obscurum est adeundam fuisse tunc Apostolicam sedem, ut ejus dispensatione fieret ea translatio. *Ut canonicè fieret* L. 4. p. 506. *ista conjugatio, Romam adiit.* Ita Ordericus ad annum 1067.

In hac exemplorum serie, nullo constat argumento interponendam necessariò fuisse sedis Apostolicæ authoritatem, ad simplices resignationes Episcopatuum, quanquam interponeretur ea nonnunquam, & paulatim sterneretur via ad invehendam posteriorem disciplinam. Quæ necessariò referendæ erant ad summum Pontificem Primatum resignationes, consultationes de ambiguis & perplexis resignationibus, cessiones deponendorum Episcoporum, vel quorum in sedem transferendi erant alii Episcopi, resignationes ad quas immedicabili morbo afflicti Episcopi, etsi cogi non poterant, summa tamen authoritate aliqua impellendi erant: hujusmodi, inquam, resignationes, quæ in dies crebrescebant, viam complanabant recentiori nunc nostræ Disciplinæ.

In eam rem aliud ex Fulberto exemplum suppetit. Parisiensis Episcopus resignatam sedem suam recuperare conabatur. Contrà Fulbertus niti, abjiciendam ei spem eam esse, cùm ultro resignasset propter eas quibus fatigabatur ægritudines, Regemque exorasset, ut Decanum Ecclesiæ Parisiensis sibi successorem daret; electum reipse fuisse Decanum, ejusque electionem à Pontifice confirmatam, denique obtemperatum esse B. Gregorii præceptis, qui gravissimis morbis decumbentes Episcopos nec ad resignandum cogi volebat, nec prohiberi. *Tu* Epist. 8. *ultro causa ægritudinis, ut aiebas, curam Episcopalem simul & Cathedram reliquisti. Franconem Decanum subrogari tibi verbis & scriptis à Rege petiisti. Substitutus est Franco, eligente Clero, suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonensis. Fulcitur utique substitutio & consecratio ejus favore & authoritate B. Gregorii Papæ, qui scriptis suis nulli Pontificum non petenti, pro qualibet ægritudine succedendum fore docuit; ita voluntariè renuntianti sedi suæ, successorem nullo modo denegavit.* Placuit ut & Pontificis authoritas interveniret, ne qui cedebat, pœnitentia pòst ductus Ecclesiam repeteret: utique firma esset successoris electio, à Papa confirmata fuit. Non poterat id esse rarum, cùm cedentibus Episcopis dandi necessariò essent successores. Ita frequentissimè interveniebat Pontifex. Unde & expeditius aliquando tandem visum est, ut cessiones omnes ejus examini & judicio permitterentur.

Quoad regulam autem Gregorii, haud scio, an admitti ille vellet cessiones spontaneas omnes ægrotantium Episcoporum, ut Fulbertus innuit: an ad solas impatientes curæ ægritudines id ab illo coarctaretur. Illud certè indubitatissimum est, vehementer illum intercessisse, ne invitis, quantumlibet ægrotis, cessiones extorquerentur. Unde & mirari subiit paulò suprà Gregorii VII. ea in re inclementiam.

IV. Cùm Beccensem adhuc regeret Abbatiam Anselmus, per litteras enixissimè oravit Urbanum II. ut Bellovacensi Episcopatu exoneraret unum ex Monachis suis, cui ut Episcopali sarcinæ succederet, ipsemet vim attulerat. *Quem Episcopum fieri coëgi.* Sanctitate ille in Cœnubio claruerat, claruit & in Episcopatu, sed eximius quidam animi candor & mira morum simplicitas sæculari astutiæ & versipelli Aulicorum prudentiæ deridiculo erat. *Non est* L. 2. Ep. 34. *talis, qui tantam malitiam irruentem, tantas insidias circumstantes cavere possit. Quapropter ego & alii amici ejus corde prosternimur cum ipso ad vestigia vestræ misericordiæ, ut ei viscera sua aperiat, & de tanto malo & periculo, in quibus sine utilitate esse se sentit, clementer eripiat.* Non satis comperi, an Pontifex annuerit: illud constat, 1. Anselmo viro doctrina & pietate singulari hanc satis idoneam visam esse causam cessionis. 2. Ad Pontificem ventum esse, ut ea cessio rata haberetur. 3. Nec nisi per eum ratam esse potuisse.

Si tum vacasset Remensis sedes, non temerè quis suspicaretur relatum esse ad Papam loco Metropolitani. Ex quippe, aut persimili ratione idem Anselmus Abbatem cedere volentem propter corporeas infirmitates, dehortatus est ne id faceret, si qua confirmandæ valetudinis spes esset residua: saltem ne faceret, nisi assentiente Archiepiscopo, quan- L. 3. Ep. 141. do Episcopalis sedes viduata erat. *Si assensu & consilio Archiepiscopi, quia Episcopum non habetis, talis electa fuerit persona, &c. Licite, si ad salutem desperatis redire, potestis dimittere.*

Cæterùm injussu Sedis Apostolicæ Episcopos abiisse adhuc Ecclesiis suis, luculentè proditum est ab Ivone Carnotensi ad Paschalem II. scribente, falsis rumoribus jactatum esse, & Romam usque perlatum, Episcopum Suessionensem canonico judicio de criminibus convictum & exauthoratum fuisse: enimvero pium Præsulem experimento suo edoctum, difficillimè posse se inter Episcopales sollicitudines saluti suæ satis consulere: *Propter Prælatorum pericula, quæ jam expertus fuerat, se salubriter* Epist. 19. *ferre non posse*: statuisse confugere in fidam Monasticæ vitæ stationem: *Summa fuit consilii sui, se malle in loco humili salvari, quàm in alto periclitari*: aperuisse illum sibi hoc animi sui propositum: se primò vehementer illum deterruisse, sed tandem approbasse: moras in eo tantùm necti, quòd ægrè paterentur quemquam ex Episcopo in Abbatem decrescere: *Nihil opponunt, nisi quod Episcopali dignitati fiet injuria, si qui Episcopus fuit, fiat Archimandrita.* Apostolicæ Sedis esse, ut hanc elevet difficultatem, objicem amoveat; cùm quæ Abbatibus infunditur benedictio, in sacramentorum numero non sit; nec possit, si Episcopo conferatur, pro iterata ordinatione haberi; denique si quid adhuc resideat scrupuli, minimè necesse esse, ut Episcopus Abbatiam administraturus, Abbatum benedictione consecretur. Ex his dilucidum fit, ei cessioni Papam non intervenisse. Sed illud magis nostra refert observare, cùm non amplius deponerentur Episcopi, nisi interposita Papæ authoritate; & cùm rursus possent cessiones traduci ac infamari, acsi depositiones essent: hinc non facilè cessiones processisse, nisi communicato cum summo Pontifice consilio.

Testimonio & exemplo utemur Hildeberti Cenomanensis Episcopi, qui acerbissima Angliæ Regis infestatione compulsus est, ad resignandum Paschali II. Episcopatum. At is Pontifex noluit Ecclesiam tam invicto orbari libertatis suæ defensore & vin- Baron. an. 1107. dice. *Religionis sinum quasi aram jam dudum comple-* Epist. 24. 46. *xus essem, si consultus Papa Pontificis onus amoliri permisisset. Ille dum me remisit ad laborem, invidit gloriam, non imputet ei Dominus.* Videri potest ille consulendæ potiùs Sedis Apostolicæ causa super abdicatione sua Romam concessisse. Alia enim ipsemet Epistola abundè prodidit, quàm persuasum sibi esset, non posse Pastorem nisi consilio & authoritate Pastorum superiorum à cura & regimine commendatarum sibi ovium discedere. Ideo & non aliter Arnulphus consilium Papæ, quàm cæleste imperium interpretatus est.

Goffridi Ambianensis Episcopi ea fuit sui despicientia, ea æternorum charitas, ut non ita facilè potuerit, ac Arnulphi, intra Canonum lineas cohiberi. Licentiosæ & propudiosæ civium suorum vitæ tædio & impatientia abreptus, in Chartosiæ Majoris secessum se abstrusit, inde litteras ad suos dedit, alium ut sibi Episcopum eligerent. Vix quidem, sed compulsus tandem aliquando tamen est à Rege, à Legato Pontificio, à Metropolitano Remensi, à Bellovacensi & Suessionensi Conciliis, ut dimisso se redderet Ecclesiæ suæ clavo; objurgatus est & à Legato, quòd non alio quàm sui ipsius consilio & impulsu creditam sibi Ecclesiam abjecisset: *Duriusculè eum tunc appellavit Cono Legatus, quòd* Baron. an. *injunctum munus reliquisset.* Impar fuisse videtur Me- 1114. tropolitani authoritas ad Goffridum revocandum, nisi Legati imperium accessisset: *Cùm non posset vir Dei illius aliorumque Episcoporum authoritati obluctari, ad suam redit Ecclesiam, &c.* Potuit illud & in causa

fuisse ex parte aliqua, referendarum ad summi Pontificis judicium cessionum Episcopalium, quòd non ea jam amplius esset in Metropolitanos reverentia, quæ Episcopos frænare, & ab his inconsideratis consiliis deterrere posset.

Legatus alius qui Concilio Londinensi præerat 1138 Regis præsentia & potestate subnixus, Joanni Episcopo Glascoviensi, qui sine licentia in Monasterium se subduxerat, anathema nomine Concilii intentavit, nisi ad Ecclesiæ suæ intermissum regimen se referret.

Aliquantis antè annis Gratianopolitanus Episcopus Hugo, ille sanctitatis gloria conspicuus, per Legatos & per Epistolas ingeminatis precibus Romanum Pontificem fatigaverat, ut Episcopatûs nexu solveretur. Erat is Honorius II. *Episcopalem sarcinam modis omnibus exuere desiderabat, hac voluntate in dies augmenta sumente, Romam litteras & Legatos in hoc ipsum ad veneranda memoria Papam misit Honorium* Repulsam passus à Pontifice, nihilo segnior factus est; senii enim, & earum quæ senii comites indivulsæ sunt, ægritudinum immemor, Romam ipsemet pertexit, Pontificis ut animum expugnaret. *Romanum Pontificem adire curavit, rogans suppliciter & obtestans dari senectuti sua licentiam quiescendi.* Pontifici contrà ea sedebat animo sententia; virtutum tantarum præsidiis instructum senem exemplo & religionis reverentia plus Ecclesiæ profuturum, quàm recentem & juvenili vigore exercitum quemlibet Episcopum alium: *Creditum est, quod sola authoritate & sancta conversationis exemplo, plus posset plebi prodesse subjecta, debilis & ægrotus, quàm quivis alius, robustus licèt & sanus.* Sed ne tum quidem quievit infatigata Præsulis sanctissimi humilitas; quin ubi Honorius II. Papa in Gallias commeavit, novis eum machinis oppugnare aggressus est, ut eandem ab eo licentiam expugnaret. Nihilo felicior fuit hæc iterata pugna; sed & repulsa iones iterata nihilo tepidior factus Hugo, abjiciendæ semper cupidissimus sarcinæ, quod à Pontifice non potuerat, morte consecutus est. Hactenus ex Scriptore ejus vitæ, ex quo manifestè intelligis, ut inferperet magis magisque in dies singulos usus adeundi Pontificis in hujusmodi causis; & quàm fixum semper statumque fuerit, non solvi sacris Ecclesiæ suæ vinculis Episcopos, sola ægritudinum corporearum vi, quando supererat vigor animi, virtutum claritas, exempli ingentis authoritas, memoria suavissima actæ sanctissimè vitæ.

Baron. ann. 1128. n. 2.

Apud Surium mense April.

Nec magis propitium expertus est Innocentium II. B. Malachias, Armacanus in Hibernia Archiepiscopus & Primas, cùm Romam se contulisset anno 1137. & nec precibus, nec lacrymis temperaret, quò Pontificis animum emolliret. *Cum multis lacrymis implorabat licere sibi vivere & mori in Claravalle, permissu & benedictione summi Pontificis.* Ita Bernardus in Malachiæ vita. Extat & ejusdem Bernardi Epistola ad Turstinum Eboracensem Archiepiscopum, quem sedulò monet in Episcopali ministerio Monachum agere eum debere, *Humilitatis habitu, vitaque sanctitate Monachum exhibeatis in Episcopo*: & abdicationis spontaneæ consilia ablegare, atque animo prorsus abjicere, nisi Pontificis extudisset licentiam, aut aliquo facinore conscientiam sauciasset. *Nisi fortè, quod absit, & nos non credimus, mortale aliquid commissum sit, aut summi Pontificis authoritate emerito fueris indulta licentia, &c. Si causa latens cedere compellat, aut dominus Papa quietem indulgeat.*

Baron. an. 1137 n. 23 Bern. Epist 372.

Idem rursus alibi docet Bernardus concessas fuisse à Pontifice licentias Abbatibus, ut pedum abjicerent, Monachis in Cœnobiis demigrarent. Displicet quidem illi, quòd Abbas Morimundi Abbatia sua dimissa, cum Monachis aliquot in aviam secessisset solitudinem, non impetrata Abbatis Cisterciensis & Episcopi Lingonensis venia; *Nam utrique debitor erat.* Sed non negat Bernardus in potestate Pontificis totum fuisse, quanquam vehementer suspicari se dicat, eam permissionem aut mendacio expressam fuisse, aut importunitate. *Quod tamen summum fecisse Pontificem nunquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum:*

Bern. Epist. 4 5 6 7 82.

Ad Episcopos retorquenda denuo oratio est, & eorum refricanda memoria Prælatorum magno prorsus numero, qui cùm sacris insignibus ab Imperatoribus & Regibus investiti fuissent, Romam convolabant, Episcopales sarcinas Pontifici resignaturi, non ut eas canonicè mox denuo subirent, sed ut omnino abjicerent: quamvis tam sanctis desideriis surdæ jure merito & obstructæ essent Pontificis aures. Ejusmodi fuit Otto Bambergensis Episcopus anno 1103. sub Paschali II. ut perhibet Scriptor ejus vitæ. Ejusmodi fuit & Thomas Cantuariensis Archiepiscopus anno 1163 juxta Vuillelmum Neubrigensem: *Secretò in manus domini Papa resignavit.* Nec eo contentus Thomas, denuo vertente anno in Consistorio Cardinalium cessionem sedis suæ iteravit. Deliberatum est inter Cardinales, an acquiescendum esset cessioni, atque ita pax Ecclesiæ & Regno Angliæ conciliandа: an potius adserendus esset suæ dignitati & potestati sacræ, invictissimus Ecclesiæ & Cleri libertatum defensor. Huc inclinavit Pontifex, nimirum Alexander III. cujus & hæc fuere ad Thomam verba, cùm sua illum sanctiùs investiret Ecclesia: *Resignatione facta, &c. jam securè poteris de novo de manu nostra Pontificalis officii curam recipere, dum te in integrum ducimus restituendum.*

Baron. ann. 1103. n. 1.

Baron. an. 1163 n. 18. 1124. n. 39.

V. Prodit se species alia, cum rarior, tum illustrior. In Episcopatum Lincolniensem allectus fuerat Goffridus minor natu Regis Angliæ filius. Cùm incuriosus ordinationis suæ moras ille traheret, idem Pontifex Alexander III. ad Archiepiscopum Cantuariensem rescripsit, ut illum vibrato censurarum mucrone terreret, compelleretque aut Episcopatum cedere, aut quamprimùm ordinari. *Ecclesiastica censura compelleret electioni sua renuntiare, vel sine dilatione ordinem Sacerdotis & Pontificalis officii dignitatem recipere.* Ita Rogerius, qui mox depromit Epistolam ejusdem Goffridi, qua Archiepiscopo Cantuariensi Episcopatum resignat, ut in eam rem delegato à Sede Apostolica, cùm alioqui Metropolitana potestate fretus esset. *Omne jus electionis mea & Lincolniensem Episcopatum spontaneè, liberè & integrè in manu vestra, Pater sancte, resigno, tam electionis, quàm Episcopatûs absolutionem postulans à vobis, tanquam à Metropolitano meo, & ad hoc ab Apostolica Sede specialiter delegato.* Perspicis hîc Metropolitani authoritatem, utcumque adhuc effulgescentem ad resignationes admittendas, sed Pontificia delegatione tunc roboratam, necessaria tum quidem forsan, quòd non facilè aliàs ausurus fuisset Archiepiscopus Cantuariensis in filium & fratrem Regum Ecclesiasticum mucronem distringere.

Baron. ann. 1181.

Idem ipse erat Rex Angliæ, cujus insectationibus fatigatus & animo fractus Arnulphus, de quo suprà, Lexoviensis Episcopus, in Abbatiam Pari-

siensem S. Victoris se subduxerat, ubi & tandem mortalibus exuviis & ærumnis absolutus est. Prius ille antè ea de re, & doctum virum consuluerat Petrum Blesensem, à quo & hanc elicuerat responsionem: Ingravescentem ætatem & corporeas ægritudines, ex sanctorum Patrum regulis, satis causæ habere, ut Coadjutorem accerseret, non ut Ecclesiæ suæ renuntiaret: ignavi esse & socordis iram Regiam extimescere; posse Principis animum rursus captari & demulceri modestia & sui dejectione: nec enim ulla magis re exasperari Regum animos, quàm Præsulum contumacia & rebellione: *Si vestri Principis gratiam affectatis, eam poteritis obtinere levissimè, dummodo vos habeatis circa eum humiliter & devotè. Ipse homo est qui rebellionem & contumaciam in Episcopis super omnia detestatur. Ipse est qui sola humilitate vincit & vincitur.* Est in hoc magnanimi & modesti Regis encomio, quod ad admirationem nostram, ad posterorum exemplum valeat. Denuo Arnulphum Blesensis monet fidentissimè, si ut fama ferebat, per ambitionis & favoris cuniculos ad Episcopale culmen adrepserat, non aliud expeditius esse tanti flagitii piaculum, quàm ut sanctissimæ renuntiaret dignitati, ad quam tam profano animo & conatu aditum sibi fecisset. *Porro aliunde subesse potest legitima resignationis occasio. Dicitur quod ab adolescentia cœpistis Ecclesiasticos honores olfacere; & ad hunc honorem, qui nunc onerosus est vobis, obsequiis & intercessionibus, & aliis ambitionis humanæ suffragiis aspirare. Currite ad conscientiæ vestræ testimonium; & si inveneritis vos minus canonicum habuisse ingressum, sitis solliciti de egressu. Nam hic resignatio habet locum. Beato enim Gregorio teste, qui in ovile ovium, non per ostium, sed aliunde ascendit, ad æternæ salutis bravium in vanum se fatigat, nisi honorem in quo deliquit, penitus derelinquat. Sancta ergo & salubris est cogitatio, facta Episcopatus cessione, privatam eligere vitam, si recolitis conscientiam vestram jam dictæ promotionis obtentu fuisse vel in modico vulneratam. Si meæ parvitatis acceptatis consilium, nihil omnino retinebitis penes vos, quod acquisieritis per peccatum.* Idem alibi argumentum versavit Petrus Blesensis de Abbatibus. Agit Arnulphus ipse Epistola LVII. de secessione sua, nec declarat, an Papæ, vel Metropolitani licentia obtenta secesserit.

Epist. 44. Petri Bles.

Gregor. l. 9. Epist. 40.

Epist. 102.

Arnulph. pag. 613.

Augurari aliquid fursan licebit ex vita B. Hugonis Lincolniensis Episcopi, qui eodem tempore vitam cùm ageret, Pontifices profectò omnes Epistolis & precibus suis fatigavit, se ut Ecclesiæ suæ aureis, sed molestissimis compedibus exsolverent. Gravibus tandem Romæ comminationibus sæviendum fuit, ne posthac istiusmodi ab eo Epistolæ perferrentur. *A singulis Romanis Pontificibus, qui ejus tempore Ecclesiæ præfuerunt, id humillimè petiit, sed non obtinuit, &c. Nuntios cum minis remiserunt, vetaruntque ne deinceps ejusmodi litteras ad Apostolicam Sedem deferrent.*

Baron. an. 1191. n. 46.

VI. Non injuria ergo morem illum existimabimus, qui jamdiu serpebat, & altiores in dies singulos agebat radices, non dimittendorum nisi concessione Papæ Episcopatuum, sub Alexandro tandem III. constitutum confirmatumque fuisse, ita ut rarissimè jam in eum peccaretur. Ex ejusdem ipsius Pontificis Epistola ad Episcopum Lincopensem in Dania ad utriusque hujus rei confirmationem argumenta eliciuntur. Scribit enim, quanquam non potuisset præcessor ejus resignato Episcopatu in manus Archiepiscopi Lundensis, injussu Sedis Apostolicæ in Cœnobium se abstrudere: ultro à se tamen id dissimulari, & electionem ejus confirmari. *Licèt ei non licuerit absque authoritate Romani Pontificis Episcopali dignitati abrenuntiare; volentes tamen, &c.*

Append. 5. Epist. 13.

Perhibet quidem Rogerius anno 1172. & 1175. Episcopum S. Asaphi in Vuallia ab Ecclesia sua recessisse, & ab Archiepiscopo Cantuariensi coactum esse, aut repetere pristinam stationem, aut sedem suam purè & simpliciter resignare. *Ut in vi obedientiæ ad Sedem propriam rediret, vel curam Pastoralem, quæ sibi fuerat commissa, in manu ipsius liberè & absolutè resignaret.* Cessit Episcopus in manus Archiepiscopi, verùm id totum fiebat *admonitione Alexandri summi Pontificis.* Idem usus obtinebat & in Germania. Cùm enim ibi pax non potuisset inter eundem Pontificem & Fridericum I. Imperatorem anno 1177. nisi ea lege sanciri, ut Archiepiscopus Salisburgensis loco decederet, usque adeo in illum excanduerat Fridericus: etsi subinvitus, renuntiavit tamen Ecclesiæ suæ Præsul in manus Papæ, ut testatum fit ipsius Papæ litteris ad Clerum Salisburgensem datis. *Cùm gratiam Friderici Imperatoris recuperare non posset, maluit cedere, quàm contendere.*

Albanensis Cardinalis Henricus ad id fastigii ex Abbate Claravallensi evectus, eundem Pontificem etiam atque etiam interpellavit, ut Archiepiscopo & Primati Hiberniæ annis confecto, & laboribus, copiam faceret decedendi Ecclesia; annueretque ei quem ille sibi delegerat successorem. *Rogamus, ut votis & desideriis prædicti Pontificis, tam in absolutione ejus, quàm in ordinatione istius efficaciter annuatis.*

Bibl. Cister. Tom 3. pag. 252.

Alienum prorsus non erit hoc loco referri quod de Archiepiscopo Turonensi narratur; etsi id enim non inter simplices resignationes collocari possit, ad eas tamen alludit plurimùm, etiam quantùm ad interponendæ authoritatis Pontificiæ necessitatem. Cùm is Præsul itineri se commisisset, ut Romam pergeret, in Cœnobio Charitatis ad Ligerim gravissimo perculsus morbo decubuit, desperataque sanitate, Monasticam induit vestem, & Institutum professus est Cluniacense. Convaluit tamen, & Cleri sui urgentissimis precibus sollicitatus, ut suæ se redderet Ecclesiæ, rem judicio commisit summi Pontificis. Erat is Innocentius II. quem & per litteras cohortatus est Cluniacensis Abbas, Præsulem ut eum prudentiæ & virtutum laude probatissimum Ecclesiæ Turonensi restitueret. *Respondit Archiepiscopus, nihil se horum facturum, priusquam res vobis innotesceret, & à Paternitate vestra, quod sibi faciendum esset, audiret.* Et infrà: *Rogat Turonensis Ecclesia, rogat justitia, quatenus Paternitas vestra, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo à Deo commissa est, redire persuadeat, & si sponte noluerit, etiam invitum compellat.*

Petr. Clun. Abb. l. 4. Epist. 10.

VII. Eo erat loco Ecclesiastica in cessionibus & renuntiationibus disciplina, cùm Throno Apostolico sedere cœpit Innocentius III. Servabantur jam integræ Pontifici renuntiationes, vel cessiones & translationes Prælatorum. Non is autem erat hic Pontifex, qui Ecclesiæ suæ jura defluere ac vilescere pateretur. Hinc est quòd ille eo de jure semper verba fecerit, tanquam de Jure canonico in Ecclesiis receptissimo. Audi ut ad Episcopum Vuirtzburgensem rescripserit. *Multa sunt quæ præter specialem authoritatem Sedis Apostolicæ non possunt, nec deberent impunè ab aliquibus attentari, utpote cessiones & translationes Episcoporum.*

Extra. De majorit. & obed. C. Illud.

Verùm quod ad illa pertinet Decretalium capita, ubi Innocentius III. conjugium spirituale Episcopi cum Ecclesia sua comparat carnali, & utriusque

vinculum peræquè insolubile constituit; ut tam à Deo solo possit solvi, quam ab eo uno potuit institui: perspicuum est, hoc unum Innocentio propositum tunc fuisse, ut usum Ecclesiæ pervagatissimum elucidaret, & novo aliquo illustraret lumine. Sed ne in mentem quidem venit unquam Pontifici, eam rem severissimo examine trutinari, ac vexari debere, perinde acsi inconcussi dogmatis ea constantissima veritas proponeretur. Cùm enim doctis omnibus in confesso sit doctissimum illum fuisse Pontificem, eum minimè omnium latere potuit: 1. carnalis conjugii vinculum longè arctius esse & insolubilius, quam Episcopi cum Ecclesia sua, cùm tam crebræ de isto dispensationes fuerint, sintque etiamnunc, etiam post consummationem, id est post consecrationem Episcopi; illius autem nec fuerit unquam ulla, nec futura sit. 2. Cùm ab Ecclesia, cùm à Pontifice ne tentatum quidem unquam sit, ut carnale connubium ratum & consummatum irritarent; circumcideretur eorum potestas admittendarum cessionum, & translationum faciendarum, si obstinatius duo illa conjugia æquanda esse contenderetur. 3. Sibi ipsi collideretur in hoc suo Decreto Innocentius, si inusitatam aliquam sibi adrogasset potestatem in spiritalia conjugia, ex comparatione matrimonii carnalis: & ex illa singulari prærogativa, qua eminent Romani Pontifices, ut Christi cujus sunt Vicarii, sint & summæ potestatis administri. Regereretur enim illi, tam ergo non posse eos cessiones Episcoporum suo judicio ratas, vel irritas facere, quam nec carnalis conjugii semel consummati copulas.

Non ergo censorio hoc rigore, & scrupuloso examine vexandum est hoc Decretum, ut nec complura alia; quæ quandiu sunt in usu, variis mysticisque illuminantur rationibus, & comparationibus; quæ jam non constant, nec tempestivæ sunt, ubi contrarii invaluere mores, quibus adaptantur statim lumina & exempla, prioribus adversa, & luculentissima tamen, dum novæ hæ leges usu valebunt. Quæ certò, & constanter, & immutabiliter vera sunt, sibi ipsis nunquam adversantur, quòd ea omnia in unam coalescant incommotabilem veritatem, sui semper simillimam. Sed quæ verisimilia & probabiliter tantum vera sunt, ea & alia ab aliis sunt, & non rarò sibi vicissim pugnantia, & ex iis tamen maxima vitæ nostræ, humanique regiminis pars dirigitur & administratur, quando non aliis quam his radiis sempiterna se nobis veritas quasi obnubilata ostendit. Nec aliter se res habet in Legibus, quæ æternæ quidem & incommutabiles, & sui nunquam dissimiles sunt, quia una illa æterna & incorruptibilis Lex est Deus ipse. At temporales leges cum tempore ipso alternant, & sui aliàs & aliàs ferè dissimillimæ sunt. Hæc temporalium Legum varietas & inconstantia illi innectitur verisimilitudinis & probabilitatis versatili naturæ, non veritatis inconcussæ stabilitati. Qui Sabbatis toto anno jejunabant, & qui tres frequentabant annis singulis quadragesimas, iis locis & temporibus, quibus ab his abhorrebat Ecclesia, explodebantur à Catholicis Patribus & Conciliis, & impugnabantur rationibus è media Theologia petitis. Qui posterioribus sæculis idem factitavere, cùm jam priores judaizandi, & cum hæreticis conspirandi suspiciones essent dissitæ, non tantum nullo convicio, sed etiam magnis laudibus affecti sunt, nec defuere rationes mysticæ quibus ii usus tunc recepti commendarentur. Rationes ergo hujus generis, ejusmodi sunt, ut nemo iis inniti debeat, quo aliquid novet: nemo iis dum usitatæ disciplinæ suffragantur, obtrectare, aut censoriam virgam illidere. Nec enim eæ ad res constituendas promuntur, sed ad eas, quæ constitutæ jam olim sunt, illustrandas.

Eo sensu legendus & interpretandus est Innocentius III. penes Apostolicæ sedis Pontificem solum jus esse dispensandi de utriusque conjugii vinculo, spiritalis, & carnalis; ut enim Deus unus author est utriusque conjugii, & ejus inconvulsi nexus, ita Dei Vicario potissimum competit potestas utriusque, ubi jus fasque est, relaxandi. Usu id jam receptum erat. Vidimus enim Alexandrum III. sic jubentem, sic docentem, ut qui solus posset Episcopos absolvere à compedibus Ecclesiarum suarum. Quod ad carnale autem pertinet matrimonium, consanguinitatis impedimentum Canonicum, quod ad septimum usque gradum jamdiu exporrigebatur, Innocentius III. ad quartum contraxit, plaudente Ecclesia.

Ita mihi quidem videntur exponendæ Pontificis hujus Decretales eæ, quæ ad cessiones spectant, aut ad dispensationes Papæ reservatas. *Non enim homo, sed Deus separat, quos Romanus Pontifex, qui non hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, Ecclesiarum utilitate, vel necessitate pensata, non humana, sed divina potius authoritate dissolvit.* Divina ea, quam sibi Innocentius vendicat, authoritas, illa nimirum est à Deo instituta. Divinitus enim instituta est Primæ Sedis potestas. Et quanquam primoribus sæculis nondum reservata illi essent nonnulla insignis potestatis capita, & necdum tum ea spectarentur, ut germina quædam Primatûs divinitus instituti: ubi tamen usu pòst convaluit, ut ea illi integra servarentur, jam omnino consentaneum est, ut dicantur ea esse jura & privilegia propria Capitis Ecclesiæ divinitus constituti. Non ergo ea est Innocentii mens, ut cessionum admittendarum potestas jure divino ad solum pertineat Romanum Antistitem; sed hoc ille unum his suis Decretis innuit, cùm longa temporum, eventuumque vicissitudine res cò tandem perducta fuit, ut ea potestas uni primæ Sedi reservaretur: æquum jam esse, ut esse hic reputetur fructus, qui aliquando tandem ex divino effloruerit Primatu, & tum effloruerit ex ea, in qua cœlesti veluti radice delitescebat, quando ita utilitati & ædificationi Ecclesiæ consentaneum fuit.

Extra. De transl. Episc. c. 2. 3. 4. Et, De Majoritate c. 5.

VIII. Venio ad Canonicas Episcopalis cessionis causas; & quidem prætermissis compluribus aliis ejusdem Innocentii Epistolis, ubi tantum non vim adhibet quibusdam Episcopis, senio & ægritudine exhaustis, vel oneri tanto imparibus, ut voluntariè renuncient: ad unam venio famosissimam Epistolam Decretalem, in corpore Juris emicantem, ubi sex aperit causas Canonicas resignandi Episcopatus. Prima est crimen patratum, sed ejusmodi crimen, cui illigata sit irregularitas, quæ ne per pœnitentiam quidem expietur. *Propter conscientiam criminis cedendi potest licentia postulari, & forsitan non cujuslibet, sed illius duntaxat, propter quod ipsius officii executio post peractam pœnitentiam impeditur. Cum si omnes quos arguit conscientia cujuslibet culpa cederent, pauci vel nulli in illo ministerio remanerent.* Altera est corporis ægritudo, senio, vel morbis invecta; si tanta nimirum ea sit, ut pastoralium omnium functionum pondus non sustineat. *Per quam impotens redditur ad exequendum pastorale officium.* Tertia est scientiæ penuria; quanquam mediocris tantum scientia toleranda sit. *Etsi desideranda sit eminens*

Regest. 14. Epist. 32. 14. Regest. 15. Epist. 24. Regest. 16. Epist. 140.

Extra. De Renunc. c. 10.

scientia in Pastore, in eo tamen est competens toleranda. Quarta est aversatio gregis in Pastorem ita contumax, ut labor ejus omnis infructuosus jaceat, obsitque pene magis, quam prosit.

Evermerus Hierosolymitanus Patriarcha, cùm in Concilio Romano diluisset accusationes omnes, quibus Balduinus Rex Hierosolymitanus, & Arnulphus ejus Cancellarius illum impetiverant, cùmque pristinæ dignitati Paschalis Papæ II. judicio restitutus suæ Sedi fuisset: tum verò spontanea cessione renuntiavit Ecclesiæ suæ, expertus quàm vinci, frangique non posset Regis ab ipso alienatio, & præsagiens quantum impenderet discriminum renascenti ei Ecclesiæ, si constanter jus suum tueri pergeret. Albertus Canonicus Aquensis, & Historiæ Hierosolymitanæ scriptor, rem narrat his verbis:
L. 10 c. 58. *Rege ex Arnolphi instinctu, amplius Patriarchæ adversante, nec eum in sedem Patriarchatus redire consentiente, actum est multorum consilio, quatenus Evermerus sine Conciliis & judicio, Patriarchatus sui dignitatem ultro absque ulla spe relinqueret; ne sancta ac novella Ecclesia Jerusalem in hoc odio & contentione tot diebus Pastoris vigilantia careret.* In ejus locum suffectus est Gobelinus, Regis, Cancellarii, & Cleri suffragiis. *Regis, Cancellarii, & totius Ecclesiæ electione Gobelinus subrogatur.* Ecclesiasticis & Canonicis regulis injuria in his non mediocris illinebatur, & eam tamen sibi dissimulandam Pontifex censuit, ut novellæ Ecclesiæ necessitatibus se accommodaret. *Quod quamvis injustum sit, ut hæc fiat altercatio, nisi ex Canonum decreto & sententia alter eorum fuerit condemnatus; tamen quia rudis & tenera adhuc Jerosolymitana erat Ecclesia, id fieri concessit Apostolicus.*

Quinta est ratio, siqua Ecclesiæ scissio immineret, & schisma conflatum iri prospiceretur, ex Pastore innoxio quidem, sed suæ, quàm Ecclesiæ salutis amantiore; eamque dissipari, quàm innocentiam suam obrui faciliùs passuro. Sexta est, irregularitas, utputa bigamia. Nam etsi defectum natalium pateretur Præsul, non tamen sinendus esset Ecclesiæ suæ renunciare, si vitæ anteactæ innocentia dispensationi locum daret.

Extra. De Renunc. c. 11. IX. Proximo Decreto varias ventilat Innocentius causas, quibus quo quis abiit Episcopatu, ut Monachum profiteretur, ad eum revocandus est, nec parendum secus sancienti Canoni Constantinopolitano. Aptat etiam ei Canoni nescio quas ille explicationes; nempè eo agi de crimine, cui per pœnitentiam expiando Episcopus in Monasterium contrusus fuisset. Vel de crimine, quod expungi non posset per pœnitentiam ab Episcopo, nisi seipse quodammodo exauthoraret, secederetque in Monasterium. Hic verò temporum suorum vitio usus est Innocentius, quibus crassa morum & Historiarum veterum ignoratio, rara erat Canonum & Conciliorum peritia. Hinc ille Constantinopolitanum hoc Concilium, pro primo habet Concilio Constantinopolitano, inter Oecumenica secundo, & ex illis quatuor uno, quæ Gregorius Magnus æquabat quodammodo quatuor Evangeliis, nimirum quoad Catholicæ fidei dogmata in Conciliis Generalibus definita. Atqui Canon, quo de hic agitur, non ab eo conditus est Concilio Constantinopolitano I. sed ab alio longè diversissimo, quod sub Photio habitum est Pseudopatriarcha Constantinopolitano & sub Joanne VIII. Papa, cui se exæquare ibi enixus est Photius, ut liquet ex ejus Canone primo, cui subnectitur hic alter, & tertius deinum alius. Intextum est hoc Concilium opusculis Balsamonis, præitque immediatè Concilio Carthaginensi.

Nec vitio verti potest doctissimo Pontifici hæc hallucinatio, cùm & doctissimi inter Patres, in historiæ Ecclesiasticæ volutandis monumentis ne potuerint quidem magnopere versati esse, illis destituti nostrorum præsidiis, quibus nos posterior ætas paulatim instruxit, instruitque in dies majoribus & novis. Porro cùm ex ea Historiæ ignoratione impingant gravissimè persæpè Canonum antiquorum interpretes; inde & nostra in eo potissimum desudavit industria, ut Canonum interpretationi ubique fax historiæ præluceret.

X. Id verò rursus observandum nobis est, in iis rationibus sex cessionum Canonicarum, duas esse, in quibus à veteri jure jus novum videtur deflexisse. Prior est pœnitentia criminum commissorum. Affirmat enim Pontifex, post expiatum pœnitentia crimen, nullam superesse irregularitatem, quæ canonicæ resignationi locum dare possit; nisi crimen, vel crimine concitatum scandalum ejusmodi esset, ut etiam gravi & gnava pœnitentia obliteratum, sacerdotalibus adhuc exercendis functionibus repugnaret. Demonstratum à nobis superiùs est hanc disciplinam indulgentiorem senescente demum sæculo undecimo exortam fuisse. Posterior est causa ab ægritudinibus corporis, ubi præcisa est curationis spes. Quippe Gregorius ille Magnus dato Coadjutore his Episcopis, Ecclesiisque succurrebat. At Innocentius eò magis cum Gregorio VII. propendet, ut Episcopus adducatur cedere.

Apparet optimos quosque Præsules ultro prosiluisse, nec expectasse, dum invitarentur, nedum urgerentur cedere sarcinæ, cui pares jam per invaletudinem desperatam non essent. Narrat Rigordus anno 1213. Sylvanectensem Episcopum, corporis imbecillitate & senio gravatum, interpellasse Pontificem, ut exoneraretur, *uti jure cautum est*, votique compotem factum, cùm triginta annis illam Ecclesiam cum laude administrasset. *Sentiens se tam ætate, quàm corpulentia ponderosa insufficientem oneri, quod jam per XXX. annos portaverat, impetrata à summo Pontifice, sicut in jure cautum est, licentia, renunciavit Episcopatui, & transtulit se ad Monachos, &c.* Jus de quo hic agit Rigordus, antiquius erat Pontificatu Innocentii, qui nullo promulgato Decreto jus sibi servavit probandarum cessionum, sed eo semper ut jam pridem usitatissimo usus est. Nec à veri similitudine abhorret, jus illud novum invectum ex eo maximè esse, quod jam penè in desuetudinem abiissent Concilia Provincialia, quod evilu isset jam ferè eorum authoritas, quod Metropolitanorum minor jam haberetur potestas & reverentia, unde & rarius Episcopi cessuri ad Concilia & Metropolitanos confugiebant. Cùm magno enim tunc numero Episcopi inconsultis Metropolitanis sua se dignitate abdicarint, hinc elucet, quàm incuriosi essent Metropolitanæ sedi debitæ venerationis.

Minimè verò jam necesse est diutius immorari duobus illis capitibus illuminandis, quæ suprà proposita sunt, de justis Episcopalium cessionum causis, & de licentia Papæ necessariò impetranda. Quippe posterior ætas complexa est illas Innocentii Epistolas Decretales, eisque totam se addixit & contemperavit recentior Ecclesiæ Disciplina. Siquid in illis inclementius primò visum est, non semel tamen necessarium induxere posteriores Pontifices. Quippe anno 1237. Gregorius IX. Archiepiscopo

Rainal. n. 67. Norvegiæ mandavit, ut ad cedendum compelleret duos ejus Regni Episcopos, quorum alter cæcitate, alter paralysi laborabat. Anno tamen 1423. cùm Rainald. n. 22. Thomas Herefordensis in Anglia Episcopus tota illa ægritudinum mole laborans, quæ decrepitæ senectuti comes hæret plerumque, commeatum & veniam peteret, abnuit Martinus V.

Fagnan. in L. 1 Decret. Part. 2. pag. 157. Canonistis novis placet, Antistitii per ægritudines suas graves & frequentes jam non valenti temporalem Episcopatûs administrationem sustinere, non cessionem annui debere, sed Coadjutorem, juxta Caput Decreti, *Quia frater*. Si ne spiritalibus quidem functionibus vacare possit, annui potest cessio, non præcipi, quanquam dari utique possit Coadjutor. *At invitus non compellitur renuntiare, sed dandus est illi Coadjutor.* Quod antiquiori disciplinæ consentit.

XI. Ejusdem politiæ vestigia datur & in Ecclesia Orientali observare, sed obscuriora, quòd minor ei fuerit cum Capite suo conjunctio. Nicephoro Episcopo Ephesino ad Constantinopolitanam sedem translato à Michaële Palæologo, Episcopi Thessalonicensis & Sardensis Ecclesiis suis renuntiarunt, impatientissimè ferentes eam Ephesini provectionem; itaque ille spontaneo se subduxit exilio, hic secessu in Monasterium Monasticaque professione, submonito tantùm Imperatore. Patriarcha successores illis dedit; uti & eodem tempore Romani plerumque Pontifices eas sibi Ecclesias reservabant, quæ per cessionem vacarent. Nec mirum Pachymeres in Mich. L. 2. c. 17 Et in Andron. l. 1. c. 15. 16. L. 3 c. 1. 2. L. 6. c. 15 16. 17. si tam præceps quandoque esset & temeraria, atque canonicis decretis infensa Episcoporum cessio, cùm sæpiusculè Patriarchæ ipsi suo illis exemplo in eundem Canonum contemptum & inconsideratas cessiones prævirent.

Nec nulla sunt tamen cessionum exempla, canonicis apprimè regulis consentientium, etiam ubi Orienti & Græciæ Turcicæ dominationis jugum invectum est. Anno 1458. Gennadius Patriarcha in Concilio Episcoporum dignitate cessit: *Coadunato Pontificum Concilio se Patriarcham abdicavit.* Hoc ille consilium arripuerat, Ecclesiæ suæ impacatis dissensionibus exulceratus; nec ab eo revocari potuit Magnatum hortamentis, populique precibus. *Multis magnisque dissidiis exortis, Concilium convocavit* Chrusi Turcog. p. 17. 120. *Pontificum, Clericorum, Optimatum, cunctorumque Christianorum, in quo se abdicavit.* Narrat Georgius Phranza in Chronico Joannem Glychin Patriarcham Constantinopolitanum, podagra correptum, nec jam clavum regere & torquere valentem Ecclesiæ suæ, ultro cessisse. L. 1 c. 6. *Quia ob adversam valetudinem administrare Provinciam suam commodè nequibat, eam sponte reliquit.*

XII. Ad Ecclesiam Latinam retorquenda jam oratio est, ubi apud Clementem VIII. multa conquestus Bellarminus Cardinalis, multa ad restituendam Disciplinæ sanctimoniam nunc pernecessaria executus, de resignationibus Episcoporum non tacuit. Cùm enim jubeant Canones sanctam indivulsamque eam esse Episcopi cum Ecclesia sua conjunctionem, frequentissima jam erat ejus vinculi solutio. Alii Episcopatui renuntiabant retentis fructibus, rem ausi tam improbandam, quàm si repudiata conjuge dos ejus retineretur. *Alii retentis fructibus Ecclesiam resignant, ac si quis uxorem repudiet, & dotem retineat.* Alii Ecclesiis renuntiabant, quibus ditati fuerant, ut ditiores & splendidiores alias aucuparentur. *Alii divites ex reditibus Ecclesiæ effecti, renuntiant Episcopatui, ut ad majora sibi viam aperiant.* Alii in nepotes Ecclesias transmittebant, quasi avita & hæreditaria ea esset successio. *Alii nepotibus sedem renuntiant, ut specie renuntiationis possideant sanctuarium Dei.* Alii Episcopales infulas abjiciebant, cùm non alia sit sanctior toto orbe, augustiorque dignitas, ut Referendarii vel Clerici Cameræ fierent Apostolicæ. *Alii malunt in Romana Curia Referendarii esse, vel Clerici, quàm extra Curiam Sacerdotes magni.* Prætexebant alii cœlum crassius, & valetudini suæ inimicum, vel tenuiores reditus, vel cives indociles. Sed an justæ hæ causæ essent, & an qui ista causabantur, sua quærerent, an quæ Christi, ut homines fallat, non fallit scrutatorem cordium Deum. *Denique alii causantur aëris insalubritatem, alii proventus exiguos, alii populi proterviam. Sed Deus novit, an ista justa sint causa resignationis, & utrum ejusmodi Episcopi quærant quæ sua sunt, an quæ Jesu Christi.*

Responsum est ab optimo & maximo Pontifice, ægrè à se admitti resignationes Episcopatuum, earum causas expendi diligentissimè in Congregatione rerum Consistorialium: quandoque exonerari Episcopos tantæ sarcinæ minùs pares. *Nos resignationes difficillimè admittimus, nonnisi examinatis causis in Congregatione rerum Consistorialium, & aliquando admittimus ob ineptitudinem resignantium.* Quo ex responso patet, quàm non invidendum, non obtrectandum, sed condolendum sit iis, quibus summa concredita à Deo est Ecclesiastici regiminis potestas, etiam tum cum summa fide & diligentia funguntur officio, quod de Clemente VIII. omnibus convenit.

De Resignationibus in favorem Successorum & Coadjutorum.

CAPUT LV. *P. 1. l. 2. c. 22.*

De Episcoporum jure & potestate in Coadjutoribus & Successoribus deligendis per priora quinque sæcula.

I. Designatus fuerat Athanasius ab Alexandro, ut ei in Sedem Alexandrinam succederet.
II. Alexander Episcopus Constantinopolitanus sibi etiam successores delegit.
III. Delegit & suum sibi Athanasius. Exempla Moysis.
IV. Laudat ista Origenes mo ita, ab hoc expresso Moysis exemplo, qui cognatorum neminem sibi successorem instituit.
V. Ita in his designabantur successores exemplis, ut electioni locus esset.
VI. Placita Antiocheni Concilii, quibus cavetur, ne successorem sibi accersant Episcopi, nisi authoritate Concilii Provinciale.
VII. Prohibet Nicæna Synodus, ne duo sint uno tempore unius civitatis Episcopi.
VIII. IX. Alia & alia contrarii usûs exempla.
X. Exempla vetustiora Successoris & Coadjutoris designati, impendente gravissima necessitate.
XI. XII. Exempla alia.
XIII. Canone Apostolico proximi summoventur.
XIV. Contrarii usûs exemplum.
XV. Exempla alia plurium ejusdem urbis Episcoporum.
XVI. An Meletius Thebaidis Archiepiscopus Coadjutor fuerit Archiepiscopi Alexandrini.

I. Ingressuris in eam disputationem de Resignationibus in favorem, quæ superiori contexta est, obviam se statim dat hæc de asciscendis Coadjutoribus & Successoribus quæstio. A Successoribus

foribus ordiemur. Præcepit ante obitum suum percelebris ille Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Alexander, sibi successor ut daretur Athanasius, Diaconi tum gradu & officio clarus, unde & ad Aulam Imperatoriam delegatus fuerat. Extincto Alexandro Meletius Theonam deligi fecit, quo post tres menses sede & vita cedente, Athanasius ex Alexandri præcepto & testimonio electus est. En propemodum ipsa sunt Epiphanii verba: *Cum moriens Alexander nullum alium suffici sibi præter Athanasium mandasset, ut tam ipse, quàm Clerici, & universa adeo Ecclesia testificabatur, Meletius Theonam substituit, quo post tertium mensem mortuo, paulò post Athanasius advenit. Tum undique coacto Orthodoxorum Concilio in Alexandrina sede constituitur, qui & dignus erat, & tam Dei voluntate, quàm beati Alexandri suffragio & mandato designatus.* [Greek illegible] Non multò post perhibetur ab Epiphanio Achillas Alexandro subrogatus fuisse, cognita propemodum Athanasii absentia: at eo post tres menses vivis excedente, reducem Athanasium in eam dignitatem electum fuisse, quam illi designaverat Alexander.

Hæres. 68 n. 6.

Athanasio moriens Alexander Episcopatum committi mandaverat, &c. Athanasio Sedes & Pontificatus debebatur qui & à Deo vocatus, & à B. Alexandro constitutus fuerat. Providebat animo Alexander imminentem procellam ab Arianis imminentem, eòque compellebatur Athanasio gubernacula Ecclesiæ committere, cujus & fidem & invictam constantiam expertus erat. Ideo & Concilium, de quo Epiphanius, consensit designationi successoris, numeris virtutum omnibus absoluti, quam fecisset Alexander sola pietatis & fidei contemplatione. Nec abnuit Epiphanius, quin ex Alexandri designatione ea Sedes Athanasio deberetur. Si discordare autem sibi Epiphanius visus sit in aliqua parte historiæ suprà relatæ, alienum id totum est à meo hic instituto, non illubenter tamen subscripserim Baronio, hanc discordiam sedanti.

Ibid. n. 11.

Baron. an. 3.6 n. 1.

II. Alexander alter Constantinopolitanus Episcopus appetente morte duos proposuit, qui sibi suffici possent, moribus diversos, sed meritis & fama conspicuos, Paulum & Macedonium. Inde factum est, ut & in eos scinderentur eligentium vota: usque adeo morientis Episcopi testimonium, & designatio successoris in pretio & veneratione erat.

Socrat. l. 2. c. 5.

III. Athanasius ipse adventante morte sanctissimum Presbyterum Petrum designavit, qui sibi in Marci sedem succederet. Et ejus voluntati subscripsere Clerus, Magistratus, Plebs, unanimi Petri electione. *Athanasius Petrum suo suffragio designarat; ejusque electioni ab omnibus tam Sacerdotibus, quàm Magistratibus assensum est. Populus quoque universus acclamationibus, quantum lætitia percepisset, demonstravit.* Hæc Theodoretus, à quo eleganter alibi adnotatum est, Moïsen quoque suum sibi delegisse successorem, cui & manus imposuerit; verùm ea in re cælesti oraculo obsecutum, & posthabitis cognatis omnibus. *Porro convenit admirari Prophetam, qui cùm haberet filios, & fratrem, & fratris filium, nullum horum Ducem præfecit, sed Deum consuluit, & quem ipse decrevit, ordinavit.* Idem secutus fuerat Athanasius, electo non alio, quàm laborum incredibilium suorum socio, & in periculis commilitone. In Moïse eandem commendat Isidorus Pelusiota, in designando successore, humanorum affectuum abdicationem.

Theodoret. L. 4. c. 18

In Numer. c. 47.

L. 3 Ep. 189

IV. Quin & ex hoc Moïsis exemplo ansam arripit Origenes, Episcopos, Clericosque omnes, aliosque & Laicos cohortandi omnes, ne in eligendis Pastoribus carni & sanguini indulgeant, sed uni consulant Ecclesiæ necessitati, morum sanctimoniæ, & religioni. Ex quo liquet invidiam fecisse Origenem Episcopis, non tam quòd successores sibi destinarent, quàm quòd malè destinarent, videlicet non virtutum laude præcellentissimos, sed propinquos & amicitia conjunctos. *Discant Ecclesiarum Principes, successores sibi non eos qui consanguinitate carnis juncti sunt, testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ Principatum, sed referre ad judicium Dei; & non eligere eum quem humanus commendat affectus, sed Dei judicio totum de successoris electione permittere. Numquid non poterat Moïses eligere Principem populo, & vero judicio eligere, ad quem dixerat Deus: Elige Presbyteros populo, quos intelligis Presbyteros esse, &c. Quis ergo ita poterit eligere Principem populi, sicut poterat Moïses? Sed hoc non facit, non eligit, non audet. Cur hoc non audet? Ne posteris præsumptionis relinquat exemplum. Sed ausculta quid dicit, Provideat, sibi Dominus Deus spirituum hominem super Synagogam, &c. Ergo tantus ac talis Moïses non permittit judicio suo de eligendo Principe populi, de constituendo successore, quis erit qui audeat vel ex plebe, quæ sæpe clamoribus ad gratiam aut ad pretium fortasse excitatis moveri solet, vel ex ipsis etiam Sacerdotibus quis erit qui se idoneum putet ad hoc judicet, nisi si cui Deus oranti & petenti à Domino reveletur.* Et paulo pòst. *Propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæreditas, gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit.* Ne tanta quidem prolixitate deterreri potui, quin hic inferrem longe præstantissimum Origenis sermonem, ut neminem jam lateat, quanti res periculi sit, in favorem cujusquam Beneficia resignare; & ubi cedere necessum est, quibus sit resignandum; denique quàm anxiè precibus nostris tundendum sit cœlum, ut Dei nobis aperiatur voluntas.

In Numer. hom. 22.

V. Non est autem quod quisquam eo moveatur, quòd his exemplis & verbis Origenis authoritas adjicitur Episcopis, suos ut successores designent. Nec enim ea designatione detrahebatur quidquam libertati suffragiorum, Populi, Cleri & Episcoporum Provinciæ, à quibus successoris canonica celebrabatur electio. Si verò hæc electio votis prædecessoris Episcopi suffragabatur, aut si, ut rem priscam stylo novo eloquar, resignatio facta in favorem admittebatur: non existimo tam vecordem, vel præcipitem quemquam jam fore, ut iis velit censorium inurere cauterium, quæ tam priscis temporibus sancti probarunt Episcopi, quæ probavit Ecclesia, quæ tot Concilia Provincialia roboraverunt, à quibus & electiones & resignationes hujusmodi confirmabantur.

Illud enim sedulò observandum hîc est, ab Episcopis extremo morbo decumbentibus, factas fuisse sive designationes istas, sive resignationes, nec nisi post eorum hinc excessum ad electiones ventum esse. Itaque tota libertas Canonum electioni constabat. Ecce autem electionem diversam, superstite Episcopo, & præsente, & successorem designante. Fuit is Pachomius, qui successorem sibi delegit, & coram se eligi curavit, animam exhalaturus. Nemo, ut reor, nunc Præsulum invidebit, nemo succensebit istiusmodi successoris designationi. Et Magistri cumulatissima pietas, & discipulorum religio, & instituti asperitas, obliquiores omnes hinc abigunt suspiciones. Audiendus nobis Magister, cùm discipulos extremùm affaretur: *Eligite ex*

Vita Pach. apud Rosweydum c. 38.

vobis fratrem me præsente, qui post Deum præsit omnibus curamque vestrarum gerat animarum. Quantum verò mea discretione perpendo, Petronium ego ad hoc opus idoneum judico; vestrum autem est, quod expedit vobis eligere. Non poterant novissima verba dicenti Parenti optimo non obedire filii, quos hactenus obsequentissimos habuisset. *Receperunt ergo, & in hoc obedientissimi filii, consilium Patris.* Nec certè alia quàm *consilii* vis inerat ei designationi, etsi quandoque præceptum diceretur.

VI. Prohibet quidem Antiochena Synodus, ne Episcopi suos sibi successores adsciscant: jubetque ut defunctis suo fato Episcopis, tum verò electio à
Can. 23. Synodo Provinciæ celebretur. *Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licèt ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusmodi, est constitutum. Servetur autem jus Ecclesiasticum id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum Synodo, & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis, potestatem habent, eum qui dignus extiterit, promovere.* Non damnatur tamen hoc Canone suprà laudatorum Episcoporum sanctissimorum libertas, qui ostenderant, quos optarent, quos optimos judicarent fore successores; non eligi fecerant, non ordinaverant; totum Concilio Provinciali permiserant, ut factam à se designationem ratam, irritamve faceret. En porro vox καθιστᾶν *constituere* id sonat, ut non ostendatur tantum & proponatur successor, sed ut instituatur & mittatur in possessionem; adeo ut prævertatur irriteturque, & Cleri populique electio, & Concilii Provincialis authoritas, & aliquo saltem temporis puncto duo sint Episcopi unius Ecclesiæ, præter Nicænos Canones.

Can. 8. VII. Caverat enim Concilium Nicænum, *Ne in urbe duo sint Episcopi.* Cùmque operam dedisset Gregorius Nazianzenus, ut Nazianzenæ Ecclesiæ Eulalius eligeretur Episcopus, negavit commissum à se esse contra leges Ecclesiæ, quod ipse quidem nusquam nisi Sasimis ordinatus fuisset Epis-
Epist. 42 ad. 87. copus; si autem Nazianzenam aliquandiu rexisset Ecclesiam, ut hospitem se fecisse, ὡς ξένος, non ut ei illigatum. Placebat Constantio Imperatori, ut Liberius & Felix ambo simul sederent Romæ Pon-
Theodoret. L. 2. c. 17. tifices. Illusit ei plebs salsioribus dicteriis, ut Disciplinæ Ecclesiasticæ illo peritior, & tandem serò exclamavit, Catholicæ Ecclesiæ unum Deum, unum Christum, unum esse posse Pontificem. *Omnes uno ore vociferantur, unus Deus, unus Christus, unus Epis-*
L. 4. c. 54. *copus.* Cessit Imperator & discessit Felix. Author est Sozomenus eum non multò pòst diem suum obiisse, cavente Numinis Providentia, ne quo schismate Petri tum sedes dehonestaretur. *Non multò pòst moritur Felix, & solus Liberius illi Ecclesiæ præest, non sine divina providentia. Ne sedes Petri à duobus Præsulibus gubernata, quod est plane nota dissidii, & à legibus Ecclesiæ alienum, infamia macula ulla aspergeretur.*

VIII. Nec inficias tamen ibimus, quin duo quandoque simul unius Civitatis fuerint Episcopi. Cùm Constantius nomine & privilegiis omnibus civitatum donasset Majumam, qui celeberrimæ urbis Gazæ portus erat, Constantiamque dici sanxisset; idque fecisset amore Christianæ Religionis, quæ Majumæ egregiè florebat: Julianus Apostata in Imperium succedens, odio Christiani nominis, rursus Majumam Gazæ conjunxit subjecitque, atque unam voluit esse civitatem: quo tamen prohiberi non potuit, quin duæ nihilominus essent Ecclesiæ, & duo Episcopatus. Audi ea de re Sozomenum. *Magistratus civiles, belli duces, Respublica*
Sozom. 5. c. 3.
utriusque communis est; soloque Ecclesiæ statu & gubernatione, duæ videntur hoc tempore civitates distinctæ. Nam utraque seorsum suum habet Episcopum, suum Clerum distinctos agrorum undique jacentium fines, quibus etiam altaria, ad utrumque Episcopatum spectantia, distinguuntur. Cùm Gazensi Episcopo
Concessiones. præmortuus esset Majumensis, voluit Gazensis utrumque consociare Clerum, & sibi uni subesse, allatis in medium Canonicis regulis, quæ duos unius urbis esse Episcopos inhibent: *Non enim fas est, inquit, ut uni urbi duo præficiantur Episcopi.* Intercessere Majumenses, & secundùm eos pronunciavit Concilium Provinciæ, cui minimè revocanda visa sunt privilegia, quæ Christianus Princeps Christianæ contemplatione Religionis contulisset, nec subscribendum eorum revocationi per Julianum Apostatam factæ.

IX. Qui vel primoribus labris delibarunt Annales Ecclesiæ, iis exploratum est Antiochenam Ecclesiam duobus Catholicis Episcopis perdiu paruisse, Meletio, cui successit Flavianus, & Paulino, cui Evagrius. Illis suffragabatur Oriens, his Occidens: greges erant diversi, diversæ & suæ singulis Ecclesiæ, una fides. Sæpiuscule tentata utriusque Ecclesiæ in unum adgregatio, majore pietate, quam fructu. Invitavit Paulinum aliquando pii & mitis ingenii vir Meletius, ut greges adunarent, conjunctim & in commune regerent, Evangelico Codice, ceu lege pacis & unitatis æterna, in Episcopali solio collocato, ipsis hinc & hinc sedentibus; denique ne successor præmortuo daretur, ut finis scissioni imponeretur. *Greges, ô amice, concordiæ*
Theodoret. L. 5. c. 3.
vinculis conjungamus, & contentionem de Primatu dirimamus. Quod si sedes contentionem gignit, ego hanc contentionem à nobis repellere conabor. Nam ponamus quæso in ea librum Evangelii, & utrimque nos sedeamus.

Labare quibusdam visa est hujus narrationis fides, quasi Meletii amori, & studio partium plusculum indulserit Theodoretus, qui hæc narrat, quàm veritati. Nobis minimè necessarium videtur, ut Paulino, ut Latinis ei studentibus impensius studeamus quam Græcis, Græcis obtrectare, aut eorum laudes arrodere. Humana erat ea tentatio, cùm viri utrimque Catholici, utrimque charitatis & unitatis cupidi, sibi mutuò parum cogniti, non tam dissiderent, quàm dissidere sibi viderentur. Illam planè Meletii rationem revocandæ pacis, resarciendæ unitatis, alendæ charitatis nemo potest non verè Christianam, verè Episcopalem prædicare, & exosculari.

De Vitali nihil dixi, quanquam is tum quoque Episcopus esset Antiochenus, suoque sejunctim gregi præesset: nihil ideo quam de eo dixi, quod à Catholica Ecclesia dissideret, quanquam & ipse Damasi Papæ communione sese venditaret. Versabatur tunc in Oriente Hieronymus, & à Damaso Papa edoceri voluit, cujus illorum sibi amplexanda esset communio, cùm tres ex æquo communionem sedis Petri, consortiumque jactarent. *Ego interim clamito, Siquis cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus, tibi hærere se dicunt. Possem credere, si hoc unus assereret. Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes.* Hæc ille ad Damasum scripsit.

X. His duobus exemplis duo quidem nobis repræsentantur Episcopi, sed ex causis tum inusitatissimis, & ex indeclinabili necessitate, præter voluntatem Ecclesiæ primigeniam, quæ unus cùm sit

grex, uni Pastori committi se vult. Sed suppetit & exemplum aliud, ubi uni Ecclesiæ plures præesse Pastores authore cœlo, Deo jubente contigit, cùm unus alteri Episcopus Episcopo accederet primò Coadjutor, aliquando futurus & successor. Cùm jam non amplius Ep.scopalem Ecclesiæ Hierosolymitanæ gestare sarcinam posset Narcissus senio confectus, Alexander Cappadociæ Episcopus Hierosolymam venit sacra loca veneraturus, ut sibi quidem videbatur, at verè cœlesti Spiritus sancti afflato, ut Narcisso primùm accederet ad relevandum eum muniis Episcopalibus, postea succederet eidem in beatas sedes pergenti. Eodem afflati Spiritu charitatis sancto Episcopi Provinciæ duplici subscripsere dispensationi, ut & Alexandrum prioris Ecclesiæ nexu solverent, & Coadjutorem illum Narcisso, ac Coëpiscopum darent. Eò invitabat utilitas, eò necessitas adigebat. Erat enim Narcissus centum annos natus, & Alexandri non paulò eminentius erat virtutum fastigium, quàm sedis Hierosolymitanæ. Ita compensata est dispensatio duplex à Cœlestio Provinciali, cùm & successor vetus daretur Episcopo, & una duobus Episcopis Ecclesia. Affirmat Eusebius, è cujus historia hausta est hæc narratio, utrimque cœlestia monita insonuisse, quibus & civibus Hierosolymitanis inspiraretur, ut id vellent, Alexandro ut acquiesceret,

L. 6. c. 11 Episcopis Provinciæ, ut confirmarent. *Quod cum illi consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis fecissent, manere deinceps Alexandrum apud se coëgerunt.* Profertur & ab eodem Eusebio fragmentum Epistolæ Alexandri, quod juvabit hîc intexuisse. *Salutat vos Narcissus, qui ante me Episcopalem hujus Ecclesiæ sedem tenuit, & qui nunc mihi conjunctus est in orationibus, annos natus sexdecim supra centum.* Agemus infrà de tertia dispensatione, cui locus hic quoque fuit, de Translatione videlicet Alexandri in aliam Sedem.

XI. A Theodoreto rursum narratur, ubi Meletius Antiochenus Episcopus, Apamiensi Episcopatu auxisset Joannem nobilitate natalium splendidum, virtutibus multò splendidiorem; Joanni Coadjutorem postea datum, nomine Stephanum, cujus opera ei non utilis tantùm, sed in primis necessaria fuit, ad Ecclesiam illam inter molestissimarum tempestatum & seditionum turbines moderandam. *Hic turbulentis procella temporibus convulsum eorum, qui fide secum consentiebant, gubernavit, sociumque habuit & adjutorem Stephanum, virum cum primis laudatum.* Non multò pòst tamen Meletius Stephano eidem Ecclesiæ alterius curam mandavit.

XII. Multò admirabilius est, quod narrat Sozomenus de Macario Episcopo Hierosolymitano. Ordinatum nempè ab eo esse Maximum Episcopum Diospolitanum, clam autem instigatos ab eodem cives Hierosolymitanos, ut eum invaderent, & Hierosolymis detinerent, successorem sibi aliquando futurum, interim verò Coadjutorem: *Ut Maximus manerct Hierosolymis, & sacro Episcopatus munere unà cum Macario fungeretur, & post ejus mortem Ecclesiam illam solus gubernaret.* Addit Sozomenus ad singulari sapientia machinatum esse Macarium, ut prohiberet, ne successorem sibi Arianum subrogarent Eusebios & Patrophilus.

Erit & quod non minus stupeamus in eo quod ab Socrate refertur de Novatianis. Eorum quippe Episcopus Paulus paulò antequam animam ageret, Presbyteros omnes suos convocavit, otavitque eos successorem sibi eligerent, ad avertendas eas procellas, quæ demortuis Episcopis plerumque intumescunt. Illi ea adverso rogarunt, ut eligeret ipsemet, & cujus vellet nomen suis subscriptionibus præmitteret. Chartæ eorum subscriptionibus munitæ inscripsit Paulus nomen Marciani magna virtutum commendatione Presbyteri, quo is sibi succederet. Tum verò ille eam chartam obsignavit, obsignati & fecit à Primariis Presbyteris; mox eam deposuit in manus Novatiani Scythiæ Episcopi, ut eam sibi restitueret, si quando ab ea ægritudine recrearetur: aut resignaret, successoremque declararet, si hinc in meliorem vitam abriperetur. Paulo abeunte, resignata publicè charta, unanimi omnium consensu Marcianus declaratus est Episcopus. Habes hic resignationem cum regressu veluti quodam.

XIII. Prohibentur Apostolico Canone Episcopi humanis servire affectibus, aut cognationem charitati, in Episcopis aliis, & in successoribus sibi deligendis. Nec enim rerum sacrarum dispensatio carnalibus cupiditatibus accommodanda est. *Non oportet Episcopum fratrem suum, vel filium, vel propinquum in Episcopum ordinare. Hæredes enim Episcopatus facere non justum est, nec humano affectu divina sunt tractanda. Si fiat, non valeat ordinatio; ipse vero excommunicatione puniatur.* C. n. 76

XIV. Hieronymo tamen visum est, si nepoti ea adessent virtutum præsidia, quibus Clericos florere par est, non eo quòd nepos sit, ab avunculi, aut patrui Episcopali sede exturbandum esse Successorem sibi optabat præformabatque Heliodorus Episcopus Nepotianum nepotem suum. Non is erat Hieronymus, qui censoriam ab eo virgam abstineret, si quid in eo peccari suspicatos esset. At austeritatem ingenitam cœlesti quadam sapientia condiens sanctus Pater, ingenuè confessus est, non nepoti sibi charissimo, sed Clerico indulsisse Heliodorum, virtutum copia & splendore clarissimo; nec avunculum, sed Episcopum in eo delectu egisse; denique nec meritorum in numero collocari posse cognationem, nec cognationis fastidio posthabendas esse virtutes numeris suis omnibus absolutas. *Tu nepotem quærebas, Ecclesia Sacerdotem. Præ*- In Epist. *cessit te successor tuus. Quod tu eras, ille post te judicio* Nepot. *omnium meruit. Atque ita ex una domo duplex Pontificatus egressus est dignitas; dum in altero gratulatio est quod tenuerit, in altero mœror, quod raptus sit ne teneret.* Ita Hieronymus ad Heliodorum Episcopum de Nepotiano, ei præmortuo, cui successor destinabatur. Ex Oriente pene ioopini in Occidentem trajecimus.

XV. Sed antè tamen rursus illud memorandum est, crebriuscula fuisse quondam exempla duorum unius civitatis Episcoporum, cùm narrata Episcopi Alexandri morte, subjiciat Epiphanius, non idem Alexandriæ, quod in aliis civitatibus factitatum fuisse, ut unius urbis duo simul essent Episcopi. *Nam Alexandria nunquam, ut aliæ Civitates, duos* Hæresi 68. *habuit Episcopos.* Traditum quoque est à Sozomeno, n. 6 Eulalium Episcopum in Ponto Amasenum, ab exilio Hæresi 69. revocatum post interitum Valentis, cùm civitatem n. 3. suam invenisset ab Arriano, vel Semiariano infessam, ad concordiam illum animorum, & ad Sedium consociationem invitasse, concessâ etiam illi honoris & consessus prærogativa, quo hac eum illecebra ad concordiam pelliceret. *Verùm Eulalius totius po*- L. 7. c. 2. *puli unitati prospiciens, eum oravit, ut priorem locum obtineret, & Ecclesiam unà cum ipso regeret. Primatum fruent, tanquam pramio servata concordia.* Non honestiorem, quàm conducibiliorem eam pacis cons

ditionem abnuit æmulus Episcopalis incubator Cathedræ, eoque probavit se non minus ab unitate fidei alienum, quàm à veritate. Unde nec multò pòst dissilierunt ab eo quinquaginta illi, qui se ei adgregaverant: & quam charitas confirmasset et sedem, eam excussit cupiditas & dissipavit.

XVI. Nec est quod quisquam nobis objiciat, ab Epiphanio prædicari Meletium, quasi alterum in Ægypto Archiepiscopum, cum Archiepiscopo Alexandriæ, & sub illo, tanquam Coadjutorem. *Videbatur Meletius cæteris Ægypti Episcopis antecellere, & secundas tenere post Petrum Alexandriæ Archiepiscopum in Archiepiscopatu, tanquam illius adjutor, sed illi tamen subjectus, & ad ipsum de causis Ecclesiasticis referens.* Et infrà: *Meletius Archiepiscopus in Ægypto, & Alexandro subjectus.* Sed vel ipso authore Epiphanio, Thebaidis in Ægypto Archiepiscopus erat Meletius. Probabiliter ergo is conjicietur primus fuisse Metropolitanus Diœceseos Alexandrinæ, hoc est Patriarchalis ditionis, unde & quasi Coadjutor Patriarchæ videri poterat. His enim vocabulis in antecessum quandoque abuti cogimur, tametsi needum tunc quidem usitata essent.

CAPUT LVI. *P. 1 l. 2 c. 23.*

De Coadjutoribus & Successoribus à superstite Episcopo cooptandis, in Occidente, per priora quinque sæcula.

I. Dispensante Primate Carthaginensi, Valerius Hipponensis Episcopus Augustinum sibi Coadjutorem adoptat, successorem quandoque futurum.

II. Nihil id electioni Cleri & populi officiebat.

III. Authore Augustino ipso postea, nihil tam ibi Canonibus inimicum fuit, quam quod superstite Episcopo consecratus sit Coadjutor.

IV. Eam Valerii charitatem & humilitatem laudavere sanctissimi tunc Episcopi.

V. Successorem quoque Augustinus sibi ante obitum designavit, at eligi eum dumtaxat, non consecrari fecit.

VI. In maximum conjecit discrimen Severus Episcopus, Cleri unius suffragia aucupatus, eum quem successorem sibi designabat.

VII. His exemplis nihil derogabatur menti & sanctitati Canonum.

VIII. Catholici Africæ Episcopi Episcopos Donatistas invitant, unà ut secum sede Episcopale in eadem civitate sedeant, dum se Catholicæ recolligant Ecclesiæ.

IX. Eam indulgentiam prætulerat Nicæna Synodus.

X. Exemplum successoris Episcopo ægrotanti præter Canones dati.

XI. XII. Barcinonensis Provinciæ Episcopi à Papa extundere tentant confirmationem nominati successoris, & ex una in aliam translati sedem. Utramque Papa rescindit innovationem.

XIII. Has tum dispensationes annuebant Concilia Provincialia; certius dare poterat & Papa, maximè in Occidente, ubi difficiles non rarò incurrebant causæ, quæ ad eum recurri cogerent.

XIV. Varia Coadjutorum exempla ex Ambrosio & Theodoreto.

XV. Petrus & Paulus uno eodemque tempore fuere Episcopi urbis Romæ, & suos sibi successores designavere.

I. EXplorandum jam nobis est, an Latina in Ecclesia Canones obtinuerint fidem; ne suo sibi marte Episcopi vel successores cooptarent, vel Coadjutores; an denique nusquam duo unam moderati sint Episcopi Ecclesiam. Quàm intemerata vigeret eorum authoritas Canonum, & quæ legitimæ censerentur eorum dispensationes, nusquam apertiùs patuit, quàm in exemplo Augustini. Hipponensis civitatis sanctissimus Episcopus Valerius, non mediocri cruciabatur metu, ne qua Ecclesia alia Episcopum sibi eligeret, ab ipsoque raperetque Presbyterum Augustinum, quem ipse uti lucem suæ Ecclesiæ decus columenque esse, quem & universæ Ecclesiæ aliquando fore augurabatur. Cerè latebris nescio quibus abdi curavit, ut iis illum subduceret, qui ad Episcopatum rapere gestiebant. Cùm ingravescere denique sentiret Valerius eas ægritudines, quæ senectuti va late solent, ab Episcopo Carthaginensi impetravit ex dispensatione licentiam, ejus in Episcopum se superstite consecrandi, ut non solùm tantùm mortuo aliquando succederet, sed & jam tum superstiti accederet Coadjutor. *Unde amplius formidans idem venerabilis senex, & sciens se corpore & ætate infirmissimum, egit secretis literis apud Primatem Episcopum Sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque gravitatem, & obsecrans ut Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, quo suæ Cathedræ non tam succederet, sed Consacerdos accederet Augustinus. Quæ igitur beatus Valerius optavit & rogavit, rescripto impetravit.* Vides Carthaginensis Primatis, hoc est Exarchi rescriptum, cui suberant Primates, hoc est Metropolitani omnes alii Africæ, Episcopique, ut Valerius fas esset Coadjutorem sibi & successorem ante facere. Ei dispensationi locum dabat effœta Valerii senectus, senectutisque comites molestissimæ ægritudines. Possid. in vita Aug. c. 8.

II. At quanquam dispensationem concessisset Aurelius solus Carthaginensis Episcopus, ordinatus est tamen Augustinus à Primate Numidiæ, qui Calamensis tunc erat Episcopus, hoc est, à Metropolitano, cui suberat Hippo, & ab Episcopis ejusdem Provinciæ, Cleri Populique Hipponensis consensu. *Post quam petitionem, ad visitandum adveniente ad Ecclesiam Hipponensem tunc Primate Numidiæ, Megalio Calamensi Episcopo, Valerius Antistes Episcopis qui forte tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponensibus & universæ plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem; omnibusque audientibus & gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti desiderio clamantibus, Episcopatum suscipere, contra morem Ecclesiæ, suo vivente Episcopo, Presbyter Augustinus recusabat.* Ibidem. Vides ut Populus, Clerus & Episcopi Provinciæ eum elegerint, quem præceperat Valerius Coadjutorem sibi designare, non dubia spe succedendi.

III. Unum id maximè improbavit Augustinus in eo Valerii consilio, quòd se voluerit Episcopum tunc ordinari, atque ita duos esse unius Ecclesiæ Episcopos. Copia tamen ingesta exemplorum obrutus, tunc quidem obmutuit: at rem postea diligentiùs perscrutatus & pervolutatis Canonibus, vidit in Concilio Nicæno id cautum fuisse, ne duo usquam essent unius urbis Episcopi: & ne quid ejusmodi peccaretur, constitui postea curavit in Concilio Carthaginensi, ut initio ordinationum Canones legerentur, ut ne quid tum in divinas has committeretur leges. *Dumque id fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis & Africanis Ecclesiæ exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit, & Episcopatûs curam & majoris loci ordinationem suscepit. Quod in se ipso postea fieri non debuisse ut vivo suo Episcopo ordinaretur, & dixit, & scripsit, propter Concilii universalis vetitum, quod jam ordinatus didicit. Nec quod sibi factum esse doluit, aliis fieri voluit. Unde etiam sategit, ut Conciliis constitueretur Episcoporum, ab ordinatoribus ordinandis vel ordinatis omnium statuta Sacerdotum in notitiam esse deferenda.* Ibidem.

Planum est non Possidio, non Augustino visum

esse, ulla tunc ex parte violatos fuisse Canones, quàm quòd consecratus sit antè Augustinus, quàm morte Valerii vacaret Hipponensis sedes: nec de transgressione Concilii Nicæni, probibentis ne duo sint unius urbis Episcopi, sollicitos unquam eos futuros fuisse, si Valerius designato & electo Coadjutore & successore suo, sola ejus consecratione abstinuisset. Damnatur etiam Antiocheno Canone, quem superiori capite laudavimus, nominatio, sive electio Episcoporum, needum vacante sede. Sed nec Augustino, nec Episcopis Afris ullis magnopere curæ fuit observatio Antiocheni illius Canonis, de quo ne fando quidem forsan quidquam audierant. Audiendus nunc nobis Augustinus ipse, Beato Paulino eas expromens causas, quibus ordinationi suæ assensus fuerat. *Beatissimus Pater Valerius, nec Presbyterum me esse suum passus est, nisi majorem mihi Coepiscopatus sarcinam imponeret. Quod quidem quia tanta ejus charitate, tantoque populi studio populum id velle credidi, nonnullis jam exemplis præcedentibus, quibus omnis mihi excusatio claudebatur, vehementer timui excusare.*

Ep. 34.

IV. Paulinus ipse Valerii charitatem, & terrenorum omnium affectuum abdicationem impensissimè demiratus est; ut qui quem discipulum habuerat, habere voluerit Collegam, Episcopali dignitate sua illum impartiens, aut totam potius cum illo unius animi & consilii fructu retenturus. *Augustinus novo more ita consecratus est, ut non succederet in Cathedra Episcopo, sed accederet. Nam incolumi Valerio Hipponensis Ecclesiæ Episcopo Coepiscopus Augustinus est. Et ille beatus senex, cujus purissimam mentem nulla unquam liventis invidiæ macula suffudit, dignos sui cordis pace nunc ab Altissimo fructus capit, ut quem successorem Sacerdotii sui suppliciter optabat, hunc mereretur tenere Collegam. Crederetne hoc potuit antequam fieret? Sed in hoc quoque Omnipotentis opere dici Evangelicum illud potest, Hominibus hæc ardua, apud Deum autem omnia possibilia.*

apud Aug. ep. 36.

Constat ergo, quæ nobis videri solet relaxatio Canonum, per dispensationem excusata magis, quàm laudata, eam Paulino propiùs rem intuenti, æquiùsque, quia majori cælestis luminis & charitatis copia, judicanti, visam esse cujusdam consummatæ virtutis, sapientiæ & charitatis declarationem; denique ut omnipotentis specimen Christi gratiæ, qua non humana tantùm virtus, sed & fides superatur. Aliarum jam Ecclesiarum Episcopalia solia declinaverat Augustinus, & quæ virtutum ejus gloria & fama erat, ostendebatur ei spes ampliorum & opulentiorum Hipponensi Sedium. Non poterat Valerius tam propè admovere sibi novum Episcopum, ingenii & virtutum splendore micantissimum, quin obscuratum se iri intelligeret. Non ergo illum nisi mira quædam conciliabat humilitas, sui contemptus, Ecclesiæ charitas, cum eam efflagitabat impetrabatque dispensationem. Ut verè dici possit, sic remitti Canones amplius esse, quàm rigidè observari: nec canonicis regulis quidquam magis esse consentaneum, quàm istiusmodi earum dispensationem.

V. Splendidissimi curriculi sui Augustinus beatum præverteos exitum, & occupandas persuasus tempestates & ambitiosorum hominum factiones, quæ Episcoporum electiones circumstrepere solent, cum jam vacat Rectore Ecclesia; in Cleri Populique sui concione aperuit, quid iniisset consilii. Eradii videlicet Presbyteri sui, designandi sibi successoris. Erat is non degener tanti Patris & Doctoris alumnus. *Presbyterum Eradium mihi successorem volo.* Applausit plebs & adgratulata est ingeminatis his vocibus: *A populo acclamatum est, Deo gratias, Christo laudes. Dictum est vicies ter, Exaudi Christe, Augustino vita. Dictum est sexies decies.* Excipiebant Notarii Ecclesiæ quidquid gerebatur, quidquid & dicebatur utrimque: *A Notariis Ecclesiæ, sicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis, Ecclesiastica gesta conficimus, &c.* Addidit Augustinus nolle se ut eodem errore filius suus laberetur, in quem ipse olim impegisset, cum ordinatus fuerat Episcopus, sederetque cum Valerio sene eadem sede, quòd needum rescisset à Nicænis Patribus vetitum id fuisse. Velle se ergo ut dum ipse in vivis ageret, Presbyterum ageret Eradius, vacantis postea sedis Episcopus inaugurandus. *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit Presbyter, ut est, quando Deus voluerit, futurus Episcopus.* Interim verò in munia ipsa & functiones Episcopalis officii succedere voluit Eradium Augustinus, successorem designatum: ut totum se conferret ipse ad Ecclesiæ defensionem, & ad hæreticorum expugnationem, quam illi provinciam mandaverant Numidiæ & Carthaginis Concilia. *Obsecro ut huic juveni, huic Presbytero Eradio, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum.*

Epist. 110.

Quibus ita constitutis vix jam dubitari poterit, quin Augustino persuasum fuerit, nec à Nicæno, nec ab aliis Conciliis ullis vetitum fuisse, ne Episcopi suos sibi successores à Clero Populoque eligi facerent, dum ne eos sinerent ante obitum suum consecrari, ne uni civitati duo essent Episcopi, essetque aliqua biceps Ecclesia. Canonem ille ea de re Antiochenum aut in totum ignoravit, aut existimavit eo verari successoris designationem ejusmodi, cui non suffragaretur Cleri plebisque consensio. Unde nec à Carthaginensi, nec ab alio Primate ullo copiam ac dispensationem asciscendi sibi successoris expetiisse legitur Augustinus.

In eodem verò electionis Eradii Decreto testatum facit sanctissimus Pater, paucis se antè diebus compulsum fuisse, ut ad componendos pergeret Milevitanæ plebis animos, eo vehementissimè adversùs Episcopum suum Severum concitatos, quòd cùm successorem & ipse sibi suum designasset, Clerum duntaxat suum consuluisset. Severo enim extincto vix acquiescebat plebs, donec adventans Augustinus, & reviviscens Episcopi memoria & reverentia, id perficeret, ut indignatio illa tota aliquando tandem donaretur pacis & concordiæ charitati. *Veni & adjuvit nos Dominus, ut cum pace Episcopum acciperent, quem vivus designaverat Episcopus eorum. Hoc enim eis cùm innotuisset, voluntatem præcedentis & decedentis Episcopi sui libenter amplexi sunt. Minus tamen aliquid factum erat, unde nonnulli contristabantur, quia frater Severus crediderat posse sufficere, ut successorem suum apud Clericos designaret; ad populum inde non est locutus; & erat inde aliquorum nonnulla tristitia.*

VII. Hinc facilè conjectabis crebriuscula hæc fuisse in Africanis Ecclesiis exempla, cùm & sanctissimis Episcopis id animo præceptum præsumptumque esset, nihil ea re canonicis regulis derogari. Nec certè Canonum alia mens fuerat, quàm

ut Episcoporum quorumdam retunderetur audax ambitio & præceps, qui cognatis suis hæreditarios transmittere Episcopatus conabantur: cùm Augustino, aliisque Africæ Episcopis propositum id unum esset, ut turbulentis factionibus prævertendis pacem Ecclesiæ suæ certam adsererent. *Scio post obitum Episcoporum per ambitiosos & contentiosos solere Ecclesias perturbari; & quod sæpè expertus sum, & dolui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat, huic prospicere civitati.* Episcopalis ergo extimulabat charitas, ultra ipsius vitæ metas se effundens, non terrena & fœda cupiditas, ut successores sibi sufficii maturarent.

Ibidem.

VIII. Nec paulò mirabilior fuit eorumdem Africæ Episcoporum charitas, in famosa illa cum Donatistis Collatione, cùm suis se Episcopatibus cessuros receperunt, si pars Donati vinceret: si vinceret autem Ecclesia Catholica, Collegas se illos, & unius sedis consortes ac consessores habituros: si plebs alterior foret ab eo duplicis habendi Pastoris consilio, tum utrimque cessuros, & eligendo recens Episcopo locum daturos. *Poterit quippe unusquisque nostrûm honoris sibi socio copulato, vicissim sedere eminentius, sicut peregrino Episcopo juxta considente collega: hoc enim alternis Basilicis utrisque conceditur, uterque ab alterutro honore mutuo prævenitur. Quia ubi præceptum charitatis dilataverit corda, possessio pacis non fit angusta. Aut si fortè Christiani Populi singulis delectantur Episcopis, & duorum consortium inusitata rerum facie tolerare non possunt, utrique de medio secedamus, &c.* Dilatabat Episcopalis charitas Episcopalem thronum, ut duos caperet, quantumvis id Nicæna synodus prohibuisset, propterea quod qui dictavit Nicænos Canones spiritus charitatis, non iis ita constrinxit & circumscripsit se, ut jam liberum sibi non sit, cùm in rem fuerit, sanctiora & fortiora inspirare charitatis consilia.

Collat. Carth I. c. 16.

IX. Nicæni enim Concilii Canone sancitum est, Si Novatiani Episcopi urbium, ubi jam Catholicus præsideret Episcopus, Catholicæ se recuperarent Ecclesiæ unitati, in potestate fore Episcopi ejusdem urbis, eos ut suorum choro allegeret Presbyterorum, vel nomine & officio donaret Chorepiscopi, nisi mallet permittere illis & nomen, & honores Episcopatus, τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος μετέχειν, ne unius urbis duo essent Episcopi. Hinc dilucet, ituros fuisse eos in eandem cum Africanis Episcopis sententiam, si tum satis tutam existimassent, & satis munitam adversùs schismata Ecclesiam: aut si universæ Ecclesiæ Episcopos sperare potuissent, ea animi constantia, eaque charitate futuros, ut suis ipsis in sedibus Collegas æquo animo pati possent. Afrorum Episcoporum consilium, & Nicænorum Patrum decretum longo distabant illa quidem intervallo, & ab uno tamen eodemque proficiscebantur unitatis & charitatis instinctu. Nemo potest satis mirari in Episcopis Afris animi magnitudinem, qui resipiscentes ab schismate Episcopos in throni & sacri Imperii sui societatem admittebant: & mirabilior tamen quodammodo fuit Nicænorum Patrum clementia, qui primi indulgentiæ januam patefecerunt, relaxata irregularitate hæreticorum ad fidem se recolligentium, omnibus illis in eosdem gradus admissis in Ecclesia, quos extra Ecclesiam obtinuerant, exceptis Episcopis, quibus & ipsis nomen & honores Episcopatus indulsere. Splendidius non immerito forsan videbitur ejus indulgentiæ fundamenta jecisse, quam aliquid addidisse ulterius.

Can. 8.

X. Venio ad speciem aliam paulò diversam, sed quæ eodem revolvatur. Hilarius Arelatensis Episcopus Projectum videns Episcopum gravi ex morbo decumbere, alium in ejus locum ordinavit. Projecti querelæ, nec non & plebis Pastorem suum commiserantis, ad aures Leonis Papæ perlatæ sunt. Molestissimè ferebant ægritudinem corporis in crimen vocari; à quo levamenti aliquid expectabatur, ab eo exacerbatum esse morbum, incusso depositionis jaculo: expectandam fuisse, non accelerandam hac contumeliæ atrocitate mortem; denique viventi successorem & hæredem inaudita sævitia datum. Hæc ferè Leo ad Episcopos Provinciæ Viennensis. Ex quibus patet, si minus fas sit Episcopo, ut successorem suo sibi nutu asciscat, multò minùs fas esse Metropolitano, ut invitis Episcopis det successores, quod aliquando tentatum infrà audiemus. Epist. 89.

XI. Accedo ad exemplum aliud, rei propius, quam pertractamus, & ubi Canonum authoritas incredibili quodam vigore armata vicit. Nundinarius Barcinonensis Episcopus, percupere se paulò ante mortem significavit, ut successor sibi daretur Irenæus alterius jam urbis Episcopus, quem & hæredem sibi adoptabat. Ea erant ambo hi Præsules meritorum & virtutum claritate, ut non populus tantum Clerusque Barcinonensis assensus sit, sed & Metropolitanus cum Episcopis Provinciæ. Litteræ ea de re datæ sunt ad Hilarum Papam ab Ascanio Metropolitano, cæterisque Provinciæ Episcopis, ut ratum haberet, quòd ipsi cumulatissimæ utriusque Episcopi religioni & virtuti indulsissent, Ecclesiæ utilitati, postulationi populorum, & huic denique speciali, nec aspernandæ causæ, quod prior Irenæi Episcopatus in loco fixus esset, Barcinonensi Ecclesiæ obnoxio, ubi illum Nundinarius Episcopum non sine assensu Episcoporum Provinciæ constituerat. *Nos cogitantes defuncti judicium, & probantes ejus vitam, & eorum nobilitatem atque multitudinem, qui petebant, simul & utilitatem Ecclesiæ memoratæ, optimum duximus, ut tanto Sacerdoti, qui ad divina migraverat, non minoris meriti substitueretur Antistes, præsertim cum Ecclesia illius municipii in qua ante fuerat ordinatus, semper hujus civitatis Ecclesiæ fuisse Diœcesis constet. Ergo suppliciter precamur Apostolatum vestrum, ut humilitatis nostræ decretum, quod justè à nobis videtur factum, vestra authoritate firmetis.* Hilari. Papæ Ep. 2.

XII. Perlegit has litteras Hilarus in Concilio Romano habito *in festivitate Natalis sui*, hoc est annua die ordinationis suæ: in quo & decretum est, ut priorem sedem Irenæus suam repeteret, novus Barcinone eligeretur Episcopus; & ne Provinciæ Episcopi id sibi deinceps sumerent, ut quasi hæreditarios Episcopatus ante mortem ad quos vellent transmitterent. *Nec Episcopatus honor hæreditarium jus putetur, quod nobis sola Dei nostri benignitate confertur.* Nec tunc ea Hilaro excidit Regula, *ne duo simul sint in una Ecclesia Sacerdotes.* Ibidem. Epist. 2.

Illud verò maximè in hoc negotio ponderari debet, cum in Concilio Provinciali Metropolis Tarraconensis librata esset ea dispensatio, & iis concessa causis, quæ justæ videri poterant, & necessariæ; rataque habita fuisset designatio successoris ab Episcopo facta: ejus Concilii Patribus visum esse, necessariò sibi adeundam esse Petri sedem, ut ab eo confirmarentur Decreta sua; quæ ex adverso rescissa sunt, præceptumque ut inviolata fide Canones observarentur. Valerius quoque Hipponensis

Episcopus præter consensionem Metropolitani sui, authoritatem quoque adhibuit Primatis Carthaginensis, ut collegam sibi adsisceret Episcopatus Augustinum. Contrà Augustinus Eradium sibi successorem deligens, speravit, nihil contra Canones se moliturum, nec dispensatione opus fore, si modò illum ordinari non curaret. Multò probabilius Hispani Episcopi ad Pontificiam confugiebant authoritatem primæ Sedis, quàm Valerius ad Carthaginensis.

XIII. Eecunde enim Metropolitanis, vel Conciliis Provincialibus accesserit potestas dispensandi de Decretis Conciliorum Oecumenicorum: Nisi Concilia ipsa Oecumenica, vel Consuetudo universalis, ac Præscriptio cum usum confirmarint, maximè prioribus Ecclesiæ sæculis, quando difficillimum erat omnes ad has dispensationes sedem Apostolicam adiri. Si consuetudine autem invehi id potuit, ut Episcopus Carthaginensis & Metropolitani in Conciliis suis Provincialibus relaxarent Canones Conciliorum Oecumenicorum: ambigere nemo potest, quin multò magis ea invehi potuerit, ut potiori hac Ecclesiæ ætate Primæ sedi potestas ea integra servaretur; cùm illius ea peculiaris & propria esse videretur, velut flosculus divini Primatus, Principatusque in universos Episcopos, & ejus prærogativæ, qua Pontifex constituitur Custos, Executor, & Conservator Canonum, Conciliorum præsertim Generalium, quibus præiuit, quæ confirmavit.

Verùm in Occidente peculiariter referendæ erant causæ majores ad Pontificem Romanum, ut ad Primatem, hoc est, ut ad Metropolitanum Metropolitanorum. Nec enim in Provinciis semper Metropolitanorum mandatis mos gerebatur: inter Metropolitanos ipsos lites ferebantur, aut eos qui eo se nomine jactarent; irrumpebant in eos aliquando populi, & extorquebant, quod per Canones fas non erat. His malis superioris potestatis interventio certam medicinam parabat. Liquidum id fit ab ipso Ascanii, & Provinciæ Tarraconensis exemplo. Calcatis Canonum regulis expugnaverat plebs confirmationem resignationis factæ à Nundinario paulò ante mortem in favorem Irenæi Episcopi, & translationem ejusdem Irenæi in alium Episcopatum, Metropolitanorum jura invadebat Sylvanus Calaguritanus Episcopus, Episcopumque plebi & urbi minimè petenti ordinaverat. His causis exciti Episcopi ad Papam retulerunt. *Sylvanus Episcopus humilitatem nostram ad hæc perduxit, ut contra ejus vanissimam superstitionem, Sedis vestræ unicum remedium flagitemus. Hic nullis petentibus populis Episcopum ordinavit.* Fatentur tamen, & si nulla arctaret necessitas, sola Petri memoria, & prærogativa à Christo ex mortuis redivivo ei concessa, ad Papam se relaturos fuisse. *Etsi nulla extaret necessitas Ecclesiastica disciplina, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium Sedis vestræ, quo susceptis Regni clavibus post resurrectionem Salvatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio, universorum illuminationi prospexit.*

[margin: ...ter Epist. Hilar. Ep. ...]

XIV. Meminit Ambrosius Coadjutoris Basso Episcopo dari, *in consortium regendæ Ecclesiæ.* De Acholio verò Thessalonicensi Episcopo author est idem Ambrosius, non illum quidem adoptasse sibi successorem, sed ita ostendisse, ita commendasse ante mortem, ut laborum suorum commilitonem, ut non potuerint, quorum eæ partes erant, non illum ei successorem sublegere. *Eodem momento quo ille quasi Helias elevabatur, velut quodam melotidis suæ demisso amictu, sanctum Anysium discipulum suum induit. Nam præscius successurum sibi, & si promissis tegebat, tamen indiciis designabat, adjutum se ejus cura, labore, officio memorans, ut jam declarare consortem videretur, qui non quasi novus ad summum sacerdotium veniret, sed quasi vetus sacerdotii executor accederet.* Beatus Honoratus Hilarium in Arelatensi sede successorem sibi allegit, populi votis ut faceret satis: *Supremo habitu summum meritis singularibus digito demonstravit Antistitem.*

[margin: Epist. 79.] [margin: Epist. 59.] [margin: Surius die 5. Maii.]

A Paulino Antiocheno Episcopo narrat Theodoretus ordinatum fuisse Evagrium, ut sibi terris emigranti succederet, non sine injuria Canonum eas successiones proscribentium. *Siquidem Canones non faciunt cuiquam morituro potestatem, quemquam in locum suum sufficere.* Socrates contrà testatur Evagrium defuncto tantum Paulino ordinatum fuisse, populo suffragante. Non mediocris hinc dubitatio emergeret, nisi Ambrosius, penes quem cum Papa & aliis Occidentis Episcopis, erat judicium arbitriumque ejus causæ, hinc extricaret nos: & quanquam ex officio pene ipso suo propensior in Evagrium, quàm in Flavianum, ingenuè profiteretur, sacris regulis Canonum nihilo magis consentire Evagrii, quàm Flaviani ordinationem. Sic enim ille in Epistola ad Theophilum Alexandrinum Episcopum, quem Occidentales Episcopi voluerant hujus concertationis arbitrum judicemque constitui: *Non habet quod urgeat Evagrius, & habet quod metuat Flavianus; ideoque refugit examen, &c. Nec tamen etiam hoc moti dolore, fratri Evagrio donamus speciem bonæ causæ, &c. Uterque aliena magis ordinationis vitiis, quam suis fretus. Quos tamen nos in meliorem vocamus viam, ut æstimemus eos suis potius bonis, quam alieno vitio defendi.* Ex quibus perspicuè patet non abhorrere Ambrosium à narratione Theodoreti.

[margin: Theodoret. L. 5. c. 23.] [margin: Socrates. L. 2. c. 15.] [margin: Epist. 78.]

XV. Finem huic Capiti faciemus, unde initium aptius forsan potuissemus ducere; ab exemplo longè omnium præclarissimo, quo dispensationes hæ omnes legitimæ de duobus in una civitate Episcopis, de designatis successoribus, de acceitis successoribus, illustrari, ac confirmari possint. Antiquorum enim Patrum, ipsorumque Romæ Pontificum consensione, Petrus & Paulus uno eodemque tempore Episcopatum Romanæ urbis gessere; multorum quoque ea sententia Scriptorum est, illos dum vita suppeteret, Linum sibi & Cletum substituisse, aut allegisse, quò in Provincias ipsi longinquiores ad Evangelii prædicationem possent excurrere. *Etenim Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter atque Episcopi fuerunt, &c.* Ut ait Epiphanius: ubi & hæc addit: *Poterant viventibus Apostolis Petro & Paulo Episcopi alii surrogari, quod iidem illi prædicandi Evangelii gratia in alias urbes regionesque profectionem susciperent.*

[margin: Hæres. 27. n. 6.]

Quanquam autem duo illi Apostolorum Principes Romanæ simul Ecclesiæ præfuerint, eoque Principatum illi supra Ecclesias omnes alias adscripserint: non tamen illi omnino pares & æquales sibi mutuò fuisse censendi sunt. Nodus unitatis & majestas Capitis penes unum maximè Petrum fuit, ita in Evangelicis litteris sanciente Christo ipso; ita profitente Hieronymo, qui Paulum ita alloquitur, *Ignosce Petro Præcessori tuo.* Profitente & Augustino, qui edíscendum nobis ait ab exemplo Petri, qui æquo feramus animo inferiorum correptiones: *Etiam à posterioribus corrigi.* edíscendum autem à Paulo, ut minores etiam in majores pro veritatis

[margin: Epist. 11 apud Aug.]

Epist. 19. defensione insurgant. *Quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda veritate salva charitate resistere.*

CAPUT. LVII. *P. 2. l. 2. c. 42.*

De Coadjutoribus & Successoribus ab anno quingentesimo ad octingentesimum Christi.

I. Varia Conciliorum Decreta de successorum designatione.

II. Quanta Romanorum Pontificum in his austeritas exemplo Bonifacii Archiepiscopi Moguntini.

III. Exempla varia ex Gregorio Turonensi. Frustra tentata successorum designatio.

IV. V. Est & ubi, non utilitas tantum suadeat, sed & cogat necessitas successores unice diligi.

VI. Novarum conditores Ecclesiarum non facile possunt eo se expedire necessitate designandi successoris. Exempla Angliæ & Germaniæ.

VII. Desperata valetudine Episcopus Coadjutorem debet accersere, invitus ad cedendum cogi non potest.

VIII. Principum temporalium necessaria consensio, propter ipsarum temporalem quoque Civitatum tuitionem, in qua plurimum potest Episcopus.

IX. Ad Papam tum accessere, cum Coadjutores, vel successores adsignarent Episcopi sive Legatione, aut Vicariatu Apostolicæ sedis fungentibus.

X. Quam invidiosum & detestabile fuerit, extra necessitatem Coadjutores, aut successores adoptare.

XI. Quæ hic summatim emineant Regulæ ad componendam Ecclesiæ disciplinam.

I. IN Concilio Parisiensi V. cautum fuit, ne Episcopi Coadjutores sibi accirent, aut successores, nisi jam non possent omnino ipsi Ecclesias suas regere. *Ut nullus Episcoporum, se vivente,* [Can. 2.] *alium in loco suo eligat, &c. Nisi certæ conditiones extiterint, ut Ecclesiam suam & Clerum regere non possit.* Quod totidem etiam verbis confirmat Edictum Clotarii II. Regis. Cabilonensi II. Concilio copia fieri videtur Abbatibus, ut designent successores, dum ne qui designatus est, immisceat se vel tantillum superstite Abbate in administrationem temporalium, ne inter Monachos emergant dissidia, si duo unà sint unius gregis Capita, duo rectores. [Can 11.] *Ut duo Abbates in uno Monasterio esse non debeant, ne sub obtentu potestatis simultas inter Monachos & scandala generentur. Verumtamen si quilibet Abbas sibi elegerit successorem, ipse qui eligitur, de facultatibus ipsius Monasterii ad regendum nullam habeat potestatem.* Vetitum est in hoc eodem Concilio, ne duo uno [Can 4. 10.] unquam Episcopi Ecclesiæ ordinarentur, abdicatique sunt duo Episcopi Civitatis Digniensis, tanquam à Canonicis decretis proscripti.

II. Bonifacius ille sanctitate & Apostolatu Germaniæ notissimus, Moguntinus Archiepiscopus, à Zacharia Papa flagitavit confirmationem ejus licentiæ, quam præcessor ejus sibi indulserat, ut ante mortem successorem sibi assumeret: *Mihi præcepit præcessor vester, ut Presbyterum hæredem & successorem eligere deberem.* Presbytero ad hanc successionem destinato frater erat, qui cùm peremisset avunculum Ducis Francorum, pendebat animi Bonifacius, an quod animo constituerat, executioni jam mandandum esset, quòd reluctante eo Principe perfici nihil prorsus posset. *Quia hoc non videtur posse fieri, si contrarius Princeps fuerit.* Per Zachariam ergo licere sibi voluit, ut rem eam ex consilio virorum piorum profligaret, prout Ecclesiæ conducibile foret. *Ut cum consilio servorum Dei faciam de ista electione, quod optimum esse videatur.* At Zacharias vehementer has preces aversatus est, ut Canonicis institutis adversas. *Quia contra omnem Ecclesiasticam regulam, vel instituta Patrum esse monstratur.* Sed concessit ei, ut successorem sibi deligeret, informaret, longo fingeret & perpoliret tyrocinio: eum palam designaret, cùm lethali se morbo premi intelligeret, juberet denique, ut Romam ordinandus adproperaret, nec ambigeret, quin hoc illi singularis benevolentiæ specimen ab Apostolica sede conferretur. *Eâ horâ quâ te de præsenti sæculo migraturum* [Conc. Gall. to. 1. pag. 511. 514. 574.] *cognoveris, præsentibus cunctis, tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus. Hoc nulli alii concedi patimur, quod tibi charitate cogente, largiri censuimus.* Sed eam abjecit idem ipse Pontifex præcepti austeritatem, ubi sensit senio in dies ingravescere Bonifacii ægritudines: tumque concessit, ut successorem eligeret ipse sibi & ordinaret, quanquam suaderet, ne à carissima sponsa Ecclesia Moguntina ante mortem divelleretur. *Sin verò Dominus dederit hominem perfectum; pro tui persona illum ordinabis Episcopum.*

III. A Gregorio verò Turonensi narratur Clerus Lingonensis, non expectata Tetrici Episcopi sui morte, quod desperato ex morbo is decumberet, successorem ei delegisse Mundericum, assentiente Rege qui ordinari illum jussit Episcopum, & in [L. 5. c. 5.] Castro Tornodorensi sedem figere, denique Archipresbyterum agere, dum Tetrico vita superaret. Interim verò in offensionem Regis incurrit Mundericus, à quo & captivus biennio retineri jussus est in castro ad Rhodanum sito. Eo carcere dum absolvi pervicit à Rege Nicetius Lugdunensis Episcopus, at non Ecclesiæ suæ reddi. Lingunenses rursus Sylvestrum sibi elegere, Tetrici adhuc superstitis cognatum. Obeunte interim Tetrico, Sylvester Presbyteratu initiatus est, cùmque Lugdunum properaret Episcopatu inaugurandus, sontico correptus morbo interiit. His infortuniis ulciscitur quandoque Deus contumelias Ecclesiasticis regidis inustas.

Nec felicius cessit religioso & docto Cadurcensium Episcopo Maurilioni, ubi successurum sibi elegit Ursicinum Ultrogottæ Reginæ Cancellarium; quòd jam se sentiret podagræ cruciatibus [L. 5. c. 42.] confici, suæque Ecclesiæ insidiari ambitiosus homines, sacro ministerio longè summovendos. Antè illum occupavit mors, quàm ordinari potuisset Ursicinus.

Cœlestibus portentis Dumnolus Cenomanensis Episcopus vitæ innocentiam singularem commendavit; nec auspicatius tamen illi processit electio Theodulfi Abbatis in successorem. Quanquam enim [L. 6. c. 36.] primò Regem habuisset consentaneum, Aulici tamen mox favoris aura, aspirare cœpit Badegisilo Majori Palatii Regii. Attonsus ergo ille, & ordinatus, & quadragesimo pòst die in beatorum sedes avolante hinc Dumnolo, ejus in locum successit. Nec felicior Felix ipse Nannetensis Episcopus fuit, [L. 6. c. 15.] multis in cassum tentatis, ut in nepotem Ecclesiam suam transferret.

IV. His exemplis manifestissimum fit, successorum designationes non Canonum modò censura confixas fuisse, sed ipso plerumque authore & ultore cœlo damnatas, exitus sui infœlicitate. Fuere tamen, etsi raræ, fuere tamen, inquam, rerum & temporum ejusmodi causæ, ubi necessaria quadam providentia charitas Episcopalis evigilare debuit, ut ne morte quidem ipsa prohiberi posset, quin ulterius Ecclesiæ consuleret; nec eos sollicitudini pastorali, quos vitæ temporali limites pateretur præfigi. Lutetiæ dum ageret Lugdunensis Episcopus, gravissi-

mo perculsus & inopino morbo, Regem Childebertum exoravit, ut nepotem sibi Nicetium Presbyterum successorem nuncuperet. Iis resplenduit virtutibus toto Episcopatûs sui decursu Nicetius, ut ea ex Canonum remissione fructus ubertimus ad ipsorum Canonum commendationem & ad Ecclesiæ gloriam exuberaverit. Nec minùs provida solicitudine & pia dispensatione, sanctissima Clotildis Regina Episcopatum Turonensem duobus commendavit Episcopis, quos ex Burgundia secum abduxerat, ubi à Regni hostibus ejecti fuerant Ecclesiis suis. Provecta jam erant illi ambo ætate, & communem Ecclesiam biennio tantùm administrarunt.

Greg. Tur. Vit. Patr. c. 8.

Hist. Franc. l. 10.

V. Conjunctiora rei de qua agimus quædam nunc nobis sunt enarranda. Avitus Arvernus Episcopus ultra mortalis vitæ limites propagans artes & ingenia charitatis, jamjam moriturus Bonitum sibi successurum delegit; et electioni assensus est Theodoricus Rex, qui rectore & administro utebatur Pipino Palatii Majore: *Consentiente ipsi Ecclesia, Bonitum successorem sedisque sua indicavit dignissimum Sacerdotem. Missa ab illo ad Regem legatio est, ut authoritate regia electioni Boniti consensum adjiceret.* Præcessorem imitatus Bonitus, & adventantem occupans mortem, Populo Regique approbavit successoris designationem à se factam, Norberti videlicet, religiosissimi viri, moxque in Cœnobium ipse quidem secessit Magnilocense.

Du Chesne H. Franc. t. 1. p. 285.

Eonius Arelatensis Episcopus cùm ad fingendum informandumque sibi successorem, beatum videlicet Cæsarium pro virili diutissimè elaborasset, ante mortem Clerum Populumque obtestatus est, ut eum suo loco eligerent, quò vegeta ejus juventus impleret, quod sibi per frequentissimas ægritudines suas minùs licuisset. *Eonius Clerum & cives aliquos alloquitur ut posteaquam ipse decesserit, nullum alium quàm Cæsarium sibi substituant, ut Ecclesiasticum vigorem, quem querebatur, se adversa impedito valetudine, in multis esse laxatum, per Christi servum Cæsarium, in locum suum & statum fraternitas revocatum gratuletur.*

Surius die 27. Aug. in ejus vita.

Pervicit tandem Remaclus Episcopus Trajectensis, ut assentiretur Rex cum Optimatibus resignationi Episcopatûs sui in Theodardum: *Impetravit tandem à Rege ut alius ipsi successor daretur, &c. Proposuit Regi & Optimatibus sanctum Theodardum, cujus erat vita probata, &c.* Audoënus diu & sanctissimè administrata Rotomagensi Ecclesia, à Rege tandem id expressit, ut successorem haberet Abbatem Ansbertum. *Hortabatur Regem, ut Ansbertum Abbatem sibi faceret successorem, quod & factum est.* Pipini quoque Regis assensum elicuerat Bonifacius, ut Episcopatum Moguntinum Lullo resignaret Presbytero, discipulo quondam suo, tunc successori & Apostolici muneris Collegæ. *Consultu atque consilio gloriosi Regis Lullum in Episcopatûs gradum pervexit, atque ordinavit.*

Vita S. Remacli die 3. Septemb. c. 4.

Baron. ann. 677. n. 4.

Vita S. Ansb. Aug. c. 10.

Vita S. Lulli die 16. Octob. ... die 14. ...

Vita S. Bonif. ... c. 10 die 5 Jun. apud Sur.

VI. Nec ambigi à quoquam potest, quin novellarum Ecclesiarum conditores & satores, compulsi sæpiusculè fuerint suos sibi asciscere, immo & ordinare successores, ne morte sua grex Pastore viduatus, tener, nudusque luporum incursionibus objiceretur. Ei necessitati servivit in Germania Bonifacius, in Anglia Augustinus, qui Laurentium in sua sede ordinavit ante mortem: cùm uterque Apostolicus Præsul insisteret vestigiis Apostolorum Principis Petri, qui Clementem primò Coadjutorem, inde & successorem sibi adsciverat, authore quidem Beda: *Successit Augustino in Episcopatum Laurentius, quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto, status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam Pastore destitutus, vacillare inciperet. In quo & exemplum sequebatur primi Pastoris Ecclesiæ Petri, qui fundata Romæ Ecclesia, Clementem sibi adjutorem evangelizandi, simul & successorem consecrasse perhibetur.*

L. 2. c. 4.

Narrat idem Beda in historia Monasterii sui, fundatorem ejus Benedictum annos octo ei solum præfuisse. Quippe ineluctabili necessitate adactum sæpius peregrinari, etiam Romam, Coadjutores sibi vicissim tres accersiisse, Abbatis nomine decoratos, per annos similiter octo. Denique ante mortem suam constructo Cœnobio altero, post sui mortem voluisse ea duo Cœnobia uni ut subessent Abbati, tanquam in unum conflata. In Canones & regulas hic peccabatur, sed ita cogente necessitate, ad horum incolumitatem Monasteriorum, ubi non alia Abbatum vel Monachorum gloria, non alia superbiendi occasio, quàm ex paupertate & labore manuum, quo vitam toleratabant: ne invidiam illis facias, ubi hujusmodi Monasteriis unus aliquis Abbas præerat duobus.

Beda Hist. Viremb. l. 1. c. 2.

Herbipolensis, seu Virtsburgensis Episcopus sanctus Burchardus vitæ reliquum pio recessui dicare cupiens, Episcopatum Megingaudo resignavit, cumque suo loco eligi fecit, consensione accedente Childerici III. Regis, Optimatum, Archiepiscopi Moguntini, & Comprovincialium Episcoporum. Ita enim habet Scriptor ejus vitæ. *Missi redeunt, consensum referentes, tam Regis & Principum, quàm Archiepiscopi & cæterorum Episcoporum.*

Le Cointe. ann. 752. n. 17.

VII. Ubi rescivit Gregorius Magnus præceptum esse ab Imperatore, ut successor daretur Joanni Archiepiscopo Justinianæ Primæ, quòd dolore capitis acerbissimo & contumacissimo cruciaretur, ut muniis suis fungi protsus non posset, & metueretur, ne ea occasione Imperii hostes eam invaderent civitatem. Contrà niti cœpit sanctissimus Pontifex, nonquam fas esse per Canones innoxium exauthorari Episcopum: nec morbi vi aut contumacia noxium illum effici: Coadjutorem ei addendum, qui Episcopalium functionum onere illum levaret: & ni successorem ipse posceret, scriptoque Ecclesiam resignaret, sibi permittendum, ne morbi ipsi criminis imputari viderentur. Si à sententia non discederet Imperator, penes eum esse summam potestatem: an esset & justitia, id ipsi perpendendum diligentissimè. Se quidem quæ canonicè fierent, vehementer probaturum: quæ præter Canones, patienter toleraturum, si modo id apud Deum crimini non verteret. *Et quidem nusquam Canones præcipiunt, ut pro ægritudine Episcopo succedatur. Et omnino injustum est, ut si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus, &c. Dispensator illi requiratur talis, qui possit ejus curam omnem agere, & locum illius in regimine Ecclesiæ, illo non deposito, conservare ac in custodia civitatis implere. Si verò idem Joannes pro molestia sua petierit, ut ab Episcopatûs onere debeat vacare, eo petitionem scripto dante, concedendum est. Aliter autem nos id facere, pro omnipotentis Dei timore omnimodo non audemus. Quod si hoc ita petere noluerit, quod piissimo Imperatori placet, quidquid jubet facere, in ejus potestate est. Sicut novit, ipse provideat. Nos tantummodo in depositione talis viri non faciat permisceri. Quod verò ipse fecerit, si canonicum est, sequimur. Si verò canonicum non est, in quantum sine peccato nostro valemus, portamus.*

L. 9. Ep. 41.

VIII. In eam Gregorii Papæ Epistolam duo observari operæ pretium est. Primum est, tempora-

lem etiam ad orbium custodiam & incolumitatem plurimum potuisse Episcopos, adversùs hostes Imperii. Ideo enim instabat enixiùs Imperator, ne Episcopali præsidio orbata civitas, in potestatem inimicorum veniret. *Ne fortè dum Episcopi jura eadem civitas non habet, quod absit, ab hostibus pereat.* Assentiebatur & Gregorius creationi Coadjutoris, qui pro custodia etiam urbis excubaret: *Ne civitas inveniretur esse neglecta.* Intererat ergo summopere, ad Imperatorum Imperiique salutem in tuto collocandum, ut gnave vigilesque & fidi Episcopi constituerentur. Hinc facilè intelligitur non temerè voluisse Principem, ut & in electionibus & confirmationibus Episcoporum suæ partes essent aliquæ, utque non facilè injussu suo vel Coadjutores, vel successores Episcopis darentur, cùm in his omnibus tantum esset præsidii, non ad Ecclesiæ modò, sed & ad Reipublicæ tutelam.

IX. Alterum hoc accedit, quod in eandem Gregorii Epistulam meritò observetur: si interpellatus sit Romanus Pontifex ad successorem Episcopo Justinianæ Primæ designandum; probabiliter id eò factum, quòd ejus civitatis Præsul ordinaria fungeretur Legatione & vice Apostolicæ Sedis, ac potestate explicanda in plures Metropoles, quas Pontifex designabat, cum misso pallio eum quodammodo investiebat. Simili in causa erat Bonifacius, cui & ipsi ante mortem deligendi successoris copia facta est à Romano Pontifice. Namque cùm esset Pontificius per Germaniam Legatus, & Apostolicas gerens vices; tota illi ad nutum Pontificis administratio sua moderanda erat. Reliquis omnibus ab exemplis plus satis patuit, necdum usu universim convaluisse tum, ut Apostolica Sedes adiretur; totum quippe negotium Metropolitani cum Episcopis Provinciæ, & Concilia Provincialia expediebant.

Baron. ann. 531. X. Ultus est Bonifacius II. ipsemet, quam canonicis regulis ipsemet intulerat contumeliam, flammis absumpto coram Clero & Senatu eo decreto, quo Vigilium Diaconum successorem sibi curaverat deligi. Bonifacius III. Concilium Romæ congregavit, in eoque decrevit, ne de Pontificis superstitis successore unquam tractaretur. *Nisi tertio die* Baron. ann. 606. n. 8. *depositionis ejus, adunato Clero, & filiis Ecclesiæ, tunc electio fiat.* Hæc ex Anastasio Bibliothecario. Cùm captivus Constantinopolin abduceretur Martinus I. jussus est Clerus ejus successorem illi eligere: quod Martinus ipse in Epistola quadam sua nunquam antea contigisse testatum facit; quòd nimirum quacumque de causa Pontifex Roma discedat, Ecclesiam interim ejus administrari oporteat ab Archidiacono, Archipresbytero & Primicerio. *Quod necdum aliquando factum est, & spero quod nec aliquando* Epist. 15. *fiet, quia in absentia Pontificis Archidiaconus & Archipresbyter & Primicerius locum repræsentant Pontificis.*

XI. Si seponas quæ vel tyrannicè quandoque, vel, ut mitius dicam, contra Canones tentata sunt, ex iis quæ hoc capite conglobata sunt, summatim hæc colliguntur. 1. Necdum in more positum fuisse, ut Coadjutores vel successores à Pontifice Romano postularentur. 2. Metropolitani & Concilii Provincialis authoritatem necessariò interponendam fuisse. 3. Addendum & Regis. 4. In morbis satis causæ fuisse ad flagitandum Coadjutorem, ubi nulla convalescendi spes erat residua. 5. At vel hos ipsos sic afflictos Præsules cogi ad resignandum non potuisse. 6. Conditores novarum Ecclesiarum eò sæpiùs adactos fuisse, ut successores designarent antequam vita migrarent, exemplo Petri. 7. Dispensationibus his omnibus annuendis vel renuendis, uni utilitati consultum fuisse, vel necessitati Ecclesiarum.

CAPUT LVIII. *P. 3. l. 2. c. 39.*

De Resignationibus in favorem. De Coadjutoribus & successoribus sub Imperio Caroli Magni & ejus stirpis.

I. Quàm adversati sint adhuc Canones resignationibus in favorem.

II. Qua tamen aliquando utilitati donata sunt, vel necessitati Ecclesiæ. Exempla Abbatiæ Cluniacensis.

III. Electio & consensio Episcoporum intervenicbat.

IV. In Concilio Romano damnatur Episcopus, qui nepoti Episcopatum resignaverat, inconsulto Clero & Populo. Cur interposita tunc fuerit sedis Apostolicæ authoritas.

V. Prudentia & magnanimitas eximia Forojuliensis Patriarchæ abnuit successorem sibi eligere, cum posset, ne ejus erroribus & commissis conscientia sua gravetur.

VI. Mira quadam tempora, ubi ad salutem Ecclesiæ interest, ut Episcopus adoptet Coadjutorem sibi & successorem.

VII. Nec alia ad ea quærenda sunt, quam Concilii & Regis authoritas.

VIII. Terrificum Udalrici Episcopi exemplum, qui nepotem successorem habere contenderat, nec potuit.

IX. Nonnulla in eam narrationem observantur.

X. Epistola [illegible] Episcopos [illegible].

XI. Abbates [illegible] & [illegible] ab iis resignationibus.

XII. De resignationibus [illegible].

I. CAnonicis quidem institutionibus adversantur resignationes omnes, ut quæ solvant illius conjugii nodum, quem sacrum & indissolubilem illæ voluerunt esse inter Ecclesias & Beneficiarios, maximè autem Pastores. Sed multò magis infensæ iis sunt, quæ fiunt in alicujus gratiam & favorem resignationes: quòd cælesti tantùm vocatione & electione canonica dispensanda sint Beneficia; nec Ecclesiæ debeant quasi hæreditaria quædam terrenaque latifundia ad hæredes & successores transferri. Sed ex peculiariùs pugnant & colliduntur Canonibus resignationes, quibus Episcopi Coadjutores sibi simul & successores adglutinant, cùm præter superiores disciplinæ maculas hæc accedat, quòd duo uni Ecclesiæ sponsi, duo Episcopi dantur.

II. Nec negaverit tamen cordatus quisquam, quin ea quandoque inciderint tempora, quibus necesse fuerit menti magis obsequi Canonum, quàm literæ: & quod illi vetabant charitati donare, quæ Canonum dominatrix quædam & providentissima dispensatrix est. De Leidrado Agobardum successorem cooptante jam diximus, vetabant Canones, jubebat charitas Ecclesiæ, vicit charitas, atque ita vicere Canones, qui uni illi militabant.

Bernonem Cluniacensis Abbatiæ primum parentem & institutorem celebratissimæ Congregationis, quis ambigat cælesti afflatu & purissimo pietatis instinctu incitatum, eas Abbatias quas regebat, resignasse partim Guidoni cognato suo, partim beato Odoni, ut sibi post mortem succederent. Ei Abbatis morientis resignationi cohærebat electio Monachorum: *Ego Berno omnium Abbatum extremus* Bibl. Clun. *Abbas, supremum diem jam vicinari agnoscens, duos ex* pag. 9. in. *nostris fratribus, Vuidonem meum consanguineum, at-* 269. 270. *que Odonem adaquè dilectum, unà cumfratrum consensu, mihi succedere delegavi.* Beato Odoni successit Ademarus, successoremque sibi ipse Majolum designavit, quando grandævus & effætus senio, jam

L. 2. Ep. 4. minus poterat officio Abbatis fungi. *Ademarus Majolum sibi substituit, & grandæva jam senectuti suæ quietis otium procuravit.* At Odilo qui beati Majoli vitam scripsit, duo adnotavit, quæ sine piaculo præteriri non possint. Alterum est, quod Ademarus exhaustis prorsus esset viribus & oculis captus: ita per Canones fas erat successorem deposcere:

Surius die 11. Maii.

Cœpit destitui tota valetudine corporis, & amissione luminis temporalis. Alterum est, Monachorum electione prælectum fuisse Majolum: *Capit de sui successoris electione cum spiritalibus & religiosis fratribus tractare.* Et mox: *Ad Majolum pervenit electio.* Ita declinabatur, quod Canones maximè proscribebant, cupiditas, privatus affectus, carnalis amor, quibus cœlestis vocatio & electio excluditur. Decretum ipsum hujus electionis ad nos perlatum est. Ademarus loquitur, nomine nimirum totius Conventus: *Cum omnibus fratribus meis, filiis & conservis, Majolum eligimus & Abbatem esse decernimus.* In eodem Decreto piissimus Abbas testatur ille quidem, præsidio sibi fuisse Episcopos & Abbates alios, sed ad Majoli causationes & tergiversationes superandas. *Et ne technam alicujus excusationis prætendat, nam sicut quis indignè ad regimen incautus aspirat, ita si quis dignus refugit, meritò constringendus habetur, Concilium Episcoporum & Abbatum adhibuimus.* Episcopus denique Matisconensis post Ademarum Abbatem subscripsit.

Spicileg. To. 6. pag. 410.

III. Infinitæ res esset operæ, esset & supervacaneæ, si celebriorum Abbatiarum resignationes recensere aggrederer. Unum illud in iis observabo, canonicas eas fuisse legibus illis duobus constantissimè servatis. 1. Abbates non renunciasse dignitati, nisi postquam devexa jam ætate & increbrescentibus morbis, jam sola dignitatis gloria frui poterant, officio & labore fungi non poterant. 2. Simplices fuisse renunciationes, ac mox celebratam à Monachis electionem novi Abbatis. Si in potestate Episcopi essent Cœnobia, in manus ejus resignabant Abbates, purè & simpliciter, ab eoque confestim alii à Monachis jubebantur eligi, ut suprà restabatur Hincmarus de Abbatia Corbiensi.

IV. Vigebant hæ ipsæ leges in resignationibus Episcopalibus. In Concilio Romano sub Gregorio V. anno 998. exauthoratus est Stephanus, Aniciensis Episcopus, quòd cum sibi cooptasset Guido avunculus Episcopus Aniciensis, inconsultis Clero & Populo, & post ejus mortem semetipse à duobus Episcopis ordinari curasset, Clero similiter & populo dissentiente. *Eo quòd à Vidone vivente Episcopo, avunculo, & prædecessore suo sit electus sine Cleri & Populi voluntate. ac post ejus mortem contra Cleri & Populi voluntatem à duobus tantum Episcopis non Comprovincialibus sit ordinatus.* Stephanum ab avunculo superstite designatum, ordinarant Bituricensis Archiepiscopus & Episcopus Nivernensis. Tum copia facta est Aniciensibus, ut alium sibi subrogarent Episcopum, à Papa ordinandum. *Ut Populus & Clerus civitatis Vellavorum licentiam habeant eligendi Episcopum, judicatum est; & ut electus à domino Papa consecretur, statutum est.* Interpellatus est denique à Concilio Rex Francorum Robertus, ne Stephano patrocinaretur, sed electioni à Clero & Populo faciendæ, sospite semper jure Regio in ordinationibus Episcoporum: *Sed ut Cleri & Populi faveat electioni, salva sui debita subjectione.* Romano verò Pontifici vendicata est novi Episcopi ordinatio, ejus regulæ vi, quam Hincmarus suprà inculcavit, cessante Metropolitano electionem Canoni-

Conc. to. 9. pag. 69.

bus injuriosam, eligendi, aut nominandi jus ad eum devolvi. Cùm Gallicani Metropolitani & Episcopi authores, vel consciii fuissent tantæ hujus in Canones contumeliæ, jure ordinandi ea vice exciderant, illudque ad Pontificem, ut solet, devolutum erat.

V. Quàm meritò vituperandus Aniciensis hic Episcopus, propinquorum, quam Canonum amantior sequaciorque: tam jure admiranda & exosculanda venit Patriarchæ Forojuliensis integritas verè Episcopalis, & ab omnibus cupiditatum nexibus expedita; cui cùm designandi successoris potestatem fecisset Carolus Magnus: tam sapienter, quam moderatè respondit, Sollicitum jam se vehementer esse de expediendis apud æternum Judicem rationibus longioris jam Episcopatus sui, & pene infructuosi: nec commissurum ut luenda sibi essent etiam aliena post obitum suum commissa. *Domine Episcopatum istum diu sine aliqua utilitate, vel profectu spirituali retentum, judicio divino, & vestra dispositioni relinquo. Nec ad cumulum peccatorum, quem vivens exaggeravi, etiam mortuus aliquid superinjicere, aut inevitabilem & incorrumpendum judicem deprehendar.* Carolo verè Magno Imperatori mirum & gratissimum accidit sanctissimi Patriarchæ responsum, unde nec illum dubitavit priscis æquare florentissimæ olim Ecclesiæ Episcopis: *Quod sapientissimus Carolus ita cepit ut eum antiquis Patribus non immerito coæquandum judicaverit.*

Du Chesne. To. 2. pag. 138.

VI. Fixum tamen & certum illud est, universim prohiberi successorum designationes: & eas tamen difficilioribus quibusdam temporibus non conducibiles tantum Ecclesiis esse, sed & necessarias. Utriusque rei exempla depromo. Cùm beatus Anscharius Bremensis Archiepiscopus in cœlos mox evolaturus esset, & rogaretur, Quem sibi cuperet successorem, respondit: *Sui non esse ministerii definire.* Canonica electione subrogatus illi fuit beatus Rembertus, qui laudatissimo perfunctus curriculo, cùm jam non esset ferendo oneri, à Rege impetravit, ut Adelgarium Corbiensis in Saxonia Cœnobii Monachum, sibi jam nunc Coadjutorem accersere permitteretur, habiturus deinde successorem, & numerandum tunc temporis, pro solemni tunc more, inter Regis Consiliarios. *Primò apud gloriosum Regem Ludovicum, quo commendante Episcopatum susceperat: ac deinde apud ejus filios Ludovicum & Carolum hoc obtinuit, ut insignis vir Adelgarius, novellæ Corbeiæ Monachus, illi adjunctus ita in adjutorium confirmaretur, ut cum aliqua præpeditus esset ægritudine, ille posset circuire diœcesim, adire placita, & quando exigeretur, in expeditionem, vel ad Palatium cum comitatu suo proficisci. Nec multò post electio ipsi succedendi in illo confirmaretur, & per manus acceptionem, inter Consiliarios Regis numeraretur, idque assentiente Abbate, & fratribus Monasterii ejus, & sancta Synodo hæc omnia approbante.* Viderit Lector, an his verbis *per manus acceptionem* designent sacramentum fidelitatis, quod præstabant homines & vassalli Principis, insertis in ejus manus manibus suis. Consiliarii Principis satis consentaneè creabantur, præstito hoc fidei sacramento. *Et per manus acceptionem, inter Consiliarios Regis numeraretur.*

Surius die 4. Febr.

VII. Sed contemplandus nobis potius est in eo exemplo Coadjutor, successorque à sanctissimo accitus Episcopo superstite, cum consensione Regis & approbatione Concilii, non interpellata Apostolicæ sedis authoritate. Verùm id tum demum tentatum est, cùm devexæ ætatis Episcopum jam prorsus

vites destituissent, unde nec multò pòst tumulo illatus est. *Nec diu postea in hac vita duravit.*

Meminit Joannes XV. Papa in Epistola quadam, Vicarii, vel Coadjutoris Episcopi Trevirensis: *Leonem Vice-Episcopum sanctæ Trevirensis Ecclesiæ.* Non satis affirmare possum, Coadjutor is fuerit, an merus Archiepiscopi Vicarius. Sed in exemplo beati Burchardi Wirtburgensis Episcopi, quod superiori capite relatum est, eadem illa observanda, quæ in beato Remberto, quibus & illud præterea addendum, cùm utraque Ecclesia, Bremensis & Virtburgensis, recentes essent, & nuper exortæ, neutram objiciendam fuisse turbulentis electionum factionibus. *Ne fortè decedente Pastore novellus Christi grex ex improviso rugientis leonis incursione acrius disturbaretur.* Æquissima utique erat ea ratio Canonum molliendorum.

VIII. Via aut nec vix poterat sanctus Udalricus Augustanus Episcopus eam prætexere, vel utilitatem Ecclesiæ evidentem, vel urgentem necessitatem, cùm Imperatorem ipsius interventu Imperatricis compellavit, ut Adalberoni nepoti suo administratio temporalis Episcopatus permitteretur, desponsa etiam in Episcopatum ipsum successione. *Assensum prabens Imperator, sæcularium negotiorum commercia Adalberoni commendavit, & Episcopalis honorem cathedra post mortem Episcopi, si Deus vellet, ei donare permisit.* Nulla ibi Metropolitani, nulla Concilii interposita est authoritas. Unde non multò pòst, anno nempè 972. cùm coisset Concilium Ingelheimense, ab Archiepiscopis & Episcopis vehementer restitum est Adalberoni, qui præfracta audacia non contentus sacramentum fidei expressisse ab exercitu, à Vassallis, à servis Episcopatus, in publicum etiam prodierat cum Pedo Episcopali. Hæreseos nota illi aspergebatur, quòd viventis Episcopi Ecclesiam invasisset, & uni corpori duo capita, uni Ecclesiæ duos sponsos addidisset. *Dicebant, ut contra Canonica rectitudinis regulam in haresim lapsus fuisset, & quod Pontificalis honorem sublimitatis vivente Episcopo sibi plus justo vindicaret, & ideo ultra eum Episcopum ordinari non deceret.* Compulsus est Adalbero sistere se Synodo, ubi & sacramento se purgavit, nescisse se, hæreticum esse, si quis duo Capita, sive duos Episcopos, uni præficiat Ecclesiæ. *Quod non sciret haresin manere, quia Episcopalem potentiam cum baculo arripuit.* Tum verò enixius instare Udalricus in Concilio, ut sibi permitteretur in Monasterium divertere sancti Benedicti, resignato nepoti Episcopatu, & inauguratione ejus peracta. *Desideravit ut pradictus suus nepos Episcopus ordinaretur, & ille secundum Regulam sancti Benedicti in Monasterio cum eorum consensu deservire mereretur.* Concilii Patres cùm nec sanctissimi Episcopi votis obniti possent, nec assentiri petitioni, & promotioni in Ecclesiasticæ Disciplinæ dedecus cessuræ, privatim Udalricum submonendum censuere, Ne vitam tantæ pietatis illustrem documentis ad extremum commacularet consilio tam alieno à sacris regulis, neu januam panderet ambitiosis Prælatis, suo ut exemplo abutantur ad Ecclesias suas, tanquam hæreditario jure in cognatos transmittendas: *ne aliis plurimis scandalum faciat.* Cessit precibus & authoritati Concilii Udalricus, pollicentibus Episcopis ei vita mortali perfuncto successorem non alium fore, quam nepotem. *De nepote autem tuo tua voluntati satisfaciendo, in commune firmamus, ut nullus alius à nobis post tuum decessum eo vivente ordinetur, nisi ipse.* Assensi sunt etiam Concilii Patres, ut jam tum Imperator Adalberoni temporalem Episcopatus administrationem confirmaret. *Cum consensu aliorum Antistitum fecit ab Imperatore Adalberoni commendari in eorum prasentia procurationem sui habere, & sub ipso totius Episcopatus curam dispositionem in omnibus adimplere.* Repentina & improvisa pòst morte abreptus Adalbero, temeraria & ambitiosa abrupit, suitque consilia: Udalrico autem documento fuit, quam non debeant Episcopi carnis & sanguinis illecebris cedere & emollescere.

Surius die 14. Julii.

IX. Sicut prolixior ea visa sit narratio, id eo reor factum est, quòd non satis animo suo prospiceret, quam multa & quam præclara hinc existant sacræ Disciplinæ elucidamenta. 1. Romani non securrimur, nec ad cessionem Episcopi, nec ad resignationem in favorem, nec ad Coadjutorem sibi copulandum, nec ad successorem sui subrogandum. 2. Tota ea residebat potestas penes Imperatorem & Concilium Provinciale, sed conspirari ab iis necessum erat. Nam hic quidem Imperator totum annuerat solus, sed nec molestè tulit totum etiam à Concilio revocari. 3. Id erat ætatis Udalricus, & ea vitium extenuatione, ut jure illi meritoque, & Coadjutor condonandus esset, & successor, sed deligi ab eo nepotem, & tam cupide urgeri, ut minimè idoneo, & vel ipsa Episcopatus cupiditate ab eo summovendo, Ecclesia commendaretur, ex justissimæ fuere causæ, ut conatus ejus irriti caderent. 4. Ita viri quandoque sanctissimi ab orbita veritatis & sanctitatis incauti & imprudentes deviant, quo coguntur contremiscere, si sapiunt, qui ab eorum splendore sanctitatis procul sunt. Indeflexæ sunt æqui rectique regulæ, sed non iis indeflexè insistunt, qui æqui etiam rectique amore & laude clari sunt. Enimvero tum ferenda sententia est, de viris sanctis ea regula sanctitati, non de regulis sanctitatis ab virorum exemplo sanctissimorum, cùm vel maximè judex vindexque Deus intervenit, Canonumque ulciscitur injuriam. Rariora sunt ea cœlestis vindictæ exempla, sed ad æternam valent celeberrimæ & indeclinabilis vindictæ memoriam. 5. Cum passim tunc, maximè in Germania, qui Episcopatus erant, essent iidem & Regni Imperiique Principatus; eorumque res temporalis pinguiorem complecteretur Imperii Feuda; hinc donabantur temporali administratione ab Imperatore, qui à Concilio investiebantur Episcopatu ipso. 6. Indulsit quidem Concilium Ingelheimense, ut Adalbero avunculo succederet, sed prohibuit, ne eo superstite ordinaretur; ne duo simul essent unius urbis Episcopi. Ita exemplis Augustini insistebatur.

X. Refertur à Leone Ostiensi inopinum illud, *Chron. Cass. L. 1. c. 43.*
quo adductus est Joannes VIII. ut Capuanum Episcopatum in duos Episcopos partiretur. Capuani extruso Episcopo suo alium elegerant, quem & ab hoc Pontifice confirmari fecerant. Sarraceni ejus dissidii occasione captata impotentius grassabantur. Serò tum quidem, sed pœnituit tamen Pontificem erroris sui. Itaque legitimum Episcopum revocavit, partemque Episcopatus dimidiam ei restituit. Quo magis magisque approbatur, quam necesse fuerit, nusquam duos unius urbis pati Episcopos.

XI. Exeruit se in Ecclesia quoque Græca idem vigor, damnandis cessionibus inconsideratis, aut resignationibus iis quæ terrena cupiditate exprimerentur, aut Coadjutorum, successorumque designationibus, quæ fuco Ecclesiasticæ utilitatis oblitæ, terrenis affectibus, carni & sanguini servirent.

Confirmat Balsamon Apostolico Canone proscribi resignationes, non favori tantùm & denietendis proximis donatas, sed quascumque: quod Episcopalibus Sedibus dum vacant prospicere debeat Concilium Episcoporum. *Tu autem dic, quod etiamsi non ad suum cognatum Episcopus Episcopatum transmiserit, sed ad alienum, idem erit. Episcopos enim à Synodis fieri decretum est.* Hinc ibidem ille adjicit, Metropolitanum Philipporum sedem & Ecclesiam suam Concilio resignare voluisse, ea cautione, ut à Concilio eligeretur Oeconomus ejusdem Ecclesiæ: verùm eam petitionem à Concilio repudiatam fuisse; quòd ne de iis quidem disponere posset, quæ post Episcopalem ordinationem suam acquisisset, nedum de ipso Episcopatu. *Audis, quòd si res quas post electionem ex Ecclesiæ reditibus acquirit, non potest dare, vel ad quos vult transmittere, multò magis Episcopatum.*

In Can. 76. Apost.

Alibi autem idem Scriptor demonstrat, Concilio in eo Constantinopolitano, quod dicitur Primum & Secundum, damnatos fuisse Metropolitanos, qui facilius & temerè admitterent Suffraganeorum resignationes, sive cedere illi cuperent ob non ferendas exactiones, sive ob frequentiores incursationes hostium, sive ob indomiti gregis pertinaciam, vellentque successores iis dari, antequam canonico judicio strenuè excussi & exauthorati essent.

In Synod. I. & Secundam, can. 16.

Erant non pauci, qui sponte abdicato Episcopatu, ejus amplissimæ dignitatis honorem, ordinem, potestatem, cæterasque prærogativas retinere vellent. His testatur Balsamon valde adversatos esse conatibus ejusmodi postremiorum Conciliorum Præsules, & à Concilio Constantinopolitano sub Photio ea spe dejectos fuisse, qui Episcopalibus renuntiaverant infulis, ut Monachi fierent. Haud satè magna potuit, illud sub Photio habitum Concilium, fuisse authoritate.

In Synod. Photii, p. 322. ... p. 584.

Tradit denique Balsamon videri quidem non paucis admittendas esse resignationes indiscriminatim omnium qui cedere cuperent: at longè in contraria versari sententia Canones, Patres, præ cæteris Cyrillum Alexandrinum. Aliàs enim plerasque viduatum iri Ecclesias, propter Episcopalis sarcinæ pondus & molestias: *Multi Episcopatus erunt sine Episcopis propter rerum inæqualitatem:* sola in Monasticæ professionis cupiditate justissimam esse cedendi causam, quæ repulsam pati nullam unquam possit: Resignasse aliquando Episcopum Macræ, ne qui indignus esset Episcopatu, ejus cessionem confirmante Patriarcha Luca & Concilio. At Luca mortuo suffectum ejus loco Michaëlem Anchialum revocasse id decretum, abdicationemque irritasse, quòd non dixisset Episcopus se indignum esse, sed se non esse dignum Episcopatu: *Cùm videret Patriarcha Episcopi renuntiationem non continere, Episcopum renuntiare, ut indignum, sed ut non dignum: dixit non admittendam hujusmodi renuntiationem. Non enim qui utique non dignus est sacrum facere, jam etiam indignus est.* Criminis enim conscientiam prodit, qui indignum se profitetur: at sola resplendet humilitas, ubi confitetur quis se tam sancto fastigio dignum non esse: *Statuens eum quidem, qui se dixit indignum, esse per se condemnatum: qui autem non dignum, laudandum ut humilem æquum censuit, ut Episcopus sacerdotii officio fungeretur, ut qui non canonicè renuntiasset.*

... lem ... 1116. ... 7. ... Orien ... 2. pag.

Cùm denique contrariæ sectatores opinionis longo usu niterentur, quo resignationes prorsus omnes admissæ fuerant, & quo, ut illis quidem videbatur, præscriptum fuerat adversùs contrarias leges: respondet Balsamon diuturnum usum adversùs Ecclesiæ Canones & utilitates, abusum potius dici debere diuturnum; eoque detestabiliorem, & omni ope extirpandum. *Qui autem dicunt, longam renuntiationum consuetudinem, perinde ac Canonem valere debere, malè dicunt. Longa enim non scripta consuetudo non valet, quando legi scriptæ vel Canoni adversatur.*

XII. Postquam tam prolixè disseruimus de cessionibus voluntariis, non abs re erit, ut & de involuntariis aliquid perstringatur. Narrat idem Balsamon, ut Nicolaus Musalon Amyclenus Metropolitanus à Magistratu adactus renuntiare dignitati, ad Concilium properarit restitui postulans. Multa illi ingesta & objectata sunt flagitia, quibus se vel ante ordinationem obstrinxisset, vel postea. Deliberatum illud primò est in Concilio, an restituendus esset dignitati, qua indicta causa spoliatus fuisset: an purgandus priùs esset objectis sceleribus. Censebant aliqui suspendi ejus restitutionem criminibus post spoliationem admissis, non ante. Opinabantur alii, non aliter quàm in civilibus controversiis, ordiendum hîc esse à restitutione spoliati. Pronuntiatum verò est à Concilio, usque ad examen criminum omnium ingestorum differri debere restitutionem, ne sacris Altaribus & cælesti Victimæ admoveretur minister, qui postea indignus & contaminatus comprobari posset. Id enimvero ingens intercedere civilibus & Ecclesiasticis causis discrimen. Præerat huic Concilio Patriarcha Lucas, & ab eo spe sua dejectus est ablegatusque Metropolitanus, quòd præcipiti ausu judicium prævenisset, suoque marte abjecisset habitum Monasticum, quo per vim indutus fuerat. Humaniùs in eum consuluit Michaël Patriarcha, Lucæ successor; Professionem Monasticam irritam esse statuit, tanquam vi extortam; & brevi suspensione Præsulem mulctavit tantùm, quòd Judicum sententiam prævertisset. In Jure Orientali Leunclavii superest Formula resignationum voluntariarum, tum Patriarchæ, tum Episcoporum.

In Can. 54. Carth. ... in Can. 3. Antyr.

CAPUT LIX. *P. 4. l. 2. c. 55.*

De Resignationibus in favorem. De Coadjutoribus & Successoribus, post annum Christi millesimum.

I Renuntiatio quæ terrenis affectibus data esset, irrita declaratur.

II Alia resignatio in favorem à Papa admittitur, sed quàm mira commendatione constantie.

III Quàm mirabili modo Pontifices aliqui Romani suos designarint successores.

IV. Hæ resignationes Cleri & plebis electioni nihil officiebant.

V Ejus rei nova argumenta, & de publica Ecclesiæ necessitate, cui hæ resignationes famulari debent.

VI Mirum exemplum resignationis, cui consentiret electio, & ubi Pontifex interveniret.

VII De resignationibus in favorem post annum ducentesimum supra millesimum. Coadjutores dati Prælatis ægrotantibus. Papa, Metropolitanus, Princeps, Plebs nominandis Coadjutoribus consentiebant.

VIII. Regula Canonica de delectu Coadjutorum.

IX Coadjutoria cum jure succedendi, jure canonico prohibita.

X Eis non assentitur Concilium Tridentinum, nisi in Episcopatibus & Abbatiis, cùm maxima urget Ecclesiæ necessitas.

XI Quàm adhæreant regulæ juris canonici a Coadjutoribus Canonicorum.

XII. Edicta Gallica Regum in eam rem.

I. CUm statuisset Sancius Aragonum in Hispania Episcopus, successorem sibi adsciscere, Romam profectus, levari se sarcina Pastorali postulavit à Gregorio VII. Papa, ut qui essæ a jam senectute & frequentioribus morbis conflictaretur, nec jam par esset obeundo muneri. Obtulit & duos Clericos, quorum alteri Rex & ipsemet Episcopatum illum conferri averent. Audi ut hæc narret Pontifex ipse in datis ad Regem Ara-

L. 2. Ep. 50 gonum litteris. *Multa nobis de infirmitate sua conquerens, deserendi Episcopatum à nobis suppliciter licentiam postulavit, &c. Atque ut facilius hoc impetraret, indicavit nobis de duobus Clericis, quorum alterum in Episcopatum eligi, tuam & ipsius voluntatem atque consilium fore nuntiavit.* Clericos illos abjecit Pontifex, scilicet de concubina natos; at Episcopum monuit, ut pium sibi aliquem & religiosum Clericum adjungeret, curas in eum & functiones refunderet, annuo saltem spatio illius periculum faceret; tum verò si eum ipse idoneum approbaret, Romam mitteret, testimonio Cleri totius instructum: *sub testimonio Cleri ejusdem Ecclesiæ:* nec eum tunc repulsam passurum.

Ea erat sanè resignatio in favorem, sed ubi miræ quædam circumstantiæ suffragarentur. 1. Ad Papam referebatur, quia præter cessionem quæ sine licentia Superioris fieri nunquam potest, successorem sibi Episcopus deligebat, quod sine dispensatione expediri non poterat, nec ejusmodi dispensatio nisi difficillimè concedi. 2. Consensus Regius requiritur, & hoc Pontifex ipse diffitur, ut novus Coadjutor impetret. Romamque mittat Regiam Chartam, qua ejus assensio & testimonium declaretur. 3. Non imponitur Papæ necessitas admittendi ejus qui præsentatur; duos præsentatos ipse repudiat, nec tamen ipse nominat, sed Episcopo liberum integrumque vult esse, ut successorem eligat, effingatque, postea Romæ examinandum. 4. Quanquam à Rege & Episcopo eligi is debeat, & a Papa confirmari, Cleri tamen desideratur suffragatio. 5. Denique nec approbatur vel Coadjutor, vel successor, nisi aliquanto probatus tyrocinio, si ipsis Episcopatûs functionibus edito sui experimento.

Missam facio resignationem in manus Papæ fac-

Eadmer l. 1. Hist. Nov. tam ab Archiepiscopo Eboracensi, & Episcopo Lincolniensi, præsente Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, qui baculos Pastorales illis incunctanter restituit, rem totam ejus judicio permittente Papa, quòd exploratiores ei essent rationes & causæ Ecclesiarum Angliæ. Prælati hujus utriusque simplex erat cessio, ad antevertendam depositionem canonicam, quod eorum alter infamia natalium, alter simoniæ labe maculatus esset. Sed his nihilominus causis inolescebat consuetudo, ut in manus Papæ resignarentur Prælaturæ, qui eas quibus vellet, redderet.

III. Permira autem ea ratio est, qua idem Gregorius VII. suum sibi successorem designavit. Cùm

Baron. an. 1085. immanis quædam in Ecclesiam sæviret persecutio, Germanis Imperatoribus in eam concitatis: sciscitati sunt Gregorium Cardinales, quem sibi in Ecclesia cuperet ac prospiceret successorem. Ipse Desiderium Abbatem Cassinensis Cœnobii designavit, Presbyterumque Cardinalem: si is abnueret, tres alios indigitavit. Annum integrum restitit Desiderius sacro Collegio, Clero Populoque conspiratissimè sollicitanti urgentique. Cessit tandem, non ut ipse Pontifex fieret, sed ut Pontificem designaret. Designavit autem Episcopum Ostiensem, ex illis tribus unum, quos Gregorius indicaverat. Unus Cardinalium intercessit electioni Ostiensis Episcopi, ea ratione, quod translationes canonicis institutioni- Anno 1086
bus interdicantur. Tum vero impetum rursus fecere in Abbatem Cassinensem, & vi allata illum Pontificiis induêre ornamentis, denique Victorem III. dixere. Ille propositi tenax, Terracinam petiit, ibi- Anno 1087.
que abdicatis Pontificatûs insignibus, Cassinum remeavit, totoque fere anno viduatam mœrere & fluctuare Ecclesiam passus est. Emollivere tandem illum Concilii Capuani preces, sed cùm vertente anno tertio migraturus esset, Cardinales rursum adhortatus est, ut Cardinalem Ostiensem eligerent. Paruere illi, & electus Urbanus II. se dici voluit. Anno 1088

Hactenus ex Leone Ostiensi. Per ipsos hîc autem, fremente quidem persecutione, laxari nonnunquam Canones, quibus vetantur successorum designationes; sed eos tunc eminente viros virtutum præstantia conspicabiles: qui sapientiùs sanctiusque Canones remitterent, quam ab aliis observentur, successoresque eos designent, quibus ne suspicio quidem illius, aut aspergi invidia possit affectatæ, aut vel clam concupitæ sublimissimæ dignitatis.

IV. Epistola ea Fulberti, qua agit de renuntiatione Episcopi Parisiensis in favorem Decani Ecclesiæ suæ, eam habet verborum perplexitatem, ut nihil dilucidè satis ex ea colligi possit. Certum est tamen illum, cùm Episcopatum resignaret Regi, proposuisse, ut Decanus sibi, vel quilibet alius subrogaretur. *Decanum Franconem, seu quemlibet alium subro-* Epist. 8.
gari tibi, verbis & scriptis à Rege petisti. Substitutus est tibi Franco, eligente Clero, suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis. Ea erit, si voles, resignatio in favorem, cum assensu Regis & Pontificis, sed cum aliqua alternatione circa successorem, ideoque tantò procliviùs concilianda cum electione. Et hæc tamen initia erant & rudimenta earum resignationum, quæ postea invaluere, ad gratiam jam & favorem, privatosque affectus inclinatæ; eò nequaquam minùs laudabiles, quàm quæ olim ad solam Ecclesiæ necessitatem, ad accuratissimam pietatis normam usurpabantur.

V. Deflectamus jam ad sæculum XII. ubi sanctissimus Pontifex statim nobis occurrit Gelasius II. qui appetente morte, appetente & fine Germanicarum persecutionum, quibus exagitatus fuerat, Cardinales ad successoris electionem convocavit. Omnium statim votis expetebatur Prænestinus Epis- Baron. an.
copus Cardinalis; at is onus detrectavit, admonuit- 1119.
que, necdum detumescente gravissima tempestate, objiciendum illi esse, præficiendumque Ecclesiæ universæ Archiepiscopum Viennensem. Assensere purpurati Patres, & is fuit Calixtus II.

Senescente eodem sæculo Cælestinus III. morti proximus, consilium iniit subrogandi sibi Cardinalis sanctæ Priscæ, quem sibi adjunxerat nexu arctissimo curarum omnium conscium, & Pontificalium functionum administrum. Sed nulla tunc stre- Baron. ann.
pebat persecutio, non omni Ecclesiæ utilitati ser- 1198
viebant ea consilia: ideo & invictissima constantia Hover. pag.
restitutum est à Cardinalibus, qui rationibus & ipsi 774.
suis consultum volebant, si qua Rogerio fides.

Illud certè plurimum habebat momenti, quod ea successoris designatio à Cardinalium Collegio examinanda & comprobanda erat: nec aliter fieri poterat in Apostolica Sede, cui superior Prælatus imminet nullus. Retinebatur tamen adhuc & in aliis Ecclesiis, ut electio celebraretur. Henricus enim

Episcopus Cardinalis Albanensis, antè Claravallensis Abbas, per litteras certiorem fecit Alexandrum III. Armachanum Archiepiscopum iis fatigatum infirmitatibus, quas senectus solet habere pedissequas molestissimas, designasse sibi successorem, elegique eum fecisse à Clero, Populo, & Magnatibus, eique mox dignitatis suæ infulas resignasse; se pro Legati Apostolici munere totum confirmasse; Apostolicæ jam sedis esse, ut ultimam rei manum admoveret, ordinandò Archiepiscopo, qui ea de causa Romam mittebatur. *Latorem præsentium ordinari sibi desiderat successorem, celebrata electione in ipsum à Clero, & Populo & Magnatibus terræ ejus, &c. Nos adducimur assensum non negare, &c. Rogamus tam in absolutione ejus, quam in ordinatione istius efficaciter annuatis.*

Bibl. Cister. To. 3. pag. 254.

VI. Irritæ jam ergo habebantur resignationes in favorem, nisi Pontificia accessisset authoritas, cùm hæc Legati Apostolici judicio rata quanquam essent, ad Apostolicam tamen sedem referenda fuerit. Sed luculentiori mox exemplo duo illa eadem firmabuntur, & Pontificis assensione muniendas necessariò fuisse has successorum nominationes, & vel tum sartam tectamque electionum libertatem esse servatam. Eskilus Lundensis Archiepiscopus in Dania, consilio inito secedendi in Ordinem Cisterciensem, & eo pulcherrimo exitu sanctissimè administrati Episcopatus curriculum consecrandi, licentiam aliquando tandem ab Alexandro III. expugnavit, sæpius nimirum antè repulsam passus. Regi repræsentata est Pontificia hæc Epistola, quod professus ipsemet esset citra Pontificis assensum perfici negotium non posse. *Romani Pontificis Epistola, sine cujus nutu Rex dignitatem ab ipso deponendam negabat, in commune relegenda profertur.* Verba ea sunt Saxonis Grammatici. Copiente Rege ut Archiepiscopus ipse successorem deligeret, ille alteram prompsit Pontificis chartam, qua ejus deligendi potestatem sibi annuebat, tanquam Legato nato sedis Apostolicæ: *Aliam Romanæ dignitatis epistolam explicat, qua sibi Legationis habenas tenenti, subrogandi Antistitis arbitrium mandabatur.* At eo ipso tempore contestatus est Præsul sanctissimus, suo se jure iis cedere penes quos esset electionis canonicæ ordinaria potestas, nec commissurum se, ut violandis Ecclesiæ libertatibus contaminaret Episcopatum suum, quem totum earum tuitioni impendisset. *Ea perlecta potestatem, quam sibi indulgentia Romana detulerat, ad eos quibus eligendi jus esse consueverit, transferre se dixit, quod ultro suo jure cedere, quam alienum offendere mallet: ne Ecclesiam pro cujus majestate tuenda semper excubuerit, consueto libertatis Beneficio fraudare videretur.* Clerus & Rex populi partes sustinens, *Plebis se partibus proloqui referebat,* instare rursum vehementius, ut significaret ipse, qui dignissimus sibi videretur: atque ita expressere eodem, ut Roskildensem Episcopum Absalomum indicaret, virtutum maxima, nonnulla & carnis cognatione sibi conjunctum. Vel hinc id intelligas, quòd quantumvis instarent Archiepiscopus, Cleros, Rex, Populus, adduci electus non potuit, ut electioni acquiesceret. Pertractus est ad sedem Pontificiam, Pontificalia ingesta ei sunt ornamenta, exuit excussitque hæc omnia, vim vi repulit, ad Apostolicam denique sedem provocavit. Hinc & inde interpellatos Alexander III. utrisque miro quodam se modo satisfacere posse speravit; jusso Absalomo clavum capessere Ecclesiæ Lundensis, permisso, ut retineret administrationem Roskildensis.

Baron. ann. 1179. n. 91. Saxo Grammat. l. 14

Inest huic exemplo resignatio, & quidem in favorem, translatio, pluralitas Beneficiorum, immo & Episcopatuum, denique Beneficia, & ipsa Episcopalia quasi titulo in Commendam data. Nec tam stupenda sunt hæc rerum novitate, quàm virtutum splendore, & incredibili prorsus innocentia, sanctitate, & integritate eorum, in quos hæc Beneficia congerebantur. Ad Translationes, ad Beneficiorum pluralitatem, ad Commendas non multò post delabemur. Hic verò ne à semita deflectamus, advertemus 1. Jam constitutam consuetudinem adeundæ sedis Apostolicæ ad has dispensationes ante calcem sæculi XII. 2. Permiram sobrietatem & temperantiam tot Pontificum Romanorum, aliorumque Præsulum, qui abstinuere semper à designandis successoribus, quanquam id tum possent, vel propter incerta persecutionis discrimina, vel inviante Clero, vel permittente superiore Prælato. Omnibus iis certum fixumque fuit æmulari potius Gregorii VII. constantiam, qui non cessit Cardinalium precibus, hortantium, ut Petrum sequeretur, qui Clementem nominarat: quo ille exemplo negavit uti se velle, quod Posterioribus Conciliis prohibita res fuisset. *Rogatus est à Cardinalibus ut Papam constitueret, beati Petri exemplum referentibus, qui lactentis Ecclesiæ rudimentis, vivens Clementem præfecerat. Negavit ille idem exemplum secuturum, quod ab antiquo Conciliis esset vetitum.* Ita Vuillelmus Malmesburiensis. Malmesb. de Pontif. l. 5 p. 108.

Permissus est quidem ab Alexandro III. Eskilus, successorem sibi eligere, sed singulari & nec necesso aliis privilegio donari poterant virtutes prorsus singulares, & pene inauditæ. Renunciavit ipse privilegio, eoque declaravit, qui esse debeant, quibus ejusmodi privilegia conceduntur. Id voluit Gratianus his verbis: *Illud beati Petri Apostoli ab illis valet in argumentum assumi, qui talem sibi substituunt, qualem sibi successorem beatus Petrus quæsivit.* 8. q. 1. Nihil antiquius, nihil optabilius foret his in favorem resignationibus, si qui resignarent, Petri: quibus resignaretur, Clementis virtutum gustum aliquem, vel colorem retinerent.

VII. Progredior ad sæculum XIII. & alia quæ secuta sunt. Innocentium III. consuluit Arelatensis Archiepiscopus in causa Episcopi Arausicani, qui totum jam quadriennium decumbebat ex ejusmodi morbo, quo functionibus Ordinis sui omnibus arceretur. Jussit Pontifex Coadjutorem dari: quod sanctè administrata Ecclesia, cùm vires suppeterent, jam cogi non posset, ut resignaret. *Cum ipsum ad cessionem compellere non possis, nec debeat ulla modo, nec afflicto afflictio sit addenda, immo potius ipsius miseria sit inferendum, eo quod idem vir bonus extiterit, & Ecclesiam salubriter sibi commissam gubernaverit, nos volentes tam Episcopo, quam Ecclesiæ providere, mandamus, quatenus illi Coadjutorem adjicies, &c.* Extra. De Cler. ægrot. c. 5.

Eodem Titulo Decretalium plura alia obvia sunt Capita, quibus Coadjutores dari præcipiuntur Parochis, aliisque Beneficiariis ea afflictis ægritudine, quæ spem omnem circumcidat curationis; nec unquam in his cessio extorquetur. Ex quo colligas, quæ alibi à nobis contraria explicantur exempla, rarissima ea fuisse, aut ad eos tantùm pertinuisse Pastores, qui tam instrenuè & supinè Ecclesiam rexerant, dum valerent, ut minus jam valentibus parci non deberet.

Sed in ea specie Arausicani Episcopi, adverte à Principe terræ & à Civibus interpellatum fuisse Metropolitanum. *Princeps terræ ac cives à te postulant*

incessanter, ut ipsis, cum sis Metropolitanus eorum, studeas providere. A Metropolitano verò Pontificem. A Pontifice diffinitú, ut daretur Coadjutor, sed eum Metropolitanus deligeret: quem probabile inprimis est Cleri Populique suffragia scrutatum esse. Quæ omnia ad sapientiæ, mutuæque charitatis, & observantiæ leges accuratissimè videntur expensa fuisse.

Regest 15. Epist. 194. VIII. Pertractatur autem ab eodem Innocentio causa singularis prorsus Episcopi Virdunensis, cui ab iis ipsis Coadjutor allectus fuerat, à quibus fuerat ipsemet electus; ad tempus saltem allectus nimirum ad rei temporalis administrationem, dum ipse spiritalem exereret curam & jurisdictionem. Nec improbata est à Pontifice ea Coadjutoris cooperatio, dum à Regulis non dissonaret Canonicis, hoc est, dum eam excusaret necessitas Ecclesiæ, vel à senio profecta Episcopi, vel à gravi ægritudine, vel à quibusdam negotiorum & occupationum procellis.

Omnes porro hi, jure Canonico commendati Coadjutores, non iidem successores ulli fuere: uti nec ii de quibus Bonifacius VIII. *in Sexto. C. Pastoralis.* Eò certè declarator resignationem Episcopatuum unam esse ex illis causis majoribus, quas jus Canonicum integras Papæ servat: at in Ecclesiis remotioribus, quibus ipsa longinquitas, & mora posset officere, posse ab Episcopo & Capitulo conjunctim unum aut duos adoptari Coadjutores, si senecta, si desperata ægritudo, si qua alia ineluctabilis difficultas Pastorem functionibus suis arceat, nec spes ulla in futurum melioris sortis affulgeat; posse verò à Capitulo solo rem profligari, si Prælatus mentis sit impos: si obstinatius Coadjutorem respuat Pastor, quanquam Ecclesiæ sibi suæ pernecessarium, opperienda in eam rem esse sedis Apostolicæ Rescripta. Placet demque Bonifacio, ut Ecclesiæ impensis sustentetur Coadjutor, porro administrationis suæ rationes ipse, vel Episcopo

Raynal. an 1299 n. 12 referat, vel successori. Confirmata est à Bonifacio

Sess. 21. c. 6. IX. electio Capituli Trevirensis, qua Episcopus Trajectensis Administrator creabatur Archiepiscopatus Treverensis, dum insania mentis, & quidem ut videbatur, desperata laboraret Archiepiscopus. Tridentina Synodus Parochis imperitia ad tempus Coadjutores dari ab Episcopis concessit.

IX. Quibus ita diffinitis, jam minus molestiæ facesset nobis, ea quæ à Canonistis vexatur quæstio, de reliquis passim Coadjutoribus cum certa spe succedendi. Quam certis enim præsidiis nitantur Coadjutores, quibus canonicæ suffragantur causæ, & rationes: tam nutat, vacillatque horum Coadjutorum ratio, quorum succedendi consuetudini nulla favent jura, sed unus Romanæ Curiæ usus, stylusque. Ideo & proscripti sunt à Tridentino Coadjutores hi omnes, spe improba succedendi sibi blandientes; sicut & Regressus, & artes demum eæ omnes, quibus Beneficia, velut hæreditaria, una in

Sess 25. c. 7. aliqua gente perpetuantur. *In Coadjutoriis quoque cum futura successione, idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis permittantur.* Non infesti sunt juri Coadjutores, ut suprà patuit, sed Coadjutores cum spe succedendi.

X. Excipiuntur à Concilio Episcopatus & Abbatiæ, in quibus necessitate urgente, & evidente utilitate Ecclesiæ, sinitur Pontifex Coadjutores dare, cum spe successionis, si modò ii eligantur, quibus affluant ea omnia eruditionis, pietatis & virtutum omnium ornamenta, quibus & jus Canonicum & Tridentinum ipsum maximè Concilium Pastores instrui desiderat. *Quod si quando Ecclesiæ Cathedralis, aut Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet Prælato dari Coadjutorem, is non aliàs cum futura successione detur, quàm hæc causa prius diligenter à sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ a jure & decretis hujus sanctæ Synodi in Episcopis & Prælatis requiruntur: alias concessiones super his factæ subreptitiæ esse censeantur.*

XI. Ad solas ergo Episcopales Ecclesias, & ad Abbatias probavit Tridentina Synodus adsignari à Romano Pontifice Coadjutores, succedendi spe & fiducia certa munitos, idque urgente gravi necessitate, non ad alia quæcumque Beneficia. *In Coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis permittantur.* Itaque Canonicis, aliisque minoribus Beneficiatis, qui jam adduntur Coadjutores, ii nec usquam in Canonico Decretalium jure commemorati sunt, nec in Concilio Tridentino attinguntur, nisi ut proscribantur ab universa prorsus Ecclesia. *In Coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis permittantur.*

Qui enim jure Decretalium permittebantur Coadjutores: 1. Ii non ultra tempus ægritudinis annuebantur: at hi perpetui sunt. 2. Illi necessitati Ecclesiæ donabantur, etiam præter voluntatem quandoque Beneficiatii: hi petentibus dantur. 3. Prisci illi Coadjutores residere cogebantur, & Ecclesiæ obire varia ministeria: hi nec in Choro, nec in Capitulo locum habent, nec ulla invito Canonico munia implere possunt. 4. Olim in his Ecclesiæ consulebatur, hic nunc gratificantur cognatis & amicis privatim. 5. Dabantur tum Coadjutores senibus decrepitis, aut immedicabili morbo languentibus: nunc sexagenariis donantur Canonicis, vegetis licèt & valentibus. 6. Denique prisci Coadjutores parte fructuum sustentabantur, non ita nunc res habet; Quorsum enim de altari vivant, qui altari non serviunt? *Sess. 21. c. 6.*

Quæ hic de Coadjutoribus ad minora Beneficia disceptata sunt à nobis, ea à Prospero Fagnano mutuata sunt; qui unus omnium consultissimus, & expertissimus rerum Romanæ Curiæ nobis visus est. Additur & illud ab eodem, post Concilium Tridentinum à Sixto primùm V. datos fuisse istiusmodi minorum gentium Coadjutores; nec magnopere mirandum esse, si Tridentini Patres concessis Coadjutoribus ad Episcopales Ecclesias & ad Abbatias, iis minores Beneficiarios interdixerint. Promptam enim hanc & expeditam esse rationem. Gravissimum Ecclesiæ immineret periculum, si Pastore orbari sineretur; aut permitteretur Pastori, nullas muneris sui partes implere valenti. Cùm ex adverso nihil detrimenti passura sit Ecclesia, etsi permittatur Canonicus senex & effætus mortem meditari & abesse choro, dum conferto cæterorum agmine frequentantur divina officia. Illud denique concluditur à Fagnano, optatissimum esse, ut ab his Pontifex abstineret dandis Coadjutoribus, peræquè in aliis Ecclesiis, atque in Germania, ubi Concordato ipso Germanico interdicuntur. *Fortè consultius foret, ut sedes Apostolica ab hujusmodi gratiis abstineret ubique locorum, sicut abstinet in Germania, ubi ex Concordatis cautum est ut Papa concedendo Coadjutorias cum futura successione in omnibus mensibus dicatur Concordatis contravenire.* Non pauca alia potuissent ex eodem hic observari, quæ brevitatis gratia prætermitto. *In l. 3. Decret. part. 2. pag. 216.* *In l. 5. par. 1. pag. 192.*

termitto. Ximenius Cardinalis Archiepiscopus Toletanus Pontificis & Regis authoritate revocari pervicit Coadjutorem Archidiacono Toletano concessum, præter vetustissimum usum Ecclesiæ Toletanæ.

& Part. 2 pag. 561. Et in l. 3. Par. 1 p. 194. Gomecius l. 5. in vita Ximenii.

XII. Edicto Aurelianensi jussi sunt Prælati, quos ingravescens ætas, vel ægritudo pertinacior retardaret, summoveretque à fungendis muniis dignitatis suæ, ut Coadjutores sibi accerserent, quos & congruis foverent pensionibus. Nec verbum ibi fit ullum de jure succedendi, quod proinde expungebatur. Anno 1629. à Ludovico XIII. Rege declaratum diffinitumque est, nullos jam datum iri Coadjutores Episcopis, Abbatibusque, nisi ubi jura expressè permitterent; revocata statim sunt, & irrita haberi jussa diplomata istiusmodi omnia, quæ nondum effectum sortita essent; Coadjutores verò ad Canonicatus & Parochiales Ecclesias omnino proscripti sunt. Narrat in Epistola quadam sua Ossatus Cardinalis, quàm insanitum fuisset in hac parte sub Rege superiore, ubi flagitatum fuerat aliquando, ut juvenculus Princeps, non major annis tredecim, Coadjutor daretur Archiepiscopo Remensi, jam inde à primo Pontificatûs sui die.

Art. 7.

Memoir du Clerg. To. 2. Par. 1 p. 89. Part. 2 p. 6.

To. 1. Ep. 87.

De Translationibus Episcoporum & Abbatum.

CAPUT LX. *P. 1. l. 2. c. 24.*

De Translationibus in Ecclesia Latina, quinque prioribus Ecclesiæ sæculis.

I. Quàm jure irrita sit ab Hilaro Papa & à Concilio Romano translatio ab Episcopis Tarraconensis Provinciæ facta.

II. Quisquis à jure in alium transferri passus erat Episcopatum, utroque orbandus fuit Episcopatu.

III. Decretum Leonis Papæ in eam rem.

IV. Translationes factas ulciscitur Sardicensis Synodus, adempta ad mortem usque communione.

V. Opem publici Magistratûs accersi jubet Concilium III Carthaginense, adversus frequentiores translationes.

VI. In alio Carthaginensi Concilio, laudantur translationes ea, quibus utilitas Ecclesiæ promovetur.

VII. Et De reto assentitur Gelasius Papa.

VIII. Ad custodiam Canonum in hoc negotio, ad Magistratus alii tuviles, nisi ad Pontificum confugiunt.

I. PRælibatum jam aliquid fuit de Translationibus capite supra L VI. ubi propositum ejus exemplum, qui successor deposcebatur morientis Episcopi, cùm jam aliam Ecclesiam administraret, à qua transferri eum oporteret. Jam enim Irenæus clavum moderabatur alterius Ecclesiæ, cùm suam illi Barcinonensem Nundinarius resignaret. Consenserant Episcopi Provinciæ ei translationi, ut Cleri populique votis obsecundarent, atque ut sibi quidem videbantur, etiam utilitati Ecclesiæ. At Hilarus Papa, à quo rem confirmari avebant, impunè infringi Canones non est passus, scriptisque vehementissimis litteris ad Metropolitanum Tarraconensem Ascanium, graviter illum objurgavit, quòd non pro munere suo temerarias populorum, & inconsideratas Episcoporum petitiones repressisset. *Pro loco & honore sibi debito, ceteri Sacerdotes docendi fuerant, non sequendi.* Certè & Pontifex & Concilium plusculum etiam exhorruere audaciam Nundinarii, successorem sibi asciscentis, quàm Irenæi translationem: *Nonnulli Episcopatum,*

Epist. 3.

qui nonnisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, sed hæreditarium putant esse compendium, & credunt sicut res caducas & mortales, ita Sacerdotium velut legali aut testamentario jure posse dimitti, &c. Verba illa sunt Hilari. At in Concilio Romano Episcopi & Presbyteri qui aderant, una omnes voce intonuerunt: *Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt. Dictum est sexies.* Ab Episcopo dictum est, *Successores Deus dat.* Sed proficiscebatur forsan ea Pontificis & Concilii indignatio ex eo quòd hæ nefariæ resignationes in Hispaniis vehementiùs increbuerant. *Nam plerique Sacerdotes in mortis confinio constituti, in locum suum fer untur alios designatis nominibus subrogare: ut scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu.* Si plerique Episcopi in Hispania, *plerique Sacerdotes*, ita passim canonicis illudebant institutis, & successores dabant, quos solius est Dei dare; si Dei voluntatem prævertebant, eoque evertebant; justo & necessario zelo sævuit Romana Synodus.

Conc. Rom. sub Hilar.

II. Nec in solam tamen successorum designationem, sed & in translationem Episcoporum exarsit ea Synodus, cùm toties ab Episcopis & Presbyteris omnibus ingeminatæ sint hæ voces: *Ut disciplina servetur, rogamus, dictum est octies. Ut antiquitas servetur, dictum est quinquies. Ut Canones custodiantur, dictum est octies. Hilario vita, dignus Papa, dignus Doctor.* Ideo & ad Ascanium rescripsit Hilarus, suam ut ad Ecclesiam remeare juberet Irenæum, moneretque ex indulgentia illud ei condonari, *Quod ei non judicio, sed humanitate præstabitur.* Exauthorandus enim fuisset Nicæni Canonis contemptor. *Pars illa contemnitur, qua vetatur, ne quis relicta Ecclesia sua, ad alteram transire præsumat.* Ubi perspicis, etsi primigenia ex institutione sua Romanus Pontifex, executor & dispensator Canonum non esset, has ei laudes accessuras fuisse & potestates tam longa & invicta eorum per tot retro sæcula defensione, adversùs eorum tam frequentes conculcationes, à Metropolitanis & ab Episcopis Provincialibus vel dissimulatas, vel etiam comprobatas.

Epist. 2. 3.

III. Absolutius à Leone Magno pronuntiatum est, qui à minore ad majorem migrarit Ecclesiam, Episcopum, utraque spoliandum, ut pœnas det, & contemptæ per superbiam minoris, & concupitæ per avaritiam majoris Ecclesiæ. *Si quis Episcopus mediocritate civitatis suæ despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se plebem quacumque occasione transtulerit, non solùm à Cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit & propria, ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit: nec illis quos per superbiam sprevit.*

Epist. 84. c. 8.

IV. Non poterat flagitii hujus atrocitas acerbiùs vindicari, quàm in Sardicensi Concilio, interdicta etiam in fine laica communione: *Ut nec laicam in fine communionem talis accipiat.* Nec enim eò incitantur Episcopi, nisi quodam avaritiæ & ambitionis effrænatissimæ œstro. *Apparet eos avaritiæ ardore inflammari, & ambitioni servire, & ut dominationem agant.* Quod vel hinc elucescit, quòd à majore Ecclesia ad minorem nunquam demigrent. *Cùm nullus inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiliret.* Hanc certè pœnæ atrocitatem Synodo Sardicensi extorsit incredibilis quædam & detestanda Orientalium tunc Episcoporum sive levitas, sive cupiditas, qui ad alias & alias subinde Ecclesias transiliebant, easque infanda licitatione nundinabantur.

Can. 1. 2.

V. Concilii Carthaginensis III. Patres prævertere maluerunt eam ambiendarum Ecclesiarum insolen-

tiam, quàm ulcisci. Itaque humaniùs, sed efficaciùs consulentes, statuerunt recurri ad Præsidem Provinciæ, ut priorem in Ecclesiam suam facescere cogeretur Episcopus, qui nec Canones, nec leges veritus, & Sacerdotali & Imperatoria potestate in ordinem

Can. 38. redigendus esset. *Quo jam necessitate ipsa cogente liberum sit nobis Rectorem Provinciæ adversùs illum adire, ut qui mihi admonitioni Sanctitatis vestræ acquiescere noluit, & emendare illicitum, authoritate judiciaria protinus excludatur.* Eo Canone observatum est, nuperrimè damnatas esse Episcoporum translationes in Concilio Plenario Capuano.

VI. Posse tamen aliquando Ecclesiis ipsis conducibiles esse Episcoporum translationes, eòque rem totam Concilio Provinciali permittendam, à quo Cleri Populique petitiones expenderentur. *Ut Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, &c. Sanè si id utilitas Ecclesiæ fiendum poposcerit, Decreto pro eo Clericorum & Laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur, nihilominus alio in loco ejus Episcopo subrogato.* Non ergo privatæ cupiditati, sed publicæ Ecclesiarum utilitati donandæ sunt Episcoporum translationes, & Concilii Provincialis judicio ponderari debet, an quod Ecclesiasticæ tum Disciplinæ vulnus infligitur, satis, ut par est, compensetur utilitate inde redundatura.

Can. 27.

VII. Non immeritò ergo Gelasius Papa non omnes indiscriminatim proscripsit translationes, sed eas quæ fierent *nullis existentibus causis*; nec enim injuriosas eas esse Canonibus, ubi qui migrat ab una ad aliam Ecclesiam Præsul, non ultro ipse migrat, sed superioris potestatis imperio excitatur, impellitur & transfertur; non opibus inhiat, non Sedis celsius culmen prehensat, sed charitati & necessitati famulatur Ecclesiæ: si sibi permitteretur, unius, & virginis, etiam pauperculæ Ecclesiæ amplexibus inhæsurus. Præclarè enim Hieronymus ea de re: *Et hoc in Nicæna quoque Synodo à Patribus decretum, ne de alia ad aliam Ecclesiam Episcopus transferatur; ne virginalis pauperculæ societate contempta, ditioris adultera quærat amplexus.*

Epist. ad Ocean. de unius uxoris viro.

VIII. Ex his porro Carthaginensibus Conciliis manifestum est, etiam in Occidente fieri solitas Episcoporum translationes in Conciliis Provincialibus, nullo Sedis Apostolicæ tum quidem interventu. At illud quoque non obscurum ibidem est, eam Concilii Provincialis authoritatem ludibrio non semel habitam fuisse, adeo ut ad civilem Judicem Præsidemque Provinciæ referendum quandoque fuerit. Consultius visum Episcopis Hispaniæ, interpellari Romanum Pontificem, petita ab eo confirmatione translationis, cui ipsi quidem jam in antecessum assensi essent, sed quæ ad ejus tamen confirmationem suspenderetur. Et sanè ab Hilaro Papa in Hispaniam delegatus est Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ, qui Irenæum priorem in stationem suam retruderet, frangeretque contumaciam Episcopi Calagurritani, hactenus Metropolitano suo immorigeri. *Irenæum ad Ecclesiam suam redire compelle, ad quam sponte potius redire debebit, si à sacerdotali consortio non metuit separari, nec unius Ecclesiæ duo esse permittantur Antistites: quod opportunius supradicti Subdiaconi fieri delegamus instantia, quem etiam pro conservanda Ecclesiæ disciplina commeare ad Hispanias, dispositionis nostræ fecit authoritas.* Nemo non sentit utrum compendiosius Ecclesiæ, & honorificentius sit, à Papa, an ab Imperatore: à Delegato Papæ, an à Præside Provinciæ cogi Episcopos, ut suis affigantur Ecclesiis. Ubi infrà de pluralitate Beneficiorum sermo erit, aliqua adhuc de Translationibus perstringentur.

Hilar. Ep. 3.

CAPUT LXI. *P. 2. l. 2. c. 25.*

De Translationibus in Ecclesia Orientali, per priora quinque sæcula.

I. Commendant Apostolici Canones translationes eas quæ fiunt ad utilitatem Ecclesiæ, & authoritate Conciliorum. Reliquas explodunt.

II. Perantiquum & perillustre harum translationum exemplum.

III. Nicæno Canone confirmatur Apostolicus Canon.

IV. Antiocheno Canone damnantur omnes prorsus translationes.

V. Calchedonensis Canon Niceno subscribit.

VI. Invehuntur Pontifices & Imperatores in eas translationes, quæ privatis famulantur affectibus.

VII. Laudatissimæ sunt quædam translationes. Ejus rei ratio.

VIII. IX. Ejus rei exempla. Perigenes, Eustathius, Gregorius Theologus

X. XI. Exempla alia. Sylvanus, Proclus.

XII. Ad Papam & ad Patriarchas itur, ut translationibus authoritas conciliëtur.

XIII. XIV. Ut ea authoritas, quæ rata fieret translationes, à Conciliis Provincialibus ad Patriarchas, & ad Papam transfusa demum sit.

XV. XVI. Ia causa fuit infrequentia Conciliorum Provincialium, & authoritas languidior.

XVII XVIII. Ea jurium devolutio velut ipsa natura sponte fit; nec fieri potest, quin longa sæculorum serie, causarumque vicissitudine invehatur

XIX. XX. Cùm ea jura in matrices Ecclesias revolvebantur, revulsi quodammodo erant, qui in fontes suos refluerunt.

XXI. De Metropolitico jure hic agitur, non de Episcopali.

XXII. A quarto jam inde sæculo causarum hæc majorum judicia à Metropolitanis ad Exarchos translata sunt.

I. CAnonicas omnes regulas de translationibus unus paucissimis verbis complexus est Apostolicus Canon. Universim quippe illas damnat, quantumvis Episcopi, quod maximè cupiunt, ad id cogi se mentiantur. Illas rursus vehementer probat, ubi invito, & nulli terrenæ illecebræ affixo Episcopo, eas extorquet una Ecclesiæ necessitas, una charitas. Deniq; tota ea potestas Episcopali Concilio commendatur, quod & pro sapientia sua dijudicet, & pro potestate tum ambitiosos retundat, tum humiles & modestos cogat ad celsius fastigium. *Episcopo non liceat sua relicta Parochia* Can. 1. *ad aliam transire, etiamsi à pluribus cogatur; nisi sit aliqua causa rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere: utpote ad majus lucrum, cùm possit ipse, iis qui illic habitant, pietatis verbo conferre, idque non ex se, sed multorum Episcoporum judicio, & maxima exhortatione.*

II. Id genus fuit translatio Alexandri Episcopi Cappadociæ in sedem Hierosolymitanam, quò ille se contulerat, non alium aucupaturus, sed suum abdicaturus Episcopatum: nec ille ad assentiendum adduxisset animum, nisi ut cælesti oraculo pareret, monitisque divinis, quibus cùm cederent Episcopi Provinciæ non illubentes, cedendum & ipsi fuit petinviro. Vide ut hæc narret Hieronymus, Eusebio succinens: *Alexander Episcopus Cappadociæ cùm desiderio* Hieron. de *sanctorum locorum Hierosolymam pergeret, & Narcissus* Script. Eccle. *Episcopus ejusdem urbis jam senex regeret Ecclesiam, & Narcisso & multis Clericis ejus revelatum est, altera die mane intrare Episcopum, qui adjutor sacerdotalis Cathedræ esse deberet. Itaque re ista completa, ut prædicta fuerat, cunctis in Palæstina Episcopis in unum congregatis, adnitente quoque ipso vel maximè Narcisso, Hierosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernacula suscepit.*

III. Sed quàm stupenda, tam rara sunt hæc pietatis documenta. Unde & Nicæna Synodus, ne latiùs in dies serperent, gliscebant enim hæ translationes, neu Canonibus aliquando præscriberetur, eas funditus interdixit, ea lege Presbyteros etiam, Diaconosque complexa. *Propter multam perturbationem & seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa, ita ut de civitate in civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transeat.* (Cap. 15.) Non alia hîc pœna sancitur, quàm pudor repetendæ, à qua temerè quis se divulserat, Ecclesiæ.

IV. Et prohibetur quidem hoc Canone, ne suo nutu migret Episcopus in aliam Ecclesiam, non autem ut ne à Concilio Provinciæ transferatur. Quin immo cùm conqueratur de temerè & impunè proculcato Canone priori, [illegible], hoc est, Apostolico Canone, suprà relato, hinc facilè intelligimus hunc illi scopum propositum fuisse, ut illi Canoni, qui jam exolescebat, pristinam authoritatem restitueret, & observantiam. Sed Concilii Antiocheni Patres non ita se voluere coarctare, novsque sua decreta, ad priscorum Canonum observationem. Ideo & translationes omnino proscribunt, nec sinunt eas Concilii Episcopalis authoritate ratas fieri posse. *Episcopus ab alia Parochia nequaquam migret ad aliam, nec sponte sua prorsus insilieas, nec vi coactus à populis, nec ab Episcopis necessitate compulsus: maneat autem in Ecclesia, quam primitus à Deo sortitus est. Nec inde transmigret, secundum regulam super hoc olim à Patribus constitutam.* (Can. 21.) Non possumus *regulam* hanc priorem, nisi Nicænum interpretari Canonem, vel Apostolicum. Atqui uterque hic Canon Antiocheno adversatur. Probabile igitur cum primis est, Concilii hujus Episcopos, partium studio, quàm fidei Catholicæ zelo ardentiores, affectata hac & parum sincera austeritate dissimulatam voluisse ambitionem, quæ transversos & ipsos sæpè egerat; nec poterat tamen non vel ab ipsis damnari.

V. Nec in eandem reprehensionem incurrere possunt Sardicenses Patres, cùm in Occidente ferè tam raræ fuerint translationes, excubante Apostolica Sede, quàm frequentes erant in Oriente. Denique in Concilio Calchedonensi innovata rursus est tota vis antiquorum Canonum, adversùs Episcopos, & Clericos quosvis, qui suis ab Ecclesiis ad alias transilirent. *De his qui transmigrant de civitate in civitatem, Episcopis aut Clericis, placuit Canones qui de hac re à sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.* (Can. 5.) Quo transmigrationes magis damnantur, quàm translationes.

VI. Intercessit Constantinus Imperator, ne quò jam totus propendebat Eusebius Cæsariensis Episcopus, ad Ecclesiam se transferret Antiochenam, quò illum invitabant vanissimi adulatores, non magis suo, quàm ejus ingenio obsequentes. Contrà autem inculcabat ei Constantinus, eam demigrationem tam divinæ legi, quàm Apostolicis Canonibus repugnare: *Rectissimè fecit prudentia tua, quæ & mandata Dei, atque Apostolicam & Ecclesiasticam regulam custodire statuit, Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ repudians, & in eo potius permanere desiderans, quem Dei mandato ab initio susceperat.* (Euseb. de vita Constan. L. 3. c. 61.) Ubi piissimus Imperator scitissimè admonet, primam Episcopo sponsam à Deo dari: conjugio illo spirituali, peræquè ut carnali indivulsum contrahi vinculum, ut adulterina jam meritò dicenda sit illa copula, si quis primâ repudiatâ alteri se conglutinet Ecclesiæ. Eadem erat & mens Episcoporum Concilii Ægyptiaci, cum verba facit de Eusebio, qui Berythensi ab Ecclesia transilierat ad Nicomediensem, & qui rursus hinc migravit ad Constantinopolitanam. *Non habens præ oculis illud præceptum, Alligatus es uxori, ne quære solutionem. Quod si hoc de uxore dictum est, quantò magis de Ecclesia, atque adeo de Episcopatu, cui cum quis alligatus est, aliam quærere non debet, ne adulter in sacris litteris deprehendatur.* (Atha. Apol. 2. Theodoret. L. 2. c. 19. 21.)

Assentiebatur & Julius Papa Constantino Imperatori, cùm ad Episcopos Orientis scriberet, Si pares essent Episcopi & Episcopatus omnes, ut vel jactatione, vel inani simulatione præ se ferebant, non tam impotenti æstuatione à minoribus Ecclesiis, quibus eos cælestis vocatio alligasset, ad majores anhelaturos, quò eos cæca & effrænis ambitio impelleret. (Ibidem.) *Si verè parem eundemque honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse, oportuit eum cui credita est parva civitas, in ea permanere; ne eam quæ à Deo data est, aspernari; illam quæ hominum ambitu concessa est, magnificare videatur.* (Ibidem.) Jam ergo nemini mira accidet Damasi Papæ constantia, communione sua eis interdicentis omnibus, qui avulsi à prioribus Ecclesiis, quod Deus conjunxerat, ipsi disjunxissent. (Theodoret. L. 5. c. 11.)

VII. Quàm justæ, tam necessariæ erant hæ prohibitiones, minæ, pœnæque, ubi translationum arbitra & architecta non erat, nisi levitas animi, ambitio, opum cupiditas. At erant tamen canonicæ translationes, ubi cordi erat sola Ecclesiæ utilitas & gloria; persuasissimis videlicet Episcopis omnibus, Ecclesias omnes non esse nisi Ecclesiam unam, Columbam unam, Virginem unam Christi sponsam, atque ita promiscuè habentibus omnes Episcopatus, nec à sua se sponsa desciscere interpretantibus, quandiu uni copulabantur, uni serviebant Ecclesiæ Catholicæ, cui se æterna charitate devovissent. Singuli enim Episcopi suo quodam proprio modo sunt universalis Ecclesiæ sponsi, Patres, filii, servi. Ita quo demum cumque loco illi adhærescant & inserviant, pro ejus, non pro sua vel utilitate, vel voluntate, ejusdem semper Ecclesiæ sponsi sunt, quæ etsi toto orbe diffusa, indivisa tamen est; etsi charitate plures habeat sponsos, plures Episcopos, incorrupta tamen est.

Eò adductus est Athanasius, referente Synesio, (Synes. Epist. 67.) ut cùm passus esset Episcopum ab uno tantùm Episcopo alio ordinatum, rursum gemina in eum, sed pernecessaria uteretur indulgentia & dispensatione, transferendo eum in Metropolitanam Ptolemaïdis Ecclesiam, cui regendæ valde idoneus erat, ad scintillas fidei ibi intermorientis resuscitandas: *Sed formidolosis temporibus summum jus prætermitti necesse est.* (L. 7. c. 35. L. 5. c. 8.) Hinc illa etiam Socratis audax ratio: *Itaque res erat planè indifferens apud veteres, quoties usus poscebat, Episcopum ab una civitate ad aliam transferre.* [illegible]. Audacula, fateor, oratio, sed certissimè nullo discrimine omnes Ecclesias amplexari debet Episcopus, unius universalis Ecclesiæ infucata charitate inflammatus, & privati affectûs in peculiarem etiam Ecclesiam suam expers. Nec prætereundum quod idem alibi refert, Concilio Constantinopolitano primo vetitas fuisse translationes, vel potiùs migrationes Episcoporum, quæ frequentiores fuerant, dum fureret persecutio. *Nam antea propter persecutionum tempestates istud facere cuique liberum erat.*

VIII. Quod autem videbatur Socrates audacius protulisse, id mox ipse munire satagit, congestis in

unum translationibus pluribus, ubi charitas defæcatissima castissimaque triumphum egerat, non de terrenis tantum cupiditatibus omnibus, sed & de usitatissimis & ordinariis Ecclesiæ legibus, tanquam ipsa Legum celsissima & dominatrix Lex. Ejusmodi fuit Perigenis translatio, qui frangere cùm non potuisset contumaciam Patrensis civitatis, cujus ordinatus fuerat Præsul à Metropolitano Corinthi, Corinthum rediit, ubi extincto non multò pòst Episcopo, eum sibi Metropolitanum Corinthii cives, & Episcopi ejus Provinciæ à Bonifacio Papa poposcerunt. Scripsit ea de re Bonifacius geminas ad Ruffum Archiepiscopum, seu Exarchum Thessalonicensem Epistolas, ubi declarat, Perigenem Corinthi natum & baptizatum, Presbyteratu deinde ibidem initiatum, & diutissimè summa cum laude perfunctum; atque adeo non posse se non & Perigenis meritis, & Concilii votis suffragari. Has literas nuper publicavit Holstenius in Collectione sua Romana. *Quo mereretur Ecclesiæ præsidere, in qua natus & renatus, &c. Cui sermo Concilio jam dudum astipulator accessit, &c. Cui ad plenitudinem confirmationis Episcopatus sui, hoc solum restitet, quod nondum nostros in honore suo susceperit affatus.* Ita quandoque jam tum ad Romanum Præsulem referebantur Translationum causæ, quanquam ut plurimum illæ à Conciliis Provincialibus definirentur.

IX. Ejusmodi rursus fuit translatio Eustathii Sebasteni Episcopi Antiochiam, Euphronii item Coloniensis Episcopi ad Metropolin Nicopolitanam à beato Basilio facta, quade inferiùs, ubi de pluralitate Beneficiorum: Gregorii denique Nazianzeni, qui à Sasimensi Episcopatu Constantinopolitanam in Ecclesiam translatus fuisset, si per Orientalium inter se Episcoporum dissidia licuisset. Nazianzo translatum fuisse censent Socrates & Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Sed verè nec Nazianzi unquam fuit Episcopus, & ipsius Constantinopolitanæ custodem, tutoremque magis egit quàm sponsum Ecclesiæ, una in se cura suscepta sponsi illi quærendi, ejusque ornandæ. Ita de se tam modestè, quam piè sentiebat Gregorius, quem frustra erant qui calumniabantur, alie-

Orat. 37. næ sponsæ insidiatum, qui suæ renunciasset. *In gratiam cum veritate redeant, qui nos alienam uxorem expetivisse aiunt, cùm ne propriam quidem habere voluerimus.* Sic ille de Sasimensi Ecclesia sua. Nunc de Constantinopolitana: *Huc veniendi causa fuit, ut fidei patrocinium susciperemus, Ecclesiæque viro interim carenti, haud secus ac tutores quidam & curatores, operam pro virili nostra navaremus; alii qui præstanti ipsius forma dignus videretur, ac plura virtutum tanquam sponsalia regina obtulisset, eam collocaturi.* Nec à vero recedit assensum tandem illum esse aliquando, & Imperatori, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ sponsum illum sibi ambienti; sed dum piæ ejus charitate, sponsum illi digniorem ipse quæreret; incessit illa Orientalium dissensio, qua adductus est ut piæ ejus vehementiori charitate ab ea divelleretur.

L. 7. c. 35. X. Additur ibidem à Socrate Sylvanus, qui Monasticæ vitæ virtutibus ad summas Ecclesiæ dignitates viam sibi straverat. Atticus Constantinopolitanus Patriarcha Philippopolitano illum auxit Episcopatu in Thracia. Cùm triennio toto Sylvanus inclementiam ejus cœli, nives, frigora valetudini suæ infestissima pertulisset, ab eodem rursus Attico solutus his vinculis, successorem accepit, nec multò pòst cum Troadis civitatis Episcopus fato suo functus esset, convenissentque ejus cives ad Atticum, ut Episcopum ab eo acciperent, ille Sylvano eam sarcinam injecit, quòd cœli mira ibi temperies esset, locique amœnitate spes esset ita recreatum iri corpus ejus, ut animi fervor ad Episcopales curas & functiones recalesceret. *Non est ulla tibi amplius excusatio, quominus Ecclesiæ administrandæ curam suscipias. Nam Troas nihil habet algoris. Ecce tibi locum amœnum, quem Deus corporis tui imbecillitati paraverit.* Paruit Sylvanus, & sanctissima novæ ejus Ecclesiæ administratione, patefecit, quantum intersit inter eos qui Episcopatu uno abeunt, spe alterius pinguioris adipiscendi, & eos qui ita cedunt, ut dulcius nihil posthac habeant, quam ut ita exonerati in secessus & pacis deliciis versentur, quanquam si rursus Deus novo illos jugo subjiciat, non sint detrectaturi.

XI. Nec Sylvanum tantùm auxit, provexitque Atticus, sapientiæ & pietatis ergò clarissimus, sed & Proclum; quem perinde ut Chrysostomus, non alumnum tantùm habuit, sed & successorem, Cysicenum antea gesserat Proclus Episcopatum; volensque Theodosius Imperator post Maximiani obitum factiones & tumultuationes prævertere, illum ab Episcopis eligi fecit, & throno invehi, necdum expletis Maximiani exequiis. Confirmata fuit ea translatio literis Cælestini Papæ, qui ad Cyrillum Alexandrinum Episcopum, ad Joannem Antiochenum, & ad Ruffum Thessalonicensem scripserat, posse ab una Ecclesia transferri Episcopos ab aliis Episcopis, sola Ecclesiæ utilitatis contemplatione: quamvis suo ipsi marte nequeant vento ambitionis se permittere, fidemque Ecclesiæ desponsam violare, quæ ultrò citróque inviolata servari debet. Rem ita narrat Socrates: *Ab Imperatore Theodosio res pru-* L. 7. c. 40.
denter tractata fuit. Nam ne controversia & tumultus in Ecclesia denuo cieretur, abjecta cunctatione, dum adhuc Maximiani corpus insepultum jaceret, per Episcopos qui ibi aderant, Proclum in sede Episcopali collocandum curavit. Huic etiam negotio suffragabantur Epistolæ Cælestini Romani Episcopi, quas ad Cyrillum Episcopum Alexandriæ & ad Joannem Episcopum Antiochiæ & ad Rufum Thessalonicæ Episcopum misit, quæ eos docuit, nihil obstare, quominus qui unius civitatis nominatus fuisset Episcopus, vel jam esset Episcopus, ad alteram civitatem transferretur.

XII. Simillima veri est Baronii conjectura, has Cælestini Epistulas in gratiam Procli scriptas fuisse, non eo tempore quo Proclus Constantinopolitanæ præfectus est Ecclesiæ; tum enim cœlestis jam ad Patriæ gaudia devolaverat Cælestinus; sed post Ne- L. 7. c. 34.
storii exauthorationem, cui jam tum Proclus subrogatus fuisset, ut perhibet Socrates, nisi nodum, quo Cysicenæ tenebatur Ecclesiæ, solvere religio fuisset. Quod argumento est quantum jam authoritatis exerceret Papa ad translationes. Transtulerat Atticus Sylvanum Philippopoli Troadem, inconsulta sede Apostolica. Patriarchalis apicis jura in dies magis magisque invalescebant. Hinc Attico ea potestas. At ut Cysico Constantinopolin Proclus transferretur, superior interponenda erat Papæ authoritas. Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus, uti & Thessalonicensis Exarchus, eo se jure abstinuere. Supra Patriarchas unus eminebat Papa. Fa- Theodoret. L. 4. c. 8.
teor tamen Gregorium Nazianzenum translatum, Socrat. l. 5. c. 5. 6. 8.
vel transferendum fuisse Sasimensi ex Ecclesia ad Constantinopolitanam, à Meletio Antiocheno Patriarcha, referente Theodoreto & Socrate, & consensu complurium Episcoporum; nisi absolutio per-

fectioque ejus negotii ad Concilium tandem Constantinopolitanum rejecta fuisset, ubi tamen infelicissimè res cecidit, qua infelicitate nihil sibi felicius obvenire potuisse sensit Nazianzenus.

XIII. Meletius autem Nazianzenum etsi verè transtulisset Constantinopolin, fecisset quod sæpissimè tum factitabatur, cùm necdum ea res sedi Apostolicæ reservata esset, & cùm necdum satis certa & diffinita erant, necdum satis usu recepta jura sedium & Ecclesiarum. Erat tamen inter Proclum & Nazianzenum ingens discrimen. Erat enim à Sasimensis Ecclesiæ vinculo absolutus omnino Nazianzenus. At Proclus tum maximè Cyticensi erat astrictus. Longè facilius autem est vacanti Episcopo vacantem committere Ecclesiam: quàm non vacanti, sed jam desponsam sibi Ecclesiam regenti. Unde & Concilii Antiocheni Patres, cùm ne ipsis quidem Provinciæ Episcopis copiam faciant Episcopum ab Ecclesiæ suæ vinculo devellendi: permittunt tamen authoritate Synodi Provinciæ, *μετὰ ψήφου*, vacantem Ecclesiam conferri Episcopo, prioris Ecclesiæ suæ vinculis absoluto.

Can. 21. C. 16.

XIV. Jus autem Apostolicæ sedis ad transferendos Episcopos vel juris ejus potius exercitium & explicatio, convalescebat in dies, necdum omnino usu invaluerat. Non quo æquissimum non esset, dispensationes Canonum Conciliorum Generalium Apostolicæ sedi integras servari, cui concredita est Canonum custodia & executio. Sed interclusa fuerat persecutionum tempestatibus ea Ecclesiarum inter se conjunctio & consuetudo, communioque negotiorum; cúmque trecentis annis rata fuisset, aut in totum suspensa ea consiliorum reciprocatio, non potuit ea firmari uno, aut altero post sæculo. Pace reddita Ecclesiis, pene necessarium evasit, quod desperatum ante fuerat, Conciliis Provincialibus non ea invicta vis inerat, quæ Præsulum ambitionem frænaret, eosque ab temerariis cohiberet translationibus. Nunc audacia peccarunt Episcopi, cùm inutiles Ecclesiæ translationes molirentur. Nunc metus & hæsitatio obfuit, cùm urgente Ecclesiæ necessitate audendum esset. Cùm tot capitum consensione ad electiones & translationes opus esset, non facilè poterat omnibus convenire, ecquando justa esset ad translationem necessitas. His aliisque causis paulatim Ecclesiæ & Synodi ipsæ Provinciales illiciebantur, ut ad primam Ecclesiæ universæ sedem confugerent, cui gnaræ essent non potuisse à Christo concedi Principatum potestatis, quin adderetur & consentanea sapientiæ & justitiæ plenitudo. Exemplis Irenæi & Procli utcumque jam hæc confirmantur: at frequentioribus subinde exemplis ætas posterior prodet, quantum præsidii fuerit in unius maximè Apostolicæ sedis Petri inconcussa constantia, ad confirmandos fratres suos, & ad refringendam ambitionis quandam velut procellam, qua plerumque Conciliorum Provincialium decreta, velut objecta repagula disjiciebantur.

To. 1. pag. 293.

XV. Author Tractatûs de Translationibus in Jus Orientale conjecti. Proclum memorat sola Præsulum ambitione retardatum fuisse, ne jam tum post depositionem Nestorii in sedem Constantinopolitanam eveheretur; ad quam tandem evectus fuit post obitum Maximiani, consensu Cælestini Papæ, Cyrilli Alexandrini & Joannis Antiocheni: *[Greek text partly illegible] τῷ Κ... τῶν ... ἀρχόντων ... τῷ Κ...*, &c. Post laudatas verò tres Cælestini Epistolas, quarum vera epocha indigitata superius à nobis est, hanc mox subjicit Regulam, in qua tantum semper fuit momenti, Improbari ab Ecclesia migrationes non translationes: *Quippe migratio prohibita est, non translatio. οὐ μετάβασις κεκώλυται, ἀλλ' ἡ μετάθεσις.* Migrat enim Episcopus sua sponte, impetu abreptus cupiditatum sæcularium; transfertur verò, qui vocanti supernè Deo, & Ecclesiæ charitati obsequitur.

XVI. Si in translationibus autem extra Provincias Episcoporum Alexandriæ, Antiochiæ, Constantinopolis, & Thessalonicæ faciendis, eorum interposita authoritas & consensio est, non obscurum est vel sic obviandum fuisse factiosorum hominum impotentiæ. Ex quo rursus liquidum est Conciliorum Provincialium minus patem quandoque fuisse potestatem majoribus his causis & dispensationibus expediendis, & necessum persæpè fuisse deveniri ad sedes Apostolicas, quarum pondere & majestate opprimerentur contrariæ turbulentorum hominum factiones. At ipsa rerum experientia constat, hac frequenti ad superiores Sedes causarum majorum relatione, consuetudinem inolescere sensim, & ex inolita consuetudine legem confirmari, earundem eò semper referendarum. Ea ratione majusculæ causæ complures in Conciliis antè Provincialibus tractari & terminari solitæ, ad sedis Apostolicæ judicium traductæ sunt, ea devolutione, quæ longo volventium sæculorum lapsu inevitabilis semper fuit. Episcoporum Galliæ concertationes de Primatu, hoc est, de jure Metropolitico tranquillari non potuere, nisi iteratis Pontificum Romanorum decretis, nullo ad has sedandas satis idoneo Concilio Provinciali. Apud Hilarum Papam mutuas rixas & querelas effoderunt Provinciæ Tarraconensis Episcopi, populique in Hispania, in negotio Sylvani Episcopi, quem insimulabant alii, alii defensitabant. Quin & ipsam Irenæi translationem probabilius est non omnibus ejus Provinciæ Episcopis placuisse, & ne ipsi quidem Metropolitano. Ex quo compulsi sunt referre ad Apostolicæ sedis judicium eam causam, quam suo terminassent, si concordare inter se potuissent.

Epist. 1. 2. 3. 4.

XVII. Non ergo superiores Judices occuparunt ipsi, ambieruntque, ut hæc ad se judicia perferrentur. Sola inferiorum Judicum Præsulumque mutua dissensio, vel populorum in eos contumacia, in causa fuit, ut ad superioris potestatis arcem confugerent, ubi & pax redintegraretur illis, & præsidium adjiceretur. Ita superioribus sedibus frustra sunt, qui hinc invidiam faciunt. Nec enim ipsæ ultro obviam prodiere, dominationis cupidine instigante; sed cùm adirentur, non potuere non intervenire, quò justitia, quò charitas invitabat, quò ipsa summi Numinis providentia.

XVIII. Sed & illud sedulò observandum est, non adiras esse Apostolicas sedes, tanquam arbitrario judicio perfunctoras, & eam exerturas potestatem, quam Episcopi Provinciarum subire sua sponte voluissent. Quin ex adverso ipsi se Sedium & Tribunalium ordini Provinciales Episcopi accommodabant, quem Christus constituerat, principatu potestatis assignato omni Petro, Petrique successoribus, in Apostulos cæteros Apostolorumque successores Episcopos. Agnoscebant ergo & profitebantur in Apostolica sede ejusmodi potestatem, qua finirentur causæ & lites omnes, quæ Provincialibus in Conciliis vexatæ fuissent, nec diffiniri potuissent.

XIX. Observa iterum hac causarum devolutione factum esse, ut rivuli veluti quidam in suum

fontem revolverentur, & particularium Ecclesiarum jura ac privilegia ad matrices rursum confluerent Ecclesias, ex quibus primò manaverant. Tres enim illæ Patriarchales vetustissimæ sedes ex suo veluti sinu effuderant orbem in universum purissimos primùm Christianæ Religionis latices, & Episcopalis authoritatis radios in omnes cæteras Provinciarum civitates sparserant. Primigenium fidei & Episcopatûs scaturiginem Petrus & Paulus Apostolorum Principes Romæ defixerant. Hinc fluxit, huc refluxit Metropolitica potestas, quæ Episcopis imminet præestque sive in Conciliis Provincialibus, sive extra ea tempora. Neque enim quæcumque Episcopis, à Christo constitutis Ecclesiæ Pastoribus, præest & dominatur potestas, scatere aliunde ea potest, quàm ex ejus participatione aut imitatione potestatis, qua Christus ipse solum Petrum præfecit Apostolis & Apostolorum successoribus omnibus. Cùm ergo vel à Metropolitanis, vel à Provincialibus Synodis Romam referebantur, quæ extricare ipsi minùs potuissent: tunc enimvero sursum versus revolvebatur ad originis suæ fontem, quæ inde manaverat olim potestas.

XX. Observa denique si qui horum rivulorum in ipso sui fonte demersi ita sint, ut jam non appareant, hoc est, si jura quæpiam Metropolitica ab Apostolicis olim sedibus profecta, & Metropolitanis, Conciliisque Provincialibus communicata, in eas rursum absorpta sunt: de eo nec vel tantillum doluisse Episcopos, quibus Christi & Ecclesiæ sola charitas chara est. Ubi amatur, quia fructuosa Ecclesiæ, & promovendæ saluti mortalium consentanea, ea charitas est, qualis Clericos, qualis Episcopos potissimum decet. Amanda ergo potestas est, non ubi penes nos est, sed ubi plurimum saluti publicæ prodest. Si utilitas ergo vel necessitas Ecclesiæ ad sedes Apostolicas revocaverit jura quædam & privilegia Sedium Metropolitanarum, vel Provincialium Conciliorum; tam huic disciplinæ posteriori, quàm superiori gratulatur vera & pura charitas, ut quæ non propriæ vel gloriæ, vel ostentationi potestatis studeat, sed publicæ utilitati, gloriæ Christi.

XXI. Ubi dixi autem hæc primitus jura ab Apostolicis sedibus dimanasse, non de Episcopis dixi, quorum immediatè à Christo institutio est & potestas; sed de Metropolitanis & de Conciliis Provincialium, maximè autem de his quæ nunc exercentur privilegiis, transferendi Episcopos, vel eorum cessiones admittendi, & id genus aliis. Ecclesiasticæ enim institutioni tota hæc accepta referenda est disciplina, nec potest ea non experiri varias vices & mutationes in tanto decursu sæculorum. Constat quippe inter exordia Ecclesiæ eam totam potestatem ipsos exercuisse Apostolos, eorumque in Apostolicis sedibus successores. Constat denique Ecclesiastico tantùm jure niti potestatem prorsus omnem Episcoporum aliorum in alios: una excepta Petri in Apostolos, Petri successorum in successores Apostolorum potestate, quæ jure divino, & inconcussa Christi authoritate nititur. Ea quo proclive est conjicere, potestatem quamcumque aliam Episcoporum in Episcopos alios, cùm humanæ sit institutionis, ex imitatione, vel ex emanatione ortam esse illius, qua Christus Petrum, Petrique in Apostolica sede successores donavit. Id volui, ubi dixi, suum in fontem primigenium refluere has potestates, ubi ad Apostolicam Sedem devolvuntur.

XXII. Sedes denique Apostolicas per sæpè dixi, quòd jam inde vertente sæculo quarto, cœperint causæ majores, quæ pleræque priùs in Conciliis Provincialibus & à Metropolitanis dirimebantur, reservari Conciliis Diœcesanis, vel Patriarchalibus: & Exarchis, vel Patriarchis, qui his præsidebant; nec nisi postquam in solius Romani Patriarchatûs fines tota coarctata ferè est Catholica Ecclesia, sola cœpit Sedes adiri Petri, ad harum omnium majorum causarum judicia. Quanquam non temerè dici posset, Alexandrinam quoque & Antiochenam, Sedes fuisse Petri, Romanæ obnoxias & conjunctas; nec Patriarchales sedes alias novas in id fastigii eluctari aut rapi potuisse, nisi consensu & confirmatione Romanæ Petri Sedis. Denique Patriarchales jam illæ per orbem Sedes in unam cum Petri sede sedem conflatæ quodammodo sunt, à qua ortum duxerant, & à qua sejunctæ nunquam fuerant, quandiu veritatis Spiritu & unitatis vinculo cohærere.

CAPUT LXII. *P. 2 l. 2. c. 44.*

De Translationibus Episcoporum & Episcopalium sedium, ab anno quingentesimo ad octingentesimum

I. Pulcra & laudatissima Gregorii ratio, qui Episcopos in Italia nunquam transtulit, nisi jubente Ecclesiæ necessitate, & consentientes.

II. Nec Episcopales ille transferebat Sedes, nisi urgeret necessitas.

III. IV V. Regum & Episcoporum conspirante authoritate, fiebant in Gallia Episcoporum translationes, sine interventu Sedis Apostolicæ. Sed uni dabantur necessitati.

VI VII. Nec aliter se res habebat in Anglia & Hispania.

VIII IX. In Oriente notra in translationes indignatio, ex occasione Anthimi, qui Trapezunte Constantinopolin se gravicat, suoque exemplo ambitiosos Præsules succenderat.

X. XI Exempla canonicarum in Oriente translationum, consentientibus populis, Episcopis, Imperatoribus.

I. IN Aleriensem Corsicæ Insulæ Episcopatum translatus est à Gregorio Magno Episcopus, cujus à Barbaris Ecclesia funditus eversa fuerat. *Quoniam Ecclesia Tamitana in qua dudum fuerat honore sacerdotali tua fraternitas decorata, ita est hostili feritate occupata atque diruta, ut illuc ulterius remanendi spes remanserit: in Ecclesia Aleriensi, quæ jam diu Pontificis auxilio destituta est, Cardinalem te secundum petitionis tuæ modum, hac authoritate constituimus sine dubio Sacerdotem.* Cùm verò Alerienses cives diutiùs cunctarentur Episcopum sibi eligere, Pastorem illis præfecit Gregorius, incurioso sui & supino gregi tantò impensiùs à summo Pastore ratus consuli debere. *Etsi vos multo jam tempore sine Pontifice esse Dei Ecclesiam non doletis; nos autem de ejus regimine cogitare suscepti cura compellit officii.* Clerus, Nobilitas, Populus Neapolitanæ civitatis à Gregorio petiere Paulum ut sibi Episcopum præficeret, cujus administratio, dum vacaret Ecclesia, summæ sibi & utilitati fuisset, & voluptati. Episcopatu jam alio initiatus fuerat Paulus. Satius Gregorio visum est rem tantisper protrahere, dum & Paulum experiretur ipse, & Neapolitanorum in eo postulando constantiam. *Quem quoniam ita estis in paucis diebus experti, ut eum Cardinalem habere desideretis Episcopum, gratulamur. Sed quia summis in rebus citum non oportet esse consilium, & nos quid fiendum sit, maturâ subinde, Christo adjuvante, deliberatione disponimus, & vo-*

L. 1. Ep. 77. 78.

L. 2. Ep. 6. 7. 12. 15.

bis melius tractu temporis, qualem se exhibeat, innotescet.

Non ita Paulum Barbari Ecclesia sua ejecerant, ut Paulinum, quem idem Gregorius Liparitanam in Ecclesiam transtulit; & Joannem, cui Scyllacensem idem commendavit, ea cum primis memoranda [L. 2. Ep. 15. 16.] conditione, ea lege, ut si quando recuperari posset prior ejus Ecclesia, à servitute & vastitate, qua eam Barbari affligerant, ad eam ipse, ut ad prio- [L. 2. Ep. 25.] rem sponsam suam rediret. *Et licèt à tua Ecclesia sis hoste imminente depulsus, aliam qua Pastore vacat, Ecclesiam debes gubernare: ita tamen ut si civitatem illam ab hostibus liberam effici, & Domino protegente, ad priorem statum contigerit revocari, ad eam in qua prius incardinatus es Ecclesiam revertaris.* At verò Paulus, quem sibi postulaverant Episcopum Neapolitani, ad priorem Ecclesiam suam Nepesinam reversus est, à qua hactenus tantùm diverterat, ut Neapolitanæ Visitatorem ageret vacantis. Id ille & oravit Gregorium, & exoravit. Si ambitioni, aut cuicumque demum cupiditati suæ aures ille accommodasset: [L. 2. Ep. 35.] Neapolitanam utique Nepesinæ anteposuisset Ecclesiæ; sed in his omnibus manifestum est, solam Ecclesiæ regnasse utilitatem, animarumque salutis procurationem; longissimè summotis terrenis affectibus.

Anceps animi aliquandiu fuerat Gregorius, an Paulum à Nepesina ad Neapolitanam transferret Ecclesiam: quod quarò hæc major splendidiorque erat Ecclesia, tantò operosius esset idoneum illi Episcopum deligere. At enixius flagitante Paulo restitui Ecclesiæ suæ priori, pauperi quidem illi, sed castæ, annuit Gregorius, aliumque Neapoli [L. 2. Ep. 35.] Episcopum præfecit. *Sæpiùs à nobis Paulus frater & Coepiscopus noster expetiit, ut eum ad propriam reverti faceremus Ecclesiam. Quod quia rationabile esse perspeximus, ejus petitionem necessario duximus adimplendam.* Inde est quod tradit Joannes Diaconus, collatos à Gregorio fuisse vacantes Episcopatus Episcopis aliis, sede sua excussis, abrupta ubi omnis postliminii spes erat; at nunquam ab eo avulsos esse Episcopos ab ea Ecclesia, cui primùm dicati fuerant, & unde à Barbaris non extrudebantur. *Licèt* [L. 3. c. 18.] *Gregorius vacantes Episcopot vacantibus civitatibus incardinare studuerit; nunquam tamen Episcopum ab integritate sua Ecclesia, vel ipse in aliam commutavit, vel sub quacumque occasione migrare consensit.* Quod exemplo probat Episcopi hujus Nepesini: *Neapolitanis Paulum visitatorem tribuit: Cardinalem verò constituere, tam primò dispensatoriè distulit, quàm postea penitus recusavit.*

II. Ejusdem Ecclesiarum utilitatis contemplatione una moveri poterat Gregorius, ut sedes ipsas Episcopales transferret à locis per Barbaros evastatis, ad alia quædam beatiora. Vide ut rescrip- [Ibid. l. 3. c. 17.] serit ad Episcopum Veletrinum, dum ejus sedem traduceret in locum alium, Barbarorum incursionibus minùs patentem. *Temporis qualitas admonet,* [L. 2. Ep. 31.] *Episcoporum sedes antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia quæ securiora putamus, ejusdem Diœceseos loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum faciliùs declinare.*

III. Gradum moliamur in Gallias, ubi perhibente Gregorio Turonensi, cùm diffunderetur quaquaversum fama bumanissimæ Francorum dominationis, & amor, Aprunculus Lingonensis Episcopus in obliquiores incurrit Burgundiorum suspiciones: compertoque jussum se ab iis esse interfici, noctu intempesta Divionensis se ex castri muris demitti curavit, Arvernamque in civitatem confu- [L. 2. hist. c. 23.] git, cujus & Episcopus creatus est. Eadem de causa exulus fuit Gotthis B. Quintianus Rutenensis [L. 2. c. 36.] Episcopus, cui probro vertebant, quòd dominationi Franciæ omnia cuperet subesse: *Quia desiderium tuum est, ut Francorum dominatio possideat terram hanc.* Arvernum aufugit Quintianus, ubi Episcopali humanitate & hospitalitate ab Euphrasio exceptus est, Apruneuli successore. Fidem ejus remunerari voluit Theodoricus Rex Arverni Episcopatûs concessione, cum primùm vacare illum contigit. Populus eum elegerat. Rex ab Episcopis electionem eam confirmari jussit. *Convocatis Pontificibus* [L. 3. c. 2.] *& populo, eum in Cathedram Arverna Ecclesia locaverunt.*

Fronimius Bituricensis civis in Occitanam profectus Provinciam, à Leuva Visigothorum Rege prolixè exceptus est, non sine singulari amoris significatione: quo factum est, ut mox ab eo Agathensi Episcopatu augeretur. Leuvæ interim succes- [L. 9. c. 14.] sit Leuvigildus, qui Hermenegildo filio elocata Ingunde, regia Franciæ genitis puella, in hunc destomachari cœpit Episcopum, quasi nobilissimam puellam documentis suis imbuisset, munissetque adversùs omnes Arianorum Gotthorum suasiones. Insidias quæ sibi clam struebantur, subodoratus Episcopus, ad Childebertum Regem confugit, à quo Venciensi Episcopatu donatus est. Non semel jam disseruimus de Burgundis Episcopis, Theodoro & Proculo, qui intestinis patriæ bellis Eccle- [Ibid. l. 10.] siis suis exturbati, sanctissimam Reginam Clotildem secuti fuerant: qui & ejus jussu conjunctim deinceps Turonensem rexere Ecclesiam.

IV. Beatum Medardum Noviodunensem Episcopum, Fortunatus, vel quicumque alius vitæ ejus Scriptor, narrat eversa ab Infidelibus Augusta Veromanduorum, ubi Cathedralem primò Episcopatûs sui defixerat Ecclesiam, Noviomum primò sedem traduxisse: & satis concedente Tornacensi Episcopo, in hanc demum civitatem transtulisse thronum suum, cogente Rege, Episcopali Collegio, Clero & Populo, quantumcumque ipse quidem repugnaret: atque ita Noviomensem & Tornacensem Ecclesias unum in Episcopatum tum coagmentatas fuisse. *Pontificali demum, Metropolitani scilicet & Comprovincialium suorum evictus authoritate,* [Surius die 9 Jun. c. 12.] *Regisque ac Procerum assensu, plebisque coactus incessabili acclamatione, vix consensit: & unanimi, Pontificali videlicet & Regali authoritate duas illas Ecclesias unam fecit.*

V. In hanc Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam duo hîc obiter adnotabimus. Primum, ut ex funditus eversa civitate canonicæ Episcopi translationi locus erat; ita interpretatos esse Episcopos Gallicanos, ubi Episcopus, converso rerum statu, armorum vi, & regnorum vicissitudine suspectus, exosusque evaserat gregi suo, cui nec præesse jam posset, nec prodesse, hanc quoque canonicam translationis causam videri debere. Alterum est, has translationes consensione Regum & Episcoporum peractas fuisse, inconsulta Sede Apostolica, ut cui necdum reservatæ essent hæ dispensationes.

VI. Æquè perspicua ex Anglia ejus rei suppeditabuntur argumenta. Cùm ex Gallia in Angliam revocatus esset Mellitus Episcopus Londinensis à Rege Eadbaldo, Londinenses suos emollire non potuit, ut ab iis admitteretur, quippe in idololatriæ barathrum altius tum demersis. Hinc ille ansam arripuit ad gubernandæ Ecclesiæ Cantuariensis. Ei

tertis emigranti successit Justus, cùm Roffensem Episcopatum suum Romano resignasset, quem & ipsemet ordinavit, ejus rei copiam faciente sibi Romano Pontifice, ut refert Beda: *Pallium dileximus, &c. Concedentes etiam tibi ordinationes Episcoporum, exigente opportunitate celebrare.* Præstantissimè Beda interpretatus est, eo loco ordinandi potestate ipsas contineri translationes, quibus non tardò utendum est, in novis serendis Ecclesiis. Romanus naufragio periit, cùm Romam pergeret, quò eum Justus Archiepiscopus delegabat. Tumque Paulinus Eboracensis Archiepiscopus regimen sumpsit Ecclesiæ Roffensis, suasione Archiepiscopi Cantuariensis Honorati, & Eadbaldi Regis. Missas facio translationes alias complures in Anglia factas solo Episcoporum & Regum consensu.

Beda. Hist. Angl. l. 2. c. 6. 7 8.

Ibid. c. 20. L. 3. c. 7.

VII. Transferebantur & in Hispania Episcopi, Episcoporum authoritate & Regum. In Concilio Toletano X. exauthorato Braccharensi Episcopo Potamio, Dumensis Episcopus Fructuosus in eam sedem translatus est. In Toletano XVI. abdicato Sisberto Toletanæ Ecclesiæ Metropolitano, suffectus est in ejus locum Felix Episcopus Hispalensis, cui jam Rex eam Ecclesiam commendaverat, dum accederet & Concilii authoritas. *Secundum praelectionem atque authoritatem Domini nostri, per quem in prateritis jussit, Felicem Hispalensis sedis Episcopum de pradicta sede Toletana, jure debito curam ferre: nostro eum in postmodum reservans decreto firmandum: ob id nos cum consensu Cleri ac Populi ad dictam sedem Toletanam pertinentis, praedictum Felicem Episcopum de Hispalensi sede in Toletanam sedem canonicè transducimus.* Quo eodem tempore & ab eodem Concilio translatus est Hispalin Episcopus Braccharensis, Portocalensis Braccharam.

Can. 12.

VIII. In Oriente verò cùm dimissa Trapezuntina Ecclesia Anthimus Constantinopolitanam invasisset, non alio quam amplioris & opulentioris Ecclesiæ amore æstuans, totius Orientis Monachi & Constantinopolitani, ad Agapetum Papam amarulentissimè conquesti sunt adversùs *adulterium & raptum hujus Imperialis Ecclesiæ*: τ̃ μοιχικὸν ἁρπαγὴν τ̃ βασιλίδ☉ ἐκκλησίας: adversùs eum qui Ecclesiam suam abjecisset *viduam & sine viro, contra divinos Canones.* Communione sua Anthimum interdixerat Agapetus, ex quo primùm Constantinopoli fuit, & quantumvis eam contumeliam deprecarentur Imperatores, à sententia non recessit, jusso antè eo fidem Catholicam profiteri, & Ecclesiam suam Trapezuntinam repetere. Audiendus hic Liberatus: *Petentibus Principibus, ut Antimum Papa in salutatione & communicatione susciperet: ille fieri inquit posse, si se libello probaret orthodoxum, & ad cathedram suam reverteretur. Impossibile esse aiebat, translatitium hominem in illa sede permanere.* Denique pervicit magni & infracti animi Pontifex, ut depositioni Anthimi annueret Imperator: atque ita Menam ejus loco ipsemet ordinavit. *Papa Principis favore Menam pro eo ordinavit Antistitem, consecrans eum manu sua.*

Conc. Constantin. sub Mena. Act. 1.

In Breviar. c. 21.

IX. Pari hoc loco Ecclesia Orientalis & Occidentalis flagravit ardore ac zelo, adversùs eas Sedium translationes, quæ non gregis saluti & charitati, sed mercenariorum cupiditati serviebant. Scripserant enim Patriarchatûs Antiocheni & Hierosolymitani Antistites, litteras ad Agapetum vehementissimas & inflammatissimas, ad detestandam ulciscendamque Anthimi in usurpanda superiori & opulentiori Ecclesia insolentiam. Nec humanioribus verbis rem Papa apud Imperatorem & Imperatricem tractavit: *Impossibile esse aiebat, translatitium hominem in illa Sede permanere.* Imperatoriam denique ipsam potestatem pro Anthimo armatam fregit, vicitque constantia Ecclesiæ invictissima in suis sanctissimis legibus defensandis. Nec tam vinci se, quam vincere sensit Justinianus, vincente Ecclesia, Legumque Ecclesiasticarum sanctimonia. Sà tam castè autem, tam canonicè & sentirent Episcopi, & rem tum gererent in Orientis & Occidentis Ecclesia: simillimum veri est nullas tunc factas fuisse translationes, quæ vulnus canonicis institutis inflictum, non aliunde, forsan etiam cum fœnore compensarent.

X. Si enim juxta eundem Liberatum Joannes Talaya Alexandrina sua sede ejectus ab Ecclesiæ & Catholicæ fidei adversariis, provocansque ad Papam, & Romam veniens, ab eo Nolanæ præfectus est Ecclesiæ, ubi reliquum vitæ curriculum peregit; erat omnino Canonicis sanctionibus consentanea ea translatio; nisi Commenda potius dicenda sit, ut infrà declarabitur. *Cap. 18.*

XI. Rursum si authore Theophane, Germanus à Cyziceno Episcopatu Constantinopolin translatus est, id ea confirmatum est conspiratione unanimi Cleri, Senatus, Populique Constantinopolitani, Episcoporum denique & Apocrisiariorum sedis Apostolicæ, qui coràm aderant, ut dubitari neutiquam possit, quin cœlestis vocationis oraculo ad novam eam dignitatem proveheretur. Accipe verba ipsa Decreti Translationis, à Theophane relata ad annum 714. & ab Anastasio Bibliothecario. *Suffragio atque consensu Religiosorum, Presbyterorum, Diaconorum & totius sanctioris Cleri, sacrique Senatus & Populi imperatricis hujus civitatis: divina gratia qua infirma semper curat, & qua desunt, adimplet, Germanum sanctissimum Metropolitam & Prasedem Cyzici Metropoleos, in Episcopum hujus à Deo servata urbis & regina urbium transfert. Facta est hec translatio coram Michaële Presbytero, & Apocrisiario Apostolica sedis, caterisque Sacerdotibus & Episcopis prasentibus, Artemio imperante.*

CAPUT LXIII. *P. 3. l. 2. c. 40.*

De Translationibus sub Imperio Caroli Magni, & ejus stirpis.

I. Regula generales Translationum Canonicarum, utilitati ut famulentur Ecclesiarum, nec fiant nisi authoritate Concilii Provincialis, aut Papa.
II. III. De Translationibus Ebbonis & Actardi.
IV Cur ad Papam relatum sit.
V. De Translatione Frotarii.
VI Cur ei Papa intervenerit authoritas.
VII. In Provinciarum devastatione, quàm fuerint necessaria ea translationes.
VIII. Authoritatem transferendi Episcopos, tàm urget Ecclesia necessitas, confert Hincmarus Conciliis particularibus & Pontifici.
IX. De translatione Actardi quid senserit Hincmarus.
X. In dies singulos frequentius ad Papam referebatur.
XI. An Actardi translationem probaverit tandem Hincmarus.
XII. Jure antiquo potiebatur semper Ecclesia Gallicana, similiter & Germanica, faciendarum translationum.
XIII. Similiter & Anglicana
XIV. De Translationibus in Italia Translatio Formosi.
XV. De Translationibus Orientis.

I. DEcursis totius hujus ævi medii Translationibus, toto orbe factis, pandemus primò rationes & causas earum canonicas, hoc est Ecclesiarum

siarum utilitati, & necessitati accommodatas. Secundò authoritatem, quæ ueratæ sint, interponi iis debeat, Imperatorum, vel Regum, Metropolitanorum & Episcoporum. Conciliorum & Pontificum. In his omnibus vestigia indigitabimus inserpentis jam novæ disciplinæ, quæ exinde latissimè invaluit.

II. Ad unam Ecclesiæ utilitatem revocantur justæ omnes causæ Translationum. Cùm excidisset tandem infelix Ebbo Remensis Archiepiscopus Lotharii Imperatoris benevolentia, quàm non mediocri conscientiæ & salutis discrimine aucupatus erat; sileo de fide in Ludovicum Lotharii patrem concussa: Episcopatu Hildesheimensi donatus est à Ludovico Germaniæ Rege, in quem & eo hortante, translatus est decreto Gregorii IV. Ita translato Ebbone Carolus Calvus Hincmarum Remensi Ecclesiæ præfici curavit, quæ viduata gemuerat, ex quo ea Ludovicus Pius spoliaverat Ebbonem. Rem ita narravit Nicolao Papæ I. Concilium Tricassinum, litteris ad eum datis. *Non longè à vicinitate finium*
Conc. Gall. To.3. p.336. *Normannorum, quibus à Paschali Papa prædicator fuerat destinatus, Episcopium Hildesenheim vacans obtinuit; ubi etiam authoritate cujusdam privilegii nobis ostensi, à Gregorio Papa sibi sollati, inhibente suprà memorata sua restitutione, ministerium Pontificale sine tenus exercuit.*

Post mortem Ludovici Pii redditus fuerat Ebbo sedi suæ Remensi ab Imperatore Lothario, suffraganeis tum Provinciæ, tum plerisque aliis Episcopis. Jactabat Ebbo odio se potius cessisse Ludovici Pii, quam Canonico cecidisse judicio. Ubi rursus postea Carolus Calvus in Lotharium insurgens, ea sibi regnoque suo recuperavit, quæ ille invaserat, rursus Ebbo cedere compulsus est. Hæc tam varia Ebbonis fortuna, argumento est consultissimè Decreto Gregorii IV. translatum eum fuisse in Ecclesiam Hildesheimensem; cùm tanta essent hinc & hinc rationum momenta, & ut ne pro canonicè deposito haberetur, ubi nulla restitutionis spes refulsisset: nec etiam Remensi Ecclesiæ restitueretur, cùm tantum ea res tumultuationum concitatura esset. His adde expeditiones sacras & Evangelicas Missiones atque Prædicationes in regionibus Borealibus, quibus inclaruerat Ebbo, ut non injuria cum eo dispensaretur, & interposita sedis Apostolicæ authoritate ad Hildesheimensem Ecclesiam transferretur.
Ibidem pag. 13. Pleræque enim adhuc translationes in Conciliis tum Provincialibus fiebant illæ quidem, sed quæstio hic vertebatur de Episcopo bis deposito, aut bis ejecto sede sua, cujus etiam depositio à Sergio Papa confirmata fuisset.

III. Accedamus jam ad translationem aliam paulò expeditiorem. A Normannis & Brittonibus evastata penitus dirutaque fuerat Civitas & Ecclesia Nannetensis. Post annos vastitatis decem Actardus Nannetensis Episcopus à Carolo Calvo Rege & à Synodo missus est Romam, ut vacantem aliquem Episcopatum alium à Nicolao Papa I. impetraret.
Ibidem. pag. 362. 365. 367. 368. 369. *Civitas olim florentissima, nunc exusta & funditus diruta, redacta per decennium cernitur in Eremum, &c. Si annuit vestræ discretionis solertia, optamus, vacantis sedis constituatur in Cathedra, &c.* Ita Rex ad Pontificem perscribebat. Cùm postea Suessionensis Concilii Patres Adrianum II. interpellassent eadem de ipsa Actardi causa, annuit Pontifex ut in aliam Ecclesiam, etiam Metropolitanam Actardum transferrent, Majorum se in eo vestigiis, & maximè Gregorii Magni exemplis insistere testificatus. *Decernimus hunc Ecclesiæ, quæ suo fortè fuerit viduata Pastore penitus incardinari.* Transtulit denique Actardum Pontifex in Ecclesiam Turonensem, postquam Clerus & populus ejus urbis sua in eum studia & suffragia contulere. Hæc Adriani verba sunt ad Concilium Duziacense anno 871. *Sicut Synodus expostulavit, plebs & Turonicus Clerus eum concorditer elegit, per nostræ Apostolicæ authoritatis decretum constituimus Cardinalem Metropolitanum, & Archiepiscopum Turonicæ Ecclesiæ atque Provinciæ.* Concinere Canonibus eam translationem idem Papa ex eo pronunciat, quod eam non ambierit Actardus, quodque Ecclesiæ unius necessitatibus ea donata sit. *Qui hoc non ambitu aut propria voluntate facit, sed utilitate quadam aut necessitate, aliorum hortatu & consilio.* Postremò denique idem Pontifex curæ & sollicitudini Actardi commendat ruinas, aut reliquias, si quæ superessent Episcopatus Nannetensis; ea cautione, ut si quando ea civitas in integrum restituatur, proprium tunc quóque sibi & peculiarem accipiat Episcopum.

IV. Difficile est divinare, ecquid causæ fuerit, quamobrem Carolus Calvus Rex, & Episcopi ejus Regni toties Synodicè congregati, non ipsimet Actardum transtulerint, maluerintque ad Pontificem referre. Subdita quidem Carolo Calvo Armorica ea Provincia, sed bono modo, & pene perfunctoriè: erat & alius qui se ejus Regem venditaret, cui Carolus ipse compulsus fuerat Regiæ potestatis insignia permittere, & mittere; ut regnum quo excutere illum non posset, fiduciario à se jure obtineret: quin & antè Pontificis & Episcoporum authoritatem idem Carolus interposuerat, ut Brittonum Duces Nomenojum & Salomonem utcumque obsequentes haberet. Concesserat & ipse Romam Actardus, quò suæ aliarumque Ecclesiarum Ibidem: pag. 362.
vastationis causam culpamque in Brittones conferret. Propè ergo abest à vero Papam interpellatum fuisse, quod non immeritò diffiderent Franci, à Brittonibus approbatum iri, quod ipsi diffinissent. Cùm eo ævo Armoricæ Provinciæ Episcopi à jugo & nexu Metropolitani Turonensis liberos se esse confiderent, specialius quoque Apostolicæ sedis obsequiis mancipatos se profitebantur. Itaque ut ne semper ab obedientia Turonensis Metropolitani abhorrescerent, conducibile fore videbatur, ut is à Papa ipso constitueretur.

Adde non potuisse Actardum ab Imperio Brittonum & Clero divelli, conglutinari autem Clero Francorum & Regno, nisi interveniente communi Parente omnium & Principum & Ecclesiarum. Sed & ab exemplis sequentibus lux uberior affulgebit ad hanc illuminandam in Translationibus Episcopalibus Papæ interventionem.

V. In Concilio Pontigonensi anni 876. cùm indeflexa quadam constantia Gallicani Præsules obluctarentur ei, quod sibi impingebatur, novo Senonensis Primatiæ jugo; nec hortantibus cederent vel Pontificis Legatorum, vel Imperatoris, qui præsens aderat: unus fuit Frotarius, qui ei assentiretur innovationi, ne ingrati animi reus ageretur à Carolo Calvo ipso Imperatore, qui enim ab Ecclesia Burdigalensi ad Pictaviensem, à Pictaviensi rursus ad Bituricensem transtulerat. *Excepto quod Frotarius* Ibidem.
Burdigalensis Episcopus, quoniam à Burdigala ad Pictavos, indeque ad Bituricum favore Principum contra pag. 435. 436.
regulas se contulit, per adulationem respondit, quod Imperatori placere cognovit. Ad hanc ergo translationem expresso jam Imperatoris assensu Frotarius,

ubi assensum quoque Episcoporum hujus Concilii demereri studuit, tum vero repulsam passus, pœnas dare se intelleait ejus defectionis & ignaviæ suæ, qua causam & libertatem communem tueri detrectasset. Veniam Canonum sibi fieri debere jactabat tantò propensiùs, quòd Burdigalæ jam sedem figere omnino per Paganorum, hoc est, per Normannorum incursationes sibi non liceret. At à quo animi mollitiâ tam graviter peccatum esset, ad ejus preces mollescere & inflecti abnuerunt Episcopi. *Lecta est proclamatio Frotarii Burdegalensis Archiepiscopi, quia non poterat consistere propter infestationem Paganorum in civitate sua, ut liceret ei Metropolim Bituricensem occupare. Cujus petitioni unanimitas Episcoporum nullatenus acquievit.*

VI. Si adduci potuissent hujus Concilii Antistites, ut Frotarii precibus obsecundarent, perspicuum est translationem pro figendam absolvendamque fuisse, nullo Apostolicæ Sedis interventu: nec Concilii Patres interpellasset Frotarius, quos à se alienaverat, nisi compertum habuisset penes hujusmodi Concilia libirari solitas causas istiusmodi dispensationum. At Imperator nihil ad se repulsam eam pertinere voluit. Itaque à Joanne VIII. Papa obtinuit, quod à Pontigonensi Concilio expugnare non potuerat, atque ita viam complanavit ei devolutioni, quæ translationum postea causas à Conciliis Provincialibus ad Apostolicam Sedem transtulit. Meum non est expendere, an mero Canonum zelo & casto pristinæ disciplinæ amore Pontigonenses Patres Frotarii vota frustrarint, an rancoris affectu aliquo. Certè enim assensus non est Joannes VIII. Frotarii translationi, nisi non Imperatore tantùm, sed & toto Burdigalensis Provinciæ Episcoporum Collegio confirmante, funditus eversam esse & labefactatam Burdigalensem Provinciam. Adprimè canonica erat hæc ratio, cui & Actardi translatio, ab Episcopis Gallicanis tantopere expetita, superstructa fuerat. Non injuria ergo Pontifex, quasi devolutione canonica, translationem concessit, quam Galli Episcopi abnuissent. Audi ut ea de re Papa ad Imperatorem scripserit: *Quia pietatis vestræ testimonio, Comprovincialium quoque Præsulum litteras convenire nuper cognovimus secundum pietatis vestræ religiosissimum libitum, Burdigalensis Ecclesiæ Episcopum in Bituricensem Ecclesiam, Cardinalem fieri decernentes, Metropolitanæ dignitatis privilegio iterato munire curavimus.* Scripsit & similes litteras ad Clerum, Populum, Senatumque Bituricensem, alias similiter ad Episcopos Provinciæ Bituricensis, & ad Frotarium denique ipsum. — Ibid p. 467. & 469. 478.

Quibus in omnibus litteris duo quædam juvat observasse. Primum est, postulatum fuisse Frotarium à Clero & Populo Bituricensi & ab Episcopis Provinciæ *Postulant.* Alterum est, disertis verbis Pontificem profiteri, urgente tantùm ineluctabili necessitate infringi tum à se Canonum vigorem, non aliàs unquam enervandum. *Prioribus manentibus regulis inconvulsis, quas ubi nec rerum, nec temporum urget necessitas, jure convenit observari. &c. Tali necessitate remota, removeatur etiam id quod necessitas imperat.*

Scripsit & annis sequentibus ad Frotarium idem Pontifex Epistolas, quibus cum Bituricensem vocat Archiepiscopum. Et inde nobis hærendi & stupendi causa, cur cùm idem in Gallias profectus esset, adessetque Concilio Trecassino II. Pontifex, scripserit ad Frotarium Burdigalensem Archiepiscopum, invitaveritque ut ad Concilium adproperaret, chartasque adferret omnes, fulciendæ translationi suæ opportunas, secumque haberet Apostolica etiam quæ jactare solebat in eam rem diplomata. Apparet eos Episcopos fuisse, labefactandæ Frotarii translationi adlaborasse, quæ ipsis repugnantibus peracta fuerat. Prætextu aliquo conatus suos obumbrare avebant. Nec longè quærendus fuit. Terris emigrante Carolo Calvo, Ludovicus Balbus filius & successor ejus privatis Frotarii adversariis faciles adhibuit aures, crimine illum hoc fœdissimo incessentibus, quòd Bituricensem civitatem hostibus prodere molitus esset. Ubi primùm eam criminationem Frotarius difflavit dissipavitque, manifestissimis fidei & innocentiæ suæ editis documentis, incunctanter Bituricensis tutius Archiepiscopus & esse cœpit, & scribi in ipsis Papæ litteris. — Ibid. p. 481. Ann. 878. — Ibid. p. 487. 519.

Nonnihil ex Flodoardo molestiarum sustinuit adhuc Frotarius sub sequentibus Pontificibus, quando & ejus tuitionem adgressus est Fulco Remensis Archiepiscopus apud Adrianum III. Papam, datis ad eum litteris, quibus significat, postulatum & electum fuisse Frotarium ab Episcopis Provinciæ Bituricensis, & à Clero Populoque civitatis, accessisse denique consensum Marini Papæ prædecessoris ejus. *Quod ab Episcopis Diœceseos, omnique Clero & populo civitatis sit petitus & electus, & quòd prædecessor ejus Marinus pium in hoc præbuerit assensum, & ipsius in Ecclesia Bituricensi promotionem scriptis roboravit.* — Flodoard. L. 4. c. 2. — Annal. Fuld. anno 880.

Ex hac de Frotario narratione colligitur pernecessariam fuisse, ad Actardi à Nannetensi ad Turonensem Ecclesiam translationem, consensionem Episcoporum Armoricæ Provinciæ, adeoque & sufficere potuisse: sed cùm ea ne sperari quidem posset ea tempestate, ejus loco interpositam fuisse Pontificis authoritatem, quòd ea dispensatio valde conducibilis Ecclesiæ fore videretur.

VII. Hoc sanè tempore concidentis Regiæ stirpis Caroli Magni, quàm frequentes, tam necessariæ etiam hæ translationes Episcoporum, ab urbibus eversis profugorum, & ad vacantes alias Ecclesias commigrantium. Quin & ea de re Decretum editum est in Concilio Romano sub Carolo Crasso: *Summus Præsul à Rege interrogatus decrevit, ut Episcopis, quorum Parochia de incendiis Gentilium penitus vastata apparent, aliæ sedes eis non occupatæ concederentur.* Ita Imperator ipse Pontificem adibat, ut generalem ea in re dispensationem extenderet. Non tam circumspectè Hugo Rex Italiæ, cùm cognatum suum Manassen Archiepiscopum Arelatensem donabat Episcopatibus omnibus Italiæ, quos involare posset, commendavit illi Ecclesias Episcopales Veronensem, Tridentinam & Mantuanam. Quin & Manasses ipse improbitatem suam profana dicacitate exaggerans, aiebat æmulari se B. Petrum, qui Antiochia migrasset ipse quidem Romam, Marcum verò discipulum Aquileia Alexandriam migrare jussisset. Inani hoc ille verborum lenocinio impietatem suam dissimulabat, teste Luitprando, à quo festivissimè respondetur, Petrum venisse Romam, ut sanguinis impendio animas hominum Christo lucraretur: nec aliis quàm his, aut similibus de causis usurpandas esse translationes. *Venit Romam Petrus, non ambitione inflammatus, sed martyrio animatus; non quærens aurum, sed animarum lucrum. O felicem, imò beatum si talem te tua conscientia testaretur.* — Luitprand. L. 4. c. 3.

VIII. Observantior erat Hincmarus Sedis Apostolicæ, cum aiebat nisi de Concilii Provincialis,

vel Pontificis Romani licentia fieri non debere translationes. Eam alternationem amplexa est medio hoc tempore Ecclesia Gallicana, quasi medio interstitio veteris disciplinæ, quæ totum particularibus Conciliis tribuebat, & novæ, quæ Pontifici totum reservat. Illud quoque inculcat Hincmarus omnino inconcussum, non privatis & terrenis affectibus, sed Ecclesiæ publicis utilitatibus indulgendas esse translationes. *Si autem causa certa necessitatis vel utilitatis exegerit, ut quilibet Episcopus, de civitate in qua ordinatus est, transferatur ad aliam civitatem, Synodali dispositione, vel Apostolica Sedis consensione, apertissima ratione manifestum fieri debet, quia transfertur causa fidei, non temporalis commodi: pro animarum lucro, non pro rerum temporalium quæstu; non suo vitio, sed aliorum repudio; necessitate persecutionis, non ardore ambitionis, vel præsumptione propria voluntatis.* Exemplum ejus rei prodit in B. Bonifacio Martyre, qui sola illiciente Ecclesiæ utilitate Colonia Moguntiam migravit. *Aliquandiu in civitate Agrippinensi Colonia sedit, & emergente necessitate atque utilitate ad civitatem Moguntinam translatus est.* Aliàs quippe negat ex Conciliorum doctrina, minùs piaculares & execrabiles esse debere Episcoporum migrationes, quàm Baptismi vel Ordinis iterationes. *Sed & colligendum est, quàm grande scelus sit hujusmodi translatio, qua rebaptizationi & reordinationi comparando conjungitur.*

To. 2. pag. 744.

IX. Non collimat hic Hincmari sermo, nisi ad concerpendam Actardi translationem, qui primùm à Nomenoio Duce Ecclesia sua ejectus Nannetensi, & à Carolo Calvo Rege restitutus; dejectus secundò fuerat à Salomone Tyranno: tum ad tempus donatus Ecclesia Tervanensi authoritate Concilii: donec ab Episcopis, Clero & Populo Provinciæ & civitatis Turonensis, ad eam sedem postulatus Metropolitanam, eò à Papa translatus est. Ita Hincmarus pressiùs circumstantias omnes prosecutus est translationis Actardi, ex quo rursum apertius fit, cur necessariò intervenerit Sedes Apostolica.

Invehitur porro Hincmarus in eam translationem, tanta licèt authoritate munitam. Tantæ ille succenset facilitati, nimiæque indulgentiæ. Non abjiciendas enim fuisse miselli gregis dissipatas reliquias; sed accuratiùs colligendas, solandasque; incumbendum fuisse in ipsorum conversionem Paganorum, quos eò videretur Numinis providentia amantissima expulisse, ut jugo ipsi veritatis subjicerentur: non dimittendos fuisse paucissimos illos, qui ex Clero Populoque residui fuissent; victitandum fuisse eleemosynis, vel labore manuum, exemplo Clericorum non paucorum qui ibidem hæserant, cum Comite & Magistratibus sæcularibus; denique exercendas ibi Actardo fuisse tot Episcopales functiones alias, quæ nulli præterea delegari possint, & quibus citra ingens dispendium frustrari grex fidelium non potest. *Non exiret de civitate in qua ei multus populus erat, sed constanter prædicaret, quid enim scit utrum multi de Paganis illis sint à Deo prædestinati ad vitam, &c. Sicut enim Comes civitatis homo sæcularis & alii etiam sæculares, majoris & minoris potestatis habent unde in sua Metropoli possint consistere, & comministri ejus Ecclesiastici valent ibidem vivere; sic & ipse nisi eum cupiditas & ambitio inde ejiceret, ibidem vel de operibus manuum, vel de decimis fidelium, ac conlatione Presbyterorum, & si aliter non posset, vel sub censu, sicut Hierosolymis Patriarcha, & viri religiosi ac fideles in Corduba, & in aliis civitatibus per Hispaniam faciunt, ibi valeret manere, & prædicationis verbum impertire, & ministeria, quæ nonnisi ab Episcopis possunt dependi, &c.*

Tantas inter Hincmarum & Actardum componere lites, aut verò dirimere, ac certo diffinire judicio, non opis est nostræ. In rationibus Hincmari plurimum sanè ponderis est. Authoritate contrà Actardus tutior se Concilii, Papæ, Regis, quibus nefas est obluctari. Cùm tantum hinc veritatis lumen, hinc authoritatis pondus stet, consultissimum tutissimumque nobis erit, si dicamus, præponderare universim & retinendas esse Hincmari rationes & leges ab eo propositas: at in speciali Actardi causa multa nos effugere posse, quæ non latebant Concilium & Pontificem, à quo absolutus est: à nobis etiam absolvendus, nos quoque non laterent.

Sed & illud sedulò mandandum infigendumque animo est, quod & Hincmaro patet persuasissimum hic fuisse: dispensationes à Conciliis & Pontificibus concessas, retractari adhuc apud incorruptæ & incommutabilis Veritatis tribunal, ubi Judices ipsi & Pontifices judicio summi & æterni Pontificis subjicientur. Multa nos in Actardi gestis fallunt, ideo nec Hincmari in eum censuræ subscribimus: quin immo favemus ex animo, ut par est, judicio Pontificis, Concilii, Regis, & eo validissimo constringimur non illubentes præjudicio. Sed non in eam debacchatus esset Hincmarus translationem, si præsumptum animo habuisset translationes à Conciliis particularibus & Pontificibus summis indultas, certissimè semper consentire Evangelicis legibus, æternæque veritati.

X. Cùm à Normannis vastatus fuisset Episcopatus Tervanensis, Herilandus ejus loci Episcopus ad Metropolitanum suum Fulconem Remensem se contulit, à quo vacantis Ecclesiæ constitutus est Visitator, ut ejus interim proventibus sustentaretur. Scripsit & ad Formosum Papam Fulco, percunctaturus, annon expeditius foret Herilandum ei Ecclesiæ vacanti prorsus affigere, Teroanensi autem alium ordinare Pastorem, qui & eorum linguam calleret, & indidem progniatus esset, ut quot cognatos, tot ibi haberet obsides, illicesque mutuæ inter Pastorem & gregem charitatis. *At quia hominis præfata Taruvanensis Parochia, barbarica videbantur esse feritatis & linguæ; supplicat ut responso Papa mereatur certificari, si hunc viduata debeat præponere plebi, & alterum ei liceret in præmemorata ipsius Ecclesia subrogare, qui acceptior propter parentelam & linguam in eodem loco posset existere.* Cùm nihil responsi accepisset Fulco à Formoso, post ejus obitum iteratas dedit ad ejus successorem literas; Petrique *Episcopi Romani*, id est Episcopi Cardinalis, intercessione apud eum usui est, munivitque se exemplo Actardi Nannetensis, quem Nicolaus Papa Nannetis Teroanam, Teroana Turonas transtulerat. Ex quo perspicis non subscripsisse Fulconem Hincmari præcessoris sui sententiæ & indignationi in Actardum.

Flodoard. ibid. c. 5.

XI. Sed ut ulterius aliquid moliamur, non tanta semper fuerat Hincmari asperitas in Actardum. Ipsemet enim præsidens Concilio Duziacensi, synodicam ad Adrianum II. Papam elucubraverat Epistolam, cui & alteram suo peculiariter nomine scriptam addiderat; ut iisdem penè utrobique verbis Pontificem admoneret, Actardum à Normannis Ecclesia sua ejectum, qui Pagani erant, & à *pseudochristianis Brittonibus*; commendatum ei à se fuisse Episcopatum Teroannensem, cum assensu Episcoporum Provinciæ & Regis: *Consensu Coëpiscoporum*

Conc Duzi. Cello. pag 300 301.

Remensis Provincia, & favore Caroli Regis: noluisse se ejus Ecclesiæ titulum ei conferre, *Incardinari non petat:* quod reliquiæ Nannetensis Episcopatus remotissimæ sint à Teroanna, nec possit idem Episcopus duabus adscribi Provinciis; at nunc verò eum postulari à Clero & Populo Turonensi: *Sibi incardinari deposcit:* eoque æquius esse, ut eam dispensationem concedat Pontifex, cùm in Turonensi Ecclesia Actardus olim baptizatus, attonsus, institutus, & ordinatus sit; potuisse eam Translationem fieri ab Episcopis ipsis Gallicanis, cùm ex Concilio Antiocheno ea potestas penes Concilium sit perfectum, hoc est Provinciale, cui præsit Metropolitanus; & cùm eam ipsis curam commendasset ipse Pontifex; sed satius sibi visum, ut ipsa sedes Apostolica eo humanitatis officio fungatur; tum ne Ecclesiæ Turonensi, & B. Martini memoriæ honos impendatur: tum quòd occupaverit jam Papa Actardum Pallio honestare. *Quem licet juxta Antiochenos Canones perfecta Concilio, atque secundùm Apostolicas vestras litteras vacanti Ecclesiæ incardinare possemus; tamen quia Turonensis Ecclesia ex antiquo Metropolis, & beati Martini meritis famosissima & honorabilis semper extitit, & frater Actardus gratia pallii à vestra benignitate jam honoratus, rationabilius vidimus, ut petitione Cleri & Plebis, & consensu nostra unanimitatis, ac favore domni Caroli Regis à vestra authoritate eidem incardinetur Ecclesiæ.*

Quam oro jam commentari poterimus rationem Hincmari ipsius sibi conciliandi? nisi re perfecta, novi illum in Actardum stimuli pupugerint; aut novæ alluxerint rationes improbandi, quod approbaverat, aut privatim sibi visus sit posse insimulare, quod Concilio cùm præesset, multitudine & conspiratione abreptus suffragiorum probaverat.

Quas tamen peculiares ad Papam dederat Litteras, ne dicam de ejus in Actardum indulgentia, cui Teroannensem crediderat Ecclesiam; eæ, inquam, literæ palam faciunt, ab ipsius Concilii sententia eum non abhorruisse. Unde illum necesse est à priori postea recessisse sententia. Sed præstat hic sedulò advertisse, Ecclesiæ Gallicanæ Præsulibus illud indubitatissimum fuisse, sui juris esse translationes Episcoporum facere, ubi suaderet Ecclesiæ utilitas; quanquam non rarò eas ad Petri sedem ultro referrent, suæ ut in Petrum, Petrique successores venerationis hoc esset monumentum.

XII. Illud quoque admoneri & observari operæ pretium est, in his Hincmari, & Concilii Duziacensis litteris, tametsi effusissimis in observantiam & venerationem Pontificis, præ se tamen semper ferre Ecclesiam Gallicanam dignitatis documenta suæ præclarissima, & libertatis. 1. Quanquam enim eam translationem à Papa fieri vellent Gallicani Præsules, profitentur tamen eam à se jure fieri potuisse, quod & Antiocheno Canone probant in Ecclesiis receptissimo. 2. Quanquam orabant Pontificem, ut ipse transferret, contestabantur tamen, præiisse electionem Ecclesiæ Turonensis, consensionem Episcoporum Provinciæ, Regis ipsius assensum. 3. Futuræ etiam libertati prospiciebant, ut diem suum obeunte Actardo, successoris electio sit juxta Canones, penes Episcopos Provinciæ, Clerum & Populum civitatis Turonensis: *Eo si vobis placet tenore Archiepiscopum incardinetis, ut post decessum illius, Cleri ac plebis electione sicut regula sacra præcipiunt, & vetus consuetudo exigit, à suffraganeis Episcopis Metropolitanus ibidem ordinetur Episcopus.*

Sartam tectam Conciliis Provincialibus servaverant Capitularia Caroli Magni Translationum facultatem. *Ne de uno loco ad alium transeat Episcopus sine Decreto Episcoporum, vel Clericus sine jussione Episcopi sui.* Assentiebantur ipsi Pontifices ei Conciliorum Provincialium ordinariæ potestati: cùm Gregorius V. in Concilio Romano anno 998. censuerit, si approbare posset Gisilerus Merseburgensis Episcopus, non ambitiosè, sed electione Cleri & Populi migrasse se ab eo Episcopatu ad sedem Metropolitanam Magdeburgensem, permansurum in ejusdem Metropolis administratione: *Si Cleri & Populi invitatione, & electione migravit, in eadem permaneat Metropoli.* Si autem citra electionem, nec tamen auri serviens, vel honorum cupidini migrasset, Merseburgensi se suæ redderet Ecclesiæ. *Quod si absque invitatione, non tamen per ambitionem & avaritiam factam esse constiterit, ad priorem redeat sedem.* Hinc intelligia quæ tum in his esset Germaniæ Disciplina & consuetudo, in Episcopis ex una in aliam Ecclesiam devolantibus. Perspicuum est, nequaquam intervenire solitam fuisse sedem Apostolicam. Adde ex Rogerio B. Brunonis Coloniensis Archiepiscopi vitam scribente; Brunonem vacante Episcopali Ecclesia Leodiensi, ei præfecisse Ratherium, Veronensi recentissimè Ecclesia deturbatum. *Leodiensi Cathedræ vacanti magna ejus industria secundum statuta Canonum incardinatus est.*

L. 1. c. 137.

Spicil. to. 8. pag. 69.

Surius die 11. Octob. c. 39.

Anno 810. erectus est à Carolo Magno Episcopatus Salingestadiensis, primusque ibi creatus est Episcopus Hildegrimus, qui Catalaunensi jam fruebatur Episcopatu, fratremque habebat B. Ludgerum primum Episcopum Mimigerodensem. Hildegrimi æstuantior charitas illum jam sæpius à sua Catalaunensi abripuerat Ecclesia, ad ferendas fratri suo Ludgero suppetias, residuos Germaniæ Paganos debellanti. In causa id fuit ut ad novellæ hujus Ecclesiæ emolumentum, Salingestadium transferretur; unde non multis post annis sedem ipse suam Halberstadium transtulit, quæ populosior erat Civitas & vitæ commodis uberior. Paucis rursum post annis, id est anno 813. Idem Carolus in Saxonia Episcopatum instituit, in loco qui *Aulicus* dicebatur, quòd Aula ibi Imperatoria frequentius versaretur, unde & Hildeshemium postea translatus est ad alterum inde lapidem, anno 814. ab Imperatore Ludovico Pio. Perspicis hic autem quàm frequentes necessariò fuerint translationes, & Episcoporum & Episcopalium sedium, in novis Ecclesiarum fundationibus. Quo tempore, & justiores sunt causæ, & à cupiditatum suspicionibus ii alieniores, qui transferuntur.

Le Cointe. Ann. Franc.

XIII. Similiter in Anglia quoque Metropolitani, Episcopi, Reges hæc omnia in potestate habebant. Osvualdus sanctissimus Episcopus Vorcestrensis ad Eboracensem Metropolin accitus est, electione Cleri, authoritate Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis, & Edgari Regis jussu. *Mortuo Eboracensi Archiepiscopo beatus Osvualdus cogente Edgaro Rege & sancto Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo, omnique Clero assentiente Eboracensem Ecclesiam regendam suscepit.* Dunstanus ipse Vorcestrensem eandem olim rexerat Ecclesiam, à qua in Londinensem fuerat translatus: *Tandem electio omnium super Dunstanum versa est, & ipse Pontificatum prædictæ Ecclesiæ suscipere communi cunctorum acclamatione coactus est.* Postremò denique eadem invicta vi supernæ vocationis, & conspiratione universæ Ecclesiæ Anglicanæ compulsus est idem ipse sarcinam subire Primatialis

Surius die 15. Octob. c. 7.

Surius die 19 Maii c. 26. 27. 28

Ecclesiæ Cantuariensis : *Unanimis omnium electio Dunstanum inclamitat, &c. Hac acclamatione, quasi voce verè divina constrictus est, &c.* Nec cautari quisquam potest translationes eas Romæ ignoratas, & Papæ incompertas fuisse : cùm continuò se Dunstanus ad Romanum iter accinxerit, Pallium petiturus. Vulfenus & Odo, referente Vuillelmo Malmesburiensi, alter Vilturensis, Vuerdetus alter Episcopi, ad Archiepiscopalem Ecclesiam Cantuariensem provecti sunt, ita ut alter alteri succederet. [L. 1. Pont. Angl.] Restitabat Odo, quòd Monasticum nunquam professus esset institutum, quod omnes hactenus Cantuarienses Episcopi sectati fuissent. Cessit tamen ille tandem Regis & Episcoporum voluntati, & Floriacum profectus, ibique Monachum professus, tandem se suæ Angliæ Ecclesiæque reddidit. *Sed cùm Regia voluntati Episcoporum omnium assensus accederet.* Ei successit Dunstanus, Dunstano Ethelgarus Creditensis Episcopus, Ethelgaro Elfridus Episcopus Vilturensis, Elfrido Siricius Episcopus Vintoniensis, Siricio Elphegus, Episcopus & ipse Vintoniensis, huic Livingus Vuellensis Episcopus. Apparet ergo non alios plerumque sedisse Cantuariæ Episcopos, quàm qui eo ex aliis Episcopis transferrentur ; non improbabili causa, ut Principem totius Angliæ sedem ii regerent Episcopi, qui in aliis Ecclesiis & tyrocinium posuissent, & aliquod sui experimentum dedissent.

XIV. Ita perlustrata Gallia, Germania, Anglia, compertoque non ferè nisi in Gallia Episcopos & Reges Pontificiam authoritatem interposuisse ad confirmandas Translationes : propter singularem quandam semper consensionem sedis Apostolicæ cum Gallicano Regno ; adeunda jam nobis Italia est, quam si fas esset, non illubentes prætervehemur, ne in Formosi Papæ tragica nescio quæ incideremus infortunia. Post obitum Stephani VI. Papæ, electus est ab aliis Sergius Diaconus, ab aliis Formosus Episcopus Portuensis, ea eruditionis & pietatis præstantia, cui sæculum fortunatius deberetur. [Anno 891] Fautorum Formosi contumeliis exagitatus & exulceratus Sergius, ad Adelbertum se recepit Thusciæ Marchionem, & strepitu ac vi armorum sedem Apostolicam invasit, statim atque fato functus fuit Formosus, quinque non amplius annis Pontificatu functus. Stephani VII. nomen induit Sergius, & immani truculentia corpus Formosi sepulcro extrahi jussit, Pontificalibusque vestitum ornamentis, obtruncari : uno scilicet illi exprobrato flagitio, quod à Portuensi Episcopatu ad Romanum demigrasset. *Cùm Portuensis esset Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti?* Spoliari mox illum fecit & in Tyberim præcipitem agi, irritas deinque declaravit omnes Formosi ordinationes, quasi qui Portuensis fuisset semel Episcopus, non potuisset Romanam in Ecclesiam transferri : atque ita Ordinationes ejus omnes ipse iteravit. [L. 1. c. 8.] *Cunctosque quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit.* Hactenus ex Luitprando.

At Auxilius qui Presbyteratu initiatus fuerat à Formoso, defensionem ejus duobus libris executus est, in quibus duo hæc astruit, veluti duos totius controversiæ cardines : 1. Urgentibus Ecclesiæ necessitatibus posse Episcopos ab una sede in alias transferri. 2. Etsi minùs canonicè translatus fuisset Formosus, ejus nihilominus ordinationes ratas validasque futuras fuisse. *Quod si Episcopus à propria sede fuerit pulsus, certa imminente necessitate, vel utilitate, in alia Ecclesia quæ Præsulem non habet, inthronizari possit, non tamen absque authoritate duntaxat Romani Pontificis. Et quod ordinatio illa, quam Papa Formosus fecit, rata & legitima esse probabiliter ostendatur, etiamsi ipse Formosus, ut aiunt, non ritè fuerit ordinatus.* Ita ille in operis sui præfatione. Quòd verò contendit ille, non posse nisi authoritate intervenientе Papæ consensione Episcopos transferri, inolescebat illa quidem jam tum consuetudo, nondum penitus ubique invaluerat, superioribus verò sæculis multò rarior fuerat, ut nec Auxilius ipse dissimulat. Ut enim Formosi translationem communiat, ingentem exemplorum ex omni antiquitate [L. 1. c. 5.] congeriem astruit, quorum nulla ferè sunt, ubi [L. 2. c. 12.] sedes Apostolica interpellata sit.

Sed in Concilio demum Romano Joannes IX. retractavit, irritavitque, quidquid contumeliosè in Formosum decretum fuerat, omnes ab eo ordinatos restituit, Ecclesiæ utilitati datum esse pronunciavit, quod Formosus Porto translatus Romam fuisset : quanquam ubi nulla ingruit publica Ecclesiæ necessitas, translationes damnentur, & tam acerbè damnentur à Sardicensis Concilii Patribus, ut ejus flagitii affines etiam in ipso vitæ fugientis discrimine Eucharistiæ communione interdixerint. *Quia necessitatis causa de Portuensi Ecclesia Formosus* [An. 904.] *pro vitæ merito ad Apostolicam sedem provectus est ; statuimus, & omnino decernimus, ut id in exemplum nullus assumat, præsertim cùm sacri Canones hoc interdicant, & præsumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine laicam eis prohibeant communionem.*

Nec primus inter Romanos Pontifices Formosus alia ex Ecclesia ascitus fuerat. Alterius civitatis Episcopatum regebat Marinus, cùm ad Romanum vocatus est. Basilius Imperator iniquo ferens animo damnatum ab eo Pontifice Photium, & eam contumeliam ulcisci cupiens, aculeatissimas in eum litte- [Anno 882.] ras evulgavit, illud præ cæteris premens, quòd qui alterius Ecclesiæ sponsus antè fuisset, non potuisset postea Romanam habere sponsam. Perlatæ sunt eæ litteræ ad Stephanum VI. quæ ad ejus præcessorem Adrianum III. fuerant destinatæ, Marini successorem ; ab eodemque confutatæ ea generositate, & infracta constantia, quæ Petri maximè successoribus consentanea est.

XV. Si Basilium non occæcasset animi perturbatio, & odii impotentia, advertisset & ipse in Ecclesia Orientali laudatissimas translationes, Ecclesiæ charitati & necessitati donatas. Dubitum certè erat, an necesse esset interponi Imperatoriam potestatem. Ne Balsamon quidem affirmabat. Cùm enim ex Antiocheno Canone id esti cisset, posse à Concilio Episcopos transferri, miratur esse, qui velint & Principis consensum necessariò intervenire debere. *Nota ex præsenti Canone, quòd cùm Synodali* [In Can. 16. *decreto permittitur vacanti Episcopo in vacante Ecclesia* Antioch.] *celebrare, & in ipso ejus throno sedere. Sæpè enim audivi, quòd Imperatoris quoque mandato ad id opus est.*

Idem verò tres facit Balsamon translationum classes : 1. Cùm paribus scientiæ & virtutum præsidiis [Supplem. instructus Episcopus à minori ad majorem tradu- pag. 1110. citur Ecclesiam, ubi illustrior erit ejus industria in 1.11.] Ecclesiæ ministerio, uti Gregorius Nazianzenus Sasimis Constantinopolim translatus est. 2. Cùm Episcopus Ecclesia sua & civitate à Barbaris diruta, in aliam migrat vacantem Ecclesiam. Quæ duæ legitimæ sunt translationum causæ. 3. Cùm Episcopus alio jam vinctus Episcopato, aut nullo vinctus, suopte marte in aliam insilit Ecclesiam. Idque facit ut

illud est, quod tam acerbè ulciscitur Sardicensis Synodos. In his nulla Imperatoris mentio. Sed diligenter secernitur μετάθεσις, translatio, à migratione, quæ ἀνάβασις dicitur.

At Archiepiscopus Thessalonicensis Demetrius Chomatenus in responsis ad Cabasilam Archiepiscopum Dyrrachenum, tradit Episcopum electum, confirmatum, adeoque & mox ordinandum uni alicui Ecclesiæ, posse ab Imperatore ad alterius amplioris gubernacula capessenda compelli, ubi major in Ecclesiam redundabit utilitas & gloria ex ejus prædicationibus, aliisque Pontificalibus muniis. *Fit sæpè jubente Principe per dispensationem publicè conducentem.* Ita Manuël Comnenus Imperator Thessalonicam migrare jussit doctissimum Eustathium, qui Myrensis electus erat, & mox ordinandus ejus Ecclesiæ Episcopus. Sic ille Græcorum fascinatus doctrina & moribus, & adulationibus mollissimis in Imperatores, Principem ea potestate fretum esse auguratur, & quidem solum, tanquam summum Ecclesiæ Legislatorem, & Conciliorum suo jure
Iuris Orien. To.1 p.317. Præsidem. *Sola igitur, ut diximus, Imperatoria jussio mutandi hæc innovandique potestatem habet. Imperator enim ut communis Ecclesiarum ἐπιστημονάρχης existens & nominatus Synodalibus præest sententiis, & robur tribuit, Ecclesiasticos ordines componit & legem dat vitæ politiæque eorum qui Altari serviunt.*

Nec eo prohibetur, quin fierent in Oriente translationes per varias Imperii Provincias, sola Metropolitanorum & Provincialium Conciliorum authoritate, nulla Principum interventione. Ita constitutum fuit in Synodo Patriarchæ Constantinopolitani Michaëlis, assidentibus Regiis Judicibus.
Iuris Orien. Tom 1. pag 240. 241 *Si cum sua Synodo Metropolitanus ob causam laudabilem & probabilem prætextum, utilitati autem hæc animarum, & Ecclesiastici status administratio comprobaverit, ut quis Episcoporum transferatur, id sine dubio faciet, &c.* Idem liquet ex responso canonico Patriarchæ Michaëlis, qui ad translationes solam desiderabat Metropolitani authoritatem, & uberiorem Ecclesiæ utilitatem.
Ibid. p. 5. *Episcoporum translationes fieri de judicio illius qui Primas inter eos est, usu sic poscente ad majorem fructum.*

CAPUT LXIV. *P. 4. l. 2. c. 56.*

De translationibus post annum Christi millesimum.

I. Tres regulæ generales translationum canonicarum, assensus Papæ, utilitas Ecclesiæ, Regum consensus.

II. Exempla sæculi XI. ubi hæc duo præterea emicant, translationem fieri debere ex minore ad majorem Ecclesiam, & electionem non excludendam.

III. An flagitante Ecclesiæ necessitate, possint Episcopi inviti transferri.

IV. Translationes sæculi XII.

V. Ante Innocentii III. Pontificatum potestas transferendi Episcopos cert[illegible] Sedi Apostolicæ jam servabatur integra.

VI. De translationibus sæculi XIII. De iis quæ fecit Innocentius III. Contemplatione Primatus Petri divini [illegible] Concilia Pontificibus [illegible] causas majores; lapsu temporum verò factum est, ut cessiones & translationes Episcoporum causis majoribus adnumerarentur.

VII. De translationibus sub Innocentio IV. & successoribus. An semper desideratus fit consensus, tam Regum, tum eorum qui transferebantur Episcoporum.

VIII. De invitorum & renitentium translationibus sæculo XIV. & sequentibus. Decreta Conciliorum Pisani, Constantiensis & Basileensis.

IX. Sententiæ diversæ tres de translationibus coactis, & earum cautiones.

X. Græcorum mores.

XI. Querimoniæ Bellarmini.

I. IN exequenda hic varia translationum historia, tria erunt, quorum elucidationi potissimum incumbamus. 1. Persuasissimum fuisse, fieri eas non posse, nisi Pontificia authoritate. 2. Consensu opus fuisse Regum, nec non & Episcoporum, qui transferebantur. 3. Adversari translationes omnes Ecclesiasticis institutis, nisi uno fiant impulsu utilitatis & necessitatis Ecclesiarum.

II. Initium ducam à sanctissimo Hungariæ Rege Stephano, qui Pontificia Legatione & potestate cohonestatus fuit, ad instituendos Episcopatus, nominandos transferendosque Episcopos regni sui. Strigoniensi is Metropoli donavit præstantissimum Monachum Sebastianum quo non multò pòst oculis orbato, Rex idem eò transtulit Colocensem Episcopum Astricum, Papa annuente. *Assentiente Romano Pontifice Astricum Colocensem Episcopum in ejus locum Rex substituit.* Tertio post anno Sebastianus recepto oculorum lumine, Strigoniensi etiam redditus est Ecclesiæ, permittente Papa, remigrante suam in priorem Ecclesiam Astrico, cum Pallio quod à Pontifice concessum fuerat. *Pontifice Romano approbante, Astricus cum Pallio rediit ad suam Colocensem Ecclesiam, Sebastianus Strigoniensem gubernandam recepit.*

Hæc Baronius ex Scriptore vitæ sanctissimi Regis Stephani ad annum 1002. Plurima hic sunt autem, quæ jure meritissimo observari debeant; quàm ipsa ista Canonum verbis & cortici, tam accommodata eorum menti & scopo, ac charitati, Ecclesiarum utilitatibus servienti, maximè inter earum rudia adhuc exordia. Episcopus cæcitate perculsus Ecclesia decedit, cùm nascituri eidem tantùm esset Coadjutor. Alius in ejus sedem transfertur Episcopus, qui quasi ad tempus tantùm suæ renuntiasset, & alteri se adglutinasset sponsum Ecclesiæ, hanc cedit priori rursus sponso, ipse se priori rursus reddit sponsæ. Nihil alienius à littera Canonum, nihil eorum sententiæ & voluntati consonantius fieri potuit. Ita expeditissimum erat nascentis Ecclesiæ rudimentis; totum porro fiebat conspirante Pontificis, Regis & Episcoporum Regni authoritate.

III. Clemens II. Papa anno 1047. in transferendo Pestano Episcopo in Ecclesiam Salernitanam, easdem regulas sectatus est, ac præterea duas adjecit, minimè nobis prætereundas. Nimirum Cleri & populi petitionem & suffragia intervenire, & non fieri translationem, nisi à minori ad majorem Ecclesiam; fit enim ad unius utilitatem & splendorem Ecclesiæ, cui amplum & compendiosum est, ut majores Ecclesias regant Episcopi majoribus præcellentes virtutibus. Verùm ut illudit non rarò ambitio, fallitque pietatis velo palliata; Pontificum est, Regum & Episcoporum, in eam ut incumbant curam, ne obrepat versipellis cupiditas, & sibi quàm Ecclesiæ consultum malit. Audi ut ea de re hic ipse Pontifex ad Salernitanum rescripserit Archiepiscopum: *Quoties ita contingit, ut exigente necessitate* Baron. an.
vel maxima utilitate transmutandus sit quisquam Episcopus de propria sede ad aliam; diligentissimè perquirenda est persona, utrò necessariò sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut major sedes assumitur. Tu verò, frater charissime, quem unanimitas Cleri & Populi unà cum gloriosissimo Principe Gaimario in suum Pontificem elegit, diligenter discussimus, ne tua ambitionis causa, & non majoris utilitatis necessitate electus fuisses, &c. 1047. n. 11.

Qui duo Clementi immediatè successere Pontifi-

ces, Damasus II. & Leo IX. in Sedem Apostolicam translati ab aliis sedibus & ipsi fuere, ille à Brixiensi, hic à Tullensi. Probabile est cordi fuisse necessitates Ecclesiæ. Narrat autem Otto Frisingensis Episcopus, Leonem IX. ab Henrico II. Imperatore hortantibus Cardinalium Pontificem Romanæ Ecclesiæ designatum, Cluniacum pertexisse, ibique in Hildebrandum incidisse, eum qui Gregorius postea VII. fuit. Perfecit Hildebrandus, ut electioni renuntiaret per Principem sæcularem factæ; comitemque se illi Romam adjungens itineris, Romæ illum à Clero & populo eligi fecit. *A Clero & populo Bruno in summum Pontificem eligatur.* Habes hic translationem expetitam & confirmatam à populo, à Clero, à Cardinalibus, ab Imperatore.

Rursus idem Leo IX. translationem confirmavit Episcopi Toscanellensis in Ecclesiam Portuensem, ut quam Synodus approbasset conducibilem, adeo-
Epist. 24. que & necessariam Ecclesiæ. *Residentes in Synodo, &c. Cùm diligenter esset examinatum, qua ratione de Episcopatu ad Episcopatum transieris; inventum est tam necessitatis, quàm utilitatis causa hoc factum fuisse.*

Anno 1050 Concilium Rotomagense pudendam eorum Præsulum retexit proscripsitque ambitionem, qui patrocinium sibi captabant ab Apostolicis illis viris, quibus præceperat Christus, ut vitandæ persecutionis ergo de civitate in civitatem
Can. 3. fugerent. *Nullus Episcoporum de civitate in qua denominatus & ordinatus est, ad aliam amplioris honoris causa transire præsumat, &c.* Ea prohibitione non vetabantur raræ illæ translationes, quæ publicæ famulantur utilitati; cùm non multis pòst annis, nempe anno 1067. vita abeunte Archiepiscopo Rotomagensi, cùm omnia suffragia conspirarent in Lanfrancum Cadomensem Abbatem, ille miro humilitatis ingenio, Joannem Abrincatensem Episcopum eligi pervicit. Petetiit ipsemet Romam teste Orderico, ut translationis ejus confirmationem ab
Scrip. Norman p. 507. Alexandro II. Papa impetraret. *Porro ut canonicè fieret ista conjugatio, Romam adiit, prædicta ordinationis licentiam ab Alexandro Papa impetravit.*

III. Inter axiomata, *Dictatus* vocant, quæ Gregorio VII. tribuuntur, nec istud siletur: *Quod Pa-*
Post Epist. 55. l. 2. *pæ liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare.* Agitur hîc de extrema *necessitate cogente.* Nec dicitur posse Papam permittere, sed posse facere translationes, quo videri posset facultas dari, etiam reluctabundos Episcopos transferendi. Enimvero ubi *cogit necessitas* Ecclesiæ, eccui dubium est, quin teneantur omnes vim sibi ipsis adferre, & impetrare sibi, ut velint quod nolebant? Si quis verò Episcopus in ejusmodi temporum rerumque molestiis otium suum privatamque quietem anteponeret publicæ Ecclesiæ necessitati & saluti, quis abnuat profiteri, & esse, & esse debere potestatem superiorem, qua compellatur officio fungi, nec sibi, sed Ecclesiæ fateri se natum, se ordinatum Episcopum universæ? Sed cùm fallat nonnunquam cupiditas charitatis nomine & fuco, posset hujus tantæ potestatis abusu concuti & labefactari quidquid est toto orbe Christiano Episcopalium & Metropolitanorum sedium. Satius est hîc ergo non præcipitare sententiam, & in loco tam salebroso suspensis ingredi vestigiis, dum sequentium sæculorum monumenta historica evolventibus, prodat se alicunde lux aliqua, qua hæc dubitatio expediatur.

Non temerè credemus ea potestate summa usum aliquando fuisse Gregorium hunc VII. sed illo altissimè infixo animis nostris præjudicio, purissimo illum exarsisse zelo utilitatis & dignitatis Ecclesiæ, nec aliò unquam collineasse. Episcopum quendam anonymum per litteras delegavit, ut Lugdunum commearet, Episcopumque curaret eligi; si verò diutius res protraheretur, præcepit ut in Ecclesiam Lugdunensem demigraret, ubi postulabatur: atque exemplo uteretur Petri, Antiochia Romam commigrantis. *Ex Apostolica tibi præcipimus potestate, ut rogatus à fratribus & electus ab ejusdem Ecclesiæ filiis, ad regimen prædictæ Lugdunensis accedas Ecclesiæ, imitando Petrum, qui de minori Antiochena Ecclesia translatus est in Romanam.* Hunc Præsulem eligebat Clerus plebsque Lugdunensis, Episcopi Provinciæ id cupiebant; summa in illum potestate nititur Gregorius, ut assentiri cogat: non aliter quàm toto ex orbe ad Romanum approperabatur Pontificem, ut electioni factæ assentiri detrectatores cogeret. Si potest enim Papa compellere ad acquiescendum simplici electioni: quin ergo & translationi? Ne erat quidem locus dubitandi, ubi eligebatur transferendus. At ubi silentibus jam electoribus Pontifices & nominarunt Episcopos, & transferre invitos adgressi sunt, potuere aliqui forsan abruptis his offendi imperiis, & resilire. Quo jure, infrà forsan liquebit.

Ausonensem Episcopum transtulit Urbanus II. Tarraconem, nuper à Mauris receptam; ei tamen successoribusque permittens utendos fruendosque reditus Ausonensis Ecclesiæ, donec vetustissima hæc Metropolis priscam recuperasset gloriam & opulentiam. Præfuit idem Pontifex Nemausensi Concilio anno 1096. ubi Parochi ipsi vetiti sunt à Parochiis aliis in alias transferri, solo majorum redituum lenocinio. *Quod si ambitionis vel cupiditatis* Can. 9.
causa ad aliam ditiorem migraverint Ecclesiam, utramque amittant.

IV. Sola Regum authoritate in Polonia translationes Episcoporum peragi conquestus est Paschalis II. datis ad ejus Regni Archiepiscopum litteris. *Quid super Episcoporum translationibus loquar,* Epist. 6.
quæ apud vos non authoritate Apostolica, sed nutu Regis præsumuntur. Vituperanda quidem ea erat licentia, ubi Rex sua unius voluntate transferebat Episcopos: at vel hinc certè argumentari fas est, non sine assensu Regum celebratas fuisse translationes. Rescito idem Pontifex Hierosolymis electum fuisse Patriarcham, illum quem ipse in Palæstinam Legatum transmiserat, Gibelinum Archiepiscopum Arelatensem: actutum in eam illum transtulit Patriarchalem Ecclesiam; quod apud Clerum Populumque Arelatensem excusavit, quasi electionem tantum Hierosolymis factam confirmasset. *Nos electionem* Epist. 15.
firmavimus.

Roffensem Episcopum elegit Cantuariense Capitulum, utque Pontifex ratam haberet eam translationem, illi per Epistolas significavit. Regem, Episcopos, Abbates, Magnates, Populum assentiri vehementer, & in votis rem habere. *Huic electioni* Epist. 106. 107.
affuerunt Episcopi, Abbates, Principes Regni, & ingens populi multitudo, consentiente Rege. Annuit tum quidem Pontifex, sed non dissimulavit, se iniquo se ferre animo, quòd hæc nonnunquam injussu suo tentarentur. *Vos præter authoritatem nostram Episcoporum quoque mutationes præsumitis; quod sine sacrosancta Romana Sedis authoritate ac licentia fieri, novimus omnino prohibitum.* Denique rescissa est ab hoc ipso Pontifice in Concilio Lateranensi anno 1116. translatio quædam Provinciæ Mediolanensis Episcoporum, tanquam infesta Ecclesiasticis utilitatibus; authore Urspergensi Abbate.

Vehementissimè Paschali assentiebatur Anselmus, non posse nisi dispensante Papa demigrare Episcopos in alias Ecclesias: sed in datis ad Regem Anglorum litteris illud addebat, desiderari præterea consensum Metropolitani, & Episcoporum, tum ejus à qua demigratur Provinciæ, tum ejus ad quam transmigratur. Ab illis enim absolvi & sejungi necesse est, his verò conglutinari, utrisque volentibus. *Qui sacratus est Episcopus, non potest constitui in alia Provincia Episcopus canonicè, sine consilio & assensu Archiepiscopi & Episcoporum ejusdem Provinciæ, cum authoritate Apostolica, nec sine absolutione Archiepiscopi & Episcoporum Provinciæ in qua sacratus est.* — *L. 3 Ep. 126.*

Mortalitatis exuvias ubi abjecit Anselmus, Cantuariensem Ecclesiam quinquennio Angliæ Rex vacare passus est. Electus est tandem à Capitulo & à Comprovincialibus Episcopis Radulphus Roffensis Episcopus, ut jam supra attigimus. Interposuit se, calamumque suum Ivo Carnutensis Episcopus apud Paschalem Papam, ut ab eo hæc electio, hæc tanquam translatio confirmaretur. *Ecclesia consensu Episcoporum, Rege tandem connivente elegit sibi in Archiepiscopum, Radulphum Roffensem Episcopum, &c. Ut electum confirmetis, &c.* — *Baron. an 1114. n. 9.*

Idem aliquantis antè annis Ivo Carnotensis Pontificem pro alia interpellaverat translatione, Galonis nimirum Bellovacensis Episcopi in Ecclesiam Parisiensem; quòd Rex juramento constrictus esset, non cum Bellovaci pati, qui non abnuebat tamen, quin Parisiensi Ecclesiæ præesset. *Ut Galonem de Belluacensi Episcopatu, quem per sacramentum domni Ludovici habere non potest, per manum Senonensis Archiepiscopi transferri jubeatis in Parisiensem Episcopatum, quem ei gratanter & devotè concedunt pro vestro amore Rex & Regis filius.* Scripsit Ivo & ad Senonensem Metropolitanum, transferendi jus & potestatem residere penes Metropolitanum, & Papam, qui tum dispensat, relaxatque Canones, cùm hortatur necessitas Ecclesiæ. *Sed quia translationes Episcoporum necessitate urgente, Metropolitani authoritate & summi Pontificis dispensatione fieri oportet.* Nec Metropolitani jam detrectabant, quin necessariò desideraretur hæc Pontificis dispensatio ad translationes, cùm Senonensem Archiepiscopum hortetur Ivo, ut à Pontifice flagitet facultatem hujus Episcopi transferendi. — *Baron an. 1104 n. 4.* — *Epist. 169. 571.*

Constat ergo receptissimam fuisse eam, & regulam juris, & consuetudinem sæculo XI. quæ jam ne in controversiam quidem vocabatur ineunte sæculo XII. Pontificibus reservari translationes Episcopales, quamvis non ita pridem in Conciliis Provincialibus consultatæ, & concessæ fuissent. Paucis in contrarium obstrepentibus exemplis, nihilominus certum erat, eam & legem, & consuetudinem jam invaluisse.

Ita certè sentiebat beatus Bernardus, cùm datis ad Mediolanenses litteris monebat, tum compluribus illos aliis ab Apostolica sede cumulatos esse Beneficiis, tum hoc in primis nulla oblivione obruendo, quòd eorum obsecundasset votis, in Episcopo ad eorum Metropolitanam Ecclesiam transferendo. *Voluistis licuisse vobis, quod illicitum, nisi pro magna quidem necessitate sacri Canones judicant, translationem Episcopi scilicet in Archiepiscopum, concessum est.* — *Epist. 131.*

Hugo de sancto Victore ita de re ista diffinit, ut nihil dubitationis in ea residere posse præ se ferat. *Mutatio Episcoporum de suis locis ad alia loca, nulla ratione fieri debet, nisi pro magna utilitate, vel necessitate cogente; & hoc quidem non per ipsos fieri oportet, sed consilio & invitatione Coëpiscoporum, atque authoritate Romani Pontificis.* — *De Sacram. L. 2. part. 3 c. 24.*

Petrus Cluniacensis Abbas Imperatoris Hispaniarum nomine scripsit ad Innocentium II. Papam, ut ab eo eliceret, quod annuere solus poterat, translationem Episcopi Salmanticensis in Metropolin Compostellanam, convenienter celebratæ electioni. *Electionem Salamantini Episcopi in Archiepiscopum sancti Jacobi ab omni Clero, ab omni populo, canonicè, pacificè, communiter factam prædictus Imperator per humilitatem Majestati Apostolicæ repræsentat, &c. Quod potestatis vestræ solius est, translationem ejus de Salamanca ad urbem sancti Jacobi Apostoli concedatis.* — *L. 4. Ep. 3.*

Ante Innocentium II. Petri sedem obtinuerat Honorius II. qui Hildebertum Cenomanensem ex Ecclesia in Turonensem traduxit, ut refert Ordericus, ad annum 1125. *Turonici Hildebertum Cenomanensem probatum Præsulem sibi asciverunt, & Honorii Papæ permissu gaudentes in Turonica Metropolis Cathedram transtulerunt.* Sed quid gestum sit, narrare non contentus Ordericus, addit & quid geri consentaneum juri fuerit vulgatissimo. Disertissimè enim ad annum 1136. de Translatione quadam agens Anglicanæ Ecclesiæ, negat eam citra Pontificis assensionem fieri potuisse. *Quia Episcopus secundùm Decreta Canonum de propria sede ad aliam Ecclesiam nisi authoritate Romani Pontificis promoveri nequit, &c.* — *Scrip. Norman pag. 882. 908.*

De eo ergo transferendi jure ne certabatur quidē cum Pontifice, vel in Anglia, vel in Gallia, immò nec in Hispania, nec in Germania forsan usque ad tempora Eugenii III. Papæ. Tum enim anno videlicet 1152. Fridericus I. Imperator, scissam expertus Magdeburgensem Ecclesiam in electione Metropolitani, persuasit ut Guimannum eligerent, Episcopum jam Nanmburgensem, ut nunc vocant, priùs Cicensem; quem & confestim temporali tota Ecclesiæ Magdeburgensis ditione investivit. Hausta est hæc narratio ex Ottone Frisingensi, qui totus est in defensanda hac Imperatoris ratione & potestate: quòd videlicet, ubi adducti sunt tandem Imperatores, ut Investituras ejurarent, id vicissim illis repensum sit, ut divisis suffragiis & votis eligentium, ipsi Præsulem eligerent de consilio Procerum Aulicorum. Verùm eo etiam dato, Imperatoriæ non erat potestatis Episcopum transferre, maximè ubi dissentiunt electores, cùm translationes fieri non debeant, nisi evidens sit utilitas, aut urgens necessitas Ecclesiæ. — *Baron. ann. 1152. n. 7. Anno 1154.*

Ita enimverò rescripsit Eugenius III. ad Episcopos Germaniæ, qui Friderici facinus approbarant, idque expetierant à Pontifice confirmari. *Cùm translationes Episcoporum sine manifesta utilitatis & necessitatis indicio, divinæ legis oraculum non permittat, cùm etiam multo amplior quam in aliis electionibus Cleri & Populi debeat eas prævenire concordia; in facienda translatione de Cicensi Episcopo nihil horum est, sed solus favor Principis expectatur.* Otto ipse Frisingensis, qui non extremum in his Episcopis locum tenebat, de novo hoc Archiepiscopo verba facit tanquam de intruso, ubi ait Anastasium IV. Papam ex dispensatione ratum habuisse, Eugenii nempè III. successorem, quod ausus fuerat Fridericus. *Princeps missis ad Anastasium cum Guimanno novo Archiepiscopo ab ipso intruso nunciis, non solum facti sui ratihabitionem, sed etiam pallium obtinere eum fecit, non sine quorundam scandalo.* Nimia non paucis visa est hæc Anastasii facilitas dispensandi; at ne Imperator quidem dubitavit, quin necessaria fuerit in eo negotio Pontificia dispensatio.

Anastasio successor datus Adrianus IV. hoc expressit à Vuillelmo Siciliæ Rege, ut ne translationes posthac in Sicilia fierent, nisi concessione Romani Pontificis *Translationes in Ecclesiis fient, si necessitas aut utilitas Ecclesiæ aliquem de una Ecclesia ad aliam vocaverit, & vos, aut vestri successores concedere volueritis.* Adriano successit Alexander III. qui maximam ex eo cepit voluptatem, quod confirmatum tum fuerit ab Hungariæ Rege fœdus illud, quod olim pepigerat Alexander II. cum priscis Hungariæ Regibus, ut ne unquam Reges inconsulta Apostolica sede Episcopos transferrent. *In se & suis posteris domino Alexandro Papa & suis successoribus noscitur concessisse, videlicet quod sine authoritate, consilio ve ejus, vel successorum suorum, depositionem, seu translationem Episcoporum non faciet, vel fieri permittet.* Verba ipsissima hæc sunt Edicti Regis Hungariæ.

Baron. an. 1156. n. 5.
Baron. ann. 1169. n. 40

Impetraverat ab hoc eodem Pontifice Henricus II. Rex Angliæ translationem Episcopi Herefordiensis in Ecclesiam Lundinensem, ut fidem facit Epistola Pontificia ad eundem Episcopum. *Rex multa olim à nobis precum instantia requisivit, ut de te translationem fieri pateremur, &c.* In Gallia verò referente Rogerio ad annum 1177. ejusdem assensione Pontificis Senonensis Archiepiscopus ad Ecclesiam migravit Remensem. *Facta sedium Archiepiscopalium mutatione, Alexandri summi Pontificis permissione.* In Scotia consultatum fuerat de Episcopalium sedium permutatione, quam Pontifex irritam fecit. *Rex Scotiæ ad Alexandrum Papam misit nuncios, postulans, ut pro bono pacis concessisset hanc fieri sedium Episcopalium commutationem, sed dominus Papa hoc concedere noluit.*

Paris anno 1168
Epist. 13.
Rogerius pag. 553. 613.

V. Contineo me ab exemplis pluribus sæculi XI. & XII. congerendis. Plus satis in his est præsidii, ad hæc duo antè confirmanda, quam ad XIII. progredimur. 1. Hallucinari vehementer eos, qui ab Innocentio III. nugantur reservatas primum fuisse Apostolicæ sedi Episcoporum translationes. Centum, aut ducentis jam antè annis invictissimis Pontificum Historicorum & Doctorum testimoniis constabat Romanos eam potestatem explicuisse Pontifices. 2. Vix aut nec vix possunt hæ disciplinæ Novationes, in quibus causa vertitur Episcoporum & Regum, abruptè & uno impulsu fieri. Invalescunt illæ sensim, & pedetentim, inopinè, & præter mentem ferè, ac præter voluntatem; ita enim solet in iis quæ usu invehuntur. Ante consuetudo inolita sentitur, quàm sentiretur inolescere. Nec enim ferè nisi de singulis negotiis & causis expediendis solliciti sumus; an autem ea sæpius iteratis exemplis consuetudo & lex invalitura sit aliquando, nec providere animo possumus, nec ferè in cogitationem venit. Quin ne ab ipsis quidem superioribus potestatibus nascuntur exordia harum mutationum; sed ex variis incidentibus causis, & occasionibus, quibus cogimur ad eas confugere. Cessantibus Conciliis Provincialibus, non residentibus Metropolitanis, aut officio minus fungentibus, aut non ea qua par est authoritate valentibus, aut privatæ cupiditati famulantibus, aut sedibus vacantibus, his aliisque compluribus causis fit, ut translationes ad eos referri priùs solitæ, ad Apostolicam sedem referantur. Electi ab alia quapiam Ecclesia Episcopi, electioni quandoque non acquiescebant, & disjungi ab Ecclesia sua molestè ferebant: interpellabatur tunc prima Sedes, quæ eos adigeret privatos affectus publicæ Ecclesiarum utilitati posthabere. Electo ad aliam sedem Episcopo malitiosè aliqui adversabantur; controversum erat, an Ecclesiæ utilitati consentiret translatio aliqua: ita penè necessariò adibatur sedes Apostolica. Translationi quandoque impensius studebant Reges, ea ut certissimè procederet, atque cum splendore & pompa res perageretur, ipsimet Pontificiam & summam interpellabant authoritatem. Possemus & alias proferre causas harum innovationum complures, quæ singulæ oculos ad se hominum non convertebant, nec antiquis moribus derogaturæ videbantur; sed quæ universæ tandem novos hos invexere usus. Permagni autem interest hæc observasse varia rerum & causarum momenta, quæ vitari tum quidem forsan potuere, cùm res gererentur: & ex quibus tandem crebrescentibus devitari non potuit, quin novæ inserperent & consuetudines, & leges.

VI. Accedamus ergo ad Innocentium III. qui ipso statim primo Pontificatus sui anno non potuit non succensere Episcopo Hildesheimensi in Germania, & Archiepiscopo Turonensi in Gallia. Ille sua unius authoritate nisus ab Ecclesia sua desciverat, invaseratque Virtsburgensem: hic Abrincatensem Episcopum in Andegavensem traduxerat. Distrinxit in eos Innocentius eam summæ potestatis vim, quæ perinde ut æquum est, violatas sanctissimas & antiquas leges ulciscitur. Non is erat ille qui Pontificatum suum auspicaretur, à promulgandis novis legibus, aut ab excommunicationum & suspensionibus jaculis adversùs Episcopos & Metropolitanos spargendis. Quin contestatur ipsemet ultore se gladio Ecclesiæ uti, uti ad tuitionem legum earum, quas *sancti Patres* constituissent. *Sancti Patres majores Ecclesias, utpote cessiones Episcoporum & Sedium translationes sine Apostolicæ sedis licentia fieri vetuere.* Hoc jam capite abundè declaravimus, quam non injuria Innocentius dicat sanctos Patres eam sanxisse disciplinam, quæ translationes Papæ reservaret. Ubi consuetudo annis centum, vel ducentis viguit, tunc jure suo gloriam sibi vendicat & majestatem venerandam antiquitatis. Paucissimis ea suppetit vel otii, vel ingenii abundantia, quæ expiscandis legum & consuetudinum initiis Epochisque sufficiat. Sanctissimi Præsules, & Ecclesiarum gravioribus causis occupatissimi, ii certè minimè omnium possunt ei spinosæ vacare indagationi. Jure ergo Innocentius antiquis Patribus vendicat eam translationum reservationem ad sedem Apostolicam, ut cujus initia hominum omnem memoriam antecederent. Denique dici possunt Patres antiquissimi causas majores universim sedi Petri reservasse, quarum in numero Ecclesia aliquando tandem translationes has collocavit.

Raynal. an. 1198 n. 21.

Nec statim morigerum se præbuit Innocentii mandatis Hildesheimensis Episcopus: nempè concessione fretus Celestini III. qui hoc ei indulserat, ut ad majorem provehi posset Ecclesiam. Vide quid ea de re Gesta Innocentii narrent: *Prætendens quod à Cælestino Papa sibi fuerat indultum, aut invitatus majorem posset assumere dignitatem.* Horum Scriptor Gestorum eam diluit cavillationem, ex eo quòd ditior quidem est, at nequaquam major Ecclesia Virtsburgensis: *Quamvis ditior, non tamen dignior.* At pronius est æquiusque dispensare, ut ad celsiorem quis Ecclesiam promoveatur, quod major hinc in Ecclesiam fructus cauberet. *Cùm in majori dignitate propter majorem utilitatem facilius soleat dispensari.* Utraque tandem se abigi dolens Ecclesia, & contemptui haberi, audacior ille antè Hildeshcimensis

Raynal. an. 1199 n. 33. Anno 1200. n. 140.

Præsul, infregit tandem animum & tumorem ipse suum, Romæque ad Pontificis genua procidit, à quo prolixè exceptus est, facta etiam copia Virtsburgensibus, ut eum sibi Episcopum eligerent, si idoneum judicarent.

Jam quod ad Archiepiscopum Turonensem pertinet, ea se ille tuebatur ratione, quòd electus tantùm & confirmatus fuisset Episcopus Abrincatensis, non ordinatus, non consecratus: eoque citra Pontificiam dispensationem transferri potuisset. Itaque ne illi quidem duo Præsules inficiabantur translationum jus penes unam jam esse Apostolicam Sedem; sed illud Turonensis ad Episcopos consecratos coarctabat: Hildesheimensis concesso per Cœlestinum III. privilegio trajiciendi ad majorem Ecclesiam, uti se posse sperabat, ut in æquali conquiesceret. Planum id totum fit ex Innocentii III. Decretalibus.

Extra De Transl. Epis. c. 1. 2. 3. Et de majorit. c. 5.

Sed in iis illud maximè Decretum perpendi par est, quo suspenditur Patriarcha Latinus Antiochenus, ob translatum Archiepiscopum Apameensem in sedem Tripolitanam. Duo sunt ibi studiosè nobis observanda 1. Cùm omnes inimicæ sint Canonibus translationes, hæc illis infestissima erat: propterea quòd translationem Episcopi in majorem Sedem, excuset major inde utilitas in Ecclesiam emersura. At insolens & inusitatum est, ut in minorem decrescat Episcopus Ecclesiam, dum transfertur: quod ne umbra hic quidem prætexi possit publicæ utilitatis. *Novo quodam mutationis genere episcopare Archiepiscopum, imo potius dearchiepiscopare præsumens.* Nec id Ostiensis obstrepit doctrinæ, qui ait Præsulem eum qui bona fide cesserit, posse interjecto temporis spatio non mediocri ad minorem Prælaturam assumi, & exemplo esse posse Clementem IV. qui Archiepiscopum Salisburgensem post cessionem Ecclesiæ suæ, longo pòst tempore Episcopali Ecclesia donavit.

Fagnan. in L. 1. Decret. Part. 2. pag. 128.

Illud 2. observa, quàm consideratè & circumspectè Innocentius loquatur, ubi ait, Sedem Apostolicam à Christo ipso Principatu omnium Ecclesiarum donatam esse; Concilia verò posteriora ei exemplo ut se accommodarent, majores causas ei reservasse; ex quo contigit, ut sæculis volventibus cùm translationes quoque Episcoporum majoribus causis fuerint adscriptæ, eæ quoque Sedi Petri reservarentur. Ita videri possunt hi veluti rivuli ab illo primigenio manasse Primatûs fonte, etsi nonnisi longo pòst tempore in lucem eruperint. Tria ergo sunt rerum genera, tria singulorum tempora. Primatus Sedis Apostolicæ, Causæ majores in genere, Translationes specialiter Episcoporum. Primatus ab ipso immediatè Christo scaturiit. Reservatio causarum majorum Conciliis innititur, & Constitutionibus Ecclesiasticis, ut corollarium quoddam Primatûs, idque antiquissimum. Recentior est translationum reservatio, sed & ipsa quodam suo modo dimanat à Primatu. *Cùm ex illo privilegio generali, quod B. Petro & per eum Ecclesia Romana Dominus noster indulsit;* En divini juris Primatus: *Canonica postmodum manaverint instituta, continentia majores causas Ecclesia ad Apostolicam Sedem perferendas.* Hæc est causarum majorum reservatio, in Conciliis quidem facta, sed ab origine tamen aliquo modo scatens divini Primatûs, in quantum Concilia contemplatione & reverentia divini Primatûs has reservationes sanxere. *Ac per hoc translationes Episcoporum ac Sedium mutationes ad summum Apostolica Sedis Antistitem de jure pertineant.* Ita consentaneè

Extra. De transl. c. 1.

interdictis Jure canonico cessiones & translationes Episcoporum causis majoribus sunt annumeratæ.

VII. Necdum ullo exemplo animadverti potuit translatos à Pontifice Episcopos, nisi electione aut postulatione præeunte canonica. Nec ipse Innocentius Genevensem Episcopum Ebrodunum transtulit, nisi postquam Ebrodunensi ab Ecclesia electus fuit. At cùm Norvicensem in Anglia Episcopum elegisset Ecclesia Vintoniensis, alienissimo autem esset animo Rex Angliæ ab eo Præsule, præcepercique ut scripto Vintoniensi Ecclesiæ renuntiaret: censet Matthæus Paris, nihil machinari potuisse Regem Episcopatui ipsi contumeliosius. Propterea quod si ex obedientiæ lege juberet Pontifex electum electioni assentiri, non posset non ille Superioris imperio obtemperare. *Quod omnino dissonum fuit rationi, & Episcopali contrarium rationi. Quia si Dominus Papa in virtute obedientia id ei præciperet; nullo modo si filius esset obedientia, aliquatenus posset contradicere.* Transtulit revera Innocentius IV. eum Præsulem in Ecclesiam Vintoniensem, rescripsitque ad Angliæ Regem, qui dissentiente se negabat perfici rem potuisse, quòd res Episcopatuum temporales in custodia & potestate Regum sint: rescripsit, inquam, Pontifex, illud persuasissimum esse Præsulibus Ecclesiæ, nequaquam in arbitrio Principum temporalium positam esse distributionem sacrarum dignitatum: & sentire tamen se quanti interesset ad sacerdotii incolumitatem & amplitudinem tuendam, amicitias colere Principum terrenorum, sub quorum patrocinio conquiesceret Ecclesia: ideoque certum sibi esse eorum desideriis obsequi, quantum per justitiæ leges, legumque dominatricem charitatem fas erit. *Præsertim cùm teneat omnium credulitas pia fidelium, quòd Apostolica Sedis authoritas liberam habeat in Ecclesiis universis potestatem à Dei providentia; nec arbitrio Principum ipsa stare cogitur, ut eorum in electionum vel postulationum negotiis requirat assensum. In quibus tamen Dominum habendo præ oculis sic providè procedit & cautè, quod per illam nullius possit honori detrahi, vel justitiæ derogari.* Ita tum quidem professus est Pontifex, qui nihilo tamen minus constantiæ suæ retinentissimus fuit; ut à sententia tandem recesserit Rex, abjeceritque perversam illam suam ab Episcopo de Ecclesia benemerito, virtutibus merito, & quem ipse olim in deliciis habuerat, animi alienationem.

Matt. Paris anno 1241.

Raynal. an. 1244. n. 46

Epist. 2. ...

Conjunctissimus erat ei Angliæ Regi B. Ludovicus Galliarum Rex sanctitatis laude clarissimus; sed longè alia erat ipse in Ecclesiam Christi reverentia & charitate. Frequentibus litteris poposcerat ille ab Urbano IV. Papa, sibi ut permitteret, dimitteretque Archiepiscopos Ebrodunensem & Narbonensem, ut conciliandæ paci operam navaret inter Reginam conjugem suam & Carolum Andinum Comitem fratrem suum, super iis juribus quæ illa sibi vendicabat in Provinciæ Comitatum. Officiosissimis verbis suam & Ecclesiæ necessitatem excusavit piissimo Regi Pontifex, quòd jam ab exordio Pontificatûs oculis omnes perlustrasset Christiani orbis Provincias, ut undequaque venaretur & accerseret ejusmodi viros, qui Cardinalium Collegio inscribi meritò possent, secumque Ecclesiæ universæ gubernaculis assidere. Ea de causa ex canonicæ obedientiæ lege accersitos à se esse Archiepiscopos eos: quò purpura sacra decorati, Ecclesiis Episcopalibus Sabinensi & Ostiensi præficerentur. *Urgens Ecclesia generalis non dissimulanda necessitas, nos statim reddidit multipliciter anxios in exquirendis viris secundùm cor*

Raynal. an. 1262. n. 42.

nostrum idoneis ad Cardinalatûs officium assumendis, &c. Narbonensem ad Sabinensis & Ebredunensem ad Ostiensis Ecclesiarum regimen duximus evocandos. Propter quod eis in virtute obedientiæ dedimus in præceptis, ut ad præsentiam nostram festinanter accederent, Collegio Cardinalium solenniter aggregandi.

Non patitur Urbani IV. ipsa ex Gallia nostra oriundi singularis sanctitas vitæ, in dubium vocari consiliorum ejus sanctimoniam & integritatem, adeoque & infucatam in Regem sanctissimum Ludovicum observantiam & charitatem. Nec de Ludovico Rege ambigi potest, quin Regni etiam sui utilitates necessitatibus posthaberet Ecclesiæ universalis. Tantò autem proclivior est ejus rei fides, quòd Henricus ipse Angliæ Rex Innocentio IV. tandem aliquando cesserat ipsemet, tum sua in summum Christi Pontificem veneratione, tum Vintoniensis Episcopi mollitus modestia, suique dejectione, ut narrat Matthæus Paris.

Transferebantur autem hi Episcopi subinviti à Pontifice, cùm citra controversiam sese illi Regum voluntati accommodaturi fuissent, si ipsos sibi Papa permisisset. Sed illud adverte, tum demum Matthæum Paria verba fecisse de Episcopi obsequio necessario in Pontificem, suo ad transferendum jure utentem, ubi res agebatur de Episcopo canonicè electo & à Papa confirmato, quem Rex transferri nescio qua mentis obliquitate prohiberet. Ut enim iræ Regiæ Episcopus subduceretur, ita constituebant, quanquam perciperet Episcopus, ut de Rege benemereretur, Episcopatui Vintoniensi renuntiare, non posse tamen eum non parere Pontifici Vintoniam illum transferenti. Illud hîc præ cæteris observari operæ pretium est, has nunquam satis commodè sedari controversias, nisi dependa Regibus reverentia debita, ut Matthæus hîc Paris approbat hujus Episcopi Vintoniensis exemplo, qui humillimis obsequiis Regiam tandem delinivit & mansuefecit iracundiam.

VIII. Sed ea semel patefacta janua, ut Pontificis authoritas interpellaretur, ad transferendos invitos Præsules, quod à Vintoniensibus factitatum tunc est: non eo res loco stetit, quo cœperat. Plures inde translati sunt à Pontificibus Episcopi, non expectata Ecclesiarum postulatione, imò & præter ipsorum Episcoporum voluntatem. Ea incidebant tempora, cùm ita conduceret ad Ecclesiæ universalis salutem, adeoque citra flagitium jam non possent Episcopi repugnare: quo fiebat, ut ea deficeri non posset Ecclesia authoritate legitima, quæ hos amoliretur obices, & repugnantes cohiberet. Sed ea rerum perturbatio concitabatur in Provinciis, imperiosæ ejus dominationis hactenus insolentibus, nec satis persuasis totum tribui Ecclesiæ necessitati: is erat & Episcoporum rancor, impatienter ferentium, suarum se sponsarum castissimis amplexibus abstrahi: ut hinc metirò suspenderetur illa publicæ utilitatis & Ecclesiasticæ necessitatis ostentatio.

Illustrabitur res exemplis. Narrat Valsinghamus ad annum 1398. Episcopum Lincolniensem translatum fuisse à Pontifice in Ecclesiam Cestrensem, ut Ducis Lancastriæ filio conferretur Lincolniensis Ecclesia toto regno longè opulentissima. Indignissimè tulit hanc translationem suam Episcopus Lincolniensis, quod nec dissimulavit, reliquo vitæ spatio cum Cantuariensibus Monachis decurso. Confessor Regis qui Dominicani gregis alumnus erat, à Landaffensi Episcopatu ad Cestrensem translatus est. Tum verò Richardus II. Rex Clerum Regni convocavit, percontaturus, an proprio motu hæc tentare posset Pontifex: *Rex eo tempore fecit convocari Clerum, ut determinaret si liceret Papæ tales facere translationes pro arbitrio suæ voluntatis.* Clerus enimvero gemino hinc & inde scopulo territus & fluctuabundus, nec alienare à se Pontificem volens, cujus subinde opportuna & prævalida ope nitebatur adversùs regiorum impotentiam ministrorum: respondit consultissimum fore, ut litteris Rex ad Pontificem datis, rogaret his posthac temperare translationibus, ut votis satisfieret Ecclesiæ Anglicanæ. *Ad quod fuit responsum non directè, sed per modum supplicationis porrecta Regi, ut dignaretur Papæ scribere, ut à translationibus cessaret, pro commodo totius Ecclesiæ Anglicanæ.* Minùs probata est Regi tam mollis, aut tam modesta responsio: unde & professus est, si Clerus pristini vigoris aliquid exeruisset, se ei validissimè fuisse patrocinaturum. *Juravit Rex, quod si Clerus restitisset constanter Papæ in isto negotio, ipse manus opposuisset in auxilium eorundem.*

Iisdem ferè cum Anglia querelis cæteræ personabant Ecclesiæ, quæ in Concilio Pisano erupere tandem anno 1409. ubi pollicitus est Alexander V. Papa, nunquam invitos à se Episcopos Ecclesiis suis divellendos, nisi intercederent causæ justissimæ, & de consensu majoris partis Cardinalium. *Dominus noster sacro approbante Concilio, disponit non facere translationes de invitis, nisi parte audita & vocata, & de consensu majoris partis Cardinalium, nisi ex causis justis & rationabilibus.* Per hoc ergo Concilium licebat adhuc Pontificibus, etiam invitos transferre Episcopos, dum tres istæ servarentur cautiones. 1. Ut nonnisi gravibus & justis id fieret causis. 2. Ut Episcopi primùm ipsi accerserentur, monerentur de Ecclesiæ necessitatibus, audirentur, si qua se ratione tueri & contrà niti vellent. 3. Res fieret assentiente Cardinalium majori parte. Sess. 21.

Illud obiter hîc admonebimus huic ipsi Pontifici Alexandro V. transferendos fuisse Cardinales aliquos ex uno Titulo in alium; propterea quod in illius schismatis diuturni rerum perturbatione, eodem quandoque Titulo plures donati diversarum etiam partium fuerant Cardinales. Observatum est autem ab Onuphrio translationes ejusmodi Cardinalium ab uno Titulo ad alium, ab una Ecclesia ad aliam, factas antea fuisse nunquam, factas autem deinceps fuisse sæpiùs. Spond. ann. 1420 n. 1.

Constantiensis Concilii Patres nihilo plus ad assentandum Pontificibus Romanis propendebant, quàm Pisani: & eadem tamen illos potestate uti facilè passi sunt, iisdem conditionibus, quas etiam valere voluerunt in Abbatibus; in cæteris verò transferendis Beneficiariis desideratum est dumtaxar, ut causæ subessent justæ & rationales. Addidere autem eo tantùm consilio hos circumscribi limites & modos, ut ne Pontificibus obreperetur, quo metu retardabantur Episcopi, ut ne toto pectore & tota virium contentione suas colerent Ecclesias, à quibus sejungendos se verebantur. *Cùm Prælati nonnunquam jura & libertates Ecclesiarum suarum translationis formidine non adeo soleter ut aliàs prosequantur; ut ad importunitatem quorundam, quæ sua & non quæ Jesu Christi quærentium, Romanus Pontifex forsan ut homo facti nescius, in hujusmodi circumveniatur, aut aliàs leviter inclinetur; præsentibus statuimus & ordinamus, invitorum Episcoporum & Superiorum translationes absque magna & rationabili causa, quæ vocata parte cognita fuerit & decisa, de consilio sanctæ Romanæ Ecclesiæ* Sess. 39.

Cardinalium, vel majoris partis eorundem, & cum subscriptione de cætero fieri non debere. Inferiores verò, ut Abbates, aliique perpetuè beneficiati, inviti absque justa & rationabili causa cognita amoveri, seu privari non debeant. Adjicientes, quod in mutationibus Abbatum subscriptio Cardinalium interveniat, sicut in Episcopis est præmissum. In Basileensi denique Concilio nihil aliud quam confirmatum est hoc Constantiense Decretum. *Salvo Decreto sacri Constantiensis Concilii de Prælatis non transferendis invitis.* Sess. 23. c. 3.

IX. Recentioribus ex Canonistis prolixè Fagnanus hanc versat quæstionem, invitine possint à Papa transferri Episcopi. Affirmat autem eam concertationem tum vehementer exarsisse olim, cùm Urbanus VI. Episcopum Florentinum absentem in Cardinalium Collegium cooptavit; an scilicet vacarit ea Ecclesia, ex quo Pontifex Episcopum Cardinalitia exornasset dignitate, an ex quo Episcopus assensus esset. Prima est eorum sententia, qui negant posse Pontificem, quacumque demum de causa invitos transferre Præsules. Aliàs enim insolubile & individuum non erit conjugium; nutu Pontificis amoveri poterunt Episcopi, quod ne de Parochis quidem dici potest erga Episcopos. Denique disertè apud Gratianum negat Gregorius Papa, quandiu procul à crimine sunt Episcopi, invitos spoliari eos posse. *Alium loco ejus recusante eo, nulla sinit ratio ordinari.*

Fagnan. in C. Quanto De translat.

C. Quamvis 7 q. 1.

Longè diversa est aliorum sententia, absolutissimè posse semper Pontificem, quoties libet. Ita enim statuunt Scriptores isti, Beneficia omnia ita obnoxia esse voluntati & arbitrio Pontificis, ut quæ manualia dicuntur, & obedientiæ; claustralium instar officiorum; quippe cùm Episcopatuum & Beneficiorum atque Ecclesiarum omnium fundatrix fuerit Ecclesia Romana; sitque Pontifex non administrator tantùm, sed dominus rerum omnium Ecclesiæ temporalium.

Tertia est quæ mediam tenet orbitam, tutissima eorum sententia, qui censent ita transferri posse Episcopos, cùm utilitas evidentissima, aut gravissima flagitat Ecclesiæ necessitas; non aliàs. In ea manifestissimè hæsere sententia, quæ modò laudata sunt Concilia, Pisanum, Constantiense, Basileense. Perfacilis est autem & perexpedita hujus doctrinæ ratio, non posse dispensationes nisi Ecclesiæ utilitati & necessitati donari; non posse à Papa dissolvi conjugium spiritale, nisi quà Christi Vicarium agit; non ageret autem, si hoc divortium faceret, humanis tantùm affectibus in consilium adhibitis; Pontificem non dominum esse, sed dispensatorem fidelem dignitatum & bonorum Ecclesiæ; diffinitum denique esse in Conciliis, Conciliorumque Canonibus & Decretis, indivulso & æterno vinculo Episcopos suis Ecclesiis astringi, nisi ab iis disjungat illos necessitas & charitas Ecclesiæ universalis.

Præstat certissimè tertia hæc sententia & rationum momentis, & authoritatis pondere. Unde & illi suffragatur Fagnanus; à quo & illud additur; Si uni Pontifex serviat Ecclesiæ utilitati & necessitati, posse illum hauddubio invitos Episcopos prioribus suis Ecclesiis subducere, non posse invitos posterioribus conjugare, cùm nusquam tam necessaria sit, quàm ad novum conjugium libertas.

Subtiliter id quidem disputatur; an æquè solidè viderit, suoque fruatur Lector judicio. Complusculos enim suprà audivimus, qui nos docerent conveniri solitos Pontifices, ut summæ authoritatis pondere cogerent acquiescere Ecclesiis, ad quas electi vel postulati aliqui fuissent, nec aliàs assensuri unquam essent.

Quoad tres autem illas quas Fagnanus edisseruit opiniones, ut longè probabilior tertia fuit circa tempora eorum trium Conciliorum, quando iis moribus utebantur Ecclesiæ, & is erat usus pervagatissimus: ita postquam exolevit is usus, maximè post Concordata cum Regibus inita, & post Regias ad Prælaturas nominationes, danda necessariò palma est ei sententiæ, quæ primo recensita est loco. Diutiùs enim multò & universaliùs receptissima ea fuit, si revolvamus priores Ecclesiæ ætates ab origine ipsa sua, quæ non paulò ad gloriam & ad sanctimoniæ commendationem illustriores fuere. In confesso quidem est, tum Episcopos, tum Beneficiatios omnes, ita intimis in animi sui præcordiis imbutos, paratosque esse debere, ut non sibi, sed Ecclesiæ vivant, illam medullitus diligant, illam amplexentur, ei se impendant ex animo. Ex quo id quoque nascitur, ut Episcopatu & Beneficio quovis spoliari præsto sint, si ita conducat Ecclesiæ. Sed quàm certa & inconcussa est hæc doctrina, tam immaniter à vero abhorret, per annos amplius mille ducentos ullam existimatam esse ejusmodi potestatem Ecclesiasticam, qua ita possent mutari, & transferri ab Ecclesiis suis ad Ecclesias alias, sive Episcopi, sive Abbates, sive Beneficiatii quicumque demum alii, inviti & renitentes. Statutum fuit aliquando in Conventu Episcoporum Africæ, ut Episcopi Catholici sedibus suis abirent, cederentque Episcopis Donatistis earundem civitatum, si ad eorum resipiscentiam reditumque ad Ecclesiam Catholicam, eo charitatis ingenio perveniri posset. Verùm semel id toto sæculorum decursu contigit, nec habuere quos imitarentur Africani isti Episcopi, uti nec postea fuere, qui eos imitarentur. Verùm quò rei cardo vertitur, minimè inviti cedebant hi Episcopi, ut qui ipsi sibi eam legem sancirent, sibi imperarent. Si invitos transferri Episcopos, cessurum aliquando fuisset utilitati Ecclesiæ, qui fieri potuit, ut tandiu & per tot sæcula res exemplo careret? An verò prohibiti fuissent Episcopi invitos transferre Parochos: si ipsi nolentes transferri potuissent? An spiritale Parochi cum Ecclesia sua conjugium, sanctius & indissolubilius est, quàm Episcopi?

X. Strictim aliquid de Ecclesia Græca dicendum superest; in qua non injuria expostulabat Simeon Thessalonicensis Episcopus, de assentatorum quorundam insania, qui Imperatores ad ea tentanda impulissent, quæ eorum potestatis fines longo intervallo excederent, ad creandos videlicet, & transferendos Episcopos; cùm ea potestas propria sit Episcoporum, qui Ministri & interpretes sunt Spiritus sancti, à quo Episcopi instituuntur. *Verùm ista non tam ab Imperatoribus, quam ab adulatoribus fiunt, qui eos commovent ad majora perpetrandum, ita ut audeant & promovere Episcopos, & translationes facere Papa. Ordinatum per Spiritum sanctum hujus Ecclesiæ Pastorem, ab iis constitui alterius Pastorem, qui non habent Sacerdotii potestatem & virtutem, & præter Spiritus sententiam. Si ædificationis Ecclesiæ causa oportet aliquem Episcopum in majori urbe constitui, hoc à Spiritu statuendum est, à quo & ordinatus est, non autem à mundana potestate.* *De sacris Ordinat. c. 8*

In his ergo tribus, quæ plurimum habent hic momenti, conveniebat Græcis & Latinis: 1. Non faciendas translationes, nisi quas extorqueret necessitas Ecclesiæ. 2. Eam necessitatem evidentius

tunc patuisse, cùm minori ex Ecclesia ad majorem vocabatur is Episcopus, qui meritis & eruditione præstaret. 3. Nec nisi Ecclesiastica authoritate has fieri debere sedium mutationes.

Nec veritati tam perspicuæ repugnare poterant Imperatores ipsi Constantinopolitani, sed arte & astutia grassabantur, ut plerumque electiones & translationes Episcoporum in potestate haberent. Baron. ann. 1195. n. 25. Narratum est superiùs ut Isaac Angelus Imperator, quo Dositheum ab Hierosolymitana ad Constantinopolitanam transferret Ecclesiam, Episcopos omnes, atque in primis Balsamonem ludificatus sit, quem Regiæ urbis ejusque sedis spe lactaverat, atque ita illexerat, ut pro translationibus opportunè faciendis in Synodo peroraret. Prolixè ea de re Nicetas Choniates. L. 2. Nec dissimilia possent ex aliis Scriptoribus astrui exempla, quibus liqueret, translationes fieri quidem solitas à Concilio, vel à Patriarcha, sed ita tamen, ut sin minus potestate, certè industria & arte voluntas Imperatorum in his dominaretur. Citra eorum certè consensum fieri eæ non poterant, præsertim ubi de creando agebatur Patriarcha Constantinopolitano. Plerumque enim in Patriarchalem hanc sedem transferebatur alterius sedis Episcopalis, vel Metropoliticæ Præsul. Eandem Reges Angliæ rationem tenebant, nec ferè Cantuariensem committebant Ecclesiam, nisi iis qui jam alterius Ecclesiæ clavum tenuissent, suique specimen dedissent. Favebant ei usui Concilia & Pontifices, ut facilius quis ab Episcopali ad Metropoliticam sedem traduceretur. Illud enim utilitati Ecclesiæ accommodatius, ut majori præficiatur Ecclesiæ, qui artem regendi longo dedicit experimento.

Quod dictum hic est autem à me de translationibus Orientis, quæ Conciliorum & Imperatorum authoritate fiebant: nequaquam colliditur cum iis, quæ de Innocentio III. dicta sunt. Nec enim ille nisi de Ecclesia Latina disserebat, & ubi hujus legibus servire voluit Patriarcham Latinum Antiochenum, totam Orientalem Ecclesiam ad Latinorum mores traducere meditabatur. Ne Legatis quidem suis Innocentius copiam faciebat transferendorum Episcoporum, nedum Patriarchis, qui quanti quanti essent, infra Legatos erant sedis Apostolicæ. Vide ejus Pontificis Decretales, Titulo *De Officio Legati.* Sed nihilo tamen minus Græci ipsi Patriarchæ & Concilia inconsultis Romanis Pontificibus translationes semper fecere. Idque rursus argumento est, non aliter quam nos interpretati sumus, interpretandam fuisse Innocentii III. Constitutionem, qua jure velut divino reservat sedi Apostolicæ Translationes Episcoporum. Nam Ecclesia Orientalis sponte subscripsit institutioni sedis Apostolicæ ex Jure Divino: subscripsit & reservationi causarum majorum. At translationes Episcoporum causis majoribus nequaquam adscripsit. Rebuffus. De Regia ad Prælat. nominat. §. 1. Quod verò de necessario diximus consensu Græcorum Imperatorum, idem profitetur Rebuffus de consensu Galliæ Regum post Concordata, quamvis ex utilitate, vel necessitate Ecclesiæ fiant translationes.

XI. Frequentiores nostro hoc ævo Episcoporum translationes, Bellarmino Cardinali displicuere, nec potuit ille rem dissimulare apud Clementem VIII. quem submonuit ex Canonicis Regulis, & ex usu Ecclesiæ antiquissimo fieri eas non debere, nisi urgente ipsius Ecclesiæ necessitate, vel ingenti aliqua utilitate; cùm ex adverso jam non transferrentur ferè Episcopi, nisi quo Episcopis ipsis, & opum, & dignitatis ac gloriæ fieret accessio. *Translatio Episcoporum secundùm Canones atque usum veteris Ecclesiæ, non debet fieri nisi ob Ecclesiæ necessitatem, vel majorem utilitatem. Nec enim instituta sunt Ecclesiæ propter Episcopos, sed Episcopi propter Ecclesias. Nunc autem quotidie translationes fieri videmus, ea solum de causa, ut Episcopi vel honore, vel opibus augeantur.* Pontifex sanctissimus his Regulis consentaneus, permolestas sibi esse respondit translationes, & tum per litteras, tum per Nuncios suos sæpè à se admoneri Principes, ut iis abstineant. *Nos cum difficultate transferimus, & non desinimus monere Principes per Nos, & per Nuntios nostros.*

An concupiscere quis possit, an abnuere Episcopatum, & cæteros majores Ordines.

CAPUT LXV. *P. 1. l. 2. c. 29.*

An expetere quis possit Episcopatum, & alios Ordines sacros, Presbyteratum & Diaconatum.

I. Status quæstionis, An pia sit aliqua ratio desiderandi Episcopatus

II. Rationes & argumenta affirmantium.

III. E contra utatur Gregorius Magnus.

IV. V. VI. VII. Item Basilius, Gregorius Nyssenus, Synesius & Chrysostomus.

VIII. Origenes similiter & Isidorus Pelusiota.

IX. Sententia Gregorii Nazianzeni.

X. XI. Exempla Chrysostomi & Theodoreti. Item aliorum.

XII. Lex Imperatorum Leonis & Anthemii.

XIII. Doctrina Cornelii & Zosimi Pontificum.

XIV. Placita beati Hieronymi.

XV. XVI. XVII. Doctrina St. Ambrosii, Augustini & Gaudentii.

XVIII. XIX. Quam tremendus sit ex Hieronymo aditus ad quoslibet sacros Ordines.

XX. Hieronymus ipsius exemplum & fratris ejus.

XXI. XXII. XXIII. XXIV. Exempla Augustini, Paulini, Chrysostomi, aliorum.

XXV. Canones Conciliorum Carthaginensium.

XXVI. Leges Leonis & Majoriani Imperatorum.

I. ANtequam ingredimur in residentiæ Episcopalis Leges excutiendas, & in alias Beneficiariorum, maximè verò Episcoporum functiones, quæ tertio & postremo libro hujus II. Partis subjicietur materia; extricanda visa est nobis hæc quæstio veluti prælusoria, an cum laude possit aliquando desiderari, & concupisci Episcopatus; & ex adverso an posset aliquando quis irrevocabili constantia, aut contumacia electioni canonicæ ad ejusmodi sacras dignitates factæ reluctari. Quod enim de Episcopatu hic disputabitur, valebit & ad sacros quoslibet Ordines, & ad majores quaslibet dignitates pro cujusque modulo.

II. De Maximiano Nestorii successore in Episcopatu Constantinopolitano testatum facit Cælestinus Papa, omnibus eum virtutum ac meritorum gradibus ad id fastigii eluctatum esse: & si quo Episcopatus desiderio arsisset, operi & labori eum, non dignitati & splendori studuisse. *Etiamsi desiderium fuit* Conc. Ephes. Par. 3. c. 20 *Episcopatus, non nisi propter opus bonum, sicut ait Apostolus, concupivit. Ita Deus noster, & quid velimus, & cur velimus, attendit.* In libello Concilii Calchedonensis Patribus porrecto Theodorus Diaconus testificatur se in Ecclesia Alexandrina munia

Clericatus omnia perfunctum esse annis quindecim, spe altioris gradus adipiscendi: *Quindecim annos in eodem Clero permansi, sperans & majorem honorem mereri.* Rursus idem Cælestinus Papa Gallicanos Episcopos per litteras admonet, Episcopos è Collegio & Clero ejusdem Civitatis deligendos esse, & Episcopatu tandem remunerandos esse eos, qui vitam omnem in obeundis Clericatûs muniis diversissimis consumpserint. *Habeat unusquisque Clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obrepat: nec alii debitam sibi alter audeat vindicare mercedem. Sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari.* Nec nos fallit tamen eo jure donari Clerum ipsum universim Ecclesiæ, non singulos autem Clericos stimulari, ut ea se spe delectent, aut illudant. Cùm ait Cælestinus, *Unusquisque Clericorum habeat*, declarat quid cuique debeatur Clerico, non quid ipse ambire possit: quid illi cæteri apprecari possint, non quid ipse sibi.

Conc. Calc. Act. 3.

Epist. ad Episc. Prov. Vienn.

Eos demum Isidorus Pelusiota censet Episcopatum desiderare posse, quorum vitæ sanctimonia ad delineatas à Paulo Apostolo leges elimata est. *Non est quorumlibet, vir præclare, Episcopatum appetere, verùm eorum, quorum vita ex Pauli legibus dirigitur. Quamobrem si illam in te ipso sinceritatem perspicis, libenti atque alacri animo ad tanti fastigii ascensum perge. Sin autem ea tibi deest, quoad ipsam adeptus sis, ea quæ attingere nefas est, minimè attinge. Cave ne ad ignem, qui materiam absumit, accedas.*

L. 1. Ep. 104.

Non is erat Chrysostomus, qui ambitiosis Sacerdotii amatoribus assentaretur; & compulsus est tamen disertissimis Pauli ad Timotheum verbis confiteri, posse non illaudato desiderio optari Episcopatum, si non in votis esset nisi labor, & opus, & studium exercendæ flagrantissimæ, & indefessæ charitatis. *Si quis Episcopatum desiderat non culpo, non improbo, opus quippe regiminis est; si quis hunc idcirco appetit, non principatus aut dominationis fastu, verùm curæ regiminis, & charitatis affectu: non improbo, inquit, bonum quippe desiderat opus. Si quis ita desiderat, desideret.*

In Ep. 1 ad Tim. hom. 10.

III. Sed hæc desideria vehementer repressit Gregorius Magnus in Pastorali Libro, ubi observat, posse quidem ex Apostolo innocua aliqua esse Episcopatus desideria, si cui ob oculos non obversentur nisi labores, ærumnæ, & cruces sanctissimi ministerii: sed validissimè retundi eam effervescentiam ab eodem ipso Apostolo, aiente Episcopum irreprehensibilem esse debere. *Laudans desiderium in pavorem protinus vertit, quod laudavit, cùm repente subjungit, oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse.* Eo tempore affirmavit Paulus Episcopatum desiderari posse, quo Episcopis desponsa pene certa esset martyrii spes. *Tunc laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora perveniri.* Episcopatus ipse professio est humilitatis, & abdicationis opum, voluptatum, vanitatumque sæculi omnium; mira itaque perversitas est, si eo nomine & colore aucupentur honores, voluptates, opes. *Mundi lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerunt.* Denique verendum iis est, qui his inhiant sacris dignitatibus, ne labor, ne opus, ne defatigatio, quam animo versant, ludibrium sit, quo se animus in summo sui cortice pascat: cùm interim furtiva honorum, opumque libido in animi penetralibus regnet, & erumpat aliquando, si dolosa ipsis vota feliciter processerint. *Sed plerumque hi qui subire Magisterium Pastorale cupiunt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt; & quamvis hoc intentione elationis appetunt, operaturos se tamen magna pertractant; fitque ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.*

Pastor. P. 1. c. 8.

Ibid. c. 9.

IV. Ratum ergo illud est, fixumque, indignos esse Episcopatu, qui sibi cumque visi fuerint digni: arcendos eo, quicumque ambiunt: non mereri eum apicem, nisi qui fugiunt: in fuga ipsa ejus plurimum esse ad merendum momenti; tantò digniores eo esse, quò sibi videntur indigniores. Notat Basilius Moysen regimen populi statim detrectasse, nec acquievisse, nisi ingeminatis Dei imperiis adactum, quod illa esset dignitas summa, laboris & periculi incredibilis, qua tantò æquiùs donandus erat, quantò sinceriùs refugiebat. *Quare Moyses ad splendidum & illustre genus vitæ accitus, & ad tanti populi Præfecturam, deprecatur eam; Quis sum ut pergam ad Pharaonem Regem Ægypti, & educam populum de terra Ægypti, &c. Rursus, Obsecro Domine, insufficiens sum, &c. Supplico Domine, delige alium.* At contra Isaias incunctanter assensus est muneri & delegationi, quam vallabant undique minæ, labores & cruces. *Esaias per exsuperantem charitatem injecit se medium subeundis periculis, Ecce ego, mitte me.*

In Cap. 6. Isaiæ.

V. Observat Gregorius Nyssenus non potuisse primùm à Moyse expugnari contumaciam duorum civium, qui inter se jurgabantur; at ubi annos quadraginta in solitudine contrivit in iis studiis & virtutibus, quæ futuri tanti regiminis tyrocinio consentirent, tum ad reipublicæ sacræ administrationem à Deo accitum fuisse. *Magna igitur voce Scripturæ authoritas clamare videtur, non insiliendum esse ad docendam, instituendamque multitudinem, nisi priùs magnâ diligentiâ, magnisque laboribus eam fueris authoritatem adeptus, ut auditores verbis tuis facilè acquiescant.* Sic ille in libro de vita Moysis. Incubuit terrifica quædam vindicta in eos, qui profana æmulatione exarsere in Aaronem summum Sacerdotem; hyatu enim terræ absorpti sunt cum suis omnibus, palam edocente Numinis providentia, qui rerum sacrarum ambitione crescere & assurgere sibi videntur eos in profundissimas foveas demergi: *Docet hæc historia terminum elationis, quæ fit ex superbia, descensum esse ad inferiora.*

VI. Optatiorem sibi fuisse mortem Episcopatu profitetur Synesius, & necdum intelligere se posse, qui conciliari possit tanta negotiorum & sollicitudinum moles, cùm cœlestium deliciarum contemplatione & prægustatione, quam nec delibari fas est, nisi in beato pii secessus otio, & qua fraudatum vivere, morte ipsa infelicius sibi videatur. *Equidem non unam mortem pro ea functione subiissem, &c. Qui me ipsum negotiorum turbis implicans, in eas mentis pulcritudines animum possum defigere, quibus frui beati cujusdam est otii, sine quibus mei ac mei similibus, vita universa vitalis esse non potest?* Sed de omnipotentis Numinis indulgentia non desperandum, fore ut Episcopatus gradus sit, quo ad contemplationem assurgamus, non quo descendamus. *Si à Deo derelictus non fuero, tum agnoscam Sacerdotium non descensum esse à Philosophia, sed ascensum.*

Epist. 13.

VII. Satis mirari non potest Chrysostomus insanorum hominum temerariam & effrænem audaciam, qui suæ incerti & incuriosi salutis, curam inducere volunt salutis infinitæ hominum multitudinis, & eorum sarcinas ac peccatorum onera in se reci-

pere. Si enim qui renitentes coacti sunt divinitus ejusmodi regimen subire, luerunt tamen quidquid erraverant in tam salebroso munere: ut Aaronis, Moïsis, & Saülis exemplis liquet, qui pro virili sacrum Magistratum declinaverant: quò evadent ii qui in illum quodammodo irrumpunt? Contremiscere ergo & fugitare necesse est, nec semel tantùm effugere, si quando eò pertrahamur: nedum accipere ad eam dignitatem, in qua non satis constat Chrysostomo, quòd possit quis de procuranda salute propria bene sperare.

Hom. 34. in Ep. 8. ad Hebr.

Quid miseris illis dixeris, qui se conjiciunt in tantam abyssum suppliciorum. Omnium quot regis, mulierum & virorum & puerorum, à te reddenda ratio est; tanquam igni caput tuum subjicis. Miror an fieri possit ut aliquis ex Rectoribus sit salvus, quum videam post minas, & præsentem socordiam aliquos adhuc accurrentes & se conjicientes in tantam molem administrationis. Nam si ii qui necessitate trahuntur, non habent quo eo fugiant, & quo se excusent, si rem malè administraverint, & sint negligentes; quanto magis ii qui in hoc studium suum ponunt, & in id irruunt? Timere enim oportet & contremiscere, & propter conscientiam & propter molem imperii: & neque se trahantur, semel recusare: neque se non trahantur, in in ipsum irruere, imò verò etiam fugere, prævidentes magnitudinem dignitatis, Pulcherrimam hanc doctrinam Chrysostomus novis confirmavit præsidiis in

L. 4. c. 11.

aureolo Tractatu suo de Sacerdotiò, ubi rursus ultro fatetur nec sua laude frustrandum non esse Episcopatûs desiderium, quod ex charitate flagrantissima Christi & proximorum salutis efflorescat. Sed & ibidem palam vociferatur cupiditates crescendi, ditescendi, dominandi pestes esse longè periculosissimas, easdemque fallacissimas, ac ubi minimè suspicamur, delitescentes.

VIII. Exemplo Moïsis & Jonæ probat Origenes, una nos cupiditate, una ambitione accendi debere, fugiendi, latitandi, ultimo loco sedendi.

Hom 6 in c. 6. Isaia.

Bonum est non prosilire ad eas quæ à Deo sunt dignitates, & principatus, & mysteria Ecclesiæ, sed imitari Moysen, & dicere cum eo, Provide alium, quem mittas. Neque ad principatum Ecclesiæ venit, qui salvari vult, sed ad servitutem Ecclesiæ.

Palladium Diaconum submonet Isidorus Pelusiota, quibus verbis Paulus allicere videtur ad prehensandum Episcopatum, iis nos vehementer deterreri, ostensis iis quæ undique ingruunt periculis.

L. 3. Ep. 216. L. 2. Ep. 125

Ego Episcopatûs opus mirificè laudo, divinum enim est; ipsius autem amorem minimè laudo, periculosus enim est. Præposterum est ergo, quod homines ventosi iis superbiam suam Paulli verbis exaggerant, quibus illa validissimè retunditur. *Apostolum qui exitialem eorum morbum profligare studuit, tanquam morbo suo patrocinantem testem citant.*

IX. Diu multùmque ipsi suo & Episcopo reluctatus Gregorius Nazianzenus, ne Presbyteratu initiaretur, acquievit tandem. At in avias Ponti solitudines sufugit, ubi imminere sibi sensit Episcopalem sarcinam. Creavit quidem illum Basilius Episcopum Sasimorum, expugnanda tamen illi prius fuit humilitas & mira animi modestia Gregorii, suique despicientia, denique ipsa Patris Nazianzeni Episcopi authoritas advocanda.

In ejus vita.

Consilio cum ipsius Patre habito, invitum hominem & repugnantem electioni admovet, negotiumque conficit. Ita summus Theologus exemplo suo approbabat, quod postea scriptis prodidit; altissima quæque maximè fugienda esse culmina, honorumque cupidine in Ecclesiam invehi fœdissima morum dehonestamenta. *Primariæ Sedis dignitatem nunc fugere, ut mihi quidem videtur, prima & singularis est prudentia. Propter hanc enim res omnes nostræ jactantur & concutiuntur; propter hanc fines orbis terræ suspicione & bello flagrant.*

Orat. 18.

X. Non tacuit Palladius, qua obrependum arte fuerit, ut Chrysostomus Antiochia, ubi ordinatus fuerat Presbyter, Constantinopolin abduceretur, Regiæ urbis Episcopali solio sessurus. Nullibi splendidior aut vehementior Chrysostomi ipsius eloquentia, quàm cùm in libello de Sacerdotio exequitur, quæ mens, quæ sententia, quid consilii sibi fuerit circa fugam Episcopatûs.

C. p. 5.

Sed multò præclarissimum est extremum illud monitum, quo instructas voluit sanctissimas & illustres matronas, quas vitæ innocentia & regiminis integritas tam arctè devinxerat ejus defensioni adversùs iniquissimos ejus exilii authores. Præcepit enim, ut inconvulso charitatis vinculo illigatæ hærerent Ecclesiæ, & Episcopo successuro, dum illum canonica electio, non ambitio, non violenta intrusio ei sedi inveheret. *Hoc deprecor, ne qua ex vobis solitam ad Ecclesiam benevolentiam deserat: & quicum, ne non sponte fuerit ordinatus, neque id ullo quæsierit ambitu, sed de consensu omnium, ei caput vestrum inclinate, ut Joanni per omnia.*

Palladius c. 10.

De se ipso profitetur Theodoretus, invitum se Episcopatu inauguratum fuisse, cùm ætatem antè omnem in Monasterio traduxisset. *In Monasterio tempus quod Episcopatum præcessit, cùm exegissem, invitus Episcopus ordinatus sum.*

Epist. 181.

XI. Ammonius fama ille sanctitatis celeberrimus Monachus dextram sibi auriculam præcidit, sperans se ea irregularitate eos deterriturum, qui eum ad Episcopatum rapere meditabantur: *Cùm ad Episcopatum quæreretur, dextram sibi præcidit auriculam,* ut refert Socrates.

L. 4. c. 18.

Nilamnon sanctissimus Deserti incola, rescito adventate Theophilum Alexandrinum Episcopum, ut Episcopalibus illum insignibus exornaret, in preces effusus, efflavit animam, Episcopatum cutiùs fugitans, quàm mortem; authore Sozomeno.

L. 8. c. 19.

In juventæ flore Chrysostomus fuga declinavit Episcopatum, quem & pia astutia in amicum Basilium nihil suspicantem declinavit.

Eximiæ sapientiæ specimen dedit B. Ephrem, simulatarum insania, cùm ad Episcopalem sedem abriperetur.

Sozom. l. 3. c. 15.

Periculosissimi ejusdem culminis splendorem exhorrescens Synesius, continentiæ & fidei se inimicum simulavit, cujus utriusque vitii purissimus erat, ut reliquo ipse vitæ totius verè Episcopali curriculo approbavit.

Synes. Ep. 13. 47. 57.

Eadem simulatione Ambrosius speciem sibi aliquam incontinentiæ oblinere tentavit, sed suboluit pia fraus, vicit prior castitatis incorruptæ fama, & Episcopus, quantumvis reniteretur, creatus est.

Paulinus in ejus vita.

XII. Legibus ipsi suis evangelicæ sanctitati & doctrinæ succinuere Imperatores, vetito, ne ad Episcopatum adsciscerentur, qui non ei loco terga verterent, qui non ad eum ab hac ipsa virtutum magistra & custode humilitate accerserentur. *Tantùm ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat, sola illi suffragetur necessitas obsequendi.*

Cod. de Episc. & Cler. L. Si quemquam.

Denique ea lege indigni pronuntiantur Episcopatu, quicumque spontanea fuga non faciunt fidem, se tanto apice indignos sibimetipsis videri. *Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.*

XIII. Sed jam nobis ad Ecclesiam Latinam retorquenda est oratiò. Cornelii Papæ virtutibus omnibus nova gloriæ & puritatis accessio facta est, pu-

dore & horrore eo quo concussus est, ubi subeunda fuit Episcopatûs sarcina. Audi Cyprianum, hoc
Epist. 52. illum elogio adornantem. *Episcopatum nec postulavit nec voluit, sed pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenita sibi & custodia verecundiæ, non ut quidam, vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet.* Zosimus Papa spe nescio qua Episcopatûs pios & religiosos Presbyteros solari & animare videtur, ubi
Epist. 1. ait: *Ad Presbyterii fastigium talis accedat, ut nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia antecalla tollentur: jure inde ad Pontificis locum sperare debebit.*

XIV. At idoneus Zosimi interpres doctrinæ Hieronymus, piorum Presbyterorum virtutes, aliorum, non ipsorum docet mentibus eas cogitationes ingerere, spes inferere debere: nec tam honorifico judicio ac testimonio pares esse posse, aut dignos,
Epist. ad Heliod. nisi qui illud plurimùm reformident. *Quod si te quoque ad eundem Ordinem pii fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, sed timebo de lapsu. Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Scimus ista, sed junge quod sequitur, Oportet autem hujusmodi irreprehensibilem esse, &c. Non omnes Episcopi, Episcopi sunt. Attendis Petrum, sed & Judam considera, &c. Non est facile stare loco Pauli, tenere locum Petri, jam cum Christo regnantium, &c. Probet se unusquisque, &*
Epist. ad Ocean. *sic accedat.* Et alio loco: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, opus, non dignitatem; laborem, non delicias, opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.*

XV. Scitissimè Ambrosius gloriæ & dignitatum cupidine edomari pleromque ait, invictos cætero-
L. 4. in Luc. rum vitiorum omnium domitores. *Hoc ipso perniciosior est ambitio, quòd blanda quædam est conciliatricula dignitatum: & sæpè quos nulla vitia deflectunt, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, & ut dominetur aliis, prius servit; curvatur obsequio, ut honore donetur; & dum vult esse sublimior, fit remissior.* Hac sui dejectione singuli, his detrimentis crescunt, vilissima servitute dominatum captant, centies privatim periclitantur, ut in publico aliquando emineant; denique uni superbiæ substernuntur victoriæ omnes de aliis vitiis reportatæ. Ab hac animi vitiositate procul erat Ambrosius, cum ordinationi suæ tam generosè & tam sincerè repugnabat. *Quàm resistebam ne ordinarer; postremò cùm cogerer, saltem ut ordinatio protelaretur. Sed prævaluit impressio.*

XVI. Amplissimæ dignitatis suæ culmen censet Augustinus ipsos exhorrescere debere Episcopos; quò altiùs sedent, hoc graviorem reformidare casum; & mente eorum omnium pedibus subjacere,
De verbis Dom. serm. 62. quorum cervicibus imminent. *Quanquam & nos qui vobis videmur de superiori loqui loco, cum timore sub pedibus vestris sumus; quoniam novimus quàm periculosa ratio de ista quasi sublimi sede reddatur.* Docet idem alibi amori esse debere laborem; at amari citra dedecus non posse honorem, quo is circumfulget. *In Actione non amandus est honor in hac vita, sive potentia, quoniam omnia vana sub Sole; sed ipsum opus, quod per eundem honorem vel potentiam fit, si rectè atque utiliter fit, id est, ut valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundùm Deum est. Propter quod ait Apostolus, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, exponere voluit, quid sit Episcopatus, quia nomen est operis, non honoris.* Ex quo illud infert Doctor sanctissimus, nostra nos sponte propendere & ferri debere ad veritatis in aliquo latibulo contemplationem: concupisci non posse dignitates, nisi propudiosa & damnabili cupiditate: ritè ad eas non pervenire, nisi quos electio trahit Ecclesiæ, quos lex rapit obedientiæ, quos summum torquet imperium charitatis. *Itaque à studio cognoscendæ veritatis*
Civit. l. 19. c. 19. *nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus verò superior sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur ut decet, indecenter tamen appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.* Et eodem loco: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, quia Episcopatus nomen est operis, non honoris. Ἐπισκοπεῖν superintendere. Ut intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.* Episcopus non est, qui non pro grege excubat. Quid sit Episcopatus prorsus ignorat, qui non eum intelligit in labore quodam infinito, & indefessa vigilantia situm esse.

Rursus idem alibi sanctissimus Pater, non honores à nobis, sed nos ab honoribus docet & dignitatibus ambiendos & prehensandos esse; si altiores autem aucupemur sedes, everti & labefactari à nobis totam Christi doctrinam ac legem, qui sanxit nos imis inhærentes locis, ad sublimiora invitos debe-
L. 50. Hom. Hom. 13. c. 1. re rapi. *Honor te quærere debet, non ipsum tu. Debes enim in loco humiliori discumbere, ut qui te invitavit, faciat te honoratiorem locum ascendere. Si autem noluerit, ubi recumbis manduca, quia nihil huc intulisti in hunc mundum.*

Nec alia poterat Augustini animo insidere sententia, cui compertissimum erat, nihil tam operosum esse, & tam arduum, quàm sanctè sanctissimum fungi Sacerdotii munus: nihil tam periculosum, tamque damnationi finitimum, quàm id perfunctoriè fungi: quanquam carnalium hominum oculos præstringat repentinus nescio quis fulgor harum Di-
Epist. 148. gnitatum. *Cogitet prudentia tua nihil esse in hac vita, & maximè in hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo Imperator noster jubet.*

XVII. Denique B. Gaudentius Episcopus Brixiensis pulcherrimè declarat, tunc temporis desiderari potuisse Episcopatum, cum non alii vel honores ejus erant, vel reditus, quàm labores, persecutiones, cruces, martyria omnis generis. At postquam occurrat animo oculisq. Episcopatus, gloria & opibus circumfluens, ab iis tantùm desiderari eum posse,
In Scholiis ad illum locum Augst. quos avaritia vel ambitio præcipites agit. *Cum Episcopatum cogitas, ne referas animum ad hæc tempora, quibus Episcopi nihil minus norunt, quam eas partes quæ illis à Paulo assignantur. Nec quidquam aliud nunc intelligitur appellatione Episcopi, quàm fructus & vectigalia & immanes honores. Sed tempora illa ante oculos propone, cum Paulus ipse qui alios instituebat Episcopos, peragrabat orbem terrarum in fame & siti, in frigore & nuditate, in verberibus & plagis, in carceribus atque quotidianis mortibus. Eo igitur tempore optare Episcopatum, nihil omnino aliud erat, quàm optare quotidie millies pro Christo mori; quod sanè optare nulla religio prohibet.*

XVIII. Nec Episcopatus solus toto animo fugiendus

giendus est, sed ut paulò antè pronunciabat Augustinus, Presbyteratus etiam & Diaconatus, utque rursum suo calculo confirmat locupletissimus testis Hieronymus. Ita enim ille de Nepotiano Presbytero in ejus Epitaphio: *Quid multa? Fit Clericus, & per solitos gradus Presbyter ordinatur. Jesu bone, qui gemitus, qui ejulatus, quæ cibi interdictio, quæ fuga oculorum omnium. Tunc primum & solum avunculo iratus est. Querebatur se ferre non posse, & juvenilem ætatem incongruam Sacerdotio causabatur. Sed quanto magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat; & merebatur negando, quod esse nolebat; eoque dignior erat, quo se clamabat indignum.* Subjicit sanctus Pater rationem sapientissimæ hujus fugæ. Exploratissimum erat Nepotiano, Clericatu non honorem, sed onus importari. *Igitur Clericatum non honorem intelligens, sed onus.*

XIX. Alibi rursum Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum oculis subjicit Hieronymus, tanquam formidolosa quædam onera. (*L. 1. Advers. Jovin.*) *Episcopus, & Presbyter & Diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum. Nec dicit, Si quis Episcopatum desiderat, bonum desiderat gradum, sed bonum opus desiderat; quod in majori Ordine constitutus, possit si velit, occasionem exercendarum habere virtutum.* Et infrà: *Cernis igitur, quod Episcopus, Presbyter, Diaconus, non ideo sint beati, quia Episcopi, vel Presbyteri sint, vel Diaconi; sed si virtutes habuerint nominum suorum, & officiorum*

XX. Non eruditionis ubertate, quàm modestia & humilitate spectabilior fuit Hieronymus. Itaque cum invitus Presbyteratu initiatus fuisset, adduci nunquam potuit, ut ejus Ordinis munia obiret in Cœnobio Bethlehemitico; habuitque ea quoque in re imitatorem Vincentium, antiquissima necessitudine & familiaritate sibi devinctum. Paulinianum Hieronymi fratrem, & earundem virtutum æmulatorem, Presbyterum ibidem ordinavit beatus Epiphanius, & ipsum vehementissimè repugnantem. *Cùm vidissem quia multitudo sanctorum fratrum in Monasterio consisteret, & sancti Presbyteri Hieronymus & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia.* (*Inter Epist. Hieronym.*) Verba ea sunt Epiphanii in Epistola ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum. Quanquam autem ei Cœnobio non esset necessarius nisi Presbyter: non tamen existimavit Epiphanius ordinari à se posse Paulinianum Presbyterum, nisi antè Diaconum ordinasset. Sed & ne ipso Diaconatu oneraretur, diu multumque depugnavit Paulinianus. *Ignorantem eum per multos Diaconos apprehendi jussimus & teneri os ejus; ne forte liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi, & primum Diaconum ordinavimus.* Eadem vis adhibenda fuit, ut Presbyteratu augeretur. *Rursus cum ingenti difficultate tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum.*

XXI. Augustino ipsi in Presbyterum ordinando uberes excussit lachrymas ejus Ordinis sanctitas, (*Possid. c. 4.*) eminentia, pericula, horror. *Ubertim eo flente, cùm majori consideratione intelligeret & gemeret, quam multa & quam magna sua vitæ pericula de regimine & gubernatione Ecclesiæ impendere ac provenire spectaret, atque ideo fleret.* Ita Possidius. At Augustinus (*Epist. 148*) ipse: *Hinc erant lacrymæ illæ Ordinationis meæ tempore.* Hanc enim ille non gloriam, sed pœnam peccatis suis irrogatam interpretabatur, ut ad clavum sedere cogeretur, qui necdum satis didicisset remum tenere. *Vis mihi facta est, merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem, nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.* Horrorem illi incutiebat Diaconatus ipse: *Nihil in hac vita & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio.*

XXII. Vi non dissimili coartandus fuit beatus Paulinus, ut Presbyter ordinaretur. *Vi subita astri ctus, & multitudine strangulante compulsus.* (*Epist. ad Amand.*) Nec Gregorius Nazianzenus, nisi postquam diu repugnaverat, cogi potuit ad Presbyteratum. *Pater filium, quem invitum & repugnantem, ægreque cedentem Presbyterum creaverat.* (*Gregor. in ejus vita.*) Quanquam autem tum cessit, Presbyter tamen ordinatus, statim se in Ponti solitudines subduxit. Id ipsemet narrat in Carmine de vita sua: *Nam genitor per vim secundis collocat me in sedibus, quæ mihi tyrannis tam gravis menti fuit, ut mox sodales, mox parentes & meos, mox & propinquos deserens, patriam & larem, ut savo asili spiculo puncti, boves, in Pontum abirem, pellerem ut curas graves.* (*In Carmine de vita sua.*)

Chrysostomum author est Palladius à beato Meletio Antiocheno Episcopo Diaconum ordinatum fuisse: at quinquennio post à Flaviano Meletii successore adduci non potuisse, ut Presbyteratu decoraretur: itaque violentas ei manus injecit Flavianus, & quantumvis reluctabundum Presbyteratu initiavit. Subdit Palladius editis de Sacerdotio libris Chrysostomum prodidisse, quam religioso tremore adire quisque piissimus debeat Presbyteratum, aut ei potius se subducere. (*Pallad. in Dial. c. 5.*) *Presbyter à sancta memoria Flaviano Episcopo consecratur, invitus licet ac multum renitens. Notatur id ex his libris, quos de Sacerdotio adhuc solitarius scripsit.*

XXIII. Vim fecit Chrysostomo Flavianus, at Macedonium arte adgressus est prorsus mirabili. Erat is Monasticis institutis in solitudine ab annis jam quadraginta exercitatissimus. Accersit illum Flavianus Antiochiam, quæsito prætextu purgandi criminis, quod illi illineretur: tum verò sacris mysteriis interesse jussum, inopinum, nec advertentem Presbyterum ordinavit. Ubi rescivit ille se ordinatum præter mentem suam fuisse: tum verò stomachari, indignari, & tantum non baculum suum illidere illi ipsi Episcopo, à quo ordinatus fuisset. (*Theodoret. Hist. relig. c. 13.*) Has artes tentabant tum Episcopi, gnari non aliter sanctissimos Monachos unquam ordinationi suæ assensuros.

Hæc ex Theodoreto, qui & Acepsimam narrat annos sexaginta in cellula ita latuisse, ut viderit neminem, à nemine visus sit. Minus morosus hic fuit, minusque pugnax in Episcopum, à quo Presbyter inaugurabatur: sed contestabatur nihilo tamen minus, tanto se proclivius morem gerere, quòd certissimus esset, paucis post diebus mortali hac se vita migraturum, nec multum laboraturum in reddenda gestati tanti oneris ratione. *Enimvero si diutius victurus essem, grave & tremendum Sacerdotii onus plane refugerem, reddendam depositi rationem perhorrescens.* (*Ibid. c. 15.*) Non suffundebatur Theodoretus, cùm hæc scriptitaret, ut qui & ipse nonnisi vi ad Episcopatum rapi potuisset.

XXIV. Muthuem quoque Abbatem invitum Presbyteratu auctum esse narrat Ruffinus; at monitum ab eo Episcopum, de fratre suo non paulò virtutibus præstantiore, huic quoque manus imposuisse, ne divelli à se mutuò cogerentur, utque conjunctim orationi instarent. (*Ruffinus de Vitis Patrum. l. 3. c. 188.*) A solitudine non discessere sanctissimi ambo hi Monachi, nec incruentum celebrare sacrificium adgressi sunt, sibi vide-

licet conscii, quàm innoxias manus illud, mentesque desideret, tota cœlestis sanctimoniæ copia delibutas. *Unde dicebat senex, Confido in Deum meum, quia non habeo grande judicium. propter hanc ordinationem, quia oblationem non mihi præsumpsi offerre. Nam ordinatio hæc illorum est, qui sine culpa sunt justi & immaculati; Ego autem bene me cognosco.* Addit

Ibid. c. 99. Ruffinus Eremi decus ingens Macarium, dum juventa vigeret, Clericatu donatum præter voluntatem suam fuisse, & mox inde aufugisse, ne vel ulterioribus Ordinibus, vel sui functionibus constringerent.

Pelagius in vitis Patr. Theodorus Abbas Diaconatu exornatus, ejus muniis omnino se abstinuit, quantumvis contra urgerent Monachi alii, quos ille tandem summovit, edito quodam cœlitus oraculo, quo summa, & Angelis par, & humana major innocentia Ministris sacris præscribebatur. Beatus Martinus, perhibente Severo Sulpitio inter exordia conversionis suæ Diaconatum detrectavit, *Indignum se esse vociferans*; Acquievit autem Exorcistæ officio, quo deprimi magis, quam assurgere videbatur. *Ne despexisse tanquam humiliorem videretur.*

XXV. Quàm abhorrerent autem Clerici à superioribus Ordinibus ambiendis, testatum faciunt in primis ipsa Africana Concilia, ubi Ordinis sui functionibus spoliandos decernunt eos, qui pervicacius obstiterint Episcopo, superiores ad gradus eos propellenti, quod ita Ecclesiæ suæ conducere

Canones Afric. Græc. c. 31. existimet. *Placuit, ut quicumque Clerici vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.*

Additam. Cod Theod. XXVI. Id ipsum perspicuum fit ex lege Leonis & Majoriani Imperatorum, qua ordinari vetantur, qui invicta & inflexa restitant pugnacitate. Pecuniaria multatur Archidiaconus pœna, Episcopus judicio subjicitur Papæ. Verùm ea Lex ad Laicos restringenda est, in quos nihildum Episcopus sibi paravit ejus potestatis, qua in Clericos per ordinationem armatur. Itaque Canoni Africano supra relato nihil officit hæc lex: nec aliò ea collimat, quàm ut Episcoporum, vel Archidiaconorum subdolis & malitiosis quandoque consiliis repagulum objiciat; si quem laicum illi ulcisci & affligere vellent, impacto ei per vim Clericatu.

CAPUT LXVI. *P. 1. l. 2. c. 30.*

Ubi repugnatum est aliquandiu, acquiescendum tandem esse Imperio superiorum, nisi si cujus est apertissima & notoria indignitas, & habilitas prorsus nulla ad sacras functiones.

I. Duæ illæ Regulæ proponuntur, cedendum tandem esse Imperio superiorum; nec cedendum, si quis notorie indignus, & absurdus sit.

II. III IV. V. VI. Prior illa Regula probatur ex Gaudentio, ex Augustino & Paulino, ex Juliano Pomerio, ex Ambrosio.

VII. Ex compluribus aliis, quibus ea Augustino vis adhibebatur.

VIII. IX. X. XI. Probatur rursus ex Ambrosio Nazianzeno, Chrysostomo & Synesio

XII. XIII. Altera Regula probatur ex Chrysostomo, & Gregorio Nazianzeno.

XIV. XV. Ex Hieronymo & Juliano Pomerio.

I. DUobus his Capite superiori constitutis, 1. Innoxiè & piè concupisci posse Episcoparum, si quis eum non aliter, quam ut laboribus, angustiis & crucibus septum contempletur: 2. At ex quo gloria opibusque cœpit circumfluere, nòn posse ei nisi avaritia & ambitione homines excæcatos inhiare. Duo nunc alia constabilienda nobis sunt, in quibus tantumdem certè ponderis sit: 1. Qui infucata modestia, & humilitate imbuti sunt, eos abjecta tandem pugnacitate, obedientiæ & charitatis jugo, Ordinumque sacrorum cervices inflectere debere. 2. Nulli cedendum esse vi, & imperio, si quis sibi notoriæ conscius sit indignitatis, & habilitatis prorsus nullius, ad tantum onus gestandum. Septum tamen & munitum quemque esse debere, adversùs scrupulosæ conscientiæ ludibria & morositates.

II. Hujus ergo Capitis initium ducemus ab exemplo & verbis B. Gaudentii, qui superiori jam Capite laudatus est, & qui testatum ipsemet facit, assensum se tandem esse, & successisse oneri, vix ferendo, compulsum videlicet jussione Ambrosii Metropolitani sui, & Comprovincialium Episcoporum, atque interminatione Orientalium Præsulum, non aliàs communionis suæ copiam facientium. *Imparem me vestro desiderio per omnia sentiens, onus* *Serm 16.* *istud totis viribus conatus sum declinare. Sed beatus Pater Ambrosius, cæterique venerandi Antistites, tales ad me Epistolas cum vestra legatione miserunt, ut sine damno animæ meæ ultra jam resistere non valerem: Cui ab Orientalibus quoque Episcopis, nisi meum ad vos reditum pollicerer, salutaris communio negaretur. Tali igitur conclusus articulo, & authoritate Sanctorum præsentium subjugatus, suscepi hoc summi Sacerdotii munus, nec merito dignus, nec ætate aptabilis, nec doctrina maturus.*

III. Non jam humilitas, sed humilitatis specie fucata contumacia est, nisi sit morigera. Ejus est ergo repugnare, sed cedere tandem. Si nolit de propria periclitari salute, dum alienæ procurandæ laborat: multò plus incurri sciet periculi, superiorum imperiis pertinaciter detrectandis. Ea erat Augustini sententia, ea voluntas, cùm plenam discriminis sarcinam subiit, ne in majora se conjiceret discrimina, si Episcopo suo morigerari usque recusaret. *Ut te nec pro lucro animæ nostræ audeamus offendere.* *Epist. 148.*

Qui idem rursus alibi Monachos, & omnes solitudinis & contemplationis nimios quandoque amatores admonet, quæ media terenda sit via inter inertiam, præcipiti semper studio fugacem, & ambitionem ad dignitates sacras præproperam: inter pii secessus otium religiosum, & charitatem se sibi, ut Ecclesiæ obsequatur necessitatibus, suffurantem: inter propriæ & alienæ salutis sollicitam procurationem. Si omnes enim totos se sibi solis impenderent, nec extra sinum suum ullos charitatis ignes effunderent: quis Ecclesiæ prolem augeret, quis nobis ipsis hos divinos in Ecclesia natales, & cœlestes hisque consentaneas dotes contulisset? *Vos autem fratres exhortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, & usque in finem perseveretis: ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis: sed miti corde obtemperetis Deo, nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis. Sicut autem inter ignem & aquam tenenda est via, ut nec exuratur homo, nec demergatur; sic inter apicem superbiæ, & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus.* *Epist. 81.*

Hæc exemplis, & non verbis tantùm sancivit

Possid. c. 4. Augustinus. Quanquam enim studiosissimè declinaret civitates eas omnes, quarum vacabant sedes, cessit tandem vim afferenti sibi populo & Episcopo Hipponensi, ut Presbyter primùm crearetur, hoc est Parochus, & Vicarius Generalis; deinde ut Episcopus quoque ejusdem fieret civitatis. *Compulsus utque coactus succubuit, & Episcopatûs curam, ac majoris loci ordinationem suscepit.* Confirmat & ipse in *Lib. 10. ult.* Confessionibus, conterritum se mole peccatorum suorum, consilium arripuisse aufugiendi in aliquam solitudinem: sed revocatum se divinitus fuisse, & in schola pectoris edoctum, Pro omnibus hominibus unum mortuum esse Christum, ut jam non sibi singuli vivant, sed ei qui pro ipsis & pro omnibus mortuus est.

IV. Eadem animo suo concoquebat, eadem & verbis pene iisdem exaltabat B. Paulinus, qui propriæ salutis procurationem proximorum postposuit charitati. *Epist. ad Amandum.* *Cum pro meritorum meorum conscientia recusarem, vel potiùs non auderem recipere, ego vermis & non homo, vi subita invitus, quod fateor, astrictus, & multitudine strangulante compulsus, quamvis cuperem calicem ipsum à me transire, tamen necesse habui dicere Domino, verùm non mea voluntas, sed tua fiat. Cùm præsertim ipsum de se Dominum dixisse legerem, Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

V. Injustitiæ reos agit & furti Julianus Pomerius eos, quos electio canonica virtutibus claros vocat ad sacra culmina, & quos Ecclesiæ necessitati subducit ignavia; sua plus, quam quæ Christi sunt quærentes, nec Christo & Ecclesiæ refundere paratos earum virtutum lumina, quas à Christo, quas ab Ecclesia hauserant & mendicatas habent. *Ac per hoc contra justitiam faciunt hi, qui meritò sua conversationis vel eruditionis electi, otiosum studium fructuosa utilitati regenda multitudinis anteponunt: & cùm possint laboranti Ecclesia subvenire, operosa administrationis laborem, fruenda quietis contemplatione refugiunt.*

Quoad alios verò, qui suæ imbecillitatis certò conscii sibi sunt, eas illi declinare omni studio debent, quò celsiores, eò periculo propiores dignitates. Qui verò iis potissimum idonei & pares sunt, quandiu ad eas non vocantur, non coguntur, abdere se ipsos debent in reconditiora quæque sapientiæ penetralia. *De vita contempl. l. 3. c. 28.* *Sed quoniam sunt multi, qui se impares tanta sarcina norunt, tales justi se, etiam quæsiti, non offerunt, ne videantur non labores Ecclesiasticos velle suscipere, sed honores ambire. Cum dignitas Ecclesiastica nec ambienda sit nec vitanda. Qui verò præesse & prodesse populis possunt, si quæsiti non fuerint, justi se ipsos percipienda sapientia studiis tradunt.* Ubi nec ambienda, nec vitanda tradit Pomerius eclsarum dignitatum fastigia, hoc vult, nec ambienda ullo modo, nec contumaci & inexpugnabili fastidio rejicienda esse.

VI. Nihil in præteritis reliquit Ambrosius, quo electionem suam frustraretur. Cessit tamen aliquando tandem, non tam Imperatorum voluntati, & conspiranti Clero, Populoque, quàm Deo, qui eam illi inspirabat tum pugnacitatem, ut eam mox *Paulin. in ejus vita. c. 15.* gloriosiùs frangeret. *Productus itaque & ad lectus Mediolanum, cùm intelligeret circa se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere.*

VII. Profitetur denique Augustinus, non mediocrem eorum fuisse turbam, in quos manus injiciebantur, qui raptabantur, includebantur, cruciabantur, dum assentirentur gestandæ variarum functionum sarcinæ, quas ipsa maximè fuga & aversatione promerebantur sua, & quas promereri non potuissent, si contumaciùs aversati essent. *Tam multi ut Episcopatum suscipiant, tenentur invitè, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* *Epist. 104.*

VIII. E Græcis prosilit ante alios author luculentissimæ Epistolæ ad Diacontium Monachum scriptæ, ut illum cohortaretur animaretque ad subeunda tandem aliquando gubernacula Ecclesiæ, ad quam electus fuerat: ne non pietatis secessus is foret, sed pudenda fuga, quæ videlicet populis offendiculo esset: cùm ea constantia labores fugitaret, qua essent superandi. *Non vacat culpa quod agis, audetis ipse scandalizabuntur. Fugientem te conspicimus, & ex fuga futurum prospicimus, ut & in judicio de eo crimine convincaris, & convictus miserè doleas.* Conclamatam esse Ecclesiæ salutem inculcat, & nec ipsum baptismo tingi unquam potuisse, si integrum omnibus esset Episcopatum devitare. Nec remorari illum debere, quod quamlibet sacramentum, interferendi se nunquam sacri Episcopatûs infulis, mumisque. Enimvero Paulum, Moïsen, Jeremiam, Jonam, quamlibet contestatos suam & imbecillitatem & indignitatem; obtemperasse tamen cælesti imperio, quo vocabantur. Denique nec à Monastica professione quidquam posse eum patroeinii sibi accersere, cùm Serapion, & bene multi alii, ut ne jam Elias & Elisæus proferantur, religiosas institutiones curæ & regimini Ecclesiarum pulcherrimè sociaverint.

IX. Tantundem periculi ingruere ominatur Gregorius Nazianzenus, si Episcopatum vel omnes captent, vel omnes refugiant. *Par meo quidem judicio malum est, ac peraquè inordinatum, & omnes præesse atque imperare velle, & neminem id suscipere.* *Orat. 1.* Inde est quòd quamvis in avias Ponti solitudines una cum Basilio se subduxisset, mox ut Presbyteratu ornatus fuit Gregorius: accersitus mox tamen patris imperio, Ecclesiæque opem orantis precibus, rediit, Coadjutorem, aut Vicarium egit Generalem Nazianzenæ Ecclesiæ, Basiliumque revocari fecit, ut easdem Ecclesiæ Cæsariensi operas commodaret. Fugam porro Theologus reditumque suum approbat exemplo Patriarcharum & Prophetarum: legibus certissimis humilitatis & obedientiæ: his denique regulis sapientiam miram quandam & modestiam spirantibus, vocationi cælesti non præcundum unquam, nunquam non obsequendum; medinmque ingrediendum esse tramitem inter audaciam inverecundam & ignaviam meticulosam. *Videte quàm recti inter utrumque timorem negotium transigam; nimirum ut nec minimè oblatam Præfecturam appetam, nec oblatam repudiem. Illud enim temerariorum hominum est, hoc inobedientium, utrumque autem timidorum. Atqui ipse inter nimis audaces & nimis timidos quodammodo interjectus sum, nempe & his qui ad Præfecturas omnes prosiliunt, timidior, & iis rursus qui omnes fugiunt, audacior.*

Eidem Gregorius obedientiæ legi concessit, cùm suhinvitus Sasimorum Episcopus ordinatus est, parentis & Metropolitani voluntati ut se accommodaret. Sasimis digressus, Nazianzum rediit, suppetias patri laturus. Denique minùs lubens quidem, sed tamen regimen suscepit Ecclesiæ Constantinopolitanæ, lubentiùs ea abiturus: uni constantissimè ei legi vitam & rationem suam omnem aptans, attemperansque, ut suapte sponte nullas non refugeret dignitates, nullas non subiret Ecclesiæ auctoritate & cælestibus jussis impulsus. *Ad vos accessi, idque* *Orat. 25.*

non sponte, nec mentes efferens, ut multi eorum solent, qui nunc ad Ecclesiæ gubernacula prosiliunt, sed accitus & coactus, ac timore & spiritus obsequendans. Utra amplius virtute magis claruerit Nazianzenus, non facilè dixerim, dignitatum omnium cupiditate declinandarum, ubi fas esset: an subeundarum, ubi lex divina juberet. Eam ille ex Scripturarum meditatione jugi combiberat & sui diffidentiam, & in Deum fiduciam summam. *Orat. 41* *Bonum est & Deo sese parumper subducere; ut Moyses ille olim & postea Hieremias; & rursus ad vocantem promptè atque impigrè accurrere, quemadmodum Aaron & Elias, modo utrumque pro animo fiat, alterum ad propriam imbecillitatem, alterum ad vocantis potentiam.*

X. Commemorat ipse Chrysostomus, ut in desertis abditioribus cum Basilio vetusta familiaritate sibi conjunctissimo cælestibus orationis & contemplationis deliciis frueretur, cum ad Episcopales ambo sedes postulati sunt. Se quidem constantissimè fugam arripere decrevisse; at ne fraudaretur Ecclesia Pastore præstantissimo, qualem præsagiebat fore Basilium, quid consilii ipse cepisset, illum celasse, ut ipsum quoque Basilius confideret ei necessitati pariturum. Ordinatus est ergo Basilius Episcopus, aufugiente tum quidem & latitante Chrysostomo; sed non multò pòst & ipso omnipotenti vocationi Dei parituro, cujus interpretes sunt Ecclesiæ Administri & Principes. *De Sacerd. l. 3 c. 3.* Confitetur ipsemet, nihilo minus periculi & flagitii esse in contumacia fugiendi, quàm in superbia audendi & ambiendi: eumque teneri à nobis debere modum sobrietatis, ut nec prævertamus Dei imperium, necdum jubentis; jussi autem, nec vel punctum temporis cessemus, aut feriemur. *In Epist. V. ad Timot. hom. 1.* *Quemadmodum is qui non sibi traditum à Deo honorem usurpare præsumit, culpari dignissimus sit; ita & qui traditum sibi repellere, & à se arcere molitur, aliorum est criminum reus, infidelitatis scilicet atque inobedientiæ. Unde ait Paulus Apostolus Jesu Christi: Secundum imperium Dei.*

XI. Episcopatûs infulas ut à se propulsaret, ea dixit, ea fecit, ea contestatus est Synesius, ut nemo possit non magnopere mirari, quî deterriti non sint ab eo ordinando Episcopi: aut quî tam sanctè postea Episcopatum gesserit, qui tam stupendis & improbandis artibus illum refugiebat. Sed eo tamen ipso tempore fatebatur ille, omnino pariturum se, tum Concilio Provinciali, tum Archiepiscopo Theophilo: quippe si Imperatoribus & Imperatorum ministris formidine pœnæ obtemperatur, multò propensiùs & ex animo parendum esse Christo, imperia sua per ministros suos promulganti. *Epist. 105.* *Sed si posteaquam ista manifesta fuerint, quæ celarè minimè volo, in Episcoporum numerum nos ascribat, cui ejus potestas à Deo commissa est, cedam necessitati, ac tanquam divinitus oblatam tesseram accipiam. Ita enim apud me existimo: si quid mihi aut Imperator præcipiat, aut infelix nescio quis Augustalis, pœnas utique dem, nisi mandatis obtemperem. Deo autem sponte obtemperandum est.*

Hoc rursus exemplo illustratur ea, quæ in summorum hominum & sanctissimorum Episcoporum pectoribus, in Paulino, in Ambrosio, in complusculis aliis, natalium, opum, civiliumque administrationum splendore clarissimis vigebat obedientia: cùm à Conciliis & Metropolitanis vis ea illis inferebatur, cui restitarent modestè, non pervicaciter, ne non tam Pontificibus, quàm Deo per eos imperanti obluctarentur. Illud alibi quoque præ se fert Synesius, optatiorem sibi mortem futuram fuisse, & tolerabiliorem, quàm Episcopatum: sed quantumcumque renitamur nos quidem, tam æquum, quàm necesse esse, ut Deus vincat. *Ep. 57.* *Ego pronus & flexis genibus supplex mortem præ sacerdotio optabam, sed postquam hominibus expugnatus, à Deo sum superatus, &c.*

XII. Ad illud jam alterum defluet oratio, quod nobis hoc capite illuminandum proposueramus: esse nimirum tam turpem, tamque perspicuam pietatis, virtutum, doctrinæ & industriæ inopiam, ut nullis ea constringi posse censenda sit obedientiæ legibus ad subeundum Episcopatum. Ita sentit Chrysostomus, qui hujusmodi homines vetat, aut illatæ vi cedere, aut cujusquam imperio frangi; ut nec vel suaderi se, vel frangi sinerent, si cogerentur Naucleros se, vel architectos profiteri, vel medicos, si harum disciplinarum nullis essent imbuti rudimentis; cùm in spiritalibus multò major peritia desideretur, seu medicis, seu naucleris, seu architectis, quàm in temporalibus. *De Sacerd. L. 4. c. 2.* *Decere arbitror, vel si te eo sexcenti vocent, atque adeo cogant, non illos spectare: verùm animi tui dotes prius examinare viresque tuas omnes exactè perscrutari, atque ita demum cogentibus cedere. Jam domum se aliquam ædificaturum polliceri nemo audeat, qui idem Architectus non sit: neque ægrotantium corpora contingere quisquam aggreditur, qui Medicinam non didicerit: quin immo vel pluribus vim afferentibus deprecabitur, neque eum sua pudebit ignorantiæ. Cui autem tam multarum animarum cura credenda sit, is non prius se ipsum examinabit, quin potius vel omnium imperitissimus munus ipsum suscipiet, posteaquam vel ille jubet, vel ille cogit, atque adeo ut ne illum offendat?*

Ne mortis quidem intentatæ metu adigetur unquam agricola, ut navim regat; nec nauclerus, ut agriculturam agat; nec artificum quisquam, ut artem profiteatur, cujus omnino rudis & inexpertus est. An verò vel minora ingruunt pericula, vel detrimenta faciliùs reficienda, si artem artium, regimen animarum, is exerceat, qui ne tyrocinium quidem ejus unquam posuit? An cogi nos sinemus, ut tot malorum authores simus, & artifices? An qui vim afferunt, artem quoque ipsam, & regiminis peritiam inserere animo poterunt? *Itane ergo, ubi modicis in rebus periclitamur, tanta utemur ipsi providentia, neque cogentium nos violentia parendum esse putabimus: ubi verò æternum illos manet supplicium, qui Episcopatûs administrationem justè præstare nescierint, temerè, utque ut casus tulerit, in tantum nos conjiciemus periculum, alienæ violentiæ causam opponentes, &c. An cùm te nullus vocaret, imbecillis tu & minimè idoneus eras; ubi primùm verè comperti sunt, qui honorem ad te deferrent, derepente in valentem atque idoneum evasisti?*

XIII. Gregorius Nazianzenus, cujus tanta hactenus edidimus obedientiæ documenta, esse tamen modum, certos esse fines duxit tenendos, ut suas quisque emetiretur vires, nec promptè tantùm, sed providè & sapienter obediret. Hoc sapientissimo & expertissimo viro fixum statumque fuit, hac mediocritatis lege vitam componere, ut dignitates cuperet nullas, ne plus æquo fugeret ullas, nullas subiret ultra virium suarum modum & patientiam. *Orat. 8.* *Mihi optimum atque à periculo remotissimum visum est, mediam quandam viam inter cupiditatem & timorem sequi, ac partim cupiditati, partim spiritui satisfacere. Id autem sic fieri posse, si nec sacrum munus omnino defugiam, nec rursus graviorem, quàm vires ferant, sarcinam humeris tollam. Pii viri simulque tranquillitati*

sua consulentis est, functionem sacram viribus metiri; ut scilicet tanquam in cibis, eam admittamus, cui pares esse possumus; eam autem qua vires nostras superat repudiemus.

XIV. Author hortatorque est Hieronymus, ne proprio & favorabili minùs acquiescamus eorum judicio, qui nos ad magna vocant culmina, si nostra nos conscientia moneat, quàm sit nobis res angusta domi, quàm non possit nostra alios locupletare inopia: quàm non pares simus curandis proximi vulneribus, cum graviter confossi, & necdum sanati ipsi languemus & ægrescimus adhuc. *Ergo non* In c. 3. Isai. *statim multitudinis acquiescamus judicio; sed electi in principatum, noverimus mensuram nostram, & humiliemur sub potenti manu Dei, quia Deus superbis resistens, humilibus dat gratiam. Quanti panem non habentes, & vestimentum, cum ipsi esuriant, & nudi sint, nec habeant spiritales cibos, neque Christi tunicam integram reservarint, aliis & alimonias & vestimenta promittunt, & pleni vulneribus, medicos esse se jactant. Nec servant illud Mosaicum, Provide alium, quem mittas, aliudque mandatum, Ne quæras judex fieri, ne forte non possis auferre iniquitates.*

Si innoxius eligentium error nobis blandiatur, ne sponte erremus & cæcutiamus ipsi, nec nobis in nostram supplaudamus perniciem. Veniale est, quod illi errant, cùm in nostri animi non possint invadere penetralia; at nos stultum est foris dissimulare, quos ipsi morbos intus sentimus. Fallax illa & falsa est, sive humilitas, sive obedientia, si eorum nos accommodamus judicio, vel imperio pareamus, qui ignari eorum quæ intus experimur, suadere satagunt, eos esse nos, qui nunquam fuimus: & posse nos, quæ immane quantum vires nostras superant. Admovendæ sunt aures æternæ Veritati, & ex ejus judicio despicienda & retundenda hominum de nobis dissimillima opinio. Id volebat his verbis Hieronymus: *Electi in principatum, noverimus mensuram nostram, & humiliemur sub potenti manu Dei, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

In his rerum temporumque angustiis lex non fallacis humilitatis, & tutissimæ obedientiæ ea est, ut hominum inconsideratis obluctemur judiciis imperiisque temerariis: utque iis ausfugiamus, obsequamurque, quæ sempiterna & incorrupta Veritas in nostris ipsissimet præcordiis pronuntiat; utque populorum saluti potiùs, quàm votis consultum velimus. Nobis eligendis dignos à se eligi volunt, putantque: cedamus non errori, nec mananti inde electioni: sed sinceræ voluntati eligendi dignos: ita illis etiam repugnando obsequemur.

XV. Ea sanè erat Juliani Pomerii sententia *Sed* De vita contempl. l. 3. c. 28. *quoniam sunt multi, qui se impares tantæ sarcinæ noverunt; tales justè se etiam quæsiti non offerunt: ne videantur non Ecclesiasticos labores velle suscipere sed honores ambire.* Eadem nobis inculcabit Gregorius Magnus capite sequenti, eam esse quandoque nobis unis notam evidentiam indignitatis & inutilitatis nostræ ad superiores dignitates, quæ sufficiat ad peremptoriam & irrevocabilem adversùm nosmetipsos sententiam proferendam.



CAPUT LXVII. *P. 2. l. 2. c. 45.*

Quas tenuerint regulas sanctissimi quique viri, ut electioni Episcopali repugnarent, aut acquiescerent.

I. Mirum Gregorii Magni exemplum, in quo nullum non movit lapidem, quo Pontificatum declinaret.
II. In eo [illegible] sibi semper [illegible] curarum & sollicitudinum tempestatem passus.
III. Alios tamen hortatus est, ut necessitati cederent, ut Ecclesiæ utilitati se viverent.
IV. Duo illa fuere Gregorii placita, & omnes defugere dignitates, nec se tamen Ecclesiæ necessitatibus subducere.
V. Nec nimia potest cuiquam videri Gregorii inclementia, cum alias vel etiam in Episcopis esse contemtos, quibus meliores inveniri non possent.
VI. VII. Aviti & Fortunati doctrina Gregorio consentanea.
VIII. IX. Cæsarius & Fulgentius Episcopatum declinare conati sunt.
X. [illegible] ipse Imperator ab ea dignitate abhorruerat.
XI. Joannes & Cyriacus Patriarchæ Constantinopolitani nonnisi [illegible] acquievere Patriarchali [illegible].

I. EXpendendum rursus nobis hoc capite est, ut laudatissimi quique Episcopi, nonnisi inviti tantæ dignitatis fastigio successerint, sola Christiana humilitate & obediendi necessitate assensum eorum expugnante. Ne fingi quidem vel optari potest illustrius ejus rei exemplum, quàm in Gregorio Magno, qui natalium claritate, doctrinæ & pietatis ornamentis, Monasticarum etiam virtutum non pœnitendo tyrocinio, ad Episcopatum videbatur paratissimus instructissimusque venire, à quo tamen eo ipso nomine alienissima erat mente. Electioni suæ pro virili sua repugnavit, indignum se ea professus, veritusque ne immenso quodam sollicitudinum æstu & negotiorum tumultu implicaretur in eo defungendo munere, quod summam animi libertatem, tranquillitatem, & cælestium rerum contemplationem desiderare videbatur. Vide ut hæc edisserat Joannes Diaconus in ejus vita: *Gregorium licèt totis viribus renitentem Clerus, Senatus, populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus evitare decernens, sese indignum omnino tali honore clamabat; videlicet metuens, ne mundi gloria, quam prius abjecerat, ei sub Ecclesiastici colore regiminis aliquo modo subrepere potuisset.* L. 1. c. 39. 40. 44.

Cùm verò Romanorum, à quibus electus fuerat, constantiam inflectere non potuisset, Mauritium Imperatorem aggressus est, penes quem olim Apocrisiarium egerat Apostolicæ Sedis, & cujus filii lustricus fuerat parens. Ad eum ergo eas exaravit litteras, quibus alienari illum posse sperabat à consensu præstando. *Latenter litteras destinavit, adjurans & multa prece deposcens, ne unquam assensum populis praberet, ut se hujus honoris gloriâ sublimaret.* Cùm ejus literas intercepisset Præfectus Romæ, & electioni assensus esset Imperator, mutata veste fugit ex urbe, & in sylvas sese remotiores abdidit. *Dissimulato, ut fertur, habitu, sylvarum saltus petiit, cavernarum latibula requisivit.* Sed cœlo ipso, unde illi latitandi amor inspirabatur, latebras ejus prodente, & ignea columna locum ubi delitescebat commonstrante, cessit necessitati, quam ineluctabilem jam sentiebat. *Agnoscitur, capitur, traditur, & Pontifex consecratur.*

II. Verùm Gregorii mores & divinas ejus morum regulas non alio aptiùs, disertiúsque & sanctiùs

edisseri potuere, quàm ipsius Gregorii ingenio, calamoque. Querulas ille, & amoris tamen illecebris refertas ad Joannem Patriarcham Constantinopolitanum litteras dedit, quibus expostulabat, quod qui Patriarchalem excutere priùs sarcinam tentasset, non sibi ad Pontificatum quoque declinandum suffragatus esset: quo prodebatur, non ita eum fratribus ex animo favere, ac sibi ipsi.
L. 1 Ep. 4. *Quo enim ardore, quo studio Episcopatus pondera fugere volueris beatitudo vestra, scio: & tamen hæc eadem Episcopatus pondera, ut mihi deberent imponi, non restitit. Constat ergo, quia non me, sicut vos diligitis, quia illa me voluistis onera suscipere, quæ vobis noluistis imponi.* Scripsit & ad Theoctistam Imperatoris germanam, se priùs terrenorum omnium abdicatione, terras calcasse, & cœlis quodammodo inseruisse caput: at nunc Pontificia electione, velut tempestate quâdam dejectum se esse velut in procellosum Pelagus, curis, sollicitudinibus, terroribus inquietum: ut enim nihil sibi timendum haberet, at universo gregi quidquid
L. 1 Ep. 5 c. 7. 30. immineret discriminis, id uni sibi impendere. *Nil in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare; sed repente à rerum vertice tentationis turbine impulsus, ad timores pavoresque corrui: quia etsi mihi nihil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt, valde formido.* Tantæ dignitatis functione, veluti procella quadam excuti ipse sibi videbatur, ac ita dissipari, ut jam secum habitare nunquam posset. *Undique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor. Redire post causas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus redire non possum.* Contestatur denique sanctissimus Pontifex potuisse quidem Imperatorio præcepto nomen & stationem Leonis sibi assignari, sed malle se, ut invicta potius animi fortitudo addi sibi potuisset. *Serenissimus Imperator fieri simiam Leonem jussit. Et quidem pro jussione illius vocari Leo potest, fieri autem Leo non potest.* Iisdem verbis & sententiis litteras dedit ad Patritium Narsetem, & ad Anastasium Patriarcham Antiochenum, ut & ad Joannem exconsulem, prolixissimæ charitatis melle leniens querelas, quod ubi electioni suæ suffragati essent, in æstuosum se curarum vorticem impulissent: *Gemo quotidie occupationibus pressus, & respirare non valeo.*

L. 7. Ep. 126 Nec verò temporis diuturnitate obtundi potuere harum in ejus animo ægritudinum ac sollicitudinum aculei: cùm longo post tempore scribens Gregorius ad Leandrum Hispalensem Episcopum, vetustissima sibi familiaritate devinctum, cohibere needum posset erumpentes gemitus, quòd pietate decrevisset & virtute, cùm dignitate cresceret; quodque pro serena rerum cœlestium contemplatione, ad quam totus olim exarsisset, nunc irrequieta negotiorum tumultuatione obrueretur. *Neque enim, bone vir, hodie ego sum ille, quem nosti. Multum fateor exterius proficiendo, interius cecidi, &c. Ego vias mei Capitis sequens, summopere esse decreveram opprobrium hominum & abjectio plebis, &c. At me multum nunc deprimit honor onerosus, cura innumera perstrepunt, &c. Nulla cordis quies est, &c.* Sic animo, sic toto Gregorius pectore afficiebatur, ante & post electionem. Celsitudinem, quam vulgò cupiunt, exhorrescebat: latebris quas horrent, oblectabatur, cadere se existimabat, cùm surgeret; denique Episcopatu, veluti terrâ labi sibi videbatur in sæculum,
L. 1. Ep. 5. quod ex animo detestabatur: *Sub colore Episcopatus, ad sæculum sum reductus.*

III. Si Joannem Patriarcham Constantinopolitanum prolixo Gregorius encomio prosecutus est; quod quam celsam, tam lubricam dignitatem omni virium contentione effugere voluisset: in successorem ejus Cyriacum nihilo parcior, aut laudum illiberalior fuit. Et hic enim aversabatur illud sua sponte fastigium, ad quod impellebatur. At monuit tamen præclarissimè Gregorius, pium quidem esse amplissimas declinare dignitates, sed non minus religiosum, eos qui refugiunt ad illas compellere. Honoribus resistendum, sed cum modo, esse; nec diligi ab eo Christum solida satis charitate, qui gregis Christi regimen contumacius detrectat. *In scrip-* L. 6. Ep. 4. *tis vestris vos magnopere quæsisse requiem narratis: sed per hoc ad Pastoralem sollicitudinem congruè vos venisse ostendistis, quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus est, &c. Pastori sancta Ecclesia dicitur, Simon Joannis amas me? Pasce oves meas. Ex quibus verbis colligitur, quia si is qui valet, omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit se Pastorem summum minimè amare.* Si paterno è sinu exilit Verbum Dei, sempiternus animarum nostrarum Pastor: ecquis otii & secessus sui pii suavitatem non abdicabit, ubi ad pascendas rationabiles Christi oves vocabitur? *Si enim unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium, de secreto Patris egressus est ad publicum nostrum: nos quid dicturi sumus, si secretum nostrum præponimus utilitati proximorum?*

IV. Palmaria illa duo sunt capita doctrinæ Gregorii, sacras dignitates fugientibus semper ingerendas, ambientibus occludendas. *Locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus.* Fugientes verò modum fugæ suæ ponere debere, & intra gyrum hunc se cohibere, ut ne se subtrahant Ecclesiæ necessitatibus, & ubi digniores præsto non sunt, qui gregi Christi præficiantur: *Quies itaque* Ibidem. *nobis ex corde appetenda est, & tamen pro multorum lucro aliquando postponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem fugere; ita si desit qui prædicet, occupationis onus libenti necesse est humero subire.* Siquidem Isaias ad Prophetæ & præconis munus præsto esse exclamavit, sed illius antè Angelus igne altaris labia adusserat, eoque excusserat ex ejus animo dubitationem omnem de cœlesti vocatione. At Jeremias ex adverso tergiversabatur, & demandatam sibi à Deo prædicandi Provinciam detrectabat. Sed cùm humili & demisso ejus animo abesset pertinacia, cessit tandem obedientiæ legi. Ita in rerum medulla consentiebat utriusque Prophetæ ratio, etsi in cortice & specie tenus vehementer dissentiret. *Quod ergo laudabiliter unus appetiit, hoc laudabiliter alter expavit. Iste ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet: ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum, quia & is qui recusavit, plane non restitit; & is qui mitti voluit, ante se per altaris calculum, purgatum vidit: ne aut non purgatus adire quisquam sacra ministeria audeat; aut quem superna gratia eligit, sub humilitatis specie superbè contradicat.*

V. Nec est quod austeriorem sibi quisquam fingat Gregorium; cùm eam ille fateatur incidere aliquando temporum tristitiam, tantamque penuriam dignorum Præsulum, ut sacris illis dignitatibus necessariò innectendi sint, non qui digni sunt, sed quibus digniores nulli sunt in nostra potestate. Hanc ille præscribit normam electioni Episcopi Syracusani. *Trajanus Presbyter, quantum suspicor, ad regen-* L. 4. e. 19. *dum locum illum idoneus non est. Tamen si melior inveniri non valet, & ipse nullis criminibus tenetur involutus, condescendi ad eum cogente nimia necessitate,*

potest. Ubi vides quantumcomque urgeat Ecclesiæ necessitas, intercedere Gregorium, ne illi præficiatur, qui enormi aliàs crimine vitam maculavit. Idque fortasse alibi ab eodem Pontifice innuitur, ubi ait: *Indignus, nec coactus accedat.*

VI. In hac eadem versabatur sententia Avitus Episcopus Viennensis, famæ merito suo clarissimæ. Qui enim verba Apostoli sibi obtendebant, desiderando Episcopatus bonum opus desiderari: eos serio monet Avitus, ut illa quoque ponderent Apostoli ejusdem verba de necessaria Episcopi innocentia, & inculpatissima vita. *Solent plerique propria* (In Fragm. pag. 201.) *ambitionis incendium dicti hujus Apostolici quasi refrigerio temperare. Sed statim cessaret tale desiderium, si sequentia tractarentur, Oportet, inquit, hujusmodi irreprehensibilem esse. Considerent si ab omni interdicta reprehensionis nævo candida divinæ imaginis integritas custoditur, &c.* Ubi hanc patet esse Aviti mentem, irreprehensibiles à Paulo eos demum dici, qui primigeniam innocentiam nullo unquam flagitio contaminarunt. Ita sancit & constituit denique Avitus, Deo displicere eos, qui sibimet ipsis ita placent ut Episcopali sibi sede digni videantur. *Placere Deo penitus nequit, qui usque ad sui electionem sibi ipse placuerit.* Qui sibi clam favent plauduntque, aliorum favore & suffragiis facilè cadunt.

VII. Fortunato Pictaviensi Episcopo ita videtur vilem illis & despicabilem esse Episcopatum qui illum non reverentur, qui non verentur, qui prehensant; contemni vocationem divinam, ubi prævenitur: si Hilarius, si Martinus, si Gregorius ad eas dignitates contremuerunt, insulentissima insania insanire eos, qui sese his anteponant; denique ambitionem legibus etiam civilibus pœnas dare. (Pomœr. l. 2. c. 16.) *Gravat Sacerdos Ordinem, qui Episcopatum sic petit. Præcepta qui complectitur, fugit honoris ambitum. Hoc si cui sit debitum, Coactus ascendat gradum; Non se potente callidè, sed dante Christi munera. Ineptus est qui sancta se præferre vult Ecclesiæ; Nam rem sacratam sumere, electio divina sit. Clarum Sacerdos Ordinem Hilarius non ambiit; Martinus illud effugit, Gregorius vix sustulit. Leges refutant ambitum, Invasor omnis pellitur; Quod respuunt Prætoria, vitet nefas Ecclesia.*

VIII. Rescito Cæsarius quæri se ad Episcopatum, abstrusit se in vetustissima sepulcrorum antra, nec prodiit, nisi vim faciente populo, & insuperabili gratiæ divinæ potestate inflexus. (Vita ejus apud Surium. August. die 27. c. 6.) *Cùm pervenisset ad notitiam Patris nostri, quod esset ordinandus Episcopus, intra quædam sepulcra se abscondit; sed latere non potuit, quem detexit non culpa, sed gratia. Trahitur igitur è quodam sepulcro vivus, quem non mortuum, sed celatum, vitæ claritas ostendebat. Cogitur Episcopatus sarcinam suscipere: & ille quidem ceu mansuetum Christi jumentum, impositum sibi onus modesto fert temperamento.* Ita viri sanctissimi, cogi meruere; dum cogerentur, non amplius repugnarunt; hanc rati certissimam esse divinæ vocationis tesseram.

IX. Pluribus in Africæ Civitatibus electus est Fulgentius à Clero & Populo; sed quam fugax, tam ingeniosa ejus animi modestia insequentes & perscrutantes diu delusit. Cùm denique certior factus est, suos jam sibi singulas civitates Pastores delegisse, suo se reddidit Monasterio; ubi Civitatis Ruspensis incolæ, quæ sola Pastore viduata tenianserat, deprehensum, vi pertraxere, ut esset ignotæ sibi Ecclesiæ notissimus ipse Episcopus. *Tunc adgregata violenta multitudinis manu, repente B. Fulgentius dolens oculos in cellulâ propriâ reperitur, invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex esse non rogatur, sed cogitur.* (Vita ejus. c. 17.)

X. Illud etiam à Fortunato observatum est, ne Magistratuum quidem civilium dignitatibus remunerandam esse hominum inconsideratam vanitatem, qui illis inhiant, sed eorum navitatem & prudentiam, qui quanti eæ sint ponderis & periculi callent, quique ideo ab eis aufugiunt. Unus exemplo suo luculentè id approbabit Justinus Imperator, qui datis ad Hormisdam Papam litteris sanctissimè affirmat, invitum se & repugnantem electum fuisse à Proceribus Imperii, à Senatu & ab Exercitu. *Declaramus, quod primum quidem inseparabilis Trinitatis favore, deinde amplissimorum Procerum sacri nostri Palatii, & sanctissimi Senatus, necnon electione firmissimi exercitus ad imperium, nos licet nolentes ac recusantes, electos fuisse, atque firmatos.* (P. II. Ep. 26 Hormisd.) Scitissimè rescripsit Pontifex in eo uno satis argumenti esse, ut crederetur ad eum apicem à Deo vocatus esse, idque ingenti Ecclesiæ commodo & laudi cessurum. *Significastis nolentibus & recusantibus vobis Imperii pondus impositum: quâ ratione electos suos cœlesti constat esse judicio, secundum Apostolum dicentem: Non est potestas nisi à Deo. Superest ut à Deo electi Ecclesiæ solatia porrigatis.* (Epist. 27.) Nec spes fefellit Pontificem. Pacem enim Justinus universæ tandem reddidit Ecclesiæ, Acaciano schismate prorsus oppresso, quo illa jamdiu lacerabatur.

XI. Ubi Joannem & Cyriacum Constantinopolitanos Patriarchas ostendimus paulò suprà cogendos fuisse, ut in eam se propelli sedem paterentur: jam tum patuit incompertam Orientali Ecclesiæ minimè fuisse illam animi modestiam, suique dejectionem, cui fugienti, ob ipsam maxime fugam, sacræ ingeruntur dignitates. Diximus & de Theodoro Anastasiapolitano Episcopo, qui quod vehementior quædam vis allata sibi fuisset, eo libetum sibi duxit esse, ut ei renunciaret.

Finis Libri secundi.



PARTIS SECUNDÆ
LIBER TERTIUS,

IN QUO AGITUR,

De pluralitate Beneficiorum. De Commendis. De Dispensationibus. De præcipuis officiis Episcoporum. De Residentia. De causis canonicis & justis non residendi. De Conciliis. De Comitiis Regni. De Comitiis Cleri. De Synodis Diœcesanis. De Visitationibus. De Prædicatione. De Pauperum tuitione. De Exercitio Jurisdictionis.

De Pluralitate Beneficiorum.

CAPUT PRIMUM. *P. 1. l. 2. c. 45.*

De pluralitate Beneficiorum per quinque priora sæcula.

I. Generales causæ, quæ veterem Disciplinam muniebant adversùs pluralitatem Beneficiorum. Primum necessaria Clericorum omnium residentia.

II. Cuique Clerico certa adsignata munia.

III. Non alii reditus, quàm ex distributionibus.

IV. Res omnes in commune possidebantur.

V. Nec necessaria deerant Clericis, nec superflua redundabant illis.

VI. Omnium sustentatio egenorum Ecclesiæ commendata erat.

VII. Eversa ante necessariò omnis ea disciplina ratio, quàm plura quisquam unus obtineret Beneficia.

VIII. De Episcopo duarum Civitatum.

IX. Aut duos regente Episcopatus, in unum compaginatos ad Ecclesiæ utilitatem.

X. Damnatur in Concilio Calchedonensi pluralitas Beneficiorum, & ad priorem Ecclesiam suam rejicitur Beneficiarius.

XI. Conceditur ibi tamen, ut ab Ecclesia diruta ad aliam migretur.

XII. Vagæ ibidem prohibentur ordinationes, quibus Clerici nulla assignatur Ecclesia.

XIII. Clericus unus Episcopo, unique addictissimus Ecclesiæ plura non poterat accumulare sibi Beneficia.

XIV. B. Basilius Episcopum transtulit, & gemini Episcopatus illi curam mandavit.

XV. Idque in Concilio Provinciali factum est, & ad Ecclesiæ commodum.

XVI. Nonnulla in eam dispensationem adnotantur.

XVII. An à B. Paulo damnata sit spiritalis hæc bigamia.

XVIII. XIX. Commenda Episcopatuum vacantium ad tempus tantùm erant, & ad Ecclesiæ necessitatem.

I. QUÆ sæpiùs jam suprà perstricta est Beneficiorum residentia, & de qua prolixior suo infrà loco instituetur nobis disputatio, ea jam non leve præjudicium est adversùs Beneficiorum pluralitatem accuratè hic nunc disceptandam. Palam est enim residere in singulis non posse, cui plura sint Beneficia. Cùm ergo suis quique residere in Ecclesiis tenerentur Clerici, quibus sua illos affixerat ordinatio, ut suprà demonstratum est; ne fieri quidem poterat, plura ut in singulos Beneficia conferrentur, cùm pluribus in Ecclesiis, vel Civitatibus sedem habere non possent uno eodemque tempore.

II. Nec ad præsentiam tantùm corporis pertinebat lex residentiæ, sed ad functiones sacras quæ in iis locis obeundæ essent; & quæ nisi uno in loco obiri non possent. Ita residere nemo nisi in una poterat Ecclesia.

Adde quod Beneficium ab ordine non divelleretur, nec nisi collato ordine conferretur Beneficium; nec alia esset Beneficii collatio, quàm ordinatio. Ergo cùm ritè unus unum ordinem exercere possit, non plures; ritè unus unum gerebat Beneficium, non plura.

III. Reditus Beneficiorum meris constabant distributionibus,

stributionibus, seu sportulis, ut delibatum alicubi jam est, utque infrà Parte III. operosiùs declarabitur. Quorsum ergo plura quis sibi accumulasset Beneficia, cùm præsentibus tantùm & officio fungentibus hæ sportulæ dispensarentur?

IV. Bona Ecclesiæ temporalia tum omnia in commune possidebantur, uti nunc in Cœnobiis & Congregationibus plerisque, sive Monasticis, sive Clericalibus. At ea ratio non possidendi nisi in commune, manifestè declarat, ne fieri quidem potuisse, ut unus plurium portiones vel distributiones obtineret, aut ut plurium Congregationum parte aliqua donaretur redituum.

V. Quanquam non idem modus, nec mensura eadem esset, sed pro cujusque labore; servabantur tamen religiosissimè illæ leges, quas paupertatis amor, quas charitas pauperum dictavit, nulli ut quidquam necessarium deesset, nulli ut superesset ultra necessarium; cùm nemini superflua aggerari possent, quin alii necessariis fraudarentur. His ita constitutis, ne in mentem quidem venire poterat cuiquam, ut pluribus vellet se donari Beneficiis.

VI. Nec Clericorum tantùm suorum Ecclesiæ unicuique incumbebat sustentatio, sed pauperum etiam, orphanorum, viduarum, Sanctimonialium, omnium denique, quibus in omnia Ecclesiæ bona jus erat, solo nomine paupertatis. Vel ditissimas ergo Ecclesias ad tantam alendorum pauperum multitudinem exarescere necesse erat, & vix ad necessaria subsidia singulis suppeditanda sufficere, nedum ad supervacaneos reditus cuiquam permittendos.

VII. Non potuit ergo serpere in Ecclesias pluralitas Beneficiorum, nisi ubi exolescere cœperunt primigeniæ leges, ususque sanctissimi priorum sæculorum. 1. Postquam Clericis minoribus relaxata est obedientiæ regula. 2. Postquam ordinari, vel attonderi cœpere Clerici, sine ullo minorum Ordinum, atque adeo sine ulla quam in Ecclesia obirent functione. 3. Postquam collati sunt Ordines illis etiam, qui nulli Ecclesiæ astringerentur. 4. Postquam Beneficiariis non distributiones tantùm, sed & agri ac prædia cœpere distribui, secto in portiones Ecclesiæ patrimonio. 5. Postquam non in commune tantùm, sed privatim cœpere possideri bona Ecclesiæ. 6. Postquam non amplius spectata est Ecclesia ut pauperum omnium procuratrix altrixque, quos tamen frugaliter & modicè aleret, quo superesset quod in egenorum omnium alimenta refunderetur. Hæc omnia novata sunt pedetentim in temporali & spirituali administratione Ecclesiæ; unde emersit illa portentosa in Cleri disciplina fœditas, de qua dolent gemuntque mirum in modum pii & cordati omnes, alios rebus necessariis destitui, dum alii sacras opes & patrimonia pauperum otio & luxu diffluentes dilapidant.

VIII. Nec me fugit Episcopos Provinciæ Europæ Concilio Generali Ephesino libellum supplicem obtulisse, ut suus sibi mos antiquus perpetuaretur, quo quilibet solebat Episcopus binos ternosve regere Episcopatus. *Verus mos viget in Provinciis Europæ, quod singuli Episcopi duos vel tres sub se habent Episcopatus. Unde Heracleæ Episcopus sub se habet Heracleam & Panion: Episcopus autem Byzes sub se Byzen & Arcadiopolin; Cœlensis verò similiter habet Cœlen & Callipolin: porro Episcopus Sabsadiæ sub se habet Sabsadiam & Aphrodisiadem.* (Conc. Ephes. Act. 7.) Usum eum antiquissimum confirmavit Synodus, propterea quod vetustæ consuetudines vim legis obtineant. *Et sanctis Canonibus & externis legibus, quæ veterem consuetudinem jubent vim legis habere, nihil innovandum in Europa civitatibus, sed juxta veterem consuetudinem gubernentur ab Episcopis, à quibus & olim.*

IX. Nec tamen hinc sibi quisquam fingat, uni aliquando Episcopo duos fuisse Episcopatus, sed duas potiùs civitates, quæ ejus & magnitudinis essent & opulentiæ, ut merito Episcopales videri possent: vel quæ Episcopales & ipsæ singulæ olim fuissent, at tunc in unum Episcopatum essent conglutinatæ. Quanquam enim non liceret per Canones Sedes Episcopales constitui, nisi in majusculis & populosis civitatibus: non tamen in singulis istiusmodi civitatibus populosis singulæ erant Episcopales sedes. Poterant & duo Episcopatus in unum coaluisse, aut alterius civitatis devastatione & ruina, vel alia quapiam ratione. At nihil hinc elici potest, quo pluralitas Beneficiorum astruatur; cùm duo tunc Beneficia in unum concrescant, non ut honorum privatæ opumque cupiditati fiat satis, sed ad Ecclesiæ utilitatem, utque necessitatibus ejus consultum sit. Decernitur enim ut plures civitates uni subjiciantur Episcopali sedi, aut ut duo etiam Episcopatus in unum posthac coagmententur. Hæ porro uniones perpetuæ sua hac ipsa perpetuitate produnt, non privatorum cupiditati, sed Ecclesiarum utilitati provisum fuisse.

X. Prohibet certè Concilium Calchedonense, ne quis Clericus duabus Ecclesiis inscribatur; jubetque deturbari ea quemvis Ecclesia, cui inseri ambitiosiùs anhelaverat, & remitti in eam, cujus pertæsus fuisse videbatur, cùm in ea tamen ordinatus fuisset: si verò jam secundæ Ecclesiæ inscriptus fuerat, abstinere penitus posthac jubetur, & regimine, & proventibus prioris, ejusque Capellarum, aut Xenodochiorum. Si qui secus aliquid tentaverint, ii pluralitatis Beneficiorum quasi prælusores, canonica depositione exauthorantur. *Non licet Clericum conscribi in duabus simul Ecclesiis, & in qua ab initio ordinatus est, & ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad suam Ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare. Si verò jam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel martyriorum quæ sub ea sunt, aut ptochodochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos autem qui ausi fuerint post definitionem magnæ Synodi quidquam ex his perpetrare, decrevit sancta Synodus à proprio gradu excedere.* (Con. Chalc. Can. 10.)

Eo Canone apteritur jam gliscens abusus pluralitatis Beneficiorum, quo ex fonte ea pestis erumperet, quid ei adhibitum sit medicinæ. Qui enim ab una in aliam Ecclesiam translati fuerant, & qui novæ hujus Ecclesiæ consortes erant emolumentorum, callidè retentabant prioris Oratoriorum vel Xenodochiorum reditus & administrationem, quod eorum probabiliter antea fuissent administratores. Damnat Calchedonensis Synodus istiusmodi Clericorum ab una Ecclesia in aliam translationes; jubet ut æterna stabilitate illis affigantur deinceps Ecclesiis, quibus ordinatione, hoc est, vocatione divina illigati sunt. Si translati verò jam sint, sancit ut posteriori huic adhærescant Ecclesiæ, nec alterutrius optionem illis facit. Ex duobus enim Beneficiis, duabusque Ecclesiis, ut uni Ecclesiæ quàm alteri mancipetis, in consilium adhibenda est, non inanitas honorum & opum, sed certa & sanctissima lex vocationis divinæ, residentiæ, & stabilitatis,

Itaque Beneficiarius primæ Ecclesiæ suæ adhærescat, necesse est, si needum secundæ cohæserit: aliàs secundæ constanter se affigat, de prima ne cogitet quidem, utriusque proventus magni faciat.

XI. Ejusdem Concilii Canone annuitur Clericis, ut ab una Ecclesia ad aliam migrent, tum certè

Can. 20. demum, cum prior diruta & complana fuit. *Exceptis illis, qui proprias amittentes patrias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt.* Hoc ipso autem Canone, excommunicatione percellitur Episcopus, qui Ecclesiæ suæ adgregat, vel Beneficio quopiam donat Clericum, alteri jam Episcopo & Ecclesiæ mancipatum, tum Beneficio, tum Ordinatione sua: Clericum verò ipsum eadem mulctat pœna, dum in priorem se recipiat Ecclesiam. Nec superiori Canoni hic adversatur. Illic enim sermo erat de translatione facta, & quidem consentaneè Ecclesiasticis legibus facta, ad commodum & necessitatem Ecclesiæ: hic autem de ea quæ fieri posthac posset, studio & industria hominum ambitiosorum.

Can. 6. XII. Porro malis his omnibus obviaverat Calchedonensis Synodus, edito priùs Canone, vetitoque, ne *absolutè*, ἀπολελυμένως, quisquam ordinaretur; hoc ast nisi astrictis Clericis cujuscumque Ordinis alicui Ecclesiæ Urbis, aut Vici, aut Oratorii, aut Xenodochii, aut Monasterii, declaratoque irritas habitum iri ordinationes vagas. Nulladum ergo tunc erant adhuc Beneficia simplicia, vel residentiæ lege soluta: unde & illud consequens est, ut nulla essent, quæ aliis cum Beneficiis sociari possent.

XIII. Sunt enimvero permaximi hæc duo momenti, præter ea quæ initio Capitis hujus dicta sunt. 1. Mancipatio cujuslibet Clerici, qua constringitur ad unam aliquam Ecclesiam, vi ipsa ordinationis suæ. Cùm enim ordinari non possent, nisi ut uni Ecclesiæ addicerentur: ita exolvi jam non poterant ejus Ecclesiæ nexu quem ordinatione sua contraxissent, nisi per ipsummet ordinatorem suum Episcopum. 2. Devovet se Episcopo suo Clericus, & addicit ordinatione ipsa sua, ut eo illi astringatur vinculo, quod nisi ad Ecclesiæ utilitatem solvi jam non possit. Ac vicissim Clerico se Episcopus obligat quodammodo, curam ejus tum corporalem, tum spiritalem deinceps gesturus ex Cano-

Can. 38 ne Apostolico. *Si quis Episcopus, vel Presbyter, cùm sit aliquis ex Clericis egenus, ea quæ sunt necessaria, ei non suppeditat, segregetur; sin autem perseveret, deponatur, ut qui fratrem suum interfecerit.*

XIV. Meminit Basilius Euphronii, duos simul administrantis Episcopatus. Cùm enim illum Armeniæ Provinciæ Episcopi ab Episcopatu Coloniensi ad Metropolim Nicopolitanam transtulissent, geminas ille deinceps illas Ecclesias administratione sua & charitate complexus est. Iniquissimo ferebant animo Colonienses suo se fraudari Episcopo; quos contrà solabatur & demulcebat Basilius, hanc Episcoporum Provinciæ potestatem esse demonstrans, idque Ecclesiæ necessitati datum fuisse, cujus adversariis objiciendum fuerat hoc velut invictissimum propugnaculum, in Provinciæ principe Ecclesia. Spondet autem pristina illos Euphronium cura & charitate semper compleauturum esse. *Vocem vobis*

Epist. 290. *emittet Nicopolis talem omnino, qua matri conveniat indulgentissimæ: nimirum se parentem communem vobiscum habituram esse, qui utrisque gratiarum suarum partem alternis vicibus communicabit: neque illius passurus molestiam creari ab adversariis, nec consueta tutela vos ac præsidentia aliqua ex parte privaturus. Quocirca horum temporum difficultatem vos apud animum vestrum reputantes, & prudenter istius dispensationis necessitatem cognoscentes, ignoscere debetis Episcopis illis, qui constituendarum Ecclesiarum hanc potissimum rationem inierunt.* κατ᾽ οἰκονομίας ἀναγκαίας.

Cùm verò ne his quidem Basilii rationibus & delinimentis acquiescerent Colonienses, jamque meditarentur Magistratuum Præsidumque opem interpellare: alteris eos Epistolis edocuit Basilius, nihil ea quidem in re molitos esse Episcopos, nisi authoritate Christi, cujus sunt Vicarii & Administri, ex indeclinabili necessitate consulendi incolumitati Provinciæ, qua Colonia ipsa continéretur. Porro si res ad sæculares referretur Magistratus, perinde id fore, atque si infestissimis sibi adversariis Ecclesia subjiceretur, & conculcaretur divina illa qua Christus instruxit Episcopus potestas, ut rebus & causis Ecclesiæ præsint. *Dispensatum est quam optimè de fra-* Epist. 293.
tre nostro dilectissimo Euphronio, per eos quibus rerum Ecclesiasticarum concredita est dispensatio, prout tempora exigebant, necessario pro illius Ecclesia, quo transferebatur, utilitate non mediocri, & vestra etiam non levi, à quibus est ablatus. Nolite hoc humano consilio factum arbitrari, non consiliis hominum, qui terrena sapiunt: sed eos quibus sollicitudo Ecclesiarum Dei & cura incumbit, Spiritu ipsis sancto cooperante, hoc procurasse arbitremini, &c. Itaque quod factum est, suscipite, persuasi, eos qui resistunt, nec admittere volunt, quæ Ecclesiis præscribunt ii, qui sunt à Deo electi, divina repugnare ordinationi. Et paulò infrà: *Ne ergo furore insano perciti nonnulli, vos eo adigant, ut hæc ad publica subsellia deferatis, &c.*

XV. Facta est ea translatio à Concilio Provinciali, duorumque Episcopatuum in unum coalitio, provida & necessaria dispensatione, ut à Basilio inculcatum est, ad incolumitatem Ecclesiarum totius Provinciæ, & utriusque etiam illius Ecclesiæ, quarum alteri subducebatur, alteri præficiebatur Episcopus præstantissimus. Arcem enim Provinciæ seu Metropolim insidens Euphronius, Coloniensem ipsam Ecclesiam validius tuebatur: propterea quod si invasissent semel Ariani Metropolim, jam nullo negotio reliquas Provinciæ civitates pervasissent. *Suscipiat Nicopolis curam Euphronius, & accedant ad* Ibidem.
illam sollicitudinem vestra quoque res, loco additamenti. Certè plus laboris hinc homini accessit, at vestra tamen ratio & inspectio non minuitur.

XVI. Aliquanto diutius immoratus sum huic narrationi, ut manifestius fiat, quæ olim ratio, quæ disciplina esset Ecclesiæ, in dispensationibus moderandis ad translationes & pluralitatem Beneficiorum. 1. Eas dispensationes expendebat & concedebat Synodus Provincialis. 2. Urgente summa Ecclesiæ necessitate eas concedebat. 3. Episcopus cui ea concedebatur, ab ea deposcenda alienissimus erat. 4. Nec enim ad illum redibat, nisi concitatius odium adversariorum Ecclesiæ, pericula & labores, atque negotiorum moles importunissima. *Certè plus laboris huic homini accessit.*

XVII. Opusculi ejus author, quod *de Dignitate Sacerdotali* inscribitur, quodque sub nomine B. Ambrosii circumfertur; illa Pauli verba de Episcoporum & Clericorum Monogamia, de spiritali Monogamia interpretatur, sive de Beneficiorum singularitate. *Unius uxoris virum. Si ad altiorem sensum* Cap. 4.
contendimus, inhibet Episcopum duas usurpare Ecclesias. Minus quidem probatur ea Hieronymo interpretatio, utpote coacta & violenta: at vehementissimè illi improbatur illa Clericorum ab Ecclesiis

Epist. ad Ocean. ad Ecclesias translatio. *Quidam coacte interpretantur uxores pro Ecclesiis, viros pro Episcopis debere accipi. Et hoc in Nycæna quoque Synodo à Patribus esse decretum, ne de alia ad aliam Ecclesiam Episcopus transferatur. Ne virginalis paupercula societate contempta, ditioris adulteræ quærat amplexus.*

XVIII. Commendavit beatus Ambrosius Episcopo suæ Provinciæ curam proximioris ei Ecclesiæ Imolensis, quæ tunc vacabat, illam ut frequentius inviseret, dum Episcopus ei proprius ordinaretur.
Epist. 44 *Commendo tibi fili Ecclesiam, quæ est ad forum Cornelii, quò eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur Episcopus. Occupatus diebus ingruentibus quadragesimæ, tam longè non possum excurrere.* Commendatur, ut vides, Episcopo altera Episcopalis Ecclesia viduata tum Pastore: nec duo tamen quisquam sibi arrogat Beneficia. Quin Commendæ istiusmodi tam totæ vergebant ad utilitatem Ecclesiæ, quam posterioribus hujus ævi nostri graves illi nonnunquam importantur calamitates.

XIX. Ad annuum tantùm spatium Concilia Africana sinebant has prorogari Commendas. Anno tantum spatio commendari Ecclesias volebant, & ut ne Episcopus Visitator, seu Interventor, cui Ecclesia interim regenda delegabatur, eligi seipsum curaret, invaderetque suæ fidei creditum depositum. Audi quid Ferrandus Diaconus referat ex
Cap 21. 27. Conciliis Africanis. *Ut nullus Episcopus Cathedram, cui datus fuerit intervenutor, plusquam annum teneat, sed ipse ei Episcopum petat, &c. Remoto interventore sic remaneant, quandiu sibi Episcopum quærant.* In Concilio Carthaginensi V. statutum est, ut anno expleto Ecclesiæ vacanti novus præficeretur Visitator. Ita temporariæ tantùm, & breves, atque onerosæ erant hæ Commendæ.

CAPUT II. *P. 2. l. 2. c. 68.*

De pluralitate Beneficiorum ab anno Christi quingentesimo ad octingentesimum.

I. Prohibetur, ne Abbas unus pluribus præsit Cœnobiis.

II. Quanquam nullas avaritiæ sordes redoleret ea Cœnobiorum pluralitas.

III. Clericis Ecclesiæ Cathedralis aliquando commendabatur Administratio Abbatiæ, sed proventibus tunc exuebantur & stipendiis Ecclesiæ Cathedralis omnibus, si ea sustentandis par erat Abbatia.

IV. Ubi Canonicis conferebatur Parochialis Ecclesia, aut simplex aliquod Beneficium, illico stipendiis spoliabantur prioris Ecclesiæ.

V. Qui [illegible] *radio quopiam in usum fructum ab aliqua Ecclesia donati fuerant, id cum alio Beneficio, ac ne cum Episcopatu quidem, si canonicè ad quamvis aliam Ecclesiam Episcopi eligerentur.*

VI. Ut vitiosa hæc declinaretur pluralitas, nemo sinebatur alterius, quam sua unius Ecclesiæ, vel agros, vel distributiones retinere.

VII. Rationes innoxiæ plura obtinendi Beneficia, si qua quis eis adderet patrimonia, si labores, & studia: si alterum gereret commendatum tantum ad utilitatem Ecclesiæ; si plura in unum conflarentur solius Ecclesiæ utilitatis contemplatione. Exempla triplicis hujus pluralitatis.

VIII. In Concilio Emeritensi concessum est Canonicis, ut partem aliquam retinerent fructuum Parochiarum, quas ante gubernassent.

IX. Multa in hunc Canonem observantur, adversùs pluralitatis Patronos.

X. Plurium Parochiarum in unam coalitio, ad tenuiorum Ecclesiarum levamentum.

XI. Duo Fulgentio erant Abbatiæ, tametsi paupertatis amantissimo.

XII. In Oriente unus Abbatiis duabus Abbas præesse non poterat.

XIII. XIV. Episcopales & Abbatiales Ecclesias duas in unam quandoque conglutinabat Gregorius Magnus, una stimulante ipsarum utilitate.

XV. Quibus rationibus agrestes Abbatiæ urbanis conjungerentur.

XVI. Desolatam quandoque Episcopalem Ecclesiam idem Gregorius alteri Ecclesiæ addebat.

XVII. Exempla aliqua pluralitatis.

I. Prohibiti sunt in Concilio Agathensi Abbates, ne plura Cœnobia, vel plures haberent Cellas; nisi forte sita esset Abbatia, adeoque necesse esset, ut in urbe perfugium haberent, & veluti portum, in quem se reciperent sævientibus
bellorum procellis. *Abbatibus quoque singulis diver-* *Can. 38.*
sas cellulas, aut plura Monasteria habere non liceat, nisi *57.*
tantum propter incursum hostilitatis, intra muros receptacula collocare. Id ipsum in Concilio Epaonensi con-
firmatum est: *Unum Abbatem duobus Monasteriis in-* *Can. 9. 10.*
terdicimus præsidere. Ea verò tum Monasteriorum sub uno Abbate pluralitas, non aliundè profecta videtur fuisse, quàm ex iis Coloniis novis, quæ vicinas in regiones à populosis olim Monasteriis propagabantur: ita ut prior Abbas ut author, & parens, ita & Præpositus semper haberetur novelli cujusque gregis. Ideo & vetant hujus Synodi Patres, ne fiant hæ antiqui gregis propagationes injussu Episcopi, cui ex Officio incumbit, ut dijudicet, an novo Cœnobio proprius sit Præpositus, vel
Abbas adsignandus. *Cellas novas, aut congregatiun-* *Can. 18.*
culas Monachorum absque Episcopi notitia prohibemus institui.

II. Hæc copia verò & multitudo Cœnobiorum, uni obnoxiorum Abbati, ejusmodi erat, quæ pietatem magis, quàm ambitionem redoleret. Ea enim Cœnobiorum aliorum ab aliis propagatio, fœcunditatem non magis prodebat, quàm sanctimoniam, & insignium virtutum splendorem, quo ea multitudo alliciebatur servorum Dei, cui exuberanti, novæ subinde sedes quærendæ essent. Exulabat hinc autem omnino avaritia, cùm nec Monachi quidquam, nec Abbates propriè & sejunctim possiderent, ut ex Concilio Aurelianensi IV. dilucidum est. *Si quid Abbatibus aut Monasteriis collatum fuerit, in sua proprietate hoc Abbates minimè possidebunt.*

III. Si cui tanta constare poterat tunc innocentia, illa ipsa Abbatum proscribebatur tamen polygamia: quid de ea dicendum, quæ nunc tanto Clericis compluribus dehonestamento est? Regebantur quandoque à Clericis etiam Abbatiæ, qui earum verè titulo potiebantur, & quibus sua tamen antè ordinatio, jus addiderat idoneæ portionis redituum, & distributionum Ecclesiæ. Ne hinc pudenda invalesceret Beneficiorum acervatio, sanxit Aurelianensis III. Synodus, ut Episcopi Clericos ejusmodi spoliarent omnino prioris Ecclesiæ proventibus ac sportulis, eosque vitam tolerare juberent Abbatiæ reditibus, quam administrarent. *De* *Can. 18.*
his verò Clericorum personis, quæ de civitatensis Ecclesiæ officio, Monasteria, Diœceses, vel Basilicas in quibuscumque locis positas, id est, sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus susceperint ordinandas, in potestate sit Episcopi, si de eo quod antè de Ecclesiastico munere habebant, eis aliquid, aut nihil exinde habere voluerit; quia unicuique facultas suscepti Monasterii, Diœcesis, vel Basilicæ, debet plena ratione sufficere.

Videri in speciem poterat eo Canone permitti Episcopis ea facultas, ut Clericos Commendatarios sinerent gemino simul frui Beneficio. Sed longè diversissima est sanè Canonis sententia. Cùm enim præcipitur, ut vel Parochiæ, vel Monasterii admi-

nistrator, inde sustentetur, hinc perspicuè insinuatur, illi omnem circumcidi & amputari spem quorumcumque aliorum redituum; jubetque Episcopum, ut iis illum caveat; nisi si cogat eorum parte aliqua relevari se Abbatiæ cui præest penuria.

IV. Ex hoc rursus Canone odoramur geminam aliam corruptelam, quæ jam inolescebat, & cui obviam ire satagebat hæc Synodus. Cùm videlicet qui communium participes erant distributionum, donabantur præterea Parochiali Ecclesia, quæ hic dicitur *Diœcesis*, vel Beneficio simplici, quod hic *Basilica* nomine indigitatur. Diœceses enim primò Latinis non aliud fuere, quàm agrestes Parochiæ. Extruebantur etiam jam olim in honorem Martyrum Basilicæ, quibus nullæ plebes, nulli greges addicebantur, sed ex frequenti fidelium concursu plurimæ opes, ex eorum nempè largissimis oblationibus. Hujus ergo Canonis scopus is est, ut adducantur Episcopi in nullam jam partem, vel societatem redituum Ecclesiæ Cathedralis, eos admittere Clericos, quibus vel Basilicam, hoc est simplex Beneficium, vel Parochiam contulissent. Eis enim Ecclesiæ proventibus vitam tolerare debet Clericus, qui ei sufficiant, non aliis inhiare. *Quia unicuique facultas suscepti Monasterii, Diœcesis vel Basilica debet plena ratione sufficere.*

V. Cœperant jam etiam Clericis condonari non distributiones tantùm, sed & agelli, & prædiola Ecclesiæ, quibus usufructuario jure gauderent. Unde & hoc eodem rursus Canone illis donatus Clericus agellulis, ejicitur alio quocumque Beneficio. Id luculentius Epaonensis Synodus declarat, ubi dicitur, si quis fundo & agro donatus alicujus Ecclesiæ, ad Episcopatum alterius Ecclesiæ devocetur, restitui priori Ecclesiæ debere, quod ab ea obtinebatur, quanquam retineri possit, quod emisse se quis & possedisse legitimis instrumentis prodiderit. *Quisquis Clericus aliquid de munificentia Ecclesiæ cui servi erat, adeptus, ad summum Sacerdotium alterius civitatis, est, aut fuerit ordinatus, quod domo accepit, vel acceperit, reddat: quod usu, vel proprietate secundùm instrumenti seriem probatur emisse, possideat.* Ne Episcopis quidem, ut vides, parcebatur, nedum aliis Clericis, ut plurium Ecclesiarum rebus utcumque sinerentur frui. Quippe si jam inclementes in semetipsos erant Episcopi, iisque se legibus astringebant, nihilo humanius in reliquos Clericos consulebant.

Can. 14.

VI. Nec futuris malis occupandis hæc Canonum medicamenta parabantur; sed præsentibus abigendis. Jam tum ergo irrepebant hæ pestes in Ecclesiam, sed altas radices agere non sinebantur. In Concilio IV. Aurelianensi sancitur, ut *si quis Episcopus alterius Ecclesiæ Clerico de facultatibus suæ Ecclesiæ aliquid sub titulo quocumque donaverit, &c.* eo extincto, prædium Ecclesiæ restituatur. Eo fuco pluralitatem dissimulari potuisse facilè suspicamur. Ideo & Concilio Aurelianensi V. vetitum omnino est, ne vel Episcopus, vel Clericus Beneficium, aut prædium petere, vel impetrare posset Ecclesiæ cujuscumque alterius, præterquam suæ. *Ut nullus Episcoporum, aut cujuslibet Ordinis Clericus, alterius cujuscumque res, aut petat, aut præsumat accipere. Quod si fecerit, tandiu habeatur à communione suspensus, donec ablata restituat.*

Can. 36.

Can. 14.

VII. Depromitur à Gregorio Turonensi ea Beneficiorum pluralitas, quam nemo jure possit reprehendere, unde ne verendum quidem est, ut plures habeat imitatores. Clarissima sanctitate Severinus Presbyter duas cum exædificasset Ecclesias, & illas Martyrum sacris pignoribus consecrasset, ubi Dominico quoque die in earum altera sacris Mysteriis operatus esset, actutum equo conscenso ad alteram properabat, vigesimo inde lapide semotam, ubi rursus eadem celebrabat sacra. *Magna illi fuit virtus ac eleemosyna, ita ut de domibus suis Ecclesias faceret, ac facultates suas in cibos pauperum erogaret.* Qui suo ita de patrimonio hauriebat, quo duas fundaret Ecclesias, & pauperes passim sustentaret, istiusmodi Beneficia duo credo equidem obtinere eum potuisse, ut nec ambitionis ei, vel avaritiæ suspicio illineretur.

De gloria Confessor. c. 50.

Beati Leodegarii vitæ Scriptor, Diaconum illum primò ait creatum fuisse anno ætatis suæ vigesimo, pòst Archidiaconum: tum verò administrationem ei creditam fuisse Abbatiæ sancti Maxentii, cui sex annis præfuerit: *Cùm Pater Monasterii in sancti Maxentii honorem conditi obiisset, jussu ejusdem Pontificis illud regendum suscepit. Quod sex ferè annis ille gubernans, & structuris, & magnis opibus dotavit.* Archidiaconum hic habes, eundemque Abbatem, aut certè Abbatiæ Administratorem. Nec ei tamen illud adscribendum est pluralitati, quam hic insectamur. Narrat enim idem scriptor Leodegarium omnibus Præpositum fuisse Ecclesiis Diœcesis Pictaviensis, ex quo Archidiaconus creatus fuit. *Archidiaconus effectus, omnibus ejus Diœcesis Ecclesiis ab eodem Pontifice præfectus, atque Prælatus.* Quæ sanè administratio omnium unius Episcopatus Ecclesiarum, ipsamet erat Archidiaconatus sarcina propria; utpote earum omnium non Titulum gerit Archidiaconus, sed Præfecturam. Abbatiæ ergo similiter sancti Maxentii solam Episcopus Leodegario Præfecturam & sollicitudinem credidit, qua & sex annis perfunctus est, restauratis ejus ædificiis, & adauctis proventibus.

Du Chesne. To. 1 pag. 218.

Eversa Augusta Veromanduorum, beatus Medardus ejus antè Episcopus, sedem suam Noviodunum transtulit. Terris tunc emigrante Tornacensi Episcopo, electus est ipse ejus urbis Episcopus: invitus quidem & vehementer reluctabundus, sed ita tamen, ut concedendum tandem fuerit unanimi consensui, authoritatique Regis, Metropolitani, Episcoporum & Civium. Adiit ergo Tornacensem hunc novum Episcopatum, nec Noviodunensem abjecit, Cathedralium privilegiis utrique Ecclesiæ concessis, uno ex utraque illa Episcopatu conflato. *Pontificali demum, Metropolitani scilicet, & Comprovincialium suorum evictus authoritate; Regisque ac Procerum assensu, plebisque coactus incessabili acclamatione vix consensit; & unanimi, Pontificali videlicet ac Regali authoritate, duas illas Ecclesias, unam fecit.* Non insatiabilis avaritiæ æstu Medardus geminum retinuit simul Episcopatum. Nec enim ipse eas Ecclesias in unam revinxit sedem: sed ipsarum utilitas evidens Regem, Metropolitanum, Episcopos, Optimates, & populos adegit, ut in eam consentirent unionem; & tum Medardo eam imponerent sarcinam, cujus in eo nullæ nisi obediendi fuere partes, cùm tamdiu repugnasset, quamdiu poterat humilitas sine contumacia.

Surius die 8. Jun. c. 18.

Pergimus jam à Galliis in Hispanias, & ipsas, si fas sit, ab eadem avaritiæ infamia purgaturi. In Concilio Emeritensi Episcopis conceditur, non tantum ut è Parochiis ruris Presbyteros & Diaconos aliquos transferant in Ecclesiæ Cathedralis suæ Collegium: *De Parochianis Presbyteris atque Diaconibus, Cathedralem sibi in principali Ecclesia facere: Sed*

Can. 12.

etiam ut copiam illis faciant retinendæ semper primariæ authoritatis in iis Parochiis, utque earum reditus decerpant, congrua admensa & assignata portione Presbyteris, cæterisque Clericis, quos suo sibi loco subrogabunt ad sacra munia peragenda. *Et quamvis ab Episcopo sui stipendii causa per bonam obedientiam aliquid accipiant; ab Ecclesiis tamen, in quibus consecrati sunt, vel à rebus earum extranei non maneant: sed Pontificali electione, Presbyteri, ipsius ordinatione. Presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat, & discretione prioris Presbyteri victum & vestitum rationabiliter illi ministretur, ut non egeat: aut si quæsierit, qui ordinatur, stipendium à suo Presbytero accipiat, quantum dignitas officii eum habere expetat. Clericis verò, vel quos ad serviendum ei dederit, per discretionis modum, quæ necessaria sunt, ministret.* Cathedrales habemus hic ergo jam aliquando Canonicos, qui cùm distributiones Canonicis omnibus communes percipiant, prioris Parochiæ suæ regiminis Principatum retinent, instar eorum quos primitivos vocitamus Parochos; quin & proventus ejus sibi vendicant, decerpta tantùm portione congrua Vicarii, & aliorum ministrorum, quos sibi substituunt.

VIII. Non facilè nos hinc expediemus, nisi utcumque plura fateamur uni Beneficia fuisse indulta. Sed non pauca sunt observanda, quibus inexaturabilis avaritiæ suspicio hinc abstergeatur. 1. Ordinati fuerant hi Parochi sub titulo ejus Parochiæ, at titulus difficillimè alienari potest. Adde quod nec amoveri possent Parochi ad nutum Episcopi, sed canonico judicio. Cùm ergo hi Parochiis suis demigrare haud sanè cuperent, nec ii inviti spoliari possent, utpote innoxii: penè cogebantur Episcopi, à quibus in cathedralem traducebantur Ecclesiam, illis permittere Parochiarum priorum honores proventusque. 2. Quo primùm tempora ascribebantur Clero civitatis, jam primitivi tantùm erant Parochi, quippe cùm alius illis succederet sive Parochus, sive Vicarius perpetuus. Ita nec duos obtinebant Titulos, aut duo prorsus Beneficia, nec duabus in Ecclesiis ministrabant. 3. Retinebant illi quidem fructus omnes prioris Ecclesiæ suæ, & perinde erat ac si Parochiam resignassent retentis fructibus, sepositaque tantùm ea portione, quæ Vicario Clericisque minoribus alendis satis esset. Verùm non injuria in mentem venit, id totum eò collimasse, ut Cathedrali parceretur Ecclesiæ, ubi novis Canonicis, non ea, aut non tanta redituum portio, quanta Canonicis aliis assignaretur. Etenim his verbis ejusdem Canonis satis apertè declaratur, non tanta, quanta anteriores Canonicos distributionum copia potitos esse hos novellos, ex Parochiis translatos, contemplatione scilicet eorum fructuum, quos priore ex Ecclesia sua præcerpebant: *Quamvis ab Episcopo sui stipendii causa per bonam obedientiam aliquid accipiant.* 4. Omnium antiquissimus ille fuerat Ecclesiarum usus, ut ad Episcopum conferrentur & coacervarentur omnes omnium Parochiarum turis proventus, & cum Ecclesiæ Cathedralis fructibus permiscerentur, ut alibi prælibatum jam est, utque infrà suo sejunctim loco copiosissimè edisseremus. Etsi usus ille jam exoleverat, poterat hoc ejus superesse vestigium, ut in Cathedralem traducti agrestes Parochi, Parochiæ suæ retinerent reditus, qui tum primævam quodammodo in originem suam revocabantur. 5. Denique disertissimè hoc Canone significatur, quo Beneficiarii contenti esse debeant, quo fine cupiditates suas circumscribere, ubi præcipitur, seu Vicario, seu novo Parocho suppeditari; parcè & modestè quo alatur, quo tegatur, *Victus & vestitus rationabiliter illi ministretur.*

IX. Attinguntur eodem Emeritensi Concilio Parochiæ tam tenues & macilentæ, ut uni Parocho plures commendarentur. Eo casu jubet Synodus, ut Dominico die quolibet Parochus singulis in Ecclesiis his Missarum celebret solemnia. *In Parochiis multa sunt Ecclesiæ constitutæ, quamò fidelibus* Can. 19.
facta, aut paucum aut nihil de rebus videntur habere. Sacerdotali ergo decreto Presbytero uni plures extant commissa. Non superfluæ cupido abundantiæ, sed Ecclesiarum paupertas plura hic in unum aliquem congerebat Beneficia, & quidem curæ animarum obnoxia. *Ecclesia quæ aut paucum aut nihil de rebus videntur habere.* In Concilio Toletano XII. edicitur, ut qui plures uno die Missas celebrant, in una earum qualibet, Agni cœlestis carne & sanguine reficiantur. Ecqui enim dici poterit sacrificium, si ne Sacerdos quidem immolatæ Hostiæ particeps fiat? *Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sa-* Can. 5.
crificans particeps esse cognoscitur?

Postremò vetuit Concilium Toletanum XVI, ne posthac plures uni Parocho committerentur Ecclesiæ, si haberent tantum agrorum, quantum excolere possent decem mancipia; indulto, ut quæ tenuiores essent, ditioribus copularentur. Ita obviatum est malis ex pluralitate scatentibus. *Sed & hoc necessariò instituendum delegimus, ut plures Ecclesiæ uni nequaquam committantur Presbytero: quia solus per totas Ecclesias nec officium valet persolvere, nec populis sacerdotali jure occurrere, sed nec rebus earum necessariis curam impendere. Ea scilicet ratione, ut Ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem; quæ verò minus decem habuerit mancipia, aliis conjungatur Ecclesiis.* Evidentissimè hinc firmatur quàm provida, tam æqua & inconcussa lex, ex bonis Ecclesiæ, pauperum sustentationi scilicet dicatis, unamquamque sive portionem, sive Ecclesiam, sive Beneficium, cui satis est cedendum, ut modestè & parcè vitam toleret Clericus, satis illi esse debere; nec duabus quemquam donari debere, nisi ubi altera impar & trunca est; & vel tunc quoque uniendas in perpetuum esse has Ecclesias; quòd certissimè constet, ea unione ipsis provisum esse Ecclesiis & Beneficiis, non Beneficiariis.

X. Ex Hispaniis in Africam trajicientibus occurret nobis B. Fulgentius Ruspensis Episcopus, & geminæ simul Abbatiæ administrator: alterius è qua ad Episcopatum accitus fuerat: alterius verò, quam ipsemet juxta Cathedralem suam extruxerat; quarum tamen utrique proprius erat, sive Abbas, sive Præpositus. Voluit Fulgentius, ut illa duo Cœnobia eam inirent inter se rerum omnium societatem, ut ex ambobus unum quodammodo fieret. Usque adeo autem ex iis ad se nihil ille derivavit, ut onus in se susceperit & curam ea sustentandi. Usque adeo ex iis locupletari se noluit, ut eo tantùm consilio illa sibi adjunxerit, quo & ipse eandem Monasticam sectaretur paupertatem. *Tali charitatis lege præcipiens utraque Monasteria vi-* Vita ejus
vere, ut quasi non fuissent locis divisa, si essent unani- c. 19.
mitate conjuncta, &c. Beati verò Fulgentii Episcopi provisionibus communiter gubernati, &c. Denique non ad lusum, non ad delicias suas abutebatur Fulgentius paupertate Monachorum; eorumque administrabat Cœnobia: sed ut ipse Monachum cum Monachis ageret, pauperem cum pauperibus degeret

vitam. *In nullo loco visus est sine Monachis habitare.*

XI. Erant cæteri omnes passim Episcopi Abbatiarum superiores, non administratores; spiritali enim præerant curæ & regimini, non temporali: denique ipsi in Abbates, Abbates in Monachos excubabant. Ea lex est Codicis, ubi & illud adjicitur, ne unus duas Abbatias regat Abbas. *Monasteria degunt sub Episcopis territoriorum suorum: Et Abbatum quidem curam gerunt Episcopi, Monachorum verò Abbates. Non sit verò Abbas duorum Monasteriorum.* Jubent eædem Codicis Leges, ut suum habeat unaquæque Civitas Episcopum, præterquam in Scythia, ubi Civitates omnes Episcopo Tomitano subsunt: excepta denique Leontopolitana Isauriæ civitate, quæ Isauropolitano paret Episcopo. Procul omnino sunt duo hæc exempla ab illa detestabili polygamia, qua unus Episcopus pluribus simul præest Ecclesiis Episcopalibus. Unum illud hinc constat duos hos fuisse Episcopos, quorum in ditione essent plures Civitates, quarum una tamen duntaxat Episcopali fuerit decorata sede. Meminit Liberatus Episcopi Joannis, qui unà Abbas erat Monasterii Diolcbon.

Cod. De Epis. & Cler. Leg. 39.

Ibidem. Leg. 35.

Cap. 6. 18.

XII. Audiendus jam nobis hic est Gregorius Magnus, qui doceat nos primum, ut possint cogente Ecclesiæ necessitate uni Episcopo duæ Episcopales adjici Ecclesiæ, si nempè priùs omnino, & unius Ecclesiæ utilitate ob oculos posita uniantur, & levatione pauperum. Ita Minturnensi civitate diruta prorsus & æquata solo, & flagitante viciniore Episcopo, ut is Episcopatus suo accresceret: assensus est Gregorius, non Episcopo commodare, sed Ecclesiæ consultum volens. *Consulentes tam desolationi loci illius, quàm Ecclesiæ paupertati, &c. Quatenus quod petere nunc usque potuit, pauperum Ecclesia tua utilitatibus plerisque proficiat.* Conglutinavit & Misenatem, Cumanumque Episcopatus in unum, iisdem adductus rationibus, vicinitatis, paupertatis, & vastitatis earum urbium. *Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum invitat, ut Cumanam atque Misenatem unire debeamus Ecclesias; quoniam ea non longo itineris spatio à se sejuncta sunt, nec peccatis facientibus, tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant Sacerdotes.* Alibi verò contestatur non eas unquam à se perpetuas sanciri Ecclesiarum uniones, nisi ubi jam omnis abrupta spes est earum, quæ dissipatæ sunt, restituendarum. *Postquam hostilis impietas ita diversarum civitatum desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla deficiente populo remanserit.* Denique solo se populorum salutis studio incitari ad eas uniones: *Ne reliquiæ plebis nullo Pastoris moderamine gubernatæ per invia rapiantur, &c.*

L. 2. Ep. 31.

L. 2. Ep. 25. L. 2. Ind. 11. Epist. 20. L. 5. Ep. 9.

XIII. Nec Episcopatus tantum uniebantur, sed & Abbatiæ. Neapolitano Monasterio consociavit Gregorius Cœnobium aliud, cujus Monachi ejus societatis & unionis erant cupidissimi. Sed cùm vidua tum esset Neapolitana Ecclesia, ad tempus tantum eam unionem tentavit, ut cum futuro Episcopo Neapolitano in commune consuleret, an conducibilis foret unio perpetua. *Cum Neapoli fuerit Episcopus ordinatus, utrum in perpetuum hæc unitio extendi, an temporalis esse debeat, maturius ac solidius cum Dei gratia pertractabimus.* At cum Monasterium Puteolanum ita dilapsis Monachis jaceret, ut jam divina ibi prorsus conticuissent Officia, illud Abbatiæ Neapolitanæ Gregorius adglutinavit, jusso Abbate, ut utrique Cœnobio idoneus sufficeretur Monachorum numerus ad sacram psalmodiam celebrandam: utque bona eorum dilapidata, ejectis qui ea invaserant, restituerentur. *Quidquid vero ad eadem Monasteria pertinere cognoscis, si ab aliquibus irrationabiliter detinentur, ex hac nostra authoritate repetendi, exigendique, atque tua Monasteria vendicandi habetis per omnia licentiam. Quia dignum est, quorum curam geris, rebus nullo modo defrauderis.*

L. 8. Ep. 39.

XIV. At verò rursum alibi ex eodem Pontifice aperitur aliquanto etiam manifestius, quam totæ spectarent istæ uniones ad Ecclesiæ commoda promovenda, non ad Abbatum incrementa potestatis, vel opum: cùm his ex adverso curarum tantùm, sollicitudinumque nova fieret & laborum accessio. Monasterio enim Agapeti Abbatis adgregatum ab eo est Cœnobium aliud Campaniæ, ubi hostico furore dispersi adeo & dispalati erant Monachi, ut nec unus superesset, qui ejus curam ageret. Jussus est Abbas aliquos ex suis Monachis eò ablegare, operam dare, ut divina celebrarentur officia; denique, ut res Monasterii ab iis qui eas involaverant, vendicarentur. *Tuo illud Monasterio cum omnibus rebus suis, vel quæ ei competunt actiones, utile perspeximus uniendum, ut res ejus detinendi, vel à detinentibus vendicandi libera tibi sit licentia. In quo etiam studii tui sit Monachos deputare, qui illic opus Dei celebrare debeant.* *L. 9. Ep. 67.*

Erat specialis ratio, quæ urbanis Monasteriis suaderet adjungi, unitque agrestia, plerumque scilicet desolata. Qui enim eò mittebantur Monachi ad eorum restaurationem, in Urbana se rursum Cœnobia recipiebant, sicundè bellicus metus ingrueret. *Quatenus dum ab hoste licuerit deputati à vobis illic Monachi debeant jugiter in Dei laudibus permanere; perturbationis vero tempore intra urbem, in cellam quippe propriam revocari.* *L. 11. Ep. 4.* *Ibidem.*

XV. Prima ergo ea obviam se dedit ratio duas simul obtinendi, vel Abbatiales Ecclesias, vel Episcopales, alienissimo à terrenis cupiditatibus animo, & unius Ecclesiæ commodis inserviente. Altera hic jam promicat, non minus à terrenis expedita affectibus, adeoque pari in laude & cum Canonicis regulis consensione. Ubi videlicet unius Episcopo Civitatis alterius Civitatis Ecclesia Episcopalis commendabatur. Tarracinensi Episcopo obeunte electus est in ejus locum Agnellus Fundanus Episcopus. Ei postulationi assensus est Gregorius, qui & Agnello Tarracinensis Ecclesiæ sarcinam injecit, nec Fundanæ vinculo illum absolvit, ut cujus & Ecclesia & Civitas eversa esset. *Quia igitur ob cladem hostilitatis nec in Civitate, nec in Ecclesia tua est cuiquam habitandi licentia, &c. Sic te Tarracinensis Ecclesiæ Cardinalem constituimus Sacerdotem, ut & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, nec curam gubernationemque ejus prætereas.* *L. 2. Ep. 11.*

XVI. Nec illud tamen dissimulabimus, post annum Christi septingentesimum, pauló licentius Clericos plura sibi singulos acervasse Beneficia. Hugo Drogonis filius, nepos autem Pipini [illegible]otis, Majoris Regii Palatii, ex Monacho Gemmeticensi, factus est Archiepiscopus Rotomagensis, & anno uno decurso electus est Abbas Gemmeticensis anno 723. Postquam verò rerum potitus est Carolus Martellus, qui ei cognatione conjunctissimus erat Hugo hic ipse, Fontanellensem Abbatiam, Parisiensem & Bajocensem Episcopatum gerere cœpit, tot Ecclesiarum pondere non gravatus. Ita perhibet Chronicum Gemmeticense; ubi *Procurator* nominatur *Urbis Parisiacæ*; quasi diceretur Lutatiæ Episcopus Commendatarius. Miris laudibus extollitur

in eo Chronico Hugonis hujus pietas, curaque tuendi & locupletandi eas omnes Ecclesias. Nec ibi negatur Canones et polygamiæ infensos esse, sed eos fuisse Caroli Martelli mores. *Factione Caroli Principis patrui sui extra Decreta tamen Canonum.*

Superstite adhuc beato Rigoberto Remensi Archiepiscopo, Milo Treverensis Archiepiscopus Remensem invasit Ecclesiam, diutiusque duas istas Metropolitanas sedes nous in potestate habuit. Tyrannica profectò ea erat invasio. Diximus beatum Medardum non duos tenuisse simul Episcopatus, Noviodunensem & Tornacensem, sed unum ex duobus conflatum, nec nisi in commodum Ecclesiæ ita provisum fuisse. Ex adverso autem Theodorus Cantuariensis Episcopus simultates nescio quas cum Vilfrido Eboracensi Episcopo exercens, in Episcopatus Eboracensis ditione, quam nimis diffusam causabatur, tres novos excitavit Episcopatus. Ad Agathonem Papam provocavit Uilfridus; à quo tes in pristinum statum revocatæ sunt. Ita tum Metropolitani inconsulta sede Apostolica Episcopatus aut dividebant, aut uniebant. At ubi ea potestate abuti cœpere, tum data iis ansa est, qui per provocationes causas hujusmodi jam majores Romam traduxere. [illegible] Anglis.

CAPUT III. *P. 3. l. 2. c. 41.*

De pluralitate Beneficiorum, ac primò Episcopatuum & Abbatiarum, temporibus Caroli Magni & Imperii Carolini.

I. Ut ex translationibus orta sint Commenda, orta pluralitas Beneficiorum.
II. Damnat [illegible] *Actardo pluralitatem Episcopatuum. Ut boccbatus eum sit Hincmarus.*
III. Et in alios Episcopos ejus poligamia fautores.
IV. Non improbabat Hincmarus Episcopi indigentiam collata Cœnobiis levari.
V. Quia tamen si qui præter statas leges impetrarent, hi eos id in detonunt.
VI. Nec tamen uniebantur Abbatia, etsi duo Episcopatus Actardi uniti fuissent.
VII. Exempla portentosa Beneficiorum pluralitatis, qua illam causa utcunque excusare possent.
VIII. Ut innoxie quandoque plures Abbatias habere potuerint, qui ex iis curas tantum & sollicitudines demetebant.
IX. Ineluctabilis quandoque incidebat necessitas, ut ad salutem Ecclesia unus idem plures gereret Episcopatus.
X. Ut sanctissimi Episcopi quandoque Abbatias impetrarint, eo fine & fructu, ut abstersis corruptelis morum sanctitatem illuc inducerent Disciplinam.
XI. Aut ut illas de laicorum manibus extorquerent.
XII. De eadem. Exempla contraria.

I. Beneficiorum pluralitati, & Commendis ansam persæpè præbuere translationes. Græcis & Latinis ex æquo familiare fuit, translationes facere, quæ novas Episcopis conferrent Ecclesias, vetustas non auferrent. Idem Episcopus duas quandoque administrabat Ecclesias, hanc Titulo, illam Commendatione; nonnunquam & ambas Titulo.

II. Turonensem Metropolim consecutus Actardus, Nannetensis Ecclesiæ suæ prioris curam & possessionem non abjecit. Eam illi protinus Hincmarus cupiditatis effrænem insolentiam objecit, & probro vertit, ut Calchedonensis maximè Concilii regulis proscriptam, quibus prohibentur Clerici in duabus simul Ecclesiis conscribi. *Quod autem Actardus apposuit, ut utrasque sedes, Turonensem scilicet & Nannetensem simul teneret, contra Calcedonense Concilium egisse videtur, quo decretum est, non licere Clericum in duarum simul civitatum conscribi Ecclesiis.* Hincmar. Tom. 2. pag. 749.

Qui pluralitatis Patronos se profitebantur, ii Calchedonensis vim hujus Canonis enervare studebant, objecto Gregorii Magni exemplo, qui duas quandoque Episcopales Ecclesias unum in Episcopum conferebat. At reponebat Hincmarus, nusquam fas esse Christiano duas simul uxores ducere, & ne alteram quidem uxorem, alteram concubinam; Gregorium verò nunquam eam explicuisse dispensandi potestatem, nisi ut Ecclesiarum obsequeretur necessitati, cùm penuria laborabatur Pastorum, cùm vicinæ essent Ecclesiæ duæ, Populo & Clero, & rebus destituerentur, diutinis nimirum Longobardorum bellis accisæ, exhaustæque. *Quasi ex verbis à Gregorii satagant se munire, ut duas simul sedes tenere valeant, cùm nulli Christiano sit licitum, vel duas uxores simul, vel uxorem & concubinam insimul habere, &c. Gregorius dicit, non de longius civitatulis à se invicem disparatis, sed de conlimitaneis, & de tam Cleri, quam plebis immanitione destitutis, & rebus ac facultatibus desolatis. Et temporis, inquit, necessitas nos perurget, & imminatio personarum exigit, ut destitutis Ecclesiis salubri & provida debeamus dispositione succurrere.* L. 1. Ep. 8.

Pluralitati Ecclesiarum quas regebat, prætexebat Actardus earum paupertatem, per quam non liceret in earum ulla sola decenter vitam tolerare. *Sed ipse non habet sufficientiam rerum ac facultatum, quibus in ea possit honorabiliter subsistere.* Excipit Hincmarus hinc non extenuari culpam, sed ingravescere, quippe cum jam palam sit Ecclesiæ Episcopum adulterari, non procurandæ animarum salutis charitate, sed cupiditate temporalium commodorum. *Unde se conatur excusare, inde magis accusare, & cupiditatis atque ambitionis cauterio inurere, qui plus possessiones terrenas, quam animarum lucra videtur adquirere.*

III. Sugillabat Hincmarus illos sui ævi Præsules, qui novam obtrudebant jurisprudentiam, carnalium affectuum contagio imbutam, & spiritalium adulteriorum suffragatricem, idque Episcopis largientem, ut publicis calamitatibus depauperata priore uxore, aliam ducant; quod æque flagitiosum est, acsi laïci permittantur conjugibus suis morbo aliquo afflictatis, alias sibi conjungere. *Nos autem moderni & Gallicani Episcopi, novos Canones facere conamur, ut liceat nobis, quod gravius est, quam carnali commercio, spiritali adulterio, aut duas uxores, id est, duas sedes simul habere, aut uxorem simul & concubinam tenere, vel vivente licet infirma uxore, id est, Ecclesia nostra, persecutione qualibet rebus ac possessionibus imminuta, ad alterius copulam transmigrare.* Hæc verò consequentia à carnali ad spiritale conjugium ubi rapiuntur, vestigiis hæretur Concilii Calchedonensis, ut author est idem Hincmarus, ubi extincto Præsule vidua dicitur Ecclesia: *Nisi enim viri & uxoris legalis conjunctio, ad Episcopi & Ecclesia sibi conjuncta mysterium pertineret, Calchedonense Concilium defuncto suo Episcopo viduatam Ecclesiam non vocaret.*

IV. Postremò denique impatientius fert Hincmarus ab Actardo Turonensi jam Archiepiscopo unà retineri Ecclesiam Nannetensem, quantumvis ea desolata jactaretur. Mavult enim ut Ecclesiæ suæ inopiæ medeatur Abbatiarum, aliarumque Regis largitatum reditibus: *Præsertim cum alias possessiones ibidem & Abbatias largitione domni Regis habeat, unde sumptus habere valet, quibus ad Deo serviendum & ministerium suum exequendum in plebe sibi commissa sufficere* pag. 760.

possit. Ea non displicebat Hincmaro pluralitas Beneficiorum.

V. Sed non inter hæc tantùm ditatarum, vel ad inopiam deductarum Ecclesiarum infortunia, Episcopis Abbatiæ à Regibus conferebantur. Justissimæ erant Hincmari querelæ iræque, sui ævi succensentis Præsulibus, qui nova sibi jura commentabantur, carnali prudentiæ accommodata, cùm penè singuli plures Ecclesias pascendas, aut depascendas haberent. Probro vertit Hincmarus idem nepoti suo Hincmaro Laudunensi, quòd Palatinum impetrasset officium, & Abbatiam in alia Provincia, idque injussu suo, & inconsultis Provinciæ Episcopis, tum suæ Remensis, tum alterius illius: quod citra licentiam suam Provincia excessisset, ut Abbatiam suam illam inviseret: quod denique usque adeo Regem exasperasset, ut ab eo & officio Palatino spoliaretur & Abbatia. *Sine mea, vel Coëpiscoporum nostrorum conscientia administrationem in Palatio domni Regis obtinueris, &c. Per seculares potestates eandem administrationem cum Abbatia in tertia Provincia ultra Remensem Provinciam sine mea conscientia obtinuisti, &c. Ad quam Abbatiam sine mea licentia, quoties tibi placuit, perrexisti, &c. Contra domnum Regem in tantum te sine ratione contumaciter erexisti; ut & administrationem Palatinam & ipsam Abbatiam tibi auferret.* Iniquissimo ferebat animo Hincmarus Laudunensis has Metropolitani sui objurgationes; sed non poterat non everti, & causa cadere, cùm armis invictissimis prosterneretur Concilii Antiocheni, & Sardicensis, quo summoventur Episcopi à Palatio Principum, parere jubentur Metropolitano, nec quidquam adgredi ejus injussu, & Episcopi ejus loci, in quem concessere.

Ibidem. Pag. 598. 390. 391. 392. 393.

VI. Fuere & Ebboni Abbatiæ duæ, ex eodem Hincmaro, sed tum demum, cùm Remensi Ecclesia abdicatus fuit. Denique illum iis donaverat Lotharius Imperator, ut neau & mancipio suum, iisdem denique eum spoliavit, quòd Legationem Constantinopolitanam obire detrectasset. Tum verò à Ludovico Germaniæ Rege donatus est Episcopatu Hildesheimensi.

Ibidem Pag. 304.

Ut duas Ebbo Abbatias, ut Episcopatum & Abbatiam Hincmarus Laudunensis obtineret: minimè necesse fuerat, eas inter se uniri Ecclesias: quanquam necessariò univisset Adrianus II. Episcopatum Nannetensem cum Ecclesia Turonensi, quo posset utramque simul Ecclesiam Actardus administrare. Certissimè enim eas Ecclesias univit & conglutinavit Pontifex ea cautione, ut si quando Nannetensis in integrum restitueretur, proprium & ipsa rursus haberet Episcopum. *Quod si Nannetica contigerit Ecclesia ad priorem Christo auxiliante statum redire, nihil efficiat ei hæc necessitatis unio, quam videlicet exigit Paganorum vastatio, quæ minus proprium valeat habere Pontificem.* Unum ergo in titulum coaluerant tunc duæ illæ Episcopales Ecclesiæ: cùm Abbatiæ, de quibus suprà, nequaquam uniendæ fuissent, quòd non titulo ab iis Episcopis, sed in Commendam obtinerentur.

VII. Illud mordicus retinebat Carolus Magnus, ut Episcopos nec Abbatiis, nec aliis donaret Beneficiis, nisi maxima gravissimaque urgerent rerum momenta. *Nulli Episcoporum Abbatiam, vel Ecclesias ad jus Regium pertinentes, nisi ex certissimis causis unquam permisit.* Causæ illum impulerunt gravissimæ, ut pluribus oneraret Beneficiis germanum Imperatricis Hildegardis. *Ex certis autem causis quibusdam plurima tribuit, utpote Udalrico, fratri magnæ Hildigardæ genitricis Regum & Imperatorum.* Eaius concedente Imperatrice, ea illi abstulit; sed & restituit postea, miseratione affectus. Ita Monachus Sangallensis. Carolomannus Caroli Calvi filius, afflante patris gratia, coogeriem & ipse quandam sibi Beneficiorum acervavit, quam & postea ubi ejus offensionem incurrit, dissipari doluit. *Plurimorum Monasteriorum Abbas reputatus, quia insidias erga patrem suum infideliter moliretur, Abbatiis privatus, Sylvanectis est custodia mancipatus.* Hatto Moguntinus Archiepiscopus gratia florentissimus apud Carolum Crassum Imperatorem, duodecim ab eo Abbatias impetravit. *Hatto Moguntinus Archiepiscopus, quem Cor Regis nominabant, cùm & ipse, ut aiunt, duodecim Abbatiis præfuerit, &c.*

Du Chesne To. 2. pag. 111. 405.

Aimoin. L. 5. c. 24.

Du Chesne To. 2. pag. 485. 383.

Non satis comperi, quin vehementer diffido, eam Beneficiorum pluralitatem excusari posse illa eadem ratione, qua muniri certissimè potest Alcuinus, à Carolo Magno donatus Abbatiis duabus, sancti Martini Turonensis, & sancti Lupi Trecensis. Nec Alcuino accipienti, nec Carolo Magno largienti, Abbatiæ illæ videbantur fore insanæ pabula cupiditatis, sed charitatis incitamenta, ut Monasteriis iis Monachisque disciplinæ regularis vigorem restitueret. Eidem & Cellam Jodoci Carolus contulit Alcuino, quo esset, unde sumptus suppeterent hospitalitati. *Cellam sancti Judoci, quam magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat, &c.* Hæc Lupus Ferrariensis, cui postea eandem Ludovicus Pius Cellam Judoci contulit, ut statas ibi fieri curaret erogationes in pauperes, reliquos fructus in alimenta seponeret Ferrariensium Monachorum suorum. *Beata Memoria pater vester nobis ea ratione concessit, ut quod eleemosynæ superesset, in nostrum cederet usum.* Sic Lupus in datis ad Carolum Calvum litteris. Ideo & Ferrariensem se, & Cellæ Judoci Abbatem Lupus in Epistolis suis scribebat. Certè cùm postea alium donasset quempiam eadem Cella Judoci Carolus Calvus, confestim contestatus est Lupus fidentissimè, jam non esse se ferendo oneri impensarum necessariarum Abbatiæ Ferrariensis, non modò ad militiam Regi pro more suppeditandam, sed & ad alendos Monachos. Ejusmodi autem fuit ea inopia, ut Lupus Carolum Calvum per litteras interpellarit, opportunè, importunèque institerit, in aure[s]que ejus hoc demum effuderit, Monachos Ferrarienses à Majoribus suis accepisse, cœlesti mox obrui vindicta, quicumque detrimenti aliquid rebus suis temporalibus adferrent. *At ne putetis nos jocari, serio confirmant senes nostri experimento se proprio comperisse, idque sibi pueris à senibus esse traditum, quod quicumque Monasterio nostro insigne aliquod intulerit damnum, nisi cito resipuerit, magnum incurrerit incommodum, aut sanitatis & vitæ pertulerit dispendium.* Non certò satis constat, an his cœlestis iræ comminationibus perterritus fuerit Carolus, at non multò pòst gratulati sibi sunt Ferrarienses Monachi de *recepta Cella Judoci.*

Epist. 11. 14.

Epist. 32. 43. 44.

Epist. 53. Epist. 61.

Præstin est hic ergo religiosissimus Abbas Lupus, duabus Abbatiis donatus; nisi malis duas Abbatias perpetua deiunctione devinctas, & uni creditas Abbati Ferrariensi; citra invidiam, citra vel levissimam avaritiæ suspicionem. His enim Lupi litteris omnibus perspicuum fit, gravissima conflictari cœpisse inopia Monachos Ferrarienses, cùm primùm Cella Judoci exuti fuere. Est autem illud quoque obiter observandum, Cœnobiis adhuc tunc omnibus res omnes temporales in commune habitas fuisse,

fuisse, nulla adhuc inter Abbates & Monachos partitione facta. Itaque qui plures tum Abbatias circumgestabat unus, nihil sibi propriè arrogare poterat, præter sollicitudines & angustias curarum in plura Monasteria porrigendarum. Eo sensu pluralitas Abbatiarum uni incumbentium, non aliud ferè erat, quam uberior charitatis, & largitionum, & religiositatum omnium virtutum materies.

Quæ de Alcuino verò perstrinximus, ea paulò copiosiùs nunc nobis edisserenda & illustranda sunt. Monasticæ Professioni illigatus non videtur unquam fuisse Alcuinus, tametsi Abbatias quinque suæ curæ concreditas habuerit. Nimirum sancti Martini in Civitate Turonensi, Cormericensem in Diœcesi, sancti Lupi apud Tricasses; Ferrariensem in Diœcesi Senonensi, denique sancti Judoci in Ambianensi Episcopatu. Eo mortuo in ejus discipulos ea

Le Cointe. ad annum 804. n. 82. omnia Beneficia dispensata sunt. Erat ergo ea pluralitas Beneficiorum, & quidem Commendatorum. At 1. vel ipsum Alcuini nomen, & eximiæ sanctitatis fama, & virtutum suavissimus odor, quo & illa, & postea omnis afflata est ætas, jam præjudicium vehit, ne damnetur, quod ab eo probatum, quod ab eo factitatum est. 2. Nec aliter de Carolo Magno sentiendum, qui cùm non immerito restaurator audiat sanctioris Ecclesiasticæ Disciplinæ, non facilè credendus est in his à seipso descivisse, aut in oculis aliud & in votis, quàm Ecclesiæ utilitatem habuisse. 3. Anno 796. consilium cepit Alcuinus in Fuldensem Abbatiam concedendi, & ibi Monasticam vitam profitendi, ut his se Beneficiorum impe-

Ibidem. n. 62. 73. dimentis extricaret. Vetuit Carolus Magnus. Nempè persuasum illi erat, conducibilius Ecclesiæ esse, ut inter Clericos vitam traducere pergeret Alcuinus. Ea videlicet ratione, qua summi & sanctissimi viri, Augustinus & Bernardus, nonnullos sæculari gloria & nobilitate spectatissimos abduxerunt à proposito amplectendæ Monasticæ vitæ, ne necessaria rum sibi eorum opera Ecclesia fraudaretur. 4. Cormeriacum & Cella Judoci verè Cellæ erant ab origine, & obedientiæ; illa S. Martini, hæc Ferrariensis Abbatiæ. Ita ea quinque Abbatiis jam tres tantum supersunt. 5. Non tam possessor, quam Administrator erat Alcuinus horum quinque Cœnobiorum: non aliter quam Benedictus Anianæ Abbas, cùm bene multa Cœnobia ad strictiorem Regulæ observantiam perduxisset, eorum Abbas Generalis & Administrator fuit. Fuere enim Alcuinus & Benedictus hic artissima devincti necessitudine. Illis Imperatores plurima credidere, ac subjecere Cœnobia, ut ab illis ea ad S. Benedicti Regulam conformarentur. Ita ergo jam non est ea vel Beneficiorum coacervatio, vel Commendarum licentia, quæ vitio verti possit. Plurimum sibi licere voluit Carolus Magnus in conferendis Prælaturis, quia non aliter medicari se posse speravit gravissimis morbis, quibus tum Respublica, tum Ecclesia laborabat. Nec infeliciter res illi cessit. Abbatiam sancti Martini Turonensis jam tunc non Monachi, sed Canonici incolebant. Non ea ergo erat Commenda. Fridegisus qui Magistro suo Alcuino successit, à Ludovico Pio evicit, ut suum sibi deinceps Abbatem eligerent Monachi Cormeriacenses. Vel hinc intelligas, quo animo, & quam alieno à terrenis affectibus essent Abbates hi Commendatarii.

VIII. Quibus plures erant Abbatiæ, & qui eas regebant, ut Capita Religiosæ Congregationis, nihil sibi propriè vendicantes, aut possidentes; ex communibus reditibus necessaria tantum vitæ subsidia delibantes; à luxu, à superflua abundantia alienissimi: cæteris Monachis sola præeuntes sollicitudine totius Cœnobii & vigilantia; his omnibus invidiam facere ex Beneficiorum pluralitate non magis quisquam potest, quàm Præpositis nunc Generalibus, sive Monasticarum; sive Clericalium Congregationum. Et illi enim, peræquè ut hi, & paupertatis, & totius Monasticæ observantiæ erant studiosissimi. Ejusmodi erant Alcuinus & Lupus Ferrariensis, de quibus diximus.

Ejusmodi erat & Hilduinus Archicapellanus Ludovici Pii, à quo subirato duabus Abbatiis exutus est, quibus illum mox interpellante discipulo Hincmaro restituit Pius. *Cùm offensam Augusti adeo cum* Flodoard. L. 3. c. 1.
aliis regni primoribus incurrisset, ut ablatis sibi Abbatiis in Saxoniam fuerit relegatus, &c. Donec ab exilio revocatus, duarum fuerit Abbatiarum Prælationi restitutus. Ejusmodi esse debuerat Abbas Gauslinus, quem ingrati animi infamia inurit Hincmarus in Ecclesiam Remensem, quæ Diaconatu illum auxerat; & Abbatiis compluribus, à Rege ei impetratis. *Ad gradus Ecclesiasticos usque ad Diaconatum* Ibid. c. 24.
provexerit, plurimorum Monasteriorum per concessionem Regum Abbatem constituerit. Ejusmodi erat & Fultadus Abbas sancti Dionysii, Archipresbyter & Archicapellanus Pipini Regis, multorum parens & Abbas Cœnobiorum, quæ ipse exædificaverat, ut liquet ex Epistola à Stephano II. Papa ad eum scripta. *Archipresbytero & Abbati venerabilium Monasteriorum, ab eodem auspice fundatorum.* Ejusmodi Bibl. Clun. p. 9. 10.
fuit beatus Berno primus Abbas Cluniacensis, qui C ns. Ge. c.
plures Abbatias suas paulò ante obitum resignavit, To. 2. pag.
illas inter Guidonem & Odonem partitus, quos 38.
sibi elegerat successores.

IX. Mirum magis est, quanquam peræquè certum, Episcopos quosdam plures simul gessisse & adgubernasse Episcopatus, indeclinabili quadam necessitate, & cùm ea incidissent tempora, per quæ non aliter possent Ecclesiæ illæ ad Canonicas leges & ad morum sanctimoniam refingi. Ita beatus Osuvaldus Vorcestrensis in Anglia Episcopus, clavum arripuit Eboracensis Ecclesiæ, nec tamen à prioris Episcopatus sui gubernaculis recessit. A piissimo Ed- Surius die 15 Oct. b.
gato Rege, & à beato Donstano Cantuariensi Archiepiscopo compulsus est pari charitate utramque complecti Ecclesiam, ne si à Vorcestrensi sejungeretur, illa omnis dilaberetur pietas, quam ei Monachis in Canonicorum locum substitutis ipse invexerat. *Ne verò Monachi quos instituerat, immodica tentatione pulsarentur, si pastorali cura destituti, non haberent quo niterentur, authoritate sancti Dunstani Episcopatum Vigorniensem unà cum Eboracensi sollicitè gubernavit.*

Dunstanus ipse Vorcestrensis primum Episcopus, pòst ad Londinensem accersitus, aliquandiu utramque admoderatus est Ecclesiam, urgentissima necessitate, defæcatissima charitate. *Utraque igitur* Surius die
Ecclesia, Vigorniensis videlicet & Londoniensis eo Præ- 19. Maii.
sule gloriabatur, quandoquidem ipse summa necessitate compulsus, utriusque Pontifex per nonnullum temporis spatium erat, utrique sollicitudinis suæ curam impendens: utramque intus & extra sua defensione contra omnes æmulos muniens, in utraque officium Pontificale opportuno tempore sedulus exequens. Ea erat dispensandi causa, *summa necessitate.* Ea erat dispensationis brevitas, dum necessitas urgeret: *per nonnullum temporis spatium.* Ea fuit authoritas, qua beatus Osuvaldus utrique simul præfuit Episcopatui, *authoritate Dunstani.* Ad id tum ergo ona erat satis

Archiepiscopi authoritas Cantuariensis.

X. Nec à vero dissidet eodem tempore Episcopos quosdam sanctitatis gloria conspicuos, Abbates pariter fuisse, regimine Cœnobiorum in se suscepto, nulla temporali illecebra, sola restituendæ Disciplinæ cupidine, aut rei temporalis tuendæ, quod illud demum sit Christi & pauperum patrimonium. Talis indubitatissimè fuit B. Udalricus Augustanus Episcopus, qui ab Imperatore obtinuit Abbatiam nepotis sui Adalberonis, præpropera morte extincti: non ut ejus ipse opibus ditesceret, sed ut ne ea largitate & munificentia Imperatorum in posterum fraudaretur. Id enimvero consecutus, mox Abbatiam Monacho resignavit, quem sibi sublegi curavit, & nihil in præteritis reliquit, ut ea resignatio à se facta Abbatiæ Commendatæ in Abbatem Regularem ab Imperatore confirmaretur. *Religiosus Antistes Abbatiam postulavit sibi donari, non causa avaritiæ, sed ea intentione, ut Cœnobitis ibidem Deo servientibus, deliberationem, quam ille eis antea conscriptam & sigillatam ab eodem Imperatore donari impetravit, restituere potuisset. Fratres Rodungum in Abbatem elegerunt, &c. Episcopus assumpto baculo commendavit illi Abbatiam usque in præsentiam Imperatoris, &c.*

Surius die 4 Iulii. c. 24.

Non necesse habuit eo circuitu uti B. Volfgangus Ratisponensis Episcopus, ut celeberrimam sancti Emmerami Abbatiam antiquæ redderet Regularitati. Cùm illud Cœnobium ab Imperatoribus & Regibus prisci Ratisponenses Episcopi impetrassent, intercesserant, ne Abbates eligerentur, & violenta usurpatione, ejus sibi & titulum usurpaverant, & proventus. Nec multò post cùm Monachis necessaria quæque vitæ adminicula subducerentur, tota pessumdata est regularitas. *Episcopi ab Imperatoribus, vel Regibus Monasterium illud impetrantes, in suam ditionem redegerant, rebusque ejus & facultatibus pro suo arbitratu usi erant. Illo igitur defuncto Abbate quem invenerant; nullum deinceps curarunt substituere, &c.* Quantumvis obtunderetur Volfgangus, ut ne tam pingui Cœnobio spoliaret Ecclesiam suam, & ne successoribus suis tam amplos subtraheret proventus; ipse confestim Abbatem eligi fecit, se professus imparem duplici ferendæ sarcinæ; Gregorio se subscribere lubentissimum; aienti, monstri simillimum esse, si quovis in corpore ab uno membro duorum munia & partes obeantur; adeo verò non posse unum omnes numeros implere Episcopi & Abbatis, ut utrique sejunctim plures essent asciscendi cooperatores, à quibus parte oneris sui aliqua levarentur. *Vos scire debetis, Volfangum nunquam in humeros suos acceptarum sarcinam, quam ferre non possit, nempe ut Episcopus pariter & Abbas dici velit. Sicut enim teste beato Gregorio, indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio; ita noxium & turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa, &c.*

Surius die 31. Oct.

XI. Sed præter hæc pia & laudatissima consilia redintegrandæ Religiosæ observantiæ, aut tuendæ rei Cœnobiorum temporalis, augendæque, earundemque Commendis restituendorum Abbatum Regularium: fuit ævo Caroli Magni causa pecularis, quæ Episcopos, nulla terrena cupiditate implicatos impulit, ut Abbatias susciperent, vel ut etiam flagitarent. Quod nimirum à temporibus Caroli Martelli permaximam Cœnobiorum partem Reges ipsi usurpassent, suoque ea arbitratu, vel retinerent ipsi, vel darent, adimerentque, non Monachis tantùm, & Clericis, sed & laicis. Quo, oro te, quid perversius? quid calamitosius? Si ergo tum purissimo quis Episcopus zelo incitatus, unam, aut plures indueret Abbatias, ne eas Principi eblandirentur laïci, vel Clerici Aulæ Aulicorumque vitiorum mancipes, & in eas secum simul quandam flagitiorum colluviem inveherent: ecquis ei sobrius obtrectare ausus esset? ecquis meritas invidere laudes?

Talis probabiliter fuit Hugo ille, de quo suprà jam diximus, Martelli & Pipini prosapia clarissimus, plures Episcopatus, plures Abbatias circumgestans. Certè *extra Decreta Canonum*, ut habet Chronicum Fontanellense. *Spicil. to. 3. pag. 206. Anno 723.* Sed quantò detestabilius erat, tot eo tempore Episcopatus fuisse, totque Abbatias Pastoribus vacantes, & quidem perditu & prædæ objectas laicorum, militum, exercituum? Adjicitur porro ab eodem Scriptore, eundem Rotomagensem Archiepiscopum dono accepisse à Regibus ingentia prædia alia; non quo illis ipse frueretur, sed ut ea Ecclesiis restitueret, tam impiè & sacrilegè, quam impunè tunc expilatis. *Prædia verò regia quæ ejus insederunt animo. Non enim causa perversæ cupiditatis, aut aliqua sæculari fastu, a Patruo suo Carolo Principe, sive à Regibus Francorum ea impetrabat: sed ut statim Ecclesiis Christi ea contraderet.* Affirmat denique idem Scriptor ex Chartulariis Ecclesiarum Rotomagensis, Parisiensis, Bajocensis, Gemmeticensis, Fontanellensis testatum fieri, Hugoni isti cordi, curæque fuisse, ut quam diligentissimè hæ omnes Ecclesiæ repararentur, defenderentur, novo opum spiritualium, temporaliumque cumulo augerentur. *Illic invenient quantam sollicitudinem ac pervigilem curam de constructione, propagatione, administratione, ac exaltatione Ecclesiarum habuerit.*

XII. Nec omnium tamen forsan Antistitum tam pia erant & in suscipiendis Regum largitate Abbatiis, & in iis administrandis consilia; nec tanta terrenorum affectuum abdicatio. Post aliquot annos Rainfredus Archiepiscopus Rotomagensis eandem Fontanellensem Abbatiam à Carolo Martello impetravit. Cùm verò reditus ejus ipse abligurriret omnes, Monachi stipendiis necessariis fraudati, apud eundem Carolum conquesti sunt, à quo Rainfredus Abbatia cautus, Rotomagensi Ecclesia sola sustentari jussus est. *An. 739. Ibidem. pag. 217. & 239.* Hinc compertum est, calamitosissimis illis temporibus non aliter Abbatias à Regibus habitas esse, quam ut Feuda aliqua regni; ut *jure precarii & beneficii*, eas quibus vellent conferrent, ut loquitur ejusdem Chronici author.

Luculentè hæc confirmantur ex Chronico Abbatiæ Senonensis, ubi narratur Angilramus Episcopus Metensis ab Imperatore impetrasse eam Abbatiam, quæ Imperialis hactenus fuerat, fuit autem exinde Episcopalis, propterea quod aliquandiu Angilramus & Episcopum agere voluit, & Abbatem: *Archiepiscopus Angilramus Episcopatum & Abbatiam Senonensem aliquanto gubernavit tempore. Et ita Monasterium quod prius Imperiale fuisse constiterat, ex tunc manu Episcopi Metensis degere compellitur, &c. Imperator Monasterium Metensi Episcopo, eo jure, quo & Imperatores à primo tenuerant, perpetualiter concessit.* *Ibidem.* Suspicabantur primum Monachi hinc Abbatiam suam dedecorari, si ex Imperiali Episcopalis evaderet. At ejus Chronici Author fidem facit, hinc ei & ornamenti plurimum, & emolumenti accessisse; quòd Cœnobia omnia Imperialia, vel ipsorum exactionibus Principum exhausta essent, vel ab Imperii hostibus labefactata: *Certè si ab illis temporibus omnia Monasteria ista adhuc Imperii essent, jam lapis*

super lapidem non remansisset. Ubi verò posteà animadvertit Angilramus, & Episcopatus sui curis, & Imperii negotiis ita se distineri, ut minus posset tuendæ Senoniensis Cœnobii sui Disciplinæ invigilare, Regularem eligi jussit Abbatem, & exinde res temporales ejus Abbatiæ in potestate fuere Episcoporum Metensium, ut in Imperatorum antea fuerant tuitione. *Ab illo tempore Abbates hujus Cœnobii ab Episcopo Metensi temporalia, ab Episcopo vero Tullensi spiritualia receperunt.* Ibidem. pag. 303.

Hinc liquet conducibile in primis fuisse his Abbatiis, à priori aliquo Episcopo, vel Archiepiscopo impetrarentur, qui longam illam Regalium & Imperialium Abbatiarum excuteret servitutem, nempè ab illis inultam temporibus ruentis stirpis Regiæ, ruinaque sua Ecclesiam sibi devinctissimam in præceps agentis; & qui denique non libertati tantum eas pristinæ, sed & splendori, ac Disciplinæ Regulari redintegraret. Huic Beneficiorum pluralitati laudes meritò rependendæ erant.

Probabile profectò est horum albo Disciplinæ purioris amatorum inscribendum esse Hadericum Presbyterum, & Abbatem, quem Joannes VIII. tuitione sua impertiit, nec ipsum tantùm, sed & Abbatias ejus omnes, aliaque Beneficia, præter agros & patrimonia. Id enim Pontifex ipse videtur innuere: *Fideli devotione totoque mentis conamine pro pristino statu & vigore, atque restitutione sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ terque quaterque in obsequio Anspertì reverendissimi Archiepiscopi tui, atque Confratris nostri devotum atque in omnibus fidelissimum permanere, & decertare omnino & evidenter comperimus.* Tumultuosissimis his temporibus, ab his Cœnobiis omnibus non poterat major iniri gratia, quàm si ei committerentur, qui Mediolanensis Ecclesiæ restauranda disciplina zelum suum insignisset. Epist. 264

CAPUT IV. *P. 3. l. 2. c. 43.*

De pluralitate tum Episcopatuum, tum Beneficiorum Episcopatibus & Abbatiis inferiorum, sub Carolo Magno & ejus stirpe.

I. In Parochiis quoque damnata pluralitas, hoc est, superfluitas.

II. Quodque Parochi sponsi sint Ecclesiarum.

III. Et Basilicarum damnata pluralitas.

IV. Duarum Parochiarum munia implere Parochus unus non potest.

V. Poterat Parochialis Ecclesia cum Capella obtineri.

VI. VII. Non poterat idem & Parochum agere, & Canonicum.

VIII. In Capellarum classem redigi non poterant, quæ fuerant Parochiæ.

IX. Cùm obambulabat Episcopus Diœcesin, in hanc pluralitatem inquirebat.

X. Ad omnia prorsus Beneficia permanabat ea lex, ut unus unum obtineret, nec plura in unum possent adgregari.

XI. In Oriente septima Synodus Œcumenica quamcumque damnat Beneficiorum pluralitatem.

XII. Tenuitati Beneficiorum jubetur labore manuum suppleri.

XIII. Ruri plura uni committi per illam Synodum licet, si rari sint, nec ad manum sint viri iis regendis idonei.

XIV. Abbati Generali plura sunt, subjunctaque Cœnobia, in unum Sodalitii corpus constricta.

XV. Episcopo Episcopatus alius à Barbaris vastatus commendari potest.

XVI. Sola in eo spectabatur Ecclesiæ utilitas.

XVII. Cur Calcedonensis Synodus vetet ne plurium quis inscribatur Clero Civitatum: at septima Synodus, ne pluribus Ecclesiis ejusdem Civitatis.

XVIII. Plures Episcopatus conflati in unum coagmentantur.

XIX. Hoc semper receptum, vacante priore Episcopia, ubi quis angebatur Episcopatu in partibus.

I. PLuralitas, hoc est superfluitas, peræquè proscripta est in Parochialibus, atque in Episcopalibus Ecclesiis & Abbatiarum. Hinc Ludovici Pii Capitulari edicitur, ut ubi immunitas & redituum copia Parochis admensa fuerit tanta, quanta opus erit, jam ne Parochias quisquam duas gerere possit. *Statutum est, postquam hoc impletum fuerit, ut unaquaque Ecclesia suum Presbyterum habeat, ubi id fieri facultas providente Episcopo permiserit.* An. 816. Cap. 11. Capit. Car. Mag. l. 1. c. 52.

II. Alio verò Capitularium loco, non jam superfluitas, sed ipsa maximè pluralitas probro vertitur: quod cùm videlicet Parochi sponsi sint Ecclesiarum suarum, non possit quisquam citra summum dedecus duas unus ducere sponsas. *Sicut quisque sæcularis non amplius quàm unam habere debet uxorem; ita & unusquisque Presbyter non amplius quàm unam habere debet Ecclesiam.* Herardus Turonensis Archiepiscopus eandem premit rationem. *Ut Presbyter non amplius quam unam Ecclesiam habeat, sicut & vir unam uxorem.* L. 6. c. 73. Cap. 19.

III. Geminam eam rationem complexa est Synodus Parisiensis VI. ubi ait cuique Parochiæ suum esse debere Episcopum, ita & cuique *Basilicæ* suum esse debere Presbyterum: infandæ autem esse avaritiæ, si quis Presbyter duas tresve Basilicas accipiat, sive laici, sive Ecclesiastici Patronatus. *Non solum à Clericis, verùm etiam à laicis alias Basilicas contra fas suscipiunt,* Sive consulto, sive inconsulto Episcopo id machinentur, non tolerandæ id esse audaciæ; Qui enim numeros officii omnes ona in Ecclesia implere vix possint, qui poterunt in duabus? *Vix enim quispiam Presbyterorum in Basilicâ, in qua divina servituti mancipatus est, dignè atque strenuè militare invenitur; quantò minus id in duabus, vel tribus, aut eo amplius Basilicis dignè exequi valet.* Prudentiæ denique & sollicitudini Episcopali ea cura à Synodo committitur, ut singuli singulis in Ecclesiis Presbyteri collocentur, ubi rerum satis erit onde vitam tolerent: neu sinant unquam solius avaritiæ studio quemquam unum duabus simul præesse Ecclesiis. *Hoc specialiter eorum solertia providendum est, ut hac occasione nullus Presbyter duas, aut tres avaritiæ causa, quibus sufficere secundum divinum cultum nullatenus potest, habere audeat Basilicas.* Anno 829. c. 45.

IV. In Concilio II. Aquisgranensi anno 836. perspicuè declarata est necessaria unius Parochi in qualibet Parochia, & unius Presbyteri præsentia atque industria in qualibet subsidiaria, vel Succursali Ecclesia. *Ut per se eam tenere possit, aut etiam priori Presbytero subjugatus.* Paucis his in verbis satis apertè proditur discrimen Parochi primarii & Titularis, qui & *Prior* vocatur, & Presbyteri, vel Vicarii, qui Annexæ ministrat Ecclesiæ, & totus à Parocho pendet. Cap. 2. Con. ult.

Hæc autem necessitas inculcatur ab hujus Concilii Patribus, quod quanquam posset unus pluribus in Ecclesiis Parochus sacris operari, & Missarum celebrare solennia, impar tamen foret cæteris omnibus defungendis Pastoris muneribus, ad tingendos fonte sacro ægrotos, ad excipiendas Confessiones, ad sacrum Eucharistiæ epulum dispensandum. *Quanquam Missarum celebrationes per omnes Ecclesias sibi commissas agere possent; cætera officia, quæ ad divinum cultum pertinent, propter impossibilitatem & multitudinem Ecclesiarum, quodammodo neglecta elapsa. Similiter & providentia in baptismate infirmo-*

Tom. II. Hh ij

rum, & in confessione quærentium, atque in communione periclitantium perplura remansisse.

V. Copia tamen fiebat Parochis retinendæ cum Ecclesia sua alicujus Capellæ, cui nimirum nec plebs regenda, nec functio obeunda adhæresceret. *Quia quidam Presbyteri, præter Ecclesiam in qua titulati sunt, etiam Capellas habent, &c.* Ut Capellæ forsan à Parochialibus Ecclesiis secernerentur, hæ *Basilicæ* suprà dicebantur Canone Concilii VI. Parisiensis. In Concilio Metensi anni 888. potestas Parochis non fit una retinendi istiusmodi Capellas, nisi cùm Ecclesiæ Parochiali ita cohærescebant, tanquam ejus aliqua membra, ut sine gravissimo detrimento sejungi haud possent. *Unusquisque Presbyter unam solummodo habeat Ecclesiam, nisi fortè antiquitus habuerit Capellam, vel membrum aliquod adjacens sibi, quod non expedit separari.*

Conc. Gall. To. 3. pag. 614. Hin mar. Tom 1. pag. 715. 732. Can. 5.

VI. At cùm id sibi sumpserunt Parochi, ut Canonici simul essent; aut ubi Canonici Parochiales præterea Ecclesias administrari à se posse sperarunt; tum verò Hincmarus Remensis Archiepiscopus Episcopali vigore mucronem Ecclesiasticæ censuræ in has distrinxit fœdissimæ avaritiæ molitiones. *Quia non solum illicita, sed etiam perniciosa sibi ac commissæ plebi præsumptione, contra sacros Canones Presbyteri nostra Parochia dicuntur Ecclesias suas negligere, & Præbendam in Monasterio Montis Falconis obtinere: Sed & Canonici ipsius Monasterii Ecclesias rusticanarum Parochiarum occupare; necesse nobis est, non solum quid inde sacri Canones definiant demonstrare, sed & vigorem ac censuram eorundem sacrorum Canonum, si se non correxerint, in contemptores exercere.*

To. 2. pag 732.

VII. Dilucidum ergo est sociari ea tum minimè potuisse, aut commisceri nomina, & officia, ut iidem & Parochi essent, & Canonici, sive Sæculares, sive Regulares interpretere Canonicos. Quanquam enim Regulares essent ii Canonici, de quibus hîc Hincmarus, nimirum Regulam Crodogangi professi: quæ ab illo promuntur Canonum, rationumque momenta, in omnes ex æquo valent Canonicos. 1. Canonibus præcipi Clericos stabiles esse in Ecclesiis, quibus primum sua devincti sunt ordinatione: si transferantur verò in aliquam Ecclesiam, vetari quidquam posthac demerere ex prioris Ecclesiæ proventibus. 2. Pugnant manifestissimè functiones Canonicorum & Parochorum. *Certum est, quia Claustra Monasterii, atque obsequia debita, & quæ sunt necessaria plebi in rusticanis Parochiis insimul exequi nemo valebit.* 3. Sordidissimæ certè avaritiæ est, impelli Canonicos ad ambiendas ruris Parochias, ut decimis & patrimonio pauperum saginentur. His rationibus universim Canonici omnes includuntur. *Canonicus ordinatus in Monasteria, obsequia monasterialia derelinquens, turpis lucri cupiditate emolumentum decimæ rusticanarum Parochiarum studebit invadere, &c.*

VIII. Obviatum est denique ab Hincmaro, serpenti novæ corruptelæ, ubi cavit, ne Capellæ jam dicerentur, quæ suos olim Presbyteros habuissent. Id enim jam inolescebat fucatæ avaritiæ ludibrium, ut Parochiæ unius Pastores possent & aliam simul retinere, Capellæ nomine obumbratam. *Ne Ecclesias illas, quæ ex antiquo Presbyteros habere solitæ fuerunt, aliis Ecclesiis quasi loco Capellarum non subjiciatis.*

Conc. Gall. To. 3. pag. 643.

IX. Inter ea Inquisitionum Capita, de quibus renuntiari sibi jubebat Episcopus Diœcesin suam circumlustrans; istud quoque aliquo erat in numero, An Parochus unus pluribus ita præesset Ecclesiis, ut non in earum singulis Presbyteros haberet singulos, tanquam Vicarios. *Si plures teneat Ecclesias, sine aliorum Presbyterorum adjutorio, &c. Nullus Ecclesias teneat sine adjutorio aliorum Presbyterorum, &c. Nullus plures Ecclesias sine titulo & contra sacrorum Canonum dispositiones usurpare præsumat.* Turpiter hallucinaretur, qui hos sibi fingeret Vicarios Parochi arbitratu revocabiles. Si enim nisi Canonico judicio non poterant Beneficiarii etiam minusculi ab Episcopo gradu exturbari; qui potuissent Parochi indicta causa Presbyteros summovere à regimine creditarum sibi Ecclesiarum? Hi ergo Vicarii, Parochorum subsidiarii adjutores, iidem ipsi sunt de quibus suprà Concilium Aquisgranense, qui Priori Parocho subjici debere ibi dicebantur: *Priori Presbytero subjugatur.*

Regino. l. 1. Inquisit. n. 46. Et in Append. pag. 604. 608.

X. Ex his autem illud profectò concluditur, nullum adhuc magnopere discrimen inter Beneficia statutum, non Compatibilia ab Incompatibilibus sejuncta fuisse, non à Duplicibus Simplicia, omnia indiscriminatim visa esse residentiæ legibus obnoxia, & sanctionibus iis illigata, quæ duo simul copulari non paterentur. Canonicorum ipsæ stationes cum Parochiis sociari non poterant. Canonicis & Abbatibus strictissima residentiæ lex incumbebat. Summa denique lex & ratio, quæ omnia promiscuè Beneficia uni conferri plura vetabat, nec tergiversatione, vel exceptione, vel distinctione ulla ludificari poterat; lex porro ea erat, quod per avaritiam & ambitionem, quæ parentes sunt & authores pluralitatis, janua non possit unquam patefieri in Beneficia, vel dignitates Ecclesiarum. Si Episcopus quis, si Abbas alias in se susciperet Abbatias, ut propodiosæ illis eximeret servituti, nonnisi necessariam sustentationem ex earum quantiscunque redditibus decerpturus, reliqua omnia impensuros in earundem Ecclesiarum necessitates, atque ipsa potissimum illa electio & Regulæ observatio restitueretur: huic pluralitati conviciari, aut succensere nemo jure posset, ut quæ nulla avaritiæ, aut ambitionis fuligine tingeretur. Nec verò Parochi permittebantur Capellam simul aliquam retinere, nisi quod nunquam illi certus Beneficii Titulus adscriptus fuisset, nunquam proprius ei Presbyter addictus, sed membri instar esset, quod citra perniciem non posset à Parochia divelli.

XI. Hæc eadem sempiterna & incommutabilis lex, avaritiæ & ambitionis adversaria implacata, Orientalem quoque compulit Ecclesiam, suis ut Civilibus & Canonicis legibus, plurium congeriem destrueret Beneficiorum, nec fucum sibi fieri sineret frustratoriis distinctionibus eorum, quæ residentiam, quæ curam haberent animarum adjunctam, vel non haberent. Quanquam enim flagitiosius sit, ea sibi Beneficia congerere, quorum confligerentur inter se functiones: non potest tamen non flagitiosè facere, quisquis dignitates sacrosanctas, & res Christo dicatas suæ ditescendi, vel deliciandi, vel dominandi libidini explendæ accumulat. Vide ut hæc detonet Canon Synodi VII. Oecumenicæ. *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis. Negociationis enim est hoc, & turpis commodi proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Unusquisque secundum Apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere, & in una locari Ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus perficiuntur, aliena consistunt à Deo.* Universalis & incommutabilis ea lex est Ecclesiæ, qua proscribitur vitiosa Beneficiorum pluralitas

Can. 15.

cujusque generis. Promiscuè enim ibi & universim dominatur profana rerum sacrarum nundinatio, & inexplebilis opum & honorum libido.

XII. Hinc præclarissimè mox in eodem Concilio, quibus ad victitandum non suppeditat Beneficium, quæ necessaria sint, ii jubentur sibi adesse, non adjiciendo alio quopiam Beneficio, sed labore & opere manuum. *Ad vitæ verò hujus necessitatem studia sunt diversa; ex his verò qui voluerit, acquirat carnis opportuna. Ait enim Apostolus, ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*

Ibidem.

XIII. Una incidit causa, qua sinant hujus Concilii Patres, plurium simul Ecclesiarum sarcinas alicui ingeri, cùm ruri idonei non occurrunt Pastores eo numero qui desideratur. Ruri dixi, quòd satis intelligerent Præsules hujus Synodi, ad civitatum regendas Ecclesias rarissimè deesse viros idoneos. *Et hæc quidem in hac à Deo conservanda urbe. Cæterùm in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.* Procul sunt ab hac dispensatione humani affectus, ut quæ solis donetur Ecclesiæ necessitatibus.

Ibidem.

Hinc illud exprimit Balsamon, si vetaotur Clerici duarum simul Ecclesiarum ex proventibus emolumenta quæpiam delibare: multò æquius esse, ut ne unus duas Abbatias gestet Præpositus vel Abbas. Quod ad Generalem verò pertinet Abbatem, qui à Græcis *Pantocratorenus*, παντοκρατορηνὸς, appellatur, cùm Cœnobia omnia in unam coïverint Congregationem, & in unum veluti corpus, ea re ne tantillum quidem perstringi Canones. *Si non permittitur alicui, ut sit Clericus in duabus Ecclesiis, nec Præfectus duobus Monasteriis præerit, sicut nec caput unum duobus corporibus. Quod autem Pantocratorenus Præfectus præsit multis Monasteriis, Canoni non adversatur; multa enim Monasteria ut unum reputantur.*

* In Nomoc. L. 1. c. 20.

XV. Si pluribus unus imminere potest Abbas Cœnobiis, ubi ea in unum Congregationis corpus coalita sunt: potest & Episcopus unus pluribus simul Episcopalibus præesse Ecclesiis in unam conflatis: quanquam hæc Episcopatuum coalitio longè aliis debeat extundi rationibus. Sub uno enim vertice plura adgregabantur Cœnobia, ut disciplinæ sanctimonia pluribus & invictioribus vinculis constringeretur; at plures Episcopales Ecclesiæ compingebantur in unum Episcopatum, ubi ipsæ Barbarorum populationibus evastatæ fuerant. Id observatum est à Balsamone eodem in Canonem II. Concilii I. Constantinopolitani. *Quod liceat quidem Synodis, ex œconomiæ ratione alias Ecclesias, quæ à Gentibus occupantur, aliis Ecclesiis concedere, ex præsenti ut videtur Canone traditum est. Jam enim Constantinopolitana Synodus Metropolitano Nazianzeno dedit Ecclesiam Ancyræ, & aliis diversis Antistitibus alias ejusmodi Ecclesias. Quibusdam autem etiam idipsum concessum est, ut sedeant in ipso throno traditæ Ecclesiæ in sacro Tribunali.*

In Can. 2. Conc. CP.

Et Canone quidem eo Constantinopolitano nihil innuitur, quo dari locus videatur huic adnotationi. Sed juvat hinc didicisse ex Balsamone hanc fuisse mediæ ætatis Ecclesiarum Orientalium solennem consuetudinem, Synodisque approbatam dispensationem ad Ecclesiarum incolumitatem qualemcunque; adeoque Metropolitanis quandoque demandatas fuisse duas Ecclesias principales, ratione & exemplo persimili, atque Actardum suprà vidimus Turonensi Metropolitanæ suæ tunc Ecclesiæ, & Nannetensi suæ quoque priùs, uno eodemque tempore præfuisse, non suo marte, sed Conciliorum Pontificumque authoritate.

XVI. Consultum ergo volebant Ecclesiis per Barbaros populatis, non Episcopis alios jam Episcopatus regentibus, qui his præficiebantur. Aut si & his etiam provisum vellent, non opes illis parabantur, sed arcebatur inopia. Unde idem Balsamon, *Quòd autem dantur quibusdam Antistitibus non vacantibus, sed paupertate laborantibus orbatæ seu vacantes Ecclesiæ, est dispensationis ratio.* Transferebatur Episcopus ab Ecclesia diruta & expilata, ad Ecclesiam vacantem, nec subducebantur eis rudera prioris Ecclesiæ. Ita enim & Episcopus inopiæ eximebatur, & adjiciebatur, quo priorem sponsam solari posset. Molestè tamen ferebat Balsamon, quòd translatus permitteretur Episcopus quandoque sedere in throno Episcopali prioris Ecclesiæ, propterea quòd eam jam non propriam, sed commendatam habeat, & ea Canonibus habenda sit reverentia, ut verè semper dici possit, uni Episcopo unam esse Episcopalem Ecclesiam, unam Sedem.

Suppl. pag. 225.

XVII. Aliquantò implicatior est Canon Concilii Calchedonensis, quo non sinuntur Clerici inscribi, & titulum obtinere in duabus Ecclesiis. Balsamonis quidem ea sententia est, porrigi non debere hanc prohibitionem ad diversas unius urbis Ecclesias. *Quidam illud, non esse aliquem Clericum in duarum urbium Ecclesiis, etiam ad duas unius civitatis Ecclesias accipiebant. Non est autem hæc Canonis sententia, ut mihi videtur.* Nec à vero abludit ille, si tempora spectemus Concilii Calchedonensis. Tunc Clerus Ecclesiæ Cathedralis munera obibat omnia cæterarum urbis Ecclesiarum, earumque reditus omnes suam unam in mensam refundebat. Et ne umbra quidem in eo supererat vitiosæ pluralitatis. Nec enim ad singulos redibat Clericos, nisi certus & parcus distributionum Ecclesiæ Cathedralis modus. At Balsamonis ævo, ut ab ipsomet perhibetur, idem unus Clericus varia in variis Ecclesiis Constantinopolitanæ civitatis Beneficia obtinebat; inde exorta ea perversitate, quod Synodus VII. Generalis vetuisset illa quidem, ne Clerici pluribus Ecclesiis ejusdem urbis præessent, at nihil pœnarum in prævaricantes decrevisset.

In Can. 6. Conc. Calc.

Hinc illa discrepantia Canonum duorum, alterius Calchedonensis, alterius Synodi VII. Ille enim prohibet, ne quis Titulum Beneficii obtineat in Ecclesiis duarum Civitatum: hic verò ne quis in Ecclesiis diversis unius urbis. Tempore Concilii Calchedonensis Clerus Cathedralis omnium urbis Ecclesiarum functiones obibat, reditus colligebat, Clericos omnes idoneis pro gradu & merito stipendiis donabat. Ita quantumvis pluribus quis in Ecclesiis ministraret, unius tamen stipendia tantùm percipiebat. At ubi postea singulæ unius civitatis Ecclesiæ suum sibi fiscum, suam privatim facultatem & rem habuere: diligentissimè cavendum fuit, ne Clerici pluribus in Ecclesiis, etiam ejusdem urbis, Beneficia captarent.

Addit Balsamon sua ætate plus jam nimio Clericorum numero abundare curæ, ut minimè necesse esset, plures uni Ecclesias concredi: quòd videlicet multò jam plures ad Clericalem convolarent professionem, postquam illam Imperatores privilegiis & immunitatibus cumulassent. At Constantinopoli Clerico uni passim è Beneficia conferri, non in una tantùm & altera Ecclesia, sed in pluribus, quæ pravitas solâ & alebatur & augescebat impu-

Ibidem.



PARTIS SECUNDÆ LIBER TERTIUS,

IN QUO AGITUR,

De pluralitate Beneficiorum. De Commendis. De Dispensationibus. De præcipuis officiis Episcoporum. De Residentia. De causis canonicis & justis non residendi. De Conciliis. De Comitiis Regni. De Comitiis Cleri. De Synodis Diœcesanis. De Visitationibus. De Prædicatione. De Pauperum tuitione. De Exercitio Jurisdictionis.

De Pluralitate Beneficiorum.

CAPUT PRIMUM. *P. 1. l. 2. c. 45.*

De pluralitate Beneficiorum per quinque priora sæcula.

I. Generales causa, quæ veterem Disciplinam muniebant adversus pluralitatem Beneficiorum. Primum necessaria Clericorum omnium residentia.

II. Cuique Clerico certa adsignata munia.

III. Non alii reditus, quàm in distributionibus.

IV. Res omnes in commune possidebantur.

V. Nec necessaria deerant Clericis, nec superflua redundabant ulla.

VI. Omnium sustentatio egenorum Ecclesiæ commendata erat.

VII. Eversa autè necessariò omnis ea disciplina ratio, quàm plura quisquam unus obtineret Beneficia.

VIII. De Episcopo duarum Civitatum.

IX. Aut duos regente Episcopatus, in unum compaginatos ad Ecclesiæ utilitatem.

X. Damnatur in Concilio Calchedonensi pluralitas Beneficiorum, & ad priorem Ecclesiam suam restituitur Beneficiarius.

XI. Conceditur ibi tamen, ut ab Ecclesia diruta ad aliam migretur.

XII. Vaga ibidem prohibentur ordinationes, quibus Clerici nulla assignatur Ecclesia.

XIII. Clericus aut Episcopo, unique addictissimus Ecclesiæ plura non poterat accumulare sibi Beneficia.

XIV. B. Basilius Episcopum transtulit, & gemini Episcopatus illi curam mandavit.

XV. Idque in Concilio Provinciali factum est, & ad Ecclesiæ commodum.

XVI. Nonnulla in eam dispensationem adnotantur.

XVII. An à B. Paulo damnata sit spiritalis hæc bigamia.

XVIII. XIX. Commenda Episcopatuum vacantium ad tempus tantùm erant, & ad Ecclesiæ necessitatem.

I. Usa sæpiùs jam suprà perstricta est Beneficiorum residentia, & de qua prolixior suo infrà loco instituetur nobis disputatio, ea jam non leve præjudicium est adversùs Beneficiorum pluralitatem accuratè hic nunc disceptandam. Palam est enim residere in singulis non posse, cui plura sint Beneficia. Cùm ergo suis quisque residere in Ecclesiis tenerentur Clerici, quibus sua illos affixerat ordinatio, ut suprà demonstratum est: ne fieri quidem poterat, plura ut in singulos Beneficia conferrentur, eùm pluribus in Ecclesiis, vel Civitatibus sedem habere non possent uno eodemque tempore.

II. Nec ad præsentiam tantùm corporis pertinebat lex residentiæ, sed ad functiones sacras quæ in iis locis obeundæ essent; & quæ nisi uno in loco obiri non possent. Ita residere nemo nisi in una poterat Ecclesia.

Adde quod Beneficium ab ordine non divelleretur, nec nisi collato ordine conferretur Beneficium; nec alia esset Beneficii collatio, quàm ordinatio. Ergo eùm ritè unus unum ordinem exercere possit, non plures; ritè unus unum gerebat Beneficium, non plura.

III. Reditus Beneficiorum meris constabant distributionibus,

stributionibus, seu sportulis, ut delibatum alicubi jam est, utque infrà Parte III. operosiùs declarabitur. Quorsum ergo plura quis sibi accumulasset Beneficia, cùm præsentibus tantùm & officio fungentibus hæ sportulæ dispensarentur?

IV. Bona Ecclesiæ temporalia tum omnia in commune possidebantur, uti nunc in Cœnobiis & Congregationibus plerisque, sive Monasticis, sive Clericalibus. At ea ratio non possidendi nisi in commune, manifestè declarat, ne fieri quidem potuisse, ut unus plurium portiones vel distributiones obtineret, aut ut plurium Congregationum parte aliqua donaretur redituum.

V. Quanquam non idem modus, nec mensura eadem esset, sed pro cujusque labore; servabantur tamen religiosissimè illæ leges, quas paupertatis amor, quas charitas pauperum dictavit, nulli ut quidquam necessarium deesset, nulli ut superesset ultra necessarium; cùm nemini superflua aggerari possent, quin alii necessariis fraudarentur. His ita constitutis, ne in mentem quidem venire poterat cuiquam, ut pluribus vellet se donari Beneficiis.

VI. Nec Clericorum tantùm suorum Ecclesiæ unicuique incumbebat sustentatio, sed pauperum etiam, orphanorum, viduarum, Sanctimonialium, omnium denique, quibus in omnia Ecclesiæ bona jus erat, solo nomine paupertatis. Vel ditissimas ergo Ecclesias ad tantam alendorum pauperum multitudinem exarescere necesse erat, & vis ad necessaria subsidia singulis suppeditanda sufficere, nedum ad supervacaneos reditus cuiquam permittendos.

VII. Non potuit ergo serpere in Ecclesias pluralitas Beneficiorum, nisi ubi exolescere cœperunt primigeniæ leges, usúsque sanctissimi priorum sæculorum. 1. Postquam Clericis minoribus relaxata est obedientiæ regula. 2. Postquam ordinari, vel attonderi cœpere Clerici, sine ullo minorum Ordinum, atque adeo sine ulla quam in Ecclesia obirent functione. 3. Postquam collati sunt Ordines illis etiam, qui nulli Ecclesiæ astringerentur. 4. Postquam Beneficiariis non distributiones tantùm, sed & agri ac prædia cœpere distribui, secto in portiones Ecclesiæ patrimonio. 5. Postquam non in commune tantùm, sed privatim cœpere possideri bona Ecclesiæ. 6. Postquam non amplius spectata est Ecclesia ut pauperum omnium procuratrix altrixque, quos tamen frugaliter & modicè aleret, quo superesset quod in egenorum omnium alimenta refunderetur. Hæc omnia novata sunt pedetentim in temporali & spirituali administratione Ecclesiæ; unde emersit illa portentosa in Cleri disciplina fœditas, de qua dolent gemuntque mirum in modum pii & cordati omnes, alios rebus necessariis destitui, dum alii sacras opes & patrimonia pauperum otio & luxu diffluentes dilapidant.

VIII. Nec me fugit Episcopus Provinciæ Europæ Concilio Generali Ephesino libellum supplicem obtulisse, ut suus sibi mos antiquus perpetuaretur, quo quilibet solebat Episcopus binos ternósve regere Episcopatus. *Vetus mos viget in Provinciis Europa, quod singuli Episcopi duos vel tres sub se habent Episcopatus. Unde Heraclea Episcopus sub se habet Heraclean & Panion: Episcopus autem Byzez sub se Byzen & Arcadiopolin; Cælensis verò similiter habet Cœlen & Callipolin: porro Episcopus Sabsadia sub se habet Sabsadiam & Aphrodisiadem.* Usum eum antiquissimum confirmavit Synodus, propterea (Con. Ephes. Act. 7.) quod vetustæ consuetudines vim legis obtineant. *Et sanctis Canonibus & externis legibus, quæ veterem consuetudinem jubent vim legis habere, nihil innovandum in Europa civitatibus, sed juxta veterem consuetudinem gubernentur ab Episcopis, à quibus & olim.*

IX. Nec tamen hinc sibi quisquam fingat, uni aliquando Episcopo duos fuisse Episcopatus, sed duas potiùs civitates, quæ ejus & magnitudinis essent & opulentiæ, ut merito Episcopales videri possent: vel quæ Episcopales & ipsæ singulæ olim fuissent, at tunc in unum Episcopatum essent conglutinatæ. Quanquam enim non liceret per Canones Sedes Episcopales constitui, nisi in majusculis & populosis civitatibus: non tamen in singulis istiusmodi civitatibus populosis singulæ erant Episcopales sedes. Poterant & duo Episcopatus in unum coaluisse, aut alterius civitatis devastatione & ruina, vel alia quapiam ratione. At nihil hinc elici potest, quo pluralitas Beneficiorum astruatur; cùm duo tunc Beneficia in unum concrescant, non ut honorum privatæ opumque cupiditati fiat satis, sed ad Ecclesiæ utilitatem, utque necessitatibus ejus consultum sit. Decernitur enim ut plures civitates uni subjiciantur Episcopali sedi, aut ut duo etiam Episcopatus in unum posthac coagmententur. Hæ porro uniones perpetuæ sua hac ipsa perpetuitate produnt, non privatorum cupiditati, sed Ecclesiarum utilitati provisum fuisse.

X. Prohibet certè Concilium Calchedonense, ne quis Clericus duabus Ecclesiis inscribatur; jubetque deturbari ea quemvis Ecclesia, cui inseri ambitiosiùs anhelaverat, & remitti in eam, cujus pertæsus fuisse videbatur, cùm in ea tamen ordinatus fuisset: si verò jam secundæ Ecclesiæ inscriptus fuerat, abstinere penitus posthac jubetur, & regimine, & proventibus prioris, ejusque Capellarum, aut Xenodochiorum. Si qui secus aliquid tentaverint, ii pluralitatis Beneficiorum quasi prælusores, canonica depositione exauthorantur. *Non licet Clericum conscribi in duabus simul Ecclesiis, & in qua ab initio ordinatus est, & ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad suam Ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare. Si verò jam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel martyriorum quæ sub ea sunt, aut ptochodochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos autem qui ausi fuerint post definitionem magnæ Synodi quidquam ex his perpetrare, decrevit sancta Synodus à proprio gradu excedere.* (Con. Chalc. Can. 10.)

Eo Canone aperitur jam gliscens abusus pluralitatis Beneficiorum, quo ex fonte ea pestis erumperet, quid ei adhibitum sit medicinæ. Qui enim ab una in aliam Ecclesiam translati fuerant, & qui novæ hujus Ecclesiæ consortes erant emolumentorum, callidè retentabant prioris Oratoriorum vel Xenodochiorum reditus & administrationem, quod eorum probabiliter antea fuissent administratores. Damnat Calchedonensis Synodus istiusmodi Clericorum ab una Ecclesia in aliam translationes; jubet ut æterna stabilitate illis affigantur deinceps Ecclesiis, quibus ordinatione, hoc est, vocatione divina illigati sunt. Si translati verò jam sint, sancit ut posteriori huic adhærescant Ecclesiæ, nec alterutrius opinionem illis facit. Ex duobus enim Beneficiis, duabusque Ecclesiis, ut uni Ecclesiæ quàm alteri mancipetis, in consilium adhibenda est, non inanitas honorum & opum, sed certa & sanctissima lex vocationis divinæ, residentiæ, & stabilitatis,

Itaque Beneficiarius primæ Ecclesiæ suæ adhærescat, necesse est, si necdum secundæ cohæserit: aliàs secundæ constanter se affigat, de prima ne cogitet quidem, neutrius proventus magni faciat.

XI. Ejusdem Concilii Canone annuitur Clericis, ut ab una Ecclesia ad aliam migrent, tum certè Can. 10. cùm eximuntur, cum prior diruta & complanata fuit. *Exceptis illis, qui proprias amittentes patrias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt.* Hoc ipso autem Canone, excommunicatione percellitur Episcopus, qui Ecclesiæ suæ adgregat, vel Beneficio quopiam donat Clericum, alteri jam Episcopo & Ecclesiæ mancipatum, tum Beneficio, tum Ordinatione sua: Clericum verò ipsum eadem mulctat pœna, dum in priorem se recipiat Ecclesiam. Nec superiori Canoni hic adversatur. Illic enim sermo erat de translatione facta, & quidem consentaneè Ecclesiasticis legibus facta, ad commodum & necessitatem Ecclesiæ: hic autem de ea quæ fieri posthac posset, studio & industria hominum ambitiosorum.

Can. 6. XII. Porro malis his omnibus obviaverat Calchedonensis Synodus, edito priùs Canone, vetitoque, ne *absolutè*, ἀπολελυμένως, quisquam ordinaretur; hoc est nisi astrictis Clericis cujuscumque Ordinis alicui Ecclesiæ Urbis, aut Vici, aut Oratorii, aut Xenodochii, aut Monasterii, declaratoque irritas habitum iri ordinationes vagas. Nulladum ergo tunc erant adhuc Beneficia simplicia, vel residentiæ lege soluta: unde & illud consequens est, ut nulla essent, quæ aliis cum Beneficiis sociari possent.

XIII. Sunt enimvero permaximi hæc duo momenti, præter ea quæ initio Capitis hujus dicta sunt. 1. Mancipatio cujuslibet Clerici, qua constringitur ad unam aliquam Ecclesiam, vi ipsa ordinationis suæ. Cùm enim ordinari non possent, nisi ut uni Ecclesiæ addicerentur: ita exolvi jam non poterant ejus Ecclesiæ nexu quem ordinatione sua contraxissent, nisi per ipsummet ordinatorem suum Episcopum. 2. Devovet se Episcopo suo Clericus, & addicit ordinatione ipsa sua, ut eo illi astringatur vinculo, quod nisi ad Ecclesiæ utilitatem solvi jam non possit. Ac vicissim Clerico se Episcopus obligat quodammodo, curam ejus tum corporalem, tum spiritalem deinceps gesturus ea Canone Apostolico. Can. 58. *Si quis Episcopus, vel Presbyter, cùm sit aliquis ex Clericis egenus, ea quæ sunt necessaria, ei non suppeditat, segregetur; sin autem perseveret, deponatur, ut qui fratrem suum interfecerit.*

XIV. Meminit Basilius Euphronii, duos simul administrantis Episcopatus. Cùm enim illum Armeniæ Provinciæ Episcopi ab Episcopatu Coloniensi ad Metropolin Nicopolitanam transtulissent, geminas ille deinceps illas Ecclesias administratione sua & charitate complexus est. Iniquissimo ferebant animo Colonienses suo se fraudari Episcopo; quos contrà solabatur & demulcebat Basilius, hanc Episcoporum Provinciæ potestatem esse demonstrans, idque Ecclesiæ necessitati datum fuisse, cujus adversariis objiciendum fuerat hoc velut invictissimum propugnaculum, in Provinciæ principe Ecclesia. Spondet autem pristina illos Euphronium cura & charitate semper complexurum esse. *Vocem vobis* Epist. 290. *emittet Nicopolis talem omnino, qua matri conveniat indulgentissimæ: nimirum si parentem communem vobiscum habituram esse, qui utrisque gratiarum suarum partem alternis vicibus communicabit; neque illis passurus molestiam creari ab adversariis, nec consueta tutela vos ac præsidentia aliqua ex parte privaturus. Quo circa horum temporum difficultatem vos apud animum vestrum reputantes, & prudenter istius dispensationis necessitatem cognoscentes, ignoscere debetis Episcopis illis, qui constituendarum Ecclesiarum hanc potissimam rationem inierunt.* ἐξ οἰκονομίας ἀναγκαίας.

Cùm verò ne his quidem Basilii rationibus & delinimentis acquiescerent Colonienses, jamque meditarentur Magistratuum Præsidumque opem interpellare: alteris eos Epistolis edocuit Basilius, nihil ea quidem in re molitos esse Episcopos, nisi authoritate Christi, cujus sunt Vicarii & Administri, ex indeclinabili necessitate consulendi incolumitati Provinciæ, qua Colonia ipsa continetetur. Porro si res ad sæculares referretur Magistratus, perinde id fore, atque si infestissimis sibi adversariis Ecclesia subjiceretur, & conculcaretur divina illa qua Christus instruxit Episcopos potestas, ut rebus & causis Ecclesiæ præsint. *Dispensatum est quam optimè de fratre nostro dilectissimo Euphronio, per eos quibus rerum Ecclesiasticarum concredita est dispensatio, prout tempora exigebant, necessario pro illius Ecclesia, quo transferebatur, utilitate non mediocri, & vestra etiam non levi, à quibus est ablatus. Nolite hoc humano consilio factum arbitrari, non consiliis hominum, qui terrena sapiunt: sed eos quibus sollicitudo Ecclesiarum Dei & cura incumbit, Spiritu ipsis sancto cooperante, hoc procurasse arbitremini, &c. Itaque quod factum est, suscipite, persuasi, eos qui resistunt, nec admittere volunt, quæ Ecclesiis præscribunt ii, qui sunt a Deo electi, divinæ repugnare ordinationi.* Et paulò infrà: *Ne ergo furore insano perciti nonnulli, vos eo adigant, ut hæc ad publica subsellia deferatis, &c.* Epist. 292.

XV. Facta est ea translatio à Concilio Provinciali, duorumque Episcopatuum in unum coalitio, provida & necessaria dispensatione, ut à Basilio inculcatum est, ad incolumitatem Ecclesiarum totius Provinciæ, & utriusque etiam illius Ecclesiæ, quarum alteri subducebatur, alteri præficiebatur Episcopus præstantissimus. Arcem enim Provinciæ seu Metropolin insidens Euphronius, Coloniensem ipsam Ecclesiam validius tuebatur: propterea quod si invasissent semel Ariani Metropolin, jam nullo negotio reliquas Provinciæ civitates pervasissent. *Suscipiat Nicopolis curam Euphronius, & accedant ad* Ibidem. *illam sollicitudinem vestra quoque res, loco additamenti. Certè plus laboris hinc homini accessit, at vestra tamen ratio & inspectio non minuitur.*

XVI. Aliquanto diutius immoratus sum huic narrationi, ut manifestius fiat, quæ olim ratio, quæ disciplina esset Ecclesiæ, in dispensationibus moderandis ad translationes & pluralitatem Beneficiorum. 1. Eas dispensationes expendebat & concedebat Synodus Provincialis. 2. Urgente summa Ecclesiæ necessitate eas concedebat. 3. Episcopus cui ea concedebatur, ab ea deposcenda alienissimus erat. 4. Nec enim ad illum redibat, nisi concitatius odium adversariorum Ecclesiæ, pericula & labores, atque negotiorum moles importunissima. *Certè plus laboris huic homini accessit.*

XVII. Opusculi ejus author, quod *de Dignitate Sacerdotali* inscribitur, quodque sub nomine B. Ambrosii circumfertur: illa Pauli verba de Episcoporum & Clericorum Monogamia, de spiritali Monogamia interpretatur, sive de Beneficiorum singularitate. *Unius uxoris virum. Si ad altiorem sensum* Cap. 4. *conscendimus, inhibet Episcopum duas usurpare Ecclesias.* Minus quidem probatur ea Hieronymo interpretatio, utpote coacta & violenta: at vehementissimè illi improbatur illa Clericorum ab Ecclesiia

Epist. ad Ocean. ad Ecclesias translatio. *Quidam coelo interpretantur uxores pro Ecclesiis, viros pro Episcopis debere accipi. Et hoc in Nycena quoque Synodo à Patribus esse decretum, ne de alia ad aliam Ecclesiam Episcopus transferatur. Ne virginalis paupercula societate contempta, ditioris adulteræ quærat amplexus.*

XVIII. Commendavit beatus Ambrosius Episcopo suæ Provinciæ curam proximoris ei Ecclesiæ Imolensis, quæ tunc vacabat, illam ut frequentius inviseret, dum Episcopus ei proprius ordinaretur. Epist. 44. *Commendo tibi fili Ecclesiam, quæ est ad forum Cornelii, què eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur Episcopus. Occupatus diebus ingruentibus quadragesimæ, tam longè non possum excurrere.* Commendatur, ut vides, Episcopo altera Episcopalis Ecclesia viduata tum Pastore: nec duo tamen quisquam sibi arrogat Beneficia. Quin Commendæ istiusmodi tam totæ vergebant ad utilitatem Ecclesiæ, quam posterioribus hujus ævi nostri graves illi nonnunquam importantur calamitates.

XIX. Ad annuum tantùm spatium Concilia Africana sinebant has prorogari Commendas. Annuo tantum spatio commendari Ecclesias volebant, & ut ne Episcopus Visitator, seu Interventor, cui Ecclesia interim regenda delegabatur, eligi seipsum curaret, invaderetque suæ fidei creditum depositum. Audi quid Ferrandus Diaconus referat ex Cap. 21. 27. Conciliis Africanis. *Ut nullus Episcopus Cathedram, cui datus fuerit interventor, plusquam annum teneat, sed ipse eis Episcopum petat, &c. Remoto interventore sic remaneant, quandiu sibi Episcopum quærant.* In Concilio Carthaginensi V. statutum est, ut anno expleto Ecclesiæ vacanti novus præficeretur Visitator. Ita temporariæ tantùm, & breves, atque onerosæ erant hæ Commendæ.

CAPUT II. *P. 2. l. 2. c. 68.*

De pluralitate Beneficiorum ab anno Christi quingentesimo ad octingentesimum.

I. Prohibetur, ne Abbas unus pluribus præsit Cœnobiis.

II. Quanquam nullas avaritiæ sordes redoleret ea Cœnobiorum pluralitas.

III. Clericis Ecclesiæ Cathedralis aliquando commendabatur Administratio Abbatiæ, sed proventibus tunc exuebantur & stipendiis Ecclesiæ Cathedralis omnibus, si eis sustentandis par erat Abbatia.

IV. Ubi Canonicis conferebatur Parochialis Ecclesia, aut simplex aliquod Beneficium. Illico stipendiis spoliabantur prioris Ecclesiæ.

V. Quæ prædia quæpiam in usum fructum ab aliqua Ecclesia donati fuerant, id cum alio Beneficio, ac ne cum Episcopatu quidem, si canonicè ad quamvis aliam Ecclesiam Episcopi eligerentur.

VI. Vt vitiosa hæc declinaretur pluralitas, nemo sinebatur alterius, quam sua unius Ecclesiæ, vel agros, vel distributiones retinere.

VII. Rationes innoxia plura obtinendi Beneficia, si qua quis illi addiderat patrimonia, si labores, & studia: si alterum gereret commendatam tantum ad utilitatem Ecclesiæ; si plura in unum conflarentur solius Ecclesiæ utilitatis contemplatione. Exempla triplicis hujus pluralitatis.

VIII. In Concilio Emeritensi concessum est Canonicis, ut partem aliquam retinerent fructuum Parochiarum, quas ante gubernassent.

IX. Multa in hunc Canonem observantur, adversùs pluralitatis Patronos.

X. Plurium Parochiarum in unam coalitio, ad tenuiorum Ecclesiarum levamentum.

XI. Duæ Fulgentio erant Abbatiæ, tametsi paupertatis amantissimo.

XII. In Oriente unus Abbatiis duabus Abbas præesse non poterat.

XIII. XIV. Episcopales & Abbatiales Ecclesias duas in unam quandoque adglutinabat Gregorius Magnus, una stimulante ipsarum utilitate.

XV. Quibus rationibus agrestes Abbatiæ urbanis conjungerentur.

XVI. Desolatam quandoque Episcopalem Ecclesiam idem Gregorius alteri Ecclesiæ addebat.

XVII. Exempla aliqua pluralitatis.

I. PRohibiti sunt in Concilio Agathensi Abbates, ne plura Cœnobia, vel plures haberent Cellas; nisi ruri sita esset Abbatia, adeoque necesse esset, ut in urbe perfugium haberent, & veluti portum, in quem se reciperent sævientibus bellorum procellis. *Abbatibus quoque singulis diversas cellulas, aut plura Monasteria habere non liceat, nisi tantum propter incursum hostilitatis, intra muros receptacula collocare.* Can. 38. 57. Id ipsum in Concilio Epaonensi confirmatum est: *Unum Abbatem duobus Monasteriis interdicimus præsidere.* Can. 9. 10. Ea verò tum Monasteriorum sub uno Abbate pluralitas, non aliundè profecta videtur fuisse, quàm ex iis Coloniis novis, quæ vicinas in regiones à populosis olim Monasteriis propagabantur: ita ut prior Abbas ut author, & parens, ita & Præpositus semper haberetur novelli cujusque gregis. Ideo & vetant hujus Synodi Patres, ne fiant hæ antiqui gregis propagationes injussu Episcopi, cui ex Officio incumbit, ut dijudicet, an novo Cœnobio proprius sit Præpositus, vel Abbas adsignandus. *Cellas novas, aut congregatiunculas Monachorum absque Episcopi notitia prohibemus institui.* Can. 11.

II. Hæc copia verò & multitudo Cœnobiorum, uni obnoxiorum Abbati, ejusmodi erat, quæ pietatem magis, quàm ambitionem redoleret. Ea enim Cœnobiorum aliorum ab aliis propagatio, fœcunditatem non magis prodebat, quàm sanctimoniam, & insignium virtutum splendorem, quo ea multitudo alliciebatur servorum Dei, cui exuberanti, novæ subinde sedes quærendæ essent. Exulabat hinc autem omnino avaritia, cùm nec Monachi quidquam, nec Abbates propriè & sejunctim possiderent, ut ex Concilio Aurelianensi IV. dilucidum est. *Si quid Abbatibus aut Monasteriis collatum fuerit, in sua proprietate hoc Abbates minimè possidebunt.*

III. Si cui tanta constare poterat tunc innocentia, illa ipsa Abbatum proscribebatur tamen polygamia: quid de ea dicendum, quæ nunc tanto Clericis compluribus dehonestamento est? Regebantur quandoque à Clericis etiam Abbatiæ, qui earum verè titulo potiebantur, & quibus sua tamen antè ordinatio, jus addiderat idoneæ portionis redituum, & distributionum Ecclesiæ. Ne hinc pudenda invalesceret Beneficiorum acervatio, sanxit Aurelianensis III. Synodus, ut Episcopi Clericos ejusmodi spoliarent omnino prioris Ecclesiæ proventibus ac sportulis, eosque vitam tolerare juberent Abbatiæ reditibus, quam administrarent. *De his verò Clericorum personis, quæ de civitatensis Ecclesiæ officio, Monasteria, Diœceses, vel Basilicas in quibuscumque locis positas, id est, sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus suscipiunt ordinandas, in potestate sit Episcopi, si de eo quod antè de Ecclesiastico munere habebant, eos aliquid, aut nihil exinde habere voluerit; quia unicuique facultas suscepti Monasterii, Diœcesis, vel Basilicæ, debet plena ratione sufficere.* Can. 18.

Videri in speciem poterat eo Canone permitti Episcopis ea facultas, ut Clericos Commendatarios sinerent gemino simul frui Beneficio. Sed longè diversissima est sanè Canonis sententia. Cùm enim præcipitur, ut vel Parochiæ, vel Monasterii admi-

ministratur, inde sustentetur, hinc perspicuè insinuatur, illi omnem circumcidi & amputari spem quorumcumque aliorum redituum: jubetque Episcopum, ut iis illum exuat; nisi si cogat eorum parte aliqua relevari se Abbatiæ cui præest penuria.

IV. Ex hoc rursus Canone odoramur geminam aliam corruptelam, quæ jam inolescebat, & cui obviam ire satagebat hæc Synodus. Cùm videlicet qui communium participes erant distributionum, donabantur præterea Parochiali Ecclesia, quæ hic dicitur *Diœcesis*, vel Beneficio simplici, quod hic *Basilica* nomine indigitatur. Diœceses enim primò Latinis non aliud fuere, quàm agrestes Parochiæ. Extruebantur etiam jam olim in honorem Martyrum Basilicæ, quibus nullæ plebes, nulli greges addicebantur, sed ex frequenti fidelium concursu plurimæ opes, ex eorum nempè largissimis oblationibus. Hujus ergo Canonis scopus is est, ut adducantur Episcopi in nullam jam partem, vel societatem redituum Ecclesiæ Cathedralis, eos admittere Clericos, quibus vel Basilicam, hoc est simplex Beneficium, vel Parochiam contulissent. Eis enim Ecclesiæ proventibus vitam tolerare debet Clericus, qui ei sufficiant, non aliis inhiare. *Quia unicuique facultas suscepti Monasterii, Diœcesis vel Basilica debet plena ratione sufficere.*

V. Cœperant jam etiam Clericis condonari non distributiones tantùm, sed & agelli, & prædiola Ecclesiæ, quibus usufructuario jure gauderent. Unde & hoc eodem rursus Canone illis donatus Clericus agellulis, ejicitur alio quocumque Beneficio. Id luculentius Epaonensis Synodus declarat, ubi dicitur, si quis fundo & agro donatus alicujus Ecclesiæ, ad Episcopatum alterius Ecclesiæ devocetur, restitui priori Ecclesiæ debere, quod ab ea obtinebatur, quanquam retineri possit, quod emisse se quis & possedisse legitimis instrumentis prodiderit. *Quisquis Clericus aliquid de munificentia Ecclesiæ cui servierat, adeptus, ad summum Sacerdotium alterius civitatis, est, aut fuerit ordinatus, quod dono accepit, vel acceperit, reddat: quod usu, vel proprietate secundùm instrumenti seriem probatur emisse, possideat.* Ne Episcopis quidem, ut vides, parcebatur, nedum aliis Clericis, ut plurium Ecclesiarum rebus utcumque sinerentur frui. Quippe si tam inclementes in semetipsos erant Episcopi, iisque se legibus astringebant, nihilo humanius in reliquos Clericos consulebant.

Can. 14.

VI. Nec futuris malis occupandis hæc Canonum medicamenta parabantur; sed præsentibus abigendis. Jam tum ergo irrepebant hæ pestes in Ecclesiam, sed altas radices agere non sinebantur. In Concilio IV. Aurelianensi sancitur, ut *si quis Episcopus alterius Ecclesiæ Clerico de facultatibus suæ Ecclesiæ aliquid sub titulo quocumque donaverit, &c.* eo extincto, prædium Ecclesiæ restituatur. Eo fuco pluralitatem dissimulari potuisse facilè suspicamur. Ideo & Concilio Aurelianensi V. vetitum omnino est, ne vel Episcopus, vel Clericus Beneficium, aut prædium petere, vel impetrare posset Ecclesiæ cujuscumque alterius, præterquam suæ. *Ut nullus Episcoporum, aut cujuslibet Ordinis Clericus, alterius cujuscumque res, aut petat, aut præsumat accipere. Quod si fecerit, tamdiu habeatur à communione suspensus, donec ablata restituat.*

Can. 36.

Can. 14.

VII. Depromitur à Gregorio Turonensi ea Beneficiorum pluralitas, quam nemo jure possit reprehendere, unde ne verendum quidem est, ut plures habeat imitatores. Clarissima sanctitate Severinus Presbyter duas cum exædificasset Ecclesias, & illatis Martyrum sacris pignoribus consecrasset, ubi Dominico quoque die in earum altera sacris Mysteriis operatus esset, actutum equo conscenso ad alteram properabat, vigesimo inde lapide semotam, ubi rursus eadem celebrabat sacra. *Magna illi fuit virtus ac eleemosyna, ita ut de domibus suis Ecclesias faceret, ac facultates suas in cibos pauperum erogaret.* Qui suo ita de patrimonio hauriebat, quo duas fundaret Ecclesias, & pauperes passim sustentaret, istiusmodi Beneficia duo credo equidem obtinere eum potuisse, ut nec ambitionis ei, vel avaritiæ suspicio illineretur.

De gloria Confessor. c. 50.

Beati Leodegarii vitæ Scriptor, Diaconum illum primò ait creatum fuisse anno ætatis suæ vigesimo, pòst Archidiaconum: tum verò administrationem ei creditam fuisse Abbatiæ sancti Maxentii, cui sex annis præfuerit: *Cùm Pater Monasterii in sancti Maxentii honorem conditi obiisset, jussu ejusdem Pontificis illud regendum suscepit. Quod sex ferè annis ille gubernans, & structuris, & magnis opibus dotavit.* Archidiaconum hic habes, eundemque Abbatem, aut certè Abbatiæ Administratorem. Nec ei tamen illud adscribendum est pluralitati, quam hic insectamur. Narrat enim idem scriptor Leodegarium omnibus Præpositum fuisse Ecclesiis Diœcesis Pictaviensis, ex quo Archidiaconus creatus fuit. *Archidiaconus effectus, omnibus ejus Diœcesis Ecclesiis ab eodem Pontifice præfectus, atque Prælatus.* Quæ sanè administratio omnium unius Episcopatus Ecclesiarum, ipsamet erat Archidiaconatus sarcina propria; utpote earum omnium non Titulum gerit Archidiaconus, sed Præfecturam. Abbatiæ ergo similiter sancti Maxentii solam Episcopus Leodegario Præfecturam & sollicitudinem credidit, qua & sex annis perfunctus est, restauratis ejus ædificiis, & adauctis proventibus.

Du Chesne. To. 1. pag. 218.

Eversa Augusta Veromanduorum, beatus Medardus ejus antè Episcopus, sedem suam Noviodunum transtulit. Terris tunc emigrante Tornacensi Episcopo, electus est ipse ejus urbis Episcopus: invitus quidem & vehementer reluctabundus, sed ita tamen, ut concedendum tandem fuerit unanimi consensui, authoritatique Regis, Metropolitani, Episcoporum & Civium. Adiit ergo Tornacensem hunc novum Episcopatum, nec Noviodunensem abjecit, Cathedralium privilegiis utrique Ecclesiæ concessis, uno ex utraque illa Episcopatu conflato. *Pontificali demum, Metropolitani scilicet, & Comprovincialium suorum evictus authoritate; Regisque ac Procerum assensu, plebisque coactus incessabili acclamatione vix consensit; & unanimi. Pontificali videlicet ac Regali authoritate, duas illas Ecclesias, unam fecit.* Non insatiabilis avaritiæ æstu Medardus geminum retinuit simul Episcopatum. Nec enim ipse eas Ecclesias in unam revinxit sedem: sed ipsarum utilitas evidens Regem, Metropolitanum, Episcopos, Optimates, & populos adegit, ut in eam consentirent unionem; & tum Medardo eam imponerent sarcinam, cujus in eo nullæ nisi obediendi fuere partes, cùm tamdiu repugnasset, quamdiu poterat humilitas sine contumacia.

Surius die 8. Iun. c. 18.

Pergimus jam à Galliis in Hispanias, & ipsas, si fas sit, ab eadem avaritiæ infamia purgaturi. In Concilio Emeritensi Episcopis conceditur, non tantum ut è Parochiis suis Presbyteros & Diaconos aliquos transferant in Ecclesiæ Cathedralis suæ Collegium: *De Parochianis Presbyteris atque Diaconibus, Cathedralem sibi in principali Ecclesia facere: Sed* Can. 21.

etiam ex copiam illis faciant retinendæ semper primariæ authoritatis in iis Parochiis, utque earum reditus decerpant, congrua admensa & assignata portione Presbyteris, cæterisque Clericis, quos suo sibi loco subrogabunt ad sacra munia peragenda. *Et quamvis ab Episcopo suo stipendii causa per bonam obedientiam aliquid accipiant; ab Ecclesiis tamen, in quibus constituti sunt, vel à rebus earum extranei non maneant: sed Pontificali electione, Presbyteri, ipsius ordinatione. Presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat, & discretione prioris Presbyteri victum & vestitum rationabiliter illi ministretur, ut non egeat: aut si quæsierit, qui ordinatur, stipendium à suo Presbytero accipiat, quantum dignitas officii eum habere exposcat. Clericis verò, vel quos ad serviendum ei dederit, per discretionis modum, quæ necessaria sunt, ministret.* Cathedrales habemus hic ergo jam aliquando Canonicos, qui cùm distributiones Canonicis omnibus communes percipiant, prioris Parochiæ suæ regiminis Principatum retinent, instar eorum quos primitivos vocitamus Parochos; quin & proventus ejus sibi vendicant, decerpta tantùm portione congrua Vicarii, & aliorum ministrorum, quos sibi substituunt.

VIII. Non facilè nos hinc expediemus, nisi utcumque plura fateamur uni Beneficia fuisse indulta. Sed non pauca sunt observanda, quibus inexaturabilis avaritiæ suspicio hinc abstergeatur. 1. Ordinati fuerant hi Parochi sub titulo ejus Parochiæ, at titulus difficillimè alienari potest. Adde quod nec amoveri possent Parochi ad nutum Episcopi, sed canonico judicio. Cùm ergo hi Parochiis suis demigrare haud sanè caperent, nec iis inviti spoliari possent, utpote innoxii: penè cogebantur Episcopi, à quibus in cathedralem traducebantur Ecclesiam, illis permittere Parochiarum priorum honores proventusque. 2. Quo primùm tempore ascribebantur Clero civitatis, jam primitivi tantùm erant Parochi, quippe cùm alius illis succederet sive Parochus, sive Vicarius perpetuus. Ita nec duos obtinebant Titulos, aut duo prorsus Beneficia, nec duabus in Ecclesiis ministrabant. 3. Retinebant illi quidem fructus omnes prioris Ecclesiæ suæ, & perinde erat ac si Parochiam resignassent retentis fructibus, sepositaque tantùm ea portione, quæ Vicario Clericisque minoribus alendis satis esset. Verùm non injuria in mentem venit, id totum eò collimasse, ut Cathedrali parceretur Ecclesiæ, ubi novis Canonicis, non ea, aut non tanta redituum portio, quanta Canonicis aliis assignaretur. Etenim his verbis ejusdem Canonis satis apertè declaratur, non tanta, quanta anteriores Canonicos distributionum copia potitos esse hos novellos, ex Parochiis translatos, contemplatione scilicet eorum fructuum, quos priore ex Ecclesia sua præcerpebant: *Quamvis ab Episcopo suo stipendii causa per bonam obedientiam aliquid accipiant.* 4. Omnium antiquissimus ille fuerat Ecclesiarum usus, ut ad Episcopum conferrentur & coacervarentur omnes omnium Parochiarum ruris proventus, & cum Ecclesiæ Cathedralis fructibus permiscerentur, ut alibi prælibatum jam est, atque infrà suo sejunctim loco copiosissimè edisseremus. Etsi usus ille jam exoleverat, poterat hoc ejus superesse vestigium, ut in Cathedralem traducti agrestes Parochi, Parochiæ suæ retinerent reditus, qui tum primævam quodammodo in originem suam revocabantur. 5. Denique disertissimè hoc Canone significatur, quo Beneficiarii consensu esse debeant, quo fine cupiditates suas circumscribere, ubi præcipitur, seu Vicario, seu novo Parocho suppeditari; parcè & modestè quo alatur, quo tegatur, *Victus & vestitus rationabili er illi ministretur.*

IX. Attinguntur eodem Emeritensi Concilio Parochiæ tam tenues & macilentæ, ut uni Parocho plures commendarentur. Eo casu jubet Synodus, ut Dominico die quulibet Parochus singulis in Ecclesiis bis Missarum celebret solennia. *In Parochiis multæ sunt Ecclesiæ constitutæ, quæ à fidelibus factæ, aut paucum aut nihil de rebus videntur habere.* Can. 19.
Sacerdotali ergo decreta Presbytero uni plures extant commissæ. Non superfluæ cupido abundantiæ, sed Ecclesiarum paupertas plura hic in unum aliquem congerebat Beneficia, & quidem curæ animarum obnoxia. *Ecclesiæ quæ aut paucum aut nihil de rebus videntur habere.* In Concilio Toletano XII. edicitur, ut qui plures uno die Missas celebrant, in una earum qualibet, Agni cælestis carne & sanguine reficiantur. Ecqui enim dici poterit sacrificium, si ne Sacerdos quidem immolatæ Hostiæ particeps fiat? *Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sa-* Can. 5.
crificans particeps esse cognoscitur?

Postremò vetuit Concilium Toletanum XVI. ne posthac plures uni Parocho committerentur Ecclesiæ, si haberent tantum agrorum, quantum excolere possent decem mancipia; indulto, ut quæ tenuiores essent, ditioribus copularentur. Ita obviatum est malis ex pluralitate scatentibus. *Sed & hoc necessariò instituendum delegimus, ut plures Ecclesiæ uni nequaquam committantur Presbytero; quia solus per totas Ecclesias nec officium valet persolvere, nec populis sacerdotali jure occurrere, sed nec rebus earum necessariis curam impendere. Ea scilicet ratione, ut Ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem; quæ verò minus decem habuerit mancipia, aliis conjungatur Ecclesiis.* Evidentissimè hinc firmatur quàm provida, tam æqua & inconcussa lex, ex bonis Ecclesiæ, pauperum sustentationi scilicet dicatis, unamquamque sive portionem, sive Ecclesiam, sive Beneficium, cui satis est redituum, ut modestè & parcè vitam toleret Clericus, satis illi esse debere; nec duabus quemquam donari debere, nisi ubi altera impar & trunca est; & vel tunc quoque uniendas in perpetuum esse has Ecclesias; quòd certissimè constet, ea ratione ipsis provisum esse Ecclesiis & Beneficiis, non Beneficiariis.

X. Ex Hispania in Africam trajicientibus occurret nobis B. Fulgentius Ruspensis Episcopus, & geminæ simul Abbatiæ administrator: alterius è qua ad Episcopatum accitus fuerat: alterius verò, quam ipsemet juxta Cathedralem suam extruxerat; quarum tamen utrique proprius erat, sive Abbas, sive Præpositus. Voluit Fulgentius, ut illa duo Cœnobia eam inirent inter se rerum omnium societatem, ut ex ambobus unum quodammodo fieret. Usque adeo autem ex iis ad se nihil ille derivavit, ut onus in se susceperit & curam ea sustentandi. Usque adeo ex iis locupletari se noluit, ut eo tantùm consilio illa sibi adjunxerit, quo & ipse eandem Monasticam sectaretur paupertatem. *Tali charitatis lege præcipiens utraque Monasteria vi-* Vita ejus
vere, ut quasi non fuissent locis divisa, si essent unani- c. 19.
mitate conjuncta, &c. Beati verò Fulgentii Episcopi provisionibus communiter gubernati, &c. Denique non ad luxum, non ad delicias suas abutebatur Fulgentius paupertate Monachorum; eorumque administrabat Cœnobia: sed ut ipse Monachum cum Monachis ageret, pauperem cum pauperibus degeret

vitam. *In nullo loco visus est sine Monachis habitare.*

XI. Erant cæteri omnes passim Episcopi Abbatiarum superiores, non administratores; spirituali enim præerant curæ & regimini, non temporali: denique ipsi in Abbates, Abbates in Monachos excubabant. Ea lex est Codicis, ubi & illud adjicitur, ne unus duas Abbatias regat Abbas. *Monasteria degunt sub Episcopis territoriorum suorum: Et Abbatum quidem curam gerunt Episcopi, Monachorum verò Abbates. Non sit verò Abbas duorum Monasteriorum.* Jubent eædem Codicis Leges, ut suum habeat unaquæque Civitas Episcopum, prætterquam in Scythia, ubi Civitates omnes Episcopo Tomitano subsunt: excepta denique Leontopolitana Isauriæ civitate, quæ Isauropolitano paret Episcopo. Procul omnino sunt duo hæc exempla ab illa detestabili polygamia, qua unus Episcopus pluribus simul præest Ecclesiis Episcopalibus. Unum illud hinc constat duos hos fuisse Episcopos, quorum in ditione essent plures Civitates, quarum una tamen duntaxat Episcopali fuerit decorata sede. Meminit Liberatus Episcopi Joannis, qui unà Abbas erat Monasterii Diolchou.

Cod. De Epis. & Cler. Leg. 39. Ibidem. Leg. 35. Cap. 6. 18.

XII. Audiendus jam nobis hic est Gregorius Magnus, qui doceat nos primum, ut possint cogente Ecclesiæ necessitate uni Episcopo duæ Episcopalea adjici Ecclesiæ, si nempè priùs uniantur, & unius Ecclesiæ utilitate ob oculos posita uniantur, & levatione pauperum. Ita Minturnensi civitate diruta prorsus & æquata solo, & flagitante viciniore Episcopo, ut is Episcopatus suo accresceret: assensus est Gregorius, non Episcopo commodare, sed Ecclesiæ consultum volens. *Consulentes tam desolationi loci illius, quàm Ecclesiæ paupertati, &c. Quatenus quod perire nunc usque potuit, pauperum Ecclesiæ tuæ utilitatibus plerisque proficiat.* Conglutinavit & Misenatem, Cumanumque Episcopatus in unum, iisdem adductus rationibus, vicinitatis, paupertatis, & vastitatis earum urbium. *Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum invitat, ut Cumanam atque Misenatem unire debeamus Ecclesias; quoniam ea non longo itineris spatio à se sejuncta sunt, nec peccatis facientibus, tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant Sacerdotes.* Alibi verò contestatur non eas unquam à se perpetuas sanciri Ecclesiarum uniones, nisi ubi jam omnis abrupta spes est earum, quæ dissipatæ sunt, restituendarum. *Postquam hostilis impietas ita diversarum civitatum desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla deficiente populo remanserit.* Denique solo se populorum salutis studio incitari ad eas uniones: *Ne reliquia plebis nullo Pastoris moderamine gubernata pro invia rapiantur, &c.*

L. 2. Ep. 31. L. 2. Ep. 25. L. 2. Ind. 11. Epist. 20. L. 5. Ep. 9.

XIII. Nec Episcopatus tantum uniebantur, sed & Abbatiæ. Neapolitano Monasterio consociavit Gregorius Cœnobium aliud, cujus Monachi ejus societatis & unionis erant cupidissimi. Sed cùm vidua tum esset Neapolitana Ecclesia, ad tempus tantum eam unionem tentavit, ut cum futuro Episcopo Neapolitano in commune consuleret, an conducibilis foret unio perpetua. *Cum Neapoli fuerit Episcopus ordinatus, utrum in perpetuum hæc unitio extendi, an temporalis esse debeat, maturiùs ac solidiùs cum Dei gratia pertractabimus.* At cum Monasterium Puteolanum ita dilapsis Monachis jaceret, ut jam divina ibi prorsus conticuissent Officia, illud Abbatiæ Neapolitanæ Gregorius adglutinavit, jusso Abbate, ut utrique Cœnobio idoneus sufficeretur Monachorum numerus ad sacram psalmodiam celebrandam: utque bona eorum dilapidata, ejectis qui ea invaserant, restituerentur. *Quidquid verò ad eadem Monasteria pertinere cognoscis, si ab aliquibus irrationabiliter detinentur, ex hac nostra auctoritate repetendi, exigendique, atque tua Monasteria vendicandi habetis per omnia licentiam. Quia dignum est, quorum curam geris, rebus nullo modo defrauderis.*

L. 8. Ep. 39.

XIV. At verò rursum alibi ex eodem Pontifice aperitur aliquanto etiam manifestius, quam totæ spectarent istæ uniones ad Ecclesiæ commoda promovenda, non ad Abbatum incrementa potestatis, vel opum: cùm his ex adverso curarum tantùm, sollicitudinumque nova fieret & laborum accessio. Monasterio enim Agapeti Abbatis adgregatum ab eo est Cœnobium aliud Campaniæ, ubi hostico furore dispersi adeo & dispalati erant Monachi, ut nec unus superesset, qui ejus curam ageret. Jussus est Abbas aliquos ex suis Monachis eò ablegare, operam date, ut divina celebrarentur officia; denique, ut res Monasterii ab iis qui eas involaverant, vendicarentur. *Tuo illud Monasterio cum omnibus rebus suis, vel quæ ei competunt actiones, utile perspeximus uniendum, ut res ejus detinendi, vel à detinentibus vendicandi libera tibi sit licentia. In quo etiam studii tui sit Monachos deputare, qui illic opus Dei celebrare debeant.* L. 9. Ep. 67.

Erat specialis ratio, quæ urbanis Monasteriis suaderet adjungi, unitque agrestia, plerumque scilicet desolata. Qui enim eò mittebantur Monachi ad eorum restaurationem, in Urbana se rursum Cœnobia recipiebant, sicundè bellicus turbo ingrueret. *Quatenus dum ab hoste licuerit deputati à vobis illic Monachi debeant jugiter in Dei laudibus permanere: perturbationis verò tempore intra urbem, in cellam quippe propriam revocari.* L. 11. Ep. 4. Ibidem.

XV. Prima ergo ea obviam se dedit ratio duas simul obtinendi, vel Abbatiales Ecclesias, vel Episcopales, alienissimo à terrenis cupiditatibus animo, & unius Ecclesiæ commodis inserviente. Altera hic jam promicat, non minus à terrenis expedita affectibus, adeoque pari in laude & cum Canonicis regulis consensione. Ubi videlicet unius Episcopo Civitatis alterius Civitatis Ecclesia Episcopalis commendabatur. Tarracinensi Episcopo obeunte electus est in ejus locum Agnellus Fundanus Episcopus. Ei postulationi assensus est Gregorius, qui & Agnello Tarracinensis Ecclesiæ sarcinam injecit, nec Fundanæ vinculo illum absolvit, ut cujus & Ecclesia & Civitas eversa esset. *Quia igitur ob cladem hostilitatis nec in Civitate, nec in Ecclesia tua est cuiquam habitandi licentia, &c. Sic te Tarracinensis Ecclesiæ Cardinalem constituimus Sacerdotem, ut & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, nec curam gubernationemque ejus prætereas.* L. 2. Ep. 52.

XVI. Nec illud tamen dissimulabimus, post annum Christi septingentesimum, paulò licentius Clericos plura sibi singulos acervasse Beneficia. Hugo Drogonis filius, nepos autem Pipini Senioris, Majoris Regii Palatii, ex Monacho Gemmeticensi, factus est Archiepiscopus Rotomagensis, & anno uno decurso electus est Abbas Gemmeticensis anno 723. Postquam verò rerum potitus est Carolus Martellus, qui ei cognatione conjunctissimus erat Hugo hic ipse, Fontanellensem Abbatiam, Parisiensem & Bajocensem Episcopatum gerere cœpit, tot Ecclesiarum pondere non gravatus. Ita perhibet Chronicon Gemmeticense; ubi *Procurator* nominatur *Urbis Parisiacæ*; quasi diceretur Lutetiæ Episcopus Commendatarius. Miris laudibus extollitur

in eo Chronico Hugonis hujus pietas, curaque tuendi & locupletandi eas omnes Ecclesias. Nec ibi negatur Canones ei polygamiæ infensos esse, sed eos fuisse Caroli Martelli mores. *Factione Caroli Principis patrui sui extra Decreta tamen Canonum.*

Superstite adhuc beato Rigoberto Remensi Archiepiscopo, Milo Trevirensis Archiepiscopus Remensem invasit Ecclesiam, duasque diu istas Metropolitanas sedes unus in potestate habuit. Tyrannica profecto ea erat invasio. Diximus beatum Medardum non duos tenuisse simul Episcopatus, Noviodunensem & Tornacensem, sed unum ex duobus conflatum, nec nisi in commodum Ecclesiæ ita provisum fuisse. Ex adverso autem Theodorus Cantuariensis Episcopus simultates nescio quas cum Vilfrido Eboracensi Episcopo exercens, in Episcopatus Eboracensis ditione, quam nimis diffusam causabatur, tres novos excitavit Episcopatus. Ad Agathonem Papam provocavit Uilfridus; à quo
M. Inesftur. 1 ae Pen. of Anglis. res in pristinum statum revocatæ sunt. Ita tum Metropolitani inconsulta sede Apostolica Episcopatus aut dividebant, aut uniebant. At ubi ea potestate abuti cœpere, tum data iis ansa est, qui per provocationes causas hujusmodi jam majores Romam traduxere.

CAPUT III. *P. 3. l. 2. c. 41.*

De pluralitate Beneficiorum, ac primò Episcopatuum & Abbatiarum, temporibus Caroli Magni & Imperii Carolini.

I. Ut ex translationibus orta sit Commenda, orta pluralitas Beneficiorum.
II. Damnat[illegible] Actardo pluralitas Episcopatuum. Ut bacchatus in eum sit Hincmarus.
III. Et in alios Episcopos ejus polygamia fautores.
IV. Non improbabat Hincmarus Episcopi indigentiam collatis Cœnobiis levari.
V. Quo tamen si qui præter statas leges impetrarent, in eos id in detonuit.
VI. Nec tamen uniebantur Abbatia, etsi duo Episcopatus Actardi uniti fuissent.
VII. Exempla portentosa Beneficiorum pluralitatis, quæ illam causa utcunque excusare possent.
VIII. Ut invoxi quandoque plures Abbatias sibi habere prævenerint, qui ex iis curas tantum & sollicitudines demetebant.
IX. Indubitabilis quandoque suadebat necessitas, ut ad salutem Ecclesiæ unus idem plures gereret Episcopatus.
X. Ut sanctissimi Episcopi quandoque Abbatias impetraverint, eo fine & fructu, ut abscissis corruptelis morum sanctiorem iis inducerent Disciplinam.
XI. Aut ut illas de laicorum manibus extorquerent.
XII. De eodem. Exempla contraria.

I. Beneficiorum pluralitati, & Commendis ansam persæpè præbuere translationes. Græcis & Latinis ex æquo familiare fuit, translationes facere, quæ novas Episcopis conferrent Ecclesias, vetustas non auferrent. Idem Episcopus duas quandoque administrabat Ecclesias, hanc Titulo, illam Commendatione; nonnunquam & ambas Titulo.

II. Turonensem Metropolim consecutus Actardus, Nannetensis Ecclesiæ suæ prioris curam & possessionem non abjecit. Eam illi protinus Hincmarus cupiditatis effrænem insolentiam objecit, & probro vertit, ut Calchedonensis maximè Concilii regulis proscriptam, quibus prohibentur Clerici
Hincmar. Tom. 2. pag. 749. in duabus simul Ecclesiis conscribi. *Quod autem Actardus apposuit, ut utrasque sedes, Turonensem scilicet & Nannetensem simul teneret, contra Calcedonense Concilium egisse videtur, quo decretum est, non licere Clericum in duarum simul civitatum conscribi Ecclesiis.*

Qui pluralitatis Patronos se profitebantur, ii Calchedonensis vim hujus Canonis enervare studebant, objecto Gregorii Magni exemplo, qui duas quandoque Episcopales Ecclesias unum in Episcopum conferebat. At reponebat Hincmarus, nusquam fas esse Christiano duas simul uxores ducere, & ne alteram quidem uxorem, alteram concubinam; Gregorium verò nunquam eam explicuisse dispensandi potestatem, nisi ut Ecclesiarum obsequeretur necessitati, cùm penuria laborabatur Pastorum, cùm viciniæ essent Ecclesiæ duæ, Populo & Clero, & rebus destituerentur, diutinis nimirum Longobardorum bellis accisæ, exhaustæque. *Quasi ex verbis à Gregorii satagant se munire, ut duas simul sedes tenere valeant, cùm nulli Christiano sit licitum, vel duas uxores simul, vel uxorem & concubinam insimul habere, &c. Gregorius dicit, non de longius civitatulis à se invicem disparatis, sed de conlimitaneis, & de tam Clero, quam plebis immunitione destitutis, & rebus ac facultatibus desolatis. Et temporis, inquit, necessitas nos perurget, & imminutio personarum exigit, ut destitutis Ecclesiis salubri & provida debeamus dispositione succurrere.* L. 2. Ep. 8.

Pluralitati Ecclesiarum quas regebat, prætexebat Actardus earum paupertatem, per quam non liceret in earum ulla sola decenter vitam tolerare. *Sed ipse non habet sufficientiam rerum ac facultatum, quibus in ea possit honorabiliter subsistere.* Excipit Hincmarus hinc non extenuari culpam, sed ingravescere, quippe cum jam palam sit Ecclesiæ Episcopum adjunctam nari, non procurandæ animarum salutis charitate, sed cupiditate temporalium commodorum. *Unde se conatur excusare, inde magis accusare, & cupiditatis atque ambitionis cauterio inurere, qui plus possessiones terrenas, quam animarum lucra videtur adquirere.*

III. Sugillabat Hincmarus illos sui ævi Præsules, qui novam obtrudebant jurisprudentiam, carnalium affectuum contagio imbutam, & spiritalium adulteriorum suffragatricem, idque Episcopis largientem, ut publicis calamitatibus depauperata priore uxore, aliam ducant: quod æque flagitiosum est, acsi laïci permittantur conjugibus suis morbo aliquo afflictatis, alias sibi conjungere. *Nos autem moderni & Gallicani Episcopi, novos Canones facere conamur, ut liceat nobis, quod gravius est, quam carnali commercio, spiritali adulterio, aut duas uxores, id est, duas sedes simul habere, aut uxorem simul & concubinam tenere, vel vivente licet infirma uxore, id est, Ecclesia nostra, persecutione qualibet rebus ac possessionibus imminuta, ad alterius copulam transmigrare.* Hæc verò consequentia à carnali ad spiritale conjugium ubi rapiuntur, vestigiis hæretur Concilii Calchedonensis, ut author est idem Hincmarus, ubi extincto Præsule vidua dicitur Ecclesia: *Nisi enim viri & uxoris legalis conjunctio, ad Episcopi & Ecclesiæ sibi conjunctæ mysterium pertineret, Calchedonense Concilium defuncto suo Episcopo viduatam Ecclesiam non vocaret.*

IV. Postremò denique impatientius fert Hincmarus ab Actardo Turonensi jam Archiepiscopo unà retineri Ecclesiam Nannetensem, quantumvis ea desolata jactaretur. Mavult enim ut Ecclesiæ suæ inopiæ medeatur Abbatiarum, aliarumque Regis largitatum redditibus: *Præsertim cum alias possessiones & Abbatias largitione domni Regis habeat, unde sumptus habere valet, quibus ad Deo serviendum & ministerium suum exequendum in plebe sibi commissa sufficere* ibidem pag. 760.

pessit. Ea non displicebat Hincmaro pluralitas Beneficiorum.

V. Sed uno inter hæc tantùm dirutarum, vel ad inopiam deductarum Ecclesiarum infortunia, Episcopis Abbatiæ à Regibus conferebantur. Justissimæ erant Hincmari querelæ iræque, sui ævi succensentis Præsulibus, qui nova sibi jura commentabantur, carnali prudentiæ accommodata, cùm penè singuli plures Ecclesias pascendas, aut depascendas haberent. Probro vertit Hincmarus idem nepoti suo Hincmaro Laudunensi, quòd Palatinum impetrasset officium, & Abbatiam in alia Provincia, idque injussu suo, & inconsultis Provinciæ Episcopis, tum suæ Remensis, tum alterius illius: quod citra licentiam suam Provincia exisset, ut Abbatiam suam illam inviseret: quod denique usque adeo Regem exasperasset, ut ab eo & officio Palatino spoliaretur

Ibidem. Pag. 398. 390. 391. 392. 393. & Abbatia. *Sine mea, vel Coëpiscoporum nostrorum conscientia administrationem in Palatio domni Regis obtinueris, &c. Per sæculares potestates eandem administrationem cum Abbatia in tertia Provincia ultra Remensem Provinciam sine mea conscientia obtinuisti, &c. Ad quam Abbatiam sine mea licentia, quoties tibi placuit, perrexisti, &c. Contra domnum Regem in tantum te sine ratione contumaciter erexisti; ut & administrationem Palatinam & ipsam Abbatiam tibi auferret.* Iniquissimo ferebat animo Hincmarus Laudunensis has Metropolitani sui objurgationes; sed non poterat non everti, & causa cadere, cùm armis invictissimis prosterneretur Concilii Antiocheni, & Sardicensis, quo summoventur Episcopi à Palatio Principum, parere jubentur Metropolitano, nec quidquam adgredi ejus injussu, & Episcopi ejus loci, in quem concessere.

Ibidem. Pag. 304. VI. Fuere & Ebboni Abbatiæ duæ, ex eodem Hincmaro, sed tum demum, cùm Remensi Ecclesia abdicatus fuit. Denique illum iis donaverat Lotharius Imperator, ut nexu & mancipio suum, iisdem denique eum spoliavit, quòd Legationem Constantinopolitanam obire detrectasset. Tum verò à Ludovico Germaniæ Rege donatus est Episcopatu Hildesheimensi.

Ut duas Ebbo Abbatias, ut Episcopatum & Abbatiam Hincmarus Laudunensis obtineret: minimè necesse fuerat, eas inter se uniri Ecclesias: quanquam necessariò univisset Adrianus II. Episcopatum Namnetensem cum Ecclesia Turonensi, quo posset utramque simul Ecclesiam Actardus administrare. Certissimè enim eas Ecclesias univit & conglutinavit Pontifex ea cautione, ut si quando Namnetensis in integrum restitueretur, proprium & ipsa rursus haberet Episcopum. *Quod si Nannetica contigerit Ecclesia ad priorem Christo auxiliante statum redire, nihil efficiat ei hac necessitatis unio, quam videlicet exigit Paganorum vastatio, quo minus proprium valeat habere Pontificem.* Unum ergo in titulum coaluerant tunc duæ illæ Episcopales Ecclesiæ: cùm Abbatiæ, de quibus suprà, nequaquam uniendæ fuissent, quòd non titulo ab iis Episcopis, sed in Commendam obtinerentur.

VII. Illud mordicus retinebat Carolus Magnus, ut Episcopos nec Abbatiis, nec aliis donaret Beneficiis, nisi maxima gravissimaque urgerent rerum momenta. *Nulli Episcoporum Abbatiam, vel Ecclesias ad jus Regium pertinentes, nisi ex certissimis causis unquam permisit.* Causæ illum impulerunt gravissimæ, ut pluribus oneraret Beneficiis germanum

Du Chesne To. 2. pag. 112. 405. Imperatricis Hildegardis. *Ex certis autem causis quibusdam plurima tribuit, utpote Udalrico, fratri magna Hildigarda genitricis Regum & Imperatorum.* Ea is concedente Imperatrice, ea illi abstulit; sed & restituit postea, miseratione affectus. Ita Monachus Sangallensis. Carolomannus Caroli Calvi filius, afflante patris gratia, congerit & ipse quandam sibi Beneficiorum acervavit, quam & postea ubi ejus offensionem incurrit, dissipari doluit.

Plurimorum Monasteriorum Abbas reputatus, quia insidias erga patrem suum infideliter molitetur, Abba- Aimoin. L. 5. c. 24.
tiis privatus, Sylvanectis est custodia mancipatus. Hatto Moguntinus Archiepiscopus gratia florentissimus apud Carolum Crassum Imperatorem, duodecim ab eo Abbatias impetravit. *Hatto Moguntinus Ar-* Du Chesne To. 3. pag. 485. 383.
chiepiscopus, quem Cor Regis nominabant, cùm & ipse, ut aiunt, duodecim Abbatiis præfuerit, &c.

Non satis comperi, quin vehementer diffido, eam Beneficiorum pluralitatem excusari posse illa eadem ratione, qua munitur certissimè potest Alcuinus, à Carolo Magno donatus Abbatiis duabus, sancti Martini Turonensis, & sancti Lupi Trecensis. Nec Alcuino accipienti, nec Carolo Magno largienti, Abbatiæ illæ videbantur fore insanæ pabula cupiditatis, sed charitatis incitamenta, ut Monasteriis iis Monachisque disciplinæ regularis vigorem restitueret. Eidem & Cellam Jodoci Carolus contulit Alcuino, quo esset, unde sumptus suppeterent hospitalitati. *Cellam sancti Judoci, quam magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat, &c.* Hæc Lupus Epist. 11. 14.
Ferrariensis, cui postea eandem Ludovicus Pius Cellam Judoci contulit, ut statas ibi fieri curaret erogationes in pauperes, reliquos fructus in alimenta seponeret Ferrariensium Monachorum suorum. *Beata Memoria pater vester nobis eandem concessit, ut quod eleemosyna superesset, in nostrum cederet usum.* Sic Lupus in datis ad Carolum Calvum Epist. 32. 43. 44.
litteris. Idem & Ferrariensem se, & Cellæ Judoci Abbatem Lupus in Epistolis suis scribebat. Certè cùm postea alium donasset quempiam eadem Cella Judoci Carolus Calvus, confestim contestatus est Lupus fidentissimè, jam non esse se ferendo oneri impensarum necessariarum Abbatiæ Ferrariensis, non modò ad militiam Regi pro more suppeditandam, sed & ad alendos Monachos. Ejusmodi autem fuit ea inopia, ut Lupus Carolum Calvum per litteras interpellarit, opportunè, importunéque institerit, in aurésque ejus hoc demum effuderit, Monachos Ferrarienses à Majoribus suis accepisse, cœlesti mox obrui vindicta, quicumque detrimenti aliquid rebus suis temporalibus adferrent. *At ne* Epist. 53. Epist. 61.
putetis eos jocari, serio confirmant senes nostri experimento se proprio comperisse, idque sibi pueris à senibus esse traditum, quod quicumque Monasterio nostro insigne aliquod intulerit damnum, nisi cito resipuerit, magnum incurrerit incommodum, aut sanitatis & vitæ pertulerit dispendium. Non certò satis constat, an his cœlestis iræ comminationibus perterritus fuerit Carolus, at non multò pòst gratulati sibi sunt Ferrarienses Monachi de *recepta Cella Judoci.*

Præsto est hic ergo religiosissimus Abbas Lupus, duabus Abbatiis donatus; nisi malis duas Abbatias perpetua deinceps unione devinctas, & uni creditas Abbati Ferrariensi; citra invidiam, citra vel levissimam avaritiæ suspicionem. His enim Lupi litteris omnibus perspicuum fit, gravissima conflictari cœpisse inopia Monachos Ferrarienses, cùm primùm Cella Judoci exuti fuere. Est autem illud quoque obiter observandum, Cœnobiis adhuc tunc omnibus res omnes temporales in commune habitas fuisse,

fuisse, nulla adhuc inter Abbates & Monachos partitione facta. Itaque qui plures tum Abbatias circumgestabat unus, nihil sibi propriè arrogare poterat, præter sollicitudines & angustias curarum in plura Monasteria porrigendarum. Eo sensu pluralitas Abbatiarum uni incumbentium, non aliud ferè erat, quam uberior charitatis, & largitionum, & religiosarum omnium virtutum materies.

Quæ de Alcuino verò perstrinximus, ea paulò copiosiùs nunc nobis edisserenda & illustranda sunt. Monasticæ Professioni illigatus non videtur unquam fuisse Alcuinus, tametsi Abbatias quinque suæ curæ concreditas habuerit. Nimirum sancti Martini in Civitate Turonensi, Cormericensem in Diœcesi, sancti Lupi apud Tricasses; Ferrariensem in Diœcesi Senonensi, denique sancti Judoci in Ambianensi Episcopatu. Eo mortuo in ejus discipulos ea omnia Beneficia dispensata sunt. Erat ergo ea pluralitas Beneficiorum, & quidem Commendatorum. At 1. vel ipsum Alcuini nomen, & eximiæ sanctitatis fama, & virtutum suavissimus odor, quo & illa, & postea omnis afflata est ætas, jam præjudicium vehit, ne damnetur, quod ab eo probatum, quod ab eo factitatum est. 2. Nec aliter de Carolo Magno sentiendum, qui cùm non immerito restaurator audiat sanctioris Ecclesiasticæ Disciplinæ, non facilè credendus est in his à seipso descivisse, aut in oculis aliud & in votis, quàm Ecclesiæ utilitatem habuisse. 3. Anno 796. consilium cepit Alcuinus in Fuldensem Abbatiam concedendi, & ibi Monasticam vitam profitendi, ut his se Beneficiorum impedimentis extricaret. Vetuit Carolus Magnus. Nempè persuasum illi erat, conducibilius Ecclesiæ esse, ut inter Clericos vitam traducere pergeret Alcuinus. Ea videlicet ratione, qua summi & sanctissimi viri, Augustinus & Bernardus, nonnullos sæculari gloria & nobilitate spectatissimos abduxerunt à proposito amplectendæ Monasticæ vitæ, ne necessaria tum sibi eorum opera Ecclesia fraudaretur. 4. Cormeriacum & Cella Judoci verè Cellæ erant ab origine, & obedientiæ; illa S. Martini, hæc Ferrariensis Abbatiæ. Ita ex quinque Abbatiis jam tres tantum supersunt. 5. Non tam possessor, quam Administrator erat Alcuinus horum quinque Cœnobiorum: non aliter quam Benedictus Anianæ Abbas, cùm bene multa Cœnobia ad strictiorem Regulæ observantiam perduxisset, eorum Abbas Generalis & Administrator fuit. Fuere enim Alcuinus & Benedictus hic artissima devincti necessitudine. Illis Imperatores plurimum acredidere, ac subjecere Cœnobia, ut ab illis ea ad S. Benedicti Regulam conformarentur. Ita ergo jam non est ea vel Beneficiorum coacervatio, vel Commendarum licentia, quæ vitio verti possit. Plurimum sibi licere voluit Carolus Magnus in conferendis Prælaturis, quia non aliter medicari se posse speravit gravissimis morbis, quibus tum Respublica, tum Ecclesia laborabat. Nec infeliciter res illi cessit. Abbatiam sancti Martini Turonensis jam tunc non Monachi, sed Canonici incolebant. Non ea ergo erat Commenda. Fridegisus qui Magistro suo Alcuino successit, à Ludovico Pio evicit, ut suum sibi deinceps Abbatem eligerent Monachi Cormeriacenses. Vel hinc intelligas, quo animo, & quam alieno à terrenis affectibus essent Abbates hi Commendatarii.

Le Cointe. ad annum 804. n. 62.

Ibidem. n. 68. 73.

VIII. Quibus plures erant Abbatiæ, & qui eas regebant, ut Capita Religiosæ Congregationis, nihil sibi propriè vendicantes, aut possidentes; ex communibus reditibus necessaria tantum vitæ subsidia delibantes; à lusu, à superflua abundantia alienissimi: cæteris Monachis sola præeuntes sollicitudine totius Cœnobii & vigilantia; his omnibus invidiam facere ex Beneficiorum pluralitate non magis quisquam potest, quàm Præpositis nunc Generalibus, sive Monasticarum, sive Clericalium Congregationum. Et illi enim, peræquè ut hi, & paupertatis, & totius Monasticæ observantiæ erant studiosissimi. Ejusmodi erant Alcuinus & Lupus Ferrariensis, de quibus diximus.

Ejusmodi erat & Hilduinus Archicapellanus Ludovici Pii, à quo subirato duabus Abbatiis exutus est, quibus illum mox interpellante discipulo Hincmaro restituit Pius. *Cum offensam Augusti adeo cum aliis regni primoribus incurrisset, ut ablatis sibi Abbatiis in Saxoniam fuerit relegatus, &c. Donec ab exilio revocatus, duarum fuerit Abbatiarum Prælationi restitutus.* Ejusmodi esse debuerat Abbas Gauslinus, quem ingrati animi infamia inorit Hincmarus in Ecclesiam Remensem, quæ Diaconatu illum auxerat; & Abbatiis compluribus, à Rege ei impetratis. *Ad gradus Ecclesiasticos usque ad Diaconatum provexerit, plurimorum Monasteriorum per concessionem Regum Abbatem constituerit.* Ejusmodi erat & Fulradus Abbas sancti Dionysii, Archipresbyter & Archicapellanus Pipini Regis, multorum parens & Abbas Cœnobiorum, quæ ipse exædificaverat, ut liquet ex Epistola à Stephano II. Papa ad eum scripta. *Archipresbytero & Abbati venerabilium Monasteriorum, ab eodem auspice fundatorum.* Ejusmodi fuit beatus Berno primus Abbas Cluniacensis, qui plures Abbatias suas paulò ante obitum resignavit, illas inter Guidonem & Odonem partitus, quos sibi elegerat successores.

Flodoard. L. 3. c. 1.

Ibid. c. 24.

Bibl. Clun. p. 9. 10. Conc. Gal. Tom. 2. pag. 32.

IX. Mirum magis est, quanquam peræquè certum, Episcopos quosdam plures simul gessisse & adgubernasse Episcopatus, indeclinabili quadam necessitate, & cùm ea incidissent tempora, per quæ non aliter possent Ecclesiæ illæ ad Canonicas leges & ad morum sanctimoniam refingi. Ita beatus Osuvaldus Vorcestrensis in Anglia Episcopus, clavum arripuit Eboracensis Ecclesiæ, nec tamen à prioris Episcopatus sui gubernaculis recessit. A piissimo Edgaro Rege, & à beato Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo compulsus est pari charitate utramque complecti Ecclesiam, ne si à Vorcestrensi sejungeretur, illa omnis dilaberetur pietas, quam ei Monachis in Canonicorum locum substitutis ipse invexerat. *Ne verò Monachi quos instituerat, immodica tentatione pulsarentur, si pastorali cura destituti, non haberent quo niterentur, authoritate sancti Dunstani Episcopatum Vigorniensem unà cum Eboracensi sollicitè gubernavit.*

Surius die 15 Octob.

Dunstanus ipse Vorcestrensis primum Episcopus, pòst ad Londinensem accersitus, aliquandiu utramque admoderatus est Ecclesiam, urgentissima necessitate, defæcatissima charitate. *Utraque igitur Ecclesia, Vigorniensis videlicet & Londoniensis eo Præsule gloriabatur, quandoquidem ipse summa necessitate compulsus, utriusque Pontifex per nonnullum temporis spatium erat, utrique sollicitudinis suæ curam impendens; utramque intus & extra sua defensione contra omnes æmulos muniens, in utraque officium Pontificale opportuno tempore sedulus exequens.* Ea erat dispensandi causa, *summa necessitate.* Ea erat dispensationis brevitas, dum necessitas urgeret; *per nonnullum temporis spatium.* Ea fuit authoritas, qua beatus Osuvaldus utrique simul præfuit Episcopatui, *authoritate Dunstani.* Ad id tum ergo una erat satis

Surius die 19. Maii.

Archiepiscopi authoritas Cantuariensis.

X. Nec à vero dissidet eodem tempore Episcopos quosdam sanctitatis gloria conspicuos, Abbates pariter fuisse, regimine Cœnobiorum in se suscepto, nulla temporali illecebra, sola restituendæ Disciplinæ cupidine, aut rei temporalis tuendæ, quod illud demum sit Christi & pauperum patrimonium. Talis indubitatissimè fuit B. Udalricus Augustanus Episcopus, qui ab Imperatore obtinuit Abbatiam nepotis sui Adalberonis, præpropera morte extincti: non ut ejus ipse opibus ditesceret, sed ut ne ea largitate & munificentia Imperatorum in posterum fraudaretur. Id enimvero consecutus, mox Abbatiam Monacho resignavit, quem sibi sublegi curavit, & nihil in præteritis reliquit, ut ea resignatio à se facta Abbatiæ Commendatæ in Abbatem Regularem ab Imperatore confirmaretur. *Religiosus Antistes Abbatiam postulavit sibi donari, non causa avaritiæ, sed ea intentione, ut Cœnobitis ibidem Deo servientibus, deliberationem, quam ille eis antea conscriptam & sigillatam ab eodem Imperatore donari impetravit, restituere potuisset. Fratres Rudungum in Abbatem elegerunt, &c. Episcopus assumpto baculo commendavit illi Abbatiam usque in præsentiam Imperatoris, &c.* Surius die 4 Julii. c. 24.

Non necesse habuit eo circuitu uti B. Volfgangus Ratisponensis Episcopus, ut celeberrimam sancti Emmerami Abbatiam antiquæ redderet Regularitati. Cùm illud Cœnobium ab Imperatoribus & Regibus prisci Ratisponenses Episcopi impetrassent, intercesserant, ne Abbates eligerentur, & violenta usurpatione, ejus sibi & titulum usurpaverant, & proventus. Nec multò pòst cùm Monachis necessaria quæque vitæ adminicula subducerentur, tota pessumdata est regularitas. *Episcopi ab Imperatoribus, vel Regibus Monasterium illud impetrantes, in suam ditionem redegerant, rebusque ejus & facultatibus pro suo arbitratu usi erant. Illo igitur defuncto Abbate quem invenerant; nullum deinceps curarunt substituere, &c.* Surius die 31. Oct. Quantumvis obtunderetur Volfgangus, ut ne tam pingui Cœnobio spoliaret Ecclesiam suam, & ne successoribus suis tam amplos subtraheret proventus; ipse confestim Abbatem eligi fecit, se professus imparem duplici ferendæ sarcinæ; Gregorio se subscribere lubentissimum, asserenti, monstri simillimum esse, si quovis in corpore ab uno membro duorum munia & partes obeantur; adeo verò non posse unum omnes numeros implere Episcopi & Abbatis, ut utrique sejunctim plures essent asciscendi cooperatores, à quibus parte oneris sui aliqua levarentur. *Vos scire debetis, Volfangum nunquam in humeros suos accepturum sarcinam, quam ferre non possit, nempè ut Episcopus pariter & Abbas dici velit. Sicut enim teste beato Gregorio, indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio: ita noxium & turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa, &c.*

XI. Sed præter hæc pia & laudatissima consilia redintegrandæ Religiosæ observantiæ, aut tuendæ rei Cœnobiorum temporalis, augendæque, extinctisque Commendis restituendorum Abbatum Regularium: fuit ævo Caroli Magni causa peculiaris, quæ Episcopos, nulla terrena cupiditate implicatos impulit, ut Abbatias susciperent, vel ut etiam flagitarent. Quod nimirum à temporibus Caroli Martelli permaximam Cœnobiorum partem Reges ipsi usurpassent, suoque ea arbitratu, vel retinerent ipsi, vel darent, adimerentque, non Monachis tantùm, & Clericis, sed & laicis. Quo, oro te, quid perversius? quid calamitosius? Si ergo tum purissimo quis Episcopus zelo incitatus, unam, aut plures indueret Abbatias, ne eas Principi eblandirentur laïci, vel Clerici Aulæ Aulicorumque vitiorum mancipes, & in eas secum simul quandam flagitiorum colluviem invcherent: ecquis ei subrius obtrectare ausus esset? ecquis meritas invidere laudes?

Talis probabiliter fuit Hugo ille, de quo suprà jam diximus, Martelli & Pipini prosapia clarissimus, plures Episcopatus, plures Abbatias circumgestans. Certè *extra Decreta Canonum*, ut habet Chronicum Fontanellense. Spicil. to. 3. pag. 206. Sed quantò detestabilius erat, tot eo tempore Episcopatus fuisse, totque Abbatias Pastoribus vacantes, & quidem perdiu & prædæ objectas laicorum, militum, exercituum? Anno 723. Adjicitur porro ab eodem Scriptore, eundem Rotomagensem Archiepiscopum dono accepisse à Regibus ingentia prædia alia; non quo illis ipse frueretur, sed ut ea Ecclesiis restitueret, tam impiè & sacrilegè, quam impunè tunc expilatis. *Prædia verò regia quæ ejus insederunt animo. Non enim causa perversæ cupiditatis, aut aliquo sæculari fastu, à Patruo suo Carolo Principe, seu à Regibus Francorum ea impetrabat: sed ut statim Ecclesiis Christi ea contraderet.* Affirmat denique idem Scriptor ex Chartulariis Ecclesiarum Rotomagensis, Parisiensis, Bajocensis, Gemmeticensis, Fontanellensis testatum fieri, Hugoni isti cordi, curæque fuisse, ut quam diligentissimè hæ omnes Ecclesiæ repararentur, defenderentur, novo opum spiritalium, temporaliumque cumulo augerentur. *Illic invenient quantam sollicitudinem ac pervigilem curam de constructione, propagatione, administratione, ac exaltatione Ecclesiarum habuerit.*

XII. Nec omnium tamen forsan Antistitum tam pia erant & in suscipiendis Regum largitate Abbatiis, & in iis administrandis consilia; nec tanta terrenorum affectuum abdicatio. Post aliquot annos Rainfredus Archiepiscopus Rotomagensis eandem Fontanellensem Abbatiam à Carolo Martello impetravit. Cùm verò reditus ejus ipse abliguriret omnes, Monachi stipendiis necessariis fraudati, apud eundem Carolum conquesti sunt, à quo Rainfredus Abbatia exutus, Rotomagensi Ecclesia sola sustentari jussus est. An. 739. Ibidem. pag. 217. 233 239. Hinc compertum est, calamitosissimis illis temporibus non aliter Abbatias à Regibus habitas esse, quam ut Feuda aliqua regni; ut *jure precarii & beneficii*, eas quibus vellent conferrent, ut loquitur ejusdem Chronici author.

Luculentè hæc confirmantur ex Chronico Abbatiæ Senonensis, ubi narratur Angilramus Episcopus Metensis ab Imperatore impetrasse eam Abbatiam, quæ Imperialis hactenus fuerat, fuit autem exinde Episcopalis, propterea quod aliquandiu Angilramus & Episcopum agere voluit, & Abbatem: *Archiepiscopus Angilramus Episcopatum & Abbatiam Senonensem aliquanto gubernavit tempore. Et ita Monasterium quod prius Imperiale fuisse constiterat, ex tunc manu Episcopi Metensis degere compellitur, &c. Imperator Monasterium Metensi Episcopo, eo jure, quo & Imperatores à primo tenuerant, perpetualiter concessit.* Ibidem. Suspicabantur primum Monachi hinc Abbatiam suam dedecorari, si ex Imperiali Episcopalis evaderet. At ejus Chronici Author fidem facit, hinc ei & ornamenti plurimum, & emolumenti accessisse; quòd Cœnobia omnia Imperialia, vel ipsorum exactionibus Principum exhausta essent, vel ab Imperii hostibus labefactata: *Certè si ab illis temporibus omnia Monasteria ista adhuc Imperii essent, jam lapis*

super lapidem non remansisset. Ubi verò postea animadvertit Angilramus, & Episcopatus sui curis, & Imperii negotiis ita se distineri, ut minus posset tuendæ Senonensis Cœnobii sui Disciplinæ invigilare, Regularem eligi jussit Abbatem, & exinde res temporales ejus Abbatiæ in potestate fuere Episcoporum Metensium, ut in Imperatorum antea fuerant tuitione. *Ab illo tempore Abbates hujus Cœnobii ab Episcopo Metensi temporalia, ab Episcopo vero Tullensi spiritualia receperunt.* Ibidem. pag. 303.

Hinc liquet conducibile in primis fuisse his Abbatiis, à pio ut aliquo Episcopo, vel Archiepiscopo impetrarentur, qui longam illam Regalium & Imperialium Abbatiarum excuteret servitutem, nempè ab illis molitam temporibus ruentis stirpis Regiæ, ruinaque sua Ecclesiam sibi devinctissimam in præceps agentis; & qui denique non libertati tantum eas pristinæ, sed & splendori, ac Disciplinæ Regulari redintegraret. Hinc Beneficiorum pluralitati laudes meritò rependendæ erant.

Probabile profectò est horum albo Disciplinæ purioris amatorum inscribendum esse Haderecum Presbyterum, & Abbatem, quem Joannes VIII. tuitione sua impertiit, nec ipsum tantùm, sed & Abbatias ejus omnes, aliaque Beneficia, præter agros & patrimonia. Id enim Pontifex ipse videtur innuere: *Fideli devotione totoque mentis conatu ut pro pristino statu & vigore, atque restitutione sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ terque quaterque in obsequio Ansperti reverendissimi Archiepiscopi sui, atque Confratris nostri devotum atque in omnibus fidelissimum permanere, & decertare omnino & evidenter comperimus.* Tumultuosissimis his temporibus, ab his Cœnobiis omnibus non poterat major inferri gratia, quàm si ei committerentur, qui Mediolanensis Ecclesiæ restauranda disciplina zelum suum insignisset. Epist. 264

CAPUT IV. *P. 3. l. 2. c. 42.*

De pluralitate tum Episcopatuum, tum Beneficiorum Episcopatibus & Abbatiis inferiorum, sub Carolo Magno & ejus stirpe.

I. In Parochiis quoque damnata pluralitas, hoc est, superfluitas.

II. Quodque Parochi sponsi sint Ecclesiarum.

III. Et Basilicarum damnata pluralitas.

IV. Duarum Parochiarum munia implere Parochus unus non potest.

V. Poterat Parochialis Ecclesia cum Capella obtineri.

VI. VII. Non poterat idem & Parochum agere, & Canonicum.

VIII. In Capellarum classem redigi non poterant, quæ fuerant Parochiæ.

IX. Cum obambulabat Episcopus Diœcesin, in hanc pluralitatem inquirebat.

X. Ad omnia prorsus Beneficia permanabat ea lex, ut unus unum obtineret, nec plura in unum possent aggregari.

XI. In Oriente septima Synodus Oecumenica quamcumque damnat Beneficiorum pluralitatem.

XII. Tenuitati Beneficiorum jubetur labore manuum suppleri.

XIII. Rura plura uni committi per illam Synodum licet, si rara sint, nec ad manum sint viri iis regendis idonei.

XIV. Abbati Generali plura sunt, subjuntque Cœnobia, in unum Sodalitii corpus constricta.

XV. Episcopo Episcopatus alius à Barbaris vastatus commendari potest.

XVI. Sola in eo spectabatur Ecclesiæ utilitas.

XVII. Cur Chalcedonensis Synodus vetat ne plurium quis inscribatur Clero Civitatum: at septima Synodus, ne plus in Ecclesiis ejusdem Civitatis.

XVIII. Plures Episcopatus vastati in unum coagmentantur.

XIX. Non semper utique jure vacuus priora Beneficia, non quia Angelus Episcopatu in partibus.

I. Pluralitas, hoc est superfluitas, peræquè proscripta est in Parochialibus, atque in Episcopalibus Ecclesiis & Abbatiarum. Hinc Ludovici Pii Capitulari edicitur, ut ubi immunitas & redituum copia Parochis admensa fuerit tanta, quanta opus erit, jam ne Parochias quisquam duas gerere possit. *Statutum est, postquam hoc impletum fuerit, ut unaquæque Ecclesia suum Presbyterum habeat, ubi id fieri facultas providente Episcopo permiserit.* An. 816. Cap. 21. Capit. Car. Mag. l. 1. c. 92.

II. Alio verò Capitularium loco, non jam superfluitas, sed ipsa maximè pluralitas probro vertitur: quod cùm videlicet Parochi sponsi sint Ecclesiarum suarum, non possit quisquam citra summum dedecus duas unus ducere sponsas. *Sicut quisque secularis non amplius quàm unam habere debet uxorem; ita & unusquisque Presbyter non amplius quàm unam habere debet Ecclesiam.* Herardus Turonensis Archiepiscopus eandem premit rationem. *Ut Presbyter non amplius quam unam Ecclesiam habeat, sicut & vir unam uxorem.* L. 6. c. 73. Cap. 49.

III. Geminam eam rationem complexa est Synodus Parisiensis VI. ubi ait cuique Parochiæ suum esse debere Episcopum, ita & cuique Basilicæ suum esse debere Presbyterum: infandæ autem esse avaritiæ, si quis Presbyter duas tresve Basilicas accipiat, sive laici, sive Ecclesiastici Patronatus. *Non solum à Clericis, verùm etiam à laicis alias Basilicas contra fas suscipiunt,* Sive consulto, sive inconsulto Episcopo id machinentur, non tolerandæ id esse audaciæ; Qui enim numeros officii omnes una in Ecclesia implere vix possint, qui poterunt in duabus? *Vix enim quisquam Presbyterorum in Basilicâ, in qua divina servituti mancipatus est; dignè atque strenuè militare invenitur; quantò minùs id in duabus, vel tribus, aut eo amplius Basilicis dignè exequi valet.* Prudentiæ deoque & sollicitudini Episcopali ea cura à Synodo committitur, ut singuli singulis in Ecclesiis Presbyteri collocentur, ubi rerum satis erit onde vitam tolerent: neu sinant unquam solius avaritiæ studio quemquam unum duabus simul præesse Ecclesiis. *Hoc specialiter eorum solertia providendum est, ut hac occasione nullus Presbyter duas, aut tres avaritiæ causa, quibus sufficere secundùm divinum cultum nullatenus potest, habere audeat Basilicas.* Anno 829. c. 49.

IV. In Concilio II. Aquisgranensi anno 836. perspicuè declarata est necessaria unius Parochi in qualibet Parochia, & unius Presbyteri præsentia atque industria in qualibet subsidiaria, vel Succursali Ecclesia. *Ut per se eam tenere possit, aut etiam priori Presbytero subjugatus.* Paucis his in verbis satis apertè proditur discrimen Parochi primarii & Titularis, qui & *Prior* vocatur, & Presbyteri, vel Vicarii, qui Annexæ ministrat Ecclesiæ, & totus à Parocho pendet. Cap. 2. Can. alt.

Hæc autem necessitas inculcatur ab hujus Concilii Patribus, quod quanquam posset unus pluribus in Ecclesiis Parochus sacris operari, & Missarum celebrare solennia, impar tamen foret cæteris omnibus defungendis Pastoris muneribus, ad tingendos fonte sacro ægrotos, ad excipiendas Confessiones, ad sacrum Eucharistiæ epulum dispensandum. *Quanquam Missarum celebrationes per omnes Ecclesias sibi commissas agere possent, cætera officia, quæ ad divinum cultum pertinent, propter impossibilitatem & multitudinem Ecclesiarum, quodammodo neglecta elapsa. Similiter & providentia in baptismate infirmo-*

rum, & in confessione querentium, atque in communione periclitantium perplura remansisse.

V. Copia tamen fiebat Parochis retinendæ cum Ecclesia sua alicujus Capellæ, cui nimirum nec plebs
Conc. Gall. To. 3. pag. 600. regenda, nec functio obeunda adhærescerer. *Quia quidam Presbyteri, præter Ecclesiam in qua titulati sunt, etiam Capellas habent, &c.* Ut Capellæ forsan à Pa-
Hin mar. Tom. 1 pag. 715. 732. rochialibus Ecclesiis secernerentur, hæ *Basilicæ* suprà dicebantur Canone Concilii VI. Parisiensis. In Concilio Metensi anni 888. potestas Parochis non fit una retinendi hujusmodi Capellas, nisi cùm Ecclesiæ Parochiali ita cohærescebant, tanquam ejus aliqua membra, ut sine gravissimo detrimento se-
Can. 3. jungi haud possent. *Unusquisque Presbyter unam solummodo habeat Ecclesiam, nisi forte antiquitus habuerit Capellam, vel membrum aliquod adjacens sibi, quod non expedit separari.*

VI. At cùm id sibi sumpserunt Parochi, ut Canonici simul essent: aut ubi Canonici Parochiales præterea Ecclesias administrari à se posse sperarunt; tum verò Hincmarus Remensis Archiepiscopus Episcopali vigore mucronem Ecclesiasticæ censuræ
To. 1. pag. 732. in has distrinxit fœdissimæ avaritiæ moliones. *Quia non solum illicita, sed etiam perniciosa sibi ac commissæ plebi præsumptione, contra sacros Canones Presbyteri nostra Parochia dicuntur Ecclesias suas negligere, & Præbendam in Monasterio Montis Falconis obtinere: Sed & Canonici ipsius Monasterii Ecclesias rusticanarum Parochiarum occupare; necesse nobis est, non solum quid inde sacri Canones definiant demonstrare, sed & vigorem ac censuram eorundem sacrorum Canonum, si se non correxerint, in contemptore exercere.*

VII. Dilucidum ergo est sociari ea tum minimè potuisse, aut commisceri nomina, & officia, ut iidem & Parochi essent, & Canonici, sive Sæculares, sive Regulares interpretere Canonicos. Quanquam enim Regulares essent ii Canonici, de quibus hîc Hincmarus, nimirum Regulam Crodogangi professi: quæ ab illo promuntur Canonum, rationumque momenta, in omnes ex æquo valent Canonicos. 1. Canonibus præcipi Clericos stabiles esse in Ecclesiis, quibus primum sua devincti sunt ordinatione: si transferantur verò in aliquam Ecclesiam, vetari quidquam posthac demetere ex prioris Ecclesiæ proventibus. 2. Pugnant manifestissimè functiones Canonicorum & Parochorum. *Certum est, quia Claustra Monasterii, atque obsequia debita, & quæ sunt necessaria plebi in rusticanis Parochiis insimul exequi nemo valebit.* 3. Sordidissimæ certè avaritiæ est, impelli Canonicos ad ambiendas rurís Parochias, ut decimis & patrimonio pauperum saginentur. His rationibus universim Canonici omnes includuntur. *Canonicus ordinatus in Monasterio, obsequia monasterialia derelinquens, turpis lucri cupiditate emolumentum decimæ rusticanarum Parochiarum studebit invadere, &c.*

VIII. Obviatum est denique ab Hincmaro, serpenti novæ corruptelæ, ubi cavit, ne Capellæ jam dicerentur, quæ suos olim Presbyteros habuissent. Id enim jam inolescebat fucatæ avaritiæ ludibrium, ut Parochiæ unius Pastores possent & aliam
Conc. Gall. To. 3. pag. 643. simul retinere, Capellæ nomine obumbratam. *Ne Ecclesias illas, quæ ex antiquo Presbyteros habere solitæ fuerunt, aliis Ecclesiis quasi loco Capellarum non subjiciatis.*

IX. Inter ea Inquisitionum Capita, de quibus renuntiari sibi jubebat Episcopus Diœcesin suam circumlustrans, istud quoque aliquo erat in numero, An Parochus unus pluribus ita præesset Ecclesiis, ut non in earum singulis Presbyteros haberet singulos, tanquam Vicarios. *Si plures teneat Eccle-* Regino. l. 1. Inquisit. n. 46. Et in Append. pag. 604. 608.
sias, sine aliorum Presbyterorum adjutorio, &c. Nullus Ecclesias teneat sine adjutorio aliorum Presbyterorum, &c. Nullus plures Ecclesias sine titulo & contra sacrorum Canonum dispositiones manelsci præsumat. Turpiter hallucinaretur, qui hos sibi fingeret Vicarios Parochi arbitratu revocabiles. Si enim nisi Canonico judicio non poterant Beneficiarii etiam minusculi ab Episcopo gradu exturbari: quî potuissent Parochi indicta causa Presbyteros summovere à regimine creditarum sibi Ecclesiarum? Hi ergo Vicarii, Parochorum subsidiarii adjutores, iidem ipsi sunt de quibus suprà Concilium Aquisgranense, qui Priori Parocho subjici debere ibi dicebantur: *Priori Presbytero subjugatur.*

X. Ex his autem illud profectò concluditur, nullum adhoc magnopere discrimen inter Beneficia statutum, non Compatibilia ab Incompatibilibus sejuncta fuisse, non à Duplicibus Simplicia, omnia indiscriminatim visa esse residentiæ legibus obnoxia, & functionibus iis illigata, quæ duo simul copulari non paterentur. Canonicorum ipsæ stationes cum Parochiis sociari non poterant. Canonicis & Abbatibus strictissima residentiæ lex incumbebat. Summa denique lex & ratio, quæ omnia promiscuè Beneficia uni conferri plura vetabat, nec tergiversatione, vel exceptione, vel distinctione ulla ludificari poterat; lex porro ea erat, quod per avaritiam & ambitionem, quæ parentes sunt & authores pluralitatis, janua non possit unquam patefieri in Beneficia, vel dignitates Ecclesiarum. Si Episcopus quis, si Abbas alias in se susciperet Abbatias, ut propendiosæ illas eximeret servituti, nonnisi necessariam sustentationem ex earum quantiscunque redditibus decerpturus, reliqua omnia impensurus in earundem Ecclesiarum necessitates, utque ipsa potissimum illis electio & Regulæ observatio restitueretur: huic pluralitati conviciari, aut succensere nemo jure posset, ut quæ nulla avaritiæ, aut ambitionis fuligine tingeretur. Nec verò Parochi permittebantur Capellam simul aliquam retinere, nisi quod nunquam illi certus Beneficii Titulus adscriptus fuisset, nunquam proprius ei Presbyter addictus, sed membri instar esset, quod citra perniciem non posset à Parochia divelli.

XI. Hæc eadem sempiterna & incommutabilis lex, avaritiæ & ambitionis adversaria implacata, Orientalem quoque compulit Ecclesiam, suis ut Civilibus & Canonicis legibus, plurium congeriem destrueret Beneficiorum, nec fucum sibi fieri sineret frustratoriis distinctionibus eorum, quæ residentiam, quæ curàm haberent animarum adjunctam, vel non haberent. Quanquam enim flagitiosius sit, ea sibi Beneficia congerere, quorum confligerentur inter se functiones: non potest tamen non flagitiosè facere, quisquis dignitates sacrosanctas, & res Christo dicatas suæ ditescendi, vel deliciandi, vel dominandi libidini explendæ accumulat. Vide ut hæc detonet Canon Synodi VII. Oecumenicæ. *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in* Can. 15.
duabus Ecclesiis. Negociationis enim est hoc, & turpis commodi proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Unusquisque secundum Apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere, & in una locari Ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus perficiuntur, aliena consistunt à Deo. Universalis & incommutabilis ea lex est Ecclesiæ, qua proscribitur vitiosa Beneficiorum pluralitas

cujusque generis. Promiscuè enim ibi & universim dominatur profana rerum sacrarum nundinatio, & inexplebilis opum & honorum libido.

XII. Hinc præclarissimè mox in eodem Concilio, quibus ad victitandum non suppeditat Beneficium, quæ necessaria sint, ii jubentur sibi adesse, non adjiciendo alio quopiam Beneficio, sed labore & opere manuum. *Ad vitæ verò hujus necessitatem studia sunt diversa; ex his verò qui voluerit, acquirat carni opportuna. Ait enim Apostolus, ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* (Ibidem.)

XIII. Una incidit causa, qua sinunt hujus Concilii Patres, plurium simul Ecclesiarum sarcinas alicui ingeri, cùm ruri idonei non occurrunt Pastores eo numero qui desideratur. Ruri dixi, quòd satis intelligerent Præsules hujus Synodi, ad civitatum regendas Ecclesias rarissimè deesse viros idoneos. *Et hæc quidem in hac à Deo conservanda urbe. Cæterùm in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.* (Ibidem.) Procul sunt ab hac dispensatione humani affectus, ut quæ solis donetur Ecclesiæ necessitatibus.

Hinc illud exprimit Balsamon, si vetantur Clerici duarum simul Ecclesiarum ex proventibus emolumenta quæpiam delibare: multò æquius esse, ut ne unus duas Abbatias gestet Præpositus vel Abbas. Quod ad Generalem verò pertinet Abbatem, qui à Græcis *Pantocratorenus*, παντοκρατορηνὸς, appellatur, cùm Cœnobia omnia in unam coïverint Congregationem, & in unum veluti corpus, ea re ne tantillum quidem perstringi Canones. *Si non permittitur alicui, ut sit Clericus in duabus Ecclesiis, nec Præfectus duobus Monasteriis præerit, sicut nec caput unum duobus corporibus. Quod autem Pantocratorenus Præfectus præsit multis Monasteriis, Canoni non adversatur; multa enim Monasteria ut unum reputantur.* (In Nomoc. L. 1. c. 20.)

XV. Si pluribus unus imminere potest Abbas Cœnobiis, ubi ea in unum Congregationis corpus coalita sunt: potest & Episcopus unus pluribus simul Episcopalibus præesse Ecclesiis in unam conflatis: quanquam hæc Episcopatuum coalitio longè aliis debeat extundi rationibus. Sub uno enim vertice plura adgregabantur Cœnobia, ut disciplinæ sanctimonia pluribus & invictioribus vinculis constringeretur; at plures Episcopales Ecclesiæ compingebantur in unum Episcopatum, ubi ipsæ Barbarorum populationibus evastatæ fuerant. Id observatum est à Balsamone eodem in Canonem II. Concilii I. Constantinopolitani. *Quod liceat quidem Synodis, ex œconomia ratione alias Ecclesias, quæ à Gentibus occupantur, aliis Ecclesiis concedere, ex præsenti ut videtur Canone traditum est. Jam enim Constantinopolitana Synodus Metropolitano Nazianzeno dedit Ecclesiam Ancyræ, & aliis diversis Antistibus alias ejusmodi Ecclesias. Quibusdam autem etiam idipsum concessum est, ut sedeant in ipso throno traditæ Ecclesiæ in sacro Tribunali.* (In Can. 2. Conc. CP.)

Et Canone quidem eo Constantinopolitano nihil innuitur, quo dari locus videatur huic adnotationi. Sed juvat hinc didicisse ex Balsamone hanc fuisse mediæ ætatis Ecclesiarum Orientalium solemnem consuetudinem, Synodisque approbatam dispensationem ad Ecclesiarum incolumitatem qualemcunque: adeoque Metropolitanis quandoque demandatas fuisse duas Ecclesias principales, ratione & exemplo persimili, atque Actardum suprà vidimus Turonensi Metropolitanæ suæ tunc Ecclesiæ, & Nannetensi suæ quoque priùs, uno eodemque tempore præfuisse, non suo marte, sed Conciliorum Pontificumque authoritate.

XVI. Consultum ergo volebant Ecclesiis per Barbaros populatis, non Episcopis alios jam Episcopatus regentibus, qui his præficiebantur. Aut si & his etiam provisum vellent, non opes illis parabantur, sed arcebatur inopia. Unde idem Balsamon, *Quòd autem dantur quibusdam Antistibus non vacantibus, sed paupertate laborantibus orbatæ seu vacantes Ecclesiæ, est dispensationis ratio.* (Supplem. pag. 225.) Transferebatur Episcopus ab Ecclesia diruta & expilata, ad Ecclesiam vacantem, nec subducebantur eis fœdera prioris Ecclesiæ. Ita enim & Episcopus inopiæ eximebatur, & adjiciebatur, quo priorem sponsam solari posset. Molestè tamen ferebat Balsamon, quòd translatus permitteretur Episcopus quandoque sedere in throno Episcopali prioris Ecclesiæ, propterea quòd eam jam non propriam, sed commendatam habeat, & ea Canonibus habenda sit reverentia, ut verè semper dici possit, uni Episcopo unam esse Episcopalem Ecclesiam, unam Sedem.

XVII. Aliquantò implicatior est Canon Concilii Calchedonensis, quo non sinuntur Clerici inscribi, & titulum obtinere in duabus Ecclesiis. Balsamonis quidem ea sententia est, porrigi non debere hanc prohibitionem ad diversas unius urbis Ecclesias. *Quidam illud, non esse aliquem Clericum in duarum urbium Ecclesiis, etiam ad duas unius civitatis Ecclesias accipiebam. Non est autem hæc Canonis sententia, ut mihi videtur.* (In Can. 6. Conc. Calc.) Nec à vero abludit ille, si tempora spectemus Concilii Calchedonensis. Tum Clerus Ecclesiæ Cathedralis munera obibat omnia cæterarum urbis Ecclesiarum, earumque reditus omnes suam unam in mensam refundebat. Et ne umbra quidem in eo supererat vitiosæ pluralitatis. Nec enim ad singulos redibat Clericos, nisi certus & parcus distributionum Ecclesiæ Cathedralis modus. At Balsamonis ævo, ut ab ipsomet perhibetur, idem unus Clericus varia in variis Ecclesiis Constantinopolitanæ civitatis Beneficia obtinebat; inde exorta ea perversitate, quod Synodus VII. Generalis vetuisset illa quidem, ne Clerici pluribus Ecclesiis ejusdem urbis præessent, at nihil pœnarum in prævaricantes decrevisset.

Hinc illa discrepantia Canonum duorum, alterius Calchedonensis, alterius Synodi VII. Ille enim prohibet, ne quis Titulum Beneficii obtineat in Ecclesiis duarum Civitatum: hic verò ne quis in Ecclesiis diversis unius urbis. Tempore Concilii Calchedonensis Clerus Cathedralis omnium urbis Ecclesiarum functiones ubibat, reditus colligebat, Clericos omnes idoneis pro gradu & merito stipendiis donabat. Ita quantumvis pluribus quis in Ecclesiis ministraret, unius tamen stipendia tantùm percipiebat. At ubi postea singulæ unius civitatis Ecclesiæ suum sibi fiscum, suam privatim facultatem & rem habuere: diligentissimè cavendum fuit, ne Clerici pluribus in Ecclesiis, etiam ejusdem urbis, Beneficia captarent.

Addit Balsamon sua ætate plus jam nimio Clericorum numero abundare rura, ut minimè necesse esset, plures uni Ecclesias concredi: quòd videlicet multò jam plures ad Clericalem convolarent professionem, postquam illam Imperatores privilegiis & immunitatibus cumulassent. At Constantinopoli Clerico uni persæpè Beneficia conferri, non in una tantùm & altera Ecclesia, sed in pluribus, quæ pravitas solâ & alebatur & augescebat impu- (Ibidem.)

nitate. Porro ei corruptelæ obviatum præstantissimè fuisse in Concilio VII. Generali. *Fit autem hodie contrà. In externis enim regionibus propter Imperialem Sacerdotum excusationem, plures sunt Clerici in Ecclesiis, & ideo rursus in binis Ecclesiis constituitur. In regiis autem urbium non solum in duabus, sed etiam in pluribus constituuntur.* Can. 15. Si ea authoritati fuissent à Synodo VII. qui in eiusdem urbis pluribus Ecclesiis plura Beneficia retinerent: sicut à Calchedonensi ejecti Clero fuerant, qui inscripti essent Clero diversarum urbium: non tantæ postea molis fuisset eam pestem extirpare.

XVIII. In corpore Juris Orientalis, Constitutione synodali Patriarchæ Michaëlis permittebatur Metropolitano, uni ut Suffraganeorum suorum adjiceret alium ejusdem Provinciæ Episcopatum, cum potestate exercendi Pontificales omnes functiones, ea conditione, ut ne in throno sederet Episcopali. To. 1. pag 5. *Excepto, ne in templo cum throno collocetur.* Vereor ut hæc potius sit responsio Synodalis Patriarchæ Manuelis, quæ alibi prolixiùs refertur, & qua annuitur Metropolitano, ut assentientibus Provinciæ Episcopis, uni Suffraganeorum possit alterum largiri Episcopatum, iisdem adhibitis cautionibus. Et à se enim idem factitari fatetor Patriarcha. *Siquidem Synodi Metropolitanus suorum Episcoporum consensu dare cuipiam voluerit incrementi ratione aliam Episcopen, intra Provinciam sitam, sine præjudicio id faciet. Nam & à nobis talia per modum fraternæ dilectionis quotidie fiunt.* Pag. 241.

Præpostera fuisset illa, & Canonibus inimica licentia, si Patriarchæ & Metropolitani non alio quàm gratificandi consilio & fructu duas uni Episcopo Episcopales Ecclesias subjecissent. Ea forsan culpa; id privatorum potuerit esse flagitium; at nemo facilè sibi persuadebit, eam fuisse Synodicam deliberationem. Sanius est ergo de Ecclesiis illis id interpretari, quas Barbari diruissent, & in quibus jam non posset Episcopus fidam jugemque sortiri residentiam. Ita ea quoque dispensatio ad utilitatem, ut par est, Ecclesiarum publicam dirigetur. Quæ conjectura hinc firmatur, quòd eadem Synodo annuente, posset Metropolitanus transferre Episcopos ab una Ecclesia ad aliam suæ Provinciæ, non ut opes illis novas aggeraret, sed ut Ecclesiæ ipsi vel spiritalis vel temporalis emolumenti aliquid adjiceretur. *Ob causam laudabilem, & probabilem prætextum. Utilitas autem hæc animarum, & Ecclesiastici status administratio, &c. Canonica observatio novit translationes Antistitum, non in æquales sedes, sed in sublimiores & excellentiores, propter rationabilium Ecclesiæ Christi ovium refocillationem, & Ecclesiasticarum rerum gubernationem.* Canonicis institutis consentiunt hæ dispensationes, sive ad traducendos aliò Episcopos, sive ad plures uniendas Episcopales sedes, unique alicui conferendas.

XIX. Nec Episcopis tantùm conferri poterant hæ Episcopales & desolatæ Ecclesiæ, ut eorum opulentia levamenti aliquid & præsidii assequerentur, ipsæ inter Barbaros sitæ, non minùs Christiano nomini, quàm Imperio infensos: sed Abbatibus etiam & Oeconomis Cœnobiorum, Monachis, Officialibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & Beneficiariis aliarum omnium Ecclesiarum. Quibus illud quoque despondebatur, ne abhorrerent à tam spinosis dignitatibus, eos sua ad Ecclesias illas electione, suâ ad electiones consensione, nequaquam prioribus Beneficiis spoliatum iri: quanquam alioqui pervagatissimus is esset usus. Id authentica Declaratione promulgarat Alexis Comnenus, qui molestè ferens, ut his electionibus assentirentur paucissimos adduci posse, sanxit ut pristina omnia cum his Episcopatibus Beneficia retinere possent. *Ne quisquam ipsorum propterea Pontificatûs jugum subire recuset, hi omnes in posterum semel acquisitis fruentur Abbatiis, & administrationibus, cæterisque ministeriis, & muneribus, & officiis, & adelphatis, quæ habent, &c. Etiam provenientes ex his reditus, in potestate sua habebunt.* Juris Orien. To. 1. p. 139.

Perspicuum ergo est ante eam Constitutionem, Beneficia omnia quæ hactenus obtinuisset, qui ad Episcopatum electus electioni assentiebatur, jam tum vacare cœpisse; cujusque generis ea forent, residentiæ, vel curæ animarum obnoxia, necne, nihil interfuisse; eamque legem pluralitati Beneficiorum tam infestam ea religione observatam fuisse, ut ne ii quidem exciperentur Episcopatus, quorum vix indicia aliqua aut vestigia in barbarico solo superessent. Denique post hanc quoque Constitutionem, quoad cæteros Episcopatus eadem lex illibata viguit. *Cùm illa Ecclesia ad quas electi sunt, in partibus Orientis sita sint, ac prorsus inopes, nec adiri ab eis omnino possint, ipsis interim propterea quòd earum præfecturam adeant, amittentibus quascumque possidebant Abbatias & administrationes, & alia munera, vel etiam quæ vulgò dicuntur adelphata, vel officia, vel alia quædam ministeria.*

Primus Alexis hujus tam justæ & tam necessariæ dispensationis author fuit, quam coarctavit tamen ad id tempus quo jacerent eæ Ecclesiæ; cessatura, si aliquando illæ reflorescerent, ea dispensatione. Denique hinc excepit Imperator amplissimas dignitates, Presbyteros & Diaconos, Clericosque omnes majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quos passus non est ad eos Episcopatus eligi. Cujus exceptionis ab eo causa reticetur.

CAPUT V. *P. 4. l. 2. c. 57.*

De pluralitate Beneficiorum primùm quoad Episcopatus & Abbatias, post annum Christi millesimum.

I. An possit Episcopus præter Ecclesiam suam alterius Decanatum Ecclesiæ retinere.

II. An possit Episcopus Abbatiam retinere.

III. An aliquando unus duos potuerit simul regere Episcopatus.

IV. Frequentius id fuit, ut unum obtinerent Episcopatum cum Abbatia aliqua, vel plures simul Abbatias unius Ecclesiæ utilitatis contemplatione. Exempla sub Gregorio VII. Non tamen colliduntur hæc exempla cum legibus pluralitatem proscribentibus.

V. Pluralitas Episcopatuum sub Urbano II. & Paschali II. una cum Ecclesiarum necessitate.

VI. Exempla posteriora Episcopatuum pluralitatis.

VII. Episcopatus Tituli insignes Cardinalium Ecclesiæ Romanæ alii Episcopatibus sociari possunt.

VIII. Exempla alia plurium uni concessorum Episcopatuum, in unius commodum Ecclesiæ.

IX. Leges contrariæ pluralitati Beneficiorum. Exempla damnatæ pluralitatis. Exempla Dispensationum, uni Ecclesiasticæ utilitati famulantium.

X. Pluralitas Beneficiorum Henrici, fratris Ludovici VII. Regis: a iorum [illegible] Principum.

XI. Quando cœperint increbescere dispensationes, ut possent Episcopi alia Beneficia cum suis Episcopatibus retinere.

XII. Quando cœperint Cardinales Romani variis in Christianis orbis Provinciis Episcopatus obtinere.

XIII. De eodem argumento post Concilium Tridentinum.

XIV. Longe pulcherrima Cardinalium responsa, & scita eorum, quos Paulus III. consuluit, ad Ecclesiasticæ disciplinæ restaurationem.

XV. Monita Cardinalis Bellarmini ad Clementem VIII.
XVI. Quos ille scrupos et suos proposuerat de Titulis Episcoporum Cardinalium, & ad eos Pont. fecit responsa.

I. Obtineri ab Episcopis potuere, vel Episcopatus plures, vel Abbatiæ plures, vel Episcopatus cum Abbatia & cum aliis minoribus Beneficiis. Qua maxima poterimus fide & diligentia, leges in medium afferemus & exempla varia polygamiæ hujus spiritalis. Narrat B. Fulbertus, Subdecano Ecclesiæ Carnotensis mortuo, Episcopum Sylvanectensem rogasse, ut eo ipsemet, vel frater suus Beneficio donaretur. Responsum esse, Nec ei, quòd Episcopali splenderet apice: nec fratri ejus, qui junior adhuc esset, eum gradum convenire. *Nos autem respondimus, Non convenire sibi, eò quòd esset Episcopus: neque fratri, ætate adhuc & moribus immaturo.* In eam ergo dignitatem electus est Presbyter, doctrinæ & pietatis probè munitus præsidiis, non multò pòst autem eorum immanitate, quibus antehabitus fuerat, contrucidatus est. Videant alii, an novum tunc & inauditum esset, ut Episcopus justis & specialibus causis, & ad Ecclesiæ utilitatem, Decanatum vel Subdecanatum in aliis retineret Ecclesiis; certè Episcopus hic Sylvanectensis ea se spe recreabat. At Fulberto, viro utique magna doctrinæ & pietatis fama, eo leges Ecclesiæ sanctissimæ contaminari videbantur. Si tam execrabili ultioni repulsæ, quam passus erat, allentiebatur Sylvanectensis Episcopus, minimè sanè mirum erit, si ea sibi licere & obtinere volebat, ad quæ aspirare nefas erat.

Epist. 29. 46.

II. Nec consimilis causa videri debet eorum Episcoporum, qui Abbatias unà impetraverunt, in ipso maximè Diœceseos suæ territorio sitas. Narrat Helgodus Monachus author vitæ Roberti Regis, voluisse eum à Consiliis habere religione & eruditione inclytum Gauslinum, eumque donasse Abbatia Floriacensi, quæ tum Cœnobiis omnibus Ordinis B. Benedicti in Gallia dominabatur; & Archiepiscopatu Bituricensi, quam civitatem ait fuisse totius Aquitaniæ Caput & Principem. *Ut sum eum specialiter devinciret Consiliis, &c. Attribuit illi honores non medicos, Abbatiam sancti Benedicti, quæ est caput totius Ordinis Monastici, & Episcopatum Bituricensem sancti Stephani, principatum tenentis totius Aquitaniæ.*

Erat Gauzelinus Roberti Regis filius, non justis nuptiis natus, quod in causa fuit, ut tum Floriacenses, tum Bituricenses vehementer repugnarint ejus nominationi, sed Regiæ tamen authoritatis pondere obruti sunt. Pietatis laude claruit cum primis Robertus. Nullus non ejus ævi Scriptorum laudibus Gauzelinum celebravit. Nonnullas ad eum Fulbertus Carnotensis Episcopus litteras dedit, quibus non legitur eum objurgasse de Abbatia, quam cum Episcopatu retineret. Si in his rationibus non satis momenti sit, ad invidiam ab hac Beneficiorum pluralitate abstergendam: illud inculcabimus quod jam suprà delibatum est, Episcopatu ipso contineri regimen Abbatiarum, & verissimo quodam sensu dici posse Episcopum Abbatem Generalem fuisse omnium suæ ditionis Cœnobiorum. Adde quod nequedum partitio ulla facta fuerat rerum temporalium ejus Abbatiæ, atque ita nullidum erant proprii reditus Abbatis, spiritali tantùm administratione & sollicitudine spectabilis. Denique non ejusmodi est hoc exemplum, quod instar regulæ objici possit. Quin ex adverso ad regulas elimatiores infrà explicandas exigendum ipsummet est.

Baron. an. 1029. n. 9.

Epist. 39. 44.

III. Leo IX. ex Tullensi Episcopatu in Apostolicam Petri sedem translatus, prioris hujus Ecclesiæ suæ titulo exui se noluit. Non sanè Leonem aut opum dira libido, aut honorum stimulabat, ut eam Ecclesiam retineret, sed castissimus amor prioris sponsæ suæ. Refertur ea res à Baronio, nec vitio vertitur. Fuere & alia ejusdem Pontificis singularia gesta, quæ sanctitati nihil tamen officerent, nec prohiberent quin Ecclesiæ Fastis sacris post mortem ascriberetur. Hinc ergo illud colligitur, quos sanctitatis gloria illustrat Deus, homines tamen & ipsos fuisse, iis nævis obnoxios, quos virtutum splendore obruerent; aut peculiaribus, & quæ solis ipsis compertæ sint causis ad ea intus à Deo excitari, quæ admiratores magis desiderent, quàm imitatores. Suum quoque Alexander II. priorem Episcopatum Lucensem retinuit, postquam Apostolici Throni compos fuit.

Baron. an. 1049.

Baron. an. 1070. n. 26.

IV. Sed quàm rara plurium Episcopatuum impetratio fuit, tam frequens fuit Abbatiæ cum Episcopatu copulatio. Petrus Damiani cum Episcopatu duas gestavit Abbatias. Vis adhibenda ei fuerat, ut tantum oneris subiret. Hinc eam ille semper spem aluit, deponi à se posse onus, quod invito ingessissent. Sic ergo ille ad Nicolaum II. Papam: *Cedo jure Episcopatus. Utrumque etiam Monasterium reddo.* Nemo non facilè sibi persuadebit, ea pluralitate Beneficiorum proditam fuisse non cupiditatem vitiosam, sed laudandam cum primis obedientiam, & incredibilem ac pene singularem ejus sanctitudinem; ut non illi Cœnobia à Pontifice, sed ipsemet Cœnobiis donaretur, ad eorum tum spiritalia, tum temporalia commoda promovenda. Scripsit & ipse alicubi, quantum operæ studiique posuerit in iis reparandis.

Baron. an. 1059. n. 4. 63. Damian. L. 1. Ep. 9. 10.

Eodem pietatis instinctu agebatur Gregorius VII. cùm ad Manassem Remensem Archiepiscopum scriberet, gratulari se, quòd in Abbatia Remensi sancti Remigii præstantissimum virum Abbatem eligi curasset; sed multò magis gratulaturum, si ab eodem Abbate regi posset Abbatia Metensis, à quo si vehementer abhorreret, alium Metis Abbatem eligendum esse. *Abbas nobis admodum placet, & si posset ferre onus ut utrasque Abbatias regeret, Metensem scilicet & Remensem, laudassem pro eo quia vir religiosus & sapiens est. Alioquin si pondus utrarumque regiminis super posse sibi est, ut ipse fatetur, ut nimia pressus gravedine succumbat, rogamus, per electionem Congregationis alium constituas.* Perspicis Pontificem canonici vigoris amantissimum, à qualicumque mollitia animi, & juris remissione alienissimum, & qui tamen unum duobus Abbatiis Abbatem præficere voluit, non ille quidem ut Abbati, sed ut Cœnobiis consultum esset. Nec suasisset tantùm, sed & imperasset forsan, nisi mœrore animi & tristitia illum deprimere abstinuisset.

L. 1. Ep. 52. 53.

Illæ ergo sunt causæ justissimæ, quæ non excusent & purgent tantùm pluralitatem Beneficiorum, sed & commendent ornentque. 1. Cùm ejus rei consilia iniit & fundamenta primus jacit Præsul superior, non ipse Beneficiarius. 2. Cum uni prospicitur Ecclesiæ utilitati, non privatorum libidini. 3. Cum Beneficiarius multiplicem illam sarcinam adeo non ambit, ut refugiat, detrectet, non subeat nisi obedientiæ lege constrictus & mœrore perfusus. Ejusmodi erat Gregorii VII. sententia & voluntas. 4. Constat pené id genus Abbates nullis adhuc privatim proventibus gavisos fuisse.

Idem rursus Pontifex cum in Concilio Roma-

De Bourdieux. no anno 1079. Abbatem Burgidolensem in Biturigibus exauthorasset, eam Abbatiam aut dedit, aut reddidit Archiepiscopo Viennensi, intentato Monachis anathemate, nisi ei ut Abbati & parenti assurgerent. L. 6 Ep. 28 *Sicut Patri & Abbati per omnia obediatis.* Ne hic quidem in dubium vocari potest, quin una Ecclesiæ charitas Pontificem animaret, ageretque. Dispensationes certè illi omnes una eaque sit semper causa, Ecclesiæ necessitas. Credebantur quippe his Abbatiæ Episcopis, qui formarent, refingerentque eas in arctiorem disciplinam, excubarentque, ne ab ea deflecteretur.

Sub eodem Gregorio VII. Vintoniense in Anglia Concilium hocce de pluralitate Episcopatuum An. 1074. Decretum edidit. *Quod nulli liceat duobus Episcopatibus præsidere.* Ita quidem anno 1074. At anno 1078. Concilio Pictaviensi, cui Legatus ejus præfuit, tribuitur hoc Decretum, quo omnium omnino Beneficiorum pluralitas damnatur. *Ut nemo Episcopatum, Abbatiam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Præbendam, vel alios Ecclesiasticos honores, vel in duabus Ecclesiis Prælationes exerceat, nisi in una tantùm.*

V. Potest in cortice, non potest in medulla, horum sive Canonum, sive exemplorum discordia residere. Sunt enim canonicæ dispensationes omnes tam menti consentaneæ Canonum, quam literæ repugnantes. Nihil habet exterior Disciplina, quod non suas patiatur vices, ut sunt opportunitates temporum, & importunitates. Ideo & peræquè in laude sunt contrariæ consuetudines, quæ charitati, quæ necessitati Ecclesiarum publicæ accommodantur.

Nec illi quem modò laudavimus Canoni obstrepebat Gregorii VII. successor Urbanus II. ubi Ausonensem Episcopum in Metropolim transtulit Tarraconensem, cujus ex Maurorum potestate receptæ libertati multum ab eo insudatum fuerat; concessitque ut Ausonensem retineret Ecclesiam, dum se Epist. 7. Tarraconensis, resque suas recuperaret. *Porro Ausonensem Ecclesiam tibi, tuisque successoribus tandiu concedimus possidendam, donec authore Deo ad pristinai status plenitudinem vestro studio Tarraconensis Ecclesia reformetur.* Ita quodammodo uniebatur Ausonensis Ecclesia Tarraconensi, donec hujus prædia & fundi à Maurorum potestate reciperentur.

Eadem necessitate, qui Urbano successit Paschalis II. Archiepiscopo Toletano, Episcopales omnes subjecit Ecclesias, quarum Metropoles Sarracenico adhuc jugo premebantur. Indulsit ut & Segoviensem sibi vendicaret Ecclesiam, cujus proventibus Toletanæ sedis tenuitatem solaretur, dum ne Segovienses proprium sibi suum Episcopum reposcerent. Epist 4.86. *Segoviensem civitatem, nisi proprium desideret Civitas ipsa Episcopum, personæ tuæ, pro gravioris paupertatis necessitate permittimus.* Addidit denique illi & Abbatiam, cujus Monachi metu Sarracenorum aufugerant, ea conditione, ut ejus in se reparationes susciperet. *Nos Monasterium ipsum sollicitudini tuæ restaurandum, disponendumque committimus.*

Lavellanum Episcopatum suppressit idem Pontifex, Canonibus obsecutus, quòd metus is vicus esset, & Melphensi univit Episcopatui in Regno Neapolitano. Ea unione non eludebantur Canones, non illis fraus struebatur, ut duo uni Episcopatus ingererentur, legi Ecclesiarum antiquissimæ mos gerebatur, vetanti, ne vilescat in Vicorum luto & tenuitate majestas Sacerdotii. Proditum est à Jacobo de Vitriaco in Historia Hierosolymitana, dum Hist. Hierosol. l. 38. flagrarent sacra bella in Oriente, plures Episcopatus nonnunquam uni commissos fuisse, propter eorum tenuitatem, & ne despicabiles ac viles fierent Episcopi. *Propter multitudinem & paupertatem eorum, ne dignitas Episcopalis vilipenderetur, plures Ecclesias Cathedrales & civitates uni Cathedrali subjecerunt.*

VI. Ea adverso autem Episcopus Dunelmensis in Anglia, cùm Lexoviensem Neustriæ invasisset sedem, eamque à se occupari posse speraret, vel suo nomine, vel duorum filiorum, necdum annos duodecim natorum, quorum alterum alteri subrogare se posse confidebat: scripsit Ivo Carnotensis ad Paschalem II. Papam, & ad Archiepiscopum Rotomagensem, ut eos excitaret armaretque, ad infandam hanc bigamiam opprimendam: Epist. 181. 175. *Cùm enim ab ipsa infantia mundi in Lameche carnalis bigamia sit culpata, quomodo poterit sponsa Christi, quæ est Ecclesia, laudari, quæ & sacramento, & in veritate sacramenti, uni debet viro desponsari? Eliminetur ergo de Lexoviensi Ecclesia Radulphus Dunelmensis Episcopus, ut bigamia non admittatur, eliminentur pueri ejus, ut Neophytorum hæresis exstirpetur.* Investierat Dunhelmensem Episcopum Lexoviensi Episcopatu Normanniæ Comes, Angliæ Rex ea Provincia potius illum confirmaverat. Scripsit Ivo ad Comitem Meduntensem, quo Rex familiarissimè utebatur, ut illi insinuaret, Regum magnitudinis esse, non leges ut violent, sed ut earum violatores opprimant. *Non enim ad hoc instituuntur Reges, ut leges frangant; sed ut fractores legum gladio, si aliter corrigi non possunt, feriant.*

Nec invisa Anglis, aut inaudita erat illa polygamia. Author est enim Malmesburiensis, Stigandum usurpato Vintoniensi Episcopatu non contentum, Ecclesiam involasse Cantuariensem, præter Abbatias complures. *Vintoniæ Episcopatum, & Cantuariæ Archiepiscopatum, præterea multas Abbatias solus ipse possidebat.* Itaque nec Pallium Romano Pontifici extundere potuit, *Nunquam Pallium à Roma meruit:* L. 1. De Gest. Pont. Angl. pag. 204. Et cùm primùm Vuillelmus novus Angliæ perdomitor & Rex illuxit, illum abdicari curavit. Legatos Pontificios anno 1070. Concilio Vintoniensi præfuisse tradit Rogerus, ibique discinctum & ejectum fuisse Stigandum triplici de causa, quarum primaria est, *Quod Episcopatum Vintoniensem cum Archiepiscopatu injustè possidebat.*

VII. Qui tandem passi essent, ut sola duce & auspice opum libidine duo simul obtinerentur Episcopatus, cùm Callistus II. ad Episcopum & Clerum Parisiensem rescripserit. Si Canonicus quis ejus Ecclesiæ alterius Ecclesiæ Episcopus deligeretur, ne sineretur priorem retinere Præbendam. Epist. 24. *Si aliquis Parisiensis Ecclesiæ Canonicus ad Episcopatus fuerit honorem promotus, & alterius Ecclesiæ gubernacula beneficiaque susceperit, illius de qua assumptus est Ecclesiæ privetur Canonica.*

Ecqua potest vel suspiciuncula illini avaritiæ, Conrado illi prudentiæ & virtutum laude cumulatissimo, qui se dignitatemque suam paci Ecclesiæ impendit, abdicato Archiepiscopatu Moguntino, super quo impacata jamdiu fervebat discordia inter Alexandrum III. & Fridericum I. Imperatorem, & vicissim accepta à Pontifice investitura, non Sabinensis modò Ecclesiæ, qui Titulus est Cardinalium Episcopalis, sed & Metropoleos Salisburgensis. *Cardinalatus illi & Sabinensis Episcopatus dignitate servata, in Salisburgensi Ecclesia honorificè eum Papa* Baron. ann. 1157. n. 72.

fecit

fecit eligi. In solo tum quidem Moguntino Archiepiscopatu plus erat splendoris & ornamenti, quam in geminis illis aliis Ecclesiis: itaque uni Ecclesiæ paci litatum est à Conrado.

Sed animadvertere hic juvat, antiquissimos illos Cardinalium Titulos Episcopales, vix jam ut Episcopatus spectari solitos fuisse, propterea quod prisca Episcopatus gloria in novos quasi radios incurrisset splendidissimæ jam Cardinalium dignitatis, ita ut obscuraretur ferè, nec appareret. Summa Ecclesiæ universæ administratio, in cujus societatem à Pontifice asciscebantur Cardinales, & Cardinales potissimum Episcopi, tantum luminis & splendoris addiderat eorum amplitudini; & erant aliàs Episcopales illæ Ecclesiæ Titulis Cardinalium attributæ, obscuræ adeo, infrequentes, tenuesque: ut jam oculis animisque mortalium occurrerent, non tam ut Episcopatus sedes, quam ut Tituli & nomina Cardinalium. Non aliter prorsus quam Ecclesiæ Urbis Presbyteris Cardinalibus adsignatæ, non tam ferè jam ut Parochiæ Urbis habentur, quales ab origine tamen erant, quam ut Tituli quidam eminentissimæ dignitatis.

Si extincti fuissent hi Cardinalitii Episcopatus, & Episcopatui Romano copulati, permodica adhuc fuisset Episcopatus Urbis ditio, multóque angustior, quam complurimorum Christiano toto orbe Episcopatuum. Si nullo Ecclesiæ præjudicio extingui potuissent, quin potuerint & vastissimis Cardinalatus juribus ac functionibus absorberi. Quin probabile profectò est, ubi cœpti sunt Episcopis Cardinalibus alii Episcopatus dari, perinde ut si Episcopi Titulares tantum fuissent: antiquissimo jam usu receptum fuisse, ut Romæ potius illi, quam in Ecclesiis suis residerent. Certè cùm horum ditionis Episcopatuum tantæ sint angustiæ, tam longè autem latéque pateant Cardinalium occupationes in Ecclesiæ universalis clavo moderando cum Pontifice, ecquis ambigat accommodandam esse occupationum & functionum amplitudini residentiam?

Si cujus autem animo subeat, expeditius fuisse nulli ut Episcopi sacro Cardinalium Collegio includerentur: næ ille facilè hanc exuet imprudentiam suam, ubi primum oculos conjiciet in longè pulcherrimam illam Antiquitatis effigiem, quæ in eo radiat Collegio, totius Ecclesiæ iisdem ex Ordinibus efflorescentis simillimo, cui tot Concilia, tot Pontifices tandiu jam applauserunt; ut quibus persuasissimum esset, Collegio tota Christiana Republica florentissimo & augustissimo, ejiciendos non esse Episcopos; nec universi Christiani nominis summa quæque & splendidissima judicia celebrari ordinatè posse, nisi in eo Senatu, in quo Episcopi eminerent.

Illud quoque animo recolendum est, non abruptè & præfestinè illud Collegium aut erupisse, aut eo potestatis excrevisse: sed longa sæculorum serie confirmatum, conformatumque, perpolitum & illustratum fuisse, iis incidentibus & impellentibus causis, quæ non essent in hominum potestate, sed in Numinis providentia; ut solent maxima quæque. Primigenius enim ille fuit rerum status, ut Ecclesiam & Diœcesin suam regeret Episcopus, consilioque uteretur Presbyterorum, seu Parochorum suorum; utque Metropolitani Provinciam administrarent cum Concilio Episcoporum Comprovincialium, aut eorum qui in Metropoli tum fortè versabantur. Ea ratio fuit antiquissima regiminis Ecclesiastici, tum ubique terrarum, tum maximè Romæ. Decursu temporis, & moles & multitudo negotiorum in Consistorio Romani Pontificis tractandorum, augescens, increbrescensque in dies, id expressit tandem ut juge quasi Concilium, & Consilium Romæ haberetur. Necesse ergo tunc fuit, ut Parochi Urbis, seu Presbyteri Cardinales Parochiarum suarum Curam in substitutos transfunderent; utque Episcopi Cardinales Romæ plerumque residerent, ne jugi abessent Papæ Consistorio. Ea demum ratione perfectum, ut hi Episcopatus Cardinalium Titulares, sensim evaderent in Titulares illo etiam quodammodo sensu, quo qui dicuntur vulgo *in partibus*, de quibus nos alibi copiosissimè. Commune ut illis utrisque hoc esset, ut cum aliis Episcopatibus geri possent.

Quod verò objectari posset, saltem Episcopatibus aliis Episcopos illos Cardinales onerari non debuisse, in quibus residere nequeant: id verò seponendum in eum locum est, ubi de residentia sermonem faciemus. Anno 1184. Rubertus de Monte Theobaldum perhibet Abbatem Cluniacensem cooptatum fuisse in cœtum Cardinalium: tumque Claromontani Comitis filium Abbatia Cluniacensi investitum fuisse. Necdum ergo usus tum inoleverat, Baron. an.
ut Cardinales alia etiam Beneficia retinerent. Plura 1184. n. 1.
de hac Cardinalatûs cum aliis Episcopatibus facili, aut difficili societate rursus infrà numero XII. disputabimus.

VIII. Accedo jam ad alia laudabilis ejusdem dispensationis exempla, ad Ecclesiæ utilitatem. Cum Eskylus Lundensem totius Daniæ Metropolin diu, sanctissiméque adgubernasset, expugnavit tandem aliquando ab Alexandro III. licentiam semet abdicandi, & in Cœnobium abdendi, reliquo vitæ decursu. Ejus in locum electus est Absalon Roskildensis Episcopus, qui omni animi, viriumque contentione renisus, tum Regi, tum Episcopis & amicis, ut ne sejungeretur à priore sponsa sua, extremam vim sibi adferendam provocatione ad Papam occupavit. Hinc & inde Legati Romam adproperarunt, unde profectus tandem in Daniam Papæ Legatus, fulmina sacra Absaloni intentavit, & tandem obtemperanti Pallium Romanum obtulit, copiamque fecit servandi Episcopatus prioris. *Nam & Absaloni Lundensem Episcopatum assumere jussum, & Roschildensem administrare permissum.* Tanta virtutum lumina miratur Saxo Grammaticus, ex quo hæc hausta, maximè verò cessationem & fugam tantam terrenarum omnium cupiditatum, in iis omnibus, qui huic negotio intervenerunt, ut non possimus non & ipsi mirari, assentiri, & plaudere. Censet Baronius tum primum jussum fuisse Episcopum, duas ut retineret Ecclesias, & quidem justissimas tunc fuisse ejus rei causas, sed non pari in laude fuisse, qui ea deinceps exempla & vestigia consectati sunt. *Quod* Baron. ann.
semel ex causa præsumptum, male apud quosdam tran- 1177. n. 9.
siit in exemplum. Constat tamen non aliud à Papa jussum Absalonem, quam ut Lundensi subeundæ Ecclesiæ assentiretur: permissum verò sibi esse, ut & posset Roskildensem Episcopatum retinere. Id enitescit ex verbis suprà relatis, & ex his rursum: *Geminum concessit regimen, alterum præcepto, alterum indulgentia sortientis.* Quàm casta Absalonis fuerit in his voluntas, tota clamat ejus vitæ ratio.

IX. In Concilio IV. Lateranensi anno 1215. prohibiti sunt Abbates pluribus præesse Abbatiis, Monachi verò pluribus Cœnobiis inscribi. *Ne quis in* Can. 13.
diversis Monasteriis locum habere præsumat, nec unus Abbas pluribus Monasteriis præsidere. In Concilio

Londinensi anno 1268. perspicuè liquet, usque adeo præjudicatum tunc, animoque passim præceptum fuisse; plura simul cum Episcopatu geri non posse Beneficia, ut cùm primùm vacare inciperet Cathedralis Ecclesia, simulatas plerique Beneficiorum suorum ederent resignationes, quò faciliùs in Episcopos eligerentur: sed ea cautione fraudulentissima & collusione cum Patronis, ut Beneficia reciperent, si electione & spe frustrarentur. Damnatur illa à Concilio & effrænatio ambitûs, & regressûs fraudulentia. *Vacante sede quam quis ascendere concupiscit, metuens obtentorum Beneficiorum pluralitate se in suo desiderio posse deficere, ipsa Beneficia resignat, &c.* Infrà demonstrabuntur regulæ omnes Decretalium, & Juris Canonici novissimi, eò vergere & collineare, ut proscribatur accumulatio Beneficiorum, quanquam temporis diuturnitas multis dispensationibus aditum patefecerit, aut cogente necessitate, aut suadente & alliciente charitate.

Can. 33

X. Universales utmitum eæ sunt leges, quibus non collidendæ, sed conciliandæ pro virili sunt exceptiones & dispensationes eæ, quibus authoritas & pondus accessit à sanctis doctisque Præsulibus, necessitati vel utilitati Ecclesiæ obsequentibus: ita ut cui duplex infligeretur sarcina, is nec avaritiæ, nec ambitioni studeret. Ejusmodi fuit B. Fulbertus, qui non potuit non obsequi Aquitaniæ Duci, ut Thesaurariam & Capiceriatum susciperet Ecclesiæ sancti Hilarii Pictaviensis. Rogavit Ducem Fulbertus, ut Clericos ejus aliquos ejusdem regionis his oneraret potius Beneficiis, qui eorum munia expeditiùs obirent. *Mando tibi, & precor absens, id quod tunc præsens intimare volebam, ut constituas tibi alium Thesaurarium & Capicerium, de bonis Clericis qui sunt in tua vicinia, quos via longa & periculosa non disturbet ab officio, sicut me & meos hactenus disturbavit.*

Epist. 105. 118. 130.

Ejusmodi fuit, ut jam diximus, & pius Osuualdus, cui B. Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis obtinuit primò Episcopatum Vorcestrensem, postea Eboracensem, vetito ne Vorcestrensem excuteret, ne Congregatio Monachorum dissiparetur, quam ei Capitulo invexerat. *Nec sedi Vigorniensi renuntiare permissus est, ne Monachorum rectus habitatio alterius sui destitueretur fomento.* Author est Vuillelmus Malmesburiensis, è quo mutuata sunt hæc, successores ejus eodem usos exemplo Episcopatus simul duos retinuisse; at ipsi quidem laudi vertisse, quod charitati & necessitati servisset: successoribus verò non ita; ut quos nec illa adigeret necessitas, nec par charitas inflammaret. *Ipsi pro sanctitate ignoscitur quòd contra regulas Canonum duas sedes tenuerit, quod scilicet non hoc ambitione, sed necessitate tenuerit. Vulstano non ita, qui sanctitate discrepabat & habitu.*

L. 3 de gestis Pont. Ang. pag. 270.

XI. Viderit Lector an ejusmodi etiam fuerit Henricus frater Ludovici VII. Regis Francorum, & Monachus Claravallensis sub B. Bernardo. Creavit illum Eugenius III. Abbatem Generalem omnium Galliæ Abbatum, non loco ejectis, sed ei subjectis cæteris Abbatibus omnibus. Ludovicus Rex frater Abbatias illi omnes contulit Regales, quæ subinde vacabant. Electus fuit Episcopus Bellovacensis, inde & ad Remensem translatus Archiepiscopatum. Hæc carpsimus ex doctissimi viri, & de doctis omnibus benemeriti Gallicanæ Historiæ veteris Scriptorum Compilatoris du Chesne, in suis ad Bibliothecam Cluniacensem Notis. Profert verò ipse verba Joannis de Paria in Chronico ad annum 1149. *Hoc tempore Eugenius Papa Henricum fratrem Ludovici Regis Monachum Claravallensem præfecit omnibus Abbatiis Franciæ, & erat quoque generalis Abbas supra speciales Abbates, &c. Post in fine hujus anni factus est Episcopus Belluensis, &c.*

Pag. 152. 153.

Ad elevandam certè invidiam ex hac Beneficiorum penè monstruosa congerie emergentem, posset aliquis animo recolere singularia pietatis ejus Henrici documenta, cum Monasticam vitam professus est, cùm manu & studio Bernardi excultus est, summi Canonum admiratoris & religiosissimi custodis; cum nihil in præteritis reliquit, ut Episcopatum declinaret Bellovacensem, ad quem electus fuerat; quibus præjudiciis penè cogimur fateri, in ejus culpam & ambitionis criminationem retorqueri non posse illam Abbatiarum accumulationem.

Adde quòd à Pontifice renuntiatus sit tantùm Abbas Generalis Abbatum Franciæ, minimè exclusis singulorum Cœnobiorum Abbatibus: quo scilicet nunc modo Cistercienses & Præmonstratenses Abbates Generales, ut de aliis taceam, Abbates Abbatum potius, quàm Abbatiarum plurimarum sunt, in quo ne umbra quidem aut suspicio subesse potest pluralitatis Beneficiorum.

Postremò non temerè dicet aliquis, in Abbatiis Regalibus, quibus ille investitus fuit, necdum scissas fuisse Abbatum & Monachorum mensas, necdum communium bonorum partitionem factam. Adeoque Regis Principem sanguinis, Regisque germanum, non tam his crescere, his ditescere voluisse Cœnobiis, quàm & illustrare ea, & locupletare, vel Regiæ munificentiæ rivulis, vel Claravallensis sanctimoniæ fluentis eò derivatis.

Successit illi Philippus frater, non tantùm in Archidiaconatum Aurelianensem, quem antè gestarat, sed etiam in complures Abbatias Regales: sed cùm non eædem suffragatæ sint causæ Principi huic Philippo; hinc jure meritissimo concluditur, exemplo saltem perniciosas semper esse has Beneficiorum portentosas accumulationes; ut in innoxiis etiam & piis viris innoxiæ ipsæ non sint. In Chronico Cluniacensi permirum texitur encomium Joannis Borbonii Episcopi Aniciensis, & ex dispensatione Pontificia Callixti III. Abbatis Titularis Cluniacensis, anno 1456. & ejus Ordinis tum in spiritalibus, tum in temporalibus restauratoris. Non infacetum est, quod ibi additur duplici eo conjugio repræsentatum fuisse connubium illud olim Jacobi cum duabus sororibus, quarum mira fœcunditas tam fæliciter cessit propagando Populo Dei. *Quod visum est correspondere copula matrimoniali Jacob Patriarchæ, qui ex divina dispensatione duas sor[...], Liam scilicet & Rachel simul in fœcunditate sobolis [...]buit.*

Suo quisque fruetur judicio, in hac discutienda Callixti III. dispensatione. Si ei cura non fuit nisi utilitas & charitas Ecclesiæ, canonica illa fuit. At id comprobare operosum est. Multa sanè & præclarissima sunt ejusdem Joannis Borbonii Decreta ad Cluniacensis disciplinæ reformationem; quanquam eorum temporum infælicitati & patientiæ accommodata. At multò commendatius est ejusdem Callixti Papæ exemplum, qui cùm Valentinus in Hispania esset Episcopus, postea purpura etiam Cardinalitia illustratus, altero nunquam assensus est onerari se Beneficio, etiam Commendato; ut qui una sponsa, eaque virgine esset contentus. *Dicens se una sponsa, & quidem virgine contentum esse, ut jus Pontificium mandat.* Verba ipsa hæc sunt Platinæ.

In Bibl. Cluniac.

Spond. ann. 1455. n. 7. Raynal. ann. 1458. n. 41

XI. Adnotatum est à Matthæo Paris tempus quo cœperunt increbrescere Romanæ dispensationes, per quas liceret Episcopis pristina retinere Beneficia, maximè Decanatus, saltem ad aliquot annos. Cùm enim anno 1257. Episcopus Salisberiensis ejusmodi dispensationem impetrasset, ait Matthæus id novum quidē nuper, & tamen tam pervagatum tunc jam fuisse, ut nemo miraretur. *Quod nuper novum habebatur, sed jam toties non sine retributione permissum, nulli stuporem generavit.* Agit & paulò inferiùs eadem de re, sed mordaciùs. *Licuit ei retinere pristinos reditus suos per aliquot annos, quod est unum de novitatibus Romæ monstruosis, quas Roma pariendo abortivit.* Modestiùs idem alibi, ubi de Norvicensi Episcopo expostulavit, qui veniam eandem extuderat ad quadriennium, quamvis pinguis esset & opulenta ejus Ecclesia. Denique ubi conqueritur adeo pervulgatas jam eas esse dispensationes, ut vel in eo argumenti satis sit, utilitatis & necessitatis Ecclesiæ jam rationem haberi nullam. *Impetravit*

Idem ad. an. 1257. *dispensationem pristinos reditus suos per quatuor annos retinendi, licet Episcopatus suus sufficienter omnibus bonis instauraretur. Et hoc genus Beneficii in Curia Romana jamjam consuetudinem sortitum est.*

Verùm non paulò æquior ejus expostulatio de Episcopis, qui ad Episcopatus novos, & quidem opimiores translati, prioris Ecclesiæ reditus retinebant.

Ad an. 1251 *Et ut Episcopatûs pristinos reditus retineat, ut multiforme monstrum habeatur. Et ut aliquis Episcopus ad alium Episcopatum ditiorem postulatus transferatur, ut una Ecclesia alterius pellex habeatur.*

Cùm Decanus Brugensis in Flandria Capellæ ad Episcopatum Coventrensem esset vocatus, permissus est ab Eduardo I. Angliæ Rege eundem retinere Decanatum per annos quinque, dummodo Pontificiam dispensationem eliceret.

Consti Reg. Ang. p. 769. *Decanatum qui per electi consecrationem est vacaturus, & ad nostram donationem liberè spectaturus, retineat per quinquennium de gratia nostra speciali, & fructus inde percipiat, si dispensationem ab Apostolica Sede accipiat.* Nec ægrè forsan expugnata est à Pontifice dispensatio: sed an jure & ad utilitatem Ecclesiæ, id verò operæ pretium fuerit scire.

Part. 2. pag. 451. Verba facit alicubi Tilletius de diplomatibus Clementis V. quæ Meldensi & Sylvanectensi Episcopis potestatem faciebant conferendi Beneficia, quæ vacare cœpissent resignatione Episcoporum electorum, Altisiodorensis, Bajocensis & Abrincatensis, conferendi, inquam, iis quos Philippus Rex nominasset. Itaque in Clementem & Episcopos hos non sæviebat Matthæi Paris censura.

XII. Non abstinuisset eadem censura à Cardinalibus, qui vel Titulo vel Commenda Episcopatus obtinent. Vidimus capite superiori n. VII. Archiepiscopos Gallos duos, quos transtulit Pontifex ad Episcopales Ecclesias eas, quæ Titulis Cardinalium sunt insignes, sub regno sancti Ludovici. Circa annum 1245. Innocentius IV. transtulit Archiepiscopum Rotomagensem ad Ecclesiam Albanensem,

Synodicon Rotomag. pag. 251. qui Titulus est Episcopi Cardinalis, successoremque dedit in Ecclesia Rotomagensi Abbatem sancti Dionysii. At Joannes XXII. cùm ad preces Gallorum Regis Philippi Cardinalium Collegio adscripsisset Episcopum Altisiodorensem Talarandum, veniam fecit, ut bimestri tantùm spatio reditus Ecclesiæ suæ retineret, ad Romani itineris expensas.

Rainal. an. 1331. n. 33. *Ut in veniendo possis expensas habiliter supportare, eidem dictam Altisiodorensem Ecclesiam de fratrum nostrorum consilio, usque ad instans festum Magdalenæ duximus commendandam.* Ita ille ad Regem scripsit anno 1331. VIII. Calendas Junii.

Luculenta sunt hæc exordia, ut optandum nil supersit, nisi ut eo res istiusmodi stent gradu, unde initium duxere. Clemens VI. anno 1344. cùm Episcopum Atrebatensem Cardinalatûs purpura exornasset, à vinculo eum prioris absolvit Ecclesiæ. *A vinculo, quo Atrebatensi tenebaris astrictus, per nos de potestatis plenitudine absolutum, ad Cardinalatûs honorem duximus assumendum.* *Ibid. n. 68.* Quibus verbis apertissimè demonstratur, quàm non cohæreret olim Cardinalatus cum Episcopatu, exceptis iis Episcopalibus Ecclesiis, quæ Tituli Cardinalium ipsæmet sunt. Cùm idem ipse Pontifex Patriarchatûs Alexandrini Titulo decorasset Humbertum Delphinum Viennensem, qui paulò antè, anno nimirum 1350. ditionem omnem suam in Philippum Franciæ Regem transtulerat, Archiepiscopatûs Remensis perpetuam illi Commendam largitus est. *Fecit Patriarcham Alexandrinum, & Ecclesiam Remensem sibi perpetuè commendavit.* *Ibid. n. 4.* Ita Scriptor vitæ hujus Pontificis. Dilucidum est, datum id esse utilitati Regni Christianissimi, cujus salute salus Ecclesiæ continebatur; ea fuit optimo & religiosissimo Pontifici idonea causa dispensandi. Ita diuturno annorum sæculorumque decursu variæ incidunt & increbrescunt causæ justissimæ relaxandorum Canonum; est autem difficillimum, ut quod crebra extorquet necessitas, non etiam extundat necessitatis obtentu dissimulata cupiditas.

A Theodorico de Niem, qui triginta annos Romæ traduxerat sub Urbano VI. & successoribus ejus, proditum est in historia Schismatis, ideo *In Præfat.* creasse Urbanum VI. uno die Cardinales numero XXV. quòd tanto ex numero speraret aliquos saltem eorum collatæ sibi dignitati assensuros. Quæ illum spes minimè fefellit. *Simul & semel viginti sex* *L. 1. c. 12.* *Cardinales una die creavit, existimans fortè quod de tanto numero eorum aliqui hujusmodi Cardinales fastigium utique acceptarent; prout nec ipsum fefellit opinio.* Abhorrebant tunc non pauci à Cardinalatu, non solùm propter ambages & angustias illius schismatis, sed quòd eo murice indui non possent, nisi omnibus antè Beneficiis exuerentur. Allecti sunt Cardinalium postea Collegio ab eodem Pontifice tres Electores Imperii, iidemque Archiepiscopi, cum aliis Episcopis Germaniæ. Omnes abnuerunt, & dissensu suo spem frustrarunt Pontificis, qui ultro largiebatur, propriæ administrationem Ecclesiæ unà ut retinerent. *Cardinalatûs honorem acceptare no-* *L. 2. c. 44.* *luerunt, licèt Papa Archiepiscopis & Episcopis præfatis Ecclesiarum sibi commissarum administrationem in spiritualibus & temporalibus quoad viverent eis etiam non petentibus conservasset.* Specialis erat gratiæ & arbitrarii beneficii, quòd Archiepiscopatus & Episcopatus suos retinere permitterentur. Maluere ergo illi Germanici Principes Imperii Ecclesias suas jure suo, quàm alieno beneficio: Titulo, quàm Commenda possidere. Ex eodem Scriptore Gregorius XII. Cardinalibus adscripsit Episcopum Vurmaciensem, à quo & ipso recusata est eminentissima dignitas, verito ne ea admissa daretur sibi successor in Ecclesia Vormaciensi. *Episcopum Vormaciensem* *L. 3. c. 33.* *Gregorius XII. fecit Cardinalem, sed noluit acceptare, timens fortè, quòd si illum acceptaret honorem, alius sibi subrogaretur Antistes in Ecclesia Vormaciensi.*

Verùm ut dilucidius adhuc fiat, quàm non posset Episcopatus cum Cardinalatu tum consistere, præter paucissimos illos Titulo suo ipso Cardinales

Episcopos, memoria recolenda est ejus Cardinalis, quem non electum in Ravennatem Ecclesiam, sed postulatum legimus in Corpore Juris Canonici. Repulsam passi sunt Ravennates ab Innocentio III. ita affirmante, eum Cardinalem Romæ sedem, non universali tantùm, sed & ipsi Ravennati Ecclesiæ, utilitati & ornamento majori futurum, quàm si Ravennati Ecclesiæ affixus fuisset. *Consideravimus quod ejusdem Cardinalis præsentia utilior sit, non solum Romana, sed etiam Ecclesia generali, tam apud Apostolicam sedem, quam apud Ecclesiam Ravennatem. Unde non immerito præferentes speciali utilitati communem; & minori majorem, prædictum Cardinalem vestræ postulationi non duximus concedendum.* Non postulabantur, nisi qui ex Regulis juris eligi non possent. Responsio Pontificis abnuentis, & ratio ab eo deprompta, eandem produnt legem, non sociandi unquam Episcopatus cum Cardinalatu. Non dissimulabat enim Innocentius, si Ravennatis Ecclesiæ sedem Cardinali indulsisset, Roma illi demigrandum, Ravennam concedendum posthac fuisse, & ab iis feriandum officiis, quibus de Ecclesia universa benemerebatur.

Extra De postul. Prælat. C. Bonæ memoriæ.

Certissimè tamen ejusdem Pontificis crebetrimæ fuere Epistolæ ad Vuillelmum Archiepiscopum Remensem, & Episcopum sanctæ Sabinæ Cardinalem. Cardinalatu illum auxerat Alexander III. qui Ludovico VII. & Philippo Augusto Galliæ Regibus arctis cognationis nexibus vinciebatur. Id ergo donabatur favori Regum, aut Archiepiscoporum, Episcoporumque splendidissimis natalibus, ut cum iis præter avitas Ecclesiæ leges dispensaretur. Et ne tum quidem à Cardinalibus Episcopales Ecclesiæ ambiebantur, sed purpuram Cardinalitiam Episcopi prehensabant. Favore autem Regio id eliciebant, ut suæ sibi Ecclesiæ permitterentur.

Diximus jam ex Theodorico de Niem, quod & à Gobelino refertur, Germaniæ Præsules sex, & ipsos maximè Electores, renunciasse sacræ purpuræ, quam illis ultro Urbanus VI. ingerebat, facta etiam venia, ut Ecclesias suas retinerent. Ea fuit autem causa necessaria permittendarum Cardinalibus Ecclesiarum, quas priùs administrassent, quòd alioqui abnuebatur Cardinalatus, in quo tamen Ecclesiæ universæ operam industriamque suam utilius tum navassent. Anno 1426. à Martino V. albo Cardinalium inscriptus est Joannes de Rochetaille Archiepiscopus Rotomagensis, solutusque vinculo quo ei Ecclesiæ illigabatur, quamvis & eam retinere sineretur; quòd jam sæpissimè ea indulgentia utendum fuisset, ne à Cardinalatu resilirent, qui eo collato prioribus omnibus Beneficiis excutiendi erant. *Quod aliquibus de Ecclesiis quibus præerant, evocatis ad statum Cardinalatus, ex hujusmodi causa eadem Ecclesiæ sunt dimissæ, per illos sicut antea in spiritualibus & temporalibus gubernandæ: & hoc sæpius expertum est Ecclesiis talibus profuisse.* Verba ea ipsissima sunt Rescripti Pontificii. Invaserat tunc Rex Angliæ plerasque Gallicani regni Provincias & Civitates. Ab eo ergo concessum est huic Cardinali, ut Archiepiscopatum retineret, ea cautione, ut cùm primùm assentiretur induendo Cardinalatui, à Regiis Ministris occuparetur Ecclesia Rotomagensis, ut jure Regaliæ vacans, nec ei restitueretur, nisi post novum fidei sacramentum, in Cancellarii manus præstitum, pollicitoque Roma rediturum, aut undecumque, quando à Rege revocaretur.

Spond. an. 1385. n. 3.

Marca de Concor. Praf. n. 14.

Ita prisca illa lex, quæ Cardinalatui vetabat sociari Episcopatus Roma paulò remotiores, jam evanuit, nec apparet nisi in vestigiis quibusdam, quæ impressa observantur adhuc in Stylo Curiæ Romanæ. Ideo & Prosper Fagnanus prolato testimonio Cajetani, aientis, ex jure sociari non posse Cardinalatum Episcopatui, quanquam juri consuetudo derogarit; si consuetudo tamen ea sit, & non potius corruptela. *Si tamen consuetudo, & non potius abusio appellanda est.* Addit vehementer consentire eam doctrinam Stylo Curiæ, ut Cardinalibus Romæ residentibus Papa Episcopatus in Commendam tantùm, non in Titulum conferat.

Fagnan. l. 1. Part. 1. pag. 178.

XIII. Mirum magis est, quod in Actis Tridentinæ Synodi id ponatur quasi certum, posse Episcopatus Cardinalibus conferri. Quando enim prohibuit ea Synodus, ne quantacumque quis præcellat dignitate, plures Cathedrales Ecclesias retineat, sive Titulo, sive Commenda, Cardinales designasse videtur; quibus fas est unam retinere. Et ubi definitum est Episcopos nunquam absolvi lege residendi, tametsi sint Cardinales, eosdem esse passa est, & Episcopos simul, & Cardinales. Inde est quod fatetur Fagnanus, nulla jam dispensatione opus esse, ut Episcopatum priorem retineat, qui Cardinalatu decoratur. Confitetur tamen ipsemet longè optatius & conducibilius fore, ut alia suppeditarentur Cardinalibus vitæ & dignitatis sustentandæ adminicula, Ecclesiis verò non adsignarentur nisi Pastores ii, qui illis abesse & subducere se nunquam cogerentur. *Fateor consultius fore, ut aliunde suppeditentur Cardinalibus necessaria ad eorum dignitatem decenter sustinendam: & Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis præficiantur Pastores, qui in illis possint assiduè residere, sine detrimento Ecclesiæ universalis.*

Sess. 7. c. 2. Sess. 24. c. 17.

Sess. 23. c. 1.

Utcumque tamen obviatum est malo, quod maximè reformidabatur, aucto supra modum numero Cardinalium, qui septuaginta jam quandoque numerantur, cùm viginti admodum tantum essent olim, quando vigebat ea lex, quæ eos Episcopatibus arcebat. Itaque tam pauci numero cùm essent, vix Romæ & Pontifici suffragari se poterant. At verò nunc & satis magno numero poterunt Romæ superesse, & reliqui Episcopalibus Ecclesiis per orbem, quibus affixi fuerint, præsidere, & Concilii Tridentini Decretis obsequi. Professa est ipsa Congregatio Concilii, à Tridentino Concilio lege residentiæ in omnes Episcopos publicata, constringi etiam Cardinales. Declaratum ab eadem est, non posse Cardinales retinere nisi unam Cathedralem Ecclesiam, sive Titulo, sive Commenda, neutiquam autem alteram Titulo, alteram Commenda, quæ mera fuerat aliquandiu juris ludificatio. Cùm enim perpetuæ jam sint Commendæ, meritò Tituli instar habent.

Ibid. Fagn. pag. 279.

XIV. Quos Paulus III. percontatus est Cardinales & Consultores alios, ad mores Ecclesiæ meliorem in formam revocandos: pro suo illi purissimo zelo vehementer efferbuerunt adversùs Beneficiorum incompatibilium pluralitatem, & adversùs dispensationes id genus; potissimum verò ad Episcopatus. *Abusus alius, eadem calliditate inventus. Nam quædam Beneficia incompatibilia jure sunt & appellantur; quia ex ipsa vi nominis majores nostri admonere nos voluerunt, non debere ea uni conferri. Nunc in his dispensatur, non tantum duobus, sed pluribus, & quod pejus est, in Episcopatibus. Hunc morem, qui ob avaritiam tantum invaluit, tollendum ducimus, præsertim in Episcopatibus.*

Sed illud multò admirabilius, quod Consultores

ii, quorum plures Cardinales erant, vehementer exarserunt adversùs eam licentiam, qua Cardinales Episcopatus gerebant, vel Titulo, vel Commenda, & quidem plures quandoque. Fidenter Pontifici renunciarunt, unà consistere & sociari non posse Cardinalatum & Episcopatum, quòd ex officio tenerentur Cardinales apud Apostolicam sedem residere, & Pontifici collaborare in regenda Ecclesia universali. Porro legibus Ecclesiasticis illos obligari multò arctiùs, quàm cæteros Præsules, cùm Præsulibus cæteris omnibus suo ipsi maximè exemplo debeant prælucere. Denique Principum terrenorum rationibus, affectibusque ubi implicantur Cardinales, & Episcopatibus per eos augentur; eorum studiis partibusque tum illos addicti, atque ita eos jam non esse, qui in commune consulere, & communi omnium parenti à consiliis esse possint. Hinc fore optatissimum, ut sui Cardinalibus proprii essent proventus, nec arduum id fore, si aurea mediocritate contenti esse vellent. *Aliut abusus invaluit ut Reverend. Cardinalibus Episcopatus conferantur, sin commendentur, non unus tantùm, sed plures: quem, beatissime Pater, putamus magni esse momenti in Ecclesia Dei. Primò quidem, quia officium Cardinalatus, & officium Episcopi incompatibilia sunt. Nam Cardinalium est assistere Sanctitati tua pro gubernanda universali Ecclesia: officium autem Episcopi est, pascere gregem suum, quod praestare bene, & ut debet, haud potest, nisi habitet cum ovibus suis, ut Pastor cum grege. Praterea, Pater sancte, hic usus maximè obest exemplo. Quomodo namque hac sancta sedes dirigere & corrigere aliorum abusus poterit, si in pracipuis membris abusus non tollentur. Nec ob id quod Cardinales sint, putamus eis magis licere transgredi legem, immo longè minus, Horum enim vita debet esse aliis lex: nec imitandi sunt Pharisai, qui dicunt, & non faciunt: sed Christus Salvator noster, qui incepit facere, & postea docere. Amplius hic usus nocet in Consultationibus Ecclesia. Nam hac licentia fomentum est avaritia. Ambiunt Cardinales à Regibus & Principibus Episcopatus, à quibus postea dependent, nec possunt libere sententiam dicere; immo si possent & vellent, fallerentur tamen passione animi in judicando perturbati. Ideo utinam hic mos tolleretur, & providerentur Cardinalibus, ut possint honestè pro dignitate vivere, omnibus aquales redditus. Quod putamus facilè fieri posse, si vellemus abjicere servitutem mammona, & Christo tantum servire.*

XVI. In eandem Beneficiorum pluralitatem stomachatur Bellarminus Cardinalis in Epistola ad Nepotem; quoniam verò plerique fucum sibi ipsi faciunt, obtentaque Papæ dispensatione, confidunt nullius se culpæ affines esse: ille contra excipit, Dispensationes eas valere in furo quidem exteriori; at patrocinium, quo conscientia tuta sit, acciri inde non posse, nisi justæ sint, & ad publicam Ecclesiæ utilitatem dirigantur Dispensationum
Controv. 6. causæ. *Sciendum Pontificiam dispensationem, quando non subest justa causa dispensandi, valere in foro fori, sed non in foro poli, &c. Sine urgentissima causa eademque Ecclesia necessaria, non potet citra atrocem culpam super hoc dispensari.* Profert mox & verba Dominici Soto, aliorumque Theologorum, quibus se consentaneum esse profitetur, ajentibus, nisi justis causis nitatur Papæ dispensatio, frustra esse, & in summo versari periculo, qui illi innitantur. Nec enim Canonum dominus est Papa pro arbitratu, sed Dispensator fidelis; eoque nec prohiberi ab eo posse, quin dispensatio injusta, & ei exitio sit qui petit, & ei qui petentem audit. *Sed ais fortè ille cum quo dispensatum est, Papa dispensavit, ipse sibi viderit, ego immunis sum. Hic tamen cavillus securos multos reddit, tutum verò neminem. Quoniam Papa non est dominus, ut identidem dictum est, sed dispensator: ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est: & qui ea utitur, eadem semper irretitur iniquitate.* Hoc freti Bellarmini præsidio, non gravabimur ea referre B. Thomæ Aquinatis verba, quæ ipse beato tribuit Bernardo. Iis autem significatur aucto Beneficiorum numero, augeri & pœnarum pondus. *Qui non unus, sed plures est in Beneficiis; non unus, sed plures erit in suppliciis.*

XVII. Proposita est Clementi VIII. Papæ ab eodem Bellarmino Beneficiorum pluralitas, tanquam certa pernicies ab Ecclesiæ moribus amolienda, cùm in eo succinat S. Thomas B. Bernardo, flagitiosam eam esse pluralitatem; & ne dispensationibus quidem eam satis emaculari posse, nisi quarum justissimæ sint causæ ad utilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ: *Ob magnam necessitatem, vel certè causa majoris utilitatis.* Postremò Pontificem monet Bellarminus, eam B. Thomæ doctrinam, omnium passim Theologorum consensione muniri. *Et hanc doctrinam sancti Thoma omnes Theologi probant.*

Sed sigillatim monebat Bellarminus, usum quidem illum esse, ut Cardinales Episcopi alium præterea Episcopatum retineant, at minus tutum forsan esse, cùm non utilitati ille, aut necessitati sit accommodatus Ecclesiæ, sed amplificandæ Cardinalium dignitati, vel augendis proventibus: *Quare timendum est, ne fortè non sint in conscientia tuti, qui aliquando duas Ecclesias habent unam Cardinalitiam, aliam non Cardinalitiam. Causa enim cur Episcopis Cardinalibus dua permittantur Ecclesia, non videtur esse necessitas, vel utilitas Ecclesia, sed major persona dignitas, vel commoditas.* Respondit Pontifex ea qua solebat moderatione animi, & humanitate, suos Cardinales Episcopos pluribus gaudere Episcopatibus; multa indagine à prædecessoribus suis eam quæstionem versatam fuisse, etiam post Concilium Tridentinum: nec tamen à prisca consuetudine eos vel transversum unguem deflexisse. Adduci se non posse, ut tot ante se Pontificum judicia, Cardinaliumque damnet, aut concutiat, aut antiquissimum sacri Collegii ordinem labefactet, Ecclesiamque iis objiciat scandalis, quæ non injuria metuantur, si quid hîc novetur. *Quoad istam poligamiam, ea interdum est solum in istis sex Episcopatibus Cardinalitiis, circa quos nihil mutandum duximus: cùm à pradecessoribus nostris etiam post Concilium Tridentinum res hac examinata fuerit, & ita constituta. Et turbare ordinem Collegii, & redarguere facta pradecessorum nostrorum, & tot Cardinalium, non visa fuit nobis res, qua sine scandalo fieri posset.*

Palam est hîc verò in ea controversia de sex Episcopalibus Titulis Cardinalium, & dubitationem, & argumentationem Bellarmini, regulis generalibus nixam fuisse omnium in commune Episcopatuum: minus expensa natura & conditione eorum Episcopatuum sex, ab annis octingentis, aut nongentis amplius, ab aliis longo intervallo sejunctorum. Multò minùs id perscrutari vacaverat Clementi; cui & erat, & esse debebat præsumptum id, & præjudicatum, tot Pontifices Antecessores suos, totque Cardinales doctrina & religione præstantissimos, qui eos Episcopatus obtinuerant, nihil in eo commisisse contra Canonicas sanctiones. Quod autem à nobis supra de his Cardinalitiis Episcopatibus disputatum est, si animo nunc recolatur,

manifestum fiet. Bellarmini quidem zelo gratias agendas laudesque refundendas esse: at eo nomine præconiis nostris cumulandum Clementem, qui tam constanter adglutinaverat se usibus antiquissimis, & traditioni certissimæ ejus Ecclesiæ, quæ princeps & magistra esset omnium orbis Ecclesiarum, & in qua sex illi Episcopatus longè alia fuerant ratione administrari, quàm cæteri per orbem omnes.

CAPUT VI. *P. 4. l. 2. c. 58.*

De pluralitate Beneficiorum infra Abbatias & Episcopatus. At primùm quæ sint Conciliorum Constitutiones usque ad annum millesimum trecentesimum.

I. Tum maximè increbuit perversitas pluralitatis Beneficiorum, cum defecit stirps Regia Caroli Magni. Canones bene multi a Conciliis tunc conditi sunt, ut ei pesti occurreretur.

II. Hi Canones infringere non potuere licentiam accrvandi Beneficia ea, quibus nec animarum impendebat cura, nec lex residentiæ. Mille colludendi artes in ipsa Curata Beneficia excogitatæ sunt. De Vicariis. De Commendis. De Beneficiis, quæ captabant post mortem anni perceptos proventus vestiri, &c.

III. Nonnulla in eos Canones observantur, & in necessarias eorum subinde relaxationes.

I. Concidente Caroli Magni Imperatoria, Regiaque stirpe, et Rempublicam, et Ecclesiam afflixere calamitates, & vitiorum pestes, quibus medicina fieri postea non potuit, nisi multo ejus charitatis lenocinio, quæ minores tolerat interim morbos, ne majores irruant, aut ægrescant. Inter eas degenerantis tum disciplinæ labes, meritò numeramus latè pervagatam simoniam, & plurium in unum aliquem accumulationem Beneficiorum. Detonuere in has profanas sacrilegasque nundinationes Synodi, Pontificesque, cùm primùm ipsa Caput & fons omnium Romana Ecclesia respirare cœpit ab illa servitute & oppressione tyrannica, qua diutissimè elisa gemuerat.

Anno 1059. sub Nicolao II. in Romana Synodo damnata est Beneficiorum pluralitas, saltem in Ecclesiis Parochialibus. *Nec aliquis Presbyter duas Ecclesias simul obtineat.* Anno 1060. Concilium Turonense, ubi præerat ejusdem Papæ Legatus, pluralitatem quorumcumque Beneficiorum explosit. Can. 5. *Confirmamus etiam, ut nemini in unius civitatis Ecclesiis quisquam amodo aliquod Clericale officium accipiat. Quod qui pravaricatus fuerit, canonica ultione feriatur.* Tergiversari aliquis potuisset, eo Canone non vetari, quin plura obtineri possint Beneficia in eadem urbe, cùm resideri in iis singulis possit. At Concilium Pictaviense anno 1078. sub Gregorio VII. eam elisit cavillationem quorumlibet Beneficiorum accumulatione damnata, damnataque simonia, ejus plerumque pestis parente. Can. 5. *Ut nemo Episcopatum, Abbatiam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Prebendam, vel alios Ecclesiasticos honores, vel in duabus Ecclesiis Prelationes exerceat, nisi in una tantum. Et neutrum horum quisquam per pecuniam acquirat.*

In Concilio Placentino anno 1095. Episcopis id modò indultum est, ut ubi urgeret necessitas, duæ uni Parocho Ecclesiæ crederentur. Can. 15. *Omninò in duabus aliquem titulari Ecclesiis non liceat, sed unusquisque in qua titulatus est, in ea tantùm Canonicus habeatur. Licet enim Episcopi dispositione, unus diversis præesse debeat Ecclesiis, Canonicus aut Prebendarius nisi unius tantùm Ecclesiæ, qua conscriptus est, esse non debeat.*

Anno 1095. Concilium Claromontanum, nec in eadem Ecclesia, nec in diversis urbibus plura obtineri Beneficia concessit. *Nulli Clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas Prebendas obtinere, cum duos titulos habere non possit. Ut omnis Clericus ad eum titulum ad quem primum ordinatus est, semper ordinetur.* Can. 12. 13. 14. Quo, ut vides, Canone nudatur eorum fraudulentia versipellis, qui Ordines superiores suscipiebant sub titulo singulos aliarum & aliarum Ecclesiarum, atque ita stipis aliquid colligebant ex earum singulis, quod eodem revolvebatur, acsi plura obtinerent Beneficia. Denique eodem Concilio prohibetur, non Præbendas tantorùm plures, sed & quoscumque Beneficiorum gradus in eadem Ecclesia possideri. *Ut nullus deinceps in una Ecclesia geminos honores habeat.*

Anno 1100. in Concilio Pictaviensi sub Paschali II. superioribus decretis omnibus novum robur additum est. Can. 16. *Ne qui in duabus Ecclesiis duas Prebendas, aut duos honores obtineat.* Quo excluditur Beneficiorum pluralitas, non in eadem Ecclesia, aut in diversis urbibus: quod proscriptum jam satis superque fuerat superioribus Synodis; sed in diversis ejusdem urbis Ecclesiis. In Concilio Londinensi anno 1125. prohibitum est, ne quis plura diversi ordinis Beneficia impetraret: quo nimirum obtentu synodicis legibus illudebatur. Can. 12. *Ne uni personæ Archidiaconatus, vel diversi ordinis tribuantur honores.* In Concilio Londinensi anni 1127. vetiti sunt Archidiaconi, ne pluribus in Ecclesiis Archidiaconatus obtinerent. In Concilio Lateranensi sub Alexandro III. anno 1179. Can. 8. Dignitatum, Parochiarum, & Canonicatuum pluralitas exsibilata est, & eorum execrationi fuit prodigiosa ingluvies, qui quinque sexve ejusmodi Beneficia invaderent, cùm ne duorum quidem munia ab uno obiri possint. Can. 13. 14. *Quia nonnulli modum avaritia non ponentes, dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales contra sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere, ita ut cùm unum officium implere vix sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimarum; ne id de cætero fiat, districtiùs inhibemus, &c. Quia in tantum quorundam jam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed sex, aut plures Ecclesias perhibeantur habere, &c.* In Concilio Parisiensi anno 1212. Par. 1. c. 29. Par. 2. c. 17. prohibitum est, ne Clerici duas Parochias, ne Monachi duos gerant Prioratus vel Obedientias.

II. Vetuit Concilium Lateranense IV. sub Innocentio IV. anno 1215. ne Abbas quisquam duas gerat Abbatias, ne Monachus duobus Monasteriis inscribatur. Innovatum est & ibi Decretum Concilii Lateranensis III. ne quis unus gestaret simul dignitates duas, aut Parochiales Ecclesias, aut Præbendas duas in eadem Ecclesia, nisi dispensaret Sedes Apostolica in gratiam virorum nobilitate & eruditionis copia præcellentium. Can. 13. 29. 32. *Ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas & plures Ecclesias Parochiales reciperet, &c. Hoc idem in personatibus decernimus observandum.* Additum est, quo primùm temporis puncto suscepisset quis alteram Ecclesiam Parochialem, jam tum priorem vacare cœpisse. Ita præfigebantur limites Beneficiorum pluralitati, sed per quos tamen liceret adhuc multifariam plura possideri. Poterat enim adhuc ex hoc ipso Concilio Ecclesia Parochialis geri cum Canonicatu; cùm ibi præcipiatur, si quis Canonicatum sit adeptus, cui adnexa sit & unita Parochialis Ecclesia, ipsi quidem residendum esse in Canonicatu, perpetuum autem Vicarium in Parochiali Ecclesia constituendum. *Nisi*

fortè Præbenda, vel dignitati Parochialis Ecclesia sit annexa. In quo casu concedimus, ut is qui talem habet Præbendam vel dignitatem, cùm eum oporteat in majori Ecclesia deservire, in ipsa Parochiali Ecclesia idoneum & perpetuum studeat habere Vicarium canonicè institutum.

Anno 1233. in Concilio Biterrensi posita ob oculos fuit lex utriusque Concilii Lateranensis III. & IV. qua vetita non est nisi pluralitas ejusmodi Beneficiorum, quibus vel residentiæ lex incumberet,
Can. 12. vel cura animarum. *Statutum Concilii recolens, quo cavetur, ut quicumque receperit Beneficium, habens curam animarum, vel residentiam annexam, si prius tale Beneficium obtinebat, eo sit ipso jure privatus; & si fortè illud retinere contenderit, etiam alio spolietur.*

Quanquam autem his decretis non proscriberetur, nisi vel Parochiarum, vel Canonicatuum pluralitas, & quibus residentiæ lex esset illigata: de cæteris autem Beneficiis nil decerneretur, ne vel sic tamen satis illis obtemperatum est. Perspicuum id fit ex Concilio Londinensi anni 1237. ubi Legato Pontificio austeriùs sæviente in eos omnes qui plura obtinerent citra dispensationem: sideuter
Raynal an. in eum insurrexere Episcopi, & à proposito deter-
1237 n. 45. ruerunt: cùm urgerent, multitudine & procacitate
Ann. 1238. eorum, quibus canonica hæc ultio intentabatur,
n. 40. gravissimam perturbationem, quin & secessionem excitari posse.

Ex his porro facilè intelligitur, 1. quanta providentia & charitate tunc toleratum sit, ut cætera Beneficia quis etiam plura obtineret, dum ne id genus essent, quibus vel residentia, vel cura & regimen imminet animarum. 2. Sed & in his quæ incompatibilia jam dici cœperant, necessarias quandoque fuisse dispensationes, cùm hîc tumultuarum videas, & ad gravia ventum dissidia, ubi accingere se cœperat Legatus ad eos omnes coërcendos, qui plura ejusmodi incompatibilia invasissent, nulla sibi facta Canonum venia. 3. Hoc denique Concilio patefacta est, & explosa eorum ludificatio, qui opulentæ Parochiæ Vicariatu, cùm opima frugum parte investiebantur, aliaque interim retinebant Beneficia, quæ cum ipso Parochiæ titulo sociari
Can. 10. non potuissent. *Sic eluditur ille dolus, quo assignata sæpè alicui nomine personatûs modico, simulatè dabatur ei Ecclesia sub ficto nomine Vicaria; qui timens alia Beneficia perdere, metuebat eam recipere, ut persona.* Ea-
Can. 5. dem strophа damnata anno 1238. in Concilio Campiniacensi, ubi Parochi, alterius Parochiæ non Titulum, sed Vicariatum sibi resignari curabant.

Alio quoque astutiæ ingenio grassata est tunc avaritia Clericorum, ubi qui unius jam oneratus erat Titulo Parochiæ, ei altera commendabatur. Aures hic accommodandæ Canoni Concilii Salmu-
Can. 28. riensis anno 1253. *Episcopi & alii Prælati commendant unam vel duas Ecclesias Parochiales in animarum suarum periculum & scandalum plurimorum, ut sic habeant Commendatas, quas secundùm Canones non possunt habere intitulatas.*

. In Concilio Nannetensi anno 1264. Capellæ memorantur aliquæ, in quibus necessariò sit residendum, & quæ adeo cum aliis eadem lege astrictis
Can. 6. sociari non possint. *Si verò quispiam Capellaniam adeptus fuerit, quæ residentiam debeat personalem, ipso jure vacet primum Beneficium, quod similiter residen-*
Can. 6. *tiam requirebat.* In Concilio Viennensi Austriæ an-
Can. 30. no 1267. in Londinensi anno 1268. in Lugdunensi
Can. 18. anno 1274. editi sunt Canones, quibus edicitur, ut qui dispensationes Papæ venditant, eas repræsentent Prælatis. At Londinensis ejusdem authoritate objurgati sunt Episcopi, quòd sua commendandi Ecclesias potestate effusiùs abuterentur; vetitique sunt, ne plusquam unam uni posthac commendarent, idque invitante facerent utilitate Ecclesiæ, nec iis Commendam quamcumque adderent, qui Curato jam Beneficio gravarentur. *Uni-* Can. 51.
versas Ecclesiarum commendationes hactenus cuicumque factas, nisi ex evidenti utilitate, unius tantùm Ecclesia commendatio facta sit, penitus revocamus, &c. Statuimus, ne cuiquam ultrà unum cum cura animarum Beneficium obtinenti, Ecclesia commendetur, neque plures Ecclesiæ alicui personæ valeant commendari.

In Concilio Salmuriensi anni 1276. declaratum est potuisse Episcopos dispensare, ut Parochia retineretur cum Capellà residentiam flagitante. Ex quo id emergebat, in Conciliis Lateranensibus ei pluralitati derogatum non fuisse. Indignati sunt ejus Concilii Patres, quòd Lateranensis Concilii authoritate necdum deterreri potuissent Monachi, quin pluribus simul Cœnobiis inscriberentur. Iterata tum ergo ea cautio est, additæque pœnæ, si pertendat Monachus, *ut intitulari valeat in utroque.* Quo apertum fit, Monachi in Monasterio sedem inter Beneficia numerari. Damnantur denique in hoc eodem Concilio Monachi, qui sive in uno Cœnobio, sive in pluribus plurima sibi induent officia, vel administrationum nomina, nisi cùm illis dispensarit Episcopus. *Eadem pœna illis Monachis imponenda,* Can. 12.
qui plures Administrationes seu Officia in eodem Monasterio, vel diversis, absque Diœcesani consensu de cætero præsumpserint obtinere.

In Concilio Provinciæ Cantuariensis, quod ad Redingamum coiit anno 1279. innovatum est statutum Concilii Lugdunensis II. anni 1274. quo jubebatur, 1. Ut ne Episcopi Parochiales Ecclesias in Commendam darent, nisi iis qui Presbyteri essent, aut ætatem ei Ordini consentaneam attigissent. 2. Ne uni nisi unam commendare possent. 3. Ne id quidem tentarent, nisi quo Ecclesiæ utilitati vel necessitati provisum esset. 4. Denique ne ea Commenda ultra sex menses prorogari posset. *Nec tali* Can. 14.
etiam nisi unam, & evidenti necessitate, vel utilitate ipsius Ecclesiæ suadente, commendare nemo præsumat. Hujusmodi autem Commendam declaramus ultra semestris temporis spatium non durare.

In Concilio verò ejusdem Provinciæ apud Lam- Can. 6. sy.
bethum anno 1281. vetitum est, ne peccatorum nexibus in foro pœnitentiæ solverentur, qui plura retinerent Beneficia, nimirum incompatibilia; & quidem sine dispensatione: quod & in Concilio suprà Reddingensi jam statutum fuerat. *Quicumque* Can. 11
plura Beneficia curam animarum habentia absque Sedis Apostolicæ dispensatione receperit, &c. In Concilio Pictaviensi anno 1284. prohibiti sunt Parochi ne Capellas simul obtineant, nisi quarum sint Fundatores, vel si consentiat Fundator, ut duo simul habeantur, aut si denique alterutrius Beneficii reditus tam tenues sint, ut Parocho sustentando minùs sufficiant. *Habens Capellaniam, ne de cætero ad Parochia-* Can. 11
lem Ecclesiam admittatur, nisi fuerit fundator Capellaniæ, vel nisi processerit, de novi fundatoris Capellaniæ assensu; vel nisi neutrum Beneficiorum prædictorum per se sufficiat ad congruam Rectoris seu Servitoris proprii sustentationem. Minùs autem sufficere reditus mox perhibentur, si quindecim libras non exæquent. Synodus Excestrensis anni 1287. licentiam facit administrandæ per Vicarium Ecclesiæ, si ea unita sit Dignitati cuipiam, vel Præbendæ. Id enim

Can. 9. 19 Jure ipso concedi. *In quo casu ipsos habere Vicarios canonicè constitutos, à Jure novimus esse permissum.* Synodus Coloniensis anni 1300. innovavit Bonifacii VIII. Constitutionem, qua nemo permittitur habere in una & eadem Ecclesia plures quàm unam Dignitatem vel Præbendam. Eodem anno id
Can. 10. 11 ipsum confirmatum est in Concilio Augustano; jussique sunt omnes qui Parochias admiserant eo tantùm consilio, ut unius anni reditus suffurarentur, quidquid fructuum percepissent, restituere.

III. Ex hac Canonum serie nonnulla antè eliciemus, quàm ad Pontificum Decretales pergamus, similiter pertractandas usque ad annum 1300. 1. Illud Ecclesiæ optatissimum fuerat, ut tota proscriberetur Beneficiorum qualiumcumque pluralitas; tentatum illud etiam est, sed inauspicato & irrito conatu. Qui suprà allegati sunt Canones ad Concilia usque Lateranensia III. & IV. universim expungere videbantur quamcumque pluralitatem, quanquam apertiùs crebriúsque illam execrarentur Beneficiorum, residentiam quæ indicerent, vel animarum curam. 2. Sed cùm medicamentis non cederet lues inveterata, molliendi necessariò fuere Canones, & minoribus malis connivendum fuit, quò exitialioribus fieret medicina. 3. Tunc ergo cœptum distingui compatibilia & incompatibilia Beneficia; & incompatibilitas ipsa non à sola profecta est animarum cura, sed & à residentia. Tunc denique cœptum est dispesci Beneficia, quæ necessariam, & quæ liberam facerent residentiam. 4. Quàm necessaria fuerit Lateranensium Conciliorum indulgentia, jurisque strictioris remissio, plus satis comprobatum est, tot cuniculis, artibusque, quibus grassati sunt passim, ut eorum vim eluderent. Parochiam cum Capellania, sive cum succursali animarum regimen gestantis obtinuerunt. Plures Parochias invaserunt, alteram personæ, alteram Vicarii nomine. Rursus alteram Titulo, alteram Commendatam. Patroni ipsi & Episcopi his Vicariatibus & Commendis authoritate sua suffragabantur. Canonicatus & Dignitates plures in Ecclesia eadem usurparunt, ita enim residentiæ præcepto vel satisfaciebant, vel illudebant. Unitæ sunt Præbendis, & Canonicatibus, & Dignitatibus Parochiæ. Extundebantur Pontificibus dispensationes, & qui eas elicere non poterant, simulatione & terrore eandem licentiam consequebantur.

CAPUT VII. *P. 4. l. 2. c. 59.*

Jura Decretalium circa pluralitatem Beneficiorum.

I. Pluralitatis exempla usurpata, Decreta damnata, & remissius damnata, propter innumerabilem & tumultuosam multitudinem prævaricatorum, maximè in Gallia.

II. Juris Decretalium rigor, ut ne quod ultra Beneficium erogetur, jam habenti, quanquam minus sufficiens, aut pensionem habeat.

III. Consecrati statim Episcopi vacant cætera Beneficia omnia.

IV. Longè pulcherrima Innocentii III. placita, necessaria cum dispensatione tolerari posse aliquando Beneficiorum pluralitatem, tolerari verò nunquam debere superfluitatem.

V. In Sexto & Clementinis eadem promocat aversatio pluralitatis. Refelluntur eorum cavilli, qui censent Beneficia simplicia omninò accumulari posse, ut quæ residentiam non deposcant.

VI. Joannis XXII. Decreta adversus pluralitatem hanc.

VII. Nec minus strenuè cæteri deinceps Pontifices pluralitatem detestati, & quantum dabatur, ei obluctati sunt.

I. EX Pontificum Decretalibus iis, quæ in corpus Juris Canonici novi consarcinatæ sunt, magis magisque dilucescet, provida & ineluctabili dispensatione dissimulatam ab Ecclesia fuisse quorundam pluralitatem Beneficiorum, in quibus minùs necessarium erat resideri, & quibus nulla salutis animarum cura esset inflicta; eam porrò Juris in eo remissionem ad id pertinuisse, ut toto vigore animi & omni contentione certaretur, ad elidendam funditus pluralitatem eorum, quibus vel residentiæ, vel curæ animarum obligatio esset conjuncta.

Patrocinium sibi sumpsit Gregorius VII. Aure- L. 3. Ep. 17.
lianensis Præpositi, qui Abbas erat, adversùs Episcopum, qui molestiam illi facessebat. Hugoni Franciæ Cancellario confirmatus est ab Adriano IV. Archidiaconatus Atrebatensis, quo ab ejus Episcopo urbis donatus fuerat; quin & ab eodem datæ sunt litteræ ad Episcopum & Clerum Parisiensem, quò Præbenda eum suæ Ecclesiæ aliqua augerent. Aure-
lianensi idem Pontifex Capitulo succensuit, quòd Epist. 10 12.
non eundem, absentem licèt, Ecclesiæ suæ Præ- 13. 14. 20.
benda potiri annuisset. Jam verò ex iis Epistolis, quibus eidem Cancellario gratias egit impensissimas idem Pontifex, de navata strenuè opera, ad resarciendam inter Franciæ & Angliæ Reges pacem; facilè auguramur, graves justasque fuisse causas annuendæ hujus Cancellario dispensationis, ut qui Regni & Ecclesiæ promovendis utilitatibus esset addictissimos.

Ratam sanxit esse Alexander III. concordiam inter Episcopum Suessionensem & Capitulum initam, qua convenerat eis, ut mortuo Cantore, qui Append.
duas retinuerat Præbendas, Episcopus alteram no- R gist. 21.
vo Cantori, alteram cui vellet, conferret: post 92.
obitum verò novi Cantoris utramque in potestate haberet. Ita plures Præbendas quandoque unus, vel cum Dignitate obtinebat. Cantori sancti Aniani Aurelianensis idem Pontifex Præposituram & Præbendam habendam permisit, cùm Cantoris dignitate eum propter non leves culpas spoliasset. Eo tempore unus idemque geminum gerebat Ar-
chidiaconatum; Tolosæ & Burdegalæ. Mandavit Append.
Pontifex Archiepiscopo Burdegalensi, ut eum co- Conc. Later.
geret alteri Archidiaconatui renuntiare. Rescripsit Par. 24. c. 5.
idem Pontifex ad Archiepiscopum Eboracensem, Par 30. c. 1.
Archidiaconum abstinere debere Præbendis Eccle- 2. 7.
siæ, nisi ea propria vigeret ibi consuetudo, aut menses saltem sex in eis resideret. Scripsit & ad Episcopum Londinensem, si qui Clerici jam Beneficia obtineant, non posse eos alia consequi ulla Rescriptis Pontificiis ullis, nisi quibus eorum mentio fiat, quæ jam ab illis obtinentur. Scripsit & ad Episcopum Lincolniensem, iniquum esse, ut Archidiaconus, qui ejus Ecclesiæ sedulò ministrabat, nulla ibi Præbenda donaretur.

Venio ad eas quæ corpore Juris clauduntur Decretales. Probro vertit idem Pontifex Episcopo Januensi, quòd Parochum unum geminæ Parochiæ incubare pateretur, atque ita videretur in Italiam invehere illam Galliæ inveteratam corruptelam, cui vehementer indolescit Sedes Apostolica, fœdissimam Beneficiorum scilicet redundantiam, in unum aliquem congestorum: & indolescit tantùm, & non ulciscitur, propterea quod multitudini quidquid pecca-
tur, inultum est. *Mirabile gerimus & indignum, quod* Extra. De
uni personæ locum in pluribus Ecclesiis velis concedere, Præb. & di-
vel in Episcopatu tuo inducere consuetudinem Ecclesiæ gnit. c. 15.
Gallicanæ. 18. 28 30.

De Clericis non resid. c. 3.

Quæ cum unum ad plura recipiat Beneficia, contra sanctorum Canonum instituta, non approbatur à nobis, licèt non possit præ multitudine delinquentium emendari. Ejus rei exemplum profert Innocentius III. in alia mox Decretali, ubi Canonicus pluribus Præbendis, pluribusque gravatus Dignitatibus, Præposituram præterea prehensabat. Et novam quidem hanc ambitionem damnat Pontifex, cætera dissimulat, quanquam ea jam proluvies Beneficiorum damnata fuisset à Concilio Lateranensi III. & IV. cujus Canones in hunc ipsum Decretalium Titulum, aliosque relati fuerant. Observavit Acosta ante Innocentium III. de pluralitate Beneficiorum solitos Episcopos dispensare. Enimvero inde manaverat illa accumulandi sine modo libido, cui Alexander III. mederi percupiit, nec potuisse se professus est. Eas dispensationes Apostolicæ sedi reservavit Innocentius III. & exinde rariores aliquandiu fuere.

In l. 5. Decret. tit. 5. c. 15.

II. Irrita pronunciavit Lucius III. Rescripta omnia sedis Apostolicæ ad novi Beneficii impetrationem, nisi priorum cujusque Beneficiorum mentio in iis haberetur. *Cum non sit intentionis nostræ, ut personæ pluribus reditibus abundantes, per litteras nostras pauperes Clericos super minoribus Beneficiis inquietent, litteras quibus Actor sua nomen dignitatis supprimit, vires nolumus obtinere.* Agebatur hic de simplici Beneficio: *minoribus Beneficiis.* Nec tamen sinit Pontifex, ut illud impetret, qui alia jam obtinet, nisi ex dispensatione, hoc est ad utilitatem Ecclesiæ, quæ solida & certa causa est omnium dispensationum. Quo enim Rescripto priora memorantur Beneficia, & adjicitur novum, tacita continetur dispensatio, quæ maturius consultata & deliberata fuerit.

Extra. De Rescript. c. 8. 17.

Ab Innocentio verò III. declaratum est, non tantùm quibus Beneficium, sed quibus esset Vicariatus, quo idonea eis sustentatio suppeditaretur, aut tantula saltem, ut cum tenui patrimonio ad tolerandam vitam sufficeret, his jam nihil Beneficii conferre teneri Episcopum, à quo essent ordinati. *Perpetuo Vicario, de proventibus Vicariæ, bonisque paternis habenti, unde commodè valeat sustentari.* Pronunciavit Honorius III. qui ab Ecclesia quapiam pensione donatus esset, eum vi Rescripti Apostolici nullum jam expectare posse Beneficium. Rescripsit & Gregorius IX. quamlibet tenue & insufficiens esset Beneficium, nisi ejus mentio fieret in Rescripto Apostolico, hujus vi nullum aliud unquam extundi posse.

Ibid. c. 27. 31. 42.

III. Constitutum est ab Alexandro III. in Concilio Lateranensi III. ubi primùm confirmatus esset Episcopus, in possessionem missus, & consecratus, aut ex quo tempus quod Canones consecrationi præfinierant, effluxerit, vacare jam tum priora ejus Beneficia omnia, & conferri posse. *Is ad quem spectant Beneficia quæ habebat, de illis disponendi liberam habeat facultatem.*

Extra. De Elect. c. 7.

Expressæ sunt ab eodem Pontifice causæ duæ, quibus fas sit ab uno duas Parochias retineri; cùm altera alteri obnoxia est, tanquam Adnexa; & cùm earum altera tenuior est, quàm ut ejus fructibus victitare possit Parochus. *Habentes plures Ecclesias, quæ ex uno non pendeant, liceat tibi cogere, ad unam ipsarum quam maluerint dimittendam: nisi ita fuerint tenues in substantia, quod proprios Sacerdotes non possint convenienter alere.*

Extra. De ætat. & qual. Ordin. c. 4.

IV. Elegantius ad aliquos Episcopos Galliæ Innocentius III. rescribens, crimini vertendam docet, non tam pluralitatem Beneficiorum, cui justæ possunt subesse causæ, quàm superfluitatem. *Licèt circa eandem personam Beneficiorum sit semper superfluitas improbanda, nonnunquam tamen est toleranda pluralitas, statu personæ provida consideratione pensato.* Is in cujus commendationem hæc scribebat Pontifex, pluribus jam dotatus erat Præbendis, nec suppetebat illi tamen unde commodè toleraret vitam, nisi resideret; quod ne faceret, apparet præpeditum illum fuisse. *Etsi plures Præbendas obtineat, ipse tamen pene nullam habere proponitur, cujus proventus libere possit percipere, nisi residentiam in ea faciat personalem.*

Regest. l. 14. Epist. 257.

Qua nulla præclarior, nulla certior regula in tota Beneficiorum pertractatione. Damnanda in iis semper superfluitas, pluralitas toleranda quandoque. Pluralitatem excusat quandoque necessitas, cui se charitas accommodat: superfluitatem nulla utique necessitas unquam excusat, ita damnabilem semper facit cupiditas. Itaque eorum etiam Beneficiorum, quæ à residentia, & ab animarum cura libera sunt & expedita, pluralitas non necessaria, hoc est superfluitas, semper in vitio est, & Canonicis legibus, si minus earum verbis, certe scopo, & fini, ac voluntati contraria est.

Displicuit eidem Innocentio, quod Canonicus Pictaviensis quidam, duos præterea retineret Canonicatus alios, Decanatum & plures pensiones, *Beneficiatus pensionibus quamplurimis*, & quod ad Parochiam se præsentari rursus ambierat. Vetuit autem illum eam adire Parochiam propter unam aliorum Beneficiorum multitudinem: *Propter solam Beneficiorum multitudinem, quæ noscitur obtinere.* Reliquis forsan etiam Beneficiis illum exuisset, si jam tum Lateranense IV. Concilium habitum, vel usu receptum fuisset. Nam non eas inflixerat pœnas Lateranense Concilium III. quas postea indixit IV. Sed criminis gravitas non elevatur impunitate.

Regest. l. 15. Epist. 228. 296.

Quæ mens esset denique, & quæ voluntas sanctitasque Canonum, abundè commonstratum est ab eodem Pontifice, cùm consuluit eum Episcopus Pisanus, de vetustissima Ecclesiæ Pisanæ consuetudine, ne quis Canonicus alio quovis potiretur Beneficio. Rescripsit autem Innocentius, retinendum etiam atque etiam esse eum morem sanctissimum, maximè si ex Canonicatûs Proventibus suppeterent necessaria vitæ subsidia. Postremò diu ante Concilium Lateranense Archiepiscopum Auscienscm hortabatur idem Innocentius, ut Clericos suos, si qui plures Archidiaconatus, Dignitates, Personatus obtinerent, cogeret uno contentos esse, reliqua resignare Beneficia, nec Ecclesiam fraudare tot sacris Ministris, quorum industria comprimendis objici posset hæresibus, & sedandis scandalis, quæ undique circumsonabant.

Ibidem.

Rainal. an. 1198. n. 38.

V. Idem prorsus color, tenorque est Decretalium Bonifacii VIII. in Sexto, improbari universim pluralitatem; tolerari eam, quæ remediis potius exasperetur; eam damnari, quam antiqua, quam nupera proscripsere Concilia. Remisit forsan Bonifacius aliquid de jure, quod hactenus obtinuerat, cùm jubet novo quem donat Beneficio, etsi Mandatum Apostolicum, quod repræsentat, priora Beneficia non exprimat, dummodo ejusmodi Mandatum donatum non sit precibus impetrantis, sed *Motu proprio.* Verùm ubi infrà disputatio instituetur de Dispensationibus, illud invictissimis demonstrabitur documentis, ex ipso hodierno jure Canonico, & ex his ipsis Decretalibus Pontificum depromptis, etiam post tempora Bonifacii; dispen-

De Dign. & Præbend. in Sexto c. 19. 21. 23. 30. 32.

Et in Clem. c. 3.

sari non posse gratias & dispensationes ipsas, sive illæ supplicantibus, sive *Motu proprio* annuantur, nisi ut Ecclesiæ vel utilitati, vel necessitati prospiciatur.

Nil dicam de Clementinis, cùm non potuerit non horrori esse Clementi V. & Concilio Viennensi infanda tum polygamiæ hujus licentia, in quam stylum stringere nobiles ejus Concilii Episcopi. Intexuit Rainaldus Annalibus suis unius eorum cohortationem, sive admonitionem adversùs hanc pluralitatem quorumvis Beneficiorum, maximè tamen
Rainal. an. 1311. n. 61. incompatibilium. Facilè enim adolescunt & propagantur vitia; abruptoque semel moderationis fræno in præceps ruunt. Pio illi & docto Scriptori dolori erat & miraculo, eum qui unius Beneficii functiones vix satis implet, plura subire; tam licentiusè & tam impunè proteri humanum divinumque jus, quo suum quæque membra jubentur implere locum, munus defungi: denique rem prodigii similem esse, ab uno impleri quatuor, aut quinque dignitates, aut decem duodecimve Præbendas; involari denique res, & abliguriri ab uno proventus, quibus quinquaginta, aut sexaginta ali foverique possent Clerici, quorum pietas & religio Ecclesiæ præsidio esset & ornamento. *Cùm tam secundùm jura divina, quam humana, singula Ecclesiastici juris officia sint singulatim singulis committenda personis; sicut in uno corpore multa membra, &c. Hodie una persona aliquando minus idonea, quatuor vel quinque in diversis Ecclesiis obtinet Beneficia, id est, quatuor vel quinque dignitates, &c. Quin immo una persona decem, vel duodecim in diversis Ecclesiis obtinet Canonicas, & aliquando plures, sicut vidi. Heu aliquando una persona tot obtinet dignitates, personatus, vel officia, quod ex eis posset quinquaginta, vel sexaginta exercitatis & litteratis personis sufficientissimè provideri.*

Et ille quidem de Beneficiis tantum ita verba faciebat, quæ duplicia sunt, propter implicatam residentiæ, aut regiminis animarum necessitatem. Sed quæ ab illo tela vibrantur, ejusmodi sunt, quæ omnium prorsus Beneficiorum pluralitatem configant. Peræquè enim in simplicibus & minoribus Beneficiis valet, humani illa, divinique juris conspirans authoritas, quæ vetat ne unum membrum plurium loca, muniaque invadat. Peræquè perversum & propudiosum est, de rebus Ecclesiæ, quæ patrimonia sunt pauperum, tantum ab uno dissipari, quantum pluribus sufficeret: uniusque superflua redundantia tam multos turpi mendicitate conflictari.

Adde quòd ea distinctio duplicium & simplicium Beneficiorum quoad residentiam, non aliunde ortum duxerit, quàm à torpore, & oscitantia Pastorum, vel à Clericorum stupiditate. Suprà enim prolixa congerie testimoniorum ex sanctis Patribus corrasorum ostensum est omnibus prorsus Beneficiis illigatam fuisse residendi legem. Quod illud jam vinculum solutum sit, non potest nisi in incuriam hominum, & officii negligentiam causa conferri. Qui primi hujus juris relaxationis authores fuere, ii labis immunes esse non potuere, ut qui legem hactenus vigentem vilipenderent. Sed si ei per necessariam tandem tolerantiam dissimulato errori, gravior alius adjiciatur, ex temeraria Beneficiorum coacervatione, eo palliata velo, quòd ea soluta jam sint ex residentiæ vinculo, nonne hoc demum est errorem errore excusare, & corruptelæ ex alia corruptela patrocinium quærere?

Nec cordatum quemquam ambigere posse puto, quin & Clemens V. & Concilii Viennensis Patres, his monitionibus inflammati, damnaturi fuerint omnem prorsus qualiumcumque Beneficiorum superfluam pluralitatem, si per illorum temporum patientiam id licuisset, uti postea sanctissimè à Concilio Tridentino factitatum est. Incidunt enim cæ quandoque temporum angustiæ, ubi nec mala jam sua mortales, nec remedia ferre possint. Sed primigenia & Canonica Beneficiorum etiam simplicium disciplina, unitasque, non eo certè poterat tempore restaurari, quo effrænata regnabat usque adeo licentia & infinita cupiditas, qua invaderet unus aliquis quinque Dignitates, Canonicatus duodecim. Ea certè fuit ratio, ea necessitas tolerandæ hujus morum calamitatis usque ad tempora Concilii Tridentini. Idque manifestius etiam fiet ex Joannis XXII. Papæ Extravaganti *Execrabilis*; ubi ingenuè confitetur sibi prædecessoribusque suis insatiabili quorundam avaritia extortas fuisse quasdam dispensationes, quæ plura eis largirentur Beneficia, qui ne uni quidem sustinendo & fungendo pares essent. *Execrabilis ambitio, & improbitas im-* De Præben. & Dign. *portuna, & nobis, & prædecessoribus nostris, non tam obtinuisse, quam extorsisse plerumque noscuntur, quod unus interdum etiam ad unum Beneficium minus idoneus, duas aut tres dignitates possit dispensativè retinere, &c.*

His subjungit Papa prolixam eorum malorum seriem, quæ ex hac pluralitate pullulascunt. Et quanquam apertè is sermo duplicibus Beneficiis, ejus tamen rationum momenta, ad damnationem quoque vergunt pluralitatis simplicium. Nimirum ut unus Officia in se ea suscipiat, quæ plurea desiderent: atque plerumque doctrinæ inops, religionis hospes, ea deglubat Ecclesiæ prædia & sacra patrimonia, quibus ingens numerus ali posset hominum, ad Ecclesiæ, & pietatis nova subinde incrementa facienda idoneorum. *Quod interdum unus, qui unicum, quamvis modicum, vix officium impleret sufficienter, plurimorum sibi vindicet stipendia, quæ multis litteratis viris, vita puritate ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere, æqua distributione collata.* Denique quò opulentiores sunt hi Beneficiarii, eò in vanitatem & luxum projectiores, incuriosi divinæ psalmodiæ, hospitalitatis immemores; qua tamen tenentur communi obligatione, qui de censu vivunt Ecclesiæ. *Habentibus ipsa paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non servatur.*

VII. Plura privatis imperiis & curis resecabant hi Pontifices, ut credere par est, quam publicis Edictis. Publica eorum Decreta à pluralitate qualicumque alienationem magis animi prodebant, quàm spiritalis gladii ultionem. At privatim non iis se continebant finibus. Testatum facit au- Rainal. an. 1370. n. 22. 21.
thor vitæ Urbani V. execrationi ei fuisse aggerationem Beneficiorum, maximè incompatibilium; plures ab eo compulsos fuisse ad ea abjicienda, unumque retinendum, quod eorum sustentationi sufficeret; denique Constitutionem eâ de re publicasse, ut successores rescirent, quos ipse sibi fines circumscripsisset. *Beneficiorum multiplicationem, præsertim incompatibilium, in eandem personam concurrentium invitissimè toleravit. Immo multos ex illis, qui plurima obtinebant, privavit: relictis eis tantummodo illis, quæ suo statui & sufficientiæ congruè convenire judicavit. Super quo etiam Constitutionem edidit, quæ incipit, Horribilis. In qua quod suo tempore licere sibi non passus, suis successoribus indicavit.*

Simillimum veri est, & Urbani V. Constitutione

obviam itum esse gliscenti in dies & ultra modum crebrescenti dispensationum facilitati in Beneficiis etiam duplicibus. In id jam connixus fuerat Joannes XXII. At is rigori subduxerat Cardinales & Regum filios. Urbanus V. ne agnatis quidem suis quidquam indulsit, contentos eos esse jussit simplicibus Beneficiis, nec valde pinguibus, si unum demas & alterum, quos Prælaturis auxit. Fuere

Ibid. n. 22. Cardinales, qui abstinendum sibi ducere illa dispensationum indulgentia, qua illos prosequitur Pontifex; quippe acriori censura se ipsos excutientes, iis renuntiarunt dispensationibus, quæ non ad communes illas Sedis Apostolicæ regulas, adeoque & ad justitiæ leges essent expensæ, hoc est, quæ non ad unam Ecclesiæ publicam utilitatem dirigerentur. Author idoneus Joannes Volaterranus in Præfatione sua ad Opera Jacobi Papiensis Cardinalis, ea tantum tradit illum suscepisse Beneficia, quæ sustentationi suæ mediocri sufficerent necessarias impensas; execrationi verò ei fuisse, qui iis sine modo & sine fine cumulandis studerent. *Cen, ut*

Rainal. an. 1479. n. 5. *illi Sacerdotiorum fuit ad molestiam dignitatis, quorum acervos non quæsivit modo, sed in aliis vehementer detestabatur.* Nec ab ea recedebat sententia Adrianus

Idem anno 1522. n. 11. VI. qui nepotem suum cùm Ecclesia donasset Parochiali, cujus annui reditus erant septuaginta ducatorum, vix passus est, ut alteram susciperet centum ducatorum, & ne id quidem, nisi priori abdicata.

CAPUT VIII. *P. 4. l. 2. c. 60.*

De pluralitate Beneficiorum Statuta Conciliorum post annum millesimum trecentesimum.

I. Pluralitas Beneficiorum semper damnata, etiam in sedibus Monachorum & Monialium, quæ Beneficia sunt simplicia, praemove Ecclesia Beneficiis simillima, nempe cum obligatione residendi, & incompatibilia.

II. Contextus Conciliorum usque ad Tridentinum. De natura & conditione Beneficiorum. De Altari vivere iis jus est, qui Altari ministrant. De dispensationibus, quarum justa fiat causa, necesse est.

III. Decreta Concilii Tridentini adversus pluralitatem Beneficiorum.

IV. Quantum studii & laboris posuerint ut asperiora hæc Decreta temperarentur.

V. Ejusmodi Decreta prius Angli meditati & commentati fuerant.

VI. Tridentinis his Decretis succinunt Concilia Provincialia.

VII. Maxime in Gallia.

VIII. Animadversiones variæ & Declarationes in hæc Decreta Concilii Tridentini.

I. REvocanda jam oratio est ad seriem continuatam Conciliorum post annum millesimum trecentesimum, à qua non deflexeramus, nisi ut commonstraremus, quanta esset cum iis Decretalium Pontificiarum consensio, earum quibus hodiernum Juris Canonici corpus contexitur. In Concilio Auscensi anni 1300. damnationis jaculo confixi sunt, qui Parochias susceperant, quas annuo percepto proventu, aliis resignarent; jussique restituere, tum ipsi, tum qui eos præsentaverant, non nescientes quam animo fraudem versarent:

Can. 10. *Nullus Parochialem recipiat Ecclesiam, non intendens ad Sacerdotium promoveri, &c. Ad restitutionem tenebitur, &c.* Damnatur & ibidem etiam in Regularibus Parochiarum & Prioratuum pluralitas.

In Concilio Coloniensi anni 1310. proscripta est pluralitas Beneficiorum, etiam in Monachis & Monialibus, vetitumque ne absentibus servarentur reditus Præbendarum, ne in eo proprii aliquid viderentur habuisse. *Nec Monachi, vel Moniales in prædictis tempore absentiæ suæ, fructus cedant suarum Præbendarum, quia sic viderentur aliquid proprii possidere.* Ea certè loca Monachorum & Monialium in Cœnobiis, instar erant Beneficiorum simplicium, quibus eædem ac cæteris Beneficiis canonicæ leges præscribebantur. Atqui & residere tenebantur Monachi, & incompatibiles erant eorum sedes. Ea ergo antiquissima etiam fuerat Beneficiorum simplicium conditio. Inolevit paulatim licentia, quæ primùm adversùs residentiam, mox & adversùs unitatem præscriberet.

II. In Concilio Toletano anni 1324. confixi sunt quarundam Ecclesiarum Clerici, qui Capellarum quarundam reditus inter se partiebantur, eo colore, quòd Capellanorum munia implerent, atque ita furtum prohibebant, ne cui Capellarum titulus conferretur. In Concilio Vaurensi proscripta est sola incompatibilium Beneficiorum pluralitas, sive Regularium, sive sæcularium. Concilium Parisiense, sive Senonense anni 1429. Capitulis Ecclesiarum Cathedralium & Collegialium præcepit, ut ne posthac sinerent Canonicos quosdam suos pluribus in ejusdem urbis Ecclesiis Præbendas assecutos, ab his ad illas discurrere, ut ejusdem Horæ Canonicæ distributiones in earum singulis lucrarentur; & à Cathedrali sæpiùs abesse, quando pinguiores erant alibi distributiones. Idem Decretum in Concilio Senonensi anno 1485. innovatum est. Can. 18. Can. 5. 31. Cap. 4.

In Concilio Lateranensi V. anno 1514. invecta sunt non pauca Commendis temperamenta, unionibus similiter Beneficiorum, nec non & dispensationibus Sedis Apostolicæ, ad incompatibilium pluralitatem. Sed vel ex his ipsis medicamentis conjectura assequi possumus, quanta vis esset morbi, cui non posset nisi tam levis curatio aptari. Optatissimum quidem fuisset Concilii Coloniensis anni 1536. Patribus amplius aliquid moliri, & omnino tollere quorumlibet Beneficiorum pluralitatem. Eò enim pertinet, qui ibi expromitur, Canon Calchedonensis. Sed ab eo illi præclarissimo resistere ardore, cùm tot viderent volitare Pontificiarum per orbem dispensationum diplomata, quibus etiam Parochialium Ecclesiarum pluralitas annecteretur. Non ultrà ergo progressi sunt, quàm ut omnes monerent, quanto in discrimine versaturi sint complurimi apud æternum Judicem, propter frivolas plerumque causas, quibus has superstruunt dispensationes. *Qui verò dispensatione Apostolica adversùs hæc se tueri velint, hi viderint, ut causam dispensationis obtentæ Deo comprobent.* Nec ab his discrepant Decreta Synodi Augustanæ anno 1548. Sess. 9. Can. 34. Can. 16.

In Concilio verò Coloniensi anni 1549. diffinitum est, qui simplicia adepti essent Beneficia, eos officio fungi debere, juxta Fundatorum voluntates sanctionesque canonicas. *Satisfaciat officio cujus gratia Beneficium accepit, secundum Fundatorum intentionem, sacros Canones & Patrum Decreta: & ab Ecclesia, ubi Beneficium negligit, non participet. Etenim divini juris est, ut qui servierint Altari, de Altari vivant; nec bono jure is qui non servit Altari, de Altari vivat: sicut stipendium non debetur, nisi militanti.* Plurimum profectò in his rationibus momenti est, ut Beneficia simplicia antiquæ suæ sanctimoniæ restituantur, & quanta, vel quantulacumque sint, Altarium ministerio penitus impendantur; ex quo illud effi- Cap. 9.

citur, ut qui nullo suo ministerio de Ecclesia bene mereror, ejus stipendiis ali desinat. Concilio Moguntino anni 1549. exarsere Patres in cujuscumque Beneficiorum pluralitatis luem in dies ingravescentem, sed uni Curatorum pluralitati opprimendæ remedia provisa suor. *Res ipsa loquitur, plura Beneficia, potissimum quibus animarum cura submissa est, non sine gravi Ecclesiarum damno ab uno obtineri.*

Cap. 64

III. Hæc prælusa ante Tridentinum Concilium, & prætentata fuerant in Conciliis. Invisa semper fuerat pluralitas simplicium etiam Beneficiorum; pœnæ, & quidem abdicationis, sancitæ non fuerant, nisi adversùs eos qui plura obtinerent Beneficia duplicia absque dispensatione Sedis Apostolicæ. Nec ultra eos cancellos progressi sunt primò Tridentini Patres, ut qui Sessione VII. non confixerint nisi eos qui plures vel Episcopatus obtinerent, vel Parochias; ne Cardinales quidem passi sint pluribus Ecclesiis præesse Cathedralibus, sive in Titulum, sive in Commendam: constituerint autem, ut qui Apostolicas dispensationes assecuti essent ad plures Parochias retinendas, eas Ordinario repræsentarent. Sessione autem XXII. concessit sacrosancta Synodus, ut quibus sunt ejusmodi in Capitulis Dignitates, quibus nec functio, nec jurisdictio illigata sit ulla, possint turi Parochias administrare; ita ut dum officio funguntur in Parochia, præsentes in Cathedrali vel Collegiali Ecclesia censeantur.

Cap. 2. 4 5.

Cap. 3.

Sed extremam tandem manum adjecere Tridentini Patres huic veluti fastigio Ecclesiasticæ reformationis in Sessione XXIV. Generali enim ibi Constitutione sancitum, cujus vinculo ne ipsi quidem Cardinales absolverentur, ne quis unus plura quàm unum posset obtinere Beneficium, si idonei ejus essent reditus; aut unum præterea simplex, si prius alendo Beneficiario impar esset; ut ne quis unquam plura duobus retinère posset, vel Titulo, vel Commenda. *Ut in posterum unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.*

Can. 17.

IV. Gallicani Præsules ad cudendum publicandumque in Concilio illud Decretum, plurimum studii & laboris jamdiu collocaverant. Eam in rem Vuillelmus Pratensis Episcopus Claromontanus anno 1546. peroraverat, & veluti classicum canere visus fuerat. Cùm plura emendandæ disciplinæ capita Carolus IX. Galliæ Rex compilari, & per Oratores suos exponi fecerat, tum illud præ cæteris, ut unus unum dumtaxat retinere posset Beneficium: silentio & oblivione obrueretur distinctio illa antiquitati Ecclesiarum inaudita, Beneficiorum compatibilium & incompatibilium: ne posthac Regularia nisi Regularibus, sæcularia sæcularibus conferrentur; denique priscorum Canonum jaculis pœnisque subjicerentur, qui plura in posterum retinerent. *Unum tantùm Beneficium uni conferatur; sublata, quod attinet ad pluralitatem, compatibilium & incompatibilium differentia. Quæ distinctio ut est nova, & antiquis Decretis incognita, ita Ecclesia Catholica magnam calamitatem attulit. Dentur autem Regularia Regularibus, sæcularia sæcularibus. Qui verò nunc duo vel plura possident, aut illud tantùm retineant, quod intra breve tempus elegerint, aut in pœnas antiquorum Canonum incidant.*

Memoires pour le Concile de Trente pag. 370. 371. 301.

Omnium vehementissimè flagrabat in hujus Decreti promulgationem Cardinalis Lotharingus, qui trecenta philippeorum millia ex annuis Beneficiorum suorum proventibus colligere ferebatur, & eo nunc animo esse, ut exemplo præiret, & specimen abdicationis ederet, quo totam illustraret Christi Ecclesiam, & summopere exhilararet. Sed eventus famæ non respondit, nec Lotharingo defuere vel causæ, vel causationes, quibus leges alius sancitas ipse frustraretur. Pluralitas Beneficiorum nihilo ferè infrequentior fuit post Tridentinum, quàm antè, saltem quoad simplicia. Intercessum est enim facultatibus Legatorum Pontificiorum *à Latere*, quoad collationes plurium Præbendarum, Canonicatuum, Dignitatum in eadem Ecclesia Cathedrali vel Collegiali, in eundem unum congerendarum, sive ad vitam, sive ad tempus. Nuperrimè invictissimus Rex Ludovicus XIV. hoc est anno 1681. promulgata Declaratione Regia, sancivit, *Quisquis duas Parochiales Ecclesias adeptus fuerit, vel Canonicatum, sive Dignitatem simul cum Ecclesia Parochiali, vel duo quæpiam alia Beneficia incompatibilia, sive lite aliqua, sive nulla implicata ea sint, non potiturum eum nisi proventibus Beneficii, in quo residebit ministrabitque ipse per sese; fructus verò alterius Beneficii, vel Beneficiorum complurium, quibus per sese nec residentiam nec ministerium exhibuerit: dispensatum iri in Vicarium vel Vicarios, in reparationes, ornamenta, & qualiacumque Ecclesiæ propria commoda, Episcopi Diœcesani arbitratu, cujus sententia executioni interim mandabitur, quantumvis appelletur, vel simpliciter, vel ab abusu, Judice Regio & hos & alios obices propulsaturo.*

Pithou. Liber de l'Eg. Gall. c. 71. 72. Preuves des Lib. Gallic. c. 23. n. 49. 52.

V. Ediderat jam Spelmanus in sua Conciliorum Angliæ Collectione Constitutionem Urbani Papæ, qua ita Angliæ potissimum prospiciebatur, ut quodammodo præluderetur Decreto suprà memorato Concilii Tridentini. Edicebat Pontifex resignari cætera Beneficia, quæ congesta quis retineret; nec retineri nisi duo quæ compatibilia essent; nisi intra præstitutum tempus hac se superflua exonerarent sarcina, illis etiam duobus exutum iri, quorum venia fiebat retinendorum. *Ex tunc aliis duobus Beneficiis compassibilibus, quæ per eos permittimus retineri, noverint se privatos.*

Conc. Angl. To. 2. pag. 614.

VI. At post Concilium Tridentinum, in Concilio Mediolanensi IV. anno 1576. constitutum est, ut si quis Beneficio simplici, eoque idoneo dotatus, aliud susciperet simplex, aut Curatum, ex quo hujus possessionem pacificam adeptus esset, prius illud vacaret, quòd ea duo simul retinere per Tridentinum Concilium fas non sit. *Cùm ex Concilii Tridentini sententia unum & alterum ab illo simul retineri nullo modo liceat.* Si pergat Beneficiarius fructus demetere prioris Beneficii, jubet Concilium, ut *quod exegerit, illius duplum ad Ecclesiæ usum restituat.* A Concilio V. Mediolanensi pronuntiatum est, posse alterum admitti Beneficium, si primum minùs sufficiat: non posse tertium, etsi nec duo priora alendo Clerico paria sint. Itaque cum jubet hæc Synodus, ut si Parocho sit præterea Canonicatus in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, Dominicos Festosque dies omnes in Parochia sua degat: indubium est ea Beneficia unita intelligi debere. Ad hoc ipsum laudata fuerat à Concilio Mediolanensi III. Constitutio Pii V.

Acta Eccl. Med. pag. 148. 269. 274. 98.

In Concilio Mexicano anni 1585. ut funditus excideretur Beneficiorum pluralitas juxta mentem Concilii Tridentini, statutum est, ut Capellæ in Ecclesiis Cathedralibus, vel Parochialibus constructæ, nisi à Fundatore unitæ fuissent alicui alteri

L. 3. Tit. 3. §. 4.

Beneficio, ne Clerico darentur unquam, cui aliud quodvis esset Beneficium. In Concilio Mechliniensi anni 1607. promulgatum, confirmatumque est Decretum Concilii Tridentini contra pluralitatem Beneficiorum. *Pluralitas Beneficiorum & certum continet animarum periculum, & totius Ordinis Ecclesiastici perversio est. Ideòque mandat hæc Synodus exactè observari, quidquid de ea decretum est in sacro Concilio Tridentino.*

Tit. 19 c. 6.

VII. Nunc tandem jam ad Ecclesiam Gallicanam accedamus, in qua Concilium Rotomagense anni 1581. sedem Apostolicam consuluit, super Canonicatibus, quorum tam tenues sunt Præbendæ, ut nisi Parochiales simul Ecclesias obtinere permittantur, necessariis vitæ adminiculis cariturì sint. Romanum Rescriptum istiusmodi fuit: *Quoad retentionem Parochialis cum Canonicatu, pro necessitate & utilitate Ecclesiarum, & regionis, in casibus particularibus providebitur.* Quod eò tandem recidebat, ut in iis res concederetur locis, ubi juberet concedi necessitas. Sed non satis scio, an confirmatum sit Romæ, quod Concilium proposuerat, ut Canonici in Cathedrali residerent, bis tamen autem quavis hebdomade pergerent, in Parochiis suis sacra munia obituri. Contrarium enim his Decretum manaverat à Conciliis Mediolanensibus.

Resp. 9.

In Concilio Turonensi anni 1583. prohibita est pluralitas Officiorum Claustralium. Idem rursus vetitum est in Concilio Viennensi anno 1585. In Concilio Avenionensi anni 1597. confirmatum publicatumque est Decretum Concilii Tridentini, ne quisquam retineat amplius quam unum Beneficium, si alendo Clerico par sit, vel ad summum duo. Si cujus autem animum incessat ea suspicio, priscum illum zelum Ecclesiæ Gallicanæ ad proscribendam Beneficiorum pluralitatem usque adeo inflammatum in Concilio Tridentino, mirum in modum postea elanguisse, ubi Decretum in mores inducendum fuit: is memoria recolat frequentes & præclaros illos conatus ejusdem Ecclesiæ Gallicanæ, effervescentia & Reges interpellantis iterum iterumque pro Decretorum Tridentinorum toto Regno publicatione, atque executione. Ea enim publicatione istud quoque contra pluralitatem Decretum continebatur.

Cap. 16.
Cap. 37.

VIII. Hoc porro decretum apertissimè refragatur illis Canonistis, quorum ea erat doctrina, posse per Episcopi dispensationem duas alicui Præbendas, vel Beneficia simplicia duo conferri. Contrà enim si primum Beneficium sustentationi Clerici par est, non potest alterum ab Episcopo adjici, ex Tridentino. Nec verò Præbendas unquam duas uni cuilibet conferet Episcopus, cùm singulæ residentiam exigant. 2. Refragatur & illis, quibus visum fuerat, uno semel Beneficio donatos, nunquam secundo posse donari. Si enim primum minùs sufficiat, potest & secundum obtineri. 3. Refragatur & antiquis Canonibus, per quos fas erat Episcopo, duas uni Parocho Ecclesias concredere, cùm earum altera ei non sufficeret. 4. Beneficia ipsa simplicia præter prioris regulas juris incompatibilia jam sunt, ubi sufficientia sunt. 5. Nec tamen nulla est secundi Beneficii collatio, sed post ejus pacificam possessionem prius vacat: si ultra tendat autem Beneficiarius utrumque retinere, utroque jure ipso privatur. 6. Ante Concilium Lateranense III. qui duo obtinebat incompatibilia Beneficia, nullo fretus dispensationis diplomate, alterum jubebatur optare, altero semet exuere. At ejus Concilii Decreto, ex quo quis alterum impetrarat Beneficium, altero exuendus erat. Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. definiit *ipso jure* vacare primum, ex quo quis alterum erat assecutus. Joannes XXII. in Extravaganti *Execrabilis* utroque Beneficio incompatibili spoliavit eos, & ad Ordines atque ad Beneficia inhabiles declaravit, qui non priori se abdicarent, cùm primum posterius pacificè possidere cœpissent. Asperiora hæc omnia Decreta lenius Tridentina Synodus dominari voluit, recensitis inter incompatibilia non iis tantum quibus cura animarum salutis, aut lex residentiæ esset alligata; sed & iis, quæ sustentando Beneficiario sufficiant. 7. Post Tridentinum jam Parochialis Ecclesia & Canonicatus Beneficia sunt incompatibilia. In eandem incompatibilium classem referuntur duo Canonicatus, sive in Cathedralibus, sive in Collegialibus Ecclesiis. Theologalis Dignitas simplicibus subnixa Beneficiis, incompatibilis est cum Parochia, vel Canonicatu. Non satis perspicuæ erant jure Decretalium hæ incompatibilitates. Caliginem omnem excussit Tridentinum, declarata eorum omnium incompatibilitate, quæ residentiam exigerent. 8. Quantumvis imparia sint & egena duo priora Beneficia, tertium nemini conferri patitur Tridentinum. 9. Non potest amplius dispensare Episcopus, ut plura quis obtineat Beneficia simplicia in diversis Ecclesiis. Si unum enim sufficit, non potest alterum obtineri, quantumvis dispensante Episcopo. Si prius non sufficit, nihil opus est dispensatione Episcopi, ut possit alterum obtineri. Tertium autem ne dispensante quidem Episcopo retineri valet, etsi duo priora impatia sint sustentationi necessaria. Beneficiis ejusdem Ecclesiæ duobus cognominibus frui nemo potest, etiam dispensante Episcopo; sed si non unius sint generis, alterumque non sufficiat, possunt duo obtineri ex Episcopi licentia, si modò annexa utrique non sit residendi obligatio. 10. In ea verò quæstione an prius Beneficium insufficiens vacet per provisionem secundi sufficientis, inter Cardinales Congregationis Concilii opiniones fuere. Videbatur eorum pars major eò propendere, ut non vacaret prius *ipso jure*, sed abdicandum tamen illud esset: quod perspicuè mens ea, & voluntas Concilii sit, ne quis duo retineat, ubi alterum sustentando Clerico par est. Hæc sunt quæ ex Prospero Fagnano compilavimus, & quibus Lectores fraudandos non duximus.

Fagnan. in L. 3 Decret. part. 2 pag. 110 & seq.

C. Quia nonnullis. De Clericis non resid.

C. Multa. De Præben.

CAPUT IX. *P. 4. l. 2. c. 61.*

De Beneficiorum pluralitate, quæ fuerit posterioris hujus ætatis post annum millesimum, Patrum sententia & Theologorum.

I. Beati Bernardi sententia de pluralitate Beneficiorum.

II. Paucissima tunc fuisse Beneficia simplicia, ideo Parochiæ & Præbendæ aliæ aliis accumulabantur.

III. Quæ Bernardo justæ dispensationes, vel necessitate Ecclesiæ abstracta, vel utilitati personarum.

IV. Petri Blesensis doctrina.

V. VI. VII. Stephani Tornacensis, Ivonis Carnotensis, & Gratiani sententia.

VIII. Petri Cantoris & Vuillelmi Episcopi Parisiensis.

IX. Quid senserint Congregati Doctores Parisienses.

X. Quæ tunc maximè essent Beneficia.

XI. Rursus Vuillelmi Episcopi Parisiensis testimonia.

XII. Sententia Jacobi de Vitriaco, & Longini Canonici Cracoviensis.

XIII. Doctrina B. Thomæ Aquinatis.
XIV. In Doctrinam Aquinatis notanda observantur.
XV. Memorabilia sancti Ludovici Francorum Regis & Clementis IV. exempla. Nisi Reges & Pontifices exempla sendant in rogandis & assentibus juri, frustra erunt eorum leges.
XVI. Durandi Episcopi Mimatensis doctrina, qui Cardinales ipsos perstrinxit.
XVII. Jacobi Papiensis Cardinalis doctrina.
XVIII. Dicta una Panormitani.
XIX. Dispensationes nobilitati & eruditioni indulta.
XX. Doctrina & exempla sancti Carol. Borromæi.
XXI. Doctrina Dionysii Carthusiani.

I. AGmen ducet beatus Bernardus, cujus ævo latissimè populabatur Christianum orbem ea, quam hic exagitamus, pestis. Nec semel in eam
Epist. 42. excanduit sanctissimus Pater. In Epistola ad Archiepiscopum Senonensem luculentissimè adumbrata ab eo est inexatiata cupido eorum, qui toti erant in acervandis Beneficiis, sive in eadem Ecclesia, sive in aliis & aliis, ut hos sibi gradus sternerent ad Episcopatum, inde ad Archiepiscopatum iter molituri, nullum denique posituri vel honorum, vel divitiarum sibi finem. *Cùm factus quis fuerit in quacumque Ecclesia Decanus, Præpositus, Archidiaconus, aut aliquid ejusmodi; non contentus uno in una, plures sibi, immo quotquot valet conquirere honores satagit, tam in una, quàm in pluribus. Quibus tamen omnibus si locus evenerit, libenter unius præferet Episcopi dignitatem. Sed nunquid sic satiabitur? Factus Episcopus, Archiepiscopus esse desiderat.*

Exagitatur alibi ab eodem Bernardo Stephanus de Garlands, qui Beneficiorum congerie onustus, Seneschalli amplissimam in Regio Palatio dignitatem induerat, & illum sæcularis pompæ titulum anteponebat Ecclesiasticis quas circumgestabat honoribus Archidiaconi, Decani, & Præpositi. Audi verba ipsa toto Bernardi æstu, & illo cœlesti invi-
Epist. 78. ctissimæ charitatis igne inflammata. *Cum honores non paucos, sed quantos, nec Canones nisi inviti patiuntur, teneat in Ecclesia: unius tamen quem in Palatio est assecutus, magis, ut aiunt, gloriatur nomine, quam cæterorum quolibet appellari. Cùmque sit Archidiaconus, Decanus, Præpositusque in diversis Ecclesiis, nihil horum tamen tam eum, quàm Regis delectat vocitari Dapiferum.*

Cùm ait Bernardus pluralitatem Beneficiorum invitos pati Canones, *Nec Canones nisi inviti patiuntur*, de iis verba facit, quæ longo usu, quanquam Canonibus inimico, compatibilia evaserant: aut de iis quæ jus quidem ipsum incompatibilia, at Pontificia dispensatio compatibilis fecerat. Idoneus
Epist. 271. sibimet interpres erit Bernardus in Epistola ad Theobaldum Campaniæ Comitem, à quo interpellatus fuerat, ut aliquid Beneficiorum alicunde filio ejus conferret, necdum pueritiæ limina egresso. Rescripsit Bernardus, cum grave piaculum censeri id à se non posse, tum quod puerulum immatura ætas à Beneficiis nunc quidem arceret; tum quod flagitiosissima sit ipsa Beneficiorum pluralitas, etiam in adultis, nisi suffragetur illis ejusmodi dispensatio, quam expresserit Ecclesiæ necessitas, vel earum utilitas personarum, quæ Ecclesiæ aliquando præsidio futuræ sint & ornamento. *Nam nec cuiquam vel adulto plures honores vel dignitates in pluribus Ecclesiis habere licet, etsi dispensatoriè quidem, ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem.*

II. Adnotandum hic obiter id, ex quo antedictis plurima lux infundatur. Paucissima nimirum tunc fuisse simplicia Beneficia. Nec enim tam impotenter æstuassent ad accumulandas sibi Parochias, Canonicatus, Dignitates, siqua alia expeditior fuisset ratio qua Ecclesiasticis proventibus copiosissimè suffarcinarentur. Aliquanto pòst tempore ebulliit ista copia simplicium Beneficiorum. Inde est, quod ipsorum Regum germani, filiique, Principes, Cancellarii, Seneschalli ambitiosiùs Præbendas & Dignitates Cathedralium aucuparentur. Quarum cùm permodici essent reditus, tenuitatem multitudine pensabant. Istiusmodi Beneficia non videbatur sibi procurare posse Bernardus Campaniæ Comitis filio, inter infantiæ cunabula adhuc pene balbutienti; quod nec adultis ipsis eorum nisi unum concedi posse gnarus esset, nisi ex dispensatione id genus, quæ solidis Canonicisque niteretur fundamentis. Paucissima autem fuisse tum Beneficia simplicia, hinc rursus conjice, quod Conventuales Prioratus, Cellæ, & Obedientiæ, sive Regularium, sive Sæcularium, necdum sæcularibus Beneficiis annumerarentur. Soli ea tunc Regulares administrabant, jugi residentia iis affixi. Solæ ergo supererant Capellæ, Xenodochia, Nosocomia, quæ locare posses in classe Beneficiorum, quibus nec residentia præscriberetur, nec animarum cura. Quin & Xenodochiis ipsis lex residentiæ indicebatur, cùm meræ eæ essent Administrationes. His adde rarissimas tum fuisse Commendas majorum Beneficiorum; atque ita facilè constabit, non alia quemquam locupletari potuisse ratione ex Ecclesiasticis reditibus, nisi Præbendis, Dignitatibus & Parochiis undique aucupandis.

III. Ubi verò Bernardus pronuntiat, tum certè Dispensationes, & æquitati consentaneas esse, & tutas, cùm donantur Ecclesiarum necessitati, vel ingenti personarum utilitati, de ea interpretandus certissimè nobis est utilitate, quæ in Ecclesias redundat plurima ex iis, qui natalium claritate, eruditionis copia, & virtutum laude splendent; non de utilitate, quæ in ipsas privatim personas recidat, ex Beneficiorum coacervatione. Non is erat enim Bernardus, qui Canonicæ dispensationi colorem & authoritatem quæreret ex sordida & terrena cupiditate. 2. Si privata enim spectetur utilitas, compendiosissimum fuisset Comitis Campani filio, jam inde à teneris unguiculis aggerari reditus pinguium & complurium Beneficiorum. Atque ita & Papæ annuendæ & Bernardo approbandæ dispensationis justissimæ fuissent causæ. 3. Suo infrà loco patefiet, eam Bernardo videri non dispensationem, sed exitialem quandam dissipationem, nisi quod vulneris infligitur Ecclesiasticæ Disciplinæ Canonum relaxatione, id aliunde sarciatur. At privatò cuipiam opes honoresque amplificari, non tantopere refert ad Ecclesiæ salutem & commodum, ut hinc resarciatur labes Canonum. Unum ergo id in antecessum voluit Bernardus, quod postea promulgatum est ab Innocentio III. in famosa Decretali, Remittere quandoque Ecclesiam nonnihil de vigore Canonum, ut gratiam ineat ab iis, qui magno sibi aliàs ad pietatem & religionem tuendam præsidio sunt.

IV. Venio ad Petrum Blesensem, qui & ipse eodem flagrabat Bernardi zelo. Non congreditur ille quidem, nisi cum iis, qui Præbendas sibi, Parochiasque complurimas comparabant: sed ea vibrat jacula, quæ nihilominus configant quorumcumque Beneficiorum accumulationi studentes. Una quippe eademque est insatiata fames dignitatum & opum, quæ qualiacumque sibi aggerat sine modo & sine fine Beneficia; qua proluvie alicujus nihil,

In l. 1. Job.

& à Cleri instituto, & ab Ecclesiastici patrimonii lege. *Plerique sunt, qui non dicam de animarum, de quibus respondere tenentur in die tremendi judicii; sed vix Ecclesiarum suarum numerum cognoverunt. Adjungunt Ecclesiam Ecclesia, Prabendam Prebenda, domum domui, agrum agro. De talibus dicit Isaias, Va qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, &c. Clerici qui nihil possidere deonerant, prasumunt omnia possidere.*

Si gravioris aliquando sceleris potest affinis censeri avaritia, ut Isaias vociferatur adversùs eos qui agrum agro addebant, patrimonia patrimoniis accumulabant, tam modi, quàm pudoris insolentes. Multò gravius argumentatur Blesensis id fore flagitium, si Clerici sibi alia & alia infinita quadam libidine Beneficia venentur: tum quòd professio Clericorum professio sit quodammodo paupertatis, ut qui Deum sibi sortem elegerint: tum quòd ea sit conditio & natura bonorum Ecclesiæ, ut patrimonia sint pauperum, & eo qui pauperes addeceat, fruenda sint modo.

Epist. 8.

V. Stephanus Tornacensis sanctæ Genovefæ tunc Abbas, pendebat dubius animi, ut qui Beneficiis exuere vix posset Canonicos, qui ideo minùs jugem in Ecclesia sua residentiam exhibebant, quòd in aliis quoque Ecclesiis inscripti & ipsi essent in albo Canonicorum: nec rursus iisdem donare privilegiis eos qui rariusculi in Ecclesiasticis officiis essent, atque eos qui jugi & assidua quadam observantia sacris Altaribus ministrarent. Eò tandem ille appulit animum, ut mediam quandam iniret viam, & captato provido quopiam temperamento, eos declinaret scopulos, in quos se zelo Canonum forsan præpropero conjecisset. *Sicut dignus est operarius mercede sua, ita & pracipitur, ut qui non laborat, nec manducet. Quia tamen diebus nostris infirma sunt tempora, & homines se ipsos amantes, & quarentes qua sua sunt, in pluribus Ecclesiis connumerari & intitulari volunt, & in singulis percipere stipendia, quamvis vel tenuiter non deserviant in una. Nos multitudini parcentes, & fratrum compatientes infirmitatibus, eos de Collegio nostro, qui amodo Canonici instituuntur in Ecclesia nostra, si assiduè in ea mansionarii non fuerint, non omnino privare volumus Beneficio, nec plena cum aliis percipere stipendia, qui in vinea Domini pondus diei portant & astus.* Ex quo patet Stephano quidem in votis fuisse, ut ii Canonici pluribus his Præbendis spoliarentur; sed eorum turba deterritum, abstinuisse se, & ad id unum nervos contendisse, ut nec Ecclesiæ proventus ad eos sineret derivari, nisi perinde ot. in Ecclesia vel residerent, vel ministrarent:

Epist. 41.

V I. Submonuit Paschalem II. Papam Ivo Carnotensis Episcopus, non potuisse nisi stupenda quadam subreptione Drogoni confirmari Thesaurariam Ecclesiæ Catalaunensis, cùm ea ejectus fuisset in Concilio Pictaviensi, propterea quod alteri Ecclesiæ jam ut Canonicus & Archidiaconus adglutinatus esset. *Judicavimus non fuisse canonicam investituram, contra quam clamant Decreta Apostolica, Canonica instituta, & universa penè Concilia.* Res erat tum quidem de Beneficiis residentiæ obnoxiis, sed qui tum ad hæc judicia duces erant & authores Canones, universim prohibebant, ne in pluribus quisquam Ecclesiis Titulos vel Beneficia obtineret. *Quod autem pradictus Clericus in duarum civitatum titulari non possit Ecclesiis, tam ex vestris, quàm predecessorum vestrorum comprobamus sententiis.*

VII. Apertissimè & Gratianus cum pluralitate Beneficiorum conflixit, ubi in eam hæc deprompsit Decreta Urbani II. & Concilii Placentini, cujus ea sunt verba: *Omnino in duabus Ecclesiis aliquem titulari non liceat, sed unusquisque in qua titulatus est, in ea tantùm Canonicus habeatur.* D. 70. c. 2. Voce tunc *Canonici* designabantur Beneficiarii ii omnes, qui *Canoni*, hoc est albo Clericorum alicujus Ecclesiæ inscribebantur; & quibus rependebatur *Canon*, id est mensura & quantitas dimensa distributionum. Ita hæc Decreta germano & genuino sensu suo quorumcumque Beneficiorum pluralitatem elidebant. Porro hæc verba, *Licèt enim Episcopi dispositione unus diversis praesse possit Ecclesiis:* ad Parochos tantùm spectant, quibus Episcopos duarum quandoque Ecclesiarum onus imponit, quòd singulis singulæ Pastoribus alendis pares non sint. At verbis sequentibus, *Canonicus tamen Prabendarius nisi unius Ecclesia, in quo conscriptus est, esse non debet:* palam proditur omnes unius Ecclesiæ Beneficiarios, Præbendarios dici solitos fuisse & Canonicos.

Ab his sejungebantur Capellæ, quæ Ecclesiolæ erant seorsim structæ, & uni Clerico commendatæ. Harum pluribus Clericum quemquam ab Episcopo donari vetuit hoc ipsum Concilium, quamvis non totam una posset sufficere sustentationem; sed harum tam tenuium administrationem Præposito demandavit ejus Ecclesiæ, cui obnoxiæ erant hæ Capellæ; ut earum dispensaret proventus, & officia necessaria curaret persolvi. *Si qua tamen Capella sunt, qua suis reditibus Clericos sustentare non possunt, ea cura ac dispositio Praposito majoris Ecclesia, cui Capella subdita esse videntur, immineat, & tam de possessionibus, quàm de Ecclesiasticis Capellarum officiis ipse provideat.* Hinc emicat eas Capellas tum dici potuisse, & solas propemodum dici potuisse Beneficia simplicia. Et nec harum tamen plures ab uno retineri patiebatur hoc Concilium, etiam tum cum unius reditus ita jejuni & exiles essent, ut hinc ali non posset Clericus. Usque adeo pluralitati infensi tunc erant hi Præsules. Nec in eadem erant causa Parochiæ, ut quæ Pastoribus carere non possent. Non immeritò ergo alibi Gratianus negat duo debere ab Episcopo conferri uni Beneficia, vel Officia. *In dispensatione verò Ecclesia hanc regulam observandam noverit Episcopus, ut nulli quantumlibet exercitata persona duo simul officia committat.* D. 89. Si alibi autem confessus est Gratianus posse duas uni alicui committi Ecclesias, Titulo alteram, alteram Commenda: non alia illi sedit animo sententia, quàm Gregorio Papæ, cujus Commendæ omnes & ad breve tempus erant, & ad utilitatem Ecclesiæ coarctatæ. 21. q. 1.

VIII. Complexus est Petrus Cantor tribus aut quatuor Capitibus longè præclarissimam pluralitatis Beneficiorum confutationem. Illam ait monstruosam fuisse & tenebrosam imitationem divinæ & beatissimæ Trinitatis, cùm unus idemque homuncio suam quodammodo duplicabat triplicabatque personam, Personatuum suscepta in se & aliorum Beneficiorum multiplicitate. *Velut Geryones, Briarei, Bicorpores, Tricorpores, bellua multorum capitum monstruosa, contendunt Deo uni trino in Personis, & uni in substantia assimilari. Horum enim quilibet cùm sit unus in substantia & in persona; tamen plures esse appetit persona in personatibus & dignitatibus Ecclesia. Hoc genus hominum monstruosorum, & cupiditatis monstrum redarguit Dominus, &c.* Observat Petrus eam multitudinem Beneficiorum ipsa destrui eorundem investitura, in qua libro à Collatore in manus dato,

De Verbo abbreviato. c. 31. 32. 33. 34.

profitebantur, se in eadem Ecclesia sedem certissimè defixuros, nec alibi peregrinaturos. *Traditur enim liber, & dicitur, Do tibi hanc Ecclesiam, vel Prabendam, ad honorem Dei, & obsequium hujus Ecclesiæ. Quasi diceret, Assiduus sis Ecclesiæ hujus Officio. In quibusdam autem Ecclesiis expressius hac forma suppletur: Do tibi hanc Ecclesiam, vel Prabendam ad honorem Dei & servitium hujus Ecclesiæ, ut residens sis & mansionarius in hac Ecclesia.* Improbat denique Petrus eum aliquarum Ecclesiarum usum, ubi pluribus Parochis una committebatur Ecclesia, Lutetiæ potissimum. *Imò hodie plures quàm duo; ut in Ecclesia sancti Mederici, & multis aliis.* Devixit Petrus ante annum 1200.

Portenti simile ait Vuillelmus Episcopus Parisiensis, à membro uno plurium loca & officia membrorum impleri; nec minùs portentosum, si unus idemque Beneficiarius, hujus Ecclesiæ Canonicus sit, alterius Cantor, Præpositus tertiæ, quartæ Archidiaconus, quanquam usque adeo jam increbuerint hæc monstra, ut ad ea nemo jam exhorrescat. *Hujusmodi monstruositates in se ipsis horribiliter effigiant, qui uno officio vel dignitate non contenti, & interdum nec uni sufficientes, vel idonei, multa in se conjungunt. Dum enim aliquis Decanus est in una Ecclesia, Præpositus in alia, Cantor in tertia, Archidiaconus in quarta, quid est nisi monstrum spirituale in corpore universalis Ecclesiæ? Assueti autem hujusmodi monstris, vel potius horrificam eorum monstruositatem non videntes, ad ea expavescere jam nescimus.* — De vitiis & peccat. c. 9.

IX. Hic ipse prorsus Vuillelmus Episcopus Parisiensis, in Conventu Doctorum Parisiensium, re in commune diu deliberata, definit, non posse citra crimen obtineri duo Beneficia, quorum unius annui reditus essent librarum quindecim, quæ tunc pecunia mediocri unius Cleri sustentationi abunde erat. Lutetiæ Parisiorum tunc versabatur Thomas Cantipratensis, is ipse ex quo hanc nos decerpsimus narratiunculam. *Volo ut quicumque hæc legerit, sciat me anno 1238. fuisse Parisius, ubi venerabilis Guillelmus Parisiensis Episcopus, qui in Theologia rexerat, fecit Conventionem omnium Magistrorum in Capitulo Fratrum Prædicatorum. Proposita ergo quæstione de pluralitate Beneficiorum, solerti & longa disputatione probatum est, duo Beneficia, dummodo unum valeret quindecim libras Parisienses, teneri cum salute animæ non posse. Hoc determinavit prædictus Episcopus.* — L. 2. Apum. c. 29. n. 5. Additur ibidem Hugonem illum fama inclytum Ordinis Dominicani, Cardinalatu postea auctum Parisiis affuisse, & his consentaneum fuisse. At triennio antè habitam fuisse non paulò solenniorem Doctorum Congregationem, ubi omnes in idipsum consensissent, exceptis duobus, Arnulpho Episcopo postea Ambianensi, & Philippo Ecclesiæ Parisiensis tunc Cancellario. *Fuerat habita disputatio longa valde, & multò solennior ante annos tres, in qua etiam omnes Magistri Theologiæ, exceptis duobus, determinasse probantur idem per omnia, quod & suprà, &c.* Hic ille est Philippus, qui periculum facere voluit, an plura gerens Beneficia, possit nihilominus æternam consequi salutem; fato autem suo defunctus, visendum se exhibuit Vuillelmo Parisiorum Episcopo, ut eum certiorem faceret, æternis se cruciatibus addictum fuisse propter tria quædam flagitia. 1. Quòd proventus Ecclesiasticos in pauperes non dispensasset, cum superflui redundabant, sed recondidisset: *Quòd recrescentes fructus annuos contra pauperes timidè reservavi.* 2. Quòd plura retinuisset Beneficia. 3. Quòd diutiùs scelestæ libidini immersus jacuisset. Adjicit denique idem Scriptor, eam quoque fuisse Petri Ecclesiæ Parisiensis Cantoris doctrinam, flagitiosum esse, si plura quis retineret Beneficia, quorum unum sufficiat. Concludit denique in ipsa opinantium hinc & hinc dissensione, neminem posse citra peccatum peccandi discrimen adire, ex B. Augustini doctrina. *Esto quod multi Magistrorum dicant hoc, & multi alii opinentur in contrarium: hoc solum mortale ab Augustino omnium Doctorum maximo judicatur, quod quis incertitudinis periculo, aut mortalis peccati discrimini se committit.*

X. Beneficia de quibus tunc controversia hæc fervebat, non alia erant, quàm Canonicatus, Dignitates Capitulorum, & Parochiæ. Id quidem in Decretis, Canonibus & exemplis hoc Capite & suprà relatis patebat. Non alia ferè tunc Beneficia. Quibus nunc suavissimè pascitur avaritia Clericorum, simplicia Beneficia, vixdum ulla erant. Promo ejus rei nova argumenta. Ubi pernumerabat Thomas Archiepiscopus Cantuariensis ea, quibus illum Rex Angliæ Beneficia obtuerat quodammodo, non alia ferè percenset. *Archidiaconatus Cantuariensis, Præpositura Beverlaci, plurima Ecclesia, Præbendæ nonnulla.* Sed nihil hinc minuitur timor, quo concuti necesse est eos omnes, qui plura utcumque Beneficia obtinent. — Baron. ann. 1167. n. 38.

XI. Elucubratus est à Vuillelmo Parisiensi Tractatus specialis adversùs *pluralitatem Beneficiorum* indiscriminatim. Versata est ab eodem in alio Opusculo de *Collatione Beneficiorum* hæc eadem quæstio, An plura retineri fas sit, cum unum sufficit. Ac primò quidem respondet ipse opiniones esse super ea re diversas, adversasque; at vel ex ea ipsâ dubitatione emicare, quæ tenenda ratio & via sit, minimè nimirum perplexa, & qua nulli objiciamur salutis discrimini. *Si dubium est, utrum liceat, vel non liceat, ipsa dubietas certitudo est & determinatio, quia procul dubio non licet. Nulli enim dubium est, quod non liceat alicui committere se discrimini: discrimini autem se committit, qui aliquod facere præsumit, de quo dubitet, an peccatum mortale sit.* — Cap. 6.

His ille rationes substruit complures, ut nemini fas sit, nemo tuta conscientia possit pluribus incubare Beneficiis, quorum unum sufficiat. Ita enim suo scopo frustratur & fructu Fundatorum voluntas, qui augescere voluere numerum & ministeriorum, & ministrorum divinorum: *Sicut certum numerum voluerunt habere servitiorum, sic & servitorum.* Illa Beneficiorum pluralitate truncatur Ecclesia membrorum suorum parte non modica; fraudantur fideles mortui, & superstites parte non mediocri orationum & sacrificiorum, ex quibus fructum plurimum capiebant; fraudatur denique Deus ipse ingenti numero Ministrorum suorum, & eorum qui infatigata psalmodia divinas laudes concelebrant. *Defraudare Dominum præconibus gloriæ suæ atque præconiis; & ipsam etiam membris suis & membrorum officiis Ecclesiam; animas verò tam mortuorum quàm vivorum patronis simul & patrociniis, sufficiens meritum est & causa damnationis æternæ.*

Vel comparari plura, vel retineri Beneficia, nisi charitatis stimulo non possunt, aut instinctu cupiditatis. Vix ac ne vix quidem charitas urgebit, ut plures quis ambiat, aut plures occupet, pluribus destinatas sedes, ac functiones. Si cupiditas autem dux & incentrix sit, non potest res culpa vacare. *Si ex cupiditate, manifestè confitentur quia malè.* Non potest sine piaculo numerus imminui cælestis mili-

tiæ

tiæ militum, aut ducum. Si quid ejusmodi in terrenum Principem committeretur, nemo nescit, quàm dira, & quàm justa pœna ingrueret. *Quantum minuat Dei exercitum ista pestis, quamque graviter plectendi sunt à Deo hujusmodi proditores, manifestum est satis.*

Inaniter prætexebant aliqui his Beneficiis suis nullam indictam fuisse residentiæ legem. At refellebat eos Vuillelmus, eam non residendi licentiam non aliqua lege niti, sed consuetudine, & quidem vitiosa, cujus etiam pauca essent exempla: *Si quis verò adjecerit nobis, ex Ecclesiis in quibus non compellitur fieri residentia: dicimus quia non est libertas ex constitutione, vel fundatione, sed magis ex longa consuetudine & Clericorum malitia usurpata; si tamen in aliquibus est, in paucissimis.*

Exceptionem denique aliam non minus ille repercutit, causantium videlicet, non sine Pontificia dispensatione plura à se possideri Beneficia. Contrà insurgit Vuillelmus: eas quidem dispensationes ab ea proficisci summa Sede, quæ nullius particularis Doctoris judicio subjiciatur, verùm ubi propius pressiusque expenduntur, meras eas magna ex parte subreptiones esse. Sed ne nos infinitæ immergamus indagini, id esse omnino indubitatissimum, tam nolle, quam nec posse Pontificem, concedere ex dispensatione, ut ambitioni, avaritiæ, & cuicumque cupiditati quis indulgeat: Deoque dicatas Ecclesiæ opes, ut alendis vitiis, vanitati, luxui, gulæque impendat. *Quod si objeceris nobis de dispensationibus Apostolicis: respondemus, quod illa supra nos sunt; & quod diligentius considerata, irrita sunt; & de omni dispensatione facta idem sentimus, nec interpretari præsumimus. E contrario tamen indubitanter sciendum est, quod Romanus Pontifex, quantumcumque largam dispensationis gratiam videatur facere in Beneficiis cum aliquibus personis: tamen non dispensat cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum, nec indulget eis indulgentiis suis, & his, vel aliis vitiis. Non enim intendit pascere, vel nutrire pestes vitiorum de bonis temporalibus Ecclesiasticis, quæ plenè novit ad sustentationem servorum Dei in ejus servitio sacrificata esse Domino & oblata.*

XII. Non aberat ab ea sententia Jacobus de Vitriaco, ubi in vita, quam litteris mandavit, beatæ Mariæ Ognjacensis, enarrata terrifica quadam visione hujus sanctissimæ fœminæ, hæc mox subjicit:
Surius die 23 Junii. l. 2 c. 6. *Ignoscite mihi fratres, qui dignitatem dignitati adjungitis, & Sacerdotia, sive Beneficia Ecclesiastica alia aliis coacervatis. Non enim meum est, quod retuli, sed Christi revelantis. Fortassis autem & Ancillæ Christi visiones ridebitis, & pro somniis & phantasmatis habendas statuetis. Sed etiam Pharisæi Dominum disputantem de avaritia, & divites in Regnum cœlorum difficile introituros asserentem, non solum irriserunt, sed insanum quoque judicarunt.* Hæc in Annalibus suis
Ann. 1238. n. 16. Spondanus refert, additque, *Intervenere postea dispensationes summorum Pontificum.* Intellexit ergo Spondanus Beneficia, de quibus tunc controvertebatur, ipso jure incompatibilia fuisse, vel residentiæ ergo, vel curæ animarum. Ad hujusmodi enim tantummodo Beneficia intervenire postea necesse fuit Pontificias dispensationes.

L. 3. Author est Longinus ad annum 1054. in Historia Polonica, ex simonia latè serpente scaturisse pluralitatem Beneficiorum: usque adeo ut Doctores ipsi, qui eam censorio cauterio inurebant polygamiam, à sententia facilè abduci se sinerent, ubi allucebat ipsismet occasio plurium sibi parandorum. *Facilè inventi sunt pauperes Clerici & Doctores, qui pluralitatem Beneficiorum & pompam Ecclesiasticam reprehenderent, donec offerret se occasio participandi: quâ acceptâ graviter avaritia excæcat eos.* Ita secum statuebat pius hic Canonicus Ecclesiæ Cracoviensis, æquum esse, ut Clerici necessariis contenti sint, nec, quod solent, infinita quadam cupidine ardeant omnia possidendi, *Clerici qui nil possidere deberent præter rationabilem competentiam, neque se de temporalibus intromittere, omnia possidere, omnia gubernare volunt.* Monet denique ille idem Beneficiatos, sibi ut consultum velint, Deum non irrideri; Pontificiis dispensationibus, quibus tam multi sibi blandiuntur, & consuetudine, persæpè vitiosissima, prohiberi non posse, quin avaritia quædam sit idolorum servitus, & quin pluralitas Beneficiorum vehementer Clero officiat, quem ministris plerisque suis orbat. *Olim Pharisæi contra avaritiam disputantem Dominum deridebant, & insanum judicabant, sed nunc Dominus subsannat eos. Caveas, Lector, qui multa occupas Beneficia, ne eadem facias, neque eadem patiaris. Deus non irridetur; sed quæ seminaverit homo, hæc & metet. Noli sequi consuetudinem periculosam, noli te per Papæ dispensationem excusare, &c. De numero Ministrorum Ecclesiæ propemodum medietas est resecata, &c.* Postremò denique tetrissimè ab eodem observatur, qui uno contenti degunt Beneficio, eos plerumque pluribus & lautioribus affluere vitæ commodis, quam qui plura retinent, sed & hiante semper cupiditate, & quo plura habent, plura abligurienté, magnas inter opes inopes sunt. *Quid prodest ultra prohibitos Beneficiorum titulos coacervare: cùm etiam simplices communiter videmus in singuli honestate amplius abundare?*

XIII. Non assentiebatur forsan beatus Thomas ei de quo suprà Doctorum Parisiensium Decreto, ubi eam ventilabat quæstionem, An peccet, qui plures retinet Præbendas, quanquam non nesciret Doctorum super ea re diffidentes sententias. Aut enim omnes consensisse Doctores diffidebat, aut conspiranti etiam eorum sententiæ non existimabat necessariò subscribendum esse, quando ita definiebat, Si quis eorum doctrina & decreto non persuaderetur, aut ne concuteretur quidem, non peccatorum, si secus faceret: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Non agit ille nisi de iis, qui plures habuerint *Præbendas*; quòd ea tunc quæstio magno animorum æstu vexaretur. Quodlibet. 8 q. 6. a. 5.

Sed multò præclarius alibi sanctus Doctor, prolixiusque declarat, plurimas acervari non posse Præbendas, nisi eo animi vitio, quod in vitia longè plurima luxuriet. *Habere plures Præbendas, plurimas in se inordinationes continet.* Quod pluribus, ut mox subditur, simul inservire nemo possit Ecclesiis; quod pluribus ministris spolietur Ecclesia; quod fundatorum voluntati non fiat satis, qui auctum utique voluere sacrorum Ministrorum numerum; quod invidiosissima inæqualitas in distributionem rerum Ecclesiasticarum invehatur. 2. Addit beatus Thomas, si possit singularibus circumstantiis effici, ut in laude sit homicidium, quanquam jure divino prohibeatur: posse & incidere ejusmodi causas, ut in vitio non sit Beneficiorum pluralitas. Exempli gratia, si pluribus Ecclesiis pernecessaria sit alicujus Clerici industria ad ipsarum commodum; aut si etiam absentes plus prosint, quam præsentes alii, & id genus alia. *Ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio: & possit plus servire Ecclesiæ,* Quodlibet. 9. art. 15.

vel tantundem, quàm alius præsens; & si qua alia sunt hujusmodi. 3. Dubium est, an tum desideretur dispensatio Pontificia, ubi jure naturali fas est plures retinere Præbendas. Et hoc dubium ex alio promanat dubio, an priscæ leges Ecclesiæ pluralitati infestæ contraria consuetudine obsolefactæ sint. Si enim abrogatæ non sunt eæ leges, desideratur certè dispensatio; ejus nihil est opus, si sint abrogatæ. *Si ergo antiqua jura, quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetudine nonobstante, certum est non posse aliquem plures Præbendas habere absque dispensatione, etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ secundùm considerationem juris naturalis actum poterant honestare. Si autem sunt abrogata, licitum est sine dispensatione plures Præbendas habere.* 4. At si extra has temporum rerumque causas & vices, quibus plures ab uno retineri Præbendas, Ecclesiæ ipsi compendiosum est, plures quis retineat, etiam cum Pontificis dispensatione, nihil hinc minuitur flagitium: quippe dispensatione jus humanum ac potissimum relaxari quidem illud potest, at non divinum & naturale. *Sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcumque dispensatio interveniat, eò quod dispensatio humana non aufert ligamen juris naturalis, sed solum ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.* 5. Ita qui plures retinet Præbendas, ut ditescat, aut ut lautius vivat, aut expeditius ad Episcopatum iter sibi communiat, tantò sceleratior habendus est, quòd nefariæ Beneficiorum pluralitati, alia adjiciat fœdiora etiam flagitia. *Si verò aliquis hac intentione plura Beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, ut faciliùs ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi est Præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur. Quia cum tali intentione & unum Beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum.*

XIV. Quæ B. Thomæ multò enucleatior est doctrina, & pressior. Liquet autem ex ea, 1. Non aliud tunc fuisse plures habere Præbendas, quam plura Beneficia; quod Beneficia omnia Curæ animarum expertia, Præbendarum nomine designarentur. 2. Non subscribere beatum Thomam Decreto anni 1238. de quo suprà, nec quæ ibi damnantur, ab eo damnari omnia. 3. Eximiæ & singularis fuisse sapientiæ, quod Canones & Decreta, Concilia & Pontifices abstinuerint se semper, ne disertis verbis diffinirent, lethali culpa constringi omnes, qui plura retinuerint Beneficia: prohibuisse autem dumtaxat universim, nequis plura retineret, nisi ex ejusmodi dispensatione, qua approbaretur eo casu speciali, adeo non Ecclesiasticis legibus vulnus infligi, ut non pœnitenda potius in Ecclesiam utilitas esset inde emersura. 4. Ea nos ratio impulit, ut circumspectius ageremus, sententiamque & verba ipsa libraremus, ne quid à nobis, nisi idem ab Ecclesia damnaretur; & nihilo acerbius damnaretur. Ut enim ibidem sanctus Thomas luculentissimè monet, periculosæ plenum opus aleæ est, quæstiones illas diffinire, ubi inquiritur de peccatis quæ mortem adferunt, vel non adferunt animæ. *Omnis quæstio in qua de mortali peccato quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur.* 5. Ambigebat sanctus Thomas, an contraria consuetudo antiquasset priscos Canones; sed non ambigebat, antiquari eâ posse, quidquid usquam est juris humani & positivi, quanquam elidi & abrogari ab ea non possit, quod juris est divini ac naturalis, humano quandoque juri implicati.

XV. Aliorum jam Theologorum, qui in vestigia ingressi sunt B. Thomæ, testimonia nihil attinet huc congerere: in id satius est operam conferre nostram, ut novis machinis destruatur pluralitas, confirmeturque Ecclesiastica lex, cui tam crebrò & tam impunè illuditur, citra ullam id genus compensationem, qua Canonum injuria & jactura sarciatur. Beatus Ludovicus Rex Galliæ nihil unquam Beneficiorum addebat ei, quantumcumque doctissimo, cui unum jam suppeteret Beneficium. *Hanc consuetudinem observabat, quod nulli, quantumcumque litterato, aliquod Beneficium Ecclesiasticum possidenti, conferret aliud, nisi primo Beneficio simpliciter resignaret.* Ita Vuillelmus Nangius in ejus vita, ubi & hoc dicitur Rex sanctissimus appetente jam morte filium monuisse, ut ne nova cuiquam adjiceret Beneficia iis, qui unum aliquod jam haberet. *Beneficia Ecclesiastica personis idoneis dona de consilio spiritualium virorum, & eis qui non habent aliud Beneficium.* Id ipsum testatum faciunt & alii ejus vitæ Scriptores. *Du Chesne. Tom 5. pag. 369 392. 393. 435.*

Si qua fides Paulo Æmylio, potuit sanctissimus Rex exemplo suo præluxisse sanctissimo Pontifici, Clementi IV. qui eodem tempore sedem Apostolicam illustravit, & tantum absuit à cognatis suis Beneficiorum temeraria largitione locupletandis, ut sororis filium, qui tres gerebat Præbendas, unam coëgerit optare, resignare cæteras. Scitè ait Æmylius, probro & dedecori futurum fuisse summo Pontifici, si pium Regem non imitaretur; nisi Pontifices autem, Regesque, quibus moderandas Deus commendavit Ecclesiæ & Regni habenas, exemplo ipsi suo præfulgeant, cognatosque cogant in eadem secum insistere vestigia in Ecclesiæ legibus servandis, quarum ipsi vel authores sunt, vel defensores, desperandum esse de facienda moribus medicina: ita enim cum mortalibus omnibus comparatum esse, ut exemplis potius Pontificum, Regumque se accommodent, quam præceptis. *Filio sororis multiplices Præbendas habenti, optionem dedit, quod eorum videretur, retineret, cæteris omissis. Si erga suos se præberet, qualem fas esset, cæteros non molestè laturos, saluti potius animarum, quàm cupiditati ambitionique consuli. Turpe fuisset Pontificem sanctitate cedere Regi Franco, &c. Misceamus maria cœlo, non antè sanctis vivetur moribus, non piè formabitur cæterorum pectus, nisi sanctitate imbutis Magistris morum, iisque qui vitæ mortalium præsunt. Non parebunt ex animo alii legibus, lege solventibus alios, iis qui leges moderantur, seque legum immunes volunt. In animis tenuiorum regendis, exemplo Magnorum, Antistitumque potius, quam imperio opus est. Non aliis quam quibus nata est, Christiana pietas moribus recoli potest.* *In vita sancti Ludovici.*

XV. Ipsissima hæc erat Vuillelmi Durandi Episcopi Mimatensis doctrina in illa Reformationis Ecclesiasticæ commentatione, quam à Clemente V. moliri jussus, Concilio tandem dicavit obtulitque Viennensi. Post enumerata enim, quæ ex pluralitate Beneficiorum scaterent detrimenta: *Quia uni persona Præbendæ multa, & multa Beneficia, & multa dignitates & personatus cumulantur.* Post declaratam Theologorum in eo consensionem, non posse ab uno plura obtineri Beneficia, quorum unum mediocri sustentationi sufficiat: *Etiam Theologorum communiter hoc habet opinio, quod si unum habens Beneficium, de quo potest non lautè, nec ad elationem & pompam, sed convenienter & mediocriter sustentari; & recipiat, vel retineat aliud, mortaliter peccat.* Ne prætermissa quidem narratione illa decantatissima de Cancellario Ecclesiæ Parisiensis; id tandem ab eo *De modo Conc. General. part. 2. tit. 21.*

concluditur, Conducibile imprimis fore, ut ad omnes prorsus Clericos ampliaretur Decretalis Bonifacii VIII. *Cum singula, De Præbendis, In Sexto,* qua constituitur non posse à Regularibus alterum suscipi Beneficium, quin vacet prius, hac ipsa susceptione secundi: sed illud ante omnia necesse esse, ut huic legi morem gererent ipsimet Cardinales, ut qui non possint eos Beneficiis cumulari & pensionibus, nisi detrusis ad mendicitatem bene multis Clericis, & eo edito exemplo, quo licentiæ, avaritiæ & ambitioni authoritas conciliatur. *Quare videretur utile Ecclesiæ sanctæ Dei, ut ordinatio Beneficii quantùm ad Regulares, extenderetur ad sæculares, & ad dominos Cardinales, qui in grave animarum ipsorum periculum, & universalis Ecclesiæ dispendium, multa millia florenorum, librarum & marcarum, sibi & multis pestifera adinventione super Ecclesias etiam Parochiales & Curatas faciunt cumulari: & Ecclesias etiam Cathedrales & ultramarinas sub diversis coloribus commendari: & certas sib. solvi ab illis, qui eorum promoventur auxilio, pensiones, quæ nunquam in Romana Ecclesia moriuntur, sed ab uno Cardinali in alium vel in ejus, vel domini Papæ propinquum, vel nepotem detinentur. Ex quibus sequitur, cùm sibi vendicent universa, infelix quod Clericus, qui de prædictis Beneficiis sustentari, & eis personaliter deservire debuerat, mendicat in plateis, &c.*

XVII. Nihil æquius cert usque est, nihil à quo magis animus abhorreat, nisi Magnates Ecclesiæ exemplo ipsi suo suffulciant Evangelicas Canonicasque leges de modestia cultûs, de frugalitate, de despicientia sæculi, de paupertatis Evangelicæ pretio & charitate; expuendam spem esse omnem de promiscuo unquam Clero ad earum observantiam alliciendo. Papiensi quidem Cardinali Jacobo persuasissimum id erat, cùm litteras illas ad Cardinalem Mantuanum daret jure merito admirandas, ubi submonebat eum, frustra esse Cardinales eos qui tot & tanta sibi aggerarent Beneficia; cùm nec id eos ret necessitas, jubente Apostolo, ut habentes, quibus famem & nuditatem arceamus, his contenti simus. *Etiam congeries hæc sacerdotiorum ad quem*
Epist. 547. 548.
usum in domibus sunt Sacerdotum? Si ad necessitatem parantur, audiamus admonentem Apostolum, Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Nec serviendum avaritiæ sit, quæ idolorum servitus ipsamet est: *Si ad cupiditatem explendam, etiam ejusdem increpantis verum intelligamus, Mortificate avaritiam, quæ est idolorum servitus: quia non potestis, inquit Salvator, Deo servire & mammone.* Nec pompæ & luxui indulgendum, ne canes saginentur filiorum esurientium pane: *Sin verò ad luxum vitæ & pompam, idem quod Chananea responsum nobis sciamus, Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Ita quo se cumque vertant, in angustias & in ruinas damnationis incurrunt: *Quoquo te vertas, indignam ministerio sacerdotali curam invenias, labefactantem animas, atque ad solam gehennam ædificantem.*

Itaque accumulari non possunt Beneficia, quin accumulentur & crimina: *Recense verò mecum coacervatarum Administrationum quanta sint mala, quantisve nos involvant criminibus.* Ingenti verò cultorum numero fraudatur Deus, unde & cultus ipse negligentiùs celebratur: *Defraudamus primo loco Deum gloria justi obsequii sui. Quod enim persolvi illi pluribus administrantibus oporteret, per unam cogimus fieri. Quàm verò ritè, quàm diligenter piéque fiat, ipsi nos conscii sumus.* Debilitatur corpus Ecclesiæ, uno in plurium Pastorum Abbatumque locum suffecto: *Rursus debilitamus corpus Ecclesiæ. Quatuor, quinque, plurimumve Præsulum sedes occupat unus. Cœnobiorum multorum Patres idem unus excludit, minorumque munerum ministros idem unus in domo Dei esse non sinit.* Quanta quisque superflua sibi coacervat, tanta cæteris Ecclesiæ ministris necessaria suffuratur: *Tam multos ejicimus, quàm multa superfluò possidemus.* Metunt carnalia, qui spiritalia non seminant, præter Apostoli præceptum, præter sempiternæ Legis imperium: *De ovibus creditis metimur indignè, à quibus juxta verbum Apostoli: Metentes carnalia, non seminamus eis spiritalia.*

Substituuntur Vicarii, hoc est, mercenarii, Pastoris interim periculo perit grex. *Quidquid perit, animabus haud dubiè nostris perit.* Offendiculo est populis & horrori, quòd necessariis subsidiis egere sinantur pauperes; nec pascant jam gregem, sed seipsos, qui Pastores jam non sunt, sed mercenarii. *Adde publicum odium meritò in nos ex tanta insania comparatum. Lamentari Ecclesias vides, quòd his cumulis egenorum panem eripimus; dolere populos, quòd veneranda Pastoribus loca, plena nunc mercenariis vident.* Gravatè ferunt Principes ipsi terreni, Principum Ecclesiæ fœdissimam avaritiam, velut excussa horum animis beatæ & antiquæ paupertatis memoria, quæ tot exædificavit ditavitque toto orbe Ecclesias. *Indignari Principes, quòd nullis accessionibus nostra ingluvies saturatur. Clamant non esse nos memores paupertatis antiquæ, propter quam crevit Ecclesia.* Illa enimvero opum luxûsque cupiditas, in sanctissima parcitatis & frugalitatis professione; illa æstuatio in temporalia lucra, in tanta salutis animarum incuria: illa, inquam, est quæ indignationem & stomachum movet Principibus, eaque inspirat subinde exitialia in Clerum consilia & conamina, quæ non possint nisi ignava & periculosissima adulatione Clerique dehonestatione dissipari.

XVIII. Qui Abbas & Panormitanus vulgò dicitur, idemque Cardinalis & Archiepiscopus Panormi, nobilissimæ in Sicilia civitatis, facilè assensus esset tam luculentæ Cardinalis Papiensis sententiæ. Sæpiusculè enim ab ipso quoque pronuntiatum est, qua sibi cumque blandiretur quis dispensatione Pontificis, gravi se illum piaculo obligare, qui plura retinet Beneficia, nisi ea dispensatio rationabili causa niteretur. *Valet hoc ad sciendum, an & quando possit quis tenere plura Beneficia bonâ conscientiâ. Nam ubi non subest causa rationabilis, non excusatur quis, quoad Deum, etiam ex dispensatione Papæ.* Et alibi rursum: *Dispensatus etiam per Papam circa pluralitatem istorum Beneficiorum sine causa, licèt sit tutus quoad Ecclesiam militantem, non tamen quoad triumphantem; & sic non valet dispensatio quoad Deum. Et habeo hanc opinionem pro indubitata, quando fieret dispensatio, ut Clericus propter utilitatem privatam obtineret plura Beneficia, quorum alterum sibi sufficeret ad honestatem vivendi. Nam hoc casu non solùm alteratur humani juris dispositio, sed etiam Christi patrimonium injustè dispergitur. Cùm ergo ipse Papa non possit sine causa alienare bona Ecclesiæ sine gravi peccato; multò fortiùs non potest alteri dare potestatem ipsam patrimonium malè dispergendi.*
In C. Cum adeo De Rescript. In C. Dudum. De Electione.

XIX. Ita vir clarissimus, à quo nemo jure suspicari possit Cardinales excipi, cùm nec ab ipsis Pontificibus censorium stylum abstinuerit. Optatissimum mihi quidem fuerit eodem deflectere Decreta Cleri Gallicani, anno 1408. eo tempore, quo sæviebat schisma, & obedientia Pontifici subtra-

liebatur. Statutum est, ut ne ad Beneficia nominarentur nova, quibus jam suppetebant ea, ex quibus reditus conficerentur quadringentarum librarum: nisi sint Nobiles, Doctores, Licentiati, Baccalaurei, Magistri Libellorum supplicum, Eleemosynarius Regius, Medicusve, vel Capellanus, aut Principes essent. Ubi proprio inferiùs loco de Dispensationibus sermo erit, non dissimulabimus posse rationem haberi Nobilium & Doctorum, & plusculum in eos gratiarum conferri, non ad privatam eorum utilitatem, sed propter ea quæ ad publicam Ecclesiæ amplificationem conferre ipsi possunt.

Histoire de Charles VI. L. 28. c. 5.

XX. Postremam ferè hic occupabit sedem, qui primam meritissimò potuerat beatus Carolus Borromæus, sacri Collegii decus incomparabile, & elimatissimæ Canonum disciplinæ specimen singulare. Ubi primùm avunculus ejus summi Pontificatûs apice sublimatus est Pius IV. Cardinalatu ab eo & Archiepiscopatu Mediolanensi auctus est, præter Officia complurima Curiæ Romanæ, Abbatias duodecim, pensionesque varias in diversis Provinciis & Regnis. *Ecclesias non minus duodecim in variis regionibus Abbatis Commendatariive nomine tenebat. Amplas pensiones variis in Provinciis aliasque sacras facultates obtinebat.* Ita Novariensis Episcopus in ejus vita. Tam piè & religiosè Carolus expenderat antea reditus Abbatiæ suæ, cùm primævo adolescentiæ flore vigeret, ut ne in dubium quidem vocari possit, quin pari pietate & religione duodecim harum Abbatiarum provèntus dispensarit; ut non amplum modò, sed & compendiosum fuerit his Cœnobiis & Ecclesiis, tam religioso subesse Pastori.

L. 1. c. 8.

Sed cùm Caroli in dies augesceret non flamma tantùm charitatis, sed & sapientiæ lux, animadvertit tandem ipsemet, hac Beneficiorum multitudine, quantumvis sanctissimè eorum reditus administrarentur, offendi tamen oculos animosque eorum, qui purioris & antiquorum Canonum & Conciliorum disciplinæ amantes essent; pellici etiam ad imitationem complures, qui pluribus & ipsi se Beneficiis suffarcinarent, frivola & inani spe eos exuberantes reditus piè erogandi. Vidit & incommoda ea, crebrò jam superiùs recensita, quæ ex Beneficiorum multitudine penè necessariò pullularent, & quæ ne infatigata quidem & insomni vigilantia sua præverti possent. Sed abjiciendæ hujus permolestæ tot Beneficiorum sarcinæ voluntas constantissima hinc illum maximè incessit, quòd tanto se in culmine ob oculos generis humani positum, sentiret exemplo pluribus esse & fore, atque adeo exemplo omnibus esse debere, ut canonicis legibus, ipsisque maximè nuperrimis Concilii Tridentini Decretis obtemperent adversùs pluralitatem Beneficiorum. *Ut quod de pluribus non habendis Beneficiis, tum antiquis, tum novis Ecclesiæ legibus sancitum erat ex amplissimis ipse Ecclesiæ sanctæ Principibus, ad plurimorum documentum plenius exequeretur.*

L. 2. c. 1.

Vides hic ergo firmari, quod alibi delibatum est, essa causas justissimas, ut cum Nobilibus & Magnatibus quandoque faciliùs dispensetur, ipsius contemplatione utilitatis Ecclesiarum. Sed & pariæquè justas esse, ut ne vel deposcant ipsi, vel admittant dispensationes ullas, ubi nisi illustrioribus quibusdam exemplis confirmari & convalescere leges non possunt. Possunt ab illis emolumenta consequi non mediocria particulares Ecclesiæ ipsis commendatæ: sed præponderarent ultra modum, ea quæ universæ importarentur Ecclesiæ, si per eos observatis legibus accuratissimis sanctioris disciplinæ, valeret, & in alios propagaretur exempli vis & authoritas. Nec plura illa tantùm Carolus abdicavit Beneficia, sed & pensiones abjecit, variis in Ecclesiis Italiæ, Hispaniæ, Belgii sibi assignatas. Coarctavit se tandem in unam Ecclesiam suam Mediolanensem, & pensiones eas quæ oneri esse non possent Ecclesiis. *Uno ex tot tantisque sacerdotiis Archiepiscopatu retento, & ex plurimis pensionibus, nonnullis tantum, quibus Ecclesia minimè gravarentur.*

L. 3. c. 1.

Hæc eadem à Giossano observata sunt, qui & subjicit, ab eo nunquam ulla iis collata fuisse Beneficia, qui aliud quodlibet haberent, nisi hoc antè resignare eos cogeret; & auspicatissimò tandem rem illi processisse, in evertenda prorsus pluralitatis Beneficiorum vetustissima consuetudine; nulla re magis autem expugnatam fuisse antiquam illam hominum carnalium pruriginem, quàm exemplo Caroli.

Et ne Carolus quidem ipse simul ac semel illam Beneficiorum pensionumque multitudinem excussit. Ingenti prorsus fervore rem aggressus est extincto avunculo Pio IV. ineunte Pii V. Pontificatu, eamque sensim expedivit, perinde ut sa dabat opportunitas, auspice semper summa quadam sapientia & charitate. Nemo sobrius sibi finxerit Carolum tandiu criminis implicatum fuisse, quandiu stupendam illam retinuit copiam Beneficiorum. Dispensationis canonicæ satis idoneas habebat ille causas in alienissimo à quacumque temporali cupiditate animo suo, & in usu sanctissimo rerum ac redituum omnium, ad ipsarum decus & commodum Ecclesiarum. Sed nemo cordatus etiam negaverit, quin jure & meritò Carolo persuasum fuerit, abjiciendam aliquando tandem sibi esse sarcinam illam tot Beneficiorum: præsertim ubi in eam rem Tridentinæ Synodi Decreta manarant; jamque non convenienter tantùm, sed pene necessariò: ut qui horum Decretorum authores & duces fuerant, in eorum observationem exemplo aliis prælucerent.

L. 8. c. 30

Hoc temperamento sanctissimi, & ad summam austeritatis normam conformari Præsulis, excitare & castigare seipsos debent, qui fidentissimè pronuntiant, non posse unquam innoxiè plura obtineri Beneficia: nec non & qui molliùs agunt, negantque eos qui Beneficiorum reditus bene collocant & piè, ad Ecclesiarum & pauperum levamentum, aut sua sponte, aut alieno impulsu urgeri debere, ut uno retento cætera abdicent. Conitá enim ille demum sanctissimus est Beneficiorum usus, cum quis ea abdicare semper non facilè tantùm potest, sed & cupidè, si ita conducat ad salutem Ecclesiæ, vel ad morum Cleri informationem, his exemplis quandoque egentem. Hi fuere Caroli mores, ea decreta.

XXI. Editus est à Dionysio Carthusiano Tractatus adversùs pluralitatem Beneficiorum, ubi beato Thomæ, Vuillelmo Parisiensi, Raimundo de Pennaforti cùm visum sit, ut & aliis nobilissimis Theologis, *periculosissimam atque damnabilem* esse Beneficiorum pluralitatem, se quoque commonstraturum testatur *vitiosam damnabilemque* eam esse, nisi rarissimis illis temporibus, quibus necessitas dispensationem excusat. Huic doctrinæ suffragatores subjicit Petrum Cantorem & Petrum Comestorem; narratque memorabile illud Doctoris Girardi Episcopi Cameracensis, non commissurum se,

Art. 1. *Art. 7.*

ut vel pro toto Arabiæ auro, vel semel pernoctaset duobus onustus Beneficiis, quanquam certissimus unius eorum viro idoneo resignandi, ubi primùm diluxisset. *Nollem pro toto auro Arabia una tantùm nocte duo Beneficia retinere, & certus tamen esse quod de mane unum illorum homini idoneo conferretur, & hoc propter vitæ discrimen.* Addit & neminem hinc sibi suppalpari debere, quòd super ea quæstione diffideant Theologi. Summi enim Ecclesiæ Doctoris, summi Theologi constantissimam eam esse & inconcussam doctrinam, in crimine jam illum esse, quisquis se volens criminis periculo objicit. *Esto quod multi Magistri dicant hoc, & multi alii opinentur contrarium. Hoc solum ab Augustino Doctore omnium maximo judicatur mortale, quod quis incertitudinis periculo, aut mortalis peccati discrimini se committit.* Quibus ille astruit Vuillelmi Parisiensis Episcopi doctrinam, quem non pauci Doctores, ut ipse ait, celeberrimi, Thomæ & Bonaventuræ exæquabant.

Art. 8. *Tangenda sunt verba Guillelmi Parisiensis Doctoris profundi & uncti, quem etiam multi maximi audent Thomæ, seu Bonaventuræ in sapientia eminentia parem asserere.* Verba autem Vuillelmi, quem laudatissimi illi Doctores prædicabant, doctrinam reconditissimam B. Thomæ condiisse & condulcasse tota suavitate B. Bonaventuræ, erant hujusmodi. *Dicimus, quia si dubium est, utrum liceat hoc, an non, ipsa dubietas certitudo est, & determinatio: id est, certitudinem facit, quoniam proculdubio non licet alicui committere se discrimini. Discrimini autem se committit, qui præsumit aliquid facere de quo dubitat, an mortale peccatum sit.*

Nec multò pòst idem Dionysius B. quidem Thomam ait molliùs in speciem, remissiùsque sensisse

Art. 9. super hac re videri: *Quamvis videatur molliùs loqui, quàm Doctores suprà allegati*; at si verba ejus penitius introspiciantur, nihil eum deflectere à cæterorum rigore. *Si verba ejus ritè pensentur, sunt valde rigorosa.* Plures Thomam in Beneficiorum pluralitate pravitates deprehendisse; nec illam ab eo tolerari, nisi ubi urget Ecclesiæ necessitas, & ubi plus Ecclesiæ prodest absens quis, quàm alius quisquam præsens. *Nisi sit necessitas in pluribus Ecclesiis unius personæ obsequii, illaque possit utilior Ecclesiæ esse absens, quàm alia præsens.* Denique sanctissimè jam illa excidere tempora, quibus ea necessitas incurrat. *Veruntamen isti casus paucissimos, aut nullos tempore isto excusant.*

Existimat autem Dionysius Carthusianus, cum Raimundo, pluribusque aliis Doctoribus, his demum causis fas esse plura retineri Beneficia. Cùm uno eorum victitare non potest Beneficiarius. Cùm unum pendet ab alio, eique unitum est. Cùm Clericorum idoneo numero deficit Ecclesia. Cùm Parochialis Ecclesia Præbendæ vel dignitati innexa est. Cùm unum Beneficium Titulo possidetur, alterum commendatum est ad tempus, donec præsto sit cui tutò illud conferatur, & ut summum ad sex menses.

Negat autem Dionysius excusari posse pluralitatem Beneficiorum, & dispensationem elici, vel generis clarissima prosapia, vel singulari ubertate doctrinæ, vel eleemosynarum atque hospitalitatis exercendæ amore incitatissimo. Nec displicet Dionysio ea ratio, si cui fas esset plura retinere Beneficia, illi toties decantandas fore horas Canonicas universas. Commodiùs, & idem tamen dicitur, cùm ea quoque pluralitatis esse perversitas dicitur, quòd Deum suis laudibus, Ecclesiam suis officiis fraudet.

De Commendis.

CAPUT X. *P. 2. l. 2. c. 69.*

De Commendis Romæ & in Italia, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Evastatam à Barbaris Ecclesiam Episcopalem commendabat Gregorius Episcopo, propriam regenti jam Ecclesiam.

II. Commendabatur & Episcopo Episcopalis alia Ecclesia vacans, donec novus Episcopus eligeretur.

III. Aut donec Episcopus pœnitentia sibi inflicta stadio perfunctus esset. Episcopus hic Commendatarius, aut Visitator, expensas duntaxat suas ab ea Ecclesia consequebatur.

IV. Abbatia Commendata Episcopis, quos sua Barbari sedibus ejecerant.

V. Sed Episcopis solis, non aliis Clericis. Cur.

VI. Quantùm discreparent hæ olim Commendæ ab iis, quæ postremis his sæculis usurpantur.

VII. Beneficia sæcularia Abbatibus commendata, aut Cœnobiis unita.

VIII. Aversabatur Gregorius Beneficiorum pluralitatem, quòd officia & functiones eorum sociari non possent.

IX. Alia ejusdem rei argumenta.

X. Ut Clerici Commendas invaserint Abbatiarum.

XI. Monachi ad Ordines sacros & Ecclesiasticas functiones simul vocati, cooptatique, jam non poterant se Claustralibus officiis immiscere.

XII. In Sicilia, ut & Ravenna, Clerici Abbatias adepti erant.

XIII. XIV. Varia Episcopis Abbatia commendata, citra invidiam avaritiæ vel ambitionis.

XV. Exulanti Patriarchæ commendatur Episcopalis Ecclesia vacans.

I. Beati Gregorii Epistolas pervolutanti, obvias se dabunt Commendæ complures, non ejusdem sanè omnes generis. Incursationes Barbarorum juges & cruentissimæ, Fundana civitate Episcopum, plebemque propemodum omnem effugarant. Cùm viduata tunc Pastore suo fuisset Terracina, Fundanum sibi postulavit Episcopum. Confirmata est à Gregorio Magno ea electio, à quo jussus est Agnellus titulum & administrationem gerere Ecclesiæ Tarracinensis, & nihilo secius velut commendatam sibi curare Ecclesiam Fundanam. *Sic te Terracinensis Ecclesiæ Cardinalem constituimus esse Sacerdotem, ut & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas.* L. 2. Ep. 13. Palam est uni Ecclesiæ charitati, utilitati publicæ & necessitati datas fuisse hujusmodi Commendas, quæ nullo certo fine concludebantur, dum eversa jaceret Ecclesia, & adviveret Episcopus.

II. Erant & aliæ breviores Commendæ, dum vicino Episcopo commendabat Papa Ecclesiam quampiam vacantem, donec novus illi Episcopus allegeretur. Ab uno tunc Episcopo duo regebantur Episcopatus. Is erat certè usus longè frequentissimus. Etsi rariùs enim, aliquando tamen Episcopum alium viciniorem præficiebat Papa, qui Ecclesiam ejus administraret, cui Ecclesia quæpiam alia vacans commendata fuisset. Cùm vacaret, exempli gratia, Ecclesia Metropolitana, ejus regimen interim Gregorius Papa Paulo Nepesino Episcopo commendavit; delegavit autem Episcopum alium, qui in Nepesinam ipsam Ecclesiam excubaret. *Quoniam Paulo fratri & Coëpiscopo nostro Neapolitanæ Ecclesiæ visitationis operam injunximus, idcirco fraternitas tua visitationem Ecclesiæ Nepesinæ non desistas assumere.* L. 2. Ep. 12. 10. 35. Extudit tandem à Gregorio Paulus, ut ad Ecclesiam

suum ipse quidem reditu sineretur, Ecclesiæ verò Neapolitanæ alius crearetur Episcopus.

L. 1. Ep. 15. 51. 55. L. 7. Ep. 76. L. 2. Ep. 46. III. Usitatissimè verò, cui commendabatur temporaria Ecclesiæ vacantis cura, is propriam ipsemet interim moderabatur Ecclesiam. Magno sunt prorsus numero id genus exempla. Pauca ad marginem indigitasse sufficiet, ubi Gregorius Visitatori Episcopo, ita enim dicebatur, vacantis curam Ecclesiæ, ad unius ipsius Ecclesiæ utilitatem commendat. Quanquam autem & temporalium & spiritalium rerum omnium administrationem gereret Visitator Episcopus, expensas inde suas tantùm decerpebat sibi. L. 1. Ep. 55. 72. L. 2. Ep. 12. *Vos in ejusdem visitatione Ecclesiæ estote solertes, atque sollicitis, ut & res ejus illibata serventur, & utilitates, vobis disponentibus, more solito, peragantur.* Facillimè verò intelliges quid utilitatis ad Episcopum rediret ex commendata sibi Ecclesia, ex Epistola Gregorii ad suum in Campania Nuntium data, qua præcipit, ut quamprimum Neapoli Episcopum eligi faciat, Paulum Visitatorem suam in Nepesinam remittat Ecclesiam, centum solidos aureos & L. 2. Ep. 35. puerulum orphanum ei dari curet. *Prædicto Paulo centum solidos, & unum puerulum orphanum, quem ipse elegerit, pro labore suo, de eadem Ecclesia facias dari.*

Cùm denique Panormitano Episcopo commendaret Ecclesiam usque adeo accisam & eversam, ut restituendi Episcopi vix residua esset spes, jubet ut reditus omnes ejus loci impendat in sarciendas Ecclesiarum ruinas, aut in sustentationem Cleri; recondat autem mobilia omnia, sed priùs ea describat, sibique transmittat eorum indicem, percepturus & ipse aliquid pro labore & impendio L. 7. Ep. 74. suo. *Sollicitudinem vos convenit adhibere, ut quidquid de possessionibus Ecclesiæ ipsius in qualibet re accedere potuerit, vobis, vel in reparatione ejusdem Ecclesiæ, sive Cleri ipsius subventione proficiat; quatenus & vos remedium pro labore vestro capere, & illi aliquod valeant sustentationis habere solatium. Mobile verò prædictæ Ecclesiæ facta subtiliter volumus describi notitia, nobisque transmitti, ut ex hoc quid fieri debeat, auctore Domino disponamus.* Nec silentio prætereunda est eam Visitatori Episcopo commendatam Ecclesiam, cujus Præsul pœnitentiæ temporariæ fuerat mancipatus.

IV. Quin & Abbatias quandoque ipsas Gregorius Episcopis commendabat. Cùm Ecclesiæ & Cœnobio suo valedicere compulsus fuisset Paulinus Tauri in Sicilia Episcopus, post utriusque à Barbaris immanem populationem, Messinam secessit, ubi ab Episcopo urbis, sed & à Gregorio Papa commendatum est ei Cœnobium in ipsa Messinensi civitate exædificatum, revocatis undique Monachis, quos prioris Cœnobii sui populatio huc & illuc sparserat. *Et tibi gratum confidimus, si fratris tui venerabilis Episcopi Paulini peregrinationis onera releventur, & sub ejus regimine, communi mercede, beati Theodori Monasterium in civitate tua fundatum, studiosius omnipotenti Deo deserviat.* Istiusmodi Commendam approbat, & ab omni nævo purgat ipsa rei gestæ simplex narratio.

Ex alia ejusdem Papæ Epistola manifestum est, Episcopo Ariminensi Agnello præter Episcopalem Ecclesiam etiam Abbatiam fuisse, quam solus ipse adgubernaret, nulla Præpositi, aut Prioris vicaria opera. Jubet Gregorius, ut Præpositum sibi ex Monachis suis unum eligat, meritis potius provectum, quam annis. L. 6. Ep. 10. *Didicimus quod dilectio tua Præpositum non habens, omnino in regendis fratribus laboret, &c. Circa Cellæ ordinationem, &c.* Pacificè Agnellus & Ecclesiam suam regebat, & Abbatiam, nec vitio tamen verti poterat illa polygamia. Est enim Episcopatus ipse plenitudo sacerdotii, & omnium fons ac scaturigo sacrarum Dignitatum, cujus Archidiaconi, Archipresbyteri, Abbates, Parochi rivulos tantum aliquos consequuntur. Potest Episcopus immediatè unus ipse ministeria ea obire omnia suo jure primigenio, quæ cæteri precariò & ejus largitate ac beneficio obeunt; & sicubi hæc ipse per sese munia defungatur, duo ministeria, aut duo Beneficia gerere dici neutiquam poterit, cùm Episcopale tantum munus fungatur. Fuit olim Episcopus ipsemet Cathedralis Ecclesiæ Parochus unus unus Civitatis, ubi una tantum olim erat Ecclesia; nec alienum tunc tamen usurpabat ministerium, sed explicabat suum, quo ministeria & Beneficia alia continebantur.

V. Erat similiter speciale hoc Episcoporum decus & privilegium, ut Abbatum implere vices possent, & Abbatias regere, non tam ut alienas, quæ sibi commendatæ essent alieno arbitratu, sed ut suas, sibique proprias, à se Abbatibus commendatas, nunc mortuo Abbate ad principem Pastorem, parentemque primævum devolutas. Adde quod cùm essent Episcopi Cœnobiorum & Abbatum ipsorum superiores & Præsides proprii, Monachorumque, & totius Monasticæ Disciplinæ Censores; cùm denique Conditores ipsi eorum plerumque essent, in Episcopali Civitate constructorum: cùmque in illis non modicam forsan anni partem degerent, cœlestesque interim contemplationis delicias degustarent: nihil erat, quod magnopere stuperent homines, cùm Episcopo Abbatia commendabatur, aut cum partes ipse implebat Abbatis, quando vel maximè sede ipsum sua Barbari ejecerant. At ubi Clerici Ravennate in Provincia adgressi sunt Abbatias invadere & regere, non Monastica priùs veste aut professione suscepta, nec à Clero sejuncti: tum verò efferbuit Gregorius Papa in eam audaciam aliena involendi jura, ex qua animo providebat Ordinis Monastici labem erupturam. Vide ut ea de re ad Joannem Ravennatem Episcopum scripserit. *Pervenit ad me quod in Ecclesia fraternitatis tuæ aliqua lo-* L. 4. Ep. 1. *ca dudum Monasteriis consecrata, nunc habitacula Clericorum, aut etiam laicorum facta sunt: dumque hi qui sunt in Ecclesiis, fingunt se religiosè vivere, Monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam Monasteria destruuntur. Nemo enim potest & Ecclesiasticis ministeriis deservire, & in Monachica regula ordinatè persistere; ut ipse Monasterii districtionem teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua hoc quolibet in loco factum sit, emendare festinet; quia ego nullo modo patiar, ut loca sacra per Clericorum ambitum destruantur.*

VI. Ex hac Gregorii Epistola elucet, ex eo quòd Cœnobia Clericis commendata fuissent, & temporales eorum dilapidatas fuisse res, & pessundatam Regularem disciplinam. Sed bona fide fateri tamen cogimur. 1. Hos Clericos alio simul potitos Beneficio, sive alia Ecclesia, in qua residere tenerentur, & Altari jugiter ministrare. 2. Hos commendatarios Abbates temporalem & spiritalem Cœnobiorum curam amplexatos fuisse. 3. Ex eoque fieri ut hoc primario & validissimo ariete Gregorius eas labefactet Commendas, quòd coïre & sociari in unum non possint tot & tam diversæ functiones. *Nemo potest & Ecclesiasticis ministeriis deservire, & in Monachica regula persistere: ut ipse Monasterii dis-*

strictionem teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Erant ergo illi Commendatarii Abbates, tota Claustralium functionum, instar regularium Abbatum, sarcina gravati: quæ sanè ab iis præstari non poterant, qui Clericale suum ministerium in Ecclesia propria exercere interim tenerentur. Non ergo Commendis his quas Gregorius insectatur, consentiunt illæ, quæ postrema hac ætate usitatissimæ sunt.

VII. Commendavit denique Gregorius ex adverso Abbatibus & Cœnobiis eas quandoque Ecclesias, quæ hactenus in potestate semper fuissent
L. 3 Ep. 18. Clericorum. Concredita fuerat Ecclesia sancti Pancratii Presbyteris, quorum incuria sacris operandi, & Mysteria celebrandi, Gregorium adduxit, ut ejus curam Abbati commendaret vicinioris Monasterii: ut ejus agros proventusque Monasterio vendicaret suo, reparationum sumptus faceret, extraneum ibi aleret Presbyterum ad celebrandas Missas, cui id unum emolumenti accederet, ut in Monasterio & habitaret, & aleretur. *Ecclesiam sancti Pancratii quæ erat commissa Presbyteris, frequenter neglectam fuisse cognovimus, &c. Te Maurum Abbatem prævidimus præponendum, ut terras præfatæ Ecclesiæ & quidquid illuc intraverit, antedicto Monasterio tuo debeat applicari, &c. Peregrinum illic debeas adhibere Presbyterum, qui sacra Missarum possit solemnia celebrare. Quem tamen & in Monasterio tuo habitare, & exinde vitæ subsidia habere necesse est.* Nec controversiam equidem illi fecero, qui hanc contenderit unionem esse perpetuam, quàm Commendam, quæ cum Abbatis vita finem acciperet. Unum id nostra interest observasse, pro Ecclesiarum semper utilitate, velut alternis prædia & Beneficia Cleri ad Monachos, Monachorum ad Clericos traducta fuisse.

VIII. Video non paucos fore, quibus displiceat quod dixi, ea una, vel ea primaria impulsum esse Gregorium ratione, ut Clericorum in Abbatiis Commendas improbaret, quòd Abbatum & Clericorum functiones atque Officia in unum aliquem coalescere, ab uno obiri, & explicari non possent. Operæ pretium ergo fuerit id communire, tum aliis ejusdem Papæ Epistolis, tum verbis ipsius Joannis Diaconi, qui ejus vitam præstantissimè enarravit. Vide enim ut Joannes hic Gregorii exulceratum animum exhibeat adversùs pluralitatem Beneficiorum, ubi ambitiosius aliquod membrum aliorum invadit functiones, iis ipsum obruitur, aliis orium & torporem inducit, atque corporis totius Ecclesiastici ordinem, venustatem, & vigorem labefactat, ut jam non tam corpus, quam monstri instar sit, ubi unum membrum reliquorum functiones exercet. Gregorii quippe ævo Beneficiis omnibus adhærescebat lex & necessitas residendi, & munia quædam sibi propria obeundi. Non poterat autem simul in Cathedrali, & in Cœnobio resideri; non poterant Canonici & Abbatis partes ab uno
L. 2. c. 54. impleri. Audiendus est jam Joannes ipse. *Singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi debere jubebat; asserens, quia sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita in Ecclesiæ corpore secundum veridicam Pauli sententiam, in uno eodemque spiritu, alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud: neque uni quantumlibet exercitatæ personæ, uno tempore duarum rerum officia committenda sunt: quia si totum corpus oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat; ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem & venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium, simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.*

IX. Hæc erant Gregorii Magni morum Decreta, hæ regiminis sacri leges. Ex ipsis ejus Epistulis Joannes Diaconus eas colligit, atque in primis ab ea, ubi Paschasium Episcopum hortatur, ut Vicedominum in ædibus suis Episcopalibus sibi aliquem designet, nec eas ipse amplius exeat functiones. Addit & ejusdem Epistolam ad Episcopum Ravennatem, qua concerpebat Clericos, in administrationem Cœnobiorum irruentes. Eam suprà delibavimus. Addit porro & aliam ad Marinianum Ravennatem Episcopum, ex qua pauca hæc in eandem rem decerpemus: *Dudum ad nos multorum relatione pervenerat, Monasteria in Ravenna partibus constituta, omnino Clericorum vestrorum dominio prægravari, ita ut occasione quasi regiminis, ea, quod dici grave est, velut in proprietate possideant.*

X. Antequam gradum ulteriùs promoveamus, denudanda nobis hic est horum omnium causa, & caput malorum. Certum est, & invictissimis superius testimoniis à nobis commonstratum, Clericos ab ipsa rerum origine, Superiores & Rectores fuisse Monasteriorum, nec Monachorum tantùm, sed & Sanctimonialium. Erant enim in ea quidem re, velut & in compluribus aliis Episcoporum Vicarii & substituti, à quibus adoptabantur, non in plenitudinem, sed in participationem Pontificiæ potestatis. Exarsit cupiditas, ut spirituali non contenta, temporale etiam rerum regimen capesseret. Id verò innuit his verbis Gregorius: *Ita ut occasione quasi regiminis, Monasteria velut in proprietate possideant.* Suis meritò excidit, qui aliena involat jura: ita Gregorius Clericos istos spirituali quoque excussit Cœnobiorum regimine, qui temporale plus æquo concupierant. Denique aditu illis ipso Cœnobiorum interdixit, nisi ad orandum accederent.

XI. Nec iis se cancellis cohibuit Gregorii sollicitudo & cavendi providentia. Monachos ipsos & Abbates, qui vocati postea fuissent ad Clericatum, & ad Ordines sacros, vetuit ullo posthac officio, vel ministerio in Cœnobiis donari. *Si quispiam Ab-* Ibidem.
batum, aut Monachorum ex quocumque Monasterio ad Clericatus officium, vel Ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat ulterius potestatem: ne Monasteria hujus occasionis velamine, ea quæ prohibemus, sustinere onera compellantur. Pauxillum lucis huic loco affundi opus est. Idem enim ipse Gregorius aliis locis vult, præcipitque Abbates quosdam & Presbyteros simul esse. His ut concordia aliqua excogitetur, duplex secernenda est ratio Monachos ordinandi. Quandoque enim ordinabantur, ut Ecclesiæ alicui, Ecclesiasticæque mox manciparentur functioni, cum reliquo Clero. Hos enimvero arcet Gregorius, ne ad regimen unquam, vel administrationem Cœnobiorum aspirent; quippe qui ordinatione ipsa sua emancipati quodammodo essent à Regulæ Monasticæ nexibus, & Clero inserti. At verò ordinabantur alii in Monasterio ipso, cujus jam Monachi essent, vel Abbates; nec hi certè summoventur à Claustri officiis, & ne ab ipso quidem Abbatis munere; cùm sancitum ab ipsomet Gregorio fuerit, ut Augustodunensis Xenodochii idem semper esset Presbyter & Abbas.

XII. Nec in Ravennate tantùm Provincia id sibi Clerici sumpserant, ut & Abbates agerent; in Sicilia Insula persimilem induerant audaciam; unde & ibi retundenda hæc eorum fuit à Gregorio pro ervia, datis ad Episcopum Syracusanum Epi-
L. 11. Ep. 10 stolis. Jussi sunt porro Clerici Abbates, alterum eligere; & vel Cœnobiis renuntiare, si retinere vellent Beneficium à Clericatu tunc individuum; aut si mallent Cœnobiis præesse, Clericali se ministerio & Beneficio cum proventibus exuere. En ejus Epistolæ verba, ut à Joanne Diacono referuntur.
L. 3. c. 11. *Presbyteros, Diaconos, cæterosque cujuslibet Ordinis Clericos, qui in Ecclesiis quoquo modo militant, Abbates fieri per Monasteria non permittas; sed aut omissa Clericatûs militia, Monachicis promoveantur Ordinibus; aut si in Abbatis loco permanere decreverint, Clericatûs nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cùm unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus: sicque invicem & Ecclesiasticus ordo vita Monachica, & Ecclesiasticis utilitatibus regula Monachatûs impediatur.* Hæc sanè verba, *Si in Abbatis loco permanere voluerint*, apertissimè demonstrant, Clericos hos verè Abbates fuisse, & in reliquum vitæ tempus fuisse: cùm eos non cogat Gregorius Abbatiis renuntiare; sed liberum iis esse velit, ut aut Abbates permaneant, abdicato tantùm munere & Beneficio Clericali, quò in sua se coarctent Cœnobia, Monasticisque se totos dedant institutis: aut Abbatiarum cura se exuant, referantque se in pristinas suas Cleri dignitates. Quod Episcopos verò, non eorum voluntati & arbitrio rem permisit Gregorius. Semel enim præcipit, ut Clericos hos Beneficio & Cleri gradu exuant, si pergant Abbatias retinere.

XIII. Usurpata est à Joanne Diacono Commendæ & commendandi vox, cùm Episcopo cuilibet delegabatur administratio vacantis Episcopatûs, quandiu vacaret. *Defunctorum Episcoporum Ec-*
L. 3. c. 22 *clesias pro faciendo inventario, & eligendo optima optionis Episcopo, vicinis Episcopis commendabat.* Nec verò nescivit ab hoc Scriptore potuere Commendæ illæ duæ, cùm Abbatiæ Episcopis, quoad vita suppeteret, committebantur: cùm eo ævo essent illæ in usu penè promiscuo. Tempore Leonis IV. Episcopus Ostiensis idem ipse erat Bibliothecarius Ecclesiæ Romanæ, & Abbas Monasterii, ab ipso Gre-
L. 4. c. 86. gorio Magno quondam exædificati. *Leonis IV. Pontificis tempore, cùm Megistus Ostiensis Episcopus, & Apostolica Sedis Bibliothecarius eidem Monasterio præesset.* Tempore Benedicti Papæ Lucidus Episcopus illud idem regebat Monasterium: *Lucido Ficulino*
L. 4. c. 90. *Episcopo eidem Monasterio præeminente.* Cælesti quodam monitu cùm hic Episcopus imminentis sibi mortis diem edidicisset, aliquantulo antè tempore Monasticum habitum induit in eodem Cœnobio. Sub Nicolao I. Pontifice eandem Abbatiam rexit
L. 4. c. 93 Zacharias Anagniæ Episcopus. *Regimen ejusdem Mo-*
et 98. *nasterii Zacharias Anagninæ civitatis Præside, sicut hodie superest, procurante.* Hunc verò Zachariam Abbatis ibi nomen, sedem & munia implevisse apertissimum faciunt, quæ mox in ejusdem historiæ contextu à Joanne Diacono referuntur. Multa ibi Joannes idem memorat de cælesti & terrifica vindicta in eos personante, qui ejus Monasterii jura invaderent, aut violarent; quibus tamen in Abbates hos Commendatarios sævitum nunquam est. Hæc porro exempla Commendarum, quæ ad posteriorem ætatem magis pertinent, ideo hic contexta fuere, quòd iis illustrari possit suprapositâ Gregorii doctrina. Vidimus enim suprà ab ipsomet datam Episcopo Siculo perpetuam Cœnobii ejusdem Insulæ Commendam, seu administrationem.

XIV. Nec solum Gregorii Romanum Cœnobium commendabatur Episcopis. Beati quoque Martini Monasterium Episcopo in Commendam datum fuisse, author est Anastasius Bibliothecarius. Ita enim ille Martino Episcopo Narniensi, & Abbati Cœnobii sancti Martini, suam de B. Martino Papæ exilio historiam inscripsit. *Quia cùm Episcopatus api-* Collect. Anast. Bibl. p. 68.
ce præpositura sanctitati tuæ, ob meritum summæ Religionis, beati Martini Monasterii penes urbem positi est à summis Pontificibus delegata. Ex quibus intelligere est Episcopis tantùm spectatissimæ sanctitatis Monasteria à Romano Pontifice solita commendari. Meminit Beda Joannis Archicantoris Ecclesiæ sancti Petri, & Abbatis Cœnobii sancti Martini Romæ; quem Agatho Papa in Angliam delegavit, omnibus Angliæ Cœnobiis cantum Romanæ Ecclesiæ ut traderet, utque Anglicanas omnes Ecclesias in fide orthodoxa firmaret, quam nonnihil Monothelitæ turbaverant. *Vir venerabilis Joannes Archi-* Hist. l. 4.
cantor Ecclesiæ sancti Petri, & Abbas Monasterii san- c. 18.
cti Martini.

XV. Non satis liquet, an Commendis accenseri debeat concessio Nolani Episcopatûs, quo Felix Papa Antiochenum Patriarcham exulantem Joannem Talaidam donavit. Erat ille semper Episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ, quanquam vi persecutionis ejectus fuisset Romam. Non ergo in se recepit gubernacula Ecclesiæ Nolanæ, nisi ut sibi commendata, quò gregem Christi qualemcumque nobilissimus Pastor pasceret, & ipse necessario interim hinc subsidio pasceretur. *Joannes Talaia habens Epis-* Liberat. in
copatûs dignitatem, remansit Romæ. cui Papa Nola- Breviar.
nam dedit Ecclesiam, quæ est in Campania regione, in c. 58.
qua plurimos residens annos in pace defunctus est. Non possunt ergo universim damnari Commendæ, ne redundet infamia in sanctissimos prisci ævi Episcopos; sed nec possunt etiam non damnari Commendæ, quas honorum opumque infanda extorquet libido, cùm eas prisci ævi damnarint Præsules sanctissimi.

CAPUT XI. *P. 2. l. 2. c. 70.*

De Commendis in Gallia & Hispania tribus iisdem sæculis VI. VII. & VIII.

I. Episcopi Gallicani Abbatias commendabant Clericis suis, ea cautione, ut canonico gradui & reditui renuntiarent, soli, quo vitam sustentarent, Cœnobii fructibus.

II. Facilè tum dicebantur Abbates, qui superiores erant.

III. Discrepabant mirum quantum hæ Commendæ ab illis, quas Laici usurparunt.

IV. Displicuere tandem Gregorio hæ Clericorum Commendæ.

V. Episcopatus Abbati commendatus ad breve tempus.

VI. Abbatia Archidiacono commendatur; qui & ea se abdicat, cùm primùm incipit non posse residere.

VII. VIII. Abbatia abbatibus aliis commendata, & Archiepiscopo.

IX. X. Commenda in Hispania.

XI. Spuria Commenda, sæculari potestate extorta, Clericis, & denique Laicis in Gallia data.

XII. Plurimi forsan inde orti Patronatus.

I. ROmanæ Ecclesiæ & Italiæ Commendis universæ ad eum modum constitutis: jam mirabitur nemo in Gallia quoque Episcopos non aliter

aliter ferè, Clericis & Canonicis suis Cathedralibus Cœnobia commendasse regenda, quàm Parochias ruris, aut simplicia quævis Beneficia. Perspicuum id facit Concilium III. Aurelianense, ubi & Can. 18.
inconcussa ea stabilitur doctrina, non posse Abbatem Commendatarium de Ecclesiasticis proventibus decerpere in suos usus, nisi tantum, quantum ipsi opus est ad necessariam sustentationem: sive illum Canonicatu exuat Episcopus, simul ac Abbatiam ei confert: quod optatius videtur Concilio; sive parte Canonicatûs redituum aliqua in modum pensionis frui illum sinat. Canonem mox promam, quo tria hæc præmoneo contineri: 1. Donatas ab Episcopis fuisse Abbatias, perinde ut Parochias, & alia quævis Beneficia, Clericis Ecclesiæ suæ. 2. Cùm primùm illi ad Abbatiam promovebantur, potuisse, adeoque & debuisse spoliari Beneficio & stipendio. 3. Non alia temporalia emolumenta ex Abbatiis suis in eos redundare potuisse, quàm ut decenter sustentarentur, tam procul à superfluitate, quàm ab indigentia. *De his verò Clericorum personis, qui de Civitatensis Ecclesiæ officio, Monasteria, Diœceses, vel Basilicas, in quibuscumque locis positas, id est, sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus, suscipiunt ordinandas, in potestate sit Episcopi, si de eo quod antè de Ecclesiastico munere habeant, eis aliquid, aut nihil exinde habere voluerit, quia unicuique facultas suscepti Monasterii, Diœcesis, vel Basilicæ, debet plena ratione sufficere.*

II. Superiori jam capite id observatum à nobis est, priscum illum diutiùs invaluisse usum, ut præessent Clerici etiam Monasteriis virorum: nec ei consuetudini succensuisse Gregorium Magnum, nisi postquàm Clerici spiritali regimine, & idonea sustentatione non contenti; dominos se quodammodo & veluti proprietarios esse Monasteriorum voluerunt; verba Gregorii superiori Capite relata sunt.

III. Haud sanè Commendis annumerari par est eas Episcopatuum per Laïcos usurpationes, quæ concidentis Clodovæi Magni stirpis ruinas infamarunt. De iis amarissimas effundebat in aures Zachariæ Papæ querelas sanctissimus Episcopus Bonifacius. *Modò maxima ex parte per civitates, Episcopales sedes traditæ sunt Laïcis, cupidis ad possidendum, &c.* Distant immane quantum tyrannicæ & truculentæ usurpationes istæ à sanctionibus canonicis & Episcopalibus Clericorum nominationibus ad Regulares Commendas, & ad regimen Cœnobiorum.

IV. Si Commendæ verò istæ à Concilio III. Aurelianensi priùs probatæ, à Gregorio Magno improbatæ postea sunt, non operosum forsan erit perscrutari fontes ipsos & causas alternantis hujus disciplinæ. Laudantur enim ab Aurelianensi Concilio Clerici illi Abbates, qui modico Cœnobii sumptu contenti degebant: *Unicuique facultas suscepti Monasterii debet plena ratione sufficere.* At in Italia & Sicilia, non ut Commendatarios sese & Administratores, sed ut dominos & proprietarios habebant. *Ita ut occasione quasi regiminis, Monasteria, velut in proprietate possideant.*

Discrimen rursus aliud splendet in his Commendis. Nempe ultro assentiebantur Episcopo, qui Titulo eos Clericali spoliabat, & in suum relegabat Cœnobium, ne quid alibi redituum delibarent. *In potestate sit Episcopi, si de eo quod antè de Ecclesiastico munere habebant, eis aliquid, aut nihil habere voluerit.* Si quos verò sineret Episcopus nonnihil retinere de pristinis Canonicatûs reditibus, id eò fiebat, quòd ex Cœnobio non totam decerperent sustentationem suam. At Italiæ & Siciliæ Commendatarii Abbates, utrumque vendicabant sibi titulum, utriusque adire functiones, proventus retinere se posse sperabant. Concilio denique huic Aurelianensi apprimè concinit B. Gregorius, cum Clericos sinit his incubare & suis Cœnobiis, dummodo functionibus & reditibus Ecclesiæ Cathedralis nuntium remittant. *Aut si in Abbatis loco permanere decreverint, Clericatus nullatenus permittantur habere militiam.*

V. Traducenda nunc ad alias in Gallia Commendas oratio est. Non potest non hæc permira accidere, unde & perbrevis Commenda fuit. Beato Leodegario Augustodunensi Episcopo exturbato ab Ecclesia sua, & apud Luxoviense Cœnobium exulante, cùm obtrectatorum invidia & maledicentia Childerico Regi imposuisset, ac illum in sanctissimum Episcopum concitasset; tum verò Ecclesia Augustodunensis, petentibus civibus Augustodunensibus, Abbati sancti Symphoriani commendata fuit. *Aderat vir venerabilis sancti Symphoriani Basilicæ, nomine Erminarius, cui post discessum viri Dei, Rex petitionibus populi, Augustodunensem commendaverat urbem.* Du Chesne. Hist. Fran. To. 1. pag. 604.

VI. Quin & ipse antea Leodegarius, cùm Pictaviensem gereret Archidiaconatum, ab Episcopo suo Monasterio sancti Maxentii præpositus fuerat, curam ejus ut ageret, quo munere strenuissimè perfunctus est. *Jussu Pontificis Monasterium illud regendum suscepit; quod sex ferè annis ille gubernans, & structuris & magnis opibus ditavit.* Istiusmodi tunc Ibid. p. 618.
erant Commendatarii germani Abbates; adeo non collabi sinebant Ecclesias, ut magnificentiores ipsimet excitarent; adeo non ditari eorum bonis avebant, ut locupletandis Cœnobiis suis impensè studerent. Sex quidem tantùm annis commendatam illam sibi Abbatiam rexit Leodegarius. Sed vel id maximè mirum est. Quas ibi enim ille virtutes illustribus documentis explicuerat, iis jam Regiæ Aulæ notissimus, à Clotario Rege expetitus, ab Episcopo suo concessus, & tandem Augustodunensis Episcopus electus est. Abscessit ergo à commendata sibi Ecclesia, ex quo ad alterius administrationem vocatus fuit; & adeo non ea qua florebat gratia apud Regem ad retinendam Abbatiam cum Episcopatu usus est, ut simul atque Aulam iniit, Abbatia sibi commendata abierit.

VII. Perillustri Eremi incolæ Baboleno Clodoveus II. Abbatiam sancti Mauri Fossatensis commendaverat. Nec multo pòst tempore commisit ei & illam sancti Vincentii Parisiis, quam & annis octo administravit, dum Sigefridus ejus Abbas in Hispania moras traheret, quò eum Rex miserat Legatum. *Beato Baboleno Abbatiam sancti Vincentii Rex commisit, quam per octo semis annos satis strenuè gubernavit.* Ita unius Cœnobii Abbati Cœnobium Ibid. p. 663.
aliud commendatum est ad aliquot dumtaxat annos.

VIII. Scripta est à Jona Fontanellensi Monacho vita B. Vulfrani Senonensis Archiepiscopi, quem ait consilium cepisse quidem de prædicando Frisonibus Evangelio, sed & consulere voluisse beatum Ansbertum, qui ex Abbate Fontanellensi ad Rotomagensem provectus Ecclesiam, cum ea Metropoli Fontanellense quoque Cœnobium semper administravit, Abbatisque munia explevit omnia. *Erat eo tempore in urbe Rotomagensi, quæ & ipsa mater est urbium, Præsul sanctissimæ Religionis, & Abbas* Surius die 20. Martii.

Monasterii Fontanellæ, Famulus Dei Ansbertus, Ecclesiasticis simul & Monasterialibus disciplinis summè instructus, Monachicum simul & nomen servans, & habitum, in prædicto Monasterio multorum Pater extans Monachorum.

Perstringenda nunc nobis breviter Hispania est, in qua Emeritense Concilium Metropolitano commendavit Ecclesias eorum Episcoporum, qui ad pœnitentiam secedere jussi fuerant, quod à Concilio
Can. 7. Provinciali abfuissent. *Cella verò & res ad eum pertinentes, quousque ille sub pœnitentia fuerit, instantia & sollicitudine regantur Metropolitani, &c. Dum ad suam redierit cellam, rem in statu inveniat, qua Ecclesia sua est debita.* Attigimus alibi quod legitur in vita sancti Remigii Archiepiscopi Remensis, de administrata ab eo velut in Commendam Ecclesia Laudunensi per septennium, dum pœnitentiæ illigatus esset Episcopus Laudunensis. Supersedeo his Commendis diutius persequendis, tametsi in Hispania, Gallia & Africa olim creberrimis, cùm vacans Episcopatus alteri committebatur Episcopo *Visitatori, Intercessori*, vel *Interventori*, donec novus crearetur Episcopus. Cùm eæ Commendæ plurimùm ab iis recedant, quæ usitatæ jam nobis sunt, & quarum origines investigamus, plura de iis non addemus. Moneho obiter in Concilio Valetino Hispaniæ *Commendatorem* dici Episcopum eum, *Per absentiam Commendatoris Episcopi*, qui ægrotantem Episcopum quempiam inviset, *visitare non differat*, & qui post ejus obitum animam ejus Deo commendat, libatis ibi sacrificiis: *Post oblatum in ejus commendatione sacrificium Deo*

X. Propius absunt Commendæ nostræ ab eo quod in eodem Emeritensi Concilio præcipitur, ut si quos ex Parochiis suis Episcopus in sacrum transferat Collegium Ecclesiæ Cathedralis; novi hi Canonici summum semper jus & imperium retineant earumdem Parochiarum, similiter & proventuum, quorum idoneam portionem perpetuo Vicario adsignabunt, quem sibi substituerint; Clericis-
Can. 11. que ibidem famulantibus. Canonis hujus superiùs jam alicubi relata fuere verba.

XI. Quanquàm autem Commendis adscribi non possint illæ rerum sacrarum usurpationes, quas vel extorquebant à Regibus laïci, vel ipsi invadebant: non æquè eo numero expungendæ erant eæ, quas Clerici impetrabant, retinebantque Ecclesias, dono, patrocinio, & ope freti Regum Principumque. Summovet Ecclesiæ communione Concilium Aure-
Can. 25. lianense IV. sacrilegos hos usurpatores omnes: *Si quis Clericus aut Laïcus, sub potentum nomine atque patrocinio, res ad jus Ecclesiæ pertinentes, contempto Pontifice, petere, seu possidere præsumpserit, &c.* Ea-
Can. 5. dem jacula contorserat Concilium Arvernum, sed in Laïcos tantùm, cùm Clericorum non meminerit.
Can. 14. Sed invehitur vehementissimè Concilium Aurelianense V. in Episcopos Clericosque alios, quos transversos agit dira quædam cupido, ut res invadant aliarum Ecclesiarum. *Ut nullus Episcoporum, aut cujuslibet Ordinis Clericus, vel alia quæcumque persona, quibuslibet conditionibus, seu in uno regno, seu in alio positi, alterius cujuscumque Ecclesiæ res, aut*
Can. 1. 2. 6 *petat, aut præsumat accipere.* Concilio Parisiensi non perstringuntur nisi laïci, duobus ejus prioribus Canonibus. Sed Canone sexto perspicuè lancinantur & Clerici. *Hos universitas præcavere debet, tam Sacerdotes, quam Principes, omnisque populus, ut nullus*
Can. 24. 25 *res alienas competere à Regis audeat potestate.* Soli enim attinguntur laïci in Concilio Turonensi II. In Concilio Valentino II. prohibiti sunt Episcopi, ne quid darent de rebus quas donasset Rex Guntrannus.
Neque Episcopi locorum, neque potestas regia, &c. In Can. 9.
Concilio quoque V. Parisiensi prohibiti sunt Episcopi, nequid sibi in aliarum Ecclesiarum, vel Diœceseon res vindicarent. In Concilio Cabilonensi damnatæ sunt Commendæ eæ, ubi Parochiæ, vel earum res laïcis committebantur. *Sæculares verò, qui* Can. 5.
necdum sunt ad Clericatum conversi, res Parochiarum, vel ipsas Parochias minimè ad regendum debeant habere commissas.

XII. Invadebant ergo jam tum laïci Parochias, quibus discedere postea compulit eos authoritas Conciliorum, & qui undique perstrepebat anathematum terror. Sed vel tum probabile profectò est, Parochiarum saltem Patronatum eos retinuisse; unde & de iis forsan Bonifacius Martyr sollicitus, vetabat, ne quid laïci exigerent à Presbyteris, quibus Parochias adsignarent. *Ut laïci omnino non au-* Spicil. to. 9.
deant munera exigere à Presbyteris, propter commenda- pag. 63.
tionem Ecclesiæ cuique Presbytero. Hac certè *Commendationis* voce non significatur nisi Præsentatio, vel Collatio Parochiæ. Non poterat nescire Bonifacius Parochias à laïcis usurpatas fuisse, cùm & de Episcopalibus Ecclesiis per eosdem involatis ad Zachariam Pontificem gravissimè conquestus sit.

CAPUT XII. *P. 2 l. 2. c. 71.*

De Commendis Laïcorum tribus iisdem sæculis VI. VII. & VIII.

I. Qui & cur Principes sæculares bona & prædia Ecclesiarum invaserint, & Militibus suis commendaverint.

II. Quibus conditionibus data sunt hæ Commendæ Aulicis Præfectis, & Ducibus exercituum.

III. Quibus conditionibus posteriores Principes eadem Ecclesiæ bona restituerint.

IV. V. Quo tempore hæc acta sint. In Concilio Liptinensi hæ Commendæ Militares confirmantur.

VI. VII. Multa in eum Canonem Liptinensem observantur.

VIII. In Concilio Suessionensi idem constitutum est.

IX. Discrimen Abbatum Regularium, & Abbatum Comitum, et Laïcorum. De Episcopis legitimis & Militaribus. Necessitas regendi copias militares, & Regibus eas sufficiendi.

X. XI. Nova huic disciplinæ accedit Conciliorum authoritas, & Zachariæ Papæ.

XII. An primus Carolus Martellus in has usurpationes proruerit.

XIII. Nonnulla ejus rei vestigia jam inde à Regno Clodovæi.

XIV. Commendæ Militares in Anglia, antequam in Gallia.

I. Quanquam nefariæ illæ, & violentæ rerum Ecclesiæ invasiones, vel æquè nefandæ donationes, cùm in laïcos spargebantur, Canonicatum in Commendarum album referri omnino non possent; non dissidet tamen à verisimilitudine, earum occasione exortas deinde fuisse Commendas plures, quæ lapsu temporis, non usu tantùm, sed & authoritate valuerint, ne contra hisceret planè nullus, cùm eæ à Principibus distribuerentur. Cùm enim Principes plurimas invasissent Abbatias, Ecclesiasque alias, prædiaque & proventus earum omnes, vel mero primum imperio, quod non aliàs omnino possent Regnum & Ecclesiam tueri, adversùs Saracenos, Saxones, Frisonesque undique incursantes; vel Ecclesiæ postea ipsius consensione, ubi necessitati & tempori calamitosissimo serviendum fuit; Ducibus Præfectisque Exercituum attributa sunt hæc Beneficia, ut dum vita superesset, iis fruerentur: ubi hinc migrarent, Clericis restitue-

rentur, nisi si quem rursus Laïcum Rex præmiandum haberet.

II. Ita occœpere Principes rerum sacrarum Commendas dare, & ad vitæ tempus dare, quin & extincto priori Commendatario alium subrogare; eas dare & adimere pro arbitratu suo; Ab his Commendatariis, hoc est, à Ducibus, Comitibus, aliisque Exercituum Præfectis, exigere statum numerum Militum & equorum, Dona annua, Metatum, militaria stipendia, pro modo Beneficii, quod ipsis instar Feudi Regii, aut Commendæ Militaris, concreditum fuisset. Quanquam enim necdum *feuda*, nequedum usitatè Commendæ dicerentur vulgò, erat tamen ejusmodi conditio & sors horum Regiorum *Beneficiorum*: quæ jam tum *Beneficia* hoc ipso sensu vocitabantur.

III. Post verò quam nationes illæ Barbaræ, quæ non minorem Ecclesiæ, quàm Reipublicæ perniciem attulerant, oppressæ fuere; nec jam ulla eminebat necessitas, qua prætexi, vel excusari posset rerum Ecclesiasticarum facta in laïcos dissipatio: Regibus visum est abundè consultum fore, & famæ, & conscientiæ suæ, si ea omnia Clericis restituerent & Cœnobiis: 1. Reservato sibi jure integro ad ea nominandi, vel conferendi. 2. Redditis Clero rebus, quæ Monachorum fuerant, aut Monachis quæ Clericorum; ex quo usu venit, ut Abbatiis & Cœnobiis plurimis Episcopi, Clericique donarentur. 3. Servato sibi jure eodem Militiæ, Metatus, Donorum annuorum. Non facilè expedies, ignaviæ fuerit, an sapientiæ, quod inter hæc acquieverint Clerici Principibus, qui quæ à Majoribus direpta fuerant, ipsi restituebant; qui nihil ipsi novabant, qui antiquas utcunque sarciebant labes; qui denique aliquo vicissim officio demerendi erant, quod præpotenti tuitione propulsarent ab Ecclesia & Clero furentes Normannos, non minus tunc formidolosos, quam fuerant antea Sarraceni.

IV. Cùm nova hæc autem Disciplina tum eruperit, cùm Clodovæi Regia stirps ruere cœpit, & in præceps ire: cùmque latissimè postea serpserit, sub Pipino, Carolo Magno, eorumque Posteris: satius fuerit eam differre fusius tum pertractandam, cùm Caroli Magni, & Carolini Imperii tempora describemus. Paucissima hic strictim libabo.

V. In Concilio Liptinensi anno 743. quo Carlomannus Francorum Princeps adgregaverat Episcopos, Comites, Præfectos, Parochos, Diaconos, Regni denique Comitia generalia: Carlomanno eidem concessum est, ad tuitionem Regni & Ecclesiæ, ut militares hæ Commendæ erigerentur ex bonis Ecclesiarum, iis legibus, quas supra memoravimus. *Statuimus quoque cum consilio servorum Dei, & populi Christiani propter imminentia bella, & persecutiones cæterarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, ut sub precario & censu aliquam partem Ecclesialis pecuniæ, in adjutorium exercitus nostri, cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione, ut annis singulis de unaquaque casata solidus, id est, duodecim denarii, ad Ecclesiam, vel Monasterium reddantur; eo modo ut si moriatur ille cui pecunia commodata fuit, Ecclesia cum propria pecunia revestita sit. Et iterum si necessitas cogat, aut Princeps jubeat, precarium renovetur, & rescribatur novum. Et omnino observetur, ut Ecclesiæ, vel Monasteria penuriam, paupertatemque non patiantur, quorum pecunia in precario præstita sit: & si paupertas cogat, Ecclesiæ vel domui Dei integra reddatur possessio.* (Can. 2.)

VI. Non pauca hic observari operæ pretium est. 1. Commendas has militares tum excitatas fuisse, cùm extrema pernicies Ecclesiæ & Regno immineret ab iis Nationibus, quæ in Christiani nominis exitium conjuratæ essent, nec aliter possent propulsari. 2. Excitatas non fuisse nisi ad breve tempus, *aliquanto tempore*, quandiu ea baccharetur tempestas. 3. Hinc demigrante Commendatario, extinctam pariter fuisse Commendam, pristinisque suis bonis & juribus Ecclesiam restituendam fuisse. 4. Eandem non potuisse renovari Commendam, nisi ineluctabili necessitate urgente: *Si necessitas cogat.* Etenim quæ sequuntur voces, *aut Princeps jubeat*, declarant ne urgente quidem necessitate innovatum iri Commendam, nisi Princeps unà juberet. Nemo nescit enim, nisi valde hospes in illa medii ævi historia, particulam *aut* tunc conjunctivam magis fuisse, quàm disjunctivam vel alternantem. 5. Commendatarios hos militares, quasi villicos fuisse Ecclesiarum, & Cœnobiorum; *Sub precario & censu.* 6. Ecclesiæ & Monasterio supererat, quo congruè Clerici & Monachi sustentarentur. Ad eum modum Commendatariis cedebant, quæ quodammodo superflua fuissent, & quæ erogarentur in pauperes, quorum in locum substituebatur miles; qui cruore ipso suo emeret has Ecclesiæ munificentias in suos defensores. 7. Si ia esset modus facultatum Ecclesiæ, vel Cœnobii, qui alendis tantùm Clericis, vel Monachis sufficeret: nulla ibi Commenda poterat erigi; sed & rescindenda erat, si erecta fuisset. *Si paupertas cogat, Ecclesia vel domui Dei integra reddatur possessio.*

VII. Sapientissimè consultata hæc fuerant, agendæque fuissent gratiæ, si qua certa affulsisset spes, fore, ut observarentur, & inter ipsos bellicos tumultus, Canones, Legesque dominarentur. Rursus autem observari par est, 1. Consensisse huic Commendarum Militarium institutioni utrumque Cleri Ordinem, Monachosque ipsos, cùm horum omnium in tantum discrimen conjicerentur res & facultates omnes. *In hoc Synodali conventu omnes Sacerdotes Dei & Comites & Præfecti, &c. Et omnis Ecclesiastici Ordinis Clerus, Episcopi & Presbyteri & Diaconi, cum reliquis Clericis, &c. Abbates & Monachi, &c.* Hi affuere omnes ei Conventui, qui & ibidem profiteri jussi sunt accuratissimam Canonum & Regularum observantiam, & his ita tandem Commendis assentiri. 2. Nec Cœnobiorum tantùm, sed & Ecclesiarum bona his Commendis obnoxia fuere: *Ecclesia, vel Monasteria.*

VIII. Pipinus quoque Francorum Princeps idem constitui fecit in Suessionensi Concilio anno 744. ubi convenerant etiam utriusque Ordinis Clerici, cum Abbatibus & Monachis. *Unà cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, vel Servorum Dei consilio.* (Can. 3.) Quæ porro ibi decreta fuere, eorum summa hæc est; *Ordinavimus per civitates legitimos Episcopos, &c. Et de rebus Ecclesiasticis, subtractis Monachis, vel ancillis Dei, consolentur usque dum illorum necessitati satisfaciant: & quod superaverit census, levetur. Et Abbates legitimi hostem non faciant, nisi tantum homines eorum transmittant.*

IX. Inest singulis his verbis, quod explicari, & expendi intersit. 1. Duæ classes sejunguntur Abbatum. Alii quippe *Legitimi*, hoc est, Regulares, quibus ea redituum Monasterii copia permittitur, quæ Cœnobii necessitatibus sufficiat; alii Milites, seu Commendatarii, quibus reliqua bona adjudicantur. 2. Absolvuntur Abbates Regulares onere ductandi militem ad exercitus Regios; idque Com-

mendatariis ac sæcularibus Abbatibus indicitur munus. 3. Instituuntur quoque hic Episcopi *legitimi*, id est, Clericali ex ordine, & secundùm Canones ordinati, in locum Laicorum, quibus dimissi fuerant non pauci Episcopatus, ut suprà docuit nos Bonifacius, ad Zachariam scribens. 4. Nec cogantur hic legitimi Episcopi copias militares per Episcopos Commendatarios ad Regias mittere expeditiones. Unde meritò conjicitur, extinctas jam tunc fuisse laicas Episcopatuum Commendas. Inde est quod & in posterioris ætatis Annalibus etsi persæpe occursent Abbates Comites, nusquam deprehendi possint Episcopi Comites, seu Laici. 5. Nec dissimulabimus tamen, ipsis quoque Episcopis non multò post inflictam hanc fuisse necessitatem, ut militem Regio exercitui suppeditarent in gravibus Regni necessitatibus. Sed ea de re hoc Canone siletur prorsus. Nisi malis hunc Canonem ita interpretari, ut cum Abbatibus venia fiat, non fiat autem Episcopis, ductandi vassallos & milites suos ad Regia castra, hinc concludatur Episcopos & mittendi militem, & ductandi oneri obnoxios fuisse, ut qui non ita ut Monachi à sæculari pompa & tumultu alieni essent. Eò magis apposita est hæc posterior Canonis explicatio, quod moribus & disciplinæ magis consentit trium sequentium sæculorum. 6. Inde id quoque extitit, sicut compressis Episcopis laïcis, veris & germanis Episcopis oneris id incubuit, ut Regio exercitui milites sufficerent: ita ubi postea Carolus Magnus & successores ejus nullos jam passi sunt esse Abbates Comites, ipsosmet Regulares Abbates jussos fuisse easdem suppeditare Regni & Ecclesiæ necessitatibus copias militares.

X. Nec abhorret à vero, ubi Carlomannus in Concilio Liptinensi, Bonifacii Archiepiscopi, & Legati Apostolici præsentiam & authoritatem ostentavit, hinc voluisse eum præsidii aliquid accersere, ad firmanda nova sua hæc instituta, & quodam veluti radio Romanæ & Apostolicæ Sedis illustranda. *Constituimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus sancti Petri.* Altero pòst anno Pipinus in Concilio suo Suessionensi executioni mandavit, quæ decreta fuerant in Liptinensi. Quin & illud advertit Hincmarus, non solum Bonifacium Legatione Sedis Apostolicæ in eo Concilio defunctum fuisse; sed & duos præterea alios eidem præfuisse Legatos. *Et in Synodo apud Liptinas habita, cui sub Karolomanno Principe Georgius Episcopus, & Joannes Sacellarius, ac sanctus Bonifacius, ex præcepto Zachariæ Papæ præsederunt.* (Epist. 37. c. 5.)

Denique datis ad Bonifacium ipsum litteris Zacharias Papa, ratam illam esse sanxit ejus in eo Concilio dispensationem, qua redintegrari jussa Ecclesiis & Cœnobiis parte aliqua eorum, quæ compilata fuerant: reliqua adjudicata sunt interim Principibus, ut Sarracenorum, Saxonum, Frisonumque juges & exitiales populationes reprimerent. *De censu verò expetendo, eo quod à Francis ad reddendum Ecclesiis vel Monasteriis non potuisti aliud quàm ut vertente anno ab unoquoque conjugio servorum duodecim denarii reddantur. Et hoc, gratias Deo, quia potuimus impetrare, & dum Dominus donaverit, quietem, augeantur & luminaria Sanctorum, pro eo quod nunc tribulatio accidit Sarracenorum, Saxonum & Frisonum, sicut tu ipse nobis innotuisti.* (Conc. Gall. To. 1. p. 559. 560.)

XI. Ea Zachariæ Papæ responsione, tantæ suavitatis & sapientiæ blandimentis condita, emolliri poterat & Bonifacii ipsius animus, in has Principum usurpationes exacerbatus, & vehementissimè in eas exarsurus, nisi eas & temporum necessitas, & Ecclesiæ tum quidem authoritas quodammodo excusasset. *Ille autem laïcus homo, vel Imperator, vel Rex, vel aliquis Præfectorum vel Comitum, sæculari potestate fultus sibi per violentiam rapiat Monasterium de potestate Episcopi, vel Abbatis, vel Abbatissæ, & incipiat ipse vice Abbatis regere, & habere sub se Monachos, & pecuniam possidere, quæ fuit Christi nomine comparata, talem hominem nominant sancti Patres raptorem, sacrilegum, &c.* (Epist. 105.)

XII. Carolo Martello adhæsit illa infamia, quasi primus ipse & princeps manus injecerit proventibus, agris & thesauris Ecclesiarum, ac Cœnobiorum, ut bellorum civilium impensis sufficeret; præsertim verò, ut Sarracenos reprimeret, Christianum orbem inundantes. Verùm jam suprà commonstratum est à nobis, ducentis ante Martellum annis Concilia Episcoporum desudasse, ut iisdem grassationibus in bona Ecclesiæ temporalia obviam irent. Caroli ergo Martelli ævo inveteratum jam illud erat ulcus, quod tunc fortasse tamen recruduit. Concilium Parisiense III. anni 557. in has usurpationes vehementer exarsit, nec dissimulavit Clodovæum ipsum animi magnitudine & tot victoriis nobilem, his patrimonii Christi expilationibus ortum quodammodo dedisse, cujus erat tamen ipse defensor acerrimus, & aliunde amplificator. *Accidit etiam, ut temporibus discordiæ, sub permissione beatæ memoriæ domni Clodovæi Regis res Ecclesiarum aliqui competiissent, ipsasque res, improvisa morte collapsi, propriis heredibus reliquissent.* (Can. 1.) Concilii Aurelianensis IV. Patres anno 541. retundere studuerunt importunas ejusmodi petitiones & concessiones rerum Ecclesiæ. (Can. 25. Can. 18.) Epaonense Concilium in Clericis videbatur eas tolerasse. Potest & Clotarius II. id juris sibi reservasse videri in Edicto post Concilium V. Parisiense edito.

XIII. Quod ad Clodovæum Magnum attinet, fuit ille non tuitione tantùm, sed & munificentia sua in Ecclesias clarissimus. Ejus largitiones agrorum & omnis generis oblationum Concilii Aurelianensis I. Patres verbis honorificentissimis & summa animi gratitudine prosecuti sunt. *De oblationibus, vel agris, quos domnus Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus est.* (Can. 5.) Fundationis jure poterat Clodovæus Ecclesias donare, quas extruxerat & dotaverat. Ad illum ergo itum est ad hujusmodi Beneficia impetranda: Episcopi, Clericique certatim illum adiere. Ventum est gradatim forsan & ad petendas ab eo Ecclesias, quas non fundasset, atque adeo quas donare non poterat. Creberrimum illud est in sexti septimique sæculi Conciliis explodi Clericos, qui à Principibus terras & agros deposcerent Ecclesiarum, quos tam injuriosum erat & probrosum ab his dari, quàm ab illis peti. Quod Episcopi, quod Clerici à se poscerent ambitiosè, à se dari posse Principes facilè, immo temerè & inconsideratè putabant. Si ad eum modum insaniebant Clerici, quid Laïci? Et hi ergo illos æmulati, pari incogitantia & improvida Principum largitate donabantur. Ab his principiis ad ea ventum est sub Carolo Martello, sub Carlomanno & Pipino flagitia, de quibus suprà. Optarim equidem, tam facile esset his defensionem malis parari, quàm eorum originem aperiri, & in ipsos veluti fontes digitum intendi. Diximus tamen suprà, quid Zacharias Papa, quid Bonifacius, quid

cæteri Apostolici Legati censuerint excusari & tolerari potuisse, urgente inexorabili Ecclesiæ necessitate.

XIV. In publicum exiit non ita pridem Epistola Bedæ ad Egbertum Eboracensem Archiepiscopum, ubi altiùs repeti videtur Commendarum Militarium origo in Anglia, perdiu, inquam, antequam de iis in Gallia fama spargeretur. Tradit enim Beda à morte Alfredi Regis, qui hinc avolavit anno 705. vix quemquam fuisse ministrum, aut Officialem Regium, qui non Cœnobium aliquod invasisset, Tonsura suscepta, suscepto & Abbatis nomine, & cum uxore & liberis in Abbatis domo defixa sibi sede. *Ut nullus penè exinde Præfectorum extiterit, qui non hujusmodi sibi Monasterium in diebus Præfecturæ suæ comparaverit, suamque simul conjugem astrinxerit, &c. Tales repente tonsuram pro suo libitu accipiunt, de Laicis non Monachi, sed Abbates efficiuntur.* Erant ergo hi Clerici conjugati, & Abbates Commendatarii. Assentiebantur & subscribebant Episcopi. *Suis subscriptionibus confirmari satagunt.* De eo expostulat Beda. De eo verò non expostulat, quòd prædia Cœnobiorum aliqua retinerentur à ducibus & Præfectis exercituum, qui velut propugnacula quædam objicerent sese hostibus Barbarisque, identidem in Regnum & in Ecclesiam incursantibus. *Maxima & plura sunt loca, quæ, ut vulgò dici solet, neque Deo, neque hominibus utilia sunt, quia videlicet neque Regularis ibi secundùm Deum vita servatur; neque illa milites, sive Comites sæcularium Potestatum, qui gentem nostram à Barbaris defendunt, possident.*

Non abnuit Beda, quin loca ea, quæ nec à Monachis, nec à milite fines Regni tuente tenentur, cedant Episcopia, quibus agrorum & proventuum parcior æquo copia est. Rursus verò easdem ille ingeminat querelas adversùs ignaviam hominum complurium, qui tantis Monasteriorum prædiis incubabant, *sub nomine Monasteriorum*, quo excludebantur Nobiles & priscorum militum filii, qui & patria exulare sua sponte ea causa malebant, cui æquum potiùs fuisset eos militare. *Hanc ob rem patriam suam pro qua militare debuerant, relinquunt.* Infestabant tunc Angliam Barbaricæ undique gentes, à quibus non minùs Ecclesia, quàm Respublica periclitabatur. Ideo nec moveri quisquam debet, si Bedæ visum sit, potuisse tum Ecclesiam suis sumptibus militem alere, ad sui Regnique tutelam. Paulò infrà declarabimus per plura sæcula Episcopos & Abbates ad Regias expeditiones militem conduxisse vel misisse, vel duxisse ipsos, ad communem Regni & Ecclesiarum defensionem. Non refert autem, proventus Ecclesiæ in id impendas, an aliqua prædia destines. In nunc Gallias, in Christiani orbis Provincias reliquas Principes regnant, à quibus nihil ejusmodi verendum sit; quia & potentissimè Ecclesiarum & Cœnobiorum res defenduntur, & summa gaudent pace. Ea verò pax & defensio, si quibus pecuniæ pensionibus redimatur, quid hæ ad illas ex Episcopatuum, Cœnobiorum & Parochiarum agris & reditibus excitatas Commendas militares?



CAPUT XIII. *P. 3. l. 2. c. 43.*

De Commendis sub Pipino, sub Carolo Magno, Ludovico Pio, & Carolo Calvo.

I. Ex Commendis maximè scatebat pluralitas Beneficiorum.
II. Exempla Commendarum Episcopis datarum, atque Clericis, sub Carolo Magno & Pipino.
III. Regales maximè Abbatias in Commendam dabant Reges.
IV. Eas ipsi quandoque usurpabant Episcopi.
V. Beneficia dicebantur, quibus milites primùm à Regibus donabantur, quibus & donati sunt postea Clerici.
VI. Cùm Clericis bona Regularium, Laicis adempta donabantur, non pœnitendum id erat mali levamentum.
VII. Commendatarii Abbates, tam Clerici, quàm Laici, Episcopi consilio uti, & regi debebant.
VIII. Varia Commendarum exempla sub Carolo Magno & Ludovico Pio.
IX. Plures etiam Carolus Calvus contulit, sed Clericis, quàm Laicis ademisset.
X. Impetrabant & Episcopi Commendas: & usu earum minus sobrio excitarunt Synodos & Pontifices, ut varia ederent Decreta.
XI. Sapienter & modicè tulit Ecclesia Commendas Clericorum, quæ tolerat & Laicorum.
XII. Varia Commenda sub Carolo Calvo.
XIII. Fuere justæ & necessariæ causæ annuendarum Commendarum.
XIV. Etiam Episcopalium Ecclesiarum.
XV. Plures Abbatiæ Abbati uni commendatæ.
XVI. Commendata quandoque vel minima Beneficia, ea quoque quæ nondum vacarent.

I. Qui plura simul obtinuere Beneficia, his etiam mediis sæculis, quæ hîc elucidamus, aliqua saltem ex iis nonnisi commendata obtinuere. Temporum more nostro, Regumque seriem subsequemur, & sanctioris disciplinæ leges elicere, seponere, & illustrare conabimur ex promiscua exemplorum, Canonumque & legum congerie.

II. Si sancti Dionysii Abbas Fulradus, tot aliorum idem suæ fundationis Cœnobiorum Abbas, & Archipresbyter Galliæ, hoc est, Archicapellanus Pipini Regis, Monasticam Regulam professus non fuisset, illum meritò Commendatariorum Abbatum albo primum inscriberemus. Sed à verisimili non recedit, Monachum eum fuisse, nec Commendatarium dici posse, nisi Archipresbyteratûs ratione, hoc est, officii potiùs quàm Beneficii Archicapellani. Quanquam tum quidem non raró ista promiscuè haberentur. Inde est quod Archipresbyter dicebatur, quod utique Beneficii vocabulum est, perinde ut Archidiaconus. Ita inter Commendatarios meritò recensebatur Fulradus, vel ut Archipresbyter, si Monasticum institutum professus erat: vel qua toties Abbas, si non erat. *Conc. Gall. Tom. 2. pag. 8. 20 73.*

Major est dubitandi locus de Radone Protonotario Caroli Magni & Abbate. Protonotariatus inter Palatinas numerabatur dignitates, quæ Clericis plerumque obtingebat, æquè ut Notarii & Secretarii gradus. Fuit & Caroli Magni Notarius, idemque Abbas Eginhardus: sed valedixit ille tandem Palatio, secessitque in Abbatiam suam Mulenheimensem, quod Saligestadium postea dictum est. Sed ambigi non potest, quin Episcopi illi, quos Abbatiis donabat Carolus Magnus, quamvis raros donaret, nec nisi ex causis canonicis, earum essent Abbates Commendatarii. *Nulli Episcoporum Abbatiam, vel Ecclesias ad jus Regium pertinentes, nisi ex certissimis causis unquam permisit.* Ita Sangallensis Monachus. Nec dispar est ratio Udalrici, fratris *ibid. pag. 78. 95.* *Du Chesne To. 2. pag. 91. 212.*

Hildegardis Imperatricis : cui plures simul contulit Abbatias : *Ex certis causis plurima quibusdam tribuit.*

Cùm Gradensis Patriarcha Fortunatus in Gallias secessisset, postquam Græci in Istriam irruperant ; Episcopatum Polæ tunc vacantem interpellante Carolo Magno contulit ei Papa, collatum & à Carolo ipse eidem est *Medianum Monasterium* in Episcopatu Tullensi. Anno 813. Heythonus, qui ex Abbatia Augiæ insulæ ad Basileensem Episcopatum evectus fuerat, utramque hanc dignitatem, cùm sedecim, aut septemdecim annis obiisset, tandem utramque abdicavit. Erat & eodem tempore Theodebertus Episcopus Massiliæ, & Abbas sancti Victoris apud Massiliam. Proximæ erant Episcopalibus Ecclesiis hæ Abbatiæ ; ita utriusque dignitatis munia sustineri, obirique commodius poterant ; nec Caroli Magni pietas, ac castioris disciplinæ Ecclesiis restituendæ diligentia summa ambigere nos sinit, quin justæ illi & Canonicæ fuerint causæ, atque ad utilitatem Ecclesiæ vergentes, ut has Commendas, Beneficiorumque pluralitatem æquo animo ferret.

Le Cointe. Anno 806. n. 66. Moyen Moutier.

III. A vero non abludit, Regias has fuisse Ecclesias, vel Abbatias, *Ecclesia ad jus Regium pertinentes :* quas Carolus Magnus Clericis commendabat. Cùmque eas Carolus Martellus & Pipinus, vel gestassent ipsi, ad bellicas impensas, vel exercituum Præfectis commendassent, gratiæ habendæ erant Carolo Magno, Ludovico Pio, & Carolo Calvo, cùm eas laicis, militibusque ereptas, piis & eruditis Clericis commendabant. Inde ansam arripiebat Carolus Magnus paulò imperiosiùs consulendi in hos Episcopos & Abbates, sibi obnoxios, utpote Regalibus Ecclesiis donatos, ut eos cogeret magnificentiores suis impendiis Ecclesias exædificare. Ita enim rursum Sangallensis Monachus : *Si essent Ecclesiæ ad jus regium propriè pertinentes, laquearibus, vel muralibus ordinandæ picturis, id à vicinis Episcopis aut Abbatibus curabatur. Quod si nova fuissent instituenda : Omnes Episcopi, Duces & Comites, Abbates etiam, vel quicumque Regalibus Ecclesiis præsidentes, cum universis qui publica consecuti sunt Beneficia, à fundamentis usque ad culmen instantissimo labore perduxerunt.*

Ibidem. pag. 119.

IV. Quin & ipsimet non raró Episcopi, siqua fides habenda sit Sangallensi Chronico, Abbatias invadebant, etiam Regias, & privilegiis suis fidentes. Ipsam enim sancti Galli Abbatiam sæpissimè Constantienses Episcopi insederunt, & tota Abbatum potestate sibi vendicata tenuerunt. Eorum unus tandem Presbyterum illis sæcularem Abbatem præfecit, cui assentiri subjicique tandiu recusarunt Monachi, donec habitu Monastico indueretur. His malis nec Pipinus ipse, nec Carolus Magnus mederi potuere, qui Cœnobium illud ingentibus exornaverant privilegiis. In Chronico Esuteshamensi narratur ejus Cœnobii Abbas Richebodus Treverensi Metropoli ita donatus fuisse, ut quandiu superstes foret, hujus quoque Abbatiæ regimen retineret.

Du Chesne To. 3. pag. 482 &c. 498.

V. Ea propriè Beneficia dicebantur, eo sensu quo ea vox usurpatur apud Historiæ Augustæ Scriptores. Agri erant & prædia, quibus ab Imperatore Duces, militesque donabantur, ut suo deinceps sumptu stipendia facerent. Ubi agros & fundos Ecclesiæ laïci usurparunt, eosque illis Princeps & Ecclesia ipsa fruendos concessit eadem conditione merendi & stipendia faciendi ad Regni & Ecclesiæ tuitionem, ea dici tum cœpere Beneficia. Postquam denique ab Imperatoribus & Regibus illi ipsi agri Ecclesiarum laicis adempti, Clericis Monachisque restitui cœpere, inhæsit his usque ea vox Beneficii, quæ & deinceps latius patere cœpit, omnes prorsus Titulos & Dignitates, sive Regularium, sive Sæcularium Ecclesiarum complexa. Eo nimirum sensu capienda vox ea in Concilio Francofordiensi, quo jubentur Beneficiarii omnes officio fungi in reparationibus Ecclesiarum, in Decimis & Nonis exolvendis. *Qui debitores sunt ex Beneficiis & rebus Ecclesiarum.* Et infrà : *Qui Beneficia exinde habent.*

Can. 25. 25.

VI. Quando prohibebat Carolus Magnus, ne posthac laici in Ecclesiis Cathedralibus Archidiaconatus gererent vel Præposituras : plus satis innuebat istiusmodi Beneficia prius obtinuisse laicos, annuentibus, aut conniventibus certè Principibus. Quod Commendæ genus erat importunissimum. Cùm ergo abactis laicis ejusmodi Beneficia Clericis concedebantur, hoc erat non pœnitendum tanti mali delinimentum, erat & rudimentum melioris disciplinæ illabentis. Ideo vetabat Carolus, ne laïcis : non vetabat ne Clericis Præposituræ Cœnobiorum conferrentur. *Ut laïci non sint Præpositi Monachorum infra Monasteria. Nec Archidiaconi sint laici.*

Capitular. Carol. Mag. L. 1. c. 118.

Si de Præpositura hic autem caveatur, non de Abbatiis, id eò forsan pertinet, quod tota Claustralis disciplinæ cura Præpositis incumbebat. Conclamata jam tum ergo erat regularis observantia, ubi Præposituras laïci invadebant. Idque significari videtur his verbis *infra Monasteria.* Etenim ubi Abbatis nomen & munus laicus sibi aliquis vendicarat, Claustri disciplinam intemerata observantia poterat Præpositus retinere. Constat enim temporibus Caroli Magni & Ludovici plurimis adhuc Cœnobiis laïcos incubasse Abbates, quanquam lege lata Principes ii copiam fecissent Cœnobiis omnibus, Regulares & proprios Abbates sibi deligendi. *Abbatibus quoque & laicis specialiter jubemus, ut in Monasteriis, quæ ex nostra largitate habent, Episcoporum consilio peragant ea, quæ ad religionem pertinent.*

Ibidem. L. . . c. 8.

VII. Eo decreto quo jubentur Abbates Commendatarii omnes, tum Clerici, tum laïci : cùm enim essent Abbates laïci, erant haud dubio & Clerici : Eo decreto, inquam, quo illi jubentur consilio regi Episcoporum : satis probabiliter intelligitur, non sine Imperatorum consensu Abbates illos Monasteriis præfuisse. Insimulari enim illi utique poterant, quod laicis, Clericisque institutionum Monasticarum & Regularum prorsus expertibus Abbatias committerent. At eam criminationem abstergebant Principes, jussis Abbatibus his Commendatariis, authoritati ut Episcopi & sapientiæ subessent, qui Canonum & Regulæ consultissimus esset.

VIII. Ne longior sim, & ne tædium lectori creem, tempero mihi, ne parnumerem Clericos omnes, & Episcopos ipsos, quibus sub Carolo Magno & Ludovico Pio Abbatiæ commendatæ fuere. Dixi supra de Alcuino Abbate sancti Martini Turonensis, sancti Lupi Trecensis, & Cellæ sancti Judoci. Duabus prioribus Abbatiis à Carolo Magno donatus fuerat, tertia à Ludovico Pio. Benedictus Anianæ Abbas Edictum generale à Pio elicuit, quo recensita sunt Regularium Cœnobia, in quæ nil sibi juris arrogare possent Abbates Canonicorum. *Ut ab ejusmodi contentionibus Clericos, Monachos verò ab hoc redderet periculo exsortes.* Quæ tamen non tam fuit imminutio Commendarum, quàm prohibitio, ne Canonici Regulares cum Abbatibus

Du Chesne To. 2. pag. 224. 228. Sæcul. Bened. IV. pag. 214.

Du Chesne To. 3. pag. 393 399. 503. 409.

suis in locum Monachorum & Abbatum suorum subrogarentur. Unio quoque magis illa fuit, quàm Commenda, cùm Gallicanum Cœnobium Hamburgensi Ecclesiæ mancipavit, ad amplificandos ejus reditus.

Ebbo Remensis Archiepiscopus ab Imperatore Lothario Abbatia donatus est sancti Vedasti, authore Flodoardo, quo pretium id esset proditi & Imperio abdicati Ludovici Pii: *Ebbo accepta à Lothario pro patris proditione, Abbatia sancti Vedasti, falsarum objectionum incentor extitit, &c.* Postquam ea cautus fuit à Carolo Calvo, ab eodem rursus Lothario donatus est Abbatia sancti Ricarii & sancti Columbani in Italia. Quàm pudenda erat causa concedendæ Abbatiæ sancti Vedasti; quamque id, & danti, & accipienti invidiosum erat; tam excusandæ donationes aliæ videbantur, cùm necessaria sustentatione frustrari non deberet Episcopus exauthoratus, & cujus non mediocria constabant adhuc in Principem suum officia.

Flodoard. L. 2. c. 20.

Conc. Gall. Tom. 3. pag. 156. Hincmar. To. 2. pag. 404. 405.

IX. Nullo tamen sub Principe magis increbuerunt Commendæ, quàm sub Carolo Calvo: non abusu potestatis magis licentioso: sed quod longè plures Ecclesias laicis ademerit, quarum administrationem mox Episcopis Clericisque commodabat, addito etiam Abbatis nomine. Inter eos numera Hincmarum ipsum, qui cum Remensi Archiepiscopatu retinuit semper Cœnobium, quo ante Episcopatum donatus fuerat à Carolo Calvo, dum in ejus palatio mereret. Truculentus invasor illud olim Cœnobium labefactarat, reparavit Hincmarus. Adimere ergo ubi illud pòst voluit Carolus Calvus, pro virili enixus Hincmarus servavit. Inde concluditur ex usu Ecclesiæ fuisse, ut illud Cœnobium Hincmarus, & nondum Episcopus susciperet, & Episcopus retineret; cùm toties in manus laicorum revolverentur Cœnobia, qui ea non ut haberent ambiebant, sed ut expilarent. Audi Flodoardum: *Scripsit Carolo pro Cella, vel Monasterio Flaviaco, quod idem Rex sibi, dum in ipsius ante Episcopatum moraretur servitio, donaverat, & ut in vita sua illud teneret, præcepto confirmaverat, quodque à quodam invasore destructum restruxerat: & religionem in eo prout valuit restauraverat; quod postea Rex idem injustè à jure ipsius conabatur auferre.*

L. 3. c. 18.

X. Nec tam piè Episcopi omnes, quàm Hincmarus commendatas sibi regebant Abbatias. Unde & in Concilio Tullensi Regulæ reddita est Abbatia Floriacensis, quam obtinuerat Rodulphus Archiepiscopus Bituricensis. *Qui præfatam Abbatiam irregulariter retinebat.* Quo in eodem Concilio conquestus est Carolus Calvus Rex de Ganelone Archiepiscopo Senonensi, qui à fratre suo Lodovico Rege Germaniæ extuderat Abbatiam sanctæ Columbæ, quam à se potius obtinuisse debuerat, & discordiam inter Principes alebat illius Abbatiæ occasione.

Concil. ad Saponar. Can. 11.

Cùm verò disciplinæ labes ex his plerumque Commendis oriretur; in eodem Tullensi Concilio decretum est compellari Principum humanitatem, ut cujusque Congregationis & Conventus Prælatos finerent ex proprio ipsorum Collegio adsciscì: quod eò tandem redibat, ut Commendæ extinguerentur. Quanquam enim tolerabilius esset, à Clericis, maximè ab Episcopis, quam à sæcularibus Monasteria adgubernari; conducibilius erat tamen, & ipsi rerum naturæ accommodatius, ut à Regularibus Abbatibus regerentur. *Ut unicuique Congregationi Deo vacantium in timore & amore ejus, à discretissimis Principibus secundum authoritatem divinam, suæ professionis liceat habere Prælatos.* Hæc porro non alia est *divina authoritas*, quàm Canonum via & majestas, quos prisca Concilia persæpè, & ipsæ Imperatorum leges, *divinas leges* appellant. Quanquam autem juberent Canones, ut Abbates eligerentur Regulares, & is usus multò esset juri naturali consonantior: non tamen Episcopis tunc visum est sapienter aboleri posse Commendas, nisi Principes assentirentur, qui earum fuerant authores.

Can. 12.

Fidentius pro sedis suæ amplitudine Nicolaus Papa ad Adonem Archiepiscopum scribebat, objurgandos esse Principes, si quando concessiones has facerent Canonibus adversas. *Si Principis inordinata fuerit largitio, ipse sit Princeps pro emendatione redarguendus.* Qui idem ipsa privilegia confirmans Abbatiæ Corbiensis, Abbates Commendatarios inde jussit exulare, tam Clericos, quàm Laicos. *Abbatem fratres ipsius Monasterii de se ipsis eligendi semper habeant potestatem, & eam personam eligant, quæ Monachi propositum & habitu & moribus profiteatur, non canonicum, aut laicum.* Quod Decretum suum communit Pontifex invictissima hac ratione, quòd funditus subruatur Monastica professio, si Monachis Abbas præstituatur, sive Clericus, sive Sæcularis; quòd ita nimirum comparatus sit unusquisque nostrum, ut suo impensissimè faveat instituto, idque vehementer cupiat aliis omnibus dominari. *Quoniam Monachico ordini præficere, vel laicum, vel canonicum, non est servare ordinis professionem, sed evertere. Quod unusquisque Præpositus, cujus est ordinis, ejus quoque erit & propagator, nec bene disponet aliquando cujuscumque militiæ vitam, cujus non fuerit, ipse qui disponit, æmulator.*

Epist. 59.

Epist. 24.

Consimili privilegio donaverunt Episcopi Concilii Suessionensis III. Abbatiam Solminiacensem anno 866. ut eam tuitione semper sua Reges decorarent, at ne Abbates unquam ei præficerent, sive Clericos, sive Laicos. *Nec sibi aliter nisi tutela defensionis ac tuitionis Reges usurpent, nec cuiquam Clericorum Canonici habitus aut laicorum, quod absit, hunc locum attribuant. Sed sub tutela ac defensione, cum proprio & regulari Abbate sibi retineant.* *Conc. Gall. To. 3. p. 301.*

Qui Clericos ac Laicos Abbates promiscuè deprecantur, id satis apertè innuunt, tum cœpisse frequentius Clericis commendari Cœnobia, cùm pietate Regum meliusculè jam Cœnobiis consulentium, illa à laicis, ad Clericos transferebantur Abbates. Experti enim Monachi non usque adeo sibi propitios Abbates Clericalis ordinis, illos periode ac laicos deprecabantur, & hujusmodi à Principibus & Pontificibus exorabant privilegia, quibus utrumque genus Commendarum è Cœnobiis suis ejiceretur. Nec enim dimidiata, qualis per Clericos Abbates tentabatur, sed integra curatione egebat labefactata Claustrorum disciplina.

XI. Minimè mirum est autem tandiu toleratas ab Ecclesia Clericorum Commendas; cùm & Laicorum tamdiu, quin & fœminarum aliquando toleratæ sint. Copiosiùs infrà disseremus de his sæcularibus Commendis; cursim hic illud perstringemus Adriani II. ad Lotharium Regem scribentis, postquam repudiata ab eo fuerat Theutberga Regina. Qui non hospites prorsus sunt in Ecclesiæ Annalibus, iis exploratissimum est, hunc Pontificem in vestigia ingressum esse Nicolai I. ac pari ubique & inexpugnabili vigore pulsissimam Ecclesiarum disciplinam retinuisse. Ille porro Lothario Regi indixit, ut aut Reginam Theutbergam ad se revocaret, aut dum lis ea terminaretur, Abbatias illi eas interim

fruendas concederet, quas spoponderat ad ejus sustentationem. *Habeatque in potestate sua ipsas Abbatias, quas ei dare ipse ore proprio promisisti, de quarum sumptibus atque reditibus necessaria possit habere stipendia dignaque subsidia.* Permitta, ut vides, tolerantia, quam hîc excuset rei necessitas, gravitasque, & Pontificis incorrupta sanctitas: sed quæ difficillimè aliàs excusari possit.

Epist. 6.

XII. Inter Commendatarios Carlomanum quoque forsan filio Caroli Calvi assignanda sedes est, cùm dicatur *plurimorum Monasteriorum Abbas reputatus*, similiusque veri sit, Monasticam nunquam edidisse eum professionem, tametsi Diaconus fuerit. In hujus Abbatis & Principis flagitiis describendis mirificè loquax fuit ejus ævi historia. Contrà autem Chronicum Adonis laudibus exornat pietatem Lotharii, quem Clero etiam dicaverat Carolus Calvus ejus parens, & qui Abbas & ipse dicebatur. Sed præcoce fato abreptus est. Diximus suprà de Hugone Caroli Martelli nepote, qui cum Archiepiscopatu Rotomagensi Episcopatus Parisiensem & Bajocensem administravit, necnon & Abbatias Fontanellensem & Gemmeticensem. Has Commendas Canonibus obstrepuisse profitetur Fontanellense Chronicum: in quo complures alii Episcopi Clericique memorantur, qui dono Regum commendatam habuere eam Abbatiam, *Jure precarii, ac Beneficii.*

Du Chesne To. 2. pag. 405. 410. To. 3. p. 315. Spicil. to. 4. p. 514. 517. Adon. Chro. Anno 766.

Non potest hîc sine piaculo præteriri Capitulare Caroli Calvi, quo diffinit pecuniam, quam exigant Abbates singuli, Normannis persolvendam, ut Regni finibus excederent. Erant porro hi Abbates aut Episcopi, aut Monachi, aut Comites. *Unusquisque Episcopus, qui habet Abbatiam, aut Abbas qui similiter habet Abbatiam, aut Comes qui æquè habet Abbatiam, accipiat, &c.* Ii erant tunc Abbatum ordines tres in Gallia, nimirum alii Regulares, alii Commendatarii; & hi duplicis rursum generis, pro duplici genere Commendatum, Clericalium & laïcarum. Impetravit ab Imperatore Ludovico II. & ab Imperatrice Rolandus Arelatensis Episcopus Abbatiam sancti Cæsarii *in Insula Camaria* sitam; castrumque ibi extruxit, quò cùm se inclusisset, à Sarracenis captus est, qui in ea dudum Insula portum sibi adornaverant; magna illi pecunia opus fuit, ut libertati redderetur, præter illam quam illis exolverat, quorum favore Abbatiam illam adeptus erat. Ita per summum nefas ad Commendas quandoque veniebant, quibus novas inopini sibi ipsis calamitates accelerarent.

Du Chesne To. 3. pag. 238.

Nihilo plus erat causæ, ut Hincmaro Laudunensi Episcopo Abbatia commendaretur. Conquestus jam superiùs est Hincmarus Remensis, quòd eam impetrasset, inconsultis Provinciæ Episcopis, Metropolitano, & Episcopo eo, in cujus ditione sita erat ea Abbatia. Possent & longè plura hîc addi exempla Commendarum Laïcis, Clericis, & Episcopis concessarum, non exigente necessitate, non hortante charitate, sed uno cupiditatis & humanorum affectuum incitamento. Nec inde tamen quidquam aliud jure efficies, quàm vel tum laudibus celebrandam esse Ecclesiæ humanitatem & indulgentiam, cum nullo se tueri potest patrocinio hominum ambitiosorum importunitas, qui suas cupiditates, ejusque patientiam exercent.

Hincmar. To. 2. pag. 392. 393. 398.

XIII. Nec negari tamen potest, quin justæ fuerint causæ Abbatiis donandi Actardi, cùm civitate sua ab Infidelibus ejectus fuit, si his acquiescere ille voluisset, nec ad Metropolin migrasset Turonensem. Ita certè sentiebat Hincmarus. *Cùm alias possessiones & Abbatias largitione domini Regis habeat, unde sumptus habere valet, quibus ad Deo serviendum & ministerium suum exequendum in plebe sibi commissa sufficere posset.* Nec minùs arcta ex eodem Hincmaro necessitas consulendi Rothado Episcopo Suessionensi, postquam sede ejectus fuit, ut commendati Cœnobii proventibus victitaret. Episcopis & ipsi Regi ita visum est. *Post depositionem autem illius obtinui ut unam Abbatiam valde bonam ei dominus Rex, & Episcopi consentirent.*

Nicolaus ipse Papa assentiebatur, si depositionis sententiæ acquiesceret Rothadus, æquum esse, ut aliquo Beneficiorum solatio illi Rex subveniret. Nicolai verba ab Hincmaro hujusmodi proferuntur. *Fortesse cognoscit delictum suum, & sua sponte in judicio, quo judicatus est, perseverare deliget. Quod si fecerit, apud Regem Carolum agendum est, ut liberalitate sua eidem congrua Beneficia, quibus sufficienter cum suis sustentari, ac honorificè degere possit, benigno mentis largiatur affectu.*

Hincmar. To. 2. pag. 760. 249. 250.

Hinc concluditur justissimas fuisse causas, & extinguendarum Commendarum, quibus homines cupidi abutebantur: fuisse & earum innovandarum, cùm fuerint benemeriti de Ecclesia homines, quorum ejus interfit sustentationi prospicere, & hac maximè ratione prospicere, quando non alia expeditior succurrit ulla. Ubi denique Papa, Synodus, Rex unanimi consensu justam & necessariam Commendam judicabant, quis tam ineptus contrà niti, vel dicere ausus esset? Quis Nicolai I. judicium, tanquam molliori & remissiori obtrectare?

XIV. Mirum sanè illud magis, fuisse justas causas ipsorum Episcopatuum commendandorum. Id tamen idem ipse tradit Hincmarus, vacantem scilicet Remensem Ecclesiam, depulso Præsule sanctissimo Rigoberto, per immanem truculentiam Tyranni Milonis, temporibus Caroli Martelli, commendatam fuisse pariter cum Trevirensi B. Bonifacio, Legato Apostolico & Archiepiscopo Moguntino. *Quandiu ejecto sine ullo crimine ab ea suo Pontifice Rigoberto, violentia tyranni Milonis, tempore Caroli Principis, Pastore vacans, Bonifacio Apostolicæ Sedis Legato aliquandiu, sicut & Ecclesia Trevirensis, commissa fuit.* Dilucida est hujus dispensationis & Commendæ necessitas, uni totum dabatur Ecclesiæ utilitati; Bonifacii Apostolicæ non minùs virtutes, quàm functiones, omnes ab eo obliquas abstergent suspiciones.

Hincmar. Tom. 2. pag. 238.

Adrianus II. Actardo in Metropolin Turonensem translato, Nanetensem ei Episcopatum commendatum reliquit, donec proprius ibi eligi posset Episcopus. Cùm ex Bonifacii & Actardi Commendæ uni servirent publicæ Ecclesiarum utilitati, ad tempus illud circumscribebantur, quo par urgeret necessitas. Quo primùm puncto temporis expediebat Ecclesiæ Commendam revocari, revocabatur illa protinus, & Episcopus proprius ordinabatur. Uberiùs suprà de Actardo, & ad nauseam forsan usque disputatum est. Ex Epistolis Adriani II. multa ibi corrasa sunt. Unum hîc addam ex iisdem testimonium sanctissimi Pontificis, approbantis posteritati, quo Actardi merito Pallium illi antè etiam miserit, quàm Archiepiscopus crearetur. Carceres, vincula, carnificinæ apparatus, exilia, hæ pro Ecclesiæ defensione causæ aditum Actardo muniere ad eas dispensationes, Commendas, gratias, de quibus tam multa diximus. *Quod non alter, nec cuilibet absque Metropolitis, concederemus, nisi multoties*

Epist. 15.

exilia,

exilia, mare, vincula passo, etiam ad capitalem sententiam frequenter tracto, teste tuo Metropolitano, qui & id nobis litteris intimavit, & tibi spem in sede propria non superesse significavit, hoc tua ad celerrima consolationis solatia, tanta exigerent detrimenta, quin potius merita. Si quid personis, si gratiæ, si favori donandum, his nimirum per cruces & exilia benemeritis de Republica Christiana, his, inquam, favendum, his gratificandum est.

Nec Commendis accenseri debet Episcopatus ipse Laudunensis, cùm illum Hincmaro Remensi commendavit idem Pontifex, quandiu Hincmarus ocpos Romanam peregrinationem obiret. Ita enim & mos ferebat, & lex canonica, ut invigilaret diligentiùs Metropolitanus in Ecclesias Comprovincialium Episcoporum per ipsorum absentiam. *Quoniam Episcopatum ejus tuæ sanctitati specialiter post Regem servandum committimus.* Absente Episcopo, nemo dixerit ejus Episcopatus vel Titulo, vel Commenda onerari Metropolitanum, etsi ejus curam tunc agat. Non ergo ea erat Commenda.

Conc. Gall. To. 3. pag. 375.

Sed non injuria in classem Commendarum referemus Archiepiscopatum ipsum Bituricensem, cum illum Carolus Calvus Vulfado commendavit ad tempus, donec illum eo ipso Titulo investiret Nicolaus Papa I. qua de re jam sæpiùs illum interpellarat. Non aliud consultius quidquam excogitari potuerat, quo effugarentur ab omnibus ejus tunc Provinciæ Ecclesiis sacrilegi usurpatores. En ipsa Regiæ ad Pontificem Epistolæ verba: *Bituricensem Ecclesiam, ceu sanctæ Paternitati vestræ aliis litteris significavimus, quia dare absque Apostolatus vestri determinatione distulimus, commendare sibi eandem Ecclesiam cum rebus sibi pertinentibus acceleravimus. Scilicet ut in destructione earum non tantùm sæviens valeret, quorumlibet pravorum instantia, quærentium diripere non sua, & vastare crudeliter aliena.* Temporalia ejus Ecclesiæ Rex Vulfado concesserat, dum spiritalem quoque conferret Pontifex ditionem. Qua profectò in re plurimum distat hæc Commenda à superioribus, ubi Commendatarius tum spiritalia, tum temporalia creditæ sibi Ecclesiæ omnia administrabat. Sed tantò propiùs ea accedit ad hodiernas Commendas nostras, ubi temporalibus contenti Abbates Commendatarii, spiritali cura ferè abstinentur.

Conc. Gall. To. 3. pag. 300.

XV. Superest & alia hîc paucis attingenda Commenda, superioribus perquam dissimilis. Cùm Abbatia una alteri Abbatiæ ita concedebatur, ut ejus redituum partem aliquam decerperet & converteret in suos usus. Ita Ferrariensi Abbatiæ Cellam Judoci annuit Ludovicus Pius. Unio videri magis primùm possit, quàm Commenda. Sed cùm id donum revocaverit Carolus postea Calvus, & ipsemet rursus restituerit; propiùs hæc videntur abesse à Commenda, quàm ab unione. Hæc porro Commendæ ratio non poterat non videri omnium sanctissima. Quanquam enim regulæ ipsæ Ecclesiæ, & canonicæ rationes dispensationum & Commendarum, per sese cum primis accommodatæ essent divinis incorruptæ justitiæ, charitatis & sapientiæ legibus: quanta quanta tamen est, plena est historia exemplorum, quibus elucescat, ita usu ut plurimum venisse, ut ii Commendas & Abbatiarum, & cæterorum Beneficiorum obtinerent, qui per cuniculos, qui avaritiæ, qui ambitionis ingenio in Aulam Regiam obrepebant. Ex quo fiebat, ut locupletandi Clerici gratia, quem opes ipsæ in delicias demergerent, & in ea vitia, quæ delitiis adhærescunt, Monachorum agmina innoxia penuriæ objicerentur. Nequicquam ea de re conquerebatur Lupus Ferrariensis Abbas: *Fama versatur inter nos, Clericos Palatii diversorum Cœnobiorum sibi dominium optare atque poscere, quibus nulla sit alia cura, nisi ut sua avaritia oppressione servorum Dei satisfaciant.* Non pudebat inexsaturabiles opum & voluptatum Clericos, *Deo servientium inopiam, suam luxuriam facere.* At ex adverso Commendæ quibus de nunc agimus, eò collimabant, ut Cœnobii unius abundantiâ alterius inopia sublevaretur: ea quoque cautione adhibita, ut in Abbatia commendata etiam hospitalitas exerceretur. Ea quippe conditione Ludovicus Pius Ferrariensibus Cellam Judoci concessit. *Ut & Monachi absque inopia in Monasterio Deo servirent, & in præfata Cella hospitalitatem juxta Dei timorem peregrinis impenderent.* Quo certè tempore Ferrarienses Carolus Calvus frustravit proventibus ejus Cellæ, ad incredibiles angustias rerum necessariarum penuria illos adegit, ut ex compluribus Lupi Epistolis intelligitur.

Epist. 15.

Epist. 72.

Epist. 21. 51. 52. 42. 44.

Rursum verò hoc necessitatis & paupertatis obtentu illudebat non rarò & grassabatur cupiditas. Hinc illa Episcoporum & Abbatum turba auribus Principum obstrepens, & petitiones suas tam intempestivè ingeminans, ut statuerit tandem Carolus Calvus in Concilio, & ab Episcopis ipsis exoratus, aures omnino hujusmodi petitionibus obturare. *Concessimus in Synodo venerabilibus Episcopis, ne super Beneficia Ecclesiastica, vel Præstarias, etiamsi Episcopus, aut quilibet Monasteriorum Prælatus irrationabiliter petierit, præcepta confirmationis nostræ nullo modo faciamus.*

Baluz. Appen. ad Lupi Capit. Car. Calv. and. 845 l. 11. Ibid. c. 3.

XVI. In Commendam etiam dabant Reges, non Cœnobia tantùm, sed & Capellas, & minutissima quæque Beneficia: *Requirant Missi nostri de Capellis, & Abbatiolis, & casis Dei in Beneficium datis.* Exciderat nobis Gillebertus ille quem Catalaunensem Episcopum Hincmarus ordinavit anno 868. Hic Præpositus antè fuerat sancti Vedasti; Commendatarius, ut suspicor, sed ab Episcopo & à Monachis ejus Cœnobii expetitus. *Jubente Joanne Episcopo, & consentientibus Fratribus suscepit Præposituram Monasterii.*

Capit. Baluz. pag. 614.

Insolentissimum verò illud erat Commendarum genus, ubi homines scelestissimi Regum aures fatigabant, impetrabantque Abbatias necdum vacantes. Ex quo fiebat, ut cautiores quandoque Abbates Canonici & Regulares, Regio se diplomate quopiam muniri cuperent, quo despondcretur, quandiu superstites essent, loco se suo & gradu non amovendos. *Ut ipse quandiu viveret, prædictum Cœnobium quietè regeret.* Id Lupo Ferrariensi à Carolo Calvo concessum est, ad antevertendas procacissimorum hominum prehensationes; qui Beneficia ambiebant nondum vacantia. Et hoc tamen illi Regibus imponebant prætextu, quod arbitrariæ essent Commendæ, ad nutum revocabiles. Summa ea erat flagitii, ut ad nutum Principis revocabiles essent Beneficiarii, qui ne ad arbitrium quidem Episcopi vel summi Pontificis revocabiles sunt.

Baluz. App. ad Lup. pag. 307.



CAPUT XIV. *P. 3. l. 2. c. 44.*

De Commendis sub Regibus qui Carolo Calvo successere.

I. Damnatur Commenda in Concilio Tricassino & Romano à Joanne VIII. Papa.

II. Privilegiis muniebantur Cœnobia adversùs Commendas.

III. In Concilio Trosleiano damnata sunt universim Commendæ omnes.

IV. Episcopus Ecclesia sua ejectus, præficitur Visitatoris vacantis Ecclesiæ, cujus interim fructibus pascatur.

V. Varia exempla Cœnobiorum Episcopis & Archiepiscopis Commendatorum, quo Cœnobiis ipsis provisum esset.

VI. Vel quo provisum esset ipsis Episcopis aliunde, quorum alio erant in Ecclesiam officia pernecessaria.

VII. Ut denique Cœnobia laicis extorquerentur, eo jamdiu insistentibus. Aut ut Monachis Canonici, vel Canonicis Monachis subrogarentur, bene morati male moratis.

VIII. Privilegio Cluniacensi excludebantur cujusque modi Commendæ, jusso eligi Abbate secundum Regulam beati Benedicti.

I. IN Concilio II. Tricassino, anno 878. qui primus erat Regni Ludovici Balbi, edita est à Joanne VIII. Papa Constitutio, & à Concilio approbata, qua Commendæ prorsus omnes extinctæ fuissent, si tam facilè servarentur leges, quam sanciuntur: nec plus negotii esset in opprimenda, quàm in damnanda corruptela quavis. Vetatur eo Canone, ne vel à Papa, vel ab Episcopis Cœnobia prædiaque & fundos Ecclesiæ petant, nisi qui secundùm Canones impetrare & retinere possunt.

Can. 2.

Ecclesiarum sanctarum possessiones, id est, Monasteria, mansa, cortes, villas, patrimonia, omniaque quæ jurisdictionibus earum conveniunt, nullus suppetere à Romano, seu reliquis Pontificibus præsumat, nisi persona quas canonica sancit authoritas, ut est illud primo anno ordinationis nostræ apud beatum Petrum Apostolum constitutum. Jam verò ut Cleri dignitatibus summoventur Monachi canonicis institutis: ita & iis arcentur Clerici à Cœnobiis ac Cœnobiorum quibuscumque administrationibus. Est porro observandum illud in hoc Canone, quo Canon alius innovabatur editus in Concilio Romano, anno primo Pontificatus ejusdem Joannis VIII. verecundè omnes admoneri, non à sæculi Principibus, sed ab Episcopis impetranda esse Beneficia. Quanquam penes laïcos sit complurium Patronatus Beneficiorum; præsentant illi dumtaxat, unus verò Episcopus & Beneficium confert, & Beneficiarios instituit. Observa denique in hoc utroque Canone Romano & Tricassino, ipsum sibi Pontificem eam legem præfigere, ut ne cui unquam Beneficia commendet. Enimvero abundè hactenus patuit, Principes maximè sæculares flagrasse cupidine commendandorum Beneficiorum, adlaborasse autem Episcopales Synodos, ut ex eo malo boni aliquid exprimerent, utque modum ei ponerent aliquem, dum se daret opportunitas totius mali extirpandi.

II. Confirmatum est à Pontifice in eodem Concilio privilegium, quo jam Episcopi Floriacensem Abbatiam donaverant, ut inde abigerentur prorsus Commendatarii. *Quamvis privilegia multorum meruerunt Episcoporum, ad reprimendam quorumlibet inlicitam cupiditatem, ut super Abbate regulari ex eis eligendo, etiam nostræ authoritatis privilegia consequantur.* Inde patet majora Cœnobia his se privilegiorum veluti præsidiis vallasse, adversùs exondantem Commendarum licentiam, quam Canones & Decreta Conciliorum Pontificumque coërcere non possent.

Conc. Gall. To. 3. pag. 485.

Nec Commendis annumerabimus Sandionysianum Cœnobium, cùm eo donare voluit Ecclesiam Romanam Ludovicus Balbus. Tum quod tentata tantum res sit, non perfecta; tum etiam quod propius vero sit, ita caute simulatum fuisse, ut molesto incubatori illud Cœnobium auferretur.

Aimoin. L. 5. c. 37.

Confirmata sunt à Marino Papa Joannis VIII. successore privilegia Solemniacensis Abbatiæ, quibus Commendæ excludebantur. *Nullus sibi quacumque subreptionis ambitione Abbatem statuere præsumat, nisi quem Monachi ex se ipsis elegerint.*

Anno 885. Conc. Gall. To. 3. pag. 521.

III. Romani & Tricassini Concilii statutis minus obtemperabatur, & augescebant in dies Commendæ, nonnunquam invidiosissimæ. In Concilio enim rursus Trosleiano anni 909. sub Carolo Simplice exsecrationi fuere Commendæ, quibus committebantur Laicis Cœnobia, ut Patres essent & Judices Congregationum Monasticarum, qui spiritalem vitam, & disciplinam claustralem ne primoribus quidem unquam labris degustassent. Eo enim tempore Abbates Commendatarii, etiam laïci, non temporalem tantùm, sed & spiritalem in Monasteria jurisdictionem usurpabant. *Auditu lugubre, dictu nefas, actu dignoscitur horribile, quando contra totius Christianæ religionis authoritatem, & consuetudinem, in Monasteriis Regularibus laici in medio Sacerdotum & cæterorum Religiosorum, ut domini ac Magistri residentes, velut Abbates, de illorum vita & conversatione ac regula sibi penitus ignota, perverso ordine dijudicant.* Hic certè nihil in Clericos dicitur Abbates, non quò nulli essent: qui enim id fieret, cùm essent & laïci? Sed quod vel rariores essent, vel in Monachos magis officiosi, & Claustralis disciplinæ studiosiores. Nec tamen potuit eo Canone primigeniæ & constanti integritati restitui Cœnobiorum disciplina religiosa, hoc est, ejectis Commendis, non laicorum tantùm, sed & Clericorum. *Censemus igitur ut status Monasteriorum inviolatus, juxta antiquam Regulæ traditionem & Canonum constituta servetur, & ut Abbates sint Religiosæ personæ, & quæ regularem noverint disciplinam.*

Can. 3.

IV. Nihilo cæteris efficacior fuit hæc Commendarum damnatio. Nec Fulconem hic Remensem Archiepiscopum novæ authorem Commendæ dicam, ubi Herilando Teruannensi Episcopo à Normannis ejecto Catalaunensem Ecclesiam tunc vacantem commisit, Visitatori futuro, & ab ea interim sustentando. Quanquam enim à Formoso Papa objurgatus sit, quasi Episcopatum commendasset: *Beneficiali more ferebatur commisisse*; certum est tamen Visitatorem tantum ab eo creatum fuisse, dum vacaret sedes: *Visitatorem constituerat, ut visitando interim sustentationem, dum Episcopus ibi ordinaretur, ex illa caperet.* Atqui delegationes istiusmodi longè aberant à Commendis, quamvis in speciem utcumque ad eas accedere viderentur.

Flodoard. L. 4. c. 3.

V. At Fulco ipsemet Archiepiscopus à Carolo Simplici Rege Abbatia donatus est sancti Martini, quo & interpellanda illi fuit Widonis Imperatoris tuitio ad eas terras & ditiones Abbatiæ, quæ Germanici Imperii finibus continebantur. *Notificat Abbatiam sancti Martini à Rege sibi concessam, rogans ut res ejus, quæ in regno ipsius erant, in sua tutela Valdo recipiat.* Eadem de causa scripsit & ad Herimannum Archiepiscopum Coloniensem. Hinc verò non temerè suspicamur, istiusmodi Abbatias Archiepiscopis, vel Episcopis commendandas necessariò

Ibid. c. 5. 6.

pene fuisse, & quidem gratia pollentibus apud summos Principes, aut iis opibus viribusque fretos, quibus possent ab iis violentissimos & iniquè creberrimoa usurpatores eliminare. Id ipsum non abs re conjiciea de Abbatia sancti Callisti, eidem Fulconi commendata, aut ejus Ecclesiæ, unde ei
Ibid. c. 8. aliquid turelæ accederet. *Concessa sibi, vel Ecclesia Remensi, Abbatia ejusdem Sancti.*

Tristius ejusdem rei hoc erit rursus documentum. Abbatiam sancti Vedasti invaserat Comes Balduinus. Ea illum exuit Carolus Simplex, qui eam
Ibid. c. 10. Fulconi Archiepiscopo commendavit. Eam denique Fulco in Comitem Altoarum transtulit, accepta vicissim ab eo Abbatia sancti Medardi. Ea contumelia, sic enim interpretabatur, usque adeo exasperatus est Balduinus Comes, ut execrabili facinore, simulata concordiæ voluntate, Fulconem invaserit, lanceisque transfixum interemerit. Constat ergo non aliter persæpè Reges potuisse Cœnobia laicis adimere, nisi ea nobilissimis Archiepiscopis & Episcopis præpotentibus commendarent, qui nec ipsi quandoque ad ea tuenda satis in Præsidii esse experiebantur. Nec illud forsan hic tacendum, Comitis Baldoini in Regem Carolum perfidia & rebellione, pœnas dedisse ipsum Regem ejus licentiæ, qua tum laicis Cœnobia commodabantur; ita jubente Numinis providentia, ut in quorum gratiam peccarant Principes, per illos ipsos pœnas darent. Ea adverso autem tutissimum erat Principibus officio fungi, & Ecclesiastica Beneficia Clero restituere, ut cujus & propria sint Beneficia omnia, & in Regem fides fuerit semper longè spectatissima.

VI. Cùm eligi fecisset Heribertus Comes in Remensem Archiepiscopum filium suum quinquennium adhuc Hugonem, eam Ecclesiam Odalrico Archiepiscopo Aquensi commendavit, quem civitate & Ecclesia sua Sarraceni ejecerant; addidit & Abbatiam & Canonicatum, cujus proventibus vi-
Ibid. c. 22. & Ex in Chronico. An. 938. tam toleraret. *Recipitur ad celebrandum Episcopale duntaxat ministerium, vice Hugonis tunc adhuc parvuli, concessa eidem Præsuli Abbatia sancti Timothei, cum unius tantum Prabenda Clerici.* Heriberti Comitis adversarii Artoldum in eandem Remensem Ecclesiam elegerunt; at octavo, aut nono pôst anno, cùm is renuntiare compulsus fuisset ei Sedi, Abba-
Ibidem. in Chron ann. 940. tia & Prioratu in Commendam donatus est. *Persuasus est, vel conterritus à Principibus Episcopii se procuratione, vel potestate abdicare, concessaque sibi Abbatia sancti Basili, & Avennaco Monasterio, ad sanctum Basolum commoraturus abscessit.* Uterque, ut vides, Archiepiscopus Commendatarius fuit Abbas, alter dum spiritalem Ecclesiæ Remensis administrationem vicaria opera sustineret, alter cùm ea se Ecclesia ab-
Ibid. c. 30. dicasset. Commendis non permiscui delegationem Pontificiam, qua Abbo Suessionensis Episcopus administrare jussus est Ecclesiam Remensem, impubere adhuc Hugone. Tum quòd ea esset propria Episcopi Suessionensis potestas, ut qui Protothronus esset Remensis Provinciæ, & Primas inter Coëpiscopos. Tum rursus quod spiritali tantùm Abbo potestate à Pontifice oneratus sit, temporalem omnem retinente Comite Hriberto. Hausta sunt hæc omnia de Commendis Episcopalibus à Flodoardo, qui Dadonem Virdunensem Episcopum alibi ait à Rege Arnulpho donatum Abbatia sancti Balderici juxta Remos.

VII. Adalberto Remensis Archiepiscopus, favore & authoritate subnixus Lotharii Franciæ Regis, Abbatiam sancti Theodorici Rogerio Comiti extorsit, Ecclesiæ suæ Remensi univit, denique ejectis Canonicis Monachos illuc invexit. *Abbatiam sancti Theodorici Remensi Ecclesia secundum priorem statum subjectam faciens, Episcopali regimine subinde moderandam destinavit. Unde usque hodie spectat ad sedem ejusdem sanctæ matris Ecclesiæ.* De Chef. fab. To. 3. pag. 418.

Hoc maximè loco adnotari æquum est, inhæsisse persæpè Abbatiis Regularibus Abbates Ecclesiarum Collegialium, vel Cathedralium, ut depositis Monachis Canonicos substituerent. Id supra insinuabatur, ubi statuebatur, ne Clericis, sed Monachis commendarentur Cœnobia Monachorum: propterea quod suo ipsos unusquisque Abbas instituto eredita sibi Cœnobia aptare & conformare moliretur. Jam & illud monui, Benedictum Anianæ Abbatem, ne Monachorum Abbatiæ ab Abbatibus Canonicorum involarentur, & ad Canonicorum instituta traducerentur, à Ludovico Pio expressisse utriusque ordinis Cœnobiorum & Abbatum Catalogum.

VIII. Cùm anno 948. confirmaret Agapetus II. privilegium Abbatiæ Cluniacensis, eligendi sibi suos Abbates, juxta Regulam B. Benedicti, & quod consequens est, nullos unquam habendi Commendatarios: *Habeant liberam facultatem sine cujuslibet Principis consulta, quemcumque secundum regulam sancti Benedicti voluerint, sibi ordinare.* Confirmavit & alias quasdam Abbatias Cluniacensi unitas, vel donatas. Anno 914. Joannes X. in Abbatem Cassinensem ordinavit Archidiaconum Capuanum. Rogatus perhibetur à Leone Ostiensi pussimus Archidiaconus à Primoribus civitatis Capuanæ, ut in ejus Abbatiæ administrandæ sarcinam succederet, cui sustinendæ Monachorum tum quidem nemo par esse videbatur. Cessit eorum precibus, Monasticam vestem & professionem subiit, tumque canonicè electus, à Papa ipso inauguratus est. *Capuani Principes consilio inito præfatum Diaconum conveniunt, eumque precibus ac monitis, ut id Prælationis onus assumat, inducunt. Quibus annuens, Monachus protinus factus est, nec multo pôst à fratribus universis juxta morem electus, à prædicto Papa Joanne honorificè consecratus est.* Bibl Clun. pag. 274. Leo Ostien. l. 1. c. 56. Baron. an. 914. n. 2.

Optatius nihil fuerit, quam ut Clerici omnes, qui Commendas Cœnobiorum Principibus expressere, hunc æmulati fuissent pussimum Archidiaconum, qui ad eam Abbatiam nunquam aspiraverat: qui ad eam inopinus vocatus, & ab iis vocatus, quibus cordi non erat, nisi Ecclesiæ publica utilitas; qui cessit non cupiditati suæ, sed Ecclesiæ charitati; qui denique seipsum dicavit Monasticæ professioni, ne corpori caput accederet dissimile ac dispar. Qui sequentibus sæculis in ejus hæsisse videntur vestigiis, ejus Ordinis suscepto Monastico habitu, cujus beneficia & dignitates concupissent, longissimè ab ejus imitatione desciverunt, dacem secuti suam divitiarum & honorum sitim, & professione Monastica, quæ paupertati & humilitati tota dicata est, ad satiandas insatiabiles cupiditates suas grassati. Configetur inferius ea perversitas Conciliorum decretis, anathematum jaculis. Nec enim eæ Commendæ sunt, sed sinuosi anfractus, quò perveniatur ad diversi Ordinis Beneficia.



CAPUT XV. *P. 3. l. 2. c. 45.*

De Commendis extra Gallias Imperante Caroli Magni stirpe.

I. In Germania qui ex Abbatibus eligebantur Episcopi, ii sæpissime Abbatias retinebant, & transmittebant ad successores.

II. Passim tamen nunquam Episcopi subrogari sibi Abbates Regulares voluere in Cœnobiis, quæ prius ipsi rexissent.

III. Vacabatur quandoque Abbatia Episcopali infulæ, proventibus & prædiis divisis in Episcopum & Monachos.

IV. Sub Ottone I. in Germania abolita fuere Commenda.

V. In Italia à Ioanne VIII. Commendæ damnantur minùs legitimæ.

VI. Legitima ab eodem confirmantur.

VII. Ab Abbatibus Commendatariis, tum Clericis, tum laicis, Præpositi Regulares designabantur, qui disciplinæ Claustri præessent, & de ea ad Episcopum rationes non referrent.

VIII. Incredibili quadam perversitate in Commendam data sunt ipsa Puellarum Monasteria.

IX. In Oriente quandoque commendabantur Episcopis Ecclesiæ aliæ Episcopales, ad ipsarum commodum & salutem.

X. Alia quandoque impetrabant Beneficia, ad levandam Episcopalium proventuum tenuitatem.

XI. Metropolitani & Episcopi ultro citroque Cœnobia sibi quæpiam conferebant, ad mutua paupertatis levamen & solamen.

XII. His usus bonorum Ecclesiæ Canonibus consentaneus tenebatur, consentaneæ erat & circulatio quædam rerum inter Clericos & Monachos.

XIII. Iustæ sunt Commendæ, perinde ut justæ sunt earum causæ, justa & legitima authoritas, quæ conceduntur.

XIV. Minorum Beneficiorum Commenda.

XV. De Monachis laicis, vel Oblatis.

XVI. Commendatarius fuerit Tryphon Patriarcha, an Confidentiarius.

I. CUm Occidente penè toto imperitaret Carolus Magnus, ejusque Regia prosapia, non potuere non permanare & diffundi in Occidentales omnes Provincias, Ecclesiasque, leges, & ejus quæ tum in Gallia vigebat Ecclesiasticæ disciplinæ summa & primaria quæque capita. Paucula quædam superiori Capite nobis exciderunt, quæ ad Germaniam magis pertinerent. Richebodum laudavimus Abbatem Laureshamensem, qui à Carolo Magno vocatus ad Metropolim Treviensem, sociari posse speravit tam nomina, quàm munia Archiepiscopi & Abbatis: ita utramque illam rexit Ecclesiam, vel utramque titulo, vel alteram commendatam, sed quod caput est, ingenti Monachorum gratulatione, & ipsius Cœnobii incremento, quod magnificentissimè restauravit ornavitque. Plures alii ejusdem Cœnobii fuere, Abbates iidem & Episcopi; sed res tum visa est memorabilior, cum ejus loci Abbates ad Episcopales Cathedras vocati sunt: quòd ea nimirum frequentior causa fuerit Abbatiæ commendandæ. Cùm Abbas ad Episcopatum accitus, utriusque Ecclesiæ clavum gubernasset, qui in Episcopatu successor illi postea datus est, Abbatiæ quoque se præfuturum confidebat: frustra certè nonnunquam. Qui enim tantis virtutum ornamentis effulserat Abbas, ut ad Episcopales infulas accerseretur, non temerè augurabantur eum pari religione & observantia Cœnobio atque Episcopatui præfuturum. At non idem facilè conjiciebatur de eo, qui ad Episcopatum electus, in Abbatiam nihil ad se pertinentem manus injiciebat.

Anno 785 Du Chesne. To. 3 pag. 495. 501.

II. Non immeritò B. Volfgangus Ratisponensis Episcopus judicavit eò maximè collapsam fuisse disciplinam Cœnobii B. Emmerammi in eadem civitate, quòd majores sui ejus urbis Episcopi, cùm eam Abbatiam ab Imperatoribus obtinuissent, sibimet ipsis eam vendicaverant, ejusque proventus in ea absumpserant, quæ tam aliena essent ab Episcopi, quàm ab Abbatis officio & sanctimonia. Ideo & Regularem protinus Abbatem ibi eligi fecit Volfgangus, risitque assentatorum insanias, vel ineptias, suadentium, ut prædecessorum exemplo, Cœnobii opulenti proventibus Episcopalis ordinis pompam amplificaret. *Fungaris ergo & Episcopi & Abbatis munere, ut tui fecere decessores, ne quarundam rerum careres emolumentis.* Surius die 31. Octob.

Beatus Udalricus Augustanus Episcopus ab Imperatore impetravit Commendam Abbatiæ modò vacantis obitu nepotis sui. Sed uno eo id consilio sanctissimus Episcopus machinabatur, ut privilegia quædam & emolumenta concedi, confirmarique faceret ei Cœnobio; eo enim semel perfecto, mox Abbatiam resignavit Regulari Abbati, quem à Monachis eligi curavit. Surius die 14 Iul.

III. Redeo ad Abbates, quorum electio ad Episcopatum, bene multos invexit in eadem Cœnobia successores Commendatarios. Franco Lobensis Abbas post Carlomannum Caroli Calvi filium, cùm electus fuisset Tungrorum, vel Leodii Episcopus, ab Arnulpho Rege expressit ejus Abbatiæ cum Episcopatu unionem. Assensi sunt & Monachi, & tum conditiones concordiæ initæ hæ fuere, ut redituum pars dimidia Monachis obveniret, dimidia Episcopo, cui uni onus incumberet ejus militiæ, quam solebant Abbates suppeditare. *Jam dictus Franco ad opus Ecclesiæ Leodiensis supradictam Abbatiam petiit, & consentientibus Fratribus impetravit, facta prius conventione, ut medietas Abbatiæ Fratribus inibi regulariter militantibus in usu communi deserviret, aliam Episcopus sibi & militantibus manciparet.* Seponebantur decimæ & reditus ex illis obvenientes, quò in pauperes ad portam Cœnobii erogarentur. *Additur præterea, ut decimæ omnes indominicatæ ad portam Monasterii in usus pauperum sint & peregrinorum.* Quatuor proximè sequentes Episcopi Lobensem eandem Abbatiam in potestate habuerunt; cui cùm Præpositos præficerent suo arbitratu, & plerumque non sine pretio, hinc tota pessumdata est Cœnobii olim florentissimi & res & disciplina. Spicileg. To. 4 pag. 514 528.

IV. Meliusculè compositæ tum erant res in Germania, ut prodit Decretum Conventûs Francofordiensis Episcoporum Comitumque sub Ottone I. Statutum est enim, ut Cœnobia, quibus eligendi jus esset Abbatis, nemini posthac donari possent, ac ne Abbatiis quidem aliis. Quæ verò jus electionis assecutæ non essent, ea Monasteriis aliis adglutinari possent Imperatoriæ clientelæ. *Notandum est etiam præfato Regi, ut nulla Abbatia, quæ per se electionem habet ad Monasterium, nec alicui in proprium possit donari. Illa verò quæ electione carent, Regis donatione & privilegio, ad aliud Monasterium, quod sub ejus mundiburdio consistit, surrogari possint.* Eo decreto profligabantur omnino Commendæ. In Monasteriis enim jus eligendi adeptis, apertissimè prohibentur & Commendæ, & uniones ad alia Monasteria. In aliis verò unum videtur permitti Imperatori, proprios ut Abbates nominet, aut ea Cœnobiis aliis uniat & conglutinet. Nec enim jure nominandi jus includitur commendandi. Regino Append. l. 2. c. 31.

V. E Germania in Italiam pergentibus, occurrent Romani Pontifices laudatissimo zelo adversùs Commendas succensi. Litteras dedit Joannes VIII. ad Imperatorem, & Archiepiscopos Ravennatem, Mediolanensem, Aquileiensem, quibus commonebat excommunicatum à se fuisse Adelardum Episco-

pum Veronensem, quòd orasset exorassetque ab Imperatore Abbatiam, privilegiis Apostolicis conculcatis, & electionibus canonicis, quæ ibi sen per viguissent. *Cum Adelardum Episcopum, venerabile Monasterium Nonantula situm quod nullus nunquam Episcoporum, vel Judicum in Beneficium quæsivit, contra sacras prædecessorum nostrorum nostrique privilegii institutiones, quibus de propria semper Congregatione Abbatem fieri jubetur, callidè petiisse, ac per hoc illicita præsumpsisse, omnimodis reperissemus, authoritate Apostolica excommunicare studuimus.* Epist. 47. 48. 49.

Abundè patuit ex superioribus, pleraſque ex Imperatorum & Regum donis profectas esse Commendas. Et cùm tamen hic Veronensis Episcopus consimili beneficio ab Imperatore affectus fuisset, Ecclesiæ fulminibus mox percellebatur. 1. Quòd ei Cœnobio speciale indultum fuisset electionis privilegium, quo proinde Commendæ summovebantur. Non quo jure ipso Canonico, & disertissimis Regulæ B. Benedicti verbis non omnibus Cœnobiis agnatum & commune esset eligendi jus Abbatis, atque adeo Commendatarios ablegandi. Sed postquam vel Regnorum necessitates publicæ, aut effrænatissimæ cupiditates eò impulere summos Principes, ut suo nutu & arbitratu Abbatias largirentur: si quæ inter eas gratia & favore Magnatum præcelluere, eæ privilegia eligendi specialia elicuere, ut immunitatem suo sibi aliàs jure debitam, hoc est eligendi libertatem, saltem precariò obtinerent. 2. Quòd nihil causæ fuisset, quamobrem hæc Commenda annueretur, nisi ut infinitæ cuidam opum cupiditati fieret satis. *Cœnobium surripuit, suisque usibus, coarctatis extrema egestate Monachis, applicavit.*

VI. Nec dubitabat tamen idem Pontifex, quin Commendæ quædam essent justæ & inculpatæ, tum ratione habita ejus qui daret, legitima dandi potestate freti; tum Beneficii quod commendaretur, nullo nempe privilegio fulti, ut ne unquam commendaretur: tum denique causarum dandæ ad Ecclesiæ utilitatem Commendæ. Id genus erant quas probavit idem Joannes VIII. & speciali patrocinio suo tuitus est in Haderico Presbytero & Abbate plurimarum Abbatiarum, præter Xenodochia & alia Beneficia, quorum erat Administrator. Prolata sunt superiùs, cùm pluralitatem Beneficiorum exagitaremus, verba ipsa hujus Pontificis, & quæ officia exhibuisset hic Presbyter cum primis insignia in Ecclesiam Mediolanensem; ut jam perspicuè ad utilitatem Ecclesiæ redundaret, tam bene de ea meritos beneficiis ejus cumulari. Turissimum quoque erat plura ei commendare Beneficia, pluresque Ecclesias, qui incorrupta fide & invictissima strenuitate Ecclesiam Mediolanensem defensitasset. Epist. 264.

En aliam perquam similem Commendam. Abstulerat Archiepiscopus Ravennas Joanni Diacono & Cartulario Ecclesiæ suæ Abbatiam illam ipsam, qua ejus ipsemet insignia in Ecclesiam merita remuneratus erat. Contulit se Joannes ad Pontificem, à quo jussus est per Epistolas Archiepiscopus, ut suæ illum Abbatiæ restitueret, per suos alioqui Nuntios acturum restituendum: permagni enim interesse, & ad æquitatem, & ad gratitudinem Ecclesiæ testificandam, ut ne indonati & inglorii dimitterentur, qui de ea usque adeo benemeriti essent. *Mandamus ut Joanni venerabili Diacono & Cartulario Ecclesiæ tuæ Monasterium sancti Martini, quod à te dudum promeruit obtinere, de præsenti reddere studeas, &c. Quoniam justum fore decernimus, eos post longa obsequia & diuturna servitia, quæ in sancta Ravennati Ecclesia peregerunt, non solùm digna remuneratione non privari, sed potius acquisitis Beneficiis alacriter gratulari.* Epist. 300. Fugit me, an Hugo Abbas & Regiæ Francorum stirpis Princeps, ad quem humanissimæ sunt, & amoris significationibus plenissimæ ejusdem Pontificis litteræ, Abbatias suas tam splendidis meritorum & virtutum suffragiis esset consecutus. Epist. 105.

VII. Unum nobis restat in Commendis Occidentalibus non oscitanter animadvertendum, ni nemo facilè in crimen vocet Pontifices, sanctissimos Episcopos, & Synodos, usque adeo tum faciles & indulgentes in illis tolerandis, nonnunquam & approbandis, quanquam improbaverint semper, quod ultra modum & æquitatis fines tendebatur. Illud autem est, quod Commendatarii omnes sive Clerici, sive Laici, quantumvis & spirituali & temporali præessent administrationi, Præpositos tamen & Superiores Regulares designare jubebantur, qui de Claustri disciplina Episcopo rationem redderent, Synodis interessent, curam gererent animarum totius Cœnobii, ut qui apud Judicis sempiterni aliquando de his examen & judicium vocandi essent. Hæc Abbatum & Præpositorum officia edisseruit Moguntinum sub Arnulpho Rege Concilium anno 888. *De Monasteriis Clericorum, Monachorum atque Puellarum, quæ Clericis, sive Laicis Beneficii jure donata sunt: placuit, ut tales eis præsterant Provisores ac Præpositos, qui præesse noverint ac prodesse. & qui ad Episcopum recurrant, & secundum ejus ordinationem ad conventum Synodi occurrant, & commissum sibi gregem canonice & cum magna religione custodire quasi rationem de animabus eorum reddituri.* Can. 25. Universim ergo Abbates, seu ex Clericorum, seu ex Laïcorum ordine Commendatarii, onus salutis Monachorum & procurationem totam illam spiritualem refundebant in Monachum, quem designatum à se Præpositum Episcopo præsentabant.

VIII. Sed illud habet hic Canon, quo meritò stupeamus, quòd non Monachorum tantùm & Canonicorum Cœnobia, sed & Canonicarum atque Sanctimonialium Laïcis Clericisque commendarentur. Erat ea indubitatissimè summa flagitii, & extrema disciplinæ pernicies: sed non siletur hic quid causæ & rationis prætexeretur: ubi dicitur Beneficii jure. Eorum verborum hic sensus est, Ea Cœnobia ab Imperatore iis data, qui militiæ merere, stipendia facere, copias militum alere possent, quæ sive munia, sive onera his Abbatiis jam inde à temporibus Caroli Martelli indicta fuissent. Id vox ipsa Beneficii declarat, & ea propria est ejus verbi significatio, ut suprà jam sæpiculè demonstratum est. In litteris Ludovici Pii ad Magnum Archiepiscopum Senonensem datis anno 816. insinuantur commendata Clericis Monialium Beneficia. *Quanquam nonnulli Clerici Monasteria Puellarum, & nonnulli Laici Monasteria virorum ac puellarum habeant.*

IX. Flectendus nunc nobis gressus est ad Ecclesiam Orientalem, in qua ex iis quæ de pluralitate Beneficiorum disputata superiùs sunt, legitimas colligitur aliquas fuisse Commendas, & ipsorum subnixas authoritate Conciliorum. Quod de Michaëlis & de Manuëlis Patriarcharum Constantinopolitanorum Constitutionibus diximus, apertè Commendis suffragatur. Id enim & Patriarchæ & Metropolitani, & Episcopi sibi sumebant, ut mutua concessione præter Episcopatum suum, aliam ejusdem Provinciæ gererent Ecclesiam Episcopalem, ut suprà prolixiùs narravimus; & has dispensationes

tam adversas canonicis legibus adscribebant illi Ecclesiæ & gregis Christi necessitatibus. *Justam ob*
Juris Orien. To 1 pag 5.241. *causam, quam tempus & res postulant. &c. Propter rationabilium Ecclesia Christi ovium refocillationem*, ut habet Patriarcha Manuel ibidem, ubi de legitimis Translationum causis agit. In confesso est autem non posse non & Commendarum causas pari æquitate & necessitate niti.

Ibidem. pag 238. Balsam. In Can 37. Trullan. X. Rursus ubi Alexis Comnenus Imperator sanxit, ut qui electi essent Episcopi Ecclesiarum Orientalium, Paganorum jugo oppressarum, ad quas adire non daretur, priora beneficia sua retinere possent, & eorum reditibus victitare: perinde sanè est, acsi diceretur, Episcopales Ecclesias illos Titulo possessuros, reliqua Beneficia in Commendam. Quod tantò propius à vero abest, quod hæc non permittuntur retineri posse Beneficia, nisi dum possint beata aliqua rerum vicissitudine ad Ecclesias suas convolare.

Statuerat Patriarcha Sisinnius sub Imperatoribus Basilio & Constantino fratribus, ut dona Abbatiatum omnia irrita declararentur, præter ea, quibus illæ aliis donarentur Monasteriis, aut magnæ Ecclesiæ.
Juris Orien. pag 203 *Quin etiam traditiones Monasteriorum aliis Monasteriis attributorum, & magna Ecclesia reservari.* Nihil attinet de verbis contendere, & hic tricari, Commenda an ea esset, vel unio perpetua, aut etiam temporaria.

XI. Constitutum quoque fuit ab Alexio Patriarcha, & quidem in complurium Synodo Episcoporum, ut si quo Cœnobio Metropolitanus Episcopum donaret suæ Provinciæ, ad leniendam ejus egestatem: lapsu verò temporis locupletaretur Episcopatus, & Metropolitana ex adverso Ecclesia penuria premi inciperet: tunc enimvero compelleretur Episcopus Cœnobium Metropolitano restituere, quo & ipse vicissim nunc egens levamento eodem
Ibidem. pag. 259. frueretur. *Episcopi quotquot ex Metropolitanorum donationibus Monasteria possident, si Metropoles in arctum cogi & inopes fieri contigerit, beatos autem & locupletes esse Episcopatus, meritò donationes illas restituent, ac Metropolibus Monasteria cedent, ut eorum angusta sors paulum ex eo solatii capiat. Similiter & alia persona facient. Nam haud dubio absurdum est & alienum à ratione, omnis generis exactionibus gravari Metropoles, Episcopatuum ad inopiam redactorum causa: locupletes autem Episcopatus non manum porrigere, nec opem ferre Metropolibus suis egentibus, nec pertinentibus ad se, si poscat usus, Monasteriis cedere.* Erat ergo tunc quædam charisticis & donorum reciprocatio inter Metropolitanos, & Episcopos cujusque Provinciæ, ut commendatis mutuò Cœnobiis, omnium indigentiæ prospiceretur. Non altercabor, si uniones malis fuisse, quàm Commendas. Mihi perinde est. Propendeo tamen magis in Commendas, cùm illas sibi Episcopi ultro citroque commendarent, perinde ut horum, vel illorum solanda erat paupertas. Denique si justæ possint esse causæ uniendarum Ecclesiis Episcopalibus Abbatiarum, erunt proculdubio & earumdem Episcopis commendandarum.

XII. Ne in mentem quidem tum veniebat Episcopis Græcis, uti nec Latinis, dubitare fas, an nefas, & furti genus esset, indigentibus Episcopis iisdemque Abbatibus Commendatariis reditus & fundos condonare, qui Monachis primò donati fuissent. Curæ erat illud quidem prorsus, ut ne patrimonio Christi sæculares & laïci saginarentur, & ut ne effunderetur in divites, quod modicè sustentandis pauperibus dicatum fuisset. At cùm paupertate gravabantur Episcopi, ita sibi omnes persuadebant, fundos proventusque Cœnobiorum in eorum necessitates dependi, hunc profectò esse rerum Ecclesiæ usum sanctissimum, & hos veluti rivulos tum esse, qui in eum fontem refluerent, unde primùm effluxissent. Ut enim rem à capite arcessamus, erant olim omnia Ecclesiarum bona in ditione & potestate Episcopi. Parentes sunt Episcopi, & conditores omnium Ecclesiarum, adeoque & Monasteriorum. Pleraque Cœnobia fundarunt ipsimet, dotaruntque Episcopi ex Cathedralium agris & latifundiis Ecclesiarum. Ita cum Cœnobiorum opes urgente ineluctabili aliqua necessitate, Conciliorum Pontificumque authoritate, in Episcoporum manus revolvuntur; non injuria rivuli existimantur hi esse, qui primævam ad scaturiginem suam revocentur. Alternatio semper fuit reciproca terrarum, redituumque inter Episcopales & Abbatiales Ecclesias. Utpote quod unum sit Christi patrimonium, aliàs & aliàs partiendum, pro temporum & locorum necessitate, duce & magistra charitate Christi. Centies Monachi Clericis, Clerici Monachis in easdem Ecclesias subrogati fuere; nec rebus Deo dicatis injuria fieri visa est unquam, si nunc his, nunc illis indigentioribus pro utilitate & charitate Ecclesiæ distribuerentur.

XIII. Fateri ergo cogimur, tam Commendas, quàm Dispensationes omnes juri communi adversarias, eòque quà licèt, quà fas est cohibendas esse: esse tamen nonnullas earum non legitimas tantùm, sed & necessarias, tum quod à legitima proficiscantur potestate, tum quod justis exprimantur causis, ad Ecclesiæ publicam utilitatem pertinentibus. Cùm harum cautionum altera deest, æquum est explodi Commendas. Ubi neutra deest, æquum est eas vel tolerare, vel etiam approbare, ut necessitati, & charitati Ecclesiæ servientes.

XIV. De Episcopatibus & Cœnobiis in Commendam datis hactenus, ad minora nunc defluemus Beneficia. Et quidem ubi Alexis Comnenus Imperator electis ad Episcopatus in partibus Infidelium sitos, veniam fecit retinendi priora Beneficia sua, plura ex iis enumeravit, quæ inferiora essent Abbatiis, ut videre est in supra laudatis Juris Orientalis & Balsamonis contextibus. Hinc illud emergit, nulla fuisse minorum gentium Beneficia, quæ non aliquando commendarentur.

XV. Cùm Imperatoria porro ea Constitutione, inter cætera Beneficia recenseantur jura, vel portiones nescio quæ fraternitatum, Græcis ἀδελφᾶτα dicta, non abs re fuerit hic ea elucidari. Hinc emicabit nova etiam Commendæ species inusitata hactenus in Occidente, sed quæ non multò pòst Constantinopoli in Gallias irrepsit. Ea erant Beneficia Oblatorum in Monasteriis, qui usitatissimè in Gallis *Monachi laici* dicuntur. Id erat juris Patriarchæ Constantinopolitano, pinguibus in Monasteriis locandi laïci cujuspiam, qui ad meliorem frugem revocare se, & seriò pœnitentiæ addicere meditaretur; cui tum non possent Monachi non ea subministrare, quæ essent sustentandæ vitæ necessaria. Audiendus de his Balsamon: *Non solum cura animarum* In Can 19.
Monachorum, sed ipsorum etiam sæcularium incumbit Synod. VII.
Patriarchæ. Et quando videris aliquem sæcularium sitientem propriam salutem, quomodo continget prohiberi Patriarcham, quominus in Monasterio eum collocet, ad salutem animæ ejus qui accedit? Nec sæcularibus verò poterat Patriarcha hæc conferre Beneficia, hoc est, qui ad morum conversionem animum non

appulissent: nec alterius Cœnobii Monachis; nec ita ut Cœnobii reditus jam propriis Monachis alendis minus sufficerent; *Ne gravetur Monasterium Adelphato.* Interiores enim Monachi exterioribus semper anteponebantur. ἐσωμῖται ἐξωμίταις. Denique non laïcos tantum anterioris nequitiæ suæ pœnitudine ductos, sed & Episcopos Ecclesiis suis exturbatos, poterat Patriarcha in opulentioribus Monasteriis collocare: *Si accedit Laïcorum quispiam, qui est omnino inops & pauper ad sanctissimum meum dominum, vel ex Antistitibus, qui suos thronos perdiderunt, & sunt inopes, & volueris statuere, ut is victum capiat è ditiori aliquo Monasterio, hoc rectè faciet: non supra facultates numeri eorum qui sunt ordinati. Monachi enim qui sunt intus, debent præferri cæteris omnibus ad ea quæ sibi sunt necessaria capienda.*

XVI. Cave autem, ne Commendis accenseas illam Patriarcharum Constantinopolitani concessionem Tryphoni Monacho factam; dum Theophylactus Romani Imperatoris filius ad eam ætatem maturesceret, quæ tantæ dignitati par esset. Voluit quidem Tryphon eam sedem retinere, elapso etiam tempore turpissimæ confidentiæ; sed ita tum fraude, tum vi excussus est eo throno, ut ejus non minor proderetur hebetudo animi, quàm ambitio. Annos tres supra viginti ait Curopalates Pontificatum gessisse Theophylactum, quo annorum numero continetur & ipsa Tryphonis administratio. Videri ergo non injuria posset Tryphon Administrator ejus Ecclesiæ fuisse, dum immatura adhuc esset ætate Patriarcha. Quod non multum recedit à Commendis ad tempus datis. Sed fœdissimæ dedecus confidentiæ quo se Tryphen contaminavit, prohibet nos, ne mollioribus istiusmodi interpretationibus assentiamur. *Cedrenus. pag. 627. 628.*

CAPUT XVI. *P. 3. l. 2. c. 46.*

De Commendis Laïcorum, sive de Commendis militaribus sub Carolo Martello, Pipino, Carolo Magno & Ludovico Pio.

I. Adlaborarunt Reges & Imperatores Galliæ, ut mederentur invasioni terrarum Ecclesiæ per laïcos, unde manaverunt Commendæ Militares. Sed non satis ex animi sententia res processit.

II. Consenserunt & Concilia temperamentis quibusdam, quod planè constaret, per Regni calamitates necdum licere, etsi maximè cuperent, extingui prorsus Commendas.

III. Cœpit Carolus Magnus ei malo medicinam facere, prohibito, ne fundi Ecclesiæ dividerentur.

IV. Hinc illa manavit Regula juris, nefas esse Altaria, Ecclesias, Beneficia dividi.

V. Qui factum sit, ut Carolus Magnus & Ludovicus Pius Commendas adhuc aliquas laïcis annuerint.

VI. Damnavere tandem ipsi mox quidquid illud erat Laïcarum Commendarum.

VII. Et extingui tamen eas non licuit per facilitatem & mollitiem Episcoporum, qui addici non poterant, ut abnuerent ipsi, quod Principes annuissent.

VIII. Quid de his senserit Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis.

IX. Excusatur ab eo Ludovicus Pius in negotio Commendarum.

X. Laudatur à Iona Pius, quod cervicibus Ecclesiæ excussisset Nobiles aliquos, qui Decimas, & Ecclesias ipsas usurpassent. Unde vox Commenda. Quanta esset intercapedo privatorum, qui cupiditatibus suis, & summorum Principum, qui Regni necessitatibus obsequebantur.

I. Vix in ipso illo tot sæculorum Ecclesiæ decurso execrabilius quidquam occurrit, quàm illa rerum Ecclesiæ, terrarumque, & ipsarum adeo Ecclesiarum invasio, per temporales Principes, Nobiles, Militesque, cocidentis Clodovæi Magni familiæ tempore. Sarcire eam labem laborarunt Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius & Carolus Calvus, ut temperamenti saltem aliquid adferrent: Episcopalia quoque Concilia strenuam in eo operam navarunt. Sed ipsamet antè labefactata est Caroli Magni stirps Imperatoria, quàm desperato adeo malo curatio tota adferri potuisset. Quàm facile est ingentes impellere ruinas, tam arduum, tam impossibile quandoque est, eas prorsus sarcire ac restaurare, ubi Ecclesiam & Regnum pariter totum pernicies una complexa est.

Non illam hic ego calamitatem describendam agrediar, ne longior sim, & ne à proposito mihi scopo aberrem. Satius est Ecclesiæ, Conciliorum, & sanctiorum quorumque Præsulum observare consilia, gesta, decretaque, inter has importunissimas temporum difficillimorum procellas. Nec me suspicari quisquam poterit ab instituto meo divertisse, cùm Militares etiam istæ Commendæ, Beneficia, Abbatiæ, & Episcopales semper fuerint Ecclesiæ; quibus illustrandis totum huc à nobis opus dicatum est.

II. Concilium VI. Parisiense anni 829. Ludovicum Pium interpellavit, ut in hoc ipso Concilio Abbates, sive Canonicos, sive Regulares, quin & Laïcos, *sive de Laïcis, qui Monasteria habent*, hortaretur, ut Episcopis morem gererent, vitam piè componerent, religiosè Cœnobia administrarent, nec res temporales dilabi sinerent, ac dissipari. *Congregationes sibi commissas, sive spiritualiter, sive temporaliter, ex paterno affectu gubernare, eisque necessaria stipendia administrare non negligant. Et ut nostram admonitionem libenter audiant, & obedienter adimpleant.* *L. 3. c. 18.* At Concilium II. Aquisgranense anno 836. sub eodem Ludovico contestatur quidem primò, tum certè Canones obtritos & proculcatos fuisse, cùm Cœnobia laïcis commendata sunt, Cœnobiaque ipsa direptioni & exitio objecta; fatetur mox tamen temporum ærumnas, & angustias Regni ejusmodi aliquid extundere potuisse, atque adeo in eam tantum nunc curam incumbendum esse, ut reparentur ædificia undique hiantia, & restituantur Clerici sedibus suis, quibus ejecti fuere, donec tam inveterato malo efficacior aliqua fieri possit medicina. *Monasteria divinis solummodo cultibus dicata, non debere sæcularibus dari, & canonica prodit authoritas, & ipsorum destructio locorum. Sed quia id exigit Reipublicæ necessitas, saltem collapsa loca erigi debent, & Clerici loci, in quibus fuerant, restitui, quousque opportunitas id permittat emendari plenius.* *Can. 19.*

III. Cœperat jam pridem Carolus Magnus ei malo modum aliquem & delinimentum adhibere, ubi præceperat, ne qua posthac fieret rerum Ecclesiæ divisio, & ex divisione jactura. Sic enim ille in Capitularibus: *Ut ab Ecclesia de non dividendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris, neque filiorum nostrorum temporibus ullam penitus divisionem, aut jacturam patiantur.* Hinc autem occasio data promulgandæ huic Constitutioni, quod in Conventu Aquisgranensi anni 789. cui præerat Paulinus Legatus Adriani Papæ, admonitus Carolus fuisset dividi à Laïcis & detruncari Episcopatus, atque Abbatias, ea tantum portione permodica Episcopis, Abbatibus & Abbatissis permissa rerum & proventuum, qua Canonicorum ac Monachorum instar victitarent: *Quia laïci homines solebant dividere Episcopia,* *Capitular. L. 1. c. 83. Capitul. Baluz. l. 5. c. 308 Anno 789.*

& Monasteria ad illorum opus, & non remansisset ulli Episcopo, nec Abbati, nec Abbatissæ, nisi tantum ut velut Canonici & Monachi viverent.

IV. Hinc manavit Regula Juris illa decantatissima, & posteris sæculis inculcatissima, Ecclesias & Beneficia nullam pati posse divisionem, nec in plures unquam conferri. Laici Beneficiarii, qui Ecclesias, Abbatias & Prioratus vel invaserant ipsi, vel dono Principum acceperant, hæc tanquam hæreditaria prædia mox inter filios & hæredes partiebantur, à quibus rursus in nepotes alios aliosque dissecta, in minutias eas redigebant, quæ facillimè vel alienarentur, vel dissiparentur; & jam spei & postliminii nihil superesset. Præterquam quod in illa hæredum multitudine, Ecclesiæ curam & administrationem aliis in alios rejicientibus, nemo unus erat, qui illam in se susciperet; Ecclesiæque Provisores eò quòd plures essent, nulli essent omnino. Hæc in iisdem legimus Capitularibus: ubi & vetantur hæ divisiones, dum possint aliquando tandem recuperari omnes Ecclesiæ & earum res de potestate Laicorum. *Et de Ecclesiis quæ inter cohæredes dividuntur & tali occasione proprio honore carent; sive de his Ecclesiis quæ nimium rebus propriis sunt attenuatæ; vel certè de his rebus quæ super necessitate compellente à nonnullis Ecclesiis sunt ablatæ & si qua sunt alia, sive in Ecclesiasticis, sive in publicis rebus emendatione digna, quæ pro temporis brevitate efficere nequivimus, in tantum differendum illud judicavimus, donec Domino favente, consultu fidelium, facultas nobis id definiendi ab eo tribuatur.* L. 1. c. 110.

Ex his ergo scissionibus rerum Ecclesiæ, earum scatebat tandem pernicies, & mera desperatio eas unquam recolligendi. His medicari voluere Carolus Magnus & Ludovicus, nec divisiones tantùm prohibere exitiales, sed & Ecclesias suis omnibus rebus redintegrare: & tam tristia tamen inciderunt tempora, ut novas aliquas ipsis etiam Commendas Laicorum dira & inexorabilis necessitas extorserit, ut ex antedictis patet.

V. Nec enim inficiari quisquam potest, quin vel ii duo religione & pietate præstantissimi Imperatores, & de Ecclesia optimè meriti, nonnullas & Abbatiis, & Cathedralium, aliarumque Ecclesiarum res Laïcis commendaverint, ex illis etiam, quanquam id quidem raró, quæ intactæ hactenus & illibatæ permanserant. Sed 1. quidem palam contestabantur, ineluctabili hoc necessitate exprimi, dum hæc tota aliquando labes resarciri possit. 2. Laïcos hos compulere, ut in Episcoporum potestate essent, ut summa semper omnium providentia & authoritas esset penes Episcopos. 3. Ipsimet vigilavere, ut sartæ tectæque servarentur Ecclesiæ, earumque res omnes. *Abbatibus & Laicis specialiter jubemus, ut in Monasteriis quæ ex nostra largitate habent, Episcoporum consilio peragant ea*, &c. Et alibi: *Ut illi homines, qui res Ecclesiasticas per verbum domini Regis tenent, illas Ecclesias vel domos Episcopii & Monasterii emendare debeant*, &c. L. 2. c. 8. L. 5. c. 11.

VI. Revocarunt illi quidem postea dona sua hæc omnia, aut si mavis, damnarunt generatim omnes rerum Ecclesiæ usurpationes à Laïcis factas. Idque iis verbis præstiterunt, quibus apertissimè profitentur, non posse dari Laicis, non posse unquam impetrari à Laïcis patrimonium Christi & pauperum; & quo id eumque colore & fuco obducatur, sacrilegam eam semper esse rei sacræ contaminationem & detestabilem rapacitatem, quæ fame & nece pauperum luxuriantes divites saginet. *Omnibus. Nos ipsos corrigentes, posteris nostris exemplum dantes, generaliter interdicimus, ut nullus laicus homo, vel Imperator, vel Rex, aut aliquis Præfectorum vel Comitum, sæculari potestate fultus, sibi per violentiam rapiat, aut a nobis competere, vel quocumque modo invadere præsumat Monasterium, aut prædia, vel quascumque res de potestate Episcopi, vel Abbatis aut Abbatissæ; & incipiat ipse vice Abbatis regere, & habere sub se Monachos, & pecuniam possidere, quæ fuit Christi sanguine comparata. Talem hominem antiqui Patres nominabant raptorem, & sacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diaboli, intrantem in ovile Christi, & maximè anathematis vinculo damnandum ante Tribunal Christi.* Anathemati obnoxios ipsimet declaravere, quicunque res Ecclesiæ ambirent, & à Principe expeterent. *Qui regulam Ecclesiæ pitium à Regibus, irrita habeantur quæ obtinent; & à communione Ecclesiæ arceantur.* Itaque anathema dilucidius declaratum est Capitulari Caroli Magni anno 803. *Cum his qui absque voluntate Rectoris Ecclesiæ, & maximè Episcopi, res Ecclesiæ à Regibus petere vel retentare, vel auferre præsumpserint, nec in hostem ire, nec cibum sumere, nec ad Ecclesiam aut ad Palatium pergere habeamus.* L. 5. c. 312. L. 7. Ep. 192

VII. Tam piæ Constitutioni statim modus adhibitus, statim ex parte aliqua derogatum est. Vetitum est, ne Laici feudos & agros impetrarent ullos Ecclesiarum, nisi donante, vel donationem confirmante Episcopo. Atqui non facilè poterant Episcopi non annuere, non confirmare, quod donassent Imperatores & Reges. Audi ipsum Caroli Magni & Ludovici Pii Capitulare. *Placuit, ut Episcopi rerum Ecclesiasticarum in omnibus, juxta sanctorum Canonum sanctiones, plenam semper habeant potestatem. Nullus eas dare, vel accipere absque proprii Episcopi audeat jussione*, &c. *Quapropter præcipimus, ut si quis ex jure Ecclesiastico hactenus nostra largitate aliquid possedit, si illa deinceps habere voluerit, ut ad proprios Episcopos veniat, & ab eis, & à Præpositis Ecclesiarum unde esse videntur, quocumque modo justè potuerit, hæc impetrare satagat, & nihil ex eis aliter ambiat, aut concupiscat, vel accipiat.* In Capitulari anni 803. idem sancitum & promulgatum fuit: *Nullus res Ecclesiæ nisi precario possideat. Et postquam ipsa precaria finita fuerint, faciant potestativè speculatores Ecclesiæ, ut aut ipsas recipiant, aut posteris eorum sub precario & censu habere permittant.* Fatetur Carolus id sibi consiliis ab Episcopis & à Pontifice Romano insusurratum fuisse: *Adjuncto Leonis Papæ, & omnium Episcoporum, quorum consilio usi hoc egimus, spiritu spiritui nostro.* L. 7. c. 188.

Elicuit Aldricus Cenomanensis Episcopus à Ludovico Pio diploma, quo jubebantur omnes fundis Ecclesiæ ab eo donati, censum bona fide persolvere, decimas item & nonas, reparationes curare. Quin & illud addebatur, non posse à Nobilibus eos Ecclesiæ fundos retineri, nisi ex assensu Episcopi temporario, dum Ecclesias Imperator posset suis fundis omnibus restituere. *Cum consensu & benevolentia Episcopi teneant usque dum illa cum eis quæ ex nostra ditione haberi videntur, mutare possimus, & Ecclesiæ quæ justè & legitimè, ut inquisitum habemus, debentur, auxiliante Domino vestiem atque reddere mereamur.* Fuit inter Nobiles, qui singulari aut pietatis instinctu, aut remordentis conscientiæ stimulo, decreverit prædium Ecclesiæ reddere Cenomanensi, quod ex ejus rebus Regum dono adeptus esset. Assensum Ludovici Pii petiit & impetravit. *Pervescens ultimum vocationis diem, timensque ne præfata* Baluz. Miscel. To. 3 pag. 32. 156. 172. 177.

villa

villa aliquo cupiditatis suæ stimulo, vel aliquo ingenio, à jure Ecclesiæ alienata foret, &c. Cui exemplo possent & alia attexi simillima.

Eo quoque jure pridem utebantur Episcopi & Abbates, suarum ut Ecclesiarum agros & fundos Laïcis ipsimet darent, Beneficiario more; & ne faciliùs hæc ab illis concessa revocarentur, intercedebant Imperatores. Itaque qui donabant Episcopi ipsi, non facilè poterant non confirmare dona persimilia Imperatorum, vel Regum; qui sua interesse putabant, curare, ut Ecclesia militem aleret Reipublicæ, ad communem utriusque incolumitatem. *Admonemus etiam Episcopos & Abbates, ut per præmia Beneficia hominibus suis nec auferant, nec donent. Quia multæ reclamationes & querelæ de hac causa ad nostras aures solent pervenire.* (L. 6. c. 224.)

Nec abnuo equidem, quin abstinuerint, si velis, Carolus Magnus & Ludovicus Pius à novis Commendis creandis, iisque militaribus copiis, quas Abbates laïci Regios ad exercitus suos adgregassent: sperarintque cælesti, quàm terreno præsidio meliùs & stare Regna, & hostem debellari: certè tuendo terrestri Imperio committendum non esse, ut cælestis regni janua occludatur: *Satius enim nobis est regnum non habere terrenum, quàm æternum perdere. Plus verò me credo Deum posse per Sanctorum suorum merita adjuvare, quàm omnem militiam sæcularem.* (L. 7. c. 128.) Sed non satis liquet revocatas ab illis Commendas omnes laïcas, à Majoribus suis excitatas. Quin contrarium potius ex hactenus dictis elicitur.

Uberrimè hoc argumentum pertractat Paschasius Radbertus Libro secundo de vita Walæ Abbatis Corbiensis, ubi & excandescit vehementer adversùs Commendas laïcas: fatetur à Ludovico Pio agitata fuisse consilia de iis abolendis: quod verò objectabatur non satis validè defensari posse Rempublicam, nisi aliquantum opis & adminiculi Ecclesia quoque conferret: respondet nihil ipsos posse Laïcos usurpare, quasi suo jure; sed posse Episcopos ex illis impartiri subsidia, quæ ad Regni tutelam necessaria essent. *Si Respublica sine suffragio rerum Ecclesiasticarum subsistere non valet, quærendus est modus & ordo cum summa reverentia & religione Christianitatis, si quid vos vestrique ab Ecclesiis ob defensionem magis, quàm ad rapinam accipere debeatis; ne cum maledictione & execratione sanctorum Pontificum ita tenus præsumatur. Porro isti sancti Pontifices, si quid ad usus militiæ exhibendum est, sic exhibeant, &c.*

VIII. Multum operæ posuerat & laboris Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, ut Ministros Ludovici Pii impelleret ad illum interpellandum, urgendumque, quò ex hac perversitatum & calamitatum voragine Ecclesiam Regnumque subduceret. Cùm enim canonicæ leges semel à Spiritu sancto dictatæ, orbisque terrarum reverentia consecratæ fuerint, & ipsorum summorum Principum consensione firmatæ ambigi jam non posse, quin si qua illis aspergatur contumelia, illa in Deum ipsum redundet, & in Ecclesiam toto orbe diffusam. *Canones qui firmati sunt Spiritu Dei, consensu totius mundi, obedientia Principum, consonantia Scripturarum. Ex quo tempore acceptum & receptum est, non aliud esse agere quidquam adversùs Canones, quàm adversùs Deum, & adversùs ejus universalem Ecclesiam.* (L. de Dispensat.)

Hinc porro ille philosophatur, sacrilegas illas usurpationes rerum Ecclesiæ à Laïcis jam infestarum, nullo idoneo prætextu obumbrari posse publicarum necessitatum; nec enim futuras eas necessitates Deum nescire potuisse: & nihilo tamen minus has ejus nomine & authoritate promulgari prohibitiones, & invalescere ipsum voluisse. *Quamobrem ista quas nunc homines prætendunt necessitates, & quarum causa se impunè putant res sacras in usus communes vertere; licèt tunc hominibus futuræ essent, Deo tamen præsentes erant: quodque Spiritu suo statuit Ecclesiæ tenendum cunctis diebus, usque in finem sæculi voluit custodiri.*

IX. Vereor, ut solida æquè ac pia sit hæc Agobardi argumentatio. Illa enim Dei præscientia eventuum omnium futurorum omnino non prohibet, quin incurrentes subinde necessitates cogant Canones & leges quasque sanctissimas jure meritissimo relaxari. Fatetur certè mox Agobardus ipse, Ludovicum Pium non fuisse quidem ipsum harum Commendarum omnium authorem & architectum: sed nec in ejus potestate fuisse, ut eas omnino aboleret: instandumque adeo tantummodo apud illum esse, ut pro virili sua contenderet nervos omnes ad earum extinctionem. *Sed quoniam quod sacris rebus in laïcales usus illicitè translatis dicimus, non fecit iste dominus Imperator, sed prædecessores ejus, & propterea impossibile isti est omnia emendare, quæ antecedentes malè usurpata dimiserunt: saltem admonentibus vobis cogitare dignetur periculum, quod licèt vitare nequeat, tamen dum pensat, timet, &c.*

Ex his & ex consequentibus, quæ lubens circumcido, manifestum est, 1. Eo ævo ventilatam sæpiùs fuisse quæstionem illam, Ecquæ proclivior & expeditior esset ratio Ecclesiæ & Reipublicæ exolvendæ tot ex illis vinculis, pravitatibus & ærumnis, quò eam bella civilia demersissent. 2. Non omnes Episcopos in ea fuisse sententia, ut essent, vel esse possent satis justæ causæ usurpationum & sacrilegiorum istiusmodi; aut dispensationis fucata specie dissimulari posse tam manifestam Canonum omnium violationem. 3. Ludovicum Pium consilia cœpisse in eam rem pia & fortia: sed omnibus penè convenisse, ne toto quidem tum Imperatoriæ potestatis & pietatis pondere, posse flammas illas obrui, quas Majores ejus succendissent. Ne Agobardus quidem ab ea sententia discedebat; unde nec aliud extundi volebat à Ludovico, quàm ut ne novas Commendas crearet ullas, antiquas Episcopis permitteret vel revocandas, si fas esset, vel confirmandas. Juvabit paulò etiam copiosiùs verba hîc fecisse de re tanti momenti.

Anno 823. generalem habuit Conventum Ludovicus Pius apud Compendium, cui & Adelardus & Helisachar interfuere. Actum est de rebus Ecclesiæ, quas Laïci involaverant; & res tandem eò rediit, ut juberentur illi, quod jam invaserant, eo piè & religiosè uti; reliquis non abstinere tantùm, sed & tutelam ac defensionem impendere. Placuit ea Imperatori concordia, qui & Episcopos ac Comites ei subscribere jussit. Hæc Agobardus narrat eo libello, quem exaravit adversùs has rerum sacrarum profanationes: ubi & mox destomachatur in eos Nobiles laïcos, Provinciæ potissimum Narbonensis & Linguadocii, qui ne ei quidem Ecclesiæ indulgentiæ acquiescebant. En ipsa Agobardi verba, qui præsens aderat: *Sequenti anno cùm adessent jussi in Compendio Palatio, & de his inter vos sermo haberetur, ad hunc modum post multa colloquia, in quantum ego intellexi, ratiocinia sunt perducta, ut primùm quidem intellectibus omnium inculcarentur delicta de rebus illicitè usis: pòst verò cùm Dei timore in illis* (L. de Dispensat. rei Eccles.)

quas habent Laïci cautiores effecti, etiam in his quæ remanserunt Ecclesiis fideliores atque clementiores existerent, ita ut & suam adhiberent pietatem, & Ecclesiæ defensionem; fieretque compatienti concordia, remediabilis ac venerabilis defensio, quæ constante pietate de indulgentia quoque esset secura. Hanc rem cum dominus Imperator audiret atque perpenderet, volens eam ducere ad tranquillitatem pacis, quæ ad modicum turbata fuerat, fecit uniri Episcopos & Comites in consensum & pacem. Ex hoc itaque putavi ego, quod eodem modo, quo dominus Imperator pensavit atque intellexit rationem, sopirique fecit dissensionem, omnes etiam Comites vel Honorati ejus intellexissent atque voluissent. Sed è contrario, ut audio, isti de quibus nobis sermo est, inchoatam discordiam magnificant, & de concordia in conspectu domini Imperatoris nihil se audisse vel intellexisse dicunt. Initio ejus libelli declarat Agobardus, quinam essent illi Comites, qui ei concordiæ irascerentur, & Agobardo, ejus tum idoneo defensori, quòd & priùs author fuisset. *Significavit mihi dilectio tua, quod clari & honorati viri per Septimaniam & Provinciam consistentes, de me incessanter obtrectando loquantur. Quanquam nec cæteris parcant, dicentes movisse nos, ac præcipuè me inauditam contentionem atque discordiam pro Ecclesiasticis rebus, &c.*

Jure miraremur Agobardum, tanto & tam puro æstuantem zelo pro rerum sacrarum religioso usu, ut vel ex hoc opusculo liquet: authorem tamen & defensorem fuisse ejus concordiæ, quæ Laïcis condonabat quæ hactenus usurpassent, dum sui ipsos puderet, pœniteret, & his piè uti satagerent, cæteris Ecclesiæ rebus non abstinerent tantùm, sed & earum defensione prius facinus eluerent. Jure, inquam, miraremur paci & concordiæ esse astipulatum Agobardum, ex qua tantum detrimenti caperet Ecclesia, nisi alioqui constaret desperatissimum cum fuisse morbum, spem omnem conclamatam fuisse extorquendæ è Laicorum manibus tam opimæ prædæ; faciliùs condonari quæ in Canones commissa jam sint, quàm quæ committenda; denique ea summi Juris remissione & humanitate, amicos evasisse, qui inimici fuerant: defensores, qui usurpatores: ita serviendum necessitati, & ea ipsa publica pace & consensione compensari damna præterita.

Vestigia premens Ludovici patris Lotharius Imperator, anno 824. Capitulare edidit, quo edicebat, ut Ecclesiæ restituerentur quæ usurpata fuissent, obtenta quasi licentia Episcoporum. *De rebus Ecclesiarum injustè retentis, sub occasione quasi licentia accepta à Pontifice, volumus, ut à Legatis nostris in potestatem Pontificis & Romanæ Ecclesiæ celeriùs redigantur.* Quod idem Caput legitur in Legibus Longobardorum.

Baronius.

L. 11. T. 27.

X. Observatum est à Jona Aurelianensi Episcopo, quod & à nobis suprà insinuatum est, Laïcos Proceres authoritate propria invasisse Parochiales Ecclesias complures, cum decimis & oblationibus, quas deinde pro libitu suo, nunc in Laïcos, nunc in Clericos, tanquam beneficia quædam sua effunderent. *Sunt plerique Potentes, qui obliti ordinis & ministerii sui, Basilicas possidentes, rebus tenues, fidelium verò largissimis decimis abundantes, contra fas suis aut Clericis, aut Laïcis beneficiario munere conferunt, ut de hujusmodi oblationibus & decimis sibi serviant. Quod quàm sit extraordinarium, & Religioni Christianæ incongruum, necnon & facientibus periculosum, qui animadvertit, intelligit.* Hæc demonstrat eam esse propriam Episcoporum potestatem distribuendi & conferendi Parochias decimasque. Addit porro usque

De Institut. laica l. 2. c. 19.

adeo aberrasse à veritatis luce, suisque cupiditatibus excæcatos fuisse, hos rerum sacrarum compilatores, ut eas jure à se possideri contenderent, donec Ludovicus Pius has pestes exterminavit. *Hoc genus avaritiæ in tantum quosdam obligaverat Laïcos, ut hoc se justè & rationabiliter, imò inculpabiliter sectari putarent, donec gloriosus orthodoxus dominus Ludovicus Imperator, inter cætera pietatis suæ beneficia, quæ sanctæ contulit Ecclesiæ, ab hoc quoque eam immunem effecerit.*

Capitulare Pipini ad Castrum Vernum anno 755. fidem facit Laïcos ipsos vi allata invasisse ea Cœnobia, ubi Regularis obsoleverat disciplina. *Si Abbas sic remissus vel negligens inveniatur, ut in manus Laïcorum ipsum Monasterium veniat, & hoc Episcopus emendare non potuerit, &c.* Ex eodem tamen ipso Capitulari liquet, Pipinum ipsum divisisse proventus quarundam Abbatiarum in Monachos & milites, sive Regales eæ essent, sive Episcopales. *Hoc quod Monasteriis dimittebatis, unde vivere potuissent.* Idem habet de Episcopatibus Capitulare Metense anni 757. *Qui res Ecclesiasticas Episcopii vel Monasterii tenent per verbum domini Regis.*

Capit Balu. Tom. 1. p. 172. 174.

Nec à verisimilitudine dissidet Xenodochia quoque à Laïcis invasa fuisse, cum eos jussit Carolus Magnus edito Capitulari anno 793. vel pauperibus prisco more alimenta suppeditare, vel Xenodochia Episcopis resignare. *Ut quicumque Xenodochia habent, si ita pauperes pascere voluerint, & consilium facere, quomodo ab antea fuit, habeant ipsa Xenodochia, & regant ordinabiliter. Et si hoc facere noluerint, ipsa dimittant, &c.* Capite proximo ostenditur, Baptismales quoque Ecclesias invasisse eosdem Laïcos, quos & ipse Imperator damnat. *De Ecclesiis Baptismalibus, ut nullatenus eas Laïci tenere debeant.* Edicitur mox quidem, ut Cœnobia & Xenodochia Regiæ fundationis, *ut Regalia sint*, dari non possint nisi per Reges, *Per beneficium domini Regis habeat*: at non ibi expressè dicitur de donis agi in Laïcos collatis.

Cap. 12.

Cap. 6.

Cap. 42.

In Capitulari anni 801. agitur de Laïcis, qui Beneficia Ecclesiæ obtinent, sed dono Regum ea obtinere non dicuntur. Obiter monebo in Capitulari *Commendæ* vocem usurpari, pro Ecclesiasticis Beneficiis, quæ Laïci obtinerent. *Cæteri liberè homines, qui vel Commendationem, vel Beneficium Ecclesiasticum habent.* Quæ inde manabat vox, quòd Beneficiarius se ei devoveret & manciparet quodammodo, à quo Beneficium impetraret: *Si Beneficium aliquod quispiam ab eo, cui se commendavit, fuerit consecutus.* Ab hoc diverticulo in viam redeo. Fatetur Lodovicus Pius in Capitulari anni 823. dono suo Laïcos Monasteria obtinere. *Abbatibus quoque & Laïcis specialiter jubemus, ut in Monasteriis quæ ex nostra largitate habent, Episcoporum consilio obediant.*

Cap. 10.

Capit. anni 813 c. 16.

Can. 8.

Hinc porro clarescit privatos complures, in Ecclesias, earumque prædia invasisse, quæ non mediocri ex parte restitui curarint Carolus Magnus & Ludovicus Pius: sive excussis suo Beneficio iis, qui decimas nonasque non exolverent, nec reparandas curarent Ecclesias, ut ex multis patet Capitularibus; sive mortali hac vita excedentibus Beneficiariis, ut probatur exemplo Maurini Episcopi Altisiodorensis, qui à Carolo Magno id pervicit, quod jure ipso præstitutum erat. Jure enim ipso Commendæ Commendatarii obitu extinguebantur. Si Principes hi autem agros Ecclesiæ quandoque & Ecclesias commendarent, ne Synodi quidem Episcopales superiùs laudatæ id tacuerunt, ad eas quan-

Capit Balu. L. 5. c. 276. 277. 311.

Le Cointe. An. 800 n. 24 doque angostias Rempublicam coarctari, et non alitet salus ejus dignitasque constare, aut recuperari posset.

CAPUT XVII. *P. 3. l. 2. c. 47.*

De Commendis Laïcorum sub Carolo Calvo & reliquis Regibus Carolinis.

I. Concilium ad Theodonis-villam graviter expostulat apud Carolum Calvum de his Commendis.

II. Quæ in hoc Concilio probata sint temperamenta, ut & Regias necessitatibus consultum esset. Restituuntur Cœnobia Monachorum & Monialium à Cœnobiis Canonicorum & Canonicarum.

III. Easdem querelas ingeminant Synodi Meldensis, & Suessionensis.

IV. Concilium Valentinum III. minas cælestis ira intentat.

V. Quæ [illegible] Concilii Tullensis ad Saponarias, & [illegible]

VI. [illegible] Commendarum

VII. [illegible] Papa Theutbergam Reginam Abbatiis donari curat.

VIII. Origines & progressiones harum Commendarum ex Flodoardo.

IX. Episcopatus Laicis commendatis à Chorepiscopis administrabantur.

X. Tuitione regia municbantur & custodia Ecclesia omnes, & Abbatia vacantes.

XI. Laicis commendata minuscula Beneficia, perinde ut & majora.

XII. Caroli Calvi successores nihilo abstinentiores fuere rerum sacrarum.

I. EA inter filios Ludovici Pii conflagravere bella, quibus Ecclesia in easdem rursus, è quibus nondum prorsus emerserat, demergeretur calamitates. Ex Concilio ad Theodonis-villam habito anno 844 manifestè patet, Carolum Calvum jam tum cœpisse Laïcis rursum commendare Abbatias etiam Puellarum, qua de causa gravissimas Can. 3. Synodus fudit querelas. *Sacrum Monasticum ordinem & quædam etiam loca specialius venerabilia, contra omnem authoritatem & rationem, & Patrum vestrorum, seu Regum præcedentium consuetudinem, laicorum cura & potestati, in maximo vestro periculo & illorum perditione, & Dei ac Sanctorum non modica ad irascendum provocatione, vos commisisse dolemus.* Non fallebat hujus Concilii Patres, in dandis his Commendis Carolum Calvum exempla Majorum suorum secutum esse; sed ad ea pertinebant Cœnobia hæ querimoniæ, quæ commendata nunquam hactenus fuissent, vel quorum Commendæ essent exstinctæ, vel quæ iis donata essent Imperatoris privilegiis ad eligendos Abbates, quibus Commendatarii arcerentur. Ita à vero non abhorrebat, *contra præcedentium Regum consuetudinem* fecisse Carolum.

II. Cessit his monitis & querelis Carolus, spopondetque Congregationes Monasticas Abbatibus Regularibus restitutum iri. Ac vicissim Synodus, ut Principi aliquid gratificaretur, id indulsit, ut si difficillima incurrerent tempora, laïcis permitterentur Cœnobia Canonicorum & Canonicarum, commendata Episcopis spiritalis regiminis providentia, adeoque & temporalis, Episcopo & Abbati cuipiam vicino. Quæ Cœnobiorum distinctio satis apertè declaratur hoc ejusdem Synodi Canone : Can. 5. *Quia perspeximus vestram potestatem & sacerdotalis consilii authoritatem, quædam ad præsens ex asse non valere corrigere, &c. Ideo de Canonicorum Monasteriis & Sanctimonialium, quæ sub eadem forma vivere dicuntur, consideravimus, sicut Paulus Apostolus dicit, secundum indulgentiam, non secundum imperium, ut si propter imminentem Reipublicæ necessitatem, laïcis interim committuntur, Episcopi providentia, adjuncto sibi Abbate, studeatur, qualiter restauratio locorum & custodia officii ac religionis, atque subsidium temporalis necessitatis adhibeatur.* Ita de Monasteriis Canonici Ordinis utriusque sexus. Jam de Cœnobiis Monachorum & Monialium, quæ illis restituenda essent, qui religionem Monasticam professi essent. *Per loca etiam Monastica ejusdem Ordinis provisores necesse erit disponere, cum vestra authoritate eos qui vices Christi secundum regulam divinitus dictatam in Monasteriis agant, studuerit ordinare.* Ea Regula, cœlestis inspirata afflatu, Regula est B. Benedicti. Hi verò Christi Vicarii, Regulares utique sunt Abbates.

III. Novis rursum querelis eundem Regem interpellavit Meldensis Synodus anni 845. de iis Cœnobiis, quæ privati quidam suis in prædiis extruxissent, dotassent, Regiæque commisissent tuitioni, ne nepotum, hæredumque suorum cupiditati prædæque paterent, & quæ deinde Reges ipsi Aulicis laïcisque aliis, tanquam res aliquas regii fisci donassent. *Monasteria quæ ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa, prædecessores Reges causa defensionis & mundeburdii susceperunt, ut libera libertate, remota spe hereditaria de illorum propinquitate ibidem Religio observaretur : & nunc in allodium sunt data.* Actum est & de prædiis Beneficiorum, quæ detruncassent Reges & Imperatores & in suæ velut feuda Coronæ convertissent. *Res Ecclesiasticas in allodium ipse, aut pater suis donavit.* Conc. Vern. Ann. 845. Can. 12. Conc. Bonac. Can. 3. Conc. Meld. Can. 41. 42.

Capellis Regiis minimè omnium abstentum fuerat; laïcis illæ permissæ fuerant Proceribus, qui earum decimas lege divina alendis pauperibus dicatas, saginandis canibus & prostibulis impendebant : Can. 75. *Si autem laïci Capellas habuerint, à ratione & authoritate alienum habetur, ut ipsi decimas accipiant, & inde canes, aut geniciarias suas pascant.*

Causæ certè tres istæ querelarum justissimæ, abundè prodebant, quam steriles & fluxæ fuissent Caroli Calvi priores pollicitationes. Concilio demum Suessionensi II. anno 851. cùm obtunderentur Patres eorum importunis vocibus, qui subinde necessitates Regni causabantur, flagitatum est, ut ii saltem Laïci, qui fundos Ecclesiæ retinerent, Decimas & Nonas persolverent, ex præstituta olim lege. Can. 9. *Ut ex possessionibus quæ Ecclesiasticæ certis indiciis comprobantur, nec plenè propter varias necessitates possint restitui, saltem Nonæ & Decimæ tribuantur.* Inculcatæ denuo hic fuere Meldensis Concilii querimoniæ. Addebat Rex, qui decimis nonisque concessis, Missus suos ablegavit; ut Monasteria describerent, Capellas, minores Ecclesias, fundosque sacros laïcis datos, ut de his postea communis cum Episcopis deliberatio institueretur : Ibidem. *De Monasteriis, de Capellis, & Abbatiolis, & Casis Dei in Beneficium datis.* Verùm non aliò ferè hæc collimabant omnia, quam ut Ecclesiæ & Ministris ejus permitteretur & præciperetur, quo se sustentarent : neququam verò, ut laïci fundis Ecclesiæ & Ecclesiis ipsis penitus ejicerentur.

IV. Non iis se continuit angustiis Concilii III. Valentini zelus flagrantior anno 855. Præcepit enim Concilium ab Episcopis diro innodari anathemate usurpatores hos omnes rerum Ecclesiæ, quantumvis Regum Brevia & Imperatorum Rescripta, ac dona ostentarent : nec relaxari ea vincula, donec venissent ipsi ad Principem, eumque de jure &

Con. 8 1. Conc. Epist. ad Ludov. II Imp. Anno 85. c. 21. libertate Ecclesiæ componere censuimus. *Quod etsi prætenderit hujusmodi sibi indulta & concessa ab Augustissimis dominis nostris, nec sic à sententia Episcopi sit liber. Multi enim probantur in similitudine mentiri. Donec rector ipsarum Ecclesiasticarum rerum ad clementes aures Principis causam tam malè facti cum precibus Ecclesiæ deferat, ut ejus judicio & moderatione res unde agitur, deliberetur, & is qui charitate fuerit privatus Ecclesiæ, tunc si dignus est, absolvatur.* Qua clausula apparet, Concilii Præsules totum commisisse tandem Principis voluntati, & officio se satis fungi suo existimasse, si modò conscientiam ejus onerassent.

V. Nihil porro in hanc rem vel vehementius, vel reconditioris doctrinæ, quàm quod scripsere Provinciarum Remensis & Rotomagensis Episcopi ad Ludovicum Germaniæ Regem in Conventu Carisiaco, cùm adventaret ille in regnum Caroli Calvi, fucata & simulata voluntate ejus emendandi. Scripsere autem Præsules ad Ludovicum, à Carolo primum Martello profanatos Ecclesiæ fundos & laïcis datos; B. Eucherio Aurelianensi Episcopo cœlesti ostento declaratum esse, eum illa de causa æternis ignibus addictum fuisse: per literas ab Eucherio certiorem factum ea de re fuisse tum Bonifacium, tum Fulradum Abbatem sancti Dionysii & Archicapellanum Regis Pipini: ab his retectum Martelli tumulum, intusque nigerrimum inventum fuisse, è quo & draco teterrimus tum erupit. Testatum fecere hi Præsules visos à se fuisse auditosque rei hujus gestæ testes oculatos. Hinc Pipinum Regem Concilio Liptinensi restituisse rerum Ecclesiæ quidquid recuperari tum potuisset; cùmque nequisset rebus suis omnibus Ecclesiam redintegrare propter cruentissima Gaiffari Aquitaniæ Principis bella, precaria ipsum flagitasse à reliquis Episcopis, ea conditione, ut Nonæ & Decimæ solverentur ad fabricarum reparationes, & denarios duodecim ex unaquaque familia, ad Ecclesiæ relevandas necessitates.

Anno 858. Conc. Gall. To. 3 pag. 122. &c. *Pipinus quantumcumque de rebus Ecclesiasticis, quas pater suus abstulerat, potuit, Ecclesiis reddere procuravit. Et quoniam omnes res Ecclesiis à quibus ablatæ erant, restituere, propter concertationem quam cum Vuaifario Aquitanorum Principe habebat, non prævaluit, precarias fieri ab Episcopis exinde petiit; & Nonas ac Decimas ad restaurationes tectorum, & de unaquaque casata XII. denarios, ad Ecclesiam, unde res erant beneficiatæ, sicut in libro Capitulorum Regum habetur, dare constituit, usque dum ipsæ res ad Ecclesiam revenirent.*

L. 5. c. 3. Additur ibidem à Carolo Magno & Ludovico Pio proscriptas fuisse eas usurpationes, usque posteros interdictos. Nec tamen his deterritum Carolum Cœnobia aliqua utriusque Ordinis, Monastici & Canonici, utriusque sexus laïcis commendasse, vel ea imprudentia, quam ætas excusaret, vel Aulicorum & assentatorum obreptione, vel denique eorum perculsum terrore, qui si repulsam paterentur, ad hostium castra se defecturos minitabantur. *Partim juventute, partim fragilitate, partim aliorum callida suggestione, etiam & minarum necessitate, quia dicebant petitores, nisi eis illa loca sacra donaret, ab eo deficerent.* Post à verò eundem Carolum pungentibus conscientiæ stimulis, paternis urgentibus Episcoporum monitis, ipsamet incitante Apostolica sede, cœpisse emendare quod à se peccatum fuerat; & summa diligentia, nec sine crebro gemitu perquisisse, quî posset, in re tanti ad suam, tanti ad Ecclesiæ salutem & dignitatem momenti, officio suo satisfacere. *Nam idem frater vester & divina inspiratione, & sacerdotali redargutione, & etiam ab Apostolica sede commonitus, ab aliqua parte quæ perperam egit, correxerat, quæ autem adhuc incorrecta erant, quomodo emendare posset, gemebundus quærebat.* Ludovico denique significabant Episcopi, si venisset publicæ disciplinæ malis medicaturus, ejus esse ea perficere, quæ frater occœpisset.

VI. Anno statim proximo, nempè 859. Concilium Tullense ad *Saponarias* eadem rursum Carolo inculcavit, Omnibus ut religiosis Conventibus sui Ordinis duces & Abbates essent, & ne amplius laïcis sacri agri proventusque prodigerentur: eorum verò qui jam illis concessi essent, quinta saltem pars Ecclesiæ solveretur: hoc est Decimæ & Nonæ. *Nona & Decima saltem Ecclesiis ministrentur, &c. Quinta pars ministris jure offeratur.* Can. 12. 13. An. 862. Scripsit & Nicolaus Papa ad Adonem Epistolas eo asperitatis zeloque, quo totus fervebat, ut intorqueret iis omnibus anathema, qui res Ecclesiæ retinerent: si dona verò ea essent Regum, Reges ipsos gravissimè objurgaret. *Quod si Principis inordinata fuerit largitio, ipse sit Princeps pro emendatione redarguendus.* Idem ipse Pontifex & nonnulli Galliarum Episcopi in privilegiis iis, quibus Cœnobia Corbeiense & Solemniacum ornavere, amarissimè conquesti sunt de horribili illa & detestanda perversitate, qua in Aulicos & milites profunduntur ea, quæ fidelium pietas Deo obtulit, ad religionis cultum, ad pauperum & sacrorum Ministrorum alimenta. Conc. Gall. To. 3 pag. 187. 218. 219. 301. 302.

VII. Ubi verò Adrianus II. Papa, ut jam diximus, non permisit tantùm, sed præcepit etiam Lothario Regi, ut promissis Abbatiis Theutbergam Reginam donaret, ad ejus sustentationem: cave ne eam tu vel consilii levitatem, aut Canonum injuriam interpreteris. Oculis ille fide & charitate illuminatis Reginam innoxiam & diurna persecutione fatigatam spectabat, ut tutela & ope Ecclesiæ cum primis refoveretur. Effundunt enim in Ecclesiam quædam donorum & Beneficiorum flumina Christiani Principes: quocirca & æquissimum est, ut sinæ ipsa vicissim pietatis in eos refundat testimonia, ubi qui homines sunt, humanis etiam tentationibus & procellis exagitantur. Nec ad alios trahi jure unquam potest, quod indulgentius procliviusque Ecclesia in summos Principes contulit: cùm eò illa Deum sequatur ducem, qui illos in fastigio quodam summo supra cæteros homines collocavit. Ibidem. Pag. 372. Edictum Pistense. Ann 864. c. 5.

VIII. Adnotata sunt à Flodoardo initia Commendarum Laicarum, ubi Carolus Martellus Remensem Archiepiscopatum Clerico tonsurato Miloni commendavit, sed qui Militem tunc agebat se, non Clericum. *Cuidam Miloni sola tonsura Clerico, qui secum processerat ad bellum, dedit hoc Episcopium.* L. 2. c. 12. Viderit Lector an is fuerit scelestissimæ audaciæ gradus, ut & laïcis aliquando Episcopales donarentur Ecclesiæ, quæ donatæ fuissent Clericis, nulla Clericatus insignia, & totam laïcorum vitam præ se ferentibus. Idem mox enim Martellus alios Episcopatus laïcis concessit, si qua fides eidem Flodoardo, à quo & tota illa narratio de Martelli damnatione contexitur verbis pene ipsis Concilii Carisiaci, cui præfuerat Hincmarus. In Annalibus quoque Bertinianis perhibetur Carolus Calvus Hugoni Clerico concessisse Comitatum Andegavensem, cum pluribus Abbatiis, qui sibi adversùs Normannos bellanti armato milite suppetias ferret. Annal. Bertin. pag. 217. Flodoard. L. 3. c. 4. Ex ipso Flodoardo, ne Hincmarus quidem Remensi Metropoli donatus est à Carolo Calvo, nisi postquam illum puduit pœnituitque tandiu viduatam illam retinuisse Ecclesiam, ut ejus proventibus Militem &

exercitum aleret. Audi ipsissimi Caroli Regis verba: *Res ex Episcopatu Remensi, quas magna necessitate & per omnia inviti, dum à Pastore sedes illa sancta vacaret, fidelibus nostris ad tempus, unde quod jam temporale solatium à nostro haberent servitio, commendavimus.* Agit Hincmarus de ea Archiepiscopatûs Remensis in milites divisione: *Quomodo tres fratres Reges, Lotharius, Ludovicus & Carolus regnum post patris sui obitum diviserunt, Episcopium Remense, quod tenebat Fulco Presbyter, Carolus inter homines suos divisit.*

Baron. ann. 841. n. 9.

IX. Meliore jam loco res esse incipiebant, cum Episcopatus vacare dicebantur, ubi illum soli insidebant Laici. Dum porro vacarent ad eum modum Episcopales Ecclesiæ, à Chorepiscopis administrabantur. Idque in causa fuit forsan, ut toto ævo Caroli Magni toties & damnarentur Chorepiscopi, & revocarentur. Permagni intererat Episcoporum, eum extingui ordinem, quo Principes abuterentur, ut nulli, aut rari essent Episcopi. Principes verò ipsi in Chorepiscopos toti propendebant, qui Episcopatûs obirent munia, proventibus abstinerent. Ita de his Hincmarus in Epistola ad Leonem Papam. *Et quod terrena potestas hac materie sæpè offenderet, ut videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum ministerium perageretur, & res ac facultates Ecclesiæ sæcularium usibus expenderentur.*

Ibid c. 10.

X. Nec abludit à vero, eò quoque invitatos esse Reges, ut vacanis sedis fundos proventusque Ecclesiarum tutelæ & custodiæ suæ vindicarent. Is enim antiquissimus fuerat Ecclesiæ ipsius etiam Gallicanæ usus, dum tota Clodovæi regnavit prosapia, ut vacantis Ecclesiæ Clerus succederet in temporalem Episcopatûs pariter, atque in spiritalem administrationem. Cùm needum res Ecclesiæ inter Episcopum & Clerum divisæ fuissent, ubi vita abierat Episcopus, tum Clerus solus adgubernabat, quæ superstite Episcopo unà cum eo gubernaverat. Ejus divisionis exordia in tempora incidere regnantis Caroli Magni stirpis. Crebriora saltem tum fuere exempla. Postquam divisæ res fuere Cleri & Episcopi, tunc vacante Episcopali sede, agri & reditus Episcopales à Regibus tuendi, & successoribus custodiendi occupati sunt. An vacante sede & urgentibus Regni necessitatibus, decerpta sint inde aliqua ad alendos milites, facilè conjicitur ex supradictis. Sed de Regia hac vacantium Ecclesiarum custodia, sive Episcopalium, sive Abbatialium, ad hoc etiam potissimum necessaria, ne Laicis & Clericis minoribus Ecclesiasticæ res prædæ essent, uberius suo loco dicetur.

XI. Quod ad minora attinet feuda, ex operibus Hincmari liquet Novelliacum Ecclesiæ Remensis fundum, continuata largitione Caroli Magni, Ludovici Pii & Caroli Calvi Laïcis donatum fuisse; donec tandem aliquando cessit Carolus Calvus Canonum authoritati, & rationibus precibusque Hincmari, ut Ecclesiæ restitueretur. Cùm per ejus absentiam rursus eum Ludovicus Balbus Laicis reddidisset, utprimùm rediit Calvus, iterum illum ad Ecclesiæ ditionem revocavit.

De Novell. Hincmar. Tom. 2. pag. 831.

Ab uno hoc exemplo innumera alia conjici possunt. In tam effræni illorum temporum licentia, & Episcopatus Laïcis permittebantur. Adde quod cùm Episcopi ipsi persæpè fundos Ecclesiæ Laïcis in Beneficium, hoc est in feudum darent, ut nomine Ecclesiæ militarent Principi, & eo onere Ecclesiam relevarent; si qui eorum minùs strenuè officio fungi Episcopis viderentur, eo ab eo exui potuisse Beneficio concesso, qua de re frequentes apud aures Principis querelæ perstrepebant, authore Hincmaro, qui illas querelas sedare, & ab Episcopis studuit propulsare.

Ibid p. 324.

Quantas Carolus Calvus Ecclesiæ terras in Laïcos spargeret, facilè intelliges ex citatis hic ad marginem Epistolis Lupi Ferrariensis, qui fidenter pronuntiat, ex quo Ecclesias ita expilasset Carolus, jam tum innumerabiles in eum exundasse ærumnas, & in eos omnes, quos & donis & flagitiis iisdem implicuisset; ex quo compertum esset, plus detrimenti semper in Regnum invehi, quàm in Ecclesiam, iis ipsis consiliis & machinamentis, quibus deprimenda & expilanda Ecclesia Regno se consulere posse sperabant. *Si sæcularibus, quibus res Ecclesiasticas impartitus est, enumeret, quæ se ipsum & illos post consecuta sint incommoda, &c.* Leges, si vacat, in Capitularium, quantam emunxerit Carolus hic pecuniam ab Episcopis Abbatibus, & à Laicis Abbatibus, ut Normannos quos ferro non poterat, auro summoveret.

Epist. 11. 42. 44. 71.

Du Chesne Tom. 2. pag. 460.

XII. Nec in hoc negotio Carolo patre religiosior fuit Ludovicus Balbus, cùm ab Hincmaro dedocendus fuerit detestabilem illam doctrinam, qua nequissimi illum imbuerant adulatores, summam penes eum esse rerum Ecclesiæ potestatem, easque ab ipso posse pro arbitrio suo dispensari. *Sunt qui dicunt, ut audivi, quia res Ecclesiasticæ Episcoporum in vestra sint potestate, ut cuicumque volueritis, eas donetis.* Contra Hincmarus insurgit, & ex Scripturis, Canonicisque, & naturæ ipsius legibus demonstrat, hostias à fidelibus Deo oblatas, pretia peccatorum, patrimonium Christi & pauperum nequaquam in ejus potestate sic esse, ut pro arbitrio ea vel dispensaret, vel dissiparet in Laïcos; idque invictissimè evinci ex illis posse sacramentis, quibus se inter ipsa inaugurationis suæ solennia obligasset.

Hincm. Tom. 2. pag. 190.

Detonuit Concilium Trosleianum anni 909. sub Carolo Simplici, in eos Abbates laicos, qui in eas Congregationes sacras, quarum res temporales invasissent, spiritalem etiam jurisdictionem omnem explicabant. *Auditu lugubre, dictu nefas, quando contra omnem Christianæ religionis authoritatem & consuetudinem, in Monasteriis Regularibus Laici in medio Sacerdotum & cæterorum Religiosorum, ut domini ac magistri residentes, velut Abbates, de illorum vita & conversatione ac regula sibi penitus ignota, perverso ordine dijudicant.*

Can. 3.

Cùm autem procacissimus mortalium Comes Herbertus à Rodolpho Rege Remensem impetrasset Metropolim, donec illi repræsentasset Clericum ei administrandæ Ecclesiæ idoneum, non tantùm prædia ejus omnia Laïcis amicisque suis distribuit, sed & sedit ipse in Episcopali sede cum conjuge sua per annos amplius sex. *Sicque per annos sex, & eo amplius idem Episcopium suo dominio vendicavit, pro libitu suo proprio illud tractans, & in sede Præsulis residens, tam ipse, quàm conjux sua, &c.* Quin & ipse idem Rodolphus Rex, non contentus Adelaïdem sororem suam Cœnobio donasse in Episcopatu Lausanensi sito, concessit etiam, ut ante obitum suum cui vellet hæredum illud transcriberet. Vetustissima, eòque pene immedicabilia erant hæc mala, tantòque magis execranda.

Flodoard. L. 4. c. 35.



CAPUT XVIII. *P. 3. l. 2. c. 48.*

De Commendis Laïcorum extra Gallias per eadem media sæcula.

I. Commendæ in Germania. Factum memorabile Ottonis I. Imperatoris.

II. In Italia eadem rerum Ecclesiæ astiquatio.

III. Multo magis in Oriente, ubi eam pravitatem Concilia detestantur.

IV. Bona Ecclesiarum ab Infidelibus devastarum, velut sacrum quoddam depositum, laici fideles summa fide servabant.

V. Variæ Constitutiones Patriarcharum Græcorum, ad eamdem humanitatem temperatæ, atque in Occidente.

I. Hujus mali contagio, quæ Gallias primùm afflaverat, in omnem Occidentem non multò pòst manavit. Concilium Moguntinum anni 888. sub Rege Arnulpho constituit, ut Abbates laici Præpositos instruerent Regulares, & Censores morum, in disciplinis Monasticis exercitatos. *De Monasteriis quæ Laïcis Beneficii jure donata sunt.* Perstrinxit Otto Frisingensis Episcopus Arnulphum Bavariæ Ducem, qui Cœnobiorum agros in milites suos distribuerat: *Ecclesias & Monasteria Bajoariæ crudeliter destruxit, & possessiones earum militibus distribuit.* Serpsit hæc immanitas usque ad Imperium Ottonis I. cujus pietatem illustri factione hoc insignitam Luitprandus litteris consignavit. Cùm in Abbatia circumvallatus penè esset numerosissimo hostium exercitu, jamque suus ipsius ab eo miles defflueret, eam arripuit ansam peropportunam petendæ ab eo Abbatiæ Laureshamensis valde opulentæ Comes quidam, qui frequentes militum cohortes ejus exercitui addiderat. Sensit Imperator minas magis, quàm preces eas esse, & Christiana magnanimitate incensus, respondit, Æquius & sibi charius esse Deo obsequi, quàm hominibus; verè sancta dari canibus, cùm Cœnobia Laicis commendantur: non tantùm annui non debere rem tam insolenter petitam; sed nihil ei annuendum unquam, qui vel semel sic petisset: iret & desertorum numerum augeret: quò citiùs, eò meliùs. *Obedire magis oportet Deo, quàm hominibus. Quis enim sanum sapiens ignorat, te hæc non humilitate petitionis, sed comminationis authoritate dixisse? Scriptum est enim, Nolite sanctum dare canibus. Sanctum dare me canibus censeo, si Monasteriorum prædia, quæ à religiosis viris Deo sunt militantibus tradita, tulero, & sæculo militantibus dedero. Tibi verò tam protaciter injusta petenti, sub testimonio totius populi, nec hoc, nec aliud unquam te à me accepturum esse testificor. Si tibi cordi est cum cæteris infidelibus avolare, quantò citiùs, tantò meliùs.* Et suæ pudore ac pœnitentia culpæ, & Imperatoris animi magnitudine perculsus Comes ad ejus se pedes abjecit, hostium cruore dedecus suum abstersit ipse quidem; Ottonis autem multò præclarior fuit ea de uno Comite, quàm de tot hostibus victoria.

Can. 25. *Baron. an. 932. n. 1.* *Anno 939.* *Luitpr. l. 4. c. 15.*

II. Ut in Germania, ita & in Italia perdiu rerum potita est Caroli Magni Imperatoria progenies, & pesæquè in utraque interim Ecclesiastica Gallicarum disciplina radices egit. Jam suprà narravit Ratherius, ut Veronensi Episcopatu à Rege Italiæ donatus fuerit, preces & authoritatem suam interponente Joanne Papa XII. sed ea conditione addita, pro temporum illorum importunitate, ut permodica redituum Episcopalium portione contentus esset, nec plura unquam vel à Rege, vel à Regiis filiis spectaret exprimi posse. *Misit in pitaciolo certam quantitatem stipendii, quod tenerem de rebus Ecclesiæ, de cæteris exigens jusjurandum, ne diebus illius, filiique sui amplius non requirerem. Ego intelligens quanta absurditas hoc consequeretur, non consensi.*

Spicil. to. 2. pag. 247.

III. In Italia certè apparet hanc rapinarum licentiam minùs latè, minùs altè irradicari potuisse, ubi Sedes Apostolica propiùs advigilat, & ad libertatis Ecclesiasticæ tuitionem potentiùs dominatur. Diximus jam à Joanne VIII. Papa in Concilio primùm Romano, mox & in Tricassino damnatas fuisse Commendas omnes, prohibitumque, ne quis ejusmodi petitionibus, vel Papæ, vel Episcoporum auribus obstreperet. Quo tribenniùs videtur, à Pontificibus etiam Romanis concessas aliquando fuisse; & non multò pòst ejus rei eos pœnituisse.

Vastavit & Orientem hæc lues. In Concilio Generali VII. intentata est depositionis sententia iis vel Episcopis, vel Abbatibus, qui fundos Ecclesiæ Principibus terrenis donarent, aut donandos permitterent, cùm non alus earum proventus elargiri possint, quàm pauperibus, & tanquam pauperibus. Utcomque sterilescat ager Ecclesiæ, vetat hæc Synodus in favorem Principis illum alienari, vel titulo Emphyteoseos obtineri. *Quisquis Episcopus inventus fuerit, vel Abbas de fundis Episcopii vel Monasterii transferre quidquam ad Principum manus, vel etiam alii personæ conferre, irrita sit alienatio, secundùm Canonem Apostolorum, &c.* Si qui verò jam laïci Episcopales Ecclesias & domos, vel Cœnobia invasissent, illis ab hac Synodo dirum illiditur anathema, nisi quam propere his conscientias domosque suas furtis & sacrilegiis exonerent. *Quoniam subrepta sunt à quibusdam viris quædam venerabiles domus, tam Episcopia, quàm Monasteria, & facta sunt communia diversoria, &c.* In Concilio VIII. Generali prohibita etiam est alienatio fundorum Ecclesiæ, Emphyteoseos prætextu palliata; sicut & ibidem vetitum est ne Clerici temere & inconsideratè revocarent jam concessas Emphyteoses rerum Ecclesiæ.

Can. 12. *Can. 13.* *Can. 15. 20.*

Locupletissimus testis affirmat Balsamon Constantinopoli in Ecclesia sanctorum Quadraginta Martyrum, in Templo B. Virginis, & in pluribus aliis, à Laicis obtenta fuisse Beneficia Ecclesiastica, quin immo & Cœnobia. *Et in aliis divinis templis habent Laici, & complura Monasteria, & Clericorum Officia.* Prohibuerat Trullanum Concilium innovato Canone XXIV. Concilii Calchedonensis, ne vel Monasteria, vel quæ demum cumque Deo semel initiata fuissent, profanari, & Laicis committi possent. Jam tum ergo ea lues cœperat Orientem depascere. Sed irrupit in Ecclesias hujusmodi profanationum quidam veluti torrens, cùm sacrarum hostes Imaginum Episcopis & Monachis orthodoxis bellum indixere, Ecclesiis illis Episcopalibus & Cœnobiis orthodoxos ejecere, & illa mox ipsi insedere: cui malo procurando destinabantur Canones supra laudati Synodi VII. *Propter inimicorum Imaginum insaniam, multi orthodoxi ex suis Episcopatibus & Monasteriis fugientes, montes occuparunt. Occupata sunt ergo sacrosancta ædes à quibusdam.* Hæc Balsamon. Commemorat autem Cedrenus, ut Theophilus Imperator adversùs sacras Imagines decertans, proscriptis Monachis omnibus è civitatibus, Monasteria sæcularibus donarit.

In Can. 33. Trull. *Can. 49.* *In Can. 13. Synodi VII.* *Cedrenus pag. 518.*

Eadem propemodum ipsa hæc erant tempora, quibus illa pestis Gallias depopolabatur: sed causa longè dissimilis. Erat tamen & aliqua in eo simili-

radinis umbra, quod in Gallia quoque cùm civilium bellorum flammæ multos & Episcopos consumpsissent, & Abbates, eorum Ecclesias & Cœnobia laici invasere.

IV. Hinc illud scitissimè à Balsamone infertur, non aliter æstimandum esse de Ecclesiis, & earum prædiis, quæ in Infidelium potestatem cum tota regione venerunt. Qui enim ibi residui fideles laici eas retinent, quanquam non ipsi Clericos expulerint, & quamvis diuturna nitantur possessione, eas tamen Episcopis & Abbatibus, qui titulo eo gau-
Balsam. Ibid. in. dent, religiosissimè restituere tenentur. *Nota hæc propter Metropolitanos Orientales, qui proprios Episcopatus & Monasteria, à laicis qui ea detinent, revocant, &c.*

V. Permirum autem illud est, quòd cùm Patriarcha Constantinopolitanus Sisinnius convenienter Canonicis institutis damnasset, revocassetque donationes omnes Monasteriorum, quæ à Patriarchis concessæ fuissent laicis: Sergius Patriarcha Constitutione Synodali prorsus contraria, quamque ab Imperatore ipso subscribi expressit, Constitutionem Sisinnii resciderit, declaraveritque non omnes Cœnobiorum Laïcis donatorum concessiones Canonibus refragari, sed eas tantùm, quæ Regulæ observantiam omnino extinguerent, Monachos omnes excluderent, laïcos solos inducerent in
Ibidem. Monasteria. *Statuit non accipi traditionem in donationibus, quæ statum Monasteriorum conservat, sed in iis, qui Monasteria accipiunt, ut ea habeant sæcularia diversoria.* Author est Balsamon hanc Sergii Declarationem usu invaluisse, & suo ævo adhuc vigere. Itaque Græci tum Patriarchæ, tum Episcopi adeo non intercessere his laïcorum in res sacras grassationibus, ut ab Episcopis & Conciliis Latinæ Ecclesiæ semper factitatum est, ut consensionem, adeo-
Iuris Orien. part. 1 pag 142. 203. 204. 254 que & authoritatem iis suam accommodaverint; fucata illa cautione contenti, retineri semper ordinem in Cœnobiis Monasticum, & actionem dari in eos, qui bona Cœnobiorum dilapidassent.

Hinc excepit Alexius Patriarcha ea Monasteria, quæ conjuncta essent, & quodammodo coaluissent cum Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis, & quæ domicilia quodammodo Præsulum essent; un-
Ibidem. pag. 255. de nec ea passus est laicis commendari. *Nullo autem modo ea quæ Metropolitanorum & Episcoporum quasi domicilia sunt, & fulcra sustentaculaque sanctarum Ecclesiarum. Nec nostra id admittit mediocritas.*

Alia rursus Alexis idem Constitutione explanavit quidem immensa quædam detrimenta, & fundorum rerumque omnium damna, quæ ex hac emergerent Cœnobiorum in laïcos largitione, quanquam illis non commendarentur, nisi ut ea custodirent, tuerentur, ornarent & augerent. Sed tanto se malo expugnando imparem sentiens, levissima tantum adhibuit medicamenta, prohibito, ne quibus ea commendata essent, ipsi aliis commendarent; & ne viri Monialium, fœminæ Monachorum Cœnobiis
Ibidem. Pag. 257. præficerentur. Ubi perspicis, quanta ea labes esset, & quo se usque porrexisset. Insudaverat & Plato ille celebratissimus tot Monachorum Pater extirpandæ huic detestabili consuetudini, commendandi fœ-
Surius die 16. Decemb c. 27. minarum Monasteria viris, laïcis, servis. *Cum enim fœminarum Cœnobia gererentur à servis, maribus, &c.*

Simillimum veri est, non fuisse primum laïcos, nisi Provisores, Oeconomos, atque ut vulgatissima utar voce, Patres spiritales horum Monasteriorum: sive Procuratores eorum in rerum temporalium administratione, quo ea cura absolverentur homines Deo sacri, & contemplationi cœlestium addictissimi. Sed evanuit tandem vanissimæ excusationis fucus, palam se prodidit avaritiæ fœditas; & experimento ipso patuit, quam providè cavissent leges Ecclesiarum antiquissimæ, ne laïci unquam essent rerum Ecclesiæ Procuratores.

CAPUT XIX. *P. 4. l. 2. c. 62.*

De Commendis Episcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, Parochiarum, ab anno Christi millesimo ad millesimum trecentesimum.

I. Hugo Capetius & Robertus Reges Abbatias regulari observantia restituerant, & Abbatibus Regularibus. Bonorum divisio Commendis laïcis viam aperuerat.

II Vetuere Concilia quemquam Monachum profiteri, spe adipiscendæ Abbatiæ Ita ne Clerici quidem poterant Abbates esse.

III Initia Commendarum sub Gregorio VII Frequenter Episcopis commendabantur Monasteria aliqua Diœcesana. Amplexus quoque illud Gregorius VII. ad Cardinales.

IV Commenda Episcopatuum & Abbatiarum sub Paschali II & Alexandro III. sæculo XII.

V. Sæculo XIII plures Prioratus Clericis commendati sunt, ab ipsis etiam Abbatibus.

VI. Data in(?) & Abbatiis Ecclesiarum Præbendæ. Præbendæ quoque Monachis et Clericis persæpe commendatæ.

VII. Ubi defecerant Monachi, eorum Cœnobia Clericis permissa Parochiales Ecclesiæ Monachis, vel Canonicis Regularibus commendatæ.

VIII Parochia ei in Commendam data, qui alteram Titulo gereret, fucum faciebant Canonibus. Damnatur hic abusus; saltem ei modus aliquis imponitur.

IX De custodia Parochiarum vacantium, & Archidiaconis concreditarum.

I. Quatuor distingui possunt Commendarum genera. Cathedralium Ecclesiarum, Beneficiorum sæcularium Episcopalibus Ecclesiis inferiorum, Abbatiarum, & Beneficiorum Regularium, Abbatibus obnoxiorum. Harum nobis hic nunc progressiones, ac vicissitudines explorandæ sunt; post sæculum XI. quæ in illas item quandoque convitia, quæ fulmina vibrata sint, quæ allata delinimenta.

Constat certissimè Clericis nequaquam commendari solitas fuisse Abbatias eo tempore, quo Hugo Capetius ad Gallicani Regni gubernacula cœpit sedere: cùm Majores ejus Hugo Magnus & Robertus Comes Parisiorum, qui Francorum etiam Marchio dicebatur, eratque Regis Odonis frater, Abbatis nomine tum se ostentarent, Abbatiam possiderent sancti Germani de Pratis, eamque ad illum transmiserint, velut hæreditariam quandam successionem. Eam pravitatem inde manasse fidem facit Ai- Aimoin.
moinus, quòd cùm à Carolo Calvo Abbas Regula- L. 5. c. 34.
ris sancti Germani Privilegium deposceret, permutasset bona & prædia Cœnobii omnia, quæ firmari vellet & muniri Regio diplomate, quo & distinxisset, quæ eorum portio Abbati, quæ Monachis decerperetur, & quæ demum alendæ seponeretur Militiæ ad Regios exercitos suppeditandæ: *Scripto sub uno comprehendit, & quantum Monachi in proprios usus haberent, quantumque Abbas ad exercitum Regis, vel in proprium sibi vendicaret, disposuit.* Tum enimvero Principes portionem Abbatis sibi vendicarunt, eoque authoramento Abbates se dici non abnuerunt. *Ea quæ Abbates accipiebant, sibi addixerunt, & statuentes Decanos Monachis, sibi nomen Abbatis usurpaverunt.* Quæ usurpatio ad tempora usque Roberti Regis protracta fuit. *Usque ad tempora Roberti Regis;*

Ergo aut Abbatis nomen cavit se Hugo Capetius, aut eo se indui nunquam passus est Robertus, nulli Principum pietate secundus. Aut ambo probabilius pristinæ sanctitudini & Regularitati Abbatias omnes restituêre, eoque in se derivavere illam perennem & exundantem cœlestium benedictionum ubertatem, qua augusta eorum progenies etiamnunc efflorescit. Prope abest à vero, eo maximè illectos fuisse hos Principes, ut Abbatum & res & nomen invaderent, quòd Abbates ipsos jam cernerent sæcularium & Principum magis personam & vitam agere, quàm Abbatum; scilicet in suos usus & in luxum plerumque segregata redituum communium portione, vendicata quoque sibi & deducendæ ad Reges militiæ cura, & dispensandæ ejus redituum portionis, quæ ad id destinabatur. Gemina ea causa Abbates Regulares regularem animum vitamque paulatim exuerant, ita ut facilè sibi persuaserint sæculares Principes, id genus Abbates se quoque ipsos dici & esse posse, permissa Decano claustrali, & spiritali Cœnobii administratione.

Agam infrà uberius de Commendis Laïcorum. Pauca hic strinxi, ut demonstratem, 1. Caput & Principem augustissimæ hujus Regum Galliæ stirpis, Regni sui primitias dedicasse Cœnobiis omnibus pristinæ libertati, regularitatique restituendis, reddendisque canonicæ libertati Abbatum Regularium electionibus. 2. Cùm se his Reges Commendis Abbatiarum spoliarent, non potuit nisi longo pòst tempore fieri, ut eas sibi Clerici desponderent. 3. Potuit id commune videri utrisque Commendis & Laïcorum, & Clericorum Abbatum, ut tum demum cœperint, cùm spreta paupertatis lege irrepsit proprietas, & sua sejunctim Abbas, sua separatim Congregatio Monachorum cœpit habere. 4. Hinc orta tripartita divisio rerum in Cœnobiis, duas partes vendicante sibi Abbate, sive Regulari, sive Laïco.

II. Cùm anno 1042. Episcopus Cæsenas in Italia Clerum suum ad vitæ communis societatem astringeret, in Synodo, nec sine Metropolitani Archiepiscopi Ravennatis authoritate, *Cum Consilio Senioris & Magistri nostri Archiepiscopi Ravennatis.* Sustentationi novellæ hujus Congregationis complura seposuit dicavitque prædia, Parochias, Cœnobia. Non ea erat Commenda, sed rerum Monasterii translatio ad sæcularem, immo ad Clericalem usum. Et ab ea tamen specie non abludit Commenda; ubi scilicet & dignitas Abbatia, & portio bonorum ei addicta in Clericum traducitur.

Statutum est in Concilio Tulosano anni 1056. ut si quis Clericorum Monasticam professionem amplecteretur, ea spe incitatus, ut aliquando Abbas evaderet: ne Abbas creari unquam is posset, non sine anathematis interminatione, si eo unquam eluctaretur.
Can. 5. *Statuit sancta Synodus, ut si quis Clericorum adipiscendæ Abbatiæ gratia Monachus effectus fuerit, in Abbatia quidem Monachus permaneat, sed ad ipsum honorem ad quem aspirabat, nullatenus accedat. Quod si præsumpserit, excommunicetur.*

Ex eo Canone illud 1. elucet, non potuisse Clericos tunc ad Abbatias aspirare, nisi priùs vestem induerent Monasticam: atque adeo nullas fuisse Commendas. 2. Eo uno quod quis Abbas fieri concupisset, irregularem existimatum fuisse, & omnino summovendum, ne Abbas unquam esset. 3. Videri posse Regulam nunc pervagatissimam, posse quemvis Beneficio donari Regulari, cùm cupiat profiteri, huic Canoni minimè consentaneam esse, & ea id approbari, quod hic damnatur, vibrato etiam anathemate. Quid enim hoc aliud est, quam sacras ambire dignitates, ad quas humilitas & fuga sola viam complanat? Quid hoc aliud, quàm Monasticæ sanctimoniæ & humilitatis adumbrata professione, turpissimæ ambitioni & avaritiæ velificari? In Conciliis Romanis anni 1059. & 1063. decretum est, ut profana ea simulatione arcerentur, non à dignitate tantum Abbatis, sed & à Monastica professione. *Ut nullus habitum Monachi suscipiat,* Can. 7. 12.
spem, aut promissionem habens, ut Abbas fiat. Itaque qui non profitentur, nisi ut Prioratus & alias regulares retineant dignitates, eo uno capite indigni pronunciantur, qui sint, non dico Abbates, sed Monachi.

III. Rursum ex Clericis Commendatarii repullularunt Abbates sub Gregorio VII. Papa. Præcepit ille, ut purgaret se Pictaviensis Episcopus in Concilio Provinciali super Cœnobio, quod occuparet, & quod sui juris esse contendebat Capitulum sancti Hilarii. Nihil id ad Commendas attinet. Jus, L. 1. Ep. 71.
& reditus ejus Cœnobii inter Episcopum & Capitulum controvertebantur. At ubi idem Pontifex Episcopo Aurelianensi mandavit, ut Josselinum frui sineret Præpositura sanctæ Crucis, & Abbatia sua: *Præposituram, Abbatiamque suam idem Josselinus teneat:* non facilè te expedies quin ea Commenda fuerit Præposito majoris Ecclesiæ concredita. Idem L. 3. Ep. 17.
ipse Archiepiscopum Viennensem aut admovit, aut adseruit Dolensi Abbatiæ in Biturigibus, extruso priori Abbate, qui seipsum intruserat. Vide ut ad Monachos ejus Cœnobii rescribat idem Papa. *Apo-* L. 2. Ep. 17.
stolica vobis authoritate præcipimus, ut Viennensem Ar- 18.
chiepiscopum, quem vobis in Abbatem ordinavimus, sine omni contradictione suscipiatis, &c. Viennensi Archiepiscopo Dolensem Abbatiam concessimus, immo reddidimus.

Qui suprà memorati Canones Clericos à Monachorum Abbatiis ablegabant, ita Episcopi non includebantur, ex ipsis etiam Regulis Juris. Ostensum est superius, per illa ipsa sæcula quibus rarissimæ erant Commendæ, nemini insolens & inusitatum visum esse, si Episcopi iidem, & Abbates essent. Quin eos fuisse habitos, veluti generales Abbates Cœnobiorum sui Episcopatus, cùm potestate examinandæ totius Monasticæ administrationis, spiritalis æquè, ac temporalis. Etsi non aliunde idonea suppeterent argumenta, ex uno Gregorii VII. nomine, & austeritatis ac sanctimoniæ fama præjudicatum nobis esset, nihil ab eo præter accuratissimam Canonum normam decerni potuisse.

Ampliavit quidem forsan Gregorius ad Cardinales Ecclesiæ Romanæ Episcoporum Privilegium, quando confirmavit electionem à Monachis Massiliensibus factam Richardi Presbyteri in Abbatem. *Audivimus quod charitas vestra filium nostrum & Pres-* L. 7. Ep. 7.
byterum Cardinalem Richardum loco germani ipsius in 8.
Abbatem velit eligere, quam denique electionem nos approbamus & Apostolica authoritate firmamus. Hæc ille ad Monachos. Ad Richardum verò, qui Monachus probabiliter fuerat, ut ex his conjicitur verbis, *Volo ut fratres tuos nullo modo contristes pertinaciter resistendo.* Erat & idem Richardus jam Abbas sancti Pauli Romæ; utriusque Monasterii curam illi Gregorius commendavit, cùm illum Legatum in Hispaniam mitteret. *Postquam Monasteria tua bene compo-* L. 9. Ep. 29.
sueris, Legationem tibi commissam ad Hispanias perficere non moreris.

Extra controversiam ergo est, Gregorio VII. ad

Canonum

Canonum strictissimam observantiam pervigili, persuasum fuisse posse Episcopum, vel Cardinalem, Presbyterum, unà esse Abbatem, seu Titulo, seu Commenda: eòque nec Canones residentiæ violari, nec eos qui polygamiam spiritalem damnant; sed servtri utilitati & necessitati Ecclesiæ; nulla privatarum cupiditatum habita ratione.

IV. Commendavit Paschalis II. Archiepiscopo Toletano Bernardo non Abbatiam tantùm, cujus Monachi aufugerant metu Sarracenorum: *Nos Monasterium ipsum sollicitudini tuæ restaurandum disponendumque committimus.* Sed Episcopatum etiam Segoviensem, dum ne Segovienses cives proprium sibi suum habere Episcopum decrevissent. Epist. 66. *Segoviensem civitatem, nisi proprium desideret civitas ipsa Episcopum, personæ tuæ pro gravioris paupertatis necessitate permittimus.* Planum est eas dispensationes sol indultas fuisse Ecclesiarum utilitati, & necessitati reparandæ Abbatiæ, quæ diruta fuisset; & sublevandi Archiepiscopi Toletani, qui vix tot expensis par esse poterat, in recuperanda Metropoli & Provincia sua è ditione Sarracenorum, aliisque Episcopalibus Ecclesiis in antiquum splendorem restaurandis.

Cùm non darentur porro hæ Commendæ nisi Ecclesiarum utilitati & necessitati, erant illæ sanè rarissimæ. Duas attigimus, alteram ineuntis, alteram desinentis ejus sæculi. Interpellatus est ab Alexandro III. Papa Ludovicus VII. Galliæ Rex, ut B. Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi pro Ecclesiæ causa exulanti, Abbatiam conferret primò vacaturam, aut Episcopalem Ecclesiam, cùm eum jam Regiæ protectionis patrocinio honestasset. Append. 2. epist. 71. *Si quem Episcopatum aut Abbatiam in regno tuo interim vacare contigerit, sibi ad sustentationem sui & suorum, donec pax de cœlo nobis desiderata donetur, Regia liberalitas faciat assignari.* Terminanda videbatur hæc Commenda persecutionis tempore. Sed vel eo ipso dici potest nullo temporis termino circumscripta fuisse, cùm posset persecutio tota Præsulis vita protrahi & ætate. Et penè ita res habuit.

Si quem moveat autem, Episcopatûs Commendam non aliò spectare, quàm ad alendum Episcopum cum familia sua: illud ab eo perpendi velim; nihil esse ad utilitatem, ad necessitatem, ad dignitatem Ecclesiæ accommodatius, commendatiusque, quàm ali, protegi & defensari inopes & misellos quosque, maximè verò Clericos, Prælatos, Martyres, Ecclesiæque & ejus libertatum invictissimos defensores. Adde quod si reapse Episcopalis aliqua Galliarum Thomæ fuisset commendata Ecclesia, nulla non alia Ecclesia illins aut invidisset, aut adgratulata esset felicitati, & innumeris ornamentis virtutum, laudumque, quæ ab eo in eam manassent.

Nec à Rege tunc, nec à Pontifice Abbatiæ aut Episcopatus donabantur, cùm liberæ vigerent electiones. Rogavit tamen Pontifex Regem, ut daret, vel dari faceret alterutrum: *Regia liberalitate faciat adsignari.* Apparet ansam inde captasse Pontificem, quod Ecclesiarum & Monasteriorum vacantium res custodiæ Regum protinus commendarentur, donec novus exurgeret Prælatus, ut Regem interpellaret, arreptaque ea occasione consultum ut vellet Thomæ Archiepiscopi necessitatibus. Nec his sanè hærere fas est subtilium de jure disputationum tricis, quando ingens aliqua controvertitur Ecclesiæ causa.

Intexuit Rogerius Historiæ suæ Acta Concilii Londinensis anno 1175. sub Alexandro III. addiditque Clerum Ecclesiæ S. Asaphi in Voallia ad hoc Concilium confugisse, & ad Archiepiscopum Cantuariensem, ut repeterent Sant-Asaphensem Episcopum, qui ab Ecclesia sua secesserat, cujus nec paupertatem jam pati posset, nec civium barbariem. Episcopum illum fugacem Rex Abbatia donarat, dum suam in Ecclesiam redire posset. *Veniens in Angliam à Christianissimo Rege Henrico benignè & honorificè susceptus est; cui & tradidit Abbatiam Abendonia vacantem in custodia, donec ad propriam sedem liberum haberet regressum.* Sant-Asaphensis Episcopus urgente Cantuariensi, ut Ecclesiam suam aut eò reversus regeret, aut resignaret, resignavit, confisus eadem se ac priùs Abbatia potiturum. *Sperans quod Abbatia de Abendonia, quæ tradita ei fuerat in custodia, posset sibi remanere.* Fefellit enim opinio sua, simul ac Episcopatui renuntiavit, Rege Abbatiam repetente. *Et sic deceptus amisit utrumque. Nam Rex dedit Episcopatum sancti Asaph Magistro Ada Vualensi, & Abbatiam cuidam Monacho.*

In Commendam ergo, & quidem temporariam, *in custodia*, Angliæ Rex eam illi Abbatiam concesserat. Cum primùm enim vidit Præsulem ignavi otii plus æquo amantem, Abbatiæ fruendæ voluptatem præponere Episcopalis sollicitudinis laboribus, quò eum Metropolitanus & Clerus proprius revocabat; Beneficio illum spoliavit priùs commendato modo, quandiu utilitas Ecclesiæ publica deposceret. Sunt alia quoque apud eundem Rogerium exempla Episcoporum ab Angliæ Rege Abbatiis donatorum; Anno 1183. quarum si tam canonicæ erant causæ Commendarum, atque superiorum, non est quod de Canonum injuria aut contemptu doleamus. Diximus suprà de duabus Abbatiis Petro Damiani commendatis, ubi egimus de pluralitate Beneficiorum. Nemo jure Petro invidiam fecerit ex hac vel polygamia, vel commendatione Ecclesiarum: faciliùs hæc alioqui invidiosa & persæpè criminosa, nomine & splendore sanctitatis Petri Damiani purgabuntur, quàm ex his infamia, aut vel suspicio flagitii ei aspergatur.

V. Sæculo XIII. non facilè occurrent Commendæ Episcopatuum aut Abbatiarum; occurrent autem creberrimæ Prioratuum, Parochiarum, & inferioris ordinis Beneficiorum. Statutum est in Concilio Salmuriensi anni 1253. ut in Prioratibus, qui Monachis vel Clericis concessi fuissent, pristinus retineatur numerus Monachorum. *Provideant Episcopi sollicitè, prout invenimus à pia memoria Gaufrida prædecessore nostro statutum, & malè ab Abbatibus custoditum, quod in Prioratibus Monachis aut Clericis concessis, suppleatur antiquus numerus Monachorum.* Can. 19. Erant ergo Prioratus duplicis generis, alii Monachis concrediti, alii Clericis commendati: nec de his Commendis expostulat Concilium, dum Clerici, seu Priores Commendatarii pristinum alant numerum Monachorum. Imminutus fuerat potissimum à Prioribus sæcularibus, seu Clericis numerus Monachorum, ejusque rei dedecus in Abbates retorquebatur, qui suapte authoritate hos Regulares Prioratus Clericis commendaverant.

Inde est quod Concilium rursus Salmuriense anni 1276. molestè tulerit minùs obtemperatum fuisse decreto de numero pristino Monachorum, prohibueritque ne deinceps Abbates eos commendare Clericis possent Prioratus, quorum ex redditibus commodè possent duo saltem Monachi sustentari. *Licèt* Can. 20. *in prædecessorum nostrorum Conciliis fuerit aliàs rationabiliter ordinatum, de supplendo in Prioratibus Clericis sa-*

cularibus concessis, debito numero Monachorum. Quia tamen nullum exinde invenimus fructum consecutum, ne fundi locus in talibus de cætero relinquatur, prohibemus ne quis Abbas, vel alius Prioratum quemlibet in Turonensi Provincia situm, in quo possint ad minus duo Monachi commode sustentari, vel consueverint morari, cuiquam sæculari conferre præsumat. Si secus actum fuerit, id irritum decernentes.

Non displicebat ergo huic Concilio, Prioratus etiam paulò numerosiores Clericis commendari, si animum adducere illis potuissent, ut numerum Monachorum non minuerent. Et quantumvis Priores Commendatarii tandiu peccassent in ejusmodi decreta Conciliorum, commendantur illis adhuc ii Prioratus, in quibus ali saltem duo Monachi non poterunt præter Priorem. Denique ex his Canonibus apertum est, Abbates quidem ipsos plerumque fuisse harum authores Commendarum, sed non solos. Quinam alii fuerint, non satis compertum est. Probabilius utique est, vel Patronos ipsos fuisse, vel Episcopos.

VI. Ex Honorii verò III. Decretali compertum est, Abbatias fuisse aliquas, in quibus commendari fuissent Clericis non solùm Prioratus, vel Abbatum ipsi Tituli, sed & Monachorum. Damnavit hic Pontifex eam Clericorum Monachorumque cohabitationem, Constitutionibus Monasticis tantopere adversantem: vetuit posthac ne istiusmodi sedes Monachorum Clericis conferrentur: qui autem his jam Beneficiis donati essent, eos jussit paci & silentio Monasteriorum sese accommodare. *Præcipimus quoque, ut in nullo ministerio ad Præbendas recipiant de cætero Abbates & Monachi Clericos sæculares. Nec hi qui jam recepti sunt, locum vel vocem in Capitulo, Dormitorio, vel Refectorio, seu Claustro sibi vendicare contendant, seu Monachorum cœtibus importunè se præsumant miscere: sed Beneficiis sibi concessis contenti, conversentur honestè, opportuna obsequia in Monasteriis fideliter impendentes, nihilque ultra in spiritualibus vel temporalibus exigant in ipsis Monasteriis, vel usurpent.*

Extra. De statu Mona. c. 8.

Cui rei ut aliquid lucis affundatur, replicanda eorum memoria est, quæ alibi disceptata sunt de Præbendis Ecclesiarum Cathedralium & Collegialium, quibus Monasticæ Congregationes impertiebantur. Quadam ergo quasi vicissitudine beneficentiæ, ab Abbatibus collatæ fuerant Clericis Monachales Præbendæ. Minimè verendum erat, ne Monachus Clericorum quieti & silentio obstreperet Capituli. At sæcularium Clericorum erant non rarò tumultuosiores, vel loquaciores aliqui, quàm Cœnobiorum tranquillitati conciperet. Hinc illa Pontificis prohibitio.

VII. Erant quandoque causæ, & quidem quæ ad utilitatem Ecclesiæ referrentur, ubi non Abbatis tantùm, non Prioris, non Monachi unius, aut alterius Clerico subrogato locus implendus esset; sed totam expediret Congregationem supprimi Monachorum, suffectis in eorum locum Clericis. Ea fuit Innocentii III. responsio ad Patriarcham Constantinopolitanum: non aliis Monasteria, quàm Monachis concedenda. Sed ubi deessent Regulares, Clericos substituendos. *Quandiu Monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad sæculares Clericos transferenda. Sed si Regulares defuerint, propter eorum defectum, in eis sæculares Clerici poterunt ordinari.*

Extra. De Relig. Dom. c. 3.

Potest & huc referri illa Innocentii III. Decretalis, ubi Canonicis annuit Regularibus, ut Parochiales Ecclesias administrent, cùm antiqui Canones eandem Monachis indulserint facultatem. *Et per antiquos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum Parœcialium regimen in Presbyteros ordinari.* Alterius scilicet generis hæ Commendæ sunt, ubi quæ à Clericis solis regendæ essent Ecclesiæ, à Monachis vel Canonicis Regolaribus regantur. Quæ Canonum eversio ut ipsa quidem toleranda esset, nisi ad publicam Ecclesiæ utilitatem referretur; ideoque hæc eadem Ecclesiæ utilitas æquè excusat contrarium prorsus usum Regularia Beneficia Clericis sæcularibus committendi.

De Statu Monac. c. 5.

VIII. Illud omnium minimè tolerandum visum est; & tum canonicis regulis, tum Ecclesiæ rationibus inimicum, cum Parochiales Ecclesias illis commendabant, qui eas titulo obtinere aut retinere non potuissent. Potuit ea corruptela Canonumque ludificatio inde initium duxisse, cum plures Parochiæ minusculæ uni credebantur Parocho, quòd duobus sustentandis haudquaquam sufficerent. Id Canones non vetabant, & qui vetuissent, quod ne vitari quidem poterat? Sed Concilium Salmuriense anni 1253. succensuit Episcopis, Collatoribusque aliis, qui pinguissimas conferebant iis Parochias, qui jam alias regebant: unde & quas titulo non poterant, in Commendam dabant. *Nonnulli Episcopi & alii Prælati propriis lucris & commodis suorum inhiantes, Ecclesias Parochiales, quæ proprios possunt habere Sacerdotes, Clericis & aliis personis Ecclesiasticis, habentibus alias Ecclesias Parochiales, vel competentem beneficiatis, ut possint eos pluribus onerare Beneficiis, commendant unam vel duas Ecclesias Parochiales, in animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum. Ut sic habeant commendatas, quas secundum Canones non possunt habere intitulatas. Quod fieri de cætero prohibemus.*

Can. 28.

Paulò antè, anno nempe 1248. Legatum in Anglia agens Cardinalis Ottobonus, longè pulcherrimas promulgaverat Constitutiones, quas inter eam quæ his Parochiarum Commendis interdicebat, saltem limites delineabat arctiores, ut sordidam eorum restringeret avaritiam, qui licentia abutebantur à Canonibus concessa, duplicis retinendi Beneficii, alterius titulo, alterius in Commendam, dum scopus ejus Commendæ non alius esset, quàm Ecclesiæ commodum dignitasque. *Dum ditari festinant, vacantes Ecclesias sibi commendari procurant, amplectentes juris verba, non sensum, quod aliquando permittit unam habere Ecclesiam intitulatam, & aliam commendatam. Et cùm juxta sanum sensum, propter necessitatem vel utilitatem vacantis Ecclesiæ, jus commendationis, non tam præceptoriè, quàm permissivè fuerit introductum; ipsi ad cupiditatis suæ lucrum omnia convertentes, in ipsarum Ecclesiarum dissipationem, non solùm unam sed plures recipiunt commendatas.* Legati ergo Synodique decreto cautum est, ne plusquam unam Commendam consequi quisquam posset, & ne id quidem nisi ad Ecclesiæ evidentem utilitatem: *Nisi ex evidenti utilitate, unius tantùm Ecclesiæ commendatio facta sit, penitus revocamus.*

Conc. Angl. pag. 281.

Postremò denique in Concilio Generali Lugdunensi II. anni 1274. proscriptæ fuere omnino & excisæ Commendæ Parochiarum, vetitumque est, ne ex deinceps darentur, nisi eam assecutis ætatem, qua Presbyteratu initiari possent, ad urgentem aliquam Ecclesiæ necessitatem, denique in sex non amplius menses. *Nec non si unam commendare præsumas, & evidenti necessitate vel utilitate ipsius Ecclesiæ suadente. Hujusmodi autem Commendam, ut præmittitur,*

Can. 14. in Sexto. Tit. 6. c. 15.

ritè factam, declaramus ultra semestris temporis spatium non durare. Anno 1279. in Concilio Angliæ Reddingensi innovatum est hoc decretum; nec posthac obviæ usquam sunt Parochiarum Commendæ. Ex quo liquet eas penitus oppressas fuisse authoritate Concilii Lugdunensis, quanquam reviixerint post annum millesimum trecentesimum.

Porro ut hoc a XIII. sæculo omni ope animique contentione incubuere Concilia, Pontifices, Episcopi, ad extinguendas Prioratuum & Parochiarum Commendas: & eam in illas decantatissimam inconcussamque inculcavere regulam Commendarum, nullo patrocinio, nullo prætextu defendi eas à quoquam posse, nisi Ecclesiæ famulentur utilitati; Inde factum etiam forsan est, ut nullæ tunc commendarentur, vel rarissimæ Abbatiæ, & Episcopales Ecclesiæ; quòd eodem ariete hæ quoque Commendæ impeterentur.

IX. Nihil dixi de custodia vacantium Parochiarum, quæ interim Archidiacono committuntur, plurimarum ex usu Ecclesiarum, forsan & ex Jure canonico, ut patet ex duobus Decretalium Capitulis: *Bona memoria*, *De appellationibus*, *Cùm venissent*, *De Institutionibus.* Viget etiamnunc ea consuetudo in pluribus Galliæ Ecclesiis. Ratio non permiscendæ hujus Parochiarum custodiæ cum Commendis, in aperto est. Archidiaconus harum Ecclesiarum, tam Commendatarius non est, quàm nec Titularis. Quæ hactenus Concilia in Commendas Parochiarum invehebantur, has Archidiaconorum custodias ne verbo quidem ullo perstrinxerunt. Concilii Lugdunensis II. Patres, qui peremisse videntur Commendas Parochiarum prorsus omnes, iis ad sex menses coarctandis & rescindendis, nisi Ecclesiæ unius ad commodum & utilitatem fierent: ii ne attigere quidem has earundem Parochiarum custodias per Archidiaconos, quæ hactenus etiam vigent.

CAPUT XX. *P. 4. l. 2. c. 63.*

De Commendis Episcopatuum, Abbatiarum & Prioratuum post annum Christi millesimum trecentesimum.

I. Revixere Episcopatuum & Abbatiarum Commendæ sub Clemente V. sensit ille quo vulnere cruentasset Ecclesiæ disciplinam, gemuit, pro viribus medicatus est.

II. In Concilio Viennensi in Commendas peroravit Episcopus Mimatensis, & in Cardinales qui plures gererent Prioratus sibi commendatos, cùm vestem Monasticam induissent nunquam.

III. Sub Joanne XXII. increbrescunt Commendæ, reprimuntur à Benedicto XII. Quæ occasione multiplicatæ sint. Soli Cardinales iis donabantur.

IV. Rursus increbrescunt sub Clemente VI. rursus comprimuntur & revocantur omnes, præterquam Cardinalium sub Innocentio VI.

V. Quo statu illæ fuerint temporibus Conciliorum Pisani & Constantiensis.

VI. Et Concilii Basileensis tempore.

VII. Quæ earum conditio fuerit sub Pio II. Cameracensis & Papiensis Cardinalium audacia & religiosissima monita.

VIII. De Commendis sub Sixto IV. & Leone X. Decretum Concilii Lateranensis V. super eas.

IX. Quid Concordata de Commendis.

X. Concilii Tridentini desideria & decreta de Commendis.

XI. Mira hujus Concilii circumspectio & sapientia. Enormitas mali, cui medicinam se facere posse desperavit.

XII. Alia decreta Concilii Tridentini super Beneficiis Regularibus, quæ conferuntur sæcularibus presbyteris. Et de visitatione Episcoporum in locis commendatis.

XIII. Nec Cardinalis potest Episcopatus duos retinere, alterum titulo, alterum commendatum.

XIV. Ut commendatis Beneficiis utuntur Cardinalis Lotharingus, ut S. Carolus Borromæus.

XV. Concilii Rotomagensis remedia præclarissima ad Commendatarios.

XVI. Varia Decreta Conciliorum Remensis, Turonensis, & Aquensis.

XVII. Comitiorum Generalium & Regum Galliæ statuta de Commendis.

XVIII. An Indulto Provinciæ permitterentur Commendæ.

XIX. Ut se gesserit in his Clemens VIII.

XX. Tria postremò monentur ponderis non minimi de Commendis.

I. Revocanda jam est, unde declinavit oratio, ad Commendas majores Episcopatuum & Abbatiatum, post annum Christi millesimum trecentesimum. A vero, aut à verisimili certè propè abest, primum omnium Clementem V. januam latissimam aperuisse illi licentiæ Commendarum, cui pii probique omnes postea tantopere ingemuere, & illacrymantur adhuc, cum Cathedrales Ecclesiæ & Abbatiæ commendatæ fuere, non sincera charitate Ecclesiæ utilitati vel dignitati consulendi, sed ut ditescerent carnales homines pauperum patrimonio; ut Magnatum & Principum libidini serviatur; ut larga manu spargantur Beneficia, quæ tam malè collocata, & dantibus & accipientibus peræquè detrimento futura sint. Gravissimo morbo correptus Clemens tertio Pontificatûs anno, sensit quàm exitiali plaga Ecclesiæ disciplinam convulnerasset, errorem suum publicè confessus est, Commendas revocavit omnes, quas sibi vel eblanditi essent homines ambitiosi, vel extorsissent; non dissimulavit denique, quibus rationibus, vel rationum umbris & ludibriis delusus fuisset, & ad ea impulsus consilia, ex quibus unum hunc jam caperet fructum, animi dolorem acerbissimum & pœnitudinem. Malè meritus essem de tanto Pontifice, si tacuissem, quod nec ipse tacuit; nec damnassem, quod ab eo vehementissimè improbatum & damnatum est. Radiat in Annalibus Ecclesiasticis Pontificis hujus ea Constitutio, qua aperit, & quantum mali primò intulisset, & quæ mox adjecisset ei procurando medicamenta.

Confitetur primùm non potuisse se inter initia Pontificatûs non indulgere aliquid & gratificari precibus Regum, Antistitum & Magnatum, quibus antiqua & suavissima quadam necessitudine devinctus fuerat, & quorum in ditione habitaret. *Quia in terris morantes eorum, gradum hujus promotionis habuimus.* Existimasse se, tutum esse in vestigia ingredi & in exempla Antecessorum suorum, quibus familiare fuit auspicia Pontificatûs sui dedicare larga quadam donorum profusione & gratiarum. *Ex assueta liberalitate Pontificum, quam in suis exercere sunt soliti novitatibus.* Importunitate sibi sæpè extortum fuisse, quod lex justitiæ minùs annueret: *Ad eorum importunas & multiplicatas precum instantias.* Sed post concessas à se Commendas, custodiasque Metropoleon, Episcopatuum & Cœnobiorum Clericis sæcularibus, Monachisque, ad tempus, vel ad vitam: *Ecclesias Episcopales & Monasteria, sub Commenda, vel Custodia, seu Cura, vel Guardia, aut Administrationis titulo, perpetuò, vel ad vitam, seu ad certi temporis spatium committenda.* Serò quidem, sed seriò advertisse se tandem, quantum dispendii in his Commendis emergeret in Ecclesias, quarum spiritale regimen feriebatur, temporales dissipabantur res, greges omni ope & præsidio destituebantur. *Prospeximus evidenter, quod Ecclesiarum & Monasteriorum cura negligitur, bona &c.*

Rainal. an. 1307 n. 28. Extravag. Commun. L. 3. Tit. 2. c. 2.

jura dissipantur, subjectis eis personis & populis spiritualiter plurimum & temporaliter derogatur, eisque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum. His impulsus est Clemens, ut Commendas omnes revocaret, etiam Cardinalium. De Commendis prædecessorum ne meminit quidem, quòd nullæ, aut rarissimæ fuissent. Ideo nec iis concedendis dixit se usum exemplo & more Majorum.

II. Errores tam splendidè emendari, laudi etiam vertunt & gloriæ. An verò in ipsa rerum executione res processerit Clementi ex animi sui sententia, id verò non satis mihi quidem liquet. In Concilio enim mox Viennensi conquerebatur Durandus Mimatensis Episcopus, quòd Cardinales commendas adhuc extorquerent Ecclesiarum Cathedralium, etiam ultra mare sitarum. *Ecclesias etiam Cathedrales & Ultramarinas sub diversis coloribus sibi faciant commendari.* Nec religiosius abstinebatur Abbatiis & Prioratibus; his commendaris gaudebant Cardinales, qui Monastica instituta nec primoribus labris unquam delibassent; unde scatebat extrema pernicies Monasticæ Disciplinæ. *Ex hac peste etiam noviter introductum est contra jura, quòd Prioratus Conventuales, & alia Beneficia Ecclesiastica consueta regi per Monachos & alios Regulares, domini Cardinales, ac si Beneficia sæcularia nequaquam sufficiant, sibi & suis faciunt assignari, quanquam non efficiantur Monachi, &c. Ex quibus in dictis Prioratibus & Beneficiis Regularium, periit in totum Regularis observantia disciplina: cùm non sit inter eos, qui corrigat, non sit qui doceat, &c. Fraudatur hospitalitas, in dictis Prioratibus & Beneficiis consueta. & jura ac bona Prioratuum hujusmodi dissipantur, &c.* Ex toties hic iterata Prioratus voce, facilè colligitur, Prioratus solos tum commendari solitos, non Abbatias. Sicut & ex eadem hac querimonia solis liquet Cardinalibus istiusmodi tum Commendas solitas indulgeri. Ostensum est superiori sæculo ab Abbatibus ipsis promiscuè commendatos fuisse Clericis sæcularibus Prioratus. Hinc forsan cupido incesserit Cardinales, ut & ipsis sibi illi commendarentur.

Part 2. Tit. 21.

III. Joannes XXII. Clementi successor datus, primo ipso Pontificatus sui anno, cùm Cardinalatu & Episcopatu Portuensi Aniciensem Episcopum donasset, Aniciensem Episcopatum ei commendavit. *Nihilominus Aniciensem Episcopatum tenendum commendavit.* Nepotem idem Pontifex suum Cardinalitia auxit purpura, & Avenionensem Episcopatum, quem priùs gerebat, commendavit. *Avenionensem Episcopatum sibi pariter commendavit.* Ita Scriptor ejus vitæ. Nec his se angustius sepsit Joannes, sed Episcopatus, Abbatiasque, non Cardinalibus tantùm, sed & aliis compluribus tam liberaliter dilargitus est, ut successor ejus Benedictus XII. anno Pontificatus sui secundo effusiores illas omnes revocaverit gratias, præterquam Cardinalium. Audiendus Scriptor ejus vitæ: *Revocavit omnes Commendas factas per prædecessores suos de Ecclesiis Cathedralibus, & Abbatiis quibuscumque personis, Cardinalibus & Patriarchis duntaxat exceptis.* At Scriptor alius: *Exceptis Cardinalibus, quorum Commendas nondum revocavit.* Quo subinnuitur speratum Pontificem, opportunè etiam aliquando revocari à se posse Commendas Cardinalium: gnarum scilicet, nisi exemplo præluceant, qui præfulgent & dignitate, nunquam restaurari posse priscam sacræ Disciplinæ integritatem.

Rainal. an. 1316 n. 20.

Rainal. an. 1335 n. 67.

Ea porro Commendarum revocatio pene suadet, nullum iis limitem finemque temporis præfixum fuisse. Illas tamen Episcopatuum quandoque certo annorum numero definiebat Joannes XXII. Diximus jam suprà ab eo Presbyterum Cardinalem creatum fuisse Talarandum Episcopum Altisiodorensem, interpellante Franciæ Rege, commendatumque ei fuisse Episcopatum Altisiodorensem usque ad diem festum B. Mariæ Magdalenæ, ut itineris Romani hinc suppeterent impensæ. Experierat & alterius promotionem Rex, dissensum suum ea ratione excusavit Pontifex, Quod viginti jam Cardinales essent, & ex iis Galli sexdecim. *Circumspectionem Regiam volumus non latere, quod jam viginti Cardinales, de quibus sexdecim de Regno Franciæ originem traxisse noscuntur, existunt in Collegio memorato.*

Rainal. an. 1331. n. 35.

Hinc edocemur 1. Numerum Cardinalium permodicum adhuc fuisse, adeoque nec magno fuisse numero Commendas, quibus donabantur ex privilegio quodam singulari. 2. Cardinales hos plerosque fuisse Gallos, Galli erant & Pontifices ipsi: à Gallis ergo ortum duxit immodica Commendarum multiplicatio: sicut & suprà animadversum est, à Gallis maximè profectam esse & propagatam Beneficiorum pluralitatem. 3. Quæ de Clemente V. & Joanne XXII. dicta sunt, qui duo primum Pontifices suam Petri sedem Avenione defixerunt: ex his facilè illud conjectura assequimur, ex ea sedis Pontificiæ Avenionem translatione scatuisse illam multitudinem Commendarum. Nec enim nisi ægrè poterant Pontifices non annuere, siquid peterent ii Principes, quorum in terris demorabantur. Cardinales autem quandiu Roma, & Italia aberant, nullis inde proventibus, nullis temporalibus subsidiis allevati, non aliunde ferè poterant quam ex Gallicanæ Ecclesiæ Beneficiis, & vitam, & dignitatem suam sustentare. 4. Ei clado mederi voluere Pontifices, ut patuit in Benedicto XII: sed experti tandem ipsimet sunt, infligi faciliùs vulnera, quam sanari; & utcumque persanentur, superesse cicatricem.

Quanquam revocasset Clemens V. Commendas omnes, novas tamen concessit Joannes XXII. etiam Abbatiarum, etsi Clemens Abbatias commendasset nullas, & expressissimo decreto vetuisset in Abbatiis eligi alterius Ordinis Abbatem. Hinc pene dubitare cogimur, an Benedicti XII. revocatione cohibiti fuerint ejus successores. Cùm expeterentur tamen Cardinalea, pronius erat eam observare. Quin & hic ipse Pontifex ponebat, commendari adhuc posse Cardinalibus Abbatias & Prioratus Canonicorum Regularium, itemque & aliis Clericis sæcularibus, dum idem semper numerus retineretur Canonicorum Regularium. *Tot Canonici teneantur, quot in eis tenerentur, si per Canonicos regulares, Monasteria, Prioratus & Beneficia hujusmodi regerentur.*

C. Cum ratione. De electione in Clement.

Constitutio. Ann. 1339. n. 26.

IV. Clemens VI. Benedicto XII. successor datus probabiliter creditur à commendandis Episcopatibus abstinuisse: cùm evecto in Presbyterum Cardinalem Episcopo Atrebatensi, illum statim absolverit eo Episcopatu. Vide ut ad eum scripserit. *Dilecto filio Petro S. R. E. Presbytero Cardinali, olim Episcopo Atrebatensi, &c. Te à vinculo, quo Atrebatensi tenebaris astrictus, per nos de potestatis plenitudine absolutam, ad Cardinalatus honorem duximus assumendum.* Certè idem Pontifex Delphino Viennensi ad Patriarchatum Alexandrinum provecto commendavit Archiepiscopatum Remensem: *Remensem Ecclesiam sibi perpetuò commendavit.* Sed ea erat causa

Rainal. an. 1344. n. 65. An. 1350. n. 40.

maximè specialis, ubi de Delphinatu ipso agebatur ad Galliæ Reges transferendo.

At Innocentius VI. qui in ejus locum suffectus est, primo statim anno Pontificatus sui rescidit & revocavit Commendas omnes Episcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, Dignitatum, Administrationum, & omnium Beneficiorum Regularium, exceptis semper Cardinalibus: *Singulas Commendas de Cathedralibus, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Prulaturis, Prioratibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis, Beneficiis, authoritate Apostolica revocamus.* Revocatoriis diplomate luculentissimè pertexuntur calamitates ex Commendis pullulantes, eædem nimirum ipsæ, quas suprà Clemens V. & Durandus Mimatensis Episcopus enumerarunt.

Reinald an. 1355. n. 31.

V. Potuit ea Constitutio eò etiam valere, quòd Cardinales exciperet, quorum contemplatione alioqui facilius convelli potuisset. In Concilio Pisano anno 1409. Alexandrinus Patriarcha, idem perpetuus dicitur Administrator Episcopatus Carcassonensis. In Concilio Parisiensi anno 1394. Patriarcha Hierosolymitanus perpetuam gerit & ipse administrationem, seu Commendam Episcopatus sancti Pontii Tumeriarum. In Concilio Constantiensi anno 1416. vacasse narratur Episcopatus Olomucensis in Muravia, obitu Patriarchæ Antiocheni, qui ejus & ipse perpetuam gerebat Commendam, *Qui authoritate Apostolica, quod viveret, eam habebat in Commendam.* Eum Episcopatum Synodus ipsa commendavit vicino Episcopo Lutumoslensi, usque ad electionem novi Pontificis, & ternos deinde menses. *In favorem, & ut necessitati & utilitati ipsius Ecclesiæ occurratur, venerabili fratri Joanni Episcopo Lutumuslensi, usque ad electionem futuri Pontificis Romani, & ex post ad tres menses immediatè sequentes, sacrosancta Constantiensis Synodus concedit & committit custodiam, curam, regimen & administrationem Ecclesiæ Olomucensis in spiritualibus & temporalibus, &c.*

Sess. 35.

Simillima est hujus Concilii Commenda primorum Commendis Ecclesiæ sæculorum, cùm vacanti Ecclesiæ vicinus quispiam Episcopus Visitator, Interventorque dabatur, & Commendatarius, quando ne ista quidem tum vox ferè esset inusitata. Temporaria hic datur Episcopo Lutumuslensi Commenda, quo creatus mox Pontifex in potestate habeat ei providendi.

Inter Additamenta Concilii Constantiensis, conjectæ sunt commentationes quædam Decretorum, magis quam decreta. Agitur & in uno earum capite de Commendis. 1. Ut Patriarchæ & Cardinales, quibus aliunde non suppetunt ulla vitæ & dignitatis tuendæ præsidia, una tantum donari possint Ecclesia Cathedrali, vel Metropolitana. *Una etiam Ecclesia Metropolitana uni Cardinali, vel Patriarcha concedi poterit, provisionem aliquam sufficientem non habenti.* 2. Ut Abbatiæ, Prioratus Conventuales, ubi essent adhuc plus quam decem Monachi, Officia Claustri, Cathedralium primæ post Episcopum dignitates, & Ecclesiæ Parochiales, commendari nulli unquam possent, & ne ipsis quidem Cardinalibus. *In posterum Monasteria, aut magni Prioratus Conventuales, habere consueti his temporibus ultra decem Religiosos in Conventu, & officia Claustralia: dignitates majores post Pontificalem in Cathedralibus, sive Ecclesiæ Parochiales: nulli Prulato, etiam Cardinali, dentur in Commendam.*

Append. Conc. Constan. c. 7.

VI. Permirum porro illud est, cùm in Concilio Basileensi tot edita sint Decreta, de Electionibus, & de restringendis Reservationibus Beneficiorum, nihil de Commendis decretum sit, uti nec in Pragmatica Sanctione. An Principes summi Regesque clam intercessere, ne eriperetur sibi facultas nullis suis impendiis præcellentes quosque viros demerendi? Cùm Carolus VII. à Pio II. oraret Episcopatu Castrensi donari Comitem Marchiæ, Regii sanguinis Principem, unde viginti tantum annos natum, abnuit Pontifex, monuitque Regem, ni meminisset, se ipsum olim impetrasse à Nicolao V. Ecclesia Episcopali, qua juvenis & Episcopali ætate minor donaretur, stupuisse, & quodammodo doluisse, quod præter spem & expectationem suam id impetrasset. *Quanquam ego intercesserim, nunquam tamen putavi hoc illum esse facturum.* Denique Pius Carolo Regi ostendit se Castrensem Ecclesiam alteri cuipiam commendaturum, donec annum ætatis vigesimum quintum attingeret Marchiæ Comes. Hinc abundè liquet, quam alieni essent Reges à comprimendis omnino Commendis.

Reinal an. 1459. n. 87.

VII. Nec displicebant magnopere Episcopis ipsis Commendæ, ut qui & ipsi iis non rarò cohonestarentur. Sub eodem Pio II. contigit memorabile illud à Papiensi Cardinali literis mandatum. Cùm Cardinalis Ostiensis proponeret in Consistorio spontaneam cessionem Abbatis in Gallia jam grandævi, & preces Episcopi etiam Galli, qui illud sibi commendari Cœnobium supplicabat; Cardinalis Joannes Carvajalis Episcopus Portuensis respondit, illius Episcopi preces sordidissima ex avaritia scatere, commendata jam esse omnia pene Galliarum Cœnobia, verendumque ne aliquando insurgeret in Curiam Romanam Gallia universa, tantæ perversitatis impatiens. *Vereor, beatissime Pontifex, ne propediem audiamus, omnia Galliarum Cœnobia commendata esse, & nullum relictum, quod Abbatem suum habeat; ita quidquid ibi à nobis decernitur, commendatio est. Surget nobis non expectantibus aliquando Regnum illud in nos, ferre ultra non valens inutile ministerium nostrum.*

Iacob. Card. Papi. Epist. 95.

Adeo non exasperatus est Pontifex magnanimi & piissimi Cardinalis audacia, ut ab ea sententia seipsum prope abesse testatus sit; addideritque, quod stupendum, à Pontificatu Calixti III. prædecessoris sui, commendata fuisse Cœnobia plusquam quingenta, denique reformidandum esse, ne ea perversitate clades aliqua ingens Ecclesiæ inveherentur. *Approbavit judicium Pontifex, & adjecit credere se à Pontificatu Callisti in eam diem, amplius quàm quingenta Monasteria esse jam commendata, atque ideo in metu sibi esse, ne corruptela hac maturius opinione in scandalum grave erumperet.*

Reinal an. 1464. n. 68

His enarratis Cardinalis idem Papiensis mox subdit, Commendas olim soli Ecclesiarum necessitati datas fuisse, quæ tunc manibus laicorum deprædatorum extorquendæ essent; at postea feracem eam fuisse segetem nefariarum cupiditatum, unde ingens in Clericos redundaret infamia. *Commendandorum ab initio Cœnobiorum non ea fuit ratio Patribus nostris, ut sagina Ecclesiasticorum illa darentur; sed ut fide & studio majoris alicujus, quæ occupata à sæcularibus essent, redimerentur: & neglectus divinus cultus in pristinum revocaretur. Deflexit res, & in abusum hunc venit, odibilem Deo, & sorti nostræ infamem.*

Primigeniam quidem Commendarum originem non attigit hic Papiensis. Sed eam ejus animo conjecturam injecerat, propria, ut reor, experientia. Ipsemet enim refert, commendatam sibi à Papa Abbatiam fuisse opulentam in civitate Papiensi, sed quam geri oporteret ab homine quopiam præpo-

Epist. 1. 161. 170. 171. 172.

tente. *Insigne quidem & locaples, & propter difficilem temporalium curam potentis alicujus ministerio egens.* Cujus ne ipse quidem in possessionem venire potuisset, nisi intervenisset Ferdinandus Rex, & objecta à Mediolanensi Duce repagula amolitus esset. Alii enim cuipiam Dux eam à Papa Abbatiam poposcerat.

Papiensi gaudebat Episcopatu multis nobilis virtutum insignibus hic Cardinalis, duplicique præterea Abbatia, Papiæ altera, altera Florentiæ. Ratio perfacilis & perexpedita est. Ubi res istiusmodi jam usitatissimæ & pervagatissimæ sunt, viri etiam probi eodem torrente abripiuntur, sed quibus alii propudiose abutuntur, ipsi utuntur sanctissimè; in eaque opum & honorum exuberantia, qua cæteri insatiabiles cupiditates suas exsatiare laborant, ipsi explicandæ charitatis adjumenta nanciscuntur.

Rainal. an. 1459. n. 84. 85.

Quod ad Commendas attinet Episcopatuum sub hoc Pontifice, relatæ sunt à Rainaldo litteræ ab eo datæ ad Isidorum Cardinalem Russiæ, Episcopum Sabinæ, ut ei sarcinas imponeret Patriarchatûs Constantinopolitani, Metropoleon Eubææ & Nicosiæ. Ecclesiæ istæ omnes Infidelium jugo & potestate premebantur, nec id genus erant Commendæ, quas divitiarum honorumque cupido ambiret.

Epist. 512.

VIII. Inter Epistolas Cardinalis ejusdem Papiensis, illa legitur Sixti IV. ad Regem Arragonium, qua negat commendari posse Cæsaraugustanam Metropolim sexenni ejus notho; nec enim vel se, vel Cardinales assentiri posse annuendæ ei gratiæ, qua certissima importatur & damni pernicies, & petenti, & ei cui res datur. Ea repulsa exacerbatus Rex tam immaniter sævit in Cardinalem Valentinum, quem Pontifex ea donaverat Metropoli, & Pontificem ipsum tot cuniculis, tot machinis, tot artibus oppugnavit, ut eum compulerit tantillo puerulo Ecclesiæ illius perpetuam administrationem commendare. Novum illud insolensque fuisse agnoscit Annalium conditor Spondanus, cæterum peræquè Pontifici ac Regi probrosum, qui non possent concordare, nisi in excidium Canonum; quanquam in Pontificem ipsum potissimum ejus facinoris invidia residet. Ita Spondanus, aliàs Pontifices & Reges honorificentissimis verbis prosequi solitus. *Novo sic damnato inducto exemplo, quo & Reges Catholici, & summi Pontifices in Ecclesia damnum, & sacrarum legum subversionem, qua conspirarent, quæ consentirent. Longè tamen graviori Pontificum culpa, ut ex quo patet, quàm Regum, ac nihilominus satis utrisque ad damnationem idonea.* A quibus non aberravit Mariana, eidem narrationi hæc subjungens: *Novum damnatumque exemplum inductum, vincente Pontificiam constantiam Regum importunitate, in Ecclesiæ jura invadentium atque libertatem; quod semper accusabitur, & semper erit.* Ipsas Pontificis litteras in eam rem alibi protuli.

Spond. ann. 1473. n. 14.

L. 24. c. 16.

Verissimè sapientissiméque dictum est à Mariana, hanc æternam fore materiam justis quidem querelarum, improbis cupiditatum suarum acuendarum. Vel ex ipso medicamento id conjicies, quo Leo X. grassantem luem lenire instituit in Concilio Lateranensi V. anno 1514. Illacrymatus enim Pontifex spirituali temporalique Cœnobiorum per Commendatarios Abbates vastationi: *Quoniam ex Commendis Monasteriorum, ut magistra rerum experientia sæpius docuit, Monasteria ipsa tam in spiritualibus, quàm in temporalibus graviter læduntur: quippe quorum ædificia partim Commendatariorum negligentia, partim avaritia, vel incuria collabuntur, & in dies divinus cultus*

Sess. 9.

magis in his imminuitur, passimque obloquendi materia præbetur, non absque dignitatis Apostolicæ Sedis diminutione, à qua Commendæ hujusmodi proficiscuntur. Præcepit denique ut in posterum cùm primùm vacaverint Abbatiæ, eligantur Regulares Abbates, nisi aliter jubeat Sedes Apostolica, urgentibus Ecclesiæ necessitatibus provisura; ne commendari possint Cœnobia nisi Cardinalibus, aut nobilitate vel meritorum titulis præcellentibus viris: Commendatarii, tam Cardinales, quàm alii quicumque, quartam saltem proventuum partem impendant in reparationes, in Ecclesiæ ornamenta, & in eleemosynas, si mensæ sint sejunctæ: si una verò sit mensa Abbati Monachisque communis, tertia redituum para alendis Monachis & oneribus Ecclesiæ decerpatur; & hæ semper conditiones exprimantur in diplomatibus Commendarum. Addit Pontifex in eadem Reformationis Bulla, ne Parochiæ, primæ Dignitates Capitulorum, aliaque Beneficia, quorum annui reditus non sunt ducentorum amplius Ducatorum auri, commendari unquam possint; uti nec Xenodochia & Leprosorum ædes, quamvis pinguissimis sint reditibus. Affirmat quoque Fagnanus, ubi Pontifex Cardinalibus Cœnobia assignat, eam semper apponi legem, ut tertia pars redituum in eleemosynas, & in reparationes insumatur Ecclesiarum.

Fagnan. in L. 1. Decret. Part. 1. pag. 312.

Usque adeo scilicet adoleverat ex usus ab antiqua disciplinæ sanctimonia degener, ut ne à Pontifice quidem, vel à Concilio Generali efficacior tunc fieri potuerit medicina. Vetabatur eodem diplomate, ne commendarentur Episcopatûs, sed eadem semper exceptione addita, ut urgentibus Ecclesiæ necessitatibus, & aliis causis gravissimis aliter consulere posset Pontifex. Eæ autem causæ sic exprimuntur: *Nisi ratione utilitatis Ecclesiarum, prudentiæ, nobilitatis, probitatis, experientiæ, atque curialitatis, antiqua, cum competenti litteratura, & in Sede Apostolica meritorum, aliter visum fuerit faciendum.* Æquissimum est incolumem & intactam semper vigere dispensandi potestatem, si qua urgeat Reipublicæ necessitas. Sed quàm exitiale, tam frequens est, humanos affectus & privatas cupiditates, utilitatis publicæ & necessitatis Ecclesiæ velo obtegi.

IX. Quod ad Commendas attinet, Apostolici vigoris pluseulum explicuit idem Leo X. in Concordatis Gallicanis cum Francisco I. Rege initis. Statutum enim est, ut ne Rex nominaret ad Abbatias & Prioratus verè electivos, nisi *Religiosum ejusdem Ordinis*, annos natum viginti tres; si quem nominaret Rex aut Presbyterum sæcularem, aut Regularem alterius Ordinis, aut non id ætatis assecutum, providendi jus ad Pontificem devolveretur. Ita manifestè excludebantur Commendæ, non Regis tantùm, sed & Pontificis. Qui enim posset Pontifex Presbyterum rejicere à Rege præsentatum, ut ipsemet sæcularem Clericum ejus loco sufficeret? Denique verbis conceptis prohibent Concordata, eo etiam casu, quo provisio ad Pontificem devolvatur, ne Prioratus ab eo conferantur nisi iis, quibus illæ ipsæ affuerint dotes. *Prioratus verò personis, ut præfertur, qualificatis, dumtaxat conferri liberè possint.* Postremò rescinduntur his Concordatis Provisiones omnes, quæcumque aliter fient. *Electiones autem, necnon provisiones per nos & successores nostros contra præmissa pro tempore factas, nullas, irritas & inanes esse decrevimus.* Quin nec ipsi Graduati, sive simplices, sive nominati, juxta Concordata, ad alia possunt, quàm sui Ordinis Beneficia anhelare,

Regulares ad Regularia, sæculares ad sæcularia, ut ne per Romanas quidem dispensationes hic unquam ordo labefacteretur.

X. Restat ut referamus extremo hoc loco, quid in Concilio demum Tridentino circa Commendas actitatum sit. Pauca in eam rem hic excerpam ex Epistola domini de Morvilliers Tridenti data anno 1563. *Post sessionem proximam deliberatum iri de Reformatione Monasteriorum: summopere id Monachos quidem cupere, at à Concilio desiniatur, ne sæcularibus posthac Clericis commendentur Abbatiæ & Prioratus Regulares, sed Regularibus ejusdem Ordinis. Complures Synodi Præsules incunctanter eis suffragaturos, quòd consentanea cum primis sit ea quidem res sanctionibus Canonicis, quæ Regularia à Regularibus regi Cœnobia jubent. Oratores Gallicanos in Articulis à se propositis eò quoque collimare, quanquam specialibus eorum Mandatis nihil ejusmodi expressè præcipiatur. Sed Cardinalem Lotharingium rem proponendam urgendamque censuisse; cùm agatur nempe de Ecclesia in antiquam & meliorem formam restituenda; cùmque Rex velit Reformationem institui generalem; nulla re prorsus excepta.*

Memoir. du Concile de Trent. pag. 467.

Nec minùs effictbuerant Hispani, ut omnes Commendæ revocarentur. Gravissimè & eloquentissimè peroraverat Asturicensis Episcopus, uniones & Commendas perpetuas Beneficiorum non aliò spectare jam, nisi ad explendam Clericorum ingluviem. Itali sua interesse putabant, ut ne acerbior reformatio institueretur; itaque rem temperari hortabantur.

Hist. Conc. Trid. p. 491

Jam verò ipsi Concilii Tridentini Patres, quamvis desiderio flagrarent extinguendarum penitus Commendarum; delinimento tamen aliquo utendum sibi censuere, ineluctabili incumbente necessitate serviendi tempori, & accommodandi se iis sæculi moribus & morbis, qui validioribus remediis exacerbarentur. Ea videtur esse horum Concilii verborum sententia: *Cùm pleraque Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus & Præpositura, ex mala eorum, quibus commissa fuerunt, administratione, non levia passa fuerint tam in spiritualibus quàm in temporalibus detrimenta; Cupit sancta Synodus ad congruam Monasticæ vitæ disciplinam omnino revocare. Verùm adeo dura difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique quod optaret, remedium possit adhiberi.*

Sess. 25. c. 21. De Regular.

His ita præstructis Pontificem interpellat Concilium, ut curet in Cœnobiis jam commendatis Regularem unum ejusdem Ordinis designari, qui eorum præsit administrationi: & in iis quæ posthac vacaverint, ne nominet Pontifex nisi Regulares peritiores, & quorum vita Monasticam sedolear spireque sanctimoniam. *Primum quidem confidit sancta Synodus Romanum Pontificem, pro sua pietate & fide curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos Conventus habeant, Regulares personæ, ejusdem Ordinis, expressè professæ, & quæ gregi præire & præesse possint, præficiantur. Quæ verò in posterum vacabunt, nonnisi Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur.*

Quoad illa verò Monasteria quæ sunt Capita Ordinum, jubet Synodus, ne usquam alii quàm Regulares possint esse Abbates. Nec abs re erit hic adnotasse, mortuo Abbate Cluniacensi anno 1461. Cardinalem Albigensem ea de re certiorem fecisse Regem, eumque monuisse ei Abbatiæ Beneficia subesse quatuor circiter millia, varias in aliorum etiam Regnorum Provincias sparsa, adeoque Regis interesse, ut ei præficiatur Regularis ejusdem Ordinis, & quàm dignissimus, ne extraneæ Nationes ab eo vertice pendentes, aliquid schismatis moliantur.

Spicileg. Tom. 13. pag. 379.

XI. Cùm nec sapientia debeat nostra, nec charitas ultra limites eos exultare & effervescere, quos sibi præscriptos voluere sapientissimi, iidemque purissimo zelo inflammati Tridentini Patres; est sanè æquissimum, ut eundem quem illi modum nostris & votis & opinionibus præfigamus. Optare reformationem paulò accuratiorem fas est, cùm & illi optatissimam habuerint: at si quid sapimus, ei acquiescendum nobis est, quam illi præsentis ætatis patientiæ accommodatissimam judicarunt. Jugi & irrequieta æstuatione alternant res temporales, at usus rerum sobrius, sanctus, justus regulis regitur immutabilibus & æternis. Eò vota aspirare omnium debent, ut pro rerum ipsarum ordine, & pro antiquissimæ disciplinæ veneratione, Beneficia Regularia non aliis unquam, quàm Regularibus committantur. Sed cùm tot experimentis jam constet, desperandam esse tantam disciplinæ exterioris immutationem: admonendi sunt nobis seriò Beneficiarii omnes Commendatarii, exterioribus disciplinæ vicissitudinibus adulterari nunquam posse, aut præscribi Regulas illas invariabiles legis divinæ & Juris naturalis: uti nec has ex eis natas leges Juris canonici, quibus sancitur, non proprietarios eos esse, qui Beneficiarii dicuntur, non dominos, sed meros dispensatores bonorum Ecclesiæ; bona ea esse res Dei, patrimonium pauperum, censum Christi, quo parcè & sobriè sustentandi sint ejus ministri, alendi pauperes, reparandæ Ecclesiæ; denique si Beneficiarii omnes meri sunt administratores & dispensatores rerum Deo, religioni & charitati dicatarum, multò id certius esse de Commendatariis, ut vel hoc ipso nomine declaratur. Non ut suis enim frui, vel abuti possunt, sed parcere & vix etiam uti, utpote commendatis. Si ita degant, si ii sint ergo Commendatarii, qui esse tenentur, modicè & tranquillè feremus cum Tridentinis Patribus, quòd eo res sint jam loco, ut in primigenium statum & antiquum Ecclesiæ usum restitui non possint.

XII. Erat & illud Tridentinum Decretum indulgentia & humanitate non mediocri delibutum, quo fertur ut ne Regularibus donentur Beneficia, nisi Regulam jam professi, vel profiteri cupientes: *Vel iis qui habitum omnino suscipere, & Professionem emittere teneantur, & non aliis conferantur.* Relati sunt suprà ii Conciliorum Canones, qui donari Abbatiis vetabant eos, qui hac improba spe vestem Monasticam induissent. Erant hi certè Canones castissimis legibus vocationis divinæ magis consentanei. Sed novi jam erant homines, & diversa tempora, quibus utrisque sese necessariò Præsulum charitas accommodabat.

Sess. 14. c. 10.

Jussi sunt in eodem Tridentino Episcopi annis singulis visitare Monasteria commendata, ubi non satis accuratè servaretur Monasticæ Regulæ disciplina: similiter & Beneficia omnia, Curata, vel non Curata, Regularia, vel sæcularia, quæ commendata fuerint; & omnia ibi statuere, quæ animarum saluti procurandæ necessaria sint, & reparationibus, etiam per fructuum sequestrationem. *Qualitercumque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, annis singulis visitentur; curentque Episcopi, etiam per sequestrationem fructuum; ut quæ renovatione indigent aut restauratione, reficiantur, & cura animarum rectè exerceatur.*

Sess. 21. c. 8.

XIII. Propositum est in Congregatione Concilii, an qui Episcopatum jam gereret, ei posset alios commendari. Opiniones in ea re fuere Cardinalium; & tamen declaratum est tandem, post Tridentinum fieri id non posse, in quod ab eo apertè
Sess. 7. c. 2. satis prohibeatur. *Nemo plures Metropolitanas seu Cathedrales Ecclesias, in Titulum sive Commendam, aut alio quovis nomine recipere aut simul retinere præsumat.* Fagnanus, à quo id refertur, in Germania ait quandoque indulgeri, plures ut ab uno Episcopatus retineantur: sed eam dispensationem uni maxi-
Inl. 1. Decr. Part 2. pag. 70. 71. mè innixi Ecclesiarum necessitati. *Sic videmus in Germania cum similibus personis non rarò dispensari super retentione plurium Episcopatuum, non quidem principaliter, ut ex illorum fructibus se alere possint, sed ut Catholicam Religionem expulsis hæresibus, consilio, opibus, authoritate sartam tectam tueantur.* Referuntur ab eodem declarationes Congregationis ejusdem Concilii, quæ irritas pronunciarunt Commendas à Palentinis in Hispania, & ab Bergomatibus in Italia Episcopis fieri solitas Parochiarum, quæ aliis quandoque Parochis, vel in perpetuum, vel ad sex menses committebantur.

XIV. Cum Cardinalis porro Lotharingus à Tridentino redux, statim Remos adproperasset, & Concilium Provinciale congregasset anno 1564. ejus
Congr. 50. in una Congregatione professus est, persuasissimum sibi esse residentiam juris esse divini: si quas porro commendatas ipse obtineret Abbatias, uno id eo à se fieri consilio, ne in eas impetum facerent hæretici; cùm primum nihil ejusmodi reformidandum impendere cœpisset, iis ita se provisurum, ut nec maledicentissimi haberent, quod arroderent. *Se alqua commendata Monasteria habere, quibus libenter cederet; id autem ne faceret nihil eum magis retardare, quam quod timeat, ne eis præficiantur non Catholici, sed hæretici. Neminem esse qui non videat calamitatem hujus temporis. Si quando intellexerit, ad ea hæreticis non patere aditum, se effecturum, ut nemo sit, qui de eo sinistre possit suspicari.*

Etsi opulentissimi Cardinalis non ea fuisset animi voluntas, aut consilii constantia, quam præ se ferebat: nobis abundè esset, vel ipsum professum esse tali se animo esse debere, invictissimaque veritatis vi extortum hoc illi esse testimonium legis internæ æternæque, qua obligantur Beneficiarii, omnia abrupisse privatæ cupiditatis vincula, & nullas nisi ad commodum Ecclesiæ admittere dispensationes. Ambiget certè nemo, quin B. Carolus Mediolanensis Archiepiscopus, quandiu plures Abbatias retinuit, eo animo obtinuerit, à privati commodi amore alienissimo, certaque voluntate eas abdicandi, cùm primùm se daret occasio opportuna, ut omnes certissimè Carolus tandem abdicavit. Denique ratio illa permira fuit administrandarum Commendarum, qua idem Carolus ætate valdè immatura & juvenculus adhuc Aronensem Abbatiam suam rexit, & reformari curavit; idque argumento est, utcumque in Commendas deroneat, & invehantur aliquando viri docti, certissimè tamen pios piè iis uti, mala bene vertere, & ipsa vulnera Ecclesiæ ad ejus decus & commodum contorquere.

XV. Multa decrevit Concilium Rotomagense anni 1581. *de Monasteriis*, potissimum autem de Commendis. Multa ibi confirmata innovataque sunt Tridentini Concilii Decreta. Sed illud piaculare fuerit præteriisse statutum, quo monentur Commendatarii, non ut Regularem sectentur vitam; sed ut ne degenerent in sæcularem; mediocritatem ut quandam pulcherrimam sectentur Monachos inter & Clericos sæculares, in veste, mensa, supellectili: coronam tonsuramque aliquantò gerant latiorem, quàm sæculares Presbyteri, vestem eligant nonnihil redolentem de modestia & humilitate Claustrorum; serio cogitent, non eò his se Commendis decoratos fuisse, ut deliciis & luxui se dedant, aut cognatos locupletent: sed ut sint religiosi dispensatores bonorum, quorum non possint esse proprietarii, & quorum tamen ratiocinits penes Deum sint obligati. *Commendatarii quamvis ad Re-* Tit. De Monast. c. 4. *gularem observantiam non obligentur, ne tamen sint sine jugo atque omni regula, debes eos medium statum atque ordinem sequi, & ostendere inter Regulares & Seculares Clericos in vestitu, in victu & omni ornatu. Tonsura utantur ampliori, quam sacerdotali, habitu propius ad Regularem accedente: nec existimeat sibi commendatum Monasticum regimen ad luxum, aut prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam: sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, quarum non habent proprietatem; Deoque de omnibus reddendam esse rationem.*

In hoc eodem Rotomagensi Concilio altercatum perdiu est de consessu & suffragiis Commendatariorum in Conciliis. Denique ad Pontificem relatum est, unde responsum est inter Abbates sedere debere Abbates Commendatarios, nec sedere tamen nisi post Abbates mitra & benedictione Episcopali insignes; neutris denique definitiva, sed consultiva tantum esse suffragia, sicut & Capitulorum Delegatis.

XVI. In Concilio Remensi anni 1583. idem vigebat ardor zeli & sapientiæ, unde & constitutum est, crebris & enixissimis precibus interpellandum esse Deum, ut eam tum Pontifici, tum Regi pulcherrimam inspiraret voluntatem, ne Abbatias posthac, vel Prioratus obtineri vellent, nisi à Regularibus doctrina & pietate præstantibus. *Nihilque aisi desi-* Tit. De Regular. c. 18. 19. 20. *derium nobis superest, ut Abbatia Prioratusque nonnisi Regularibus spectata virtutis, & per electionum conferantur. Quod à Deo Optimo Maximo supplicibus votis contendimus, ut ad id excitare dignetur dominos nostros sanctissimum Romanum Pontificem & Regem nostrum Christianissimum.* His addit Synodus hortamenta ad Commendatarios, ut *propius habitu & tonsura, quàm alii ad regularem vitam accedant.* Eodem Concilio præcipitur Visitatoribus Monasteriorum, ut illis præficiant Priores, vel Superiores, à Commendatariis nominatos, nisi si indigni ab eis nominentur. Sed & præcipitur Commendatariis ipsis, ut per sese, vel per Vicarios adsint Visitationibus, ut excipiant Visitatores, eorumque decreta observari satagant. *Compellantur Commendatarii, vel eorum Vicarii, ut intersint Visitationibus, Visitatoresque honestè excipiant, & executioni mandent, quæ ab eis statuta fuerint.*

In Concilio Turonensi anno 1583. statutum est, iteratis precibus adeundum esse Regem, firmatum ut vellet quod spoponderat, in seseque receperat Comitiis Blesensibus, revocatum iri à se reservationes omnes à se factas Episcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, & eorum à se factam destinationem antequam vacarent; saltem ne pateretur à Clericis & sæcularibus Beneficia Regularia obtineri. *Adeo ut si Clerici tantùm aut sæculares existant, in vim illorum indultorum Regularia obtinere non valeant.*

In Concilio Aquensi anni 1585. innovata sunt decreta eadem superius relata Conciliorum Rotomagensis & Remensis, de media illa statione Commendatariis

mendatariis insistenda inter Clericos & Regulares, & de necessitate sistendi se Visitationi, & quæ ibi decreta fuerint exequendi.

XVII. Nec Comitia tantum in id connixa sunt, ut Commendarum vel cursus ipse, vel abusus saltem reprimeretur. Comitia Turonensia Regni Gallicani anno 1483. sub Ludovico XI. Rege, aboleri Commendas petiere in libellis Regi oblatis. *Interituram regularem Monasteriorum disciplinam, ob Commendas à Papa sæcularibus aliisque concessas ad dignitates, & Beneficia Regularium: ex quibus Commendis pullulascunt detrimenta alia innumerabilia, desperatæ curationis, & quæ vix enarrari queant.*

Preuves des Lib. Galin. x. 12. & 26. Statuta Delphin. pag. 23. 24.

Nec dubitatum est quin Henricus III. Galliæ Rex Commendas omnes ejurasset, quando Edictum Blesense hoc memorando cum primis articulo exorsus est *Ubi vacarint posthac Ecclesiæ Metropolitanæ, Episcopalesque, Abbatiæ item & Prioratus, aliaque Beneficia nostræ Nominationis; non nominandos à nobis nisi viros idoneæ ætatis, ea rerum prudentia, doctrina, aliisque virtutibus dotatos, quos Decreta, & Canonicæ constitutiones, & Concordata præscribunt.* Idem pollicitus erat Carolus IX. anno 1571. In Conventu Notabilium spectabiliumque virorum habito apud Rotomagum anno 1617. consilium cepit Ludovicus XIII. Rex, Abbatias postmodum non concedendi, nisi Regularibus ejusdem Ordinis; utque Prioratus simplices unirentur Cœnobiis, à quibus pendent, ut proventus illi sacri piè expenderentur. *Ne dentur Abbatiæ nisi Regularibus ejusdem Ordinis: ut Prioratus rurales & simplices Monasteriis uniantur, quibus innexi sunt, ut ii reditus insumantur in Scholas, Seminaria, & id genus opera pia.*

Dupleix. Ann. 1617. Ordin. 10. 11.

XVIII. Quanquam Bononiensibus Concordatis non imperitentur Reges facultate commendandi Cœnobia, probabile tamen est ea illos postea Indulto quopiam donatos fuisse, aut tacito saltem sedis Apostolicæ consensu. Quod de Indulto dixi, non temerè dixi. Jam inde enim ab anno 1516. impetravit Franciscus I. à Leone X. Indultum speciale ad Narbonensem II. Provinciam & Britanniam minorem, quas Concordata non complectebantur; eoque facta est ei copia nominandi Clericos, Monachosque alterius Ordinis, etiam Mendicantium, ad ea Cœnobia, quibus non esset proprius Regularis, tantæ sarcinæ gestandæ par. *Ita ut dum Monasteria ipsa Monachis idoneis ad illorum regimina carebunt, Clericos sæculares, aut aliorum Monasteriorum Monachos & Ordinum Mendicantium professos, habitum juxta eorundem Monasteriorum consuetudinem suscipere, & professionem per illorum Monachos emitti solitam, emittere volentes, aliàs idoneos nominare possit.*

Inest tamen scrupulosum nescio quid in hac clausula; neque enim dilucidum satis est, an illa cautio induendæ ejusdem vestis, & professionis ejusdem emittendæ, quæ in Cœnobio ipso commendato familiaris est, ampliari debeat ad Clericos nominatos. Non facilè assentior sententiæ affirmanti, ne Clerici illi ideo Monachi fiant, ut mox evadant Abbates, quod nisi criminosè non fit, ex clarissimorum Canonistarum doctrina, adeoque nec nisi simoniacè. En verba ipsa Fagnani. *Satis potest dici, cùm qui Monachus efficitur, spe consequendi Abbatiam, mortaliter peccare, & simoniam committere, si hujusmodi spes sit talis, ut sine illa Monachus non fieret.*

In l. 1 Decr. part. 2. pag. 88.

XIX. Compertum satis non habeo, unde excerptum sit, quod de Clemente VII. narrant aliqui, Hippolyto Nepoti Cardinali Mediceo anno 1534. commendata ab eo fuisse omnia Christiani Orbis Beneficia ad sex menses. Cùm certius, tum luculentius aliquid Clemens VIII. nobis ostendit. Urgente enim Ossato Cardinali vehementissimè, nomine Henrici IV. Galliarum Regis, ut in Commendam daret Abbatiam Monasterii Novi, quod quanquam nuperrimè functus Abbas titulo eam habuisset, tres priùs Abbates habuerant commendatam: respondit Pontifex referente eodem Ossato, *Id refragari juri, & Romanæ Curiæ consuetudini; repugnare etiam utilitati & dignitati Ecclesiæ, quin & Galliæ ipsius, ubi tam multa jam peccarentur in rebus Ecclesiasticis, ut nihil opus esset ad cumulum istud accedere.* Submonente & instante Ossato, ut Regi invictissimo id indulgeretur semel, Diplomati verò Pontificio insereretur, ut obeunte, vel resignante Commendatario, Cœnobium Regulari Abbati restitueretur: pari vigore reposuit Pontifex invictissimæ constantiæ, has clausulas crebrò apponi, servari nunquam.

Preuves des Libert. de l'Eg. Gall. Pag. 1415.

Montier-neuf.

Ossat. To. 2. Lettr. 9.

XX. Nec plura de Commendis addemus, ubi duo hæc pauca observaverimus. 1. Etsi affirmatum à nobis sit in Concilio Lugdunensi II. anno 1274. abolitas prorsus esse Commendas: postea tamen illæ revixerunt, ut pluribus posterioribus exemplis suprà est à nobis ostensum. Suppressæ videbantur omnino Commendæ majorum Beneficiorum toto sæculo XIII. sed eo postea perrupto & dissipato obice torrentis instar impetuosius visæ sunt exundasse. Sæculo enim XIV. percrebuere innumerabiles Commendæ cujusque generis Beneficiorum, non Episcopatuum tantùm, Cœnobiorum & Parochiarum, sed & Prioratuum, Officiorum Claustralium, & Dignitatum Capitulorum. Propè abest à vero, non id unquam eventurum fuisse, si Capitula & Cœnobia antiquos retinuissent mores, Canonesque non bipartiendæ mensæ communis. Non quò aliquando postea non fuerint commendata Cœnobia aliqua, ubi Abbatum & Monachorum una erat mensa, una temporalium omnium communio; sed eò deventum non est nisi per gradus, post longè plurimas Commendas alias Cœnobiorum, ubi sua separatim Abbas, Prior, Administrator Officii Claustralis habebat bona, sua separatim Conventus Regularium.

Gregorii XIII. Bulla *Superna* decretum est bisecari, sejungique mensam Abbatis & Monachorum in Monasteriis commendatis: in reliquis vetitum est semper à Congregatione Concilii, ut ne ea fieret segregatio.

Fagnan. in L. 1. Decret. Pag. 245.

Quoad Officia Claustri plurimum id habet etiam probabilitatis, nunquam ea commendanda fuisse, si primævam retinuissent conditionem suam, ut mera essent Officia, meræque administrationes, arbitratu Superiorum revocabiles. Illud quoque manifestum fecimus, ab Abbatibus ipsis antè commendatos fuisse Prioratus, quàm vel Pontificibus veniret in mentem, vel Regibus, ut ea commendare vellent. Carthusianis, aliisque Monastici Ordinis luminibus ingentes feruntur affluere opes, & proventus uberrimi; nec tamen usque adeo quisquam insanit, ut eorum ambiret vel Prioratus, vel Claustri Officia, sibique commendari peteret, cùm nulli horum sint sejunctim reditus, sed omnia in commune habeantur, frugali Monachorum & pauperum omnium sustentationi dicata. Si tam dira unquam subeat illos libido, ut vel res, reditusque partiantur, vel in illis Officiis perpetuari velint; ne calamitas non dispar illis erit tum vehementer reformidanda.

Alterum quod observatum diligentissimè volebamus, illud est, eos prudentiæ, doctrinæ & zelo nostro fines delineandos esse, quos sibi Tridentinum, & alia eo posteriora Concilia præstituere. Furor enim haud dubius is esset, si quis ultra modum Conciliorum Generalium sapere vellet, & zelo Ecclesiæ supra & contra ipsam Ecclesiam æstuare. Atqui aurea illa mediocritas horum Conciliorum in eo versata est, ut votis, ut precibus cœlum, Deusque tunderetur, quò Regibus & Principibus certam inspiraret voluntatem abjiciendi Commendas omnes. maximè autem Regularium Beneficiorum: at simul ut profiteremur, quandiu eæ retinentur, esse usum earum sanctissimum, cuique obvium & proclivem: esse regulas castissimas, & leges, quæ Commendatariis proponantur: esse fructus non pœnitendos, qui ex iis capiantur: fuisse Commendatarios, qui Abbatiis strictissimam invexerint regulæ disciplinam. qui vitam egerint virtutum laude, Monachorum amore, pauperum charitate perillustrem. Bullæ ipsæ Pontificiæ Commendarum Cardinalibus etiam id imponunt oneris, ut Cœnobiorum oneribus satisfaciant, tertiamque partem redituum reparationibus & pauperibus impendant, reliqua ad necessariam sustentationem habeant. *Ita quod liceat tibi debitis & consuetis Monasterii supportatis oneribus, ac tertia parte omnium fructuum, redituum ac proventuum Monasterii hujusmodi in restaurationem illius Fabricæ ac ornamentorum emptionem vel fulcimentum, pauperum alimoniam. prout major exegerit vel suaserit necessitas aliis omnibus deductis oneribus, annis singulis impartita, de residuis illius fructibus disponere, &c.*

CAPUT XXI. *P 4. l. 2. c. 64.*

De Commendis Laïcorum post annum Christi millesimum.

I. An Commendæ Clericorum fluxerint à Commendis Laïcorum.

II. Laïcorum Commendæ sæculo XI. meræ usurpationes ferè fuere. Earum nonnunquam auctores fuere Episcopi & Abbates.

III. Plerumque tradita erant Ecclesia, Laïcis & Militibus data, ut ejus essent tum clientes, tum Defensores & Advocati.

IV. Tria genera Commendarum laïcarum.

V. Idem usus, vel abusus in Italia.

VI. Quæ jura Parochorum in Commendatarios laïcos.

VII. De Commendis Laïcorum sæculo XII. Hominium à Clericis exprimere voluere, quibus ante ipsi præstiterant. Damnatio investiturarum laïcarum ad Episcopatus & Abbatias restringenda fuit.

VIII. Fundi Ecclesiarum permissi aut dimissi Laïcis sequentibus sæculis.

IX. Quando cœperit licere Laïcis, Conductores esse bonorum & fundorum Ecclesiæ.

X. Postremi sæculi canones ad restituendas laïcas Commendas. De Ordinibus Hispaniæ Militaribus.

XI. De unitis Coronæ Regiæ Hispanicæ tribus summis Administrationibus aut Magisteriis Ordinum Militarium.

XII. De Anglia & Bohemia, rebusque Ecclesiæ ibi in Laïcos alienatis.

XIII. De Commendis Laïcorum in Oriente.

I. CONjunctæ adeo, consertæque inter se fuere Commendæ Clericorum & Laïcorum, ut illas ab his ortas suspicati sint aliqui: quasi non aliter extorqueri potuerint Cœnobia Commendatariis laïcis, quàm si Clericis præpotentibus ea concrederentur. Quanquam non distet à verisimili hæc conjectura, non tamen ubique vero consentit. Temporibus enim illis quidem, quibus rerum potita est Caroli Magni progenies, extortæ sunt Laïcis Ecclesiæ quædam Regulares, quæ tum Clericis commendabantur, qui tueri eas possent: at non eæ tantùm usitatæ tunc fuere Commendæ. Certissimum etiam est sub prioribus Hugonis Capeti stirpe editis Regibus, concessum fuisse Laïcis Ecclesiarum usurpatoribus, ut eas Monachis restituerent; idque non injuria dici potest Commendæ speciem præ se tulisse, cum Monachi sæculares Ecclesias obtinuere, & primitivi fuere Parochi: vel Regulares etiam Parochos Clericis subrogarunt. Sed non eæ sunt propriè Commendæ, de quibus dictum est Capite superiori.

II. Meræ ergo usurpationis, & deprædatoriæ fuere primæ Commendæ Laïcorum, quibus adeo obviare maturavit Ecclesia, ut primùm respirare datum est, ab illa calamitatum procella, quæ concidente Caroli Magni stirpe Occidentem incubuit. Prohibitum est in Concilio Bituricensi anni 1031. ne Laïci haberent aut retinerent feuda Ecclesiæ, ex quibus imperium in Clericos ipsos sortirentur. *Ut sæculares viri Ecclesiastica Beneficia, quos feudos* Can. 11. *Presbyterales vocant, non habeant super Presbyteros.* Potes hunc Canonem de Parochiis, potes de Cœnobiis interpretari.

Quoad Cœnobia exemplum suppeditatur ex Concilio II. Lemovicensi anno 1031. Conquerebantur Monachi Bellilocenses, quòd cùm Monasterium suum extruxisset olim Rodulphus Bituricensis Archiepiscopus temporibus Regis Caroli: illud postea invasisset Comes Tulosanus, Petragoricensi Comiti dedisset, à quo rursum alii Comiti datum esset, qui ejus administrationem Laïco commisisset. Synodi Præsules hunc postremum accivere Comitem, eumque compulere, ut Monachis ejus loci Abbatem deligeret, ipse Advocati & Defensoris Monasterii posthac nomen gereret, & partes sustineret.

In Concilio Remensi anni 1049. de Laïcis expostulatum est, qui *Altaria* usurparent, hoc est, Ecclesias Parochiales. *De Altaribus quæ à Laïcis tenebantur.* Exactionibus violentis ad Ecclesiæ fores iidem Laïci grassabantur. *De pravis consuetudinibus, quæ ab iis in Atriis Ecclesiarum accipiebantur.* Duplici ei corruptelæ anathema illisum est ab eodem Concilio, cui Leo IX. præerat. *Ne quis Laïcorum Ec-* Can. 3. 4. *clesiasticum ministerium, vel Altaria teneret, nec Episcoporum quivis consentiret. Ne quis in atriis Ecclesiarum præter Episcopum & ejus ministrum quaslibet consuetudines exigere præsumeret.*

Ex hac prohibitione colligimus, consensisse nonnunquam Episcopos his Laïcorum usurpationibus. Plusculum aliquid edocet nos Concilium Rotomagense anni 1050. Laïcos scilicet ab Episcopis quandoque donatos fuisse Beneficio, feudo, fundo Ecclesiæ, Clericis destinato sustentandis. Id nimirum hoc Concilio vetabatur. *Ut Episcopus Clericorum Ec-* Can. 10. *clesiæ stipendia aut terras Laïcis beneficiare minimè præsumat.* Non revocantur fundi à temporibus Caroli Magni Laïcis concessi, unum vetatur, ne posthac novi dentur.

In Concilio rursus Narbonensi anni 1056. manifestè patet, quàm constanter dimitterentur Laïcis Ecclesiastica ea prædia, cum jubentur tantùm qui ea jamdiu obtinebant, ut ne quid ex iis imminutum eant. *Nec quidquam ex feudo, quod pro eadem Eccle-* Can. 14. *sia tenet, minuere præsumat.* Eodem Canone exprimuntur minutissima quædam jura, quæ Laïci in Cle-

ricos usurparent; & ea quidem omnia damnantur; sed mox tamen copia & potestas fit Episcopis, Canonicisque, Abbatibus, Monachisque, aliquos ut dare possent Laïcis fundos; qui dicantur, sintque Vicarii, Ballivi, Feudatarii; jam tum enim usu invaluerant voces istæ omnes. *Insuper eas villas & mansos, terras & vineas, sive Ecclesias, quæ à fidelibus Dei collata esse videntur, in opus Canonicorum, ut in commune inde viverent, quæ veraciter sciri potest in hoc opus data esse noscuntur; nullius persona hominum ausus sit habere vel retinere, neque per Vicariam, neque per Fevum, neque per Bajuliam, neque per ullam vocem, sine propria voluntate Episcopi & Canonicorum, vel Abbatum Canonicorum, ad quos ea res pertinere noscuntur, cum voluntate Canonicorum suorum, nisi quantum præscripti Canonici cum præscriptis Senioribus communiter voluerint.* Can. 16. 17.

Qui vocantur hic *Abbates Canonici*, verissimi erant Abbates, ea voce sejuncti ab Abbatibus laïcis. Prohibitum verò rursus est in Concilio Turonensi sub Nicolao II. anno 1060. ne Episcopi vel Abbates *novum Beneficium* Laïcis concederent; quin & jussum repeterent, si qua dederant. Quo usq; adeo cohiberi non potuit insana quædam & effrænata deprædationum licentia, ut in Concilio Tolosano anni 1086. manifestè pateat, non Abbatias tantùm, sed Archidiaconatus, Parochias, Præposituras, munera ipsa Sacristæ & Magistri Scholarum, prædæ Laïcis fuisse, unà cum fundis & prædiis eorum omnibus. *Omnimodis prohibemus, ut nemo Laïcorum Abbatiam Monachorum vel Clericorum Archidiaconatum, neque Præposituram, vel honorem Presbyterii, vel Sacristæ, seu Magistri Scholæ, neque ullos honores ad jus prædictum pertinentes ausit suis usibus retinere. Et si fecerit, excommunicationi subjaceat.* Can. 3. Can. 8.

Hinc elucescit, quod suprà obiter attigimus, exemplo Hugonis Capetii & Roberti Regum, Abbatiam sancti Germani de Pratis abdicantium, adactos quodammodo fuisse Proceres alios Regni, ut Clericis restituerent titulos fundosque longè plurimorum Beneficiorum quæ usurpassent: & Ecclesiam ipsam fidentiùs postmodum intentasse & evibrasse fulmina sua in capita contumacium.

Pauxillum illud quod ex Hispaniæ naufragio enatavit, venitque in manus nostras monumentorum sacrorum, sufficit tamen ut non temerè opinemur illas quoque extremas Christianæ Reipublicæ partes eidem calamitati fuisse obnoxias. Concilium Coyacense paucis his verbis rem totam complectitur, anno 1050. habitum. *Statuimus, ut omnes Ecclesiæ & Clerici sint sub jure sui Episcopi; nec potestatem aliquam habeant super Ecclesias aut Clericos Laïci.* Can. 3.

III. Donaverant ipsi Abbates viros nobiles circumpositos prædiis quibusdam Ecclesiæ, & ita eos sibi authoraverant in defensores Ecclesiarum ditionumque suarum, jure fiduciario, hominio & sacramento fidei Abbatibus obligatos. Feuda quædam alia jam Nobiles isti usurpaverant, & nisi his additamenta quædam alia accederent, negabant se desponsum fidei & hominii sacramentum præstituros. Argumento est Epistola Gregorii VII. ad Bituricenses, Narbonenses & Burdigalenses scripta, ut Aureliacensi Monasterio reddi cogerent feuda & Beneficia, quæ vel involata fuissent, vel ita detinerentur, ut juribus suis, de quibus convenerat, Abbates fraudarentur; utque compelleretur Vicecomes Carlatensis, pactam Abbati fidem, opemque exhibere, nec ut ille pertendebat, nova sibi prædia conferri & Beneficia cogeret. *Clamor Abbatis Aureliacensis auribus nostris insonuit, super quibusdam personis, quæ injustè detinent Beneficia prædicti Monasterii, à prædecessoribus suis sub fidelitate & hominio pro defensione Ecclesiæ sibi & antecessoribus suis olim concessa. Præcipuè conqueritur super Berengario Carlatensi Vicecomite, qui propria cupiditate ductus, debitum servitium & fidelitatem Abbati exhibere negat, nisi Beneficium quod immeritò detinet, adhuc etiam de jure Ecclesiæ augeatur.* Præcipitur à Pontifice Vicecomes, ut fidei sacramento, & servitio præstando fungatur, nec novi quidquam feudi eo nomine extorqueat. *Subjectionem & fidelitatem Abbati persolvat, & servitium pro Beneficio largiri non deneget, & ab exactione illicita augmentationis desistat.* L. 7. Ep. 19.

IV. Erant ergo triplicis generis Commendæ laïcæ. 1. Cum Laïci irruebant ipsi in Abbatias, Archidiaconatus, Præposituras, nec istos antè induebant Beneficiorum & Dignitatum titulos, quàm proventus fundusque omnes sibi vendicassent. 2. Cùm Episcopi ipsi & Abbates terras aliquas Ecclesiæ Nobilibus largiebantur, fidei & hominii sacramento hinc sibi astringendis, armatisque defensoribus futuris inter calamitosa illa tempora, quibus singuli in singulos penè privatis digladiabantur bellis, ut rapinis cædibusque omnia passim contaminarentur. 3. Cùm Laïci vi allata invadebant fundos aliquos Ecclesiæ, & in hæredes suos transmittebant, incredibili quadam Episcoporum hæc dissimulantium oscitantia.

Horum omnium exempla suprà congesta sunt. Unum hîc addo tertiæ classis. Post Cabilonense Concilium anno 1073. cùm Legatus Pontificius, qui ei præfuerat, Romam rediret, & in Diensi civitate, quà iter habebat, Cleri Populique querelis aures accommodasset adversùs ejus urbis Episcopum simoniacum, illum quidem ejici assensus est; at qui suffectus illi est novus Præsul, nullam prorsus invenit Ecclesiam, vel Parochiam, quæ Cathedrali obnoxia permansisset, quòd omnes prorsus à Laïcis & Nobilibus usurpatæ essent. *Adeo ut de omnibus totius Episcopatûs Ecclesiis vix unam haberet domus Episcopalis, aut mater Ecclesia, cùm ferè omnes possiderentur à militibus & quibuslibet sæcularibus.* Non sibi defuit Episcopus, fiduciaque haud sciam, an fælicitate majore, fundos omnes & proventus pridem invasos sibi Ecclesiæque suæ recuperavit. *Statuis decretum, ut nullus Laïcus obtineret Ecclesiam, aut partem acciperet in reditibus Ecclesiarum. Et factum est divina cooperante clementia, ut omnes gratanter jussionem ejus susciperent & obedirent.*

Non ita cessit beato Anselmo ex animi sententia. Repulsam quippe passus est ab Henrico I. Angliæ Rege, cùm prædia Ecclesiæ suæ reposceret Militibus concessa, antequam Normanni in Magnam Britanniam excendissent, & tum in jus Ecclesiæ utique revocanda, Nobilibus illis sine hærede demortuis. Sperabat Rex posse illis à se hæredes subrogari. Audiendus hîc Anselmus ipse: *Quoniam terras* L. 3. Ep. 54. *easdem milites Angli, antequam Normanni Angliam invaderent, ab Archiepiscopo Cantuariæ tenuisse dicuntur, & mortui sunt sine hæredibus: vult asserere se posse justè quos vult, eorum hæredes constituere.*

Exemplo Hugonis Capetii in desuetudinem abiere Commendæ primi generis Laïcorum. Alterius generis Commendis limites circumscripti sunt. Illas tertii generis omnino comprimi voluere, sed non processit res, seu Nobilibus pervicaciùs, seu Episcopis remissiùs sese agentibus, & Abbatibus: unde quæ primùm deprædatio fuerat, ea visa

postremò est justa possessio, Commendis tertii generis in unum coalescentibus cum illis secundi. In Concilio Pictaviensi anni 1078. vetitum est, ne bo-
Can. 3. na Ecclesiæ ad hæredes laicorum trajicerentur. *Ut nullus de Clero, sive de populo Ecclesiastica bona jure consanguinitatis requirat sibi habenda.* Petro Damiani visæ sunt Laïcorum Commendæ periculi plenissimæ, excusandæ tamen & tolerandæ, si necessariæ
Petr. Dami & inevitabiles essent. *Illud diabolicam propemodum*
Opuscul. 20. *videtur æquare malitiam, quia prædiis in militiam*
c. 3. *profligatis omnique possessione terrarum, insuper etiam decimæ ac plebes adduntur in Beneficium sæcularibus. Quod totum in male munifici caput redundare non dubium est, si tamen eum ad hoc propria vanitas trahat, non necessitas antiqua compellat.* Nec ab his recedit Petrus Blesensis, ubi de Episcopo Carnotensi ver-
Petr. Bles. ba facit. *Non militibus, sed pauperibus erogare tenetur*
Epist. 20. *patrimonium crucifixi; cujus ipse non dominus, sed tutor est ut misereatur & commodet ad usum egentium, tanquam testamentarius dispensator.*

V. De Italia nihildum diximus. Nec enim tanti mali cursum Alpes ipsæ remorari valuere. In Concilio Romano anni 1078 prohibiti sunt Episcopi, ne Ecclesiæ suæ fundos in Beneficium laicis conferrent, nisi accederet Metropolitani & Episcoporum Provinciæ assensus. *Ut nulli Episcopi prædia Ecclesiæ in Beneficium tribuant sine consensu Papæ, si sunt de sua consecratione. Cæteri autem sine consensu Archiepiscopi sui & fratrum suorum hoc idem non præsumant.* Si quid verò tetrarum Ecclesiæ perperam Nobilibus daretur à Regibus, ab Episcopis, ab Abbatibus in Commendam, id totum jubentur hi Nobiles Ecclesiæ restituere, anathemate alioqui percellendi.
Conc. Lateran. I. *Quicumque militum, vel cujuscumque ordinis vel pro-*
c. 14. *fessionis persona, prædia Ecclesiastica à quocumque Rege, seu sæculari Principe, vel ab Episcopis invitis, seu Abbatibus aut ab aliquibus Ecclesiarum rectoribus susceperit, vel susceperit, vel invaserit; vel etiam de Rectorum depravato seu vitioso consensu tenuerit nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit, excommunicationi subjaceat.*

VI. In iis sanè Parochiis ubi laïcæ tolerabantur Commendæ, magnas in angustias coarctabatur Parochorum proventus & sustentatio. Inter Canones Concilio Rotomagensi anni 1047. subtextos, occurrit & iste, quo Parochis videtur tributa tertia
Can. 3. tantum pars decimarum. *Ne laïci Beneficiorum Ecclesiæ, quantum ad tertiam Sacerdotis partem pertinet, participes fiant.* In Concilio Juliobonæ adjudicantur
Can. 4. illis præterea oblationes Altaris & sepulturæ. *Nullus laïcus in redditibus Altaris, vel in sepultura, vel in tertia parte decimæ aliquid habeat. Nec Presbyter inde servitium faciat.* In Concilio Rotomagensi anni 1046. circumscribi cœperat limes quidam, & resisti his Nobilibus, qui Episcopalia jam etiam jura sibi sumebant, & à Parochis exigebant hominia.
Can. 5. 7. 8. *Nullus laïcus participationem habeat in tertia parte decimæ, vel in sepultura, vel in oblatione Altaris, nec servitium, nec aliquam exactionem inde exigat, præter eam quæ tempore Guillelmi Regis constituta fuit, &c. Nullus laïcus habeat consuetudines Episcopales, vel justitiam, quæ pertinet ad curam animarum. Nullus Presbyter efficiatur homo laïci.*

In eodem Juliobonensi Concilio adnotata fuerant obsequia, quæ Nobilibus Parochi præstare tenebantur sub Vuillelmo Notho Angliæ domitore. Au-
Can. 4. di Canonem ipsum: *Ne Presbyter inde servitium faciat, nisi legationem domini sui portet, ita ut eadem die ad Ecclesiam revertatur, & ad orationes per Normanniam solummodo, victum domini sui habens, si dominus voluerit, secum vadet.*

In Concilio Nemausensi anni 1096. Parocho non servantur integræ nisi oblationes, sepulturæ, de-
cimæ & mansus Presbyteralis. *Laicus qui oblationem* Can. 2.
Ecclesiæ, sepulturam, decimam, aut terram Sanctuarii tenuerit, ab omnium fidelium communione separetur. Dictum est alibi tempore Caroli Magni Parochis addictum fuisse agellum, omni onere & servitute absolutum, qui *Mansus Presbyteralis* dicebatur, hic dici videtur *Terra Sanctuarii.*

VII. Ubi excommunicationum terrore compulsi sunt tandem laici Parochis, Abbatibus, Episcopis restituere Ecclesias, & Ecclesiarum jura prædiaque, nova hæc ab illis fraus excogitata est, ut hæc darent sub fide & hominio à se obtinenda: ut feudatarios & clientes haberent, quorum ipsi fuerant. Illud est hominium in Concilio Rotomagensi anni 1096. jam damnatum, & rursus majori pompa proscriptum in Concilio Lateranensi sub Paschali II. ut ipsemet ad Anselmum Cantuariensem scripsit.
Interdiximus, ne quis omnino Clericus laico hominium Epist 42.
faciat, aut de manu laïci Ecclesias aut Ecclesiastica bona suscipiat. Eodem pariter tempore vetitum est, ne Clerici à Laïcis investituram acciperent bonorum Ecclesiæ: *Ecclesiarum investituras à Laïcis fieri omnino prohibemus.* Ea sunt verba Concilii Guastallensis sub eodem Papa anno 1106.

In Concilio Remensi anno 1119. id ipsum prohibere voluit Callistus II. *Investituram omnium Ecclesiarum & Ecclesiasticarum possessionum per laicam manum fieri omnimodis prohibemus.* Verùm usque adeo tumultuatum est adversùs hoc Decretum, quod eo collimare Pontifex videretur, ad decimas aliasque res Ecclesiæ laïcis auferendas: *Murmur quorumdam Clericorum & multorum laïcorum per Concilium insonuit. Videbatur enim eis, quod dominus Papa sub hoc capitulo decimas & cætera Ecclesiastica Beneficia quæ antiquitus laici tenuerant, conaretur minuere vel auferre*: ut re maturius perpensa Pontifex decretum illud restrinxerit ad Episcopatus & Cœnobia, quorum vetuit à laïcis investituram accipi.

VIII. Ita finis utcumque impositus est calamitosissimæ concertationi. Prædia Ecclesiarum Episcopi & Abbates à laïcis recepere, aut ipsis in feudum dimisere. Abstinuere deinceps laïci à deprædandis Ecclesiis, nec jam à Clericis exigere jura visi sunt nova & iniqua. Circumspectissimè illud quoque tunc cautum est, ut ne laïci conductores esse possent prædiorum Ecclesiæ, ne ex conductoribus dominatores & proprietarii fierent. Eò pertinet Concilium Londoniense anni 1175. *Ne laïci Ec-* Can. 10.
clesiastica Beneficia ad firmam suscipiant. In Concilio Coloniensi anno 1266 excidere jussi sunt feudis Ecclesiæ, qui excommunicationis vinculo irretiti, intra annum eo se solvi non curarent.

In Collectione Conciliorum Tarraconensium, ipsorummet Conciliorum decreto evulgata anno 1555. Concilium Tarraconense anni 1391. dari ultra triennium laicis prohibuit Officia Ecclesiæ obnoxia, quæ ab illis administrari solita erant, ne ea iis
demum Commendæ perpetuæ excitarentur. *Scriba-* L. 3. Tit. 7.
nia, Vicaria, Bajulia, Sagionia, Cancellaria, Castellania, Alcadia, & eorum fructus, & emolumenta, & officia consueta per laïcos administrari, ne in perpetuum concedantur alicui, vel ad vitam, &c. Nec ultra triennium assignare valeamus, nec sic commissa volumus post committentis obitum perdurare. Cum Petrus de Luna Cardinalis Legatum Pontificium ageret in regno Arragoniæ, vetuit ne posthac in Commendam laicis darentur decimæ, vel agri Ecclesiarum,

nec passus est eo fuco rem obumbrari, quòd eo defensores Beneficiariis & Beneficiis ipsis pararentur, adversùs hostiles incursiones. *Loca, Vassallos, Grangeria & alias possessiones, decimas, primitias, reditus, proventus & jura, & bona alia ad Ecclesias, Ordines & Monasteria, seu alia loca pia quibus praesint spectantia, personis saecularibus sub colore & titulo Commendae, ut per eosdem ab aliorum oppressionibus defendantur, & aliis confictis causis, propria authoritate subjiciunt, &c. Quas Commendas sub interminatione anathematis de caetero fieri prohibemus.*

° In Concilio Mediolanensi I. anno 1565. statutum est, ut qui feuda Ecclesiæ obtinerent, novam eorum investituram acciperent, fideique sacramentum præstarent verbis ipsis in jure expressis, ipsi & hæ-

Con. 25. redes eorum. *Qui bona Ecclesiae feudi nomine obtinent, investituram intra tempus à jure praestitutum renovandam curent, eisdemque jusjurandum fidelitatis dabunt.*

Cap. 62. *Pari etiam ratione haeredes eorum & investituram postulent, & jurent iis, qui Ecclesiae praefuerint.*

IX. Temporis diuturnitate, & longa oblivione tot grassationum laïcarum in Ecclesias, interciderat pene illa cautio, in qua tantum olim momenti esse videbatur, ne conducenda, administrandaque laïcis Ecclesiæ prædia concederentur. In eo ipso Concilio Mediolanensi vetitum est indiscriminatim, ut ne Beneficiarii laïcis, & ne proximis quidem ipsis suis agros Ecclesiæ ad Firmam, vel ad Emphyteosin darent: ut quorum in his fides magis vacillet: nisi Episcopus commodum id Ecclesiæ judicet

Ibidem. & fructuosum fore. *Nemini Beneficiorum Ecclesiasticorum bona propinquis suis intra tertium gradum in Emphyteusin, aut ad cujusvis temporis spatium, etiam per suppositas personas locare liceat, nisi evidens & magna Ecclesiae utilitas, judicio Episcopi, praeter alia juris requisita, aliud postulare videatur.* Diffidebant jure meritissimo Synodi, ne proximis Beneficia ad firmam dare, perinde esset ac commendare.

X. Aliis aliisque temporibus novæ semper, nec injuria placuere cautiones. Reviviscunt ignea malè sopiti, & latiùs invalescunt. Sunt & in Ecclesiæ & in Regnorum disciplina pestes quædam quasi periodicæ, quæ certis annorum intervallis intereant, & renascantur. Quæ nuperrimè in Galliis conflagrarant intestina bella, ab antiquæ fidei & religionis adulteratoribus concitata, ea Regnum & Ecclesiam demergere poterant in eandem ærumnarum voraginem, atque ruente Clodovæi, & Caroli stirpe, si quam atrocia, tam diuturna fuissent. Laïci utriusque sexus Abbatias invasere, Abbatum jurisdictionem explicuere omnem, fundos & reditus in potestate sua habuere. Hinc illæ Concilii Rotomagen-

° De Monasteriis. sis querelæ anno 1581. *Fundationibus Monasteriorum nihil magis adversatur, quàm Conventui Monachorum laïcos, aut mulieres praeesse, ac pro Abbatibus seu Abbatissis se gerere, atque etiam in his habitare.* Expostularunt & Comitia Cleri Gallicani anni 1598. *quod invehrerentur, & authoritate Pontificis muniri posse sperarentur pensiones laïcis, adeoque & militibus, ac mulierculis, viduis, conjugatisque assignata ex proventibus sacris Beneficiorum.* Ea semel janua patefacta, in laïcorum manus effusa esset proventuum Ecclesiasticorum maxima pars. Sed id tum tentabatur tantùm, & quidem irrito conatu.

Cùm anno 1579. instituisset Henricus III. Galliæ Rex Ordinem Equitum sancti Spiritus, pensiones his ex proventibus Beneficiorum toto regno opulentissimorum à Pontifice impetrare agressus est, ut hæ Commendæ essent Militares. Hinc illis etiam nunc Commendarum nomen, quanquam invictissima Cardinalium intercessione res in irritum ceciderit. Eum Ordinem Equitum in Gallia, peræquè ut alios complures in Hispania, tuendæ Religioni devinctissimum fore confidebat Henricus, eoque sacris etiam proventibus alendos Equites. Roma scripsit Ossatius anno 1599. ad Villaregium, *Sabaudiae Ducem à Pontifice priùs impetrasse, ut Beneficia urbi Genevensi proxima, & iis locis, ubi Calviniana lues serpsisset, in Commendas erigerentur Militares sancti Lazari. Tunc verò haereticis illis plerisque ad Ecclesiae fidem & unitatem revocatis, Romae Praepositum Ecclesiae Genevensis instare, ut Commendae illae rursus in censum revocentur Beneficiorum Ecclesiasticorum.* Si Equites hi regiunculas illas expugnatis hæreticis recepissent, & Ecclesiæ Christi reddidissent, non facilè illis, immo ne justè quidem forsan sine potuissent extorqueri Commendæ. Istiusmodi sunt Commendæ Equitum Hispanorum; regiones ipsi a debellatis infidelibus gentibus Christo & Ecclesiæ recuperarunt. Adde quod quanquam Hispanienses hi Equites conjugii licentia tandem donati sint, in cæteris tamen omnibus Monastica professione teneantur astricti, nec bona Ecclesiæ teneant, nisi velut Monachi laïci & conjugati, ut & Clerici conjugati per tot retro Ecclesiæ sæcula.

Spond. ann. 1579. n. 12

XI. Non ita se res habet in tribus summis Præfecturis Ordinum Militarium sancti Jacobi, Alcantaræ & Calatravæ, quæ jamdiu est quod coaluere cum corona ipsa Regum Hispaniæ, ut hæreditario & ipsæ jure in posteros transmittantur. Capitulo primùm Equitum sancti Jacobi, in magno suffragiorum, majore animorum dissidio, persuasum est tamen, ut summam sui Ordinis Præfecturam commendarent Ferdinando Regi ad tempus. Ferdinandus Mariana. allectus hujus opimæ Administrationis suavitate, l. 24. c. 14. non multò pòst ab Innocentio VIII. id eblanditus l. 25. c. 13. est, ut ab eo designaretur Magnus Magister & Administrator perpetuus Ordinis Calatravæ; cujus Magnus Magister vivere desierat. Post expugnatam in Mauros Granatam ab eodem evicit summam quoque Administrationem Ordinis sancti Jacobi tunc vacantem. Denique Magno Magistro Alcantaræ L. 26. c. 5. non ægrè persuasit, ut resignato sibi Magno Magisterio, ipse Archiepiscopatu Hispalensi, mox & Cardinalatu augeretur. Isabellam Reginam Ferdinandi conjugem in has tres Administrationes Coadjutricem cum certa successionis spe declaravit Pontifex Alexander VI. Adrianus denique VI. cui acceptam referebat Carolus V. institutæ adolescentiæ suæ & luculentissimis imbutæ præceptis gratiam, quique ipse Carolo V. provectionem suam in Apostolicam sedem debebat, tergeminam illam Equestrium sacrorum Ordinum Administrationem summam sancivit Hispaniæ Regibus perpetuò commendari, hæreditaria quoque successione transfundendam in nepotes.

Hujus dispensationis amplissimæ causas promebant bene multas & graves. Quòd Præfecti illi summi Ordinum Equestrium opulentia & authoritate ea jamdiu essent, ad quam vel Reges ipsi contremiscerent. In Provinciis frequenter eos tumultuari: seditiosa plerumque eorum Capitula esse; institutos eos Equites ad contertendos & ejiciendos ex Hispania Sarracenos, obtritis iis, vel ejectis nupera Granatæ expugnatione, jam supervacaneos & otiosos fore. Insurgit ex adverso Mariana, malè mereri utramque Rempublicam de Equitibus, qui tamdiu, tam bene de utraque meriti fuissent; demeti tum

eorum capita, cum coronanda erant; res de hostibus Ecclesiæ eorumque manibus partas, vel eas ad ejus defensionem largè donatas, cedere non posse citra summum dedecus in prædam Aulicorum, & Palatii Regii assentatorum: denique iis opibus potuisse novas in Saracenos victorias reportari, novas ex eorum manibus recuperari terras: quippe qui Hispaniæ etsi jam non incubent, assideant tamen proximis in regionibus, certè ubique terrarum in Christianum nomen conjurati. Quin enim in eos Christianum propagaretur Imperium, qui suum in Christianos tantopere dilataverant. Hæc paucis Mariana: *Ceterùm quis æquo animo ferat, opes Majorum pietate concessas ad profligandos Christiani nominis hostes, effundi aulæ, certè exiguo Reipublicæ fructu? Quantum iis terra marique parari potuit* Mirum quantum ponderis est in his postremis Marianæ depromptis ex Lucano Poëta verbis, quibus ipsi penè exprobratur Hispaniæ, quòd non tanta vi sacrarum opum, tanta sapientia & strenuitate instructi duces, militesque, tantundem saltem in Maurorum expugnationem incumbant, & inclarescant, quantum Mauri olim in Hispanorum.

XII. Verbum non faciam ullum de rebus Ecclesiæ, quas Bohemi hæretici invaserant, & quas illis
Raiaal. an. Imperator Sigismundus relaxavit ex Rainaldo. Cui
1436. n. 19. exemplo ipsa Romana postea se accommodavit Ecclesia in Anglos, qui priùs bona Ecclesiæ omnia involaverant in regni ab Apostolica Sede secessione, & qui tamen postea ad ejusdem Sedis & fidei unitatem se recollegerunt sub Regina Maria, sorore Eduardi VI. Regis, filia Henrici VIII.

Crimini datum est à Theodorico de Niem Urbano VI. quòd quædam Ecclesiæ Castra Savonensis Duci Genuensi oppignerasset. Tam graves diluciddæque poterant esse Ecclesiæ necessitates, ut omnem ab eo Pontificis consilio invidiam abstergerent. Sed universim eidem Theodorico vehementer assentimur, ejusmodi alienationes rerum Deo & pauperum alimentis dicatarum, sine gravi necessitate, aut sine gravissimo crimine non fieri. *Si fas*
L. 5. c. 33. *esset de his quæ per Papam fiunt, hæsitare, mirare quomodo talia licitè fieri possent; scilicet quod Papa donata castra & alia bona per Imperatores & Reges Romanos & alios Catholicos, Ecclesiis auferre, atque in profanos usus pro suo nutu convertere possit.*

XIII. Doctissimus vir Cotelerius in luculenta illa sua monumentorum Ecclesiæ Græcæ Compilatione, Joannis Patriarchæ Antiocheni sermonem, decurrente sæculo XII. ab eo editum publicavit adversùs eos qui Laïcis Monasteria & Xenodochia traderent. Docet Joannes jam inde à temporibus Constantini Copronymi, hostis infensissimi tum sacrarum Imaginum, tum Monachorum, earum defensioni vitam passim & sanguinem impendentium, eam flagitiosissimam inolevisse consuetudinem. Extincta ea hæresi desiisse hanc corruptelam; quæ pòst rursus convaluit inconsideratis Patriarcharum & Imperatorum donis, qui semirutis Monasteriis & Xenodochiis donabant Nobiles & locupletes Laïcos, scilicet spem facientibus, ea à se restauratum iri in splendorem pristinum. Eo gradu Patriarchæ & Imperatores eò eruperunt, ut illis quoque eos donarent Cœnobiis Xenodochiisque, quæ rerum omnium copia florerent. *Causa atque provi-*
Monument. *da Imperatorum & Patriarcharum, qui Monasteria,*
Eccl Græcæ. *atque domicilia, in quibus pauperes aluntur, destructa*
To. 1. p 172. *vel concidentia Principibus viris tradiderunt, non in modum doni, & ad corporale lucrum, sed ad instauratio-nem & ornatum, animæque profectò utilitatem, &c. Posteriores Imperatores ac Patriarchæ cœperunt perfecti muneris modo Monasteria & Mendicorum domicilia in integritate consistentia donare. Postea processu temporis etiam majora reditusque ampliora.* Tam longè denique lateque serpsit hæc lues, ut Cœnobia omnia, minora indiscriminatim & majora, opulenta & egena, Monachorum & Monialium, contradita simili et fuerint, paucis exceptis Monasteriis novis; traditaque sint Laïcis, etiam conjugatis, nonnulla etiam Paganis.

Idem quidem ubique fucus obtendebatur, non dari hæc Cœnobia Commendatariis, Charisticariis, *κτητορικῶς*, nisi ut eorum reparationi invigilarent.
Sed frivolam causationem refellit Joannes Patriar- *Ibid p. 177.*
cha his responsis, Dari Monasteria, quæ nullis in- *182.*
digerent reparationibus; si quæ indiguissent, nullum unquam eorum ab his Commendatariis pristinæ integritati redditum fuisse; denique proventus etiam Cœnobiorum, subductis Monachorum alimentis, his dari Laïcis tam inconsultè, ut ad rationes nunquam vocarentur. Ideo & rebus necessariis deficere Monachos, ac non aliter quàm nihili homines & mancipia vilipendi, dissipari fundos ipsos Ecclesiæ, Ecclesias desolatas jacere, pauperum hospitumque curationem & curam haberi nullam. Extremum denique malorum hoc erat, quòd Monachorum numerum implerent Commendatarii pro suo libitu, nulla Præpositis relicta facultate, nonnisi examinatos seriò, & approbatos admittendi. Adde quod & permiscebantur Monachis laïci homines, ab Imperatoribus, & à Commendatariis admissi, & Cœnobii sumptu fovendi. Nemo tam rudis & hebes est, qui non hinc totam dilapsam fuisse & labefactatam Claustri disciplinam intelligat. Et tamen incredibili prorsus insania, qui priscis Monasteriis has clades importabant, etiam pœllaribus, ii quandoque nova alibi Monasteria exædificabant. Hactenus ex Joanne Patriarcha.

Non paulo licentiùs de his Balsamon; at qui obi de his Patriarcharum legationibus sermonem facit, eum usum dicat in jus commune convaluisse, cui aliquando cùm intercedere & reniti voluisset Sisinnius Patriarcha, mox ejus molitiones omnes Patriarcha Sergius demolitus sic solemni declaratione. An divina illa & impunita rerum sacrarum profanatio, Imperio Orientali gravissimas illas invexerit calamitates & procellas, quibus denique absorptum est, meum non est decernere. Non temerè autem dicam religiosiores fuisse, sin minus omnes, certè complures Occidentalium Principum: Episcopos autem ea tandem strenuitate decertasse, ut Laicos omnes fundis Ecclesiæ excusserint. Ubi primùm Constantinopolin Latini in Græcos expugnavere sub Innocentio III. complusculi Nobiles Episcopis restituerunt usurpata priùs à se latifundia Ecclesiæ, quod & Pontifex confirmavit.

CAPUT XXI. *P. 4. l. 2. c. 65.*
De Precariis.

I. Quantum Ecclesiis damni adferrent Precaria.
II. Duplicis generis Precaria.
III. Tertium Precariæ genus, ubi plura Ecclesia ad juvandos pauperes subsidia suppetebant
IV. De antiquis Precariis sub Carolo Martello.
V. Nova pro Precariis argumenta.
VI. Variæ Laicorum artes, ut innovarentur. Innovata prohibitiones, ne quid Laicis rerum Ecclesiæ donetur.

VII. Quando remiserit is juris rigor. Quando Laici ad firmam rerum Ecclesiæ admissi.

VIII. Locationibus bonorum Ecclesiæ interveniebant Episcopi, ut tertia pars pauperibus sequestraretur, ut Conductores superaret, quæ hospites exciperentur, ut Nobiles excluderentur spe firmarum & Commendarum.

IX. Edicto Regum Galliæ ut Nobiles arcendos à rebus Ecclesiæ conducendis.

I. QUanquam non tanto fuerint Precariæ, quanto Commendæ Ecclesiis detrimento: earum tamen dispendia conjecit Ivo Carnotensis in illam Epistolam, qua de iis in Ecclesia sua prohibitis Paschali II. Pontifici congratulatus est. Pactionibus parum decoris annuebantur Precariæ, dissidiorum hinc seges pullulascebat inter impetrantes, & repulsam passos, denique Pontificem Ivo obtestatur, ut eas æternùm jubeat ab Ecclesia exulare.

Epist. 172. *De Precariis verò, quasi jam bis in Ecclesia Carnotensi vetuistis, similiter precamur, ut nunquam mutetur vestra sententia, sed magis confirmetur, quia quando personaliter accipiebantur, oriebantur inde illicita emptio & venditio, inter accipientes & non accipientes fœda contentio, ira, rixa, æmulationes, inimicitiæ, & multa illicita, quæ radicitus evellenda esse ab Ecclesia, sancire debet vestra excellentia.*

II. Idem verò Ivo, Burchardus & Gratianus referunt ex Concilio quodam Metensi, sive Bellovacensi, quod ibi potuit quidem illud innovari Decretum, sed quod revera constat esse decerptum ex
10.q.2.c.4. Capitularibus Caroli Magni. Porro eo fertur duplicis generis fieri posse Precarias. Primum, si qui agros suos Ecclesiæ confert, eorum retinet usumfructum, cum usufructu agrorum duplo plurium, quibus donetur, dum vita superabit. Secundò, si abstineat usufructu agrorum, quibus Ecclesiam donat, donetur que ipse vicissim tripla quantitate agrorum Ecclesiæ, ut eorum usufructu gaudeat, dum superstes erit. Ejusmodi erant Precariæ. Verùm hæc præfati sive Concilii Patres, sive Imperatores mox vetant ne cogi unquam possint Clerici, ut precarias faciant rerum Deo dicatarum, cùm seu beneficia, seu gratiæ à lubentibus dari, non ab invitis extor-
Vide Canon. Abbonis. Analecta Mabil. To 2 pag. 266. & vol. 10. 13 pag. 279. queri debeant. *Decrevit etiam sancta Synodus & Imperialis authoritas denuntiavit, ut a nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus propriè Deo & Sanctis ejus dicatis, cùm ratio & usus obtineat, neminem cui non vult, contra utilitatem & rationem cogi de proprio facere beneficium.*

Duo hîc obiter advertenda occurront. Primum, Precarias in album Beneficiorum quodammodo relatas fuisse, ut quæ speciem quandam adumbratam gererent Commendarum laïcarum. Secundo, vim quandoque factam Episcopis fuisse, ad extundendas ab eis Precarias, usque adeo erant illæ compendio Laicis, Ecclesiis detrimento. Ita meritissimò eas aboleri prorsus Ivo cupiebat. Iidem porro suprà laudati Canonistæ, sicut & Compilator De-
Decret. Gregor l. 3. Tit. 14 De Precariis. cretalium Gregorianarum, alia in medium protulere Decreta, quibus edicitur, ut Precariæ revocari possint à successoribus eorum, qui illas inconsultiùs concesserint: utque quinto quoque anno innoventur.

III. Erat & tertium quoddam genus, quod non *Precaria*, sed *Precarium* vocatur à Gregorio IX. ubi videlicet usus fundi alicujus cuipiam concedebatur, ad nutum concedentis protrahendus, aut contra-
Ibidem. hendus. Damno esse non poterat hoc precarium Beneficiariis, nisi quandiu illis erat collibitum. At non satis video, in quod precarii genus conjiciendum sit, quod olim B. Bernardus ab Episcopo Lincolniensi petebat, cum Canonico Lincolniensi ad Professionem admisso apud Claramvallem, persuasoque hanc esse pulcriorem Hierosolymam, illa ad quam voverat se peregrinaturum; Episcopum interpellavit, ut æs alienum Canonici solveret de proventibus ejus Præbendæ, & utendam fruendamque condonaret matri ejus ædiculam, quam ipse extruxerat in fundo Ecclesiæ, cum agello ei alligato.
Precatur deinde, ut domus quam matri ipse suæ in terra Ecclesiæ construxit, cum terra quam ibi delegavit, eidem matri, quandiu vixerit, concedatur. Epist. 64. Id genus precarias ne Bernardus quidem ipse ambire verecondabatur, egenis scilicet cessuras: nec tam excors tamen erat quisquam qui Ecclesiæ eas oneri esse posse suspicaretur.

Ex hac enim duplici Precariarum classe, quarum aliæ novos Ecclesiæ agros adjiciunt, novas accumulant opes, aliæ uni pauperum serviunt utilitati; his posterioribus longè impensiùs Ecclesia delectabatur; ut quæ totum imbibisset Spiritum ejus, qui authore Apostolo dixit, Beatius esse, chariosque esse debere, dare, quàm accipere: & qui idem suum voluit & pauperum esse patrimonium. Sunt & alia ad manum exempla Precariarum, proximis demortui Beneficiarii concessarum, si quo is beneficio Ecclesiam affecisset. Recueil pour l'hist. de Bourgogne Pag. 32. 2. 36. 37. 45. Erant & gratuitæ Precariæ, ubi qui suis Ecclesiam augebant patrimoniis, solo dum adviverent usufructu eorum contenti essent, persoluto censu annuo denariorum duodecim, solenni die quopiam Festo.

IV. Possent & Precariis inscribi Beneficia illa militaria, quæ Ecclesiis primò extorquebantur, & quæ postea lubentes Episcopi atque Abbates contulere, difficillimis illis temporibus, ubi suæ illis ditiones terrenæ armato milite tuendæ erant, aut subministrandus miles erat Principi, qui earum tutelam in se reciperet. Ita constat ex Decreto Theodorici IV. Regis, & Caroli Martelli Majoris Palatii. *Res Ecclesiarum ut subveniatur necessitatibus publicis & solatiis militum, pro Dei Ecclesia, & bono statu Reipublica, & uniuscujusque propria pace pugnantium, statuimus cum consensu Episcoporum & placito Procerum Regni, & adhortatione totius populi, ut necessitate exigente liceat aliquantos ab eis separari, atque inter dignos & benemeritos dividi. Precarias tamen fieri ab Episcopis exinde volumus, & nonas ac decimas ad restaurationes terrarum, & de unaquaque casata duodecim denarios ad Ecclesiam, unde res erant beneficiatæ, dari constituimus.* Goldast. Const. Imp. Tom. 3. pag. 648. Vides hîc prima ex Ecclesiæ rebus militaria Beneficia. Vides quæ Beneficia erant, precarias etiam dici. Vides censum duodecim denariorum ad singulas precarias. Vides necessarium Episcopi consensum. Vides & sive causam, sive prætextum Precariarum, defensionem Ecclesiæ & Regni. Si certa constat hujus Edicti veritas, ea fuere veluti præludia eorum, quæ postea Pipinus in Concilio Liptinensi confirmari fecit.

V. Erant ergo Precariæ, ubi dabat & recipiebat vicissim Ecclesia: erant ubi dabat, nec recipiebat quidquam; erant & ubi recipiebat, nec dabat. Ne his quibus dabat, nec vicissim recipiebat quidquam, exaresceret tandem aliquando fons sacrarum hujusmodi largitionum in pauperes, anno 1039. Conradus II. Salicus dictus, lege lata vetuit, ne Precarias Episcopi concedere possent, nisi consensione Canonicorum. *Nullus Præsul potestatem habeat milites suos inbeneficiare, &c. sine fratrum consensu & collaudatione.* Ibid. p. 312. Quin & ipsi Fundatores dotatoresque Ecclesiarum, ea lege Ecclesiam suis donabant præ-

dus, ut ne possent unquam in Beneficium, hoc est Commendam militarem, vel precarium dari. Ita Albericus Comes Matisconensis pluribus agris donavit Cœnobium Trenorchiense. *Interdico ut nullus Abbas, nec ulla emissa persona, nulli unquam liceat beneficiari, nec in precaria mittere.*

Hist. de Tournus Preuves. pag. 286.

VI. Quando postea exolevit usus Precariarum, locari sibi & ad firmam dari fundus Ecclesiæ Laici ambiere, novas semper artes teniante avaritia. Non displicuit Innocentio III. ad firmam dari decimas, dum ne in feudum darentur & alienarentur. *Ad firmam dare, &c. locare liberè potestis fructus vestrarum decimarum; ita tamen quod hujusmodi locatio ad feudum vel alienationem non videatur extendi.* Ut ei collusioni occurreret Cælestinus III. resciderat & revocari voluerat firmam perpetuam, seu locationem nullo certo tempore definitam. *In perpetuum prædia Ecclesiæ locaverunt, &c.* Ideo & ex Decretalium jure, *Alienationis verbum continet Emphyteuticum perpetuum contractum.*

Extra. De locato & conducto. c. 2.
Extra. De rebus Eccl. non alien. c. 9
Ibid. c. 5.

Ad occupandas autem & intercludendas Laïcorum artes & machinationes omnes, quibus Laïci ad bona Ecclesiæ sibi vendicanda grassabantur, prohibuere Episcopales Synodi ea unquam illis elocari, aut ad firmam dari. In Concilio Provinciæ Cantuariensis apud Lambethum in Anglia anno 1281. prohibitum est, ne res Ecclesiæ aliis quàm Clericis locarentur. *Statuimus, ut nulli tradantur Ecclesiæ ad firmam, nisi personis Ecclesiasticis, sanctis & honestis, quos locorum Episcopi liberè valeant coërcere.* In iis verò locationibus illæ erant Episcopi partes, ut proventuum partem aliquam segregaret ad pauperum alimenta, juxta Canonicas sanctiones: *Proviso etiam pauperibus Parochiæ de firmis hujusmodi, ut pinguis portio juri consona secundùm arbitrium Episcopi adsignetur: sub testimonio quatuor fidelium Parochianorum eisdem fideliter eroganda.* Et ne leges Ecclesiæ has Laïci ludificarentur & frustrarent per subornatos Clericos, aut sub nomine Bajuli, innovatæ sunt in eo Concilio Canonicæ in eos pœnæ, qui sinuosis anfractibus Ecclesiam legesque ejus sanctissimas circumvenirent. *Et ut ab ejusmodi firmis omnis contractus imaginarius subducatur, quia in personis Clericorum falsò suppositis vel sub nomine Ballivatus, Ecclesiæ ad firmam Laicis conceduntur, ordinamus, ut si quis Clericus in tali versutia repertus fuerit, puniatur secundùm statutum Ottoboni, &c.*

Can. 15.

In Synodo Cicestrensi anno 1289. idem rursus Laïcis, idem denique Regularibus prohibitum est, illis maximè qui jure Patronatûs otterentur; eoque faciliùs Beneficiorum fructus agrosque usurparent. *Ecclesias viris Religiosis ad firmam dari inhibemus, & illis præcipuè qui in eisdem obtinent jus Patronatûs, item multò fortiùs de Laicis quibuscumque. Quod si contra præsumptum fuerit, Beneficiorum fructus sequestrentur, &c.*

Can. 31.

VII. Ad eandem se Gallia conformavit disciplinam usque ad exordia ineuntis sæculi XV. In Synodo Lingonensi anno 1404. prohibiti sunt Clerici, ne conductores sibi Laïcos adsciscerent, sive admodiatores & firmarios. *Prohibemus sub pœna decem librarum Turonensium, ne aliquis Beneficiatus aut Patronatus tradat Laïcis per admodiationem, seu ad firmam fructus vel reditus sui Beneficii; vel jus percipiendi ratione Patronatûs aliqua jura in Ecclesia. Prohibemus Laicis, ne tales recipiant admodiationes, aut firmas, ad magnum vel modicum tempus.* Obiter autem hîc adnotabis, necdum tunc obliteratas à Conciliis potuisse exactiones Patronorum in Ecclesias sui juris.

Bochel De. cret Eccl. Gal p. 1283.

Lenimenti aliquid addidere mox Episcopi Gallicani, unum id vetantes, ne Laïci Beneficia conducerent inconsultis Episcopis Diœcesanis. Accipe decretum Synodi Lingonensis anno 1421. *Præcipimus omnibus & singulis Curatis, & aliis Beneficiatis, tam Regularibus, quàm sæcularibus, ne Beneficia sua Laicis admodient, seu tradant ad regendum; neque etiam aliis personis, nisi habuerint à nobis licentiam. Similiter etiam Laicis sub pœna prædicta excommunicationis inhibemus, ne Beneficia Ecclesiastica admodient, regant, aut gubernent, per se vel per alium, licentia super hoc à nobis minimè obtenta.*

Ibidem.

VIII. Erant autem plurima rationum momenta in ea Episcoporum prohibitione, ne injussu suo agros Beneficiorum conducerent Laïci. 1. Ut segregaretur tertia, aut quarta, hoc est, canonica redituum pars ad pauperum relevandas necessitates; ut suprà laudato Canone patuit. 2. Ut conductoribus dimitteretur & aliqua eorum portio, ad excipiendos hospites: propterea quod proventus Beneficiorum omnes pauperum necessitatibus dicati ab origine primæva sunt; omnesque Beneficiariorum ædes diversoria quædam esse debeant charitatis omnibus obviæ, omnes complectentis. Ita declaratum est in Concilio Redonensi anni 1263. *Verùm quia quidquid habent Clerici, pauperum est, & domus eorum debent esse omnibus communes; perquam indecens videretur, si de bonis Ecclesiasticis Christi pauperibus hospitalitas negaretur. Idcirco statuimus, quod nulla Parochialis Ecclesia concedatur ad firmam, nisi juxta Diœcesani loci arbitrium firmario tanta portio relinquatur, quòd Christi pauperibus valeat condecens hospitalitas exhiberi; & ad idem Rectores Ecclesiarum per Episcopos proprios compellantur.* Eodem quoque, ut apparet, vergebat Canon iste Concilii Langeacensis in Provincia Turonensi. *Prohibemus ut Parochiales Ecclesiæ ad firmam tradantur, sine speciali Diœcesani & expresso consensu. Nec tamen ad arbitrium Rectoris Ecclesia taxabitur firma, sed ad judicium Diœcesani.* Sed verissima ratio erat, ne rursus Laïci bona Ecclesiarum invaderent, quorum tandiu potiti fuissent, Commendarum, Beneficiorum militarium, & Precariarum nomine.

Ibid. p. 1284
Ibidem.

IX. Sed & ipsorum mox obreptum est Episcoporum facilitati & indulgentiæ; eorumque licentia tam sæpè Clericorum Beneficia Laïci locavere, ut & sine licentia ea tandem locaverint. Impunè id fecerunt, quandiu verecundè. Verùm minimè diuturna fuit ea verecundia. Nobiles ipsi conducere Beneficia voluere, vel suo, vel alieno ac vicario nomine. Facilè ex conductoribus administratores, Commendatarii & proprietarii evadebant. In easdem denique atque olim ærumnas resorbebamur, nisi Carolus IX. Edicto suo anni 1568. Nobilibus omnibus interdixisset locationem decimarum & bonorum omnium Ecclesiæ, indicta pœna rescindendæ nobilitatis, & irritandi locationis contractûs. Eadem prohibitio iterata est in Edicto Ambosiano, Blesensi, Melodunensi. Eodem Caroli IX. Edicto vetatur locari bona Ecclesiæ ad plures, quàm novem annos. Quæ quò pertineant decreta, nemo non intelligit.

Memoi. du Clerg. Par 3 p. 115. 329.

CAPUT

CAPUT XXIII. *P. 4. l. 2. c. 66.*

De unione Beneficiorum.

I. Unio Beneficiorum excusanda eorum pluralitati subornata à Tridentino damnatur.

II. Uniones ipsa perpetua ibi examini Episcoporum permissa fuere.

III. Uniones Parochiarum cum aliis Beneficiis, in futurum prohibita, in praeteritum tolerata.

IV. De unione Cathedralium, ob redituum tenuitatem.

V. De plurium unione Parochiarum ad Ecclesia commodum.

VI. Canonicatibus unita Beneficia alia, ad augendos eorum reditus.

VII. Uniones Beneficiorum ad constituenda, & dotanda Seminaria.

VIII. Summa potestas Episcoporum ad uniones jure Decretalium ante Tridentinum.

IX. Ante Decreta Concilii Lateranensis & Tridentini Cardinalium Responsa ad Paulum III. uniones ad vitam merito esse ludificationes ad dissimulandam Beneficiorum pluralitatem.

I. COmmendis & unionibus dissimulata creberrimè fuit Beneficiorum pluralitas; & ludificata authoritas Canonum, quibus ea proscribitur. Unum nugabantur à se teneri Beneficium, cùm unum obtinebatur Titulo, alterum, vel plura etiam alia commendabantur; vel cùm plura in unum conglutinabantur, ad vitam, aut ad tempus certum. Explosit Tridentina Synodus geminam hanc Clericorum avaritiæ tergiversationem.
Sess. 7. c. 4. *Quicumque de cætero plura Curata aut alias incompatibilia Beneficia*
Sess. 24. c. 17. *Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu Commenda perpetua recipere, aut simul retinere præsumpserit, &c.* Hoc eodem Concilio alibi irritæ decernuntur uniones omnes ad vitam Beneficiorum Curatorum, revocatis omnibus dispensationibus, ad id impetratæ si quæ sint. *Illi verò qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus ad vitam nonobstantibus, una tantum retenta, alias dimittere intra spatium sex mensium.*

II. Unionibus ad vitam manifesta privatæ cupiditatis infamia adhærescere videbatur. Uniones perpetuæ utilitatem publicam magis redolebant. Conducit enim indubitatissimè non raro quandoque Ecclesiam semirutam, vel funditus eversam, alteri cuipiam, cujus vel ipsa opibus restituatur, vel tenuitati accedat & solatio sit. Id genus fuere uniones Episcopatuum, utilitati & necessitati ipsarummet Ecclesiarum servientes. Exempla non pauca superius variis locis prolata sunt.

Sed cùm summa fuerit Tridentinorum Patrum diligentia, cautum ab illis est, ut ab Episcopis ad novum examen revocarentur uniones perpetuæ ab annis quadraginta factæ, irritæque declararentur,
Sess. 7. c. 6. si qua fraude obreptum esset. *Et quæ per surreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irrita declarentur.* Quin & ejusdem temporis unionum perpetuarum causas ab Episcopis expendi voluere, si quæ nondum essent executioni mandatæ, subreptitiasque declarari, si causis minus legitimis niterentur;
Sess. 7. c. 6. *Nisi eas ex legitimis, aut aliis rationabilibus causis factas esse constiterit.*

Unita fuerant astutè & veteratoriè quædam Beneficia libera, cùm illis quæ Patronis laïcis, Clericisque obnoxia essent, ut in ejusdem Patroni potestate essent. Jubet Concilium has uniones post quadraginta annos factas irritas pronunciari, si nec-

Tom. II.

dum ad executionem ventum sit. Si executioni autem mandatæ sint, excutient Ordinarii, numqua obreptione expressæ sint, & tum eas irritas decernent. Sess. 25. c. 9.

Uniebantur Beneficia, sive Parochialia, sive simplicia diversorum Episcopatuum, ex quo turbabantur limites Diœceseon, & Pastorum jurisdictiones. Id posthac vetuere Tridentini Præsules, nec passi sunt vanas causationes allegari, augendi cultus divini, augendi & numeri Ministrorum Altaris, denique ne simplicia quidem Beneficia ita uniri voluere. *Etiam ratione augendi divinum cultum, aut numerum Beneficiariorum, &c.* Sess. 24. c. 9.

III. Nec paulò plus erat discriminis in Parochialibus Ecclesiis ad alia quævis Beneficia uniendis. Uniri ergo illas prohibet Concilium, sive Abbatiis, sive Cœnobiis, Dignitatibus, Præbendisque Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegialium, Xenodochiis, Ordinibus Militaribus, aut simplicibus quibusvis Beneficiis. Si quæ verò jam perfectæ sint istiusmodi uniones, eas Episcopi expendere jubentur, ea potestate quæ sibi concessa est sessione VII.
Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscumque, aut Sess. 24.
Abbatiis, seu Dignitatibus, sive Præbendis Ecclesiæ c. 13.
Cathedralis, vel Collegiatæ, sive aliis Beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur, & quæ unita sunt, revideantur ab Ordinariis, &c.

Uniones has omnes, vel utilitati publicæ adversantes, vel privatis ancillantes cupiditatibus, nemo non sentit à Tridentino damnandas fuisse. Sed non omnes tamen promiscuè Beneficiorum uniones ab eo sublatæ sunt. Nonnullæ ab eo probatæ, aliquæ Episcoporum examini permissæ. Perpetuæ & anti- Sess. 7. c. 7.
quæ uniones Parochialium Ecclesiarum cum Cathedralibus, Collegialibus, Monasteriis, Xenodochiis, intactæ relictæ sunt. Jussi sunt tantum Episcopi quotannis ea loca perlustrare, & perpetuos ibi Vicarios constituere, nisi conducibilius illis videatur aliud regimen quodvis. Quoad Parochialium Ecclesiarum uniones ab annis quadraginta factas, de iis supra diximus quid à Concilio statutum sit.

IV. Si quarum sint Ecclesiarum Cathedralium tam jejuni proventus, ut necessariis sumptibus & Episcopali dignitati sustinendæ pares non sint, in potestate erit Concilii Provincialis, causas excutere uniendorum duorum Episcopatuum, vel ratione quavis alia redituum augendorum, deliberationis suæ summam ad Romanum referre Pontificem, qui diffiniet ipse, uniri duas Ecclesias, an aliunde earum augere proventus æquius & consultius sit.
Concilium Provinciale ad Romanum Pontificem instru- Sess. 24. c. 13.
menta mittat, quibus instructus, prout expedire judicaverit, aut tenues Cathedrales Ecclesias invicem uniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat. Episcopos interim illos egestate laborantes solabitur Pontifex vel stipendiis quibusdam aliis, vel Beneficiis. *Interim donec prædicta effectum sortiantur hujusmodi Episcopis, qui fructuum subventione, pro Diœcesis suæ tenuitate indigent, poterit de Beneficiis aliquibus provideri à Romano Pontifice* Dummodo ne ea Parochialia sint Beneficia, nec Canonicatus, aut dignitates Capitulorum, vel Cœnobiorum eorum, in quibus vigeat Claustri disciplina, & quæ Capitulis Generalibus pareant. *Dum tamen Curata non sint, nec dignitates, seu Canonicatus, & Præbendæ nec Monasteria, in quibus viget Regularis observantia, vel quæ Capitulis generalibus, vel certis Visitatoribus subduntur.*

Mira & singularis hæc species est, ubi pluralitas

R r

Beneficiorum Concilio non improbatur. At 1. id indulgetur ad breve tempus, dum idonei reditus Episcopali Ecclesiæ adjiciantur. 2. Additur & ea lex, ne Episcopus quantumvis inops, retineat vel Parochiam, vel Præbendam, aut Dignitatem Capituli, vel Cœnobii bene morati. 3. Totum tribuitur Episcopo, immo Episcopali Ecclesiæ, quæ necessariis hactenus præsidiis & reditibus fuerit destituta. *Quoniam pleraque Cathedrales Ecclesiæ tam tenuis reditus sunt & angusta, ut Episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque Ecclesiarum necessitati sufficiant.*

V. Plurimas adhuc uniones Episcopis permittit Tridentinum. Nam si Parochiæ sint, *quarum fructus adeo exigui sint, ut debitis nequeant oneribus satisfacere:* illis alia poterit Episcopus adjungere Beneficia, *Sess. 21. c. 5.* dum ne Regularia sint. Parochias quoque ipsas inter se, & Beneficia non Curata cum Parochiis unire, ut jure Decretalium fas est Episcopis, ita & per Tridentinum licet, cùm tenues admodum sunt Parochiæ, aut causis aliis in Jure designatis. *Possint Episcopi facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum Parochialium & Baptismalium, & aliorum Beneficiorum, Curatorum, vel non Curatorum cum Curatis, propter earum paupertatem, & in cæteris casibus à jure permissis.*

VI. Si Præbendæ Cathedralium & Collegialium, etiam cùm distributionibus minus sufficiant alendis decenter Canonicis: *Ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci & personarum qualitate non sufficiant:* poterit Episcopus cum Capitulo, vel simplicia illis unire Beneficia, non tamen Regularia; vel minuere numerum Præbendarum, ut residuarum proventus amplificentur; dum accedat tamen consensus Patronorum laïcorum, si illis obnoxia sint hæc Capitula: & dum residuus Præbendariorum *Sess. 24. c. 15.* numerus divinis Officiis ritè obeundis par sit: *Ita tamen ut tot supersint, quæ divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere.*

VII. Per idem Concilium fas est Episcopis, à Diœceseos Beneficiariis omnibus exigere partem aliquam redituum, ad extruendum, dotandumque Seminarium, nisi malint illud unione Beneficiorum simplicium, cujuscumque demum generis perficere. *Sess. 23. c. 18.* *Eam portionem sic detractam, nec non Beneficia aliquot simplicia, huic Collegio applicabunt, & incorporabunt.*

VIII. Ex Decretali Cælestini III. eo jure utebantur Episcopi omnes, ut Beneficia Diœceseos suæ omnia, vel unirent inter sese, vel subnecterent alia aliis, perinde ut conducere Ecclesiæ suæ judicassent; solaque Episcopalium Ecclesiarum unio, earumque nova inter sese subjectio summo Pontifici integra servabatur. *Sicut unire Episcopatus atque potestati subjicere aliena, ad summum Pontificem pertinere dignoscitur; ita Episcopi est, Ecclesiarum suæ Diœcesis unio, & subjectio earundem.* Ipsamet Monaste- *Spicil. to. 11. pag. 223. 230. 253* ria ei suberant Episcopi potestati. Ideo & ad Episcopum quendam rescripsit Pontifex idem, rescindi *Extra De excess. Præl. c. 8.* ab eo posse unionem duorum suæ Diœceseos Monasteriorum injussu suo factam: quanquam à Me- *Innoc. III. Regist. 10. Epist. 156.* tropolitano confirmata fuisset. Scripsit Innocentius III. ad Episcopum Parisiensem, ut Abbatiam Vallis-profundæ valde exilem uniret Gifensi, minimè locupleti. Anno 1275. in Synodo Andegavensi prohibiti sunt Abbates, ne tenues supprimerent Prioratus, mensæve Abbatis unirent. Quæ prohibitio sæpius iterata est in iisdem Synodis.

Ante Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. uniebant Episcopi Parochias & Capellas Canonicatibus, quorum alioqui erant reditus æquo tenuiores. Ab eo deinceps destitum est in Hungaria. Episcopus Hungarici regni ad Honorium III. conquestus est de permolesta penuria suorum Canonicorum post Concilium Lateranense. Rescripsit Pontifex, si ingens invitaret utilitas Ecclesiæ, aut premeret necessitas, posse ab eo uniri Canonicatibus Capellas, dum Capellanis congrua portio adsignaretur. *Si evidens necessitas vel utilitas exigat, Præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de Capellis in perpetuum annectendis eisdem augmentare, reservata congrua Capellarum Presbyteris portione.* *Extra. De Præbendis. c. 33.*

IX. Peculiari cura & providentia vigilarunt Tridentini Patres in Ecclesias Parochiales, propter animarum procurationem eis incumbentem; ideo adempta est Episcopis facultas eas uniendi Canonicatibus, vel Dignitatibus, vel Monasteriis, ut suprà dictum est. Et quanquam à nonnullis dubitatum sit, an adversetur Concilium iis unionibus, quæ fiunt sine alterutrius Ecclesiæ vel suppressione, vel subordinatione; levissima tamen sunt dubitandi rationum momenta. Etenim ibidem mox alias suggerit rationes resarciendæ Parochiarum, vel Canonicatuum inopiæ.

Ne ipsas quidem portiones, vel Beneficia infe- *Fagnan. In C. Expositi De Præb. L. 3 Decret. Part. 1 pag. 182.* rioris Chori vult Fagnanus ab Episcopis uniri posse Canonicatibus tenuioribus. Quòd nimirum à Concilio indigitatæ sint rationes aliæ duæ obviandi ei malo, nimirum vel uniendis simplicibus Beneficiis, vel minuendo Canonicorum numero. In Congregatione Concilii declaratum est, posse ab Episcopo, & Capitulo uniri Præbendis Beneficia simplicia, at non Mensæ Capitulari; convenienter Clementinæ *Si una*, qua permittitur Episcopo & Capitulo unire, vel addicere Ecclesiam quampiam alteri Ecclesiæ, non autem propriæ mensæ.

Leo X. in Bulla Reformationis Curiæ Romanæ promulgata in Concilio Lateranensi V. anno 1514. prohibuit in posterum uniones omnes perpetuas, nisi in casibus à jure permissis, aut ubi causæ sunt justæ & necessariæ. *Uniones perpetuæ, præterquam in casibus à jure permissis, vel sine rationabili causa, nequaquam fiant.* *Sess. 9.* Quoad uniones ad vitam, Consultores Pauli III. & in iis Cardinales, eas exibilarunt, tanquam mera ludibria, ad fucum faciendum sacris legibus, plura Beneficia incompatibilia simul obtineri prohibentibus. *Quid de unionibus Beneficiorum ad vitam unius, ne scilicet obstet illa Beneficiorum pluralitas ad obtinenda incompatibilia, nonne est mera fraus legis?*

De Dispensationibus.

CAPUT XXIV. *P. 1. l. 2. c. 46.*

De Dispensationibus. Earum dandarum legitima authoritas, & causæ justæ, per quinque priora sæcula Ecclesiæ.

I. Necessitas agendi nunc de Dispensationibus.

II. Datæ fuere ab Episcopis, à Conciliis Provincialibus & ab Pontificibus, ad Ecclesiæ evidentem utilitatem, & urgentem necessitatem.

III. IV. Sæpe Episcopos & Concilia Provincialia dispensasse ostenditur, quandoque & adiram esse Apostolicam sedem. Sed dispensatio semper Canonicis Regulis consentiebat, & Ecclesiæ

necessitatibus donabatur. Primùm ex Epistolis Siricii Papæ.

V. Ex Epistolis Anastasii Papæ.

VI. Ex Conciliis Africanis.

VII. VIII. Exemplo & Epistolis Melchiadis Papæ, & Innocentii I.

IX. X. Ex Bonifacio Papa & Cælestino.

XI. Ex Leone I.

XII. Lubentissimè Episcopi referebant causas spinosiores ad sedem Petri.

XIII. Rursus ex Epistolis Hilari Papæ.

XIV. Potestas dispensandi ab Episcopis ad Concilia Provincialia, & ab his ad Sedem Apostolicam, sensim & latissime, & penè inopine devoluta est, & iisdem fermè rationibus. Quæ hic dicitur potestas dispensandi, eadem magis & exercitium est ejus potestatis.

XV. Eam potestatem Romani Pontifices in Oriente ipso explicuere. Probationes ex Cælestino & Sixto.

XVI. XVII. Probationes ex Leone Magno.

XVIII. alia exempla Leonis Magni. Ha Papa dispensationes ab Imperatoribus expetita, confirmata à Conciliis Oecumenicis.

XIX. Exempla Damasi Papæ.

XX. Non dispensabatur nisi de præteritis commissis, nequaquam de committendis.

XXI. Nec per dispensationes nisi Respublica Christiana in commune consulebatur.

I. UT cæteros sileam Patres, luculentum dispensationis exemplum objecit nobis suprà Basilius, cum ab Episcopis Provinciæ ad commune commodum omnium ejusdem Provinciæ Ecclesiarum, duos Episcopatus docuit uni Episcopo concreditos fuisse, ut duplici illa sarcina haud sanè delectatus, sed vehementer gravatus Episcopus, non superbiæ inde & libidinis, sed charitatis, vigilantiæ & patientiæ indefessæ facultatem & materiem consecutus esse videretur. Sæpiùs jam pauca quædam de Dispensationum legibus dicta sunt superiùs à nobis; hìc jam copiosiùs pro rei gravitate de iis disputandum incumbit.

II. Potest autem quæstio hæc longè pulcherrima ad duo quædam summa capita, tota revocari; penes quem sit legitima dispensandi potestas, & quibus regulis ea regi debeat in dispensando. Ne fastidio sint Lectoribus eadem sæpiùs inculcata, simul & semel duo hæc pertractabuntur, & ex iisdem ferè tum Patrum Pontificumque testimoniis elucidabuntur, tum Conciliorum Constitutionibus. In hac autem tota per longam sæculorum seriem fusa pertractatione demonstrabitur 1. Tametsi utplurimùm ab Episcopis & à Conciliis Provincialibus manarent dispensationes, sæpiusculè tamen aditam fuisse ad eas impetrandas Apostolicam Sedem. 2. In annuendis dispensationibus Pontifices egisse conservatores & executores Canonum; nec relaxasse Canones, nisi canonicis ipsis regulis sese accommodando, quò Ecclesiarum utilitati & necessitati consultum esset. Ea autem regula si modò fixa & rata sit, ut non privatis hominibus, sed Ecclesiæ fructuosæ sint dispensationes, non magnopere referre, à Pontificibus, an à Conciliis Provincialibus eæ concedantur, pro locorum temporumque diversissima consuetudine.

III. Quidquid Decretalium Epistolarum ante Siricium Papam ab Apostolica Sede manaverat, id totum jam naufragio temporum absorptum fuerat, cùm ex Conciliorum sanctionibus & Romanorum Pontificum Decretis Dionysius Exiguus suum Ecclesiæ Romanæ Canonum codicem contexuit. A Siricio ergo initium faciemus, cujus est responsio ad consultationem Episcopi Tarraconensis, qui Damasum præcessorem ejus percontatus fuerat super compluribus Disciplinæ maculis in Ecclesia Hispaniensi, potissimum verò in collationibus Ordinum & Beneficiorum. Re consultata in Synodo Romana, *Presbyterium* appellabant, veniam fecit Pontifex, ut qui ex pœnitentibus & bigamis ordinati fuissent præter Canones, Ordinum susceptorum munia impunè illi quidem implerent, at superiorum aditu arcerentur, non impunè laturis Episcopis, si qui posthac hominibus hujusmodi Ordines conferrent. *Quicumque pœnitens, quicumque bigamus ad sacram militiam indebitè & incompetenter irrepsit, hac sibi conditione à nobis veniam intelligat relaxatam, ut in magno debeat computare beneficio si adempta sibi omni spe promotionis, in hoc quo invenitur Ordine, perpetua stabilitate permaneat.* Præteritorum errorum veniam facit, ea lege ut posthac religiosiùs Canones serventur. *Nunc fraternitatis tuæ animum ad servandos Canones & tenenda decretalia Constituta magis ac magis incitamus.* Et infra: *Quanquam statuta Sedis Apostolicæ, vel Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum.* Poterant utique Concilia Hispaniæ in his dispensare, sed confugere ad Petri sedem maluere, ea certè spe, fore ut Hispaniarum Episcopi lubentiùs propensiùsque Sedi Apostolicæ, quam Comprovincialium decretis obtemperarent; quin & privatos quosque plusculum venerationis & obsequii Cathedræ Petri impensuros, nec jam ad extorquendas id genus dispensationes Episcopis suis molestos fore. Siricius. Epist. 1. c. 15.

IV. Quàm frequentes autem Romam confluerent undequaque, ad consimiles juris relaxationes impetrandas, & quàm inflexa Pontifices Romani constantia Canonum vigorem tuerentur, idem rursus alibi Siricius apertè declarat. *Qui posteaquam pompa sæculari exultaverunt, aut negotiis Reipublicæ optaverunt militare, aut mundi curam tractare; adhibita sibi quorumdam manu, & proximorum favore stipati, hi frequenter ingeruntur auribus meis, ut Episcopi esse possint, qui per traditionem & Evangelicam disciplinam esse non possunt. Quantis hoc aliquoties certatum est viribus? Sed nihil tale potuit elici.* Epist. 5. c. 2.

V. Interpellatus est Anastasius Papa ab omnibus Episcopis Afris, ut Presbyteri, cæterique Clerici à Donati partibus ad Ecclesiam se Catholicam conferentes, ordinibus, dignitatibusque suis permitterentur, si Episcopis id consultius videretur ad Donatistas omnes ad Ecclesiam Catholicam vehementiùs illiciendos, sicut ab ejus schismatis initio factitatum fuerat. Et quoniam transmarino, hoc est, Italiæ Concilio secus statutum nuper fuerat, hoc illi medium ingerebant temperamentum, ut hujus nuperi Concilii decreto tum locus esset, cùm ea dispensatio non compensaretur contemplatione & spe universæ Donatistarum Ecclesiæ ad Ecclesiam Catholicam recolligendæ. *Ut Concilium quod in transmarinis partibus factum est, maneat circa eos, qui sic transire ad Catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio procuretur.* Transmarino ergo, hoc est Capuano Concilio ita assurgebant Episcopi totius Africæ, ut non sibi id sumpserint, quo ejus decreti sibi veniam ipsi facerent, quanquam usus illi antiquissimus Africæ adversaretur, & tam aperta dispensandi utilitas necessitasque in oculos incurrerent. Illud ergo quidquid erat humanitatis & indulgentiæ, ab Episcopis Italiæ, & ab ipso maximè Anastasio Papa exorandum sibi statuerunt. *Placuit, ut litteræ mittantur ad fratres & Coëpiscopos nostros, & maximè ad Sedem Apostolicam, in qua præsidet Anastasius, &c.* Codex Can. Afric. c. 68.

VI. Erat Carthaginensis Archiepiscopi eminentissima quædam honoris & potestatis prærogativa supra Episcopos omnes Africanos, Primatesque, sive Metropolitanos. Quidquid Patriarchis & Conciliis eorum Diœcesanis, sive Universalibus juris inerat & autho-

ritatis; inerat & Carthaginensi. Non alia suæ libertatis, & antiquæ authoritatis amantior & retinentior fuit Ecclesia, quàm Africana. Et tamen ad Anastasium Papam illa confugit universa, ut hanc dispensationem eliceret, cum Augustino scilicet suo persuasissima, quanquam omnes Episcopi in locum Apostolorum successerint, & quodam certo sensu, ita Episcopi omnes, sicut Apostoli omnes pares sint: penes Sedem tamen Petri longè cumulatiorem, quàm penes cæteros quoslibet Episcopos authoritatis & potestatis vim residere.

VII. Non tunc primùm autem Romanam Sedem Antistites Afri adierant, ut canonici sibi juris aliquid remitteretur. Admiratus & osculatus est non semel Augustinus Melchiadis Papæ in Synodo Romana indulgentiam, ubi Cæciliani & Donatistarum causa disceptata est, & ubi Melchiades uno damnato schismatis authore, copiam fecit ordinatis à Majorino Episcopis suæ Romanæ communionis, & retinendæ sedis suæ Episcopalis: aut si ejusdem civitatis esset jam Catholicus Episcopus, alterius illis conferendæ. *Qualis*
Epist. 162. *ipsius B. Melchiadis ultima est prolata sententia, quàm innocens, quàm integra, quàm provida atque pacifica. O virum optimum! ô filium Christiana pacis, & Pa-*
Epist. 50. *trem Christiana plebis!* Hujus dispensationis beneficio emersit tandem postea aliquando Ecclesia Africana ex illius schismatis voragine.

VIII. Fuit & Innocentius primus Canonum ipsorum observantissimus in dispensationibus illis, quas ei necessitas extorqueret. Confitetur enim sanctissimus Pontifex potuisse Episcopos Macedoniæ ex venia & humanitate admittere ad functiones Ordinum suorum eos, quos Bonosus ordinasset, ne schismati ingruenti janua panderetur. Sed mox idem ipse Innocentius Apostolico vigore declarat, redintegrandam esse Canonum sanctissimam disciplinam, cum primùm evanuit illa necessitas luctuosa, schismatis, aut persimilis discriminis summi & exitialis declinandi. *Jam ergo*
Epist. 22. c. 5. 6. *quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse: ac fuisse regulas veteres, quas ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendasque mandat, his qui eam audire consueverunt, &c. Quod necessitas pro remedio invenit, cessante necessitate debet utique cessare, &c. Advertite quod necessitas imperavit, in pace jam constitutas Ecclesias non posse præsumere. Sed ut sæpe accidit, quoties à populis, aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire: priora dimittenda dico Dei judicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcavendum.*

IX. Ab Innocentio venio ad Bonifacium. Renitenti & invito Clero Populoque Lutevensis civitatis Episcopus obtrusus fuerat à Patroclo Arelatensi Episcopo. Eorum querelis sollicitatus Bonifacius Papa, Hilarium Narbonensem Episcopum & ejus Provinciæ Metropolitanum per litteras excitavit, ut iret, tanto malo mederetur, faceret quod inter has angustias Canones præcipiunt; eum duplici jam vinculo eorum observantiæ astringeret, quà Metropolitanus, &
Epist. 3. quà Delegatus Apostolicæ Sedis. *Ad eundem locum, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, Metropolitani jure munitus, & nostris præceptionibus fretus accede: intelligens arbitrio tuo secundùm regulas Patrum quacumque facienda sunt, à nobis esse concessa: ita ut peractis omnibus, Apostolica Sedi, qui quod statueris, te referente clarescat, cui totius Provinciæ suæ ordinationem liquet esse mandatam.*

Hinc liquet civitatum Episcopalium cives, Clericosque ad Apostolicam ... illa Sedem, non tantùm, ut ab ea molliretur aliquando rigor Canonum, sed ut injuria illis aspersa abstergeretur; denique cas inter Metropolitanos ipsos lites exarsisse, & contentiones, quæ plebem Clerumque, & ipsos cogerent Episcopos & Metropolitanos, ad superiorem aliquam summamque omnium sedem confugere, ad sedem, inquam, Petri, quæ cardo & centrum unitatis est, non in fidei tantùm, sed & in Disciplinæ concertationibus. Non enim consensus & consonantia ejusdem ubique in rebus maximis Disciplinæ constat, nisi stricta Canonum custodia, cui præest & imminet Petri sedes.

X. Monuit Cælestinus Papa Appuliæ & Calabriæ Episcopos, constantissima fide & religione tuendos esse Canones, nec ignava & ignobili indulgentia Episcopos acquiescere debere petitionibus populorum ab æquo & jure alienissimis; infracto autem & verè Episcopali vigore infringendam eorum esse contumaciam, qui Laicos conarentur Episcopalibus sedibus intrudere. *Nulli Sacerdotum suos liceat ignorare Canones,* In Decretis. c. 20. 21.
nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa frangatur. Audivimus quasdam civitates Episcopos sibi petere velle de Laicis, &c. Talibus, fratres charissimi, qui juris nostri, id est, Canonum gubernacula custodimus necesse est obviemus; hisque fraternitatem vestram Epistolis commonemus, ne quis laicum ad ordinem clericatus admittat, &c.

Erat Episcopis hujus Provinciæ propria & æqua pro suo modulo dispensationum facultas; sed Petri successori debitores illi erant, tanquam summo dispensatori & custodi Canonum, & in omnes excubanti, ac pervigili, ne quid improvidè à quoquam dispensetur. Populorum importunis, & Magnatum violentis quandoque precibus fatigati Præsules Provinciarum, expugnari sibi sinebant Canonum remissiones parum canonicas. Ea forsan non semel necessitate adigebantur ipsi recurrere ad summum Pontificem, ut subducerent se una & eadem opera, cùm importunitati eorum & querelis, qui repulsam iniquissimo animo ferrent; tum ejus summi censoris vindictæ, qui improvidas concessiones ulcisceretur.

XI. Præclarissimum est enim illud Leonis Papæ ad Episcopos Italiæ scribentis, quàm se ipse censorem universalem esse consideret Episcoporum, canonicæ disciplinæ illabescentium, & quam se non nesciret obnoxium longè districtiori censuræ sempiterni Pontificis, incorruptæ & æternæ Veritatis & Justitiæ, quæ sibi Ecclesiæ suæ fidem & disciplinæ castitatem tuendam commendasset. *Non levi nos mœrore contristat,* Leo in Decret. Præfat.
quoties aliqua contra constituta Canonum & Ecclesiasticam disciplinam præsumpta, vel commissa cognoscimus: quæ si non qua debemus vigilantia resecemus, illi qui nos speculatores esse voluit, excusare non possumus, permittentes sincerum corpus Ecclesiæ, quod ab omni purum macula custodire debemus, ambientium improba contagione fœdari.

Hæc præfatus Leo ad percunctationes Episcoporum respondet, irritas esse ordinationes bigamorum omnes, & cæterorum, quos incontinentiæ infamia afflasset aliqua. *Tales Sacerdotali nomine Apostolica Sedis authoritate jubemus arceri.* Antiquorum hujus ævi Pontificum Decretales Epistolæ eundem ubique spirant vigorem, eandem redolent asperitatem, in eos semper armatam Episcopos, & in eas illorum dispensationes, in quibus nimia eluceret juris remittendi proclivitas. Ita simillimum veri est, non excidisse Episcopos jure ordinatio in his dispensandi, nisi quod vel populi tumultuantis, vel Magnatum ambientium

vocibus fracti, aut emolliti, à vigore pristino antè excidissent: inolevisse autem consuetudinem recurrendi ad sedem Apostolicam, quod rarius illa, & urgente gravissima necessitate Canones relaxaret.

XII. Eo credibilius autem est, assensos esse ipsos Episcopos hujus juris abdicationi, ejusque ad primam Sedem quoad exercitium revocationi, quod nimia quandoque indulgentia sua in summum adducerentur dignitatis suæ discrimen. Id enim ibidem C. 3. interminatur Leo: *Si quis fratrum contra hæc Constituta venire tentaverit, à suo se noverit officio submovendum; nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse non voluit disciplinæ.* Ibi perspicis, quam verè dictum sit à nobis sedem Petri cardinem esse, & verticem, non unitatis tantum & communionis Catholicæ; sed & necessariæ cujusdam consensionis in Disciplina, quæ in eo versatur maximè, ut à stricta Canonum observantia non recedatur. Ab hoc uti Capite & vertice manabat lucis, vigoris & authoritatis uberrima quædam copia, qua illuminarentur alii, alii roborarentur, sacrarum legum Ibid. c. 6. violatores opprimerentur. *Divinis præceptis & Apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, ut si quid usquam reprehensioni reperitur obnoxium, celeri sollicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut à præsumptionis usurpatione revocemus.* In Epistola vero ea, quæ ab eodem Leone ad Episcopos Mauritaniæ data est, explendescit humanitas quædam subaustera, charitasque nunc blandiens, nunc sæviens in dispensationibus librandis. *Circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ. Ut trutinato pondere delictorum, quædam definiamus utcumque toleranda, quædam verò penitus amputanda.*

XIII. Variis jam locis attigimus Episcoporum populorumque Hispaniæ Epistolas ad Hilarum Papam datas, à quo aut annui, aut confirmari vellent translationem ab una sede in aliam, & designationem successoris à morituro Episcopo factam. Dispensationes id genus sæpissimè olim à Conciliis & Episcopis Provinciarum concessas fuisse, & bene multis, & invictissimis suprà testimoniis exemplisque commonstratum est. Sed longa temporum serie tam crebrò fuerat Episcopis obreptum, vel extortum, quod in damnum & offensionem Ecclesiæ verteret, unde vel objurgarentur ipsi, vel de statu suo periclitarentur. Hinc fiebat ut jam eas aliquando dispensationes trepidè concederent, aut ad Petri Cathedrā referrent; ut cujus dispensat omnibus & rescriptis nemo controversiam faceret, non propter eminentissimam tantum Sedis majestatem, sed & propter canonicæ disciplinæ prudentiam singularem, ejusque Hilar. in tuendæ constantiam inexpugnabilem. *Ut nulli fas* Decr. Præf. *sit sine status sui periculo, vel divinas Constitutiones, vel Apostolicæ sedis Decreta temerare; quia nos qui potissimi Sacerdotii administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inventi.* Hæc Hilarus, non ad privatum aliquem, sed ad populi multitudinem. Et tamen non tantum expetitam tam ambitiosè dispensationem ille abnuit, sed & annoisse Provinciales Episcopos stomachabatur: quod injustis quisquis precibus obsecundat, eodem ipse se injustitiæ vinculo constringat. Ibid. c. ult. *Nec tantum putetis petitiones valere populorum, ut cum his parere cupitis, voluntatem Dei nostri qua nos peccare prohibet, deseratis.*

XIV. Ne ambigi quidem illud à quoquam potest: quin primi & secundi, adeoque & tertii etiam sæculi Episcopi Canones Apostolicos & Decreta ejus ævi omnia relaxarint, ubi publica id jubebat necessitas, nullo Pontifice Romano, nullo intervenіente Concilio Provinciali: quippe cum acerbitas persecutionum, nec cum sede Petri communicare consilia ferè sineret, nec Episcopos alios adiri, nec Concilia celebrari Provincialia. Cùm ergo hactenus Episcopi ferè soli & singuli omnia dispensassent; ubi primum desinente sæculo tertio frequentari cœpere Concilia in Provinciis singulis, tunc Episcopis ipsis consultissimum visum est, ut ad illa referretur pro dispensationibus ponderandis. 1. Nec enim solvi leges posse, nisi ea authoritate, qua & condi. 2. Brevi futuram Canonum disciplinam, si quot Episcopi, tot essent ejus solvendæ authores, ubi singulis adlubesceret. 3. Optari magis posse, quam sperari, ut ea tota & sapientiæ luce, & vigoris constantia instructus sit quisque Episcopus, quanta desideratur, ut providè semper dispensetur, & sobriè. 4. Ne toties movendæ sint lites in Episcopos, qui improvidè, aut molliter dispensassent: multò expeditius esse, ut potestas ea tota semel transferatur ad Concilia Provincialia.

Ea primum disciplinæ innovatio facta est, desinente tertio, & ineunte quarto sæculo Ecclesiæ, & his admodum justissimis de causis facta. Iisdem porro causis æquissimis obrepsit & innovatio alia postea, pedetentim similiter, & inopinè, & temporis mora prolixiore, ubi eadem dispensationum potestas, vel potestatis potius explicatio, à Conciliis Provincialibus ad sedem Apostolicam traducta est. Geminæ huic mutationi id convenit, 1. Quòd nullo expresso decreto perfecta sit, exolescente tantum usu priore, & in novum jus desciscente: quod insitum sit, & pene ingenitum, ut vetustis morbis nova semper medicamenta parentur. 2. Quod uno amore peracta sit purioris semper & politioris disciplinæ; & juris dispensationum apud eos deponendi, commendandique, qui eo sanctissimè defungerentur. Plusculum enim inerat vigoris, sapientiæ, constantiæque in Conciliis Provincialibus, quàm in singulis Episcopis; plus inerat etiam Pontificibus & Synodis Romanis, quam cæteris Synodis Provincialibus; ut fidem faciunt suprà laudatæ Pontificum Decretales. Ita inhæsit ei sedi illa potestas, quæ ea fortissimè utebatur. Appositissimè hæc suo munit suffragio Gelasius Papa, ubi contestatur; cùm Petri successor indeflexus & inexorabilis ster pro Canonum defensione, non debere eam licentiosis aliorum Episcoporum dispensationibus prodi. *Cùm nobis contra salutarium reverentiam regu-* In Decretis c. 9. *larum cupiamus temerè nihil licere, & cum sedes Apostolica super his omnibus, favente Deo, quæ paternis Canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito; satis indignum est quemquam vel Pontificum, vel Ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem sequi videat & docere; satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet: quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum.* Agitur eo loco de Ordinationibus, & Collationibus Beneficiorum, nec illis patitur quidquam influere dispensationis, nisi cogat necessitas Ecclesiæ. *Illa nullatenus mutilanda sunt, quæ nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet utilitas.*

XV. Præcellentissima hæc autem potestas Pontificis, in Orientem etiam effundebatur, & in ipsa Concilia Oecumenica. Scripsit ad Ephesinam Synodum I. Cælestinus Papa post damnatum demum Nestorium, eadem humanitatis & veniæ habendos

Nestorianos, qua antè sedes Apostolica Pelagianos habuisset, damnatis profanarum novitatum authoribus, nec ulla veniæ janua ostensa: at eorum sectatoribus simul ac resipuissent, indulgentia erroris concessa, & pristina restituta dignitate.

Conc. Ephes. Par. 3. c. 20.

Multa perspicienda sunt in talibus causis, quæ Apostolica sedes semper aspexit. Quod loquimur, Cælestianorum testantur exempla. Habent, si resipiscunt, copiam revertendi; quod his solis non permittitur, quos propriè cum authoribus hæreseos constat omnium fratrum subscriptione damnatos. Hoc moneo vestra fraternitas sequatur exemplum; sit caput sceleris cum his quos Synodalia loquuntur statuta, damnatum; reliqui quos cum hoc sentientes, in Ecclesiastica communione non habemus, ejiciantur è civitatibus suis; & se in nostro collegio noverint non futuros, nisi damnata cum authoribus sociisque damnantes, se profiteantur Catholicos Sacerdotes. Hæc porro humanitas in eos omnes, qui non ipsi erroris fuerant architecti, nec nominatim in Conciliis proscripti; ea inquam humanitas, qua dignitatibus, beneficiis & ordinibus suis restituebantur, & probata tum fuit universim, & deinceps per omnes Ecclesias & in omnes ætates usurpata est, ubicumque pares inciderunt causæ. Joanni Antiocheno Patriarchæ copiam fecit ejusdem dispensationis Sixtus Papa, si modò partes & defensionem personæ Nestorii abjiceret.

Cotteler. Monu. Eccl. Græca pag. 41. 47.

XVI. Ultra eas metas humanitatem dispensandi ampliavit Leo Papa in gratiam Eutychetis, quem non modò Ecclesiæ communioni reddi jussit, sed ordini etiam suo & Monasterii sui administrationi, qua eum excusserat Flavianus Constantinopolitanus Episcopus in Concilio Regiæ urbis, si modò ejuraret errores, quorum ergo in hac particulari Synodo damnatus fuerat. *Si correctus impietatem sui erroris agnoverit, volumus ei misericordiam non negari, ut Ecclesia Domini nullum sentiat damnum; cum & resipiscens possit recipi, & solus debeat error excludi, &c. Communio illi sui ordinis reformetur, &c. Sedis enim Apostolica moderatio hanc temperantiam servat, ut & severius agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis.*

Conc. Calched. part. 1. c. 9. & 11. Leo Ep. 10. ad Flavi.

XVII. In Concilio Ephesino II. eos habuit Patronos Eutyches, qui & sua & ejus flagitia eo patrocinio exaggerarunt: quæ ibi donatus est absolutio, damnata ipsamet postea cum eo ab hoc ipso Concilio fuit, cujus Acta omnia rescidit primùm Leo Papa, postea Concilium ipsum Calchedonense, excepta Maximi electione ad Ecclesiam Antiochenam. Quanquam præter omnes Ecclesiasticos Canones Pseudosynodus ea Throno Antiocheno Maximum auxerat: satius Pontifici visum est bono & paci Ecclesiæ eam dispensationem dare, quod & postea in Concilio Calchedonensi confirmatum est. Id Anatolius ipse Episcopus Constantinopolitanus in Concilio hoc ipso contestabatur: *Definimus nihil horum valere, quæ in illa, quæ Synodus dicitur, confecta sunt, nisi illud circa sanctissimum Maximum magnæ Antiochenæ civitatis Episcopum. Quoniam & sanctissimus Leo Romanus Archiepiscopus in Communionem eum recipiens, præesse eum Antiochensium judicavit Ecclesiæ: quam formam sequens & ipse approbavi, & præsens omne sanctum Concilium.*

Act. 10.

XVIII. Quin & Anatolium ipsum negavit Leo Papa in sede Constantinopolitana confirmari potuisse, nisi ex dispensatione Apostolicæ sedis. Illum in eam intruserat impiissimus Dioscorus, Apocrisiarium scilicet suum, stillans adhuc cruore B. Martyris & Patriarchæ Flaviani. Interpellaverat pro eo Marcianus Imperator, nec potuit non eam dispensationem annuere Leo, tanto intercessori. Audi ipsius ad Marcianum Pontificis verba: *Custodire debuit Anatolius, ut quod vestro beneficio noscitur consecutus, nullius pravitatis cupiditate turbaret. Nos enim vestræ fidei & interventionis habentes intuitum, cùm secundùm suæ consecrationis authores, ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum, quàm justiores esse voluimus, quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus.* Intervenerat & Pulcheria Imperatrix, ejusdem veniæ & humanitatis conciliatrix, ut liquet ex his Epistolæ Leonis ad eam verbis: *Anatolius parum consideravit, quanto vestræ pietatis beneficio, & mei favoris assensu Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdotium fuerit consecutus.* Et alibi: *De Episcopo Constantinopolitano qui ab impugnatoribus fidei fuerat ordinatus, vobis adhortantibus acquievi meliora sentire, cùm tanto pietatis vestræ testimonio juvaretur, ne illum gravaret suæ ordinationis infirmitas, ubi vestra interventio præstaretur.* Precibus quidem Imperatorum hæc venia imputabatur, sed necessitati tamen reapse & utilitati dabatur Ecclesiæ, qua movebantur Imperatores. Interest etiam permagni ad salutem Ecclesiæ, ut propitia sit eorum ipsa vicissim precibus, quos nisi ad sui tutelam propitios haberet, gravissima subinde in discrimina incurreret ejus tum dignitas, tum ipsa salus. Adde quod Anatolii fidei & pietati testimonium dicebant Imperatores; eoque illorum precibus non frustra donabatur. Denique Leo ipse vociferatur, eam sibi juris & Canonum remissionem pernecessariam visam esse, ad leniendas perturbationes eas, quibus Oriens concutiebatur. *Quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus.*

Epist. 54.

Epist. 55.

Epist. 58.

XIX. Orientalibus his Pontificum Romanorum dispensationibus illa præiverat, quam Flaviano Antiocheno Episcopo annuerat tandem Damasus Papa. Flaviani quippe ordinatio multis nominibus vitiosa fuisse videbatur, eique non Occidens tantum repugnaverat, sed & Antiochia ipsa. Conciliatus ei tandem Theophilus Alexandrinus, mox conciliavit illi & Damasum, cùmque communione demum Damasi potitus esset Flavianus, omnes se tandem ei Antiochiæ Catholici recollegerunt. Audiendus hic Socrates: *Theophilus misit ad Damasum, qui animum ejus mitigaret in Flavianum, & doceret ex usu esse Ecclesiæ, si propter populi concordiam, peccatum à Flaviano commissum remitteret. Ita Communione Flaviano reddita, populus Antiochenus pedetentim ad concordiam reducitur.*

L. 5. c. 15.

XX. Nec illud oscitanter prætereundum est, quod alii jam præmonuerunt: Concessas tum fuisse eas dispensationes omnes, postquam peccatum jam factum in Canones, & quando emendatio & pœna luctuosior esse Ecclesiæ ipsi poterat, quàm ipsum peccatum. Contra autem emollita jam & elanguescente Disciplina posterioribus his sæculis, venia expetitur violandorum Canonum, peccandi in sacras regulas licentia flagitatur, & conceditur: peccare volunt innoxiè, & ipsi legum contemptui authoritatem & patrocinium à legibus ipsis accersere. Cùm pronius autem est, tum æquius, anteactæ culpæ ignoscere, quàm futuræ. Caveri enim illa non jam potest, hæc potest. Et hoc tamen quidquid est invidiæ, illis potius illinendum est, qui intempestivas dispensationes impetrant, quàm qui concedunt. Summis enim Pastoribus subverendum est nonnunquam, ne repulsa exulcerati homines cupiditatum

suatum oestro perciti, turbas excitent exitiales. Hinc illis evenit non semel multa annuere, non æquitati, non utilitati, vel necessitati ipsius per se Ecclesiæ, sed hominum furori, & turbulentorum importunitati. Sed qui quæ nefas est concedi cupiunt flagrantissimè, & importunius deposcunt, illis nihil veniæ, nihil excusationis superest. In leges committere volunt, nec peccare; immo peccare volunt, sed non sine licentia; Pontifices ipsos, judices, legesque flagitii sui invidia conspergere volunt.

Non nesciebat Siricius dispensationem, veniam, indulgentiam ad culpas pertinere præteritas, non ad futuras, cùm hæc scriberet. *Scituri posthac omnium Provinciarum summi Antistites, quod si ultra ad sacros Ordines quemquam de talibus crediderint assumendum, & de suo & de eorum statu, quos contra Canones & interdicta nostra provexerint, congruam ab Apostolica sede promendam esse sententiam.* Poterat & Innocentius præteritas condonare culpas, non futuras. *Priora dimittenda dico Dei judicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcavendum, &c. Remittenda hæc putamus, sed ne deinceps similia committantur, ut tantæ usurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur.*

Epist. 1. c. 15.
Epist. 22. c. 6.
Epist. 23. c. 2.

Egit Basilius de Dispensatione adhibenda ad Episcopos transferendos. Sed non ii erant hi Episcopi, qui transferri se peterent, aut verò cuperent. Exonerari se, quam transferri maluissent. Sed sibi consulens, non illis Ecclesia Christi, inopinos illos & fugitantes occupabat, transferebatque ex una sede in aliam. Totum tribuebatur Ecclesiæ charitati; ad Episcopos ipsos non redibat, nisi obsequendi gloria.

Superiùs laudatorum Pontificum testimonio illud etiam constat, Episcopos, Populosque non rarò petiisse, ut laicis venia Canonum fieret, quò ad Episcopatum propelli possent. Sed his petitionibus lacessiti Pontifices, nunquam annuerunt, ut in futurum liceret peccare in Canones, quod ne concessa quidem licentia licere satis potuisset. Incorrupta enim illa & æterna ex Augustino dispensationum lex est, ut quæ dispensando mala invehuntur, eorum memoria oblitteretur, copiâ bonorum inde enascentium. Audi Augustinum: *Hoc non fieret, ut post pœnitentiam, Clerici, vel Episcopi permanerent, quoniam revera fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanarentur. Doleant qui in tanta morte præcisionis jacent, ut isto quodam vulnere matris Catholicæ reviviscant, &c. Detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.*

XXI. Juvabit & hoc addidisse postremo loco, dispensationes eas tantummodo Pontificibus & sanctis Patribus placuisse, quæ non privatis affectibus, sed rationibus Ecclesiæ publicis essent accommodatæ. Porro id genus delinimenta, & austerioris levamenta disciplinæ, originem suam repetebant, ut & defensionem ab ipsis usque Apostolis, & à Christi ipsius institutionibus, quibus prælucere ipse voluit in posteriores omnes Ecclesiæ suæ ætates. Author est Augustinus, si suscepit Ecclesia pœnitentes, eosque pristinis redintegravit ordinibus & dignitatibus, eam dispensationem præmonstratam confirmatamque fuisse ab ipso Christo, qui Petrum post lapsum & pœnitentiam pristinæ & primæ suæ sedi redintegravit; ut ipsum ipsiusque successores addoceret, quàm necessaria sit indulgentia, tunc vel maximè, cùm peccante multitudine schisma extimescendum sit, si quid acerbius in eam consulatur. *Et Petrum Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit, &c. Verùm in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras non hujus, aut illius hominis est periculum; sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.*

Ibidem.

Hinc Zephirino & Cornelio Pontificibus Romanis ingens gloriæ cumulus accessit, quòd invictissimè repugnarint iis, qui priscæ severitatis retinentiores, veniæ spem, & januam Ecclesiæ intercludebant iis, qui adulterio vel idololatria lapsi fuerant. Cælestinus & Leo Pontifices humanitatem quoque suam insigniere, damnatis iis, qui antiquæ inclementiæ tenaciores, avitique rigoris, etiam morituros absolutionis, seu reconciliationis beneficio fraudabant.

Illud quoque à Chrysostomo adnotatum est, non ea quæ maximè cuperet, Apostolum præcepisse; multum remisisse eum de juris vigore, cùm dotes delineavit futuro Episcopo necessarias. Præcepisset enim ut virtutibus & consiliis omnibus Evangelicis imbuti instructique essent, cùm horum præcones & incentores esse debeant, nisi præsagisset plerasque Ecclesias Pastoribus vacaturas. *Quia perpaucos hujusmodi inveniri fas erat, Episcopis autem plurimis tunc opus fuit, qui per singulas civitates constituerentur Magistri. Ne igitur Ecclesiæ negotia fructusque perirent; idcirco moderatam virtutem proposuit inquirendam, non supremam illam atque cælestem, &c. Ne ex desperatione perfectæ illius inveniendæ virtutis, Ecclesiæ sine Episcopis essent.* Eos qui ita condescendunt tradit alibi Chrysostomus, non cadere, sed descendere, ut ascendant rursus, innumerosque secum evehant. *Non est decidere, sed descendere. Nam qui decidit, jacet & vix resurgit. Qui autem descendit, ascendet etiam cum multo lucro. Quomodo etiam Paulus, solus quidem descendit, ascendit autem cum universo orbe terrarum.* Idem sentit & Hieronymus, de indulgentia Pauli in Clericos. *Ita & in Ecclesiastico ordine constituendo, quia rudis ex gentibus constituebatur Ecclesia, leviora nuper credentibus dat præcepta, ne territi ferre non possint.* Idem habet & alibi: *Quia rudem ex gentibus constituebat Ecclesiam, &c.*

Epist. 1 ad Timot. Hom. 10.
In Ep. 1. ad Cor. Hom. 22.
L. 1 adv. Iovin.
Ad Salvin. de viduit. serv.

CAPUT XXV. *P. 2. l. 2. c. 72.*

De Dispensationibus sæculo VI. VII. & VIII.

I. Quæ constantissima regula dispensationum tribus his sæculis religiosissimè sint observata.

II. De dispensatione in Commendis militaribus. Apologia Caroli Martelli.

III. IV. Tres leges ex ...ia servata dispensationum.

V. VI. VII. Alia exempla dispensationum, ubi patet interpellatam fuisse sedem Apostolicam, quæ de Canonibus non dispensabat nisi ex mente Canonum, & ad utilitatem Ecclesiæ.

VIII. Ne Bonifacio quidem Legato suo veniam fecit Canonum Zacharias Papa, nisi dimidiatam.

IX. X. XI. Exempla dispensationum à Romano Pontifice petitarum, etiam in Oriente. Authoritatem sibi quærebant ab eminentissima Ecclesiæ sede.

XII. Ea authoritate & sedis præstantia, nec concessa primum est, nec postea inclaruit, nisi ad Ecclesiæ ædificationem.

XIII. Humanitas semper authoritatem delenit.

XIV. XV. In sexta Synodo generali eluxit Papæ authoritas summa dispensandi.

I. TRibus his quoque mediæ ætatis sæculis observasse juvabit, quàm constanter observatæ fuerint regulæ Compensationis, quæ sola canonicam excusat dispensationem. Illa fuit omnium celebratissima dispensatio, qua & Principes dare, & laïci accipere ab illis & possidere permissi sunt longo temporis intervallo Episcopatus, Abbatias, aliasque

innumerabiles Ecclesias, à temporibus maximè Caroli Martelli. Præter ea quæ de his jam superiùs dicta sunt, vide ut illorum temporum calamitates describat Hincmarus Remensis Archiepiscopus in vita sancti Remigii. *Usque dum Caroli Principis tempore, quando propter discordiam & contentionem de Principatu, inter eum ac Reginfridum, frequentia ac civilia, immo plusquam civilia, quia intestina & parricidalia bella in Germanicis, & Belgicis, & Gallicis Provinciis, Religio Christianitatis pene fuit abolita, ita ut Episcopiis in paucis locis residuis, Episcopia laicis donata, & per eos rebus divisa extiterint: adeo ut Milo quidam tonsurâ Clericus, moribus, actu, habitu irreligiosus laicus, Episcopia Remorum ac Trevirorum usurpans insimul, per quadraginta circiter annos possederit.* Subjicit à Pipino Martelli filio Ecclesiis ex parte aliqua restituta fuisse, quæ expilata fuerant. *Pipinus sicut & aliarum Ecclesiarum Episcopiis, huic Remensi Episcopio partem de rebus Ecclesiasticis reddidit.*

Surius die 13 Janua in Præf.

II. Nec in potestate Regum semper fuit, ut Ecclesiis restituerentur Cœnobia, Beneficia, prædiaque, quæ Optimates, vel exercituum Duces, militesque, vel invaserant ipsi, vel à Regibus impetraverant. Assensus est Bonifacio Legato suo Zacharias Papa, eique acquievit indulgentiæ, qua Prædiorum in Ecclesias expilatorum partem aliquam restitui, nec rem ulterius urgeri voluerat. *Eo quod impetrare à Francis ad reddendum Ecclesiis vel Monasteriis non potuisti aliud, &c. Et hoc gratias Deo, quia potuisti impetrare, &c. Dum Dominus donaverit quietem, &c.* Cùm sentiret enim providentissimus Pontifex barbaricarum gentium, nec Ecclesiæ minus, quam Reipublicæ Christianæ infestarum, & undique irrumpentium arma propulsari non posse, nisi invicta Procerum, Ducumque fortitudine, alienandos eorum ab Ecclesia animos non censuit, quorum manibus defensanda esset: nec repetenda prædia ab iis, qui sanguinem impenderent, nec revocanda dona, utcumque concessa iis, quibus salus debebatur. Quanquam enim non agat Hincmarus nisi de bellis civilibus Martellum inter & Raginfredum, quibus illos sola implicuerat dominandi libido: ut hinc probabilitatis speciem conciliemus visioni sancti Eucherii Aurelianensis Episcopi de damnatione Caroli Martelli. Zacharias & Bonifacius multò propiores, pene suppares ævo Martelli, multò temperatius & vero propius de ea re tota disseruere; ut qui experti essent pene ipsimet, quantum deberet Ecclesia Carolo Martello defensori & liberatori suo. Ab illis enim affirmatur irruptione Sarracenorum, Saxonum & Frisonum, bellisque undique imminentibus compulsam fuisse Ecclesiam ei subscribere dispensationi, qua prædia Ecclesiæ militi dimittebantur pro Ecclesia pugnanti, quæ prædæ alias esse potuissent hostis Ecclesias expugnantis. Ita enim Zacharias in eadem ac supra ad Bonifacium Epistola: *Pro eo quod nunc tribulatio incidit Sarracenorum, Saxonum, vel Frisonum, sicut tu ipse nobis innotuisti.*

Epist. 2 ad Bonif.

Ibidem.

III. Non alia usquam illustrior materies trium illarum Canonicæ dispensationis Regularum. 1. Ut Apostolica sedes adeatur, ubi de re vertitur summi ad Christianam Rempublicam momenti. 2. Ut ne jus remittatur, nisi ut consultum sit Ecclesiæ, cui per eam Canonum injuriam vel graviora exerceantur mala, vel bona uberiora invehantur. 3. Ignoscatur potius culpis admissis, quam admittendis.

IV. Observatum est porro jam superiùs bis dispensationum legibus religiosissimè obtemperatum fuisse in Liptinensi & Suessionensi Conciliis. In his enim & toti negotio præfuerunt Legati sedis Apostolicæ, & totum tributum est necessitati Ecclesiæ: & modus potius aliquis positus est usurpationibus jam factis, non faciendis data licentia.

V. Venio ad alia ejusdem rei argumenta. Percontatus est eundem Zachariam Bonifacius, super connubio Magnatis cujusdam Galli, in quod publica infamia exarserat: & cui tamen dispensatio Gregorii Papæ prædecessoris ejus prætexebatur: itemque de Presbyteris & Episcopis Gallis, qui Roma reduces jactabant secum dispensatum esse, ut sacris functionibus non abstinerent, quanquam adulteriis, aliisque id genus flagitiis sacerdotii sui sanctimoniam contaminassent. *Laïcus magna persona dicebat sibi ab Apostolicæ sedis Pontifice Gregorio datam fuisse licentiam, &c. Episcopi quoque & Presbyteri generis Francorum, qui fuerunt adulteri, vel fornicatores acerrimi, revenientes ab Apostolica sede, dicunt sibi Romanum Pontificem licentiam dedisse ministerium Episcopale in Ecclesia ministrare.* Quanquam concessæ nunquam fuissent eæ dispensationes, & forsan ne flagitatæ quidem: quòd eo ævo nihil unquam ejusmodi per leges, aut per Pontifices liceret; vel ex hoc ipso tamen mendacio, vel falsi crimine manifestum est, ad id genus Canonum relaxationes aditam fuisse sedem Apostolicam.

Epist. 1.

VI. Persuasissimum erat Bonifacio dispensationes tam inimicas Canonicis institutionibus ab istarum Patrona & custode Apostolica sede profectas non esse. *Quos contra contendimus, quia Apostolicam sedem nequaquam contra Decreta Canonum audivimus judicasse.* Quod sanctissimè confirmavit Zacharias Papa, ubi ad eum rescripsit, de incestuoso eo conjugio, ejus veniam à præcessore suo factam nunquam fuisse, nec Romanos unquam Præsules subscribere contumeliæ Canonibus irrogandæ. *Absit, ut hoc prædecessor noster ita credatur præcepisse. Nec enim ab hac Apostolica sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum, sive Canonum institutis inveniantur.* Quoad sacrilegos autem Sacerdotii profanatores, similiter profitetur nihil istiusmodi à sede Apostolica permissum fuisse, ut cujus responsa nunquam non sacris & canonicis regulis consentanea sint. *Hoc nulla ratione credat tua sancta Fraternitas; sed similiter in eis Canonicam exerce vindictam. Non enim aliud te agere volumus, præterquam quæ sacri præcipiunt Canones, vel etiam ab hac Apostolica sede instructus esse dignosceris.* Denique non alia fuit responsio Zachariæ de Presbytero alio, qui Romæ se venditabat ordinatum fuisse & solutum vinculo irregularitatis. Id jam animo suo præsumpserat Bonifacius, fraudulentissimum hoc esse commentum, nec enim à Canonicis sanctionibus vel transversum unguem discedere Apostolicos Præsules. Sed audiendus Pontifex ipse. *Tua hoc fraternitas optimè egit, dum ei non credidit, quia falsus homo omnia falsè suggessit, & falsum reperiens Sacerdotio suspende. Sic enim authoritate beati Petri Apostolorum Principis tibi præcipimus, ut quemcumque repereris sacris Canonibus deviare, nulla ratione patiaris sacrum ministerium tractare.*

Ibidem. Epist. 2.

Baron. an. 742. n. 10.

Epist. 2.

VII. Quas primas hoc Capite in medium protulimus dispensationes, eas Zacharias probaverat, quod Ecclesiis publicè fructuosæ cùm essent, Canonibus consentiebant, ut quæ charitati servirent, quæ una omnium Canonum regula, & scopus est. At posteriores hæ dispensationes ab eodem ejurabantur, quòd non litteræ tantùm, sed & menti Canonum repugnarent, ancillarentur autem privatis duntaxat hominum cupiditatibus.

VIII,

VIII. Sed & alia prodit dispensatio, quam expetiit ipse Bonifacius, & quam nonnisi ex parte tamen annuit Zacharias. Suum sibi successorem ordinare percupiebat Bonifacius, nec assensus est Zacharias, quod vetent Canones, ne duo sint ejusdem civitatis Episcopi. *Ut te vivente, in loco tuo eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur: quia contra omnem Ecclesiasticam regulam, vel instituta Patrum esse monstratur.* (Epist. 1.) Sed Bonifacium hortatus est Pontifex, suum ut ipse primò effingeret informaretque successorem, & ubi appetere mortem intelligeret, tum eum designaret, & Romam mitteret ordinandum. Obstrepebat illa quidem successoris designatio Canonicæ disciplinæ, sed conducibilis illa cum primis & necessaria erat Ecclesiæ, è cunabulis suis vix erepenti. Ita Bonifacio postulante semittebatur jus, sed ad Ecclesiæ commodum universæ. Idque videtur his verbis Pontificis innui: *Hoc nulli alii concedi patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus.*

IX. Martinus Papa I. ne ipse quidem ab hac abesat sententia, etiam à summis Pontificibus solvi Canones non debere, nisi ubi id extorquent Ecclesiarum publicæ necessitates. *Defensores divinorum Canonum & custodes sumus, non prævaricatores, &c. Novit Canon afflictorum temporum persecutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præcessit, prævaricationem redarguens; sed angustia magis & penuria, quæ propter necessitatem & misericordiam cogit multam diligentiam prætermittere.* (Epist. 5.) Quod & pluribus locis aliis corroborat, summos Pontifices defensioni & custodiæ Canonum præpositos esse, atque adeo tunc eos tantummodo dispensare, cùm Canones ipsi dispensari præcipiunt. *Canones enim Ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores & custodes Canonum sumus, non transgressores.* (Epist. 9.)

X. Istæ autem sanctissimi Pontificis & Martyris Epistolæ scriptitabantur ad componendas in Oriente tum electiones, tum ordinationes, præfigendasque causas justarum & canonicarum in illis dispensationum. Ex quo perspicis ab ipsis usque remotissimis orbis Christiani regionibus, in majoribus causis postulatas esse Romanæ sedis dispensationes. Ex ejusdem Pontificis Epistola ad Amandum Episcopum Trajectensem, manifestum est ab Amando interpellatum fuisse Martinum, ut eum Episcopali sarcina exoneraret. Romam profectus ipsemet est sanctus Corbinianus, ut & ipse Episcopatu abire sineretur, uterque repulsam passus est. Suprà quidem sæpiùs declaratum est, complures Episcopos abdicasse se dignitate, aut Coadjutores adscivisse, aut designasse successores, aut in alias demigrasse Ecclesias, aut Episcopales sedes suas in alias transtulisse civitates, aut novas Episcopales excitasse Ecclesias, nec ad hæc tamen sedis Apostolicæ authoritatem interposuisse; quamvis maximi sint hæc omnia momenti, & posterioris ætatis jus commune & receptissimum has omnes sedi Apostolicæ reservaverit dispensationes. Nec nos sanè siluimus, ut sensim prior illa licentia exoleverit, utque ea dispensandi facultas à singulis Episcopis revocata sit ad Synodos Provinciales, & ab his rursum paulatim & pene inopinè ad sedem Apostolicam defluxerit, penes quam semper viguerat maximè reverentia Canonum, & diligentissima custodia.

XI. Novum semper erat & invidiosum, sanctissimas Conciliorum & Pontificum sanctiones relaxari. Huic ergo prævertendæ suspicioni & infamiæ authoritatem summæ Sedis aucupabantur. Nec rescripta tantum Pontificum, sed & Legationes obtineri placuit, ut non impunè tantùm, sed & cum dignitate in Canones peccaretur. Narrat Anastasius Bibliothecarius translationi sanctissimi viri Cyziceni Episcopi ad sedem Constantinopolitanam, affuisse Apostolicæ sedis Apocrisiarios. *Facta est autem præsens translatio in præsentia Michaëlis sanctissimi Presbyteri, & Apocrisiarii Apostolicæ sedis.* Bellissimè id quidem, si nunquam nisi ad æquè laudabiles advolassent dispensationes Apocrisiarii, & quicumque demum Pontificum Legati.

XII. Non possunt autem non hic referri elegantissima Facundi Episcopi Hermianensis verba, quibus complexus est ille duo hæc sacræ disciplinæ pulcherrima capita, Principatum authoritatis in omnibus Ecclesiasticis causis esse penes Apostolicam sedem; sed in ædificationem Ecclesiæ datam illi divinitus esse hanc summæ potestatis prærogativam, non ad destructionem: ad defendendos Canones, non ad relaxandos. *Quia ille non in destructionem paternæ sententiæ, sed potius in defensionem atque ultionem, primam accepit & maximam potestatem, nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate plus cæteris consacerdotibus suis potest.* (L. 2. c. 6.) Hæc certissima ratio ad solos tandem Pontifices revocavit gravissimas quascumque dispensationes: hinc authoritas supra alios Episcopos excellentissima, & ab ipso constituta Christo; & infractus tot sæculis vigor non exercendæ nisi ad æquitatis & Canonum defensionem authoritatis.

XIII. Non quò non plerique Pontificum suapte sponte ad humanitatem magis propenderent, cum illud sit charitatis Pastoralis ingenium. Exemplo erit vel unus Gregorius Magnus, qui Canonum observantissimus semper & acerrimus vindex fuit; & qui tamen clementiam rigori anteponendam esse profitebatur. *Quia plus esse convenit nos misericordes, quam districtos, &c. Plus misericordiæ, quàm districtæ nos convenit operam dare justitiæ.* (L. 4. Ep. 32.) Verùm sanctissimis istis Præsulibus in more positum illud erat, ut essent humani & suaves, non molles; austeri & rigidi, non duri: temperabat illorum justitiam charitas, charitatem justitia confirmabat.

XIV. Inter dispensationes locari potuisset quidquid de Macario Patriarcha Antiocheno constitutum est in sexta Synodo generali, cùm illi ut Monotheletarum authori & parenti anathema illisum esset. Ab Imperatore Romam missus, ut in locum exilii, ut author est Anastasius Bibliothecarius; vel quòd appellasset ad Papam, ut suadere nititur Baronius ex ipsa Constantini Imperatoris Epistola ad Pontificem data. (Baron. ann. 681. n. 47. 48.) Propius mihi quidem abesse videtur à vero, cùm Macario semel exauthorato exulandum esset, postulasse ipsum, Presbyterosque & Diaconos alios, non magis erroris, quam contumaciæ ejus sectatores, ut Romæ sibi fas esset exulare, spe aliqua sese recreantes Apostolicæ mansuetudinis & indulgentiæ. Votis eorum annuère Imperator, Synodusque, æquissimo se animo laturos professi, si quid humanitatis illis Pontifex impertiret, certissimique Monotheletis nunquam patrocinaturam Romanam Ecclesiam, ubi eorum primò vehementissimè compressa fuerat insania. Ea mihi visa est mollissima concordia Anastasii Bibliothecarii, Romæ exulare illos jussos esse ajentis, *In exilio in Romanam directi sunt civitatem*: cùm Epistola Constantini Pogonati ad Leonem II. Papam, affirmantis, ipsosmet flagitasse se ad Pontificem remitti: *Ipsi scriptis precibus Serenitatem nostram communiter omnes deprecati sunt, ut se ad vestram Beatitudi-*

nem mitteremus : & cum Cardinali Baronio, existimante provocasse eos ad Papam. Quanquam enim à veri specie recedat, ut solenni forma appellarint; certum est tamen Concilii Patres & Imperatorem, Papæ providentiæ & voluntati commisisse temperamenta & blandimenta juris omnia, quæ in eam esse existimasset. Id Imperator ipse profitetur in hoc subsequentibus verbis : *Sic igitur fecimus eosque ad vos* Synod 6. Act. 18 *misimus, vestro paterno judicio omnem ipsorum causam permittentes.* Idem sonant & hæc verba ejusdem Imperatoris ad Concilium Occidentale : *Universalis Conventus communi sententia de sacerdotali dignitate repulsi sunt, & probationi sanctissimi Papæ traditi sunt.*

XV. Quanquam irretractabilis esset depositionis sententia in Macarium novæ hæreseos fabrum lata à Concilio Oecumenico VI. non dubitabant tamen Imperatores, & Orientales omnes Episcopi, quin in potestate semper esset Romani Pontificis rigorem eum condire aliquo humanitatis & charitatis delinimento. Eò referebatur, quod Macarius cum sociis missus est Romam; quod eò sua sponte properabant ipsi; quod Benedictus II. Papa anno 685. Macarium vehementer urgebat, ut insulsum errorem animo ejiceret expueretque, quò illum mox redderet Apostolico Antiochiæ throno. *Id autem Pater beatus ob id egit, quò illum rursus in pristinum statum reciperet.* Hæc verba sunt Vicarii Apostolicæ Baron. ann. 785. n. 8. sedis in Concilio VII. Generali.

Hoc Caput pene totum in eas consumpsimus dispensationes, quæ à Sede maximè Apostolica manarunt. Fruebantur sanè eodem tempore cæteri Episcopi, maximè in Conciliis Provincialibus aggregati, eximia ipsi quoque & vastissima dispensandi facultate; ut ea iis omnibus supra Capitibus emicuit, ubi de cessionibus, de resignationibus in favorem, de successoribus, de Coadjutoribus, de translationibus, & aliis id genus disputatum est. Per Episcopos enim ea ferè tum omnia expediebantur. Verùm placuit hoc toto capite solas ferè persequi eas dispensationes, quæ à sede Petri concessæ sunt : ut cùm has quoque constiterit soli Ecclesiæ necessitati, charitati, justitiæ, non libidini, non jactantiæ, non privatis ullis affectibus servisse : hinc intelligant Præsules Ecclesiæ omnes, iis certè se regulis sanctissimis in dispensando obligari.

CAPUT XXVI *P. 3. l. 2. c. 49.*

De Dispensationibus sæculo VIII. IX. & X.

I. II. Episcopi quidem, Synodique Episcopales à dandis dispensationibus non abstinuere, sed ita ut frequentius in dies ipsis volentibus ad Pontificem recurreretur. Exemplo Caroli Magni res probatur, ut Episcopus in Aula retineri posset.

III. In gravissimis quibusque causis ad Pontificem referebant, ea certa persuasione, constantius Canones observari in Rescriptis Romanis.

IV. In Romano Pontifice B. Petrum reverebantur.

V. Ipsimet Episcopi, etsi dispensare possent, ultro ad Pontificem volebant referre. Exemplum Concilii III. Suessionensis. Quam consentaneum sit, ut quod humanitatis est, id à sede Apostolica manet.

VI. Reges ipsi pœnam quandoque remittebant iis, qui Romam profecti & absoluti ibi essent.

VII. Ad eum modum absoluti à Canonum pœnis, non absolvebantur à generali pœnitentiæ amplexandæ necessitate.

VIII. Alia exempla ubi docet Hincmarus, aliis Episcopis Canonum rigori obsequentibus, sedem Apostolicam posse Canonum veniam facere.

IX. Authores & duces ipsimet fuere Episcopi, ut ad Pontificem referrentur dispensationes gravissimæ, sive ob reverentiam beati Petri, sive ob Principatum primæ Sedis, sive ut difficilior esset earum impetratio, sive quod implicatior esset & spinosior res, quæ agebatur.

X. Nova exempla eorum à Regibus solutorum, qui fuissent à Papa.

XI. Nova exempla, ut Episcopi ipsi dispensationes hactenus sibi liberas ad Papam rejicerent.

XII. Quam essent Pontifices Canonum retinentissimi in dispensationibus ipsis. Argumenta & exempla.

XIII. Mira in iis summis Pontificis consensio cum Episcopis.

XIV. Quam reverenter, & quam fidenter tamen ad Canonum tuitionem insurrexerint quandoque Episcopi, ubi eos intellexerunt subreptitiis Papæ dispensationibus everti.

XV. Pontificia dispensandi potestas in Orientem se porrigebat.

XVI. In iis maximè, quæ ad universalem spectarent Ecclesiam, vel summos Principes.

XVII. Alia exempla summorum Principum, qui se non maluerunt à Pontifice ipso dispensari.

I. CONstabit illa eadem dispensationum doctrina, temporibus Caroli Magni & regnatricis ejus familiæ, usos videlicet esse in dispensando prisca sua potestate Episcopos, tum singulos, tum synodicè congregatos; sed ita tamen, ut frequentius in dies singulos Romana sedes adiretur. Nec id quidem inde manabat, quod Romani Præsules ingererent ipsi sese & implicarent causis & judiciis Provinciarum; sed quod eo quasi instinctu afflatuque Christianæ pietatis Imperatores, Reges, Episcopi religiosius in dies & ambitiosius colendum sibi existimarent Christi in terris Vicarium, Petrique successorem; atque ita ipsimet inopini & imprudentes hujus in Disciplina sacra innovationis authores essent.

II. Magnificum & perillustre consignavit hujus rei exemplum Carolus Magnus in Concilio Francofordiensi, ubi affirmavit impetrasse se ab Adriano I. potestatem retinendi in Palatio suo Angilramni Archiepiscopi ad causas Ecclesiasticas; unde & Concilium interpellavit, ut sibi jam fas esset retinere ejus loco Episcopum Hildeboldum, quando id sibi jam Pontifex concessisset. Incunctanter consensit Synodus in eam dispensationem. *Dixit dominus Rex* Can. 55 *in eadem Synodo, se à sede Apostolica, id est, Adriano Pontifice licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo Palatio assiduè haberet propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est Synodum, ut eo modo sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum Episcopum habere debuisset : quia & de eodem, sicut & de Angilramno Apostolicam licentiam habeat. Omnis Synodus consensit, &c.*

Hæc licentia non residendi in propria Ecclesia, residendi in Palatio, & in eo Officium obtinendi, quod cum Episcopatu sociari ægrè posset, videlicet Archicapellani; hæc inquam, licentia concessa est Principi à Pontifice primum, mox à Concilio, utrumque interpellante Imperatore, & nulla hinc vel illinc invidiæ flamma excitata. Hincmarus solius meminit consensionis Episcoporum, sed eo numero Pontificem comprehendi facilè auguror. *Regia* Hincmar. *voluntate, atque Episcopali consensu.* Et infrà : *Con-* To. 2. pag. *sensu Episcoporum.* 206. 207.

III. Pontifex non conveniretur ad causas minoris momenti. Vota inconsideratè emissa relaxare possunt Episcopi ex Capitularibus. *Episcopo licet vo-* L. 5 c. 52. *tum solvere stultum.* At dispensatio Regi, Episcopo, ad non residendum necessaria, tanti visa est, ut summæ authoritatis mole fulcienda putaretur.

Nec ad Pontificem convolabant, ut ad indulgentiorem & molliorem dispensatorem. Non ita affectus erat Carolus Magnus, cum Angilbertum, quo perquam familiariter utebatur, Romam mittens, jusserit ut suis verbis Pontificem hortarentur ad

Aimoinus Ep. 83. 84. strictissimam Canonum observantiam. *Ammoneas eum diligenter de omni honestate vitæ suæ, & præcipuè de observatione sanctorum Canonum, de pia sancta Dei Ecclesiæ gubernatione, &c.* Quo & ipse ad Pontificem litteras Carolus dedit, quibus faces subdebat, ut ad Canonum religiosam custodiam exardesceret: *Vestra authoritatis prudentia Canones ubique sequatur, quatenus totius sanctitatis exempla omnibus evidenter in vestra fulgeant conversatione.* Hinc vides quàm nec Carolo Magno, nec Pontifici posset illum obliqua illa suspicio, quòd dispensationibus vim & majestatem Canonum imminutam vellent.

IV. Tumuli ipsi Principum Apostolorum Romæ, vel Apostoli potius ipsi, ipso etiam in mortis gremio, eam adhuc spirabant vitam, gloriam, & authoritatem immortalem, ut non aliter haberentur, quàm perennes quasdam Beneficiorum scaturigines & gratiarum, quæ inter dispensationes numerarentur. Ideo toto ex orbe ad Apostolicos tumulos Romam confluebant. Ideo & Carolus ipse Magnus probabiliter creditur Romæ dispensationem exorasse utriusque Episcopi in Palatio uno uno tamen tempore sedem habituri.

V. Nec Reges tantùm, sed & Episcopi Pontificem occuparunt, ut ab eo illas eliceret dispensationes, quas potuissent ipsi suis in Conciliis elargiri. Audi ejus rei exemplum cum primis sub Carolo Calvo memorandum. Vulfadus aliique non pauci ordinati fuerant ab Ebbone, postquam illum Lotharius Imperator restituerat sedi Remensi, è qua eum dejecerat Ludovicus Pius, ab eo tantummodo paulò antè Imperio ejectus. Concilium Suessionense II. anno 853. ex Episcopis conflatum quinque Provinciarum, irritam declaravit Ebbonis restitutionem, adeoque & Vulfadi cum sociis ordinationem. Id judicium retractari cum Pontifex, tum Rex avebant. Concilium Suessionense III. anno 866. rem totam retractavit, & satius duxit eam judicio Papæ permitti. Conducibilius enim esse, ut judicium Synodi quinque Provinciarum, non ad aliud, quam ad summi Pontificis examen revocaretur: qui ex humanitate & sedis suæ eminentissima potestate indulgentius aliquid decerneret in eos Episcopos, in quos prior Episcoporum Synodus juris rigorem distrinxisset.

Eam Hincmarus commentatus subtilitatem juris videbatur, ut cujus electio in sedem Remensem constare non posset, nisi jure depositus fuisse Ebbo censeretur. Ubi sensit Pontificem & Regem jam de Ebbone minus sollicitos in restituendo Vulfado laborare, ita secum statuit, cùm aliud sit jus austerum, aliud jus attemperatum, dici posse Ebbonem ex rigore juris in Concilio Suessionensi II. exauthoratum, sed remissione juris & provida Papæ dispensatione restitutum fuisse. Non ergo illum Hincmarus à se restitui voluit in Concilio Suessionensi III. nequid ipse committeret suæ adversum ordinationi: sed ad hoc adduxit omnes ejus Synodi Episcopos, ut totum negotium judicio Papæ permitterent, & ab eo uno Vulfadi restitutionem expectarent, quasi justa & necessaria dispensatione. Aliàs autem non facile fuisset Concilium convocare frequentius Suessionensi II. in quod confluxerant Episcopi quinque Provinciarum; cùm non posset prius judicium revocari, nisi à frequentiori judicum consessu: solus autem Pontifex rem totam profligare posset. *Ne à pauciori numero eorum inconsiderata & minus debito provida fieret restitutio, &c. Quos constat à Synodo quinque Provinciarum fuisse degradatos, &c.*

Du Chesne To. 3. pag. 325. &c. Conc. Gall. To. 3. pag. 294.

Verùm illud hoc loco maximè animadvertendum est, Hincmaro & Concilio Suessionensi III. persuasum fuisse, Apostolicæ sedis hoc esse proprium & maximè consentaneum decus, ut dispenset, ut miseris opituletur, jacentes erigat, misereatur, absolvat, & gratificetur iis maximè, quorum obsequiis possunt res Ecclesiæ promoveri. *De illorum autem fratrum reformatione, præcedente pietatis vestræ libramine, qui oppressis misericorditer subvenire, afflictis opem ferre, innocentes absolvere consuestis, postposita, quantum ex nobis est, totius austeritatis & severitatis censura, dejectioni illorum fratrum vobiscum compatientes, &c. Et quia de recuperatione eorum à vestra sapientia medela sumpsit exordium, oportet omnino, & æquum fore claret totius ejusdem negotii summam, præstantia vestra consummari decretis, &c. Quorum summa, perfecta, & integra firmitas, ut claret & justum est, in Apostolica sedis reservata est arbitrio potestatis.*

Præstantissimè Herardus Archiepiscopus Turonensis in eodem Suessionensi III. Concilio demonstravit Canonicis legibus omnibus præesse & dominari charitatem; ideoque Episcoporum eas esse partes, ut ex Canonum rigore judicia sua librent; at eminentissimi Principatûs sedis Apostolicæ illud esse specimen singulare, ut legi charitatis judicia sua attemperet, & humanius aliquid tum decernat, cùm pluris interest ad Ecclesiæ salutem, relaxari nonnihil Canones, quàm religiosiùs observari. *Perfecta sunt ea quæ ad correctionem hominum & ad censuram debitæ severitatis Episcopali sententia proferuntur. Sed excellentiora sunt, quibus dilectionis benignitate subditorum saluti & communi Ecclesiarum utilitati & consultui providemus. Unde manentibus statutis prioribus, quæ secundùm authoritatem instituta sunt per justitiæ severitatem: licitum est nobis per easdem supereminentes authoritates, quo impendimus misericordiam, immutare sententias duriores; correctione facta per eminentiorem viam, scilicet charitatem. Et sicut de prioribus statutis sedem Apostolicam consuluimus, ita & ex hac definitione nostra ejusdem matris omnium Ecclesiarum responsionem expectamus.* Conc. Gall. To. 3. p. 291.

In his paucula quædam sunt, quæ observari æquum sit. 1. Non dispensari nisi ad publicam Ecclesiæ utilitatem: *Excellentiora sunt, quibus communi Ecclesiarum utilitati providemus.* 2. Dispensationibus non everti, ac ne concuti quidem Canones, ut qui deinceps semper peræquè vigeant: *Manentibus statutis prioribus.* 3. Romanum Pontificem dispensatorem esse quidem illum Canonum, sed & custodem defensoremque. Nicolaus I. à quo hæc dispensatio elicienda erat, à privatorum quorumcumque affectuum contagione & mollitie alienissimus erat. 4. Sedi Apostolicæ specialius vendicari dispensandi facultatem, quòd dispensationes charitatis delinimenta spirent, charitati serviant; quodque eminentissima omnium sedes eminentissimæ omnium legi charitatis se totam accommodare debeat. 5. Ita sentiebant Episcopi Gallicani, hæc illi Pontifici integra servari volebant, nec verebantur, ne exaggeratis Capitis privilegiis & honoribus, aliquid de proximorum membrorum gloria detereretur.

VI. Ad eandem Carolum Calvum Imperatorem rescripsit Joannes VIII. Papa, ut Madelgero homicidii reo, & Romana defuncto peregrinatione ad ejus facinoris maculam eluendam, Regiæ indulgentiæ beneficio capitalis etiam pœna remitteretur. *Quatenus gratiam vestram plenariam ei reddere dignemini, &c. Nam pro tanti itineris labore durissimo* Ibidem. pag. 421.

aliquantulam, sicut credimus, de peracto scelere indulgentiam meruit. [*Epist. 12. 13.*] Scripsit & ad Episcopum Catalaunensem, Diœcesanum ut illum admitteret, & beneficiis omnibus restitueret. Laicum fuisse auguror, qui Beneficia, hoc est, prædia obtineret Ecclesiæ. *Illi omnes res proprias atque beneficium cum propriis honoribus, quos abstulistis, cum plenaria gratia reddere non dedignemini.* Inscribi utique potest dispensationibus hæc indulgentia, quæ pœnas canonicas ex parte relaxat, & irregulares beneficiis suis reddit, conspirante Pontifice cum Episcopo proprio.

VII. Sed & illud etiam atque etiam observa cum Hincmaro, has sive dispensationes, sive indulgentias ne iis quidem à Pontifice concessas fuisse, qui Romanum iter emensi ad Apostolorum sacra monumenta venerabundi procidissent, nisi hac necessaria cautione, ut præteritas culpas pœnitentiæ lacrymis & laboribus expiarent. Ita sanè interpretatus est Hincmarus litteras gratiæ conciliatrices, quibus Balduinum Comitem & Juditham Nicolaus Papa instruxerat. Vide enim ut ad Pontificem ipsum ea de re scripserit. [*Hincmar. To. 2. pag. 245.*] *Retuli quod non leges Ecclesiasticas dissolvistis, sed preces pro eis misistis quatenus locum pœnitendi haberent, &c. Sic & Salvator in cruce apud Patrem intercessit pro persecutoribus, qui post compuncti pœnitentiam egerunt, &c. Ad cujus instar Apostolorum Vicarius, ad quorum limina confugerunt, & Catholica atque Apostolica Ecclesiæ summus Pontifex, quod in hominem Regem, & in leges mundi peccatum est, perdonari petistis, ut quod in Regem cœli & terræ, & in leges cælestis regni offensum erat, haberent inducias per pœnitentiam abolendi.*

VIII. Doctissimus porro vir Hincmarus prolixè & ipse velificatus est ei doctrinæ, posse ex Apostolicæ potestatis & charitatis dispensatione absolvi à Romano Pontifice, eos, quos cæteri suis in Synodis Episcopi, Canonum rigori obsecundantes damnaverint. Cùm enim Episcopos synodicè dejecisset Hincmarus, qui ad sedem Petri provocantes, restituti suis tandem sedibus fuere, hanc ille commentatus est rationem, & sua tuendi judicia, & contrario Sedis Apostolicæ judicio non obstrependi. [*Ibid. p. 405*] *Sicut de Redemptore nostro in Ezechiele Propheta legimus, Apostolica sedes funiculum in manu tenens, divina dispositionis intuitu, alterum intra mensuram electorum, misericordia adsciscit, & alterum judicio foras relinquit. Ut & Redemptor noster, dum alios à suis iniquitatibus abstrahit, & alios in sua iniquitate derelinquit: alibi funiculum trahit, & alibi funiculum retrahit; & huc ducit quem aliunde subducit. Quoniam in eadem sede Dominus velut in throno suo præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter, ut videlicet de sua sede dispensat.* Non potuit exaggeratius quidquam aut luculentius dici in Apostolicæ dispensandi potestatis commendationem. Sed illud sedulò commendandum animis est, ei potestatis plenitudini exuberantem quamdam comitem accedere debere plenitudinem justitiæ & sapientiæ, cùm hæc sit primaria emanatio ejus potestatis, qui ipsamet est justitia & sapientia Christus. Hæc porro sapientiæ & justitiæ ubertas plenissima totum tribuit justitiæ & sapientiæ in dispensando, prudentiæ humanæ & libidini nihil.

IX. Ea lex est & regula constantissima dispensationum, cui non omnes tamen semper concinuere dispensationes. Quis enim ei regulæ conciliet commendatum quinquennio [*Flodoard. L. 4. c. 20*] Ebboni Archiepiscopatum Remensem? Sed illud indubitatissimum est, majoris ponderis & gravioribus septas difficultatibus, dispensationes & absolutiones ab Episcopis ipsis ad Sedem Apostolicam relatas fuisse: sive in perplexis & tenebricosis quæstionibus Romanæ Ecclesiæ facem sibi prælucere vellent: sive has indulgentias vellent non faciliè impetrari, & Romani saltem itineris laboribus redimi: sive quòd cùm in dies augesceret sua cum Apostolicis Præsulibus conjunctio & familiaritas, non ferè possent non his reverentiæ testificationibus summum ejus colere principatum.

Trecitensis Concilii Antistites Principem Hugonem Ludovico Regi & Ecclesiis infestissimum dicto anathemate illaquearunt, donec Regi & Episcopis satisfecisset, astante Concilio & Legato Pontificio, qui ei præerat; aut Romam ipse peteret ad absolutionem à Pontifice impetrandam. *Quod si facere contempserit, Romam pro sui absolutione proficiscatur.* [*Flodoard. L. 4. c. 37.*] Consentientibus ergo Episcopis Conciliisque facinorosissimi quique Romam convolabant turmatim, non quò omnino subducerent se austeritati Canonum pœnitentialium: sed ut labores & ærumnas pœnitentiæ auspicarentur ab Romana peregrinatione, & tum quasi ipsius ab ore Petri acciperent temperatum illud austeritate & lenitate medicamentum, quo facillimè conscientiæ suæ vulnera curarentur. Agit alicubi Nicolaus Papa de illa multitudine Pœnitentium Romam confluente. *Quoniam ad hanc sanctam Romanam Ecclesiam, de diversis mundi partibus, quotidie multi sceleribus oppressi confugiunt, remissionem videlicet & venialem sibi gratiam tribui, supplici & ingenti cordis mœrore poscentes; à qua vero ob insigne dilectionis meritum, & debitæ compassionis gratiam, recti libraminis auxilium, cunctis fida petentibus intentione tribuitur.* [*Epist. 22.*] In cassum cecidisset & labor Pœnitentium & Pontificis absolutio, nisi eos suam in Ecclesiam reduces, Episcopi proprii admisissent.

X. Sed usque adeo inolescenti huic & invalescenti consuetudini Episcopi non adversabantur: ut Reges ipsi ex adverso condonarent scelerum pœnam legitimam iis qui Romam properaverant, à Pontifice, & ab ipso coram Petro impetraturi, non impunitatem criminum, sed tempus & copiam pœnitentiæ. Testem profero Nicolaum ipsum Papam, in litteris ad Regem & Reginam Galliæ datis, ad exorandam veniam Balduini Comitis, à quo rapta fuerat Regia virgo eorum filia. *Si qua forte criminis noxa, vel seniorum suorum formidine detinentur, ad hanc sanctam Romanam Ecclesiam, ut salutare percipiant remedium recurrunt, & ab ea non solum animæ, sed & corporis salvationem humili prece accipere precantur.* [*Epist. 22.*] De Joanne VIII. Papa jam diximus, qui ab Imperatoribus postulavit Madelgero homicidæ regum veniam fieri, ut pœnitentia eluere posset scelus, qui ad thronum Petri confugerat. *Gratiam vestram plenariam ei reddere non dedignemini, &c. Ut pro suis valeat excessibus pœnitentiam fructuosam accipere, &c.* [*Epist. 12. 13.*] Scripsit & Episcopo Diœcesano, ut suprà perstrinximus. [*Num. 6*]

XI. Tam lubentes autem assentiebantur Episcopi Provinciarum his indulgentiæ & dispensationum rescriptis Apostolicis, ut ea ad ipsosmet mitterentur, quò eorum instarent executioni. Ejusmodi fuit Epistola Nicolai Papæ I. ad Rivoladrum Episcopum in causa pœnitentiæ ei inflictæ parenti, qui tres liberos interemisset. Ita acerbitatem pœnarum canonicarum contemplatione Romani itineris temperavit Pontifex, ut pœnitentiam tamen illi indi-

xerit in primis gravem & acerbam, multosque in annos protrahendam, adeoque nec nisi cum vita ipsa desituram. Ita tunc gratiæ, ita dispensationes temperabantur. Verè enim Pontifex remisit aliquid de pœnitentia quam Episcopus indixerat ante Romanam profectionem. *Vinnarum ad Apostolorum limina festinasse cognoscite, & pœnitentiæ modum sibi impositum manifestasse. Quorum quædam temperavimus, eò quòd suffragia Apostolorum Principis postulare devotè festinavit, &c. Ut septem annorum curricula absque communione ducat, omnibus diebus vitæ suæ carnem non manducet, septennio vinum non sumat, &c.* (Append. Epist. 18.)

Ejusdem modi fuit & illa alia ejusdem Papæ Epistola ad Hincmarum Remensem, ubi annos pœnitentiæ duodecim ei præscribit, qui Presbyterum eundemque Monachum peremerat: contestatus reliquos pœnitentiæ labores donari, & Romana peregrinatione censeri compensatos. (Conc. Gall. To. 3. pag. 355. 552. 519. 520.) *Ut quæ ad mortem pœnitentiæ quantitas extendi debuerat, sed quia ad suffragia Apostolorum festinaverit, humaniùs cum eo peregimus.* Cum Presbyterum homicidam ad Joannem VIII. remisissent Episcopi Provinciæ Narbonensis; priùs à se suspensum, ab eo ad ipsos remeare jussus est, ut qui sceleris circumstantias faciliùs vestigare possent.

XII. Non ea Joanni VIII. inerat indeflexa austeritas, quæ Nicolao I. Profitebatur ipsemet apertissimè eò jam malorum venisse Rempublicam Christianam, ut nisi multa juris & rigoris contemperatione adgubernari non posset. (Epist. 34.) *Moderatio quippe Sedis Apostolicæ, & universalis Ecclesiæ dispositio in hoc periculoso tempore pene cuncta dispensatoriè moderanda compellit.* Hæc præfatus Pontifex inexorabilem tamen prædicat censuram Canonum retinendam, dum nulla urguet necessitas, quæ lenius quidpiam extorqueat. *Nihil tamen est, non extante ulla necessitate, contra Canones Patrum agendum.* Sed illud mordicus potissimum retinet, ne qui humano sanguine manus cruentarunt, ad dignitatem quamvis Cleri promoveantur. *Non solum homicidam, sed & socium homicidæ ab omni Præpositura pellendum decernimus.*

Austeriorem quàm par esset pœnitentiam præscripserat homicidæ pœnitenti Genuensis Episcopus. Ille ad Pontificem confugit, à quo jussus est idem Episcopus, ut tanquam jam Vicarius Sedis Apostolicæ eam inclementiam minueret ac leniret, contemplatione B. Petri, & laborum Romanæ peregrinationis. (Epist. 62.) *Hujus rei gratia, omne hujus judicium tibi dimittimus, & ut nostra super hoc vice, ad mitiorem in eo proferendam sententiam perfungaris, modis omnibus exhortamur, quatenus pro amore Apostolorum & nostro, & laborem itineris & lacrymabilem prædicti laboris intentionem, vel pœnitentiæ amaritudinem considerans, mitiùs cum eo agere non detrectes.*

XIII. Vides hîc incredibilem quandam concordiam & consensionem Episcoporum cum Apostolica Sede in hoc toto genere dispensationum. Addenda & Epistola est Joannis IX. ad Herveum Archiepiscopum Remensem, qui eum percunctatus fuerat, qua tandem ratione suscipiendi essent Normanni, qui priore baptismo iteratis postea baptismis inquinato, in idololatriam, aliorumque flagitiorum voraginem præcipites ierant. Pontifex rem totam committit sapientissimi Præsulis Hervei judicio, ut qui propiùs gentis ejus barbariem & ignorantiam intelligat, ne duriori Canonum censura rudes barbarosque neophytos in barathrum demergat desperationis. *Unde quia ad fidem rudes sunt, vestraque censura omnino timent experiendos, &c. Quod enim mitiùs agendum sit cum eis, quàm sacri censeant Canones, vestra satis cognoscit industria. Ne fortè insueta & importabilia onera portantes, ad prioris vitæ veterem hominem relabantur.*

XIV. Nec dissimulandum tamen est, si quando manarent ab Apostolico Præsule molliora Rescripta, & sanctitati Canonum adversaria, tunc enimvero insurrexisse, & invicta constantia Episcopos restitisse, quanquam ab observantia & cultu summæ Sedis ne tantillum unquam aberrarent. Ab Episcopis Concilii Triburiensis constitutum est, quamquam ferendum esset jugum etiam intolerandum, si quod ejusmodi ab Apostolica Sede inveheretur; si qua tamen proferrentur Rescripta Romana, paci & disciplinæ Ecclesiæ ita adversa, ut meritò subreptitia videri possent; in potestate fore Episcopi, ut in carcerem mitteret eos, à quibus ea allata fuerant, donec Romam ad Pontificem mitterentur, qui rescirent voluntatem Pontificis, orarentque, ut ex legibus canonicis causas Ecclesiæ terminaret. *Servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, pia devotione toleremus, &c. Apostolicam Episcopus interpellet sublimitatem, ut dignetur decernere, quid de talibus justo ordine lex Romana statuat diffinire.* (Con. Tribu. c. 30.)

Ejusdem vigoris specimen illustre edidit B. Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis, quando incestuosus, quem sacris summoverat, Romam misit, impetravitque Rescriptum, quo jubebatur Dunstanus illum vinculis sacris solvere: *Legatos suos Romam destinat, & talibus assueta quorundam Romanorum corda, & ora in suam causam largo munere, largiori sponsione permutat. Quid deinde? Præsul Apostolorum sedis Dunstano condescendere peccatori mandat, & eum Ecclesiæ gremio integrè conciliare monet, hortatur, imperat.* (Surius die 19 Maii c. 31.) Fidentissimè respondit Dunstanus, posse humaniùs consuli in reum, sed pœnitentem: si Comes animum adjiceret pœnitentiæ, se quoque mandatis Apostolicis pariturum. *Equidem cùm illum sui delicti pœnitudinem agere videro, præceptis Domini Papæ libens parebo.*

XV. Orientales ipsi Episcopi eam Papæ reverebantur excellentissimam potestatem in generalibus Ecclesiæ causis. In Concilio VII. diximus jam ab Apostolico Legato commonitos esse Patres, Macarium olim à Synodo VI. damnatum, Romam missum & permissum Pontifici, qui leniret ejus pœnam, si quando suæ illum quoque insaniæ pœniteret: ideo & Benedictum Papam diebus singulis ad illum missitare solitum *Consiliarium suum*, qui ad pœnitentiam & resipiscentiam hortaretur. Eo exemplo usi Patres Concilii VII. suo gradu & ordine susceperunt Episcopos, qui antè Iconoclastarum furore perciti & ipsi insanierant. In VIII. Concilio Generali Ecclesiæ conciliati sunt Episcopi, qui Photii partibus hæserant, ea dispensatione, quam prius Basilius Imperator & Ignatius Patriarcha ab Apostolica Sede flagitassent. *Visum est utrique Romam & ad tria Patriarchia fore mittendum Orientis, & à Roma quidem decreta dispensatoria, & sicut erant culparum causarumque discretiones, ita & pœnarum qualitates indicandarum, nec non & personas vice fungentes Apostolica postulandum.* Ita Anastasius Bibliothecarius in Compendiaria Synodi VIII. historia. Quæ ejusdem Synodi Actioni 1. inserta est Epistola Basilii Imperatoris ad Nicolaum Papam, unum id agit, ut eam illi exprimat dispensationem: *Postu-*

Act. 12. *lamus compatientissimum Sacerdotium tuum, ut manum porrigat humanitatis, & eorum dispenset salutem, &c.* Adrianus II. Nicolai successor eam tandem concessit dispensationem, ut cujus esset Vicarius, ejus
Act. 3. æmularetur ineffabilem clementiam. *Discipuli enim sumus mitis & misericordis magistri, qui passus pro nobis, nobis reliquit exemplum, &c.* Post finem Concilii ejusdem VIII. impulit rursus Ignatius Patriarcha Basilium Imperatorem, ut litteras ad Adrianum II. daret, quo reconciliati eo dispensante possent sacris Altaribus, cùm innumerabiles Lectores à Photio ordinati, tum Metropolitanus virtutis
Act. 10. spectatissimæ. *Quatenus dispensatio fiat à Sanctitate vestra super ipsis, quibusdam quidem ad ascensus majores sacrorum graduum, quibusdam ad receptionem sedium suarum, ad hoc rogantibus Dei imitatricem virtutem tuam.* Persimili prece Ignatius quoque Pontificem adiit: *Hæc sunt de quibus rogamus Sanctitatem vestram, ut si possibile sit, utatur verbo dispensationis & misericordiæ.*

Nostrarum non est vitium, instituti certè nostri non est expendere, an hæc tanta in suscipiendis Photii sectatoribus Ecclesiæ indulgentia tandè detrimento fuerit, ut vult Nicetas Ignatii vitæ Scriptor. Eas quippe dispensationes author est ille tam ambitiosè & præfervidè à Concilio, aut ab Imperatore potius expetitas fuisse, iteratis ad Romanum Pontificem litteris & Legatis, quò eximiæ cujusdam & propè singularis clementiæ laude & fama clarescetet Imperator. Certè hi gradus esse potuere ad restitutionem Photii post Ignatii mortem. Nobis abundè est, ut per omnes Ecclesias resplenduerit summa dispensandi Romanæ sedis authoritas, nec magni nostra interest, excutere, an singularum dispensationum & causæ fuerint justæ, & exitus auspicati. Throno Constantinopolitano Photium non restituit Joannes VIII. nisi flagitantibus uno consensu Impera-
Joan. VIII. Epist. 169. toribus, Patriarchis, & Episcopis Orientis. *Nunc aliis Patriarchis, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, atque omnibus Archiepiscopis, Metropolitis, Episcopis una voluntate parique voto consentientibus, Photium recipimus, &c.*

XVI. Non sectabatur Oriens ad Romani Pontificis dispensationes, nisi in istiusmodi causis ad Ecclesiam universalem attinentibus. Cùm Constantinus Irenes filius legitimam conjugem repudiasses, ejusque duxisset pedissequam, Patriarchæ primùm Tarasii, postea & Nicephori ea fuit sententia, humanitate utendum, cohibenda esse Ecclesiæ fulmina, ne furens juvenis, quod comminabatur, templorum fores panderet, & Gentilibus se adgregaret. Theodorus Studita, frater ejus Archiepiscopus Thessalonicensis, & fama celeberrimus Plato Abbas, eam remissionem & conniventiam vituperarunt, & à Patriarchatum secesserunt communione.
Cedrenus pag. 472. Dubium erat, rectè, necne dispensatum esset. At dispensandi jus penes Patriarchas esse, in confesso apud omnes erat.

Cùm verò ad universalem Ecclesiam spectare videri possint dispensationes, in quibus causa vertitur Imperatorum; inde est, quòd & istæ quandoque ad summos Pontifices relatæ sint. Cùm Leo Philosophus Imperator quartas celebrasset nuptias, præter Canones Ecclesiæ Græcæ olim receptissimos, & præter suam ipsius antea promulgatam Constitutionem: Nicolaus Mysticus Patriarcha Constantinopolitanus non solum nulla eas nuptias benedictione prosecutus est, sed & Presbyterum deposuit, qui benedictionem impertierat, Leonemque aditu Ecclesiæ interdixit. Cùm infringere Imperator ejus constantiam non potuisset, illum in Monasterium ablegavit, ejusque loco Euthymium subrogavit, à quo communioni restitutus est. Redditus est non multò pòst suæ sedi Nicolaus, easque dedit ad Romanum Præsulem litteras, quibus multa nobis hic obiter memoranda aspersit. Nempe ex quarta hac conjuge, nomine Zoë, Leoni ante nuptias natum esse filium; nec alio consilio eam duxisse, quam ut his nuptiis filius antè natus restitueretur integritati natalium; non ullam enim ei ex aliis conjugibus editam prolem: recusante Nicolao Patriarcha ejusmodi dispensationem, Leonem Romam misisse, ut eam à Pontifice eliceret; hujus denique Legatos Constantinopolim missos, à quibus validum declaratum sit Leonis quartum conjugium. Nicolaum verò Patriar- *Cedrenus.*
cham ne tum quidem à contumacia discedentem in *Baron. an.*
exilium deportatum esse, assentientibus ipsis Papæ *901.*
Legatis.

Quando Michaël Curopalates Imperator Nicephoro Patriarchæ conciliavit Theodorum Studitam, cæterosque Confessores, qui ab ejus communione secesserant, propter ejus in tolerando Constantini adulterino conjugio mollitiem: Scripserat *Baron. an.*
antè ad Leonem Papam, ut illi hanc approbaret *811.*
unionem innovatam Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Utroque hoc exemplo patefactum est in his dispensationum causis, quæ ad Imperatores attinerent, interpellatos fuisse Romanos frequenter Pontifices, qui quæ Patriarchæ Constantinopolitani annuissent, confirmarent; quæ abnegassent, annuerent.

Revocanda oratio est ad Leonem Philosophum, qui primo Imperii sui anno, cùm Stephanum fratrem suum Photio Patriarchæ suffecisset, hunc in Armeniam deportasset, à Stephano VI. Papa dispensari petiit cum novo Patriarcha Stephano, qui olim à Photio Diaconatu fuerat initiatus. Cùm Patriarcham Stephanum sua semper impertierit Papa communione, argumento id videtur esse, concessam fuisse dispensationem. Piaculi genus fuerit, si prætermitterentur verba Episcoporum Græcorum ad Papam, pro ea indulgentia elicienda. Præ se ferunt enim Pontificem Romanum Executorem esse universalem, & dispensatorem Canonum. *Quoniam* *Ibidem.*
verò scimus quod à vestra Apostolica sede corrigi, & *An. 886.*
juxta Canones corripi debemus: hac de causa humili- *888. 889.*
bus his nostris litteris tuam oramus venerabilitatem, ut *891.*
misericorditer nobiscum agas. Denique Legatis litterisque Pontificem interpellavere iidem Præsules Græci, ad impetrandam universim ejusmodi dispensationem, quæ omnes eos complecteretur, quos præstigiis suis Photius fascinasset, aut vi allata depravasset. Formosus Stephani VI. successor has suscepit Epistolas, & Legatos Constantinopolin misit, qui dispensationi moderarentur pro cujusque merito & necessitate.

XVII. Nec soli Imperatores Constantinopo- *In vita S.*
litani secum voluere ab Apostolica potissimum sede *Swiber.*
dispensari. Eandem sesè & Reges alii inivere ratio- *Epis Vinton.*
nem. Non potuerat Ethelvulphus Angliæ Rex regno *apud Sur.*
potiri, nisi antè lege & vinculo Subdiaconatus so- *die 2. Julii.*
lutus fuisset à Leone IV. Id Vuillelmus Malmesbo- *Malmesb. de*
riensis Leoni III. tribuit. Lotharius Rex à Pon- *gestis Pont.*
tifice Romano solvi se concupivit vinculo prio- *Angl. l. 2.*
ris conjugis, ut aliam duceret. Subverìti sunt *pag. 242.*
aliqui tum Episcopi Galliarum, ne quid præter Evangelicas leges à Romano Pontifice relaxaretur.
Ita enim Ado in Chronico: *Spiritu Dei tacti time-* *Anno 861.*
bant in Ecclesia Dei oriri periculum generale, ne Pontifex

Romanus favoribus inclinatus, à definitionibus pietatis exorbitando, Romanæ Ecclesiæ vulnus erroris infligeret. Sed eventus probavit & frustra trepidasse Episcopos, & Pontificem intrepida fuisse constantia.

CAPUT XXVII. *P. 4. l. 2. c. 67.*

De Dispensationibus ex Conciliis & Pontificibus ab anno Christi millesimo ad millesimum ducentesimum.

I. Perpendenda hinc authoritas, inde causa justa dandarum dispensationum.

II. Sua sponte Episcopi spinosissima negotia ad primam Sedem utplacentium referebant.

III. Referebantur & illa ad eum dispensationes, quæ novi erant exempli ut Principis Casimiri, qui ex Monacho & Diacono ad regnum Poloniæ vocatus est, facta etiam conjugii licentia. Sola necessitate, & synodali deliberatione concedebantur hæ dispensationes.

IV. Dispensatio ordinatorum à Simoniacis Episcopis, sed à Papa data, synodali judicio, urgente necessitate, in præteritum, non in futurum.

V. Arduas dispensationes Episcopi ad Pontificem rejiciunt, qui nihili facit, & ingentem pecuniam, & agros, & prædia Ecclesiæ ac pauperibus profutura, ubi dispensari vetat æquitas.

VI. Reges & Imperatores pro dispensationibus Pontificem interpellant, à quo & repulsam patiuntur, ubi jubet lex & æquitas.

VII. Austerissimi quique Pontifices, maluere tamen semper indulgentia uti, ubi per leges fas erat.

VIII. Non dantur dispensationes nisi necessitati Ecclesiæ, & quandiu subest eadem necessitas.

IX. Ipsæ Canonum dispensationes Canonibus consentire debent.

X. Quàm mallet Anselmus à Papa, quàm à se quodvis dispensari.

XI. Pontificum & Episcoporum concentus mirificus.

XII. Paschalis II. B. Anselmum cumulatissima auxit dispensandi potestate.

XIII. In summos Principes Sedis Apostolicæ prolixior semper humanitas, facilitas, & charitatis, & justitiæ mero moderamine.

XIV. Ipsa Concilia dispensationes complures Pontificibus integras servarunt.

XV. Variæ dispensationum regulæ sub Alexandro III.

I. Duo quædam proposuimus, quæ nobis hîc operosiùs & illustranda sint & munienda. Primum caput est ipsa dispensandi potestas, quæ insertà & concreta quodammodo est Episcopali dignitati; sed cujus usus illas easdem passus est vicissitudines, quas reliqua omnis exterior Ecclesiæ disciplina. Id accuratius ergo perpendemus, nec ullo occupati præjudicio, ut spero, quid sibi Pontifex, quid sibi Episcopi sumpserint in ea explicanda potestate, aliàs & aliàs, plus minusve, pro Ecclesiæ necessitate, pro temporum usu, pro rerum & locorum varietate. Alterum caput erit circa regulas versatur dispensandi; quas non alias unquam fuisse evincemus, quàm Ecclesiarum utilitatis & necessitatis; cùm veritate & charitate regi debeant eorum gressus omnes, & omnia potestatis documenta, qui Vicarii sunt Christi, Charitatis sempiternæ & incommutabilis Veritatis.

Conjunctim hæc duo capita persequemur, ut quæ conjuncta plerumque sint, iisdemque & Decretis fulciantur ferè & exemplis: quæ proinde à nobis iteranda & ad fastidium inculcanda essent, si ea sejunctim tractarentur. Exordium ducemus autem à Conciliis & Pontificibus, tum ad celeberrimos delabemur Theologos, aliosque extremi hujus ævi Scriptores.

II. Id testificantur Episcopi Concilii Lemovicensis anno 1031. mitti à se solitos ad Pontificem Diœcesanos suos, si qui se eorum graviori crimine constrinxissent, ut ediceret ipse, an quam indixerant ipsi, pœnitentia consentanea esset, & ejus pars ita ut in arbitratu esset positum Pontificis, sive adjicere aliquid, sive demere. *Si Parochiano Episcopus pœnitentiam imponit, eumque Papa dirigit, ut judicet utrum sit, annon, pœnitentia digna pro tali reatu, potest eam confirmare authoritas Papæ, aut levigare, aut superadjicere. Judicium enim totius Ecclesiæ maximè in Apostolica Romana Sede constat.* Vasconis mox exemplum depromunt, qui seniorem, seu dominum suum jussu Ducis Aquitaniæ interemit. Anceps animi Episcopus nec pœnitentiam admetiri ipse ausus, ad Papam illum ablegavit. *Nescio tibi consilium ferre pœnitentiæ, sed vade quantocius ad Romanum Papam.* Profectus Romam reus, admitti à Pontifice non antè potuit, quàm litteras Episcopi sui repræsentaret, totum Sedis Apostolicæ judicio committi significantes. Agebatur hîc quidem de absolutionibus scelerum potiusquàm de dispensationibus; sed erat similitudo non modica, & ipsis absolutionibus multa interveniebat dispensatio, multa relaxatio Canonum, quanquam non sine compensatione. Quin & implicatiores ferè cùm sint absolutionibus dispensationes, has potissimum cogebantur Pontifici integras servare. Pœnitentias enim & absolutiones diffiniebant Canones; at non ita certò diffiniri poterant dispensationes, ut quarum ingenium sit præfinitos limites transilire. Denique ponderatis laboribus & macerationibus peregrinationis Romanæ, Pontifex utplurimùm partem saltem aliquam condonabat pœnarum Canonibus præscriptarum. Cum multis aliis rationibus, & causis, tum hac potissimum, defluxit in manus Romani Pontificis usus concedendarum dispensationum, quo ultro se abstinebant Episcopi.

III. Aliam lubet hic attexere dispensationem, novam prorsus, & priori ætati inauditam: cujus adeo authores se non facilè Episcopi professi essent. Principe Casimiro gentis Polonicæ, Cluniacensem Regulam professo, vestem induto, & Diaconatu initiatum, nihilominus illum Poloni sibi Regem elegerunt, ut qui ejus Regni unus esset hæres certissimus. Convolarunt illi ad Cluniacensem Abbatem, ut eum reposcerent; at suæ potestatis non esse Abbas contestatus est, vel Monachum Regulæ, vel Diaconum Canonum nexibus absolvere, atque adeo adeundum ipsis esse summum Pontificem. *Non suæ potestatis fore, ut & Monachum & Diaconum à Religione professa emancipet, & in terreni regni regimine, prævaricato Professionis suæ tenore, succedere permittat. Prorsus supremum in terris Tribunal, supremamque potestatem, Sedem videlicet Apostolicam Romanam, & Vicarium Christi adirent, & necessitate publica Poloniæ Regni declarata, Principem Casimirum reddi deposcerent.* Hactenus Longinus in Historia Polonica. Concessa est à Pontifice dispensatio, fatàque Casimiro licentia est & regnandi, & uxoris ducendæ. *Casimirum illis precario Regem donat, uxorem illi ducere, & filios procreare permittit.* Hinc liquet, quod & ex Canonibus dilucidum est, Regiam dignitatem tam spectatam fuisse ut alienissimam à Clericali & Monastica Professione; quippe cùm militia & dignitas quævis sæcularis ab antiquis Conciliis septa Clericis semper fuerit & interclusa. Baron. anno 1041.

Sed satius est contemplari, 1. quàm non fuerit hæc dispensatio data, nisi necessitati. 2. Non usque

adeo tunc præjudicatum vulgo fuisse, non posse gravissimas quasque dispensationes proficisci, nisi ab Apostolica Sede; cùm Poloni Legati, immo & Antistites electum à se Casimirum præsumerent ab Abbate Cluniacensi in Regem sibi relaxari posse. 3. At in animo Abbatis Cluniacensis nihil inhærere poterat dubitationis, quin dispensatio tam nova & tam gravis à summo Pontifice expectanda foret. 4. Ita ipso rerum temporumque decursu, & evolventibus se novis gravissimisque quibusque causis, usus iste novissimus invehebatur, ut nonnisi jam à sede Petri hoc genus dispensationes expeterentur.

Cap. 5. Scriptor vitæ B. Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi, ipsummet testatur Romam pertexisse, ut veniam Canonum fieri impetraret Duci Vuillelmo, qui conjugium contraxerat præter sacras regulas. Annuit Nicolaus II. ea conditione, ut extruerentur duo Cœnobia, quæ & Cadomi constructa sunt.

Nec annuebantur Romæ dispensationes hujusmodi, nisi synodali deliberatione diu libratæ. Leo IX. translationem Episcopi Toscanellæ in civitatem Portuensem confirmans, synodali judicio rem trutinatam fuisse testatur, nec nisi utilitati & necessitati Ecclesiæ ea quidem in re Synodum consuluisse. Epist. 53. *Dignum duximus in Synodo prius ventilare, utrum justè facta fuerit transmigratio, vel injustè; quod & fecimus residentes in Synodo. Inventum est necessitatis causa hoc factum fuisse, & judicatum est fieri potuisse. Quæ fuerit necessitas, quæ utilitas satis patenter expressum est.*

IV. Privata tantùm ea fuere exempla. Venio ad dispensationes paulò effusiores, quibus moderati sunt Romani Pontifices in Synodis Romanis. Seculo x. & xi. usque adeo simoniaca contagio ordinationes omnes Ecclesiæ infecerat Latinæ, ut vix ullæ ejus pestis expertes & puræ essent. Ex sacris Canonibus qui à simoniacis ordinati fuerant Episcopis non simoniacè, arcendi nihilominus erant sacro ministerio. Ab eo rigore si deviatum non fuisset, languissent omnes Ecclesiæ Beneficiariis & Pastoribus viduatæ. Ea Ecclesiæ periclitantis necessitas Nicolaum II. Papam & Synodum Romanam anni 1059. compulit Canones hactenus laxare, ut irregularitatis absolverentur nexu, qui à Simoniacis ordinati quidem illi essent, sed gratis & sine pretio. *Quia igitur usque adeo hæc venenata pernicies hactenus inolevit, & vix qualibet Ecclesia valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta: eos qui usque modò gratis sunt à simoniacis consecrati, non tam censura justitiæ, quàm intuitu misericordiæ, in acceptis Ordinibus manere permittimus. Tanta quippe talium multitudo est, ut dum rigorem canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit, ut dispensatoriè ad pia condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus.*

Habes hic dispensationem non privato alicui concessam, sed in omnes generaliter fusam, 1. à summo Pontifice expressam. 2. Post consultationem Synodicam. 3. In summa Ecclesiæ necessitate. 4. Ad præteritas culpas eluendas, non ad futuras pertinentem. Nec enim dispensabatur tunc, ut fas esset quod fuisset nefas, aut ut impunè in leges peccaretur; sed ut præteriti errores condonarentur. Unde in præteritum tantùm tempus relaxari Canones significat Pontifex: posthac verò si quis sciens prudensque ordinetur ab Episcopo simoniaco, tametsi gratis ordinetur, exauthoratum iri, nec eam labem nisi canonicæ pœnitentiæ laboribus eluendam. *Ne aliquando aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione, regulam sibi, vel alicui assumat, vel præfigat; quia hoc non authoritas antiquorum Patrum jubendo, aut concedendo promulgavit; sed temporis nimia necessitas permittendum à nobis extorsit. De cætero autem, si quis hinc in posterum, ab eo quem simoniacum esse non dubitat, se consecrandum permiserit, depositus pœnitentiam agat, &c.*

V. Occidentalis universæ Ecclesiæ causa tum vertebatur. Sedis Apostolicæ judicio commissi erant Episcopi, qua venia, quo vigore tractanda ea esset. Nec aliter ferè res habebat in plerisque majoris momenti causis. Canonum tenacissima erat præ cæteris Romana Ecclesia. Ita quod illa relaxabat, facilè remittebant aliæ Ecclesiæ. Incestuoso conjugio ut assentiretur, nunquam adduci potuit Alexander II. ad quem ea de re Episcopus retulerat, quantumvis erogationibus in pauperes, & jejuniis ingens compensatio ostenderetur. *Hujus viri causam, super qua Apostolicam Sedem consuluisti retractantes, si quo modo misericorditer conjunctam sibi illicitè consanguineam retinere posset, & orationibus, jejuniis, ac hereditatis & eleemosynarum se largitione redimere, nullam authoritatem comperimus, qua sibi concederemus.* Ivo Part. 9. c. 9. 1. Jam initum erat incestuosum illud matrimonium. Verecundiùs autem peccati venia, quàm peccandi licentia & petitur, & annuitur. 2. Abnuit Pontifex, quòd nullum ejus veniæ præisset exemplum. 3. Privata erat ea causa: Ecclesiæ in commune nihil admodum intererat. Nec vera prædiorum aut ingentium opum largitione tum satis compensari existimabatur Canonum injuria. 4. Ea Pontificum constantia tuendi Canonum rigoris reliquos Episcopos sua sponte flexibiliores alliciebat, ut in posterum mallent à Pontifice trutinari dispensationes, eas etiam quas ipsi hactenus concessissent. Quid enim optatius, quàm ut quorum flexibiliores sunt ad indulgendum animi, eam ne exerceant potestatem, quæ inexorabiles desideret censores?

VI. Ea summorum Principum singularis erat in Sedem Apostolicam reverentia, ut à Pontifice mallent eas orare dispensationes, quas facillimè potuissent à suis Episcopis exorare. Voverat Eduardus Angliæ Rex Romam pergere, & Petri tumulum revereri. Detrimento futura Regno visa est ejus peregrinantis absentia. Illum ergo Leo IX. eo voto solvit, jussum extruere magnificentissimum illud Cœnobium Vuestmonasteriense, ut videre est in Actis Conventûs Vuestmonasteriensis anno 1066. Non hic ulla Canonibus irrogabatur injuria. Ideo & in futurum dispensatur, & temporalis compensatio non rejicitur, quòd Regno & Ecclesiæ aliàs conduceret, ne Regno suo Rex abesset.

Quàm retinentes autem essent Canonum vigoris Pontifices Romani, etiam ubi interveniebant Reges ad eliciendas dispensationes, ex Gregorio VII. manifestum erit. Sancio Aragonio Episcopo Rex Aragonum abdicandi licentiam à Pontifice eblandiri nitebatur, ut suprà jam diximus; cui Pontifex rescripsit, nihil sibi carius dulciusque obtingere posse, quàm ut ejus voluntati obsequi fas esset: at per Canones jam non licere. *Quod nos de causa Aragonensis Episcopatûs & consuluisti, & te quodammodo velle significasti, diu & multùm volentes, & cum filiis Romanæ Ecclesiæ pertractantes, incongruum fere pervidimus, quoniam in eo canonica Decreta nobis obviare cognovimus.* L. 2. Ep 50. Justo conjugio nati non erant Clerici

Clerici duo, quos Rex & Episcopus suffici illam in Ecclesiam avebant. Ita Pontifex infringi Canones molestissimè ferebat. Præteritæ culpæ, cóque irrevocabiles jam, & quæ infectæ reddi non possint, facilius indulgentur: at in posterum peccandi ecquis copiam cuiquam faciat? *Quia venerandi Canones ad Sacerdotii gradum tales provehi contradicunt, probare eos non satis cautum fore putavimus; ne quidquam à nobis contrarium sanctis Patribus in exemplum & authoritatem posteris relinquatur. Solet enim sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare; sed nunquam in suis Decretis & Constitutionibus à concordia canonica traditionis discedere.*

VII. Non abhorrebat Gregorius VII. à justis ubi expediret delinimentis. Cùm ad Strigonensem Archiepiscopum rescriberet, assentiebatur Clericum quendam Presbyteratu augeri, quod eo digniores optare quidem, at vix sperare fas esset, in
L. 4. Ep. 25. tanta & tam desperata ejus ævi perversitate. *Quapropter secundum miseriam horum temporum, & ad comparationem earum personarum, quas pro infirmitate & necessitate toleramus, hunc quoque misericorditer portandum esse non indignum duximus, &c. Quod ad sacerdotii gradum promoveri desiderat, etsi nos ex imperii authoritate non decernimus, respectu tamen indulgentia non contradicimus.* Pari erat & in Episcopos indulgentia. Cùm enim Franciæ Burgundiæque plures Episcopi accusati, damnatique fuissent Synodali judicio, præsidentibus Gregorii Legatis, eam inclementiam ipse temperavit, contestatus familiare id & solenne esse Romanæ Ecclesiæ, ut humanitatem rigori juris præponeret, quantum leges Cano-
L. 5. Ep. 17. nicæ paterentur. *Quia consuetudo sancta Romana Ecclesia est quadam tolerare, quadam etiam dissimulare: discretionis temperantiam potiusquam rigorem Canonum sequentes, &c.*

VIII. Eam suavitatem austeritate aspersam aliqua & temperatam explicuit Urbanus II. in Concilio Romano III. anno 1096. ubi constitutum est, ut qui inscii fuissent ouperrimo schismati Imperii ab Ecclesia descicentis, ne Ordinibus suis spoliarentur: quanquam ejus humanitatis expertes futuri essent, qui posthac eo se constringerent piaculo.
Can. 25 *Amodo verò quicumque prædictis schismaticis, sancta Romana Ecclesia adversariis se ordinari permiserit, nullatenus hac venia dignus habeatur. Quamvis autem misericordia intuitu, magnaque necessitate cogente, hanc in sacris Ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen præjudicium sacris Canonibus fieri volumus: sed obtineant proprium robur: & cessante necessitate, illud quoque cesset, quod factum est pro necessitate. Ubi enim multorum strages jacent, subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius charitati.* In unum coaglobatas hic habes leges dispensandi sanctissimas. 1. Ut necessitati tantum detur. 2. Et Ecclesiæ publicæ necessitati. 3. Et non ultra tempus urgentis necessitatis. 4. Denique ad præteritos errores, non futuros. Idem verò decretum iteratum est anno 1106. in Concilio Goastallensi.

IX. Ita temperatæ dispensationes, non utiles tantùm, & necessariæ sunt, sed & canonicæ, cùm apprimè & sacris litteris, & Canonicis institutis consentiat illa charitas, qua se Pontifices inclinant, descenduntque ad levandos & resovendos miseros, non ut ipsi cum eis cadant, sed ut ad eos descendant, & collapsos erigant. Ita enim Paschalis II. ad beatum Anselmum Cantuariensem Archie-
Epist. 14. piscopum, Regi tandem Anglo conciliatum. *Quod autem & Regi, & iis qui videntur obnoxii, adeo condescendimus, eo affectu & compassione factum noveris, ut eos qui jacebant erigere valeamus. Qui enim stans jacenti ad sublevandum manum non porrigit, nunquam jacentem eriget, nisi & ipsi curvetur. Caterum quamvis casui propinquare inclinatio videatur, statum tamen rectitudinis non amittit.*

X. Anselmo nec sapientia aberat, nec charitas, nec authoritas, quaniam desiderabat administratio totius Ecclesiæ Anglicanæ, non sine blandimentis, & necessariis quibusdam dispensationibus. Nec tamen illi antiquius quidquam fuit, quam ut authoritatem & decreta sedis Romanæ sæpissimè intervenire curaret. Permirum & illud est, quod ab Urbano II. primùm, mox & à Paschali II. expetierit potestatem dispensandi, ubi necessitas ingrueret, nec possent Rescripta Romana expectari. Vide ut ad Paschalem II. scripserit: *Peto, ut per licentiam* Epist. 42.
vestram possim quadam, prout discretionem mihi dabit Deus, temperare. Quod petii à domino Papa Urbano, & ipse posuit in mea deliberatione. Indulsit Paschalis copiam in necessariis dispensandi, pulcherrimis his usus verbis, ex quibus elucet, Apostolis, Conciliis & sanctis Patribus eas non displicuisse dispensationes, quæ tempestivæ & necessariæ essent: ideoque non gravatè eam potestatem Anselmo concredi, tanta sapientia & sanctimonia Præsuli, ut meritissimo crederetur ea tum usurus, cùm publicæ & graves cogerent Ecclesiæ necessitates. *Dispensationis modus, sicut & beatus Cyrillus in Epistola Ephesina Synodi loquitur, nulli unquam sapientum displicuit. Novimus enim sanctos Patres nostros & ipsos Apostolos, pro temporum articulis, & qualitatibus personarum, dispensationibus usos. Quamobrem nos de religione & sapientia tua diu longèque spectata nihil penitus ambigentes, tua deliberationi committimus, ut juxta datum tibi intellectum, cùm Ecclesia, cui præpositus es, tanta necessitas expetit, sanctorum Canonum Decretorumque difficultatem, opportuna & rationabili .... valeas temperare.*

XI. Hinc splendet, quàm non livor, non æmulatio Pontifices & Episcopos afflasset, super potestate, immo super exercitio potestatis dispensationum. Remittebant Episcopi Papæ, quas suum erat largiri dispensationes; permittebat Episcopis Papa, quas revocare ad se potuisset; dum totus ejus potestatis usus ad ædificationem Ecclesiæ sese explicaret, non ad sacræ disciplinæ dissipationem. Omnia sanctissimi Præsules metiebantur veritatis & charitatis regula; & unius Ecclesiæ necessitatum contemplatione, nolebant Episcopi se posse quod potuissent; largiebatur eis Pontifex, quod non potuissent. Interea verò usus dispensandi in dies semper frequentior apud sedem Apostolicam, rarior apud Episcopos; cùm tam rarò interpellarint Episcopi Pontificem, ut sua illos potestate impertiret; & tam frequenter ad eum rejecerint, quæ suæ ipsorum erant potestatis.

XII. Eo forsan tempore serpere & invalescere latius cœpit illud axioma, ab Episcopis, & à Conciliis Provincialibus relaxari non posse Canones Conciliorum Generalium, & Decreta Apostolicæ sedis. In Concilio Romano irregulares pronunciati fuerant filii Presbyterorum. Cùm ingenti eorum multitudine laboraret Anglia, Anselmo concessit Paschalis II. ut eo vinculo solveret, cùm ex re fore Ecclesiæ judicaret. *Nos dispensationem hanc solli-* Epist. 102.
citudini tua committimus. Eos enim quos scientia & vita commendat, apud vos ad sacra officia promoveri, pro necessitate temporis & utilitate Ecclesia concedimus,

ut in posterum constitutionis Ecclesiasticæ præjudicium caveatur.

Spectabant hæ dispensationes ad filios Presbyterorum, poterantque ad futuras æquè porrigi ordinationes, atque ad præteritas. At ea irregularitas tum nova erat: & in delectu ordinandorum plura debebant esse momenta in eruditione & pietate, quàm in natalibus. Denique non ad hoc tantùm caput, sed & ad alias omnes Ecclesiæ Anglicanæ necessitates committebat Pontifex Anselmo plenissimam dispensandi auctoritatem. *Cætera etiam quæ in regno illo pro necessitate temporis dispensanda sunt, juxta gentis barbariem, juxta Ecclesiæ opportunitates, sapientiæ ac religionis suæ sollicitudo dispenset.* Simile veri est communicatam fuisse tum Anselmo à Pontifice potestatem universim dispensandi, de Conciliorum Canonibus & de Romanæ Ecclesiæ Decretis.

XIII. Innocentius autem II. cùm in Remensi Concilio statuisset, ut Abbates Episcopo obedientiam profiterentur: permisit tamen, quin & præcepit Archiepiscopo Rotomagensi, ut eo nexu exolveret Abbates Normanniæ, quod Angliæ Rex, in cujus erant potestate, eo decreto exacerbatus fuisset.
Epist. 18 *A quibusdam Abbatibus professionem & obedientiam suscepisti. Quod profectò quamvis justum fuerit, & à nobis in Concilio Romano mandatum: pro Regis charitate à rigore justitiæ aliquando condescendere debemus, & pro tempore ipsius voluntati assensum præbere. Unde rogamus, atque mandamus, &c.*

Et hinc rursus nova forsan & frequens occasio recurrendi ad primam Sedem, tanquam ad fontem & caput dispensationum, quod inconsideratius quandoque obrigescerent Episcopi, maximè adversùs summos Principes, quibus æquum est multa indulgeri, quo lubentiores & ipsi postea pernecessariam Ecclesiis & tuitionem impendant suam & benevolentiam. Unde mox idem Pontifex in eadem Epistola: *Credimus quoniam si Regi detuleris, quod ad honorem & jus Rotomagensis Ecclesiæ pertinet, cum plenitudine gratiæ suæ in posterum obtinebis.* Ea certè spe præcipiebat idem Pontifex Archiepiscopo, omnes ut à se excommunicatione innodatos Abbates exolveret, quo Regi gratum faceret, atque ab eo vicissim juribus suis omnibus redintegraretur.

XIV. Sub hoc eodem Pontifice Concilium Londinense anni 1138. statuit, ut Clerici, qui ab Episcopo quovis alio præterquam suo ordinarentur, restitui ne possent, nisi à Pontifice Romano, nisi Monastica professione flagitium expiarent. Præerat ei Concilio Legatus Pontificius. *Soli Romano Pontifici*
Can. 7. *eorum plenaria restitutio reservetur, nisi Religionis habitum susceperint.* Ea ergo tunc dispensatio Sedi primum Apostolicæ reservata est, idque ab Episcopis ipsis Angliæ, consultissimè providentibus, ut rarius peccaretur, postquam tam longè petenda esset venia.

XV. Alexandro III. peræquè ut Innocentio II. compertissimum fuit, rationibus Ecclesiæ quamplurimum conducere, ut indulgentia plurima disciplinam suam condiat, ne tetrem Principes exasperentur.
Epist. 23. 30. 31. Scripsit ille ad Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, entendum ei esse, ut verecundia & demissione animi exacerbatum Regis animum demulceret; & perdiu suspendit, ac remoratus est fulmina, quibus Thomas Regem & Angliam ipsam impetiturus videbatur.

Ab eodem Pontifice elicuit Ludovicus VII. Galliæ Rex relaxationem jejuniorum aliquot præcepto Ecclesiæ definitorum, quam ab Episcopo utique suo impetrare potuisset. Sed jam Regibus & summis Epist 31.
Principibus id moris inoleverat, ut remissiones hoc genus non peterent, nisi ab Apostolica sede. Consuluit Episcopus ipse Oxfordiensis hunc Pontificem, an remitti possent, ad quas voto se quis obligasset, peregrinationes piæ, alio in sui locum subrogato Vicario, vel ingenti pecunia in pauperes erogata. Rescripsit Pontifex, Episcopi esse judicare, an æqua ad Dei laudem fieret compensatio per eleemosynas, & an cui dispensatio postularetur, afflicta adeo esset valetudine, ut facere satis voto non posset. *Tibi respondemus, quod ab ejus qui præsidet, dependet arbitrio, ut consideret diligentius, & attendat* Append. Conc. Late.
qualitatem personæ & causam commigrationis, seu id part 35. c. 3.
ex infirmitate, seu ex affluentia profluat divitiarum; & utrum peregrinatio, an recompensatio utilior fuerit, & Deo magis accepta, & secundum hæc debet exinde dispensare.

Erat ergo Pontifici certissimum, 1. Dispensationes omnes compensandas esse commodis aliis ad Ecclesiæ utilitatem & Dei gloriam conducentibus. 2. Necessitati eas donandas esse Ecclesiæ, non ad gratiam à privatis ineundam. 3. Posse eas ab Episcopis donari. 4. Posse & ab eis commutari vota piarum peregrinationum. 5. Ita subodoramur necdum tunc reservatam fuisse sedi Apostolicæ dispensationem faciatum peregrinationum Romam, Hierosolymam, Compostellam. Omnes enim hic promiscuè Alexander III. amplectitur Peregrinationes, easque sinit Episcopis dispensandas.

Postremò cùm hic Pontifex ad Episcopum Londinensem scriberet, & exponeret illi Canonicas rationes transferendi ipsius Londinensem in Ecclesiam ab Herefordiensi, testatum tandem facit eam translationem ab Angliæ Rege postulatam fuisse, ab eoque religiosè sibi affirmatum, ea promoveri commoda, & provideri necessitatibus Ecclesiæ Anglicanæ. *Ut autem suæ petitioni nostrum impertiremur as-* Matth Par.
sensum, necessitatem imminentem pariter & utilitatem An. 1163.
proponebat.

CAPUT XXVIII. *P. 4. l. 2. c. 68.*

De Dispensationibus secundùm Concilia & Patres, post annum Christi millesimum ducentesimum.

I. Concilia ipsa & Episcopi complurimas dispensationes summo Pontifici integras servari voluere. Exemplo Concilii Lateranensis IV.

II. Ut & Ducibus Nobilibusque plusculum tribuatur, quam aliis, nec tamen habeatur ratio nisi Ecclesiasticæ utilitatis.

III. Aliæ dispensationes Papæ reservatæ sub eodem Innocentio III. maximè in irregularitate criminum, quæ scandalum, & infamia concitetur.

IV. Innocentium III. jure Patrem haberi & conditorem juris novi Pontificii, nec tamen assensum ullum unquam fuisse dispensationibus, nisi ex utilitate & necessitate Ecclesiæ.

V. De verbo magis, quam de re controverti & dissideri, ubi quæritur, supra Canones sit Pontifex, necne. Dominus sit Canonum, necne. Qui enim dominum illum, & supra Canones esse volunt, non aliud volunt, quam ut de iis dispensare possit. Qui autem negant dominum, & supra Canones esse, unum id cupiunt, ut nonnisi ex utilitate & Ecclesiæ dispenset necessitate, quod & prioris sententiæ auctores non diffitentur. In his nulla rerum, etsi est aliqua pugna verborum. Probationes ex Innocentio III.

VI. Alia argumenta ex eodem Pontifice, qui supra omne jus positivum non assurgit, nisi quia urgentibus Ecclesiæ necessitatibus dispensare potest.

VII. Aliæ probationes ex Honorio III.

VIII. IX. Contextio aliarum dispensationum, sive Pontificiarum, sive Episcoporum, nonnisi cogente necessitate.

X. Etiam sæculo XV non dispensabatur vel à Pontifice, vel ab Episcopo, nisi ad publicas Ecclesiæ necessitates.

XI. Concilia Constantiense & Basileense, tametsi Pontifices subjiciunt Concilio, non tamen eos spoliant dispensandi potestate, quæ illis abunde sufficere semper visa est. Nec alia ratio Concilii Florentini.

XII. Ex Conciliis sæculi XVI probatur non dispensari, nisi ad utilitatem & necessitatem Ecclesiæ.

XIII. Probationes aliæ ex Concilio Tridentino.

XIV. XV. Constitutio Pii IV. Solvitur objectio duplex.

I. QUæ hoc rursus Capite ex Conciliis & Pontificum Litteris contrademus, ea ad hæc tria summa revocabimus capita disciplinæ sacræ: 1. Penes Episcopos primum fuisse usum dispensationum largiendarum. 2. Lapsu temporis partem earum longe maximam uni Apostolicæ Sedi vendicatam fuisse, vel volentibus ipsis Episcopis, vel aliis incidentibus causis innoxiis, nihil ejusmodi ad se trahentibus Pontificibus. 3. Summam eam rei fuisse, idque unum maximopere laborasse Ecclesiam, ut ne nisi charitati, utilitati publicæ, & Ecclesiæ necessitati donarentur dispensationes, & justæ compensationi.

In Concilio Lateranensi IV. anno 1215. editis Decretis adversùs pluralitatem eorum Beneficiorum quæ curam animarum & residendi necessitatem conjunctam habent, subditur tamen hæc clausula, quæ plurimum habeat momenti, nec oscitanter à nobis

Can. 29. prætereunda sit. *Circa sublimes tamen & litteratas*
30. *personas, quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ, cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari.* Canone proximo reservatur Pontifici, vel Patriarchis suspensio, in eos statuta, qui indignis Beneficia conferunt. A conferendi enim potestate suspenduntur. Coaluerant in hoc Concilium quadringenti amplius Episcopi toto ex orbe terrarum. Aderant & Oratores Principum Christianorum. Itaque non illud fuit Innocentii III. non Sedis Apostolicæ decretum, sed omnium prorsus Orbis Episcoporum, qui has dispensationes summo Pontifici reservatas voluere.

Specimen dedit & alibi Innocentius suæ in Concilia observantiæ in negotio dispensationum, cùm urgente Galliæ Rege ad extorquendam ab eo dissolutionem quandam matrimonii, respondit non posse se, inconsulto Concilio Generali. *Si super*

Regest. 15. *hoc absque generali deliberatione Concilii determinare*
Epist. 104. *aliquid tentaremus, præter divinam offensam, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret.*

II. Quod ad viros attinet nobilitate & eruditione conspicuos, quibuscum se propensiùs dispensaturum pollicetur Pontifex, non humanas has ille dotes humana metiebatur æstimatione, sed ut splendoris aliquando plurimum & emolumenti non minimum Ecclesiæ allaturas. Hæc enim duo in novi Juris legibus & monumentis subinde emicant, nec dispensationes nisi charitati Ecclesiæ & necessitati dari: & tamen nobilibus & doctis plurimum tribui in dispensanda Beneficiorum pluralitate. Si ea inter se repugnarent, non unà in eisdem radiarent Conciliorum & Pontificum Constitutionibus. Facilis ergo & expedita horum concordia est, si seriò pensitetur, quantum & gloriæ & adjumenti in Ecclesiam redundet à viris doctrina vel natalium splendore conspicuis. Si Paulo placuit, ut Presbyteri, qui labore suo in Evangelio se insignirent, duplici honore, hoc est, duplici stipendio, duplicataque sportula colerentur: quin & Ecclesia jubeat, ut paulò copiosiùs illi rebus Ecclesiæ abundent, in quibus plus habet præsidii adversùs irruentes calamitates? Nec enim tibi fingas hanc Ecclesiæ in Nobiles & eruditos benevolentiam & largitatem, Beneficia illis & bene multa & valde opima accumulaturam. Non nisi enim duplici stipendio Paulus honestavit Presbyterum de Ecclesia benemeritum, non triplici, non quadruplici. Nec ea Ecclesiæ indoles est, aut consuetudo, ut superflua in immensum aggeret. Unum id sufficit, ut non eadem parcimonia utatur in Nobiles & peritiores viros, atque in vulgus, quoad pluralitatem Beneficiorum.

Erat etiam Innocentius III. et inscribendus albo Pontificum, qui potissimam Sedis Apostolicæ prærogativam in tuenda religiosissima Canonum disciplina collocarunt, & in ulciscenda quavis eorum injuria. Ita enim ipsemet in Epistola ad Archiepiscopum Cantuariensem: *Quæ in derogationem* L. 2.
sanctorum Canonum attentantur, tantò potiùs infringi volumus, & carere robore firmitatis, quantò auctoritas universalis Ecclesiæ, cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit. Et ubi ex Germania petebatur dispensatio matrimonialis, ad Episcopos ipsos regionis scripsit, ut certiorem se facerent de utilitate & necessitate ejus dispensationis. *Et an scandalum ex hoc* Regest. 13.
facto valeat suboriri, & de necessitate urgente, ac evi- Epist. 118.
denti utilitate, quæ dispensationis gratiam solent in hujusmodi suadere, inquiratis diligentissimè veritatem. Gallicanis Episcopis concessit, ut ex dispensatione absolverent concubinarios, quos sacris summovisset Legatus *à Latere*, sed ne id facerent, nisi jubente utilitate & necessitate Ecclesiæ. *Valeatis cum eis* Regest. 14.
misericorditer dispensare, si urgens necessitas, aut evi- Epist. 111.
dens utilitas postulaverit. Scripsit & ad Patriarcham Hierosolymitanum, posse eum dispensare cum iis, quorum Monasticæ regulæ professio non fuerat usquequaque labis simoniacæ expers, si eorum simplicitas, si utilitas eam, si necessitas dispensationem excusaret. *Cum iis autem qui hactenus simplicitate pec-* Regest. 16.
carunt, si urgens necessitas aut evidens utilitas postu- Epist. 90.
laverit, mitius agere poteris, prout tuæ discretionis prudentia viderit expedire. Dispensavit denique Innocentius cum Comite Nivernensi, & conjuge ejus, qui quarto gradu matrimonium contraxerant; dispensavit autem, tum propter navatam hactenus strenuè operam Ecclesiæ, tum propter multò luculentiùs post- Ibidem.
hac navandam, quò sacræ militiæ se devovissent. Epist. 148.

III. Hinc liquet dispensationem etiam quarti gradûs conjugiorum reservatam jam tum Pontifici fuisse. Gallus qui natalium defectum patiebatur, Ibidem.
impetravit dispensari ab eo secum non modò ad Ep. 74. 85.
Ordines, sed & ad Beneficia, quin & ad Dignitates, non tamen ad Prælaturas. Alibi rursus ab eo declaratum est, nec Episcopum, nec Archiepiscopum quemquam id sibi sumere potuisse, ut tres simul Ordines sacros eidem simul conferrent; quòd non ea illos ornassent Canones potestate. *Cùm illis* Regest. 13.
hujusmodi dispensatio à Canone minimè sit permissa, Epist. 194.
quam ad solum Romanum Pontificem non est dubium pertinere.

Hæc ergo jura Episcoporum arctabant Canones, ne turbaretur ordo & decor Ecclesiæ, & honor Sacerdotii marcesceret, oblitteratis illis interstitiis, per quæ finguntur formanturque Clerici ad amplissimas illas sacrorum Ordinum dignitates. Monuit denique Gallicanos Episcopos Innocentius, ne dispensationibus minùs circumspectè largiendis, Ecclesiasticam enervarent disciplinam; Sedi verò Apostolicæ pro more reservarent majoris infamiæ crimina absolvenda. *Attentissimè provisuri, quatenus in* Regest. 15.
hoc articulo sic flectatis, ut non rumpatis nervum disci- Epist. 212.

plina Ecclesiastica, ne facilitas veniæ peccandi tribuat incentivum. Volumus igitur & præcipimus ad cautelam, ut dispensationem eorum Sedi Apostolicæ reservetis, qui publicè delinquentes, non verentur in populo scandalum generare.

Posset hîc venire in mentem alicui, primum omnium Innocentium sibi hæc notoria & infamiæ plenissima reservari crimina voluisse. Sed ut hæc Innocentii responsio probè capiatur, monendus est Lector, non ibi agi nisi de Clericis & Presbyteris concubinariis, quos cùm Pontificius Legatus sacris interdixisset, illi mira insolentia Mysteria celebraverant. Ejus excommunicationis & irregularitatis nexu quoslibet solvere permisit Pontifex Gallis Episcopis, sed eodem tempore integram sibi servari voluit dispensationem irregularitatum, in quas incurrerent Clerici crimine quovis publico, publicaque infamia. Temporaria forsan tunc fuit ea reservatio. Sed perpetuata est tamen ea lex in Ecclesiis, ut irregularitas ex criminis publici infamia existens, Pontifici reservetur. Tanto libentiores paruere ei mandato Episcopi, quòd impares se sentirent tantæ & multitudini & importunitati hominum has dispensationes efflagitantium.

Antiquo sanè jure Ecclesiæ, crimina quævis capitalia, quamlibet occulta, Clericatu arcebant. Remisit sæculo XI. juris illius rigor, ut suprà ostensum est, ubi suo sejunctim loco de Irregularitate criminis inquirebatur. Tunc demum per recentiores Canones licuit Episcopis Ordinibus initiare eos, qui ejusmodi scelera pœnitentiæ lacrymis eluissent. Dispensandi copiam fecerant Episcopis iidem Canones. Hinc Episcoporum & numerus ingens, & nimia plerumque indulgentia eam relaxavit legem & necessitatem peragendæ antè pœnitentiæ criminum, quàm criminosi ad functiones Ordinum venirent, aut etiam redirent. Non injuria forsan auguraretur quis eandem futuram fuisse sortem criminum publicorum & infamia conspersorum, nisi hanc irregularitatem Sedi Apostolicæ Ecclesia vendicasset.

IV. Cùm nemo tam hospes sit in Annalibus Ecclesiæ, qui nesciat Juris novi Decretalium veluti principem & parentem esse Innocentium III. facilè omnes assentientur, quascumque ille regulas constanter tuitus est, eas in toto Juris novi & Decretalium corpore dominari. Inter eas autem facilè principem locum obtinet illa, qua præcipitur nihil innovari, nihil dispensari, nihil mutari in rerum Ecclesiæ cursu, nisi incitamento aliquo justitiæ & charitatis, utilitatis & necessitatis publicæ. Nova Metropoli suum ornare Regnum percupiebat Bohemiæ Rex. Incunctanter petiit Pontifex declarari sibi, quàm fructuosum id esset Ecclesiæ futurum, quàm necessarium. *Siquidem ostendenda nobis est prius & urgens necessitas, & utilitas evidens, quæ fieri hoc exposcat.* Ottone Imperatore postulante, ut in matrimonio venia sibi Canonum fieret, mandavit Legatis Pontifex suis, ut annuerent, si ita publicæ rei rationibus conduceret. *Ut si urgens necessitas, vel evidens utilitas postulaverit, super hoc authoritate nostra dispensent.*

Raynal. an. 1204 n. 53. Anno 1108 n. 4.

V. Sed illud tum in Epistolis Innocentii III. tum in corpore Decretalium & observari sedulò, & altissimè animo infigi operæ pretium est, Quod Pontifices, qui ab aliquibus domini Canonum dicuntur, dispensatores tantùm eorum sint; nec his vocibus, *domini Canonum*, aliud significetur, quàm eximia quædam potestas de iis dispensandi, ubi Ecclesiæ vel necessitas cogit, vel invitat utilitas. Eodem redit & alia illa conflictatio verborum, cùm de re conveniat, ubi aiunt alii Pontificem esse supra Canones, alii Canonibus subesse. In ipso Jure sunt quæ illis, nec desunt quæ huic faveant verborum consuetudini. Porro utrobique una sententia est, Posse Pontificem de Canonibus dispensare, eòque nomine esse quodammodo supra Canones: sed cùm dispensare non possit nisi juxta canonicas regulas, ex utilitate & necessitate Ecclesiæ, eo sensu subest Canonibus, qui tria temperatas dispensationes vehementer probant, cæteras improbant.

Ejus rei jam præsidia venanda sunt nobis in Innocentii III. Epistolis, cæterorumque Pontificum, quorum Decreta radiant in libris Decretalium. Audi primùm, ut Innocentius III. hanc velit egregiam & singularem esse prærogativam Sedis Apostolicæ & plenitudinem potestatis, quod in singularibus quibusque causis possit Canones relaxare, integro semper & illibato futuro eorum aliàs Canonum vigore. *Ascitis aliis in partem sollicitudinis, summus Pontifex assumptus est ad plenitudinem potestatis; qui cùm moderator sit Canonum, juri non facit injuriam, si dispensat. Præsertim cùm dispensatio sic juris vincula laxet in aliquo, quod in aliis non dissolvit: & sic beneficium gratiæ specialis inducat, quod vigorem Constitutionis non perimit generalis.* Cùm denique toties professus sit Innocentius, non à se unquam remitti vim Canonum, nisi cogente Ecclesiæ necessitate, satis superque non *dominatorem* se Canonum, sed *moderatorem* esse testificatus est.

Regest. 15. Epist. 154.

Venio ad Gregorianos Decretalium libros, ubi Innocentius idem III. verba faciens de Canone, quem Alexander III. publicaverat in Concilio III. Lateranensi adversùs spurios, & demonstrans eo Canone injici non potuisse vincula Romanis Pontificibus, Alexandri III. successoribus: non ait Pontifices Romanos dominari Canonibus, etsi peropportunus is fuisset locus ejus doctrinæ propalandæ, si ea ejus animo insedisset sententia; tradit tantùm posse Pontifices dispensare. *Nobis tamen per eum adempta non fuit facultas dispensandi, cùm non fuerit prohibentis intentio; qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum, immo eadem potestate functuris: cùm non habeat imperium par in parem.* Ea Innocentii responsione dilucidè patet, non eam amplius Episcopis affuisse potestatem, ut de Decretis dispensarent Lateranensium horum Conciliorum XII. & XIII. sæculi. Erant enimvero hæc Concilia tanquam Generales Conventus totius Occidentalis Orbis, aderant Episcopi totius Ecclesiæ Latinæ, aderant & Oratores Principum omnium Christianorum, refingebatur in iis Latinæ Ecclesiæ disciplina universa, quam dudum colluvies quædam vitiorum prorsus labefactaverat. At nova ea disciplinæ restauratio nullius ponderis & vigoris futura erat, si singulis Episcopis permitteretur de ejus Decretis dispensandi facultas. Cùm vel maximè constet, eam quam sibi ipsi in Concilio reservarunt potestatem dispensandi de pœnitentia criminum ante ordinationem peragenda, eò demum evasisse, ut eæ dispensationes in jus commune evaserint, nec jam pœnitentia exigatur ulla.

Extra. De elect. c. 20.

VI. Negat alicubi Paschalis II. à Conciliis Generalibus legem præfixam esse ullam Romanis Pontificibus. *Aiunt in Conciliis statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, &c.* Sed ejus Decreti germanus sensus is est, Non

Ibid. c. 6.

potuisse Conciliis Generalibus auferri Pontifici potestatem nova condendi statuta, quibus novis medeatur morbis; atque adeo potuisse eum nova obedientiæ & fidei sacramenta à Metropolitanis exigere, quanquam de his sacramentis Concilia Generalia verbum fecissent nullum.

Ab ipso usque divino jure derivare videbatur Innocentius III. eam, qua pollent Romani Antistites potestatem, sejungendi Episcopos ab Ecclesiis suis, sive translatione, sive cessione. *Ideo tria hæc non tam Constitutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata.* (*Extra De Transl. c. 2.*) Id jam diximus de sedis Apostolicæ Primatu intelligi debere, qui divino utique jure nititur, & quo invitantur Patres & Concilia, ut volventibus Ecclesiæ sæculis majorum causarum judicia, sive dispensationes quasque gravissimas Romanis Præsulibus reservent. Atqui cùm Innocentio persuasum esset eam dispensationum potestatem divino ex jure manare, propterea quod contemplatione Principatûs divinitus instituti, ea illi integra servata esset: certissimum tamen eidem rursus erat, eam facultatem explicari non debere, nisi convenienter Canonibus, ubi charitas, utilitasque Ecclesiæ hortaretur. Id rursus ipse alibi disertis verbis: *Dummodo necessitas, vel utilitas id exposcat.* (*Extra. De Renunc. c. 13. Et de in integrum rest. c. 5.*) Qui eo modo & temperamento dispensator est Canonum, eum cave ne dixeris dominatorem. Et rursus alibi: *Cùm sedes Romana pro consideratione ætatum, & temporum seu gravium necessitatum dispensativè quidquam ordinare decrevit.* Ubi commendat, ut cessante dispensandi necessitate, pristino vigori redintegrentur Canones.

Pulcherrimè rursus alibi Innocentius ait, toto æquitatis & legum rigore muniendà esse Romanæ sedis judicia, quod ad ejus normam se effingant Judices omnes alii Ecclesiastici, nisi ubi Pontifici Romano necessitas, aut utilitas aliquid extorquet dispensationis. *In causis, quæ summi Pontificis judicio deciduntur, & ordo juris, & vigor æquitatis est subtiliter observandus. Cùm in similibus causis cæteri teneantur similiter judicare. Nisi fortè cum aliquid causa necessitatis & utilitatis inspecta, dispensativè duxerit statuendum.* (*Extra. De sent. & re judicata c. 19.*) Nec optari quidem potuit quidquam magis appositum, ad revincendam eorum hallucinationem, qui opinantur Pontifices dominatores esse Canonum, aut alio sensu dominatores eorum, vel dici à quoquam posse, vel ipsos sibi visos esse, quam quod inter varias necessitates Ecclesiæ Canonum sint dispensatores. Perspicuè hic enim Pontifex assurgit supra alios Episcopos, non dominatione & imperiosa quadam supra Canones authoritate, sed sola dispensandi potestate in commodum & salutem Ecclesiæ.

Manifestè id unum toties voluere Pontifices, quoties se supra Canones & Concilia efferre visi sunt; non quasi possint pro arbitratu suo eorum observationem excutere: sed quod ubi illicit charitas, ubi impellit necessitas, possint dispensare. Id cum primis dilucidè idem Papa: *Licèt intentionis nostra non sit investituras de vacaturis factas contra Canonum instituta ratas habere: qui secundùm plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare.* (*Extra. De concess. Præbend. c. 4.*) En plenitudinem potestatis, en & justitiæ plenitudinem. Ita sunt Pontifices *supra jus*, quia de jure dispensant, ubi necesse est, & ubi compendio aliunde aliquo resarcitur labes allata disciplinæ. Canonibus concinit vehementer hæc Canonum peropportuna relaxatio, quæ bene vertit, & ad ipsorum reverentiam Canonum conducit. Vicarius Christi in terris, & ejus authoritatis sequester, legibus non subest, quia legum veniam facit cogente necessitate, jubente charitate quæ lex legum est, & omnium legum norma. *Non enim homo, sed Deus separat, quos Romanus Pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, Ecclesiarum necessitate, vel utilitate pensata, non humana, sed divina potius authoritate dissolvit.* (*Extra. De transl. Episc. c. 3.*) Ita Innocentius potestatem Pontificiam vehementissimè exaggerans, nec illam tamen ulterius propellens, quàm ut publicis Ecclesiæ necessitatibus Canonum mitigato rigore prospiciat. *Ecclesiarum utilitate, vel necessitate pensata.* (*Extra. De elect. c. 30. 38.*) Et alibi: *Transeundi ad Ecclesiam Tolosanam propter urgentem necessitatem & evidentem utilitatem ei licentiam tribuatis.*

VII. Extincto Innocentio successit in ejus sedem, zelum, doctrinam Honorius III. Concessit is Episcopo Hungariæ, suæ ut Cathedralis Ecclesiæ Canonicatibus uniret Capellas: *Si evidens utilitas, aut necessitas exigat.* (*Extra De Præb. c. 33.*) Transtulit idem ipse Vesontionensem Episcopum in Patriarchatum Constantinopolitanum, contestatus non à se donari Prælato Ecclesiam, sed Ecclesiæ Prælatum. *Non tam personæ in Ecclesia, quàm Ecclesiæ in persona utiliter nos consulere arbitrantes.*

VIII. Regente Ecclesiam Honorio III. editæ sunt Constitutiones Synodales Episcopi Sarum in Anglia, anno 1217. In his testificatur Episcopus dispensare se posse de irregularitate non justis nuptiis editorum, servorum, & eorum, qui ab Episcopo quovis alio quam Diœcesano ordinati fuere. *Quoniam cum talibus dispensare possumus.* (*Can. 2.*) Dunelmensis quoque Episcopi Constitutiones idem sanciunt. Et has tamen dispensationes suprà vidimus Pontifici reservatas. Argumento id porro est, nuperam fuisse eam reservationem, eoque necdum ad omnes Ecclesias pervadere potuisse. (*Conc. Angl. To. 2. pag. 137. 162.*) Additur ibidem, siquis lethali obstrictus culpa Ordines susceperit, confiteri eum antè debere quam susceptis fungitur Ordinibus. Et id quidem eo refertur capite, ubi de irregularitatibus agitur, quod cuilibet insit criminis contagio aliqua irregularitatis. Sed eo insinuatur, usque adeo enervatam fuisse disciplinam Episcoporum supinitate, quibus jure facta fuerat copia dispensandi de pœnitentia [illegible]jus irregularitatis absolutionem peragenda, [illegible]n alia jam exigeretur pœnitentia, quàm flagiti confessio. Ut cautissimè & circumspectissimè fecisse dicendi sint Episcopi, quando totam penè irregularitatum relaxandarum dispensationem unum ad Pontificem rejecerunt.

Honorio III. successor datus Gregorius IX. Episcopum Suverinensem electum, cujus natales claudicabant, eo nexu absolvit. Ita nec Germani dubitabant quin ejus irregularitatis nodus à Pontifice solvendus esset. Ab hoc eodem venia facta est Carolum sancto Ludovico Galliæ Regi, ut Margaritam duceret Comitis Provinciæ filiam, sibi verò quarto gradu conjunctam. (*Epist. 15.*) Magna verborum pompa amplificat Pontifex eam, qua Christus Romanam decoravit Ecclesiam, cœlestium clavium plenissimam potestatem. Sed nec ipse dissimulat plenissimæ potestatis comitem esse debere sapientiam & justitiam æquè plenissimam: *Quatenus & potestativa discretio, & potestas nihilominus sit discreta* administrationem clavium mansuetudini accommodandam, cui socia sit severitas; austeritate moderandam, à qua humanitas non recedat: ne dissipatio videatur ea magis esse, quàm dispensatio. *Unde Romanus Pontifex, qui claves in beato Petro discretionis & potestatis accepit, nunc mansuetudine utitur,* (*Rainal. an. 1234. n. 16.*)

nunc rigore, consideratis circumstantiis universis, neutrum in altero derelinquens, &c. Prudenter attendit non solum personas, sed causas; cum quibus videlicet & ex quibus dispensare disponit; ne fortè sic dispenset, ut dissipet, immo ne dissipet, si dispenset, ne propter mansuetudinem subvertatur veritas. Postremò nec illud tacet Pontifex, etiam tum cum de Regibus & Imperatoribus agitur, in dispensando tamen non aliò unquam spectari, quam ut fidei & justitiæ, religioni & Ecclesiæ consultum sit. *Licet igitur nihil aliud amplius, quam necessitas dispensantem ad dispensandum inducat; attendentes tamen quod urgens necessitas & evidens utilitas id exposcit, cum ex hoc negotium pacis & fidei proficeret, &c.*

IX. Nec parcior fuit Bonifacius VIII. in amplificanda ea, qua successores Petri Christus donavit authoritate causis in omnibus majoribus, cùm in Oriente ipso in causa matrimonii dispensavit, irritata dispensatione Catholici Armenorum. Et hanc tamen confessus est exequendorum Canonum esse potestatem, ita nimirum exequendorum, ut rigor
Rainal. an. 1298 n. 10. lenitate non enervetur, sed temperetur. *Summus Pontifex, cui per Canones concessa sit dispensandi facultas super illos, ut per dispensationis lenitatem rigorem eorum ex causa temperet.*

Can. 2. 3. Anno 1314. Concilium Ravennæ habitum causas aliquas Papæ, aliquas Concilio Provinciali reservavit; pertinentes nimirum ad Ordinationes minus Canonicas. Atqui ejusmodi dispensationes, quibus venia fiebat ætatis, & quæ tum Concilio Provinciali permittebantur, nunc uni Apostolicæ reservantur sedi. Cessatione nimirum Provincialium Conciliorum fracta & debilitata est in plerisque
Can. 32. Episcopalis authoritas. In Concilio Ravennate anno 1317. servata est Archiepiscopo Ravennati dispensatio Constitutionum omnium Concilii Provin-
Can. 59. 70. cialis. Concilium Avenionense anno 1326. & 1351. maluit omnibus Provinciæ Episcopis eam facultatem communicari, nisi mallent ipsi ad Metropolitanos
Can. 12. eam totam conferre. Concilium anni 1336. ad Castrum Guntherii eandem potestatem Episcopis om-
Can. 5. nibus impertiit. Concilium Toletanum anno 1339. idem decrevit quo[ad e]xcommunicationes. Conci-
Can. 8. 34. lium Andegave[nse anno] 1365. collationes Beneficiorum irritas declaravit, si iis conferrentur, qui minores essent ætate ea, quam Beneficium desideraret: *nisi ex causa evidenti per Ordinarium fuerit dispensatum.* Quoad censuras à Concilio decretas illas vo-
de Lavaur. luit ab Episcopis solvi posse. Concilium Vaurense anni 1368. intactas permisit Episcopis dispensationes, quas & jus permittit, irregularitatis ea igno-
Can. 20. rantia existentis. *Potestatem dispensandi super iis ex causa, & quatenus à jure permittitur, per hoc non intendimus Episcopis interdictam.* In Concilio Andegavensi anni 1448. Coloniensi anni 1452. Toletano anni 1473. eadem potestas Episcopis concessa est.

X. Avenionensi schismate conflagrante, cùm se regna quædam tanquam in interregno sacro ab omni subduxerint summorum Pontificum obedientia, eam sibi visi sunt recuperasse Episcopi potestatem dispensandi amplissimam qua quondam potieban-
Sess. 25. tur: atque in Pisano Concilio anno 1409. ratum habuit Alexander V. Papa, quidquid ab illis interim fuisset dispensatum. Contra autem Martinus V. in
Sess. 43. Concilio Constantiensi anno 1418. revocavit dispensationes omnes à prioribus indultas Pontificibus, ut ne Ordinibus initiari tenerentur, quos requireret Beneficium quo gaudebant.

Ab hoc primum Pontifice concessa est licentia ducendæ sororis prioris conjugis. Id Fuxio indulgebatur tum Comiti, ut ejus stirpi regnum Navarræ asseveretur, utque obviam iretur dissidiis & calamitatibus, quæ tum ingruunt, cùm de regno in incertum pendente decertatur. Narrat ipsemet Pontifex ventilatam excussamque jussu suo fuisse eam rem, ab omnibus viris toto orbe consultissimis, Theologiæ Canonumque peritissimis, eosque, sicut & illos qui in Concilium Constantiense confluxerant, in id omnes consensisse, ejusmodi rem eam esse, in quam caderet dispensatio. Denique ab Episcopis regionis ipsius affirmatum constantissimè sibi fuisse, non utilem tantùm, sed & pernecessariam fore eam Canonum relaxationem, bellis, innumerisque malis aliis prævertendis. *Cum à pluribus no-* *Rainal. an. 1418. n. 35.*
talibus dominis & Prælatis illarum partium intellexerimus, dispensationem ipsam non solum utilem, sed summè necessariam fore; & si non fiat, exinde maxima scandala, & horrenda verisimiliter discrimina emersura.

XI. Nostri hujus instituti non est eas attingere quæstiones, quæ ad Constantiense & Basileense Concilia, ad Conciliorum, Pontificumque potestatem pertinent, siquid in his quandoque certaminis exoriatur. Omnibus horum temporum Conciliis, ut reor, & Pontificibus conveniebat, posse de Conciliorum statutis Pontifices dispensare, cum ea usu erat Ecclesiæ: nec ipsi Pontifices aliud, ut existimo, voluere, cùm se Conciliis subjici molestè ferre visi sunt.

Altercationis aliquid exarsit in Concilio Florentino inter Græcos & Latinos super hoc negotio. Eximiam & exortem Papæ potestatem volebant Latini his exprimi verbis: *Juxta determinationem sacræ* *Rainal. an. 1436 n. 4. 6.*
Scripturæ & dicta Sanctorum: Volebant Græci, ut *Anno 1441.*
ita exprimeretur, *Juxta tenorem Canonum*; aut, *Jux-* *n. 9 &c.*
ta Canones & dicta Sanctorum, sacramque Scripturam,
& Acta Synodorum. Postremò Principatum sedis *Sess. 25.*
Apostolicæ, & potestatis plenitudinem placuit his verbis exprimi: *Gubernandi universalem Ecclesiam à Christo plenam potestatem traditam, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Mira prudentia librata sunt hæc verba, quibus duplex potest inesse sensus. Hinc insinuantur Synodi Canonesque testes esse incorruptissimi authoritatis Pontificiæ comprobandæ; hinc regulæ esse necessariæ, quibus se inflectat. Non testes tantùm, sed & leges regulasque volebant esse Græci, & ultra metas sanè forsan evagabantur, si dispensandi facultatem circumscriberent. Cardinales ex adverso metuebant, non illi quidem ne Canonicis regulis moderanda esset dispensandi potestas, sed ne eo obtentu funditus everteretur.

XII. Quos sibi Consultores ad[hib]uit Paulus III. tum Cardinales, tum alii viri spectabiles; non dubitabant illi quidem de legitima & summa Pontificis in dispensando potestate; sed ne de usu quidem ejus potestatis ambigebant, quin coarctandus esset ad publica Ecclesiæ commoda. *Nec putemus nobis licere dispensare in legibus, nisi urgenti de causa & necessaria. Nulla namque perniciosior consuetudo, in quavis Republica induci potest, quàm hæc legum inobedientia.*

Concilium verò Coloniense anni 1536. de iis *Can. 32. 46*
agens, qui cum bona venia Pontificis plura Beneficia incompatibilia retinent, admonet illos Pontificio quidem diplomate adversùs humana judicia satis tutos esse, non ita forsan adversùs divina. *Qui verò dispensatione Apostolica adversùs hæc*

si tueri velint, hi viderint, ut causam dispensationis obtentæ Deo comprobent. Hoc est, non humana Luce, sed divini trutina judicii ponderetur iis dispensationes omnes, nulla sine justa causa impetratas. Additur in eodem Concilio, qui eruditione singulari sunt, eos si quid peculiaris dispensationis hinc consequantur, id totum ad religionis incrementum converti ab eis debere. *Neque enim sublimes atque admodum litteratas personas suo privilegio nudamus, modo illo rectè & secundum Deum utantur.* De ea dispensandi causa aliquid jam non semel perstrinximus, ostendimusque ad Ecclesiæ utilitates eam revocari debere. Eadem est hujus Coloniensis Concilii sententia.

Conc. Coloniens. 14. p. 542. 575. 615. 659. Conc. Trid. Sess. 13. c. 5. 21. c. 5. 23. c. 1.

Missas facio complures alias cautiones Conciliorum adversùs circumventiones & sinuosos flexus, cuniculosque, quibus obrepitur Pontifici ad eliciendas dispensationes. His cautionibus uti Episcopos voluit omnibus Tridentina Synodus.

Sed & illud à Tridentinis Patribus inculcatum est effatum palmarium, quòd in hac tota dominatur, uni serviendum esse Ecclesiæ charitati, utilitati, necessitati in dispensationibus moderandis. Hinc dispensationem residentiæ Episcopalis quatuor ad causas illi religavere adprimè canonicas.

Ib. 23. c. 1. *Nam cùm Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent & exigant, &c.* Subditur mox eas causas non residendi exprimi debere in dispensationum chartis, sive à Pontifice, sive à Metropolitano, sive à seniore Provinciæ Episcopo.

Sed nihil accuratius iis fieri potuit, quæ Synodus Tridentina de omnibus universim decrevit dispensationibus. 1. Ut rationibus illæ publicis aliquando pernecessariæ sunt: *Sicut publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus pro communi utilitate satisfiat.*

Sess. 25. c. 18.

2. Ita facilitate & frequentia dispensationum nimia, leges in contemptum, denique & in desuetudinem venire. *Sic frequentiùs legem solvere, exemploque potiùs, quàm certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire.* 3. Religiosissimæ Canonum observantiæ cohærendum esse: *Quapropter sciant universi sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri potest, indistinctè observandos.* 4. Utque nec eorum vigor remitti possit, nisi justis & necessariis causis, ex quibus plus exuberet commodi; denique gratuitas esse debere; justitiæ & necessitati, non gratiæ & pecuniæ quantæcumque dandas. *Quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita ac summa maturitate, atque gratis, à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum.* 5. Alioqui subreptitia reputabitur dispensatio. *Aliterque facta dispensatio subreptitia habeatur.*

XIV. In publicum exiit oratio Pii IV. ad Cardinales in Consistorio, post terminatum Concilium Tridentinum. Professus est non passurum se unquam, ut ejus Decretis derogaretur; si quam sibi exculperet dispensationem publica vel Ecclesiæ utilitas, vel necessitas, de eo prius in Cardinalium Consistorio consultatum iri.

Goldast. Const. Imp. pag. 1271.

Quæ à sacrosancta Synodo acta, statuta sunt, ea lege, etiam Principibus recusantibus, quod tamen futurum non credimus, rata & firma esse volumus, ut illis derogare nullo unquam tempore passuri simus. Quod si vel temporum ratio, vel causarum locorumque conditio, aut publica utilitas atque evidens suaserit aliquando à Concilio recedi, id sine consilio vestro, venerabiles fratres, facturi nunquam sumus.

Quod verò subjicitur mox à Pontifice, non necessitate, sed modestiæ & humilitatis instinctu parere se velle Canonibus: quòd ea summarum Potestatum laus & gloria sit singularis, legibus etsi non subjiciantur, obtemperare tamen: *Nos primi Decreta Concilii servare, & sanctissima habere semper volumus; quo cæteri exempla nostra secuti, obedientiores posthac sint, & ad omnia paratiores. Idque nos ipsi facimus, memores non tam potestatis, quàm modestiæ & mansuetudinis nostræ. Quamvis enim legibus soluti simus, secundùm tamen leges vivere volumus. Digna enim vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri:* his insinuatur non solutior superiorque, sed splendidior augustiorque legibus parendi ratio, nihilo tamen minus aut stricta, aut religiosa. Eandem iniciat Gratianus concordiæ viam, adversos quodammodo, certè valde diversos conciliandi Canones, quorum alii summos Pontifices subjicere, alii eximere videbantur Canonum obedientiæ. 25. q. 1. c. 19. *Sic & summæ Sedis Pontifices Canonibus, sive à se, sive ab aliis sua authoritate conditis reverentiam exhibent; & eos se humiliando, ipsos custodiunt, ut aliis observandos exhibeant. Nonnunquam verò seu jubendo, seu definiendo, seu aliter agendo, se Decretorum dominos & conditores esse ostendunt. In præmissis ergo Capitulis, aliis imponitur necessitas obsequendi, summis verò Pontificibus ostenditur inesse authoritas observandi: ut à se tradita observando, aliis non contemnenda demonstrent. Oportet ergo, ut prædiximus, primam Sedem observare ea, quæ decernenda mandavit, non necessitate obsequendi, sed authoritate impertiendi.*

Non minùs accurata strictaque erit Canonum observantia, cum non religabitur nisi ex regulis legibusque modestiæ, humilitatis, charitatis, sollicitudinis Pastoralis, ad ædificationem Ecclesiæ, & ad exempla incitamentaque virtutum Clericis, Fidelibusque omnibus subjicienda. His enim maximè virtutibus illuminatur Episcopatus, & illius potissimum, qui in ipso summo Episcopatûs vertice sedet.

XV. Objicitur hactenus constitutæ hîc à nobis doctrinæ Concilii Lugdunensis II. Decretum sub Gregorio X. quo præcipitur, si quid dubitationis vel caliginis habeant dispensationes Papæ super pluralitate incompatibilium Beneficiorum: *Super hoc ad Sedem Apostolicam recurrendum, cujus est æstimare quem modum sui Beneficii esse velit.* Hinc conjectant esse dispensationes meræ gratiæ & benevolentiæ, non necessitati, non utilitati Ecclesiæ datas. In Sexto. De Offic. Ordinar. c. 3. Verùm meræ hæ sunt argutiæ, nec id sonant Decreti verba. Eo enim agitur de Decretis omnibus Sedis Apostolicæ, quorum verba nonnihil habeant hæsitationis & ambiguitatis, ita ut de vero eorum sensu meritò ambigatur. Atqui ea obscuritate laborare possunt dispensationes prorsus omnes, etiam maximè necessariæ. Non in solis gratiæ dispensationibus interpretandis adeunda Sedes Apostolica, sed in omnibus prorsus, quibus offusa est caligo & ambiguitas. Porro illæ ipsæ dispensationes, quæ pernecessariæ & justissimæ sunt, nihilo tamen minus gratiæ, & beneficia, & privilegia dicuntur.

CAPUT XXIX. *P. 4. l. 2. c. 69.*

De Dispensationibus Theologorum & Canonistarum doctrina

I. Doctrina B. Fulberti & Ivonis Carnotensis, non cadere dispensationem in ea qua Leges æternæ sunt, sed de legibus Ecclesiasticis dispensari posse, ubi Ecclesiæ vel Regni necessitates hortantur.

II. Beati Lanfranci & B. Anselmi doctrina.

III. Bernardi doctrina. Dispensationes à Papa expressas nulla justa & necessaria causa, aut obreptitias esse, aut extortas, nec tuto iis quemquam uti posse.

IV. Ex eodem non dispensatio, sed dissipatio Canonum est, nisi fiat æqua compensatio. Damnantur ab eo munera, quibus dispensationes eliciuntur.

V. Doctrina Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis, Leges mutabiles alias, alias immutabiles.

VI. Doctrina Goffridi Abbatis Vindocinensis.

VII. Stephani Abbatis S. Genovefæ.

VIII. Doctrina Joannis Salisberiensis.

IX. Doctrina Arnulphi Abbatis Lexoviensis. Necessitas cui donantur dispensationes, æstimari non debet judicio hominum ignavorum & sibi indulgentium.

X. Doctrina Hildeberti Episcopi Cenomanensis. De primo ad connubia dispensationibus.

XI. Doctrina Cardinalis Iacobi Papiensis.

XII. Doctrina sancti Thomæ.

I. AGmen ducet beatus Fulbertus Carnotensis Episcopus, qui pernecessariam æstimavit eam dispensationem, qua Remensis Provinciæ Episcopi eum ordinabant sibi Episcopum, qui neophytus, seu laïcus hactenus fuisset. Erant ejus mira virtutum insignia, eruditio eminens, spectatissima innocentia, electio canonica. Subverente uno ex Comprovincialibus Episcopis, ne ea dispensatio summo Pontifici minùs probaretur, hunc illi scrupulum exemit Fulbertus, nec enim Papæ displicere dispensationes, quæ ad afflictæ Ecclesiæ restaurationem vel utiles essent, vel necessariæ. *Dominus Papa, cujus animadversionem te revereri significasti, non habebit quod tibi meritò debeat succensere, si te graviter collapsa sancta Remensi Ecclesia aliquam spem resurrectionis audierit providisse.* Epist. 18.

Inter Fulberti successores conspicuus Ivo Carnutensis Paschalem II. commonefecit, quàm providè & quàm necessariò toleranda essent fidei sacramenta, quæ tum Reges ab Episcopis exigebant, quanquam ea tunc canonicis Constitutionibus prohiberentur. Cùm æterna enim lege non interdicerentur, sed iis tantùm Ecclesiæ decretis, quæ libertati Ecclesiasticæ patrocinantur: hæc sanè tum necesse est relaxari decreta, ubi servari non possunt, nisi ingenti discrimine pacis, unitatis & concordiæ labefactandæ, Ecclesiæque Imperio collidendæ. *Plenariam pacem impetrare nequivimus, nisi Metropolitanus per manum & sacramentum fidelitatem eam Regi faceret, quam prædecessoribus suis Regibus Francorum antea fecerant omnes Remenses Archiepiscopi, & cæteri Regni Francorum quamlibet religiosi & sancti Episcopi. Etsi propter mandatorum rigorem minus licebat, factum est tamen, quia Ecclesiasticæ paci & fraternæ dilectioni sic expediebat. Cùm enim plenitudo legis sit charitas, in hoc legibus obtemperandum esse credimus, in quo charitatis opus impletum esse cognovimus. Intuitu charitatis & pacis, veniale habeat paterna moderatio, quod illicitum facit non æterna lex, sed intentione acquirendæ libertatis Præsidentium sola prohibitio.* Epist. 106. al. 190. & in ed. an. 1307. a. 50

Præstantissimi Canonum Compilatoris, interpretis vindicisque Ivonis duo ea sunt placita lucu-lentissima. 1. Lex legum & regina Charitas est. Ubi ergo ea incidunt tristissima tempora, ut nisi convulnerata charitate, cæteræ leges observari non possint, illa vigere, hæ conticescere debent. 2. In Legis æternæ placita non cadit ulla unquam dispensatio. Cæteræ leges non usque adeo rigidæ & inexorabiles sunt, ut non remittendæ tum sint, cùm earum relaxatione commoda alia accumulantur, in quibus & plus momenti sit & necessitatis. Alibi quoque idem Ivo pensiculatiùs pertractat capita illa legis æternæ, quæ laxari nunquam possint, quòd hinc pendeat disciplina morum, sanctitas, innocentia, salus, eaque sejungit ab arbitrariis disciplinæ titulis. *Ea quæ indifferenter se habent, in quibus non observatis minimè salus periclitatur, vel observatis minimè juvatur.* Et mox uberiùs percensens hinc legis æternæ inconvulsa decreta, hinc temporalis disciplinæ leges mutabiles. *Immobiles sunt, quas divina lex sanxit, quæ observata salutem conferunt, non observata eandem auferunt. Mobiles verò sunt, quas lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia, ratione utilitatis invenit, non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutiùs muniendam. In his quibus observatis salus acquiritur, vel in quibus neglectis mors indubitata consequitur, nulla est admittenda dispensatio; sed ita sunt omnia mandata, vel interdicta servanda, sicut sunt æterna lege sancita. In his verò quæ propter rigorem disciplinæ, vel muniendam salutem, posteriorum sanxit diligentia; si honesta vel utilis sequatur compensatio, potest præcedere authoritate Præsidentium diligenter deliberata dispensatio.* Ita Ivo philosophatur in Decreti sui Præfatione, ubi illud juvabit adnotasse, hæc ab Ivone tum temporis disputata fuisse, cùm justis etiam & necessariis dispensationibus vix homines acquiescerent, adeo non illas ambiebant, quæ tam procul sunt ab æquitate, quàm & à necessitate Ecclesiæ. Perspicuum est autem non aliis Ivonem assentiri dispensationibus, quàm illis quæ pari aliàs bonorum cumulo pensantur. Epist. 65.

Videtur ille quidem aliquandiu non abnuere, quin aliquid detur honori & utilitati hominum, dissimulandis criminibus, quæ jam sint admissa. *Solet Ecclesia Romana dispensatoriè multa infirma tolerare, postquam patrata sunt, tam pro locorum necessitate, quàm pro personarum utilitate & honestate. Neque aliter cogendus est summus Pontifex contraria sibi scribere, vel facere; ne cogatur dicere illud Apostolicum, Si quod destruxi, iterum ædifico, prævaricatorem me constituo.* Sed vel ex iis ipsis verbis testatum fit, solemne tunc & statum fuisse Romanæ Ecclesiæ, non dispensare nisi urgente necessitate, *pro locorum necessitatibus*; si qua autem privatorum ratio haberetur, id eò evenisse, quòd cùm infectum reddi non posset quod factum fuisset, suadebat prudentia dissimulari, quod jam emendari non posset. Data erat ea Epistola ad Galliæ Cancellarium, & quidem de proprio ejus negotio. Atqui donari aliquid Cancellario Franciæ, ne nomen & fama ejus turparetur & vilesceret, id poterat non ad Regni tantùm, sed & ad Ecclesiæ utilitatem pertinere. Epist. 164.

Cæterùm locis compluribus Ivo apertum fecit, quàm authore se non possint Canones, nisi ad publicas Ecclesiæ necessitates solvi. *Dispensationis modus, qui nulli sapienti displicenis, ad sedandas tantas perturbationes in aliquibus admittendus est, &c. In dispensationibus Ecclesiasticis, ubi non periclitatur fidei veritas & morum honestas, quædam instituta temperare debemus, ut tantis Ecclesiæ ruinis subvenire valeamus.* Et alibi dum patrocinatur dispensationi, quæ Epist. 214.

Paschali

Paschali II. expugnata fuerat ad Investituras: *Dispensatio rationem approbamus, si imminente strage populorum, paterna charitate, cum nonnullo vulnere suo, se tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis posset sincera charitate subvenire.* Ep. 236.

II. Ab eodem Paschali II. postulavit B. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus dispensandi potestatem toto Angliæ regno, ubi ad Canonum legumque L. 3 Ep. 45. vocem omnes pene obsurduissent. *Sæpè necesse aliquid de Apostolicis & Canonicis statutis pro compensationibus relaxare, & maximè in Regno, in quo ferè omnia sic corrupta & perversa sunt, ut vix ibi aliquis omnino statuta Ecclesiastica ferre possit. Peto, &c.* Concessit Papa, cùm necessitas incumberet: *Cùm Ecclesia, cujus Præpositus es, tanta necessitas expetit.*

Narrat Eadmerus Libro primo Historiæ suæ novæ, à B. Lanfranco Cantuariensi in Metropoli prædecessore Anselmi, cùm esset Romæ, renuntiatam esse Pontifici irregularitatem Archiepiscopi Eboracensis, qui filius esset Presbyteri: item & Episcopi Lincolniensis, qui eum Episcopatum adeptus esset, velut mercedem obsequii Regi Voillelmo Notho navati, in Anglia sub jugum mittenda. *Facta conventione emit, officio quo ei deservierat multis impensis.* Nec siluit Lanfrancus eorum amborum operam tunc Regi pernecessariam in novi Regni rebus constituendis. Tunc duo Præsules resignarunt annulos baculosque suos Pontifici, qui copiam fecit Lanfranco illos suis sedibus restituendi, si necessitatibus Ecclesiæ ita expedire æstimaret. Reddidit illis mox Lanfrancus annulos baculosque resignatos. *Tu videris. Pater es patriæ illius: ac per hoc industria tua consideres quid expedias. Virgas Pastorales, quas reddiderunt, ecce hic sunt. Accipe illas, atque dispensa, prout utilius Christianitati regionis illius agnoscere poteris.*

III. Verba faciens Bernardus de dispensatione, qua Robertus nepos migrarat ab Ordine Cisterciensi ad Cluniacensem, utique molliorem, ad Christum summum Judicem provocavit, qui novi ad examinis incudem hominum judicia revocabit, tam nullis exorabilis precibus, quàm muneribus Epist. 1. quibusvis inaccessus. *Quid faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit? Veniet dies judicii, ubi plus valebunt pura corda, quàm astuta verba: & conscientia bona, quàm marsupia plena: quandoquidem Judex ille nec falletur verbis, nec flectitur donis. Tuum, Domine Jesu, Tribunal appello.*

Alibi verò apertissimè declarat, dispensationibus Romæ impetratis fieri non posse, quin quod malum est, malum sit: & quidquid criminis est, criminosum; jam malè eum fecisse, qui faciendi malè petierit licentiam; consilium, non licentiam peti debuisse; id genus dispensationes, aut fraudulentè subreptas Pontifici fuisse, aut vi expugnatas. *Quo-* Epist. 7. *modo vel Abbatis jussio, vel Papæ permissio licitum facere valuit, quod purum malum fuit, &c. Quod & vos quoque non immeritò timentes, nec satis de propria causa confidentes, remorsas ne remordentes conscientias Apostolica conati estis delinire licentia. O frivolum satis remedium, quod non est aliud, nisi more protoplastorum, cauteriatis conscientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. Apostolicam, inquiunt, licentiam quæsivimus, & impetravimus. Utinam non licentiam quæsissetis, sed consilium; id est, non ut liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret, quod non licebat. Facere itaque volebatis quod non licebat. Sed quod non licebat, malum erat. Mala igitur erat intentio, quæ in malum tendebat.*

Si enim una nos concitat honorum sitis, vel opum ad plura ambienda Beneficia, aut ejusmodi quidpiam aliud, non poterit Pontificiæ dispensationis diploma turpissimæ cupiditati speciem honestatis appingere, aut rerum naturam diffingere, & præstare, ut liceat, quòd per æternam legem nunquam hominibus licebit, avaris esse, aut voluptariis, aut ambitiosis. Unde ibidem Bernardus: *Malum jam corde conceperant, opere tamen ausi non fuerant implere, nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererant iniquitatem, donec iniquo Papa concepui præbuisset assensum. Quo lucro, quove saltem compendio mali? Numquid ideo aut malum esse desiit, aut vel minoratum est, quia Papa concessit? Quis verò malum esse neget, assensum præbere malo? Quod tamen summum fecisse Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.*

IV. Invisæ Bernardo, & discriminis plenissimæ videbantur illæ dispensationes, quibus non tantundem commodi compensaretur, quantum inferebatur damni. Dispensari cum Episcopo Catalaunensi flagitavit ab Honorio II. at illico ostendit quantum inde utilitatis emersurum esset in Ecclesiam. *Vestræ discretionis est judicare, an meritò flagitetur à* Epist. 13. *vobis facienda dispensatio, unde talis potest sperari recompensatio.* Dolet & illud alibi vehementer, quòd Romæ tam multi impetrent, quod ne petere quidem fas erat; idque impetrent donis & pecuniæ largitione, quibus plus insit dedecoris, quàm ipsi juris relaxationi. *Hujus rei gratia non pigritantur* Epist. 42. *crebrò terere limina Apostolorum, inventuri & ibi, quod magis dolendum est, qui suæ faveant improbæ voluntati. Quia Romani valde diligunt munera, sequuntur retributiones. Nudè nuda loquor, nec retego verenda, sed inverenda confuto. Utinam privatim & in cameris hæc fierent, &c. Nunc cernente orbe mundi fabulam, soli tacebimus? Caput meum undique conquassatum est, ego sanguine undique ebulliente, putaverim esse tegendum?* Non facilè quisquam alius tanta Sedem Apostolicam, Pontificemque ipsum, quanta Bernardus prosecutus est veneratione. Ubi tam fidenter ergo ille in has stomachabatur corruptelas, non alio ex capite ea licentia proficiscebatur, quàm ex infucata & Evangelica & summi Pontificis, & summæ Sedis charitate, atque ex summo quodam amore purioris Disciplinæ. Surripi multa Papæ jam dixit. Nec semel dixit: *Scimus id vobis per mendacium* Epist. 4. *fuisse surreptum.*

Illud quoque profitetur alibi, & præ se fert Bernardus, potestatem quidem dispensandi esse penes Pontificem, sed longè aliud esse dispensare, atque dissipare. Distare autem ea duo, eo uno vel maximè, quod dispensationi comes individua compensatio adhærescat & adæquetur: aliàs dissipationem potius dici debere. *Quid, inquis, prohibes dis-* L. 2. de Consider. *pensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, laudabilis dispensatio est. Utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Et alibi rursus: *Novit* De præcept. & dispens. *fidelis servus & prudens ibi tantùm usurpare dispensationem, unde bonam possit habere recompensationem.* Ibidem tres legum species distinguit, priores de quibus dispensent homines, posteriores de quibus Deus, postremas de quibus ne Deus quidem.

Eodem id recidit, quò Ivonis doctrina supra explanata. Primas vocat stabiles, alteras immobiles, immutabiles postremas.

V. Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas in classes duas eas compegit; immobiles, quarum exemplum statuit in charitate, humilitate, veritate & aliis ejusdem ordinis virtutibus, quarum vinculis absolvi nemo mortalium potest, & mobiles, cujusmodi sunt complurimæ consuetudines Canonicæ & Ecclesiasticæ, quæ utilitate, vel necessitate cogente, sive universalis, sive particularis alicujus
L. 1. Ep. 28. Ecclesiæ persæpè laxantur. *Inter illa verò quæ moveri dispensatione possunt, Patrum authoritatem sequentes, ea esse dicimus, quorum pleraque in Ecclesiasticis Canonibus invenimus; quæ sicut pro communi totius, vel propria alicujus Ecclesiæ utilitate, cùm non existerent, inventa sunt; sic rursus pro communi totius, aut propria alicujus, aut gentis, aut Ecclesiæ salute, pravià in omnibus charitate mutata sunt.*

Cuperem hoc loco totexi posse reliquam sanctissimi & incomparabilis Abbatis dissertationem, ubi luculentissimè ab eo demonstratur, dispensationes canonicas cùm charitate moderante donentur, laudibus afficiendas iisdem esse, quibus & strictiorem Canonum accurationem: quod una & eadem charitatis summa lex & Canones dictaverit ad Ecclesiæ utilitatem, & eos ad ejusdem necessitatem suspendat. Sed longius ea nos disputatio abstraheret. Uno verbo rem conficiam, non potuisse à Petro Abbate Cluniacensi purgari approbarique delinimenta varia Ordinis Cluniacensis, nisi ejus charitatis contemplatione, quæ has dispensationes suo ex sinu effudisset.

VI. A Goffrido Abbate Viodocinensi graviter & intrepidè restitum est iis, qui nihil non summo Pontifici licere jactabant, quasi nec limitem, nec regulam ullam ejus dispensationibus Christus Optimus Maximus præfixisset. Contra Goffridus commonstrat, solvendum illi à Christo permissum esse
Opuscul. 2. id tantùm, quod solvendum sit. *Sunt quidam, qui Romanæ Ecclesiæ omnia licere putant, & quasi quadam dispensatione, aliter quam divina Scriptura præcipit, eam facere posse. Quicumque itaque sic sapit, desipit. Nam Romanæ Ecclesiæ post Petrum minime licet, quod Petro non licuit. Petro quæ liganda erant ligandi, & quæ solvenda solvendi, est à Christo data potestas; non quæ liganda solvendi, vel quæ erant solvenda ligandi concessa facultas.* Ubi has lineas transilit Petrus, tunc graviter illum objurgatum fuisse à Paulo, etsi nuper ad Apostolatum vocato, eo eventu, ut pari in admiratione fuerit, & Pauli zelus atque audacia, & Petri humilitas, docilitasque in summo Apostolici fastigii Principatu. *Petrus autem si aliquando aliter egit, Paulus licet in conversatione novitius ei in faciem resistere minimè timuit. Petrus verò sui junioris increpationem libenter suscipiens, quod plus justo fecerat, diligenter correxit.* Quî potuisset enim Christus Ministros & Vicarios suos legibus solutos velle, qui venisset ipse legem non solvere, sed adimplere. *Præterea nulla ratione fieri licet, quod Christus suo exemplo dedocuit. Ipse enim legem solvere non venit, sed adimplere.* Ex quibus illud tandem efficit, potestatem à Christo Pontificibus commendatam, Christi more & spiritu explicandam esse, omnia admoderantibus legibus sapientiæ, justitiæ & charitatis. *Romana itaque Ecclesia divinarum Scripturarum legem solvere non debet, sed conservare: & tradita sibi à Christo potestate, non ad suam voluntatem uti, secundum Christi traditionem.*

Alibi rursus idem Goffridus præstantissimè, ut temperandæ sint dispensationes, promovendæ semper religioni & charitati; non ad acervandos cuiquam thesauros iniquitatis & iræ, sed ad salutis
æternæ adminicula subministranda. *Dispensationes* Opuscul. 5.
aliquando in Ecclesia facienda sunt, non quidem amore pecuniæ, nec quolibet humano favore, sed pia & misericordi intentione. Tunc enim à Pastore Ecclesiæ dispensatio piè & misericorditer fieri creditur, cùm aliquid minùs perfectè ad tempus fit ab illo, vel fieri permittitur, non voluntate sua, sed aliorum necessitate, ne in ipsis videlicet fides Christiana periclitetur, &c. Si quis verò aliter in Ecclesia dispensationes facit, rationi simul & veritati contradicit; nec solum lucernam ardentem non habet, verùm etiam aliorum ardentes extinguit. Et ideo non rectè dicitur Christi Vicarius, sed dux est cæcorum ipse cæcus.

VII. Stephanus sanctæ Genovefæ Abbas, Episcopatu postea Tornacensi auctus, cùm à Lucio Papa claudicantium natalium veniam fieri perciperet Cancellario Franciæ, quem ea de causa suis Præbendis & dignitatibus arcebant quædam Capitula: confitebatur ille quidem summa dispensandi potes-
tate munitum esse Pontificem: *Eorum, Pater, legi-* Epist 99.
bus Romana Ecclesia non subditur, potest si voluerit, vel eis derogare in partem, vel eas penitus abrogare. Sed mox eas rationes, stimulosque Pontifici subjiciebat, quibus totum pietati & religioni, nihil admodum favori & gratiæ tribueretur. Cancellarii enim virtutibus, & impensa Ecclesiæ opera ac benevolentia poterat justissima utique elici dispensatio. *Solvatur in eo si placet, Apostolica manu vinculum, quod exclusa virtute nativitatem includit, ut in paucis Ecclesiis, quæ observant, privilegium mereatur accipere, per quem in Palatio Regis multæ Ecclesiæ privilegia consequuntur.*

VIII. Joannes Salisberiensis Carnotensis quidem Ecclesiæ postea infulis decoratus, sed tum fidus comes & commilito B. Thomæ Martyris Archiepiscopi Cantuariensis, de Pontifice apud Pontificem ipsum Alexandrum III. expostulans, ob sive dispensationem, sive privilegium, quo Rex Angliæ jurisdictioni & fulminibus subducebatur Thomæ Archiepiscopi: ingenuè declarat, quantacumque meritissimò habeatur in dispensando ejus potestas, non potuisse tamen ab eo eam proficisci dispensationem, quæ Scripturis infesta esset, & Ecclesiæ
rationibus. *Fateor verum esse, omnia Romano licere* Epist. 193.
Pontifici: sed ea dumtaxat, quæ de jure divino Eccle- 223. 230.
siastica concessa sunt potestati. Liceat ei jura nova condere, vetera abrogare, dum tamen illa quæ à Dei verbo in Evangelio, vel lege perpetuam causam habent, mutare non possit, &c. Mala facienda non sunt, ut proveniant bona; nec salubris esse poterit dispensatio, per quam sacrilegorum perpetuatur audacia.

IX. Arnulphus Episcopus Lexoviensis Cardinalibus approbare satagens indoctas necessaria dispensatione Angliæ Regi concessas, dum animum adduceret, ad obsequium suum novo Pontifici Alexandro III. potius devovendum, his verbis describit, quàm justa, & quàm necessaria fuisset ea dispensa-
tio. *Quod si quid de indulgentia constat esse delictum,* Epist. 23.
nihil tamen criminis intercessit; vulnusque modicum totius operis sanitas asservata compensat. Hic certè zelus eorum, hæc fuit dispensationis intentio, quam non ultronea voluntas obtulit, sed importunitas necessitatis extorsit.

At cùm idem ipse iniquo ferret animo, quod ex diplomate Alexandri III. quidam moliebantur, Ec-

clesia Sagiensi Canonicos exturbare Regulares, atque sæculares introdere: Episcopali & intrepida prorsus constantia exaratis ad eum litteris contestatus est, non posse ab eo convelli statuta Antecessorum suorum, nisi ut, vel si quid inerat vitii, id expungeret: vel si quid aberat perfectionis, id

Epist. 41.

adjiceret. *Quod autem dicitur prædecessorem successori suo legem dare non posse, vel præcisè falsum est, vel omnia possunt impunè sanctorum Patrum instituta convelli. Nos tamen errores prædecessorum à successoribus posse corrigi non negamus, & ipsorum etiam in melius posse bena mutari; ubi major scilicet mutationem suadet utilitas, nullumque sentit Religio detrimentum.* Addit & tolerari debere mala immedicabilia, quando jam infecta reddi non possunt, quamvis non antè fas fuisset assentiri: dispensari posse, ubi compensatio suppetit: at nulla licentia in malum cuiquam abutendum esse. *Planè sunt quædam, quibus ut fiant, consensum adhibere non licet: quæ tamen si facta sunt, dissimulare necesse est, quia non possunt habere remedium: vel si quid recompensationis habeant, discreta moderatione dispensare. Culpam tamen indulgentia prævenire non debet, ne securitas alat audaciam, & ad delinquendum fiducia remissionis invitet.*

Sed rursus idem elegantissimè omnino subjicit, posse relaxari leges, ubi urget necessitas; sed ecqua debeat illa esse necessitas, audiendos non esse ignavos & carnales rerum æstimatores; qui gravem comminiscuntur necessitatem, ubi ne umbra quidem ejus imminet: quibus æterna nullo, temporalia summo pretio sunt; qui denique umbratilis necessitatis specie vigorem Legum, Canonumque sanctimoniam labefactant. *Tunc in potestate judicis est mollire sententiam, & mitius judicare quam leges, cùm rerum & personarum merita postulant, aut instantia necessitatis extorquet. In æstimanda tamen necessitate non convenit pusillanimes inveniri; ne virtuti subduxisse materiam, vel de divina videamur gratia desperare. Sed quosdam dispensationum prodigos tantæ benignitatis existere, ut nihil reservent legibus, affectibus omnia largiantur, nec offensam rationis attendunt, dum hominum sibi præcavisse videantur offensam.* Malunt complusculi in Legum & Canonum, quàm in hominum offensionem incurrere; hinc sibi necessitates fingunt mendaces; hinc terrenæ quàm cœlesti prudentiæ impensius obsequuntur; nec aliter ad minima quæque expavescunt, quam si nulla divini Præsidii spe recrearentur.

Epist. 34.

X. Non eo timidorum numero erat Hildebertus Cenomanensis Episcopus, qui dispensare de cognationis vinculo constantissimè recusavit, quanquam cæteri jam Episcopi consensissent; quamvis causa verteretur eorum, qui opibus & nobilitate florebant; quamvis denique eo conjugio viderentur dissensiones & bella consopiri posse. Raræ tunc temporis in conjugiis dispensationes. Hinc vetabat Hildebertus futuræ licentiæ aditum latius pandi. Prima id genus dispensatio à Paschali II. existimatur concessa fuisse Philippo I. Franciæ Regi, qui Bertradam duxerat, nec ab ea divelli potuerat, etsi anathematum & interdictorum procella veluti quædam in eum se effudisset, & in ejus Regnum. Denique Pontifex pollicitus est se dispensaturum, dum se interim Rex à Bertrada sejungeret; in se quoque recepit Rex ab ea se recessurum, dum dispensatio annueretur. Hæc edocuit nos Ivo in Epistola ad eun-

Epist. 144.

dem Pontificem data. *Convenimus Balgenciacum ad faciendam absolutionem Regis, secundùm tenorem litterarum, quas super hac re miserat moderatio vestra. Convenit etiam Rex & Lateralis sua, & secundum præceptum vestrum sacrosanctis Evangeliis tactis, parati fuerunt abjurare absolute omnem carnalis copulæ consuetudinem, insuper & mutuam collocutionem, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, usque ad vestram dispensationem.* Faciliè principem tenebat locum Ivo inter hujus dispensationis Patronos, cui non omnes utique Galliarum Episcopi astipulabantur, ut ex hac ipsa liquet ejus Epistola. Hinc facilè intelliges, cur eam Pontifex dispensationem largitus sit, non Episcopi Gallicani. Fatetur ingenuè Fagnanus ipse petitas aliquando à Papa dispensationes, quæ ab Episcopis dari potuissent.

Fagnan. in L. 1 Decret. part 2 pag. 166. 167. & l. 4. p. 85.

Postquam autem Paschalis Papa januam aperuit dispensandi in gradibus cognationis, mirùm postea in modum id genus dispensationes increbuere. Unum hic addam, quod sileri nefas propemodum sit. Ubi Innocentius III. Ottoni Imperatori mandavit uxorem ducere filiam Philippi, qui ejus erat in Imperio ambiendo æmulus, ad viam paci & concordiæ muniendam: *Authoritate Dei & beati Petri, per Apostolicam obedientiam in remissionem peccatorum suorum præcepit matrimonium contrahere cum filia Philippi:* Non poterat nisi ex dispensatione id connubium contrahi, quam & Pontifex ipse concessit; at Abbas Morimundi nomine Abbatum omnium Cluniacensium & Cistercienslum, ejus dispensationis culpam ac pœnitentiam omnem contulit in utrumque hunc Ordinem religiosum. *Delictum hoc connubio contra consuetudinem Ecclesiæ quamvis dispensatoriè committendum, Monastico Ordini authoritate Apostolica imposuit.* Ottonem verò ipsum compulit, ut utrique huic Ordini Regiam impenderet tuitionem, & in Palæstinam ad bellum sacrum ipsemet proficisceretur.

Marian. L. 10. c. 8.

Otto de sancto Blasio. c. 52.

XI. Nec ab his recessit Jacobus Cardinalis Papiensis, cùm ad Cardinalem Mantuanum scriberet, Principum precibus debere Pontificem aures accommodare: sed eorum quæ leges & conscientiam vulnerent, annuere nihil: vitium & momenti plurimum esse in eorum minis, ira, potestate, sed in lege Dei & Veritatis longè plura esse momenta; peti quandoque ab eis, quod ne sperent quidem, immo quod nec velint concedi; teste Carolo VII. Franciæ Rege, cui doluit, quod suis precibus quidem, sed præter spem suam donatus esset juvenis Ecclesia Metropolitana. Ita compendio est, nihil mero favori, omnia justitiæ & conscientiæ dari: *In decernendo fortem animum habeat Pontifex, non attendens quid terrenæ Potestates petant, sed quid sua officia postulent. Exigunt nonnunquam indigna, quærentes non quæ Jesu Christi sunt, sed quæ sua. Minantur quoque cum postulant, & cum non impetrant, irascuntur. His honor ut magnis habendus est, non ut justis præstandus est assensus. Accidit quoque sæpè, ut illa maximè rogent, quæ minimum cupiunt. Francorum Rex Carolus cùm contenderet ab Eugenio IV. juvenem ante annos legitimos Metropoli Ecclesiæ præfici, idque assecutus factum damnaret; dicente quodam, Intercessisti, ô Rex: Intercessi, inquit, rogatus, sed non credidi concessum iri: se videlicet postulationis extorta, Eugenium nimiæ facilitatis damnavit. Quærendum ergo semper quod rectum, & conscientia gratiæ præferenda.* De Sixto IV. & Rege Arragonum, quæ supra jam diximus, huc quoque spectant.

Epist. 282.

Ibidem. Epist. 512.

XII. Sua permagni interesse non dubitabat sanctus Thomas, ut in leges Ecclesiæ amplissima Pontifex uti posset potestate, in eo maximè Tractatu, quem in Privilegiorum sui Ordinis defensionem

elucubravit. Confitetur tamen sanctissimus Doctor, non eam dominationis esse potestatem, sed dispensationis: & utcumque deroget Papa Canonibus, ad utilitatem Ecclesiæ illis tum derogari, utque eo ipso aliunde Canonibus ipsis obsecundet, quorum conditores providere animo non potuere circumstantias singulares & eventus futuros omnes; ut necesse fuerit eam curam & dispensationem summo permitti Pontifici. [*Contra impugn. Relig. c. 4.*] *Illa quæ sancti Patres determinaverunt esse de jure positivo, sunt relicta sub dispositione Papæ, ut possit ea mutare vel dispensare, secundùm opportunitates temporum vel negotiorum. Nec tamen Papa quando aliquid aliter facit, quàm à sanctis Patribus statutum sit, contra eorum statuta facit, quia servatur intentio statuentium, etiamsi non serventur verba statutorum, quæ non possunt in omnibus casibus & in omnibus temporibus observari: servata intentione statuentium, quæ est utilitas Ecclesiæ, sicut & in omni jure positivo accidit, &c.* [*2. 2. q. 88. art. 12.*] Et alio loco: *Secundum illud Apostoli, Nam & ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos; quia omnis dispensatio petita à Prælato, debet fieri ad honorem Christi, in cujus persona dispensat, vel ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est ejus corpus.*

Thomas Cantipratensis, cùm de pluralitate Beneficiorum disputasset, tum subjicit, frustra eos esse, qui sibi dispensationum obtentu blandiantur. [*Cantiprat. l. 1. c. 19. n. 9 & l. 2. c. 3. n. 6.*] *Quis ergo sapiens erit, qui fallat se, & sibi super dispensatione aliqua blandiatur?* Alibi verò hanc ille legem præscribit dispensationibus quibuscumque: *Nulli ergo Prælatorum in dispensatione etiam dispensabilium causarum sit pro ratione voluntas, sed cum summo moderamine dispensationes fiant, quas Ecclesiastica necessitas quandoque deposcit. Decipi se de facili dispensator non permittat, nec se decipiat dispensationem extorquens: quia æqualis periculi ferè est, vel decipere velle, vel decipi.* Paulò antè hic idem narraverat, quid responsum fuerit ab Episcopo Cameracensi ad Prælatum ingentis famæ & nominis, qui percontatus eum fuerat, An crederet posse summum Pontificem simoniacè aliquid agere, & ita peccare. Magno prorsus animo respondit Cameracensis, & quidem in civitate ipsa Lugdunensi, ubi tunc Romana Curia versabatur: Non credere tantùm se, sed & scire, posse Pontificem criminosa constringi simonia, fœdiùs etiam quàm ipse posset; idque à se, si ex re esset, probari posse invictissimis utriusque Testamenti testimoniis. Tempero ne plures è schola suffragatores excitem, Gandavensem, Alensem, Gersonium, aliosque.

[*Gand. quodlib. 8. q. 19. & quodlib. 2. q. 17. 19. Alen par. 4. pag. 815. Gerson to. 5 pag. 173. 179. 370. Farnaa. sæpe innumer.*]

De Residentia.

CAPUT XXX. *P. 1. l. 2. c. 31.*

De necessaria Episcoporum Residentia per priora quinque sæcula.

I. De residentiæ lege, ut indubitatissima, agunt Concilia omnia. Nicænus Canon.
II. Canon Sardicensis.
III. Maxime de profectionibus Episcoporum ad Aulam.
IV. Non potest Episcopus ultra tres hebdomadas Ecclesia sua abesse.
V. In Cathedrali Ecclesia residendum est Episcopis.
VI. VII. VIII. IX. Doctrina Cypriani, Ambrosii, Augustini, & Athanasii.
X. XI. Athanasius ex Scripturis residendi necessitatem astruit, & ex Edictis Imperatorum.
XII. Doctrina Synesii.
XIII. Diebus maxime festis solemnioribus necessaria residentia.

I. De lege & necessitate residendi egere Concilia, non ut eam sancirent, sed ut longè sanctissimam, antiquissimam & indubitatissimam inculcarent. Cuinam enim unquam nisi valde excordi in mentem venit dubitare, & quærere, an Pastor pascendo gregi adesse & insistere debeat? Editus est à Nicæna Synodo Canon, quo monentur jubenturque Presbyteri, Diaconi, & alii inferiores, in Ecclesiis quisque suis residere: de Episcopis verbum fit nullum, quòd cùm ipsis potissimum solis suas Christus oves crediderit, residentiæ lex illa eadem divina authoritate constituta est, qua & Episcopatus ipse divinitus institutus. [*Can. 16.*]

II. Multa decrevit Sardicensis Synodus de necessaria Episcoporum residentia: non ut ipsam sanciret, ne actum ageret: sed ut vanas excluderet causationes, & justas edoceret absentiæ causas. Fatetur enim hæc Synodus posse Episcopos ad Aulam pergere, si eò evocet Imperator, aut si necessitas tuendi pauperes, miserabiles quosque, viduas & orphanos ire compellat. *Ne Episcopi ad Comitatum accedant, nisi fortè hi, qui religiosi Imperatoris litteris vel invitati, vel evocati fuerint.* [*Can. 8.*] Prior hæc est justa non residendi causa. Altera ita habet ibidem: *Ut fieri solet, aut oportet, ut pauperibus, aut viduis, aut pupillis subveniatur.* Adde & exules, calamitosos quoslibet, oppressos, reos extremo jam addictos aut addicendos supplicio. Ipsa enim calamitas patentes Patronoque omnium publico conciliat commendatque misellos omnes. *Sed quoniam sæpè contingit, ut ad misericordiam Ecclesiæ confugiant, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio, vel Insulis damnantur, aut certè quamcumque sententiam excipiunt; subveniendum est his, & sine dubitatione petenda indulgentia.* De hac Episcopali ad subveniendum miseris sollicitudine, suo infrà loco sermo instituetur.

III. Qui ibidem sequuntur Canones, iis videtur superiori modus aliquis & finis præscribi: ut ne Episcopi ipsi sua sponte ad Aulam proficiscantur, nisi Princeps jubeat: aliàs Diaconos eò ablegent, qui humanitatis & levamenti aliquid pauperibus & ærumnosis obtineant. Quin & Diaconus ipse dum eò pergit, Metropolitani licentiam & litteras deposcet, ipsiusque Pontificis Romani assensum, si Romæ iter habeat. Providæ sanè & necessariæ fuere hæ cautiones, assensus Metropolitani & Papæ, ut Episcoporum ambitus cohiberetur. [*Can. 9. 10.*] *Ipse priùs examinet, si honesta & justa sint causa.* Minùs invidiosa erat Diaconi delegatio, præterquam quod sumptibus & tempori parcebatur. *Persona Ministri invidiosa non est: & quæ impetraverit, celeriùs poterit referre.* Nec his se finibus continuit providentia hujus Concilii. Jussit enim ut & Episcopi per quorum civitates ad Aulam pergeret quisquam Episcopus, causas quibus concitaretur expenderent: viam panderent, si jussio Principis urgeret: si privatis autem tantùm affectibus eum agi comperissent, cogerent revocare gradum, iter actutum remetiri, aut sua illum arcerent communione & subscriptione ea, quæ formatis litteris ex more adjiciebatur: si denique sola pauperum sublevandorum causa, itineri se commisisset Episcopus, illum redire in Ecclesiam suam hortarentur, & Diacono rem totam delegare. [*Can. 11. 12.*]

IV. Hactenus Sardicenses Canones de adeunda, vel sepienda Episcopis Principum Regia. At rursus ibidem præcipitur, ne quis Episcopus in aliena vel

Provincia, vel civitate, quàm sua, moras trahere possit; denique ne Ecclesia sua abesse possit ultra tres hebdomadas, nisi inexorabili necessitate constringatur. Si enim Elibertano Canone communione interdicuntur Laïci, qui sacris Mysteriis non affuerint tribus Dominicis diebus continuatis: eadem cum ovibus suis residentiæ lege vinciendus est Pastor. [Con. 14.] *Memini superiore Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis laicus in ea in qua commoratur civitate, tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur. Si ergo hæc circa Laïcos constituta sunt, multò magis Episcopum nec licet, nec decet, si nulla sit tam gravis necessitas, quæ detineat, ut amplius à suprascripto tempore absens sit ab Ecclesia sua.* [Con. 15.] Ne fas est quidem Episcopo, ruri, ædibus in quibusdam elegantioribus suis, vel cum proximis habitare, iisque posthabere Ecclesiam Cathedralem suam. Itaque nec ultra tres hebdomadas his illecebris abductus abesse poterit.

[Can. 11] Eodem ferè tempore vetuit Antiochena Synodus, ne ad Imperatorum Aulam se conferrent Episcopi, nisi cum licentia & litteris tum Metropolitani, tum reliquorum Provinciæ Episcoporum. Ex Carthaginensi denique Concilio Decretum non absimile profert Ferrandus: [Ferran. in Breviar.] *Ut Episcopi sine formata Primatis non navigent.*

[Can. 46.] In Concilio autem Carthaginensi V. statutum est, ut Episcopi non in Diœcesi tantùm, sed & in Ecclesia sua Cathedrali sedem defigerent, quam uti sponsam colere & amplexari debent; non ei per summum dedecus quamvis aliam anteponere Ecclesiam, aut domum ad delicias suburbanam. [Can. 5.] *Placuit ut nemini sit facultas, relicta principali Cathedra, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre, vel in re propria, diutius quàm oportet, constitutum, curam vel frequentiam propriæ Cathedræ negligere.*

VI. Irascebatur olim Cyprianus Episcopis, qui negotiis se ita implicabant sæcularibus, ut sacris functionibus suis interim se subducere cogerentur, ab Ecclesia & plebe sua abesse, quò inexplebiles cupiditates opibus iis satiarent, quibus qui ditantur, eò pauperiores semper fiunt, quò cupidiores. [De lapsis.] *Episcopi plurimi, quos & ornamento esse oportet cæteris, & exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas Provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari.* Quàm affigi & adglutinari debeant Episcopi suo gregi, ex his rursus verbis, adeoque & exemplo Cypriani patet. [L. 4. Ep. 6] *Quoniam sic rebus urgentibus detinemur, ut longè istinc excurrere, & diu à plebe, cui de divina indulgentia præsumus, abesse non detur facultas, has interim pro me ad vos vicarias litteras misi.* Sponsis suis, Ecclesiis suis sacro ordinationis suæ nodo devincti Episcopi, nec jam sui pro arbitrio suo compotes, sicubi necesse erat ipsos adesse, aderant per Epistolas, per Clericos, per Vicarios Diaconos, quos missitabant.

VII. Erat & Ambrosio persuasissimum, teneri se divina quadam & invariabili lege assidere gregi suo, cùm ad Imperatorem Theodosium scriberet, horrore Eugenii Tyranni Mediolano se tantisper secessisse, at mox propere eò se rediisse, ubi ea procella detumuit. [Epist. 86.] *Festinavi reverti, postquam illum, quem jure declinandum putaveram, Mediolano abiisse cognoveram. Non enim ego Mediolanensium Ecclesiam dereliqueram, Domini mihi judicio commissam, sed ejus vitabam præsentiam, qui se sacrilegio miscuisset.*

Alibi verò inter sermones Ambrosii nomine evulgatos, elegantissimus ille est, ubi percensetur, quibus immergatur Ecclesia damnis per Episcopi absentiam. Abesse & subducere se Ecclesia assuescit populus exemplo Episcopi, tota lentescit & infringitur pietas & religio, ut quam soli Episcopi præsentia animaret. *Comperi, fratres, quod per absentiam meam rari quique ad Ecclesiam veniatis, ita pauci admodum procedatis quasi me proficiscente mecum pariter veneritis: & quasi cùm necessitatibus ego protrahor, vos mecum traxerit ipsa necessitas. Pariter ergo à domo Dei absentes sumus, sed hoc interest, quod me absentem necessitas facit, vos voluntas. Nescitis quia etsi ego ab Ecclesia desum, Christus ab Ecclesia sua, qui est ubique, non deest? Venis, frater, ad Ecclesiam, non invenis ibi Episcopum; sed si fideliter venis, invenies ibi Episcoporum Episcopum Salvatorem.* [Serm. 81.] Nec Laïci tantùm, sed & Clerici Episcoporum absentia intepescunt, *Clericos magis video vobis negligentes*; ut quos propius præsentis Episcopi charitas succenderet.

VIII. Quanquam inexorabili tantùm necessitate abstraheretur Augustinus suæ ab Ecclesiæ gremio, non dissimulat ipse tamen, quantum ex absentia sua remitteret pietas Cleri, quem ea de causa per Epistolas acuere & inflammare nitebatur, ad pauperes largiùs sublevandos. *Illud noveris dilectio vestra, nunquam me absentem fuisse licentiosa libertate, sed necessaria servitute; quæ sæpè sanctos fratres & collegas meos, etiam labores marinos & transmarinos compulit sustinere; à quibus me semper non indevotio mentis, sed minùs idonea valetudo corporis excusavit.* [Epist. 138.] Aurea & illustris, sed operosissima servitus Episcopatum consectatur. Si residet Episcopus: hoc nimirum vinculo constrictus est. Si quò secedit, eam illi legem imponit servitus & sollicitudo ea, qua Ecclesiæ suæ adhærescit. Ita testatum faciebat Augustinus à sua se nunquam vel tantillùm Ecclesia recedere, nisi ex necessitatio officio, non tam dignitatis, quàm servitutis Episcopalis: *Necessaria servitute.*

Hippone Tagastam pergere cùm maximè cuperet, ut viros splendore sæculari & potestate conspicuos, sibique antiqua necessitudine conjunctissimos inviseret, maluit illis præsentes plebis suæ ærumnas excusare, per quas sibi non liceret eò excurrere. *Populus Hipponensis, cui me Dominus servum dedit, cùm ex magna & pene omni ex parte ita infirmus sit, &c. Eum modò cum regressus sum, periculosissimè scandalizatum comperi de mea absentia, &c.* [Epist. 227.]

IX. Permissus, quasi id ipse expetiisset, an potius præter voluntatem suam Athanasius ab Imperatore Constantio jussus ad Aulam accedere, illum admonuit, ab adversariis suis illas suo nomine conscriptas fuisse Epistolas; nefas sibi esse ab Ecclesia sua evagari, Episcopos nec frequentare Regiam debere, nec precibus suis Imperatores obtundere: denique non eos esse Imperatores, ut quæ Episcopia collocent beneficia, ea velint gravioribus illis redimi damnis, in quæ greges per eorum absentiam incurrunt. *Nihil hujusmodi scripsi, imò nec fas est Ecclesiam relinquere, aut tuæ pietati molestum esse, maximè cùm etiam absentibus nobis in Ecclesiasticis postulationibus annuas.* [Apolog. ad Const. Imp.]

X. Ibidem mox declarat invictissimus Ecclesiæ defensor, quibus rationibus deterritus sit, ne ab Ecclesia antè sua discederet, quàm persecutorum insania inde abstraheretur. Quippe vociferantur sacri codices, si divellantur ab ovibus suis Pastores, perfidiosè eos in summum Pastorem agere, & præstare cogi gregis interim sui detrimenta, quem

Ibidem. lupis lacerandom fuga sua objecerint. *Ecclesia non deserenda ab Episcopo. Nosti ex lectione Scripturarum, quanti sceleris sit Episcopum Ecclesiam suam deserere, & negligere gregem Dei. Pastorum enim absentia lupis invadendi gregis occasionem præstat. Si fugissem, quam excusationem apud veros Episcopos, vel potius apud eum, qui mihi hunc gregem credidit, habuissem?* Subjicit Imperatorum se jussu Ecclesiæ Alexandrinæ clavum capessivisse, nec posse injussu jam eorum ab illo discedere. *Quomodo non tua pietas meritò his me verbis objurgasset? Cur tu cum diplomatibus in Ecclesiam intromissus, sine diplomatibus egrederis, populosque destituis?*

XI. Exturbavit tandem Ecclesia sua Athanasium furor Arianorum: sed narrat ipsemet, ut quinque amplius millia armatorum in Ecclesiam irruperint ad eum comprehendendum; discedere ipsum noluisse, quin priùs omnis abscessisset plebs, ut unus totum ipse discrimen in se converteret, & postquam gregis totius saluti prospexisset, tum ipse quoque sibi consuleret. *Ego cum in tanta tribulatione* Apolo. de fuga sua. *populos deserere absurdum putarem, & rectius esse, ut pro aliis pericula susciperem, manebam sedens in Cathedra mea, &c. Nisi omnibus ad unum digressis me recessurum pernegabam, melius enim esse, ut ipse in periculum venirem, quam si quispiam illorum damnum acciperet.*

XII. Sciscitatus est Synesius Theophilum Archiepiscopum Alexandrinum de causa Episcopi cujusdam Bithyniæ, quem populi seditio Ecclesia sua Epist. 67. exegerat, sed qui Cyrenes, ubi exulabat, & cujus Episcopus erat ipsemet Synesius, ita domicilio oblectabatur, ut ejus otii magis quam exilii suavitatem Ecclesiæ suæ throno anteponeret, quò & pace jam, & officio suo revocabatur. Facilè suspicamur in ea Synesium fuisse sententia, non amplius sibi sinendum illum Episcopum sua in civitate feriari & moras nectere, sed pia & religiosa inclementia abigendum in Ecclesiam suam. Eadem enim ipsa Epistola plures alios attingit, partim Episcopos, partim Clericos errones, qui ne probabili quidem ulla causa ab Ecclesiis suis profugi, civitates alias aliasque obambulabant, iisque immorabantur, ubi & honores, & opes, copiosiùs demetebant. Censet eos Synesius in Ecclesias suas retrudendos, in quas non illubentes se recipient, si cæterarum Ecclesiarum omnium non honoribus tantum & sportulis, sed & aditu interdicantur. Theophilum percontatur, qui privatim se cum illis agere debeat. Spectabat id forsan ad eam quam vocabant communionem peregrinam, ubi suppeditabatur Clericis extraneis necessaria corporis sustentatio, communio Ecclesiastica negabatur. *Vagantur apud nos vacantivi. Hi certam nullam sedem habere volunt, qui quam habebant antea, reliquerunt, non calamitate expulsi, sed sponte locum mutantes. Honoribus porro fruuntur, eò vagantes, ubi majus compendium est. Mihi verò, reverende Pater, ita videtur, oportere iis qui suas Ecclesias deseruerint, omni Ecclesia interdici, & priusquam illuc redeuntes se receperint, neminem eos ad Altare admittere, neque ad primas sedes invitare, sed vulgares illos in plebeis subselliis relinquere, cùm in Ecclesiam irruperint. Cito enim referrent se, ubi de honore periclitati fuerint; quem capere ubivis malunt, quam ibi, ubi convenit: mallent autem illic saltem, quam nusquam omnino percipere.*

XIII. Quanquam autem studerent præstantissimi quique Episcopi Ecclesiis suis abesse nunquam, nisi ubi vel suæ, vel universæ Ecclesiæ utilitas, & charitas aliò avocaret; erat tamen id potissimum curæ, ut celebriores festos dies suis in Ecclesiis agerent, maximè autem solennitatem Paschalem. Id docet nos Chrysostomus, qui hinc arripuit ansam commendandæ populo Antiocheno charitati & vigilantiæ Archiepiscopi Flaviani, qui ut ab Ecclesia & Civitate sua impendens exitium propulsaret, non dubitasset Paschatis diem peregrè agere. Quanquam veneranda canitie & precibus Flaviani delinitus Imperator illum remiserit quamproperè, Paschæ diem cum ovibus suis ut ritè perageret. *Elegit solemnitatem in aliena terra, & procul à suis, propter civitatis salutem celebrare. Deus autem ante Pascha ipsum nobis reddidit, ut communem nobiscum solemnitatem ageret, &c.* Hom. 20. ad popul. Antio. Dicemus infrà de sancto Epiphanio Episcopo Ticinensi iter maturante, ut Pascha in Ecclesia sua ageret.

CAPUT XXXI. *P. 2. l. 2. c. 46.*

De Residentia Episcoporum, & aliorum Beneficiariorum, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Ex officio suo residere tenetur Episcopus, qui non aliter officio ullo fungi potest.

II. Quam initer Gregorius ut resideant Episcopi.

III. Voluit Justinianus, ut indigenæ essent Beneficiarii, quò faciliùs residerent.

IV. Vetitum, ne Episcopi plusquam anno abessent Ecclesiis.

V. VI. Pœnæ, & cautiones, ut residentiæ leges serventur.

VII. Concilium Trullanum in Beneficiarios invehitur, qui tribus continuis Dominicis absunt Ecclesia.

VIII. IX. X. Quam strenuè incubuerit Gregorius Magnus, ut legibus & Canonibus obtemperaretur de residentia Episcoporum & Parochorum.

XI. Injussu Metropolitani abesse non poterant Episcopi.

XII. Episcopi Gallicani eam licentiam petebant ab Arelatensi Archiepiscopo.

XIII. XIV. Ut ea potestate excederint Metropolitani Calliarum.

XV. XVI. Laïci nobiliores, & Clerici liberi solenniores dies festos cum Episcopo suo transigebant.

XVII. Debent Episcopi residere in Ecclesia sua Cathedrali.

XVIII. Primatum Africæ abusus.

I. AD Episcopales functiones venissemus, nisi antè de residentia pertractandum fuisset, ad quam ita ex officio astringuntur Episcopi, ut ne officio quidem alio fungi possint ullo, nisi resideant.

II. Illud jam alibi observavimus, quò facilius Episcopi suis in Ecclesiis residerent, id usu receptissimum fuisse, ut ipsius ex Ecclesiæ gremio eligerentur, & ex indigenis. Non patiebatur Gregorius Magnus, ut Episcopi Visitatores vacantium Ecclesiarum, ubi electionibus præsidebant, aliarum Ecclesiarum Clericos eligi sinerent, nisi in proprio Clero nullus esset ei sarcinæ subeundæ par, quod non facilè suaderi posset. *Commonemus ut nullum de* L. 2. Ep. 19. 38. *altera eligi permittas Ecclesia, nisi fortè inter Clericos ipsius civitatis, in qua visitationis impendis officium,* L. 4. Ep. 41. *nullus ad Episcopatum dignus, quod evenire non credimus,* L. 6. c. 26. *potuerit inveniri.*

III. Id ipsum sanxerat Justinianus in omnes agrestium Ecclesiarum Clericos. *In Ecclesiis quæ in* Cod. De Epis. & Cler. L. 1. Leg. 11. *possessionibus, ut fieri adsolet, diversorum, vicis etiam, vel quibuslibet locis sunt constitutæ, Clerici non ex alia possessione vel vico, sed ex eo, ubi Ecclesiam esse constiterit, ordinentur.* Nec me fugit, quanta aliàs commoda ex eo usu derivarentur, quò Clerici ex indigenis, Episcopi ex Clero civitatis deligebantur, sed nemo negaverit, hanc residendi facilitatem non postremo in iis loco esse debere.

IV. Edita est ab eodem Justiniano Novella Constitutio, qua vetantur Episcopi suis Ecclesiis plusquam uno anno abesse, nisi eos diutius moraretur jussio quæpiam Imperatoria; commonentur autem Patriarchæ, ut in Metropolitanos, Metropolitani in Episcopos summa cura & diligentia pervigilent, ne ultra id tempus absint, quod ne ipsum quidem eis, nisi singulari quadam indulgentia conceditur; utque in eos juris rigorem distringant, abdicentque sacro munere eos, qui canonicè moniti, suis se
Novel. 6. c. 2. seddere Ecclesiis pigritabuntur. *Et illud etiam definimus, ut nemo Deo amabilium Episcoporum foris à sua Ecclesia plusquam per totum annum deesse audeat, nisi hoc per Imperialem fiat jussionem. Tunc enim solum erit inculpabile. Sacratissimis Patriarchis uniuscujusque Diœceseos compellentibus Episcopos, neque in peregrinis demorari, neque annum excedere, quem & ipsum propter misericordiam constituimus, &c. Si verò maneat per omnia inobediens, expellatur à sacro Episcoporum choro, & alium introducat. Si non Metropolita, sed aliorum Episcoporum aliquis sit, qui erraverit, hæc omnia à Metropolita fiant.*

V. Subditur & illud ibidem, non posse citra dedecus & inanem pompæ ostentationem discursare per alia & alia loca Episcopos, cum tanta illa ministrorum & servorum turba, quanta carere non possunt. Si quas verò lites & causas habeant Constantinopoli, vel alia quapiam in civitate persequendas, delegari ab illis eò debere Apocrisiarios suos, in Aula ipsa Imperatoria, vel Oeconomos Ecclesiarum suarum. *Hoc enim non habet decentem rationem, ut cum multitudine, quam necesse est Episcoporum habere ministeria, lustrent peregrè, &c. Cum liceat, si quadam sunt lites sanctissimis Ecclesiis, hoc per Clericos, aut Apocrisiarios, aut Oeconomos movere, & petitiones ad Imperium dirigere, impetrare autem sperata:* Si qua denique ineluctabilis necessitas, eos cogat Constantinopolim se conferre, ne sine litteris Metropolitani accedant, si Episcopi sint: vel Exarchi, si sint Metropolitani: ne sua illis imponat cupiditas, vano necessitatis obtentu. *Si quidem Episcopus sit, litteras accipiat proprii Metropolitæ ad Imperium; si verò Metropolita sit, litteras sumat ejusdem Diœceseos Patriarchæ, ejus præsentiam necessariam esse dicentes.*

Novel. 67. c. 3. VI. Novellam illam corroboravit Justinianus illa altera Constitutione, qua hanc præterea pœnam indixit, ut ex quo annus absentiæ effluxisset, nequid ultra Episcopus de Ecclesiæ suæ proventibus perciperet. *Si defuerit Episcopus Ecclesia sua amplius tempus, nullam ei mitti expensam de Provincia; sed illam quidem circa actus pios, & sanctissimam Ecclesiam expendi.* Quod & alia rursus Constitutione innovatum est, exauthorationis pœna in contumaces designata; denique ampliata eadem lex est ad Clericos omnes alios, utpote & ipsos residentiæ legi
Novel. 123. c. 9. obnoxios. *Hoc ipso & super Clericis valituro cujuscunque ordinis fuerint, aut ministerii.*

VII. Trullana verò postea Synodus intra arctiores limites residentiæ necessitatem coarctavit, nec licere voluit, quod indultum reliquerat Justinianus. Innovata enim prisca Canonum Sardicensium austeritate Trullani Antistites, depositionis damnationi subjiciunt Episcopos, Clericosque, seu Beneficiarios alios, qui tres Dominicos dies continuatos suis abfuerint Ecclesiis, nisi indeclinabili quapiam constringantur necessitate: denique Laïcis ipsis intorquetur anathema, si in urbe degentes, tribus hebdomadis totis ad Ecclesiam non accesserint. *Siquis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel eorum* Cap. 80.
qui in Clero numerantur, vel laicus, nullam gravio- Conc. Sard.
rem habet necessitatem, vel negotium difficile, ut à sua Can. 11.
Ecclesia absit diutissimè; sed in civitate agens, tribus diebus Dominicis in tribus septimanis unà non conveniat; si sit quidem Clericus, deponatur: si verò laicus, segregetur.

VIII. Nec incuriosior fuit Gregorius Magnus exigendæ juxta Leges & Canones residentiæ. Author est Joannes Diaconus non esse passum illum, suis ut Ecclesiis abessent Episcopi, nisi extrema urgente necessitate, & quam brevissimo fieri poterat tempore; denique permoleste tulisse, si sæcularibus se negotiis Episcopi miscerent. *Neminem sanè* L. 3. c. 36.
Pontificum à Parochia sua saltem paulumper absque inevitabili prorsus necessitate discedere Gregorius permittebat; quos nimirum in causis mundialibus occupari vehementissimè prohibebat. Ideo & cùm rescivisset Gregorius Basilium Episcopum ita persequendis litibus totum inhærescere, ut hinc Episcopatus amplitudo & majestas sordesceret inter sæcularium Judicum Tribunalia: ad Apocrisiarium suum rescripsit, ut Basilium à forensibus litibus deterreret, & ne datis quidem dierum quinque induciis, quo res suas componeret, ad Ecclesiam illum suam ablegaret. *Perla-* L. 8. Ep. 11.
tum est ad nos Basilium Episcopum, velut unum de Laicis in causis sæcularibus occupari, & Prætoriis inutiliter deservire. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit, & reverentiam Sacerdotalem annihilat, statim ut experientia tua hoc præceptum susceperis, eum ita ad revertendum districta executione compellat, quatenus ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat. Alibi rursus Apocrisiario indicebat suo, ut Amalfitanum Episcopum cogeret in Ecclesia sua residere, aut Monasterio eum includeret, & à se expectaret, quid rursus de eo esset statuendum.
Quem si fortè non emendari post tuam interminationem L. 5. Ep. 23.
cognoveris, in Monasterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas, nostrâ iterum præceptione cognoscas.

IX. Hortanum Episcopum Blandum jamdiu Ravennæ Exarchus detinebat. Rescripsit ad eum Gregorius, si quo flagitio Episcopus se obligasset, quod meritò depositione plectendum esset, canonicè causam ejus in Concilio versandam, dandumque successorem: si criminis expers esset, sinendum esse, ut in Ecclesia resideret sua, quæ tamdiu Pastore viduari non deberet. *Ne Ecclesia Dei in his sine* L. 1. Ep. 35.
quibus eam Christiana non patitur esse religio, inculta ac destituta remaneat.

X. Ut legibus suis Justinianus Beneficiarios omnes complexus est, iisdemque mancipavit pœnis, nisi constanter residerent: ita & Gregorius Parochum, qui duos menses Ecclesia sua abfuisset, ab Episcopo suo jure abdicatum fuisse pronunciavit. Sed cùm Presbyter ille ad Papam provocasset, contenderetque non abfuisse se nisi permittente Episcopo, pro gravissimis causis, quibus dum distineretur, morbo correptus acerbissimo, duos menses decubuisset, Ecclesiaque sua abfuisset: Gregorius ad Episcopum Syracusanum rei totius judicium rejecit, quòd vel is esset Metropolitanus, aut Metropolitani partes ageret. *Asserit a Quintiano fratre & Coëpiscopo nostro* L. 3. Ep. 13.
in loco suo pro quibusdam de suis ordinandis negotiis relaxatum, ægritudinisque causa per duorum mensium spatium sua se Ecclesia defuisse: cujus rei occasionem captantem prædictum fratrem nostrum, alium in loco ejus illic Presbyterum ordinasse.

XI. Denique Sardiniæ Insulæ Episcopis mandavit Gregorius, ne se posthac Ecclesiis suis subducerent,

neu trajicerent maria, nisi permissione muniti suorum Metropolitarum, quamvis ponderis negotio urgerentur, nisi de ipso suo Metropolitano apud
L. 7 Ep. 8. Apostolicam Sedem conqueri vellent. *Additur quod ex vobis aliqui pro Ecclesia sua emergentibus causis transmarina petentes, sine Metropolitani sui cognitione, vel Epistolis, sicut Canonum ordo constituit, audeant ambulare. Hortamur à Metropolitano petere licentiam debeatis, excepto si, quod non optamus, contra eundem Metropolitanum vestrum habere vos aliquid causa contingat, ut ob hoc Sedis Apostolicæ judicium requiratis.*

XII. Eidem legi subeiant Episcopi Gallicani, ut ne Diœcesibus suis exirent, nisi permittente Apostolico Vicario, Episcopo Arelatensi. Ita commendavit Gregorius ipse Virgilio Arelatensi Episcopo, cùm Pallio illum & hac Legatione exornaret.
L. 4. Ep. 50. 52. *Sicubi longiùs Episcoporum quisquam pergere fortè voluerit, sine tua sanctitatis authoritate ei ad loca alia transire non liceat.* Nec tamen his ejus privilegiis quidquam derogatum volebat Pontifex juri & potestati Metropolitanorum. *Singulis siquidem Metropolitis secundùm priscam consuetudinem, proprio honore servato, &c.* Erat tamen illud inter privilegia Metropolitanorum non aspernandum, ut Sardos Episcopos monebat suprà Gregorius, & Justinianus in Novellis addocebat, suæ ut Provinciæ Episcopos litteris formatis instruerent, quandocumque suis excederent Diœcesibus. Ecqui ergo poterat Gregorius id quidquid erat juris, in Archiepiscopum Arelatensem conferre, intacto & illibato jure cæterorum Metropolitarum? Probabile cum primis est, his verbis, *secundùm priscam consuetudinem*, omnem illam elevari difficultatem. Unde & Gregorius ad Gallicanos Episcopos scribens de hac lege suis è Diœcesibus non discedendi, nisi permittente Episcopo Arelatensi, testatum facit ab Antecessoribus suis eadem delegatione honestatos fuisse Antecessores Episcopi Arelatensis. *Scientes quia & prædecessorum nostrorum, qui vices suas ejus prædecessoribus commiserunt, sic proculdubio mandata definiunt.*

XIII. Simillimum ergo veri est, nunquam Episcopos Galliæ animum adducere potuisse, ut ne finibus excederent suæ Diœceseos injussu Metropolitani: aut frequentibus etiam jurgiis inter Episcopos & Metropolitas perfectum esse, ut ne unquam usus ille invalesceret petendæ Metropolitani licentiæ, ubi exire suæ ex finibus Diœceseos gravibus & necessitatis causis cogebantur. Ita eam potestatem Pontifices ad Vicarios suos Arelatenses Episcopos transtulere, utpote ad se devolutam ex longa Canonum incuria. Docet alicubi Gregorius Episcopos Hispaniæ hoc in Metropolitas suos obsequio minimè defungi solitos. Poterant & eorum exemplo Galli uti voluisse. Commonefecit quidem Hilarus Papa Episcopos Gallicanos hujus quærendæ à Metropolis licentiæ, sed ita tamen, ut vel hinc odorari liceat eam consuetudinem minùs tum viguisse.
L. 8. c. 3. *Illud etiam non possumus præterire, quod sollicitudine diligentiore curandum sit, ne præter Metropolitanorum suorum litteras aliqui ad quamlibet Provinciam audeant proficisci.*

XIV. Illud verò potissimum in hac Hilari Epistola perpendendum, quod addit, Si Episcopi Metropolitanis suis minùs concordantes, hanc ab illis licentiam impetrare non possent, de ea lite Archiepiscopum Arelatensem cum duobus Metropolitanis cogniturum. *Si hoc impetrare per aliquam non potuerint simultatem, cum duobus Metropolitanis Provinciarum, quæ congrua sunt, Arelatensis Episcopus cuncta discutiens, pro causa qualitate, observanda constituat.* Ubi duo illa animadverti necesse est; 1. Episcopos sæpiùs à Metropolitanis suis dissidentes, hoc illos forsan officio colere desiisse. 2. Jam tum hoc Decreto Hilari Archiepiscopos Arelatenses hac potestate uti cœpisse, quam posteriores Pontifices eorum successoribus uberiorem contulere. Contestatur enim Vigilius Papa Legationem & Vicariatum Apostolicæ Sedis Auxanio Arelatensi à se conferri, & circumscribi iisdem finibus, quos prisci Pontifices priscis Archiepiscopis Arelatensibus defixissent: mox illum hac instruit potestate, ut arbiter & judex sit causarum, quæ ad residentiam, vel absentiam Episcoporum pertinebunt. *Illud pari authoritate mandamus, ut quisquam Episcoporum sine prædicti fratris & Coëpiscopi nostri formata, ad longinquiora loca audeat proficisci; quippe quia & decessorum nostrorum decessoribus ejus, quibus vices suas libentissimè contulerunt, sancta sic definiunt jussiones.*

XV. Agathensi Concilio jussi sunt Laïci omnes diebus saltem solennibus Paschæ, Pentecostes, & Natalis sacra Christi corporis communione refici: Ecclesiæ autem Cathedralis, vel Parochiarum suarum divinis Officiis Canticisque interesse, non tribus tantùm illis celebritatibus, sed in Epiphania, Ascensione Domini, Natali Joannis Baptistæ, aliisque solennitatibus; prohibitis Clericis ne his solennioribus diebus in Oratoriis privatis Mysteria celebrarent. In Concilio Aurelianensi I. cautum est, ut tres principes illas solennitates in civitate agerent cives omnes, jussique sunt Episcopi, ut quocumque demum loco versarentur, diem semper Dominicum in proximiori transigerent Ecclesia. In Concilio Epaonensi præceptum est, ut spectabiliores quique cives in Natali & Pascha ad Episcopum confluerent, benedictione ejus impertiendi. Quod idem confirmatum est in Concilio Arverno, implicatis eidem statuto Presbyteris & Diaconis, quibus prohibitum est, ne Pascha, Pentecosten, Natale aliasque celebritates alibi quàm cum Episcopo suo transigerent. Nobiliores cives Concilium Aurelianense IV. eadem constrinxit lege, quos jussit Paschalem solennitatem cum Episcopo suo peragere. Can. 18. 21. Can. 25. 31. Can. 35. Can. 15. Can. 3.

XVI. Si vel Laïcis ipsis hi Canones præscripsere, iis saltem qui natalibus vel dignitate eminerent, religiosam in Ecclesiis suis residentiam, & Episcopi sui frequentationem; quid non inde augurabimur de Clericorum omnium residentia, & de ipsorum maximè Episcoporum? Si absint enim ipsi, quî poterit plebs & Clerus ad eos confluere? His canonicis institutis de Clericis nominatim non semel agebatur: at Concilium III. Lugdunense conceptis verbis edixit, Ne Episcopus Natale Domini, aut Pascha transigat unquam extra Ecclesiam suam, nisi morbo quopiam, aut jussione Principis distineatur. *Ut nullus Episcoporum Natalem Domini, aut Pascha alibi, nisi ad Ecclesiam suam, præter infirmitatis incursum, aut ordinem Regium celebrare præsumat.* Can. 5.

XVII. Nec residere tantùm his statutis jubentur Episcopi in suis Diœcesibus, sed & in Ecclesiis suis Cathedralibus, per dies hos festos celebriores. Incidunt tamen & causæ ejusmodi & tempora, quibus unius gregis sui commodis consulturus Episcopus cogatur, in alia quapiam urbe & Ecclesia diutiùs demorari, quàm Cathedrali. Ita augurari æquum est de sanctissimo viro Gregorio Lingonensi Episcopo, qui magnam anni partem Divione agebat. *Situm loci Divionensis inseram, in quo maximè* L. 3. c. 19.

eras

erat assiduus. Hæc Gregorius Turonensis, qui Divionem inter castra tantùm numerari ait, sed mirari se, cur non civitatum albo inscribatur: *Quæ cur non civitas dicta sit, ignoro.* Tam frequens ergo jam & populosa erat urbs Divio, ut piissimus Episcopus aliquantam residentiam ibi suam fructuosiorem fore spectaverit, atque ita sollicitudinis & charitatis suæ consortes voluerit esse duas urbes, Lingonensem & Divionensem, ita tamen, ut solenniores festivitates apud Lingones ageret. Ex eodem Scriptore rursus, cùm sanctissimus Gregorius Episcopus
Vita Patr. c. 7. *apud Castrum Divionense moraretur assiduè*, nimirum non urbis ille delicias sectabatur, non cœli clementiam captabat, sed Reliquias Martyrum, apud quos frequens pernoctabat.

VIII. Primatum, seu Metropolitarum Africæ propria erat illa consuetudo, vel potiùs corruptela, ut quo vellent loco in villis sedem haberent. Præcepit Gregorius ut urbem deligerent in qua habitarent, & ubi Ecclesiæ & pietatis hostes oppugna-
l. 2 Ep. 72. rent validiùs. *Ipse verò Primas non passim, sicut moris est, per villas, sed in una, juxta eorum electionem, civitate resideat, quatenus adepta dignitatis meliori ingenio resistendi Donatistis possibilitas disponatur.*

CAPUT XXXII. *P. 3. l. 2. c. 50.*

De residentia sub Caroli Magni, & Carolinæ familiæ Imperio.

I. Canones & leges, quibus residentia sanciatur.
II. Abbates & Parochi eadem residentia lege obnoxii.
III. Profuo qui, quo modulo eadem lege tenebantur alii quoque Beneficiarii.
IV. Damnata Beneficiorum pluralitas, ut residentia adversaria.
V. Residere tenebantur & Cardinales.
VI. Frivola spes quorundam Orientis Metropolitanorum, se residentia legis exortes venditantium.
VII. Quàm infida Novellarum Justiniani observatio in aggo is residentia.
VIII. Quantus vigor Canonum Concilii posterioris Constantinopolitani.
IX. De translatione Sedis Episcopalis, vel Metropolitanæ in aliam civitatem.

I. Quod ad legem residendi attinet, & quidem in Ecclesia Cathedrali, innovatus est à Carolo Magno priscus Canon Concilii Afri-
Capitul l. 1. c. 41. cani. *Ut non liceat Episcopo principalem Cathedram suæ Parochiæ negligere, & aliquam Ecclesiam in sua Diœcesi magis frequentare.* In Concilio Francofordiensi
Capitulare Aquisgran. anni 789 c. 41 coërcita est ad tres hebdomadas peregrinatio Episcopi extra Cathedralem Ecclesiam in propria Ec-
Con. Franc. c. 41. 45. clesiæ suæ prædia. *Ut nullus Episcopus propriam sedem amittat, alicubi frequentando, aut in propriis rebus suis manere audeat amplius quàm tres hebdomadas.* Eo denique Concilio confirmata est dispensatio, quam à Pontifice Romano expresserat Carolus Magnus, ut Angilramum Metensem Episcopum in Palatio retineret, & postea Hildeboldum Suessionensem Episcopum, ut Consilio illi, seu Consistorio præsiderent, ubi res Ecclesiasticæ apud Principem tractabantur. In alio Caroli Magni Capitulari utrumque prohibetur, ne diutius alteri cuipiam immoretur Episcopus, quàm Cathedrali Ecclesiæ suæ, & ne per agros & prædia Ecclesiæ plus æquo temporis insumat. Verba sunt pene ipsa Concilii Africani.
l. 7. c. 19 *Placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali Cathedra, ad aliam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre; vel in re propria diutius quam oportet constitutum, curam vel frequentationem agere, & propriam plebem negligere.*

II. Strictissima verò illa residendi necessitate constringuntur Abbates etiam, Parochique, quorum, ut & Episcoporum, excusare non potest absentiam, nisi vel necessitas inexorabilis, vel tam fructuosa compensatio, ut præsentiæ eorum respondeat, tantopere necessariæ ad divinam Ecclesiæ psalmodiam, ad verbi prædicationem, ad hospitalita-
tem. *Comperimus quosdam Episcopos, & Abbates at-* *Capitul l. 5.*
que Sacerdotes non causa necessitatis & utilitatis, sed *c. 177.*
potius avaritiæ & propriæ delectationis, sæpissimè propriæ civitatis sua sede, vel Monasterii septo, aut Ecclesia propria derelicta, Cleroque neglecto, remotiora loca frequentare. Pro qua re & destitutio divini cultûs & prædicatio in plebibus, & cura subjectorum postponitur, hospitalitas negligitur. Quod ne ulterius à quoquam sine inevitabili necessitate, aut aliqua utilitate fiat, pari consensu inhibuimus.

III. Quanquam non meminerit Canonistæ nisi Episcoporum, Abbatum & Parochorum, non tamen ab ea lege residendi soluti habebantur cæteri Beneficiarii; quin immo dummodo resideant Episcopi, Abbates, Parochi, & officio fungantur, residebunt & cæteri Beneficiarii omnes, quos illi cogent officio fungi, atque adeo residere. Idque videtur his verbis innui, *destitutio divini cultûs.* Per absentiam enim Pastorum defluunt & vagantur cæteri Ecclesiæ ministri, atque ita cessant divina Officia.

Perspicuè tamen Parochorum residentia strictissimi juris est. Ideo enim Concilium VI. Parisiense *Cap. 19.*
anni 829. gravissimè expostulat de eorum incogitantia Episcoporum, qui eas vel causas, vel functiones quaslibet alias Parochis delegabant, quas aliis demandare potuissent. Interea verò per luctuosam illam Parochorum absentiam præripiebantur improvisa morte, & baptismo infantes, & reconciliationi pœnitentes. *Si quid eis in forensibus negotiis agendum, si quid etiam in diversis aliis partibus nunciandum occasio necessitatis opponit, id potius per Sacerdotes Domini currentes & discurrentes, quàm per alios effici præcipiunt, &c. Non attendentes quod homines sine confessione, infantes sine baptismatis regeneratione plerumque moriantur.*

Quanquam autem una omnium esset lex, non tamen una omnium erat residendi ratio. In residentiæ legem non committebant Acolythi, non Diaconi, quando eis Episcopus vel deferendas Epistolas Ecclesiasticas, vel persequendas lites, vel regendum committebat Ecclesiæ patrimonium. In Ecclesia sua proprio modo quodam residebant, qui Ecclesiæ usibus & necessitatibus operam jugem & industriam suam omnem accommodabant. Suæ enim illos dicaverat Ecclesiæ ipsamet eorum ordinatio, quo se cumque conferrent. At non ita Parochi, qui peculiaris Ecclesiæ suæ non ministri tantùm erant, sed sponsi.

IV. Illa quoque ratione explodebatur Beneficiorum pluralitas, quòd nemo unus pluribus simul in Ecclesiis residere possit. Inde est quod suprà Hincmarus Remensis nepotem objurgabat Laudunensem Episcopum, quòd Abbatiam suscepisset in alia Provincia, præter sententiam Metropolitani, & Comprovincialium Episcoporum, quòd injussu suo in alteram Provinciam profectus esset, diutiùsque in ea esset demoratus, quàm per Sardicenses Canones *Hincmar.*
liceret. *Prælationem Monasterii in tertia Provincia si-* *To. 2. pag.*
ne meo consensu vel ipsius Episcopi, in cujus Parochia *392. 393.*

idem Monasterium erat, obtinuisti, contra sacros Antiochenos Canones; Nullus, inquiunt, Episcopus ex alia Provincia audeat ad aliam transgredi, &c. In eodem Monasterio in tertia Provincia sito, ad quod irregulariter sine mea licentia quoties tibi placuit, perrexisti, diutius contra Canones Sardicenses immorans, &c.

V. Residentiæ eodem nexu vinciebantur Cardinales, cum sub Titulo, seu Ecclesiis quapiam Romanæ Civitatis ordinati fuissent, eique consecrati. Specimen edidit austerissimæ Canonum censuræ Leo IV. in Anastasium Presbyterum Cardinalem, qui annis quinque abfuerat Ecclesia sua, quanquam illum Pontifex crebris monitionibus excitasset, interpositis etiam tribus Episcopis, ut suæ redderet sese Ecclesiæ, ejusque functionibus, cujus ministerio devinctus ordinatione ipsa sua fuisset. Agitata est ea causa in Concilio Romano, in quo Pontifex ita disseruit anno 853. *Anastasius Presbyter Cardinis nostri, quem nos in titulo B. Marcelli Martyris atque Pontificis ordinavimus, contra statuta Patrum propriam Ecclesiam deserens, ecce jam per quinquennii tempus in alienis Parochiis, velut ovis errans, habitare præsumpsit. Quem etiam authoritate Apostolica Apostolicis literis, per tertiam & quartam vicem vocavimus, &c. Ad quem tres venerabiles Episcopos nostros cum vocationis literis destinavimus.* Denique promulgata est à Concilio depositionis sententia in Anastasium Cardinalem, cujus jam tum eminentem valde fuisse dignitatem, vel ex hujus ipsius judicii & damnationis pompa colligitur. Quòd per tres Episcopos citatus sit, argumento id est eminentissimæ dignitatis. Et hinc forsan Anastasio superbiendi occasio, qui molestè ferebat, eadem se cum reliquis Ecclesiæ Parochis lege teneri, ut qui Parochus esset Ecclesiæ urbis. Adeo non ergo Cardinalium Ecclesiæ Romanæ dignitas illos à residentiæ vinculo absolvebat; ut ex adverso sua ipsos Ecclesiæ alicui ordinatio astringeret, in qua residerent, & divino seu Presbyteri, seu Diaconi ministerio incumberent.

VI. Mirum illud mihi magis accidit, fuisse Metropolitas, qui se confiderent posse vinculum exuere residentiæ, Episcopo quopiam sibi subrogato, qui Metropolitani partes interim impleret. Eam vecordiam compescuit Synodus VIII. Generalis: *Subjectos Episcopos ad se adducunt, & committunt eis Ecclesiæ propriæ divina officia & litanias, &c.* (Can. 24.) Præter incuriam, & officii sui fastidium, ea erat Episcoporum Provinciæ injuria, qui tanquam Clerici obnoxii habebantur: *Eos qui Episcopalem dignitatem meruerunt, quodammodo Clericos sibi subjectos exhibent.* Quin & Episcopos jubebant per vices vicarias sibi illas operas præstare mensibus singulos singulis, & quidem proprio ipsorum sumptu: *Suis stipendiis per distinctas mensium vices præcipi dicuntur prædicta perficere ministeria, &c.* Postremò illa Canonum eversione, non aliud Metropolitani consequebantur, quam ut licentius se sæcularibus immergerent sollicitudinibus, orationis, & Pastoralis officii prorsus immemores. *Vacant autem iidem præter Ecclesiasticas leges sæcularibus curis atque dispositionibus, dimittentes perseverare in orationibus, &c.*

Nov. 86
Novel. 123. VII. Quoad cæteros Orientis Episcopus, cùm Novellis suis Justinianus vetuisset, ne Episcopi diutius Constantinopoli feriarentur, & ne eò quidem accederent Episcopi, Clerici, & Monachi, nisi permittente Patriarcha: aliàs gradu moverentur: quærit Balsamon ecquid causæ sit, quamobrem hæ leges in desuetudinem abierint, veniantque Episcopi Constantinopolin, quoties sibi collibitum est; & abundè sit, ut cum ad portas Urbis accessere, moneant Patriarcham: denique pro libitu suo ibidem demorentur. Affirmat autem Balsamon Novellam octogesimam sextam centesima vigesima tertia revocatam fuisse, hanc enim posteriorem esse, eaque pœnas non residentium Episcoporum privatione interim fructuum definiri. Illam autem, qua exauthorabantur Episcopi, qui suis Ecclesiis nulla justa causa abfuissent, revocatam esse Constitutione Manuelis Comneni: qui statuit, ut Episcopi Constantinopolin ingredi possent tam liberè, quam leges & Canones olim patiebantur: at si moras traherent, ultra præscriptum à sacris Canonibus tempus, vi ejiciendos. *Alioqui vel inviti ab illa ejicientur.* (Balsamon. In Nomoc. Tit. 8. c. 2.)

VIII. Concilium Constantinopolitanum, quod à Græcis vocatur Primum & Secundum, sex tantum absentiæ menses multos Episcopis permittebat, quibus consumptis deponerentur, nisi eos vel Imperatoris jussio, vel Patriarchæ mandatum retardasset, vel gravis quæpiam ægritudo. *Nec Regio jussu detentus, nec sui Patriarchæ ministerio deserviens, neque à gravi morbo detentus.* (Can. 16.) Et infrà: *Qui in alio loco supra semestre tempus degit, statuit sancta Synodus, ut à Sacerdotio alienus omnino constituatur, & alius pro ipso promoveatur.* Aliquantò inclementior est Canon iste, quàm Novella Justiniani, quæ Basilicis inserta erat. Ideo & Balsamon profitetur, se animi dubium pendere, utri adhæreſcat; sed apparet in eo tandem illum hæsisse, quod in Nomocanonem scripsit, & ex eo nos suprà adscripsimus.

IX. Quod ad varia spectat unius Diœceseos suæ loca, in quæ migrare potest Episcopus, quæstionem versat Balsamon eorum Episcoporum, quorum eversæ sunt ab Infidelibus civitates. Atque in ea nonnullos fuisse sententia, posse illos suo judicio aliam sibi quamvis deligere Diœceseos suæ Ecclesiam, in qua sederent. Alii Imperatoris, Concilii demum alii avebant authoritatem interponi. Balsamoni autem placebat, ut ne posset Metropolitanus eversa Metropoli sua in Episcopalem sese conferre suæ Provinciæ civitatem inconsulto Imperatore & Concilio. Cujus rei exempla promit. At Episcopum diruta civitate sua, solo Concilii assensu posse concedere in aliam Diœceseos suæ urbem, in qua nullus unquam sederit Episcopus. (In Can. 74. Carthag.) Si autem nec eversæ, nec occupatæ sint à Barbaris civitates; nec Metropolitanis, nec Episcopis fas esse iis abscedere, & sedes suas traducere in alias ejusdem Provinciæ civitates, vel Diœceseos, nisi Imperatore & Concilio annuente. Quod ille pluribus illustrat exemplis Episcoporum, qui ejusmodi preces obtulerint, & repulsam passi sint, dominante Canonis Carthaginensis authoritate.

CAPUT XXXIII. *P. 4. l. 2. c. 70.*

De Residentia Cardinalium, Episcoporum & Abbatum post annum Christi millesimum.

I. Canones & Decreta de residentia agunt, ut cujus ne controverti quidem possit necessitas, maximè solemnibus festis, in Adventu & Quadragesima. Ideo jubentur Episcopi ter anno quolibet legere suam dum ordinarentur professionem.

II. Dispensationes residentiæ sub Gregorio XI. Aliæ observationes usque ad Concilium Tridentinum.

III. IV. Decreta Concilii Tridentini de residentia Episcoporum.

V. Dispensatio olim concessa Cardinalibus, ibi revocata.
VI. Quæ sint Canonicæ rationes dispensandi de residentia.
VII. Quo & quanto tempore possint se ipsi Episcopi à residentiæ nexu solvere.
VIII. Mediolanensis, & Toletani Concilii declaratio.
IX. Quid Cajetanus in eos, qui causabantur, Romæ residentes ubique terrarum residere.
X. Eadem de re sententia Cardinalis de Turre-cremata.
XI. Diplomata Pontificum ad residentiam Cardinalium, qui Episcopatus habent. Declarationes Congregationis Concilii de residentia Episcoporum.
XII. Regum & Imperatorum Edicta in Episcopos non residentes.
XIII. Bellarmini sententia de residentia Episcoporum.
XIV. Ejusdem objecta ad Clementem VIII. Responsa Pontificis.
XV. Renunciavit Bellarminus Metropoli Capuanæ, quod à Pontifice cogeretur Romæ residere.

I. Vix Canones occurrunt ulli, qui residentiam Episcoporum sanciant, quòd extra controversiam semper fuerit ea res posita. Quis enim ambigat, Pastorem gregi præesse & adesse debere? Epistolis suis Vintoniensem Episcopum olim lacessivit Joannes Salisberiensis, ut eum in Ecclesiam suam revocaret, cui per ejus absentiam ea importarentur detrimenta, quæ nullo pensari possent & resarciri compendio rerum, cui tunc vacabat, ejusdem Ecclesiæ temporalium. *Redite itaque ad Ecclesiam vestram, & totam insulam sapientia & virtu-* Ep. 98. 99. *tis vestræ radiis illustrate. Nec vos moveant damna rerum, quem respiciunt pericula animarum, &c. Absit ut aliquis de vestra prudentia audeat suspicari, quod vilissima rerum, opes scilicet, animum vestrum moveant, ubi periculum eminet animarum.* Rescripsit ad Patriarcham Constantinopolitanum Innocentius III. si Ecclesiis suis Episcopi ultra sex menses abessent, præmissis canonicis monitionibus, deponi eos debere. *Si nec sic curaverint obedire, sed contra ultra* Gesta Innoc. III. p. 109. *sex menses suas deseruerint Ecclesias, ut juxta canonicas sanctiones eis meritò debeant spoliari, contra eos quoque, sicut præscriptum est, procedatur.*

Concilium Parisiense anni 1212. jubet Episcopos assiduos esse in Ecclesiis suis, maximè diebus festis, & in Quadragesima. *In Ecclesiis etiam Cathedralibus* Paris. 4. c. 7. *frequenter residentes esse procurent, & præsertim in majoribus solennitatibus, & in tempore quadragesimali.* Utque hujus officii sui memoria Episcopis refricaretur, jussi sunt bis anno quolibet curare, ut sibi publicè legeretur professio, qua se illigaverant, dum ordinarentur. *Statuimus, ut formam professionis,* Can. 8. *quam in sua consecratione fecerint, saltem bis in anno, scilicet semel in Synodo & semel in Capitulo publicè legi faciant.*

In Concilio Londinensi anni 1237. innovata sunt duo hæc statuta: *Exhortamur & monemus Archie-* Can. 22 *piscopos & Episcopos, ut moram trahentes apud Cathedrales Ecclesias, congruenter ibidem Missas celebrent, in præcipuis saltem solennitatibus, & diebus Dominicis, in Quadragesima & Adventu. Circumeant præterea Diœceses suas temporibus opportunis, &c. Ad quæ omnia melius exequenda professionem quam in sua consecratione fecerunt, saltem bis in anno, scilicet .... & in majori Quadragesima faciant sibi legi.* Cùm formula Ordinationis Episcopalis primaria quæque munera Præsulum ostendat, residentia inculcatur non modò ut officium quoddam speciale, sed ut universale quoddam munus, quo reliqua continentur officia, quæ ne obiri quidem possint, nisi ab Episcopis residentibus.

Quanquam autem plerumque residentia Episcopalis non tam sanciatur, quàm divinis & humanis legibus significatur jam sancita & commendatissima fuisse: sunt tamen Canones, qui hanc expressè sanciunt, & quidem divina quadam lege, maximè verò per Adventum & Quadragesimam. Concilium enim Londinense anni 1268. sub Ottobono Cardinali Legato sedis Apostolicæ, ita constituit: *Licèt Episcopi ad personalem residentiam, circa gregem Do-* Can. 22. *mini sibi commissum, tam divinis, quam Ecclesiasticis præceptis noscantur astricti.*

In Decretalibus Titulo *de Clericis non residentibus* comprehenduntur Episcopi cum Beneficiariis cæte- C. Qualiter. ris. Memoranda ibi maximè est responsio Innocentii III. ad Capitulum Ragusinum, super ejus de Archiepiscopo suo querimonia, qui toto jam amplius quadriennio aberat: quocirca & ei successorem dari jam æquum videbatur. Id concedere Pontifex diu distulit, & tamen tandem aliquando concessit. *Nos expectantes diutius duximus expectandum, &c. Nolentes igitur quod diutius Ecclesia Pastorali maneat consolatione destituta, mandamus, quatenus personam vobis idoneam in Archiepiscopum eligatis.*

II. Anno 1375. Gregorius XI. Diploma publicavit minax adversùs Episcopos & Abbates non residentes, adductis in medium & exaggeratis earum Ecclesiarum calamitatibus, quæ Pastoribus suis destituuntur. Soluti sunt tamen ab eo residentiæ nexu Cardinales, Legati & Nuntii sedis Apostolicæ, nec non & Officiales Curiæ Romanæ. *Exceptis S. R. E. Cardinalibus, ac etiam Apostolicæ sedis Legatis, ac Nunciis ad partes aliquas per nos missis ac mittendis in posterum, necnon nostris & Ecclesiæ Romanæ Officialibus, quot ad hoc duxerimus nominandos.*

Inter ea Decreta, quæ commentati quidam fuerant tempore Concilii Constantiensis, sunt nonnulla, ubi de Episcoporum & Abbatum residentia agatur. Spoliantur autem reditibus suis, si per sex menses continuos Ecclesiis suis absint, aut Monasteriis; abdicandi autem penitus dignitate, si intra biennium gregem suum non revisant. *Si verò per biennium abfuerint, ipsis Ecclesiis & Monasteriis decerni-* Conc. Gen. To. 12. pag. 8454. c. 12. *mus esse privandos.* Martinus V. Pontifex in eo Concilio electus horum Decretorum nonnulla promulgavit, quorum ex numero istud non fuit. In Concilio Lateranensi V. anno 1514. constricti sunt Cardinales arctissimæ residentiæ vinculo circa Pontifi- Sess. 9. cem; quo confirmari videbatur antiqua eorum dispensatio, ut ne in Ecclesiis Cathedralibus quibus præfecti fuissent, residere obligarentur.

III. At elimatius multa & accuratius in Concilio Tridentino decreta sunt, ad residentiam Episcopalem. Insinuatum protinus est divini juris esse residentiam, cùm Episcopalem illis hanc sarcinam Spiritus sanctus injecerit, cùm Sponsam Christus suam, Ecclesiam suo redemptam sanguine commendaverit. *Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis quibus-* Sess. 6. c. 1. *cumque, quovis nomine ac titulo præfectos, monet ac monitos esse vult, ut attendentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo Judice requirendus, custodiæ minimè incumbant: cùm certissimum sit non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.*

Commonstrato Episcopos non residentes, mercenarios esse, non Pastores; ipsorum conscientiam onerari flagitiis & facinoribus, quæ sida eorum

præsentia & pervigili industria prævertere aut obruere potuisset: denique in contrecidere dispendium & damnationem ovium, quæ absente Pastore prædæ patent & laniena luporum: innovatur à Concilio magna pars earum pœnarum, quas olim Gregorius XI. decreverat: ut Episcopi qui sex continuos menses abfuerint, quarta redituum parte mulctentur: quarta item altera, si sex præterea menses alios abesse pergerent; si ne tum quidem in suum se ovile reciperent, à Metropolitano, vel à seniore Provinciæ Episcopo monendum esse Papam, ut his Ecclesiis alios præficeret Episcopos, si consentaneum ipsi videretur. *Et Ecclesiis ipsis de Pastoribus melioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.*

Seß. 23 c. 1. IV. Expressiùs in alia Sessione divino jure niti Episcopalis residentiæ legem insinuatum est; ubi multis ultro citroque super ea quæstione, magna animorum æstuatione, disputatis, non placuit quidem disertis verbis rem definire: sed quid sequendum esset tam perspicuè significatum est, ut vix jam ullus dubitandi locus supersit. Cùm eo testimonio luculentissimo conglobata sint palmaria omnia Pastorum officia, quibus residentia necessariò præstruenda sit, totum hîc mihi visum est attexendum. *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant.*

V. Mox declarantur Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, etiamsi sacro Cardinalium Collegio sint inscripti, teneri residere in Ecclesiis aut Diœcesibus suis, nisi ea necessitate eos absolvat ratio aliqua canonica, quales exprimuntur eodem ipso Capite inferiùs. *Etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis & modis infrascriptis.* Ita conceptis verbis revocata est immunitas residentiæ, qua hactenus diutissimè usi fuerant Cardinales.

Primigenia illa fuerat Ecclesiæ institutio, ut non possent iidem Cardinales esse & Episcopi, nisi sex illi septemve Romanæ Metropoleos proximiores suffraganei, quorum Ecclesia ipsa Cathedralis Titulus erat Cardinalitius. 2. Ubi postea Episcopi ad Cardinalium Collegium provehebantur, in more positum fuit, ut Episcopatu protinus spoliarentur. Anno 1304. Cardinalium albo inscriptus est Confessor Regis Angliæ Eduardi I. Gratissimum id sibi fuisse rescripsit Rex, at suum sibi permitti adhuc aliquandiu Confessorem postulavit, cujus opera sibi pernecessaria adhuc esset. *Cùmque idem Cardinalis tanquam obedientiæ filius juxta mandatum Apostolicum sibi inde directum, se parasset ad iter, ad præsentiam Sedis Apostolicæ veniendi; nos ipsum propter quædam ardua nostra, quæ sine eo tunc non poterant commodè expediri, quasi compulimus moram contrahere usque modò.*

Consti. Reg. Angl. pag. 1047.

3. Postea sui Cardinalibus Episcopatus ad breve tempus commendati sunt. 4. Commendatarii exinde & Administratores perpetui declarati sunt Episcopalium Ecclesiarum, quæ illis vel post Cardinalatum, vel ante collatæ fuissent. 5. Ex Administratoribus perpetuis Titulares evasere; & sive Administratores, sive Titulares, residentiæ vinculo absolvebantur: quòd ita constituerent, pluris esse quòd universali Ecclesiæ obsequium impendebant, ad summa gubernacula summo Pontifici assidentes: quàm si operam demum quamcumque particulari Ecclesiæ suæ navassent. 6. Sed tandem Concilii Tridentini Patres comperto quòd Cardinalium numerus olim perexiguus fuisset, ideoque omnes necessariò juxta Pontificem residerent, quò parte aliqua sollicitudinis illum levarent, unde & residentiæ in propriis Ecclesiis lege solvendi essent: nunc autem ita excrevisset, ut abundè sufficere posset Consistorio & Consilio Pontificis, quanquam propriis in Ecclesiis residerent toto orbe Christiano, qui illis præpositi fuissent. Eo, inquam, comperto Tridentini Patres Decretum illud diutissimè libratum tandem promulgavere, de necessaria Cardinalium residentia, ad summum Ecclesiæ decus, & Religionis incrementum.

VI. Porro canonicæ causæ Episcoporum suis è Diœcesibus absentiæ, sive solvendæ residentiæ legis, istiusmodi sunt, ex Concilio Tridentino. Charitas, necessitas, obedientia, & utilitas Ecclesiæ, vel Regni. Sed cautum est ne sibi blandiatur, fucumque faciat Episcopus, si judex unus sit in sua causa. Arbiter ergo erit vel Pontifex, vel Metropolitanus, vel senior Provinciæ Episcopus. Is certè causas absentiæ perpendet, & permissionem scripto dabit. Nisi ex ipso Episcopatûs officio tam constans & tam notoria esset causa, ut ne Metropolitanum quidem moneri necesse sit, vel per temporis angustias non liceat. Expendet tamen & ad examinis novi trutinam in Concilio Provinciali vocabit omnes dispensationes istiusmodi Metropolitanus. *Nam cùm Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent & exigant; decernit sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas à beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, aut eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente, in scriptis esse approbandas, nisi cùm absentia inciderit propter aliquod munus & Reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum: cujus quoniam causæ sunt notoriæ & interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit. Ad eundem tamen cum Concilio Provinciali spectabit, judicare de licentiis à se vel à suffraganeo datis, & videre ne quis eo jure abutatur; & ut pœnis canonicis errantes puniantur.* Ibidem.

VII. Sed cùm breviori qualibet absentia nihil admodum damni possit creari, prudentiæ & pietati permiserint totum Episcopi, dummodo absentiæ istiusmodi omnes intra anni spatium ultra duos, aut ad summum tres menses non excurrant, earumque causæ sint rationi consentaneæ. *Sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium, singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento.* Illud quoque providendum est, ut ejusmodi absentiæ tempora ne incidant in Adventum, vel Quadragesimam, vel primarios dies festos; quibus in Ecclesia sua Cathedrali Episcopos degere necesse est, nisi vehementissima quapiam necessitate alia inde abstrahantur ad alias Diœcescos suæ Ecclesias. *Eosdem interim admonet & hortatur in Domino, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventûs, Quadragesimæ, Nativita-*

tis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & Corporis Christi diebus, quibus refici maximè & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali nullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi alio eos vocent.

Si Antistites diutiùs absint, longiùsque evagentur, quàm horum Decretorum cancellis permittitur, lethalis noxæ affines illos Concilium pronuntiat, jubetque ut fructus restituant, pro modo absentiæ. *Præter mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia detinere posse illos sibi, statuit Synodus.*

VIII. In Concilio I. Mediolanensi regente illam Ecclesiam B. Carolo Borromæo, anno 1565. publicata & executioni mandata sunt Decreta hæc omnia Concilii Tridentini, additaque mirabilis hæc
Cap. 27. cautio, ut tres seniores cujusque Capituli Cathedralis, per vices, & suo quisque mense Metropolitanum commonerent, vel eo absente seniorem Provinciæ Episcopum, an absit, & quandiu Episcopus; aliàs mensis unius careant distributionibus.

In Concilio Toletano anno 1566. declaratum est, non tutum in eo esse, ut causa & stimulo charitatis Christianæ, vel obedientiæ, vel necessitatis & utilitatis publicæ Episcopi suis diverterent Ecclesiis; sed necesse esse, ut ea causa ponderata accuratissimè fuisset à Superioribus, qui judicassent, plus in ea momenti esse & utilitatis, quàm in Episcopi suam Ecclesiam adgubernantis præsentia. *Nec enim*
Act. 2. *quævis causa, quæ vel ad Christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, evidentem Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitatem cuiquam pertinere videbitur, à residentia excusare debet. Sed ea tantùm quæ Superioribus, diligentissimo examine, maturo judicio, exactaque censura sic probata fuerit, ut verè seclusa omni indulgentia, justa sit omnino censenda; atque ei utilitati, quæ ipsius Pastoris præsentiam exigit, & quæ non potest non esse publica, sit nihilominus præferenda.*

IX. Refert Fagnanus, nec improbat sententiam Caietani Cardinalis, aientis, justam certissimè non residendi causam esse, navatam aut navandam in necessitatibus Ecclesiæ universalis operam ab Episcopo: *si negotium necessariò exigat Episcopum.* Sed si eandem operam præstare potest is qui non sit Episcopus, cujusmodi sunt plura Officia Curiæ Romanæ, non potest ea censeri legitima causa non residendi. *Sed si negotium universalis Ecclesiæ non necessariò exigit Episcopum, putà quia persona Episcopi habet officium, quo oportet ipsum universalis Ecclesiæ servitio perpetuo personaliter Romæ deservire, verbi gratia, est Secretarius Sedis Apostolicæ, vel Auditor Rotæ, aut hujusmodi; non ex hoc excusatur à residentia apud Deum.* Hactenus Cajetanus, qui addit, doctrinam illam, Residentes Romæ ubique terrarum residentes censeri, pervagatam quidem fuisse esse inter recentiores Canonum Commentatores: at nullo prorsus eam esse pretio, momento nullo in divini judicii trutina: *Et si instetur, quod residentes in Ecclesia communi, qualis est Romana, censentur ubique residere: respondeo quod si hoc est verum fictione juris positivi, quod Juristis relinquo, non tamen est verum quoad Deum.* Subjicit denique Cajetanus, esse tamen illam justissimam dispensandi causam, si quis Episcopus alibi strenuam & necessariam impendens operam Ecclesiæ universali, per Vicarios absens plus prodesset Ecclesiæ suæ peculiari, quàm quivis alius præsens. Hæc ipsissima est B. Thomæ Aquinatis sententia, ubi de pluralitate disputat Beneficiorum, necessariæ residentiæ astrictorum. *Si sit necessitas in* Quodl. 9. Art. 15.
pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdem, absens, quàm alius præsens. Sed has certè hypotheses fatendum est in usu rerum rarissimas & difficillimas esse.

Fagnan. in L. 3 Decret. Part. 1 pag. 56.

X. Refertur ab eodem Fagnano justissimæ querimoniæ Cardinalis de Turre-cremata adversùs Episcopos Romanæ habitationis insana quadam cupiditate incensus, non alio prorsùs aut tempo, aut fructu, quàm ut Beneficia in dies plura sibi nova, novas dignitates accumulent. Denique piissimi doctissimique Cardinalis zelus usque adeo exæstuat, ut vix ipsi parcat Pontifici, qui non illos Præsules suas quosque abigat in Ecclesias, suæ omniumque saluti vacaturos. *Utinam etiam de Romana Cu-* Ibid. p. 59.
ria hoc in parte observaretur, in qua plures Episcopi conveniunt, non devotionis gratia, sed ambitionis spiritu propulsati, ut altiora quærant, aut Beneficia addant Beneficiis, aut honores honoribus, atque Officia & Legationes quærant, quæ curæ animarum sibi commissarum afferunt plurimum impedimenti. Utinam summi Pontifices considerarent, quanta negligentia circa animas committitur, ex absentia Prælatorum ab Ecclesiis suis.

XI. Depromit denique Fagnanus summam Bullæ Urbani VIII. qua innovabatur Decretum Gregorii XIII. subjicientis Cardinales iis Decretis & pœnis canonicis, quibus deſævit Tridentina Synodus in Præsules non residentes. Cogebat Urbanus VIII. Episcopos Cardinales, qui alios alibi Episcopatus habent, in his aliis residere. Ultramontanis Episcopis septem menses permittebat, quatuor tantummodo Italis, ad invisenda colendaque Apostolorum Petri & Pauli monumenta.

His addendæ ex eodem Fagnano istæ Congregationis Concilii Declarationes. 1. Non satis officio Ibid. p. 60. 61. 62.
residendi fungi Episcopos, nisi non in Diœcesibus tantùm suis, sed & in Ecclesia ipsa sua resideant: nisi ubi Pastoralis sollicitudinis necessitas eos vocat in alias suæ Diœceseos Ecclesias, juxta statutum expressum Concilii Tridentini. Nec tamen in pœnas non residentium incurrere, si modò Diœceseos suæ finibus non exiliant. Plures ab Eadmero recensitæ sunt rationes, cur beatus Anselmus sæpiùs & In vita Anselm. l. 2.
diutiùs ruri ageret, quàm cum Canonicis suis in Ecclesia Metropolitana. Ejusmodi sunt autem rationes eæ omnes, quæ ad Ecclesiæ & proximi charitatem pertineant, nullis privatis affectibus indulgente sanctissimo Præsule. 2. Tres Induciarum menses sibi quolibet anno datus, non possunt Episcopi contexere & continuare cum tribus anni proximè sequentis mensibus. In promptu est ratio. Quòd ea tum absentia brevis non esset, qualem vult Tridentinum. Adde quòd ea Adventum & Quadragesimam includeret, quo tempore abesse ibidem prohibentur. Sancivit & Concilium pœnas in eos qui sex menses abfuerint. Denique plus discriminis impendet ab una sex mensium absentia, quàm à duplici sejunctim trium mensium. 3. Nec Apostolorum salutare limina possunt semel desinente anno, & rursum ineunte altero anno. 4. Etiamsi decennio toto abstinuissent annuis illis induciis, quas Concilium annuit: non tamen possent anno proximo diutiùs abesse, quàm anno quolibet concedit Tridentinum.

XII. Succensuere quandoque & temporales Principes Episcopis, qui minùs residerent. Henricus III. Angliæ Rex anno 1264. Edictum publicavit, quo comminabatur, occupaturum se quidquid

clientelari fide à se obtinerent Episcopi, & quidquid Regiæ subesset custodiæ, nisi ubi temporalia merebant Episcopi, sementem spargerent spiritalem. *Bona temporalia, & omnia quæ ad Baroniam ipsius Ecclesiæ pertinent, quæ pro spiritualibus in eadem Ecclesia exercendis, pia progenitorum nostrorum devotione constat eidem fuisse collata, in manu nostra totaliter capiemus: nec ulterius sustinebimus, quod temporalia metat, qui spiritalia subtrahere non formidat.* Anno 1352. ulterius progressus est Eduardus Rex, & ad impensas ejus belli, quod tunc internecinum cum Francia gerebat, invasit proventus omnes Beneficiariorum non residentium; non Cardinalium tantùm, aliorumque Ecclesiæ Romanæ Ministrorum, sed & aliorum complurium, quibus jus ipsum Canonicum veniam facit residentiæ, vel studiorum gratia, vel alia qualibet causa. Clemens VI. qui tunc Avenione sedebat, Eduardo Ministrisque ejus anathema intentavit, nisi statuta suspenderent Ecclesiasticis Decretis tantopere adversa. Rex eo deterritus abstinuit deinceps à sæviendo in Beneficiarios, abstinuit & Pontifex à comminando.

Cont. Tom. 11 part. 2. pag. 526.

Rainal. an. 1352. n. 17.

Promulgavit & Ludovicus XI. anno 1457. regia diplomata, quibus juberentur Episcopi, in suas quisque Ecclesias se conferre. Sunt ejusdem generis & sequentium Regum Edicta complura, quæ ubique temporalium proventuum privationem intentent. Anno 1561. Carolus IX. Edictum ejusmodi promulgavit, excipiebat tamen Archiepiscopos & Episcopos Consiliis Regiis adscriptos, cæterosque, qui ob varias Regni necessitates extra Regnum fuerant delegati. Senatus Parisiensis in registrando hoc Edicto decrevit, commonendum sibi esse Principem, Posse illum quidem percontari Episcopos & eorum consilio uti, at mox illos in suas Ecclesias ablegari debere, ubi juxta legis divinæ præscripta resideant; sed non posse Episcopos inscribere se Consiliarios Consilii Privati Regia, nec ejusmodi diplomata impetrare; Legationes quoque ab illis obiri posse, ubi iter tantum emetiri, & remetiri re peracta necesse est: non verò ubi Legationi anni duo tresve impendendi sunt. De his absentiæ Episcopalis causationibus nos infrà prolixiùs.

Preuves des Liber. de l'Egl. Gall. c. 18.

Suprà jam congestæ sunt à nobis leges Justiniani, quibus spoliabantur proventibus suis Episcopi, qui ultra annum suis ab Ecclesiis peregrinarentur. Bibliothecæ Patrum intextæ sunt Epistolæ complures Athanasii Patriarchæ Constantinopolitani sub Andronico Imperatore. Excandescit autem ille vehementissimè in Episcopos eos, qui frequentes semper Constantinopoli versabantur, avaritiæ & dignitatum siti servientes, obliquis semper in Patriarchas consiliis, quos & non rarò extrudere sede sua machinabantur, cùm ab iis accuratioris disciplinæ zelus explicabatur. Monet autem juxta Canones abdicari debere Episcopos, qui ultra sex menses Ecclesiis suis absint: *Qui amplius sex mensibus à Diœcesi abfuerint, nisi eos gravis morbus teneat, Canonibus & Legibus firmatum est, ut Sacerdotium & gregem amitterent.* Binæ sunt hujus Athanasii ad Imperatorem Epistolæ, quem hortatur, ut illos Episcopos Constantinopoli in suas ejiciat Ecclesias; aut omnes eorum Ecclesias sibi uni deleget, Constantinopolitanum verò Episcopatum eos in omnes partiatur.

To. 3 pag. 158.

Epist. 4.

Epist. 6. 7.

XIII. Testimoniis & argumentis invictissimis illud perfecit Bellarminus Cardinalis, jure divino astrui residentiam Episcoporum, ut quæ necessariò desideretur ad procurandam animarum salutem, qui finis est fructusque unus Episcoporum institutionis. *Ad illud tenetur Episcopus sub præcepto divino, quod necessarium est ad finem Episcopi, qui est cura animarum.* Non implet Episcopus partes suas in procuratione salutis animarum, nisi dispensatione Verbi Dei, administratione Sacramentorum, visitatione frequenti Ecclesiarum, indefessa vigilantia & contentione, quibus omnibus præstruenda residentia est. Si enim Vicarios & perfunctorios posset Episcopus Ministros ad hæc omnia delegare, dominus omnino esset, at non Pastor gregis. Atqui ex Scripturis Pastor est. *Nisi ad hæc personaliter teneretur, non esset ipse Pastor custodiens gregem & vigilans super eum; sed esset dominus ovium, habens Pastorem ovium, illum scilicet mercenarium, cui committit quod vigilet, custodiat & visitet. Et tamen liquidò constat Episcopos ipsos esse Pastores ovium Christi.* Cùm ab ea denique non deviare sententia declarasset Dominicum Soto, & B. Thomam, Juris divini esse residentiam Episcopalem: inde argumentatur, hoc ævo summo in salutis propriæ periculo versari Episcopos, cùm Ecclesiis suis frequenter absint, nec abesse jure possint nisi gravissimæ urgeant necessitates. *Ex quibus facilè quivis intelliget hoc tempore plurimos Episcopos in maximo periculo salutis amittendæ versari. Ut enim authores citati evidenter probant, Episcopus non potest deserere gregem, nisi ad tempus ob urgentissimas causas.*

In Epist. ad Nepotem Controv. 2.

XIV. Cùm Clementi VIII. idem Bellarminus quædam exprometet capita castigandæ disciplinæ Ecclesiasticæ: residentiam quoque Episcoporum attigit, eorum maximè, qui diutissimè suis abessent Ecclesiis, vel quòd Nuntii destinarentur à Pontifice in varias orbis Provincias; vel quòd Officiis publicis politicisque innecterentur; vel denique quòd Romæ ita præficerentur negotiis, quæ per alios, quam Episcopos extricari possent. Non quò nesciret Bellarminus, obedientiam inter canonicas absentiæ causas numerari, & gravibus de causis posse à Papa Episcopos statæ subduci ad tempus residentiæ. Sed plurimum addubitabat, an divinæ legi & voluntati congrueret, tot Episcopos tamdiu suis abstrahi Ecclesiis, & tum residentiæ, tum officio penitus Episcopali subduci, cùm tam perspicuè ex ea absentia plurimum dispendii fidelium rebus & saluti inferatur. *Fateor quidem aliquos Episcopos à residentia per obedientiam excusari: neque illud inficior summum Pontificem certis de causis, atque ad tempus Episcopos aliquos à residentia eximere. Sed nescio an Deo placeat, ut tantus numerus Episcoporum tam longo tempore cum tanto animarum detrimento, à propriis Ecclesiis absit: quos certè suo muneri satisfacere non posse perspicuum est*

Ingenuè confessus est Pontifex, indulgentiorem se quandoque fuisse, ut Episcopis Romam ventitare annueret, nec statim illos in suas remitteret Ecclesias. *Fatemur nos peccasse, quia nimis facilè indulsimus Episcopis, ut possint Romam venire, & difficilè Roma dimittuntur.* Sed mox tamen ne sibi deesset ipse, declaravit ante Pontificatum suum, multò effusiorem fuisse licentiam non residendi; Nuntios à se designari eos qui Episcopi essent, quòd Episcopis præesse & primas tenere juberentur; sed eos frequentius à se revocari, aliosque subrogari: cùm rari omnino ea polleant industria & dexteritate, qua sustineri par est eam dignitatem. *Nisi tanta hominum penuria laboraremus, citius eos mutaremus.* Obviatum est postea ei malo, designatis Nuntiis, qui Episcopi essent *in Partibus*. Quoad Epis-

copos. qui Civiles agerent Magistratus, unum tantùm, aut alterum esse, in ditione temporali Romanæ Ecclesiæ, & quorum tam vicinæ essent Episcopales Ecclesiæ, ut ad eas accedere possent, non qualibet hebdomada tantùm, sed & die qualibet, ac pene hora. *Quovis die, ferè quavis hora.* Sanctissimè denique confirmavit Papa, Episcopos extra Episcopatus suos à se non retineri, nisi Nuntios, quibus tanti momenti res concredebantur, ut integrum sibi non jam esset eos revocare. *Revera nos nonnisi Nuntios diu absentes retinemus, quorum mutatio ob magna & periculosa negotia facilè fieri non potest.*

XV. Capuanam suam Bellarminus triennio tantum rexerat Metropolitanam Ecclesiam, cùm vetitus est à Paulo V. Roma discedere. *Præcepit mihi, ne Roma discederem.* Sanctissimo juxtà & doctissimo Cardinali ne in mentem quidem venit, ut à residentiæ lege dispensari secum vellet. Quin ità potius ille secum incunctanter statuit, abdicandum sibi Episcopatum, in quo residere jam non posset. *Quia verò tolerare non poteram absentiam ab Ecclesia mea pastorali cura commissa, existimavi in conscientia, me eam debere alteri resignare, qui suo muneri satisfaceret. Atque ita divina providentia meum videns imperfectum, me eo onere liberavit.* Ita Bellarminus in Epistola ad Archiepiscopum Rotomagensem. Epist. 141.

CAPUT XXXIV. *P. 4. l. 2. c. 71.*

De Residentia aliorum Beneficiatiorum infra Episcopos & Abbates.

I. Regulæ generales antiquioris disciplinæ, ex quibus patet Beneficiarios omnes residere debuisse.

II. Decretales Epistolæ Pontificum, usque ad Gregorium IX. quibus constat omnes prorsus Beneficiarios una residentiæ lege constrictos fuisse.

III. IV. V. Distingui cœpere Beneficia compatibilia & incompatibilia, necessariæ & liberæ residentiæ, eo tempore quod effluxit inter Alexandrum III. & Gregorium IX. Probationes ad id variæ. Causa ejus mutationis.

VI. Varia Conciliorum statuta de residentia Beneficiariorum.

VII. De residentia Parochorum, & de dispensationibus, quas elicere possunt.

VIII. De subreptitiis Parochorum dispensationibus. Bonifacius VIII. eas omnes revocat.

IX. Decreta Concilii Coloniensis ad Abbatissas Canonicarum.

X. Decreta Concilii Moguntini ad Canonicos & Dignitates Capitulorum.

XI. Mira Tridentini Concilii decreta, de quorumlibet residentia Beneficiariorum.

XII. Maximè Canonicorum, Dignitatum in Capitulis, & Parochorum.

XIII. De residentia Archidiaconorum & quorumdam Canonicorum.

XIV. Statuta Conciliorum Mediolanensium de residentia omnium promiscue Beneficiariorum & Clericorum, qui ex Tridentino uni Ecclesiæ dicari & innecti debent ab Episcopo dum ordinantur. De Dignitatibus, quæ jure, vel privilegio non residendi se uti posse confidunt.

XV. Provincialium Galliæ Conciliorum post Tridentinum Decreta. De eorum residentia, quorum contraverintur adhuc Beneficium, & de Dignitatibus Capitulorum.

XVI. XVII. Varia Responsa Congregationis Concilii.

XVIII. Ejusdem Congregationis responsa de Distributionibus.

XIX. Declarationes ejusdem Congregationis circa Parochos.

XX. De residentia Commendatariorum.

I. QUibus universim documentis antiquissimæ Disciplinæ arguitur, Beneficiatis omnibus legem unam & residentiæ necessitatem incubuisse, superius jam attigimus, quæ non abs re forsan erit summatim hic quoque hic retexere, quòd interfit omnino ea animo & memoriæ mandari. 1. Tota hac lucubratione nostra patefecimus, omnibus Ecclesiæ ætatibus, sæculisque præteritis, Ordinatione ipsa, Ordinibus etiam Minoribus, Clericatu denique ipso addictos fuisse Clericos omnes, & Episcopo, & Ecclesiæ suæ. 2. Cùm non attonderentur Clerici, nisi collato uno minori quopiam Ordine, hujus Ordinis functiones in Ecclesia illis cuique sua obeundæ erant. 3. Ordinatio & Clericatus ipse Titulum deposcebant. Titulus autem ipsemet Ecclesia quædam erat, cui Clericus dedicabatur. 4. Pluralitas Beneficiorum eo maximè nomine vetita est, quòd nemo posset in duabus simul Ecclesiis residere. 5. Proventus Beneficiorum per mille amplius annos in solis ferè distributionibus fuere, quibus vix absentes, ac ne vix quidem frui possunt. 6. Mille & ducentis amplius annis nulla vestigia, ac ne umbra quidem ejus distinctionis, qua alia dicuntur compatibilia, alia incompatibilia esse Beneficia; & rursus alia strictæ, alia liberæ esse residentiæ. 7. Clericos Episcopus injussu suo Diœcesi exeuntes Beneficiis spoliare poterat. 8. Nec alieni usquam admitti poterant Clerici, sine litteris & licentia proprii Episcopi. 9. Ita dispensabant Episcopi, uti & etiamnunc dispensant de residentia cum simplicibus Beneficiatis. In hæc summa disciplinæ antiquioris capita retorquendi subinde hic erunt oculi, ut observemus, quæ quo usque tempore viguerint, quo diffluere & retro labi cœperint.

II. Anno 1179. Concilium Lateranense III. coëgit Alexander III. Papa, ibique pluralitatem proscripsit *Dignitatum Ecclesiasticarum & Parochiarum:* Sed ibidem ipsemet eas adhibet voces, quæ omnes prorsus Beneficiatios complecti videantur, ubi vetat Beneficia conferri, nisi iis quos spes sit fore ut resideant. *Cùm unum Officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicant plurimorum. Ne id de cætero fiat, districtiùs inhibemus. Cùm igitur Ecclesia vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & Curam ejus per seipsum valeat exercere.* Ideo & ad Eboracensem Archiepiscopum rescripsit Alexander idem III. posse ab eo Beneficiis exui, quicumque Diœcesi sine ejus licentia egrederentur, nisi studiorum necessitas, vel ratio quæcumque alia gravis, eorum absentiam excusaret. *Si Clerici qui in Ecclesia tua jurisdictionis Beneficia sunt adepti, ad aliam Diœcesin absque tua conscientia & assensu, morandi causa transierint, Beneficiis quæ à te habuerint, liceat tibi eos spoliare, nisi fortè disciplinis scholasticis invigilaverint, aut causam rationabilem tibi ostenderint, quare reverti non debeant.* His convenienter prohibet, ne aliorum Episcoporum Diœcesanos suæ finibus admittat Diœceseos, nisi proprii Episcopi litteris sint muniti, vel Mandato quopiam Apostolico. *Præterea Clericos alterius Diœcesis absque litteris commendatitiis Episcopi sui, nisi pro eis preces vel mandata sedis Apostolicæ receperis, non teneris, nec etiam debes recipere.* Alibi rursus declarat idem Pontifex, ubi Archidiaconatus quis officio fungitur, ibi & Præbenda donandum esse. *Cùm rationi & institutioni Ecclesiasticæ contrarium sit, ut Archidiaconus Præbenda careat in Ecclesia, cui noscitur in Archidiaconatûs officio deservire.*

Can. 13. Append. Conc. Late. Part. 30. c. 6. Ibid. c. 7.

Libens missa facio complura alia hujus Pontificis decreta, ex quibus, uti & ex his elucescit, 1. Nihildum tunc discriminis aut distinctionis interpositum fuisse Beneficiis, quorum alia sociari plu-

ra possent, alia non possent; alia residere cogerent, alia non cogerent. 2. Clericos Episcopo suo devinctos fuisse Clericatu, & multò magis Beneficiis, quæ ab eo obtinerent, & quibus spoliari possent, si præter ejus licentiam finibus Episcopatûs excederent. 3. Clericatu & ordinatione Clericos Episcopo suo, quàm Ecclesiæ ipsi devinctiores fuisse. Unde & qui eos Ecclesiæ illigaverat Episcopos, absolvere poterat, vel in totum, vel ad tempus, laxata tantisper residentiæ fibula.

Diffinit rursus idem alibi Pontifex, ad Beneficia quælibet admitti non debere, nisi qui spondeant in eis residere; non residentes verò, iis ejiciendos esse, cùm ita decreverit Concilium Lateranense III. *Tales si præsentati fuerint, non debent admitti, & admissi poterunt amoveri; nisi fortè de licentia suorum Prælatorum, vel studio litterarum, vel aliis honestis causis contigerit eos abesse.* Ad Lingonensem Episcopum rursus idem rescribebat, ut Beneficio Clericum spoliaret, non residentem, & aliis instructum Beneficiis, quibus victitare posset. *Si constiterit, quod Ecclesiastica Beneficia habeat sibi sufficientia, vel quòd eidem Ecclesiæ non deserviat.*

C. Relatum. De Cler. non resid.

C. Conquerente. ibid.

Universim pronuntiavit Innocentius III. ad Episcopum scribens Panormitanum, Eum posse Ecclesiis suis, quicumque sex amplius mensibus illis abfuerint. *Si ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias, juxta canonicas Sanctiones, eis debent meritò spoliari.* Una quoque residentiæ lege complecti Beneficiarios omnes videbatur Gregorius IX. cùm hæc scriberet ad Episcopum Argentoratensem *Cùm illi sint in Ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt & volunt in ipsis, &c. Pueri & Beneficiati qui non possunt in eadem Ecclesia deservire, in ea non debent idonei reputari.*

C. Super inordinata. De Præben.

Lucis aliquantulum affundet Decretalibus hactenus laudatis, is qui eas compilavit B. Raimundus de Pennafort, jussu Gregorii IX. Quærit enim ille, an Clericus sæcularis, qui nec tonsuram, nec coronam gestat; nec veste utitur Clericali, nec divinis interest Officiis, nec residet, nec ullo fungitur in Ecclesia ministerio, an, inquam, Clericus hujusmodi spe salutis aliqua blandiri sibi possit. *Numquid Clerici sæculares, qui non portant coronam vel tonsuram, vel habitum congruentem, vel qui non intersunt divinis officiis, nec resident, nec deserviunt Ecclesiis, sunt in statu salvandorum?* Respondet autem, tametsi sint, qui veritate non allici & delectari debuerant, offendantur; malintque palpare vulnera conscientiæ, quàm sanare: fidenter tamen affirmare se, ejusmodi Clericum procul abesse à via salutis: neque enim in his Regulis jura meri esse consilii, ut nugantur aliqui, sed præcepti: cùm qui in eas impingunt, tam graves dent pœnas. *Ad hoc licèt aliqui scandalizentur, volentes applaudere sibi in peccatis, & dicentes omnia jura quæ super hoc emanaverunt, de consilio intelligenda: dico quod non. Cum enim pro tali apostasia pœna gravis & multiplex imponatur, patet quod non est consilium, sed præceptum. Si enim esset consilium, nullus astringeretur; nec non servantes in aliquo punirentur.* Subjicit verò, nisi desertores ejusmodi resipiscant, ubi commoniti fuerint, ab Officio & Beneficio suspendendos esse, cogendosque ut fructus omnes restituant. *Si admoniti non se correxerint, debent suspendi ab Officio & Beneficio.* Hinc liquet agere B. Raimundum de Beneficiariis: sed nec illud minùs liquidum Clericos omnes ab eo Beneficiariorum in classe locari, omnes ad residendum constringi.

Summa Raimundi. L. I pag. 51.

III. Et qui tamen Decretalium libros quinque priores à B. Raimundo consarcinatos primus Pontificia authoritate publicavit Gregorius Papa IX. ille ipse est, cui tribuitur Decretum illud, quo primùm secernuntur Beneficia alia ab aliis ex necessitate residendi. *Clericos in Ecclesiis tuæ jurisdictionis Beneficia quæ residentiam exigunt assecutos, si ad alterius Diœcesim absque tua licentia morandi causa transierint; liceat tibi, si moniti non redierint, dictis Beneficiis spoliare, nisi excusationem rationabilem ostenderint.* Verba hæc ipsissima sunt Rescripti suprà relati Alexandri III. ad Archiepiscopum Eboracensem; addita hac solummodo restrictione, *quæ residentiam exigunt.* Intelligimus ergo illo temporis intervallo, quod ab Alexandro III. ad Gregorium IX. ab anno 1180. ad 1230. elapsum est, eam invaluisse distinctionem Beneficiorum, quæ vel à compatibilitate, vel à residentia petitur. 4. Dixi jam qui irrepserit ea novitas. Cùm labefactata diu jacuisset Ecclesiæ disciplina, ubi primùm pene senescente sæculo artespirari cœptum est ab ea calamitate, & restaurari quæ collapsa fuerant; ea quidem esse constitutas primùm leges, quæ Beneficiarios omnes, immo & Clericos omnes ad singularitatem Beneficiorum & ad residentiam compellerent. Sed cùm latè serpsisset, & jam altè descendisset ulcus, ut totum simul persanari posse desperaretur, curæ interim maximè fuit, ut singularitas & residentia saltem in Beneficiis cura animarum gravatis, & Dignitatibus Præbendisque Capitulorum omnino restitueretur. In id plura decreta condita sunt, in eorum executione toti fuere Pontifices, Antistitesque cæteri in Synodis suis.

Extra. De Cler. non resid. c. 17.

Per litteras monuit Patriarcham Constantinopolitanum Innocentius III. posse eum in non residentes animadvertere privatione Beneficiorum, at solas Ecclesias & Præbendas expressit. *De Clericis, qui Ecclesias vel Præbendas sibi concessas sine justa causa deserunt, &c.* Usu jam invaluerat, ut per Ecclesias intelligerentur Cathedrales, vel Parochiales. Eo sensu eam vocem usurpaverat Concilium Lateranense III. *Nonnulli dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales contra Canonum instituta nituntur obtinere.* In Concilio Lateranensi IV. cùm firmando Canoni supradicto Concilii Lateranensis III. pœnæ decernerentur adversùs pluralitatem Beneficiorum, damnata non est ea pluralitas nisi in Episcopatibus & Parochiis, in Dignitatibus & Præbendis Capitulorum. Ita connexa & concatenata quodammodo erat singularitas Beneficiorum cum residentia, ut nec stringi, nec relaxari possent Canones, nisi ad utramque simul.

Ibid. c. 10.

Can. 13.

Can. 29.

Lateranensibus his duobos Conciliis non apertè quidem copia fiebat plura retinendi simplicia Beneficia, nec in illis residendi; sed cùm pœnæ non decernerentur, nisi ad asserendam singularitatem & residentiam Parochialium Ecclesiarum & Canonicatuum: eo silentio, ea tolerantia & impunitate quoad alia Beneficia, patefactæ sunt fores horum pluralitati, & licentiæ non residendi.

V. Eainde verò jam nihil dubitationis reliquum esse potuit in animis Canonistarum modernorum, quin Beneficia simplicia soluta essent à vinculo residentiæ; cùm generalis consuetudo in omnibus Ecclesiis receptissima, & præscriptio ea administrandi per Vicarios, jam videretur eam authoritatem consecuta, quæ satis sit ad minas priscorum Canonum declinandas.

Hæc pro certis & indubiis habere videtur Bonifacius VIII. de Beneficiis, quæ cum aliis unà

habitare

habitare & sociari possint, nec residentiam exigant, ubi hæc habet: *Utrumque tamen, si talia sunt Beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri, habere non potes, sed eligas quod ex eis malueris retinere.* Eadem est & Clementis V. sententia: *Si aliud Beneficium assequaris, quod simul de jure cum Dignitate vel Beneficio, virtute dicta gratia tibi debito, retinere non posses.* Ita nemo nisi valde excors Congregationem Concilii insimulaverit, quæ consulenti Episcopo Intemeliensi rescripsit, non posse ab eo Presbyteros simplicibus gaudentes Beneficiis cogi, ut in Diœcesi residerent, quamvis magna Presbyterorum penuria laboraret. Scripserat quidem ad Patriarcham Antiochenum Gregorius IX. cùm ejus Ecclesia ministris destitueretur, revocari ab eo posse Canonicos, & inferioris Clericos chori qui aberant: *Canonicos & Assisios revocet*, nec deterreri eum debere dispensationibus Apostolicis quibuscumque. Sed nihil inde inferri potest, nisi quod immunitas simplicium Beneficiariorum firmioribus nititur præsidiis, quàm illa particularium quorundam Canonicorum.

In Sexto. De rescript. c. 7.

Pagnan. Ial 1. Decr. Part. 1. pag. 326.

Extra. De Cler. non resid. c. 16.

VI. A simplicibus Beneficiis ad duplicia, ut vocant, jam traducenda oratio est. Vetuit Concilium Oxoniense anno 1222. ne Parochiæ, quarum reditus æquaret tantùm portionem congruam Vicariis, aut Parochis dari solitam, darentur aliis, quàm qui ad residendum in eis ultro sese astringerent. *Ecclesia quæ in redditibus ultra quinque marcas non habent, nonnisi personis talibus conferantur, qui resideant in eisdem, & in propria persona ministrent.* Concilium Coloniense anni 1260. præcepit, ut Capellani Episcoporum omnes suis in Ecclesiis residerent, præter ea tempora, quibus eos Episcopi sui ad alia quævis destinabant: *Capellani residentiam tanquam alii fratres in suis Ecclesiis facient, nisi illo tantùm tempore, quando agunt suorum negotia dominorum, atque etiam si negotia Ecclesiæ hoc exposcant.* Subjicitur ibidem, ne Decani, Scholastici, Cantores, denique Sacerdotes Ecclesiarum, Regum possint, aut Episcoporum esse Capellani. *Nulli Decani, nulli Scholastici, nulli Corepiscopi vel Cantores, nulli Sacerdotes Ecclesiarum, Capellani Episcopales ullatenus aut Regales existant.*

Can. 14. 15.

Can. 10.

In Concilio Londinensi anno 1268. præceptum est, sacramento ad residendum adigi Vicarios, qui in Ecclesiis constituerentur, post abdicata alia Beneficia, quibus cura immineret animarum. *Juret ibi residentiam facere corporalem, renuntians aliis Beneficiis, si quæ habet, curam animarum habentia.* Si postea minùs resideant, simplicibus etiam aliis Beneficiis spoliantur. *Aliis Beneficiis, si quæ habet, sit ipso facto privatus.* Novam hîc habes probationem, ut simplicibus Beneficiis nulla tunc immineret residendi necessitas, possentque unà cum Ecclesiis Parochialibus possideri.

Can. 9.

VII. Concilium Lugdunense II. anno 1274. Parochos jussit, quo primùm promoventur anno Presbyteratu initiari, ac deinceps constanter residere, nisi causa legitima & gravi dispenset Episcopus. *Super residentia verò facienda possit Ordinarius gratiam dispensativè ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcet.* Utque innumerabiles alios Canones de residentia missos faciam, Synodus Exoniensis anni 1287. trifariam insinuat Parochos licentiam usurpasse non residendi; aut expugnato, ut Episcopi Vicarios instituerent; aut quòd Parochia Præbendæ unita esset, aut exorandis à Papa dispensationibus. *Rectores Parochialium Ecclesiarum resideant personaliter, iis exceptis, quorum absentia per institutos Vicarios fuerit excusata: vel quorum Ecclesia Dignitati vel Præbendæ fuerint annexæ: vel cum quibus ad obtinendum plura Beneficia à Sede Apostolica dicitur dispensatum.*

In Sexto De elect. c. 14.

Cap. 19.

Quod ad primam attinet harum trium residentiæ dispensationum, adverte Vicarios illos non fuisse perpetuos, & ab Episcopo institutos fuisse. Ita enim capiendum Decretum hoc Synodale. Non erat ergo ea nisi temporaria absentia, ab Episcopo justis causis concessa. Ejus rei argumentum accipe, aut exemplum. Concessum est Episcopis à Bonifacio VIII. ut Parochos absolvere possint ab annorum septem residentia, causa studiorum, ea cautione, ut Parochiæ interim administrandæ delegarentur Vicariis, religione & doctrina abundè instructis. *Septennio prædicto durante, providere curent Episcopi, ut per bonos & sufficientes Vicarios, ab eis deputandos, animarum cura diligenter exerceatur.* De unione Parochiarum cum Præbendis vel Dignitatibus Capitulorum, dictum est superiùs.

In Sexto De elect. c. 34.

VIII. Quoad tertiam rationem non residendi, confitetur Bonifacius VIII. sibi prædecessoribusque suis ambitiosorum hominum importunitate extortas fuisse dispensationes perpetuas non residendi, & percipiendi tamen proventus Beneficiorum: *Quia per ambitiosam importunitatem petentium, tam nos, quàm nonnulli prædecessores nostri indulgentias perpetuas, &c.* Tum verò Pontifex perenumeratis quæ ex his dispensationibus scaturiissent malis, eas omnes revocat, Pontificatu deinceps suo exulare jubet, successoribus denique suis significat, non quam ipsis legem præscripserit, sed quòd præstruxerit exemplum. *Omnes hujusmodi similes indulgentias, personis, non Ecclesiis, vel dignitatibus datas, penitus revocamus, & earum concessionem nostris volumus exulare temporibus. Quodque nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus.*

In Sexto De Rescri. c. 15.

Observa hîc autem, 1. A Pontificibus elici, vel expugnari posse dispensationes, sed quibus tamen impunitas magis apud homines, quàm innocentia apud Deum comparetur. 2. Tunc tutas esse & laudabiles dispensationes, cùm Ecclesiis donantur, vel earum Dignitatibus, non hominum cupiditatibus effrænatis. Afflatu enim pietatis donatur, quidquid donatur Ecclesiis. 3. Si Pontificiæ dispensationes tuta semper & illæsa conscientia darentur, sive dantium, sive accipientium: non pœnituisset earum Bonifacium VIII. non eas ille revocasset, non sibi earum concessione postbac interdixisset, non commonuisset successores suos, quanti res periculi sit, tanta salutis dispendia, vel certè discrimina gratificari. Denique si tantum gratiæ se dedisse Pontificem pœnituit, quanto in periculo versantur, qui importunitate extudere, unde Pontificem pœniteret? Tam nefas saltem fuit cupere, petere, ambire, extundere, quàm concedere beneficium, cujus mox esset pœnitendum.

IX. In Concilio Coloniensi II. multa decreta sunt anno 1549. ad residentiam Decanorum in Ecclesiis suis, Abbatum item & Abbatissarum Canonicarum. Monuit Concilium harum residentiam Abbatissarum tantò arctioris esse necessitatis, quòd diligentissimas excubias agi necesse est in nobiles eas virgines, An in eodem omnes conclavi somnum capiant, an Horas canonicas ritè decantent, an religiosè observent Constitutiones, tum antiquas suas, tum nuperas Imperatorio jussu editas, ad refingendam reformandamque disciplinam;

Can 6 7. 8.

Probibentur denique Abbatissæ istæ, ne duas Abbatias regant, cùm vel unam regere operosum arduumque sit.

X. In Concilio Moguntino ejusdem anni proscripta est ea, quæ tum Germaniam omnem pervaserat, corruptelam, ut Canonici opimos ipsi quidem proventus colligerent, Vicarios autem sibi substituerent, qui divinæ interessent psalmodiæ, Altariumque ministerio, tenuissima autem redituum portione contenti essent. *Perniciosus abusus est, cum pudendo Cleri dedecore, & animarum periculo, gravique Ecclesiarum detrimento conjunctus, quod in Ecclesiis quibusdam Cathedralibus & Collegialibus potissima proventuum portio Canonicis etiam apud Ecclesias non residentibus, nec quidquam utilis aut necessarii ministerii exequentibus, distribuitur, Vicariis qui diurna & nocturna fatigatione omnes Ecclesiæ functiones sustinent, vix tenui censa, & qui ad vitam miserè sustentandam ægrè sufficiat, relicto.*

In Dignitatibus Capitulorum defungendis perversitas erat longè major; ideoque ad ipsas maximè in ordinem redigendas eo Concilio innovatæ sunt pristinæ omnes de residentia Constitutiones.
Can. 70 71 *Quare statuimus, ut posthac omnes qui vel Præpositorum, vel Decanorum, vel Scholasticorum, vel Custodum, vel Cantorum dignitatibus, quatenus hæ ad nostram, aut Comprovincialium nostrorum dispositionem pertinent, jam præfulgent, aut porro ornandi erunt, præsentes suis Ecclesiis utilem & nomine dignam operam præstent; non absentes fructus sanium auferant: neque liceat cuiquam absenti ullam harum dignitatum gerere, sed quisque tali titulo insignitus, sua Ecclesiæ non absens, neque conducta aliorum opera, sed residendo præsens ipse inserviat.*

XI. Sed Concilium Tridentinum manebat ea laus, ut multa præstantissima ab eo ederentur Decreta de Beneficiorum residentia, uti & de plerisque aliis sacræ Disciplinæ capitibus. In eo Concilio post pertractatam Episcoporum residentiam, ad alios descenditur Beneficiarios, edicitúrque, ut omnes sive Titulares, sive Commendatarii, quibus vel jure, vel consuetudine præscribitur residentia, residere compellantur in Ecclesiis suis. *Episcopis inferiores, quævis Beneficia Ecclesiastica personalem residentiam de jure, sive consuetudine exigentia, in Titulum, sive Commendam obtinentes, &c. ab Ordinariis residere cogantur.* Sess. 6. c. 2 2. Ut irritæ habeantur dispensationes omnes perpetuæ non residendi: *Nulli privilegia, seu Indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur.* 3. Ut dispensationes ad certum tempus arctatæ ab Episcopo examinentur, an justis causis concessæ fuerint. *Indulgentiis verò & dispensationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus causis tantum concessis, & coram Ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris.* Denique ut tempore ipso canonicæ Beneficiarii absentiæ; Vicarium designet Episcopus, qui curam sustineat animarum, congruamque ei definiat fructuum portionem.

Hinc planum fit Concilii Patribus visos esse Commendatarios quosdam residentiæ lege constringi, æquè ut Titulares. *In Titulum, sive Commendam Beneficia obtinentes.* Planum fit rursus à Tridentino quodammodo approbari distinctionem Beneficiorum, tum liberæ, tum necessariæ residentiæ, adeoque compatibilium & incompatibilium. Denique planum est ex Concilio residendi necessitatem oriri vel ex jure, vel ex consuetudine. *Beneficia personalem residentiam de jure, sive consuetudine exigentia.*

XII. Utque Dignitates Capitulorum, Canonicique pluribus vinculis ad residendum constringantur, jubet Synodus ut redituum tertia pars in distributione dispensetur, quorum in nullam partem vocari possint absentes: illibata semper persistitura laudabili cum primis earum Ecclesiarum consuetudine, ubi ne tertia quidem fructuum, aut nulla prorsus parte fruuntur absentes. *Salvis consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus non residentes, seu non servientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt.* Sess. 21. 3; Sess 22. c. 4.

Si quæ sint tamen Capitulorum Dignitates, quarum nec functio, nec jurisdictio ulla sit, quibus contrà immineat cura Parochiæ ruris, illis quandiu in Ecclesia sua Parochiali residebunt, eadem accrescent emolumenta, acsi præsentes in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiali divinis Officiis interessent. *Quod si alicui ex prædictis dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, de jure vel consuetudine, jurisdictio, administratio vel officium non competat, sed extra civitatem in Diœcesi cura animarum immineat, cui is qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit, tunc pro tempore quo in Curata Ecclesia resederit, ac ministraverit, tanquam præsens sit, ac divinis intersit, in Ecclesiis Cathedralibus ac Collegiatis habeatur.* Ibidem. Quo nihil tamen derogabitur peculiari quarundam Ecclesiarum consuetudini, ubi qui Dignitates obtinent, frustrantur redituum parte aliqua, etiam tertia, quandiu non resident.

Erant ergo Dignitates Capitulorum, quibus nec functio, nec jurisdictio affixa esset ulla. 2. Sed quibus innexa erat ruris quædam Parochia. 3. Et tunc liberum erat utra in Ecclesia sua residere mallet Beneficiarius. 4. Quandiu autem in Parochia residebat, distributionibus fruebatur, non aliter quàm si præsens esset Ecclesiæ Cathedrali vel Collegiali. 5. Ex his infertur, qui has obtinent Dignitates, functionis & jurisdictionis expertes, eos ad residendum in ea Ecclesia astringendos fuisse, nisi Parochiam ruri administrandam haberent, in qua & residere mallent. *Sed extra civitatem in Diœcesi cura animarum immineat, cui is qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit.*

Adscripsimus suprà quid decreverit Tridentinum de residentia Episcoporum. Eadem Decreta ibidem ad Parochos, eædemque pœnæ in non residentes amplianrur. *Eadem omnino etiam quoad culpam & amissionem fructuum & pœnas de Curatis inferioribus decernit Synodus.* Sess. 23. c. 1. Potest Episcopus cum iis de residentia dispensare, subrogato in eorum loco Vicario cum portione congrua; sed ea licentia non residendi scripto danda est, gratis, & ad duos tantùm menses, nisi gravissima quædam incurrat causa. *Discedendi licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant.* Si diutiùs ablint Parochi, & sine licentia, revocabit illos Episcopus, tum intentatis censuris, tum privatione fructuum, tum denique Parochiæ ipsius abdicatione.

Vetuit denique Tridentinum Concilium, ne qui Dignitates obtinerent Capitulorum, vel Canonici, Præbendarii, Semipræbendarii Cathedralium Ecclesiarum, vel Collegialium, plusquam tribus mensibus anno quolibet abessent, ita quidem ut nihil decerpatur eorum Capitulorum consuetudini vel constitutioni, qua diuturnior præscribitur residentia, arctiorque. *Non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum Eccle-* Sess 24 c. 12

fiarum constitutionibus, qua longius servitii tempus requirunt. Qui diutius suis abeunt Ecclesiis, quàm sinat Concilium, primo quidem anno media parte exuentur redituum, altero anno omnibus spoliabuntur, si ne tum quidem Ecclesiæ se suæ, officioque reddant, rigore Canonum & lege in eos agetur.

XIII. Inter Reformationis Anglicanæ Capita sub Cardinali Polo anno 1556. unum est quod ad Archidiaconos spectat, qui in Ecclesia Cathedrali residere præcipiuntur, vel in Archidiaconatibus suis, Decreto 3. perinde ut Episcopus conducere censuerit. *Archidiaconi verò, vel in Archidiaconatibus, vel in Ecclesiis Cathedralibus, prout magis Episcopo loci expediens visum fuerit, commorentur, ut debitam illis operam præstent.* Est & aliud quod ad Canonicos pertineat, quorum alii fundatione, alii statuto, alii consuetudine tenentur residere. *Omnes Canonici qui ex fundatione, statuto, vel consuetudine in Ecclesiis residere tenentur, &c.* At sunt & alii qui non his vinculis teneantur astricti. *Qui verò ex fundatione, statuto, vel consuetudine ad residentiam non tenentur.* Et qui tamen nisi mense saltem uno in Ecclesiis suis resideant, si decem saltem librarum reditus percipiant: & duos menses, vel plures, si viginti: parte redituum mulctabuntur; poterunt & prolixiori astringi residentiæ ab earum Ecclesiarum Superiore.

In Congregatione IX. Concilii Remensis anno 1564 Cardinalis Lotharingus, & Archiepiscopus idem Remensis Præsesque Concilii multis destomachatus est adversus pluralitatem Beneficiorum Curatorum, itemque adversùs articulum v. Comitiorum Aurelianensium, & legem civilem, qua integrum erat duas Parochiales Ecclesias retinenti, in utra mallet residere. *Comitia Aureliana cujusmodi fuerint nolo hîc dicere; constat certè in iis multa fuisse constituta, quæ cum jure Ecclesiastico pugnant ex diametro, & magnum afferunt detrimentum & præjudicium. Cur ergo eorum Decretis standum esse judicavimus?*

XIV. Concilium Mediolanense I. anno 1565. præcepit tribus senioribus residentium Canonicorum, in Cathedralibus, vel Collegialibus Ecclesiis, ut Episcopum monerent, deferrentque ad eum Cap. 27. tertio quoque mense nomina Dignitatum & Canonicorum non residentium. Præcepit & Parochis, ut Episcopum commonerent, in Parochiis suis si qui essent Beneficiarii non residentes, & qui residere obligarentur. Idem præcepit & Vicariis Foraneis in Parochos ipsos. In Concilio IV. Mediolanensi anno 1576. innovatum est Decretum Concilii Tridentini, ut ne possent Clerici ab Ecclesiis discedere, quibus eos Episcopus illigasset, nisi scriptis permittente Episcopo, alioqui functionibus omnium Ordinum interdicerentur. *Clericos quoscumque certa Ecclesia, pive loco ascriptos, si ab Ecclesia, cui ascripti sunt, Clericali statione, sine Episcopi facultate, eaque litteris exarata, discesserint, suorum Ordinum munere, ex ejusdem Concilii Tridentini sanctione, Episcopus interdicat.*

Eo decreto monemur resumere statutum illud Concilii Tridentini, quod nos pene effugerat, & quo priscus vigor antiquioris circa residentiam Disciplinæ restaurari posset, si religiosè observaretur. Nimirum ubi Tridentinum Calchedonensi Canoni pristinum vigorem restituere satagit, ut nemo ordinetur, nisi ad necessitatem & utilitatem alicujus Ecclesiæ, cui statim alligetur, & ipsa sua mancipetur ordinatione, ad obeundas in ea functiones Ordinis, & ad residendum tam scrupulosè, ut nisi annuente Episcopo discedere nefas sit; ut interdicendi protinus sint functionibus Ordinis, quicumque aliter discesserint. *Cum nullus debeat ordinari,* Sess. 23. c. 16. *qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis; sancta Synodus vestigiis sexti Canonis Concilii Calchedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruit, ei sacrorum exercitium interdicatur.*

Non pœnitebit illud rursus inculcasse, fore ut antiquæ Disciplinæ vigor decorque totus reflorescceret, si statuto huic sedulò obtemperaretur. Non Beneficiarii modò omnes, etiam simplices, sed & Clerici omnes residentiæ astringerentur. Clerici supervacanei & otiosi nulli essent. Nulli errones. Nulli functionis sacræ mayes. Nulli ministerii & Beneficii expertes, quandoquidem illi ipsi qui Titulo Patrimonii ordinarentur, unius tamen certæ devincirentur Ecclesiæ ministerio, unius Episcopi obsequio, sicut jam inde à primis ineuntis Ecclesiæ sæculis, tam multi Clerici sanctissimi, & Parochiis præerant, & Decanatus atque Archidiaconatus administrabant, aliaque Ecclesiastica Beneficia, qui suo se tamen sumptu & patrimonii censu alebant. Additur denique à Tridentino id quod sponte sua sequitur ex illa conjunctione Clericorum cum Episcopis, fore ut sine litteris Episcopi proprii, nec ejus Diœcesi possint emigrare, nec in aliam quamvis immigrare.

Tridentino huic Decreto subscripsere, illudque Cap. 8. promulgavere complura ex Conciliis Provincialibus Gallicanis, ut infrà ducebimus, ubi extremam manum apposuerimus statutis Conciliorum Mediolanensium sub B. Carolo nostro more excerpendis. In Concilio V. Mediolanensi anno 1579. pronunciatum est, teneri Beneficiarios ad residendum, quamvis lite interjecta controversum esset Beneficium, quamvis nedum eo initiati essent Ordine, quem Beneficium deposceret; quamvis denique maximam ejus proventuum partem alii quipiam sibi vindicarent. Jussi sunt etiam Episcopi, ne sinerent Dignitates, & Canonicos Cathedralium & Collegialium, qui unà Parochias regerent, his discedere diebus Festis & Dominicis, ut in Cathedrali distributiones acciperent; sed eos in Parochias suas dimitterent, ubi munere fungerentur.

In Concilio Mechliniensi anno 1570. expressè de- De Minist. Eccl. & eorum resid. c. 2. 3. finitum est, Dignitates Ecclesiarum Cathedralium, Collegialium, Monasteriorum, Abbates, Præpositos, Decanos, Archidiaconos, Archipresbyteros, Cantores, Pœnitentiarios, Scholasticos, Thesaurarios, lege eadem residentiæ constringi, atque Canonicos, iisdemque teneri pœnis ex Concilio Tridentino. Si qui verò eorum confiderent se privilegiis perpetuis, aut temporariis niti, ea Episcopo intra tres menses repræsentarent, ut is dijudicaret, justæ fuissent causæ, nec ne eorum concedendorum. Alioqui privilegio suo excussi declarentur.

XV. Venio ad Provincialia Galliarum Concilia post Tridentinum. Rotomagense anni 1581. ad antevertendas eorum artes, qui imaginarias confingunt lites, ut residendi interim legem & necessitatem suspendant: cogit omnes eos qui Titulo, vel proventibus gaudent Beneficii cujuscumque, in eo residere, aut restituere fructus, & pœnis subesse non residentium. *Plerique ne resideant, prætexunt li-* Tit. De Curat. Off. c. 4. *tigia, aut suscitant ipsimet Devoluta, ne videantur sua Beneficia pacifice possidere. Verùm quisquis Beneficio,*

vel ejus fructibus gaudet, aut resideat, aut fructus non recipiat, quos suos sine residentia facere non potest, & aliis decretis pœnis subjaceat. Illi vero qui prætexunt vim & grassationes Nobilium, residere & ipsi, vel restituere jubentur, si nihilominus aut omnes, aut magna ex parte proventus colligant. Reliqua hujus Concilii in residentiam decreta sileo, ut quæ sint gemina Tridentinis. Sed illud silere non possum, quod idem Concilium ab Apostolica sede voluit elucidari, circa Cathedrales Ecclesias, quarum & tam tenues sint reditus, & tam pauci numero Canonici, ut sustentari hi non possent, nec minuendo eorum numero, qui jam permodicus esset: nec addendis Beneficiis simplicibus, quæ nulla ad manum essent: sed permittenda tantum Canonicis administratione Ecclesiarum Parochialium, tam vicinarum urbi, ut bis terve quavis hebdomada ad eas itarent, residerent autem interim cum cæteris Canonicis in Ecclesia Cathedrali. Absolutè & universim nihil respondit Pontifex, sed peculiariter declaratum iri spopondit, ubi necessitas, vel utilitas Ecclesiæ suaderet. Ecclesiæ Parochialis regimen Canonicis permitti. *Quoad retentionem Parochialis cum Canonicatu, pro necessitate & utilitate Ecclesiarum & regionis in casibus particularibus providebitur.*

Cap. 17. 19 In Concilio Burdigalensi anni 1583. promulgatum est Decretum Tridentinum de Dignitatibus Ecclesiarum, quibus nihil functionis, nihil jurisdictionis illigatum est, sed earum Titulo gaudentes Parochiam aliquam administrant; quandiu verò in Parochia ministrant, præsentes reputantur in Cathedrali, & distributionibus fruuntur. At verò Archidiaconi, & qui cæteras sustinent Capitulo in Dignitates, Officio instructi quod obeant, & jurisdictione quam explicent, illi utique jubentur à Concilio residere. Edixit & illud hoc Concilium, ut sexto quoque mense Capitula Metropolitanos certiores facerent de absentia Episcoporum.

In Concilio Turonensi anno 1583. damnata & abolita est consuetudo earum Ecclesiarum, ubi grossos fructus percipiebant Canonici, antequam residere incepissent, vel etiam admissi fuissent. Expungi quoque placuit illum usum quarundam Ecclesiarum, ut totius anni proventibus gaudeat, quicumque uno, & altero die, vel una hora

Cap. 13. Canonica certa interfuerit. *Consuetudine illa, quæ Canonico grossum adjudicat, qui certa die anni, aut certis horis unius, duorum vel trium dierum præsens fuerit, illis nihil profutura, cum ad divini cultus diminutionem tendat.*

Concilium Aquense anni 1585. præter omnium promulgationem Decretorum Tridentinorum de residentia, statuit, ut tres seniores Canonici residentes cujusque Cathedralis, & Collegialis deferrent ad Episcopum nomina Canonicorum & Bene-

Tit. De resident. ficiariorum cæterorum Ecclesiæ suæ absentium. Jussit ut & Parochi monerent Episcopum de Beneficiariis Parochiæ suæ omnibus, qui residere cùm tenerentur, non residerent tamen.

Cap. 7. Concilium Tolosanum anni 1590. edixit, ut qui Parochias haberent, Titulo, vel Commendatas, vel Canonicatui, dum ipsis vita suppeteret, unitas, aut qui uno & eodem tempore Parochias & dignitates retinent in Capitulis, in Parochiis suis residerent, saltem diebus festis. Concilium Burdigalense anni 1624. eorum damnavit impiam & absurdam ludificationem, qui cùm tam frequenter abessent, ut adessent ferè nunquam, non committere se tamen nugabantur in Concilii Tridentini legem, quòd nunquam tres totius menses continuos abessent. Declaratum est hoc Concilio, tribus illis mensibus induciarum à Tridentino concessarum, contineri absentias omnes quantulascumque, etiam sejunctas.

Cap. 9. *Decernimus tres illos absentiæ menses ita numerandos*

Cap. 7. *esse, ut in iisdem omnes dies, sive continui, sive non continui & interpolati concludantur: unde qui à residentia ultra tres menses eo modo reductos abfuerit, pœnis eum à sacris Canonibus contra absentes latis feriri, & Capitulum in hoc contra sacros Canones dispensare non posse censemus.* Vetitum est hoc eodem Concilio, ne quas Episcopi dispensationes annecterent Parochis, aut licentias non residendi, nisi quas fructuosas fore Ecclesiæ augurarentur: *Nisi id personæ meritum in utilitatem Ecclesiæ cessurum exigere*

Cap. 12. *comprobetur.* Denique vetiti sunt hoc eodem Concilio Collatores, ne quod necessariæ residentiæ Beneficium cuiquam conferrent, nisi præstito sibi fi-

Can. 5. 6. dissimæ residentiæ juramento. *Ne Curatum vel residentiam exigens Beneficium conferant, nisi præstito priùs per eum juramento, se assiduum in eo futurum, semperque commoraturum: cujus juramenti præstiti certam rationem litteræ Beneficii concessi contineant.* Provisionibus Beneficii inserenda erat mentio præstiti hujus sacramenti. Et quoniam Priores Curati Ordinis sancti Augustini minus frequentes erant in Ecclesiis suis Parochialibus, quòd Cura etiam Monasteriorum suorum distinerentur; Hoc illi quoque Concilio jussi sunt in Parochiis residere, Mo-

Cap. 19. c. 8. nachis aliis in Monasteria eorum loco adscitis. *Declaramus quoscumque Regulares Curam animarum habentes, ad residentiam in Prioratibus Curatis & aliis Beneficiis, quibus animarum cura annexa est, præstandam teneri: Abbates verò & quoslibet Præpositos ad alios Monachos suis Monasteriis adsciscendos obligari.*

XVI. Hæc omnia porro Decreta quasi sponte sua ex Tridentinis statutis scaturiebant. Quod & indubitatissimè affirmandum est de responsis Con-

Fagn. in l. 1. Decr. par. 2. pag. 127. gregationis Concilii. Erant Canonicatus in Parochiis, vel Collegialibus Ecclesiis Aquileiæ, ubi moris erat, ut proventus perciperent, quamvis non residerent. Quæ tamdiu impunè abiit Præbendarum pluralitas, argumento est eas liberæ tum

Const. Conc. Tarracon. c. 3. Tit. 4. fuisse residentiæ. Concilium Tarraconense anni 1239. vetuit ne quis plures haberet Præbendas, si statuto ex peculiari residentiæ nexu ligarentur. *Ne aliquis duas Canonicas obtineat, quæ ex speciali statuto residentiam personalem requirant, sed altera tantum debeat esse contentus.* Responsum est autem à Con-

Sess. 24. c. 12. gregatione Concilii Canonicos eos ad residendum teneri, propterea quod Concilio Tridentino declaratum est, Dignitates, Canonicatus, Semicanonicatus quicumque obtinerent, eos Ecclesiis suis ultra tres menses abesse non posse, quo se cumque statuto peculiari tuerentur. Responsum est item non posse per substitutos hæc Beneficia administrari.

Cùm non definierit Tridentina Synodus tempus, quo possent Canonici non residentes canonico judicio percelli, & dimoveri: responsum à Congregatione, non posse, nisi postquam annos tres abfuissent. Ea determinatione Concilii emendatum

Extra C. Cum omnes. De Constitutionib. est Jus commune, quo juxta complurium Canonistarum sententiam non improbabatur consuetudo, vel statutum quorundam Capitulorum, ut absentes etiam suis Proventibus fruerentur.

Dignitates Capituli Compostellani pro præsentibus habebantur, cùm jus dicebant & jurisdictionem exercebant. Eam consuetudinem confirmavit Congregatio Concilii, quòd non alios exceperit

Fagnan ibidem. Tridentinum, quàm qui Parochiam administrarent. Unde nec ad summum potest illud protogari privilegium, nisi ad Archipresbyteros, quibus & ipsis imminet animarum regimen.

Tn saurarius Ecclesiæ Consentinæ solutum se à residentiæ compede inde ominabatur, quòd ei nec officium esset ullum, nec reditus. Congregatio Concilii residere debere decrevit, propterea quòd derogaverit Synodus Tridentina Juri communi, quo liberi erant à residentia, quicumque nihil redituum percipiebant.

Cardinalis Episcopus Uxamensis anno 1614. sciscitatus est, an Archidiaconus & Archipresbyter Ecclesiæ suæ ad residentiam constringendi essent, cùm solam in choro sedem haberent, nihil autem prorsus redituum. Responsum est à Congregatione constringendos esse, juxta eundem Tridentini locum. Ex *Sess 24 c. 12* adverso autem illa censuit, non teneri ad residendum Decanum Claudiensem, quòd quanquam haberet sedis prærogativam, nulla tamen potiretur *Chioggia.* jurisdictione, nec suffragio, nec sede in Capitulo, nec parte ulla redituum aut distributionum.

Erant in Comeosis Episcopi Diœcesi Collegiales complures Ecclesiæ, in quibus Canonici non residerent, antiquissima ante hominum memoriam consuetudine & immunitate fulti; cùm alioqui minimè insignes essent illæ Ecclesiæ. Congregatio Concilii pronuntiavit eodem Capite XII. Sessionis XXIV. Concilii Tridentini contineri Collegiales etiam minimè insignes: nec immemoriali consuetudine non residendi uti posse, nisi eas Collegiales Ecclesias, quæ ruri essent, & quarum tantilli essent reditus, ut sustentandis Canonicis impares essent. Congregatio Concilii & Gregorius XIII. eam postea residendi immunitatem videntur exporrexisse ad eas etiam Cathedrales non insignes, in quibus immemoriali tempore nemo unquam residere visus esset. Si vel pauci enim aliquando residerent, ei immunitati nihil loci relinquebatur.

XVII. Utque ne longior sim, declaravit eadem Congregatio ad residentiam teneri Canonicus aliquarum Ecclesiarum Parochialium, quanquam Capitulum ex iis nullum conflaretur, nec ante hominum memoriam quisquam ibi residere visus esset.

2. Decretis Bonifacii VIII. *Consuetudinem* innovaverat Concilium Tridentinum, qua damnantur constitutiones & consuetudines particulares, ut absentes distributionibus gauderent: à Congregatione Concilii declaratum est, per tres illos liberos *Fagna ibid pag. 129 ad Sess 24 c. 12.* absentiæ menses non posse absentes frui distributionibus, & inutiles irritasque posthac fore Constitutiones quascumque & consuetudines adversas. Certè cùm nulla quantumvis omni memoria antiquior consuetudo suffragari possit, vel duobus Canonicis, ad obsequium Episcopi ascitis; vel studiorum causa absentibus, ut absentes distributionibus impartiantur, ut sæpiùs definitum est: multò deterior eorum conditio & ratio est, qui tribus absentiæ liberæ mensibus gaudere volunt.

3. Jure communi, & Tridentini Concilii textu *Fagnan. in L. 3 Decret Part. 1. c. 33.* duæ classes sunt Dignitatum. Aliæ participes sunt redituum Mensæ Capitularis, aliæ suos seppositos habent proprios proventus. Hæ postremæ jure communi absolvuntur à nexu residentiæ, & cum Beneficiis Curatis retineri possunt, vel alioqui residentiæ obnoxiis. De his agit Tridentinum Sessione XXII. c. 3. & eis sufficit, ut fungantur ministerio, quod eis præfixerit Episcopus, alioqui distributionibus fraudentur pro modo cessationis à ministerio. Cæterùm nulla eis incumbit necessitas per novem menses residendi, & sistendi se omnibus horis Canonicis. Ita diffinitum est à Congregatione Concilii, convenienter capiti III. Sessionis XXI. ejusdem Concilii: à qua & constitutum est, ut in Ecclesia Cæsaraugustana Hispaniæ, tertia pars redituum harum Dignitatum in distributiones secaretur, juxta ministeria quæ illis Episcopus designasset. *Tertiam partem in distributiones eorum arbitrio assignandas dividere possint Episcopi Ut scilicet qui eas obtinent, si personaliter competens sit servitium, juxta formam ab eisdem Episcopis præscribendam, quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant.* Verba ea ipsissima sunt Concilii Tridentini. *Sess 21. c. 3.*

Primi autem ordinis Dignitates, quarum reditus è mensa Capitulari decerpuntur, mensibus novem residere tenentur, & frustrantur distributionibus, pro modo absentiæ, ex eodem Concilio. *Sess 24 c. 12*

4. Jure communi Prælati alii præter Episcopos *C. Relatum, De Cleric. non resid.* possunt dispensare de residentia cum Beneficiariis. At Congregatio Concilii censuit, non posse eo jure uti Prælatos, nisi qui territorium & jurisdictionem haberent Episcopalem.

5. Licentia discedendi ab Ecclesia non peti tan- *Fagn. ibid. pag. 35. 36.* tùm, sed & obtineri debet, etiam justis de causis. Si abnuat Prælatus, recurretur ad Superiorem, qui dare coget.

6. Dignitates & Canonici Ecclesiarum Cathedralium & Collegialium nihil opus habent licentia Episcopi, vel Capituli ad tres induciarum menses, à Concilio indultos.

7. Nec Metropolitani, aut Papæ licentia opus est Episcopis, ut duos aut tres menses secedant à Diœcesi, cùm unum id præscribatur à Concilio, ut justæ sint causæ, & ejusmodi, quæ conscientiam eorum non gravent, & Deo arcana cordium scrutanti approbari possint. *Ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientia relinquit, quam sperat religiosam & timoratam fore, cùm Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur.* *Sess. 23 c. 1.*
Parochis verò nulla istiusmodi licentia commonicari potest, quibus eam necessitatem infligit Concilium, ut ne possint unquam nisi licentia Episcopi scriptis data Ecclesiis suis abesse. A Congregatione *Fagn. ibid. p. 37. 38. 66.* verò Concilii declaratum est, ne una quidem hebdomada abesse posse Parochos, nisi causis Episcopo approbatis, & licentia scriptis data; in improvisis tamen & urgentibus necessitatibus posse Vicarium foraneum ad paucos dies dispensare.

8. Responsum illud quoque est, quanquam Canonici non possint canonico judicio Beneficiis suis exuti, nisi post annorum trium absentiam: integrum tamen esse Episcopo statim Parochos non re- *ibid. p. 72.* sidentes plectere, vel censuris, vel temporalium redituum spoliatione, vel privatione Beneficii.

9. Minimè necesse fuit consuli Congregationem Concilii de Ecclesiis, ubi consuetudinis est, ut Canonici & Dignitates diutius quàm novem mensibus resideant. Cùm enim edixerit Concilium, ut Con- *Ibid p. 165. 166.* stitutiones quæ idem præcipiunt, inconcussæ stent, idem ad consuetudines utique trahi par est; quibus aliàs cùm Concilium non deroget, illas utique innuit pristino semper vigore futuras.

10. Cùm Jus commune & Concilium residentiam Dignitatibus & Canonicis præscribunt, non otiosam utique & inertem, sed operosam exertamque præscribunt, ut divinis in Officiis assidui sint.

11. Quanquam Jure comuni permitteretur abdi-

cari, graduque ſummoveri Beneficiarios, ex quo citati, monitique, ad ſuas non remeabant Eccleſias: Concilio tamen Tridentino placuit, ne niſi poſt tertium demum abſentiæ annum ſpoliari Beneficiis poſſent. Expleto enim primo anno amittuntur media ex parte fructus, ſecundo omnes, tertio
Seſſ. 24. c. 12. ipſum Beneficium. Ita reſpondit Congregatio, accommodatè ad ipſum Concilium.

12. Reſpondit etiam non poſſe Capitula copiam facere Canonicis diuturnioris, quàm trium menſium abſentiæ, non amiſſis Præbendæ fructibus, nulla in contrarium profutura, ſive conſuetudine, ſive Conſtitutione.

13. Nec ſtatuto etiam ullo, vel conſuetudine firmari poteſt, ut qui uni aut alteri interfuerint horæ, præſentes æſtimentur, gaudeantque fructibus omnibus.

14. Nec in poteſtate Capituli eſt, ut remittat pœnas in abſentes conſtitutas, putà fructuum privationem.

15. Jubet lex reſidentiæ, ut non in civitate tantùm quis ſedeat, ſed & ut choro interſit. Qui ergo choro horiſque non affuerint, ii primo anno media tantùm redituum fraudabuntur parte, ſecundo fructibus omnibus, poſt tertium annum Beneficio ipſo exauthorandi ſunt.

16. Ne Capitulo quidem ſæpiùs abeſſe poſſunt Canonici.

17. Si abeſt Canonicus, alterius quàm ſuæ Eccleſiæ obſequiis & negotiis diſtrictus, Præbendæ ſuæ fructibus gaudere non poteſt.

18. Aëris intemperies, cœlique inclementia non ſatis habet cauſæ, ut diutiùs quiſquam abſit, quàm
Fagn. ibid. pag. 167. 168. 169. tribus menſibus. A Pontifice tamen & Congregatione Epiſcopis quandoque facultas data, ut unum præterea & alterum menſem permitterent, ob aëris contagium, modò ut ſuo ſemper ritu & decore Officia celebrarentur.

19. Tribus illis abſentiæ menſibus, quos indulget Concilium, ſinguli etiam ſejunctim dies continentur, at ii ex horis ſingulis contexi non poſſunt.

20. In eam curam incumbet Epiſcopus cum Capitulo, ut ne Canonici ſimul omnes, vel nimio plures eodem tempore feriari & abeſſe velint, ne divina ceſſent Officia.

21. Si cui Capitulo ex fundatione fas ſit, ut diutiùs quàm tribus menſibus vacare ſinguli & abeſſe poſſint Canonici, dubitatum eſt, an hunc uſum Concilium abrogarit. En denique propendere viſa eſt Congregatio, ut valeat fundatio, cùm de ea Concilium penitus conticeſcat.

22. Diffinitum illud quoque ab ea eſt, revocata non eſſe à Concilio ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, quibus plures quàm tres abſentiæ menſes conceduntur, aut annus unus ad Hieroſolymitanam peregrinationem, aut ſex menſes quinto quoque anno ad reverenda beatorum Apoſtolorum limina.

23. Non includuntur Canonici Regulares capite XXIV. Seſſionis XXIV. Concilii. Ita ſtatuto, vel conſuetudini, ut per dies quadraginta poſſint abeſſe, nec interim fructibus vel diſtributionibus fraudentur, nihil per Concilium derogatum eſt.

24. Valliſolitanæ Ordinis Abbates & Prioratus erant, tam tenuium redituum, ut pro Monachis Presbyteri ſæculares ſufficerentur, Abbatis vel Prioris Titulo vendicato uni alicui ex Monachis, qui alio in Monaſterio ſedem haberet. Reſponſum eſt à Congregatione in Eccleſia ſui Tituli reſidere debere Abbates, atque hujuſmodi Priores.

25. Qui Canonici ex Pontificia diſpenſatione Eccleſias Parochiales adminiſtrant, in Parochia ſua reſidere debent, nullo fructuum Canonicatûs diſpendio, juxta Bullam Pii V. *Cupientes.*

26. Canonicatus aliis uniti Beneficiis, quibus reſidentia imminet pauciorum quàm novem menſium, cum his Beneficiis coaluiſſe cenſentur, eorumque ingenio & naturæ acceſſiſſe.

27. Statutum Eccleſiæ Jaccenſis à Pontifice confirmatum, Dignitatibus quatuor tantùm, Canonicis octo reſidentiæ menſes indicit. Eum uſum firmavit Congregatio Concilii.

XVIII. Quoad diſtributiones, quæ manualia ſunt quodammodo Beneficia, innovata eſt à Concilio Bonifacii VIII. Decretalis *Conſuetudinem*, qua præſentibus ſolis vendicantur diſtributiones. Reſponſum eſt autem 1. à Congregatione, irritam eſſe quamcumque contrariam conſuetudinem, etiam immemorialem.

2. Caſſum quoque & irritum eſt ſtatutum quodcumque contrarium. Irritatum quoque fuerat à Congregatione Concilii ſtatutum Eccleſiæ Compoſtellanæ, ubi poſt emenſam fidam annorum quadraginta reſidentiam, Jubilati cenſebantur & diſtributiones, etiam cùm abfuiſſent, conſequebantur. At Gregorius XIII. ejuſmodi ſtatutum tolerandum cenſuit.

3. Quanquam per ſubſtitutum quis interſit & ſungatur officio, nihil diſtributionum lucratur; vult enim Concilium, ut ipſimet interſint Canonici. Fagnan in l. 3 Decret. Part. 1. p. 169. 170. 171. 172.

4. Conſuetudo fruſtrandorum diſtributionibus eorum qui Preſbyteri non ſunt, quanquam interſint Officiis, retinenda viſa eſt. Pariterque ut illa Preſbyterorum ipſorum groſſis fructibus non donandorum, niſi poſtquam annum unum gratis interfuerint.

5. Nec ſufficit Choro intereſſe, aut horas Canonicas privatim demurmurare, decantandæ illæ ſunt conjunctim cum Choro.

6. Non poſſunt Canonici alii aliis ſuas ſibi abſentias gratificari, aut condonare.

7. Statuto & conſuetudini, ut per tres liberos abſentiæ & induciarum menſes diſtributionibus fruantur Canonici, adverſatur Concilium.

8. Qui graſſante peſte abſunt Canonici, nulla fructuum parte ſpoliantur, nulla fruuntur diſtributionum, niſi ea invaluerit inter eos conſuetudo, ut qui juſtis cauſis abfuerint, lucrentur diſtributiones.

9. Qui docent & docentur in Univerſitatibus, carent diſtributionibus. Si verò reditus omnes in ſolis diſtributionibus poſiti eſſent, earum tertia excidunt parte ex Tridentino Concilio, nulla exciderent ex Jure communi.

10. Epiſcopi qui unà Canonici ſunt Eccleſiæ ſuæ, dum Parochias ſuas circumluſtrant, diſtributionibus non gaudent.

11. Canonici qui ſunt de familia Papæ, vel Epiſcopi, Canonici ipſi duo, qui Epiſcopo viſitanti & obambulanti Diœceſin, vel alibi miniſtrant, fructus quidem illi ſuarum eo tempore Præbendarum adipiſcuntur, nequaquam verò diſtributionum.

12. Ne tum quidem diſtributiones lucrantur, cum prædicant, cum docent, cum Vicarii Generalis munia obeunt.

13. Theologi poſſunt abeſſe extra, diebus illis etiam, quibus non docent; at diſtributionum nihil lucrantur. A Gregorio XIII. definitum eſt, quo

die docent, eo præsentes haberi, & distributiones lucrari. Universim hic autem observandum est, generales has esse Regulas, & Declarationes Congregationis Concilii, quibus adversantur derogantque statuta & consuetudines quorundam Capitulorum.

14. Distributionibus impartiendi non sunt, qui privatim Mysteria celebrant tempore horarum Canonicarum, nec illi qui pias obeunt peregrinationes, quanquam posset trium mensium venia fieri lucrandis Jubilæi indulgentiis; nec qui Canonici cùm sint, Parochiales Ecclesias administrant.

15. In iis Ecclesiis, ubi distributionibus constant reditus omnes, vel pene omnes, eorum tertia pars distributionum naturam induit, & leges subit, ut in præsentes tantum dispensetur. Æstimatur autem totum distributionibus constare, cum grossi fructus triginta Philippæos non excedunt, aut quartam partem distributionum.

16. Possunt absentes distributionibus frui, si Canonici sint Regulares, aut si fundatio ipsa suffragatur, aut statutum à sede Apostolica confirmatum. Nec enim tribus his circumstantiis Concilium derogavit, quas ne attigit quidem.

17. Debentur distributiones Canonicis iis, qui Episcopo comites accesserint sacra visitanti Apostolorum monumenta, ex Decreto Sixti V.

18. Debentur & ægrotantibus, quibus nec Constitutione, nec consuetudine contraria præjudicari potest. Nec aliter res habet in iis qui podagra laborant, qui cæcitate, qui senii caducitate, si modò dum floreret ætas, choro interesse solerent. Ne tribus quidem illis induciarum mensibus imputari potest tempus, quo quis ægrotat.

19. Debentur & tum cum corporalis necessitate infirmitatis prohibitus est quis interesse, si quis sanguinem misit, si pharmacum hausit, si injustè quis in carcerem trusus, si litigio implicatus est.

20. Debentur & iis, qui Ecclesiæ suæ propriæ utilitatibus occupantur, juxta C. *Consuetudinem*, *De Clericis non residentibus*, *in Sexto*. Si verò Caput *Cum non deceat*, *in Sexto*, contra niti videatur, illud Congregatio Concilii de illis interpretata est Ecclesiis, ubi specialis viget consuetudo, ut etiam absentes pro utilitate Ecclesiæ distributionibus fruantur. Quanquam improbata fuerit ea consuetudo à Congregatione. Inde est, quod Archipresbyteri, & aliæ dignitates distributionibus potiantur, quandiu affiguntur Curæ animarum, quæ suæ illigata est dignitati. Inde est & quod Canonicis Septuagenariis, & qui per annos quadraginta Officiis interfuerint, persæpè concedatur, ut etiam absentes fruantur distributionibus. Inde est quod Canonici qui absunt pro negotiis Capituli, qui ministrant Episcopo in Civitate Pontificali pompa celebranti, Theologi dum docent, Pœnitentiarii dum Confessiones excipiunt, lucrantur etiam distributiones.

Fagn. l. 3. Decr. par. 1 pag. 154 & seqq.

XIX. Nec prætereundæ nobis prorsus ejusdem Congregationis Declarationes, quæ ad Parochos pertinent. 1. Curiales ipsis functiones obeundæ sunt, rarò delegandi ad eas substituti, quanquam non Parochi, sed Archipresbyteri, vel Præpositi vocitentur.

2. Nec aliter res haberet, si Parochiarum tenuissimi essent reditus, vel nulli. Navanda opera ut reditus eis comparentur, interim Parochos residere necessum est.

3. Idem dicendum de Parochiis tam vicinis civitati, possit ut quis in civitate studia frequentare, Parochiam quolibet Dominico die adire. In his etiam Parochiis jugis residentia præscribitur.

4. Resideat Parochus, etsi tres tantum quatuorve Parochiani adsint.

5. In Parochiali juxta Ecclesiam domo residendum ipsi est, quanquam proventibus suis non exuatur, si in aliis habitet ædibus Parochiæ suæ.

6. Qui Baptismales administrant Ecclesias, & quibus non alia imminet cura, quàm baptizandi parvulos omnes unius Decanatus, vel Archipresbyteratus, eodem ad residendum vinculo constringuntur & ipsi.

7. Constitutio *Cupientes* Pii V. eos qui ex dispensatione Parochiam tenent cum Canonicatu, vel Dignitate, ac prima etiam Dignitate Capituli Cathedralis, jubet in Ecclesia Parochiali residere; quòd cura animarum munus sit omnium longè præstantissimum; & quòd residentia Parochorum juris sit sanè strictioris, quàm Canonicatuum, vel Dignitatum.

8. At cùm Parochia perpetuò unita est, subjectaque Dignitati, vel Præbendæ, cujus velut accessio jam quædam est, in Dignitatis utique, vel Præbendæ Ecclesia residendum est. Tunc enim extincta quodammodo est Parochia, & in Vicariatum perpetuum traducta. Est enim ea universim tenenda regula, duobus unitis Beneficiis, in principaliori residendum esse: si paria sint, in utro quis volet.

9. Cùm plures Ecclesiæ Cathedrales in Sardinia eversæ fuissent, Canonici quorum Præbendis unitæ fuerant Ecclesiæ Parochiales, appellitabantur illi quidem Canonici, at reapse nec in Cathedrali residebant Ecclesia, nec in Parochiali. Consulta ab Episcopis Congregatio, respondit in Parochiali eos Ecclesia residere debere.

10. Prohibuit Gregorius XIII. ne Canonici Regulares administrandas acciperent Parochias; etiam ad tempus, nisi permittente sede Apostolica, quo tamen jure ex Decretalibus utebantur. Multò minùs ergo Regulares alii id possunt, cùm jure Decretalium ipso ea jam potestate excidissent. Multò minùs possunt Canonici Regulares alia obtinere sæcularia Beneficia, utpote Canonicatus & Beneficia simplicia: cùm jam Decretali, *Super eo*, *De Regularibus*, iis arcerentur. Quod & in Congregatione Concilii confirmatum est. Hinc emicat, non singulos Monachos, sed Conventus quandoque ipsos Monachorum Parochiarum regimine onerari. Unde nec horum Cœnobiorum Abbas, vel Prior Commendatarius residere tenetur, quòd non ipsi incumbat onus Parochiæ & cura, cùm Abbatis vel Prioris personam sustineat, qui ea sarcina non gravaretur. Ideo & sæpius à Congregatione Concilii responsum est, non teneri ad residentiam Abbatem Commendatarium, quando cura animarum Conventui incumbit. Agit quidem Tridentinum de Monasteriis, quibus cura animarum imminet, etiam sæcularium. Sed capiendum illud est de Parochiis unitis Monasterio, & quarum Cura regenda est à Presbytero sæculari.

Fagn. l. 3. part. 2. pag. 187. 188.

In Synodo Mechliniensi anno 1609. declaratum est, Jure divino teneri Parochos ad residendum, nec eo nexu solvi posse, obtentu consuetudinis, vel minoris ovium numeri, vel penuriæ domus in qua habitent. *Parochi jure divino ad residendum obligantur: & non ulla consuetudine, non paucitate ovium, non defectu domus propria eos à residentia excusari declaramus.*

Sess. 6 c. 2. XX. Jam verò Commendatarii residere jubeotur à Tridentino, cùm Beneficia ejusmodi sunt, quibus vel jus, vel consuetudo residentiam illigaverat; aut quibus incumbit exercenda jurisdictio aliqua spiritalis, excommunicandi, suspendendi, interdicendi, absolvendi, visitandi. Congregationi Concilii, & Gregorio XIII visum est, eam residendi necessitatem proficisci à prisco jure, eamque à Tridentino confirmatam fuisse. Tenentur etiam ad residendum, quando ipsis propriè, & non Conventui concredita est animarum cura. *Fagnan. L. 3 part. 1 pag. 221.*

CAPUT XXXV. *P. 1. l. 2. c. 28.*

Ut facilius residerent Episcopi, ex Clero civitatis eligebantur. Non vacabat Ecclesia nisi tres menses. Diebus singulis Dominicis Ordinationes celebrabantur, per priora Ecclesiæ sæcula.

I. Clerici proprii Civitatis extraneis præponebantur.
II. Probationes ex Zosimo Papa.
III. Item & ex Cælestino.
IV. An jure aliquid agnatum sit Presbyteris Cleri proprii.
V. Eligendus erat Episcopus ex Presbyteris, vel Diaconis Cleri Urbani.
VI. Nec Clerus, nec populus de extraneis Clericis testimonium dicere poterat.
VII. Plurimum dabatur ætati, & senectuti, at parum in ea erat momenti, nisi accederent virtutum & meritorum præsidia.
VIII. Penuria proprii Cleri Clerici sæpè extranei adsciscebantur.
IX. X. In Oriente consimilis vigebat Disciplina.
XI. Respondetur objectionibus.
XII. Ultra tres menses vacare non debebat Ecclesia.

I. UT facilius residerent Episcopi, eligendi erant ipsomet ex Ecclesiæ ejusdem Clero, in quem cooptari debebat flos civium delibatus. Cives quippe præferendi erant extraneis in delectu faciendo ad Ordines, ad Beneficia, maximè autem ad Episcopatus; ut non alia cum illis esset patria, quàm Ecclesia propria, hoc ei gemino nexu arctissimè devincirentur, & in ea residerent non facilius tantum & lubentius, sed penè necessariò, & vi quadam ipsius naturæ ineluctabili ea, qua patriam omnes amplexamur.

II. Confirmabat olim Zosimus Papa Lazarum & Herotem, extranei cùm essent & ignoti, Episcopos in Galliis creari non potuisse; ideo & Clerum Populumque eorum ordinationi intercessisse, ut qui de incognitis sibi hominibus testimonium dicere, & suffragium ferre non posset. Ideo denique & ipsosmet ea se abdicasse dignitate, quam retinere nunc tam non possent, quàm nec antè comparare: quod sedis Apostolicæ sententia confirmatum
Epist. 3. fuerat. *Patuit hos inordinatis ordinationibus, plebe Cleroque contradicente, ignotos, alienigenas intra Gallias Sacerdotia vendicasse, quibus se ipsi propria abdicavere sententia, &c.*

III. Ad Episcopos Galliæ rescribens Cælestinus Papa, posita ob oculos Regula Ecclesiæ, ut Episcopos è gremio urbani Cleri deligatur, si quis in eo sit tanto non impar fastigio; ejus regulæ rationes edisserit. Æquata mensura meritorum, non possunt civibus exteri anteponi citra injuriam: Ipsorum est fructus demetere agri, quem excoluere; in eumque irruere non possunt, qui sudoris & operæ nihil contulere, nisi per summum dedecus; æquum est ad celsiores honorum & cœlestis militiæ gradus evehi, qui in inferioribus stipendia fecere, virtutibus laboribusque illustria; ita Clericis urbanis jus est eos propulsandi, qui justissimam spem suam & mercedem intercipere moliuntur, & propriis ipsorum suffragiis ipsos deprimere & dehonestare. *Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur. Habeat unusquisque Clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat; nec alii debitam, alter sibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari; & quos sibi ingredi ex adverso cognoverint, non timeant refutare. Qui etsi non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debeat habere judicium.* *Epist. 2. c. 5*

IV. His Cælestini verbis ali, succendique videtur in animis Clericorum non inhonesta, nec degener spes, per omnes eluctandi Ecclesiasticæ militiæ gradus, cui se industriamque & operam suam omnem dicavere. Quid enim his verbis apertius, disertiusque. *Habeat unusquisque Clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem.*

V. His ipsis porro Cælestini verbis apertè insinuatur deligi debere Episcopum ex Presbyteris, vel Diaconis ejusdem civitatis. Si enim per gradus enitendum erat, Presbyterorum erat, aut Diaconorum, non inferioris Cleri, ad Episcopale culmen assurgere. Erant Diaconi, Presbyterique velut Cooperatores & Consiliarii Episcopi. Itaque in eorum Collegio fingebantur, & præparabantur, qui Episcopalibus aliquando Cathedris sessitarent. Omnibus in Episcopalibus muniis cum Episcopo ipso defungendis, imbuebantur, & roborabantur, ut & ipsi aliquando illa obirent. Hæc nobis Leo Magnus his verbis præivit: *Metropolitano defuncto, cùm in locum ejus fuerit subrogandus, Provinciales Episcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex Diaconibus optimus eligatur.* Quòd Diaconi verò, peræquè ut Presbyteri, aut certè post Presbyteros, ad Episcopatus apicem promoverentur: ex eo id emergebat, quòd impensiùs etiam quàm Presbyteri Episcopos levarent adjuvarentque ministerio in omni & regimine Episcopali. Tritissimum est, Archidiaconum fuisse oculum & manum Episcopi, immo & vices Episcopi plerisque in functionibus sustinuisse. Qui sub Episcopo ergo in partem venerat jurisdictionis & imperii Sacerdotalis, poterat illud ipsum imperium mortuo Episcopo capessere & tractare. *Epist. 84. c. 6.*

VI. Hilarus Papa Episcopis Hispaniæ idem inculcavit, ut ex Urbano Clero Episcopus deligeretur. *Barcinonensibus de suo Clero protinus ordinetur Antistes.* Non poterat unius urbis civibus & Clero satis explorata esse peregrinorum & hospitum vita, ut eo illos testimonio & suffragio prosequerentur, quo creabantur Episcopi. Hinc rursus Cælestinus in suprà laudata Epistola: *Nec emeritis in suis Ecclesiis Clericis, peregrini, & extranei, & qui antè ignorati sint, ad exclusionem eorum, qui bene de suorum civium merentur testimonio, præponantur.* *Epist. 2. 5.*

VII. Docuit nos suprà B. Paulinus Nolanus Episcopus, Felicem illum postea illustri decoratum Martyrio, cùm Presbyter esset Nolanus, ejus

Episcopatum

Episcopatum civitatis, quò vocabatur, deprecatum esse, eumque detulisse Collegæ suo Quinto Presbytero, quòd prærogativa ætatis in Ordine sacro supra se emineret. Integra scilicet hebdomada ante Felicem Quintus Presbyteratu fuerat initiatus. Usitatissimum ergo erat, ut in Episcopum unus ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, & quidem plerumque is accerseretur, qui cæteros etiam ordinationis senio anteibat. Dixi plerumque, quòd in Epistola quadam sua Sidonius Apollinaris luculentissimè declaret, quàm insanirent illi Presbyteri, qui merita & virtutes ætate metiebantur sola, & in eligendis Episcopis plus esse volebant momenti, in ætatis vel ordinationis senio, quàm in eruditionis & virtutum experimentis: quasi splendidius esset vixisse diutiùs, quàm sanctiùs; grandævis his ergo Presbyteris, canities pro sapientia habebatur, & id ætatis cùm essent, volebant gregem sibi credi regendum, cùm vix regere jam se ipsos possent. Ubi his argumentis juniores Clerici seniorum jactantiam retundebant: non deerat senibus loquacitas, qua juvenum impudentiam & petulantiam insectarentur. Hinc persæpè Clerus suæ ipse gloriæ officiebat, & aliis in alios insurgentibus, omnes cùm essent ab ea alienissimi modestia & mutua admiratione & charitate, quam modò in Nolano Clero admirabamur, omnes Episcopatu excidebant, quòd eum omnes ambibant; & quòd reciprocè parum sibi digni viderentur, qui imperarent, omnes extranei alicujus imperio se committebant. Audiendus nunc Sidonius de ea electione, cui ipse præfuerat. *Si Clericum dixero, sequentes æmulantur, derogant antecedentes. Nam ita ex his pauci, quod reliquorum pace sit dictum, solam Clericatûs diuturnitatem pro meritis autumant calculandam: ut nos in Antistite consecrando non utilitatem velint eligere, sed ætatem: tanquam diu potius quàm bene vivere, debeat accipi ad summum Sacerdotium adipiscendum, pro omnium gratiarum privilegia, decoramenta, lenocinamento. Nituntur regere Ecclesiam, quos jam regi necesse est per senectam* Et ibidem: *Plerique Presbyteri non minùs suum, quàm reliquos Ordines pertimescebant.*

Natali 5.

L. 7. Ep. 9.

VIII. Nec reciprocæ tamen semper æmulatio Clericos urbanos Episcopalis sedis spe dejiciebat. Erant & aliæ causæ. Bona fide fateri cogimur, venia Cælestini Papæ, jam inopem quandoque fuisse unius civitatis Clerum, & numero, & merito usque adeo destitutum, ut alterius Ecclesiæ opem implorare, & ab ea Episcopum sibi mendicare necesse haberet. Non semel dictum est suprà de singulari potestate Carthaginensis Archiepiscopi, qua egentibus Ecclesiis ex aliis opulentioribus Episcopos largiebatur, à se prius ordinatos, & suarum Ecclesiarum Clero suavissima quadam vi abreptos. Quin & assentiebantur Africani Episcopi Archiepiscopo Carthaginensi, ut vel ei Ecclesiæ, quæ unum modò, eumque præstantissimum haberet Presbyterum, hunc auferret, & in alterius civitatis transferret Episcopatum; ea scilicet beneficii vicissitudine, ut optimum aliis Ecclesiis surriperet Presbyterum aliquem, quem ei restitueret, quæ suum amisisset. Nihil est in hac charitatis vicissitudine, quod sospicari quis possit Canonibus adversum, quorum finis & scopus charitas est. Successorem sibi eligi curavit Augustinus Eradium sui Cleri Presbyterum. Fuerat & ipse Hipponensis antè Presbyter, mox Episcopus, quanquam Tagastæ natus, tinctus Mediolani. Cùm primùm ordinatus fuit Presbyter, concionari jussus est ab Episcopo suo Valerio, qui Græcus gente cùm

Conc. Carth. 3. c. 57.

esset, prædicandi provinciam sustinere non poterat, nec alium habebat, quem ei muneri præficeret. Suæ ergo penuriam Ecclesiæ aliarum opibus recreavit.

IX. Venio ad Ecclesiam Orientalem, ubi refertur à Theodoreto Epistola Concilii Illyrici ad Episcopos Orientis, ubi perscribitur regula generalis electionum, ut Episcopus assumatur ad regimen Ecclesiæ viduatæ, unus ex eis qui Episcopali jam inaugurati essent ordinatione, & infortunio tamen aliquo Ecclesiis suis sanctissimè administratis spoliati fuissent; vel certè ex Presbyteris: Presbyteri porro & Diaconi è choro eligerentur Clericorum inferiorum: at ne unquam regium Christi Sacerdotium illis permitterent, qui vitam omnem consumpsissent in Officiis sæcularibus militaribusque. *E Magistratibus, qui Episcopatu functi, probata spectataque fide fuerunt, cooptentur; sin autem tales non reperiantur, ex Presbyterorum Collegio: ἐξ αὐτῶ τῶ πρεσβυτερίω: ad eundem modum Presbyteri & Diaconi de ordine sacerdotali sumantur, ut ex omni parte inculpati sint: minimè verò ex Curia, aut militum ductoribus.* L. 4. c. 9.

X. Julius verò Papa in ea ad Orientales Epistola, quam suæ Athanasius Apologiæ II. inseruit, perspicuè demonstrat Arianos gravissimè peccasse in leges Ecclesiæ, cum flagitiorum suorum omnium conscium Georgium Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum præfecerant, quanquam Alexandriæ nec natus fuisset, nec baptizatus, nec cognitus, nec expetitus esset: cùm non alius Athanasio, si tamen is abdicari debuisset, fuisset subrogandus, quàm ex Clero ejusdem urbis, convenienter Canonibus & traditioni Apostolorum. *Ubi istiusmodi Ecclesiasticus Canon, aut traditio Apostolica, in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Athanasio, immittere Georgium, peregrinum & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum à Presbyteris, neque ab Episcopis, neque à populis, eumque Antiochiæ creare Episcopum, atque inde deducere Alexandriam, non cum Presbyteris aut Diaconis civitatis, non cum Episcopis Ægypti, sed cum militibus, &c. Si enim in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem novi Episcopi ita illegaliter, & præter Ecclesiasticum Canonem fieri, sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso sacerdotali ordine, & ex ipso Clero Episcopos Provinciæ constituere, nequaquam autem Apostolorum Canones violare.* Vides ut eligendi ex iis essent Episcopi, qui in eadem civitate fonte lustrali tincti fuissent, quorum inculpata deinceps vita tot spectatores habuisset, & testes, & suffragatores, quot cives; qui denique longo in minoribus Ordinibus tyrocinio posito, jam merito suo totius Cleri magisterio præficiendi essent.

XI. Chrysostomus cùm Antiochiæ annos duodecim Presbyterum egisset, nihilo tamen minus ad Ecclesiæ Constantinopolitanæ thronum accersitus est; ubi ut nemo fuisse dignus existimetur, qui in eum promoveretur apicem, in eo argumenti satis est, quòd plerique ad eum anhelarent. Et Chrysostomus & Augustinus non suæ, sed alienæ Ecclesiæ Pontificatum adepti sunt: ut uterque admirationi magis esset, quàm exemplo; & tam singulari clareceret electione, quàm merito, relaxante Deo ipso Canones, ut præstantissimos Canonum defensores Ecclesiæ suæ daret. Nec enim de legibus & canonicis suis regulis dispensat Ecclesia, nisi ubi suadet utilitas publica, cogit necessitas, probat charitas, cui leges & Canones omnes famulantur.

XII. His residentiæ Episcopalis quasi prælusionibus addi debet ea cura Metropolitanorum, ut ne electionem & ordinationem Episcoporum in Ecclesiis vacantibus ultra tres menses protrahi sinerent. Ita olim sancivit Concilium Calchedonense, constitutis etiam canonicis pœnis in Metropolitanos, qui rem diutiùs prolatarent, nisi ineluctabilis co-
Can. 25. geret necessitas. *Placuit sanctæ Synodo, intra tres menses ordinationes Episcoporum celebrari, nisi fortè necessitas inevitabilis coëgerit tempus dilationis extendi.* Quod ita sanciebatur, ne diu squallere sineretur Ecclesia *vidua*, ita enim Concilium, sed dato propere sponso recrearetur. Erat autem sanè perquam brevissimum id trium mensium tempus, ut cogerentur Episcopi Provinciæ cum Metropolitano, ut absentium suffragia & subscriptiones elicerentur, ut tot dissensiones in Clero & plebe componerentur, ut æqua lance pensitarentur, hinc preces & commendationes, hinc dehortationes & accusationes eligentium, ut denique tam multis & plerumque tam adversis studiis fieret satis. Cùm his difficultatibus extricandis profligandisqua non assignarentur nisi tres menses, hinc patet quanti res periculi sanctissimis illis Patribus videretur, diutiùs Cathedrales vacare Ecclesias.

De legitimis canonicæ Residentiæ exceptionibus. Ac primò de Legationibus, & de commoratione in Aula Regia.

CAPUT XXXVI. *P. 1. l. 2. c. 32.*

De Legationibus Episcoporum per quinque priora sæcula.

I. Ecclesiis suis avelli & abesse Episcopos sinit Sardicense Concilium, dum jussione Principis, aut calamitatibus pauperum urgentur ad Aulam accedere.
II. Possunt abesse & cum vicinarum urget necessitas Ecclesiarum, vel Concilia celebrantur.
III. IV. V. VI. VII. Exempla Augustini, Chrysostomi, Ambrosii, Martini.
VIII. Item Germani Episcopi Autissiodorensis.
IX. Gregorii Nysseni, Gregorii Nazianzeni, Meletii Episcopi Antiocheni, & Eusebii Samosateni.
X. Episcopi à Romano Pontifice & à Patriarchis missi varias per orbem obiere Legationes.
XI. De B. Epiphanio Episcopo Ticinensi.
XII. Summa rationum quæ his Episcoporum Legationibus suffragantur.
XIII. Necessaria hic cautiones.
XIV. Pia peregrinatio Hierosolymitana.

I. Quanquam divino jure constitui videatur, tam residentia Episcoporum, quàm dignitas & ministerium: sunt tamen justæ & necessariæ de ea quandoque dispensandi causæ. Eas nos hîc ex Conciliis & sanctis Patribus aggredimur expiscari. Jubent suprà relati Sardicenses Canones, ut Imperatori pateant Episcopi ad Curiam accersenti. Ex iisdem etiam suprà liquebat, non improbari eorum absentiam, ubi ad Curiam non accedebant, nisi annuente Metropolitano & Comprovincialium Episcoporum Collegio, ad Imperatoriæ munificentiæ ac beneficentiæ rivulos aliquos derivandos in Ecclesias, in pauperes, viduas, orphanos, eosque omnes, quos satis superque Episcopali charitati sua calamitas commendaret. Hoc certè casu mavult Concilium Diaconos ab Episcopo delegari; quanquam ubi gravior esset causa, tum verò ipsius Episcopi dignitas & præsentia desiderabatur, ut liquet exemplo superiùs laudato Flaviani, qui nec canitie sua, nec hiemis asperitate retardari potuit, quin Constantinopolim appropetaret, à populi Antiocheni cervicibus justissimam amoliturus Imperatoriæ indignationis vindictam.

II. Præter hanc geminam justæ Episcoporum absentiæ causam, jussionem Principis, & sive Ecclesiarum, sive pauperum levationem, tertiam iidem ostendunt Canones Sardicenses, necessitates videlicet Ecclesiarum vicinarum ejusdem Provinciæ, aut circumjectarum Provinciarum. Quibus addi possit necessitas adeundi Concilia Provincialia, Universalia, seu Nationalia, & Oecumenica. Hæc omnia forsan complectebatur uno loco Augustinus, cum aiebat sæpe Collegas suos Ecclesiis suis abstrahi, & maria tranare, eidemque se necessitati obnoxium & pariturum fuisse, si per valetudinem licuisset. *Necessaria servitute, quæ Collegas etiam labores* Epist. 138.
marinos & transmarinos compulit sustinere. Excusabat has absentias omnes, immo consecrabat charitas: *Ne videamur januam claudere charitatis*, ut ait Sardicensis Synodus. Una enim cùm sit Ecclesia, unus Can. 3.
quoque est Episcopatus: & cum infremuit dira necessitas, tum verò & potest quilibet Episcopus, & debet omnium Ecclesiarum curam inducere, ærumnas levare; eadem charitate quæ eorum jurisdictioni limites præscripsit ad publicam utilitatem, eos nunc amoliente ob Ecclesiæ publicam necessitatem. Ita nunquam veriùs resident, quàm cùm auspice & duce charitate ita peregrinantur, suppetias ferendis universali Ecclesiæ, quæ sponsa est Christi, cujus & ipsi sponsi sunt conspicabiles, incitati ea charitate quæ tam longè latéque patet, quàm ipsa Ecclesia.

III. Imponebat Augustino sua animi modestia & humanitas; plures & ipse quoque in Provincias spargebat curas flammasque charitatis & sollicitudinis suæ Episcopalis. Non immeritò enim testificatur Possidius de eo, infatigata eum vigilantia universali astitisse Ecclesiæ. *Erat ille præcipuum Do-* In ejus vita
minici corporis membrum, circa universalis Ecclesiæ c. 18.
utilitatem sollicitus semper & pervigil.

IV. Nec dispar Chrysostomi sollicitudo & infinita quodammodo charitas. In vicinas Provincias, quò ejus forsan jurisdictio non exporrigebatur, rapiebat illum æstuans Episcopalis zeli flamma: cùmque Apostolicis arderet virtutibus, zelo, fervore, sollicitudine, eloquentia, doctrina; Apostolorum & ipse more limites omnes transiliebat, nec angusto se gyro sinebat cohiberi. Testem idoneum excitabo Theodoretum. *Atque hoc modo prospexit, non* L. 5. c. 28.
urbi tantùm illi, verùm etiam toti Thraciæ, quæ est in sex Episcopatus divisa: & cunctæ etiam Asiæ, quæ undecim habet Antistites; Ponticam præterea Ecclesiam, quæ eundem habet Episcoporum numerum, quem Asia, eisdem legibus adornavit. Et mox: *Sed de Ecclesiis mo-* C. 31. 33.
re divi Pauli Apostoli, quàm animo sollicito esset, ex his constare potest. Legatione illum fungi jussit Imperator in Thraciam, ad Gaïnæ Tyranni barbariem furoremque comprimendum. Qui terrorem Imperatori, Imperioque incusserat, eum Chrysostomi invicta terruit & deterruit eloquentia. Denique non abs re de Chrysostomo dicemus, quod dixit ipsemet de Eustathio Episcopo Antiocheno, si charitatis suæ ignem in omnes disseminasset Ecclesias,

authores illi fuisse sacros Codices, Quemlibet fidelem suis precibus opitulari debere universæ Ecclesiæ: at Episcopum quemlibet eidem universæ parenti adesse debere omni ope, industria, opera & contentione omni sua.

To. 1. hom. 32 In sanct. Eust. Antioch.

Probè si quidem à Spiritus gratia fuerat edoctus, Ecclesiæ Præsulem non de illa tantum sollicitum esse debere, quæ illi à Spiritu sancto commissa est, sed etiam de quavis in orbe terrarum constituta. Atque hoc ille sacris è precibus colligebat. Si enim pro universa Ecclesia, inquit, fundendæ sunt preces, quæ à finibus ad fines usque pertinet orbis terrarum; multò magis & ejus universæ curam gerere oportet, & de omnibus pariter esse sollicitum, omnibus providere. Idem æstimandum de Chrysostomi profectione in Asiam, quò eum ejus regionis Episcopi invitarant, ubi & sedibus suis excussit simoniacos Episcopos quosdam, in Concilio Septuaginta Episcoporum, consentaneè priscis Canonibus, qui Episcopos hortantur Provinciarum vicinarum, aliis alios laborantibus ferre suppetias.

V. Expeditionibus sacris Flaviani Constantinopolim, & Chrysostomi in Thraciam, apertè proditur, non multum eos discriminis Imperii & Ecclesiæ necessitatibus, aut calamitatibus interposuisse. Eodem imbutus animo, ac zelo Ambrosius, duplici Legatione functus est ad Maximum Imperatorem, primùm quidem ut illum dehortaretur & avocaret à consilio invadendæ Italiæ, opprimendique Imperatoris Valentiniani, adhuc impuberis. Si enim Pupillorum omnium parentes, & tutores sunt Episcopi, quantò amplius charinsque ipsis est, ut sint & Imperatorum, eadem ætatis immaturitate, & rei totius publicè discrimine laborantium?

Epist. 27.

Gloriosum mihi est hoc pro salute pupilli Imperatoris. Quos enim Episcopi magis, quam pupillos debemus tueri? Scriptum est enim, Judicate pupillo, & justificate viduam, & eruite injuriam accipientem: ut sit Ambrosius ipsemet de prima hac legatione sua.

Paulin. in vita Ambr.

Si minùs felicem habuit exitus legatio ejusdem secunda, pari pene de causa suscepta, nihilo minor gloriæ & laudum copia hinc accessit Ambrosio, qui de ferocitate Tyranni Maximi, & de ignavia Ithacianorum Episcoporum triumphum egit. Ea verò tuitio, quam difficillimis his temporibus Ecclesia summis impendit, immo rependit Principibus, vicissitudo quædam & reciprocatio est ejus, qua ab ipsis ea usque defenditur. Non absunt ergo Ecclesiis suis Episcopi, quandiu ita Ecclesiæ universali & Reipublicæ obsequuntur: cùm Ecclesiæ cujusque & universæ, cùm Ecclesiæ & regni tam sint conjunctæ & indivulsæ rationes, quàm cujusque membri & corporis universi, aut si mavis, quàm corporis & animæ.

Quod ad Ambrosium pertinet, jure meritissimo Paulinus in ejus vita à se scripta, Episcopum illum prædicat universalem, qui charitatis quibusdam veluti brachiis amplecteretur Ecclesiam omnem & Imperium ipsum. *Erat illi sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Cui addendus est sanctus Acholius Thessalonicensis Episcopus, qui cœlesti succensus igne, ab his ad illos Ecclesiæ longinquos etiam populos devolabat, ut ne juvenes quidem illum consequi possent.

Epist. 60.

Ita enim contestatur Ambrosius: *Ita percurrebat omnia ex cursu frequenti. Constantinopolim, Achaïam, Epirum, Italiam, ut juniores eum non possent consequi.*

VI. Ut primùm Episcopus ordinatus fuit beatus Martinus, Ecclesia sua discedere, & ad Valentinianum coactus est Imperatorem proficisci. Audi Severum Sulpitium:

Dial. 2.

Eodem ferè tempore, quo primùm Episcopatus datus est, fuit necessitas adire Comitatum. Valentinianus tum major rerum potiebatur. Silet quidem Severus ejus profectionis causas, sed quam sanctæ, quam necessariæ illæ fuerint, non silet Martini sanctitas, vociferantur miracula, quæ tunc divinitus sunt edita, ut ad eum colendum & reverendum compellerentur Imperatores. Sed nec illud Severus tacuit, Martinum perfectis omnibus & impetratis quæ à Principe postulaverat, munera respuisse omnia, & benevolentiæ insignia, quibus honestare illum voluerat Imperator. Cùm denique tam pauper redierit Martinus, quam venerat, planum est profectionem illam charitati datam esse, non cupiditati. *Postremò abeunti multa munera obtulit Imperator, quæ vir beatus, ut semper paupertatis suæ custos, cuncta rejecit.*

VII. Paulò copiosior fuit Severus in edisserendo itinere ejusdem sanctissimi Pontificis ad Maximum Imperatorem. Placare illum Martinus & conciliare studebat nobilibus aliquot viris, qui constantius Gratiani Imperatoris defensioni adversùs Maximum se addixerant.

Dial. 3.

Interea Martinus multis gravibusque laborantium causis ad Comitatum ire compulsus, &c. Palatium petiit, præter multas, quas evolvere longum est, has principales petitiones habebat, pro Narsete Comite, & Leucadio Præside, quorum ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus studiis, quæ non est hujus temporis explicare, iram Victoris emeruerant. Privatis quidem tum Martinus hominibus hanc suam dicabat operam & absentiam. At illorum ea erat nobilitas, fama meritorum, multitudo, innocentia, atque in primis calamitas, ut in his satis esset causæ ad canonicam absentiam & profectionem ejus Episcopi, qui communis esset parens & vindex omnium calamitosorum.

VIII. Sanctissimi Præsules Germanus Altissiodorensis, & Lupus Tricassinus, ab Episcoporum Gallicanorum Concilio Legati sunt in Angliam, cùm ejus insulæ Episcopi opem orassent aliquorum veritatis & Gratiæ Christi Patronorum, adversùs Pelagianos ea in Insula jamdiu bacchantes, & quoquo versum insaniæ suæ virus spargentes.

Constant. in vita S. Germ. c. 19. l. 1.

Ob quam causam Synodus numerosa collecta est, omniumque judicio duo præclara religionis lumina universorum precibus ambiuntur, Germanus & Lupus Apostolici Sacerdotes. Et quantò laboriosior necessitas apparebat, tantò eam promptius heroes devotissimi susceperunt, celeritatem negotii fidei stimulis maturantes. Quàm felix, faustaque Anglis fuit ea legatio, quibus Galli Præsules fœdissimos exemerunt errores; tam splendida Gallis Episcopis, quorum non tam legatio ea fuit, quàm expeditio & victoria. Prostrati sunt vi veritatis Pelagiani, regni hostes armis & acie obtriti, militem animante, & invictum præstante Præsulum oratione. Magnæ Britanniæ liberator Germanus, & ad suos redux, plebem suam reperit Magistratuum vexatione oppressam. Rursum ergo sese itineri commisit, ut Præfectum Galliarum Arelate sedentem adiret, & gregi suo propitiaret.

Ibid. c. 19. &c.

Quasi turus remedia civitati, post marina discrimina labores terrenæ expeditionis ingreditur, &c. Arelatum petens, &c. Expressit ille quidem à Præfecto quæ volebat, at repullulantibus iterum in Anglia Pelagianis, Germanus eò redire exoratus cum beato Severo Episcopo Trevirensi, venit, vidit, vicit hostes Ecclesiæ: & rursum in Gallias se referens, mox à Legatis Provinciæ Armoricæ interpellatus est adversùs incursiones Barbari cujusdam Germani

L. 2. c. 1. 2.

Regis, quem Ætius eorum Præfectus acciverat, ut priorem eorum rebellionem ulcisceretur. Statuit Germanus in Italiam pergere, & ab Imperatore veniam orare rebellibus; virtutibus & miraculis Alpes pervasit, Principem adiit, votorumque compos factus, dum redit Ravennæ, vivendi, & vincendi finem fecit. Incomparabilis Præsulis discursationes omnes editis portentis cœlum approbavit, Ecclesia fastis suis consecravit. Earum aliquæ proprio gregi consulebant, consulebant omnes summi Pastoris gregi universo, quo suus etiam includebatur. Temporali populorum saluti insudabant ejus nonnullæ profectiones, at illum spiritalis & pura, puraque exagitabat charitas, viamque complanabat. Non nesciebat enim, Apostolum ipsum spiritalis charitatis curas & sollicitudines ad temporales etiam fidelium necessitates porrexisse, & Apostolos denique omnes inter ipsa recentissimæ Ecclesiæ cunabula temporali etiam sustentationi eorum semet impendisse, quibus ipsimet prædicatione verbi persuaserant, jam ut ne solliciti essent, nisi de cibo incommutabilis & sempiternæ veritatis.

Ibid. c. 54. 55.

IX. A Concilio Antiocheno post mortem Valentis Imperatoris delegati sunt præstantissimi Præsules, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Eusebius Samosatenus & Meletius Antiochenus, ad circumlustrandas, & refovendas Ecclesias, quas impius persecutor tamdiu obtriverat. Animos addebat Gregorio Nysseno piissima soror & virgo Macrina: *Te ad ferendum auxilium, te ad res constituendas Ecclesia mittunt, & Dei munus non aspicis?* Narrat ipse Gregorius se in Arabiam profectum, ut ejus Ecclesiæ vulneribus mederetur, atque Hierosolymis iret fecisse: *Necesse fuit pro sancto Concilio habito, emendanda Arabia Ecclesia gratia ad loca ista proficisci.* De his Præsulibus infatigata charitate Provincias alias aliasque obambulantibus meritissimò dici poterat, quod ad Gregorium Nyssenum scripserat Gregorius Nazianzenus, cùm Ecclesia sua profugus, regiones peragrabat, & luminis vigorisque Apostolici faces quocumque circumferebat. Nimirum has excursiones Solem imitari, qui rapidissimo suo motu naturam omnem illuminat, vegetatque: aut stellas errantes, quarum errores ipsi, non minus quam inerrantium, & summæ sapientiæ regulis diriguntur, & orbis universi, pulcritudinem, atque incolumitatem tuentur. *Nisi verò quis Solem accuset, quia in orbem currit, radios fundens, atque omnibus rebus quas peragrat, vitam afferens: aut etiam Sydera fixa laudans Planetas vituperet, quorum error quoque ipse compositus est atque concinnus.* Prosequutus est Theodoretus in Historia, quanto fuerint Eusebius Samosatenus, & Meletius Antiochenus plurimis Ecclesiis adjumento, piissimis & sanæ fidei Episcopis ibi ordinandis. Descripsit & Nazianzenus, qua munitus fuerit à Concilio authoritate, ut debellatis Arianis Regiam Urbem & Imperii sedem Christo subjugaret.

Greg. Nyss. in vita beat. Macrina.

Idem de Peregr. Hieros.

Nazianz. Epist. 34.

Carm. de vita sua.

X. Plena est Historia sacra Legationum Episcopalium, quas summi Pontifices destinabant, vel ad Concilia Generalia Orientis, vel ad Patriarchas, vel ad Imperatores, ad præsecandas exorientes hæreses, ad contutandam avitam fidem, ad repurgandam disciplinam, ad pacem restituendam, denique ad ejus momenti res profligandas, ut particularium damna Ecclesiarum Pastoribus suis interim orbitarum, abundè resarciret utilitas Ecclesiæ universalis. Tot pene occursant in Annalibus Ecclesiæ harum Episcopalium Legationum exempla, quot causæ majores. Fungebantur & aliorum Patriarcharum legationibus Episcopi. Quæ quanquam rariores fuerint superioribus, fuere tamen frequentissimæ.

Vide Theodoret. l. 5. c. 23.

Pallad. in vita Chrys.

XI. Venio ad B. Epiphanium Ticinensem Episcopum, quem nuper ejus Ecclesiæ sarcina honestatum, Ricimer & universa Liguriæ nobilitas, periculosissimam obire legationem compulere ad Anthemium Imperatorem, qui Romæ tunc sedebat: à quo & pacem insperatam elicuit, festinavitque Paschæ diem solennem ut in Ecclesia sua celebraret. Anno elapso missus est Legatus à Nepote Imperatore Tolosam ad Euricum Regem Visigothorum. Pacem & ab Ariano Rege reportavit, qua difficile dictu est quanto Italia tota perfusa sit gaudio. Paucis post annis invasit subegitque Italiam omnem Theodoricus Gotthorum Rex, cruentoque Edicto privilegiis omnibus populo Romano concessis spoliavit eos omnes, qui suis partibus non adhæserant, reliquis omnibus testandi jure exutis. Innumerabiles familiæ his edictis afflictæ accisæque Epiphanium interpellarunt ut sequestrem se ageret pro salute Italiæ ad Principem Arianum. Socium se illi addidit Laurentius Episcopus Mediolanensis, una Ravennam advenientes à Theodorico generalem ἀμνηστίαν, seu præteritorum Abolitionem impetravere. Expertus Theodoricus quantum esset virium in divina Epiphanii eloquentia, singularique prudentia ad expugnandas summorum Principum quantumvis obstinatas voluntates, illum ablegavit ad Gundebaldum Burgundionum Regem, ut de Captivorum multitudine libertati restituenda cum eo pacisceretur. Rursum penetravit Alpes, parique felicitate extudit quod petebat, redditis libertati captivis omnibus, pluribus etiam gratuita largitate. Via interlapso biennio Ligures publicis exactionibus gravati, nec ferendo oneri pares, illum denuo compulere, ut ad Theodoricum proficisceretur, aliquid levamenti expressurus. Ejus sanctitatis & meritorum contemplatione remisit Theodoricus bessem, seu duas tertias partes exactionum. Sola morte interruptæ & repressæ sunt Legationes charitatis Episcopalis, verè infatigatæ.

Ennodius in vita Epiphanii.

XII. Ubi caliginis aliquid & dubitationis offusum est divinis Litteris Legibusque, non alios fas est locupletiores illustrioresque asciscere, aut consulere interpretes, quam Episcopos illos & Doctores priscos Ecclesiæ, à quibus ceu syderibus illustrata est jam olim, & quorum etiamnunc radiat Ecclesia exemplis scriptisque. Quidquid hactenos corrasum est à nobis de Chrysostomo, de Flaviano, de Martino, Ambrosio, Germano, Epiphanio, invictissimi & ineluctabilis vim & instar habet argumenti, quo persuadeatur, quanquam juris divini sit residentia Episcoporum, esse tamen causas & vices ejusmodi rerum & temporum singulares, ubi qui contumacius residere persisteret, is litteræ magis, quàm menti legis obsequeretur, fructusque residentiæ residentia ipsa sua disperderet. 1. Propriæ Ecclesiæ necessitates istam quandoque extorquent Episcopi absentiam, & peregrinationem, ut in Flaviano perspicuum fuit, in Germano & Epiphanio. 2. Temporales etiam nonnunquam aliarum Provinciarum necessitates sanctissimos Episcopos cogunt aliquandiu suis se divellere Ecclesiis, ut in Epiphanio & Germano. 3. Calamitates Imperii publicæ, quibus ipsa demum implicaretur Ecclesia, eandem quandoque vim adferunt, ut in Chrysostomo, Ambrosio, Epiphanio paruit. 4. Privatorum etiam hominum nonnunquam ærumnæ, nobilitate, digni-

tate, multitudine spectabilium, cùm accederent & aliæ causæ, quibus emollirentur paterna Episcoporum charitatis viscera, longinquis illos itineribus laboribusque implicuere, ut in Martino cernere est. 5. Vicinarum etiam Ecclesiarum incendia, & clades Episcoporum Episcopales adduxere Synodos, ut præstantissimos eò delegarent Episcopos, qui aut hæreseos serpentis, aut belli grassantis flammas restinguerent.

XIII. Sed ne quis unde medicas debuit, inde venenatas demetat herbas; Adverto, 1. Episcopos hos pietate & sapientia claros hæc sæpissimè munia refugisse, nunquam ambiisse; nec isse nisi jussos vel à Conciliis, à Pontificibus, ab Imperatoribus, à Principibus, vel ab iis etiam populis, quibus ipsa sua calamitas authoritatem & venerationem addebat: suum verò in his Legationibus nihil habuere, nisi obediendi gloriam, charitatem, commiserationem, intrepidamque & infatigatam fortitudinem in salute fratrum procuranda. Quæ omnia cum primis perspicua sunt in illis omnibus, quos suprà laudavimus Præsulibus. 2. Ad has Legationes spinosas cum primis, & periculis vallatas, eorum Episcoporum electa est industria & sanctitas singularis; cùm non essent inter Laicos ea ulli sanctitate, prudentia, dexteritate, fidei fama, animi fortitudine, quali isti Antistites, qualem res ipsæ desiderabant, qualis tam fælices eventus polliceri posset. Sola fama sanctitatis horum Antistitum barbari plerumque Principes, & Ecclesiæ Christi infensi, mollescebant, exarmabantur. Id diligenter animadversum est ab Ennodio de Epiphanio, à Paulino de Ambrosio, à Severo Sulpitio de Martino, de Chrysostomo à Theodoreto. 3. Excursiones eæ erant rapidæ & breves, quibus expletis pari celeritate suis se gregibus reddebant. Itaque hæ absentiæ, sicubi essent frequentes, erant certè breves, ut Pastoris & gregis hinc videretur magis & magis mutua recalescere charitas. 4. Ex his Legationibus nihil privati commodi ad hos unquam redit Episcopos, quod aut ipsis, aut eorum proximis prodesset. Fructum unum illi hunc maximum suorum capiebant laborum, labores ipsos pro Christo & Ecclesiis exhaustos, voluptatemque spargendi huc atque illuc incendia suæ charitatis.

XIV. Aberant & olim suis quandoque Ecclesiis Præsules piarum occasione peregrinationum; maximè verò ubi Hierosolymam undique confluebant. Alexander Cappadociæ Episcopus Hierosolymam adiit, orationis gratia, & sacra Christi vestigia terris impressa adorandi. εὐχῆς, καὶ τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκεν. Monitis cælestibus ibi comprehensus, & Narcisso jam grandævo Hierosolymorum Episcopo successor datus est. Author est Hieronymus innumerabiles pene Episcopos jam inde ab ortu Ecclesiæ ventitasse, & etiam tum diebus singulis ventitare solitos Hierosolymam, quasi sapientiæ & justitiæ cælestis fontem ebibere iis maximè vellent locis, quæ ipsamet olim consecravit nostræ carnis induta exuviis. *Longum est nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat.*

Euseb. l. 6. c. 11. Hieron. in Script. Eccl.

CAPUT XXXVII. *P. 2. l. 2. c. 48.*

Legationes & jussio Principis, justæ residentiæ exceptiones, sæculo VI. VII. & VIII.

I. II. III. Probationes ex Canonibus & legibus, posse Imperatores & Reges evocare, & aliquandiu in Regia Episcopos distinere.

IV. Sacerdotale quodammodo sibi Regnum Clodoveus Rex temperavit, ascitis in sua Consilia Episcopis, quod B. Remigius illi suaserat.

V. Nova ex Conciliis argumenta ad eam Regni & Sacerdotii conjunctionem & familiaritatem.

VI. Probationes ex Gregorio Turonensi.

VII. Varia exempla sanctissimorum Episcoporum, Regiis Consiliis inscriptorum, & ipsi Ministerio addictorum.

VIII. IX. X. Alia & alia ejusdem rei exempla conglobantur.

XI. Exempla Legationum, ubi Regni & Ecclesiæ necessitas urgebat.

XII. Pontifices ipsi quandoque Legationes obiere: obiere & eorum jussu Episcopi.

XIII. In Anglia frequentes, & Ecclesiæ æquè compendiosæ fuere Episcoporum Legationes.

XIV. Germana his in Germania exempla.

XV. Leges Justinianeæ his consentaneæ. Legatio admiranda Gregorii Patriarchæ Antiocheni.

I. JUssione Imperatorum & Regum accersiri ad Aulam Episcopi satis justas habuere persæpè causas non residendi. Argumento sunt quæ à nobis alibi depromuntur decreta Toletanorum Conciliorum VII. & XIII. Iis enim jubentur viciniores Episcopi singulis singuli mensibus Toleti mensem unum agere, non tantùm ut adsint Metropolitano, sed etiam *pro reverentia Principis, ac Regiæ sedis honore.* Cogebantur præterea advolare, quoties à Rege vocabantur, ut in commune de Regni & Ecclesiæ negotiis difficilioribus consilia agitarentur. *Causa salutis alicujus, vel collationis necessariæ, sive pro quibuslibet ordinationibus Principis.* Justinianus ipse in Novellis suprà de Residentia allatis, excepit semper ineluctabiles illas necessitates, ubi Imperator Episcopos ad se vocat.

II. Iniquo ferebat animo Gregorius Magnus, si qui Episcopi inconsulto Metropolitano ad Curiam Regiam proficiscerentur. *Illud nobis omnino displicuit, quod aliquos Episcoporum sine Primatis sui Epistolis ad Comitatum profectos esse significas.* Alibi etiam Sardiniæ Episcopos insimulat, quòd injussu Metropolitani mare trajicerent, quod per Canones non possent, nisi querelarum aliquid de Metropolitano ipso suo apud Sedem Apostolicam ut effunderent. Ex alibi declaratis Justiniani Novellis demonstratum est, nihil eum in prætentis reliquisse, ut à petenda urbe Regia Episcopos abduceret, nisi ratio & necessitas ejusmodi aliqua urgeret inexorabilis, cui Patriarcha & Metropolitanus subscriberet. Itaque non is erat Justinianus, qui Episcopos sedibus & Ecclesiis suis exciri & evocari vellet, nisi ubi cogeret necessitas.

L. 7. Ep. 62. L. 7. Ep. 8.

III. Ex Concilii Agathensis decreto possunt Metropolitani Episcopos Provinciæ suæ convocare, vel ad Concilium, vel ad Episcopi ordinationem, ut subducere se omnino non possint, nisi via aliqua morbi vehementior illos lecto affixerit, vel præceptio Regia aliò vocet. *Ad constitutum diem adesse non differant, excepta gravi infirmitate corporis, aut præceptione Regia.* *Can. 35.*

IV. Vetuit quidem Concilium Aurelianense I. ne Abbates, Presbyteri, Clerici denique omnes ad

Comitatum Principis pergerent, ut ab eo beneficii & gratiæ aliquid consequerentur, nisi permittentibus Episcopis. Porro Episcopos eadem necessitate consensûs à Metropolitano suo eliciendi minimè constrinxit.
Can. 7. *Abbatibus, Presbyteris, omnique Clero, vel in Religionis professione viventibus, sine discussione vel commendatione Episcoporum, pro petendis Beneficiis ad dominos venire non liceat.*

Non abludit à vero Clodovæum Regem B. Remigii consiliis obsequutum, Episcopos ad sua sibi adscivisse Consilia, atque ita novam quandam Ecclesiæ Gallicanæ formam & venustatem induisse, ut quæ jam majestatis Regiæ lumine & gloria tota resplendesceret, & singulari jam quadam ratione Regnum esset sacerdotale, aut Regium Sacerdotium. Deinceps ergo nulli obices, nulli limites objici poterant, quin conjunctio quædam nova & familiaritas Episcopos, hoc est, suos Regi Consiliarios conglutinaret. Audienda verba nunc B. Remigii Epistulæ ad Clodovæum Regem hac ipsa de causa
Conc. Gall. To. 1. pag. 175. exaratæ. *Consiliarios tibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare: Et Beneficium tuum castum & honestum esse debet, & Sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum consilia semper recurrere. Quod si tibi bene cum illis convenerit, Provincia tua melius potest constare.* Ex B. Remigii Francorum Apostoli notissima sanctimonia ritè auguramur, cùm Episcopos ad Consilia asciscceret Regia, & vinculis tam arctis Regnum Ecclesiamque connecteret, non aliud eum animo suo molitum esse, quàm ut utrique gloriam accerseret & firmitatem sempiternam.

V. Exinde ut Episcopi à Regibus ad primarias Regni dignitates, & ad illustria quæque munia adoptati sunt, ut in omnem civilem administrationem Evangelicæ sanctimoniæ aura se quædam diffunderet: ita & ab Episcopis admissi sunt Reges in ipsa quodammodo Ecclesiæ penetralia, ut Christi nomini & Religioni tum reverentia, tum tutela major accederet Regiæ potestatis præsidio. Hinc illa de qua suprà suo loco copiosè dictum est, Regum authoritas in electionibus Episcoporum. Hinc in Lugdunensi III. Concilio, cùm Natale Domini & Pascha præciperentur Episcopi suis semper in Ecclesiis peragere, excipiebantur ii, quos Rex mandatis suis alibi detineret.
Can. 5. *Ut nullus Episcoporum Natalem Domini aut Pascha alibi nisi ad Ecclesiam suam præter infirmitatis incursum, aut ordinem Regium celebrare præsumat.* In Concilio Cabilonensi Abbates & Monachi prohibentur nisi permittente Episcopo sese Regi sistere. In Concilio Liptinensi statutum est, ut unus & alter Episcopi Principi adhærescerent ad exercitus suos proficiscenti, cum idoneo Presbyterorum numero, cæterorumque ministrorum, ad Mysteriorum celebrationem.
Cap. 2. *Unum vel duos Episcopos cum Capellanis & Presbyteris eorum Princeps secum habeat: & unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare pœnitentiam possit.* Sulpitius Dulcis, qui Bituricensi postea floruit Præsulatu, postulatus à Rege Clotario fuit, & ab Episcopo suo permissus, ut in ejus Castris Abbatis functiones impleret. Ita enim Scriptor ejus vitæ: *Petiit ab Episcopo, ut pro sua & exercitûs sui salute permitteret virum beatum in ipsius castris, Abbatis fungi officio.*

VI. Sed quàm non improbaretur sanctissimis Episcopis, & Episcopalis vigoris retinentissimis mira hæc Regiæ & Episcopalis authoritatis societas temperiesque, facillimè colligetur ex Gregorii Turonensis Episcopi verbis ad Regem Chilpericum in Concilio Parisiensi, ubi tum causa ventilabatur Episcopi Rotomagensis Prætextati. Nemo nescit, nisi valde hospes in Annalibus Ecclesiæ, quantum Gregorius explicuerit zeli & vigoris ad collegæ sui defensionem, ad Canonum tuendam vim, ad Regis iram tum maximè effervescentem cohibendam, ad Coëpiscoporum denique pusillanimitatem exprobrandam, erigendam roborandamque constantiam. Et tamen vel hic ipse Gregorius confessus est, Regem quidem nonnisi unius subesse Dei judicio, qui incorrupta veritas & justitia est: at penes ipsum esse potestatem corripiendi & emendandi Episcopos, si quid gravius quandoque peccent. *Si quis de nobis, ô Rex! justitiæ tramitem transcendere* Hist. l. 5. c. 19.
voluerit, à te corrigi potest: si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi: sed si volueris, audis, si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiat esse justitiam? Defensores, custodes, executores Canonum cùm sint summi Principes, hinc illis authoritas corripiendi Episcopos, cum undique ut à Metropolitanis & Conciliis judicentur, subeantque pœnas canonicas, adeoque & civiles, si civiles quoque leges in Canonum reverentiam armandæ sint. Hinc porro liquidum est, per Canones & per leges adeo civiles licere debuisse summis Principibus, ut Episcopos ad se vocarent, & secum retinerent, quandiu vel Regni cura, vel disciplina Ecclesiæ posceret.

VII. Ad Clodovæum Regem scripsit B. Remigius præstò se esse, ut vocatus ad eum properaret, nec hiemis inclementia deterritum se iri. *Si jubetis ut vadam, contempta hyemis asperitate, ad vos venire contendam.* Cùm Clotarius II. Rex nonnihil à Da- Du Chesne Hist. Fran. To. 1. pag. 549.
goberto Rege filio dissideret, super juribus Austrasiæ, placuit utrique Regi rem delegari duodecim arbitris, ex Episcoporum vel Optimatum Regni Collegio. In eo numero fuit B. Arnulphus Metensis Episcopus, idemque cum primis tempestivus pacis inter Reges conciliandæ author. *Electis igitur* Ibid. p. 576. 580. 582. 585.
ab his duobus Regibus, duodecim Francis, ut eorum disceptatione hæc finiretur contentio, inter quos & dominus Arnulphus Pontifex Metensis cum reliquis Episcopis eligitur, ut benignissimè, sicut sua erat sanctitas, inter patrem & filium pro pacis loqueretur concordia: tandem à Pontificibus vel sapientissimis viris Proceribus, pater pacificatur cum filio. Erat Arnulphus in Regni Ministerio princeps, & in Consiliis Regiis Dagoberti I. secundus ab illo Pipinus senior. *Ab initio quo regnare cœperat, consilio primitus B. Arnulphi Metensis Episcopi, & Pipini Majoris domus usus, tanta prosperitate regebat, &c.*

Vocabantur & Episcopi alii ad Consilia Regia, eorumque consilio usus Rex Judæos omnes Regno facessere jussit, qui sacro fonte tingi detrectarent. *Cum consilio Pontificum atque sapientium virorum, omnes Judæos qui regenerationem baptismatis recipere noluerunt, finibus Regni sui pellere jussit.* Eorum hortatu Metense Regnum filio Sigeberto dedit, ac protinus Cunibertum Coloniensem Episcopum & Adalgisum Palatii Ducem designavit, ut habenas regni junioris Regis moderarentur. *Dagobertus Rex Metis urbem veniens, cum consilio Pontificum, seu & Procerum, omnibusque Primatibus Regni consentientibus, Sigebertum filium suum in regno Austriæ sublimavit, sedemque Metis civitatem habere permisit. Cunibertum verò Coloniæ Pontificem, & Adalgisum Ducem Palatii ad Regnum gubernandum instituit.* Testamenti sui tabulas subscribi voluit ab Episcopis, Abbatibus & Optimatibus, quos ad Generalem Conventum

coïre jusserat. *Placitum generale instituit, &c. Omnibus qui adestis Episcopis, Abbatibus, Proceribus, atque magnificis viris jubemus, vestris subscriptionibus vel signaculis affirmare.* Cunibertus is ipse sanctitatis laude inclytus Coloniensis Episcopus, Compendium missus est cum Majore Palatii Pipino, ut thesauros Dagoberti Regis inter Reginam conjugem ejus, & Reges filios partiretur. Clodovæus II. qui alter fuit filiorum Dagoberti, fuit & ipse observantissimus Episcoporum, eorumque consiliis addictissimus. Comitia statim Regni Aureliæ congregavit, Majoremque Palatii Regni Burgundici ex consilio & suffragatione Episcoporum & Magnatum designavit. *Omnes seniores Pontifices cum Ducibus & Primoribus Regni ad se venire præcepit, Flaucatum Majorem domûs statuit, Pontificum & Ducum electione hujusmodi honoris gradu eum stabiliens.* Nec illud sileri debet, ubi ad Episcopatum vocatus est Arnulphus, eum irruentis populi vi raptum fuisse è Palatio Regis Theodeberti, ubi Majorem Palatii agebat, & principem Regni Ministrum. *Rex licèt haberet hunc inter amicos amicissimum, & inter Consecretales secretissimum, cùm esset etiam Palatii rector, & audiendorum reddendorumque Consiliorum primus auditor.* Ut ex Ministris Regiis ad Episcopatum rapiebantur aliqui, ita & ex Episcopis ad Regium Ministerium cooptabantur. Ita habet author vitæ B. Clodulphi.

Ibid. p. 587. 592. Le Cointe. ad an. 615. n. 2.

VIII. In sacris Ecclesiæ Fastis ascripti fulgent Pipinus Major Palatii, Arnulphus Episcopus Metensis, & Cunibertus Coloniensis Episcopus. Ita ne ambigi quidem potest, quin summo Numini probaretur ea Reipublicæ administratio, in qua tantum tribuebatur Episcopis; cùm vicissim Regibus id daterent, ut ab Ecclesiis suis Episcopos quandoque abstraherent, & ad gubernacula sedere juberent, regendis Ecclesiis Regni universis. Hæc erant tum castissima & à terrenis affectibus defæcatissima consilia Regum, Ministrorum Regiorum, & Episcoporum, si qua fides authori vitæ B. Pipini Majoris Palatii, qui eam Majoris Palatii dignitatem sustinuit sub Regibos Clotario II. Dagoberto & Sigeberto. *Dux & Major domus, qua dignitate modicè differente à sublimitate Regia præditus studebat ad lineam divina justitia omnes judiciorum suorum sententias dirigere; quæ res hinc maximè arguitur, quòd B. Arnulphum Metensium Pontificem, Consiliorum suorum vel negotiorum socium assumebat. Si quid enim litterarum ignoranti animus cæcutierat, ille quasi fidelissimus divinæ voluntatis interpres rectissimè enuntiabat: qui & sacrarum Scripturarum scientia eruditus erat, & ante Pontificatum hanc eandem dignitatem irreprehensibiliter administraverat. Defunctoque prædicto viro, B. Cunibertum Coloniensem Antistitem, pari sanctitatis fama illustrem, curabat in hac negotiorum administratione participem habere.*

Ibid. p. 594.

IX. Sub Childerico II. Regni clavum moderabatur B. Leodegarius Augustodunensis Episcopus, ea de causa in Palatio sedem figere jussus. *Sanctum Leodegarium, eò quòd cognoverat præ omnibus sapientiæ luce esse conspicuum, secum assiduè retinebat in Palatium.* Episcopali prorsus magnanimitate Leodegarius, graviùs delinquentes ita objurgabat, ita Evangelicam censuram in Reges ipsos distringebat, ut persecutores sibi consciverit eos, vel potiùs summæ & cumulatissimæ martyrii gloriæ authores. *Et quia sacerdotalis integritas minas Regis nescit metuere, Childericum cœpit arguere, cur consuetudines patrias, quas converti in melius præceperat, tam subitò immutasset.* Scriptor aliquis vitæ ejus narrat ut Childerico sceptrum asseruerit, nequicquam contrà nitente Ebroino Majore Palatii, qui Theodorico fratri ejus favebat: denique voluisse Childericum ut Major ipsemet esset Palatii, censorque & emendator tum morum, tum Legum publicarum. *Childericus Leodegarium Episcopum omni domui suæ præfecit, & in omnibus Majorem domûs esse voluit. Is ergo ea accepta potestate, quidquid adversus priscorum Regum, & magnorum Procerum leges comperit ineptè introductum, uno esset vita & moribus inculpatis, ad pristinum reduxit statum.* Uno martyrii sui cruore facilè abstersisset sanctissimus Episcopus obtrectationes & calumnias eorum, quibus minùs placet quòd Regni ministerio implicatus fuerit, & tandiu in Regia demoratus sit. Est enimvero expeditissima ea ratio constituendi Christi Imperii in ipsis terrenorum Regum soliis, & humanarum regiarumque omnium Legum ad normam Evangelicæ Legis revocandarum, si terrena Imperia regantur consiliis Apostolicorum Præsulum, quorum tam incorrupta probitas, charitas tam invicta est, ut Aulæ contagio afflari inficique ipsa non possit, possit verò ipsa odore Christi sanctimoniæ Aulam totam conspergere. Scriptor vitæ sanctæ Bathildis Reginæ Regnum Clotharii III. administratum fuisse testatur opera Ebroini, & Chrodeberti Parisiensis Episcopi consiliis, atque B. Audoëni Archiepiscopi Rotomagensis.

Ibid. p. 602. 603. 618.

Le Cointe. ad an. 670. n. 3.

X. Paucissimi Episcopi in Palatio Regum demorari jubebantur, ut cum fœnore dispendia compensarent privatæ suæ Ecclesiæ, iis compendiis ornamentisque, quæ universali Ecclesiæ conciliabant. Sed omnes propemodum Episcopi cogebantur stris discedere ab Ecclesiis, ut ad Generalia Regni Comitia venitarent, pene dixerim Concilia Nationalia, vix enim quidquam hæc ab illis discrepabant; quippe cùm ibi de gravioribus omnibus negotiis, sive Ecclesiasticis, sive Civilibus deliberaretur. Verùm sejunctim & copiosiùs hæc totâ quæstio veniet disceptanda.

XI. Venio ad Legationes ab Episcopis Regum jussione aditas. Elaphius Catalaunensis Episcopus in Hispaniam missus est propter negotia quædam Reginæ Brunechildis. *Propter causas Brunechildis Reginæ in Hispaniam in Legationem directus*, ut loquitur Gregorius Turonensis. Childebertum & Chilpericum inter Reges diu tractata, tandem perfecta pax est per commeantes ultro citroque Legatos, plerumque Episcopos. *Egidius Remensis Episcopus, cum primis Childeberti Proceribus, in Legationem ad Chilpericum Regem venit, &c. Chilpericus Rex Leudovaldum Episcopum cum primis regni sui direxit, qui dato susceptoque de pace sacramento, pactionibusque firmatis, numerati regressi sunt.*

L. 5. c. 41. L. 6. c. 3.

Quis non videt Regni pacem pernecessariam Ecclesiæ esse, & quodammodo magis quàm ipsi Regno necessariam. Nihil ergo tam Episcopale, quàm per Regna & Provincias discursare Pastorali sollicitudine, ad pacem Regnis & Imperiis sanciendam. Idem Egidius Remensis Episcopus ad Guntramnum Regem à Childeberto ablegatus est. Cùm in regnum Guntramni irrupissent Brittones, latéque omnia populati essent, mox pœnitudine ducti, itaque & vindictam Regiam ac bellum deprecantes, ad omnia se præstò fore obsequia pollicebantur. Rex mitissimus Aurelianensem & Cenomanensem Episcopos ad eos misit, qui de eorum pace componenda agerent. *Rex dirigit illuc Legationem, id est, Namatium Aurelianensem, & Bertramum Cenoma-*

L. 7. c. 34. L. 9. c. 18.

nensem Episcopum, cum Comitibus & aliis viris magnificis. Cùm in dissensiones & prælia tandem ituri viderentur Guntramnus & Childebertus Reges, Childebertus Episcopos ad Guntramnum delegavit, in quibus erat & Gregorius Turonensis; horum denique interventione, pax utrique chara, utilisque coaluit. *Inter eos mediantibus Sacerdotibus, atque Proceribus, Deo medio, charitatis studio, sedit, complacuit, atque convenit, ut, &c.* Verba hæc ipsissima sunt fœderis, cujus Episcopi mediatores fuere, illa ipsa charitatis vi Ecclesiis suis abstracti, quæ summum & æternum Pontificem Patris è sinu in terras dejecit, ut & æternæ pacis sequester esset.

L. 9. c. 20.

XII. Nec ab his Legationibus abhorruisset Gregorius Magnus, cùm ipsemet Constantinopoli tam arcta necessitudine devinctus fuerit Leandro Episcopo Hispalensi, qui eò Legatus venerat Visigothorum Hispaniæ Regum, cujus etiam precibus ad donavit, ut immortale opus illud exararet Moralium in Job. *A fratribus enixè rogatus, maximèque à Leandro Hispalensi Episcopo, qui pro causis Visigothorum Legatus eodem tempore Constantinopolim venerat, compulsus est, ut librum B. Job multis involutum mysteriis enodaret.*

Ioan. Diac. in ejus vita. L. 1. c. 27. Dialog. l. 3. c. 31. Cassiod l. 12. c. 20.

Agit Gregorius ipse alicubi de Legationibus quas obierant summi Pontifices prædecessores sui Joannes & Agapetus, Constantinopolin profecti, *exigente causa Gothorum*, ubi & Legationem suam divinis quibusdam ostensis illustravere. Fusiùs prosequitur Anastasius Bibliothecarius, quibus stimulati causis Theodoricus & Theodahatus Gothorum Reges hos potissimum summos Antistites Constantinopolin delegarint, ad gentis suæ pacem ab Imperatoribus eliciendam.

In Epistola ad Annacharium Altisiodorensem Episcopum data Pelagius II. quòd in Consiliis Regum sublimes sederent Episcopi, id ille quidem non molestè fert; sed illud expostulat, quòd non strenuè satis decertarent ad prævertenda, aut infringenda Regum nostrorum connubialia fœdera cum hostibus Ecclesiæ. *Cavete ne caritatis vestræ levitas arguatur, qui Regibus vestris, & in fide, & in consiliis vestro Sacerdotio sic devotis, suadere talia, aut negligitis, aut differtis.* Tota hîc à capite ad calcem retexenda esset Ecclesiæ historia, si pernumerandas aggrederemur Legationes omnes summorum Pontificum ad Imperatores Orientis Episcopos missitantium, ac vicissim Imperatorum Orientales suos Episcopos ablegantium ad summos Pontifices. Illud universim compertissimum est, majoris quæque molis negotia inter Pontifices & Imperatores, inter Occidentales & Orientales Ecclesias, non aliter ferè unquam profligata fuisse, quam mutuis Episcoporum huc illucque commeantium Legationibus.

XIII. Obmutuit hactenus Anglia, sed nemini non exploratissimum, & præjudicatum est, ejus disciplinam à Gallicana, & Romana dissidere non potuisse, cùm inde hausta & derivata sit. Jussus est à Gregorio Magno Augustinus interpretes è Gallia abducere secum in Angliam, ubi statim reperit Reginam, Francorum Regum stirpe editam, cui dux & comes esset additus Episcopus Gallus, tota utrique libertate concessa Religionis Christianæ, Catholicæque. *Nam & antea fama Christianæ Religionis ad Regem pervenerat, utpote qui & uxorem habebat Christianam de gente Francorum Regia, nomine Bertham, quam ea conditione à parentibus acceperat, ut ritum fidei ac Religionis suæ, cum Episcopo, quem ei adjutorem fidei dederant, nomine Luidhardo, inviolatam servare, licentiam haberet.*

Beda. l. 1. c. 25.

Hæc Beda, qui & infra commemorat, Eduinum Northumbriæ Regem, cùm eadem ratione duceret Edelburgem, filiam Edelberti Cantiæ Regis, potestatem ei plenissimam fecisse colendæ Christianæ Religionis cum Episcopo Paulino, qui ordinatus fuerat eo consilio, ut cum illa in regio Palatio resideret. *Promittitur Virgo, atque Eduino mittitur, & juxta quod dispositum fuerat, ordinatur Episcopus vir Deo dilectus Paulinus, qui cum illa veniret, eamque & Comites ejus ne Paganorum possent societate pollui, quotidiana exhortatione & sacramentorum cœlestium celebratione confirmaret.* Habes hic duos in Aula sedentes Episcopos, immo & ad id ordinatos, tam auspicato, ut novam ibi Anglorum hactenus Paganorum Ecclesiam condiderint.

L. 2. c. 9.

XIV. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus, ille jam nobis toties memoratus, & posthac memorandus, in sinum pii & juxtà docti Episcopi Danielis effudit animi sui curas & anxietates, quod in Aulam Francorum Regum adire non posset, quin illis congrederetur & se permisceret Episcopis, quorum consuetudine uti sibi per Canones haud liceret: cùm non posset aliundè Galliæ Regum tutela & defensione carere, si Clero Monachisque suis consultum vellet, & facilem cuperet aditum ad Paganas gentes, quarum sibi prædicatio commendata esset. Ex quo patet, si sint Episcopi in Aula Principum, nulla necessitate eò compulsi, sed mero opum & honorum, vel vanitatis aucupio: esse & alios, qui non possint illi subducere se, nisi ingenti Rei Christianæ detrimento. *Nam sine patrocinio Principis Francorum, nec populum regere, nec Presbyteros, vel Diaconos, Monachos vel Ancillas Dei defendere possum; nec ipsos Paganorum ritus; & sacrilegia illorum in Germania, sine illius mandato & timore prohibere non valeo, &c. Timeo majus damnum de prædicatione, quam populis impendere debeo, si ad Principem Francorum non venero.* Accessit ergo Præsul Apostolicus ad Aulam Regiam, & tuitione Regia haud ægrè communiri se impetravit. *Cognoscatis qualiter Apostolicus vir in Christo Pater Bonifacius Episcopus ad nos venit, & nobis suggessit, quod sub nostro Mundeburdio & defensione eum recipere deberemus. Quod nos gratanti animo fecisse cognoscite.* Patentes hæ fuere literæ, Regiæque, quibus Carolomannus Bonifacium instruxit. Quæ alibi de Conciliis diximus Liptinensi, & Suessionensi, ex iis apertissimum fit, non aliam novo huic Apostolo compendiosiorem esse visam, tutioremque viam, ad repurgandam maculis compluribus disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ, & ad Germaniam jugo fidei subjiciendam, quàm ut in eorum se insinuaret consuetudinem & familiaritatem, qui rerum potiebantur; ut eorum authoritate quodammodo indutus, obices facilè quosvis everteret, ac disjiceret.

Epist. 3. Ibidem. Inter Ep. Bonif. Ep. 1.

XV. Addendum postremò illud est, Legationes Episcoporum à Justiniano prædicari Canonicas legitimasque, cum ad utilitatem collimant publicam Civitatum & Ecclesiarum; Legatis porro ad tempus Legationis id genus confert immunitatem, qua conveniri non possint, nec cogi, ut juri stent, donec in Ecclesias suas reduces fuerint. *Si verò Episcopi, vel Clerici, pro civitate aut pro suis Ecclesiis, propter suam legationem, aut ordinationem Episcopi, ad Regiam civitatem, vel ad alium quempiam locum proficiscantur; jubemus eos nullam molestiam aut importunitatem à qualibet persona sustinere; licentia existente iis qui obligatos eos putant se habere, postquam ad Provinciam revertuntur, convenire eos, &c.*

Novel. 123. c. 26.

Piaculare fuerit silentio obruisse Legationem

summi

summi & eloquentissimi viri Gregorii Patriarchæ Antiocheni, ad exercitum suos in omnes Duces exasperatum & rebellantem. Operam in eo perdiderant suam Magnates omnes, frustra enixi ut exulceratus militum animos delinirent; una illos sanctissimi Præsulis divina profectò eloquentia demulcere potuit, & mansuefacere. Præteserebant illi sacramentum, quo se constrinxissent nunquam morigeraturos Philippico, qui sibi Dux tamen præficiebatur, sed Gregorius edocuit cœlesti se donatum potesta-
Evagr. l. 6 c. 10. 11. 12. te ejus vinculi dissolvendi. Ita illos & obedientiæ, fideique priori reddidit, & benevolentiæ Imperatoris, simul & Deo reconciliavit, administratis cœlestibus sacramentis, Paschæ enim tum solemnitas celebrabatur.

Hæc nos raptim ex Evagrio libavimus, ex quibus planum fit id genus Legationes, quanquam in speciem merè temporales, haud satis tamen auspicatò procedere, nisi iis Episcopi defungantur: at ubi ingenio & charitate Episcopali peraguntur, tum certè spiritales evadere. Idem ipse Gregorius obviam missus est juniori Cosrohi filio Regis Persa-
Ibid. c. 17. rum, cum alio Episcopo. Fidei Mauritii Imperatoris Romani committebat se Cosroes, nec barbarus Princeps quidquam sibi majus mirabiliusque visum esse professus est toto Romano Imperio, quàm sapientiam, consilia, virtutes, magnanimitatem hujus utriusque Episcopi.

Ad ardua quæque Imperii negotia Mauritius Imperator Domitianum adhibebat Melitenensem Episcopum. Cognatione is illi conjunctus erat, filiisque suis impuberibus tutorem illum adsignavit eo testamento quod scripsit paucis ante exitum suum an-
Baron. an. 598. n. 24. nis, cùm inter eos Imperium partiretur. *Iis ætate immaturis Domitianum cognatum suum, nobilis Ecclesiæ Melitenensis Antistitem, virum rebus agendis dextrum, consilio dexteriorem, tutorem designavit. Quamobrem Imperator majoris momenti negotia ei expedienda ob eximiam prudentiam committebat.*

Justinianus II. Constantinopolin accivit Constantinum Papam. *Qui sanctissimus vir jussis Imperialibus obtemperans*: Pontificali majestate & splendore ita
Baron. an. 709. 710. præstrinxit Imperatorem, & obstupefecit, ut Imperii coronam gestans, ad genua ejus acciderit, pedesque exosculatus sit, ut ab Anastasio Bibliothecario memoratur.

CAPUT XXXVIII. *P. 3. l. 2. c. 52.*

Legitimæ residendi exceptiones sub Imperio Caroli Magni, jussio Principis, ut essent in Palatio Episcopi, ut essent Missi Dominici, Legati in publicis necessitatibus.

I. Ad Aulam Abbatissas quandoque evocabat Princeps.
II. Vocabat & Abbates ac Episcopos: sed nullum Episcopum diutius in Aula retinebat, nisi impetrata dispensatione.
III. Nihil opus erat dispensatione, ut pauci Episcopi cum Principe in exercitu essent.
IV. Clerici, Monachi vetantur Aulam frequentare.
V. Episcopos Carolus Magnus Aulicis Principibus cùm æquasset, vel antetulisset, ad Aulam frequentius accersebat.
VI. Querela Ecclesiarum de Regibus, qui per Adventum & Quadragesimam Episcopos à gregibus suis abstrahebant.
VII. Ipsi per sese Episcopi alienissimi erant ab Aula, ubi nihil necesse erant eò proficisci.
VIII. Nova Ecclesiarum querela de absentia Episcoporum tempore Adventus & Quadragesimæ.
IX. Quando Princeps Episcopum Regni Ministerio admovebat, absentiam ejus ab Ecclesia propria compensabat bonorum nectus, quæ hinc in Ecclesiam promanabant universam, & in Regnum.
X. Eosdem regulas sequebatur Ecclesia Orientalis.
XI. Ex Episcopis Legati & Missi Dominici.

I. EX Principis jussione legitima residendi exceptio astruitur non Episcopis tantùm, sed & Abbatibus, Abbatissis, & omnibus denique Beneficiariis. In Concilio Verno sancitum est anno 755. ne properè se Abbatissæ in Aulam conferrent, ubi eas Rex convocasset, semel in anno, permittente Episcopo Diœcesano, & rursus in Cœnobium suum, ubi fas esset, reditum maturarent. *Domnus Rex quando aliquam de Abbatissis ad se venire jusserit, semel in anno, per consensum Episcopi, ut tunc ad eum veniat, ex sua jussione, si necessitas fuerit; & alibi omnino non debeat, nec per villas, nec per alia loca demorari, nisi tantum quam celerius potuerit, ambulare & reverti.* Can. 6. Cæteras vel suas, vel Monialium suarum causas, demandare Missis suis jubebantur, ut ne ipsis necesse esset Monasterio exilire. *Et si necesse est de earum necessitate ad domnum Regem, vel ad Synodum aliquid suggerere, earum Præpositi & Missi hoc debeant facere: & qualia munera ad Palatium dare voluerint, per Missos suos ea dirigant.* Ita sive in Aula, sive in Synodis, eo enim tunc designabantur nomine, quæ nunc Parlamenta dicuntur, negotii aliquid persequendum esset Abbatissis & Monialibus, Claustris egredi prohibebantur, quorum eis fores sola Principis jussio pandebat. In Concilio postea Turonensi III. anni 813. copia videtur Abbatissis facta fuisse, Principis ut se conspectui sisterent, ubi ex re esse ipsæ judicassent. *Nisi cùm ad piissimum Imperatorem nostrum proficisci voluerint.* Can. 30. Et rursus denique eis Aulæ aditu interdixit Ludovicus Pius, nisi vocarentur. *Nisi quando nos aliquam Abbatissarum nostram adire jusserimus præsentiam, alio tempore volumus in Monasteriis resideant.* Conc. Gall. To. 2. pag. 427. Quæ juris alternationes, non est quod cuiquam temerariæ & ex levitate quadam profectæ videantur. Serviebatur tempori, & pro morborum modo temperabantur medicamenta Canonum. Ubi modicè utebantur Abbatissæ copia adeundi Principis, sibi ipsæ permittebantur: ubi immodicè & inverecundè ingerere se cœpere, veritum est, ne nisi vocatæ accederent.

II. Quoad Episcopos nullum ex iis unquam Princeps in Aula sedem defigere jubebat, nisi ex dispensatione Romani Pontificis, & Concilii Episcopalis, ut supra declaratum est cum de dispensationibus ageretur. Nec illud silendum, quòd cum Carolo Magno totus propemodum subesset Occidens, unum ille dumtaxat Episcopum in Aula sua retinuit, quo consiliorum Ministro uteretur, in Ecclesiasticis maximè causis. Post Carolum autem illud ipsum Ministri Palatini munus Abbatibus ferè delegatum est.

III. Id verò ad jugem spectat Episcopi in Aula residentiam. Nam ad Exercitus, & ad Regni Placita, seu Comitia Regni Generalia nihil opus erat dispensatione, ut Episcopi convocarentur. Sub Pipino & Carolo Episcopi plerumque complures in Exercitu Regio erant cum Copiis militum, quas ad Regem deduxerant. Tam alienum id quidem erat ab Episcopali, quàm à Castrorum ingenio. Puduit ergo tandem aliquando tum Principes, tum Episcopos: unde Episcoporum & Magnatum hortatibus Carolus Magnus constituit, ut in exercitu posthac suo non essent, nisi unus & alter, ad summum tres Episcopi cum Capellanis: *Unum vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris, Princeps secum habeat, &c. Nullus in hostem Sacerdos pergat, nisi duo,* Ibidem. Pag. 235. Capit. l. 7. c. 95. 103.

vel tres tantum Episcopi, electione cæterorum, propter benedictionem & prædicationem, populique reconciliationem, & cum illis electi Sacerdotes, qui bene sciant populis pœnitentias dare, &c.

Can. 14. IV. Concilium Parisiense anni 829. Ludovicum Pium interpellavit, ut abigeret innumerabilem ferè illam multitudinem Monachorum, Presbyterorum & Clericorum, qui Aulam frequentabant, & precum suarum importunitate aures Principis obtundebant. *Illud quoque nihilominus à vestra pietate suppliciter flagitamus, ut Monachi, & Presbyteri, necnon & Clerici, qui postposita canonica authoritate passim Palatium adeunt, & vestris sacris auribus importunissimam molestiam inferunt, vestra authoritate & potestate deterreantur, ne hoc facere præsumant. Quoniam in hujusmodi facto & vigor Ecclesiasticus contemnitur, & religio sacerdotalis, & professio Monastica vilior efficitur.*

V. Erat ergo ea universim præstituta lex & regula Episcopis, Clericisque omnibus, Abbatibus, Monachis, & Abbatissis, Aulam fugere, in Ecclesiis suis quiescere, & morigerari tamen Principi, si quando ab eo vocarentur. Non tam facilè poterant Episcopi omnino se subducere Aulæ. A Sangallensi Monacho illud animadversum est, Carolum Magnum cùm ad exercitum profecturus esset, Imperatricem custodiæ Episcopi commisisse. *Idem*
L. 1. c. 19. *Episcopus, cùm bellicosissimus Carolus bello contra Hunnos esset occupatus, ad custodiam gloriosissima Hildigardis relictus est.*

Alibi rursus ex eodem cùm Legatos Constantinopolitanos excepturus esset Carolus Magnus, non ab auro, non à gemmis tantum splendorem Aulæ suæ sibique conciliari voluit, sed à frequenti conventu Episcoporum, Ducum & Comitum. Illud non prætereundum, innixum tùnc fuisse Carolum Hettoni Episcopo, qui Constantinopoli quondam
L. 2. c. 9. Legatum egerat. *Radians sicut Sol in ortu suo, gemmis & auro conspicuus, innixus super Hettonem. Hoc quippe erat nomen Episcopi, ad Constantinopolin quondam delegati. In cujus undique circuitu circumsistebant instar militiæ cælestis tres juvenes filii ejus, jam regni participes effecti, filiæque cum matre, &c. Pontifices forma & virtutibus incomparabiles, præstantissimi nobilitate simul & sanctitate Abbates, Duces verò tales, &c.*

Longè quæsitum non videbitur, si in his verbis obiter advertamus, qui tunc ordo servaretur in Curia Caroli Magni. Regina conjux, filii, filiæque in unum cum ipso coaluisse videbantur. At Regia familia præeunte ac prælucente, jam nulli omnino Principes Clero præibant; quin indubitatissimè Episcopi & Abbates progrediendi & sedendi prærogativa gaudebant supra Duces, Comitesque, quibus accenseri tum necesse erat stirpis quidem Regiæ Principes utriusque sexûs, sed qui Regum nec filii essent, nec filiæ.

VI. Illud verò hinc augurari fas est, ipsum quidem Principem ita secum statuisse, ab Episcoporum & Abbatum frequentia splendoris veluti cumulum Aulæ suæ accedere: at Episcopos ipsos Abbatesque tam raros fuisse in Aula & tam infrequentes, ut qui nonnisi ad res maximas & maximè necessarias appellerent, eò Magnatibus amori & admirationi esset eorum dignitas, non fastidio, non offendiculo.

Crimini tamen nonnunquam datum est & Regibus & Episcopis, quòd frequentiùs ad Aulam vel hi ventitarent, vel vocarent illi. Hinc Ludovico Pio negotium facessiverunt, quòd Exercitus suos omnes tempore Quadragesimæ congregasset, & in majorem Hebdomadam indixisset Comitia Regni generalia, quo suis ab Ecclesiis avellebantur Episcopi, cùm adesse potissimum juberentur administrandis salutis humanæ sacramentis. *Contra Christianam* Du Chesne.
Religionem, & contra votum suum, sine ulla militiæ Tom. 2. pag.
publica, aut certa necessitate, pravorum consilio delusus, 333
in diebus Quadragesimæ expeditionem generalem fieri Conc. Gall.
jussit, & in extremis Imperii sui finibus in Cœna Domi- To. 2. pag.
ni placitum generale se habiturum constituit, in qua ex- 563.
peditione Sacerdotes Domini à suis officiis contra fas amovit, &c.

VII. Si ne ad publicas quidem necessitates, & ad generales Conventus convocari poterant Præsules, nisi tam parcè & circumspectè, ut ne sanctioribus temporibus anni, Festisque, Ecclesiis suis abessent; multò minùs poterant illi levibus & privatis de causis abesse. Attigimus alibi Frotarium
Tulleosem Episcopum, cui Ludovicus Pius curam Du Chesne
mandaverat extruendarum novarum ædium, & To. 2. pag.
veterum decori pristino reddendarum in Palatio 716.
Aquisgranensi. Scripsit ille ad Hilduinum, Imperatorium tunc Capellanum, ut ipsum ea cura exonerari pervinceret, alioqui iturum se, & in conspectu Principis Episcopatui renuntiaturum: nec enim posse se terrenis incumbentem ædificiis, perire cum ea plebe, quam accepisset ad æterna Palatia deducendam. *A prædicto servitio nos liberare ne pigeatis. Alioqui per me ipsum ad præsentiam domni Imperatoris & vestram suppliciter obsecrabo, ut hoc onus cura Pastoralis a me submoveatis, quia mea parvitas illud ferre non valet: & valde utilius est me ab istiusmodi cura submoveri, quàm per meæ authoritatis fiduciam tot oves Domini exitio discriminis interire.*

VIII. Iteranda rursum fuere hæc monita ad Carolum Calvum, quem Concilium Meldense anno 845. enixissimè obtestabatur, ut Episcopos sineret ordinis sui tota libertate potiri, quo divino fungerentur ministerio, & Adventûs ac Quadragesimæ temporibus ne suis à gregibus divellerentur.
Ut Regia magnificentia liberiorem libertatem Episcopis Can. 28
ad suum peragendum in eorum Parochiis ministerium, quàm hactenus propter diversas perturbationes habuissent, maximè in sacratissimis temporibus, Quadragesimæ scilicet & Adventûs Domini tribuat.

Tristissimæ huic necessitati illacrymabatur Hincmarus, quæ segregabat illum ab Ecclesia sua, ut Regno & Ecclesiæ ferret suppetias, tam importuno quandoque tempore, ut Festa celeberrima Paschæ & Natalis non posset cum suavissimo sibi ovili agi-
tare. *Nisi in die Natalis Dominici, & in die sancta* To. 2. pag.
Resurrectionis ejus, vix in toto anno Pallio utor. Quo- 310.
niam de illorum numero peccatis meis exigentibus factus, de quibus scriptum est, Impedimenta sæculi fecerunt eos miseros, rarò in decretis Festivitatibus, in sede mea, propter multas occupationes & necessitates Ecclesiæ & Regni esse mihi permittitur.

IX. Cùm gratia diutissimè floruerit apud Carolum Calvum Hincmarus Remensis, ut & Pardulus Laudunensis Episcopus, veri perquam simile est, in causa id fuisse, quamobrem ab Ecclesiis sæpiùs suis abducerentur. Qui cum sapientia & moderatione præstabant, ita sibi nimirum persuadebant, frequentibus excursionibus, & longa quandoque horum Episcoporum apud Principem commoratione tantum & ornamenti adferri Ecclesiis, & emolumenti, ut hinc cum fœnore compensarentur damna Ecclesiarum particularium, quibus luctuosa videbatur eorum absentia. Si enim summis Pontificibus &

Conciliis visum est, satis esse causæ in commodis iis quæ ad Ecclesiam redundant, ex quorundam Episcoporum jugi in Palatio commoratione, ut omnino venia illis fiat canonicæ residentiæ: quid possit eadem vel utilitas, vel necessitas excusare paulò frequentiores Episcoporum ad Aulam profectiones, vel paulò diuturniores in Aula quandoque moras?

Ingenuè tamen confitendum est periculosæ opus hoc esse plenum aleæ, lubricumque in primis iter, ubi ipse sibi imponat homo, ut mera utilitate & necessitate Ecclesiæ se agi existimet, cùm clandestini intus fallant stimuli furtivarum cupiditatum. Indolescebat Hincmarus permolestæ huic necessitati, cui vel invito serviendum erat. Consentiebant probi quique rem esse pernecessariam ad Ecclesiæ universæ salutem. Ubi hæc duo concurrunt, tunc non insulsè creditur, pura & infucata charitate, non fallaci cupiditate à suis Ecclesiis ad Aulam raptari Episcopos. Lupus Ferrariensis non dubitabat, quin divini Numinis procuratione Hincmarus principem gratiæ & favoris locum apud Regem obtineret. *Totius Ecclesiæ causa vos dignitate ornatos, & familiaritate Principis donatos credimus.* Nec secus idem Lupus ad Pardulum Laudunensem; utrumque studiosè impellens, ut qua pollent apud Principem authoritate, eam ne dubitent talentum esse ipsis à Deo creditum longè maximum & longè periculosissimum, nisi illud ad publicam Ecclesiæ salutem & dignitatem dependant. *Cum repeto memoria intimos vos esse Regi, gaudeo plurimum, quòd jacentes res Ecclesiasticas credo vestra industria sublevandas. Proinde fiducia familiaritatis exhortor & moneo, ne perceptam à Deo gratiam negligatis. Talentum enim, ut optimè nostis, cum usura restituendum à Domino accepistis.*

Epist. 44.

Epist. 25. 78.

Quando etiam Regni totius curam in se suscepit Fulco Remensis Archiepiscopus, dum impuber adhuc esset Carolus Simplex, *Totius Regni curam agens*, non magis Regnum, quàm Ecclesiam ab interitu vendicavit, ut quæ labefactato Regno & ipsa corruisset. Quando similiter Herveus Remensis Archiepiscopus, Fulconis successor, eundem Carolum Regem regno restituit, suis omnibus exosum infestumque, non sui causa, sed Aganonis ministri, quem illi prorsus execrabantur. *Regem intrepidus suscipiens, ad metatum suum deduxit, indeque secum ad urbem Remensem perduxit, & per septem ferè menses eum prosecutus atque comitatus est, donec illi Comites suos, eundemque Regno restituit.* Ingentium horum absolutio perfectioque facinorum, frequentem & quandoque diuturnam absentiam Episcoporum suis ab Ecclesiis desiderabat. Quorsum autem Ecclesia particularis mallet se Pastore suo interim frui, & una cum eo Regni totius communi ruina pessumdari?

Flodoard. L. 4. c. 5.

Ibid. c. 25.

X. In Ecclesia Orientali satis superque edocuit nos Balsamon quo res essent loco, & quo Episcopi essent animo. Affirmat enim ille, quanquam nec Episcopis per Canones liceat, nec aliis Clericis in Aula Regum moras trahere: si retineat tamen illos Imperator, nec huic, nec illis invidiam conflari hinc posse, aut culpam illini. *Etiamsi sit prohibitum Episcopo, aliisque sacratis apud Imperatorem diutius moram agere, Decreto tamen Imperatoris hoc sine periculo facient, & quod eis imperatur, exercebunt: ut neque Imperatori quidquam possit imputari, si eos accersat, nec ii rei futuri sint, ut qui jubenti Imperatori acquiescant.*

In Can. 7. Sardic.

Alibi autem præfatus posse ab Episcopo Monachum Claustro avocari, & Optimati cuipiam addici, cujus procurandæ saluti operam navet: cùm finis non legis tantùm, sed & Canonum charitas sit: nec facilè concoriatur varius, quæ stirpis instar altiores radices egerit: *Sacris enim & divinis Canonibus solùm animæ hominum salutis cura est, & nullius alius. Qui ergo secundum Deum conversatur, à loco non læditur, sed & eis qui unà sunt, admodum proderit*; hinc mox ille philosophatur, multò æquius esse, ut possit Imperator Clericos Monachosque canonicæ solvere residentiæ nexibus: *Nota ergo quod suasione & probatione Episcopali, multò autem magis Regia, & Monachi & Clerici sine præjudicio facient, quæ eis permissa fuerint, cujusmodicumque ea sint.*

In Can. 4. Conc. CP. I. & II.

Quanquam denique intercedant Canones, ne diutius suis à gregibus absint Episcopi, nisi assentiente Metropolitano & Concilio Provinciali: ait Balsamon solo Imperatoris mandato posse Episcopos longinquas obire Legationes. *Imperatoris autem jussu proficisci Antistites, qui jussi fuerint, etiam sine Synodali consensu, in diversorum Canonum interpretatione declaratum est.*

XI. Plena est historia Caroli Magni Legationum & Episcoporum Romam, Constantinopolin, aliaque in Regna missorum. Legatis non permisceo Missos Dominicos, cujusmodi persæpe sub Carolo Magno fuere cum Comitibus Archiepiscopi & Episcopi: tum quòd diversissima sint munia Legatorum & Missorum, tum quòd Archiepiscopi non pauci in Provincia sua Missorum Dominicorum dignitate vestirentur. Certè tamen quandoque procul ab Ecclesiæ & Provinciæ suæ finibus Missos agebant.

Capitular. Carol. Mag. L. 2. c. 25. 26. L. 4. c. 69.

Nec Legatis forsan Apocrisiarii ipsi permiscendi sunt, qui ut nunc Nuntii, Constantinopoli in Palatio Imperatorio degebant. Episcopos ipsos exstitisse Hincmarus Apocrisiariorum partes sustinuisse: *Aliquando per Episcopos, aliquando verò per Diaconos Apostolica Sedes hoc officio fungebatur.* Qua quidem in re nonnihil à vero deviasse videtur Hincmarus. Cùm in annos plures Apocrisiarii delegabantur, eo munere non gravabantur Episcopi, ut mox Hincmarus agnoscit de Apocrisiariis in Palatio Regum Francorum.

Hincmar. T. 2. pag. 205.

Eo enim nomine eos donat Hincmarus, qui in Palatio Caroli Magni & successorum ejus demorabantur, ut Cleri Agentes, & omnium Regni Ecclesiarum, qui ea Episcopia aliquando fuere, at postea ex Presbyteris tantummodo, & ex Diaconis, ut Episcopi apud greges suos residere & excubias agere sinerentur. *A tempore Pipini & Caroli per Presbyteros, interdum per Episcopos Regia voluntate, atque Episcopali consensu, per Diaconos, vel Presbyteros magis, quàm per Episcopos hoc officium exequutum extitit, quia Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assiduè exemplo & verbo vigilare, & non diutius secundum sacros Canones à suis abesse Parochiis.*

Si verò pertendat quis Apocrisiarios Legatis conjungere, sed Ordinariis, quorum diuturna est uno in loco commoratio, non extraordinariis, qui eunt, redeuntque mox: nolim ergo ubi de re convenit, de verbo controversiam facere. Præstat cum Hincmaro advertere, hæc officia, quæ diutinam commorationem flagitarent, Episcopis demandata non fuisse, nisi impetrato canonicæ dispensationis Decreto, & ad res prorsus gravissimas. Episcopos Romani Pontifices sæpissimè destinarunt Constantinopolin Legatos, Apocrisiarios nunquam. Tres tantùm designat Hincmarus Episcopos, qui apud Galliarum Reges officio functi sunt Apocrisiariorum, Angil-

aanum, Hildeboldum & Drogonem, reliqui è Collegio asciti sunt Presbyterorum, ne Episcopi à suis sejungerentur Ecclesiis. Et ne illi quidem tres Episcopi in Aula sederunt nisi ex dispensatione, *Regia voluntate, atque Episcopali consensu.*

Quoad extraordinarias autem Legationes, eas frequentissimè Episcopis demandatas fuisse ab Imperatoribus Orientis & Occidentis, & à Pontificibus, passim vociferantur Annales Ecclesiastici. Nonnisi sanè ad causas Ecclesiæ gravissimas, vel Regni, quocum Ecclesia periclitaretur.

CAPUT XXXIX. *P. 4. l. 2. c. 75.*

Exceptio legitima & dispensatio canonica residentiæ, siquem Episcopum in Palatio Princeps retineat, aut Legatum mittat, extremis Ecclesiæ sæculis post annum millesimum.

I. Quàm necessaria Petro Damiani visa sit præsentia Episcoporum in Regiis Consiliis, ubi res Ecclesiæ deliberantur.

II. De eodem Bernardi sententia. Encomium Abbatis Sugerii, dum Regis Minister Primarius & Franciæ Prorex esset.

III. Episcoporum in Aula Regia commorationi & in Angliæ Regum Consilio stylo Petri Blesensis mirificè suffragatur Archiepiscopus Cantuariensis.

IV. In ea Petri Blesensis defensione nonnulla observantur. Quæ ex eodem Regula Episcopis delineanda sint, & quid sibi ex eorum pia dexteritate polliceri debeat Ecclesia.

V. Doctrina sancti Thomæ.

VI. Episcoporum Angliæ in Regiis Consiliis præsentia Gregorio IX. approbata.

VII. In Hispania Episcopi à Regibus non recedebant ad sacra bella proficiscentibus adversùs Mauros. Archiepiscopo Toletano persæpè alii Episcopi Capellanorum & Officialium operas præstabant.

VIII. Varia exempla Legationum Episcopalium.

IX. Iidem mores Ecclesiæ Græcæ.

X. Quæ exordia Legationum ordinariarum.

I. LUculentissimè Petrus Damiani, ut ad alendam constringendamque Sacerdotii & Imperii concordiam conspirare omnia debeant, ut utriusque Potestatis individua confœderatione, temporali jurisdictione utantur Pontifices ad spiritale Christi Regnum constituendum, & consiliis Episcoporum corroborati Reges corroborent & ipsi Ecclesiasticæ Disciplinæ sanctitatem. *Illinc Regalis Aulæ Consiliarii, hinc sedis Apostolicæ Comministri, utraque pars in hoc studio conspiremus elaborantes, ut summum Sacerdotium, & Romanum simul confœderetur Imperium, &c. Ut Pontifex delinquentes, cùm causa dictaverit, forensi lege coërceat, & Rex cum suis Episcopis super animarum statu, prolata sacrorum Canonum authoritate decernat.* Doctissimo & rerum expertissimo Cardinali exploratum erat, non posse auspicatos habere exitus pleraque Ecclesiarum negotia, nisi propitia interveniat authoritas Principum: qui & ipsi nisi prælucentibus Episcoporum consiliis, non facilè se poterunt in Ecclesiasticis causis à fraudulentorum hominum præstigiis extricare. Inde est quod quanquam dignitatis Ecclesiæ studiosissimus esset Petrus Damiani, confiteatur tamen à Principe Episcopis vallato, longè plurimas diffiniri Ecclesiasticas causas, sed consentaneè Canonibus diffiniri. *Rex cum suis Episcopis super animarum statu, prolata sacrorum Canonum authoritate decernat.*

Discepta Synodal.

II. Non displicebat beato Bernardo, quod Archiepiscopus Senonensis ad Regia Consilia adscisceretur, dum Ecclesiasticis suis Prælatis pari semper fide morigerum se præstaret. *Porro vos, si Cæsaris successori, id est, Regi sedulus in suis curis, consiliis, negotiis, exercitibusque adestis: indignum erit vobis cuicumque Christi Vicario taliter exhibere, qualiter ab antiquo inter Ecclesias ordinatum est?* Hæc ergo omnia interpungere & suo quæque tempore munia adire cogebatur Archiepiscopus Senonensis, de rebus privatis consultare, de publicis Regia adire Consilia, Delegationes obire, Militaribus interesse expeditionibus cum Principe, præter quotidianas Senonensis Ecclesiæ suæ & Provinciæ sollicitudines. Nec incusabat has Bernardus servitutes, hinc honestas & nobiles, illinc prorsus necessarias tunc & inevitabiles. Nec secus res habebat de Episcopo Suessionensi, & de Sugerio Abbate sancti Dionysii. Quanquam illis succensuerit Bernardus, postquam Comiti & Ecclesiis Campaniæ illatæ sunt clades luctuosissimæ. Sed inter has querimonias, aculeatas licet, nusquam molestè fert Bernardus, quod Regiis adsint Consiliis: sed quòd cùm adsint, tam exitialia ineantur. *An vos ei consuluistis talia? Mirum valdè si contra vestrum consilium fiunt hæc: mirum magis & malum, si vestro consilio fiunt, &c. Quomodo non dicam tractatis ea, sed vel interestis consiliis tam malignis? Quidquid enim mali fecerit, meritò non Regi juveni, sed Consiliariis senibus imputatur.*

Epist. 42.

Epist. 224. 225.

Erant tum ergo Episcopi & Abbates Regum affixi consiliis, nec Bernardus impatienter id ferebat, qui tulisset utique impatientissimè, si quid in eo contra Canones & majestatem Ecclesiæ suspicari potuisset. Unum volebat Bernardus, ut Episcopi Episcopali ibi vigore & constantia Ecclesiæ se & justitiæ Patronos & vindices agerent. Ab istiusmodi Curiæ implicamentis opinati sunt quidam Bernardum Episcopos avulsisse aliquos: sed quæ ab illis ad hoc proferuntur literæ, nihil ejusmodi sonant: quæ hic autem à nobis laudatæ sunt, apertissimè contra vociferantur. Illo ipso tempore quo Sugerius Abbas Regni gubernacula capessivit, profecto ad sacram expeditionem Ludovico VII. Juniore, summa fuit semper cum eo Bernardi conjunctio, animorumque consensio, eaque virtutum ejus existimatio, qua scripsit aliquando ad Eugenium III. Papam, Esse Sugerium Aulicis dotibus, Christianisque virtutibus cumulatissimum, & ad unguem perpolitum specimen integritatis & sanctimoniæ. *Si quod magnæ domûs magni Regis vas in honorem apud nostram habetur Gallicanam Ecclesiam; si quis ut fidelis David ad Imperium Domini ingrediens & egrediens, meo quidem judicio ipse est venerabilis Abbas sancti Dionysii. Novi siquidem virum, quod & in temporalibus fidelis & prudens, & in spiritalibus fervens & humilis; in utrisque, quod est difficillimum, sine reprehensione versetur. Apud Cæsarem est tanquam unus de Curia Romana, apud Deum tanquam unus de Curia cœli.*

Inter Epist. Sugerii. Epist. 2.

III. Gallicanam Ecclesiam æmulabatur plerumque Anglicana, ad ejusque formam sese effingebat, quòd Gallicanæ gentis Principes ibi rerum potirentur. Cùm obtrectatorum strophis occupatus fuisset Alexander III. Papa adversùs Episcopos Vintoniensem, Eliensem & Norvicensem, quasi vitiorum ea tota colluvione delibutos, quæ in Aula regnare solent, scripserat ad Archiepiscopum Cantuariensem acerbissimas & minaces literas, nisi quamproperè in eos Episcopos totum rigorem Canonum exereret. Vicario Petri Blesensis calamo usus Archiepiscopus, illas ab animo Pontificis suspiciones dispunxit, Episcoporum eorum famam

purgavit, ut qui intaminatæ fuissent ipsi semper vitæ; monuit denique novum non esse, quòd Regum in Consiliis sedeant etiam Episcopi, ut qui supra alios Regni cives, & sapientia & virtutum laude emineant: *Non est equidem novum, quod Regum Consiliis intersint Episcopi. Sicut enim honestate & sapientia cæteros antecedunt, sic expeditiores & efficaciores in Republica administratione censentur.* Cæterùm nisi in Consistorio Regum præsto essent Episcopi, brevi convulsum & labefactarum iri sanctissimas Ecclesiæ libertates. *Unum noveritis, quia nisi Familiares & Consiliarii Regis essent præfati Episcopi, supra dorsum Ecclesiæ fabricarent hodie peccatores, ac immaniter & intolerabiliter opprimeret Clerum præsumptio laicalis. Nunc autem si quid in Ecclesia attentatur injuriam, authoritate Pontificali corrumpitur; aut si ad hoc Ecclesiastica censura non sufficit, spiritalis gladii defectus civili suppletur, & ad eorum arbitrium principalis animadversio exercetur.* Præsentiam & authoritatem Episcoporum in Regum Consiliis, tum conducibilem, tum necessariam esse, tutandis innocentibus, levandis oppressis, pauperibus sustentandis, defendendæ Ecclesiarum libertati, Cœnobiorum paci muniendæ; paci, justitiæ, religioni propugnandæ, frangendæ legum Canonumque authoritate perversorum contumaciæ. *Si quandoque, ut fieri solet, adversùs insontes Regis indignatio vehementius excandescit, Episcoporum precibus temperatur. Istis mediantibus mansuescit circa simplices judiciarius rigor, admittitur clamor pauperum, Ecclesiarum dignitas erigitur, relevatur pauperum indigentia, firmatur in Clero libertas, pax in populis, in Monasteriis quies; justitia liberè exercetur, superbia deprimitur, augetur laicorum devotio, religio fovetur, diriguntur judicia, leges accipiantur, Decreta Romana vim obtinent, & possessiones Ecclesiasticæ dilatantur.* Nec illud tacebat Pontifici Cantuariensis, Præsules illos devolare in Ecclesias suas omnibus celebrioribus Festis, & pervigili atque infatigata diligentia sua pensare quidquid jacturæ absentia sua grex ipsis commissus facere potuisset. *Isti singulis præcipuis solennitatibus suis intersunt Ecclesiis, ubi eleemosynarum largitione, consolatione pupillorum ac viduarum, subjectorum correctione, atque aliis sanctitatis operibus redimunt dies, quos in Curia consumpserunt.* Siciliæ Regnum Apostolici Throni splendore propius illustrari, & ibi tamen Episcopos quandoque toto decennio Aula non excedere. Se quidem hactenus non semel id tentasse, ut Præsules illos Aulâ abigeret in suas singulas Ecclesias: at singulari sapientia homines sibi significasse, ubi primùm Episcopi Aula & Consiliis Regum exulaverint, conclamatam fore pacem Cœnobiorum, Ecclesiarum libertatem, pauperum & miserabilium quorumcumque levationem. Denique tribus illis Episcopis antiquius, optatiusque nihil esse, quam ut excussis Regii Ministerii vinculis suæ se Ecclesiæ & libertati redderent: sed utilitati & necessitati Ecclesiæ provisum ut esset, cogi eos pacem publicam suæ anteponere quieti. *Ab hac equidem curialitate nostros quandoque voluimus Episcopos prohibere, sed consiliosis & prudentibus viris visa est expediens eorum cohabitatio circa Regem: quos si extraheremus à familiaritate illius, subtraheremus quietem Monasteriis, oppressis solatium, Ecclesiis libertatem. Videlicet propter incommoditates varias, quas ibi sustinent, desiderio desiderarent egredi: publica tamen utilitatis obtentu, communi fratrum nostrorum consilio, non solum in hac vita castrensi tolerari, sed ad eam trahi debuerant & compelli.*

Petr. Bles. Epist. 84.

IV. Erat in his sanè rationibus momenti plurimum, nec facilè quidquam fingi potest Ecclesiæ compendiosius, hac Episcoporum in Regiis Consiliis præsentia & authoritate, si ejus modò is sit usus, quem fuisse affirmat Archiepiscopus Episcoporum Angliæ, aut quem esse debuisse pulcherrimè à Petro Blesensi declaratum est. 1. Ut subinviti in Aulam proficiscantur, & alieno ab ea sint semper animo, nec aut concedant eò, aut ibi sedeant, nisi ut vel Ecclesiæ, vel pauperibus commodent, eo quo dictum est modo. 2. Justitiam & religionem tueri contendant, ea animi magnitudine, ea invicta fortitudine, quam ministerium Episcopale desiderat. 3. Festos quosque celebriores dies in Ecclesiis propriis, cum plebe sua agant, & eas ibi moras trahant, eum fervorem, eam diligentiam explicent, quæ priorem compenset absentiam.

Mordacissimas olim Petrus Blesensis litteras scripserat adversùs Clericos, qui Curiam frequentabant. Eos aculeos ipsemet obtudisse visus est, non ea solùm Epistola, quam hic modò excerpsimus; sed & altera *Clericis de Curia Regis* scripta. Non dissimulat posse ibi Clericos de Republica benemereri: *Nec vitam Curialium damno, qui licèt orationi & contemplationi non vacent, Rei tamen publicæ utilitatibus occupantur.* Regno & Regibus persæpè vehementer conducere, ut Regibus Clerici consuescant, assideantque: *Non solum toleranda, sed desideranda est plerumque cum Principibus conversatio Clericorum. Tunc enim salubriter disponitur vita Regum, cum religiosorum hortamenta sectantur, & ducuntur consilio sapientum.* Optatissimum esse, ut Principum Consiliis ita intersint Episcopi, suis ut ne Ecclesiis desint: *Licèt Episcopos & alios qui curam in se dominici gregis susceperunt, Regum Consiliis frequenter expediat interesse, sua tamen interest, ne ministerium vigilantia Pastoralis evacuent, sed sint in conspectu Regum suæ conditionis memores, & Petri naviculam, cui præsunt, inter tempestuosos fluctus Curiæ non relinquant, &c. Ecclesiæ Prælati etsi ad varias Reipublicæ necessitates distrahuntur ad tempus à sponsæ amplexibus, à populi sibi crediti sollicitudine minimè separentur.* Quod eò tandem redit, ut canonicæ sint absentiæ istæ Episcoporum, si modò non serviant nisi Ecclesiæ & Regni utilitatibus, & coarctentur *ad tempus*.

Epist. 150.

V. Luculentissimè B. Thomas Aquinas Regulares ipsos religiosè & piè, atque accommodatè ad publicas utilitates Aulam frequentare posse demonstravit: hinc enim aucupari fuerant obtrectatores ausam stomachandi in novos Ordines religiosos B. Dominici, & B. Francisci. Plures adducit in medium sanctissimus Doctor ex veteri Testamento laude sanctitatis florentissimos, qui frequentes in Aula Regum fuerint: pios omnes sua quidem sponte non concupiscere nisi castas & privatas contemplationis delicias; at fraterna plerumque charitate in medias illos propelli negotiorum procellas. *Sed propter alios interdum coguntur à desiderata contemplatione discedere, & se actionum tumultibus implicare.* Et ubi hæc Apostoli verba interpretatur, *Qui de Cæsaris domo sunt*, docet non repugnare sanctitati & religioni commorationem in Curia, sed carnis, sed opum, sed honorum insanas cupiditates. *Ad promovendum bonos, & impediendum malos, videtur licitum Sanctis in Curiis Regum commorari, sed non propter delicias & concupiscentiam voluptatum.* Et alibi rursus hæc explanans Apostoli verba: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, ait cavendum quidem esse, ne nosmetipsi immergamus in fluctus sæcularium

Contra Impugn. Relig. c. 18.

In c. 4. Epist. ad Philip.

In Ep. 2. ad Tim. c. 2.

occupationum; at ubi eò nos impulit necessitas charitatis, adeo non obstrepere nos præcepto Apostoli, ut ejus potiùs obsequamur exemplo, qui urgente Christi charitate omnibus omnia factus est. *Implicat enim se, quando sine pietate & necessitate assumit negotia; sed quando necessitas officii, pietatis & authoritatis exercetur, tunc non implicant se, sed implicatur hujusmodi necessitate.*

VI. Duo erant quæ molestiam exhibere poterant in his Episcoporum muneribus, officiisque, cùm Regii Consiliarii & Ministri creabantur. Hinc nimirum residentiæ lex: inde rursus servitus quædam militiæ sæcularis. De sola hic nobis sermo est residentia: alibi operosiùs tractaturis de illa servitute militiæ sæcularis. Non possum hîc autem non depromere Gregorii IX. responsionem ad Henricum III. Angliæ Regem, qui petierat, ut sibi, æquè ac Majoribus suis fas esset Episcopos aliquot in Aula sua remorari, & Consiliis suis astringere. Haud ægrè annuit Pontifex, ut cui persuasissimum esset frequentiam Episcoporum in Consiliis Regiis Ecclesiis & Regno tum ornamenti plurimum allaturum, tum emolumenti. *Pia devotione progenitorum tuorum, qui ad Deum & ejus Ecclesiam debitam reverentiam habuisse noscuntur, asseris introductum, quod Reges Angliæ semper habere consueverunt Consiliarios aliquos Episcopos Regni sui, de cujus statu cum consilio disponerent eorundem. Unde humiliter postulasti eisdem Prælatis, quibus incumbit ex officio Pastorali conservare justitiam & diligere honestatem, ut liberè assumere valeant sollicitudinem, & tibi assistere in Consiliis, à nobis licentiam indulgeri. Nos autem piam in hac parte intentionem tuam esse credentes, & tam Regni tui sperantes, quàm Ecclesiæ utilitatibus providere, Episcopis quos ad hoc duxeris evocandos, tibi assistendi in Consiliis, prout utilitas exigit & honestas, liberam authoritate præsentium concedimus facultatem.* Ab hoc eodem Pontifice Regi Daniæ indultum est, ut ad Officia Palatina, & ad Regni necessitates in sua retineret Aula unum ex Canonicis cujusque Ecclesiæ Cathedralis. Audiendus hîc Rainaldus ipse, à quo ipsa Pontificis Epistula non est publicata. *Ut è singulis Regni Ecclesiis Cathedralibus Canonicum ad sua ipsi obsequia officiaque vel Regno impendenda, posset retinere, uti necessitas flagitaret.*

Rainal. an. 1231. n. 52.

Rainal. an 1238. n. 62.

VII Lubentiùs assentimur Legationibus, vel expeditionibus militaribus, ubi Regibus adhærescunt Episcopi. Cùm tota è Maurorum potestate recuperanda fuerit Hispania, ejus gentis Episcopi multò minùs poterant subducere se, suasque militares copias Regiis exercitibus, ubi Reges ipsi non opum tantùm & hominum, sed & sanguinis sui impendio Ecclesiam Christi pristinæ libertati vendicatum ibant. Narrat Rodericus ipse Toletanus Archiepiscopus molestissima se correptum aliquando febri, non potuisse in castra ad Regem proficisci; vice autem sua delegatum à se fuisse Capellanum suum, Episcopum Placentinum, qui Episcopales in exercitu functiones obiret omnes. *In hac expeditione non interfuit Rodericus Pontifex Toletanus, quia Guadalajaræ remanserat, febris acumine fatigatus, ubi sinus periculum vix evasit; sed misit cum exercitu Dominicum Capellanum suum, virum venerabilem, Episcopum Placentinum, qui in exercitu loco ejus Pontificalia exerceret.* Patrocinio tunc opus erat aliquo & excusatione utendum Episcopis, non cùm Regibus & Exercitibus Regiis comites se addiderant, sed quando cessaverant. Hoc autem loco illud potissimum observabimus, in Castris & Exercitibus Regum cùm versarentur Episcopi, non aliis tamen quàm sacris & Episcopalibus functionibus addictos fuisse.

L. 9. c. 15.

Nec illud silebo, quod advertit Mariana, Archiepiscopum Toletanum Rodericum, commendata Placentino Episcopo Metropoleos suæ administratione, jussu Regio Italiæ Galliæque Provincias peragrasse, ut Episcopos Comitesque adhortaretur sacro se bello ut devoverent adversùs Mauros Hispanienses, & insigni authoramento eos alliceret Indulgentiarum ab Innocentio III. concessarum. *L. 12. c. 24.*

Narrat & Gumecius in vita Cardinalis Ximenii, adhibitum & delegatum ab eo fuisse Episcopum Placentinum, ut Officialis partes impleret, idque ab eo factum esse Antecessorum suorum imitatione, qui Episcopos semper in Palatinis suis Officiis habuissent. *Fuit hæc olim Toletanorum Antistitum sive authoritas, sive majestas, ut aliarum Ecclesiarum Antistites, publicis muneribus præfectos, & Officiis privatis administros habuerint.* Profert & ejus rei exempla, initio ducto ab Archiepiscopo Roderico, quo de nos paulò antè, ex historia Gothica ab eo scripta. Addit & exemplum Petri Tenorii, qui Conchensem & Segoviensem Episcopos in Officialibus suis habuit. Petro Mendozæ Episcopus Soriensis Vicarii Generalis munus obivit. Nec diverticulo hoc aberravimus à proposito nobis de residentia sermone. Etenim Episcopi isti omnes extra Ecclesias suas in obsequio erant Ecclesiæ, Regum, & Archiepiscopi Toletani. Si ubi in Officiis Palatii Archiepiscopus Toletanus Episcopos distinebat ab Ecclesiis suis tunc abjunctos, æqua fiebat compensatio spiritalium commodorum, pro jactura quam tunc faciebant singulares eorum Ecclesiæ: non est quòd quisquam illum usum insimulet. An res ita habuerit, id nostri nec ingenii est trutinari, nec instituti. Unum illud mordicus tenebimus, absque istiusmodi compensationis patrocinio tueri neminem posse has Episcoporum ab Ecclesiis suis peregrinationes. *L. 7.*

VIII. Legationes eò minùs pugnant legi residentiæ Episcoporum, quòd & breves sunt, & permagna habent ad Ecclesiæ Regnique salutem momenta. A Philippo Augusto Franciæ Rege narrat Rigordus missum esse Stephanum Episcopum Noviodunensem ad Canutum Daniæ Regem, ut unam ex ejus sororibus in conjugem sibi elocaret. Ingalburgem virginem Regiam voti factus compos Episcopus in Gallias deduxit, Philippus Rex obvius Atrebatum prodiit, Episcopis & Optimatibus Regni vallatus. Ludovicus VI. Philippi Augusti parens, repudiata Eleonora priori conjuge, Hugonem Archiepiscopum Senonensem in Hispaniam legavit, ut Constantiam Regis filiam sibi uxorem abduceret. Ex animi sententia res cecidit, Autehamque Rex cum Episcopis & Magnatibus profectus est, ut Reginam acciperet. Narrat & Guillelmus Nangius, ut B. Ludovicus Rex Valterum Senonensem Archiepiscopum ablegarit ad Comitem Provinciæ Raimundum, quò Margaritam ejus filiam impetraret; eam Archiepiscopus Senonensem in civitatem deduxit, ubi & nuptias ipse celebravit. Ejusmodi exemplis scatent Annales Ecclesiastici, Episcoporum ad procuranda conjugia nunc ablegatorum, nunc ad componenda bella, pacemque revehendam; aut Regibus adglutinatorum in Curiis solennibus, in Colloquiis, in perlustrandis Regni Provinciis.

Anno 1193.

Gesta Ludovici VII. c. 29.

Memorat Glaber, ut Henricus Germaniæ Imperator Robertum Galliæ Regem modestia & bene-

volentia singulari prior inviserit, utque postera die ad eum Robertus perrexerit, longo Episcoporum cinctus comitatu. Leo ipse IX. dum Tullensem adhuc administraret Episcopatum, Legati provinciam obierat, ut inter Conradum Regem Romanorum & eundem Robertum Franciæ Regem pacem resarciret. Quin & postea creatus Pontifex summus, varia peragravit Regna, Principes Hungaros ut Imperatori conciliaret, concessa præteritorum impunitate, illibata posthac fide in potestate Imperatorum futuros, quibus obnoxia erat Hungaria. Longum magis quàm operosum esset plura his exempla attexere. Minimè autem necesse est, cùm satis ex his superque liqueat, quid sibi in his licere voluerint & Episcopi & Reges, sanctitatis fama insignes. Ornat Ecclesia Regnum, & vicissim ornatur ab eo, cum altiùs se inserit in Regni negotia, uno eo scopo, uno eo fructu, ut luce Christianæ legis, & rore quodam Pontificiæ sapientiæ & charitatis aspergat sapientiam sæcularem, alioqui à cælesti degenerem. Nec ipsi B. Carolo Mediolanensi Archiepiscopo, viro ad summum sacræ disciplinæ rigorem comparato displicebat, ut ad regendas Reipublicæ habenas Episcopi Principibus subsidio essent, dum ne sine licentia summi Pontificis id tentarent.

Rainal an. 1023 n. 4. *Vita ejus apud Sur. l. 2. c. 8. April die 19.* *Giossano. l. 2. c. 18.*

IX. Ut ne in Græcis penitus obmutescam, Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus, de quo multa jam sæpiùs, non sinit Episcopos Diœcesibus suis egredi, nisi ut ad Concilium advolent, aut si ab Imperatore, vel à Patriarcha vocentur ad breve tempus. *Nisi fortè propter necessitatem, ad utilitatem animarum pertinentem, ab Imperatore, aut à Patriarcha statim rediturus vocetur.* Nihilo tariores sunt Legationes Episcoporum in Annalibus Græcis, quàm in Latinis. Verùm illud non pigebit rursus monuisse, Legationes quæ nunc Ordinariæ dicuntur, in usu olim minimè fuisse. Extraordinarias autem breves semper fuisse, eòque residentiæ Episcopali minimè inimicas.

Epist. 7. ad Patr. Tom. 3.

X. Nec pœnitebit observasse, ordinarias Legationes probabiliter credi eas fuisse primas, quibus Principes Christiani Occidentis colebant Sedem Apostolicam; sicut & olim in Ecclesia Græca Patriarchæ & Romani Pontifices ipsi Apocrisiarios suos in Palatio Imperatorum Constantinopoli habebant. De Apocrisiariis alibi diximus, de Legatis Ordinariis in Occidente pauca hic cursim libanda. Rescripsit olim Gregorius VII. ad Olaum Norvegiæ Regem, Nuntios Apostolicæ Sedis in Norvegiam destinari non posse, ob ejus regionis linguæ imperitiam; ideoque ab eo potiùs mittendos Romam Nobiles quosdam adolescentes, qui rudimentis ibi imbuantur Religionis, litterarum, legum, rituumque Ecclesiæ sacrorum, & has postea opes in patriam devehant & disseminent. Regi Sueciæ suasit idem Pontifex, ut sui Regni Episcopum, vel Clericum aliquem adprimè doctum Romam mitteret, ut Ecclesiarum Sueciæ disciplinam, hactenus hauddubio minùs expolitam, Sedi Apostolicæ explanaret, ab eaque necessariis ad eam perpoliendam documentis instrueretur. Cùm Visigothorum Reges ad Septentrionem nuper à Paganorum insania ad fidem Christi se recepissent, unus ex eorum Episcopis Romam perrexit, de re tota Pontificem certiorem fecit, qui mox eos invitavit, ut Clericos peritiores Romam ad se ablegarent, à quibus ipse, quo statu res illorum essent, edisceret, & vicissim edoceret, quo illæ ritu ad Ecclesiæ Romanæ formam refingendæ essent. Ita Clerici, Episcopi, Nobiles longinquarum gentium insuescebant paulatim Romam ventitare, ibi diutiùs commorari, ad gentis suæ Ecclesias excolendas.

L. 6. Ep. 13. *L. 8. Ep. 11.* *L. 9. Ep. 14.*

Quod ad Legationes spectat, quas Obedientiæ vocant, cùm anno 1131. Remis ageret Innocentius II. suam illi fidem obedientiamque significarunt obligaruntque, Lotharius Germaniæ Rex per Archiepiscopum Moguntinum, Henricus Angliæ Rex per Hugonem Archiepiscopum Rotomagensem, Alphonsus uterque in Hispania Reges, per Episcopos Regnorum suorum. *Obedientia promittitur. Se filios & obedientes denuntiant.* Istiusmodi ergo Legationibus plerumque fungebantur Episcopi, sed & eæ breviores erant. Nec abhorret à verisimilitudine eo ipso ævo, hoc est sæculo XII. invectum hunc fuisse usum, ut per solennem Legationem Christiani Principes novo Pontifici suam pietatem & obedientiam profiterentur; ut obviam iretur Germaniæ schismati, cùm Germani Imperatores pertinaciùs & diutiùs Pseudopontifices obtruderent Orbi Christiano.

Chronicum Mauriniac.

De Romana Peregrinatione.

CAPUT XL. *P. 2. l. 2. c. 47.*

Residentiæ exceptio legitima, iter Romanum à temporibus Clodovæi ad Carolum Magnum.

I. Exulantem Patriarcham capit Gregorius Magnus, Romam ut concedat.

II. Episcopi Siciliæ Romam quinto quoque anno ventitabant ex officio.

III. Ante Gregorium Magnum tertio quoque anno.

IV. Quàm pia arte & industria curabant, ut ne his coalitionibus Episcoporum invideret aut insidiaretur Magistratus Civilis.

V. Quò Martinus Papa Galliarum Episcopos aliquos ad se acciverit, quo eos Constantinopolim Legatos mitteret.

VI. Tempore Leonis I. Papæ Episcopi Siciliæ ad Concilium Romanum quotannis convolabant.

VII. VIII. IX. X. Episcopi Italiæ frequentiùs Romam confluebant, ut ad Metropolim suam, & ad Concilia Provincialia. Non ea ergo origo est Romani itineris.

XI. XII. Episcoporum Angliæ & Germaniæ peregrinationes Romanæ.

XIII. XIV. Peregrinationes longè frequentiores Anglorum, Francorumque cujusque ordinis & sexus Romam confluentium.

XV. Inter eos erant & Episcopi.

XVI. XVII. Episcopi Hispaniæ multò magis frequentabant Archiepiscopum Toletanum.

I. Calumniatorum præstigiis delusus Justinus Imperator, Anastasium Sinaïtam Patriarcham Antiochenum immerentem Synodico dejecit judicio, & exulare jussit, subrogato in ejus locum mirabili illo Gregorio, qui & ipse in Monte Sina Monasticam vitam professus erat. Nihil intentatum reliquit Gregorius Magnus, quo ei ab Imperatore Mauritio impetraret insignia dignitatis suæ, utque eum sineret Romæ secum commorari, ut mutuis sese recrearent beatæ in cœlis patriæ colloquiis. *Indices quia à serenissimis Dominis, quantis valui precibus postulavi, ut vos honore restituto, ad sancti Petri Apostolorum Principis limina venire, & quousque ita Deo placuerit, hic mecum vivere concedant, quatenus dum vos videre meruero, peregrinationis nostræ tædium de æterna patria invicem loquendo relevemus.* Post annos tres supra viginti cùm Gregorius in B. Patriæ gaudia devolasset, restitutus in suum locum est Anasta-

Evagr. l. 5. c. 6. *Anno 572.* *L. 5. Ep. 70.* *L. 4. Ep. 37.*

suis, qua de re & illi per litteras gratulatus est Gregorius Papa. Qui idem ipse cùm in Concilio Romano diffiniri vellet dissidia quædam ad Aquileiensem Episcopum pertinentia, operam dedit ut Imperatoris jussione Romam veniret. *Juxta Christianissimi rerum domini jussionem venire te volumus cum tuis sequacibus.*

II. Hinc jam perspicis multas, easque diversas fuisse Episcopis causas Romam pergendi, & aliquantas moras ibi trahendæ, unde & eò sæpè à Pontifice invitabantur. Sed longè aliæ sunt, quas nunc profero. Prisca consuetudine Episcopi Siciliæ Romam tertio quoque anno proficisci cogebantur. Molestè tulit Gregorius, suis ab Ecclesiis tam frequenter eos abesse. Legatum ergo & Vicarium Apostolicum in ea Insula constituit Maximianum Episcopum Syracusanum, qui eorum lites judicio suo dirimeret, ipsi verò Romam nonnisi singulis quinquennils veniitarent. *Mandata cælestia efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur. Proinde super cunctas Siciliæ Ecclesias te vices Apostolicas ministrare decernimus, quatenus eis non sit necessarium post hæc, pro parvulis ad nos causis tanta maris spatia transeundo pervenire: sed si qua fortasse difficilia existunt, quæ fraternitatis tuæ judicio nequaquam dirimi possint, hæc solummodo nostrum judicium flagitent: ut sublevati de minimis causis, majoribus efficacius occupemur.* Hæc ille ad Maximianum, ea quibus rursum patet, Romanos Pontifices, ubi per Provincias Legatos vel Vicarios Apostolicos instituerunt, non id fecisse decerpta portione aliqua Metropoliticæ potestatis & illis attributa: sed vocatis his Legatis & Vicariis in societatem sollicitudinis & in partem potestatis Apostolicæ Sedis; qua de re supra copiosè, ubi de Vicariis Apostolicis.

L. 2. c. 4.

III. Sed illud hîc prætetea observandum venit, hanc Vicariorum & Legatorum Apostolicorum eò pertinuisse institutionem, ut ne tam crebrò Episcopi Romam itarent. *Ut non sit eis necessarium post hæc pro parvulis ad nos causis tanti maris spatia transmeando pervenire.* Subinde tamen causæ incidebant tam impeditæ & tenebricosæ, vel tanti alioqui ponderis, ut necesse esset referri ad Apostolicæ Sedis oraculum. Ea enim de causa Gregorius ipse assentiebatur, ut quinto quoque anno Episcopi Siciliæ Romam se conferrent. Unde idem ipse ad suum in Sicilia Nuntium: *Novit dilectio tua, hanc olim consuetudinem tenuisse, ut fratres & Coëpiscopi nostri Romam semel in triennio de Sicilia convenirent; sed nos eorum labori consulentes, constituisse, ut suam hic semel in quinquennio præsentiam exhiberent. Et quia jam diu est, quod huc minime convenerunt, eos hortari te volumus, ut natalem sancti Petri hic, Deo perducente, nobiscum debeant celebrare.*

L. 6 Ep. 15.

IV. Suspecta videri poterat & invidiosa Præfecto Siciliæ Imperatorio hæc Episcoporum Romam convocatio. Gregorius ut obices remorasque omnes præsecaret, Nuntio suo mandavit, ut ipsemet quasi suapte sponte Episcopos illius hortaretur, ut Romam velut haud vocati peterent. *Sed ne fortè Prætori aliqua nasci possit suspicio, si eos huc admonitos venire cognoverit; voluntatem nostram intelligens, ita hoc ex te facere stude, ut & ipsi, sicut prædiximus, ad diem constitutum huc veniant, & nulla de eis Prætori possit esse suspicio.* Mandat denique, ut & Romam venire invitet Episcopos Liparitanum & Rheginensem in Calabria. Non debuit silentio premi pia illa Gregorii solertia ad prævertendas remoras, quas Conciliis & Congregationibus Episcoporum Præfecti Provinciarum injicere possent.

V. Galliarum Episcopos aliquot Romam accersere cupiebat B. Martinus Papa, idemque postea Martyr, quò eos Constantinopolin mitteret cum Legatis suis, ad causam fidei adversùs Monothelerarum furores defendendam. Litteras ergo ille ad B. Amandum Trajectensem Episcopum dedit, ut ab eo interpellatus Sigebertus Rex eam Regni sui Episcopis proficiscendi licentiam daret. *Sigebertum præcellentissimum filium nostrum Regem Francorum pro sua Christianitatis remedio consultissimè admonere atque precari studeat fraternitas tua, dirigere nobis ex corpore fratrum nostrorum dilectissimos Episcopos, qui Sedis Apostolicæ Legatione ad clementissimum Principem nostrum, &c.* Ea erat horum Pontificum & sapientia & sanctitas, ut subtilibus & interminatis abstinerent quæstionibus, de finibus utriusque potestatis, Pontificiæ, Regiæque; sed conscii expertique optima quæque & pulcherrima consilia faciles felicesque exitus habere non posse, nisi stabili utriusque potestatis consensione: iis utebantur delinimentis, quæ plurimum conferreot, ut saluti Ecclesiæ provisum esset, adhibita lubentiùs sæpiùsque suavitate & sapientia, quàm potestate.

VI. Sed revocanda jam oratio est ad Episcopos Siciliæ, quibus ante Gregorii Magni tempora triennio quolibet semel veniendum erat. Illud à Leone Papa notatum est, prisci moris fuisse, ut bina quotannis Concilia cogerentur Provincialia, utque anno quolibet tres Siciliæ Episcopi Romam venirent exeunte Septembri, ut in commune conferrent cum cæteris Episcopis de religiosa Canonum observantia. Sic enim Leo ipse ad Episcopos Siciliæ cohortandos, ne tam piæ deessent consuetudini. *Illud primitus pro concordissima unitatis custodia exegimus, ut quia saluberrimè à sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus; terni semper ex vobis ad diem tertium Calendarum Octobrium Romam, fraterno Concilio sociandi occurrant, & indissimulanter à vobis hæc consuetudo servetur. Quoniam facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cùm coram beatissimo Apostolo Petro semper in commune tractandum sit, ut omnia instituta, Canonumque decreta, apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.* L. 4. c. 72

VII. Hinc ediscimus accitos fuisse Romam Siculos quotannis Episcopos, ut alteri Provinciali Concilio interessent, cùm ex canonicis universæ Ecclesiæ institutis bina quolibet anno celebrari deberent. Et ne tamen suis Episcopi Ecclesiis aut diutiùs avocarentur, aut sæpiùs, duplex inventum fuerat temperamentum ad Episcopos Siculos, ut tres tantùm mitterent Præsules, qui universorum gererent vices; utque semel quolibet anno mitterent ad posterius Concilium tempore Autumnali.

VIII. Romam ergo confluebant hi Episcopi, tanquam ad Metropolin suam, ut Papæ Provinciali Concilio interessent. Intererant haud dubio & Italiæ Episcopi, eò frequentiores, quò propiores, nec ullo mari avulsi, ut ex litteris liquet Gallæ Placidiæ Augustæ ad Theodosium Juniorem. *Leo Episcopus multitudine Episcoporum circumseptus, quos ex innumerabilibus civitatibus Italiæ, pro principatu proprii loci, seu dignitate collegit.* Sardiniæ Episcopi, ut & Siciliæ, cum Italis coalescebant in Concilia Romana, ut videre est in Epistola Sardicensis Concilii ad Julium Papam, ubi illum orant, ut Sardicensia sua decreta cum Episcopis communicet Siciliæ, Sar- Con. Calch. Par. 1. c. 16.

diniæ

niæ & Italiæ. *Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per sua scripta, qui in Sicilia qui in Sardinia & in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt, & quæ definita, cognoscant.*

IX. Illa ergo ab origine manaverat ea consuetudo, ut author est Leo, quòd duo quotannis à Metropolitano Concilia cogenda essent: *Saluberrimè à sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus.* Erat autem tunc, ut apparet, Romanus Pontifex, unus Siciliæ, Sardiniæ, & ferè universæ Italiæ Metropolitanus. Commemorant enim Annales Ecclesiastici Concilia aliqua Provincialia ab Ambrosio Mediolani adversùs Jovinianum convocata; at nec monumenta extant ulla, nec vestigia Conciliorum in Sicilia, vel in Sardinia habitorum, vel in ea Italiæ parte, quæ ab urbe Roma in Siciliam exporrigitur. Effuderat se fides ab Urbe in omnem Italiam & in viciniores Insulas. Ita conglutinatæ erant hæ Provinciæ longè strictius quam cæteræ Romano Præsuli, & diutissimè propriis caruere Metropolitanis.

De Script. Eccles. in Cornel.

Ubi scribit Hieronymus Cornelium Papam ad Fabium Antiochenum Episcopum litteras dedisse *De Synodo Romana, Italica & Africana*, de damnatione Novatiani: in causa esse potuit persecutionis atrocitas, ut ne Italiæ omnes Episcopi Romam confluere possent. Ideo & Aurelianus Imperator minùs infestus Ecclesiæ, constituit ut Paulus Samosatenus in Concilio Antiocheno damnatus, Episcopalibus Antiochiæ ædibus ejiceretur, iisque illi addicerentur, *quibus Italiæ & Urbis Romæ Episcopi per litteras tribuendas præscriberent.* Non novum condebat jus Aurelianus, sed ex veteris juris usu sanciebat, quo Episcopi Italiæ cum Papa ad Romana Concilia adgregarentur. Cùm Constantinus causam Cæciliani Carthaginensis Episcopi & Donati Melchiadi Papæ & Concilio Romano delegasset, Concilio huic Romano affuere Episcopi Italiæ, ac præ cæteris Mirocles Episcopus Mediolanensis. *Ad urbem Romam ventum est ab iis tribus Gallis, & aliis quindecim Italis, &c. Cum consedissent Miltiades Episcopus urbis Romæ, & Mirocles Mediolano, &c.* Ita Optatus. Concilium erat, ut vides, Romanum, cui tamen intererant Episcopi Italiæ & inter eos Mediolanensis.

Euseb. l. 7. c. 30.

Opta. l. 1.

Apparet ergo Metropoles Mediolanensem, Ravennatem, Syracusanam, Calaritanam institutas postea fuisse. Prima videtur emersisse interea Mediolanensis Metropolis, cujus & Metropolitæ confirmandi potestatem sibi Papa servavit integram. Emersit postea Metropolita Ravennas, qui Romam pergere & ibi ordinari tenebatur, ut ex Epistolis constat Gregorii, ex quibus & illud liquet cæteris Italiæ Provinciis nullos fuisse Metropolitanos, primumque ipsum misso Pallio ea dignitate exornasse Syracusanum in Sicilia, & Calaritanum in Sardinia Episcopum. Denique minimè necesse fuisset, quotannis Romam ventitare tres Episcopos Siciliæ, si ei suus fuisset aliquis Metropolitanus, suumque adeo Provinciale Concilium.

Plus momenti mihi visum est esse in his rationibus, quam in argumento, quod exculpitur ex Epistola Constantini Imperatoris, qua Episcopum Syracusanum ad Concilium Arelatense vocabat. Inter civiles Metropoles numerabatur Syracusana civitas, & eò poterat spectare Constantinus. Ambigi certè non potest, quin pauciores tunc fuerint Metropoles, fuerintque complures præterea Episcopi alii ad Concilia generalia vocandi.

X. Missa facio complura alia Concilia Romana, quò convenerunt Episcopi Italiæ, immo & Mediolani, & Ravennæ, sive illi tum fortè Romæ commorarentur; sive quod in Italia, non secus ac in aliis Christianæ Reipublicæ partibus Concilia Nationalia visa sint semper Provincialibus meliora, gratiora, & ad usus Ecclesiarum accommodatiora. Ex his certè quæ hic jam diximus, abundè liquet, eam quæ medio ævo invaluit consuetudinem, ut certo annorum intervallo omnes Orbis Episcopi Romam commearent, nequaquam ex hac manasse Episcoporum Italiæ, Siciliæ & Sardiniæ consimili necessitate. Si ad tempora enim usque Leonis Papæ quotannis Romam ventitabant Episcopi Siciliæ; si exinde semel quoque triennio venire jussi sunt; si denique Gregorius præcepit, ut quinto tantum quoque anno eò venirent, quòd eis nempè Episcopum Syracusanum præfecisset, Legatum & Vicarium sedis Apostolicæ; non pertinebant hæc omnia nisi ad illam Canonum regulam, ut Conciliis Provincialibus se sisterent Episcopi, vel Nationalibus. Atqui nihil ad Concilia attinebat, illa sive consuetudo, sive lex, qua omnes orbis Episcopi Romanum iter adgredi certis temporum intervallis jussi sunt.

In eam rem Zacharias Papa decretum edidit anno 743. in Concilio Romano. Eo Canone præcipitur, ut omnes Episcopi, qui à Romano Pontifice ordinantur, Romam quotannis commeent, si minus distent; si remotiores autem sint, eo annorum intervallo veniant, quod dum ordinarentur, Chirographo suo ratum habuerunt. *Ut juxta sanctorum Patrum & Canonum statuta, omnes Episcopi, qui hujus Apostolicæ sedis ordinationi subjacebunt, qui propinqui sunt, annuè Idus Maii Petri & Pauli liminibus præsententur, omni occasione seposita. Qui verò de longinquo, juxta Chirographum suum impleant.* Ex quo apparet 1. non contineri eo decreto, nisi illos qui suffraganei sunt Romanæ Metropoleos, aut qui à Pontifice ordinantur. 2. Eam coitionem annuam tot Episcoporum, Synodum hauddubiè fuisse. 3. Cùm Metropolis Romana olim complecteretur Italiam, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, non potuisse non permagnam esse illam Episcoporum adgregationem, atque adeo ingentem Ecclesiarum suis Pastoribus interim orbatarum mœrorem. Hinc illa temperamenta à posterioribus Pontificibus excogitata. 4. Postquam etiam alios & alios Metropolitanos instituêre Romani Præsules in regiunculis amplissimæ suæ Metropoli decerptis, hæc eadem illis præscripsere Romanæ profectionis intervalla, pro modo distantiæ, uti & Episcopis, qui eis parebant. 5. Qui remotiores erant, Chirographo suo, dum ordinarentur, ad ea se primæ Sedis obsequia obligabant.

XI. Missus à Gregorio II. Bonifacius ad Germaniam Christiana fide imbuendam, revocatus est postea Romam, ut Moguntinus ordinaretur Archiepiscopus, & necessariis ad Ecclesiæ regimen imbueretur documentis. In Gallias & Germaniam iterum ablegatus, Apostolicisque ibidem aliquandiu laboribus perfunctus, Romanum iterum emensus est iter, quo Apostolorum veneraretur limina, hauriretque velut in ipso limpidissimo fonte, purissimæ tum fidei rivulos, tum disciplinæ. Fidem *Epist. 3.*
facit Gregorius III. in Epistola tum data, cùm illum rursus in Germaniam ablegaret. *Post temporum spatia orationis causa, ad limina beatorum Apostolorum sese præsentavit, & quæ ad animarum salutem pertinent, à nobis poposcit imbui; nos Deo favente ut sacra docet Scriptura, eum edocentes, ad vos remeaturum absolvimus, &c.* Illud quoque eidem Bonifacio

Conc. Gall. To. 1 pag. 523. 534.

Indultum est à Zacharia Papa, ut appetente morte successorem suus deligeret, qui Romam ordinandus accederet.

XII. Augustinus Angliæ Apostolus, antequam animam ageret, Laurentium sibi successorem, & Mellitum Episcopum Londinensem ordinavit. Mellitus extincto Augustino, pauco post tempore Romam venit, ut de necessariis Angliæ causis cum Pontifice tractaret. Jussit eum Pontifex Concilio Romano interesse, atque ita cum Synodicis his institutionibus in Angliam remeare.

Beda. l. 2. c. 4.

His temporibus venit Mellitus Londoniæ Episcopus Romam, de necessariis Ecclesiæ Anglorum causis cum Apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem Papa reverendissimus cogeret Synodum Episcoporum Italiæ, de vita Monachorum & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit; ut quæque erant regulariter decreta, sua quoque authoritate subscribens confirmaret, ac in Britanniam rediens, sicut Anglorum Ecclesiæ mandata, atque observanda deferret, cum Epistolis quas idem Pontifex Laurentio, & universo Clero, Regi, atque genti Anglorum direxit. Hæc Beda.

XIII. Hæc potius incunabula fuerint ejus consuetudinis, quam hic agimus, si Romanis bis à profectionibus cessatum non fuisset. At nonnisi extincto Deusdedit Archiepiscopo Cantuariensi sexto post Augustinum, cùm ea sedes aliquandiu vacasset, missus est ab Angliæ Regibus Vighardus Presbyter Romam, ut Cantuariæ Archiepiscopus ordinaretur. Vighardo mox ubi Romam attigit obeunte, ejus in locum Vitalianus Papa Cantuariæ Archiepiscopum præfecit ordinavitque Theodorum illum doctrinæ & sapientiæ fama clarissimum; à quo & antiquissimo splendori suo restituta est Ecclesia Anglicana.

Ibidem. L. 4. c. 5.

Interea verò Clerici, Laïci, Reges ipsi Romana itinera frequentare cœperunt, ut Christum ad Apostolorum tumulos venerarentur.

L. 5. c. 7.

Abeunte Romam Ceadualla successit Ina, qui & ipse relicto regno, ad limina beatorum Apostolorum profectus est, cupiens in vicinia locorum Sanctorum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius à Sanctis recipi mereretur in cœlis; quod his temporibus plures de gente Anglorum Nobiles que, laici & Clerici, viri ac fœmina certatim facere consueverunt. Berthuvaldus Theodori successor Romam petiit, ut ibi ordinaretur. Eò missus est etiam Villebrordus à Pipino, ut Frisonum Episcopus ordinaretur.

L. 5. c. 12.

Coenredus & Offa Reges Regno se abdicarunt, ut Romæ Monasticam profiterentur vitam.

L. 5. c. 20.

Vilfridus doctrinæ ubertate & sanctitate præstantissimus, antequam ordinaretur Eboracensis Episcopus, Romæ Theologicas hauserat & Ecclesiasticas omnes disciplinas. Episcopatu verò dum perfungeretur, iis conflictatus est calamitatibus & persecutionibus, ut bis compulsus fuerit Romam, ut ad perfugium certissimum, se recipere.

L. 5. c. 21

Mortuo successit Acca, qui & socius studiorum ei accesserat olim in Academiis urbis Romæ.

Ennod. libell. pro Symm.

XIV. Ita Laici, Clerici, Episcopi, Reges Romanum terebant iter, & fundamenta jaciebant earum peregrinationum, quarum in originem hic inquirimus. Ennodius de Monumentis Apostolorum agens, ad illa testatur fideles undique concursasse. *Illud quod ex omnibus orbis cardinibus devotos attrahit.*

Greg. Turo. L. 2. c. 10

In Galliis Bricius Turonensis Episcopus obtrectatorum perversitate sede sua deturbatus Romam fugit, septem annos ibi egit, & tandem cum Pontificio rediit decreto, quo restituebatur. Servatius Tungrensis Episcopus Romam petiit, ut Hunnorum à Galliis populationes fusis ad Apostolorum limina precibus propulsaret: nec tamen voti compos factus est.

L. 2. c. 3. Epist. 31.

Avitus Episcopus Viennensis, ad Senatum Romanum scribens, optatissimum fuisse significat ut Episcopi Galliarum potuissent ii simul Romam convolare, ut officia & religionis & pietatis obirent: aut certè unum ut in locum coire omnes possent, ut quid de causa Symmachi Papæ sentirent, testificarentur, & quantum ejus honori & amplitudini obsequi se posse cuperent; sed jam diu bellicis tumultibus ea itinera sibi obsepta esse, & Provinciarum inter Reges partitionibus, jam plenioribus illis Synodis aditum esse interclusum. *Primum fuerat talis status rerum desiderandus, ut ipsi per nos urbem orbi venerabilem pro dependendis divinis humanisque expeteremus officiis. Sed quia istud jam dudum per rationem temporum fieri posse cessavit; velimus, quod fatendum est, vel eo se utilitatis accedere, ut quæ in causa communi supplicari oportet, amplitudo vestra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognosceret. Sed quoniam hujus quoque nos voti impotes Provinciæ, præfixis regnorum determinata limitibus, &c.* Qui locus maximè opportunus mihi videtur, ut liqueat ante annum Christi quingentesimum, hoc est antequam Boreales gentes in Gallias irrumperent, in more positum fuisse, ut Episcopi Gallicani Romam turmatim pergerent, ubi gravis aliqua Ecclesiæ necessitas illos eò invitabat, ut Apostolorum corporibus, & successoribus Petri solennes impenderent honores. Eo enim sensu donanda sunt hæc verba Aviti: *Pro dependendis divinis humanisque obsequiis.*

XV. Si qua superesset dubitationis nubecula, discuti ea posset hoc B. Audoëni Rotomagensis Episcopi exemplo, qui postquam Ecclesiis & Monasteriis fidei integritatem, Canonumque disciplinam castissimam vendicarat, Romanæ se commisit peregrinationi, tum ut veneraretur immortalem Apostolorum in Monumentis ipsis suis gloriam, tum ut lucis aliquid ex ipso lucis fonte mutuaretur.

Surius die 24. Augusti. Baronius. Ann. 672. n. 2.

Itaque post fundatam in fide Ecclesiam, post doctrina fluenta, post tot ædificata Monasteria, post tranquillatum totius Franciæ regnum, urbem Romam Caput orbis & Christianæ Religionis, quam Apostolorum Principes suis corporibus ornant, Pontificatum tunc obtinente Adeodato Papa, adire constituit, &c. Absolutis verò apud loca Sanctorum diu optatis precibus, divinis acceptis responsis, in Gallias revertit.

Vita ejus. L. 2. c. 20.

Cæsarius Arelatensis Episcopus abstersis adversariorum calumniis apud Theodoricum Regem Ravennæ, inde Romam properavit, ut Symmachum Papam revereretur. *Post hæc Romam veniens, B. Symmacho Papa ac deinde Senatoribus exhibetur.* Hilarius Arelatensis Episcopus Romam & ipse petiit, ut prolatam à se in Chelidonium Vesuntionensem Episcopum sententiam tueretur: & mox ubi eò appulit, Apostolorum tumulis & Leoni Papæ pro more accidit venerabundus.

Surius die 5. Maii. c. 10.

Apostolorum Martyrumque occursu peracto, beato Leoni Papæ illico se præsentat, cum reverentia impendens obsequium, & cum humilitate deposcens, ut Ecclesiarum statum more solito ordinaret. Cùm denique Pelagius II. ad Anacharium scriberet, Episcopum Altisiodorensem, gratulabatur ei, quòd Romam proficiscendi consilium iniisset, & Apostolorum exemplo persuadebat, quantumvis spiritus vinculo & charitatis nexibus sibi Episcopi mutuò cohærescant, has tamen fructuosissimas esse congressiones. *Laudanda tua charitatis vota relegimus, quibus te nisi gentilis motus obsisteret, ad nos venire voluisse significas. Licet enim*

spiritualiter & simul & ut unum semper simus in Domino; veruntamen etiam præsentias corporales, & antiquiores Patres, & ipsos quæsisse invenimus Apostolos. Ex Epi-
L. 6 Ep. 9 stolis Gregorii Papæ colligitur Magnatibus laicis curæ fuisse, ut diem festum B. Petri Romæ age-
Epist. 13. 16 rent. Idem observare est in Epistolis B. Paulini.

XVI. Hispanos Episcopos à frequentatione Romanæ civitatis & Ecclesiæ summovebat locorum distantia; sed quibus Hispani Præsules Toletanum colebant Archiepiscopum honoribus & obsequiis, iis mirificè approbantur, quæ Romanæ Ecclesiæ impensissima sunt religionis exhibita officia. Concilio enim VII. Toletano statutum est, ut quò urbi & Ecclesiæ, ubi sedes esset Regis, & Metropolitani Toletani, honos haberetur, viciniores Episcopi eò advolarent singuli singulos menses ibi peracturi, cùm eos Toletanus Antistes vocaret, excep-
Can. 6. tis tamen messis & vindemiæ feriis. *Placuit, ut pro reverentia Principis ac Regiæ sedis honore, vel Metropolitani civitatis ipsius consolatione, convicini Toletanæ sedis Episcopi, juxta quod ejusdem Pontificis admonitionem acceperint, singulis per annum mensibus eadem in urbe debeant commorari: messivis tamen & vindemialibus feriis relaxatis.* In Concilio Emeritensi declaratum est, exolvendos Metropolitano honores, qui à Conciliis præscripti fuere: ideoque si quis Episcopus Provinciæ ad eum non accurreret, mox ut sevocatus fuisset, Natale Domini & Pascha cum eo celebraturus, protinus cum anathemate feriendum, nisi gravior morbi vis cessationem eam ex-
Can. 6. cusaret. *Sicut primatus reverentia Metropolitano Episcopo jubetur impendi per synodicam regulam, ita & à Comprovincialibus suis serventur hæc monita. Ut dum quisquam Comprovincialis Episcopus Metropolitani sui admonitionem acceperit, pro diebus festis Nativitatis Domini & Paschæ cum eo peragendis, veniendi ad eum nullam faciat excusationem.* Et mox: *Si fanus venire distulerit, absque excommunicatione admittendus non erit.*

XVII. Non temerè forsan suspicaretur quis, Metropolitanos Toletanum & Emeritensem hos sibi honores decerni voluisse, honoris & gloriæ magis cupidine, quàm zelo disciplinæ. Sed ex Concilio Toletano XIII. manifestè patebit, ex evidenti utilitate, adeoque & ex urgenti necessitate coactos fuisse Reges & Metropolitanos, ut Episcopos ad se congregarent, pro rebus arduis consultandis, pro creandis novis Episcopis, aliisque gravissimis cau-
Can. 8 sis. *Accidit multoties ut causâ salutis alicujus, vel collationis necessaria evocati à Principe, vel Metropolitano confinitimi Sacerdotes venire differant, &c. Et ideo si quis Episcoporum à Principe vel Metropolitano suo admonitus, sive pro festivitatibus summis, Pascha scilicet, Pentecoste & Nativitate Domini celebrandis, sive pro causarum negotiis, seu pro Pontificibus consecrandis, vel pro quibuslibet ordinationibus Principis ad constitutum diem venire distulerit, se noverit excommunicatione mulctari.*

CAPUT XLI. *P. 2. l. 2. c. 51.*

Residentiæ exceptio canonica, iter Romanum, voti causa, aut jussu Papæ, aut ad Concilium Romanum, sub Imperio Caroli Magni.

I. Romam proficisci tenebantur Episcopi ad Romana Concilia, cum jubebat Papa, sed non sine Regis licentia.

II. Erat & ea Regis licentia necessaria, cum voti causa ad limina pergebant Apostolorum.

III. Agnovit Nicolaus Papa, eam Regis licentiam Episcopis necessariam esse.

IV. Sub Pipino & Carolo Magno idem professi sunt Pontifices.

V. Nova ejus rei probationes.

VI. Nos iccirco sub stirpe Clodovæa Regia.

VII. Inferiorum Beneficiariorum ardorem nimium in pias peregrinationes sacri Canones prohibuere.

VIII. Postquam Episcopi tam alte penetrarunt, admissique sunt ad Regni gubernacula, ad secretiora Consilia, ad arcana Imperii, æquum non erat, ut injussu Principis Regno egrederentur.

IX. Solvitur objectio, ex Canone Concilii VIII. Generalis.

X. Non is hujus Canonis scopus sensusque, ut Gallis accommodetur.

XI. Explanatur Canon.

XII. De peregrinationibus Romanis Episcoporum certis intervallis.

I. Propositum mihi non est, ut in eam hic altiùs one immergam quæstionem, An ut jussio Principis ad se Episcopum vocantis, canonica residentiæ exceptio est; ita sit & jussio Pontificis Episcopum Romam accersentis. Non videtur addubitasse Hincmarus, quanquam & illud innuat, assensionem Principis necessariam esse, ut Regni finibus Episcopus excedat. *Dignum & justum est, ut* To. 2. p. 252.
quemcumque Episcopum Romanus Pontifex ad se venire mandaverit, si infirmitas, vel gravior quæcumque necessitas, vel impossibilitas, sicut sacri præfigunt Canones, eum non detinuerit, ad illum venire studeat. Et quicumque viderit, vel audierit quod Rex & Episcopus Apostolicæ Sedis summum Pontificem promptè obaudiunt & honorant, & promptiùs & humiliùs eis subjecti sunt obedient. Cum docet Hincmarus tantò omnes Regi & Episcopis religiosiùs parituros, quantò ipsos viderint Sedi Petri obsequentiores; satis insinuat, mollem illam Sacerdotii & Regni, ac pernecessariam concordiam id jubere, ut ne injussu Regis Episcopi Regno abscedant. Rursum idem & alibi Hincmarus tradit, ubi expostulabat Leo IV. Papa, quòd non ad se per Episcopos allata essent Acta Concilii in Galliis habiti; exploratum ei non fuisse, Metropolitanos Galliæ præter jussionem Regis nec exire ipsos Regni finibus posse, nec Episcopos emittere. *Nesciens quia nos Metropolitani in his re-* Pag. 306.
gionibus non habemus potestatem, ut sine consensu vel jussione Regis, aut nos ipsi ire, aut Coepiscopos nostros quoquam possimus longius dirigere.

Voto se coostrinxerat Hincmarus Laudunensis Episcopus, Romanam ut urbem peteret, Apostolorum sacra pignora adoraturus, cùmque eò etiam à Papa invitaretur, Hincmarum Remensem interpellavit, Regis ut licentiam sibi impetraret. *Obse-* Pag. 351.
cro, quò vestra Archiepiscopali authoritate apud Regiæ clementiam obtineretis, quatenus Papæ Adriani præceptis & institutionibus Ecclesiasticis mihi liceat obedire, velut ei qui de omni Ecclesia fas habeat judicandi. Videlicet ut limina Apostolorum Petri & Pauli, ut devovi, & ab eodem insuper vocatus sum, penetrare.

II. Habes hic ergo causas Romani itineris duas, votum sacræ peregrinationis, & jussionem Papæ ad causas Ecclesiasticas in commune consultandas. Utrobique porro Regis licentia necessaria. Ideo & Carolus Calvus Hincmarum Laudunensem monuit, veniret, causasque itineris justas edoceret, nec dubitaret licentiam protinus annuendam. *Tibi reman-* Pag. 614.
davit Rex venires ad illum; & si ipse pro causa rationabili te illuc ire velle, cognoscere posset, tibi licentiam non denegaret.

III. Nicolaus Papa I. acceptis litteris Ludovici

& Caroli Calvi Regum, causantium non posse Galliæ & Germaniæ Episcopos Romam ad Concilium, quò eos vocarat, accurrere, quòd fines Regni adversùs Paganorum incursiones tuendi essent: rescripsit mox Pontifex, Et ingenii & ministerii Episcopalis esse, ad Concilia venire, non ad militares expeditiones. *Cum militum Christi sit Christo servire, militum verò sæculi sæculo.* In majoribus causis *juxta priscum ritum* cogi debere universalia Concilia. Sed hæc præfatus, fatetur tandem non posse Episcopos in crimen adduci, cùm Rex eos esset remoratus.

Epist. 17. *Quod si qui ex confratribus nostris Episcopis talia misissent, habueramus qualiter illos reprehendere, & redarguere deberemus: excepto si Regalem magnitudinem vestram se impedire dixissent: In vobis hoc pendere & corrigi debere videretur.* Quo satis perspicuè permittitur Principibus facultas suos in Regno retinendi Episcopos, quando ea ingruunt rerum temporalium discrimina, quæ eorum præsentiam desiderent, Ecclesiæ autem & Concilii necessitas minùs tunc urget. Hujus necessitatis judices & arbitri sunt Pontifices, Reges, Episcopi; sed ita prorsus ut non sibi tantùm singuli, sed sibi mutuò omnes consultum velint, & ea sectentur, quasi media quædam temperamenta, quibus incorrupta concordia & benevolentia alatur.

Cùm Constantinopolitano I. & Calchedonensi Concilio aut concessa, aut confirmata esset potestas Exarchis omnibus & Patriarchis cogendi Concilii Universalis omnium sui Patriarchatûs Episcoporum, poterat meritissimò Nicolaus Pontifex idem sibi jus vendicare. Nequaquam verò de eo controvertebatur. Semel tantùm Germaniæ & Galliæ Episcopos ad magnæ molis negotia convocari cupiebat Papa. Ideo nec Episcopi prætexuerunt nisi necessitatem tuendi armato milite Regni confinia. Nec molestus illi posthac fuit Papa, comperta semel Regis voluntate. Prometur mox Canon Concilii VIII. Oecumenici, quo sancitur, ne Principes prohibeant Episcopos ire ad Concilia Romana, & ne Episcopi ipsi ea declinent fraudulento obtentu tuendi necessariò Regni. Sed non eo jubentur Canone Episcopi injussu Regis Regno egredi, aut nihil pensi habere, quibus Respublica necessitatibus conflictetur.

IV. Pipinum Regem Stephanus Papa oraverat, ut ex Episcopis suis doctissimos quosque Romam delegaret; Pipino interim hinc excedente, Carolus Magnus duodecim Episcopos ad Romanum dimisit Concilium, & in iis Senonensem, Moguntinum, Turonensem, Lugdunensem, Bituricensem, Narbonensem & Remensem Archiepiscopos. *Dirigentes*

Conc. Gall. To. 2. p. 65 *Christianissimi Reges duodecim Episcopos, &c. Quibus congregatis Concilium peractum est, &c.* Nec Nicolaus plura cupiebat, nec est quòd in ejus gestis nescio quas veluti latitantis astutiæ fibras venemur; totus erat ille in zeli sui flamma explicanda ad Christi & Ecclesiæ decus. Adrianus I. in litteris ad Carolum Magnum datis non dissimulat nisi annuente Rege non posse Gallos Romanum iter in-

Ibid. p. 97. gredi. *Sicut vestri homines sine vestra absolutione ad limina Apostolorum, neque ad nos conjungunt.* Fatetur sua ipsius interesse Pontifex, ut res ita sint comparatæ, ne & sui nisi jussu aut permissu suo possint in Gallias transmeare. *Ita & nostri homines, qui ad vos venire cupiunt, cum nostra absolutione & Epistola veniant.*

V. Cùm denique Adrianus II. Hincmaro Remensi mandasset, ut Hincmarum Laudunensem & tres alios Episcopos Romam mitteret Romano affuturos Concilio, nomine omnium Galliæ Episcoporum: rescripsit Hincmarus, injussu Regis nec se, nec alios Præsules Romam aut ire posse, aut quenquam mittere. *De eo quod pusillitati meæ vestra rescripsit sublimitas, ut Hincmarum & alios tres Episcopos, omnium Episcoporum regni domni Caroli vicem ferentes, ad Synodum Romam mitterem, vestra sciat auctoritas, quia nec Hincmarum, nec quemlibet Episcoporum Remorum Diœceseos, minimè autem aliarum Provinciarum Episcopos, nisi domnus Rex illis præceperit, Romam vel in aliquam partem, mea commendatione mittendi habeo potestatem: nec ipse ego ultra fines sui regni, absque illius scientia progredi valeo.* To. 2. pag. 700.

Concilium Duziacense I. Hincmarum Laudunensem alloquens de profectione sua Romana, seu voti causâ exolvendi, seu Papæ mandatis ut morem gereret, pollicetur, nec Regis, nec Concilii Gallicani consensionem ei denegatum iri. *Si aut voluntarius, aut à Sede Apostolica vocatus Romam ire volueris, cum licentia domni Regis & fraternitatis nostræ unanimitate religiosum iter illud adgredere.* Conc. Duziacel. pag. 252. 261.

Lotharius Imperator ad Leonem IV. Papam scripserat Hincmarum Remensem Archiepiscopum consilium primò arripuisse inter exordia Episcopatûs sui Romam proficiscendi; sed à se & à Carolo Calvo fratre Regeque prohibitum illum fuisse, quòd incumberent gravissimæ & intricatissimæ quædam causæ, quæ sine eo expediri non possent. *Et quia illum volentem Romam proficisci, tam ipse, quàm frater suus Carolus Rex Franciæ, quando ei valde necessarius ad sopiendas, quæ tunc exortæ fuerant perturbationes, retinuerunt.* Flodoard. L. 3. c. 10. Vulfarius qui Remensi Ecclesiæ ante Hincmarum præfuerat, à Carolo Magno copiam sibi fieri expresserat peregrinationis Romanæ, ad quam se voto obligaverat. Quanquam non satis constet, an reapse profectus sit. *Eundi Romam causâ orationis ad sanctum Petrum licentiam ab Imperatore se accepisse in quadam sua designat Epistola, sed utrum ierit certum non habemus.* Ibid. l. 2. c. 18.

VI. Salonius & Sagittarius sub prima Galliæ Regum stirpe, criminum suorum & depositionis infamia notissimi, cùm à Concilio Gallicano Romam provocassent, à Guntramno Rege potestatem expresserunt Romam commeandi. *Ad Regem accedunt, implorantes se injustè remotos, sibique tribui licentiam, ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitioni eorum, datis Epistolis eos abire permisit.* Greg. Tur. L. 5. c. 20. Ut denique retro ad superiora sæcula volvamur, Concilium Agathense temporibus Clodovæi Regis celebratum, Episcopis præcipit, ut ad Concilium conveniant, aut ad ordinationem Episcopi, cum per litteras eos Metropolitanus vocabit, nisi corporali ægritudine, aut jussione Principis detineantur. Anno 506. Can. 35. Itaque sub utraque Regum Galliæ stirpe Clodovæi & Caroli Magni, quantacumque fuerit Pontificum potestas, & juris prærogativa, ad vocandos Romam Episcopos ad Concilia, Regum consensione certissimè opus fuit. Apud Flodoardum legere est, querimonias Stephani VII. Papæ ad Fulconem Remensem Archiepiscopum, nec non & comminationes pœnarum canonicarum, nisi contenderet ad Concilium Romanum. L. 4. c. 4. Respondens autem Fulco blandissimè Pontificem demulcet, nec regerit non teneri se ea lege adeundi Concilii; quin immo pariturum se pollicetur, cùm primùm pax Regno restituta fuerit, & sibi per Regem ire licuerit. *Si aliqua Regno quies concessa fuerit, & ab Odone Rege licentiam impetrare valuerit,* Non ergo unquam

Galli Præsules imperante Carolo Magno, ejusque stirpe, jactarunt se immunes esse à necessitate adeundi Concilii Patriarchalis Romani: sed vel Pontificibus ipsis persuasissimum erat ei necessitati parere eos non posse, nisi Rege assentiente. Nec ea erat verborum rixa, aut sententiarum, rerumque conflictatio, sed evidentissima necessitas confirmandæ & usque perpetuandæ Regni & Sacerdotii concordiæ; qua dissiliente, nihil jam constare, nihil prorsus stare potest.

VII. Ad minores jam nobis pergendum est Beneficiarios, quorum vel pietati, vel curiositati, vel imprudentiæ modus statuendus aliquis fuit; interdicto, ne peregrinationi se vel Romanæ ad B. Petrum, vel Turonensi ad B. Martinum committerent, nisi permittente Episcopo, qui & ipse monendus fuit, ne nisi circumspectissimè permitteret. In Concilio Verno anno 755. prohibiti sunt Regulares, ne Romano se darent itineri, nisi ad causas Monasterii persequendas, & Abbatis mandato. *Nisi obedientiam Abbatis sui exerceant.* In Concilio Cabilonensi II. anno 813. vetantur Parochi Romam ire, aut Turonum, nisi permittente Episcopo. *Romam, sive Turonum absque licentia Episcopi sui adire, penitus decrevimus inhibendum.* In eodem Concilio laborarunt in eo Præsules, ut eam excuterent Presbyteris, Diaconis, cæterisque Clericis temerè præjudicatam opinionem, posse hujusmodi peregrinationibus expiari ea facinora, quibus sacro ministerio fuerant arcendi: *Negligenter viventes, in eo purgari se peccatis putant, & ministerio suo fungi debere, si præfata loca attingant.* Sugillaverat & Carolus Magnus illos, qui hoc peregrinationum piarum fuco, vitia tegebant sua, & dissimulabant, non sanabant: porro ipsas per sese peregrinationes suo ipse exemplo vehementer commendabat; unde & ex Sangallensi Monacho, in ejus exequiis, *Super vestimentis Imperialibus pera peregrinalis aurea posita est, quam Romam portare solitus erat*, Optimates autem Galli tanto æstuabant harum Romanarum maximè peregrinationum fervore, ut miretur Eginhardus, qui potuerit Carolus Magnus, tanto cùm flagraret zelo ad honorificentiam Romanæ Ecclesiæ exhibendam, non sæpius quam quater adire & venerari limina sacra Apostolorum. *Quam cum tanti penderet, tamen intra XLVII. annorum quibus regnaverat spatium, quater tantum illo votorum solvendorum ac supplicandi causa profectus est.* Abbatissæ ipsæ & Moniales Claustrorum septis contineri non poterant, quin in hoc iter Romanum se darent, tanto & sexus, & professionis suæ periculo. Unde & his interdicendum tandem illis fuit in Forojuliensi Concilio Paulini Patriarchæ anno 791. In Epistula quadam sua testatum facit Nicolaus Papa, tot peregrinorum millia quotidie Romam advenire, ut observari ibi compendio possit illa limitum impatiens universalitas, qua Christus Ecclesiam suam se pactus est dotaturum. *Siquidem tanta millia hominum protectioni ac intercessioni beati Apostolorum Principis Petri ex omnibus finibus terræ properantium, sese quotidie conterunt, &c.* Displicuit innumerabilis hæc peregrinantium multitudo Claudio Taurinensi, cùmque usum cultumque Imaginum insectatus esset, reliqua maledicentiæ suæ jacula contorsit in hanc fidelium pietatem. Verùm in aciem prodiens Jonas Episcopus Aurelianensis, venenata ejus tela in ipsummet retorsit; pervicitque, si Arcæ olim Mosaicæ tantum religiosæ venerationis impensum fuisset: posse & corpus Petri Apostolorum Principis toto illo apparatu coli, quo cum fideles prosequebantur.

Can. 10.

Can. 44. 45.

De Chesne. To. 2. pag. 87. 95. 103.

Can. 12.

Epist. 8.

Jonas. L. 3. De cultu imagin.

VIII. Sed quantumvis vel fideles laïci, vel Beneficiarii minorum gentium effervbuerint ad has Romanas peregrinationes, & quamvis modus illis non semel imponendus fuerit: longè secus de Episcopis judicandum: unde & insulsa fuerit illa vel suspicio, vel conjectura, eo fine tantum vetitos esse sine licentia Regis Romam peregrinari, ne frequentius in hæc illi se darent itinera, Ecclesiasque suas absentia diutina contristarent. Regiæ licentiæ necessitas non ad Romanas tantum pertinet profectiones, sed ad quascumque extra Regnum. Et decet enim, & necesse est, & ideo necesse est, quia decet, ut cùm jam sublimes stent culmine Episcopi, non in Ecclesia tantùm, sed & in Regno: cùmque tantum possint in temporali Civitatum regimine, nonnunquam verò, & in Consiliis Principum: & decet, inquam, & necesse est, ut injussu Regio Regno non exeant. Æquissimum est omnino, ut cùm inter Regni optimates sedeant Episcopi, & non rarò supra ipsos, cùmque Regni gloria & magnificentia longè plurima in ipsos refundatur, refundantur & leges, & austeræ quædam ac nobilissimæ legum servitutes.

IX. Nec nescimus tamen in Concilio VIII. Oecumenico graviter perstringi Metropolitanos, qui ne Concilio interessent, quò à Patriarcha vocabantur, à Regibus prohiberi se causabantur, ne Regno exirent. *Quoniam sunt quidam Metropolitanorum, qui ut secundum vocationem Apostolici Præsulis occurrant, a mundi Principibus se detineri sine ratione causantur, placuit talem excusationem omnimodis esse invalidam.* Jus Patriarchale hoc Canone constituitur. His enim admodum rationibus cum Patriarchis illud omnibus communicatur. 1. Hanc esse vetustissimam consuetudinem, ideoque necessariò observandam. *Priscam consuetudinem decernit ab omnibus observari.* 2. Hoc sibi Patriarcham in Metropolitanos peperisse jus, aut illis ordinandis, aut palliis ad eos mittendis. *Qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallii dationem Episcopalis dignitatis firmamentum accipiunt.* 3. Cùm terreni Principes quoties sibi collibitum est, Conventus Procerum suorum convocent, iniquum esse, ut ab ipsis prohibeantur fieri Episcoporum Conventus. *Cum Princeps pro suis causis Conventus frequenter agat, impium est, ut summos Præsules ad Synodum pro Ecclesiasticis negotiis celebrandum impediat.* 4. Bis anno quolibet sua Metropolitani congregant Concilia; at tantò & utilitatis, & necessitatis esse majoris Concilia Patriarchalia, quam Provincialia, quantò majus est bonum, quodcumque effusius, & universalius est. *A Metropolita quippe unius quidem Provinciæ dispositio efficitur, à Patriarcha verò sæpè totius causa Diœceseos dispensatur. Propter quod & speciale lucrum propter generale bonum postponi convenit.* 5. Hallucinatur, quisquis sibi fingit, nulla posse nisi accedente Principum assensione, aut præsentia celebrari Concilia. Cùm ex adverso indubium sit nullis temporales Principes nisi Oecumenicis affuisse Conciliis; nec conducat ab illis observari, quæ factitantur, vel dictantur omnia in Episcoporum consessibus. *Nec interfuisse illos Synodis, exceptis Conciliis universalibus invenimus. Neque enim fas est, sæculares Principes spectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt.* His præmissis, statuit Synodus suspensionis pœna afficiendos Episcopos, qui accersiti à Patriarcha intra duos menses non paruerint; si uno verò amplius anno cunctentur, dignitate sacra spoliandos.

Can. 17.

X. Vix mihi, ac ne vix quidem persuadere possum, Legatos Pontificios, qui et Concilio præerant, hoc Canone promulgato voluisse inurere contrariam, de qua suprà, consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ. 1. Usque adeo enim tunc temporis Romani Pontifices Constantinopolitanis vel Imperatoribus, vel Patriarchis & Episcopis non innitebantur, ut deprimerent, & in ordinem quodammodo redigerent Episcopos & Principes Gallos; ut ex adverso indubitatissimum sit illos in Carolum Carolique Magni stirpem & in Ecclesiam Gallicanam incubuisse, ut hoc se inexpugnabili munimento tuerentur adversùs infida semper consilia & machinamenta Græcorum. 2. Persuasissimum erat Romanis Præsulibus, & multis experimentis compertum, quàm non magni facerent Galli Reges Præsulesque Græcorum placita & decreta qualiacumque. Recentissimum erat, & ob oculos versabatur documentum de Concilio VII. Generali, quod necdum potuissent Romani Pontifices expugnare, ut in Gallia valeret, aut publicaretur. Quis sperasset VIII. admissum iri ab iis, qui VII. contumacissimè adhuc reluctarentur? Quorsum hoc ergo, nisi in animum induxissent suum Gallos à se abalienare, nullo alioqui fructu? 3. In Oriente ipso canonica habebatur residentiæ venia & dispensatio, cùm Episcopos Imperator in Palatio & in obsequio suo remorabatur, ut jam diximus, dicemusque inferius. Concilium ipsum Constantinopolitanum, quod Primum & Secundum dixere, & quod habitum est paulò post Concilium VIII. fatetur jussione Principis & Patriarchæ relaxari Episcopis residentiæ legem. *Si quis Episcopus nec regio jussu detentus, nec sui Patriarchæ ministerio deserviens, nec à gravi morbo retentus, plusquam sex mensibus in alio loco degat.*

Can. 16.

XI. Si ergo in Ecclesia Orientali poterat Imperator, si poterat Patriarcha Episcopos extra Diœcesin ad se vocare, secumque retinere: necesse prorsus erat, ut aliquæ vigerent inconcussæ concordiæ leges, ne sibi colliderentur duæ hæ potestates, ubi ab utraque simul Episcopi evocarentur. Porro in ea jussionum pugna, operosum non est divinare, utri obtemperassent Orientales Episcopi, quorum Conventus aliqui Imperatores locaverant supra Concilia & Canones, eorumque Decreta Synodicis statutis exæquarant.

Sed non is ego sum, qui in eam ingrediar quæstionem disceptandam, utri magis priusve potestati parendum sit, ubi discordant mandata. Nobis vel audaciores, vel perspicaciores aliqui eam pertractabunt. Unum hic ego profitebor, sola in his concordia res feliciter processisse, nec aliò vel sanctissimos quosque Pontifices, vel Concilia ipsa collimasse, quàm ut pax & concordia aut retineretur, aut quam propere resarciretur. Ideo & Canon ipse Concilii, cui jamdiu illustrando operam damus, non aliud agit, quam ut duo quædam statuantur, quibus Regni & Ecclesiæ pax inconvulsa Canonumque religiosa observantia stabiliatur. 1. Non esse quærendos, aut etiam fingendos Metropolitanis hos prætextus, ut hactenus fecerant, quo se subducerent obedientiæ & subjectioni Patriarchæ. Itaque non tam imminuebatur hoc Canone potestas Principum, quàm Metropolitanorum fraudulentia redarguebatur. *Licèt tale impedimentum, & fictam prohibitionem Metropolitanorum suggestione diversis modis fieri didicerimus.* Propria Canonis ea sunt verba. 2. Prohibenda non esse à Principe ea Concilia, quorum convocandorum jus est penes Patriarcham. Quo nihil vero, nihil æquo magis consentaneum sanciri potest. Sed sunt nihilo tamen minus eæ temporum quandoque molestiæ & difficultates, quibus coguntur quodammodo Reges Regni sui Episcopos retinere, ne usquam interim discedant. Nec sanè vel ullum hic fit verbum, quo ea potestate spolientur Principes, & qua sanè exui nequissent, nisi eversis funditus legibus, moribusque Orientis. Non possunt ergo summa sua potestate uti vel Pontifices, vel Principes, nisi eo ejus temperamento & modo, quo mutua alabatur concordia.

XII. Unum restat, ut dicamus de ea sive lege, sive consuetudine, certis annorum interstitiis Romam proficiscendi. Concilium Romanum sub Zacharia eam necessitatem non indicit, nisi Episcopis iis, quos à Papa ordinari jus, fasque erat. Et quidem si Romæ proximiores sint, jubet eos quotannis Romam pergere: si remotiores autem, eo temporis intervallo pergere, quod in ordinatione ipsa sua subscriptione propria confirmarunt. Antiqua enim Conciliorum, Pontificumque Decreta ita sanxisse. *Ut juxta sanctorum Patrum & Canonum statuta, omnes Episcopi, qui hujus Apostolicæ sedis ordinationi subjacebunt, qui propinqui sunt, annuè. Idibus mensis Maii, sanctarum Principum Apostolorum Petri & Pauli liminibus præsententur, omni occasione seposita: qui verò de longinqua, juxta Chirographum suum impleant.* Joanni Ravennati Archiepiscopo Nicolaus I. præcepit, ut Romam quotannis accederet: *Ad Apostolicam sedem semel in singulis properare studeat annis, nisi fortè remorandi licentiam ab Apostolica sede recipiat.*

Anno 743. Can. 4.

Anast. Bibl. in ejus vita.

Hinc autem extitit 1. Cæteros Episcopos, qui à propriis passim ordinabantur Metropolitanis, nulla hujusmodi lege fuisse obligatos. Unde nec suprà Gallicani Episcopi Romano se commisere itineri, nisi aut proprio se voto obligassent, aut illos nominatim accersisset Pontifex. Soli ergo Italiæ & Siciliæ Episcopi ea necessitate tum artabantur petendæ Urbis post certa quædam intervalla. 2. Canone Concilii VIII. non compelluntur ad Romanas Synodos, nisi Metropolitani, quos Pontifex aut ordinabat, aut pallio decorabat. Unde nec ejus juris mentio antè ulla, quàm Metropolitani omnes Pallio donarentur. Ante tempora Concilii VIII. necdum usu receptum erat, ut Episcopis certò quodam annorum spatio Urbs petenda esset; sicut & ante tempora Gregorii Magni, cùm nondum omnes Metropolitani Pallio essent donati, ne Synodis quidem Romanis adesse jubebantur.

CAPUT XLII. *P. 4. l. 2. c. 74.*

Exceptio Residentiæ Canonica, iter Romanum, post annum Christi millesimum.

I. Quæ universim rationes, ad iter Romanum Episcopos invitarent.

II. Necdum oblitterata sunt prorsus ejus prisci usus vestigia, visitanda quotannis Ecclesia Cathedralis, sive privatim, sive solennibus Processionibus.

III. Episcopi singulis etiam annis Metropolitanam Ecclesiam, & Metropolitanum ipsum reverenter invisebant.

IV. Episcopi Occidentis eodem ritu visitabant Ecclesiam Romanam & Pontificem ipsum. Arbitrariæ primo fuere hæ visitationes.

V. Urgebat Gregorius VII. Episcopos ad Romanum iter ingrediendum, non tamen præcipiebat unquam.

VI. Hujus consuetudinis progressio sub Urbano II. & Paſ-

chalis II sub quo jam vigebat certus mos, ut Metropolitani tertio quoque anno Romam peterent, sed quibus tamen potestas erat delegandi suo loco.

VII. Hujus consuetudinis progressio usque ad posteriora hæc tempora. Qua modestia & veneratione summi Principes & Episcopi usi sunt erga summos Pontifices, cum utilitas & necessitas Regni intercessit, ne Episcopi in Romanum iter se darent, quo vocabantur.

VIII. Bernardi, Stephani Tornacensis & Anselmi de his sententia.

IX. Potissima ratio harum Romam profectionum, spectabat ad sciscitandum Pontificem de tota Episcopatuum administratione.

X. Sub Innocentio III. jam statuti erant intervalla certa harum Romanarum peregrinationum.

XI. Qui concilietur obedientia Cardinalium Papæ obligata, cum necessitate residendi in Episcopatibus suis.

XII. Ut extiterit tandem generalis consuetudo omnium Episcoporum eundi, aut delegandi Romam certis intervallis.

XIII. Sixtus V. extremam huic statuto manum admovit. Quæ nunc intervalla, quæ magnopere commoda harum profectionum.

XIV. Tridentina Synodus relaxavit legem visitandæ ab Episcopis Ecclesiæ Metropolitanæ.

XV. Memoranda Spondani Apamiensis Episcopi Annalium Continuatoris verba.

I. INniti potuere peregrinationes Episcoporum Romanæ, aut antiquissimæ consuetudini visitandæ Ecclesiæ Metropolitanæ ab Episcopis, aut à fidelibus omnibus visitandæ quotannis Ecclesiæ Cathedralis, aut necessitati adeundi Romana Concilia, aut iis fungendi officiis, quæ ad Ecclesiæ universæ incolumitatem potest à singulis Episcopis summus Pontifex expectare.

II. Quod ad usum spectat alliciendi Diœcesanos omnes ad Ecclesiæ Cathedralis visitationem, ejus meminit in synodicis Constitutionibus suis Odo Parisiensis Episcopus, Mauritii successor anno 1196. Cap. 51. *Moneant Presbyteri Parochianos suos in Confessionibus & Prædicationibus suis, ut saltem semel in anno peregrinando visitent Ecclesiam Parisiensem.* In Concilio Juliobonensi anni 1080. idem præceptum fuerat, & via executioni complanata fuerat, jussis Parochis quotannis Processiones ad Cathedralem Ecclesiam perducere: *Presbyteri semel in anno circa Pentecosten cum Processionibus suis ad matrem Ecclesiam veniant.* Anno 1293. Vuillelmus Andegavensis Episcopus statuto Synodali præcepit Parochis, & Presbyteris aliis, qui Confessiones exciperent, ut Pœnitentibus suis injungerent visitationem Ecclesiæ Cathedralis Andegavensis, saltem per annos quinque, vel septem, cùm eo ritu piè colerentur aliæ ejusdem Provinciæ Ecclesiæ Cathedrales. Ordin. Vita pag. 5522. Spicil. to. 11. pag. 258.

In Concilio Coloniensi anni 1536. declaratum est, eas Processiones, quæ solennioribus diebus à Collegialibus Ecclesiis ad Cathedrales celebrarentur, residua quædam veluti vestigia esse pietatis fidelium antiquissimæ, ut se suo recolligerent & conglutinarent Episcopo, tanquam vertici unitatis sacræ, & fonti cælestium benedictionum. Par. 3. c. 58. *Processiones Ecclesiarum Collegiatarum ad summum Templum, quæ in diebus maximè celebribus ac festis fiunt, procul dubio instituta sunt causa conveniendi illuc ad Missas Episcopales, desiderioque recipiendi communionem, vel benedictionem Episcopalem. Jam cùm isti conventus speciem quidem antiquitatis, & nihil præterea repræsentent, imò perniciosæ evagationis materiam præstent, &c.* Vides ut matrici, & fonti, ac origini suæ omnes se Ecclesiæ aliæ subinde adjungerent. Ut in pias has peregrinationes corruptelæ mox aliquæ irreperent. Ut non agrestes amplius, sed urbanæ tantùm Ecclesiæ hoc pietatis officio fungerentur. Ut denique satius tandem visum sit hæc priscæ religionis aboleri monumenta, cùm non aliter extirpari posse viderentur, quæ insperserant vitiorum pestes. Hoc enim Concilio vetitæ sunt hæ Processiones, nisi ubi Episcopus in Ecclesia sua præstò esset.

Concilii tamen Rotomagensis Patribus visum est, anno 1581. excitandam rursum hanc, quæ penè jam exoleverat, fidelium pietatem, innovatis Indulgentiis iis, quæ concessæ quondam fuissent, ut ea illecebra spirituali Diœcesani omnes inescarentur, ad visitandam Ecclesiam Cathedralem, Paschæ saltem & Pentecostes die. *Præcipimus illarum indulgentiarum confirmationem à Sede Apostolica peti. Sunt enim necessaria ad veterem morem Christianorum conservandum & instaurandum, visitandi Cathedralem & Matricem Ecclesiam in Paschate & Pentecoste, & tum confluendi ad suscipiendam benedictionem Episcopalem.* Tit. de Episc. Offic. c. 35.

III. Quo Cathedralem Ecclesiam cultu à Diœcesanis observari curabant Episcopi, eo ipsimet Metropolitanum prosequebantur. Crimini vertit Innocentius III. Episcopo Pictaviensi, quòd plures annos non visitasset Metropolitanam Ecclesiam Burdigalensem, quanquam invitatus eò fuisset à Metropolitano, in vim sacramenti sibi præstiti. *Nunquam Metropolitanam Ecclesiam visitavit, licèt pluries vocatus ad eandem in virtute obedientiæ ac sub debito juramenti, quo Ecclesiæ Burdigalensi tenetur.* Regest. 15. Epist. 92. Vuillelmus Major Andegavensis Episcopus anno 1291. Metropolitanam Ecclesiam Turonensem visitavit, ut qui tertio post inaugurationem suam mense eo fungi officio constringeretur. *Cùm nos more Majorum nostrorum teneremur infra tres menses à tempore consecrationis nostræ Turonensem Ecclesiam visitare.* Narrat Rogerius graviter conquestum fuisse anno 1191. Goffridum Archiepiscopum Eboracensem de Episcopo Dunelmensi, qui Ecclesiam Eboracensem à biennio jam intò fraudabat tum visitationibus, tum muneribus statutis. *Jam per biennium Ecclesiam nostram Eboracensem debitis ei Processionibus ab antiquo, & oblationibus in diebus Pentecostes contra juris ordinem spoliare præsumpsisti.*

In Concilio Ravennate anni 1317. conceptis verbis exprimitur suffraganeos omnes Episcopos Metropolitanæ Ecclesiæ solitos piæ visitationis honorem dependere diebus Festis solennioribus, ac præterea quoties eos Archiepiscopus ad communicanda de rebus gravibus consilia accersebat. *Cùm sæpè contingat dominos Suffraganeos Ecclesiæ Ravennatis debere Ecclesiam Ravennatem visitare, pro festivitatibus sanctorum Apollinaris, Vitalis, vel aliis ex causis in Provincia emergentibus, à nobis evocari.* Can. 12. Gemina hîc apertè declaratur ratio adeundæ ab Episcopis Metropolitanæ Ecclesiæ; tum ut unitatis & dignitatis suæ vertici assurgerent, tum ut cum eo de negotiis & causis quibusque gravissimis Ecclesiæ tractarent, qua postrema ratione Synodi continentur, tum ordinariæ, tum extraordinariæ.

IV. Ipsissimæ autem hæ causæ fuere Episcopis omnibus, Occidentalis maximè Ecclesiæ, ut hoc visitationum statarum obsequio prosequerentur Romanam Ecclesiam, Monumenta Apostolorum, Vicarios Christi, verticem unitatis & communionis Catholicæ. Hæ porro visitationes, sive ad Christum in Apostolorum suorum monumentis adorandum, sive ad percontandam Apostolicam Sedem, aut ut arcana quædam monita Pontifici insusurrarent, aut ut Synodis interessent, liberæ certè & voluntariæ videntur primò fuisse, saltem quoad Episcopos extra Italiam sitos. In Mosomensi Concilio anno 995. querelæ editæ sunt de Gallicanis Episcopis, quos Joannes Papa ad Concilium Aquisgranense voca-

verat, inde ad Romanum, nec tamen illi accesserant. Arnulphum Remensi sedi restitui percupiebat Pontifex, à quo vehementer abhorrebant Reges & Episcopi Galli.

Glaber. l. 3. c. 8. Fulber. Epist. 109. 110. Arnulph. Epist. 8. 28. Hildebert. Epist. 19. 24. 76. Joan. Salesb. Epist. 44. Persæpè non aliæ quàm pietatis ergo peregrinationes erant. Fulbertus Carnotensis Episcopus *Romam gratia orationis abierat*, ut ait Glaber. Arnulphus Lexoviensis Episcopus recepit Papæ, ad ejus se pedes provolvendum, veniamque oravit, quod tandiu procrastinasset. Semel etiam causatus est, quòd à Rege prohibitus esset. Itineris sui Romani frequens meminit Hildebertus Episcopus Cenomanensis. Archiepiscopus Cantuariensis apud Joannem Salisberiensem profitetur, se & insigniores Episcopos his profectionibus Romanis ipsa sua professione obligari. *Nos Ecclesiam Romanam ex professione nostra statutis temporibus cogimur visitare.*

Laïci usque adeo has peregrinationes frequentabant, ad peccatorum maximè indulgentiam consequendam, ut iis à Concilio Salingestadiensi interdicendi fuerint, anno 1022. nisi permitteret Episcopus. Can. 16. 18. *Nullus Romam eat, nisi cum licentia sui Episcopi.* Stephanus IX. Gervasium Remensem Archiepiscopum invitavit ad Synodum Romanam, ut de negotiis Ecclesiæ sententiam ejus sciscitaretur: Epist. 5. *De causis Ecclesiasticis tuum consilium habebimus.* Ad eundem iisdem pene verbis Alexander II. Epist. 13. *Dum ad Synodum, ad quam pro adjutorio sanctæ Ecclesiæ invitatus es, veneris.* Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus testatum facit ab eodem Alexandro II. rogatum se, ut ad Synodum Romanam accederet, dum Beccensem adhuc regeret Ecclesiam. *Rogastis me* Baron. ann. 1070. n. 30. *quatenus ad vos venirem, vobiscum in Palatio vestris stipendiis, tribus, aut eò amplius, mensibus moraturus.* Ubi verò Archiepiscopali Ecclesiæ præfectus fuit, excusatum se voluit, oravitque Pontificem, ut Pallium mitteret, nec juberet Romam proficisci. Rescripsit Hildebrandus, Romanæ tunc Ecclesiæ Archidiaconus, concessum iri quod petiisset, nisi rem petiisset nullo hactenus exemplo nixam; adeoque necesse esse, ut limina Apostolorum inviseret. *Unde necessarium nobis videtur, vos Apostolorum limina visitare, quatenus de hoc & cæteris efficaciùs vobiscum consulere valeamus.*

V. Gregorius denique VII. hic ipse nimirum Hildebrandus, instantiùs urgere cœpit Episcopos, ut his fungerentur visitationibus. Scripsit ille quidem ad Episcopos Longobardiæ, Generalem Synodum quotannis Romæ haberi. Baron. ann. 1074. l. 1. Ep. 42. 43. *Non incognitum vobis esse credimus, jamdudum constitutum in Romana Ecclesia esse, ut per singulos annos ad decorem & utilitatem sanctæ Ecclesiæ generale Concilium apud Sedem Apostolicam sit tenendum.* Videri possit id quidem non spectare nisi ad Episcopos Italiæ; quanquam *generalis* Concilii vox latè pateat. At ubi ad Lanfrancum idem ipse Gregorius literas dedit, querelis minisque refertas, super eo quòd ea eo tempore Romam non venisset, quò ad Sedem Petri provectus fuerat; nec satis momenti esse duxit in eo quod vereretur Lanfrancus, ne Rex suboffenderetur. L. 6. Ep. 30. *Nisi Apostolica mansuetudo, necnon & amoris pignus antiquum nos huc usque detinuisset, profectò nos hoc graviter ferre, jamdudum tibi constitisset, &c. Non debuit se aliquis aut mundanæ potestatis terror, aut cujusquam personæ superstitiosus amor à conspectu nostro retrahere.* Sed ne minæ quidem illæ nisi ex amore proficiscebantur, uti nec querelæ: amicum magis hæc omnia, quàm Pontificem sapiebant. Effluxerant enimvero jam anni sex, ex quo Gregorius in Petri Throno sedebat, nec interea Lanfrancus ad Romanum se iter accinxerat. Ex quo haud dubiè infertur nullam adhuc incubuisse Romani itineris necessitatem. Altero pòst anno datis ad suum in Anglia Nuntium literis Pontifex, mirum esse testatus est, factitari ab Angliæ Rege, quod nec Pagani Principes facerent, cùm prohibeantur Episcopi Romam proficisci. *Nemo enim omnium Regum, etiam Paganorum,* L. 7. Ep. 1. 12. *contra Apostolicam Sedem hoc præsumpsit tentare, quod is non erubuit facere; scilicet ut Episcopos & Archiepiscopos ab Apostolorum liminibus ullus tam irreverentis & impudentis animi prohiberet.* Sed quanquam iniquum sit pias vetari peregrinationes, non statim necessarium est, ut Episcopi eas adgrediantur. Voluntaria & libera pietatis opera vetare impium est. Libera pietate incitati Laici fideles Romanum iter emetiuntur, non ulla necessitate; summæ tamen impietatis fuerit illus deterrere. Ideo & Nuntio suo mandabat Pontifex, ut nomine sancti Petri rogaret, invitaretque Episcopos Angliæ & Neustriæ ut bini saltem ex quacumque Metropoli ad Romanam Synodum convenirent. *Ut ex parte B. Petri præcipias & invites.*

Eodem ipso anno hortatus est Gregorius Manassem Archiepiscopum Remensem, ut ad Concilium Lugdunense pergeret, à Legato Sedis Apostolicæ convocatum. Causas nescio quas prætexuit Manasses, ne iret; Pontifex ultra querelas nihil tentavit. Metæ etiam querelæ fuere ejus ad Archiepiscopum Rotomagensem, quòd tandiu Romam non venisset, quò Gentes nuper conversæ & remotissimæ quotannis generali Christianæ pietatis instinctu incitatæ ventitabant. *Qui verò labor, aut quæ difficultas* L. 9. Ep. 1. 8. *vobis præ aliis dissuasit per tantum spatii B. Petrum negligere, cùm ab ipsis mundi finibus etiam gentes noviter ad fidem conversæ, studeant annuè tam mulieres, quàm viri ad eum venire.* Minas mox quidem intentat, quòd Pallium non flagitasset; sed vel hinc patet, minimè necessarium tunc fuisse, ut Romam peteret, quisquis Pallium postulabat. Suspensionis sententiam evibraverat Diensis Episcopus Pontificius Legatus in omnes Normanniæ Episcopos, uno excepto Rotomagensi, quòd Synodo quam indixerat, non affuissent. Jussus est à Pontifice eam sententiam revocare; nihil inconsulto se facere, quo Rex offendi posset: & ita secum statuere, nihil Ecclesiæ majori esse & ornamento & præsidio, quàm benevolentiam Regum, pati saltem benevolentia & amore promerendam. *Præfatum Regem ulterius in talibus sine assensu nostro non exasperes. Videtur enim nobis multò melius ac faciliùs lenitatis dulcedine, ac rationis ostensione, quàm austeritate vel rigore justitiæ illum Deo lucrari, & ad perpetuum B. Petri amorem posse provocari.* Quæ doctrina Gregorii tantò plus ingerit nobis admirationis, quòd neminem fallat, quàm totus ille vigore & austeritate disciplinæ rigesceret. Hinc sanè perspicuum est, quàm temperatè & modicè in summos Principes ille consuleret, ut ne usquam eos exasperaret. Hoc tamen eodem anno Lanfrancum rursus vehementiùs idem lacessivit, non querelis tantùm & minis, sed intorta suspensione Episcopalium functionum, nisi quarto saltem pòst mense Romam adventaret. L. 9. Ep. 20. Verùm non pauca sunt hîc pensitanda. Erat Lanfrancus Pontificis Legatus. Itaque peculiares poterant esse causæ, ut Romam accerseretur. Plures ille annos transegerat, à Romana profectione semper alienus. Inde efficitur necdum necessarias fuisse eas profectiones, sive ad Concilia Romana, sive ad venerandum summum

Christi

Christi Vicarium, sive ad colenda Apostolorum limina. At poterant interim incurrere causæ aliquæ tam graves ad Ecclesiæ salutem, ut non possent non se gravi constringere piaculo Episcopi, si Pontifici Romam eos accersenti non parerent, quandiu Rex non intercedebat ob graves Regni necessitates. Nec enim Lanfrancum Gregorius suspensionis sententia perculisset, si Rege vetante Romam non petiisset; eo ipso anno quo jussus ab eo est Legatus suspensionem consimili de causa vibratam revocare, ut colligendæ Regis gratiæ & benevolentiæ id donaretur. Adde quod idem Pontifex anno 1078, in Concilio Romano suspenderit Episcopos, qui invitati cùm fuissent, abfuerant, nec canonicas allegaverant excusationes. *Neque per se, neque per canonicam excusationem ad Synodum præsentem venerunt.* Ecquis autem ambigat, quin Lanfrancus legitimis causis niti sibi videretur?

VI. Pari fuit & in Reges observantia Gregorii VII. successor Urbanus II. inde est quod tantopere exhilaratus sit ea licentia, qua Rex Galliæ Episcopis & Abbatibus Regni sui copiam fecerat adeundi Romani Concilii. *Rex Francorum non solum venire* Epist 38. *ad nos alios non prohibet, verùm etiam omnibus suæ potestatis Episcopis & Abbatibus venire ad Concilium licentiam dedit.* Ex adverso autem sub eodem Pontifice Anselmus ab Angliæ Rege facultatem exculpere non potuit petendæ Urbis, ad impetrandum Pallium. Nimirum ab Antipapæ Guiberti sectariis Baron. an. 1094. fascinatus fuerat Rex Angliæ, postea abjecto eo errore Pallium ipsi Roma Anselmo mitti impetravit; deinque aliquantò pòst rursum vehementius urgente Anselmo, ut Romam proficisci sineretur, diu Anno 1097. reluctatus, tandem utcumque etsi subinvitus assensus est.

Extra. De elect. c. 21. Urbanum II. excepit Paschalis II. cujus est Epistola ad Archiepiscopum Poloniæ data, quæ integra legitur in prima Compilatione Antonii Augustini, & quæ ex parte tantum aliqua libris intexta est Decretalium, ubi & malè inscribitur Archiepis- Ibid. c. 4. copo Panormitano. Ægrè adduci potuerat is Archiepiscopus, ut præstaret sacramentum, quod exigebatur ut daretur Pallium, & cujus inter varia capita, erat quod spectaret ad visitanda limina Apostolorum. Monuit illum Pontifex Metropolitanos omnes orbis eo sacramento fungi, remotissimos etiam, & ultra ipsius Poloniæ fines longè semotos; & ab eis visitari Apostolorum limina, non triennio tantum quolibet, sed singulis annis, saltem per Delegatos suos. *Numquid non & ultra vos Daci consistunt? & tamen eorum Metropolitani, & idem juramentum afferunt, & Apostolorum limina per legatos suos, non tantùm per triennium, sed singulis annis visitant.*

Multa sunt, & permagni omnino ponderis, quæ ex hac Epistola colligamus. 1. In sacramento Metropolitanorum eam clausulam expressam fuisse, visitandi monumenta Apostolorum. 2. Et quidem triennio quolibet visitandi. 3. Nulla tunc adhuc adhibita distinctione regionum propinquiorum & longinquiorum. 4. Integrum fuisse eo munere fungi per Legatos. 5. Episcopos necdum ea necessitate & lege implicatos fuisse. 6. Pietatis æstu Præsules Romam advolabant, etiam longinqui, etiam singulis annis; adeo non litigabant de necessitate tertio quoque anno veniendi, aut mittendi. 7. A vero, aut vero certè simili non abludit, à voluntaria illa & libera pietate profectam esse consuetudinem, quæ consenescendo convaluerit, & in legem tandem evaserit, ut & alibi sexcenties contigit.

Sub eodem Pontifice Radulphus Roffensis Episcopus in Cantuariensem tandem electus est Archiepiscopum, post diutinum à morte Anselmi interregnum. Sequester accessit Ivo apud Sedem Apostolicam, ut ne compelleretur Romanum iter aggredi ad Pallium obtinendum, & ad colenda Apostolorum limina, pro more Majorum suorum. *Hic in pro-* Ivo Ep. 252. *pria persona sedem Apostolicam visitare secundùm Ma-* Baron. ann. *jorum instituta deliberavit; sed cùm partim corporis de-* 1114. *bilitas impedivit, partim periculum Romani itineris deterruit.*

VII. Venio ad Adrianum IV. qui cùm in manus devenisset Vuillelmi utriusque Siciliæ Regis, compulsus est ad fœdus cum eo ineundum, in quo assentiebatur ei temperamento, quod serió hic perpendi operæ pretium est. Nempè ut si Pontifex Episcopos Siculos Romam vocaret, Rex pro sua potestate, quos vellet, retineret in Sicilia, ad Regni & Ecclesiæ tutelam. *Si de Sicilia Ecclesia Roma-* Baron. an. *na personas aliquas Ecclesiastici ordinis vocaverit, ma-* 1156. n. 5. *gnificentia nostra, nostrorumque heredum pro Christia-* An. 1157. *nitate facienda, vel pro suscipienda corona, remoto* n. 9. *malo ingenio retinebit, quas providerit retinendas.*

Inter hunc Pontificem & Fridericum I. Imperatorem diutinæ conflagravere dissensiones, gravissimè expostulante Pontifice, quod Imperator publicato Edicto Romanas peregrinationes interdixisset. Contra Fridericus obtendebat, non prohibitas illas à se fuisse, sed ad eum modum revocatas, quo discrimina aliàs ab Imperio gravissima propulsarentur. Thomas Cantuariæ Archiepiscopus & Martyr, Regibus Angliæ hoc ipsum criminoi vertebat, quòd iniquo ferrent animo Romam pergi, sive ad pœnitentiæ levamentum aliquod consequendum, sive pietatis ergo, aut visitationis debitæ. *Quos necessi-* Baron an. *tas pro compendio pœnitentiæ, vel pro remedio animæ,* 1166. n. 36. *aut pro visitationis debito compellit ad dominum Papam iter arripere.* Fuit & illud inter consuetudines Regias Angliæ, quibus non potuit adduci Thomas, ut assentiretur: *Quod non liceat Archiepiscopo, vel Epis-* Idem anno *copo exire de Regno, & venire ad revocationem domini* 1167. n. 22. *Papæ, sine licentia domini Regis.*

Recaluere istiusmodi rixæ sub Friderico II. Imperatore, & sub Rege Philippo Pulchro. Non facilè quæ temporibus his turbolentis gesta sunt, in exemplum posteris & imitationem trahi possunt, cùm jam nemo non debeat Regni & Ecclesiæ paci studere & tota virium contentione adlaborare. Memoria tamen dignissimum illud videri possit, quod in media contentionis flamma, nihil asperius à Philippo Pulchro Rege dictum sit, quàm potuisse Pontifici Romam vocanti Gallicanos Episcopos excusare necessitatem parendi Regi, eos retinenti ad necessariam Regni defensionem. *Quia Prælati per nos reten-* Preuves des *ti pro defensione Regni necessaria: post vocationem Papæ* Libert. de *ex inopinato emergente ad vocationem hujusmodi non* l'Eg. Gall. *iverunt, sed ad requisitionem nostram se ex causis legiti-* c. 19 n. 5. 7. *mis excusarunt.* Alibi rursum pernumeravit Rex, quantus sibi bellorum, quantus hostium turbo immineret, & quàm non facilè Regni & Ecclesiæ salus ab his tempestatibus tota & munita esse posset. Ut causationes istæ fuerint, at potentissimi tamen Regis permira modestia est, qui ne exasperet animum summi Pontificis, his sinuosis utitur responsis, retunditque aculeos iræ, & iræ maximè Regiæ tam facilè erumpentes.

Cùm Gallicanos Episcopos vocasset Julius II. ad Concilium Lateranense V. ad pertractandam cum

ipsis causam Pragmaticæ Sanctionis, Julio interim terris emigranti successit Leo X. sub quo Orator Regis Galliæ anno 1515. in conspectum se dedit Concilii, contestatusque est, needum potuisse Galliæ Episcopos ad Concilium convolare propter incursiones hostilium exercituum, cùm primùm autem tuta forent itinera, advolaturos. Seff. 10. *Prælati Franciæ fuerunt impediti per inimicos Christianissimi Regis Francorum, & ideo sanctitas sua habuit eos alias excusatos. Cùm igitur de præsenti eodem impedimento detenti sint, pro parte eorum supplicatur sanctitati suæ, quod habeat eos nunc excusatos, & cum dabitur tutus accessus, offerunt venire ad Concilium, & allegare de juribus suis.*

Ex his apertum fit, in confesso fuisse ea lege quidem universim teneri Episcopos, ut summis morigerentur Pontificibus, legibusque canonicis, jussisque Pontificiis cum Romam vocantur, ad consulendum in commune de imminentibus Ecclesiæ necessitatibus. Sed esse tamen exceptiones legitimas & causas publicas ac necessarias Regni, quæ omnino vetent Episcopos regno tum discedere; cùm vel maximè nulla sævior possit regno incumbere calamitas, & Ecclesiæ, quàm si graves inter Regem & Clerum contentiones exardescant. His ut verè canonicis exceptionibus accommodavere se semper summi Pontifices, ut qui principes sint Imperii Christi Ministri, quod pacis maximè, & concordiæ & charitatis imperium est.

VIII. Eo, ut reor, sensu capienda sunt hæc verba Epist. 131. beati Bernardi de summo Pontifice. *Potest à finibus terræ sublimes quascumque personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel, aut bis, sed quoties expedire videbit.* Scripsit & ad Eugenium III. idem Bernardus, Episcopum Bellovacensem Regis fratrem, Romam protinus profecturum, cùm primùm de voluntate Pontificis certior factus fuerit: *Sciote tamen, quidquid timeat, quidquid accedere debeat, sine mora venturum, ubi vobis placiturum cognoveris.* Fratris Romam profectioni Rex tum minimè intercedebat. Alioqui fecisset Bernardus, quòd Stephanus Tornacensis, cùm nomine Philippi Augusti Regis scripsit ad Lucium Papam, ut Archiepiscopum Turonensem, quem Romam accersiverat, sineret in Regno retineri, cujus industria roi filoque in tantis Regni angustiis Rex ægrè Epist. 125. 122. carere posset. *In quibus omnibus ipsius Archiepiscopi industria, præsentia, consilio & auxilio indigemus.* Archiepiscopum quoque Remensem avunculum suum Rex idem iisdem de causis, in Consiliis suis retinuit, cùm Papa illum Romam accersisset.

Scripsit & Ivo Carnotensis plures Epistolas de his Episcoporum Romanis itineribus, quàmque ad ea fervèrent Episcopi, & quæ moræ objicerentur. Minimè verò sileri debet, quid ille referat de Archiepiscopo Rotomagensi: Epist. 81.
ad 254. Edit anni 1610. *Tandem impetravit à Rege Anglorum, ut posset in propria persona sedem Apostolicam visitare, quam tamen non distulit visitare suis temporibus in aliena persona. Non ergo imputandum existimamus contemptui sedis Apostolicæ, quod necessitas imperavit.* Vehementissimo Anselmus exarserat desiderio Romanæ hujus ex officio profectionis. Audi quid ab eo scriptum sit ad Archiepiscopum L. 3 Ep. 24. 37. Lugdunensem: *Si Metropolitanus sacratus Episcopus per totum primum annum nec Papam viventem, nec Pallium requiro, justè ab ipso honore removendus sum.* Et nihilo tamen minus in Anglia moras traxit ille tres, aut quatuor annos, quod Regi displiceret ejus Romana profectio: qua de re illæ ad Urbanum II. litteræ ab eo datæ sunt, ubi Regis prohibitione & Bellis undique tumultuantibus retardari se contestatur.

IX. In hac verò posteriori sua Epistola Anselmus disertè testatur non solo se adorandi in Vicarii sui throno Christi desiderio se tangi, aut necessitate obtinendi Pallii, ut Romam pergere cuperet, sed ut multa sciscitaretur de tota Ecclesiæ suæ administratione. *Nostri quippe fateor ordinis & officii intererat, & præsentiam vestram ex more visitare, & eam, ut fieri decet, condigna reverentia honorare. Et id quidem ex quo gradum Episcopalem suscepi, summo desiderio facere concupivi, tum quia id ratio postulabat, tum quia consilio, & alloquio vestro frui desiderabam, ut me de rebus necessariis, tam publicis, quam privatis interrogantem, vestra prudentia doceret, & auctoritas roboraret.* In hac sanè postrema ratione plurimum momenti visum est inesse, ut posterioribus sæculis certæ leges, ut certa temporum constituerentur interstitia, quibus & Metropolitani & Episcopi omnes summo Pontifici reginiinis sui rationes explanarent, ejusque saluberrimis instruerentur monitis, aut ipsi per sese, aut per delegatos suos.

X. Diximus jam de Paschalis II. Epistola ad Archiepiscopum Polonorum, qua memorabat Pontifex illum sacramento & Chirographo ipso ordinationis suæ devinctum fuisse, ut Romam singulis trienniis aut veniret ipse, aut aliquem delegaret. Eodem vinculo Archiepiscopum Bulgariæ astrinxit quarto quoque anno Innocentius III. *Apostolorum limina singulis quadrienniis per me, vel per meum nuntium visitabo, nisi eorum absolvat licentia.* Raynal. an. 1204. n 45. 1205 n 50. Sub eodem Pontifice Armenorum Archiepiscopus, Catholicum vocant, accepto Pallio, quod Roma missum fuerat, solenne præstitit sacramentum, ut quinto quoque anno Romam delegaret, qui Romanam venerarentur Ecclesiam. *Promittens in ordine suo singulis quinque annis per Nuntios suos secundùm Capitula ia Apostolica, sanctam Romanam Ecclesiam visitare tanquam matrem & magistram omnium Ecclesiarum.* Regest. 15. Epist. 124. Statutum confirmavit idem Pontifex Benedictinorum Provinciæ Rotomagensis, quo obligabantur annis singulis generale congregare Capitulum, & quarto quoque anno Romam ex suis aliquos delegare, qui necessariis documentis à Pontifice imbuerentur. *Recepturi à nobis salubria monita & præcepta, quibus vigor Religionis Monasticæ foveatur.* Scripsit quidem idem Pontifex ad Lundensem Archiepiscopum, sacramento eum teneri ad Romana ventitare Concilia, non tamen præscripsit quoto demum anno Romam ipsi accedendum esset. *Inter cætera devotionis obsequia quæ tenentur Episcopi & præcipuè Archiepiscopi, sedi Apostolicæ tanquam matri fideliter exhibere; hoc unum præcipuè debet esse, ut ad Concilium veniant evocati, ad quod Archiepiscopi juramento præstito sunt astricti.* Regest 16. Epist. 181.

Nulli enim certo tempori affixæ erant istæ Conciliorum Convocationes, sed rerum incidentium necessitate extrundebantur. Ejusmodi erant & de quibus Rex Francorum sanctissimus Ludovicus IX. ad Fridericum II. Imperatorem scripsit, per sibi mirum videri, quòd Galliæ Episcopos retinuisset, qui ad Concilium Papæ ex officio suo pergebant. *Prælati nostri ad sedem Apostolicam accedentes, cui tam ex fide, quam obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata.* Raynal. an. 1241. n 76. At de certis statisque Romanæ Ecclesiæ Visitationibus, capienda est Constitutio Alexandri IV. qua revocavit dispensationes à Prælatis quibusdam extortas, ut ne tam justo in Ecclesiarum omnium parentem Romanam officio

Rainal. an. 1257. n. 50.

fungerentur. *Sanè nonnulli Ecclesiarum Prælati obtinuerunt sibi per Sedem Apostolicam importunè concedi, ut non teneantur Sedem eandem usque ad certa tempora visitare contra formam præstiti juramenti. Ex quo illud evenit inconveniens, ut Apostolicæ Sedis dignitas rariùs visitetur, in derogationem reverentiæ, quæ ab omnibus debetur eidem, utpote quæ mater existit Ecclesiarum omnium & magistra.*

Relaxaverat Innocentius III. Episcopi Tricassini votum adeundæ Hierosolymæ. Mitto rationes alias complusculas, quibus dispensationem suam muniebat Pontifex; hanc unam non tacebo; Cùm Episcopus & Ecclesiæ & summo Pontifici sit devinctus, nullo eum se potuisse voto constringere citra utriusque assensum. *Allegabant Ecclesiæ Trecensis suspiria, cui vinculo Pastoralis sollicitudinis es ligatus, cujus sine assensu votum peregrinationis emittere forsitan non debueras, &c. Cùm juxta instituta canonica Clericus absque sui Episcopi licentia peregrinari non debeat, & Episcopus non minùs, imò potius Sedi Apostolicæ sit astrictus, videri meritò poterat, quod absque generali, vel speciali licentia, peregrinationis votum, quæ te tamdiu absentaret, emittere non deberes.* A quo non abludit, quod contestabatur Bernardus non posse Carnotensem Episcopum Hierosolymitano se committere itineri, etsi maximè cuperet, sine gravi offendiculo ovium suarum, quas præsentia sua recreabat. *Etsi multùm voluisset proficisci, tamen non poterat, nisi cum gravi scandalo omnium qui apud nos sunt, bonorum, metuentium quippe ne plus mali ejus absentia faceret suis, quàm boni alienis præsentia.* Vide & Petri Blesensis Epistolam ad Episcopum Bathensem in Anglia, qua cum à piis, sed arbitrariis peregrinationibus dehortabatur, & ad necessariam urgebat potiùs residentiam.

Extra. De voto. c. 7.

Epist. 52.

Epist. 248.

XI. Sed reflectenda jam est disputatio hæc nostra ad Romana itinera, & ad mandata Papæ, qui vocat aut retinet Episcopos, potissimum verò Cardinales. Inter Epistolas Cardinalis Jacobi Papiensis legitur oratio ab eo edita nomine Cardinalis Episcopi Valentini, Vicecancellarii Ecclesiæ Romanæ, quò diutinam excusaret sua ab Ecclesia absentiam, quò Cardinalis & Cancellarii officia Romæ impleret. Id enim vehementer contendit, Cardinalis & Cancellarii nomine ac munere, adeoque & ipso Pontificis mandato, canonicas contineri censuras non residendi. *Parendum fuit summo omnium Patri, & à Majorum decretis non abeundum. Cardinalatûs hæc dignitas majori quodam vinculo Apostolicæ nos Sedi astringit. Ad illius ascripti concilium, nisi cum mittimur, abesse non possumus. Ac sedis Romanæ Cancellaria ingens quidem & operosa administratio, cujus cùm apud Pontificem secunda sit cura ad totius Ecclesiæ commodum instituta, carere Præside suo sine magno detrimento non potest.* Ita vulgò tunc sentiebant. Tempore Concilii Tridentini scripsit Turrianus Jesuita luculentissimum Tractatum adversùs Catharinum, *De residentia Pastorum jure divino scripta sancita*: ubi fatetur Cardinales Episcopos obtemperare debere Pontifici, vocanti, retinentique eos aliquanto tempore ad Ecclesiæ levandas necessitates. *Parendum omnino est Patri Patrum, & Principis Apostolorum Petri successori, cui cura totius orbis commissa est. Sequendum in Christo quocumque vocat & quandocumque.* At si eos diutiùs remoretur Papa, nec sinet ad Ecclesias revolare suas, parendum est utique summo Pontifici, sed abdicanda Episcopalis dignitas, ut quæ sociari non possit cum dignitate alia, quæ & ipsa jugem desideret residentiam. *Iterum dico, gere*

Epist. 442.

morem Pontifici summo, sed trade alteri sollicitudinem & curas ovilis Christi. Depone Episcopatum aut Abbatiam, non deerit proprius Pastor, &c.

Eam secutus est rationem Cardinalis Bellarminus Archiepiscopus Capuanus. Certior enim jam factus, retinendum se Romæ à Pontifice, purè & absolutè Archiepiscopatum resignavit, ne tantilla quidem sibi portione servata, quanquam cuperet Pontifex omnes ei fructus reservare. Scitissimè quippe & sanctissimè pronuntiavit Bellarminus, *Non enim licet uxorem repudiare, & dotem retinere.* Omnem quoque lapidem movit B. Carolus, ut sineretur à Pontifice avunculo suo in Ecclesia Mediolanensi residere; nec voti compos fieri potuit, nisi ad breve tempus. At ubi primùm Pio IV. subrogatus est Pius V. ab hoc via quidem, sed expugnavit tandem potestatem in Ecclesia sua residendi, cui & arctissimè se adglutinavit, quantumvis sollicitaret Pontifex, ut veniret, & Romanam Ecclesiam consiliis suis fulciret. Sæpiùs exinde Romam illi properandum fuit, ad Jubilæi Indulgentias, ad nova Conclavia, ad Concilia sua Provincialia à calumniatorum importunitate vindicanda, novaque Romæ confirmatione munienda: sed Caroli Romæ commoratio nunquam diuturnior fuit, quàm inexorabilis necessitas negotiorum. Denique ut aliis quibuscumque se expediret nexibus, & Ecclesiæ uni suæ liberiùs adhæresceret, statim sub Pio V. voluit abdicare se Pœnitentiaria, Archipresbyteratu sanctæ Mariæ Majoris, & Protectione complurium Ordinũ Religiosorum; abnuit tamen Pontifex, cumque absolvere maluit vinculo residentiæ horum munerum omnium. Et ne tum quidem conquievit Carolus, sed sub Gregorio XIII. iterum iterumque easdem admovens machinas, extorsit tandem quod volebat.

Glussianus l. 2. c. 9. 10. 13.

L. 3. c. 6.

L. 5. c. 30.

XII. Sed non alia Caroli fuere frequentiora Romam itinera, quàm stata illa obedientiæ, ad limina Apostolorum. Ita enim Glussianus in ejus vita, ex quo jam multa carpsimus. *Nunquam destitit à visitandis tertio quoque anno Apostolorum liminibus, ut quo officio teneantur omnes Episcopi.* Quin & ipse Carolus in Concilio suo VI. Mediolanensi constitui curavit, ut quando inter ordinationis ipsius suæ solennia Episcopi jurabant, se annis singulis monumenta Apostolorum invisuros: vetante residentiæ lege, ne tam crebrò & tam diu subducant se suis Ecclesiis, Episcopi singuli quotannis delegatum ejusmodi Romam mitterent, qui Ecclesiæ suæ regimen, mores & disciplinam adprimè calleret, & de his Pontificem posset facere certiorem. *Quod Episcopus sanctè juratus in sua consecratione promisit, singulis annis visitare limina Apostolorum Petri & Pauli: cùm longè ab urbe Roma absit, nec propterea id personalis residentiæ munera astrictus, quotannis facilè præstare possit; certum saltem Nuntium ex jurisjurandi præscripto ad urbem Romam mittat, qui id obedientiæ officium nomine suo præstet. Is verò quem miserit, rectè instructus sit cognitione rerum ad Ecclesiæ suæ statum pertinentium, ut & Cleri sui disciplinam, & populi in via Domini progressionem, & omnis Ecclesiæ Diœcesisque suæ rationes Pontifici, aut iis quibus illa mandarit, quàm rectissimè exponat.*

L. 8. c. 3.

Ann. 1582. Cap. 22.

Enimvero hoc quoque Caput, visitandæ quotannis Romanæ Ecclesiæ, aut per se, aut per Vicarium, nisi quem Pontifex dispensaverit, hoc, inquam, Caput eo continetur juramento, quod Decretalibus insertum est. *Limina Apostolorum singulis annis, aut per me, aut per certum Nuntium visitabo, nisi eorum absolvat licentia.* De eo sacramento alibi

C. Ego N. De jurejur.

diximus. Sed quod ad Caput istud attinet, intexuit Gratianus decreto suo statutum, quod Correctores Romani agnoverunt esse Concilii Romani sub Zacharia Papa, cujus hæc sunt verba: *Juxta sanctorum Patrum & Canonum instituta, omnes Episcopi, qui hujus Apostolicæ Sedis ordinationi subjacent, qui propinqui sunt, annuè juxta Idus Maii sanctorum Principum Apostolorum Petri & Pauli liminibus præsententur. Qui verò de longinquo, juxta chirographum suum impleant.* Diximus jam hoc Canone non comprehendi nisi Episcopos, qui soliti essent à Pontifice ordinari, ejusque Metropoli quondam parebant. Conveniendum illis erat Romæ quotannis circa Festum Principis Apostolorum Petri, ad Concilium nempe Romanum: aut si remotiores essent, eo temporis interstitio, quod sacramento ordinationis indicebatur. Suprà jam hoc ipso Capite Innocentius III. jussit Archiepiscopum Bulgariæ quarto, Catholicum Armenorum quinto quoque anno Romam advolare, Romanam Ecclesiam eo obsequio veneraturos. De Episcopis vel Archiepiscopo huic, vel Catholico subjectis silet Innocentius, unde meritò conjicias, nulla eos ejusmodi lege aut consuetudine ligatos adhuc fuisse.

D. 93 C. Juxta.

Est ergo non alienum à vero, Decretalibus Gregorianis intextum fuisse juramentum libri Pontificalis Romani, quod vicinioribus Romæ Episcopis fuerat accommodatum, & ejus ipsissima verba in authoritatem recepta fuisse, etiam in Episcopos remotiores; cùm his verbis, *singulis annis*, subrogandæ potiùs videantur fuisse illæ voces Concilii Romani sub Zacharia, *Juxta chirographum suum*; prout aliis suprà exemplis declaratum est. Decretali *Ego N. de jurejurando*, non præscribitur hoc sacramentum omnibus Episcopis. Non constat hoc sacramentum exigi solitum fuisse ante Gregorium IX. ab omnibus prorsus Ecclesiæ Catholicæ Episcopis. Soli fortasse antè Metropolitani eo se obligaverant sacramento, quod ipsi quodammodo Pallio adhærescebat. Non abhorret igitur à verisimilitudine, communem esse cœpisse omnibus Episcopis hanc legem, eundi aut mittendi Romam annis singulis, postquam sibi persuaserunt, non ad solos Romanæ Metropoleos, quibus primò scriptum fuerat hoc sacramentum, sed ad omnes pertinere debere Episcopos, qui juri Decretalium subjiciuntur, quibus id sacramentum insertum est. Potuit & eo contulisse aliquid liber Pontificalis Romanus, qui paulatim & ipse cùm proprius fuisset Romanæ Ecclesiæ, cum aliis omnibus Ecclesiis communicatus est.

XIII. Nec Concilia certè, nec Pontificum decreta, sed nec Historici nisi rarò meminere hujus legis in omnes latæ Episcopos, ut quotannis Romam aut eant, aut mittant. Primus omnium Sixtus V. diplomate promulgato anno 1585. stata definiit annorum intervalla, regionum distantiæ accommodata, ad Romanum iter Episcopis omnibus capessendum. Nimirum Itali tertio quoque anno, Galli, Germani, Hispani quarto, cæteri Europæi & Africani quinto: Asiatici, & si qui remotiores, decimo quoque anno Romam pergent omnes Episcopi, cum ut capiant itineris sui fructum, ut Basilicas Apostolorum visitent, Christi Vicario assurgant; utque Congregationi Concilii explanent, quo sint loco res Ecclesiæ suæ & mores, quàm indefatigata pro illis excubent vigilantia; an quotannis Synodum habuerint Diœcesanam, an tertio quoque anno adierint Concilium Provinciale, an quolibet saltem biennio Parochias suas omnes circum-

Fagnan. in C. Ego N. de jurejur.

lustraverint; quamvis numero planè ingenti sint; an Seminarium exædificarint, an Theologum, an Pœnitentiarium habeant probè dotatum. Si quos difficultatis scrupulos afferant, illos expedit Congregatio Concilii, addito etiam testimonio canonicè peractæ visitationis, cum mandato quo distributionibus suis fruantur toto eo absentiæ tempore, aut Canonici, qui Episcopo comites accesserint; aut Præbendarii, qui ejus vice & nomine sacra visitatione perfuncti sunt.

Addit Fagnanus Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos Titulares eodem officio obligari, utque etiam Congregationi Concilii exponant, qui sit rerum status in Ecclesia, cujus titulo decorantur, quæ spes affulgeat ejus restituendæ in splendorem pristinum, quanti fuerint in id conatus, progressusque sui. Ita decrevisse ipsam Concilii Congregationem, cui & Patriarchæ Titulares Constantinopolitanus & Antiochenus eversarum Ecclesiarum suarum rationes & statum declararint. Anno 1595. scripsit Roma Ossatus Cardinalis, *Paulò antè eò accessisse Episcopum Plascensem Poloniæ, eo tantùm consilio, ut muneri satisfaceret, quo ex quibusdam Bullis tenerentur Episcopi certis temporibus visitare Sedem Apostolicam, & administrationis suæ rationes Pontifici exhibere.* Ibidem. L. 5. Ep. 30.

In Constitutionibus Ordinis Cisterciensis, anno 1134. compilatis & publicatis, jubebantur Abbates Hiberniæ, Scotiæ & Siciliæ ad Generale Capitulum convenire quarto quoque anno: Norvegiæ, Græciæ, Livoniæ & Syriæ quinto quolibet anno; Hungariæ singulis trienniis. Consensio semper magna fuit Ecclesiæ & Claustrorum disciplinæ; & ex hoc Cisterciensi statuto, undique ad Capitulum Regulares convocante, non injuria conjicimus, invitatos olim fuisse Romam omnes Orbis Episcopos, ad Romana maximè Concilia. Nomast. Cist. p. 302. 303.

XIV. Utque tota hæc dissertatio eò desinat, unde initium cepit, ex Tridentino rursus Concilio memorandum illud est decretum, quo abolita & extincta prorsus est illa consuetudo, quæ nonnullis in Provinciis superstes tunc erat adhuc, ut Episcopi annua visitatione tenerentur Metropolitanam Ecclesiam revereri. *Nec Episcopi Comprovinciales prætextu cujuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere inviti compellantur.* Sess. 24. c. 2.

In Congregatione Concilii declaratum primò fuerat, Decreto eo Tridentino dispensari Episcopos visitatione quam ipsi per sese Metropolitanis exhibebant, non ea quam obibant per Vicarios. Sed ab ea pòst sententia discessum est, & consulto ipso Pontifice pronuntiatum, Concilium Tridentinum utroque visitandi genere Episcopos absolvisse. Fagn. I. 3. Decr. par. 2. pag. 384.

In Historia Tridentini Concilii narrat Palavicinus Episcopos quadraginta graviter conquestos esse de hac necessitate, quam sibi imponerent Metropolitani, exhibendæ visitationis, vel per sese, vel per procuratores, altero Paschæ festo die; utque eo se vinculo solvi faciliùs impetrarent, ultro spopondisse facilè assensuros se, ut illa quoque tolleretur consuetudo, qua Archipresbyteri & Parochi semel Episcopum anno quolibet invisere tenebantur; etenim has consuetudines non invectas, nisi ex Conciliis, quæ apud Metropolitanum quotannis, & ex Synodis quæ apud Episcopum annuæ quoque habebantur: ac proinde consultissimum esse, ut non aliæ Visitationes exigerentur, quàm quæ cum ipsismet Conciliis & Synodis erant conjunctæ. L. 23. c. 9. a

XV. Aptiùs non potest hæc concludi dissertatio,

quàm sapientissimis prorsus Spondani Apamiensis Episcopi & Annalium conditoris verbis, cùm compendiariè relata Sixti V. Bulla, de qua suprà, addit utiliter in primis & commodè ita esse constitutum: Episcopis ab omnibus id exprimi juramentum, à paucis observari: se quidem et officio defuisse nunquam: multò enim conducibilius sibi visum esse, parere juri, quàm de jure litigare. *Quod quidem decretum, utile sanè & commodum, ab omnibus juratur, & à paucis nihilominus observatur; saltem in Gallia, ubi libertas Ecclesiæ præ cæteris regnis in pretio est. Ego certè qui indignissimus Episcopus consecratus fui, præceptum ut filius obedientiæ, ad amussim hactenus observavi, mittendo statum per idoneum Sacerdotem; longè tutius existimans id promptè exequi, quàm utrum ad exequendum obliger inquirere ac disputare.* — *Anno 1585. n. 32.*

De Synodo extraordinaria Episcoporum, qui in urbe Regia reperiebantur.

CAPUT XLIII. *P. 1. l. 2. c. 36.*

De Synodo extraordinaria Episcoporum, qui in urbe Regia versabantur, prioribus quinque Ecclesiæ sæculis.

I. Fieri vix aut nec vix poterat, quin magna semper numero essent Episcopi Constantinopoli, Synodumque conflarent cum Episcopo urbis.

II. Causas complures ad hanc Synodum transferebat Imperator, eique se subjici non pauci sua interesse existimabant.

III. Exempla harum Synodorum sub Nectario, & earum authoritas.

IV. V. VI. Exempla earundem sub Chrysostomo, pro cujus tuitione hæ Synodi strenuè decertarunt.

VII. Certarunt & pro Concilio Ephesino Generali, & pro partibus Orthodoxorum.

VIII. In ejusmodi Synodo Flavianus Eutychetem & errores ejus damnavit.

IX. Absentes quoque harum definitionibus subscribebant.

X. Hujusmodi Synodorum authoritati suffragatur Concilium Calchedonense.

XI. Famosa illa Leonis Epistola ibi primùm subscripta, mox in omnes missa urbis Ecclesias subscribenda.

XII. Hujus Synodi authoritate confirmatam Imperator, Calchedonensis Synodi adversarios obterit.

XIII. Erat Constantinopolitanus Episcopus veluti sequester & mediator omnium prorsus Episcoporum ad Imperatorem.

XIV. Hujus Synodi consilio obsequutus Imperator, Cyrillum Alexandrinum & Ioannem Antiochenum in gratiam redire & concordare jubet.

XV. XVI. Habebantur & id genus Synodi Romæ Exempla.

XVII. Fuere & Augustæ Treverorum ejusdem modi Synodi.

XVIII. Constantinopoli hujusmodi quandoque Synodi adulteræ & fraudulentæ.

I. Quanquam per Canones Episcopalis residentiæ vindices, Episcopis haud liceret ad Aulam Principis accedere, nisi causis gravissimis, quibus procul ambitu, procul avaritia, Pastoralis una sollicitudinis necessitas illos implicaret: non poterant non semper tamen Constantinopoli versari satis magno numero Præsules, ut ex iis conflaretur Synodus quædam quasi perpetua, ubi Archiepiscopus urbis Regiæ præsideret, & spinosiores quasque Ecclesiæ Orientalis causas terminaret. Nec hujus loci est, nec nostri instituti, expendere an tam justis semper rationibus abessent illi omnes Episcopi suis Ecclesiis, ut quod Ecclesiæ suæ damnum absentia sua infligebant, id plurimo suæ Constantinopoli præsentiæ & harum Synodorum fructu compensarent. Nec enim nos tam exemplis, quàm legibus incumbimus, vel iis exemplis quæ legibus consentanea sunt. Nec illud quidem tuta suprà locis prætermisimus, præstantissimos Episcopos, gravissimis malis conflictatos, maluisse in Ecclesiis suis sedere, & per literas, vel per Diaconos negotia tractare, cùm ea ratio cordatis quibusque videretur & minùs invidiosa fuisse, & non minùs felices plerumque exitus habuisse. Sed omninò fieri tamen non poterat, quin cùm tam longè latéque pateret Romanum Imperium, cùm innumerabiles per Provincias sparsi essent Episcopi, cùm tam aptæ inter se, nexæque essent Imperij, & Sacerdotij res: tot semper Constantinopoli essent Episcopi, sola Ecclesiarum suarum vel necessitate, vel utilitate eò perducti, ut Synodum conflare possent.

II. Hæc ipsissima erat Synodus, quam Græci ἐνδημοῦσαν dicebant, ut quæ perpetuò in Regia urbe hospitaretur. Quanquam singuli enim suis peculiaribus causis vacarent Episcopi: coïbant tamen sæpissimè cum Episcopo Constantinopolitano, in Synodum quandam veluti continuam, quæ plerasque disceptabat & dirimebat causas, quas Episcopo Constantinopolitano delegabat Imperator, aut quas partes ipsæ ejus committebant judicio, arbitrioque, invitante seu facilitate conveniendi in urbe Regia, sive authoritate ejus Episcopi, qui gratissimos, mollissimosque ad Imperatorem aditus haberet.

III. In hujusmodi Synodo Episcoporum Constantinopoli fortè obversantium, Nectarius Constantinopolitanus Episcopus judicavit de causa Agapii & Gabadii Episcoporum, qui de Bostrensi in Arabia Episcopatu contendebant, in finibus posito Antiocheni Archiepiscopi, sive Patriarchæ. Assidebant Nectario Theophilus Alexandriæ, Flavianus Antiochiæ, Helladius Cæsareæ in Cappadocia, Gelasius Cæsareæ in Palestina Antistitea, Gregorius Nyssenus, Amphilochius Iconiensis, Theodorus Mopsuestenus, aliique plures Episcopi. Episcopus urbis Regiæ, cui Canon nuperrimæ Synodi Constantinopolitanæ prærogativam tantam honoris & sedis adsignaverat supra alios omnes Episcopos sub Romano Pontifice; non solùm huic Concilio præerat Patriarchis cæteris, sed Judex sedebat in causa Patriarchatûs Antiocheni. Ratio est, quòd extraordinaria esset hæc Synodus, quòd ex omnibus Orbis regionibus in eam confluerent Episcopi, quòd ejus authoritati suapte sponte assentirentur omnes, quòd plurimas illi causas delegaret Imperator, quódque eam authoritate Regia fulciret. — *Iuris Orien. part. 1. pag. 247.*

IV. In istiusmodi Synodo exauthoratus est Gerontius Nicomediensis in Bithynia Episcopus, in Exarchatu Ponti; non à Nectario, ad quem de eo Ambrosius scripserat: sed à Chrysostomo, qui & Pansophium illi successorem designavit. — *Sozom. l. 8. c. 8.*

In istiusmodi quoque Synodo idem Chrysostomus aures commodavit querelis & accusationibus complurium Asiæ Episcoporum adversùs Antoninum Ephesinum Episcopum, qui ejus Synodi authoritatem non detrectavit. Tres Episcopos Ephesum delegavit Chrysostomus, qui testes audirent, mox & ipse eò profectus est, nec paucos Episcopos simoniæ convictos gradu dejecit. Non est quod hic immoremur purgandis à calumnia his Chrysostomi gestis. Immensæ enim cujusdam charitatis hæc erat effervescentia, modi & limitis impatiens, nec tam arctis inclusa terminis, atque jurisdictio; quod tamen illi totum posteà crimini vertit invidia & odio

malevolorum. Palladii tantum hic verba attexam de hacce Synodo urbis Regiæ. *Venerunt Constantinopolin Asia Episcopi, Ecclesiasticarum necessitatum gratia, & nobiscum remorati sunt, præsentibus & aliis Episcopis, è Scythia quidem Theotimo, ex Thracia verò Ammone Ægyptio, & ex Galatia Arabiano, Metropolitis omnibus, ac senibus, qui viginti duorum numerum implebant.* Itaque in hanc Synodum coaluerant Episcopi trium Exarchatuum, Asiæ, Ponti, & Thraciæ. *Pallad. in Dial. de vita Chrysost.*

V. In istiusmodi Synodo aliqua jussus est ab Imperatore Arcadio, & ab Imperatrice Eudoxia Theophilus Archiepiscopus Alexandrinus, seipsum purgare. Contrà mox ipse Synodum in Palatio ad Quercum coëgit, ubi & Chrysostomum citari jussit, ex reo derepente judex. Concilium Theophili triginta sex erat Episcoporum, quos ex Ægypto abduxerat secum; in Synodum Chrysostomi defensatricem quadragiota confluxeraor. Eorum in numero erat Pallsdius, qui & hæc narrat: *Eramus cum Joanne quadraginta Episcopi, tunc in Episcopatus triclinio sedentes, admirantesque, quomodo qui solus venire jussus erat, ac pro nefariis respondere criminibus, tot sociatus Episcopis venerat; quo item modo sententias Principum immutarat.* *Ibidem.* Non immerito stuper Palladius, qui potuisset Theophilus triginta sex adgregare Episcopos; minimè tamen miratur quod quadraginta cum Chrysostomo starent, quod ea Episcoporum copia Constantinopoli frequens semper, & pene inevitabilis esset. Sed causa & jurisdictione, magis quam numero vincebat Synodus Chrysostomi. Cùm enim Theophilus inverecundè citari eum fecisset, responsum à Chrysostomi Synodo, nihil Theophilum posse extra Ægypti limites moliri, nisi in Canonum contumeliam, qui eos illi fines delineassent: æquius esse, ut ipsemet se Synodo sisteret Chrysostomi, ut numerosiori, & in propria civitate, & ex pluribus Provinciis: *Si impatiens solvis Nicæni Concilii Canones, causasque extra terminos tuos cognoscere vis, ipse ad nos transi, in bene institutam civitatem: neque instar Caïn Abel in campum provoces, ut nos te primum audiamus. Habemus enim contra te libellos capitum septuaginta, apertas atque nefarias actiones continentes. Pluresque per Dei gratiam sumus, quam tua Synodus, congregati. Nam tua quidem Synodus triginta & sex habet Episcopos ex una Provincia, nos autem quadraginta sumus, ex variis Provinciis, in quibus septem sunt Metropolitæ, & necessariò convenit pauciores à pluribus ac præstantioribus secundum Canones judicari.*

VI. Quod nec mirum, nec rarum est, Aulæ favore labefactata æquitas est, Chrysostomus exilio damnatus. Sed non multò pòst revocatus, quadraginta duorum rursus Episcoporum Synodo succinctus fuit. *Adjunctis sibi quadraginta duobus Episcopis*, ut ait Palladius: quibus tametsi summa contentione animi pro eo connitentibus, iterato Chrysostomus deportatus est exilio. *Sozom. l. 8. c. 19.* Affirmat Sozomenus sexaginta Episcopos Constantinopoli repertos, cùm eo revocatus est Chrysostomus, Synodico decreto suo rescidisse sententiam Synodi ad Quercum. Non possumus non summis afficere laudibus infractam Synodi Regiæ urbis constantiam, quæ Chrysostomi innocentiæ non adversùs Theophilum modò, sed adversùs potestatem & iram Imperatricis in Chrysostomum conjuratæ, patrocinata est. Hoc exemplo purgari potest suspicio & invidia, qua flagrant plerumque Episcopales Synodi, quæ in Palatio Regum adgregantur; quasi per fas nefasque libidini Principum serviant, Ecclesiæque dignitatem humanis cupiditatibus infringi & debilitari sinant.

VII. Hi ipsi Episcopi fortè Constantinopoli reperti, eòque profecti, ut aiebat Palladius *Ecclesiasticarum necessitatum gratia*, ad Concilium Ephesinum I. perscripsere, quid rei gestum esset Constantinopoli in fidei Catholicæ defensionem, atque in Nestorii fautores sanctissimè conjurassent Laïci, Monachi, Clerici, quod ab illis fucus fieret Imperatori. *Epistola Catholicorum in Actis Ephes. Synodi.* *Rescriptum Episcoporum Constantinopoli inventorum.* His scilicet Episcopis vicissim Synodicam suam Epistolam inscripsere Ephesini ipsi Concilii Patres, nec non & Clero urbis: *Desideratissimis Comministris Constantinopoli agentibus, & religiosissimis ejusdem civitatis Presbyteris & Diaconis.* Hi ipsi ad Concilium rescripsere, advolaturos se Ephesum fuisse, ad aliquam certaminum & palmarum societatem, nisi omnia terra marique itinera ab adversariis veræ fidei & pietatis obsepta fuissent; sed illis nequicquam furentibus, sedulò navasse se operam, ut magno & forti animo esset Clerus populusque; si Synodi mandato jubeantur, protinus se mare tranaturos, nec ullis quantiscumque periculis deterritum iri, quominus Ephesum pergant, & in aciem cum ipsis descendant pro fidei tuenda integritate. Per Epistolas rursum Ephesini Concilii Antistites gratulati vicissim illis sunt, tanquam commilitonibus suis, & ejusdem pugnæ victoriæque consortibus: propriæ eorum laudi id tribuêre, *Ibidem.* quòd populo Urbis animos & calcaria addidissent, terrorem incussissent hostibus; denique hortati sunt, ne Constantinopoli discederent, atque Imperatorem commonefacerent de veritate & æquitate causæ Orthodoxorum. Denique confirmavit Ephesina Synodus sententiam, qua Massalianos Hæreticos compresserat in ejusdem generis extraordinario Concilio Sisinnius Episcopus Constantinopolitanus. *Act. 7.*

VIII. In hac eadem Synodo Episcoporum tum fortè Constantinopoli hospitantium, Flavianus ejusdem urbis Archiepiscopus, de causa Eutychetis judicium primò instituit. *Congregata sancta & magna Synodo reperta in prædicta urbe*, συναχθείσης ἁγίας συνόδου, ενδημούσης ἐν τῇ μεγαλοπόλει. Libellum suum Eusebius Dorylæi Episcopus adversùs Eutychetem obtulerat Flaviano & eidem Synodo. τῇ ἐνδημούσῃ συνόδῳ. Eadem magna Synodus Eutychetem citavit, ut sisteret se judicio. *Sancta & magna Synodus secundum Dei gratiam degens*, ἐνδημοῦσα, *in regia Constantinopoli.* Denique illa triginta duorum Episcoporum Synodus, quæ eorum subscriptionibus legitur adhuc insignis, Eutychetem novellamque ejus hæresim prima confixit diro anathemate. *Con. Calch. Act. 1.* Fateor ab Archimandritis quibusdam in libello ad Dioscori defensionem edito, eodem nomine designatam fuisse Calchedonensem Synodum: sed memorando tamen interposito discrimine: *Sancta Synodo, quæ hic modo reperta est*, τῇ ἐνταῦθα ἐνδημούσῃ νῦν συνόδῳ. *Ibidem. Act. 4.* Quibus innui videtur breve fore tempus Calchedonensis Concilii, at Constaorinopolitanam hujus generis Synodum esse perpetuam.

IX. Duo sunt porro, quæ prætermitti sine piaculo non possint in hoc Flaviani adversùs Eutychetem Concilio. Primum est subscripsisse ei Synodo Episcopos omnes, qui ei non interfuerant, tametsi tunc Constantinopoli versarentur. Ita petiit Eusebius Dorylæi, ita annuit Flavianus. *Eusebius Episcopus Dorylæi dixit, Quoniam quidem reverendissimorum Episcoporum in hac regia urbe degentium, aut propter infirmitatem, aut ignorantes convocationem sanctæ* *Ibidem. Act. 1.*

Synodi, non convenerunt, peto absentes commoneri, quatenus & ipsi agnoscentes quæ acta sunt, suam manifestam faciant voluntatem. Flavianus Archiepiscopus dixit, Reverendissimi Notarii absentes Dei amantissimos Episcopos commonefaciant, perlegentes eis, quæ acta sunt, quatenus unusquisque propriam sententiam exponat. Alterum est Archimandritas omnes Constantinopolitanæ civitatis jussos esse subscribere hujus Concilii Decreto fidei, & Eutychetis damnationi. Eadem re conquestus est postea Eutyches, in Pseudo-Concilio Ephesino, addiditque idem Decretum missum esse ad omnes Orientis Provincias, ab Episcopis similiter & Monachis subscribendum. Eam porro in Ecclesia Catholica viguisse consuetudinem utrimque liquet, & quòd Flaviano probata atque usurpata fuerit, & quòd Eutycheti improbata.

X. Entxus est in Ephesina II. Synodo novæ hic insaniæ architectus, hanc vibratæ in se damnationis sententiam elevare, & ludificari; causatus videlicet, se damnatum non esse, nisi à paucis Episcopis, qui fortè tunc Constantinopoli versabantur, privatis ut vacarent negotiis. [illegible] Sed quanquam ea Pseudo-synodus exercitissimè & Flaviano adversaretur, & suffragaretur Eutycheti, nihil tamen gravius dixit, quo earum Synodorum authoritatem obscuraret; ut iis vehementer Concilii Calchedonensis Patres suffragati sunt. In Calchedonensi enim ipso Concilio
Act. 4. Eustathius Berythi Episcopus de Metropoli Provinciæ Phœniciæ contendens cum Episcopo Tyri, Berythensi suæ civitati Metropolitica jura demonstravit concessa fuisse, non Rescripto tantum Imperatorio, sed etiam Decreto istiusmodi Synodi Constantinopolitanæ. *Concilium reverendissimorum Episcoporum factum est Constantinopoli, cui etiam Maximus Reverend. Episcopus Antiochiæ subscripsit.* Poterat ejus causæ judicium Antiochenos Episcopus sibi vendicare, quod Phœniciam suo Exarchatu includeretur. Passus est tamen eam ab Urbana hac Synodo diffiniri, cui & ipse subscripsit, quanquam non affuisset. Accipe ejus ipsa verba: *Eram Constantinopoli; Cùm ergo Concilium de hac re haberetur, non affui. Sed mihi allata est charta, & subscripsi.* Judices vel Magistratus Imperatorii, qui Concilio Calchedonensi aderant, sciscitati sunt, an Concilii nomine honestaretur Conventus ille Episcoporum, Constantinopoli fortè versantium: *An Synodum appellare oporteat conventum Episcoporum, qui in Regia urbe diversantur.* Responsum est à Thyphone Chiensi Episcopo, Synodum vocari, & res magni ponderis ibi pertractari: *Synodus appellatur, & conveniunt, & laborantes aliqua oppressione sua jura nanciscuntur.* Sed multò asseverantius responsum est ab Anatolio Episcopo Constantinopolitano, antiquissima consuetudine niti ejus Concilii authoritatem, nec in eo quidquam à se novatum fuisse. *Tenuit pridem consuetudo, ut qui in magna hac civitate morantur sanctissimi Episcopi, cùm eos temporis occasio vocat de emergendis quibusdam Ecclesiasticis causis conveniant, ac singula definiant, responsaque eos dignentur, qui precantur aliquid. Nihil ergo à me factum est, quod novitati sit affine; nec qui ex consuetudine consederunt Episcopi qui in civitate erant, novam formam protulerunt. Ac ostendit præsentiam Episcoporum actio, quæ facta est.* Unde liquet hanc Synodum nullas in causas ipsam insiluisse, sed ad se sponte partium delatas admisisse, easque diremisse, judicio Episcoporum, qui ultro affuissent. Rescidêre quidem Calchedonenses Patres decretum ibi editum in gratiam Episcopi Berythensis, & Tyrium Episcopum Metropoliticæ reddidere amplitudini: sed nihil omnino illi decerpsere de existimatione & potestate hoc genus Synodorum.

XI. Irrita quoque declarata est in Concilio Calchedonensi excommunicatio, qua Synodus istiusmodi Constantinopolitana confixerat Metropolitanum Tyri, sed ea tantum ratione allegata, quod ea in absentem pronunciata fuisset. *Nemo damnat absentem.* Ibidem denique refertur, Decretalem illam Leonis Papæ Epistolam, toto orbe decantatissimam, qua fides adversùs Eutychetis deliramenta asserebatur, susceptam primò fuisse in hac Synodo Constantinopolitana, mox ad omnes Orientis Episcopos transmissam, ut subscriberetur. *Quemadmodum & nunc cùm pauci Constantinopoli convenissent, missa est Epistola almi Archiepiscopi Leonis, iis qui ubique essent Metropolitis, & subscripta est.*

XII. Non multò post finem Concilii Calchedonensis, Dioscori, & Eutychetis sectarii, in Ecclesiam Alexandrinam immanissimè sævierunt, cæde & cruore omnia restagnarunt. His malis ut mederetur Leo Imperator, sciscitari voluit sententiam complurium Metropolitanorum, potissimum verò Anatolii Episcopi Constantinopolitani, cui præcepit ut convocaret Episcopos, qui Constantinopoli versarentur, cum Urbano Clero, utque re in deliberationem missa, sibi rescriberet, quid consultissimum, quid optimum factu visum esset. *Tua siquidem reverentia omnes orthodoxos Episcopos, qui in præsenti in hac urbe regia commorantur, necnon & reverendissimos Clericos ad se repente faciat convenire. & diligenter omnia pertractantes, atque discutientes, quid in commune sapitis, sine qualibet humano terrore, & absque gratia cujuscumque vel odio, solummodo omnipotentis Dei timorem vestris oculis proponentes, cum omni celeritate meam facite cognoscere pietatem; ut formam congruam dare possimus; quatenus Ægyptiaca Diœcesis & Alexandrina civitas, pro cujus quiete nos præ omnibus convenit cogitare, tranquillitate sanctarum Ecclesiarum & disciplina & inconcussa perfruatur.* Ubi perspicis omnes quidem Ecclesias tempestate aliqua jactatas ad Imperatorem confugisse, ut cujus tuitioni creditæ essent: ipsum verò percontari solitum Episcopos Regiæ Urbis, Synodumque illam Urbanam Episcoporum & Cleri urbici. Alibi Anatolius testatum facit ab ejusmodi Synodo ordinatum se fuisse Episcopum. Con. Chalc. pa. 3. c. 21. Monum. Eccl. Græc. Cotel. p. 87

XIII. Quin & Ecclesiæ ipsæ singulæ Constantinopolitani Episcopi opem invocabant, quo faciliores haberent aditus, non ad Imperatorem tantùm, sed & ad Romanum Pontificem, cæterosque Patriarchas & Episcopos Ecclesiæ universæ. Audi quid tum scripserint Episcopi Ægyptii ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, in infanda illa Ecclesiæ suæ evastatione. *Preces piissimo Principi & pietati tuæ fundentes, quatenus misericordiam præbeatis statui communi. &c. Nostrosque gemitus Synodicis litteris sanctissimo Ecclesiæ Romanæ Pontifici Leoni, necnon & Antiocheno, Hierosolymitano, atque Thessalonicensi & Ephesino, Dei amantissimis Episcopis, atque aliis, quibus fuerit visum, Ecclesiis indicetis; quoniam hoc delictum læsio est communis: ut omnes totius orbis Episcopi litteris Synodicis Christianissimo Principi nostro vestræque sanctitati rescribentes, dignam formam, qua in hoc placuerit, præbere non differant. &c. Si verò prospexeritis oportere fieri universale Concilium, & hoc fieri deprecamur.* Ita necessariò Episcopus Constantinopolitanus, quasi nexus erat

& vinculum Episcoporum Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, quòd esset Byzantium non caput tantùm, sed & cor & centrum Imperii; erat & ille quasi omnium Episcoporum ad Imperatorem paciarios & sequester. Porro in defungenda ea provincia opus erat ei consilio, non Cleri tantùm sui, sed omnium etiam Episcoporum, quos causæ aliquæ propriæ ad hanc communem totius Imperii patriam congregabant.

XIV. Nullo verò luculentiùs argumento astrui potest, vel authoritas istiusmodi Synodorum Regiæ urbis, vel insolita consuetudo, ut ad eam rejiceret Imperator graviores quasque causas; & summa omnium Episcoporum veneratio & observantia ejus decretorum, quàm concordia Cyrilli Alexandrini cum Joanne Antiocheno. Cùm statuisset enim Imperator illam consopire utriusque Archiepiscopi altercationem, rescire primùm voluit, quæ Maximiano Episcopo Constantinopolitano, quæ Clero ejus, quæ Episcopis Constantinopoli hospitantibus

Conc. Ephes. Par 3. c. 24. 35.

sententia animo insideret: *Urbis Regiæ Episcopo Maximiano, cæterisque omnibus, qui in ea reperti sunt, sanctissimis Episcopis, & universo eorum Clero.* Fatetur Cyrillus cum his Episcopis consultasse Imperatorem: *Illam Ecclesiarum dissensionem Imperator intolerabilem judicabat, ad se ergo accersens reverendissimum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopum Maximianum, ac alios non paucos, qui pro tempore ibidem comperiebantur, seriò cum illis consultabat, quonam pacto Ecclesiarum dissidium tolli posset.* Denique compressa est dissensio, & inita tandem concordia, quòd omnes necessariò obtemperarint voluntati & decreto Imperatoris, ex horum Episcoporum consilio temperato, & nomen præ se ferenti, atque autho-

Ibid. c. 24.

ritatem Synodi Regiæ urbis. *Postquam Orientalibus Regium decretum expositum est, tanquam factum ex eorum Episcoporum sententia, qui Constantinopoli reperti fuerant, &c.*

XV. Hæc frequentia Episcoporum in civitate qualibet Regia, vel Imperatoria, cùm necessariò proficiscatur ex illa Episcoporum inter se communione & negotiorum tum spiritalium, tum temporalium mutua communicatione, & ex ineluctabili Regum Principumque interventione in causas plerasque Ecclesiarum, quarum illi patrocinium & tutelam sustinent: hinc facilè conjicitur, facilè etiam adprobari posset, magno prorsus semper numero fuisse Episcopos Romæ, Mediolani, Treveris, Carthagine, aliisque in civitatibus, sede summorum Principum aliquandiu nobilitatis. Tradit Cyrillus Episcopos Romæ repertos, perlectis libellis, quos adversus Nestorii vesaniam exarasset, illam esse detestatos, & necesse utique jam esse eorum definitioni assentiri, nisi velit quis totius Occidentis com-

Conc. Ephes. Part. 1. c. 21.

munione carere. *Cùm piissimi Episcopi, qui in magna Romanorum urbe reperti sunt, eos legissent, multisque consessibus consultationibusque habitis examinassent, illorum authorem non absque indignatione exsibilarunt, &c. Statim sancta Romana Synodus disertam in illum sententiam tulit. Horum itaque decreto modis omnibus parendum est illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint.* Celebritas annua festivitatis B. Apostolorum Petri & Pauli, Natalis dies Cathedræ, seu ordinationis cujusque Pontificis, negotia denique bene plurima, quibus interponenda erat authoritas Papæ; satis multos semper Romam Episcopos eliciebant, ex quibus Synodus congregari posset.

XVI. In hujusmodi Synodo aliqua Romana Siricius Papa Jovinianum perculit: *Facto ergo Presbyterio.* Aderat quippe Clerus universus, sed soli Presbyteri Episcopis assidebant. Ejusdem modi Synodus aliqua Romana Valentinianum Imperatorem interpellabat, ut apud Theodosium juniorem interveniret ipse, ad obterenda nefariæ pseudo-Ephesinæ Synodi decreta. *Cùm advenissem in urbem Romam post venerabilem noctem diei Apostoli, & à Romano Episcopo, & ab aliis cum eo diversis ex Provinciis congregatis, rogatus sum.*

Con. Calch. Part. 1. c. 25.

Ut habetur in litteris ipsis Valentiniani. Videtur & Hilarus Papa ad hujusmodi Synodum aliquam alludere. *Præsidente fratrum numeroso Concilio, ex diversis Provinciis ad diem natalis nostri in honorem B. Petri Apostoli per Dei gratiam congregato, &c. Residebant etiam universi Presbyteri, astabant Diaconi.*

Epist. 8.

XVII. Cùm Maximus Imperator Treveris commoraretur, plurima quoque eò convolavit turma Episcoporum, ut author est Severus Sulpitius: *Cùm ad Imperatorem Maximum ferocis ingenii virum & bellorum civilium victoria elatum, plures ex diversis partibus Episcopi venissent.*

De vita B. Mart. l. 25.

Non is ego sum, qui horum Episcoporum omnium Aulas Regum frequentantium patrocinium in me recipiam. Vanas eorum adulationes & improbas spes idem Severus meritò ibidem exagitat. Sed cùm non semel eò & B. Ambrosius & B. Martinus advolarint, nemo jure inficiabitur esse potuisse & alios in eo numero, quorum & vita frugi, & consilia Episcopis haud indecora essent, & quorum idem canonica haberetur ab Ecclesiis suis absentia.

XVIII. Anastasius Imperator semel ipse quidem Episcopos Constantinopoli inhospitantes per Euphemium Constantinopolitanum Episcopum adgregari fecit: at postea illos quoque ipsemet congregavit, & depositionis sententiam in ipsum Euphemium pronuntiare compulit. *Episcopos domi præsentes, τοὺς ἐνδημοῦντας, congregavit, qui ut Imperatori gratificarentur, Euphemium excommunicant & deponunt.* Eadem antè Synodus à Gennadio convocata fuerat, ad damnandam simoniam & commendandam pulcherrimam illam Epistolam, quæ apud Balsamonem legitur. [illegible] Sub eodem impio Anastasio Hormisda Papa Legatos Constantinopolim misit, in quorum mandatis id habetur, moris tunc fuisse, ut ad Imperatorem Constantinopolitanus Episcopus Episcopos alios introduceret: *Est consuetudo per Episcopum Constantinopolitanum omnes Imperatori Episcopos præsentari.* Ita cum rebus humanis comparatum, maximisque quibusque bonis mali abutuntur. Et nihilo tamen minùs utique bona sunt.

Theodorus Lector l. 2.

Baron. ann. 515. n. 34.

CAPUT XLIV. *P. 2. l. 3. c. 55.*

De Concilio Episcoporum in urbe Regia fortè tum degentium, sub Imperio Caroli Magni.

I. Quo differat hæc Synodus à Comitiis Cleri Generalibus.
II. Varia hujuscemodi Synodi exempla Constantinopoli.
III. Exempla alia ad res magni prorsus ponderis.
IV. Pleraque electiones Episcoporum in hujusmodi Synodis celebrabantur.
V. Variæ observationes in has Synodos.
VI. Ad eas Episcopi ipsi causas suas referebant.
VII. De Patriarcha ipso ibi quandoque judicium instituebatur.

I. ERat cognatio non mediocris Synodi orbis Regiæ, qua de hîc agimus, & Comitiorum Cleri

Cleri Generalium, de quibus infrà disseremus; sed erat & dissimilitudo non parva. Conventus enim hi Cleri in Palatio Principum habebantur, Synodi verò illæ in urbe Regia, in ædibus Patriarchæ. Illi à Principe indicebantur, istæ à Patriarcha. Illi ordinarii erant, cùm semel aut bis anno quolibet, vel semel post biennium cogerentur: hæ verò tum & toties cogebantur anno quolibet, cùm & quoties Principi vel Patriarchæ collibitum fuisset, pro negotiorum incurrentium copia & mole. Illi demum Cleri utrumque ordinem complectebantur, de industria convocatum: at in has Synodos non coïbant nisi Episcopi, qui tum variis de causis Constantinopoli fortè coaluissent. Ideo & illi Generales Cleri Conventus Regnis peculiaribus familiares magis fuere, utpute Galliæ, Angliæ, Germaniæ, ubi pronom erat Clerum universum semel & iterum anno quolibet cogere; at hæ propriæ ferè erant Constantinopolitanæ civitati, ubi non facilè potuisset convenire Clerus universus tam latè fusi Imperii: & ubi tamen frequentissimè satis magno numero erant Episcopi, qui Concilium in unum coalescerent cum Patriacha.

II. Ad hoc Concilium apparet referri debere, quod narrat Cedrenus, cùm major pars Senatûs & Concilii, & Patriarcha ipse Constantinopolitanus in vesaniam Iconoclastarum consensisset, arduum & operosum fuisse cultum Imaginum restitui, donec Theodora Imperatrix parens Michaëlis Imperatoris adolescentuli, tam præclarum facinus adgressa est. *Neque apertè quisquam rem aggredi audebat, cùm major pars Senatûs & Concilii, atque ipse etiam Patriarcha ei hæresi essent addicti.* Nec à verisimili forsan abludit, hunc eundem Episcopalem cœtum Silentium appellari, ubi ex eodem Cedreno Alexander frater Leonis Philosophi & successor, ejecto Euthymio Patriarcha Nicolaum restituit, cujus ille sedem occupaverat. *In Magnaura assident, facto Silentio, σιλεντίου γενομένου, Euthymium deposuit.*

Cedrenus pag. 534. & sequ.

Ibid p. 707.

III. Sed hæc certissimè Aulicorum Episcoporum Synodus à Nicephoro congregata est Imperatore, postquam ingressu Ecclesiæ interdictus est à Nicephoro Patriarcha, propter conjugium initum cum Regina Theophanone, quacum spiritalem contraxerat cognationem, cùm ejus natorum unum de sacro fonte suscepisset. *Convocatis qui in urbe tunc erant, peregrinis Episcopis ac delectis Senatoribus συγκαλέσας τοὺς ἐνδημοῦντας ἐπισκόπους ἐν τῇ πόλει.* Una animi, una adulationis confusione responderunt Antistites, Aulicis præstigiis jam diu fascinati, eam Constantini Copronymi legem esse, nec strictæ, aut necessariæ observantiæ; quocirca & excommunicationis vincula protinus exsolverunt. Cùm verò necdum Patriarcha Polyeuctus animo flecteretur, subornatis testibus approbatum illi est, nunquam Theophanonis Reginæ filios ab Imperatore ad sacri laticis mysteria susceptos fuisse.

Cùm non possint Reipublicæ negotia à Principe expediri, nisi sint fidissimi Consiliarii, quibus arcana & conscientiæ & Regni committat; non alios magis Imperatores Constantinopolitani in hujusmodi rerum ambagibus, quàm Metropolitanos & Episcopos consulebant, Constantinopoli fortè occurrentes. A Theophane memoratur Michaël Curopalates Episcopos & Abbates consuluisse de pace, quam cum Bulgaris initi permagni ad Imperii salutem referret, & quæ tamen nisi redditis, sive proditis transfugis feriri non p[...]t. Patriarchæ & Metropolitanis Nicæno & Cyziceno visum est, reddendos incunctanter transfugas, & pacem vel ineundam, vel confirmandam esse. Contrà Theodorus Studita ingentis & pietatis & sapientiæ vir, cui & alii complures suffraganes adhærebant, non posse negari tuitionem supplicibus, qui eam implorassent, & quibus jam desponsa esset. Theophanes ipse clarissimus & sanctimoniæ fama, & religionis, non dissimular, se Patriarchæ Nicephoro consentaneum fuisse. Vicit tamen Theodori Studitæ nobilior & ad Christianam magnanimitatem magis apposita sententia. Anno 812.

IV. Ubi posterioribus sæculis etiam medii ævi, electiones Episcoporum Constantinopoli plerumque celebratæ fuere, à Metropolitanis & Episcopis tum fortè Regia in urbe demorantibus, hujus Synodi urbanæ, qua de agimus, in iis maximè resplenduit vis & incredibilis quædam potestas. Adscitis Isaacus Angelus Imperator in Palatium Patriarchis Constantinopolitano, Antiocheno, & Hierosolymitano, aliisque Antistibus Constantinopoli tum degentibus, ἐν τῇ ἐνδημούντας ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει ἀρχιερεῦσι, communicato cum illis consilio decrevit, & mox Edicto Regio publicavit, ut posthac ne ullæ Constantinopoli celebrarentur electiones Episcoporum ad vacantes Ecclesias, nisi advocatis Episcopis omnibus qui tum Constantinopoli essent, in irritum ducenda electione ea, ad quam accersitus non fuisset vel unus aliquis Episcoporum. Imperatoriæ huic Constitutioni subscripsere Metropolitani viginti tres. Ejusmodi autem plures Juri Orientali Leunclavii inseruntur. Balsamon pag. 561. In Can VI. Sardic. Juris Orien. Tom 1 pag. 169. 175.

V. Adverte hîc autem 1. A solo plerumque Patriarcha convocatos fuisse synodicos hujusmodi Conventus, nulla interveniente Principis authoritate. Non alium autem quàm Patriarcham præfuisse. 2. Affuisse cum eo & Patriarchas quandoque alios, ingenti autem numero Metropolitanos, Archiepiscopos, Episcopos. Nimium Metropolitanos frequentior exagitabat necessitas confugiendi ad patrocinium Patriarchæ, Senatûs, Imperatoris. 3. Plerumque etiam interfuisse Senatores aliquos & Regios Magistratus. Ita mixtus quodammodo Conventus hic erat, cujus tamen splendor & authoritas penes Clerum potissimum resideret. 4. Disceptabatur hîc de rebus & de legibus ad Ecclesiam pertinentibus, sed quibus res etiam publica & Principis authoritas illigata est. Conducibile ergo erat eò Magistratus Regios accersi, tum ut nova hinc splendoris fieret accessio his Conventibus, tum etiam ut eorum Decreta Imperatori, Senatui & Magistratibus tantò gratiora, tantóque diligentiùs executioni mandanda viderentur. 5. Sed nulla de re ibi frequentius, quàm de conjugiis consultatum est. Unde certissimè colligitur, causas matrimoniales juris tunc & fori Ecclesiastici proprias fuisse. Quanquam enim interessent & Magistratus civiles & Senatores, obumbratur tamen eorum splendor omnis Patriarchæ Constantinopolitani præsentia & majestate, cæterorumque Patriarcharum ac Metropolitanorum, qui ut in Conventu synodico semper & numero & sede superiores erant. 6. In his Conventibus condebatur, fingebatur, & refingebatur sacra omnis Orientalium Ecclesiarum disciplina, ut quæ suos ibi per Metropolitanos repræsentaretur. Apertissima est in eam rem Constitutio Patriarchæ Alexii: *De diversis causis Ecclesiasticis pertinentibus ad universas Metropoles & Archiepiscopatus.* Edita est autem ea Constitutio à Patriarcha & Synodo urbana, *Synodo ad urbem*, τῇ ἐνδημούσῃ συνόδῳ.

Ibidem. 313. 225.

Ibid p. 250.

Ibidem. pag. 272. VI. Illud quoque elucet manifestissimè, si qui Episcopi gravari se, & jure ac potestate sui ordinis frustrari sentirent, eos apud Imperatores expostulasse, ac Rescripta expressisse ad Patriarcham, ut Urbanam hanc cogeret Synodum, Senatores acciret aliquos, judicium secundùm Canones ac Leges temperaret, revocaret etiam Edicta ipsa Imperatoria, si quid iis antè derogatum esset æquitati. Ejusmodi fuit Rescriptum Alexis Comneni Imperatoris ad Patriarcham Nicolaum. *Pag. 281.* *Causam audiat, finemque ei imponat Legibus & Canonibus consentaneum, nihil eum impediente scripto, quod priùs à Majestate mea factum est.* Hoc ergo Tribunali Mixto retractabantur quandoque Imperatorum Decreta, volentibus ipsis & jubentibus. *Constitutum est Tribunal Mixtum ex Pontificibus & doctis viris Senatoriis, Patriarcha præsidente. Quo in judicio secundùm Metropolitanum pronunciatum est.*

VII. Minus ergo jam mirum, si Patriarchæ ipsi subeundum quandoque erat Mixti istiusmodi Conventus judicium. Illic sistere se jussus Patriarcha Methodius, cui infandæ libidinis infamiam illinebat tam nullius fidei, quàm nullius pudoris meretricula; unde non tam de ea, quàm de scelestissimis ejus subornatoribus præclarissimum triumphum egit *Cedrenus. pag. 537.* Methodii innocentia illibata. *Terribile Tribunal ex Civilibus & Sacratis hominibus cogitur*; ut ait Cedrenus, plena est id genus exemplorum Historia Constantinopolitana. De his Synodis pauca aliqua rursum inseruus Capite LVI.

De Conciliis Provincialibus, Universalibus, seu Nationalibus, de Comitiis Cleri Generalibus. De Comitiis Regni.

CAPUT XLV. *P. 1. l. 2. c. 37.*

De absentia Episcoporum propter Concilia Provincialia & Nationalia quinque prioribus sæculis.

I. Quæ fuerint prima Conciliorum exordia.
II. Pluribus ex Provinciis prima coaluere Concilia.
III. Necessitas impacta Episcopis ad Concilia concurrendi.
IV. Institutio Conciliorum Universalium, sive Nationalium in Oriente.
V. De Conciliis Universalibus Africæ.
VI. Nihil hæc Provincialibus Conciliis officiebant.
VII. Annua primo fuere Universalia Africæ Concilia. Postea indicta tum cœpere, cùm gravior necessitas immineret.
VIII. In Occidentalibus quoque Provinciis omnibus frequentissima fuere universalia Concilia.
IX. Nec Provincialia tamen intermittebantur Concilia, quolibet anno bina.
X. Episcopi criminosi Conciliis arcebantur.
XI. Episcopi tantum constabant Concilia.
XII. Ex Ordinationis ævo sedebatur.
XIII. De litteris Ordinationum.

I. SEnescente jam altero Ecclesiæ sæculo coïre Concilia Episcoporum cœpere tum demùm. Magnificentissimè de his jam tum Conventibus Tertullianus, qui eorum & Episcoporum multitudinem, & rerum quæ ventilabantur magnitudinem, & majestatem Ecclesiæ universæ quodammodo ibi uno in loco repræsentatam luculentè prosequitur. *Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quædam in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* *L. de Jejun. c. 13.* Nec ipse Lucas siluit, Conventus ab Apostolis ipsis habitos fuisse, magnæ molis negotia ubi versarentur, nec facilè quisquam ambiget, quin Apostolorum cœtus, & Apostolicorum illorum Præsulum coitio, Concilii vocabulo honestari possit. *Baron. ann. 173. n. 19.* Sed post Apostolica illa tempora ad calcem usque secundi Ecclesiæ sæculi, nulla usquam existunt impressa Conciliorum vestigia. Necdum quidem nisi in Oriente celebrari cœpta memorat Tertullianus. Dum terras sanè superstites illustrarent Apostoli, & ubi recens emigravere, recentissima eorum admiratio, & cœlestium mandatorum memoria, poterat illa quidem plurium Conciliorum instar habere. Sed ubi temporis diuturnitate, & novarum subinde hæreseon fœdissima propagatione concussæ, alicubi etiam oblivione pene obrutæ sunt traditiones Apostolicæ: omnino cogenda fuere Concilia, tum ut fidei authoritatem vehementer labefactatam, tum ut disciplinæ ab Apostolicis fontibus profectæ castimoniam nova errorum colluvione fœdatam restituerent, aut firmarent. Tempore Victoris Papæ complura ad Paschæ quæstionem dirimendam congregata fuere Concilia. Nec minus frequentia forsan fuere, quæ sub Stephano coaluere ad sopiendam de hæreticorum baptismo controversiam. In Oriente ferè solo hæc Concilia convenere, paucissima in Africanis Provinciis habita sunt; reliquo in Occidente usque ad sæculi tertii finem multò etiam rariora. Quod enim ait Tertullianus *per Græcias* coïsse plures Synodos, has ego illas Orientalis Imperii Provincias interpretor, quæcum Græcorum Imperio pridem paruissent, Græco etiam ut vernaculo utebantur sermone.

II. Apparet tamen ad insitata quædam tantùm, & graviora negotia has tum Synodos convenisse; ex quo fit, ut & universales potius, seu Nationales fuerint, quam Provinciales. Id genus fuere Concilia, in Paschæ, & in Baptismi hæreticorum controversia finienda. Id genus fuit & Antiochenum Concilium adversùs Paulum Samosatenum Episcopum ejus urbis. Id genus fuere, quibus Occidens, Oriensque in Novatianos detonuit. Toto eo temporis intervallo nihil usquam decernitur de Conciliis Provincialibus, & annuis. Subodorari aliquid de iis fas est in Epistola Firmiliani Cæsareæ in Cappadocia Episcopi ad Cyprianum. *Qua ex causa necessariè apud nos fit, ut per singulos annos Seniores & præpositi in unum conveniamus, ad disponenda ea, quæ curæ nostræ commissa sunt. Ut si qua graviora sunt, communi consilio dirigantur, lapsis quoque fratribus & post lavacrum salutare à diabolo vulneratis, medela quæratur.* *Epist. 75. apud Cyprianum.* Suspicari forsan posset quis de Synodis Diœcesanis agi, ad quas ab Episcopis convocabantur Presbyteri, *Seniores & Præpositi.* Sed quis facilè sibi persuaserit eo ævo non consultasse Episcopum cum suis Presbyteris, nisi semel anno quolibet? Ne id quidem faceret ad institutum Firmiliani, Asiaticis Conciliis pondus & authoritatem quærentis ex Africanis in eandem rem Conciliis. Sunt ergo ea Concilia Provincialia, annuaque. Neque enim annua haberentur Concilia Nationalia. Poterant sanè iis interesse Presbyteri, seu Parochi Cæsareæ, unà cum Episcopis, ut & Romæ factitabatur, præsentibus sedentibusque semper Presbyteris Cardinalibus post Episcopos. Cùm certè, ut mox dicemus, confirmatus sit à Nicænis Patribus

usus receptissimus duorum quotannis in quaque Provincia Conciliorum; facile intelligitur jam inde à temporibus Firmiliani & Cypriani inolevisse consuetudinem, singulis ut in Provinciis singula anno quolibet congregarentur Concilia.

III. Nec nos celavit Firmilianus, quanta immineret singulis Episcopis necessitas, has ut ad Synodos annuas advolarent. *Necessariò.* Ipsa rerum gravitas plus satis Episcopos incitabat, maximè quæ ad regendam pœnitentiæ disciplinam pertinebant. Canon Apostolicus, qui non potest nisi tertio ut summum sæculo ascribi, jubebat, ut bis quotannis Episcopi congregarentur, ad fidei & disciplinæ causas pertractandas. Can. 38. *Bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur, ut inter se invicem dogmata pietatis explorent, & emergentes contentiones Ecclesiasticas amoveant.* Præcepti pondus & vim præ se ferunt Canonis hujus verba. Sed Laodiceno Canone apertius etiam declaratur necessitas, ne quis se Episcoporum Can. 40. annuis his Conciliis subduceret. *Non oportet Episcopos qui vocantur ad Synodum, negligere, sed abire, & docere, vel doceri, ad correctionem Ecclesiæ & reliquorum. Si quis autem neglexerit, is seipsum accusabit, præterquam si propter intemperiem & ægritudinem non venerit.* Canone Nicæno confirmatus est Canon Apostolicus, jussis Episcopis bina quolibet anno ad Concilia convenire in Provinciis omnibus, ad causas eorum expendendas, qui ab Episcopis communione, aut gradu suo ejecti fuissent. Can. 5. *Ut hoc decentius inquiratur, placuit bis in anno per unamquamque Provinciam Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis Provinciæ discutiantur hujusmodi quæstiones.* Vix poterat arctius stringi necessitas ad hæc Concilia conveniendi. Voluere Antiocheni Patres, ut ad novas Episcoporum ordinationes aggregarentur omnes Provinciæ Episcopi; sed Can. 19. 20 & innovatus ab illis est Nicænus Canon de annuis binisque Provincialibus Conciliis, jusso Metropolitano omnes suæ Provinciæ Præsules convocare. *Metropolitano Comprovinciales Episcopos admonente; ut satisfaciant Episcopi tum Clericorum querelis omnium, tum laicorum. Ut in his ipsis Synodis accedant Presbyteri, & Diaconi, & omnes qui se injuria affectos putant, & à Synodo judicium assequantur.* Addit Synodus nefas esse Concilia sine Metropolitano habere. *Nec ulli liceat Synodos per se facere, sine iis, quibus sunt credita Metropoles.* Hinc surgit eximia Metropolitani authoritas, sed & hinc ingravescit necessitas convocandi Concilia, iisque præsidendi. Denique Calchedonensis Concilii Patres, compertis jam gravissimis damnis, quæ ex Provincialium Conciliorum cessatione erupérant, novo decreto priscam confirmavere consuetudinem & legem, ut bina quotannis celebrarentur, fraterna correptione intentata iis, qui abfuerint, Episcopis, nulla eos remorante gravi admodum necessitate. Can. 19. *Pervenit ad aures nostras, quod in Provinciis statuta Episcoporum Concilia minimè celebrentur, & ex hoc plurima negligantur Ecclesiasticarum causarum, quæ correctionibus indigeant. Decrevit itaque sancta Synodus, secundum Canones Patrum, bis in anno Episcopos in idipsum per unamquamque Provinciam convenire, quo Metropolitanus Episcopus probaverit, & corrigere singula, si qua fortassis emerserint. Quicumque verò non advenerint Episcopi, resident autem in suis civitatibus, & hoc si in sua incolumitate consistunt, omnique inexcusabili & necessaria occupatione probantur liberi, fraterna corripiantur affectu.*

IV. His ita constitutis, jam elucescit, quam canonica fuerit, non exceptio tantum residendi, sed & necessitas etiam non residendi, & convolandi ad Synodum Provinciæ, ubi de pace & regula totius sacræ disciplinæ, & de forma singulis Ecclesiis præscribenda tractandum in commune erat. In Concilio Calchedonensi, ut & in Nicæno de Conciliis Nationalibus, sive Diœcesanis altum silentium. Diximus jam alibi, in Concilio Constantinopolitano I. Oecumenico, vel institutas, vel confirmatas fuisse majores Diœceses, quæ plures Provincias singulæ complectebantur, suisque singulæ Exarchis parebant; quarum denique Episcopi & Metropolitani in Diœcesanas conveniebant Synodos. In Concilio Calchedonensi insinuantur tantum hæc Concilia Diœcesana, pluribus ex Provinciis coalescentia. Ubi omnium præcipitur, ut ne unius Diœceseos Episcopi in alias se conferant Diœceses, de earum negotiis tractaturi, nisi ad eas fuerint invitati. Innuitur ergo ejusdem Diœceseos, Can. 2. seu Exarchatus qui essent, posse eos in commune cogere Concilium, & de causis suæ ditionis statuere. Sed nihil hic decernitur de stato tempore horum Conciliorum, quòd extraordinariè tantum cogerentur, ubi incideret aliquid quod tanti esset. Denique hic illud constituitur, his Exarchorum universalibus Conciliis, nihil detritum iri de authoritate Conciliorum Provincialium, quibus Nicæna Synodus suffragata est.

V. Venio ad Occidentem, & illud primum moneo, Universalia, seu Nationalia, vel Diœcesana Exarchorum Concilia stata & ordinaria fuisse in Africa. Decretum solenne de iis edidit Concilium Carthaginense III. Sed ne Episcopi toties & tandiu suis Ecclesiis abesse cogerentur, placuit ut cujusque Provinciæ Ecclesiasticæ tres tantum Episcopi eo delegarentur: quin immo Tripolitanæ Provinciæ unus delegaretur dumtaxat, quòd pauciores essent ejus Provinciæ Episcopales sedes. *Similiter placuit ut* Can. 2. 7. 41. 42. *propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe veterascunt, singulis quibusque annis Concilium convocetur. Ad quod omnes Provinciæ, quæ primas sedes habent, de Conciliis suis ternos Legatos mittant, ut & minus invidiosi, minusque hospitibus sumptuosi Conventus, plena possit esse authoritas. De Tripoli autem propter inopiam Episcoporum unus Episcopus veniat.* Alio hujus Synodi Carthaginensis Canone Concilium hoc *Universale* appellatur, & *Anniversarium. Nec ad Concilium universale anniversarium occurrere voluerit.* Existimabant sapientissimi Præsules, causas tum graves, & ad restituendam purissimam Ecclesiæ disciplinam jussas & necessarias satis magno numero esse, ut Concilii universalis annuique operam desiderarent. Inter universalia Concilia numerandum est Concilium I. Carthaginense sub Grato Archiepiscopo Carthaginensi; illuc enim ex omnibus Africæ Provinciis confluxerant. Idem sentiendum de II. de IV. itemque de Milevitano II. & de cæteris propemodum omnibus. Cùm ea tempestate, qua floruit Augustinus, conflagraverit tota Africa vehementissimo amore & desiderio formandæ ac refingendæ in summam quandam perfectionem Ecclesiarum Disciplinæ, eo quam maximè conducere visa sunt universalia hæc Concilia, quæ & zelo, & authoritate cæteris plurimum antestarent.

VI. Adeo non Provincialibus Conciliis hæc Universalia officiebant, ut illis potius præsidio essent. Diximus modò ex Concilio Provinciali cujusque Provinciæ delegandos tres fuisse Episcopos ad Concilium Universale. Cum Concilium Cartha-

ginense V. diem definisset Concilii Universalis, jussit mox ut Metropolitani diem illum ne impedirent, in Can. 7. 50. Concilii sui Provincialis convocatione. *Ut quando apud se Concilium congregant, istum diem non impediant.* Quin & eidem Concilio placuit, ut ne ad concilia singula Provincialia omnes adigerentur accurrere & suis abesse Ecclesiis Episcopi. Jussis nimirum Metropolitanis Episcopos suæ Provinciæ in tres turmas partiri, vel duas, ut è singulis turmis eligerentur aliqui, qui suo & aliorum nomine Concilio interessent. *Primatibus suarum quarumcumque Provinciarum intimetur, ut de universis Episcopis vel duæ vel tres fiant turmæ, ac de singulis turmis vicissim, quotquot electi fuerint, ad diem Concilii instantissimè occurrant.* Hac voce *vicissim* designari videtur Episcopos omnes Concilio affuisse, sed non omnes simul, nempe sua quemque vice. Concilium Can. 51. Carthaginense IV. voluit, ut ne *sine gravi necessitate* Conciliis se Episcopi subfurarentur. Et vel tum etiam qui abfuturus erat, Vicarium substituebat: *Sic tamen, ut in sua persona Legatum mittat.*

VII. Sed cùm non facilè Concilia universalia & anniversaria sociari possent cum duobus Conciliis Provincialibus quolibet anno cogendis; statutum postremò tandem fuit in Concilio Milevitano II. ut nec posthac nisi extraordinariè indicerentur Concilia Africæ Universalia, ubi ejusmodi causæ incurrerent, quæ ad omnes Africæ Ecclesias per-Can. 9. tinerent. *Placuit, ut non sit ultrà fatigandis fratribus anniversaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, id est, totius Africa, undecumque ad hanc sedem pro Concilio data litteræ fuerint, congregandam esse Synodum in ea Provincia, ubi opportunitas persuaserit. Causa enim quæ communes non sunt, in suis Provinciis judicentur.* Ita ad unum Carthaginensem Archiepiscopum tota traducta est potestas indicandi & temporis & loci Conciliorum Universalium; sed quæ res cumque & causæ unius Provinciæ gyro circumscribebantur, eas minimè referri mos erat ad Concilium Universale; in Provinciali Concilio profli-Can. 57. gabantur. Ne hæc quidem Milevitana Synodus, quæ Universalis utique erat, è re duxit esse, suas diutiùs protrahi sessiones: quin tres ibi sunt delecti ex singulis Provinciis Episcopi, qui residuas causas ibi omnes cum Episcopo Carthaginensi definirent, exeuntibus Episcopis suas se in Ecclesias recipientibus.

VIII. Nec in Africa sola Universalia celebrata sunt Concilia. Leo ipse Magnus in Hispania Universale indixit Concilium adversùs Priscillianistas hæreticos, cujus etiam promovendi sollicitudinem Turibio Asturicensi Episcopo demandavit. Accipe ipsa Leonis ad Turibium Epistolæ verba: *Dedimus* Epist. 93. *litteras ad fratres & coepiscopos nostros, Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallæcos, eisque Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis authoritas ad prædictarum Provinciarum Episcopos deferatur.*

Concilia Galliæ quæ in Arianos congregata sunt, aut universalia plerumque fuere, aut pluribus saltem ex Provinciis. Leontium Arelatensem Episcopum præfecit Hilarus Papa, ut quotannis Concilium colligeret ex Provinciis Viennensibus & Narbonensibus. Cùm bellis tunc flagrarent Galliæ, nec facilè possent Provincialia Provinciis in singulis adgregari Concilia, voluit Pontifex, ut aliqua saltem coïrent pluribus ex Provinciis. Sic enim ille: Epist. 3. *Per annos singulos ex Provinciis quibus potuerit congregari, habeatur Episcopale Concilium.* Reliqua Provincialia ferè fuere Concilia, donec jacerentur Monarchiæ Francorum fundamenta, qua imperitante longè frequentiores fuere Synodi universales.

Nec secus habet de Conciliis Hispaniensibus post constitutam Gothorum Monarchiam, ut infrà dicemus. Quod ad Italiam spectat, Provinciales Romæ Synodi poterant & universales quodammodo dici, cùm tam multas civiles Provincias una complecteretur Metropolis Romana. Inter eas Sicilia ipsa numerabatur, edixeratque Leo Papa, ut ejus Insulæ Episcopi ternos ex suo quotannis cœtu delegarent Romano affuturos Autumni Concilio. *Quia* Epist. 4. c. 7. *à sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse Conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium Kalendas Octobris Romam fraterno Concilio sociandi occurrant.* Archiepiscopus Thessalonicensis Vicarius cùm esset Sedis Apostolicæ, vel Exarchus Illyrici, cum gravissimæ urgebant causæ, poterat & ipse ex eodem Leone Nationale, seu Diœcesanum congregare Concilium, accersitis duobus Episcopis ex singulis Provinciis, nec ultra quindecim dies in suo Concilio retinendis. *Si causa alie-* Epist. 84. c. 12. *na major extiterit, ob quam rationabile ac necessarium sit fraternum convocare Concilium, binos de singulis Provinciis Episcopos, quos Metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire sufficiat, ita ut à præstituto tempore non ultra quindecim dies, qui convenerint, retardentur.*

IX. Perspicis jam ut studiosè in compendium mitterentur Synodi universales, tum numero Episcoporum imminuto, tum contracto tempore, tum denique constituto, ut nonnisi rariùs haberentur pro incursantium causarum pondere. 2. Sed earum tamen nunquam dissimulata est necessitas, sive ad causas Ecclesiasticas, quæ ad unam gentem aliquam latissimè manarent, sive ad expediendas quæstiones, quæ Provincialibus Conciliis molestiam creassent. 3. Sed his Conciliis universalibus præjudicatum non est convocationi geminæ Synodi Provincialis anno quolibet. Quo de rursum Leo in eadem Epistola: *De Conciliis Episcopalibus non aliud indicimus,* Ibid. c. 7. *quàm sancti Patres salubriter ordinarunt, ut scilicet bini Conventus per annos singulos habeantur.* Idem confirmatum in Concilio Regiensi: *Secundùm antiquam* Can. 7. *consuetudinem bis in anno Conventus agant.* In Concilio I. Arausicano, quo eliderentur causationes omnes Episcoporum Conciliis se subducentium, statutum est, ut non antè solveretur Concilium, quàm locum & tempus futuri Concilii designasset. *Ut* Can. 29. *nullus Conventus sine alterius Conventûs denuntiatione solvatur. Ut tam excusationis libertas, quàm invitationis necessitas non sit.*

X. In Concilio Taurinatensi anno 397. jure suffragii orbati sunt, quin & Concilio interdicti Episcopi, qui ordinationes Canonibus infestas celebrarent. *Authoritatem in Conciliis minimè retentuerint.* Can. 3. Eandem pœnam intentavit Concilium Regiense: *Nullis de cætero ordinationibus, nullis ordinariis futuros* Can. 5. *interesse Conciliis.* Concilia quæ hic dicuntur *ordinaria*, Provincialia esse censemus. Nec enim Provinciales Synodi legem dicere poterant Universalibus; quin immo si qui se in Provincialibus gravatos fuisse existimarent, illis integrum erat ad Universales provocare.

XI. Quæ hactenus congessimus testimonia, ea solos Episcopos in Concilia qualiacumque invexere, sive Provinciæ unius, sive plurium. Placuit Theodosio juniori Imperatori, ut Concilio Ephesino II. interesset Barsumas Abbas, nomine om-

niam Orientis Archimandritarum, sive Abbatum. Affuit Barsumas reapse, & post Episcopos subscripsit. Sed præterquam quod Pseudosynodus hæc Ephesina *latrocinium* potiùs, quàm Concilium jure meritissimo dicta est: unde nec authoritatis hinc quidquam mendicari potest, quod in exemplum valeat. Illud quoque adverti par est, Barsumæ præsentiam veluti donatam fuisse querelis innumerabilium Monachorum, quos suus error dementaverat, præcipitesque egerat in favorem Eutychetis, quasi ejus depositione à Flaviano facta in Concilio Constantinopolitano, Nestorius totus cum sua hæresi revixisset. Itaque quod nullo exemplo factum fuerat, cùm tam inauspicatò cecidisset, exemplo posteris esse deinceps non potuit, nec Abbates postea ad Concilia vocati sunt. Presbyteri majorum Ecclesiarum Conciliis affuere suæ civitatis cum Episcopis, post Episcopos, ut alibi de Roma, de Constantinopoli & Alexandria dictum est.

XII. Postremò illud adnotandum, Episcopos in Conciliis sedere solitos, pro ævo suæ quemque ordinationis. Ita usu receptum erat, quem corrobo-
Can. 13. 14. ravit edito Canone Concilium Milevitanum II. cùm querelarum aliquid crepuisset ea de re. *Posteriores anterioribus deferant*. Sed ut ea regula faciliùs observaretur, alius ibidem Canon præscriptus est, in quo plurimum deinceps momenti fuit; nempe ut qui ordinabantur omnes, ab ordinatoribus Episcopis litteras acciperent, ab illis subscriptas, Consulem-
Can. 14. que & diem continentes. *Placuit, ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur, litteras accipiant ab Ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes Consulem & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.* Non agitur hoc Canone nisi de Episcopis, & cùm tamen eadem Ordinis antiquitas venerationi sit, eique assurgatur inter omnes Clericos, ad omnes quoque Clericos pervulgata est deinde ejusdem Canonis authoritas & observantia.

Ibæ Episcopo Edesseno præceptum est in Conci-
Act. 9. lio, cujus gesta relecta sunt in Concilio Calchedonensi, ut ex animo conciliaretur, & bene vellet iis qui eum accusaverant, & *ne minores majoribus propter præfatam contristationem præferret*. Damnavit Ge-
Epist. 9. lasius eam ordinis interversionem: *Nec cujuslibet utilitatis causa seu Presbyterum, seu Diaconum his præ-
Epist. 5. ferre, qui ante ipsos fuerint ordinati.* Deprompta est à nobis alibi Leonis Papæ I. Epistola, qua Episcopum objurgavit Beneventanum, qui juniorem Presbyterum senioribus anteposuisset. Cùm ergo non inter Episcopos tantùm & in Conciliis, sed & inter Clericos omnes, saltem inter Presbyteros & Diaconos, ex Gelasio Papa, observari debuerit hic ordo antiquioris ordinationis; inolevisse etiam morem suspicamur ad omnes Ordines, saltem majores, litterarum conscribendarum, quæ diem & Consulem ordinationis declararent.

XIII. Quod necdum autem magnopere laboratum erat de Bullis, sive Litteris ordinationum, in causa esse poterat, quòd abundè sufficere videretur Decretum electionis, cui subscribebant Episcopi, Clerici, Magnates populi, qui electioni suffragati erant. Eæ sanè litteræ die non carebant. Erant & aliæ litteræ Episcoporum, qui cùm non affuissent, electionem & ordinationem absentes ratam per Epistolas habebant. Denique cùm electione celebrata, mox plerumque inauguraretur novus Præsul ab iis ipsis Episcopis, à quibus electus fuerat, nihil opus erat novis litteris ordinationis præter electionis decretum. Nec enim in civitate, vel Provincia sua poterat Episcopus non esse notissimus. Cùm verò ad alias peregrinabatur Provincias, litteris muniebatur Metropolitani. At cùm Episcopi extra Provincias suas ordinabantur, maximè verò cùm electio ipsa extra civitatem Episcopalem propriam fiebat, tum verò necesse erat eos canonicis instrui litteris ab ordinatoribus suis, ut ea essent velut authentica ordinationis instrumenta. Plura possent ad id exempla congeri; eos tantùm commemorabo, vel Ephesi, vel aliarum civitatum Episcopos, qui Constantinopoli ordinabantur. Fidem faciunt Acta ipsa Concilii Calchedonensis, confirmari eos solitos fuisse, & litteras à Patriarcha Constantinopolitano suscipere. Cùm Bassianus Episcopus Ephesinus à Proclo Episcopo Constantinopolitano confirmatus fuisset, litteras ab eo accepit ad ipsam Ephesum urbem, ad Episcopos Provinciæ, & ad Clerum. *Faciens Synodicam Proclus, direxit & civitati, & Episcopis, & Clericis.*

CAPUT XLVI. *P. 2. l. 2. c. 49.*

Exceptio residentiæ canonica, Comitia Regni Generalia, vel Concilia Nationalia, a Clodovæo ad Carolum Magnum.

§. I. Conventus Episcoporum & Magnatum in Palatio Regum, vel in Regia Civitate, temporales non poterant dici vel videri Conventus, cùm temporales ibi res ipsa tractabantur ad normam æterno legis & Christiana pietatis.
II. Horum Conventuum exempla Constantinopoli.
III. Synodus urbana & perpetua Constantinopoli.
IV. Hujus Synodi quanti fructus, quantia discrimina.
V. VI. Erant & Galliæ Regibus aliquanto numero Episcopi præsentes semper aut proximi, ad majorum causarum cum Optimatibus agitanda judicia, maximè Ecclesiasticarum. Huic Consilio præerat absente Rege Comes Palatii, Episcopis & Proceribus succinctus.
VII. Exemplis approbatur hos Episcopos præsidio fuisse Ecclesiis & Regno.
VIII. Conventus istiusmodi & Consilia erant, & Concilia. Probationes.
IX. Probationes aliæ.
X. Alia exempla horum Conventuum.

I. ABesse suis Ecclesiis cogebantur persæpè Episcopi, ut Generalibus interessent Conventibus, sive ea Regni Comitia essent, sive Concilia Nationalia; sed abesse non omnino poterant diu Ecclesiis, quarum utilitatibus tunc maximè serviebant. Fateor in his Conventibus consultari solitas res temporales complurimas: vehementer autem Gregorio Magno displicuisse, si qui Episcopi sæculi negotiis altiùs se immergerent, aut castissimis se sponsis suis divellerent, nisi inevitabili ingruente necessitate: *Neminem Pontificum à Parochia* Ioan. Diac. *sua saltem parumper absque inevitabili prorsus necessi-* L. 3. c. 36. *tate discedere permittebat, quos nimirum in causis mundialibus occupari vehementissimè prohibebat.* Quæ Joannis Diaconi verba sunt in ejus vita; sed ut Paulo, ita & Gregorio, omnia munda mundis, omnia profanis profana; non res enim tam animo, quàm animus rebus munditiem, vel sordes aspergit. Res ipsæ temporales cùm non carnali cupiditate, sed æternorum spirituali charitate administrantur, spirituales & ipsæ evadunt, gradusque ad æternam beatitatem. Ecclesia in Regno est, Regnum in Ecclesia. Tam inconvulsis nexibus cohærescit Ecclesia Reipublicæ, ut plerumque communia utrique sint tam dispendia, quàm compendia; tam pax, quàm bella; tam vigor, quàm remissio disciplinæ. Ut possunt res

Ecclesiæ carnali affectu regi & perverti, ita possunt & temporalia regi, corrigique spirituali charitate, Pastorali sollicitudine.

II. Illud ergo nobis hic evincendum, publicis his politicisque Conventibus ut interessent Episcopi consentaneum fuisse, & Ecclesiæ utilitatibus accommodatum: cùm à Principibus vocarentur, & ejusmodi esse possent causæ, ac rerum vicissitudines, ut utilius abessent Ecclesiis tone suis, quam adessent. Justinus Junior ex Theophane, mox animam efflaturus, ut successorem designaret, *Convocavit Pontificem, Senatum, Episcopos omnes, Magistratus.* Mystica Benedictione, & Imperatoria Corona novum Principem donavit Patriarcha. Nec secus Tiberius Imperator Mauritium sibi successurum designavit. *Joannem Patriarcham Senatumque omnem una cum exercitibus advocavit, & Mauritium renunciavit Imperatorem.* Ex ipsa historiæ serie patet in omnibus Regni consiliis, negotiisque gravissimis primas semper authoritatis partes obtinuisse Patriarcham, sedisse autem proximum post Imperatores, ante Senatum omnem. Cùm Phocas Mauritium extrusisset Imperio, regia illum corona cingere detrectavit tandiu Patriarcha, dum Fidei Orthodoxæ, & paci Ecclesiæ affuturum se professus esset. *Cyriacus sponsionem à Tyranno exegit, qua se rectam fidem retenturum Ecclesiamque à turbis immunem conservaturum promitteret.* Perdiu ante ex eodem Theophane Pulcheria Imperatrix in Imperii societatem adoptaverat sibi Marcianum, in Conventu solenni, quo Patriarcham & Senatum vocaverat. *Patriarcham & Senatum Pulcheria convocat, & Marcianum Imperatorem declarat.* Narrat Theodoretus, quid Theodosio Magno per somnium objectum sit, an-

L. 5. c. 6. tequam Imperii compos fieret. *Videbatur videre divinum Meletium Antiochenæ Ecclesiæ Præsulem, lænam sibi Imperatoriam injicere, & coronam huic honori convenientem capiti imponere.* Hinc non temerè conjiciunt, eò jam evasisse Imperatorum eximiam pietatem, ut Dei se beneficio & vice regnare palam profiterentur, cum Regni insignia ab ejus Ministris susciperent. Hinc porro apertissimè implicabantur Episcopi majoribus omnibus Regni Conventibus, Consiliisque, quibus majores quæque causæ explicabantur. Quanti enim erat ad Ecclesiæ dignitatem, & tutelam momenti, quod Patriarchæ assensus ad Imperatoris inaugurationem desideraretur? quodque non ante is assentiretur, quam in se recepisset novus Princeps, fidei se Catholicæ, & pacis Ecclesiæ vindicem ac custodem futurum? De Phoca hic diximus, alicubi superiùs de Anastasio, ut res ea gesta sit.

Theodoret. Lect. l. 2. c. 32. Evagrius. L. 3. c. 32.

III. Hinc illud existebat, quod Constantinopoli semper essent eo numero Episcopi, qui Synodo ei satis essent, quæ Patriarchæ Consilium, Principi Oraculum non immerito fuisse videatur. Erat quoque in more positum, ut Episcopi omnes Constantinopolin venitantes, Imperatori à Patriarcha sisterentur. *Est consuetudo per Episcopum Constantinopolitanum omnes Imperatori Episcopos præsentari.* Episcopi Patriarchatus Antiocheni & Hierosolymitani, qui Constantinopoli reperti sunt, libellum ibi supplicem Agapeto Papæ obtulerunt adversùs Anthimum Episcopum Constantinopolitanum, [illegible]. Recitatus est is libellus in Concilio Constantinopolitano sub Mena, quod & ipsum ejusdem generis erat, [illegible], cui nimirum judicium delegabat Imperator earum causarum, in quibus interpellatus ipse fuisset. Illud

Post Epist. 4 & 10 Hormisda. Act. 1. & 5.

sanè nomen Concilii perpetui & stabilis, ἐνδημοῦσα frequentissimè illi ascribitur, in libellis, qui illi offerebantur, ut quod ejus proprium & peculiare esset. In istiusmodi Synodo præcepit Justinianus à Mena errores Origenis damnari.

Quamquam ergo vetuisset Justinianus, ne Episcopi Constantinopolin adventarent, nisi Principe antè monito, & assentiente: vel ipsemet tamen causas bene multas delegabat horum Episcoporum Synodo urbanæ. Probabiliter illud quoque creditur, ad hos maximè Episcopos retulisse Justinianum, de iis Canonibus & Regulis Ecclesiasticis, quas inferebat ipsemet illis Constitutionibus, quæ ejus nomine & auspiciis in lucem exibant; ut quas cum Episcopis elimasset, ac trutinatus esset, pervigiles cum iis noctes crebro traducens. Ita enim à Procopio observatum est: *Qui sine custodibus in Museo cum grandævis Sacerdotibus ad multam noctem desidere solet, indefesso studio sacros Christianorum codices volvens.* Et alibi: *In Christianorum dogmata maximam temporis partem conferebat; tollendis eorum controversiis intentissimus.*

De Episc. & Cleric. l. 1. Leg. 42. L. 3. De bello Gottico. c. 32. 35.

IV. Nec me fallit, & à Principibus, & ab Episcopis non semel peccatum esse, qui nulla gravi Ecclesiæ necessitate, immo qui præter utilitatem Ecclesiæ in Palatio, vel retinerent, vel retinerentur, quos Ecclesiis suis affigi, & conducibile & necessarium erat. Non statim abjicienda sunt bona, etsi viri minimè boni iis abutantur. Nimio plures Episcopos Justinianus hauddubio Constantinopolin pertraxerat, aut ibi moras nectere passus fuerat: cùm narret Evagrius, Justinum qui illi suffectus est, Imperii sui primitias dedicavisse, ablegandis in Ecclesias suas his Episcopis omnibus. *Primum dat mandatum, ut omnes Episcopi, qui ex omnibus locis Constantinopolin convocati erant, ad suas ipsorum dimitterentur sedes; ut consuetos cultus Deo exhiberent.* L. 5. c. 1. Et has tamen Synodos non rarò utiles cum primis fuisse, rursum demonstrat Balsamon, ejus Synodi exemplo, quæ invictæ fortitudine risit & delusit petitionem Phocæ Imperatoris, ut sacris Ecclesiæ fastis inscriberentur, & Martyrum colerentur honoribus, qui pro Republicæ defensione in prælio occubuissent.

In Can. 13. Basilii.

V. Ab Imperatoria ad Regiam Francorum Aulam venio, in eaque observo primùm, quod regiam magis spiret amplitudinem & sanctimoniam. Ipsissimi enim Franci Reges jus dicebant, causasque dirimebant suorum Civium in Palatio Regio, in cœtu Episcoporum & Optimatum Regni. Dilucidum id fit ex Formulis Marculphi, ubi Reges in Edictis, vel istiusmodi Senatusconsultis, in hæc verba loquuntur. *Ergo nos in Dei nomine, in Palatio nostro, ad universorum causas recto judicio terminandas, una cum dominis & Patribus nostris Episcopis, vel cum plurimis Optimatibus nostris, Patribus referendariis, domesticis, seniscalcis, cubiculariis, Comite Palatii, & reliquis quamplaribus nostris fidelibus resideremus.* L. 1. c. 25. Inter hos Officiales dignitate eminebat Comes Palatii, quòd is per absentiam Regis jus diceret, eodem in Episcoporum & Procerum conventu, & nomine regio conscribebantur ejus Decreta.

VI. Ex his Edictis unum hic depromam, nomine Regio insigne, ex quo liqueat causas, tum Ecclesiasticas, tum civiles in hoc Consistorio Regio fuisse disceptatas, ab Episcopis, & Proceribus Regni. Suis in Marculphum Notis illud inseruit clarissimus, & doctis bonisque omnibus commendatissimus Bignonius. *Clotarius Rex Francorum, vir*

Ibid. c. c. 25. *inluster. Quotiescumque altercantum jurgia, Palatii nostri judicia, nostrorumque fidelium, ac Ecclesiarum, seu Sacerdotum, pro quarumcumque rerum negotiis noscuntur advenire, oportet nobis in Dei nomine juxta legum severitatem inquirere, ut deinceps nulla videatur quæstio renovari. Ideoque cum nos in Dei nomine Masolaco in Palatio nostro, unà cum Apostolicis viris Patribus nostris Episcopis, Optimatibus, cæterisque Palatii nostri ministris, nec non & Andobello, Palatii nostri Comite, qui de ipso ministerio ad præsens nobis deservire videbatur, ad universorum causas audiendas, justoque judicio terminandas resideremus.* Causa agebatur Abbatiæ sancti Benigni apud Divionem. Solus hic memoratur Comes Palatii, quod absente Rege præesset ipse judicio causarum omnium in eodem Conventu, in quem Episcopi Proceresque confluxerant: idque his verbis significari videtur: *Qui de ipso Ministerio ad præsens nobis deservire videbatur.* A Tilletio animadversum est, primigeniam illam fuisse Parlamentorum originem; primumque omnium Parlamentum Parisiense à Consilio Regni, seu Status discrevisse Philippum Valesium.

VII. Præibant Episcopi Proceribus laïcis omnibus & Officialibus Regni, ut patet ex utroque hoc Edicto à nobis relato, & ex compluribus aliis, in quibus superstites & intactæ visuntur adhuc subscriptiones. Nec verò inficias ibit quisquam sobrius, quin Episcoporum in his Regiis Consistoriis præsentia, cùm Reipublicæ, tum in primis Ecclesiæ, & ornamento esset, & præsidio; cùm in illis dirimerentur negotia quæque maxima, tam Ecclesiastica, quam civilia. Reges ipsi quandoque controversias suas ad Episcopale judicium referebant, atque ei acquiescebant ita piè & religiosè, ut bella quoque
Greg. Turo. L. 4. c. 47. alias reformidata præfocarentur. *Cùm contentio inter Guntramnum & Sigebertum Reges verteretur, Guntramnus Rex apud Parisios omnes Regni sui Episcopos congregat, ut inter utrosque, quid veritas haberet, edicerent. Sed ut bellum civile in majori pernicitate cresceret, eos audire peccatis facientibus, distulerunt.* Alibi jam in procinctu prælii erant hinc & hinc exercitus, cùm Regibus suasere Episcopi, ut arbitrio Episcoporum & Procerum rem committerent:
L. 6. c. 31. *Mane concurrentibus Legatis, pacem fecerunt, pollicentes alter alterutro, ut quidquid Sacerdotes vel Seniores populi judicarent, pars parti componeret, quæ terminum legis excesserat, & sic pacifici discesserunt.* Quid enimvero tam Episcopale, quam pacare & exarmare Christianos Principes, alios aliis irascentes: occupare bella civilia, Regnis Imperiisque pacem indicere? Hactenus ex Gregorio Turonensi, qui rursus alibi narrat, ut Burdigalensis & Senonensis Episcopi, interrogati & excussi fuissent ab aliis Episcopis, super capitibus quibusdam, quæ illos
L. 8. c. 2. cum Rege Guntramno commiserant. *Discussi enim paulo antè fuerant ab reliquis Episcopis & Optimatibus Regis, Cur, &c.* Ubi & illud observari par est, *Optimates* hic vocari, qui antè appellati fuerant
Les Seigneurs. *Seniores populi.* Hinc patet Gallicanam vocem illam usitatissimam hinc profectam esse, quòd Seniores quique, utpote rerum consultissimi & experientissimi ad Regia Consilia à Principe vocarentur.

VIII. Quod verò à me dictum est Synodis & Conciliis nihilominus accenseri hos Episcoporum Conventus, ubi tot civiles causæ tricabantur: Gregorium Turonensem secutus sum, qui iisdem
L. 8. c. 20. 21. verbis describit Concilium Matisconense. *Interim dies Placiti advenit, & Episcopi ex jussu Regis Guntramni apud Matisconsem urbem collecti sunt.* Cúmque narrasset, ut dijudicata sit causa duorum Episcoporum, addit de fide disceptatum esse cum mortalium hominum insulsissimo, qui negabat fœminas hominum generi annumerandas esse. *Exiit enim quidam in hac Synodo ex Episcopis, qui dicebat mulierem hominem non posse vocari.* Et mox: *Itaque dum hæc Synodus ageretur.* Idem Conventus & *Placitum* vocatur & *Synodus*. Nemo nescit autem Placiti nomine significari solitos Conventus Civiles & Juridicos. Alibi rursus statutum est, non sua tantum L. 9. c. 20. Metropolitanis congreganda esse Concilia; sed aggregandos esse omnes prorsus Regni Episcopos, ut diligentissimè inquireretur in parricidium in Ecclesia perpetratum, cæso Prætextato Archiepiscopo; in conjugia incesta, aliaque id genus facinora. Inter Christianissimos Reges plures, à quibus tunc Gallia regebatur, Guntramnus omnium studiosissimus erat colligendarum Nationalium istarum Synodorum; quod nempè, ut fidem alibi facit idem Gregorius Turonensis, non Regiis ille tantùm, sed & Episcopalibus efflorescerct virtutibus; nec dominum magis se, quam medicum regni sui civiumque esse perciperet. *Rex acsi bonus Sacerdos, provi-* L. 9. c. 21. *dens remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi medeventur, &c. Ut jam tunc non Rex tantùm, sed Sacerdos Domini putaretur.*

IX. Comitia regni sui habebat Rex Theodoricus I. apud Clypeacum juxta Lutetiam Parisiorum, cum consensus ejus expetitus est, & confirmatio electionis sancti Ansberti in Episcopum Rotomagensem. Assensus est Rex cum Episcopis omnibus & Proceribus, ad ea Regni Comitia adgregatis. *Rex* Du Chesne To. 1. pag. 683. *in villa Clipiaco, quæ sita est in territorio Parisiaco, Conventum magnum populorum habens, de utilitate ac tutela regni tractabat, &c. Cum unanimi voto sanctorum Sacerdotum, Regis & Principum eligitur Ansbertus, atque in eodem Palatio consecratur à Lamberto Archiepiscopo sedis Lugdunensis, aliisque sanctis Præsulibus, qui ad hoc generale Placitum convenerant.*

X. Ne solio quidem Regio novi sessitabant Reges, nisi in hujusmodi Episcoporum & Optimatum generali Conventu. Audi ut Dagobertus Sigebertum filium Regno initiarit. *Dagobertus Rex cum con-* Du Chesne. To 1. pag. 582. 5. 8. 592. 602. 618. 666. *silio Pontificum seu Procerum, omnibusque Primatibus Regni consentientibus, Sigebertum filium in Regno Austriæ sublimavit.* Altero pòst anno regna inter filios divisit, in consimili Conventu Comitiorum regni. Testamenti sui tabulas idem ipse subscribi voluit ab Episcopis, Abbatibus, & Magnatibus. Post ejus obitum Nantildis Regina Comitia convocavit, ubi novus Major Palatii eligeretur: *Omnes Seniores Pontifices cum Ducibus & Primoribus Regni ad se venire præcepit, &c. Pontificum & Ducum electione Majorem domus stabiliens.* Auctor vitæ sancti Leodegarii Episcopi Augustodunensis insolentissimum Ebroini fastidium demirantur, qui Comitia convocare noluit, ut pro solenni more Theodoricus Junior regnum auspicaretur. *Cum Ebroïnus Theodoricum convocatis Optimatibus, solenniter, ut mos est, debuisset sublimare in regnum, superbia spiritus tumidus, eos noluit deinde convocare.* Plura hoc genus occurrent in historiæ contextu, quæ brevitatis studio prætereo. Occurret & apud Marculphum formula juramenti novo Regi præstandi à civibus omnibus, postquam illum Rex pater in Conventu solenni Episcoporum & Procerum designaverat. *Ille Rex illi Comiti. Dum &* L. 1. c. 40. *nos unà cum consensu Procerum nostrorum, in regno nostro illo, gloriosum filium nostrum illum regnare præcepimus, &c.*

CAPUT XLVII. *P. 2. l. 2. c. 50.*

De iisdem Comitiis Generalibus, vel Conciliis Nationalibus, ubi Episcopi Proceresque, inter Clodovæum & Carolum Magnum.

I. II. Generales hi Conventus in duos singuli secabantur rursum Conventus, quorum in uno Episcopi Proceresque de Regni rebus jubente Rege tractabant, in altero soli Episcopi spirituales versabant causas. Ejus rei argumenta varia. Consilium & Concilium promiscuè dici cœpere, Placitum item & Synodus. Horum Conventuum utilitas, necessitas.

III. Variæ vicissitudines horum Conventuum, qui in Parlamenta tandem abiere ordinaria, atque adeo quibus lex residentiæ Episcopos tandem summovit.

IV. V. VI. Concilia Hispaniæ Toletana, erant & ipsa hujusmodi Comitia Generalia, quò Episcopi & Proceres confluebant, in quibus & duo quoque Conventus disjuncti observantur.

VII. VIII. Eadem confirmantur de his Conciliis Toletanis.

IX. Summatim aliqua ex his duobus capitibus colliguntur.

X. Inviti à suis Ecclesiis divellebantur Episcopi, ad easque revolabant lubentissimi.

I. A Rege Clotario II. confirmata sunt Decreta Concilii Parisiensis V. additis pœnis civilibus in infractores Canonum, contestante eodem Rege suum hoc diploma convocatis Episcopis & Proceribus disceptatum adprobatumque fuisse. *Quicumque verò hanc deliberationem, quam cum Pontificibus vel tam magnis viris Optimatibus, aut fidelibus nostris in Synodali Concilio instituimus, temerare præsumpserit, in ipsum capitali sententia judicetur, qualiter alii non debeant similia perpetrare.* Habes hic invictissimum argumentum duplicis, in eodem ipso loco, eodemque tempore Conventûs Generalis Comitiorum. Alter is erat, ubi Episcopi Proceresque in commune consultabant de Regni rebus, quas Rex ad eos retulerat disceptandas: vel de causis Ecclesiasticis iis, quibus & Laici implicati erant, & quæ proinde tempestivè admodum providéque in his mixtis Conventibus versabantur. Alter verò is erat, ubi soli sejunctim Episcopi in commune tractabant de causis merè spiritalibus, vel de iis quas eorum vindicarat foro & judicio longa consuetudo ac præscriptio, præter ea quæ ex canonicis legibus & ex Scripturis sacerdotio ascribuntur. Si quid contentionis ebulliret inter Episcopos & Proceres de Jurisdictionis finibus, vel de causis mixtis, id totum Rex dirimebat in Consistorio communi. Horum duorum Conventuum prior *Placitum* dicebatur; posterior *Synodus*; cúmque eodem loco & tempore haberentur, iisdemque constarent Episcopis, minùs illos plerique Historici discrevere, promiscuè permixtis & nominibus & Conventibus. Hinc & illud emersit, ut plerumque Concilia Nationalia omissis Provincialibus celebrarentur, non in Gallia tantùm & Hispania, sed & compluribus in Provinciis aliis. Quòd in Nationalibus Conciliis quarumlibet causarum dirimendarum & facilitas esset major & authoritas; ex quo fiebat, ut breviori tempore dirimerentur.

Conc. Gall. To. 1. pag. 478.

II. Concilium Liptinense his certissimè Conventibus, seu Comitiis Generalibus accensendum est, anno 743. convocatis eò à Carlomanno Principe Episcopis & Optimatibus, ut utrimque conspiraretur ad redintegrandam Ecclesiæ disciplinam jamdiu conquassatam. *Cum consilio servorum Dei & Optimatum meorum, Episcopos qui in meo Regno sunt cum Presbyteris, ad Concilium & Synodum congregavi ego Carolemannus Dux & Princeps Francorum. Itaque per consilium Sacerdotum, Religiosorum, & Optimatum meorum, ordinavimus per civitates Episcopos, &c.* Videntur jam hinc promiscuè haberi hæ voces *Concilium, Consilium*, quod postea multò frequentius fuit. Altero pòst anno iidem Episcopi rursus coiere cum Proceribus apud Liptinas, & in se receperunt, spoponderuntque religiosè observaturos, quæ decreta ibi fuissent anno superiore. *Modo autem in hoc synodali Conventu, omnes venerabiles Sacerdotes Dei, & Comites, & Præfecti, prioris Synodi decreta consentientes firmaverunt, seque ea implere velle & observare promiserunt.* Idem polliciti sunt Clerici secundi ordinis, Abbates autem cum Monachis suis B. Benedicti Regulam se mordicus servaturos professi sunt. Ex quo & illud inferas, utcumque in his Conventibus admissum esse & secundum Cleri ordinem, quin & illis innexa fuisse Capitula Monachorum. Et sanè Zacharias Papa ad eos scribens qui affuerant Concilio, litteras suas inscribit Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Abbatibus, Ducibus & Comitibus Franciæ.

Quæ de Liptinensi Concilio dicta sunt, eadem & ad Concilium Suessionense trahes, quod Pipinus Princeps anno 744. priori persimile congregavit. Hæc quoque erant Regni Comitia, ubi Episcopi & Proceres, ubi suo insuper loco Clerici secundi ordinis & Abbates; & ubi conjurare quodammodo Proceres adigebantur cum Clero, ad Ecclesiæ & Regni disciplinam omninò dilapsam & convulsam pristino vigori restituendam. Unum referam Canonem, eumque postremum. *Si quis hoc decretum, quod viginti tres Episcopi, cum aliis Sacerdotibus vel servis Dei, unà cum consensu Principis Pipini, vel Optimatum Francorum consilio constituerunt, transgredi voluerit, judicandus sit ab ipso Principe, vel Episcopis, vel Comitibus.* Denique in hoc Conventu sancitum est, ut anno quolibet haberentur hoc genus Comitia, ad quæ ex antedictis jam patuit solos Clericos Nobilesque accitos fuisse. *Cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, seu servorum Dei & Optimatum meorum consilio decrevimus, ut annis singulis Synodum renovare debeamus, qualiter populus Christianus ad salutem animarum pervenire possit.* Can. 10.

III. Hi Conventus qui regnante Clodovæi prosapia frequenter habebantur, non quolibet tamen anno; ea pessum eunte & concidente, cœperunt annis singulis haberi; sub Caroli Magni stirpe bis anno quolibet adgregari cœpti sunt; instar Regni Comitiorum, conveniente in ea Clero & Nobilium ordine; denique sub Hugonis Capetii stirpe Parlamenta dici cœpere, quæ cùm Deambulatoria antè fuissent, Sedentaria per Philippum Pulcrum Regem facta feruntur: si quando possit horum verborum usus consuetudine molliri; hoc est, cùm priùs alio & alio loco haberentur, ubi Rex condixisset: per Philippum Pulcrum uni loco affixa, & Parisiis sedere jussa sunt. Ea in annum totum protrahi voluit Carolus Rex ejus nominis V. cognomento Sapiens quamvis anno quolibet bis, ad Pascha & ad beati Martini Festum, quasi novo ab initio instaurarentur: more ducto à duobus illis olim Conventibus Generalibus sub Caroli Magni stirpe. Aderant his Parlamentis Episcopi cæterique Beneficiarii, etsi ordinaria jam essent & bina annis singulis haberentur, sicut prisci Canones duas Provinciales Synodos anno quolibet haberi sanciebant. At ubi hæc Parlamenta in totum annum produci cœpere, &

privatorum

privatorum caussis vacare, tum verò iis se subduxere Episcopi, ut residerent in Ecclesiis suis, quibus abesse nefas, nisi ubi cogit universæ Ecclesiæ necessitas. Has rerum temporumque vices infrà suo quasque locò copiosiùs explicabimus; hîc ex re visum est in antecessum eas oculis subjicere, ut inde major lux refundatur in Canones, Legesque canonicas dispensationis residentiæ, ex contemplatione utilitatis & necessitatis Conventuum horum generalium. Unam si perlegas Epistolam Zachariæ Papæ ad Pipinum Majorem Palatii, ad Episcopos, Abbates & Proceres, itemque responsionem ad eorum percunctationes, facilè intelliges, quam illi probarentur hi Conventus, & quanti existimarentur esse ponderis, ad convulsæ disciplinæ sarciendas labes.

Conc. Gall. To. 1. pag. 522.

IV. Ejusdem fuere generis Concilia propemodum omnia Toletana; ad ea Episcopos Proceresque Rex convocabat; & postquam Episcopi commentati ipsi secum erant statuta omnia Clero repurgando accommodata; tum demum ad Proceres accedebant, unà cum eis operam daturi Regno in formam quamoptimam revocando. Argumento est Concilium Toletanum IV. ubi Episcopi post edita statuta complura ad componendum Clerum necessaria: tum demum accedunt ad constabiliendum Regnum, sparsis quaquaversus anathematum fulminibus, in Majestatis Regiæ violatores omnes, si qui eorum vitæ Regnoque scelestissimi homines insidientur: constituto etiam ut sacramentum fidei ab omnibus innovaretur; atque Rege mortalibus his vinculis absoluto, successor ejus in Conventu Episcoporum & Procerum eligeretur; denique inviatis Regibus ipsis, ut justitiæ & clementiæ amantiores, quam imperiosæ dominationis, amari se mallent, quàm metui; utque reformidarent ipsimet fulmina summi & cœlestis Pontificis Christi, in eos utique jaculanda, qui tyrannos, quam Reges, & persecutores potius quam parentes subditorum agere volent. Audienda sunt ipsa Concilii jam verba, anno 633. habiti. *Post instituta quædam Ecclesiastici Ordinis, postrema nobis cunctis Sacerdotibus sententia est, pro robore nostrorum Regum & stabilitate Gentis Gothorum, Pontificale ultimum sub Deo judice ferre decretum, &c. Nullus præsumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones civium, nullus meditetur interitus Regum: sed & defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum Sacerdotibus successorem regni Concilio communi constituant. Te quoque præsentem Regem, futurosque Principes, humilitate qua debemus, deposcimus, ut cum justitia & pietate populos regatis, &c. Ne quis vestrum solus in causis capitum, aut rerum sententiam ferat, sed consensu publico cum rectoribus, &c. Sanè de futuris Regibus hanc sententiam promulgemus, ut si quis ex eis contra reverentiam legum in flagitiis & facinore crudelissimam potestatem exercuerit, anathematis sententia à Christo Domino condemnetur.* Coaluerant in Concilium Episcopi Hispaniarum, & ejus Galliarum Provinciæ, quæ tum Gothis Regibus parebat. *Quoniam Generale Concilium agimus.*

Can. 75.

V. Confirmatum est hoc Decretum à Concilio Toletano V. anni 636. quod & ipsum ex Episcopis confluxerat plurium Provinciarum; *Diversis ex Provinciis*: & ubi Rex ipse affuit cum Optimatibus suis: *In medio nostri cœtus Rex ingressus, cum Optimatibus & Senioribus Palatii sui.* Multa ibi decreta sunt, ad tuitionem Regis & ejus stirpis, adversùs eos qui fœdissima grassatione involarent in coronam, quæ sola electione obtineretur. *Quem electio omnium probat.* Concilium Toletanum VI. anno 638. universale ipsum quoque fuit. *More Synodi universalis.* A Rege, Episcopis, Proceribusque constitutum est, Reges in posterum inter ipsa auspicia Regni juraturos, nunquam se passuros, ut Judæi, qui semel Christianam fidem amplexati essent, eam ejurarent. *Ardore fidei inflammatus Princeps, cum Regni sui Sacerdotibus superstitiones eradicare elegit, nec sinit in Regno suo degere eum, qui non sit Catholicus, &c. Simul etiam cum suorum Optimatum, illustriumque virorum consensu & deliberatione sancimus, ut, &c.* Pluribus quoque ex Provinciis convenere Episcopi ad Concilium VII. Toletanum, multaque ibi decerni Rex curavit adversùs desertores patriæ, regnique & Regis perduelles, ac proditores, laicos Clericosque.

VI. In Concilio VIII. Toletano anni 653. Christum primò reveritus Recessuintes Rex ineffabili majestate sua in Episcopis fulgorantem: *Qui sese nostro cœtui reddens acclivem, & ad testimonium visionis vestræ, memet, coram omnipotentis Dei tremendis nutibus adclinans*: Episcopos interpellavit, ut leges ederent, quas Ecclesiæ & Regni saluti accommodatissimas fore intelligerent; & tum demum Optimates Præsidesque urbium hortatus est, itemque Provinciarum Rectores, qui aderant, sanctissimis ut Episcoporum statutis sequaces se & obsequentes præstarent. *Vos etiam illustres viros, quos ex officio Palatino huic sancta Synodo interesse primatus obtinuit, ac nobilitas spectabilis honoravit, & experientia æquitatis plebium rectores exegit, &c. Adjurans obtestor, ut nihil à consensu præsentium Patrum, sanctorumque virorum, aliorsum mentis ducentes obtutum, quidquid innocentia vicinum, quidquid justitia proximum, vel Deo placitum agnoveritis, instanter complere, &c.* Constituta & hic multa sunt ad pacem & tranquillitatem Regni firmandam, quibus & Proceres, Comitesque Palatini post Abbates & Episcopos subscripsere. Illud observari jam potuit, non omnes prorsus nobiles his affuisse Comitiis, sed eos demum, quibus id juris conciliabant Officia Palatina. *Quos ex Officio Palatino huic sancta Synodo interesse Primatus obtinuit*: aut Provinciarum urbiumque Præsides, quorum post Regem secundæ partes erant executionis eorum, quæ statuta fuissent: *quos experientia æquitatis Plebium Rectores exegit*: vel eos denique, quos singulari privilegio Rex accersiverat, ut patet ex his Ervigii Regis verbis ad Concilium XII. Toletanum, anni 681. *Omnes in commune convenio, & vos Patres sanctissimos, & vos illustres Aulæ Regiæ viros, quos interesse huic sancto Concilio delegit nostra sublimitas.*

VII. Hanc porro Synodum statim emicat ex Episcopis & Optimatibus conflatam fuisse. *Considentibus Episcopis atque Senioribus Palatii universis.* Potestatem ei Rex fecit emendandi Leges omnes, quæ sempiternæ justitiæ Legi adversarentur: *Et hoc generaliter obsecro, ut quidquid in nostra Ecclesia legibus absurdum, quidquid justitiæ videtur esse contrarium, unanimitatis vestræ judicio corrigatur.* Omnes ibi Regni cives declarati sunt sacramento, quod olim Vambæ Regi præstitissent, absoluti; multa ad Regni quietem sancita; statutum denique, ut Concilia Provincialia quotannis indicerentur, idque ineunte hieme, ut Provincialia ab Universalibus sejungerentur. Can. 12.

VIII. Sed ex his Toletanis Conciliis, quod XIII. dicitur, illud verò omnium penitissimè in

arcana Regni descendit, anno 683. Aderant Magnates ex usu prisco, & Regis delectu; vide ut ad eos & ad Episcopos statim Rex verba fecerit: *Ideo universitatem Paternitatis vestræ, atque sublimium virorum nobilitatem, qui ex Aula regalis officio in hac sancta Synodo nobiscum sessuri prælecti sunt, obtestor, &c.* In Concilio XVI. Toletano anno 693. summa etiam virium contentione & fide laboratum est, ut novis Decretis nova accederent Regiæ stabilitati præsidia, atque pœnas darent, qui transgressi essent priùs fidei à se præstitum sacramentum, quod & rursus, secundò, tertiòque præstari placuit Egicæ Regi, ex antiquissima consuetudine, quæ etiam nunc viget in Hispania. His ita constitutis, vide ut Cœtus omnis acclamaverit, applauseritque, ad eorum inconcussam posthac stabilitatem: *Ab universis Dei Sacerdotibus, Palatii Senioribus, Clero vel Populo dictum est: Qui contra hanc vestram definitionem venire præsumpserit, sit anathema, Maranatha, hoc est, Perditio, in adventu Domini.*

IX. Istiusmodi ergo erat tum disciplina civilis & sacra in tribus tunc Christianis Imperiis, Constantinopolitano, Gallicano & Hispano. Non divertebant ab Ecclesiis suis Episcopi, nisi ut impensius prodessent, vel Regnis, vel Ecclesiis, cum suis, tum universis. Aut enim Reges Episcopis institutionem credebant propriæ prolis, in Regnum aliquando successuræ, ut Clotarius II. Dagobertum filium beato Arnulpho Metensi Episcopo teneris ab unguiculis informandum commisit: *Hic in annis pue-* Du Chesne To. 1. pag. 574. *rilibus positus, traditus est à genitore, venerabili ac sanctissimo Arnulpho Metensium urbis Episcopo, ut eum secundum suam sapientiam enutriret, eique tramitem Christianæ Religionis ostenderet, atque ei Custos & Bajulus esset.* Aut summi Principes Episcopos sibi admovebant, ut consilio & ministerio Regni gubernacula moderarentur; ut suprà spectavimus eundem B. Arnulphum Metensem, B. Cunibertum Coloniensem, Leodegarium Augustodunensem Præsulem, Primarios Regni administros fuisse, & toto pectore in unam maximè eam curam incubuisse, ut in Regum solio Evangelicæ legis sanctitas resplendesceret. Aut Episcopi Legationes obire eas jussi sunt, quæ & momenti & periculi plurimum haberent, nec facilè possent per laïcos Proceres explicari. Aut ut dissidia Regum sedarentur; infatigata Præsules prosiliere charitate, Regnique Provincias peragravere. Aut subducere se Conciliis universalibus, & Regni Comitiis Generalibus non potuere, quod in iis dirimerentur causæ majores omnes, tam Ecclesiæ, quam Regni, à cujus salute apta & religata pendet Ecclesiæ salus & dignitas. Aut denique compulit eos inexorabilis quædam necessitas veniendi, & invocandi Regum Patrocinii, ad eos obtrectandos superandosque obices, quibus alioqui tota eorum sedulitas & industria ludificabatur.

X. His maximè causis Episcopi quique sanctissimi suis abstracti sunt Ecclesiis, solo stimulo propagandæ Ecclesiasticæ utilitatis. Ideo nec nisi subinviti ab eis discessere, lubentissimi redire ad easdem & quam propere; ut quos sola necessitas abesse cogeret, & quorumve ipsa absentia Ecclesiis tum prodesset.



CAPUT XLVIII. *P. 2. l. 2. c. 62.*

De Conciliis Nationalibus & Provincialibus in Gallia per eadem sæcula, à Clodovæo ad Carolum Magnum.

I. Jussu, aut permissione Regum tunc cogebantur Concilia Nationalia, quod minimè necesse erat ad Synodos Provinciales. Probationes ex Concilio Agathensi sub Regibus Hispaniæ Gothis.
II. Item ex Concilio Aurelianensi sub Clodovæo Magno, qui Capitula aliqua proposuit, Concilio Canones confirmavit.
III. Item ex Concilio Epaonensi sub Regibus Burgundiæ.
IV. Refelluntur, quibus visum est in his Conciliis dissimulata quandoque fuisse vestigia convocationis, aut permissionis Regiæ.
V. VI. VII. VIII. Varia conglomerantur argumenta, quibus efficitur unum idemque esse Regum præceptiones & preces, convocationem & permissionem conveniendi.
IX. Ordinaria erant jam Concilia universalia. Cur ea tamen convocatio necesse esset.
X. Eorum loca Reges designabant.
XI. Non diu obtinuit Lex, qua Ordinaria erant.
XII. XIII. Conciliantur Canones Agathenses, Africani, Nicæni, de Conciliis universalibus, ordinariis, vel extraordinariis.

I. Illud primò observandum occurrit, Constantinopolitanos Imperatores primum hoc sibi sumpsisse, ut Imperii sui universalia cogerent Concilia, quo universa, aut pene universa circumscriberetur Ecclesia: usque adeo autem Ecclesiam his convocationibus Regiis non succensuisse, ut vehementer adgratularetur sibi. Quòd nempe inde fructum caperet longè maximum, ex ea quam hinc impendebant tuitione Imperatores Conciliorum decretis, quibus alioqui tam facilè & tam impunè illusissent hæretici, pagani, pietatis Christianæ necdum satis tunc confirmatæ adversarii. Nec aliter Reges, qui alias & alias postea subegere Romani Imperii Provincias. Concilia illi quidem universalia sui Regni haberi voluere, sed impetrata priùs Regum consensione; quòd usque adeo Episcopis non displicuit, ut adgauderent sibi potius de Regia hinc tuitione, facilique proinde Decretorum Synodalium executione. Concilium Agathense id statim præ se fert, Alarici Regis permissione se convenisse. *Ex permissu gloriosissimi piissimique Regis, &c. Qui* In Præfat. *nobis congregationis permiserat potestatem.* In hoc eodem Concilio Episcopis omnibus præceptum est, ut convolarent ad Concilium quodlibet à Metropolitano convocatum, nisi morbo, aut Regia jussione distinerentur. *Excepta gravi infirmitate cor-* Can. 35. *poris, aut præceptione Regia.* Provincialia hæc jam erant Concilia, quæ non Regio jussu, sed à Metropolitano indicebantur. Denique in universali hoc & extraordinario Concilio decretum est, ut juxta priscos Canones Concilia Provinciarum quotannis haberentur. *Synodum etiam secundum constituta Pa-* Can. 71. *trum annis singulis placuit congregari.* Si quotannis congreganda erat Synodus Provincialis, nihil opus erat nova Regum permissione. Ideo nec Imperatores de convocatione Conciliorum Provincialium unquam solliciti fuere. Non aliarum ergo quam universalium Synodorum arrogavere sibi Reges potestatem convocandarum. Ideo & Agathensi Concilio interfuere Metropolitani Arelatensis, Burdegalensis, Elusanus, Bituricensis, Turonensis, Narbonensis; quæ tum Metropoles ex parte saltem Gothorum suberant Imperio.

II. Jussione Clodovæi Regis coaluit Concilium I. Aurelianense: *Sacerdotes, quos ad Concilium venire jussistis, &c. In unum colligi jusseritis, &c. Ex evo-*

catione Regis. Proposuit Rex capita ea, super quibus condendi erant sacri Canones: *Secundum voluntatis vestra consultationem, & titulos, quos dedistis, ea qua nobis visum est, definitione respondimus.* Qui verò ex universa Franciæ gentis ditione huic Concilio interfuere Episcopi, iis persuasissimum fuit sanctiones suas à Clodovæo & confirmandas esse, & ejus imperio executioni mandandas: *Ita ut si ea qua nos statuimus, etiam vestro recta esse judicio comprobantur, tanti consensus Regis ac domini, majori authoritate servandam tantorum firmet sententiam Sacerdotum.*

III. Nec incuriosiores fuere Burgundionum Reges suæ authoritatis, quàm Francorum & Gothorum. In ipsa præfatione Epaonensis Concilii Avitus Viennensis Archiepiscopus contestatur apertissimè eam Synodum authoritate Sigismundi Regis congregatam fuisse. Et primo tamen statim ibi Canone præcipitur, ut Episcopi ad Provinciale Concilium adproperent, ubi à Metropolitano fuerint invitati, non adsignata Regibus nisi Universalium convocatione Synodorum. Et certè cum Concilia mox habita Lugduni, Arelate, Carpentoracte, Arausicæ, Valione, Provincialia tantum fuerint, nullum iis impressum est convocationis Regiæ vestigium.

Præfat. & c. 2. 6. IV. At Aurelianense II. Concilium illico profitetur se Regia præceptione coaluisse. *Ex præceptione Regum.* Et mox tamen sancitur, ut singuli singulis annis Metropolitani Concilia sua indicant, advolentque Episcopi cujusque Provinciæ. Concilium Arvernum coaluit, *congregante sancto Spiritu, consentiente piissimo Rege*, scilicet Theodeberto. Quibus primam hanc Synodum visum est cristas erigere cœpisse adversùs Regiam in convocandis Synodis authoritatem, quod eam dicatur à Spiritu sancto congregatam, & Theodebertum Regem consensisse: quod pace tantorum virorum dixerim, ii mihi videntur levioribus plus æquo in re minimè levi indulsisse conjectaris; uti & cum easdem suspiciunculas suas aspergunt Conciliis Aurelianensibus III. & IV. Parisi nisi III. Lugdunensi II. in quibus ne mentio quidem fit consensionis Regiæ, nedum convocationis, quod solebant tamen antiquissima Concilia.

V. Scriptoris verò moderni excandescentia, qui has conjecturas refellendas sibi proposuit, nihilo plus probari nobis potest, quam conjecturæ ipsæ. Mediam equidem semitam terere conabor, & illud primum monebo, his vocibus, *Consensus*, *Præceptio*, unum idemque significari, ubi de Regum Majestate sermo habetur. In Concilio Agathensi sola *permissio* memoratur, sed permittere & præcipere Reges, unum idemque est. In Conciliis Aurelianensi I. & II. *Præcepti* vox adhibita, sed ex Formulis Marculphi bene multa ad manum sunt exempla, ubi cum aliquid Beneficii à Regibus ambiunt, impetrantque homines privati, hæc regia assensio, permissio, concessio, *Præceptum* semper vocatur. *Præceptum de Episcopatu. Præceptum de Clericatu. Præceptum donationis, &c.*

VI. Bona ergo fide fateri cogimur, si III. & IV. Concilio Aurelianensi prætermissa est Regis permissio, vel jussio ad eorum convocationem, simplicem & minimè affectatam eam fuisse omissionem, cùm Concilium Aurelianense V. sub eodem Childeberto Rege habitum, ejus authoritate se congregatum magnificè contestetur: *Clementissimus Princeps, triumphorum titulis invictissimus dominus Childebertus Rex, pro amore sacræ fidei & statu Religionis, in urbe Aurelianensi congregavit in unum Domini Sacerdotes.* Id ipsum testificatur Concilium II. Parisiense: *Cum ad invitationem Childeberti Regis convenissemus.* Sicut autem tepidior ea vox videatur, *invitare*, mera ea est incogitantia. Nec enim nescire quisquam potest, Priscorum Canonum & Decretorum usu tritissimo, idem valere *invitare*, atque *evocare*, quibus verbis frequentissimè designatur authoritas Metropolitani in convocandis Provinciæ suæ Episcopis; & Regis ipsius in indicendis Nationalibus Synodis. Concilium Parisiense III. Con. Agath. Can. 35. sub eodem Childeberto coaluit, biennio post Parisiense II. & annis octo post Aurelianense V. & de Conc. Arausic. I. c. 29. convocatione tamen Regia verbum ibi fit nullum. Tantillo annorum numero non potuerat usque adeo extenuari, vel Childeberti Regis authoritas, vel in eum observantia Episcoporum. Elucet ergo non præmeditatè, non affectatè, sed simpliciter id omissum. Nec aliter æstimandum de Lugdunensi II. ubi eadem siletur convocatio regia, & de quo tamen Gregorius Turonensis, ille vindex acerrimus Ecclesiasticæ libertatis, & Episcopalis amplitudinis, testatum facit, jussione Regia congregatam esse. *Congregari Synodum ad urbem Lugdunensem jussit.* L. 5. c. 20.

Concilium Turonense II. eodem anno celebratum est, quo Lugdunense; & expressius tamen ibi est Regis consensus, qui in Lugdunensi omissus. *Juxta conniventiam Chariberti Regis annuentis.* Liquidum est ergo minus scrupulosè scriptitata ea fuisse, nec inde venari quemquam jure posse argumenta vel tantillæ irreverentiæ in Reges. Nec felicius cessit his criticis, ubi insidiati sunt his verbis Concilii ejusdem Turonensis II. *In Synodo Aurelianensi, quam invictissimus Clodovæus Rex fieri supplicavit:* cùm Acta ipsa Concilii Aurelianensis I. disertè exprimant, jussione Regia convocatum illud fuisse. Con. 22. Quasi posset quisquam nescire Regum preces præcepta esse; & vicissim præcepta Regum ad Episcopos, quos instar parentum observant, ea condiri modestia & humanitate, ut preces videri possint. Certè enim in Concilio Aurelianensi I. Clodovæus, quam verè & piè, tam magnificè dictus est Ecclesiæ filius. *Domino suo Catholica Ecclesia Filio, Sacerdotes quos ad Concilium venire jussistis.* Præcipiebat ergo Rex Episcopis, sed non immemor illos Patres, se filium. Nam & Patres ex vero vocabat.

VII. Non constaret Concilium Parisiense IV. jussu Sigeberti Regis convocatum fuisse, nisi ex ejus ad illum Epistola id eliceretur. *Nuper non absque conniventia gloria vestra, sicut credimus evocati, Parisius venientes.* Ubi perspicis evocationem & conniventiam, seu permissionem unum quid sonare. Non tradit Gregorius Turonensis Parisiense Concilium adversùs Prætextatum Archiepiscopum Rotomagensem à Chilperico Rege convocatum fuisse: sed Cabilonense idem alibi ait à Rege Guntramno congregatum fuisse adversùs Episcopos Salonium & Sagittarium: *ex jussu Principis.* Itemque de Bren- L. 5. c. 28. nacensi Concilio adversùs Gregorium ipsum Turo- 49. nensem: *Accersitis Regni sui Episcopis.* Patet ergo ideo omitti quandoque Regiam Conciliorum evocationem, quòd non singulæ semper rerum circumstantiæ enucleentur. Concilium Matisconense I. coaluit *ex evocatione domni Guntramni Regis.* Valentinum II. *juxta Imperium Regis Guntramni.* Matisconense II. illico gratias Deo habet, qui in unum collegerit omnes Regni Guntramni Episcopos, nec jussione, nec permissione Regis memorata: & ultimo tamen Canone hic præcipitur, ut in posterum universalis hujusmodi Synodus convocetur tertio

quoque anno, *una cum dispositione magnifici Principis*, à quo locus designabitur. Non video qui posthac ambigi possit, quin Conventus istiusmodi omnes universales permissione, aut jussione Regum evocarentur; & sicubi ea jussio prætermissa sit in Actis Concilii, malitiosè id factum neminem jure interpretari posse.

L. 8. c. 20. L. 10. c. 19.

VIII. Rursum fatetur Gregorius Turonensis Concilium Matisconense II. *ex jussu Regis* Guntramni celebratum fuisse. Sicut & Virdunense adversùs Egidium Archiepiscopum Remensem. *Rex Episcopos accersiri præcepit, &c. Præceptioni Regia obsistere nequiverunt.* Enixissimè Gregorius Magnus Reges & Reginas Francorum hortabatur, ut juberent congregari Synodos: *Synodum fieri jussio Regia constituat, &c. Synodum congregari præcipite.* Author vitæ sancti Eustasii Abbatis Lusoviensis: *Emanante Regali authoritate multi Burgundiæ Episcopi conveniunt.* Beatus Audoënus in vita beati Eligii: *Nec destitit Episcopos commonere & Optimates, quousque jussu Principis Sacerdotale Concilium congregaretur.*

L. 7. Ep. 113. 114. L. 9. Ep. 53. 56. 57.

IX. Altera jam observatio hæc est, celebratas fuisse Synodos alias Provinciæ unius, alias complurium Provinciarum, quæ posteriores universales dicebantur. Synodus Agathensis una ex universalibus, ejusdem generis unam voluit quotannis celebrari, *Synodum etiam secundùm constituta Patrum annis singulis placuit congregari.* De Provincialibus Conciliis alio Canone ibidem agitur, *Si Metropolitanus Epistolas direxerit ad Comprovinciales Episcopos, quibus eos ad Synodum invitet.* Suspicari hinc quis possit voluisse Agathensis Concilii Patres, ut annis singulis universales, provinciales autem rarius haberentur Synodi, ubi nimirum eas Metropolitanus indiceret. Si ea certè fuit hujus Concilii mens, non videtur ea quidem in re valuisse ejus authoritas. Concilia enim Provincialia semel semper anno quolibet cogi debuere, jussione Conciliorum Aurelianensium, Turonensis, Liptinensis, Suessionensis. Cùm universales Synodi rarius habitæ sint, rarius incidente ea necessitate Ecclesiæ Gallicanæ. Inter universales Synodos numerabatur Concilium Matisconense II. unde & mos sibi gratulati sunt Patres, quòd post tantum temporis intervallum mutuo rursum oblectarentur conspectu. *Gratulamur & nos, qui per intervalla temporum separati, hodie noscimur post tot temporum intervalla corporaliter jungi.* Non effluxerant tamen nisi anni quinque à tempore Concilii Matisconensis I. quod universale & ipsum fuerat. Frequentiores ergo voluissent hi Episcopi suas universales Synodos, quàm quolibet quinquennio. Ideo & hoc Matisconensi II. Concilio statutum est, ut tertio quoque anno coïret Synodus universalis. *Universæ fraternitatis deliberatione ac definitione complacuit, ut antiquorum Patrum juribus in omnibus custoditis, ad Synodum post triennium tempus omnes conveniant.* Quo autem fine, & quo fructu frequentandæ essent hæ Synodi, mox declaratur. *Ut de alterna principaliter sospitate exhilarati, causas exurgentes tam divinæ religionis, quam humanæ necessitatis discutiant: & omnibus justum æquumque finem imponant.*

Can. 35. Aurel. II. c. 2. Aurel. III. c. 1. Aurel. IV. c. 37. Aurel. V. c. 23. Turon. II. c. 1. Liptin. c. 1. Suession. c. 2. Can. 20.

Can. 20.

X. Cùm verò hæc Concilia *Universalia*, sic enim hoc quoque Canone appellantur, eò indicerentur à Regibus, quòd essent extraordinaria; postquam ordinaria evaserant, videri poterant Reges jure eorum convocandorum excidisse. Ea ergo de causa in hoc eodem Matisconensi Concilio sancitum est, ut Lugdunensi Archiepiscopo curæ esset à Rege sciscitari, quo vellet loco Generalem Conventum convocari. Ergo & extraordinariis primo his Conciliis Reges tempus, & ordinariis iisdem postea locum suo arbitratu designavere. Adde quod nemo ex Metropolitanis unius Regni in potestate haberet omnes unius Regni Metropolitanos alios & Episcopos convocare. Penes Regem unum ea facultas erat, cui uni omnes illi suberant. Non ita vel Africanæ, vel Orientales Synodi, quibus sui singulis erant Exarchi, qui eas convocarent. Has Exarchorum vices Reges implevere in Occidente, dum nulli ex Metropolitis in eam dignitatem evehebantur: qua de re supra cum de Exarchis & Primatibus.

Can. 20.

XI. Non immerito tamen addubitarit quis, an usu unquam receptum fuerit hoc Decretum: non solum quod ejus non meminerit Rex Guntramnus in Edicto, quo hanc Synodum confirmavit: sed etiam quòd nihilo postea frequentiores fuerint hæ Synodi, quam antea. Adde quod post Guntramni Regis obitum, longè alia fuerit Reipublicæ facies, & nec civitati, nec Metropolitano Lugdunensi ea constiterit potestas & gloria, quæ priùs. Quod perstrinximus de Gregorio tantopere connitente ut Synodi in Galliis congregarentur, ex eo apertissimè proditur in iis nec triennales, nec alias quascumque ordinarias Synodos fuisse. Denique si quæ posthac habita sunt Concilia universalia in Gallia, ea extraordinariè à Regibus sunt congregata, ut Cabilonense, Liptinense, Narbonense, Suessionense, quod & in eorum Præfatione declaratur. Nullum ergo erat statum tempus, certumque, quo indicerentur.

XII. Emergit nonnihil scrupuli ex his verbis Concilii II. Matisconensis, de Triennalibus habendis his Synodis universalibus, *antiquorum Patrum juribus in omnibus custoditis:* & ex his similiter Concilii Agathensis, super iisdem quolibet anno cogendis: *Secundùm Constituta Patrum.* Quod ad Canonem Agathensem attinet, expeditior est responsio, rationem haberi Disciplinæ Africanæ, & ad Canonem alludi X. Africani Concilii, quo jubentur quotannis celebrari Synodi universales. *Confirmandum est in hac Synodo, ut secundùm statuta Nicæna, propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpè veterascunt, singulis quibusque annis Concilium convocetur: ad quod omnes Provinciæ, quæ primas sedes habent, de Conciliis suis binos, aut quantos delegerint, Episcopos mittant: ut congregato Conventu plena possit esse authoritas.* Ita in Africanis universalibus Conciliis dirimebantur causæ eæ, quibus plures implicabantur Provinciæ, & ad quas proinde latius patens graviorque desiderabatur authoritas, quæ emergentes obices perstringeret.

XIII. Verùm hæc objectæ difficultatis solutio, nodum alium nobis objicit, atque ita aliud ex alio nos impedit. Ecqui enim hic Africanus Canon authoritatis sibi aliquid & adminiculi ex Concilio Nicæno aucupabatur, ubi non agitur nisi de Provincialibus Conciliis, anno quolibet congregandis? Canonem hunc Africanum imitabatur inopinus forsan B. Gregorius, cùm Episcopos Siculos ad Romanum Concilium triennio quolibet invitabat, & ad id Synodum allegabat Nicænam. Respondendum ergo videtur, & Gregorium, & Concilium Africanum, & Matisconenses, Agathensesque Patres, in Canone unam universim spectasse cogendorum Conciliorum statis & fixis temporibus necessitatem, ut laboranti succurratur Ecclesiæ; cùm facilè intelligatur de cætero Patres Nicænos, Epis-

toporum cujusque ævi sapientiæ permisisse, ut pro temporum, locorum, rerumque opportunitate difinirent, unius esse deberent Provinciæ, an plurium hæ Synodi: annuæ, an post triennium. Quo & ille alius eximitur scrupulus ex Concilio Milevitano. Afros ipsos mox pœnituit annuarum suarum Synodorum universalium; unde & decrevere eas posthac nonnisi extraordinariè convocandas. Ubi necessitas urgeret inexorabilis, quæ totam Africam complecteretur. *Placuit ut non sit ultra fatigandis fratribus anniversaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, id est, totius Africæ. Causa autem quæ communes non sunt, in suis Provinciis judicentur.* (Cod. Can. African. c. 95.)

CAPUT XLIX. *P. 2. l. 2. c. 63.*

De iisdem Conciliis Galliæ Nationalibus & Provincialibus ætate media à Clodovæo ad Carolum Magnum.

I. Origines antiquissimæ & exempla varia Conciliorum Galliæ universalium.

II. Eorum convocandorum sibi jus arrogabant Episcopi Arelatenses, & tandem à Romanis Pontificibus impetravere.

III. Gothi, Burgundiones & Franci, non passi sunt suæ ditionis Episcopos convenire ad Synodos Arelatensium Episcoporum, qui Imperio adhuc suberant: sed & ipsi sua gentis universales Synodos habere voluere.

IV. Filii Clodovæi partito regno, partiebantur etiam quandoque Concilium universale.

V. Continuatio juris Arelatensium Episcoporum.

VI. Impatientius ferebant Reges injussu suo Concilia Nationalia haberi.

VII. Subscribebant & ad ea accedebant Episcopi, nisi qui evocaverat Rex, eorum necessitatem absolvisset.

VIII. In his Synodis legebantur primum Canones, tum ipsorum excutiebatur Episcoporum vita.

IX. De repurgandis moribus semper tractabatur.

X. Et de non intermittendis Synodis Provincialibus.

XI. Conciliatio Canonum in speciem pugnantium, super Episcopis, qui Conciliis absunt, alibi à Regibus detenti.

XII. XIII. XIV. Quanta in Ecclesiam & Regnum ex Conciliis, & emolumenta accrevarentur, & ornamenta.

I. Tertio jam loco illud observabimus, universalium Conciliorum originem nequaquam ab Africanis Ecclesiis derivandam esse, quanquam essent ibi frequentissima. Hæc enim certissimè instituit Concilium I. Constantinopolitanum in unaquaque Diœcesi; quo tunc sensu Græcis Diœcesis dicebatur, Coagmentatio plurium Provinciarum sub uno sive Exarcho, sive Præside, sive Capite, tum Ecclesiastico, tum Civili. (Can. 3.) Universalia fuere Concilia, Antiochenum contra Paulum Samosateum; Africana beati Cypriani de Baptismo hæreticorum. Antiquiora ergo propemodum fuere universalia Concilia, quàm singularum Provinciarum. Quod ad Ecclesiam Gallicanam attinet, non potest nisi in Synodos universales conferri Coloniensis anni 346. ubi Euphratas ejus urbis Episcopus exauthoratus est, tanquam Ariana lue sordidatus, si nihil tamen claudicat ejus rei fides, quod videtur aliis. Universalia fuere & Arelatense, ac Biterrense Concilia, tempore beati Hilarii, de quibus Severus Sulpitius: *Ceterum à nostris tum apud Arelatum & Biterras, oppida Galliarum, Concilia fuere.* (L. 2.) Parisiense anni 362. adversùs Arianos, cui Synodus Illyricana assensuram se pollicebatur, sicut & Romano ejusdem temporis. *Nos non aliter sentimus, atque duo Concilia, quorum alterum jam Romæ, alterum habetur in Gallia.* (Theodoret. L. 4. 1 8.) Illud denique quod Siricio Papæ Maximus Imperator pollicebatur se congregaturum. *Catholici indicent Sacerdotes, quorum conventum, ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque Provincias commorantur, in qua elegerint urbe, constituam.* Et Burdigalense, quod idem coëgit adversùs Priscillianum.

II. Hoc sibi jus convocandi universalia Galliarum Concilia arrogabat Episcopus Arelatensis, postquam eversa à Vandalis Augusta Treverorum, Sedes Præfecti Galliarum Treveris Arelate traducta est. Jam inde enim facta est conglutinatio quædam civilis Provinciarum septem circumjacentium. Zosimus ingentibus Patrocli Arelatensis virtutibus id donavit, ut ne possent sine ejus licentia suis Clerici Provinciis divertere, & sine litteris ejus formatis. Hilarius Episcopus Arelatensis à Concilio II. Arelatensi id expressit, ut Concilia universalia posset cogere, prompto in exemplum Concilio Arelatensi sub Constantino. *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub sancti Martini tempore, legimus celebratum fuisse Concilium atque Conventum.* (Can. 18.) Leo Papa I. competitissimum habens primum illud Arelatense Concilium à Constantino Imperatore, non ab Episcopo Arelatensi fuisse congregatum, vetuit, ne quid ejusmodi posthac Hilarius tentaret. *Suis unaquaque Provincia sit contenta Conciliis, nec ultra Hilarius audeat Conventus indicere Synodales.* (Epist. 89. 109. 110.) Exuit & tota Metropolitani dignitate Hilarium Leo, eaque Viennensem Episcopum cumulavit. At vivis erepto Hilario eam Metropolin Leo in duas secuit, Viennensem & Arelatensem; quin & ad Ravennium Arelatensem Metropolitanum direxit illam toto orbe celebratissimam ad Flavianum Epistolam de Incarnatione, adversùs nupera Eutychetis deliramenta, ut per Ravennium cæteris Gallicanis Episcopis communicaretur. Primus omnium Hilarus Papa Leontium Arelatensem Episcopum donavit potestate convocandi Concilii universalis. *Per annos singulos, ex Provinciis quibus poterit congregari, habeatur Episcopale Concilium; ita ut opportunis locis atque temporibus, secundum dispositionem fratris & Coepiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per litteras ejus admonitis celebretur.* (Epist. 8.)

III. Ubi autem Pontifex copiam facit Arelatensi Episcopo, congregandi quos poterit Metropolitanos & Episcopos: non obscurè insinuat, Francos, Gothos & Burgundos jam irruisse in Romanas complures Provincias Galliarum, nec jam pati, ut subjugatarum à se Provinciarum Episcopi obtemperarent Episcopo Arelatensi, qui Romano adhuc Imperio subjiciebatur. Qui Jeroboami exemplo infamatas voluit harum nationum rationes, quasi & ipsæ sic sese à Romano Pontifice, ut ille ab Hierosolymitano templo abalienassent: is sanè procul fuit à sapientia Gregorii Papæ, longè aliter sapientis, (Anno 462.) uti & ab Episcopi Viennensis, Aviti: cui dolebat quidem, quod jam non possent omnes Galliarum Provinciæ in unam convenire Synodum, ex quo tot eas Reges sibi partiti essent; sed nihil scribebat tamen, quod non immane quantum abesset ab hujus scriptoris felle. Vide enim ut ille scripserit ad Senatorem Romanum de contumeliis Symmacho Papæ illatis, quas abstergere ipse concupisset per universalem Galliarum Synodum, si per tot jam in Gallia Reges id licuisset. *Vellemus ut quæ in causa communi supplicari oportet, amplitudo vestra congrega-* (Ann. 503.)

torum Galliæ Sacerdotum relatione cognosceret. Sed quoniam hujus quoque voti non potest reddi Provincia, præfixis regnorum limitibus, &c.

adde, compos.

IV. Verùm quam conducibile erat decem Tribubus Templo semper Hierosolymitano conglutinari, nec ab ejus cultu unquam deflecti: tam liberum, & arbitrarium erat Ecclesiis Galliarum, aut in unum omnes coire Concilium universale, aut in plura disjungi minora, quæ eodem tempore haberentur, quando ita rerum ferebat, temporumque necessitas. Et sane Agathensis Synodus ex omnibus coaluit Metropolibus Gallicanis Imperio Gotthorum subditis; Epaonensis ex Metropolibus Burgundionum, Aurelianensis ex Francorum, qui suæ jam ditioni subegerant tum, quidquid in Galliis Gotthi obtinuerant, paulatimque in ipsas Burgundionum regiones victores penetrabant. Ubi plura pluribus Clodovæi filiis obtigerunt Regna, nunc sejunctim sua quisque Concilia universalia collegerunt, nunc Regnis ex omnibus unum Concilium universale confluxit. A Childeberto Rege, & à Regibus aliis fratribus ejus congregatum est Concilium Aurelianense II. *Ex præceptione gloriosissimorum Regum.* Arvernum ex Metropolibus unius Regni Theodeberti convenerat: *Consentiente Rege Theodeberto.* Vel ex ipsis ergo Præfationibus facilè distinguuntur duæ classes Conciliorum hujusmodi universalium,

V. Ad Arelatenses Archiepiscopos stylum reflecto. Si enim Hilarus Papa Leontio Arelatensi copiam fecerat, ut quibus ex Provinciis posset Synodum cogeret universalem: Symmachus Papa eandem beato Cæsario prorogavit authoritatem in omnes Provincias Galliæ & Hispaniæ, quæ Gotthis parerent. At postquam à Francis perdomitum est, quidquid à Gotthis in Gallias fuerat usurpatum, tum à Vigilio Papa donatus est Arelatensis Episcopus potestate convocandi Episcopos Gallicanos, *quoties judicaveris expedire.* Cæteri pòst Pontifices, & Gregorius ipse Magnus eadem facultate uti deinceps voluere Archiepiscopos Arelatenses.

Symmach. Epist. 51.

VI. Quartum illud est non oscitanter observandum; Reges Nationalibus nonnunquam, nunquam Provincialibus Conciliis intercessisse. Austrasiæ Regi Sigeberto displicuit, quòd injussu suo Episcopi Concilium evocassent, & ad illud Episcopos invitassent Provinciæ Bituricensis, atque præ cæteris Desiderium Episcopum Cadurcensem, Bituricensi obnoxium Metropolitano, cum eoque Burgundi Regis imperio subjectum. Datis ad Desiderium literis contestatus est Sigebertus, ardere se quidem desiderio vehementi firmandæ Canonicæ disciplinæ; nec pati se tamen posse, id Concilium se inconsulto celebrari. *Licèt nos statuta Canonum & Ecclesiasticas regulas conservare optamus, tamen dum ad nostram antea notitiam non fuit perlatum, sic nobis cum nostris Proceribus convenit. at sine nostra scientia Synodale Concilium in regno nostro non agatur.* Mox testatum facit Concilii Congregationi lubentissimè sese assensurum, si modò regius flagitetur ab Episcopis assensus, & Concilii utilitas declaretur. *Postea opportuno tempore, si nobis antea denunciatur, utrum pro statu Ecclesiastico, sive etiam pro qualibet rationabili conditione, conventio esse decreverit, non abnuimus: sic tamen, ut in nostri prius deferatur cognitionem.*

Desider. Epist. 17. *Bibl. Patr. Tom.* 3. *pag.* 425.

VII. Detrectabant & ipsi quandoque Episcopi ad Concilium, quod Princeps indixisset accurrere, nisi de ejus utilitate, aut de necessitate admoniti, persuasique fuissent. Apud Tullum Leucorum Concilium indixerat Theobaldus Rex, Mappiniumque Remensem Episcopum ad illud accersiverat. Ea qua par erat, & modestia, & animi magnitudine Episcopus Regi rescripsit, Non posse se iter arripere ad Concilium, cujus & causas nesciret, & necessitatem. Tum verò Rex de causis Concilii habendi certiorem illum fecit: nec postea dubitavit Episcopus, quin Regis mandato obtemperandum sibi esset: sed cùm per temporis jam angustias adesse Concilio non posset, causas absentiæ suæ scripsit ad Nicetium Episcopum Trevirensem, qui Concilium haberi exoraverat, adversùs insolentiam eorum effrænatissimam, qui ab illo priùs fuerant excommunicatione innodati. *Indicamus nos litteras filii nostri domni Regis Theodebaldi excepisse, ut in Tullensium urbe adesse deberem, nullam causam evocationis declarantes. Reciprocante pagina indicavimus, nos illuc accedere non debere, quia causam conditionemque nos constabat ignorare. Iteratis scriptis edocuis beatitudinem vestram, dum aliquos Francorum pro zelo divini timoris corripi, scandala seu anxietates multimodas sustinere. &c. Quanquam parere nos regiis præceptis, in bonis rebus, & conveniat & libeat, tamen, &c.* Ita non Synodicè tantum congregati, sed & singuli sejunctim quandoque Episcopi Reges filios vocabant, quibus nihilo segnius ut dominis morigeros se præbebant.

Conc. Gall. To. 1. *pag.* 291.

VIII. Quinto & postremo loco id observamus, congregatos statim Episcopos, tam Universalium, quam particularium Synodorum, in examinandos primum incubuisse Episcoporum ipsorum mores, tumque contulisse se ad ea statuenda, quibus disciplina Ecclesiarum in antiquum splendorem suum refloresceret. Examen autem vitæ & regiminis Episcoporum lectitandis maximè, & expendendis fiebat antiquis Canonibus, quod solemne erat celebrandarum Sessionum primordium. Ita enim habet Concilium II. Vasionense. *Cùm secundùm statuta Canonum in Vasensi vico sanctorum Pontificum fuisset Concilium congregatum, juxta consuetudinem, antiquorum Patrum regulas relegentes, propitiante Domino, nullum de præsentibus Domini Sacerdotibus, aliquis contra decreta spiritalia, aut præterisse, aut præsumpsisse cognovimus.* His peractis nova cudebantur statuta, vel antiqua innovabantur.

IX. Fateor in his Conciliis innumerabiles dirimi solitas lites, quòd hæc essent Consistoria celeberrima Ecclesiæ Gallicanæ. Sed his præmittebatur semper, quidquid ad morum emendationem pertinebat, quidquid ad procurationem æternæ salutis, ad medicinam morbis spiritalibus faciendam, ad Canonicæ disciplinæ instaurationem. Audiendus hic Canon Concilii Arverni primus: *In primis placuit ut quoties secundùm statuta Patrum sancta Synodus congregatur, nullus Episcoporum aliquam priùs causam suggerere audeat, quam ea quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, ad animæ remedia pertinent, finiantur.*

X. Concilia universalia eam maximè curam induebant, ut ne usquam cessarent Provincialia; ut hoc utroque Conciliorum veluti propugnaculo muniretur stabilitas disciplinæ. In Concilio Turonensi II. sancitum est, ut siqui Episcopi Provinciali abfuissent Concilio, iis Metropolitani, & Coëpiscoporum Provinciæ communione abstinerentur, usque ad proximum Concilium Universale. *Si quis Episcoporum ad Synodum venire distulerit, usque ad Majorem Synodum à Metropolitano & Comprovincialibus maneat excommunicatus.* Cæteris quoque in universalibus Conciliis studiosissimè inculcata est necessitas Conciliorum Provincialium.

XI. Quin & huic Turonensi II. visa est tam arcta necessitas Conciliorum, & tam indeclinabilis lex præsentiæ Episcoporum, ut ne tum quidem abesse posse Episcopos voluerit, cùm à Rege avocarentur: *Sine cujuslibet excusatione personæ, id est regia vel privata, &c. Non debet spiritali operi etiam regalis præferri præceptio, &c. Non debet præcepto Domini persona cujuslibet hominis anteponi, &c.* Longè aliter Agathensis Synodus, saltem in speciem: *Excepta gravi infirmitate corporis, aut præceptione Regia.* Non facilè mihi quisquam persuaserit, Episcopos Concilii Turonensis tenaciores disciplinæ fuisse, quàm B. Cæsarium Arelatensem Episcopum, qui Agathensi Synodo præerat: vel Cæsarium propensiori fuisse observantia & veneratione in Alaricum Regem Gothorum Arianum, quàm Episcopos Concilii Turonensis in Christianissimos & semper Catholicos Franciæ Reges. Hinc adducor, ut credam verbis tantùm conflictari, re consentire geminam hanc Constitutionem, quòd utraque manaverit, & ab ejusmodi sapientia, quam non destitueret fortitudo, & ab ejusmodi fortitudine, quam cælestis quædam illustraret & condiret sapientia. Credi ergo par est Canone Turonensis Concilii non contineri nisi ea Regum præcepta, quæ ipsimet ultro tandem relaxarent, quando modestè & religiosè de necessitatibus Ecclesiæ admonerentur. Cùm agat Canon Agathensis de Principum tam æquis mandatis, tam urgentibus, tam necessariis ad Regni & Ecclesiæ ipsius incolumitatem, ut reluctari eis possit nemo, quin Ecclesiæ ipsius refragetur utilitatibus, quibus Concilia serviunt.

Can. 2.

Can. 35.

XII. Denique Canones ipsi & Acta harum Synodorum passim vociferantur, quanta ex iis semper exundet utilitas. In Concilio Aurelianensi IV. hæc leges: *Ut semper & censura teneatur & charitas.* Eo uno tota continetur disciplinæ sacræ sanctitas & majestas. Ei uni rei inculcandæ tota hæc famulatur nostra lucubratio. Rursus in Concilio V. Aurelianensi: *Ut aut si qua acciderint, charitatis emendentur studio; aut si pax regalis & disciplina in cunctis permanserit, authore bonorum omnium Deo, de charitate & præsentia gratuleatur.* Quo innuitur solam coalitionem tot Christi ministrorum in unum locum & decori & compendio esse vel maximo, quod in eo vinculum sit charitatis fraternæ inter Pontifices, & magnifica ostentatio majestatis Ecclesiæ sponsæ Christi; cujus vel conspectu deterreri possit perversorum hominum audacia & vitiorum colluvio cohiberi.

Can. 37.

Can. 23.

XIII. Temporalibus etiam Ecclesiarum rebus ex his Synodis & patrocinii fiebat & tuitionis ingens accessio. Fulmina Ecclesiæ jaculabatur in eos Concilium Turonense II. qui occasione bellorum inter reges inflammatorum abutebantur, ut pauperum Christi patrimonia & à Principibus peterent, & ipsi invaderent. Concilium Matisconense I. à Rege se convocatum significat statim, *tam pro causis publicis, quàm pro necessitatibus pauperum.* Concilium Parisiense V. à Clotario II. convocatum fuerat, ut saluti procurandæ incumberet, Regis, Populi, Cleri: *Tractantes quid Principis, quid saluti populi utilius competeret, vel quid Ecclesiasticus ordo salubriter observaret.* Hinc sanctissimus Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopus Bonifacius, quam primam ad Zachariam dedit Epistolam, ea testatur, non alio magis ex capite profectam esse devastationem Ecclesiæ Gallicanæ, sive in temporalibus, sive in spiritualibus; quàm ex Conciliorum, maximè Universalium cessatione. *Franci enim, ut seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica jura alicubi fundabant, vel renovabant. Modo autem Episcopales sedes traditæ sunt Laicis, &c.*

Can. 24.

Can. 24.

XIV. Usque adeo denique omnibus fructuosa erant Concilia, ut Reges & Præsules certatim in eorum convocationem conspirarent. Itaque etiam tum cum à Regibus indicebantur, sollicitantibus id fiebat Episcopis, ut suprà ex Gregorio constabat. Idque rursus apertè constat ex Concilio Aurelianensi V. *Ad divinam gratiam referendum est quando vota Principum concordant animis Sacerdotum, ut dum fit Pontificale Concilium, &c.* Et ex Cabilonensi: *Nunc tam ex communi omnium voluntate, quàm ex evocatione, vel ordinatione domni Regis Clodovei, &c.* Et ex illo denique Aurelianensi Concilio, quod agitur in vita B. Eligii: *Non destitit Eligius commonere Episcopos & Optimates, quousque jussu Principis sacerdotale Concilium congregaretur.*

CAPUT L. *P. 2. l. 2. c. 64.*

De Conciliis Nationalibus & Provincialibus Italiæ, Angliæ, Hispaniæ, Orientis, eodem medio ævo, vel sæculo VI. VII. & VIII.

I. Sollicitudo infatigata Pontificum ad Concilia celebranda.
II. Semel anno quolibet tantùm habere permittuntur.
III. Olim ne aberat ordo Cleri secundus. De Conciliis Angliæ.
IV. Quàm necessariò Episcopi adesse cogerentur.
V. Sua etiam Universalia, non Provincialia cogebant Hispaniæ Reges Concilia.
VI. Tum maximè cùm Hispanias omnes suo subegere imperio.
VII. Qua humanitate & reverentia in Episcopos essent Hispaniæ Reges, & in Concilia universalia & Provincialia.
VIII. Toletana omnia Concilia ferè Universalia fuere. Eorum necessitas.
IX. Diuturna cessatio Conciliorum fecit, ut eorum rursus habendorum permissio regia postularetur.
X. Eadem quoque erant Concilia Universalia, quæ Generalia Regni Comitia; iisque Magnates intererant, sed tribus prioribus diebus causas Ecclesiasticas soli Episcopi dirimebant.
XI. Cujusque etiam Provinciæ Concilia, quasi publica erant ejusdem Comitia.
XII. Multa observantur in hæc Concilia, & in totum quæ ibi obtinuerant.
XIII. Incipiunt Abbates interesse. Ab his initiis nata Comitia Generalia Regni in Hispania & Gallia.
XIV. Græci quoque ano Concilio Provinciali singulis annis contenti.
XV. Solvitur objectio de præsentia secund. Ordinis.

I. APparet solenniùs & frequentiùs Concilia in Italia habita fuisse, quàm vel in Gallia, vel usquam alibi; cùm tam crebrò & tam sedulò Romani Pontifices Regibus & Episcopis orbis cæteris imminerent, ut Concilia frequentarentur. Galliæ Reges interpellavit Gregorius Magnus, ut authoritate Regis ortenentur ad evocandos ad Concilia Episcopos. Vide ut ad Episcopos ipsos scriberet, quo eos cohortaretur, ut saltem semel anno quolibet convenirent, quo expectatio & terror futuri Concilii in officio retineret, quos justitiæ charitas non cohibuisset. *Quia de habendo bis in anno Concilio Patrum sit regulis statutum, non latet. Sed ut fortè aliqua implere hoc necessitas non permittat, semel tamen in anno sine excusatione aliqua decernimus congregari: ut expectatione Concilii nihil pravum, nihil præsumatur illicitum. Nam plerumque etsi non* L. 7. Ep. 1.

amore justitiæ, metu tamen examinis abstinetur ab hoc, quod omnium notum est posse displicere judicio. Scripsit & ad Episcopos Siciliæ Gregorius idem, ut anno quolibet convenirent, provisuri necessitatibus Provinciæ, Ecclesiarum, pauperum, oppressorum, denique repurgandis moribus operam daturi: ii sunt enim demum fructus Conciliorum. *Quæ ad utili-* [L. 5. Ep. 2.] *tatem Provinciæ, Ecclesiarumque pertinent, sive ad necessitatem pauperum, oppressorumque sublevandam, sive ad correctionem, &c.*

II. Concilium Provinciale suum indicens beatus Avitus Viennensis Metropolitanus, suam, Ecclesiæque vicem dolet, quòd pro duobus Conciliis, quolibet anno secundùm Canones celebrandis, vix unum possit toto biennio celebrari; quanquam aculeatis Epistolis eam sibi negligentiam aut cessationem Pontifex Romanus exprobrarit. *Conventus* [Epist. 80] *ergo quos bis per annum à Sacerdotibus fieri Seniorum cura decreverat, utinam vel singula post biennia faceremus. Nam & venerabilis Papa urbis nobis hanc negligentiam succensentis mordacia mihi utcunque scripta perlata sunt.* Addit Avitus si quos retardet morbus Episcopos, ii ut suam vicem delegent duobus Presbyteris, quorum ea sit & religio & eruditio, qua Concilii dignitas non dedecoretur. *Tales dignetur eligere, quos Episcoporum Concilio non minus scientia, quàm reverentia, jure faciat interesse.* Sed nonnisi inevitabili necessitate excusari posse per delegatos Presbyteros absentiam Episcoporum. *Sed istud non extorqueat nisi summa necessitas.*

III. Hinc illud extitit, needum Presbyteris, needum Abbatibus, Dignitatibusque Capitulorum locum fuisse in Conciliis Provincialibus. Subscripsere aliquibus Conciliis Abbates, Archidiaconi & Presbyteri quidam, sed delegati Episcoporum absentium. Suo postea nomine acciti sunt Abbates, ut ex Actis Conciliorum testatum fit.

In Anglia Episcoporum annua eniere Concilia, postquam eò Pontifices magnum illum misere Theodorum, Cantuariæ Archiepiscopum. Audi ut ipse in quodam Concilio verba fecerit, teste Beda. [L. 4. c. 5.] *Ego Theodorus quamvis indignus ab Apostolica Sede destinatus Dorovernensis Ecclesiæ Episcopus, &c. Ut bis in anno Synodus congregetur, sed quia diversæ causæ impediunt, placuit omnibus in commune, ut semel in anno congregetur.*

IV. In Hispaniam quoque pervaserat ea Hormisdæ Papæ Constitutio, ut quando non dabatur singulis annis duas juxta Canones adgregari Synodos, una saltem convocaretur, nec ullis causatio- [Epist. 25.] nibus retardari unquam ea posset. *De conveniendo bis in anno notum est sanctos Canones constituisse. Sed si aut temporum necessitates, aut emergentes causæ hoc non patiuntur impleri, semel saltem, quamvis non licuerit, sine illa excusatione, præcipimus convenire.* Sed cùm specialiter quandoque desiderentur universales Synodi, in iis quæ generis universæ periculum, vel salutem implicant, ideo idem Hormisda Sallustium Tarraconensem Episcopum huic curæ suo loco præfecit, ut cùm sibi ex re videretur, eas con- [Epist. 26.] vocaret. *Vices nostras tibi committimus, &c. Quoties universalis poscit Religionis causa, ad Concilium te cunctis fratres evocante conveniant.* Frequentes Conciliorum comminationes, in eos Episcopos qui Concilio [Tarrac.] abfuissent, argumento sunt, quàm gravatè Episco- [Con. c. 6. 13.] pi ad Concilia accederent, ubi ex rigore Canonum toti, quanti quanti erant, excutiebantur. Provisum quoque fuerat ei malo, statuto, ut ne Concilium desineret, nisi proximo Concilio indicto.

Juxta priorum Canonum decreta, Concilium futurum [Tolet. II C. ult.] *pronuntiamus apud fratrem nostrum, &c.* Quod decretum est Concilii Toletani II. cùm jam idipsum de- [Arausic. I. Can. 29.] crevisset Arausicana I. Synodus.

V. Summa erat & in Hispaniis Regum authoritas ad convocanda Concilia. Coiit Concilium I. Braccharense, petentibus Episcopis, permittente, vel jubente Rege Ariamiro Suevorum, qui & ipsi in Hispanias olim influxerant. *Ex præcepto Ariamiri Regis, &c. Quoniam optatum nobis hujus Congregationis diem piissimus filius noster, aspirante Domino, regali præcepto concessit.* Ubi permissionem & præceptum Regum ad cogendas Synodos, duo verba esse patet, quæ rem unam & eandem sonent. Lucense quoque Concilium habitum est jussu Regis Theodemiri, qui ab Episcopis suis designari jussit sedes omnes Episcopales Regni sui. *Concilium fieri præcepit.* Concilium Braccharense II. coactum est ex duabus Provinciis Braccharensi & Lucensi, jussione Mironis Regis Suevorum. *Præcepto Regis, &c. Ut per ordinationem domini gloriosissimi filii nostri Regis ex utroque Concilio convenissemus in unum.*

VII. Postquam verò Gotthi Reges suæ ditioni adjecere regnum Suevorum, totique dominari cœpere Hispaniæ; tum Recaredus Rex Catholicam fidem amplexatus Concilium III. Toletanum coëgit ex omnibus Episcopis Hispaniæ universæ & Galliæ Narbonensis, sibi subditæ, anno 589. *Ab Episcopis totius Hispaniæ & Galliæ. &c. Cùm gloriosissimus Princeps omnes Regiminis sui Pontifices in unum convenire mandasset, &c.* Rex ipse Synodi Patres his verbis affatus est: *Non incognitum reor esse vobis, quod propter instaurandam disciplinæ Ecclesiasticæ formam, ad nostra vos Serenitatis præsentiam devocaverim.* Et in Edicto Confirmationis: *Ut omnes Episcopos Hispaniæ nostro præsentandos culmini juberemus.* Concilium Narbonense eodem anno habitum, nec permissionis meminit, nec jussionis Regiæ Recaredi, uti nec Hispalense ejusdem anni; quòd nimirum utraque Provincialis esset Synodus, & ordinaria. Concilium II. Cæsaraugustanum *ex permissu Regis* convenit; unde inferas amplius fuisse, quàm Provinciale. At Hispalense II. Concilium una constabat Metropoli Hispalensi.

VII. Concilium IV. Toletanum anno 633. convocavit Sisenandus Rex. *Cùm Hispaniæ atque Galliæ Sacerdotes convenissemus, ut Sisenandi Regis imperiis atque jussis, communis à nobis agitaretur de quibusdam Ecclesiæ disciplinis tractatus.* Difficile dictu in utro plus esset, quod miremur, an observantia & humanitas Regum in Episcopos, an vicissim pronissima Episcoporum in Reges veneratio. Cum Aulicis enim Optimatibus ingressus in Concilium, humi statim Rex procubuit: *Cum magnificentissimis ingressus, primùm coram Sacerdotibus Dei humo prostratus, &c.* Patres Concilii, Universale hoc esse Concilium sentientes, exorsi sunt à fidei doctrina enucleanda: *Quoniam generale Concilium agimus, oportet* [Can. 3.] *primùm nostræ vocis sermonem de Deo, &c.* Tum multa decreta sunt, ad generalem disciplinam Ecclesiarum Regni, hoc primùm constituto discrimine Universales inter & Provinciales Synodos, quòd illæ convocandæ non sint, nisi ad causas insolitas & gravissimas, ubi de fide controvertitur, & de sacra totius Regni disciplina. *Ita tamen ut si causa fidei est, aut qualibet alia Ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ & Galliæ Synodus convocetur; si verò nec de fide, nec de communi utilitate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque Provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit, peragendum.*

VIII.

VIII. Cætera Toletana propemodum omnia Concilia Nationalibus annumeranda sunt. Eadem ferè ubique Regum convocatio; eadem eorumdem in Episcopos observantia. In V. prætermittitur Regis convocatio. In VI. hortatur Rex Episcopus, ut conveniant. *Regis hortamentis.* In VII. aliquantò aliter: *Cùm tam nostra devotione, quàm studio serenissimi Regis Conventum esset.* In VIII. his verbis: *Cùm nos omnes divina ordinatio voluntatis, Recesuinti Regis jussu ad Synodi coëgisset aggregari conventum.* In IX. de Regio mandato nullum fit verbum. In X. ita habetur: *Referentes gratias Deo, & Recesuinto Regi, cujus sacratissimo voto, veterna paternitatis sanctâ traditione, ad sacrum quivimus adunari conventum.* At verò XI. nonnisi duodevigesimo anno post X. habitum est, & hinc arrepta ansa gratias agendi Vambæ Regi, qui tam longæ & tenebricosæ nocti finem attulerat, diemque revexerat Conciliorum, qui si subducantur, altissima ignorantiæ plerumque caligo fœdissimam vitiorum colluvionem importat. *Annosa series temporum, subtracta luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quam matrem errorum omnium ignorantiam otiosis mentibus ingerebat, &c. Et quia non erat adunandorum Pontificum ulla præceptio, crescebat in majus vita deterior, &c. Religiosi Principis voto lux Conciliorum revocata resplenduit, &c. Tandem divina voluntatis imperio & religiosi Principis jussu evocati, in urbem Toletanam convenimus.*

IX. Fateor equidem Concilium XI. Toletanum non fuisse nisi Toletanæ Provinciæ Synodum. Sed illi tamen duo quædam communicata sunt universalium Synodorum insignia: quod à Rege convocata fuerit, quodque exordium sibi fecerit à prolixa fidei explanatione. Illi porrò duodeviginti annorum cessationis numerari non possunt, nisi à Toletano X. quod ex universalibus erat. Ea ergo diuturna intermissio Conciliorum fecit, ut ex ordinariis extraordinaria fierent Concilia ipsa Provincialia, novoque Regis mandato opus esset, ut congregari liberè possint. Quin immo non modò permitti, sed juberi à Rege postulavit hoc Concilium, ut deinceps annis singulis Provinciales Synodi celebrarentur. Can. 16. Apertissimum id quidem fit ex ultimo Canone. *Vambano Regi gratiarum actiones persolvimus, cujus ordinatione collecti sumus. qui Ecclesiastica disciplina hîs nostris seculis novus reparator occurrens, omissos Conciliorum ordines non solum reparare intendit, sed etiam annis* Can. 15. *recursibus celebrandos instituit.* Illud quoque hic præscribitur, ut Provincialis Synodus anno quolibet conveniat, eo *tempore quo Principis, vel Metropolitani electio definierit.* Suspicari non injuria quis posset, eam fuisse Vambæ Regis voluntatem, ut universales Synodi inolescerent. Eo certè regnante nulla coaluisse memorantur. Ab ejus successore Ervigio convocatum est anno 681. Toletanum XII. utique Universale: *Cum Principis jussu in unum fuissemus adgregati Conventum.* In Concilium porro ingressus Rex eo modestiæ & humilitatis apparatu, quo solo potest magis magisque ipsa Regum majestas inclarescere: professus est manifestè id sibi esse consilii, ut Concilia universalia restitueret, quòd ea sibi viderentur omnino necessaria: *Non dubium est, sanctissimi Patres, quod optima Conciliorum adjutoria ruenti mundo subveniunt.* Postea verò ad evertendum decretum Concilii Toletani XI. sancitum est, ut annua Provinciarum Concilia congregarentur semper Novembribus Kalendis.

Biennio post, sive anno 683, idem Rex evocavit Concilium XIII. Toletanum: *Decrevis pariter & elegit, ut in unum omnes Hispaniæ adgregati Pontifices illa decernerent, &c.* Annò 684. cum Acta Synodi VI. Generalis & Oecumenicæ in Hispanias perlata fuissent, consentaneum videbatur universale congregari Concilium, quo admitterentur. Sed perturbato tunc Reipublicæ statu, maluit Ervigius Rex rem profligari per Provinciales Synodos, quarum prima fuit, quæ Toletanum XIV. Concilium dicitur. *Ut quia sicut oportebat pro tanta rei negotio pertractando, generale Concilium fieri, varia adversitatum incursio non sineret, saltem adunata per Provincias Concilia fierent.* Prætermissa est in Toletano XV. non autem in Cæsaraugustano III. convocatio Regis Egicæ, qui gener & successor erat Ervigii. Meminit ejus Toletanum quoque XVI. anno 688. *Egicani Principis jussu fraternitatis nostra cœtus est adunatus.* Episcopi Provinciæ Narbonensis, quæ tunc Hispanis dicebatur *Provincia Galliæ*, Universali illi Concilio non affuere, quòd totam eam regionem pestilentia depopularetur, nec sineret suis Ecclesiis abesse Episcopos. Jussit Rex ut quamprimum possent convenirent in Concilium Provinciale, ibique susciperent decreta Concilii universalis. *Ut cunctis* Can. 13. *hujus Concilii Capitalis vigilanti ab eis indagatione perlectis, accedant ordinibus debitis subscriptores.* Denique Concilium XVII. Toletanum anno 694. ab eodem Rege Egicano congregatum est, ubi pariterque Hispaniæ & Galliæ Narbonensis affuere Episcopi, unà cum Optimatibus, ut Rex ipse testificatus est. *Ecce sanctissimum Sacerdotale Collegium, seu etiam nos, illustre Aulæ Regiæ decus, ac magnificorum virorum numerosus conventus, quos huic venerabili cœtui nostra interesse Celsitudo præcepit, &c.*

X. Generales hi Conventus Hispaniarum, & Concilia erant Nationalia, & Comitia Generalia Regni, quòd Nobilitatis vertices ipsi adessent, delectu & jussu Regis, unà cum Episcopis, communique deliberatione de majoribus Regni & Ecclesiæ causis deliberaretur. Accipe verba ipsa Concilii Toletani VIII. *Adeo cum omni Palatino officio, simulque cum majorum minorumque conventu, nos omnes tam Pontifices, quam etiam Sacerdotes, & universi sacris Ordinibus famulantes decernimus, &c.*

Sed cùm offendi quis posset, quod sæculi Proceres Episcopali Concilio interessent: illud menti sedulò inculcandum est, quod in Toletano XVII. exprimitur conceptis verbis, & quod in aliis æquè Conciliis factitabatur: Tres nimirum priores Concilii dies jejunio dicatos fuisse, ac fidei deliberationibus, & morum ac disciplinæ Clericorum, nullo tunc laicorum præsente: quo completo triduo ad alia mixta, vel merè temporalia negotia, cum laicis tractanda descendebatur. *Instituendum credimus,* Can. 1. *ut trium dierum spatiis percurrente jejunio, de mysterio sanctæ Trinitatis, aliisque spiritualibus, sive pro moribus Sacerdotum corrigendis, nullo sæcularium assistente, inter eos habeatur collatio.*

Id ipsum statuerat Synodus XI. Toletana, jussis Episcopis in seipsos primum sævire in Conciliis, tota Canonum censura in ipsos primum Præsules districta, ut postea censores, & judices inculpati essent laicorum. *Sed quia nequaquam rectè subditos judicat, qui non se ipsum priùs justitiæ censura castigat: aptum nobis & expedibile visum est, ante nostris excessibus imponere modum, & sic errata corrigere subditorum. Tunc namque melius judiciorum exordia dilatantur, cum vita judicum ante disponitur.*

XI. Puterant & Provincialia Concilia haberi pro Comitiis particularibus cujusque Provinciæ,

cùm illis interessent etiam Judices & laïci Seniores, ad jus dicendum in laicós, postquam Episcopi semetipsos, Clericosque omnes pari juris rigore purgaverant. His apertè astipulantur Patres Concilii Can. 3. 4. Toletani IV. statuto hoc duplici: quorum altero edicitur, ut saltem semel quolibet anno Concilium Provinciale conveniat, ibique aures accommodentur querimoniis eorum omnium, qui se à viris præpotentibus, aut à Judicibus publicis oppressos præter æquum fuisse expostulabunt; utque illis opem ferat Concilium, cujus sententia à Ministru Regio mandabitur executioni. *Speciale erit Concilium uniuscujusque Provincia. Omnes autem qui causas adversus Episcopos, aut judices, aut Potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem Concilium concurrant: & quecumque examine Synodali à quibuslibet pravè usurpata inveniuntur, Regis executoris instantia justissimè his, quibus jura sunt, reformentur: Ita ut pro compellendis Judicibus vel sæcularibus viris ad Synodum, Metropolitani studio idem Executor à Principe postuletur.*

XII. Proximo hujus Concilii Canone continentur ritus & cæremoniæ, regulæque Concilii Provincialis; ut primi ingrederentur Episcopi, & pro ævo ordinationis sederent. *Secundum ordinationis sua tempora resideant.* Tum admittebantur Presbyteri, quos è re videbatur adesse. *Deinde vocentur Presbyteri, quos causa poposcerit introire.* Diaconi etiam aliqui adsciscebantur: *Post hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse.* Pone Episcopos sedebant & Presbyteri, Diaconi stabant. Tum laïci jubebantur aliqui ingredi, præter Notarios. *Deinde ingrediantur laici, qui electione Concilii interesse meruerint.* Precibus primùm Deo fusis, Diaconus Alba indutus, Canones antiquos recitabat, ad quorum se normam Episcopi primùm exigebant, ut & laicos mox expenderent. *Diaconus Alba indutus, Codicem Canonum in medium proferens, &c.* Hoc ipsum decreverat Concilium Toletanum III. ut Judices, Magistratus & Officiales fisci Concilio Provinciali interessent. Ita enim habet Res in Edicto Confirmationis: *Quod semel in anno ad Concilium Sacerdotes, & Judices, atque Actores Patrimonii nostri debeant convenire.*

Can. 18.

Cap. 17.

XIII. Ea fuisse exordia in Hispaniis Gallisque Comitiorum generalium & particularium, non improbabilis est conjectura. Acciti mox Abbates, qui & Concilio VIII. Toletano subscripsere, etiam ante Presbyteros, aliosque Clericos, qui absentium Episcoporum Vicarii erant. Insequentibus quoque Conciliis eorum habentur subscriptiones. Chirographa Procerum Palatinorum in VIII. habentur Concilio, ut & in posterioribus; sed omnium postremo loco, id est, post Vicarios Episcoporum, & post Abbates.

Can. 8. XIV. Græci quoque in Trullana Synodo authoritati priscorum Canonum assensi sunt ad convocationem Provincialium Conciliorum. Sed in tantis Reipublicæ perturbationibus negavere sæpiùs cogi posse, quam semel singulis annis. Convocationem ipsam & loci designationem Metropolitano permisere.

XV. Posset nobis objici Canon Concilii Tarraconensis, in quo multum est ponderis. Sancitur enim, ut Metropolitanus Concilium indicens, mandet Episcopis, ut adducant secum, non Presbyteros tantum aliquos & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis; sed etiam Parochos ruris, & laïcorum Can. 13. aliquos: *Epistolæ tales per fratres à Metropolitano sunt dirigenda, ut non solum è Cathedralis Ecclesia Presbyteris, verùm etiam de Diœcesanis ad Synodum trahant, & aliquot de filiis Ecclesiæ sæcularibus secum adducere debeant.* Sed ne Presbyteri quidem hic jure donantur suffragii, vel ad consulendum, vel ad definiendum quidpiam. Aderant ergo, ut Presbyteri, Diaconique ii, de quibus egimus, utque laïci, de quibus in hoc ipso agitur Concilio Tarraconensi, meri testes & spectatores, nullo freti authoritatis gradu.

CAPUT LI. *P. 3. l. 2. c. 53.*

Exceptio Canonica residendi, convolandi necessitas ad Comitia Regni Generalia sub Carolo Magno, ejusque stirpe.

I. Comitia hæc Generalia speciem præ se ferebant Concilii, in tria Consistoria secti, Episcoporum, Abbatum, Comitum. Exempla varia.

II. Ex his Conciliis universalibus emerserunt Comitia Regni Generalia.

III. Non cœpit Monasticus Ordo in Conventum Generalem, & sibi proprium cogi, nisi sub Carolo Magno.

IV. Nova Conventuum horum exempla. Varia eorum nomina.

V. Secreti Episcoporum & Comitum Conventus. Multa ibi observata.

VI. Tres ergo cum essent disjuncti Conventus, quanquam eodem tempore & eodem in Palatio, erat & Consilium, vel Concilium superius, quo omnia referrentur, ut peculiaribus Cœtibus decreta, confirmarentur, vel emendarentur.

VII. Multa Decreta Concilii Meldensis à Comitibus repudiata sub Carolo Calvo.

VIII. Ejus Regis aliàs fuit observantia religiosior in Conciliis Decreta.

IX. Conventus hi bis anno quolibet habebantur.

X. De Clericis, qui Regibus erant à Consiliis.

XI. Residentiæ dispensatio legitima.

XII. Ex Hincmaro duo Conventus sejuncti, seu duo Conclavia, Episcoporum & Comitum.

XIII. Germaniæ Disciplina.

XIV. Cur mixtis his Conventibus Episcopi interessent.

I. JUssione Principis, quæ Canonica est residentiæ Episcoporum exceptio, ac dispensatio, continentur etiam Comitia Regni generalia, ad quæ Princeps Episcopos evocat. Minus autem mirabimur relaxari Episcopalis residentiæ legem ob Generalia Regni Comitia, si eadem ipsa numeremus inter Concilia Nationalia: quod nimirum in his Comitiis Tres Conventus simul quidem, sed sejunctim celebrarentur; Cameras nunc vocamus: Unum enim in locum conveniebant Episcopi, Abbates in alterum, in tertium denique Præsides Provinciarum & Magistratus, Comites, Judicesque. Erat ergo hoc Nationale quasi mixtum Concilium, ubi Synodus Episcoporum, Capitulum Monachorum, Curia Magistratuum, nunc separatim, nunc conjunctim consultabant, ad Ecclesiæ & Reipublicæ regendam disciplinam, vel corrigendam. Concilii tamen plerumque nomine honestabatur universalis iste, & ut ita dicam, Tergeminus Conventus. Quod nempè Episcopi & Abbates, etsi duos Conventus sejunctim celebrarent, tertio quodam modo moderabantur, ac dominabantur, ut leges divinæ humanis, ut Evangelica instituta Politicis omnibus antecellunt & aliquando tandem dominantur.

Ejus generis fuit Concilium Moguntinum sub Carolo Magno anno 813. cujus in Præfatione tres illi Conventus, sive Cameræ in hunc modum distinguuntur. *Convenit nobis tres facere turmas, sicut & fecimus. In prima turma consederunt Episcopi cum*

quibusdam Notariis, legentes atque tractantes S. Evangelium, Epistolas & Actus Apostolorum, Canones & diversa Patrum opuscula, Pastoralemque librum Gregorii, &c. Primum hic habes Conventum, verissimamque Synodum, ut cui soli interessent Episcopi, usque de rebus deliberarent, quas à solis tractari Episcopis expediret. Jam adverte ad Conventum secundum, ex Abbatibus & Monachis conflatum. *In alia verò turma consederunt Abbates & probati Monachi, Regulam sancti Benedicti legentes atque tractantes.* Denique tertius Conventus merè civilis, si separatim spectaretur, ubi Magistratus de civili administratione ab irrepentibus pestibus purganda in commune consulerent. *In tertia denique turma sederunt Comites & Judices, in mundanis legibus decertantes, &c.* Concilii Universalis nomine sese induunt hujus Concilii Patres, & Conciliis Provincialibus superiorem hunc suum Conventum declarant. Præcipitur enim, ut si Clerici errones & vagi imperio Episcopi subesse detrectent, & ne Metropolitano quidem parere velint, detineantur usque ad Synodum, nimirum Provincialem, cujus erit decernere ad Principem, an ad *magnam* & universalem Synodum deducantur. *Constringantur usque ad Synodum, ut ibi eis indicetur, utrum ad judicium Domini nostri, aut ad istam magnam Synodum adferantur sub custodia publica.* Can. 52.

Hoc certè Moguntinum Concilium, nec Comitia Generalia, nec Concilium universale totius Galliæ complectebatur; sed singulari & extraordinario consilio voluerat Carolus Magnus, ut uno eodemque tempore haberentur quinque Concilia, ex pluribus singula Provinciis, & eo sensu Universalia; nimirum Moguntiæ, Turonis, Remis, Cabilone, & Arelate. Hoc uno exemplo seposito, cogebatur Conventus unus & universalis totius Regni in tres partitus Cameras, seu Conventus minores, ubi sejunctim Episcopi soli de Ecclesiasticis, conjunctim de civilibus rebus cum Comitibus tractabant.

II. Hinc porro illud quoque exculpitur. Ut ex Concilio Universali Regni originem duxere Comitia ejusdem Generalia; ita & ex particularibus istis Conciliis, & tamen peræquè tripartitis, initium sumpsisse Comitia, seu Status particularium Provinciarum. Ex Ecclesiæ disciplina longè antiquiori & perpolita formam sibi politiæ civilis imitandam proposuere ea Regna, quæ ex Imperii Romani Occidentalis ruderibus emerserunt, adulta jam, & per orbem universum fulgurante Ecclesia Christiana. Inde est quod in his Comitiis primas semper obtinuere Episcopi, & dignitatis, ac sedis, & authoritatis. Inde est etiam, quod ut Concilia bis anno quolibet ex canonicis olim institutionibus habenda erant, ita & bina quotannis celebrabantur Comitia.

III. Monachi profectò nonnisi sub Carolo Magno in specialem suam sejunctim Cameram convenire cœperunt. In Conciliis enim Suessionensi & Liptinensi sub Pipino & Carlomanno in unum eundemque confluebant cum Episcopis Conventum, ut suprà non semel commemoratum est. Post mortem Caroli sub Ludovico Pio coaluit anno 816. Concilium Aquisgranense, ubi Abbates suam quoque sepositi sunt in Cameram, de Regula & de Monastica disciplina separatim commentaturi. *Cùm in domo Aquisgrani Palatii Abbates complures unà cum suis resedissent Monachis, quæ subsequuntur Capitula communi consilio à Regularibus conservari decreverunt.* Ab hac voce *Capitula* exinde nomen sortiti sunt generales Monachorum Congregationes. Porro Concilii Universalis se portionem tantùm aliquam esse, his ibidem verbis testati sunt Abbates. *Ut Abbates Monachos secum in itinere nisi ad Synodum generalem non ducant.*

IV. Ejusdem generis fuit Attiniacum quoque Concilium anno 822. similiter in Cameras, seu Conventus minores tripartitum: *Jussit Imperator Generalem Conventum coire, in loco cujus vocabulum est Attiniacus. In quo convocatis ad Concilium Episcopis, Abbatibus, spiritualibusque viris, necnon & Regni sui Proceribus.* Conc. Gall. To. 2. p. 302. Universim testificatus est Ludovicus Pius in Capitulari suo III. anni 828. Episcopos, Abbates & Comites adesse semper debere Regni sui Comitiis generalibus. *Exceptis Episcopis, Abbatibus & Comitibus, qui ad Placita nostra semper venire debent.* Indiscriminatim quoque usurpabantur voces illæ, *Concilia, Synodi, Placita, Conventus generales*: ut fidem faciunt, quæ modò protulimus testimonia, quibus & alia accumulari possent complura.

Facilis & pe[r]expedita ratio est, quòd nempe uno & eodem loco ac tempore convocarentur Concilia & Comitia. Eam rationem secutus est Carolus Magnus in damnanda Felicis Urgeliani Episcopi insania. Ita enim in Annalibus suis Eginhardus anno 794. *Rex ad condemnandam hæresin Felicianam Æstatis initio, quando & generalem populi sui Conventum habuit, Concilium Episcoporum ex omnibus Regni sui Provinciis in eadem villa congregavit, &c.* Is Conventus est qui vulgo Concilium appellitatur Francofordiense; ubi Episcopi soli Concilium conflabant; at ubi cum Proceribus congregabantur, tum Regni Comitia erant. Idem ipse Eginhardus tres illos Conventus in uno Aquisgranensi sejungit Conventu anni 819. cui Concilii nomen & pondus meritò vendicant, quæ ibi in deliberationem venere. *Conventus Aquisgrani post Natalem Domini habitus, in quo multa de statu Ecclesiarum & Monasteriorum tractata atque ordinata sunt. Legibus etiam Capitula quædam necessaria, quia deerant, conscripta, atque addita sunt.*

Permiscent aliquando Annalium conditores ea vocabula, aliàs discriminant; sed iidem ipsi apertissimè testificantur semper, sub Pipino, Carolo Magno & Ludovico Pio tres illos Conventus eodem semper loco & tempore habitos esse. *Carolus Rex apud Vormaciam Synodum Episcoporum, ac Conventum magnificum coire fecit. Carolus Rex Conventum, sive Synodum in Ingilinhaim habuit.* Et alibi: *Pipinus Rex Synodum suam habuit, Placitum suum, Synodum magnam habuit, &c. Synodum generaliter tenuit cum Francis, ibique exercitum dividens, &c.* Anno 886. Anno 788. Du Chesne To. 2. p. 22. 23. 26. 27. 28. 34. 72. 135. Et rursus alibi: *Carolus Synodum congregavit, & Sacerdotibus & aliis Optimatibus nuntiavit, qualiter omnia in itinere suo peragebantur.* Consilii voce usus est Monachus Inculisinensis, quæ à voce Concilii aliquandiu non differebat. *Carolus Rex in Vormacia tenuit Synodum & publicum Placitum, & Consilio habito, &c. publicam Synodum habuit.* Poëta Saxo vocem quoque adhibuit Concilii: *Et Rex Vormaciam Carolus collegit in urbem Francorum Proceres ad Concilium generale.* Eginhardus Thegano assentitur convocatos fuisse à Carolo Magno Episcopos, Abbates & Comites, ut ab iis confirmaretur & testamentum quod scripserat, & resignatio Imperii in Ludovicum Pium. Ibid. p. 106. 276. Affirmat denique Eginhardus hos Conventus annuos jam olim à filiis & successoribus Clodovæi solitos celebrari. *Sic Rex ad publicum*

populi sui Conventum, qui annuatim ob Regni utilitatem celebrabatur, ire solebat.

V. In Chronico Mussiacensi discriminator duplex Episcoporum & Abbatum separatim Conventus, ex quo utroque conflabatur Synodus: cui accedebat ibidem Placitum Comitum: ita ut hîc legum, ibi Canonum, vel Regulæ B. Benedicti Codex evolveretur. *Congregavit Rex Carolus universalem Synodum in Aquis, & ibi fecit Episcopis, Presbyteris, Diaconibus relegi universos Canones, &c. Similiter in ipsa Synodo congregavit universos Abbates & Monachos, qui ibi aderant, & ipsi inter se Conventum faciebant, &c. Et ipse Imperator interim quod ipsa Synodus facta est, congregavit Duces & Comites, & reliquum populum Christianum, cum Legislatoribus, & leges omnes in Regno suo legere, & emendatam legem scribere, &c.*

Anno 802. Du Chesne Tom 3. pag. 144.

Ex eo porro & superiori testimonio observamus 1. Secundum Cleri ordinem affuisse tum Concilio, unà cum Episcopis, quanquam tota Concilii potestas & gloria in Episcopos solos refunderetur. 2. Popularem, quem Tertium vernaculè Statum appellamus, & ipsum affuisse cum Nobilibus & Magistratibus in secunda Camera, seu Turma: quanquam probabiliter conjiciatur summa authoritas penes Comites Nobilesque fuisse. Unde nec populari Ordini sua sejunctim Camera, vel turma assignabatur. Sed fateri cogimur, Judices Magistratusque in unam cum Comitibus Cameram coaluisse. 3. Hæc quoque incunabula fuere Capitulorum Generalium Ordinis Monastici, cùm separatim ab Episcopis coirent. Quo sanè sub his Carolinis Principibus ingens declaratur potestas & amplitudo Ordinis Monastici. Antea enim nullos ex suo grege Monachi in Conventus generales conveniebant: ut quibus omnino legem dicerent Episcopi. Verùm ex quo totus Ordo Monasticus in unam beati Benedicti Regulam confluxit, hinc Monachis libertas hæc accrevit, dignitasque.

VI. In eodem autem Chronico, ubi sermo fit de quatuor illis Conciliis, quæ voluit Carolus Magnus ultimo Regni sui vitæque anno congregari; perspicuè demonstratur ea omnia apta nexaque fuisse ab uno Concilio, sive Consilio generali & supremo, à quo illa indicerentur, à quo eorum confirmarentur Decreta. Ita enim ad annum 813. *Carolus apud Aquis Palatium habuit Concilium magnum cum Francis, & decrevit quatuor Synodos fieri, &c. Mandavitque ut quidquid in unamquamque Synodum definissent, ad Placitum constituti Imperatoris renuntiassent, quod ita factum est.* Episcopi ab his singulis delegati Conciliis ad Imperatorem, ut singulorum decreta ad eum referrent, in aliud ipsi Concilium convenere cum Episcopis qui Carolo assidebant, erantque à Consiliis; hinc manavit authoritas, qua omnium illorum Conciliorum decreta confirmata vel temperata sunt.

Ibid. p. 146.

Ad eum sensum revocanda est eorum omnium Conciliorum contestatio ad Imperatorem Carolum, Ejus esse officii & juris, ut examinaret, corrigeret, confirmaret ipsorum statuta. Concilii VI. Arelatensis hæc fuere verba: *Hæc Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus prudentiam, ut si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur; si quid secus quàm se ratio habet, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus judicio perficiatur.* Moguntinum breviusculè: *Quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra Imperialis dignitas jubeat emendare.* At Turonense in hunc modum: *Hæc nos in Conventu nostro ita ventilavimus, sed quomodo deinceps piissimo nostro Principi de his agere placebit, nos fideles ejus famuli, libenti animo ad nutum & voluntatem ejus parati sumus.* Concilium denique Cabilonense ab his minime dissentiens. *Hæc Imperatoris prudenti judicio præsentanda adnotavimus.* Hæc referuntur ad Imperatorem illi superiori præsidentem Consilio, sive Concilio generali, cui intererant particularium Conciliorum delegati Episcopi, & ubi Decreta complurium Conciliorum particularium ita temperabantur, ut alia aliis, omnia omnibus concordarent, existeretque & obtineret quod ad pacem, ad disciplinam puriorem Ecclesiæ plurimum conferret.

VII. Non ea forsan semper fuit Caroli Calvi animi moderatio & observantia in Episcopos, quæ Majorum ejus fuerat. Cùm enim venissent in ejus manus Constitutiones Synodicæ plurium Metropolitanorum & Episcoporum, occupari se & effascinari passus est ab Aulicis Proceribus, quibus eas ex parte tantùm admitti placuit, & Episcopis significari, nunquam cæteris vel Regem, vel Proceres assensuros. *Oblata sunt Capitula Principi, sicut ipse jusserat, collecta ad relegendum, in Sparnaco villa Remensis Ecclesiæ. Et quia factione quorundam motus est animus ipsius Regis contra Episcopos, dissentientibus Primoribus Regni sui ab eorundem Episcoporum admonitione, & remotis ab eodem Concilio Episcopis, ex omnibus illis Capitulis hæc tantùm observanda & complacenda sibi collegerunt, & Episcopis scripta tradiderunt, dicentes, non amplius de eorum Capitulis, quàm ista & ista velle cum Principe observare.* Quæstio vertebatur de Statutis Concilii Meldensis anni 845. in quod convenerant Episcopi Provinciarum Senonensis, Remensis & Bituricensis. Canones conditi erant octoginta, quos affirmat Synodus cum Rege & Proceribus disceptatos fuisse. *Primò aliqua ex his quæ nuper à Principe unà cum sacro Ecclesiastico ordine, & illustrium virorum nobilitate decreta sunt, ita ut constituta fuerunt præfigere, &c.* Certè alia quoque addita fuerant decreta ad restituendam Regni & Ecclesiæ disciplinam. Sed ex Decretis, vel Canonibus octoginta Concilii Meldensis, Proceres cum Rege duodeviginti tantùm admisere.

Conc. Gall. To 3 p 61. Anno 846.

Præfat. Conc. Meld.

VIII. Non eo antè Carolus Calvus animo in Synodos fuerat. Et ipse enim, & Ludovicus germanus ejus, statim atque Lotharius frater natu maximus & Imperator discessisset, causas suas litesque Episcoporum judicio terminandas permisere. *Visum est, ut rem ad Episcopos Sacerdotesque, quorum aderat pars maxima, conferrent; ut illorum consultu, velut Numine divino, harum rerum exordium atque authoritas proderetur.* Episcoporum consiliis uti, & ita Regnis suis moderari se velle professi sunt: *Secundùm suam voluntatem se & suos gubernare & regere velle aiunt.* Cùm pronuntiassent Episcopi inter eos ambos partiendas esse Lotharii Provincias, Nithardus inter eos fuit, qui huic partitioni præpositi fuere, & ille ipse est, à quo hæc narrantur. Tandem verò compulso ad pacem petendam Lothario, rursus communi consilio illis convenit, ut rem ad Episcoporum judicium referrent, eique se accommodarent. *Solito more ad Episcopos Sacerdotesque rem referunt; ut quocumque divina authoritas id vertere vellet, nutu ipsius libenti animo præstò adessent.* Pax aliquando tandem à ministris Christi sancita est. Hinc facilè colligas, quod Sparnaci post Concilium Meldense audacius dorsusque factum est, id Proceribus potiùs quàm Carolo imputandum esse.

Du Chesne To 2 pag. 376.

IX. Docet autem Hincmarus has solennes Regni Conventus bis anno quolibet haberi solitos. Celebrior frequentiorque erat primus, quòd tum confluerent spectabiles viri toto regno omnes, tum ex Clero, tum ex laïcis: Episcopi quidem, Comitesque, ut consiliis suis omnia disponerent, regerentque: alter Cleri Ordo & Laïci, ut quæ decreta fuerant, addiscerent, nonnunquam ut salubriter aliquid monerent. Ibi regimen regni in totum annum digerebatur. Conventus alter minus frequens erat. Soli ibi Seniores, & Principes Consiliarii Regni. Ibi denique jaciebantur fundamenta administrationis Reipublicæ in annum sequentem. *Consuetudo tunc temporis talis erat, ut non sæpius, sed bis in anno Placita duo tenerentur, Unum quando ordinabatur status totius Regni ad anni vertentis spatium: quod ordinatum, nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toti regno incumbebat, mutabat. In quo Placito generalitas universorum Majorum: tam Clericorum, quam laïcorum conveniebat: Seniores propter consilium ordinandum, minores propter idem consilium suscipiendum, & interdum propter tractandum, & non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententia confirmandum. Propter dona generaliter danda aliud Placitum cum Senioribus tantùm & præcipuis Consiliariis habebatur, in quo jam futuri anni status tractari incipiebatur.* Suæ quisque indulgebit conjecturæ. *Seniorum* nomine hic mihi designati visi sunt Episcopi & Comites, seu Barones: *Minores* autem dici secundi Ordinis Clerici, & plebeii omnes, seu laïci. Etiam in Parlamento Angliæ, quo nunc nomine ibi vocantur Comitia Regni generalia, *Seniores* eodem sensu dicuntur, Episcopi, Baronesque.

* Hincmar. To. 2. pag. 211. 212. 213.

Les Seigneurs.

X. Hi porro *Consiliarii* Regni, quibus ferè constabat cum Senioribus posterior Conventus generalis, quod videtur Hincmarus ipse *Altius Consilium* nominasse: *Ut Consilium altius tractaretur*: Consiliarii inquam isti, partim Clerici erant, partim laïci. *Consiliarii autem tam Clerici, quam laïci, tales eligebantur, &c.* In hoc autem Regni Conventu, quod in Palatio habebatur, majores primò & generales Regni causæ tractabantur, tum ad privatorum lites veniebatur, sed intricatiores, & majoris indaginis, quas Comes Palatii haud satis expedire potuisset, & quas ideo Rex huic Conventui servari integras voluisset. *Præfatorum Consiliariorum intentio, quando ad Palatium convocabantur, in hoc præcipuè vigebat, ut non speciales quorumcumque causas ordinarent, quousque illa quæ generaliter ad salutem, vel statum Regis & Regni pertinebant, ordinata habuissent. Et tunc demum si forte aliquid domno Rege præcipiente reservandum erat, quod sine eorum certa consideratione determinari à Comite Palatii, vel cæteris, quibus congruebant, non potuisset.*

Le Conseil d'en-haut.

XI. Hinc verò validissimè argumentamur, Episcopos, Abbates, aliosque si fors Clericos, quicumque in Consiliariorum hujusmodi album inscripti fuissent, residentiæ vinculo absolutos canonicè fuisse, ubi illos sevocabat Rex ad hæc Comitia, quæ bis anno quolibet habebantur, & ubi publica, privataque Regis regnique negotia, majoris certè molis dijudicabantur. Ita jam declinabant Conventus illi solennes ad hujus posterioris ævi Parlamenta, ubi primùm tum publicæ, tum privatæ causæ ventilabantur: & ubi deinde his, vel illis tantùm locus fuit, pro regnorum varietate, ut patet ex Galliæ Angliæque Regnis. Ne verò ex horum occasione Comitiorum molestè feras diutius à suis Ecclesiis abstractos fuisse Episcopos; illud velim perpendas, quod bis anno quolibet haberentur, quod Rex ipse utplurimum interesset, qui longioris moræ impatiens fuisset, tot aliis gravatus curis: quodque nec omnes adessent omnino Episcopi, ut in Conciliis universalibus; quod denique eodem tempore, & Concilia nationalia, & Comitia Regni celebrarentur.

XII. Sed præter Concilium, quod sæpiùs eodem loco & tempore habebatur, quo Comitia; in ipso Regni Conventu, seu Comitiis, tradit Hincmarus sejunctas persæpè fuisse Cameras, seu turmas Episcoporum & Comitum; quæ quandoque rursus convenirent, ut de causis mixtis communicato consilio agerent, hoc est, partim temporalibus & civilibus, partim Ecclesiasticis. *Ut primò omnes Episcopi, Abbates, vel hujusmodi honorificentiores Clerici, absque ulla laïcorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel hujusmodi Principes à cætera multitudine segregarentur, &c. Et tunc prædicti Seniores more solito Clerici ad suam, laïci verò ad suam constitutam Curiam commorarentur. Qui cum separati à cæteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul, vel quando separati residerent, prout eos tractandæ causæ qualitas docebat, sive de spiritualibus, sive de sæcularibus, seu etiam commixtis.* Planum hic est *Seniores* dici conjunctim Episcopos, & Proceres Laïcos, ut suprà exposuimus.

Ibidem. pag. 214.

Regnantibus Caroli Calvi filiis nepotibusque iidem mores obtinuere. Ad Ludovicum Balbum Regem rescripsit Hincmarus, nihil ei se posse consilii impertiri de publicis Ecclesiæ & regni rebus, nisi in Regni Consilio & Conventu generali, cum cæteris Regni primatibus. *De generalibus Ecclesiæ, vel Regni negotiis sine generali Primorum Regni consilio vel consensu, speciale dare consilium nescio, & consensum deliberare non valeo: nec præsumo.* Habes hic rursus vocem illam *Consensus*, quæ solenniter adhuc usurpatur in Angliæ Parlamentis in causa consimili. In eam enim Gallicana influxit Disciplina.

To. 2. pag. 184.

XIII. Æmulata est & Germania hanc Ecclesiæ Regnique Francorum publicam administrationem, jam inde à Lotharii temporibus, filii Ludovici Pii. Anno enim 852. convocavit Lotharius Synodum Moguntinam, ubi separatim hic Episcopi soli de rebus Ecclesiasticis, illic Proceres de publicis causis litibusque pertractarunt, ita ut synodalia decreta Regio confirmarentur tandem Edicto. *Habita est Synodus ex voluntate & præcepto Principis in civitate Moguntia, præsidente Rabano Archiepiscopo, cum omnibus Episcopis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Bajoariæ atque Saxoniæ. Et illi quidem de absolvendis quæstionibus Ecclesiasticæ disciplinæ tractatum habebant: Rex verò cum Principibus & Præfectis Provinciarum publicis causis litibusque componendis insistens, postquam Synodalia eorum decreta suo judicio comprobavit, &c.* Ita Germanicæ Diætæ ex Conciliis ortæ sunt; ita & ibi mixti hi Conventus in plures Cameras, seu Conventus minores secabantur: ita soli Episcopi spiritales causas dijudicabant; ita ipsa Episcopalis Synodi decreta Princeps confirmabat; derivata in Germaniam utraque Gallicanæ Ecclesiæ & Reipublicæ disciplina.

Du Chesne. To. 2. pag. 552.

Commemorata est à Reginone Synodus Francofordiensis anni 952. in qua Otto Imperator cum Episcopis & Proceribus Germaniæ multa utiliter decrevit in causis Ecclesiasticis, vel mixtis. *Constitutum est à Rege Othone, consentientibus Episcopis, Comitibus, aliisque fidelibus compluribus, Canonum sanctorumque Patrum authoritate, nec non Capitularium*

Append. 2. c. 53.

præcedentium Regum institutis coram positis, ne oppressio virginum aut viduarum, vel raptus, &c. Concilium Coloniense anni 887. sub Carolo Crasso, Episcopis constabat, Abbatibus, Presbyteris, Diaconis, & *laicis quibusdam religiosis.* Sub Arnulpho quoque Rege Metensis Conventus mistus fuit: *Multi Sacerdotes cum Comitibus, & pluribus Nobilibus fuerunt.* Triburiense Concilium sub eodem Rege ejusdem fuit generis: *Cum Episcopis, Abbatibus & omnibus Regni sui Principibus.* Actum in eo est de Regni & Ecclesiæ negotiis: *Rex tractans practicè de statu Regni, & Theoricè de ordine & stabilitate Ecclesiarum.* Et hic quoque duo erant sejuncti Conventus: *Sacerdotes qui missi sunt, gratulantes congredientibus quibusdam Optimatibus de throno Regis, causa justa legationis & unanimitatis, ad sanctam Synodum directis reversi sunt ad eos, qui miserant illos.*

Anno 995. *Præfat. Conc. Trib.*

XIV. In his certè Conventibus mistis immergebant se paulò altiùs Clerici in rerum regimen temporalium: Verùm t. ut eas ad Dei cultum retorquerent. Abstinere se illis ipsi potuissent; sed in Christianæ charitatis Republica, quod cujusquam interest, omnium interest. 2. Ecclesiæ & Regni rationes indivulsæ cohærebant. 3. Authoritatis non parum hinc accedebat statutis Ecclesiæ.

CAPUT LII. *P. 3. l. 2. c. 54.*

Exceptio residentiæ alia, adesse Congregationibus Cleri Generalibus sub Imperatrice Caroli Magni stirpe.

I. Sub Pipino duo quotannis generales Cleri Conventus, Major & Minor.
II. Quid interesset discriminis.
III. Sub Carolo Magno & successoribus idem observatum. Hæ Cleri Congregationes à Regibus convocabantur.
IV. Verò salsa tum ea erant Concilia.
V. Provincialium non rarò Conciliorum loco fuere.
VI. In Regum Palatio colligebantur.
VII. Quod magis consentaneum erat, ut à Regibus convocarentur.
VIII. Pro una Cleri generali Congregatione, quatuor quandoque habita sunt minus generales. Quæ ibi causæ agitarentur.
IX. Concilium Tullense postulat, ut Conventus isti Generales semel quovis biennio in Palatio habeantur.
X. Ita Ordinarii evadebant.
XI. Concilia ipsa Provincialium majores & molestiores causas ad hos Generales Cleri Conventus quandoque referebant.
XII. Idem usus in Angliam & Germaniam propagatus.
XIII. His Cleri Congregationibus aderat & secundus ordo Cleri.

I. Abstineri poterat hac quæstione, cùm de his Cleri Congregationibus abundè actum videatur, ubi vel de Regni Comitiis, vel de Conciliis Universalibus disputatum est. Sed quoniam quandoque inveniuntur Cleri Congregationes, quales etiamnunc in usu sunt, à Comitiis Regni, & à Conciliis Nationalibus sejunctissimæ, consultius visum est hoc illis rursus caput dicare, cui & peculiares aliquas seposuimus observationes. Pipinus Rex, ut habent Acta ipsa Concilii Verni anno 755. *universos pene Galliarum Episcopos adgregari fecit ad Concilium*: ut restaurandæ Ecclesiasticæ in Galliis disciplinæ, quæ funditus collapsa fuerat, prima quædam ponerentur fundamenta, blandissimis priscorum Canonum delinimentis, quorum rigore redintegrascere magis, quàm sanari potuissent Reipublicæ morbi: *Et cum ita factum fuerit, cessent hæc, quæ necessitate cogente ex sacris Canonibus remissa sunt excepta, maneantque præfata jura canonica, firma, integra, atque inviolata.* Permirum illud fuit temperamenti genus, ut temporaria delegatione Episcopi aliqui Metropoles administrarent. *Episcopi quos modò vice Metropolitanorum constituimus.* Statutum ibidem fuit, ut quolibet anno duæ Synodi haberentur Kalendis Martiis, & Octobribus. Locum indicebat Rex primæ, cujus Episcopi secundæ locum deligebant. Secundæ Synodo aderant Metropolitani, & qui ab illis designabantur, ex Episcoporum choro, Abbatumque & Presbyterorum. Unde emicare illud videtur, Primæ Synodo affuisse Episcopos & Abbates prorsus omnes, satis convenienter iis, quæ superiori capite ex Hincmaro adscripsimus. *Episcopi ibi conveniant, quos vice Metropolitanorum constituimus; & illi alii Episcopi, vel Abbates, seu Presbyteri, quos ipsi Metropolitani apud se venire jusserint, ibidem in ipsa secunda Synodo convenire faciant.*

Præfat. Conc. Vern. *Can. 2. 4.*

II. Convocabat ergo has Synodos Rex, locumque designabat, saltem primæ, quæ major erat. 2. Cùm duæ annis singulis haberentur. 3. In eas primus & secundus confluebat Ordo Cleri. 4. Secundæ saltem Synodi designabat Metropolitanus Episcopos omnes, Clericosque cæteros, qui adesse tenerentur. Primam suspicamur simillimam fuisse Concilii Verni, de qua paulò antè. 5. Generales hæ Synodi, verè Synodi, & verè Concilia erant, etsi à Rege convocarentur. 6. Id sibi sumebant hæ Synodi, ut rigorem Canonum Conciliorum Oecumenicorum, & tota Ecclesia receptissimorum, lenirent, accommodarentque ad patientiam Ecclesiæ Regni. 7. A Rege exprimebant Episcopi rivulos quosdam Beneficiorum in populos, maximè in ærumnosos quoslibet. In Concilio enim Verno à Principe impetratum est, minui aliquid de publicis exactionibus, & ut Judices initium facerent semper à dijudicandis pauperum causis. 8. His denique Synodis præerat Rex, aut certè primæ. Si enim secundæ locus ab Episcopis designabatur, simile veri non est Reges ei affuisse.

III. Congregationem Cleri generalem, aut Concilium apud Francofurtum anno 794. convocavit Carolus Magnus, cui & ipse præfuit. Ita enim habent Episcopi Italiæ in libello suo adversùs Elipandum Archiepiscopum Toletanum. *Multitudo Antistitum sacris obtemperando præceptis in uno collegio aggregata convenit, &c. Sub præsentia prædicti Principis, &c.* Præfuisse Regem testificati sunt & Franciæ Germaniæque Episcopi in Epistola Synodali: *Congregatis nobis in unum, charitatis conventu, præcipiente, ac præsidente Carolo Rege.* Fateor usu styloque tum Conciliorum, tum Formularum antiquarum, idem esse quod adsit Rex, & quod *præsit*; quod permittat, aut quod *præcipiat.* Unde harum Epistolarum altera Rex affuisse, altera præfuisse dicitur; quod quanquam Legati Apostolici, & Seniores Metropolitani reapse præsiderent; non poterat tamen Rex splendore & majestate Regni, ac pompa circumfusus sedere in Synodo, quin suo etiam modo præsideret.

Hujus Concilii Canones fidem faciunt, authoritate Papæ, & jussione Regis illud coaluisse. *Apostolica authoritate, atque Regis jussione, &c. Rex interfuit Conventui.* Canones hujus Concilii complusculi, Regis & Concilii nomine & verbis enuntiantur: *Statuit piissimus Rex noster consentiente sancta Synodo, &c. Statutum est à domno Rege & sancta Synodo, &c. Definitum est à domno Rege & sancta Synodo, &c.* Rex ipse quandoque verba facit: *Placuit nobis, & sancta*

Can. 3. 4. 5. *Can. 4. 6. 7. 9. 10.*

a

Synodo. Agitur in his quandoque Canonibus de rebus merè temporalibus, utpura de monetis, & pretio rerum omnium, quæ promercales extant. [Can. 12.] Agitur & quandoque de spiritalibus & mixtis, quibus Rex intervenit ut defensor & executor Canonum.

IV. Hinc manifestè perspicitur verè Caroli Magni ævo Imperium Sacerdotale fuisse, & Regale Sacerdotium: nulla tunc æmulationis nubecula serenum ejus pacis & tranquillitatis obumbrante, & mira ultro citroque potestatis & dignitatis reciprocante vicissitudine. Ideo & in Palatio hæ habebantur, sive Synodi universales, sive universi Cleri Congregationes. Hæ enim tum Cleri Congregationes Concilia dicebantur Universalia, ut adnotatur in Canone Francofordiensi, quo jubetur, ut causa Presbyteri criminosi, quæ in Episcopali audientia terminari non potest, ad Universale Concilium referatur. [Can. 39.] *Si coram Episcopo definitum esse nequiverit, tunc ad universale Concilium illorum ratio deferatur.* Non absurdè conjecerit quis ex Africanis Conciliis haustum hoc esse, quæ Presbyterorum causas non sinebant ad transmarina perferri judicia, sed in Africa ipsa terminari. Sed illud observari æquum est, hoc Francofordiensi Canone causam Presbyteri, quam Episcopus finire nequisset, ad Concilium Universale statim transferri, non antè ad Provinciale, à quo provocatio esset ad Universale.

V. Hinc facilè intelligitur Universalia hæc Concilia in locum successisse Provincialium. Certè in vastissima illa Conciliorum compilatione pauca reperire est Concilia merè Provincialia. Pleraque pluribus ex Provinciis constant, aut ex unius etiam Regni adgregatis Præsulibus. Obvia est autem ratio. Erat enim Universalium horum Conventuum & authoritas major, & tuitio Regia propensior; bis quolibet anno hi Generales Conventus habebantur, ut & Concilia Provincialium, & quidem eodem ipso tempore, Verno videlicet & Autumnali. Hinc necessariò penè fiebat, ut à Provincialibus cessarent Episcopi Conciliis, eo anno quo Universalia habebantur.

VI. Sed eò jam reliquenda oratio est, ubi de Caroli Magni Imperio Sacerdotali pauca delibavimus, ex quo & illud nascebatur, ut ipsum quoque Sacerdotium Regale meritò censeretur, & in ipsis Regum Palatiis Conventuum suorum pompam explicaret. Concilium Vernum in Palatio Pipini coaluit, quod Vernum dicebatur: *Verno Palatio publico.* In Palatio quoque Regio Francofordiensi habita est Synodus ejus nominis: *In Aula sacra Palatii,* ut aiunt Episcopi Italiæ. Aquisgranenses omnes Synodi in cognomine Palatio colligebantur. [Anno 816.] *Cùm Ludovicus Augustus Aquisgrani Palatio generalem sanctumque convocasset Conventum.* Capitulum Abbatum eodem tempore in Aula ejusdem Palatii conveniebat: [Anno 817.] *Cùm in domo Aquisgrani Palatii Abbates complures resedissent.* [Anno 860.] Et rursus: *Actum est Concilium Episcoporum Aquisgrani Palatio.* Nec ipsi Pontificum Legati gravabantur his in Palatio Regum interesse Conventibus, si fidem habeamus Hincmaro, ubi verba facit de Concilio Attiniaco, anni 860. quod & ipsum inter Regia erat Palatia. [Hincmar. To. 2. pag. 94.] *Quoniam quidem nostrâm tempore Ludovici Augusti, in Attiniaco Palatio tunc fuerunt, quando in universali Synodo totius Imperii, etiam cum Sedis Romanæ Legatis, & in generali Placito, &c.* Erat & in Palatiis Regiis Triburium, ubi famosa Synodus coaluit anno 895. *Venit in villam Regiam Triburiam, in terra Francorum.* Erant & in Palatiis Regiis Trosleium, Pontigo, Compendium, Liptinæ, Ingelheim, ex quibus tot Conciliorum nomina derivata sunt.

VII. Cùm in Palatiis ergo Regum Episcopales hi Conventus congregarentur, tantò æquius erat eos à Regibus congregari. Fatetur Leo III. Papa in Concilio Romano anni 799. Synodum Francofordiensem adversùs Elipandum à Carolo Magno convocatam fuisse, qui & aderat. *Ex authoritate Sedis Apostolicæ, Regis jussione, &c. Orthodoxum Concilium, quod in conspectu Caroli gestum est, &c.* Ab eodem se convocatum profitetur Synodus VI. Arelatensis, anno 813. *Caroli Imperatoris jussu Fraternitatis nostræ cœtus est adunatus.* Eodem anno Concilium Remense testificabatur eo jure uti Carolum, exemplo priscorum Imperatorum: *Conventu Metropolitanæ Sedis Remensis à Carolo piissimo Cæsare more priscorum Imperatorum congregato.* Meldense Concilium anno 845. solius meminit consensûs Regis Caroli Calvi. Nec secus Concilium Suessionense II. anno 853. *Episcopis juxta statuta Canonum Synodum celebrare volentibus, annuit Rex Carolus.* Affuit Rex ipse, ut Canonum defensor: *Ut non solum Ecclesiæ se filium esse ostenderet, verùm etiam sicubi opus esset, potestate Regia protectorem monstraret.* Concilium Ingelheimense sub Ludovico IV. & Ottone Regibus ab Agapeto Papa convocatum fuerat, cujus & Legati præfuerunt. *Agapetus Vicarium Marinum mittit ad Ottonem propter congregandam generalem Synodum in Palatio Ingelheim, litteræ Papæ mittuntur quibusdam Episcopis Galliæ & Germaniæ, vocantes eos ad Synodum.*

VIII. Quandoque verò non unam totius Regni sui Rex Episcopalem Synodum, vel Congregationem adunabat universalem, sed tres vel quatuor, plurium singulas Provinciarum, ita ut omnium earum decreta in unum conspirantia, instar haberent Synodi, vel Conventûs universalis. Ita anno ante obitum suum anno Carolus Magnus quinque simul variis locis Synodos haberi jussit. Ita & Ludovicus Pius in Capitulari III. suo anno 828 ait in Conventu particulari, quòd tunc universalis congregari non potuisset, statuisse se, ut quatuor in Synodos eodem tempore confluerent Episcopi omnes, in quarum singulis plures fulgerent Metropolitani. *Volueramus siquidem tempore congruo Placitum nostrum generale habere, & in eodem de communi correctione agere; & ita Deo miserante fieret, nisi commotio inimicorum, sicut nostis, præpedisset. Sed quia tunc fieri non potuit juxta voluntatem nostram, visum nobis fuit præsens Placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere, &c. In isto Placito consideravimus, ut primò Archiepiscopi cum suis suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent, & ibi tam de sua, quàm de omnium nostrûm correctione & emendatione quærendo invenirent.* [Conc. Gall. To. 2. pag. 455. 475.]

Conventus hic vides generales alios, alios particulares Regni, & in particulari consilium iniri de quatuor vocandis Conciliis, quæ Universalem Cleri congregationem repræsentent, vicemque ejus suppleant, quæ convocari nequisset, uti nec Regni Comitia, propter circumsonantes belli fragores. Cum Comitiis ergo Regni conveniebant quidem semper Generales Cleri Congregationes, sed & ipsæ quandoque separatim colligebantur; quòd bellicis tumultibus distinerentur quidem Comites, nequaquam verò Episcopi. Ex harum quatuor Synodorum numero, quas meditatus fuerat Ludovicus,

sum Concilium Parisiense VI. ubi jussit ipse aliqua statui, quibus non Ecclesiæ tantùm, sed & Regiæ Aulæque Regiæ, & Regis ipsius mores purgari, & ad pristinam normam expoliri possent. *Principaliter*
Can. 3 *corpus Ecclesiæ in duas eximias personas; in sacerdotalem videlicet & regalem, divisum esse noscimus. &c. Primùm de sacerdotali, post de regali persona dicendum statuimus.*

IX. Sed cùm rariùs à bellis respirare daretur, & inciderent frequenter aliæ causæ retardandorum Regni Comitiorum, in Concilio Tullensi ad Saponarias statutum est anno 859. exorari Regem, ut anno saltem semel quolibet Concilium particulare in qualibet Provincia coiret, utque semel intra biennium in Palatio Regio Clerus universus con-
Can. 7. gregaretur: *Poscendum à Christianissimis & piissimis Principibus nostris, ut Concilia Episcoporum juxta antiquam Ecclesiæ observantiam & studium Catholicorum Principum, tam Patrum suorum, quàm etiam eorum qui ante illos extiterant, nullatenus omittantur; sed per singulas quasque Provincias saltem semel per annos singulos eorum favore & pia exoratione celebrentur. In eorum quoque Palatiis saltem semel intra biennium generalis Episcoporum Conventus agatur.*

X. Ergo hi *Generales Episcoporum Conventus*, cujusmodi nunc sunt quinquennales Cleri Gallicani congregationes, tum ordinarii posthac esse debuerant, quàm Concilia Provinciarum, quanquam non anno quolibet, sed biennio semel haberentur. Nec Concilia hæc dicuntur hi Conventus, quanquam abundè jam diluxerit Universalia Regni hæc fuisse, & dicta esse Concilia. Certè voces ipsæ, Synodi, Concilia, Conventus, Congregationes unam eandemque rem sonant. Denique rursus illud hoc loco declaratur, in Palatio Regum habitos fuisse Generales hos Cleri Conventus.

XI. In hunc autem Generalem Cleri Conventum referebantur tandem Concilia Provinciarum omnia, ut ab eo accessio non modica sibi tum luminis fieret & splendoris, tum authoritatis ex protectione maximè Regia. Plura jam superiùs diximus in eam rem, quibus pauca hæc ad cumulum adjiciemus. Cùm Presbyteri seu Parochi Provinciæ Occitaniæ diutiùs de Episcoporum in se inclementia, & apud ipsum tandem Regem Carolum Calvum conquesti essent: Tulosanum ab eo Capitulare promulgatum est anno 843. temporarium illud certè, ut quidquid illud erat litium & rixarum, interim componeretur & conquiesceret, usque ad Conventum Cleri Generalem. *Moderamine mansuetudinis nostra usque ad diligentiorem tractatum Synodi generalis decernimus.*

In Concilio Carisiaco anni 858. Episcopi Provinciæ Rotomagensis & Remensis decreverunt nihil à se satis certi statui posse, nisi in Conventu generali omnium Archiepiscoporum & Episcoporum Regni, quòd hac cum Ludovico Germaniæ Rege causa omnis implicaretur Ecclesia Gallicana. *Multo magis oportet nos expectare tempus canonicum, ut cum fratribus & comprovincialibus Archiepiscopis & Episcopis loquatur, quia generalis causa imminet totius Cisalpinæ Ecclesiæ.*

Concilium denique Provinciale Turonense anni 813. ex iis unum, quæ Carolus Magnus cœlo jam oriturus indixit: cùm decrevisset, ut pro gravitate criminum ingravescerent & pœnitentiæ, Generali denique Cleri Conventui id permisit in Principis Aula coituro, ut decerneret ad quem potissimum Pœnitentialium librum accommodare se deberent Presbyteri in Confessionibus excipiendis, & injungendis pœnitentiis. *Ideo necessarium videbatur no-* Can. 22. *bis, cùm omnes Episcopi ad sacrum Palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus.*

XII. Gallorum ferè moribus ritibusque imbuti tum fuere Angli & Germani. De Germanis diximus suprà. Quoad Angliam, beati Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis vitæ Scriptor, ab eo affirmat congregatos fuisse Episcopos, Abbates, Primoresque Regni, ad Regis Edgari diadematæ cingendi pompam. *Adunatis Episcopis, Abbatibus, & Surius die cæteris Principibus cum tota Regni ingenuitate.* Video 19 Maii. Comitia hæc esse potuisse Regni. Sed jam iterum 41. iterumque monui, Regni & Cleri Comitia eodem uno loco & tempore celebrari olim solita fuisse.

XIII. Unum restat, ut secundo Cleri Ordini sedes assignemus in his Cleri generalibus Conventibus. Cùm Carolus Magnus Sedem Apostolicam percunctatus esset de convincendis Presbyteris, qui publica laborarent impudicitiæ infamia; cùmque ejus suscepisset responsa, rem totam terminari voluit in Conventu Generali Cleri, ubi uterque coaluerat Ordo, & unde nec Laici abigebantur. *Necnon & nostrorum Episcoporum, omniumque cæterorum* Capitul. l. 5. *Sacerdotum ac Levitarum authoritate & consensu, at-* c. 34. *que reliquorum fidelium, & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu definitum est, &c.*

Alio Capitularium loco jubentur Presbyteri, ut & Episcopi, ad Concilium convolare. Apparet de Concilio Provinciali hic agi: sed si rem introspicias, idem ad Universale trahi æquum est. *Placuit,* L. 7. c. 20. *ut quotiescumque Concilium congregandum est, Episcopi & Presbyteri, qui neque ætate, neque ægritudine, neque alia graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant.*

In Provincialium Conciliorum albo erat & Turonense III. anno 813. jussu Caroli Magni coactum, & ubi Clerici Episcopis adjuncti erant. *Turonis congregati Episcopi, atque Abbates, & venerabilis Clerus.* Sub Ludovico Pio, ut refert Flodoardus, Con- L. 2. c. 18. cilium Provinciæ Remensis Episcopos, Abbates, Presbyteros & Diaconos complectebatur. Affuere & Comites aliqui. Sub eodem Ludovico Pio Concilium Aquisgranense anni 836. in Epistola ad Regem Pipinum testificatur in eum Conventum adgregatos fuisse Episcopos, Presbyteros & Diaconos; more vetustissimo enim Diaconi in tertio stabant Sacerdotii gradu. *Cœtus venerabilium Præsulum, & sequentis ordinis Sacerdotum.* Ad Synodos Episcopales vocatos etiam Diaconos, jam commonuit nos Chronicum Moissiacense, de Carolo Magno verba faciens: *Congregavit universalem Synodum in* Du Chesne. *Aquis, & ibi fecit Episcopis, Presbyteris, Diaconis re-* To. 3. pag. *legi universos Canones, &c.* Agens Hincmarus de 144. Concilio Carisiaco, ubi excussa fuerat Gothescalci Monachi causa, affirmat præter Metropolitanos & Episcopos complurimos, affuisse Archidiaconos, Diaconos, Oeconomos, Notarios sacri Palatii, & complures alios, qui Episcopalibus postea insignibus exornati fuere. Ingelheimense Concilium anno 948. sub Ludovico IV. & Ottone Regibus præter Archiepiscopos & Episcopos reliqui etiam Cleri turbam complectebatur: *cum turba Abbatum, Cano-* To. 2. p. 22. *nicorum, & Monachorum.*

CAPUT

CAPUT LIII. *P. 3. l. 2. c. 56.*

Canonica residentiæ exceptio, Conciliis Provincialibus adesse, sub Caroli Magni Imperio, ejusque stirpe.

I. Quæ forma tum esset Provincialium Conciliorum.

II. Quæ forma Conventuum Provincialium, quibus Missi Dominici præsidebant.

III. An hi Conventus pro Conciliis haberi possent.

IV. Quæ quandoque causa remorarentur, quæ omnino prohiberent Concilia Provincialia.

V. VI. Petita & impetrata à Regibus novorum instauratio Conciliorum.

VII. Metropolitanorum est ea convocare.

VIII. Convocarunt & Romani nonnunquam Pontifices.

IX. In Oriente quolibet anno cogenda erat Synodus Provinciæ.

X. Ad anniversarium Patriarchæ Concilium quotannis Diaconi, vel Vicarii quipiam alii mitti poterant.

XI. Par Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ calamitas, cessatio Provincialium Conciliorum.

I. CUm frequentior Comitiorum Regni Generalium, & Universalium Conciliorum, Congregationum denique universi Cleri convocatio, Concilia interim pene Provincialia absorbuerit: potueramus hac tota tractatione supersedere. Sed cùm celebrata sint tamen nonnulla, celebrarique jussa sint annis singulis vertentibus, non potuimus in præteritis relinquere hunc veluti cardinem Canonicæ Disciplinæ. Compendio Flodoardus sub- (Flodoard. L. 2. c. 18.) jecit oculis Concilium Vulfarii Archiepiscopi Remensis, Novioduni habitum, ubi præter Episcopos Provinciæ, interfuere duo Chorepiscopi, octo Abbates, Presbyteri, Diaconi, & denique quatuor Comites. Controversia erat de Parochiis quibusdam inter Episcopos Noviodunensem & Suessionensem. Decreto Concilii subscripsere Clerici, Laïcique, quod mixta causa ageretur. *Hæc diligentissimè investigata consenserunt Episcopi, Chorepiscopi, Abbates, Presbyteri & Diaconi, & pars Ecclesiæ Noviomensis, Clerici & Laici, & pars Ecclesiæ Suessionensis, similiter Clerici & Laici.*

II. Etsi Conciliis Provincialibus annumerari non possent, Canonici tamen erant, sanctissimi Conventus per omnes congregandi Provincias ab Episcopo & Comite, quos Missos suos Dominicos Ludovicus Pius in omnes Regni sui regionculas delegabat anno 823. Statim enim convocandi ab ipsis erant Episcopi, Abbates, Comites, Officia- (Conc. Gall. To. 2. pag. 457. 471. 474.) les Principis, & Advocati Abbatissarum. *Conveniant ibidem Missi unusquisque in sua Legatione, cum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus ac Vassis nostris, Advocatis nostris, ac Vicedominis Abbatissarum, &c.* Missorum Dominicorum, & horum Con- (Capit. Car. Mag. l. 1. c. 25. 26.) ventuum scopus is erat, ut præsidio essent Episcopis & Comitibus, in defungendo suo munere, & perfringerent repagula omnia, si qua essent quæ Canonum & Legum observantiam retardarent: *Et si fortè Episcopus, aut Comes aliquid negligentiæ in ministerio suo egerit, per istorum admonitionem corrigatur.* Iisdem malis mederi satagebant ex officio suo Synodi Provinciales: sed hi Conventus juridicæ jurisdictione & authoritate aliquantò ampliori fulciebantur, ex ostentatione quadam Regiæ majestatis.

III. Posset & quis non temerè opinari, hos Missorum Conventus in locum aliquando subiisse Conciliorum Provincialium, quæ adeo non bina jam annis singulis indicebantur, ut ne semel quidem plerumque. Hinc ad aures Principis perstrepebant querelæ & lites; authore & teste locupletissimo Concilio VI. Parisiensi, à quo statutum est, ut à Rege postularetur restitutio Conciliorum Provincialium, & potestas eorum annis singulis semel saltem cogendorum, si sæpius non daretur, in tantis rerum & necessitatum Ecclesiæ angustiis. *Irrepsit* (Ann. 829. l. 1. Can. 26.) *miserabilis ac periculosa nostri temporis consuetudo, eò quod Episcoporum Concilia bis in anno, sicut mos canonicus docet, per unamquamque Provinciam non fiunt; & ob id Ecclesiasticæ utilitati magnum dispendium, & principalibus auribus insolens impedimentum & multorum impunitas nascitur flagitiorum. Proinde omnibus modis pernecessarium visum est, ut ab Imperiali celsitudine libertas temporis imploretur, quo hæc ad utilitatem Ecclesiæ multorum correctionem fieri possint. Et si hæc aliqua præpediente necessitate bis nequeant, saltem in anno semel fiant.*

IV. Quæ hic à Concilio flagitatur temporis libertas, *Ut saltem semel in anno libertas opportuni temporis concedatur:* in eo posita erat, ut ne eo tempore ad alios raperentur Conventus, vel ad militares ad Regni tuitionem expeditiones. Ita sublucet, unde interruptio illa prodiret Conciliorum Provincialium. Spectabat forsan pius Imperator, posse eam (L. 3. c. 11.) labem sarciri per obambulationes & Conventus Missorum Dominicorum; sed ejusmodi malum erat desinere & silere Concilia Provinciarum, cui mederi non dabatur, nisi eorum restauratione. Ipsius Imperatoris interesse contestantur hujus Concilii Patres, ut ne posthac occupatissimæ ejus aures obtunderentur tot causis litibusque, in Concilio cujusque Provinciæ componendis. Ita jam tum ad Magistratum civilem defluebant ex parte non mediocri causæ eæ, quas Ecclesiastico fas erat judicio consopiri.

V. Eadem ipsa de re Carolum Calvum interpellavit Concilium Meldense anni 845. à quo commonitus est Rex, Pastorum sacras functiones abrumpendas non esse perturbationibus Regni: *Ut Prin-* (Can. 32.) *cipes juxta Decreta Canonum per singulas Provincias saltem bis aut semel in anno Synodicè convenire concedant: quia qualibet confusio rerum temporalium dissolvere non debet collegium & studium Sacerdotum.* Non quo, ut mea fert opinio, Rex prohibuisset haberi annua in Provinciis Concilia; sed jam frequenter ille suis ab Ecclesiis, Provinciisque Episcopos abstrahebat, ad causas Regni publicas, ut jam ne volentes quidem possent ad annuas Provinciarum proficisci Synodos.

VI. Verùm si perturbationibus regnorum disturbabantur hæc Concilia; cùm pacis plerumque conciliatores essent Episcopi, hinc ea illis facilè accedebat gratia, & potestas, ea Regum observantia, ut non ægrè Conciliorum congregandorum jus recuperarent & licentiam. Vide ut de his differant Patres Concilii Tullensis ad Saponarias, anno 857. in quod confluxerant Episcopi duodecim Provinciarum. *Episcopi secundùm illorum ministerium ac sacram* (Can. 2.) *authoritatem uniti sint, & mutuo consilio atque auxilio Reges Regnorumque Primores atque populum sibi commissum in Domino regant & corrigant. Et nemo se à solatio mutuo subtrahat, sed Synodales Conventus secundùm jussionem canonicam frequentare procurent. Quatenus ordo Ecclesiasticus, qui quasi obliteratus jam fuerat, quoniam Synodi propter discordiam Regum frequentari non poterant, Episcopali collatione ad necessarium ac debitum statum reduci prævaleat. Unde etiam*

consensum apud Reges expetitum obtinuerunt.

Non minimum ponderis est verbis in his pene singulis. 1. Conciliorum cessatione tota pessum iit Ecclesiæ disciplina. 2. Nec bellis, nec tumultuationibus quibuscumque Regnorum avocari debent Reges, Præsulesque ab his congregandis Conciliis, cùm vel ex ipsis opportuna & efficacia peti possint sanandis his Reipublicæ morbis medicamenta: quippe Vicarii Christi Episcopi pacem ubique circumferunt. 3. Si unanimi inter se consensione conspirarent Episcopi, nullas non infringere possent difficultatum moles, canonicis institutis adversas; & se sibi reddentes aliquando tandem Principes terreni, nihil non Episcopis annuerent, quos experti semper essent, unum id cupere, in unum id conniti, ut in Ecclesia religio, in Republica justitia & pax inconcussa vigeat. 4. Sed qua se cumque demum animi constantia induant & fortitudine Episcopi duodecim Provinciarum, non id sibi tamen arrogant, ut injussu Regum suis tum in Provinciis Concilia indicant. Ideo & Hincmarus Remensis Archiepiscopus anno 858. datis ad Ludovicum Germaniæ Regem litteris, liberam Conciliorum convocationem protinus poposcit. *Ut temporibus à sacris regulis constitutis Provinciales Synodos cum Episcopis, & speciales cum Presbyteris habere quietè possint, annuite.* (To. 2. pag. 131.)

VII. Hac necessitate obtinendæ Regiæ consensionis, nihil detrahitur de jure Metropolitani ad suorum convocationem Conciliorum. Ex eodem Hincmaro, eo differunt universalia & particularia Concilia. Universalia convocanda sunt authoritate Papæ & Principis: at Provincialia convocant non Pontifices Romani, sed ex eorum decretis Metropolitani. *Cla et universales ac generales Synodos nominari, cum plures Episcopi Apostolicæ sedis jussione, & Imperiali convocatione convenerunt, &c. Sic igitur universales Synodi specialiter Apostolicæ sedis authoritate convocantur, & aquè Provinciales Canonicæ Synodi, decreto sedis Apostolicæ à Metropolitanis & Provinciarum Primatibus convocantur.* (Ibidem. Pag. 457. 458 459.) Exemplum ibidem depromitur ex Concilio Francofordiensi, quod habitum est *jussione sedis Apostolicæ, convocante Imperatore.* Cùm verò ex Capitularibus Caroli Magni, *Concilium universale nonnisi necessariò faciendum sit,* atque adeo extraordinariè: extraordinaria quoque illis opus est convocatione. (Capitular. Carol. Mag. L. 7. c. 70.)

VIII. A Pontifice tamen nonnunquam Metropolitanis mandatum ●, ut Concilia sua cogerent, eisque Apostolicæ sedis nomine præessent, quæ tunc interpellata fuerat ad quarundam causarum dijudicationem. Cùm inter Hermannum Coloniensem Archiepiscopum, & Adelgarium Archiepiscopum Hamburgensem aliquid controversiæ ortum esset, eam Papa Fulconi Remensi Metropolitano causam delegavit, jusso Vormaciæ Synodum indicere. *Injungit sua ipsius vice Papa Synodum convocare.* Ita Flodoardus. (L. 4. c. 1. 2. 3.) Cùm retulisset Formosus Papa Episcopos Remensis Provinciæ Fulconi eidem Metropolitano ægrè & impatientius obedire, per datas ad eum litteras jussit, ut Synodum indiceret, eique præsideret, authoritate vestitus sedis Apostolicæ, quò promptiores & obsequentiores haberet suffraganeos decretis, quæ ibi conderentur. *Scribens ut de tanto neglectu, Synodali simul actione perquirant, & quidquid oportuerit, canonica atque Apostolica muniti authoritate decernant.* Authoritate hic idem Pontifex Apostolica tota explicata, ut Regio avitoque Francorum solio Regum Carolum Simplicem adsereret, adversùs Odonem æmulum; rescripsit ad Archiepiscopos & Episcopos Regni, ut in Synodum convenirent, quò ejusdem Caroli Regis vacillans imperium confirmarent, & Odonis tyrannicas usurpationes compescerent. *Item ad Archiepiscopos & cæteros Episcopos Galliarum, monens ut conveniant, atque commoneant eundem Regem Odonem, ne aliena usurpentur.*

IX. In Oriente confirmatus est prior Trullanæ Synodi Canon à Synodo VII. generali, ut quotannis Provincialia adgregarentur Concilia: intentato excommunicationis fulmine publicis Magistratibus, si quis motæ quidpiam objicere tentaret. *Ut si quispiam Princeps, ἄρχων, inventus fuerit hoc prohibere, communione privetur.* (Can. 6.) Eandem Provincialium Conciliorum inculcavit necessitatem Synodus Oecumenica VIII. ea cautione, ut ne universalibus officerent Synodis, sive Diœcesanis, quæ à Patriarchis & Exarchis indicendæ erant. (Can. 17.)

X. Excommunicatione à VII. Synodo vibrata, negat Balsamon irretiri summos Principes, sed Magistratus civiles, τοὺς ἐπαρχικοὺς ἄρχοντας. (Balsam. In Can. 6. Synod. VII.) Quoad Synodos autem universales, quæ in Africa universariæ erant, & quæ copulari vix posse videbantur cum Provincialibus Conciliis: affirmat facillimè ea sociari posse, etiam tum cùm eodem tempore congregantur. (Item in Can. 21. Carthag.) Posse enim Metropolitanum Concilio suæ Provinciæ Præsidentem, aliquos ex suffraganeis, ex Presbyteris & Diaconis denique suis delegare ad Synodum universalem. Carthaginensi quidem Canone edicitur, ut à Concilio Provinciali ad universale delegentur ex Episcopis ipsis: sed non improbabiliter philosophatur Balsamon, cùm totica in Conciliis etiam Oecumenicis Presbyteri & Diaconi personam & vicem sustinuerint Patriarcharum: non esse quod quisquam molestè ferat, eandem illis mandari provinciam in Conciliis his universalibus. *Facile est utrumque fieri. Provinciales enim apud ipsorum Primatem congregabuntur: ipse verò apud Patriarcham conveniet per mandatarios, seu loci conservatores. Legatos autem mitti Episcopos, existimo non esse necessarium. Nam & Sacerdotes, quin etiam Diaconi mittentur, ut loci conservatores. In pluribus enim universalibus Synodis etiam Episcopi loci conservatores fuerunt, & Sacerdotes & Diaconi, tum ex aliis Provinciis, tum ex Roma.* Illud rursus ab eodem animadvertitur, anno quolibet à Metropolitanis convocari debere Synodum Provincialem: at ad Patriarchas eos accurrere non debere, nisi jubeantur. Hinc ille excipit Archiepiscopos & Metropolitanos quosdam, quibus nulli erant suffraganei: & qui proinde anno quolibet ad Patriarchæ Constantinopolitani Concilium advolare tenebantur. (Balsam. Supplem. pag. 1112.)

XI. Ea certè communis fuit calamitas utriusque Ecclesiæ, quòd utrobique frequentes diutinique fuerint hiatus Conciliorum Provincialium. Illud à Zonara observatum est, quanquam per VI. & VII. Synodum licuisset semel tantum anno quolibet ad Concilia Provinciæ convenire, tum propter itinera longinqua & permolesta, tum ad vitandas impensas; ne huic quidem tamen juris remissioni, & temperamento obtemperari. (In Can. 37. Apost. In Can. 5. Nic.) *Nunc harum Synodorum magnus est ubique contemptus.* Et alibi: *Nostris temporibus tota Synodorum ratio eò usque negligitur, ut ea omnibus omnino locis haberi desita sint.*



CAPUT LIV. *P. 4. l. 2. c. 76.*

Exceptio legitima Residentiæ Episcopalis, Comitiis Regni adesse in Gallia post annum Christi millesimum.

I. Quanta utilitas, quanta & aliquando necessitas, Conventuum ex Episcopis & Præsulibus mixtorum.

II. Eorum Conventuum in Gallia exempla sæculo XI & XII. A Regibus indicebantur, in iisque causæ ventilabantur & Regni & Ecclesiæ.

III. Magna confusio Comitiorum cujusque Provinciæ peculiarium & generalium Regni.

IV. De eodem. Concilia & Consilia quandoque indiscriminatim dicta.

V. Iidem Conventus sequentibus sæculis Concilia & Parlamenta dici solita.

VI. De iisdem Parlamentis, Conciliis, vel Consiliis sub Philippo Pulcro.

VII. Quando iis interesse cœperint Clerici secundi ordinis, & Plebeii.

VIII. Distinctio Conciliorum & Consiliorum.

IX. Curiæ quoque dicebantur. In causis Episcoporum mixtis plurimum poterant Proceres, Nobilesque.

X. Ex quo sub Philippo Pulcro Parlamentum evasit sedentarium & ordinarium, qui unus fuerat ante Conventus, in tres scissus est, Parlamentum Parisiense, Comitia Regni, & generales Cleri Congregationes.

XI. Tempore schismatis Avenionensis refloruere Magni illi Conventus, qui dici poterant & Cleri Congregationes, & Comitia Regni, & Concilia Nationalia.

XII. Veræ Cleri Congregationes erant, ibi supra Episcopos sedere cœpere Principes Regia stirpis.

XIII. Continuatur series eorundem Conventuum Generalium sub posterioribus Principibus.

XIV. Observantur aliqua in illas observationes.

I. Usque adeo consentiunt Comitia Regni Generalia cum Conciliis Nationalibus, ut difficillimè divelli possint. Cùm sit enim Regnum in Ecclesia, & Ecclesia in Regno; utriusque rationes & utilitates plerumque aptæ religatæque sunt aliæ ab aliis, ut in plerisque causis dijudicandis necesse sit ex Episcopis & Optimatibus mixtos celebrari Conventus. Longè alia erat primævæ Ecclesiarum ætatis disciplina, quòd necdum licuisset, jam intimè & arctè Ecclesiam Regnumque insinuari sibi mutuò, consuescere & inseri. Nec nisi ex parte retineri potuere illi mores, & penitissimi communionis nexus posterioribus his sæculis: sive fastidii aliquid pepererit longa familiaritas: sive indidem irrepserint suspiciones: sive magis quòd illa individua Ecclesiæ & Regni concordia aliis constringatur vinculis, quàm communione & Universalium Conventuum. Sed ea per mixtos Conventus coagmentata consensio Ecclesiæ & Regni, nunquam spectabilior fuit, quàm prioribus postremi hujus ævi temporibus, sæculo XI. & XII. Universa verò hæc regiminis exterioris ratio & disciplina, quanquam aliàs alia, suique dissimillima sit, petæquè tamen & pulcritudine sua, & utilitate, & necessitate commendatur; tanquam sponsæ Christi Ecclesiæ vestis, quæ dicitur in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

II. Exordium ducam à Gallia, ubi docet beatus Fulbertus à Roberto Rege ad publicam pacem componendam convocatos fuisse Principes ad Natalitium Christi diem, quo & ipse profecturus erat, nocte Nativitatis Christi celebrata in Cœnobio sancti Maximini. *Solennitate Natalis Domini Consilium habituri cum Principibus Regni de pace componenda.* Reliquam non attexam Epistolam eam, in qua dilucidum est, ea voce *Principum Regni* comprehensos fuisse Episcopos, uti & nunc in Germania: eoque nomine eos affuisse his Conventibus Generalibus, quæ & *Curiæ solennes* dicebantur. Anno 1050. Parisiis Henricus I. Rex Concilium coëgit Parisiense ad inurendos errores Berengarii; coëgitque *consultu sui Regni Pontificum, Procerumque.* Anno 1104. convocavit Legatus Pontificis Concilium Trecense, cui affuere Episcopi & Barones Galliæ. *Richardus Apostolicæ Sedis Legatus apud Trecenses celeberrimum habuit Conventum Episcoporum, Abbatum & Galliarum Procerum.* Gratissima fuit Principibus ea Legatorum Pontificis potestas, quandiu sibi moderata est. At anno 1095. cùm duo jam in Galliis generalia Concilia Urbanus II. habuisset, doluit Philippo I. Regi, quòd dictita esset fama, tertium eodem anno ab ejus Legato convocatum iri. Itaque quid sibi optimum factu videretur, Ivonem Carnotensem consuluit. Rescripsit Ivo his à se rumoribus fidem non haberi de tertio indicendo Concilio; si quid verò ejusmodi tentaretur, Regis esse cum Episcopis suis librare & inire Consilia, & intercedere innovationi in perniciem Ecclesiarum Regni erupturæ. *Quod si quis Episcopus ultra terminos à Patribus constitutos angariare voluerit, vos habito cum eis communi Consilio, injustis oppressionibus pro persona vestra resistite: sic ut quæ sunt Dei, Deo reddant, & quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddere non omittant.* Baron. an. 1095 n. 53. Ivo Ep. 62.

Sub Ludovico Crasso cùm in civitates Ecclesiasque complures igne ferroque sævisset Thomas de Marne, à Legato coactus est Belluvaci generalis Ecclesiæ Gallicanæ Conventus, ex quo in illum anathema vibratum est. *Cum sederet Belvaci in Generali Conventu Ecclesiæ Gallicanæ.* Tum verò Rex armis contundere Tyrannum novum adgressus est, Clero semper comitante. *Clero, cui semper humillimè hærebat, comitatus.* Ita in hujus Regis vita Sugerius Abbas, ubi & illud addit, omnes ab eodem accersitos esse Episcopos apud Stampas, ut in commune tractaretur de personis ipsis Innocentii II. & Anacleti Antipapæ; de persona, inquam, quòd tunc quidem persæpè tumultuosiores essent electiones.

Cùm primùm Regni habenas tractare cœpit Ludovicus Junior, sive VII. Crassi, sive VI. filius, illico Parisiis Episcopos & Barones Regni congregavit, ut ea more de rebus Ecclesiæ & Regni deliberaretur. Vide ut in ejus Gestis res narretur: *Venit Parisius, quæ est Caput Regni & sedes Regia, ubi solent Reges antiqui Conventum Prælatorum & Principum evocare, ad tractandum de statu Ecclesiæ, vel de Regni negotiis ordinandum. Ita fecit Rex juvenis.* Gesta Ludo. VII. c. 3 19.

Ejusmodi fuit & Conventus, ubi confirmatum est ejus de repudianda Eleonora conjuge & Regina consilium, aliaque ducenda uxore. Hist. Ludov. VII. Non silet Sugerius Abbas, ut fuerit sibi Regni administratio commendata Episcoporum Baronumque consilio, nec sine Pontificis Romani assensu, cùm Ludovicus esset in procinctu belli sacri *Archiepiscoporum, Episcoporum & Regni Optimatum consilio nec sine Domini Papæ assensu, curam administrationis Regni sui nobis commisit.* Epist. 24. 72. 74. Quam eandem rationem secutus est prius Regni Administrator, toties Conventibus Præsulum & Optimatum celebratis, quoties ejusmodi graviores causæ inciderent. *Profectò consilium Dei fuit, ut ad Consilium tam Curiæ, quàm Ecclesiæ Principes vocaretis.* Ejusque rei rationem profert ipse Sugerius valde perspicuam, quòd mutuo sibi præsidio sint Ecclesia & Regnum. *Quoniam & temporale Regnum per Ecclesiam Dei stare, & Ecclesiam Dei per*

Fulbert. Epist. 93.

temporale Regnum proficere evidenter ostenditur.

III. Apprime concinebant Comitiis his Generalibus Comitia peculiaria Provinciarum; ubi communi deliberatione Reipublicæ causas Episcopi & Optimates versabant. Ita enim ad Sugerium Abbatem Archiepiscopus Burdigalensis perscribebat: *Nos & Coëpiscopos, generaliter omnes Proceres terræ convocaveras, pro pace terræ firmanda.* Sugerius ipse Regem aliquando enixiùs obtestatus est, ne antè Duci Normanniæ bellum indiceret, quàm Episcopos & Proceres in consilium adhibuisset. *Ne contra Comitem Audegavensem, quem Ducem Normanniæ fecistis, absque consilio Archiepiscoporum, Episcoporum, sive Optimatum vestrorum in guerram immediatè prorumpatis.* Hic ipse Ludovicus est, qui anno 1155. Edictum pacis promulgaturus, illud ab Episcopis antè & Baronibus confirmari voluit in Concilio, vel Consilio ad id adunato. *Postulationibus Cleri & assensu Baroniæ toti Regno pacem constituimus. Ea causa Suessionense Concilium celebre adunavimus, & affuerunt Archiepiscopi Remensis Senonensis & eorum suffraganei Item Barones, Comes Flandrensis, &c.*

Ibidem. Epist. 135. 150.

Du Chesne T. 4. pag 583.

IV. Consilia, an Concilia aptiùs dicerentur hi Conventus, non facilè dixerim. Apparet utraque promiscuè fuisse; nec erit quod quisquam ambigat, communicatum ei fuisse Concilii nomen, si modò ejus ævi Scriptores pervolutaris. Philippus Augustus Ludovico VII. parenti successor ab ipso adscitus & declaratus est in istiusmodi Concilio. Audi Rigordum: *Rex pene septuagenarius convocavit Parisius generale Concilium omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, necnon & Baronum totius Regni, in Palatium Mauricii Parisiensis Episcopi.*

Du Chesne T. 5 p. 4 5. 12. 13 14. 20 25 39 53 69. 102. 189 327. 336.

Persimilis erat Conventus, in quo Philippus idem Augustus Regia solenniter corona decoratus est: *Convocatis Archiepiscopis, Episcopis & Baronibus Regni* Pacis & bellorum maximè sacrorum consilia in his agitabantur Conventibus. Exemplorum immensa quædam copia in historicis passim monumentis. Unum hic promo, ubi Concilii & Consilii voces adhibentur. De bello sacro consultabatur. *Generale Concilium omnium Archiepiscoporum & Episcoporum & Principum terræ suæ Parisius convocari præcepit. Celebrato autem cum illis communi Consilio, &c.* Idem ipse Rex Concilium convocavit simillimum anno 1188. *Generale Concilium celebratum est à Philippo Rege, convocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & totius Regni Baronibus.* Bellum inferri Infidelibus, & Decimas exigi placuit eas, quæ Saladinæ dictæ sunt, de quibus proprio inferiùs loco. Anno 1195. subscripsit paci inter Francos & Anglos firmatæ Conventus simillimus Episcoporum & Baronum. Missos facio complures apud eundem Rigordum Conventus alios his simillimos. Nec secus res se habuit sub Ludovico VIII. Philippi Augusti filio, Ludovici IX. & sancti patre.

V. Parlamenti jam nomine Vuillelmus Nangius hæc Comitia donat. Veluti cùm post Lugdunense Concilium sanctus Ludovicus Rex crucem induit, ceu belli sacri tesseram. *Convocavit Rex Ludovicus grande Parlamentum Parisius, in quo Legatus & plures Regni Franciæ Archiepiscopi, Pontifices & Abbates, Barones quoque & Comites affuere.* Concilia nihilominus hæc eadem, & Parlamenta vocitabantur. *Anno 1260. congregavit Rex Franciæ Parisius Concilium Episcoporum & Procerum Regni sui, eò quòd dominus Papa scripsisset Tartaros in transmarinis partibus irruisse.* In persimili *Parlamento* Episcoporum & Baronum idem rursum Rex crucem induit. Erat præterea eidem Regi Consilium Privatum: *Erat Rex uno die cum Consilio suo Privato:* ut ait Monachus Sandionysianus. Ut blasphemos Regno extirparet. *Authoritate Legati & sua convocati sunt Parisius Majores de Regno, tam Principes, quàm Prælati. Stricti* Consilii meminere Philippi Audacis Regis gesta: *de stricto Regis Consilio.* Meminere & Parlamenti: *Grande tenens Parisius Parlamentum:* ubi Regnum Arragoniæ à Papa oblatum illi est, concessæque Decimæ Cleri.

Du Chesne T. 5. pag. 364 371. 381 398 440 419 536. 542.

In his enimvero sive Parlamentis, sive Conciliis versabantur majores Episcoporum causæ, quibus nulla hinc offensionis aut querelarum materies, nisi quod cùm ante alias omnes suæ primùm causæ expediendæ ac terminandæ fuissent, ad calcem rejiciebantur Parlamentorum, non raro & in sequentis anni Parlamenta. Interpellatus ea de re ab Episcopis Urbanus IV. Papa, lubens ipsis patrocinari studuit datis hujusmodi litteris ad Ludovicum IX Regem. *Dum finalis de Parlamento in Parlamentum differebatur responsio, superaddita nova gravamina, novas querelas pariebant, &c. Vidimus siquidem Prælatorum & aliorum querelas, qui ad Parlamenta Regalia de remotis finibus concurrentes, essent cæteris in audientia præferendi, frequenter in Parlamentorum fine servari, sicque dum fatigatis Consiliariis & ad suas anhelantibus mansiones, cum tædio & perfunctoriè audiuntur, demum dies in Parlamentum aliud infecto negotio prorogatur.* Ex hac Epistola Urbani IV. qui gente Gallus erat, meritò colligitur jam invaluisse omnino Parlamenti nomen, Concilii vocabulo in his magis magisque in dies abolescente: fuisse suos his Parlamentis Consiliarios, Præsules nempe & Regni Magnates, majore jam in illis numero fuisse Laicos, quàm Præsules; ea forsan de causa lites Episcoporum retardatas tantopere fuisse ad finem Parlamentorum: nequaquam displicuisse summis Pontificibus mixtos hos Conventus, vel eam quam sibi vendicabant in causis quibusdam Ecclesiasticis authoritatem: si qua libertati Ecclesiarum injuria fieret, eam in his Parlamentis abstergeri solitam; nec ipsos addubitasse Pontifices, quin Episcopi his Parlamentis assidentes, legitima residentiæ dispensatione uterentur, cùm non essent hi Conventus, nisi extraordinarii, & bis anno quolibet cogerentur: antiquissimo usu, jam inde à temporibus Caroli Magni propagato; denique hæc tum Parlamenta vicem obtinuisse & Comitiorum Regni, & Conciliorum Nationalium, & denique Congregationum Cleri generalium, cùm de Decimis ibi tractaretur à Rege in Clerum exigendis.

Du Chesne To. 5. pag. 872.

VI. Sub Philippo Pulcro Rege collisum est Regno Sacerdotium; suæ adversùs Bonifacii VIII. comminationes defensioni Philippus Parlamenta, sive extraordinarios hos indixit Conventus, à Consilio suo stricto prorsus sejunctos. Promulgaverat antè Pontifex diploma illud, quo declarabat non contineri Galliam ea Bulla, qua Clerici vetabantur sacri patrimonii aliquid in publicos Regni Regisve usus conferre: onerata in istiusmodi negotiis conscientia Præsulum, Clericorum & Laïcorum, qui Consilio Regia stricto intererant ex officio. *Declaratio necessitatis Prælatorum, Clericorum & Laïcorum, qui de ipsorum stricto Concilio, seu majoris partis ipsorum fuerint, conscientiis relinquatur.* Professus palam erat Rex querelis se Cleri omnibus satisfecisse, editis Constitutionibus ex Consilio Prælatorum & Baronum Regni. *Pro hujusmodi gravaminibus tollendis Rex de Prælatorum & Baronum consilio Con-*

Preuves du differ. de Bo. VIII. & de Philip. pag. 40. 287.

stitutiones, Ordinationes & Statuta salubria fecit.

At ubi Bonifacius censuris & fulminibus sævire cœpit, Joannes Villani Italus historiæ scriptor, ait Philippum Pulcrum *congregasse Parisiis Magnum Concilium plurium Clericorum, & Prælatorum, & omnium Regni Baronum.* Eadem *Concilii* voce utitur Vuillelmi Nangii continuator, uti & *Parlamenti*, ubi de his sub Philippo Pulchro Conventibus agit.
Anno 1302. 1303. *Prælatorum Concilio congregato, habuit secretum Consilium cum eisdem, &c. In publico Parlamento Parisius, Prælatis, Baronibus, Capitulis, Conventibus, Collegiis, Communitatibus, Universitatibus villarum regni sui, necnon Magistris in Theologia & Professoribus juris utriusque.* Chronicum Sandionysianum voce utitur
Ibidem. pag. 191. 198. 199. Concilii. *Perlata sunt ad Bonifacium quæ de eo dicta fuerant in Concilio Galliæ.* Et Concilio Nicolaus Gillius vocem aptat Consilii, qua non aliud quam Concilium significari vult. *Ut in his ambagibus consilium caperet, Parisiis Rex convocavit Consilium generale, Baronum & Prælatorum Regni, &c. Ubi rescivit Bonifacius, quid sibi criminationis ingestum fuisset, utque citatus fuisset in Consilio Galliæ, statuit ipse secum, ut impendenti cladi obviam iret, Consilium adgregare.* Ita ego verbum è verbo expressi è vernacula ejus historia. Vides autem ut ille Consilii nomen adscribat, tam Conventui Gallorum, in quo à Bonifacii comminationibus provocaverant, quam Concilio, quod Pontifex in sui tuitionem adgregare meditabatur. Quæ Concilia videntur utrobique fuisse, sed ejus ævi moribus, & causæ accommodata.

VII. Est autem illud accuratissimè observandum, ad hæc primum sub Philippo Pulchro Parlamenta, Consilia, Conciliaque Clericos secundi Ordinis Laïcosque convocatos fuisse. Id patefactum jam est in testimoniis supra relatis: patebitque rursus ex litteris ab eodem Philippo Pulchro ad Clemen-
Ibid. p. 296. tem V. datis anno 1310. *Demum in Parlamento publico, quod feceramus Parisius convocari de Prælatis, Baronibus, Collegio & Universitatibus Regni nostri, propter negotia statum ipsius Regni tangentia.* Quæ antè à Regibus in Episcoporum & Baronum Conventibus tractata fuerant, ea ad Regni quoque incolumitatem & tutelam pertinebant. Sed ejusmodi erat contentio Philippi cum Bonifacio, quæ videretur Philippo Regi desiderare, ut laïcos etiam regni sui ad opem regno ferendam concitaret. Superiore quidem sæculo ad Concilia adsciti fuerant Abbates, Priores & Procuratores Capitulorum. Ita enim necesse erat, cùm vel Pontifex, vel Rex decimas exigeret, aliasque temporales suppetias, ubi inferior Ordo Cleri perspicuè implicabatur. Observavit Matthæus Paris anno 1229. ad Concilium Bituricense convolasse Archiepiscopos, vel Episcopos centum, præter Abbates, & delegatos Capitulorum. *Cum Abbatibus & Prioribus, & singulorum Procuratoribus Capitulorum.* Voluit Legatus, qui præerat Concilio, deliberari de duabus in unoquoque Capitulo Præbendis summo Pontifici annuendis: cui petitioni repudiandæ omnino necesse fuit, ut secundus Ordo Cleri adesset, & intercederet.

VIII. Est & aliud porro, quod in hoc Concilium Matthæus idem Paris animadvertit, & à nobis altius animo commendandum est, diutius ibi inter se Archiepiscopos altercatos esse de suo sedendi ordine, & privilegio. Denique statutum fuisse, ut velut in Consilio sederent omnes, non velut in Concilio. *Ideo non fuit sessum quasi in Concilio, sed ut in Consilio.* In Regum Consiliis ordo sedendi certus & diffinitus erat, non in Conciliis, propter contentiones mutuas, hactenus indefinitas. Sed hinc rursus ediscimus, quantumvis non raro indiscriminatim ponerentur voces Concilii, Consilii & Parlamenti; nonnihil tamen discriminis interpositum semper fuisse. Propterea nimirum, quod quanquam Parlamenta, ubi Episcopi cum Baronibus sedebant, & ubi dirimebantur Ecclesiasticæ causæ non paucæ, Concilia dicerentur, & Consilia; erant tamen alia Concilia verissima, ubi soli Clerici sedebant, tractabantque causas merè spiritales, quarum in dijudicandarum partem nullam vocati possent laïci.

IX. Sunt & paucula alia, quæ non pigeat observasse. 1. Bis anno quolibet hi Episcoporum & Baronum Conventus habebantur, ad Natale Christi & Pascha: hoc est initio & fine regiarum & militarium expeditionum. *Curia* quoque dicebantur. Frequenter de iis aliquid delibat Ivo Carnotensis.
Commonitorias litteras misimus Archiepiscopis & Episcopis ad Curiam, quæ habenda est in Natali Domini Suessionis. Epist 138.
Parlamentum dixerat Sugerius de Ludovico Juniore agens: *Magnum Parlamentum coagregavit.* Sed ea vox, quæ Latinè Colloquium sonat, usitatissima mihi non videtur fuisse, nisi sub Ludovico IX. 2. Baronum præsentia in causis Ecclesiæ mixtis multum ponderis addebat rationibus & voluntati Regum. Ab Ivone Carnotensi narratur, ut in Curia Aurelianensi ad Natale, ipse quidem Rex assentiebatur restitutioni Radulphi in Metropolim Remensem; sed à Baronibus expugnatum id esse, ut more prædecessorum suorum hominio ille solito priùs defungeretur in Regem, quanquam ejusmodi hominia proscripsissent nuperi Pontifices summi Gregorius VII. Urbanus II. & Paschalis II. *Recla-* Epist 158.
mante Curia plenariam pacem impetrare nequivimus, nisi prædictus Metropolitanus per manum & sacramentum jam fidelitatem Regi faceret, &c. Quod persuadentibus & impellentibus totius Curiæ Optimatibus, etsi propter mandatorum rigorem minus licebat, factum est tamen, quia Ecclesiasticæ paci & fraternæ dilectioni sic expediebat. Id denique tandem à Pontificibus ipsis relaxatum est. 3. Si quando Barones renitterentur Episcopis, nec cederent: id rursus aliàs sarciebant officiosa quadam in eorum justa desideria consensione.

X. Revocandus nunc calamus ad Philippum Pulchrum, qui deambulatorium prius, & pro voluntate Regum desultorium Parlamentum Parisiis affixit, atque ansam dedit illius protrahendi sessiones duas, ita ut continuaretur tandem aliquando, & perpetuum evaderet. Episcopi primum affuere ex antiquo more; sed ubi ex diutina prolatatione perpetuum evasit, subducere se compulsi sunt, ut suis se redderent Ecclesiis. Eo semal novato, innovata sunt & alia complura. Alia enim Comitia Regni Generalia convocari post cœpere, ubi id expressit necessitas. In ea plebeios Carolus V. Rex plures adscivit, ut majori ab eis pecunia adversùs Anglos juvaretur. Ex alia parte suos privatim Conventus Generales habuit Clerus. Atque ita quod olim promiscuè dicebatur, *Synodus, Placitum, Curia, Consilium, Concilium, Parlamentum*, in tres Conventus sectum est; scilicet, 1. Parlamentum Parisiense, quæ tum verè imago est priscorum Parlamentorum, ubi Rex cum Paribus Regni in eo sessitat: & quæ eorum magnifica semper repræsentatio est, cùm perquam latissimè diffusam exercet jurisdictionem. 2. Comitia Regni Generalia, quæ ipsissima essent priorum temporum Parlamenta, si semel saltem

singulis annis haberentur. 3. Congregationes Cleri Generales, quibus suum infrà proprium Caput seponemus, & de quibus non poterimus non hic etiam aliquid carptim perstringere.

Philippus cognomento Longus Rex anno 1321. indixit Consilium, sive Parlamentum, ut aliquid pecuniæ exprimeret à Prælatis, à Baronibus, à Civitatibus. Clerus in Conciliis Provincialibus priùs rem deliberari poposcit. Assensus est Rex, & Consiliarios ex suis aliquos delegavit, qui his Conciliis interessent. Monstreletius promiscuè *Consilia* vel *Concilia Generalia* vocat, Concilia Ecclesiæ Universæ, vel solius Gallicanæ generalia. Distinguebantur ergo Concilia Cleri solius, à Consiliis, Comitiisque generalibus, vel Parlamentis.

Preuves des L. b. de l'Eg. Gall. c. 11 n. 31.

X I. Et quo tamen tempore conflagrabat schisma Avenionense, Conventus aliqui habiti sunt in Gallia Generales, de quibus meritò dubites, an Congregationes Cleri, an Regni fuerint Comitia, aut Synodi universales, hoc est Nationales. Anno 1398. Carolus VI. Rex Neutralitatem, ut tunc loquebantur, amplexus est, subducta utrique hinc & hinc Pontifici obedientia; idque fecit sanxitque in Concilio à se convocato Prælatorum, Capitulorum, Nobilium, Universitatum, Doctorum, Monachorum, & Regni Procerum. *Convocavimus Concilium Prælatorum, Capitulorum, Nobilium, Universitatum, plurium sacra pagina & utriusque juris Doctorum, Religiosorumque devotorum, & aliorum Procerum Regni nostri. Tandem per opinionem ipsius convocati Concilii comperimus, &c.* In hoc porro Conventu illud tandem decretum, accelerandæ pacis viam esse tutissimam, brevissimamque, ut uterque summi Pontificatus sive possessor, sive incubator, sponte cederet. Cancellarius jussu Regis cujus hic nomine gerebantur omnia, ita pronuntiavit, ex Monacho Sandionysiono, cujus versionem ex Latino sermone Gallicanam iterum nos ita cogimur Latinè vertere: *Authoritate Regia constituitur, consilio Principum & Procerum Galliæ, suffragatione Ecclesiæ Gallicanæ, ut in posterum obedientia subtrahatur, &c.* Et mox: *Ita finem habuit magnum illud & celebre Parlamentum.* Alibi ibidem vocatur hic Conventus *Concilium Nationale*. Res de qua tractabatur, Ecclesiastica & sacra erat. Suffragium non dicebant nisi Clerici. Ita verè Congregatio ea erat Cleri, vel Concilium Nationale. At ejus Decreta Rex amplectebatur tuebaturque, ut hic ipse Scriptor affirmat. Ad eum modum jam Comitiis Regni, vel Parlamentis poterat accenseri; si vel maximè illud perpendatur, quod Principes & Proceres Regni Rex in consilium adhiberet. Joannes Juvenalis Ursinius in eo negotio principes partes vendicat Comitiis Cleri Generalibus anno 1394. & 1398. *Præcepit Rex ut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Monachi, aliique Clerici Parisiis congregarentur. Aderant & spectabiles Clerici Universitatum, maximè Parisiensis. Qui scrutaretur opiniones & suffragia, referretque ad Regem & ad Consilium ejus, electus est Patriarcha Alexandrinus, &c. Deliberatio perlata est ad Regem, ad Principes sanguinis regii, & ad Magnum Consilium, qui omnes acquievere. Conclusum est autem, &c.* Anno 1406. ex eodem Scriptore consimilis habitus est, & alius Conventus, in quo facto opinionum divortio, *Rex in Magno Consilio suo* statuit, ut duodecim Theologi & Canonum Doctores ultro citroque pro Benedicto, & contra Benedictum perorarent, *eoque peracto Rex cum iisdem, & cum Principibus sui sanguinis statueret, quid optimum factu.* Ita rursum ad neutralitatem res inclinavit.

Ibid. c. 20. n. 1.

L. 18. c. 2.

L. 26. c. 2.

X I I. Nemo jure dubitaverit, quin hæ fuerint verè Cleri Gallicani Congregationes, quales etiamnunc sunt in usu, cùm suffragii jus penes Clericos tantùm esset, cùm de rebus Ecclesiæ tantùm tractaretur, & ubi Rex, Regii Principes & Regni Consiliarii sejuncti quodammodo essent a Conventu ipsius Cleri. Quòd autem decreta harum Congregationum ad Regem referrentur, novo authoritatis cumulo ab eo roboranda, & Sanctione ejus aliqua Pragmatica solennius publicanda, id etiamnunc usitatissimum est in hodiernis Cleri Congregationibus. Si ea autem illius ævi Scriptores, Concilia Nationalia, vel Parlamenta dicere maluerunt, id ex eo contigit, quòd non alii tum Conventus haberentur, in quibus præclarior eluceret imago priscorum Parlamentorum. Carolus VI. in litteris suis Patentibus anno 1399. *Conciliorum* nomine persæpè designat has Cleri Congregationes; quo eas nomine cùm spoliarent sectatores Benedicti XIII. rursum id illis vendicabatur Senatus-Consultis Parisiensibus, quibus Prælati & Consiliarii Regni affuissent. In his certè Conventibus multa decreta sunt, quibus apparet solum affuisse Clerum. Anno 1408. Conventus Cleri istiusmodi Decreta temperavit complura ad moderandam Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam, quandiu ea suspensio, ac neutralitas vigeret: putà de Collationibus Beneficiorum, de Dispensationibus, de Appellationibus. Nullæ, ut reor, in his fuere partes laicorum. Ideo & hic Conventus Cleri eo se ipse nomine persæpè designat, *Concilium Ecclesiæ Gallicanæ.* Cùm verò Pisano creatus esset in Concilio Alexander V. Pontifex, protinus ab eo confirmata sunt Decreta hæc omnia *Congregationis Prælatorum* Gallicanorum: sic enim ab eo vocatur. *In ultima Congregatione Prælatorum & aliorum virorum Ecclesiasticorum facta Parisiis.* Tritum illud jam est in Comitiis tum Regni, quatuor Caroli VI. Regis patruos, cœpisse tunc sedere supra omnem Clerum, omnium agglutinantes sese ipsi Regis personæ, & ab eo pene indiscretos, cujus essent consanguinei; denique eam sedendi eminentiam mordicus deinceps affectasse & retinuisse Principes omnes Regiæ prosapiæ. In omnibus Conventibus & Declarationibus Caroli hujus Regis perspicuè id & constanter observari potest, non antè usquam. Antè enim secundo semper & proximo à Rege loco sederunt semper Episcopi.

Preuves des Liber. de l'Egl. Gall. c. 20. n. 5. 11. 12. 14.

Ibid. n. 16. 20.

X I I I. Carolus VII. in paterna ingressus est vestigia. Anno 1438. & 1440. convocavit Concilium, vel Congregationem Bituricensem. *Mandavimus Ecclesiam Regni & Delphinatus congregari.* Ibi suscepta sunt Decreta Concilii Basileensis, interpolata & inflexa nonnihil quidem ad Francorum mores: sed quæ sperarent Præsules ab ipsa Basileensi Synodo approbatum iri: ex his Decretis ita temperatis Pragmatica Sanctio conflata est; consultatum est denique de schismate sopiendo Eugenium inter IV. & Felicem V. Congregationes Cleri meræ hæ ambæ fuere, quas Rex convocavit, quibus ipse præfuit, ubi Prælatos in commune consulere solos voluit, quarum decreta ad se relata in Consilio suo libravit, approbavit, publicavit, executioni curavit mandari.

Ibid. c. 24.

Ejusdem generis fuit & Congregatio Cleri apud Turonum anno 1510. ad muniendum Ludovicum XII. Regem adversùs minas, censuras, & arma Julii II. Papæ. Nomen sibi semper Concilii vendicavit hæc Cleri Congregatio. Quo eodem nomine Concilii decorata fuerat frequentissimè Congre-

Ibid c. 28

gatio illa Cleri apud Bituriges, de qua paulò antè dicebamus, ubi Pragmatica Sanctio conscripta est.

Raynal. an. 1485. n. 14. ann. 1515. n. 22. Sub Carolo VII. desitum est Comitia Regni convocari ad exactiones publicas, & ad copias militares congregandas in Regni tutelam. Cùm Angli enim tunc & ipsam Regni principem civitatem Lutetiam, & plerasque Provincias in potestate haberent, incassum tentata fuisset ea convocatio. Non is erat Ludovicus XI. qui Regnum ita temperatum cùm accepisset post obitum Caroli VII. antiquam revocaret consuetudinem Comitiorum frequentiùs convocandorum. Ita Comitia non coëgit nisi rarissimè. Author est Belcarius illum ejus rei dolore & pœnitudine ductum fuisse ante mortem, cùm postremis quibusdam monitis filium instrueret. Exinde verò Comitia quidem Regni rariora in dies fuere, increbuerunt ex adverso Congregationes Cleri, ut ordinariæ tandem evaserint, & quinto quoque anno convocentur. Belcarius idem Francisco I. tribuit quod de his vulgò ascribitur Ludovico XI. *Multa bella suscepit, & infeliciter gessit. Hinc plebem inconsultis tribus Galliarum ordinibus, ut olim moris fuit, vexare coeptus est. Hinc se Gallos Reges ex Ephebis eduxisse, atque à tutorum potestate exemisse sæpenumero jactabat. Illi enim majora negotia, & ad rem Galliarum publicam spectantia, nonnisi de Principum consanguineorum ac duodecim Patriciorum consilio expedire, nihil à plebe, nisi ex trium ordinum consensu exigere solebant. Hic aliam viam ingressus est, quam ejus Posteri ingredi potiùs, quàm Regum antiquorum vestigiis inhærere maluerunt.*

XIV. Qui tametsi paulò prolixior contextus, hic tamen necessariò ascribendus visus est, ut quid in eo peccatum sit, moneamus: & quàm necessariò, ne præstigiis & fucata rerum specie fallamur, annorum temporumque vices & varietates observandæ sint. Operosum id fateor, longumque & sinuosum est, sed necessarium, ne per avia aberremus. 1. Non Franciscus I. sed Carolus VII. pòst Ludovicus XI. cœpere rariùs Comitia Regni convocare. 2. Cùm Carolus VII. cœpit his abstinere Comitiis, ea Regni Comitia tribus ea ordinibus conflata haud multæ certè antiquitatis erant. 3. Antiqua Regni Comitia usque ad tempora sancti Ludovici Regis, solis constabant Episcopis & Comitibus, excluso populo. 4. A tempore tantùm Caroli VI. & ejus quatuor Patruorum, Principes Regiæ stirpis cœpere in unum augustius veluti corpus coalescere, quasi à Rege ipso indivulsi. 5. Nec melioris notæ sunt, quæ habet Belcarius de Paribus, quos Patricios vocat. 6. Ex hac autem infinita quadam multitudine Conventuum, Conciliorum, Comitiorum & Congregationum perspicuè emergit, quidquid ibi novetur, id verò minimè novum esse; quantumvis enim dissideat ab eo quod paulò antè actitabatur, consentiet cum moribus aliquantò antiquioribus; utpote quòd nihil novum sit in hoc terrarum orbe, nisi iis qui novi potiùs ipsissimi dicendi sunt, cùm nihil degustarint de priorum sæculorum historia. Ex quo colligitur nihil quidem privata levitate novandum unquam esse: at cùm nova se rerum facies sensim obduxit Reipublicæ, ei tum pacatæ & quiescenti acquiescendum esse, nec invidiam ex novitate faciendam, cùm verissimè novum nihil sit, & quæ vetustissima nunc sunt, nova fuerint aliquando.



CAPUT LV. *P. 4. l. 2. c. 77.*

De præsentia Episcoporum in Comitiis Generalibus Regnorum extra Gallias post annnum Christi millesimum.

I. Pontifices ipsi Romani congerunt Concilia sua Universalia, quæ volut Comitia erant Generalia Christiani orbis, & in quæ Principes ipsi summi per sese, vel per Oratores suos conveniebant.

II. Exempla horum Conventuum sæculo XI. Magnatum Regum quæ etiam causæ ibi tractabantur, ipsis volentibus.

III. Series prolixior eorumdem Conventuum generalium sæculo XII. & XIII. ad bella sacra, ad Pontificum & imperatorum sopienda dissidia.

IV. De his generalibus & mixtis in Anglia Conventibus sub Vuillelmo Notho, Curia & Concilia vocabantur.

V. De iisdem Angliæ Conventibus sub Vuillelmo Notho & Francisco I.

VI. De iisdem sub Henrico II. ubi Ecclesiæ Libertati adversari visi sunt.

VII. De iisdem sub Henrico III. ubi exigebatur frequentissimè pecunia à Civibus & à Clero, qui libertates suas ita vel redimebat, vel confirmabat.

VIII. De iisdem rursum Conventibus sub Eduardo I. & III. Varia observationes. Tres Conventus qui in unum quandoque confluebant.

IX. De iisdem rursum Conventibus sub Richardo II. Cur ab iis sejungenda fuerint Cleri Congregationes.

X. Ejusdem Cleri Anglicani Congregationes sub posterioribus Regibus.

XI. De iisdem Comitiis mixtis in Germania.

XII. XIII. In Hungaria, Polonia, & Hispania.

XIV. Quàm canonica hæc esset residentiæ dispensatio, & quàm religioso animo Episcopi sanctissimis his Conciliis interessent.

I. ETsi jam satis superque constet, in necessitate advolandi ad Comitia Regni generalia, esse omnino canonicam residentiæ Episcopalis dispensationem; operæ pretium tamen fore duxi, si pergam toto orbe Christiano propagatam demonstrare eandem consuetudinem Conventuum Generalium alio & alio nomine, aliisque & aliis causis frequentiùs indicendorum; & hanc fuisse materiam opportunissimam explicandæ Episcopalis integritatis, sollicitudinis, fortitudinis & charitatis. Juvabit & ipsam spectare Romanam Ecclesiam, omnium principem & magistram; toto in id pectore, omnique virium contentione incumbere, ut Christiana ea universa Republica, sive Concilia, sive Comitia Generalia haberentur; eòque non Episcopi solùm & Abbates, sed & summi quidem Christiani Principes invitarentur. Ejusmodi quidem fuerat Galliæ disciplina sub Pipino, Carolo, & horum Posteris illustrissimis. Sed horum cadente familia regnatrice, intercideraт pene illa Generalium frequentia Conventuum. Nec tempore Hugonis Capeti magnopere illi frequentabantur. Quippe cùm in ancipiti esset, an satis propitios illos habitura esset nova hæc Regum Dynastia, cui necdum exploratum erat, necdum animo provideri potuerat, tanta aliquando ubertate gratiarum, virtutum & victoriarum Deum præ cæteris, quæ usquam in historia memorantur Regum & Imperatorum prosapiis, affuturum esse. Interim verò Romani Pontifices Ecclesiæ necessitatibus servientes, Concilia convocarunt Universalia, Laïcosque ipsos ad ea invitarunt, ut Episcopis collaboratores & commilitones accederent, ad morum sanctimoniam, ad libertatem tuendam Ecclesiæ, ad pacem Principum Christianorum, & ad ipsam denique Christianæ Reipublicæ Palæstinam recuperandam.

II. Victor II. anno 1055. Cæsaroduni Turonum Concilium congregari curavit, cui Legatus ejus præfuit Hildebrandus. Ibi trusta est hæresis Berengarii, ibi Henricus III. Imperator conquestus est de Ferdinando Castellæ Rege, qui Romanos Imperatores minùs jam quàm aviti fuisset moris revereretur, & Imperatoris ipsemet sibi nomen arrogaret: Pontificem denique & Concilium obtestabatur, ut Regem officii admonerent, suis ut se finibus contineret. Imperatoris voto cum Pontifex, tum Concilium obsecundarunt, & Ferdinandus ne tantam in caput suum provocaret procellam, ad Imperatoris Papæque voluntatem se conformavit. Victori II. successor datus Nicolaus II. Concilium Romæ anno 1059. convocavit centum viginti trium Episcoporum, præter Abbates, Clericosque alios & Laicos. Ejus decreta ad Episcopos Galliarum,
Epist. 8. cum litteris suis ad eos datis perferri voluit, quæ in eum omnia collineabant scopum, ut simonia & incontinentia, quæ in omni Occidentali Clero grassabatur, protinus extirparetur.

Concilium Romanum III. sub Gregorio VII. anno 1076. commonstrat quid nobis augurandum sit de aliis Conciliis ejusdem Papæ jussu habitis. Aderat uterque Cleri ordo, cum Laicorum innumerabili quadam turba. *Ubi interfuit Episcoporum & Abbatum, atque diversi ordinis Clericorum & Laicorum copia.* Cui simillimum fuit & Concilium IV. *Diversorum ordinum Clericorum & Laicorum innumerabilis multitudo.* Ex historia & Actis horum Conciliorum exploratum est, de temporalibus quammultis negotiis deliberatum in his fuisse, adeoque necesse cum primis fuisse, ut & Laici eò convocarentur. Placentinum Concilium anno 1095. indixit Urbanus II. cui præter Europæ totius Episcopos, tam innumerabilis affuit Clericorum multitudo & Laïcorum, ut Concilii Sessiones in campo extra urbem celebrandæ fuerint. *Ad quam Synodum multitudo tam innumerabilis confluxit, &c. Extra urbem in campo illam celebrare compulsus est Papa.* Hæc Bertholdus, qui præter causas Ecclesiarum ibi agitatas, ait locum datum esse querelis Praxedis Imperatricis de Imperatore conjuge suo: tractatum esse & de negotio Philippi I. Francorum Regis, de suppetiis denique ferendis Alexi Imperatori Constantinopolitano. Eodem anno præfuit idem Pontifex Concilio in Galliis Claromontano, ubi primùm bellum sacrum recuperandæ Palæstinæ indici placuit, conspirante, & mox ad arma convolante Occidentali Christiano orbe, classicum canente, & expeditionem hanc suis auspiciis moderante Urbano eodem II.

III. Nemo posthac igitur resiliet, si dicantur hæc Concilia, Comitia veluti quædam fuisse generalia Ecclesiæ Occidentalis, ubi de Christianæ Reipublicæ causis majoribus omnibus deliberationes habebantur, tam temporalibus, quàm spiritualibus, assentientibus & connitentibus ipsis Regibus & Imperatoribus, qui & hîc tam facilè resarciri gaudebant, si quid illis damni, vel injuriæ illatum esset. Verùm ubi semel janua patuit bellorum sacrorum, cùm ea vix ac nec vix possent progressus habere suspicatos, nisi conspirantibus Principibus Christianis, & aspirantibus Romanis Præsulibus ad eam ineundam confirmandamque concordiam; ea fuit diuturnissimè convocandorum sæpiùs Universalium hujusmodi Conciliorum, sive Comitiorum causa justissima & necessaria.

Fuit & illa frequens occasio Conciliorum hoc genus cogendorum, ubi aliquandiu inter Romanos Pontifices & Imperatores iræ & dissidia efferbuerunt. Ex horum numero fuit Concilium Lateranense anni 1116. Asserit Abbas Urspergensis coaluisse eò Episcopos & Proceres complurium Regnorum. *Congregatis ibidem ex diversis Regnis & Provinciis Episcopis, Abbatibus, Catholicis Ducibus & Comitibus, Legatis universarum Provinciarum quamplurimis.* Celebratissimum verò & numerosissimum fuit Lateranense IV. sub Innocentio III. anno 1215. Eò appropetare hortatus est ille orbis universi Archiepiscopos & Episcopos; Imperatores, Regesque interpellavit omnes, Legatos ut suos mitterent. Promulgavit & ipse solenni diplomate, quàm necessariò congreganda tunc essent Comitia Generalia totius Reipublicæ Christianæ. *Ut quia hæc universorum fidelium communem statum respiciunt, generale Concilium juxta priscam sanctorum Patrum consuetudinem convocemus, propter lucra solummodo animarum opportuno tempore celebrandum. In quo ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, eliminandas hæreses, & roborandam fidem, sopiendas discordias & stabiliendam pacem; comprimendas oppressiones & libertatem fovendam; inducendos Principes & populos Christianos ad succursum & subsidium Terræ sanctæ, tam à Clericis, quàm à Laicis impendendum.* Non sanè poterant tantæ molitiones felicem consequi exitum, nisi concurreret Generalis Conventus, tum Clericorum, tum laïcorum Procerum.

Ubi Prælatos & Principes Christianos omnes ad Concilium Lugdunense I. anno 1245. invitavit Innocentius IV. eas publicavit causas, quæ longè eatam latéque parerent, nec minora haberent momenta. *Ut ipsa Ecclesia per fidelium salubre consilium & auxilium fructuosum, status debiti possit habere decorem: & deplorando Terræ sanctæ discrimini & afflicto Romano Imperio propere valeat subveniri; ac inveniri remedium contra Tartaros & alios fidei contemptores, ac persecutores populi Christiani; necnon pro negotio quod inter Ecclesiam & Principem vertitur, Reges terræ, Prælatos Ecclesiæ, ac alios mundi Principes duximus advocandos.* Huic interfuere Concilio Prælati, Principesque laïci pene omnes Orientis, Occidentisque, sive ipsimet, sive per Legatos. Cùm Fridericus Imperator ab hoc Concilio ad Concilium provocaret generale, responsum est hoc certissimè esse Generale, *quia tam Principes seculares, quàm Clerici ad illud fuerant invitati.*

Lugdunense Concilium II. numero etiam superius fuit, anno 1274. præter infinitam multitudinem Episcoporum & Abbatum, Principes & Optimates Orientis & Occidentis pene omnes aut accesserunt ipsi, aut per Oratores affuere. Actum est de restituenda sacræ disciplinæ integritate, de Græca Ecclesia Latinæ recolligenda, & de subsidiis Terræ sanctæ submittendis. Hinc plus satis evincitur, posteriore eo ævo per Romanos maximè Præsules increbuisse & viguisse Conventus hos Generales & mixtos Christiani orbis, ubi causæ temporales & Ecclesiasticæ eo tractabantur charitatis, concordiæ, & simplicitatis ingenio, in quo videtur propria dos esse & tessera Christianæ Religionis.

IV. Trajiciamus modò ad Anglos, qui diutissimè studiosi fuere Ecclesiæ Gallicanæ æmulatores. Anno 1021. Canutus Rex Concilium Vintoniense collegit, cui Duces septem, totidemque Comites interfuere. Author anonymus, qui ejus memoriam ad nos propagavit, Parlamenti nomine

ne illud designavit. Sed facilè suspicamur posterioris ævi eum fuisse Scriptorem, qui sui magis quàm superioris sæculi verba usurparit. Certam non induit formam Angliæ disciplina sacra & civilis, nisi sub Vuillelmo Notho. Hic ipse enim anno 1080. Concilium evocavit ad Juliobonam, cui affuere Episcopi, Abbates, & Consules Principesque. Ejus ævi usu satis trito *Consules* quoque dicebantur, qui aliàs usitatiùs Comites, Ducesque. *Congregatis Episcopis & Abbatibus, Consulibus quoque & cæteris Normanniæ Principibus, celebratum est Concilium.*

Anno 1085. aggressus est idem Rex abstergere & evertere corruptelas omnes Ecclesiarum Angliæ, ut has canonicis aptaret institutis in Concilio & in Consilio Episcoporum & Optimatum Regni. *Episcopales leges, quæ non bene, nec secundùm sanctorum* Conc. Gen. Tom. 10. pag. 409. *Canonum præcepta usque ad mea tempora in Regno Anglorum fuerunt, communi Concilio & consilio Archiepiscoporum, Episcoporum & Abbatum, & omnium Principum Regni mei emendandas judicavi.* Controversia illa famosissima de professione obedientiæ quam exigebat Lanfrancus Cantuariensis, quam detrectabat Episcopus Eboracensis Thomas, disceptata fuit in Conventu mixto Episcoporum & Baronum Angliæ, quæ ibi, peræquè ut in Galliis, Malmesb. l. de gestis Pont. Angl. *Curia* dicebatur. *Lanfrancus ad Curiam venit, à Rege audientiam postulavit, &c. Itaque Regio Edicto, communique omnium decreto statutum est, &c.* Cùm de Primatu ageretur, ambo Romam tandem perrexerunt: contra Alexander II. Papa eam in Anglia terminari voluit suffragiis Episcoporum & Abbatum. Regressis Roma ambobus Præsulibus, causa eorum terminata est ab Episcopis & Abbatibus totius Regni, in Paschalem Curiam Regis congregatis, cui etiam Concilii nomen indebatur. Audiendus hic rursum Vuillelmus Neubrigensis, cujus erant & superiora. *Uterque in solennitate Paschali ad Regem venit, ibique prolatis in medium partium rationibus, sententiam de negotio Regalis Curia dedit.* Per literas certiorem fecit Lanfrancus Pontificem in Concilio secundùm se pronuntiatum esse. *In Concilio quod Anglia per vestram authoritatem coactum est.* Ex eodem Lanfranco constat Clericos Laicosque in hanc Curiam convenisse. *Convenerunt* Epist. 31. *ad Regalem Curiam ad Ventanam civitatem, in Paschali solemnitate, Episcopi, Abbates, cæterique ex sacro & laicali ordine.* Idem ipse alibi tradit Episcopum Ecclesiæ suæ renuntiasse in Curia Paschali in manus Regis, astantibus Episcopis, Laicisque. *In Paschali* Epist. 25. *solemnitate ad Curiam venit, Regi in Conventu Episcoporum atque Laicorum Episcopatum reddidit.*

V. Cùm Vuillelmo I. huic successisset Vuillelmus filius Junior dictus, & anno 1102. Londini Concilium adunasset, ad repurgationem Anglicanæ Ecclesiarum disciplinæ, & morum, Anselmus qui ei præsidebat, accersiri Barones optavit, nec ægrè impetravit à Rege, quo obsequentiores eos haberet in decretis Concilii observandis. Audiendus Eadmerus in vita Anselmi: *Huic Conventui affuerunt, Anselmo Archiepiscopo petente à Rege, Primates Regni. Quatenus quidquid ejusdem Concilii authoritate decerneretur, utriusque ordinis concordi cura & sollicitudine ratum servaretur.*

Quæ argumento sunt verissimè Conciliis Laïcos non interfuisse, abfuisse saltem Sessionibus quæ vacarent rebus merè spiritalibus disceptandis. Nec enim Londinensi huic Concilio affuissent Barones, nisi id à Rege orasset Anselmus. Sed & illud denuo hinc emicat, si interessent Barones Curiis, Comitiis, Conciliis, ubi causæ Ecclesiarum plurimæ dirimebantur: id secundùm vota Episcoporum factum esse, ut Episcopalis authoritas adminiculante Nobilium Procerumque concordia & potestate, invictissimè jam divinas & Ecclesiasticas leges executioni mandaret. Suppetit & hoc aliud exemplum Concilii Londinensis anno 1108. adversùs Clericos incontinentiæ deditos. Eadem erat & Regalis Curia, concurrentibus Episcopis & Baronibus. Illi Decreta condidere, hi assensu suo ea munivere. *Incontinentiæ crimen Rex subvertere cupiens, adunatis ad Curiam suam in solennitate Pentecostes apud Londinam cunctis Majoribus Regni, &c. Omnes Angliæ Episcopi statuerunt in præsentia Regis, assensu omnium Baronum suorum.* Hæc Eadmerus idem in Anselmi vita.

Longiusculæ erant hæ Curiæ, & simile veri est, non confluxisse ad eas Episcopos, nisi postquam dies Festos illos solenniores propriis in Ecclesiis traduxissent. Sic affirmat idem Eadmerus in ejusdem Concilii Londinensis descriptione. *In subsequenti festivitate Pentecostes Rex Henricus Curiam suam Lundoniæ in magna mundi gloria & diviti apparatu celebravit. Qui transactis Coronæ suæ festivioribus diebus, cœpit agere cum Episcopis & Regni Principibus quid esset agendum de consecratione electi Eboracensis.* Innovata pompæ solennitate Curiis in his omnibus Reges coronabantur, ab eorum qui convenissent Episcoporum eminentissimo. Inde est quòd illi vocitarentur *dies Coronæ*. In Consilio Episcoporum & Procerum apud Vindsorium Rex successorem Anselmo designavit. *Episcopos & Principes Angliæ in unum venire fecit.* Concilium Londinense anni 1127. à Matthæo Paris ita descriptum est, ut soli interfuerint Episcopi & Abbates: sed eò pòst convenerat infinita quædam turba Clericorum & Laicorum, pauperum, divitumque.

VI. Eodem ipso anno quo fato suo functus est, Rex Stephanus Concilium Episcoporum & Baronum indixerat, quod Ecclesiæ & Regni causis extricandis incumberet. Vide quid de eo scribat Vuillelmus Neubrigensis: *Cùm Episcopis & Nobilibus* L. 1. c. ult. *Angliæ Concilium Lundoniis celebravit, tum pro Regni negotiis, tum etiam pro negotio vacantis Ecclesiæ Eboracensis.* Stephano successit Henricus II. & sub eo in Conciliabulum degeneravit, quod Conciliorum in albo radiasset, si libertates Ecclesiæ pessumdatæ in eo, protritæque non fuissent, nescio quarum obtentu Consuetudinum Regiarum. Ejus historiam contexuit Matthæus Paris, qui & Barones eò cum Episcopis congregat. *Præsentibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus & Proceribus Regni.* Ita comparatum est; mortalibus hominibus quæ salubria parata fuerant pharmaca, ex iis præsentissima quandoque existunt venena. Præsentia Baronum in Conciliis fructuosissima & optatissima diu fuerat. Anselmus, quo non facilè quisquam ab assentatione alienior æstimabitur, eam olim expetierat, & exoraverat à Rege. Hoc verò in negotio exitialis fuit, ubi ex Consuetudinibus Regiis, ut jactabatur, legibus Ecclesiasticis vehementissimè præjudicatum est. Sicut & quando non multò pòst ab Episcopis & Baronibus ea erupit in B. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum damnationis sententia, quam revocavit Alexander III. Papa: *Ab Episcopis & Baronibus.*

Possent vel ex uno Rogerio innumera huc congeri exempla, quibus in Anglia, æquè ut in Francia, liqueret persæpè indistinctas fuisse voces Consilii & Concilii, sive quòd ibi & personæ & res

sacræ civilesque permiscerentur; sive quod malim, aliis aliisque sessionibus explicarentur nunc Regni, nunc Ecclesiæ negotia. Utputa cum anno 1177. Reges Castellæ & Navarræ dissidii cujusdam sui judicium ad Henricum hunc II. Regem retulere. *Celebravit Rex Londoniis generale Concilium, cui interfuerunt Episcopi, Abbates, Priores, Comites & Barones.* Et quando anno 1179. Concilium simul & Consilium evocavit, ut Regna sua in quatuor veluti partes divideret, ita commodius administrandas. *Celebrato magno Concilio apud Vindeshores, communi consilio Episcoporum, Comitum & Baronum divisit, &c.*

VII. Henrico II. successit Richardus, eique Joannes Sine Terra dictus, cui ipsi successor datus Henricus III. filius. Inter horum omnium Regna usque adeo promiscuè ab historicis referuntur Curiæ, Colloquia, Concilia & Consilia, ut non facile sit discriminis aliquid internoscere: tantum Clericis tribuebatur in temporalia, & tam cupidè Clerici Ecclesiæ causas cum laïcis communicabant, etsi eorum suffragiis non uterentur. Unum referam exemplum sub eodem Henrico III. Rege anno 1225. *Rex Henricus ad Natale tenuit Curiam suam apud Vuestmonasterium, præsentibus Clero & Populo cum Magnatibus regionis.* Mox declaratum est, quantum jacturæ fecisset Rex in Gallia, & quantum pecuniæ ad eam labem sarciendam conferri vellet. A Clero & Baronibus deliberatum est, & postquam Responsa ad Regem perlata fuere, solutum est Concilium. *Archiepiscopus & Concio tota Episcoporum, Comitum, Baronum, Abbatum & Priorum habita deliberatione dederunt responsum, &c. Et sic solutum est Concilium.*

Hic habes Curiam & Concilium, ut tunc loquebantur: Parlamentum & Comitia, ut vocantur in præsentiarum. Sed & hic vides, ut hi Conventus adhibiti sint deinceps, ad exprimendam regno in regni sumptus & tuitionem pecuniam: ne Clero quidem ea necessitate exoluto. Annis sequentibus frequentissima sunt apud Mattheum Paris exempla, qui hæc persæpè Colloquia appellat, eo nomine subrogato, ut suspicor, in vicem Parlamenti, quod Latinæ consuetudini nondum satis conciliari poterat. Annis 1242. & 1246. idem ipse Rex convocavit *Parlamentum generalissimum*, ut ingentem emungeret pecuniam. Confirmationi suarum libertatum semper Clerus novi aliquid præsidii redimebat collata Ecclesiarum pecunia.

VIII. Mortales exuvias abjiciente Henrico III. anno 1273. successor & filius patre major Eduardus I. Parlamenta complura collegit. Ea sigillatim adnotavit Valsinghamus; aderant Prælati & Barones: pecuniaria subsidia, quibus Regi tuenda erat Respublica, locupletissima & perpetua erat deliberationum seges. Non rarò Clerus invalescebat ad suæ immunitatis defensionem, potissimum verò post illam Bonifacii VIII. Decretalem alicubi suprà à nobis commemoratam; sed cùm non posset tutela & benevolentia Regia citra exitium carere, necessitati tandem cedebat, ut onus sin minus auferri, at allevari impetraret. Sed illud in Valsinghamo studiosè expendendum est, Concilia rarescere in dies, increbrescere Parlamenta: Clerum & Nobiles mutua se ope suffulcire, ad libertatis incolumitatem: Reges & Comitia adversùs inimicos Regni conspirare: à Clero quandoque perfugium haberi ad Papam, ut ad vindicem Ecclesiasticæ libertatis: recurri aliàs ad tuitionem Regis contra insidias molestiasque aliunde ingruentes in privilegia sua; denique Clero Comitia quidem hæc sua charo constare, ubi tanta corraderetur inferreturque in Regium fiscum pecunia: sed tanti esse, sed multò pluris esse libertates, pecunia utique chariores.

Successit Patre minor Eduardo primo secundus, sub quo iisdem Parlamentis, Conciliisque major etiam accessit potestas. Sed tantum ei tandem mo- Anno 1310.
lestiarum illatum est, ut facilè persuaderi sibi passus sit, quo Eduardo filio, ejus nominis tertio, Imperium resignaret, avi, quam Patris similiori futuro. Id ab illo præstitum est in Comitiis Regni, Ann. 1327.
in quæ Clerus, Nobilitas, & plebeiæ Communitates, seu Civitates convenerant. Tum enim demum, aut cœptum est fieri, aut apertius observari, ut etiam hæ Plebeiæ *Communitates* Clero & Nobilibus ad Comitia Regni conflanda accederent. *De communi consilio & assensu Prælatorum & Comitum & Baronum, & aliorum Magnatum, necnon Communitatum totius regni, spontanea abdicatione.* Enumerat Valsinghamus sub hoc Eduardo Anniversaria Parlamenta, plura nonnunquam eodem anno celebrata. De his affirmari omnino possunt, quæ de superioribus supra observata sunt. Non excidet locus hic, quo manifestè seponuntur in iisdem Comitiis tres Conventus, qui alibi permisceri videbantur. *Vocavit Rex Angliæ Prælatos & Magnates apud No-* Ann. 1331.
thingam pro Consilio, & aliis tractatibus habendis ibidem. Et tunc ordinavit Parliamentum Londoniense. Et Archiepiscopus convocavit Clerum ibidem ad sanctum Paulum. A Consilio Regio, in quo Rex cum Episcopis & Optimatibus sedet, indicitur, ut hic perspicis, Parlamentum: & ex occasione Parlamenti ansam capiat Cantuariensis Præsul convocandi vel Concilii, vel Conventus Generalis Cleri. Quæ tria Conventuum publicorum genera, ut apertius in dies sejungebantur, ita & in historicis manifestius distinguuntur monumentis.

IX. Non pertexam seriem eorundem Parlamentorum, sive Comitiorum sub Richardo II. Rege Eduardi III. filio, avi quam Patris similiori, unde & luctuosissimis dissensionibus ac bellis convulsum est Regnum. Adde quod cùm Clerus suas seorsim Congregationes frequentius celebraret, jam ferè Comitia civilibus in rebus tractandis tota erant, nec ea in iis Episcopi qua quondam pollebant authoritate, ut quæ retro fluere & labi cœpisset, ex quo Plebeii in Comitia sunt admissi. Hinc in his Comitiis sæpius postea, quam quondam tumultuatum est, eorumque Decreta persæpè Reges Privati sui Consilii edictis everterunt. Hinc illæ ebullierc ex eodem Valsinghamo querelæ sub Richardo II. Rege anno 1382. *Multa sunt & alia, quæ statuta sunt ibidem. Sed quid juvant statuta Parliamentorum, cùm penitus ex post nullum sortiantur effectum? Rex nempe cum Privato Consilio cuncta vel mutare, vel delere solebat, quæ in Parlamentis antè habitis tota regni non solum communitas, sed & ipsa Nobilitas statuebat.*

Ex eodem Historico perspicuum est, in Parlamentis Clerum propriam sibi in Cameram sejunctim convenisse, & in sumptus regni ita demum aliquid opis contulisse, ut id damni pensaret novo quopiam pacto priscæ libertatis & immunitatis munimento. Ubi verò Viclephi pestilentissima hæresis Angliam depasci cœpit, tum plebes & civitates in Clerum furere, in libertates & opes Ecclesiæ odio inflammari. Insanos errores damnavere Archiepiscopi Cantuarienses in Congregationibus Episcoporum & Theologorum, vel Canonistarum. In Anglia enim, ut & in Gallia id genus Congregationes Conciliorum in locum succedere visæ sunt. Nec

An. 1408 secus res habuit inter tumultuationes schismatis Avenionensis. Francorum vestigia consectati sunt Angli, nisi quod Cantuariensis Archiepiscopus & Primas antiquæ authoritatis suæ retinentissimus fuit in convocando sejunctim Clero Anglicano, sive ut schismati medicinæ aliquid faceret, sive elidendæ Viclephi hæresi, sive denique demerendæ gratuitis donis protectioni & tutelæ Regiæ, qua carere jam multo minus poterant quam olim Ecclesiæ, quando Viclephi veneno imbutæ civitates, subinde in terras & res Ecclesiæ omnes impetum facturæ videbantur.

X. Jam usu receptum fuerat temporibus Regum Henrici V. & VI. ut quoties Parlamenta cogerentur, colligeret & Archiepiscopus Cantuariensis eodem ipso loco & tempore Synodos, ubi tractaretur, & de donis Regi offerendis, annuendisque, & de temporalibus cæteris ac spiritalibus Regni necessitatibus. Ita enim disertè Harsfeldius: *Solet quibus temporibus Parlamenta indicuntur, & Clerus ex Rescripto Principis ad Synodum, quam convocationem appellant, evocari.* (Hist. Eccles. saeculo 15. c. 4.) Non dissimulat author, quæ tunc Congregatio dicebatur, eam olim fuisse Synodum, aut Concilium. Locus idem erat, & tempus, ac Parlamenti, sed diversa Camera, quòd in plerisque numen superest. Addit porro ab Archiepiscopo Cantuariensi Chicheleio, ab anno 1415. ad 1459. quod fuit tempus ejus Pontificatus, collectas fuisse Synodos istiusmodi quindecim, binas quandoque intra unum annum, quarum Acta Cantuariensi in Tabulario recondita erant. Si sursum retro revolveremus Historiam Harsfeldii, Synodi hæ occurrerent nobis paulò distinctius expressæ, & à Parlamentis disjunctæ, quàm apud alios historicos, supra suis quosque temporibus relatos. Non abludit tamen à vero, Scriptores singulos sui quemque sæculi ingenium meliusculè depinxisse, Harsfeldium autem etiam inopinum priscas historias nonnihil deflexisse ad sui temporis mores, & stylum.

XI. Pœnitet me & pudet hujus meæ prolixitatis. Cursim ergo reliqua Christiani Orbis Regna perstringam. Nemo nescit Germaniæ eandem fuisse politiam sacram, ac Galliæ, jam usque à temporibus Caroli Magni, in Conventibus sacris civilibusque. Anno 1022. Concilium Aquisgranense celebrabatur eodem loco & tempore, quo Henricus II. Comitia Imperii convocaverat. Sic enim vetustum Chronicum Cameracense. *Cùm fortè Henricus Imperator in Aquisgrano Palatio tam de Ecclesiasticis, quam de sæcularibus pertractaret, in ipsa interim Ecclesia Provincialis Synodus ab Episcopis celebrata est.* Deliberabatur ergo de causis Ecclesiæ, & in Comitiis, quæ in Palatio habebantur, & in Concilio, quod simul cogebatur in Ecclesia, pro causarum diversitate mixtarum, aut merè spiritalium. Die & pompa quaque solenni Imperatorem cingebant Episcopi, & Principes Germaniæ, ut narratur à Sugerio colloquium Innocentii II. Papæ & Lotharii Imperatoris apud Leodium. Tota hic retexenda esset Germaniæ historia, si vel animus, vel otium esset de ea tam prolixè, quàm de Gallia, Angliaque disputare. Uno verbo rem conficiam, ipsa Imperii etiamnunc membrorum, Principumque constitutio, gloria ipsa Principum Imperii, qua Episcopi gaudent in Germania, uti & potestas & jurisdictio quæ nomen ipsum & gloriam consectatur; satis argumenti habet, ut hinc evincatur reciproca illa communicatio prærogativarum Reipublicæ & Ecclesiæ Germanicæ.

XII. Nec aliter de Hungaria existimandum est, quæ ex Imperio olim decerpta videtur fuisse. Anno 1030. consilium cepit Conradus Imperator ejus Regni sub Imperii jugum rursus mittendi. Authore autem Carthuitio Episcopo, in vita sanctissimi Regis Hungariæ Stephani: *Tunc Rex Stephanus Episcoporum & Principum coacto conventu, in patria defensionem totius Hungariæ exercitum evocavit.* (Baron. an. 1030. n. 2.) Cum Episcopis & Principibus paulò ante mortem egit idem Stephanus, ut in Regnum sibi filius substitueretur. *Accersitis Episcopis & Primoribus Palatii.* In Poloniæ Diætis amplior est etiam quàm in Germania Episcoporum potestas. Jam inde is usus erat, cùm anno 1041. Casimirum Principem Regium suæ gentis è Cassinensi Cœnobio ad Poloniæ solium revocaverunt. Episcopi & Palatini Proceres in ea coierant Comitia, ubi communi id consensu statutum est; aderant & minorum gentium Nobiles paucissimi. Audi Longinum ejus politiæ nobis arcana retegentem: *Pontificibus interim & Palatinis, ex quibus maximè, Ecclesiastico videlicet & sæculari statu, universum Corpus Consilii apud Polonos ad promovendam Rempublicam concinnatur, nonnullisque aliis Baronibus, paucis tamen admodum in Gnesnensem Metropolim convenientibus, Stephanus Gnesnensis Archiepiscopus de Casimiro deligendo sententiam dixit, quam omnes sunt secuti.* Qua vetustissima tabella, hodierna Poloniæ administratio exhibetur luculentissimè. Perdiu antè ex eodem Longino, nimirum anno 968. cum Geisa Hungariæ Princeps Adeleidem sororem Miceslai Principis Polonorum conjugem sibi copulari postularet. obsecutus est ejus votis Miceslaus, consilio usus Episcoporum & Baronum Regni: *Petitione audita & in Consilium Prælatorum & Baronum suorum relata.* Eo ex conjugio natus est B. Stephanus Hungariæ Rex. Cùm anno 999. vivere desiisset Miceslaus in Polonia, successit filius Boleslaus *favore Prælatorum & Baronum Poloniæ.* Ea fuit primigenia Poloniæ & Hungariæ disciplina, tam consentanea Germanicæ, quàm Germanica Franciæ; quòd non possint non fontis sui saporem rivuli inde scatentes retinere.

XIII. Imitatrix ferè non fuit Hispania, nisi sui ipsius, & Conciliorum Toletanorum antiquissimorum, quæ Comitia fuerant olim Generalia: quando eisdem inhæsit motibus post annum Christi millesimum, cogendis Episcopis & Optimatibus in Concilia sub auspicio & authoritate Regum. Ejusmodi fuit Concilium Legionense anni 1012. *Convenimus apud Legionem, in ipsa sede B. Mariæ, omnes Pontifices, & Abbates, & Optimates Regni Hispaniæ, & jussu ipsius Regis, talia Decreta decrevimus, quæ firmiter teneantur futuris temporibus.* Ibi porro decretum est, ut in futuris Conciliis causæ primum Clericorum dirimerentur. *In primis censuimus, ut in omnibus Conciliis quæ deinceps celebrabuntur, causæ Ecclesiæ priùs judicentur.* Aliæ ergo quam Ecclesiarum causæ in his versabantur. Erant ergo mixti Conventus, ubi post causas Clericorum, disceptabantur quæ ad Regem, mox etiam quæ ad laicos spectabant. In VII. quippe ejus Concilii Decreto ita sancitur: *Judicato ergo Ecclesiæ judicio, adeptaque justitia, agatur causa Regis, deinde populorum.* Ei decreto accuratissimè paruit Concilium Coyacense anni 1050. Rex, Regina, Episcopi, Magnates, præsto erant; cœptum est à causis Cleri, tum ad Regis populique negotia deventum est. *Ego Ferdinandus Rex & Sancia Regina, ad restaurationem nostræ Christianitatis fecimus Concilium in castro Coyaco, in Diœcesi*

Ovetensi, cum Episcopis & Abbatibus & totius regni nostri Optimatibus. Ejusdem generis fuit & Concilium Jaccense anno 1060. ubi Officiis Ecclesiasticis Gothicæ linguæ expunctis Romana adscita sunt. Sequentium sæculorum historiam qui scriptis illustravere, innumeres delineant, Conventusque Gallicanis persimiles. Schismate Avenionensi bacchante disceptabantur omnia in Congregationibus mixtis, ubi à Prælatis Rex sciscitabatur, quid factu consultissimum esset.

Preuves des Liber. Gal. c. 20. n. 5.

XIV. Prolixitati huic nostræ minùs irascentur, quibus comperta erit rei quam tractamus gravitas, necessitas, & immensitas demum quædam. Hîc summatim commonebo, æquissimam fuisse Episcopis causam tantisper ab Ecclesiis suis discedendi, ut his se sisterent Conventibus, qui habebantur pro Conciliis, pro Conciliis Nationalibus, pro Comitiis etiam Generalibus, sed quibus disceptarentur majores quæque Ecclesiarum causæ, ubi propugnandæ erant earum libertates, tuendæ immunitates, adserenda illis Regum benevolentia; ubi Regno & Principi ferre suppetias, Nobilium Procerumque concordiam colere, populos allevare, ab his vel illis imminentes quandoque amoliri insidias, Evangelicæ legis radios aspergere civili Reipublicæ administrationi, Christi Regnum in ipsis Regum Aulis soliisque firmare; ubi, inquam, hoc opus Episcopis, hic labor, hic industriæ & charitatis fructus erat. In hæc enim oculos animosque defigebant sanctissimi quique Episcopi, nec vano vanissimæ pompæ splendore deludi se patiebantur.

CAPUT LVI. *P. 4. l. 2. c. 78.*

De Conventibus Cleri Generalibus, & de Synodis Urbis Regiæ, post annum Christi millesimum.

I. Exordia Conventuum Cleri generalium, ex quo Comitia Regni habebantur.

II. Quæ ratio ei congregandi sejunctim Cleri.

III. IV. Cur generales nunc Cleri Conventus nomine Conciliis abstineant & authoritate? Quam simile veri sit, utroque uti potuisse.

V. Rationes ad id aliæ ex horum historia Conventuum.

VI. De Conventibus Episcoporum Regia in urbe forte tunc hospitantium.

VII. Quanta non utilitatis tantùm, sed & necessitatis sint hi Conventus, & quantum reverentiæ eorum Decretis exhibendum sit.

I. Tot Episcopalibus Conventibus utroque superiori Capite perlustratis, sustinere calamum, & aliò traducere poteramus. Clerum regni spectavimus congregatum in Consiliis Regum, in Nationalibus Conciliis, in Parlamentis, & in Regni Generalibus Comitiis. Si non placet Cleri Conventus dici, nisi ubi solus confluit, Nobilibus & Laïcis denique omnibus exclusis: ejusmodi quoque non pauci obversati sunt hactenus. 1. Cùm in Comitiis Regni vel Parlamentis suam separatim in Cameram secedebat Clerus. 2. Ubi Rege Parlamentum convocante, Clerus eò se conferens, privatos suos in Ecclesia Conventus occasione data celebrabat, cùm Parlamentum in Palatio coiret. 3. Quando jam extra Parlamentorum tempora Clerus solus congregabatur, jubente vel permittente Rege, & de gravioribus Ecclesiæ negotiis ea decernebat, etiam de sacræ Disciplinæ regulis, quæ Regi oblata, in ejusque sanctiori Consilio probata, ab eo confirmarentur, diplomate Regio publicarentur, & ea inducerentur authoritate & executionis facilitate, qua ipsa Regum Edicta. Hoc peculiariter tertium genus est, quod Conventuum Cleri Generalium nomine nunc singnificatur. In primo enim genere Camera erat una & primaria Comitiorum Regni tripartitorum. In secundo Concilii potius species erat, vel nihil adiodum erat, quod à primo differret. Sed ex illo tamen primo & secundo genere exortum est tertium. Ubi enim insuevisset Clerus, vel in Cameram Parlamenti unam, vel eodem tempore in Ecclesia convenire, solus tandem convenire cœpit extra Parlamentorum loca & tempora.

II. Necdum silimus superioribus Capitibus, quæ Clerum impulerint causæ, ut sejunctim congregari averet. 1. Multa ei disceptanda erant, ad quæ nec suffragii, nec consilii jus Laïcis ... poterat. 2. Ubi populus, quem Tertium Statum vocant, in Comitia ac... cœpit, non eam in illo Episcopi, atque in Nobilibus ... sunt confusionem animorum, sed nec in eandem consiliorum societatem illum ut advocarent, adduci potuerunt. 3. Cum cœperunt Parlamenta & sedere Parisiis, & toto anno perpetuari, non jam eò adcurrere Episcopi potuere, residentiæ retinaculis devincti. Quocirca & aliæ commentandæ fuere conveniendi rationes. 4. Cùm rariora & ipsa cœperunt esse Generalia Regni Comitia, nec in iis aliud quidquam magis laboratum est, quàm ut ad belli Regiique sumptus necessarios pecunia corrogaretur; conducibilius Clero visum est convenire sejunctim, ne iisdem cum Laïcis subjiceretur tributis, hoc est, ne libertatibus & immunitatibus suis penitus excuteretur; & ut rursus tuitionem Regiam donis spontaneis emereretur. 5. Quando Carolo VII. Regni clavum moderante, exigi tributa cœpere nullis propter Anglorum in Gallia grassationes collectis Comitiis; & quando Ludovicus XI. Ludovicus XII. & Franciscus I. eundem ferè retinuere morem, ut usu firmatum: Reges ipsi ne Cleri ope & subsidio carerent, utque priscam suam in Clerum observantiam retinerent illibatam, utrumque Cleri ordinem colligi jussere, ut Regia protectio Ecclesiæ donis gratuitis & coleretur, & arctiùs stringeretur; nec Regni necessitatibus prorsus deesset, quæ Regni portio splendidissima est. 6. Ubi denique luctuosissimum illud Avenionense schisma Ecclesiam tandiu dilaniavit, non alia illi usquam medicamenta aptiùs institui potuere, quàm in his Cleri Conventibus Generalibus, Regia authoritate munitis. Subtracta est summis Potestatibus obedientia; terror injectus iis qui propriæ dignitatis, quàm unitatis & salutis Ecclesiæ Christi, cujus sibi Vicarii videbantur, cupidiores essent: denique tantumnon cogendi fuere, ut summa sede descendere, quàm exturbari mallent. Regia ad id potestas plus habebat momenti & virium, quàm sola unius Regni Præsulum authoritas. Et in re spirituali tamen Episcopos consilio suo Regibus prælucere necessum erat.

III. Hinc verò sublucere videtur solutio quæstionis, alioqui non facilè extricabilis: Ecquid causæ sit, quamobrem tot & tantorum Conventus Episcoporum, ne ipsi quidem sibi nomen, jurisdictionem & authoritatem Conciliorum induerint. Nam & antiquissimo & medio ævo usuque Synodi, vel Concilia Græcis Latinisque dicebantur Conventus Episcopales omnes, rebus Ecclesiæ tractandis aggregati. Synodi Græco, Concilii Latino ser-

Assemblée. mine, Congregationis Gallicano, una eademque significatio est. Quin ergo & Synodi & Concilia dicantur hæ Cleri Congregationes? Supra ostensum est Synodi & Concilii nomine honestatos esse Conventus complures mixtos, quibus non æquè id conveniret. Unde ergo & olim tam liberales ac prodigi & nunc tam parci evasimus in hujus vocum gloria communicanda? Nec nominis nos sola fatigat controversia, sed rei, & quidem potissimum. Hi enim nunc Conventus nihil omnino explicant jurisdictionis, nihil præcipiunt Episcopis, hortamenta tantùm adhibent, censuras ne in Laicos quidem contorquent ullas. Agitur tamen in illis de spiritalibus & temporalibus Ecclesiæ rebus. Convocationis literæ & mandata Deputatorum id pollicentur. Etsi autem non tractaretur in eis nisi de re Ecclesiæ temporali, ejusmodi est Christi patrimonium, pauperum census, ejus dispensatio, confirmata annuis donis Principis protectio, ut inter causas Ecclesiæ spiritales meritissimò numerentur. Sunt prisci, sunt & medii ævi Concilia, ubi non aliæ quàm hoc genus causæ tractatæ sunt. Denique ponderantur publicanturque in his Conventibus Decreta, regendæ & repurgandæ disciplinæ appositissima. His tantorum momentis, meritò illis vendicaretur nomen & decus Concilii. Ecquid ergo rei est, ut se ipsi eo honore spolient, ut nomine, ut authoritate Concilii & jurisdictione abstineant: ut toties laborarint ad Concilia Provincialia habendi libertatem & consuetudinem revocandam, quorum aliquantò minor esset necessitas, si hi Conventus Cleri pro Conciliis Nationalibus observarentur, ut Aurelianensia quondam Concilia, & innumera propemodum alia sub Carolo Magno, Ludovico Pio, Carolo Calvo; ut denique in Hispaniis Toletana?

IV. Ea quæstio est, proponenti operosa, solvere adgredienti longè operosissima. Opinati sunt nonnulli summa ea authoritate, qua sæculis XI. XII. & XIII per Legatos suos usi sunt summi Pontifices, ut Concilia ipsimet convocarent, illis præsiderent, eorum decreta trutinarent & promulgarent: summa, inquam, ea Pontificum potestate hos Cleri Conventus antiqua jurisdictione sua orbatos fuisse. Vereor ut constare possit ea opinio. Præfuerant Legati Pontificis Generalibus olim Conciliis omnibus, nec de eorum authoritate quidquam decerpserant. Concilia Gallicana ab his convocata Legatis, & quibus illi non affuere tantùm, sed & præfuere, verissima fuere Concilia, & in eis Episcopi jurisdictionem suam validissimè exercuere. Cleri Conventus cujusmodi nunc sunt, in usu necdum erant, ita non poterant frustrari jurisdictione sua.

Similius ergo veri est, eo excussam esse pristinam jurisdictionem his Cleri Conventibus, & vel ipsis persuasissimum jam fuisse, Conciliis Nationalibus jam se non accenseri, quòd, ut rem ab altissima origine repetamus, sæculis XI. XII. & XIII. non conveniret Clerus universus, nisi ad Consilia Regia, ad Concilia Nationalia mixta, ad Parlamenta, ad Comitia Regni, Proceribus & Nobilibus ubique circumseptus, & non aliud quàm portio Conventûs illius generalioris. In Conciliis, ferent, Universalibus, seu Nationalibus, erat penes Clerum luculenta & latè fusa jurisdictio, qua pœnæ canonicæ omnis generis decernebantur. At sæculo XIII. jam non fuere propemodum nisi Consilia & Parlamenta, quibus Concilii nomen adhuc appingebatur, at Concilia verissima prisco more dici vix, aut æstimari certe poterant, in quibus Laici tantum pollent. Ita in defectus est Clerus jam non in potestate Conciliorum. Adde quod ubi sæculo XIV. dissiluere Parlamenta antiqua in plures disjunctos Conventus; & ubi tunc Clerus sibi sejunctim coire cœpit, non eæ illi fuere convenendi causæ, quæ excitarent innovarentque authoritatem antiquorum Conciliorum Universalium. Namque aut congregatus est Clerus, ut Decimas, aliaque spontanea dona Regibus decerneret, in quo ponderis & splendoris non tantum erat, quantum ad Conciliorum Universalium gloriam desiderabatur. Poterat ea causa spiritualis dici, & in Concilio disceptari; sed Concilio maximè Universali, aut Nationali illud accedere decuisset, jam congregato, jam de aliorum disciplina tractanti. Quid enimvero jurisdictionis exercere, quæ fulmina vibrare poterat Conventus Episcopalis, gratuitis potissimum donis Principi decernendis destinatus? Erant & ex temporum molestiæ, ubi Clerus his donis nonnisi submitus assentiretur. Non ergo expectandum erat, ut authoritatem quam maximam posset, aut sibi sumeret, aut explicaret.

V. Aut difficillimis temporibus coaluit Clerus, utpote Philippi Pulcri, & schismatis Avenionensis, & in his rerum commissuris consentaneum erat, ut sub Regis potius authoritate Clerus delitesceret. Non in his enim Conventibus de disciplina morum purganda policendaque quærebant, quod proprium pensum & munus est Conciliorum Nationalium. Id unum laborabant tunc Episcopi, ut Romam Galliæ conciliarent; aut nisi remitteret dissensionum vis, ut concordiæ vincula, interno temperamento discordiæ aliqua meditarentur; aut ut rationes vestigarentur expeditissimæ opprimendi schismatis, & pertinaces suæ dignitatis amatores ad id coarctandi, ut ea sponte abirent. Non eæ erant hæ causæ, in quibus Clerus Gallicanus vel jurisdictionis suæ vim, vel fulmina & censuras experiretur.

Erat & eorum Conventuum ea forma, quæ à Nationalibus Conciliis non parum dissideret. Non enim illos congregabat Rex, nisi ad inquirendum, quid sibi Clerus consilii impertiret. Bituricensis Congregatio Cleri anno 1438. vix pondus & nomen sustinere poterat Concilii, cùm ejus scopus is onus, is labor esset, ut ex Constantiensis & Basileensis Conciliorum Decretis ea excerperet, quæ moribus Ecclesiæ Gallicanæ magis consentirent, & Pragmaticæ Regis Sanctioni inserta promulgarentur. Non ea erant Cleri decreta, sed consilia & quasi prudentum responsa, quibus Rex commonefetur. Ecqui enim potuisset etiam Nationale unius gentis Concilium duobus Conciliis Oecumenicis quasi dominari, ex eorumque decretis, assentiri his, illis in totum, aut ex parte refragari? Cùm verò inflexa & variè contemperata ibi fuerint Decreta Basileensis Synodi, quæ spectaretur his additamentis assensura: hinc apparet non ea fuisse certa Concilii Decreta cujuspiam, sed deliberationes, interim suspensas, & aliunde aptas ac religatas. Postremò nec ibi erat idonea jurisdictionis aut censurarum materia. Idcirco & eò tandem desiit hæc Cleri Congregatio, ut excerpta sua Decretorum Basileensium, cum additamentis, Regi offerrentur, qui ea Pragmaticæ suæ includeret, ad Senatumque Parisiensem mitteret, terrore pœnarum civilium ad urgendam executionem accessuro.

Hæc ratio conveniendi, deliberandi, nihil concludendi, nisi ut proponatur Regi, non tractandi, nisi de causis quibusdam generalibus, ubi jurisdictioni & censuris nihil admodum loci superest, hæc inquam ratio cùm semel in Conventus Cleri influxerit, insederitque ducentis jam admodum annis, hinc factum est, ut illis exciderit prorsus nomen, authoritas & jurisdictio vetustissimorum Nationalium Conciliorum. Ab annis sanè centum augustissimi hi Conventus complurimas & præstantissimas edidere Regulas, ad morum castimoniam, ad integritatem disciplinæ revocandam. Sed nec eo potissimum illi convocantur fine, nec eo maximè occupantur. Indubium est, antiquioribus sæculis Episcopales ejusmodi numerosioresque Conventus, in album relatos fuisse Nationalium Conciliorum. Sed illis aut Patriarcha erat, aut Exarchus, qui præesset, qui convocasset, aut Primas. Aut à Rege ipso convocabantur, quo Regno in universo eam vim obtinerent, quam Provinciales Synodi singulis in Provinciis.

Pernecessaria olim fuere hæc universalia Concilia, ad fingendam, formandamque primò Ecclesiæ disciplinam. At ubi in immensum exaggerata est cumulum multitudo Canonum & Decretorum, jam non eadem incubuit necessitas eorundem Conciliorum. Diximus suprà Augustini ævo Ecclesiam Africanam inflammatam desiderio disciplinæ attollendæ ad summum quemdam perfectionis apicem, statuisse ordinaria, & anniversaria ut haberentur Concilia universalia. At sapientia & charitate pari illustres Episcopos illos, fatigavit, & tædio affecit illa annua discursatio ad Synodos universales, quas & ipsi intellexerunt non semper æquè necessarias esse. Ideo & ab illis statutum est, ut tum extraordinariè coïrent, cùm eas necessarias sentiens Archiepiscopus Carthaginensis indixisset. Toletana olim Concilia in Hispaniis & Aurelianensia aliaque in Galliis extraordinaria fuere, longoque ex intervallo indicebantur. Ordinarii ergo cùm sint Conventus nunc Cleri in Gallia, vel hinc intelligitur universalia ea non esse, aut Nationalia Concilia. Et quanti objicerent se scopuli, obicesque stata volentibus celebrare Concilia universalia, cùm tanti obstent Conciliis Provincialibus. Hinc ab annis amplius ducentis mirari par est tot Cleri Conventuum generalium temperantiam sapientiamque, qui mediocri & tranquilla frui potestate maluere, quàm jure suo ad majorem eluctari perfractis tot difficultatum molibus.

VI. Conventus Episcoporum, qui in civitate fortè Regia reperiuntur, non parum habent cognationis cum iis, de quibus verba modò faciebamus. Non facilè iis nomen Concilii excuteretur, & authoritas, si à loci Metropolitano convocarentur, & is ipse præsideret. Evicimus enim hactenus nomine & gloria Conciliorum donatas esse eas Synodos, quæ ad eum modum Constantinopoli coïbant, & in aliis Imperiorum, vel Regnorum Principibus civitatibus; unde & ejusmodi non paucæ Synodi in generali Conciliorum consarcinatione occurrunt. Ex Innocentii III. Epistola, è qua decerpta est Decretalis, quæ fulget in corpore Juris, edocemur id decretum adversùs hæreticos concinnatum fuisse à Cardinalibus, & ab Archiepiscopis, Episcopisque tum Romæ commorantibus: *De communi fratrum nostrorum consensu, assensu quoque Archiepiscoporum & Episcoporum, apud sedem Apostolicam existentium.* In prima & principe Christiana Reipublicæ

C. Vergentis. Extra. De Hæreticis.

civitate, non potest non semper Episcoporum turba quædam versari non mediocris. Affirmat Urbanus IV. cœptam esse à se celebritatem annuam sanctissimi Corporis Christi, cùm plurimis Archiepiscopis & Episcopis, qui tunc fortè Romæ degebant. *Cum* Epist. 1.
omnibus Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis tunc apud sedem Apostolicam commorantibus.

Non facilè quisquam divinabit, qua demum re deficiant hi Conventus, ut ne Conciliis inscribantur. Nec nunc tamen Synodus, sed Consistorium dicitur, ubi summus Pontifex cum Cardinalibus & cum Episcopis Romæ tunc fortè demorantibus consultat. Episcopi Provinciæ Remensis in Concilio Provinciali apud Compendium anno 1277. statuerunt, ut quotannis Lutetiæ convenirent intra quindecim dies à Pentecoste, ut communi ope & deliberatione conspirarent in sui adversùs Capitula sua tuitionem. *Ordinatum est inter nos consensu unanimi, quod nos annis singulis in quindena Pentecostes personaliter conveniemus Parisius, ibidem tam de communibus, quam de propriis negotiis insimul tractaturi.* Non poterant hi extra Provinciam suam Episcopi Lutetiæ Synodicum Conventum celebrare: at si eos ibi Archiepiscopos tum Senonensis collegisset cum Episcopis suæ Provinciæ: quis ausit ejusmodi Cœtui nomen Concilii abrogare? Provinciale id tunc extitisset Concilium, cum accessione Episcoporum quorumdam alterius Provinciæ. At si Episcopi Provinciæ Senonensis eò vocati minimè fuissent, Concilium fuisset, finitimum iis quæ Constantinopoli olim ex inopinatò concurrebant, convocante Archiepiscopo, & Synodalem explicabant jurisdictionem.

Sed ut in Concilio Calchedonensi fuere, qui ei Concilio occurrentium Episcoporum ab Archiepiscopo Constantinopolitano coactorum Synodicam vim & potestatem demerent; unde contigit, ut solo usu & antiqua consuetudine hoc illi nomen jusque astrueretur: Ita possit quis argumentari sola desuetudine potuisse eam Concilii potestatem & gloriam his Conventibus abrogari. Anno 1640. Archiepiscopus Parisiensis censorio stigmate inussit librum inscriptum *Optatus Gallus*, accitis Provinciæ suæ Episcopis. Illud olim habitum dictumque fuisset Concilium Provinciale. At Episcopis his ipsis qui eò convenerunt, non aliud visa & dicta est, quàm *Congregatio Provincialis.* Et nihilo tamen minus pœnæ canonicæ & censuræ decretæ sunt in eos, qui eum librum aut lectitarent, aut retinerent. *Censuris eos ac pœnis Ecclesiasticis obnoxios decernimus, ac decrevimus.* Archiepiscopi & Episcopi qui Parisiis tunc versabantur, Censoræ subscripsere illi quidem, at pœnas siluere Canonicas, ut qui extra Provinciam suam nihil possent jurisdictionis exercere.

VII. Quanquam autem hi generales & particulares Episcoporum Conventus, jam inter Concilia non censeantur, quo nomine diutius quàm authoritate gavisi sunt: ii tamen sunt, quibus singularis quædam & religiosa sit observantia impendenda. Episcopi sunt enim, in unum congregati, Apostolorum successores, sponsi & parentes Ecclesiarum, Christi charitatem & potestatem sibi commendatam circumferentes. Episcopi sunt in nomine Christi congregati, de Imperii ejus incremento tractaturi, Spiritu Christi supernè illos collustrante. Hinc horum Conventuum mira utilitas, summa quandoque necessitas. Adeoque & qui his adsunt Episcopi pro

ministerii sui sanctitate, sua in his præsentia & strenuitate abundè compensant, quidquid detrimenti ex eorum absentia potest Ecclesiæ invehi. Non obest particulari Ecclesiæ, quod universæ Regni Ecclesiæ compendiosum est.

CAPUT LVII. *P. 4. l. 2. c. 82.*

De Conciliis Provincialibus post annum Christi millesimum.

I. Seculi XI Concilia convocabantur à Principibus & Prælatis. Episcopi & Proceres, Clerici & Laici eo conveniebant. Quo id discrimine interpretandum sit.

II. De Conciliis Provincialibus. Cur Hildebertus sui confirmationem à Papa optavit consequi.

III. Cur Tricassino Concilio, ubi tractata est Regula Equitum Templi, tres Nobiles laici interfuerint.

IV. Decreta Pontificum ad urgendam horum Conciliorum convocationem.

V. Concilii Lateranensis IV. egregia decreta de Conciliis Provincialibus anno quolibet habendis, & de Testibus Synodalibus, qui observent, quæ maxime vitiorum pestes in Provincia quælibet serpant.

VI. In Conciliis Provincialibus inquirebatur, an Beneficia collata fuissent.

VII. Sequentibus iterum Conciliis urgent Romani Pontifices, ut quotannis per Provincias indicantur Concilia.

VIII. Quæ tunc quotannis, paulo post altero, inde & tertio saltem quoque anno jubentur colligi. Quibus de rebus ibi agendum.

IX. Variæ observationes in Concilia Provincialia post Tridentinum in Gallia & alibi habita. De eorum confirmatione à Papa, de eorum examine à Congregatione Concilii.

X. De præsentia laicorum in Conciliis Provincialibus.

XI. Tarditate & varietate, unde etiam cessatione Conciliorum Provincialium funditus interiit jurisdictio Ecclesiastica. De Congregationibus Provincialibus.

I. Conciliis Provincialibus antecellunt alia quædam universaliora, numerosiora, illustriora; sed illis vicissim singulare accedit decus ab antiquitate, à frequentia, & à necessitate, cùm bina anno quolibet quibuslibet in Provinciis melioribus Ecclesiæ sæculis celebrari juberentur. Elucet autem in iis mira quædam varietas, ut non iidem semper interfint, non ab iisdem semper frequententur. Concilio Mosomensi anno 995. quod à Legato Papæ convocatum est, affuere præter Episcopos & Abbates, Gustridus Comes, & complures alii. Concilio Ravennati anno 997. quod Metropolitanus indixerat, interfuere Episcopi & Presbyteri sedentes, Diaconi stantes cum reliquo Clero. *Cum pluribus Episcopis & Presbyteris Ecclesiæ residens Gerbertus Præsul ejusdem Ecclesiæ, astantibus Diaconibus & cuncto Clero.* Convocatum est Concilium Pictaviense anni 999. ab Aquitaniæ Duce Vuillelmo, *Guillelmo Pictavensi Comite convocante Concilium.* Affuit Archiepiscopus Burdigalensis cum Episcopis & duodecim Abbatibus. Aurelianense anni 1017. convocavit Robertus Rex, eique præter Episcopos & Abbates, laïci adgregati sunt complures. *Convocatis plurimis Episcopis & Abbatibus, ac religiosis quibusque laicis.* Sub eodem Rege anno 1020. coaluit Concilium Airacense in Diœcesi Altisiodorensi, eoque undique comportata sunt sacra
L. 4. c. 3. Martyrum lipsana & Cimelia. Docet enim Glaber mirum, sed & tutissimum id fuisse, ut in locum Concilii Capsæ complures sacrorum pignorum adveherentur. In Concilio Flentemino Codex Evangeliorum sublimi in throno positus est, inter duo hinc & hinc capita Apostolorum Petri & Pauli. Anno 1028. Vuillelmus Dux Carrofense Concilium coëgit, ubi Cœnobium erat celeberrimum in Pictonibus. Annò 1068. Legatus Pontificius Tolosanum convocavit Concilium, cui præter Episcopos & Abbates turba Clericorum affuit & laicorum. *Sanctam Synodum tenuit cum undecim Episcopis & Abbatibus pluribus, cum religiosis Clericis, vel laicis.* Pax & concordia omnium Christi membrorum conciliatricula, & in unum corpus compaginatrix, lites tunc omnes, rixasque longe ablegaverat de jure convocandi Concilia, vel iis assistendi. Reges, Duces, Metropolitani & Legati Synodos convocabant, quod Ecclesiastica potestas à civili non obscuraretur, & neutra alteri invidiosa esset, cùm utraque ad unum Ecclesiæ decus conspiraret. Laici & inferiores Clerici Conciliis aderant, edocendi & adlaboraturi, non opinandi, non suffragandi jure usuri.

II. Sæculo XII. Concilium Nannetis coëgit Hildebertus Archiepiscopus Turonensis, *Ex suggestione venerabilis Britannorum Comitis.* Non solis ex Episcopis sanè & Abbatibus, sed *convocatis Episcopis & Abbatibus, multisque religiosis ac sapientibus viris.* Id singularius, quod Hildebertus Decreta Concilii hujus ad Honorium II. transmiserit, petieritque confirmari, & Episcopis Provinciæ eorum præcipi observationem. *Hæc vobis sancte Pater significanda censuimus; quatenus acta canonicè vestra confirmare dignetur authoritas, & datis ad Episcopos communiter litteris, exhortari omnes, ut quæcumque eis facienda sanximus in Christo, & docenda, ipsi quocumque cum Christo facere studeant, & docere.* Nec lege, nec more tenebantur Metropolitani à Papa confirmationem expectare Conciliorum Provinciæ suæ. Non ergo Hildeberto alias peritissimo rerum Ecclesiæ, & ab adulatione alienissimo, non venisset, inquam, in mentem Pontificiam exorare confirmationem, nisi eam expertus fuisset prorsus sibi necessariam. Emergere autem ea tum poterat necessitas, vel ex eo quòd in dies languesceret Metropolitanorum authoritas; aut quòd Episcopi Britanniæ Dolensi adhuc lubentiùs, quam Turonensi Archiepiscopo adhærescerent; aut denique quod quamvis Britannia minor in potestate esset Regum Gallorum, suppalpabatur ipsa sibi tamen de inani quadam specie summi dominii, sicut & Aquitania, Burgundia, Campania; à Francia sejungi se cupiebat; & à Metropolitano Turonensi, ut ab extraneo Præsule, subalieno erat animo. Denique assensus erat Comes Britanniæ eo Concilio aboleri, & expungi consuetudines quasdam, quam Christo infensas, tam fisco compendiosas. Conducibile erat ergo, ne à tam pio resiliret proposito, Pontificiæ authoritatis vinculis eum constringi. Id suis ad Papam litteris petiit Hildebertus, id redditis ad Episcopos Britanniæ Epistolis Pontifex sanxit, ut rata essent ejus Concilii statuta, & æternùm proscriptæ haberentur illæ consuetudines. *Hildebert. Epist. 65, 66.*

III. In Concilio Tricassino anni 1127. Legatus Papæ, Episcopi & Abbates, cum nonnullis Doctoribus examinarunt, approbaruntque Regulam Equitum Templi; accitis tribus Optimatibus laicis, quorum consilio & præsidio niterentur. *Cæterùm viros de non litteratis idoneum nobis videtur, ut testes amatores veritatis adducantur in medium. Comes Theobaldus, Comesque Nivernensis, ac Andreas de Baudimento, intentissima cura, quod erat optimum scrutantes, quod eis videbatur absurdum temperantes, in Concilio sic assistebant.* Cùm præscribenda esset Regula Nobilibus, Equitibus, Militibus, planum est ex horum

Optimatum præsentia & consiliis plurimum lucis & adjumenti accedere potuisse Concilio.

IV. Dolebat Innocentio III. quòd prædecessores suos spes & expectatio sua fefellisset in toties tentata & inculcata Conciliorum Provincialium celebratione. Itaque in Concilio Lateranensi IV. anno 1215. decretum illud innovari curavit. Nihilo segnior enim in hoc disciplinæ capite tuendo, quàm in aliis, cùm ex hoc uno alia pendeant omnia; nihilo segnior, inquam, vigilavit Pontificum Romanorum cura & sollicitudo. A Gregorio VII. mandatum est Episcopo Pictaviensi, Burdegalensi se ut Concilio sisteret, satisfaceretque querelis Capituli sancti Hilarii, provocaturus ab eo Concilio ad Apostolicam Sedem, sicubi se gravari sentiret. Persimiles sunt & ad Trevirensem Archiepiscopum ejus litteræ in causa non absimili Episcopi Virdunensis. Ad Archiepiscopum Coloniensem rescripsit, ut Concilium cogeret, & Clericorum continentiam arctiori fibulæ constringeret. Idem mandavit & Archiepiscopo Moguntino. Rescitn Episcopos Galliæ frustra connixi adversùs eos obices, qui Conciliorum convocationem remorabantur, Legatum misit, qui rem expediret. Vivæ vocis oraculo præceperat Alexander III. & pòst datis ad Archiepiscopum Senonensem litteris mandavit, ut collecto Parisiis Comprovincialium cœtu Episcoporum, damnaret propositionem quandam à Petro Lombardo Parisiensi Episcopo publicatam. Hine perspicies quàm Romani Pontifices, illi ipsi etiam qui suæ potestatis retinentiores fuisse jactantur, nunquam à Provincialium Conciliis abhorruerint; quin frequenti operam dederint semper eorum convocationi, sive explodendi errores essent, sive mores castigandi.

L. 1. Ep. 73. & 81.

L. 2. Ep. 67. L. 3. Ep. 4.

L. 4. Ep. 22.

V. Ad Lateranense Concilium me refero, ubi semel anno quolibet præcipitur Provinciale cogi Concilium, ibi Clero repurgando operam dari, antiquos perlegi Canones, maximè hujus posterioris Concilii Generalis, ut eorum decreta accuratiùs pòsthac serventur. *Sicut olim à sanctis Patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare. In quibus de corrigendis excessibus & moribus reformandis, præsertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum: Canonicas regulas, & maximè quæ statuta sunt in hoc generali Concilio, relegentes, ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo.* 2. Ut in Provinciæ Concilio publicæ corruptelæ diligentiùs expungantur: jubet Lateranensis hæc Synodus, ut quolibet in Episcopatu deligantur viri sapientia & pietate præcipui, qui anno toto inquirant explorentque vitia latiùs impunè usque serpentia; ac Metropolitanum & Episcopos commoneant, ut in Concilio his optima quæque temperentur medicamenta. 3. Decreta Synodorum Provincialium quotannis publicabuntur in Synodis Diœcesanis, quolibet in Episcopatu habendis. Si qui statuto huic Concilii IV. Lateranensis non paruerint, Officio & Beneficio tandiu suspendentur, quandiu ex re videbitur eorum Superiori. Cùm hæc autem pœna comminatoria tantùm esset, Metropolitanique rursum cessarent ab indicendis Conciliis, à Concilio Palentino in Hispania anno 1322. decretum est, ut nisi Metropolitani morigeros se præstarent Statuto Lateranensi, & ultra biennium torperent, nec Provinciæ Concilium convocarent, jam tum ab ingressu Ecclesiæ arcerentur, donec Concilium indixissent. *Si saltem biennio semel celebrare Provincialia Concilia omiserint, eo ipso tandiu ab ingressu Ecclesiæ sint suspensi, donec negligentiam suam purgaverint, Concilia Provincialia celebrando.* Qua eadem pœna feriuntur Episcopi, nisi Synodos Diœcesanas singulis annis habeant.

Can. 6.

Can. 2.

VI. Eo Palentini Concilii Decreto monemur, non diu servatum fuisse Statutum Lateranense de convocatione Conciliorum, quanquam illud Gregorius IX. libris Decretalium inseruisset, multaque simul addidisset ejusdem Concilii decreta, ubi Conciliis Provincialibus vendicatur custodia sacræ plerisque in rebus maximis disciplinæ. Id genus est Statutum, quo Conciliis Provincialibus demandatur, ut diligentissimè perquirant, si qui Beneficia indignis conferant, & bis monitos potestate conferendi suspendant, aliósque subrogent, qui ea sanctiùs utantur. Hoc Decreto implicantur & Capitula; & quoad Metropolitanos, si quid ejusmodi peccent, certiorem facient Concilium Provinciæ Primatem, Patriarcham, Papam. Verba Canonis hîc necessariò attexenda fuere, ut quæ mirum quantum momenti habeant. *Præcipimus, ut prætermissis indignis idoneos assumant, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum; fiatque de hoc in Provinciali Concilio diligens inquisitio annuatim; ita ut qui post primam correptionem fuerit repertus culpabilis, à Beneficiis conferendis per ipsum Concilium suspendatur, instituta in eodem Concilio persona provida & honesta, quæ suspensi suppleat defectum in Beneficiis conferendis. Et hoc ipsum circa Capitula, quæ in his deliquerint, observetur. Metropolitani verò delictum Superioris judicio relinquatur, ex parte Concilii nuntiandum.* Obiter hîc adverte, jam non eam sibi sumere licentiam Synodos Provinciales, ut in Metropolitanos animadvertant, nisi ut eos accusent apud Concilium majus, vel superiorem Prælatum.

C. Sicut. Extra. De accusat. C. Cùm sit nimis. De ætate.

C. Grave. Extra. De Præben. Conc. Later. IV. c. 30.

VII. Gradum revoco ad sollicitudinem summorum Pontificum singularem, pro frequentandis Provinciarum Conciliis. Præter Decretales, quæ oracula & leges erant Ecclesiæ, anno 1231. Legati Pontificii multa edidere statuta, quæ in ditione Comitis Tolosani obtinerent; ac præ cæteris, ut quolibet anno conveniret Concilium Provinciale, tempore Quadragesimæ Dominica *Lætare*. Anno 1279. missus est in Lusitaniam à Nicolao III. Papa Episcopus Theatinus, ut libertates Ecclesiæ restitui curaret ab Alphonso Rege labefactatas, eò vel maximè quòd resisteretur Conciliis Provincialibus: ut cui persuasissimum esset, si Episcopis convenire, & consilia viresque suas conferre daretur, non dubiè potituros de suæ libertatis & dignitatis hostibus victoria. *Item Prælatis vel Capitulis terræ suæ non est liberum simul convenire, & tractare de gravaminibus & injuriis quæ inferuntur eisdem, aut ipsa Apostolicæ Sedi referre.*

Catel des Comtes de Toulouse. pag. 354.

Rainal. an. 1279. n. 16.

Anno 1364. Urbanus V. exitiali Beneficiorum pluralitati occurrere satagens, Archiepiscopum Cantuariensem per litteras commonuit, ut Concilia cogeret juxta Canones, ibique medicamenta conquireret huic pesti, aliísque non paucis, quibus Clerus infamabatur. Anno proximo encyclicas dedit ad omnes Archiepiscopos Epistolas in eandem rem, providè consulens, ut post celebrationem Concilii Provincialis aliquid litterarum ad se quisque daret. *Nobis de convocatione hujusmodi, cùm eam feceris, & demum de gestis in eodem Concilio rescripturus.* Anno 1374. Gregorius XI. eandem rem Narbonensi Archiepiscopo inculcavit, ut quotannis celebraret Concilium,

Idem anno 1364. n. 13.

de

de eo celebrato certiorem se faceret, daretque operam, ut Episcopi Diœcesanos priùs Synodus suas
Ibid. n. 1. 2. cogerent, in iis provisuri, quid in Provinciali Concilio committendum maximè esset. Anno 1423. Martinus V. Metropolitanis mandavit omnibus, ut in convocandis Conciliis suis officio fungerentur; in iis explorarent, quibus potissimum rationibus revocari posset castior Ecclesiæ disciplina, investigarentque, quid maximè præmunendi essent Patres Concilii Generalis mox habendi.

Nec mirum est, si tantopere æstuarent hi Pontifices ad celebrationem promovendam Conciliorum Provincialium, cùm exploratissimum haberent illis interceptis exundasse in Ecclesiam innumeras disciplinæ morumque pestes. Ea fuit Gregorii XI. sententia, in datis ad Archiepiscopum Narbonensem
Conc. Gen. To. 11. pag. 2495. litteris anno 1274. *Licèt pro observatione sacrorum Canonum, corrigendis excessibus, & reformatione morum, præsertim Cleri, sit à sanctis Patribus institutum, quod Metropolitani cum suis suffraganeis non omittant Concilia Provincialia celebrare: quia tamen celebratio hujusmodi ferè ubique terrarùm, quod dolenter referimus, longis temporibus est negligenter omissa; propter quod idem Clerus ab honestate sui primævi statûs non modicum excedit, multipliciter in devium declinavit.*

Nec est rursum quod stupeas, tam sæpè & tam diu refrixisse Metropolitanos à Conciliorum celebratione. Si cæteri occupati erant hac Toletani Metropolitani, adeoque & Concilii anni 1355. opinatione, à quibus declaratum est, Constitutionibus Conciliorum Provincialium eam vim inesse, ut earum transgressores pœnas quidem incurrerent præfinitas, sed nullo se peccato prorsus constringerent, nisi ipso Constitutionum textu ediceretur, illis transgrediendis peccatum incurri. *Sacro approbante Concilio ordinamus, quod Constitutiones Provinciales prædecessorum nostrorum, & quæ in futurum concedentur, nisi aliter in concedendis expressè fuerit ordinatum, non ad culpam, sed ad pœnam tantùm, earundem obligent transgressores.* Mirum est credi potuisse, permirum & stupendum est pronuntiari potuisse, in transgrediendo mandato ac statuto tot Episcoporum unà congregatorum, numine & authoritate Christi vestitorum, decernentium quod utile, quod necessarium sit ad vitiorum extirpationem, & ad antiquæ sanctimoniæ instaurationem, nihil prorsus contrahi peccati.

VIII. Palentinum verò Concilium paulò antè laudatum impulit ad irrogandas pœnas, nisi intra biennium Concilium Provinciæ indiceretur, summa omittendo Conciliorum convocandorum difficultas. Concilium Basileense anno 1433. acquievit, ut semel tantùm triennio quolibet congregarentur.
Sess. 15. *Ad minus semel de triennio in triennium Concilium Provinciale celebretur.*

Ex hoc porro Concilii Basileensis decreto luculentè depromuntur ea, in quæ incumbere debeat vigilantia & cura Concilii Provincialis; mores scilicet Episcoporum & regimen ut excutiant, in Beneficiorum collatione, in confirmatione electionum, in ordinatione, in convocatione Synodorum, in delegatione Confessariorum & Prædicatorum, in exercitio jurisdictionis spiritalis, in administratione rerum Ecclesiæ temporalium. *In quibus quidem Conciliis, de corrigendis excessibus, moribusque subditorum reformandis, & præcipuè qualiter Episcopi in conferendis Beneficiis & confirmandis electionibus, ministrandis Ordinibus, deputandis Confessoribus, prædicando ad populum & puniendo excessus subditorum, observationeque Episcopalium Synodorum, cæterisque ad officium Episcopale & jurisdictionem & administrationem eorum in spiritualibus & temporalibus quomodolibet spectantibus se gesserint, & præsertim an à labe simoniaca manus innoxias servent, diligens inquisitio secundùm juris dispositionem fiat; ut omnes qui in præmissis deliquisse comperti fuerint, per ipsum Concilium corrigantur & puniantur.*

Additur & illud in eodem Concilio, si Metropolitanus ipse monitis iisdem teneatur, monitis precibusque à Concilio conveniendum esse, tum de re tota certiorem faciendum esse Pontificem, vel Superiorem quemvis alium immediatum. Statuitur denique in hoc eodem Concilio, ut si quid in Provinciis & Regnis excitetur dissensionum, bellorumque intestinorum, cogenda tum maximè esse Concilia Provinciæ, quæ paci astruendæ & tranquillitati populorum collaborent.

Cùm anno 1442. Concilio Coloniensi Provinciali præsideret Cardinalis Cusanus, tanquam Legatus Pontificis, assentiente Archiepiscopo Coloniensi, statui curavit, ut anno quolibet tertio Concilia Provincialia celebrarentur. At Concilium Toletanum anni 1473. aut ignorato, aut dissimulato decreto suprà memorato Concilii Basileensis, sequi *Can. 1.*
maluit Concilium Palentinum, de quo paulò antè, statuitque, ut Diœcesanæ quotannis, Provinciales Synodi semel quolibet biennio haberentur. Contra autem in iis, quas Campegius Cardinalis Lega- *Cap. 26.*
tus anno 1524. edidit Constitutiones, decretum est, ut triennio quolibet haberentur Concilia Provincialia, juxta Concilii Basileensis, immo Lateranensis decretum sub Leone X. anno 1515. Decima enim Lateranensis hujus Concilii Sessione recitata est Constitutio Leonis X. triennalia urgentis saltem convocari Concilia. In Concilio Bituricensi anno 1518. innovatum est statutum nescio quod Concilii Constantiensis de triennalibus similiter Provinciæ Conciliis. *Ut Decretum Concilii Constantiensis* *Can. 9.*
super celebratione Conciliorum Provincialium tertio quoque anno celebrandorum observetur. Faciliè suspicamur illud esse Basileense decretum, de quo superiùs. Tridentinum denique Concilium idem statutum *Sess. 24. c. 2.*
confirmavit, ut singulis trienniis convocarentur ad Provincialia sua Episcopi Concilia; Episcopi verò à jurisdictione Metropolitani absoluti, optarent ex vicinis unum Metropolitanis, cujus deinceps Conciliis adesse possent.

IX. Post Tridentinum Concilium, neque ejus decretis parerent, innumera toto orbe Christiano coïere Concilia. Exemplo suo aliis prælusit B. Carolus Archiepiscopus Mediolanensis. Peroravit ipsemet in Concilio I. suo Mediolanensi, commonstravitque perniciem, vel restaurationem sanctissimæ Ecclesiarum disciplinæ à Conciliorum Provincialium cessatione, vel frequentatione aptam religatamque pendere. Id quoque declaratum ibi est in interstitio illo Conciliorum, Metropolitani partes esse proprias, ut eorum elevet difficultates decretorum, & incurrentes scrupulos eximat. Concilia omnia Mediolanensia correctioni Sedis Apostolicæ *Acta Eccl.*
subjacere voluere Decreta sua. In Concilio Medio- *Med. pag.*
lanensi IV. anno 1576. multa præclarissimè statuta *55. 50. 404.*
sunt, ut ex Conciliis Provincialibus fructus pluri- *495. 496.*
mos caperetur.

Concilium Rotomagense anni 1581. multas quæstiones à Pontifice solvendas proposuit, quarum nonnullæ ad ipsa pertinent Concilia. Ad ea respondit Pontifex, audita Concilii Congregatione,

Cap. 4. Responsa autem hæc eò tandem redeunt, ut in Conciliorum sessionibus, qui prior est ordinatione inter Episcopos, sedeat supra eum cujus sedes gaudet primatu & prærogativa Protothronorum, de quibus alibi ex instituto egimus. Commendatarii ut Abbates inter Abbates admittantur, sed cedant honorem sedis Abbatibus benedictis. Post Abbates ut sedeant Dignitates, tum postea Procuratores Capitulorum. Soli ut Episcopi voce definitiva gaudeant, nisi Concilium ipsum eodem honore dignetur Procuratores Episcoporum: Abbates cæterique omnes consultivum tantùm suffragium habeant.

Palavic. L. 6. c. 1. In Concilii Tridentini historia narrat Palavicinus, quid ibi controversiæ natum sit circa jus Abbatum, & Generalium Ordinis alicujus Religiosi, sive ut Concilio intersint, sive ut suffragium ferant. Sed cùm ea res ad Oecumenica tantum spectet Concilia, non iis hic ego diutius immorabor, ut me ad idem revocem Concilium Rotomagense. Qui ei præerat Cardinalis Borbonius, is decreta ejus omnia misit ad Gregorium XIII. qui & pòst remisit cum animadversionibus Congregationis Concilii, ipsius mandato Pontificis.

Anno 1582. Concilium Remense collegit Guisius Cardinalis, cujus similiter decreta ab eo ad Pontificem missa, à Pontifice remissa sunt, cum ejusdem generis correctionibus Congregationis Concilii. Nusquam hic vides à Pontifice confirmationem peti, quòd ab usu recepto id abhorreret. In publicatione tamen Concilii hujus sui affirmat Guisius Cardinalis, confirmatum illud à Papa fuisse. Nimirum correctio Romana instar confirmationis habebat. *Quæ omnia ad S. D. N. Gregorium XIII. misimus, & nunc tandem à sua sanctitate probata, confirmata & remissa, typis excudenda vobisque proponenda curavimus.*

Eodem quoque anno Provinciale Concilium convocavit Archiepiscopus Burdigalensis, ejusque Acta ad eundem Papam Gregorium XIII. retulit. In responsione sua Pontifex & zelum ejus, & Concilii decreta collaudavit, mandavitque ut à Congregatione Concilii eadem Decreta retractata & elimata reciperet. Remisit illi Congregatio Concilii Acta & Decreta notis & correctionibus ad marginem interpuncta, ut integrum ei esset eas pro sapientia sua inserere, & pro zelo disciplinæ executioni mandare.

Eodem rursus anno 1583. Concilium Turonense congregatum est, cujus Decreta ad Papam missa, & ab eo statim remissa sunt cum correctionibus Congregationis Concilii. Qui præfuerat ei Metropolitanus, ad Regem quoque ejus Acta misit, erat is Henricus III. cum Epistola eruditionis plurimæ, qua refricabat memoriam antiquorum temporum, ubi Imperatores tantum potestatis Conciliis indulserant, ut causas omnes Procerum & Officialium Regni dirimi in his vellent, jusso interesse quasi Defensore Regio, qui Decreta Concilii authoritate Regum in executionem mitteret. Denique profitebatur Regi Metropolitanus, hæc illi Concilii Acta exhiberi, exemplo Cabilonensis olim & Turonensis Conciliorum, quorum Carolo Magno oblata sunt Decreta, ut adderet demeretque, perinde ut ex re videretur, & ita demum ea confirmaret. Plurima tunc in Conciliis temporalia tractabantur negotia; ideo Acta eorum Regibus repræsentabantur: qui nec ipsi tum ea confirmabant, nisi ex Prælatorum consilio.

Concilii Bituricensis anno 1584. ad Sixtum V. gesta sunt missa, & ab eo remissa similiter cum emendationibus Congregationis Concilii, & Pontificio mandato, ut ne aliter publicarentur. Anno 1585. Archiepiscopus Aquensis Concilii sui confirmationem à Sixto V. petiit, à quo similiter missæ correctiones ad marginem Congregationis Concilii, vetito ne aliter decreta evulgarentur. Paulus V. anno 1607. Concilium Mechliniense confirmavit, post aliquas consimiles correctiones: *Nonnullis mutatis, ut videtis, approbavimus.* Raro Pontifices his usi sunt verbis in nostris Conciliis Gallicanis, quanquam Episcopi Galli eorum Brevia tanquam confirmationem quandam amplexi sint, ut rursus patet ex Concilio Narbonensi anni 1609.

Non frustra autem tam scrupulosè excussimus ea Pontificum mandata, quibus confirmari videntur Synodi Provinciales. Certum est enim, exceptis Mediolanensibus, & paucissimis aliis, Concilia Provincialium nulla à sede Apostolica confirmata fuisse, quòd is nunquam in Ecclesia usus viguisset. Ab antiquissimis enim illud manavit temporibus, ubi non aliter decreta Conciliorum Provincialium confirmabantur, quam usu ipso & diuturno, & tranquillo, clam & tacitè assentiente, hoc est, non intercedente Ecclesia. Quod de Conciliis Provincialibus non confirmandis diximus, id ante nos expressè Fagnanus firmavit: *Quo loco omittendum non est, Concilia Provincialia Mediolanensia approbari consuevisse à summo Pontifice per litteras in forma Brevis: cùm tamen alia Provincialia Concilia non confirmentur, sed tantummodo recognoscantur, & emendentur à S. Congregatione Concilii, ad præscriptum Constitutionis Sixti V. super institutione ejusdem Congregationis.* In l. 1. Decr. par. 2. pag. 10. 20.

X. Putuerant & alia mendicari non pauca de Conciliis ex eodem Fagnano, maximè de iis quos interesse eis jus fasque est. Quæstionem de laïcis attingit, & Canonistas laudat non paucos, quibus convenit posse eos invitari, aut ubi de fide agendum est, aut ubi aliquid consilii ab iis expiscandum. Quod & à Congregatione Concilii confirmatum est. *Laicos invitatos posse interesse, atque votum consultivum habere.* Ejusdem Fagnani testimonio, responsiones Pontificis supra relatæ ad consulta Concilii Rotomagensis anni 1581 à Congregatione Concilii manaverant. Impatientius ferunt Canonistæ ex eodem Fagnano, Regum Ministros Conciliis interesse, quòd eorum præsentia libertas Episcoporum debilitari videatur; præterquam quod parum consentaneum sit causas spiritales coram laïcis tractari. Ideo nec amplius ulli à Regibus Ministri ad Concilia mittuntur, quanquam olim usitatissimum id esset, quòd tum Concilia mixti essent Conventus, ubi res sæcularium gravissimæ plerumque dirimebantur. L. 3 part. 2. Pag. 169.

Temporibus etiam Philippi Longi Galliarum Regis anno 1321. non multò secus res habebat. Cùm enim ille statuisset monetas, pondera, & mensuras Regni ad unam eandemque formam refingere, & alienatas domanii, seu Patrimonii Regii terras recuperare, quo postea allevare posset publicas exactiones, cumque ad id egeret aliquanta pecunia à Clero ipso adjutari: æquo animo tulit, ut ea de causa in Concilio suo Provinciali deliberaret Archiepiscopus Senonensis; ad quod & delegavit insignes meritis viros, qui interessent Regis nomine. Spic. to. 10. pag. 622.

XI. Vix ulla venari potest paulò uberior de Conciliis quæstio, quam non attigerit Fagnanus, in Caput *Sicut olim. De accusationibus.* Finem faciam In lib. 5. par. 1. pag. 134.

hac ultima iterum iterumque inculcata observatione, funditus interiisse jurisdictionem Ecclesiasticam, ex quo intermissa sunt Provincialium Concilia. Nam pro duobus quolibet anno Conciliis in qualibet Provincia juxta antiquos Canones; ad quæ referebantur causæ omnes Ecclesiasticæ; ad unum ventum est singulis annis Concilium. Pòst ad unum quolibet biennio. Denique ab annis ducentis circiter & quinquaginta ne Canones ipsi quidem sæpiùs Concilia jubent in Provinciis haberi, quàm semel post tres annos. Atqui tanto temporis intervallo non possunt pendere negotia. Retardatis Conciliis non possunt causæ interim graves & urgentissimæ non ad alia referri Tribunalia. Si tantum detrimenti affert Conciliorum raritas tarditasque jurisdictioni sacræ, quid cessatio? Pro Conciliis Provincialibus Congregationes habitæ sunt Provinciales; sed semel & iterum pro libris configendis.
Ambassade du Perron pag. 695. Ejusmodi fuit ea, ubi Cardinalis Perronius Richerii librum damnavit anno 1612. & illa de qua suprà, ubi anno 1640. proscriptus est *Optatus Gallus*. Postremæ huic Congregationi Concilii nomen tribuit nuperus Compilator Conciliorum novissimorum Galliæ post Tridentinum ferè habitorum. Viderint Episcopi, an toties infeliciter tentata Conciliorum Provincialium libertate, id damni interim Congregationibus his Provincialibus utcumque solari & sarcire possent.

Quibus cautionibus muniendi sint Episcopi, qui in Aula frequentes sunt. Quibus ibi honoribus jam olim afficerentur.

CAPUT LVIII. *P. 1. l. 2. c. 35.*

Ex doctrina Patrum, quibus cautionibus muniendi sint Episcopi dum Aulam petunt, vel in ea retinentur, per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

I. Quanto in periculo versentur Clerici, qui in Aula commorantur, ex Evangelio, interprete Hieronymo & Gregorio Nazianzeno.

II. Constantinus Episcopos sibi comites adjunxit in castris & in exercitu.

III. Hinc ad Ecclesiam redire potest summa quadam gloria mossis. Per Episcopos regnare debet Christus in Palatio Regum. Exemplum B. Martini.

IV. V. Exempla Ambrosii & Augustini.

VI. VII. Exempla Basilii & Chrysostomi.

VIII. Ut Episcopos veneratæ sint Imperatrices.

IX. Isidori Pelusiotæ doctrina.

X. XI. Quàm piè de his senserint Imperatores Valentinianus, Constantinus, Theodosius.

XII. Tabula Imperatorum & Episcoporum Constantinopolitanorum iisdem.

XIII. Euphemii Constantinopolitani Episcopi magnanimitas.

XIV. Episcopus Urbis Regia sequester & veluti mediator omnium Episcoporum ad Imperatorem. Exemplum Ambrosii.

XV. Memorandum B. Babyla Antiocheni Episcopi exemplum.

I. Quæ à nobis prolixiùs disputata sunt de Episcopis in Aulam proficiscentibus, & ibi aliquantum temporis consumentibus, ejusmodi non sunt, ut ambages omnes & sinuosi anfractus rei periculosissimæ aperiri hactenus potuerint. Christus enim ipse de Joanne disserens, cujus prædicationi vestis victusque & vita respondebat, admonebat non consentire Regum Palatiis hanc Prædicatorum vitæ morumque asperitatem; quippe in Aula sedem sibi fixisse mollissimas voluptates & adulationes. Hinc præclarè Hieronymus exemplo Joannis commonstrat Veritati ad Aulam accedenti non patere nisi carceres. *Locustis vescitur, pili camelorum tegmen ejus sunt. Istiusmodi cibus & vestis carceris hospitio recipiuntur, & prædicatio veritatis tale habet habitaculum. Qui autem adulatores sunt, & sectantur lucra, & quærunt delicias, & divitiis affluunt, & mollibus vestiuntur, isti in domibus Regum sunt. Ex quo ostenditur rigidam vitam & austeram prædicationem vitare debere Aulas Regum & mollium hominum.* *In Matth. c. 11.*
Ab amantissimo poterat Magistro hoc hausisse Hieronymus, Gregorio Nazianzeno. Quippe qui profitetur cedere se lubentissimè, & excedere Palatii commoratione, ut Deo uni & sibi viveret; ex quo tamen illud nascebatur, ut tantò proniores haberet Aulicos ad sui venerationem, quò ipse ad illis assentandum minùs propenderet. *Cùm nullus esset, Aulicos qui Proceres non coleret, desiderari malui, quàm odium mei movere; raro & prodiens peperi mihi venerationem; Numini summo vacans & mihi, Potentum cæteris linquens fores.* *Carmine de vita sua.*

Si dum Gregorius Regiæ Urbis Ecclesiam administraret, Palatii fuga Palatinis se Proceribus maximè commendabat, hinc apparet quantùm alios Episcopos ab Aulæ frequentatione absterreret. Scriptor perantiquus vitæ ejus testatur in deliciis illi tum fuisse ruris secessum, raros ad Palatium aditus. *Interdum ex urbe in agros secedebat, solitudinem expetens. Ad Aulam verò rarò commeabat.*

II. At aliunde author est Eusebius Constantinum Imperatorem, adversùs Licinium cum exercitu proficiscentem; Episcopos in comitatu habere voluisse, quorum & ad Deum fusis precibus, & à Deo haustis consiliis muniretur. Habebat & in castris suis Licinius Idolorum sacrificos, at ex victoria qua potitus est Constantinus, patuit quantum & causa vinceret, & religione in Deum superaret. *Cùm precationibus, si unquam antea, se se tunc maximè indigere intelligeret, Sacerdotes Dei secum duxit, eos velut optimos animæ custodes adesse coràm & secum versari debere existimans.* *De vita Const. l. 2. c. 4.* Expertus Constantinus quantum sibi opis & consilii accessisset à contubernio Episcoporum, nonnullos eorum & ad bellum Persicum abduxit; suisque ad Deum precibus & eorum sacrificiis ædiculam sacram frequentans, quam portatilem circumferebat, jam non dubitabat, quin his sibi maximè præsidiis victoriam acceleraturus esset. *L. 4. c. 56.* *Persis bellum inferre statuit, militares copias undique excivit, & cum Episcopis quot circa se habebat, de profectione consilium communicavit, provida mente prospiciens, viros ad divinum cultum necessarios assiduè secum versari oportere. Illi verò libenti animo secuturos se esse affirmarunt, nec ab illo discessuros; sed continuis apud Deum supplicationibus militaturos unà cum illo & pugnaturos. Quo ille nuntio vehementer delectatus, viam illis, qua proficiscerentur, descripsit. Perinde tabernaculum in speciem Ecclesiæ ambitioso cultu ad hujus belli usum præparavit, in quo preces ad Deum victoriæ authorem unà cum Episcopis fundere decreverat.*

His Eusebii verbis patet religiosissimo Imperatori individuos comites Episcopos adhæsisse in hac expeditione. Etsi illos suis ex Ecclesiis evocasset, ex suprà laudatis Sardicensibus Canonibus facilè intelligitur obtemperaturos eos fuisse mandato, ex quo tantum & Regno & Ecclesiæ splendoris & præsidii conciliaretur. Quid enim amplius ad glo-

riam Christianæ Ecclesiæ, quàm ut ejus Præsules in consiliis & in castris Regum & Imperatorum præfulgeant, terrenaque Imperia uni summo Imperatori Christo subjiciant? Affirmat Sozomenus quem se cumque in locum conferret Imperator, *Sacerdotes & Diacones tabernaculum assiduè secutos esse*; ut in Palatio & ruri sacris Officiis operam darent, & Mysteria celebrarent.

III. Fateri ergo cogimur Episcopos sanctitate maximè conspicuos in Palatiis Regum habitasse nonnunquam, sed incolumi majestate sacerdotii, ipso imperio nobilioris; charitatis regno substernentes, quidquid usquam militat cupiditatum terrenarum; præcepto magis, quàm prece causam Christi propugnantes: ne ipsorum quidem Imperatorum facinora quandoque publica inulta sinentes: denique aspernanda Magnatum pompa sæculari, vel hinc maximè eorum sibi admirationem comparantes. Eam nobis expinxit B. Martini effigiem Sulpitius Severus, cum Augustam Treverorum profectus est, Maximo Imperatori eblandituru veniam Nobilium quorundam noxiorum. *Cùm ad Imperatorem Maximum ferocis ingenii virum & bellorum civilium victoria elatum plures ex diversis partibus Episcopi convenissent,* (L. 1. 8. Vita B. Martini. c. 23.) *& fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, seque degeneri inconstantia Regia clientelæ sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica authoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum Regi fuit, imperavit potiùs quàm rogavit; & à convivio ejus frequenter rogatus, abstinuit, dicens, Se mensæ ejus participem esse non posse, qui duos Imperatores, unum regno, alterum vita expulisset.*

Non supplex visus est Maximo Martinus, sed judex, unde & illi excusare ac purgare studuit facinus illud utrumque, quod ei ingerebatur, quòd Imperatorem alterum vita, alterum Imperio spoliasset. Cùm denique vix à Martino impetrasset, ut semel ejus mensæ assideret, jussissetque illi prius poculum offerri, quasi ab eo recepturus, non sine ingenti stupore vidit sibi prælatum Presbyterum Martini comitem, cui Martinus poculum prælibatum in manum priori dedit. Hunc Imperii sui præ sacerdotio contemptum Martini pluris fecit Maximus, quàm inanissimas aliorum Præsulum adulationes, in Aula frequentium. *Nec integrum sibi fore existimavit Martinus, si aut Regem ipsum, aut eos qui à Rege erant proximi, Presbytero prætulisset. Quod factum Imperator omnesque qui tunc aderant, ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis in quo contempti fuerant, placeret.* Congratulati sunt Martino Proceres omnes, quòd in Imperatoris ipsius convivio Episcopalis animi magnitudinis illustrius specimen edidisset, quàm cæteri vulgò Episcopi in inferiorum Magistratuum mensis. *Celeberrimumque per omne Palatium fuit, fecisse Martinum in Regis prandio, quod in infimorum Judicum conviviis nemo Episcoporum fecisset.* Narratur ab eodem Severo, ut permittente Maximo uxor ejus Imperatrix ad pedes accederet B. Martini, cibus & mensam instrueret, prandenti ministraret. *Divelli à Martini pedibus solo strata non poterat, componitur Reginæ manibus apparatus, cellulam ipsa constravit, mensam admovet, aquam manibus subministrat,* (Dialog. 2.) *cibum quem ipsa coxerat, apponit, miscuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit.*

IV. Nec minori constantia, vir supra omnem admirationis aleam positus Ambrosius, Valentinianum Imperatorem contestatus est, si subscriberet postulatis Gentilium ad idolorum restitutionem, tunc fieri posse, ut ad Ecclesiam veniret, non ut Episcopum inveniret, aut certè inveniret resistentem. *Certè si aliud statuitur, Episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus: licèt tibi ad Ecclesiam convenire, sed illic non invenies Sacerdotem, aut invenies resistentem.* (Ambros. Epist. 30.) Ubi placuit Imperatori de fide in Palatio disceptari, aut Arrianis nonnullas permitti Ecclesias, tunc incredibili animi fortitudine illum edocuit Ambrosius, Principes Ecclesiæ filios esse; in illius gremio esse, non supra illius caput. *Quid enim honorificentius, quàm ut Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Edocuit subesse ipsis terram, ipsos Deo; Regia potestate Imperium regi, at Ecclesiam regi imperio Episcoporum. *Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt, Imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere: si vis diutius imperare, esto subditus Deo. Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.*

Quando intercessit Ambrosius, ne novum Arianis Concilium Imperator Oecumenicum annueret: quando cædem Thessalonicensem publica eluere pœnitentia Theodosium coëgit: quando rescindi fecit legem, qua Clerici viduarum hæreditatibus arcebantur; quando Symmachum labefactavit, idola revehentem: his luculentissimis argumentis constat, quanti ad Ecclesiæ incolumitatem & magnitudinem intersit, ut Episcopi in Palatio Regum plurimum possint, nec eo sese ipsi prorsus summoveant. Dummodo quam in Aula nanciscentur authoritatem, ea uni militet justitiæ; Aulamque Episcopi sanctitatis suæ splendore cohonestent, non ipsi ab ea dehonestentur. Ratum est, ratumque fuit semper, ut Episcopi qui Palatii lumina terunt, Ambrosios sapiant: ideo & Theodosius ipse profitebatur, unum sibi videri Episcopum Ambrosium. *Solum Ambrosium novi Episcopum, dignum eo nomine.* (Theodoret. Hist. l. 5. c. 17.) Sed ex eo uno id proficiscitur, quòd nondum satis illis persuasum sit, eo in honore & pretio fuisse Ambrosium apud Imperatorem, quòd illi indeflexo animo obstitisset, vel æquitatis limites transilienti, vel inanes opes, honoresque terrenos despondenti. Videbat enim Theodosius, non suorum aliquid, sed seipsum carum Ambrosio esse, & tantò cariorem, quantò majore cum periculo ab eo sibi resisteretur. Scitè enim tradit Hilarius eos qui nihil sua causa volunt, non posse non ab iis diligi, quorum causa omnia volunt. *At verò qui nihil sua causa velit, & omnia in profectum alienæ voluntatis exerceat, necesse est ut causam placabilitatis acquirat; quia & ex alienis utilitatibus placeat, nec offendat in propriis.* (In Psal. 52.)

V. Penitissimè inhæserat animo Augustini illa Martini & Ambrosii persuasio, Ecclesiæ & Episcopos sponsos esse, & Reges filios, ideoque posse Episcopos precibus præcepta miscere ad filios hos illustrissimos, eosque compellare nomine & authoritate Legis æternæ & incommutabilis justitiæ Christi, cujus Vicarii & interpretes sunt. Audiatur Augustinus Marcellinum Tribunum alloquatur, atque illi mansuetudinem & indulgentiam præscribat, in temperandis legibus, remittendaque pœna mortis, ubi placet Ecclesiæ reos relaxari, & pœnitentium suis classibus ascribi. *Si non audis amicum petentem, audi Episcopum consulentem. Quamvis quoniam Christiano loquor, maximè in tali causa non arroganter dixerim, audire te Episcopum convenit jubentem. Domine eximie & meritò insignis, atque charissime fili.* (Epist. 159.) Et in alia Epistola: *Rectorem ... ordem præcelsæ potestatis* (Epist. 162.)

videmus: sed etiam filium Christianæ pietatis agnoscimus. Subdatur sublimitas tua, subdatur fidei sua. Sic ille afferi solebat Magistratus Imperatoriæ potestatis gloria circumdatos.

VI. Fuit & Basilius forti prorsus & excelso animo, ut cùm Præfecto, quem Valens Imperator miserat ad illum Arianis propitiandum, respondit, *Quod ad Imperatoris amicitiam pertinet, eam cum pietate junctam magni æstimo: sed si ea careat, perniciosam esse dico.* De hac intrepidi animi celsitudine nihil remisit, quando cum Valente ipso congressus est Basilius. Denique Modestum Præfectum proscriptiones rerum, exilia, cruciatus, mortem denique comminatum, hoc ille fregit responso: sibi formidini nec proscriptiones esse, qui cùm omnia abdicasset, expilari jam non posset: nec exilia, ut qui ubique terrarum hospes esset & peregrinus: & rursus ut qui mundi civis esset, & ubique patriam, ubique summum Parentem Deum animo spectaretur; nec cruciatus, quòd vitam tenuissimo spiritu fugacem & jam fugientem, primus statim dolor elisurus esset: nec mortem denique, quam dudum in optatis haberet, ut mortalitate absolutus Deo immortaliter viveret. Consternatus hoc responso Præfectus, confessus est, neminem tanta unquam fiducia secum locutum esse, cui seposuit Basilius, Nunquam ergo eum cum Episcopis sermonem miscuisse, ut quorum non possit non eadem & sententia in his esse, & fiducia. *Neque enim in Episcopum incidisti, alioquin hoc prorsus modo disseruisset, pro hujusmodi rebus in certamen veniens.*

Theodoret. L. 4. c. 17.

Nazianz. Orat. 20.

VII. Si authore Basilio ita comparati esse debeant Episcopi, nihil illis magnopere pertimescendum est ex Aulæ contagio & contubernio Magnatum. Ubique enim, & illic maximè circumgestant animos ad preces inflexos, ad minas imperterritos, inaccessos muneribus, humanis cupiditatibus incorruptos, ubique invictos, quòd justitia, cui uni adhærescunt, invicta semper victrixque demum omnium sit. Eo fuit animo Chrysostomus, qui primordia Episcopatûs sui dedicavit præclarissimis ad Arcadium Imperatorem & ad Imperatricem commonitionibus, ut refert Theodoretus. *Magnus ille Joannes susceptis Ecclesiæ Constantinopolis gubernaculis, cœpit iniqua quorundam facinora graviter coarguere: Imperatorem, ejusque conjugem salubriter admonere.* Neminem fallit quanta animi magnitudine adversùs Imperatricis cupiditatem, & adversùs Imperatorem ipsum pro justitia certarit. Neminem præterit, persecutionibus, exiliis, morte ipsa plus illi gloriæ & splendoris accumulatum fuisse, quàm si gratia, amicitia, beneficentia Imperatorum floruisset. Erat Chrysostomo illud persuasissimum, quod & omnibus persuasum volebat, quantacumque fulgeant gloria Regum throni, multò splendidiùs radiare Episcopales sedes; cùm illi terris imperitent, hi cœlos ipsos potestati suæ subjectos & obsequentes habeant. Ideo & coronatos Regum vertices Episcoporum Presbyterorumque manibus inclinavit Deus, à quibus & ipsi ambiunt benedici. *Thronus Regius quanquam ob gemmas affixas admirandus videtur, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est. Verùm Sacerdotis thronus in cœlis collocatus est, & de cælestibus negotiis pronuntiandi habet authoritatem. Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis. Deus ipsum regale caput Sacerdotis manibus subjecit, nos erudiens, quod hic Princeps est ille major. Siquidem id quod minus est, benedictionem accipit ab eo quod præstantius est.* Quando Oziam Regem tam justè, sed & tam acerbè Pontifex olim objurgavit, intellexit utique quantum emineat Regno sacerdotium, maximè cùm flagitii cujuspiam sui enormitate sese quodammodo Princeps ipse exauthorat. *Quid igitur Sacerdos? Non licet tibi Ozia adolere incensum Domino. Non appellavit eum Regem, neque titulo principatus appellavit, propterea quod ipse prævenienс sese dignitate dejecerat.*

L. 5. c. 28.

Hom. 5. in verba Isaiæ, Vidi Dominum.

VIII. Constantinopolim profecti cùm essent Porphyrius Gazæ Episcopus & Joannes Cæsareæ Metropolitanus, & ad Imperatricem Eudoxiam admissi essent, quò famosissimum Marnæ Templum in Gazensi civitate dirui impetrarent: petiit illa primùm bene ut sibi precarentur, excusavitque, quòd uterum gerens, non eos ad januam exceptura processisset. Rursum postea edito partu, obvia ad januam cubiculi, caput illis inclinavit, sibi ut, prolique benedicerent; paruerunt Episcopi, & solemni more benedixerunt, ipsi & nato signo crucis impresso. Prolixiùs hæc omnia in vita B. Porphyrii describuntur; cùm autem tam molles facilesque ad Aulam aditus Chrysostomi maximè industria gratiaque habuerit Porphyrius: non abs re fuit exemplo ejus illustrasse, quod antè declarabat ipse Chrysostomus, in more fuisse, ut Regibus & Reginis petentibus, bene precaremur Episcopi, & eo documento approbaretur, summos terræ Principes non cælesti tantùm Imperatori Christo, sed & spiritali Vicariorum ejus, seu Episcoporum Regno subesse.

Hac de Porphyrio narratione fides & probabilitas conciliatur Suidæ, de Leontio Lydiæ Episcopo narranti, ubi Imperatrix Constantii conjux, ejus videndi cupiditate incensa fuit. Hos eosdem honores Leontius ab ea sibi impendendos contendit, succensuit Imperatrix; at Constantius ipse Imperator certior factus de honoribus qui Episcopis exhiberentur, hinc Leontio magis conciliatus est. En Episcopi verba ad Imperatricem: *Si me ad te venire volueris, debita Episcopis reverentia conservata, ego quidem ingrediar; tu autem de sublimi isto solio statim descendens, reverenter mihi obviam procedas, & caput meis manibus supponas, benedictionem acceptura. Ego sedeam, tu astes, cùm jussero, sessura.* Pene ultra modi & patientiæ fines erat, tantum extorqueri ab Imperatrice. Sed tantò præclariùs hinc elucescit, quàm compertum esset Imperatori, in colendis Episcopis modum nullum esse debere.

IX. Pulcherrimè Isidorus Pelusiota Episcopos ait censores olim fuisse terrenorum Principum; Apostolicæ vitæ integritate & sanctimonia, exaggeratos usque adeo fuisse eorum animos, ut vel ipsis Principibus essent formidolosi: at obscurata sanctitate Episcoporum, authoritatem quoque obsorduisse: Regibus Episcopatum quidem ipsum demirantibus, at facilè despicantibus eos qui tanto fastigio impares sunt; immo Episcopatûs ipsius injuriam & dehonestationem ita ulciscentibus. *Sacerdotii olim dignitas peccantes redarguebat Reges, regebatque; nunc verò his subjecta est. Olim enim cùm Evangelicam & Apostolicam ducerent vitam, qui sacris ritè operabantur, meritò regiæ dignitati erant terrori: nunc verò contrà regia majestas Sacerdoti. Rectè consulunt aguntque Reges. Non enim sacerdotium lædere propositum est eis, sed vindicare læsam dignitatem ab eis qui non debitè administrant.* Et alibi: *Mirandum esset, si qui nihil par majoribus agant, parem cum illis honorem consequerentur. Ab illis majoribus etiam peccantes Reges castigabantur, ab his ne privati qui-*

L. 5 Ep. 268. 278.

quidem opulentiores: quin imò si vel pauperem aliquem ad meliorem frugem revocare contendant, exsibilantur, ut qui iisdem sæpè vitiis capti teneantur, ob qua alios audent reprehendere. Quamobrem olim Sacerdos populo erat formidabilis, nunc contrà populus terrori est Sacerdoti.

X. Functus est hoc utroque in Episcopos honoris officio Valentinianus Imperator, ut ab illis benedici se, immo & corripi vellet, cùm his verbis Episcopos hortatus est, ut quamoptimum designarent Episcopum Mediolani, quæ tunc Regia erat urbs Imperii Occidentalis. *Quare hominem ita instructum in sede & gradu Episcopali jam collocate, uti & nos, à quibus hoc gubernatur Imperium, ei verè & ex animo capita inclinemus; & illius reprehensionem, nam cùm simus homines, errore labi necesse est, velut medicinam animorum cupidè amplexemur.* Hæc Theodoretus. At Ambrosius ipse de Maximo, osculo, ut moris erat, ipsum salutante: *Assurrexit, ut osculum daret.*

Theodoret. L. 1. c. 5.

Ambrof. Epist. 27.

Fundamenta jecerat Constantinus ipse mirabilis hujus societatis Christianum inter Sacerdotium & Imperium, cùm Nicænum Concilium in Aula Palatii adgregaverat; ubi nec sedit, nisi ab Episcopis exoratus: præfatusque se Episcopos intueri & revereri, non secus ac Deos summi Dei majestatem & authoritatem circumferentes. Non tam illud tunc fuit Principis Palatium, quàm summi Numinis Templum, ubi Ecclesia de adversariis triumphum egit, ubi inconvulso nexu Imperio devincta est; ubi Episcopos Imperator velut filius parentes suos alloquutus est. Unde Theodoretus. *Tanquam filius patris amantissimus, Episcopis & Sacerdotibus, tanquam patribus, hac proposuit:* οἷα παῖς φιλοπάτωρ, τοῖς ἱερεῦσιν ὡς πατράσιν. Ex Episcopis Constantinus eos *qui erant illustriores, sua ipsius mensa participes fecit.* Vulnera nonnullis eorum tanquam Christi Confessoribus impressa exosculatus est, *persuasus osculo se benedictionem inde hausturum.*

Euseb de vita Constan. L. 3. c. 10. Socrates. L. 1. c. 5. Sozom. l. 1. c. 18. Theodoret. L. 1. c. 7.

XI. Tritum est illud & vulgatum, Theodosium decessisse loco in Ecclesia, quem inter Clericos occupaverat, cum primùm submonitus est ab Ambrosio, eas esse Cleri sedes; purpuraque Imperatores fieri posse, non Sacerdotes. *Nam purpura Imperatores, non Sacerdotes efficit.* Voluit Nectarius Constantinopoli Theodosium in illam eandem cum Clero sedem revocare; at Theodosius eò semper major, quò se minorem gereret, recusavit, respondítque, didicisse se tandem quantum intervalli inter Episcopos esset & Imperatores; porro unum sibi perspectum esse Ambrosium, qui Episcopi nomen & amplitudinem sustineret, & magisterium veritatis. *Ægrè tandem didici quid inter Imperatorem intersit & Episcopum: ægrè tandem reperi veritatis magistrum. Nam solum Ambrosium vidi Episcopum, dignum eo nomine.*

Theodoret. L. 1. c. 17.

XII. Commemorat Sozomenus tertæ mandata fuisse Constantinopoli corpora Imperatorum vita functorum, in sepulcris in templo beatissimorum Apostolorum compositis; eodem verò loco sepultos fuisse Regiæ Urbis Episcopos, propter arctissimam necessitudinem Imperii & Sacerdotii, cùm in rebus etiam sacris primas semper sacerdotium obtineat supra Imperium. *Imperatores Christiani consuetudine hinc ducta Constantinopoli sepeliuntur, atque Episcopi etiam, quippe cùm dignitas sacerdotalis Imperii dignitati par sit, imò verò in locis sacris primas obtineat.* Testatur Evagrius exædificatam esse à Justiniano, aut restauratam ædem sacram Apostolorum, ubi Imperatores & Episcopi tumularentur. *In quo Imperatores & Sacerdotes*, οἱ βασιλεῖς, καὶ οἱ ἱερώμενοι, *sepeliri solent.* Textu Græco communicari videtur is honos omnibus Clericis sacris & majoribus.

Sozom. l. 2. c. ult.

Evagr. l. 4. c. 3.

XIII. Pertinet & huc quod idem narrat Evagrius, jam suprà à nobis alio loco perstrictum de Euphemio, qui Imperatorem ipsum Anastasium subjugasse tum visus est, cùm Imperatorio diademate illum cingere recusavit, donec chirographum ab eo expressisset, à Catholica nunquam se fide recessurum. Voluit pòst Anastasius scriptum illud à Macedonio extorquere, Euphemii non magis sedis, quàm fortitudinis invictæ hærede; sed maluit Macedonius sede exturbari, quàm impio Imperatori gratificari.

L. 3. c. 32.

XIV. Agnoverat & ipse antè Ambrosius, Episcopis Regiæ Urbis ex officio incumbere, ut ne quid ausit, ne quid moliatur Imperator, quod non ipsi debeant præstare, quod non possint excusare & purgare reliquis omnibus Imperii Episcopis, in causis certè Ecclesiasticis. Cùm enim ille Theodosio fidenter ob oculos poneret eas perversitates, quibus ingemiscebat Ecclesia, & quibus unus ipse medicari posset: hæc illi interim crebriùs inculcabat. *Quid respondebo postea, si &c. Quomodo hoc purgabo factum? Quomodo excusabo apud Episcopos, &c. Quomodo, inquam, hoc excusabo apud Episcopos: qui queruntur, &c.*

Epist. 291

XV. Tot exemplis insignis infractæque fortitudinis contexenda fuisset Antiocheni Episcopi Babylæ constantia, si tam certa & inconcussa staret ejus fides, quàm cæterorum, quæ in hoc Caput congesta sunt. Pulcherrimis Chrysostomus eloquentiæ suæ pigmentis illustravit imperterritam sanctissimi Episcopi fiduciam, qui Imperatori ingressu Ecclesiæ interdixit, summovitque, donec pœnitentiæ dolore & lacrymis eluisset cædem illatam confœderati Regis filio, obsidique. *Quasi nullius pretii mancipium, sic à Dei templo exegit, &c. Ei qui omnium dominator erat, subditus jura dedit, atque adeo adversùs eum damnationis calculum tulit.*

Chrysost de S. Babyla. Et contra Gent. To. 1. pag. 741.

De Philippo Imperatore ab eo verba fieri, & hunc primum fuisse Imperatorem Christianum suspicantur. Immo & eam narrationem astruunt ex Eusebio, qui sparsos esse rumores ait, Imperatorem eum in pervigilio Paschæ ad Ecclesiam properasse, & ab Episcopo aditu prohibitum esse, donec confessione criminum & pœnitentia perfunctus esset; quod & ab eo strenuè factum fuisse constat. Vacillare fidem hujus historiæ existimat Baronius. Crimen quo de agit Chrysostomus, cum Eusebio non consonat, nec congruit morti Gordiani junioris, cujus cædis author certissimè fuit Philippus.

L. 6. c. 34.

Baron. ad ann. 246.

CAPUT LIX. *P. 2. l. 2. c. 51.*

Qui ex officio Episcopi Aulam frequentabant, quantum ibi charitatis & constantiæ explicarent sæculo VI. VII. & VIII.

I. Episcopis Aulam frequentantibus gemini hinc & hinc effugiendi scopuli, ne mollescant, ne vilescant.

II. III. IV. Mira animi magnitudo summorum Pontificum Agapeti, Joannis & Vigilii in Palatio Constantinopolitano.

V. VI. VII. Luculentè Facundus adversùs mollitiem Episcoporum ex Aula contagio. Quid Facundus de Ambrosio & Theodosio.

VIII. Verè Apostolica magnanimitas Gregorii Papæ in Imperatorem Mauritium

IX. X. XI. XII. Magni & excelsi animi consilia, in pluribus Galliæ Conciliis versata & approbata.

XIII. Intrepida Gregorii Turonensis Episcopi fortitudo in defensione Prætextati.

XIV. Exempla alia Episcoporum, magno & forti animo pro pietate in Aula certantium.

I. MUlta sunt quæ conscientiæ, multa quæ famæ officiant Episcoporum in Aula etiam ex officio tunc suo degentium. Prima hæc illis pertimescenda labes est, ne aura ipsa Palatii vigorem illum infringat, aut saltem emolliat, in quo propria dos Episcopatûs, & velut insigne decus. Facilè enim ex eorum indulgentia & adulatione, ex eorum vel præsentia & silentio, vitia sibi quæque maxima patrocinium & authoritatem venabuntur. Altera labes est, ne viles & despicabiles evadant, non Aulicis tantùm & Proceribus, sed & ipsis Principibus summis. Cùm familiare id innatumque sit mortalibus omnibus, ut familiaritas contemptum pariat, pretium faciat raritas, augeatque secessus. Ut exceptioni huic residentiæ, quæ ex necessaria petitur in Palatio Principum commoratione, defensionem instruamus validiorem, hoc Capite patefaciemus, quàm Apostolica sanctissimi Episcopi libertate cum Regibus ipsis congrederentur, ut nec famæ, nec conscientiæ suæ nævos inuri sinerent illos, vel ignava assentatione, vel meticuloso silentio. Proximo autem Capite oculis subjiciemus, quo afficerentur in Aula honore, qui eam non adibant, nisi tanquam publici & censores vitiorum, & virtutum præcones.

II. Initium ducam ab Agapeto Papa, qui Constantinopolin delegatus est ad Justinianum Imperatorem à Rege Gotthorum Theodahato, postquam Amalasunthæ Reginæ, cui sceptrum debebat, necem is intulit. Invictissimè Agapetus pro fidei Catholicæ integritate depugnavit adversùs Justinianum Imperatorem & Anthimum Patriarcham. Cùm verò Imperator, nisi à sententia discederet, exilium comminaretur: *Aut consenti nobis, aut exilio deportari te faciam*: respondit ille Apostolicum animi robur spirans, Sperasse se ad Christianum Imperatorem venturum: incidisse se verò in Diocletianum, Justiniani nomine dissimulatum, cujus ne vel sic quidem minas extimesceret. Anast. Bibl. *Ego quidem peccator ad Imperatorem Christianissimum Justinianum venire desideravi, nunc autem Diocletianum inveni; nunc autem minas tuas non pertimesco.* Ea animi celsitudine in admirationem, mox & in benevolentiam excitatus est Imperator; & cùm Anthimum Pontifex coram eo hæreseos convicisset, accidit ad ejus genua Justinianus, & in Vicario suo Christum adoravit. Quo demum factum est, ut obvium se & exorabilem postulatis ejus omnibus præstaret, propter quæ Legatione ea fungebatur. Ideo mox ibidem Anastasius Bibliothecarius: *Tunc Justinianus Augustus gaudio repletus, humiliavit se Sedi Apostolicæ, & adoravit beatissimum Agapetum Papam. Omnia obtinuit Agapetus Papa pro quibus missus fuerat.*

III. Joannis Papæ I. fortitudo non sanè minor, felicitas aliquantò etiam major fuerat, ubi Theodoricus illum Rex ad Justinum Imperatorem Constantinopolim Legatum misit. Adeo non quippe consiliis & votis obsecutus est Theodorici, qui Orientalibus Arianis aliquid patrocinii impartitum volebat; ut Catholicis ex adverso adversùs Anast. Bibl. Arianos tuitionem & præsidia quæcumque posset omnia accommodaret; sibi verò mox ut in Italiam ad Theodoricum redux fuit, martyrii lauream pareret.

IV. Vigilius Constantinopolin pertractus potius est, quàm missus aut perductus: sed nec Imperatoris, nec Imperatricis in potestate fuit, ut quidquam retunderet de invicta illa Apostolici pectoris fortitudine, quæ Petri, Petrique successorum propria laus semper fuit. Audenter Vigilius contestatus est nullo se vehementiori flagrare desiderio, quàm ut daretur pristinos errores suos proprio abstergere cruore: nec eam se spem abjicere, cùm non Imperator Christianus, ut autumaverat, & pia quæpiam Imperatrix occurrerat sibi, sed Diocletianus alter, & altera non magis thori, quàm sævitiæ & immanitatis consors & socia. *Sed Vigilius nullatenus eis voluit consentire, sed tanta roboratus virtute, magis desiderabat mori, quàm vivere. Tunc Vigilius dixit: Ut video, non me fecerunt venire ad se Justinianus & Theodora piissimi Principes: sed hodie scio, quod Diocletianum & Eleutheriam inveni. Facite ut vultis, digna enim factis recipio.* Anast. Bibl.

V. Eundem intuebatur Justinianum, & conculcatos ab eo sæpiùs sacræ & civilis jurisdictionis limites, Facundus Hermianensis in Africa Episcopus, cum Episcopos sui ævi cohortabatur, ut ne ex eo laudem sibi quærerent, ut gratia & beneficiis Principum florerent: sed ut eos intrepidè monerent, si quid ab eis graviter peccaretur: eorum iras & comminationes fortiter ferrent. Aliàs non Pastores eos fore, sed mercenarios, qui lacte & lana ovium abutantur: ubi verò arcendi ab eis sunt lupi, fuga sibi unis consulant. *Quasi verò propter hoc tantùm ordinati simus Episcopi, ut ditemur Principum donis, &* L. 4. c. 4. *cum eis inter maximas potestates consideamus, tanquam divini sacerdotii privilegiis fulti; sicubi autem fallaciis malignorum, quæ nullis temporibus defuerunt, aliquid eis inter tantas Reipublicæ suæ curas subreptum fuerit, quod Ecclesiæ Dei præjudicet, vel Ecclesiæ pacem turbet: non eis debeamus, pro ipsorum salute quæ sunt vera, suggerere, & si necesse fuerit, religionis authoritate resistere, ac patienter offensionem quoque illorum, si acciderit, sustinere. Et ubi erit illud propheticum: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar? nisi fortè Pastores quidem ad lac & vellera, ad avertendas verò luporum insidias, & tuenda ovilia desertores.*

VI. Jubet porro idem Facundus excitari Imperatores omnes exemplo Marciani, qui eò maximè summum gloriæ fastigium assecutus est, quòd in Imperatoria etiam potestate exercenda modum finemque tenuerit eum, quem in rebus sacris sacri Canones delinearunt; Canonum se defensorem venditans, & executorem, non dominum, non conditorem. *Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus* L. 12. c. 3. *officio, Ecclesiarum Canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor.*

VII. Illud denique pluribus confirmat Facundus, si pro Imperatoribus Sacerdotes Deo supplicent litentque, & eorum non secus ac populi peccata portent; omni ope & industria sua conniti debere, ut grave illud onus allevent, caveantque ne Principes novo illud in dies peccatorum cumulo gravent. *Si Principes non alieni sunt à populo Dei, &* L. 12. c. 5. *pro ipsis quoque offertur sacrificium, Sacerdotes etiam ipsorum peccata portent necesse est. Et ideo nec temeritati, nec arrogantiæ deputetur, si Sacerdos etiam Principem peccare prohibeat. Humanus etiam sermo est, & omni acceptione dignus, dicentis, Non aggraves onus meum, quod suscepi pro tua salute portandum: Non enim est aliud, cum dicit cuiquam Sacerdos, Noli peccare; quàm si dicat: Sarcinam quam pro te sustineo, noli*

gravare. Ac per hoc si Princeps quoque pro suis peccatis intercessorem vult habere Sacerdotem, etiam in suis peccatis castigatorem ferre non dedignetur, ut pro illo intercedens possit audiri.

Admonet ibidem Facundus Theodosio Magni nomen, & immensum gloriæ columen partum esse, non tam frequentibus stupendisque victoriis, quàm magnanima illa humilitate, & laudatissima modestia, qua objurganti Ambrosio cessit, paruitque pœnitentiam indicenti; quippe Principes non assurgendo supra Episcopos, eosque deprimendo, sed semet illis subjiciendo, æternas sibi regiasque in cœlis sedes parare. Denique novos in Ecclesia semper futuros Theodosios, si novi reviviscerent Ambrosii: sed pusillo animo & ignavo Episcopos, cum sibi, tum Principibus certum exitium creare.

L. 12. c. 5. *Quanquam sæpè de Barbarorum prœliis triumphaverit Theodosius, non tamen ex hujusmodi victoriarum frequentia, in quibus Trajano filio gehenna comparari non potest, veram meruit gloriam, sed de supplici & publica peccati sui pœnitentia, quam expugnato regali fastigio, placidè atque humiliter Antistite Ambrosio castigante, suscepit, & indictum sibi debita satisfactionis tempus, ab Ecclesia communione remotus implevit. Piè admodum credens & sapienter intelligens, quod non temporali potestate, qua fuerat etiam Sacerdotibus Dei præpositus, sed ex eo pervenire posset ad vitam, quòd illis erat ipse subjectus. Unde credendum est, quia si nunc Deus aliquem Ambrosium suscitaret, etiam Theodosius non deesset. Sed enim minor est exigendi fiducia, minor & reddendi devotio,*

VIII. Eas Gregorius Magnus ad Imperatores litteras dedit, in quibus tota illa splendescit Apostolicorum olim Præsulum magnanimitatis imago, ubi cum Imperatoribus congrediebantur. Cùm publicata lege vetuisset Mauritius, ne Militibus Monasteriorum fores panderentur, rescripsit illi Pontifex, Tametsi sentiret cineris se pulverisque figmentum esse, non posse tamen silere, ubi cerneret legem legi Dei infestam publicari: Imperii quippe terreni fasces illi concreditos fuisse, ut iter ad cœlum complanaret, muniretque subditis, & sæculum omne Christo Christique Ecclesiæ subjugaret. Per gradus omnes nobilissimæ militiæ & Imperii dignitatum, ad Imperium demum ipsum à Deo provectum fuisse, cui rationem aliquando redditurus esset, Cur vetuisset, ne terreni milites Imperii cælesti militiæ inscriberentur.

L. 2. Ep. 62. *Ego verò hæc dominis meis loquens, quid sum nisi pulvis & vermis? Sed tamen quia contra authorem omnium Deum hanc intendere Constitutionem sentio, dominis meis tacere non possum. Ad hoc enim potestas dominorum meorum pietati cœlitus data est super omnes homines, ut qui bona appetunt, adjuventur: ut cœlorum via largiùs pateat: ut terrestre regnum cælesti regno famuletur. Ecce per me servum ultimum suum & vestrum, respondebit Christus, dicens: Ego te de Notario Comitem Excubitorum, de Comite Excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem; nec solum hoc, sed etiam patrem Imperatorum feci. Ego Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo servitio milites tuos subtrahis? Responde piissime domine servo tuo, quid venienti & hæc dicenti responsurus es in judicio domino tuo.*

Nec minùs fortiter idem Gregorius Phocam Mauritii successorem compellavit inter nascentis Imperii sui exordia, ut priores vexationes revocaret, exactiones publicas levaret: meminisset, Principes gentium dominari mancipiis, Christianos Imperatores ingenuis moderari, liberisque præesse civibus. *Quiescat felicissimis temporibus vestris universa Respublica, cessent testamentorum insidiæ, redeat cunctis in rebus propriis secura possessio. Hoc namque inter Reges gentium, & Reipublicæ Imperatores distat, quod Reges gentium domini servorum sunt, Imperatores verò Reipublicæ domini liberorum.* L. 11. Ep. 38.

IX. Hujusmodi sapientiæ magnanimæ documentis claruit & Gallia nostra. In Concilio Lugdunensi I. statutum est, ut qualiscumque Episcopo contumelia illatus fuisset, omnes sua interesse Episcopi, omnes eam sibi illatam fuisse existimarent à Principibus terræ: si ab Ecclesia, vel ab ipsis secederet Rex, vel ab eorum communione, tum omnes ipsi in Cœnobia se abderent, nec inde prodirent, nisi Rex eos omnes pristinæ benevolentiæ argumentis exhilarasset. *Ut si quicumque nostrûm tribulationem quamcumque, vel amaritudinem, aut commotionem fortasse potestatis necesse habuerit tolerare, omnes uno cum eodem animo compatiantur; & quidquid vel dispendiorum obtentu causa unus susceperit, consolatio fraterna anxietatis relevet tribulatos. Quod si Rex præcellentissimus ab Ecclesia vel Sacerdotum communione ultro se suspenderit, locum ei dantes ad sancta matris gremium veniendi, sancti Antistites in Monasteriis se absque ulla dilatione recipiant, donec pacem integram sanctorum flexus precibus restituere pro sua potentia vel pietate dignetur. Ita ut non unus quicumque prius de Monasterio discedat, quam cunctis generaliter fratribus fuerit pax promissa, vel reddita.* Mira & suavissima Episcoporum conjuratio in Principem cuiquam illorum succensentem, ut ne sibi ipsis mutuò deessent, ut Principem commitigarent, & exarmarent humilitate, obsequio, precibus, unanimitate fraterna, reciproca commiseratione. Can. 2. 3.

X. Efferbuit vehementissimè Concilium Parisiense III. non in eos tantùm qui res Ecclesiæ involaverant, Regiæ concessionis obtentu, sed etiam in Episcopos, qui nimium patienter & sedatè id tulerant, indulgentiaque, aut ignavia potiùs sua aluerant sacrilegorum hominum insolentiam, quam Ecclesiæ fulminibus disjicere & proterere debuerant. *Competitoribus etiam hujusmodi frenos districtionis imponimus, qui facultates Ecclesiæ sub specie largitatis regiæ, improba subreptione pervaserint. Sera de his rebus pœnitudine commovemur, cùm jam antea his temporibus contra hujusmodi personas, Canonum suffulti præsidio, se Sacerdotes Domini erigere debuissent.* Eadem censurarum tela intentavit hæc Synodus iis omnibus, qui Regum humanitati imponerent, eorum ut authoritate res alienas usurparent; aut ut virginem invitis parentibus, viduamque surriperent. Denique in eo Concilio decretum est, ut si se quis authoritate Regia sola in Episcopatum quempiam intruderet, citra consensum Metropolitani, vel Episcoporum Provinciæ, is nemini Episcoporum pro Episcopo haberetur, ni vellet ipse Coëpiscoporum communione abstineri. *Quod si per ordinationem regiam, honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, &c.* Can. c. 6. 8.

XI. In Santonensi Concilio sub Leontio Burdigalensi Metropolitano, sede ejectus est Emerius, quem Rex Clotarius Santonensi Episcopatu donaverat; aliusque ejus in locum subrogatus est Episcopus. Et Emerius quidem à Childeberto Clotarii filio pristinæ dignitati restitutus est; sed immortale jam sibi decus conciliaverant hujus Concilii Præsules, invicta sua constantia: quam & sapientiæ mox documento insigni illustrandam censuere, dum tempori procelloso obsecuti sunt, eique cesserunt authoritati,

authoritati, cui tum reluctari non dabatur, nisi graviorem adhuc tempestatem quampiam in se & in Ecclesias suas concitatam vellent.

XII. Vetuit Concilium Turonense II. ne Episcopi Concilio se Provinciali subducerent, quamvis excusatione Regiæ jussionis uti possent; quippe vetissima charitate nulla non perfringi humana debere repagula. (Can. 1.) *Sine cujuslibet excusatione personæ, id est, privatæ, vel Regiæ, &c. Neque per impedimentum ordinationis regiæ, &c. Apostolo prædicante, Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, &c. Non debet spiritali operi etiam regalis præstetri præceptio, cùm primum in Ecclesia sit mandatum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Unde non debet præcepto Domini persona cujuslibet hominis anteponi, neque debet terrena conditionis actio, vel persona terrere, quos Christus spe crucis armavit.* Quæ proficisci sanè haud potuere, nisi ab illa animi inconcussa firmitate, quæ Christi principes addecet ministros. Denique anathemare innodavit hæc Synodus Prælatos, si qui se eorum Concilio Provinciæ subfurarentur, humanis affectibus avocati. Alibi porro à nobis declaratur, ut nihil obstrepat hoc decretum canonicis alibi statutis, quæ jussioni Regiæ Episcopos morem gerere jubent.

XIII. Remisisse quamplurimum videtur Apostolicus ille Episcoporum vigor in Concilio Parisiensi, ubi sub Rege Chilperico ventilata est causa Prætextati Episcopi Rotomagensis. Sed languentibus aliis excanduit mirum in modum Gregorius Turonensis Episcopus, à quo & scriptis exarata est hujus Concilii historia. Cùm enim Collegas cerneret Gregorius consternatos, magno & excelso animo ad eos peroravit, Episcoporum esse muneris, & eorum potissimum, qui altiùs in gratiam & amicitiam Regis penetrassent, ea illi ut insusurrarent consilia, quæ & regiam dignitatem, & sanctitudinem redolerent Episcopalem; ne Rex dehonestando nunc Episcopatu, suo ipse Regno nominique ignominiam inureret sempiternam; & ne Episcopi Regi suppalpantes, ipsi ipsisque sibi (L. 5. c. 18.) æternum pararent interitum. *Attenti estote, ô Sacerdotes Dei! & præsertim vos, qui familiares esse Regi videmini; adhibete ei consilium sanctum atque sacerdotale, ne exardescens in ministrum Dei pereat ab ira ejus, & regnum perdat & gloriam, &c. Nolite silere, sed prædicate, & ponite ante oculos Regis peccata ejus, ne fortè ei mali aliquid contingat, & vos rei sitis pro anima ejus.* Etsi complures in ea Synodo torpore peccarent & ignavia, duo tantùm ex Episcopis perfidiosè Regi blanditi sunt, clam renuntiantes ei, quæ palam dixisset Gregorius. Succensuit ei primò Rex, mox minas exaggeravit, at invictus æquè ille & blanditias risit, & minas; & invitante Rege ut ciborum aliquid delibaret, ne attingere quidem dignatus est, donec juramento se constrinxisset Rex, legibus se & canonicis regulis nihil derogaturum. Testificabatur enim Gregorius, illos sibi suavissimos esse cibos, illas optatissimas delicias Episcoporum, Dei implere voluntatem. *Noster cibus esse debet facere voluntatem Dei. Rex porrecta dextera juravit per omnipotentem Deum, quod ea quæ lex & Canones edocebant, nullo prætermitteret pacto.*

Sed ut paucis rem absolvam, minæ, blanditiæ, promissiones, dona Regis & Reginæ, qui in Prætextati exitium jurati advenerant, nunquam potuere animos Episcoporum vel infringere, vel emollire, ut sequius aliquid in Prætextatum pronuntiarent, qui fallacibus quibusdam delusus delinimentis, sua se confessione reum prodens, quasi ita Regis iram sedaturus, exilio mox deportatus est, nulla in eum Episcopali depositionis sententia.

XIV. Si ea fuit Gregorius Turonensis fide, ea integritatis fama, & infucata sinceritate, ut de seipso dicenti, nemo non crediderit: plus aliquantò ei habebitur fidei, aliorum Episcoporum constantiæ ubi suffragabitur. Cæterorum Episcoporum consensum, immo & subscriptionem expugnaverat Clotarius Rex, ut proventuum Ecclesiasticorum tertiam partem exponderet, & fisco inferret. Unus Turonensis Episcopus Injuriosus constantissimè repugnavit: nec enim à Rege spoliari debere Sponsam Christi, à quo posset ipse regno exui; nec fiscum patrimoniis pauperum infarciendum, è quo potiùs deceret Regiæ largitatis effluere torrentes. His ille fidenter dictis in suam se insalutato Rege Ecclesiam recepit. Clotarius iram cælestem veritus, Episcopalis amplitudinis vindicem, metuque perculsus, ne B. Martini ultrix ira in se detonaret, Turonensem Episcopum muneribus placavit, & à cœptis omnino destitit. *Viriliter hoc B. Injuriosus respuens, subscribere dedignatus est, dicens: Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet; quia iniquum est, ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec vale dicens, abscessit. Tunc commotus Rex, misit post eum cum muneribus, & hoc quod fecerat damnans.* Plura id genus alia obvia se dabunt, historicos ejusdem Gregorii Commentarios pervolutanti. (L. 4. c. 10. 25. L. 5. c. 2. 20 44.)

CAPUT LX. *P. 2. l. 2. c. 52.*

Quo tunc cultu, quibus honoribus Imperatores, Reges, Proceres revererentur Episcopos, cæterosque Clericos, sæculo VI. VII. & VIII.

I. Aulicorum reverentiam sua Episcopis sanctitas conciliabat.
II. Eminet suo quodam modo Sacerdotum Regno.
III. IV. Quibus obsequiis Constantinopolitani Imperatores coluerint Romanos Pontifices, ad eorum prostrati vestigia.
V. Imperatores monet Gregorius, Constantinum Magnum Episcopos observasse, non secus quàm Deos.
VI. VII. VIII. IX. Quàm humaniter & officiosè Galliæ Reges cum Episcopis congrederentur. Quo honore Clericos à Laicis coli voluerit Concilium Matisconense.
X. XI. Qua veneratione Episcopos prosequerentur Hispani, Angliæque Reges.
XII. In Oriente erat & omnium in Episcopos propensissima veneratio.

I. HOc jam Capite fidem liberabo superiori desponsam, de summis honoris & reverentiæ documentis Procerum, Regumque ipsorum in Episcopos. Ut omnibus sit exploratissimum, nec profectione eorum ad Aulam, nec dum serviunt Ecclesiæ necessitatibus, commoratione, evilui sse Episcopatum, quin ex adverso hinc non mediocrem eis existimationis & reverentiæ accessionem esse factam, cùm eorum inter Aulicos præsentia, vita, & promicans undique pietas, vitiorum censoram virtutumque omnium splendidissimam effigiem omnium oculis ingereret.

II. Extra controversiam erat apud pios quosque etiam Imperatores, quod scripserat Symmachus Papa Anastasio Imperatori, Sacerdotii amplitudine æquari saltem Imperii dignitatem: vel etiam tantò superari, quantò amplius est ad gloriam, cœ-

lestes dispensate dignitates, opesque, quam terrenas. Epist. 7. *Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Postremo tu humana administras, ille tibi divina dispensat. Itaque ut non dicam superior, certè æqualis honor est.* Moris erat, ut occupatores Imperatores, & ad Romanum Pontificem literas darent, honoris ergo, sive Imperii sui, sive Pontificatus ejus exordio. Ea quippe reverentiæ testificatione significabant, vinculo se individuo cohærere velle sedi Apostolicæ, fideique Ecclesiæ Catholicæ. *Catholici Principes quidem semper Apostolicos Præsules institutos suis litteris prævenerunt, & illam confessionem fidemque præcipuam tanquam boni filii quæsiverunt, &c. Omnes Catholici Principes sive cum Imperii gubernacula susceperunt, sive cum Apostolica sedi novos agnoverunt Præsules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, ut se docerent ejus esse consortes.*

III. Episcopi illi ipsi quos Hormisda Papa Constantinopolin mittebat, dum Imperatorem ipsum alloquerentur, non aliter Papam, quam Imperatoris Patrem designabant. Post. Ep. 4 Hormisd. *Non hoc nobis Pater vester sanctus præcepit, &c. Pater vester scripsit Episcopis generaliter, &c.* Ubi Joannes Papa I. à Theodorico Rege Constantinopolin missus est, effudit se illi obviam Urbs tota, cum crucibus & facibus ad duodecimum usque lapidem, Principibus Apostolorum tanto tum dependo honore, quibus & illud Justinus Imperator obsequii præstitum voluit, ut eorum successorem in terram prostratus adoraret, ab eoque coronam Imperii acciperet. Anast. Bibl. *Occurrunt B. Joanni Papæ à milliario duodecimo omnis civitas cum cereis & crucibus in honorem B. Apostolorum Petri & Pauli, &c. Tunc Justinus Augustus dans honorem Deo, humiliavit se pronus in terram & adoravit beatissimum Joannem Papam, gaudio repletus, quia meruit temporibus suis Vicarium B. Petri Apostoli videre in regno suo, de cujus manibus cum gloria coronatus est Augustus.* Iisdem honoribus Agapetus quoque Papa à Justiniano exornatus est, ubi à Theodahato Gothorum Rege missus Constantinopolin venit. *Tunc piissimus Augustus Justinianus gaudio repletus humiliavit se sedi Apostolicæ, & adoravit beatissimum Agapetum Papam.* Frustavit his honoribus Vigilium Justinianus, sed eam jacturam populus Constantinopolitanus resarsit. Audi ut rem nàrret Anastasius Bibliothecarius: *Tunc obvius est ei Imperator, & osculantes se, cœperunt flere, & plebs illa psallebat ante eum usque ad Ecclesiam sanctæ Sophiæ dicens, Ecce advenit dominator Dominus, &c.* Usu receptum erat, ut adeuntes Papam, illum pronius adorarent; ut ex Martini Papæ I. Epistolis liquet. Epist. 1. *Cras occurremus, & adorabimus Sanctitatem vestram.* Anast. Bibl. Collect. pag. 75. Adorabant autem prostrato humi toto corpore.

IV. Filios & dominos semper vocat Imperatores Agatho Papa in iis litteris, quæ sexta Synodo continentur. Nec secus dicendum de Leone II. ubi Constantini Pogonati moderationem suique depressionem commendabat, qui Episcopis se immiscere dignatus esset, tanquam Collegam eorum: Act. 1. Epist. 4 18 *Ut paululum seposito regali fastigio, unum se de Collegio Sacerdotum pro zelo Dei adnumerari concupisceres.* Invitatus ab Imperatore Constantinus Papa, ut Constantinopolin pergeret, itineri se commisit cum duobus Episcopis, ut jussis pareret, *Sanctissimus vir jussis Imperialibus obtemperans.* Ubi primum Hydruntum attigit, jussit Imperator, ut eo illum cultu & honore urbes omnes exciperent, quo Imperatorem, idque Magistratibus omnibus curæ esset. *Ut omnes Judices ita eum honorificè susciperent, quasi ipsum præsentialiter Imperatorem viderent.* Baron. ann. 709. 710. Septimo a Constantinopoli lapide Imperatoris filius ei obviam prodiit, cum Proceribus Aulæ, Patriarcha & Clero; denique quando primum congressus est cum Pontifice Justinianus II. diadema Regium capite gestans pronus in terram accidit Pontifici, ejusque pedes exosculatus est. *Die qua se vicissim viderunt, Augustus Christianissimus cum Regno in Capite sese prostravit, pedes osculans Pontificis, deinde in amplexum mutuum corruerunt.* Cùm denique Luitprandus Longobardorum Rex Romam venisset cum exercitu, ut furore Barbarico eam popularetur, Gregorii II. Papæ verbis ita deterritus est, ut ad pedes ejus statim provolveretur: *ita ut se prosterneret ejus pedibus*; ante tumulum verò Petri omnibus se regiæ dignitatis insignibus exuerit.

Videri potest & Justinianus Imperator Agapeti pedes exosculatus esse, cùm hæc sint Anastasii Bibliothecarii verba: *Piissimus Augustus Justinianus humiliavit se sedi Apostolicæ, & adoravit beatissimum Agapetum Papam.* Nec non & Justinus I. Joannis Papæ oscula pedibus fixisse videtur apud eundem Anastasium. *Justinus Augustus dans honorem Deo, humiliavit se pronus in terram, & adoravit beatissimum Joannem Papam.* Infrà demonstrabimus, usitatissimum id fuisse, ut honoris causa supplices summorum Principum pedes oscularentur. Ita minimè mirum erat, eodem si defungerentur honore in eum, qui expressissima est Regis cœlestis imago, Regumque Regis.

Maximè verò si revolvas animo, idem honoris habitum fuisse persæpè Episcopis nulla præcipua præcellentibus prærogativa. Scribit Hieronymus plebis turbam Epiphanii pedes exosculatam esse. *Nonne ad eum omnis ætatis & sexus turba confluebat, pedes deosculans.* Epist. 61. Qui sub Amphilochii nomine beati Basilii vitam scripsit, tradit Presbyterum cujus Parochiam visitabat, pedibus ejus oscula fixisse. *Obviam factus honorabiles Basilii pedes est deosculatus.* Quin & ad Ambrosii pedes provolutum fuisse Theodosium, auctor est Paulinus. *Christianissimus Imperator provolutus pedibus Sacerdotis, testabatur meritis & orationibus ejus se esse servatum.* Retinebatur & priscus usus, ut in privatis etiam congressibus Principes summi peterent ab Episcopis se benedici. Eo alludit Symmachus Papa in Epistola ad Anastasium Imperatorem. Epist. 7. *Tu Imperator, à Pontifice baptismum accipis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas.* Beatus Nicetius ille invicti animi Trevirensis Episcopus Justinianum objurgabat, quòd Episcopos exulare jussisset, à quibus benedici sibi potius flagitare debuerat. *Patres à quibus benedictionem expectare debuisti, in exilium transmisisti.* Et benedictioni addebatur semper imprecatio quædam pia. Id quippe animadverti fas est in Collatione Constantinopolitana inter Catholicos & Eutychianos, sub eodem Justiniano. *Imperator Epiphanium Patriarcham dimisit, secundùm morem, oratione facta pro ipsius pietate.*

V. Quanquam autem uni Papæ impensi fuissent hi honores, eorum tamen gloria in omnes refunderetur Episcopos. Et sanè aculeatis quibusdam Mauritii Imperatoris verbis extimulatus Gregorius Magnus, rescripsit, colendos esse Episcopos ab Imperatoribus ipsis, tanquam Ministros summi ipsorum domini: in Scripturis Sacerdotes Angelos vocitari, & Deos: noluisse Constantinum de eorum

causis Judicem sedere, quod hominum non sit Deorum esse Judices; denique vel Gentilium exemplo suffundi, & verecundari debere Christianos, cùm tantum illi observantiæ & obsequii offerant eorum Ministris deorum, qui lapides & ligna sunt.

L. 4 Ep. 31. *Et Pagani Sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignetur honorare, dum Pagani Principes honorem impendere Sacerdotibus noverunt, qui diis ligneis & lapideis serviebant. Hæc ego pietati dominorum, non pro me, sed pro cunctis Sacerdotibus suggero.*

VI. Concilii Arverni Episcopi Epistola ad Theodebertum Regem scripta, dominum & filium vocant. Chilpericus Rex Brennacensis Concilii Episcopos interpellans adversùs Gregorium Episcopum Turonensem, Episcopos primum consalutavit, & benedictione ab iis impertitus est. *Dehinc adveniente Rege, data omnibus salutatione, ac benedictione accepta, resedit.* In Concilio Matisconensi II. jussi sunt laïci, quacumque fulgeant dignitate Clericos majores humillimis revereri obsequiis, aperiendo capite, & consalutando, si utrimque equis veherentur; exscendendo equis, si Clericus pedes esset, ut retorqueretur in Deum honos Ministris ejus oblatus, & Mysteriorum ejus dispensatoribus; utque his reverentiæ & charitatis significationibus conspicuis, charitas, quæ in præcordiis latet, & quæ Deus ipsemet est, explendescat. *Statuimus ut si quis sæcularium quempiam Clericorum honoratorum obviam in itinere habuerit, usque ad inferiorem gradum honoris venerantur, sicut condecet Christianum, illi colla subdat, per eu ut officia & obsequia fidelissima, Christianitatis jura promeruit. Et si quidem ille sæcularis equo vehitur, Clericusque similiter, sæcularis galerum de capite auferat, & Clerico sinceræ salutationis munus adhibeat. Si verò Clericus pedibus graditur, & sæcularis vehitur equo sublimis, illico ad terram defluat, & debitum honorem prædicto Clerico sinceræ charitatis exhibeat, ut Deus qui vera charitas est, in utrisque lætetur, & dilectioni sua utrumque asciscat.*

Greg. Turo L. 5. c. 49.

Can. 15.

VII. Concilium Metense anno 590. jussu Childeberti Regis coaluit, ut judicium institueretur de Ægidio Remensi Archiepiscopo, conspirationi in Regis vitam initæ, ut ferebatur, implicato. Illico cum Rege Episcopi expostularunt, quod Collegam invadi & carceri includi jussisset, nullius adhuc sceleris convictum. Cessit Rex justis querelis, Episcopum libertati reddidit, & Ecclesiæ suæ. *Tunc ab aliis Sacerdotibus increpatus, cur hominem absque audientia ab urbe rapi, & in custodiam retradi præcepisset, permisit eum ad urbem suam redire.* Decimo pòst mense rursus coivit Concilium, ubi Ægidius convictus, confessus & Episcopatu dejectus est, donante illum Rege Episcoporum precibus, ne morte lueret. *Obtenta vita, ipsum ab ordine sacerdotali, lectis Canonum sanctionibus, removerunt.*

Greg. Turo L. 10. c. 19.

VIII. Quàm chari & venerabiles Regibus essent in Aula Episcopi, ex his rursum collige. Gaudebant Reges, gestiebantque Episcopos habere convivas, & eorum recreari se benedictione. Accipe quæ de seipso narret Gregorius Turonensis: *Postulat Rex, ut accepta benedictione discederet. Ait eum, Dicam, inquit, tibi ô Sacerdos! quod Jacob dixit ad Angelum, qui ei loquebatur. Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et hæc dicens, aquam manibus porrigi jubet, quibus ablutis, facta oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipsi accepimus, & Regi porreximus, haustoque mero, vale dicentes, discessimus.* Audi nunc Guntrannum Episcopos invitantem,

L. 6. c. 5.

mensæ ut accumberent suæ, sibique bene precarentur. *Rogo ne in domo mea crastina die vestram promerear benedictionem, fiatque mihi salus in ingressu meo, ut ex hoc salvus fiam, cùm super me humilem vestrarum benedictionum verba defluxerint.* Nec in ædibus Gregorii Turonensis idem Rex abnuit vesci, cùm aliò properaret. *Surrexi ad occursum ejus, & data oratione deprecor, ut in mansione mea Eulogias beati Martini dignaretur accipere. Quod ille non respuens, hausto poculo, abscessit.* Denique prandiu Regis interfuere omnes Episcopi, qui & eorum singulos compulit, ut aliquid Psalmorum decantarent, quo Epulas regias religioso hoc concentu recrearent. Cum Reges ad Episcopos litteras dabant, Patres & Pastores Apostolicos illos compellabant. Cùm rescriberent Episcopi, filios Ecclesiæ Catholicæ appellabant. Nondum exciderat animo Episcoporum Galliæ facinus illud B. Martini jam memoratum, qui plus honoris habuit sacerdoti secundi Ordinis, quam Imperatori. Qua de re audi quid scripserit Fortunatus Episcopus Pictaviensis. *Illico procurrit res gesta Palatia complens: Hoc quod apud Sanctum fuit ordine Presbyterali Augustus conviva minor.*

L. 2. c. 1. 2.

Conc. Gall. To. 1. pag. 117.

Fo mulo Marcul.

Du Chesne To. 1. pag. 868. 877. &c.

L. 2.

IX. Difficile dictu est, utri plus admirationis impendi debeat, pietati Regum, qui hac sui laudabili dejectione, ipsum Regni fastigium provehebant: an Episcoporum sanctitudini, qui majestatem Episcopatus illustrabant Apostolicæ vitæ splendore. Pietas Regum in Episcopos, ne ipsa quidem bonum morte terminabatur. Honori sibi cessurum duxit Clotarius Rex, beati Medardi Noviodunensis Episcopi corpus humeris suis extulisse. *Suis ipsius humeris corpus extulit sanctissimum.*

Surius die 8. Junii, c. 22.

X. Certatim quoque Gothi Reges colendis Episcopis religionem suam insignire gestiebant. Episcopi Concilii I. Braccharensis Suevorum Regem Theodemirum, *gloriosissimum atque piissimum filium* dixere. Rex ipse Episcopos Concilii Lucensis Patres consalutavit, *Cupio sanctissimi Patres.* Usque adeo seipsum dejecit Reccesuintes Rex coram Episcopis Concilii VIII. Toletani, ut hac animi modestia & spontanea tanti culminis depressione coacti sint confiteri, splendidius aliquid ipso regio diademate ostentari. *Adest serenissimus Princeps summo laudum titulo gloriosus, qui sese nostro cœtui reddens acclinem. Cùm tam piè humilem agnovissemus ejus animæ voluntatem, & tam sublimis gloriæ celsitudinem videremus adclinem, &c. Quanto extulerat Principem humilitatis ordo sublimis, &c.* Ervigius Rex iisdem insistens vestigiis, eodem quoque religioso cultu veneratus est Episcopos Concilii XII. Toletani. *Adfuit Princeps, humilitatis gratia plenus, & claræ pietatis cultu conspicuus, qui nostro se cœtui reclivem exhibens ac devotum, &c.* Exordium sermonis sui Rex duxit à longè pulcherrimo hoc encomio Episcopalium Conventuum, conquestus pondere suo gravari & ruiturum orbem, nisi Episcoporum Conciliis sustentaretur. *Non dubium est, sanctissimi Patres, quod optima Conciliorum adjutoria ruenti mundo subveniunt.* Fuit & quod magis stupeamus in Concilio Toletano XIII. ubi proposuit Rex, & Episcoporum judicio permisit, quæ à Patribus statui edi cuperet. *Ecce sanctissimi Pontifices, coram cœtus vestri reverentia humilis devotusque prosternor, reclivis adsisto, pronus astipulor; votorum meorum studia vestris judiciis dirimenda committens. Nec enim fas est quemquam, etiamsi bonum sit opus, sine consilio agere; cùm tamen multum prosit, bona cum consilio bonorum exegisse.* Ulterius etiam progressus est Egica Rex cum Patribus Concilii Tole-

tani XV. supplex & in terram prostratus, eorum judicio permisit gravissima Regni negotia. *Egica Princeps in medio positus Pontificum, humoque prostratus, Sacerdotum Dei se commendat orationibus. Deinde surgens, &c.* Vetusto more, ut apparet, insolitum erat, ut Reges ad Episcopos non accederent, nisi ut primùm ab iis benedici sibi expeterent, ut liquet ex Concilio Toletano XVII. ubi rursum Egica Rex Episcopos cultu eodem veneratus est, & tum demum eorum examini & voluntati subjecit, causas tum Ecclesiasticas, tum civiles omnes, quæ ad eum relatæ fuerant. *Gloriosissimus Princeps in medio nostri consistens, inclytum caput reclinans, sese à nobis benedici poposcit, &c. His actis, tomum obtulit, inquiens, &c. Ea quæ tomus iste continet, vel alia quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, seu diversarum causarum negotia, quæ se venerabili cœtui nostro ingesserint audienda, gravi ac maturo consilio pertractetis, atque judiciorum vestrorum edictis justissimè ac firmissimè terminetis.* Inter Gothos Italiæ Reges Totila ad prandium invitatus ab Episcopo sanctissimo Canusino, supra illum sedere cunctanter recusavit; sedit autem ad ejus dexteram. Ita enim Gregorius

Greg. Dial. L. 3. c. 5. Baron. an. 543. n. 13. Magnus in Dialogis refert: *Cùm ventum esset ad mensam, Rex discumbere noluit, sed ad Sabini venerabilis dexteram sedit.*

XI. Sæculum nobis quoddam aureum depinxit Beda in Insulis Britannicis, ubi Clerici, Monachique omnes ea erant sanctitatis fama & veneratione apud Laïcos, ut quocumque se illi conferrent, accurrerent omnes turmatim, ut illa se benedici lingua, illa consignari manu obtinerent, quæ cæle-

L. 3. c. 26 stium gratiarum esset dispensatrix. *Unde & in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus, ita ut ubicumque Clericus aliquis aut Monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur; & jam si in itinere pergens inveniretur, accurrebant, & flexa cervice, vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant.*

VII. De Ecclesia Orientali dictum est initio hujus Capitis, ubi diadema Imperii toties abjectum spectavimus ad pedes summorum Pontificum, ex quo novi luminis & splendoris non parum ejus auro & gemmis accrescebat. Hoc unum ex Theophane addam, qui solennem exhibet Processionem dici Festi Dedicationis, ubi Patriarcha Constantinopolitanus Menas Imperatorio curru sublimis vehebatur, Imperator pedibus incedebat, promiscuè cum plebe, Litanias unà decantans. *Patriarcha Mena in Imperatoris curru sedente, & Imperatore ipso inter plebem procedente.* τοῦ βασιλέως συμπεζεύοντος τῷ λαῷ. Nunquam splendidiorem triumphum egit Justinianus; hac quippe modestiæ & religionis pompa omnis priscorum omnium triumphorum apparatus strepitusque superabatur.

CAPUT LXI. *P. 2. l. 2. c. 57.*

Aulæ frequentatione enervatum non fuisse Episcoporum vigorem, temporibus Imperii Carolini.

I. Aulæ discrimina & scopulos facilè declinant Episcopi, si eò non pergant, nisi cogente necessitate.
II. Stupenda Hincmari Remensis constantia.
III. Plura ejusdem Hincmari magnanimitatis documenta.
IV. De Fulcone ejus successore.
V. Alia exempla ejusdem vigoris.
VI. De B. Dunstano.
VII. De S. Romualdo Abbate.
VIII. Exempla recepta Græca.

I. NOnnihil ab Aula discriminis imminet Episcopis, imminet & non parum tum Ecclesiæ, tum Aulæ ipsi periculi, ex diutina Episcoporum ab Aula absentia. Cum enim in penetralia graviorum quarumcumque causarum Ecclesiasticarum, tam altè admissi sint Reges, verendum utique est, ne Canones, ne libertates Cleri in Regiis Consiliis non satis pateant, aut non satis valeant, nisi eò interdum accedant Episcopi, illis & illustrandis & propugnandis adversùs pietatis & Ecclesiæ latitantes adversarios. Formidolosus utrimque declinabitur scopulus, si Episcopi eò non proficiscantur, nisi ut necessitati serviant, & periclitantibus Ecclesiæ legibus præsidio sint.

II. Eorum exempla, quos Aulæ contagio pestifero velut afflatu mollivit, & ad vilissima assentandi studia inflexit; contrariis refellenda sunt eorum exemplis, quorum & minis infractus, & blanditiis inaccessus Apostolici pectoris vigor, Aulæ contemptu Aulicos Proceres in sui tandem admirationem & amorem traduxit. Ejusmodi fuit Hincmarus, in responsione ad Regem Ludovicum III. Ludovici Balbi filium, qui electionis Canonicæ injuriosæ confirmationem in Ecclesia Belluacensi ab eo expugnare contendebat. Statim Hincmarus contestatur, eum se Regem Episcopis præstare debere, quales se antecessores ejus priscis Episcopis præstabant; si & Episcopos velit eadem atque olim in Reges esse observantia. *Vos autem sanctæ Ecclesiæ* Hincmar. To. 2. pag. 193.
& ejus Rectoribus, atque mihi servate, quod illi conservaverunt. Non eam se senio & canis suis maculam inuri passurum, ut vel timore frangatur, vel excæcetur cupiditate, & Canonum contaminatione Episcopatum suum dedecoret. *Nolite retribuere mala pro bonis, suadentes, non tamen auxiliante Domino persuadentes, ut in senecta mea declinem à sacris regulis, quod nec pro cupiditate, nec pro amore, vel timore hactenus feci, ut à gradu Episcopali, quo per triginta & sex annos gratia Dei usque modo functus fui, meritò decidam.* Ea quam Rex petit divinarum canonicarumque legum remissione & contaminatione & suam & regiam professionem labefactari, adeoque tam Regi eam, quàm sibi exitio fore. *Et si vobis consensero, ut contra divinas & humanas leges, & contra vestram & meam professionem faciatis, me perdam, & vos non salvabo.* Mortem denique quæ intentatur, voto sibi potius esse, quàm terrori, cùm mori jam sibi non aliud sit, quàm ruenti jam carceri subduci, hoc est, corpore absolvi, in quo non tam vitam, quàm diutinam mortem protrahat. Ita sentire se præ se ferebat, qui eo ævo in Aula omnium frequentissimus fuerat. *Sed utinam aut per vos, aut per quemcumque sibi placuerit, educat me Dominus de isto carcere, videlicet infirmo & senili corpore: ad eum quem sua gratia largiente ex toto corde desidero videndum.*

Ex his facilè intelliges, qui sic animo comparatus, sic munitus erat, eum nec blandis, nec asperis à Canonum defensione discessurum fuisse. *Et scitote certissimè quia Domino adjuvante, nec quibuscumque, nec quorumcumque terroribus, vel blanditiis, ex hac causa unde agitur, à sacris legibus & regulis deviabo.*

III. Hoc Episcopali Hincmari vigore effervescebant quandoque & alii Episcopi ejus ævi. Ideo & Carolus Calvus, ejus Ludovici de quo paulò an-

tè ævus, eorum correptionibus, sursan & excommunicationis comminatione perculsus, studuerat Ecclesiæ satisfacere, & damna resarcire Beneficiorum quæ Laïcis donasset: nec à Regia majestate alienum duxerat, ab Episcopis veniam orare, & manuum impositionem suscipere. Audi ut duarum congregati Episcopi Provinciarum ad Ludovicum Germaniæ Regem, Caroli Calvi fratrem scripserint. *Nam idem frater vester & divina inspiratione, & sacerdotali redargutione, & etiam ab Apostolica Sede commonitus, ex aliqua parte, qua perperè egit, correxerat; quæ autem adhuc incorrecta erant, quomodo emendare posset, gemebundus quærebat.* Apertiùs Hincmarus ad Carolum ipsum verba faciens: *Etiam in Carisiaco, quando veniam peteates ab Episcopis qui adfuerunt, manûs impositionem accepistis.*

Hincmar. To. 2. pag. 231. 322. 599.

Vociferabatur excelsi & indomiti animi Episcopus, cogi se divina lege, ut Principem moneret, & frequens illi inculcaret, quæ ad propriam salutem necessaria essent, & ad optimam Regni administrationem. *Quia carissima dominatio vestra, imò divina jussio mihi præcepit, ut quæ ad salutem, & vestri nominis ac ministerii dignitatem pertinere scio, non taceam, &c. Et ideo hinc tam inculcanter scribo, quia propter Regem Regum tacere, quæ saluti & utilitati vestræ necessaria esse cognosco, non audeo; ad cujus judicium vos, & ego veniemus, &c.*

Conc. Duz. Ce lo pag. 410. &c.

Subjicit exemplum Theodosii, qui dum se Ambrosio corripienti subdidit, gloriæ luculentioris cumulum sibi adjecit, quàm dum sibi toties hostes Imperii nominisque Romani subderet. Addit felicissimos semper fore Episcopos, qui inciderint in Imperatores Theodosii similes: beatissimos vicissim Imperatores futuros, quibus res fuerit cum Episcopis ab Ambrosio non recedentibus. *Mementote Theodosii & Ambrosii. Quia excessit ut homo Theodosius, corripuit eum, ut verus Sacerdos Ambrosius; & recepit patienter atque humiliter per illum devinam correctionem Theodosius. Felix Imperator, qui suo tempore talem habuit Sacerdotem, &c. Felix Sacerdos Dei Ambrosius, qui in tempore talis fuit Imperatoris. Felices ambo, & Sacerdos, & Imperator, quia ne ira Dei pro excessu descenderet super Imperatorem, habait suo tempore Sacerdotem, &c.*

Postremò ita Hincmarus profitetur nullo se privato affectu agi, sed uno Ecclesiæ universalis amore, & Episcopatûs charitate, qui unus est in universalitate etiam sua; denique eo se incitari zelo, quo pii Episcopi, procul spe, procul timore, unum id concupiscunt, veritati sanguinis & vitæ impendio litare. *Zelo videlicet universalis Ecclesiæ, quæ domus Dei est, & sacri ordinis Sacerdotii, quod unum in omnibus Episcopis est, & officii mea exiguitatis; legens electos Dei propter leges paternas etiam mortem corporis appetisse.*

IV. Manavit & in Hincmari successores intrepidi vigor hic animi, quos inter clarissimus fuit Fulco, qui in Aula Caroli Calvi & Ludovici Balbi primævam ætatem contriverat: quique pòst Remensis Ecclesiæ infulas assecutus, Regni etiam gubernacula tractaverat impubere adhuc Carolo Simplici Rege. Rescito autem ille hoc statuisse apud se Regem, ut ope Normannorum, tunc gentilitia superstitione nondum exsolutorum, uteretur, ut reliquas Regni partes sibi subjiceret; quo infideles in fideles immittebantur, & Pagani de Ecclesia ac fide Christi triomphaturi videbantur; litteras ad eum dedit, quales dari consentaneum erat ab Hincmari successore, quales ab Ambrosii æmulatore. Monet idololatris contra fideles confœderari, & idolis adglutinari, cognata esse flagitia. *Nihil enim distat, utrùm se quis Paganis societ, an abnegato Deo idola adoret.* Christo terga vertere, qui se ejus hostibus consociet. *Deum relinquitis, cum vos ejus hostibus sociatis.* Præposterum esse, ut Regnum sibi suum recuperet, si eo summo Regnorum dispensatori gravem imprimat contumeliam. *Nunquam sic agendo ad Regnum pervenietis, imò velociter disperdet vos Deus quem irritatis.* Denique vix posse Episcopos in fide ejus constare, qui in divina vacillet fide; quin & ipsa qua Regi obligati sunt fide, teneri se, nec correptionibus temperare, nec excommunicationibus, ut vetent eas ad recipiendum Regnum artes adhiberi & machinas, quibus & Regno & Ecclesiis extremum exitium importatur. *Sciatis, quia si hoc feceritis, nunquam me fidelem habebitis; sed & quoscumque potuero, à vestra fidelitate revocabo, & cum omnibus Coëpiscopis vos & omnes vestros excommunicans, æterno anathemate condemnabo.* Suus, ut vides, Fulconem abripiebat zelus. Sed comminationes istæ tantum erant, quibus alioqui non ita facile esset patrocinium patriæ. Quò vehementiùs autem flagrabat hic zelus, hoc manifestiùs patet, quàm non potuisset ille in Aulæ contubernio elanguescere.

Flodoard. L. 4. c. 5.

V. Si retro sursum flectas vestigia, obvius fiet Lambertus Episcopus Leodiensis, Hincmaro & Fulcone felicior; ut cui martyrii palma obrigerit, objurgato gravissimè Pipino Heristallo, ob adulterinas cum Alpaide nuptias, quam duxisset superstite priori conjuge Plectrude. Ea cæde adeo consternati non sunt B. Suvibertus Episcopus Ferdensis, & Agilolphus Coloniensis Archiepiscopus, ut ad eundem Pipinum accesserint, quo eum deterrerent à consilio resignandi Principatûs Carolo Martello, quem ex ea pellice susceperat, posthabitis legitimis filiis, ex Plectrude justa uxore natis. Non cessit res ex eorum animi sententia, sed nihilo obscurior fuit eorum intrepidæ constantiæ laus.

Vita B. Suvib. Surius die 1. Mart. c. 15.

VI. In Abbatum adhuc classe sedebat Dunstanus, cùm epulo inaugurationis Eduini Regis permixtus & ipse Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Baronibus Angliæ, egressus est cum Episcopo Cuinsino, ut Regem eò revocaret, unde diverterat ad Aulicarum nugatoria colloquia puellarum. Abstraxit illum Dunstanus à degenere illo contubernio, & in Magnatum Regni cœtum revocavit. Succensuit Rex, bacchatæ sunt mulierculæ, prædæ fuit Dunstani Cœnobium, ipse in exilium abreptus est; at his cladibus amplificata est Dunstani gloria, nec vel tantillùm debilitata constantia. Quippe post Eduini mortem creatus Episcopus Cantuariensis, non minùs strenuè cum ejus successore congressus est. Cùm enim sacrilega libidine Rex vitiasset puellam, quæ in Cœnobio, ut moris est, cum aliis virgunculis instruebatur, & quæ ut hanc à se contumeliam propulsaret, velo Religionis tunc caput armaverat; properavit ad illum Dunstanus in Aula, & in solio suo sedentem: & quodam velut veritatis fulmine & ultricis justitiæ divinæ, ita perterrefecit, ut ad ejus ille se pedes abjecerit, ac septenni pœnitentiæ acquieverit, quam & strenuè implevit.

Surius die 19. Mad.

VII. Quis molestè ferat Ottonis Imperatoris Aulam à B. Romualdo Abbate frequentari, cùm audierit, illum nempe Canonum austerissimum exactorem, nec Imperatori ipsi indulgentiùs consuluisse, quando expiandæ illi fuit Crescentii Senatoris cædes. Urgente quippe Romualdo, ut pœnitentialibus satisfaceret Canonibus, Roma ille ad

Garganum montem pedibus profectus est, quadragesimæ dies in Monasterio egit; cilicio, psalmodia, jejunio, humicubatione, substrata tantum matta, corpus maceravit; denique ab eo expressit Romualdus, ut Imperio se abiturum polliceretur, & reliquum vitæ tempus in veste Monastica, jejuniis, vigiliisque Monachorum traducturum. Non ea denique pollicitatione contentus Romualdus, Ravennam ipsemet se contulit, ut rem urgeret. *Romualdus Regem protinus adiit, & accepta promissionis exactor, ut Rex Monachus fieret, insistere vehementius cœpit. At ille facturum quidem quod exigebatur asseruit; si tamen prius Romam, quæ sibi rebellabat, impeteret; & ea devicta Ravennam cum victoria remearet.* Cùm verò non detrectaret quidem Otto, sed inducias peteret, ut fidem sponsionis suæ liberaret, ut renunciaret Imperio, utque Monastica veste indueretur, has denique cunctationes ultus est Romualdus, Ottoni vaticinatus brevi illum spatio temporis, vita & Imperio cessurum.

Surius die 19 Junii. c. 28. 34.

VIII. In Ecclesia Græca fuere & ex Patriarchis & ex Episcopis, qui inter Aulicas illecebras & Palatinas aliorum assentationes, insigni ipsi fortitudine claruerunt. Ignatius Patriarcha Bardam Cæsarem Ecclesiæ aditu interdixit, quanquam in flagrantissima tunc ille esset Michaëlis Imperatoris gratia, quòd repudiata conjuge, nurui conglutinatus esset, non sine gravi Ecclesiæ offensione. A Nicolao Patriarcha communione Ecclesiæ abstentus est Leo Imperator, quòd quartam duxisset uxorem, præter suas ipsius leges & præter usum Ecclesiæ Orientalis. Ad infringendam Patriarchæ constantiam grassatus est Leo minis, terroribus, precibus, blanditiis; frustra tentatis his machinis, exauthoratione, & exilio illum domari posse ratus, spe falsus est. Novum Imperatorem Joannem Zimiscem Polieuctus Patriarcha liminibus Ecclesiæ arcuit, donec interfecti à se Nicephori Imperatoris suspiciones abstersisset, interemptricem ejus Theophanonem Imperatricem Palatio ejecisset, leges Ecclesiæ exitiales à præcessore latas revocasset, patrimonium omne privatum pauperibus largiri spopondisset.

Cedrenus. pag. 55 602 649. 684. 685.

CAPUT LXII. *P 3. l. 2. c. 58.*

Summo honore Episcopos fuisse in Aula Caroli Magni ejusque successorum.

I. Quibus eo ævo honoribus Imperatores Romanum Pontificem affecerint.

II Erant tamen liberi honores ii, & voluntarii.

III. Quam impensè Episcopos coluerit Carolus Calvus.

IV Episcopis Clericisque, quid cultus, quid obsequii ab laïcis exhiberetur.

V. Regum quoque intererat, ut Episcopis honos haberetur.

VI. Invehuntur Concilia Græca in Episcopos, qui dignitatem suam, vilescere, & minus coli sinant.

VII. Probationes ex donatione Constantini.

VIII. Quo vicissim cultu Imperatorem prosecuti sint Romani Pontifices.

I. Convenienter satis exordium ducemus ab iis honoribus, quibus Reges Galli, summique Principes summum Pontificem coluerunt: cùm hinc facilè conjectura consequi quisque possit, quo cultu cæteri Episcopi à laïcis omnibus exciperentur. Narrat Anastasius Bibliothecarius Stephanum II. Papam anno 754. in Gallias profectum, ut à Pipino Rege auxilii aliquid impetraret adversùs Longobardos, jamdiu Italiam Romamque ipsam populantes. Regem porro ipsum illi obvium prodiisse tribus passuum millibus, equo exiluisse, humi se abjecisse cum Regina, cum prole & Proceribus Aulicis, denique stratoris obiisse munia, aliquanto itineris spatio pedibus juxta illum equo vehentem incessisse. *Ad trium ferè millium spatium, descendens de equo suo, cum magna humilitate terra prostratus, una cum sua conjuge, filiis & Optimatibus, sanctissimum Papam suscepit: cui & vice stratoris in aliquantum locum juxta ejus sellarem properavit.* Ab eodem ipso commemoratum est, ut Carolus Magnus Romæ ascendens ad B. Petri Basilicam, gradus omnes exosculatus sit, & in vestibulo demum Ecclesiæ exceptus sit ab Adriano I. Papa. Sed & Adrianum I. & Leonem III. non coluit Carolus Magnus, nisi amplexu & osculo. *Pariter se amplectentes osculati sunt.*

At verò scriptis mandatum est à Thegano, ut in agro Remensi obvius prodierit Stephano IV. Ludovicus Pius, atque utrisque equo descendentibus, ter Imperator in terram prostratus sit coram Pontifice anno 816. *Descendit uterque de equo suo & Princeps se prosternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertia vice erectus salutavit Pontificem his verbis, &c.* Ludovicus Lotharii Imperatoris filius Sergium II. Papam complexus est, at cum postea Imperii ipsemet diademate cinctus fuisset, Romamque perrexisset, eo tempore quo Nicolaus I. Papa in Pontificem electus & ordinatus est; eodem illum revetitus est humillimo obsequio, quo olim Pipinus Stephanum, stratoris officio perfunctus. *Augustus obvias occurrit, frenumque equi Pontificis suis manibus adprehendens, pedestri more quantum sagitta jactus extenditur, traxit.* Tum equo vectus Imperator, cum Pontifice aliquantum viæ confecit, ac rursus in pedes se conjiciens, stratorem se egit, Pontificis equum habenis deducens.

II. Nec eædem semper, nec continuæ fuere istæ obsequii & cultus significationes. Hinc jure colligas, liberas eas & arbitrarias fuisse, non ulla certa lege præscriptas. Ex quo & illud quoque efficitur, cæteros etiam Episcopos, qui & ipsi Vicarii quoque erant Christi in sua quisque Diœcesi, non multò dissimilem cultum à Magnatibus cæterisque laïcis consecutos esse. Pontificis Romani ad exosculandos pedes procubuisse prorsus omnes memorat Anastasius Bibliothecarius, in omnium ferè vitis Pontificum. Vide potissimum in Valentino I. Sergio II. Leone IV. Benedicto III. Illud universim observare est, quò frequentiores fuere Pontificum cum Regibus congressus, eò & Regum cultum & honorem in Pontifices fuisse prolixiorem.

III. Venio ad alios Episcopos Clericosque omnes, & id primum observo, ubique Episcopos & Abbates sedere & subscribere ante Comites Proceresque omnes, uno summo Principe cum filiis honoris & sedis prærogativam supra eos obtinente. Sed quid majus illustriusque optari, aut vel fingi potuit ad Episcopatus splendorem, quam ubi Carolus Calvus Concilium Tullense adiit anno 859. ut de Ganelone Archiepiscopo Senonensi expostularet, qui Regno se dejicere voluerit, nullo saltem in Episcoporum conventu causa sua examinata, qui throni sunt ex quibus oracula funduntur divini Numinis, & quibus subjici se velle profiteretur. *A Regni sublimitate supplantari, vel projici à nullo debueram saltem sine audientia & judicio Episcoporum, quorum ministerio in Regem sum consecratus, & qui throni Dei sunt dicti, in quibus Deus sedet, & per quos sua decernit*

Conc. Gall. To. 3. pag. 405. 432.

Conc. Gall. Tom 3. pag. 140. 145.

judicia. Quorum paternis correptionibus & castigatoriis judiciis me subdere fui paratus, & in præsenti sum subditus. Judices suæ cum Archiepiscopo Ganelone causæ elegit Rex Archiepiscopos Lugdunensem, Turonensem, Rotomagensem, Bituricensem, cæteris Concilii Episcopis eorum judicium confirmaturis. *Elegit terminanda querela judices Remigium Lugduni, &c. Cæteris judicium suo consensu approbaturis.*

IV. Cæterùm si complexu se mutuo & osculo prosequebantur summi Pontifices & Imperatores, ut de Stephano & de Ludovico Pio Remis testatum facit Flodoardus: tradit quoque Hincmarus Franciæ Reges eodem Episcopos honoris & benevolentiæ documento prosequi solitos fuisse. Queritur enim Hincmarus ab Hincmaro nepote osculum sibi denegatum fuisse, quod nec à Rege, nec ab Episcopis unquam ullis recusaretur. *Mibi pacis osculum, sicut & dominus Rex, & Episcopi, ac cæteri illustres ac mediocres, qui conveniebant, dare nolebat.* Anno 878. confirmatum est in Concilio Tricassino decretum Joannis VIII. quo jubebantur laici omnes, quo illi cumque dignitatis gradu eminerent, ne nisi permittentibus Episcopis, coram ipsis sederent. *Ut Episcopi cum omni reverentia à cunctis mundi Potestatibus debitè honorentur, atque coram eis sedere nullatenus audeant, nisi illis præcipientibus.*

Conc. Duzi Collo. pag. 874.

Can. 5.

V. Accessit nescio quo fato, propensior in Episcopos reverentia, ex Carolinæ stirpis Principum infortunio, & lento occasu. Episcopali enim authoritate, aliquando & fulmine muniri se & armari hi Principes ambiere, ut subditos suos ferocientes in officio continerent. Eò facilè adducti sunt Reges, ut Episcopis cultum & reverentiam in dies majorem aggerarent, ut ea Regni & Sacerdotii concordia & conspiratione, utriusque adversarii protererentur. In Historicis ejus ævi, & in Compilationibus Conciliorum legere est, ut Carolus Simplex sexdecim regni sui Metropolitanos & Barones adgregaverit anno 921. ut anathemata & diræ intorquerentur in omnes qui in summum dominum suum rebellassent. *Inventum est ut nova gibborum genera novis medicationibus secarentur, ac sanarentur, pellentes eos Episcopali authoritate à cœtu Christianorum.* A Ludovico etiam IV. contra perduelles Imperii concitati sont Legati Pontificis, Episcopi & Concilium Ingelheimense, ut spiritali gladio in eos sævirent.

Conc. Gall. To 3 p. 573.

VI. Dubium, an pari Græcis venerationi sui essent Episcopi: cùm vetuerit VIII. Synodus, ne deinceps Episcopi vilioribus quibusdam obsequiis Proceres prosequerentur, neu extra Ecclesias longiùs obvii prodirent, aut equo exilirent, aut humiliùs consalutarent; cùmque ab eadem Synodo declaratum sit, Imperatoris muneris esse, Episcopos ut alio longè loco & pretio haberet quam aulicos Magnates; ut collegas enim quodammodo habendos illi esse, cùm nihil concedat Imperio gloria Sacerdotii; denique exemplo id suo præstandum ei esse, ut ea essent Proceres omnes in Episcopos observantia, qua freti auderent Episcopi eos fidenter officii sui commonere, & moderatis, gravibusque correptionibus castigare. *Et nequaquam strategis, vel quibuslibet aliis Principibus obvios procul ab Ecclesiis suis occurrere, sed neque semet à multo spatio de equis, vel mulis ejicere, aut cum timore ac tremore procidere, ac adorare, &c. Præferri autem & multam à Principibus amicorum Christi Imperatorum venerationem & reverentiam promereri, Confessores eorum, & honoris similis existentes: Ita ut fiduciam habeant Episcopi, arguere strategos multoties, & alios Principes, atque omnem sæculi dignitatem, cùm injustum & irrationabile agere quid illos invenerint.* Annua denique suspensione multavit Concilium Episcopos, qui hac officiorum vilitate posthac Magnatibus assentarentur, offuscata Episcopatus majestate: laïcos autem, qui hæc ab Episcopis dedecora exigerent, toto biennio sacramentis abstinuit.

Can. 14.

Constitutæ sunt verò in eodem Concilio pœnæ multò acerbiores in eos, qui posthac fingerent, ac simularent, vel personas, vel functiones Episcopales, terribilibus etiam ipsi Imperatori minis intentatis cælestis iræ, & vindictæ Ecclesiasticæ, nisi hos comprimeret Christianorum mysteriorum insolentissimos prophanatores.

Can. 16.

VII. Si fabricata à Græcis primum est Donatio Constantini, quæ apud Balsamonem legitur in Commentariis ad Nomocanonem Photii: Hinc pronum est conjicere, quam altè descendisset in omnium mentes ea persuasio, propè abesse ab regia sacerdotii majestatem, & eosdem pene honores passim nactam esse. Nec secus de Latinis existimandum est, qui non tam bibulis auribus animisque eam Donationem excepissent, nisi receptis tum moribus consentanea fuisset; hoc est, nisi uno & eodem pene cultu Sacerdotium & Regnum tunc floruisset. Eò enim tota ferè collineat ea Donatio, ut regiis honoribus & tota propemodum Imperii majestate sacerdotium decoretur.

VIII. Sed nec illud dissimulandum est, nec à Pontificibus summis, nec ab Episcopis fraudatos unquam fuisse Imperatores, Regesque & Optimates, iis honoribus, & officiis, quibus usus receptissimus suffragaretur. Quo primum temporis puncto Leo III. Imperii diademate Carolum Magnum cinxit, protinus illum adoravit, quæ humillima consalutatio priscis Imperatoribus exhibebatur: *A Pontifice more antiquorum Principum adoratus est*, ut habet Eginardus. Sacramentum verò fidei, quo Otho I. sanctissimè affirmavit in Concilio Romano sibi astrictum fuisse Joannem XII. Papam: *Oblitus juramenti & fidelitatis, quam mihi supra corpus B. Petri promisit:* hoc inquam sacramentum peculiaris erat hujus Pontificis, non omnium Pontificum communis ad Imperatores obligatio. Dictum est & alibi hoc ipso libro de eadem re.

Du Chesne To. 2. pag. 238.

Nec immorabor hoc loco vilissimis turpibusque officiis exagitandis, quæ laici quandoque exigunt à Clericis, quos domi alunt. Vide stomachantem in eos Jonam Aurelianensem.

De institut. Laical. l. 2. c. 20. Spic. to 1. pag 112.

CAPUT LXIII. *P. 4. l. 2. c. 79.*

Refelluntur, qui omnibus obtrectant Episcopis in Aula versantibus. Exempla incredibilis eorum constantiæ & religionis post annum Christi millesimum.

I. Quam infracto fuerit animo & zelo Fulbertus.
II. Exempla Bernardi & Abbatum Cisterciensium.
III. Exemplum Hildeberti Cenomanensis Episcopi, post Archiepiscopi Turonensis.
IV. Varia exempla Petri Blesensis.
V. Ivonis Carnotensis Episcopi miræ fortitudinis documenta.
VI. De Vuillelmo Episcopo Ro[illegible]densi, qui Regem pœnitentia subjecit.
VII. Anselmi & Thomæ sanctissimorum Cantuariæ Archiepiscoporum exempla, itemque Hugonis Episcopi Lincolniensis.
VIII. Alia Galliæ Angliæque exempla.

I. NOn eam nos quidem instruimus defensionem antiquissimæ illi consuetudini, quæ frequentes adsciscebat Episcopos ad Regum Castra & Consilia, ad Curias & Parlamenta; ut non ultrò fateamur non paucos fuisse, qui moribus, qui adulationibus, qui terrenarum cupiditatum varia contagione, plurimum & sibi & Episcopatui ipsi inurerent dedecoris. De his amarulentas fundebat in Epistola quadam sua querelas B. Fulbertus Carnotensis Episcopus. *Nec est Præsul in Galliis, cujus viscera tangat affectio pietatis, aut Zelus sacræ legis inflammet, ut surgat ad frangendos impetus eorum, ad relevandas spes dolore tabescentium. Defuncta est enim fortitudo Dionysii: non comparet pietas Martini: Tu quoque dereliquisti nos, sancte Pater Hilari, qui olim unitatem Ecclesiæ Spiritûs sancti gladio tuebaris. O derelicta! ô mœsta! ô desolata Galliarum Ecclesia!*

Epist. 21. Baron. an. 1003. n. 17. 1007. n. 6.

Sed vel ipse Fulbertus documento erat, non prorsus interiisse, aut certè jam revixisse illam Dionysii, illam Hilarii & Martini invictam animi fortitudinem. Nec ille unus in vestigia ingrediebatur invictæ hujus magnanimitatis Præsulum. Cùm Fulco Andegavensis Comes Ecclesiarum prædia invasisset, Archiepiscopus Turonensis viciniores omnes Episcopos, ac præ cæteris Fulbertum commonuit, incitavitque, ut omnia Ecclesiæ fulmina in eum evibrarent. Tentandum sibi antè censuit Fulbertus, an minacibus litteris posset ille ab injuria deterreri. Ex iis pauca hæc libabo. *Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus Fulconi Comiti salutem. Doleo super te, nobilis homo, cum te audio errare ac periclitari. Errare dico, quia cùm debeas Deum timere, Sanctos honorare, Ecclesiam defendere; contemnis Deum. Sanctos inhonoras, res Ecclesiæ invadis & aufers. Periclitari, quoniam qui talia agunt, non habent partem in regno Dei. Propter hæc peccata monuit Archiepiscopus Turonensis omnes Episcopos nostros, & inter alios me pusillum, ut te excommunicaremus. Sed ego censui pium esse, ut te prius monerem, &c.* Tam justa objurgatione & interminatione adeo terrifica consternatus Fulco resipuit, pœnitudinemque suam illustravit triplici in Palæstinam expeditione sacra, & vita deinceps à flagitio pura. Ex Epistolis verò Fulberti planum fit, tam impigrè ipsum, quàm cæteros Regni Episcopos ad Regia advolasse Castra, Consilia, Curias. Sed vel hoc uno exemplo patet, quàm ne Optimatum quidem facinora dissimularent, aut inulta finerent Episcopi illi, in Aula & Consiliis Regum tam frequentes.

Epist. 13. al. 83.

II. His accedunt B. Bernardus Claravallensis Abbas, Stephanus Cisterciensis, aliique Abbates ejusdem Ordinis, qui Ludovicum Crassum in Episcopum Parisiensem atrociùs sævientem, per litteras adgressi sunt deterrere ab infestatione tanta Ecclesiæ, cujus se desponderat fore defensorem: ut sponsa Christi jam ad Christum pro Rege non preces, ut prius, & sacrificia, sed querelas tantùm & lamenta allegare posset: *Gravem siquidem adversùs vos apud Sponsum & Dominum suum querimoniam deponit Ecclesia, dum quem acceperat defensorem, sustinet oppugnatorem.* Archiepiscopus Senonensis, cæterique ejusdem Provinciæ Episcopi, cùm Abbatum interventio irrita cecidisset, intervenerunt & ipsi, ut regiam sedarent iram. Cùm & horum ludibrio haberentur preces, ad minas ventum est intentato interdicto. Tunc verò territus Rex cælestis vindictæ sola ostentatione, pollicitus est, quæ invasisset, Ecclesiæ restitutum iri. *Sentiens tandem nos ad arma Ecclesiæ pro Ecclesia velle confugere, timuit, annuitque sese omnia redditurum.* Minas Episcopales repressit & suspendit Pontifex; tumque Regia indignatio in Archiepiscopum Senonensem impotentiùs bacchata est. Nec pluribus opus est, ut constet, quàm Episcopi illi, qui Aulæ terebant limina, præstò tum essent nullas non experiri Regiæ iræ procellas, ubi libertates Ecclesiæ contutandæ erant.

Epist. 45. 47. 48. 49.

Bernardi os, calamum & linguam sæpiùs Episcopi auxiliarem adhibebant, ubi adversùs grassantem Magnatum licentiam audendum erat. Nec sanè minùs strenuè ab eo decertatum est adversùs Ludovicum VII. Regem, Crassi filium, cum Campaniæ Comiti bellum ita intulit, ut Ecclesias omnes eodem calamitatum turbine labefactaret. Tam vehementes ad Regem Bernardus scripsit litteras, ut eam calami sævitiam sola possit excusare Bernardi sanctitas, charitasque mirum in modum, & pene supra modum exæstuans, cui sua puritas, sua terrenorum omnium abdicatio incredibilem semper conciliabat auctoritatem. Tum verò postea Bernardus inclementiam calami sui convertit ad Episcopum Suessionensem, & ad Abbatem Sandionysianum, qui Regi à Consiliis erant. Interrogat autem illos, Qui fieret, ut ipsis præsentibus ea inirentur consilia, & non ipsi potius Consilio Curiæque se subducerent? *Quomodo non dicam tractatis ea, sed vel interestis consiliis tam malignis? Quidquid enim mali fecerit, meritò non Regi juveni, sed Consiliariis senibus imputatur.* Nec Episcopum, nec Abbatem adhortatur Bernardus, ut eo se exuant officio, nec Regiis postbac intersint Consiliis; sed ut munere eo strenuè fungantur, nec sinant decerni quidquam, quod justitiæ & religioni officiat, ita nimirum animo comparati, ut amplissima dignitate exturbari malint, quàm à justitiæ & pietatis tramite vel transversum, quod aiunt, unguem deflectere.

Epist. 221. 222.

III. In illam quoque Episcoporum classem referendus Hildebertus, Cenomanensis primò Episcopus, pòst Archiepiscopus Turonensis, quorum nec animos enervare potuit Aula, nec frangere constantiam. Præter voluntatem Regis Decanatum & Archidiaconatum contulit, quibus æquum censuit, cùm eas sedes aliis gratificari Rex percuperet. Exarsit mox in illum ingens persecutionis flamma, quade commonefaciendum sibi censuit per litteras Honorium II. Papam. Ex iis hæc obiter carpam: *Quantis tribulationum turbinibus Turonensis agitetur Ecclesia, vestram credo non latere Sanctitatem. Adhuc enim Francorum Rex innocentiam meam tanto persequitur odio, ut traducat in gravamen Ecclesiæ; & quod constat esse sanctuarii, fisco ascripsit, &c. His premor angustiis, quia zelo zelatus sum legem Domini Dei, quia non sum transgressus terminos, quos Patres nostri posuerunt; quia dignitates Ecclesiæ nec ex Regis præcepto posui, nec ei disponendi facultatem indulsi. Sciens enim quia oportet magis Domino servire, quàm hominibus, personas elegi, quæ in exequendis Ecclesiæ negotiis pondus diei portarent & æstus. Alteri igitur Archidiaconatum, alteri Decanatum dedi.*

Epist. 67.

Non atrox tantùm, sed & diuturna fuit ea tempestas; subiratus quandoque Hildebertus in alios fuit Episcopos, nec querelis abstinuit, de eorum in Collegæ oppressione silentio. Sed cùm pari sapientia esset & constantia, confessus est tandem supplicatione & precibus sopiendam Regum excandescentiam, nec alias duriores artes tunc sanè admovendas. *Silent amici, silent Sacerdotes Jesu Christi. Eorum erat, si res ita postulasset, opponere se murum pro domo Israël*

Epist. 75.

Israël. Verùm apud serenissimum Regem opus est exhortatione potius, quàm increpatione: consilio, quàm præcepta: doctrina, quàm virga. Illud præ se tulit, & apertè significavit, nolle se, ut sui causâ ad iras & interdicta veniretur: nec enim pacem, quæ à Regibus extorqueatur, diu constare posse: humilitate & charitate sola infringi posse & exarmari Reges. *Inter has angustias nunquam de me sic ira triumphat, ut alicui super Christo Domini clamorem deponere vellem; seu pacem ipsius in manu forti & brachio Ecclesiæ adipisci. Suspecta est pax, ad quam non amore, sed vi sublimes veniunt potestates. Ea facilè rescinditur, & fiunt aliquando novissima illius pejora prioribus.*

IV. Non imitatus est tantùm Petrus Blesensis, Bathensis in Anglia Archidiaconus, Episcopos Clericosque alios, qui in Aula Regum variis implicantur muneribus & officiis; sed & in eorum defensionem calamum strinxit. Altiùs & ipse penitiùsque admissus est in amicitiam Angliæ & Siciliæ Regum. Baron. ann. 1167. n. 73. Quin & Willelmo Siciliæ Regi adhuc tenello Præceptor datus, in offensiones & invidiam incurrit eorum, qui eum Neapolitanum eligi Archiepiscopum curarunt, ut in eum evectus apicem, regiæ in Sicilia gratiæ fastigio & ministerio careretur. Insidiosæ tum dignitati non acquievit Petrus; quin & ejusmodi postea in Anglia amplissimis Officiis, cæteroqui cùm posset, abstinuit. Quanto in pretio apud Angliæ Reges esset, loquuntur complurimæ ejus Epistolæ. Earum ipsemet compilationem dicavit Henrico II. Regi, cui nec ipsi dissimulavit, earum aliquas esse, in quibus sospite & illibata ea reverentia, quæ celsitudini Regiæ debeatur, correptiones aliquæ & objurgationes ad Reges ipsos permixtæ sint: nec enim verum & infucatum in Reges amorem eum esse, qui non illos ad beatam æternitatem lucrifaciendam extimulet. *Nec illud* Epist. 1. *magnificentia vestra quæso sit oneri, si usque ad personam vestram in aliqua Epistolarum mearum stylus devota correptionis evaserit. Nam totum illud dictavit affectio. Æmulor enim vos Dei æmulatione: zelans & sitiens salutem vestram in Christi visceribus & in charitate non ficta.*

Cùm Episcopum Agrigentinæ Ecclesiæ intrudere moliretur Rex Siciliæ, & ejusmodi Episcopum, qui intrudi faciliùs, quàm eligi posset: scripsit Petrus Blesensis ad Regium Capellanum, ut eum ab hoc consilio absterreret, cujus infamia in ipsum retorquenda esset, qui Pastor esset Regis adolescentuli. Epist. 10. *Ejus anima de manibus tuis requiretur. Ovis tua est, & in periculum tuum ipsius custodiam suscepisti.* Exemplum illi objecit Henrici II. Angliæ Regis, qui nihil unquam gratiæ causâ faceret, nihil cupidè in Episcoporum delectu. *Benedictus Dominus, qui Regem Anglorum Henricum à talibus hactenus conservavit innoxium. Manus enim suas excussit ab omni munere, nec in Prælatis Ecclesiæ promovendis ipsum unquam inflectere potuit vel muneris oblatio, vel gratia personalis.* Nec nullis tamen Angliæ Ecclesiæ infestatæ sunt procellis. Ex Epistolis enim Petri ad Walterum Archiepiscopum Rotomagensem testatum fit, hunc Archiepiscopum non officiis tantùm, sed & variis nexibus Aulæ illigatum, voluntariò se tamen exilio subduxisse, ne diutiùs conculcari res & majestatem Ecclesiæ spectaret, & ringeretur. *Ecclesia* Epist. 124. 125. *quidem quæ est mater nostra, libera est, sed hodie cogimur ancillari cum Agar. Ideoque migratis, ne videatis Ecclesiæ vestræ mala.* In Aulæ tunc Regiæ penetralibus sedebat Petrus Blesensis, sed non is erat ille, qui voluntate Regum æquitatem metiretur. Dice-

mus infrà exagitatos ab eo esse Episcopos, qui in Aula Regum officia sæcularia & profana sibi inducerent; at non illi unquam displicuisse eos qui ad Consilia, ad Comitia, ad Castra, ad Parlamenta pro officio se conferrent.

V. Non committemus, ut excidat nobis omnino Ivo Carnotensis, cujus animi magnitudinem tam insignia prodidere documenta. Cùm illum Philippus Rex convocasset ad *Colloquium*, ubi novas contrahere nuptias properabat cum Bertrada uxore Comitis Andegavensis, antequam canonico judicio à priore uxore sua sejungeretur: negavit Ivo se interfuturum; malle enim se Episcopatu spoliari, quàm conscientiam & famam tanto inquinare piaculo. *Malo enim perpetuò officio & nomine Episcopi carere,* Epist. 13. 14. 15. *quàm pusillum gregem Domini mei legis prævaricatione scandalizare.* Suas ille has litteras misit ad Præsules omnes, qui ad eas nuptias celebrandas invitati fuerant; ut eos dehortaretur ab eo Colloquio, aut hortaretur, ne obmutescerent, ubi totus Apostolici pectoris vigor desideraretur. *Vos igitur qui convenistis, nolite fieri canes muti, non valentes latrare.* Iteratis Regem ipsum litteris adiit, Non affuisse se iis nuptiis, quòd certum sibi fixumque esset, nec conscientiæ suæ maculam inurere, quam immaculatam Deo deberet; nec famæ, quam proximo. Ea autem se adeo non infringi fidem quam Regi deberet, ut eam illi potius incorruptam approbaret, amoliendis illis, quæ æternum ejus nomini, gloriæ, regnoque dedecus paritura erant: denique perire se malle, quàm ignavia sua alios in interitum sempiternum præcipites agere. *Propter conscientiam meam, quam coram Deo conservare debeo, & propter famam, quam Christi Sacerdotem bonam habere oportet apud eos qui foris sunt, malo cum mola asinaria in profundum mergi, quàm per me mentibus infirmis tanquam cæco offendiculum poni. Nec ista contra fidelitatem vestram, sed pro summa fidelitate dicere me arbitror. Cùm hoc & animæ vestræ magnum credam fore detrimentum, & coronæ regni vestri summum periculum.*

Aliquantò pòst Regiæ effervescentiæ turbo quidam in Ivonem detonuit: sed vel tum nihil optatius illi fuit, quàm ut ad eas demum contruderetur angustias, ut Episcopatu abire posset, & otio se posthac dedere contemplationi. *Ut summopere optem mihi occasione justitiæ aliquam inferri violentiam,* Epist. 17. *ut exoneratus sarcina Pastorali, plena amaritudinis fastidiosa, plena curæ nubilosa, vertere me possim, quò me invisat honestum otium, plenum dulcedinis non fastidiosa, plenum securitatis deliciosa & luminosa.* Legationem Pontificiam cùm aversaretur & detrectaret Archiepiscopus Lugdunensis, quòd tantis malis mederi se posse desperaret: animos illi & faces subdebat Ivo, per litteras commonens, si eo ævo altera revixisset Jezabel, alia Herodias, reviviscere debere & Joannem, & Eliam alterum. *Licèt in regno Italico surrexerit alter Achab,* Epist. 18. *in Gallico autem altera Jezabel, &c. Licèt ad placitum Herodis saltet Herodias, petat caput Joannis, concedat Herodes, dicat tamen Joannes, Non licet tibi uxorem tuam inordinatè relinquere.*

Stomachante in Ivonem Rege, arrepta ea complures occasione, in res Ecclesiæ Carnotensis invasere; quam jacturam sibi Ivo compendiosam augurabatur fore; ut quam sempiternæ gloriæ fructu solari posset. *Bonorum Ecclesiasticorum gravia damna* Epist. 96. *perpetimur. Quorum direptionem lucri majoris compensatione per Dei gratiam longanimiter sustinemus, & majora, si necesse sit, subire parati sumus, attendentes*

illud Apostoli. Quia non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, &c. Eò erupit insolentissimæ audaciæ Vicecomes Carnotensis, ut ipsum Ivonem Episcopum comprehenderet. Properabant ad arma Cives Carnotenses, Pastorem suum ut redderent libertati. Vetuit Ivo, certus nec libertatem, nec vitam humani cruoris impendio tuendam sibi esse. Expilatis rebus omnibus, adactus est, ut ipse ait,
Epist. 102. *usque ad penuriam panis.* Et nihilo tamen minus ad Regem scripsit, quas ei inculcasset salutares ad pietatem commonitiones, eas esse certissimas tesseras suæ in eum pietatis, fideique & observantiæ, à quo fuisset è luto in honorificentissimam opu-
Epist. 102. lentæ Ecclesiæ sedem evectus. *Quoniam præcedente divina gratia de stercore pauper usque ad solium Principum per manum vestram elevatus sum, fateor me post Dominum pro posse meo cuncta vobis debere, quæ vestro congruunt honori & saluti. Sed quia exasperatus propter salubres monitus, quos Serenitati vestræ ex summa fidelitate & charitate direxi, me diffiduciastis, &c.* Toto
Epist. 166 decennio Regiæ iræ procellam expertus est Ivo, *Cujus odium jam per decennium sustineo.* Sed quò diuturnior, eò illustrior ea fuit constantiæ invictissimæ probatio. Constantiam æquabat moderatio quædam incredibilis, & sapientia, quæ in temperandis maximè effulsit censuris & diris in conjugii incestuosi causa.

Splendidum & illud fuit prudentiæ specimen, cum in Curia Paschali admisit ad communionem Gervasium quendam, & ideo admisit, quòd à Rege in mensæ & benevolentiæ communionem admissus fuisset. Hanc enim ipsemet rationem deprompsit hujus suæ indulgentiæ, cùm ad Episcopum scriberet, quem eo facto graviter offenderat.
Epist. 123. 195. *De Gervasio non debet vestra fraternitas mirari, vel indignari, quòd eum ad communionem in Curia Paschali suscepi. Pro Regia enim honorificentia hoc feci, fretus authoritate legis, in qua legitur, Si quos culpatorum Regia potestas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit, hos etiam Sacerdotum & populorum conventus suscipere in Ecclesiastica communione debebit, ut quod principalis pietas recipit, nec à Sacerdotibus Dei alienum habeatur.* Canone eo Concilii Toletani XII. ad quem alludit Ivo, & in Capitularibus, ubi innovatus est, apparet non agi, nisi de iis, qui ob causas ad Regni statum pertinentes, & instantibus Regibus, communione ejecti fuerant. Tum enim ubi illi Regi reconciliantur, videri non immeritò possunt pœnitudine sua pristinos errores reparasse. Et hanc quidem in gratiam Re-
Epist. 195. gum dispensationem & indulgentiam ulteriùs Ivo exaggerat alia quadam Epistola, ubi agitur de exolvendis censuris. Sed cùm alienum id à nostro hîc instituto sit, unum illud animadvertemus, tantò admirationi magis & amori esse debere inconcussam illam Ivonis animi magnitudinem, quòd nihil ea præceps, nihil nimium haberet.

Si nec Regibus autem vel tantillùm assentabatur Ivo, ubi eorum conscientia periclitabatur, & salus; quid ubi res ei erat cum inferioribus Principibus & Optimatibus Regni? Eorum ille contubernio & familiaritate plurimùm utebatur; sed nihil hinc decerpebatur de vigore & integritate Episcopali. Ivoni & ejus Ecclesiæ damni non parum intulerat ex Aulicis Optimatibus unus. Ad eum datis litteris Ivo contestatus est, nihil non se pati posse pro justitia, & pro causa Ecclesiæ; sed non commissurum se, ut excommunicationis obtunderetur gladius, ille Regio ense acutior & penetrabilior, ille cujus vim revocare aut eludere nec expilationes possint, nec carceres, nec exilia. *Ne transgre-*
Epist. 117. *diaris terminos antiquos, quos quicumque præsumpserit adversùs Ecclesiam parvitati meæ commissam transcendere, parati sumus pro potestate nobis collata, usque ad damna rerum, usque ad exilium contradicendo resistere, & gladio sancti Spiritûs usque ad dignam satisfactionem persequendo ferire. Hic gladius penetrat turres, dejicit propugnacula, & omnem altitudinem adversùs humilitatem Christi se erigentem, & hæreditatem quam sibi suo sanguine adquisivit, injuste pervadentem. Hic gladius in egestate fortior est, in exilio non frangitur, carcere non alligatur.*

Has Ivo minas intentabat Stephano Comiti Palatii, qui gratia, opibus & potestate omnes Aulæ Regnique Proceres facilè superabat. Et hinc ansam arripiemus elevandæ ejus difficultatis, quæ videtur emergere ex aliorum Episcoporum silentio, qui tam alieni fuisse videri possunt ab Ivonis constantia, quàm à persecutionibus intacti fuere. Quid si dicamus multa effugere calamos scriptitantium cujusque temporis historias; multa silentio & oblivione deleri, quæ olim nunquam intermorituræ gloriæ materiam suppeditavere? Nec mandantur omnia litteris; nec quæ mandantur, in nostras omnia manus perveniunt. Sed fulgurant in Annalibus sacris tot Concilia, in quibus excommunicationum jacula & interdicta promiscuè vibrata sint, in splendidissima Regna, & in Principes quosque summos; ut fateri cogamur, nunquam sæpiùs audaciúsque crepuisse Ecclesiæ fulmina in Principes temporales, quàm eo ævo, quo usus Ecclesiæ jubebat Episcopos frequentissimè & in urbem & in Aulam Regiam convenire.

VI. Toto Occidente usitatissimum erat, ut ad Concilia, ad Curias, ad Comitia, ad Parlamenta confluerent Episcopi. Et in omnibus quoque Regnis excelso invictoque fuere animo Episcopi, humanarum qui Potestatum machinamenta disjicerent, si quæ viderent adversùs summi Numinis majestatem & legem consurgere. Rescito Vuillelmus Roskildensis in Dania Episcopus Suenonem Regem Ecclesiam cruentasse eorum sanguine, quos sibi succensere & insidiari suspicabatur, die crastina Ecclesiæ aditu illi interdixit, pœnitentiæ addixit, pòst reconciliavit Ecclesiæ. Quo memorando cum primis exemplo exploratum jam est, suos Ecclesiæ Catholicæ esse Ambrosios, suos Theodosios, omnibus sæculis, omnibus terrarum regionibus, & illis etiam remotioribus & incultioribus, quæ tam præclaros parturire fructus non posse videbantur. Saxo Grammaticus, ex quo hoc decerpsimus, eo facto affirmat, Regni & Sacerdotii concordiam in Dania arctiùs coaluisse. *Ea res inextricabilem Regni & Sacerdotii concordiam operata est. Quippe Rex non solùm Sacerdotem in eodem amicitiæ gradu habuit, sed etiam majoribus dignitatis incrementis donavit.*

VII. Quæ Anselmus, quæ Thomas Cantuarienses Archiepiscopi & fecere fortiter, & passi sunt, prolixiora sunt, quàm ut intexi hîc possint, & illustriora, quàm ut quemquam lateant. Eorum Pontificatus quantus quantus fuit, infatigata fuit concertatio Episcopalis & Regiæ potestatis; exitus ii fuere, qui confirmarent, quod firmissimum jam & inconcussum erat, Justitiam & Religionem oppugnari posse, expugnari & vinci non posse. Hugonis Lincolniensis Episcopi vita, perpetua quoque fuit conflictatio magnanimitatis & authoritatis Episcopalis adversùs machinationes hominum perdi-

torum. Quæ Hugonis victoriæ eò admirabiliores & splendidiores erant, quò Reges, Regiique ministri, qui ipsum lacessiverant, quos ipse repupugerat, & aliquando prostraverat, in admirationem tandem ejus & singularem benevolentiam convertebantur. Ita enim scriptor ejus vitæ. *Sic in Rege, sic in satellite veridicam esse sententiam experitur, quæ dicitur, Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis, quam ille qui per linguæ blandimenta decipit.* Fateor ex historia Anselmi & Thomæ Cantuariensium Præsulum plus satis patere, quàm non conspirarent cæteri tum Angliæ Episcopi in eandem exerendam animi fortitudinem. Sed nemo nescit rarum esse, quidquid arduum est. Posset & aliquis forsan non immerito addubitare, an postrema hac ætate, cùm jam non lex, non necessitas, non consuetudo cogit Episcopos tam crebrò ad Aulam ventitare, vel in ea commorari: multò plures, aut totidem saltem sint, qui Apostolicas virtutes præ se ferant, qui invictos animos, qui paratum & obvium martyrio pectus.

Baron. an. 1183. n. 19

VIII. Cùm Galliæ Episcopi Angliæque omnium plurimum olim authoritatis & gratiæ in Aula Regum assecuti sint: duo vel maximè memoranda, velut ad cumulum ex illis exempla hoc loco adjiciam. Non facilè quisquam inter Angliæ Reges Richardo audacior, ferociorque succurret. Et ille tamen in aurem Aulici, cujus consuetudine plurimum oblectabatur, insusurravit aliquando, dum in Conventu Episcoporum versaretur. Si scirent hi Præsules quantum illos ex animo, & in ipsis Deum revereretur; ab illis se instar luti pedibus conculcatum iri. *Si scirent quomodo eos ob reverentiam Dei timeo, & quam invitè offenderem illos, ipsi me conculcarent, quemadmodum conculcatur calceamentum vetus & dejectum.* Hæc de Anglia. In Gallia verò Henricus Bellovacensis Episcopus cum Ecclesia sua tam intrepidè & audenter insurrexit in Ludovicum VII. Regem fratrem suum, ut officii sui duxerit Sugerius Abbas hunc ejus impetum zeli retundere per Epistolas, & commonere, non audendum esse in Reges unquam, sed blandè illos commonendos esse per Episcopos, per Optimates, per Papam. *Prius erat eum monere per regni Episcopos & Proceres suos, sive potius per dominum Papam, qui Caput est Ecclesiarum, quique omnia facilè pacificare potuisset.* In more igitur erat, ut Episcopi monerent Reges officii sui, eo zelo quem observantia & modestia temperaret.

Matth. Par. In Henrico III. an. 1252

CAPUT LXIV. *P. 4. l. 2. c. 80.*

De eodem. Quantum reverentiæ Episcopis haberetur post annum Christi millesimum.

I. Quo in honore habuerit Episcopos Rex Galliæ & Henricus Germaniæ Rex.

II. Sedebant Episcopi supra Principes & Duces.

III. De Vuilelmo Notho, Angliæ debellatore. Ut Regibus & Proceribus bene precarentur & benedicerent Episcopi.

IV. Angliæ Reges oscula Episcopos excipiebant. Henricum II. Rex Angliæ habenas regit equi B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi.

V. Osculi hujus origo.

VI. Alii honores Episcopis oblati in Francia & in Anglia à Regibus & Principibus.

VII. Conglobantur exempla prærogativæ sedis Episcoporum, supra Principes, Duces & Comites.

I. Frequens Episcoporum ad Aulam profectio & præsentia, solis Ecclesiæ necessitatibus inserviens, ut nihil de Episcoporum zelo & fiducia in Laicos detrahebat, sicut capite superiori ostensum est; ita nec de laicorum in Episcopos observantia & obsequio, quod hoc demum capite demonstrare aggredimur. Ei autem exordium facere illustrius non possumus, quam à Roberto Rege Galliæ, quem narrat Helgadus in ejus vita in Conventu Episcoporum aliquando sedentem, advertisse Episcopum Lingonensem sede locatum altiori, quà non posset pedibus terram contingere, atque ipsummet regia manu scabellum accepisse, & ejus sedentis subjecisse pedibus. A Baronio observatum est, non impensissimè tantum reveritos fuisse ab hoc Rege Episcopos, sed & increpitos quandoque, & verbis minisque castigatos, siquando deviarent à recti semita, à fidei norma, à morum disciplina. Exemplum ponit idem scriptor in Leutherico Senonensi Archiepiscopo, qui ad insulsas defluxerat de Eucharistia, & minus orthodoxas opiniones. Objurgatio acerbior piissimi Regis Præsulem deterruit, malum oppressit, & pullulantem hæresin in ipso sui exortu præfocavit. *His verbis Præsul bene correctus à Rege pio & bono sapienter instructus, obmutuit & siluit à dogmate perverso, quod erat contrarium omni bono, & jam crescebat in sæculo.* Henricus Germaniæ Rex sanctissimus, summa & ipse erat in Episcopos observantia. Affirmat quippe Ditmarus in Concilio Francofordiensi anno 1006. coram Episcopis eum humo se prostravisse, donec ab Archiepiscopo Moguntino accurrente erectus est. *Considentibus ordine Archiepiscopis cum omnibus suis suffraganeis, Rex humo tenus prosternitur, &c.*

Baron. an. 1004. n. 23

Baron. an. 1006. n. 2. 1014. n. 2.

II. In omnibus Conventibus, seu Diætis Imperii nihil attinet dicere, sedisse Episcopos supra Principes, Duces, Comitesque Imperii sæcularis. Viget etiamnunc is usus intaminatus, sed ab illis ad nos nimirum defluxit sæculis, cùm Episcopi longè frequentiores in Palatio Principum erant, quàm fuerint postea. Viget quin etiam in Germania consuetudo antiquissima, ut supra Principes ipsos Imperatoris consanguineos sedeant Electores aliique Duces, Comitesque Imperii, & supra hos omnes Episcopi, qui & ipsi Principes sunt Imperii.

A Saxone Grammatico Canutus Daniæ Rex sanctissimus perhibetur instituisse, ut eo Episcopi essent fastigio, quo Principes & Duces, ut ne amplius contemptui esse possent plebi imperitæ. *Principum eis consortionem indulsit, eisque primum inter Proceres locum perinde ac Ducibus assignavit.*

Ibidem. An. 1081. n. 37.

III. Sanctissimi Archiepiscopi Eboracensis Ælredi cùm preces protelasset paulò durius Vuillelmus Angliæ Rex I. is qui id regnum primus perdomuit: advertissetque constristatum eum discedere, accurrit protinus, ad ejus se pedes abjecit, postulatis quæ rejecerat annuit; non immemor ab eo impositam sibi Regni coronam. Ælredus conscius sibi, quàm Christiana magnimitate Rex polleret, aliquandiu prostratum passus est eum jacere: stupentibus, & pene indignantibus Aulicis respondit, jacere Regem, non ad suos, sed ad Petri pedes, ut eum placaret, cujus suo quodam modo Episcopi omnes successores sunt. *Contigit aliquando eundem Pontificem in quadam petitione à Rege repulsam passum, iratum avertere scapulam, recedentem maledictionem pro benedictione comminari. Cujus motus ille non sustinens, ad pedes ejus procidit, veniam petiit, satisfactionem spopondit. Cùmque Optimates qui aderant, suaderent, ut Regem prostratum erigeret, Sinite illum, inquit, jacere ad pedes Petri.*

Ibidem. An. 1166. n. 10.

Pristini hic vides moris vestigia, ut simul congressi Reges cum Episcopis, ne discederent unquam, nisi illis Episcopi benedixissent. Narrat Edmerus in vita beati Anselmi accersitum illum à Rege fuisse, antequam mare trajiceret, ut ei fausta imprecaretur. *Paucis diebus interpositis, mandatur ad Curiam ire Anselmus, Regem mare transiturum sua benedictione prosecuturus.* Solennis ea erat benedictio, cujus formam ritumque idem Scriptor depromit. Cùm enim acriter altercati essent Rex & Anselmus de Ecclesiæ libertatibus, Romam proficisci constituit Anselmus, & Regem percontatus est, an benedici à se more solito abnueret, antequam itineri se committeret. Assentiente Rege, ut sibi bene precaretur, Anselmus elata manu ei benedixit, *Ad dexteram Regis ex more assidens ait, Ego domine ut dispoſui vado, sed primò meam benedictionem vobis, si non abjicitis, dabo. Quam cum ille se nolle abjicere responderet, conquiescentem Regem ad hoc levata dextera benedixit, sicque relicta Curia Cantuariam venit.*

Si Reges porro ab Episcopis benedici se averent, quid cæteri laici? In Concilio Ravennate anno 1314. statutum est, ut quoties Episcopi per urbis vicos progrederentur, vel ruri in suæ finibus Diœceseos, tympanum concreparet, quo monerentur omnes adproperare, genua flectere & Episcopali
Can. 6. benedictione donari. *Campanas pulsari faciant, ita quod populus audire possit, & exire & genua flectere ad benedictionem suscipiendam.* Si Episcopi verò accederent ad Ecclesias Collegiales, aut Conventuales, obviam iis iretur in linea veste, aqua lustrali, thure, cruce & psalmodiis. Concilio Avenionensi anni 1326. placuit, ut Episcopi extra Diœcesin etiam suam benedictiones hujusmodi fundere possent, dum ne in urbibus Metropolitanis, Arelate, Aquis, Ebroduno, aliisve locis, ubi adesset Episcopus Diœcesanus.

IV. Observatum est ab Historicis Angliæ, Episcopos osculo excipi solitos à Regibus. Crebra ejus rei mentio apud Matthæum Paris. Ita exceptus ab Henrico II. Rege Thomas Cantuariensis Episcopus anno 1163. *Obvians ille in osculo receptus est, sed non in gratia plenitudinem.* Alia occasione oblata pacis, ea iniri non potuit, quod imperare sibi non potuerit Rex, ut Thomæ osculum figeret, anno nimi-
Matthæus Paris. rum 1170. *In concordiam qualemcumque convenissent Rex & Archiepiscopus, nisi quod Rex osculum pacis dare Archiepiscopo negavit, paratus omnem aliam securitatem præstare. Archiepiscopus autem pacem inire noluit, nisi firmam possit stabilitate gaudere.* Erant certissimè hæc oscula indubitatæ pacis & concordiæ pignora, cùm paci non acquieverit Archiepiscopus, nisi eam Rex osculo quasi consignasset. Regem ipse occupaverat, hæc effatus, *In honore Dei vos osculor.* Rex ea lege recusavit osculum. Permirum illud est, quod quamquam de pace deliberaretur adhuc, quando Rex & Archiepiscopus simul conscendebant equos, Rex habenas equi Archiepiscopi manu tenebat. *Cum Rex & Archiepiscopus in partem secessissent, & bis equos ascendissent, bis habenam Archiepiscopi Rex tenuit, cum equum ascendisset.* Semel contigit, ut Rex Missam pro Defunctis celebrari juberet, ubi suspenditur osculum, ne celebrata quavis
Baron. an. 1171. n. 35 alia Missa osculum ei abnuere non posset. Hugo celebratissimus ille Lincolniensis Episcopus à Richardo Rege osculum aliquando pene extorsit, & mox monita saluberrima, fortissimaque suggessit; eâque verè Episcopali constantiâ, Regem sibi penitus conciliavit, Regni amplitudine magnum, gestis bellicis majorem, sed hac animi magnitudine longè maximum. Redeo ad Matthæum Paris, qui narrat Henricum III. Regem ex transmarinis Provinciis reducem in Angliam, oscula, seu benevolentiæ pignora omnibus dispensantem Angliæ Nobilibus, maximè autem Episcopis, Wintoniensem Episcopum unum eo defraudasse officio, cui jamdiu irascebatur. *Qui tamen omnes Angliæ Nobiles, præcipuè* Ann. 1243. *Prælatos, & in osculo, & in gratis eloquiis, post ad-* 1244. *ventum suum de partibus ultramarinis susceperat.* Mox idem Matthæus illud appellat *osculum pacis & amicitiæ.*

V. Hinc non immeritò conjicitur, & benedictionem illam ab Episcopis in Reges effusam, & hoc osculum Episcopis à Regibus dispensatum in privatis quibusque congressibus, quasdam fuisse superstites primigeniæ olim fidelium pietatis reliquias, qui initium & finem congrediendi, & agendi quidvis semper ducebant à prece, à benedictione quam laicis Clerici infundebant, ab osculo pacis. Hoc Paulus commendat osculum in Epistolis suis, osculum utique religiosum: *In osculo sancto.* Porro hoc osculum sanctum est, non in templo tantùm & ad aras, sed & in familiaribus fidelium congressibus; ubique enim fideles; ubique iidem sancti sunt, ubique osculum pacis & benevolentiæ, nec alia fidelibus & sanctis pax, quàm Deus est, vel à Deo promanans, atque ad Deum referenda. Plura, nisi alienum illud hic esset, connexi possem vestigia alia vetustissimæ fidelium pietatis, quæ in Aulis Principum Christianorum diutius, quam alibi perpetuentur.

VI. Sæpiusculè hactenos observatum est à nobis, Episcopos semper supra Duces Proceresque alios omnes sedisse cum Abbatibus, solis Regibus inferiores & filiis Regum. Id verò rursus observare est apud Rogerium in congressu Regum Franciæ Angliæque anno 1188. medio inter Gisortium & Triam loco. Referuntur ab eodem scriptore Episto- Baron. an. 1188. n. 5. 16. læ mutuæ Antiocheni Patriarchæ & Regis Angliæ, in utrisque nomen Regis Patriarchæ nomini subjicitur. Alium non minus solennem congressum Regum litteris mandavit Matthæus Paris anno 1254. ubi Angliæ Rex Henricus III. Ludovicum IX. Franciæ Regem invisit Parisiis. Afluit fortè & Navarræ Rex. Modestia animi & sui depressione sanè summa, non potuit tamen id Ludovicus Galliæ Rex expugnare ab Henrico Anglo, ut primas sibi sineret alicubi tanquam hospiti concedi: usque adeo persuasum erat Henrico, non posse Galliæ Reges Regum Christianorum primos, & veluti vertices, eam Principatus sui prærogativam cuiquam cedere, nedom Anglo Regi cedere, quem hominio suo obnoxium tunc habebat. Ita profectò ille Anglicanæ Scriptor historiæ. *Dominus Rex, qui terrestrium Rex Regum est, tum propter ejus cælestem inunctionem, tum propter sui potestatem & militiæ eminentiam, in medio sedebat: & dominus Rex Anglorum à dextris, & dominus Rex Navarræ à sinistris. Et cum niteretur dominus Rex Francorum aliter ordinare, ut videlicet dominus Rex Anglorum in medio & eminentiori loco sederet, ait dominus Rex Angliæ, Non domine mi Rex, decentius sedetis modo, scilicet in medio & dignius. Dominus enim meus es, & eris, & superest causa.* Addit porro Matthæus ei epulo duodecim affuisse Episcopos, & aliquibus Ducibus præpositos fuisse. *Affuerunt insuper illi convivio Episcopi duodecim, qui aliquibus Ducibus præponebantur, intermixti tamen Baronibus.* Subobscurus est, forsan & mendosus, ac

vitiatus hic Matthæi locus. Indubiè enim si qui supra Episcopos alii sederent, quàm Reges Regumve filii, novum id erat, nullo hactenus exemplo fultum, nec uno aut altero etiam pòst sæculo usurpatum.

VII. His præsidii & lucis non parum adjiciet Nangii Continuator, in describenda profectione Caroli IV. Imperatoris, & Venceslai filii ejus Regis Romanorum ad Carolum V. Franciæ Regem Lutetiam. Ubi solenni pompa urbem iniere, voluit Gallus Rex medium incedere Imperatorem, qui jusso Venceslao in alteram partem declinare, medium coëgit Regem ingredi. In omnibus epulis primus supra Imperatorem & Regem semper sedit Episcopus, vel Archiepiscopus aliquis. Sacro Epiphaniæ die primam ad mensam sedem implevit Archiepiscopus Remensis, sedente infra ipsum Imperatore, pòst Rege, tum postea Venceslao Romanorum Rege, infrà assistentibus Episcopis Bambergensi, Parisiensi, Bellovacensi. Delphinus ad alteram accumbebat mensam cum Principibus & Proceribus Germanis. Paulò aliter rem narrat Tilletius. Sic enim habet: *Ad solenne prandium sederunt Archiepiscopus Remensis, Episcopus Germaniæ unus, qui Cancellarius erat Imperatoris Caroli IV. & Episcopus Parisiensis: tum deinde Imperator, Carolus V. Rex, & Imperatoris filius Rex Romanorum.*

Spondan. 1379. n. 3. Du Tillet. Part. 2. pag. 9. 53.

Sandionysianus Monachus Historiæ Scriptor Caroli VI. litteris mandavit epulum Regium nuptiarum filiæ hujus Regis cum Rege Angliæ anno 1395. ubi primam quoque sedem assignat Patriarchæ Alexandrino. *Patriarcha, Rex, Regina Angliæ filia ejus, Regina Blancha, Regina Siciliæ, &c.* Descripsit & Joannes Charterius in vita Caroli VII. Regis epulas conjugii Margaretæ Scoticæ cum Delphino Franciæ anno 1436. ubi primus etiam accubuit mensæ supra Regem Archiepiscopus Remensis, qui nuptias celebraverat. *Primus sedit Archiepiscopus, qui sacris operatus fuerat, secundus Rex, tum Delphina, deinde Regina Siciliæ, quinto loco Franciæ Regina, &c.* In Encomio verò ejusdem Regis quod Charterius huic historiæ præfixum est, diebus omnibus solennioribus idem honos Episcopis habetur: *Annuis solemnitatibus primo loco accumbebat mensæ Episcopus, vel Abbas, tum Rex, postremò Principes Regii sanguinis.* In epulo solenni quo Franciscus I. Rex Carolum V. Imperatorem Lutetiæ excepit anno 1539. infra Regem Franciscum & ejus filios accumbebat Legatus Pontificius, supra Regem Navarræ, infra quem sedebant Cardinales, & infra eos Regiæ stirpis Principes.

L. 15. c. 15.

Hinc perspicuè colligitur hanc honoris & consessûs prærogativam, quam vix tueri jam possunt Legati & Cardinales, omnibus olim cum Episcopis communicatam fuisse; atque adeo non paulò impensiore cultu in Aula Regia eos tunc temporis affectos fuisse, cùm Ecclesiæ necessitas illos cogebat illuc frequentiùs se conferre. Observa hîc autem, si lubet, quod suprà strictim delibatum à nobis est, plura & expressiora Ecclesiasticæ antiquitatis vestigia superesse & existere etiam nunc in Aulis Regum plura, inquam, quàm inter privatos. Habes hîc enim solennes Regum epulas, diebus quibusque solennioribus & Festis, in iisque Archiepiscopos & Episcopos sedentes supra Imperatorem, supra Reges. Erant enim illæ epulæ Regiæ, sed festivæ, & quodammodo sacræ. Ut sacro ergo congressui præerat Antistes, præerat qui nuptias celebraverat, præerat qui Missarum sacra Mysteria peregerat Archiepiscopus, vel Episcopus. Ita enim suprà laudati insinuarunt Scriptores: *Primus accubuit Archiepiscopus, qui Missam celebraverat, &c. Annuis solennibus Festis supra Regem sedebat in mensa Episcopus, vel Abbas, &c.* Perfacilis autem & perexpedita ratio est; inter privatos enim libera & arbitraria sunt omnia, unde & in dies alia & alia novantur, & ita ab antiquis moribus desciscitur. At in Palatiis Regum stata & certa sunt pleraque, sunt & ministri qui ritibus iis præsint, & ex Commentariis quibusdam prisca omnia descripta & numerata afferant, referuntque in Commentarios suos, quid quoque anno gestum, omissum, adjectumque sit.

Levabit nos Innocentius III. onere perlustrandi cæteras omnes orbis Christiani Provincias, ut eas huic Episcoporum præcellentiæ & honorificentissimo consessui obsecundasse declaremus. Conquestus enim Innocentius ad Alexin Imperatorem Constantinopolitanum, quòd Patriarcham Urbis Regiæ tam nullo haberet loco, certiorem illum fecit, apud Christianos omnes alios Principes, secundos à Regibus sedere semper Episcopos. *Cùm alii Reges & Principes Archiepiscopis & Episcopis suis, sicut debent, reverenter assurgant, & eis juxta se honorabilem sedem assignent.*

Ab Arnoldo Lubecensi Abbate, à quo continuata est Helmoldi Historia usque ad Ottonem IV. & ad mortem Philippi Sueviæ, illud narratur, quod hic silere nefas esset. Percontatum esse Ottonem IV. Proceres Conventûs Virsburgensis, an uxorem ducere posset filiam Philippi Sueviæ, sibi carnis affinitate conjunctam, & ita ad eos verba fecisse: *Rogamus vos omnes in Domino, primò Cardinales, qui de authoritate sive consilio domini Apostolici adestis, summos etiam Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios quos Ecclesiasticus Ordo diversis gradibus distinguit: excellentiam quoque Regum, Ducum, Principum, ut verba nostra attendatis.* Vides ut ante Reges & Laicos omnes nominentur ab Imperatore Ecclesiastici Proceres omnes, utque Cardinales quodammodo compaginentur cum summo Pontifice, ut omnibus Ecclesiastici Ordinis Principibus anteponantur.

Chron. Sclav. l. 7. c. 19.

CAPUT LXV. *P. 4. l. 2. c. 81.*

De honoribus qui summo Pontifici habebantur.

I. Qui fidelibus, qui Episcopis, qui Papæ cultus & honor habetur, omnis ad Christum refertur, cujus sacerdotii & regni omnes consortium aliquod adepti sunt, suo quisque gradu & modo.

II. Honores ii plerumque ab exordio liberi & voluntarii fuere. Cùm usu pòst diuturniore, in legem convalescente, necessarii evasere. hujus authores legis fuere fideles ipsi, qui sacro & nimis ardore incensi. Quid oculo fide illuminato deinceps perspectum, quæ sit in his omnibus forma honoribus exhibendis, vel suscipiendis.

III. Quo religionis sensu Alexander Papa Lanfrancum adegerit Archiepiscopum Cantuariensem solenni osculo pedum defungi.

IV. Quo religionis instinctu Imperatores & Reges ad pedes Pontificum acciderint, & stratoris partes impleverint.

V. Defenditur Adrianus IV. Papa, qui Fredericum I. coëgit stratoris officio sibi fungi, more Majorum suorum. Omnium Imperii Principum judicio coactus est Fredericus eo munere ex more defungi.

VI. Quàm fructuosa & decora fuit hæc consuetudines ad Christianæ Religionis commendationem.

VII. Exempla alia cultûs dewtissi, à summis Principibus exhibiti Pontificibus Romanis. Religiosi sunt hi honores. Cur prægr

fictur Papæ Eucharistia, Crux Archiepiscopo.
VIII. Quo honore Imperator & Patriarcha Constantinopolitanus Eugenium IV. Papam coluerint.
IX. Rursum de eodem cultu Pontificum à Regibus, mutua contestatione, hos honores ad Deum pertinere suis in Vicariis sedentem.
X. Novis argumentis perficitur eos honores impensos fuisse Deo.
XI. Honos Pontifici habitus in Hispania.
XII. Morem fuisse, ut Imperatores osculo pedum colerentur.
XIII. Vetustissima consuetudo osculandi Episcoporum pedes, pro cæteris autem Papæ.

I. SExcentis argumentis confirmari posset quod semel & iterum jam astruximus, mores antiquissimos, saltem religiosos difficiliùs abolescere in Palatio Regum, quàm in privatis ædibus. Quo eodem jure factum est, ut & qui Episcopis olim omnibus exhibebantur honores, ii difficiliùs in Palatio Romani Pontificis expungerentur. Reges ipsos ab Episcopis benedici omnibus olim moris erat: nunc uni proprium Pontifici. Omnibus præminere & præsidere laicis infra Reges Principibus, Episcopis omnibus commune decus erat; nunc Pontificiis proprium Legatis, ut summum etiam Cardinalibus. Osculari pedes Episcoporum quorumcumque olim pervagatissimum fuit, nunc uni servatur Papæ. Audi Hieronymum de B. Epiphanio Constantinæ in Insula Cypro Episcopo disserentem, & de turba pedes ejus lambente: *Cùm ad Epiphanium omnis ætatis & sexûs turba confluerer, offerens parvulos, pedes deosculans, fimbriam vellens, cùmque non posset promovere gradum, &c.*

Epist. 61.

Erant liberi tunc certissimè & arbitrarii honores isti, nec ulla lege præscribebantur. Nec dubium est quin Epiphanii maximè propria sanctitas & vitæ innocentia singularis his coleretur officiis, non sola Episcopatus dignitas. Sed longè indubitatissimum est, Christo ipsi impensum fuisse hunc potissimum cultum, in Vicariis & ministris suis sedentem, & oculis fidei conspicui. Ita minùs mirum est, si cultus Christo dependi solitus in Episcopis sanctitate præstantissimis, exhibitus deinceps sit Episcopis omnibus, & summis potissimum Pontificibus, quòd in his maximè fideles semper Christum ipsum, cum tota Pontificatus Regiique sacerdotii majestate fulgurantem suspexerint. Si singulis in Episcopis non ea fulgeat semper sanctitatis gloria, quæ in prioribus Ecclesiæ sæculis; at fidei nostræ cœlitus oculatæ semper in illis splendet sanctissima & cælestis dignitas, & exuberantia quædam Regalis Christi sacerdotii. Quidquid ipsorum propriè & privatim est, illud hoc veluti luminis fonte absorbetur, & non apparet. Non quid ipsi sibi sint, sed quid in ipsis Christus sit, spectant fidelium oculi, & eo pascuntur.

Nec secus fideles membra sunt omnes Christi, Regis Regûm, summi Pontificis. Quidquid vicissim honoris & reverentiæ inter eos reciprocatur, in religiosum hunc scopum hoc totum refertur, ut Christus in membris suis colatur & ametur. Sunt, fateor, in fidelium grege & Antichristi membra. Non aberrat tamen fides, charitas, simplicitasque cæterorum fidelium, quæ bonos interpretatur, quos non comperit malos: & quæ quos malos comperit, non nescit tamen imagines summi Numinis esse, & membris Christi aut reddi posse, aut de novo inseri, adeoque in ipsis nonnisi Deum, nonnisi Christum & amari, & coli.

II. Illud verò, honores hos omnes, qui summis, qui omnibus exolvuntur Pontificibus, liberos olim fuisse, & nulla lege, nulla consuetudine præscriptos: id profectò in confesso est. Sed & illud fateri necesse est, nunquam Episcopos honorum istorum cupidos fuisse, subalienos potius fuisse ab iis: nulla Episcopali vel Ecclesiastica lege eos primùm sancitos esse, sed usu & consuetudine, cujus authores exactoresque fuerint laïci ipsi fideles, fidelium pietas, religio, charitas: vel potius Spiritus sanctus, qui hos illis subjicit aculeos, qui hos pietatis instinctus inspirat. Si autem inveterata & corroborata ea consuetudine, ut jam non possent sine offendiculo iis Episcopi frustrari honoribus, aliquid legis vel Ecclesiasticæ, vel civilis promulgatum est, ad eum usum firmandum; hujus quoque legis authores reputandi sunt fideles, cùm consuetudinem ipsi invexerint, quam lex confirmat; & cùm offendiculum ipsi patiantur, cui lex medetur.

Hæ verò sive consuetudines, sive leges, non tam commendandis serviunt Episcopis, quàm propagandæ Christi gloriæ, & fidelium saluti muniendæ. Episcopis enim, summis Pontificibus, & omnibus omnino fidelibus exploratissimum est, 1. Eum qui honore afficit quempiam, sanctiorem non rarò esse & honoratiorem eo qui afficitur. 2. Ita conducibilius & optatius esse, membra Christi colere, quàm ab illis coli. 3. Præsulem qui procumbentes sibi fideles spectat, ad eorum omnium pedes ipsum mente procumbere. 4. Nihil esse ad gloriam & commendationem verissimæ Religionis accommodatius illustriusque, hoc interminato humilitatis & charitatis certamine inter fideles omnes, ne iis quidem exceptis, qui summa tantæ multitudinis capita sunt. 5. Si cujus Præsulis non satis hac doctrina imbuta mens est, si ejus gloriæ cultusque suffuratur ipse vel tantillum, & privatim degustat, fruiturque, verè fur ille reus & sacrilegii est, Christique gloriæ compilator; sed tota penes ipsum culpa & infamia, cujus exors omnino & immunis religio ipsa est. 6. Sed longè acerbior in eos sævire debet censura, qui nomine & specie tenus Christiani, sanctissimos usus Religionis cœlo allapsæ, oculis carnis, & profano sensu conspicantur, & ideo despicabiles habent.

III. Hæ sunt regulæ constantissimæ, quas exordio hujus capitis attexere volui, ut veluti micantissimæ quædam faces, alluceant superiori capiti, huic verò præluceant. Jam ergo aptè, ut spero, ordiemur ab Alexandri II. facto, anno 1071. cum sede surrexit, ut Archiepiscopum prolatiùs exciperet Lanfrancum, submonuitque ei singularis eruditionis ergo inusitatam hanc honoris significationem à se exhibitam fuisse: sed jam necesse esse, ut vicissim ipse eodem fungeretur in Petrum Petrique successorem honore, quo cæteri Archiepiscopi omnes defungi solerent. *Sequestrato illo Romani supercilii fastu dignanter assurrexit, professus hanc venerationem non se illius Archiepiscopatui, sed magisterio litterarum deferre. Quapropter se fecisse, quod esset honoris, illum debere facere quod esset justitiæ, ut pro more omnium Archiepiscoporum, sancti Petri Vicarii vestigiis advolveretur. Reddidit ille debitum, &c.* Nihil specie tam finitimum, nihil re tam alienum est, quàm charitas & cupiditas, religio & superstitio, ubicumque se produnt. Qui sanctitate, qui humilitate potiores & præstantiores fuere Episcopi, ii honoris & juris, non sibi, sed suæ dignitati affixi, omnium retinentissimi fuere. Zelus hic erat purissimus & laudatissimus, sed qui illis tantùm saperet, qui gustum aliquem & saporem haberent veræ

Baron. an. 1071. n. 6.

virtutis, Christianæque tum humilitatis, tum ei cohærentis magnanimitatis Christo, Petroque Archiepiscopi & Episcopi advolvebantur, cùm accidebant ad genua Papæ, & ad oscula pedum. Inveteratam hanc consuetudinem ubi non sinebat Papa dilabi, ei consulebat, ei serviebat, cujus gerebat vices. Non refugiebat Lanfrancus; non ita modestia, non ita peritia Ecclesiæ morum illum destituerat. Ita nihil propriè ab eo extorsit Pontifex; sed admonuit, cui honoris hic cumulus dependeretur. Hæc germana est interpretatio & sententia Vuillelmi Malmesburiensis, hæc narrantis. Eodem cultu prosecutus est Urbanum II. beatus Anselmus Lanfranci successor, teste Edinero. *Humiliat se pro more ad pedes summi Pontificis.*

Baron. an. 1077. n. 7

IV. Nec minus impensè colebatur successor Petri à Regibus & Principibus terrenis, quam ab Episcopis. Anno 1095. Conradus Romanorum Rex Urbano II. Stratoris officium exhibuit, narrante Bertholdo: *Cremonam veniens. Papa obviam progreditur, eique Stratoris officium exhibuit.* Vuillelmus Calabriæ & Appuliæ Dux idem præstitit Callisto II. & eo obsequio ad Ecclesiam illum deduxit pedes. Narrat Sugerius anno 1130. Innocentium II. Papam in Gallias secessisse, Regem ei obvium esse progressum ad Flaviniacum, sive ad Cœnobium sancti Benedicti ad Ligerim, & demisso ad ejus pedes capite, toties coronato, tanquam ad sepulcrum beati Petri Apostoli procubuisse. *Et nobilem diademate sæpius coronatum verticem, tanquam ad sepulcrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit.* Eodem cultu prosecutus est eundem Pontificem paucis post diebus Rex Angliæ. Vides hic quo stimulo religionis agerentur Pontifices, Regesque, in suscipiendo ille eo cultu, in offerendo isti. Nihil hic mortale, nihil terrenum; cœlestis charitas, æternorumque amor ubique spirabat. Si quid secus accideret, privata ea erat culpa, illibata religionis puritate & innocentia. In ejusdem Innocentii II. causa beatus Bernardus Claravallensis Abbas Mediolanensem Legationem suscepit. Undique confluebant ad viri sanctissimi conspectum; vis facta est invito, ut ejus pedes oscularentur. Audi vitæ ejus Scriptorem: *Deosculantur pedes ejus universi: & licet hoc ille molestè acciperet, nulla potuit pronos & devotos ratione compescere, nulla interdictione repellere.* Nemo offenditur his honoribus viro singularis sanctimoniæ exhibitis. At ubi Imperatores & Reges humi advolvuntur, & exosculantur cinerem Tumulorum Apostolorum, vel pedes Vicarii Christi, unius contemplatione & charitate Christi, cujus in his umbra renidet: id verò spectaculum non tantùm offensioni non est, sed admirationi non potest non esse, & amori, iis qui gustu aliquo & sapore pietatis & religionis imbuti sunt.

Baron. an. 1095. n. 7.

Ibidem. An. 1120. n. 9.

Ibidem. An. 1134. n. 6.

V. Non per singulos excurram Reges & Imperatores, qui summorum Pontificum pedibus pia libarunt oscula, & diademate revinctum caput substraverunt. Uno verbo res conficitur, quando congressi sunt, nunquam id obsequii detrectarunt. Peculiarius est Stratoris officium, & de eo altercatum nonnunquam. Incunctanter id muneris obivit Lotharius Imperator, quando Leodii cum eodem Innocentio II. congressus est, ut refert Sugerius: *Humillimè seipsum stratorem offerens, pedes per medium sanctæ processionis ad eum festinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frænum albi equi accipiens, tanquam dominum deducebat.* Habes hic occulis oculis fidei illustrem & sanè magnificum humilitatis triumphum & crucis Christi æterni Pontificis nostri, de universa insolentissimi sæculi pompa.

De Friderico & Adriano IV. Papa strinxi jam aliquid, quod non pigebit hic paulò diligentius tractasse. Cùm in Italiam ille adventaret, Imperii corona cingendus, eo humillimo obsequio in Adrianum IV. Papam fungi recusavit. Cardinales qui Pontificem cingebant, usque adeo consternati fuere, ut alii aliò dilapsi sint, Pontifice solo dimisso. Pontifex ingentis & infracti animi vir, Imperatorem ad osculum pedum admisit, assurgentem mox ad osculum oris abjecit, donec ab eo præstitum esset Petro in successore Petri, quod prisci Imperatores omnes dependerant priscis Pontificibus, tanquam Petri Paulique successoribus. *Quem honorem prædecessores tui Imperatores orthodoxi pro Apostolorum Petri & Pauli reverentia prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus exhibere usque ad hæc tempora consueverunt.* Mirari subit, qui Pontifex cultum religiosum, ab origine liberum & arbitrarium, tanto vigore extorquendum ab invito Imperatore, extundendumque censuerit. Sed illud quoque menti recurrere debet, quod sæpiusculè inculcatum jam à nobis est; quæ officia spontanea primum & libera ab exordio sunt, longo usu & consuetudine confirmari: inveteratas autem & ita confirmatas consuetudines, in leges valere demum. Sive jura, sive officia appellites, tum civilia, tum Ecclesiastica id genus complurima sunt. Multa possunt & jure suo possunt Principes terreni in causis rebusque Ecclesiasticis, quæ tamen potestas non aliter ipsis parta, quàm longa consuetudine, & antiquissima possessione. Sunt consimiliter Pontificibus & Prælatis jura non pauca in res civiles & temporales, de quibus controversia illis fieri jam non potest, ubi diutina illis possessione firmata sunt.

Baron. an. 1155. n. 8.

Alienas denique suspiciones & obtrectationes purgavit, dissipavitque Adrianus, quando rei totius judicium ad ipsos Imperii Principes retulit. Cùm inter Principes autem perinde ut rei gravitas postulabat, diu & maturè deliberatum esset, constitutum ab iis est eosdem à Friderico honores Pontifici nunc exhibendos esse, quos prisci Imperatores, Lotharius, aliique priscis Pontificibus persolvissent. Quod eò recidit, ut illud quoque pronunciatum esse videatur, usque adeo justas fuisse hujus obsequii & necessarias causas exhibendi Pontifici ab Imperatore, ut & justæ ac necessariæ fuerint Pontifici causæ ejus exigendi. *Tandem requisitis antiquioribus Principibus, qui cum Rege Lothario ad Papam Innocentium venerant, & prisca consuetudine diligenter investigata ex relatione illorum & veteribus monumentis, judicio Principum decretum est, & totius Regalis Curiæ communi favore roboratum, quod idem Rex pro Apostolorum prædictorum reverentia Papæ Hadriano exhiberet Stratoris officium, & ejus stregnam, suppedaneum scilicet teneret ad conscendendum in equum.* Functus est denique eo officio Fridericus Imperator, easque implevit religionis partes, in quas nuper præiverat Imperator Lotharius exemplo suo, sed cui Pipinus, Ludovicus Pius, & alii Carolinæ Reges familiæ authoritatem conciliaverant, firmissimaque posuerant posterioris consuetudinis fundamenta. Quæ omnia ex supparibus Friderici I. Scriptoribus à Cardinali Baronio excerpta sunt.

VI. Exarsere & alia inter Fridericum & eundem postea Pontificem dissidia. Imperatorem malè habebat, quòd nonnullis Papæ verbis insinuari videretur, Imperatorem clientelæ & hominii nexu sibi

Ibidem. An. 1159. n. 4. 5.

obligati: Pontificem vicissim pungebat, quòd in litteris ad se scriptis Imperator nomen Papæ suo postposuisset. Nulli non cordato optatissimum fuerit, has jurgiorum minutias expungi, non à consuetudine tantum hominum, sed & ex memoria. Prudentissimis quoque obrepit, ut etiam inopini longius progrediantur tandem, quam initio voluissent; & optimæ causæ, victoriæque ipsi suæ officiant, zeli ipsius sui impetu & ardore. Excitavit Fridericus Antipapam Victorem II. sub Alexandro III. nec illum suo Stratoris officio fraudatum voluit; curavit ut & ad ejus pedum oscula confluerent Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi Imperatoriæ Aulæ, usque adeo persuasum erat omnibus, hos jam sine gravi offensione subtrahi non posse honores successoribus beati Petri.

Baron. an. 1160 n. 18. 1162. n. 3. 12. 1163 n. 1. Eodem cultu reveriti sunt Alexandrum III. Ludovicus VII. Franciæ, & Henricus II. Angliæ Reges, in ipsa Gallia quo ille confugerat. Percupidè & Princeps quidam Sarracenus pedes ejus exosculatus est, tanquam Deum Christianorum in Pontifice suo veneraturus. *Osculatis pedibus ejus tanquam sanctum & pium Christianorum Deum, ipsum Pontificem adoravit.* (Idem anno 1177 n. 23. 24. 68. 69.) Deflagravit tamen aliquando gravis illa Imperii & Sacerdotii dissensio, & solennibus illis omnibus honoribus in Alexandrum III. perfunctus est Venetiis Fridericus, ea pompæ magnificentia & celebritate, quæ nobilissimam aliàs civitatem una nobilitare potuisset.

Erat Friderico I. consanguinitate & antiqua consuetudine conjunctissimus Otto Frisingensis Episcopus, & quod consequens est, ejus causæ & defensioni quodammodo innexus. At sanctissimo tamen juxtà & sapientissimo Præsuli ea insedit animo sententia, ea & historicis ejus monumentis consignata est, summi & sempiterni Numinis providentia factum esse, ut è pulvere & tenebris emergeret Ecclesia, & in eum splendorem proveheretur, ut de terrenis omnibus Potestatibus & Imperiis quendam veluti triumphum ageret, toties quoties summi terrarum Principes & Reges humilitatem crucemque Christi adorant & allambunt, osculo pedum ejus Pontificis. (Chron. l. 4. in Prolo.) *Et ut cognoscamus non fortuitis casibus, sed Dei profundissimis ac justissimis judiciis id factum, vide pridie latitantem, ac quemlibet infimæ conditionis virum fugientem, brevi tanta authoritatis fieri, ut Regibus imperet, de Regibus judicet. Vide tanta à seculo venerationi haberi, ut veniant curvi, vestigiaque pedum ejus in solio sedentis adorent orbis Domini.*

Rainal. an. 1294 n. 10. An. 1305. n. 13. VII. Altiores radices egere hi Pontificum Christi honores, dum diorinis procellis concuterentur. Tempero mihi, ne plura exempla accumulem. Humilem Christi triumphum asino sedentis imitari voluit Cœlestinus V. Papa. At nihilo tamen minus vilissimi aselli habenas Reges interim Hungariæ & Siciliæ regebant. Ubi Clemens V. creatus Pontifex Lugdunensem civitatem solenni iniit pompa, Philippus Pulcher Franciæ Rex Stratoris munus obivit.

Ad annum 1311. Annalibus suis Rainaldus ritum intexuit inaugurationis Imperatorum, ut in manuscripto perantiquo delineabatur. Stratoris officium commemoratur suo loco. Sed & illud memorandum nobis visum est, quod idem Rainaldus monet eodem anno, ubi Henricus VII. Rex Romanorum in Italiam venit, à Duce & Senatu Veneto missos quidem ad illum esse Oratores, sed vetitos prius nequid hominii, & ne osculum pedum exhiberent Imperatori; usu enim antiquo jam invaluisse, ut Veneti Imperatorem amicum haberent, non dominum. *Quibus etiam inhibitum pedes deosculari regios.* (Rainal. an. 1311. n. 5.) Usitatum ergo id erat, osculo pedum salutari Imperatorem. Anno 1368. Carolus Siciliæ Rex frater sancti Ludovici Regis Urbano IV. Stratorem se exhibuit, quo postea exemplo usi sunt Neapolitani & Siculi Reges. (Rainald. n. 8.)

Ad annum 1375. idem ipse Rainaldus argumentum suppeditat vetustissimæ consuetudinis, ut prægestetur & viam præeat ac præmonstret adorandum Christi in Eucharistia corpus, ubi ex Urbe Pontifex prosecutus est. (Rainald. n. 7 & an. 1419. n. 5.) *Primo mane antelucanum corpus Christi viam omnibus patefecit.* Rursus & hoc antiquitatis Ecclesiasticæ monumentum sanè pulcherrimum in Ecclesia hæsit omnium principe & magistra, alibi prorsus oblitteratum. Qui saltem enim à limine annales & mores priscos Ecclesiæ salutarunt, iis exploratissimum est, complures olim fidelium, maximè Clericorum, dum longinquo se darent itineri, hoc se Eucharistiæ viatico instruere solitos fuisse. Hinc autem illud quoque confirmatur, non occurrere unquam menti debere Romanum Pontificem, tanquam Principem aliquem temporalem & terrenum, sed ut Christum ipsum, cujus cœleste regnum est; nec aliter pompam omnem, qua circumfulget Pontifex, spectandam esse, nisi ut religiosam pompam, ejus generis omnino, cujus & ea quæ in Templis Deo, Deique Ministris exhibetur. Quo enim demum cumque loco sit Christus, in principe Ministro & Vicario suo sessitans, Templum illud est, Ecclesia est, sacratiumque religioni & sanctitati dicatum. Ideo & Crux præfertur Archiepiscopis, ut ipsi, & asseclarum cœtus pro religioso cœtu, & templo habeantur. Ita sentiebat sanctissimus Lincolniensis Episcopus Hugo, qui cùm iter agens incidisset in latronem, qui ad patibulum agebatur, jussit illum solvi & absolvi pœna, frui que immunitate asyli Ecclesiarum, cùm non alia augustior Ecclesia sit, quam cœtus fidelium Episcopo adgregatus: erant enim tum non pauci in Hugonis Episcopi comitatu.

VIII. Rex Carolus Urbano VI. Stratorem & ipse se exhibuit, Sigismundus Imperator Martino V. & Eugenio IV. In Ferrariensi, seu Florentino Concilio Eugenius IV. Græcos excepit. (Rainal. an. 1381 n. 3. 1418 n. 36. 1413 n. 14. 1438. n. 6.) Præmissi fuerant ab Imperatore & Patriarcha ad Pontificem Legati, à quibus exsoluti sunt ei honores illi, qui Græcorum moribus consentirent. Laïci genua flexerant, Clerici caput inclinarant. Deambulanti Ferrariæ Pontifici occurrit Græcus Imperator: & *cum in genua vellet procumbere, non id Papa permisit, sed eum complexus, porrectaque dextera osculatus est, & ad sinistram suam collocavit.* Imperatore parcior fuit Patriarcha in cultu exhibendo Pontifici. Nec ultra eum modum quidquam Pontifex desideravit, persuasus, ni fallor, & ipse, hos honores à primæva origine liberos & arbitrarios fuisse, nec aliis vel temporibus, vel locis necessarios evasisse, nisi ubi præscripta & vetustissima consuetudo in legem invaluisset. In Historia Græca Concilii Florentini, tentatum aliquid fuisse narratur, ut assentiretur Patriarcha Constantinopolitanus osculandis pedibus Papæ, ipsum abhorruisse, nec sine stomacho. Labat non rarò fides hujus Scriptoris. Sed ut res ita se habuerit, non abs re erat, moneri Patriarcham, an accommodare se vellet exemplo tot Ecclesiæ Latinæ Primatum, Exarchorum, summorum Principum, Archiepiscoporum; nec tamen expediebat eum urgeri, postquam semel rem aversatus fuerat.

Cinnamus

L. 5. hist. Cinnamus porro ideo prolixè & ad insaniam pene destomachatus est in historia sua Græca contra honores illos eximios, quibus Papam Latini Imperatores cumularunt; quòd eorum nec originem, nec rationes, nec antiquitatem & præscriptionem comperisset; suæ gentis morum peritus, in nostris prorsus hospes.

IX. Redeo ad Occidentis Principes, in quibus
Rainal. an. 1452 n. 2. 1426 n. 3. 1427. n. 2. 3. 4. 1490. n. 4. Fridericus III cùm anno 1451. Imperii corona decorandus venisset, usitatis officiis Nicolaum V. Papam prosequutus est, pedes ejus cum Imperatrice exosculatus, & stratoria impleto munere. Voluit Fridericus eodem rursus officio fungi in Paulum II. anno 1469. sed abnuit Pontifex, cujus nutu ambo simul equos conscenderunt. Cùm anno 1474. Christiernus Daniæ Rex Romam pervenisset, Sixto IV. in genua accidit, nec adduci potuit ut surgeret, quandiu illum affatus est. Sultani Babylonici Legatus Innocentium VIII. cultu affecit multò dejectiore. Zisimus Constantinopolitani Imperatoris Turcæ frater, ne Ottomanicæ gentis gloriam, an superbiam deprimeret, caput tantùm inclinavit. At Legatus quem Bajazetus ipse Imperator Turca miserat Romam, à Zizimo admitti & audiri non potuit, nisi ter in genua procubuisset, terna humi defixisset oscula.

Ubi Carolus VIII. Galliæ Rex Romæ Alexandro VI. obvius factus est, bis genu flexit: cùm Pontifex illum non adverteret, aut non advertere se simularet: cùm tertiò genu inflexurus esset, prohibitus est à Pontifice, & osculo exceptus; simul ambo caput texerunt, Pontifex Regem antè sedere voluit, quàm ipse sederet. Ita Papæ nec pedes osculatus est Rex, nec manus. Ubi convenere Leo X. Papa & Franciscus I. Rex Bononiæ anno 1515. excelsi animi Rex genu flexo, pedes quasi jocabundus, manumque & genam Pontificis osculatus est, Gallicoque sermone testificatus est, incredibili se gaudio perfundi, qui Christum in Vicario suo contueretur, eique obedientiam eam, quam filius pa-
Raináld. Ibid. n. 30 tri devoveret. *Ridens ac jubilans, pedem ac manum & faciem osculatus est, dicens in vulgari Gallico, se lætissimum, quòd videret facie ad faciem Pontificem Vicarium Christi Jesu, cujus se filium & servitorem profitebat, deditissimumque ad omnia ejus mandata.* Responso suo id confirmavit Papa, honores eos omnes ad Deum referri. *Omnia hæc in Deum transferens, & omnia Deo attribuens.*

Cùm Carolus V. Imperator anno 1529. Bononiam venisset à Clemente VII. coronandus, genu flexit, pedes, manum, genamque Pontificis osculo coluit. Expleto coronæ ritu, prohibere voluit Pontifex, ne dum ipse equum conscenderet, Imperator stapedam manu teneret; persistente Imperatore, cessit, contestatus, id Christo, non sibi honoris
Ibid n. 84 haberi. *Pontifex toleravit, referendo talem actum hu-*
Anno 1530. *militatis ad honorem Salvatoris, cujus vices in terris ge-*
n. 39. *rebat.* Sed passus non est Pontifex, ut Imperator equum aliquantulo viæ spatio deduceret. Quando Clemens VII. & Franciscus I. anno 1533. congressi sunt, non aliter res æquè quàm Bononiæ se habuere.

X. Exinde ferè nec Romam profecti sunt Imperatores, ut inaugurarentur, nec Pontifices ipsi nisi raró finibus Pontificiæ suæ ditionis egressi sunt. Ita qui antè summis Pontificibus à summis Principibus habebantur honores, ut successoribus, immo ut tumulis ipsis Apostolorum, nusquam postea occurrerunt nisi in historicis monumentis. Ex antedictis perspicuum est, & Pontificibus & Principibus omnibus in consesso æquè fuisse, religiosum totum eum honorem haberi debuisse, ut qui Christo in Vicariis suis, ea fide & pietate exolveretur, qua Romæ Imperatores & Reges provolverentur ad Petri & Pauli monumenta. Id rursus nobis inculcabit Sugerius Abbas, ubi Paschalis II. in Gallias profectionem litteris mandat, cui Philippus Augustus Rex cum filio cultum non absimilem impendit. *Occurrit ei ibidem Rex Philippus, & dominus Ludovicus filius ejus, gratanter & votivè, amore Dei majestatem Regiam pedibus ejus incurvantes: quemadmodum consueverunt ad sepulcrum piscatoris Petri Reges submisso diademate inclinari.* Ubi semel convenit non alium hunc quàm religionis cultum esse, jam nihil offensionis creari potest aut Regibus, aut Patriarchis, aut Episcopis quibuscumque, cùm proni accidere tumulis Apostolorum non cunctentur, cúmque Presbyterorum qui Confessiones audiunt, pedibus se advolvant.

XI. Non pauca prætermisi lubens exempla, Pontificum maximè Avenione sedentium. Sed cùm Hispania prorsus obmutescere sinenda non sit, obiter hîc narrabo, quæ referuntur à Mariana de Benedicti XIII. Papæ, & Ferdinandi Arragoniæ Regis congressu in finibus Catalauniæ & Arragoniæ. Pallium illud quod pro more Pontifici superferebatur equitanti, detulit Rex usque ad Ecclesiam, eique ad mensam cum filio ministravit. De osculo pedum vix ambigi potest, cùm impensiores sint hi honores, & osculo pedum Arragoniæ ipsi Reges passim à subditis colerentur. Conjectura saltem aliqua elici potest ex Epistulis, quas Hieronymus Blanca historiæ suæ insutas voluit, & in quibus Judex major Arragonum Regem his verbis salutat, *manuum & pedum osculo.* Tergiversari tamen posset aliquis, quasi hæc usitatissima essent verba, quæ consuetudo retinuisset, postquam res ipsa, & totum illud officium in desuetudinem abiisset. Ita sanè exponendum quod legitur in Concilio antiquissimo Constantinopolitano sub Mena Patriarcha, in libello Episcoporum & Monachorum Orientalium, quem Justiniano obtulerunt Imperatori. *Archiepiscopus veteris Romæ Agapetus, qui ad piorum vestrorum vestigia pedum admissus est.* Abhorret enim & ab usu & à fide, ut passus sit Justinianus Imperator, ab Agapeto Papa, adeoque vel ab ullo Episcopo pedibus suis oscula figi. L. 20. c. 6.

XII. Hinc elucet quàm sæpè moveantur, quandoque & offendantur non pauci, rebus veluti novis & singularibus, quæ & antiquissimæ ipsæ sint, & olim fuerint pervagatissimæ. Ii certè usus, ut antiquitate, ita & authoritate tunc ingenti erant; mox penes vulgus quandoque obsolefieri cœperes; curiosiùs verò retineri ab iis, qui & cupidiores sunt, & tenaciores antiquorum rituum sibi honorificorum. Ita rarescunt paulatim, fugiuntque multitudinem res ejusmodi, cui sicubi rursus se ostendant, pro novis & inusitatis habentur, cùm novi homines ipsimet sint, nec ullum habeant delectum rerum, quæ novæ aut veteres, quæ insolentes, vel usitatæ sint. Toto orbe olim Romano Christianoque frequentissimum fuit honoris causâ osculari pedes. Regionibus ferè aliis omnibus expunctus est is usus, Romæ hæsit: suspicantur singularem hanc esse novitatem, cùm antiquitas ipsamet sit, eaque olim tritissima.

Qui in Assyria & in Perside olim imperarunt, eos probabile est ab adeuntibos osculo pedum salutatos fuisse, & ad id allusisse Mardochæum, cùm

diceret Amani se præstò futurum osculari pedes, *Etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem.* Eo ritu probabiliter creditur Alexander voluisse se adorari, ubi Regum Persidis solio sedere cœpit; in quo constanter, an pertinaciter restitum est illi à Græcis suis, ejus depressionis impatientibus. Imperatores Romani initio nihil istiusmodi extorserunt, aut verò passi sunt; quòd Romanum initio sui Imperium Respublica fuerit. Authore Pomponio Læto Diocletianus *Edicto sanxit, ut omnes sine discrimine prostrati pedes oscularentur.* Ut à Patriciis ipsis Justinianus Imperator & Theodora conjux eodem ritu colerentur, in Anecdotis narrat Procopius. *Tum alii, tum qui Patritia dignitatis essent, statim in faciem procumbebant, & utrumque Principis pedem osculo prosequebantur.* Reliquos inde Imperatores hoc exemplo & more usos, à verisimili non diffidet, & hos aliquando imitatum esse Carolum Calvum, nec in ea re tantùm. A Vuillelmo Malmesburiensi memoratum est, ut cùm hic Carolus Rollonem Normanniæ Ducatu investivit, ab eo voluerit clientelarem sibi fidem præstari osculo pedum. Rarius id in posterioribus Occidentis Imperatoribus. Affirmat tamen Valsinghamus Ludovicum Bavarum Imperatorem anno 1338. Coloniæ cum Eduardo III. Angliæ Rege congressum molestè tulisse, quòd osculo pedum ab eo fraudatus esset. Utcumque sedatum fuisse ejus animum hac causatione, Unctione quadam cælesti initiari Angliæ Reges, eóque descendere non posse ad viliora hæc obsequia. *Quidam ferebant, quod Bavarus indignè ferebat, quod Rex Angliæ non se submisit ad oscula pedum suorum. Cui responsum fuit quod Rex Angliæ erat inunctus, & habet vitam & membrum in potestate sua, & ideo non debet se submittere tantùm, sicut Rex alius non inunctus.*

Nec Carolus tantùm Calvus, sed & Latini forsan Christiani Principes omnes id moris hauserant à Constantinopolitanis Imperatoribus, qui diebus solennioribus laïcos omnes Proceres ad hæc sibi præstanda obsequia adigebant. Vide ut describatur à Codino Paschalis solennitas. *Proceres omnes usque ad novissimum ingressi, osculantur primò pedem Imperatoris, deinde dexteram manum, postea dexteram genam.* Addit & Genuensem Præfectum, si adesset, admissum iri ad idem osculum: non Venetum; quod in fœdere quodam cum Genuensibus initio ita convenisset. Addit denique Codinus in solennitate hujusmodi moris fuisse, ut Imperator & Patriarcha mutua sibi oscula libarent, Episcopi & Abbates primò manum, mox genam dissuaviarentur Imperatoris. Cantacozenus autem idoneus testis sanè fidem facit, postquam Principes & Magnates osculo pedum functi fuerant, Imperatorem surgere solitum, & genas eorum osculari.

Cap. 14.

L. 1. c. 16.

XIII. Nihil attinet autem morosiùs tricari, ab Imperatoribus priscis, an potius à priscis Episcopis ductus sit mos Papæ pedes exosculandi. Præter exempla suprà relata, Ordo ipse Romanus hunc Episcopis omnibus communem decernit honorem, ut Diaconus non antè Evangelium decantet, quàm *osculetur pedes Pontificis.* Ratherium Episcopum sibi præfici deprecabantur olim Veronenses cives, tum aliis de causis, tum etiam quòd pati nollet oscula pedum. *Pedem si vult aliquis osculari illius, cum magno eum repellit clamore.* Similius veri est ab his Episcoporum frequentissimis olim honoribus fluxisse oscula pedum Romani Pontificis. Si cæteris enim Episcopis id honoris & cultûs deferretur, quantò instantiùs, frequentiùs, religiosiùs summo Pontifici? Electus est Pontifex Leo IV. anno 847. narrat Anastasius Bibliothecarius coævus Scriptor advolasse statim hominum examina ad oscula pedum pro antiquo more. *Qui morem conservantes antiquum, omnes osculati sunt pedes.* Non facilè divinare possum, quo tempore desitum sit ab hoc cultu Episcopis exhibendo. Quod de Ratherio diximus, morem adhuc tunc viguisse declarat, cùm ei vitio verteretur, quòd repugnaret. Gregorius quidem VII. inter Papæ prærogativas hanc commendat, *Quod solius Papæ pedes Principes deosculantur.* Sed de solis, ut vides Principibus sermo illi est. Poterant cæteris Episcopis Diœcesani cuique sui id impendere honoris. Saltem nemo iverit inficias, unum toto orbe quodam modo esse Episcopatum, Episcopos omnes Christi Vicarios, & Petri successores pro suo modulo esse, atque ita omnes in consortium quoddam venire, & participes aliquatenus fieri ejus honoris, qui Ordinis & Collegii sui Principi etiam nunc religiosissimè præstatur.

Spicil. To. 2. pag. 203.

De Residentia Episcoporum, dum lues, dum persecutio grassabatur.

CAPUT LXVI. *P. 2. l. 2. c. 33.*

An persecutio Episcopos Clericosque alios solveret à residentiæ nexu prioribus quinque Ecclesiæ sæculis.

I. Non potest Episcopus se subducere, aut fugere, nisi cum illum unum persecutores petunt. Exemplum Cypriani.

II. Cum in omnes sævit persecutio, ne alii quidem Clerici fugere possunt, nedum Episcopi. Tertulliani hallucinatio.

III. Argumenta hujus doctrinæ ex Augustino.

IV. Ut commentetur Augustinus exempla & verba Christi & Apostolorum, de fuga in persecutione.

V. Exemplum Athanasii. Quando possit Episcopus præsentibus se periculis subducere, futuræ servare Ecclesiæ.

VI. Clerus omnis hac residentiæ lege continebatur.

VII. Sed Clerus moderandum est, & portio ejus aliqua in futuras necessitates subducenda.

VIII. Summa doctrinæ Augustini.

IX. Mens Athanasii animi præparatio in fuga.

X. Præcipiatur, an permittatur fuga in persecutione. Exempla sanctorum virorum.

I. PErpendi jam necesse est, an persecutio vel pestilentia Episcopos à nexu & lege absolvat residentiæ. Quod ad persecutionem spectat, in ea est sententia Cyprianus, non posse tantùm, sed & fugere debere Episcopos, idque Christum ipsum præcepisse, 1. cum in solos Pastores bacchatur persecutio, eorumque fugâ conquiescit, quæ præsentiâ efferaretur. 2. Cùm corpore absentes Episcopi, adsunt cura, sollicitudine, vigilantia, monitionibus, Pastoralibus litteris, Vicariisque subrogatis eorum zelo ferventibus, potestate armatis. Ita suæ ipsius fugæ patrocinatus est Cyprianus, datis ad Clerum Romanum litteris. *Nam sicut Domini mandata instruunt, statim turbationis impetu primo cùm me clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quam quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inverecundam præsentiam nostram, seditio quæ cœperat, plus provocaretur. Absens tamen corpore, nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui, quominus secundùm Dei præcepta, fratribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate* L. 2. Ep. 5.

consulerem. Unà porro misit & Epistolas tredecim, quas ex secessu suo ad roborandam plebem suam perscripserat. Idem & alibi Clero suo significavit, se non tam declinandæ mortis spe secessisse, quàm ne recrudesceret præsentia sua persecutorum furor: porro hanc absentiam & sibi permolestam esse, & plebi suæ necessariam. (L. 3. Ep. 24.) *Oportet nos paci communi consulere, & interdum quamvis cum tædio animi nostri deesse vobis, ne præsentia nostri invidiam & violentiam Gentilium provocet; & simus authores rumpendæ pacis, qui magis quieti omnium consulere debemus.* Inter circi & amphiteatri insanientis furores sæpè illum Pagani ad leones petierant, ut ab ipso scribitur ad Cornelium Papam: (Epist. 55.) *In tempestate proscriptus, toties ad leonem petitus, in Circo, in Amphiteatro, &c. Clamore popularium ad leonem denuo postulatus in Circo.* Ita pluris etiam ad pacem Ecclesiæ intererat, quàm ad propriam ejus salutem, ut periculo se subduceret. Longè alia erat causa duorum Subdiaconorum, & unius Acolythi, qui trepida fuga periculum vitaverant, quod ipsis minimè omnium imminebat. Ad hujus causæ judicium Clero suo rescripsit Cyprianus, opperiendum esse reditum Episcoporum, Clericorum omnium, & ipsius plebis, ut decernerentur pœnæ in desertores hos Clericos, interim etsi non amovendos ministerio, at sportulis suis spoliandos. (Epist. 28.) *Interim se à divisione mensurna tantum contineant, non quasi ministerio Ecclesiastico privati esse videantur, sed ut integris omnibus ad nostram præsentiam differantur.*

II. Indubium est potuisse Episcopos discedere, ubi in illos privatim persecutionis turbo incumbebat: contrà verò discedere non potuisse Subdiaconos ipsos, Acolythos, & quoscumque demum Clericos, ubi plebem omnem, cui ordinatione sua addicti fuerant, petebat tempestas. Marcionis olim & Montani sectatores hinc inconsideratissimæ fortitudinis gloriam aucupabantur, ut in persecutione qualicumque fugam damnarent, fidelibusque ipsis periculo se subducentibus infamiæ notam inurerent. Tertullianus zeli sui ardore ultra æqui verique metas longè evectus, Clericos nostros criminabatur, quòd fuga sua fidelium animos labefactarent, & martyrii palmas eorum manibus excuterent. (L. de fuga in persecut.) *Sed cum ipsi authores, ipsi Diaconi & Presbyteri & Episcopi fugiunt, quomodo laïcus, &c. In prædam grex est omnibus bestiis agri, dum non est Pastor illis. Quod nunquam magis fit, quàm cum in persecutione destituitur Ecclesia à Clero.* Denique ex eo quòd Clero nefas sit fugere, inde ansam captabat Laicos revocandi à fuga: cùm fugiente plebe, fugere necesse sit & Clericos, qui ei subministrent necessaria salutis adminicula. Perfacile erat superbam censuram retundere; cùm fugam Ecclesia Pastoribus non permittat, nisi ubi eorum præsentia non fidelium animos acueret, quibus nihil tum verendum erat, sed terrificam ex adverso illis potius inveheret persecutionem.

III. Constantissima ea est doctrina Ecclesiæ, ab Augustino fortiter & sapienter propalata eo tempore, quo Vandali, aliique Borealibus ex regionibus effusi Barbari, in Hispaniam Africamque exundaverunt. Ad Episcopum Honoratum perscripsit Augustinus, fidelibus quidem integrum esse sæviente persecutione in Castra aliqua confugere munitiora; at Episcopos ne tum quidem posse sacra illa abrumpere vincula, quibus Ecclesiis illos suis Christus astrinxit. (Epist. 80.) *Nec eos prohibendos, qui ad loca, si possent, munita migrare desiderant; & ministerii nostri vincula, quibus nos Christi charitas alligavit, ne deseramus Ecclesias, quibus servire debemus, non esse rumpenda.* Itaque quamvis exiguo numero fideles in urbe supersint, præsentia & ope sua adesse illis tenetur Episcopus, nec fugere illi datum est, nisi in sempiternæ Numinis providentiæ sinum, quod munimentum experietur sanè tutissimum, & hostibus quibuscumque inaccessum. *Nos quorum ministerium quantulacumque plebi Dei ubi sumus manenti; ita necessarium est, ut sine hoc eam remanere non oporteat, dicamus Domino, Esto nobis in Deum protectorem & in locum munitum.*

Dissentire videbatur hæc doctrina Honorato Episcopo à Christi verbis, qui Apostolos jubebat de civitate in civitatem fugitare, & ab exemplis tum Apostolorum, tum ipsius Christi, cujus fuga Episcopis non exempli tantùm authoritatem præfert, sed legis. At contrà excipiebat Augustinus, ubi Christus in Ægyptum aufugiebat, necdum ullam ab eo exædificatam fuisse tum Ecclesiam, quam præsens foveret: cum Paulus Damasco evasit, nequedum illi curam ejus Ecclesiæ & præfecturam propriam fuisse demandatam: usque id largiamur, demandatam fuisse, fugiendum nihilominus ei erat, quòd ejus unius caput impeteretur. Quando ergo uni Pastori insidiatur persecutor, fuga sibi debet ille consulere, commendata idoneis Vicariis Ecclesia. Sed ubi communi periculo Clerus universus, vel populus ipse etiam implicatur; tum verò nec Episcopo fas est, nec Clero à populo abjungi; sed vel omnibus unà fugiendum, vel unà omnibus manendum est: adeo ut vel persecutio, vel fuga arctiùs illos sibi mutuò omnes constringat, individuæ vinculo charitatis. *Faciant ergo servi Christi, ministri verbi, & sacramenti ejus, quod præcepit, sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, ut ab aliis qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cùm autem omnium, id est, Episcoporum & Clericorum est commune periculum, ii qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eas paterfamilias volet perpeti.* (Baron. ann. 1071. n. 6.)

IV. Fascinaverat ignavia sua Pastores quosdam, & vanis deluserat prætextibus, quasi hæc Augustini doctrina tum locum haberet tantùm, cùm fidei ipsi bellum indiceretur, & aliqua se daret occasio, vel adeundi martyrii, vel ad illud fortiter adeundum fidelium animos acuendi. At tunc Vandalos non aliud meditari, quàm Provincias & Civitates ut suæ subjicerent potestati, nec alium Episcopos ex præsentia sua fructum capere posse, quàm ut urbium vastationis & Ecclesiarum ruinæ testes essent & spectatores. At ex adverso occurrebat illis Augustinus, Plebium in his omnibus pares esse necessitates, & pari Episcoporum præsentia industriaque relevandas: fugisse quidem nonnullos Hispaniæ Episcopos, eadem irruente tempestate, sed tum demum fugisse, cùm plebs sua tota dissipata fuisset, aut fuga, aut cæde, aut captivitate: sed longè plurimos eorum remansisse, quòd permansisset & populi pars, ut ejusdem vel calamitatis essent consortes, vel coronæ; alicubi Christum fugam permittere, alibi ab eo mercenarium damnari, qui venientem videt lupum, & fugit: nec ullam in his

somniandam esse conflictationem, cùm & bonus Pastor tum possit fugere, cùm communi fuga in tutum recepta est plebs universa; aut in ipsum unum ingruente procella, gregis custodiam fidissimo delegat Vicario. *Tunc de locis in quibus fuerint premente persecutione fugiendum Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit, cui ministretur: aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi.*

V. Fortis & moderatæ hujus constantiæ, authore Augustino, editum olim fuit specimen à B. Athanasio, qui ideo fugam arripuit, quòd ea, & sibi, qui solus petebatur, consuleret, & pacem populo, Cleroque conciliaret. *Sicut fugit sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus, cùm eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator, nequaquam à cæteris Ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat.* Cùm fidei vindex & propugnator potissimus esset Athanasius, erant justissimæ causæ illum tanto subducendi periculo, futurisque servandi Ecclesiæ necessitatibus. Sed verendum prorsus est, ne eo obtentu illudat fallaxque timiditas, aut eo exemplo aliorum abutatur ignavia. Ita cùm utrimque periculum immineat, tutius sanctiusque est, ne à Clero & populo suo Episcopus divellatur. *Hic fortè quis dicat, ideo debere Dei Ministros fugere à talibus imminentibus malis, ut se pro utilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus servent. Rectè hoc fit à quibusdam, quando non desunt alii per quos suppleatur Ecclesiasticum ministerium, ne ab omnibus deseratur, quod fecisse Athanasium supra diximus. Nam quantum necessarium fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit, quod vir ille mansit in carne, Catholica fides novit, quæ adversùs Arianos hæreticos ore illius & amore defensa est. Sed quando est commune periculum, magisque timendum est, ne quisquam id facere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi: magisque obsit exemplo, quam vivendi prosit officio, nulla ratione faciendum est.*

VI. Ex hac Augustini doctrina, sicut & ex supra laudatis Cypriani Epistolis perspicuum est, in his rerum angustiis residentiæ compede constrictos fuisse, cum Episcopos, tum Clericos omnes. Tenebatur Clerus ab Episcopo & Ecclesia non discedere, immo ne cum Episcopo quidem discedere, quando justæ interveniebant causæ, ut discederet Episcopus. Nec Acolythos & Subdiaconos eximebat Cyprianus. Alibi demonstratum est, Beneficiarios omnes prioribus his & beatis sæculis residentiæ illigatos fuisse, Neminem Canones exceptum volunt. Prætexere persecutionem suæ absentiæ tam non poterant hi, quam illi. Procellosis maximè his temporibus & frequentanda erant sacramenta, & eroganda. Itaque suæ Clericis omnibus obeundæ erant functiones. Luculentè Augustinus oculis subjicit flagrantissimum studium fidelium, ut ad hos admitterentur gratiæ cœlestis fontes, & beneficentiæ divinæ. *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & sacramentorum confectionem & erogationem. Ubi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto sæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati?*

VII. Cùm denique persecutionis flamma in Clerum semper potissimum effervescat, etiam tum cum parcit nemini, evenire posset, ut Clerus omnis incendio eo devoraretur, atque ita gregis reliquiæ toto destituerentur spiritalium Pastorum solatio. Ut ei discrimini obviam eatur, existimat Augustinus bipartiendum esse Clerum, ut præsenti alii subjiciantur discrimini, alii interim sibi consulant, ad futura servandi pericula. Ne verò quodam charitatis æstu decertent inter se Clerici, qui priores Christo & Ecclesiæ se impendant, qui primas legant palmas, Augustino visum est, rem sortibus committendam esse. Quanquam enim nullo exemplo id fiat, fiet tamen innoxiè & sapientissimè, tum ad moderandum eorum ardori, qui ad adeunda pericula præproperi sunt; tum ad convincendam eorum simulationem, qui subduci se periculo cuperent. Si quibus minus arrideat ea sortitio, censet Augustinus, permanere omnes debere inter pericula quæcumque intrepidos; propterea quod siqui se potius servandos reputarent, ut in posterum meliores futuros, vel magis necessarios, ii insana quadam imaginarii meriti fiducia ludificarent ipsi seipsos, & ea vanissima sui assentatione in cæterorum indignationem incurrerent. *Fiat sortitio. Quod si non placet facere, cujus facti non occurrit exemplum, nullius fuga faciat, ut Ecclesiæ ministerium maximè in tantis periculis necessarium ac debitum desit. Nemo excipiat personam suam, ut si aliqua gratia videtur excellere, ideo se dicat vita, & ob hoc fuga esse digniorem. Quisquis enim hoc putat, nimium sibi placet. Quisquis autem etiam hoc dicit, omnibus displicet.* Si qui cæteris virtute præstent, periculum sui hic faciant, non fuga, sed pugna. Si dexteritate & peritia excellant, ne in futurum eam pendere velint, actutum eam hic approbent.

VIII. Paucis hic advertamus. 1. Augustinum omnes prorsus indiscriminatim Clericos huic implicare, periculosæ quidem tunc residentiæ, sed tantò plus laudis & præmii reportaturæ. Nimirum Ordinibus & Beneficiis suis universi prorsus ministerio devincti sunt Ecclesiæ, ex quo religatè pendet salus populorum æterna. 2. Nec est ex Augustino quod sibi blandiantur Episcopi, quo se præsentibus subfurentur, & futuris serventur Ecclesiæ necessitatibus. Quidquid rationum & argumentorum coacervat Augustinus, in Episcopos tantumdem saltem valet, atque in alios Clericos quosvis. Verendum ipsis est, ne plebis charitate simulata imponat ipsis propriæ salutis cupiditas; ne vel suspicio ipsa hujus rei plus obsit, quam prodesse possint reditu suo: ne amore sui minus sano in futurum se cæteris utiliores fore ominentur: cùm cura Christi gregis ipsis potius, quàm aliis, immò ipsis unis commendata sit, alios quosvis liquet potius quam ipsos secedere posse. Præstantissimam hanc Augustinus *Possid. c. 30.*
doctrinam exemplo suo confirmavit, & cùm Hipponensis civitas à Vandalis oppugnaretur, clausus ultro ejus muris, extremo licèt conflictatus morbo, Dei & plebis tamen suæ charitate potius exæstuante, quàm morbi vi, mortalitatis abjecit exuvias.

IX. Cùm Athanasium nobis Augustinus objecerit, tanquam intrepidæ sapientiæ, & providentissimæ fortitudinis specimen singulare, ipsum jam audiamus necesse est, & muneris Episcopalis leges ab eo ediscamus, quem posterioris deinceps ætatis omnes summopere admirati, sanctissimi quique imitati sunt Episcopi. Id professus est Athanasius, id præ se tulit, fugæ se, vel latebris salutem commisisse, ut Christi præceptis pareret, ut obsequeretur etiam exemplis, à quo prohibemur præsentia nostra persecutores provocare, quos placaret abs-

sentia: jubetque, ut illis magis consulamus quam nobis, subducenda occasione fundendi sanguinis innoxii. Ita enim Athanasius in Apologia ad Constantium Augustum. *Nec formidine mortis me in fugam dedi, sed ut Salvatoris precepto obtemperarem, cujus preceptum est, ut contra persecutores fuga, contra indagatores latebris utamur, ne si nos in apertum periculum offeramus, acrius provocemus persequentium furorem, &c. Qui fugit ut Dominus precepit, suis persecutoribus cavet, ne usque ad sanguinem fundendum evecti, rei fiant ejus precepti, quod homicidium vetat.*

Apolog. ad Const.

Ignaviæ & timiditatis notam Athanasio aspergebant Ariani persecutores, qui sibi potius debuerant immanitatis: unde & compulsus est fugæ suæ Apologiam publicare, quod ne fieri quidem poterat, quin & eorum immanissimæ sævitiæ furores scriptis mandaret. Hic porro excelsi & animi, & consilii vir, perlustratis utriusque Testamenti paginis demonstrat eos omnes quorum celebris fama fuit prudentiæ & religionis, imminentia declinasse pericula; vitasse & Christum, nec obvium se morti obtulisse, nisi eo ipso temporis puncto, quod ei oppetendæ æternis Dei consiliis præfinitum fuerat. Nimirum ut addoceremur nos, quos fugit hora adeundæ mortis, declinandam illam nobis pro virili esse, donec indeclinabili aliqua necessitate coarctet nos, suamque eo prodat cœlestis Pater voluntatem. Martyrii labores exæquat nonnunquam, nonnunquam & superat fuga diutina, variis & gravibus exagitata & perculsa periculis; nec semel ideo contigit, ut pusilli fuerit animi ignavique, ea moriendi tædia adproperata morte redimere.

Apolo. de fuga.

X. Præceperit Christus fugam, an permiserit tantùm, anceps videtur & dubium apud Augustinum. Athanasius præcepisse confirmavit. Ei videbatur in eam sententiam præisse Gregorius Thaumaturgus, qui fideles conspicatus cruciatuum acerbitate forsan prosternendos, fugere eos compulit, fugam & ipse capessivit, ut in ejus vita narrat Gregorius Nyssenus; qui id quoque monet, tantò indubitatius fugisse Thaumaturgum, quòd se unum maximè impeti intellexisset, ut eo prostrato, tota illa everteretur Ecclesia. Author est Sozomenus, Martyrii expertem obiisse B. Hilarionem, quòd fuga Christi præcepto paruerit. Addit porro & Marcum Episcopum Arethusium fugisse, quòd in unius ejus caput persecutionis turbo incumberet; sed rescito postea fuga sua complures in discrimen adductos esse, rediisse mox, & inauditos prorsus cruciatus stupenda pertulisse constantia. Synesius Cyrenes Episcopus, vastata à Barbaris regione, & civitati suæ extremo impendente exitio, adeo non fugit, ut in Ecclesia sua mori constituerit, quo sanguine suo immaculati Agni toties à se immolati sanguinem veneraretur. *Profecto illud tempus necessarium Sacerdotibus concursum ad atria Dei efficiet: Ego in loco meo in Ecclesia permanebo: lustralis ante me aquæ sanctissima vasa collocabo, Sacratas columnas amplectar, quæ puram & incontaminatam à terra mensam sustinent. Illic sedebo vivus, & mortuus jacebo, Dei minister sum ac sacrificus: animam fortasse meam illi sacrificare me conveniet.*

Sozom. l. 5. c. 9.

Synesii Catastasi.

CAPUT LXVII. *P. 1. l. 2. c. 34.*

De Residentia tempore pestilentiæ per quinque priora sæcula.

I. Nullo tempore strictior residendi necessitas. Exempla & argumenta Cypriani.

II. Mirum Gregorii Thaumaturgi exemplum.

III. Exemplum Dionysii Episcopi Alexandrini. Presbyteri & Diaconi ejus vitam impendunt charitati plebis sibi creditæ, novasque Martyrii charitatis palmas adipiscuntur.

I. Non abludit ab imagine persecutionis pestilentia, et qua justissimus & misericors Deus flagitia nostra insectatur, & abstergit. Huc ergo etiam pertinent, quæ capite superiori dicta sunt omnia. Tempore B. Cypriani universum propè orbem populata est hæc lues. Plebem ille suam eo divinæ ultionis flagello perculsam, non præsentia tantum sua recreavit, sed & solatia spiritualia, & temporalia aggeravit illi omnia, quæ providentissimæ & infatigatæ charitatis Præsul excogitare & parare potuit. Quin & fidelibus persuasit, hanc opportunam sibi ansam offerri splendidissimè ulciscendæ persecutionis, qua in eos paulò antè grassati erant Gentiles, congerendis super eorum capita carbonibus, malis beneficio pensandis, omnibus denique illis omni ope, cura, obsequio demerendis. Ita calamitas mortales omnes Cypriano commendabat, Paganos ipsos & persecutores conciliabat, ut residentiæ suæ beneficia, & pastoralis charitatis rivulos in eos quoque effunderet. Ea ille caussa aureolum scripsit libellum *De mortalitate*, quo penitissimè insereret fidelium animis hanc Christiani dogmatis summam, Congratulandum esse nobis, ubi eæ incidunt caussæ, quibus invictum animi robur & religionis indomitam vim prodamus, quæ etiam gaudeat perire, quidquid periturum aliquando est: ita certè ut nihil Christiano depereat, qui nihil possideat, aut possidere sibi videatur, nisi æternorum charitatem, quæ nec perire ipsa, nec auferri nobis ulla vi possint. *Contra tot impetus vastitatis, & mortis, inconcussi animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo est! & quanta sublimitas inter ruinas humani generis, stare erectum, nec cum eis, quibus spes in Dominum nulla est, jacere prostratum est?* Sic imbuti animatique Pastoris præsentiæ tantò evidentior necessitas est, quò possint ab eo ignavissimi quique roborari; possit & mortis acerbitati ineffabilis quædam suavitas affundi.

II. Est & quod magnopere demiremur in Gregorio Thaumaturgo, Ecclesiæ suæ Neocæsariensi in persimili calamitate consulente. Urbem illam idololatriæ hactenus deditam depascebatur pestilentia. Infernali quodam spectro afflabantur & inficiebantur ædes singulæ. Utrique pesti propulsandæ accersitus est Gregorius. Precibus ejus lues, documentis & prædicationibus idololatria abigebatur. Ita teste Gregorio Nysseno in Thaumaturgi vita, conducibilior urbi fuit pestilentia, quàm sanitas; quippe carnis ægritudo, & post restituta valetudo molliebat cor, & ad profligandos vitiorum morbos mirum in modum conducebat. *Periclitantibus salutis una ratio erat, si illas ædes Gregorius ingrederetur, ac per preces morbum repelleret, &c. Adeo illis hominibus sanitate morbus validior erat. Qui enim in sanitate ad approbationem mysterii rationibus infirmi essent, corporali morbo ad fidem convaluerunt.* Residendi ergo tantò tunc major

necessitas, quantò & uberior utilitas. Aut enim tunc Pastor morbis corporeis animas sanat; aut gregi sibi commendati nullas oviculas perire sinit, si quæ hinc abeant, cœlo eas restituens: aut denique hæreticos & infideles in sinum Ecclesiæ non paucos pellicit, beneficentia, benevolentia & charitate quadam infinita illos omnes sibi adglutinat.

III. Disertissimè id quidem proditur Epistola quadam Dionysii Episcopi Alexandrini, eo tempore exarata, authore Eusebio, quo eam civitatem lues incessit, percutiente insanos mortales Numine, ut sanaret: mortem incutiente, ut immortalitatis cupidos & aliquando compotes præstaret. Fidelibus ea morbi vis & contagio medicina fuit cum primis
L. 4. c. 22. tempestiva & efficax. *Nobis potiùs medicamentum quoddam fuit*, ut refert Dionysius. Iis Christiani officiis prosecuti sunt alii alios, sani ægros, sani ægrique mortuos, ut hinc opulentissima quædam meritorum messis effloruerit. Incessit & infideles ea fidelium charitas admiratione sui, extimulavitque ad conversionem, ubi cælestis gratiæ jubar prolixiùs se supernè insinuabat. Quippe Gentiles ingravescentem eam calamitatem, non inhumanitate tantùm, sed & sævitia quadam mutua cumulabant. *Gentiles contraria his egerunt, nam & eos qui ægrotare inceperant, exturbabant, & charissimos refugiebant, eosque in viis semineces relinquebant, aut mortuos insepultos projiciebant, &c.*

Ex moribus tunc tam alienis, quantum religioni ipsi utrique interesset discriminis, non poterat non in oculos omnium incurrere. Inter eos qui fratrum levationi & charitati se impenderunt, quique ut eos morti subducerent, mortem lubentissimè oppetierunt ipsi, numerat Dionysius plures etiam Laicos; quibus immarcessibilis ex charitate, ut & ex fide martyrii palma obtigit: at Presbyteros Diaconosque, pro ministerii sui gradu & præstantia, ideo author est, fortitudinem etiam & zelum incredibilem explicuisse. *Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus nostris, quorum nonnulli Presbyteri erant ac Diaconi, & ex populo laudatissimus quisque mortem oppetierunt. Adeo ut genus hoc mortis ob pietatem fideique constantiam nequaquam inferius martyrio censeatur.* Prope abest à vero Dionysium ipsum, qui tot alios laureis donavit & coronis, indonatum & inglorium non recessisse: sed pro loci sui amplitudine amplissima quoque ornatum fuisse gloria.

CAPUT LXVIII. *P. 2. l. 2. c. 53.*

De residentia tempore persecutionum, pestilentiæ, ægritudinis, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. II. Mira Gregorii Magni exempla in Episcopos ægrotantes.

III. Alia exempla Doctrina Fulgentii Ruspensis, & Aviti Viennensis Episcoporum.

IV. V. VI. Gregorii Magni grassante pestilentia animi magnitudo.

VII. VIII. Quid Episcopi Gallicani tempore pestilentia.

IX. X. Quid Episcopi Hispani & Alexandrini? Quo se illi omnes commendaverint.

XI. Belli & persecutionis tempore S. Joannes Patriarcha Alexandrinus secessit.

XII. Episcopi Africani non recedunt. Unde id discriminis?

XIII. XIV. XV. Italiæ & Galliæ Episcoporum magnanimitas inter ejusmodi clades.

XVI. De Episcopis Angliæ.

I. Cum Romæ ex morbo decubuisset Castorius Ariminensis Episcopus, eo in urbe commorari jusso, ejus Episcopatûs curam Gregorius Papa Leontio interim Urbinati Episcopo delegavit, nomine Visitatoria addito, jure verò eodem & potestate pari, acsi proprius esset Episcopus, exceptis Clericorum ordinationibus, quo & Beneficiorum collationes continentur. *Eo absente* L. 5. Ep. 24. *Ecclesia ipsius fraternitati tua operam providimus visi-* 25. *tationis delegandam, &c. Et præter ordinationes Clericorum, cætera omnia in prædicta Ecclesia, tanquam Cardinalem & proprium te volumus agere Sacerdotem.* Alibi diximus redintegratum Ecclesiæ suæ fuisse Paro- L. 3. Ep. 13. chum, quem ea excusserat proprius Episcopus, quòd duos abfuisset menses, gravi oppressus ægritudine. Redeo ad Ariminensem Episcopum, qui capitis doloribus vehementibus cruciabatur, ut Episcopatûs sui functiones obire posset nullas. Quatuor illum Romæ annos demorari passus est Gregorius, nihil aliud quàm subinde illum submonens, ut si se satis recreatum sentiret, Ecclesiam suam repeteret. Denique non antè curavit ei successorem sublegi, quàm ipsemet abjecta recuperandæ sanitatis spe, ultrò Episcopatum resignaret. *Quem dum hortaremur, ut* L. 7. Ep. 51. *si de eadem capitis qua detinebatur molestia melioratum* 52. *se esse sentiret, ad suam reverteretur Ecclesiam; qui datis induciis, in hoc quadriennio expectatus est. Quem dum monitu Cleri, civiumque illinc venientium, nosque precibus arguentium instantiùs hortaremur, ut si valeret, cum iis autem auxiliante Domino remearet: data in scriptis supplicatione, nos petiit, ut quia ad ejusdem Ecclesia regimen vel susceptum efficium, pro eadem qua detinetur molestia, assurgere nullatenus possit, Ecclesia ipsi ordinare Episcopum deberemus.*

Hæc Gregorius ad Archiepiscopum Ravennatem Marinianum, qui & ipse non multò pòst cruciari cœpit vomitu sanguinis permolesto. Convenire jussit Medicos Gregorius, & in commune consulere, atque ita eorum decretum ad Marinianum misit. Cùm verò Medicis omnibus conveniret, silentio & quiete potissimum eam levari posse ægritudinem, quod non facile ille Ravennæ consequi posset, perscripsit Gregorius, ut Romam maturaret, constitutis antè Ecclesiæ suæ rebus, designatisque qui eo absente Mysteria celebrarent, qui administrarent rem temporalem, qui hospites exciperent, qui curam gererent Monasteriorum. *Quid singuli senserint Me-* L. 9. Ep. 28. *dici, quidve dictaverint, Sanctitati vestra scriptum transmisimus. Qui tamen quietem & silentium præ omnibus dictant, quam si tua fraternitas in sua Ecclesia possit habere, valde dubius sum. Et ideo videtur mihi, ut ordinata illic Ecclesia, vel qui Missarum solennia explere valeant, vel qui Episcopii curam gerere, hospitalitatemque & susceptiones possint exhibere, quive Monasteriis custodiendis praesse norint, tua fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire, ut ægritudinis tua ego specialiter curam geram, quietem tuam custodiam.*

Iis afflictabatur Gregorius ipse morbis, quibus id etiam fiebat, ut amico vehementiùs indolesceret. Expetierat & ipse potiùs in ejus sinu postremas deponere curas suas, animamque exhalare. Si Marinianus autem præmoriturus sibi erat, malebat eum Romæ inter suos mori, quàm Ravennæ. *Aut certè si vocandus es, inter tuorum manus recreris.* Denique si adduci ille non possit, ut Romam veniat, vetat Gregorius, ne sæpiùs quàm quinquies anno quolibet jejunet, in pervigiliis solennioribus Festorum, quòd jejunio maximè consentiant Me-

dici eum morbum exacerbari. Jubet ut vigiliis abstineat, delegetque alium quempiam ad preces cerei Paschalis, & ad eas in Evangelia homilias, quas solent Episcopi circa Paschales ferias ad populum habere. *Præterea nec hortor, nec admoneo, sed districtè præcipio, ut jejunare minimè præsumas, quia dicunt Medici huic molestiæ valde esse contrarium; nisi fortè si grandis solemnitas exigit, quinque in annis vicibus concedo. Sed & à vigiliis quoque temperandum est, & preces quæ super cereum in Ravennati civitate dici solent, vel expositiones Evangelii, quæ circa Paschalem solennitatem à Sacerdotibus fiunt, per alium dicantur. Et tua dilectio contra virtutem, laborem sibi minimè imponat.*

II. Has ego minutias Episcopalis providentiæ persequendas mihi sedulò duxi, quòd hinc eliciantur non pauca, quæ in rem sint. Illa quippe æquabilitas & moderatio, illa zeli & humanitatis, clementiæ & vigoris temperies, illa sanè est, quam pauci satis intelligant, pauciores imitentur, & quam tamen intelligere & imitari omnium maximè Præsulum intersit. Nam extrema quæque periculi plenissima sunt, ultra modum vitia sunt omnia, medium tenent virtutes. Pulcrum tutumque est à Gregorio Magno didicisse, quò se usque possit porrigere Præsulum ægrotantium commiseratio, ut remittantur tunc leges strictioris residentiæ, & instantiæ quotidianæ, ac sollicitudinis Pastoralium functionum.

III. Narrat Ferrandus Diaconus, ut appetente morte B. Fulgentius quasi rei præsagus, annuas sibi inducias vindicarit, & feriari voluerit à functionibus Episcopatûs, adeoque & Monasterii, ut in reconditiorem Insulam se abderet, orationique se totum daret, & jejuniis, & omnibus demum pœnitentiæ macerationibus. Rescito impatienter ferri suam absentiam, in Monasterium redit, ubi statim lethali correptus morbo, vitam tam piè & religiosè clausit, quàm duxerat. *Ante annum fermè quam de isto sæculo reperetur, profunda corporis compunctione permotus, reliquit subitò Ecclesiasticas occupationes. Et de ipso quoque Monasterio suo secretò recedens, ad Insulam Circinam, paucis comitantibus fratribus navigavit; ubi in brevi quodam scopulo, lectioni, orationi ac jejuniis vacans, veluti sciret appropinquare sibi novissimum diem, sic ex toto corde suo pœnitentiam gessit.* Persuasissimum erat Fulgentio, quod & hoc exemplo suo persuasum volebat posteris, nusquam fructuosiùs vel residere, vel concionari Episcopos, quàm ubi in pia hæc se ipsi latibula recondunt, ubi se orationi & pœnitentiæ totos impendunt. Nunquam efficaciùs Ecclesiis suis adsunt, quàm cum illos iis hic pietatis ardor subducit; nusquam negotiosior eorum vita, aut urgentior charitas, quàm cùm silentio, sacroque huic otio, orationi & pœnitentiæ se dedunt.

Cap. 30.

Epist. 9.

Eas dedit Avitus Viennensis Episcopus ad beatum Cæsarium Arelatensem Epistulas commendatitias, quarum suavitati, elegantiæ & pietati accedere nihil possit, cùm Arelate proficisceretur Episcopus, oculis graviter laborans, & huic malo levamenti aliquid exquirens, postquam Episcopatum ejus hostium furor devastasset. Præsulem illum testatur Avitus, ejus & lucis & plenitudinis cupidiorem, quæ ex incommutabili veritate emicat, quàm ejus quæ corporeis oculis blanditur: in iter se illum non dedisse, nisi ut amicis satisfaceret, & ne semetipse temerè orbaret facultate sacra munia obeundi. *Simul & ne videatur per neglecta sanitatis culpam facultas in eo Sacerdotalis officii reprehensibiliter minorata.* Eo spectabant piissimi Episcopi, cùm curandæ valetudinis, aut propulsandæ ægritudinis causâ suis se tantisper subtrahebant Ecclesiis, quanquam ne id quidem facerent injussu Metropolitani. Apparet enim hunc Præsulem Viennensi Metropolitano paruisse.

VI. A privatis ad publicas ægritudines promovendus gradus est, & percunctandus ante alios est Gregorius Magnus, quæ sint Episcoporum partes, dum pestilentia Diœceses populatur. De ea re Epistolas dedit sanctissimus Pontifex ad Dominicum Carthaginensem Episcopum, ubi non solùm à vinculo illum non absolvit residentiæ, sed vehementer adhortatur, ut dum ea tabe Africa tota vastatur, mortis ipse terrores & amaritudines lenire studeat & condulcare firmissima spe vitæ æternæ: ut hac asperitate pœnarum temporalium urgeat illos ad extimescendas fugiendasque flammas sempiternas: ut orationi instet, instarique ab omnibus curet, quò emolliat Deus corda ad pœnitentiam, ut carnis vulneribus & morbis persanentur animæ, utque mors ipsa compendiaria via sit ad immortalitatem. *Vestra eos lingua, sicut & credimus, magis ac magis* L. 8. Ep. 41.
à pravi operis perpetratione coërceat, bonorum præmia, malorum pœnas edisserat, &c. Injunctis precibus Dei clementiam exoremus, ut, &c.

V. Provectus fuerat Gregorius ipse ad Pontificiæ culmen dignitatis, cùm sæviret in urbe lues: *Pestilentia sæviente, quia Ecclesia Dei sine rectore esse non poterat, Gregorium delegerunt*: ut ait Joannes L. 1. c. 39.
Diaconus in ejus vita. Ergo Pontificatûs sui dedi- 41.
cavit ille primordia, tum prædicationibus rei præsenti accommodatis, tum Processionum complurium solennitate, & supplicationibus publicis, ut aut tanti mali finem Deus annueret, aut pœnitentiam aspiraret, quæ malum ipsum bene verteret. In una harum Concionum non toto horæ spatio in- Regest. l. 11.
teriere ex ea lue octoginta homines, stante & im- Epist. 2.
pavido inter has ruinas summo Pastore, & de concionibus, de supplicationibus nihil remittente, donec ultricem Dei manum exarmaret, pacemque & sanitatem plebi suæ recuperaret. *Intra unius horæ spatium octoginta homines ad terram corruentes spiritum exhalarunt. Sed nequaquam destitit facundissimus Rhetor populo prædicare, ne ab oratione cessarent, donec miseratione divina, pestis ipsa quiesceret.*

VI. Illud admiratione profectò dignissimum, quod dum ipse gregis se saluti Gregorius impenderet, necdum suæ in Pastorem acquieverat electioni, eamque fovebat adhuc spem, fore ut Imperator Mauritius alium eligi juberet. Machinas enim non paucas ad id ipse instruxerat. Ita de tota Pontificatûs pompa & gloria, unum erat quo Gregorius duceretur, unum quo se oblectaret, tempore pestilentiæ cum grege suo residere, & in ejus salutis procuratione mortem oppetere. Nec Clericos, nec Laïcos ad fugam invitabat Gregorius, adeo non de fuga ipse cogitabat. Insidebat forsan jam tum ejus animo illa eadem Gregorii II. Papæ sententia, ad consultationes Bonifacii Archiepiscopi Moguntini rescribentis, stultum esse si quis elabi se posse speret manibus omnipotentis & ubique præsentis Numinis: atque adeo qui in Monasteriis, vel in Clero jam atrociter grassata pestilentia superstites adhuc erant, iis non de fuga, sed de demerendo precibus Numine cogitandum esse. *Adjecisti etiam quod si pestifer morbus aut mortalitas in Ecclesia vel Monasteriis irrepserit, hi quos nondum tetigit, an debeant à loco fugere,*

necessitas, quantò & uberior utilitas. Aut enim tunc Pastor morbis corporeis animas sanat; aut gregi sibi commendati nullas oviculas perire sinit, si quæ binc abeant, cœlo eas restituens: aut denique hæreticos & infideles in sinum Ecclesiæ non paucos pellicit, beneficentia, benevolentia & charitate quadam infinita illos omnes sibi adglutinat.

III. Disertissimè id quidem proditur Epistola quadam Dionysii Episcopi Alexandrini, eo tempore exarata, authore Eusebio, quo eam civitatem lues incessit, percutiente insanos mortales Numine, ut sanaret: mortem incutiente, ut immortalitatis cupidos & aliquando compotes præstaret. Fidelibus ea morbi vis & contagio medicina fuit cum primis
L. 4. c. 22. tempestiva & efficax. *Nobis potiùs medicamentum quoddam fuit*, ut refert Dionysius. Iis Christiani officiis prosecuti sunt alii alios, sani ægros, sani ægrique mortuos, ut hinc opulentissima quædam meritorum messis effloruerit. Incessit & infideles ea fidelium charitas admiratione sui, extimulavitque ad conversionem, ubi cælestis gratiæ jubar prolixiùs se superne infundebat. Quippe Gentiles ingravescentem eam calamitatem, non inhumanitate tantùm, sed & sævitia quadam mutua cumulabant. *Gentiles contraria hic egerunt, nam & eos qui ægrotare inceperant, exturbabant, & charissimos refugiebant, eosque in viis semineces relinquebant, aut mortuos insepultos projiciebant, &c.*

Ex moribus tunc tam alienis, quantum religioni ipsi utrique intercesset discriminis, non poterat non in oculos omnium incurrere. Inter eos qui fratrum levationi & charitati se impenderunt, quique ut eos morti subducerent, mortem lubentissimè oppetierunt ipsi, numerat Dionysius plures etiam Laicos; quibus immarcessibilis ex charitate, ut & ex fide martyrii palma obrigit: at Presbyteros Diaconosque, pro ministerii sui gradu & præstantia, idem author est, fortitudinem etiam & zelum incredibilem explicuisse. *Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus nostris, quorum nonnulli Presbyteri erant ac Diaconi, & ex populo laudatissimus quisque mortem oppetierunt. Adeo ut genus hoc mortis ob pietatem fideique constantiam nequaquam inferius martyrio censeatur.* Prope abest à vero Dionysium ipsum, qui tot alios laureis donavit & coronis, indonatum & inglorium non recessisse: sed pro loci sui amplitudine amplissima quoque ornatum fuisse gloria.

CAPUT LXVIII. *P. 2. l. 2. c. 53.*

De residentia tempore persecutionum, pestilentiæ, ægritudinis, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. II. Mira Gregorii Magni exempla in Episcopos ægrotantes.

III. Alia exempla Doctrina Fulgentii Ruspensis, & Aviti Viennensis Episcoporum.

IV. V. VI. Gregorii Magni grassante pestilentia animi magnitudo.

VII. VIII. Quid Episcopi Gallicani tempore pestilentiæ.

IX. X. Quid Episcopi Hispani & Alexandrini? Quo se illi omnes commendaverint.

XI. Belli & persecutionis tempore S. Joannes Patriarcha Alexandrinus secessit.

XII. Episcopi Africani non recedunt. Unde id discrimini?

XIII. XIV. XV. Italiæ & Galliæ Episcoporum magnanimitas inter ejusmodi clades.

XVI. De Episcopis Angliæ.

I. CUm Romæ ex morbo decubuisset Castorius Ariminensis Episcopus, eo in urbe commorari jusso, ejus Episcopatûs curam Gregorius Papa Leontio interim Urbinati Episcopo delegavit, nomine Visitatoris addito, jure verò eodem & potestate pari, acsi proprius esset Episcopus, exceptis Clericorum ordinationibus, quo & Beneficiorum collationes continentur. *Eo absente* L. 1. Ep. 41. *Ecclesia ipsius fraternitati tua operam providimus visi-* 25. *tationis delegandam, &c. Et præter ordinationes Clericorum, cætera omnia in prædicta Ecclesia, tanquam Cardinalem & proprium te volumus agere Sacerdotem.* Alibi diximus redintegratum Ecclesiæ suæ fuisse Paro- L. 3. Ep. 13. chum, quem ea excusserat proprius Episcopus, quòd duos abfuisset menses, gravi oppressus ægritudine. Redeo ad Ariminensem Episcopum, qui capitis doloribus vehementibus cruciabatur, ut Episcopatûs sui functiones obire posset nullas. Quatuor illum Romæ annos demorari passus est Gregorius, nihil aliud quàm subinde illum submonens, ut si se satis recreatum sentiret, Ecclesiam suam repeteret. Denique non antè curavit ei successorem sublegi, quàm ipsemet abjecta recuperandæ sanitatis spe, ultrò Episcopatum resignaret. *Quem dum hortaremur, ut* L. 7. Ep. 5 *si de eadem capitis qua detinebatur molestia melioratum* 51. *se esse sentiret, ad suam reverteretur Ecclesiam; qui datis induciis, in hoc quadriennio expectatus est. Quem dum monitu Cleri, civiumque illinc venientium, nosque precibus arguentium instantiùs hortaremur, ut si valeret, cum iis autem auxiliante Domino remearet: data in scriptis supplicatione, nos petiit, ut quia ad ejusdem Ecclesiæ regimen vel susceptum officium, pro eadem qua detinetur molestia, assurgere nullatenus possit, Ecclesiæ ipsi ordinare Episcopum deberemus.*

Hæc Gregorius ad Archiepiscopum Ravennatem Marinianum, qui & ipse non multò pòst enecari cœpit vomitu sanguinis permolesto. Convenire jussit Medicos Gregorius, & in commune consulere, atque ita eorum decretum ad Marinianum misit. Cùm verò Medicis omnibus conveniret, silentio & quiete potissimum eam levari posse ægritudinem, quod non facile ille Ravennæ consequi posset, perscripsit Gregorius, ut Romam maturaret, constitutis antè Ecclesiæ suæ rebus, designatisque qui eo absente Mysteria celebrarent, qui administrarent rem temporalem, qui hospites exciperent, qui curam gererent Monasteriorum. *Quid singuli senserint Me-* L. 9. Ep. 28. *dici, quidve dictaverint, Sanctitati vestræ scriptum transmisimus. Qui tamen quietem & silentium præ omnibus dictant, quam si tua fraternitas in sua Ecclesia possit habere, valde dubius sum. Et ideo videtur mihi, ut ordinata illic Ecclesia, vel qui Missarum solennia explere valeant, vel qui Episcopii curam gerere, hospitalitatemque & susceptiones possint exhibere, quive Monasteriis custodiendis preesse norint, tua fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire, ut ægritudinis tua ego specialiter curam geram, quietem tuam custodiam.*

Iis afflictabatur Gregorius ipse morbis, quibus id etiam fiebat, ut amico vehementiùs indolesceret. Expetierat & ipse potiùs in ejus sinu postremas deponere curas suas, animamque exhalare. Si Marinianus autem præmoriturus sibi erat, malebat eum Romæ inter suos mori, quàm Ravennæ. *Aut certè si vocandus es, inter tuorum manus voceris.* Denique si adduci ille non possit, ut Romam veniat, vetat Gregorius, ne sæpiùs quàm quinquies anno quolibet jejunet, in pervigiliis solenniorum Festorum, quòd jejunio maximè consentiant Mo-

dici eum morbum exacerbari. Jubet ut vigiliis abstineat, delegetque alium quempiam ad preces cerei Paschalis, & ad eas in Evangelia homilias, quas solent Episcopi circa Paschales ferias ad populum habere. *Præterea nec hortor, nec admoneo, sed districtè præcipio, ut jejunare minimè præsumas, quia dicunt Medici huic molestiæ valde esse contrarium; nisi fortè si grandis solemnitas exigit, quinque in annis vicibus concedo. Sed & à vigiliis quoque temperandum est, & preces quæ super cereum in Ravennati civitate dici solent, vel expositiones Evangelii, quæ circa Paschalem solemnitatem à Sacerdotibus fiunt, per alium dicantur. Et tua dilectio contra virtutem, laborem sibi minimè imponat.*

II. Has ego minutias Episcopalis providentiæ persequendas mihi sedulò duxi, quòd hinc eliciantur non pauca, quæ in rem sint. Illa quippe æquabilitas & moderatio, illa zeli & humanitatis, clementiæ & vigoris temperies, illa sanè est, quam pauci satis intelligant, pauciores imitentur, & quam tamen intelligere & imitari omnium maximè Præsulum interfit. Nam extrema quæque periculi plenissima sunt, ultra modum vitia sunt omnia, medium tenent virtutes. Pulcrum tutumque est à Gregorio Magno didicisse, quò se usque possit porrigere Præsulum ægrotantium commiseratio, ut remittantur tunc leges strictioris residentiæ, & instantiæ quotidianæ, ac sollicitudinis Pastoralium functionum.

III. Narrat Ferrandus Diaconus, ut appetente morte B. Fulgentius quasi rei præsagus, annuas sibi inducias vindicarit, & feriari voluerit à functionibus Episcopatûs, adeoque & Monasterii, ut in reconditiorem Insulam se abderet, orationique se totum daret, & jejuniis, & omnibus demum pœnitentiæ macerationibus. Rescito impatienter ferri suam absentiam, in Monasterium redit, ubi statim lethali correptus morbo, vitam tam piè & re-
Cap. 30. ligiosè clausit, quàm duxerat. *Ante annum fermè quam de isto sæculo reperetur, profunda corporis compunctione permotus, reliquit subitò Ecclesiasticas occupationes. Et de ipso quoque Monasterio suo secretò recedens, ad Insulam Circinam, paucis comitantibus fratribus navigavit; ubi in brevi quodam scopulo, lectioni, orationi ac jejuniis vacans, veluti sciret appropinquare sibi novissimum diem, sic ex toto corde suo pœnitentiam gessit.* Persuasissimum erat Fulgentio, quod & hoc exemplo suo persuasum volebat posteris, nusquam fructuosiùs vel residere, vel concionari Episcopos, quàm ubi in pia hæc se ipsi latibula recondunt, ubi se orationi & pœnitentiæ totos impendunt. Nunquam efficaciùs Ecclesiis suis adsunt, quàm cum illos iis hic pietatis ardor subducit; nusquam negotiosior eorum vita, aut urgentior charitas, quàm cùm silentio, sacroque huic otio, orationi & pœnitentiæ se dedunt.

Epist. 9. Eas dedit Avitus Viennensis Episcopus ad beatum Cæsarium Arelatensem Epistolas commendatitias, quarum suavitati, elegantiæ & pietati accedere nihil possit, cùm Arelate proficisceretur Episcopus, oculis graviter laborans, & huic malo levamenti aliquid exquirens, postquam Episcopatum ejus hostium furor devastasset. Præsulem illum testatur Avitus, ejus & lucis & plenitudinis cupidiorem, quæ ex incommutabili veritate emicat, quàm ejus quæ corporeis oculis blanditur: in iter se illum non dedisse, nisi ut amicis satisfaceret, & ne semetipse temerè orbaret facultate sacra monia obeundi. *Simul & ne videatur per neglecta sanitatis culpam facultas in eo Sacerdotalis officii reprehensibiliter minorata.* Eo spectabant piissimi Episcopi, cùm curandæ valetudinis, aut propulsandæ ægritudinis causâ suis se tantisper subtrahebant Ecclesiis, quanquam ne id quidem facerent injussu Metropolitani. Apparet enim hunc Præsulem Viennensi Metropolitano paruisse.

VI. A privatis ad publicas ægritudines promovendus gradus est, & percunctandus ante alios est Gregorius Magnus, quæ sint Episcoporum partes, dum pestilentia Diœcesas populatur. De ea re Epistolas dedit sanctissimus Pontifex ad Dominicum Carthaginensem Episcopum, ubi non solùm à vinculo illum non absolvit residentiæ, sed vehementer adhortatur, ut dum ea tabe Africa tota vastatur, mortis ipse terrores & amaritudines lenire studeat & condulcare firmissima spe vitæ æternæ: ut hac asperitate pœnarum temporalium urgeat illos ad extimescendas fugiendasque flammas sempiternas: ut orationi insistet, instarique ab omnibus curet, quò emolliat Deus corda ad pœnitentiam, ut carnis vulneribus & morbis persanentur animæ, utque mors ipsa compendiaria via sit ad immortalitatem.
Vestra eos lingua, sicut & credimus, magis ac magis L. 8. Ep. 42. *à pravi operis perpetratione coërceat, bonorum præmia, malorum pœnas edisserat, &c. Injunctis precibus Dei clementiam exoremus, ut, &c.*

V. Provectus fuerat Gregorius ipse ad Pontificiæ culmen dignitatis, cùm sæviret in urbe lues: *Pestilentia sæviente, quia Ecclesia Dei sine rectore esse non poterat, Gregorium delegerunt*: ut ait Joannes L. 1. c. 39.
Diaconus in ejus vita. Ergo Pontificatûs sui dedi- 43.
cavit ille primordia, tum prædicationibus rei præsenti accommodatis, tum Processionum complurium solennitate, & supplicationibus publicis, ut aut tanti mali finem Deus annueret, aut pœnitentiam aspiraret, quæ malum ipsum bene verteret. In una harum Concionum non toto horæ spatio in- Regest. l. 11.
teriere ex ea lue octoginta homines, stante & im- Epist. 2.
pavido inter has ruinas summo Pastore, & de concionibus, de supplicationibus nihil remittente, donec ultricem Dei manum exarmaret, pacemque & sanitatem plebi suæ recuperaret. *Intra unius horæ spatium octoginta homines ad terram corruentes spiritum exhalarunt. Sed nequaquam destitit facundissimus Rhetor populo prædicare, ne ab oratione cessarent, donec miseratione divina, pestis ipsa quiesceret.*

VI. Illud admiratione profectò dignissimum, quod dum ipse gregis se saluti Gregorius impenderet, necdum suæ in Pastorem acquieverat electioni, eamque fovebat adhuc spem, fore ut Imperator Mauritius alium eligi juberet. Machinas enim non paucas ad id ipse instruxerat. Ita de tota Pontificatûs pompa & gloria, unum erat quo Gregorius duceretur, unum quo se oblectaret, tempore pestilentiæ cum grege suo residere, & in ejus salutis procuratione mortem oppetere. Nec Clericos, nec Laïcos ad fugam invitabat Gregorius, adeo non de fuga ipse cogitabat. Insidebat forsan jam tum ejus animo illa eadem Gregorii II. Papæ sententia, ad consultationes Bonifacii Archiepiscopi Moguntini rescribentis, stultum esse si quis elabi se posse speret manibus omnipotentis & ubique præsentis Numinis: atque adeo qui in Monasteriis, vel in Clero jam atrociter grassata pestilentia superstites adhuc erant, iis non de fuga, sed de demerendo precibus Numine cogitandum esse. *Adjecisti etiam quod si pestifer morbus aut mortalitas in Ecclesia vel Monasteriis irrepserit, hi quos nondum tetigit, an debeant à loco fugere,*

evitantes periculum. Quod valde fatuum videtur: non enim valet quisquam Dei effugere manus. At verò quod ad Episcopos attinet, certior factus Gregorius ardere Narniensem civitatem pestilentia, ad Episcopum perscripsit, tantò magis infatigata vigilantia instandum ei esse ad Romanos, Longobardos, Paganos & hæreticos ad fidei & pietatis lucem revocandos. *Nulla ratione cessetis.*

L. 2. Ep. 2.

VII. Albigensis sanctissimus Episcopus Salvius non modò de fuga non cogitabat, etiamsi maximam jam suæ civitatis partem lues esset depopulata: sed irrequieto studio & conatu impellebat superstites omnes, ut precibus & vigiliis contenderent ad æternitatis sibi januam patefaciendam. Ita enim testatum facit Gregorius Turonensis: *Invalescente apud Albigensem urbem inguinario morbo, & maxima jam parte de populo illo defuncta, cùm jam pauci de civibus remanerent, vir beatus tanquam bonus Pastor nunquam ab illo loco recedere voluit, sed semper hortabatur eos, qui relicti erant, orationi incumbere, ac vigiliis instanter insistere, dicens: Hac agite, ut si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in judicium, sed in requiem introire possitis.*

L. 7. c. 1.

VIII. Ex eodem autem Gregorio Turonensi, cùm Theodorus Massiliensis Episcopus ejus mali flammas cerneret civitatem suam quaqua versum depascentes, in eam se impiger intrepidusque conjecit, & in Basilica sedens sancti Victoris strenuè adeo vigiliis & oratione certavit, ut exterminatoris Angeli gladium constringeret tandem & cohiberet. *Velut in segetem flammâ accensâ, urbs tota morbi incendio conflagravit. Episcopus tamen urbis accessit ad locum; & se intra Basilica sancti Victoris septa continuit, cum paucis qui tunc cum ipso remanserant, ibique per totam urbis stragem orationibus ac vigiliis vacans, Domini misericordiam exorabat, ut tandem cessante interitu, populo liceret in pace quiescere.*

L. 9. c. 21.

IX. In Concilio Toletano XVI. observatum est eò non advolasse Episcopos Provinciæ Narbonensis, quanquam illud esset Universale Concilium, propterea quod illas regiones popularis lues corripuisset, nec fineret Pastores à gregibus suis discedere.

Can. 13.

X. Cùm Alexandrinam civitatem mortalitas ingens vastaret, Joannes ille ab eleemosynis cognomen nactus longè splendidissimum, ejus urbis Patriarcha, multis documentis approbavit, quàm non sua tantùm, sed & seipsum cuperet ovium saluti impendere. *Multoties assidebat & his qui morituri vexationem in exitu animæ patiebantur; & ipse eorum oculos propriis manibus claudebat.*

Vita ejus c. 24.

XI. Venio ad persecutiones, bella & publicas calamitates, quibus coguntur quandoque Antistites, cælesti etiam charitate inflammatissimi, sese subducere, cùm & nulli tunc usui futura esset eorum præsentia, possitque multò fructuosior postea esse, postquam remiserit procella. Hunc modum tenuit Joannes idem Patriarcha Alexandrinus, quando occupata à Persis Alexandria & Ægypto, tempestivum tunc esse censuit, illi parere ut Christi præcepto, jubentis civitate ex una in aliam confugere, ubi instaret persecutor. Secessit ergo ille in Insulam Cyprum, quæ patria illi erat, & quæ tumulus illi fuit, evocante eum non multò pòst Deo ad immortales tot laborum coronas. *Quando futurum erat ut traderetur Alexandria Persis, reminiscens Pastor dicentis, Cùm persecuti vos fuerint in civitate ista, fugite in aliam: fugam arripuit in propriam patriam, videlicet in Cyprum, in civitatem suam.* Nec

Ibid. c. 48.

nus fugit in dubium vocatam fuisse à Baronio hanc sanctissimi Patriarchæ fugam; sed ejus argumentis in contrarium abundè visus est nobis Rosweidus satisfecisse. Enimvero gravissimo damno affectum fuisset Romanum nomen, si Patriarcha Alexandrinus à Persis Ægyptum perpopulantibus comprehensus fuisset, & in Persidem abductus. Erant enim tunc Patriarchæ uno Imperatore minores, cæteros supra omnes Imperii Proceres eminentissimi.

Baron. an. 620. n. 6. 7.

XII. Longè alia fuit posterior Vandalorum in Africa persecutio, cum Catholicæ illi fidei potissimum insidiari cœpere. Itaque Catholici hic Episcopi adeo non fuga sibi consulebant, aut vel tantillum torrenti cedebant persecutionis, ut constituerint, quanquam vetantibus & contrà nitentibus Vandalis Principibus, Episcopos creare novos vacantibus omnibus Ecclesiis, certa spe aut mitigandi paulatim Regis Vandali obsequio & humanitate sua, aut superandæ sævitiæ ejus patientia sua, interim verò nullo non subsidio juvandæ plebis Catholicæ. *Definierunt adversùs præceptum Regis in omnibus locis ordinationes celebrare Pontificum, cogitantes, aut Regis iracundiam, si qua forsitan existeret, mitigandam, quò faciliùs ordinati in suis plebibus viverent: aut si persecutionis violentia nasceretur, coronandos etiam fidei confessione, quos dignos inveniebant promotione: ministerium verò suum faciliùs impleturos, atque inter ipsas tribulationes propriis plebibus solatia præstituros.*

Cap. 6. 20.

Ita Ferrandus Diaconus in vita B. Fulgentii. Ubi & illud subjicitur, Episcopos hos numero supra sexaginta, in Insulam Sardiniam deportatos fuisse; quò tamen non excutiebatur eis cura propriorum gregum, ad quos subinde perinde, ut necesse erat, exhortationes, præceptiones, correptiones mittitabant. *Præter istas publici status Epistolas, si quis fortè ex Episcopis absentem plebem suam corrigere vel monere voluisset, ad B. Fulgentium accedebat, & per ministerium linguæ ejus, officium suæ dispensationis implebat.*

XIII. Laurentii Mediolanensis Episcopi constantiam summis laudibus extulit Ennodius, quando Mediolanensis regio hostilibus incursationibus convulsa obrutaque est. Præsens & ingemiscens tantæ calamitati piissimus parens, passus est unus ipse, quidquid filii ipso spectante passi sunt. *Cùm hostilis irruptio, more pecorum, Christianum populum per diversa distraheret, in variorum generibus cruciatuum capiebaris in omnibus, tu paterna conventus pietate, sustinebas tormenta multorum; ut ait Apostolus, Quis vestrûm scandalizatur, & non ego? Inter ista tamen fructum se non vidit adversitas; hoc triumphis suis decerpi sensit inimicus, quod capti Sacerdotis animum non subegit.*

In Natali Laurentii Med. Episc.

XIV. Aprunculus jam nobis suprà memoratus est Lingonensis sanctissimus Episcopus, qui sentiens suspectam esse Burgundis suam fidem, & necem illus sibi machinari, Arvernum fugit, Francicæ ditionis civitatem, ubi non multò pòst Episcopus creatus est. Eadem fuit causa justissima beato Quintiano Ruthenensi Episcopo, discedendi ab Ecclesia sua, ut qui comperisset insidiari sibi Gothos, tanquam Franciæ dominationis cupidiori. Cùm unus impeteretur Episcopus hujusmodi persecutionibus omnibus, erat utique consultissimum, ut fuga vel sibi consuleret, vel hostibus ipsis suis subduceret infandæ cædis materiam, vel ne denique sæviorem quandam procellam in omnem plebem suam accelerare.

XV. Haud facilè dixerim, an æquè justæ causæ impulerint

impulerint ad fugam Vilicarium Viennensem Episcopum, solis suorum civium rapinis & sacrilegiis in fugam actum, nempè impatientissimè ferentem expilatas ab illis Ecclesias omnes, quarum in fundos ipsos involabant, fœdissimis rapacitatis suæ vestigiis sacra avitæ pietatis & liberalitatis monumenta contaminantes. Audiendus hic Gregorius Turonensis: *Cùm furioso & insano satis consilio Franci res sacras Ecclesiarum ad usus suos retorquerent, videns Vilicarius Viennensem Ecclesiam suam indecenter humiliari, relicto Episcopatu, in Monasterium sanctorum Martyrum Agaunensium ingressus, vitam venerabilem duxit. Vastata & dissipata Viennensis & Lugdunensis Provincia, aliquot annis utraque Ecclesia sine Episcopis fuit, laicis sacrilegè & barbarè res sacras Ecclesiarum obtinentibus.* Hæc probabiliter censetur pestis tot devastasse Ecclesias, quæ tum viduatæ squallebant, cùm beatus Bonifacius in Gallias, ut eas restauraret, à Pontifice ablegatus est. In Hormisdæ Papæ vita ab Anastasio Bibliothecario observatum est, sub ejus Pontificatu restitutum fuisse in Africa Episcopatum, ab hæreticis ante annos ferè octoginta exterminatum. *Hujus temporibus Episcopatus in Africa post annos 74. revocatus est qui ab hæreticis exterminatus fuerat.* Si æqua lance pendatur hoc loco Afrorum & Francorum Episcoporum factum, facilè vincent Afri, qui frustra frementibus & omni cruciatuum genere insanientibus hæreticis, novos ubique Episcopos restituerunt; Christi Ecclesiæ, quam suæ, vel vitæ, vel libertatis amantiores: ubi Gallicani hi Præsules una maxime temporalium bonorum jactura usque adeo consternati sunt, ut Ecclesiis suis aufugerent, eamque illis inveherent orbitatem, qua funditus mox disciplina morum convulsa & obtrita concidit.

Greg. Turo. L. 2. c. 35. 36.

XVI. Laurentius, Mellitus & Justus, Anglorum Episcopi, qui commilitones fuerant Augustini, Laurentius etiam successor in sede Cantuariensi: justiores habuisse videbantur causas abeundi ex Anglia, ubi non infructuosus tantum esset labor, sed pene noxius, tantò magis obdorescentibus ad Verbi divini prædicationem Barbaris. Beda rem narrat his verbis. *Decretum est communi consilio, quia satius esset, ut omnes in patriam redeuntes, libera ibi mente Domino deservirent, quam inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent. Discessere itaque primo Mellitus & Justus, atque ad partes Galliæ secessere, &c.* At ubi Mellitus & Justus in Gallias deflexere, quò & Laurentius mox erat venturus, visendum se huic in somnis obtulit B. Petrus, cùm in ejus Ecclesia somnum caperet: verbisque verbera adjiciens, exprobravit fugam, gregisque proditi dissipationem; cùm suis potius insistere debuerit vestigiis, tot carceres & vincula, cruciatus & mortem ipsam expertis, ne à grege quem sibi Christus commendaverat recederet. *Flagellis acrioribus afficiens sciscitabatur, quare gregem relinqueres, vel cui Pastorum, oves Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret. An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro parvulis Christi, quos mihi in indicium suæ dilectionis commendaverat, verbera, vincula, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis, ab infidelibus pertuli.* Notas & cicatrices verberum ab Apostolo inflictorum pagano Regi ostendit Laurentius, quibus ille perterritus, Christi fidem complexus est, Mellitum & Justum revocavit, propriisque reddidit Ecclesiis Londinensi & Roffensi.

L. 2. c. 56.

CAPUT LXIX. *P. 3. l. 2. c. 59.*

An morbi, pestilentiæ, bella, justæ & probabiles fuerint causæ non residendi, sub Imperio Caroli Magni, & ejus stirpis.

I. Ægrotante Episcopo, ejus Ecclesiam administrat Metropolitanus in spiritualibus, res temporales regunt ministri ab utroque delecti.

II. Ita ægrotanti Episcopo à Diœcesi discedendum non erat.

III. Nec sævientibus bellis ab ea poterat ille divertere.

IV. Quanquam devastata fuerit civitas, si qui modò superfint cives.

V. VI. Dum civilia furerent bella, aut irrumperent Barbari, quæ consilia secuti sint Episcopi nostri. Quæ afferre debeant his luctuosis temporibus Episcoporum consilia, & Provinciæ Præsidum.

I. VEriti sunt domini temporales in Concilio Meldensi anni 845. ne Oeconomos in Ecclesiis vel constituerent ipsi, vel à Clero populoque eligi facerent, præter Episcopi voluntatem: si ex morbo autem tam gravi decumberet Episcopus, ut officio fungi non posset, tum Metropolitani eas partes forent, ut cum Episcopi assensu rem perficeret. Quod ad militaria autem munia, quæ Reipublicæ præstanda essent, ea Episcopus morbo quopiam conflictatus exequeretur per idoneos laicos Clericosque cum consensu Metropolitani electos, & ea animi præditos moderatione ac temperantia, ut ne furtiva spe illudi se sinant succedendi in Episcopato. *Si Episcopus ministerium Ecclesiast cum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiscopi hoc, cum Episcopi ejusdem Ecclesiæ voluntate, maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat. Obsequium verè ad Rempub. pertinens, qualiter exequatur, per tales ex subditis & Ecclesiasticis Ministris, cum consensu Archiepiscopi, propter pacis caritatisque custodiam, Episcopus ordinet ac disponat, quos succedendi in Episcopatu appetitus indebitus non elevet, neque vexet.* Si Metropolitanus autem ipse ea morbi acerbitate lecto affigatur: eadem ipse curabit omnia cum consilio Comprovincialium Episcoporum. *Consilio Coëpiscoporum suorum ordinationem talem exhibeat.* Can. 47.

II. Hinc illud perficitur non relaxari morbo quolibet residentiæ Episcopalis vinculum, cùm vel tum possint Præsules spiritalibus æquè & temporalibus præesse rebus Episcopatus sui, cum consilio Metropolitani, & idoneorum opera vicaria Ministrorum. Nec obstrepit, quod de Hermanno Nivernensi Episcopo dictum est superius. Non permissus est enim nisi ad breve tempus Agendicum Senonum divertere, ut necessariis à proprio Metropolitano institutionibus & documentis instrueretur, utque ne interim Ecclesiæ suæ offendiculo esset, cùm vi morbi quandoque mente alienari videretur.

III. Hostium & Nationum maximè Barbararum irruptionibus excusatius videntur Episcopi suis abesse vel fugati Ecclesiis. Ea de re cùm Nicolaum I. Papam percontatus esset Hunfredus Episcopus Teroanensis, rescripsit ille, Ne tranquillo quidem mari Nauclerum à gubernaculis posse recedere, nedum procelloso. *Si pernitiosum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus?* Non quo temerè se quisquam objicere periculis debeat, aut non aliquando fugerint ipsi Apostoli; sed nunquam Pastori fas est à grege recedere. *Sed quod præcipuè nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus* Conc. Gall. To. 2. pag. 350.

Non

præbemus, immo qui & horum Pastores sumus, Deo authore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat.

IV. Hanc quæstionem versavit non semel Hincmarus, ubi potissimum de translatione egit Actardi Nannetensis Episcopi, qui Episcopatu suo pulsus ab Armoricæ Duce Nomenoio, & à Carolo Calvo Rege postea restitutus, à Salomone Tyranno rursum ejectus est. Tunc ut antè monuimus, eum Rex temporalia donavit Teroanensis Ecclesiæ administratione, tum denique postea ad Turonensem Metropolin transferri à Pontifice curavit. Quanquam Actardus contenderet civitatem Nannetensem usque adeo à Normanis & Britonibus desolatam fuisse, ut sedem ibi figere nequaquam posset; accipiebat ex adverso Hincmarus eam ipsam devastationem Ecclesiæ Episcopi maximè præsentia indigere, qui eam foveret, curaretque, quandiu fideles ibi superessent aliqui, quibus ope, consilio, solatio adesse posset Episcopus. *Cùm sicut vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, quandiu uxor ejus licet infirma vivit; ita & Episcopus non habet potestatem, Ecclesiam videlicet plebem suam deserere, & alteram invadere, quandiu sicut sanctus Augustinus dicit, in ea residui sunt conservi sui, quibus præbeat cibaria, quos aliter vivere non posse novit.* Ne penuria quidem vult Hincmarus relaxari Episcopum urbis eversæ, vel à residentia, vel à cæteris officiis suis; cùm possit victum tolerare opere manuum suarum, fidelium oblationibus & eleemosynis; quibus interim suppeditabit Verbi divini pabulum, & ea quorum administri soli sunt Episcopi cœlestia sacramenta. Sana est & luculenta Hincmari hæc doctrina, quanquam non immeritò diffidamus, eam Actardo aptari potuisse, cui tot aliunde Pontifices & Concilia suffragabantur.

Hincmar. To. 2. pag. 749. 417. 419.

V. Non paulo plus negotii Hincmaro facessiverunt civilia bella Francorum Regum, tunc vel maximè cum Ludovicus Germaniæ Rex in Regis Caroli Calvi germani sui regnum invasit, velut suo potius censui & dominio ascribendum: *Inter duos Reges carne fratres, de hoc regno in quo degimus satagentes, velut inter malleum & incudem, Episcopi sumus.* Et fidenter tamen ab Hincmaro pronunciatum est, quantumcumque Episcoporum cervicibus periculum immineret, inter hæc intestina dissidia, non posse ab iis greges proprios deseri citra ingens piaculum. Et doctrinæ cùm plura astruxisset ex Ambrosii, Augustini, cæterorumque olim Ecclesiæ Patrum verbis & exemplis; addit & beati Nicasii Remensis Episcopi exemplum, qui irrumpentibus undique in has regiones Vandalis, non fidem Christi tantùm, sed & suam Episcopalis residentiæ constantiam illustri Martyrio consignavit. *Sanctus Nicasius tempore Vandalorum, in generali persecutione, suam non deseruit civitatem, & intra parietes Ecclesiæ, martyrio meruit coronari.* Addit & Aniani Aurelianensis Episcopi, & Lupi Tricassini, & Remigii Remensis exempla; qui postremus adeo non fugit, cùm Franci tunc adhuc pagani in Galliam se infuderunt Belgicam, ut ex hostibus Ecclesiæ filios præstiterit longè carissimos & religiosissimos. *Sic sanctus Remigius Remorum Episcopus supervenientibus Francis paganis, in Belgicam suæ Diœceseos Provinciam, Ecclesiam suam non deseruit, sed orationibus & sanctis exemplis ferocitatem gentis perdomuit, gentem paganam convertit: & tria millia paganorum unà cum Rege in vigilia Paschæ ad gratiam Baptismi perduxit.* Francicæ ergo gentis & Clodovæi ipsius conversio accepta referenda est constantissimæ B. Remigii residentiæ in Ecclesia sua, dum bella, dum cruciatus, dum mortes undique concreparent.

Ibid. p. 160.

VI. Hæc Hincmari universim sententia est, ex qua intelligis, illa virtutum dogmatumque lumina, ab Ambrosio olim, Augustino, aliisque Patribus ostensa & illustrata, nullo sæculorum lapsu, non morum corruptela, non Clericorum remissione & ignavia potuisse opprimi, sed inextincta ad nos pervenisse. Sed quod ad illam attinet specialem causam quæ de tunc agebatur, pari sapientia & animi magnitudine respondit Hincmarus. Vult enim Episcopos in Regis fide constantes & inconcussos stare, nec tamen usitatissimam humanitatem subtrahere alteri Regi, qui suo quasi jure regnum sibi repetere videtur; cùm Comitum sit, Præsidumque Provinciarum & Civitatum propulsare publicos Regni hostes; Episcoporum autem muneris sit Basilium imitari, qui perhonorificè Julianum excepit Apostatam, certus reddenda Cæsari, quæ sunt Cæsaris; Deo autem fidem uni ei debitam servandam esse illibatam. *Videlicet si supervenerit Rex alius in regnum Senioris nostri, & non fuerit militaris manus quæ ei resistat, sequamur nos Episcopi, & in ordinatione ordinis nostri, & in conservatione fidei erga Seniorem nostrum, patrum vestigia; & in receptione & in cæteris munus placationis erga superventurum Regem, videlicet in receptione. Legimus enim sanctum Basilium cum Clero suo supervenientem etiam Julianum Apostatam honorabiliter recepisse, & non ob id ab orthodoxa fidei regula deviasse, sed quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Deo, quæ Dei sunt, reddidisse.* Ibid. p. 176.

Scripta mandata est à Flodoardo irruptio Vandalorum in Gallias, obsidio Remensis civitatis, Nicasii constantia & Martyrium, nec non & aliorum Clericorum quorumdam, qui Nicasii exemplo in urbe permanserant. Sed paulò copiosiùs prosecutus est is Scriptor, quibus se rationibus constringi duxerit Præsul sanctissimus, ut ne divelli se sineret ab Ecclesia sua, eo tempore potissimum, quo omnibus ad salutem Præsidiis solatiisque instruenda esset. L. 1. c. 6.

CAPUT LXX. *P. 4. l. 2. c. 83.*

De Residentia pestilentiæ tempore & Bellorum post annum Christi millesimum.

I. Satis non erat causa in persecutione, ut Episcopi Ecclesiis suis discederent, & minus residerent.

II. Cùm gregem æquè ut Pastorem lacessit persecutio, nec fugere potest Pastor, nec abesse.

III. Implacata Magnatum inimicitia excusare possunt Episcopi absentiam.

IV. De cœli inclementia, & intemperie.

V. De tempore pestilentiæ. Mira & stupenda B. Caroli Borromæi constantia. Episcopi & Parochi tunc vel maximè residere tenentur.

VI. Exempla alia sollicitudinis pastoralis & charitatis. Decreta Concilii V. Mediolanensis.

VII. Exempla Græcorum.

I. HUjusmodi tempestates, quæ in Episcopos maximè irruunt, expertus non semel Ivo Carnutensis, à sententia tamen illa non recessit, ne tum quidem ab Ecclesiis & à residentiæ vinculis subducere se debere Episcopos, nisi eos morbo vehementissimus & inevitabilis necessitas gremio ejiciat Ecclesiarum suarum. Frequens in eum Principis excandescentia, qua de supra, & hinc emergentes

amaritudines, cladesque faciebant, ut Episcopatus illi & videretur esse, & esset onus, crux, tempestas, & naufragium: sed altissimè infixum illud animo gerebat, nec præisse se divinæ voluntati ad ineundum Episcopatum, nec ad eum exuendum præire eidem se debere, sed subsequi, obsequique: tam adversa, quàm læta æquo animo accipere; & Christi osculari vestigia, qui non sibi, sed nobis & vixit & mortuus est, quia Dei unius jussu & charitate vixit & mortuus est. *Quid sibi Episcopatus, nisi cruciatus? quid aliud est hic honor, nisi onus? quid est hac sublimitas, nisi naufragosa tempestas?* &c. *In hac mea deliberatione plurimùm mihi placet illa sententia, ut summopere optem mihi occasione justitia aliquam inferri violentiam, ut exoneratus sarcina Pastorali, vertere me possim quò invitat honestum otium plenum dulcedinis,* &c. *Sed rursus in hac sententia quodammodo mihi displiceo, timens voluntatem Dei non sequi, sed prævenire meo desiderio. Et tandem securè mihi consulit ratio, ut sicut non præveni voluntatem Dei Episcopatum ambiendo, sic non præveniam contemnendo: sed voluntati Domini in omnibus obnoxius, de manu ejus æquo animo suscipiam prospera & aspera, secundùm illud Apostoli: Nemo nostrûm sibi vivit, & nemo sibi moritur, sed ei qui pro ipsis mortuus est.*

Epist. 17.

II. Pertinent hæc quidem ad spontaneam Episcopatûs resignationem. Sed his ipsis cogitationibus fovendus, his consiliis muniendus est animus, ut ne quis necessitati se subfuretur residentiæ, dum ita persecutio Episcopum lancinat, ut non tamen vi allata ab Ecclesia illum sua abstrahat. Quod enim spectat ad cruentiores illas persecutiones, quæ ad gregis & Pastoris perniciem succenduntur: in unum conjecit locum Gratianus quidquid in eam rem à Sanctis Patribus disputatum est; unde illud tandem ab eo concluditur, si in unum Pastorem fremat persecutio, exemplo Christi & Apostolorum arripiendam illi esse fugam. *Cum verò specialiter quæritur, fugiat exemplo Christi, qui à facie Herodis fugit in Ægyptum: fugiat exemplo Pauli, qui à fratribus per murum submissus est in sporta. Unde Augustinus ait, Fugiat minister Christi, sicut ipse Christus in Ægyptum fugit; fugiat & qui specialiter quæritur, dum per alios firma est Ecclesia salus. Hinc etiam ait Dominus discipulis, Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Hinc etiam idem abscondit se, & exivit de Templo, quando Judæi lapides tulerunt, ut jacerent in eum.* At ubi persecutor in gregem & in Pastorem irruit, in fidem & in Ecclesiam, individuo nexu gregi suo Pastor astringi debet, & non viræ, non sanguini parcere, nisi velit inter mercenarios amandari à summo eo Pastore, qui prior pro ipsomet, & pro qualibet ovicula sua sanguinem fudit. *Cum verò non Prælatorum, sed totius Ecclesiæ salus quæritur, fides impugnatur, necesse est ut ex adverso ascendant, & in die belli se ipsos murum opponant pro domo Domini, & animas suas ponant pro ovibus suis: ut exemplo suæ passionis accendant, quos sermone doctrinæ diutius conservare non valent.* Hæc verba Gratiani, hæc novi

Gratian. 7.q.1.c.48. Juris decreta, antiquissimis Ecclesiæ legibus prorsus consentanea.

III. Magnatum & Potentum capitales inimicitiæ in persecutionibus numerari possunt; & est ubi possint satis causæ habere, ut jure laxetur nexus residentiæ. Concessit enim Episcopo Ragusiensi Innocentius III. Episcopatu ut abiret, quòd nec residere posset, immo nec eò accedere, quin vitæ discrimen adiret. *A cura Ragusiensis Ecclesiæ eum duximus absolvendum, eò quòd ibi non poterat securè mo-*

Extra. De renunt. c.9.

rari, & si accessum haberet ad illam, mortis sibi periculum imminebat. Si per capitales & interminabiles has inimicitias copia fit Episcopis omnino abeundi Episcopatu: fit certissimè etiam copia discedendi, dum detumescat furor. Subscribit Fagnanus in commentando hoc Decretalium Capite, suffragatoresque sibi asciscit Canonistas, immo & Cardinales Congregationis Concilii. Addit autem per Pastoris absentiam Vicariis Pastoribus committendum esse gregem. *Dummodò subditorum saluti per alium possit provideri; aliàs secus.*

IV. Exponitur ab aliis hæc Decretalis & periculum mortis, quod in ea agitur, de aëris intemperie, vel etiam de pestilentia. Certum est autem si usque adeo abhorreat ea cœli temperies à Præsulis valetudine, ut sine vitæ discrimine consistere non possit, non solùm posse Episcopum non residere, sed & Episcopatu posse se abdicare, eumque alicui resignare, cujus valetudo ei cœlo magis consentiat. A Congregatione Concilii pronuntiatum est, si diutina non esset cœli inclementia, Episcopo tum annuendum esse, non ut Ecclesiæ renuntiaret, sed ut aliquantos menses extra Diœcesin traduceret. Censet non immeritò Fagnanus non aliter rem se habere, si sola in Episcopali civitate illa intemperies Episcopo infesta, & capitaliter inimica sit. Integrum enim illi est, alio quolibet tuto Diœceseos loco residere. Fagnan. ibidem.

V. Pestilentia verò cùm in omnes indiscriminatim grassetur, nulla ex ea potest nasci justa causa, aut resignandi Episcopatûs, aut ab eo ad tempus recedendi, quantumvis breve. Ita Congregatio sacra Concilii Tridentini, ex Fagnano eodem, qui Fagnan. ibi. & in lib. 3.
ita responsum fuisse testatur B. Carolo Mediolanensi Par. 2 p. 79.
Archiepiscopo, qui illam consuluerat occasione ejus luis Mediolanum depascentis. Quin & ipse Pontifex Gregorius XIII. eam responsionem ratam habuit. A Pontifice & Congregatione rescriptum est B. Carolo, teneri etiam Parochos residentiæ lege strictissima, dum sæviret pestilentia, & administrandorum sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ iis etiam qui ea lue afflati essent; sive per sese Sacramenta administrarent, sive per Vicarios, ne sese iis servarent ipsi, quos ea nondum afflasset.

Ubi verò dictum est à me, ad eum modum responsum fuisse B. Carolo, non id eò pertinet, quasi ab eo addubitatum aliquando fuisset. Nec enim ea Congregationis declaratio, aut expetita fuit, aut suscepta, nisi ad abducendos ab errore, vel ab ignavia, vel à mollitie eos qui vel benevolentia, vel imperitia, vel affectu quodam carnali, enitebantur sanctissimo Episcopo suadere, non obligari eum ulla certa lege ad residentiam tanto vitæ periculo conjunctam; & quanquam posset perfectionis consilio ejus tum præsentia suaderi, non posse tamen ullo præscribi præcepto. Carolus quem plura edocuerat cælestis unctio Spiritûs, quàm consultores, vel Doctores capere illi potuissent, sapientia & magnitudine animi prorsus singulari reposuit, Etsi aliis id foret consilium perfectionis, sibi præceptum esse, cùm Episcopalis ordo statio sit perfectionis, non quærendæ, sed partæ jam & acquisitæ. Hoc sanctissimi Præsulis oraculo obturatum est os mollibus & inconsultis Consiliariis, curriculum verò initum est longè pulcherrimum virtutum omnium Episcopalium, quandiu ea Mediolanum calamitas depasta est.

VI. In Concilium V. Mediolanense anni 1579.

conjectæ Constitutiones sunt complurimæ & mirandæ prorsus, à B. Carolo scilicet libratæ & temperatæ, ad res omnes tempore pestilentiæ moderandas. Sed inculcata ibi potissimum est illa residentiæ Pastorum tum maximè inexorabilis necessitas, cum & tot amoliri mala datur, & tantum bonorum infundere gregibus. Ibi expromuntur celeberrima exempla sanctissimorum olim Præsulum, Cypriani, Basilii, Nicolai: quibus accedunt & duo Archiepiscopi Mediolanenses, qui ante Carolum eadem lue sæviente charitatis suæ flammas sparserant, exemploque suo Parochos omnes incenderant. Hadrianus VI. Papa urbis Romæ mænibus non excessit, dum pestilentia serperet, ne magnopere quidem laboravit, ut sese muniret adversùs mali contagium, mirum prorsus summæ in summa Sede fortitudinis & charitatis documentum.

Constit. Part. 3.

Rainal. an. 1522. n. 17.

VII. Heroïcas hujusmodi virtutes delibaverant & Græci. Texuit Nicetas Choniates encomium Eustathii Archiepiscopi Thessalonicensis, qui cùm posset antè urbe excedere, quàm obsidione circumvallaretur, sponte sua includi cum grege suo maluit, ut nullo ei tum spirituali, tum temporali subsidio deesset.

In Andron Comne l. 1 pag. 198.

Absoluti à residentia Professores, Studentes, Canonici aliqui.

CAPUT LXXI. *P. 4. l. 2. c. 72.*

A lege residentiæ soluti Professores aliqui, Studentes, Canonici, post annum Christi millesimum.

I. Alexander III. & Concilium Lateranense III. Professores Theologiæ relaxarunt a lege residentiæ.

II. Innocentius III. & Concilium Lateranense IV. eidem dispensationi subscripsere.

III. Ante Alexandri III. tempora cum studentibus dispensabatur de residentia.

IV. Famosum Honorii III. decretum, quo ea dispensatio residendi Professoribus & studentibus relaxatur.

V. Observationes in id Decretum.

VI. Confirmatio antedictorum. De Parochorum absentiâ in dispensatione.

VII. Immunitas Archidiaconorum qui juri studens.

VIII. Ampliatio ejus immunitatis ad professores aliarum facultatum.

IX. Confirmatur à Concilio Tridentino Decretum Honorii III. Cur à Concilio non excludantur ea immunitate Parochi, qui iidem sunt Professores. Declarationes Congregationis Concilii super ea re, & non annullis aliis.

X. Decreta Conciliorum Provincialium, Tridentino posteriorum.

I. DE Episcoporum residentia & residentiæ dispensationibus canonicis multa superiùs disceptata sunt, quæ & ad Beneficiarios minores permanare possint. Sed ad hos specialiter aliqua pertinent, quæ copiosiùs hîc & accuratiùs tractari consentaneum sit. Primum illud est, quod ad Professores & ad Studentes pertinet. In Concilio enim Lateranensi III. anno 1179. sub Alexandro III. cœptum est deliberari de sustentatione Professorum, ut vacare possent instituendis pauperibus, pauperibus maximè Clericis, à quibus mercedis nihil acciperent, saltem nihil exigerent. Ad id duo quædam à Concilio constituta sunt. Primum quidem, ut nihil extunderetur à Professoribus, ad impetrandam docendi licentiam. *Pro licentia verò docendi nullum pretium exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis, ab iis qui docent, aliquid quærat: nec docere quemquam petita licentia, qui sit idoneus, interdicat.* Ea tunc ergo erat Magistrorum & Doctorum penuria, ut qui se cumque ad docendum paratos ostenderent, admittendi omnes omnino essent, ex Statuto hujus Concilii, nec abjici quisquam posset, qui modò idoneis doctrinæ præsidiis instructus esset. Alterum quoque illud in hoc Concilio decretum est, ut institueretur, vel restitueretur Professor, qui pauperes Clericos edoceret; à quibus nihil emungeret salarii, ideoque aliquo antè Beneficio donaretur. *Ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi & proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque Ecclesiam Cathedralem Magistro, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ & Scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod Beneficium assignetur, quo docentis necessitas sublevetur, & discentibus via pateat ad doctrinam.* Can. 18.

Siluit hoc Concilium cujusmodi Beneficio instruendi essent Professores. Sed cùm in unaquaque Cathedrali instruendi illi essent, & sustentandi Beneficio quopiam: propè abest à vero permissum fuisse Capitulis, ut eo Professores etiam Beneficio donarent, cui residentiæ lex innexa esset, cùm non alia ferè sint Capitulorum Beneficia. Adde quod nondum tunc adeo pervagata erat, atque postea fuit, distinctio Beneficiorum residentiæ nexu astrictorum, aut solutorum. Vigebat adhuc utcumque priscus usus, omnes ut prorsus Beneficiarii residerent. Cùm ergo docendi publicè munus, & assidua ad horas canonicæ psalmodiæ præsentia sociari non possint, vix ac ne vix quidem poterant Professores Beneficiis augeri, quin à residentiæ vinculo absolverentur, aut saltem ab assidua illa divinorum Officiorum frequentatione.

Initiata est ergo jam tunc Professorum immunitas residentiæ; sed initium id tantùm, & velut rudimentum erat. Idem quippe Alexander III. rescripto ejusmodi celeberrimum tunc Doctorem Girardum recreavit, quo indulgebat, ut absens gauderet spatio quatuor annorum, proventibus suorum in Anglia Beneficiorum. Ea Girardus præcellebat cùm doctrina, tum pietate, ut contemplatione publicæ Ecclesiarum utilitatis hæc illi concessa sit residendi immunitas. *Cùm sub magisterio tuo multi per Dei gratiam proficiant in scientia litterarum, authoritate tibi Apostolica duximus indulgendum, ut usque ad quadriennium, si scholas rexeris, reditus tui quos habes in Anglia, nullius contradictione vel appellatione obstante, liberè tibi & sine diminutione qualicumque, reddantur in scholis.* Erat hoc uni illi indultum privilegium, idque ultra quatuor annos non prorogandum. Hinc liquidum est, necdum tunc Professoribus statam & communem ac perpetuam residentiæ immunitatem concessam fuisse. Quin & alii præterea limites huic dispensationi affixi erant. Poterat enim hic Professor in Ecclesiam Beneficii sui revocari ante impletum quadriennium, si qua gravis necessitas ejus præsentiam flagitaret. *Nec cogaris intra terminum ipsum scholas dimittere, nisi alicui Ecclesiæ, in qua personatum vel magnum Beneficium habeas, ea necessitas imminuerit, quòd meritò tuam sibi debeas præsentiam & patrocinium exhibere.* Sed inficiari tamen nemo potest, has veluti prolusiones fuisse & tentamenta quædam ejus universalis & plenissimæ dispensationis, qua postea donati sunt Theologiæ Professores. Epist. 40

II. In Concilio Lateranensi IV. anno 1215. sub Innocentio III. confirmata est institutio Magistri Grammaticæ in Cathedralibus omnibus Ecclesiis; addita est autem constitutio Professoris Theologiæ in omnibus Metropolitanis Ecclesiis: utrique autem & Grammaticæ & Theologiæ Magistro, addicti sunt proventus unius Præbendæ, dum munere docendi fungerentur, etsi verè Canonici non essent.
Can. 11. *Assignetur autem cuilibet Magistrorum à Capitulo unius Præbendæ proventus, & pro Theologo à Metropolitano tantundem, non quod propter hoc efficiatur Canonicus, sed tandiu reditus ipsius percipiat, quandiu perstiterit in docendo.* Placuerat Concilio Lateranensi III. ut *competens Beneficium præberetur.* Placuit in IV. ut proventus, non Titulus Præbendæ concederetur; ne fortè titulum retinerent, qui perpetuus est, & docendi munere absisterent. Professores ergo isti ex Concilio Lateranensi IV. à residentia liberi & absoluti erant, cùm nullo Titulo Beneficii essent donati.

Sed aliquantò liberaliùs cum Professoribus, & Doctoribus agitur in eodem Lateranensi IV. eo Canone, in quo sermo est de pluralitate Beneficiorum. Prohibetur enim illud quidem, ne plura quis gestet Beneficia curæ animarum obnoxia, aut plures Præbendas in eadem Ecclesia. Sed potestas ibi integra servatur Pontifici, nobiles & litteratos viros peculiaribus ornandi privilegiis.
Can. 29. *Circa sublimes tamen & litteratas personas, quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ, cùm ratio postulaverit, per sedem Apostolicam poterit dispensari.* Vix quisquam sobrius inficiabitur, inter litteratos viros, Apostolicæ sedis Beneficiis irrigandos, facilè principem locum tenere Universitatum Professores, Theologosque, nec non & Ecclesiarum, sive Cathedralium, sive Metropolitanarum Rectores. Adde quod & dispensatio ad retinenda plura Beneficia, curæ animarum, vel aliàs residentiæ obnoxia, residentiæ quoque immunitatem necessario complectatur.

Collidi in speciem videri possunt hi duo Canones unius Concilii Lateranensis IV. Sed illa facilè sedabitur conflictatio, si perpendamus priori Canone agi de Beneficiis, vel de reditibus Beneficiorum, quibus donandi sunt & sustentandi Professores, quandiu munus obeunt docendi. At in altero Canone sermonem esse, de viris eruditione præstantibus, qui plura jam obtinuere Beneficia, & quibus ex Apostolicæ sedis gratia venia fieri potest Canonum, ut ea impunè retineant, quamvis aliàs incompatibilia, indulgentius consulente Ecclesia in eos, quorum singularis eruditio & ornamenti ipsi plurimum adfert & præsidii. Perspicuum est autem fuisse multò facilius Professoribus dari dispensationem pluralitatis Beneficiorum, vel residentiæ, quàm vel reditus, vel titulum Beneficii.

III. In dubium saltem vocari non potest, quin vulgatissima & in jus pene recepta fuerit residendi dispensatio in gratiam studentium ante tempora Alexandri III. Mandabat enim is Pontifex Archiepiscopo Eboracensi, eos pr omnes Beneficiis exueret, qui non residerent, nisi studiorum causa abessent.
Extra. De Cler. non resident. c. 4. 5. *Poterunt amoveri, nisi fortè de licentia Prælatorum suorum, vel studio litterarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse.* Et in alia ad eundem Epistola: *Liceat tibi eos Beneficiis, quæ à te habent expoliare, nisi fortè Scholasticis disciplinis invigilarent, aut, &c.* Non agit Pontifex de facultate non residendi, ut de nova quadam venia & indulgentia studentibus tunc concessa, sed ut de regula juris receptissimi & antiquæ. Si erant autem studentium dispensationes residentiæ tam familiares, tam justæ, tam antiquæ: quid professorum? Cùm manifestum sit & uberiorem esse horum utilitatem, & necessitatem certiorem. Quò enim studentium industria sine Professoribus?

Percunctatus est Innocentium III. Episcopus Altissiodorensis de Canonicis quibusdam suis, quibus permissum fuerat, Præbendarum et suarum fructus retinerent, quanquam studiorum causa abessent; quique tamen litteris vacabant in Castris tantum & villis, ubi non poterant nisi obscura quædam languere studia. *Se ad villas transferunt, vel Castella,* Ibid. c. 12.
in quibus nullum est, vel minus competens exercitium studiorum. Vetat eos Pontifex ea indulgentia posthac uti, quandiu in his latibulis furtiva & jejuna frequentabant studia. Erat ergo certum id, & extra controversiam positum in studentium gratiam privilegium non residendi, dum illustri & famosa quadam in civitate versarentur. Hinc porro non immerito forsan colliges, quòd necdum Professorum immunitas residentiæ apertius declarata fuisset, ex eo profectum id esse, quòd paucissimi Beneficiarii tantum in se oneris recipere vellent, nec nisi quos paupertas premeret, docendi sarcinam subirent. Lateranenses duo Canones, quos hic versamus, non obscurè id insinuant, & res ipsa loquitur.

IV. Ut his nimirum Canonibus Lateranensibus observandis via muniretur, promulgata est ab Honorio III. Papa famosa Decretalis, *Super specula de Magistris*, qua disertius, quàm hactenus factum esset, confirmatur immunitas Professorum Theologiæ, ut quandiu publicè prælegent, Præbendarum & Beneficiorum suorum fructibus ne fraudentur. Eodem porro Decreto constituitur, ut à Prælatis & Capitulis deligantur ex Canonicis ii, qui ingenio & acumine valent, ad litteras & ad Theologiæ doctrinam imbibendam, quam possint & ipsi aliquando copiosè haustam effundere in alios, & ex discipulis Magistri & Professores facti, Ecclesiam levent ea qua nunc laborat penuria Theologorum. Assuendus hic necessariò textus est hujus Decreti, quo pluribus mox observationibus illustrari possit. *Super specula, &c. Volumus & mandamus, ut Statutum in Concilio generali de Magistris Theologis per singulas Metropoles statuendis inviolabiliter observetur. Statuentes, ut quia super hoc propter raritatem Magistrorum se possent forsitan aliqui excusare, ab Ecclesiarum Prælatis & Capitulis ad Theologicæ professionis studium aliqui destinentur: qui cum docti fuerint, in Dei Ecclesia veluti splendor fulgeant firmamenti: ex quibus postmodum copia possit haberi Doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire: quibus si proprii proventus Ecclesiastici non sufficiunt, prædicti necessaria subministrent. Docentes vero in Theologica Facultate, dum in Scholis docuerint, & studentes in ipsa integrè per annos quinque percipiant de licentia sedis Apostolicæ proventus Præbendarum & Beneficiorum suorum, non obstante aliqua contraria consuetudine, vel statuto; cùm denario fraudari non debeant in vinea Domini laborantes.*

V. Ex hujus certè Decretalis verbis perspicuum est 1. Collimare eam totam ad Lateranensium Conciliorum, & maximè IV. Canonum complanandam observationem. 2. Collimare & ad medendum inopiæ tunc gravi & pauritati Theologorum. 3. Optatissimum fuisset, ut ex ipsis Canonicis Theologi & Professores fingi formarique possent. 4. Itaque

Canonicorum litteris incumbentium immunitas residentiæ, ad expoliendos Theologos & Professores spectat. 5. Aliquid Beneficii concedi volebat Lateranense III. Magistris Theologiæ in Ecclesiis Metropolitanis, In IV. Concilio Lateranensi soli reditus unius Præbendæ illis adsignantur, dum Scholæ præerunt. Imminebat utroque ex usu eo diverso aliquid periculi. Cui enim de Beneficio providebatur, eo retento cessare poterat à lectionibus. Ubi soli reditus Beneficii sine Titulo annuebantur, Theologi veluti vili mercede conducti, minus honorificè habebantur. Aliam iniit Honorius III. rationem, concessa residendi immunitate non studentibus tantùm, & Theologis Capitulorum, sed & Magistris Theologiæ in Universitatibus. *In Theologica Facultate. In Scholis.* Hac enim Facultate Theologica in Scholis publicis, & in Universitatibus, quæ jam tum florebant, parta est tandem ea Theologorum copia, quæ Theologos Capitulis Cathedralibus abundè suppeditaret. Ea ratione hæc immunitas Professores Theologiæ in Universitatibus potissimum complectebatur, à quibus potissimum profecta est ea Doctorum & Theologorum copia, quæ & Capitulis, & Studiis Generalibus sufficeret, qui scopus erat Honorio propositus. 6. Compendiosius fuisset Capitulis Metropolitanis, nec Beneficio, nec reditu Beneficii aut Præbendæ donare Professores Theologiæ, sed partis jam sibi Beneficii fructibus uti sinere cum immunitate residendi. Sed non absolvebat Pontifex Capitula hoc decreto necessitate Theologi sui sustentandi. 7. Eam Honorius expromit rationem communis studentium & Professorum immunitatis, quæ non potest accommodari, nisi Professoribus, Quòd fraudandi nimirum mercede sua non sint, qui Christi vineam excolunt. 8. Ideo & Professores toto quo docent temporis decursu, ea gaudeant immunitate, Studentes autem per quinquennium. 9. Siqua valuerit alicubi constitutio, vel consuetudo contraria, ea Apostolico hoc irritatur decreto, non tantùm quòd sedis Apostolicæ authoritas dominetur, sed & quòd publica Ecclesiæ utilitas augendi Doctorum numeri, longè anteponenda sit privatis decretis strictioris alicubi residentiæ, & austerioris Capitulorum quorundam disciplinæ.

Hist Univ. To. 4 pag 113. 232. 277. 295. Confirmata est autem hæc Honorii III. Decretalis compluribus posterioribus Pontificum decretis, Clementis V. anno 1308. Joannis XXII. anno 1331. Clementis VI. anno 1342. & 1346. Inaniter porro somniarunt aliqui, si idonea aliquando pullulasceret Theologorum copia, jam nihil loci huic privilegio & immunitati futurum. 1. Nec enim satis illi perpendisse videntur, quanta alibi vigeant privilegia, quamvis jamdiu exoleverit ea ratio, cui olim indulta fuere. 2. Non tam levibus momentis Ecclesiæ leges rogari & abrogari, fingi & diffingi. 3. Eam Theologorum copiam diuturnam fortè non fore, & dandam operam, ut hoc maximè privilegio diuturnitas illi concilietur. 4. Eadem ratione revocaretur & immunitas Studentium, quo quid alienius? 5. Denique vox ipsa expectanda esset Ecclesiæ, super hac vel abundantia Theologorum, vel privilegii revocatione.

VI. Non frustra dictum est à nobis, compendiosum visum fuisse Capitulis, ut ea residentiæ immunitate contenti essent Theologi, & ingenti Theologorum Professorumque paucitate factum esse, ut ea immunitas necessariis annueretur. Ipse nos addocebit Bonifacius VIII. eadem penuria Doctorum & Professorum laboratum suo adhuc ævo fuisse, quibus & à Capitulis rarò parcéque suppeditarentur, quæ essent tolerandæ vitæ necessaria. Planum id fit in eo Decreto, quo licere vult Pontifex Episcopis, ut veniam facere possint Ecclesia aliqua Parochiali nuper oneratis, quo septem adhuc annos possint vacare studiis, nec interim vel Presbyteratu initiari, vel residere cogantur, sed ut anno tantum primo Subdiaconi ordinentur. *In Sexto. De Elect. c. 34.* Suo autem hanc Bonifacius Decreto rationem astruit, quòd eo Canone Concilii Lugdunensis, quo jubebantur Parochi primo statim anno & Presbyteratu initiari & residere, perfectum esset, ut vix jam reperirentur, qui Parochiales Ecclesias administrandas suscipere vellent; quòd nimirum eo munere à studiis divellerentur, cùm destitutis à re temporali Clericis vix alia Prælati, quam Parochialia conferrent Beneficia. *Nonnullis ex tunc Parochiales Ecclesias recusantibus, legendi & proficiendi, cùm eis facultates non suppetant, nec ab Ecclesiarum Prælatis de aliis Beneficiis, in plerisque mundi partibus interdum provideatur eisdem, opportunitas est sublata, in grande universalis Ecclesiæ, quæ ad sui regimen viris litteratis permaximè noscitur indigere, dispendium & jacturam.*

VII. In Concilio Budensi anno 1279. sancitum est, ut ne in posterum Archidiaconi crearentur, nisi docti, & Juris Canonici peritia præditi, qui videlicet Ecclesiasticæ Jurisdictionis causas, quibus ex officio præpositi sunt, extricare possent. Saltem semel promoti ad id muneris, triennium totum consumerent in perdiscendo Jure Canonico, quo temporis spatio gauderent Archidiaconatûs, aliorumque Beneficiorum reditibus, non tamen distributionibus. *Teneantur ad minus triennio in Canonico Jure studere.* *Can. 38.* Et paulò post: *Indulgemus autem Archidiaconis supradictis, quod infra triennium, quo studio præfato vacabunt, Archidiaconatuum & aliorum Beneficiorum suorum fructus & proventus cum ea integritate percipiant, cum qua ipsos perciperent, si in dictis Archidiaconatibus vel Beneficiis personaliter morarentur, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis.* Ampliatio quædam videtur hic fieri privilegii, quo decorati sunt ab Honorio III. qui studiis incumbunt Theologiæ. Nam Pontificium Honorii Decretum eos tantùm complectitur, qui Theologiæ vel ediscendæ, vel edocendæ incumbunt; hoc verò Budensi Concilio, quo disciplina condebatur Ecclesiarum Hungariæ & Poloniæ, communicatur ea immunitas cum illis qui Juri Canonico darent operam. Ea voce, *indulgemus*, satis superque prodebant hujus Concilii Patres novam hanc à se indulgentiam promulgari. Ideo & eam arcto satis gyro concludunt, ad Archidiaconos, & ad triennium eam restringentes; cùm decreto Honorii III. quinquennii immunitas detur omnibus Theologici studii sectatoribus.

VIII. Latius ergo effundere hanc residentiæ remissionem ipsimet incœpere Episcopi, ea Juris Canonici communicata studiosis, immo ut probabile est etiam Professoribus. Nec facilè crediderim priores Hungariæ Episcopos hanc ampliationem immunitatis publicasse. Ut priores fuerint verò, non soli certè fuere. Ratio dispensandi eadem manabat ad Juris Canonici, atque ad Theologicæ disciplinæ sive studiosos, sive Professores; nimirum ingens evidensque utilitas Ecclesiæ, quæ citra grave damnum, nec Theologis orbari potest ad fidei dogmata defensitanda, nec Canonum & Decretorum peritis, ad disciplinæ retinendam integritatem.

Latiùs propagavit hoc privilegium Nicolaus IV.

in diplomate erectionis Universitatis Ulyssipponensis. Complectebatur illa suo sinu Facultates omnes Universitatum, *Cujuslibet licitæ Facultatis studia.* Raynal. an. 1290. n. 33. Harum Professores omnes eadem immunitate donavit Pontifex: *Statuimus, ut universi Magistri actu regentes in civitate prædicta, proventus Præbendarum & Beneficiorum suorum, etiamsi personatus & dignitates existant, quotidianis distributionibus exceptis, integrè percipere valeant.* Soli hoc privilegio exornantur Professores, sed exornantur prorsus omnes. Non recedit autem à verisimilitudine, hoc diploma exscriptum fuisse ex solenni & usitatissima formula erigendarum Universitatum, aut confirmandarum.

IX. Tridentini Patres Concilii suo quoque ævo necessariam hanc existimavere dispensationem, conscii Theologorum peritorum penuriâ nullo non tempore Ecclesiam premi. Innovatis hæc Synodus antiquis Placitis, ut Præbendæ adsignarentur Theologis Cathedralium & Metropolitanarum Ecclesiarum, innovat & statim immunitatis Decretum Honorii III. quo donantur Professores Scholarum publicarum & studentes Theologiæ. Sess. 5. c. 1. *Docentes verò ipsam sacram Scripturam, dum publicè in Scholis docuerint, & Scholares, qui in ipsis Scholis studens, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, Præbendarum & Beneficiorum suorum, in absentia à jure communi concessis, plenè gaudeant & fruantur.*

Non exprimit Tridentinum Concilium nisi lectiones sacræ Scripturæ. Nec dubium tamen cuiquam est, quin eo contineantur Theologiæ Scholasticæ prælectiones. A Congregatione Concilii declaratum est persæpè, Professores Juris canonici Beneficiorum suorum fructibus absentes frui, quanquam Præbendas habeant ea ipsa in urbe, in qua docent. Declaratum est & illud ab eadem, à Concilio Tridentino revocatum non esse Decretum Bonifacii Fagn. in l. 5. Decr. par. 2. pag. 208. 209. 210. VIII. *Cùm ex eo*, paulò antè à nobis relatum. Responsum quoque ab ea est, posse ab Episcopo permitti Professoribus Theologiæ, Beneficio Ecclesiæ Parochialis oneratis, aliquot adhuc annos profiteri, nec tamen reditibus excidere Parochiæ, nisi quantum necesse est decerpi ad Vicarii sustentationem. At verò Fagnanus idem, è quo hæc prompta sunt, in Decretalem *Super specula. De Magistris*, n. 37. narrat Pontificem sciscitanti Congregationi Concilii respondisse, Non posse Episcopum dispensare cum Parochis de residentia, ut abeant ad studia qualiacumque.

Tridentinis Patribus multa potuerunt in mentem venire, ne istud revocarent Bonifacii VIII. Decretum, Disciplinæ Ecclesiæ licèt subinfestum in speciem sit. Primùm, quòd Pontificio Decreto non fiat venia residentiæ, sed ab Episcopo fieri permittatur. Episcopalis ergo est moderaminis nihil relaxare, nihil dare, nisi ubi urgebit Ecclesiæ necessitas. 2. Episcopis solis, non aliis Prælatis ea facultas permittitur. 3. Monentur Episcopi ipsi, ne eo privilegio frui sinant, nisi à quibus sperent utilitatis plurimum ad Ecclesiam rediturum. 4. Jubentur, ut ea studia celebri quapiam fiant in Universitate. 5. Non sinit protrahi dispensationem ultra septem annos, non vetat contrahi. Hæc nos ex Fagnano, qui non dissimulat alternasse quandoque Congregationem Concilii, & quandoque censuisse ejusmodi dispensationes ab Episcopis dari non debere. Nec enim ab ipsa Congregatione concedi Parochis, nisi ad anni spatium, ut summum, quantacumque urgere videatur necessitas. Cùm Concilium denique Tridentinum voluerit Parochiales Ecclesias longo & operoso examine & concursu obtineri, & ea ratione inculcaverit Patronis, quantæ eruditionis esse debeant, qui ad Parochias præsentantur; hinc facilè concluditur jam nullos abesse posse suis Ecclesiis Parochos studiorum causâ.

Censuit eadem Congregatio Concilii, posse ab Episcopo revocari Canonicos injussu suo ad studia profectos, etsi non sine Capituli consensu, cui imponere potuit proprii lucri cupiditas, cùm absentium non pauca præsentibus accrescant. Possunt & ab eo revocari, si ingenio minùs valere eos intelligat, aut ætate esse minùs idonea, aut si rescierit seriò litteris animum eos non advertere. Fagnan. in in l. 3. Decret Part. 2. pag. 75. 76. 169. 178. ibidem. Part. 2. pag. 436. Posse denique revocari, si ministrorum inopia laboret Ecclesia Cathedralis. Et ne ministris destituatur Ecclesia, censent nonnulli binos tantùm simul ex Canonicis ad studia ablegari posse. Certissimè numerum cum commoditate debet Præsul ad modum & patientiam Ecclesiæ suæ. Nec fas est ab Episcopo ad studia publica destinari, nisi minores viginti quinque annis. Aliàs censuit sacra Congregatio, posse & adultiores aliquos mitti, dum annum ætatis trigesimum non excesserint. Censuit & ea venia Canonum uti posse consentiente Episcopo, qui nondum Presbyteri sint, ut Juri civili dent operam, dum ea studia aliquando Juri canonico famulentur. Theologi Cathedralium fructus percipiunt Præbendarum suarum; at distributiones iis tantùm diebus quibus aut docendi, aut prædicandi munere funguntur. Non poterit Lector non delectari tam illustrium Jurisconsultorum responsis, quanquam certum sit ab his abhorrere statuta & consuetudines complurium Capitulorum.

X. A Tridentino Concilio, ejusque Decretorum Declarationibus, venio ad Concilia Provincialia, quæ in eo maximè desudarunt, ut ejus Decreta religiosissimè servarentur. In Concilio Mediolanensi Cap. 17. I. sancitum est anno 1565. litteris, quæ darentur Canonicis ad adeunda studia generalia, has omnes inscribi conditiones & leges, ut Theologiæ vel Juris Canonici studiis se dederent in celebri quapiam Universitate; ut qui eam impetraret licentiam, minor esset annis triginta; ut saltem Subdiaconus primo anno ordinaretur; ut sexto quoque mense Episcopus certior fieret testimonio Professoris de studendi industria & fervore: utque in eam rem aliunde Episcopus inquireret. Nisi disertis verbis cautiones hæ illa licentiæ charta exprimantur, irrita haberi debet; si culpa sit penes impetrantem, qui muneri ipse non satisfaciat, eum teneri ad restitutionem, aliasque non residentium pœnas.

Concilium Turonense anni 1583. has easdem cautiones omnes uno Canone suo circumscripsit. *Quod si qui in celebri Universitate Theologiæ, aut sacrorum* Cap. 23. *Canonum professioni studium strenuamque operam navare desiderant, hi licentia privilegioque percipiendi in absentia fructus Præbendarum ita demum potiantur, si minores triginta annis existentes, docibiles fuerint judicati, & postquam præsentes recepti; promoti fuerint saltem ad Subdiaconatum, nec cuiquam tale indultum ultra quinquennium suffragetur.* Additur mox, ut absentes studiorum causâ Beneficiarii, quotannis strenuitatem & navitatem studendi suam testimonio scripto approbent Professoris. Concilium Aquense anni 1585. verba propemodum ipsa exscripsit Decreti Mediolanensis Concilii, paulò antè laudati, addito ut ejusmodi licentiis nunquam Parochi donarentur. *Similes autem facultates, etiam prædictis re-* Tit. de residentia. *quisitis concurrentibus, iis qui Parochiales Ecclesias ob-*

tinent, minimè concedantur. Easdem ferè conditiones complectitur Statuto suo Concilium Tolosanum anni 1590. nisi quod sinat studiis incumbi vel Theologiæ, vel Juris Canonici, vel disciplinis aliis, Clericorum officio accommodatis. *Ut vere in publico celebrique Gymnasio, Theologia, vel sacra Canonum lectioni, aut saltem aliis, quæ jure Clericis permittuntur, scientiis serio studeant.* Nec sinit ad ea studia primùm mitti, nisi qui annum ætatis vigesimumquintum nondum attigerint. In Concilio Aquilejensi anni 1596. non datur aditus nisi ad studia Theologiæ & Juris Canonici, jubeturque ut annos saltem nati sint triginta, cum primùm ad ea accedunt. Denique arcentur Parochi ab his residentiæ dispensationibus, quòd per Concursum electi, docere magis jam debeant, quàm studere.

Cap. 7.

CAPUT LXXII. *P. 4. l. 2. c. 73.*

Aliæ dispensationes residendi. De Canonicis qui Episcopum comitantur, aliisque exemptis post annum Christi millesimum.

I. Residendi immunitas duorum Canonicorum qui Episcopo assistunt, Alexandro III. vetustior est, atque ab eo confirmatur.

II. Videtur Honorius III. eam immunitatem ad duos contraxisse.

III. Cur privati sint distributionibus. Duo genera distributionum.

IV. Decretum magis propitium Concilii Mechliniensis, quo pluribus eam absentibus communicatur jus distributionum.

V. De iis quos Papa secum retinet affixos obsequiis Universalis Ecclesiæ.

VI. De privilegio Clericorum & Canonicorum Capellæ Regiæ Francorum.

VII. De Consiliariis Clericis Senatûs Regii. Quid secundùm eos, quid contra dici possit, de necessitate residendi.

VIII. An possit Metropolitanus aliquos accersere suffraganeorum suorum Canonicos, ut sibi assistant.

IX. Aliæ causæ, vel causationes non residendi. De ægrotantibus, de senibus, maximè de Parochis.

X. De iis, quibus non sunt assi Capellæ.

I. Dispensationes omnes alias jure Canonico minoribus Beneficiatis indultas hoc uno Capite complectemur, ut quas facile sit breviori limite concludi, quàm quæ ad Professores spectabat & Studentes. Initium faciemus à duobus Canonicis, quos integrum est Episcopo sibi adjungere, ad Episcopatûs clavum moderandum. Eorum residentiæ immunitatem decretis suis consignarunt Alexander III. & Honorius III. Hæc sunt Alexandri verba: *Statuimus, ne Canonicis, donec in servitio tuo fuerint, quidquam subtrahi debeat, vel auferri, quod de communicatis sibi beneficio debetur; nisi fortè sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi.* Observa hic porro non definiri ab Pontifice numerum Canonicorum, quos asciscet Episcopus, si volet, ad partem aliquam sollicitudinis suæ. Est autem veri simillimum, cùm Clerus Ecclesiæ Cathedralis Senatus semper fuerit, & Consilium Episcopi ad regimen Diœceseos, nullum tunc certum numerum præfixum fuisse, nisi quem charitas & necessitas Ecclesiæ flagitaret. Refrixit postea longo temporum decursu ea Episcopi & Capituli consensio, & necessitudo arctissima, mensarum proventuumque facta partitio est; irrepentes denique suspiciones fecere, ut statutis Capitulorum Canonici absentes mulctarentur, ne iis quidem exceptis, quos seligeret, adjungeretque sibi Episcopus, curarum consortes, laborumque futuros ministerii Episcopalis.

C. De cætero De Cler. non resid.

II. Testimonio uti possumus Capituli Meldensis, cujus statuto Canonici absentes privabantur fructibus Præbendarum, demptis dumtaxat ægrotis, necnon & quos Papa retinet suis obsequiis affixos, qui pias peregrinationes obeunt, & Studentibus. *Ut Canonici qui non resident, suarum priventur fructibus Præbendarum, illis exceptis, quos infirmitas excusaret, sive in Apostolicæ Sedis servitio contingeret detineri, quos peregrinationis labor, aut studia traherent litterarum.* Et statuto Capitulum juramento se astrinxerat, idque à Pontifice evicerat confirmari. Episcopus querelas suas in aures Papæ deposuit, qui temperamento utendum duxit, ne Episcopum justis fraudaret desideriis, & ne Capitulum jure expostularet de infrequentia Canonicorum in divinis Officiis. Ea autem fuit ratio æquabilis temperamenti, ut duos posset Episcopus adsciscere sibi Canonicos ad levamen Episcopalis sarcinæ suæ. Eo quippe numero & levari posse Episcopum, & Capitulum gravari non posse, si ex Collegio Canonicorum duo tantummodo abessent. Hæc ergo Pontifex, nimirum Honorius III. ad Episcopum Meldensem rescripsit, *Unde cùm tibi plurimùm expediat aliquos Canonicorum ipsorum in tuo servitio retinere, nobis humiliter supplicasti, ut super hoc necessitati tuæ consulere dignaremur. Volentes igitur sic Constitutionem moderari supradictam, ut dicta Ecclesia fructum sentiat ex eadem, & tu per ejus abusum dispendium non incurras, præsentium authoritate decernimus, ut duo ex Canonicis Ecclesiæ memoratæ in tuo servitio existentes, suarum fructus integrè percipiant Præbendarum.* Alterum hoc est decretum quod suprà pollicebamur. Prima verò hæc est distinctio numeri istiusmodi Canonicorum.

C. Ad audientiam. De Cler. non resid.

III. Hujus verò dispensationis eam Pontifex subjicit certissimam rationem, censendos non esse abesse Ecclesia, qui Episcopo, & Episcopatûs adsunt præstòque sunt regimini. *Cùm absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur.* Contrà autem objici posset, si absentes non censeantur duo hi Canonici, distributionibus ergo frustrandos non esse. Reponi verò vicissim posset, eam distributionum privationem non pœnæ, sed consuetudini ascribendam esse, quæ minimum primò momenti habere videretur, quòd eæ non constarent nisi rebus iis, quæ inter præsentes dispensari possent. Eam manifestè sententiam præ se ferunt hæc Alexandri III. Decreti verba: *Nec quidquam subtrahi debeat, vel auferri, nisi fortè sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi.* Nec enim ioris est absentibus servari eorum pleraque, quæ usu absumuntur. Immo ne fieri quidem persæpe posset. Prima autem ea fuit conditio ratioque distributionum.

Postea verò placuit decerni aliquid pœnarum in eos qui sua culpa abessent Cleri Officiis; eatenus in rem adauctæ sunt distributiones, ut ad tertiam redituum partem consurgerent; denique his privati absentes. Hæc jam altera & posterior ratio distributionum. Apparet quandoque tamen promiscuè habitam utramque, cùm & inopinatò utraque privari jussos, qui non abessent Ecclesia, nisi ut præstantiori aliquo obsequio de illa bene mererentur absentes, quàm ipsimet potuissent præsentes. Ecquis enim dubium esse potest, quin Canonici qui Episcopo accedunt socii participesque laborum regendæ visitandæque totius Diœceseos, plusculum Eccle-

fiæ conferant utilitatis & decoris, quàm si choro & psalmodiæ interim affuissent? Verùm hi duo Canonici carebant jam distributionibus primæ speciei, antequam secunda species in usu esset: quæ postquam in usu fuit, hominum incuriâ parum discreta est à priori specie. Potuit illud menti succurrere, ambos eos Canonicos dum obsequuntur Episcopo, non laboris tantùm, sed & mensæ participes esse, ideoque nihil habere causæ, ut distributiones desiderent. Quò referri debet & Tridentinum decretum, in præsentes tantum distributiones dispensari, & tertiam redituum partem in distributiones seponi.

Sess. 24. c. 12.
Sess. 22. c. 3.

IV. Concilium Rotomagense anni 1581. inter justas absentiæ Canonicorum causas hanc numeravit, ut Episcopo ferant suppetias, unus nimirum, vel duo, non plures ex eo Concilio. Sed Concilium Mechliniense anni 1570. non adeo scrupulosè juris se finibus claudi voluit. Statuit enim ut distributionibus fruerentur, qui negotiis distringerentur Ecclesiæ, Episcopi, Capituli, Fabricæ: item Episcopus, Archidiaconus, Pœnitentiarius, denique qui functiones aliquas suas tunc obeunt, aut Episcopo in Ordinationibus ministrant, in visitanda Diœcesi, vel alio quolibet Episcopali munere. *Ut si quis in negotiis Ecclesiæ aut Episcopi statis horis interesse nequiverit, pro interessente divinis habeatur, atque ut talis distributionibus gaudeat. Intelligit Synodus in Ecclesiæ negotiis occupari, non solum eos qui Capituli vel Fabricæ negotia tractant, sed & Episcopum, Archidiaconum, Pœnitentiarium, atque illos omnes qui propria dignitatum vel Præbendarum suarum munera obeunt, aut Episcopis ordines conferentibus, visitantibus, aut in aliis Episcopatûs negotiis occupatis adsunt, vel aliquò ab eis missi, consilium & operam suam impendunt; quos pro eo tempore, fraude & dolo seclusis, decernit pro præsentibus reputari, & omnibus emolumentis gaudere debere, sicuti si personaliter divinis interessent. Illos quoque qui sub dictis divinis officiis, aut celebrant, aut ad celebrandum se preparant, vult hæc Synodus pro eo tempore præsentes in divinis reputari, modò tamen absoluto sacrificio, sine notabili mora in chorum redeant.* Prætermittuntur hic sanè duo illi Canonici, qui Episcopo assistunt, sed non possunt tamen non illis contineri his verbis, ubi distributionibus donantur, *Qui Episcopis Ordines conferentibus, aut in aliis Episcopatûs negotiis occupatis adsunt.*

Tit. de Episc. & Capit. n. 24.
Tit. de Officio & cultu div. n. 4. 5.

V. Quos sua obsequiis mancipatos retinet Papa Canonicos, ex supra laudatis Decretalibus, pari immunitate gaudent, proventus percipiendi Præbendarum suarum. Ita Capituli Meldensis statuto, quo excludebantur, qui in comitatu & in ministerio erant Episcopi, non excludebantur tamen reditibus Præbendarum, *Si quos in Apostolicæ sedis servitio contingeret detineri.* Consimile statutum ediderat Capitulum Metense, nec exceperat quos Pontifex secum retineret Canonicos, sibi & Ecclesiæ ministraturos. Hinc illa Pontificii Decreti verba, ut ea injuria sarciretur: *Cum familiares nostri, qui circa nos se officiales exhibent universis, minori non debeant prærogativa gaudere, quàm vestrûm singuli, quorum negotia per se ipsos sæpius promoventur.* Anno 1170. confirmaverat Alexander III. statutum Capituli beatæ Mariæ Parisiensis, quo residentia relaxabatur, qui Pontifici Regique ministrabant: *Illis exceptis, qui in servitio nostro, vel Regis Francorum permanserint.*

C. Cum dilectus. De Cler. non resident.
Baluz. Miscell. to. 2. pag. 133.

VI. Opportunus hic locus est attingendi aliquid de Ministris Capellæ Regum Francorum. Citatur à Tilletio, profertur autem à Chopino Bulla Clementis VI. anno 1351. Avenione data, ubi sedebat tum Pontifex, qua conceditur Capellanis Clericisque innexis obsequio Regum Reginarumque Galliæ: *Capellani & Clerici vestris & successorum vestrorum obsequiis insistentes*, ut quandiu ministrant, fruantur reditibus Beneficiorum, Præbendarum, Dignitatumque quarumlibet, in Cathedralibus etiam Ecclesiis, etsi interim non resideant. Citatur a Tillerio & Bulla Joannis XXII. quæ idem concederet, confirmandis scilicet Bullis Alexandri IV. Martini IV. & Gregorii X. Laudatur & diploma Joannis XXIII. qui eodem privilegio uti jubebat triginta Delphini Ministros. Missas facio concessiones istiusmodi alias, Principibus aliis indultas, quòd eæ non dignitati, sed personæ hærerent. Laudat Chopinus diplomata Joannis XXII. quo privilegio donantur eodem Clerici sanctæ Capellæ Parisiensis. Citatur & à Guimierio Diploma Pii II. quo Capellanis Clericisque Regi & Reginæ ministrantibus, permittitur reditibus frui Præbendarum suarum, aliorumque Beneficiorum, licèt minus resideant; quin & Beneficia conferendi sua vice, tùm in fructu sit Collatio Beneficiorum.

Chopin. De Doman. Fran. l. 3. t. 3.
Du Tillet. Part. 1 pag. 439 440. 447. 452. 452 3. 4 5.
Guimier in Pragmat. Qualiter horæ sint dicenda extra chorum.

Irritæ quidem à Concilio Tridentino declaratæ sunt dispensationes omnes perpetuæ residendi. At illa de quibus agimus privilegia, non Ministris, non Beneficiatis indulta fuere, sed Regibus ipsis, & Reginis Galliæ. Itaque ne veri quidem simile est Tridentinis Patribus in mentem venisse de iis revocandis. Quin & illud constat, si ea revocata voluissent, non generalibus, sed expressis verbis ea illos fuisse revocaturos. Adde quod perpetua non est illa residentiæ relaxatio, de qua hoc loco disceptamus. Coarctatur enim ad tempus, ad annos, & menses, quibus illi sunt in obsequio. Cùmque tribus tantum anno quolibet mensibus ministrent, ii sunt limites satis angusti dispensationis, cùm reliquo tempore suas ad Ecclesias revolare & ibi residere teneantur. Ita disertis verbis sancitur Edicto Regio Melodunensi, quod anno 1580. publicavit Henricus III. Rex, quo Cleri Gallicani Conventus Generalis postulatis obsecundaret. *Cantores Capellæ nostræ expleto ministerii sui trimestri spatio, reliquo anni tempore residebunt in Ecclesiis Præbendarum suarum, vel quorumcumque Beneficiorum, quibus lex residentiæ affixa sit. Alioqui eorum fructibus spolientur.* Hinc perspicies post Tridentinum Concilium non excidisse Galliæ Reges vetusto privilegio suo; cùmque rescissæ non sint Tridentino Decreto nisi dispensationes residendi perpetuæ, eo perstringi non potuisse trimestrem tantum residentiæ immunitatem.

Art. 7.

VII. Sunt certè qui addubitent, an Consiliarii Clerici Parlamentorum Galliæ, ad ejusmodi privilegium aliquod sibi vendicandum, expromere possint, non congeriem tantum aliquam Senatusconsultorum, quibus eis adjudicentur Beneficiorum proventus, in quibus non resideant: sed vel Edictum ejusmodi aliquod, quale hoc Melodunense Henrici III. vel diserta privilegii alicujus Apostolici verba. Qui litem illis movent de hac immunitate, facilè illi elevari à se posse putant authoritatem judiciorum, quæ in sua ipsi causa Judices promulgant; denique plurimum illis videtur esse momenti in Edicto Melodunensi, quo cum constituatur Ministrorum Regiorum immunitas residendi, eo soli Ministri Capellæ Regiæ memorantur, non Judices ulli, aut Consiliarii Clerici.

Illud quoque seriò perpendont, quod Regio hoc Edicto Clerici Capellæ Regiæ consumpto immunitatis trimestri curriculo, suas in Ecclesias ablegantur, ut residcant, & fiat satis querelis Cleri Gallicani. Atqui Consiliarii Clerici non trimestri ministrant spatio, immò perpetua est eorum ab Ecclesiis suis absentia. Hinc & Censores illi argumentantur, & si qua fuisset id genus aliquando concessa dispensatio, eam à Tridentino Concilio revocatam fuisse, ut quæ esset perpetua. Aliquando jussi sunt etiam Senatusconsultu per induciarum tempora suas repetere Ecclesias, & residere. Hinc verò augurantur Censores, ne ab ipsis quidem dissimulari potuisse incumbentem sibi residendi legem: cui frustra sperent unius, aut alterius mensis residentia satisfieri posse. Denique non Judicum illi, sed Pontificum chartã aliqua & decreto declaratum expeterent, aut residentiæ lege solutos illos fuisse, aut ei sola induciarum residentia satisfieri.

Si his autem verbis Bullæ Clementis VI. *Capellani & Clerici vestri & successorum vestrorum obsequiis insistentes*, tam Consiliarios Clericos significari velint, quam Clericos Palatinæ Capellæ, conjecturæ hujus parum firma illis fundamenta videri solent. Eccubi enim Consiliarii & Senatores Parlamenti, Regum dicti sunt Capellani? Illud Clementis VI. diploma Regibus & Reginis commune fuit. An ergo etiam Reginis sui fuere Consiliarii Clerici? Disertis verbis Bulla ea hoc privilegium Capellanis, & Capellanorum munera fungentibus adsignat. At Consiliarii Clerici Capellanorum regiorum functiones nunquam obeunt. Cùm autem Privilegia juri communi adversentur, restringenda ea sunt potius quam amplificanda. Denique si Consiliarii omnes Clerici omnium amplissimi Regni Parlamentorum ea uti velint dispensatione, quòd & ipsi in obsequio sint Regum, verendum esse aiunt, ne plerisque Cathedralibus & Collegialibus Ecclesiis vastitas & solitudo invehatur.

Anno 1585. Henricus III. Rex Consilii sui Decreto numerum diffinivit eorum, qui hac immunitate uterentur, confirmato Edicto Henrici II. anni 1554. *Regiæ Majestatis jussu sancitur, ut Edictum anni 1554. posthac religiosissimè observetur, nimirum ut in Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus, quæ collationis regiæ non sunt, ne plures duobus sint Exempti Capellarum Regiarum: & in Collegialibus Ecclesiis, quarum Præbendas Rex confert, ne plures sint, quam quatuor. Si quadraginta & amplius numero sint Canonici, possint in iis esse Exempti sex, quibus etiam non residentibus annui reditus obveniant.* Eo edocemur, quantæ Regibus curæ fuerit, ne Exemptiones hujusmodi plus æquo increbrescant, ut quibus minuatur templorum cultus, numerusque residentium in Cathedralibus & Collegialibus Ecclesiis Ministrorum.

Memoires du Clergé. Tom 2. Part. 3. pag. 70. & seq.

Quæ à me decerpta sunt ex horum doctrina Censorum, non aliò spectant, quam ut ventilata in omnes partes quæstione, veritas facilius elucescat. Ex adverso autem hujus Senatorum Clericorum privilegii patrocinium professus est & executus Chopinus, cujus & hic verba lubentissimè ascribam. *Immo Regii etiam Senatores Clerici, propterea solvuntur continui lege ministerii in suis Sacerdotiis, quia Senatoriis Reique publicæ negotiis diutim occupantur.* Nec me præterit quod ad Capitulum Salisberiense olim perscriptum est ab Archiepiscopo Cantuariensi Huberto, cui tunc vicarium commodabat Calamum Petrus Blesensis, ut à residentiæ nexu expediret, quos Rex publicis negotiis implicabat, quosque

De sacra Polit. l. 3. c. 3. n. 17.

Archiepiscopus alligabat obsequiis Ecclesiæ, ex Canonicis etiam suffraganeorum suorum, & plures alios, de quibus infra dicemus. *Cùm ubique terrarum Majoribus reverentia debeatur, & maximè Regi tanquam præcellenti, eos qui negotia Regis aut Regni procurant, fiscalis ratio seu publica rei necessitas à lege communi eximit, cùm in omnium hominum statu vices suas sufficienter impleat, quamvis absens, qui omnium commoditatibus se impendit. Quia igitur Magistri Thomæ fides & industria multipliciter probata est in publicis Regni negotiis, quandiu in talibus se exercet, nolumus, ut ipsum ad residentiam compellatis.* His ultro citróque disputatis, tutissimum nobis & consultissimum videtur neutram in partem præcipitare sententiam, suæ illos sapientiæ & conscientiæ permittere, quorum hic res agitur, nec temerariam nobis arrogare censuram.

Petr. Blesensis. Ep. 135.

VIII. Quod ad jus attinet Metropolitani, ex Canonicis etiam suffraganeorum suorum aliquos sibi ad obsequium accersendi: accipe quæ in eadem Epistola in eandem rem affirmantur: *Scitis præterea quod de singulis Cathedralibus Ecclesiis regni possumus eos pro arbitrio nostro vocare in partem sollicitudinis nobis injunctæ, quos ad hoc magis expedire noverimus. Nec absurdum videtur, si nobis suffraganeorum nostrorum Canonici, si membra Capiti obsequantur.* Meræ, ut videtur, erant hæ delegationes, eæque temporariæ, quibus perfuncti, ad Ecclesias illi suas se referrent. Non erat autem tunc certa & constantissima lege statum fixumque in omnibus Capitulis, ut Canonici toto anno residerent. Ab Innocentio III. confirmatum est statutum Capituli sancti Aniani apud Aureliam, quo astringebantur Canonici residere saltem sex menses, vel perpetuos, vel interpolatos. Jam priùs confirmaverat Alexander III. decretum Capituli beatæ Mariæ Parisiensis, quo residere jubebantur Canonici per sex menses.

Regest. 14. Epist. 131.

Baluz. Miscell. to. 2. pag. 233.

IX. In eadem rursus Archiepiscopi Cantuariensis Epistola delibantur aliquæ residendi immunitates, quarum aliquas necdum attigimus. *Certum est, quod quidam domino Regi sunt necessarii, quidam nobis, quidam infirmantur, quidam in Scholis militant, quidam in peregrinatione sunt, quorundam Præbenda ad residentiam non sufficiunt. In omnibus his habendum est discretionis & cautelæ judicium, quatenus in singulis circa residentiæ observantiam habeatur consideratio propriæ facultatis.* Ægritudines, peregrinationes piæ, jejuniores Præbendarum reditus excusabant tum ergo suo quodam modo absentiam Canonicorum non residentium. Quod ad tenuitatem redituum spectat, Petrus idem Blesensis rescribens ad illud idem Capitulum Salisberiense, ubi Præbendam nactus erat, & quò ad Canonicam residentiam revocabatur, apertè contestabatur eò commeare, ibi residere se non posse, cùm Præbendæ reditus via pares esse possent impensis itineris. *Miror, quòd pro Præbenda quinque marcarum me urgetis ad residentiam faciendam; scientes, quod pro viatico usque Sarisberiam tota mihi Præbenda non sufficeret; quæ si insufficiens est ad viam, multo magis ad residentiam.*

Epist. 13.

A Bonifacio VIII. à residentiæ vinculis soluti fuere ægrotantes, & quos negotia Ecclesiæ occupatos habent; quin & suæ illis attributæ sunt distributiones. *Qui verò aliter de distributionibus ipsis quidquam receperis, exceptis illis, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret, ad restitutionem teneatur.*

In Sexto. C. Consuetudinem De Clericis non resid.

A Congregatione Concilii declaratum est, teneri Parochos residere, si eos morbi vis in Parochia

opprimat sua. 2. Si recuperari non possit sanitas, nisi alium in locum transferantur, potest Episcopus tres illis quatuorve menses indulgere. 3. Senio non eximuntur Parochi residendi necessitati. 4. Canonici senes & decrepiti distributionibus non fraudantur absentes, si dum valerent, residere & adesse
Fagnan. in L. 3. Decret. Par. 2 p. 78 solerent. 5. Potest Episcopus residentiæ compede solvere non Parochos, sed Canonicos, ut paratos illos habeat, & ubi volet, addicat visitationibus, Seminariis, Monialibus regendis. 6. Non potest Episcopus nisi annuas ad summum residendi inducias dare Parocho, qui non possit nisi cum manifesto vitæ discrimine residere, propter capitales & internecinas inimicitias. Si diuturniores futuræ sint inimicitiæ, hortari illum debet, ut Parochiæ renuntiet, cùm retractatæ sint à Concilio Tridentino dispensationes omnes perpetuæ residendi, justis etiam causis superstructæ. 7. Quantacumque sit cœli inclementia & aëris intemperies, quantumvis sæviat pestilentia, residere tenentur Parochi, & Sacramenta administrare Baptismi & Pœnitentiæ, per se, vel per substitutos. Ita à Pontifice & Congregatione responsum est ad consultationem sancti Caroli Archiepiscopi Mediolanensis anno 1576.

X. Restat ut paucis verbis dicamus de Capellis & Capellanis, & quæ sint horum officia. Diffinit Tridentina Synodus, obtinentes quantulacumque in Cathedralibus & Collegialibus Ecclesiis Beneficia, quibus alligata sunt onera celebrandæ Missæ, decantandæ Epistolæ, vel Evangelii, intra annum iis Ordinibus initiari debere, & ipsos per sese hæc
Sess. 21. c. 4. Sess. 24. c. 15. munia obire. *Qui Officia, Prabendas, portiones, ac qualibet alia Beneficia obtinent, &c.* Hinc perspicuum est, Capellas hoc Decreto contineri, & quibus hæc incumbunt onera, eos ad residendum, & ad hæc munera obeunda teneri. Definitum quoque illud est à Congregatione Concilii, Capellanos Presbyteros ordinari debere, & ipsosmet Missas celebrare, quæ indictæ sibi sunt, si Fundatores ita sanxerint, ut & Presbyteri sint, & sacris ipsi operentur: aut si cùm eorum Capellæ intra Cathedrales vel Collegiales Ecclesias sint, statuerit Fundator, ut Pres-
Fagnan in L. 1. part. 2. pag. 128. byteri sint. Si Presbyteratu verò initiari lege fundationis non teneantur, possunt per substitutos ut Missæ celebrentur curare.

De Synodis Diœcesanis.

CAPUT LXXIII. *P. 2. l. 2. c. 65.*

De Synodis Diœcesanis ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Harum Synodorum antiquitas, necessitas, ad promulganda Clericis Laicisque Decreta Conciliis Provincialis.

II. Ad Parochorum admonitionem exequendam.

III. Confusio, contextioque Synodorum Diœcesanarum, Provincialium & Nationalium. Abbates Laicique Diœcesanis aderant, citra jus suffragii.

IV. Synodi antiquissima Altissiodorensis Diœcesana, qua ad nos permanavit, Decreta aliqua, ex quibus de prisca ejusmodi Synodis conjicere datur.

V. Sæpissime tempore Quadragesima cogebantur.

VI. Ad Pipini usque tempora habita sunt.

I. PRovincialia Concilia Diœcesanæ Synodi sequi antiquitate & necessitate videntur, forsan & consequi. Quorsum enim Conciliorum Provincialium Decreta, legesque, si his promulgandis ad Synodos suas Diœcesanas non incubuissent Episcopi, & mox in executionem mittendis? Ita apertissimè Concilium Toletanum XVI. quo sancitur, ut unusquisque Episcopus intra sex menses post Concilium Provinciale Clericos Laïcosque suos congreget, & ad eorum quæ decreta fuere amorem observantiamque succendat. *Decernimus, ut dum in qualibet Provincia Concilium agitatur, unusquisque Episcoporum admonitionibus suis, infra sex mensium spatium, omnes Abbates, Presbyteros, Diaconos, atque Clericos, seu etiam omnem Conventum civitatis ipsius, ubi praesse dignoscitur, necnon & cunctam Diœcesis sua plebem adgregare nequaquam moretur: quatenus coram eis publicè omnia reserata, de his qua eodem anno in Concilio acta vel definita extiterint, plenissimè notiores efficiantur.* *Can. 7.*

II. Nec eo tantùm consilio aut fructu Synodos suas cogebant Episcopi, quò Concilii Provincialis statuta publicarent. Ad eas adgregabantur etiam Parochi, ut rationes regendæ Parochiæ Episcopo exhiberent, & administrandorum Sacramentorum, eo ritu & ordine, qui Rituali contineretur libro, quo donabat eos ille omnes, quos Parochos instituebat. *Quando Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum Officialem a Sacerdote suo accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant; ne per ignorantiam etiam in ipsis divinis Sacramentis offendant: ita ut quando vel ad Litanias, vel ad Concilium venerint, rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrent, vel baptizent.* *Tolet. 4. c. 25.*

III. Diœcesanæ denique Synodi Provincialibus Conciliis adprimè consentiebant. In Provincialibus Universalium, in Diœcesanis Provincialium Synodorum statuta promulgabantur. In Provincialibus Episcoporum à Metropolitano, in Diœcesanis Clericorum omnium ab Episcopo mores ad incudem vocabantur austerissimi examinis. Laïci conveniebant non pauci ad hos Conventus sacros triplicis generis, cum minoribus Clericis, cùm nullam tamen, aut hi, aut illi in partem venirent examinis, aut judicii causarum, aut rerum spiritalium. Vocabantur & Abbates, sedebantque proximi post Episcopos, sed nullo certo constare potest argumento, suffragii definitivi jure potitos esse. Quin ex adverso ne opinandi quidem facultate donantur in Concilio Hispaniæ Oscensi anno 598. uti nec Clerici secundi ordinis, qui pariter Synodo adsunt Diœcesanæ. Multò minùs ergo eo utebantur jure in Universalibus vel Provincialibus Conciliis. *In Concilio Oscensi hoc Synodus sancta elegit, ut annuis vicibus unusquisque nostrûm omnes Abbates Monasteriorum, vel Presbyteros & Diaconos sua Diœcesis, ad locum, ubi Episcopus elegerit, congregari pracipiat, & omnibus regulam demonstret ducendi vitas, cunctosque sub Ecclesiasticis regulis adesse pramoneat, &c.* *Can. 5.*

IV. Idipsum decreverat Concilium Aurelianense I. anno 511. ut Abbates Synodo adessent. *Abbates si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur. Qui semel in anno, in loco ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant.* Ex antiquis Diœcesanis Synodis una est, ut reor, Altissiodorensis Synodus, cujus ad nos manarint Decreta. Ex hac ergo de aliis conjectare datur. Aunachario ejus urbis Episcopo Abbates affuere septem, Presbyteri triginta quatuor, tres Diaconi, ut liquet ex subscriptionibus, quæ eo ordine subtexuntur. 2. Ultimo Canone astruitur authoritas Synodalium Constitutionum, Synodi totius consensione, ex quo videri

possit Abbatibus & Parochis suffragii quædam ima-
Can. 45. go concedi. *Si quis hanc definitionem, quam ex autho-
ritate Canonica communi consensu & convenientia con-
scripsimus, ac instituimus, &c.* 3. Horum statutorum
complura ad solos spectant Abbates & Monachos.
Unde indubiè colligitur Episcopali jurisdictioni
obnoxios tunc eos fuisse, Abbatibusque ipsis ulti-
mum fuisse in authoritate Episcopali perfugium,
quo Monachos suos officii sui finibus exspatiari na
Can. 23. finerent. Statuitur in hac Synodo, ut si quis Ab-
24. 25. bas inulta abire sinat gravia Monachorum suorum
flagitia, adulteria, latrocinia, proprietatem Pro-
fessioni adversam, aut Episcopum non moneat, vel
Archidiaconum, pœnitentiæ canonicæ subjiciatur,
in aliud contrusus Monasterium. Abbates, Mona-
chique prohibentur nuptiarum celebritati interesse,
aut aliquos sacro de fonte suscipere.

4. Præter hos Conventus Abbatibus Parochis-
que communes, suspicari posset aliquis alios fuisse,
ubi soli Abbates, alios contrà ubi Presbyteri soli
Can. 7. sejunctim colligerentur. *Ut medio Maïo omnes Pres-
byteri ad Synodum in civitatem veniant, & Kalendis
Novembris omnes Abbates ad Concilium veniant.* Nisi
hoc Concilium intelligas Provinciale, ubi Abbati-
bus locus erat, exclusis Parochis. Sed quid erat
causæ quamobrem Abbates Synodo Diœcesana ar-
cerentur? Et an satis validè approbari potest jam
tum affuisse Abbates Conciliis Galliæ Provincia-
libus?

5. In Synodo Diœcesana regulæ præscribebantur,
quibus causæ litesque omnes Diœceseos dirimeren-
tur. In hac ipsa Altisiodorensi Synodo Archipres-
byter unius anni suspensione mulctatur, nisi Epis-
copum vel Archidiaconum moneat de criminosa
quavis Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaco-
norum pravitate. Vetantur Clerici Clericos alios
ad Tribunalia Judicum publicorum trahere. Presby-
teris & Diaconis nefas est cuiquam litem intende-
re, quamvis ad id fratrem, aut sæcularem alium
Can. 20. quemvis possint substituere. Laïci si correptiones
31. 41. 44. aspernentur Archipresbyteri, juxta Regias leges
mulctantur.

V. In Concilio Liptinensi anno 743. præcipitur,
ut Parochi quotannis Quadragesimali tempore con-
veniant Episcopum; de fide, de moribus, de admi-
nistratione Sacramentorum ab eo examinandi. In
Can. 3. 4 Concilio Suessionensi anno 744 confirmatum est
idem Decretum, declaratumque est die sacro Cœ-
næ Dominicæ celebrandam esse eam Synodum, ut
& oleum sacrum ab Episcopo acciperent. *Et unus-
quisque Presbyter, qui in Parochia est, Episcopo obe-
diens & subjectus sit, & semper in Cœna Domini ratio-
nem & ordinem ministerii suo Episcopo reddat, & Chris-
ma & oleum petat.* De hoc videlicet Decreto agit
inclytus Martyr & Archiepiscopus Bonifacius in
Epist. 105. Epistola quadam sua. *Statuimus ut per annos singulos
unusquisque Presbyter Episcopo suo in Quadragesima
rationem ministerii sui reddat, sive de fide Catholica,
sive de Baptismo, sive de omni ordine ministerii sui.*

VI. Addit autem mox ibidem Apostolicus Præ-
sul Bonifacius, ubi primùm finem acceperit Con-
cilium Provinciale, à Metropolitano commonefa-
ciendos esse Episcopos omnes Provinciæ, ut coac-
tis Synodis suis Decreta promulgent Concilii Pro-
vincialis. *Et moneat Metropolitanus, ut Episcopi à
Synodo venientes, in propria Parochia cum Presbyteris
& Abbatibus Conventum habentes, præcepta Synodi
servare insinuando præcipiant.*

CAPUT LXXIV. *P. 3. l. 2. c. 67.*

De Synodo Diœcesana. De convocatione Parochorum per turmas & per vices in ædes Episcopi. De Collationibus Decanorum prima die cujusque mensis. De nonnullis aliis Conventibus Diœcesanis, sub Imperio Caroli Magni, ejusque Regiæ stirpis.

*I. Annuæ habebantur Synodi, quibus & Præses Provinciæ ade-
rat, ut ejus tuerentur Decreta.*
*II. Eò Parochi deducebant florem delibatum sui Seminarii
Clericorum.*
III. Regiminis sui rationes Episcopo exhibebant.
IV. Ab eoque necessariis monitis & documentis instruebantur.
*V. Id verò & diligentiùs fiebat & uberiùs, cum per turmas
discreti ad Episcopales confluebant ædes, & plures ibi transigebant
dies.*
VI. Bis anno quolibet habebantur alicubi Synodi.
VII. Statuta sua synodalia in illis Episcopus publicabat.
VIII. Conventus alii extraordinarii.
*IX. Aliæ Collationes Episcopi cum Archipresbyteris. Ut in Pa-
rochos inquireretur.*
*X. De Calendis rursum, sive de Congregationibus Parochorum
cujusque Decanatûs prima die mensis.*
*XI. Occupabantur potissimùm excutiendis Pœnitentibus pu-
blicis.*

I. SPlendidissimè jurisdictio Episcopalis in Sy-
nodis explicabatur Diœcesanis. Concilium
in Gallia sub Rege Pipino habitum Parochos Cle- Conc. Gall.
ricosque omnes jubet Synodo Episcopali se sistere, To. 2. p. 5.
cum Comite, hoc est, cum Præfecto Regio civita- Can. 3.
tis. Ab Archidiacono convocabantur. *De Presbyte-* Capitul. l. 5. c. 9.
*ris & Clericis sic ordinamus, ut Archidiaconus Episcopi
eos ad Synodum commoneat unà cum Comite.* Comitis
partes erant mulctare, qui Synodo abfuissent, &
cogere ut parerent. Si quis viribus opibusque pol-
lens, vi allata prohiberet, ne ad Synodum pertra-
heretur vel Presbyter, vel Clericus, vel incestuosus
quis, Partes Regi se sistebant, cum Apocrisiario
Episcopi: *Domnus Rex distringat, ut cæteri emen-
dentur.*

II. Aderant ergo Comites Synodo, ut statuto-
rum Synodalium executioni imminerent. Sed Pa-
rochorum præ cæteris præsentia requirebatur. Un-
de Concilium Vernum anno 755. *Omnes Presbyteri* Can. 8.
ad Concilium Episcopi sui conveniant. Pulcherrimè ta-
men Theodulphus Aurelianensis Episcopus à Paro-
chis suis ad Synodum deduci mandavit quasi flo-
rem delibatum privati Seminarii sui, binos tresve
Clericos juniores, in quibus specimen ederent cu-
ræ & industriæ suæ in fingendis formandisque Ec-
clesiæ ministris. Jussit & ad Synodum adferri libros
& ornatum Ecclesiæ, ut sacri cultûs nitor & mun-
dities in his elucerer. *Quando more solito ad Synodum* Cap. Theod.
convenitis, vestimenta, & libros, & vasa sancta, cum c. 4.
*quibus vestrum ministerium & injunctum peragitis, vo-
biscum deferte. Necnon duos aut tres Clericos, cum qui-
bus Missarum solemnia celebratis, vobiscum adducite,
ut probetur quàm diligenter, quàm studiosè Dei servi-
tium peragatis.*

III. Nec constare tantùm Episcopis in Synodo
debebat tota Parochorum ratio & diligentia in Cle-
ricorum institutione, in sacra supellectili vasorum,
librorum, vestiumque, in administratione Sacra-
mentorum, & in Officiorum divinorum celebra-
tione: sed & in prædicatione verbi divini, & suis

in ea te perdifficili progressibus. Ita enim rursus in Cap. 28. eodem Capitulari suo Theodulphus. *Cùm verò Domino opitulante ad Synodum convenerimus, sciat nobis unusquisque dicere, quantum Domino adjuvante laboraverit, aut quem fructum acquisierit.*

IV. Si ope, si patrocinio Episcopi, si consilio, si in rebus dubiis & implicatis lumine & sapientia ejus egerent, parata sibi ea omnia præsidia in Synodo experiebantur. Ibidem. *Et si quis fortè nostro indiget adjutorio, nos cum charitate admoneat, & nos cum charitate nihilominus ei pro viribus adjutorium ferre non differemus.* Hactenus Theodulphus. At Patres Concilii VI. Arelatensis anno 813. Cap. 4. luculentè prorsus tradunt, ut Episcopus suos antè Presbyteros imbuat, muniatque, & monitis, & subsidiis omnibus ad gregem pascendum: *Necesse est ut ab ipsis Episcopis diligenter instructi, Ecclesias sibi deputatas accipiant.* Ita à sanctis Patribus institutum esse, ut Parochi quotannis ad Synodum venturarent, & Episcopo approbarent, quàm uberes fructus ex ejus documentis cepissent. *A sanctis Patribus institutum est, ut quando ad Concilium venerint, rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium, vel Baptismum celebrent.*

V. Annuæ habendæ erant Synodi ex Capitula- L.7.c.508 tibus Caroli Magni. *Ut unusquisque Presbyter per singulos annos Episcopo suo rationem ministerii sui reddat, tam de fide Catholica, quàm de Baptismo, atque de omni ordine ministerii sui.* Sed cùm protrahi non posset Synodus, quanto tempore conducibile fuisset, Parochorum & Ecclesiarum omnium necessitatibus ut satisfieret: cautissimè consultum est, ut Parochi cujusque Diœceseos in plures turmas distribuerentur, & turbæ singulæ vicissim ad Episcopales ædes accerserentur, ibique plures cum Episcopo dies agerent, quò tota illa perfunderentur cælestis sapientiæ & charitatis ubertate, quæ sanctissimè administrandis Ecclesiis, revocandisque ad primigeniam sanctitatem fidelium moribus par esset. *Statutum est,* L.6.c.563 *ut omnes Presbyteri Parochiæ ad civitatem per turmas & per hebdomadas ab Episcopo sibi constitutas conveniant, discendi gratiâ: ut aliqua pars in Parochiis Presbyterorum remaneat, ne populi & Ecclesiæ Dei absque officio sint, & aliqua utilia in civitate discant, ut meliores ad Parochias demum ac sapientiores, atque populis utiliores absoluti revertantur, & ibi ab Episcopo, id est, in civitate, sive à suis benedictis Ministris bono animo instruantur de sacris lectionibus, & divinis cultibus, & sanctis Canonibus, &c. Et omnia quæ per Parochias docere & prædicare & facere debent, eos Episcopus & sui benedicti Ministri veraciter & discretè doceant, &c.*

Conventus ergo hi Parochorum per turbas mirum quantum discrepabant à Synodis; sed & tantò accommodatiores erant ad imbuendos instituendosque Parochos cælestibus disciplinis, quantò facilius est pauciores unius hebdomadæ, quàm universos eos unius aut alterius diei spatio informare. Utriusque hujus Conventûs meminit Herardus Archiepiscopus Turonensis in Capitulari, ubi & innuere videtur singulos singulis annis congregari solitos. De his enim convocationibus Parochorum per turmas lubens interpretor hæc ejus Cap 73. verba: *Ut discendi gratiâ ad civitatem, vel loca constituta, Presbyteri veniant Quadragesimali tempore.*

VI Quæ autem *Generalis Synodus* Parochorum ab eodem Herardo dicitur, & in qua Capitularia à se sua promulgata fuisse testatur, ea Diœcesana Synodus est, à privatis longè distincta Congregatio- In Præfat. nibus Parochorum per turmas. *Sacerdotum totius Parœcia generali in urbe sedis nostræ coadunata Synodo.* De hac quoque generali Diœcesana Synodo aliba verba facit, ubi bina quotannis Concilia cogi debere ait, nec ultra quindecim dies protrahenda. *Ut bis in anno Concilia celebrentur, & nemo plus in unoquoque, quàm quindecim dies remoretur.* Quorsum enim de Conciliis Provincialibus aliquid in Syno- Cap. 91. do Diœcesana statueretur? An Parochorum est dictare leges, quas Episcopi, quas Provincialia observent Concilia? Erant & Provinciæ, erant Diœceses, ubi binæ quotannis Diœcesanæ Synodi colligebantur. Nec mirum est, si cùm Canones decernerent Concilia duo quotannis haberi Provinciæ, binas Episcopi quoque suas haberent Synodos, in quibus Decreta publicarent Provincialium Conciliorum. Cùm autem in qualibet Synodo & generales Diœceseos causæ, & privatæ Parochiarum singularum lites disceptarentur, non est quod quenquam moveat, si singulas in Synodos dies quindecim absumebantur. *Ut in Synodo prius generales cau-* Ibid. c. 80 *sæ, quæ ad normam totius Ecclesiæ pertinent, finiantur, postea speciales ventilentur.*

VII. Non antè ulteriùs progrediar, quàm illud observavero, Herardum sua Decreta in Synodo generali promulgasse simplici eorum recitatione. *Publicè recitari, &c. Coram cunctis perlegi fecimus, &c.* At non dissimulavit Herardus mera ea esse Canonum excerpta, quos nemo jure ignorare posset; ideo nec consilio aut assensu Parochorum magnopere opus erat. *Quoniam authoritas sacra Canonum nulli Sacerdotum Canones ignorare permittit, &c.* Nec secus sola lectione Hincmarus Remensis Archiepis- Tom.1 pag. 710. copus in Synodo statuta sua promulgavit.

Rursus autem idem Hincmarus Ludovicum Germaniæ Regem per litteras Episcoporum duarum Provinciarum nomine scriptas monuit, providentiæ Regum esse, & curæ, ut vacet Episcopis, tum Provincialia Concilia, tum Synodos suas Diœcesanas congregare. *Ut temporibus à sacris regulis con-* To.2.p.135. *stitutis, Comprovinciales Synodos cum Episcopis, & speciales cum Presbyteris habere quietè possint, annuite.*

VIII. Susceptis verò idem Hincmarus simultatibus cum Hincmaro nepote suo Laudunensi Episcopo, Conventum indixit in confinio utriusque Diœceseos, quò Episcopi nonnulli cum non paucis Clericis Laïcisque convenere, ad componenda quomodocumque hæc inter eos Episcopos dissidia. Audi ipsum Hincmarum: *Donec Placitum in confinio* Ibid. 595. 540. 611. *Parochiarum nostrarum condixi, quo quidam ex Coëpiscopis nostris, & multi Ecclesiastici & laicalis ordinis, ac Nobiles, & mediocris conditionis viri convenerunt.* Planum est hoc *Placitum* & à Concilio Provinciæ magnopere discrepasse, & à Synodo Diœcesana. De ejusdem generis Conventu alibi quoque agit. *Consilio ac consensu Clericorum ac Nobilium laïcorum nostrorum inducias dedi.* Agit & Hincmarus Laudunensis alicubi de Conventibus suæ ditionis, ubi & de Laïcis expostulat, qui cùm agros Ecclesiæ Beneficiario jure retinerent, ad eos Conventus non accedebant. *Nec ad ulla Placita, de consideratione necessitatum mearum, ad quæ mei alii homines venerant, ipsi venerat.*

IX. Plures ergo hîc habes Conventus ab Episcopis convocatos, in quibus & Laïcis locus erat, potissimum verò Nobilibus; quo & hi Conventus distabant à Synodis, ubi sedere Laïcis nefas erat. Quanquam enim Ecclesiasticæ tantùm causæ versarentur mixtis in his Clericorum Laïcorumque Conventibus; erant tamen causæ, erant & leges, quæ

inter Clericos tantum ventilandæ essent, ut ex authore liquebit vitæ beati Udalrici Episcopi Augustani, qui & non pauca de ejus Synodis præclarè attigit. Indicebat Udalricus Synodos suas, iis locis habendas, quæ cum Archipresbyteris suis judicasset à tumultu sæculi remotissima. *Capitula cum Clericis habere disposuit in his locis, ubi hac aptissimè fieri Archipresbyteri putaverunt, & ubi eum ab aliis mundanis Conciliis absolutiorem esse arbitrabantur.* Inquirebat autem scrupulosissimè ab Archipresbyteris & Decanis, quo loco essent res, mores, hominesque cujusque Ecclesiæ; ita ut mira consensio esset Synodi generalis & privatorum Conventuum cujusque
Surius die 4 Iulii. c. 6. Decanatus, ut infra prolixius dicetur. *Congregatis ante se Clericis, Archipresbyteres & Decanos, & optimos quot inter eos invenire potuit, cautè interrogavit, quatenus quotidianum Dei servitium ab eis impleretur, &c.*

Nec oscitanter legendæ, aut prætervolandæ sunt inquisitiones istæ, ut quæ potissima complectantur munia & officia Parochorum, cæterorumque Clericorum. *Qualiter illis populus subjectus regeretur in studio prædicandi docendique, &c. Defunctorum corpora quanta compassione sepulturis traderentur, qualiter de Decimis & oblationibus fidelium pauperes & debiles recrearentur, viduis & orphanis in universis necessitatibus subvenirent, quantoque studio in hospitibus & advenis Christo ministrarent. Si subintroductas mulieres secum habuissent, & inde crimen suspicionis inciderent; si cum canibus vel accipitribus venationes sequerentur; si tabernas causa edendi, vel bibendi ingrederentur; si nuptiis sæcularibus interessent, &c. Si per Kalendas more antecessorum suorum ad loca statuta convenirent, ibique solitas orationes explerent, &c.*

X. Istiusmodi erat forma Kalendarum, sive Conventuum particularium cujusque Decanatus; de his rursum pauca dicemus, ubi Attonem Vercellensem laudaverimus Episcopum, totam Ecclesiasticæ Disciplinæ perniciem ex cessatione maximè Diœcesanarum Synodorum erupisse augurantem.
Spic. to. 8. pag. 12. Quocirca & illud præcipit, ut cum per sæculi perversitatem non liceat binas eas juxta priscos Canones Synodos haberi, habeantur semel saltem
Capitulare Attonis. c. 27. quotannis. *Nulla pene res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quàm Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis universaliter definitum est, ut quia juxta antiqua Patrum Decreta, bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non sinit, saltem vel semel à nobis celebretur.* Quo perspicuè confirmatur nostra superius elucidatio Capitularis Herardi Turonensis.

Accedamus jam ad Conventus Decanorum Ruralium, quo Parochis confluendum erat, primo cujusque mensis die, ut in commune consulerent, quæ sibi munia incumberent, qui scrupuli difficultatum incurrerent; quorum castiganda negligentia esset, quorum flagitia animadvertenda, quid Episcopus denique monendus esset de Decanatus emendatione, maximè autem de Parochis, quos ad meliorem frugem revocari posse minus sperarent. Hos Conventus Atto in sua Diœcesi instituit, & in quem illi scopum collimare, quo conniti deberent,
Ibid. c. 29. his verbis explanavit. *Experimento didicimus, non minus bonam collationem, quàm etiam lectionem prodesse. Unde à præsenti statuimus, ut per singulas plebes singulis Kalendis omnes Presbyteri, seu Clerici simul conveniant, ut de fide ac sacramentis divinis, seu de vita & conversatione, & singulis officiis ad eos pertinentibus communiter tractent. Et si fortè aliquis inter eos negligens, aut reprehensibilis invenitur, à cæteris corrigatur. Quod si corrigi omnino non studuerit, mox suo nuncient Episcopo, ut hæc acrius emendare quantocyus studeat.*

Increbuerant jam in Galliis istæ Decanatuum Congregationes. Insudavit Hincmarus Remensis in earum repurgationem, proscriptis conviviis quæ jam irrepserant, & temperata refectione sobria, qua Parochi recrearentur. *Ut quando Presbyteri per* *To. 2. pag.*
Kalendas simul convenirent, post peractum divinum *714.*
mysterium & necessariam Collationem, non quasi ad prandium ibi sedeant ad tabulam, & per tales inconvenientes pastellos se invicem gravent, &c. Ideo peractis omnibus, qui voluerint, panem cum caritate & gratiarum actione, in domo Confratris sui simul cum fratribus suis frangant, & singulos biberes accipiant, maximè autem ultra tertiam vicem poculum ibi non contingant, & ad Ecclesias suas redeant.

XI. In his autem Collationibus in id potissimum collaborabant Parochi, & Archipresbyteri, ut causas excuterent peccatorum ac pœnitentium publicorum, quorum sui mores, ac fervorem pœnitudinis inquirebant, quò Episcopum certiorem facerent, cujus tum muneris erat juxta Canones reconciliationem accelerare, vel ex adverso procrastinare.
Et semper de Kalendis in Kalendis mensium, quando *Ibid. p. 730.*
Presbyteri de Decaniis simul conveniunt, conlationem *731.*
de pœnitentibus suis habeant, qualiter unusquisque suam pœnitentiam faciat, & nobis per Comministrum nostrum renuncietur, ut in actione pœnitentiæ pensare valeamus, quando quisque pœnitens reconciliari debeat.

Si quis peccator publicus, homicidii utputa, vel adulterii, vel perjurii reus, pœnitentiæ se subjicere publicæ detrectaret, quinto-decimo post die quàm peccasset, & ab Archipresbytero commonitus fuisset, in potestate erat proprii Parochi, ut eum cæterorum Parochorum consilio illum arceret à cæterorum fidelium communione. *Et si fortè quis ad pœnitentiam venire noluerit infra quindecim dies post perpetrationem peccati, & exhortationem Presbyteri, & sedulitatem Decani, ac Compresbyterorum, atque instantiam comministrorum nostrorum, decernatur, qualiter à cœtu Ecclesiæ, donec ad pœnitentiam redeat, segregetur.*

CAPUT LXXV. *P. 4. l. 2. c. 84.*

De Synodis Diœcesanis post annum Christi millesimum.

I. Antiquissima omnium Synodi Diœcesanæ.
II. Formula harum Synodorum Libertas Parochorum, authoritas Episcoporum.
III. Quasi Judicum consessus erant hæ Synodi, ubi lites Clericorum, laicorumque quamplurimæ dirimebantur.
IV. Quam religiosè lites hic terminarentur.
V. Confirmationis sacramentum administrabatur. Perlegebantur Decreta Conciliorum Provincialium.
VI. Statuta varia de numero cujusque anni Synodorum, de sacris vestibus eorum qui intersunt, de pœnis Episcoporum, qui ab indicendis Synodis cessarint.
VII. Variæ observationes in Canones Conciliorum.
VIII. Statuta varia Conciliorum Basileensis & Coloniensis, de duplici Synodo annua, & qui interesse debeant.
IX. Statuta Tridentina, & Conciliorum posteriorum, de annuis Synodis, & de criminibus publicis, quorum ibi causæ tractandæ sunt.
X. Declarationes Congregationis Concilii.

1. NOn sanè dignitate inter Synodos, at certè antiquitate præstare videntur eæ, quæ

Diœcesanæ dicuntur. Necdum procellæ persecutionum detumuerant, eoque necdum fas erat Episcopos Provinciæ convenire, necdum forsan Metropoleon discrimina à jure satis explorata aut constituta erant, cùm facillimè posset jam inde ab initio Episcopus quilibet Clerum suum congregare. Quæ amplitudine omnibus eminent, ea antiquitate cæteris vicissim cedunt Concilia Oecumenica, ut quæ nisi reddita pace & libertate sub Constantino coalescere non potuerint.

II. Insexta est Burchardi Decreto Formula Diœcesanæ Synodi, quam Synodo Salingestadiensi anni 1021. vulgò adscribunt. Multa in eam observari possunt, quorum aliqua hic juvabit perstringere. In Ecclesia habetur Synodus. Ad eam deferuntur undique sanctorum Reliquiæ, & mediam sedem occupant. Parochi suo quisque ordine sedent, ex ævo ordinationis. E Diaconis non admittuntur, nisi probatiores, aut si qui necessarii sint. Inducuntur & laïci quipiam pii & religiosi, forsan ut testes Synodales. Præsidet Episcopus, aut Vicarius ejus Generalis, & à prolixis precibus principium facit. Tunc excluduntur cæteri omnes, præter Parochos, & paucos Clericos. Tum legitur Canon Concilii Toletani, quo sanciuntur leges, ritusque Conciliorum, & illud potissimum præcipitur, si quis dissentiat à cæterorum sententia, conferre illum debere cum aliis, dubia sua depromere, responsa aliorum auscultare, & vel docere, vel doceri. *Quod si forsitan aliquis nostrum, aliter quàm dicta fuerint, senserit, sine aliquo scrupulo contentionis in nostrum omnium copulatione, ea ipsa de quibus dubitaverit, conferenda reducat, qualiter Deo mediante aut doceri possit, aut doceat.* Ubi vides ultro citròque res fuisse priùs ventilatas sedula collatione, quàm quidquam concluderetur. Suus tamen Episcopo illibatus constabat principatus sapientiæ & authoritatis. Ita sanè, sed ut non nesciret tamen, cœlitus illustrari à Spiritu veritatis humiliores quandoque, & despicabiliores quosque, & per eos nonnunquam refundi non parum luminis in superiores.

III. In Synodo mox ex supra laudata Formula, invitantur omnes in id incumbere, ut lites quascumque & causas dijudicent, dirimantque, procul gratis & odio, metuque. *Deinde vos simili obtestatione conjuro, ut nullus vestrûm in judicando aut personam accipiat, aut quolibet favore aut munere pulsatus à veritate discedat. Sed cum tanta pietate, quidquid cœtui se judicandum intulerit, retractate, ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ inter nos locum inveniat, nec iterum in perquirenda veritate vigor nostri ordinis vel sollicitudo tepescat.* Quo argumento rursus confirmatur, quod jam sæpissimè inculcatum à nobis est, Synodos Diœcesanas veluti quasdam fuisse Curias judiciales, ubi sine strepitu, & procul à calliditatibus fori, lites omnes Clericorum consopiantur primum, tum deinde laicorum, qui istiusmodi judiciis acquiescerent.

Exordium ducebatur, & quidem prima ipsa Synodi die à jurgiis Clericorum sedandis. Unde & immediatè ibi subjicitur, *post hanc exhortationem quisquis Clericorum velit, conferat querelam.* Ita prima die. Altera die post preces rursum ad Clericorum componenda dissidia, & tum deinde laïcorum *Tunc si Clerici querelam non habent conferendam, laici intromittantur. Quisquis ex laicis habet querelam, proferat.* Tertia quartaque dies similiter transigebantur. Nullus certus præfiniebatur dierum numerus, quòd ratio haberetur causarum & jurgiorum, quibus pacandis opera dabatur. Prælati omnes jejuni sedere & judicare tenebantur. *Nullus ad Synodum veniat non jejunus. Judices nonnisi jejuni leges & judicia decernant.* Cautionem eam regio ipsa forsan suadebat. Est enim Salingestadium Diœcesis Moguntinæ oppidum.

IV. Ubi dictum est à nobis has Synodos speciem quandam & imaginem præ se tulisse Curiarum Judicialium, nihil omnino decerptum est de existimatione & amplitudine Synodorum. Clericorum ibi, laicorumque lites dirimebantur, sed in templo, sed ad aras, sed ante sacra Martyrum pignora, sine strepitu, sine figura judicii, sine ambage, ex Evangelicarum Canonicarumque legum sanctimonia, Judicibus charitatem pacemque Christianam spirantibus, ad expiandas conscientiæ sordes, ad inserendas virtutes, ad errores revellendos, ad vitiorum fibras elidendas, solis illis pœnas daturis, qui peccare possent, resipiscere non possent. Hæc enim germana est Synodi Episcopalis imago, à Parisiensi Concilio delineata anno 1212. *Statuimus ut in singulis Episcopatibus saltem semel in anno Synodus celebretur.* Part 4. Can. 17. *Et ut pro loco & tempore sint Prælati parati ad sacramentum Confirmationis liberaliter indigentibus impenendum Et ut excessus subditorum suorum, Canonicorum, & Clericorum, & virorum Religiosorum, nullius odio, gratia, vel timore dissimulent. Et si se non correxerint, non patiantur transire illatenus impunitos.*

V. Hoc verò Canone alia Synodorum ingens utilitas indigitatur; ut nempe sacramentum Confirmationis maximè pauperibus conferretur. In Concilio Lateranensi IV. anno 1215. hæc rursus alia aperitur, ut ex antiquo more, Concilii Provincialis statuta promulgentur in Synodo Diœcesana; singulis quippe annis & Concilium celebrari par est, & Synodum. *Quæ statuerint, faciant observari, publicantes ea in Episcopalibus Synodis, annuatim per singulas Diœceses celebrandis.* Can. 6. Decernuntur & pœnæ hoc Canone in Præsules qui ab indicendis Synodis cessaverint. *Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, à suis Beneficiis & executione officii suspendatur, donec per Superioris arbitrium relaxetur.*

VI. A Concilio Budensi anno 1279. declaratum est, quo quisque cultu & habitu Synodo interesse debeat. Episcopi videlicet & Abbates Mitræ privilegio dotati, in superpellicio, Mitra, Stola & Pluviali. Prælati inferiores in superpelliciu, Stola & Pluviali. Parochi & Presbyteri cæteri in superpellicio & stola, Monachi in stola. Synodus Coloniensis anni 1280. albam, stolamque Prioribus, Archipresbyteris & Decanis ruralibus assignat, Parochis solum superpellicium. Can. 19. Synodus Nemausensis anni 1284. Parochis solum superpellicium in Synodo Paschali, Cappas rotundas in Synodo sancti Lucæ tribuit, binas enim quolibet anno Synodos cogi innuit. Præfat. Concilium Ravennatense anni 1311. unam indicit anno quolibet Synodum, in eaque Cathedraticum solvi jubet. *Semel convocet Synodum, & Cathedraticum solvatur.* In Concilio Palentino Hispaniæ anni 1322. innovatum est Decretum Concilii Lateranensis IV. de Synodis annuis indicendis, Præsulesque ingressu Ecclesiæ suspenduntur, qui officio eo functi non fuerint, donec eo fungantur. *Episcopi Synodos prout jura volunt, celebrent annuatim. Quod si fortè hoc negligenter omiserint, eo ipso ab ingressu Ecclesiæ sint suspensi, donec negligentiam suam purgaverint, Synodalia Concilia celebrando.*

In Concilio Vaurensi anni 1368 statutum est, Synodos quotannis haberi, Abbates & Parochos eo De Lavaur.

vocari, Constitutiones perlegi Provincialium Conciliorum. Anno 1374. Gregorius IX. studio intensius urgendæ Canonum observantiæ in convocandis Provincialibus Conciliis, Archiepiscopo Narbonensi mandavit, prior ut ipse præciperet Episcopis Provinciæ suæ, Diœcesanas ut colligerent Synodos, & vulnera disciplinæ rimarentur omnia, quibus salubria quædam aspergerentur pharmaca in Concilio Provinciæ. In Concilio Salisburgensi anni 1420. innovata est pœna suspensionis, à Concilio Lateranensi IV. in eos lata Episcopos, qui pigritarentur, nec Synodos suas stato tempore colligerent: quam & *ipso facto* ita incurri declaratum est, ut tota ad Capitulum Episcopalis jurisdictio revocaretur. Anno 1425. in Concilio Haphniensi statutum est, ut ex antiquorum norma Canonum binæ quotannis Synodi celebrarentur, & astantibus Clericis Laicisque perlegerentur Decreta Conciliorum Provincialium. *Statuimus, prout ab antiquo est constitutum, ut in qualibet Ecclesia Cathedrali nostra Provinciæ bis in anno celebretur Diœcesana Synodus generalis, in qua præmissa statuta coram Clero & populo vulgariter exponantur, ne quisquam de prædictorum ignorantia se valeat quomodolibet excusare.* Hoc est, lingua vernacula legi & exponi debere statuta Conciliorum, non Clericis modò, sed & Laicis, quos fas non est ea nescire, quæ Laicis etiam regendis decreta sunt. Can. 2.

VII. Ex hac indiscreta Canonum congerie, solo temporum ordine observato, animadverti potuit aliqua inter Ecclesias varietas in numero Synodorum. Alicubi enim ex peculiari quodam usu vel statuto proprio, cujus tamen fundamenta erant in priscorum Canonum regulis manifestissima, ut ex superioribus Capitibus paruit, binæ quotannis Synodi celebrabantur, quæ & binis Conciliis Provincialibus olim concinerent. Alibi Juri potiùs novo & Canoni Concilii Lateranensis IV. serviebant una annua Synodo contenti. 2. Nec minùs conspicuum in vestibus sacris discrimen. Quædam enim Ecclesiæ stolis induebant non Prælatos modò, sed & Parochos, Presbyteros quoslibet, Monachos ipsos nulla dignitate conspicuos. Aliæ stola in Synodis donabant solos Archipresbyteros & Decanos rurales, non Parochos, nedum Presbyteros inferiores. Apparet meram eam fuisse rituum discrepantiam, nec altioris quidquam arcani in eo suspicandum esse, nec in stola insigne fuisse jurisdictionis aliquod: non meditatam, sed simplicem & fortuitam eam fuisse disciplinæ, ut in sexcentis aliis, varietatem. Nemo inficiari jure poterit perantiquam esse dissonantiam illam, & singulis Ecclesiis præjudicatum hoc semper fuisse, suos sibi peculiares ritus constantissimè retinendos. 3. Rarissima in his Canonibus mentio Cathedratici. Ita non temerè conjicitur, complusculos Episcopos quidquid illud juris est minùs curasse, ut ferè dilabi illud tandem & abolescere passi sint. 4. Defervescebat etiam & in dies magis magisque rarescebat antiqua consuetudo & charitas, ac sollicitudo dirimendarum litium omnium, non Clericorum tantùm, sed & Laïcorum.

VIII. Novus quispiam fervor inflammari visus est in Concilio Basileensi, ad has Synodos ex antiqua forma, & instantia, ac religione celebrandas. Sancitum est ergo semel saltem anno quolibet eas convocari, iis nimirum locis, ubi non vigeret mos Sess. 15. binas adgregandi. *Ad minus semel in anno, ubi non est consuetudo bis annuatim celebrari.* Biduo saltem aut triduo protrahi eas: post celebrata Mysteria, & concionem ad Parochos, prælegi statuta Provincialium & Diœcesanarum Synodorum; necnon & documenta aliqua ad mores sanctissimè componendos, & ad Sacramentorum dispensationem. Tum naviter incubiturum Episcopum in mores excutiendos Diœcesanorum omnium, an simoniaci essent aliqui, an usuris, an concubinis, an flagitiis & facinoribus quibuslibet aliis implicati; an alienatum quidpiam sit rerum Ecclesiæ, an Claustris suis septæ cohibeantur Sanctimoniales, an Regulares Regulæ suæ serviant, an à profitentibus aliquid extorqueant, an propriarum rerum accuratæ abdicationi studeant.

In Concilio Coloniensi anni 1536. definitum est duas quotannis habendas esse Synodos, cùm duo quotannis Concilia antiquis Canonibus indicerentur. Eo decreto conjicere posset quis promiscuè haberi Concilia & Synodos priscorum temporum. Sed multò præstabilius est, ut eo potiùs innuatur annua illa duo Concilia Provinciæ à Nicænis commendata Patribus ita fuisse, ut suæ singulis præirent Synodi Diœcesanæ: vel commentandis Decretis, quæ in Concilio Provinciæ statuerentur: vel iisdem postquam statuta fuissent promulgandis. Hac conjectura nil præjudicatum volumus contrariæ si fors aliorum opinioni. Nobis certè probabile cum primis est, multò etiam sæpiùs olim ab Episcopis Parochos, Presbyterosque quibusque suos fuisse congregatos, cùm ex his demum tunc efflorescerer Senatus Consiliumque Episcopi, necdum Capitulo sive Collegio Canonicorum in eam quæ nunc viget formam composito. Parte 14. n. 17. 18.

Illud verò in hoc Coloniensi Concilio specialius observandum venit, non vocari ad Synodum nisi Episcopos, Abbates, Archidiaconos & Decanos Rurales. Id prorsus ipsum observare erat in statutis aliquantò antiquioribus Cardinalis Campegii, ad Germanici Cleri emaculandam elimandamque disciplinam anno 1524. promulgatis. *Statuimus ut singulo anno saltem Synodus Diœcesana à singulis Episcopis celebretur, cum potioribus Prælatis, Decanis Ruralibus, virisque dignis.* In Concilio Coloniensi anno 1549. sancitum est ut Synodi haberentur *quotannis bis pro veteri more:* sed illud præstruebatur, solos Decanos Capitulorum & Decanos Rurales, nomine & vice Capitulorum, ac Parochorum, ad Synodum convolare debere, expensis nempe in eos omnes refundendis, quorum nomine interessent. *Decani Collegiorum accedentes ad Synodum pro suis Collegiis in Religionis officio & dignitate sua conservandis: & Decani Rurales pro sua regiuncula Parochiis Deo utique militant. Nemo verò militat suis dispendiis. Propterea statuimus, ut pro numero dierum, quibus Concilium durat, conferant Decanis suis Collegia, & Parochi subsidia.* Cap. 33. De Synodis n. 1. 2.

IX. In Concilio denique Tridentino communitis novo robore Decretis Conciliorum Lateranensis & Basileensis, tacito quanquam eorum nomine, statutum est has Synodos anno quolibet celebrari, Exemptos ipsos interesse teneri, nisi aliunde subessent Capitulis Generalibus Regularium, Præsules verò pœnis subjici canonicis, sicubi cessarent ab his Synodis congregandis. *Quod si in his tam Metropolitani, quàm Episcopi & alii suprascripti negligentes fuerint, pœnas sacris Canonibus sancitas incurrant.* Cùm hoc Tridentinum Decretum publicaret B. Carolus in Concilio suo IV. Mediolanensi, multa accumulavit præstantissima monita, quæ Parochis potissimum instillarentur, ut singulis diebus delibarent aliquid ex lectione sacra Scripturæ, monumen- Sess 24. c. 2.

monumentorumque à sanctis Patribus editorum; *Cap. 5. 6 7.* ut pervolutarent sedulò Constitutiones Provincialium Conciliorum & Synodorum, ut paupertatis amori, decorandis Ecclesiis se dederent, superflua *Cap. 10.* omnia in pauperes erogarent. In Concilio V. Mediolanensi eadem hæc omnia retractata sunt & confirmata, diffinitumque est, quanquam triduo jam olim protrahi soleret Synodus, vel contrahi eam, vel ulteriùs ab Episcopo produci posse, pro rerum & causarum multitudine & gravitate.

In Concilio Rotomagensi anno 1581. arbitrio Episcopi permissum est, ut geminas cujusque anni Synodos in unam revocaret, ut tantò plus curæ & diligentiæ ei adhiberet. Jussi sunt Archidiaconi & Decani Rurales rationem ibi reddere de Parochis suis absentibus præsentibusque; examini denique & judicio Synodi subjicere, quæ audita compertaque fuissent, vel in Parochiis obambulandis, *Tit. de offic. Episc. c 31.* vel celebrandis Kalendis. *In ipsis Archidiaconi & Diaconi Rurales de Curatis tam præsentibus, quàm absentibus Episcopo debent reddere rationem, & omnia in visitatione & Calendis audita & comperta referri, examinari, ac judicari, & statuenda publicari.* Sancitur denique, ut adsint Parochi Synodo in superpelliciis & stola. In Melodunensibus Cleri Gallicani Comitiis anno 1579. jussi sunt Parochi plebes obambulare suas, simul atque convocari cœperit Synodus; in blasphemos inquirere, adulteros, usurarios, concubinarios, & publicis denique quoscumque criminibus illaqueatos: eorum ad Synodum nomina perferre, ut ibi demum deliberetur, quæ his medicina malis facienda sit. *Eorum nomina ad Synodum venientes ad Episcopos deferant, ut qua via eorum medendum sit morbis, in Synodo maturè provideatur.*

X. Statutis his omnibus non abnuitur, quin Synodos suas habeant Episcopi per Procuratores aut per Vicarios Generales, si ipsos alibi alia distineant. Ita & referente Fagnagno à Congregatione *Fagnan. in l. 3. Decr. Part. 1. pag. 534. 140* Concilii declaratum est; ut & illud, Eam quæ priscis Canonibus decernitur & à Tridentino confirmatur suspensionis pœnam, adversùs Episcopos Synodum stato tempore non indicentes, comminatoriam tantùm esse, non *lata sententia, sed ferendæ* at pœnam illam bimestris suspensionis, à Concilio quodam Toletano vibratam, & in Decretum Gra- *D 18. c ult.* tiani relatam, adversùs Episcopos, qui sexto saltem post Concilium Provinciale mense Synodum non adgregarint, ut illius Decreta promulgent, ipso facto incurri.

CAPUT LXXVI. *P. 4. l. 2. c. 85.*

De Synodis peculiaribus Archidiaconorum, Decanorum Ruralium, & Officialium post annum Christi millesimum.

I. De Synodis Archidiaconorum & Prælatorum omnium inferiorum, tum Officialium eorum, sive ad Parochos instituendis & disciplinis necessariis imbuendos, sive ad exercendam jurisdictionem factam.

II. De Capitulis, Calendis, Collationibus menstruis Parochorum cujusque Decanatûs.

III. Tardius in Italia frequentata sunt hæ Collationes. Ad eas B. Carolus Vicarios tulit foraneos. Summa Collationum ad Episcopum referebatur, à qua & residua difficultatum nodi expediebantur. Collationes in singulis Parochiis, ubi plures essent Presbyteri, à Conciliis Mediolanensibus instituta.

IV. Decreta Conciliorum Galliæ de his Calendis, aut Collationibus.

V. Cur nunc singulæ istæ [illegible] Calendæ, nunc revocent.

VI. [illegible] est jurisdictio [illegible] constituenda ratio.

VII. Decreta complurium Provincialium Conciliorum super his Collationibus [illegible].

VIII. De [illegible] Synodalibus in Provincia & in Diœcesi [illegible], ad perferenda [illegible] & ad Episcopos [illegible] commonendos.

I. DE qua hactenus diximus Synodo, ea dicta est persæpè Synodus Generalis, quò sejungeretur à peculiaribus Synodis aliis compluribus, quas hoc Capite complectemur universas. Præscriptum est in Concilio Coloniensi anni 1266. *Can. 14.* ut Prælati omnes inferiores Diœcesis & Civitatis Coloniensis Synodos suas religiosissimè congregarent, in eisque pro virili annitereutor ad repurgationem morum, scelerumque ultionem communicans nulli facienda copia, ut abesse & ejus se statutis subducere queat, nisi illis quibus ad Episcopi, seu Archiepiscopi Synodum conveniendum est. *Ut Prælati & ordinarii Judices nostra Civitatis & Diœcesis,* *Can. 8.* *in terminis eorum jurisdictioni subjectis, Synodum suam, qui ad hoc tenentur, observent, quæ corrigenda occurrunt, corrigant, &c. Soli tamen Nobiles excipiantur, qui ad nostram Synodum noscuntur specialiter pertinere.* In Concilio Londinensi anno 1342. de Capitulis agitur, vel de Consistoriis, quæ tertia vel quarta quaque hebdomada habebantur, ab Officialibus Episcoporum, ab Archidiaconis, & ab aliis Judicibus ordinariis, variis in locis sui cujusque territorii, vel Decanatûs, nimirum ad lites & contentiones sopiendas, & ad sacram jurisdictionem explicandam. *Episcoporum, Archidiaconorum, & aliorum Ordinariorum Officiales, sua Consistoria, Sessiones & Capitula celebrantes per varia loca suarum jurisdictionum, &c.* Antiquissimæ in Anglia erant hæ Synodi Archidiaconorum; verùm non temerè forsan conjectabimus, eas quidem quibus eorum præerant Officiales, uni maximè adlaborasse distringendæ jurisdictioni; at quibus imminebant sua præsentia Archidiaconi ipsi, eas informandis maximè de administratione Sacramentorum Parochis operam suam potissimum industriamque dicasse. *Archidiaconi quoque in Decanatuum suorum Conventibus Sacerdotes maximè in his studeant erudire, docentes eos qualiter circa Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam & Matrimonium debeant se habere.* *Can. 2. 10.* Statutum istud est Concilii Londinensis anno 1237. habiti. Alio verò inferiùs ejusdem Concilii Canone jubentur Archidiaconi [illegible] sæpiusculè ad Collationes menstruas Decanatûs cujusque, quò Parochos de ministerii sui sanctissimis functionibus moneant, edoceantque. *Sint solliciti frequenter interesse Capitulis per singulos Decanatus, in quibus diligenter instruant inter alia Sacerdotes, ut bene sciant & sanè intelligant verba Canonis & Baptismi, quæ scilicet sunt de essentia Sacramenti.*

In Concilio Lambethano anno 1261. mandatum est Archidiaconis & Decanis ruris, ut in Clericos animadverterent, qui Clericalem Tonsuram non gestarent. *Archidiaconi & Decani in suis Capitulis.* *Cap. 30.* Synodus Excestrensis anni 1287. non videtur sermonem habuisse nisi de Capitulis, vel Collationibus Archidiaconorum, per sese, aut per Officiales, ad publicorum scelerum emendationem. *Statuimus ut Archidiaconi & eorum Officiales Capitula sua studeant celebrare, &c.* Hos cœtus singulis mensibus adgregare jubentur, non ultra unum diem producere, & primos ex Parochia eos dimittere, quorum

Ecclesiæ remotiores essent, ut in singulis suis Parochiis pernoctare possint.

II. Posset quis sibi fingere duplicem hunc cœtum in unum coaluisse, & nunc erudiendis vacasse Parochis sub magisterio Archidiaconi, nunc agitandis judiciis per Officiales. Sed propius mihi quidem à vero abesse videtur, geminos eos & distinctos fuisse Conventus. Tam diversa munia coïre vix potuissent, & uno expediri die. Sæpè nobis laudatus, laudandusque B. Udalricus Augustanus Episcopus, referente Scriptore ejus vitæ, Parochos omnes in Synodo interrogabat, an advolarent ad Collationes, quæ prima quaque mensis die habebantur, Kalendarum nomine. Cap. 6. *Si per Kalendas more Antecessorum suorum ad loca statuta convenirent, ibique solitas orationes explerent, suasque Ecclesias ad tempus revisérent, &c.* Eodem nomine designantur hi Conventus in Concilio ad Pontem-Audemari anno 1279. monerique jubentur Clerici, ut Coronam & vestem Can. 21. gestent sibi congruentem. *Moneantur à Decanis ruralibus in suis Kalendis, ut tonsuram & habitum deferant Clericis congruentes.* Habebantur ergo hæ Collationes quolibet mense, primaque mensis die, quam nulla festivitas occupasset. Ita enim disertè Synodus Execestrensis: Cap. 31. *De mense in mensem Capitula celebrentur, nisi festa vel alia impedimenta quæ occurrunt, hoc minimè patiantur.* Quolibet etiam mense suum convocabat Episcopus Consistorium, teste eadem Synodo: *De Consistoriis nostris hæc eadem præcipimus observari.*

In Concilio Rotomagensi anno 1531. statutum est casus Papæ, vel Episcopo reservatos promulgari in Synodis Episcopalibus, & in Kalendis Decanorum. Can. 25. *Singuli Diœcesani in suis Synodis, & Decani in suis Capitulis seu Kalendis exponant casus sedi Apostolicæ & Diœcesanis reservatos.* Concilium Coloniense anni 1536. ab Archidiaconis & Decanis Ruris promulgari voluit in Collationibus Decanatuum statuta Concilii Provincialis & Synodi Diœcesanæ. Can. 19. 20. *Archidiaconi ac Diaconi Rurales in suis deinceps Synodis, quæ sancita fuerint in Provinciali seu Episcopali Concilio publicabunt.* Sancitur & illud mox, ut pœnitentiis potius injungendis, quam mulctis pecuniariis in gravia quæque flagitia animadvertatur, quod ut aptius & fructuosius fiat, monetur Archidiaconus, ne quos aut Decanos rurales, aut Officiales instituat, nisi ea peritia & religione, ac probitate, quæ his consentiat functionibus.

III. Receptissimi ergo erant, & antiquissimi in Gallia, Anglia, Germania hi Conventus Parochorum, qui Capitula, Consistoria, Calendæ, Synodi, Sessiones appellitabantur. Sed nulli hactenus Cap. 29. in Italia obvii nobis fuerunt. Primus eos ibi videtur B. Carolus instituisse, in Concilio I. Mediolanensi, ubi præcepit ut Diœceses singuli suas Episcopi in varias partirentur regiunculas, & earum unicuique Vicarium Foraneum præficerent. Quid autem causæ esset, quòd res toto Occidente jamdiu pervagatissima, nova & hactenus inaudita in Italia esset, non arduum, aut operosum est divinare. Tam angustis enim limitibus concluduntur omnes Italiæ Episcopatus, ut minimè necesse fuerit eos in plures sive Decanatus secari, sive Archidiaconatus, velut in totidem Episcopatus minusculos. Contra autem tam longè latéque porrigebantur Diœceses Episcoporum Galliæ, Angliæ, Germaniæque, ut in plures eos dividi Præfecturas inferiores, non conducibile tantùm esset, sed propè necessarium. In confesso sanè est non paucos esse in Galliis Decanatus & Archidiaconatus, non paulò vastiores, quam plerosque Italiæ Episcopatus.

Sanciebat eodem loco beatus Carolus, ut Vicarii Foranei munere & dignitate ornarentur Archidiaconi, vel Archipresbyteri, vel Præpositi Ruris, si ea essent doctrinæ copia & dexteritate, quæ desideraretur. Abundabat Carolus & doctrina ipse, & virorum doctorum copia. Intellexerat ergo antiquis Conciliis Synodisque compluribus placuisse, ut hæc munia, quæ nunc Vicariis adsignabantur Foraneis, Archidiaconis, Archipresbyteris, vel Decanis Ruralibus adsignarentur. Ab his porro Foraneis Vicariis præcipiebat beatus Carolus singulis mensibus congregari Parochos omnes sui territorii, in aliis alios Ecclesiis, idque per vices, & in commune cum illis conferri, de regendæ Parochiæ ratione tota, de difficultatum scopulis, de casibus conscientiæ, de causis, sive casibus, ut vulgo loquimur, reservatis, de Constitutionibus Conciliorum & Synodorum. Denique Mediolanensi eo definitur Concilio, Vicarios hos Foraneos judicio Episcopi obnoxios fore, & ad ejus nutum posse revocari. *Hi Vicarii voluntate Episcopi ab officio amoveri semper possint; ac si male id administraverint, pœnas dent ejusdem Episcopi judicio.* Cap. 30.

Concilio Mediolanensi II. placuit, ut à Vicario Foraneo ad Episcopum referrentur causæ omnes, & quæstiones, quæ in Capitulis Decanatuum plenius, & ut par est, elucidari non potuissent, ut illustraret & exolveret eas Episcopus, ejusque responsa in cujusque Decanatus Registris servarentur. Utque ad sacræ eruditionis studia accenderentur Parochi, voluit hoc ipsum Concilium, ut quacumque in Parochia quinque saltem essent Presbyteri, eos bis hebdomada quaque Parochus congregaret, & in hac Collatione legeretur aliquid ex Catechismo Concilii Tridentini, ex tractatu quopiam de Casibus conscientiæ, vel ex Constitutionibus Synodalibus; eòque invitarentur docti aliqui ex Regularibus viri, siqui vicinis locis commorarentur, nec non & juniores Clerici. In Concilio Mediolanensi IV. mensibus Decembri & Januario propter dierum brevitatem, & itinerum difficultates, interrumpi jussæ sunt Collationes, dum sequentibus mensibus ea sarciretur jactura frequentiori earum convocatione. Par. 2 c. 13. Denique Urbanis quoque Clericis, non secus ac agrestibus, frequentandæ erant persimiles Collationes.

IV. In Concilio Rotomagensi anni 1581. Confessio fidei à Concilio Tridentino promulgata, innovari jussa est quotannis à Parochis, in Synodo, vel Kalendis. *Singulis annis in Synodis Episcopalibus, sive Calendis eandem Confessionem à Curatis repeti.* C. 1. Verissimè ibidem declaratum est, vetustissimam fuisse Kalendarum celebrationem; sed in eas irrepsisse tandem fœdissima quædam vitia, simoniacas exactiones, & ebrietatem. *Kalendarum antiquissimus est usus & abusus, nec aliud significant, quam Cleri convocationem ad censuram morum agendam, &c.* De Offic. Episc. n. 14. His vitiis ut obviam iretur, statutum est in hoc Concilio, ut posthac tres tantum anno quolibet retinerentur Kalendæ, prima Episcopi, vel Visitatoris, quem sui vice delegaret, binæ aliæ ruralium Decanorum. *Ad Cleri levamen tres in anno fieri judicamus, unam Episcopi aut pro eo Visitatoris, & duas Decanorum ruralium.*

In Concilio Remensi anno 1583. definitum est Decanis Ruralibus ex Officio incumbere, ut in Synodu Episcopi aperiant, quidquid à se vel gestum,

vel exploratum, deprehensumque fuerit in Kalendis, & Parochiis visitandis. *Rationem reddat eorum quæ in suis Kalendis & Visitationibus egerint & compererint.* Ne sæpius quam binæ anno quolibet haberentur Kalendæ, ut ne impensis Clerus gravaretur. *Illæ Calendæ bis ad summum in anno habeantur, ne Clerus nimio labore & sumptu gravetur.* Ut denique Synodi & Calendarum Præses lites omnes inter Clericos dirimeret personales, arbitrum magis agens, quam judicem: *Controversias causasque personales quas inter viros Ecclesiasticos suboriri compererint, qui Synodo vel Calendis præest, amicè si fieri possit, componat.* Instituti sunt & in Concilio Aquensi anno 1585. Vicarii Foranei, & inter eos divisæ Diœceses singulæ, ut suo quisque in tractu menstruas haberet Collationes. Non poterant non Italiæ mores redolere provinciæ omnes finitimæ.

V. Est omnino quod miremur, uno eodemque tempore, uno eodem charitatis spiritu incitatos, hinc B. Carolum cum suis Italicis Conciliis, instituendis, vel multiplicandis incumbere his Collationibus Decanatuum; Gallicanos autem Præsules earum numerum imminutum ire, & tantum non omnino eas extinguere. Sed nemo tamen nescit, optima quæque descisceta & degenerare; recentes efflorescere & novitate sua commendari res, quæ longò post usu vitiantur & sordescunt. Ex his jam olim Collationibus fructum capiebat maximum Ecclesia Gallicana, eumque mensibus singulis cupidè frequentabantur. Infudere se postea illis avaritiæ sordes, & intemperantia. Tum bis terve tantum haberi jussæ annis singulis. Per plures post Diœceses infatigata & pervigil Pastorum sollicitudo pestes illas elisit, revulsitque radicitus, tum rursus cœptæ frequentari & crebrescere, ut singulis mensibus cogerentur. Primus illas in Italia instituit beatus Carolus, nec jure quisquam dubitarit, quin tanti ducis & Pastoris zelo & sollicitudine illæ efferbuerint, & pietate & frequentia sua.

VI. Est & aliud quod hic advertamus. Sua his Capitulis magna ex parte authoritas oberita fuerat, adeoque & utilitas. Tota enim dilapsa erat jurisdictio. Judicum hæc olim erant subsellia, cùm & Synodi essent Episcopi cujusque cum suis Parochis, in iisque diffiniebantur, quidquid causarum rixarumque inter Clericos excitum fuerat. eorum persæpè judicio lubentes & laïci acquiescebant. Hærebant nonnulla ejus potestatis vestigia in Concilio Remensi paulò antè laudato, ubi amicè componi jubet jurgia Clericorum. Sunt & ex antiquissimis Gallicanis Provincialibus Conciliis, ubi illud ipsum Synodis præscribebatur Diœcesanis. Arbitria hæc sunt sponte & amicè librata; sed & antiquissima Ecclesiæ olim jurisdictio ab his initiis ducta fuerat, & in hæc non multum dissimilia denique desiit. Si piè & pacatè pergerent Prælati ad eum modum consopire dissidia Clericorum, forsan & aliorum: si Præsules ipsi exemplo suo præirent, causasque suas his subjicerent sponte judiciis, prisca reflorescerer aliquando tandem jurisdictio Episcopalis, summamque illam judiciorum potestatem, ex qua tantum sanctimoniæ gloriæque decus in Clerum redundabat, modestia, humilitas, charitas Præsulum redintegraret.

Cap. 3. n. 6. 7. VII. In Concilio Tolosano anni 1590. institutæ sunt B. Caroli exemplo Collationes illæ singulis propriæ Parochiis, ubi Presbyteri essent quinque saltem, jussis eò convenire junioribus Clericis bis hebdomadá qualibet, eò denique etiam Regularibus invitandis. Publicata sunt in hoc Concilio Decreta Cap. 6. quoque B. Caroli de institutione Vicariorum Foraneorum, & menstruarum Collationum. Nec aut latuit tamen, aut dissimulatum est, Vicariorum Foraneorum officia, eadem ipsa esse, atque Archidiaconorum & Archipresbyterorum, ideoque & hos potissimum Vicarios Foraneos designari debere. *Videbunt igitur Episcopi, an Archidiaconorum aut Archipresbyterorum penuria, aut defectus, Vicariorum hujusmodi operam requirat.* Anno 1607. in Concilio Tit. 7. n. 10 Mechliniensi Archipresbyteris mandatum est, ut 14. sui territorii Parochias visitarent omnes, & Visitationis Acta ad Episcopum referrent. Quoad Parochorum Collationes una tantum in singulos annos indicitur, eo die quem Episcopus indicarit, ut aliquem eò ipse deleget, si ex re fore existimet. In Concilio Aquileiensi anno 1596. instituti sunt Vicarii Cap. 18. Foranei, & Congregationes Casuum conscientiæ, ita enim ibi appellantur, semel mense quolibet, ad exemplum & formam B. Caroli.

VIII. Pauca restant de Testibus Synodalibus carptim libanda. Eos suprà attigimus obiter, quos Concilium Lateranense IV. instituit in unaquaque Provincia, ad explorandas serpentium vitiorum fibras, quæ in Synodo Provinciali revellerentur. Non dissidet à verisimilitudine, eorum industriam Can. 8. ad Synodos quoque Diœcesanas se exporrexisse. Indubitatissimum saltem illud est, eorum imitatione constitutos fuisse alios id genus per singulas Diœceses. In Concilio Narbonensi anno 1227. Episcopis Can. 24. omnibus commendatum est, ut testes Synodales singulis in Parochiis crearent, qui accuratissimè inquirerent in hæreticos, & in omnes publicis criminibus infamatos, de quibus ad Episcopum referrent. *Districtè mandamus, ut ab Episcopis testes Synodales in singulis instituantur Parochiis, qui de hæresi & de aliis criminibus manifestis diligenter inquirant, postmodum Episcopis quod invenerint relaturi.* Episcopi judicio & potestati integra servabantur crimina quæcumque publica: nec pigritabatur ipse, nec opperiebatur, ut criminum conscii accederent & absolvi se postularent: sed obvius ipse prodibat ad errantes & fugaces oves suas perquirendas, & spontaneas, an invitas indiscriminatim revocandas ad ovile, ubi earum morbis & vulneribus idonea procuratio exhiberetur. In Concilio Tolosano anni Can. 2. 1229. præceptum est, ut in unaquaque Diœcesi deligeretur, & sacramento adigeretur Presbyter unus cum laïcis religiosis duobus tribusve, ad explorandos Albigenses hæreticos, quorum numerus in dies augescebat, & ex latebris suis abstrahendos.

Constitutiones Provinciales B. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis anno 1236. eandem Angliæ disciplinam sanciebant, ad omnia scelera, quæ offensioni & scandalo essent. *Sint in quolibet Decanatu* Can. 25. *duo vel tres viri, Deum habentes præ oculis, qui excessus publicos Prælatorum & aliorum Clericorum ad mandatum Archiepiscopi, vel ejus Officialis ipsis denuntient.* Hoc decreto non constringuntur nisi Clerici, quibus censores præponuntur, quòd cæterorum fidelium censores ipsimet, & ipsi delatores essent. In Concilio Salisburgensi jussi sunt Episcopi vibrata suspensionis sententia, primo ut in Synodo sua Synodales designarent Testes, qui totum annum insumerent perlustrandæ Diœcesi, cujus corruptelas Provinciali & Diœcesanæ Synodo renunciarent. *Probas & honestas personas in testes publicos,* Can. 6. *sive Synodales ordinare, qui per totum annum simpliciter & de plano absque ulla jurisdictione sollicitè*

investigent, quæ correctione & reformatione sint digna, & ea fideliter referant ad Provinciale Concilium, aut Synodum Episcopalem, ut animadversione congrua puniantur. In formula juramenti, quod ad Concilii calcem attexitur, jubentur referre de publico quovis crimine contaminatis, adulterio, usura, concubinis. Concilium Parisiense anni 1429. non in Diœcesibus tantùm singulis jussit testes creari Synodales, sed duos ipsummet creavit ad singulos Provinciæ Episcopatus. Ita creabantur quandoque Testes hi Synodales in Concilio Provinciæ, frequentissimè autem in Synodo Diœcesana. Nonnisi ferè ea Clericis hoc Concilium designavit; aliàs sæpissimè Laïci creabantur. Can. 38. 40.

In Concilio Basileensi inculcata est necessitas testium Synodalium creandorum ad Synodos Diœcesanas, & copia facta est Episcopis illis sevocatis alios sublegendi. Concilium Toletanum anni 1473. Censores istiusmodi duplicis generis disjunxit, alios à Concilio Provinciali creatos, qui Provinciam in omnem vigiles excubarent; alios ab Episcopo designandos in una qualibet Diœcesi, ut hi Episcopum commonefaciant, is autem in reos inquirat & animadvertat. Concilium Senonense anni 1485. coaptavit se Parisiensi anni 1429. Ejusdem quippe Provinciæ hæc erant Concilia. In Concilio IV. Mediolanensi ea diligentia pernumerata sunt officia Testium Synodalium, & quibus de rebus Episcopus ipsis commonefaciendus sit, ut accedere omnino nihil possit. Ex Clero omnes cooptari sanciuntur, ab Episcopo deliguntur, subjicitur juramentum quo constringendi sunt. In Concilio Toletano anni 1566. designati sunt testes ad omnes Provinciæ Diœceses. In Conventu denique Melodunensi anno 1579. sancitum est singulis in Diœcesibus nominandos Testes Synodales, ætate & probitate idoneos: insinuatum & illis est, quæ explorare, quæ renunciare debeant Episcopis, adulteria, incestuosa conjugia, sacrilegia, concubinarum contubernia, & infanda denique flagitia, tum Clericorum, tum Laïcorum omnia. Seff. 15. Cap. 6.

De perlustrandis, visitandisque ab Episcopo & Metropolitano Diœcesibus & Provinciis.

CAPUT LXXVII. *P. 1. l. 2. c. 43.*

De visitanda Diœcesi ac Provincia ab Episcopo, Metropolitano, Primate, per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

I. De visitatione Metropolitani ex Conciliorum regulis.
II. De visitatione Exarchi, aut Primatis.
III. De visitatione Primatuum Africæ.
IV. De visitatione Episcoporum.
V. Ut B. Augustinus Diœceses suas circumlustraret.
VI. Tum Confirmatio Neophytis administrabatur.
VII. Mira descriptio visitationum B. Martini. Qui ejus comites, qui apparatus, &c.
VIII. Ingens comitum turba succinctus B. Athanasius Parochias suas obambulabat.
IX. De Visitatoribus ex officio.
X. De visitatione Episcopi in propria Civitate, juxta Chrysostomum.
XI. Quàm fructuosè etiam privatos ab Episcopo invisi.
XII. Monita luculentissima Ambrosii ad visitationes Clericorum.
XIII. Monita Hieronymi in eandem rem.
XIV. Mores Augustini in suis fundis provisis.
XV. Monitum de sacra Virgine, quæ invisi se à B. Martino noluit, deprecata est.
XVI. Fructuosa Theodoreti per Parochias suas obambulationes. Parochias habebat ille sibi commissas octingentas.
XVII. Ut hæreticorum conversioni elaborandum sit inter visitandas Parochias.

I. Non aliter Episcopi & Metropolitani in Ecclesiis & Provinciis suis resident, quàm in cœlis sydera, perpetuo & irrequieto cursu per eos decurrere nata. Cœlo, gyroque enim à Numinis providentia sibi constituto affixa, jugi præcipitique rotatione circumferuntur, æternumque luminis & æternorum charitatis flammas latissimè spargunt. In Concilio Taurinatensi anno 397. dum excuteretur causa Arelatensis & Viennensis Episcoporum de Primatu, hoc est, de Metropolitico jure, statutum est, ut proximiores quisque eorum haberet sibi subjectos Episcopatus, circumpositasque visitaret Ecclesias. *Decretum est, ut si placet memoratarum urbium Episcopis, unaquaque de his viciniores sibi intra Provinciam vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet, quas oppidis suis vicinas magis esse constiterit.* Limites hic videntur delineari non Metropoleos tantùm, sed cujusque Episcopatûs, assignatis Episcopo cuique oppidis, Metropolitano autem cuique urbibus & Episcopatibus Ecclesiæ ubique sum vicinioribus. Can. 1.

II. Possit quis & hunc Canonem eò torquere, ut Metropolitica tantùm attingantur jura, de quibus tunc controversia fiebat, eoque significetur, Metropolitani potestatis esse & officii, ut Provinciæ suæ Episcopatus circumlustret. Quod & Africanorum Canonum præsidio firmari potest. Jussit enim Hipponense Concilium, quod & aliis in Conciliis iteratum fuit, ut ab Episcopo Carthaginensi omnes Ecclesiæ circumlustrarentur, Provinciæque, ante Africæ totius Universale Concilium. *Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt, Et illud nobis verbo mandatum est, ut quia constitutum est in Concilio Hipponensi, singulas debere Provincias tempore Concilii visitandas esse, dignemini etiam quod hoc anno secundum ordinem distulistis, vel alio anno Mauritaniam Provinciam visitare.* Aurelius, cujus hîc res agebatur, respondit definitum nihil esse de visitanda Mauritania, quòd & remotissima ea sit, & Barbarorum incursationibus infesta. Recepit tamen se operam daturum, ut eam lustraret: sibi etiam in animo esse plusculum præstare, quàm polliceretur. *Præstet Deus, ut ex abundanti, non pollicentes, venire possimus in vestram Provinciam.* Fateor hoc quoque Canone de Visitatione agi, non tam Metropolitani in Provincia sua, quàm Primatis, seu Exarchi in Exarchatu suo. Certissimè enim Archiepiscopus Carthaginensis munere fungebatur Exarchi, & veluti Patriarchæ omnium Africæ Provinciarum. Nec dissimulat hoc loco Aurelius sui muneris esse, omnes ut Africæ Provincias obambulet, quando solas penè deprecatur visitationes Provinciarum procul dissitarum, & periculis vallatarum. Conc. Afric. c. 19. Cod. Can. Eccl. Afr. c. 52.

III. Sed tergiversari jam nemini fas erit in Metropolitani visitantis provinciam descriptione apud Possidium in vita B. Augustini. Ab eo enim narratur, ut Valerius Hipponensis Episcopus, Primate, hoc est, Metropolitano Numidiæ Hipponensem visitante Ecclesiam, eam captarit ansam, ut Augustinum jamdiu Presbyteratu initiatum, inaugurari ab eo faceret in Episcopum Hipponensem, qui sibi jam tum Coadjutor accederet superstiti, pòst defun-

Cap. 8. cto succederet. *Ad visitandum adveniente ad Ecclesiam Hipponensem tunc Primate Numidiæ Megalio Calamensi Episcopo, & Valerius Antistes Episcopis qui fortè tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponensibus & universæ plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem.*

IV. Si Exarchi autem & Metropolitani Exarchatus & Provincias suas visitando circumlustrabant, cecui jam dubium esse poterit; quin & suas Episcopi Diœceses lustrarent. Perspicuè satis idem Possidius de Augustino: Ibid c. 18. *Dum fortè iret rogatus ad visitandas, instruendasque & exhortandas Catholicas plebes, quod ipse frequentissimè faciebat.* Et non multò pòst de Calamensi Episcopo agens, quem suis ipse quasi manibus finxerat Augustinus in Seminario Hipponensi: *Cùm fortè unus ex iis quos de suo Monasterio & Clero Episcopos Ecclesiæ propagaverat, ad suam curam pertinentem Calamensis Ecclesiæ Diœcesin visitaret, ut quæ didicerat, pro pace Ecclesiæ, contra illam hæresin prædicaret, &c.* Istud erat enimvero Seminarium, vel Monasterium Clericorum, *Monasterio & Clero*, ubi Clericos suos Augustinus cælesti imbuebat militia, ad contundendos hæreticos, & ex oppidulis etiam, vicisque exturbandos, ubi majoris quidpiam dignitatis illis accessisset.

V. Augustinus ipse cùm sæpiculè ad Fussalense Castrum ventitasset, elvesque ejus omnes à Donatistarum schismate ad Ecclesiam Catholicam traduxisset, proprium ibi & peculiarem Episcopum ordinari curavit; expertus non posse se, cùm is locus ad quadragesimum ab Hippona lapidem situs esset, ea diligentia eum excolere, quam novella Ecclesia Epist. 261. desideraret. *Sed quod ab Hippone memoratum castellum millibus quadraginta sejungitur, cùm in eis regendis, & eorum reliquiis licèt exiguis colligendis, me viderem latiùs quàm oportebat extendi, nec adhibenda sufficerem diligentiæ, quam certissima ratione adhiberi debere cernebam, Episcopum ibi ordinandum constituendumque curavi.* Usque adeo persuasum erat Augustino frequentiùs invisendas esse Episcopis Parochias suas, ut Episcopatum ipsum suum decurtari maluerit, quàm creduas sibi habere uni eas Ecclesias, ad quas non posset nisi raiò excurrere. Easdem visitationes suas alio quoque loco significatas voluit Augustinus: Epist. 237. *Quoniam visitandarum Ecclesiarum ad meam curam pertinentium necessitate profectus sum.*

VI. Animadversa est & ab Hieronymo vetustissima consuetudo Episcoporum, in perlustrandis Parochiis suis, Ecclesiisque longinquis, ut tinctos sacro fonte à Presbyteris, ipsi Confirmationis sacramento communirent. *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* Et mox: *Qui in viculis ac castellis, ac remotioribus locis per Presbyteros ac Diaconos baptizati, antè dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur.* Hæc ille adversùs Luciferianos.

VII. Si de visitandis ab Episcopo Parochiis altum sit ferè apud antiquissima Concilia, sanctissimosque Patres silentium, aut rarus de iis sermo, per tria vel quatuor priora sæcula, id ex eo forsan fit, quòd rarissimæ prioribus sæculis fuerint Parochiæ ruris. Cùm inter exordia Christianæ rei non alia fuerit cujusque Diœceseos Ecclesia, quàm Cathedralis, in eam unam Episcopus curas suas omnes conferebat. At ubi pax Ecclesiæ per Constantinum obtigit, & Christiani nominis Coloniæ per Evangelicos præcones satoresque Verbi disseminari in agros, villas, vicosque cœpere: Episcopis quoque curæ fuit studia sua jam dividere & partiri, ut communis charitatis sinu novas has Christi gregis accessiones complecterentur. De B. Martino affirmat Severus Sulpitius, illum prisco & avito Episcoporum more Parochias ruris peragrasse. *Cùm ad* Epist. 5. *Diœcesin quandam pro solenni consuetudine, sicut Episcopis visitare Ecclesias suas moris est media ferè hieme venisset, mansionem ei in Secretario Ecclesiæ Clerici paraverunt.*

Præter has autem visitationes solennes & usitatas, erant & extraordinariæ quædam. Dissidentibus inter se Clericis Candacensis oppidi, in extremis finibus Turonensis Episcopatûs ad Ligerim, sive potiùs ad Vigennam siti, eò se Martinus contulit, frequentissimo sanctissimoque discipulorum agmine septus, ut solebat, cùm sibi credita visitaret oppida. Audiendus hic Severus Sulpitius: *Causa exitis, quà Condatensem Diœcesin visitaret.* Epist. 3. *Nam Clericis inter se Ecclesiæ illius discordantibus, pacem cupiens reformare, licèt finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamen istiusmodi ob causam non recusavit; bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si pacem Ecclesiæ redditam reliquisset. Ita profectus cum suo isto, ut semper, frequentissimo discipulorum sanctissimoque comitatu, &c.* Extremum ibi suum diem obiit Martinus, dum visitationum Episcopalium curriculum implet, & ne appetente quidem morte de charitate & sollicitudine Pastorali quidquam remittit. Comitem se non semel adjunxerat Severus Martino Parochias suas lustranti, unde & apparatum ejus oculatus testis descripsit, ex quo de sumptu conjecturam faciamus. Vili asello vectus est Christus, & hic fuit ejus splendidissimus de inani Magnatum sæculi pompa triumphus. Vili & Martinus vectabatur asello, de fastu & ipse ovans Præsulum non paucorum. His consentiebant vestes ejus, tam viles sordidæque, ut eo velut terriculamento consternati derepente aliquando fuerint milites, utique catervatim incedentes, à quibus & insolentissima immanitate sævissimè exceptus est, non impunè tamen, cùm mox in ipsos cælestis vindicta sæviret. *Iter cum eo dum Diœceses visitat, agebamus, &c. Ubi Martinum viderunt in veste hispida,* Dial. 2. *nigro pendulo Pallio circumtectum, &c. Statim eum asello suo imposuimus, &c.* Et infrà: *Quodam tempore cùm Diœceses circuiret, venantium agmen incurrimus, &c.* Cùm Parochias peragraret suas Martinus, obvias ubique in vicis passim idololatriæ reliquias debellabat, & in abditissimis quibusque locis. Hæreticis ergo Augustinus cæterique Africæ Episcopi expugnandis visitationes suas commendabant, Martinus profligandis Paganis, conciliandis sibi mutuò Clericis, moribus omnium ad pietatem traducendis. Hi scilicet sunt uberrimi Visitationum fructus.

VIII. Athanasio Parochias suas visitanti ea Ariani postea affinxere crimina, à quibus alienissimus erat Præsul longè sanctissimus. Presbyteri Diaconique, qui ejus lateribus affixi fuerant, uti & Laici bene multi innocentiam ejus prolixo & luculentissimo testimonio prosecuti sunt in Epistola super ea re ad omnes Episcopos exarata. *Ista pro testimonia loquimur, utpote qui nec longè ab Episcopo distamus, & comites ei in lustranda Mareote adhæsimus.* Athanas. Apol. 2. *Nunquam enim ille solus visitandi causâ itinera obire solet, sed nobiscum omnibus Presbyteris & Diaconis, & populis multis. Et quia illi per omnia itinera comites fuimus, quo tempore ad nos accessit, ideo hæc vobis pro*

testimonio dicimus, nec poculum confractum esse, nec mensam eversam, &c. Subscripsere ei Epistolæ Presbyteri quindecim, totidemque Diaconi. Erant ergo in Mareotide soli, quam tunc lustrabat Athanasius, eo numero Clerici majores, Athanasio tum comites additi, uti & Laicorum delectus non paucorum; τῶν λαῶν ἱκανῶν. Præter eos qui ex ipsa Alexandrina civitate cum ipso profecti erant.

IX. Episcopalis hic visitatio *περιοδεία* appellatur, quo refricatur nobis memoria Concilii & Canonis Laodiceni, quo vetatur, ne Episcopi ruri, aut vicis præficiendi ordinentur; cùm ibi potius constituendi sint Visitatores, *περιοδευταί*. Unde intelligitur Visitatores eos ab Episcopo delegari solitos, ad agrestes Parochias visitandas. Concilii Calchedonensis Sessionibus duabus duo Presbyteri, iidemque Visitatores occurrunt. *Alexander Presbyter & Periodeuta. Valentinus Presbyter & Periodeuta.* Nec inscitè Zonaras opinatur hos Visitatores nulli singulari Ecclesiæ devinctos fuisse, ut cura, charitateque sua complecti omnes possent, & ad eas invisendas sæpius convolare.

Can. 56.

Act. 4. 10.

Chorepiscopis quoque finitimum varo est suæ regiunculæ visitationes demandatas fuisse. Sed cùm & Periodeutæ & Chorepiscopi paucis in Ecclesiis instituti fuerint, & ne in iis quidem diu viguerint, penes unum semper Episcopum fuit, & cura, & potestas potissima ac primaria visitandarum Ecclesiarum. Ne tum quidem, cùm subessent Episcopis vel Periodeutæ, vel Chorepiscopi, cessabant omnino à visitandis identidem per sese ovibus, quas ipsis Christus ut patribus & summis Pastoribus commendasset. Apostolicæ enim successionis & dignitatis jure singulari Patres ipsi sunt, & Pastores, & medici singulorum fidelium, suæ quisque Diœceseos, nulla cujusquam exceptione. Qui possent illi Episcopatus sui tempus magna ex parte contrivisse, & nec invisisse ægros, quorum salutis procurationem in se receperunt; nec visitasse gregem à Principe Pastore Christo sibi concreditum; nec denique in conspectum venisse filiorum quos in Christo genuerunt, & quibus mores cœlestibus his natalibus consentaneos instillare debent?

X. Moderatè quidem serviendum valetudini, sed serviendum tamen esse ab Episcopis censet Chrysostomus; quòd nisi valeant, nullas ferè possint sustinere partes officii sui, maximè verò visitationum. *Si lectulo decumbat, quid proficere poterit, quam subire peregrinationem, quo pacto visitare Ecclesias;* ποίαν ἀποδημίαν στέλλεσθαι, ποίας ἐπισκέψεις ποιεῖσθαι. Quin & illud addit Chrysostomus inter Episcopales functiones, non aliam esse ullam, in qua plus vel momenti sit, vel laboris, vel periculi; quæ denique magis pateat calumniæ. Cùm nempe à visitante Episcopo omnes sibi despondeant non Christianæ tantum humanitatis, sed & charitatis Episcopalis officia, sive dum valent, sive dum decumbunt. Denique non invisi se tantum ab Episcopo, sed & persæpè invisi debere sperabant, hinc gloriolam aucupabantur; si Episcopi autem utilitati Ecclesiarum obsequentes, hos sæpiusculè, quàm illos convenirent, hinc illis conflabatur invidia, hinc obtrectatio illos, quasi adulatores arrodebat. *Aliam querelarum causam tibi patefaciam. Nam nisi quotidie Episcopus omnium domos circuierit, in hac parte vel eos superans, quibus nullum aliud studium est, quam in foro versandi, deambulandique, hinc omnino offensiones infinitæ emergunt. Neque enim ii solum qui ægrotant, sed & qui sani sunt, invisi se volunt: id quod non religionis & pietatis, sed honoris dignitatisque p. nomine plurimi sibi vendicant: ac si quem forte contigerit ex ditioribus potentioribusque Christianis. Ecclesiæ usu lucroque communi ita urgente, ab Episcopo frequentius invisi, hic protinus Episcopus palpatoris atque adulatoris notam sibi inurit.*

Hom. 2. In Epist. ad Titum.

L. 3. De Sacerd. c. 18.

Hinc porro liquet 1. Ab Episcopis privatim invisi solitos, non opulentos tantum & præpotentes, sed & mediæ sortis viros, quòd omnibus ex charitate debitores essent. 2. Si paulò frequentius inviserentur ab iis, quos sua vel natalium dignitas, vel amplitudo extulerat, non humano eos ad id affectu raptos esse, sed publicæ Ecclesiarum utilitatis amore. 3. Si qui sæculari tumebant fastu, hinc inani jactantia efferrentur, suæque totum imputarent terrenæ celsitudini: non aliud Episcopi tamen spirabant toto pectore, quàm religionem & pietatem, quàm Ecclesiæ commodum, [illegible] ut qui eum repræsentarent, qui cœlis allapsus est Pastor, in terris conversatus, ut errantes revocaset, & in cœlum reportaret oves; qui humanæ consuetudinis officia adivit & consecravit omnia, ut quæ aliis nugatoria sunt vanitatis inanissimæ ludibria, ea Christianis, ea nobis in filios Dei initiatis, jam charitatis incitamenta, jam sanctitudinis exercitia sint.

XI. Fidelium charitate omnium stimulatus Chrysostomus, quotidianam quodammodo cum illis luctam luctabatur, ut vel renitentes impelleret, quò se à vitiis abducerent, ad virtutem incitarent. Sic fideles ille singulos, ut patrem, ut matrem, ut filios, ut fratres amplectebatur. Ita cum illos tum, cùm in urbe invisebat, illa ab eo explicabatur cœlestis consanguinitas, qua omnes unum in Christo, & unus Christus sumus. *Nam quæ spes nobis, si vos non proficiatis? Rursus gestire mihi videor, cùm boni quidpiam audio de vobis. Implete meum gaudium. Quod adversùs omnes decerto, hoc est, quoniam diligo, quoniam conglutinatus sum, quoniam omnia mihi vos estis, & pater & mater, & fratres ac liberi.*

In Acta Apost. hom. 4.

XII. Juniorum Clericorum non est ex Ambrosio viduas, virginesque propriis in earum ædibus invisere, nisi inexorabilis eos adigat necessitas, & vel tum quoque nonnisi cum Episcopo, vel Presbyteris. Septi enim & muniti semper esse debent, adversùs maledicentiæ, aut tentationis jacula. Nec suspicionibus quidem patere debent, ut occasionibus quidem & periculis peccandi se dare. Quibus vacant horis ab Officiis divinæ psalmodiæ, eas in secessu consumere debent in alloquendo, vel consultando Dei verbo. Dum sacros Codices legunt, auscultant: dum orant, vicissim ipsi alloquuntur sapientiam Dei sempiternam. Quibus opera Clericorum necessaria est, ii venire ad eos debent, non vocare, non expectare. Ministerio enim sacro, non hominibus, sed Deo dicati sunt. *Viduarum, ac virginum domos, nisi visitandi gratia, juniores adire non est opus. Et hoc cum Senioribus, hoc est, vel cum Episcopo, vel si gravior est causa, cum Presbyteris. Quid necesse est, ut demus obtrectandi locum sæcularibus? Quàm multos etiam fortes illecebra decepit? Quanti non dederunt errori locum, & dederunt suspicioni? Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus: illum audimus cum divina legimus oracula. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum recepimus.*

Offic. l. 1. c. 20.

XIII. Hinc elucescit esse, ubi charitati & necessitati donentur visitationes. Succinet Ambrosio Hieronymus, & præclaris nos instruet monitis, ad has quoque partes Ecclesiasticæ pietatis religiosè sustinendas. Quantis etiam cautionibus uti par sit, sic ille addocet in Epistola ad Nepotianum. *Si propter officium Clericatûs aut vidua à te visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si Lector, si Acolythus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus: nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum sola, secreto & absque arbitro vel teste non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem, majorem domûs, virginem, viduam, vel maritatam. Non est tam inhumana, ut nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Cavete omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita.* Juniores Clericos instituebat Ambrosius, Presbyterum Hieronymus informat, qui ex officio cogebatur invisere, in quos charitatis viscera effunderentur. *Officii tui est visitare languentes, nosse domos matronarum, & liberos earum, & nobilium virorum custodire secreta, &c. Consolatores potiùs nos in mœroribus suis, quàm convivas in prosperis noverint.*

Ad Episcopi sui mores effingere se debet Parochus, & eo Parochiam suam animo, quo ille Diœcesim perlustrare; eóque sola stimulari animarum

Ibidem. salutis charitate, invitante necessitate, Clericis aliis comitantibus, ut obtrectationi os obstruatur. Ita strenuè Nepotianus monenti & præcipienti obsecutus est Hieronymo, ut illi postea in cœlos abrepto, ære perennius monumentum encomio suo extruxerit idem ipse sanctissimus Pater, ex quo hæc pauca excerpimus in rem nostram: *Subvenire pauperi-*

In Epitaph. Nepot. *bus, visitare languentes, provocare hospitio, lenire blanditiis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.*

XIV. Has easdem sibi ipse modestiæ & sapientiæ regulas præscripserat Augustinus, ut nec solus, nec solas inviseret aut alloqueretur fœminas; ut pupillos tantùm & viduas adiret, calamitate quapiam aut ægritudine mœrentes, ut imponeret eis manus, & cælestem opem imprecaretur; denique ut ne Monialium quidem inviseret Cœnobia, nisi gravis ur-

Cap. 26. 27. geret necessitas. *Et si forte ab aliquibus fœminis, ut videretur vel salutaretur, rogabatur: nunquam sine Clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis unquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset. In visitationibus verò modum tenebat ab Apostolo definitum, ut nonnisi pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si fortè ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Deum rogaret, eisque manus imponeret, sine mora pergebat. Fœminarum autem Monasteria nonnisi urgentibus necessitatibus visitabat.*

XV. Illud verò nemo potest satis mirari, quod

Dial. 2. de sacra virgine narrat Severus Sulpitius, quæ ruri secesserat in privatas ædes suas, & ita viris omnibus inaccessa vitam degebat, ut vel ab ipso beato Martino non procul iter agente, & eam invisere cupiente, rem sibi aliàs jucundam & honorificam, deprecata sit tamen, ut secessûs & silentii sui legibus adversam. Anceps hæsitat Severus, utrùm pluribus cumulet laudibus virginem, quæ ne in Martini quidem conspectum venire, aut ab eo se invisi voluerit: an Martinum, qui ea repulsa exhilaratus vehementer sit, quæ non à fastidio, sed ab eximio & pene inaudito virginis pudore & amore silentii profecta esset. *O virginem gloriosam, quæ ne à Martino quidem passa est se videri! O Martinum beatum, qui illam repulsam non ad contumeliam suam duxit!* Quo exemplo admonentur piæ virgines omnes vel Presbyteros, vel Episcopos ipsos potiùs arcere suis ædibus, quàm ut eos admittant, ex quorum contubernio obliquis suspicionibus aspergi possint. *Ne a! si improbis sit liber accessus, non vereantur excludere etiam Sacerdotes.*

XVI. Ad Parochiarum agrestium visitationes calamus revocandus jam est. Quam jocorem affirmat Theodoretus, Marcionitas hæreticos suis in Parochiis disseminatos supra mille in Catholicæ fidei unitatem adgregatos à se fuisse, & cùm suo Cyrensi Episcopatui subessent Parochiæ octingentæ, omnes inde hæreticæ zizaniæ fibras à se penitus evulsas esse. *Supra mille animas Marcionis morbo liberavi.* Epist. 113.

Et octingentarum Ecclesiarum Pastoralem curam sortitus, 81.

tot enim Cyrus habet Parœcias, in quibus ne unum quidem lolium relictum est, sed omnibus hæreticis erroribus grex noster ereptus est. Hi erant ergo fructus, hoc operæ pretium lustrationis Parochiarum, firmare fidem orthodoxam, exstirpare hæreses, earum sectatores in gremium Ecclesiæ recolligi. Cùm Epistolas ubi hæc enarrat, exararet Theodoretus, annos jam viginti sex in tam præclara messe congerenda consumpserat, & in hoc ille uno totus erat, ut qui nec agros, nec domos ullas comparare, aut rem augere curasset; quin ex adverso avitum patrimonium in pauperes erogasset. *Episcopatu tot annis gesto, non domum acquisivi, non agrum, non obolum, non sepulcrum, sed spontaneam paupertatem amplexus sum, & ea quæ à parentibus ad nos pervenerant, post illorum mortem statim distribui.* Hac ille despicientia & abdicatione terrenorum omnium, eoque Apostolico Visitationum & Prædicationum fervore, Parochiis quidem octingentis fidei opes & charitatis accumulaverat, sibi thesauros congesserat inæstimabiles.

XVII. In Conciliis Africanis decretum fuerat, ut si Episcopi à Collegis admoniti pigritarentur, & vicos sibi subditos à Donatistarum contagio purgare cessarent: ab his Episcopi alii vicis eas pestes abigerent, & ita demum illos suæ posthac ditioni vendicarent. *Placuit, ut quicumque negligunt loca ad* Con. Milev. Can. 24.

suam Cathedralem pertinentia in Catholicam unitatem Conc. Afric. Can. 52

lucrari, conveniantur à diligentibus vicinis Episcopis, Cod. Can.

uti id agere non morentur. Quod si intra sex menses à Eccl. Afric.

die conventionis non fecerint, qui potuerit ea lucrari, c. 121.

ad ipsum pertineant. Alio verò Canone Carthaginensi sancitur, ut si quis Episcopus fidei Catholicæ adjunxerit agrestem aliquam Parochiam, eamque tranquilla triennii possessione sibi subjectam habuerit, ne posthac ea possit spoliari, dum ne eo tempore viduata vacarit sedes Episcopalis, cui ea Parochia parebat. *Si locum per triennium nemine repe-* Conc. Carthag. Tit.

tente continuit, ulteriùs ab eo non repetatur. 81.

CAPUT LXXVII. *P. 2. l. 2. c. 66.*

De Visitatione Episcopi ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Contexitur Synodi Diœcesanæ cum Episcopali Parochiarum peragratione, ad confirmandos Neophytos, & explorandos mores Parochorum.

II. Sua Procurat. omis.

III. Quotannis perlustrandæ erant omnes Parochiæ.

IV. Minùs frequens olim Provinciæ per Metropolitanum visitatio.

V. Episcopo Parochias visitanti comes haerebat Præfectus Re-

gium, ut ad obsequium frangeret contumaces. Vetitum ne Præfecti Regii sine Episcopo Parochias visitarent.

VI. Parochia quæ propriæ mundo excolat Episcopus, vicinori Episcopo adscribuntur.

VII. Meloduni ne novo Episcopalis sedes erigatur, fidenter intercedit Senonensis Archiepiscopus, ut, quod per ipsum non steterit, quominus illum oppidum visitaret.

VIII. Nec ingravescens ætas, nec corporis imbecillitas à visitandis Parochiis Episcopos retardat, saltem per substitutos visitandis.

IX. Complurium Galliæ Episcoporum Apostolica Parochiarum peragrationes.

X. XI. Similiter & Angliæ Italiæque Episcoporum. Certa firmaque jam procurationum jura.

XII. XIII. Conversioni Infidelium studere debent Episcopi, dum lustrant Diœcesim. In vicinas etiam Diœceses hunc fidei zelum propaganda prolatare debent.

XIV. In Hispaniis nova erat visitandarum Parochiarum necessitas, ut reparationes Ecclesiarum procurarentur ab Episcopo, ad quem ea de causa reditibus tertia pars proveniebat.

XV. Auctus ibi Episcopalium sedium numerus, quo proclivior sit Parochiarum frequentiorque perlustratio.

XVI. Biduum cuique Parochiæ visitando impendi debet.

XVII. Variæ Constitutiones Conciliorum Hispaniæ de Procurationibus, de tertia proventuum parte reparationibus dicata, de Visitationibus per Vicarios. Origo Visitationum Archidiaconi, Vicarii Generalis, & Officialis.

XVIII. De Procurationibus duo quædam observantur.

I. USque adeo conjuncta innexaque sibi mutuò sunt Synodi, & Visitationis officia, ut uno Canone functiones eas duas Episcopales complexum sit Concilium Liptinense, nec non & Suessionense. Liptinense quidem cùm de Synodo verba fecisset, illico ad visitationis fructus
Can. 3. declarandos properavit in hæc verba: *Et quandocumque Jure canonico Episcopus circumierit Parochiam ad confirmandos populos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum, cum collectione & adjutorio populi, qui ibi confirmari debet, &c. Et ut Episcopus testis sit castitatis, & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius.* Hinc instituta potissimum conjici posset visitatio Episcopalis, ad inungendas sacro Chrismate frontes Neophytorum rudium; quanquam ea occasione data Episcopus diligenter inquirat in vitam moresque Presbyterorum, quò etiam Synodi collimant.

II. Posset quis hæc verba Liptinensis Canonis, *cum collectione & adjutorio populi*, trahere ad procurationes, atque ad jus illud quo Parochi Episcopum visitantem cum comitatu suo alere & sustentare tenentur. Nec immeritò sanè. Si quid enim resideret scrupuli, id Suessionense exemit Concilium, aliquantò apertioribus his verbis, quibus & Abbates ipsi eadem necessitate procurandi Episcopi con-
Can. 4. stringuntur. *Et quando jure canonico Episcopus circumit Parochiam ad confirmandum populum, Abbates & Presbyteri parati sunt ad suscipiendum Episcopum in adjutorium necessitatis.* Unde facilè intelligitur his verbis, *jure canonico*, ab utroque Concilio usurpatis, jus Procurationum voluisse hæc Concilia fixum & inconcussum postbac constare, ut cui prisci Canones suffragarentur.

III. Qua utriusque hujus Concilii decreta compendiariè constrinxit Epistola sanctissimus Episcopus Bonifacius, de Procurationibus silet ille quidem, at disertis verbis inculcat singulis annis Parochias omnes ab Episcopo obambulandas esse. *Sta-*
Ep. 105. *tuimus ut singulis annis unusquisque Episcopus Parochiam suam circumeat, populum confirmare, & plebem docere, & investigare, & prohibere paganas observationes, & omnes spurcitias Gentilium.* Ubi perspicis Episcopis Parochias visitantibus ex officio incumbendum esse, non modò ut infantes ungant, aut in Parochos censuram distringant, & Abbates, sed etiam ut plebes saluberrimæ rivulis doctrinæ recreent, superstitiones vestigent & expungant omnes, & impunitùs iuri grassantes perversitates non paucas.

IV. De visitanda autem per Metropolitanum Provincia nec verbum fecit ullum aut Bonifacius in hac Epistola, aut Liptinense, vel Suessionense Concilium. Jubetur tantum Metropolitanus pervigil excubare in Suffraganeos, eorum acuere zelum, excitare torporem, urgere ad Synodos annuas, non ope, non consilio, non re ulla eis deesse, ubi in difficultates incurrunt, quæ sibi sint inexpugnabiles: sicut & in summi Pontificis ope perfugium paratum est omnibus Metropolitanis, quorum consilis obex objicitur quispiam insuperabilis. *Statui-* Ibidem.
mus, quod proprium sit Metropolitano, juxta Canonum statuta, subjectorum sibi Episcoporum investigare mores, & sollicitudinem circa populos, quales sint, &c. Omnes Episcopi debent Metropolitano, & ipse Romano Pontifici, si quis de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere, & sic alieni erunt à sanguine animarum perditarum.

V. Reflectenda nunc oratio est rursum ad visitationes Episcopi, cui videtur Comes regionis, aut Præfectus Regius socius accessisse, ut ad exitum perducerentur consilia & statuta ejus, adminiculante Regia authoritate. Ita enim Canon Liptinensis:
Decrevimus quoque, ut secundum Canones, unusquis- Can. 5.
que Episcopus in sua Parochia sollicitudinem gerat, adjuvante Gravione, qui defensor Ecclesiæ ejus est, ut populus Dei paganias non faciat, &c. Id sibi sumpserant Judices publici, Præfectique, ut illa ipsi loca ab Episcopis visitari solita visitarent ipsi seorsim soli, & aliquid pensionis corraderent. Eam protervIam damnavit Concilium Cabilonense anni 650. nec Châlon.
copiam fecit Magistratibus Parochias aut Cœnobia adeundi, nisi si quando ab Abbatibus & Parochis invitarentur. *Pervenit ad sanctam Sinodum, quod* Can. 11.
Judices publici, contra veterem consuetudinem, per omnes Parochias & Monasteria, quo mos est Episcopis circuire, ipsi illicita præsumptione videantur discurrere: etiam & Clericos, vel Abbates ut eis præparent, invitos atque districtos ante se faciant exhiberi; quod omnimodis nec religioni convenit, nec Canonum permittit authoritas.

VI. Stringenda nobis pauca supersunt de Archiepiscopi hujus Bonifacii Visitationibus. Parochias aliquas propriorum Episcoporum incuria squallentes peragraverat ipse excoluerataque. Veternum tandem excussit Episcopus, Parochiasque suas sibi restitui voluit. At illas certè Gregorius II. Papa Bonifacio adjudicavit, qui cura, labore & sollicitudine Episcopali earum se Pastorem & Parentem præstitisset. *Porro pro Episcopo illo, qui nunc* Gregor II.
usque desidia quadam in eadem gente prædicationis ver- Epist. 8.
bum disseminare neglexerat, & nunc sibi partem, quasi ad Bonif.
in Parochiam defendit, Carolo excellentissimo filio nostro Patricio scripsimus, ut eum compescat.

VII. Bona fide confitebatur Leo Senonensis Metropolitanus aliam Meloduni excitari posse Episcopalem sedem, si per sese, aut per delegatum à se Vicarium illam visitare Ecclesiam supersedisset, quo graviter peccatum à se fuisset 10 Canones. Sed summa fiducia, & Episcopali prorsus constantia Regi Childeberto affirmavit, non passurum se unquam, ut ita truncaretur Diœcesis sua: cùm nemini non exploratum esset, Childebertum ipsum Regem remoras objecisse, ne eas Parochias adire & lustrare posset, quòd ejus ditioni subesset Melodunum,

Agendicum,

Agendicum verò Senonum Theodeberto: *Nunquam suspicati aut credere potuimus, quod hanc aut Ordini vestro, aut etiam temporibus vestris velletis injuriam generari, ut Diœcesin nostram à Deo nobis commissam & usque nunc Pontificali ordine, Deo propitio custoditam tanquam negligentes ac desides, ad alterius permittamus potestatem transire, &c. Custodite quæso, statuta Patrum, & Canonum severitate constricti, &c. Quod si fortasse ob hoc alterum Episcopum sibi fieri rogant, quia nos interclusis itineribus ad eos nec Visitatorem mittere possumus, nec venire: ista culpa nos non respicit. Quia si iter à vestra parte, sicut optimè nostis, interclusum tanto tempore non fuisset, quamvis senes aut infirmi, populum nobis Ecclesiastica disciplina commissum requirere potueramus, aut certè visitatorem, sicut Canones statuunt, destinare.* Denique magni & intrepidi animi vir excommunicationis tela intentat, tum ordinatoribus novi Episcopi Melodunensis, tum ordinato ipsi, si quod ejusmodi facinus moliantur, donec res ad Romanum Pontificem, vel ad Concilium referatur. *Usque ad Papæ notitiam, vel Synodalem audientiam.*

Conc. Gall. To. 1 pag. 358.

VIII. Eminent hîc non pauca memoratu dignissima. 1. Tametsi Parochiæ imperio subessent Regis alterius, eas tamen ab Episcopo proprio visitatas fuisse, recolligente & conglutinante Christi imperio, quidquid hominum cupiditas dissecuit. 2. Ne tum quidem Episcopos à visitationibus feriatos fuisse, cùm vel ætatis excusatione uti poterant, vel infirmitatis. *Quamvis senes, aut infirmi.* 3. Ubi per sese non poterant, per delegatos à se Vicarios, curæ illis fuisse, ut Parochias visitarent, atque ita legibus canonicis satisfacerent. 4. Ex incuria & inertia Episcopi contingere posse, ut suæ illi abjudicentur Parochiæ, & Episcopo ei addicantur, qui dum oves destitutas, convulsas, dispersas curat, recolligit, fovet, earum se germanum ostentat Pastorem.

IX. Pappoli Lingonensis Episcopi visitationes à Gregorio Turonensi memoratæ sunt. *Dum Diœceses ac villas Ecclesiæ circuiret.* Itemque Trojani Episcopi Santonensis: *Si novum, ut assolet, amphibolum induisset, cum quo processurus Diœcesin circuiret, fimbria hujus vestimenti a diversis diripiebantur: salubria omnis homo credebant, quidquid ab ea rapere potuisset.* Itemque Merovæi Episcopi Pictaviensis: *Ecce Merovæus hujus urbis Episcopus non est coram, eò quòd illum causa visitandarum Parœciarum elongaverit.* Memorat & B. Avitus perlustrata à se Cœnobia, *Monasteriis Grenecensibus occupatus, aliquandiu jam habitaculo civitatis abfueram.* Nec excidere sibi passus est B. Audoënus B. Eligii Noviodunensis Episcopi obambulatas Parochias, immo & peragratas Apostolico zelo circumjacentes Provincias, Flandriam, Frisiamque, aliasque eo tractu, à Sole justitiæ Christo necdum radiis supernæ Veritatis perfusas, quarum Eligius eo se Pastorem esse nomine interpretatus est, quòd nec proximiorem, nec alium quemquam haberent. *Pastoris cura sollicitus lustrabat urbes, vel municipia circumquaque sibi commissa, sed Flandrenses, Andovertenses, Frisones & Suevi & Barbari, quique circa maris littora degentes, quos velut in extremis remotos, nullus adhuc prædicationis vomer impresserat, &c.*

Hist. l. 5. c. 5.

De gloria Confessor. c. 59. 106.

Epist. 65.

Vita ejus l. 2. c. 3.

X. Ad Apostolorum enim normam exigendæ erant Episcopales visitationes, ut eorum non locum tantùm, sed & virtutes obtinerent. Atqui Apostoli æstu quodam & irrequieto charitatis decursu orbem totum peragrabant, non modò ut recentibus Ecclesiis novum robur adderent, sed etiam ut novas Ecclesias excitarent. Id Beda visus est innuisse in encomio sanctissimi Episcopi Ceaddæ, qui ut propiùs abesset ab Apostolis, ut eorum in vestigia insisteret, pedibus Parochias suas obambulabat. *Consecratus in Episcopum Ceadda, maximam mox cœpit Ecclesiasticæ veritati & castitati curam impendere; humilitati, continentiæ, lectioni operam dare: oppida, rura, casas, vicos, castella propter evangelizandum, non equitando, sed Apostolorum more, pedibus incedendo, peragere.*

L. 3. c. 28.

Sed ab eodem Gregorio jubente & Theodori Cantuariensis Archiepiscopi in omnem Angliam sparsas visitationes accepisse. Simillimum veri est, Apostolica illum potiùs delegatione totam perlustrasse Angliam, quàm potestate sola Metropolitani, alterius earum Provinciarum & Metropoleon, quæ Angliæ impertitabant universæ. Referri tamen forsan ea utcunque possunt ad visitationes Metropolitani, Provinciam lustrantis. *Moxque peragrata Insula tota, quaqua versum Anglorum gentes morabantur; nam & libentissime ab omnibus suscipiebatur, atque audiebatur, rectum vivendi ordinem, ritum celebrandi Paschæ canonicum disseminabat.*

L. 4. c. 2.

XI. Nec Episcoporum Italiæ tepebat zelus visitandarum Parochiarum, ut author est Gregorius Magnus de B. Redempto Episcopo, qui diebus in Apostolicas curas discursationesque absumptis, noctes pervigiles ducebat ad tumulos Martyrum. *Quadam die dum Parochias suas ex more circuiret, pervenit ad Ecclesiam B. Eutychii Martyris. Advesperascente autem die, stratum fieri sibi juxta sepulcrum Martyris voluit, atque ibi post laborem quievit, &c.* Eodem referente Gregorio, ab Ecclesiæ Romanæ Diacono patrimonii B. Petri rectore in Sicilia modus præstitutus fuerat expensis Parochiarum Episcopos visitantes procurantium, & ita res temperata, ut ipsi acquiescerent Episcopi. Rescribens Gregorius ad Episcopos Siciliæ hortatus est, ut ei se dispositioni accommodarent, & ne Parochos gravarent. *Relatum est nobis per servum Dei Diaconum, qui jam tunc Ecclesiastici patrimonii curam gessit, fuisse dispositum, ut Sacerdotes per universas vestras Diœceses constituti, quoties ad consignandos infantes egredimini, ultra modum gravari minimè debuissent: summa enim præfixa fuerat, vobis, ut audio, consentientibus, quæ ab eisdem Sacerdotibus pro labore Clericorum dari debuisset. Atque hoc quod tunc placuit, sicut nunc dicitur, minimè custoditur. Unde fraternitatem vestram admoneo, ut subjectis vestris graves non studeatis existere; sed si qua sunt gravamina, temperetis, quia nec ab ea quod semel definitum est, desistere debuistis.*

Dialog. l. 3. c. 38.

Reg. l. 11. Epist. 22.

XII. Non postrema illa quidem est Episcoporum Ecclesias visitantium cura, ut Confirmationis sacramenta dispensent, ut innuebat Gregorius: *ad consignandos infantes.* Utque rursus tradit in Epistola ad Episcopum Italiæ, infirma atque etiam ægra valetudine utentem, quem tamen excitat ad Ecclesias pro virium suarum modo visitandas, & consignandos parvulos. *Ecclesiis ad quas sine labore potestis accedere, officium visitationis impendite, ut qui baptizantur, inconsignati non debeant remanere.* Sed nec ipse dissimulat, à visitantibus Episcopis debellandas esse idololatriæ, aut hæreticæ perfidiæ reliquias, & his trophæis Apostolicas innovari debere victorias. Vide enim ut asper & minax Episcopos lacessat Sardiniæ, qui ne Ecclesiæ quidem subditos & mancipia Christo adgregare curassent. *Accidit aliud valde lugendum, quia ipsos rusticos, quos habet Ecclesia tua,*

L. 8. Ep. 46.

L. 3. Ep. 26.

nunc usque in infidelitate remanere, negligentia fraternitatis vestra permisit. Et quid vos admoneo, ut extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? Unde necesse est, vos per omnia in eorum conversionem vigilare. Nam si cujuslibet Episcopi in Sardinia Insula Paganum rusticum invenire potuero, in eundem Episcopum fortiter vindicabo.

XIII. Exæstuare debet Episcopalis charitas, & excurrere in circumjacentes, in procul etiam jacentes regiones, ut Evangelicæ fidei splendor quoquo versum effundatur. Certissimæ ejus regulæ contemplatione Gregorius Reges ipsos Galliæ querimoniis suis lacessivit, quòd eorum Episcopi pigrescerent, nec Anglorum sibi vicinorum procurandæ saluti operam darent, quasi inertia sua non eos perderent, quos diligentia servare potuissent. *Pervenit ad nos Anglorum gentem ad fidem Christianam, Deo miserante, desideranter velle converti; sed Sacerdotes vestros è vicino negligere, & desideria eorum cessare sua adhortatione succendere, &c. Pervenit ad nos Anglorum gentem, Deo annuente, velle fieri Christianam, sed Sacerdotes qui in vicino sunt, Pastoralem erga eas sollicitudinem non habere.* Quo manifestum est Pastoralis esse Episcoporum sollicitudinis, ut ad fidem adducere laborent, non suæ tantùm in Diœceseos finibus Infideles, sed & non longè, aut etiam longè dissitos.

L. 1. Ep. 58. 50.

XIV. Conveniendæ jam aliquando tandem nobis sunt Hispaniæ, ubi novo stimulo agebantur Episcopi ad visitandas Parochiarum Ecclesias, quarum reparationi invigilandum eis erat, quòd apud eos deponeretur tertia illa pars Proventuum sacrorum, quæ reparandis Ecclesiis dicata erat. Ita perspicuè liquet ex Concilio Tarraconensi, cujus statuto urgentur Episcopi, ad Ecclesias suas omnes quolibet anno visitandas. *Multorum casuum experientia magistrante, reperimus nonnullas Diœcesanas esse Ecclesias destitutas; ob quam rem id hac constitutione decrevimus, ut antiqua consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo Diœcesano visitentur: & si qua fortè Basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparetur. Quia tertia ex omnibus per antiquam consuetudinem, ut accipiatur ab Episcopis, novimus statutum.*

Can. 8.

XV. In Concilio Lucensi adauctus est numerus Episcopatuum in Lusitania & Gallæcia, hoc potissimum consilio, ut quolibet anno suas singuli Parochias possent Episcopi obambulare: quod hactenus ne potuissent, effecerat eorum amplitudo. *Quia in tota Gallæcia regione spatiosa satis Diœceses à paucis Episcopis tenentur: ita ut aliquanta Ecclesiæ per singulos annos vix possint à suo Episcopo visitari.*

XVI. In Concilio II. Braccharensi jussi sunt Episcopi, primum quo quamlibet Parochiam visitant, diem impendere examinandis moribus Clericorum, & qua ab ipsis ratione vel administrentur Sacramenta, vel Psalmodiæ sacræ officia celebrentur. *Placuit ut per singulas Ecclesias Episcopi per Diœceses ambulantes, primùm discutiant Clericos, quomodo ordinem baptismi teneant, vel Missarum, & quæcumque Officia in Ecclesia peragantur.* Dies altera dicanda est rigandæ in aures animosque fidelium doctrinæ Catholicæ, tum circa fidei orthodoxæ placita, tum in moribus ad pietatem aptandis. *Postquam in his suos Clericos discusserint, vel docuerint Episcopi, alia die convocata plebe ipsius Ecclesiæ, doceat illos, ut errores fugiant idolorum, vel diversa crimina, id est, homicidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera, aut quod nolunt sibi fieri,*

Can. 1.

non faciant alteri, &c. Et sic postea Episcopus de Ecclesia illa proficiscatur ad alteram. Atque ita duo saltem dies Episcopo in unaquaque Parochia conterendi erant.

XVII. Canone proximo ejusdem Concilii Braccharensis II. vetantur Episcopi præter Cathedraticum, quidquam ex Ecclesiis, quas perlustrant, exigere, erat autem ea summa nummorum duorum: vetantur & quidquam delibare de tertia parte proventuum & oblationum, quòd ea in sarta tecta Ecclesiarum, & in lampades sacras expendenda sit. De Cathedratico uberiùs nos suo & proprio loco. *Placuit ut nullus Episcoporum, cum per suas Diœceses ambulant, præter honorem Cathedræ suæ, id est, duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat, &c.* Can. 2.

A Concilio autem Toletano confirmata rursus est illa lex Ecclesiæ perantiqua, ut Parochias omnes quilibet quolibet anno Episcopus perlustraret; ut rationes illi redderentur tertiæ partis in reparationes absumendæ, ut in reparationes ipsas inquireret, ut denique censum ageret Clericorum. Si per occupationum autem, aut per ægritudinum molestias Episcopo non liceat, ut Diœcesin ipse suam perlustret, delegandi ab eo sunt idonei Presbyteri, vel Diaconi, quos ad consortium aliquod asciscere possit & curæ, & potestatis suæ. *Episcopum per cunctas Diœceses Parochiasque suas, per singulos annos ire oportet, ut exquirat, quid unaquaque Basilica in reparatione sui indigeat. Quod si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, explere nequiverit, Presbyteros probabiles, aut Diaconos mittat, qui & reditus Basilicarum, & reparationes, & ministrantium vitam inquirant.* Hinc pronum est concludere, moris necdum fuisse, ut à Vicariis Generalibus, vel ab Archidiaconis, vel denique ab Officialibus Diœceses visitarentur; quin & horum omnium visitationibus aditum aperuisse istiusmodi Canones, ubi Episcopis permittebatur aut ægrotantibus, aut aliàs occupatissimis, ut per Presbyteros & Diaconos eo munere fungerentur. Can. 36.

In Concilio Toletano VII. ut sedarentur Parochorum querelæ in Provincia Gallæciæ, cujus Ecclesias Visitationum impensis penè exhausisse Episcopi dicebantur: constitutum est, ut ne ejus Provinciæ Episcopi à Parochiis, quas visitarent, quidquam emungerent, præter duos Cathedratici nummos, juxta decretum alterius Concilii Braccharensis: ita ut ne ei quidem exactioni subessent Monasteria. Denique ne plures in comitatu Episcopus haberet, quàm quinque equos, nec ultra unum diem moras traheret posset in quaque Parochia. *Hi Pontifices Parochianas Ecclesias prægravantes, dum in exactionibus superflui frequenter existunt, pene usque ad exinanitionem extremæ virtutis, quasdam Basilicas perduxisse probantur. Ne ergo id fiat, non amplius quàm duos solidos unusquisque Episcoporum præfata Provinciæ per singulas Diœcesis suæ Basilicas, juxta Synodum Braccharensem, annua illatione, sibi expetat inferri; Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutione pensionis sejunctis. Cum verò Episcopus Diœcesin visitat, nulli pro multitudine onerosus existat; nec unquam * quinariorum numerum evectionis excedat, aut amplius quàm una die per unamquamque Basilicam remorandi licentiam habeat.* Can. 4.

* quinquagenarum.

XVIII. Permagni profectò interest duo quædam in hunc Canonem observari. Primum est Cathedraticum illud, seu duos nummos, quos exprimebat Episcopus ab omnibus Ecclesiis visitandis, longè aliud fuisse atque procurationes, quibus non

aliud quam necessariæ expensæ obiter perlustranti & prætervolanti Episcopo suppeditantur. Diversissima sunt ex hoc Canone duo illa jura. In primo enim est *annua illatio*, seu pensio. In secundo impendia sunt, quæ non fiunt nisi reapse visitante Episcopo. Denique in Provincia tum Gallæciæ ultra duos nummos augeri prohibetur id jus. Huic rei aliquid præsidii accedet à Concilio Emeritensi, cui placuit, ut Parochi, Abbates, Diaconi visitantem Episcopum necessario sumptu levarent, nec locus esset posthac immunitatibus antè impetratis ab Epis-
Can. 12. copis qualibuscumque. *Digni eum suscipiant, & prout habuerint, aut ratio permiserit, illi præparent quæ fuerint necessaria.*

Alterum illud rursus observandum venit, pro quinque equis in comitatu Episcopi, quinquaginta quibusdam Codicibus haberi. Cui lectioni hæsisse, & authoritatem addidisse videtur Alexander III. quod is numerus equitum sui sæculi opibus luxuique magis concineret, quam scopo Concilii Toletani, Canonique, quo inopia Parochiarum levabatur. Copiosissimè infra de ea re & de eo numero disceptabitur. Hic necessariò subjicienda verba ipsa Concilii Lateranensis III. sive Alexandri III. qui
Can. 4. ei præerat. *Statuimus quod Archiepiscopi Parochias visitantes, pro diversitate Provinciarum & facultatibus Ecclesiarum, quadraginta vel quinquaginta evectionis numerum non excedant. Episcopi viginti, vel triginta non excedant, Archidiaconi quinque aut septem.*

CAPUT LXXIX. *P. 3. l. 2. c. 68.*

De Visitatione Episcoporum & Archiepiscoporum, & de Synodo quæ habebatur in Ecclesia ipsa quæ visitabatur, ab anno octingentesimo ad millesimum.

I. Visitandæ necessario erant Parochiæ omnes, ut publica crimina pœnitentia publica expiarentur.
II. Singulis annis Parochiæ prorsus omnes à visitante Episcopo perlustrandæ erant.
III. Administranda tum Confirmatio.
IV. Levationi & solatio pauperum studendum erat.
V. Cavendum, ne gravarentur Parochi.
VI. Varia in eam rem Conciliorum statuta.
VII. Præfectus Regius comitabatur Episcopum, ut statutorum executionem urgeret.
VIII. In obambulandis Parochiis Conventus mixtos indicebat Episcopus ubi jus diceret, causas dirimeret.
IX. Synodus ea erat desultoria.
X. De Testibus Synodalibus. Summa Capita inquisitionum Episcopalium, ad investigandas Parochiæ cujusque pravitates.
XI. Visitationes Metropolitanorum in Oriente prohibitæ.
XII. His verò tribus sæculis in Occidente manus visitata.
XIII. Ubi necesse sit, ut Episcopus suas ipse partes visitandi impleat.

I. In visitandis maximè Parochiis suam explicasse Episcopos jurisdictionem locupletissimus testis affirmat in Capitularibus suis Carolus Magnus. Tum enim potissimum sævit eorum zelus in homicidas, incestuosos, adulteros, & in omnes
Conc. Gall. To. 2. pag. 248. denique publicis criminibus illaqueatos. *Ut Episcopi circumeant Parochias sibi commissas, & ibi inquirendi studium habeant, de incestu, de parricidiis, fratricidiis, adulteriis, cenodoxiis, & aliis malis, quæ contraria sunt Deo, &c.*

Cùm publica enim crimina omnia judicio & censuræ Episcopi integra servarentur, nec ea expiarentur nisi pœnitentia publica; consentaneum erat, ut perlustraret ipse ditionem suam omnem, & in reos inquireret. Patuit illud quidem suprà, à Parochis Decanisque Ruralibus intra quindecim dies pœnitentiæ publicæ subjiciendos fuisse, quicumque se gravioribus his piaculis contaminassent; aut si minus morigerarentur, cœtu fidelium ejiciendos. Patuit & illud, incunctanter ab illis commonendum fuisse Episcopum de atrocibus quibusque flagitiis, quæ in singulis Parochiis patrarentur. Patuit denique, ubi Parochi ad annuas Episcopi Synodos confluebant, adducere eos secum debuisse publicorum scelerum reos, suppetias etiam ferentibus Comitibus. Verùm cum & præ cæteris necessaria, & tamen operosissima esset horum flagitiorum animadversio, gravissimisque vallata difficultatibus: quibus superandis rarius pares essent vel Parochi, vel Comites: operæ pretium erat, ut prosiliret Episcopus ipse, & has pestes in suis usque latibulis insectaretur ac perdomaret. Ad id verò conducibile in primis erat, ut Parochias omnes quotannis obambularet. *Statuimus, ut singulis annis unusquisque Episcopus Parochiam suam sollicitè circumeat, populum confirmare, & plebes docere, & investigare & prohibere paganas observationes, divinosque, vel sortilegos, & auguria, filacteria, incantationes, vel spurcitias Gentilium studeat.* Capit. Car. Mag. l. 7. c. 94. 95. 109. 365. Et rursus alibi in iisdem Capitularibus, ut anno quolibet omnes prorsus Parochiæ visitentur. *Placuit ut unusquisque Episcopus per singulos annos cunctas Diœceses Parrochiasque suas circuire non negligat, confirmando, docendo, singulaque quæ necessaria sunt, restaurando, & corrigendo prout melius valuerit, reformare satagat.*

III. Plurimum quoque erat momenti in administrandæ Confirmationis necessitate, ad annuas præscribendas omnium Parochiarum visitationes. Rem enim periculi plenissimam esse, & in gravi culpa tum Episcopos, tum Diœcesanos fore, omnibus compertissimum erat, si qui nondum suscepta Confirmatione præmorerentur. *Ut omnes maximam cu-* Capitul. l. 6. *ram habeant, ne sine Confirmatione Episcopi quis vitam* c. 83. *finiat, animaque periclitetur.* Et alibi: *Adnuntient Presbyteri populis, ut quam citius potuerint, suos infantulos ad confirmandum Episcopo præsentare faciant.*

IV. Sublevandis quoque pauperum & calamitosorum ærumnis opportunissimæ erant frequentes Episcoporum visitationes. Authores enim & confessi ipsi calamitatum & vexationum omnium, sibi aliisque non immerito videri poterant, si pro potestate & pro officio suo cùm possent, his malis medicari cessarent. *Ut unusquisque Episcopus semel in* Addit. l. 3. *anno circumeat Parochiam suam. Noverint sibi curam* c. 65. *populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impositam. Ideoque dum conspiciunt Judices ac Potestates, pauperum oppressores existere, priùs eos sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendari, eorum insolentia Regis auribus intimetur: ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coërceat.*

V. Exceptus est autem hic postremus Canon ex Concilio Arelatensi VI. quod extremo anno vitæ & Imperii Caroli Magni habitum est anno 813. In Concilio Cabilonensi quod eodem anno habi- Can. 17. tum est, laboratum est, ut ne Episcopi, quorum est oppressis adesse & opitulari, opprimerent ipsi Parochias, iniquis & gravibus inter visitandum exactionibus. *Cavendum est, ne cum Episcopi Paro-* Can. 14. *chias suas peragrant, quandam non solum erga subditos, sed erga socios tyrannidem exerceant: nec quod absit, cum charitate, sed quadam judiciaria invectione stipendia ab iis exigant.*

VI. Disertè, ut vides, spontaneæ hæ insinuantur fuisse largitates, non ex necessitate, sed ex charitate profectæ: *cum charitate*, dum Diœceses peragrant Episcopi. Ne extundat ergo quidquam vel à Parochis, vel à Parochianis, quod onerosum &
Ibidem grave sit. *Et si quando eis ad peragendum ministerium suum, à fratribus, aut à subditis aliquid accipiendum est, hoc summopere observare debent, ne quem scandalizent, aut gravent.* Eo denique æquabili modo & temperamento suadet hoc Concilium uti Episcopos, ut solas visitationis expensas à Parochis accipiant, si minùs pares ipsi sint iis ferendis; meminerintque imitandum sibi propositum esse Apostolum Paulum, qui manibus ipse suis vitam tolerabat, ne cui gravis esset. *Tanta ergo in hac re discretio tenenda est, ut & verbi ... Prædicator sumptus, ubi proprii desunt, à fratribus accipiat, & iidem fratres illius potentia non gravențur: exemplo Apostoli Pauli, qui ne quem gravaret, arte & manibus victum quærebat.*
Can. 32. Concilii VI. Parisiensis Patres non certum tantùm modum voluere ab Episcopis poni suis expensis, ne Parochis onerosi essent; sed & prohibuere, ne quid acciperent de ea decimarum & oblationum per singulas Parochias quarta parte, quam illi antiqui Canones adjudicaverant; sed ut eam largirentur in Ecclesiarum & pauperum necessitates dispensandam: nisi non suppeteret eis aliunde, unde necessarium sumptum facerent. Plura nos de his alibi.

VII. Sancit Heraldus Archiepiscopus Turonensis, ut annis singulis universæ Parochiæ visitentur:
Cap. 76. *Ut omni anno Parochias Episcopi gyrent, & ut Presbyteri rationem ministerii sui, ac creditorum omnium ipsi reddant.* Sed est & aliud, quod ab Hincmaro Remensi addiscamus. Videlicet ministrum quempiam Comitis, seu Præfecti Regii adjunxisse se socium Episcopo visitanti, ut Regia authoritas Episcopali accederet, & incestuosos, omnesque adeo enormibus flagitiis infamatos publicæ cogeret pœnitentiæ labores subire. Id Episcopi duarum Provinciarum ad Carisiacum congregati ad Ludovicum Germaniæ Regem perscripsere. Ingenio, zelo & authoritate præerat Hincmarus ei Concilio, cui & calamum suum commodavit, ad monita illa vehementissima
Hincmar. To. 2. pag. 131. exaranda ad Regem Ludovicum. *Ut Episcopi quietam libertatem suas Parœcias circumeundi, & prædicandi, & confirmandi, atque corrigendi habeant, ordinate. Ut Missus Reipublicæ, id est, Minister Comitis, cum ipsis, si jusserint, eat, qui liberos homines incestuosos, si per admonitionem Presbyterorum venire ad Episcopum noluerint, eos ad Episcopi placitum venire faciat, commendate.*

Non de quibuslibet, sed de *liberis hominibus* hîc agitur. Contrà autem in Canone Concilii Suessionensis II. permissione etiam Regia sinebantur Episcopi agricolas & rusticos publico crimine irretitos corporalibus addicere pœnis, & vel invitos pœnitentiæ subjicere publicæ, prohibitis eorum dominis, ne huic Episcopali jurisdictioni sacræ obstreperent. Hinc perspicuum est summa illa authoritate munitum fuisse Episcopum in rusticos, at in liberos homines sociam illi accedere debuisse Regii ministri operam.

VIII. In iisdem rursus Hincmari verbis observandum est, ab Episcopo visitante convocatos fuisse Conventus mixtos, in quos Clerici, Nobiles, Laïcique cæteri ejus regiunculæ convenirent, & in commune deliberarent, de revocanda ad integritatem pristinam tum disciplina morum, tum Republica universa. Hos Conventus designat Hincmarus, ubi ad eos ait deduci debere vel trahi à ministro Regio incestuosos & scelerosos omnes publicos. *Eos ad Episcopi placitum venire faciat.* De hujusmodi rursum Placito, seu Conventu Concilium Triburiense id statuit, ne ubi ab Episcopo fuerit convocatum, possit Comes aliud congregare, sed advolet ipse cum plebe ad Episcopi Placitum. *Cùm* Cap. 9.
Episcopus Episcopatum circumeundo perrexerit, & Placitum canonicè constitutum decreverit, populumque sibi creditum illic invitaverit, &c. Comes ipse, itemque populus post Episcopum festinè pergant, &c.

IX. Quod hîc Placitum, Synodus dicitur in Formula Visitationum, quam ad nos transmisit Regino. Properabat Archidiaconus, vel Archipresbyter biduo triduove antequam Episcopus ad visitandam accederet Parochiam, de adventu commonebat Episcopi, Synodum in eam diem indicebat. Regino l. 2. de Eccl. disc. c. 1.
Et ut omnes ad ejus Synodum die denominata impræter̄missè occurrant. Collationes cum Presbyteris inibat, minusculos excessus emendabat, ut & tempori & impensis parceret Episcopus adventans, plerisque rebus jam in meliorem formam compositis. *Ut Pontifex veniens nequaquam in facilioribus negotiis fatigetur; aut sibi immorari amplius necesse sit, quàm expensa sufficiat.* Septem Testes Synodales *Episcopus in Synodo residens*, deligebat ex optimis quibusque ejus loci viris, & juramento constringebat, fideliter, ita & gratia qualicumque ablegata, renuntiaturos, quidquid explorati haberent de criminibus vitiisque pestiferis in ea Parochia grassantibus; & tum sigillatim interrogabat eos de sceleribus prorsus omnibus, quibus persæpè scatent Parochiæ rusticanæ.

X. Longum esset percunctationes eas omnes hîc inseri. Sunt quas præterire non possim. Rogantur Testes Synodales, an conveniant Laïci omnes ad matutinum Officium, & ad Mysteriorum celebrationem, & ad Vesperas, Dominicis diebus, Festisque. *Si ad Matutinas, & ad Missam, & ad Vesperas his diebus imprætermissè omnes occurrant.* An fidelium quisque suum alat pauperem: *Si unusquisque pauperem de sua familia pascat.* An Parochiis in omnibus constituti sint Decani, qui omnes admoneant, ut Matutinis, Missæ & Vesperis adsint, & diebus Festis ut servili ab opere feriientur, & Parochis eos indicent, qui in sacras Ecclesiæ leges committunt Cap. 57. 68.
quidpiam. *Si in unaquaque Parochia Decani sunt per* 69. 72.
villas constituti, viri veraces & Deum timentes, qui cæteros admoneant, ut ad Ecclesiam pergant ad Matutinas, Missam & Vesperas, & nihil operis in diebus Festis faciant. Et si horum quisquam transgressus fuerit, statim Presbytero annuntient. Similiter & de luxuria, & omni opere pravo. An sint duri & inhospitales, qui peregrinos tecto summoveant. *Si aliquis est, qui peregrino vel viatori hospitium contradicit.* An obstinatiùs quis Episcopo, vel Vicariis ejus renitatur, cum in rusticos servosque animadvertunt, pœnisque sæviunt; *Si aliquis est qui contradicit Episcopo, vel ejus* Cap. 71. 116.
Ministris, ne coloni aut servi propter commissa crimina virgis nudi cædantur.

Ejusmodi erat Episcopi inquisitio generalis in omnia crimina cujusque Parochiæ, ut scelerum convicti, illico pœnitentiæ publicæ vinculis mancipărentur. Frangebatur contumacia non paucorum Comitis, vel Vicarii ejus cujuspiam ostentata potestate, cujus ille insignibus circumfulgebat. Porro ejus generis Visitationum formulas reperire est in Tabulariis complurium Ecclesiarum, ex quo & illud constat, usitatissimas eas fuisse in Galliis, Germania, Italia, Hispaniaque.

XI. Pergendum nunc nobis esset ad Archiepiscoporum in Provincia cujusque sua Visitationes, si qua earum in hujus medii ævi Conciliis vestigia observari potuissent. Faciliùs verò incidas in Canones, quibus illæ improbentur. In Concilio VIII. Oecumenico apertissimè illæ excluduntur, quòd earum obtentu levitati & avaritiæ suæ servirent Archiepiscopi, vel Metropolitani, residentiæ canonicæ pertæsi, & eo uno vel consilio, vel fructu ad Suffraganeos visitandos accincti, quo reditus sacros alimentis pauperum dicatos prolixis ipsi sumptuosissimisque conviviis abligurirent. *Hujus rei gratia*
Can. 19. *definivit sancta hac & universalis Synodus, nullum Archiepiscoporum & Metropolitanorum relinquere propriam Ecclesiam, & sub occasione quasi visitationis ad alias accedere, & potestate propria in inferiores abuti, & consumere reditus, qui apud illos inveniuntur, ad Ecclesiasticam dispositionem & alimenta pauperum.* Hoc denique Concilio non sinuntur Episcopi, nisi Metropolitanum iter agentem officioso excipere hospitio; *excepta hospitalitate, qua aliquando ex necessario transitu fortuitis accesserit*: jusso etiam Metropolitano, ut *maturiùs propositum iter perambulet.*

XII. In Ecclesiæ verò Latinæ horum temporum monumentis nulla obvia est ejusmodi censura, quòd nulla usquam existat harum visitationum memoria. In Oriente autem eas probabiliter creditur ex humanioribus quibusdam congressibus ortum duxisse, quæ postea cum jurisdictionis prætextu avaritiæ
Can. 3. servirent, à Concilio VIII. prorsus abolitæ sint. Quandonam autem in Occidente usitatiores esse cœperint visitationes Metropolitanorum, infrà aperiemus. In Concilio quidem Arelatensi VI. anno 813. incitatur Metropolitanus, ut Suffraganeos addoceat, quî administranda Sacramenta, & lectioni Scripturarum jugi incumbendum sit; sed nihil inde ritè perficies ad Provinciæ visitationes.

XIII. In Concilio denique Meldensi anno 845. declaratum illud quidem est, divino Scripturarum jure teneri Episcopos Parochias per sese aliquando saltem invisere, non per Vicarios tantùm: at de Metropolitanorum visitatione Provinciæ nulla ibi
Can. 29. mentio. *Ut quorundam Episcoporum reprehensibilis, imò damnabilis consuetudo omnimodis corrigatur, qui plebes sibi creditas aut rarò aut nunquam per se ipsos, juxta ordinem Evangelicum, & Apostolicum, atque Ecclesiasticum visitant; cùm Dominus dicat, Speculatorem dedi te, &c.*

CAPUT LXXX. *P. 4. l. 2. c. 94.*

De Visitatione Episcopali post annum Christi millesimum.

I. Mira connexio jurisdictionis & visitationis Episcoporum.
II. Varia Conciliorum Decreta de Visitationibus, maximè de numero hominum & equorum.
III. Observantur nonnulla in numerum equorum ingentem, & pene nimium, à Concilio Lateranensi III toleratum.
IV. Ejusdem Decreti confirmatio Decreta Conciliorum, ut Episcopi, eorumque ministri, ne sumptu Parochias gravent.
V. Officia Episcoporum visitantium. Confirmationis sacramentum.
VI. Varia præcepta ad visitationes. Apostolica ratio visitationum B. Malachiæ.
VII. Alia Conciliorum Decreta usque ad Tridentinum.
VIII. Statuta Tridentina de visitatione Episcopali.
IX. Regula Mediolanensium Conciliorum ad visitandas Parochias.
X. Statuta quorundam aliorum Conciliorum posteriorum.
XI. Responsa Cardinalium Congregationis Concilii, ad elucidationem Decretalium, & Concilii Tridentini Decretorum.
XII. Edicta Regum Galliæ.
XIII. De visitatione Exemptorum, ex Concilio Tridentino.
XIV. De eadem. Edicta Regum.
XV. Visitationes B. Caroli.

I. NOn in Episcopali tantùm sede & civitate præfulgebat Episcopi jurisdictio, sed & in omni Diœcesi, dum ejus Parochias circumlustraret. Inferiùs dicemus assertum fuisse Episcopis priscum jus suum excitandi tota qua latissimè patet Diœcesi sua Tribunalis, & juris ex suggestu dicendi, quod inter visitandum maximè fit. Hinc via nobis sternetur, qua ad jurisdictionem enucleandam deflectamus, ubi de Visitationibus profligata fuerit quæstio. Luculentum ejus rei documentum obvium se dat in Decreto Legatorum Alexandri II. Papæ Mediolani promulgato anno 1062. quando ab eis redintegrata illi Ecclesiæ pax est, quæ jamdiu Clericorum perversitate exulabat. Constitutum quippe ab illis est, ut quolibet anno Episcopus bis visitaret Parochias omnes sibi obnoxias, aut semel saltem, ut Confirmationis signaculo sacro muniret infantes, disciplinam morum restitueret, maximè in Clero, qui ideo unius subest Episcopi jurisdictioni, ut liberior Altaribus sacris & expeditior vacet. *Antistes semel aut bis, si posse fuerit, sibi per omnes* Baron. an.
plebes, quicumque eas teneat ad consignandum, & Chri- 1062. n. 8.
stianitatem secundùm Canones perquirendam vadat: nullusque Laicus vel Clericus in hoc ei resistat, sed devotè in his quæ Domini sunt, ei obediat & ministret. Integram quoque habeat in omnem suum Clerum canonicè judicandi ac distringendi potestatem, tam in civitate, quàm extra, per omnes plebes & Capellas; ut dum Clerici fuerint à sæcularis judicii infestatione securi, in divina servitute & Canonum authoritate consistant quieti, & Archiepiscopo suo obediant quieti.

II. In Concilio Lateranensi IV. anno 1215. jussi sunt Episcopi, Prædicatores eligere doctos & probos, per quos Diœcesis lustraretur, quando ipsi per sese non possent. *Ut Episcopi viros idoneos ad sancta Præ-* Can. 10.
dicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere & sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cùm per se idem nequiverint, sollicitè visitantes, eas verbo ædificent & exemplo. Hinc perspicis Episcopos, dum Parochias obambulant, Prædicationi potissimum instare debere, quo magis de ea suo infrà loco differendum nobis erit. Eodem porro Lateranensi Canone edicitur, ut quos Episcopus vice sua Concionatores aut Visitatores ablegabit, eos ipse suo sumptu alat.

Quin & aliquantò antè in Concilio Lateranen- Can. 4.
si III. anno 1179. modus positus quodammodo fuerat expensis Metropolitanorum & Episcoporum Provincias aut Parochias visitantium, defixo equorum numero, quo majorem habere non possent. In Libros Decretalium relatus est Canon, quo de hic agimus, & eo perlecto non possunt non in stuporem agi, quibus minùs explorata est Episcoporum hujus medii, aut etiam posterioris ævi opulentia, prædiorum & latifundiorum copia, feudorumque amplissimorum fisco Ecclesiæ innexorum; quibus denique compertum nihil erit de legibus sapientissimæ indulgentiæ & charitatis Ecclesiæ, cujusque sæculi ingenio, vigori, ægritudini sese accommodantis. Postquam enim à Patribus hujus Concilii proposita est forma & imago Apostoli, concionantis, formantis & parturientis Ecclesias, cùm interim suis se ipse manibus & artificio sustentaret: *Cùm Apostolus se ac suos propriis manibus decreverit*

exhibendos, ut locum prædicandi auferret Pſeudo-apoſtolis, & illis quibus prædicabat, non exiſteret oneroſus. Hæc præfata ea Synodus, mox definit, ne viſitantes Archiepiſcopi, quadraginta, aut quinquaginta equos, ſive evectiones excedant: ne Epiſcopi viginti aut triginta, Cardinales viginti quinque, Archidiaconi quinque vel ſeptem, Decani duas. *Quocirca ſtatuimus, quod Archiepiſcopi Parœcias viſitantes,* Extra. De cenſibus c. 6 *pro diverſitate Provinciarum & facultatis Eccleſiarum, quadraginta vel quinquaginta evectionum numerum nunquam excedant, Epiſcopi viginti aut triginta, Cardinales viginti quinque, Archidiaconi verò quinque vel ſeptem. Decani conſtituti ſub Epiſcopis duobus equis contenti exiſtant.*

III. Ne offenſioni ſit hoc Statutum Concilii Generalis, aliqua juvabit hic adnotaſſe, quæ ſtuporem eximant, leniant ſaltem. 1. Erant tum Epiſcopis cunei militum, quos alerent, & quibus Regios augerent exercitus, ratione feudorum Regalium, his obſequiis devinctorum. Itaque ſimile veri eſt eos milites aliqua ex parte viſitanti Epiſcopo adhæſiſſe. 2. Frequentiſſima tunc erant bella privata inter minuſculos Principes, uni ſummo Principi ſubditos; nec facilè poterat Epiſcopus in iter ſe dare, quin & in diſcrimen ſe conjiceret, niſi cuneo militum cingeretur, quo Nobiles amolitetur, Clero & Eccleſiæ creberrimè infeſtos. 3. In peragranda Diœceſi ſua Epiſcopus vim juriſdictionis ſuæ ubique experiebatur, ubique ex ſuggeſtu jus dicebat, lites dirimebat, preces pœnitentiaſque publicas indicebat, mulctaſque pecuniarias, non in Clericos ſolos, ſed & in Laïcos, in cauſis jure & conſuetudine deſignatis. Temporales domini non pauci, maximè Laici, de ea judiciorum poteſtate controverſiam illis faciebant, ut infrà prolixiùs demonſtrabitur. Cùm non collinearet ea juriſdictio tota niſi ad expianda expugnendaque crimina, ad juſtitiæ & religionis incrementa, eam tueri, eique tuendæ non modicam ſacrorum redituum partem impendere conſentaneum erat. 4. Hæ juſtæ fuiſſe videntur cauſæ exaggerandæ Epiſcopalis pompæ in viſitandis Parochiis: his accedere potuit privata ſuperbia quorundam Prælatorum, cujus inſolentiam ſi voles ex hoc ipſo Canone auguraberis, ubi Pontifex, ubi Concilium Univerſale, poſt ſubjectam oculis Apoſtoli formam, non aliud exprimere potuit, ad moderandum faſtum, ſumptumque, quàm quod hoc Canone continetur. Notata eſt & alia eorundem intemperantia, qui canes aveſque prædatorias ſecum haberent, ut non Epiſcopi, ſed venatores videri poſſent. *Non cum canibus venatoriis, aut avibus procedant.* Vetuit ne à Parochis ſplendidiores epulas exigerent. *Nec ſumptuoſas epulas quærant, ſed cum gratiarum actione recipiant, quod honeſtè ac competenter illis fuerit miniſtratum.* Itaque cogimur fateri, non multum quidem exigi hoc Canone, ſed multum recidi. Adde hoc Concilio damnari, quod prohibetur: at non ſtatim quod toleratur, probari. Denique ex his obſervatiunculis noſtris illud ſaltem patefiet, non ſatis ſolidè & conſtanter judicari poſſe de Canone iſto, & approbato per illum temperamento, niſi quis mente ad illius ſæculi curſum & conditiones, ac circumſtantias retro volvatur. 5. Extrema parte hujus Canonis diſertè declaratur, tolerantiæ uni & indulgentiæ imputandum eſſe hoc ſtatutum; pompam illam enormem opulentis tantùm Eccleſiis permitti; qui hactenus modeſtiore comitatu uſi ſunt, illis priſtinum morem modumque retinendum eſſe: denique ita luſtrari ab Epiſcopis Parochias debere, ut illis nec oneri ſint, nec offendiculo. *Sanè, quod de prædicto numero evectionis ſecundùm tolerantiam dictum eſt, in illis locis poterit obſervari, in quibus ampliores ſunt reditus & Eccleſiaſticæ facultates. In pauperioribus autem locis tantam volumus tenere menſuram, ut ex acceſſu majorum minores meritò non doleant ſe gravari. Nec ſub tali indulgentia illi qui paucioribus equis uti ſolebant, hactenus plurium ſibi credant poteſtatem indultam.*

IV. Confirmatus eſt Canon ille Lateranenſis in Can. 5. Concilio Londinenſi anno 1200. ubi & eidem numero ſubſcriptum eſt evectionum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi, & Decani Ruralis. Refertur hic Canon Londinenſis à Rogerio, ſic ut exſcriptus fuerat Canon Lateranenſis à Matthæo Paris: ut ne quid mendi irrepſiſſe putes in numeros Conciliorum, vel Decretalium. In Concilio Albigenſi anni 1254. commendata rurſus eſt obſervatio Canonis Lateranenſis, ſed & illud ibi animadverſum eſt, quod jam ſuprà monuimus, indulgentiæ id datum eſſe, & temporum importunitati: ut eo decreto aliorum redundantiæ decerperetur ſaltem aliquid, aliorum moleſtiæ & parcitati nihil adjiceretur.

In hoc porro Albigenſi Concilio ſunt & decreta alia, quæ à nobis prætereiri haud debeant. 1. Ne quid exigere poſſint Epiſcopi, etiam Procurationum jure, niſi per ſeſe ipſi Viſitationis officio fungantur, aut per ſubſtitutos cum primis idoneos. *Prædictas procurationes nullus recipiat, niſi cùm per ſe,* Can. 58. *vel per alium providum & honeſtum ipſas Eccleſias viſitaverit.* 77. 2. Nihil pecuniæ extundent, niſi ejuſmodi tenues ſint Eccleſiæ, quæ non poſſint niſi cum aliis ſibi junctis Epiſcopum procurare. 3. Epiſcoporum miniſtris ſola ſuppeditabuntur alimenta. 4. Nulla prorſus ſuſcipient munera, quantumvis vel levia, vel gratuita.

V. In hoc rurſus Concilio percenſentur potiſſima Prælati viſitantis munia, prædicare, fidei placita explanare, in Cleri mores inquirere; veſtes ſacras, altaria, vaſa ſacra explorare & perſcrutari; privatis correptionibus occulta caſtigare delicta, notiora crimina incunctanter punire. *Notoria verò* Cap. 9 De *crimina, quæ examinatione non indigent, cùm ſuper his* Confirm. *notari meritò poſſit Ordinariorum negligentia, corrigant ſine mora.*

Compertiſſimum jam nobis eſt inter viſitantis Epiſcopi functiones principem ferè locum habere Confirmationis adminiſtrationem. At ex Synodo Exceſtrenſi ediſcemus cautionem mirabilem profectò, ne tantæ perfectionis ſacramenti expertes inopinato fato infantes præripiantur. In ea Synodo decretum eſt, ut triennio etiam minores confirmarentur infantes: ſi parentes id minùs curent, cùm in poteſtate habeant, vel proprium, vel alium quemvis Epiſcopum, ſextas quaſque ferias jejunio tranſigent, nec niſi pane & aqua jejunium ſolvent, donec parvuli eo Chriſtianæ militiæ ſigillo muniti ſint. *Parvuli infra triennium à tempore ortûs ſui Confirmationis recipiant ſacramentum; dum tamen proprii vel alieni Epiſcopi copia habeatur. Alioquin parentes ex tunc qualibet ſexta feria in pane & aqua jejunent, donec pueri confirmentur.*

In Concilio Virſborgenſi anni 1287. ſtatutum eſt, Can. 29. ut Epiſcopi viſitandi partes implerent, aut ipſimet, aut per delegatum; idque ſingulis annis, aut altero ſaltem quoque anno, ne in poſterum ſexagenarii eſſent, qui Baptiſmi perfectionem, ſeu Confirmationis Chriſma necdum percepiſſent. *Anno quolibet,*

vel ad minus de biennio in biennium visitare studeant, confirmando confirmandos, & corrigendo quæ sunt corrigenda.

VI. Ita illabebatur mos, ut saltem biennio quoque Parochiæ omnes ab Episcopo lustrarentur. Sanctissimus Cicestrensis Episcopus Radulphus ter anno quolibet Diœcesin suam obambulabat universam, ut à Vuillelmo Malmesburiensi perhibetur, *De gestis Pont. Angl.* nihil à quoquam exigens, spontanea dona non respuens, acri cauterio scelera vindicans: & ubi id non procederet, pia aliqua arte & per cuniculos adrepens. *Ter omni anno Diœcesin suam causa prædicandi circuibat: nihil Episcopali potestate à Provincialibus suis exigens, sed quæ offerebantur, gratabundus accipiens: delinquentibus increpando non parcens: & si minus increpatio valeret, ingenuo ludo culpam eludens.* Hinc deinde emicat illum quoque potissimum fuisse visitationis Episcopalis scopum, ut Evangelica prædicatione Parochiæ omnes perfunderentur, & cœlesti quodam rore Verbi divini. Lateranensi Canone, quem primum hoc Capite laudavimus id apertissimè declarabatur. Necdum enim eo tempore solemnes spargebantur uti nunc sti Concionatores quadragesimali tempore per oppida & vicos quosque, forsan nec per urbes quaslibet. Omnibus debitor erat Episcopus, uti & minister ex officio est universalis sementis Evangelicæ. Magna ergo ubique penuria tunc Prædicatorum laborabant Ecclesiæ, forsan & majori Ecclesiæ Anglicanæ, maximè ruri, ubi incultiores esse solent. Hinc viri sanctissimi Radulphi perpetua discursatio per Parochias suas. Adde quod nec tam populosæ plerumque essent Episcopales Angliæ urbes, ut jugem Episcopi præsentiam præ rusticanis Parochiis requirerent.

Nihil saltem dubitationis residere poterit in beato Malachia Hiberniæ Episcopo, postea Archiepiscopo Armachano. Authore enim cum primis idoneo B. Bernardo, omnes illæ suæ Diœceseos Ecclesias visitabat, pedes, Apostolicorum commilitonum cuneo succinctus. *Sed & foris rura & oppida* *Cap. 5. 9. 12.* *percurrebat sæpius, cum sancto illo comitatu discipulorum suorum, qui nunquam deerant lateri ejus. Ibat & erogabat vel ingratis cœlestis pabuli mensuram. Nec vehebatur equo, sed pedes ibat: & in hoc virum se Apostolicum probans.* Et infrà: *Ipse interdum ibat, & exibat seminare semen suum, disponens & decernens tota authoritate de rebus Ecclesiasticis tanquam ex Apostolis unus.* Nec enim magis quidquam concinit Apostolico muneri, & sanctimoniæ, & authoritatis apici, quam Ecclesias condere novas, eas lustrare subinde & fovere, verbo Dei illuminare & animare; sacramento eo, quo Spiritus ipse sanctus donatur, confirmare, & his splendidissimis functionibus omnibus Apostolica paupertate novum splendorem aspergere. At ubi Malachias Archiepiscopus creatus est, & Primas Hiberniæ, atque Apostolicæ Sedis Legatus, posthac illi nec certa fuit usquam domus, nec mensa; totum pene anni curriculum in visitandis consumebat Parochiis, indefessus Evangelicæ doctrinæ sator, ex qua & vitam tolerabat, aut labore potius manuum, non secus ac Apostolicorum quos circumducebat comitum cuneus. *Nec enim vel domum propriam habuit. Erat enim pene incessanter circuiens Parochias omnes, Evangelio serviens, & de Evangelio vivens. Nisi quod frequentiùs ipsum Evangelium sine sumptu ponens, de laboribus suis suorumque ferebat, unde se & alios qui secum laborabant in opere ministerii sustentaret.* His subjicit Bernardus comparationem Apostolicarum hujusmodi visitationum cum illis sui ævi Episcoporum quorum equestris quodammodo pompa temperanda fuerat ad eum modum, qui Episcopis ad Malachiæ formam & ingenium elimatis, & æstimatoribus ad Bernardum propius accedentibus, immoderatissimus videri posset. *Illi equos ascendunt cum turba hominum, gratis manducantium panem, & non suum: Malachias sæpius sanctorum fratrum collegio, pedes circuit, portans panes Angelorum, quibus satiet animas esurientes.*

VII. Revocandus jam sermo est ad Canonicas visitationum leges. Placuit denique semel quolibet anno omnes Ecclesias visitari. Concilium Bituricense anni 1528. ita apertè edixit, eoque officio ipsum fungi Episcopum statuit, nisi ineluctabiles obices vetarent; cùm videlicet ipsi divinitus delegata sit ovium sollicitudo. *Fiant etiam visitationes à dominis Prælatis, singulis annis, & per se, legitimo cessante impedimento; quoniam ad eos pertinet de ovibus curam solicitam agere.* *Can. 9.* In Concilio Senonensi placuit, ut Episcopi bis anno quolibet, aut sæpius etiam si necesse esset, excurrerent ad Parochias eas, quas hæretica lues afflasset. In Concilio Coloniensi anni 1549. visitationes Episcopales propositæ sunt, ut omnium Ecclesiasticæ Disciplinæ vulnerum medicamenta efficacissima: quò graviori sunt in culpa Episcopi cessatores, qui Archidiaconi visitationi infirmiori certè & imbecillæ piæ Episcopali, nonnunquam & à terrenis cupiditatibus non satis expurgatæ incumbunt & acquiescunt. *Hactenus alto somno dormierunt Episcopi, de Archidiaconorum visitatione securi, qui speciem quandam visitationis retinuerunt, sed deformem, & pravorum Officialium seu visitatorum quæstu vitiosum ac reprehensibilem.* *De quarto ordine refor. Eccl. c. 1. 5. 7.* Excitat mox hæc Synodus torpentes Episcopos, ut explorent purgentque visitationes Archidiaconorum. *Tum ut Archidiaconales & inferiores visitatores observent, atque in ordinem redigant.* Admonet mox Episcopos, ut quando per occupationes alias gravissimas non licebit, ut ipsimet eas officii sui partes impleant, Vicariis quos delegant, plenissimam etiam delegent potestatem ad eximenda vitia & crimina publica. Hortatur denique ne Vicarios suos sinant ea pompa ingredi, quam in solis Episcopis tolerant jura canonica. *Ut quando non per se, sed per Commissarios visitabunt, non sinant visitandos supremis evectionum ac procurationum juribus gravari.*

VIII. Patriarchas, Primates, Archiepiscopos & Episcopos decretis suis constrinxit Tridentina Synodus, ut si quolibet anno minus possent totam obambulare Diœcesin, ob ejus vastitatem, biennio saltem quolibet eam circum lustrarent; aut si canonica esset alios delegandi causa, Vicarios generales, vel alios idoneos Visitatores sibi subrogarent. *Si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem biennio, &c.* *Sess. 24. c. 3.*

Optatissimum ergo erat Tridentinis Patribus, 1. Ut si minus latè paterent Diœceses, ea quotannis lustrarentur; altero quoque anno si vastiores essent. 2. Fructus visitationum hic illis videbatur uberrimus, ut fidei puritas & morum castimonia ubique repullulasceret. *Visitationum omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, &c.* 3. Comitatu ut modestissimo, mensa frugali utantur Præsules; nec usquam moras trahant, nisi cogat populi salus. *Modesto contenti comitatu famulatuque, studeant quam celerrimè, debita*

ea

tamen cum diligentia visitationem ipsam absolvere. 4. Nihil prorsus muneris accipiant, non ipsi, non ipsorum ministri, quantumvis sponte offeratur quibusvis, vel ingeratur, pastu mediocri contenti sint: *Ne ipsi, aut quisquam suorum procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, pecuniam aut munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tantum victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderatèque pro temporis tantum necessitate & non ultra, erunt ministranda.* 5. In arbitrio erit eorum qui visitantur, alimenta malint, an pecuniam suppeditare eam, de qua convenerit, citra ullum antiquarum conventionum præjudicium: *Sit tamen in optione eorum qui visitantur, si malint solvere id quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero prædicta victualia subministrare. Salvo tamen jure conventionum antiquarum cum Monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus inito, quod illæsum permaneat.* 6. Quibus in regionibus id moris inolevit, ut gratuitæ sint visitationes, nec exigatur quidquam, & ne ipsa quidem alimenta, à tam laudabili instituto ne transversum quidem unguem fas erit discedere. *In iis verò locis, seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur.* 7. Episcopos denique armavit Tridentinum Concilium potestate ea omni, quæ opus esse posset, ad seriam morum expurgationem, delegatis Apostolicæ sedis vicibus, ut nec exemptione, nec appellatione ulla suspendi posset executio eorum, quæ ad purgandos mores decrevissent. *In omnibus iis quæ ad visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus & potestatem habeant, etiam tanquam Apostolicæ sedis delegati ea ordinandi, moderandi, puniendi & exequendi, juxta Canonum sanctiones, quæ illis pro subditorum emendatione & Diœcesis utilitate necessaria videbuntur.*

Sess. 24. c. 10. Novo robore munita & confirmata est à Concilio Tridentino Decretalis *Exigit. De Censibus*, quæ Gregorii X. erat in Concilio Lugdunensi II. & qua innovabatur Decretalis *Romana Ecclesia, De Censibus, in Sexto*, quæ Innocentii IV. nomine radiabat. His porro Decretis id cavebatur, ne procurationes exigere possent Episcopi pecunia solvi: ne à locis possent extundere, quæ non visitarent: ne denique munera ulla admitterent.

IX. In Concilio IV. Mediolanensi anno 1576. promulgata sunt Decreta hæc omnia Concilii Tridentini, & quæcumque alia ad visitationes pertinent, cum elucidamentis, & additamentis iis, quæ beati Caroli diligentiam singularem, & sanctimoniam redoleant. Statutum ibi est, ut ne visitanti
Constit. Part. 3. c. 3. Episcopo comites plures essent, quam decem, equi septem, numerato inter decem Episcopo ipso, clericoque anteambulone ab eo mittendo, ut paratas plebes inveniat. Si plures secum habere velit Episcopus, eos suo sumptu alet. Prælatis inferioribus pro suo cuique modo minor erit numerus Ministrorum, equorumque. Notarii, Secretarii, Cancellarii munera respuent omnia, quantumvis spontanea, ea quam definierit Episcopus mercede contenti. Quoad peccatores publicos & notorios, quos publicæ & solenni pœnitentiæ addixere Tridentinum, primumque & tertium Mediolanense Concilium, illos aut ei pœnitentiæ subjiciet Episcopus in ipso visitationis cursu, aut jubebit in Ecclesiam venire Cathedralem ineunte Quadragesima & tum solenni more Pœnitentiæ palam substerni. In Concilio Mediolanensi V. anno 1579. temperatum Can. 1. est Decretum Concilii I. ejusdem Civitatis, quo pueri ante septennium vetabantur confirmari. Hic verò facta est Episcopis copia ante eam ætatem confirmandi, ubi expedire providebunt. In Concilio Mediolanensi I. quindecim comites, equos duodecim in comitatu habere sinebatur Episcopus; Prælatus inferior octo comites, sex equos. Ex quo perspicis ut in dies inflammesceret charitas sanctissimi Præsulis Caroli, & austerioris fervor disciplinæ.

X. In Concilio Toletano anni 1565. præter ea quæ decreta fuerant in Tridentino, jussi sunt Episcopi, qui intra biennium non possent ipsimet circumlustrare Parochias suas omnes, saltem quolibet anno trimestre temporis spatium ipsimet in id impendere, nisi prohiberentur non qualicumque objece, sed prorsus inexpugnabili, ubi discrimen salutis adirent, qua de re in Concilio Provinciæ redderent rationem. *Modò per se ipsos quolibet anno,* Can. 8. *saltem tribus mensibus continuis aut interruptis, quam possint commodè Diœceseos partem, extra Cathedralis Ecclesiæ locum visitare teneantur. Neque excusentur ab hac personali visitatione quovis impedimento, quod alioqui benigna quævis indulgentia solet admittere: sed eò tantum quod necessitate quadam sic urgente, ut nisi maximo cum detrimento vel publicæ vel propriæ salutis, spiritualis vel corporalis, per seipsos eam visitationem exequi non valeant, apud hanc Provincialem Synodum de eo fidem facturi, ejusque judicium ea de re, ac censuram non qualemcumque, præter divinam ultionem subituri.* Concilio Remensi anno 1583. placuit, ut Episcopi singulis annis sacramentum Confirmationis conferrent præcipuis in oppidis suæ Diœceseos, commonitis priùs populis, ut eò convenirent. In Concilio Avenionensi anno 1594. prohibiti sunt Episcopi, plures circumducere quam octo visitationis suæ comites. In Concilio Burdigalensi statutum est, ut Episcopi, quolibet saltem triennio Parochias suas omnes obambularent.

XI. Hujus ipsius Concilii Acta perhibet Fagnanus Romam missa fuisse, & à Congregatione Concilii vocem eam *triennio* expunctam esse, substitutam *biennio*, ex norma Tridentini Concilii. Illud In l. 2. Decr. Pag. 117. verò ab eodem observatur Fagnano, jure Decretalium potuisse Episcopum easdem visitare Parochias anno quolibet, non semel tantùm, sed bis, si utilitas, aut necessitas Ecclesiæ suaderet; atque ita binas uno anno procurationes exigere. Ita enim manifestè Caput, *Cum venerabilis, De Censibus*, cujus hæc sunt verba: *Decernimus quod Episcopus cùm ad Ecclesiam correctionis causa accesserit, moderatam ab ea procurationem recipiat bis in anno.* Quod ab In- Fagnan. in l. 3. Decret. Part. 2 pag. 274. 277. 282. nocentio III. manavit Rescriptum. Archidiaconos Alexander III. prohibuerat eodem anno visitationes iterare, nisi novæ aliquid causæ emersisset, quæ id extorqueret. *Nisi fortè talis causa emerserit propter* De officio Archid. c. 6. *quam ipsum oporteat præfatas Ecclesias sæpiùs visitare.* Docet Fagnanus, ne Episcopo quidem ipsi licuisse, nisi novæ aliquid causæ incidisset, eodem anno easdem iterum adire Parochias. Multa bis contraria superius aspersimus & decreta, & exempla. Aliàs autem jus fasque est discriminis non parum interponere Episcopi & Archidiaconi visitationibus.

Sed utcumque res habeat de jure Decretalium, affirmat Fagnanus anno 1586. Congregationem Concilii declarasse, posse quidem ab Episcopo visitationes iterari unius anni spatio, si justa & gra-

vis

vis causa hortaretur, sed binas in anno procurationes exsculpi non posse. Nec enim vel æquius quidquam est, vel conducibilius, quàm à Pastore frequentissimè gregem totum inviscri, nunquam, *C. Procurationes. Extra De censibus.* aut rarissimè gravari. In Concilio Lateranensi IV. constitutum fuerat, tum superiores Prælatos, tum inferiores jure procurari debere, cum ipsimet visitando lustrant Ecclesias, non quando per Vicarios. Suum ei juri vigorem constare post Tridentinum à Congregatione Concilii declaratum est. Capite *Venerabili. De censibus*, cogebantur Ecclesiæ ipsæ civitatis Episcopalis Præsuli visitanti Procurationes persolvere. Secus rem habere post Tridentinum, non semel à Congregatione Concilii pronuntiatum est; nimirum jubente Tridentino, ut necessarias tantùm expensas exigat Episcopus. Declaratum & ab eodem est, nihil opus esse procurari Episcopum, si quò proficiscatur, sacramentum Confirmationis administraturus. Eodem Decretalium Capite pronuntiatum est, præscribi non posse jus Procurationum. Ei juri derogatum est à Tridentino, ubi nempe sancitur, ut ubi invaluisset consuetudo non procurandi Episcopi, dum visitaret, ea mordicus retineretur. Multæ deliberationis visum est, an Xenodochiis ab ipsis procurandi sint Episcopi, quandiu eorum visitationi incumbunt. *Fagna ibid. pag. 248.* Neganti sententiæ assensi sunt multò plures Congregationis Concilii Cardinales, utentram tamen in partem pronuntiatum est.

XII. Aurelianensi Edicto injunctum fuerat Archiepiscopis, Episcopis & Archidiaconis, ut ipsimet visitationis officio fungerentur. At Edictum *Art. 6. 11.* Blesense convenienter Tridentinis Decretis, Archiepiscopis Episcopisque mandavit, ut Parochias ipsi inviserent suas, non per delegatos, nisi legitimo ipsi prohiberentur impedimento. Quolibet item *Art. 32. 52.* ut anno totam peragrarent Diœcesin, aut certè biennio, si illa latiùs pateret. Brevitatis necessario studio præterire cogor complura statuta alia, quæ in Regiorum Edictorum, & in Cleri Gallicani monumentorum compilatione legere est: ut & Formulas longè præstantissimas visitationum Episcopalium, quas debemus vigilantiæ Conciliorum Mediolanensium, Conventûs Cleri Gallicani apud Melodunum, & Conciliis Galliæ Provincialibus post Tridentinum.

XIII. Superest ut de Exemptorum visitatione dicamus. Præceptum est Episcopis à Tridentino *Sess. 7. c. 7. 8.* Concilio, quotannis ut visitent Parochias unitas Ecclesiis Cathedralibus, Collegialibus, Abbatiisque, & perpetuos ibi Vicarios instituant, nisi secus ipsi fieri existiment è re esse Ecclesiæ: eisque vel tertiam assignent redituum portionem, vel quantam optimum factu judicaverint. Præceptum rursum est, ut anno quolibet Exemptas visitent Ecclesias omnes, quocumque demum Exemptionis privilegio gaudeant; & in eam rem tota Apostolicæ Sedis authoritas eis delegatur; ut omnes vitiorum persequantur & elidant fibras, si vel maximè regimen animarum illis immineat. Præceptum est & quotannis ab eis visitari Beneficia omnia commendata, Abbatias, Prioratus, Præposituras, ubi neglecta jacet disciplina Claustralis; sicut & Parochialia & Curata Beneficia omnia, sæcularia, vel Regularia, in Commendam data, quanquam exempta: quin etiam indutt Apostolicæ Sedis potestatem, labes omnes & morum, & multò accu- *Sess. 21. c. 8.* ratiùs morum resarcire curent. Si Cœnobiis verò, Ordinibusque in iis à regulari disciplina descitum non esset, curæ erit Episcopis, ut Superiores Claustrales admoneant, paternæ charitatis visceribus animari, ut Monasteria maculis omnibus & illabentibus subinde vitiis expurgent. Si hi verò cunctatores sint, & semestri spatio loca nec visitent, nec emendent, jam Episcopus, ut Apostolicæ Sedis delegatus, visitabit ea Cœnobia, & repurgabit. Nullis appellationibus, privilegiis, exemptionibus poterit mora objici horum statutorum authoritati. *Sess. 24. c. 9.* Præceptum est Episcopis, ut & Ecclesias sæculares visitent nullius Diœcesis, eodem prorsus jure & modo, quo Ecclesias cæteras exemptas. Eas autem visitabit Episcopus proximior, vel quem semel elegerit loci Prælatus in Concilio Provinciali. Addita est & Episcopis potestas visitandi Xenodochia, Confraternitates, Montes pietatis, & omnia denique loca pia, dum ne Regum immediatæ subsint protectioni. Copia fit, ut & Cathedralium visi- *Sess. 22. c. 8.* tent Capitula, nulla ratione habita immunitatum, *Sess. 6. c. 4.* & omnia demum Cœnobia, quæ in Congregatio- *Sess. 25. c. 8.* nem aliquam non fuerint Cœnobiis aliis consociata.

XIV. Cùm verò præceperit Tridentinum, ut minimis impendiis, & quàm maturè fieri poterit, re tamen nulla prætermissa, quam interfit non omitti, expediantur visitationes; hinc concluditur, non debere ab Episcopo visitante dijudicari lites, erigi Tribunal, decerni pœnas ordinarias servata forma judiciorum; quippe & temporis & impendii multi ea res esset: sed solas inferre pœnas medicinales, morum correctioni accommodatas. Ita decrevit sacra Concilii Congregatio. Cui declarationi pluscu- *Fagnan. in L. 1 Decret. Part 1 pag. 250.* lum etiam loci est in locis exemptis, vel Diœceseos nullius, in quibus non plena utuntur Episcopi potestate ex Concilii concessione, sed jure tantùm visitandi.

Concilii Coloniensis Patres anno 1549. perillustri testimonio prosecuti sunt, & congratulatione, *In quarto medio, &c.* diligentiam Imperatoris, ut à Pontifice Episcopis annecteretur plenissima potestas visitandi Ecclesias exemptas. Nec Galliæ Regum minor in eam rem fuit sollicitudo. Edicto enim Aurelianensi declaratum est, *Abbates omnes, Abbatissas, Priores, Prio-* *Art. 11.* *rissas, qui Capita Ordinum non essent, itemque Canonicos & Capitula, tam sæcularium, quàm Ecclesiarum Cathedralium, & Collegialium, indiscriminatim obnoxios fore potestati Archiepiscopi, vel Episcopi Diœcesani, ut nulla eis suffragari possit quæcumque privilegio indulta immunitas. Si quid verò pœnarum decernant Episcopi visitantes in patrata flagitia, ea nec appellationum, nec intercessionum quarumcumque tergiversationibus declinari possint.* Edictum Blesense Episcopis, eorumque visitationi ea subjugavit Cœnobia omnia, quæ nullam in Congregationem coaluissent, quo primùm anno commonita fuissent. At Edicto anni 1606. declaratur, *Ab Episcopis visitari posse Ec-* *Art. 18.* *clesias Parochiales, in Monasteriis sitas, vel Commendis, & Ecclesiis Regularium, quæ suas aliquas venditant immunitates à jurisdictione Ordinarii: intactis tamen privilegiis cæteris earum; dum utique ea loca ipsimet Episcopi visitent, nullis vel procurationibus, vel pensionibus à Parochis exigendis.* Edicto denique an- *Art. 3.* ni 1629. statutum est, *Parochias, Ecclesias, Capellas Ordinis sancti Joannis Hierosolymitani obnoxias fore jurisdictioni & visitationi Ordinarii, in excessibus circa* *Art. 5.* *Sacramentorum administrationem, tum Matrimonii, tum aliorum celebrationem item divinorum Officiorum, & residentiæ, cæteris ejusdem Ordinis privilegiis nulla ex parte imminutis.*

XV. Juvaret ad calcem hujus Capitis congerere luculentissima quædam Episcopalium visitationum exempla. Ex immensa strue paucissima delibabo. Ximenius Cardinalis Archiepiscopus Toletanus, referente Gomecio, cùm Toletanæ Ecclesiæ suæ impendere decrevisset visitationis officium, nec per sese potuisset, remorante eum in Palatio Isabella Regina, Visitatores vice sua delegata constituit. Impatientissimè id tulit Capitulum, & rem appellatione suspendit. Ximenii causæ primùm suffragabatur Regina, at ubi alteram aurem accommodavit rationibus & argumentis Capituli, visitari se non posse contendentis, nisi ab ipsomet Archiepiscopo, tum his necessariò assentiens, Ximenio permisit Aula secedere, & suæ se reddere Ecclesiæ, quo nihil alienius à votis Reginæ, nihil votis Ximenii lætius contingere poterat.

L. 3. de gestis Ximen.

Novariensis Episcopus B. Caroli vitæ Scriptor, illum author est visitandis Parochiis suis dicasse totum illud temporis intervallum à Pentecoste ad Adventum, quòd eo anni tempore minùs necessaria sit Ecclesiæ propriæ Episcoporum præsentia. Sed omnium diligentissimè Giossanus minutias omnes persecutus est Apostolicarum Caroli visitationum, per invia quæque & inaccessa Diœcesis suæ loca, nihil deterriti summo nunc frigore, nunc æstu, rerumque omnium inopia. Sex equis contentus erat, ne quæ nimiæ fierent expensæ; in locis tenuioribus suo se sumptu ipse suosque sustentabat; parvo contentos suos esse volebat, pane ipse & aqua vitam tolerans. Ne illud quidem intentatum reliquit, ut pedibus Parochias peragraret: sed eo conatu gravioribus illum implicante ægritudinibus, rursum equo vehi se assensus est. Visitationes incepit ab Ecclesia Metropolitana. Scriptis mandata sunt ejus in eam rem Decreta pulcherrima. Nullius vicaria opera, sed ipsemet bis universam Diœcesin suam circumlustravit, quod prodigii simile jure videri possit, propter vastissimæ Diœceseos amplitudinem, & Caroli ipsius innumerabiles occupationes.

Surius die 4. Novemb.

L. 2. c. 8. 9. 13.

A piissimo & doctissimo viro Joanne Gersonio editi sunt sermones aliqui de Visitatione Episcopali, ubi hanc esse summam affirmat revocandæ ad pristinam & optimam formam suam Ecclesiasticæ disciplinæ, ut compellantur Antistites ipsimet Ecclesias sibi subditas visitare, & Verbi divini sementem spargere. *Hic est cardo totius reformationis Ecclesiasticæ.* Publicatæ sunt ab eodem formulæ quædam Visitationum, ex quibus emicant non pauca, nec obscura ejus ævi disciplinæ capita.

To. 2. pag. 632. 634.

CAPUT LXXXI. *P. 4. l. 2. c. 95.*

De Visitatione Archidiaconorum & Decanorum Ruralium, post annum Christi millesimum.

I. Initio delegabantur ab Episcopis Archidiaconi, post suo & ordinario jure usi sunt ad visitandas Parochias.

II. Varia Statuta de Visitationibus Archidiaconorum.

III. Alia Conciliorum Decreta de Visitatione Archidiaconorum, & Decanorum Ruralium. Eorum Procurationes, Cathedraticum, jurisdictio, comitatus, Synodus, emenda, seu mulcta criminum, correptiones criminum publicorum.

IV. Statuta Concilii Tridentini de Visitatione Archidiaconi & Decani Ruralis.

V. Necessitas continenda intra certum modum potestatis Archidiaconorum, postquam Ordinarii evasere, & alios sibi Episcopi cooptavere Vicarios Generales & Officiales.

VI. Posteriorum Tridentino Conciliorum decreta de Archidiaconorum Visitatione.

I. Cum prælusoria quodammodo sit Episcopali Archidiaconorum visitatio, & complanandæ veluti viæ dicata, non potuit ea in alium conferri locum. Apparet primas Archidiaconorum visitationes, meras fuisse Episcoporum delegationes: ut & à primæva rerum origine, Generalis Episcopi Vicarius Archidiaconus habebatur. Conceptis id quidem verbis exprimitur prima statim Decretali *De officio Archidiaconi:* nimirum semel quolibet triennio Ecclesias ab Archidiacono visitandas esse, ubi obire id muneris ipsemet non potest Episcopus. *Et ut de tertio in tertium annum, si Episcopus non potest, Parochiam universam circumeat, & cuncta quæ emendatione indigent, ad vicem sui Episcopi corrigat & emendet.* Sed ut hic Vicarius Generalis ex officio, longiore sæculorum decursu in Ordinarium evasit: ita visitationes deinceps ejus non ex delegatione, sed & ordinario jure proficisci visæ sunt; quo semel confirmato, alios sibi adoptavere Episcopi Vicarios Generales, qui toti ab eis penderent, & quibus vice sua persæpè visitandi provinciam delegarent.

In Concilio Juliobonensi anni 1080. Archidiaconis mandatum est, anno quolibet ut vestes sacras, libros, calicesque visitarent Parochiarum sui territorii, *Designatis ab Episcopo in unoquoque Archidiaconatu solummodo tribus locis.* Quatuor comitibus cinctus eò poterat Archidiaconus advolare, procurari autem eum triduo toto à Parochis necesse erat. *Quò enim Archidiaconus ad hæc videnda venerit, à Presbyteris convenientibus triduo, si expedit, victum habeat sibi quinto.* Quo certè Canone non illud modò declaratur, Archidiaconorum tum visitationes deleganti Episcopo imputari potuisse; sed & hoc præterea non aspernandum, in Rotomagensi Metropoli moris fuisse, ut tribus minoribus Synodis perficeretur visitatio, in quas confluerent jussu Episcopi omnes ejus tractûs Parochi.

Can. 6.

II. In Appendice Epistolarum Alexandri III. quæ quasi appendix videtur esse Concilii Lateranensis III. Titulus est specialis querimoniarum mutuarum vel Episcoporum de Archidiaconis, vel de Episcopis Archidiaconorum. Damnantur à Pontifice Archidiaconi, qui Parochos instituissent injussu Episcopi, eoque etiam inconsulto. *Te inconsulto, &c. Sine authoritate & mandato vestro si aliquos in Ecclesia instituerint, &c.* Illos item graviter insimulat Archidiaconos, qui propria authoritate curam animarum delegassent: *A sanctorum Patrum institutionibus alienum est, ut Archidiaconus authoritate propria debeat cuilibet curam animarum committere.* At cùm Episcopus Ecclesias quaspiam authoritati & jurisdictioni Archidiaconi subduxisset, quo plurimum decreverant ejus proventus, Metropolitanum monuit Pontifex, ut Archidiacono redintegrarentur honores, juraque à Parochis pendi solita. *Episcopus plures Ecclesias à consuetudine & obsequio Archidiaconorum liberas constituit & immunes; & in hac parte reditus eorum diminuit & attenuavit, &c. Provideas ut Archidiacono consuetudines quas Presbyteri in Ecclesiis sui Archidiaconatûs debent, plenarie conserventur, & illi debitam reverentiam exhibeant & honorem.* Quidquid hoc erat consuetudinum, vel juris, à Parochis extra visitationis tempus exolvi solitum fuisse apparet; & hoc Rescripto movemur hocce visitationis vel procurationis jus tam certum jam tum fixumque fuisse, ut id ne Episcopus quidem, sive dispensatione, sive privilegio relaxare possit. Ex quo

Part. 24. Append. Conc. Later.

& illud evincitur, visitationes id genus jam non potuisse delegationi meræ Episcopi ascribi.

III. In Concilio Lateranensi III. anni 1179. sub Alexandro III. definitus comitatus Archiepiscoporum & Episcoporum in visitandis Parochiis, ad Archidiaconos demum & Decanos Rurales venitur. *Can. 4.* *Archidiaconi quinque, aut septem, Decani constituti sub ipsis duobus equis contenti existant.* Visitabant ergo & Decani Rurales Parochias sui tractus, & Archidiacono suas rationes omnium referebant, Archidiaconi Episcopo, ut infra dicemus. Decani duobus, Archidiaconi septem equis vehi poterant, cum comitibus. At neutris fas erat quidquam emungere *Ibidem.* præter procurationes. *Archidiaconi verò sive Decani nullas exactiones vel tallias in Presbyteros seu Clericos exercere præsumant.* Denique ad Archidiaconos spectat, uti & ad Episcopos illa tandem clausula ejusdem Canonis, eam permitti pompam ex tolerantia, qua spes sit fore, ut sponte abstineant, qui modestiæ & temperantiæ Ecclesiasticæ gustum aliquem ceperint.

Can. 33. In Concilio IV. Lateranensi cautum est, ne Episcopi, vel Archidiaconi quidquam exigerent procurationum, nisi ipsimet visitationes obirent. *Nullatenus exigantur, nisi quando præsentialiter officium visi-* *Extra. De Offic. Arch.* *tationis impendunt.* Vetitum fuerat ab Alexandro III. ne suas Archidiaconi Ecclesias anno quolibet, nisi *Can. 6.* semel inviserent, nisi ubi nova incidisset necessitas. In Concilio Oxfordiensi anno 1222. præceptum est Archidiaconis, ne transilirent numerum hominum, equorumque à Concilio Lateranensi III. visitationibus præfinitum: ne Synodum, vel Capitulum usquam haberent, nisi in urbibus, oppidisque: ne nimii à quoquam sumptus fierent: *Can. 25.* *Unde ut subtrahatur eis necessitas invitandi, prohibemus ne Archidiaconi tempore visitationis suæ apud Ecclesiam quam visitant, Capitulum teneant, vel celebrent, nisi fortè in burgo vel in civitate sit Ecclesia constituta.* Eodem Canone præscribitur, ne Archidiaconi procurari se velint, ultra eum quo visitant diem, & ne quid exigant, immo ne quid accipiant ab eis, quos non visitant. *Nec redemptionem pro visitatione extorquere* *Can. 23. 24. 25. 26. 27.* *præsumant.* Eo denique Canone jubentur Archidiaconi visitantes, explorare, an Parochi rectè & emendatè satis legant verba Canonis Missæ & Baptismi; an urgente necessitate cum baptizant laïci, ritè id faciant: an Eucharistia, Chrisma, Olea serventur, quacautione à Canonibus præcipitur; an vestibus sacris, vasis, librisque constet suus nitor, sua munditiés; an fundi Ecclesiæ dilapidentur. Sed illud præ cæteris commendatur Archidiaconis & Decanis, ne per se, vel per Officiales fatigent plebes novis exactionibus.

In nupertimis iisque locupletioribus editionibus Conciliorum generalium occurrent Capita varia, quæ inquirere jubebantur Archidiaconi Lincolnienses in Anglia anno 1233. dum per Parochias discur- *To. 11. pag. 479.* rerent. Præ cæteris curæ erat correctio criminum publicorum, uti & institutio complurium Pœnitentiariorum in unoquoque Archidiaconatu, etiam *Can. 1n.* ad occultiora delicta: *An adulteria vel crimina publica laïcorum sint ritè per Archidiaconum correcta, & si aliqua sunt incorrecta. An in aliquibus Archidiaconatibus sint sufficientes Pœnitentiarii Episcopi.* In Concilio Londinensi anni 1237. eadem officia perstringuntur Archidiaconorum, & nonnulla alia; Explorare, quam religiosè nocturna celebrentur & diurna officia: *Qualiter diurnis & nocturnis Ecclesia officiis serviatur.* Ne visitationes, aut emendationes criminum suspendant, numerata sibi pecunia. *Nec ut non visitent, aut corrigant, sive crimina puniant, aliquid ab aliquo recipere præsumant.* Pecuniæ hac sordidissima nundinatione collectæ duplum restituant. *Sic extorta in duplum erogare compellantur in pios usus arbitrio Episcopi.* Denique frequenter intersint Collationibus Parochorum cujusque Decanatus, ad explorandum, an distinctè ab eis & rectè pronuncientur Canonis & Baptismi preces. *Sint solliciti frequenter interesse Capitulis per singulos Decanatus, in quibus diligenter instruant Sacerdotes, &c.*

Concilium Salmuriense anni 1253. hæc statuta confirmavit, iisque astrinxit Archidiaconos, Archipresbyteros & Diaconos ruris; quibus interdixit, ne ruri Officiales haberent, cùm ibi per sese jus dicere tenerentur: & ne quid jurisdictionis præsente Episcopo exercerent. *Prohibemus, ne quis Archidiaconus, Archipresbyter, & alii Minores Prælati jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, causas audiant, seu placita teneant, præsentibus suis Episcopis; sed longè ab ipsis faciant super his quod viderint expedire.* *Cap. 40.* Anno 1287. Synodus Exceestrensis prohibuit, ne pœnæ pecuniariæ ab Episcopis indicerentur: & si quas indicerent, jussit, ut illico usibus addicerentur Ecclesiæ. Ab Episcopo & Capitulo Leudiensi anno 1451 temperata est formula Reformationis, quam & confirmari curavere à Nicolao V. Papa. Non pauca ibi observanda veniunt tolerantiæ in jus quodammodo receptæ documenta: cujusmodi istud est, Quod Decani Rurales in visitando præter procurationem aliquid pecuniæ acciperent, & nescio quam speciem Cathedratici, quam necesse tamen erat partem tantummodo quartam esse ejus summæ, quæ Archidiacono penderetur. *Ne Decani Christianitatum sub colore visitationis fictæ, vel illius remissione recipiant pecunias annuas, nisi personaliter visitaverint, & cum effectu, & tunc sint contenti quarta parte illius, quod Archidiaconis pro integra Ecclesia visitatione debetur. Et idem volumus observari in solutione obsonii & Cathedratici dictis Decanis facienda.* In Concilio Coloniensi anno 1549. monentur Archidiaconi, ne impunitatem criminum pretio paciscantur. *Nec quemquam sinant in vitiis, pecunia & munerum causa hærere.* *In quarto medio. c. 1.*

IV. Eodem capite complexi sunt Tridentini Patres visitationes Episcoporum, Archidiaconorum & Decanorum Ruralium. His præcepere, ne visitationes adgrediantur, nisi ipsimet, non per Vicarium; utque Notarium habeant, sibi ab Episcopo adsignatum. *Archidiaconi autem, Decani, & alii inferiores in iis Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitimè consueverunt, debeant quidem assumpto Notario de consensu Episcopi deinceps per seipsos tantum ibidem visitare.* *Sess. 24. c. 3. 10.* Archidiaconi & Visitatores omnes inferioris ordinis, suæ visitationis Acta cum inquisitionibus & instrumentis omnibus intra mensem ad Episcopum perferre debent. *Cui ipsi Archidiaconi, vel alii inferiores, visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones testium ac integra acta ei exhibere teneantur.* Causæ criminales & connubiales Archidiacono & inferioribus Prælatis omnibus subtrahuntur, etiam tempore visitationis, Episcopo nimirum uni vendicandæ. *Causæ matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquantur.* *Sess. 25. c. 14.* Judicia denique Clericorum concubinariorum Episcopo integra servari mandatur, ut ipse sine strepitu & figura judicii ea diffiniat.

V. Ne fieri quidem poterat, quin aliquando tandem restringeretur jurisdictio & potestas Archidiaconorum, postquam ex Vicariis meris Episcoporum Ordinarii facti sunt, & postquam alios sibi generales Episcopi Vicarios creavere. Synodus Excestrensis anno 1287. majorum quorumlibet criminum judicia Episcopo reservaverat. *Majores excessus nobis referant, illos maxime super quibus criminosi nostra indigent dispensatione.* Concilium ad Vallem Guidonis anno 1242. Archidiaconis prohibuerat, nequid sibi amplius arrogarent de jurisdictione Episcopi, neu cognoscerent de causis matrimonii, simoniæ, aliisque gravioribus, quæ degradatione plecti debeant, vel privatione Beneficii, vel depositione, sine speciali Episcopi mandato, quo ea sibi potestas fieret. *Falcem suam in alienam messem mittentes, ad illicita manus suas & prohibita mittere non verentur, statuimus ut Archidiaconi & alii de causis matrimonialibus, simonia & aliis, quæ degradationem vel amissionem Beneficii, vel depositionem exigant, nisi de speciali mandato sui Pontificis, nullatenus cognoscere, vel diffinire præsumant.*

De Laval. Can. 4.

Can. 8. In Concilio Provinciæ Turonensis apud Salmurium habito anno 1553. confirmata sunt decreta hæc omnia, vetitique Archidiaconi, ne immiscerent se in causas matrimonii, simoniæ, & ubicumque reus periclitatur de Beneficio, de statu, & gradu suo. Tanto majore in pretio esse debent hi Canones, quòd non solum eos imitati sint Tridentini Patres; sed etiam quòd ex iis dilucescat, tentatum quidem illud fuisse ab Archidiaconis, sed præter jus, ut de gravioribus his causis judicarent, quas ne antiquo quidem jure judicare sinebantur, nisi speciali muniti fuissent Episcopi mandato. Ne nunc quidem in totius potestatis suæ societatem adoptant sibi Episcopi Vicarios suos Generales. Idem augurari fas est de Archidiaconis vetustissimis.

VI. Venio ad Concilia Provincialia post Tridentinum, cujus decreta omnia de Archidiaconis ex parte saltem maxima promulgata, & confirmata fuere in Concilio Remensi anni 1564. Illis Concilium Rotomagense anni 1581. addidit, si cessaret Archidiaconus, nec in visitandis Ecclesiis officio satisfaceret, ejus in locum ut Episcopus visitationem delegaret Doctori Theologo, vel magnæ cuipiam eruditionis viro. Idem præcepit Conventus Melodunensis anno 1579 ut Episcopus cessanti Archidiacono Visitatores substitueret alios; Archidiaconus verò in visitandis Parochiis ea executioni mandaret quæ Episcopus decrevisset inter easdem priùs Parochias visitandas; moneret Episcopum, si quo obvio repagulo executio retardata esset; denique visitationis suæ Acta ad Episcopum perferret. Hinc perspicis jure Decretalium Archidiaconis, non secus ac Episcopis, integrum fuisse ut per substitutos Vicarios visitarent Parochias; ubi ipsimet non possent. Eam Tridentini Patres Episcopis potestatem confirmavere, abstulere Archidiaconis, qui jam non possunt alios delegare Visitatores. Ratio ejus discriminis perfacilis est. Gallicanis nostris Conciliis mediam quandam placuit insistere viam, qua & Tridentino Concilio fiat satis, & Archidiacono, qui per sese munus visitationis implere non potest. Nimirum ut non Archidiaconus, sed Episcopus ipse eos deleget, qui propria Archidiaconi visitatione ejus vice fungantur. Ubi verò vetustissima, atque ante omnem hominum memoriam consuetudine vigebat, ut Archidiaconus per substitutum visitaret Ecclesias, Congregatio sacra Concilii nihilominus

Tit. De Episc. cap. n. 17.

declaravit teste Fagnano, prohiberi illum posse ab Episcopo.

In Synodo Diœcesana Mechliniensi anno 1609. statutum est, ut Archipresbyteri Decanatum suum annua visitatione perlustrarent; lautioribus abstinerent conviviis; Acta visitationis ad Archiepiscopum, vel ad ejus Vicarium Generalem perferri curarent; annuum haberent singuli Decanatus sui Capitulum, ubi sobrio pastu reficerentur, & de procuranda ovium sibi creditarum salute sermones conferrent. *Capitulum Pastorum sui districtûs annuum celebrabunt.* Tit 6. c. 5. 6. & seq.

CAPUT LXXXII. *P. 4. l. 2. c. 96.*

De Visitatione Provinciæ per Archiepiscopos post annum Christi millesimum.

I. Incidebant ea temporum molestiæ Episcopis, ut authoritate Metropolitani fulciendi essent.

II. Varia Pontificum Decreta, maxime Innocentii IV. de visitatione Archiepiscoporum.

III. Exempla visitatæ semel iterumque Provinciæ ab Archiepiscopo.

IV. Statuta Concilii Tridentini de visitatione Archiepiscoporum.

V. Formula pulcherrima visitationis Archiepiscopi per Provinciam, à Conventu Meladunensi delineata.

VI. De Visitatoribus Apostolicis, & qua ratione B. Carolus eas partes sustinuerit.

I. EÆ temporum non semel inciderunt Episcopis molestiæ, ut concussa & nutante, vel ex Capituli, vel ex quorumcumque aliorum infestatione authoritate sua, Archiepiscopi visitatione recreari se & corroborari expeterent. Cùm Ivo Carnotensis Episcopus in Capitulo ipso suo quasdam vacantes contulisset Capituli sui dignitates: Decanus & nonnulli alii audacius in eum insurrexerunt, quasi nisi ex consensu suo id minimè potuisset. Optionem fecit ipsis Ivo, vel electis Judicibus rem permittendi judicandam, vel Metropolitano. *Aut sub Judicibus electis, aut secundum judicium Metropolitanæ sedis, eo ordine quo canonica authoritas dictaret.* Maluit Capitulum Archiepiscopo rem permittere. Præsto erat Ivo, loco & tempore ut se sisteret, ab Archiepiscopo designato; sed antè privatim illum obtestatus est, ut Ecclesiam Carnotensem priùs dignaretur visitare, audiretque quibus contumeliis, non tam ipse, quam in se Ordo ipsemet Episcopalis à Clero laïcisque affectus fuisset. *Quod si petitioni meæ addere præsumerem, flexis cordis genibus postularem, ut Carnotensem Ecclesiam visitaretis, & in propria persona injurias mihi, immo omni Pontificali ordini in me illatas à Clericis & laïcis plenius audiretis. Decens enim est, ut etiam in tranquillitate mater filiam consoletur, quanto magis in perturbatione.* Epist. 2[illegible]

II. Ipsismet ergo Episcopis relevandis, confirmandisque servire placuit Archiepiscoporum per Provincias visitationes, & is Juris scopus erat, nec solus tamen. Innocentii III. decreto declaratum est, potuisse ab Archiepiscopo Senonensi Provinciam visitante, *Cum ex officii sui debito Senonensem Provinciam visitaret*, suspendi primùm, & postea communione arceri homines Abbatis sancti Maglorii, & Prioris, qui ipsum procurare detrectassent. Negat Pontifex adversùs visitationem eam Archiepiscopi, & procurationem præscribi potuisse. *Cum contra procurationem, quæ visitationis ratione debetur,*

C. Cum ex offic. de præscript. C. Sopita. De censib. De Châtres

præscribi nequiverit; quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi. Idem perscripsit Gregorius IX. ad tuendas visitationes Archiepiscopi Beneventani. In Conciliis Lateranensibus III. & IV. sub Alexandro III. & Innocentio III. eorumque decretis suprà relatis, descriptæ suot Archiepiscoporum, ut & Episcoporum visitationes, præscripto etiam numero hominum equorumque, qui circumduci ab eis possent, & à Parochiis procurari deberent.

C. Cum non per. De censibus.

Est tamen quod Innocentio potissimum IV. gratias agamus, ut qui multò plura conglobaverit Decreta ad visitationes Archiepiscoporum moderandas; *C. Romana Ecclesia, in Sexto.* Edicitur ibi primùm, ut suam priùs Archiepiscopus Ecclesiam, civitatem & Diœcesin visitet, quàm in circumlustrandam Provinciam ingrediatur. 2. Ut majores, minoresque visitet Ecclesias, Laicos, Clericos. Si qua sint inaccessa loca, Clericus eorum evocabit, populosque, commodiorem quempiam in alium locum. 3. Procurationes accipiet à locis quæ visitabit. 4. Ubi Diœcesin, vel totam, vel ex parte visitarit, non poterit iteratò eò redire, vel eadem loca, vel reliqua visitaturus, quin totam antè peragraverit Provinciam, suamque ipsius rursum Diœcesin. 5. Si quæ nova urgensque ingruat necessitas, sive ab Episcopo loci, sive ab Episcopis aliis exoretur, eò redibit. Si eam verò necessitatem Episcopi Provinciæ dissimulent, Apostolicam consulet Sedem, ab eaque licentiam obtinebit iterandæ visitationis. 6. Exhausta Provinciæ universæ visitatione, iterare eam poterit, consultis antè Suffraganeis, etsi minùs consentientibus. 7. Iterandam autem visitationem ordietur ab iis locis, quæ vel antè prætererat, vel quæ eo solatio magis egent. 8. In visitando Evangelicam disseminabit doctrinam: sine strepitu & blandè inquiret in mores Clericorum; si qui sint gravissimis meritò suspicionibus obnoxii, Episcopum certiorem faciet; si qua notoria incurrant in oculos facinora, quæ probationibus non egeant, in ea ipsemet pœnis canonicis animadvertet, cùm justæ devolutioni locum dederit Episcopi proprii negligentia. 9. Speciali Decretali à Bonifacio VIII. declaratum est, hoc Innocentii IV. decreto non prohiberi, quin Archiepiscopus Provinciam visitet, semel iterumque, quanquam nullius negligentiæ affines sint Episcopi Provinciæ. 10. Addebatur illud quoque, Posse ab Archiepiscopo in decursu visitationis excipi Confessiones Diœcesanorum Suffraganeorum, absolvi crimina, salutares imponi pœnitentias.

C. Perpetuo. De censibus. In Sexto.

III. Provinciam suam anno 1233. circumlustravit Archiepiscopus Turonensis, cùmque ad Ecclesiam sancti Brioci accessisset, multa decreta edidit, consentiente tum Episcopo, tum Capitulo ejus civitatis. Anno 1253. cùm Provinciæ suæ visitationem peregisset Archiepiscopus ejusdem Metropolis Turonensis, Provinciale Concilium apud Salmurium congregavit, ut unà cum Suffraganeis suis commentaretur, quæ tandem paranda esset morbis iis medicina, quos observasset. Primum hîc expromo Canonem hujus Concilii. *Nos sanctorum Canonum & prædecessorum nostrorum volentes servare statuta, & ea quæ visitando Provinciam Turonensem correctione novimus indigere, corrigere cupientes, vocatis venerabilibus fratribus Turonensis Provinciæ Episcopis, &c.* Concilium Turonense anni 1282. eodem consilio habitum est post obambulatam ab Archiepiscopo Provinciam. Post Concilium Ravennas anno 1286. consilio cum Episcopis Provinciæ communicato, promulgari fecit per Archidiaconum suum Archiepiscopus Ravennas, necessariò iterandam videri Provinciæ visitationem. *Archiepiscopus mandavit Archidiacono Ravennati, ut in præsentia Episcoporum, & de ipsorum consilio definiret, quod per ipsum dominum Archiepiscopum deberet reiterari visitatio per Provinciam Ecclesiæ Ravennatis.*

IV. Ita visitationes Provinciarum per Metropolitanos etiam iterabantur, unica consensione cum Conciliis Provincialibus mox habendis, eaque sanè fructuosissima. Concilii Tridentini Patres certos limites præscripserunt potestati Archiepiscoporum in his Provinciæ perlustrationibus, vetito ne eas adgrederentur, etiam post visitatas Diœceses suas, nisi causa manifesta, & in Concilio Provinciæ probata. *A Metropolitanis verò etiam post plenè visitatam propriam Diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suorum Comprovincialium, nisi causa cognita & probata in Concilio Provinciali.* Sess. 24. c. 3.

In Concilio Turonensi anno 1583. statutum est, ut Metropolitanus suos inviseret Suffraganeos primo aut altero suæ procurationis anno, semel saltem dum superstes ageret, quò de eorum fide, moribus, regimine certior ipsemet fieret; referret verò ad Concilium Provinciæ, si quid emendandum reperisset. Nec obstrepit Decretum istud Tridentino, cùm non impellat Metropolitanos ad visitandas Ecclesias vel Diœceses Suffraganeorum, sed ipsos tantùm Episcopos. Art. 12.

V. In Generali Cleri Gallicani Conventu Melodunensi luculentissimè multa decreta sunt de visitandis per Metropolitanos Provinciis Ecclesiasticis: Excitantur quippe illi ad observanda religiosiùs quæ Innocentius IV. præcepit decreto suprà laudato: neque accuratissimè inquirant, an Episcopi resideant in Diœcesi quisque sua; an prædicationi incumbant; an Apostolicæ sanctitudinis aliquid redoleat in eorum vita; quam rationem teneant conferendorum & Ordinum & Beneficiorum; an Confessionibus excipiendis præpositi, an Pœnitentiarii, an Officiales illis sint, huic muneri pares ad animarum salutem; an Generales eorum Vicarii & Presbyteratu initiati sint, & inculpatæ vitæ; an virtutum exempla circumfulgeant; an Canones Ecclesiæ, Regnique leges studiosè sectentur. Hortabatur denique celeberrimus is Conventus Metropolitanos, ut canonicam distringerent authoritatem in eos Episcopos, quorum dignitati non responderet innocentia morum; ne inulta abire sinerent eorum crimina, & vel ad Concilium Provinciale, vel ad summum Pontificem referrent vulnera ea graviora, quibus mederi ipsi frustra tentassent. *Inter alia de his diligenter inquirent, An Episcopi resideant in suis Diœcesibus, an prædicent verbum Dei, an ita vivant ut Apostolus præscripsit, quemadmodum in Ordinibus ac Beneficiis conferendis se gerant; an idoneos audiendis Confessionibus puniendisque excessibus Pœnitentiarios ac Officiales deputent; an Vicarios generales in temporalibus ac spiritualibus tales elegerint, qui in Presbyteratûs Ordine constituti, bonum & à Diœcesanis, & ab iis qui foris sunt, testimonium habeant. An antiquos Canones Regnique instituta observent. Moneantur verò, ut Christiana libertate Episcopos suffraganeos Ecclesiis scandalum afferentes arguant, & eorum delicta corrigant, & quæ pro tempore corrigi non poterunt, ad Synodum Provincialem referant. Et si quid sit hujusmodi, quod graviori authoritate reformandum erit, Sedi Apostolicæ denuntient.* De Eccles. visit.

VI. Postrema hæc clausula adeundæ Sedis Apostolicæ, ubi eæ incurrunt difficultatum moles, quæ nisi summa quapiam authoritate disjici non possint: refricatur nobis memoria B. Caroli Mediolanensis Archiepiscopi, qui Romæ cùm ageret, Pontificem incitavit ad delegandos Apostolicos Visitatores. Nec in Provincias tantùm quæ temporali Sedis Apostolicæ dominio subjiciuntur, ut hactenus factitatum fuerat, sed in alias etiam quaslibet; ad explorandam nimirum Episcoporum vitam, diligentiamque in Tridentinis decretis servandis, & in reliqua Ecclesiastica disciplina. Lubens assensus est Pontifex, ipsumque Carolum designavit ad visitandam Provinciam Mediolanensem, & saltem adeunda primaria quæque oppida Provinciæ tam vastæ. Hæc ex Giossano, qui inenarrabili quadam

Giossano. L. 3. c. 6. 7. 9. L. 5. c. 12. lætitia perfusum fuisse Carolum testatur, quòd jam daretur innovare visitationes Metropolitanorum in suis Provinciis; antè tamen voluisse eum, ut Apostolicus Visitator Diœcesin suam Mediolanensem obambularet, quàm tota ipsemet Provincia explicaret potestatem & functiones Apostolici Visitatoris. Postquam à delegato Visitatore Pontificis perlustrata fuit Diœcesis Mediolanensis, cœpitque ipse Carolus Provinciam peragrare, agnovit tandem vastiorem esse eam, quàm ut onus ipse ei visitandæ sufficeret. Eò adductus est, ut alios aliis Diœcesibus Apostolicos exposceret Visitatores. Nec iis

L. 7. c. 14. se finibus coarctavit Caroli zelus. Expertus enim tam religiosam certamque suæ esse Diœceseos disciplinam, & tot munitam doctrina & pietate præstantissimis viris, quos sua ipse manu effinxerat, ut minùs jam necessaria ei esset vel industria, vel præsentia sua; à Pontifice impetravit Apostolici Visitatoris munus in Helvetiis & Rhœtiis obeundum, ut illuc ipse pergeret, cum novellis hæreticis congressurus, eaque expugnaturus flagitia, quibus hæretica semper scatet insania. Tam piæ voluntati nulla re defuit Pontifex, unde & accinxit se Carolus ad Evangelicæ veritatis, morumque sanctimoniæ jubar Germanicis Provinciis inferendum.

Spond. ann. 1571. n. 5. An. 1580. n. 18. 20. Anno 1571. Visitatores Apostolicos in Regnum Neapolitanum ablegandos designavit Pius V. Hinc jurgia sata cum Rege Hispaniæ, cujus ministri non sinebant, nisi ex permissione sua Apostolicos Visitatores officio fungi. Anno 1580. Gregorius XIII. Apostolicos Visitatores destinavit ad Cœnobia & Xenodochia, ad Clericos Monachosque plurium Orbis Christiani regionum. Misit & Constantinopolin, & ad Montem Libanum. Eo munere cùm ornari Patriarcham Venetum Senatus ejus civitatis percuperet, nec adduci posset Pontifex ut assentiretur, convenit tandem, ea ut potestas delegaretur Episcopo Veronensis civitatis in ditione Venetorum sitæ.

De Prædicatione.

CAPUT LXXXII. *P. 1. l. 2. c. 44.*

De Prædicatione per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

I. Inter Apostolicas Episcoporum functiones primarium locum obtinet Prædicatio. Probatur ex Scripturis.

II. III. Idem probatur ex Hilario & Hieronymo.

IV. Similiter ex Augustino, qui primus in Africa præsente Episcopo Presbyter prædicare cœpit. Multa in eam rem observantur.

V. An primus omnium Romæ prædicaverit Leo Papa. Duæ prædicandi rationes, simplex & elaborata, de plano & cum pompa. Probatur.

VI. VII. VIII. Plures ejusdem rei probationes. Exempla non nulla utriusque generis Prædicationum.

IX. Prædicationes arte & studio expolita, non sine sacris sponsalis.

X. Qua ratione prædicaret Augustinus.

XI. Itemque Chrysostomus.

XII. Et Augustinus & Chrysostomus Presbyteri concionati ex suggestu non sunt unquam, nisi Episcoporum jussu, ut coram Theologis.

XIII. Probatur diu antè Presbyteros concionatos fuisse.

XIV. Episcopus tamen persuasissimum esse debet, potissimum hoc esse Episcopatus officium, prædicare, ex Ambrosio.

XV. Item ex Chrysostomo.

XVI. XVII. Quàm populares & ad vulgi patientiam accommodati fuerint hi Prædicatores, Augustinus, & Chrysostomus.

XVIII. Præstantissimè Julianus Pomerius de Prædicationibus Episcoporum.

XIX. Pulcherrima effigies Prædicationum Hilarii Episcopi Arelatensis.

XX. Frequentiores jam erant Conciones Quadragesimæ tempore.

XXI. Ratio nova prædicandi, legendis coràm Homiliis Patrum.

XXII. Prædicandi jus potissimum penes Episcopum.

XXIII. Ideo & ex altiore suggestu concionantur, quòd ea sit Cathedra Episcopalis.

I. NUlla Episcopis magis consentanea omnis functio, quàm prædicatio, quia & nulla olim Apostolis. Verbum ipsum, Sapientia sempiterna Patris, ubi se nostræ mortalitatis exuviis amicivit, primus unique fuit & princeps Ecclesiæ Prædicator & Episcopus, delegatus à sempiterno Patre in terras Apostolus, & Prædicator Evangelicæ veritatis: *Evangelizare pauperibus misit me.* Ab eo *Luc. 4. 18.* missi Apostoli, ut ipse à Patre, Præcones veritatis: *Marc. 3. 14.* *Et fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret illos* *Mar. 16. 14.* *prædicare.* Redivivus denique ex mortuis, & sua illos potestate, sicut & functione induens, sola verbi prædicatione complexus videtur fuisse, & sua, & illorum omnia officia: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Altissimè id Paulus imbiberat, ubi aiebat, *Non enim misit me* *1. Cor. 1. 17.* *Christus baptizare, sed evangelizare.* Cùm in vicem & munus Apostolorum successerint Episcopi, sunt ergo & ipsi principes & primarii ministri Evangelicæ Prædicationis.

II. Hilarius in explanandis his Apostoli verbis, *Ut potens sit exhortari ad doctrinam sanam:* paris necessitatis esse tradit in Episcopo doctrinam & sanctitatem: sibi enim uni prodest sanctitas, si doctrinæ præsidiis destituatur: doctrina facilè contemnitur, nisi pretium illi faciat vitæ sanctimonia. *Cùm* *L. 8. de Trin.* *& innocens sibi tantùm proficiat, nisi doctus sit: & doctus sine doctrina sit authoritate, nisi innocens sit.* Jubet ergo Apostolus, interprete idoneo Hilario, illum demum numeris suis omnibus absolutum haberi debere Præsulem, qui & doctrinam virtutibus illuminet, & virtutes ornet doctrina. *Perfectum Ecclesiæ Principem perfectis maximarum virtutum bonis instituit, ut & vita ejus ornetur docendo, & doctrina vivendo.*

III. Episcopum ab Apostolo *Doctorem* nominari observavit Hieronymus; eo quippe fieri, ut ne cæteræ virtutes infructuosæ sterilesque sint. *Docto-* *L. 1. adv. Jovin.* *rem. Nihil enim prodest conscientia virtutum frui, nisi & creditum sibi populum possit instruere.* Et alibi: *Quòd* *Epist. ad Nepo.* *doctrina à Sacerdotibus expetatur, & veteris præcepta*

sunt legis, & ad Titum plenius scribitur, Innocens enim & absque sermone conversatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Et in Epistola ad Paulinum: *Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vita merita Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat.*

IV. Ambrosius teste & olim auditore Augustino, diebus Dominicis omnibus concionabatur ad
L. 6. c. 3. populum. Sic enim ille in Confessionibus: *Et eum quidem in populo verbum veritatis rectè tractantem audiebam omni die Dominico.* Jam suprà memoravimus, Valerium Hipponensem Episcopum, gente Græcum, cùm non satis expeditè Latino sermone concionari posset, id muneris demandasse Augustino præter consuetudinem Africanarum Ecclesiarum, ubi Episcopus solus prædicandi officio fungebatur: *contra usum & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum*: ut loquitur Possidius. Ei exemplo accommodaverunt se alii quoque Africæ Episcopi, ut ipsis
Cap. 5. præsentibus Presbyteri prædicarent. *Accepta ab Episcopis potestate Presbyteri nonnulli coram Episcopis populis tractare cœperunt Verbum Dei:* ut idem ille ait. Authoritatem innovationi à se factæ conciliabat Valerius ab exemplo Orientalium Ecclesiarum. *In Orientalibus Ecclesiis id ex more fieri sciens.* Enimvero Alexandriæ tantum docet Socrates, ex occasione Arii hæresiarchæ, interdictos fuisse Presbyteros
L. 5. c. 21. munere concionandi. *Quin etiam Alexandriæ non concionatur Presbyter, qui mos eo tempore initium habuit, quo Arius perturbavit Ecclesiam.* Quo eodem loco idem Scriptor testificatur, Episcopos Presbyterosque interpretari publicè solitos Scripturas sacras, Cæsareæ in Cappadocia & in insula Cypro, Sabba-
L. 7. c. 19. to & Dominico die vesperascente: *Cæsareæ Cappadociæ & in Cypro die Sabbati & Dominica semper sub vesperum accensis lucernis Presbyteri & Episcopi scripturas interpretantur.* Assentitur & Sozomenus, Alexandriæ moris fuisse, ut solus Episcopus verba è suggestu faceret ad populum, quod cœptum esset, cùm pestiferum virus cœpit Arius eructare. *Alexandriæ solus Episcopus concionatur. Quam consuetudinem cùm antea non fuisset, introductam esse ferunt, ex quo Arius Presbyter, de doctrina fidei disserens, nova dogmata invexit.*

Sed illud multò magis stupendum, quod refert Sozomenus, Romæ nec ab Episcopo, nec à quoquam alio prædicatum fuisse: *In eadem urbe nec Episcopus, nec alius quisquam in Ecclesia populum docet.* Idem refert & Cassiodorus in Historia Tripartita. Quibus Sozomeni displicet doctrina, sermones sanctissimi Papæ Leonis illi objectant. At reponunt alii non perorasse ad populum Leonem Papam nisi post tempora Sozomeni: nec vel sermonibus Leonis, vel ex homiliis Gregorii Magni Papæ inferri posse quidquam, nisi tunc temporis alios Romæ viguisse mores. Præcepta Liberii Papæ ad sanctissimam virginem Marcellinam, sororem beati Ambrosii, cùm ipso die Christi natalitio, in Ecclesia beati Petri Romæ velo consecrationis illam donavit, propius sanè accedunt ad præcepta privatim instillata, quam ad sermonem populo habitum. Ideo & ab Ambrosio, qui ea in tertium librum de Virginibus contulit, vocantur non aliter, quàm *beatæ Memoriæ Liberii præcepta.* Quin & illud facilè deprehenditur, ejus sermonis Liberii ad Marcellinam, præcepta quidem & sententias Liberii esse, at stylum & verborum contextionem Ambrosii: qui non ita sanè immutatis verbis retulisset sermonem quempiam Leonis Papæ.

V. Non abludit ergo à vero, aut à verisimili, usque ad tempora Leonis Papæ, contentos fuisse Præsules Romanos familiaribus ejusmodi præceptionibus, ut sævientibus fiebat persecutionibus, sine apparatu, sine pompa: plana & humili, non splendida oratione. Et sanè nulli prorsus superstites sunt sermones, non Pontificum modò Leone anteriorum, sed Episcoporum quorumlibet, qui prioribus tribus sæculis, vel medio etiam sæculo quarto floruerunt.

Sunt qui opinentur, concionatos nunquam fuisse Presbyteros ante Augustinum in Occidente, & Chrysostomum in Oriente. Hoc porro illi utuntur argumento; nec Tertulliani, nec Hieronymi, nec Ruffini, nec Clementis Alexandrini ullos prorsus sermones, vel homilias ad nostras manus devenisse, cùm tot alia eorundem litterarum monumenta supersint, ex quibus & eruditionis ubertas, & eloquentiæ vis ea eminet, quæ non potest non admirationi esse. Sed præter quam quod ei sententiæ obstrepunt, quæ suprà ex Possidio, Socrate & Sozomeno prolata sunt, levissimo ea nititur argumento, & quod facillimè evertatur. Nec ulli enim nobis residui sunt sermones ejus ætatis, non Ignatii, non Irenæi, non Eusebii Cæsariensis, non Athanasii, non tot aliorum splendidissimorum tunc Luminũ. Post Epistolas Cypriani libelli sunt, vel Tractatus, non sermones. Scribebantur illi Tractatus, & evulgabantur, non publicè recitabantur. Nec Apostolis curæ fuit Prædicationes suas scriptis mandare, & ad posteros transfundere. Fidelibus abundè esse videbatur, ut Christianæ veritatis sacramenta, Apostolico ore personantia, immortalibus animi sui tabulis inscriberent. Sed & illud finitimum verò est, & Apostolos, & Episcopos, & Presbyteros qui prioribus his sæculis concionabantur, sermones effudisse extemporaneos, inornatos, ex abundantia cordis, & plenitudine intima charitatis. Si enim vetuerat Christus, ne quid meditatum afferrent, ut vel tyrannos refellerent, vel fidei cœlestia eis dogmata explanarent: fore enim, ut non ipsi, sed eorum ore Spiritus ipse veritatis loqueretur: quin & ejusmodi aliquid auguramur, ubi sermonem illi vel ad infideles, vel ad fideles habebant?

VI. Nulli ergo antiquiores ad nos trajecti sunt sermones, quam Gregorii Nazianzeni; quòd nec Præcones Evangelici eos scriptis consignarent, nec fideles eos adnotare curarent, & compilare; quòd & his, & illis non ea viderentur esse nisi familiaria & extemporanea colloquia, aut præcepta simpliciùs inculcata, quæ moris non est chartis illini, aut publicari. Si quæ supersint homiliæ Origenis, id eo factum est, quòd ea redundent sacræ eruditionis copia, ut ne ab eo quidem pronunciarentur, nisi postquam eas scriptis mandasset. Qui autem, qui ornamenta, qui pigmenta eloquentiæ homiliis suis addiderit, primus fuit Gregorius Nazianzenus, aut inter primos. Ideo nec ambigere quisquam potest, quin ante illæ ab eo & meditatò, & operosè scriptitarentur, quam pronunciarentur. Narrat ipsemet se pronunciante, fuisse qui palam, qui clam calamo linguam ejus, notisque assequi conarentur. *Valete sermonum meorum amatores, & calami, tam* Orat. 32. *perspicui, quam occulti.* Nec dissimulat ipse, studere se eloquentiæ inter concionandum, ut quoquo posset cumque modo æmularetur Apostolicas conciones, non verbis, sed factis & miraculis cœlestem quandam vim & eloquentiam ostentantes. Chrysos-

tomo videbantur Apostoli & eloquentia, & miraculis claruisse, quo pudor incuteretur eis Episcopis, qui cùm miracula patrare in potestate non haberent, ne cogitabant quidem de parando eloquentiæ subsidio: quin & ab Apostolo Paulo patrocinium sibi inconsideratissimè accersebant. [De Sacerd. L. 4. c. 7.] *Cum Paulum constet tum ante miraculorum editionem, tum in mediis ipsis miraculis magnam adhibuisse eloquentiam.*

VII. Ubi verba facit Socrates de Attico Constantinopolitano Episcopo, illum ait conciones suas accuratissimè elaborasse, ac perpolivisse, tum diligenter mandasse memoriæ, antequam publicè recitaret: postea autem augescente & usu, & fiducia, cœpisse ex tempore concionari, accommodatius ad populum, & incultius: unde nec ejus conciones unquam ita comptas, aut graves fuisse, ut ad posteros [L. 7. c. 2.] trajicerentur. *Primum cum Presbyterii gradum obtinuisset, conciones quas summo studio confeceras, ad verbum edifcens, in Ecclesia recitavit. Postea crebro usu & diligentia majorem audaciam adeptus, ex tempore concionari cœpit, rationemque docendi magis popularem secutus est. Verùm ejus conciones non ejus generis fuere, ut merito vel ab auditoribus studiosè perdiscerentur, vel monumentis mandarentur litterarum ad posteritatem.* Hinc perspicuè confirmantur, quæ à nobis dicta sunt superiùs de Concionibus duplicis generis, aliis incomptis & popularibus, aliis studiosiùs elaboratis & scripto mandatis, cujusmodi fuere Leonis Papæ sermones, qui nos in hanc conjecere disputationem.

VIII. Duo verò illa concionandi genera apertius Socrates discriminat, ubi de Chrysostomo verba facit: [L. 6. c. 4.] *Conciones tum ab eo in lucem edita, tum à Notariis, ὑπὸ τῶν ὀξυγράφων, excepta, illo è suggestu recitante, in omnium manibus sunt, &c.* Cùm verò alibi ait Alexandriæ quarta quaque & sexta feria publicè legi Scripturas & explanari: [L. 5. c. 22.] *Leguntur Scriptura, & Doctores, διδάσκαλοι, eas interpretantur:* & Cæsareæ in Cappadocia & in insula Cypro Episcopos & Presbyteros interpretari Scripturas Sabbato & Dominico semper die, accensis lucernis, *Accensis lucernis Presbyteri & Episcopi Scripturas interpretantur:* facilè nobis ille suadet has conciones omnes zeli plus habuisse, quam studii, & nec arte meditatas fuisse, nec in posteros transfusas.

IX. Longè aliter existimandum est de concionibus duorum Asiæ Episcoporum, Antiochi & Severiani, qui Constantinopolin profecti sermones tota arte & contentione animi elucubratos pronunciarunt, publicæ morum emendationis minùs illi quidem ut videtur cupidi, aut famæ, quàm pecuniæ; quod & ex animi sententia [L. 6. c. 10.] illis processit. Audiendus hic Socrates. *Cùm se sedulo exercuisset, & multas contexuisset conciones Severianus, Constantinopolin contendit, postquam audierat Antiochum Constantinopoli in Ecclesiis docendo magnam pecunia vim collegisse.* Ubi perspicis jam tum inolitum morem, ut stipendii aliquid Concionatoribus exolveretur: utque Episcopi omnes majoribus in Civitatibus, maximè autem in urbe Regia passim concionarentur. Hierosolymis concionabatur Epiphanius, & Origenis errores asseclasque concerpebat, cùm Joannes Episcopus Hierosolymitanus immisso Archidiacono silere illum jussit. Qui id enarravit Hieronymus, obstupuit ipse, quòd ne Presbytero quidem unquam prædicandi Episcopus os [Ad Pammach. adv. error. Ioan. Hier.] obthorasset. *Quis hoc unquam coram plebe Presbytero suo imperavit Episcopus?*

X. Non minùs concionanti, quam calamum stringenti applaudebatur Augustino, ut perhibet Possidius, qui & addit, non à Catholicis tantum promiscuè & hæreticis conciones ejus fuisse furtivo calamo exceptas, & notis mandatas, quæ celeritate sua loquentem assequerentur: sed non raro publicatas fuisse eadem expolitas arte & ratione, qua libri operosiùs concinnati evulgantur. [C. 7.] *Libros ejusdem, sive tractatus mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes, instructos omni rationis copia atque authoritate sanctarum Scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes, cum Catholicis ingenti ardore audiebant; & quisquis ut potuit & voluit, Notarios adhibens, etiam ea qua dicebantur, excepta descripsit.* Et paulò infrà: *Per idem tempus coram Episcopis hoc illi jubentibus, qui plenarium totius Africa Concilium Hippone agebant, de fide & Symbolo Presbyter adhuc Augustinus disputavit.* Quod advertit Possidius in librum *de Fide & Symbolo*, quæ mera concio primum fuit: & quod universim ait, ab Augustino publicè recitatos fuisse *libros, sive tractatus:* approbari facillimè posset ingenti omnino copia operum, tum Augustini, tum cæterorum Patrum, quorum conciones ad posteros traductæ sunt, Epistolarum, vel librorum forma & nomine indutæ. Nemo nescit Romæ quondam pervagatissimum fuisse, ut vel publicè, vel in selecto amicorum, doctorumque cœtu recitarentur, quæ quisque summa animi, summa eloquentiæ contentione elaborasset.

XI. Ut sermonum autem suorum splendore & fama Occidentalem orbem illuminavit Augustinus, teste ibidem Possidio, ita & Chrysostomus Orientalem. Uno Presbyteratûs gradu uterque tum eminebat; unius Episcopi jussu & vice uterque tum concionabatur; denique utrinsque ea fuit & eloquentiæ vis, & sacræ eruditionis ubertas, ut conciones eorum posteris sæculis illuminandis commendarentur. Audi ut de Chrysostomo disserat Palladius. *Permansit bis senis annis in officio Presbyterii Antiochenam Ecclesiam vita munditia illustrans, partim undis spiritus recreans. Agebat vices Episcopi in prædicatione verbi Dei, omniumque corda mirabili facundia, Scripturarum dulcedine ornata ad se rapiebat. Quam multos, quam pulchros, quam necessarios plenosque utilitatis tractatus ediderit, quis referre sufficiat?*

XII. Nullo præstantiors argumento proditur, quàm unius Episcopi propria fuerit prædicandi functio & potestas, quàm horum exemplo duorum toto Occidente, & Oriente tum doctissimorum, tum sanctissimorum Presbyterorum, qui concionari ipsi tamen sunt nunquam, nisi speciali mandato Episcopi, ejusque delegatione & vice, eos sibi tum substituentis, ad Apostolicum id munus implendum. Ita perspicuè modò Possidius & Palladius. Flaviano Episcopo suo Chrysostomus integras servabat homilias quasque celeberrimas, & de eo ad populum agens, *Doctoris* eum encomio decorabat, cujus magisterio ipsemet promiscuè cum populo subesset. [Hom. 3. in verba Isaia. Vide Dom. & To. 5. pag. 61.]

XIII. Nec dubitari à quoquam potest, quin singulari Augustini & Chrysostomi præstantia eloquentiæ & religionis adducti fuerint Valerius & Flavianus, totam ut concionandi Provinciam illis mandarent. Sed ut ab errore quo occupati fuere, abducamus eos rursum, qui non ante hos illis Presbyteris idem concionandi munus delegatum fuisse ab Episcopis somniarunt: præter superiora in contrarium testimonia, vide quid B. Paulinus scribat in Carmine de vita beatissimi Martyris & Presbyteri Felicis. Cùm vivere enim desiisset Nolanus

Episcopus,

Episcopos, fervebant plebis studia, ut Felix ille sublegeretur, quòd Prædicatoris partes in ea ipsa civitate sustineret. *Felicis nomen totum balabat ovile, quem Confessoris redimebat aurea Christo, quemque salutiferum spondebat lingua Magistrum.* Contrà tandere Felix, ut Quintus Presbyter eligeretur, ut qui ordinatione Presbyteratûs senior esset. Itaque electus est Quintus, à quo Felix Prædicatoris munere usque fungi jussus est. *Ergo sub hoc coram Felix Antistite vixit Presbyter, & crevit meritis, qui crescere sede noluit; Ipse illum tanquam minor omnia Quintus observabat, & os linguam Felicis habebat: Ille gregem officio, Felix sermone regebat.* (Natali 5.)

XIV. Nec segnius tamen desudandum erat Episcopis, etiam hactenus inexpertis, etiam doctorum Presbyterorum copia abundantibus, ut ipsimet primariam hanc Apostolici ministerii sui partem implerent. Intellexit Ambrosius, & palam professus est, etsi inopinus, invitus, imparatusque ad Episcopatum raptus fuisset, & docere ea jussus, quæ nunquam addidicisset; non posse se tamen muneri deesse, docendi quæ nondum didicerit, docendi simul & discendi. *Cùm jam effugere non possimus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit sacerdotii necessitudo, &c. Ego raptus de tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium, docere vos cœpi quod ipse non didici. Itaque factum est, ut prius docere inciperem, quàm discere. Discendum est igitur mihi simul & docendum, quoniam non vacavit antè discere.* (Offic. l. 1. c. 1.) Si Provinciæ Præses ad Episcopalem raptatus ex improviso sedem, vastissimis Episcopatûs occupationibus innumeris immersus, suis sibi tamen vigiliis & insatigato labore tantum otii peperit, si tantum temporis studiique in sacras litteras ausumpsit, ut & Episcopales ad populum conciones haberet frequentissimas, & præclarissimis scriptis Ecclesiam illustraret & locupletaret universam: quo vel ignaviam suam, vel ex ignavia inertiam regont prætextu, qui non Episcopatûs fuga, sed solo Episcopalium laborum fastidio famosi sunt?

XV. Fusissimè idemque eloquentissimè Chrysostomus libro quarto de Sacerdotio prosecutus est, quanti & eruditione & eloquentia affluere, quanta zeli flamma ardere debeant Episcopi, ut munere verbi fungantur, quod Episcopale potissimum munus est. Consecratio, immolatio, dispensatio Corporis Christi est illa quidem divina quædam & pertimescenda functio. Sed veritatis, quæ Christus ipsemet est, & Evangelii dispensatio, nec honoris minus præ se fert, nec sanctimoniæ & terroris, quàm ejus Carnis. Si Paulo Apostolo aures fidemque adjiciamus, prædicatio ipsa sacrificium est, & Verbum divinum ensis est penetrabilior omni gladio ancipiti, quo Plebes innumeræ Deo mactantur Patri, quo fideles singuli, hostiæ viventes, peccato moriuntur, & Deo in sempiternam hostiam laudis reviviscunt. Ideo & Paulus uno eodemque verbo, λειτουργία, & Prædicationem, interprete locupletissimo Chrysostomo, & Eucharistiam declaravit. *Ipsum enim mihi sacerdotium est, prædicare & evangelizare. Hanc offero hostiam. Hæc dicens, illorum mentes erigit, ostendens quod hostia sunt. Machæra siquidem mea, inquit, Evangelium est, prædicationis videlicet sermo. Ut fiat oblatio gentium acceptabilis, sanctificata per Spiritum sanctum.* (Chrysost. in Epist. ad Rom. hom. 29.)

XVI. Pulcherrimè ab eodem Chrysostomo patefactum est, quanto distent intervallo Prædicator & Orator, eloquentia Pastoris Evangelici & Declamatoris; ubi proponit sermones suos variis interpolare interrogatiunculis, ut ex auditorum responsis intelligat, an probè ceperint, animoque mandaverint quæ dicta sunt. Eodem referri potest, quod idem habet in sermonibus ad populum Antiochenum, statutum jam sibi esse eosdem usque inculcare sermones, & in unum personare, idemque vitium, donec illud ex eorum animis & ore extirpetur. (Incipit ad Heb. Orat. 4.) Illa demum est Pastoris prædicatio, quæ non sibi gloriæ fumos & rumores aucupetur, sed ovium salutem, & hanc unam degustet ex fidelium resipiscentia gloriam atque oblectationem.

XVII. Eodem se animatum & extimulatum spiritu probabat Augustinus, cum Scripturarum Codicem in manus sumebat, Lectoremque se agebat simul & Prædicatorem: illud certissimus ad Prædicatoris laudem uberius fore, quod ad audientium salutem fuerit conducibilius. *Sed ex ipso codice audite. Propterea enim non tantùm disputatoris, sed etiam lectoris fungor officio: ut sermo ille noster sanctarum Scripturarum authoritate fulciatur, non humanis suspicionibus super arenam ædificetur, si fortè aliquid non memoriter occurrerit.* (De diversis Serm. 121. c. 11.) Docet alibi Augustinus elegisse se aliquando Psalmum breviusculum, ut eum commentando concionaretur, & Lectori mandasse, ut eum sive prælegeret sibi, sive præcineret statim concionaturo; at cùm Lector alium inopinatò, eumque longiorem prælegisset, visum sibi esse obsequendum tempori, vel potius providentiæ Numinis, & in materiam oblatam sermocinandum. *Psalmum nobis brevem paraveramus, quem mandaveramus cantari à Lectore; sed ad horam quantum videtur perturbatus, alterum pro altero legit. Maluimus ergo nos in errore Lectoris sequi voluntatem Dei, quàm nostram in nostro proposito.* (In Psal. 138.)

Hinc planè intelligitur, sanctissimorum illorum Præsulum conciones bene multas ejus generis fuisse, ut qui rariùs aut leviter præmeditati ad eas accederent. Hujus enim Augustini concionis ab imparato tunc effusæ, perquam simillimæ sunt cæteræ ejus omnes, præter paucissimas, quæ sua brevitate, stylo pressiore, se ipsæ clamant accuratiore calamo, & diligentia non pœnitenda conscriptas fuisse. Nec secus est de Chrysostomo ominandum. Et nihilo tamen segnius urgebat idem Chrysostomus, ut Evangelici Præcones, ac præ cæteris Episcopi, disciplinis sacris abundè, & eloquentia instructi essent; quanquam in optatis esset, ut eorum & eloquentia & eruditio in populos exundare posset, torrentis instar sponte sua, nullo aut minimo labore sese effundentis.

XVIII. Pulcherrimè verò Julianus Pomerius edisserit, ut Pastores, qui lacte & lana ovium abutuntur ad vitæ sustentationem suæ, vicissim & ipsi spirituali & necessario pastu recreare eas debeant: ut hoc illud sit pascendi gregis officium, cui Ecclesiastico Beneficio suo astringuntur. *Gregem Domini pascendum Pastores facti suscepimus, & nos ipsos pascimus, quando non gregum utilitati prospicimus, sed quid foveat & augeat nostras voluptates attendimus. Lac & lanas ovium Christi quotidianis oblationibus ac decimis fidelium gaudentes accipimus, & curam pascendorum gregum ac reficiendorum, à quibus perverso ordine volumus pasci, deponimus.* (De vita contempl. l. 1. c. 21.) Nec in præteritis relinquam quod ille subdit, tantò majore in culpa esse Episcopos, si penitus conticescant, quantò proclivius ipsis est, illas officii sui partes implere familiaribus sermonibus & præceptis, quibus vitæ sanctitudo pondus addat. *Nec verò se per imperitiam Pontifex excusabit, quasi propterea docere non valeat, quòd* (Ibid. c. 23.)

ei sufficiens & luculentus sermo non suppetat; quando nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quàm vita; satisque auditores possint proficere, si à Doctoribus suis quod vident specialiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari; dicente Apostolo, Etsi imperitus sermone, sed non lingua.

Satis docta Episcopi concio censetur, quando fide & fervore illuminatur: satis eloquens est, quando morum resplendet innocentia. Eo periclitantur, qui singulari pollent sermonis elegantia Prædicatores, ne famæ magis suæ amplificandæ, quàm Ecclesiæ ædificationi studeant. *Unde datur intelligi, quod non se debeat Ecclesiæ Doctor de accurati sermonis ostentatione jactare, ne videatur Ecclesiam Dei non velle ædificare, sed magis se, quanta sit eruditionis, ostendere.*

Decentiùs exornatur concio Episcopi lacrymis, quàm floribus: illumque auditorum gemitus magis delectare debent, quàm plausus. *Non igitur in verborum splendore, sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat, non vocibus delectetur populi acclamantis sibi, sed fletibus: nec plausum à populo studeat expectari, sed gemitum. Lacrymas quas vult à suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat; & sic eos compunctione sui cordis accendat.* Denique nemo sanus à Pastore elegantiam & munditias sermonis desiderat, sed doctrinæ puritatem, zeli fervorem, & omnia denique ad auditorum patientiam & utilitatem temperata. *Tam simplex & apertus, etiam minùs Latinus, disciplinatus tamen & gravis sermo debet esse Pontificis, ut ab intelligentia sui nullos quamvis imperitos excludat, sed in omnium audientium pectus cum quadam delectatione descendat.*

XIX. Scriptor vitæ Hilarii Episcopi Arelatensis brevi quasi tabula delineavit, quæ à nobis hactenus dicta sunt omnia, dum in Hilario expingit germanam Evangelici Concionatoris effigiem, cui familiare est, pro re nata, & tumentem deprimere eloquentiam, & humilem exaggerare orationem; qui Christianæ fastigium sapientiæ ad doctorum stuporem ostentat; & summa quæque Theologiæ placita ad vulgi accommodat captum; qui quæ arte & studio parari possunt ornamenta, minimè aspernatur; & qui his humanæ industriæ præsidiis, cælestis cumulum luminis spiritûsque superfundit; qui denique doctos & indoctos ab ore suo pendentes habere & retinere novit, ut dies Festos aut totos, aut maxima ex parte cum ipso agant, sine fastidio, & non sine uberrimo fructu. *Temporalis verò ejus prædicatio, quantum flumen eloquentiæ habuerit, quas sententiarum gemmas sculpserit, aurum supernorum sensuum repererit, argentum splendentis eloquii abundaverit, descriptionum varias picturas, & rhetoricos colores expresserit, ferrum spiritalis gladii, acumen in truncandis hæreticorum venenatis erroribus exercuerit, non dicam dicere, sed ne cogitare me posse protestor; sedilibus præparatis in jejunio ab hora diei septima usque in ejus decimam, epulis plebem spiritalibus saginabat, pascendo esurire cogebat, esurientes nequaquam pascere desistebat. Si peritorum turba defuisset, simplici sermone rusticorum corda nutriebat, at ubi instructos supervenisse vidisset, sermone, vultu pariter in quadam gratia insolita excitabatur, seipso celsior apparebat: ut ejusdem præclari Doctores temporis, qui suis scriptis meriti summi claruere, Silvius, Eusebius, Domnulus, admiratione succensi, in hæc verba proruperint, Non doctrinam, non eloquentiam, sed nescio quid super homines consecutum.* [*Surius die 5 Maii. c. 6.*] Hæc præstantissima est Hilarii Arelatensis Episcopi Concionum forma, de qua coævus Scriptor ibidem perhonorificè testabatur, sola illum ab Augustino antiquitate superari potuisse, *Si Augustinus post Hilarium fuisset, judicaretur inferior.* [*Ibidem.*] Quod lubens equidem vel ad elegantiam sermonis solam deflexerim, vel ad populi gustum & judicium, cui ferè ille concionator plus sapit, qui posterior venit.

XX. Id verò adnotat ejus vitæ Scriptor, jejunio dicatos dies, eosdem & Concionibus sacratos fuisse. Apparet ergo jam tum frequentissimas fuisse Quadragesimali tempore Conciones. Leonis certè Magni sunt multæ suot ad Quadragesimæ & ad Passionis hebdomadas diesque. Insinuatur quidem alicubi, binas tantùm per hebdomadas singulas à Leone habitas Conciones, Dominica die & feria quarta. [*De Passione. Serm. 1. 5 7.*] Sed ne tam frequenter, quàm alibi moris erat, concionaretur Leo, in causa erant innumerabiles summi Pontificatûs sollicitudines.

XXI. Agemus proximo pòst capite de ratione illa singulari concionandi, recitandis è suggestu opusculis sanctorum Patrum, quorum sanctimoniam & doctrinam immortalitati consecraverat Posteritas. Ejusmodi aliquid subodorari mihi videor in Concilio Calchedonensi, ubi in legendis eis quæ gesta fuerunt adversùs Ibam Episcopum Edessenum, mentio fit Sabæ Diaconi, qui recitabat Scripta beati Ephræmi, quique fama erat & sapientia propè singulari. *Sabas Diaconus, qui scripta B. Ephrem per loca singula profert, vir inter Syros sapientissimus: ὁ τὰ συντάγματα τοῦ μακαρίου Ἐφραὶμ λέγων.* [*Con. Calch. Act. 10.*] Quin & Hieronymus fidem facit pluribus in Ecclesiis legi publicè solita B. Ephræmi scripta. *Ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem Scripturarum publicè in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitentur.* [*De Script. Eccles.*]

XXII. Ante calcem hujus capitis asseveranur rursus necesse est Paulo & Augustino, Pastoribus Ecclesiarum proprium id esse decus, & singularem prærogativam, ut Magistri sint Ecclesiarum & Doctores. *Pastores & Doctores eosdem puto esse, ideo cùm prædixisset Pastores, subjunxit Paulus Doctores, ut intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam.* [*Epist. 59.*] Ita Augustinus ex Paulo, cui accedit & Leo Papa, dum prædicandi primariam potestatem penes unum Episcopum esse tradit. *Præter eos qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi jus docendi & prædicandi audeat vindicare, sive ille sit Monachus, sive laicus, qui alicujus scientiæ nomine glorietur.* [*Epist. 62.*] Ita Leo ad Maximum Episcopum Antiochenum, & ad Theodoretum Episcopum Cyrensem.

XXIII. Ne illud quidem à verisimili recedit, eminentissimæ Episcoporum dignitati id honoris & cultûs habitum fuisse, ut cathedra Concionatoris excelsior emineret in Ecclesia, nec concionibus interesset populus, nisi stans. In describenda B. Cypriani ordinatione Prudentius Doctorem illum simul & Episcopum appellat, & in sublimem illum attollit sedem, utroque ut suspicor, nomine & jure. *Usque Episcopale provehitur solium Doctor, capit & sedile summum.* [*Peristeph.*] Qui idem in historia sanctissimi Martyris Hippolyti, Ecclesiam his verbis delineat: *Fronte sub adversa gradibus sublime Tribunal tollitur, Antistes prædicat unde Deum.* Molestè ferebat Augustinus in Ecclesiis Africanis stare plebem universam concionante Episcopo, & probabat magis transmare positas illas Ecclesias, ubi sedebant etiam auditores omnes, ne defatigatione corporis satisceret & mentis attentio. *Longè consultiùs in quibusdam Ecclesiis transmarinis non solum Antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia sub-* [*De Catech. rud. c. 13.*]

jacent, ne quisquam infirmior stando lassatus à saluberrima intentione evertatur, aut etiam cogatur abscedere.

CAPUT LXXXIV. *P. 2. l. 2. c. 67.*

De Prædicatione, sæculo VI. VII. & VIII.

I. In eo cardo est Episcopalis ministerii. Exempla Fulgentii & Cæsarii.

II. Ut Episcopis importunius immineat Cæsarius, quo Prædicationi se dedant.

III. Cur jucundi essent Cæsarii sermones. Vel invitos retinet in Ecclesia auditores.

IV. Ubi vires illum pristino senem destituêre, homilias suas per Presbyteros & Diaconos recitare coram se fecit.

V. Homilias suas in Europam omnem disseminabat.

VI. Ne somni quidem & noctis silentio, zelus & vox ejus opprimi poterat.

VII. Exempla alia. Nicetii, Sulpitii Dulcis, Eligii.

VIII. Gregorium Magnum non ætas ingravescens, non ægritudo corporis, non Pontificales sollicitudines à concionando retardabant; vel ab elucubrandis concionibus, quas alii recitarent.

IX. Faces sibi Gregorius, aliisque Episcopis subjiciebat exempla Apostolorum, qui plura singuli regna Christo subegerant.

X. Arctissimam quoque suggerebat necessitatem, æterno plebium saluti invigilandi, quorum donis temporalem ipsi vitam sustentabant.

XI. Denique ut affectæ piæ vi levamenti aliquid adferret, atque attentiores faceret auditores, cœpit sermones suos interpungere interrogationibus & responsionibus.

XII. Ex his autem fontibus hauriendæ sunt Conciones, Scripturis, Canonibus, Monumentis, & vitis Patrum, jejuniis, vigiliis, oratione indefessa.

XIII. Necessitas concionandi saltem Dominico die, in Gallia & in Oriente.

I. MUtæ torpent, & quasi exanimes jacent Visitationes & Synodi, nisi crebris concionibus vegetentur, quod idem ferè constat de cæteris quoque Apostolicis Episcoporum functionibus. His ergo potissimum præstantissimi quique Episcopi studium, industriamque suam omnem dicaverunt. Beatus Fulgentius quanquam & multis aliis & gravissimis avocaretur occupationibus, commentabatur tamen, dictabat, & publicè recitabat Prædicationes, Ecclesiastica sapientia refertissimas.
C. 23. *Catholica Ecclesia singularis Magister & Doctor, quamlibet inter varias occupationes, hic in Africa parum vacaret; plurimos tamen Ecclesiasticos sermones, quos in populis diceret, scribendo dictavit.* Ita Ferrandus Diaconus in ejus vita. Cæsarius Arelatensis Episcopus, quo primum die in eo se Apostolico fastigio locatum vidit, temporales omnes rerum Ecclesiæ curas in Diaconos suos transfudit, ut totum se in lectionem Scripturarum, in orationem, in Prædicationem immergeret. Audi vitæ ejus Scrip-
Vita ejus. c. 6. 7. tores coætaneos: *Ipse vero, rejecta omni & cura & sollicitudine terrestri, instar Apostolorum, culturæ solertiam dispensationi Diaconorum commissam voluit, seque totum verbo Dei, & lectionibus, atque sacris concionibus addixit.* Cum & privati congressus Cæsarii Ecclesiasticis tractatibus æquari posse videbantur, multa suavitate & familiaritate delibuti illi quidem, sed non mediocris ad æternorum amorem spargendum utilitatis. *Adventantes ad ipsum Episcopos, Presbyteros, quoscunque divini Ordinis Ministros, cives & extraneos, post salutationem & preces, paulisper de communi, vel privata suorum salute, & statu interrogare solebat: mox armis spiritualibus correptis, differebat de umbris & vanitate præsentium, de vita cœlestis sempiterna beatitudine, &c.* Verè Episcopales hi erant congressus, ubi post officiosas salutationes, initium ducebatur à prece, pro antiquo usu, non Monachorum & Clericorum tantùm, sed & fidelium omnium; precem excipiebat tractatio familiaris de sempiterna vita; denique neminem tunc vel pudebat, vel pigebat Episcopum, statim verba fieri, & interrogari se de moribus regulisque sanis Christianæ conversationis.

II. Indefesso cæteris quoque Præsulibus zelo imminebat Cæsarius, ut eos, Pastoresque Ecclesiarum omnes incenderet ad concionandum, eo fervore, ea instantia & assiduitate, quæ nomini munerique suo responderet. *Ipsos quoque sanctos* Ibidem.
Episcopos, & cæteros Ecclesiarum Præfectos graviter & acriter admonebat, ut spiritualem alimoniam plebi commissæ indesinenter suppeditarent, &c.

III. Scopus ergo & ipse stylus concionum Cæsarii eò totus ferebatur, ut charitatis & compunctionis ignibus corriperet animos audientium. *Con-* Ibid. c. 8.
ciones piissimas, & ad animos compungendos aptissimas, tempori & festis diebus congruentes introduxit & instituit. Ubi animadvertit fidelium aliquos concionum ejus, vel prolixitate, vel aculeatis increpationibus fatigatos Ecclesia excedere ante finem: primum quidem gravissimè illos objurgavit, tum verò januas Ecclesiæ occludi jussit: quo factum est, ut postea fugaces illi ipsi uberrimas ei egerint gratias de vi saluberrima, quam sibi fecisset. *Hac de causa sæpissi-* Cap. 13.
mè ostia, lectis Evangeliis occludi jussit, donec propitio Deo ipsi gratularentur, ea coërcitione se profecisse, qui solebant esse fugitivi.

IV. Ubi obrepente senio, & hebescente memo- Cap. 18.
ria, jam sermones ediscere & pronunciare non potuit, per Presbyteros & per Diaconos suos recitari eos fecit; aiens, qui inter Missarum & Officiorum sacrorum solennia recitarent Scripturas, & Christi ipsius sermones, nec non & Apostolorum & Prophetarum; posse ab iis etiam vel suos, vel Augustini, & Ambrosii recitari sermones. Ex quo ab illo concludebatur, nulla se vel umbra excusationes tueri posse Episcopos, qui non eam saltem tam expeditam amplectarentur concionandi ad populos rationem. *Docuit memoriter, quandiu potuit, altaque voce semper in Ecclesia prædicavit. In quo tam pia atque salubris ejus provisio fuit, ut cùm ipse pro infirmitate jam non posset ad ipsum officium peragendum accedere, Presbyteros atque Diaconos imbueret, atque statueret in Ecclesia prædicare. Quo facilius nullus Episcoporum ab hac se necessaria cunctis exhortatione, cujuscunque impossibilitatis excusatione suspenderet, dicens: Si verba Domini & Prophetarum, sive Apostolorum à Presbyteris & Diaconis recitantur: Ambrosii, Augustini seu parvitatis meæ, vel quorumcumque Doctorum Catholicorum à Presbyteris & Diaconis quare non recitentur?* Cùm vel in maxima Mysteriorum solennitate Diaconi Evangelia legant, ecquid causæ erit, ut non & commentationes Patrum & Episcoporum in eadem publicè recitent Ecclesia? *Quibus data est authoritas Evangelium legendi, credo & licitum esse homilias servorum Dei, seu expositiones Canonicarum scripturarum in Ecclesia recitare.*

V. Præter prædicationes in Mysteria fidei, & in dies festos, erant & Cæsario sepositæ quædam Conciones in alia & alia vitia acriores, & in reliquias tunc quasdam residuas superstitionum paganicarum. Has quò latius manarent & prodessent, non publicè tantum prædicavit, sed privatim etiam lectitavit, communicavit volentibus, invitis pene obtrusit, in Franciam, in Gallias omnes, in Italiam, Hispaniamque disseminavit, evolantibus in Occidentem omnem charitatis ejus igniculis: *Prædicationes ita*

Cap. 28. *paravit, ut si quis Avennicum peteret, non solum non abnuerit impartiri, sed et si minime suggesserit, ut debeas accipere, offerret ei tamen, & imperaret, ipsique legeret. Longè verò positis in Francia, in Galliis, atque in Italia, Hispania, diversisque Provinciis constitutis, transmisit per Sacerdotes, quod in Ecclesiis suis prædicari facerent.*

VI. Ita æternorum charitate inflammatus Cæsarius, æstuabat, ut omni loco, omni tempore, Verbum Dei volentibus, repugnantibusque ingereret, his importunos, illis opportunos, omnium amantissimus, & complurimos tandem ex his illisque ad
L. 2. c. 29. Dei, suique amorem ipsius convertens: *Nam illud quam sanctum & dulce erat, quod per diem incessabiliter, opportunè, importunè, nolentibus, volentibusque Verbum Dei ingereret.* Imbuta autem usque adeo erat cœlesti veritatis fonte anima Cæsarii, ut ne somnus quidem eam inde avelleret, aut impetum ejus
L. 2. c. 2. æstumque ad æterna retardaret. *Frequenter etiam in sopore positus, de futuro judicio, vel de æterno præmio prædicabat.*

VII. Venio ad beatum Nicetium Trevirensem Episcopum, qui nullo non die concionabatur ad plebem, & medicamenta saluberrima aspergebat spiritalibus eorum animæ vulneribus. Sæviores aliquando ejus objurgationes iniquo ferebant animo iniquissimi viri quidam, & in medicum, velut in hostem infremebant. Ille infracto & excelso animo stabat, & instabat magis, magisque, nec officio usquam deerat, ut qui sempiternas ex his persecutionibus sibi coronas desponderet. Audiendus hic nunc nobis Gregorius Turonensis in vitis Patrum.
C. 17. *Quotidie prædicabat sacerdos populis, denudans crimina singulorum, & pro remissione deprecans assiduè confitentium. Unde adversus eum sæpius odii virus exarsit, quòd tam veraciter multorum facinora publicaret. Nam plerumque se persecutoribus ultro obtulit, & gladio exerto cervicem præbuit; sed nocere ei Dominus non permisit: Voluit enim pro justitia mori, si persecutor fuisset infestior. Aiebat enim, Libenter moriar pro justitia.*

Sequebatur B. Sulpitius cognomento Dulcis, Archiepiscopus Bituricensis, Apostolorum tum indefessam prædicandi instantiam constantiamque, tum doctissimam sanctissimamque simplicitatem. Vix una, aut altera diei hora respirare, spiritumque recipere ei dabatur, vel tantisper vacare à sollicitudine fidelium omnium & Catechumenorum; postremò cùm devexa jam ætate occupationum multitudini & moli par non esset amplius, adscivit sibi Coadjutorem, cui prædicandi munus delegavit.
Surius die 27. Januar. c. 18. Ita quippe Scriptor ejus vitæ apud Surium: *In verbo disseminando Apostolicam æmulabatur simplicitatem, &c. Ingravescente ætate, cernens omnibus se non posse sufficere, neque eorum qui quotidie ad nostram Religionem traducebantur, institutioni posse vires adferre necessarias, quæ quidem illum adeo solebant habere occupatum, ut vix horæ unius spatio respirare permitteretur, dum à prima luce, usque ad profundam vesperam ab aliis semper ad alia avocaretur: hoc nimirum illi consultissimum fore visum est, ut uni ex Primoribus regionis illius, Vulferento nomine, viro jam exactè & accuratè instructo, partem sui demandaret officii, divinique Verbi committeret ministerium.*

Pernumeravimus alibi barbaricas regiones, quas beatus Eligius Noviodunensis Episcopus mitissimo Evangelii jugo subjecit Prædicationum suarum æstu. Vir Apostolicus inter fideles & infideles palmas venabatur sanguine suo tinctas. Sed intrepidus ejus zelus non tam irritabat, quàm deterrebat veritatis Evangelicæ hostes, quo factum est, ut ab eo coronaretur, qui scrutatur corda, & ipsa præmiatur vota. Audi Audoënum vitæ ejus scriptorem, virum laudatissimum utique, & sanctissimi viri laudum vitæque Scriptorem. *O quoties ob veritatis assertionem,* L. 2. c. 3. *paratam habuit mortem, fecissetque satis votis, si contulisset sors temporis. Sed licet ei ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloriam tamen Martyris non amisit.*

VIII. Quanquam omnium Ecclesiarum sollicitudine gravaretur Gregorius Magnus, ne ipse quidem solutum se judicabat necessitate prædicandi; quando cum orbis terrarum universus commendatus fuisset Apostolis, ut Evangelica prædicatione ab ipsis illuminaretur, tantò sollicitius illi & expeditius verbo dei & animarum saluti instarent. Ubi per effœtam valetudinem Gregorio jam non licuit concionari, homilias tum ipse suas dictavit, & per alios in publicum efferri jussit. Unde Joannes Diaconus in ejus vita: *Et ipse simul discurrens, dum ad-* L. 2. c. 28. *huc eloqui prævaleret, viginti Homilias Evangelii coram Ecclesia diverso tempore declamavit. Reliquas verò ejusdem numeri dictas quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, aliis pronunciandas commisit.*

IX. Qui cæteros incendebat, eo ipse inflammescebat Gregorius exemplo Apostolorum, qui prædicationibus suis tot gentes barbaras & infideles imperio veritatis subjugarunt. *In illo tanto examine,* In Evang. Hom. 27.
Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas, post se Achaïam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cùm igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quod dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus; qui Pastorum nomen habuimus, & oves quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus. Archiepiscopis & Episcopis Sardiniæ Canonum in eos rigorem à se distringendum comminatus est, si quos posthac superesse resciret in Diœcesibus eorum rusticos idololatriæ deditos. *Si cujuslibet Episcopi Pa-* L. 3. Ep. 26. *ganum rusticum invenire potuero, in Episcopum fortiter vindicabo.*

X. Non temperabat Gregorius à lachrymis, cùm in vasta & opulenta messe operarios spectabat tam paucos, & tam ignavos. *Ad messem multam opera-* In Evang. Hom 17.
rii pauci sunt, quod sine gravi mœrore loqui non possumus; quia etsi sunt qui bona audiant, desunt tamen qui dicant. Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. Omnium ille oculis subjicit, qui de altari vivunt, quàm arcto & insolubili obligentur vinculo, æternitatis cibum fidelibus suppeditare, quorum oblationibus vitam tolerant. *Sed quid nos,* Ibidem.
ò Pastores! agimus, qui & mercedem consequimur, & tamen operarii nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, & tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus cujus damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? Illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt; nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est, insudamus.

XI. Mira sunt ingenia charitatis, miræ artes. Lassescente pectore cœperat Gregorius conciones suas alicujus vicaria voce & opera proferre ad vulgus. At auditores tum expertus somnolentos & minùs attentos, quàm dum ipsemet concionaretur, secum ipse statuit Evangelicum textum explanare, non perpetuo sermone, nec enim per vires jam licebat, sed variis interrogationibus & responsionibus interpuncto. Ea arte speravit & suum pronunciandi laborem levari posse, & audientium excitari attentionem. *Multis vobis lectionibus, fratres charissimi, per dictatum loqui consuevi: sed quia lassescente stomacho ea quæ dictaveram, legere ipse non possum; quosdam vestrûm minùs libenter audientes intueor. Unde nunc à memetipso exigere contra morem volo, ut inter sacra Missarum solennia, lectionem sancti Evangelii non dictando, sed colloquendo edisseram. Sicque excipiatur, ut loquimur. Quia collocutionis vox corda torpentia plusquam sermo lectionis excitat, & quasi quadam manu sollicitudinis, ut evigilent, pulsat.* Nec à concionando vel sic destitit Gregorius, quamvis fracta in dies magis & debilitata voce, á paucis exaudiri posset. *Quia à multis audiri non valeo, loqui inter multos erubesco. Sed hanc in me verecundiam & ipse reprehendo. Quis enim? Numquid si multis prodesse nequeo, nec paucis curabo?*

In Evang. hom. 21.

Hom. 22. Ibidem.

XII. Erumpebant veluti torrentes quidam cælestis doctrinæ & veritatis ex Gregorii pectore, iisque evertebantur obices omnes ægritudinum corporalium. In Concilio Toletano XI. Episcopis commendatum est, eo se divino fonte ut copiosissimè diluerent, in lectitandis usque Scripturis, cùm nisi ex ipsorum abundantia non possint in populos rivuli cælestium dogmatum effluere. *Ut qui officium prædicationis suscepimus, nullis curis à divina lectione privemur. Nam quorundam mentes Pontificum ita corporis otio à lectionis gratia secluduntur, ut quid doctrinæ subditis exhibeat gregibus, non inveniat præco mutus. Insistendum ergo semper erit majoribus, ut quos sub regiminis sui cura tuentur, fame verbi Dei perire non sinant.*

Can. 2.

In scaturigines ipsas supernæ hujus sapientiæ digitum intendit Isidorus Hispalensis Episcopus, ut affatim hinc hauriant Concionatores, & agrum Ecclesiæ Catholicæ infundant & fœcundent, Scripturas videlicet, Canones, Scripta Vitasque Patrum, maximè autem jejunia, vigilias, preces. *Cunctos ad bonum opus doctrina & opere provocet Episcopus. cui etiam scientia Scripturarum necessaria est. Quia si Episcopi tantùm sancta sit vita, soli sibi prodest. sic vivens, &c. Cujus præ cæteris speciale officium est, Scripturas legere, percurrere Canones, exempla Sanctorum imitari, vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere.*

De Eccles. Offic. l. 2. c. 5.

XIII. Regio Edicto à Gontramno Rege jussi sunt Episcopi operam navare, ut Dominici dies & Festi religiosiùs observarentur, iisque potissimum cælestem Verbi divini panem abundè porrigerent: deinque ubi necessum esset, publicorum Judicum præsidio uterentur, ut frangeret terror pœnæ, quos non alliceret promulgata per Prædicatores pietatis & religionis suavitas. *Ad vos ergo sanctissimi Pontifices! quibus divina clementia potestatis paternæ concessit officium, in primis nostra sermo dirigitur serenitatis, sperantis, quod ita populum frequenti prædicatione studeatis corrigere, &c. Vos Apostolici Pontifices, jungentes vobiscum Consacerdotes vestros, & filios seniores Ecclesiæ, ac Judices locorum, ita universam populi multitudinem constanti prædicatione corrigite, ut & bene viventes mysticus adhortationis sermo mulceat, & excedentes ad viam recti itineris correctio Pastoralis adducat.*

In Edicto confirmat Conc. Matisc. II.

Eandem Episcopis legem præscripsit Trullana Synodus, ut diebus singulis in suis concionarentur Ecclesiis, & Dominicis saltem diebus tam necessario munere fungerentur. Porro plebi ut Christianæ ne cerebri sui insomnia obtruderent, sed cælestia Scripturarum alimenta offerrent, & editorum à sanctis Patribus commentariorum delicias. *Quod oporteat eos qui præsunt Ecclesiis, in omnibus quidem diebus, sed præcipuè Dominicis, omnem Clerum & populum docere pietatis & rectæ religionis eloquia, ex divina Scriptura colligentes intelligentias & judicia veritatis, &c. Sed & si ad Scripturam pertinens controversia excitata fuerit, nec eam aliter interpretentur, quàm quomodo luminaria & Doctores Ecclesiæ suis scriptis exposuerunt.* Ab eodem Concilio exauthorati sunt Episcopi, qui extra Diœceses suas concionarentur, & in Presbyterorum ordinem dejecti, ut qui alienæ messis appetentes essent, suæ incuriosi.

Can. 19. 20.

CAPUT LXXXV. *P. 3. l. 2. c. 69.*

De prædicatione Verbi divini sæculo VIII. IX. & X.

I. Ex Conciliis probatur potissimum & primarium Episcoporum officium in Verbi prædicatione versari.

II. Episcoporum est muneris, Dominico die quolibet & Festo concionari.

III. An solas Patrum homilias promulgare debeant lingua vernacula.

IV. Concilia sub Ludovico Pio habita, uti & sub Carolo Magno, Episcopos omnes ad concionandum stimulabant.

V. Sub Carolo Calvo eadem vigebat sollicitudo. In Adventu jam & Quadragesima creberrimæ tum erant conciones.

VI. Conquirendus erat Episcopo peritissimus quidam Theologus, qui Presbyteros præceptis imbueret concionandi.

VII. Delegandi & ab eo erant Concionatores in omnem Diœcesin.

VIII. Intentata Episcopis depositio, cessantibus à concionando.

IX. Prædicabant & Parochi, quod familiariter poterant.

X. Inter Græcos etiam docendi & prædicandi Episcopales maximè sunt partes.

XI. Soli Episcopi concionandi potestatem largiuntur.

XII. Munus probabatur oratione funebri Episcopum fungi.

I. CUm Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, idemque Martyr, ad Fulradum Archicapellanum Pipini Regis literas daret, paucis ante obitum suum diebus, ut impetraret Lulli discipuli & Collegæ sui subrogationem in suam sedem; apertissimè declarabat, Episcopum ritè esse non posse, nisi ut unà sit Prædicator, Doctor & Magister Cleri, Populique. *Lullum constituere faciatis Prædicatorem & Doctorem Presbyterorum & Populorum. Spero quod in illo habeant Presbyteri Magistrum, & Monachi regularem Doctorem, & populi Christiani fidelem Prædicatorem & Pastorem.*

Conc. Gall. To. 2. p. 8.

Concilii verò Arelatensis VI. Patres Episcopos monitos voluere, ex ignorantia scatere errores & noxas innumerabiles, maximè verò Prælatorum, qui spondent & in se recipiunt Doctores se fore populorum, quas sustinere partes minimè possint, nisi nocturna diurnaque manu Scripturas versent & Canones. *Quia ignorantia est mater cunctorum errorum, & maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas admonet Paulus, dicens ad Timotheum, Attende lectioni, exhortationi doctrinæ. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas & Canones,*

Can. 3. Anno 813.

ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quàm operum disciplina.

Eodem anno habitum est Concilium Moguntinum, à quo constitutum est, ut Dominico & quolibet Festo die prædicet Episcopus, aut suo ipse marte, aut per Vicarium, ubi minùs ipse poterit, utpote absens, vel ægrotans, vel quacumque alia
Can. 25. justa causa. *De officio prædicationis, si fortè Episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut alia aliqua causa exigente non voluerit, nunquam tamen desit diebus Dominicis, aut Festivitatibus, qui verbum Dei prædicet, juxta quod intelligere vulgus possit.*

In Concilio Remensi II. quod eodem anno habitum est, jussi sunt Episcopi totos se abdere in studia sacrorum Codicum, Canonum, Patrum, & ad viam rationemque illam accommodare conciones suas, quam secuti sunt sancti Patres, ad infimæ plebis intellectum sese demittentes. *Ut Episco-*
Can. 14. 15. *pi diligentiùs operam dent, lectioni divinæ incumbant, id est, Canonicis libris & opusculis Patrum, & verbum Dei omnibus prædicent. Ut Episcopi Homilias & Sermones sanctorum Patrum, prout omnes intelligere possint, secundùm proprietatem linguæ prædicare studeant.*

III. Hoc ultimo Canone admoneri videntur Episcopi, ut solas sanctorum Patrum homilias ad plebem declamitent, idque lingua vernacula, imò illa ipsa, quæ vulgo ipsi & fæci plebis usitata & notissima est. Ut nemo jam usque adeo hebes & absurdus sit, cui non fidei & salutis placita instillentur. Concilium Turonense III. eodem quoque anno congregatum aliquantò etiam disertiùs id ip-
Can. 17. sum præcipit. *Visum est unanimitati nostræ, ut quilibet Episcopus habeat Homilias, continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur, &c. Et ut easdem homilias quisque apertè transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quò faciliùs cuncti possint intelligere quæ dicuntur.* Latinè tunc sciebant & loquebantur in Galliis honestiores quique. Vulgus aut Teutonicè, quam Franci linguam ex Germania antè sua in Gallias intulerant; vel Romano sermone, qui idem ipse Latinus erat, sed multò mendosior, inquinatior, & prorsus adulterinus. Is Francicus nunc sermo à nobis dicitur, postquam excidit nostris jam de vulgo & de compito Francis, tum Latinus purus putusque, tum Teutonicus sermo. Certum est ergo illud his Conciliis optatissimum fuisse, ut ipsa vulgi voce & lingua ad vulgus Episcopi concionarentur, ut eorum servirent intelligentiæ, quantumvis abhorreat insana sæculi sapientia ab hac sui dejectione.

Verùm in eodem jam priùs Concilio excitati fuerant Episcopi, ut Scripturas studiosè pervolutarent, memoriæque mandarent, maximè Evangelia,
Can. 2. 3. 4. & Epistolas Paulinas: *Non solùm crebrò lectitent, sed etiam quantum possunt, memoriæ studeant commendare.* Ut Patrum explanationes in Scripturas commentarentur, Canones, & Librum Gregorii Pastoralem. Denique vitam ita constituerent, ut hæc perpetua esset, eaque efficacissima prædicatio. Quæ omnia in unum Canonem compegit Cabilonensis Syno-
Can. 5. dus III. eodem anno habita.

IV. Sacerdotali zelo suo Carolus Magnus stimulos addidit Episcopis Galliarum omnibus, ut pristinum Apostolicarum concionum fervorem inter se
Conc. Gall. To. 2. pag. 436. innovarent. Nec de eo ardore remisit Ludovicus Pius, cùm ipsis statim Regni sui primordiis Epis-
Capitul. l. 5. c. 109. copos admonuerit officii sui in concionando. *Episcopos monemus, ut sive per se, sive per Vicarios pabulum Verbi divini sedulò populis adnuntient.* In Concilio II. Aquisgranensi rursus faces additæ Episco- Can. 2. 3. 4. 5. 6.
pis anno 836. ut toti essent in lectitandis Scripturis, Canonibus, Regula Pastorali B. Gregorii. *Convenit insuper sacerdotali ministerio scire formam Evangelicam, documenta Apostolica, Canonum instituta, normam Regulæ Pastoralis, &c.*

V. Enixissimè Concilium Meldense anni 845. Can. 18.
Carolum Calvum interpellavit, ut permitterentur Episcopi Adventûs & Quadragesimæ tempore suis in Ecclesiis residere, ut interim incumbere possent prædicationi, & elidendis serpentium undique vitiorum fibris. Hinc ergo conjicies non immeritò, jam tum frequentissimas fuisse per Adventum & Quadragesimam conciones, & Episcopos ipsos usitatissimè iis partibus functos fuisse. *Ut regia magnificentia liberiorem libertatem Episcopis tribuat, maximè in sacratissimis temporibus Quadragesimæ & Adventûs Domini, &c. Episcopi autem concessum otium in officiosum convertant negotium, studentes prædicationi, & correctioni, &c.*

VI. Jussi sunt in hoc eodem Concilio Episcopi peritum secum habere Theologum, qui Parochos, & cælestium dogmatum disciplinis imbuat, & ad concionandum fingat formetque. *Ut quisque Epis-* Can. 35.
copus talem juxta se pro viribus habere decertet, qui juxta sincerissimum & purissimum sensum Catholicorum Patrum de fide & observatione mandatorum Dei, seu & prædicationis doctrina Presbyteros plebium assiduè instruat & informet: ne domus Dei vivi, quæ est Ecclesia, sine lucerna Verbi divini remaneat.

VII. Cùm enim Presbyteri substituti sint & quasi Vicarii Episcoporum, qui greges suos, sibique à Deo creditos, Presbyterorum opera linguaque erudiunt, ministerioque regunt: consentaneum prorsus est, ut illos ipsimet divinis imbuant documentis, edoceantque, quæ ab illis populi cælestia Sacramenta sint edocendi. Ea videtur fuisse in sententia Concilium III. Valentinum anni 855 *Ut unus-* Can. 16.
quisque nostrùm, sive per se, sive per aliquem, vel aliquos ex Ministris Ecclesiæ fideliter doctos, ita verbum prædicationis tam in urbe, quàm foris in plebibus exhibeat, ut omnino eis admonitio & cohortatio salutaris deesse non possit. Quia ubi verbum Dei fidelibus non ministratur, quid aliud quàm vita animæ subtrahitur?

VIII. In Concilio Ticinensi anni 850. intenta- Can. 5.
tum videtur fuisse depositionis fulmen iis Episcopos, qui non saltem diebus Dominicis & Festis torporem excuterent, & ad populum concionem haberent. A San Gallensi Monacho narratur Carolus Magnus Regni sui Episcopis diem præstituisse, ante quem nisi in Ecclesia Cathedrali sua concionarentur, Episcopali sede ejiciendi omnes
essent. *Præcepit religiosus Carolus Imperator, ut omnes* L. 1. c. 19.
Episcopi per latissimum Regnum suum, ant ante præfinitum diem quem ipse constituerat, in Ecclesiasticæ sedis Basilica prædicarent, aut quicumque non facerent, Episcopatûs honore carerent. Quidquid istud erat minarum, ad exitum perductum fuisse minùs probabile est. Sed eò id pertinet, ut huc Imperatoris zeli instantia deprehendatur; hinc quàm inexorabili concionandi necessitate Episcopi constringerentur.

IX. Ne ipsi quidem Parochi à concionandi vinculo liberi sunt, sed muneri satisfacere possunt ratione non paulò faciliore. Jubet Theodulphus Episcopus Aurelianensis, ut omni temporis puncto præsto & parati sint ad edocendos Parochianos; ut qui ex Scripturis, velut ex fonte luminum, copiosiùs hausere hi doctrinæ suæ rivulos in audien-

Cath. Theod. c. 28. tium pectora dissuadeant; cæteri regulas saltem pietatis simpliciores, & ad componendos mores necessarias instillent; ut si quid ipsis præsentibus peccari viderint, correptionem incunctanter adhibeant, nunc suavius, nunc asperius, perinde ut res flagitabit: hinc ille denique argumentatur, quia prædicare, arguere, corripere, & proximo in hunc modum prodesse non possit, esse omnino neminem. *Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui Scripturas scit, prædicet Scripturas; Qui verò nescit, saltem hoc quod notissimum est, plebibus dicat. Ut declinent a malo, & faciant bonum, inquirant pacem, &c. Nullus ergo se excusare poterit, quod non habeat linguam, unde possit aliquem ædificare. Mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout potest, & valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur.*

Idem statutum est in Concilio Arelatensi VI. anno 813. ut in Ecclesiis suis Parochi conciones haberent; ubi tamen non dissimulatur, nedum satis Can. 10. cum usum convaluisse. *Providimus etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis Presbyteri ad populum verbum faciant, & ut bene vivere studeant, & populo sibi commisso prædicare non negligant.*

X. Persuasissimum fuit & Græcis, qui Episcopi sint, eosdem necessariò Doctores & Magistros esse. Id apertissimè profitetur Balsamon, à quo & illud non inscitè additur, cùm Presbyteri sublimibus & ipsis sedibus post Episcopum emineant, obligari & ipsos pro suo quoque modo eodem vinculo docendi fideles; suspendique debere, immo & exauthorari Episcopos, si cessent ab officio tam necessario. In Can. 58. Apostol. *Episcopalis dignitas in docendo consistit.* ὁ ὑποζυγιακὸν ἐξίωμα διδασκαλικόν ἐστι. *Et omnis Episcopus debet docere populum pia dogmata, & statum orthodoxorum: Speculator enim ideo constituitur, ut quæ sui sunt populi attendat, & ideo Episcopus est appellatus. Porro autem etiam Presbyteri tales esse debent, quia etiam prope Episcopos sedent in superioribus cathedris. Episcopus ergo & Sacerdos qui non sic facit, sed negligenter est affectus, segregatur: sin autem in socordia perseverat, etiam deponitur.* Alibi verò ab eodem adnotatur Balsamone, prædicandi munus solis Episcopis primariò & principaliter addictum fuisse; si quibus autem in Urbibus & Ecclesiis sint alii ex officio Doctores & Prædicatores, precario tamen ea potestate fungi, ut Episcopi Vicarios & delegatos. *Nota quod populum docere solis Episcopis datum est, & magnæ Ecclesiæ Doctores jure Patriarchæ docent.* Inde est quòd Ecclesiæ Constantinopolitanæ Doctores primas sedes occuparent post amplissimas Dignitates. [illegible] quòd Patriarchæ dignitatem & personam repræsentarent; adde quod ex Doctorum Collegio deligebantur, quibus summæ ejus Ecclesiæ Dignitates conferrentur; denique Patriarcha mortuo eorum cessabat prædicandi potestas, quòd nemo possit vicem ejus obire, qui nusquam jam in terris sit. *Per docendi munera,* [illegible] *provehuntur, &c. Propterea mortuo Patriarcha, nec ipsi docere possunt.*

XI. Illud quoque confirmat idem Canonum interpres, non tantum laïcos, sed & Clericos Monachosque concionari non posse, vel docere, nisi permittente Episcopo; quod ea potestate non donarit Christus nisi Episcopos, vel eorum delegatos. In Can. 64 Trull. *Populum Domini docere & divina decreta interpretari, solis Antistitibus à divina Spiritus gratia concessum est, & iis, quibus ab illis permissum est, &c. Quoniam docere solorum est Antistitum.* Et idem alibi rursus cùm quæstionem eam excuteret, Ecquid Constantinopolitanum Concilium sub Photio functionibus Episcopalibus quibuscumque interdixerit Episcopis, qui vestem & professionem induerint Monasticam, nec eadem lege constrinxerit Presbyteros. Respondet Presbyteros vi propria & majestate ordinis sui Doctores non esse; ideoque non tam operosum esse eorum, atque Monachorum functiones consociari. *Siquis de Sacerdotibus qui tondentur, rogaverit, quomodo post tonsuram sacrificant & non cessant, audies non esse Sacerdotes Doctores, & propterea nec Canonem quidem in eis locum habere.* [illegible] In Can. 2. Synod Constant.

XII. Non est ab instituto prorsus alienum, quod alibi censet idem Balsamon de Concionibus in laudem Optimatum, qui vitam cum morte commutassent, quo munere fungebantur aliquando Episcopi. Non erat illud sanè personæ, non erat dignitatis: unde & in Concilio quopiam Constantinopolitano confirmat Balsamon suspensos ab officio fuisse Episcopos, qui cùm Missarum solennia peregerint pro Magnatibus, vel Magistratibus fato functis, soluta post, vel stricta oratione laudes eorum declamitant. Sunt & ab eodem Concilio excommunicatione innodati Cantores Lectoresque, qui ejusmodi sæcularium virorum laudes in Ecclesiis decantaverint, adhibita etiam organorum modulatione. *In Synodo hujus Reginæ urbium diversa fuerunt edicta, significantia eos sacrorum celebrandorum suspensioni obnoxios esse Antistites, qui in Nobilium & Procerum defunctorum Memoriis sacrificant & dicunt laudatorias preces, cum Iambis, vel etiam soluta oratione. Multi hoc facere deprehensi sunt. Similiter & Synodali Edicto excommunicati sunt Lectores quoque, qui in iisdem Memoriis musica & organica Cantica cantillant, & pro Epitaphio Epithalamium celebrant.* In Can. 108 Carthag.

CAPUT LXXXVI. *P. 4. l. 2. c. 97.*

De Prædicatione post annum Christi millesimum.

I. Ex beato Fulberto eligendus non erat Episcopus, qui concionari non posset.

II. Ex Petro Damiani danda non sunt ab Episcopis Parochiæ, nisi Presbyteris iis, qui plebes docere possint.

III. At cum vocem ei quadam intercepisset ægritudo, fatetur concionum luculentissima id genus esse prædicationis, vita sanctitudinum, & virtutum ingentium exempla.

IV. Ex Petro Blesensi & Thoma Aquinate, Pastores, quà Apostolorum successores, ovibus suis æternitatis alimenta subministrare debent.

V. Nuperis etiam Conciliis Episcopi adhortantur ad concionandum.

VI. Instaurantque Prædicatores omnes vices tunc Episcopi obire.

VII. Archidiaconi etiam ex officio in Ecclesiis Parochiisque sui Archidiaconatus prædicabant.

VIII. Decreta Concilii Tridentini, de necessitate inexorabili Episcoporum & Pastorum omnium, ut plebes doceant, per sese, vel per delegatos.

IX. Statuta Conciliorum Mediolanensium super eadem re, utque facilius expediri possit prædicandi munus.

X. Monita horum Conciliorum ad Prædicatores consultissima, & miram spirantia cœli sapientiam.

XI. Decreta eorumdem Conciliorum super unius Episcopi potestate deligendi Prædicatores.

XII. Formula quædam prædicandi ab illis delineata, cujus hic luculentiora quædam monita promuntur.

XIII. Decreta nuperrimorum Galliæ Conciliorum de Concionatoribus.

XIV. Responsa Congregationis Concilii, circa jus designandi, & alendi Concionatores Ecclesiæ Cathedralis.

XV. Responsa ejusdem de cæterarum Concionatoribus Ecclesiarum.

XVI. An Parochi concionari teneantur in forma.
XVII. Possit & Diaconis committi prædicandi munus.
XVIII. An committi possit Clericis inferioribus.
XIX. Exemplum beati Caroli Episcopis omnibus proponitur.
XX. Cardinalis Bellarmini doctrina.

I. PRima eademque summa Episcopalium, & Apostolicarum functionum est Prædicatio, cujus facultas, vel facilitas, quàm necessaria sit Episcopis, omnium præstantissimè beatus Fulbertus Carnotensis Episcopos docet in Epistola ad Robertũ Regem data, à quo interpellatus fuerat, ut suffragio suo Franconem juvaret ad Episcopatum Parisien-
..4. 88. sem. *Ex parte Celsitudinis vestræ dictum est nobis, quod dominum Franconem Parisiensi Ecclesiæ dare vultis Episcopum, & ad hoc peragendum nostræ humilitatis habere favorem.* Rescripsit autem Regi Fulbertus, Si idonea Franconi suppeteret concionandi facultas, si doctrinam moribus non dehonestaret, cum Episcopis, Apostolisque conveniat, ut opere & sermone potentes sint: Regis se voto lubentissimè obsequuturum. *Nobis videtur, quia si Episcopus de quo agitur, aptus est Clericus, est optimè litteratus, & ad sermonem faciendum agilis: in qua re decet Episcopos omnes esse, non minus quam in operatione potentes atque disertos. Unde si hoc fieri posse canonicè, domni Archiepiscopi Senonensis & Coëpiscoporum nostrorum probavit sagacitas, nostrum etiam qui de hac discussione appellati non fuimus, habetis assensum. In nullo enim quod bonum sit coram Domino, vestræ voluntati nitimur contraire.* Quo responso piissimi Episcopi ad religiosissimum Regem omnes monentur, ut ne Episcopos optent, curentque creari ullos, nisi qui gemina ea fretti sint eloquentia, verbi & vitæ. Fulberti ævo plebem & nobilitatem omnem tam densa occupaverat ignorantiæ caligo, ut Clerici soli litterati essent, unde & apud Fulbertum idem sonant hæc verba, *Aptus Clericus, optimè litteratus.* Ideo quantulacumque eruditione esset Clericus, facillimè ad sacros Ordines promovebatur, quòd laicis omnibus plurimum semper præstaret, utpote prorsus illiteratis.

II. Indoluit Petrus Damiani Pastorum inferiorum imperitiæ stupendæ, qui ne terrifici quidem Sacrificii verba mystica satis intelligerent; nedum possent Concionibus suis idola conterere, quod muneris sui est, hoc est vitia quæque & flagitiosas cupi-
L. 4. Ep. 14. ditates ex fidelium mentibus expugnare. *Per Episcopalis etiam torporis ignaviam ita nunc Presbyteri litterarum reperiuntur expertes, ut non modò eorum quæ legerint, intelligentiam non attingant, sed syllabatim quoque vix ipsa decurrentis articuli elementa balbutiant. Et quid jam pro populo in suis precibus supplicat, qui quod loquitur ipse, velut alienus ignorat?* Ea erat horum imperitia atque hebetudo animi Presbyterorum, ut vix legere, nedum intelligere possent verba Missæ mysteriorum. Diximus supra tam spissæ fuisse ignorantiæ sæcula, ut à sacris etiam & majoribus Clericis non aliud ferè desideraretur, quam ut peritè legerent. Non tam clementer in eos consulit Petrus Damiani; illis quippe imputat flagitia ea omnia, quæ hac rerum divinarum imperitia aluntur, & quæ documentis, correptionibusque ejici ac expiari possent. *Ita nunc per Pseudo-Sacerdotum ignorantiam, qui docere Dei populum nesciunt, fieri dolemus; ut scilicet alii quorum Deus venter est, & terrena sapiant, luxuriam colant, alii avaritiam, alii rapinis, alii perjuriis deserviant.* Itaque nec Episcopos creari fas erat, nisi sacræ doctrinæ præsidiis abundè instructos, nec ab Episcopis Parochos institui, nisi qui plebem possent salutaribus & necessariis imbuere disciplinis. *Cum ergo per Sacerdotum vecordiam imperitiam plebs indocta depereat, par fuerat, ut Episcopalis gravitas à talium se promotione suspenderet, nec alienos excessus in se temeraria præcipitatione transferret.*

III. Qua erat Petrus Damiani eruditionis sacræ copia, & salutis animarum charitate, instabat utique prædicationi, quandiu vires corporis suppetebant. At ubi illum vox destituit, tum Ambrosii & Gregorii exemplis uti cœpit; & tum demum etiam intellexit, morum innocentiam, longè efficacissimam existimari posse prædicationem; & exemplis, quam verbis plura posse persuaderi. *Ego enim per Sa-* L. 8. Ep. 5.
cerdotalis Ordinis gradum injunctum est prædicationis officium, vocis incommodum patior, atque ideo ad satisfaciendum plurima plebis auribus non assurgo. Sed dum Apostolica gratia Sacerdotes, Gregorium videlicet & Ambrosium fractum stomachum vocisque defectum conquerentes attendo, desperatione postposita mentem in statum vividæ consolationis attollo. Et paulò inferiùs: *Perfecto prædicatori duo sunt permaximè necessaria, videlicet ut sententiis doctrinæ spiritualis exuberet, & religiosæ vitæ splendore coruscet. Quod si Sacerdos quispiam ad utrumque non sufficit, melior est vita proculdubio quàm doctrina. Dulcior est quippe fructus operum, quam folia nuda verborum.*

IV. Episcopalis muneris summam in Verbi prædicatione collocat Petrus Blesensis, cùm rationabilium Christi ovium ille sit germanus pastus, de quo Christus ipse ad Petrum mandabat, cujus in locum quodam suo modo successere omnes Episcopi.
Pasce oves meas. Legimus Christum dixisse ad Petrum, De instit.
Si amas me, pasce oves meas. Hæres es, & Vicarius Episcop.
Petri, pasce oves meas evangelizando, fac opus Evangelistæ & Pastoris, non erubescas Evangelium, si erubescendum non credis Pastoris officium.

Scitè autem à B. Thoma Aquinate animadversum est, Christum præcepisse Apostolis, quorum in vicem Episcopi successere, ut prædicarent, & baptizarent; sed eo discrimine, quòd ipsa quidem prædicatio ab Apostolis ipsis esset defungenda, potestas autem baptizandi inferioribus Ministris deleganda. Quod eo etiam prælineatum fuisse videri potest, quòd non baptizaret Christus ipse, sed discipuli ejus. Ejus autem discrepantiæ ratio inde utique repetenda est, quod ex doctrina & probitate baptizantis nihil prorsus manet in ipsum baptismum, manet autem mirum quantum in docentis
prædicationem. *Utrumque officium docendi & bapti-* 3 p. q. 67.
zandi Dominus injunxit Apostolis, quorum vicem ge- art. 2.
runt Episcopi; aliter tamen & aliter. Nam officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi per se illud exercerent, tanquam principalissimum. Unde & ipsi Apostoli dixerunt, Non est æquum nos relinquere verbum Dei & ministrare mensis. Officium autem baptizandi commisit Apostolis, ut per alios exercendum. Unde Apostolus dicit, Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Et hoc ideo quia in baptizando nihil operatur meritum & sapientia ministri, sicut in docendo. In cujus etiam signum nec ipse Dominus baptizavit, sed discipuli ejus.

V. A Conciliis quoque & Pontificibus inculcata est Episcopis concionandi functio, ut quæ Episco-
patûs sit propria. In Concilio Lateranensi IV. In- Can. 10.
nocentius III. Episcopis mandavit, quam doctissimos ut eligerent, piissimosque viros, qui prædicandi & visitandi partes implerent, quando ipsi
minus possent. *Episcopi viros idoneos ad sancta præ-* Extra. De
dicationis officium adsumant, potentes in opere & Offic. Ord.
sermone, c. 15.

sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cùm per se nequiverint, sollicite visitantes, eas verbo adificent & exemplo Concilium Avenionense anno 1209.
Can. 2. Episcopos voluit diligentiùs incumbere ipsos, & alios impellere ad prædicandi munia strenuiùs obeunda, postquam teterrimum tot novellarum hæreseon agmen eruperat. In Concilio Parisiensi
Can. 3. anno 1212. jussi sunt Episcopi majoribus saltem diebus Festis concionari.

VI. Hinc manifestissimum est, nihil tam Episcopale, tam Apostolicum esse, nihil quod tam illustrari desideret Præsulis ipsius privata eruditione, sapientia & religione, quàm prædicare. Unde nec id muneris obiri unquàm fas fuit, nisi per Episcopos, vel Episcoporum Vicarios. Hæ vices Episcoporum demandari usitatissimè non debent nisi Presbyteris,
Can. 10. quos Concilium Lateranense IV. vocat Coadjutores & Cooperatores Episcopi. *Quos Episcopi possint Coadjutores & Cooperatores habere in prædicationis officio.* Sicut & Pœnitentiarii, qui institui hic jubentur, Episcoporum Vicarii sunt in Confessionibus excipiendis. Cùm verò non in orbe solùm, sed & ruri velit hoc Concilium Prædicatores ab Episcopo institui: *Per amplas Diœceses & diffusas, &c. Episcopi viros idoneos ad prædicationis officium assumant, qui vice ipsorum plebes sibi commissas visitantes, eas verbo adificent & exemplo.* Hinc conjecerit aliquis, ideo ruri institui ab Episcopo concionatores debuisse, quòd necdum Parochi eam Provinciam plerique exercerent. Et certè beatus Thomas suprà à nobis laudatus, quanquam Parochos dicat *Minores Principes Ecclesiæ, qui tenent locum septuaginta discipulorum:* propriam tamen illis & peculiarem adsignat baptizandi functionem, sicut & Episcopis prædicandi.

VII. Non facilè poterant hi jam ex officio Concionatores tam multis amplissimæ Diœceseos Ecclesiis pares esse. Inde est quod Concilium Biterrense anno 1233. sanxit ut Episcopi & quicomque jure gaudebant Archidiaconos instituendi, non alios instituerent, quàm qui & doctrina & religione ac pietate ita muniti essent, ut concionarentur. *Præcipimus*
Can. 9. *ut tam Episcopi, quàm alii præficiant tales Archidiaconos, qui Zelum animarum habentes, sufficiant prædicare Clero & populo verbum Dei.* Indubitum est Archidiaconos ejus ævi Diaconos tantùm fuisse, & ipsa Conciliorum authoritate compellendos fuisse, ut Diaconatu saltem initiarentur. Hinc ergo liquidum fit Diaconis ipsis communicatum fuisse officium prædicandi, immo & ex officio Prædicatores fuisse, qui Diaconi tantùm essent. In Archidiacono enim Diaconi & Prædicatoris munus in unum quodammodo coalescebat. Sed & illud quoque liquidom est, in Archidiaconatûs tantùm sui finibus, & in Parochiis sui juris suam illos concionandi peritiam & potestatem explicasse.

Concilio Londinensi anni 1237. placuit, ut non ad populum tantùm & ad Clerum Archidiaconi concionârentur, sed & ad Parochos in menstruis Collationibus suis, ut celebrandorum Sacramento-
Can. 2. rum ritum eis explanarent. *Archidiaconi quoque in Decanatuum suorum Conventibus Sacerdotes maximè in his studeant erudire, docentes eos, qualiter circa Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam & Matrimonium debeant se habere.* Ea erat tum temporis quidem propria Archidiaconorum authoritas, sed quæ olim delegari ab Episcopis soleret, ac deniqoe longo sæculorum cursu in ordinariam potestatem excrevisset. Aliàs enim citra summum dedecus, rerumque & ordinis perturbationem non potuissent Archidiaconi in illud dignitatis & potestatis culmen supra Presbyteros, adeoque & supra Parochos evolare. Sed cùm faciliùs occurreret unus aliquis insigni peritia, qui Archidiaconus crearetur, quàm eo ingenti numero, quo sunt Parochi: inde perfectum est, ut Episcopi Archidiaconos delegarent, jurisdictionis suæ illis plerasque committerent functiones, & ipsam quoque ruri per Parochias concionandi provinciam.

VIII. A Concilio Tridentino disertè pronunciatum est, Episcoporum palmare & primarium esse prædicandi munus, quo fungi teneantur ipsi, nisi legitimo prohibeantur impedimento. *Quia præ-* Sess. 5. c. 2.
dicatio præcipuum est Episcoporum munus, statuit sancta Synodus omnes Episcopos & alios Ecclesiarum Prælates teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium. Ubi canonico autem distinebuntur impedimento, alios tum ipsi ex Concilio Lateranensi Prædicatores designabunt. Archipresbyteri, Parochi & Vicarii concionabuntur ipsimet, aut si minùs possint, concionatores sibi substituent alios Dominico quolibet die & Festis solennioribus. *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & Festis solennibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis.* Illud porro decretum in alia quoque ejusdem Concilii Sessione confirmatum est, ubi rursum apertissimè totum prædicandi officium primarium Episcopo vendicatur. *Prædicationis munus quod Epis-* Sess. 24.
coporum præcipuum est. Ideo & in suis eos Ecclesiis c. 4.
concionari debere edicitur, & tum sibi Prædicatores subrogare alios, cùm legitimè impediti fuerint. *Mandat Synodus, ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitimè impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument, sacras Scripturas, divinamque legem annuntient.* Cæteris in Ecclesiis per Parochos prædicarent, *In aliis autem Ecclesiis per Parochos.* Si impediti essent Parochi, tum ab Episcopo Concionatores designarentur alii, eorum alendi expensis, qui eas præstare solerent, vel tenerentur. *Sive iis impeditis per alios ab Episcopo, impensis eorum qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos in civitate, aut in quacumque parte Diœcesis censebunt expedire.* Ut hi Concionatores prædicarent Dominicis diebus, Festisque solennibus, & tribus quaque Adventûs & Quadragesimæ hebdomada diebus. *Saltem omnibus Dominicis & solennibus diebus Festis, tempore autem jejuniorum Quadragesimæ & Adventûs Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas divinamque legem annuntient.* Denique Episcopis Parochisque commendatum est ab eadem Synodo, ut non antè plebi Sacramenta administrarent, quàm eorum divinam vim & sanctitudinem declarassent, & quo animo, qua pectoris munditie suscipienda sint, eaque in re lingua populi vernacula uterentur, & Ibid c. 7.
explanationibus Catechismi Tridentini, quem curarent patriæ cujusque linguæ consuetudine donari. Deniqoe Dominico ut quolibet & Festo die inter Missarum solennia conciones fierent ad plebem populari sermone, superfluis quæstionibus amputatis, ut pietatis Christianæ solidissima placita inculcarentur.

IX. Perspicuum ex his fit, hoc Concilio vendicatam esse solis Episcopis summam prædicandi & docendi plebes potestatem, per sese, per Parochos,

per Prædicatores à se delegatos. In Concilio I. Mediolanensi insinuatum est, cùm successores certissimè sint Episcopi Apostolorum, Apostolicum præ cæteris docendi & evangelizandi munus ab ipsis implendum esse. *Apostoli in quorum locum Episcopi successerunt, satis nobis aperuerunt, verbi Dei prædicationem esse præcipuum illorum munus, qui in Episcopali sede collocantur.* Hinc illud ibidem concluditur, si levioribus de causis eas officii sui partes, & quidem potissimas intermittant Episcopi, gravissimo eos se delicto constringere. *Quod si levi de causa, aut quodam animi languore impediti non fecerint, sciant sibi prætermissi necessarii officii sui Deo præcipuè rationem esse reddendam.* Parochi verò si suo non possunt ex penu effundere conciones, à docto aliquo viro mutuas sument, aut probati alicujus in Ecclesia Scriptoris homilias vernaculo idiomate sibi verti curabunt; & ubi eas ab Episcopo probari fecerint, tum memoriter perdiscent, vel ex suggestu
Act. Eccl. Mediol. pag. 2. 3. 4. recitabunt. *Si qui autem propter inscitiam id præstare non poterunt, ad peritos confugiant, quorum auxilium implorantes, vel homilias sibi præscriptas, vel Latinos sermones Auctoris ab Ecclesia recepti in vulgarem linguam conversos, approbatos tamen ab Ordinario, aut memoriter, [aut] de scripto pronuntient.* Episcopo, vel potiùs Metropolitano curæ erit, ut Homiliarum compilari faciat Librum ad usum Parochorum; cogatque Parochos, ut singulis mensibus unum aliquem eò mittant eorum sermonum, quos habuerint ad plebem, *donec liber Homiliarius ad hunc usum Curatorum Metropolitani cura prodibit in lucem.* Denique extraordinarios Prædicatores in omnem Diœcesin ablegabit Episcopus, qui semel saltem quolibet mense in qualibet Ecclesia concionentur.

V. Nec citra piaculum præteriri possunt lucculentissima quædam ejusdem Concilii monita ad Concionatores. Ut ne quid evulgent, nisi inconcussis Scripturarum & Traditionum documentis probè fultum. Destomachentur non in consuetudines tantùm vitiosas, sed & in eas quæ, quamvis per sese ipsæ malæ non sint, viam tamen pandunt, & occasiones suggerunt peccandi. *In pravas enim consuetudines invehantur: & in eas quæ etsi mala non videntur, tamen facilè causam peccandi afferunt.* Ne invehantur in Episcopos, in Superiores Ecclesiasticos, vel in Magistratus. *Ne Episcopos aliosve Prælatos, neve civiles Magistratus cum auditorum offensione asperiùs objurgent, sed potiùs admoneant.* Ne fideles tantùm hortentur ad servanda mandata, sed invitent etiam ad Consilia Evangelica ultro amplectenda. *Commoneant ut non solùm præceptis servandis, sed etiam consiliis amplectendis ad perfectiorem vitam in dies magis contendere studeant.* Cùm eodem spiritu animaretur B. Carolus, quo antiqui Pattes, non nescire poterat hanc eorum doctrinæ partem pulcberrimam: Fidelibus ipsis Laïcis proponendum esse, suadendum, inspirandum pro virili amorem Evangelicorum Consiliorum; cùm non alia ratione Christna ipse, Apostoli, Patresque & Doctores antiquissimi numerosa virginum examina in Ecclesiam invexerint, Monachorumque, & Laïcorum omnis sexûs & sortis, qui privatim vitam pœnitentiæ, castimoniæ, sanctitatique eximiæ dicaverunt.

In Concilio Mediolanensi IV. alia quæpiam insusurrata sunt Concionatoribus monita, quæ non minùs sapiant Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum. Ut cuilibet hominum conditioni propria pro ætatis & pro virium modo consilia inspireot, ipsius Apostoli Pauli exemplo. Sæpiùs & perpetuis concionibus in idem aliquod vitium perorent vehementissimè, donec existat fructus aliquis tam præclaræ sementis. *Nec verò semel atque iterum, sed sæpè prout usu venerit, in eodem unius vel virtutis suadendæ,* Ibid. p. 131. 132.
vel vitii detestandi studio versetur: quoad quantum in se est, perenni quadam doctrinæ perseverantia, & perpetua quasi pugna & contentione, id quod olim sanctissimos Episcopos Ambrosium, Augustinum & Chrysostomum fecisse constat, fidelium animos etiam in malè agendo penè obfirmatos expugnet, depravatosque vivendi mores jam inveteratos radicitùs juvante Deo evellat.

XI. In eo ibidem Concilio iterata est ea Tridentini Concilii sanctio, Episcopi in potestate & jure proprio esse, ut Prædicatores omnibus ipse adsignet Episcopatûs sui Ecclesiis. Placuit etiam, ut Episcopus Coadjutorem ad conciones totius anni, & maximè Quadragesimæ, Parochis adsignaret, qui prædicare ipsi non possunt, Parochique sumptu cogeret sustentari. Quin & hoc significatum est à Sess. 21. c. 6.
Tridentinis Decretis haustum esse, ubi jubetur Episcopus Parochis imperitis Coadjutores adjungere, quos ipsi alant. In Concilio V. Mediolanensi pronuntiatum est solius esse Episcopi Prædicatores nominare, non solùm ad Ecclesias omnes sibi obnoxias, sed & ad exemptas etiam, ubi annexæ sunt Parochiæ, nullo in contrarium privilegio profuturo, nulla consuetudine suffragatura. *Episcopi so-* Acta Eccl.
lum sit, abrogatis quibuscumque contrariis consuetudini- Med. pag.
bus & privilegiis, & in Ecclesia Cathedrali & in aliis, 210.
non modò jurisdictioni suæ subjectis, sed etiam exemptis, quæ curata sunt, Concionatorem liberè deligere, atque constituere. Quin & in ipsis Regularium Ecclesiis, ubi Confraternitates, vel plebes concionibus interesse solent, vel ex consuetudine, vel quia ita commodum est, non poterit Concionator nisi ab Episcopo designari.

XII. In Concilio III. Mediolanensi constitutum fuerat, ut summa aliqua præceptionum ad usum Prædicatorum concinnaretur. Illam elaborari fecit Carolus, lucubratam ipse publicavit. Ejus opusculi elegantiæ & soliditati accedere nihil potest. Juvabit, ut reor, aliqua hinc etiam delibasse. Urgentur Prædicatores crebriùs exardescere adversùs itas, artes, dolosque & multitudinem litigantium; adversùs tot contractus artificiosè excogitatos ad ludificandam legem, qua absolutè usuræ damnantur: *Tot contractuum genera, quæ excogitata sunt in fraudem legis omnem usuram prohibentis.* Adversùs spectacula, ludos, choreas & comœdias. *Spectacula, ludos, ludicrasque res, choreas, saltationes & tripudia, è quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de suggestu sæpè graviter reprehendet atque insectabitur. Scenicas personatasque actiones, unde tanquam è seminario semina malefactorum ac flagitiorum penè omnium existunt, quàm exterminandæ sint, qua maxima potest, religiosa contentione aget.* Fideles cohortabuntur, ut sacro Christi Corporis epulo refici studeant, sin minus die Dominico quolibet, saltem quolibet mense: at per Adventum & Quadragesimam quolibet etiam die Dominico, cùm commendatissimum id esset priscæ fidelium omnium pietati. Fideles excitabunt omnes ad mundi contemptum, ad perfectionem Christianæ disciplinæ amplexandam, & ad Consilia Evangelica ultro sectanda. *Ad Evangelica Consilia amplectenda, ad perfectioris vitæ disciplinam suscipiendam, ad mundi contemptum audientium animos sæpè interpellet: quò studiosiùs cælestis spiritalisque vitæ instituta amplectantur.* In id quoque connitentur studiosiùs, ut Scholis aliquan-

do tandem exulent libri omnes Gentilium, quibus non continentur nisi fabulæ, vel impiæ, vel impuræ, certè inutiles, & quæ minimè consentaneæ sint Christianæ juventuti, cælestibus documentis imbuendæ. *Ethnicorum libri, qui in falsorum Deorum commentitiarumque fabularum commemoratione versantur, ut è puerorum schola litterariaque infantium exercitatione tollantur, cùm occasio tulerit, concionando suadere ne desistat.* Fideles omnes commonefacient, ut quoties tympana audierint concrepare ad Horas canonicas, sin minùs advolare ipsi possint, privatim saltem prece aliqua Deum colant; ubi verò signum personabit Missæ, cui interesse volent, sese ipsi in animi penetralia recipiant, & si qua graviore culpa oneratam gestent conscientiam, statuant ipsi secum in posterum quidquid id est criminis declinare, & Confessione illud expiare. *Ut statis canonicis horis tum divinorum officiorum significatio campanis datur, si minùs ad Ecclesiam convenire potest, cùm intelligat eo signo se ad orationem vocari, saltem paulum se mente colligens tacitè precetur, vel orationem salutationemque angelicam piè attentéque pronunciet. Ut signo campana dato, quo ad Missam vocatur, paulisper se colligens, peccati mortalis conscius, dolore ex eo affectus, proposito illius confitendi suscepto, supplex à Deo veniam petat.* Longior fui in his Conciliorum & sancti Caroli monitis ad Concionatores referendis, sed ejus, ut spero, prolixitatis tædium diluet utilitas, authoritasque.

(Ibid p. 48-455.)

XIII. Vetuit Concilium Turonense anni 1583. ne quis è suggestu concionari, & verbum Dei interpretari sineretur, nisi Diaconatûs saltem gradu sublimis. *Statuimus, ne in posterum quisquam sacro concionandi & verbum Dei interpretandi muneri præficiatur, qui non sit sacro saltem Diaconatûs ordine insignitus.* Episcopos commonuit Concilium Burdigalense anni 1584. ipsorum esse muneris prædicare, cùm missione & successione Apostolorum gaudeant. *Sciant omnes Episcopi, prædicandi verbi Dei munus ad ipsos præsertim pertinere, ut qui à Deo missi in locum Apostolorum successerint.* Compelli ab eis debere Parochos Dominicis diebus singulis prædicare, & Festis; si minùs autem concionari ipsi possint, vel memoriter recitare conciones aliquas, publicè saltem legere Homilias quas præscribet Episcopus vulgari idiomate scriptas. *Et si per seipsos concionari non possint, aut memoriter recitent, aut saltem legant homilias vernacula lingua, quæ ipsis ab Episcopo præscribentur.* Concilio Aquensi anno 1585. placuit, ut Parochos aliquando Episcopus in Palatium suum accerseret, & eos audiret concionantes, utque juberet, suarum ut ad eum aliquas mitterent concionum, quò experiretur ipse, quàm accuratè tantum munus obirent.

(Cap. 4.) (Tit. 3 c. 3) (T De Conc.)

Concilium Burdigalense anni 1583. voluit ut Parochi, Vicariique minùs periti è suggestu recitarent homilias in Evangelia, ab Episcopo sibi designatas, Authoris & Libri alicujus, quem probassent Episcopi, donec Archiepiscopi jussu cujusque proprius ad id muneris liber lucubraretur. *Dum à nobis decreto hujus Synodi homiliarius liber publicetur.*

(Cap. 10.)

At Concilium Burdigalense anni 1624. statuit ut ne concionandi potestas fieret nisi saltem Diacono, & qui operam navasset studiis Scripturarum, Traditionum Apostolicarum, Patrum, Conciliorum Generalium & Provincialium, Juris Canonici, Vitæ Sanctorum, ac denique arcanæ & interioris Theologiæ. *A personis Concionatorum incipientes statuimus nullum esse ad tantum munus assumendum, quin initiatus sacro Diaconatus ordine, &c. Præterea eundem peritiam bibliorum habere, Commentaria varia evolvisse, sensus diversos callere, traditiones Apostolicas tenere, Patrum scripta legisse, & ex iis quendam sibi familiarem retinere intendimus. Doctr nam insuper Oecumenicorum Conciliorum, Sanctorum vitas, Pontificum jura, Concilia Provincialia & Diœcesana sufficienter memoria mandasse oportebit, neque ignorare, sed Theologia Mystica operam navasse ostendat.* Eidem Concilio consultius visum est, ut Parochi minùs litterati è suggestu recitarent vel homilias sanctorum Patrum, vel Catechismum Concilii Tridentini. *Satisque sit illis liber homiliarius, vel Concilii Tridentini Catechismus, Parochianis suis ex suggestu prælegendus.*

(Cap 12.)

Jam olim in Concilio Narbonensi anni 1551. statutum fuerat, ne ad concionandum admitterentur, nisi qui Presbyteri jam essent, vel Diaconi; utque Concionatores statim ab exordio sermonis altiori voce pronuntiarent Angelicam Deiparæ Salutationem. *Statim ab initio Concionis, voce alta & quæ intelligi possit, Salutationem Angelicam totam ut suprà dicant.* Cautio hæc probabiliter creditur fuisse necessaria, ut os obstrueretur scelestissimis divini tum verbi interpolatoribus, qui fidelium aures animosque exasperaverant insania sua & conviciis in beatissimam Virginem Deiparam eructatis. Inde est quod & in hoc eodem alibi descripta fuerat Salutatio Angelica verbatim, cùm aliæ preces summatim tantùm indicatæ fuissent.

(Can. 37. 35.)

XIV. Lubet hîc jam adnotare aliqua specialiùs de jure nominandi Concionatores, & necessitate eos alendi, aut idoneo solandi stipendio. Cùm concionandi munus Episcopis propriè dicatum sit, ut successoribus Apostolorum; & Parochis, qui præfici non possunt ovibus, nisi ut verbo Dei eas pascant, ut docuit Tridentina Synodus: ideo & Concilia Galliarum paulò antè laudata, edixere, ut Regulares ab Episcopo designati ad concionandum, Parocho concederent, volenti concionari, ut qui ipse primarius sit & princeps Ecclesiæ suæ Concionator.

(Sess. 23 c. 1.)

Quæritur cujus sit cæteros Prædicatores designare. Si agatur de Ecclesia Cathedrali, ubi nulla certa consuetudo id juris aliis vendicavit, Episcopi est, & eos designare, & æquo munerari stipendio. Ubi verò ita fert consuetudo ut Episcopus nominet, & alii sustentent Concionatorem, si immemorialis ea constet consuetudo, nequaquam illi à Concilio Tridentino derogatum est, & illi parendum est. Si immemorialis verò ea non sit, à Concilio sublata est, & ab Episcopo jam designabitur aleturque Prædicator. Ita ex Fagnano à Congregatione Concilii declaratum est. Si moris fuisset, ut Episcopus aleret Concionatorem, quem alii quipiam designarent: censuit sacra Congregatio, ab Episcopo semper ali eum debere quidem, sed & ab eodem repeti, innovarique posse jus ejus designandi, cùm de Ecclesia Cathedrali agatur, ubi Episcopi solius est Prædicatores deligere, nulla ratione habita contrariarum consuetudinum, etiam immemorialium, ea quibus ea delegatio Capitulo tribuebatur, vel Episcopo & Capitulo simul. Si consuetudo autem ferat, ut populus, vel alius quispiam præter Episcopum nominet, alatque Concionatorem, ea ex Concilio Tridentino abolenda est, si immemorialis non sit, & Episcopi erit eum deligere & eum alere Concionatorem; nec enim cogi poterit populus, ut alere pergat, quem deligere prohibeatur. At si immemorialis vigeat consuetudo, ut populus,

(Fagnan in In l. 3. Decret. Part 2. pag 458. & seq. Conc. Trid. Sess 24 c 4.)

Ttt ij

vel quispiam alius designet, alatque Concionatorem; à Congregatione Concilii declaratum est, in potestate Episcopi fore, ut vel immemorialem sinat usque valere consuetudinem: vel ea obliterata, & deligat ipse & alat Concionatorem. Hactenus de Ecclesia Cathedrali.

Sess. 24. c. 4.

XV. Quoad alias Ecclesias, si ea inolevit consuetudo, ut Episcopus designet, & alii stipendia subministrent Concionatori, ea constanter retinenda est, ut cui conceptis verbis Tridentina Synodus astipulatur. Si moris est, ut & designet Episcopus & alat, is quoque servandus, cui eodem loco eadem Synodus suffragatur. Si recepti autem moris est, ut populus designet Concionatorem, nec alat tamen, vel alius quicumque, penes Episcopum est, ut eam aboleat consuetudinem, & id jus sibi adserat, si modò immemorialis ea non est. At si ea immemorialis est, à sacra Congregatione persæpè responsum est, à Tridentino nihil mutatum in ea, nec ab Episcopo demutari posse. Si immemoriali consuetudine Concionatorem populus nominet, & sustentet, non sinit sacra Congregatio ab Episcopo eam everti. Si verò immemorialis non est ea consuetudo, ut populus alat & nominet, persæpè à sacra Congregatione responsum est, posse quidem Episcopum jus recuperare nominandi: at cogi jam non posse populum, vel quemcumque alium, ut alat, quem jam non nominet amplius. A Congregatione denique Concilii responsum est, æquiùs quidem esse optatiusque, ut Prædicatores Ecclesiarum Regularium ejusdem sint Ordinis; at si more receptum esset, ut posset Episcopus alios deligere, ab eo recedendum non esse.

Fagnan. Ibidem.

XVI. Hactenus Responsa Cardinalium Congregationis ex Fagnano excerpsimus, à quo & mox ea proponitur quæstio, An teneantur Parochi in Ecclesiis suis prædicare solenni & usitata forma, an familiares tantum præceptiones & correptiones adhibere. Eam ille dubitationem à sacra Congregatione ultro citroque ventilatam fuisse memorat, nec tamen diffinitam. Tradit quidem Soto non fuisse Parochis à Concilio factam potestatem prædicandi. Sed de prioribus id Sessionibus capiendum, quibus Soto interfuit, sub Paulo III. non de posterioribus sub Pio IV. Quippe Sessione XXIII. c. 1. & XXIV. c. 4. subjiciuntur Pastores omnes necessitati residendi, & prædicandi. Addit Fagnanus, *Capite, Quod Dei timorem, & in Clementinis, Capite Dudum de Sepulturis*, videri Parochos ad prædicandum urgeri. Sed omnibus in utramque partem perpensis, sapientissimè sacram Congregationem nil definisse. Nec enim vel in his Decretalibus, vel in Tridentino quidquam esse satis dilucidum, aut satis validum ad conciones usitata forma à Parochis exigendas; cùm possint omnia ad præceptiones trahi familiares, quæ plerumque, quò pompæ minus & strepitus, eò plus habent utilitatis.

XVII. Ab eodem Fagnano alibi proponitur alia quæstio, An officium prædicationis aliis adscribi possit, quam Episcopis, vel Presbyteris. Respondent Canonistæ, Capite *Perlectis* ex potestate donari Diaconos. Vereor, ut illi satis assecuti sint mentem Isidori Hispalensis Episcopi, & pervetusti Scriptoris, ex quo Caput illud depromptum est. Isidori enim verbis id significatur, à Diacono exerta voce recitari Evangelium & Epistolam inter Missarum solennia, quòd concionis genus videri possit, cùm pluribus jam suprà Conciliis Provincialibus placuerit, ut qui Parochi concionari non

Dist. 25.

possent, ii homiliam aliquam sanctorum Patrum vernaculè verterent, & memoriter pronunciarent, aut legerent. Verba Isidori ita habent. *Ad Diaconum pertinet componere mensam Domini atque vestire, crucem ferre, & prædicare Evangelium & Apostolum. Nam sicut Lectoribus vetus Testamentum, ita Diaconis novum prædicare præceptum est. Ad ipsum quoque pertinet officium precum & recitatio nominum. Ipse præmonet aures haberi ad Deum, ipse donat pacem, &c.* Planum est hæc omnia esse Diaconi officia in solenni sacrificio, Altare vestire, Crucem imponere, preces prælegere, sacra diptycha recitare, canere *Sursum corda*, pacem dare. Et Diaconi ergo id erat tum munus prædicare, id est, Epistolam & Evangelium decantare. Idem evincitur ab exemplo Lectoris. Receptissimum enim etiamnunc est, ut ubi unius Missæ duæ sunt Epistolæ, veteris altera, altera novi Testamenti, prior à Lectore, posterior à Subdiacono decantetur, qui in non pauca successit Diaconi officia. Atqui ubi vox *Prædicandi* tribuitur, vel Lectori Epistolam, vel Diacono Evangelium recitanti, vel decantanti, mera tamen ea recitatio est, non concio. Caput vero, *In sancta*, quod Gregorii Magni est, paulò expressiùs videtur Diaconis tribuere *Prædicationis officium*. Sed quoquo modo habeant, & quoquo sensu capienda sint hæc antiqua Decreta, ex iis illud Canonistæ argumentati sunt, posse officium prædicandi Diaconis committi. Quod invictissimis nos suprà confirmavimus documentis ex Conciliis antiquis & ex sanctis Patribus, quibus præjudicari non potuit paulò diversis ævi medii moribus. Quis enim sanus Stephanum, quis Vincentium, quis Laurentium munere & potestate concionandi abdicarit?

Fagn. in I. St Decr. par. 2. pag. 287.

Dist. 92.

XVIII. Sed ea proposita aliquando fuit quæstio Congregationi Concilii, an delegari posset ab Episcopo Clericus, nullo Ordine sacro insignis, ut solenni ritu & forma concionaretur. Responsum est autem à Congregatione posse Clericum, non posse laïcum delegari. Fateor equidem nonnihil stuporis mihi eo injici responso; nec eo forsan poterunt non æquè percelli stupore, qui amore primigeniæ Ecclesiarum disciplinæ aliquando incaluerunt: cùm vel maximè nupera etiam Concilia solos Diaconos ad aliquod Apostolicæ hujus functionis consortium vocaverint. Diaconos certè non novum erat concionandi partes aliquando sustinere circa annum 1400. cùm inter damnatos Viclephistarum errores, hic quoque relatus sit: *Quod Presbyteri & Diaconi quicumque teneantur populo prædicare publicè ratione Ordinis suscepti, licèt populum non habeant, nec curam animarum.* Sed Archidiaconorum exemplo omnis omnino scrupulus eximitur. At ab extrema antiquitate ut prisca sæcula revolvas, vix vestigium deprehendes ullum Clerici ad id delegati munus, quod inter Apostolica etiam munia summum & primarium est. Nam quod inter ineuntis Ecclesiæ primordia etiam laïci verbum Dei annunciarent, nihil id profectò ad rem nostram. Nec enim de privatis & familiaribus hic agitur præceptionibus, aut colloquiis, sed de concionum forma solenni.

Ibidem pag. 188.

Rainald. Anno 1382. n. 13.

XIX. Nulla aptius ratione finis potest huic capiti & dissertationi de prædicatione imponi, quàm proposito exemplo beati Caroli, qui doctrinam & ipsum spiritum æstumque Concilii Tridentini spirans, persuasissimusque Episcoporum esse proprium & peculiare munus concionari; obices omnes qui illum ab eo alienabant, ingentes prorsus, & alii cuivis inexpugnabiles, superavit tandem infatigata

animi constantia, viriumque contentione. Erat enim natura minus comparatus ad eam publicè concionandi facultatem elegantem & compitiorem, quæ in usu est, fuitque etiam apud sanctos Patres complures. Nihilo tamen segnius ille sui primùm periculum facere voluit in locis Romæ remotioribus. Ita suas expertus vires, postea Mediolani verba fecit ad plebem sedens ante altare. Denique pestilentiæ tempore, quod triumpho quodam charitatis ab eo illustratum est, tota virium contentione explicuit pastoralem sollicitudinem suam, & ex suggestu, & solemni forma & cum pompa concionatus est, nec deinde destitit, usu & zelo complanans difficultates, via ab alio quoquam expugnabiles. Hæc Episcopus Novarensis, vitæ ejus Scriptor. *Concionandi munus, quod præcipuum Episcopi esse Tridentina Synodi constitutione judicatum viderat, studiosè in primis suscepit. Ac primò Romæ remotioribus locis sese exercuit. Mediolani deinde sedens ad altare, neque admodum frequenter verba fecit. Donec calamitosissimo pestis tempore in suggestum ascendere, frequentiusque ad populum necessitate pene coactus, cœpit concionari Institutum semper deinceps tenuit, & quod initio difficillimum experiebatur, usu paulatim facile admodum sibi reddidit.*

Surius die 4. Novemb. l. 7. c. 54.

Finem faciet huic capiti Bellarminus Cardinalis, qui in præceptionibus ad nepotem suum, eundemque Episcopum perscriptis, id quoque commonuit, quantacumque Episcopo afflueret aliunde copia Concionatorum, ipsummet eo munere fungi debere, & in Christi ipsius insistere vestigia, qui ad prædicandum Apostolos duodecim & septuaginta duos discipulos misit ille quidem, sed *ipse tamen officium prædicationis nunquam dimisit.* Addit vir doctissimus eo Episcopi sedem supra alias omnes in Ecclesia eminere sublimi quodam fastigio, ut significetur, quam inexorabilis immineat ei necessitas cœlestis doctrinæ in fidelium aures disseminandæ, quorum plerumque pernicies in ipsius unius caput revolvitur: quod scilicet bene multi non periissent, si necessariis ab Episcopo suo præceptis, monitionibus, increpationibus opportunè castigati fuissent. *Summa est, Episcopo Cathedram in Ecclesia sublimem erigi, ut ex eo loco populum admoneat, doceat, arguat, increpet: quod nisi fecerit, rationem Domino reddet, cur multi perierint, qui si vocem Pastoris audivissent, salvari omnino potuissent.*

Controv. 3.

De tuitione Viduis, Orphanis & calamitosis omnibus ab Episcopo impendenda.

CAPUT LXXXVII. *P. 1. l. 2. c. 38.*

De tuitione Orphanis, Viduis, calamitosis omnibus ab Episcopo impendenda quinque prioribus sæculis.

I. II. Officiosi Episcopi in populos exactionibus, aliisque oneribus gravatos. Exempla sancti Germani & Theodoreti.
III. Basilius pauperes tuetur adversùs Magnates.
IV. Ambrosius Clericis omnibus eadem indicit charitatis officia.
V. Viduæ patrocinatur Chrysostomus adversùs Imperatricem.
VI. Exemplum aliud ab Hieronymo memoratum.
VII. Ut Augustinus misellos tutatus sit.
VIII. De jure manumittendi servos in Ecclesia.
IX. Conciliorum contentio, ut ne eo jure spoliaretur Ecclesia.
X. Exempla & Leges, mira & sacerdotalis clementia Constantinus Imperatorum.
XI. Eam summorum Principum gloriam in protegendis calamitosis æmulabantur Magnates, Nobilesque omnes.

I. Ubi justas percensebamus causas relaxandæ quandoque Episcopalis residentiæ, & adeundæ à Præsulibus Aulæ Regiæ, huic quoque locus fuit, ut levamenti aliquid orphanis, viduisque adferrent, iisque omnibus, quos privata calamitas communi omnium parenti magis commendabat. Ubi plebs publicis oneribus gravabatur, sua pios Episcopos invitavit charitas, ut summos adirent, & emollirent sua interventione Principes. Eo pietatis officio nunc per Epistolas, aliàs per seipsos functi sunt. Æstu & impetu quodam charitatis suæ abreptus est quandoque beatus Germanus Altisiodorensis Episcopus ad extremas usque Galliarum oras. *Tributaria functio præter solitum & necessitates innumera, cives suos quasi pupillos orbatos parente depresserant. Recipiunt præsidium destituti, causas agnoscit, mœroribus congemiscit, & pro quiete quæsiturus remedia civitati, post marina discrimina, labores terrenæ expeditionis ingreditur.* Nec ægrè evicit relevari plebem: *Optatum levamen propria detulit Civitati.*

Vita ejus c. 19. Apud Sur. die 31. Julii.

II. Litteras dedit ad Pulcheriam Imperatricem Theodoretus Episcopus Cyri, & ad Constantium Provinciæ Præsidem, ut eorum ob oculos animi poneret, summam Civitatis & loci cui præerat vastationem atque inopiam, ob exactionum acerbitatem, qua agricolæ ipsi in fugam se desperatis rebus conjecerant, ut jam agri squallerent inculti; declarabat denique non posse nisi per summum nefas extorqueri à Decurionibus, quod exfundere ipsi non potuerint ab Rusticis prorsus exhaustis; vel cogi ipsos, ut quidquid solvi ab aliis non potuerit, ipsi exolvant. *Scribo, ut oppressos pauperes defendam, &c. Miseris parcat consolatoribus, parcat & miserrimis Decurionibus, à quibus ea deposcuntur, quæ ipsi exigere non possunt. Quis enim jugorum nostrorum gravitatem ignorat, propter quam & possessorum plurimi solum verterunt, & coloni abierunt, & agri pleriqne deserti jacent.* Aufugientibus ergo rusticis, aufugiebant & ipsi tandem colligendorum censuum præfecti, ut qui multò minùs possent pro universis, quam pro seipsis singuli satisfacere. *Prædia multa colonis destituta sunt, multa etiam à possessoribus penitus deserta, & pro his nihilominus exiguntur infelicissimi Decuriones, qui exactionem ferre non valentes, partim mendicant, partim fuga se subducunt.* Ad Patricios quoque complures, & ad ipsum denique Patriarcham Constantinopolitanum eadem de causa litteras dedit Theodoretus. Potuisset & Constantinopolim pergere, ad tam necessarium plebis suæ patrocinium, & uti suprà laudato Germani exemplo, si conducibilius id illi visum esset, quo res optatum ad exitum proveheretur.

Epist. 42. 43. Epist. 44. 45. Epist. 47.

III. Nec secus Basilii & vigebat & ardebat zelus, quo pauperes adversùm Magnatum impotentiam tueretur, utque plebi ea pararet levamenta temporalia, quibus ad æternæ salutis suæ amorem & curam magis incenderetur. Audiendus ea de re Gregorius Nazianzenus. *Jam verò ipsius erga Ecclesiam cura ac præsidii quanquam multa quoque alia indicia sunt, libertas ad Præsides, tum alios, tum potentissimos civitatis: egentium patrocinia, plura quidem spiritualia, sed tamen corporea non pauca, nam id quoque sæpenumero ad animam tendit, per benevolentiam subigens,*

Orat. 20.

ac velut in servitutem trahens. Hac charitate nimirum spiritali sanctissimi Episcopi temporalem quoque suarum ovium curam exercent, ut carnales animæ carnalibus illecebris inescari, & ita gradatim ad spiritalia traduci possint.

IV. Clericos omnes monebat Ambrosius, sui esse officii, ut viduas, earumque res, adversùs vim & contumelias Magistratuum tegant, & adversùs præstigias eorum, qui Imperatoribus ipsis obrepunt, & fucum faciunt. Decertasse seipsum non semel testatur adversùs Imperatores ipsos, ut tueretur res viduarum, quæ Ecclesiæ fuerant commendatæ. Ad eas involandas Rescripta Imperatorum extorquebantur, vi facta diripiebantur; sed non potest non vincere Episcoporum charitas, ubi privatis cupiditatibus expediti, ad pauperum tantùm res conservandas exardescunt. Audiendus Ambrosius ipse: (Offic. l. 2. c. 29.) *Servanda est igitur, filii, depositis fides, adhibenda diligentia. Egregiè hinc vestrum enitescit ministerium, si suscepta impressio potentis, quam vel vidua, vel orphani tolerare non queant, Ecclesiæ subsidio cohibeatur, si ostendatis plus apud vos mandatum Domini, quàm divitis valere gratiam. Meministis ipsi quoties adversùs regales impetus pro viduarum, imo omnium depositis, certamen subierimus. Commune hoc vobiscum mihi.* Ita jubet Ambrosius Clericos prorsus omnes in societatem quandam venire sollicitudinis & magnanimitatis Episcopalis, ad defendendos orphanos, viduas, pauperes, misellos omnes, quorum se Christus ipse tutorem vindicemque agere non potuit, quin eadem nomina & jura in Ecclesiam suam transfunderet. Imperatores ipsos submonuit alio loco Ambrosius, Posse ipsosmet egere & juvari aliquando illa Episcoporum interventione: quando nimirum duplici Legatione functus est ad Maximum, ut impubere ab Imperatore Valentiniano insidias ejus amoliretur. (Epist. 27.) *Gloriosum mihi est hoc pro salute pupilli Imperatoris. Quos enim Episcopi magis quàm pupillos tueri debemus?*

V. Consignata est in Annalibus Ecclesiæ sacris Chrysostomi infracta vis & constantia adversùs Eudoxiam ipsam Imperatricem, quæ Imperii Romani medias inter opes inops, viduarum spoliis inhiabat. Cùm ruri spatiaretur, oblectandi animi causâ, uvam carpsit vineæ cujusdam viduæ. Legibus addicebatur ei vinea, numerata domino idonea pecunia. Affectata ea erat vafrities & nequitia, ut viduam illam insectaretur, & Chrysostomum lacesseret. (Baron. an. 401. n. 57. 58. Leo August. Orat. de vita Chrysost.) Chrysostomus nec legibus, nec Imperatoribus Ethnicis cessit, nec enim ejusmodi legum alios authores esse posse gnarus erat, nec ipsi demum Imperatrici. Persecutiones, exilia, mortem non ille alio spectavit oculo, vel animo, quàm ut Episcopalis fortitudinis prælusorias veluti jam hinc coronas, & præmatura præmia. Illud quidem Chrysostomi facinus minimè prætereundum prætetiit Palladius, prætetiere & coævi Scriptores. Sed non is erat Palladius, qui Chrysostomi gesta verbis complecti, aut stylo æquare posset. Aliàs autem nemini non exploratum est, quàm pio, quàm etiam intrepido flagraret zelo Chrysostomus ad miserabilium quorumlibet tuitionem.

VI. Perstrinxit Hieronymus junioris & opulentæ viduæ angustias, quæ tuitioni se Ecclesiæ committere compulsa est, ut Procerum impotentem insolentiam deluderet. (Ad Geruntianam, de monogam.) *Cùm audiam eam multos Palatii Proceres Ecclesiæ vitare præsidio, quos certatim diabolus inflammat.*

VII. Nullis Augustinus limitibus circumscribit Episcoporum charitatem, sed eam pupillis potissimum debere impendi non dissimulat. (Epist. 126.) *Novit religio tua, quam curam tuendis cum omnibus hominibus, tum maxime pupillis Ecclesia vel Episcopi debeant.* Sed accipe ubi ejus se latiùs effuderit tuitio Episcopalis. Fastius cùm à creditoribus urgeretur, quorum in ære erat ob aureos septemdecim nummos, ad Ecclesiæ patrocinium properavit: (Epist. 217.) *ne corporalem pateretur injuriam, ad auxilium sanctæ Ecclesiæ convolavit.* Repetentibus illum instantissimè creditoribus, eam pecuniam voluit Augustinus à plebe sua corradere. At intercessit Fastius. Tum Augustinus mutuam sumpsit eam pecuniam, eaque creditoribus persoluta, Fastius certa die se persoluturum spopondit. Illa tamen illucescente, nec comparente ipso, Augustinus tum demum plebis suæ spontanea dona suscipi voluit, reliqua à Presbyteris suis ex fisco Ecclesiæ suppleri. *Scripsi etiam Presbyteris, ut si quid minus fuerit post collationem vestram, compleant ex eo quod habet Ecclesia.* Meminit & alibi sanctus Pater virgunculæ, quæ Monialem se admitti percupiebat; sed cùm nubilis nondum esset, nec admitti antè posset, protectioni Ecclesiæ adversùs procos fuerat commendata. (Epist. 233.)

VIII. Non alienum forsan esset hoc loco versare quæstionem illam de potestate Episcoporum in servis ad libertatem vindicandis. Præstat tamen in alium eam locum seponere, paucis hîc tantùm delibatam. Ea authoritate donavit Ecclesiam Constantinus, ut libertatibus servorum authoritatem & pondus addere posset. Ita quippe Sozomenus: (L. 1. c. 9.) *Tres tulit leges, quibus decrevit, ut omnes qui in Ecclesiis essent testimonio Sacerdotum libertate donati, in Rempublicam Romanam ascriberentur.* A quo & additur, in omnibus libertatum chartis mentionem fieri solitam harum legum Constantini. Decrevere Ecclesiæ Africanæ in Concilio quodam suo, percontari Episcopos Italiæ, qui tandem apud eos vigeret usus hujus legis, quo & ipsæ eidem se accommodarent. (Conc. Afric. c. 32. 49.) *De manumissionibus sanè in Ecclesia dicendis, si id nostri Sacerdotes per Italiam facere intelliguntur, nostra etiam erit fiducia, istorum ordinem sequi.* Statuerunt & alio tempore harum legum confirmationem ab Imperatoribus flagitari. *Ut de manumissionibus in Ecclesia celebrandis ab Imperatore petatur.* Apparet illis Episcopis necdum usui fuisse eas leges, eoque voluisse eas antè ab Imperatore tunc temporis sibi confirmari. Voti compotes factos fuisse indubium est, cùm tradat alicubi Augustinus, ad populum verba faciens, mox servos à Diacono in Ecclesia suos manumissum iri. (Serm. 50. De divers.) *Hodie illos in conspectu vestro manumissurus est Episcopalibus gestis.* Adnotanda hîc est religiosa observantia legis Constantini, qua fieri res jubebatur, præsente populo, præsente potissimum Episcopo. (Cod. De iis qui in Eccl. manumit.) *Placuit in Ecclesia Catholica libertatem Domini famulis suis præstare possint, si sub aspectu plebis, assistentibus Christianorum Antistitibus id faciant.*

X. Minimè mirum est editas à Constantino fuisse leges, usque adeo libertati hominum obsecundantes; cùm & tot aliæ ab eo sint promulgatæ, quæ non minùs sacerdotalem ejus animum redoleant: nec minùs suffragentur votis & consiliis omnibus, quæ Evangelica veritas pectoribus hominum aspirat, ut eos in eam restituat integritatem, innocentiam & fælicitatem, quæ naturæ primigeniæ nostræ propria dos erat. Remissa est à Constantino quarta pars antiquarum exactionum: cúmque inaudisset aliquid de minùs æquabili earum

distribntione, pro modo agrorum, viros probos præfecit, qui in eam curam incumberent. *Quartam* Euseb. de vita Const. L. 4. c. 2. *tributorum partem agrorum possessoribus donavit; ut appareat frugum dominos quarto quoque anno à pendendo tributo fore levandos. Cùm nonnulli agrorum metationes à prioribus Imperatoribus factas reprehenderent, &c.*

Hæc ex Eusebio, quo rursus authore Constantinus eam incredibilis cujusdam clementiæ vim per omnia voluit valere Judicum subsellia, ut alium jam esset de capitali supplicio silentium: jam ferrum, jam extremæ pœnæ conticescerent. Carnali hominum vulgo minùs hæc sapiebant, sed nemo Christiani dogmatis qui expers hospesque non sit, nemo, inquam, dubitat, quin ea indulgentia mirum in modum consentiret cum Evangelio Christi, & cum instinctu quodam divino sacerdotii Christiani, L. 4. c. 31. *Porro cùm nullus esset extremi supplicii metus, qui malos homines à sceleribus deterreret, Imperatore prorsus ad clementiam propenso, & ex Provinciarum Rectoribus nemine crimina coërcente, eo factum est, ut publica administratio non mediocrem reprehensionem subierit.* Nec me fallit, quæ Constantius facta huic Eusebii narrationi adversaria objectantur. Sed cui compertum non est, alio & alio tempore, aliisque & aliis rerum causis, longè diversissima iniri consilia. Idem ipse Constantinus vel milites ad humanitatem hortabatur, & certa auri quantitate præmiabatur, quoties hostibus vitam donassent. L. 2. c. 13. *Adeo ut plurimi ex ipsis etiam Barbaris servati sint, cùm Imperatoris aurum vitam ipsorum redemisset.* Denique ne ambigi quidem potest, quin innumerabilis hominum multitudo acceptam retulerit vitam & salutem suam ei Constantini legi, qua fisco ex Imperiali, & patrimonio ipso suo privato alimenta suppeditari voluit, parvulis omnibus, quorum parentes iis alendis pares non essent. Cod. Theod. L. 1. de alimentis. *Ad quam rem & fiscum nostrum & rem privatam indiscreta jussimus præbere obsequia.* Ita Episcopalis pietatis & commiserationis vota antevenire satagebat Constantinus. Hæc aliquando consectati sunt clementiæ vestigia posteriores Principes. Capitationis immunes voluit esse Valentinianus Virgines Deo sacras, viduasque & pupillos Cod. Theod. L. 9. de cens. Ibid. l. 2. usque ad annum ætatis vigesimum, aut si puellæ sint, donec nubant. Plures id genus leges alias missas facio.

XI. Qui natalium claritate, qui gratia apud Principes, & authoritatis gradu quopiam in Palatio eminebant, ii ambitiosiùs in exempla Principum imitanda se dabant, & petitiones Episcoporum in gratiam pauperum & pupillorum suo patrocinio juvabant. Ejusmodi fuit Nebridius, summa nobilitate, nec dispari pietate ac religione. Illum luculento prosecutus est encomio Hieronymus, ex quo pauca hæc, quæ ad rem istam faciunt, carpam. Epist. 9. *Quæ vidua non hujus auxilio sustentata est? Quis pupillus in eo non reperit patrem? Totius Orientis Episcopi ad hunc miserorum preces & laborantium desideria conferebant. Quidquid ab Imperatore poscebat, eleemosyna in pauperes, pretium captivorum, misericordia in afflictos erat, unde & ipsi Principes libenter præstabant, quod non uni sciebant, sed pluribus indulgeri.* Amplissimum id erat ad Episcoporum gloriam, oppressos & misellos omnes tueri: sed illud aliquantò etiam amplius, eadem charitatis viscera, eandemque sacerdotalem indulgentiam Magnatibus Imperii, & Imperatoribus ipsis afflasse. Populi enimvero usque adeo & experti & persuasi erant, qualibet se calamitate conflictatos Episcopali posse interventione relevari, ut non mediocriter ejus rei contemplatione ad eligendos inducerentur Episcopos, vel abducerentur ab iis eligendis. Non tacuit Sidonius Apollinaris quid homines de fæce plebis inter se confabularentur, ubi Episcopus ostendebatur, qui gratiosior Deo, quàm Principibus esset. *Hic qui nominatur, inquiunt, non Episcopi, sed Abbatis complet officium, & intercedere magis pro animabus apud cælestem, quàm pro corporibus apud terrenum Judicem potest.* L. 7. Ep. 9. in Concil.

CAPUT LXXXVII. *P. 2. l. 2. c. 54.*

De tuitione viduarum, orphanorum, pauperum, calamitosorum sub Imperio Clodovæi Magni in Gallia usque ad Carolum Magnum.

I. Concilia Galliæ id oneris imponunt Episcopis, ut visitent, aut per Primates Cleri visitari curent, alantque eos qui in carceribus conclusi gemunt.

II. Miserabilibus omnibus adsint adversùs Magistratuum vim.

III. IV. Ne fulmina Ecclesiæ cohibeant, ubi necessitas urgebit. Guntramno Regi placuit, ut authoritati Episcoporum subessent Duces, Præsides Provinciarum, & Duces Exercituum.

V. Horum Conciliorum statutis accedit Regia confirmatio.

VI. Charitas Episcoporum in servos etiam effusa, maximè in eos, qui ab Ecclesia, vel in Ecclesia essent manumissi.

VII. VIII. Effunditur etiam in publicas calamitates, & in exactiones graviores.

IX. X. In his omnibus Regum pietas authoritati Episcoporum tuenda & amplificanda studebat.

XI. Mira Episcoporum sapientia & moderatio, ne Principum potestati à Deo institutæ derogaretur.

I. Residentium in Diœcesibus suis Episcoporum ea erat frequentissima & fructuosissima functio, pauperibus, viduis, orphanis, miseria omnibus nulla re deesse, eorumque levandorum causâ nihil in præteritis relinquere. In Concilio Aurelianensi V. statutum est, ut ab Archidiacono, vel Præposito Ecclesiæ quolibet die Dominico inviserentur carceres, ut ratio ipsis constaret omnium qui vinculis constringebantur, utque Episcopus providum & fidelem delegaret ministrum, qui de penu Ecclesiæ necessaria illis suppeditaret alimenta. *Id etiam miserationis intuitu æquum duximus* Can. 20. *custodiri, ut qui pro quibuscumque culpis in carceribus deputantur, ab Archidiacono, seu à Præposito Ecclesiæ singulis diebus Dominicis requirantur, ut necessitas vinctorum secundùm præceptum divinum misericorditer sublevetur, atque à Pontifice instituta fideli & diligenti persona, quæ necessaria provideat, competens eis victus de domo Ecclesiæ tribuatur.*

II. Nec larga tantùm vel prodiga erat Pastoralis hæc sollicitudo, ad solandas pauperum levandasque necessitates; sed magnanima etiam, adversùs Potentum Judicumque contumelias, vibrans Ecclesiæ jaculis in eorum capita. *Ut Judices, aut Potentes,* Can. 27. *qui pauperes opprimunt, si commoniti à Pontifice suo se non emendaverint, excommunicentur.* Canon is est Concilii Turonensis II. In Concilio autem Matisconensi II id observatur, Scripturas ipsas id oneris Episcopis imposuisse, ut viduarum, pupillorum, miserabilium judices vindicesque sint; ideoque nec accingi debere Judicem laïcum ad eorum causas dijudicandas, nisi priùs Episcopum commonuerit, vel eo absente Archidiaconum, vel ex Presbyteris unum, qui causam unà disceptet, intercedatque ne quid eis injuriæ inferatur. Si parere detrectent Judices, Ecclesiæ cœtu summovendi sunt, cùm Episcopi totam gestantes Ecclesiæ authori-

tatem, nil inultum prætermittere debeant, ne à levioribus ad graviores culpas defluant. *Quid Scriptura divina de viduis & pupillis præcipiat, nobis clam non est. Idcirco quoniam provisioni nostræ Deo authore, causæ principaliter viduarum & pupillorum sunt commissæ, pervenit ad nos quod à judicibus crudeliter, pro levissimis causis, veluti defensore carentes, irremediabiliter affligantur. Ob quam causam decernimus, ut judices non prius viduas & pupillos conveniant, quàm Episcopo nunciarint, cujus sub velamine degunt. Quod si Episcopus præsens non fuerit, Archidiacono, vel Presbytero ejus, ut pariter sedentes, communi deliberatione, causis eorum terminos figant, ita justè & rectè, ut deinceps de talibus antedicta persona non conquassentur. Quod si is qui Judex est, aut impetitor eis aliquam injuriam ingesserit, aut definitionem tanti Concilii transgressus fuerit, à Communione suspendatur. Quibus igitur magnarum rerum causa commissa sunt, nec minimarum dignum est causas parvipendere personarum: Solent enim & minima paulatim despecta, in magnum malum trahere.* (Can. 12.)

III. Nec iis se patiebatur cancellis coërceri indeflexa Episcoporum constantia: eandem telorum fulminumque Ecclesiæ tempestatem incubituram portendebant & minitabantur, *procellosi anathematis ultione plectantur*, in Ministros ipsos Regum primores, *hi qui lateri Regis adhærent*: qui nimirum *contra antiquorum Patrum & Regum dispositionem*, invadebant terras domosque pauperum, nullo vel colore justitiæ. Qui eam Synodum indixerat Guntrannus Rex, is ejus decreta authoritate sua, & publicato Confirmationis edicto roboravit, ubi & ab Episcopis voluit Magistratus & Judices adsciscí, quando fideles ad pietatem hortabantur, vel nocentes meritis afficiebant pœnis. *Vos Apostolici Pontifices, jungentes vobiscum Consacerdotes vestros, & filios Seniores Ecclesiæ, ac judices locorum, quoscumque agnoscitis, quos vitæ qualitas honesta commendat, ita universam populi multitudinem constanti prædicatione corrigite, ut & bene viventes mysticus adhortationis sermo mulceat, & excedentes ad viam recti itineris correctio Pastoralis adducat.* (Ibidem. c. 14.)

IV. Sed nusquam luculentius specimen effulsit sacerdotalis Guntranni zeli, summæque ejus qua cumulati volebat Episcopos authoritatis, ad corripiendos Optimates ipsos; quàm ubi jussit Duces & Tribunos exercitus, qui regiones & Ecclesias Occitaniæ expilaverant, sibi Conventuique sisti quatuor Episcoporum, & seniorum aliquot Procerum: *Quatuor convocatis Episcopis, nec non majoribus natu Laicorum, Duces discutere cœpit.* (Greg. Turo. l. 8. c. 30.) Regiam tum ipse contemperans majestatem sacerdotali sanctitudine, illos admonuit, non aliis magis olim armis Reges, Exercituumque ductores tot insignes reportasse victorias, quam religione in Deum, donis in Ecclesias, reverentia in sacra Martyrum pignora, veneratione in Episcopos; minus mirum proinde esse, si his subsidiis omnibus destituti, devicti fuissent: sed certum sibi jam fixumque esse, ut in eorum potius capita, quàm in suum justa vindicta sævirent. *Patres nostri Ecclesias ædificantes, in Deum spem omnem ponentes, Martyres honorantes, Sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt. Nos Deum non metuimus, sacra ejus vastamus, &c. Non potest obtineri victoria, ubi talia perpetrantur. Ideo manus nostra invalida, ensis hebescit, &c. Certè si vos regalia jussa contemnitis, jam debet securis capiti vestro submergi.* Tum Duces illi culpam conjicere in seditiosæ multitudinis contumaciam. Denique non abs re conjicitur Episcopos Regiam iram delinisse, reisque indulgentiam impetrasse, reis spondentibus ea perficere, quibus qua fieri posset scelus expiaretur. Eo porro exemplo præclarissimè demonstratum est, quantum Rex Episcopis concederet juris & potestatis, ad Magnatum correptiones & defensionem calamitosorum.

V. Post Concilium Parisiense V. à Clotario II. Rege Edictum promulgatum est, quo decreta ejus Concilii confirmarentur; & quo præterea sanciebatur, ut revocaretur, quidquid vi & invitis populis impositum fuisset oneris: atque ne tributa posthac ulla exigerentur, nisi ex iis locis, iisque rebus, ea quibus exigebantur tempore Guntranni Regis, Sigeberti, & Chilperici. *Ut ubicumque census novus impiè additus est, & à populo reclamatur, justa inquisitione misericorditer emendetur. De Teloneo, ut per ea loca debeat exigi, vel de speciebus ipsis, de quibus præcedentium Principum tempore, id est, usque ad transitum bonæ memoriæ domnorum parentum nostrorum Guntramni, Sigeberti, Chilperici Regum est exactum.* Inter Decreta hujus Concilii, nihil legere est, quod ad hanc pertineat tributorum imminutionem: sed à verisimili non abhorret, Episcopos ejusmodi aliquid cavisse à Rege, cùm illud caput ab eo tot aliis Concilii Decretis intertextum sit.

VI. In servos maximè exuberabat Episcoporum charitas & commiseratio. Agathensi Concilio permissum est Episcopis, ut servorum Ecclesiæ aliquos manumitterent, & aliqua simul largitate solarentur, quæ viginti nummorum non excederet pretium, nempè agellum quempiam, aut vineam, aut domunculam; quæ tam parca manu dispensata beneficia à successoribus non possint retractari. *Quod tamen jubemus viginti solidorum numerum, & modum in terrula, vineola, vel hospitiolo tenere.* (Can. 7.) Quoad alios servos à dominis suis manumissos, eorum Patronam se agebat Ecclesia libertatis, si quid negotii illis facesseretur. *Libertos legitimè à dominis suis factos, Ecclesia, si necessitas exegerit, tueatur.* (Cap. 29.) In Concilio V. Aurelianensi jussi sunt expressius Episcopi libertis tuitionem impendere omnibus prorsus: sed illis tamen maximè, quos prisco more domini in Ecclesia absolvissent. *Eos qui in Ecclesiis juxta Patrioticam consuetudinem à servitio fuerint absoluti.* (Can. 7.) Nil tamen præjudicabant legibus, quæ libertate eos exuebant, qui illa abuterentur. *Præter eas culpas, pro quibus leges collatas servis revocari jussere libertates.* (Can. 9.) Peculiari infamia laborabant servi, qui sepulcrorum custodiæ mancipabantur; & nec illi tamen frustrabantur Ecclesiæ defensione, si qua vi concessa semel eis libertas concuteretur. *De degeneribus servis, qui sepulchris defunctorum, pro qualitate ipsius ministeriis deputantur, &c.* (Can. 7.) Ita decrevit Concilium III. Parisiense.

In Concilio II. Matisconensi Episcopo soli reservata est, vel Judici, quem vellet Episcopus sibi adjungere, causa libertorum, qui Ecclesiæ commendati fuissent ab iis qui eos libertati vendicabant, aut more solito, aut per litteras, aut per Testamentum. *Indignum est enim, ut hi qui in sacrosancta Ecclesia jure noscuntur legitimo manumissi, aut per Epistolam, aut per Testamentum, aut per longinquitatem temporis libertatis jure fruuntur, à quolibet injustissimè inquietentur.* Alia missa facio statuta Canonica in eandem rem, ut & Edictum Clotarii II. quo ea confirmantur. (Conc. Paris. V. c. 5. Remen.) Dicam autem simillimum veri esse, Episcoporum consilio factum esse, ut Regina Bathildis oblitteraret vetustissimum usum, eoque detestabiliorem, quo homines Christi sanguine empti, vilissimo

vilissimo pretio vendebantur, & toto Franciæ Regno Edictum promulgari juberet, quo non tantum vendi homines ulli vetabantur, sed & aliò transvehi, ut venderentur. *Captivos homines Christianos vendere prohibuit; deditque praeceptiones per singularum urbium regiones, ut nullus in regno Francorum captivum hominem Christianum penitus in aliud regnum transmitteret.*

gurius die 28. Ianua. c. 7.

VII. Fuit & ubi de Regibus ipsis Episcopi sua hac benemererentur beneficentissima potestate. Diximus supra de bellis eorum interventione pacatis, & de pace eorum industria & labore restituta. Vehementes ad Brunechildem Reginam dedit litteras B. Germanus Parisiensis Episcopus, eam obtestatus, ut Sigeberti Regis imperum cohiberet, in fratrem irruentis; quo gens utraque & uterque Rex in quoddam se calamitatum flagitiorumque barathrum præcipites dabant. *Hac dolent scribo, quia video, qualiter præcipitantur & Reges & populi, ut Dei incurrant offensam.* Victorem ipsum sui semper pudeat, pœniteatque necesse est, ubi frater in fratrem ruit: quin & tantò verius vincitur, qui vincit, quantò detestabilius est scelere vincere, quam vinci. *Inhonesta victoria est fratrem vincere, &c. Contra semetipsos pugnant, suamque felicitatem exterminant, &c.* Quin & Regina ipsa Fredegundis asylo se Ecclesiæ Parisiensis cupidè communit, ubi & ejus defensioni advigilavit Episcopus.

Conc. Gall. Tom 1 pag. 338.

Le Cointe. Anno 584. n. 13.

VIII. Maurilionis Cadurcensis Episcopi encomium texuit Gregorius Turonensis. Nemo possit satis admirari ejus Præsulis animi fortitudinem, in defensandis pauperibus adversùs Judicum injurias; & ingeniosam & in omnia versatilem charitatem, qua se omnibus omnium necessitatibus accommodaret. *Fuit etiam & in judiciis justus, ac defendens pauperes Ecclesia sua, de manu malorum Judicum, &c.* Nec minus memoratu dignum, quod idem alibi scripsit Gregorius, orante Meroveo Pictaviensi Episcopo, missos esse à Childeberto Rege in agrum Pictaviensem Majorem Palatii & Comitem Palatii, ut onera publica eum in locum restituerent, quo fuerant sub Childeberti patre, iis subjicerent divites, eximerent pauperes, viduas, orphanos, qui hactenus pene soli exugebantur. Quæ res felicem exitum sortita est. *Childebertus Rex Descriptores in Pictavos, invitante Meroveo Episcopo, jussit abire, Majorem domus Regiæ, & Palatii sui Comitem; ut scilicet Populus censum quem tempore Patris reddiderat, facta ratione, innovata re, reddere deberet. Multi enim ex his defuncti fuerant: & ob hoc viduis, orphanisque ac debilibus tributi pondus insederat: quod hi discutientes per ordinem, relaxantes pauperes ac infirmos, illos quos justitiæ conditio tributarios dabat, censu publico subdiderunt.* Ita gemino beneficio Episcopus plebem suam cumulavit, dum & exactiones temperari, pristinumque in modum revocari fecit: & oneri potissimum eos subjici, qui ferendo essent.

L. 5. c. 42.

L. 9. c. 30.

IX. Omnibus verò prorsus Turonensem suam civitatem levari & absolvi tributis, pervicit, qui & hæc ipse narrat Gregorius Turonensis. Cùm enim è Pictonibus Cæsarodunum Turonum venissent illi ipsi duo Ministri Regii, exactiones indicere cœperunt easdem, quæ ex Regesto quodam locum habuisse probabantur jam inde à temporibus Regis Clotarii. Excelsi animi vir intercessit Gregorius, fidentissimè confessus illud quidem Regestum Clotarii Regis ævo conscriptum fuisse; sed & ab eodem Rege igni traditum, beati Martini formidolosam reverito indignationem. *Libri illi per timorem sancti Martini Antistitis, compuncto Rege incensi sunt.* Extincto Clotario, dum fidei sacramentum à Turonensibus Chariberto Regi præstaretur, spopondisse eum & juramento se astrinxisse, nullas inducendas à se unquam exactiones novas: *Cum juramento promisit, ut leges consuetudinesque novas populo non infligeret.* Porro cùm pridem Comes Gaiso adventaret aliquid tributi ex fide Regesti hujus expressurus, prohibitusque fuisset ab Euphronio Episcopo: *Tributa cœpit exigere, sed ab Euphronio Episcopo prohibitus, &c.* apud Regem expostulasse, qui incunctanter Regesta ex auri jussit, restituique Ecclesiæ beati Martini, quidquid exigi cœperat, & pristinas confirmavit Turonensis civitatis immunitates. *Ut nullus de populo Turonico ullum tributum publico redderet.* Denique Sigebertum & Childebertum Regem ab annis quatuordecim incolumes & illibatas Turonibus servasse immunitates antiquissimas suas: hunc verò Codicem, qui nunc intentaretur, nequaquam è Regio depromptum fuisse tabulario. *Liber hic à Regis thesauro delatus non est, nec unquam per tot convaluit annos.* Qui ejus libri obtentu audacius abutebatur, de repente febri correptus, ante triduum expiravit. Misit Gregorius ad Regem, qui de voluntate ejus percontarentur; Rescripto protinus Regio confirmatæ sunt beati Martini immunitates. *Post hac nos transmisimus Nuncios ad Regem, ut quid de hac causa juberet, mandata remitteret. Sed protinus Epistolam cum authoritate miserunt, ne populus Turonicus pro reverentia sancti Martini describeretur.*

Ibidem.

X. Ita tum Episcopi de observantia, & impensissima Regum reverentia nihil decerpebant; sed Ministrorum tamen regiorum audaciam frangebant, levamenti non parum subinde populis impetrabant, priscas eorum tuebantur immunitates. Et Reges quidem Episcoporum fidei incumbentes, ejusmodi negotia eis moderanda permittebant: civitates autẽ tantò in fide constantiores, & à seditionibus alieniores erant, quòd & expertæ sæpius, & persuasæ prorsus essent, ea esse Episcopos & in cives charitate, & authoritate in Palatio, ut nullis eas gravari paterentur nimiis exactionibus. Ex ira præfatione Concilii V. Parisiensis, manifestissimè emicat, ut sapientiæ & fidei Episcoporum committerent se Reges, & ab eis decerni permitterent, quæ ad Regni Regumque incolumitatem maximè pertinere judicarent. Ibi enim confirmatur, à Rege Clotario convocatum fuisse id Concilium, ut in commune consulerent de rebus omnibus, quæ maximè ad Regis, Cleri, Populique salutem pertinerent. *Tractantes quid Principis, quid saluti populi utilius competeret: vel quid Ecclesiasticus Ordo observaret.* Beatus Sulpitius Dulcis Archiepiscopus Bituricensis lacrymis emollitus Clari populique sui, abrogari à Rege capessit novi aliquod tributi genus. *Confestim insolita abrogatur exactio, populo salus restituitur.* Beatus Austregisillus Sulpicii in eadem Ecclesia præcessor, ejusmodi procellam quandam à populi cervicibus depulerat.

Vita ejus apud Suriũ 17. Ianuar. c. 18. Surius die 20. Maii. c. 12. 13.

XI. Neminem fallit in præteritis sæculis multa esse, quæ admirari par sit, imitari intempestivum. Tam propria laus est Episcoporum sapientia, quàm charitas. Ne cumulata quidem esset eorum charitas, nisi probè dignosceret, quid quæque ætas ferat, quid quoque possit tempore ex animi sententia procedere. Celeberrimi quoque isti priscorum Antistites sæculorum, ita clavum moderabantur, ita medium inter duos scopulos tenebant cursum, ut nec immorigeri summis Principibus essent, nec popu'is

& pauperibus inofficioſi. Nullo magis illuſtrata eſt eorum ætas hiſtoriæ lumine, quàm horum tam intrepidè ab illis dictorum factorumque. Sed rariſſima ſunt ea exempla, & vel hinc odoramur eos ipſos, qui aliquando audebant, multò ſæpiùs magiſterio obſequentes divinæ cujuſdam ſapientiæ, fregiſſe ſeipſos, & nihil tentaſſe. Illud certè non admirationi, ſed & imitationi eſſe ſemper poteſt, quod de beato refertur Cæſario in ejus vita, ad ſublevandos miſerabiles vi oppreſſos, preces eum nunquam non ſuas interpoſuiſſe. *Sollicitudinem gerens de Eccleſiis, de Monaſteriis, de peregrinis, de viduis, de infirmantibus; de quorum cauſis ne aliquis contra fas juſque opprimeretur, precabatur univerſos.*

Surius die 27 Auguſt. L. 1. c. 31

CAPUT LXXXIX. *P. 2. l. 2 c. 55.*

De eadem Epiſcoporum & Clericorum omnium cura in omnes oppreſſos & miſerabiles officioſa per Hiſpanias ſæculis iiſdem VI. VII. & VIII.

I. Epiſcopis jubet Recaredus Rex, pervigiles imminere Judicibus, Judices Conciliorum Provincialium monitis decretiſque morem gerere.

II III. IV Volentibus & annuentibus Regibus quandoque tributa moderati ſunt & definierunt Epiſcopi.

V A Regibus conſuluntur Epiſcopi, in cauſis ad levandas publicas calamitates pertinentibus.

VI. VII Regibus & eorum familiæ perfugium quandoque opportuniſſimum præſtant Eccleſia & Concilia.

VIII IX X. XI. Varia exempla hujus tuitionis, quam Reges ipſi experti erint à Conciliis ſtirpi ſuæ impendi poſt ſuum obitum. Regum electionis periculum. Vetat Ervigius Regius leges & Edicta, ſi quæ juſtitiæ & pietati ſubinfeſta eſſent, ea emendari in Concilio.

I. NIhilo vel zeli æſtus Epiſcoporum Hiſpaniæ, quàm Galliarum, vel cumulus authoritatis minor fuit, ad miſerabilium tuitionem adversùs Judices, vel temporales dominos impotentiùs ſe agentes. In illo ipſo Concilio Toletano III. ubi Recaredus Rex Hiſpanias omnes ſecum in ſinum Eccleſiæ Catholicæ revexit, ſtatutum eſt, ut Provincialia poſthac Concilia ſemel tantùm anno quolibet haberentur; ſed ut eò Judices omnes & Officiales fiſci Regii cum Epiſcopis confluerent, juxta Edictum Regium ea de re promulgatum, ut ab Epiſcopis edocerentur, populis juſtè & piè moderari, nullis eos oneribus vel exactionibus fatigare. Declaratur ab eodem Concilio, mandatum eſſe Epiſcopis à Rege, ut arrectè excubarent in Judices & Rectores Civitatum & Provinciarum, ut errores eorum corriperent: Regem monerent, ſi minùs correptionibus ſuis auſcultarent; cœtu denique fidelium ſummoverent, ſi ad correptiones obduruiſſent.

Can. 18. *Judices verò locorum & Actores fiſcalium patrimoniorum ex decreto glorioſiſſimi domini noſtri ſimul cum ſacerdotali Concilio Autumnali tempore, ſimul in unum conveniant, ut diſcant quàm piè & juſtè cum populis agere debeant, ne in angariis aut operationibus ſuperfluis, ſive privatum onerent, ſive fiſcalem gravent. Sint etiam Proſpectores Epiſcopi ſecundùm Regiam adminiſtrationem, qualiter Judices cum populis agant, ita ut ipſos præmonitos corrigant, aut inſolentias eorum auditibus Principis innoteſcant. Quòd ſi correptos emendare nequiverint, & ab Eccleſia, & à communione ſuſpendant.* Mirificentius aliquid præ ſe ferrent quæ ſequuntur verba, ſi pluſculum ea lucis aut firmitatis haberent. Videtur enim iis arbitrio permitti Epiſcopi, & ſeniorum cujuſque regiunculæ, quantum quæque plebs poſſit ferre oneris, nec gravari. *A Sacerdote verò & à Senioribus deliberetur, quod Provincia ſine ſuo detrimento præſtare debeat judicium.*

II. Nihil erit certè quòd hæſitare quiſquam poſſit in decreto Concilii Cæſarauguſtani, triennio pòſt, & ab iiſdem ferè Epiſcopis celebrati. Etenim Præſules hujus Concilii Collectoribus publicorum tributorum formulam adſignarunt eorum quæ exigenda forent, cauto ut ab eis reſtitueretur, ſi quid exigerent præter illam formam. *Quod pro noſtra definitione, ſicut diximus, tam vos, quam adjutores atque agentes exigere debeant, nihil amplius præſumant vel exigere, vel auferre. Quod ſi ab agentibus veſtris aliqua ſuperacta fuerint, quàm hujus conſensùs noſtri tenor demonſtrat, vos emendare & reſtituere, cui malè ablata ſunt, ordinetis.* Huic tributorum præfinitioni ſubſcripſere Epiſcopi omnes: *Conſenſum noſtrum ſubſcripſi.*

III. Concilii Toletani IV. Epiſcopi denuo inculcavere, quàm ex officii ſui lege Præſules tenerentur, tutari populos, impetum frænare Magnatum, lucro ſervientes Judices caſtigare, Regiæ authoritatis munimento perfringere contumaciam violentiſſimæ quandoque tyrannidis. *Epiſcopi in defendendis populis ac protegendis, impoſitam à Deo ſibi curam non ambigant. Ideoque dum conſpiciunt Judices & Poteſtates pauperum oppreſſores exiſtere, priùs eos ſacerdotali admonitione redarguant; & ſi contempſerint emendare, eorum inſolentiam Regis auribus intiment: ut quos ſacerdotalis admonitio non flectit ad juſtitiam, Regalis poteſtas ab improbitate coerceat.* Poſtea verò in Provinciali Concilio excutiebantur Epiſcopi, an ſatis ſtrenuè has tuitionis pauperum partes ſuſtinuiſſent. *Si quis Epiſcoporum neglexerit, Concilio reus erit.* Can. 32

IV. Cùm Concilium Toletanum XIII. Rex Ervigius convocaſſet; tributa fiſco debita declaravit excreviſſe in infinitam quandam ſummam, nec ea jam exigi poſſe, niſi in pelagus quoddam calamitatum plebes demergerentur: certum ideo ſibi jam eſſe condonare omnia quæ hactenus ſoluta non fuiſſent, uſque ad regni ſui annum primum, dum quæ perſoluta fuerant, ſuum in fiſcum inferrentur. *Omnes tributorum exactiones uſque ad primum annum noſtræ Celſitudinis manſuetudo illis omittendas laxavit.* Gratias Regi plurimas egere Concilii Patres, ſtatutum ejus confirmavere; ſi quis obſtreperet, eum anathemate perculere. *Quod pietatis beneficium admirantes, non ſolùm vigorem gloriæ definitionis ejus apponimus, ſed & perpetuæ excommunicationi eum qui contra hæc venerit, ſubjiciendum eſſe ſancimus.* Can. 3

V. Succeſſorem Regni reliquit Ervigius Egicam, generum ſuum, juramento priùs obligatum, ut juſtitiæ legibus in regnando ſerviret. *Ut juſtitiam commiſſis populis non negarem.* Aliud antè ab eo extuderat ſacramentum, cùm filiam illi ſuam conjugio copularet, nempe filiorum ſuorum utilitatibus ſemper conſulturum. Regni tandem compos factus Egica poſt ſoceri mortem, conflictari nonnunquam poſſe hæc duo ſacramenta ſenſit, & mutuò collidi, unde & eum ſibi nodum expediri petiit à Patribus Concilii Toletani XV. Sententiam prompſit Concilium ejuſmodi, quæ tot Epiſcoporum ſanctimoniæ conſentiret; Indeflexum ſummi Principis officium in eo ſitum eſſe, quo poſſent & illa duo ſacramenta ſpecie tenus contraria concordare, ut eo eſſet animo in proximos, quo in populos; eo in populos, quo in proximos; patrem omnium communem ſe

ageret; omnes uno charitatis sinu tanquam natos complecteretur: omnibus studeret prodesse, obesse nemini; favere omnibus omnium rationibus, quæ justæ sint, eòque jam sibi contrariæ esse non possint. *Dicimus ergo per Spiritum Dei, qui se in suo nomine aggregatis medium adesse promisit, sic ab illis juramenti vinculis Egicanem Regem Synodus absolvendum esse elegit, ut aut cognatos ad populorum regulam dirigat, aut populos in cognatorum justam defensionem assumat: ut quasi unius patris, germinisque filios, utrumque uno devocans in affectu, nec in cognatorum justis negotiis favorem populorum obtendat, nec rursus in populorum questibus cognatis favere pertentet: ut tam in populorum, quàm in cognatorum negotiis, una eademque fides illis servanda sit; nec alio affectu tractandos eligat cognatos, quàm populos.*

VI. Incidunt quandoque vel summis ipsis Principibus ex temporum molestiæ, ut cogantur penè Episcopi eorum in se recipere tuitionem, qui constantes & æterni ipsi sunt Episcoporum & Episcopatûs defensores; & formidolosis Ecclesiæ telis certare ad populos in obsequio continendos Principum temporalium, qui aliàs temporali potestate tota legibus Evangelicis opitulantur. Diximus jam à Concilio Toletano IV. intortum fuisse anathema in eos omnes, qui effrænato ambitionis æstro in Regum capita conjurarent, qui tumultuarentur, qui Regnum ambirent, longè aliis artibus demerendum, & electione Cleri ac Nobilitatis in Generalibus Cleri Comitiis, conferendum. Innovari fecit hoc Concilium sacramentum fidei, quod Regi Sisenando debebatur; sed & ipsum præsentem & posteros omnes commonuit illo fulmine percussum iri, quod Christus summus Pontifex & Rex Regum Regibus ipsis intentat, & ea excommunicatione, qua ab eo Judice summo conterendi sunt scelesti omnes, si violenta & tyrannica dominatione in populos grassarentur. *Si superba dominatione crudelissimam potestatem in populis exercuerit.*

Can. 75. *Can. 7.*

In Concilio Toletano V. constitutum est, ut Canon iste Toletani IV. in omnibus posthac habendis Conciliis legeretur & confirmaretur; innovatæ sunt & cautiones eædem omnes ad incolumitatem æternam Regum Regiique Gotthorum: denique privatim quædam decreta sunt ad tuitionem filiorum Regis tunc regnantis, & hæreditatum eis adscriptarum; & potissimorum ejus ministrorum, postquam ejus morte Imperium ad aliam quampiam familiam transcriptum foret. In Concilio Toletano VI. excommunicationi & pœnitentiæ mancipati fuere, quicumque in patriam perduelles essent; confirmata superioris sunt Concilii decreta ad tutelam Regis filiorum, amicorumque cum bonis suis omnibus, contra rapaces eorum manus, qui in regnum succederent. Nova denique decreta condita sunt adversùs eos, qui in Regum capita machinarentur quidpiam, aut ad regni ipsius usurpationem. Corroborata sunt hæc decreta omnia novis Toletani VII. statutis. Quibus & illud adjunctum est à Concilio VIII. Toletano, ut studerent potiùs Reges parcimoniæ, quàm improvidis largitionibus, & ne quid violentè à subditis exigerent. *Erunt ... bus, judiciis, & vita modesti. Erunt in provisionibus rerum parcis plusquam extenti, ut nulla vi, aut factione Scripturarum, vel definitionum quarumcumque contractus à subditis vel exigant, vel exigendos intendant.*

Can. 3. *Can. 12. 14. 16. 17. 18.* *Can. 2.* *Can. 10.*

VII. Sed cùm ea labes sit Regnorum, ubi Reges eliguntur, ut familiæ & rei magis suæ privatæ, quàm publicæ studeant Reges amplificandæ, roborandæque: statutum est in hoc Concilio, ne posthac possent Reges in filios vel hæredes transfundere suos, nisi ea tantùm bona, quæ antè comparassent, quàm ad Regnum accessissent: quæ verò postea accumulassent, eo Regni ærario inferenda, & in successorum potestate futura, ut vel restituerent iis quorum essent propria, vel ad Regni onera, & ad populorum levamentum impenderentur. *Quosdam conspeximus Reges, extenuatis viribus populorum, res propria congerere lucrum; & obliti quòd Reges sint vocati, defensionem in vastationem convertunt, qui vastationem defensione pellere debuerunt, &c. Decernimus ut in Principis maneant potestate, non habenda parentali successione, sed possidenda regali congressione: ita ut justè sibi debita quisque percipiat; & de reliquis ad remedia subjectorum, quæcumque elegerit Principis voluntas exerceat.* Hæc temperata & æquabilis est Episcoporum sapientia charitasque, quæ amplissimo fidissimoque sinu suo complectitur magnos & pusillos, Regum culmina, & plebis fæcem: ne Regum filii patribus orbati spoliarentur justis hæreditatibus, & ne electitii Reges Regnum exaugerent & exhaurirent, ut filiis suis thesauros iræ & vindictæ cælestis acervarent. Editum est porro hoc Decretum Sessione II. ejus Concilii Universalis, ubi non abs re erit obiter advertisse, votis Episcoporum & Magnatum obsecundasse suffragia Cleri inferioris & populi. *Adeo cum omni Palatino officio simulque cum Majorum Minorumque Conventu, nos omnes tam Pontifices, quàm etiam Sacerdotes, & universi sacris Ordinibus famulantes, concordi definitione decernimus, &c.*

VIII. Alienum ferè est ab instituto hic meo, illud Provincialis Concilii Emeritensis decretum, ut quolibet die curarent Episcopi sacra celebrari, flagitarique à Deo Regis Exercitûsque prosperitatem, salutem, victoriamque. *Ut salus & victoria illi ab omnipotenti Deo conservetur.* Sileo & XII. Concilii Toletani Decretum, quo promulgatum est, absolutos esse omnes sacramento olim præstito Vambæ Regi, postquam is morbo perculsus exitiali, Regno renuntiaverat, Religionis induerat habitum, tonsuramque pœnitentium, denique Ervigium suo loco eligi & inaugurari curaverat. *Can. 3.*

Paulò accommodatior est proposito hîc nostro petitio Regis in Concilio, ubi Episcopos obtestatus est, omnes ut Regni leges retractarent, refingerent, ac expolirent ad amussim justitiæ, expunctis iis quæ ab ea dissonare viderentur. *Nam & hoc generaliter obsecro, ut quidquid in nostra gloria legibus absurdum, quidquid justitia videtur esse contrarium, unanimitatis vestræ judicio corrigatur.* Si permittebatur Episcopis ipsas emendare leges, quæ pauperibus & calamitosis essent contumeliosæ; non aberat potestas, qua damna iis illata sarciri facerent.

IX. Concilium Toletanum XIII. quo aliqua saltem ex parte refunderet in filios Ervigii Regis officia, beneficiaque innumera, quibus ille Ecclesias Hispaniæ demeruerat universas, non illos tantùm suæ defensionis patrocinio complexus est: *Defensionis decretum promulgare prælegimus in Regiam prolem, & tuitionis in futurum obtendere pietatem, qui paternis beneficiis nequivimus red lere vicem, &c. Qui tot erga gentis suæ populos ejus beneficia persentimus, dignum est ut saltem ejus filiis fortia tuitionis ad futurum adminicula prorogemus.* Sed & Reginas omnes viduas eadem Ecclesiæ tutela obumbravit, statuto solenni edito, ne quis ad earum unquam nuptias aspiraret, ac ne ii quidem qui in Regni successio- *Can. 4.*

Can. 5. nem vocati essent. *Quis enim Christianorum unanimiter fuerat defuncti Regis conjugem alieno postmodum connubio uti; aut secuturi Principis libidini subjugari?* Probabile cum primis est, hoc inexpugnabili repagulo voluisse Patres hujus Synodi ejusmodi matrimonia summovere, ne homines ambitiosi æstu abrepti, eo nuptiarum Reginæ prætexta abuterentur ad res novandas, & ad Regni usurpationem: & Reges ipsos non abnuisse hoc se quoque decreto contineri, ut privati omnes in ejus observantiam essent promtiores. Eadem sanè mente Concilium Cæsaraugustanum III. non novo tantum robore cumulavit hæc Toletani XIII. decreta, Reginarum viduatum nuptias proscribentis; sed eas compulit ut primùm animam efflasset Rex conjux, habitu Religionis indui, & in Monasterium aliquod se abdere, reliquum ibi vitæ tempus ad cœlestem & im-

Can. 5. mortalem sponsum suspiraturas. *Statim arcessito ab hoc sæculo Principe, vestem sæcularem deponat, & Religionis habitum assumat; quam etiam confestim in cœnobio virginum mancipandam esse censemus.*

X. Concilium denique Toletanum XVI. adscriptis in tutelam & defensionem Episcoporum filiis, filiabus, generisque Regum, discinctisque & gradu ejectis iis, qui in Regem conjuraverant; pronunciavit eos omnes, qui his se laqueis implicuissent execrabilium adversùs patriam & Regem conspirationum, eliminandos in posterum esse ipsos, eorumque posteros ab omnibus Regni Officiis, &

Can. 8. 9. 10 perpetuæ servitutis vinculo innectendos. *Tam ipse quam omnis ejus posteritas, ab omni Palatini ordinis dignitate privati, fisci viribus sub perpetua servitute maneant religati.* Concilium denique Toletanum XVII. in eadem civitate habitum paulò antè Gentis Gothicæ per Mauros vastationem, sua tuitione communivit filios & filias Egicæ Regis, deterritis omnibus, ne qui post Regis obitum in eorum capita,

Can. 7. libertatem, bona quidquam molirentur. *Nullus filiis ac filiabus eorum contra eorum voluntatem Religionis habitum imponat; aut exilii ergastulis mancipandos statuat, neque flagellorum verberibus cruciet, per quod & dignitate priventur, & extra debitum justitiæ ordinem, rerum suarum eis ambitio auferatur.*

XI. Eæ erant labes regnorum electitiorum, & eas his rationibus sarcire nitebantur. Ea erat tuitionis & protectionis Episcopalis amplitudo & potestas. Reges ipsi non rarò, aut Regum certè filii ad eam recurrebant. Reginæ Maritis viduabantur, Regum filii aliquando tandem orbabantur; ita utrique jam patebant contumeliis, exilio, paupertati, malisque non paucis aliis, quæ Episcoporum ab eis Patrocinio arcebantur.

CAPUT XC. *P. 2. L. 2. c. 56.*

De protectione miserabilium per Episcopos, in Italia, & in Oriente, iisdem sæculis VI. VII. & VIII.

I. Mira Gregorii Magni sollicitudo, ad incendendos Episcopos ad defensionem viduarum & pauperum.

II. Id verbis & voce suis quoque Nunciis imponit.

III. IV. V. VI. Causa miserabilium omnium reservata Episcopo, Nunciis Papæ, Papæ ipsi.

VII. VIII. Gregorii zelus intrepidus & infatigatus, & ejus ad Imperatores interventio, ut levarentur populi gravioribus exactionibus, quam ferre possent, quam ipsi Principi placeret.

IX. Gregorii vigor & constantia adversùs Judices Præsidesque aliquos perversiores.

X. Alexandriæ forum rerum venalium Patriarchæ suberat jurisdictioni, ad pauperum levationem.

XI. Mira Justiniani Constitutio, ne tributis plus æquo gravetur populus.

XII. XIII. Imperatoriæ leges in gratiam libertorum, & puerulorum expositorum. Quæ charitas, quæ authoritas Episcoporum, qui totam hanc pietatis sarcinam circumgestabant.

I. ADeunda jam nobis Italia, & ipsa maximè sedes Apostolica, ubi Gregorius & explicabat ipse, & per Episcopos explicari urgebat paternam hanc, & eminentissimam tutandorum orphanorum, juvandarumque viduarum potestatem. Ab eo enim ad Episcopum Centumcellensem datæ sunt litteræ, quibus illum submonet, humanis omnibus præsidiis destitutam esse viduam Luminosam, eamque ideo sub Episcopi tutela delitescere debere. *Officii quidem sacerdotalis est, ut viduis, ac maritali* L. 1. Ep. 13. *regimine desolatis, impertiri solatia debeatis; ut unde in hoc mundo humana conditione privantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire.* Janvario Calaritano Archiepiscopo rescripsit, Christi ut se imitatorem præstaret, qui viduarum maritus, orphanorum parens est; atque adeo omni ope adesset Catellæ viduæ, cujus filius in Clero merebat Romano; causas verò ejus omnes sedis Apostolicæ reservaret judicio, ad retundendam eorum audaciam, qui molestiam illi creare vellent. *Si ipse Dominus noster vi-* L. 1. Ep. 61. 60. *duarum se maritum, orphanorumque Patrem Scriptura sacra profitetur testimonio, &c. Ei fœminæ tuitionem ferre non differas, &c. Causas prædictæ fœminæ sive sint, sive fuerint, nostro volumus judicio terminari, ut feralis illi inquietudo submoveri debeat, & tamen à judicii justitia nullatenus excusetur.* Eidem Metropolitano commendavit diligentissimè idem Pontifex Pompejanam fœminam nobilem, à præpotentibus viris impetitam, cujus jussit lites omnes per electos à partibus judices finiri, Judicium executioni eo curante mandari. *In electorum judicio, altercantium* L. 8. Ep. 62. *ventiletur contentio, & quæcumque fuerint definita ita tranquillè ad effectum vobis solatiantibus perducantur, ut, &c.* Rursus illi inculcavit pastoralis Officii curas orphanorum & viduarum potissimum causis dicandas esse: *Pastoralis regiminis necessitate compellimur, ut orphanorum viduarumque causis solertiùs, quàm curis cæteris insistamus.*

II. Nuntios suos Gregorius per varias Provincias spargebat, eosque defensioni maximè præficiebat viduarum & pupillorum, jussos etiam sedis Apostolicæ protectionem eis impendere adversùs laicorum injurias. *Nostra ei solatium tuitionis impen-* L. 2. Ep. 5. *das, &c. Viduis, aliisque pauperibus, &c.* Commendabat quandoque dominas eisdem nobiles & pias, quæ post conjugum mortem variis lacessebantur contumeliis. *Alexandriæ magnificæ fœminæ tuitionem* L. 5. Ep. 37. *solicitus impendere, &c. quantò viduæ benè viventes virorum sunt solatio destitutæ, tantò eis enixiùs Ecclesiastica est impendenda tuitio.* Ad Sabinum Subdiaconum scripsit, ut Mariam, quæ Clerico nupserat, compelleret, ut duobus patris sui libertis largiretur, quod eis ab eo legatum fuerat; eam litem ipsemet cognosceret coram positis Evangeliis, & quod pronunciasset, id ad exitum curaret perduci. *Si se nititur defendere, propositis sacrosanctis Evange-* L. 8. Ep. 6. *liis, causam subtiliter perscrutari, & ita quæ legis ac justitiæ ordo postulaverit, diffinire te convenit, & diffinita effectui mancipare, ut hac ad nos denuo querela non redeat.* Denique Anthemio Campaniæ Rectori & Nuntio mandatum est à Gregorio, defensionem ut aggrederetur viduæ, quæ indulgentia pene nimia

res omnes suas filio donaverat uxorem ducenti, tum verò inopia premebatur: iis ejus ærumnæ obdurescentibus, quorum amore ipsa & nimia teneritudi- L. 9. Ep. 11. ne ad eas angustias venerat. *Ecclesiasticam ei tuitionem impendere festines, &c. Ut in id quod deceptam se queritur, legaliter valeat subveniri.* Jubebat denique ut si quæ incurrerent difficultates, quas eluctari ipse non posset, renunciaret sibi, quo efficacius aliquod remedium ei malo quæreretur.

III. Verùm Episcopos potissimum ipsos expergefacere studuit Gregorius, quo strenuius in has evigilarent curas pauperum relevandorum. Tauromitano in Sicilia Episcopo commendavit generum eum, cujus socer excesserat prorsus inops rerum omnium, ut ne terantium quidem ex ejus L. 5. Ep. 35. hæreditate, vel filia, vel gener percepisset, in quos tamen iniquissima sæviret creditorum turba. Episcopo Ravennati mandavit, ut mulierem tue- L. 7. Ep. 21. retur conjugatam, cujus ingenuitas in controversiam trahebatur. Moniali cum parente propria litigandum erat. Lunensi Episcopo causam ejus commendavit Gregorius, matrem ut conveniret, suaderetque, ut sponte faceret, quod facere legibus cogenda erat; si mater obstinatiorem se præstaret, omni virium contentione Episcopus filiæ patrocinaretur, quem religiosa professio vehementer com- L. 7. Ep. 48. mendabat. *Quoniam æquitatis censura admonet, ut maximum conversis salva ratione Episcopale debeat esse solatium, &c. Suadeas matri ut facere sponte non desinat, ad quod legali potest ratione compelli. Quod si differre voluerit, prædictæ Adeodatæ Religiosæ contra eam tuitionem impendite; atque vestris eam solatiis apud Judicem, vel quocumque usus exegerit, instantius adjuvate.*

IV. Video his minutiis consectandis crescere hujus operis molem. Sed ut integrum cuique est, suo abundare sensu, suo plusculum indulgere judicio, non dissimulabo, mihi quidem videri ex his maximè rerum minutiis, exemplis, circumstantiis, potissimam existere veteris disciplinæ non pulchritudinem tantùm, sed & utilitatem. Nec longum enim, nec operosum esset, si testarer ministerio suo sacro teneri Episcos, interponere seipsos ad defensionem viduarum, pauperum, pupillorum, omnium denique quavis calamitate prostratorum. Sed nec utilitatis, nec voluptatis parva accessio fit, ubi declaratur hæc Episcopalis obligatio & potestas Scripturis superstrui, Gregorium de eo officio suo Episcopos frequenter commonuisse, Nuncios quoquoversum suos ei curæ præfecisse, protectionem sedis Apostolicæ in miserabiles effudisse omnes, causas eorum suo nonnunquam reservasse judicio, per Nuntios persæpè suos dirimi voluisse; ne nobiles quidem Matronas eo sedis Apostolicæ, vel Nuntiorum Patrocinio fraudasse, si earum pietas nobilitati responderet; eas causas per Judices quandoque à partibus electos dirimi fecisse; Nuncios & Episcopos ipsos ante tribunalia Judicum his miserabilibus personis affuisse; eam denique tuitionem Ecclesiæ impensam fuisse filiæ adversùs matrem, quanquam filia sanctimonialis esset, & de ea causa cognituri essent Judices Civiles. Quanquam enim ex Apostolo difficile sit sine peccato litigari; insinuat hic tamen satis apertè Gregorius, causas & vices rerum esse posse singulares ejusmodi, ubi filia, & quidem Monialis cum matre litiget, citra delictum; si enim citra delictum ea lis expediri non potuisset à Sanctimoniali virgine, non ei suam, non ei Episcopalem cujusquam alterius Gregorius gratiam & authoritatem commodasset.

V. Nec illud silentio prætereundum est, has plerasque civiles fuisse causas, & Episcopali tamen eas fuisse obnoxias jurisdictioni, tum quod ipsi Episcopi de eis persæpè cognoscerent, tum quod earum judiciis, & judiciorum executioni instarent: Superiores nonnunquam conveniebantur tantum Judices & Magistratus, quo eorum imperio inferiores Officio fungi cogerentur; utpote quos odorabantur Episcopi suis non facilè precibus flectendos. Cum Palatinus nescio quis ab Opificibus Neapolitanis onera quædam & obsequia exigeret nova, & juramento eos constrinxisset, sibi cessuros quidquid pecuniæ exprimerent ab Opificii sui novis Magistris; Ad Gregorium perlatis ejus rei querelis, scripsit ipse ad Episcopum Neapolitanum, suis ut precibus monitisque abduceret Palatinum ab his injuriosis molitionibus; si contumacem experiretur, recurreret ad Præfectum, cujus summa authoritate his perversitatibus occurreretur: ut ne frustrarentur spe sua, qui ad tuitionem Ecclesiæ confugissent. *Ne eos qui tuitionis nostræ suffragia quæ-* L. 8. Ep. 17. *siverunt, quorumdam voluntas injustè opprimat.*

VI. Quæ alienis proderat, suis abesse non poterat Ecclesiæ defensio. Itaque Episcopum Gallipolitanum per Epistolas hortabatur Gregorius, ut rusticos Castri Gallipolitani tueretur adversùs novarum in eos exactionum authores; cùm agri illi ad Ecclesiæ Romanæ proprietatem pertinerent, quod constare illi posset per privilegia, quæ ad eum perferri curabat, ex Scrinio Ecclesiæ Romanæ. *Quia & exemplaria privilegiorum Ecclesiæ de Scrinio* L. 7. Ep. 105. *nostro ob hoc tibi fecimus dari.*

VII. Verùm in eas potissimum exactiones tyrannicas acuebat se charitas & sollicitudo Episcoporum & Pontificum, quibus grassabantur Ministri Imperatorum, Provinciarumque Præsides; unde & adeundi erant Imperatores ipsi, quorum & pietati, & edictis ea primum contumelia irrogabatur. Romam profectus Calaritanus Archiepiscopus Gregorio renunciavit, quàm iniquis sævisque exactionibus Theodorus Sardiniæ Dux ejus Insulæ rusticos fatigaret. Gregorius ad suum Constantinopoli Apocrisiarium protinus scripsit, Imperatorem ut certiorem faceret de hac tanta præter ejus voluntatem, & præter ipsa ejus edicta rusticorum vexatione. *Vo-* L. 2. Ep. 47. *lumus ut apto tempore piissimis Dominis, juxta id quod Provinciales prædictæ Insulæ justè & competenter postulant, suggeras, &c.* Cùm subesset autem Ducatus Sardiniæ Africæ Exarcho, scripsit & ad Exarchum Gregorius, quantis Theodorus oneribus & expilationibus agricolas Clericosque Sardiniæ opprimeret, ut ipse eam calamitatem pro potestate & officio suo depelleret. *Marinianus Turritanæ civitatis* L. 7. Ep. 19. *Episcopus nobis lacrymabiliter indicavit, suæ civitatis pauperes omnino vexari, insuper & Religiosos Ecclesiæ suæ homines gravem ab hominibus Theodori sustinere molestiam, &c. Et quia hæc omnia per vestram excellentiam convenit emendari, posco ut ea ulterius fieri non sinatis; illi jubete, ut ab Ecclesiæ se læsione removeat, & nullus eorum in angariis, seu commodis, ultra quam finis ratio, prægraventur.*

VIII. Nec his contentus Gregorius Imperatricem Constantinam per litteras interpellavit, monuitque in Insula Sardiniæ ab Imperatoris ministris potestatem esse factam idolis sacrificandi, pensitata sibi certa pecunia ab Idololatrarum quibusdam reliquiis; quin & ab iis postquam Christo nomen dedissent, eandem extorqueri pecuniam; in

Corsica verò Insula vix posse rusticos tributa sibi imposita pendere, nisi proprios distraherent liberos, qua barbarica immanitate eorum plerique ab Imperii partibus & terris ad Longobardos desciscebant; In Sicilia verò oræ maritimæ Præfectum tantis infamatum esse latrociniis, ut ne justo quidem volumine ea possent omnia describi. Captata opportunitate commonendum esse à Regina Imperatorem, quanta ex his possit in ipsum, in ipsam, in communem prolem cælestis iræ provocari tempestas. Si non eam pecuniam mittat Imperator, quæ tuendæ Italiæ necessaria est, his saltem extorsionibus medeatur; infructuosas enim forsan esse impensas omnes in defensionem Italiæ, propterea quod in ipsa tributorum exactione, multa & in Deum & in agricolas peccantur. L. 4. Ep. 33. *Quæ piissimo domino apto sunt tempore suggerenda, ut ab anima sua, ab Imperio, atque à filiis suis tale hoc tantumque facinus peccatique pondus amoveat, &c. Etsi minùs expensa in Italia tribuantur, à suo tamen Imperio oppressorum lacrymas compescat. Nam & idcirco fortasse tanta expensa in hac terra minùs ad utilitatem proficiunt, quia cum peccati admixtione aliqua colliguntur. Præcipiant ergo serenissimi domini nil cum peccato colligi.* Cumque prætexeret Imperator has tributorum pensiones ex circumjacentibus Insulis ad defensionem Italiæ pertinere, ad comprimendos exterendosque ex ea Longobardos: respondet Pontifex, ubi populorum exugitur sanguis, & Deus offenditur, non illud satis idoneum esse munimentum ad tuendam Italiam, & ad hostes Imperii ex ea abigendos: si non possint nisi criminosis exactionibus arma propulsari Longobardorum, æquum non esse ad temporalem Italiæ incolumitatem Imperatores ipsos de salute sua æterna periclitari. *Melius est temporaliter nos non vivere, quàm vos ad æternam vitam obstaculum invenire.* Denique profitetur Pontifex, gravissimo se piaculo constringendum fuisse, si tanta hæc mala Imperatoribus diutiùs tacuisset. *Ne si ea quæ in his partibus aguntur, pietas vestra non cognosceret, me apud districtum Judicem silentii mei culpa mulctaret.*

IX. Sed nusquam Gregorius paternæ charitatis viscera proliximùs effudit; aut quibus afficeretur doloribus prodidit, ubi à Judicibus, vel Præsulibus pauperes affligebantur, quàm in datis ad Episcopum Sebastianum litteris. Gladios ipsos Longobardorum negat formidolosiores esse, quàm Judicum injurias, dolos, rapinas: porro jam non tolerandum sibi incumbere onus tot sollicitudinum & curarum, ubi pervigilandum sit in Episcopos, in Clericos, in Monachos, in populum, ut eos communiat adversùs insidias inimicorum, & artes Gu- L. 4. E. 35. bernatorum. *Breviter dico, quia Romani in nos malitia gladios Longobardorum vicit: ita ut benigniores videantur hostes, qui nos interimunt: quàm Reipublicæ Judices, qui nos malitia sua, rapinis atque fallaciis in cogitatione consumunt. Et uno tempore curam Episcoporum, atque Clericorum, Monasteriorum quoque & populi gerere, contra hostium insidias sollicitum vigilare, contra Ducum fallacias atque malitias suspectum semper existere, cujus laboris, cujus doloris sit, vestra fraternitas tantò veriùs penset, quantò me, qui hæc patior,* L. 8. Ep. 55. 56. 57. 58. 59. 60. *puriùs amat.* Alibi rursum Gregorius Nuntiis suis & Episcopis Sardiniæ commendabat tutelam & defensionem Gregorii Expræfecti, ne præter æquum opprimeretur. Eadem de causa litteras dedit & ad Ministros Imperatorios.

X. His adde Edictum quod Cassiodorus Præfectus Prætorio cùm esset, publicari fecit anno 534. ex Baronio, quo permittebatur Episcopis, pretium ut figerent rerum, quæ hospitibus & peregrinantibus venderentur. A quo non abludit quod de Joanne Patriarcha Alexandrino, ab eleemosynis nomen nacto narratur. Is enim & commiseratione in pauperes, & magnanimitate in eos à quibus obterebantur, immortalitati nomen suum & fastis Ecclesiæ commendavit. Cùm summam sibi Nicætas Patricius potestatem in foro rerum venalium vendicaret, illectus lucro quod ex ea re in illum refluebat, restitit fidentissimè Patriarcha, eo uno incitamento levandorum pauperum. *Patricius disponere volebat forum propter lucra publica; Patriarcha autem id non patiebatur, pauperum in hoc procurans salutem.* Cap. 14. Cessit tandem Patricii pertinacia incredibili Patriarchæ mansuetudini & suavitati.

XI. Venio ad Leges, & ad eam primùm Justiniani Constitutionem, ubi fisco amplificando studens, citra Provinciarum gravamen: *Quomodo & fiscus & subditi illæsi & indemnes permaneant*: jubet tandem, ut Episcopi, & honoratiores cujusque Provinciæ Gubernatorem eligant, qui de fisci proventibus caveat, pollicitus ei se electioni assensurum, ne quid posthac rursus ebulliat querelarum: ne verò sperent se aures posthac iis accommodaturum, si Gubernatorem eligere cessent, vel de eo quem elegerint, conquerantur. *Hortamur cujusque* Novel 149. c. 13. *Provinciæ sanctissimos Episcopos, eosque qui ex indigenis & incolis primas tenent, ut per communem libellum supplicem, de iis ad nostram potentiam referant, quos idoneos esse ad Provinciæ suæ gubernationem existiment. His enim Magistratûs insignia gratis tradituri sumus; tamen ut publicum & fiscalem canonem se illaturos caveant, atque nihil contra legem se exacturos, &c. Si verò hoc nostrum beneficium consecuti, in Præsidum electione, opinione atque spe frustrentur, neminem præter se ipsos culpare poterunt. Neque etiam si hos eligere & ad nos referre distulerint, ullo amplius jure de his qui hinc in Provincias emittuntur, querimoniam instituent.*

XII. Idem ipse porro Justinianus vetitis Judæis, Cod. l. 1. De Ep. & Cler. c. 55. Paganis, Hæreticis, ne servos haberent Christianos Catholicos; permissisque eorum servis infidelibus ad fidem Christi se conferre, ita ut quo primùm die Christianæ fidei & libertatis jugum subierint, humanæ cujuscumque servitutis compede exolvantur; & si quando eorum domini ad eandem Catholicam fidem animum appellant, ne tum quidem concessa excidere ipsi possint libertate: his recentibus libertis denique tuendis præficiebat Præsides Provinciarum, Defensores Ecclesiæ & Episcopos. *Et eos tam Judices Provinciarum, quàm sacrosanctæ Ecclesiæ defensores, nec non & beatissimi Episcopi defendant.* Qui rursus Imperator Præsides Episcoposque voluit defensores & Patronos se agere libertatis puerorum expositorum, quos omni absolvit servitute, quanquam servili ab origine progna- ti essent. *Hæc observantibus non solùm Præsidibus Pro-* De Episc. audient. *vinciarum, sed etiam Episcopis.*

Erant Civitatibus reditus non contemnendi, quos c. 24. consumi jus erat in reparationes pontium, viarum, portuum, mænium, aliorumque operum publicorum. Ne improbitate hominum ea pecunia interverteretur, jussit Imperator, ut anno quolibet rationes ejus Episcopo inferrentur, & tribus primariis civibus, postquam opera ipsa conspexissent. *Sancimus ut in unum conveniant religiosissimus Episco-* Ibid. c. 26. *pus, ac tres bonæ existimationis, & qui cæteris præstant in ea civitate, ac singulis annis inspiciant opera facta.* Jussionibus minæ accedebant, si exitiali igna-

via silerent Episcopi, involarique sinerent publicos eos proventus. *Si in ea re Episcopus negligens fuerit, habebis & Dominum Deum nostrum infensum, & Imperialem vindictam expectabis, si ea servili silentio sacerdotalique licentia indigno praterierit.* Quin & eadem ostensæ sunt pœnæ Episcopis, qui non intrepidè intercederent novis exactionibus, quas injussu
Ibidem. Imperatorum facerent Magistratus. *Liceat Episcopo cohibere omnem exactionem, &c.* Qui curatores addebantur utriusque sexûs amentibus, ii sacramentum jubebantur præstare, eo munere probè & offi-
Ibid leg. 17. 30. 31. ciosè perfuncturos. Missa facio complura alia Legum capita, ubi voluit Princeps ab Episcopis exerceri jurisdictionem civilem, humanitatis & suavitatis plenissimam, in miserabiles omnes beneficam. Nec oblivione obruenda lex, quam Baronius confert ad annum 535. qua edicebatur, ut Præfecti Provinciarum Metropolitanis obligarent se solenni observandarum legum juramento, fidei Catholicæ inconcussa constantia retinendæ, nihil usquam exigendi, nunquam præter justitiæ leges judicandi.

XIII. Codici denique suo intexuit Justinianus, & pristino vigore donavit antiquissimam Constantini Magni Constitutionem, quæ dominis copiam faciebat manumittendorum servorum in Ecclesia, dum publicè id fieret, & præsente Episcopo. *Jam-*
L. 1. Cod. De his qui in Eccles. manumitt. *dudum placuit, ut in Ecclesia Catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, ut sub aspectu plebis adsistentibus Christianorum Antistibus id faciant.* Simplicissima hæc manumissio ob Episcopi præsentiam ejusdem erat ponderis ac firmitatis, atque si usitatissimis ritibus formulisque vestita fuisset, quibus novi Cives Romani creabantur. *Qui religiosa mente in Ecclesiæ gremio servis suis meritam concesserint libertatem, eandem eo jure donasse videantur, quo civitas Romana solemnitatibus decursis dari consuevit. Sed hoc dumtaxat his qui sub aspectu Antistitum dederint, placuit relaxari.*

Soluti erant & Clerici à formulis juris, & vel ultimæ voluntatis, vel alio quocumque testimonio, abundè erat, ut significassent, servos hos à se suos manumitti, ut nec testibus opus esset, nec chartis. In aperto erat ratio; quòd jam quodammodo servitutem exuissent, quorum domini Clericatum profitebantur. Aiente nimirum Lactantio, fidelibus omnibus proprios servos, non jam servos videri, aut haberi, sed fratres. Sic enim ille præclarissimè:
L. 5. c. 5. *Tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt, sed eos & habemus & dicimus spiritu fratres, & religione conservos, &c. Cùm igitur & liberi servis, & divites pauperibus humilitate animi pares simus &c.* Nec nulli tamen Clerici servos suos publicè præsente Episcopo manumittebant, & solenni libertatis charta donabant. Qua de re Augustinus:
Serm. 50. De diversis. *Diaconus Hipponensis homo pauper est, quid alicui conferat, non habet: tamen de laboribus suis antequam esset Clericus, emerat aliquos servos, hodie illos in conspectu nostro manumissurus est Episcopalibus gestis.*

CAPUT XCI. *P. 3. l. 2. c. 60.*

De protectione eadem Episcopali orphanorum, viduarum & pauperum. Ea Regia quoque protectione aut fungebantur ipsi Reges, aut Comites Palatii onerabant, sub Imperio Caroli Magni, ejusque stirpis.

I. II. Concilia Episcopis demandant curam protegendorum pauperum & miserabilium personarum, tempore maximè visitationis.
III. Debent & Laici Episcopis opitulatores accedere.
IV. Ad Regem confugiunt Episcopi, ut primarium miserabilium omnium defensorem.
V. Præsides Provinciarum ad id muneris conspirare cum Regibus debent.
VI. Calamitas sua miseros quodammodo consecrat, Deoque, & probis omnibus chariores facit.
VII. Quàm animosè Hincmarus ad Regem peroraverit ad miserabilium levationem.
VIII. Quicumque tyrannica vi opprimebantur, iis perfugium erat Aula Regia.
IX. Eorum causa omnes Comiti maximè Palatino committebantur.
X. Jura & officia Comitum Palatii.
XI. Illis maximè pauperum causa commendabantur.
XII. Causas audiebat Carolus & ipse Magnus aliquando.
XIII. Erant & in Italia & in Germania sui Comites Palatii.
XIV. Causas Ecclesiasticas attingere non poterant.
XV. Sedebant supra eos Episcopi.
XVI. Splendidissima tamen erat eorum dignitas.

I. IN Concilio Vernoo anno 755. præceptum est, ut statim Judices Comitesque de causis cognoscerent viduarum, orphanorum, & Ecclesiarum, easque incunctanter dirimerent, quòd commune id esset Episcoporum & Regum officium, misellis omnibus opitulari. *Ut Comites, vel Judices ad* Can. 13. *eorum placita primò viduarum, orphanorum, vel Ecclesiarum causas audiant & definiant, in eleemosyna domni Regis: & postea alias causas cum justitia rationabiliter judicent.* Si Clerici hic autem privilegio utantur viduarum & orphanorum, id vel ex eo fit, quòd ut ex Canone liquet alio hujus Concilii, ipsis immineret sollicitudo causarum & personarum, quovis infortunio perculsarum. *Ut Clerici non habeant* Can. 16. *actiones seculares, nisi pro causa Ecclesiarum, orphanorum, vel viduarum, ordinante Episcopo suo, vel Abbate.* Aut quia idem erat Ecclesiæ pauperumque patrimonium. Ita cùm non possent Clerici ex hoc Concilio causas persequi, nisi Ecclesiæ, vel pauperum, in tuendis Ecclesiæ bonis, pauperes ipsos defendebant.

Concilii Francofordiensis Patres Episcopis Presbyterisque curandas indixere puellas orphanas, quarum providentiam gravioribus ipsi fœminis committere deberent. *De [illegible]llis, quæ parentibus privatæ* Can. 40. *fuerint, ut sub Episcoporum & Presbyterorum providentia gravioribus fœminis commendentur, sicut canonica docet authoritas.*

II. In Concilio VI. Arelatensi anni 813. declara- Cap. 17. tum est, Episcopos dum Parochias suas circumlustrant, eum laboris sui fructum capere debere maximum, ut explorent, qua vi, quo damno, qua contumelia afficiantur pauperes & miselli à Judicibus, vel præpotentibus viris: ut hos gravissimis coerceant correptionibus: ut si eorum [illegible]litiam frangere non possint, Regem certiorem faciant, quò Regia potestate conteratur superbia, quam indulgentia sacerdotalis inflectere non potuerit. *Ut unus-*

quisque Episcopus semel in anno circumeat Parochiam suam. Noverint sibi curam populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impositam. Ideoque dum conspiciunt Judices ac Potentes pauperum oppressores existere: prius eos sacerdotali admonitione redarguant; & si contempserint emendari, eorum insolentia Regis auribus intimetur; ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, Regalis potestas ab improbitate coerceat.

III. In Concilio Moguntino jussi sunt Laici Episcopis conniti & collaborare, ad viduarum & orphanorum defensionem. *Et ut Laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos defensandos.* Can. 8.

In Concilio III. Turonensi ejusdem anni 813, illacrymatum est complurium ingenuorum calamitati, qui extremæ in paupertatis angustias dejecti essent, iniquissimis divitum extorsionibus; unde & ingeminatæ sunt ad Carolum Imperatorem querelæ & preces, quo inquiri in hæc juberet, & opportuna ei malo adhiberet medicamenta. *Eos dicicimus, qui liberi esse noscuntur, & sub potestate potentiorum sunt constituti; quorum si negotia & causas clementia piissimi Principis nostri diligenter investigari jusserit, reperientur quamplurimi diversis occasionibus ad ultimam paupertatem jam redigi.* Can. 40.

IV. Si denique ad Reges & Imperatores tam frequentes concurrant Episcopi, ut patrocinii aliquid pauperibus oppressisque concilient: in causa est illa persuasio, quòd non aliud Regum & Magnatum antiquius strictiusque sit, vel illustrius etiam officium, quàm ut calamitosos levent, & authores calamitatum quantumvis potentes ulciscantur. Inde est enim illud Concilii Parisiensis VI. anno 829. *Rex enim debet primò defensor esse Ecclesiarum & servorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium.*

V. Provinciarum Præfectis, & Civitatum Magistratibus id significatum voluere Carolus Magnus & Ludovicus Pius, cùm essent veluti Vicarii & Coadjutores Imperatoriæ Majestatis, summam eos alere debere concordiam cum Episcopis, quò unà omnes omni virium contentione conspirarent ad Ecclesiarum pauperumque tutelam. *Vobis Comitibus dicimus, vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maximè pertinet, ut cum Episcopis vestris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis, &c. In parte ministerii nostri vobis commissi, &c. Ut nostri veri Coadjutores & populi conservatores dici possitis, &c. Pupillorum verò & viduarum, & cæterorum pauperum adjutores & defensores, & sancta Ecclesia, vel servorum illius honoratores, juxta vestram possibilitatem sitis.* Capitul. l. 2. c. 6.

VI. Intelligebant hi Principes, remesse sacram miseros; & ipsa miseria sua, & paupertate, illos Deo consecrari, hominibusque commendari, ac præcipuè summis Principibus, qui speciem quandam & imaginem Deitatis præ se ferunt, cujus Vicarii sunt & Ministri. *Ut vidua, orphani & minùs potentes sub defensione Dei & nostro mundeburde pacem habeant, & eorum justitias acquirant.* Capitul. l. 6. c. 223.

VII. Ulteriùs progressus est Hincmarus in hoc explanando communi Episcoporum & Regum officio. Ludovicum enim Germaniæ Regem authoritate, gravitate & fiducia ea quæ prorsus intrepidum deceret Præsulem, admonuit, edocuitque, ut se Regum ministros gerere deberent, ne quid novi oneris Clericis, pauperibus, & populo imponerent: quin animum potiùs ipsi, curasque suas conferrent, excolendis vineis, agris, pratis, silvisque, & universo Principis privato dominio & patrimonio; ne his neglectis cogerentur Clericos Laïcosque pauperiores meratibus, aliisque exactionibus gravare. *Judices villarum regiarum constituite, qui non sint cupidi, pecunias regias ad usuras non donent, &c. Laborent & excolant vineas, &c. Faciant nutrimenta congrua, custodiant sylvas, unde habeant pastionem, defendant & excolant prata, unde habeant pabula. Quatenus non sit vobis necesse, per quascumque occasiones quorumcumque hortatu circuire loca Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum & Comitum, & majores quàm ratio postulat, paratas requirere, & pauperes Ecclesiasticos & fidelium vestrorum mansuarios & carricaturis & paraveredis contra debitum exigendis gravare, & peccatum de facultatibus indebitè consumptis in animam vestram congerere.* To. 2. pag. 138.

Constat ergo uno eodemque vinculo Episcopos & Ministros Regios obligari ad pauperum & miserorum defensionem; eo tamen discrimine, ut specialiùs Episcopi tueri eos debeant adversùs alios raptores, Regumque ministros, si officio desint, & pro Patronis deprædatores fiant. Ejus officii sui sensu & conscientia altissimè infixa Hincmarus idem eidem confirmabat Regi, si nihil novæ in his emersisset causæ & necessitatis, nullas ab eo posse novas & patri suo inusitatas invehi exactiones; quin ex agrorum suorum & paternorum prædiorum fructibus alendam ei esse familiam, expensas Legationum variarum suppeditandas, denique largiùs erogandum in pauperes, cùm nulla regia magis virtus sit, quàm munificentia; minimè autem regium sit, quæ aliis extorseris, aliis elargiri. *Neque à Comitibus, vel fidelibus vestris plus studeatis, quàm lex & consuetudo fuit tempore patris vestri, de hoc quod de Francis accipiunt, exquirere. Quin potius habeatis, unde sufficienter & honestè cum domestica Curte vestra possitis vivere, & legationes Palatium vestrum adeuntes recipere, & sicut scriptum est, unde possitis, de justis laboribus necessitatem patientibus tribuere. Quia Rex & largus debet esse, & non quod largitur, de injustitia vel iniquitate debet conquirere.*

V. Nec abs re Hincmarus non alios Principes Ludovico eidem Regi æmulandos objiciebat, quàm augustissimos Majores ejus, quorum alibi significat Palatium, instar asyli semper fuisse, quò se reciperent cujus demum cumque generis calamitosi. Patebat enim illis semper Palatium, patebant Principum aures, patebant manus, & opum exuberantia, ubi justæ suberant causæ. *Ut ex quacumque parte totius Regni, quicumque desolatus, orbatus, alieno ære oppressus, injustè calumnia cujusque suffocatus, seu cætera his similia, quæ nunc enumerare perlongum est, maximè tamen de viduis & orphanis, tam seniorum, quamque & mediocrium, uniuscujusque secundùm suam indigentiam vel qualitatem, dominorum verò misericordiam & pietatem semper ad manum haberet, per quem singuli ad pias aures Principis perferre potuissent.* Ibid. c. 21.

IX. Si verò, ut author est Hincmarus, nusquam in Palatio deerant humaniores illi sequestres, qui mollissimos aditus misellis omnibus ad Principem munirent; indubium est eos magna ex parte Clericos fuisse, quod idem affirmat Hincmarus de interioris Consistorii Consiliariis. Sed eùm pauperum & miserabilium defensionem demandarent Reges partim Missis Dominicis, partim Comitibus Palatii, de iis hîc obiter verba fieri operæ pretium est. Reliquum ergo hujus Capitis Comitibus Palatii dicabimus, qui Laïcorum ex ordine semper adoptabantur; prolixiùs disputaturi Capite proximo de Missis Ibidem.

Missis Dominicis, quos inter & Episcopi quandoque adscribebantur.

X. Illud primum de Comite Palatii affirmat Hincmarus, eum suscepisse libellos omnes supplices eorum, qui ad pietatem, vel ad Justitiam Principis recurrerent, ac proinde miserorum omnium, quorum spes salutis tota Palatio Principis affixa erat: quin & ipsum votis eorum facere satis solitum fuisse, si tanti res non videretur ei, ut auribus Regiis obstrependum esset. Idem præstabat in Clericos Archicapellanus.

To. 2. pag. 208.

Capellanus, vel Palatii custos, de omnibus negotiis Ecclesiasticis, vel Ministris Ecclesiæ, & Comes Palatii de omnibus sæcularibus causis vel judiciis, suscipiendi curam instanter habebant: ut nec Ecclesiastici, nec sæculares prius domnum Regem absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque illi previderent, si necessitas esset, ut causa ante Regem merito venire deberet.

2. Comes verò Palatii non causas tantum omnes definiebat, quæ in Provinciis finiri non potuissent. Sed & judicia omnia juri, æquitatique tutmica ad elimatissimas justitiæ leges revocabat. *Comitis Palatii inter cætera pene innumerabilia, in hoc maximè sollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis judicium Palatium adgrediebantur, justè ac rationabiliter determinaret, seu perversè judicata ad æquitatis tramitem reduceret.*

3. Sicubi adversa fronte collidi videbantur jura fori & jura poli, Cæsarum Christique leges, Comitis Palatii erat Regem admonere, qui humani divinique juris consultissimos viros percontatus, sed divinarum tamen legum amantiores; mox ipse secundùm divinas pronunciabat, humanis abrogatis, sicubi cum divinis conciliari non possent. *Ut Rex cum his qui utramque legem nossent, & Dei magis, quam humanarum legum statuta metuerent, ita decerneret, ita statueret, ut ubi utrumque servari posset, utrumque servaretur: sin autem, lex sæculi meritò comprimeretur, justitia Dei conservaretur.*

4. Judicia sua librabat Comes Palatii in Cœtu Consiliariorum Palatinorum, inter quos primæ erant Clericorum sedes. *Consiliarii autem tam Clerici, quam laici, tales eligebantur, qui primo Deum timerent.*

Ibid. p. 215.

5. Denique Comes Palatii Vindex habebatur, Defensor & Advocatus laicorum omnium, Regia ope & tuitione egentium: Archicapellanus eadem munia in Clericos sustinebat. Ita Hincmarus in commonitorio suo ad Ludovicum Germaniæ Regem. *Ut si Episcopus pro quacumque necessitate Ecclesiastica ad vos direxerit, ad quem suus Missus veniat, per quem quæ rationabiliter petierit, obtineat, in Palatio vestro sicut Comes Palatii est in causis Reipublicæ ministerio idoneum constitutum habete.*

Ibid. p. 131.

XI. Hinc Carolus Magnus plurima cum decrevisset in favorem pauperum & oppressorum, ea declarat se promulgari fecisse per Comitem Palatii Adelardum. *Hæc ab Adalardo Comite Palatii nostri ad eorum satisfactionem, unà cum aliis fidelibus nostris præcepi nostra vice, & publicè adnuntiari jussimus.* Primatium verò Comitis Palatini munus luculentissimè descripsit idem Carolus, ubi constituit, ut causæ Episcoporum, Abbatum & Optimatum, quæ longiori egent indagine & mora, ad Palatium Principis referantur, ita sane ut ne causæ pauperum retardentur: propterea quod Comes Palatii vacare non debeat, nisi causis pauperum & calamitosorum; Magnatum verò negotiis non interponere se possit, nisi ubi speciali Principis mandato jubetur. *Neque propter hoc pauperum & minus potentium causæ remaneant. Neque Comes Palatii nostri potentiorum causas sine nostra jussione finire præsumat: sed tantum ad pauperum & minus potentium justitias faciendas, sibi sciat esse vacandum.*

Conc. Gall. Tom. 2. pag. 243. 248. Capitul. l. 6. c. 131. Et l. 3. c. 77.

XII. Nec tamen ita incumbebat Carolus Comitis Palatii sollicitudini de pauperum, & de quibuscumque aliis causis, ut non ipse adesset, præessetque iis, ubi Comes ipse Palatii æstuare poterat, aut titubare. Ita enim Eginhardus in ejus vita: *Cùm calciaretur & amiceretur, non tantum amicos admittebat, verùm etiam si Comes Palatii litem aliquam esse diceret, quæ sine ejus jussu definiri non posset, statim litigantes introducere jubebat, & velut pro tribunali sederet, lite cognita sententiam dicebat.*

Du Chesne. To 2. pag. 102. 266. 268.

XIII. Tradit porro idem in Annalibus suis Eginhardus suum quoque Italiæ fuisse Comitem Palatii; ex eo nempe tempore, quo Lotharius Romæ Imperii diademate redimitus, in Gallias redire voluit ad Parentem. *Missus est in Italiam Adhalardus Comes Palatii, jussumque est ut Brixia Comitem secum assumeret, & inchoatas justitias perficere curaret.* Comites hi Palatini Italiæ, Germaniæque, aliorumque Regnorum, eandem exercebant provinciam tuendorum pauperum, & ærumnosorum quorumlibet. Denique cum Carolus Calvus Regni finibus esset egressurus, ut Romam pergeret ad coronam imperii, Adalardo Comiti Palatii commisit filium, Regnum, & Sigillum. *Adalardus Comes Palatii remaneat cum eo, cum sigillo.*

Ibid. p. 464.

XIV. Quanquam latissimè pateret Comitum Palatii jurisdictio & potestas: non illas tamen illi ad se pertrahere poterant causas Clericorum. Ideo & Hincmarus ad Fulconem Comitem Palatii rescripsit, non posse ab eo Judicium institui de Presbytero, qui ab Ecclesiastico ad civile forum declinaverat. *Mandat Comiti Palatii Regis Folconi, ne se in hac causa se commisceat: quia de Presbyteri & Ecclesiæ causa ad Episcopos, & ad Synodum definitio pertineat, non ad mali, vel civilium judicum dispositionem.*

Flodoard. L. 3. c. 26.

XV. Illud quoque constat, quamlibet celso emineret fastigio Comitis Palatii Dignitas, superiores tamen honoris partes, sedesque obtinuisse Episcopos, in illo ipso Consistorio, ubi jus ab illo dicebatur. Quanquam enim interponere se Comes Palatii non posset in causas Ecclesiasticas: ejus nihilominus Judiciis Civilibus interesse poterant Episcopi, & supra eum sedere. Dilucescunt mirum in modum hæc omnia, una in illa Marcolphi formula, quæ celnti imaginem continet eorum judiciorum, quibus Rex ipse præsens aderat, Episcoporum cuneo cinctus, & Ministrorum suorum, quos inter potissimum eminebat Palatii Comes.

Marculph. L. 1. c. 25.

XVI. Hinc illud concluditur locum jam tum fuisse Comiti Palatii inter potissima Regni Officia sub Imperio Regum stirpis Clodovæi. Eorum aliqui designantur à Gregorio Turonensi: sed propius à vero abest, sub Caroli Magni potissimum stirpe eam dignitatem ad gloriæ suæ cumulum provectam fuisse. Ejus gloriæ radium alicubi aspersit Monachus Sangallensis, cùm ait Legatos Constantinopolitanos in Palatio Caroli Magni, audito Comite Palatii cum peroraret in Cœtu Procerum, Imperatorem hunc ipsum suspicatos esse, pronosque in terram se dejecisse. *Comitem Palatii videntes, in medio Procerum concionantem, Imperatorem suspicati, terra tenus sunt prostrati.*

L. 9. c. 12, 30.

L. 1. c. 9.

CAPUT XCII. *P. 2. l. 2. c. 61.*

De tuitione pauperum & oppressorum, quam Reges præstabant per Missos Dominicos, in quibus principem locum obtinebant Episcopi. Prolixè de his Dominicis Missis, & de authoritate, quæ hinc Regibus accedebat in Episcopos, & in Ecclesiæ Disciplinam, temporibus Caroli Magni, & Carolinæ familiæ regnatricis.

I. Inter Missos Dominicos fuisse & præfuisse Episcopos. Probationes.
II. Probationes aliæ ex functione & potestate Missorum Dominicorum.
III. Archiepiscopi & Episcopi hac Missatica functione expressime decorati.
IV. Quàm latè se funderet Missorum potestas Dominicorum.
V. Post Carolum Magnum & Ludovicum Pium, rursum sub Carolo Calvo Episcopi creantur Missi Dominici.
VI. Legati erant à Latere Regum.
VII. Jacebat Missorum laicorum potestas sine Episcopis.
VIII. Episcopi declarati sunt Missi Dominici perpetui.
IX. Ad speciale negotium quodpiam positi aliàs Missi Dominici.
X. Post Carolum Calvum rursus Missi Dominici.
XI. Missi Dominici laici non semel episcopalibus infulis decorabantur.
XII. Ita erat Regum persuasio, sua cura & custodia Ecclesiam esse commendatam, Adjutores & Cooperatores sibi datos Episcopos.
XIII. Eo animo & consilio Missos Dominicos delegabant.
XIV. Pari aliis verbis rem exponebant Episcopi, sibi à Christo concreditas fuisse Ecclesias, Reges sibi defensores additos esse.
XV. Ea erat verborum discrepantia, non rerum, non animorum dissensio ulla, summa semper Imperii & Sacerdotii concordia.
XVI. Nova ejus Concordiæ argumenta.
XVII. Ad hæc in tota Missorum Dominicorum ad Canonum observantiam collimabat.

I. PAuperum & ærumnosorum omnium cura & defensio Episcopis incumbebat, non pastoralis tantùm officii vinculo, sed & Missi Dominici qua plerumque præfulgebant dignitate, ipsa Regum authoritate & potestate induti. Missis his Regum, qui Dominici ideo dicebantur, delegatæ ipsa eorum institutione fuerant causæ omnes pauperum, & quoscumque clades aliqua afflixisset, non adversùs Proceres tantùm, sed & contra Episcopos & Abbates, si qui horum damni authores ducesque fuissent. Ex quo id existit, his muneribus ornatos fuisse ex parte saltem aliqua Episcopos. Nec enim fas erat à Comitibus, vel Magistratibus jurisdictionis aliquid usurpari in Episcopos & Abbates. Audienda de his ipsa Caroli Magni Capitularia. *De eo quod Missi nostri providere debent, ne fortè aliquis clamor super Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, vel Comitem, seu super qualemcumque gradum sit, & nobis renunciare.*

Conc. Gall. To. 2. pag. 257.

Ea sanè delegatio specialis in Ecclesias & Monasteria, ut inquireretur in ædificia & ornamenta eorum, in regularem observantiam, in Cantus & Officiorum Chori formam ad priora statuta reformatam; hæc inquam delegatio, vix aliis poterat, quàm Episcopis committi. *Ut Missi per singulas civitates & Monasteria virorum & puellarum, perviderant quomodo, aut qualiter in domibus Ecclesiarum & ornamentis, Ecclesia emendata vel restaurata esse videntur, & diligenter inquirant. de conversatione singulorum, vel quomodo emendatum habeant, quod jussimus de eorum lectione & cantu, cæterisque disciplinis Ecclesiæ pertinentibus.*

Ibid p. 147. Et l. 1. Capit. c. 122.

II. Missorum ergo istiusmodi jurisdictio, non sola miserabilium quorumcumque levatione circumscribebatur; quanquam ea sanè nunquam in prætermitis relinqueretur. Id ex alio apertissimum fit Capitulari; ubi postquam jussi sunt ab Imperatore Missi Dominici, pervigiles agere excubias, ad concordiam & pacem inter Episcopos, Abbates, Comites, Abbatissas, aliosque Ministros Regios, sartam tectamque tuendam: *Ut diligenter inquirant inter Episcopos, Abbates, sive Comites & Abbatissas, atque vassos nostros, qualem concordiam & amicitiam ad invicem habeant, &c.* Præcipitur iisdem ipsis, ut actutum causas omnes dirimant Ecclesiarum, pauperum, orphanorum, Principemque submoneant, sicubi malo desperato mederi nequirent. *Insuper & pro justitiis Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillarum & cæterorum hominum inquirant & perficiant: & quodcumque ad emendandum invenerint, emendare studeant in quantum melius potuerint: & quod per se emendare non potuerint, in præsentiam nostram adduci faciant.* Ibid p. 245.

Horum pleraque munerum Episcopali magis, quam Comitum dignitati concinebant. Sed cùm inficias ire non possimus, quin ad ea persæpè Comites delegarentur: edocuit nos Concilium Moguntinum anni 813. providentissimè cautum fuisse, ut sæculares hi Regum Missi socios se adjungerent cujusque Diœceseos Episcopo, ad explorandа perlustrandaque ejus Cœnobia. *Dignum ac necessarium visum est, ut Missi per quæque loca directi, simul cum Episcopis uniuscujusque Diœcesis, perspiciant loca Monasteriorum supradicti Missi, & cum eis Episcopi per diversa loca provideant, &c.* Denique Episcopalis erat curæ, jurisque, ut emendaretur, quidquid in Regulam Monasticam peccatum esset. *Ubi autem aliter inventum fuerit, hoc omnimodis Episcopus loci ipsius faciat emendari.* Can. 10.

III. Indubium illud est, nusquam tantum potestatis & juris in Missos hos Dominicos accumulatum fuisse, quantum sub Ludovico Pio. Jam inde ab ineuntis Imperii ille sui primordiis concinnari fecit in Concilio Aquisgranensi Regulam Canonicorum Regularium & Canonicarum, eamque ad Metropolitanos transmisit, cum Suffraganeis eorum omnibus communicandam; affirmans à se post aliquot menses ablegatum iri Missos Dominicos suos in omnes Provincias, ut explorarent, renunciarentque sibi, qui cujusque Episcopi ardor, quæ strenuitas fuisset, ut ei Regulæ Cœnobia omnia inservirent. *Ut cum nos hujus rei gratia inquirenda Kalendis Septembribus, sicut sacro Concilio meminimus nos dixisse facturos, Missos nostros per Imperium à Deo nobis collatum destinaverimus, &c. Perquirere jubebimus, quis Prælatorum injunctum sibi officium strenuè peregerit, &c.* Sciscitabantur hi Dominici Missi Comites & Præfectos Provinciarum & Civitatum, qui mores essent, quæ sollicitudo Episcoporum: sciscitabantur & Episcopos, qui Comitum & Præfectorum mores, quæ diligentia; ut ad Principem referrent. *Per commune testimonium, id est, Episcoporum de Comitibus, Comitum de Episcopis comperire, qualiter scilicet Comites justitiam diligant & faciant, & quam religiosè Episcopi conversentur & prædicent.* Conc. Gall. To. 2. pag. 427. 434. 457. 528. Capitul. l. 2. c. 12. 25. 22. 27. 28.

Ac cùm ea jurisdictio supra Episcopos ipsos assurgeret, intellexit Imperator nisi per Episcopos explicari eam non posse. Singulas ergo in Provincias delegavit Archiepiscopum, vel Episcopum

unum, cum Comite uno, Dominico hoc Missatico perfuncturos. Usu enim ipso mollienda sunt nobis hæc verba. Ea certè occasione Mandato longè accuratiore Missos suos instruxit Imperator, hoc est, Episcopum, Comitemque, sigillatim delineatis functionibus, officiis, juribus, & vestigiis penè omnibus, in quæ ipsis ingrediendum esset. Omnes sui quisque territorii incolas convocare præcipiebantur, duobus, tribusve locis diversis: eosque admonere, missos se à Principe, ut explorarent, an Episcopi & Comites omnes muneris & ministerii sui numeros diligenter implerent; an eorum supinitate novæ quæpiam corruptelæ illaberentur; an eorum zelo & sollicitudini impedimenta aliqua objicerentur; jussos se his mederi morbis pro concessa sibi potestate; & si quid minus potuissent, Principem commonefacere; denique ut Conventum in unum aliquem cogerent Episcopos, Abbates, Vicedominos, Abbatissas, Comites, Ministros inferiores; illis ut significarent Imperatorum Decreta, ad pauperum & oppressorum querimonias aures adverterent. *Vel maximè propter pauperes populi idem Conventus habeatur, qui omnibus congruat.* Hujus Mandati verba alio suprà loco adscripta sunt.

Anno 823. Conc. Gall. To. 2. pag. 457. 458.

IV. Nec minùs effulsit in his delegationibus potestas Episcoporum anno 825. ubi Imperator cùm non potuisset Generalem Regni sui Conventum celebrare, voluit minore in Conventu, ut Archiepiscopi & Episcopi omnes variis primò in locis congregarentur, & ibi commentarentur quidquid decretorum videretur necessarium fore, vel opportunum, suæ primò ipsorum, mox & totius Regni restitutioni castiorem in morum & disciplinæ formam: tum verò Missos Dominicos omnes in Provincias commeaturos, ut horum recentium Decretorum observantiæ instarent: denique qualibet hebdomada vertente diem unum dicaret Imperator, examinandis in Palatio suo Missorum relationibus. *Visum nobis fuit præsens placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere, &c. Consideravimus ut primò omnium Archiepiscopi cum suis Suffraganeis convenirent, & ibi tam de sua, quàm de omnium nostrûm correctione & emendatione secundùm divinam auctoritatem, quærendo invenirent, & nobis atque fidelibus nostris secundùm ministerium sibi commissum annuntiarent, &c. Item consideravimus, ut Missos nostros per universum Regnum nostrum mitteremus, &c. Simulque sciatis nos velle per singulas hebdomadas uno die in Palatio nostro ad causas audiendas sedere, ut per hunc aut illum Comitem, & providentia Missorum, & obedientia populi manifestiùs appareat.*

Conc. Gall. To. 2. pag. 465. 466.

Ibid. p. 491.

Non minùs longè latéque patebat horum Missorum potestas, quàm Episcoporum, tùm executioni imminerent eorum omnium, quæ Episcopi decrevissent. Ideo & eos mandabat Imperator scrutari & inquirere in vitam non Episcoporum modò, sed etiam Chorepiscoporum, Archipresbyterorum, Archidiaconorum, Vicedominorum, Parochorum, Abbatum, Monachorum, Sanctimonialium, denique Civium & Laïcorum: addita potestate demutandorum Scabinorum, ubi opus esset; & in omnibus Comitatibus Censores quosdam publicos, & velut Inquisitores instituendi, ut Comitibus in administratione Provinciæ subsidio essent. *Missi nostri ubicumque malos Scabinos inveniunt, ejiciant, & cum totius populi consensu in loco eorum bonos eligant. Ut in omni Comitatu, hi qui meliores & veraciores inveniri possunt, eligantur à Missis nostris ad inquisitiones faciendas, & res veritatem dicendam, & ut Adjutores Comitum sint ad justitias faciendas.* Defensio pauperum præ cæteris semper omnibus curæ Missorum commendabatur. *Comites & Missi nostri magnum studium habeant, ne fortè propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint.*

Ibid. p. 466. 469. 471.

Nihil hîc attinet dicere de procurationibus à Provincia suppeditandis ad Missorum Dominicorum sustentationem, vel de sacramento fidei, quod illi præstandum curabant ab omnibus qui necdum præstitissent. Subaliena sunt hæc enim ab instituto hîc nostro. Obiter dicam, ne Magnatum avaritiæ parerent inopes & mendici, provisum ab Imperatore, præfixumque fuisse, quid cuique Misso pendendum esset. In Capitularibus recensentur eæ summæ, in quibus hæc quoque observari juvabit. 1. His Missorum Dominicorum officiis Abbates ipsos quoque & Episcopos honestatos fuisse. 2. Comites, Abbates, Episcoposque ad impensas suas exprimere nil potuisse, quando propè aberant à Comitatu suo, à Cœnobio, ab Ecclesia sua. 3. Procurationes Episcopi pinguiores multò fuisse, quàm vel Abbatis, vel Comitis, quæ ejusdem ambæ modi erant. *Ut Missi nostri, qui vel Episcopi, vel Abbates, vel Comites sunt, quandiu propè suum Beneficium fuerint, nihil de aliorum conjecto accipiant, &c. De dispensa Missorum nostrorum, qualiter unicuique juxta suam qualitatem dandum, vel accipiendum sit, videlicet Episcopo panes quadraginta, &c. Abbati, Comiti, atque Ministeriali nostro, unicuique dentur cottidie panes triginta, &c.*

Ibid. p. 474. Capit. Car. Mag. l. 4. c. 69. 73.

V. Nec alii mores obtinebant sub Carolo Calvo. Ab eo Concilium Meldense anni 845. expetiit, ut singulas in Provincias seu Comitatus Regni sui Missos delegaret duos, Clericum alterum, alterum laicum, ut describerent dona omnia Prædecessorum ejus, & oppignerata dominia; atque ita caveri posset, ne in posterum ita exhauriretur fiscus Regius, ut hinc illi necessitas tristissima quodammodo incumberet, vel prædia Ecclesiæ nova invadendi, vel pridem invasorum procrastinandæ restitutionis. *Videtur nobis utile & necessarium, ut fideles & strenuos Missos ex utroque ordine per singulos Comitatus Regni vestri mittatis, qui omnia diligenter imbrevient, &c.* Simile veri est ejusdem generis Missos Dominicos Concilio Suessionensi II. anno 853. placuisse ablegari, ad circumlustranda Cœnobia, emendanda ea quæ modum potestatis suæ non superarent, reliqua ad Concilii, vel ad Regis audientiam, invictioremque potentiam reservandi. *Et quæ ipsi per se non valerent corrigere, judicio proximè futuri Concilii, & potestati Regiæ revelarent.*

Can. 80. Can. 7.

VI. Et hîc & alibi persæpè Legati dicuntur, qui vulgatiùs Missi Dominici. Verè enim Legatio ea erat, delegante eis Rege potestatem omnem suam ad refingendam disciplinam, tum sacram, tum civilem. Eam Legationem communicat Concilium Valentinum III. Episcopis, Comitibusque, qui à Rege mittebantur. Concilii II. Verni Patres eundem Carolum Calvum Regem interpellavere, ut Legatos *à latere* suo mitteret, restaurandæ Regni paci & disciplinæ. *Missis à latere vestro Legatis.* In vita Ludovici Pii statutum fuisse perhibetur, mittendos *à latere* Imperatoris Legatos, ex prisca consuetudine. *Statutum est juxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui judiciariam exercentes potestatem, &c.* Apud Marculphum eadem prorsus sunt ipsissima Regis verba: *Misso nostro, quem ex latere nostro direximus.*

Conc. Gall. To. 3. p. 105. Conc. Valent. III. Can. 23. Conc. Vern. II. Can. 2. Du Chesne. To. 2. pag. 303. Marcul. l. 1. c. 40. Anno 858. Conc. Gall. pag. 87. c. 5. 9.

VII. Ad manum est Mandatum amplissimum, quo Legatos suos instruxit Carolus Calvus in omne Regnum spargendos, ad interpellationem Concilii Suessionensis II. Facilè intelligitur illud communicato cum Episcopis consilio expensum fuisse; unde & illud sapientissimè ibi provisum, ut Missus, qui utique laicus tum erat, moliri nihil prorsus posset, aut statuere, nisi cum Episcopis & Abbatibus sui Missatici. *Ut Missi nostri diligenter investigent cum Episcopo, & Prælatis Monasteriorum, &c.* Non obscurè ibi quoque rutilat, quàm non segniter Missi Regii contenderent ad Ecclesiasticam jurisdictionem fovendam, etiam ad pœnas temporales in reos decernendas, cogendosque eos ad pœnitentiam publicam; intentata excommunicatione, & bonorum in fiscum Principis transcriptione, in Parochiarum dominos temporales, qui huic authoritati Episcoporum, & medicinali austeritati adversarentur.

Concilii Carisiaci Præsules, qui ad Ludovicum Germaniæ Regem famosas illas litteras perscripsere, anno 858. non illi quidem id suasere, ut Præsules Comitibus adderet in Missatico obeundo: sed ad civilem quoque politiam Missi isti ab illis coar-

Ibid p. 128 ctabantur. *Misset etiam tales per Regnum constituite, qui sciant qualiter Comites & cæteri Ministri Reipublicæ justitiam & judicium populo faciant: qui sicut Comitibus præponuntur, ita scientia & justitia ac veritate eis præmineant.*

VIII. Verùm si hæ Laïcis tum mandabantur Legationes, Episcopi quoque ipsi certissimè perpetua Legatione Regia condecorati sunt ab eodem Rege Carolo Calvo in Concilio Pontigonensi an-

Ibid. p. 441. no 879. *Ipsi nihilominus Episcopi singuli in suo Episcopio Missatici nostri potestate & authoritate fungantur.*

IX. Erant & causæ quandoque singulares, quibus expediendis Episcopi ipsi à Rege Missos peculiares delegari flagitarent. Flagitavit Hincmarus à Carolo Calvo ejusmodi Legatos, qui & delegati verè & missi fuere, & litem quandam diremere Ecclesiæ Remensis, & Abbatiæ Avenacensis: prædio quode agebatur, Ecclesiæ tandem Remensi adjudi-

Flodoard. L. 3. c. 27. cato. *Sed apud Regem pro manso petierit & obtinuerit, ut Missos suos dirigeret, qui diligentissimè hoc inter Ecclesiæ Remensis & Avennaci Monasterii possessiones æqua lance indagantes, decernerent.*

X. Finitimum vero est, posteriores quoque Reges eum morem retinuisse, ut Legatos ejusdem modi semper mittitarent, cùm Concilium anno 881.

Fismes. Can. 4. Finibus habitum apud sanctam Macram, priscam illam novo vigore induerit Constitutionem, ut Missi Dominici omnia obambularent Cœnobia, unà cum Episcopo ejus loci.

XI. Quin & à probabili non abhorret successores Caroli Magni, ejus exemplo insistentes, ad Episcopales Cathedras eos extulisse, qui has Legationes pari strenuitate & pietate obiissent. Cùm enim ii essent hi Legati, quibus meritissimò demandaretur restauranda Ecclesiarum & Cœnobiorum disciplina ferè collapsa: qui in eam rem quasi collegæ & cooperatores Episcopis & Abbatibus allegerentur: eùm functionem implerent adeo Episcopalem, ut & Episcopis ea plerumque committeretur: non poterant ullo ex ampliori, digniorique, quàm horum Missorum Dominicorum Collegio Episcopi adsciri. In ea erat sententia Flodoardus, ubi de Vulfario hæc aiebat, ex Misso Dominico ad

L. 2. c. 18 Remensem Metropolin vocato. *Tilpinum sequitur Vulpharius, qui ab Imperatore Carolo Missus Dominicus ad recta judicia determinanda fuerat ante Episcopatum constitutus, sicut & alii quidam sapientes & Deum timentes habebantur Abbates per omnem Galliam & Germaniam, à præfato Imperatore delegati, quo diligenter inquirerent, qualiter Episcopi, Abbates, Comites & Abbatissæ per singulos annos agerent, &c.*

XII. De hoc argumento finem faciam dicendi, ubi in extremam hujus Capitis partem compegero, quæ suum sibi seposìtum Caput postularent, nisi me meæ jamdiu pigeret prolixitatis. Ea insedit aliquando Imperatorum Regumque animis persuasio, sibi à Deo commendatam esse Ecclesiam Remque publicam; additosque sibi ad subsidium velut cooperatores, Episcopos & Comites, illos ad Ecclesiæ, hos ad Reipublicæ administrationem: accedente etiam velut extraordinario quodam Missorum Dominicorum adminiculo, ad expurgandos, tum Ecclesiæ, tum Regni mores, ususque. Ita persuasissimum fuit Carolo Magno in Aquisgranensi Capitulari, anno 789. ubi adhibitis in consilium Episcopis & Consiliariis Regni: *Considerans unà cum Sacerdotibus & Consiliariis nostris:* & post selecta capita aliqua magnum pondus habitura, ad restaurandam disciplinam, & à Missis suis executioni mandanda: subjicit tandem neminem eo moveri debere, cùm Josiam imitetur eo facto Regem in sacris Litteris, Regni sui Provincias perlustrantem, ut eas verissimo Dei cultui restitueret. Accipe, ut Ecclesiæ Imperiique Ministros Carolus Magnus alloquetetur: *Omnibus Ecclesiasticæ pietatis ordinibus, seu sæcularis potentiæ dignitatibus. In quo operis studio sciat certissimè Sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus Missos, qui ex nostri nominis authoritate unà vobiscum corrigerent, quæ corrigenda essent. Sed & aliqua Capitula ex canonicis institutionibus quæ magis vobis necessaria videbantur, subjunximus. Ne aliquis quæso hujus pietatis admonitionem esse præsumptuosam judicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coarctare studuimus. Nam legimus in Regnorum libris, quomodo sanctus Josias regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare.* Ipsius Francofordiensis Concilii statuta manare quandoque videntur ab Imperatoris & Synodi potestate. *Statuit piissimus noster consentiente Synodo, &c. Statutum est à domno Rege & sancta Synodo, &c.*

Conc. Gall. To. 2. pag. 130.

Can. 4. 6. 7. 9. 10.

Nihil hîc attinet ad nauseam rursus inculcare quatuor illa Concilia, quæ eodem tempore, non eodem loco voluit ille simul haberi anno ultimo Regni & vitæ ejus. Quorum Decreta ejus examini & judicio ita Episcopi subjicere videbantur, ut integrum ei esset addere, vel demere, quod ex re judicasset, eo sanè modo & sensu, quem suprà copiosè edisseruimus.

Sed non paulò penitiùs ea sententia inhæsisse videtur animo Ludovici Pii, ubi in Capitulari anni 823 Numinis se summi consilio & providentia testificatur constitutum esse Ecclesiæ & Regni Administratorem; ab eoque adjunctos sibi Præsules & Magistratus, quos in partem vocet sollicitudinis suæ: illorum se monitorem, illos sibi cooperatores esse debere. *Quoniam complacuit divinæ providentiæ nostram mediocritatem ad hoc constituere, ut sanctæ suæ Ecclesiæ & Regni hujus curam geremus, &c. Sed quanquam summa hujus ministerii in nostra persona consistere videatur, tamen & divina authoritate, & humana ordinatione, ita per partes divisum esse cognoscitur, ut unusquisque vestrûm in suo loco & ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur. Unde apparet,*

Conc. Gall. To. 2. pag. 451. 453. Capitul. l. 2. c. 2. 3. 12.

quòd ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adjutores esse debetis. Ubi verò Episcopos affatur, adjutorum loco & vice illos habet in ministerio Regio, tanquam in seipsum revolvenda omnis eorum supinitatis culpa. *Monemus, & rogamus, quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis veri adjutores in administratione ministerii nobis commissi existatis: ut in judicio non condemnari pro nostra & vestra negligentia, sed potius pro utrorumque bono studio remunerari mereamur.*

XIII. Missos suos Ludovicus ad Episcopos & ad Comites delegabat, non alia de causa magis, quàm quod ambos existimaret in partem aliquam venire ministerii sui Regii. *Et quoniam sicut diximus, unusquisque vestrum partem ministerii nostri per partes habere dignoscitur, volumus studere & per clamatores, & per alia qualibet certa indicia, & per Missos nostros, qualiter unusquisque ad hoc certare studuerit, &c.* Denique quid expressius, quid vehementius, vel fingi potest, quàm quod alibi habent

Capitular. l. 6. c. 326. Capitularium libri: *Quod & nos qui Ministri Domini sumus, nec sine causa Dei gladium portamus, Episcopali in vice omnium Episcoporum, atque Regali authoritate pro viribus cunctos agere jubemus.*

Paulò moderatior visus est, vel animus, vel sermo Caroli Calvi, cùm initio Regni sui in Generali Conventu plurima edidit statuta anno 843. ubi ipsemet ait, meditata quadam & affectata conglutinatione Regiæ & Episcopalis authoritatis, piscuisse, ut nihil discriminis appareret in his statutis, propterea quod omnia membra Ecclesiæ in unum corpus coagmententur, cujus caput sit Christus. *Non loquentes diversarum immutatione personarum, ut modo regalis sublimitas, modo Episcopalis authoritas, modo autem fidelium loquatur commoditas; sed secundum Apostolum sub uno capite Christo, ut revera unus homo, in unius Ecclesiæ corpore, singuli autem alter alterius membra, quod prosit omnibus, omnes unanimiter una voce loquamur.* Sic in eo Conventu ad villam Colonicam habito.

At Arnulphus Imperator in Canone Concilii Triburiensis anno 895. illa rursus eadem verborum pompa usus est, & magnificentia, qua olim Caro-

Can. 3. lus Magnus & Ludovicus Pius: *Nos quibus regni cura & sollicitudo Ecclesiarum Christi commissa est, aliter Regnum & Imperium jure Ecclesiastico regere & gubernare non possumus, nisi, &c.*

XIV. Nec Episcopos fefellit quò tandem evadere posset hæc grandiloquentia Principum alioqui religiosissimorum, & quam distortum in sensum eam verborum gloriam malitiosus, aut imperitus interpres, ubi liberet, deflecteret. Itaque studuere ipsi vicissim rem accuratius exprimere ut erat, & elimatiore stylo insinuare, ut Christus Ecclesiam suam primò & principaliter Episcopis commendarit, nempe suis toto orbe terrarum Vicariis, quorum est divina ea sibi credita authoritate Canones & Regulas condere, quarum Reges sint defensores, custodes, adeoque & Exactores, ut vel ab ipsis Regni sui Episcopis eas servari curent. Mollissimum illud est concordiæ vinculum inter sententias, aut potius voces eas, quæ specie tenus pugnare videri poterant. Ita enim certum est Ecclesiam à Christo, & Regibus concreditam esse, & Episcopis, sed eo discrimine, ut Episcopi leges condant administrandæ Ecclesiæ, Reges earum observantiæ instent. Enimvero Episcopi Concilii Parisiensis VI. semel confessi anno 829. Imperatores à Christo indutos esse cura & custodia Ecclesiæ: *Cùm pateat Ecclesiam quam Christus, qui eam suo sanguine redemit, & gloriosis Augustis tuendam tegendamque committere occulta sua dispensatione voluit, &c.* In Præfat. Mox subjiciunt, profiteri Imperatores ipsos, nec officii esse sui, nec juris, mederi vulneribus Disciplinæ Ecclesiarum, & ideo ab illis convocatos fuisse Episcopos, ipsorum Imperii Optimatum consilio. *Verùm totius Ecclesiæ sibi commissæ generalitati consulere cupientes, idque sui officii non esse humiliter dijudicantes, consultu Sacerdotum & Optimatum cæterorumque fidelium suorum, idem negotium his censuerunt esse committendum, per quos homines de infidelitatis tenebris liberantur, & de filiis iræ filii adoptionis efficiuntur.* Commonstrant porro ex utriusque Testamenti paginis, ad Pontifices recurrendum esse in illis rerum angustiis: ideo quippe à Ludovico Pio congregata simul esse quatuor Concilia diversis locis celebranda. Nec his

Can. 2. tum Patribus excidit illud Isidori Hispalensis Episcopi, Potestates temporales Ecclesiæ minus necessarias fuisse, nisi essent præfractæ quidam homines mentis, qui nisi Regia potestate frangerentur ad obsequium, nunquam animum adducerent Episcopis morem gerere. *Cæterùm intra Ecclesiam potestates necessaria non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.* Quin & in hoc Concilio trutinata, compilataque sunt præcepta cum primis egregia, quibus vitam Imperatores ipsi suam moresque componerent: *Nequaquam hæc quæ specialiter ad vestram personam ministeriumque pertinere cognovimus, oblivioni tradidimus.* L. 3. Præf. Denique nec illud dissimulant, plerasque inde profectas esse calamitates, Ibid. c. 26. quod & Principes Ecclesiarum, & Præsules sæculi negotiis altiùs se & frequentiùs interposuerunt, quàm necesse esset. *Specialiter unum obstaculum ex multo tempore inolevisse cognovimus, id est, quia & principalis potestas, diversis occasionibus intervenientibus, secus quam authoritas divina se habeat, in causas Ecclesiasticas prosilierit; & Sacerdotes partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate, in sæcularibus negotiis, & sollicitudinibus mundi, ultra quam debuerant, se occupaverint. Et hac occasione aliter quam divina authoritas doceat, in utraque parte actum extitisse dubium non est.*

XV. Nec aliò hæc pertinebant, quam ut modus aliquis, & media veluti temperies inveheretur. Nam & Concilii II. Aquisgranensis anno 836. Patres gratulabantur sibi, quod in exempla Caroli Magni Imperator iret impræsentiarum, & pium se ipsis præstaret monitorem. *Domino gratias referimus,* In Præfat. *qui nos instinctu divino per devotissimum à se electum atque constitutum admonitorem, tam misericorditer admonere dignatus est: juxta consuetudinem beatæ memoriæ genitoris vestri.* Ideo & vicissim ipsi se monitores profitentur fore Imperatoris, natorumque ejus & Optimatum, quibus & Præceptiones luculentissimas in librum à se contextas dicant. *Vestræ saluti* L. 2. c. 3. *prospicientes, nonnulla capitula necessaria fideliter collegimus, & vobis familiariter admonitionis gratia, devotéque porrigenda devovimus. Similiter quædam ad filios vestros pertinentia, quædam verò ad commilitones vestros.* Illæ autem sive Præceptiones, sive Commonitiones magna ex parte id agunt, ut Episcopale Regimen à maledicentiæ telis tueantur, & religiosiorem ei observantiam à laicis omnibus concilient. Denique iisdem admodum verbis cum Concilio Parisiensi VI. eo docent ex fonte scaturisse pleraque Ecclesiæ Regnique mala, quòd curiosiùs penitiùsque quam par esset, & Ecclesiasticis se causis

Imperatores, & Reipublicæ negotiis Episcopi implicuissent: libro secundo colophonem hunc imponunt, debere se plurimum Imperatori, qui piis hortatibus eos occupasset, qui illum debuerant honorificis, sed & vehementibus monitionibus provocare. *Propter authoritatem ministerii nostri, vos ad ea peragenda admonere, immo admonendo exigere à vobis quoquo modo debueramus, vos è contra propter divinum amorem & honorem admonendo nos ad potiora provocatis, &c.*

Lubrica hic & versatilia erant multa, quibus tamen ita moderata est Regum pietas, & Episcoporum temperantia, animique moderatio, ut Regni & Sacerdotii pax nihil unquam periclitata sit. Carolus Calvus ineuntis regni sui primordia illustravit ea ad Episcopos modestissima interpellatione sua, in Conventu ad Villam Coloniam, anno 843. ut si quid sibi erroris obreperet, ipsi commonefacerent: *Et si fortè subreptum nobis quodpiam ut homini fuerit, ut hoc rationabiliter corrigatur, vestra fidelis devotio admonere curabit.* (Cap. 5.) Regiæ petitioni obsecuta est Synodus Meldensis anno 845. & multa ei pernecessaria inculcavit, ad curandam, promovendamque Canonum observantiam, quos Episcopi commentati essent, confirmassent Reges. (Can. 75 79) *Ut quicumque quæ à divino Spiritu per Pontificalem authoritatem, & Regiam Majestatem promulgata, atque confirmata sunt, &c. Prout ordo Ecclesiasticus, & Regalis severitas decreverit, ultione plectatur.*

Ganelo Senonensis Archiepiscopus litteris ex hujus Regis sententia ad Archiepiscopum Lugdunensem datis, contestabatur Regi perspectum esse, Ecclesiæ curam à Christo Episcopis Regibusque commendatam fuisse, ut imminerent Reges eorum observationi decretorum, quæ à Conciliis Episcopalibus manassent. (Lupus. Epist. 81.) *Rex Regum potestatem suam ad gubernandam Ecclesiam in Sacerdotes divisit, ac Reges, ut quod sancti decerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges.* Nec segnius fuit Concilium Tullense anni 859. in propugnanda Episcopatus majestate: (Can. 1.) *Episcopi secundum illorum ministerium & sacram authoritatem uniti sint, & mutuo consilio atque auxilio Reges, Regnorumque Primores & populum sibi commissum in Domino regant & corrigant.* Nec ab his Reges ipsi dissentiebant. Postquam enim Carolus Calvus & Ludovicus Reges Lotharium fratrem in fugam egerunt, ex Episcoporum authoritate ditiones ejus inter se partiti sunt anno 843. *Visum est, ut rem ad Episcopos, Sacerdotesque conferrent.* Episcopi porro eos primum compulere, ut Christiana se modestia & pietate regnaturos pollicerentur, & in se reciperent: & tum postea illos in hæc verba affati sunt ex Nithardo: (L. 4.) *Authoritate divina ut illud regnum suscipiatis, & secundùm Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur atque præcipimus.* Ubi pacem ab illis oravit Lotharius, cuisum illi rem ad Episcopos retulere. *Solito more ad Episcopos Sacerdotesque rem referunt, ut quocumque divina authoritas id vertere vellet, nutu ipsius libenti animo præsto adessent.*

XVI. Ne possit injuriosa & præpostera illa cuiquam obrepere cogitatio, Regni, Regumque dissensionibus astutè usos Episcopos, ut authoritatem suam ultra antiquos limites propagarent; & ne rursus aliis in mentem veniat suspicari, quæ hic à nobis depromuntur, collidi sibi, nec cohærere posse; utrique errori obviam ibimus, uno fulti eoque peregregio Concilii Trosleiensis decreto. Regni habenas tunc imbelli manu tractabat Rex Carolus Simplex: nec aliàs facilè occurrisset major opportunitas exaggerandæ Episcoporum amplitudinis, summique in rebus sacris Imperii ostentandi. Et tamen hujus Concilii Patres anno 909. exertissimè approbant summam quandam & inconvulsam concordiam non Sacerdotii tantum & Regni, sed ejus etiam doctrinæ, quæ hic à nobis constituta est, secum ipsa prorsus in medulla rei consentiens, nec ulla dissensione nisi in verborum cortice laborare visa. Ita enim illi profitentur, Regum salutis æternæ, & ipsis, & summo Judici Christo, se curatores & fidejussores esse, eoque cogi, ut illis salutis monita necessaria audacius ingerant. Sed ita se Episcopale munus obituros, ut Regiam præ oculis semper habeant majestatem; cum à Deo & Reges & Episcopi præstituti sint, ut spiritalibus Episcoporum monitis Reges obsequantur, temporalibus Regum imperiis pareant Episcopi; denique mutuo sibi sint utrique præsidio, & incitamento, ad Regni Ecclesiæque salutem dignitatemque. *Et quoniam à nobis ratio exigitur omnium, & Principum, & subjectorum, ab eo qui sine acceptione judicat personarum, & pro ipsis Regibus Regi Regum reddituri sumus rationem, sermo exhortationis ad vestram, Domine Rex, nobis habendus est excellentiam. In quo facto Pontificalem sic exerimus authoritatem, ut non obliviscamur Regiam à Deo constitutam esse sublimitatem, dicente Apostolo, Subjecti estote Regi, quà præcellenti. Sicut enim Regalis potestas Sacerdotali Religioni se devotè submittit; sic & Sacerdotalis authoritas cum omni pietatis officio se regali dignitati subdere debet. Ergo quia & Rex pro æterna vita indiget Pontificibus, & Pontifices pro temporalium rerum cursu regali indigent dispositione; à Rege obediendum est Pontificibus, recta, sancta & justa suadentibus: & vicissim à Pontificibus obediendum est Regi, pietatis cultui, religione, jure & solatio servienti.* (Can. 1.) His addi posset, si quæ Reges exaggeratius dixere quandoque in potestatis suæ commendationem, ea ferè ab Conciliis ipsis usurpata verba fuisse, & ab Episcopis illis, qui suæ celsitudinis retinentiores esse videbantur. Ita nihil in his erat, quod Episcopali dignitati officeret, dum ne importunius aliquid in ipsa rerum executione tentaretur.

XVII. Sed in eo plurimum videtur esse momenti, quòd nec Carolo Magno, nec Ludovico Pio, ubi Episcopis censores se, monitoresque paulò austeriores exhibuere, propositum quidquam aliud fuit, ac ne in Capitularibus quidem suis: quam ut Ecclesiasticos Canones pristino restituerent vigori, & ad eorum scrupulosam observantiam Imperatoriam ipsi authoritatem suam interponerent. Quibus ita constitutis, nullæ jam possunt justæ, solidæque cujusquam in animo residere suspiciones, de Missis Dominicis, quos Princeps in Provincias mittitabat, ut excubias agerent in Episcopos; cùm ea cura eò tantum contenderetur, ut statuta Episcoporum religiosissimè servarentur. Audiendus Carolus ipse Magnus in Capitularium Præfatione: *Nostros ad vos direximus Missos, qui vobiscum corrigerent, quæ corrigenda sunt; sed & aliqua capitula ex canonicis institutionibus, quæ magis necessaria videbantur, subjunximus.* (Conc. Gall. To. 2. pag. 207. 235.) Id quoque sibi sumpsit Carolus, ut Leonem ipsum III. Papam sollicitaret ad arctiorem Canonum custodiam: *Vestra authoritatis prudentia Canones ubique sequatur.* Quid hac pii zeli fiducia usquam præclarius? Confitetur idem ipse alibi, se Papæ & Episcoporum monitis de errore quodam antè suo certiorem factum, circa Canonum observantiam, eorum authoritati posthac cessurum. *Apostolica*

authoritate & in multorum sanctorum Episcoporum admonitione instructi, sanctorumque Canonum regulis edocti, nosmetipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, &c. An optatius quidquam, vel felicius Ecclesiæ obtingere potest, quàm ut potestates omnes, quibus summæ authoritatis Deus contulit apicem, sive spiritalis, sive temporalis, ii certatim conspirent, sese mutuò succendant, ad disciplinæ sacræ leges tuendas? Eo Ludovicum Pium Agobardus ornavit encomio, studia ejus omnia, consiliaque ad unam collineasse Canonum custodiam. *Cujus ad hoc semper invigilat fidelis industria, & pietas admiranda, ut lex Dei ubique servetur, ut canonica instituta perpetua vigeant firmitate.* Epist. ad Nobrid.

CAPUT XCIII. *P.3.l.2.c.82.*

Ecclesia, Pontifices, Concilia, Episcopi tuitionem Regum pupillorum suscepere, Principumque calamitosorum.

I. Principes ipsos temporales non semel Ecclesia suo patrocinio obumbravit.

II. Exempla diversa mutui hujus patrocinii Ecclesiæ, Principumque.

III. Sub Ecclesiæ tutela sæpius pupilli & impuberes Principes delituere.

IV. Vehementer exarsisse Fulco Remensis Archiepiscopus in Caroli Simplicis Regis tuitionem.

V. Alia exempla.

VI. Cautiones necessaria.

VII. Nec Græci Prælati in Principes suos inofficiosi fuere.

VIII. Levandis ibi quoque populorum oneribus studebant Episcopi, incolumi & illibata, semper reverentia in Reges.

I. ÆQuum sanè erat, ut cum Ecclesia conspirarent & collaborarent summi quique Principes ad pauperum, pupillorum, miserabilium denique omnium leniendas ærumnas: per sese, per Comites, per Missos Dominicos, corroborata ad hæc pietatis officia Episcoporum authoritate: cùm hæc ipsa quandoque Ecclesiæ authoritas interveniret, ad populos in Regum obsequia inclinandos, aut revocandos: & ad Regum impuberum labefactata solia pristinæ reddenda firmitati, ac majestati suæ.

II. Strictim tantùm illud attingam, Concilium Turonense III. anno 813. Decretis suis omnes incitasse, ut juratam Carolo Magno fidem & obedientiam servarent. *Primò omnium admonuimus cunctos, ut obedientes sint domino Imperatori, & fidem quam ei promissam habent, inviolabiliter conservare studeant.* Can. 1. Obiter & illud perstringam, à Concilio Aquisgranensi II. anno 836. pronuntiatam esse diri anathematis sententiam in Laicos omnes, depositionis in Episcopus & Clericos, qui fidem quam juramento obligassent Ludovico Pio, quacumque perfidia temerassent. *Si quispiam Episcoporum, &c. defecerit, aut sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, gradum amittat; Laicus sciat se anathematizandum.* Can. 12

Obiter dicam Concilium Tullense duodecim Provinciarum anno 859. perscripsisse ad Britanniæ Armoricæ Episcopos omnes, qui Salomonem ejus Provinciæ usurpatorem revocarent ad obsequium Caroli Calvi; cùm Francis Regibus Britanni Principes statutum semper dependissent tributum. *Ut recordetur gentem Britannorum Franciæ ab initio fuisse subjectam, & statutum dependisse tributum, ac per hoc non dedignetur ad nuper omissam reverti consuetudinem.* Can. 8.

Cursim libabo & quod Patres Concilii III. Suessionensis anno 866. ad Nicolaum I. Papam litteras dederunt, quò eum adducerent, ad diras omnes Ecclesiasticas eidem Salomoni intentandas, nisi cum Armorica tota Provincia in fidem & obsequium sese revocaret Caroli Regis. *Qui si contra hortamenta salubria præcellentia vestra demum aspirare nititur, gladio Apostolatûs vestri se percellendum cognoscat.*

Non dicam Adrianum II. Papam anno 868. initione Sedis Apostolicæ munisse ditiones Ludovici II. Imperatoris, Sarracenos debellantis, & ad Ludovicum Germaniæ Regem scripsisse, his prorsus abstinendum sibi esse, aut aciem experiundam Apostolici gladii. Epist. 4. 15. 16. Non dicam Joannem VIII. Papam Germaniæ Episcopos cohortatum esse, ut cum Sede Apostolica animos viresque consociarent, ad arcendum Germaniæ Regem ab invadendo Caroli Calvi absentis Regno. Ita enim ille anno 877. *Et ubi est, quæsumus, quòd, vicem Christi in Ecclesia fungimur, si pro Christo contra insolentiam Principum non luctamur? &c. Tandem aliquando cum sancta Sede Apostolica sentientes, moneatis vestrum Regem, cunctosque illius subditos, & ab invasione, sive oppressione Imperii Caroli Augusti penitus compescatis.* Conc. Gall. To. 3. pag. 425.

III. Sed illud iterum iterumque moneo, summis & potentissimis Principibus tam tristia quandoque incidere tempora, ut verè tum oppressis & calamitosis annumerari possint; nec posse Ecclesiam tosses eorum defensionis vires expectare, non & ipsam in eorum armari tuitionem. Si ad exempla sanè impuberum Regum, si ad luctuosa Principum infortunia deflectimus: facilè constabit, quàm non rarò detur occasio referendæ gratiæ, & rependendi beneficii à Regibus in Ecclesias; ab Ecclesiis ad Reges, tardiùs quidem, sed tantò lubentiùs impensiùsque. Ita Ludovicus Balbus Galliæ Rex Ludovicum & Carlomannum filios Apostolicæ Sedis protectioni commisit, & Joannis VIII. Papæ. Ita enim hic ipse Pontifex in Epistola ad eos Reges data: *Dominus Carolus divæ memoriæ Imperator avus vester, ac postmodum genitor vester Ludovicus Rex sub protectione Romana Ecclesia, nostraque Apostolica tuitione vos commendaverunt.* Ibid. p. 190. 191. Scripsit & ad Comites Franciæ Pontifex, ut strictiùs eos Regum fidei devinciret.

IV. Fulco Remensis Archiepiscopus cùm Regnum Carolo Simplici Regi adseruisset, confirmassetque; ad Romanum Pontificem perscripsit, ut protectione sua dignaretur juniorem Regem, Eudonemque Regem comprimeret in ejus ditiones grassantem. *Item pro evectione Caroli ad regimen regni, quem domnus idem Fulco ad regium culmen adhuc puerum provexerat, & de criminibus Odonis Regis, vel correptione ipsius, qualiter esset agenda. Pro quibus rebus idem Archiepiscopus huic Papæ scripta sua, consilium & auxilium ab eo petenda direxerat. Unde & ad eundem Regem Odonem litteras suas idem Papa delegaverit, ut ab illicitis recederet, nec eundem Regem Carolum, vel quæque ipsius essent, infestaret.* Flodoard. L. 4. c. 3. Epistolis suis Pontifex Episcopos Galliæ inflammare studuit, ad Regis sui defensionem. Hæc Flodoardus, qui nec iis finibus se continuisse Fulconem testatur, sed Pontificem rursus interpellasse, ut Arnulphum & Odonem Reges deterreret ab involandis terris Caroli Simplicis, intentato mucrone Apostolicæ Sedis. *Ne regnum istud invaderet, aut deprædari præsumeret; quod si auderet, Apostolica Sedis sententiam reformidaret.* Ibid. c. 12. Cùm Herebertus Comes Carolum eundem Simplicem vinculis tandem dignitis & carcere

exemisset: Joannem Papam per litteras certiorem fecit, paruisse se tandem mandatis ejus iis, quibus anathematis minas adjecisset. *Heribertus Comes litteras Romam Joanni Papæ dirigit, significans ei de restitutione & honore Caroli, ut ille sibi, etiam sub excommunicationis interminatione mandaverat, se pro viribus decertare.*

V. Cum Hugo, Herebertus, aliique Proceres Gallicani, obsequium detrectarent Ludovici IV. Regis, missus est à Stephano VIII. Legatus cum Epistolis & comminationibus imminentia excommunicationis, nisi ante Natale Christi sui se Regis obsequio redderent. Ita Flodoardus in Chronico ad annum 942. *Quod si usque ad Nativitatem Domini facere non procuraverint, excommunicandos tunc fore se noverint.* Cùm denique Hugo Comes à contumacia sua abduci & resipiscere non posset, à Concilio Ingelheimensi anno 948. anathemate innodatus est; cùm ibi præesset Agapeti II. Papæ Legatus, eoque advolasset Ludovicus ipse Rex IV. Ecclesiæ opem exoraturus. *Decrevimus Hugonem Regis Ludovici regni invasorem & raptorem, excommunicationis gladio feriendum.* [Can. 1.]

VI. Hæc equidem ex fide historicorum refero, nec in me recipio eorum defensionem omnium. Periculosissimæ enim plenum opus est aleæ, ut non in his rerum molestius aliquid ultra veri æquique lineas in alienam, & in ipsam Regum temporalem jurisdictionem usurpetur. Pervolve si vacat doctam juxta & animosam Hincmari Archiepiscopi responsionem ad Adrianum II. Papam, qui tunc vehementissimè obnitebatur, ne Carolus Calvus eas invaderet Provincias, quas ille sibi vendicabat, etsi & Ludovicus II. Imperator sui eas juris esse contenderet. [Hincmar. To. 2. pag. 689.] Sed quæ à nobis posteriora prompta sunt exempla, ea ne in controversiam quidem trahi possunt; nec nisi rerum factarum valde hospes, inficiari potest quisquam, quin Pontifices & Concilia Regibus pupillis & Principibus calamitate aliqua oppressis omni contentione adesse debeant.

VII. In Jure Orientali expluratum est, ab Imperatore Constantino Porphyrogeneta, ab Alexi Patriarcha, & à Synodo Constantinopolitana, vibratum esse anathema in omnes rebellionis, aut defectionis authores consciosque. *Eis qui rebellionis in posterum, vel tumultus ex itabunt, anathema. Participibus horum & sociis anathema, &c.* [Juris Orien. Tom 1 pag. 318. 289. 290.] Verùm affirmat Balsamon suo ævo obsolevisse eas excommunicationes, & habitam esse probabiliter rationem B. Joannis Chrysostomi, & orationis ejus, quæ ab eo lucubrata est adversùs illos, qui subinde ad vibranda prosiliunt anathemata; nec id perpendunt, quam non facilè, non indiscriminatim intorquenda sit pœna tam formidolosa. Hinc Philotheus Patriarcha philosophabatur, si jam inde à temporibus Balsamonis emarcuerat totus horum anathematum vigor; nihilo plus reverentiæ haberi debere Constitutionibus aliis duabus simillimis, sub Manuële Comneno & Palæologo editis: cùm hæ uni illi incumberent Constantini Constitutioni. [Balsamon. in Synod. Gangr.]

VIII. Sed illud profectò exploratissimum fuit Græcis Episcopis omnibus, omnes sibi industriæ & potestatis nervos contendendos esse, quo calamitatibus publicis, & privatorum quorumlibet ærumnis levamenti aliquid afferrent. Cum à Basilio Imperatore promulgatum esset Edictum, quo jubebantur divites, non justa tantum ipsi solvere, sed & ea pendere, quibus solvendis pauperes impares erant; Patriarcha Sergius, Episcopi, Monachi nihil in præteritis reliquerunt, ut illud retractari facerent. Qui conatus tamen frustra fuit. *Id vocabatur Allelengyum. Et Patriarcha Sergio, multisque aliis Pontificibus à Monachis deprecantibus, ut absurdum hoc onus subditis demeret, non obtemperavit.* [Cedrenus pag. 706. 717. 723.] Ea repulsa non deterritus Patriarcha, novis Imperatorem machinis oppugnare cœpit, post victoriam ab eo in Bulgaros reportatam. Etsi spem fecisset ante ejus rei Imperator, ne tum quidem res processit. At toties Episcopi religiosa importunitate sua Constantinum oppugnarunt, fratrem & successorem Basilii, ut ejus pertinaciam infregerint aliquando tandem; eoque ante terris excedente, quàm piæ voluntati huic suæ satisfecisset, Romanus Argyrus in ejus locum provectus, onus illud excussit, cùm gravissimum, tum ab æquo & jure prorsus alienum.

CAPUT XCIV. *P. 4. l. 2. c. 86.*

De tuitione Pauperum, Viduarum, Orphanorum, ærumnosorum omnium per Episcopos, post annum Christi millesimum

I. Decreta plurium Conciliorum ad levationem pauperum & oppressorum.

II. Exactiones quibus hæc Concilia intercedebant, impositæ erant à tyrannis quibusdam, non à legitimis Principibus.

III. Jure Decretalium reservatur adhuc integra Prælatis Iudicibusque Ecclesiasticis Jurisdictio in causas pauperum, viduarum, orphanorum & oppressorum.

IV. In Tridentino, atque posterioribus Conciliis idem officium, idem jus vendicatur Episcopis, qui & substitutum ad ejusmodi munia habere jubentur.

V. Mira exempla B. Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis, & B. Hugonis Episcopi Lincolniensis.

VI. Exempla & documenta rei ejusdem in Gallia & Hispania.

VII. VIII. Exempla summorum Principum, quibus tutelantibus præsidio & munimento fuit Ecclesia.

IX. Cur Pontifices in ejusmodi caussis quandoque cunctatores essent.

X. Exempla Regum minorum, aut oppressorum, patrocinium sedis Apostolicæ invocantium.

XI. Hoc amplissimum habent Reges, ut miseros tueantur. Hoc speciale decus Galliæ Regum.

XII. Ea tutio Ecclesiis maximè debetur; ideo & eam ipsimet semper Galliæ Reges in se recepærunt.

I. IN Concilio Parisiensi anni 1212. jussi sunt Episcopi, facillimos statis diebus horisque aditus præbere, dijudicandis pauperum caussis. *Statuimus, ut horis competentibus ad exhibendam justitiam & audiendos pauperes publicè se præsentent.* [Par. 3. n. 6.] In Concilio Narbonensi anno 1127. declaratum est, Canonicos, Monachos, officio ipso suo Advocati Patronique pauperum cum sint, posse eorum persequi & tueri causas, sicut & illas Ecclesiæ, coram Judicibus etiam sæcularibus. *Ut Monachi, vel Canonici Regulares, vel etiam Sacerdotes, nisi pro Ecclesiis suis & miserabilibus personis & de Prælati sui licentia speciali, in foro sæculari, vel Ecclesiastico advocare nullatenus præsumant.* [Can. 11.] In Concilio Tolosano anni 1229. edita sunt ejusmodi statuta, quæ stupere magis possent posteri, quàm sectari. [Can. 21. 22.] Novarum impositionum immunes declarati sunt Clerici, Monachi, advenæ, milites: censuræ in eos intentatæ, quorum est vias publicas ab omni infestatione tutari, & qui officio non funguntur. In alio Concilio Tolosano, rursus statuta sunt anno 1233. quæ ab his non multum abhorreant. *Statuimus ne in terra nostra nova instituantur pedagia, & omnia à triginta annis citra instituta removeantur.* Interveniebat his Conciliis tum certè

authoritas Principum temporalium, & his robur addebat; ut vel hinc magis magisque dilucesceret, non aliud Conciliis, Episcopisque omnibus antiquius, aut charius esse quidquam, quam ut pauperes levamenti aliquid nanciscantur; quanquam in nihilum itura sint conatus omnes, nisi Principum sæcularium accedat authoritas. Eo sursum sensu intelligendus Canon Concilii Biterrensis anno 1246. quo anathema illiditur omnibus, qui novas aliquas invexerint exactiones. *Excommunicamus etiam omnes illos, qui scienter imposuerint nova pedagia, sive imponunt & augent antiqua.* In Concilio Albigensi anno 1254 innovatum est hoc Decretum, innovata est & excommunicatio; ut quam Papa ipse promulgasset. *Excommunicationis sententiam per sedem Apostolicam promulgatam incurrat.*

Can. 19.

Can. 69.

II. Erant tunc complusculi temporales domini, qui nescio quam supremæ & regiæ umbram potestatis sibi arrogabant, unde & bellum alii aliis indicebant, inferebantque, nervosque belli, tributa extorquebant à prætereuntibus omnibus, maximè verò in ditione Comitum Tolosanorum; qui & ab illis non semel de statu & imperio suo periclitati sunt, quandiu quasi nutate & alternate visi sunt in fide Catholica. Hæc quæ allegata sunt à nobis Concilia, authoritate Pontificum subnixa, Regum Galliæ, Comitum denique Tolosanorum, retundendis, opprimendisque Tyrannis ejusmodi non instrenuè adlaborarunt. Id quidem manifestè patet in hoc Canone Concilii Tolosani, anno 1229. ubi nova tributa damnantur, non quæ antiquis Regum concessionibus, Imperatorum, vel Principum, vel priscæ consuetudini innitterentur. *Ne pedagia laici exigere præsumant, nisi ea quæ ab antiqua Regum, vel Imperatorum, vel Principum concessione probaverint esse concessa, vel ex antiqua consuetudine introducta.* Qui pedagia, seu vectigalia hæc in viis publicis exigebant, cavebant de publica ibi securitate, & hoc Concilio sarciri ab iis jubentur damna omnia, quæ quis ibi passus fuerit, præterquam noctu, vel publico grassante quopiam bello. *Hi autem qui Pedagia recipiunt, taliter in districtu suo stratas studeant custodire, quod damnum aliquod transeuntes non sentiant, vel violentiam aliquorum. Et si fortè aliqui in districtu eorum damnum incurrerint, dummodo non sit guerra communis, & de die viatores incedant, ipsi ad damni restitutionem integrè teneantur, vel ad hoc per Superiorem, si necesse fuerit compellendo.* Hac utique conditione Reges concesserant ea à transeuntibus exigi vectigalia, ut viæ publicæ tutæ præstarentur ab insidiis & infestationibus quibuscumque. Ecclesia verò non alio magis sibi gratulari solita encomio, quam ut patrona & defensatrix esset omnium misellorum, illorum causam sibi tuendam sumebat, ut illata immerentibus damna resarcirentur.

Can. 21.

C. Super quibusdam Extra De verborum signif.

Can. 22.

III. Jure Decretalium novo constat adhuc Episcopis jus idem officiumque dirimendi causas viduarum, & miserabilium omnium, nulla etiam Reginarum exceptione. Archiepiscopo Turonensi Honorius III. confirmavit potestatem à Joanne Papa prædecessore suo jam delegatam, tuendæ Reginæ viduæ Anglorum, & restituendi ei prædii, quod miles quidam invaserat. Ea fuerat Reginæ persuasio, posse se non ad dominum feudi confugere, sed ad tribunal Ecclesiæ, cui defensio viduarum à Christo commendata est. *Fuit ex parte Reginæ responsum, quod vidua spoliata irrequisito feudi domino, spoliatorem seu detentorem rei coram Ecclesiastico Judice poterat convenire, cujus interest viduas defensare.* Gregorio IX. imposuit Matrona nobilis & dives, quæ se inopem simulavit, ut Rescriptum ejus eliceret, quo causa ejus Ecclesiasticis Judicibus delegaretur. *Mentiens se pauperem litteras nostras impetravit ad Judices.* Commonuit Innocentius III. Comitem Tolosanum, si quid litium ipsi esset adversùs viduas, orphanos, & misellos quosvis, teneri ipsummet eas rejicere ad Judices Ecclesiasticos: *Item viduis, pupillis, orphanis & personis miserabilibus tenearis in judicio Ecclesiastico respondere.* Et ab eodem tamen Innocentio opportunissimè temperata est ea disciplina, interposito discrimine pauperibus & opulentis, sive viduis quibuslibet, sive orphanis. Pauperes enim eo semper utuntur privilegio, ut possint sæculares trahere ad Judicem Ecclesiasticum; at opulenti non certè id possunt, cùm Judex sæcularis officio non fungitur, jus dicere abnuit: aut ubi spoliati sunt rebus suis, & restitui tantùm in integrum petunt. Ejus discriminis ratio obvia & prompta est. Ii enim miserabiles sunt, qui non orphani tantùm, sed & pauperes sunt. At divites nec ipsa viduitas, aut orbitas miseros facit, nisi ubi rebus suis spoliantur, aut Judicum copia non sit. Ita demum enim eadem jam sorte incipiunt esse, ac pauperes.

C. Ex parte. Extra. De foro compet.

C. Sicut Sacrorum De Offic. Iud. deleg.

C. Super quibusdam. De verborum signif.

C. Ex tenore. De foro competenti.

Fagnan in C. Signific. De Offic. Iud. Deleg.

IV. Ita ergo habet Jus Decretalium. Concilii quoque Tridentini Patres excitare visi sunt, atque inflammare Pastoralem Præsulum sollicitudinem in miserabiles omnes: ubi id illis significarunt, ea vel maximè causa residere eos debere suis in Ecclesiis, & hunc residentiæ suæ fructum capere suavissimum, ut miserabilibus omnibus præsidio sint & solatio. *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, Verbi divini prædicatione pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere.* Quibus verbis innuitur jure quodammodo divino fulciri eam Pastorum obligationem. Propterea quod residentia illa, quam divinæ humanæque leges præscribunt, non otiosa & iners esse, aut languere debeat, sed vigere & effervescere in omnia Patris & Pastoris providentissimi officia.

Sess. 23. c. 1.

In Concilio Mediolanensi III. monebantur Episcopi, anno 1573. Canonicis Regulis in eos, ut parentes communes, collatam esse curam miserabilium omnium, & ab eis deligendum esse Vicarium, vel Substitutum aliquem, qui sive Clericus, sive laicus, visceribus charitatis abundet, illorumque causas tuendas aggrediatur. *Pupillorum, viduarum & egentium hominum cura Episcopo, communi omnium parenti, à sacrosanctis Canonum legibus potissimum commendata, & commissa, negligi non debet; ne si lædantur, vociferentur ad Dominum, qui exaudiet clamorem eorum. Quamobrem pro sui muneris officio Episcopus aliquem constituat Ecclesiasticum, vel alium pium hominem, Christianæ charitatis operibus atque officiis deditum, qui & vera misericordia indutus, id generis hominum patrocinium in omni causa suscipiat. Quod si aliqui jam huic pio operi præfecti sint, id agat Episcopus, ut ii munus sibi creditum exequantur quamdiligentissimè.* In Concilio Mexicano anno 1585. statutum est, ut Advocatus & Procurator designaretur causarum omnium, quæ ad pauperes & ærumnosos quosvis spectarent; illis verò justa merces ab Episcopo solveretur, ut gratis operam suam commodarent, aliàs duplum restituerent. *Advocatus & Procurator deputentur, qui miserabilium personarum causas defendant, & salarium quod sibi fuerit ab Episcopo constitutum, ex Camera percipiant. Hi verò illorum causas, quos ut*

Cap. 12.

L. 2. Tit. 3. § 3.

pauperes in eorum patrocinium Judices tradiderunt, gratis defendere teneantur, nec ab eis quidquam accipiant, eorumve operas ad suos usus conferant, sub pœna reddendi duplum.

V. Celebratissimi quique posterioris hujus ævi Antistites exemplis luculentiùs quàm Conciliorum suorum decretis approbaverunt, quàm pii, officiosi, intrepidi esse debeant Episcopi in pauperum & calamitosorum defensionem. Mirifica prorsus constantia Lanfrancus Cantuariensis Episcopus restitit Episcopo Bajocensi, qui cùm frater esset Angliæ Regis & Comes Cantiæ Provinciæ, novas illuc servitutes invehebat. Coràm ei obluctatus est Archiepiscopus, dissipatisque nefariis ejus consiliis, ejus Provinciæ antiquas libertates integras, & quod aiunt, sartas tectasque servavit. *Cui Lanfrancus in faciem restitit, & coram omnibus testimonio antiquorum Anglorum, qui periti erant legum patria, deratiocinatus est libertatem terræ suæ, & liberavit homines suos à malis consuetudinibus quas Odo volebat ei imponere.*

Vita Lanfranci.

At B. Hugo Lincolniensis Episcopus excommunicationis jaculo confixit Magnum Angliæ Forestarium, cujus impotentiam ne Magnates quidem Regni declinare aut superare poterant. Succensuit primùm Rex Episcopo, qui Episcopatum sibi deberet, & beneficium injuria pensaret. Sed ubi ipsius ab ore Hugonis audivit, quanti Regum interesit ad æternam eorum salutem, ut Episcopos habeant, quorum opera & beneficio eximantur periculo ei reformidando præ cæteris, ne ignavos & infidus Ecclesiæ dederint Pastores: protinus resipuit, & abjecta incunctanter illa animi alienatione, exarsit in amorem flagrantissimum illum, quo magno & excelso animo viri non possunt non ardere in virtutis sinceræ pulcritudinem. Regis exemplo se accommodavit magnus Forestarius, & usitatam illam pœnitentium publicorum flagellationem cùm subiisset, absolutionem à sanctissimo consecutus est Episcopo, cui deinceps arcto amicitiæ nexu conjunctissimus fuit, & omnium ejus negotiorum fidissimus administer. *Forestarium dolentem valde & virgis cæsum clementer absolvit. Hunc postea omni reliquo vitæ suæ tempore, speciali quadam benevolentia sibi sensit addictum, & suorum negotiorum fidelissimum curatorem.*

Vita ejus apud Surium die 17. Novemb.

Nec eo tantùm loco sanctissimus Præsul intercessit violentis extorsionibus, quæ nomine Regis fiebant, & intercessionem suam Regi ipsi approbavit. In Apostolico ejus vitæ tenore, in despicientia rerum humanarum omnium, in intrepidi animi magnitudine, ejusmodi erant munimenta invictissima, quibus ira Regum & machinationes Magistratuum Præsidumque cedere cogerentur. Cùm aliquando in illum Rex vehementissimè excanduisset, illum pati modestia & celsitudine animi aggressus, his verbis compellavit: *Et quid est quod audio de te? Annon quotidie pauperes opprimis, innocentes affligis, exactiones graves imponere non reformidas? Insuper & fidem thori te violasse fama clamitat.* Cùm eodem ipso tempore in Regiæ mentis penetralibus æterna lex & veritas Christus hæc eadem intonaret, non potuit Rex non stupere & revereri Præsulem, cujus ore & lingua æternæ sibi justitiæ & legis oracula insonarent. Quo eò tandem adductus est, ut aut præteritos purgaret & excusaret errores, aut emendatiorem se sponderet, quæ graviter peccasset; & hoc singulari elogio Episcopum commendaret: Si Hugoni similes essent cæteri Episcopi, nihil unquam Reges molituros, quod eis displicere posset. *Rex convertens se ad suos, si omnes, inquit, Episcopi tales essent, nihil adversùm eos possent, sive Reges, sive Principes.*

Ex his autem tanta & sapientia & animi magnitudine refertis Regum verbis illud existit, ubi illos aut rerum temporumque angustiæ, aut perversa ministrorum consilia transversos agunt ad ea, quæ in pauperum, vel calamitosorum, vel Ecclesiarum perniciem vergant: in eorum tamen etiam tum animis delitescere residua quædam semina humanitatis, clementiæ, modestiæ, & beneficentiæ; quæ nunquam tamen erupturа, aut in lucem exitura sint, aut fructus editura ullos, nisi Præsulis alicujus infracta pectoris constantia eos lacessat, & depromere cogat arcanas illas regiarum virtutum dotes. Hinc illa conjunctio & arctissima necessitudo inter Reges & ejusmodi Præsules. Nec enim possunt Reges non summo quodam amore eos prosequi Antistites, quibus veluti obstetricantibus exiere in lucem virtutes illæ heroicæ, & verè regiæ, quæ in eorum antè præcordiis latitabant, & quæ tum demum emicuerunt, cum in se ipsos excandure ipsi, & censoribus suis assentientes, longè pulcherrimam ipsi in se censuram exercuerunt. Et sanè huic Hugoni Lincolniensi Episcopo, qui *Malleus Regum* cognominatus est, ut ibidem habet Scriptor ejus vitæ, non minùs admirationi erat, ut reor, humanitas, suavitas, animique flexibilitas horum Regum, quàm erat ipse stupori cæteris mortalibus inflexa illa constantia sua, fiduciaque in Reges.

Ex hoc enimvero elogio, *Malleus Regum*, non minus gloriæ & splendoris effloruit in Reges ipsos, qui fregerunt ipsi sese, iramque & furorem justitiæ, juri, sanctitati Præsulum inflexere, quàm in Præsules sanctissimos, gregi suo vitam & salutem impendere paratissimos. Non pauca alia prætereo non multùm diversa ejusdem Præsulis facinora. Extra suæ etiam Diœceseos fines anathemate illaqueavit eos qui Clericum longa jamdiu vexatione oppresserant, & quanquam ejus excommunicationis forma regulis juris minùs consentiret, cælestis tamen vindictæ ira illi mox obsecundavit, oppressis injuriæ authoribus.

VI. Claruit & Episcoporum Galliæ non multùm dispar fiducia ac fortitudo. Anathema vibrabat Episcopus Aniciensis in Vicecomitem Polinacensem, quòd vectigalia indebita exigeret, & publicas per vias prædationes ageret immanes. Inita pòst inter Episcopum & Vicecomitem pax, ipso bello infestior; cùm convenissent, ut vectigalia & rapinas inter se partirentur, facinus Rex confirmando cumularet. Regem Epistolis suis occupavit Mimatensis Episcopus, audenterque admonuit, quàm & præposterum esset & propudiosum, ut ejus authoritate, qui Legum defensor est, leges conculcarentur: *Disposuerunt tentare, ut defensor legis destruat legem:* ut Ecclesia, quo asylo utuntur ærumnosi omnes, jam spelunca latronum, & prædationum receptaculum fiat: *Volunt ut templum matris Dei, quod debet esse asylum miserorum, sit spelunca latronum:* ut qui oppressis sublevandis instituti dicatique sunt, ipsi eorum spoliis saginentur: *Qui sunt constituti fieri pro populo, de lacrymis populi gaudere disposuerunt.*

Du Chesne To. 4. pag. 111.

Et ne singulis diutius immoremur factis, satius erit responsum hic expromere Cardinalis & Episcopi Augustodunensis adversùs criminationes Magistratuum sæcularium, & querelas Judicum tempore Philippi Valesii Regis, adversùs hanc ipsam jurisdictionis Episcopalis partem, quam hic expendi-

mus. Fidelissimè enim contestatus est hic Præsul, divinis humanisque legibus, conspiratissimè Judicibus Ecclesiasticis addici, & consuetudine confirmari causas viduarum & pupillorum: *De viduis & pupillis, dicit Episcopus, quod de jure divino & humano, gardia talium personarum, quantum ad violentias & saisinas, pertinet ad Ecclesiam, & sic de consuetudine observatur in Ecclesiis Gallicanis.* Aut re-
Bibl. Patr. To. 4. pag. 890. 891.
sponso hoc suo non complectebatur hic Præsul, nisi viduas eas, orphanosque, qui pauperes non essent; aut Ecclesia Gallicana jam tum exciderat ea parte priscæ jurisdictionis suæ, ut de causis cognosceret omnium pauperum, etiam non oppressorum.

In Hispania cùm non potuisset Ximenius Archiepiscopus Toletanus omnia prorsus vectigalia populi cervicibus excutere: illud excussit quod molestiæ plus habebat, statuto, ut regiunculæ singulæ suos sibi deligerent Collectores, à quibus in fiscum
Gometius. De gestis Xymenii. L. 2.
Regis tributa omnia perferrentur; exonerans ad eum modum rusticis infinita ea pecunia, quam exigunt publicani, præter eam quæ in ærarium publicum infertur.

VII. Nec mirum est, si indulserint Reges ei, quod miserabilibus & afflictis impendit Ecclesia patrocinio: cùm & ipsi nonnunquam insolentes fortunæ ludos experti sint, alternasque vices, & in Ecclesiasticæ tuitionis sinum sese abdere compulsi sint. Non dicam anno 1055. ab Henrico III. Imperatore ad Concilium Turonense adversùs Hispaniæ Regem querimonias esse depositas, quod Imperatorium ab eo nomen usurparetur. Ex anathematum diræ à Concilio evibratæ sunt, quibus cessit Rex Hispaniæ. Narrat Ordericus Vitalis, ut anno 1119. apud Concilium Remense, cui præerat Papa, conquestus sit Ludovicus VI. Franciæ Rex de Rege Angliæ, qui Neustriam invaserat.

Cùm Rege Ludovico VII. absente Sugerius Abbas Regnum administraret, per Epistolas apud Eugenium III. Papam expostulavit de Episcopis quibusdam, qui sibi nulla re aderant, clavum Regni moderanti: rescripsit Papa, ut eorum sibi nomina Episcoporum renunciaret, quo eos officio fungi
Epist. 22. 22. 23.
tam necessario urgeret. *De Episcopis vero, qui pro defensione Regni tibi opem ferre & adesse recusant, ne omnes simul in culpam inducere videamur, nobis de aliquibus nominatim significet, ut eos Apostolicis affatibus corripiamus & exhortemur, quatenus ad conservandum statum Regni promptiores existant, & ad ea quæ Regni honori & utilitati expediunt, vires & consilium subministrent.* Inde mandavit & Episcopis, ac Metropolitanis Pontifex, ut anathema jacularentur in omnes, qui Regni pacem perturbarent. Cùm anno 1148. idem Pontifex Concilium Remis coëgisset, Legati junioris Regis Romanorum Henrici gravissimè conquesti sunt de Ducis Poloniæ fratribus tribus, qui Principatum ejecto fratre primogenito invaserant, Episcoposque in suas partes pertraxerant. Præcepit Alexander III. Episcopis Angliæ, ut Provinciam in qua Rex versaretur interdicto subjicerent, nisi præfixo tempore filiis suis proprias restitueret conjuges, quas eis abstulerat; qua de injuria filii Regis ipsi, eorum conjuges, & Rex ipse Galliarum earum parens querelas retulerat ad sedis
Append. 2. Epist. 109.
Apostolicæ Præsulem. *Pro quibus sibi restituendis idem Rex Francorum & filii prædicti Regis Anglorum, generi sui, preces nobis sollicitas porrexerunt.* Quin & Henricus IV. Imperator tam diutinæ sævissimæque in Pontifices author persecutionis, provocavit tandem & ipse ad sedem Apostolicam, ejusque se commendavit patrocinio, postquam tota in eum conjurata cum filio ejus Germania exurrexerat.

VIII. Fulbertus Carnotensis Episcopus per litteras Fulconem Andium Comitem commonuit, nisi satis faceret Regi, atque expungeret contumelias ab ejus hominibus tam sanctæ Majestati aspersas, non posse se non illum sua excludere communione. *Christianam communionem nobiscum ulterius non habebis.* Rogerium Comitem sacris interdixit Lanfrancus Epist. 500.
Archiepiscopus, cujus rapinarum ne Rex quidem ipse immunis fuerat. *Ab hoc vinculo anathematis absolvere te non possum, nisi misericordiam domini mei Regis requiras; sibique & aliis quorum res prædatus, justitiam facias.* Epist. 41.
Ad Episcopum Andegavensem rescripsit Petrus Blesensis, non ita pridem Episcopis præcepisse Pontificem, ut anathemate percellerent eos omnes, qui in Anglia adversùs Henricum II. Regem insurrexerant; à Cantuariensi Archiepiscopo illos omnes Cadomi nuper anathemate perculsos fuisse, nulla vel filii ipsius Regis exceptione; porro nemini ab eo Archiepiscopo illatum fuisse anathema, quem non mox præceps & immatura mors abripuerit, aut tristissima quædam perculerit calamitas: hæc sibi sectanda proponeret exempla, & iisdem telis in rebelles sæviret. Litteras dederat Henricus ipse II. ad Alexandrum III. ut ejus tutela tegeretur, etiam ut clientelari sedis Apostolicæ jure Angliam ei obnoxiam obtinens: calamo Petri Blesensis vicario ad id usus.
Epist. 69. 136. 144. 145. 146.

At Eleonora Regina Angliæ eodem Petri Blesensis stylo multò amarulentius conquesta est ad Cælestinum Papam, ut interveniente Apostolico patrocinio Richardus filius Angliæ Rex libertati redderetur; quem ex Palæstina redeuntem Germani Principes quidam in carceres & vincula conjecissent. Monebat Regina summum Pontificem, Christianos Reges omnes potestati ejus spirituali subesse, utpote Patris fidelium omnium: ideoque totam ab eo distringi debere illam potestatem pro Regibus adversum Reges. *Nonne Petro Apostolo, & in eo vobis à Deo omne regnum omnisque potestas regenda committitur? Non Rex, non Imperator, non Dux à jugo vestræ jurisdictionis eximitur. Ubi est ergo Zelus Phinees, ubi est authoritas Petri? Non degeneret in hærede Petri dignitatis Apostolica reverenda successio. Vestrum agnoscite principatum, probate zelum, accingimini ad opus fortitudinis, & honorate ministerium vestrum.* Spoponderat Pontifex Legatos ea de causa in Germaniam se missurum, urgebat Regina, ut fidem suam liberaret: nec enim sedi Petri amplius quidquam, aut ad gloriam magnificentius esse, quam Regem libertati, tot populos paci & gaudio reddere. *Et quæ quæstus esse gloriosior posset, quam Regem liberare captivum, reddere pacem populis, religiosis quietem, gaudium universis?*

IX. Quantumvis justæ essent & necessariæ causæ, quibus fidebat Regina, urgebatque Papam: cessator illi Papa videbatur. Nec immeritò. Nec enim eodem jure & modo, quo Anglia, etiam cætera regna sedi suberant Apostolicæ. Molli pollice tractandi erant summi Principes, ne exasperarentur, si duriusculè ageretur cum eis, & pessum irent omnia. In istis ergo Pontificis cunctationibus non sapientiæ tantùm & moderationis, sed & momenti viriumque plus inerat, ad votis Reginæ auspicatos exitus accelerandos, quàm in ipsa Reginæ præcipiti festinatione. Obedientiam quidem eam quam filii parenti, Christiani Principes summo Pontifici præstant. Sed cùm Religionis fundamenta in charitate

posita sint; cúmque Ecclesiæ Imperium charitatis & sapientiæ Imperium sit: non facilè summi Pastores authoritatis suæ vim explicant, nisi accommodatè ad patientiam populorum, & multò magis Regum. Certissimè cùm salus hominum, & sempiterna salus, unus ille scopus est, unum decus & votum spiritalium omnium Potestatum. Itaque quantumvis ea potestas longè latéque pateat ab origine & primigenio ipso suo jure, hactenus eam explicant, quousque salutifera & conducibilis est, alendæ charitati pacique publicæ.

Rainal. an. 1199. n. 67. Anno 1199. Rex Armeniæ ad sedem Apostolicam provocavit, adversùs Tripolitanum Comitem nepotem suum, qui Antiochenum Principatum eo extruso usurpaverat. Anno 1202. Innocentius III. authoritatem suam interposuit ad Galliæ Reginam Philippo Augusto Regi & conjugi conciliandam, qui eam repudiare meditabatur. Nec verò lamentantis Reginæ precibus poterant Pontificis aures Idem n. 23. Et an. 1203. n. 59. occludi: *Utrum autem Apostolica sedes dissimulare valeat querimonias oppressorum, & maximum præcipuè,* &c. Nihil ad ciendam commiserationem accommodatius litteris hujus Reginæ ad Papam: *Vos estis successor Petri, Collega Pauli, qui Corinthium gladio spiritûs trucidare minimè formidavit,* &c. Anno 1263. Rainal. eo anno 33. Urbanus IV. ad Michaëlem Imperatorem Constantinopolitanum rescripsit, Reges Catholicos Occidentis habere in interventione sedis Apostolicæ certissimum perfugium, ad componendas dissensiones mutuas, populorumque rebelliones sedandas. *Reges Catholici cum inter ipsos aliquid dissensionis emergit, vel cum Vassalli eorum præsumunt contra eos calcaneum rebellionis erigere, mox habent ad portum Ecclesiæ prædictæ recursum, ejusque salubre consilium & auxilium implorantes, tranquillitatis & pacis remedia infallibiliter ab ipsa recipiunt.*

X. Ex his patet, volentibus orantibusque Regibus ipsis, interposuisse se Pontifices ad dissensiones, rebellionesque comprimendas & tranquillanda Regna. At hic ipse Pontifex mox luculentè sedis Apostolicæ paterna describit viscera, paternasque curas in Regum impuberum defensionem, qui ei cum regnis ipsis commendati fuerant. *Præterea circa hæredes parvulos regnorum hujusmodi, si quos parentibus eorum Regibus deficientibus in pupillari ætate remanere contigerit, eadem Romana Ecclesia piæ matris assumit officium, ac diligenter & utiliter ipsorum gerit regimen & tutelam; eorum hæreditatem & regna, cùm necessitas imminet, etiam suis propriis sumptibus à quibuslibet invasoribus & occupatoribus defendendo.*

Idem n. 69. Anno 1265. Cardinalis Ottobonus Angliæ Legatus excommunicatione perculit rebelles, qui mox omnes internecione deleti sunt. Cùm anno 1266. Rex Aragoniæ repudium meditaretur conjugis suæ, mendacissimo eo obtentu, quod lepra inficeretur; Clemens IV. Papa Reginæ defensionem in se recepit. Idem n. 27. 28. Anno 1283. Alphonsus Castellæ Rex cùm regno exutus fuisset à Sancio filio, tuitioni se commisit Martini IV. à quo datæ sunt litteræ ad Episcopos & Ibidem. n. 55. 56. ad Equites Hispaniæ, ut Regi omni ope adessent, rebelles communione ejicerent; irritum quoque declararent sacramentum, quod Regis filio sibi præstari expresserat; denique litteris hortatus est Pontifex & Galliæ Regem, ut patri adversùs filium opitularetur. Ibid. an. 1441. n. 19. Anno 1441. Joannes Castellæ Rex Eugenium IV. interpellavit, ut fulmina excuteret Ecclesiæ adversùs eos, qui tributa Regni statuta & ordinaria non solvebant. Detrectavit Pontifex affirmans sanctissimè, nihil unquam ejusmodi tentatum fuisse ab Ecclesia Romana in Provinciis temporalis suæ ditionis: quòd non facilè ad pœnas spiritales emollescerent, qui ad temporales obdurescunt; cùm alioqui & grave sit, & permolestum, ad damna aliqua temporalia sarcienda in æternæ salutis suæ discrimen populos conjici.

Sileo complurium aliorum Regum casus persimiles, Bohemiæ, Hispaniæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ & Hungariæ: qui sæpiùs experti sunt, quantum esset momenti & virium in interventione Ecclesiasticæ authoritatis, & in formidine fulminum sacrorum ad populos in fide & obedientia Principum confirmandos, aut ad eam quam propere revocandos. Anno 1516. Ladislaus Rex Hungariæ vita excedens Leonem X Papam & Ecclesiam Romanam custodiæ & defensioni præesse voluit filii sui Regis. Rainal. an. 1472. n. 55. 1482. n. 47. 1487. n. 27. 1483. n. 3. 1489. n. 17. Sextum Decr. L. 1. Tit. 8. c. 2. Cardinal. Papiens. Epist. 622. Rainal. eo ann. n. 61. 22.

XI. Ad eum modum Ecclesia, Regis Regum Sponsa, terrenis Regibus patrocinium & tutelam quandoque suam impertit; cui & ipsi Beneficii ejusdem vices rependuntur à terrenis Regibus, quòd & ipsi summi cœlorum Regis Vicarii sint. Id enimverò habent Reges maximè Regium, & verè augustum, utpote Deitati maximè affine, tueri & levare orphanos, viduas, misellos omnes. Continuator Aimoini de inauguratione agens Ludovici Crassi, tradit Archiepiscopum Senonensem, qui eam pompam celebrabat, sæculari eum exuisse gladio, Ecclesiastico donasse ad Ecclesiarum & pauperum defensionem. *Abjectoque militia sæcularis gladio, Ecclesiastico ad vindictam malefactorum eum accinxit, diademate regni gratanter coronavit: necnon & sceptrum & virgam, & per hæc Ecclesiarum & pauperum defensionem, & quæcumque regni insignia, approbante Clero & populo, devotissimè contradidit.* Baron. ann. 1102. n. 43. Quo videtur innui, sceptro Regum, non secus quam pedo Episcoporum pastoralem designari sollicitudinem, pro iis omnibus excubantem, quos eis Numinis providentia subjecit. Se, Regnumque suum devovit Ludovicus Junior Rex Archiepiscopi Cantuariensis Thomæ defensioni. *Sed & Deo & tibi meipsum & regnum meum expono, & ab hac hora promitto, quod tibi & tuis non deero.* Idem anno 1128. n. 72. 73. Ann. 1169. At iniquius ferente Rege Angliæ quod tam prolixè & peramanter excepisset Galliæ Rex Thomam, quem ipse Regno pepulisset; ejus Legato hæc respondit Gallus, quæ Regis Regnique toto Christiano orbe præstantissimi dignitatem prorsus redolent. Nimirum si de avitis consuetudinibus Regni sui Rex Anglus nil delibari, vel deteri pateretur, multò minùs passurum Galliæ Regem quidquam decerpi de patria avitaque jam olim Franciæ consuetudine, miseros oppressosque defendendi. Eam enim coronæ Francicæ singularem & pulcherrimam esse prærogativam, & velut avitam hæreditatem ad se transfusam. *Multò minùs mihi licet jus illius liberalitatis subvertere, quod cum corona Regni mihi jure competit hæreditario. Consuevit siquidem Francia ab antiquis temporibus omnes miseros, & afflictos, & maximè pro justitia exulantes recipere, & donec pacem habuerint, fovere, tueri, & defendere. Cujus honoris & excellentiæ gratia, Deo propitio, me vivente, ad nullius personæ suggestionem, Cantuariensi exuli derogabitur.* Hæ germanæ sunt, eædemque inæstimabiles Regii diadematis gemmæ. Altissimè id insederat animo Ludovici hujus Regis. Unde & alibi rursum: *Dixit se nunquam tam laudabilem hæreditatem & Deo gratam ex causa qualibet deserturum.*

XII. Eas tamen Reges Galli potissimum injurias ulciscendas in se receperunt, aut resarciendas,

quæ Ecclesiis Regni sui irrogarentur. Pulcrè id à Rigordo animadversum est, ubi Reges Præfecturam quampiam, Ducarum aut Comitatum committebant, Ecclesias semper omnes suæ ipsorum tuitioni reservasse; ne Præfecti hi, aut domini quicumque vectigalia ulla possent indicere, aut onera priscis libertatibus inimica. *Quibuscumque Principibus terras custodiendas tradidissent, tamen Ecclesias sub potestate sua & protectione retinere decreverunt; ne Principes quibus terra custodienda à Regibus delegabatur, Ecclesias, vel Clericos aliquibus angariis, talliis, vel aliis exactionibus gravare præsumerent.* Du Chesne. To. 5 p 25.

Illis qui in vinculis erant, & reis tuitio Ecclesiæ impensa.

CAPUT XCV. *P. 1. l. 2. c. 39.*

Pro reis & captivis interveniebant Episcopi apud Judices & Imperatores. Item pro confugientibus ad asylum Ecclesiæ, quinque prioribus sæculis.

I. Quàm ardenter Episcopi, Clerici, Monachi reis veniam & impunitatem præstare, quo pœnitentia illos subsequerent.

II. Doctrina Augustini in eam rem. Crimina abolere sanarique compescit Ecclesia, nec ea sanantur nisi per pœnitentiam.

III. Multum non abit scelus, quod pœnitentia publico laboribus expiatur. Clementia Christi in fœminam adulteram.

IV. Austeritate veteris Testamenti lenitas novi & indulgentia commendatur.

V. Extremo supplicio plectendi non essent, nisi quorum desperatur emendatio. At nullum prorsus desperanda est, dum superstes hic est.

VI. Etiam præcepto se in Judices uti posse considebat Augustinus, in ejusmodi rebus.

VII. Summum decus & insigne gloria Ecclesiæ in indulgentia. Nec à sententia Judicum illa unquam provocat, nisi ubi in hostes suos inclementius sævitur.

VIII. Homines sibi injuriosos, damnososque, & vivere vult, & bene vivere.

IX. Quæ tuitio impenderetur confugientibus ad asylum Ecclesiæ.

X. Tuitio eorum, qui ære alieno premebantur, nec solvendo erant.

XI. Ecclesia usitatissime non adhibebat nisi preces.

XII. XIII. XIV. Regula & exempla B. Ambrosii in eandem rem.

XV. XVI. Item B. Hieronymi & B. Martini.

XVII. XVIII. B. Ephiphanii Episcopi Ticinensis, & S. Germani Episcopi Altissiodorensis.

XIX. Beati Antonii.

XX. Leges Imperiales ad abusus tollendos.

XXI. Eos prævertere studuerat Ambrosius.

XXII. Lex Imperatoris Honorii Intercessionibus Episcoporum propitia.

I. Quàm miserabilibus omnibus ex officio suo impendebant Episcopi defensionem, eam ad hostes ipsos pietatis, etiam propè desperatos porrigebant, quorum etiam capita ultore alioqui Judicum sæcularium gladius truncaturus erat. Non quòd multum vellet Ecclesia scelus ullum: sed peccatum ulcisci, peccatorem servare percupiebat, easque infligi temporales pœnas, quæ æternæ saluti conducibiles essent. Illud sanè alibi ostensum fuimus, iis qui raptabantur ad mortem, Judicum sententia pœnas scelerum luituri, nec Eucharistiæ, nec Pœnitentiæ sacramenta fuisse olim administrata. Nec sanè nisi ab annis admodum trecentis in Gallia ad pœnitentiam eos admitti jus fasque est. Poterant illi quidem eo animi dolore angi, ita conteri, ut hinc scelerum maculæ eluerentur. Sed cùm in arcano conscientiæ penetrali id totum perageretur, non poterant Episcopi nisi de rebus conspicuis loqui, insuetis de istiusmodi gratiis silebant potius; nec possumus nos non eorum loquendi consuetudinem usurpare.

II. Præclarissimè Augustinus consilium & animum Ecclesiæ nudavit, in his charitatis officiis in reos defungendis: non quòd crimini suffragaretur, sed quò vitium potiùs ipsum, quàm hominem vitiosum extingueret, quo extincto plerumque inextinctum supererat vitium. *Hominem miserantes, facinus autem seu flagitium detestantes, quantò magis nobis displicet vitium, tantò magis volumus inemendatum interire vitiosum.* Epist. 54. Insectatur Ecclesia peccatum, incolumem cupit peccatorem. Aliud meritissimò illi natura, aliud culpa hominis. Culpam exterere, naturam emaculare, non interimere studet. Cùm ex adverso peccatorem perimat Judex publicus, peccatum usque vivere & permanare sinat in omnia sæcula animæ immortalis; nec enim nisi in mortali vita mortalia eluuntur flagitia. *Facile enim est atque proclive malos odisse, quia mali sunt, rarum autem & pium eos diligere, quia homines sunt: ut in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes; ac propterea culpam justiùs oderis, quòd eâ fœdatur natura, quam diligis. Non est igitur iniquitatis, sed potius humanitatis societate devinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator.* Non sanatur crimen, cum criminosus interimitur; longè aliud est interficere, aliud emendare peccatorem. Ubi vita illi eripitur, eripitur & tempus pœnitendi. Deinque non tarò pœna temporali ad æternas pœnas ejicitur peccator impœnitens. Nihil amplius est in Judicis sæcularis potestate. Nec de ægrotis, nec de peccatoribus desperari patitur Ecclesia, quandiu mortalem hanc carpunt vitam. Ita protrahit quantum potest eorum vitam, mortem differt; quia antè sanari eos vult, quàm mori: antè confirmatos illos vult in æternæ vitæ spe, quàm temporali hac decedant. *Morum verò corrigendorum nullus alius quàm in hac vita locus. Ideo compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint finire supplicium. Noli ergo dubitare hoc officium nostrum ex religione descendere, &c.*

III. Nec impunè abire æstimanda sunt crimina, quando pœnitentiæ subjiciuntur canonicæ. Cum sui pudet pœnitetque sceleratum, cum pœnas sibi infligit ipse, tunc verè punitur, & eluitur scelus. Cum Judex solus punit, ea rei impœnitentis pœna non crimen delet, sed criminosum. *Nam nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod malè fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti, ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit.* Christus ipse mulieri adulteræ veniam fecit pœnæ capitalis, suoque exemplo Episcopis viam præmonstravit, ut lacrymis potiùs, quàm cruore scelera expiari faciant; & ad id sin minùs authoritatem, certè enixissimas preces interponant. *Postremò ipse Dominus apud homines intercessit, ne lapidaretur adultera, & eo modo nobis intercessionis commendavit officium; nisi quia ille terrendo fecit, quod nos petendo. Ille enim Dominus, nos servi sumus.* Edocuit Christus, ut pœnas publicas relaxari facerent, pœnitentias salutares ne relaxarent. *Et ne delictorum non donator, sed approbator videretur, vade, ait, jam deinceps noli peccare; ut se homini pepercisse, non hominis culpam sibi placuisse*

monstraret. Judices denique ipsos edocuit, cùm peccati immunes nec ipsi sint, ipsorum interesse, ut reis parcant; cùm vel maximè ipsemet qui in ipso summo innocentiæ & sanctitatis culmine sedebat, nocentibus condonarit. *Quantò à nequitia purior animus, tantò clementia plenior esse deberet, ut si non compungeremur sententia Domini dicentis, Qui vestrùm est sine peccato, prior in illam lapidem jaciat; ipsius qui hoc dixit sectaremur exemplum, qui cùm esset utique sine peccato, ait mulieri: Nec ego te condemnabo. Tanquam diceret, si malitia tibi parcere potuit, quid metuis innocentiam?* Si crimine ergo implicati ipsi simus, indulgeamus, quò nobis indulgeatur. Si scelerum puri & expertes sumus, similiter aliis indulgeamus, cùm ea nobis & documenta præstruxerit & exempla ipsamet innocentia. *Ibidem.*

IV. Reos, fateor, morte plectebat Lex Mosaïca; verùm non alio magis consilio, quàm ut hinc commendaretur lex Evangelica, quæ condonat, quod illa plectebat: quæ amorem justitiæ inspirat, non ut illa solam pœnæ formidinem. *Nec ob aliud quantum sapio, in veteri Testamento severior legis vindicta fervebat, nisi ut ostenderetur, rectè iniquis pœnas constitutas; ut quod eis parcere novi Testamenti indulgentia commonemur, aut remedium sit salutis, aut commendatio mansuetudinis; ut per eos qui parcunt, veritas prædicata non tantùm timeatur, verùm etiam diligatur.* *Ibidem.*

V. Nec illud dissimulabimus, authoritate & justitia divina armatos esse Judices, Regesque, gladio ultore ad vindictam malefactorum. Quin & ipsæ preces quas allegant Episcopi, ne rei plectantur, argumento sunt, jure plecti posse. Sola formidine pœnæ in officio contineri possunt, quos amor justitiæ non movet. *Hac dum timentur, & coërcentur mali, & quietiùs inter malos vivunt boni.* Possunt & temperari pœnæ, ut conspiret terror Judicum, & lenitas Episcoporum: ut pœnæ reis & infligantur, & leniantur: ut hoc austeritatis & indulgentiæ temperamento timeatur pœna, ametur justitia; nec carni infligantur vulnera, nisi ut anima sanetur. *Nihil nocendi cupiditate fiat, sed omnia consulendi charitate, & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Ita formidetur ultio cognitoris, ut nec intercessoris religio contemnatur; quia & plectendo & ignoscendo hoc solum agitur, ut vita hominum corrigatur.* *Vide & Epist. 127. 153.* In hoc denique charitatis & justitiæ certamine consilia utrimque pia & justa militabant. Uno eo dissidebant Judex & Episcopus, quòd cùm utrique conveniret, perimendos non esse, nisi quorum emendatio conclamata esset; reum hunc ejusmodi esse Judex interpretabatur, sperabat ex adverso Episcopus, venia ipsa inflecti emollirique posse cor ejus, pœnisque Ecclesiasticis ita expungi crimen, ut criminosus superstes justitiam posthac coleret; denique nullius resipiscentiæ spem abjiciendam prorsus esse, dum vitam hanc agitat mortalem; quò adducitur & cælestis Patris misericordia, ut super justos & injustos gratiæ suæ beneficia impluat, Solemque suum malis bonisque jubeat exoriri.

VI. Qua rursus charitate, qua indulgentia & lenitate sit Ecclesia in infestissimos etiam adversarios suos, alibi quoque docet Augustinus, ubi authoritate, eloquentia, prece, imperio pugnat, urgetque Marcellinum Comitem, ut ne morte, vel membrorum truncatione qualibet plectat Donatistas, qui sævissima morte affecerant Presbyterum unum Catholicum, alterum effosso oculo, succisoque digito malè mulctaverant. Non intercedit sanctus Pater, ne mitiori quapiam pœna afficiantur, qua nocere prohibeantur, & utili addicantur labori; quanquam potuisset reos Judicibus omnino permittere, quòd nulli Clerici horum homicidarum delatores fuissent. *Quamvis enim ab eorum interitu dissimulare possemus; qui non accusantibus nostris, sed illorum notaria ad quos tuenda publica pacis vigilantia pertinebat, præsentati videantur examini. nolumus tamen passiones servorum Dei, quasi vice talionis, paribus suppliciis vindicari. Non quo scelestis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri, sed hoc magis sufficere volumus, ut vivi & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine insana ad sanitatis otium legum coërcitione dirigantur, vel à malignis operibus, alicui utili operi deputentur. Vocatur quidem & ista damnatio, sed quis non intelligat magis beneficium, quàm supplicium nuncupandum, ubi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina subtrahitur.* *Epist. 159.* Qui erant damnati ad metalla, pœnæ huic suæ jure succensere non poterant, tam leni, tam utili: qua à flagitio in posterum cohibebantur, nec necessario frustrabantur vel tempore, vel adminiculo, ad pristina flagitia per pœnitentiam abstergenda. Denique allegatis precibus Augustinus imperium quoque adjicit. *Audi Episcopum consulentem, quamvis quoniam Christiano loquor, maximè in tali causa non arroganter dixerim, audire Episcopum convenit jubentem.*

VII. Alia rursus Epistola Augustinus magno hoc Ecclesiam & Rempublicam distare docet intervallo, quòd Ecclesiæ cum gloria incorrupta, tum utilitas voluptasque maxima ex indulgentia proficiscatur, patientia, & amore inimicorum: cùm Reipublicæ humanæ unus sit scopus, unum decus, paci consulere temporali, hostiumque internecione civibus suis tranquillitatem conciliare. *Alia est causa Provinciæ, alia Ecclesiæ. Illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo.* *Epist. 160.* Provocant homines de trivio à judicio mitiore, leviorique supplicio adversariorum suorum; provocat Ecclesia ab austeriore. *Solent homines quando cum inimicis eorum convictis leniùs agitur, à mitiore sententia provocare. Sed inimicos nostros ita diligimus, ut nisi de tua Christiana obedientia præsumamus, à tua sententia provocemus.* Nec per leges Judici fas esset legum pœnas mitigare, nisi lex quædam summa eam quandoque dictaret mansuetudinem. Atqui nusquam id tempestivius, quàm ubi ob oculos humani generis coràm ostentandæ sunt illæ admirabiles Ecclesiæ leges & virtutes: cùm summi Patris & Sponsi sui cælestis imitatrix, mala bonis pensat, amat persecutores & beneficiis cumulat. *Nunc verò quoniam aliquid fieri potest, quo & mitis commendetur Ecclesia, & immitium cohibeatur audacia, cur non flectis in partem providentiorem, leviorémque sententiam, quod licet Judicibus facere etiam non in causis Ecclesiæ?* Poposcit sanè à Marcellino Augustinus, ut si ea non indulgentia legum, sed indulgendi potestate per leges concessa uti abnueret, sententiæ saltem suspenderet executionem, donec Imperatorum clementia adiri posset. Ubi perspicis quo appellarent modo Episcopi à Judicum sententiis durioribus. *Soleo audire in potestate esse Judicis mollire sententiam, & mitiùs vindicare, quàm jubeant leges. Si autem nec litteris meis ad hoc consenserit, hoc saltem præstet, ut in custodiam recipiantur, atque hoc de clementia Imperatoris impetrare curabimus.* *Epist. 158.*

VIII. Rursus alibi doctissimus idem Pater docet, eos esse mores Ecclesiæ, ut hostibus suis vitam, vitæque necessaria dimittat subsidia, superflua tantùm ea resecet, peccandi irritamenta quæ

forent, ut ea circumscripta luxuriandi licentia, ad meliorem frugem se referant. *Habent homines mali, ubi & per Christianos non solum mansuetè, verùm etiam utiliter salubriterque plectantur. Habent enim quod corpore incolumi vivunt, habent unde vivant, habent unde malè vivunt. Duo prima salva sint, ut quos pœniteat sint, hoc optamus, hoc etiam quantum in nobis est, impensa opera instamus. Tertium verò si Deus voluerit, tanquam putre noxiumque resecari, valde misericorditer puniet.*

Epist. 103

IX. Non hîc locus est spatiandi in officia ea, quibus Episcopi demereri studebant confugientes quosvis homines ad asyla Ecclesiæ. Ea de re legem ab Imperatoribus promulgari, aut innovari, ab Africæ quodam Concilio flagitatum est: *Ut pro confugientibus ad Ecclesiam, quocumque reatu involutis, legem de gloriosissimis Principibus mereantur, ne quis eos audeat abstrahere.* Concessa est ea lex ab Honorio Imperatore, quam non facile tamen reperire est in Codice, sive Theodosii, sive Justiniani. Memorandum verò illud potissimum est in utroque Codice, Titulo *De his qui ad Ecclesiam confugiunt:* non aliam ibi antiquiorem de asylis legem occurrere, quàm Theodosii Magni, eamque arctando potiùs, quàm dilatando asylorum privilegio servire, quo excluduntur fisci debitores. Indubium tamen est, jam antè diu ea immunitate gavisas fuisse Ecclesias, & quidem probabiliter à temporibus Constantini. Plura non decreta, sed exempla proferuntur à Zosimo & Ammiano Marcellino. Forsan ergo id juris nascebatur quasi duce natura ipsa, & ratione magistra, ut eodem quo Templum Salomonis, & quo Templa ipsa Paganorum, Ecclesiæ Christi privilegio fruerentur. Confirmatus est Imperatorum legibus tam æquus & tam vetustus usus.

Cod. Can. Eccl. Afric. c. 399.

C. de Theod. de Episc. & Cler. l. 30.

In Concilio Arausicano duo editi sunt Canones ad reorum, captivorumque, sive servorum defensionem, qui in Ecclesiam confugerent. *Eos qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non oportere: sed loci sancti reverentia & intercessione defendi. Si quis autem mancipia Clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes Ecclesias districtissima damnatione feriatur.* Caput *Miror* apud Gratianum Epistolæ imputatur Augustini, quæ censoribus tamen emunctioris naris non sapit Augustinum. Ibi anathemate Bonifacium Comitem innodat sanctus Pater, quòd reum aras amplectentem vi abstraxerit. Atqui quod ad reos attinet, scribit Augustinus, ad pedes Episcoporum eos se abjicere solitos fuisse, ut carceres & mortem effugerent. *Contremiscis, conturbaris, pallescis, ad Ecclesiam curris, videre desideras Episcopum, ad pedes ejus volutaris; Domine concutior, domine in carcerem mittor, miserere mei, libera me. Ego quidem curro propter carnem tuam, utinam tu curreres propter animam tuam.* Asylum ergo reorum peculiare erat Episcoporum genua, ipsis incumbebat cura & custodia eorum corporis, ut suas ipsi cogitationes curasque conferrent omnes ad animæ salutem sibi procurandam.

Can. 5. 6

De verbis Apost. ser. 28

X. Postremò denique illud ex Augustino apertissimum fit, tota authoritate & contentione virium certasse Episcopos, non tantùm ut noxios morti subducerent; sed ut illis quoque levamenti aliquid afferrent, qui corporeis cruciatibus vel debita solvere, vel quæ furati essent, restituere cogerentur. Non dissimulat Augustinus justissimas esse eas pœnas. Sed illud contendit, posse Ecclesiæ interventionem iis prodesse, qui solvendo non sunt. *Plerumque qui aufert, non habet unde restituat. Ubi quidem si aliquos sustinet repente cruciatus, dum existimatur habere quod reddat, nulla est iniquitas: quia etsi non est unde luat ablatam pecuniam, meritò tamen dum eam per molestias corporales reddere compellitur, peccati quo malè ablata est, pœnas luit. Sed inhumanum non est etiam pro talibus intercedere, tanquam pro reis criminum: non ad hoc ut minimè restituantur aliena, sed ne frustra homo in hominem sæviat. Denique in talibus causis si persuadere potuerimus, illos pro quibus intervenimus, non habere quod poscitur, continuò nobis eorum molestiæ relaxantur.* Ubi dubium saltem incertumque erat, an debitori suppeteret, unde satisfaceret: si quos humanitatis non omnis destituerat sensus, malebant illi pecuniam periclitari, aut deperire sibi, quàm innocentem si fors cruciatibus objici; hisque non deerant Episcopi, qui suaderent, si res in ancipiti esset, multum potiùs sinerent abire pecuniæ defraudatorem, quàm innoxium quemvis torqueri. *Aliquando autem misericordes & in ipso dubio nolunt homini pro incerta pecunia certa inferre supplicia. Ad hanc misericordiam etiam nos provocare & exhortari decet. Melius enim etiamsi habet, amittis: quàm si non habet, aut excrucias, aut occidis.*

Epist. 54.

XI. Ex his Augustini testimoniis illud emicat, non potuisse Episcopos non intervenire; potuisse & imperia in Judices adhibere, cum de reis illis agebatur, qui ad Ecclesiam confugissent, aut quorum mors ulciscendis Ecclesiæ injuriis fuisset impendenda. In cæteris causis orabant, non jubebant Episcopi, ad deprecandam mortem vel mutilationem reorum: aut eos tormentis & quæstionibus eximendos, qui non erant, aut quos non constabat esse solvendo, vel æri alieno suo, vel furto.

XII. Expromit & Ambrosius, ubi illa innata quodammodo ipsi Episcopatui exerenda esset animi constantia & magnitudo. Permistæ ab eo datæ sunt litteræ ad Imperatorem Theodosium, quibus dehortabatur vehementissimè, ne ut jusserat, pœnas daret Episcopus & Christiana quædam plebs ob incensam Judæorum Synagogam. Gratias agit & gratulatur Principi Ambrosius, quòd hortatu suo & prece multos ab exilio, non paucos à carceribus revocarit, aliquos morti subduxerit, etsi noxios. *Debeo beneficiis tuis, quibus me petente liberasti plurimos de exiliis, de carceribus, de ultima necis pœnis.* Quibus se ille beneficiorum vinculis tantò obligatiorem profitetur, ut saluti adlaboret Imperatoris, & ne displicere quidem ei vereatur, intercedendo Edictis, tum conscientiæ & famæ infestis, tum Ecclesiæ dignitati.

Epist. 29.

XIII. Docet idem alibi, ita nos ab Apostolo imbui, institutique, ne communione Ecclesiæ frustrentur Judices, qui respersas reorum sanguine manus gestant: excusetur eorum officium, ubi cruentis his immineant suppliciis: laudibus verò in cœlum extollantur, ubi iis abstinent. *Authoritatem Apostoli catenus observamus, ut iis Communionem non audeamus negare. Vides igitur quid authoritas tribuat, quid suadeat misericordia. Excusationem habebis si feceris, laudem si non feceris.* Non silet Ambrosius, qui Gentilium Magistratuum summam hinc gloriam aucupati sunt, quòd Magistratu abierint nullius cruore fuso. At eam clementiam Christianis multò magis consentire, quibus illud præcondidit Christus exemplum impunitate donatæ adulteræ mulieris. *Scio plerosque Gentilium gloriari solitos, quòd incruentam de administratione Provinciali securim revexerint. Si hoc Gentiles, quid Christiani facere debent? &c.*

Epist. 58.

Respondit Jesus adulteræ, Nec ego te damnabo, &c. Habes quod sequaris. Baptismo & pœnitentia luculentius, certiusque crimina expiantur, quisquis mortalium spiritum ducit adhuc, à resipiscentiæ spe alienus non est. *Potest fieri ut ille criminosus possit habere spem correctionis: si sine baptismo est, ut possit accipere remissionem: si baptizatus, ut pœnitentiam gerat, & corpus suum pro Christo offerat. Quanta sunt ad salutem via.* Denique si respersis reorum cruore Judicibus Ecclesia suis non interdixit mysteriis, id eo factum est, ut ne pœnæ criminum improbarentur, utque quò liberior, eò laudatior esset Judicum clementia. *Si negaretur communio, videretur criminosorum vindicata pœna. Maluerunt igitur priores nostri, ut id in voluntate magis abstinentis, quam in necessitate sit legis.*

XIV. Cùm per insignibus victoriis non sine cœlesti quodam auxilio potitus fuisset Theodosius; singularem ut eam, miramque Dei opem grati animi testimonio quopiam prosequeretur, suadebat Ambrosius, ut omnibus, qui ad Ecclesiam confugissent, veniam faceret criminum; si arduum id videretur, urgebat, ut non fortitudine tantùm, sed & pietate, non alios modò, sed seipsum maximè

Epist. 87.

vinceret. *Pro his qui ad matrem pietatis tuæ Ecclesiam confugêre, quorum lacrymas fastidire non potui. Grande est quod petimus, sed ab eo cui Dominus inaudita & admiranda concessit, ab eo cujus clementiam novimus, & obsidem pietatem tenemus, plus expectare nos confitemur: immo ut te virtute vicisti, ita etiam tua te debes pietate vincere.* Non dubitabat denique Ambrosius, quin ea quam Episcoporum precibus, noxiorumque criminibus accommodabant Imperatores indulgentia, mirum quantum haberet momenti, ut & in eos Deus Optimus Maximus indulgentiùs consuleret, inexorabilis aliàs Judex futurus.

In Ps. 118. Od. 8.

Eripe eum, qui ducitur ad mortem, hoc est, Eripe eum intercessione, eripe gratia tu Sacerdos; aut tu Imperator eripe subscriptione indulgentiâ, & solvisti peccata tua, eruisti te à vinculis. Paucis constrinxit verbis Paulinus, effusam Ambrosii charitatem lenitatemque: *Erat in illo sollicitudo omnium Ecclesiarum; interveniendi etiam magna assiduitas & constantia.*

XV. Erat natura & ingenio Hieronymus ad austeritatem comparatus, nec animo tamen ejus excuti ea poterat humanitas, quam Clerici omnes medullitus hærentem gerebant. Unum fuit quo offenderetur, opimas epulas Magistratibus ab Episcopis institui, quo faciliores aditus haberent ad eorum benevolentiam, indulgentiamque miseris conciliandam. Contra suspicabatur non immerito

Epist. ad Nepot. de vita Cler.

Hieronymus, majori pretio & voluptati fore Judicibus frugalitatem Episcoporum, quàm delicias: sanctitatem, quàm opulentiam. Si Judicum verò durities non emollescat, nisi conviviis opiparis, satius esse tam damnosis carere beneficiis, & ad Judicem summum confugere Christum, qui corda Judicum terrenorum, vel frangere, vel mollire potest. *Turpe est Judicem Provinciæ melius apud te prandere, quam in Palatio. Quod si obtenderis te facere hæc, ut roges pro miseris, atque subjectis; Judex sæculi plus deferet Clerico continenti, quam diviti; & magis sanctitatem tuam venerabitur, quam opes. Aut si talis est, qui non audiat Clericos pro quibusque tribulatis, nisi inter phialas, libenter carebo hujusmodi beneficio, & Christum rogabo pro Judice, qui magis & citius subvenire potest quam judex.*

XVI. Apud Cæsarodunum Turonum Avitianus Comes multiplici pœnarum genere reos complures interempturus erat. Martinus ejus urbis Episcopus sanctissimus, cœlesti spiritu & præsidio fretus, ad eum accessit, illumque ita terruit, ut pene exanimatus, omnes dimitti juberet. *Advocat omnes Officiales, jubet omnes custodias relaxari.*

Sev. Sulp. Dial. 3.

Cùm vero idem ipse Martinus Maximi Imperatoris comminationibus adduci non potuisset, ut in Ithaci Episcopi communionem veniret, aliorumque ejus gregalium, qui Priscillianum morte plecti curaverant; remisit tamen postea nonnihil de invicta illa constantia, & communioni se tantisper sociavit eorum, verè, an simulatè renuntiatum ei cùm esset, alioqui mox obtruncatum iri jussu Maximi duos Magnates, quibus veniam ut exoraret, ad Regiam accesserat. Episcoporum sanctissimus usqueadeo exarserat ad hos reos supplicio eximendos, utque ne in Hispania pari sævitia Priscillianistarum reliquiæ delerentur, ut quacumque alia macula, & infamia sordescere maluerit, quàm acceleratæ eorum mortis, quos cùm posset, morti non subduxisset.

XVII. Eodem animo sensuque erat Epiphanius, sanctissimus ille Ticinensis Episcopus; author sibi ipse videbatur earum calamitatum omnium, quibus prompto & efficaci remedio non succurreret. *Intercessionum tantam sibi proposuit curam, ut ipsam se miseris inferre crederet molestiam, quam per negligentiam à quibuscumque permisisset inferri.* Ita doctissimus vir in ejus vita, idemque dignitatis successor Ennodius.

XVIII. Cùm Ravennæ degeret tum B. Germanus Episcopus Altisiodorensis, nec ab hominibus expugnare potuisset libertatem, & solutionem complurium, qui vinculis & carcere solvi se desperarent posse, nisi morte: qua tamen in alia longè teteriora probabiliter vincula & inferorum ergastula conjicerentur: ad divinam confugit clementiam, nec frustra fuit, solutis statim omnium nexibus, effractis carceribus, & illo miserorum agmine in Ecclesiam, non sine triumphali quadam pompa, abducto. *Divina pietas reserat, quod meditatio humana crudelitatis arctaverat. Procedit ad libertatem turba de vinculis, exhibens onera vacua catinarum, tenens nexus, quibus antea tenebatur. Relinquitur carcer innocens aliquando, quia vacuus, & præcedente pietatis triumpho, turba miserorum gremio gaudentis Ecclesiæ infertur.*

Vita ejus. L. 2. c. 15.

XIX. Ne gentilibus quidem Magistratibus incompertum esse poterat, eadem humanitate & mansuetudine delibutum esse beatum Antonium; quando ut eum ex antris suis elicerent, reos, carcerique addictos ad eum immittebant, ut spe impetrandæ eorum libertatis, ad eos accederet, & conspectu congressuque suo cupidissimos recrearet. *Catenatos quos aut noxietas aut vigor publicus constrinxerat, ad eum destinabant, scientes tales ab Antonio non posse contemni, &c. Post coactam itaque præsentiam, quam Ducis preces, & quod verius est, miserorum fletus extorserat, post salutaria monita, post reorum commendationem, quorundam etiam absolutionem, ait non posse ibi diutius morari, &c.* Ita Athanasius in ejus vita.

Vita ejus. c. 3.

XX. Cùm nihil tam sanctum sit, quod non humana quandoque contaminet perversitas: excitati quandoque subornatique fuere à Judicibus ipsi Clerici, Monachique, ut reos sibi extorquerent, vel gravi ære oppressos, quorum causa ut id vellent, vel propria cupiditas faciebat, vel etiam pecunia. Rursus Clerici & Monachi precibus non contenti, vi grassabantur, fucato eo prætextu, aut ut noxios

pœnitentiæ

pœnitentiæ subjugarent, aut ut ad asylum Ecclesiæ confugientes tuerentur, aut ut vacuas Clericorum sedes implerent eorum ordinatione, qui alieno ære gravabantur. Leges edidere Theodosius & Arcadius filius, quo impetum sisterent effrænatæ & temerariæ commiserationis, hortarique sunt Episcopos, vacuas ut in sedes Clericorum Monachos potius accerserent, quam obæratos: deniqne renunciavere, quidquid id erat culpæ, præstaturos ipsos imposterum Episcopos, nisi eam Monachorum insolentiam aut retunderent, aut perinde, ut res esset, castigarent. *Addictos supplicio & pro criminum immanitate damnatos, nulli Clericorum vel Monachorum, eorum etiam quos Cœnobitas vocant, per vim atque usurpationem vindicare liceat ac tenere, &c. Ad Episcoporum culpam redundabit, si quid à Monachis perpetratum esse cognoverint, nec vindicaverint. Ex quorum numero rectius si quos fortè sibi deesse arbitrantur, Clericos ordinabunt.* Extat & Theodorici Regis Edictum non absimile: *Si addictos damnatosque judiciis, Clerici, vel quilibet alii violenter eruerint, ipsi ad pœnam vel ad dispendia teneantur.*

Cod. Theod. l. 9. T. 40. c. 16. 17.

Edictum Theodor. Reg. c. 124.

XXI. Animo providerat suo præposteros hos conatus Ambrosius, & prævertere voluerat: commonitis seriò Clericis, quam amplum esset & magnificum ad ipsorum laudem, carceribus mortique ipsi reos subducere: tam triste tetrumque esse, & invidiosum, pacem turbare publicam, insultare Judicibus, insolentissimam vanitatem fuco inconsultæ miserationis dissimulare. *Adjuvat hoc quoque ad profectum bonæ existimationis, si de potentis manibus eripias inopem, de morte damnatum eruas, quantum sine perturbatione fieri potest, ne videamur jactantia magis causa facere, quam misericordia, & graviora inferre vulnera, dum levioribus mederi desideramus.*

Offic. l. 2. c. 2.

XXII. Lege sanxit Honorius Imperator, ut Episcopis nunquam non paterent carceres, tanquam pietatis quædam & misericordiæ Consistoria, aut Palatia, ubi eorum est reos alere, solari, examinare, ut pro eis ad Judices interveniant. *Eam quoque Sacerdoti concedimus facultatem, ut carceris ope miserationis aulas introeat, medicetur agros, alat pauperes, consoletur insontes; & cum singulorum causas cognoverit, interventiones suas apud judicem competentem suo jure moderetur.*

Appen. Cod. Theod. c. 13.

CAPUT XCVI. *P. 1. l. 2. c. 40.*

Interventio Episcoporum pro reis, pro captivis, pro confugientibus ad Ecclesiam, in Oriente per quinque priora sæcula.

I. Chrysostomi in hanc rem testimonia. Ut Episcopus Antiochia, Clerici, Monachi intervenerint, ad veniam seditiosis exorandam.

II. Quam lubrica & anceps eorum pœnitentia, quos Judex publicus morte multabat.

III. Mirum Chrysostomi exemplum, Eutropium tuitione Ecclesiastica tegentis.

IV. V. Ut se egerint Basilius, ut Synesius.

VI. Observantur aliqua magni ponderis in extrema reorum supplicia.

VII. Immunitas asyli Ecclesiastici à Basilio defensitatur.

I. EPiscopi, Clerici & Monachi Græci, nihilo tepidiores erant, quàm Latini, in defensionem oppressorum, eorum qui in vinculis essent libertatem, absolutionem denique eorum, quibus capitale supplicium à Judice irrogatum, incertissimæ tantum pœnitentiæ spem facere poterat. Ab ipso

memoratum est Chrysostomo, ut cum Judices Antiochiam convolassent, ad animadvertendum in turbam ingentem seditiosorum, qui statuas Imperatorum everterant: Monachorum examina è montibus suis defluxerint, & calamitosam eam Civitatem, in cœlestis Hierosolymæ imaginem quandam traduxerint, hinc vel ipsa sui præsentia terrenorum omnium ingerentes fastidium; & de cætero contestantes, non recessuros se antè, quàm noxiis condonatum esset: denique si à sententia dejici se non sinerent Judices, se vel reis commorituros, vel ad Imperatorem exorandæ veniæ gratia profecturos. Eorum unus fidenter dixit, Imagines Imperatorum, quæ elisæ fuerant, restitutas jam esse: at si Regis Regum imagines viventes neci traderentur, Ecquis Imperator in potestate haberet eas restaurare? *Dixerunt se non priùs recessuros, quam Judices parcerent civitatis populo, vel se communiter cum reis ad Regem legatos mitterent. Si verò hoc non fecerit, & nos cum ipsis omnino moriemur.* Ad Pop. Ant. hom. 17.

Nec Clerici Monachis concessere in ea zeli communis æstuatione. Alii ad Palatium Principis profecti sunt. Alii ipsos incessivere Judices, & tam pia impudentia in ipsos impetû fecere, eos tenuere, amplexibusque constrinxere, ut non antè dimitterent, quam ab eis dimitterentur rei, & carceres aperirentur. Tum verò humi se dejicere, ad pedes accidere, genua complecti Judicum, manus osculari, hisque demissionis, & modestiæ, atque sinceræ humilitatis argumentis, priorem excusare audaciam, quam sola charitas peperisset. *Nec Monachi tantum, verùm & Sacerdotes tandem præstiterunt animi magnitudinem, nostramque distribuerunt salutem. Et alius quidem in castra se contulit, omnia dilectioni vestræ postponens, & paratus, nisi Regi persuaderet, mori: alii verò hic remanentes, & eadem cum Monachis exhibentes, propriis manibus Judices continentes, non sinebant ingredi, priusquam de judicii fine promitterent. Et cum renuentes quidem videbant, multa fiducia & ipsi utebantur: ut autem annuentes viderunt, pedes & genua complexi, & manus exosculati, utramque virtutem superabundanter exhibuere, libertatem & mansuetudinem.* Ibidem. Alibi diximus de Constantinopolitano Flaviani Episcopi tum Antiocheni itinere, hac eadem de causa, ad illam cladem amoliendam. Narrat Sozomenus, cùm jussu Flaviani decantata essent prandente Imperatore carmina ad luctum composita, quæ tum Antiochiæ personabant, lacrymis temperare Principem non potuisse, suasque injurias & simultates intercessioni Ecclesiæ donasse. *Fuisset cædes ingens consecuta, nisi iram suam Imperator sacræ supplicationis reverentia motus remisisset.* L. 7. c. 23.

II. Idem porro rursus alibi Chrysostomus observat, à providentissima Numinis omnipotentis, institutos esse & Magistratus, qui popularibus moderentur furoribus: & Sacerdotes, qui rursus consternatas plebes erigant, restituantque pristinæ spei, & charitati. *Nisi nos consolationem vobis attulerimus, unde solamen aliunde accipietis? Judices terrent, inde Sacerdotes consolentur. Magistratus minantur, ideo Ecclesia confirmet. Hoc & in puerulis fit, præceptores terrent & verberant, matres complectuntur & osculantur.* Hom. 6. Ad Pop. Ant. At idem ipse alibi explanat, quàm accommodatior sit sanandis animarum ægritudinibus lenitas Ecclesiæ, quàm asperitas Magistratuum. Ubi enim noxius obtruncatur, non vitium ab anima, sed anima ipsa à corpore ejicitur. Plectere contendit Judex, Ecclesia sanare. Truncato capite non satis commodè sanatur ejus morbus. Pœnitentia inflicta Epis-

copus vitam non aufert, aufert morbum. Si Judex pœnis abstineat, ægrescit malum; si morte plectat, jam remediis nihil loci superest. *In Epist. 1. ad Corinth. hom. 15.* *Judex si adulterum arripuerit, in eum protinus animadvertit. Hoc non est vitium de medio tollere, sed sauciam animam abigere. At Sacerdos hoc agit, non ut de nocente supplicium sumat, sed ut vitium evellat. Nam tu quidem perinde facis, ac si morbo aliquo in capite enato, non morbum ipse comprimas, sed caput amputes; ego verò non ita, sed morbum trunco. Tu quidem sive impunitum dimiseris, pejorem reddis; sive supplicio affeceris, incurabilem reliquisti; ego autem nec impunitum abire sino, nec tuo more plecti; verùm simul & pœnam quam debeo, ab eo expeto, & quod commissum est, corrigo.*

III. Plura non intexam ex Chrysostomo, si modò priùs obiter commemoravero tuitionem Ecclesiasticam, quam Eutropio Tyranno summa ac prorsus singulari animi fortitudine impendit. Nemo tam rudis aut hospes est, qui nesciat famosum hunc Eunuchum Arcadii Imperatoris favore ad summum dignitatis & potestatis gradum eluctatum fuisse, & pòst facinorum suorum atrocitate in extremam quandam corruisse calamitatem. Extorserat ille Imperatori Edictum Ecclesiarum asylo contumeliosum & Ecclesiasticis immunitatibus. Præcipiti post ipse ruïna perculsus, ad illud ipsum se recepit asylum. Affluxerunt plebeii, milites que, ut eum abstraherent, & cruento, sed justo supplicio extinguerent hominem tot immerentium cruore, tot rapinis contaminatum. Chrysostomo certè visum est, non posse Ecclesiam suo fraudare patrocinio infensissimum sibi hostem; asylo Ecclesiastico vel eum tegi debere, qui jura asylorum omnium pessumdare machinatus fuerat; denique ingredi in summi & æterni Pastoris vestigia Episcopum debere, & maleficia hostis acerbissimi beneficio & gratia oblitterare. Eutropio ergo tum ille tota animi & eloquentiæ suæ contentione patrocinatus est; atque ita omnium oculis vel ipso ostentato Eutropii exemplo fragilitatem humanæ totius celsitudinis, opulentiæ, potestatis objecit, ut efferatam multitudinem commitigaverit, tela excusserit, ad lacrymas compulerit paulò antè sanguinem sitientes. Ita Prosper, vel is Scriptor, cujus lucubratio visa digna est, quæ Prospero
De promiss. & prædict. Par. 3. c. 38 inscriberetur. *Eutropius cùm in contumeliam Ecclesiæ Edictum obreptitiè ab Arcadio Christiano Imperatore exculperet, ut si quis ad eam confugeret, etiam ab Altari sublatus, pœnas lueret ampliores, divino judicio sua sententia prior ipse est propinatus. Offensam quippe prædicti Regis incurrens, ad ejus refugium, quam oderat, convolavit. Quæ sancta mater pietatis gremio suum excepit inimicum. Quin per venerabilem Sacerdotem Joannem impetrans veniam, osori & superbo vitam contulit & salutem.*

IV. Effudit & Basilius eloquentiæ suæ flores opesque omnes, ut Callisthenem adduceret, ei indulgere reo, cui certissimè Ecclesia indultura, &
Epist. 388. meritas pœnas relaxatura non erat. *Prorsus licèt juratum sit sibi, eos ad supplicium tradere secundum leges, nostra correptio non minorem vindictam allatura est, nec lex divina minor futura est cum dignitate, quàm sint aliæ in communi vita positæ leges.* Ideo nec Gregorius Nazianzenus in contexendis ornandisque Basilii Magni virtutibus, excidere sibi passus est providam illam & intrepidam fiduciam, qua Optimates & Provinciarum Præfectos conveniebat ad mi-
Orat. 20. serorum levamen. *Jam verò ipsius erga Ecclesiam curæ ac præsidii quanquam multa quoque alia indicia sint, libertas ad Præsides, tum alios, tum potentissimos quosque civitatis, &c.*

V. Impius verò & scelestissimus Andronicus Præses Pentapolitanæ in Ægypto Provinciæ, fulminibus adustus est & anathemate Synodi Ptolemaïdis, & Synesii potissimùm ejus urbis Episcopi, ob immanitates quasdam prorsus inauditas in Provinciales suos, & contaminationem tum asylorum, tum sacrorum omnium. Excussis Ecclesiæ telis, erupit & mox cælestis vindictæ procella, in eas præceps actus est Andronicus clades, ut vel Synesius facinorum ejus cumuli non ignarus, hanc penè supra cumulum excrevisse ultionem existimaret. Chrysostomo ille assensus est, Ecclesiam quæ superbiam ejus priorem fregerat, adniti jam debere ad ejus prostrati, & jacentis levationem: & tam clementer consulere in ejus infortunia, quàm in ejus antè facinora sævierat. Nec contentus eum Episcopis commendasse Synesius, maximè verò Theophilo Alexandrino; ut eum in Principum gratiam restitueret, tantumnon ipsemet ea dejectus est. *Andronicus &* *Epist. 89.*
antea faciebat, & modò patitur injuriam. Est autem Ecclesiæ animus ejusmodi, ut depressos extollat, elatos deprimat, &c. Adeo ut potentibus etiam viris ejus gratia molesti fuerimus, &c. Quare nos hîc eum funesto è Tribunali extraximus, cæterisque in rebus ei leviores multò calamitates reddidimus.

VI. Duo hîc porro monenda nobis sunt. Sicubi diximus impœnitentes ferè obiisse, quos Judicum gladius rejectis Episcoporum precibus neci dabat; non eam nobis mentem fuisse, ut conclamata haberetur eorum salus æterna, quos carnifex & vitæ & pœnitentiæ scelerum publicæ subduxerat. Non præterit nos ejusmodi esse cordis dolorem, ejusmodi charitatis ignem, quo crimina exurantur omnia. Sed serviendum nobis fuit sanctorum Patrum verbis, adeoque & doctrinæ. Nec enim illi dissimulabant pœnitentias illas præcipites & extortas metu pœnarum, esse plerumque dubias & incertas. Ea certè persuasione maximè adducebantur, ut penè importuni Judicibus imminerent, quò mora tam præceps in pœnitentiam publicam converteretur. Diximus alibi an extremo supplicio publicè luituris Sacramenta administrarentur.

Observa rursus, ubi dictum est à nobis, peremptо reo ex Judicis imperio, immortale superesse & vivere vitium in ejus anima: tum quoque hæsisse nos verbis & sententiis sanctorum Patrum, quibus præjudicatum erat, non oblitterari crimina ut plurimùm, nisi longa & seria pœnitentia. Cùm non nescirent tamen esse quandoque & breves, ac infucatas, nec infructuosas tamen pœnitentias.

VII. Denique illud fateri cogimur, non aliam potentiorem fuisse Episcoporum intercessionem, aut magis imperiosam, quàm quæ reis, miserisve ad aras confugientibus inserviebat. Divinæ humanæque leges ad hujus immunitatis vim tuendam certabant. Mirum à Gregorio Nazianzeno depromitur exemplum, ubi Basilii vigor incredibilis & zelus sese luculentè explicuit. Vidua nobilis & opulenta potentis proci insidias declinare non potuit, nisi ut in Ecclesiam se abderet. *Ad sacram mensam* *Orat. 20.*
confugit, Deumque adversus hanc injuriam propugnatorem sibi adoptat. Hujus viduæ defensionem in se recepit Basilius, cui jam injuriosos esse poterat nemo, quin eadem opera esset Altaribus, Legibus, Episcopatui. *Quod faciendum fuit, non dico Magno Basilio, sed alii cuipiam longè inferiori, dum tamen Sacerdoti? Quid aliud, nisi ut eam assereret, tueretur, Dei clementia, & legi, quæ Altaribus honorem haberi jubet, manum porrigeret.* Is Judex, nam eam sustine-

bat dignitatem, in Basilium nulla non effudit contumeliarum genera, nec tamen potuit illum à proposito deterrere. Denique tot in sanctissimum Episcopum congestarum injuriarum rumore in civitatem diditu, populus ad arma prosilit, nec potuit præfractæ impudentiæ Judex furentium iras declinare, nisi sua ad asylum fuga, & ad Basilium ipsum, qui nihil beatius sibi duxit, quàm ut persecutorem atrocissimum humanissimè tueretur. *Donec Basilius supplicem suum & vexatorem à periculo liberavit.*

CAPUT XCVII. *P. 2. l. 2. c. 57.*

Ut reos, ut carceribus & vinculis obnoxios protegerent Episcopi, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. II. III. Protectio Episcoporum in vinctos & reos, & eos potissimum qui ad Ecclesias confugiebant. In Oriente, Italia, Gallia, Hispania & Anglia Episcopi cleri censores declarantur Judicum sæcularium. Qualibet hebdomada carceres invisunt, cruciatibus & quæstioni intercedunt.

IV. V. Privilegia Asyli sacri, & eorum limites. Vel infideles Principes ei honorem habent.

VI. VII. VIII. IX. X. Reis venia fit criminum contemplatione sanctissimorum Episcoporum. Principes vincula solvunt, vinctos eximunt carceribus publicis.

XI. Reges ipsi Episcoporum judicio permittunt causas majores usque criminales, etiam læsæ Majestatis.

XII. XIII. Amplificatur Ecclesiastica jurisdictio. Pœna mortis in pecuniarias mutantur, aut in pœnitentias publicas.

I. ID leges Justiniani Episcopis mandabant, ut excubias agerent in Judices, ut præ das rapinasque præverterent, vel Imperatorem facerent certiorem. *Tua sit reverentia & cæterorum, hæc custodire, & si quid transcendatur à Judicibus, ad nos referre; sic enim nos quidem subjectorum nostrorum miserati, quoniam supra fiscalium functionum exactionem, etiam maximas sustinent ex furto Judicum violentias, &c. Oportet vos præsentes Provinciis, manifestos nobis facere & rectos Judices, & transcendentes hanc legem nostram; quatenus utrosque cognoscentes, hos quidem puniamus, illos autem repensemus.* Sed dum excubitores censoresque Judicum jubebat Justinianus esse Episcopos, adjutores quoque eos illis accedere volebat ad legum authoritatem & executionem tuendam, adversùs Clericos maximè, Monachosque, qui in satellites non rarò irruebant, reosque qui ad crucem agebantur, tortorum manibus extorquebant. *Si tanta Clericorum aut Monachorum audacia est, ut bellum potiùs quàm judicium futurum esse existimetur, ad clementiam nostram commissa referantur, ut arbitrio nostro mox severior ultio procedat. Ad Episcoporum sanè culpam redundabit, si quid à Monachis perpetratum esse cognoverint, nec vindicaverint.* Lex ea erat Arcadii & Honorii, quam Justinianus innovabat. *Addictos supplicio nulli Clericorum vel Monachorum, per vim atque usurpationem vindicare liceat, ac tenere.*

Novel. 1.

De Episcop. aud. l. 6.

II. Etsi non esset in potestate Episcoporum, ut noxios vel carceribus vel pœnis absolverent, non tamen nullos ii charitatis & sollicitudinis suæ Pastoralis fructus capiebant. Honorii & Theodosii lege cautum est, ut Judices carcerem inviserent, explorarentque quolibet Dominico die, num qua re necessaria ad victum & ad solatium deficerent: curarentque Episcopi, ut ne ei officio suo deessent Judices. *Nec deerit Antistitum Christiana religionis cura laudabilis, quæ ad observationem constituti Judicis hanc ingerat monitionem.* Ulteriùs progressus est Justinianus, ipsosque Episcopos præcepit hebdomada qualibet p illustrare carceres, quarta nempe, sextave feria; scrutari causas incarcerationis, sive civiles, sive criminales, intervenire apud Judices ad observantiam legum, denique ad Imperatorem referrent, si quid iniquius geri advertissent. *Episcopos jubemus, feria quarta aut sexta, eos qui in custodia habentur, visitare, & diligenter inquirere causam ob quam detinentur; & sive servi sint, sive liberi, sive pro pecuniis, sive pro aliis criminationibus, sive pro homicidiis confecti, Magistratus admonere, ut ea circa ipsos exequantur, quæ nostra divalis Constitutio præcipit, &c. Licentia data Episcopis, si quam negligentiam agnoverint à Magistratibus, eam indicandi, &c.*

L. 1. Cod. de Episc. audi. l. 9. Ibid. l. 22.

III. Ultra hos se limites exporrexit pietas Episcoporum, ut qui conscii sibi essent patriæ in miserabiles omnes, & in reos ipsos charitatis. Episcopo Ravennati mandavit Gregorius Magnus, ut interveniret apud Præfectum Georgium pro Expræfecto Mauritione, qui in asylum se receperat Ecclesiæ. *In septis Ecclesiasticis insontem residere cognovimus.* Ut ei daretur copia purgandæ innocentiæ suæ: *quo rationes suas absque suspicione oppressionis exponat:* ut Præfectum Georgium ad observantiam legum corroboraret: *Rationes sine laceratione sua opinionis exequatur.*

L. 1. Ep. 35.

Non sinebat tamen Gregorius, vel Episcopos, vel defensores suos tuitione Ecclesiæ eos complecti, qui ejusmodi criminibus implicati erant, quorum poterat in Ecclesiam infamia redundare. *Quibus valetis, succurrite, ut & illis opem feratis, & opinionem sanctæ Ecclesiæ non inquinetis.* Specialiter vetuit, ne pro furti publici reis intercederent: *Qui in furtis publicis deprehensi sunt, à nobis non videantur injustè defendi.* Acerbissimè tamen Gregorius Leontium Exconsulem objurgavit, qui suspectum peculatûs quæstionum tormentis, flagellisque cruciasset, & demum libertate spoliasset. In ejus bona, non in corpus, non in libertatem vindicandum fuisse declarat. *Unum constanter novi, quia & si quam rebus publicis fraudem fecit, substantia ejus cadi debuit, non libertas.* Summo quippe ipsi Numini injuriam irrogari, & leges convelli Imperatorum, cùm servilibus pœnis ingenui, liberique homines dehonestantur; cùm id Principum Christianorum singulare sit decus & ornamentum, quòd liberis præsint hominibus, reliqui orbis Principes servis. *Nam in hoc quod liberi homines cæduntur, vel includuntur, ut taceam quod omnipotens Deus offenditur, ut taceam quod vestra opinio vehementer gravatur; piissimi tamen Imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter Reges gentium & Imperatores Romanorum distat, quod Reges gentium, domini servorum sunt: Imperator verò Romanorum, dominus liberorum.* Nec eam spem improbam alii à quoquam debere, fore, vel si Deo displiceat, Imperatoribus placeat; cùm Deiunius sit iram Principum vel restinguere, vel inflammare. Allegante denique Judice, explorata semel criminum veritate, non posse se officio satisfacere, nisi torquendis reis; Gregorius nitra cùm sapientia, tum charitate Pontifex, respondet, Eo effugio non posse uti Judicem, quin suæ & experientiæ & sagacitatis famæ plurimùm præjudicet: nec enim Judices ad tormina & quæstiones venire, nisi ubi exculpendæ alter veritatis dexteritas abest, sagacitasque. *Si dicitur, quia sine terroribus atque verberibus fraudes publica inveniri non possunt; hoc admittere poteram, si in ratiociniorum causa dominus*

L. 7. Ep. 24.

Jom. Diac. L. 3. c. 47.

Leontius non venisset. Nam verùm est, quia illi solent manibus excedere, qui in sensu & linguâ deficiunt. Non poterat ultrà provehi lenitas, charitasque Episcopalis, quàm ut vitio verteretur Judicibus, si carceribus & quæstionibus sævirent, ad confessionem commissorum extundendam. Leges, moresque sequentium sæculorum nequaquam consensere sententiæ Gregorii. Sed vel hinc patet, quam nihil ille indulgeret Judicibus, præter Evangelica jura. Ideo & hoc illum encomio exornavit Joannes Diaconus,
Ibid. c. 48. ejus vitæ Scriptor: *Cunctorum Judicum cupiditates vel scelera Gregorius quasi camo frænoque, Pontificii sui validissimis authoritatibus restringebat: & si quos dulciter à pravitate corrigere non valebat, scriptorum suorum redargutionibus publicabat.*

IV. Deportari jussit in insulam Vulcaniam Theodoricus Italiæ Rex homicidam, qui in asylum confugerat Ecclesiæ: quo & Ecclesiæ honorem haberet, & atrocissimum facinus multum non sineret.
Cassiod. L. 3. c. 47. *Ut & sancto templo reverentiam habuisse videamur, nec vir dictam criminosus evadat in totum, qui innocenti non credidit esse parcendum.* Præceptum est ab eodem Theodorico, in Edicto solenni, Archidiaconis, cæterisque Clericis, ut dominis propriis restituerent servos omnes, qui ad Ecclesias confugerant, expressâ veniæ sponsione, vel alium servum subjicerent in ejus locum quem tuebantur, ita tamen, ut posset dominus priorem corripere servum suum, si extra Ecclesiæ septa illum reperiret. At si qui fisci debitores erant, in Ecclesiam se abderent, cogi eos debere ab Archidiacono, ut aut inde exirent, & rationes redderent, aut Magistratibus contraderent res suas omnes, quas in Ecclesiam intulissent; alioqui Archidiaconus ipse cogeretur solvere, quidquid
Cap. 70. 71 ærario publico deberetur: *Si quis in causa publici debiti ad Ecclesiam quamlibet convolaverit, Archidiaconus eum compellat egredi ad edenda legibus ratiocinia sua: aut si hoc facere noluerit, ejus substantiam, quam ad Ecclesiam detulit, sine mora contradat, quod nisi fecerit, quanti interest utilitatis publicæ, Archidiaconus cogatur exolvere.*

V. Ad Gallias nostras accedo. Author est Flodoardus, interpellante B. Remigio Clodovæum Regem veniam fecisse Nobili cuidam criminis læsæ
Flodoard. L. 1. c. 14. Majestatis. Cùm grati in animi monumentum, voluisset Nobilis is, ut Sparnacum opimum prædium suum in jus cederet Ecclesiæ Remensis, ejus pretium ei refudit Remigius, vehementer eum adhortatus, ut se potissimum Deo offerret. Sub eodem Clodovæo Rege, in Concilio Aurelianensi I. constitutum est, ut si homicidæ, adulteri, latrones ad Ecclesiam fugerent, privilegiis gauderent, per Canones, & Romanas leges concessis; nec possent atriis Ecclesiæ, aut Episcopalibus abstrahi ædibus, nisi juramento se partes constrinxissent, nec morte, nec truncatione membrorum, nec pœna denique ulla illos afficiendos; pactos tamen & ipsos vicissim, ut satisfacerent. Qui hunc sacramento injuriosus fuisset, eum non communione tantùm ejectum iri, sed & civili fidelium contubernio; servos dominis reddendos, impunitatem pollicitis: si quod jurassent, transgrederentur domini, utraque exuerentur communione; denique raptores Virginum, ubi eas liberas dimisissent, & immunitatem pœnæ accepissent, pro arbitrio possent, aut servituti subesse, aut redimere libertatem. Ita sapientissimè Ecclesia & serviebat clementiæ, nec officiebat tamen æquitati. *De homicidis, adulteris & furibus, si ad Ecclesiam confugerint, id constituimus observandum, quod Ecclesiastici Canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesia atriis, vel domo Episcopi eos abstrahi omnino non liceat, sed nec aliter consignari, nisi ad Evangelia datis Sacramentis de morte, de debilitate & omni pœnarum genere sint securi; ita ut ei, cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conveniat, &c.*

In Concilio Epaonensi decretum quidem illud est, ut contemplatione & reverentia asyli sacri, servi corporalibus absolverentur pœnis: at non tamen ut prohiberentur domini illos radere, vel operi cuicumque addicere. *De capellis vero, vel quocumque opere placuit à dominis juramenta non exigi.* In Con- *Can. 39.*
cilio IV. Aurelianensi, excommunicationi & pœ- *Can. 21.*
nitentiæ publicæ subesse jussi sunt, qui Ecclesiis abstraxissent misellos quoscunque eò confugientes. Aurelianense V. eadem innovavit decreta ad impunitatem servorum in Ecclesias aufugientium, quanquam dominis subessent paganis, vel alterius sectæ; eo discrimine servato, ut ne eorum sacramenta admitterentur, sed Catholicorum, qui necessitudine aliqua eis conjuncti essent, & pro eis jurarent. Nec enim ea erant opinione hæretici, vel infideles, ut religiosè juramenta servare crederentur; cùm nihil pœnarum ab Ecclesia extimescendum haberent. *Extraneus qui servum repetit, personas requirat bona fidei* *Can. 22.*
Christianas, ut ipsi in persona domini servo præbeant sacramenta. Quia ipsi possunt servare quod sacrum est, qui pro transgressione Ecclesiasticam metuunt disciplinam.

VI. In Concilio Matisconensi II. graves primum querelæ personuere, de asyli Ecclesiastici violatoribus. Tum illud additum est, si terrenis placuit Principibus, ipsorum ut statuæ miseris & oppressis omnibus confugio & tutelæ essent; eodem utique privilegio frui debere Regis Regum Christi Palatia. Statuat tamen Episcopus, quo partibus fiat satis. *Si enim mundani Principes suis legibus cen-* *Can. 8.*
suerunt, ut quicumque ad eorum statuas fugerit, illæsus habeatur: quanto magis hi permanere debent indemnati, qui patrocinia immortalis Regni & cælestis adepti sunt? Si tamen facto aliquo tenentur obnoxii, qui ad Ecclesiam sunt à fuga versi, coram sacerdote culpa eorum innotescant, & ipse consultum ferat, qualiter Dei habitaculum per subtractionem non violetur illorum.

VII. In Concilio Remensi anni 625. novo robore communita sunt hæc omnia, & id additum, quod supplendum videbatur, statutis in omnibus supra laudatis, ubi intervenîente Ecclesia pœnæ reis condonabantur. Interveniebat enim Ecclesia, non ut nullas scelerosi pœnas darent, sed ut eas darent, quæ salubri pœnitentia maculas ipsas scelerum abstergerent. Itaque non antè relaxabantur, quàm spopondissent, se pœnitentiæ canonicæ curriculum exhausturos. *Ille verò qui sancta Ecclesia beneficio li-* *Can. 7.*
beratur à morte, non priùs egrediendi habeat libertatem, quàm pœnitentiam se pro scelere esse facturum promittat, & quod ipsi canonicè imponetur, impleturum. In Legibus quoque Alemannicis & Bojoaricis multa ubique & religiosa renidet Ecclesiastici asyli reverentia.

VIII. In his porro Conciliis siletur prorsus de cæteris reis, qui ad Ecclesiam non confugissent. Et in eo argumenti satis est, ut dicamus, non id sibi amplius sumpsisse Clericos in Galliis, ut reos abstraherent ab Officialibus publicis semel detentos. In Synodo Altisiodorensi prohibitum est, ne Presbyteri, & Diaconi præsentes essent, ubi torquerentur rei, vel judicio, & pœna mortis afficerentur. *Non licet Presbytero nec Diacono ad trepalium,*

Can. 33. 34. *ubi rei torquentur, stare. Non licet Presbytero in judicio illo stare, unde homo ad mortem tradatur.* Id quoque
Can. 19. ipsum in Concilio II. Matisconensi vetitum est, ne interessent Clerici judicio capitis, aut supplicio reorum.

IX. Propè abest à vero interpellatum antè fuisse à Concilio Parisiensi V. Clotarium II. Regem, ubi vetuit unius generis homines, alteri genti Judices, vel Præsides præfici; ut siquid furti, vel rapinæ illis objiceretur, rebus ex suis satisfacere cogerentur. *Ut nullus Judex de aliis Provinciis aut regionibus in alia loca ordinetur: ut si aliquid mali de quibuslibet conditionibus perpetraverit, de suis propriis rebus exinde quod malè abstulerit, juxta legis ordinem, debeat restituere.* A Clotario I. statutum fuerat, ut Episcopi animadverterent in Judices, qui immerenti cuiquam mortem inflixissent. *Si Judex in nostri absentia,*
Le Cointe. Ann. 559. *aliquem contra legem injustè damnaverit, ab Episcopis castigetur.*

L. 5. c. 3. X. Commemoratum illud est à Gregorio Turonensi, servum & servam conjugium iniisse, moxevasisse in Ecclesiam: tum verò abnuisse Episcopum domino eos antè restituere, quam ab eo confirmatum esset id conjugium. Fidem fefellit dominus; sed officio non
L. ... c. 8. defuerat Præsul. Agit Scriptor idem alibi de Eparchio apud Inculisnam Inclusi sanctissimi virtutibus, qui qua erat & sanctimonia, & existimatione apud Judices, ac reverentia, absolvi reos & petebat sæpissimè, & impetrabat. *Judicibus plerumque ut culpabilibus ignoscerent, dulcedine profusa imperavit potius, quam rogavit. Nam ita erat dulcis alloquio, ut ei negare non possent, cùm fuisset indulgentiam deprecatus.* Cùm judex nequisset, aut noluisset cum pœna exolvere, qui ad patibulum agebatur: *dum ad pendendum deduceretur*: erat quippe homicidiis & latrociniis infamatus, Eparchius extremo supplicio affectum vitæ reddidit, miroque nos addocuit hoc exemplo, eam Episcoporum, Clericorum, Monachorumque lenitatem & indulgentiam, Deo perquam gratissimam esse, ut quæ defluat ex illius paternæ misericordiæ visceribus, qui innocentiæ dux & author cùm esset, fœminæ ignovit adulteræ, cui nec adulteri ipsi ignovissent.

Ex eodem Gregorio Chilpericus Rex nato sibi filio carcerum fores pandi jussit, liberos dimitti qui in vinculis erant, quidquam exigi vetuit eorum,
L. 6. c. 23. quæ fisco deberentur. *Jubet Rex omnes custodias relaxari, vinctos absolvi, compositionesque negligentum fisco debitas præcepit omnino non exigi.* Verùm illud præ cæteris stupendum, sanctitati Ecclesiarum asyli
L. 9. c. 3. id reverentiæ habuisse Regem Guntrannum, ut immunitate ea frui voluerit sacrilegum & detestabilem parricidam, qui in Ecclesia ipsummet interficere machinatus, deprehensusque fuerat, armata cultro
L. 7. c. ult. manu. *Verberatum plagis dimisit vivum, quia nefas putabat, si is qui ab Ecclesia eductus fuerat, truncaretur.* Narrat denique Gregorius, ut gravissima cum exarsisset seditio, & plurimæ strages editæ essent, hortatus sit ipse partes ad concordiam, ut pecunia potius paciscerentur, quàm judicio contenderent, ad morti addicendos homicidas; denique voluisse se pecunia Ecclesiæ exolvere quidquid illud erat emendarum. *Argento Ecclesia redimetur, interim anima viri non pereat.* Acquieverunt Judices ipsi.

XI. Gothorum in Hispania Reges ad Episcoporum ferè judicium referebant causas læsæ etiam Majestatis. Vetuit porro Concilium Toletanum IV. ne iis se judiciis Episcopi implicarent, nisi priùs reos Princeps vita donasset ipsorum interventione, ne alioquin sacris infulis exuerentur, quas humano cruore respersissent. *Sæpè Principes contra quoslibet*
Can. 31. *Majestati obnoxios Sacerdotibus negotia sua committunt. Et quia Sacerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant Regibus fieri Judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittetur, non ubi discriminis sententia præparetur. Si quis ergo Sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.* Prima quidem specie parum consonare videtur Episcopis examen causarum, sive civilium, sive criminalium, ut quos cœlestes aliæ curæ sibi totos deposcant, eæque tam graves, tamque multæ, ut ab iis ad terrenas occupationes respirare non detur. Inconsideratissimè tamen fecerit, qui hujus Concilii Patribus obtrectaverit, qui secus sentiunt jubentque, temerè etiam & inhumanè fecisset, qui his Episcopis causis id genus interdixisset, ubi eorum judicio vita semper & incolumitas reis adserebatur. Si nervos omnes contenderunt sexcenties sanctissimi Episcopi, ut morti meritissimæ nocentes eximerent: & ea de causa vim quandoque Judicibus attulerunt, vel ad Principum palatia perrexerunt: qui potuissent Hispaniæ Præsules tot reis deesse, quorum non tam causam & judicium, quàm impunitatem & vitam eorum potestati Rex permittebat.

XII. Non ea erat tum temporis Principum sæcularium persuasio, vel voluntas, qua restringeretur jurisdictio Episcoporum, cùm eis eas concrederent causas, quibus regia maximè salus dignitasque verteretur; & cum illos velut inspectores invigilare vellent in omnium Judicum tribunalia, ut supra ostensum est.

Episcopi ex adverso adeo non amplificandæ studebant jurisdictioni suæ in temporalia, ut eam potius pro virili detrectarent, nec ei se interponerent, nisi ubi insitati cujusdam emolumenti publici spe illiciebantur.

Ita crevit convaluitque temporum decursu jurisdictio, vel temporalis, vel mixta Episcoporum: non ambientibus, non cupientibus ipsis, sed voluntate potissimum Regum: qui experiebantur, non alios tutius sanctiusque asciscere se posse ad jurisdictionis Regiæ participationem, quàm quos ad divinæ Deus cooptasset. Sciebant temporibus Præsules, tempora providentiæ summi Numinis: quo invitante, aut jubente, non poterant Episcopi non obsequi, & regiæ clementiæ rivulos in reorum omnium capita derivare.

Denique hinc forsan manavit humanior illa mediæ ætatis disciplina, cùm mulctis pecuniariis ferè mutata sunt, & expuncta capitalia supplicia. Cùm enim Episcopis, Clericisque commendata esset vel tota, vel plurima in Curiis juridicis potestas: cùmque Reges ipsi, ut ex hoc Canone liquet, causas illis delegarent eas etiam, quibus de Majestate Principis agebatur; vicit tandem humanitas & indulgentia Ecclesiæ legum publicarum tristitiam; cœptæque in reos decerni, non pœnæ necandis corporibus, sed pœnitentiæ persanandis animarum morbis temperatæ. Certè Leges Burgundicæ, Alamannicæ, Bojoaricæ, aliæque, medio hoc ævo pervagatissimæ, fidem faciunt hujus judiciorum publicorum conversionis.

XIII. Paucis restat perstringenda Angliæ disciplina, ubi sanctitate præcipuus Episcopus Cutbertus singulari lætitia recreatus est, quòd & mori & sepeliri sibi contingeret extra Monasterium suum,

ne silentium & secessus Monachorum perturbaretur concursu & importunitate eorum, qui miseriæ aut culpæ cujuspiam suæ conscii, ad tumulum suum confugerent, & terrenorum proinde Principum tuitionem postularent. *Vobis quoque commodius esse arbitror ut hic requiescam, propter incursionem profugorum, vel noxiorum quorumlibet. Qui cùm ad corpus meum fortè confugerent: quia qualiscumque sim, fama tamen exivit de me, quia famulus Christi sim, necesse habetis sæpiùs pro talibus apud Potentes sæculi intercedere, atque ideo de præsentia corporis mei multum habere laborem.* Ita Cuthbertus ad Monachos suos.

Beda in vit. S. Cuthbert. c. 37.

Non facilè quis Episcoporum authoritatem ulteriùs protulerit. Est tamen quod magis miremur in privilegio Regis Theodorici, quod ille nimirum concessit B. Audoëno Rotomagensi Archiepiscopo: ut nec Episcopus, nec Abbas, nec Comes, nec Judex in ejus Provincia designaretur, nisi quem aut designasset ipse, aut confirmasset. *Ut nullus in Parochia ejus Episcopus, vel Abbas, sive Comes, vel quilibet alius judiciaria potestatis constitueretur, nisi quem aut ipse de suis eligeret, aut cui constituendo pro vitæ meritis assensum daret.* Hæc Fridegodus. Quo liquidum fit, quæ sunt Episcopis sanctimoniæ, eadem esse authoritatis incrementa. A Chilperico III. Rege non absimile concessum est privilegium anno 719. Episcopo Cenomanensi, ut Cenomanicæ regioni non daretur Dux, vel Comes, qui eam administraret, nisi quem Episcopi, Abbates, Parochi, incolæque omnes elegissent.

Le Cointe. ad an. 681. n. 67. Anno 719. n. 29.

CAPUT XCVIII. *P. 3. l. 2. c. 63.*

In reos, in vinctos, in confugientes ad Ecclesiam effusa Episcoporum charitas, sub Carolo Magno.

I. Miserabilium annumerandi sunt rei, quibus nullo suo officio deesse debent Episcopi.
II. Leges Capitularium ad captivos relaxandos.
III. Vetuit Carolus Magnus ne filii sui Reges Palatii asylo admitterent noxios aliorum Regnorum, ut ea ant Ecclesiis cederet gloria.
IV. Nimirum Ecclesia pœnas scelerum non tam relaxat, quàm aliis salubrioribus mutat.
V. Rarissimè Capitularium libri capitales decernunt pœnas.
VI. Privatis Episcopus sanctissimus reum dilabi curat.
VII. Ita existimabant nonnulli pœnitentia publica laboribus eximi noxios judicio, suppliciisque capitali. Contrà obnititur Hincmarus.
VIII. Asylo Ecclesiæ morti subducebantur, etsi nescio qua Capitularium capita contrarium sonare videantur.
IX. X. Probationes aliæ, aliæque, temporibus Caroli Magni & Ludovici Pii, in gratiam asyli sacri capitales pœnas fuisse condonatas.
XI. Græcorum disciplina.

I. Quæ in miserabiles omnes effundebat se charitas Episcoporum, in reos exarescere non poterat: cùm flagitio etiam inolto, etiam beato & fortunato calamitosius nihil sit: sitque adeo calamitatum infiorarum seges, maximè ubi impunè hic abit, æternis ignibus puniendum.

Anno 779. C. ... Tom. 1. pag. 86. C. ... c. 26.

II. In uno Capitularium suorum testatur Carolus Magnus, non satis persuaderi sibi posse, solo impulsu justitiæ & zelo in latrones sævitum esse à capitalibus Judicibus, nisi eis testimonio suo adessent Episcopi. *De vindicta & judicio justa in latrones facto testimonio Episcoporum absque peccato Comites esse dicuntur.*

Iisdem in Capitularium libris jubentur Episcopi, ut Judices commonefaciant, ut carceres aperiant, vinctosque omnes absolvant tribus solennioribus Festis, in Natali, Pascha, Pentecoste; si qui obstrepant, aut obsequi detrectent Judices, eos ingressu Ecclesiæ arceant. *Ut Episcopus Judices publicos commoneat, ut in diebus celeberrimis, id est, Nativitate Domini nostri Jesu Christi, & sancta Resurrectione, & Pentecoste, quicumque miserrimi vinculis detinentur, relaxari debeant, & absolutionem promereri. Et Judex si Pastorem commonentem despexerit quandiu loci illius Episcopo visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.*

L. 6. c. 106.

III. Mirabile prorsus illud est, jussos esse à Carolo Magno filios Reges & successores suos, ut ne Regnorum alii aliorum reos, desertoresque clientela & protectione sua tegerent, nec intercessionis suæ spe erga alios Principes lactarent; propterea quod ea pro reis interveniendi potestas, propria sit dos & gloria Ecclesiarum & Episcoporum. *Neque aliquis illorum hominem fratris sui, pro quibuslibet causis, sive culpis ad se confugientem suscipiat ad intercessionem pro eo faciendam. Quia volumus, ut quilibet homo peccans & intercessione indigens, intra regnum Domini sui, vel ad loca sancta, vel ad honoratos homines confugiat, & inde justam intercessionem mereatur.* Fateor his verbis, *honoratos homines*, alios quàm Episcopos significari posse, & Laicos etiam natalium claritate nobiles designari.

Du Chesn. To. 2. p. 86.

IV. Sed tantò propiùs à vero abest, eam authoritatem Episcopis potissimùm reservatam fuisse, quòd illi ex officio suo soli pœnas mallent salutares, seu pœnitentias publicas, quàm impunita dimitti crimina. Eo consilio Joannes VIII. Papa veniam ei fieri criminis flagitavit ab Imperatore, qui Romam confugisset. Ea criminis & pœnæ venia, denutatio potiùs erat pœnæ, & mortis brevissimæ condonatio, ut prolixior inter pœnitentiæ cruciatus subiretur. *Gratiam vestram plenariam ei reddere non dedignemini; ut pro suis valeat excessibus pœnitentiam fructuosam accipere, qua commissi valeat piaculi noxias sordes abluere, ut spiritus salvus sit in die Domini.*

Epist. 12.

V. Id quoque ex eo manaverat fonte sacerdotalis lenitatis & clementiæ, in animas Principum & in leges ipsas publicæ disciplinæ illabentis, quòd rarissimæ jam pœnæ mortis infligerentur. Nec latrocinantes Carolus Magnus morte afficit, nisi tertiò indulta venia abutentes; id est, cùm de eorum resipiscentia conclamatum est. *De tertia culpa si se non emendaverint, moriantur.* Prohibuit etiam Carolus Magnus, ne huc & illuc vagi & errones discurrerent hi Pœnitentes publici: sed uno potiùs consisterent loco, manibus laborarent, strenuè stadium pœnitentiæ implerent. *Melius videtur, ut si aliquid inconsuetam & capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant laborantes, & servientes, & pœnitentiam agentes, secundum quod sibi canonicè impositum sit.*

Capitul. l. 5. c. 135. L. 1. c. 79.

VI. Dici possunt sanè celeberrimi Episcopi penè vim quandoque veritati attulisse & justitiæ, quò reos, maximè Clericos pœnæ capitali subducerent, etsi non alio agerentur stimulo, quàm charitatis, quæ veritas ipsamet & justitia est. Exemplo erit sanctus Herebertus Coloniensis Episcopus, qui Clericum sacrilegii & furti convictum, quò Judicum manibus abstraheret, & aufugiendi copiam illi faceret, simulavit velle se ipsum de eo acerbissimas pœnas sumere.

Surius die 16. Mart. c. 14.

VII. Sed illud penè stupendum, quod authore & teste Hincmaro, pronuntiarent Episcopi non pau-

ci, in jus deinceps vocari non posse, nec publici Judicis examini subjici, qui sibi semel confessi essent, nec de quantocumque crimine, publico judicio damnati. *Dicunt quosdam docere Episcopos, ut sibi confessis viris, vel feminis debeant patrocinium defensionis impendere, ne quisquam hujusmodi personas ad judicium Reipublicæ audeat pro criminibus, unde eis confessæ fuerant, etiamsi multis nota sint crimina, provocare.* Et paulò infrà: *Dicentes, quia secreta confessione ad Ecclesiasticam confugerint pietatem, &c. Et ideo ab aliis, quàm ab Episcopis, quibus confessæ tales personæ fuerant, non debeant judicari.* Quo apparet eam persuasionem, de qua alibi diximus, non levibus fultam fuisse argumentis eo ævo, quo altiùs ea mentibus hominum insederat opinio, qui ad Ecclesiæ asylum & protectionem semel confugissent, jam non posse ad causam capitis rapi coram sæculari Judice agendam. Verè enim ad tutelam Ecclesiæ confugiebat, qui ad Episcoporum accidebat pedes, & arcana pandens conscientiæ reatus animæ omnes confitebatur. Quoquo modo res ea habuerit, hinc constat nihildum tunc temporis detritum fuisse de antiqua Episcoporum authoritate ad defensionem, atque adeo ad relaxationem reorum, cùm essent qui eorum potestatis fines & spem tam longè proferrent. Alienum est à meo hîc instituto, rationes explanare, quibus eam Hincmarus doctrinam concepit; non enim ferè, nisi authoritate & testimoniis pugnat Gregorii Magni, cujus ævo indubitatissimum est ei politiæ nihildum loci fuisse.

Hincmar. To. 1. pag. 676

VIII. Sed certissima & explicatissima ratio & ars, reos capitalibus suppliciis expediendi, ea erat, ut ad asylum Ecclesiæ recurreretur. Homicidia & quædam alia secundùm leges capitalia facinora ita horrori erant, ut in ea non caderet asyli indulgentia. Horum ergo reos inedia cogebant Ecclesia exire. Ita enim in Capitulari anni 779. *Ut homicidæ & cæteri rei, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, non excusentur, neque eis ibidem victus detur.* In vestibulo sive atrio Ecclesiæ eadem vigebat immunitas, atque in Ecclesia; nec inde abripi poterant rei, nisi desponsa impunitate, quo facto mox ad Judicem deducebantur. *Qui ad Ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit ei necesse Ecclesiam ingredi; & nullus eum per vim abstrahere præsumat, sed liceat ei confiteri quod fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publicum perducatur.* Quo demonstratur post reos vita & membrorum incolumitate donatos, moris fuisse, ut statim ad Judicem abriperentur, cujus examine & judicio cogebantur partibus civilibus satisfacere. Id rursus declarat Concilium Moguntinum anni 813. *Reum confugientem ad Ecclesiam nemo abstrahere audeat, nec inde donare ad pœnam, vel ad mortem, ut honor Dei & Sanctorum ejus conservetur. Sed Rectores Ecclesiarum pacem, & vitam ac membra ejus obtinere studeant, tamen legitimè componat, quod iniquè fecit.*

Capitul. l. 5. c. 122. Conc. Gall. To. 2. pag. 83. 245.

L. 5. c. 140. Capitul. anni 801.

Can. 39. Capitul. l. 5. c. 90.

IX. Sed hujus collatio & collisio Canonis cum priore Capitulo ex Capitularibus deprompto, non immeritò dubitare nos cogit, an homicidiis aliisque facinoribus, in quæ leges publicæ gladium distringebant, nihil penitus loci esset in immunitate asylorum. Si enim res ita habuerit, ecqui hoc Moguntinum Concilium decerneret, ut qui ad asylum Ecclesiæ confugerent, nunquam morte pœnas luerent? Agitur ergo hoc Moguntino Canone de iis, qui nisi ad asylum confugissent, facinora sua morte piarent: & adeo non illi excluduntur, ut soli includantur hoc quidem Canone.

Posset ergo conjectari aliquis non injuria, Carolum Magnum ætate ingravescente asylorum jura amplificasse; idque forsan bis insinuatur ejusdem Concilii Moguntini verbis, quo vetantur omnes prorsus rei Altaribus & Ecclesiis abstrahi, *ut honor Dei & Sanctorum ejus conservetur.* Nisi suspicetur quis prohiberi, ne vi abripiantur; non autem ne inedia cogantur ipsimet tandem prodire. At parum sincera videbitur ea asyli reverentia.

Ludovicus Pius eam immunitatem exporrigit non tantùm ad reos morte mulctandos, sed ad homicidas, & homicidarum etiam contaminatissimos, qui in ipsa Ecclesia cruentas inimicis suis manus intulerant. *Si quis ex levi causa, aut sine causa hominem interfecerit in Ecclesia, de vita componat.* In hujus Capitularis contextu variæ describuntur homicidii circumstantiæ, sive is occidat, qui adgreditur, aut qui se tuetur; sed ut ut sit, pœna non indicitur nisi pecuniaria. Homicidia in atrio Ecclesiæ patrata, cujus portæ consecratæ fuerant inclusis Martyrum Reliquiis, eidem legi suberant, nec nisi pecunia mulctabantur. *Si in atrio Ecclesiæ, cujus porta Reliquiis Sanctorum consecrata est, hujuscemodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur, & componatur.*

Capitul. l. 4. c. 13. Anno 818.

A vero prorsus, adeoque & à probabili recedit, sacrilegio excusatiora fuisse homicidia; & privilegium Ecclesiæ latiùs tum patuisse, cùm eo flagitio ipsa contaminata fuerat. Cæterùm cui asyli contemplatione vita prorogabatur, ei statim irrogabatur pœnitentia publica, qua non semel quis sibi & peccato moreretur. *Deinde interfector secundùm judicium canonicum, congruam facinoris quod admisit, accipiat pœnitentiam.*

Ibidem.

X. Nec me præterit reponi posse, homicidia, de quibus hîc agitur, faciliùs condonata fuisse, ex eo quòd in Ecclesia patrata fuissent; non quò cædem sacrilegium excusaret, aut magis venialem faceret; sed quòd omnino intercederent Ecclesiæ, ne contumeliæ sibi aspersæ humano cruore abstergerentur. Sicut qui ex iisdem Capitularibus, Presbyteris, Diaconis, aliisque Clericis necem intulerant, numerata pecunia absolvebantur: quòd Clericis tum professio sua videretur non pati citra summum dedecus, ut eorum mors truncatione membrorum, aut cujusquam morte puniretur. Fateor huic responsioni magnam subesse speciem probabilitatis; at objiciam tamen rursus Epistolam Eginardi Abbatis, qui veniam exoravit servo, socii sui interemptori, & in Ecclesiam Martyrum mox profugo. *Pro scelere quod commisit interficiendo socium suum, precamur, ut ob reverentiam Martyrum ad quorum limina confugit, ei parcere dignemini, ut indulta membrorum integritate, verberumque pœna, liceat illi solutione pecuniæ componere atque emendare, quod mala voluntate commisit.* Beatus Meinvercus Paderbornensis Episcopus Capellam consecravit nomine beati Alexii, cui eandem contulit immunitatem, nulla exceptione facta. *Ut quicumque forensi lege convictus, & sententia damnationis addictus, Capellam contigisset, addictæ pœnæ obnoxius non esset.*

Epist. 85. Du Chesne To. 2. pag. 700

Surius die 5. Junii c. 48.

XI. Apud Græcos Tarasius Patriarcha, rescito septas esse, interclusasque vias omnes, ut ne quid cibi inferretur Magistratui in Ecclesiam profugo, qui solvendo non esset: non dedignatus est ipsemet per plures dies, & non semel quolibet die illi afferre, quo reficeretur, denique ex Templo dedu-

Surius die 25. Februar. c. 26. 27.

cere, & eodem reducere illum, quoties necesse erat naturæ necessitatibus servire. Cùm semel vi profugum milites abduxissent, ille ad Palatium profectus est, querelis suis Principem ipsum ut lacesseret; cúmque sibi non satisfieret, anathema intorsit in omnes immunitatis sacræ violatores, si quid molestiæ crearent ei, qui ad Altaria se recepisset. Denique Magistratus ille pristinæ libertati redditus est. Hactenus ex Scriptore vitæ B. Tarasii.

Laudantur à Balsamone Imperatoriæ Constitutiones, quibus vincti omnes carceribus absolvi jubentur, die Paschæ, exceptis tamen perduellibus regni, parricidis, homicidis, & paucis aliis criminum enormitate gravatis. Docet idem quoque alibi asyli immunitate frui non permissos, homicidas, adulteros, & raptores.

In Nomoc. Tit. 9. c. 25 Et in Can. Trull. 97.

A Cedreno verò narratur Theophilum Imperatorem filiæ suæ tumulum eodem decorari voluisse asylorum jure ad reorum relaxationem. Qui asylo Ecclesiæ ob atrocitatem facinorum excludebantur, non dissimilem & hic experiebantur repulsam.

Pag. 523.

Hinc non improbabiliter quis suspicabitur, Carolum Magnum & Ludovicum Pium non omnino ab his recessisse Orientalium Imperatorum legibus. Et cum tamen tam copiosè nobis declaratum sit, Francicæ gentis Reges & Imperatores, multò propiùs accedere voluisse ad disciplinæ Ecclesiasticæ lenitatem, & pœnis capitalibus pecuniarias subrogasse: obsequutos denique esse plerumque votis Ecclesiæ, ut extremo supplicio pœnitentia publica subrogaretur: hinc pronum quoque fuit augurari, potuisse eos clementiam & humanitatem Canonum Ecclesiasticorum priscæ anteponere Constantinopolitanorum Imperatorum austeritati.

CAPUT XCIX. *P. 4. l. 2. c. 87.*

De Episcopali reorum & vinctorum protectione post annum Christi millesimum.

I. De solemni vinctorum omnium solutione, quo primum die Episcopus Aurelianensis Civitatem & Ecclesiam suam ingreditur. Quid de ea consuetudine sentiant? An sint & exempla alia.

II. Rei omnes quorum causa & judicium Episcopo permittebatur, morte plecti non poterant.

III. De usitatis nunc obtestationibus, ubi reos Clerici deferunt, aut tradunt Judici sæculari.

IV. Exempla reorum complurium vita donatorum intervenientibus Episcopis, vel Abbatibus.

V. De indulgentia à summis Principibus concessa, præsertim diebus solemnibus.

VI. Exempla recentiora hujus Episcoporum interventionis, & Clericorum, atque Monachorum, pro reis & pro vinctis.

VII. Quæ levamenta alia Episcopi miseris afferre debeant.

I. PErmisceri quidem poterant vincti, reique, miseris illis, de quibus prolixius supra disceptatum est. Sed vel hoc ipso ex capite constabit, quàm jure meritóque separatim de iis tractandum fuerit. Nec lenitas antiquissima, nec authoritas Episcoporum hac postrema Ecclesiæ ætate obsolevit ad reorum vinctorumque relaxationem, quanquam non tantum ei reverentiæ, quantum olim, nunc habeatur. Ad Episcopum Aurelianensem litteras dedit olim Ivo Episcopus Carnotensis, quibus significat magnopere sibi doluisse, pudoris etiam non parum aspersum fuisse, quod in carcerem rursus retrusisset Diaconum eum, quem hortatu suo absolvisset, die ipso ordinationis suæ, pro consuetudine suæ civitatis; & postquam illum sæculari Judici tradiderat, ei eximendo non intervenisset. *Insinuatum est mihi per litteras, quod Clericum illum, quem in die introitus vestri secundum morem vestræ civitatis nostra exhortatione de carcere liberastis, iterum carcerali custodia crudeliter mancipastis.* Testificatur Ivo se cum Collegis ei manus imposuisse, eóque ejus in se errores refundi quodammodo posse: in eo autem usque adeo sibi videri peccatum esse, ut litteras super ejus ordinatione à se scriptas ad Archiepiscopum Lugdunensem mittere supersederit. In historia sanè Episcoporum Aurelianensium profertur Senatusconsultum Parisiense anni 1322. quo id privilegii confirmatur, regiorum ut carcerum vincti omnes dimittantur, quo publicæ mancipentur pœnitentiæ. *Ut prisionarios liberet, ac eisdem injungat pœnitentias salutares, prout ei visum fuerit expedire.*

Epist. 182.

Du Saussay. L. 12.

Ne in dubium quidem duci potest, quin istud Episcoporum Aurelianensium decus singulare & privilegium, residuum sit vestigium ac monumentum antiquissimæ Episcoporum intercessionis, & reverentiæ Judicum illis obsequentium in absolvendis vinctis reisque, quibus mox sanctiores publicæ pœnitentiæ compedes injicerentur. Indubium quoque illud est tempore Ivonis Carnotensis, hoc est ineunte sæculo XII. antiquum jam illum habitum fuisse morem, unde Ivo: *Secundum antiquum morem Civitatis vestræ.* Creditur etiam B. Anianus Episcopus Aurelianensis id privilegii primus impetrasse: inde nimirum ducto argumento, quod ut in ejus vita refertur, cùm eo flagitante solvi vinctos abnuisset Judex, cœlesti protinus vindicta oppressus fuerit, lapidis lapsu prægrandis in ejus caput, cùm Ecclesiam iniret. Enimvero statim reserati carceres omnes, & hinc ominantur fluxisse eum morem. Laudatur à Jureto manuscripta Epistola Osberni ad B. Anselmum Cantuariensem Episcopum, qua narratur cum inaugurationis suæ pompam celebravit Anselmus, carceres omnes reclusos fuisse. Addit Juretus morem eum, ut Rotomagi quotannis vinctus unus exolvatur, ubi solenni pompa circumfertur per urbem *feretrum* beati Romani, Archiepiscopi quondam Rotomagensis, indidem exortum esse, à Pio Præsulum ardore restituendæ reis vinctisque pristinæ libertatis.

Surius die 17. Nov.

In Ep. 53. Ivonis.

La fierte. Bochel. Decr. Eccl. Gall. pag. 1327. 1332.

II. Non paulò autem indubitatius est, quicumque ab Ecclesiastico Judice judicarentur, quantiscumque obligarentur criminibus etiam læsæ Majestatis, nunquam morti addici potuisse, quod nunquam Præsules ad eas accederent causas, quarum exitus posset esse cruentus. Id contestatus est palam Archiepiscopus Senonensis, antequam in causam & judicium ingrederetur Arnulphi Remensis Archiepiscopi in Concilio Remensi sub Hugone Capetio. Canone etiam Toletano ad hoc se communivit. *Tum Siguinus, Non patiar, inquit, discussionem fieri ejus qui dicitur esse Majestatis obnoxius, nisi fortè convicto supplicii indulgentia promittatur; simulque* XXXI. *caput Toletani Concilii prolatum est ex eadem re.*

Du Chesne. To. 4 pag. 122.

Ubi Carolus Andium Comes, B. Ludovici Francorum Regis frater, Regnum Neapolitanum suæ subjecit ditioni, Henricus frater Regis Castellæ, & Conradini partibus implicatus, captus in acie, & Abbati Cassinensi concreditus est. Constantissimè postea idem Abbas vinctum suum reddere abnuit, quin sibi sponderetur, se saltem superstite nihil in ejus vitam tentatum iri, ne vincti interfectione irregularitas Canonica aspergeretur ei, qui cum Judicibus permisisset. *Abbas qui Henricum in prisione tenebat,*

Du Chesne. To. 5. pag. 381.

tenebat, ipsum Regi tali conditione reddidit, quod idem Henricus, qui legum judicio plectendus mortem meruerat, non tamen incurreret, quandiu idem Abbas præsenti vita fungeretur, ne mortis ipsius occasione secundum Canones impeditus, totaliter amitteret officium Sacerdotis. Hæc ex vetustis Scriptoribus vitæ B. Ludovici Regis.

Hic verò duo nobis quædam non oscitanter advertenda sunt. Alterum est ubi laxatus sit hic vetus disciplinæ vigor: alterum autem, ubi retentus tum quidem ille sit, & postea tamen relaxatus. Temporariam enim veniam Henrico Abbas impetravit, idque ab eodem ipso observatur Authore, ubi ait, unam mortis sententiam pronunciatam à Judicibus fuisse in Conradinum & Henricum: at quoad Conradinum statim executioni mandatam, in Henricum ad tempus procrastinatam, ut Abbati Judices receperant. *Henricum, licet eum eadem judicialis sententia condemnaret, quia sic Rex Abbati spoponderat, ad tempus vivum reservari præcepit, sub arcta tamen custodia.* Non, ut olim, remittebatur pœna capitis, sed differebatur. Certè illud valde perspicuum hic est, ei Abbati persuasum fuisse, ad declinandos irregularitatis nexus non contestandos sibi tantum Judices esse, vel Regem ipsum, ut reo incolumis vita, salusque constaret; sed exprimendam pollicitationem seriam & constantem condonandæ pœnæ mortis, quam & condonavit Rex; alioqui persuasissimo Abbate, se in laqueos irregularitatis induendum fuisse. Apertum est eam fuisse non decolorem antiquioris disciplinæ imaginem, quam posterior ætas ita oblitteravit, ut vix jam residua sit umbratica quædam species ejus.

III. Quæ nunc in usu sunt contestationes, eas facilè odoramur superfuisse ex illa antiquissima Episcoporum & Clericorum charitate & vehementia zeli, qua Judices sæculares urgebant, obtundebantque, tum maximè, cùm in Ecclesiam, vel in Clericos invidia mortis, vel mutilationis inflictæ reo redundatura erat. Quanquam vel tunc absisterent & cessarent, ubi extundere nil poterant. Argumenti nonnihil erit in Decreto Innocentii III. ubi præcepit Canonicos Cellæ Abbatis sui interemptores exauthorari, in Monasteria compingi, ut reliquo vitæ tempore pœnitentiæ laboribus & macerationibus conficerentur, dummodo ne ea indulgentia gravi esset offensioni. *Si grave scandalum non timetur.* At si gravis aliqua metueretur vulgi tumultuatio, dimittendos illos esse brachio sæculari, postquam enixissimè Judicibus supplicatum esset, ut reos mallent salubri pœnitentia expiari, quàm extremo perire supplicio. *Si verò gravè scandalum formidetur, quòd minimè conquiescat, postquam etiam reos sanguinis vestris curaveritis intercessionibus defensare, vos eosdem publicè degradatos, ad pœnitentiam studiosè commonitos, relinquatis Curiæ sæculari juxta constitutiones legitimas puniendos.*

Regest. 13. Epist. 132. 134.

Non ea officiosa tantum erant verba, sed officia, sed preces, sed conatus impensissimi pro modo virium & patientia Judicum: ita tamen ut ne obstinatius sæculari resisteretur Judici, qui causas illas foro & judicio suo non immeritò vindicabat. Et antiqui enim Episcopi à Judicibus repulsam non rarò patiebantur. Nec obscurius hoc ipsum est in alia ejusdem Pontificis Epistola. Affuerat Episcopus Albinganensis vico, ubi latro interceptus per ferrum candens contendebat purgandi sui copiam sibi fieri. Assensus est Episcopus ei probationi. Reus adustus est. Tum Judex Episcopum percontatus est, cujus sibi consilii author esset. Respondit Episcopus, clamore populi testatum fieri, inultum non dimittendum esse reum. *Audistis quantus est clamor populi, omnes dicunt malum esse, si evaserit impunitus.* Mox præsente Episcopo & Judice reus elisis laqueo faucibus neci traditus est. Re ad se relata rescripsit Innocentius, ministerio Altaris, atque adeo Episcopatu suo excidisse Præsulem, ac proinde suadendum illi esse, ut sponte se abdicaret; alioqui judicio canonico abdicandum esse illum & eligendum successorem; quod & authoritate & præsentia sua capitale supplicium approbasset. *Cùm his non tantum authoritatem præstiterit, sed etiam præsentiam exhibuerit corporalem.* Erat illud oppidum in ditione temporali ejus Episcopi; qui proinde si eo fuisset quo prisci Episcopi animo, ut pœnitentiæ potius laboribus, quam laqueo, vel cruce eluerentur scelera, reum utique illum absolvisset, non ejus saltem morti affuisset, nedum præfuisset.

Ibidem.

IV. Erat Hugoni Lincolniensi Episcopo verè Episcopale pectus, & paterna in reos, in vinctos teneritudine delibutum. Unde & cùm incidisset in turbam hominum, qui furem ad patibulum deducebant, isque Præsulis sanctissimi precibus se & gratia solvi postulasset, jussit Hugo & solvi illum & relaxari, cùm ex Episcopo & plebe præsente consurgat templum, illo utique sanctius & augustius, majorique reverentia prosequendum, cujus asyla tantæ sunt ubique terrarum venerationi. *Solvite eum & sinite abire. Ubi enim Episcopus cum fidelium populo congregatus est, ibi est Ecclesia: nec minor immunitas debetur lapidibus vivis, quam mortuis.* Paruerunt satellites, nescio quid contra obmurmurantes, ut ea saltem verborum simulata repugnantia factum suum apud Ministros regios excusarent.

Surius die 17 Novem. c. 27.

Nec alia ferè ratione obvium habuit beatus Bernardus Claravallensis Abbas latronem, solvique pervicit, sed non eadem prorsus arte rem Comiti Campaniæ Theobaldo approbavit, qui impatientius ferebat, inveteratæ nequitiæ prædonem inultum abire. Professus est illi Bernardus, & in se recepit, pœnas longè atrociores sibi daturum hominem nefarium, quàm si statim raperetur ad mortem; diutinæ se illum cruci affixurum, longaque pœnitentia, tanquam tædiosæ mortis cruciatibus divexaturum. *Tu illum decreveras brevi supplicio & interitu momentaneo consummari, sed ego eum faciam diuturno cruciatu & morte longissima mori. Tu furem appensum per unum aut per plurimos dies mortuum in patibulo remanere permitteres, ego cruci affixum per annos complurimos faciam, in pœna jugiter vivere & pendere.* Nulla interposita mora latronem Bernardus habitu Monastico induit, capillis rasis, ad Claramvallem abduxit, ubi triginta deinceps annos consumpsit, sævissimos pœnitentiæ cruciatus & dolores expertus. Profert & alia id genus exempla Cæsarius Abbatum Ordinis Cisterciensis, qui sibi donari evicerant sceleftos extremo supplicio destinatos, statimque Ordini suo & pœnitentiæ austerissimæ adscripserant. *Frequenter huic similia audivi, scilicet, ut homines flagitiosi pro suis criminibus variis suppliciis deputati, beneficio Ordinis sint liberati.* Minus mirum erit hæc Episcopalium virtutum insignia cum Abbatibus communicata fuisse, cùm earum ne principes quidem fœminæ fuerint experties. Beata Heduvigis Poloniæ Ducissa ita subducendis morti reis, maximè Clericis studebat, ut quoties copia dabatur, nunquam ei defuerit humanitatis officio.

Add. Cister. To. 1. pag. 52. To. 2. pag. 17.

Surius die 15. Octob.

Sanctus Otto Bambergensis Episcopus precibus

Surius die 11. Jul. c. 21.

suis libertati restitui fecit vinctos bene multos, qui in ære alieno erant. Mizlaus Princeps facilè sibi persuaderi passus est, non alia aptiùs ratione expungi posse commissa in Deum sua, quàm si dimitteret & ipse quidquid in se peccatum esset, quidquid fisco suo deberetur. Quæ beneficia etsi & justiora, & faciliora, difficiliùs tamen, aut non gratis exprimuntur. Profero & aliam speciem. Bertholdus Abbas habens in potestate sua furem, qui ad supplicium cùm quæreretur, dilapsus fuerat, & in ejus Cœnobium se abdiderat, vestemque Monasticam deposcebat, protinus eâ illum induit, ejecitque omnes, qui afflixerant, & ad crucem eum deposcebant.

Su. die 17 Julii.

V. Nec est quod quemquam moveat, quòd non semel scelesti homines, quorum vita protrahebatur Ecclesiæ beneficio, Principumque, reliquum illum vitæ cursum novis criminibus cumulabant. Id Episcopi, id Principes non nesciere, nec tamen eò abduci potuere ab insita & adulta tot sæculis humanitate. Matthæus Paris anno 1171. observat majoribus Festis solitas vel levari, vel omnino remitti reorum pœnas. *In Natalitiis diebus, in quibus homicida & rei læsæ majestatis habent pacem & gaudium.*

Narratur à Vuillelmo Neubrigensi, ut perlustrante primùm Richardo Rege suum Angliæ Regnum, pandi fores carcerum omnes jussæ sint, & nocentes absolvi, quorum non pauci ea impunitate id consequuti sunt, ut in altius nequitiæ baratrum se demergerent. *Eo regnum ingrediente pestes illæ carcerum per ejus clementiam sunt egressæ; confidentiùs fortasse de cætero grassaturæ.* Sed tam altas egit radices lenitas & clementia in Regum & Sacerdotum penetralibus, ut summæ Deitatis memores & æmulatores, non possint ulla impiorum perversitate ab insita sibi pietate vel tantillùm deflectere. Jubilæo quodam Regio ait Valsinghamus Eduardum Angliæ Regem insignire voluisse quinquagesimum regni sui annum, ideoque anno 1362. edixisse, ut vincti omnes carceribus ejicerentur, ejecti omnes exulesque patrio solo restituerentur. *Rex volens reddere Jubileum suum memorabilem, celebrato Parlamento, populo suo se exhibuit gratiosum, reis Majestatis suæ offensas indulgendo, vinctos à carceribus liberando, & exules revocando.*

L. 4. c. 1.

In hypodig. mat Neustria.

VI. In partem quoque Episcopalis hujus potestatis aliquam venere Capitula Cathedralium Ecclesiarum. In historia sancti Martini de Campis apud Parisios evulgata sunt prisca quædam monumenta, quibus constat anno 1375. in more positum fuisse, ut utriusque processionis diebus, cùm Capitulum Cathedralis Ecclesiæ ad hoc Cœnobium prodibat, Prior Cœnobii libertati redderet Monachos, si quos pœnitentiæ causa vinxisset: dum ne perpetuo carceri addicti fuissent, aut nec atroci se quopiam ipsi facinore obstrinxissent. Non abhorret à verisimili, ubi Judices publici obsurdescere cœperunt ad preces Clericorum, pro reis intervenientium; tum studuisse specialiùs Monachos, Clericosque, ut fugientis priscæ disciplinæ aliqua saltem ipsi vestigia retinerent.

Pag. 433.

Nec nulla tamen prisci saporis exempla ad nostrum ævum perennaverunt. Cùm Compluti versaretur Ximenius Cardinalis Archiepiscopus Toletanus, audito ingenti strepitu, per conclavis fenestras narrat Gomecius eum caput exeruisse, turbamque conspexisse hominum, qui reum capite mox minuendum deducebant. Incunctanter edixisse, ut eum relaxarent, id enim suæ convenire, id suæ deberi dignitati. Nec incunctanter tantùm, sed & lætissimè obtemperatum est. *De crimine per Lictores edoctus, ne ulteriùs procederent, vinculumque solvi jussit, ut quò vellet, abiret. Hoc sacra suæ dignitati, pietatis ergo concedendum esse dictitans. Placuit omnibus Ximenii factum, &c.*

Gomec. l. 3.

Anno 1564. revocatæ sunt à Pio IV. concessiones omnes à prædecessoribus suis factæ Urbibus, Confraternitatibus & Communitatibus Status Ecclesiastici, ut quotannis morti eximerent die sacra Parasceves, vel alio quolibet solenniori die, homicidam; ut ea potestas Sedi uni Apostolicæ integra servaretur, nec ut antè ea abuterentur, meditata malitia patratis homicidiis, hujus ipsius spe remissionis. Anno 1603. Clemens VIII. concessit Confraternitati Animarum, ut quotannis die Festo Sanctorum omnium, aut in Majori Parasceves feria sexta, reo capitali pœna afficiendo veniam facerent, dum ne id genus facinus esset, cujusmodi nunquam his gratiæ privilegiis continentur. Quando Julius II. Papa Bononiam solenni pompa invectus est, carceres omnes patuerunt, vinctis omnibus venia facta est quorumlibet criminum.

Bullar. To. 2. & 3.

Raynal an. 1506. n. 32.

Nec concessere forsan Orientales Patriarchæ Episcopique Occidentalibus, seu zelo, seu potestate reos vinculis & pœnis cæteris exolvendi. Testatum facit Pachymeres à Michaële Paleologo Imperatore, eorum quos sibi Patriarcha commendasset, complurimos exilio, carcere, mortis damnatione exsolutos fuisse. *Aperuit quin etiam custodias publicas, & multos illic detentorum vinculis solvit, damnatis quoque gratiam indulsit supplicii decreti, exules revocavit, & quibus erat iratus, condonavit offensas, intercedente Patriarcha.*

L. 4. c. 4.

VII. Etsi plurimum decerptum sit de prisca Pastorum authoritate ad vinctorum reorumque levandas calamitates; nihil remittere illi tamen debent de charitate Majorum suorum, quin exaggeranda illa potiùs, ut aliis saltem officiis eam jacturam sarciant. Testatur Hildebertus Turonensis Episcopus, ipsas amici preces se occupasse, ut paupertati & mœrori ne deesset ejus qui in carcere detineretur. *Illum sæpiùs in benedictionibus visitavi, diligenter omnia prosequutus, quibus vel carcerales angustiæ, vel inopia relevari potuerunt.*

Epist. 27.

In Concilio III. Mediolanensi Episcopis præceptum est, ut ne delegarent tantùm eos à quibus carceres visitarentur, sed eò ipsimet aliquoties anno quolibet se conferrent, ut solatii aliquid impertirentur, ut de vitæ sustentatione inquirerent, ut causarum defensioni invigilarent, ut curarent piis libris eos non deesse, sacris Mysteriis interesse, Sacramenta frequentare, Indulgentiarum, aliorumque Ecclesiæ beneficiorum participes fieri. *Etiam ipse aliquando in anno carcerem visitet.* Concilio Mediolanensi V. placuit, ut ab Episcopo designaretur Canonicus, vel Clericus quispiam alius, qui quasi Provisor carceribus Episcopi immineret, vinctorum ibi omnium curam ageret, & necessitatibus eorum temporalibus, spiritalibusque prospiceret. In Concilio Toletano anni 1565. jussi sunt Episcopi *quolibet saltem mense* carceres ipsimet suos perlustrare, & misellos homines quibus poterunt charitatis & sollicitudinis beneficiis recreare.

Acta Eccl. Med. pag. 105. 238.

Cap. 13.



CAPUT C. *P. 4. l. 2. c. 88.*

De Episcopali tuitione eorum qui ad Ecclesiam confugiebant, post annum Christi millesimum.

I. Varia statuta de asyli propagatione, extra Ecclesiam & Capellas.

II. Jus asyli penes Cruces. Quàm sanctum & inviolatum id jus haberetur. Ejus violati absolutio Papæ reservata.

III. Nova Pontificum & Conciliorum decreta ad confirmandum jus asyli; imò & ad illud temperandum adversùs eos, qui hac impunitatis spe effrenatiùs grassabantur.

IV. V. Quanta asylorum reverentia in Anglia & Hispania. An ædes Episcopales privilegio gaudeant asylorum.

VI. Similiter in Germania & Polonia. An Parochi domus ea immunitate fruatur.

VII. De Gallia. An Presbyter Eucharistiam ad ægros deferens, asyli instar ipse sit.

VIII. Qua occasione extinctum sit in Gallia jus asylorum. Quæ mens fit Edicti Francisci I. Regis.

IX. Temperatur jus asyli extra Gallias. Cur tam facilè Ecclesia Gallicana jus asylorum remitti passa sit. In pretio fuerant olim, ut rei pœnitentia publica expiarentur. At is usus jam intercideras.

X. De Ecclesia Græca.

I. LEges inter eas, quæ promulgatæ feruntur à sancto Eduardo Angliæ Rege, & à Vuillelmo Notho confirmatæ, illa radiat, qua asyli jus ad vestibulum Ecclesiæ porrigitur; *Ex quo reus atrium Ecclesiæ tenuerit*: imò & ad domum Parochi, domumque circumpositam aream, dum fundo Ecclesiæ inædificata sit domus. *Si domum Sacerdotis, vel Curiam ejus intraverit, eandem securitatem & pacem habeat, quam & apud Ecclesiam.* Alia ejusdem Regis lege asylum ad Ecclesias Cœnobiorum exporrigitur. Ampliati videntur isti etiam limites fuisse in Concilio Coyacensi anno 1050. statuto, ut ne reis injici possent manus intra triginta passus ab Ecclesia: & quo se ii cumque commaculassent crimine, nec vita orbari possent, nec membris; denique mille nummorum mulctam Episcopo solverent, quicomque asylis factis injuriosi fuissent. *Si quilibet homo pro qualicumque culpa ad Ecclesiam confugerit, non sit ausus aliquis eum inde violenter abstrahere, nec persequi infra dextros Ecclesiæ, qui sunt triginta passus: sed sublato mortis periculo & corporis deturpatione, faciat quod lex Gothica jubet. Qui aliter fecerit, anathema sit, & solvat Episcopo mille solidos purissimi argenti.*

Conc. Gen. To. 9 pag. 1821.1825. Can. 5.

Can. 12.

Romanum Concilium anni 1059. sub Nicolao II. qui ejus Decreta in Gallias misit, scripta ad Episcopos Epistola, ulteriùs promovit hanc circa Ecclesias immunitatem; nimirum Ecclesiæ majoris asylo ad sexaginta passus dilatato, Capellarum ad triginta, quo spatio comprehendi non possent rei, nisi publici latrones. Sed ibidem illud innuitur, totum id spatium Cœmeterio dicatum esse, qui locus jam sua sponte sacrosanctus est, & fidelium reverentia consecratus. *De confiniis Cœmeteriorum sicut antiquitus à sanctis Patribus statutum est, statuimus ita, ut major Ecclesia per circuitum sexaginta passus habeat: Capellæ verò, sive minores Ecclesiæ triginta. Qui verò confinium eorum infringere tentaverit, & personam hominis, aut bona ejus inde abstraxerit, nisi publicus latro fuerit, quoasque emendet, & quod rapuerit reddat, excommunicetur.* Ita cùm majoris Ecclesiæ Cœmeterium latiùs necessariò pateret quàm cæterarum Ecclesiarum, hinc illa diametri duplo major amplitudo. Nicolaus Papa à Gratiano laudatus, quadraginta passus assignaverat majoribus Ecclesiis, triginta minoribus. Huic se formæ Jus canonicum novum accommodavit.

Epist. 2.

17. q. 4. c. 6.

II. In Concilio Claromontano anno 1095. Idem asyli jus & decus communicatum est cum illis Crucibus, quas fidelium pietas per vias tritissimas defigit; persuasis forsan Præsulibus, eo tempore plusculum honoris Christi cruci dependendum esse, quo sub ejus auspiciis Orientem debellabamus. *Si quis ad aliquam crucem in via persequentibus inimicis confugerit, liber ac si in ipsa Ecclesia permaneat.* Canone mox proximo declaratur, quantum ei tribueretur immunitati. Præcipitur enim, ut qui meditata malitia criminis quidpiam patrabunt, quasi spe certa impunitatis, ob Ecclesiam vel crucem proximiorem, Judici publico ii restituantur: accepta securitate vitæ & membrorum. *Quod si quis pro securitate Ecclesiæ vel prædictæ crucis aliquod crimen peregerit, & ad Ecclesiam vel crucem confugerit, accepta securitate vitæ & membrorum, reddatur justitiæ.* In Concilio Remensi anno 1131. anathemate configuntur, qui reum quemvis in Ecclesia comprehenderint, vel in Cœmeterio. *In eos qui ad Ecclesiam vel Cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat. Quod si fecerit, excommunicetur.* Anno 1132. Episcopi cùm plures Ecclesiam dedicassent in tractu Narbonensi, totam qua latè pateret asyli amplitudinem delinearunt defixis crucibus. *Locum ad salvitatem circum designaverunt Episcopi, & ejus continentiam crucibus infixis terminaverunt.*

Can. 29. 30.

Can. 14.

In Concilio Laudunensi anno 1142. cùm jam exolevisset penè Templorum reverentia & religio, sicut & Cœmeteriorum, & Clericorum majorum; statutum fuit, ut qui Ecclesiam, Cœmeteriumque contaminassent, vel in Clericos Monachosque manus violentas injecissent, ii nisi à Pontifice Romano absolvi non possint. *Generaliter constitutum est, qui Ecclesiam Cœmeteriumque violaverit, vel in Clerico, aut viro Religioso manus injecerit violentas, ne ab alio quàm ab ipso Papa possit absolvi.* Quod ad proximum Canonem attinet, ut agricolarum aratra mediis in agris pari in honore essent, atque si in Cœmeteriis fuissent; inexorabili id quidem tum necessitate extorquebatur, cùm bellis privatis & plusquam civilibus circumstreperent regiones agrique omnes: ut extimescenda meritò esset vastatio & populatio exitialis, ferro & fame undique sæviente. Sed revocanda jam oratio est ad Decretum de immunitate Ecclesiarum, Cœmeteriorum & Clericorum, cujus violatæ facinus Apostolicæ Sedi solvendum reservatum est. His enim tribus consecratio quædam communis inest, omnibus meritò veneranda. Nec tamen valuit ad posteros illa reservatio violatæ immunitatis & consecrationis, nisi Clericorum.

III. Ab Innocentio III. ad Consulta Regis Scotiæ responsum est, non posse homines ingenuos, qui ad Ecclesiam confugissent, inde vi abstrahi, nisi certa fides Ecclesiæ fieret, nec in vitam, nec membra sævitum iri. *Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra & vitam.* Exceptio tamen fit latronum & deprædatorum publicorum, qui extrahi possunt Ecclesiis, minimè desponsa impunitate. *Nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentat, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidiis, ab Ecclesia extrahi potest impunitate non præstita, secundum canonicas sanctiones.* Servus domino restituendus est, condonata ab eo culpa. Fatetur denique Pontifex responsa hæc sua

Extra. De immu. Eccl. c. 6. 9. 10.

canonicis & civilibus institutis accommodata esse: *Juxta sacrorum statuta Canonum, & traditiones Legum Civilium.* Perspicuum est non potuisse relaxari ob reverentiam asyli sacri pœnas civilium Legum, nisi ex consensu Principum, civilibus aliis Legibus promulgatio. A Gregorio IX. declaratum est Ecclesias eas in quibus Mysteria celebrantur, hoc gaudere privilegio, tametsi earum suspendatur adhuc dedicatio. Sed & illud ab eodem pronuntiatum est, qui in Ecclesiis, vel in Sepulcretis cædes exercerent, spe præsentis asyli & impunitatis, eo privilegio frui non posse, quo tam infandum in modum abuterentur.

In Anglia anno 1261. Concilium Lambethanum diris devovit eos, qui prohiberent, ne quid cibi inferretur iis, qui ad Ecclesias & Cœmeteria confugerant; qui inde egredientes interciperent; aut qui vias insiderent, ad injiciendas illis manus, quando Ecclesiæ beneficio potiti, in longinquas se regiones subducebant. Anathemate confixit Concilium Bituricense anni 1279. eos qui audaciam sacrilegio cumulantes, mactabant, vel mutilabant, vel vi ab Ecclesia abstrahebant reos, *contra juris utriusque statuta, & Ecclesiarum libertatem.* (Can. 12.) Quin & horum filiis amputata spes est quorumcumque Ecclesiæ beneficiorum. Anno 1280. Synodus Coloniensis molestissimè ferens spe asyli & immunitatis patrari facinora, quibus aliàs abstentum esset, jussit hos custodiri facinorosos, ut maturiùs deliberaretur, an *ad gratiam, vel ad pœnam, prout facti qualitas exegerit procedatur.* (Can. 23.) Synodus Nemausensis anno 1284. Xenodochia & Religiosas domos asylis annumeravit, ad tutelam, tum hominum, tum rerum illic depositarum; nec excepit nisi publicos prædones, & eos qui spe asyli ad crimen patrandum illecti sunt. Provinciæ Auscienfis Concilium anno 1326. novo robore munivit decretum Concilii Bituricensis anni 1276. quod & novis vallavit pœnis. (Num. 93.) Quod & rursus confirmatum est in Concilio Vaurensi anno 1368. (Lavaur.)

IV. Cùm in Anglia Cleri Comitia anno 1316. varia querelarum capita compilassent, Regique obtulissent, in quibus erat & illud quod ad immunitatem Ecclesiastici asyli pertineret: Eduardi II. Regis nomine & authoritate responsum est, ubi rei asyli privilegio potiti, itineri se darent, ut in remotiores Provincias aufugerent, tum eos sub Regis tuitione delitescere, nec à quoquam posse vel comprehendi, vel lædi: (Conc To. 11. 1465.) *Qui terram abjuraverint, dum sunt in strata publica, sunt in pace Regis:* in Cœmeteriis moras trahere non posse eos, à quibus observabantur; nec prohiberi, quin adferretur eis, quo vescerentur, vel ipsi se ad requisita naturæ subducerent. Denique ab eodem Rege concessum est Presbyteris, ut reorum Confessiones arbitratu suo quoties adlubesceret, exciperent: sed ne qua monita in eorum aures insusurrarent, quibus juris Jodicumque perturbaretur vis & authoritas. *Placet domino Regi, ut latrones & appellatores, quandoque voluerint, possint Sacerdotibus sua peccata confiteri. Sed caveant Confessores, ne erroneè hujusmodi appellatores informent.*

Ambigi ergo jam non potest, quin jus asyli in Anglia sacrosanctum haberetur. Narrat quidem Rogerius Episcopum Bellovacensem ex Rotomagensi carcere, ubi retinebatur, tantisper eductum, ut Eleonoram Reginam ira cupientem alloqueretur, januis vestibuli Ecclesiæ obseratæ adglutinasse se, & exclamasse, *Peto pacem Dei & Ecclesiæ*, inde vi extractum fuisse, & in ergastulum priùs retrusum anno 1198. Verùm non obscurum est, Judices suspicatos fuisse, ea Reginam arte voluisse, vincto Præsuli copiam facere, vel ansam præbere evadendi. Ut ut sit, ea foret Canonum injuria, ejus non absimilis, cujus meminit Matthæus Paris anno 1233. cum Henricus III. Rex non potuit non ille quidem annuere Episcopis, ut libertati restituerent vinctus, qui cùm carceribus elapsus ad Ecclesiam confugisset, inde vi abreptus, suoque carceri redditus fuerat. Cùm invitus autem Rex id concessisset, mox retractavit beneficium, jussis ministris ut Ecclesiam circumvallarent, vinctumque inedia mori cogerent.

V. In Hispania assentiebantur Leges Visigothæ, ut homicidæ in Ecclesiam confugientes, cognatis ejus quem occidissent, permitterentur, *Ut excepto mortis periculo, quidquid de eo facere voluerint, licentiam habeant.* (L. 6. Tit. 16.) Si qui ære alieno gravati ad Ecclesiam confugissent, iis præsentibus Presbyteris & Diaconis dies deligendus erat, quo nomina sua expungerent omnia: tum discedere jubebantur, nec creditoribus fas erat eos aut comprehendere, aut divexare. (L. 9. Tit. 3.) Anno 1459. Henricus Castellæ Rex ad Pium II. Papam conquestus est de dissidiis perpetuis inter Episcopos & Magistratus Regni sui, super censuris Ecclesiasticis ad asylorum immunitatem tuendam undique perstrepentibus. (Raynal an. 1459 n. 25.) Delegatus est à Papa Archiepiscopus Hispalensis, qui de his cognosceret. Ex recentioribus Canonum Interpretibus fusissimè de hoc argumento scripsit Covarruvias. (Tom. 2. de imm. Eccl.) Episcopi Palatium ea immunitate gaudere debere confitetur; verùm ad id necesse esse existimat, ut constructum sit intra quadraginta passus juxta Ecclesiam. Pendet anceps, an Presbyter Eucharistiam circumferens, eandem circumferat & immunitatem; quòd Canones Legesque sileant ea prorsus de re.

VI. Quoad Germaniam, cùm Nicolaum V. Papam anno 1447. Saxones consuluissent de variis Disciplinæ dubiis: quoad asyla responsum ab eo est, Latrones publicos immunitatis hujus spe dejiciendos esse: ea verò gaudere domum Parochi & aream circumjacentem, si sita illa esset intra quadraginta passus majoris Ecclesiæ, vel triginta minoris. (Raina. n. 28) Statuta Regni Poloniæ ad annum 1545 designant, qui non possent asyli privilegio uti. Inem nimirum, qui eodem beneficio per Canones & leges expuncti fuerant. (Statut. Polo. 451. 498.)

VII. In Galliis summa semper viguerat religio asylorum. Ad Sugerium Abbatem Regni tum habenas tractantem scripsit Episcopus Aurelianensis, (Epist. 16.) civitatem eam interdicto à se perculsam fuisse, quòd ejus Judices pertinaciùs abnuissent reum suum Ecclesiæ reddere, quem aris ab ipsis abstraxerant. Hildebertus Turonensis Episcopus laudes extulit, & faces subdidit Episcopo, qui strenuitatem exeruerat singularem, ut Ecclesiæ rei redintegrarentur, qui ejus è gremio abrepti fuissent. Verba illi & exempla refricuit Augustini, qui causa non absimili Comitem Bonifacium sacris interdixerat; (Epist. 49.) affirmavit denique, quantumvis rei astrinxissent se juramento, non meditaturos se fugam è carceribus: nihilo tamen minus si elapsi ad Ecclesiam confugissent, tutela eos Ecclesiæ communiri debere. Anno 1281. Martinus IV. Pontifex Archiepiscopos & Episcopos Galliæ commonuit per Epistolas, tuitione & asylo Ecclesiæ abjiciendos esse hæreticos, apostatasque, quanquam ad aras confugissent. Cùm (Raina. n. 18)

Idem n. 21. Legatum ageret in Galliis Cardinalis Turtavillensis anno 1453. decrevit, ut ne asyli veniis potiri sinerentur vel publici Latrones, viarumque infestatores, vel qui cædes in Ecclesia perpetrarent, detestabili Ecclesiasticæ immunitatis fiducia; at verò aliorum criminum quorumcumque pœnas corporales & vitam condonatum iri.

Pragmaticæ Sanctionis glossa apertissimè suffragatur immunitati Presbyteri Eucharistiam per urbes circumgestantis, & ad ægrotos deferentis. Si enim Templum Dei eo illustratur privilegio, quid Deus ipse Templi? *Confugiens ad corpus Christi dum portatur in via, gaudet immunitate, & per Ecclesiam est defendendus, & hoc teneas, licet multi teneant contrarium; quia nihil est majus hoc sacrificio, & quia propter honorem Dei defertur Ecclesia, ergo multò fortius Deo; quia propter quod unum quodque tale, & illud magis.* Nec trahi illud potest ad Eucharistiam, cùm defertur ad vinctos in carceribus: quanquam eodem nunquam die morte plecti debeant. *Si verò homicidis vel latronibus in captivitate pœnitentibus portatur corpus Christi, talibus non subvenitur, ut à carcere liberentur, licet illa die justitia sit differenda.*

Tit. Quomodo divinum Offic. sit celeb.

VIII. Ne longior sim, paucis monebo in confesso esse, non minus religiosam in Galliis, quàm in aliis Christiani orbis regnis fuisse observantiam juris asylorum usque ad Franciscum I. Regem, qui anno 1539. statuit, ut cùm sententia Judicis comprehendi juberentur rei, ab Ecclesiis & aris abstrahi possent, eis post redintegrandi, ubi Judex decrevisset. Illud Edicti Regii Caput Bochellus inter sua Ecclesiæ Gallicanæ Decreta, post congestam Canonum struem, quorum suprà nobis aliquos excidisse fatemur, ad asyli sacri defensionem. Post Edictum Regium Francisci I. in controversiam trahi poterat, Ecclesiastici, an laïci Judicis esset reos ab Ecclesia divellere, & quanti id intersit, nemo tam excors est, qui non videat. Verùm eam potestatem Civiles Judices sibi arrogaverunt in Gallia & Hispania.

Fevret de l'Abus. l. 3. c. 3. Bochel pag. 417.

Illud ergo Francisci I. Edictum non adversa fronte colliditur, aut reluctatur, sive Legibus, sive Canonibus pro asylo sacro militantibus. Per Canones ipsos & Leges, per Decretalium libros & Decreta ipsa nuperorum Pontificum, de quibus suprà, asylo intercludebantur plura facinora, superius perstricta. Hoc Edicto Regio nec obligatione, nec potestate illa exolvuntur Judices Regii remittendi ad asylum eos omnes, quos ex Canonum Legumque norma remitti jus fasque est. Si jam nulli remittantur & redintegrentur asylo rei, non potest ejus rei causa, vel invidia affingi Edicto huic Regio. 1. Ut summum enim eo defertur Judicibus Regiis judicium de causis illis, quibus rei possunt, vel non possunt juxta Canones & Leges asyli gratia juvari. Quæ cognitio priùs ad Ecclesiasticos Judices spectabat. 2. Eo rursus custodia illis reorum committitur, cùm priùs in tutela essent & cura Judicis Ecclesiastici, donec dijudicaretur, an admissum scelus in eorum classe esset, quæ Ecclesiæ immunitati subtrahit sua atrocitas. Hæc Edicti Regii Capita nil vetat ità observari, ut nihil, aut perparum derogetur Canonibus suprà coarcervatis pro asyli sacri immunitate.

IX. Fateri tamen cogimur usque adeo ampliatam quandoque fuisse hanc asylorum libertatem, ut non parum hinc aliquando vel dedecoris emergeret, vel detrimenti. Anno 1504. Julius II. Papa suis in Angliam Rescriptis declaravit, reos læsæ Majestatis, homicidas, deprædatores, vi abstrahi ab Ecclesiis debere. In Concilio Coloniensi 1536. concessum est, ut ab Altaribus ipsis abriperentur latrones publici: voluntarii homicidæ: qui improba spe ipsius immunitatis Ecclesias & Sepulcreta facinoribus suis contaminarent: denique quicunq; in pacem & incolumitatem publicam machinati quid essent, dum ne eos corriperet Civilis Judex, nisi re seriò perpensa cum Officiali Episcopi. Propius abesse videtur hoc Decretum ab Edicto Francisci I. Interest tamen omnino nihil. Nec enim eo annuitur reum à sæculari Judice comprehendi, nisi postquam de ea re illi & Officiali Episcopi convenit. Quin & minæ Magistratibus intentantur, interdicendarum omnino Ecclesiarum, nisi ex aliqua saltem parte prisca asylis reverentia impendatur. Concilio Mediolanensi V. uni apertissimè Episcopo creditur custodia reorum ad Ecclesias confugientium; immo & ipsum examen ac judicium, an crimen ejusmodi sit, cui pateant asyla. Capitalia ea sunt duo immunitatis Ecclesiasticæ munimenta. Potest aliàs ea incolumis, utcunque consistere, sed non diu, ubi nimirum penes civiles erit Magistratus, & reorum custodia, & judicium, quæ crimina asylo sacro aboleantur. Ea sanè ratione Edicto Francisci I. obliquè eversa & labefactata sunt asyla omnia Galliarum.

Rainal. n. 35.

Can. 10.

Part. 3 c. 3.

Nec tamen vel Itali ipsi Canonum interpretes dissimulare potuerunt necessitatem præscribendarum asylis metarum, criminibusque in quæ cadat immunitas. Præter fures enim publicos, & agrorum depopulatores, eos quoque procul amandari jussere, qui spe hujus vel immunitatis, vel impunitatis vitam auferunt, vel membra truncant in Ecclesiis & Cœmeteriis; Sicarios, qui velut hostes Christiani nominis proscripti fuere; homicidas voluntarios, hæreticos, reos læsæ Majestatis. Hæ nimirum exceptiones variis locis Juris Canonici & Decretalium permixtæ sunt, omnesque compilatæ fuere & confirmatæ in Bulla Gregorii XIV. *Cùm alias nonnulli*, de Immunitate Ecclesiarum. Non omnibus his assentiebantur exceptionibus Canones suprà citati. Sed earum necessitas tot & tam diutinis experimentis tandem emicuit. Antiquissimorum Imperatorum legibus ab asylis abigebantur homicidæ, adulteri, raptores virginum. Contra has leges præscripserant Canones. Leges tandem se sibi pristinoque suo vigori reddidere in Gallia; nec Ecclesia Gallicana magnopere sibi laborandum censuit ad defensionem asylorum sacrorum, quorum jam fructus non ille erat, qui olim optatissimus, pœnitentiæ publicæ liber usus: sed ille potius tristissimus, scelerum impunitas.

Fagn in l. 3. Decr. par. 1. pag. 376.

Adverte enim asyla legibus divinis constituta veteris Testamenti, & Civilibus Paganorum Constitutionibus, ad unam spectasse scelerum impunitatem, mortisque reorum amolitionem. Non eum autem sibi Ecclesia scopum proponebat in asylis suis tuendis. Mortalis enim hominis, aliquando tandem interituri mortem differre, humanitatis est illud quidem inculpatæ, nec illaudatæ. At oculi mortalium fide Christi semel illuminati, & charitatis Christianæ instinctus, non in his hærent; ulterius, altiusque spirant aliquid; ad beatissimæ vitæ immortalitatem cœlestem aspirant. Ea qua se Ecclesia induebat cura, prorogandæ reorum vitæ ad aras confugientium, ad otium spectabat seriæ canonicæque pœnitentiæ consequendum, cui se ipso suo in Ecclesiam ingressu mancipabant. Ea seposita spe, jam alternare pote-

tit non injuria animus, inter malum & dedecus criminis inulti, & decus indultæ indignis veniæ. Ubi ergo in nihilum recidit, qui fructus fuerat uberrimus asylorum, jam nec est quod magnopere nobis doleat, si & ipsa nobis asyla deperiere: sive imminuto paulatim criminum numero, quibus patebat: sive facta Civili Magistratui copia, & reos comprehendendi in ipso asylo, & dijudicandi, an ei restituendi sint. Cùm iniret summum Pontificatum Adrianus VI. Cardinales interpellavit, ne posthac Palatii sui fores pandi sinerent proscriptis, reisque: cùm jure novo asyli jus illis adscriptum sit. Annuerunt illi tum quidem ejus precibus, penes quem erat summa jubendi vis & facultas. Sed exinde
Rainald. Anno 1522. n. 17. reddidere Cardinales Palatiis suis ei privilegio & juri, quod illis cum Palatiis Episcopalibus commune est.

X. Quantæ apud Græcos, & Constantinopoli potissimum essent asyla sacra venerationi, luculentè declarat Annæ Comnenæ Alexias. Quippe eò Reginæ ipsæ, regiæque fœminæ abdebant seipsas, si quid ebullisset jurgiorum in Palatio ipso; & Imperatores ipsi lubentes lætissimam hanc sibi imponerent necessitatem ignoscendi, idoneo & locupletissimo authore, eadem Comnena. *Templi pars quæ-*
L. 2. *dam in asyli usum parata à priscis Imperatoribus, qui quærere causas parcendi peccantibus consueverunt.* In historia utriusque Andronici, Senioris & Junioris, quàm fructuosa fuerint & necessaria Imperatoribus ipsis, hoc est immunitatis suæ authoribus asyla, exemplis à Nicephoro Gregora declaratum est. Vitæ
L. 9. enim discrimen adiisset Andronicus Senior, imperio jam exturbatus, nisi longè pulcherrimam amplexatus esset imaginem Deiparæ Virginis, quæ non multò antè tempore veluti portio templi aliqua in Palatium allata fuerat. Andronicus autem Junior ei ipsi sacratissimæ Virginis imagini acceptam retulit victoriam, quam de avo suo Andronico Seniore reportaverat: nec ejus immunitatem à se imminutam voluit, cujus beneficio amplificatam assertamque dignitatē suam fuisse venditabat. In his luctuosissimis temporū difficultatibus summa & necessitas erat, & opportunitas asylorum: cùm in iis Regiæ familiæ dissidiis non nocentior, sed calamitosior quisque ad cœlestem opem & ad Ecclesiæ tuitionem confugeret.

De Jurisdictione Episcopali, charitati potissimum & animarum saluti serviente.

CAPUT CI. *P. 1. l. 2. c. 41.*

Charitas & authoritas Episcopalis ad dirimendas etiam fidelium, maximè tamen Clericorum lites, tribus quinque prioribus sæculis.

I. Actuosa debet esse Episcoporum residentia, cum & absentia debeat esse fructuosa.

II. Apostolus ipse id oneris imposuit Episcopis, ut fidelium lites nascentes dirimant.

III. Commonstratur ex Augustino hoc tribunal non spirasse, nisi pietatem, pacem, charitatem.

IV. Intermiscebant Episcopi permolesto huic sarcinæ sua, adeo non ea oblectabantur.

V. Ea jurisdictio Augustino servitus erat gravissima, quam sola charitatis ala levarent.

VI. Molestissimè ferebat avocari se à contemplatione veritatis, quo carnalibus hominum cupiditatibus sedandis serviret.

VII. Ea Episcoporum jurisdictio tam latè patens, & tam pie culta à fidelibus, tamdiu viguit, quamdiu & illa quæ vigebat charitas, pax, sanctitas.

VIII. Pulcherrimo Augustini testimonio demonstratur, ut Episcopi inter ipsa sua tribunalia, & in causis disceptandis, inculcarent castissimas Evangelicæ perfectionis leges, & consilia ipsa.

IX. Ejusdem rei argumenta alia.

X. Beatus Martinus Presbyteros suos delegabat, qui eam exercerent jurisdictionem.

XI. Easdem regulas exercendæ jurisdictionis sectabantur & Græci Patres, maximè Synesius.

XII. Quàm non debeant Episcopi dolere de jactura vastissimæ hujus jurisdictionis in res temporales.

XIII. Exempla alia Episcoporum, quibus ea jurisdictionis sacra explicatio materiam præbebat cœlestium & æternorum charitate instillanda carnalium hominum mentibus.

I. STerilis & infructuosa esse non potest boni Pastoris, seu Episcopi residentia. Pastoris, Parentis, Sponsi, Prædicatoris, Apostolorum successoris præsentia, non potest non vim, vigoremque suum expromere cura, labore, vigilantia, strenuitate infatigata. Ne absentia quidem ejus beneficio vacare debet, necdum præsentia. Hinc est quod excussa Episcoporum residentia ad eorum functiones defluximus, & ad eas hactenus, quæ minus videbantur cohærescere posse cum residentia. Ostensum est enim ab Ecclesiis sæpenumero suis Episcopos recessisse, ut oppressos tuerentur, Principum iras sedarent, reis veniam & indulgentiam impetrarent. Qui una ea ratione minus residebant, ii residebant vel maximè, in oculis semper & in præcordiis ipsis suis præsentissimam semper Ecclesiam suam circumgestantes. Corpore illi peregrinabantur, mente, cura, sollicitudine verissimè residebant; contra quàm alii corporali præsentia resident; at ubi vincti, rei, orphani, viduæ, oppressi, miserabiles denique omnes, nullum accipiunt ex eorum præsentia fructum, multo magis peregrinari hi quidem existimari debent. Non ea est Episcoporum, quæ quondam fuit jurisdictio & potestas. Viderint alii, viderint ipsi, an ex eo profectum illud, quod nec eadem jam sit charitas, & ad æterna tantum spirans sollicitudo.

II. De iis ergo hactenus. Nunc ad alias eorum adgredimur functiones, à residentibus certè obeundas, in jurgiis videlicet fidelium pacandis, componendisque litibus. Id oneris videbatur Paulus Epis- 1. Cor. 6.
copis imposuisse, cùm tanquam probrum Corinthiis objiciebat, quòd cùm litium aliquid haberent, mallent apud infideles litigare Judices, quàm apud sanctos. Cùm eos non lateret, sanctis datum iri facultatem, ut non de mundo tantùm, sed & ut de Angelis Judices sedeant. Non est sapiens inter vos, aiebat Apostolus, qui fratrum causas disceptet. Huic documento, immo & huic Apostoli mandato accommodabat se Augustinus, teste Possidio, cùm bene multas singulis diebus horas collocabat, in consopiendis dissidiis, litibusque eorum, sive fidelium, sive infidelium, qui ad eum recurrebant. *Secundùm Apostoli quoque sententiam, dicentis, Audet* Cap. 19.
quisquam vestrum adversùs alterum negotium habens, judicari ab iniquis, & non apud Sanctos, &c. Interpellatus ergo B. Augustinus à Christianis, vel à cujuscumque secta hominibus, causas audiebat, diligenter ac piè.

III. Non ventosæ ambitionis instinctu, non propriæ potestatis exaggerandæ cupiditate, vel Paulus incitabat Episcopos, vel Episcopi ipsi hortatu Pauli accendebantur, ut Judicum Civilium aut Magistratuum functiones, sarcinasque ad se traduce-

rent. Ut Augustinus, ita & piissimus quisque tum Episcopus pietatis stimulo agebatur ad causas audiendas: *causas audiebat diligenter ac pie.* In penetralia cordium subibant hi Ecclesiastici Judices, ut dispicerent, quæ quisque fidelium vitæ spiritualis & Christianæ sanctimoniæ incrementa fecisset: *Intendens in sis Christianorum momenta animorum, quantum quisque vel in fide, bonisque operibus proficeret, vel ab eis deficeret.* Mollissimos ille captabat aditus & opportuna momenta, quibus illaberentur facilius in eorum pectora pietatis Christianæ placita, & illæ charitatis flammæ, quibus à terrenis ad cælestium amorem raperentur: *Atque compertis rerum opportunitatibus, divina legis veritate partes docebat, eamque illis inculcabat, & eos quo adipisceremur vitam æternam, docebat & admonebat.* Longissimè hinc temporales exulabant cupiditates, nec tantus alio suspirabat labor, quàm ut & peccatores resipiscerent, & impellerentur justi ad nova in dies singulos justitiæ augmenta: *Nihil aliud quærens ab iis, nisi tantùm obedientiam & devotionem Christianam, quæ & Deo debetur & hominibus, peccantes coram omnibus arguens, ut cæteri timorem haberent.* Non denique tam erat illud tribunal Judicis, quàm schola virtutum, pietatis sanctuarium, cathedra veritatis, ubi nec addocebant, nec addiscebant, nisi contemptum fugamque sæculi, bonorum & honorum sæcularium contemptionem, amorem pacis & concordiæ, cælestis & æternæ felicitatis spem & ardorem. Curia, Tribunal, Audientia, Consistorium id genus, minimè invidiosum erat; nec suspicionibus aut æmulatione Judicum sæcularium exagitari poterat. *Et faciebat hoc tanquam speculator à Domino constitutus domui Israel, prædicans verbum atque instans opportunè, importunè, arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate & doctrina, præcipuèque operam dans instruere eos qui essent idonei & alios docere.*

IV. Certè permolestum erat sanctissimis Episcopis, his litium ambagibus implicari, nec ei se necessitati sanè accommodassent, nisi charitatis lex ipso Pauli ore promulgata ita sanxisset. Sed quantumvis repugnaret animus, maximam dierum partem consumebant in iis anfractibus causarum explicandis; non sibi enim, sed fratribus satisfacere avebant: unde & contemplandæ veritatis gaudia charitatis postponebant occupationibus spinosissimis. *Causas aliquando usque ad horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans, semper tamen noscebat & dirimebat, &c. Sed hanc suam à melioribus rebus occupationem, tanquam angariam deputabat, suavem semper habens de iis quæ Dei sunt, vel allocutionem, vel collocutionem fraternæ ac domesticæ familiaritatis.* Ibidem

V. Hæc porro omnia arduum non erit ipsiusmet confirmare Augustini verbis, ubi ait Apostolum hanc Episcopis sarcinam injecisse, quanquam illam ipse quidem subierit nunquam, ut qui Evangelicæ veritatis facem toto orbe circumferendam haberet. Quin & Christum ipsum Apostoli ore & verbis id præcepisse. Non aliud enim Episcopatum esse, quàm nobilissimæ servitutis genus, quo Episcopi omnibus Ecclesiæ ordinibus addicuntur, ut omnium famulentur necessitatibus. Ideo nec posse se humeris suis id onus excutere, etsi diu gravissimum sit expertus. Præstabiliorem enimvero sibi videri conditionem Monachorum, & sibi optatiorem. Malle enim se, si facultas daretur, certas quotidie horas operi manuum dicare, & tum reliquas habere liberas, ut oratione & lectione sacrorum Codicum oblectaretur: quàm astringi ac mancipari dirimendis, vel componendis innumerabilibus causis. *Dominum Jesum testem invoco in animam meam: quoniam quantum attinet ad meum commodum, multò mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de divinis Litteris agendum liberas, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis sæcularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis: quibus nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus qui in eo loquebatur arbitrio, quas tamen ipsum perpessum fuisse non legimus, &c. Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus, pro spe vitæ æternæ, ut fructum feramus cum tolerantia. Servi enim sumus ejus Ecclesiæ, & maximè infirmioribus membris.* De opere Monach. c. 29.

VI. Eo oculo spectabant, eo animo tractabant tunc Episcopi, seu voluntariam, seu contentiosam jurisdictionem suam. Imperium hoc erat sacerdotale, aut Imperii nomine & specie obumbrata servitus tristissima; quam facilem lætamque non faceret nisi præceptio & charitas Christi, necessitasque inexorabilis obsequendi fidelibus omnibus, & dejiciendi se ad eos & cum eis ad ipsas temporalium rerum fæces, non mediocri spe ipsosmet inde extricandi, & abducendi secum ad æternorum charitatem. Ita planè sapiebat Augustinus, cujus & hæc sunt alio loco. *Nostras orationes sæpè sauciat* Epist. 21. *& debilitat caligo & tumultus sæcularium actionum, quas etsi nostras non habemus, eorum tamen qui nos angariant mille passus, & jubemur ire cum eis alia duo, tanta nobis ingeruntur, ut vix respirare possimus. Credentes tamen quod ille in conspectu cujus intrat gemitus compeditorum, perseverantes nos in eo ministerio, in quo dignatus est collocare, cum promissa mercede, ab omni angustia liberabit.*

Honore quidem & cultu impensissimo interim fidelium vulgus Episcopos prosequebatur. At non ii erant Episcopi, non ita comparati imbutique erant, ut his delinimentis affici aut titillari possent. Terrena illis omnia fastidio erant: non honores, non res, non deliciæ cordi & amori esse poterant, nisi cœlitus & ex ipso æternæ veritatis ac sapientiæ fonte infunderentur. *Et homines quidem causas suas* Epist. 147. *sæculares apud nos finire cupientes, quantò eis necessarii fuerimus, sic nos sanctos & servos Dei appellant, ut negotia terræ suæ peragant, &c. Pro quibus rebus quotidie summisso capite salutamur, &c.*

VII. Tamdiu effusissima hæc jurisdictio constitit, quamdiu illam Episcopi ea qua nata, alta, & propagata fuerat, administrarunt charitate, innocentia, humanarum rerum omnium contemptione & despicientia; ea pietate, quæ nec spiraret ipsa, nec fidelibus inspiraret, nisi æternorum amorem; ea infimarum occupationum fuga; iis intestinis & sinceris gemitibus; eo secessu, eo contemplandæ in otio summæ veritatis amore; eo omnium rerum tædio, quibus avocatur animus à cælesti conversatione; eo fastidio honorum dignitatumque terrestrium; eo denique animo, eo pectore, quo olim Augustinus, quo Ambrosius, quo cæteri olim Episcopi, horum vestigiis hærentes, aut eam antè ingressi viam, in quam postea hi secuti sunt. Imperatoribus, Judicibus, Fidelibus, Infidelibus ipsis admirationi erat, & amori, tantum sapientiæ culmen & religionis; summamque ei authoritatem & jurisdictionem plausu & judicio suo confirmabant. Ab ea tum illi existimatione & reverentia descivere, cum in has easdem functiones irrepsit

sæculi fastos, dominandi amor, quo sacræ dignitates æquabantur quodammodo sæcularibus, & illis non rarò collidebantur.

VIII. Unum non amplius hîc adjiciam Augustini testimonium, in quo dilucida sunt hæc eadem omnia documenta, & illud maximè, ut inter perpacandas lites instillarentur animis fidelium Evangelicæ leges, atque adeo Evangelicæ perfectionis consilia; utque eorum alii his cælestibus se monitis faciles & sequaces præstarent: alii terreno luto altiùs immersi obdurescerent; illinc gaudium, hinc fastidium Episcopis, utrimque corona pararetur.
In Psal. 118. v. *Non audemus dicere, Quis me constituit judicem aut divisorem inter vos? Constituit enim talibus causis Ecclesiasticos Dominus cognitores, in foro prohibens jurgare Christianos. Nec illis quidem qui non aliena rapiunt, sed sua cupidè repetunt, dicimus, Cavete ab omni cupiditate: Constituentes eis ante oculos hominem, cui dictum est, Stulte, hac nocte auferetur à te anima tua, quæ præparasti cujus erunt: quia & quando dicimus, non recedunt, nec declinant à nobis; sed instant, urgent, precantur, tumultuantur, extorquent, ut ipsis potiùs ad ista quæ diligunt, quàm scrutandis Dei mandatis, quæ diligimus, occupemur. O quanto tædio turbarum turbulentarum, & quanto desiderio divinorum eloquiorum dictum est, Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei! Ignoscant obedientes fideles, qui pro suis sæcularibus causis rarò nos quærunt, & judiciis nostris facillimè acquiescunt, nec nos conterunt litigando, sed obtemperando potiùs consolantur. Certè propter eos qui & inter se pertinaciter agunt, & quando bonos premunt, nostra judicia contemnunt, faciuntque nobis perire tempora, rebus eroganda divinis, certè propter istos nobis liceat exclamare, Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.*

IX. Nec tacuit Augustinus quàm paterna sollicitudine & suavitate sopiendis invigilaret Clericorum & Monachorum suorum dissensiunculis; non Judicem agens, sed amicum & paciarium: *Sed si pueri isti servi Dei sunt, litem hanc inter illos citò finimus. Audio illos ut pater, & fortè meliùs quàm pater ipsorum.* In rerum temporalium causis honoratiores plebis & sapientiæ fama clariores consulebat. *Videbo*
De diversis Serm. 49. *quid sit juris sicut Deus voluerit, cum paucis fratribus, fidelibus, honoratis, de numero vestro, id est, de plebe ista.*

Nec præteriri, nec aptiùs alibi à me poni potest, quod Ruffinus commemorat de B. Paphnutio, illo in Annalibus sacris celebratissimo Eremi incola. Divinitus enim factum est, ut in cognitionem veniret Laïci fidelis, qui unum idemque cum ipso attigisset altissimæ sanctitatis fastigium: nec alio tamen magis facinore commendari, quàm quòd omnium lites & noxas ea ingenii & charitatis dexteritate componeret, ut neminem damnaret, omnes absolveret, lætosque à se dimitteret. *Litem si vidi, nunquam præterii, donec reconciliarem dissidentes ad pacem. In judicio si fui caput, neminem condemnavi, sed dissidentes revocare in concordiam statui* Jam ergo mirum non accidet, si antiquæ Ecclesiarum ætatis Episcopos ea censeamus sapientiæ singularis suavitate dotatos fuisse, qua laïcum hunc Deus ditaverat.

X. Nec fidelium plebem fraudabat B. Martinus his charitatis officiis; sed Presbyteros suos in id muneris delegabat, quo posset ipse totus orationi
Dial. 2. sedere, dum sacris operatus esset. *Cùm quidam in alio secretario Presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati; Martinum verò usque in eam horam qua solennia populo agi consuetudo deposceret, sua solitudo cohibebat.* Hæc Severus Sulpitius. Quo liquet tum Officialium functiones, & causarum omnium judicia ipsimet Episcopo, & Clericorum Consistorio adunato incubuisse.

XI. In Episcopalibus recensendis sancti Basilii functionibus Gregorio Nazianzeno commemorata illa quoque est, quam hic versamus. *Controversiarum* Orat. 20.
diremptiones, nequaquam suspecta. Nec injuria Chrysostomo visum est, in eo munere sustinendo, & difficultatis & periculi plurimum esse, ut quod & spinis undique horreat, & difficiles habeat explicatus.
Jam pars illa quam Episcopum tractare in judiciis con- De Sacerd.
venit, infinita certè odia, infinitas offensiones parit, &c. L. 3. c. 18.
Synesio certè illa litium aliarum ex aliis pullulantium seges visa est à se quidem sociari non posse, cum ea mentis quiete & tranquillitate, cumque jugi ea ad orandum incitatione, quam concupiscere, quam profiteri deberet Episcopi. Ita enim ille plebem sibi commissam admonebat: Sacerdotibus quidem Legis Mosaicæ delegata fuisse judicia causarum civilium: at postea divulsa & sejuncta fuisse ea munia: nec à nobis jam commiscenda esse, quæ Christus ipse secrevisset. *Quid ea conjungere vis, quæ sunt à Deo separata? Patrono opus habes, vade ad eum qui Reipublicæ legibus præest. Deo quapiam in re indiges, vade ad urbis Antistitem.* Nec enim vel Episcopatus sejungi à contemplatione potest, vel contemplatio conjungi terrenarum litium
tumultuationi. *Contemplatio Sacerdoti finis est, si non* Epist. 57.
falsò id sibi nomen usurpet. Contemplatio verò & actio nequaquam in unum conveniunt.

Nec eos tamen à se insimulatum iri profitetur Episcopos, qui & actioni vacarent, nec cessarent à contemplatione; resque terrenas ita tractarent, ut ex earum contagio non sordescerent; sed sibi non eam esse mentis celsitudinem, amplitudinemque mirandam. *Nec Episcopos damno, qui negotiis distinentur. Sed cùm noverim, vix me horum alterutrum assequi posse, qui utrumque præstare possint, hos admirari soleo. Non est id mearum virium, ut duobus dominis serviam. Sin aliqui reperiantur, quibus nec mentis quidem ad inferiora descensus detrimentum afferat, meritò illi possunt Sacerdotes fieri, & præesse civitatibus. Solaris radius, quamvis cœnum contingat, purus nec inquinatus manet: ego si idem fecero, fontibus ac mari opus habebo.* Probè intelligere se, multis displicere suum secessûs amorem, & curarum sæcularium fastidium; sed facilem & expeditam esse rationem, omnibus gratum, sibi gratissimum faciendi, ut alius eligeretur Episcopus, causis terminandis paratus: novum quidem id esse, alium ea de causa deligi Episcopum, nec ullo facilè exemplo hactenus usurpatum; sed novis nova quoque morbis temperari medicamenta: nec in omnes res aliqua semper præluxisse exempla; sua esse etiam optimis quibusque rebus initia; & hæc initia nullis prioribus superstructa exemplis, posteris admirationi & exemplo
fuisse: *Quoniam autem ob hæc minimè placemus vobis,* Epist. 105.
quasi alii sint, qui in utrisque versari possint, consulere vobis licet, quod & civitati, & Ecclesiis, & mihi, magis expediat, &c. Seligendus vobis aliquis est, qui sit omnium utilissimus nostroque in loco eligendus, quia ægrè admodum servari soli possumus. Quid exclamastis? Num quia factum illud nondum est, fieri idcirco nec nunc convenit? Multa quæ necessaria erant, invenit tempus & emendavit. Non ad exemplum fieri omnia solent, &c. Idem præfatus, contestatusque fuerat antè

Synesios

Synesius, quam suæ in Episcopatum electioni assentiretur: imparem se esse gestandæ negotiorum sarcinæ, in Episcopum autem congeri solere negotiorum omnium molem. *Civilis curæ & sollicitudinis & natura & studio penitus sum expers. At Episcopum divinum esse hominem oportet. Necesse est ipsum tam multa unum negotia sustinere, quàm multa cæteri simul omnes. Unus enim quæ omnium sunt, efficere debet, aut criminationibus omnibus obnoxius sit oportet.*

XII. Est in hoc Synesii exemplo, quo non parum delectentur, juventurque Episcopi, qui iis vel temporibus, vel regionibus Ecclesias regunt, ubi ad summas angustias coarctata Ecclesiastica jurisdictione; tantò plus enim illi laxamenti & otii nanciscuntur, quod cœlestium meditationi, & spiritalibus functionibus suis dicent. Populis quidem ipsis illacrymandum forsan est, quod non possint terminari lites eorum omnes à Pastore & Parente dulcissimo. At ex otio & secessu illo Episcopis affluere debet copia quædam optatissima supernarum deliciarum: cùm ad eam à terrenis feriationem tamdiu & tam vehementer suspiraret Augustinus, cùm eam Synesius Episcopatui ipsi anteferret. Utcumque autem abalienato esset Synesius à negotiis animo, obtemperavit tamen Exarcho suo Theophilo Alexandrino, his illum vinculis occupationum molestissimarum quandoque innectenti. *Ego & volo, & necessitas mihi divina est; ut legem putem, quidquid thronus ille vaticinabitur.* Causa verò Synesio tum delegata ejusmodi erat. Episcopus suis sedibus à
Epist. 99. Barbaria pulsus, Mysteria celebraverat in monte & in domo alterius Episcopi Diœceseos, eoque jure locum jam illum sibi vendicabat. Pronunciatum est à Synesio, celebratis semel aliquo loco mysteriis, non eum statim Episcopi celebrantis ditioni accedere: cùm pauca loca sint, ubi bacchante persecutionum furore non aliquando celebrata ea sint.

XIII. Non abs re autem fatebatur Synesius Episcopos esse, quorum in animis ea veritatis sempiternæ lux resplendesceret, quæ nulla obscurari posset terrenarum litium caligine: ea pax contemplationis vigeret, quam nullæ negotiorum, vel sollicitudinum temporalium procellæ turbarent. Præter superiora exempla Augustini, Martini, Basilii, quos & Actio & Contemplatio peræquè illustravit, Abraamem rursum profero, qui ab otio eremi ad Episcopatus molestias abreptus, ita scitè piéque negotiosas Episcoporum, sedatasque Monachorum virtutes colligavit, ut ad omne ferè temporis punctum videretur, vel de cœlis in terras devolare, vel à terris revolare in cœlum, atque ita & cœlestibus & æternis legibus veritatis & charitatis terrena & temporalia omnia moderari. Vide ut de his Theodoretus agat: *In litigantium autem controversiis diem totum ponens, aliis ut inter se conciliarentur, persuadebat; alios cogebat, qui ad justa facienda blandis suasionibus non parebant. Nec injustorum quisquam audacia sua de jure victor recessit. Injuria enim oppresso justi partem semper addens, inexpugnabilem eum reddebat, & eo qui injuriam facere volebat, superiorem.* Vides ut sanctissimus Episcopus per contemplationem in cœlo conversatus, inde in terras delaberetur rursus, ea luce, authoritate, pace, legisque æternæ conscientia ac fiducia munitus, qua facillimè carnalium hominum contumacia frangeretur.

CAPUT CII. *P. 1. l. 2. c. 42.*

De eadem rursus Episcopali Jurisdictione legibus charitatis serviente, per eadem quinque priora sæcula.

I. Episcopis aut contulit, aut confirmavit Constantinus jurisdictionem latissimè patentem, eo maximè stimulo incitatus, quòd Episcopali audientia ipsa animorum penetralia ultro panderentur.

II. Firmarunt posteriores Imperatores Edictum illud Constantini.

III. Causarum civilium judicia in laicos quandoque Judices, tanquam in Vicarios Episcopi transtulere.

IV. Qua ratione Apostolus ea judicia Episcopis commendarit.

V. Stupenda ratio Gregorii Thaumaturgi in terminandis dissidiis.

VI. Nec alia erat Ambrosii jus dicentis ratio.

VII. Permirum exemplum Ambrosii, causam dirimentis alterius Episcopi cum proximus suis.

VIII. Secundùm Episcopum pronunciavit, rem temporalem omnem ei abjudicans, addicens autem immortalem gloriam & voluptatem concordiæ, & charitatis.

IX. Eam insistit viam volebat Apostolus in disceptandis litibus.

X. Ecclesia dum ad eum modum causa cadit, vincit; temporalium dispendio brevi æterna lucratur compendia.

XI. Jurisdictionem Episcopi suam si eo semper animo explicuissent, ea nunquam excussi essent.

XII. Nec secum volebat Ambrosius Clericos suos agere.

XIV. Propria in domo idem secum ipsemet antè fruebat.

XIV. Perfectionis sectatores negat Augustinus litigare, aut nonnisi coram Ecclesiastico judice litigare.

XV. Varia ad lites Conciliorum Decreta. Clerici necessario eligendi erant Judices Ecclesiastici, fidelibus fideles.

XVI. Ea erat judiciorum Ecclesiasticorum sanctimonia, cui meritò tantum tribuerent Imperatores culmen potestatis.

XVII. Propè aberat Sidonius Apollinaris ab Augustini & Ambrosii usu ac ratione judiciorum.

XVIII. Episcopi & Clerici perfectionis amantiores, litibus omnibus renunciabant.

XIX. Quæ pœna ab Ecclesiasticis Judicibus decernerentur.

I. CONfirmata est Constantini Imperatoria sanctione, ea quam Christus vicario Pauli Apostoli oraculo contulerat Episcopis potestas causarum dirimendarum. Porro ea Constantini ipsius videtur fuisse persuasio; ipsemet enim quasi Paulo consentiens, illam eo consilio Episcopis adseruit potestatem, quod judicia ab illis elimentur exiganturque ad arcanas conscientiæ leges, & incorruptæ sursum Veritatis regulas; cùm ex adverso Civilis Judex humanas tantum percunctetur leges, quibus & animi sui non semel privatus præponit affectus. *Illud est enim veritatis authoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine conscientia mentis inlibatæ protulerit.* Sempiterna & incorrupta veritas, æterna lex, divina quædam authoritas in præcordiis & in labiis Episcopi sanctissimi sedem sibi fixit, longè aliter, sanctiusque, & magnificentius, quàm in Judice sæculari. Inde est quod fideles penitissima quæque sui animi sensa, affectuumque recessus pandunt Episcopo multo facilius, fidentiusque, quam civilibus Judicibus, ex quo pronum est conjicere, quam faciles exitus jurgia omnia consequantur. *Multa enim quæ in judicio captiosæ præscriptionis vincula non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ religionis authoritas.* Ita litium anfractus, calliditates, & fraudulentiæ ab Episcopali audientia exulabant. *Hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines longis ac pene perpetuis actionum laqueis implicati, ab impiis petitionibus, vel à cupiditate propropera, maturo fine discedant.*

II. Nec me fallit quibus impetatur machinis ista

Constantini Lex, quæ neutro in Codice radiat. Nobis abundè erit, Legem Arcadii & Honorii in Codicem relatas ejusdem propè tenoris esse, & peræquè ferè Episcopalis jurisdictionis amplitudini suffragari, atque Constantini legem, quam Sozomenus historiæ suæ insertam voluit paulò compendiosius in hæc verba. *Illud est maximum reverentia Imperatoris erga Religionem argumentum, quod Clericos ubique immunitate donari voluit; quodque illis qui erant in judicium vocati, dedit potestatem, si modo animum inducerent Magistratus civiles rejicere, ad Episcoporum judicium provocandi; atque eorum sententiam ratam esse, & aliorum Judicum sententiis plus habere authoritatis, tanquam ab ipso Imperatore prolatam statuit. Quin etiam jussit, ut Magistratus res judicatas re ipsa exequerentur, militesque eorum voluntati inservirent.*

L. 1. c. 9.

III. Porro ut minimè necessarium, sed liberum prorsus erat fidelibus laïcis ad tribunal Episcoporum causas suas referre: ita & Episcopis ipsis integrum erat, ut ne se his laïcorū causis temporalibus implicari sinerent, si vel maximè animo providerent suo, malè se de altera saltem parte meritutos, quam se cumque in partem dedissent. Illud certè consilii omnibus Ecclesiasticis Judicibus suggerebat Ambrosius: *Si offensam vereris, non recipias judicium. Licet tibi silere, in negotio duntaxat pecuniario, quanquam sit constantia adesse æquitati. In causa autem Dei, ubi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum est non leve.* Eadem prorsus de causa vetat Ambrosius Clericos pro debitoribus intervenire: quòd inire ab his gratiam non possint, quin in offensionem incurrant creditorum. Atqui Clericorum est prodesse omnibus, obesse nulli. *Sacerdotis est nulli nocere, prodesse velle omnibus.*

Offic. l. 2. c. 24.

L. 3. c. 9.

Meminit Socrates Sylvani piissimi Episcopi, qui præclarissimè demonstravit, eas judiciorum civilium functiones à Clericis detrectari posse, cùm eas Clericis suis interdixit, molestè nimirum ferens, quòd aliquid inde locelli corrasissent: transtulitque in laïcum spectatissimæ sibi pietatis. *Cum Clericos ex litigantium controversiis quæstum facere videret, deinceps neminem ex Clero judicem esse permisit; sed acceptis supplicantium libellis, unum ex fidelibus laicis, quem æquo & bono favere pro certo cognosceret, ei causarum cognitioni præfecit.*

L. 7. c. 36.

Admonuit nos supra Augustinus nunquam Paulum ipsum disceptandis, dirimendisque vacasse causis, & ne Episcopos quidem ipsos nominatim ei oneri subjecisse, sed subjiciendos declarasse eos, qui eximia & singulari essent sapientia; denique satius fore id muneris delegare despicabilibus quibusque fidelibus, quàm sori molestias, anfractus, fraudesque experiri. *Nos excusare non possumus, etiamsi contemptibiles sumus, quia & hos collocari voluit Apostolus, si sapientes defuissent, potiusquam ut negotia Christianorum deferrentur in forum.*

De opere Monach. c. 29.

IV. Aliquo ergo sensu certum est Episcopis ab Apostolo injectam esse eam judiciorum sarcinam permolestam, nec non & Clericis aliis: nec Paulum in eo nisi Christi se legis interpretem egisse. Et alio rursum sensu constat, id oneris minimè impositum esse nominatim Episcopis, vel Clericis. Id enim omnino prohibet Apostolus, ne ad alios referant lites suas, quam ad eos qui sapientia in Ecclesia clari sunt. Ita nominatim Episcopi, Clericique ei officio non addicuntur. Sed cùm Episcopis & Clericis omnibus faveant impensius, confidantque laïci vulgo, quam laïcis aliis; seorsimque sacerdotium ejus sapientiæ & æquitatis affinius esse, quam in Judicibus omnes desiderant: eo jam laïcorum præjudicio & voto indefinita Apostoli propositio ad Episcopos Clericosque coarctatur. Sed sua tamen semper cùm laicis, tum Sacerdotibus illibata constat libertas, ut possit utrisque convenire, uti in Sylvano & Synesio manifestatum est, quo ea sollicitudo laïcis demandetur, qui sapientia sint & integritate exploratissima. Cardo autem doctrinæ & institutionis Apostoli in eo versari videtur potissimum, ut componantur lites, incolumi pace, & innocentia, procul ablegatis fraudibus, cupiditatibusque, ut ab amantissimo patre jurgia siqua domi nascantur, domi sopiantur. Cùm ea autem ratio plurimum Clericales videatur redolere virtutes, hinc animo fidelium præsumptum illud erat, id muneris obeundum esse, vel à Clericis, vel à laicis, qui Clericorum moribus essent imbuti. Ita concordabunt, quæ aliàs pugnare videntur, sive Patrum testimonia, sive Ecclesiarum alio & alio tempore decreta.

V. Memoratu dignissimum est, quod narrat Gregorius Nyssenus de Gregorio Thaumaturgo, sanctitate quàm miraculis clariore, etsi ab illis cognomen nactus sit. Ut erat cœlestis luminis & charitatis copia ditissimus, cùm incidisset in fratres de stagno quodam litigantes, Episcopali voluit ille potius ingenio, quàm legitimo judicio causam finire, partesque adducere, ut non de se terrena & caduca, sed de pace cœlesti & æterna certarent; terrenis quippe possessionibus & sollicitudines augescere, & æternam non rarò possessionem interverti: at harum contemptu, & pacis ac charitatis fructu, hic pacem interim pòst æternā etiam comparari certissimè hæreditatem. Hanc tenebant olim Episcopi Clericique terminandarum litium temporalium rationem, germano videlicet imbuti Paulinæ doctrinæ sensu, & terrenas res ita partiri studentes, ut cœlestium quædam ea esset imago bonorum. *Suis ipsius legibus utebatur ad arbitrium quod susceperat disceptandum, reconciliationem suadens, & ut amicè inter se concordarent, & pacis lucrum pluris, quam id quod ex proventibus caperent, æstimarent. Nam pacem quidem in perpetuum & viventibus & mortuis permanere; redituum verò temporarium esse usumfructum, æternam verò ob injuriam condemnationem.* Tam æquo miroque judicio cum non acquiescerent fratres, Gregorii precibus exaruit stagnum, & eadem opera exaruit fons litium: ut addiscerent homines, veri boni incuriosi & ignari, terrena hæc prædia utilius plerumque amitti, quàm animo avaritia, cupiditate, animositate, sollicitudine alia & alia subinde lancinato possideri.

Nyssenus in vita Greg. Thaumat.

VI. Vili utplurimum & cœnosa cupiditate stimulantur homines ad lites persequendas. Hinc Episcopis tædia non pauca, & rursum gaudia, indulgentibus aliquid, & servientibus infirmitati hominum, quibus vel sic mederi se posse confidebant. Ita enim Augustinus de beato Ambrosio in libris Confessionum *Secludentibus me ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat,*

L. 6. c. 3.

VII. Sed cùm ad Ambrosium reflexerit se oratio, non mihi temperabo, quin hic inseram, quod ab ipsomet paulò prolixius narratur de composita ab eo lite, inter Marcellum hinc Episcopum, inde germanum & germanam ejus sororem. De prædio contendebatur, quod cogniturus erat Præfectus. Verùm partes tandem ipsæ & causidici statuerunt, ut

solus Judex sederet Ambrosius, ne Episcopi causa judicio subesset sæculari. *Tantus erat ardor Christianis viris, ne Præfectus de Episcopi judicaret negotio.* Non potuit onus detrectare Ambrosius, quod & Imperatoriæ Leges, & Pauli decreta illi ingerebant.

Epist. 24. *Cognovi autem secundum sacra formam receptionis, in qua me induit & beatissimi Apostoli authoritas, &c. Recepi cognitionem, admonitus Apostolicæ præceptionis, qua arguit dicens, Nonne de iis qui in us sunt vos judicatis, sæcularia igitur judicia, &c.* Sed divina quadam sapientia Ambrosius ita in se recepit de ea causa se cognitturum, ut à se componeretur magis, quàm judicaretur: judicio enim se uni saltem minùs satisfacturum parti, forsan neutri; at temperata quadam concordia omnibus & satisfieri, & pacem invehi posse certissimam, lætissimamque. *Recepi cognitionem, ita tamen ut compositionis essem arbiter. Malui jurgium compositione sedare, quàm pronuntiatione acerbare. Alia enim habebant excitari jurgia, tum quod est gravissimum, si jurgia sublata forent, erant tamen odia mansura.* Ut resecarentur quæ ex juridica creberrimè sententia nascuntur querelæ, suspiciones, alienationes animi, simultates: ita mirifico illos temperamento omnes tranquillavit, ita devinxit Ambrosius, ut omnes vicisse visi sint, victo nemine. *Illud sequendum putavi, ut neminem vinci vellem, & omnes vincere. Nec fefellit sententia, vicistis enim omnes.*

VIII. Si exordia hæc sapere aliquid videntur Apostolicorum Præsulum temporumque, multò finis ipse admirabilior est. Fundum fratri adjudicavit Ambrosius, usumfructum sorori, Episcopo gloriam Præsulis qui cupiditates omnes perdomitas & subactas habeat, laudem locupletatorum proximorum, gaudium familiæ paci restitutæ, thesauros inexhaustos pacis, charitatis, patientiæ. Episcopi optima sors hîc erat, cui fucata & umbratica bona, aut bonorum ludibria abjudicabantur, ingenti prorsus verorum & cælestium bonorum fœnore. *Nemo pleniùs, nemo gloriosiùs quàm tu vicisti. Nam & fratri concessisti proprietatem, & sorori usumfructum; Nihil autem adimitur Ecclesiæ, quod pietati acquiritur.* Dolere non poterat Episcopo jactura prædii, cùm ex Apostolo ex jacturæ compendio sint & ornamento; nempe reportata hinc perillustri victoria de imis fœdisque cupiditatibus, & ubertima cælestium divitiarum accumulatione. *Sed putas te gravatum jactura juris, damno pecuniæ? Meliora utique Sacerdotibus damna, quàm lucra sæculi sunt. Beatius est enim dare quàm accipere. Sed fortè dicas, Fraudem non debui pati? Quid ergo? inferre velles? Sed etsi tu non inferres, ille se passum diceret. Itaque vide quid dicat Apostolus, Quare non magis fraudem patimini? Ut propè videatur, qui non patitur, fecisse.* Ante Ambrosium ergo in eandem sententiam præiverat Apostolus. Cùm enim edixisset, ut damnum facere mallent terrenæ possessionis, quàm pacis & concordiæ; præmonstraverat Ambrosio ita pronuntiandum, In lucro esse ad eum modum terrena amitti, & cælestibus commutari. *Tolerare debet, qui fortior est.*

Voluerat Marcellus Episcopus partem aliquam ejus terræ proventuum sorori cedere, dum & ipsa decederet distributionibus, quas ut vidua ab Ecclesia accipiebat: totum denique prædium post obitum suum fratri legare. Sed non tam angustis cancellis passus est Ambrosius arctari Episcopalem terrenæ rei abdicationem; voluit omnino, ut Marcellus totam illam lubenter jacturam faceret, quam frater sororque iniquo fecissent animo. Summæ enim æquitatis esse, ut virtus quò major & robustior est, eò majora sui det experimenta, & vim vigoremque suum insuperabilem validioribus probet documentis, *Tolerare debet, qui fortior est.*

IX. Omnium invidiosissimæ sunt lites, quæ inter fideles, inter fratres, inter Clericos, & inter Episcopos maximè pullulascunt. At si Episcoporum omnium, si Clericorum, si Judicum, si partium is esset animus, qui Ambrosii, qui Marcelli, ea animi sententia, id propositum: nihil litibus illis foret ad charitatem illustrandam accommodatius; nihil Episcopatûs fortitudini magis concineret, quàm ea litium finiendarum ratio. Denique nec Paulus ipse abhorreret ab his litibus, easque exerceri posse fateretur, etiam Apostolico pectore. *Apostolico igitur charactere cognitio decursa est. Dolebamus antè quòd litem haberes, profusi jurgium, ut formam indueres Apostolicæ vitæ & præceptionis. Illud sacerdotio non congruebat; hæc transactio & Apostolicam decet normam.*

X. Denique si proventus illius prædii dicaverat Marcellus Ecclesiæ, contrà occurrebat illi Ambrosius, non alium chariorem Ecclesiæ thesaurum esse, quàm charitatem omni cupiditatum contagio puram & defæcatam. *Nihil adimitur Ecclesiæ, quod pietati acquiritur: charitas enim non damnum, sed lucrum Christi est. Denique charitas fructus Spiritûs sancti est.* Plus satis ab illo locupletatam esse Ecclesiam prædicationibus & virtutum exemplis. *Habet & illa fructus tuos, & quidem uberiores; habet fructus doctrina tua, habet tua vita stipendium; habet fœcunditatem, quam tuis institutis rigasti. His dives redditibus non quæris temporalia, quia æterna possidet.* Non his caducis & aliquando perituris possessionibus constare patrimonium Christi: sed incorruptibili & æterno innocentiæ thesauro, concordiæ, charitatis, pacis & æquanimitatis. *Hæc meliùs Christum possessio decet, ut virtutes Sacerdotis possideat sui, hos fructus capiat, qui sunt integritatis, continentiæ, & quod est amplius, charitatis & tranquillitatis.*

XI. Malè sensissem de Lectoribus, si hujus narrationis prolixitate nauseam illis creari posse suspicatus essem; vereor ut meæ subirascantur brevitati, qui non funditus perdiderunt gustum cælestis morum doctrinæ, & disciplinæ olim purioris Ecclesiarum. Sed hinc rursus inculcari illud necesse est, si ea semper fuisset Episcoporum persuasio, si ea regiminis ratio Judicum omnium Ecclesiasticorum, volventibus sæculis sacra jurisdictio incrementa potiùs subinde fecisset, quàm ulla subisset damna. Gratularentur sibi, Reique publicæ summi Principes & Magistratus, si ejusmodi à Clericis iniretur via pacandarum litium, lenis, suavis, fraterna. Ita dirimebant, si quas disceptabant lites Apostoli, ita volebant à Judice Ecclesiastico dirimi; ita resplendere sacri Episcoporum Tribunalis sanctimoniam, & à sæculari discrepantiam; ita ab Imperatoribus approbatum, confirmatumque est, Constantino duce; ita ab Augustino, Ambrosio, aliisque eorum simillimis Episcopis factitatum, quorum jurisdictionis & authoritatis eadem fuerunt incrementa, quæ sanctitatis, magnanimitatis, religionis & purissimæ charitatis.

XII. Nec eo tantùm perillustri exemplo ea virtutum Episcopalium lumina Ambrosius explicuit. Officiis suis eadem aspersit, quo aureolo planè opusculo officia persequitur, tum Cleri, tum Laïcorum omnium fidelium. Quanquam Clericorum ordini non paulò convenientius sit, & quasi insi-

tum, cedere potiùs, quàm repugnare, abstinere litibus, pacem redimere aliquo rerum dispendio; animos malle hominum in suo ære habere, quàm ingentibus potiri latifundiis; facillimè denique sibi persuadere, lucro & compendio esse ea damna, quibus dispendia longè graviora, utpote spiritalia redimuntur. *Docet esse benignum, non alieni cupidum, imò de suo jure cedentem potiùs aliqua, si fuerit lacessitus, quàm aliena jura pulsantem, fugitantem litium, abhorrentem à jurgiis, redimentem concordiam & tranquillitatis gratiam. Siquidem de suo jure virum bonum aliquid relaxare non solùm liberalitatis, sed plerumque etiam commoditatis est. Primùm dispendio litis carere, non mediocre lucrum est. Deinde accedit ad fructum, quo augetur amicitia, ex qua oriuntur plurima commoditates, quæ postea fructuosa sint.*

Offic. l. 2. c. 21.

XIII. Exculpserat Ambrosius ex sacris Codicibus definitionem & imaginem justitiæ, ab ea sanè plurimùm dissidentem, quam plerique animo sibi suo confingunt. Justitia enim illi ea videbatur, quæ suis se ipsa fraudat bonis, ut ea in alios spargat; quæ sibi suffuratur, quod profundat in alios. *Eu enim sibi parcior, foris tota est; & quidquid habet, quadam inclementia sui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos.* Mirabili se illi accommodavit justitiæ, cùm Satyro fratre præmortuo, nullis relictis testamenti tabulis, commendasse contentus, ut quod justum esset, pauperibus erogaret; censuit ipse justum æquumque esse, ut totum pauperibus distribueretur. *Postulando quod justum est, non exiguum, sed totum relinquit. Hæc est enim summa justitia, vendere quæ habeas, & conferre pauperibus.* Eo seipsum judicio Ambrosius, quo Marcellum distrinxit; & familiæ suæ hæreditatem eo dispensavit modo, quem ipse præscripserat, ubi animadverterat, abnuisse Christum partem dividendæ inter fratres hæreditatis, ut addoceret, nihil opus esse partiri, sed sola charitate totum dissidium terminari. *Non immeritò refutatur hic frater, qui dispensatorem cælestium gestiebat corruptibilibus occupare, cùm inter fratres patrimonium non judex medius, sed pietas debeat sequestra dividere; quanquam immortalitatis patrimonium, non pecuniæ, sit hominibus expetendum.* Ea opum partitione inopes fiunt homines, qui toto frustrantur, ut portioni adhærescant; & caducia inhiant, amissis incorruptibilis justitiæ & charitatis divitiis. *Nos communia amisimus, cum propria vindicamus, num nec proprium quidquam est, ubi perpetuum nihil est: nec certa copia, ubi incertus eventus.* Ideo ergo nec dividendæ hæreditati præesse voluit Christus, omnium nimirum conditor ipse in commune & largitor bonorum; ejusque imitator Satyrus, Ambrosio idoneo teste, à possessionum inter fratres partitione abhorruerat.

De obitu Satyri.

Lib. 7. in Evang. Luc.

XIV. Redeo ad Augustinum, & hanc cum ipso observo dissonantiam Tribunalis sacri & civilis, à Paulo, & à sanctis secundùm ipsum Patribus observatam: unde & tantum discriminis interposuere fidelibus, qui ad istud, vel ad illud potiùs confugerent. Cùm enim Judex Ecclesiasticus arbiter magis & sequester quidam esset pacis, pronuntiaretque consentaneè cæli magis, quàm fori legibus; charitati magis, quàm justitię rigori: suaderetque terrenis his bonis antehaberi cælestes opes benevolentiæ, amicitiæ, & virtutum Christianarum; nullius admodum culpæ affines habebantur, qui lites suas ab Ecclesiastico Judice terminari cupiebant. Hinc Augustinus Evangelicæ perfectionis sectatorem declarat litigare illum quidem nunquam, ne rerum quidem suarum repetendarum causâ: *Eleemosynarum largissimus, injuriarum patientissimus, qui non solùm non aufert aliena, sed nec sua reposcat ablata.* Sed non dissimulat à fideli minùs perfecto sua repeti coram Ecclesiastico Judice. *Faciens eleemosynas non tam largas, quàm ille: non aufert aliena, sed quamvis Ecclesiastico judicio, non forensi, repetit sua.* Et alio rursum loco: *Non tollis aliena, sed repetis tua, & habes cum fratre tuo judicium. Talibus enim dicitur, Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicium habetis in vobis. Verùm ipsa judicia in Ecclesia jubet agi, non ad forum trahi; tamen delicta esse dicit. Contendis enim Christianus pro terrenis rebus ampliùs, quàm decet eum, cui promissum est regnum cælorum.* Et alibi iterum: *Hoc ipsum habere inter se judicia & lites de sæcularibus rebus, delictum esse dicit Apostolus, quod tamen ferendum esse admonet, si vel Ecclesiastico judicio lites hujusmodi finiantur.*

Ad Bonifac. L. 3. c. 5.

In Psal. 80.

L. 50. hom. hom. ult.

XV. Quo ita concluso ac definito, jam laborabit nemo, nemo hæsitabit in Concilio IV. Carthaginensi, quo jubetur, *Ut Episcopus pro rebus transitoriis non litiget provocatus.* Utque suadeat Episcopus Clericis Laïcisque suis conciliari potiùs quàm contendere: *Statuendum est Episcopis, ut dissidentes fratres, sive Clericos, sive Laïcos, ad pacem magis, quàm ad judicium cohortentur.* Utque *Discordantes Clericos Episcopus vel ratione, vel potestate ad concordiam trahat.* Quo denique communione arceantur fideles Catholici, qui causas suas retulerint ad Judices alterius sectæ: *Catholicus qui causam suam, sive justam, sive injustam, ad judicium alterius fidei Judicis provocat, excommunicetur.* Erat ergo & discriminis non parum inter sæculares ipsos Judices, fideles, an infideles essent: & anathemati subjiciebantur, qui infidelium sponte adibant Tribunalia; patienter tolerabantur, qui ad fidelium; in laude & pretio habebantur, qui ad Episcopalem audientiam accedebant. At verò Clerici ne poterant illi quidem indignantis Ecclesiæ iras & pœnas canonicas declinare, si jus sibi dici vellent à sæculari potiùs Judice, quàm ab Episcopo. Sic Concilium Carthaginense III. diffinit. *Placuit ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, seu Clericorum, cùm in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali judicio: in civili verò perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit.* Ea porro ratio à Concilio profertur, in qua plurimum momenti sit, & qua vehementer confirmetur superiùs allata Augustini, cæterorumque Patrum doctrina de ingenio & moribus legibusque Ecclesiasticorum Judicum, eorumque præcellentia supra civiles Magistratus. Ille enim demum vilem esse sibi Clerum prodit, qui judicia ejus cæteris omnibus non præfert; ille Apostolo ipsi contumeliosus est, suadenti, ut vel Laïci fideles experiantur potiùs judicium Ecclesiæ, ubi sapientiæ copia semper uberior. *Cui enim ad eligendos Judices undique patet authoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de universa Ecclesia malè sentiendo, de judicio sæculari poscit auxilium; cùm privatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.* Canonicas easdem pœnas vibravit Concilium Calchedonense in Clericos eos, qui inter se dissidentes, non acquiescerent Episcopi judicio, mallentque experiri publicorum Judicum Tribunalia.

Can. 19. 26. 59. 87.

Can. 9.

Can. 9.

XVI. Proficiscebantur leges istæ omnes Eccle-

siasticæ, non ab hominibus propriæ potestatis amatoribus, aut dilatandæ jurisdictionis sacræ profana cupiditate inflammatis; sed ab amore castissimo pacis, concordiæ, temporalium despicientiæ, æternorum charitatis propagandæ. Eo igne deflagrabant tum Judices Ecclesiastici omnes, eas flammas spargebant eorum judicia. Ea enimvero persuasione Constantinus aliique Imperatores tantum tribuebant Episcopali jurisdictioni, teste locupletissimo

In Psal 25. Augustino. *Principes sæculi tantum detulerunt Ecclesiæ, ut quidquid in ea judicatum fuerit, dissolvi non possit.* Ea sanè prærogativa decorari par erat Audientiam Episcopalem, quandiu tam constanter imitabatur Legem Dei sempiternam, quæ veritas incommutabilis, quæ charitas est: quandiu forum ejus Leges Evangelicas personabat. Postquam verò ab eo recessit illa fonte illimi primævæ puritatis suæ, immersitque se humanæ jurisprudentiæ spineus, sui quoque splendoris mirum quantum detrimentum fecit.

XVII. Luminis his non parum accedet à Sidonio Apollinari Episcopo Arverno, ubi eodem Apostolicæ charitatis igne succensus litem diremit inter viduam & Presbyterum, quos & ad alium remisit postea Episcopum, qui causam illam penitus terminaret. Plus interposuit precum Sidonius, quàm authoritatis; partesque impulit, ut pacis, quàm rei terrenæ cupidiores essent.

L. 6. Ep. 2. *Tentavimus inter utrumque componere; aliqua consentes, suadentes quæpiam, plurima supplicantes.* Eadem lenitate alterum quoque Episcopum ita suasit: *Pacificate certantes, & Pontificalis authoritate censura, suspectis sibi partibus indicite gratiam, dicite veritatem.* Faciles & proni plerumque erant fideles, ad hanc Evangelicam jurisprudentiam complectendam cum Episcopia & ad mortalia omnia cælesti paci posthabenda; quo fit, ut litem finisse, vicisse sit. *Sancta Entropia victoriam computat, si vel post damna non litiget.* Nec minùs præclarè de alto, qui vicisse se interpretabatur, dum etiam cadente se vinceret justitia; utpote justitiæ, quàm lucri amantior. *Pro victoria computaturus, si se intellexerit jure superari.* Partes animo ita comparatæ, non possunt non mihi quidem summæ admirationi esse. At ut ut sint Partes, Episcoporum sanè est instinctu quodam Apostolico ea semper aucupari delinimenta, quibus horum sanetur cupiditas, illorum calamitas levetur.

Epist. 3. Ibidem. Epist. 4. Ibidem. *Vestrarum partium pariter & morum est, aliqua indemni compositione istorum dolori, illorum periculo subvenire, & quodam salubris sententiæ temperamento, hanc partem minùs afflictam, illam minùs ream, & utramque plus facere securam.* Ita Sidonius ad Lupum sanctitate celeberrimum Episcopum Tricassinum.

XVIII. Episcopi sanè, Clericique alii, qui se perfectioni Evangelicæ devoverant, ii se profitebantur apertissimè nunquam litigaturos. Testatur Theodoretus annos jam viginti Episcopales se infulas gestasse, & nec se, nec Clericorum quemquam suorum interim litigasse.

Epist. 81. *Annos viginti quinque ita vixi, ut nec in jus vocatus sim à quoquam, neque ipse quemquam accusarim. Nullus religiosissimorum Clericorum, qui sub me fuerunt, Tribunalia frequentavit unquam.* De sæcularibus, ut reor, agit Judicibus; nec enim tandiu Clericorum nulli aliquid litis & controversiæ coram Episcopo fuisset.

XX. Restat ut paucis stringamus pœnas, quas Ecclesiasticum forum decernebat. Quantumvis paterna esset Episcoporum jurisdictio, pœnarum tamen nonnihil decernebat. Quis Augustino faciat invidiam de nimia inclementia? & tamen in ea fuit ille sententia, Episcopali judicio virgis cædendos esse quandoque reos, cùm ea quoque ratione pater in filios sæviat, Præceptor in discipulos. *Sed virgarum verberibus, qui modus coërcitionis, & à Magistris liberalium Artium, & ab ipsis parentibus, & sæpè etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* Augustin. Epist. 159.

In Concilio V. Romano sub Symmacho Papa statuta est exilii pœna in eos qui in Episcopos conspirassent. *Hi qui adversa eis moliuntur, sicut à sanctis Patribus dudum statutum est, & hodie Synodali & Apostolica authoritate firmatur, penitus abjiciantur, & exilio, suis omnibus sublatis, perpetuo tradantur.* Conjuratis hîc non sola indicitur exilii pœna, sed & bonorum privatio. *Suis sublatis omnibus.* Quin & hoc Decretum antiquius fuisse significatur, cui nunc novus accedat vigor. *Sicut à sanctis Patribus dudum statutum est.* 3. q. 5. c. 3.

Commemoratur à Photio Alexandrinus Episcopus Demetrius Origenem eo perculisse judicio, ut & docere, & Alexandriæ commorari prohiberetur: idque Synodali decreto. *Synodus decrevit Origenem Alexandria pellendum, nec in ea versari, aut docere permittendum.* Bibl. Phot. Cod. 118. Idem testatur apud Gennadium libello de Viris illustribus Theophilus Alexandrinus Episcopos: *A Presbyterio ejectum, de Ecclesia pulsum, & de civitate fugatum.* Concilium ad Quercum post exauthoratum sacra dignitate Chrysostomum, Imperatorem interpellavit, ut eum exilio mulctaret, & ea pœna, qua crimen Majestatis, quo aspersus fuerat, expiaretur. *Continens libelli & læsa Majestatis crimen. Jubeat hunc pietas vestra expelli, vel invitum daturum tanti criminis pœnam. Nobis enim ista non licet inquirere.* Hæc Palladius, qui nec illud silet, crimen hoc Majestatis non aliud fuisse, quàm quod, ut ferebant, Imperatricem probroso Jezabelis nomine notasset. Vereor ne rem amore Chrysostomi exacerbarit Palladius, ubi hujus Concilii Episcopis illud impingit, in ipsam Chrysostomi vitam eos conjuratos fuisse. *Ferro cadi sanctum videre cupientes, ita detulere.* Quin ex verbis suprà relatis liquet, nullam atrociorem exilio pœnam eos decerni voluisse. Quanquam autem à Conciliis exilii pœna decerneretur, ea erat tamen Episcopi urbis Regiæ dignitas, cujus specialis ratio haberetur; nec præsentia Imperatorum patiebatur, ut eorum injussu Pastor deportaretur. Nec omnibus forsan Episcopis idem juris & potestatis cumulus permittebatur; uti nec quæ tunc erant in eorum potestate, apud posteros etiam fuere.

CAPUT CIII. *P. 2. l. 2. c. 58.*

De Jurisdictione Episcopali Episcoporum Orientis, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Ut Episcopi & Clerici disceptandis fidelium causis occuparentur.

II. III. Ab Oriente exordium ducitur, & ab Imperatorum legibus. Causa Monachorum omnes ad Episcopos remissa.

IV. V. Causa Clericorum, causa laicorum adversus Clericos, causa denique laicorum, judicio Episcoporum commissa, sed certis finibus, modò fine

VI. Episcopi nisi ab Episcopis judicari non poterant.

VII. Harum Legum confirmatio.

VIII. Ab hac Episcopali Audientia spirabat undique charitas & lenitas, concordia & pax. Ita qui clerus à litigando alieni

erant, hic litigabant. Hæc judicia plerumque in Conciliis Provincialibus ponderabantur.

IX. Causæ Monachorum, Clericorum, & Episcoporum sejunctim adhuc excutiebantur ab Episcopis, Metropolitanis, Primatibus.

X. XI. XII. Mirificum specimen jurisdictionis, undique charitatis Episcopalis in Joanne Eleemosynario Patriarcha Alexandrino.

XIII. XIV. XV. Conventus Judicum mixtus ad causam Patriarchæ Antiocheni, Majestatis accusati.

XVI. XVII. XVIII. XIX. Quam essent leges Ecclesiasticorum judiciorum ex charitatis & sanctimoniæ regulis temperatæ, eoque appositæ magis ad firmandam promovendamque ulterius jurisdictionem.

I. EA est materiæ quam versamus suavitas, necessitasque, & ad disciplinæ restituendam castitatem vis & opportunitas, ut nulla hic prolixitas disputationis, nulla lectorum nausea extimescenda sit. Emicat enim in his splendidissimè non jurisdictio tantum Episcopalis, sed charitas, lenitasque, ut qui non se Judices agerent, sed patres, mira quadam in filios teneritudine diffluentes.

II. Ad Episcopos transtulit Justinianus Imperator lites omnes, quæ Monachis & Monialibus intenderentur, cujuscumque demum generis; ut à Cœnobio deligerentur vel Abbates, vel Apocrisiarii, vel Syndici quipiam alii, qui Episcopi se judicio sisterent, ea utique moderatione & charitate rem libraturi, quæ ipsum, quæ ipsos addeceret; ut ne ullatenus publici intervenirent Judices, & nequa labecula Monastico nomini, ordinique aspergeretur. *Sancimus si quis quamcumque habuerit causam, cum aliquibus venerabilibus Ascetis, aut sacris virginibus, aut mulieribus omnino in Monasteriis consistentibus; Deo amabilem civitatis illius Episcopum interpellet: ille verò mittat, & cum omni honestate, qualiter de personarum præsentia disponat: sive oportet per Abbates, sive per Responsales, sive per alios quoslibet hoc fieri. Ipse verò cum omni veneratione sacerdotali causam examinet, & judicet; & civiles non sint ei penitus Judices, neque confundant eorum honestatem, cùm idonei sint singularum civitatum Episcopi, & quæ de lite sunt, & de cautela judiciorum disponere atque judicare, honestè atque sacerdotaliter, secundum leges nostras & divinos Canones.* Novel. 79. c. 1. 2.

III. Non canonicis ergo tantùm, sed & Imperatoriis in dies legibus, & firmitas & amplitudo major accedebat Episcopali jurisdictioni, quod causæ apud Episcopos tractarentur *honestè atque sacerdotaliter; σεμνῶς τε καὶ ἱερατικῶς*. Ab ea Curia exulabant fraudes, moræ, ambages, odia, rixæ, cæteræque pestes, non faciles à Judicum publicorum tribunalibus summoveri; unde & quos Ordinis sui sanctitas alienabat à litibus, hic illibata sanctitatis fama lites exercebant. Sed illud præ cæteris à Justiniano commendatum est, ut quam celerrimè expedirentur causæ Cœnobiorum, ut religiosi viri ad sua maturius latibula revolare possent. *Sed etiam accelerari lites sancimus Monachis illatas, uti non mens eorum occupetur circa litis sollicitudinem; sed velociter liberati, sacris operibus obsecundent.*

IV. Jam quoad Clericos, interpellante Mena illis ab Imperatore concessum est, ut si qua ipsos laïci pecuniaria causa impeterent, ante Episcopum primum suos convenirentur; ut si fas esset, causa finiretur, nec à sacris tamen illi altarium ministeriis avocarentur; ne antè ad Civiles provocarentur Judices, quam tentasset, nec potuisset Episcopus causam terminare. Si de crimine autem verteretur quæstio, publicus cognosceret Judex, si crimen esset civile: si Ecclesiasticum verò foret, tum cognitores essent non alii, quam Ecclesiastici. Nov. 83.

V. Laïcorum verò cujuscumque modi causæ sint, vel civiles, vel criminales, si cessaret Judex publicus judicium instituere, querelæ ad Episcopum deferentur, cujus jam muneris erit Judicem urgere, ne diutius cessaret: nisi pareat, Imperatorem monere. Si alteri partium suspectus sit Provinciæ Judex, adjunget se illi Episcopus, & utriusque judicio causa finietur. *Si contigerit quendam nostrorum subjectorum in dubitationem habere Judicem: Jubemus sanctissimum Episcopum audire cum clarissimo Judice: ut ambo per amicabilem conventum dissolvant quæ dubia sunt, ut non cogantur subjecti nostri propter hujusmodi causas recedere à propria patria.* Ita minùs obtundebantur partium querelis aures Imperatorum, cùm interveniente Episcopo facilius solverentur difficultatum nodi, & tantò incorruptior esset Judicum sæcularium fides, quòd gratuita essent ejusmodi officia. *Propterea enim Judices gratis facimus.* Si quis iniquo se Judicis animo & judicio premi suspicaretur, ei recurrendum erat ad Episcopum, qui de Judice ipso cognosceret. Si mulctatus ab Episcopo Judex minus obtemperaret, ad Imperatorem tum properandum erat, cujus arbitrio Judex sceleris convictus capite luebat. *Si contigerit quempiam à Judice Provinciæ lædi, jubemus eum adire civitatis Episcopum, & ipsum judicare judicem & eum qui putatur lædi ab eo, &c.* In Oppidis illis ubi nulli erant Judices, eorum vices gerebant Defensores; & partibus integrum erat, ut Episcopum præesse vellent cum Defensore. *Si verò litem habentes voluerint Defensorem unà cum sanctissimo Episcopo judicare, & hoc agi præcipimus.* Novel. 86. c. 1. 2. 3. 4. 7.

VI. Episcoporum certè ipsorum causæ aliis delegari non poterant cognitoribus quam Episcopis & Conciliis Provinciarum, tam in pecuniariis & civilibus, quam in criminalibus causis; pœnasque indixit Justinianus ei, qui eos coram sæculari Judice conveniret, nisi expresso Imperatoris ad hoc mandato munitus esset. *Sed neque pro qualibet pecuniaria causa vel criminali, Episcopum ad Judicem civilem aut militarem invitum producere, aut exhibere, citra Imperialem jussionem permittimus.* Ideo & confestim jubet Imperator, semel aut bis quotannis ea Concilia cogi, ubi disceptarentur causæ Episcoporum, Clericorum & Monachorum omnes, pœnasque pro sceleris modo darent Canonum transgressores. *Jubemus Metropolitanos Episcopos sub se constitutos semel aut secundò per singulos annos ad se convocare; & omnes causas subtiliter examinare, quas Episcopi, aut Clerici, aut Monachi ad invicem habent, easque disponere; & super hoc, quidquid extra regulas à quacumque persona delinquitur, emendare.* Unde elucet in Oriente etiam Concilia Provincialia, veluti Conventus quosdam fuisse Juridicos, ad lites dijudicandas, & componenda Episcoporum, Clericorumque & Monachorum dissidia. Ibid. c. 8. 10.

VII. Quæ eadem omnia confirmavit alia ejusdem Justiniani Novella, paucis tamen commutatis. Nov. 123. c. 21.
1. Conveniri à Laïco non potest Clericus, Diaconissa, Monachus & Sanctimonialis, nisi coram Episcopo, cujus sententia à Judice loci executioni mandanda est, si partes assentiantur. Si intra decem dies, altera partium de sententia conqueratur, Judex loci de querelis cognoscet: si ab eo firmetur sententia, appellationi nihil loci relinquitur. Si secus pronunciet Judex, provocare fas est. Si quam causam Episcopus Imperatore, vel Magistratu delegante cognoscat, provocatur ad delegantem.

Hæc de Clericorum causis civilibus. 2. Quoad criminales autem, si coram Episcopo primùm accusentur, ab eo convicti, deponentur; tumque illus Judex publicus corripiet, & secundùm leges in eos aget. Si priùs autem Judici publico deferantur, tum Judex cum Episcopo rem omnem communicabit, & ubi reus convictus fuerit, tum gradu movebit primo illum Episcopus, Judex legitimis pœnis tum demum afficiet. Si Episcopo non satis convictus videatur reus, etsi secus sentiat Judex, depositionem procrastinabit, donec pronunciet Imperator. 3. Si causa pecuniaria sit, non potest de ea cognoscere publicus Judex, nisi cessator sit Episcopus. 4. Causæ certè Ecclesiasticæ Judicis potestati subesse nunquam possunt, ut quæ inexorabili necessitate Episcopis reserventur. 5. Episcoporum verò cum & dignitas eminentissima sit, & authoritas, ad judicium vocari eos nefas est, nisi Episcoporum, Metropolitanorum, Patriarcharum, sive prima cognitione, sive per appellationem; ut nec unquam apud Judices laicos conveniri possint, nisi jubeat Impe-
Ibid c. 22. 23. 28. rator. 6. Oeconomi Ecclesiarum, Administratores Xenodochiorum, vel alii id genus, qui res & pecunias Congregationum aliquarum dispensant, judicio sisti non possunt, nisi Episcoporum, vel si appelletur Metropolitanorum, vel denique Patriarcharum.

VIII. Cùm instituti mei non sit de Ecclesiastica Jurisdictione operosè disputare, sed illud unum expendere, ut ea potestate usi sint Episcopi, uti servientes charitati, & pastorali paternæque sollicitudini in creditum sibi gregem: Hic supersedebo demonstrare, quas eam in angustias detruserit Justinianus, cùm illam studuissent superiores Principes magis magisque ampliare. Quanquam sit quod Justiniano gratias agamus, qui eos illi circumscripsit limites, quos posteriores Imperatores multo artiores esse voluere. Unum est quod hic observem, quidquid jurisdictionis & Justinianus residuum fecit, & ab Episcopis deinceps usurpatum est, id totum eò collineasse, quò invitabat & Paulus, cùm Pastores excitabat, sui ut gregis pacificatores essent potius, quam Judices; & cum adhortabatur, ut si, quod non oporterat, altercarentur quandoque fideles inter se, controversias omnes ad Episcopi sui Judicium referrent. Ex quo illud efficitur, quantumvis spinosa sit, & intricata hæc occupatio, Episcopalem tamen prorsus eam esse, ut vel sic majestas & libertas Cleri defendatur, nec non & secessus à tumultu & fæce sæculi, pax & concordia, sive inter Clericos solos, sive etiam cum laïcis. Cui verò ambiguum esse possit, quin Conciliorum Provincialium scopus, labor, fructusque ad sanctimoniam totus vergat? atqui in eo is maximè versabatur, ut lites omnes componerentur, de violatoribus Ca-
Novel. 137. c. 1. 2. nonum pœnæ sumerentur. Ideo & rursus idem alibi Imperator observat, Conciliorum Provincialium cessatione labefactatam fuisse veterem Disciplinam; præcipitque Præsidibus Provinciarum & Judicibus, si pigritentur Episcopi, ipsi ut Conciliis convocandis invigilent.

IX. Nec in Conciliis tamen solis operam dabant Episcopi pacandis causis suarum Ecclesiarum, sed singuli etiam in suo quisque Palatio lites incidentes dirimebant. Postquam enim jussit Justinianus, unum
Ibidem. saltem quolibet anno Concilium convocari: *Jubemus omnibus modis unam Synodum fieri singulis annis.* Addit non multò pòst extra tempus etiam horum Conciliorum, ab Episcopis examinari & terminari debere lites, ac dissensiones Clericorum, Monachorumque sibi obnoxiorum; causas similiter Episcoporum à Metropolitanis, Metropolitanorum à Patriarchis. *Non solum autem in anniversariis Synodis quæri ista volumus, sed etiam quoties quidam Sacerdotum, vel Clericorum, vel Abbatum, vel Monachorum, accusabuntur, vel de fide, aut turpi vita, aut ob aliud aliquid contra sacros Canones admissum. Et si quidem Episcopus est is, qui accusatus est, ejus Metropolitanus examinet ea quæ dicta sunt. Si verò Metropolitanus sit, ejus beatissimus Archiepiscopus sub quo degit. Si verò Presbyter, vel Diaconus, vel alius Clericus, vel Abbas, vel Monachus, tunc Episcopus cui subsunt, examinet delatas hujusmodi querelas, & cum veritas probata fuerit, unusquisque pro qualitate delicti Canonicis pœnis subdatur examinantis arbitrio.* Per intervalla ergo Conciliorum jus dicebant Episcopi, & eam amplissimam exercebant potestatem, puniendis iis, quæ in fidei integritatem committebantur; in morum innocentiam, in Canonum observantiam religiosam.

X. Juvabit & illud forsan advertisse, quam posterioribus sæculis effuderit se quandoque latissimè, non dicam, potestas & jurisdictio Episcopalis, sed charitas, quando tota illa huic famulabatur. Nemini non ita erit persuasissimum, qui oculos conjecerit in Joannem illum sanctitate & eleemosynarum largitionibus inexhaustis toto orbe clarissimum Patriarcham Alexandrinum. Quo enim primùm dia in illam Marci sedem evectus fuit, à Diaconis & Secretariis suis jussit, urbem perlustrari, censumque & catalogum ad sa perferri dominorum suorum, hoc est, idoneo interprete ipsomet, egenorum & miserabilium omnium. *Quos vos egenos & mendicos vocatis, illos ego dominos & auxiliatores prædico. Ipsi enim nobis verè auxiliari, & Regnum cælorum donare poterunt.* Tum Oeconomo *Vita ejus. c. 2. 3. 5.* injunxit, ut diebus singulis suppeditaret illis necessaria omnia tolerandæ vitæ subsidia. Septem amplius millia & septingenti erant. Vides qui Patriarchæ Alexandrino subessent, quibus dominaretur, quibus serviret, quibus jus diceret. Eosdem habebat subditos dominosque, qui imperium suum & jurisdictionem charitate & humilitate moderabatur. Postridie suæ inaugurationis, Oeconomos, Cancellarios, aliosque Officiales urbanæ politiæ accersivit, jussitque in id insudare, ut uno pondere, una mensura uterentur omnes, vendentes, ementesque. Rescito nonnullis ne de illatis sibi contumeliis expostularent, aditus ad se omnes à Cancellariis, Defensoribus & aliis Ecclesiæ Ministris intercludi: ut ei malo mederetur, quarta & sexta quaque feria in vestibulo Ecclesiæ sedem & scamna duo collocari jubebat, ubi publicè sedens, nec circa se habens nisi unum aliquem ex Defensoribus, omnium prorsus querelis aures accommodabat, ex tempore decernebat, quid æquum, quid optimum factu videretur, idque exequi Defensor jubebatur, nec ullo antè se cibo reficere, quàm manum rei admovisset. Ea ea charitatis aula subtristior aliquando & lacrymis perfusus recessit, quòd nemo jus dici sibi, nemo beneficii & opis aliquid conferri poposcisset, quasi is sibi periisset dies, qui beneficii vacuus effluxisset. Utcumque solatio eo levari dolorem passus est suum, ubi monuerunt aliqui, Esse potius quod sibi gratularetur, Deoque gratias ageret, qui ita gregem sibi creditum, quamlibet innumerabilem perpacasset, ut nihil usquam jam querelarum, nihil rixarum streperet. *Verè beatissimus es, ita pacificans à Christo creditum tibi gregem, ut*

nullam habeat contra proximum suum litem, aut dubietatem, sed velut Angelos sine litigio, & sine judicio homines esse fecisti. Hic suavissimus est jurisdictionis Ecclesiasticæ fructus, homines præstare Angelis simillimos, ut cœlestem pacem jam hinc præsumant in terris, & prægustent.

Cap. 14 15. XI. Diximus alibi de Patriarchæ hujus sanctissimi concertatione cum Niceta Patritio, qui fori spatia & loca volebat in fiscum redigere; adversabatur autem Patriarcha, ne hinc damni aliquid in pauperes emergeret. Cessit tandem incredibili Patriarchæ lenitati & moderationi animi contumacia Nicetæ. Hinc porro & ex toto contextu vitæ Joannis perspicuum est penes Patriarcham Alexandrinum fuisse jurisdictionem civilem in omnem eam civitatem opulentissimam, ut omnia prorsus ab ejus ore penderent, qui una pietate & charitate duce ita res adgubernabat, ut nemo non illum omnibus præesse sua interesse duceret.

XII. Adglutinanda tamen est clementiæ comes severitas quædam, ac justitiæ austeritas. Cùm Monachus nescio quis quotidie Alexandriam obambularet mendicans, & puellam circumducens: offensioni id fuit quibusdam, qui & Patriarcham rei totius certiorem fecerunt. Jussit Præsul sejungi eos, flagellis cædi puellam, cædi Monachum, atque in
Cap. 23. carcerem trudi. Monachus noctu Patriarchæ dormienti visendum se præbuit, humeros inhumanissimè à Defensoribus cæsos nudavit, à culpa se procul esse testatus. Obreptum sanè tum fuit Patriarchæ. Sed non hujus loci est, ei rei diutiùs immorari. Unum id ad rem nostram facit, ut hinc intelligatur, quanta & cujusmodi esset Episcoporum per Orientem jurisdictio, utque totam se restituendæ, aut tuendæ morum disciplinæ impenderet.

XIII. Codici suo illigavit Justinianus legem Valentiniani & Valentis, qua præficiuntur Episcopi inspectioni mercatorum, & pretii mercium, ut ne
De Episc. Audient. L. 17. § 10. §l. 25. pauperes graventur. *Negotiatores si qui ad domum nostram pertinent, ne modum mercandi videantur excedere Christiani, quibus verus cultus est adjuvare pauperes & positos in necessitate, provideant Episcopi.* Itemque Legem Arcadii & Honorii, ut in causis civilibus liceat Partibus communi consensu judicium vel arbitrium Episcopi deposcere, à quo nihilo plus licebit provocare, quàm à Præfecto Prætorii. *Si qui ex consensu apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint, non vetabuntur: sed experientur illius in civili duntaxat negotio, more arbitri sponte residentis judicium, &c. Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sacerdotibus elegerint, eamque illorum judicationi adhibendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet provocare.* Legem item eorundem Principum edicentium, ut libri Mathematicorum, sive Astrologorum præsente Episcopo igni absumerentur. *Codicibus proprii erroris sub oculis Episcoporum incendio concrematis.* Illam item Theodosii, qua filiæ & servæ, quarum pudorem parentes vel domini prostituturum irent, ad Episcopum confugere permittuntur, à quo plenissimæ restituantur libertati. *Liceat filiabus & ancillis, Episcoporum implorato suffragio, omni miseriarum necessitate absolvi.* Illam item Justiniani, qua jubentur Episcopi excubare ad executionem austeriorum quarundam legum, adversùs aleæ & aliorum id genus ludorum insanias promulgatarum. *Quæ de alea, sive, ut vocant, cottis, ac de eorum prohibitione à nobis sancita sunt, ea liceat Episcopis & perscrutari & cohibere, si fiant.*

XIV. Causæ criminales judicio Episcoporum non permittebantur, nisi Episcopi ipsi in crimen & in causam agerentur. Tum enim de Episcopis judicium agitabant Episcopi. Cùm Antiochenus Patriarcha Gregorius, ille non semel à nobis commendatus, apud Præfectum Orientis Asterium reus ageretur, quasi incestuosæ cum sorore copulæ, & conjurationis in patriam initæ conscios, ad Imperatorem & Concilium provocavit, authore Evagrio. *[illegible]* Constantinopolin venit, causam excussere Patriarchæ, Senatus & Episcopi, propalata est Gregorii innocentia, accusatorum calumnia, quam & exilio luere coacti sunt. Audiendus Evagrius: *Ac cùm Patriarchæ omnes, par-* L. 6. c. 7.
tim per se, partim per Vicarios, quæstioni de Gregorio habitæ interessent, & causa esset coram sacro Senatu & multis Metropolitis cognita, post multas & graves contentiones, secundum Gregorium sententia pronunciata est. Habes hic Conventum Judicum partim Clericorum, partim Laïcorum. Sed ubi Patriarchæ primo loco ante Senatum recensentur; nec adsunt tantùm, sed præsunt judicio, ut qui & sedis & potestatis prærogativa emineant. Eadem nobis infrà in Galliis Hispaniisque disciplina viguisse competietur, non [illegible]ditata Orientalium, ut mea fert opinio, imitatione: sed necessitate quadam indeclinabili eam ineundi rationem in id genus negotiis, ubi Reipublicæ simul & Ecclesiæ res agitur, Regnique & Sacerdotii concordia mixtis ejusmodi Conventibus feliciùs confirmatur.

XV. Fateamur ergo necesse est uno charitatis instinctu, pacisque & concordiæ amore adductos fuisse Episcopos, ut huic se Audientiæ causarumque disceptationibus implicari sinerent, tum ut causæ criminales incruentæ essent: tum ut Clericorum civiles citra eorum dedecus, & resilientem in eos ea fori frequentatione invidiam terminarentur; tum denique ut Laïcorum etiam lites breviùs, amiciùs, tranquilliùs ex paterno Episcopi arbitrio sopirentur, ubi illis quoque id adlubesceret.

XVI. Supersunt autem nonnulla, quæ nos adoceat præstantissimus Magister, Joannes idem ipse Eleemosynarius, de quo suprà. Quàm alieno nimirum esse animo debeant Episcopi & Clerici omnes à propriis quidem litibus persequendis, qui illis cumque pietatis fucus illinatur. Hoc enim magis etiam magisque elucesceret, quales essent in alienis litibus dijudicandis, qui in suis ita essent animo comparati; quanta eorum esset terrenarum rerum contemptio, patientia, æquanimitas, cœlestium præ his omnibus cupido. Frontis perstrictissimæ impostor, rescito neminem prorsus à Patriarcha repulsam pati, viginti ab eo auri libras petiit mutuas, & accepit, illusit mox negavitque se accepisse. Officiales Ecclesiæ ejus in carcerem conjiciendi consilium inire, reique ejus totius subhastandæ, iniquissimo ferentes animo fœdissimum abliguritorem in ganeas consumere, quæ utiliùs in pauperum necessitates dispensarentur. At eorum impetum cohibuit Patriarcha, hoc luculentissimo usus argumento, quod altissimè animis hominum infigi optatissimum esset. Si repeterent fraudatam Vita ejus
pecuniam, non præcepto eos obtemperaturos, illa c. 34.
in pauperes distributa: at duobus eadem opera injuriosos futuros: primùm, quòd impatientiùs se eam vel injuriam, vel jacturam ferre significarent, quo Laïci suboffendi possent: secundò, quòd Christo non obaudirent, ita edicenti, Qui aufert à te, ne repetas. Præstabilius ergo esse, patien-

tiam

tiam illustri hoc approbare Ioam exemplo, aiente Paulo, Quare non magis damnum patimini? quare non magis fraudem? *Creditis, fratres quia si extra voluntatem acceperitis ab eo, duo mandata transgrederemini: & unum [illegible] implebitis, quando ad pauperes data fuerit hujusmodi quantitas: Unum quidem, quia apparebitis impatientes circa damnum, & efficiemini aliis forma mala: Alterum autem, quoniam non obedientes eritis Domino Deo, dicenti, Ab eo qui abstulerit tua, ne repetas. Expedit ergo, ô filii! ut efficiamur omnibus exemplum patientia Etenim Apostolus dicit, Quare non magis injuriam sustinetis? Quare non magis fraudem patimini?*

Addebat vir sanctissimus, in laude esse petentibus omnibus dare; cumulum laudis esse etiam non petentibus dare; sed virtutis eum esse apicem summum, & divinæ angelicæque benevolentiæ & largitatis imitationem longè pulcherrimam, qui pallium nostrum abstulerit, ei etiam tunicam dare. *Et bonum est quidem veraciter, fratres, omni petenti dare: excelsius autem & honorabilius, & non petenti: ei autem qui aufert vestimentum sine voluntate à nobis, dare & tunicam. Angelica verè natura imitatio, imò divina est.* Suos denique vir sanctissimus his instituebat præceptionibus, Præcipere divinas Litteras, nostra ut bona proximis, pauperibusque impertiamus: nostra, inquam, non litibus quæsita, non strepitu & tumultu, non contentione & vi expugnata. *Ex his enim qua habemus. Dominus præcepit benefacere proximis. Bonum, inquit, facies fratri tuo, juxta quod possides manus tua: non ex his qua ex lite & contentione, & ab injuriam passo auferuntur.*

XVII. Quibus ita perspectis, jam dubitabit nemo, quin & ad Imperatorum gloriam sempiternam, & ad laïcorum fidelium utilitatem conduceret plurimum, totam judiciorum potestatem iis permitti Præsulibus, ac Sacerdotibus, qui ita imbuti essent. Quis non sentit, si suas omnes & Clerici & Laici causas istiusmodi arbitris, Judicibusque permisissent, cælestis quandam pacis & felicitatis copiam in terras manaturam fuisse?

XVIII. Si ea autem erant sanctissimi Patriarchæ consilia & decreta, ubi de rebus pauperum controvertebatur, quorum defensio apud Tribunalia etiam Judicum laudibus cumulari videtur: quæ ille placita, quas regulas sectabatur in aliis litibus, quarum vel causa, vel prætextus nullam ejusmodi præ se fert speciem imaginemque virtutis? Qui passus esset ille pro terrena re sua repetenda, vel injuria referenda, ulciscendaque litigari, & hoc genus alia, eo animorum æstu & fervore, quem nec in tuendo Christi patrimonio probabat?

XIX. Nec id mihi sumo, ut affirmem cæteros omnes Episcopos in hæc Ioannis Patriarchæ exempla & vestigia ingressos esse. Sed illud profiteor, & præ me fero, etsi exteriùs secus agerent, interiùs idem eos sensisse, in easdem leges, regulasque pietatis Evangelicæ aspirasse. Ita judicio tuebantur bona pauperum, ut & impunè rapienda dimittere parati essent. Si prædatores insectarentur, non prædæ recuperandæ, sed prædatoris ad æternam salutem revocandi cupiditate agebantur. Ubi Christus in genam percussus est, alteram non objecit percutiendam, & luculentissimè tamen suo ipse præcepto alterius objiciendæ satisfecit, suavissima correptione ubi percussorem commonuit & demulsit. Nec aliam tenuit rationem Paulus. Est ubi pateatur consilio & menti legis, etsi litteræ non serviatur. Causæ omnes ad Episcopos lubentissimè relatæ sunt, quandiu hanc illi judiciorum legem retinuerunt, Evangelica suavitate & sanctitate perfusam. Ubi charitati æternorum successit propriæ potestatis cupiditas, retro labi & diffluere visa sunt omnia.

CAPUT CIV. *P. 2. l. 2. c. 59.*

Jurisdictio Episcopalis in Italia per eadem sæcula, à quingentesimo ad octingentesimum Christi annum, uni charitati promovendæ serviens.

I. II. In Italia legibus Justiniani obsequebatur Episcoporum jurisdictio, summo legibus [illegible]. Monachorum & [illegible] causas omnes exercebat, [illegible] se recipiebat Episcopus.

III. IV. Clericorum causas ipse decernebat, ubi suspectus erat partibus, nempe Laicis, cogebat eos arbitros deligere. Causa reales Clericorum & Monachorum inter se ab Episcopis disceptabantur. [illegible] omnibus scopus adversabatur, pax & charitas.

V. VI. VII. Nunquam suasit Gregorius Magnus, ne bona Ecclesia judicio repeterentur, sed dimitterentur rapienda. Sunt enim pauperum patrimonia, quorum dispensatores, tutores, vindicesque sunt Episcopi & Clerici: qua ab his non cupiditate stimulante retinentur, sed urgente Christi charitate defenduntur & dispensantur.

VIII. Foro Episcopali necessaria Legum civilium peritia.

IX. X. [illegible] ita comparatum erat, tam alte adhuc insidebant legis Evangelica prajudicia, ut vilis & despicabilis fieret Episcopi dignitas, si propriam causam sæculari judici permitteret.

XI. Delegatur ab Episcopo Officialis, vel Pœnitentiarius, ad causas judicandas.

XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. Quantum jurisdictioni Ecclesiastica tribuerent Reges Italia Gotthi, quanquam Ariani.

I. Iisdem Legibus & Canonicis institutis Italia regebatur, atque Oriens sub Imperatorum potestate, eadem Episcopi juris dicendi potestate utrobique utebantur. Episcopis Siciliæ commendavit Gregorius Papa, ut Concilium quotannis haberent Syracusis, vel Catanæ, cum Subdiacono Petro Vicario Apostolico, *cui vices nostras intra Provinciam Siciliam commisimus*; ut in commune deliberarent, consulerentque Provinciæ & Ecclesiæ necessitatibus, pauperibus sustentandis, levandis oppressis, moribus expurgandis. *Quatenus qua ad utilitatem ipsius Provincia, Ecclesiarumque pertinent, sive ad necessitatem pauperum oppressorumque sublevandam, sive ad monitionem omnium atque correctionem, congrua cum eodem Petro Subdiacono Sedis nostra debeatis moderatione disponere.* L. 1. Ep. 1.

Ad Episcopum Dalmatiæ scripsit, ut Episcopum Scodræ compelleret, arbitris permittere causam com Consiliario Præfecti Italiæ, cujus & querelæ ad Sedem Apostolicam perlatæ fuerant. Ad suum in Sicilia Apocrisiarium perscripsit, ne pateretur Monachos ab otii sui sacri quiete & silentio, tumultu abstrahi litium Cœnobii sui; sed eam curam demandare ejus generis negotiorum perito, cui & designat, cui certa quoque assignentur stipendia; cùm Monachi temporalium rerum suarum curam nec abjicere omnino debeant, nec ipsi exercere. *Sicut studii nostri esse condecet, à litigiis forali-bus Monachos submovere, ut divinis Ministeriis piè & solerter invigilent: ità necesse est nostra provisione, quemadmodum negotia eorum disponi debeant, ordinare; ne districta mens per varias causarum curas defluat, & ad celebrandum opus consuetum enervata torpescat, &c. Expedit parvo incommodo à strepitu causarum servos Dei quietos existere, ut & utilitates cella per negligen-* L. 1. Ep. 36. L. 1. Ep. 67.

tiam non pereant, & servorum Dei mentes ad opus Dominicum liberiores existant.

L. 9. Ep. 24. II. Jussus est & ab eodem Gregorio Januarius Calaritanus Metropolitanus Sardiniæ, corporali pœna Clericum afficere, tum addicere pœnitentiæ, quod plurium maleficiorum accusatus, in laica veste in Africam aufugisset. Sed illud in primis illi inculcavit, Cleri ne immunitates labefactari sineret, vel Presbyteros à sæcularibus opprimi Judicibus. *Cognovimus, quod in insula Sardinia Sacerdotes à laicis Judicibus opprimantur, & fraternitatem tuam Ministri sui despiciant, &c.*

III. Si qua in his pugna subesse in speciem videatur, ubi fas est Monachis, nefas est Clericis laïcorum Judicum tribunal adire: ejus solvendi rationem aperiet nobis Gregorius in Epistola ad Episcopum Neapolitanum scripta, ut eum commoneret, ex Legibus Principum, Canonicisque regulis, nec Clericos, nec Monachos posse, nisi coram Episcopo conveniri; Si suspectus verò illis Episcopus esset, ab illo certè cogi eos debere, ut arbitros eligerent, ut vel hoc saltem jurisdictionis suæ insigne retine-
L. 5. Ep. 21. ret. *Quia verò pervenit ad nos, Clericos, aliasque civitatis ac Parochiæ tuæ religiosas personas, ab aliis conveniri, fieri hoc prohibemus de cætero, & neque Clericum tuum, neque Monachum, vel quamlibet aliam civitatis religiosam personam Parochiæ tuæ conveniri à quoquam, vel ad alterius volumus judicium exhiberi. Sed si quis contra hujusmodi personas cujuslibet negotii movere voluerit quæstionem, fraternitatem tuam noverit adeundam. Aut si fortè, ut assolet, aliqua illis quolibet modo fuerit nata suspicio, & electorum desideraverint fortasse judicium, sub tua executione eligendi fas habeant cognitores, quatenus hoc modo nec tu amisisse jurisdictionem, nec actor apud suspectum litigando videatur præjudicium sustinere. Oportet ergo ut fraternitas tua erga Monasteria civitatis Parochiæque suæ, omnesque subjectos pastorali cura diligenter invigilet, & de vita actuque eorum sit omnino sollicita*, & ex his planum est Episcopalis sollicitudinis hoc p[illegible]mum fuisse, ut dissidia pacarent Clericorum & Monachorum suorum, vel ipsorum inter sese, vel cum aliis: & ubi in Episcopum cadebant suspiciones, ejus adhuc fuisse, dare operam, ut per arbitros à partibus electos causa finiretur, nec ad forum unquam pertrahenentur personales eorum lites. Nam quod ad agros & possessiones attinebat, erant illis Oeconomi, Apocrisiarii, vel Syndici conductitii, qui eas apud tribunalia Judicum defenderent. Quoad Episcopos, cùm Exarchus Italiæ ex iis unum comprehendi fecisset, litteras ad eum dedit Gregorius, quo eum vel libertati redderet, vel in Concilio ex-
L. 2 Ep. 32. cuti permitteret, si ejusmodi ei crimen impingeretur, quod degradatione plectendum esset. *Oportet ut habita Synodo palam fiat, si quod in eum crimen intenditur.* Hinc videtur innui, non posse de Episcopis nisi Synodico judicio cognosci, nec graviorem ullam degradatione pœnam irrogari.

IV. Realibus autem in causis, si hinc & hinc Clerici, Monachique contenderent, de iis Episcopi cognoscebant: ut expeditissima ea & suavi ratione jurgia sedarentur, incolumi charitatis vinculo. Hinc Gregorius Episcopo Siciliæ mandavit; ut ad ipsa loca accederet, & causam dirimeret duorum Abbatum, de finibus agri sui altercantium, intacta lege
L. 6. Ep. 36. quadragenariæ præscriptionis. *Ne Religiosorum virorum corda sæcularium rerum contentio à mutua, quod absit, charitate disjungat, magna est sollicitudine studendum, ut facillimum finem res possit in altercationem deducta percipere.* Scripsit & ad Episcopum L. 7. Ep. 4.
Messanensem idem Gregorius, ne urgeret legati executionem, si eo persoluto, hæredes necessaria vitæ sustentatione cariturі erant, quamvis per leges Imperatorias urgere vellet. Esse enim Episcopi dijudicantis quascunque lites, divinis impensius quam humanis obsecundare legibus. *Quia fraterni-* L. 7. E. 13.
tatem vestram lege Dei, non autem lege sæculi vivere novimus. Scripsit & ad Episcopos Numidiæ, ut litigantes de Parochiis quibusdam Collegas, ad concordiam revocarent. Ad Scyllacensem Episcopum L. 7. Ep 35.
perscripsit, ut Cœnobio restitueret eos agros, qui- Ind. 4.
bus eum Abbas donasset, cùm jure donare non posset; utque Scyllacensis Castri Cives cogeret, ut annua jura persolverent eidem Cœnobio, cujus illud fundis inædificatum fuerat. Calaritano mandavit Episcopo, ut puellarum Monasterio restitui curaret, quidquid Abbatissa legaverat Xenodochio Calaritano: cùm legibus & canonicis decretis sanciatur, nequid Abbatissæ rerum Monasterii sui dare, vel legare possint. Si quo autem jure alio con- L. 7. Ep. 7.
sideret Xenodochium sui juris esse res eas, quæ in Indict. 2.
controversiam trahebantur, ipsemet de ea re cognosceret, aut à partibus deligi arbitros cogeret, quorum esset ipse sententiæ executor, ut inter pia loca consistat perennetque intemerata pax: *Ut nullum inter venerabilia loca jurgium remaneat, quæ magnopere alterna pacis sunt fovenda concordia.* Confirmata ab eodem est concordia Cœnobium aliud inter & Xenodochium inita, plenitudine potestatis Apostolicæ supplente & resarciente, si quid in ea vitiosum esset & labaret. *Cui si quid fortè incuria, vel im-* L. 7. Ep. 17.
peritia minus firmitatis insertum est, vires plenissima munitionis & soliditatis ex hac nostra authoritate suscipiat. Ut inconvulsa charitas dominetur, litiumque fibras omnes exurat inter eos, qui se Deo uni, charitati, & paci devoverunt. *Quatenus amota penitus totius altercationis materia, inter eos inter quos charitatis immutabiliter debet manere concordia, nulla queat deinceps litigiosa contentionis occasio generari.* Quàm invidiosa enim est hominibus religiosis litigandi morositas, tam decora est illis ea pax, quam nonnullo emerint temporalium detrimento. *Sicut grave & plenum vituperationis est, inter personas omnipotenti Deo militantes de sæcularibus negotiis ortam diu controversiam permanere, ita laudabile & studio religioso conveniens est, terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, & ex rebus transitoriis mansura semper charitatis lucra mercari.*

V. Non mihi tempero, quin hic observem accuratius, Gregorium omnium ferè principem, ac primum, paucis certè secundum ex sanctis Patribus, in indagatione & peritia Præceptorum & Consiliorum Evangelicorum, nunquam tamen præcipere, nunquam vel Clericis suadere, vel Monachis, aut Sanctimonialibus, suas ut potius temporales petere sinant res, & diripi, quàm ut eas judicio defendant, & eam temporalem jacturam lubentes faciant, ne quid sibi decerpatur de pace & gaudio intimo perfectæ charitatis. Simile veri non est, tam malè æstimasse Gregorium de Clericis & Monachis sui ævi, ut nulli prorsus eorum confideret, proponi & suaderi posse, quod consilii esset Evangelici, non præcepti. Multò probabilius ergo est, sanctissimo Pontifici Canonici Juris consultissimo, & experientissimo, persuasum fuisse res omnes Ecclesiæ temporales patrimonia esse pauperum, Christi censum, fidelium vota & hostias, eoque pietatis sensu possideri, à perfectis & spiritalibus viris, non

cupiditate terrena, sed cœlesti charitate. Aut eos potius qui possessores specie tenus sunt, & domini, dispensatores, & tanquam rei commendatæ custodes esse: quam ideo vel apud Judices defendi, non cupiditas, sed officii necessitas, charitasque compellat. Itaque ut pax constaret, ut in compendium mitterentur moræ litium & contentionum, ut quamcelerrimè ab Episcopis, vel arbitris finirentur causæ, nihil in prætertis relinquebat Gregorius; sed nunquam illi in mentem venit, ut prædæ potius patere vellet bona Cœnobii, Xenochii, aut Ecclesiæ, quàm iis tuenda litium sollicitudines & tædia experiri.

Ejus rei novum promam hic documentum. Testatum facit sanctissimus Pontifex solum Episcopum in se recipere debere lites omnes Monasteriorum. Quis verò ambigat, nullo avaritiæ stimulo incitari Episcopum, ut curam subeat litium Cœnobiorum complurium, aut unius saltem, eamque permolestam sarcinam suis malit humeris injici, quàm sanctissimæ illius portionis gregis Christi? *Cognovimus* L. 7. Ep. 66. *etiam quod Monasteria servorum Dei, vel etiam fœminarum pro suo quisque libitu, & diversarum causarum executione perturbet. Quod omnino non gratè suscipimus. Episcopi loci ipsius, sub cujus degunt moderamine, cura sit, eorum causas utilitatesque disponere. Valde enim est incongruum, ut omisso eo, alius quilibet eorum se causis admisceat.* Si quis præterea scrupulus hæreret, eum certissimè eximet illa alia Gregorii Epistola, qua disertè testatur, Episcopos, Clericos, & Monachos toto pectore in id prominere, ut terrena potius omnia sibi dilabi & perire sinant, quam quidquam deteri aut delibari de interna pace, aut de fraternæ charitatis suavitate: verùm ita illis persuasum esse, indeclinabili necessitate constringi se ad defendendas pauperum res, quas sibi L. 8. Ep. 28. Ecclesia commendavit. *Nostri est habitus, non solum præjudicia minimè facere, sed etiam facta æquanimiter portare: nisi fortè quia res pauperum defendere rationabiliter cogimur, ne apud omnipotentem Deum culpabiles inveniri valeamus.*

VI. Et alibi rursum Gregorius, quod Episcopi sponte sua causas Monialium defensandas adgrediantur, non eò fieri docet, quod res opesque temporales præponant paci internæ, & otio contemplationis: sed quod summa charitate les jubeat iis sollicitudinum spinis eximi castissimas virgines, & periculis iis subtrahi, quibus illas egestas certissimè tandem implicaret. En ejus verba ad Episcopum L. 8. Ep. 43. Lunensem: *Hortamur, ut fraternitas vestra ita se erga exteriores utilitates Monasterii, ubicumque necesse fuerit, & causas exhibeat, ut conversantes ibidem magnum in vobis subsidium, sicut decet, inveniant, & nullius rei eas necessitas deprimat; quatenus dum vobis providentibus, omnis eis fuerit amota necessitas, in oratione Dei & laudibus assiduè secura valeant mente persistere.*

VII. His certè summæ sapientiæ & charitatis incitamentis Gregorius, & cæteri ei concinentes summi Pastores, præcipiebant Episcopis, ut nihil intactum, nihil intentatum relinquerent, ut agros, fundosque prorsus omnes Ecclesiæ suæ usurpatorum manibus extorquerent; alioqui grave piaculum L. 11. Ep. 51. inertia sua subituri. *Possessiones, vel si qua sunt Ecclesiastico juri competentia, & ab extraneis indebitè detinentur, cum omni studio servata civilitate, in jus Ecclesiæ tuæ reparare festina, ut negligens in aliquo videri non valeas.*

VIII. Quanquam his autem judiciis procul ablegarentur moræ, artes, anfractus sinuosi, contentiones, & formulæ morosiores fori civilis: Episcopi tamen qui ea exercebant, vel eorum delegati, aut Arbitri, ex norma legum civilium progrediebantur; quarum si minus periti essent, doctiores sibi adsciscebant Jurisconsultos. Gregorius certè ipse præstantissimè edocuit, quàm non possent judicia Ecclesiastica suum tenere cursum & vigorem, sine legum peritia: quando Joannem Romanæ Ecclesiæ Defensorem in Hispanias ablegavit, ut causam ibi gravissimam illam tractaret, ubi restituendus erat suæ sedi Episcopus: destituendi ii, à quibus ille fuerat destitutus. Mandato amplissimo instruxit hunc suum Gregorius Defensorem, quo plurima continebantur Capita ad illius causæ elucidationem, quorum singulis attextæ erant leges benè multæ Justiniani, tam ex ejus Constitutionibus Novellis, quam ex Codice. De Presbytero ibi affir- L. 13. Ep. 53. 55. 56. matur, non potuisse eum comprehendi, sed citari coram Episcopo, juxta Novellam Justiniani ibi laudatam. Ibi affirmatur extrahi ab Ecclesia sua Episcopum non potuisse, juxta leges. Denique delegata est ab eodem Gregorio Episcopo Calaritano, aliisque duobus Episcopis causa Abbatissæ, cujus in L. 11. Ep. 6. patrimonium Abbas invaserat. Jubebat autem Pontifex, si quid esset, quod hi Episcopi sati. expedire non possent ex Romanis Legibus eo pertinentibus, virum ut consulerent, probitate & legum prudentia clarum.

IX. Justissimis laudibus exornandi videbantur Gregorio ii Episcopi, qui gnaviter incumberent in extricandis finiendisque litibus omnium Clericorum & Monachorum suorum, sive judicandi partes ipsi sustinerent, sive Judices alios delegarent, sive partes cogerent per Executores suos ad eligendos arbitros. Quæ omnia apertissimè Legibus Justiniani supra delibatis consentiunt. *Si quis contra quemlibet* L. 9. Ep. 324. *Clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certè ab eo Judices deputentur: aut si fortè ad arbitros eundum est, partes ad eligendum Judicem ab ipso executio deputata compellat.* Non patiebatur Gregorius, interponere se Apocrisiarios suos in ea, quæ Episcopalis essent jurisdictionis, cujus defensores potius esse deberent, quàm invasores. Nisi sicubi laïco, aut Clerico rei aliquid esset & dissidii cum suo Episcopo: tunc enim interveniebat Apocrisiarius Papæ, ut vel causam ipse dirimeret, vel partes cogeret Judicem eligere, & litem quamprimum finire. *Si quis vel Clericus, vel Laïcus contra Episcopum causam habuerit, tunc te interponere debet, ut inter eos aut ipse cognoscas, aut certè admonente te, sibi Judices eligant. Nam si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servetur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur.*

X. At Episcopi contra suæ illi dignitati & amplitudini plurimum derogare videbantur, qui temporales ipsimet causas suas in foro sæculari persequebantur. Dictum est jam superius à nobis, suo in Sicilia Defensori, seu Nuntio præcepisse Grego- L. 8. Ep. 31. rium, ut Basilio Episcopo quinque non amplius inducias dierum daret, ut lites suas terminaret, tum foro æternùm valediceret, seque suam in Ecclesiam reconderet. Beatissima illa tunc vigebat Ecclesiæ Disciplina.

XI. Necdum disertis verbis edocuit nos Gregorius, ab Episcopo deligendum, aut deligi & delegari solitum Officialem, in quem totam hanc rejiceret causarum & negotiorum sive molem, sive mo-

lestiam. Quin contrà ferè ubique enitescebat Episcopum, aut solum, aut pene solum id oneris subisse. Fatetur tamen ipse alicubi tantæ moli tetum Episcopos vix jam pares, in partem aliquam hujus sollicitudinis suæ vocasse Presbyteros pœnitentiarios; cum uberrimus ille & opratissimus esset fructus Ecclesiasticæ jurisdictionis, ut peccatores ad pœnitentiam seriò tandem aliquando animum adverterent. *Sunt minoris ordinis Sacerdotes, qui ad ministerium Altaris excubant, qui videlicet in adjutorium majorum, peccata delinquentium subtiliter investigant, & vitam carnalem corrigunt, atque ad hoc usque perducunt, ut per lamenta pœnitentia, quasi incendant carnem in sacrificio, quam prius permiserant vivere in peccato: Non enim hi qui sanctis Ecclesiis præsunt, per semetipsos prævalent cuncta gerere. Sed dum ipsi causis spiritualibus occupantur, hæc aliis discutienda atque corrigenda permittunt.* In Ezech. hom. 22.

Fateor tamen trahi hæc posse ad internum pœnitentiæ forum, ita ut nihildum Presbyteris contentiosæ Episcoporum jurisdictionis communicaretur. Sed cùm Episcopi persæpè alios vel delegarent, vel designarent Judices, quantò propiùs à vero abest, suos ab illis Presbyteros delectos ad id muneris fuisse?

XII. Veniendum nunc ad Reges Italiæ. Theodoricus Italiæ Rex, Augustæ Prætoriæ Episcopo in Ecclesiam redintegratu, delatores ejus convictos, ejusdem nimirum Ecclesiæ Clericos, ad Episcopum Mediolanensem judicandos ablegavit. Ita enim apud
L. 1. Ep. 9. Cassiodorum: *Volumus impugnatores ejus legitima pœna percellere. Sed quoniam & ipsi Clericatûs nomine fungebantur, ad sanctitatis vestræ judicium cuncta transmittimus ordinanda, cujus est & æquitatem moribus talibus imponere, quam novimus traditionum Ecclesiasticam custodire.*

XIII. Suæ ditioni vendicabat Clerus Ecclesiæ cujusdam Cathedralis incolas oppiduli. A Rege Episcopo mandatum est, ut procuratores designaret, qui in Curia Regia adessent juri suæ Ecclesiæ nisi mallet, quidquid illud erat spei, vel juris abdicare, cùm Clero tam consentaneum sit non experiri incerti exitum judicii, nec opperiri, dum causa cadat, & succumbat dedecori defensitatæ præter
L. 2. Ep 18 æquum alicujus causæ. *Si Clero vestro creditis in eis aliquid rationabiliter suffragari, ad vestrum Comitatum instructam personam modis omnibus declinate, qua adversariorum debeat intensionibus obviare. Quod si de negotii qualitate dubitatis, convenit sacerdotalibus institutis, ut ante controversiam, justitiam magis ipse cognoscas, quàm de judicio victus abscedas. Talem siquidem non oportet publicè superari, quem amatorem æquitatis convenit inveniri.*

XIV. Germanus verò nomine laïcus ad Theodoricum Regem de Episcopo expostulavit, qui legitimam portionem hæreditatis suæ retineret. Illum Rex ad Episcopum remisit, quò vel sibi jus ipse diceret, vel advolaret ad Consistorium Regium, & causæ ibi suæ adesset, cùm non possit Rex miseris & oppressis non opitulari. Aurea omnino sunt ejus Theodorici Epistolæ verba: *Si in*
L. 3 Ep. 37. *alienis causis Beatitudinem vestram convenit adhiberi, ut per vos jurgantium strepitus conquiescat: quantò magis ad vos remitti debet, quod vos spectat actores, &c. Quoniam causarum vestrarum qualitas vobis debet judicibus terminari, à quo est expectanda magis, quàm imponenda justitia. Quod si hanc causam sub æquitate vestrum minimè definit arbitrium, noveritis supplicis querelam ad nostram audientiam perducendam. Vos enim docetis voces pauperum non debere negligi, quas potest justitia comitari.*

XV. Reus agebatur Presbyter violati, expilatique sepulcri, ex quo & thesaurum effodisse jactabatur, & asportasse. Præcepit idem ipse Rex causam examinari à Comite, jussu thesaurum ut corriperet, non Presbyterum, quem pœnæ manerent tantò acerbiores, quantò in ipsa animæ penetralia pervaderent. *Hominis ambitum eo tantùm fine concludas, ne possis supprimere, quod eum non licuit invenire. Scelus enim quod nos pro sacerdotali honore relinquimus impunitum, majori pondere credimus vindicandum.* L. 4 Ep. 18.

XVI. Cùm Ecclesiæ ministri Polanæ domum invasissent, quam contendebat laïcus quidam paterna successione ad se pervenisse, idem Theodoricus per Epistolas invitavit Episcopum ejus civitatis, ut ad Comitatum, sive ad Curiam Regiam Patronum aut Procuratorem suæ causæ aliquem destinaret. *Instructam legibus ad Comitatum nostrum destinate personam,* L. 4. Ep. 44.
ubi qualitas negotii agnosci debeat & finiri. Commodùm tamen priùs illo, ut de causa priùs ipse accuratissimè cognosceret, quid Sacerdotes turpe sit contendere, ubi vinci possunt. *Tractato prius diligenter, inspectoque negotio, quia Sacerdotem non decet protendere improbam litem.*

XVII. Liquet hinc ergo personales Clericorum causas Episcopali judicio integras fuisse servandas, sed reales quæ à Laicis intendebantur, apud publicos Judices solitas disceptari. Quàm verò Episcoporum observantes essent Civiles Magistratus, non aliud præclarius occurret documentum, quàm Cassiodori ejusdem Epistola ad Joannem Papam, ubi ejus se luce collustrari, ejus se consiliis instrui orat; nec enim posse Judices satis probè munus suum sustinere, nisi Episcoporum regulis, monitisque dirigantur. *Sum quidem Judex* L. 12. Ep. 20.
Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus: nam tum ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus.

CAPUT CV. *P. 2. l. 2. c. 60.*

De jurisdictione Episcopali charitatis legibus serviente in Galliis, à Clodovæo ad Carolum Magnum.

I. De jurisdictione Episcopali in Galliis in causis Clericorum, monente censura Ecclesiastica.

II. Mixti Conventus judicum sacrorum & civilium.

III. Species singulares, ubi sæcularis Judex Ecclesiasticum provenit.

IV. Elucidatur Canon Concilii Matisconensis II. & Clotarii II Regis. Unde constat, quanquam Judex sæculi cum Ecclesiastico de Clerica cognovisset, illum tandem Ecclesiastica permissum fuisse, canonicis tantùm pœnis puniendum.

V. Variæ probationes quæ hunc usum astruant, ut canonicæ tantùm pœnæ in capitalia crimina decernantur.

VI. De causis inter Clericos cognoscere non poterat nisi Episcopus vel Archidiaconus, qui ejus Officialis partes sustinebat, vel Presbyteri qui easdem vices obibant.

VII. Causæ Episcoporum omnes ab Episcopis & in Conciliis discutiebantur.

VIII. Arbitrio quandoque Presbyterorum.

IX. Concilii Matisconensis II decreto, asyli jus & prærogativa Episcopis & Clericis omnibus adscribitur, ut ab Ecclesiis abstrahi sua non possint, nisi ut Judici Ecclesiastico sistantur.

X. XI. Horum Canonum observationem viguisse fidem facit Historia Gregorii Turonensis: civilemque & externam politiam compluribus in rebus Episcoporum potestati obnoxiam fuisse.

I. AD Gallias nostras accedimus, in quibus nihilo obscurioribus argumentis evince-

tur, amplissimam fuisse Episcoporum jurisdictionem, nec alium illi propositum fuisse scopum, quàm ut Canonibus inviolata constaret reverentia; ut morum castitas, charitas & pax inconcussa inter fideles vigeret universos, potissimùm verò inter Clericos; ut lites, fraudes, tricæque omnes sæcularium Curiarum ablegarentur. Quæ cùm ita sint, non poterant non terreni Principes Regesque vehementer assentiri, suffragarique huic Apostolicæ Episcoporum authoritati & functioni, quæ terrestri ipsi regnorum paci totam se impendit, ut ad cælestem pacem aditum communiat.

Can. 8. In Concilio Agathensi excommunicatione feriuntur Clerici, qui Laïcorum patrocinium aucupantur; eademque pœna implicantur & Laïci, qui sua illos tuitione tegent adversùs canonicam districtionem. *Si relicto officio suo propter districtionem, &c.* Eadem vibratur in Laïcos pœna, qui immortales alunt inimicitias, interminatasque lites inter sese, adversùs Episcoporum monita contumaciores: *Quicumque odio, aut longinqua inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari nequiverint, &c.* Can. 31. Itaque eo quoque jure urgebantur Episcopi, ut evibrato excommunicationum fulmine cogerent & litibus & odiis implacatis modum aliquem finemque poni. Hoc denique Concilio prohibiti sunt Clerici ad Judices sæculares quemquam provocare injussu Episcopi; prohibiti sunt & criminis cuiquam litem intendere; denique anathemate percussi sunt Laïci, qui Ecclesias, Clericosque tricis meditatis malitiosè fatigarent. Can. 32. *Clericus ne quemquam præsumat apud sæcularem Judicem Episcopo non permittente pulsare: sed si pulsatus fuerit, respondeat, non proponat: nec audeat criminale negotium in judicio sæculari proponere. Si quis verò sæcularium per calumniam Ecclesiam aut Clericum fatigare tentaverit, & victus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus & à Catholicorum communione, nisi dignè pœnituerit, arceatur.*

Can. 11. In Concilio Epaonensi permissi sunt Clerici, non provocare, sed provocati accedere ad Tribunalia Judicum, annuente Episcopo. In Concilio Aurelianensi I. declaratum est, non Clericos solùm, sed & eorum stirpem usque ad tertiam generationem sub jurisdictione Episcoporum conquiescere. *Ita ut* Can. 4. *filii Clericorum, id est, patrum, avorum, ac proavorum, in Episcoporum potestate ac districtione consistant.* In Concilio Aurelianensi III. cautum est, ne Laïci ipsi Clericos ad Tribunalia Judicum vocarent, nisi Can. 32. monito antè Episcopo. *Clericus cujuslibet gradûs, sine Pontificis sui permissu, nullum ad sæculare judicium præsumat attrahere: neque laïco, inconsulto Sacerdote, Clericum in sæculare judicium liceat exhibere.* Præmoneri se volebant Episcopi de litibus quas vel Clerici Laïcis, vel vicissim Laïci Clericis intenderent coram sæculi Judice, ut eas præfocare exorientes possent.

II. In Concilio IV. Aurelianensi definitum est, nihil potestatis exerceri posse in Clericos à Judice sæculi, nisi re cum Episcopo communicata; tum sistere se ei debere Clericos, ubi juberet Episcopus: denique si quid rei esset laïco adversùs Clericum, de ea cognoscere non posse Judicem publicum, nisi adjuncto Archidiacono, vel Presbytero; si partibus conveniret, unius laïci Judicis judicium experiri, Clericus id tum posset, cùm Prælati Ecclesiastici assensus accessisset. Can. 20. *Ut nullus sæcularium personarum, prætermisso Pontifice, seu Præposito Ecclesiæ, quemquam Laïcorum pro sua potestate constringere, discutere audeat, vel damnare. Sed & Clericus, si pro causa ad petitionem cujuscumque fuerit ab Ecclesiastico ordinatore commonitus, se ad audientiam spondeat adfuturum, & respondere nulla calliditate dissimulet. Sed quæcumque causatio quoties inter Clericum & sæcularem vertitur, absque Presbytero aut Archidiacono, vel si quis esse Præpositus Ecclesiæ dignoscitur, Judex publicus audire negotium non præsumat. Sanè si causam habentibus placuerit ire ad judicium fori ex voluntate communi, permittente Præposito Ecclesiæ Clerico licentia tribuatur.*

In Synodo Altisiodorensi anathema illiditur Judici, qui in ipsam Clerici personam quidquam tentaret inconsulto Episcopo: *Quicumque Judex, aut* Can. 43. *sæcularis Presbytero, aut Diacono, aut cuilibet ex Clero, aut de junioribus, absque voluntate Episcopi, aut Archidiaconi, aut Archipresbyteri, injuriam inferre præsumpserit, anno ab omnium Christianorum consortio habeatur extraneus.* Mixtorum Tribunalium horum major sanè illi gloria & splendor circumfundebatur, ubi Rex Episcoporum & Baronum suorum agmine vallatus, de gravioribus quibusque causis cognoscebat, maximè Clericorum, vel Laïcorum, qui ad eum confugissent adversùs Episcopos ipsos suos. His judiciis aderat Comes Palatii, absente Rege etiam præerat ejus vice. Editæ sunt à Marculpho horum judiciorum formulæ, quibus & aliæ à clarissimo doctissimoque viro Bignonio additæ sunt: *Nos in Palatio nostro ad universorum causas audiendas unà cum domnis & patribus nostris Episcopis, &c.* Marculph. L. 1. et 25. 20.

III. Remittere aliquid visum est Concilium Matisconense I. anni 581. cùm Regiis à Judicibus comprehendi permisit Clericos homicidii, furti, maleficii reos, quo arctiores metæ additæ sunt immunitati Clericorum. *Ut nullus Clericus de qualibet* Can. 7. *causa extra discussionem Episcopi sui; à sæculari judicio injuriam patiatur, aut custodiæ deputetur. Quod si quicumque Judex cujuscumque Clericum absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse præsumpserit, quandiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.*

Innui certè videtur eo Canone, à Judice sæculi præventum fuisse Episcopum, nec enim aliàs sineretur ille Episcopo extorquere, aut ejus carceribus abstrahere Clericos, horum reos facinorum. Idque innuitur rursus Canone Concilii Matisconensis II. anni 585. *Neque Presbyter, neque Diaconus, neque* Can. 10. *Subdiaconus de Ecclesiis trahantur, aut injuriam aliquam inscio eorum Episcopo patiantur; sed quidquid quis adversùs eos habuerit, in notitiam Episcopi proprii perducat, & ipse causam, justitia præeunte, discutiens, animo Clericos accusantis satisfaciat.*

Nec minùs apertè antiquiori Disciplinæ & immunitati Clericorum astipulari visum est Concilium Parisiense, vetitis omnino laïcis Judicibus de Clerico ullo cognoscere, nisi accersito Ecclesiastico ejus Superiore. *Ut nullus Judicum neque Presbyterum,* Can. 4. *neque Diaconum, vel Clericum ullum, aut Juniores Ecclesiæ sine scientia Pontificis per se distringat, aut damnare præsumat.* Si quid in hæc Judices peccent, excommunicatione innodantur.

IV. Concilii hujus Decreta corroboravit Clotarius II. publicato Edicto, & iis clausulis adhibitis, quas hîc ponderari operæ pretium sit. Iubet enim Clotarius, ut ne unquam in civili causa Iudex laïcus de Clerico cognoscere audeat, nisi manifestè convicto; unde etiam Presbyteri & Diaconi excipiuntur. Verùm id ad civiles pertinet causas, non ad criminales. Harum enim conjunctim judi-

cium instituerit utriusque fori, sacri, & civilis Judices; reus convictusque, canonicis pœnis subjiciebatur. Denique si quæ lites inter Clericos, laicosque perstrepant, utriusque etiam Judicis cognitione cæ sedabuntur. *Nullus Judicum de quolibet ordine Clericos de civilibus causis, præter criminalia negotia per se distringere aut damnare præsumat, nisi convincitur manifestus, excepto Presbytero aut Diacono. Qui verò convicti fuerint de crimine capitali, juxta canones distringantur, & cum Pontificibus examinentur. Quod si causa inter personam publicam & homines Ecclesiæ steterit, pariter ab utraque parte Præpositi Ecclesiarum & Judex publicus, in audientia publica positi, ea debeant judicare.*

Cap. 4.

Bona fide fateri cogimur hoc Clotarii II. Edicto permitti laicum Judicem, ut in Clericum de capitali crimine jus dicat; quanquam nihil ejusmodi haberet Concilium Parisiense V. cujus hic novo robore firmantur Decreta. Itaque veri specie non caret, Guntranni quoque Regis impulsione editum fuisse Canonem Concilii Matisconensis I. cujus tanta est cum hoc Clotarii II. Edicto affinitas. Sed illud potissimum nostra refert animadvertisse, quod Judicem sæculi velit quidem Clotarius cognoscere de criminibus Clericorum: sed unà Episcopum accersiri jubeat, utque ne gravior ulla possit decerni pœna, quàm quæ canonico jure infligitur. *Qui verò convicti fuerint de crimine capitali, juxta Canones distringantur, & cum Pontificibus examinentur.* Ex quo illud concluditur, adeo non teneri Episcopum Clericos suos capitalis criminis convictos Judici publico dimittere plectendos: ut ex adverso edicat Rex, illos ab Judice sæculi Episcopis permitti, qui non aliis possunt quam canonicis in reos pœnis sævire.

V. Facilius assentietur huic disciplinæ, quisquis expenderit, nos hic in sexto adhuc versari sæculo, cùm Clericis adhuc & Monachis familiare erat opportunè & importunè Judices sæculares interpellare, & omni ope & contentione urgere, quo capitalia supplicia etiam in laicos relaxarent, aut suspenderent; cùm eorum persæpè precibus vis accedebat; cùm denique non infrequenter voti sui fiebant compotes. Eo adhuc ævo quisquis ad Ecclesias confugisset, inde abripi non potuisse constat, nisi condonata mortis & membrorum truncationis pœna; in asylo ipso Ecclesiæ Clericos pene omnes semper delituisse; reos qui morti eximebantur, asperitati ejusmodi pœnitentiæ & diuturnitati mancipatos fuisse, qua mortis acerbitas compensari videretur. Adde Conventus juridicos sæcularium Judicum, permixtos habuisse suo in Collegio Clericos complures. Nec verò addubitare quemquam jure posse, quin Episcopi ex Regum perpetua indulgentia à Synodis judicarentur, etiam in crimine Majestatis. Denique posteriore sæculo morem eum invaluisse, ut mulctis tantum pecuniariis facinora quæque gravissima luerentur.

His observatiunculis nostris non parum & lucis & roboris accedit ex Concilio Remensi, non multò post Concilium Parisiense V. habito. Ibi enim anno 630. vetantur laïci Judices, intentata ni pareant excommunicatione, ne nisi concedente Episcopo, in Clericum quemquam ausint vel judicium instituere, vel inferre pœnam. *Absque conscientia & permissu Episcopi, cujuslibet Ordinis Clericum distringere.* Præcipitur ibidem Episcopis, suos ut ipsi in Clericos animadvertant: neu confugientes ad Ecclesiam seddere ausint, nisi certum sibi sit *de vita, de tormento, de truncatione*: sed & ipsi mox eos pœniten-

Can. 6. 7.

tiæ mancipent Canonicæ. *Pœnitentiam se pro scelere factorum esse promittat.*

VI. Rursum ad Clericos reflectenda oratio, de quibus nec primo, nec iterato post appellationem judicio cognoscere poterat, nisi Ecclesiæ Judex. Ita profitetur Concilium Matisconense I. quanquam aliàs Clericali immunitati subinfensum. *Ut nullus Clericus ad Judicem sæcularem quemcumque alium fratrem de Clericis accusare præsumat, aut ad dicendam causam quocumque modo trahere. Sed omne negotium Clericorum aut in Episcopi sui, aut in Presbyterorum, vel Archidiaconi præsentia finiatur.* In Synodo Altissiodorensi idem decretum promulgatum fuerat. *Non licet Presbytero aut Diacono, aut cuicumque Clericorum de qualibet causa Conclericum suum ad Judicem sæcularem trahere.*

Can. 8.

Can. 33.

VII. Et præclarior multò & justior erat Episcoporum à foro sæculari immunitas. In Concilio Aurelianensi V. statutum est, ut quibus negotii aliquid fuerit contra Episcopum, vel ejus Officiales Ecclesiæ, ipsummet adeant primo; ut ea ipsemet integritate & charitate agat, quæ Apostolorum successori consentanea sit: quæque ita spectata exploratque omnibus sit, ut nemo eum etiam in propria causa Judicem detrectet & deprecetur. *Placuit, ut si quæcumque persona contra Episcopum, vel actores Ecclesiæ se proprium habere crediderit negotium, priùs ad eum recurrat charitatis studio, ut familiari aditione commonitus, sanare ea debeat, quæ in querimoniam deducuntur.* Si cessaret, aut differret Episcopus querelis satisfacere, tum verò ad Metropolitanum confugiendum erat; denique si pari incuria Metropolitanus his non satisfaceret querelis de Provinciæ suæ Episcopis, censuræ & judicio ipsemet subjiceretur Concilii Provincialis. In Concilio II. Lugdunensi pronunciatum est, ubi dissiderent duo Episcopi unius Provinciæ, eam controversiam judicio Metropolitani & Episcoporum Comprovincialium committi debere. Si duarum autem Provinciarum Episcopi judicio contenderent, ei judicio præesse debere utriusque Provinciæ Metropolitanos. *Si de una Provincia sunt, Metropolitani cum Comprovincialibus suis judicio sint contenti. Si diversæ Provinciæ fuerint Sacerdotes, convenientibus in unum Metropolitanis ipsorum, omnis eorum actio illorum judicio terminetur.*

Can. 9. 10.

Can. 27.

Can. 1.

VIII. Aliam iniit viam Concilium Turonense II. tuendæ ejusdem Episcoporum concordiæ, mandato, ut si quid litis inter eos emergat, hinc & inde Presbyteros eligant, quorum judicio stent. Cùm præcones enim & conciliatores pacis sint Episcopi, omnium maximè detestanda ipsis est discordia; ideo & in Concilio Provinciali pœnitentiæ addicendi erunt Episcopi, qui hanc recolligendæ Collegarum gratiæ rationem detrectaverint. *Electis ab utraque parte fratribus, id est, Presbyteris, præponderante dulcedine, litis jacula finiant, & vota pacis acquirant. Si quis autem ab utraque parte electis Presbyteris atque mediantibus, hoc est, suis membris reconciliari neglexerit; cùm ad Synodum venerit, non solum reatum coram Coëpiscopis se cognoscat incurrere, verùm etiam congrua pœnitentia intelligat vindictam subire. Opportunum namque est, illum animadversione succumbere, qui intelligendo peccavit, & quod docere debuit, in seipso neglexit.* Concilii Parisiensis V. Patres, non acquievere Turonensis Concilii huic Canoni; instaurare maluerunt Canonem Concilii V. Aurelianensis, & rejicere ad Metropolitanum, omnium inter se Episcoporum dissidia; spolians communione Episcopis, qui adversùs Collegas Judices adirent sæculares,

Can. 8.

Can. 11.

donec in Concilio Provinciali sese purgaverint.

IX. Multò verò ad decus & laudem Episcopalis Ordinis præclarius est, & ad confirmanda superiora omnia, quod habetur in Concilio II. Matisconensi, ubi declaratur Canones Legesque à primordiis propemodum exorientis Ecclesiæ immunitati & jurisdictioni Episcoporum certatim adlaborasse: *Licèt reverendissimi Canones, atque sacratissimæ leges de Episcopali audientia in ipso pene Christianitatis principio sententiam protulerint.* Necesse tamen fuisse ad retundendam audaciam quorundam sæculi Magnatum, statui, ut ne possint unquam Episcopi Ecclesiis suis abstrahi, vel in carceres compingi: sed si quid litis Optimates sæculi illis volent intendere, Metropolitanos adeant, à quibus duo, tresve Episcopi alii accersentur, vel totum, si necesse sit, Concilium Provinciæ congregabitur, ut ei dissidio modus tandem & finis aliquis imponatur. [Can. 9. 10.] *Quoniam grassatur in Sacerdotes Dei humana temeritas, ita ut eos de atriis venerabilium Ecclesiarum violenter abstractos ergastulis publicis addicant; Censemus ut Episcopum nullus saecularium fascibus praditus jure suo contumaciter agens, de sancta Ecclesia cui praeest, trahere audeat. Sed si quid contentionis adversùs Episcopum potentior persona habuerit, pergat ad Metropolitanum Episcopum, & ei causas alleget, &c. Quòd si talis fuerit immanitas causa, ut eam solus Metropolitanus definire non valeat, advocet secum unum vel duos Episcopos. Quòd si & ipsis dubietas fuerit, conciliabulum instituant, in quo universa fraternitas Coepiscopi sui causas discutiat, & pro merito aut justificet, aut culpet. Quod de Episcopis censuimus, obtinet & in Clero, ut de Ecclesiis non trahantur, &c.* Duo hi Canones manifestè insinuare videntur, Clericos omnes asylorum privilegio usque gaudere, ut qui in Ecclesiis commorentur, nec abripi inde possent, nisi ut Ecclesiastico Judici, & pœnis canonicis permittantur.

X. Sed ne cujusquam animo illa incidat cogitatio, Canones hos Episcopatui & Clericorum Ordini universo usque adeo honorificos, ab iis conditos esse, quorum causa vertebatur, qui gloriæ suæ serviebant, adeoque ad exitum nunquam, aut rarò perduci potuisse: non pigebit hic refricare [L. 10. c. 19.] quod supra de Ægidio Archiepiscopo Remensi commemoratum est à Gregorio Turonensi, quando hoc illi facinus impactum est, quòd adversùs Childebertum Regem conspirasset. Comprehendi eum & in custodiam tradi jussit Rex, dum Concilium cogeretur. Amarissimè cum Rege expostularunt cæteri Antistites, de comprehensi Episcopi contumelia; cessit Rex, solutumque Ægidium suæ tunc reddidit Ecclesiæ. *Tunc ab aliis sacerdotibus increpitus Rex, cur hominem absque audientia ab urbe rapi, & in custodiam retrudi jussisset, permisit eum ad urbem suam redire.* Coaluit denique Concilium, crimen confessus est Ægidius, donavit illum Rex precibus Episcoporum, à quibus sacro gradu abdicatus est, & Argen- [L. 5. c. 19.] torati exulare jussus. *Hac Episcopi audientes, ac lamentantes fratris opprobrium, obtenta vita, ipsum ab Ordine sacerdotali, lectis Canonum sanctionibus removerunt, qui statim ad Argentoratensem urbem, quam nunc Strataburgum vocant, deductus, exilio condemnatus est.* Ubi perspicis religiosè observatum fuisse Canonem suprapositum. Nocentior erat Ægidius Prætextato Rotomagensi Episcopo. At cùm & hic sua se confessione onerasset: *Ego sum homicida nefandus*; eisdem utique pœnis obnoxius erat. Verùm Chilpericus Rex quanquam illi infensissimus, non alibi tamen quam in Episcoporum cœtu causam dicere, vel pœnæ nisi canonicæ addici illum voluit, quod genus est exilium. Dictum est suprà per Imperatorum leges non licuisse, reos usquam agi Episcopos, nisi in Conciliis ab aliis Episcopis judicandos. A Regibus Galliæ, Primæ, Secundæ & Tertiæ Dynastiæ illibatum id privilegium Episcopis vindicatum est, etiam in Majestatis criminibus. Unum contra objici potest exemplum beati Leodegarii Episcopi Augustodunensis, qui non judicio, sed tyrannica cæde Martyr occubuit.

XI. Plura hic coacervari possent ex eodem Gre- [L. 6. c. 38.] gorio Turonensi, quæ lubens missa facio, ut ad [L. 8. c. 2.] Concilia redeam. Dissidentibus de Parochiarum quarundam jure Episcopis, controversia illa in Concilio dirempta est. Aliàs inquisitum est in aliquos Episcopos, de quibus querebatur Guntrannus Rex in Conventu Episcoporum & Procerum. *Discussi enim fuerant à reliquis Episcopis & Optimatibus Regis.* Spectabant ea omnia ad temporalem & externam regni administrationem, in quam porrigebat se etiam Episcoporum jurisdictio. Quò etiam spectat illud Concilii Aurelianensis III. decretum, quo multa explodantur superstitiosiùs, quam religiosiùs observari solita: & Judaïcam magis servitutem redolentia, quàm Christianam libertatem. *Quia persua-* [Can. 28.] *sum est populis die Dominico agi cum caballis, aut bobus & vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum praeparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem exercere ullatenus, quæ res ad Judaïcam magis, quàm ad Christianam observantiam pertinere probatur, id statuimus, ut die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat.* Ubi & mox vetatur ne Dominico die, vel agrum colere, vel vineis, messibus, aliisque id genus operibus liceat vacare: denunciatur etiam qui huic decreto non paruerint, eos non publici Judicis, sed Episcopi judicium subituros. *Quod si inventus fuerit quis in operibus suprascriptis, quæ interdicta sunt, se exercere, qualiter emendari debeat, non in laici districtione, sed in Sacerdotis castigatione consistat.*

Huic eidem Concilio, sicut & Concilio IV. ejusdem Aurelianensis Civitatis placuit, ut Christiani, qui Judæorum servi essent, redimi semper possent à fidelibus. Placuit & eidem Concilio IV. ut Episcopi plectere & exilio mulctare possent fœminas, in crimine cum Clericis deprehensas. *A Civitatibus ut* [Can. 13.] *Sacerdos praeceperit, repellantur.* In Concilio Matisco- [Can. 30.] nensi II. præceptum est, ut in Monasteria compin- [Can. 19.] gere posset Episcopus uxores Clericorum minorum, [Can. 16.] si ad nuptias animum appellerent. Concilium Lipti- [Can. 5.] nense præcepit Episcopis, Comitibusque, qui una & Defensores erant Ecclesiarum, ut vires consociarent, certatimque incumberent, ut idololatriæ superstites reliquias abolerent. *Decrevimus quoque ut secundùm Canones Episcopus in sua Parochia sollicitudinem gerat, adjuvante Gravione, qui Defensor Ecclesiæ ejus est, ut populus Dei paganias non faciat.* Innovatum est in Concilio Suessionensi hoc decretum, additumque ut in foros, seu nundinas pervigilarent Episcopi. *Et per omnes civitates legitimus forus, &* [Can. 6.] *mensura fiat, secundùm abundantiam temporis.* In novis Capitularibus Baluzii, voluit Clotarius Rex, ut absente se, de Judice præter leges sententiam ferente, pœnas sumeret Episcopus. *Si Judex contra legem aliquem injustè damnaverit, in nostri absentia ab Episcopis castigetur.* Postremò denique cum Alaricus [Baron. an.] Rex Gothorum ab Aniano in compendium mitti cu- [506, n. 10.] rasset Codicem Theodosianum, illum ipse tunc in omnes suæ ditionis Provincias promulgavit, quæ

tunc non paucæ Galliarum nostratum finibus continebantur. Inde Codex ille compendiarius invaluit per omnes Gallias, cùm eum antè examinassent, confirmassentque Episcopi. Hæc enim habet Alaricus ipse Rex in Rescripto suo. *Venerabilium Episcoporum roboravit assensus.*

CAPUT CVI. *P. 2. l. 2. c. 61.*

De jurisdictione Episcopali in Hispania, charitatis legibus attemperata, ab anno quingentesimo ad septingentesimum.

I. Presbyteri quoque & Clerici alii juri dicendo vacabant, ut vix Dominico die respirare possent, usque adeo lenitate & charitatis dulcedine laicos etiam ad forum Ecclesiæ alliciebant.

II. De causis realibus Ecclesiæ cognitores erant Episcopi ipsi.

III. In rebus ambiguis peritos jurisconsultos percontari jubebantur.

IV. Concilia Toletana, Universalia & Nationalia erant, & velut Regni Comitia, in quæ Episcopi & Optimates Regni confluebant, unde eorum jurisdictioni nulli fines præscripti tunc erant.

V. Inde est, quod & Episcoporum sententiæ certissimè semper executioni mandabantur, nec ullis regulis teneri poterant, etiam ad res temporales.

VI. Variæ leges Conciliorum in Clericorum concubinas, & in prolem eorum quamcumque post sacros Ordines.

VII. VIII. IX. Variæ pœnæ à Judice Ecclesiastico inflictæ in Italia, Anglia, Gallia.

X. In Hispania mulcta pecuniaria, carceres, flagella, exilia, à Judice Ecclesiastico infliguntur, ut pœnitentia, vel ut pœnæ medicinales, tum Episcopi spiritalem faciant medicinam. Et vera tamen erant pœna, spectata Episcoporum jurisdictione, qui eas decernebant.

XI. Archiepiscopus Toletanus majestatis accusatus nonnisi Synodi judicium subit.

I. NEc instrenuè Hispaniæ quoque Episcopi Clericique Ecclesiarum in hæc operosissima jurisdictionis munia incumbebant, quæ sola ipsis, sola Laïcis charitas sua dulcedine & suavitate deliniret. Vetuit Tarraconense Concilium, ne Episcopi, Presbyteri, Clericive cæteri Dominicum etiam diem insumerent litium examini, utpote divinis tantùm laudibus concelebrandis dicandum: concesso ut reliquos dies omnes in id consumerent, dum ne se tamen in causas criminales interponerent ullas.
Can. 4. *Nullus Episcoporum aut Presbyterorum, vel Clericorum die Dominico propositum cujuscumque causæ negotium audeat judicare, nisi hoc tantum, ut Deo statuta solemnia peragant. Cæteris verò diebus, convenientibus personis, illa quæ justa sunt, habeant licentiam judicandi, exceptis criminalibus negotiis.*

Hinc illud emergit, 1. Non Episcopos tantùm, sed & Presbyteros, & Clericos omnes operam dedisse dirimendis litibus, sive sejunctim id facerent, quod magis sonant hujus Canonis verba: sive plures conjunctim. Capite superiori idem adnotatum est, Archidiaconis & Presbyteris delegatam fuisse causarum diremptionem; nec enim facilè occurrere tum ulla Officialium ad id destinatorum vestigia. Quin & Presbyteros ibidem quandoque placuit arbitros eligi, qui jurgia pacarent mutua Episcoporum. Ibidem de suffraganei sui causa judex sedit Metropolitanus solus, cùm is à viro præpotente in crimen vocaretur: nec jussus est aliorum Episcoporum consilia expiscari, nisi ubi difficultas incideret, quæ tanti esset.

Rursus hinc liquet 2. tam confertas fuisse turbas hominum ad Tribunal Ecclesiæ convolantium, ut ne Dominicus quidem dies à litibus dirimendis vacuus esset, Quod tamen huic Concilio emendari placuit, cæteris omnibus diebus ei charitatis officio dicari permissis. Quo jam minùs mirum est, si Episcopi Clericos sibi suos omnes adsciscerent, ad jurisdictionis suæ onera in illos ex parte saltem declinanda; ita ut singuli etiam jus dicerent. Itaque ne suspicari quidem possumus, Officialem tunc fuisse unum aliquem, cui totà ea sarcina committeretur.

Illud adde 3. eam jurisdictionem latissimè patuisse, & omnia causarum genera complexam fuisse, præter criminales; atque ita ambigi vix posse, quin dissidia sua omnia fideles ad Clericos referrent, ut ad arbitros & parentes quodammodo suos. Ex quo fit, ut & illud extra dubium jam sit, ut ea causarum examina ad Clericos perferrentur, & tanta illis fieret jurisdictionis accessio, in causa fuisse studium pacis & concordiæ, charitasque ad æterna tantùm anhelans, qua tum fervebant Tribunalia Ecclesiastica.

II. In Concilio Toletano II. prohibiti sunt Clerici, ne Clericos alios convenirent, nisi coram Episcopo, excommunicatione & rei jactura luituris, qui secus fecerint. *Ut Clerici Conclericos suos neglecto Pontifice ad judicia publica pertrahant, statuimus de cætero non præsumi: sed & si quis hoc facere præsumpserit, & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.* Can. 15.
In Concilio I. Hispalensi sedata est contentio duorum Episcoporum de Parochiis quibusdam controversis, quæ ei tandem ascriptæ fuere, qui earum præscripsisset possessionem, juxta leges Imperatorum, & Romanorum Decreta Pontificum. *Hoc* Can. 5 à
enim & sæcularium Principum Edicta præcipiunt, & Præsulum Romanorum decrevit authoritas. Nec secus in re consimili pronuntiatum est à Concilio Tole- Can. 33 34
tano IV. sicut & ab Emeritensi, cui visum est, mittendos esse à Metropolitano inspectores idoneos, qui fines dispicerent Diœceseon & Parochiarum. *Ita ut de præsentia Metropolitani inspectores dirigantur,* Can. 8.
qui per evidentia signa Diœceses ipsas conspiciant. In Concilio Toletano XI. decretum est, ut Episcopi, quibus essent patrimonia, ex iis restituerent & resarcirent quidquid damni quomodocumque cuiquam intulissent. Nec enim æquum esse, ut Ecclesia luat errores intempeiasque Præsulum, quos ipsa ab injuria & litibus alienissimos esse jubet. Si nullæ his Præsulibus hereditariæ sint res, pœnitentia luent, quidquid temerè damni intulerint. *Neque* Can. 5.
enim justum est, ut pro pravis actibus Sacerdotum, Ecclesiæ quibus præeminent, sustineant damnum: ut pro excessibus talium satisfactio ab Ecclesiis exigatur: cùm Ecclesia Rectores suos non ad litem, sed ad honestatem informet.

III. Vetiti sunt ab eodem Concilio Episcopi, ne vel jus dicerent, vel decernerent pœnitentias, nisi in Audientia publica, vel ad consilium adscitis duobus saltem tribusve spiritalibus & prudentibus viris, ne quo cupiditatum æstu judicium prævertetur. *Quoties quilibet ex subditis corrigendus est, aut* Can. 7.
publica debet à Sacerdote disciplina curari: aut si aliter à Rectoribus placet, duarum vel trium fratrum spiritualium testimonio peculiariter adhibito, & modus criminis agnoscatur, & modus pœnitentiæ irrogetur.

IV. Ex Concilio denique Toletano XVI. perspicuum est, Conciliorum hujusmodi Universalium jurisdictionem in Hispania latissimè patuisse, seque in causas & personas prorsus omnes exporrexisse. Rex ipse potestatem eis fecit castigandi & emendandi Leges Regni omnes. *Cuncta verò quæ in Canonibus,*

nibus, vel Legum edictis depravata consistunt, aut ex superflua, vel indebito confecta fore patescunt, accommodante nostra serenitatis consensu, in meridiem lucida veritatis reducite. Et postea: *Varia quoque populorum negotia, cæteraque sceleratorum hominum gesta, fidei sanctæ contraria, ita vestri examinatione judicii, canonicè & legaliter finiantur ut, &c.* Quod quid aliud est, quàm nullos circumscribere fines Episcopali jurisdictioni in privatorum etiam causis? Regni sanè Procerum non mediocris in his effulgebat authoritas, ut ex ipsis Regis verbis liquet. *Hoc solum vos venerabiles Dei Sacerdotes, cunctosque illustres Aulæ Regiæ seniores, quos in hoc Concilio nostra serenitatis præceptio inesse fecit, adjuramus, quia in privatis dirimendis negotiis, quæ se vestro cœtui audienda emerserunt, nulla personarum vel muneris acceptio intercurrat, &c.* Quod ipsum observare fas est in VIII. & in cæteris Conciliis Toletanis.

V. Nullas ergo posthac moras, nullos obices objicere quisquam poterat jurisdictioni Episcopali, ejusque judiciis, in rebus etiam temporalibus & mixtis; cùm tantam in potestatis suæ societatem Reges ipsi sibi Episcopos cooptassent, sicut antea declaratum est. Statutum est in Concilio Toletano III. ut nisi Clerici majores domo sua quamprimùm abigant mulierculas omnes, ex quibus suspiciones quædam obliquiores nasci queant, illas Episcopus vænire jubeat, & pauperibus pretium eroget. (Can. 5.) *Mulieres ab Episcopis venumdentur, & pretium ipsum pauperibus erogetur.* In eodem Concilio jussi sunt Episcopi cum Judice Regio diligentissimè perquirere, ecquæ usquam superessent Idololatrarum reliquiæ, in eosque pro æquitatis modo animadvertere. (Can. 16.) *Hoc cum consensu gloriosissimi Principis sancta Synodus ordinavit, ut omnis Sacerdos in loco suo unà cum Judice territorii sacrilegium idololatriæ perquirat, & exterminare inventum non differat, homines verò qui ad talem errorem concurrunt, salvo discrimine animæ, qua potuerint, animadversione coërceant.* Rursus ab eodem Concilio & à Recaredo Rege mandatum est Episcopis, ut unà cum Judice Regio scrupulosissimè inquirerent in eos parentes, qui exsecrabili immanitate propriis filiis necem inferrent. (Can. 17.) *Ergo & Sacerdotes locorum hæc sancta Synodus convenit, ut idem scelus cum Judice curiosius quærant, & sine capitali vindicta acriori disciplina prohibeant.* In hoc eodem denique Concilio jussi sunt Episcopi excubias agere in Judices omnes Regios; si in leges committerent, id revocare: Regem de tota eorum perversitate commonefacere. (Can. 18)

VI. In Concilio Hispalensi I demutatum est aliquid de Canone Toletani Concilii III. suprà relato. Judicibusque permissum est, ut suspectas mulieres, quas suis non summovissent Clerici ex ædibus, ipsi servas in posterum haberent. (Can. 3.) *Cum voluntate & permissu Episcopi, comprehensas in suis lucris usurpent.* Sed in ea re pigritentur Judices, Episcoporum cura & jussu corripiendæ illæ erant, & in Monasteria ad perpetuam servitutem compingendæ. (Can. 43.) *Mulieres illæ juxta priores Canones à Sacerdotibus distractæ, in Monasterio Deo votarum tradantur servituræ.* Rursus tamen in Concilio Toletano IV. vigori suo restitutus est Canon Toletani III. *Quæcumque Clericis taliter adjunctæ sunt, ab Episcopo auferantur & venumdentur.* In Concilio Toletano IX. filii Clericorum majorum post ordinationem suscepti, non spurii tantùm, & successionis cujuscumque exortes declarati sunt, sed & in servos mancipati ei Ecclesiæ, quam ortu suo fœdassent. (Can. 10.) *Proles eorum tali nata pollutione, non solùm parentum hæreditatem nusquam accipiat, sed etiam in servitutem ejus Ecclesiæ, de cujus Sacerdotis vel Ministri ignominia nati sunt, jure perenni manebunt.*

VII. Præclara oppidò hæc sunt sacræ in res temporales jurisdictionis documenta. Sed & his elucidamenti, roborisque non parva fiet accessio, si pœnas contemplemur, quibus forum Ecclesiasticum sæviebat. Januario Calaritano Metropolitano à Gregorio Magno mandatum est, ut residuos Sardiniæ suæ Idololatras, sortilegos, & nefarios ejusmodi homines insectaretur acerrimè, carcere & pœnitentia, si ingenui essent, eos puniret; flagellis etiam si servi. *Quod si emendare se à talibus, atque corrigere nolle reppereris, ferventi comprehendere te zelo volumus; & siquidem servi sunt, verberibus cruciatibusque, quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare. Si verò sunt liberi, inclusione digna districtaque, sunt in pœnitentiam dirigendi. Ut qui salubria & à mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatibus saltem eos corporis ad desiderandam mentis reducere valeas sanitatem.* (L. 7. Ep. 67.)

Ab eodem Gregorio jussus est Apostolicus Nuntius, infandi cujusdam Presbyteri facinorum strenuam exercere vindictam, atque illum actutum corripere, & in tetrum contrudere carcerem. *Si qua indicia apprehendere hujus rei potueris, eum in custodia districta, quousque nobis renuntias, redige.* (L. 8. Ep. 5.) Ad alium ille ex Nuntiis suis rescripsit, ut Episcopum Paschasio instaret, quò Subdiaconum fratrum calumniatorem gradu dimoveret, flagellis cæderet, exulare juberet. *Subdiaconatûs privet officio, atque verberibus publicè castigatum, faciat in exilium deportari.* (L. 9. Ep. 68.) Exilii pœnam Gregorius ipse indixit ei, qui se Defensorem agebat, cùm non esset. (L. 9. Ep. 47.) Carceribus & exiliis in Clericos, in Presbyteros & in Episcopos ipsos animadvertisse Concilia & Præsules Hispaniarum idem alibi observat. Voluit tamen ut Archiepiscopus Justinianæ primæ in Paulum Episcopum humanius aliquid consuleret, (L. 11. Ep. 52.) eumque in Monasterium conjiceret, ubi in reliquum vitæ tempus pœnitentiæ addiceretur. (L. 10. Ep. 34.)

VIII. Augostinum verò Angliæ Apostolum edocuit Gregorius, qui esset Clericorum sensus, qui animus, ubi acerbiores in reos pœnas decernunt. Charitate sæviunt, non ira: castigant, quia amant, & temporali pœna cupiunt æternos extingui ignes. In plectendo non duros se Judices agunt, sed patres mitissimos, qui filios cædunt, ut dignos sibi hæredes comparent. Denique medicinales magis pœnæ sunt, quàm judiciariæ, quas Judex Ecclesiasticus designat. *Et cùm paulo districtiùs agitur, ex charitate agendum est, & non ex furore: quia ipsi hoc præstatur, qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filiis solent, quos & pro culpis verberibus feriunt, & tamen ipsos quos doloribus affligunt, habere hæredes quærunt; & quæ possident, ipsis servant, quos irati insequi videntur.* (L. 12. c. 31.)

IX. Vetustissimæ etiam & in Galliarum foro Ecclesiastico cædem pœnæ. Concilium Agathense verbera & flagella intentat Clericis & Monachis vagis. *Quos si verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coërceri.* (Can. 38.) Ebrietas eidem pœnæ subjicitur, vel menstruæ suspensioni. *Clericum quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio à communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio.* (Can. 41.) His verbis, *ut ordo patitur*, illud insinuatum auguror, suspensionem ad

majores Clericos, verbera ad minores pertinere. Qua in interpretatione duce & Magistro utimur Gregorio, cùm ejusdem criminis reos verberari jubet Subdiaconum, Diaconum exauthorari. *Quod esset Diacono gradum amittere, hoc fuit Subdiacono furum plenitudine caruisse, &c. Subdiaconus non Sacerdotio, sed officio caruit, & tanquam revera infamis, meruit verberibus castigari.*

Joannes Diac. l. 4. c. 31.

In Concilio IV. Aurelianensi jubetur, ut Episcopi exilium indicant mulierculis iis, quorum impudicitia Clericis insidiatur. In Concilio Matisconensi I decernitur carcer, vel secessus triginta dierum Clericis superioribus, inferioribus autem ea verberum pœna, quorum numerum moderatur lex Mosaica, si ab his, vel illis Clerici alii coram civili Judice conveniantur. *Si junior fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat: sin certè honoratior, triginta dierum conclusione mulctetur.* Adversus Dominicæ diei violatores in Concilio Narbonensi decretum est, ut si liberæ sortis essent, mulctam publico Judici solverent: si servilis, centenis exciperentur verberibus. *Si ingenuus est, det Comiti Civitatis solidos sex: si servus, centum flagella suscipiat.* Si minores Clerici officio desint, nec sustollant vela, dum procedunt Seniores, Subdiaconi quidem verbis castigantur, aut sportularum privatione, Clerici minores verberibus corripiuntur. *Subdiaconos verbis corripiendos, & si non emendaverint, stipendio privandos; reliquos flagris coërcendos.* In eo denique Concilio Sortilegi flagellatione publica plectuntur, tum venire jubentur, pecuniam pauperibus erogari. *Seu liberi, seu servi, vel ancillæ sint, gravissimè publicè fustigentur, & venumdentur, & pretia ipsorum pauperibus erogentur.* Qui verò eos consuluerint, *si sex auri uncias Comiti Civitatis inferre* coguntur. Concilium Liptinense Clericis, Monachis, & Monialibus, qui se carnis libidine contaminassent, jejunia indixit, ubi pane & aqua tantum vitam tolerarent, & carceri includerentur per annum, egregiè antea flagellis cæsi; Presbyteris idem carcer, eadem pœnitentia præscribitur, in totum biennium protrahenda; Moniales radi jubentur. *Si ordinatus Presbyter sit, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus, & scorticatus videatur. Si autem Clericus vel Monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, vertente anno ibi pœnitentiam agat. Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur, & radantur omnes capilli capitis ejus.*

Can. 29. Can. 3. Can. 4. Can. 13. Can. 14 Can. 6.

X. Quæ ex Hispaniæ Conciliis supra corrasimus, in iis satis argumenti est, pœnas quæ in reos statuerentur, certissima fuisse documenta jurisdictionis amplissimæ & inconcussæ. Carcer, flagellatio, exilium, & pœnæ erant, & pœnitentiæ. *Et modus criminis agnoscatur, & modus pœnitentiæ irrogetur. Ita tamen, ut si exilio vel retrusione dignum eum esse, qui deliquit, judicium peculiare decreverit, modus pœnitentiæ, quam coram tribus fratribus Sacerdos transgressori indixerit, speciali debeat ejus qui sententiam protulit, manus propriæ subscriptione notari.* Scriptis consignanda erat sententia, priusque distruenda fuerat à tribus doctis probisque viris cum Episcopo; ut ea esset veluti plurium in commune consultatio medicorum ad æternam plectendi & sanandi rei salutem. In infideles ipsos eadem quandoque verberationis & exilii pœna statuebatur. *Si infidelis est, & verberibus subdatur, & perpetuo exilio relegetur.* Concilium Braccharense III. excommunicatione eos innodavit, exilique pœna, qui leviores ob culpas, Presbyteros, Diaconos & Abbates cædi jussissent, quibus eximia quædam dependenda veneratio est, tanquam illustribus Collegii sacerdotalis portionibus. Denique triplici simul hac pœna sævit Concilium Toletanum XVI. flagellis, calvitio, & exilio. *Insuper centenis verberibus correpti, ac turpiter decalvati, exilio mancipentur perpetuo.*

Conc. Emerit. c. 17. Tolet. XI. c. 3. 7. Ibid. c. 11. Can. 6. Can. 3.

XI. In hoc sanè Toletano Concilio disceptata est causa Sisberti Episcopi Toletani, quamvis in Regis caput & majestatem & in Rempublicam conjurasset. Propria se ille confessione reum agnovit, unde & à Synodo excommunicatione, depositione & exilio damnatus est. Erat ergo in Hispania illud more receptum, non secus quam in Gallia, & Italia, ut nunquam Episcopi, nisi coram Episcopis, & in Conciliis causam dicerent, quo de cumque demum crimine agerentur. Illud à Baronio observatum est, Egicam Regem ea in Episcopos reverentia fuisse, ut quanquam semel & iterum libellos supplices ei Concilio obtulisset, nihil tamen de Toletano Præsule conquestus sit. Quanquam autem inter Regni Comitia numerari posset hoc Concilium, Synodale tamen illud fuisse judicium, ea judicio hoc ipso abundè patet, & ex pœnis canonicis.

Baron. an. 693. n. 2. 3.

CAPUT CVII. *P. 3. l. 2. c. 64.*

Jurisdictio Episcopalis Laïcorum litibus dirimendis vacabat adhuc urgente charitate, sub imperio Caroli Magni, ejusque stirpis.

I. Renovatur à Carolo Magno Constantini Lex, ut laicis integrum sit causas suas Episcopis committere dirimendas.

II. In hujus legis innovationem multa observantur. Ei assensus accessit Comitiorum Regni Generalium. Via illa liberabat ad ineunda pacis, concordia, & charitatis mutua fidelium.

III. Voluit Carolus Magnus, ut civiles Magistratus omnes Episcopis consentirent & collaborarent.

IV. Lex alia Capitularium expenditur, & elucidatur.

V. Ejus jurisdictionis rivulis ad Presbyteros, & Clericos alios defluebant.

VI. Liberum erat laicis, ut ei se subjicerent in causis civilibus, at liberum non erat, ut se subtraherent potestati spirituali, vel sacris, ac præsertim canonicis.

VII. Judices publicos voluit Carolus Magnus consentire & subesse Episcopis.

VIII. Et Episcopalium sententiarum executionis ministro.

IX. Extimulabantur laici quoque Judices, ut ad normam & mentem Canonum judicarent.

X. Reges, Magistratus, & Episcopi, ut membra Christi & Ecclesiæ ejusdem, unum in eum scopum connitebantur, ut regnaret Christus & justitia; vel subjicerentur publicæ pœnitentiæ.

XI. Magistratuum jurisdictio Episcopali concedebat, & accommodabat se.

XII. XIII. Qui Officiales, & quæ pœna fori Ecclesiastici.

XIV. Græcorum mores.

I. QUam piè & sanctè, tam molestè occupantur Episcopi terminandis causis Cleri, Cœnobiorum, & Plebis. A plebe exordiar, ubi charitas se potius, quàm jurisdictio explicabat. Innovavit sanè Carolus Magnus, suisque Capitularium libris intexuit Legem Constantini, quæ in Theodosiano Codice legitur, eique universim subesse voluit nationes omnes, Imperio tum Francico obnoxias, hoc est Occidentem propemodum affinem. *Volumus atque præcipimus ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante subjecti, tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bajoarii, Saxones, Turingi, Frisones, Galli, Burgundiones, Longobardi, Beneventani,*

Capitul. l. 6. c. 281.

Gothi & Hispani, cæterique nobis subjecti omnes, licet quocumque videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex decimo-quarto Theodosii Imperatoris libro, capitulo undecimo ad interrogata Ablavii Ducis sumpsimus, & inter nostra Capitula, pro lege tenendam, consultu omnium fidelium nostrorum, tam Clericorum, quam & Laïcorum posuimus, lege cunctis perpetua tenendam.

II. Quæ paulò prolixius hic assui necesse fuit, ut observes, 1. A Carolo Magno sacram jurisdictionem ea amplitudine & authoritate rursus donatam, etiam in laïcos, qua quondam sub Constantino & Theodosio effloruerat. Tres ergo longè maximi Imperatores, & meritissimo Magni cognomen adepti, Episcopale tribunal primævæ suæ luci, gloriæque reddidere, duce & auspice usi Paulo ipso Apostolo, qui fideles invitaverat omnes, ut dissensiunculas litesque suas omnes Episcopali examini subesse vellent. 2. Ea Constantini & Theodosii Lex in Comitiis Francici & Gallicani Imperii promulgata est & confirmata, quo maxima tùm ex parte Europa continebatur universa. *Consultu omnium fidelium nostrorum.* 3. Jam tum verò gentes illæ Imperio Francico subditæ, duas in classes secabantur, quarum huic Jus scriptum, seu Leges Romanæ usui erant, illi verò jus consuetudinarium. Utrique promulgata & usu recepta hæc Constitutio Constantini fuit. *Legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi.* 4. Unum & idem illud Carolo Magno, quod olim Constantino & Theodosio propositum erat: non tam ut novus aliquis splendor Episcopali dignitati aspergeretur, quàm ut altissima pax conciliaretur fidelibus omnibus, revocandis eorum litibus omnibus ad communem parentem, qui eas sopiret, acceleraret, extricaret, funditus extirparet, in posterum etiam præfocaret, inexpugnabili quadam concordia inter Ecclesiæ filios omnes constabilita: *Hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines longis ac pene perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel à cupiditate præpropera maturo fine discedant.*

Enimvero nihil agit, aut perparùm, qui unam litem dirimit, qui unam elidit fibram insatiatæ hominum cupiditatis, nisi in ipsam litium omnium radicem ferrum descendat, hoc est in eandem ipsam cupiditatem, eaque revulsa charitas inseratur æternorum. Atqui hæc ipsa erat propria vis & potestas Ministrorum Christi, cui vel hi ipsi per has leges subscribebant Imperatores, gnari expertique, hos demum unos esse Judices, qui Christi charitatem, litium & cupiditatum omnium expugnatricem partibus inspirent.

III. Diximus suprà, quæ essent capita summa legis hujus Constantinianæ. Laïcis omnibus fas erat suas ad Episcopum revocare causas temporales, initio, & in progressu litis, actoribus, & reis, etiam invitis partibus, sine provocatione, nec ullo prorsus præfixo limite. Nec enim expediebat terminos defigi ullos ei potestati, quæ unam spirabat charitatem, uni laborabat justitiæ, uni religioni & pietati firmandæ. Hinc Carolus Magnus Officiales regni omnes, Magistratus, & Judices præcepit, ut Episcopis ubique morigerarentur ad vitiorum extirpationem. *Jubemus, ut omnes eis pro viribus, ad eorum peragenda ministeria, & ad malos, & peccatores, atque negligentes homines distringendos, summopere obedientes existant.* Publicè autem professus est, qui his decretis suis immorigeri essent, eos

Capitul. l. 7. c. 306.

ejectum à se iri, & honoribus omnibus, & Palatio & Imperio, ne liberorum quidem suorum exceptione ulla. *Qui autem in his, quod absit, aut negligentes, eisque inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in nostro Imperio honores retinere, licet etiam filii nostri fuerint, nec in Palatio locum, neque nobiscum aut cum nostris societatem aut communionem ullam habere.*

IV. His ita constitutis jam ambigere poterit nemo, quin mendosa sit, & meritò castiganda editio alterius decreti Capitularium, ubi ea libertate exuuntur laïci, referendarum ad Judices Ecclesiasticos controversiarum suarum. *In Civitatibus, in quibus Præsides præsunt, ipsi audiant causas, seu & Defensores. Qui autem Episcopos, vel Sacerdotes, aut Clericos judicare sibi maluerint, hoc quoque fieri non permittimus.* Ea vox *non* expungenda, subroganda illa est *nos.* Præter Capitulare suprà relatum, cujus hoc videtur esse breviarium: hac etiam voce *quoque* apertè insinuatur, affirmantem esse quæ sequitur, sicut & quæ præit orationem.

L. 5. c. 34.

Edit. Baluz. L. 5. c. 347.

V. Sed & hic illud adnotandum, non solis Episcopis exerendam tribui jurisdictionem, sed & Presbyteris, Clericisque aliis, quos possunt sibi laïci arbitros Judicesque deligere, ad qualescumque omnino causas, sive conjunctim cum Episcopo causas agitent, sive sejunctim.

VI. Latè patebat hæc jurisdictio, sed arbitraria prorsus erat & libera, quod ad laïcos attinebat, qui à laïcis suis Judicibus poterant non deflectere. Verùm ad causas etiam civiles ea libertas restringenda est, non ad eas, quæ ad publicam morum expurgationem vergunt, & ad ea castiganda facinora, quæ publicam conscientiam vulnerarent. Audivimus enim modò Carolum Magnum, exertè præcipientem Præsidibus, Magistratibus & Judicibus, ut & ipsi subessent, & ut populos omnes subjicerent Edictis Episcoporum, ad criminum expiationem, extirpationemque pertinentibus. Quodque minimè prætereundum est, id juris profitetur Carolus Episcopis lege divina, & sacris Codicibus vindicari. *Volumus atque præcipimus, ut omnes suis Sacerdotibus, tam majoris ordinis, quam & inferioris, à minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cujus vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. De illis dictum est, Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, &c. Qui vos recipit, me recipit, &c. Et multa alia horum similia. His ergo fulti oraculis, jubemus, ut omnes eis pro viribus ad eorum peragenda ministeria, & ad malos, & peccatores, atque negligentes homines distringendos summopere obedientes existant.*

Capitul. l. 7. c. 306.

Sejungenda igitur sedulò est Episcopalis jurisdictio ad res temporales & civiles causas, ab ea quæ vim suam divinam exerit in publicos peccatores. Prior illa quasi precaria est, ab Imperatoribus indulta quos designavimus, & ab ipso laïcorum arbitrio suspensa. Altera hæc posterior jure divino Episcopis adscribitur, eorum ordini insita penitissimè, à qua eximi solvique nunquam possint fideles.

VII. Usque adeo autem non poterant Judices & Magistratus obstrepere huic Episcoporum jurisdictioni graviorum facinorum ultrici, ut vel ipsi censuræ subderentur Episcoporum, qui Imperatorias quodammodo vices sustinebant, ut imminerent Judicibus, eorumque perversitates vel castigarent, vel renuntiarent Imperatori. *Oportet, ut Episcopi sint semper perspectores, secundum Regis admonitionem, qualiter Judices cum insolentias eorum auditibus Principum*

Capitul. l. 7. c. 214.

innotescant. Quod si correptos emendare nequiverint, & ab Ecclesia, & à communione eos suspendant.

Hanc Judicum Ecclesiæ authoritatem novis adminiculis communire voluit Concilium Francofordiense, cum Comites & Provinciæ Præsides sanxit, Can. 8 Audientiæ Episcopi coràm interesse. *Statutum est à domno Rege & sancta Synodo, ut Episcopi justitias faciant in suis Parochiis, &c. Comites quoque veniant ad judicium Episcoporum.* Subjicitur mox, quidquid Episcopus non potuerit terminare litium, id ad Metropolitanum referri debere: si quid minùs possit Metropolitanus, tum accusator & reus Re- Can. 6. giam ut adeant Curiam. *Et si aliquid est, quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores, cum litteris Metropolitani, ut sciamus rei veritatem.*

VIII. Nec satis erat Episcopis subjici & parere Judices; illis ipsis demandabatur executio Episcopalium Decretorum, quæ non aliud ferè, quàm Evangelicæ legis oracula erant, & concordiæ, pietatisque scita. Ita quippe in Concilio VI. Arela- Can. 13. tensi statutum est anno 813. *Ut Comites, Judices, seu reliquus populus obedientes sint Episcopo, & invicem consentiant ad justitias faciendas.* Nec aliter Concilium Moguntinum eodem anno celebratum: *Ut* Can. 8. *Laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos defensandos, & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam. Et Episcopi consentientes sint Comitibus & Judicibus ad justitias faciendas.* Idem & Carolus Magnus Capitul. l. 2. c. 6. Comitibus injunxerat: *Vobis Comitibus dicimus, vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maximè pertinet, ut reverentiam & honorem sanctæ Dei Ecclesiæ exhibeatis, & cum Episcopis vestris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis.*

Concilii Meldensis Patres anno 845. Carolum Calvum interpellavere, ut ejus diplomatibus singuli munirentur Episcopi, quò possent Magistratus compellere, ut animum, vires & authoritatem suam conferrent omnem ad Canonum restituendam observantiam, eorumque, quæ Episcopali judicio diffi- Can. 71. nita fuissent. *Ut authoritatem sigillo Regio roboratam more tractoria Christianissimus Princeps singulis donet Episcopis, quam quisque Episcoporum penes se habeat, ut quando ei necesse fuerit; per eandem authoritatem Reipublicæ Ministros conveniat, ut ipsi, in quibuscumque civili indiguerit adjutorio, Reipublicæ Ministris concurrentibus, suum, immo divinum possit ritè peragere ministerium.*

Anno 858. Episcopi Carisiacensis Concilii à Ludovico Rege Germaniæ poposcerunt, ut Officiales & Ministri Judicum Regiorum vi pertraherent incestuosos ad Tribunal Episcopi, si sistere se detrectarent, postquam à Presbyteris admoniti fuissent. Can. 7. *Ut Missus Reipublicæ, id est, minister Comitis, cum Episcopis, si jusserint, eat; qui liberos homines incestuosos, si per admonitionem Presbyterorum venire ad Episcopum noluerint, & ad Episcopi placitum venire faciat, commendate.*

Anno 876. in Concilio Pontigonensi, cujus decreta roborabantur ipsa Caroli Calvi Regis præsentia, singulis Episcopis adscripta, & asserta est plenissima potestas Missorum Dominicorum, ut ad suum obsequium inflecterent Judices omnes Re- Can. 12. gios inferiores. *Ipsi Comites Episcopos, ut sanctos Patres honorent & venerentur, & ad ministerium illorum peragendum, ubicumque potuerint, eos adjuvare decertent.* Et paulò inferiùs: *Ipsi nihilominus Episcopi singuli in suo Episcopi Missatici nostri potestate & authoritate fungantur.*

IX. Usque adeo constabat, totam hanc vim & pompam Episcopalis fori, Regia potestate subnixi, ad solam spectare & conniti criminum publicorum expiationem, & ad concordiæ & charitatis inter fideles restaurationem, ut Episcopi ipsos Reges invitarent ad id collaborare, ut Regia ipsa Tribunalia Judicumque terrenorum Consistoria ad illam eandem Christianam pacem cælestemque concordiam conspirarent. Id sanè flagitasse videntur Episcopi Concilii Carisiacensis in Epistola sæpiùs nobis commendanda, ad Regem Germaniæ Ludovicum data. *Constituite Comites & Ministros Reipublicæ, qui placita non pro acquisitione lucri teneant; sed ut causa Dei, & vidua ac pupilli & populus justitiam habeant; & plus litigantes ad concordiam salva justitia revocare studeant, quàm committere, ut ipsi inde aliquod lucrum possint habere. Quos si pacificare non potuerint, tunc justum judicium decerni faciant, &c.* Anno 858. Cap. 12. Hinc illa Regum & Imperatorum propensio ad jurisdictionem Episcopalem amplificandam, quæ prævertendis, præfocandis litibus, aut pacandis paterna charitate serviret.

X. Specialiùs tamen in id insudabant Ecclesiastici Judices, ut peccatores publicos ad publicæ pœnitentiæ jugum subeundum, vel volentes adducerent, vel pertraherent invitos. Vel hinc intelligis, quàm æterna & cælestia spiraret tota Ecclesiæ jurisdictio. Ideo enim & ad Imperatores confugiebant Episcopi, quò cogerentur peccatores publici, ut publicam pœnitentiam subirent. *Ut à Dom-* Capitular. *no Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis* Addit. 3. *publicè peccat, publica mulctetur pœnitentia; & secun-* c. 23. *dùm ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.*

Ita Episcopali Regia accedebat jurisdictio & authoritas, ad Canonum tuitionem, ad pietatis & disciplinæ sacræ redintegrationem in omnibus Reipublicæ Christianæ & Ecclesiæ membris. Quippe ex Regibus & Pontificibus unum corpus, una coagmentatur Ecclesia, & cum alii aliis inserviunt, suæ ipsorum singuli saluti consulunt, & amplitudini. Præclarissimè quippe Hincmarus hæc inculcat: *Quamvis potestas Regni ad præsens videatur divisa,* To. 2. pag. *una est tamen Ecclesia, unum genus electum, regale sa-* 225. 227. *cerdotium, gens sancta, &c. Hujus domùs decorem diligere & Zelari debent non solùm Episcopi & Sacerdotes in sedibus, sed etiam Reges in Regnis & Palatiis suis, & Regum Comites in civitatibus suis, & Comitum Vicariis in plebibus suis, &c.*

Arnulphus quoque Imperator vestigia premens Majorum suorum, in Concilio Triburiensi anni 895. constituit, ut si quos Episcopus communione interdixerat, ii recusarent leges subire pœnitentiæ & reconciliationis, à Comitibus comprehensi ad se pertraherentur, ut potestate Regia eorum contumacia frangeretur. *Præcipimus omnibus Regni* Can. 3. *nostri Comitibus, postquam ab Episcopis anathemate excommunicationis percelluntur, & tamen ad pœnitendum non inclinantur, ut qui divina judicia non verentur, humana sententia feriantur.* Illud ipsum statutum fuerat à Carolo Calvo in Concilio Suessionensi II. an- Can. 10. no 853.

XI. In eodem porro ipso Triburiensi Concilio constituit idem Arnulphus, ut si Episcopus in obambulanda Diœcesi sua Synodum alicubi indiceret, populumque convocaret: ne posset Comes eodem loco & die Conventum populi habere; sed accede-

ret ipse, plebémque secum advocaret ad Episcupi Synodum: quòd certandum sit cum Episcopis non de lucro, vel de gloriolæ fomo; sed de medicina vitiorum passim grassantium, & de æterna animarum salure. Can. 9. *Comes populusque post Episcopum festinè pergant, scientes se non illic seditiosa contentione decertare, sed pro fide Catholica invigilare; non cumulum pecuniarum, sed lucrum congregare animarum.*

Hoc Canone manifestum sit in potestate fuisse Episcopi, ut populum convocaret, vel in civitate, vel ruri, & Comites Præsidesque ipsos eò adpropesare debuisse. Sed illud mirari nunquam satis potesimus, ut & in hoc, & in Francofordiensi Concilio, aliisque nonnullis, Canones edicantur, & promolgentur ipsius ore & verbis Imperatoris, aut Regis, quasi in unum coaluisset regnum & sacerdotium; & quasi Rex Synodusque uno animo, uno ore quidvis sancirent, edicerentque, etiam ubi Canones ad Episcopatûs gloriam cudebantur.

XII. Si quis excipiat, hujus sacræ jurisdictionis nullos fuisse ministros, vel executores; nec pœnas alias, quàm excommunicationes & pœnitentias. Respondebimus ministros omnes & executores Judicum publicorum, Imperatoris Regisque legibus compulsos fuisse exequi quidquid Episcopi decrevissent, ne exceptis quidem Comitibus. Nec replicabo hic quæ in hujus rei confirmationem sparsa sunt toto hoc capite.

Quod ad pœnas attinet hoc ævo indici solitas in foro Ecclesiastico, in Concilio Aquisgranensi anni 816. jussi sunt Abbates Canonicorum, quæ in Regulam committerentur, ea ulcisci, non jejuniis tantùm, ubi pane & aqua tantùm vescerentur, sed Cap. 134. etiam verberibus: *Congrua ei verberum adhibeatur castigatio*: & carceribus: *Sit locus intra claustra Canonicorum, quò ad tempus retrudantur, & secundùm modum culpæ castigentur.*

Rex ipse Carolus Calvus in Concilio Suessionensi II. agnovit, Episcopos & eorum Officiales in potestate habere, ut rusticos virgis cædi facerent, criminis cujuspiam convictos; & si quando eorum domini seu Seniores id impatientiùs ferrent, & renitenentur: tum verò eos, & Episcopali feriendos excommunicatione, & illis civilibus pœnis, quibus etiam aliquantò acerbior futura esset Anno 853. Can. 9. Regis indignatio. *Ut Missi nostri omnibus per singulas Parochias denuntient, quia si Episcopus & ministri Episcoporum pro criminibus colonos flagellaverint cum virgis, propter metum aliorum, & ut ipsi criminosi corrigantur, cum tali discretione, sine ulla occasione indebita, sicut in Synodo collocutum est, ut vel inviti pœnitentiam corporaliter & temporaliter agant, ne æternaliter pereant; si seniores ipsorum colonorum indignè tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringantur, contendere præsumpserint; sciant quia & bannum nostrum component, simul cum excommunicatione Ecclesiastica, nostram armiscaram durissimè sustinebunt.*

In Capitolaribus Caroli Magni, carceri, jejuniis, & verberibus addicti fuerant Clerici, & Moniales, & Monachi, qui carnali spurcitia sanctimoniam suæ professionis contaminassent. *Presbyter duos* L. 5. c. 316. *annos in carcere permaneat, & antè flagellatus, & scorticatus videatur, & pòst Episcopus adaugeat, Clericus,* Conc. Mog. ann 813. c. 45. *Monachus post tertiam verberationem in carcerem missus, &c.* Capitul. l. 5. c. 68. Ea jam vox *Disciplina* in Capitularibus & Conciliis ejus ævi flagellationibus his pœnitentium Reg. Aurel. c. 41. aptabatur. Regula Aureliani quadragenas una minus plagas indixerat.

XIII. Fateor medicinales fuisse pœnas ejusmodi omnes. Sed non aliæ sunt pœnæ plerumque civiles; amore enim justitiæ, non vindictæ cupiditate aguntur Judices, ut iniquos plectant, & iniquitate comprimenda ad justitiam compellant. Pœnitentium publicorum pœnæ & macerationes omnes de spiritali manabant medicinæ arte, & tamen Episcopalem prædicabant jurisdictionem. Potest qui Medicus, idem & Judex esse. Si non judicant vulgò Medici, certè Judices medicinam faciunt, animique morbis medicantur, dum corpora cruciant. Cùm B. Romualdus ex Gallia Ravennam redux, patrem suum reperisset Monasticæ pertæsum vitæ, & eam mox ejuraturum, ut sæculi se sordibus rursum inquinaret, ligneis illum ferreisque compedibus constrinxit, nec macerare carnem ejus destitit, donec mentem pristino vigori, propositique sui constantiæ reddidisset. *In ligno pedes ejus fortiter strinxit, clavibus duris affixit, & tandiu corpus ejus pia severitate perdomuit, donec ejus mentem ad salutis statum, Deo medente reduxit.* Surius die 19. Jun. c. 13.

Ea est conditio & vis pœnarum, tum civilis, tum Ecclesiastici fori. Ne in illo quidem infligitur mors, nisi quos resipiscere posse desperatur. In isto ad meliorem frugem revocari posse spes est, quantumvis occaluerint, quicumque mortalis adhuc agitant membra. Ratio prorsus diversa est, & una tamen sapientiæ atque æquitatis lex utrobique regnat. Ex eo autem capite fluit hæc diversitas, quòd Dei unius sit scrutari inscrutabilia cordis penetralia, & dispicere, qui ex illo baratro emergentes, frugi aliquando futuri sint.

Ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum miserat Hincmarus nepos decretum, quod aiebat esse Concilii apud Tusiacum. Eo cogebantur, qui Ecclesiam violassent, triplum aut quadruplum restituere, præter pœnitentiam ab Episcopo indicendam. Repudiavit Hincmarus hoc decretum, ut quod repugnaret Gregorii Magni Epistolæ ad Augustinum Angliæ Apostolum: ubi negat sanctissimus Pontifex, posse Ecclesiam lucri aliquid ex crimine captare, & plus repetere, quàm ablatum sit. *Absit, ut Ecclesia cum augmento recipiat quod de rebus terrenis videtur amittere, & lucra de vanis quærat.* Conc. Duz. C. illo p. 113.

Indubium tamen est, illud Concilium in vico habitum Ecclesiæ Tullensis anno 860. & ex Episcopis adunatum quatuordecim Provinciarum, eam decrevisse pœnam, ad frangendam cohibendamque tum rapacitatem effrænatissimam prædonum in Ecclesiæ bona involantium; nec eam Clericis tantùm, sed & Laïcis pœnam indixisse. *Si Clericus tanta cupiditate sacrilegii corruptus, aut Laïcus, &c. Pervasa secundùm qualitatem personæ, aut in simplum, aut in duplum, aut in triplum, aut in quadruplum Ecclesiæ restituat; inde pro sacrilegio ab Episcopo suo consilium salutis & pœnitentiæ modum suscipiat.* Can. 1. Quibus extremis verbis apertè secernuntur duo pœnarum genera, quarum aliæ medentur, aliæ cruciant, etsi reapse & medeantur & crucient utræque.

Sed quod ad restitutionem dupli, quadruplique attinet. Apparet 1. A Conciliis præscriptas fuisse pecuniarias pœnas. 2. Nec adversari Gregorium, cùm latrones in eadem ipsa Epistola affirmet plecti debere nunc mulctis, nunc verberibus. *Unde necesse est, ut quidam damnis, quidam verò verberibus corrigantur.* Regest. l. 12. Epist. 31. 3. Nec damnat Gregorius, nisi eorum Ecclesiæ Judicum præposteram avaritiam, qui passim pecuniarias mulctas indicerent, ut Ecclesiæ thesauros congererent ex iniquitate fidelium. Atqui

quemquam in crimen ageret coram Judice sæculari.
L. 6. c. 155. *Nullus ex Ordine Clericorum inconsulto proprio Episcopo, ad Judicem sæcularem pergat, neque apud eum suo Episcopo non permittente quemquam pulsare, aut cuiquam ante eum respondere, aut quicquam proponere præsumat; neque criminale negotium in judicio sæculari pro-*
L. 7. c. 507 *ponere audeat.* Et alibi: *Clericus cujuslibet gradus sine Pontifices sui permissu nullum ad sæculare judicium præsumat attrahere.*

Declinare ergo Clerici non poterant forum civile, ubi ex causa civili à laïcis conveniebantur; nec poterat Episcopus non id permittere: cùm posset quidem laïcus Episcopale forum laïco anteponere, non tamen cogeretur. 2. Non poterat Clericus laïcum in causa criminis ad Judicem sæculi trahere, tum ne ut in laqueos se excommunicationis induceret: tum quod invehi Clerici non possent in reos, nisi ut eos ad pœnitentiam provocarent. 3. Clericus laïcum coram laïco Judice non poterat convenire, nisi Episcopus annuisset. Cùm enim vel laïci ipsi ab Apostolo inviati sint omnes, ut ne nisi coram Episcopo litigarent: haud æquum est Clericos tam diversa sectari placita, & committere, ut pluris facere videatur sæcularia, quam Ecclesiastica
Capitul. l. 7. c. 112. Tribunalia. *Cùm enim ad eligendos Judices undique Ecclesiæ pateat authoritas, se indignum fraterno consortio judicat, qui de universa Ecclesia malè sentiendo, de sæculari judicio poscit auxilium.* Quo insinuatur, Clericum à laïco impetitum, Judici Ecclesiæ se commisisse, id enim ejus erat, & juris, & officii: laïcum verò tunc obsequi debuisse. Ex jure enim *Author sequitur forum rei.*

Conc. Carthag. III. c. 9. 15. Vernum. c. 18. Con. Calab. c. 9. Conc. Rom. c. 12.
Ex Concilio verò Carthaginensi III. excerptus videtur fuisse Canon ille, qui rursus in usum revocatus est in Concilio Verno anni 755. sub Pipino Rege: à quo & illud additum est, obtundendas non esse Principis aures istiusmodi negotiis. *Et maximè ne in talibus causis inquietudinem domno Regi faciat.*

Excommunicatione innodavit Herardus Turonensis Episcopus, si qui Clericorum, vel Monachorum apud aliud tribunal, quam Episcopale judicio contenderent inter sese. Si res autem ipsis esset cum laicis, eadem intentata his pœna, verum ne
Capitul. Herar. c. 7. 2. ad Judicem sæculi eos pertraherent. *Ut si Clerici aut Monachi inter se habent negotia, apud Episcopum finiantur, & non apud sæculares, sin alias, excommunicentur. Ut nullus laïcorum quemquam Clericorum absque permissu Episcopi compellat ad causas vel ad Judicem publicum. Et qui fecerit donec corrigat, ab Ecclesia societate pellatur.*

Ne tibi fingas autem inani authoritatis & jurisdictionis suæ gloria & pompa delectatos Episcopos, etiam Synodicè congregatos hæc sibi munimenta quæsivisse. Conscii sibi ipsi erant obsecundare se Pauli Apostoli votis, & hortamentis, ut jurgia pacarent, pacem tuerentur, vel restituerent, Ecclesiæ filios sinu charitatis uno constringerent, nascentes litium fibras præsecarent; dissidia sine tricis, sine moris, sine strepitu terminarent: & Clero saltem eam conciliarent pacem & charitatem, quam voluerat Paulus in omnes penitus fideles diffundi.
Capit. Episc. An. 829. c. 16. Id enimvero appellarunt Episcopi Gallicani legem Clericorum secundùm quam Clericorum judicia tractabantur, cùm inter Laïcos disceptarentur lites ex legibus Romanis, Salicis, Burgundicis, & quibuscumque tandem humanis. *Nulli Sacerdotum liceat derelicta propria lege, ad sæcularia judicia accedere.*

V. Causas tractabant Episcopi, non in publico, sed in proprio foro, sine strepitu, sine juris strepitu, sine ambagibus, Parentes magis, quàm Judices. Ideo tum ipsi, tum Clerici omnes prohibebantur, ne publicis se unquam inferrent Judicum Curiis, nisi ut oppressis, miseris ve adessent, aut ut Judices ipsos cœlestibus judiciorum legibus imbuerent. In foro enim Clericos versari, propudiosum tum quidem videbatur. Aures admovendæ hic nobis sunt Concilio Cabilonensi II. anni 813. *Ut* Can. 11. *Episcopus ad forum, neque ubi publicè negotia judiciaria exercentur, non pergat sua causa suffragaturus. Nisi fortè ut aut pauperibus oppressis succurrat, aut viduis & orphanis tuitionem conferat, aut de Verbo Dei Judices admoneat, ut juxta Domini præceptum justa judicent judicia. Hoc & de Abbatibus, & de Presbyteris, & Diaconibus, & maximè Monachis observandum est.*

VI. Fidenter Episcopi Concilii Aquisgranensis II. anno 836. pronuntiant, vetuisse Apostolum, ne Episcopi litigarent. Quod sanxit Apostolus, universim sanait: Can. 41 sed cùm non mediocris perfectionis ea quidem res sit, certum est ea sanctione eos potissimum constringi, quos sua ipsa professio perfectioni amplectendæ adstringit, utputa Clericos, Monachos & Episcopos. Ideo ergo cùm in hac parte vulgi fidelium fervor remiserit, in Clero saltem illum renovari curæ fuit, maximè in Cœnobiis, *maximè Monachis*: ut paulò antè aiebat Concilium Cabilonense; sed multò magis inter Episcopos, ex eodem Concilio Aquisgranensi: *Interdicat Apostolica authoritas litigium omni Episcopo. Quam & nos authoritatem amplectentes constituimus, ut nullus Episcoporum se litigiosis immisceat contentionibus.*

VII. Hincmarus Remensis Archiepiscopus rescito, jussu Caroli Calvi Regis Hincmaro Laudunensi Episcopo diem dictum fuisse coram Regiis judicibus, & non comparentis Episcopi res à Magistratu Regio occupatas fuisse; tractatum lucubravit de eo argumento, quem & ad Carolum ipsum misit, ut moneret, & in sacras Scripturarum leges peccatum graviter fuisse, & in Canones, & in Imperatorias Constitutiones, & in Capitularia Caroli Magni, quem librum Regum vocat; *In libro vestro,* Hincmar. *qui appellatur liber Capitulorum Imperialium.* Quo Tom. 2. planum fit, Leges & Canones ex Capitularium li- pag. 320. 327. bris nos exprompsisse, quibus integra per Gallias constaret authoritas, cùm is Regius haberetur Codex. Eo porro tractatu complexus est Hincmarus copiosam congeriem Legum Imperialium, Canonum Synodalium, & Decretorum Pontificiorum circa immunitatem & jurisdictionem Cleri, non dubius illibatam eis suam adhuc constare vim & potestatem. *Episcopi siquidem & reliqui Ecclesiastici viri, secundum Apostolicam doctrinam, & Canones, & Leges, non de crimine, neque de civili causa apud sæculares judicari, neque ad sæcularia judicia debent invitari, vel trahi, sicut tunc temporis fiebat, quando Christi nomen ab Infidelibus non reverebatur. Unde Jacobus Apostolus scribit fidelibus, Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad judicia.*

Si tum autem Hincmarus patrocinio suo nepotem impertiit, aliàs certè acerbiùs in eum stomachatus est, cùm revocari voluit nepos ad incudem Judicii sæcularis, quod ab Ecclesiastico jam Judice cognitum & profligatum fuerat. Gravissimè illum objurgavit, ob inustam illis Canonibus injuriam, qui vetant à superioribus ad inferiores, à Clericis ad Laïcos Judices provocari; sinunt autem dumtaxat appellari ab inferioribus ad superiores Judices Ecclesiasticos; denique ne primo quidem judicio potuisse ab eo Laïcum quemquam pertrahi ad Ju-

dices sæculares, si Clericos ille non recusasset. *Contra Canones, qui ab Ecclesiasticis ad majoris authoritatis Ecclesiasticos Judices, & non a majoribus ad minores, nec ab Ecclesiasticis ad sæculares provocari permittunt, &c. Non licet tibi postposito, vel contempto Ecclesiastico judicio, ad sæcularia judicia convolare, vel quemcumque: nec etiam laicam personam pertrahere, neque ad forum suum sequi, si ipsa laica persona consenserit Ecclesiasticum subire judicium, sicut lex l'ademiniani, quam probat Ecclesia, demonstrat.*

VIII. Cùm omnium intricatissimæ illæ essent causæ, ubi Clerici cum Laicis contendebant, excogitatus est tandem Conventus Judicum mixtus, hoc est, ubi cognitor sedebat Episcopus, cingebant autem illum laici, tum consultissimi juris, tum probitate spectati, quos ipse Rex delegisset. Vide ut de his Hincmarus Carolum Calvum interpellet, horteturque, ne quos deliget nisi spectatissimæ integritatis. *Regia sollicitudo studere debet, ut tales Judices cum Episcopis ad causam inter Ecclesiasticos & sæculares dirimendam eligat & constituat, qui religiosi sint & Deum timeant, & non muneris præmio, non favoris, &c. judicent, &c.* Causæ civiles & pecuniariæ ex eodem Hincmaro, Tribunali eidem mixto subjiciebantur. *Notandum quod Imperatores leges sæculi & Ecclesiæ conservantes, ad causam pecuniariam, id est, civilem, & per Episcopum & sæculares definiendam, cum Ministro Ecclesiastico administrantem Reipublicæ deputarunt.*

To. 2. pag. 839. 840. Conc. Duziac. Collo. pag. 030. 438. 448.

Jam verò cui non subolet Ecclesiasticum hunc magis fuisse Conventum judicialem, cui adesset, præesseque Episcopus, & vel una sui præsentia inde abigeret anfractus litium, strepitum, morositates; inveheret autem silentium, modestiam, pacem, quæ sunt propria Clericatus insignia. Unde infert ibidem Hincmarus: *Et hoc non in publico judicii loco, sed in privato: quia Episcopi non in Consistorio Regum, non in Prætorio Judicum, nec nisi ab Episcopis, aut in Synodo, aut in privato loco, à Primatibus deputatorum, aut in Synodo, aut à se electorum Judicum judicio debent, aut possint regulariter judicari.* Addit denique Hincmarus eam secutos esse rationem Franciæ gentis Imperatores. Et sanè in Concilio Francofordiensi præstituti fuerant Episcopos & Comes, ut conjunctim disceptarent eas lites, quæ Clericos laïcis, vel hos illis commisissent. *Et si fortè inter Clericum & Laicum fuerit orta altercatio, Episcopus & Comes simul conveniant, & unanimiter inter eos causam definiant secundum rectitudinem.*

Haud satis scio, an Triburiensi Concilio exceptio facta sit Presbyterorum cum laïcis litigantium; ibi enim Episcopia solis mandari videtur, ut ea jorgia sedare studeant. *Si quis Presbyter contra laïcum, vel laicus contra Presbyterum aliquam habet querimoniæ controversiam, Episcopo regente, sine personarum acceptione finiatur.*

Can. 28.

IX. Quoad causas ubi terræ & fundi Ecclesiæ in controversiam vocabantur, jam diximus à Carolo Calvo jussum esse Hincmarum Laudunensem, ut ad Judicum Regiorum Curiam delegaret, qui ejus causam agerent adversùs laïcos, quos Beneficos, hoc est agris Ecclesiæ spoliaverat. Quod ille respondit sibi per Canones non licere, ut relicto Ecclesiæ judicio ad sæculare revolveretur. *Excusationem impossibilitatis suæ illuc veniendi mandavit, &c. quid relicto Ecclesiastico judicio non auderet sæculare adire judicium.* Temporalem omnem ejus ditionem tunc Rex per Ministros suos invadi jussit; at fidem faciunt Annales Bertiniani tam strenuè in Concilio Pistensi eadem

Hincmar. To. 2. pag. 317.
Annal. Bertin. an. 868

Carolo Regi declaratum esse, conculcatas eo fuisse canonicas omnes, legumque sanctiones, ut à sententia recesserit, spoliatum Hincmarum suis rebus omnibus restituerit, tandemque constitutum fuerit, ut Judices à partibus deligerentur, resque tandem tota in Concilio terminaretur, si opus esset. *Hincmarus Remorum Archiepiscopus Hincmarum Episcopum Laudunensem secum ducens, apud Pistas cum aliis Episcopis, scriptis & verbis Regem adiit, ostendens quantum præjudicium & Episcopalis authoritas, & universalis Ecclesia in tali facto patiebatur. Et obtinuit, ut revestito Episcopo, quibus fuerat spoliatus, sicut sacræ leges præcipiunt, in Provincia ubi hæc causa judicanda erat, electorum judicio, & si necesse foret post hoc synodali terminaretur examine.*

Hæc ex Annalibus Bertinianis, at Hincmarus in Commentariolo super ea re à se lucubrato, contestabatur, Regique ipsi obnunciabat rem novam & inauditam prorsus esse, ita proscribi Episcopium cum sua Ecclesia: *Novum est, enim quod nunc factum est, quia non est de sub isto cælo auditum, ut Episcopium cum sua Ecclesia proscriptionis titulo ab ullo religioso Principe, laicorum judicio, usque modo fuerit confiscatum.* Mox Imperatorum Orientis leges promit, ad immunitates Ecclesiæ stabiliendas, & exemplum maximè urget Caroli Magni, cui cùm aliquando assentatores Aulici obrepsissent, & fundos Ecclesiæ aliquos intercepissent, satisfecit ipsemet Episcopis, ejusque rei memoriam suis ipse in Capitularibus consignatam æternitati commendatam voluit. *Cui, cum sicut assolet, adulantium linguis subreptum fuerit, ut Ecclesiæ de rebus suis judicium quoddam inferret, obsistentibus Episcopis, & specialiter Paulino Patriarcha, adeo se recognovit, & Ecclesiæ ac Episcopis satisfecit, ut præsens oris sui confessio ei non sufficerit, sed ad posteros suos confessionis & correctionis suæ scriptum manu sua firmatum transmiserit.* Pergit mox ad invasa à Ministro Regio Ecclesiæ bona, quorum in jus & possessionem Spiritus ipse sanctus, sicut & spiritalium, miserat Episcopum ipso die consecrationis suæ: *Excepta Ecclesia & Episcopii domo, ac Clericorum claustro, quidquid de rebus ac facultatibus Ecclesiasticis, sibi in Episcopali ordinatione, munere Spiritus sancti, ad dispensandum & gubernandum commissis, acceperat, in bannum, quod jus lingua Latina proscriptio confiscandi vocatur, est missum.* Ubi non obscurè innuitur, non potuisse judicio laicorum addici, & occupari, 1. Fundos agrosque, quorum Episcopus dispensator esset tantummodo. 2. Quorum et administrationem demandaverat Spiritus sanctus. 3. Quorum proprietas & dominium penes pauperes esset, vel Ecclesiasticam societatem. 4. Eam proscriptionem damnari Pontificiis Decretis omnibus. *Nunc tantum Laudunensis Ecclesia, immo in ea omnis Ecclesia, jacturam patitur, ut quod antea inauditum est, titulum proscriptionis sustineat, contra decreta omnium sanctorum Episcoporum, qui Sedi Apostolicæ præsederunt.* 5. Nullius in fiscum amplius redigi posse, quæ Deo semel fuerint dicata. *Non possunt in fiscum redigi, quia sunt Deo dicata.*

To. 2. pag. 328.

Nec dissimulat tamen Hincmarus à Clericis deligi debere causidicos, vel Advocatos, ut apud sæculi Judices fundis, causisque adsint & patrocinentur Ecclesiæ, de quibus controversiam facerent laïci; quanquam in causis personalibus, sive civiles eæ sint, sive criminales, omnes Episcopi sui judicio subesse debeant. *De sibi commissæ Ecclesiæ rebus ac mancipiis, & mancipiorum commissis, Episcopus secundum leges, quas Ecclesia recipit & venerabiliter comprobat,*

Ibidem. pag. 328.

probat, & secundùm sacros Canones ac decreta Sedis Romanæ Pontificum, Advocatum publicis judiciis dare debet: Ex capite autem suo, tam pro crimine, quàm pro civili causa, aut apud electos Judices, de quibus & sacræ leges definiunt, aut ipse in Synodo coram Episcopis debet reddere rationem.

Conc. Francofur. C. 51.

X. Quæ dicta sunt autem de Clericis, eadem ad Monachos proroganda sunt, & ad Sanctimoniales, quibus Clericorum privilegium communicatum est. Specialiùs illis etiam prohibitum est in canonicis Sanctionibus, ne lites exerceant ullas coram sæculari Judice, nisi permittente Episcopo, & per Advocatos. *Monachi ad sæcularia placita nullatenus veniant, neque ipse Abbas sine consilio Episcopi sui. Et cum necessitas exigit, tunc per justitiam & consilium Episcopi illuc vadat. Nequaquam tamen contentiones, aut lites aliquas ibi movere præsumat. Sed quidquid quærendum, vel etiam respondendum sit, per Advocatos suos hoc faciat.*

Conc. Mog. Anno 813. Can. 12.

XI. Qui usus, quæ leges in Oriente vigerent, tradit Photius in Nomocanone. Laudantur ibi leges Principum, ut Clerici conveniantur primùm coram Episcopo, vel si suspectus is sit, coram Metropolitano, antequam adeatur Patriarcha. Causas ut Clericorum pecuniarias Episcopus dijudicet sine scripto, si partes consentiant: si non possit Episcopus de iis cognoscere, res ad Civilem Judicem perferetur, qui de privilegio Clericorum nihil decerpat. Quoad causas Clericorum criminales, si civilia sint crimina, intra duos menses cognoscet Judex publicus; si convincatur reus, ab Episcopo degradabitur, & tum sæculari foro permittetur. Si Ecclesiasticum autem sit crimen, solus de eo jus dicet Episcopus juxta Canones & leges, nec partes suas interponere sæculi Judicem fas erit. At quibus litis aliquid est cum Monachis & Monialibus, non possunt illi nisi Episcopi judicium experiri. Gravissimas quippe pœnas incurreret Judex Civilis, si in eas se quomodocumque causas interponeret.

Supplem. Balsam. pag. 1148. 1149.

CAPUT CIX. *P. 3. l. 2. c. 66.*

De eadem jurisdictione Episcopali, in causis omnibus personalibus, maximè criminalibus Clericorum, ac potissimum Episcoporum, sub Imperio Caroli Magni, & ejus stirpis.

I. Qui Imperatores liberaliùs jurisdictioni sacræ faverint.
II. In Capitularibus omnes omnino Episcoporum causæ Conciliis permittuntur.
III. Ita necesse fuit, quod curarent semper Episcopi partibus suis impunè ut esset.
IV. Varia exempla quibus liquet Episcopos nunquam causam dixisse, nisi in Conciliis.
V. VI. VII. Sub Ludovico Pio, Carolo Calvo, & Ludovico III.
VIII. Quæ Græcorum in hoc jurisprudentia.
IX. Consuetudines ibi Clero magis propitiæ, quàm Leges.
X. Summa antedictorum super ea re.

I. EX superioribus abundè enituit, Imperatores Regesque, Caroli Magni ex prosapia oriundos, Codici Theodosiano adhæsisse, eoque jurisdictionem Ecclesiasticam ad eundem provexisse apicem, quo sub Constantino & Theodosio fuerat evecta. Cùm illi ex adverso Græci Justinianæis Constitutionibus affixi non paucis in rebus angustiores circumscripsissent limites. Illud potissimum discriminis intererat, quòd causas personales Clericorum, sive civiles, sive criminales, nostra tunc Jurisprudentia ex Theodosiano Codice, Ecclesiastico Judici reservaret. Græci ad Civilem referrent Judicem cognitionem criminum civilium, quibus se Clerici inquinassent.

II. Huic potissimum Capiti nova quærenda sunt lumina, nova argumenta, præter ea quæ superiori Capite congesta sunt. De Episcopis etiam potissimum hîc quæremus, ut evincamus eorum omnes, sive civiles, sive criminales causas, Ecclesiastico foro vendicatas fuisse, sive Ecclesiastica ea essent crimina, sive civilia, etiam læsæ Majestatis.

His manifestè astipulantur libri Capitularium Caroli Magni, quibus ejus ævi Francica Jurisprudentia continebatur. Illud ibi statim præstruitur, in discrimen adduci salutem Reipublicæ, ubi Episcopatûs majestas periclitatur, aut honor deteritur. *Præcipimus atque jubemus, ne fortè, quod absit, aliquis circa Episcopos leviter aut graviter agat, quod ad periculum totius Imperii nostri pertinet. Et ut omnes cognoscant nomen, potestatem, vigorem & dignitatem sacerdotalem.* Amplitudini mox huic Episcopatûs origo & authoritas asciscitur à clavibus illis cælestibus, quibus Petrus à Christo donatus est; Petri enim successores & Vicarii sunt Episcopi. *Cujus vicem Episcopi gerunt.* Reperitur postea Constantini exemplum, cum Episcopos allocutus, eos à Christo constitutos esse Judices dixit, nec nisi à Deo ipso judicari posse. *Illud ad exemplum reducendum est, quod Constantinus Imperator Episcopis ait, Deus constituit vos Sacerdotes, & potestatem dedit vobis de nobis quoque judicandi; & ideo nos à vobis rectè judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate judicium, ut vestra jurgia, quæcumque sint, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dii, & conveniens non est ut homo judicet Deos.*

Capitul. l. 5. c. 163.

His sanè verbis nec judicia, nec pœnæ Canonum excluduntur. Etenim Legum Imperialium consuetudine Canones divinarum plerumque legum nomine donantur; eoque nimirum sensu canonica quoque judicia divina dici possunt. Sed indubitatissimum est potuisse ab eo Imperatore Episcopos à Laïcorum absolvi judiciis & tribunalibus; his autem verbis apertè liquet his absolutos ab eo fuisse, aut ipsummet intellexisse Principem, eam libertatem atque immunitatem ipsi Episcopatûs ordini ac præcellentiæ sponte sua & natura insitam esse; ut non aliud hæ leges Principum, quàm vocem naturæ exaudisse videantur.

Eo Capitularium capite constringi videntur causæ omnes personales Episcoporum. Duo nunc alia profero, quorum unum ad criminales, alterum ad civiles spectat causas. *Si quis Episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimen remaneat, à duodecim Episcopis audiatur.* Nulla hîc criminum discretio, cujuscumque generis ea sint, ad cognitionem referuntur Synodi duodecim Episcoporum. *Si quis Episcopus à quoquam impetitur, vel ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices causa finiatur; sive quos eis Primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint.* Non alios ergo vel reus poterat Episcopus, vel actor, quàm Episcopos nancisci judices.

L. 6. c. 235. 237.

Alio quoque Capitularium loco referuntur verba Constantini, quibus & illa Valentiniani senioria non multùm absimilia subnectuntur. Audienda primùm ipsa Constantini verba, quæ non multùm

L. 2. c. 301 à prioribus abludunt. *Mihi homini constituto, de hujuscemodi rebus non licet habere auditorium Sacerdotum, scilicet accusantium, & simul accusatorum, quos in nimis convenit tales monstrari, qui judicentur ab aliis* Jam Valentinianus nec ipse quidem ab his recedit, dum affatur Episcopos: *Supra nos est vestrum negotium, & ideo vos de vestris inter vos agite causis, quia supra nos estis.* Quibus verbis nulli designantur limites, nulla fit exceptio, universim causæ omnes Episcoporum iis includuntur.

III. Præter rationes suprà delibatas, erat & aliud quod Imperatorum animos ad ejus immunitatis Episcopalis concessionem & confirmationem inclinaret. Quod nimirum alioqui audax & procacior quisque ad criminandos Antistites prosiluisset, persuasissimus impunè abituras quotascumque suas calumnias. Episcopalis quippe innocentiæ id quoque singulare decus erat, quod de calumniatoribus & acerbissimis adversariis suis, nec pœnas ipsi sumerent unquam, nec à Judicibus sumi paterentur.
Cod Theod. L. 16. c. 13. Capitul l. 7. c. 308. Id præ se fert illa Capitularium lex. *Mansuetudinis nostra lege prohibemus, in judiciis Episcopos accusare; ne dum ad futura ipsorum beneficio impunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querelarum quod quispiam defert, apud alios potissimum Episcopos convenit explorari, ut opportuna atque commoda cunctorum quæstionibus audientia commodetur.*

Infamia quidem inurebantur in ipsis Capitularium libris calumniatores sacrorum Ministrorum. Sed perpetua Ecclesiæ lenitate & elevabatur hæc pœna, & complures aliæ condonabantur, quas forum civile inflixisset. Accipe jam legem ipsam Capitularium, qua Proceres etiam coguntur non alios quàm ex Episcopis Judices deligere, si quid criminis vel Episcopis impingere meditentur, vel minorum ordinum Clericis aliis.
L. 7. c. 340 *Si quis, Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clerici, apud Episcopos, quia alibi non oportet, à qualibet persona fuerint accusati; quicumque fuerit, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, &c.* Et infrà: *Si non probanda detulerit, intelligat se jacturam famæ propriæ sustinere.* Quid denique disertius, quàm quod habetur in Additionibus Capitularium: *Nullus*
Addit. 4. c. 22. *Episcopus nisi canonicè vocatus, & in legitima Synodo super quibuslibet criminibus judicetur, audiatur & impetatur.*

IV. Qui testimoniis tam perspicuis necdum flectuntur ad assensum, frangentur exemplis, maximè in criminibus læsæ Majestatis. Certum est enim incredibili quadam, & penè sacerdotali lenitate Caroli Magni & successorum ejus, factum esse, ut vel accusari, vel judicari nunquam potuerint Episcopi, nisi Episcopalibus in Conciliis, etiam cum majestatis & perduellionis rei agebantur. Petro Episcopo aspersa est suspicio, quasi in caput Caroli Magni conjurasset; ejus causam discussit Concilium Francofordiense, cujus decreto purgare se ille jussus est jurejurando, quo cum ipso duo tresve alii se obligarent, vel Metropolitanus, conspirationis in Principem initæ purum illum esse & exortem.
Can. 9. *Quod ille in mortem Regis, sive in regnum ejus non consiliasset, nec ei infidelis fuisset.* Cùm verò copiam non habuisset Petrus cujusquam, qui innocentiam ejus juramento purgaret: alium substituit, qui usitatissimas tunc subiret probationes ignis & aquæ. Expressius id observatur, nec à Rege, nec à Concilio eam probationem præceptam fuisse. Cùm denique qui aleam illam subierat, incolumis evasisset, & episcopus verbis solùm professus esset nullius se ejusmodi criminis esse affinem; cùm nec ad Evangelium, nec ad sacra pignora jurasset, quod corporalibus his juramentis sua Episcopos dignitas eximeret: *Et ille testaretur absque Reliquiis & absque sanctis Evangeliis, solummodo coram Deo, quod innocens inde esset:* benevolentiæ suæ illum Carolus, & pristinis honoribus restituit: *Clementia Regis nostri præfato Episcopo gratiam suam contulit, & pristinis honoribus eum ditavit.*

V. Ludovicus Pius nec pietate, nec indulgentia & veneratione in Episcopos parem optimo facilè concedere poterat. Unde & cùm Bernardum Italiæ Regem capite damnassent Proceres, Pius autem vita donatum, oculis orbasset, Episcopi eidem implicati conjurationi in Concilio causam dixere, ubi & sacræ dignitatis ornamentis exuti, depositique, in Monasteria conjecti sunt. Episcopi ii erant Mediolanensis, Cremonensis, & Aurelianensis Theodulphus. Ita narrant Annales Eginhardi ad annum 818. *Bernardum judicio Francorum capitali sententia condemnatum, luminibus tantùm jussit orbari: Episcopos Synodali decreto depositos, Monasteriis mancipari.*

Infanda postea conjuratione solio suo ubi excussus est idem Ludovicus, Episcoporum et sceleri inocxorum caput & princeps erat Ebbo Remensis Archiepiscopus. Redintegratus postea suæ amplitudini Ludovicus, suo ipse ore Ebbonem facinoris reum egit in Concilio ad Theodonis villam. Petiit Ebbo, ut purgandi sui copia sibi fieret absente Imperatore. Nec repulsam passus est. Sed conscientiam tandem ipse suam consulens, & amicitia conjunctiores sibi aliquos ex Præsulibus, crimen ultro confessus est, & à Synodo abdicatus, exulare jussus est. Vide ut ab Hincmaro res tota narretur: *Accusatus Ebbo ab ipso Augusto in generali Synodo, habita in Palatio Theodonis villa, inducias petiit, & secundum canonicam institutionem elegit sibi per consensum Synodi, Episcopos judices peccatorum suorum, quos Canones electos appellant, &c. Et sic ab omnibus Episcopis accepit sententiam, &c.* Spontaneo quoque exilio consimile judicium occuparunt Bernardus Viennensis & Agobardus Lugdunensis Archiepiscopi, ejusdem facinoris vel conscientia, vel infamia eò adducti. Quos non multò pòst Ecclesiæ suæ reddidit Ludovicus. *Ann. 835. Conc. Gall. Tom 2 pag. 508.*

In Chronico Moissiacensi eadem immunitate tunc usi fuisse memorantur Clerici cæteri omnes, ut in Conventu tantùm Episcoporum judicarentur, quando conjurationis suæ Bernardus Rex pœnas dedit. *Theodulphum Aurelianensem, qui & ipse author maligni consilii fuit. Synodo facta Episcoporum, vel Abbatum, nec non & aliorum Sacerdotum, judicaverunt tam ipsum, quàm omnes de ordine Ecclesiastico, Episcopos, Abbates, vel cæterum Clerum, qui de hoc maligno consilio conscii venerant, à primo deciderent gradu; quod ita factum est. Nonnulli etiam in exilio missi sunt.* *Ado in Chron. ann. 816. Du Chesne. Tom 3. pag. 143.*

VI. In Concilio duodecim Provinciarum ad Saponarias in Suburbano Tullensi Ganelonem Archiepiscopum Senonensem reum egit Carolus Calvus, anno 859. totamque illi aspersit infamiam perfidiæ & perduellionis complurium Episcoporum, qui ad germanum ejus fratrem Ludovicum Regem defecerant. *Venilo in eo consilio & tractatu fuit, ut Episcopi, qui mihi fidei promissa debitores erant, deficerent, & ad fratris mei obsequium se verterent.* Judices sibi Rex delegit in ea causa Archiepiscopos tres, Rotomagensem, Turonensem, & Bituricensem. *Conc. Gall. To. 3. pag. 144. 145.*

Elegit querelæ terminandæ Judices, &c. Cæteris nostrum judicium suo consensu approbaturi.

Capitular. Carol. Cal. Tit. 9. c. 5. 6. In Concilio Suessionensi abdicati sunt duo Presbyteri, iidemque Monachi, quòd conjurassent, ut è Monasterio sancti Medardi extraherent Pipinum Pipini Aquitaniæ Regis filium, quem Episcopi Proceresque ei Monasterio addixerant, ut in pœnitentiæ sordibus habituque Monastico reliquum ibi vitæ cursum perageret. Erat id Presbyteri utriusque facinus in regni Regisque Majestatem gravissimum: *Partim confessi, partim convicti conspirationis malum perpetrasse.* Accusatoris partes Rex ipse in Concilio egerat, cui etiam jussit sistere se Raginfredum Remensem Diaconum, Regii Sigilli falsificatorem. *Rex Carolus Diaconum impetiit, quod præcepta falsa Regio nomine compilasset, &c.* Nec facilè adjicienda hic fides Annalibus Bertinianis, ubi Rex dicitur præfuisse Concilio, & duorum Presbyterorum degradationi. *Duos Presbyteros Monachos ejusdem Monasterii, ipse Synodo præsidens Episcopis judicantibus degradari fecit.* Præstat Concilio ipsi animos auresque adjicere, quo fides fit Regem multa animi moderatione & pietate affuisse. *Multa humiliter, & prudenter proponente Rege.*

Cùm idem ipse Rex ab Hincmaro Laudunensi Episcopo multa pertulisset temerè & audacius attentata, suo, & Majorum more ad Concilium Episcoporum conquestus est. *Conc. Duziac. I. Collo pag. 67. 68.* *Idem Hincmarus tam liberos, quam & colonos & servos secum degentes, contra meam regiam potestatem armari, & missis meis resisti fecit.* Et inferiùs: *Petiit Rex Episcopos, ut legaliter & regulariter inter se & ipsum Hincmarum discernerent.*

Est & quod vehementius stupeamus, voluisse Reges ipsos, ut Episcopi, qui quapiam se ab eis injuria, vel jactura affectos fuisse existimarent, in Regni Episcoporum Concilio querelas suas depromerent. Ea certè ratio & via tentanda fuerat Hincmaro Laudunensi Episcopo: quod cùm prætermisisset, hinc gravissima Hincmari Remensis in eum exarsit indignatio. *Ibidem. pag. 228.* *Nam etsi forum Reipublicæ non habebat, quo Regem per Procuratorem suum accusare valeret, debuerat eum Synodali sententia convenire. Et si vel decreto Synodi, quæ sua Ecclesia jure competebant, obtinere nequiret: tunc prosequentibus Episcopalibus litteris, suam proclamationem ad sedem Apostolicam rationabiliter valuisset perferre.* Et infrà: *Debuerat frater Hincmarus de his, quæ per se non poterat obtinere, Regiam potestatem priùs in Comprovincialis Synodi convenire judicio. Et si coram positis partibus nec nostro foret res sopita judicio, nostris litteris ad sedis Apostolicæ cognitionem quidquid illud erat, transferre.*

Id sanè tum de Regum humanitate confidebant, id sibi despondebant Episcopi, fore ut æquissimo ferrent animo, si Episcopi, qui suas ab illis Ecclesias detrimenti aliquid accepisse suspicarentur, Judices & paciarios haberent alios Regni Episcopos: quin & intervenire exoraretur Romanus Pontifex, ad Majestatem Regiam demulcendam, stringendumque arctius vinculum concordiæ Regiæ & Sacerdotalis. Hujus porro fiduciæ suæ constantissimæ fundamenta ponebant Episcopi, 1. In consensione mirabili Sacerdotii & Regni. 2. Quòd ea essent Reges humanitate, ut sua cum Episcopis dissidia, quin & atrociora eorum in se commissa, Episcopalium Conventuum judicio permitterent. Hinc enim pronum erat sperare, gratissimum fore Regibus, ut & Episcopi, si quid in eos querelarum haberent, ad eadem Episcoporum Concilia confugerent. Et sanè Carolus ipse Rex in Epistola illa ad Adrianum II. data, regiæ fiduciæ & generositatis documentis referta, illud præ cæteris venditat, nunquam se vel accusatum fuisse cujusquam criminis publici, nedum convictum in Conciliis Episcopalibus. *Nullo crimine publico in audientia Episcopali, legaliter accusatum, minimè autem convictum.* Quod non semel ibidem inculcat, & aliquantò etiam vehementius in libello, quem obtulit Concilio Tullensi adversùs Venilonem Archiepiscopum.

Commemoratum jam alibi à nobis est scripsisse Hincmarum Remensem ad Fulconem Comitem, ne se interponeret in causam Presbyteri, qui cùm reos ageretur, sæculare tribunal Ecclesiastico prætulerat. *Flodoard. L. 3. c. 26.* *Relicto Ecclesiastico ad civile judicium proclamaverat, super accusatore suo.* Propterea quod id genus causæ fori sint Ecclesiastici. *Quia de Presbyteri & Ecclesiæ causa ad Episcopos, & ad Synodum definitio pertineat, non ad Malli, vel civilium Judicum dispositionem.*

VII. Regnante Lodovico III. Frotarius Bituricensis Archiepiscopus, in crimen adductus de tentata proditione civitatis Bituricensis in manus hostium: propulsare eam calumniam ipse voluit in Conventu Episcoporum & Optimatum. Scripsit & ipse Joannes VIII. Papa ad Comites quosdam eidem negotio quodammodo innexos, ut cum Rege adessent: *Ad hoc placitum, ad huncque Conventum venire satagas, &c. quatenus nunc coram vobis & coram glorioso Rege, tam canonica censura, quamque humana legis sanctio, inter vos quid contra fas, & jus factum fuerit, nihilominus finiatur.* *Du Chesne To. 3. p. 890.*

Ab Attone Vercellensi Episcopo litteris mandata est absurdissima quorundam sui ævi hominum opinatio, qui Clericos criminum suspectos, aut accusatos compelli posse fidebant, ut se purgarent singulari certamine, quod non per se ipsos illi quidem, sed per substitutos & Vicarios subirent. *Spicileg. To. 8. pag. 51. 55.* Id moris invaluerat inter laicos. Eo quoque forsan sensu capiendum erat *Judicium dvirum* in Concilii Francofordiensis Canone suprà laudato. Sapientissimè verò contrà nitebatur Atto, crimina crimine novo dilui non debere; his prætereà pugnis persæpè nocentissimos quosque victores discedere, innoxios vinci & cadere. Ideo de laicis quidem, inter quos usitatissimæ illæ erant pugnæ, omnibus probabantur. *Sed istud judicium quorundam laicorum solummodo est, quod nec ipsis etiam omnino approbatur. Nam sæpè innocentes victi, nocentes verò victores in judicio esse videntur.* Et infrà: *Nec purgari à crimine, nisi perpetrato crimine valeamus.*

VIII. Nec minùs observantes eo ævo Episcoporum fuere Græci. Docet nos Photius in Nomocanone, nec in causis pecuniariis, nec in criminalibus, capi eos potuisse, nec judicio sisti, nisi expresso Imperatoris mandato. *Episcopus neque propter criminalem causam citra Imperatoriam jussionem ducitur, aut sistitur.* Adnotat Balsamon eam legem in Basilicis radiasse, adeòque usu viguisse. *Nomocan. Tit. 9. c. 1.* Idem ipse alibi observat Episcopali dignitati subjacere dignitates humanas omnes, ut quæ Apostolatum quammodo exæquet. Inde fieri, ut sæcularium Magistratuum nulla sit in Episcopos jurisdictio; atque adeo, si vel eos comprehendere ausint, vel contumelia quapiam sanctissimam dignitatem violare, gravissimas daturos pœnas, quod nonnisi Conciliorum sit de qualibuscumque Episcoporum causis cognoscere. *Episcopalis dignitas omnem ferè honorem superat. Apostolica enim dignitati æquiparatur, propter doctrinæ professionem. &c.* *In Synod. Const. sub Photio. Can. 3.* *A diversis Canonibus & Novellis Constitutionibus di-*

dicisti, quod laïci Magistratus nullam habent in Episcopos jurisdictionem. Unde etiam laicus, qui quemvis Antistitem vel verberat, vel conjicit in carcerem, etiamsi ex causa longè justissima, & majorem Magistratum gerat, punietur; & causæ bonitas ac probabilitas ei non proderit. Audiet enim quod Synodis, iisque solis Episcopos punire permissum est, & debebat de Antistite cognitionem ad convenientem Synodum remittere, &c.

IX. Adprimè ergo canonicis regulis, & reverentiæ ex illis Episcopatui dependendæ continebant Leges; an verò in ipso rerum actu satis Leges, Canonesque valerent, id forsan addubitarit aliquis. Idem enim alibi Balsamon convulsæ jurisdictioni, & labefactatæ immunitati Cleri vehementer ingemiscit. Non à laicis tantum eo ævo, sed & à Clericis Clerici raptabantur ad tribunalia sæcularia, nec non & Monachi, atque adeo Episcopi, sine ullo speciali Imperatorum Rescripto. Frustra erant provocantes, & inulta erat hæc grassatio. Ne illis quidem Clericis pœnæ irrogabantur, vel Monachis, qui ad Ecclesiæ Judicem provocati, ad sæcularem confugiebant. Vocatus ad causam in Concilio dicendam Meletius Monachus, rescripto Imperatorio se muniebat, ut coram sæculari Judice ageret. Contumeliosum Clero illud facinus Patriarcha Lucas querelis suis retractari posse sperabat: at responsum est à Magistratibus, nullo claudi limite Imperatoriam potestatem: potuisse à Principibus jam inde ab exordio Clericorum causas laïco Judici demandari, posse & in decursu temporum easdem ab Ecclesiæ Judice ad sæcularē transferri. Ita Patriarchæ præclaros conatus ait Balsamon pro nihilo reputatos, vincente vi; vis enim illa erat, ubi Rescripto Imperatorio Episcopi laïco Judici subjiciebantur. Ut summum id locum habere potuisse in privatis & patrimonialibus Episcoporum causis; non in Ecclesiasticis, de quibus nefas est laïcos cognitores dari. At insimulari tamen non posse, qui sæcularem cupit Judicem Episcopis adjungi in Concilio ad causæ pecuniariæ judicium. Ea erat judiciorum conditio ævo Balsamonia vertente sæculo duodecimo, atque adeo aliquot antè sæculis eæ fuerant rerum judicialium inclinationes. En ipsa jam Balsamonis verba.

In Can. 15. Carthag. *Et hæc quidem Canon constituit. Hodie autem hæc negliguntur, propter quam causam nescio. Multi enim non solum laïci, sed etiam sacrati, Episcopos, Clericos & Monachos ad civilia judicia trahunt, nec Imperatorium quidem mandatum de ea re exhibentes. Et neque incompetentis judicii præscriptio, seu exceptio prodest iis qui rei aguntur. Eos enim cogunt vel invitos judicio contendere. Nec sacrati, qui eos traxerunt, aliquid penitus damni sensere. Sed nec Monachi, vel Clerici, adversùs quos in foro Ecclesiastico agitur, si id quidem recusaverint, civilem autem examinationem petiverint, ulla in re puniti sunt, &c. Audivit à civilibus Judicibus Patriarcha Lucas, quod Imperatoris potestas omnia potest facere, & quemadmodum primo loco potuit dare Imperator sæcularem Judicem pro judicando Episcopo, vel alio sacrato, ita & per transpositionem judicium Ecclesiasticum ex legitima observatione in civile traduxerit, &c. Licèt caput XVII. libri primi, tituli VI. decernat, cum Imperatoris mandato posse adversùs Episcopos agi, & eos sisti coram civilibus; hoc tamen, ut mihi videtur, non quadrat canonicæ doctrinæ. Debemus enim dicere, tunc trahi Episcopum pro re quæ privatim ad ipsum pertinet, non autem pro quæstione Ecclesiastica. Re enim hujusmodi proposita non debent civiles Judices ullam ejus habere cognitionem. Jam verò magna quoque est ejus differentia, qui sua sponte Ecclesiasticum judicium recusat, & ejus qui jussu Imperatoris invitus tractus est ad sæculare judicium, &c. Petere autem Conjudicem civilem, per mandatum Imperiale, non est, ut mihi videtur, prohibitum, & maximè quando est causa pecuniaria, quæ est synodaliter dicenda.* Habes hinc Canones, hinc mores receptos in judiciis. Nec immeritò certè Balsamon ingemiscebat de Clericis, Canones passim, hoc est, sua ipsorum præsidia aspernantibus, & ornamenta.

Tradit porro idem alibi, cæteros Clericos semel in Concilio exauthoratos, Judici sæculari quandoque tradi, legitimis pœnis cruciandos civilibus, si enorme sit scelus, aut ubi non est Concilio ea potestas, quæ ad executionem sententiæ suæ desideratur. Sed secus esse de Episcopis. Quo enim cumque de crimine accusati fuerint, vel convicti, Judici sæculari subjici nunquam poterunt. *Qui hanc legem trahit etiam ad Episcopos qui condemnantur etiam in causa criminali, & vult etiam eos post depositionem tradi sæculari potestati, is vanus fuerit & blasphemus.* In Can. 58. Carthag.

Denique illud ab eo confirmatur, nullo Clericum juvari posse Imperatorum Rescripto, ut non deponatur, si Ecclesiastico tribunali renunciaverit. At si Laïcus Rescriptum Imperatorium impetret, quo Clericum trahat ad forum sæculare, cogetur tantum ad Ecclesiæ Judicem sese revocare, si crimen sit Ecclesiasticum: propterea quod ex Legum & Canonum norma Imperatoria Rescripta interpretari debeamus. Et eo sensu donanda est Lex illa in Basilicis, qua fertur non posse sine Imperatorio Rescripto Episcopum trahi ad forum sæculare, pro causa pecuniaria, vel criminali. *Cogetur itaque, si causa est Ecclesiastica, se in judicio Ecclesiastico sistere; quia Imperatoria mandata secundùm Leges & Canones accipiuntur.* In Can. 109. Carthag.

Fulget in Leunclavii Orientali Jure Constitutio Alexis Patriarchæ, subnixa Edicto Imperatorum Basilii & Constantini fratrum, ad abducendos Clericos, ne Laïcus Judices Ecclesiasticis anteponant. Quo minùs mirum jam sit, pessumdatam prorsus fuisse Cleri jurisdictionem, & immunitatem fori, cùm ad eam labefactandam Clerici ipsi certatim cum laïcis contenderent. To. 1. pag. 250.

Utrique Ecclesiæ in commune illud constantissimè commendatissimum fuit, ut maxima semper Episcopi veneratione essent, supra omnem aleam & discrimen judiciorum sæcularium & fori civilis. Jam inde ab ætate beati Hieronymi in id fastigium conscendisse illi videbantur. Calamum strinxit Hieronymus suo more & ingenio austeriorem in eos Episcopos, qui hoc Ordinis sui privilegio abutebantur ad ejus dehonestamentum. *Et hoc utique vanum est, quia non ut egerunt, sic audiunt; nec statim corripiuntur in peccato suo. Nemo quippe audet accusare majorem. Propterea quasi sancti & beati & in præceptis Domini ambulantes, augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in Episcopum. Si enim peccaverit, non creditur; & si convictus fuerit, non punitur.* In Ecclesiast. c. 8.

X. Non id porro nobis hic propositum fuit, operosum ut de jurisdictione Episcoporum, vel de Clericorum immunitate fori tractatum lucubraremus. Materies ea est & spinosior, & uberior, quam ut tam paucis possit tractari. Ad Episcopalium functionum elucidationem laboratum à nobis est, ut liqueret, quam rationem tenuerint sanctissimi Episcopi, quam veritatis æternæ lucem, quam charitatis flammam ubique sectati sint. Eò pertinent quæ diximus omnia de rebus, causis & personis Tribunali sacro obnoxiis; & de charitatis pacisque

amore, quo Judices Ecclesiastici tum æstuabant.

Conciliis, Regibus, Episcopis conveniebat, 1. præter Ecclesiasticas leges & civiles, eam Episcopalem authoritatem Scripturis ipsis superstrui. 2. Non tam imperiosam eam esse potestatem, quàm vegetam & exertam charitatem, humilitatem, zelum & sollicitudinem Pastoralem. 3. Episcopum & quemcumque Judicem Ecclesiæ, non tam Judicis officio fungi debere, quàm patris, Pastoris, medici, amici, animarum rectoris, longè cupidius incumbentis ad sanandas animæ cupiditates, quæ litium omnium incentrices sunt, quàm ad lites ipsas terminandas. 4. Ubi Concilia & Patres Ecclesiæ usque adeo effervescunt ad Ecclesiasticæ jurisdictionis tuitionem, adversùs sæcularium Judicum usurpationes crebertimas, id totum eò pertinere, ut imperium charitatis, & pacis, & concordiæ ne enervetur: sintque Tribunalia & Consistoria quædam sacra, quæ in id collaborent. In judiciis enim Ecclesiasticis sola dominari debet pax & charitas, amor æternorum, contemptio terrenorum omnium, ut revellantur cupiditatum omnium fibræ, ex quibus novæ in dies singulos lites repullulant. Interest sanè ad humani generis communem salutem & dignitatem, ut hoc semper vigeat in terris publicæ & cælestis concordiæ tentaculum. 5. Ubi animosè certatur pro Clericis Judice sæculari eximendis, Ecclesiastico soli subjiciendis, non impunitatem criminis illis quæri; sed Apostolo morem geri, cui in votis erat, ut fideles omnes quidquid causarum & jurgiorum habent, id spiritali suo committerent parenti; tædia, moras, fraudes fori civilis declinari; reos spiritalibus & medicinalibus pœnis servari; & denique subdi Judici, qui non unam, non paucas, sed universas præcidet & præfocabit lites, offocata earum omnium radice, terrena cupiditate. 6. Jurisdictionem & immunitatem fori Ecclesiastici depositum esse cæleste, pro quo velut pro aris & focis meritò decertetur.

CAPUT CX. *P. 4. l. 2. c. 89.*

De jurisdictione Episcopali & aliorum Ecclesiæ Prælatorum in causis civilibus Laïcorum, post annum Christi millesimum.

I. In hac quoque extrema ætate jurisdictio Ecclesiastica, etsi verissima jurisdictio sit, explicanda tamen uni maximè charitati vacare debuit.

II. Mutuæ & inconvulsa concordia Regum & Episcoporum fructum plerumque est, ut juris & potestatis sacra ultrò citròque refusio quadam & reciprocatio fieret.

III. Exempla nova jurisdictionis Ecclesiasticæ in causis temporalibus Laicorum, ad promulgationem usque compilationis Decretalium Pontificiarum.

IV. Quàm latè pateat ea jurisdictio vi Decretalium ipsarummet.

V. Quàm latè ea pateret usque ad tempora Caroli V. Regis Galliæ, cognomento Sapientis, sub quo conscriptum est Somnium Viridarii.

VI. Quàm longè latéque ea pateret sub Philippo Rege Valesio, quando tam solemni apparatu de ea disputatum est. Quæ tum pro Ecclesiæ causa allegata fuerint. Eo avo latiùs effundebatur in Gallia Ecclesiastica jurisdictio, quàm in aliis orbis Christiani Provinciis.

VII. Argumenta rursus sacræ jurisdictionis, & Laicorum potestatis ad Laicos alios coram Ecclesiastico Judice conveniendos.

VIII. Quo statu esset jurisdictio Ecclesiastica tempore Concilii Viennensis.

IX. Summatim ut alternaverit Ecclesiastica jurisdictio, à Regno Ludovici IX. in Gallia, ad Philippum Valesium, Carolum V. & Franciscum I. sub quo fundetus videtur excidisse.

X. Sententia Gammaræi de jam ea jurisdictionis occasu, maximè de Appellationibus, ut vocant, abusus.

XI. Comparatur Ecclesiastica jurisdictio in Hungaria.

XII. Ex cessatione Conciliorum Provincialium labes invecta jurisdictioni sacræ, & ex prorogatione Parlamentorum, certa jam sede fixorum, in qua Clerici Laicique Judices unà consident.

XIII. Ne nunc quidem finis alius fructùsque sacræ jurisdictionis, quàm charitatis & concordiæ propagatio. Probationes & exempla.

XIV. Quàm æquo animo ferre debeant Prælati, tantum detritum esse de antiqua jurisdictione sua.

XV. Tribunal Ecclesiæ Tribunal est cæleste, justitiæ & charitatis, ad primigeniam innocentiam humani generis restituendam. Probationes & exempla.

XVI. Summa antedictorum.

I. IN hac quoque temporum fæce, ut loquitur Hieronymus, in hac inquam extrema ætate, illud retinendum, confirmandumque est, jurisdictionem Ecclesiasticam omnem, tametsi verissimam jurisdictionem, uni tamen maximè inservisse seminandæ & propagandæ charitati. Æternis magis illa Evangelicæ veritatis radiis, quàm Imperatorum legibus illuminatur: & sempiternæ potiùs charitati, quàm temporali famulatur dominationi. Imperatores & Reges, Leges & Edicta Principum non ægrè cessere Imperio sanctimoniæ & cælestium charitati. Nec Ecclesiasticæ forsan jurisdictioni vel tantillum detractum unquam fuisset, si ut prioribus retro sæculis, ita & his posterioribus uni servitum esset modestiæ, humilitati, terrenorum despicientiæ & abdicationi, litigantium omnium mentibus infigendæ. Sexcenties id à me inculcabitur, & citra fastidium, ut spero, si qui debent esse, sint Lectores, æternorum amantes; persuasique cum Augustino, nunquam satis dici, quod nunquam satis discitur.

II. A sanctissimo Angliæ Rege Eduardo declaratum est, quicumque Ecclesiæ prædia colerent, incolerentque ejus fundos ac domos, eos cogi posse nunquam ut causas suas agerent, nisi in Curia Ecclesiastica, quandiu ibi jus diceretur. *Nisi, quod absit, in Curia Ecclesiastica rectum defecerit.* Cap. 4. 9. Conventus in quibus jus dicebatur, ex sanctissimi hujus Regis legibus, mixti quidem illi erant; sed ita ut supra Laicos semper sederent Ecclesiastici Judices, ut leges Justitiæ diligentissimè observarentur. *De illo quo judicium fieri debet, veniat illuc minister Episcopi cum Clericis suis, & similiter justitia Regis cum legalibus hominibus Provinciæ illius, qui videant & audiant, ut æquè omnia fiant.* Conc. Gen. Tom. 11 pag. 1048. 1055. In Concilio Romano anni 1051. sub Leone IX. statutum est, ut quæ Presbyteris fœminæ copulatæ fuissent, servitute damnarentur, & addicerentur Episcopo loci. Ita refertur à Petro Damiani, qui alio loco docet Imperium & Sacerdotium tam intimè & inconvulsè conglutinari debere, ut Imperator cum Pontifice, Reges cum Episcopis in unum quodammodo corpus coalescant; atque Principes judicia sua canonicis regulis accommodent, sua Episcopi legibus temperent. *Ut quodam mutuæ charitatis glutino, & Rex in Romano Pontifice, & Romanus Pontifex inveniatur in Rege. Pontifex delinquentes, cùm causa dictaverit, forensi lege coërceat; & Rex cum suis Episcopis super animarum statu prolata sacrorum Canonum authoritate decernat.* Synodalis disceptatio.

Sunt hæc haud dubio & summæ cuidam sapientiæ consentanea, & æquitati. Innumeræ propemodum leges de rebus Ecclesiasticis ab Imperatoribus editæ sunt; de rebus & personis Clericorum judi-

cia ab eisdem sexcenties manarunt. Quandiu justitia & majestas Canonum honori fuit, & curæ, de jurisdictione nulla facta est controversia, nihil non summo Defensori suo condonante Ecclesia. Vicissim autem Principes, qui tantum sibi sumebant in rebus & causis Ecclesiæ, plurimum & ipsi Episcopis in causis civilibus tribuebant; eaque concordia certè accommodatissima erat, tum sanctitati Judicibus & judiciis civilibus, tum authoritati firmitatique Ecclesiasticis vindicandæ.

In Concilio Julioboneosi anni 1080. quæ posset quis existimare Generalia quædam fuisse Comitia sub Rege Vuillelmo Notho, ab eo præstantissimo Rege certa forma addita est jurisdictioni Episcopali, quæ penitus tum corruisse videbatur, Præsulum incuria. Si vel tunc autem sacræ jurisdictionis partem non mediocrem retinebat Princeps, ejus restituendæ spem ostendebat, ubi majori & diligentia & integritate Episcopi judicarent. *Hoc Rex statuit, non perenniter Episcopis suis debitam auferendo justitiam, sed quia eo tempore Episcopi minus quàm convenisset, inde fecerant: donec ipse eorum videns emendationem, eis redderet pro benefacto, quod tunc de manu eorum temporaliter tulerat pro commisso.* Ibi jurisdictio Episcopi adseritur à Concilio, in omnibus Laïcorum criminibus, adversùs Presbyteros, Monachos & Moniales; horum etiam cædes, adulterium, incestus, maleficium fori Ecclesiastici esse decernitur; ubi de foro competenti agebatur, Episcopus sedebat judex. *Parochianorum crimina Episcopo pertinentia, ubi consuetudo fuit, Episcoporum judicio examinentur. Si contradictio judicationis facta fuerit, ante Episcopum diffiniatur.* Anno 1085. Edicto promulgato vetuit idem Rex, ne causæ unquam Ecclesiasticæ ad Civiles Judices referrentur, ut quæ legibus Ecclesiasticis dirimendæ essent. In Concilio Londinensi anno 1127. concubinæ Presbyterorum in servitutem redactæ, addictæque sunt Episcopis & Clericis. In Concilio alio Londinensi anno 1129. Episcopis Rex fucum fecit, concubinas ejusmodi sibi dimitti voluit, cúmque non multò pòst eas summa cum infamia distraxerit, fecit ut Episcopos imprudentiæ suæ vehementer pœniteret.

Can. 5.

III. Concilium Lateranense II. anno 1139. sub Innocentio II. excommunicationis jacula vibravit aliasque pœnas nonnullas in incendiarios, qui tum valde increbuerant, ablegavitque illos in Hispanias, vel in Palæstinam, ut uno saltem anno in exercitu Christiano stipendia facerent adversùs Infideles: non imminuta summorum tamen Principum potestate, ut in incendiarios judicia instituerent, cum consilio Archiepiscoporum & Episcoporum. *Sanè Regibus & Principibus facultatem faciendæ justitiæ consultis Archiepiscopis & Episcopis non negamus.* Ex hoc Canone dilucidum fit, receptissimi jam usûs fuisse, ut legum rigore non sævirent posthac Magistratus in reos, qui publicæ se jam pœnitentiæ innexuissent. Sinuntur tamen hîc summi Principes litem eorum instruere, dum & vita & membrorum integritate donentur. Nec enim aliàs possent Episcopi interesse judicio.

Can. 18. 19. 20.

Sed ex illis luculentissimè illustrabitur Forum Ecclesiasticum concertationibus, quæ inter Angliæ Regem & Thomam Archiepiscopum Cantuariensem exarserunt. Summa vi & contentione oppugnabatur tum Ecclesiastica jurisdictio, & nihilo tamen minus plurimum adhuc in Laïcos juris & potestatis priscæ suæ retinebat.

Ex Concilio quoque Melodunensi anno 1225. mirificè declaratur, quæ tum per Gallias fori Ecclesiastici esset amplitudo in Laïcos ipsos. Aderat ei Concilio Rex ipse, cum Præsulibus & Baronibus Regni. Petiere Præsules, ut eorum foro redderentur causæ rerum mobilium Laïcorum, cùm ab Ecclesiæ hominibus ad Judicem Ecclesiasticum trahebantur. Responsum est nomine Regis, ejusmodi causas ad Judicem Ecclesiæ spectare non posse, cùm nec de fide verteretur quæstio, nec de juramento, nec de testamento, nec de matrimonio. *Cùm causa mobilium non ratione juramenti, vel fidei, vel testamenti, vel maritagii petitorum, mera sit laïcalis, nec ad forum Ecclesiasticum videatur aliquatenus pertinere.* Tanto tunc animorum æstu certatum est, ut definiri nihil potuerit. Sed vel ipso illo responso Laïcorum ad Episcopos manifestum est, quàm non omnes etiam reales, etiam Laïcorum causæ Ecclesiastico foro abjudicarentur.

Narrat Matthæus Paris, ut anno 1246 & 1247. Nobilitas Angliæ in Clerum exacerbata fuerit, cujus jurisdictionem his limitibus vallari volebant, ut ne cognoscerent *nisi de causis matrimonialibus & testamentariis, super hæresi, vel usuris.* Varia in Nobiles efferatos sparsit Pontifex beneficia, quo eorum animos deliniret.

IV. Jure certè Decretalium non paulò vastior declaratur viguisse Clericorum jurisdictio in Laïcos, in eorum personas & reos. Cùm de prædio litigarent Comes Altisiodorensis & Abbas, Papa cognitor fuit. De adulteriis judicant Episcopi. Vetatur, ne Clerici emant lites, vel jura controversa Laïcorum, quò ea ab Ecclesiæ Judice dirimi curent. Si de fundo agitur, qui certissimè juris sit Ecclesiæ, vel Clerici cujuspiam, ad forum Clerici pertrahitur laïcus. Si feudi dominus Clerico jus dicere malitiosè abnuit, vel procrastinat, Judex Ecclesiæ cognoscet. Laïci Clericis contumeliosi ad Judicem Ecclesiasticum rapiuntur, ut sacrilegi. Potest laïcus laïcum in causa civili convenire apud Judicem Ecclesiæ, si Judex civilis officio non fungitur: aut ubi illud prisci moris fuit, & necdum exolevit. Ad Ecclesiæ Judicem trahi semper potest laïcus, ubi interpositum fuit juramentum. Caput *Si Clericus, De foro competenti*, affirmat plurimis in locis consuetudinem Juri communi adversam obtinuisse, ut posset Clericus laïcum vocare ad Judicem Ecclesiæ, etiam ubi agebatur de fundo, quem Ecclesiæ juris esse pernegabant laïci, vel alicujus Clerici. Quæ sanè ea jure communi forensis fuisset actio. *Licèt in plerisque partibus aliter de consuetudine habeatur.*

Decret. Gregor. l. 2. Tit. 19. c. 12. Tit. 3. c. 5. Tit 42 c. 2. L. 2. Tit. 2. c. 5. & 10. T. c. 28 c. 7.

Sextus l. 2. Tit. 2. c. 3.

V. In Somnio Viridarii, quod sub Carolo V. Galliæ Rege concinnatum fuit, perspicuum illud est, ubi de bonis agebatur hæreditariis Clericorum, vel de injuria illis illata, Laïcos ad Judicem Ecclesiæ pertrahi solitos fuisse, ut qui præ se ferret, & profiteretur, jure, possessione & consuetudine ita constare: quòd damni vel contumeliæ nihil Clerici vel personæ, vel patrimonio inferri possit, citra sacrilegium, quod in confesso erat fori esse Ecclesiastici. Laïcorum contractibus præerat plerumque Notarius Ecclesiæ, ut qui spectatæ magis haberetur fidei; unde & partea sua se sponte Judici Ecclesiæ committebant. *Multi magis eligunt vinculum Ecclesiæ, quàm vinculum temporale, & antè aliquando dimitterent contractus facere, sine quibus non possent vivere, quàm se submitterent Curiæ temporali.* Ubi duo Laïci contendebant, multis integrum erat in locis, ut eorum alter alterum ad Judicem Ecclesiæ provocaret, prætermisso Civili Judice. *Si*

Cap. 186.

Cap. 500.

Cap. 110. *Laïcus non per viam appellationis ordinariæ, sed quia magis eligit Curiam Ecclesiasticam, quàm temporalem, sicut de jure licitum est, tunc nullum inconveniens sequeretur, si Officialis talem cognitionem haberet. Et sic in Remensi & Laudunensi & multis aliis Regni Franciæ Ecclesiis observatur.* Si his adjicias causas adulterii, usuræ, contractuum, testamentorum, miserabilium, pauperum, orphanorum, viduarum, Clericorum minorum, Clericorum conjugatorum, qui omnes suberant Ecclesiæ jurisdictioni; jam laïcorum longè maxima causarum pars fori erit Ecclesiastici, & non poterant tunc Episcopi non plures habere Officiales, qui aliis & aliis in locis suæ Diœceseos jus dicerent: qua ex re illis plerumque tum in Curiis sæcularibus invidia conflabatur. Leguntur hæc omnia in Somnio Viridarii passim aspersa.

VI. Easdem prorsus Judicum & laïcorum querelas, & Clericorum defensiones, eadem impressa vestigia amplissimæ jurisdictionis sacræ in res temporales, in crimina & in personas laïcorum, legere erat in præstantissimo Commentatiolo Cardinalis Bertrandi Episcopi Augustodunensis, super Collatione illa famosissima ad tuitionem immunitatis & jurisdictionis Ecclesiasticæ habita sub Philippo Valesio
Bibl. Patr. Francorum Rege. Ibi pulcherrimè demonstratur,
To. 4. p. 1. magno in errore versari eos, qui conjungi & unà
par. 576. habitare non posse jactant temporalem jurisdictionem cum Sacerdotio, cùm hanc tamdiu obtinuerint Sacerdotes Pontificesque legis Mosaïcæ: cùm suo ipse ore & judicio Petrus Ananiam & Sapphiram *pro crimine furti & mendacii judicialiter condemnarit*: cùm ad Ecclesiam deferri jubeat Evangelica lex eos, qui ad privatas correptiones obsurduerint: *Ecce quàm expressè vult, quod in omni re in qua est peccatum unius adversus alterum, si ille qui deliquit monitus charitativè, non emendaverit, debet negotium ad judicium Ecclesiæ deferri*: Et infrà: *Nullus dubitat quin cognitio de peccato ad personas Ecclesiasticas pertineat.* Cùm Constantinopolitani Imperatores, cùm Carolus Magnus ejusque successores laïcis omnibus copiam fecerint, litibus suis in omnibus adeundi Judicis Ecclesiastici. Cùm is in Gallia viguerit mos, ut cognosceret Ecclesiæ Judex de causis laïcorum omnibus personalibus, immo & de realibus, ubi res erant Ecclesiæ. *Cùm Ecclesia Gallicana consueverit inter laïcos cognoscere in actionibus personalibus, & etiam in realibus alicujus Ecclesiæ, patet quod consuetudo potuit sibi dare illam jurisdictionem.* Cùm ea consuetudo, laïcorum ipsorum roborata consensu, utpote Ecclesiasticum forum laïcu anteponentium, confirmata fuisset, Edictis & Senatusconsultis antiquissimis Regum, adversùs Regni Proceres, Ecclesiæ privilegio obtrectantes. *Consuetudo videtur introduci magis ex voluntate & electione populi recurrentis ad judicium Ecclesiasticum potius, quam ad judicium sæculare, &c. Ista consuetudo fuit in contradictorio judicio obtenta. Frequenter enim reclamantibus Baronibus, responsione Prælatorum audita, fuit per prædecessores vestros Reges Franciæ consuetudo ejusmodi Ecclesiæ firmata.* Cùm diutina ei consuetudini accessisset præscriptio, totque Regum diplomata ei muniendæ ad manum essent. *Probatur & ex privilegio concesso per Carolum Magnum, & per S. Ludovicum, & per Philippum avunculum vestrum, & per Ludovicum & Philippum consanguineum vestros Reges Franciæ, quæ privilegia habemus in promptu.* Cùm denique impatientissimè ferret Advocatus Regius, Ecclesiæ Gallicanæ jurisdictionem longius latiusque patere, quàm cæterarum orbis Ecclesiarum: responsum est ab incomparabili Præsule Bertrando, Quantum Galliæ Reges cæteris orbis Regibus eminerent, tantò & eos studiosius incubuisse in Ecclesiæ tutelam & amplificationem: persuasissimos huic Ecclesiarum regni sui tuitioni, & exaggerationi dignitatis & jurisdictionis earum supra alias Ecclesias, debere se summi Numinis illam providentiam, & benevolentiam singularem, quæ summo quodam illos in fastigio supra alios orbis Reges collocarat. *Sed fortè ad hoc dicitur, Quare hoc sibi vendicat Ecclesia Gallicana, cùm aliæ Ecclesiæ in aliis regionibus sibi hoc minimè vindicare noscantur. Ad quod potest faciliter responderi. Si enim Reges Franciæ, quos Deus singularibus privilegiis, gratiis, & honoribus præ cæteris Regibus insignivit, & prosperati sunt inter cæteros propter tria, scilicet propter magnam fidem & devotionem ad Deum; item propter maximum honorem & reverentiam ad Ecclesiam; item propter justitiam præstitam ad populum sibi subditum, Ecclesiæ plus libertatis concesserunt, vel concessis uti liberè permiserunt: non est mirum, immo tanta fuit ad Ecclesiam eorum devotio; quod Ecclesia tantò eis propinquiores, quantò pluribus libertatibus gaudeat.*

Quæ doctissimi Cardinalis responsio habet non pauca, diligentissimè nobis hic pensitanda. 1. Eo ævo Gallicanam Ecclesiam omnium toto orbe fuisse splendidissimam, singulari hac potissimum amplitudine jurisdictionis & libertatis. 2. Regum beneficio id eam esse consecutam, ut qui eximium hinc decus quoddam & gloriæ incrementum sibi aucuparentur, ut Ecclesiæ Gallicanæ fastigium tantò supra omnes extolleretur Ecclesias, quantò Regnum ipsum Gallicanum supra regna orbis alia. 3. Hujus autem Regum in Ecclesiam charitatis largitatisque hoc suppetere manifestissimum argumentum, quod Ecclesiæ civitati & Palatio Regum viciniores, eo jurisdictionis cumulo supra alias excellerent. 4. Capita omnia Ecclesiasticæ jurisdictionis in Decretalium libris consignata, usu receptissimo in Gallus certè viguisse, cùm hic multò vastissima vigeret, quàm usquam alibi gentium sacra jurisdictio.

VII. Pergit porrò ibidem Bertrandus Cardinalis demonstrare, illo se Reges constringere sacramento inter ipsa inaugurationis suæ exordia, Ecclesiæ & Clero *Canonicum privilegium, & debitam legem, & justitiam, & defensionem servare.* Privilegium Canonicum & consuetudinem in eo versari, ut Episcopi de causis laïcorum compluribus judicent. Sub Regno beati Ludovici conspirasse Barones Galliæ, ut eam partem everterent sacræ jurisdictionis, utque rem expugnarent obtulisse Regi centesimam bonorum suorum partem; sed irritum, fractumque cecidisse impetum illum, confirmante Rege prisca omnia Ecclesiæ jura. *Cùm Barones totius regni se confœderassent ad tollendam istam Ecclesiæ libertatem, & ordinassent ad hoc dare centesimam bonorum suorum, sanctus Ludovicus nunquam eis abasit, sed potius eos ab istis compescuit, & finaliter hanc libertatem Ecclesiæ confirmavit.*

Accedit postea Bertrandus ad diluendas sigillatim querelas omnes laïcorum adversùs varia capita sacræ jurisdictionis in causis personalibus, realibus, mixtis, inter Laïcos & Clericos, & inter ipsos hinc & hinc Laïcos: evincitque possessionem, qua utitur Ecclesia Gallicana ejus jurisdictionis, niti jure, consuetudine, & variis Regum Edictis. Denique complura eorum quæ supra ex Somnio Viridarii vel perstrinximus tantùm, vel excerpsimus, excerpta fuerant & ipsa ex aureolo hoc Bertrandi

Episcopi, & postea Cardinalis Commentario.

Interpellatus est denique Philippus Valesius Rex à Clero Gallicano, nihil ut imminutum vellet ejus & potestatis Ecclesiarum & immunitatis, quam eis Majores sui contulissent, aut confirmassent. Imprimis autem ut ne amplius sineret prohiberi, ne laïci laïcos alios ad tribunal Ecclesiæ provocarent. *Placeat ei inhibitiones factas, scilicet quod nullus laïcum trahat alium laïcum coram Judice Ecclesiastico, revocare.* Eo quippe jura everti omnia Ecclesiæ. *Quia hoc esset omnia Ecclesiarum jura tollere.* Labefactari denique tum Jus Canonicum, tum Consuetudinarium, si vetentur laïci præponere sæculari Judicem Ecclesiæ, & ad hunc laïcos trahere alios: *Si jus & consuetudo tolleretur, per qua in electione laïci est, quod possit alios laïcos in foro Ecclesiæ convenire.* Vivæ ipse vocis oraculo Episcopis confirmavit, innovationes & prohibitiones, de quibus querebantur, inceptas sibi fuisse, nec à se eas probari. *Quod non erant factæ de suo mandato, nec aliquid sciebat, nec eas ratas habebat.* Author est Paulus Æmylius à Rege Prælatis responsum esse, Ecclesiarum jura amplificaturum se potius semper, quam imminuturum: qua de causa impensissimas ei gratias retulit Clerus universus, & Catholici cognomen addidit. *Tunc Rex,*
Rainal. an. 1329. n. 77 *Jura, inquit, Ecclesiarum auxerim potius, quam imminuta velim. Gratias universi egere. Rex Catholici cognomen promeruit.* Quod porro dictum est, reliquas orbis Ecclesias non jam ampla tunc usas esse potestate in laïcos, atque Gallicanam: id rursus comprobari potest responsione Nicolai V. Papæ ad Saxones,
An. 1447. n. 28. quam publicavit Rainaldus, ubi Pontifex multas diffinit Juris Canonici controversias circa utramque jurisdictionem.

Can. 4. 5. VIII. Anno 1301. cœperat Compendiense Concilium perstringere molimina Nobilium & Judicum sæcularium, conspirantium adversùs Cleri Judices, ut ne laïci unquam ad eos adirent. At obrtam exertè cœpit Philippus Valesius Rex libertatibus Ecclesiasticis patrocinari, tum verò Concilium Bituricense anni 1336. animosius insurrexit adversùs has Nobilium & Judicum laïcorum molitiones, qui omnem Ecclesiæ in laïcos & in res temporales jurisdictionem labefactatum ibant. Concilii hujus Canone XII. attinguntur pleraque ea Capita, quæ supra vidimus à Bertrando Cardinali defensitari.

Jam Vuillelmus Durandus Episcopus Mimatensis amarulentissimè conquestus fuerat de laïcorum Judicum usurpationibus in forum Ecclesiasticum, & in optatis habuerat, ut ei malo medicinæ aliquid
De modo Conc. Gen. Part. 2. Tit. 70. adferret Concilium Viennense. Expostulabat ille, quod Judex sæcularis causas ad se traheret rusticorum & servorum Ecclesiæ, pœnitentium, libertorum, pupillorum, viduarum, peregrinorum, mercatorum, agricolarum & navigantium. Quòd ab eis prohiberetur, ne Ecclesia laïcos cogeret ad satisfaciendum pro criminibus, in quibus volutabantur: ne tum jus diceret, cùm malitiosè cessaret sæculi Judex: ne consuleretur Ecclesia, ubi hæret, & pendet animi Judex sæcularis in difficilioribus causis; ne forum Episcopi civili præferretur; ne ab Ecclesia judicarentur causæ personales, reales, criminales, quas ab ea judicari feri consuetudo, & possessio; ne Romana Clerici Rescripta impetrarent, ut à Clerico judice cognoscerentur causæ hæreseos, sacrilegii, usuræ & adulterii: denique pietate & eruditione eximia Episcopus, illacrymatur angustiis Ecclesiasticæ jurisdictionis, quam civilis pene universam absorbuerat Magistratus, potissimum verò ad res temporales. *Et sicut frustratim lupus agnum comedit, ita per ipsos jurisdictio Ecclesiastica frustratim quodammodo devoratur. Quidquid ad Ecclesiasticam jurisdictionem potissime quoad temporalia pertinet, sibi auferri putantes.*

IX. Ea hic liquet post regnum demum beati Ludovici contigisse, ut Nobiles Judicesque laïci impunius impetum facerent in jurisdictionem Ecclesiæ, cui ille propitium se semper & fautorem demonstrarat. Regni & Ecclesiæ dissidia sub Philippo Pulcro, ortum dedisse his sacræ jurisdictionis usurpationibus, simillimum veri est. Resarciri visa est Memoir. du Clergé.
haud dubio ea labes, vel in Concilio Viennensi, To. 2. pag.
vel postea: cùm tempore Philippi Valesii jam exarserit in Ecclesiam laïcorum insania, vastissimam 121. 282.
Cleri jurisdictionem iniquo animo ferentium. Supra obiter nos monuit Bertrandus Cardinalis à Ludovico Hutino, & Philippo Longo regio patrocinio munitas fuisse libertates Ecclesiæ & immunitates. Faverat & Philippus forsan ipse Pulcher post Concilium Viennense. Supersunt litteræ Ludovici Hutini, quibus tota confirmatur Ecclesiastica jurisdictio in Provincia Senonensi, quæ Decimarum concessione Regio fisco affuerat; innovantur & statuta sancti Ludovici, & Edicta Philippi Pulcri, eidem Ecclesiasticæ jurisdictioni amica, eo etiam laïcis concesso, ut ad Judices Ecclesiæ convolent. Supersunt & Epistolæ Philippi Pulchri. Preuves des Liber. Gal. c. 7. n. 5. 6. 7. 8.

Frequentes verò illæ querelæ Baronum Franciæ anno 1225. 1235. 1246. adversùs effusionem Cleri jurisdictionem, eæ potissimum quibus Romanum ipsum interpellavere Pontificem, argumento sunt, constantissimè semper beatum Ludovicum defensandis Ecclesiæ juribus & libertatibus affuisse. Secundùm Ecclesiam pronunciavit Philippus Valesius, & ex Concilio Bituricensi patefactum est, sua Episcopos jura mordicus adhuc retinuisse anno 1336. Mox verò eæ temporum molestiæ Regno incubuere, maximè verò post internecinas illas clades ad Cressiacum & in agro Pictaviensi, sub Philippo Valesio, & Joanne filio ejus Regibus, & hinc exorta bellorum civilium incendia, ut non minùs acerba Ecclesiarum, quam Regni saluti & disciplinæ inflicta sint vulnera. Caroli V. Regis ea fuit propria & eximia laus, ut in pristinum splendorem excitaverit Regnum ab Anglis dilaniatum; at non idem illi vel aelus, vel conatus tribuitur ad libertatem & jurisdictionem Ecclesiæ restituendam. Quin ea adverso prohibuit, ne Archiepiscopi, vel Episcopi de causis realibus cognoscerent Clericorum etiam conjugatorum, si vel maximè tonsura & veste in Ibid. n. 17.
Clericali non essent: quasi jure & consuetudine causæ illæ omnes Civili Judici integræ conservarentur.

Nonnulla tamen imago pristinæ potestatis posterioribus sub Regibus etiam superfuit Episcopis, donec Franciscus I. uno aut altero capite Edicti Fevret. l. 3.
sui anni 1539. illam omnem labefactavit, coarctata c. 1. n. 11.
Ecclesiæ in laïcos jurisdictione ad Sacramenta & alias causas merè spirituales: prohibito spirituali Judice, ne eos sibi sisti cogeret in causis merè personalibus, indicta alioqui mulcta pecuniaria. Ea sanè prohibitio, ne in actionibus merè personalibus convenirentur laïci in foro Ecclesiæ, temporaria primum fuit illa quidem, & nihil detrito eorum jure, qui titulo in contrarium aliquo, vel possessione otte- Edictum
rentur. Sed temporaria ea provisio definitivæ sen- Francisci I.
tentiæ vim habuit, cùm exinde à Parlamentis res- Ann. 1539.
cissæ sint, & pro nihilo reputatæ citationes omnes n. 1. 2. 3. 4.
hujusmodi

hujusmodi Laïcorum ad forum Ecclesiæ; nisi ubi de Sacramentis quæstio vertitur, vel de re spirituali alia; quo se cumque Clerici tueri voluerint titulo, privilegio, indulto, & possessione. Quæ ex Fevreto ita vertimus, ut verbum ferè è verbo sit.

Ea est sanè historica series variarum vicissitudinum Ecclesiasticæ jurisdictionis in Gallia ad causas temporales. Scitissimè illud à Guimierio dictum est, Reges Galliæ & officio & ingenio suo, atque insito Christianæ pietatis impetu, invictissimos esse Ecclesiæ libertatum defensores: at ejus Officiales, Ministros & Judices tam vehementer tamque obstinatè ejus jurisdictioni obluctari, ut ea tandem in nihilum redituta sit. *In proem. Pragm.* *Cùm Rex Franciæ sit pugil Ecclesiæ & inter Christianos Christianissimus, debet custodire jurisdictionem & libertates Ecclesiasticas: sed Officiarii ejus in multis hodie turbant Ecclesiam in prædictis, ita quod nisi Deus provideat, tandem jurisdictio & libertates Ecclesiæ evanescent.* In votis eidem fuit alio loco, ut à Concilio Tridentino diffinitum aliquid esset super Appellationibus quas vocant *ab abusu*, quibus ipsis maximè plerique abutuntur, eodem authore, & quibus tota Ecclesiæ enervatur atque eliditur jurisdictio. En ejus verba: *De causis. §. Si vero.* *Utinam super eorum abusuum discussione fieret per Concilium Tridentinum declaratio, & an liceat Judicibus laïcis & sæcularibus, de Clericorum & Ecclesiæ Prælatorum, eorumque Officialium, etiam Sedis Apostolicæ abusibus cognoscere, & qua potestate hæc signa faciunt. Quia per illud videntur os in cœlum ponere, id est, inferiores corrigere superiores, aut jurisdictionem aut imperium in eos usurpare. Quod factum consistit in superlativo gradu abusuum.* Fatetur vel ipse tamen non immeritò, à Senatu Regio emendari cohiberique debere Judicum Ecclesiæ errata, quòd privilegio Pontificio ad id munitus sit, quòdque non semel imperitia vel ignavia peccent Ecclesiæ Judices. *Per hoc tamen dicere non intendo, quod Parlamenta Galliæ in aliquibus casibus Clericorum abusus non possint corrigere, tum (si verisimile est fatendum) propter Apostolicum privilegium, Curiis supremis Galliæ datum; tum etiam & maximè propter Prælatorum & Judicum illorum negligentiam, & nonnunquam imperitiam.* Quo magis necessaria foret definitio specierum & causarum, in quas cadit hæc Abusûs appellatio; aliàs Ecclesiastica jurisdictio suis usque insepulta jacebit ruinis. *Utinam super hoc certum fieret decretum per ipsum Concilium, ubi casus cognitionis hujusmodi abusuum describerentur certi. Quòd si non fiat, semper Clerus murmurabit, cùm per eum appellandi modum jurisdictionis Ecclesiasticæ nervus ferè in totum sit contritus & diruptus.* Assensus est non semel his Guimierii dictis Clerus Gallicanus, cujus & Conventus Generales interpellarunt non semel Principes, ut eas istiusmodi provocationis species & causas designarent.

XI. Quæ ergo olim in Galliis, quàm alibi gentium latiùs patebat Episcopalis jurisdictio, ad mitas nunc angustias arctata est. Frustulum hìc exscribam Edicti Matthiæ Regis Hungariæ anno 1462. quo ab Episcopis & Optimatibus regni sui interpellatus, designat quosdam veluti limites Ecclesiasticæ jurisdictionis, ut hinc elucescat, ut ex Juris canonici Regulis causæ in eo Regno tractarentur.
Rainol. an. 1462. n. 27. *Omnes causæ circum mysteria & defectus Sacramentorum. Item causa in facto fidei & causa hæresum, seu suspectorum de hæresi. Item causa testamentorum, & earum accessoriam. Causæ matrimoniales & accessoriorum earundem; specialiter autem dotis & rerum paraphernalium, donationum propter nuptias & juri quartalitii, si non intentetur pro hæreditate possessionaria adipiscenda. Item causa decimarum realium & personalium, & accessorium earundem. Item causæ usurarum. Item causa viduarum, & miserabilium personarum, si non agitur pro possessionibus & prædiis adipiscendis. Item causa fidei violatæ & omnium perjuriorum, & causa quarum finis tendat ad correctionem peccati. Item omnes causæ in quibus quis incidit in sententiam excommunicationis hominis vel Canonum.* Permodica ea olim fuisset portio jurisdictionis Ecclesiasticæ in Galliis, cùm pleraque istiusmodi jura in præsentiarum evanuerint. Si *Statuta Poloniæ* consulas, perspicies ut in Comitiis Regni generalibus anno 1543. fines delineati sint jurisdictionis sacræ & sæcularis. Sacra certè ibi jurisdictio tam latè propagatur, ut ne prioribus quidem & melioribus sæculis potuerit usquam ulteriùs exporrigi. *Statut. Polon. pag. 453.*

XII. Synodi Diœcesanæ & Provincialia Concilia, quædam erant olim velut inexpugnabilia munimenta Episcopalis jurisdictionis. Curiæ illæ erant Ecclesiasticæ & Judiciales, quarum splendore veneratio, fiducia, admiratio, constantia foro Ecclesiastico affundebatur. Ideo & de his Synodis Conciliisque conquesti sunt, quicumque Cleri jurisdictionem sibi evertendam proposuerant. Audi ut de iis expostulatum sit temporibus Philippi Valesii Regis: *Prælati faciunt Concilia Provincialia, & Synodalia statuta, in quibus plura faciunt & ordinant in grande præjudicium jurisdictionis temporalis, de quo non spectat eis quoquo modo cognoscere, vel se intermittere.* Quod jaculum retudit Bertrandus Cardinalis hoc responso: Institutas fuisse eas Synodos Diœcesanas & Provinciales, summoque studio commendatas à sanctis Patribus & Conciliis Oecumenicis, cùmque iis nefas esse obloqui; nec in iis statui quidquam, quod ad temporalia pertineat, nisi quod idem ad æternam salutem pernecessarium sit. *Prælati nihil statuunt ibi, quod temporalitatem tangat, nisi quatenus commissarum sibi animarum tangit salutem.* Denique ibi operam dare Præsules, ut ne quid Episcopalis & antiquissimæ potestatis sibi demeretur, in quod non possint non ex officio suo conniti. Eadem expostulatio, eademque responsio in Somnio Viridarii occurret.

Ubi cessarunt Præsules à convocandis Conciliis his suis tam necessariis, & eo adversu cœpere Parlamenta Galliæ & Lutetiæ defigi, & toto anno protrahi, cùm antè desultoria essent, & brevissimo temporis spatio concluderentur, vix, ac ne vix quidem fieri potuit, quin complurimæ fori Ecclesiastici causæ ad sæculare traducerentur. Si vel maximè spectes partita primùm ita fuisse Parlamenta, ut Clericorum altera, altera Laïcorum pars esset Senatorum. *To. 2. pag. 971. 1004. 1005.* Inter opera Caroli Molinæi obvia se dabunt monumenta, quibus constet, in Parlamentum Parisiense primò coaluisse duodecim Franciæ Pares, octo Magistros libellorum supplicum, quadraginta Clericos Senatores, totidem Laïcos, quos inter quatuor erant Præsides. Duodecim Parium sex erant Clerici. Probabile etiam est, ex Magistris supplicum Libellorum alios Clericos, alios fuisse Laicos. Cùm maximi verò ponderis causæ ad Parlamentum referrentur, à Philippo Pulcro statutum est anno 1302. ut Prælati duo, & Laïci duo Consilii sui ei interessent; aut Prælatus saltem unus, & Laïcus unus. Anno 1444. institutum est à Rege Carolo VII. Parlamentum Tolosanum, creatis Præsidibus duobus, & Consiliariis laïcis sex, totidemque Clericis. Plura de his superiùs.

In Conventu Mantuano anno 1459. cùm expostularet Pontifex Pius II. de Parlamento Parisiensi, responsum est ab Oratoribus Caroli VII. constare Parlamenta Clericis Laïcisque, æquato utrorumque numero, adeoque accommodatissimum eum esse Senatum ad temperanda, tuendaque vicissim jura atque ornamenta, pacemque alendam & concordiam Ecclesiæ & Regni. Non ea tamen numeri æquatio postea semper constitit. Cœperant jam sub Rege Carolo VI. Clerici aliqui expungi. Qui hujus Regis Annales litteris consignavit Monachus Sandionysianus, narrat 1388. *Peasitatum fuisse, in celeberrimum eum Conventum confluere Abbates, aliosque Clericos, qui à Claustri sacro secessu resiliissent, & ab Ecclesiarum suarum cura, urbes sibi honorificentiores captarent sedes, quibus & impensius, quàm suæ professionis muniis delectarentur. Initum ergo consilium fuisse, ut nomine Regis illis significaretur, suas ut in Ecclesias se reciperent, religioni quippe Principi esse, ne eos diutius retineret, avocaretque à residentia ejus loci, ubi fructuosius lucrandis Deo animabus & ad pietatem instituendis vacarent. Idem Sandionysiano quoque Abbati significatum est. At cùm testimonio seniorum Parlamenti Consiliariorum approbasset, ei se Collegio inscriptum semper ab ipsis usque exordiis fuisse, eo revocatus est, reddita pariter ei sede, quam sua illi dignitas in Consiliis Regiis vindicabat.* Hæc à me utcumque versa sunt ex Gallicana versione hujus Scriptoris. In Edicto Blesensi cùm decurtaretur numerus Officialium juris dicendi, residui non fuere Parlamento Parisiensi, nisi Consiliarii Clerici sex, sexaginta Laïci. Reliquis in Parlamentis pluscululum superest de prisca æqualitate, ita tamen ut ferè triplo semper major sit numerus Laïcorum.

Spic. to. 9. pag. 326.

Art. 213. 214. &c.

XIII. Ut eodem revolvatur, unde exordium sumpsit hoc Caput, & quo totum illuminari potuit, illud concludimus, Ecclesiasticæ in Laïcos & in temporalia jurisdictionis finem scopumque non esse alium, quàm Pastoralis sollicitudinis explicationem, ad animarum salutem. Ideo superiùs inter varia capita jurisdictionis sacræ in Hungaria, inclusæ sunt universim causæ omnes, ubi de morum emendatione agitur. *Causæ quarum finis tendat ad correctionem peccati.* Ideo contestabatur paulò superiùs Bertrandus Cardinalis, Clerum suis in Conventibus temporalia non attingere, nisi quà ad salutem sempiternam interessent. *Prælati nihil statuunt quod temporalitatem tangat, nisi quatenus commissarum sibi animarum tangit salutem.* Ideo & cùm ea jurisdictio latiùs in Laïcos se exporrigebat, & in res temporales, unus is semper illi scopus, unus illi fructus obversabatur, præverti, aut puniri sacrilegium, perjurium, aut aliam quamlibet peccati pestem, facienti, quàm patienti exitialiorem. Ideo tantopere certatum est, ut Laïcis integra servaretur facultas sistendi se Judici Ecclesiastico, quòd ab exordio ea illis optio data esset, ut pietati & religioni consultum esset. Ideo & pœnæ fori Ecclesiastici omnes, medicinæ arte temperatæ erant, jejunia, eleemosynæ, pii secessus, silentium, fuga sæculi, pœnitentiæ denique veriùs, quàm pœnæ. Ideo optatissimum erat, ut Pauli Apostoli hortamentis sequaces se præberent Clerici omnes, & forum Ecclesiæ frequentare mallent, aut ut ne litigarent quidem. Si qui Præsules postrema hac ætate secus fecerunt, si rationes alias, si cupiditates suas, pessimas duces secuti sunt, proprio id factum est eorum vitio, quo præjudicari nihil potuit sanctissimis & incorruptis Ecclesiæ regulis, & ei charitati, qua to a ejus sincerior disciplina vegetatur. At illis sanè authoribus accepta ferenda est clades Ecclesiasticæ jurisdictionis. Invictissima enim perstabit authoritas Episcoporum, quandiu sanctitate, quandiu cupiditatum abdicatione resplendescet; & in ipsis temporalibus causis solam æternorum charitatem sectabitur. At ubi sæcularibus indulgebunt affectibus Ecclesiastici Judices, sæcularium Magistratuum impetu aliquando tandem frangentur.

Replicanda animo est ratio mira prorsus & Apostolica, qua B. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus causis dirimendis vacabat. Unum erat quod maximè omnium ille execraretur, causa vincere, nec vincere æquitate: ex aliorum damno compendium aliquod facere. *Abominabile quippe judicabat, si quidvis lucri assequeretur ex eo quod alius contra moderamina juris, quavis astutia perdere posset.* Cum studebant partes sinuosis ambagibus & meditatis dolis illum circumvenire, tum ipse ad leges Evangelicas in eorum animis inserendas orationem traducebat. Cathedra ergo illa erat magis Prædicatoris Apostolici, quàm sedes judicialis. *Hinc procedebat, quod inter placitantes residens, cùm adversarii ejus per sua consilia disquirerent, quo ingenio, quave calliditate sua causa adminiculari, & illum valerent fraudulenter insidiari, ipse talia nullatenus curans, eis qui sibi volebant intendere, aut de Evangelio, aut de aliqua alia divina scriptura, aut certè aliquid de informatione bonorum morum disserebat.* Hæc est climatissima effigies, & forma absolutissima Judicum & Tribunalium Ecclesiasticorum.

Eadmer. l. 2.

Ab Anselmo ad S. Carolum venio Archiepiscopum Mediolanensem, à quo id diligentissimè commendabatur Judicibus omnibus à se delegatis, ut antè adgrederentur ad componendas, quàm ad dijudicandas lites; sejunctim ut Partes audirent, semotis Advocatis & Procuratoribus, ut amore pacis & charitatis eorum animos incenderent; id saltem verò perficerent, ut faciliores celerioresque essent causarum omnium exitus in foro Ecclesiastico, quàm in civili. *Antequam litis reive alicujus judicium constituatur, studeant omni æquitatis officio, paternoque consilio lites dirimere, controversias sedare, & transactionibus litigantes reconciliare, &c. Sin autem id assequi non poterunt, id saltem curent, ut lites breviùs quàm in foro laïcali moris est, definiantur.*

Act. Eccl. Mediol. pag. 314.

In Conventu Melodunensi Cleri Gallicani anno 1579. Episcopis proposita & commendata est Apostolica hæc via & ratio litium finiendarum, partibus ad pacem & concordiam allectis, maximè inter Clericos: quibus vehementer illud quoque inculcandum est, Servum Dei non oportere litigare, longèque præstabilius fore, ut arbitros ipsi in Synodis sibi eligerent, eisque committerent controversias suas omnes. *Studeat Episcopus quoad poterit lites componere, præsertim inter Ecclesiasticos: ita ut si fieri possit, forensibus jurgiis se non implicent. Non enim decet Dei ministrum litigiosum esse. Et ad hunc finem moneat eos, & in Synodis suis, & alias, quoties videbitur convenire, ut arbitros deligant, quorum arbitrio suas controversias dirimant, & pacificè inter se conveniant. Quod si pervicaces & obstinatos aliquos reperiat, & vultu & gravibus verbis objurgando à litibus revocet.*

Cap. de jurisd. for.

XIV. Hæ certissimè sunt Evangelicæ veritatis regulæ, hæc lumina, quæ tam uberem olim, vastissimamque peperere Ecclesiæ jurisdictionem; quæ tot retro sæculis eam vel amplificavere, vel sartam tectamque servavere, tot inter licèt ingruentes pro-

cellas; quæ denique restaurare eam etiam nunc possent, si qua separationis [illegible] licet. Sed ut ejus jacturæ justissimus dolor [illegible] quantulum, revolvamus animo, & singulis Ecclesiarum Episcopisque aptemus, quæ olim B. Bernardus Eugenio III. Papæ etiam atque etiam consideranda proponebat. Quàm miserrimæ sit illud servitutis jugum, dies totos, sed & noctes quandoque consumere in litibus, tricis, jurgiis, dolis, fraudibus audiendis, versandisque, ut respirare vix liceat aliquando ad beatæ quæ nos manet patriæ delicias, & ad sempiternæ pacis & veritatis contemplationem. *Quæso te quale ad istud de mane usque ad vesperam litigare, aut litigantes audire? Et utinam sufficeret diei malitia sua, non sunt libera noctes.* Et quidem Apostolus Episcopos oneri subjecit, ut fidelium litibus pacandis aures animosque adverterent: sed non ea fuit illi mens, ut Tribunal Episcopi perfugium esset, quò omnes undique confluerent ambitiosi, avari, rapaces, simoniaci, sacrilegi, concubinarii, incestuosi, complures alii, qui ad forum illiciuntur non rarò Ecclesiasticum, ut veniæ aliquid & dispensationis corradant: atque ita licentiùs impuniùsque cupiditatibus suis indulgeant. *Nec mihi reponas nunc Apostoli vocem, qua ait: Cùm essem liber ex omnibus, omnium me feci. Longè est illud à te. Numquid hac ille servitute hominibus inserviebat in acquisitione turpis quæstûs? Numquid ad eum de toto orbe confluebant ambitiosi, avari, simoniaci, sacrilegi, concubinarii, incestuosi, & quæque istiusmodi monstra hominum, ut ipsius Apostolica authoritate vel obtinerent honores Ecclesiasticos, vel retinerent.*

De Consid. lib. 1.

Singulorum Tribunal Episcoporum imago erat Pontificii, seu Romani. Vidimus jam hæc eadem facinora flagitiaque eò referri solita. Quod ad causas verò reales attinet, multò minùs placet Bernardo tantopere æstuare Præsules ad eas suo foro vindicandas. Præclarius forsan & præstabilius fuerit, vel Christum imitari, qui dividendæ hæreditatis officium detrectavit: vel Apostolos, qui judicia de sceleribus in se recepere, ut his mederentur: non de terrenis possessionibus, ut eas vel adjudicarent cuiquam, vel abjudicarent. *Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa, & non propter has accepistis claves regni cœlorum. Ut sciatis, ait, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Quænam tibi major videtur, & dignitas, & potestas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non est comparatio. Habent hæc infima & terrena judices suos, Reges & Principes terræ. Quid alios fines invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis?*

Sed mox tamen Bernardus, cælesti sapientia instructissimus, profitetur, eam dirimendarum litium nec à se vituperari professionem, nec interdici. Sola ergo ab eo criminis loco ejus odi functionis immoderatior cupiditas, sola potestatis ostentatio. Vacare & huic debent, sed ita ut studiosiùs & Deo vacent, & sibi. Et oneri subjicere se debent, sed persuasissimi eam esse subjectionem & servitutem æternæ patriæ, cælestisque libertatis amatoribus amatam & permolestam. Infra se habere debent, & ordini suo nupar, quidquid illud est muneris & potestatis. Hinc fiet ut ne magnopere ad ejus vel possessionem, vel incrementa exardescant. Denique impendere se ei functioni debent stimulante una charitate & condescensione ad ovium suarum ægritudines, non [illegible] pompa & specie dominationis. *Non quia indignos vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, potioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit audi quid censeat, non ego, sed Apostolus. Si enim in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis. Sed aliud est incidenter ex urgente in ista causa quidem urgente, aliud ultro incumbere istis, tanquam magnis dignisque tali & talium intentione rebus. Itaque hæc & talia innumera dicerem, si fortia dicerem, si recta, si sincera. Nunc autem quoniam dies mali sunt, sufficit interim admonitum esse, non totum te, nec semper dare actioni, sed considerationi aliquid tui, & cordis, & temporis sequestrare. Hoc autem dico necessitatem intuens, non æquitatem, quanquam non sit præter æquum necessitati concedere.*

Quo ita viso & constituto, jam nemo non assentietur, minimè dolendam esse Episcopis vicem suam, aut hujus temporalis jurisdictionis maxima ex parte jacturam. Dolendæ multò magis sunt vices, vel fidelium Laicorum, qui non ea religione & probitate fuerunt, ut Christi ministris lites suas omnes committi vellent: aut ipsorum Clericorum, qui non ea semper claruerunt, aut singulari sapientia & eruditione, aut innocentia & cupiditatum omnium fuga, ut lubentissimè fideles eorum tantum judicia experiri vellent. Sed [illegible] non exercebamus [illegible] subauvit potestatem [illegible] non est de ejus jactura contristari. Tristissimum est, non ea excidisse potestate tot spinis & molestiis vallata; sed eâ dejectos esse pietate, & pietatis opinione, quæ populos olim ad Tribunal Episcopale adgregabat spontaneos.

Suo ipsius ævo declarat Bernardus inferiùs, non illam amplius in Ecclesiastico foro viguisse simplicitatem, & Evangelicam charitatem, qua illud olim sanctissimi Ecclesiæ Patres exornaverant: artes ergo mendacio, fuco, & versuta eloquentia jam grassabantur causidici; denique à judiciis Ecclesiasticis longissimè exulabant Ecclesiasticæ virtutes omnes. *Agi [illegible] causa, sed sicut oportet. Nam iste modus qui frequentatur, execrabilis plane, & qui non dico Ecclesiam, sed nec forum deceret. Miror namque quemadmodum religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes Advocatorum, pugnas verborum. Corrige pravum morem. Nihil ita absque labore manifestam faciet veritatem, ut brevis & pura narratio. Ergo illas quas ad te necesse erit intrare causas, neque [illegible] diligenter [illegible], sed breviter decidere [illegible] oratoriasque & veteratorias præcidere dilationes.* [illegible] de Pontificio Tribunali. Si cæterum [illegible] Episcoporum Audientia iisdem implicabantur [illegible] ditatibus, tumultuosisque contentionibus, tantò æquius est gratulari nos magis, quam indolescere jacturæ tam optandæ, tam [illegible], & tanto cum fœnore compensatæ; parta jam libertate ut vacemus, totique nos immergamus in ea studia, muniaque, quæ Clericis [illegible] sunt affinia. Nec repugnant hæc [illegible] & zelo, quo nuper etiam quidam [illegible] Episcopi efferbuerunt ad jurisdictionis [illegible] defensionem. Suo enim illi otio facto, [illegible] anteponebant pro Pastorali officio sollicitudines, quibus ovium suarum [illegible], pax & concordia [illegible] Itaque ovium suarum salutis æternæ charitate, [illegible] potestatem & jurisdictionem, privat in [illegible] permolestam, [illegible]. Ubi [illegible] excussa est & absorpta, jam [illegible] ipsis otium contemplationis lubentissime [illegible], aliasque functiones [illegible] tinas.

XV. Ita imbutus certissimè & comparatus animo erat Ivo Carnotensis in Epistola ad Comitissam Adelam, ubi testatum facit, Clericos quorumcumque criminum reos, præter illa, quæ morte luuntur, in causis item personalibus & realibus omnibus, uni foro Ecclesiastico obnoxios esse, eamque vetustissimam fuisse Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam.
Epist. 138. *Omnes Pseudo-Prædicatores & Pseudo-Monachi & Pseudo-Clerici, fornicatores, adulteri, fœneratores & alii qui in Christianissimo offendunt, exceptis his, qui pœna capitali puniendi sunt, à nobis distringendi & corrigendi sunt: & ipsi & eorum res nostri juris sunt. Et hæc est antiqua & inconcussa consuetudo, non tantum Carnotensis Ecclesiæ, sed omnium Ecclesiarum per totum regnum Galliarum. Et hoc astruere parati sumus, &c.* Id omnino cupidissimè amplectebatur Bernardus, ut ne Judex Ecclesiæ vires nervosque contenderet, nisi ut vitia stirpitus evelleret; cùm eo tantum consilio Christus summæ potestatis suæ claves Ecclesiæ commendarit. Potestas ipsa Ecclesiæ in bona & personas laicorum, tota in id vergere & conspirare debet, ut exulent vitia, religio & justitia dominetur. Ea fuit & Canuti Daniæ Regis voluntas, ubi referente Saxone Grammatico, Clericorum judicio subjecit, quidquid in Religionem
Baron. an. 1081 n. 37 & justitiam sceleris committitur. *Pontificibus etiam in omnia quæ adversum divina committerentur, animadversionis arbitrium tradidit, cunctasque hujus generis actiones sacerdotali judicio destinatas, à publico foro secrevit.*

Baron. an. 1184 n. 4. 5 Nec minùs id dilucidum in Epistola Petri Blesensis ad Archiepiscopum Cantuariensem, ubi faces illi subjicit, quò evertere & extirpare studeat corruptelas omnes Ecclesiæ Anglicanæ, cùm ea una de causa tanto illum in jurisdictionis & potestatis culmine Christus collocasset. Eadem hæc prorsus luminosissima charitas beatissimo prælucebat Hugoni Lincolniensi Episcopo, & expeditissimam conferebat facultatem extricandarum litium quarumcumque, quibus ipsi vix se Jurisconsulti satis expedire poterant; cùm jus ille & leges ne primoribus quidem labris delibasset, nisi in Evangeliis nocturna diurnaque manu pervolutandis. Nullum usquam purius lumen asplendescit, quàm Evangelicæ legis, nullum acumen ad incidendas quascumque causas aptius, quam Verbi divini; nodos tricasque omnes facillimè solvit, vel incidit, Dei & proximi charitas, æternorum præ terrenis nugamentis amor.
Baron. ann. 1191. n. 46 *Singularem namque à Domino gratiam acceperat, justum ab injusto discernendi, ita ut peritissimi Jurisconsulti cum admiratione dicerent, nunquam se talem virum reperisse, in decidendis etiam difficilibus subtilissimisque causis, quamvis ille hujusmodi praxim nunquam didicerat.* Ita Hugonis vitæ Scriptor. Ex quo patet, Episcopos illos ipsos, qui sanctitatis & virtutum ornamentis clarissimi erant, qui contemplationis cupidissimi, quique & illi, qui in Cœnobiis exculti, inde ad Episcopatum venerant, & Cœnobiorum singularibus virtutibus Episcopatum ipsum ornabant; totos se impendisse tamen litibus fidelium audiendis, sedandisque, ex cœlestium scilicet & Evangelicarum legum institutione, non spinoso tricosoque Jurisconsultorum more.

Fuit & alius Hugo Gratianopolitanus Episcopus, sed perinde alienissimo à litibus audiendis & disceptandis animo: non febri ille quamvis acutissima cruciari se magis aiebat, quàm fori sui Audientia; cui nuntium utique remisisset, ni gravius aliquid in Deum committere ea cessatione sua vereretur. Dedebat se tamen ille dijudicandis causis, ea charitate, & contentione animi, ea humilitate & pace mentis, qua contumacissimi quique moverentur. Audiendus ipsemet est ejus vitæ Scriptor: *Temporalium negotiorum litigiosas causas æternorum amore, non amare sed tolerare didicerat. Dicebat enim omni febre molestiora sibi placita: modisque omnibus his se abrenunciaturum, si non in hoc Deum se sciret offensurum. Intererat autem his tantummodo pacis obtentu, maximè pauperum atque Ecclesiarum. Ubi verò inexorabilia in aliquibus odia & inexplicabiles repererat iras, tum demum fortissimè de Dei fisus auxilio, totusque in charitatis atque humilitatis solutus affectum, instantissimè & devotissime offensis pro his qui offenderant supplicabat. O quoties salutis humanæ quasi cœcatus desiderio, in cœnosa se pro talibus causis loca projecit? Quoties ad pedes contemptibilium etiam personarum prostratus jacuit? Nec facilè, immo pene nusquam frustrabatur optatis. Nam & si qui negassent, non solum gratis, sed & cum satisfactione pœnitentes, offerebant postea non roganti, quod negaverant supplicanti.* Surius die 1 April.

XVI. Pulcherrima est hæc Præsulis sanctissimi sanctissimè jus dicentis imago, cujus lineamenta omnia ejusmodi sunt, ut non possint non Lectoribus & admirationi esse, & amori; faxit Deus, ut & Ecclesiasticis omnibus Judicibus sint imitationi. Hinc autem firmissima accedunt præsidia iis omnibus, quæ à nobis sunt toto hoc Capite disputata. Elucescit enim ea his ingemuisse pios quosque Episcopos, quòd functione gravarentur tam negotiosa, tam ab otio sacro animos alienante. Et tamen inservisse eos, ne divinæ voluntati obstreperent. Inservisse tamen non aliter, quam ex charitate in proximum, & ea indulgentia ad gregis sui morbos levandos. Insudasse interim in id potissimum, ut lites extinguerent, dissensiones sedarent, exciderent sæcularia stirpitus vitia, virtutes inseminarent Evangelicas; Patres sibi ipsis magis & medicos esse visus, ac conciliatores, quam Judices; si his vinculis absolvi potuissent, id sibi lucro & voluptati fore, existimaturos: strenuè quidem depugnaturos pro ea jurisdictione Ecclesiis tuenda & confirmanda, ex qua tantum molestiarum in Episcopos, tantum in laicos redundaret utilitatis. At si volente Deo ea incidissent temporum rerumque discrimina, ut tota ea potestate caverentur, quantumvis pro officio suo ei defendendæ non deessent: tum non ægrè, quin gratulanter id accepturos, & beneficentissimæ Dei providentiæ gratias acturos, qui mala bene vertit, qui procellas ipsas contorquet in suum usum, ut in portum probi ejiciantur.

Beato Carolo Mediolanensi Episcopo optatissimum fuerat, abdere ut se posset in abstrusissimum aliquem recessum, aut in religiosa Cœnobiorum latibula. Et eo animo cum esset in ipso gerendo Episcopatu; perspexisset autem, quanti ad æternam salutem animarum referret, ut Ecclesiæ incolumis & intacta servaretur authoritas prisca cognoscendi de laïcorum compluribus criminalibus causis; vel illud ipsum impatientissimè tulit, controversiam sibi fieri de Officialibus justitiæ iis, qui reos capiunt, vinciunt, incarcerant: urgetque se, ut ad ea ministeria Ministros publicos adhiberet. In Italia & Hispania super ea re infremuit in eum gravissima quædam tempestas; ille porro forti & excelso semper animo, in summa rerum humanarum despicientia, causæ suæ invictissima fretus justitia, Surius die
invictissimus & ipse fuit, dissilientibus tandem sponte sua machinamentis omnibus, quæ in eum Romæ 4. Nov.
& Madriti extructa fuerant.

CAPUT CXI. *P. 4. l. 2. c. 90.*

De Jurisdictione Episcopali in causis Regularium post annum Christi millesimum.

I. Ab ipsis quoque sanctis Patribus invidia facta Monachis, quod ultra modum in lites effervescerent, & quidem apud saeculares Judices. Sententia Damiani & Anselmi.

II. Ivonis Carnotensis placita, ut Regulares in litigando se habere debeant, vel non litigando, pace victoriae anteponenda, charitate rebus amovibilibus temporalibus.

III. Placita beati Bernardi de eadem re, ut Monachi & Episcopi à litigando avocentur, aut à foro saltem saeculari abstineant.

IV. Placita beati Petri Venerabilis & Abbatis Cluniacensis.

V. Placita & mores primorum Carthusianorum, Cisterciensium, Praemonstratensium. Quam abhorruerint illi à litibus.

VI. Placita Petri Blesensis, Stephani Tornacensis, Hugonis Victorini, de Regularibus alibi quam in foro Ecclesiae litigantibus.

VII. Innocentius III. id mavult Episcopis adjecit, ut lites omnes Cisterciensium, & Carthusianorum in se reciperent, easque aut sopirent, aut dirimerent. Placita Gratiani de Regularium litibus.

VIII. Suaserat Alexander III. Monachis quibusdam, ut nihil ex fundorum, vel praediorum acquirerent, aut certe per parvum ac petrarum, ut [illegible] sibi lites aggeraverunt.

IX. Exempla variorum Ordinum Religiosorum, qui professi sunt, aut nullas parere possessiones, aut prorsus nunquam litigare, omnia judicio Episcoporum relinquere.

X. Quid Jacobus de Vitriaco, quid Hugo Cardinalis, super Carthusianis, qui litibus abstinebant, & super iis, quibus an[illegible] Ecclesia, ut litigaret, non rerum cupiditate, [illegible] praedationibus & sacrilegiis [illegible].

XI. Monita & praecepta B. Francisci Xaverii.

XII. Placita B. Thomae Aquinatis. Responsa Joannis XXII. Papae.

I. Excanduit more & zelo sibi familiari Petrus Damiani in Abbates & Monachos sui aevi, intemperantius anhelantes ad opum fundorumque coacervationem. *Quid de Monacho ille Abbas habet, quem videmus avaritiae facibus inardescere, praediorum confinia dilatare, pecunias hinc inde cum tanta aviditate colligere.* Frequentiores illi erant in publicis diversoriis, quam in Cellulis suis; quibus equorum dorsum quasi pro cella esset. *Cui Monasterium sit hospitium, equinum vero dorsum quasi Ranum est habitaculum.* Qui undique vallabant tribunalia Judicum, Magnatum Regumque Aulam. *Quae enim fora, quae tribunalia inveniri possunt Abbatibus vacua? Quae Curia, quae cubilia Principum, ferratis Abbatum virgis non aspersuntur effossa? Aula cum limen jugiter Abbatum vestigiis teritur, & eorum querela, vel jurgia importune Regum auribus ingeruntur.* Quibus calliditates fori, & arcanae Aulicorum artes exploratiores erant, quam saecularibus litterandae ejus peritiae petitissimis: *Qui vult nosse, quid actum sit apud forense negotium, non Praetoria Judicum, sed haec sola potius quaerat Abbatum. Quidquid in saeculo agitur, ab eis velut à Magistris negotiorum saecularium requiritur.* Nec Abbates quidem suos deligebant sibi Monachi his, nisi quos gnari essent, & nobilitate conspicere, & authoritate apud Magnates, & expertissima litium persequendarum, reique temporalis defensitandae. *Unum est quod super Abbate suo Monachi magnipendunt, videlicet si apud potentes saeculi valeat, si nocendi & adjuvandi liberam facultatem habeat: si loqui in turba, & proprias causas agere non erubescit. Hinc est quod hoc nostro tempore Monachi nullum sibi praeesse volunt, nisi & validi corporis statura Procerum, & claris proavorum titulis insignitum.*

L. De fuga Dignit. Eccles. c. 4.

Ejus generis fortan fuerat aliquando in suis exordiis, qui in sinum beati Anselmi effundebat has querelas; se quidem saeculo renunciasse, at saecularibus fluctibus nunc rursus se ab Abbate suo altius immergi, cùm ab eo jubeatur, temporalium Monasterii rerum & negotiorum curam inducere: ubi jam sibi litigandum, intricandum, contendendum sit, & magis laborandum, ut persaepè quidem fit, de victoria litis, quam de victoriae justitia. *Veni ad Ordinem Monachorum, sperans me ibi posse penitus intendere vitae perenni & Deo. Ecce autem ex praecepto Abbatis mei saecularibus negotiis intendo, & dum res Ecclesiae contra saeculares defendere tueri que desidero, placito, litigo, nec mihi fortan magna cura est, si alii perdant in meo lucro. Quapropter ferè cogor desperare, cùm ea quae reliqui, cum tot peccatis videor administrare.* Animos illi & robur addit Anselmus, serio admonens si non sua ipse sponte prosiliisset ad eam curam & sollicitudinem deposcendam, quo sibi vis blandiretur cupiditatibus suis: sed providentiae & Superiorum imperio inflexisset, accommodassetque voluntatem suam, & eo animo res Monasterii temporales in foro defenderet apud Judices, nihil sibi periculi imminere posse, dum nequid injustitiae litigo peccaret. Etenim obedientiae eam esse mirificatio vim, ut curas ipsas temporalium spiritalibus exaequet, & annumeret virtutibus.

Eadmerus in vita Anselmi.

Verùm illabi non poterant sanctissima id genus praecepta in complurium pectora Abbatum, quorum tabellam expressit Anselmus, dum Beccensem adhuc regeret Abbatiam; ubi eorum perlubet parcimoniam in avaritiae sordes degenerasse, prudentiae specie velatam fuisse astutiam: bis abstulisse, quae aliis prodigerent; obtentu justitiae cupiditatibus suis servisse. *Sunt multi Praelati nostri Ordinis, qui quasi solliciti ne destruantur res Dei in manibus eorum, agunt ut dissipetur lex Dei in cordibus eorum. Non tantum conantur esse prudentes, ne decipiantur ab aliis, fiunt astuti ut decipiant alios. Sic studiose servis & pauperibus Dei & sancto loco semper satagunt aliquid acquirere, ut dolosè semper alicui tentent nummos auferre, &c.*

L. 1. Ep. 71.

II. Ille ergo Spiritus veritatis, cujus ad nos oracula devehuntur & interpretantur sanctissimi Praesules, & Ecclesiae Patres, his testimoniis Petri Damiani & Anselmi perspicuè edocuit nos, fuisse Abbates, fuisse & Monachos litium aliquando cupidiores, & temporalium amantiores quam par esset. Ex quo fiebat, ut existimationi eorum & famae plus detraheretur, quàm rei accederet: & crebriores intra tabernacula Judicum disceptationes, non nullam illis infamiam aspergerent. Ex quo fit, si Regulares sibi animum inducerent suum, obsequi votis & monitis Anselmi, ut ne litigarent, nisi cogente inexorabili necessitate juris sui tuendi, utque ne nisi coram Ecclesiastico Judice litigarent, hoc est coram pacificatore magis quam Judice: tunc illos obviam ituros ei duplici labi, quam supra cum Damiano observabamus.

Ea verò duo sunt quibus lucem affundere toto hoc Capite entemur. Cùm esset Ivo Carnotensis Episcopus, lites excitae inter Bonaevallensem & Blesensem Abbates, proprius & peculiaris Judex, ubi de jure Parochiae controversia agitabatur: aequum visum illi est, ut sic duos Abbates illa dividerentur. Immodica Monachorum cupiditas non acquievit judicio, quo neuter vincebatur, vincebant ambo, pax cedebat ad cumulum, pluris utique facienda, quàm victoria plenissima. *Ita litem terminare volui,*

Epist. 118.

ut quisque portione sibi concessa contentus esset, & alterius metas alter non occuparet. Sed infinita Monachorum cupiditas infinitam facit manere discordiam. Qua pietate, qua sapientia præcellebat Ivo, ab eo secundùm veritatis & æquitatis leges pronuntiatum est. Sed à vero non dissidet, Abbates illos duos ex eorum fuisse classe, quos nativis suprà coloribus Petrus Damiani expinxit.

Sed idem ipse Ivo Carnotensis non paulò vehementiùs Abbates Majoris Monasterii, Pontiniaci, & Claræ-vallis commonefecit, quid prubi quique optassent, in causa Parochiæ, de qua controversiam ipsi faciebant iis Clericis, qui ejus ministerio illigati erant. Unum illud maximè premebat, ut victores discederent, multò tamen damnosiorem illis fore eam victoriam: qua tota illis ea marcesceret gloria, qua hactenus floruerant: nulla privata usquam duci cupiditate, quo uno suavissimus pietatis & sanctimoniæ odor universæ aspiraretur Ecclesiæ. *Miramur aliquos vestrûm, absit enim ut omnes suspicemur, tanta vel simplicitate deceptos, vel cupiditate cæcos, ut celeberrimo nomini parentes, unius altaris parvulos reditus orbis gloriæ præferant. Non oportet, fratres, non oportet ullis æstimare temporalibus lucris testimonium, quod vobis ab antiquo, imò ab initio, ab his quoque qui foris sunt, conversationis merito conquisistis.* Epist. 180.

Sperabant Abbates illi non aliud se quàm juri suo, & justissimæ causæ adesse. Sed occurrebat illis ex adverso Ivo, Quin potiùs suadenti Paulo auscultantes, fraudem paterentur? Quin implerent aliquando certè, quod Christi vel præceptum vel consilium est, sua ut ne repeterent: auferenti tunicam, pallium darent? Quantò tutius est fidelibus omnibus, maximè verò Monachis, paulò minus opum, plus multò concordiæ & pacis obtinere, quàm discordiæ opes accumulare? *Sed quid, si alius dixerit, Hoc ipsum delictum est in vobis, quod causas habetis? Quare non magis fraudem patimini? Quid si legeris & alius, Si quis abstulerit tua, ne repetas. Hoc dicimus, tutius esse omni Christiano, & maximè Monacho, possidere quippiam minus in pace, quàm cum lite amplius. Sic quoque canitis, Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas.*

Amicorum arbitrio sopitum fuerat hoc dissidium, sed acquiescere recusabant Monachi, quibus jam subirascens Ivo, & querelis probra addens, jam id non ferendum vociferabatur, A Monachis rem amicitiæ præferri, nummos amicis, pecuniam justitiæ, terrena commoda inæstimabili charitatis thesauro. Minùs id sibi quidem stupendum visum iri in sæcularibus viris: at à filiis pacis & lucis, tenebras lumini, & discordiam paci anteponi, novum id prorsus & supra modum stupendum atque inusitatum meritò videri. *Quod igitur viri boni, & ipsi amici vestri super reformanda pace concorditer, nec dubium quin & fideliter definierunt, quare vos, juxta dictum, quod præcesserat, non tenetis? An idcircò non egisse fideliter putantur, quia videtur nec æqua commutatio quæstûs utique majoris ad minorem? Sic prorsus videtur, sed quærenti quæ sua sunt, sed ei qui pluris æstimat nummos quàm amicos, pecuniam quàm justitiam, ac terrenam possessionem super fraternam dilectionem. Si de mundo fuissetis, tam non mirum, quàm nec insolitum videretur. Nunc verò filii lucis & pacis, luci tenebras, paci res præferunt temporales.* Nec dissimulabo tamen nutare fidem hujus Epistolæ, & iis maximè rationibus concuti, quæ ex Chronologia petuntur; & quibus effici videtur Claravallensi Abbatiæ fundationi præmortuum esse Ivonem.

III. Non omnium, ut adnotavit Author quicumque demum hujus Epistulæ, par erat Abbatum cupiditatis immoderatio; cùm vel maximè Bernardo tam altè insedissent illæ castissimæ leges abdicationis & contemptûs omnium temporalium. In Hispania Monasterium Claravallensis Ordinis ædificatum fuerat, fundo, quem fundatrix ipsa affirmabat immunem à jure & ditione cujuscumque alterius Ecclesiæ. Antiquissimi vicinæ Abbatiæ Monachi paulò pòst cœpere locum eum suæ ditioni vendicare. Bernardus persuasus à litibus abduci debere, & temperare Monachos suos, scripsit ad Imperatricem Hispaniarum, ut ejus arbitrio ea causa permitteretur: si Monachi verò Hispani ejus judicio non assentirentur; tum ipsa curaret, ut duo Episcopi locorum, in quibus sita erant duo Cœnobia, controversiam illam dirimerent. *Sed quoniam servos Dei non oportet litigare, consilii nobis fuit, ad vestrum potissimum consilium causam remittere, ut vestra authoritate & opera omnis calumnia conquiescat. Si autem vestris salutaribus monitis, aut consiliis contradictores illi acquiescere noluerint, tunc duorum judicio Episcoporum, ad quos duo illa loca jure Parœciali pertinere noscuntur, omnis inter eos controversia terminetur.* Epist. 301.

Certus ergo Bernardus sibi suisque litigandum non esse, ad arbitros primùm confugiebat. Si minùs id procederet, ad judicium Episcoporum recurrebat. Etenim sanctis Patribus Tribunal Episcopale, non illud utique erat, à quo Paulus fideles tam anxiè avocat.

Nec eo tantum loco Bernardus Evangelicam perfectionem profitentibus, austeriores dictavit leges abdicandæ temporalium rerum cupiditatis: ut nec soli Monachi nexu quodam sacro sectandæ illigantur perfectioni. Episcopali ordine continentur ornamenta omnia aliorum Ordinum, & apertissima professio Apostolicæ vitæ & professionis. Ideo certior factus Bernardus litis excitatæ inter Episcopum Andegavensem, & Abbatissam Fontis Euraldi, ob prædia quædam, litteras ad Episcopum zelo & fiducia refertas dedit, & flagrantiùs, ut reor, in ejusmodi lites incumbentem, innuit id genus jurgia offensioni esse Ecclesiæ; teneri Episcopum non tantùm non offendiculo esse, sed & pro virili offendicula omnia amoliri; denique finem liti ab eo fieri decere, etsi initium ab eo ductum non esset. Nec enim reformidaturum Apostolum, ut non Episcopis dicat, Jam omnino delictum in vobis est, quod litigatis: quin potiùs fraudem patimini? *Adduco Magistrum, qui non veretur Episcopo nudam dicere veritatem. Hoc ipsum, inquit, delictum est in vobis, quod causas habetis inter vos. Quare non magis fraudem patimini? Opposuit speculum, refulsit justitiæ Sol, eminuit veritas, nævus apparuit. Quanti est igitur nescio quæ possessiuncula maledicta, ut ulterius jam possit aut obnubilare tam manifestam veritatem, aut impedire tam optatam correptionem.* Ex his facilè suspicaberis, quas ille daturus fuisset litteras ad Abbatissam, quæ litem vel intendisset Episcopo, vel non abrumperet intentatam. Bernard. Epist. 200.

Conjectura valde probabilis ex eo duci poterit, quòd in ejus vita refertur, magnopere sibi gratulatum esse ipsummet, & singulari lætitia perfusum, quòd decem maluisset Cœnobiorum fundatione supersedere, quàm judicio contendere. *Gratulari autem consueverat, decem circiter Monasteria, vel ædificandis Monasteriis loca congrua numerans, fraudulenter sibi & violenter ablata, dum contendere nollet, & ma-* L. 3. c. 6.

gis eum vinci, quàm vincere delectares. Nil plausibilius, nihil æquius, nihil Ecclesiæ & Religioni conducibilius, quàm Cœnobia propagare novi Ordinis, cujus fervore & virtutum suavitate tota recreatur Ecclesia. Et Bernardus tamen cælestis luminis copia singulari affluens, ad Ecclesiæ gloriam & ad animarum salutis procurationem præstabilius duxit, insignia edi exempla abdicatæ temporalium cupiditatis, & sincerioris in pacem & concordiam propensionis, quàm decem extrui Cœnobia. Externi enim judicii incendio caurentur, & in cineres ibunt corruptibiles hæ structuræ omnes, etiam sacræ. At heroica illa facinora Evangelicæ perfectionis incorrupta persistent, utpote caarata in mentibus Angelorum, in tabulis immortalibus beatarum animarum, in lumine sempiternæ Veritatis.

IV. A Bernardo gradum faciemus ad amicum illi fidissimum, Petrum Cluniacensem Abbatem, & ab eo ordiemur facto, cujus gloria in utrumque redundat. Subdiaconus omine Romanus multa apud Cluniacum deposuerat, donoque dederat, si non repeteret ante mortem. Ea ille quidem non repetiit, sed testamento legavit Cisterciensi & Claravallensi Cœnobio. Petrus Cluniacensis Abbas ad Bernardum Claravallensem Abbatem omnia remisit, non dissimulans tamen, gratiæ id potiùs dari à se, quàm juri. *Plus vobis in his contulit gratia Cluniacensis Abbatis, quàm testamentum Baronis.* Rescripsit Bernardus, nec dubitare se, quin ea esset gratificatio mera, non exolutio debiti. *De testamento Baronis quod nobis misistis, in veritate vobis mandamus, quia non sicut debitum, sed sicut datum accepimus.* Habes hinc & hinc virtutes animi numeris suis omnibus absolutissimas, quibus mirum in modum illustraretur Ecclesia, si paulò frequentiores essent. Rixarum postea tamen nonnihil exarsit inter sanctissimos hos duos Abbates, super variis capitibus strictioris observantiæ Regulæ B. Benedicti, inter quæ erat & quod ad lites spectaret, ex quibus in crimen vocabat Bernardus Cluniacenses. *Contra Monastici Ordinis instituta causas sæculares Religiosi tractant, Monachi efficiuntur causidici, contra Apostolum judiciis intersunt, atque sub prætextu juris proprio tuendi, cordibus in Ægyptum revertuntur.* Eam Bernardi censuram ut expungeret Petrus Venerabilis, luculentissimè suis Cluniacensibus patrocinatus est: ubi & illud significat, nec Leges, nec Canones intercedere, quominus Monachi suas causas defendant: cùm semel enim permittantur prædia & possessiones possidere, hinc consequens esse, ut & eas judicio & legibus tueantur; in patrimonio Christi censeri etiam Cœnobiorum fundos, quos adeo criminosum fuerit diripi & dilabi finere, hoc patrimonium esse pauperum & Monachorum, quos nisi sustentes, Cœnobia & Ecclesias incolere, & cælesti psalmodia jam frequentare non poterunt; denique posse Monachos procul odio, ira & contentione, quæ pestes sunt litigantium, jus suum persequi, posse & sine litibus causas suas Judicibus explanare, & partibus suis eo prodesse plurimùm, quo prohibeantur sibi & pauperibus obesse. *Accusatores itaque sive Actores in propriis causis, quæ lex, quæ ratio Monachos fieri prohibet? Si præcesseris rerum mundanarum possessio, consequens erit, ut contra infestantes possidentium sequatur & actio. Ne Ecclesia Dei quæ justè possidet, impiis diripientibus perdat; ne servi Dei amissis propriis egeant, & idcirco Deo servire nequeant; licet Monachis causas proprias honestè, simpliciter, religiosè, absque litigio injurias quas patiuntur vindici potestati exponere, & non ut actionem de adversario, sed ut quæ ab adversario ablata sunt, recipiant, ut Monachos decet quærere.* Jubent quidem Canones, ut Monachis sui sint Advocati, quibus causas suas delegent: at respondebat Petrus, optatissimum quidem sibi fore ejusmodi Advocatos reperire, quorum fidei & diligentiæ incumbere, & causas Monasteriorum concredere posset: sed cum eorum copia non datur, satius utique esse, ut Monachi sua apud Judices tueantur, quàm ut res Ecclesiæ & pauperum prædæ sint. *Quod si aliquibus præpedientibus causis, nam frequenter solent hæc accidere, Advocatos habere non voluerint: videtur antè per Monachos fieri debere, quàm rem Ecclesiasticam permittamus amitti.* Illud denique summo viro, Petro Cluniacensi persuasissimum erat, gravi se piaculo apud Deum Monachos obligaturos, nisi res Monasteriorum etiam judicio defenderent, *Offensam Dei incurrunt:* sed eo munere fungi eos debere, alio animo, alia ratione, quàm sæculares, procul amandatis litium tricis & contentionibus: *sine litigio.*

V. Fatetur tamen Petrus idem Cluniacensis Carthusianos, quorum instituta ab eo cæteris omnibus Ecclesiæ Latinæ anteponuntur: *Intellexi cunctarum Latinorum institutis eorum propositum præferendum:* Carthusianos, inquam, id præ se tulisse, & professos esse, ut nunquam litigarent, quanquam suis se agris & possessionibus sustentarent. In Epistola enim quadam sua ita illos loquentes inducit: *Chartusiensis Ordinis institutio est, mala si qua noveriat, his ad quos spectat, nota facere, non autem & litigare. Eorum est simpliciter quod sentiunt dicere, non autem Palatia ad causandum intrare. Non est Eremi nostra judiciis astare; non est eorum qui mortui mundo videntur, in publicis negotiis actores vel defensores existere.* Hæc Carthusiani in causa electionis Episcopi Gratianopolitani, in qua ne ipsi quidem inter se consentiebant; sed hæc verba universim videntur litibus & contentionibus omnibus valedicere: quanquam non dissimularent se publicis Judicibus privatim significaturos, quantum injuriæ & detrimenti rebus sui Cœnobii inferretur.

Commemorata sunt à Cæsario exempla sanè pulcherrima Abbatum Cisterciensis Ordinis, qui cùm secundùm ipsos à Judicibus pronuntiatum esset, favore magis & gratia, quàm æquitate suffragante, Oeconomos suos exauthorarunt, partibus restituerunt, quod abjudicatum præter fas illis fuerat: quod usque adeo novitate sua & pietate partes obstupefecit, ut sponte sua totum Cœnobiis largitæ fuerint. Vel hinc autem patet, Monachis his sanctissimis curæ fuisse, ut apud Tribunalia Judicum sibi, suisque Cœnobii rebus adessent, & unum id maximè secutos illos esse, hinc singularem gloriam aucuparos, ut æquitate magis causæ, quàm Judicum sententia vincerent.

Laboratum est tamen ab Abbate quodam religiosiore, ut multitudini litium incredibili modus saltem aliquis poneretur inter Monachos hinc & hinc in foro contendentes. Simillimum veri est, id illi in votis etiam fuisse, ut has omnino dissensionum & discursationum stirpes excinderet ex Ordine Monastico, cui hinc potissimum infamiam malevoli homines inurebant. *Quid aliud est religiosorum, maximè Monachorum hodie contentio, æmulatio, provocatio, pro terris, pro nemoribus, pro pascuis, pro pecudibus, quibus nec terra hominibus, nec homines terris, nec pascua pecudibus, nec pascuis pecora sufficere possunt? Utique in auribus meis sunt hæc, dicit Dominus*

Marginal notes: Bernard. Epist. 333. 334. — L. 1. Ep. 28. — Bibl. Cist. tom. 2 pag. 104. — T. 2. pag. 35.

exercitium. Nam quod in oculis hominum viluerit religionis nomen & opinio propter hæc, qui nescit, nihil scit. Illud saltem omni studio contendebat piissimus Abbas, ut Monachis Monachi ne lites intenderent, & litium materiam donarent potius alii aliis; cùm Christi, cùm Ecclesiæ patrimonium illud semper futurum sit, quod in hujus, vel illius Cœnobii fuerit censu. *Nam quod dicunt se in hujusmodi causam Dei agere, & pro amore Dei, contra omne consilium fratrem pro festuca infestare: sic est frivolum, sicut à perfectionis professione alienum. Pro se enim litigant, & suas causas etsi nesciant, agunt. Nam quod omnium est, Dei est. Nonne Dei & Ecclesia ipsius, si illi dimittis, qui Religiosus est, ut tu? Tantine est apud Deum uni Ecclesiæ vel Monasterio auferre, quod alteri conferas, ut ejus debeat tua talis causa dici?*

Eo temperamento delectati sunt olim celeberrimi duo Abbates, Præmonstratensis & Novigentinus. Publicæ luci data est Concordia utriusque hujus Abbatiæ anno 1240. inita, qua sese vicissim constringunt dissidia mutua nunquam perferendi ad Judices, sive Ecclesiæ, sive sæculi, sed ut ea dirimi curent per arbitros proprio suo utrimque e cœtu delectos. *Nullatenus amodo vel ab Abbatibus ipsarum Ecclesiarum, vel à fratribus pro qualibet querimonia, sæcularis Ecclesiasticave persona requiretur, aut expectetur audientia. Sed ipsi inter se de querelis suis ad invicem benignè, sicut decet, functos sanctaque Religione professos tractabunt, & ipso qui pax nostra est largiente, pro posse suo fideliter ac prudenter rem pacificabunt.* (Bibl. Præmonst. Ann. 933.) Lis inter ipsa mutuò Cœnobia. At cum Valterus II. Episcopus Laudunensis ab Abbate Præmonstratensi repeteret prædia omnia, quæ prædecessor suus Valterus I. Episcopali mensa detruncata, Præmonstratensibus dono dederat, Archiepiscopum Remensem Abbas, Concilium Provinciale, Pontificem ipsum Adrianum IV. interpellavit, qui datis ad Ludovicum IX. Galliæ Regem literis, perfecit, ut conspirantibus tot tantisque pacificatoribus inter partes transigeretur, lites posthac omnes conticescerent. *Tandem verò mediante Rege Francorum, & Archiepiscopo Remensi, & Episcopis & Principibus hoc modo controversia illa compositionis finem accepit.* (Ibidem. pag. 431.) Ipsissima hæc sunt Concordiæ verba, Pontificio innexæ diplomati, quo confirmata est.

VI. Ita appellantibus Principum & Magnatum opem se tutelam videbatur Bernardus ipse suffragari, ut deprædatores, vel incubatores bonorum Ecclesiæ propulsarentur, & præverterentur lites, quibus abstinere aliàs haud possint Cœnobia, quorum plurima necesse est esse latifundia. Verùm vix, ut apparet, aut nec vix fieri potest, ut terreni Principes, vel Optimates vacare possint terminandis tot Cœnobiorum innumerabilibus litibus. Hinc Petri Blesensis querelæ de Monachis & Canonicis, catervatim insidentibus limina Judicum, obsidentibus forum sæculare: hinc arduæ & inexplicabilis pene quæstio, quî possit ea contentionum flamma cum sanctissimo proposito sociari. *Monachi & Canonici Regulares, qui viam vitæ arctioris & sanctum otium elegerunt, simplices quidem sunt, ut columbæ; sed vultu, non actu: habitu, sed non affectu. Non est hodie aliquod forum judiciale, aut venale, cui se viri Religiosi non immisceant, & cui se importunissimè non importent.* (In c. 1. libri Ioh. Ep. 117.) Non ita exæstuasset Petrus Blesensis, si Monachos non vidisset nisi coram Episcopo litigantes, cujus rei usus nondum omnino interclusus fuerat. Optabant id forsan Monachi plerique magis, quam poterant.

Aculeatis quidem literis pupugit aliquando Petrus idem Blesensis Majoris Abbatem Monasterii, qui coram Turonensi Archiepiscopo litigabat. *Si votum professionis illius, cui obligatus es, diligenter attenderes, quæ sursum sunt, non quæ super terram procurares: juxta doctrinam Apostoli, Servum Dei non oportet litigare. Delictum est in vobis, quod causas habetis, &c.* Sed eò pertinebant eæ querelæ, quod idem Abbas in jus vocasset Monachum Priorem sancti Cosmæ. Cùm uni adhuc Abbatiæ sanctæ Genovefæ præesset Stephanus, Tornacensis postea Episcopus, in jus vocatus est coram Archiepiscopo Remensi, à Monachis Longi-Pontis Ordinis Cisterciensis. Doluit Stephano litigati, dolorem levavit quod ad Archiepiscopi tribunal vocaretur, unum speravit, ut Archiepiscopus ipse per se, non per Officialem cognosceret. Unum id fuit, quod Archiepiscopum exoratum voluerit. *Rogo, Pater, ut talem mihi puero vestro diem assignetis, qua vos Remis affuturum non dubitetis & sessurum. Si coram alio litigare me contigerit, flebiliter dicam me tandem expertum gratia vestra, quam jugiter sum expertus.* (Epist. 74.) Viris Religiosis optatius est quippe ipsius os, & judicium Episcopi, Apostolicæ sanctimoniæ gloriam præ se ferentis, & paternam in Monachos charitatem.

In Monachos litium & contentionum amatores prolixius destomachatus est Hugo de sancto Victore: sed non satis ab eo enucleata est atque eliquata, illa Christi in Evangelio, illa Pauli in Epistolis prohibitio, ne litigemus, ne nostra repetamus. Propendere tamen eò ille videtur, ut hoc consilium fuerit. (De Claustro animæ. c. 16. 17.) *Permissio est repetere, consilium autem non repetere. Apostolus ergo ostendit, quid liceat infirmis; Dominus autem ostendit, quid conveniat perfectis, scilicet non repetere. Contendere autem & lites exercere, ante Judicem præcipuè infidelem, omnino delictum est.* (In Ep. 1. ad Cor. 6. 10. 11.) Statim in oculos incurrit quædam verborum pugna, non sententiarum, si certè tribunal Episcopi, ut par est, à sæculari sejungatur, & intelligatur Hugo nullius culpæ conscios existimasse Monachos, qui in audientia Episcopali bona repetunt Cœnobium.

Ne illud quidem placebat Petro Cellensi Abbati, ut coram Episcopo litigarent Cœnobitæ; sed ut in amicorum grege pacis sequestres aliquos eligerent. Consule exaratam ab eo Epistulam ad Abbatem sancti Medardi, itemque ad Abbatem sanctorum Crispini & Crispiniani apud Augustam Suessionum, ut eis inculcaret, quam invidiosum, luctuosumque esset, insatiata temporalium rerum fame antiquæ abruptum esse vinculum concordiæ. (L. 5 Ep. 12.) *Moriatur, & non vivat tam nefarium & nefandissimum scandalum servorum Dei, quod de radice vetustissimi colubri, id est, ineptissimæ avaritiæ prodiit.* Usque eos adducere, ad lites suas amicis sapientia & charitate spectatis permittendas: *Rogo, ut dies per amicos vestros accipiatur, in quo de concordia familiariter agatur.*

VII. Si Episcopi, ut par est, principem obtinerent locum in albo amicorum apud Abbates & Monachos: his enimvero amicis dulcissimum esset committere causas, & rationes, atque res suas omnes; saltem in Episcopis essent Judices proprii, aut potius Patres amantissimi, quorum vel authoritate, vel charitate, flammæ illæ omnes litium restinguerentur. Id Innocentius III. Archiepiscopis & Episcopis omnibus commendavit in causis & disceptationibus mutuis Charthusiensium & Cisterciensium; ut arbitros in iis se agerent; & si partes conciliare minus possent; causas ipsi cognoscerent, dirimerentque,

dirimerentque, sine expensis, sine strepitu, sine figura judicii, facta potestate excommunicationum jaculis configendi eos, qui tam sancti propositi sectatores diutius his dissidiis committerent. Audiendus ipse Pontifex in Epistola super ea re scripta. (Regest 14. Epist. 108.) *Nos qui puritatem religionis ipsorum ferventi charitate zelamur, non possumus non moveri, scientes quod contentiones hujusmodi à suo proposito alienæ, Religionis maculant puritatem, cùm secundum Apostolum, Servum Dei non oporteat litigare. Ut igitur diabolicæ fraudis astutia, quæ ut in eis Religionem commaculet, lites suscitat inter ipsos, per Apostolicæ sollicitudinis studium celeriter elidatur; Universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus cùm in diœcesibus vestris aliqua fuerit inter eos materia litis exorta, vos sine mora partes vestras interponatis ad pacem inter eos amicabiliter reformandam. Quod si forsitan hoc modo provenire non poterit, sine sumptu & strepitu causam inter eos mediante justitia terminetis. Facientes quod decreveritis per Censuram Ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo firmiter observari.*

Hæc summatim sunt, quæ toto hoc Capite prosecuti sumus. Religioso proposito mirificè adversari litigia, cùm necesse sit evenire scandala, ubi inter Monachos aliquid litis perstrepat; hincque ex officio illos debere pacem sibi restituere mutuam, amicorum interventione, maximè Episcoporum, quibus ex animo se committant; denique si ne id quidem satis felices habeat exitus, jam non amicos tantùm, sed & Judices se agant Episcopi, remque finiant ejusmodi judicio, à quo procul facessant calliditates, & moræ, strepitusque aliorum judiciorum.

Haud satis video, an placuerit Gratiano, ut Monachis & Canonicis Regularibus non aliud pateret forum, quam Episcopale, quando jam certè pronunciavit, omnino illos prohibitos non esse ea repetere, quæ suæ sunt Ecclesiæ, & ea de causa litigare. (24. q. 2.) En ejus verba. *Prohibetur perfecto stare in judicio, captando lucrum, sed non prohibendo damnum. Vel aliter. Aliud est sua possidere, aliud est communium procuratorem esse. Canonici non possident sua, quia res Deo oblatæ, non sunt aliquius. Utuntur enim rebus Ecclesiæ, non ut suis, sed tanquam ad dispensandum sibi creditis. Sicut ergo isti non sua possident, ita nec sua repetunt, sed res Ecclesiæ, quarum procurationem gerunt. Similiter quod in judicio prohibentur contendere, sic intelligendum est, videlicet ut non sibi stent coram Judice, sed aliis. Aliis autem coram Judice astitisse, & pro eis Judicem interpellasse, nonnullos Sanctorum legimus. Hi autem non sibi stant, sed pauperibus, quorum necessitatibus profutura repetunt. Et ita non prohibentur stare coram Judice. Illud verò Evangelii, Si quis abstulerit tibi tunicam, &c. non est præcipientis, sed exhortantis.*

Non paulo probabilius est studuisse Gratianum purgandis Monachis ita, & Canonicis, qui coram sæculari Judice causas suas agunt, ubi sacras Scripturas sacras, quando id vetare videntur, unum hoc agere, ut eos damnent, qui avaritiæ & rapacitate transversi aguntur ad litigandum, quo res alienas sibi adjiciant: aut qui sua quidem tuentur, sed cupiditate immodicè æstuante; non ut illis culpæ aliquid illinant, qui ut Deo, ut Ecclesiæ, ut pauperibus servent hostias pietatis fidelium, patrimonia egenorum, censum Christi, quorum meri sunt dispensatores, litigant, non terrenæ cupiditatis, sed Christianæ charitatis stimulis incitati.

Quanquam hæc Gratiani doctrina adprimè probabilis sit, & perspicuè pateat, Administros & Custodes patrimonii publici pauperum, vel Cœnobii alicujus, longè alio animo tueri hæc sibi commendata bona, quam qui privatas possessiones suas defendunt; incendente plerumque hos privata cupiditate, illos publicæ rei charitate. Fateri tamen cogimur & sapientiæ & momenti plurimum fuisse ad Ecclesiæ ædificationem, in eo modo & temperamento, cui insistebat Innocentius III. ut ees tota ad arbitrium, vel judicium Episcopi devolveretur, quando hinc & hinc Monachi contendunt. Verùm nihil loci erat ei temperamento, ubi Monachos inter & laicos aliqua emergebat controversia.

VIII. Hujus litigandi intemperantiæ radices ipsas elisurus videbatur Alexander III. Papa, quando Cistercienses commonefaciebat, ut primævi propositi sui retinentiores essent, & nequid agrorum fundorumque possiderent: propterea quod ex quo primum de primigenia illa paupertate remiserant, terrasque & villas comparaverant, innumeras illis laici lites intentassent: quibus animum appellere, & operam, curamque suam adglutinare non poterant Abbates, quin refrigesceret fervor Monastici instituti, & disciplinæ claustralis: denique vix tantam posse terrenarum possessionum molem copiamque, vel comparari, vel servari, sine gravibus molestiis, anxietatibus, forsan & offensis. (Extra. De statu Monach. c. 1.) *Nec velint inordinatè ad ea manus extendere, quæ sine laboribus & periculis multis, & deinde sine criminibus & magna confusione non poterunt retinere, &c. Inde est quod vobis ab aliis qui foris sunt contentiones & litigia suscitentur, & Abbatibus in forensibus occupatis plurimum in commissis domibus, & tepor Ordinis & dissolutio nascitur charitatis.* (Extra. De statu Monach. c. 3.)

Hoc illos antè privilegio munierat idem Pontifex prorsus singulari, ut ne laici possent Abbates vel Monachos Cisterciensis Ordinis convenire, nisi apud Judices Ecclesiasticos. *Interdicimus iterum ne aliqua omnino persona fratres Ordinis vestri audeat ad sæcularia judicia provocare. Sed quisquis sibi adversus eos crediderit aliquid de jure competere, sub Ecclesiastici Judicis examine experiendi habeat facultatem.* (Du Chesne. To. 4. pag. 479. 519.) Eo forsan privilegio ponebatur Cistercienses prioris propositi sui tenacissimos fore; unde & modò intentantur minæ revocandi hujus privilegii, si porro pergant, tantum sibi coacervare agrorum atque prædiorum. (Bollan. Ianuar. to. 2. pag. 757.) *Si enim relictis originalibus Ordinis institutis ad communia volueritis aliorum Monasteriorum jura divertere, oportebit vos communi jure censeri: quia dignum est ut qui similem aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam.* (Append. 5. Epist. 1. Extra. De statu Monach. c. 3.)

IX. Fundos sibi oblatos primum repudiavit beatus Dominicus, inter ipsa Ordinis sui exordia, donationis chartas concidit, coram Episcopo Bononiensi, solis eleemosynis certus vitam cum suis tolerare. *Non enim voluit ut fratres haberent possessiones, sed eleemosynis frugaliter victitarent.* (Rainal. an. 1219. n. 33.) Primis tanti Magistri sectatoribus puræ paupertatis encomium texuit his verbis Matthæus Paris: (Anno 1198.) *Isti in victu & vestitu satis tenues, aurum vel argentum, vel aliud quid proprii non possidentes, nil de crastino cogitantes, nec quidquam usque mane retinentes.* Paupertati huic fida & certa observantia qui adhærescerent, perfacile eis & expeditum esset abstinere litibus, aut eas terminare actutum, paterna magis Episcopi sollicitudine, quàm judiciali sententia. Sed non una ad summam etiam sanctitatem patet via.

Circa annum 1215. Ordo Vallis Scholarium in

Diœcesi Lingonensi institutus est, & à Lingonensi Episcopo confirmatus. Forma illi & regula proposita erat Canonicorum Regularium sancti Victoris apud Lutetiam. Ejus statutis sanciebatur, ut nihil fundorum ac possessionum obtinerent, nec judicio repeterent, quæ sibi ablata fuissent, sed Episcopo tantùm significarent quid sibi damni illatum esset. *Statuerunt vivere sine agricultura, villis & grangiis, & hominibus, solis redditibus contenti & eleemosynis. Ablata judicio non repetent, imò si quis injuriosus eis extiterit & molestus, accedent ad Episcopum loci, dicentes, Pater, nolumus vos ignorare quoniam ille talis nobis molestus est, & ecce isti quomodo res se habeat non ignorant, ab eis, si placet, rem inquirite.*

Spicil. to. 6 pag. 229.

Ubi B. Joannes Gualbertus concidebat chartas donationum, quas Monachi sibi sui fecissent, cum religionem profitebatur, paci & concordiæ utique litabat, conculcandis possessionibus iis, quæ litium cum cognatis eorum seminaria esse potuissent. Abbatibus sancti Benigni, & sancti Stephani Divionensis convenit anno 1255. ut nunquam judicio contenderent, cùm vix alienius quidquam fingi possit ab otii Monastici sanctitate: sed ut arbitrio duorum ex suo Collegio probitate insignium virorum causas omnes committerent dirimendas: si autem ne sic quidem pax restitui posset, ad Episcopi Lingonensis examen recurrerent, qui vel sedaret, vel dirimeret controversias omnes: *Cùm viros Religiosos non deceat pro rebus transitoriis litigare, per duos bonos viros de Conventibus nostris negotium terminetur: qui si convenire non poterunt, quidquid Episcopus Lingonensis pace, vel judicio dixerit, vel terminaverit, partes firmiter observabunt.*

Surius die 12. Julii.

Recueil pour l'hist. de Bourgogne. pag. 480.

Nec sine piaculo præterire possem Ludovicus Blosius Abbas Lætiensis, qui suis hæc documenta oppidò pulcherrima consignavit: Dissidia ut omnia per arbitros terminarent; temporali potiùs jacturæ, quàm discordiæ & disciplinæ laxationi assentirentur: denique ne de vitæ sempiternæ bonis utcumque periclitari vellent, quo temporalia quantacumque congererent bona. *Honestius est concordiam vel oblatam amplecti, vel etiam non oblatam quærere, quàm leviter causas agere. Sed & præstat interdum sustinere modicam jacturam rerum temporalium, prudenter silendo & in Deo sperando, quàm magnum pati dispendium internorum, pertinaciter pro externis litigando. Igitur externis interna, caducis æterna semper præferantur, majorque cura habeatur spiritualium, quàm temporalium.*

X. Duo supersunt perillustria exempla, quibus magis magisque confirmabitur, æterna illa fuisse & inconcussa placita Christianæ morum disciplinæ, ut qui sæculo renuntiasse se profiterentur, Deoque speciali quodam nexu adhæsisse, ii aut litibus prorsus abstinerent, aut eas clam ab Episcopo facerent terminari. Alterum erit Chartusianorum, alterum Francisci Xaverii exemplum, viri supra omnem admirationis aleam collocati: illud vetustius, hoc recentius, utrumque peridoneum, ut declaretur, leges Evangelicas nunquam senescere, nunquam exolescere in Ecclesia; & quanquam aliquando obscurari videantur, majori rursum postea vi & majestate resplendescere. A Jacobo de Vitriaco Cardinali litteris mandata ea sunt, quibus validè confirmentur, quæ suprà de Carthusianis dicta sunt à nobis. Quàm angustos nimirum limites opibus, rebusque suis circumscripsissent; utque ne unquam litem moverent eniquam, qui res eorum asportasset. *Extra terminos præfixos nullam licet eis recipere possessionem, habent certum animalium numerum, & certas metas possessionum, quibus mediocriter austeram vitam valeant sustentare. Si quis ei aliquid abstulerit, vel alio modo injuriatus fuerit, nullam contra ipsum in judicio causam movent. Unde nec proximos sibi licèt inimicantes scandalizant; nec advocatis ad jurgia & lites indigent, nec Curias sæculares in detrimentum animæ suæ eos oportet adire.*

Hist. Occid. c. 18.

Magnifica ea quidem sunt, sed ulteriùs tamen progreditur Cardinalis Hugo. Ait enim speciali se voto obligasse Chartusianos, ut ne quibus unquam litibus se implicarent, quanquam Episcopum monere possent de damno sibi illato. Ideo non dispensasse cum eis Ecclesiam, velut cum aliis tam multis Monasteriis, ut litigare possint; quanquam enim & horum Monachi perfectionem profiteantur se sectari, ab eis tamen authoritatem Judicum interponi, objicique adversùs effrænatissimam grassatorum licentiam. *Alii dicunt, quod omnibus perfectis licet repetere sua, sed non expedit. Quia autem Carthusiensibus non licet, non est quia perfecti sunt, sed quia in voto habent, quod nihil sub Judice repetant: sed tamen bene possunt ostendere Episcopo, quod aliquis injuriatur eis.* Hinc elucescit, quàm non dicendus sit litigare, qui inflictas sibi contumelias & rerum rapinas Episcopo parenti suo optimo renuntiat: tuto id pussa eos quoque, qui speciali etiam voto se constrinxerint, ut nunquam litigent; denique privatam Episcopi audientiam longè aliud esse, quàm publicum illud Tribunal, quod adiri à sectatoribus Evangelicæ perfectionis canonicæ leges dehortantur. Concluditur denique ab eruditissimo hoc Cardinali, incredibili quadam sapientia Ecclesiam ex dispensatione imperfectis annuisse, ut litigarent, quòd eorum imbecillitati indulgendum id esset; annuisse & perfectis, ut eo repagulo perfringeretur eorum insolentia & rapacitas, qui Ecclesias alioqui expilarent: Chartusianis non annuisse, propter votum eorum peculiare. *Sicut in infirmis dispensavit Ecclesia, ut repeterent sua, propter infirmitatem suam & fragilitatem: ita & perfectis propter malitiam hominum, quæ paulatim excrescit, ut qui eis dare solebant, modò eis data auferant. Sed cum Carthusiensibus non dispensavit, propter votum suum, repetitioni contrarium.*

In cap. 6. Epist. 1. ad Corint.

Meum non est inquirere, quibus exciti causis has latiùs possidendi, & litigandi ex dispensatione licentias, vel sanctissimi Regulares expetierint, vel concesserint summi Pontifices. Sed simillimum veri est, quod habet Hugo, id ab Apostolica Sede concessum, quod & aliàs forsan imperandum fuisset, ut hoc præsidio Judicum publicorum authoritatis deterrerentur, aut perfringerentur deprædatores sacrilegi, Ecclesias alioqui omnes & Cœnobia compilaturi.

XI. Venio ad postremum Francisci Xaverii exemplum. Vitam ejus scripsit Turselinus ea elegantia, eo verborum & sententiarum nitore, quem jam pauci ferè, quàm ipsas Xaverii virtutes imitentur, aut certè assequantur. Inter cætera autem luculentissima monita, quibus Xaverius suos instruebat, unum erat quod ad pacem & concordiam spectaret, tum inter sese, tum cum aliis Religiosis & Regularibus alendam, ut ne unquam sinerent lites suas ad Magistratuum aures permanare; quòd hinc plerumque offendiculi, & aspernandæ religionis ansam atripiant: sed rem totam Episcopo patefacerent, ejusque judicio & voluntati incunctanter & constantissimè adhærescerent. *Si fortè, quod Deus aver-*

L. 6. c. 16

tas, inter vos & Cœnobitas aliqua exstiterit dissensio, soleriti consilio supprimenda erit, cavendumque ne Præfecto urbis aut cæteris civibus, ulla alienati animi signa rem prodant. Mirum enim quantum profanos homines offendat sacrorum Deo virorum discordia. Proinde si qua fortè controversia oriatur, utrique arbitrum sumetis Episcopum, qui pro authoritate litem sine cujusquam offensione componat. Si quid verò dissensionis inter ipsos Societatis gregales disseminasset implacatus pacis & salutis nostræ adversarius; vult Apostolicus præco, ut ab Episcopo ipso concilientur, ut ne rumusculus quidem ad Magistratus civiles perferatur, nedum ut ab eis causæ judicium expectetur. *Meis verbis Episcopum rogatis, ut si quando inimicus severit discordias inter fratres, pacem pater ipse constituat, & concordiæ author quidquid inter vos fuerit controversia, tollat, ne res deveniat ad Magistratus ac Tribunalia.*

XII. Finem faciet heic longiusculo jam capiti doctrina B. Thomæ Aquinatis, Gratiani sententiæ finitima: nimirum eos qui perfectionem profitentur, sua causa nunquam litigare, cùm suum sibique proprium nihil habeant. At si tuendi pauperum patrimonii causa, litigandi onus & labores in se recipiant, charitatis eos officio fungi. *Non licet perfectis in judicio repetere, quasi propria, cùm eis non liceat habere proprium. Licet tamen eis in judicio repetere ea quæ sunt communia. Non enim hoc faciendo peccant, sed magis merentur. Est enim opus charitatis repetere vel recuperare res pauperum.*

In c. 4. Ep. 1 ad Corinth. & contra impugn. relig. c. 12.

Aliquantò prolixiùs alibi sanctissimus Doctor eandem versavit quæstionem, ubi nimirum *Impugnantes Religionem* oppugnavit. Et hic porro eadem ejus doctrina. *In illis quæ ad detrimentum commune pertinent, etiam temporale, non est perfectionis, sed negligentiæ, vel pusillanimitatis talia incommoda, dum possis resistere, sustinere; cùm aliquis ex charitate teneatur, dum potest, proximorum incommodis obviare.*

Qui tum linguas calamosque distringebant in novos illos & florentissimos cœtus Dominicanorum & Franciscanorum, contendebant, ad rerum suarum defensionem litigari ab eis non posse. Strenuissimè verò propulsati sunt à Theologis his tum celeberrimis Thoma & Bonaventura; à quibus demonstratum est, & charitate, & officii necessitate tuendas esse res pauperum, etiam apud Tribunalia Judicum; si cessarint, quorum est eas tueri, id verò ignaviæ vel negligentiæ fore, quæ culpa non vacet. Erupere postea Franciscani quidam degeneres, & adversùs Joannem XXII. Papam excitæ rebellionis signiferi, qui & hanc insaniam innovarunt, Nefarium esse quomodocumque litigare. Eos idem Pontifex & anathemate confixit, & edito luculentissimo opusculo confutavit, quo demonstrator, præcipitis esse & inconsideratissimæ temeritatis, si damnentur Monachi omnium retro sæculorum, qui Judicum authoritatem interposuere, ut sui sibi Collegii bona defenderent; damnari certè non posse Episcopos, *quorum status reputatur præstantior aliis, & qui locum tenent Apostolorum*: & qui tamen litibus non abstinent, ubi necessitas urget tuendarum Ecclesiæ suæ rerum; culpari non posse Augustinum, qui laudibus affecit Episcopum, qui ad tuitionem Imperatoris confugerat, non ut hostes suos ulcisceretur, sed ut Ecclesiam suam eorum eximeret grassationibus, & ne degeneris & adulterinæ patientiæ nomine ignaviam suam incuriamque prætexuisse videretur. *Auxilium petit ab Imperatore Christiano, non tam sui ulciscendi causa,*

Rainald. ann. 1329. n. 66.

quàm tuenda Ecclesia sibi credita; quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia culpanda. A nemine jure reprehendi posse Concilium Gangrense, à quo excommunicatione illaqueati sunt usurpatores rerum Ecclesiæ oblatarum; & cui non ferendum visum est, rebus expilatis solas in tabulario sacro chartas servari: *Iniquum enim censemus, ut potiùs custodes chartarum, quàm defensores rerum creditarum, ut præceptum est, judicemur.* Insimulari non posse Innocentium III. à quo jussi sunt Ecclesiastici & civiles Judices, ut ne amplius detrectarent in Italia Equitibus Templi jus dicere, vanissimo eo prætextu, quòd eos nefas esset litigare. Concluditur denique illud à Pontifice, Superiores & Oeconomos Cœnobiorum, dum declinent iniquitatem & offensionem proximi, lites suas persequi posse; si quid enim existeret scandali, vel differendæ, vel abjiciendæ lites essent. *Nisi forsan ex hoc grave scandalum sequi posset: quo casu esset judicium differendum vel omittendum.*

6 q. 2 c. In Canonibus.

CAPUT CXII. *P. 4 l. 2. c. 91.*

De jurisdictione Episcoporum in causis Clericorum post annum Christi millesimum.

I. Exempla Clericorum, qui res abjicere, quàm lites persequi maluere. De B. Malachia.

II. De sancto Carolo, & ejus Clericis.

III. Possunt tamen Clerici litigare, ea conditione saltem, qua Monachi.

IV. Qui Canones, & quæ monumenta Canonum, vetantium conveniri Clericos, nisi coram Episcopo.

V. Summa in litterarum imperitia cùm versarentur laici, plerumque fallacibus & superstitiosis abutebantur igne & aqua probationibus.

VI. Ecclesiasticis rursum Judicibus qui Canones Clericorum causas omnes ascribant.

VII. Specialia documenta Ecclesiæ Gallicanæ, quibus eadem vindicatur clericorum immunitas à foro sæculari, usque ad famosam sub Philippo Valesio Rege Collationem.

VIII. Documenta alia luculenta & historica ejusdem rei.

IX. Quo loco esset jurisdictio Ecclesiæ in Clericos tempore Philippi Valesii.

X. Probationes ejusdem immunitatis ex Conciliis posterioribus.

XI. Immunitati Clericorum plerumque non insidiabantur, nisi Comites, & alii domini particulares.

XII. Minuitur potestas Prælatorum in personales Clericorum causas in Gallia, nuperis Regum Edictis. Varii gradus hujus decrementi.

XIII. Objectioni satisfit.

XIV. Decreta superiorum Galliæ Conciliorum pro personali hac Clericorum immunitate.

I. Obversatur & hîc illa primùm quæstio, An per Scripturas & per Canones aditus pateat Clericis ad Tribunalia sæcularia Judicum, & ad lites persequendas. Sanctissima & ipsi professione sua invitantur ad perfectionem, utque igniculos charitatis, pacis, concordiæ, silentii, secessûs, & otii sacri cælestibus inhiantis, terrenis & oblectamentis & possessionibus omnibus anteponant. Cùm celeberrimum Benchoriense Cœnobium in Hibernia à piratis evastatum fuisset, & prædia ejus invasissent Nobiles, qui Abbatum etiam se nomine venditabant, Beatus Malachias qui jam tum Vicarii Generalis munia obibat, & qui non multò pòst Episcopalibus ornatus fuit infulis, non aliud expressit, quàm ut sibi locus Monasterii restitueretur, ut aliud rursus inædificaret; quanquam jure posset agere, ut & prædia sibi omnia redintegra-

Surius die 3. Novem. c. 4. 8. tantur. *Siquidem à tempore, quo destructum est Monasterium, non defuit qui illud teneret cum possessionibus suis. Nam & constituebantur per electionem etiam, & Abbates appellabantur, servantes nomine, si non re, quod olim extiterat. Cùmque suaderent multi non alienare possessiones, sed totum simul retinere sibi, non acquievit paupertatis amator, sed fecit eligi juxta morem qui eas teneret, loco retentis sibi & suis.*

Hæc Bernardus in sanctissimi Præsulis vita, ubi mox & illud commemorat, Præsulem Apostolicum rescito in ea Diœcesi, cujus gerebat Episcopatum, duas olim Episcopales fuisse sedes, duas rursum Episcopales Ecclesias esse voluisse, & adjuncto sibi Episcopo alio, civitatem illi concessisse nobiliorem, eamque in qua suam hactenus ipse defixerat sedem. Hinc ansam captat Bernardus excandescendi in eos Præsules, qui inexplicabiles se in laqueos inducunt dissensionum & litium, pro una Parochia inter duos Episcopatus dubii & controversi juris, cùm Malachias dimidiam eamque opimiorem Episcopatus sui partem alteri novoque concederet Episcopo. *O oculum columbinum! Locum tradidit novo Episcopo, qui videretur paratior, principalior haberetur; locum in quo sederat ipse. Ubi sunt qui de terminis litigant, pro uno viculo perpetuas ad invicem inimicitias exercentes. Nescio si quod genus hominum magis quàm istos antiquum vaticinium tangat, Secuerunt prægnantes Galaad, ad dilatandum terminos suos.*

II. Renuntiavit B. Carolus Mediolanensis Archiepiscopus causæ, qua victor mox futurus sperabatur, & qua jus vertebatur Abbatiæ pinguissimæ, nimirum duodecim millium Philippæorum annui proventus. Ejus facti causæ, facto ipso prorsus mirabili non paulò mirabiliores videri poterunt. Nolebat tempus consumere, & horas suas perdere in jurgia; nolebat cum Collegis dissensiones alere; nec intentare lites se debere, nec intentatas persequi certus erat: & si poterat in litium decursu pacem animi & charitatem proximi illibatam tueri ipse quidem, nolebat Collegis amaritudinum & sollicitudinum sementem exhibere; pluris denique incomparabiliter faciebat hominum amicitiam, quàm opulentissimi reditus Cœnobii. *Metuit, ut aiebat, quod neque negotiis hujusmodi volebat suum à rebus divinis animum distrahi; neque cum Collega judicio disceptare: omnino quod litem nullam, quæ ad se privatim pertineret, in qua esset actor, prosequi apud se constitutum habebat; non enim eam sibi satisfacere rationem, quod posthabita omni diligentia, nedum perturbatione, rem totam posset Judicibus permittere; Respiciendum namque esse, quomodo posset ille, unde peteretur, ex actione commoveri, cujus animum remittendo sedare, & ad amorem illicere, in sua manu esse videret.*

Surius die 4. Novem. l. 7. c. 7.

Hinc Pontifici, Cardinalibus, Præsulibus omnibus ingens admiratio, utinam & imitatio. Qui heroïca hæc Christianæ pietatis facinora mirantur, nec imitantur, non facilè possunt non aliquantùm verecundari. *Factum mirè collaudavit Pontifex, Collegæ aliique omnes, magnumque boni reliqui ex eo lætitia fructum propter illustris religiosique exempli utilitatem perceperunt.* Sed & aliàs persæpè Carolus satius habuit de jure suo remittere, quàm ut alienari animi nubecula in partium suarum pectoribus resideret. *Scimus aliàs etiam de privato jure suo non semel eum insigniter remisisse, tantùm ne quid ex litibus in aliorum animis offensionis oriretur.*

Addit porro Novariensis Episcopus, qui eam Caroli vitam litteris consignavit, unde hausta hæc sunt, Carolum civilis Juris studia, in quæ se magna olim contentione contulerat, penitus abjecisse, totumque se dedidisse lectitandis Scripturis, Patrum lucubrationibus, Conciliis & Canonibus antiquis, ut defæcatissimæ olim Ecclesiasticæ disciplinæ leges ex ipsis suis hauriret fontibus; vehementer autem doluisse de ætatis suæ studiis, ubi non ediscerentur nisi ea Decreta, ii Canones, in quibus ad lites & causas agendas plurimum præsidii est. *Canonum ea scientia perjocunda erat, quæ Patrum mores & acta repræsentans, Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continet, dolens eos communi consuetudine tantummodo Canones ad interpretandum seligi, qui ad lites judiciaque valent.* Nec illud tamen dissimulari fas est, quod ex alio ibidem testimonio constat, Carolum Canones antiquos, quibus graviter operam dari volebat, eos intellexisse, qui in Decreto Gratiani radiant, illudque ipsum Decretum. Ibid. c. 11. 14. 16.

Sed illud præ cæteris & mirandum & commemorandum nobis est, Clerum universum Caroli exemplis & documentis usque adeo incensum fuisse cælestium amore, contentionumque & litium pro rebus terrenis detestatione, ut nemo unquam pro adipiscendo Beneficio litigarit: Caroli jussu iis se indui, iis se exui æquo animo passi sunt, denique causidicis ipsis litium Beneficialium formulæ animo penè exciderunt, otii & desuetudinis diuturnitate. *De litibus id memorabile, Notariis Scribisque fori Caroli tempore accidisse, ut peritiam earum litium, quæ de Beneficiis tam frequentes alibi inter Clericos esse solent, penè dedidicerint. Nulla enim eo vivente lis erat ejusmodi. Vocatus quisque, nihil agitans, ne cogitans ferè quidem, Beneficium accipiebat, sine controversia retinebat, sine authoritate sui Antistitis non dimittebat, aut permutabat.*

III. Sed cùm superiori capite demonstratum sit, etsi longè optatissimum fuerit, ut nullis unquam litibus Regulares implicarentur: posse tamen eos in foro defendere res Monasterii, quæ patrimonia sunt pauperum, illis commendata, nimirum Abbatibus, aut Oeconomis; quin immo & ad id teneri, tum ut ne dilabi, & prædæ esse sinant, quæ Deo dicata fuere, ad pauperum & Monachorum alimenta: tum ut ne homines avaritiæ vel ambitionis impotentissimæ novo hoc se sacrilegio contaminent. Et quanquam in votis illud quoque sit, ut per Episcopos lites omnes comprimantur; ubi tamen per locorum & temporum rerumque importunitatem id non dabatur, potuisse causas agi coram sæculi Judicibus, summotis tantùm iis simultatibus, artibus & contentionibus, quæ adeo familiares sunt foro sæculari. Hinc illud certissimè existit, Clericos quoque litibus suis instare posse, iisdem legibus finibusque. Quod ergo hoc nobis capite illustrandum restat, ad duo illud hæc capita revocari potest, Clericorum lites ita terminandas esse, ut nihil æstu animi, nihil odio & animositate, nihil contentionis studio fiat, nihil tricarum, nihil doli interveniat; tum denique ut in foro potiùs Episcopi, quàm civili.

IV. Prolatum est à nobis superiùs Decretum Comitiorum Cleri Gallicani apud Melodunum anno 1579. ut compellerentur Clerici, ad lites suas Episcopis committendas, vel arbitris, quos partes elegissent in Synodis Diœcesanis, utque ne judiciis unquam se sisterent sæcularibus. Concilio Bituricensi anno 1584. placuit, utrumque connecti hoc Decretum, ut litibus conticescentibus Clerici dissidia sua omnia pacatè finirent, utque ne Judices

alios unquam experirentur, quam Episcopos. *Si quando illis litigandi necessitas incubuerit, non pertrahat Clericus Clericum ad judicium sæculare, sed tantum ad Episcopale; ne eorum dedecus laicis sit scandalo: sed causa componantur. Qui contra fecerint, legitimis pœnis subjaceant.*

Momenti mirum quantum est in hoc Canone, utque in ejus medullas penitius inspicere detur, adeunda sunt nobis superiora tantisper sæcula, & ibi rursus observandum, nec à Clericis, nec à Laïcis Clericos conveniri potuisse, nisi ad Ecclesiæ forum, sive civiles, sive criminales eæ, & personales essent causæ. Hanc ad nos Hector Boëthius trajecit legem Regis Scotiæ: *Christo initiatum ad profanum Judicem non vocato: vocatum comparentemve non judicato, sed ad sacros Antistites remittito.* Ea quoque lege constricti fuere Mediolanenses, quando illis redintegrata pax est Ecclesiæ sub Alexandro II. ut ne possent Clerici citari, nisi coram Episcopis, citra ullam immunitatis hujus exceptionem:

Con. Gener. To. 9. pag. 8003. 1131

Integram habeat Episcopus in omnem suum Clerum canonicè judicandi, ac distringendi potestatem, tam in civitate, quam extra, per omnes plebes & capellas. Ut dum Clerici fuerint à sæcularis judicii infestatione securi, in divina servitute Canonum auctoritate consistant quieti, & Archiepiscopo suo obediant devoti.

Urbanus II. fidentissimè & indiscriminatim de omnibus Clericis ad Comitem Rodolphum rescripsit, solius eos Episcopi foro obnoxios esse.

Epist. 14.

Nosse te volumus quia nulli sæcularium domino potestatem in Clericos habere licet; sed omnes Clerici Episcopo soli debent esse subjecti. Quicumque verò aliter præsumpserit, canonicæ procul dubio sententiæ subjacebit. Sub eodem Pontifice anno 1090. Concilium Melphense eandem corroboravit immunitatem Cleri à foro sæculari universo:

Can. 11.

Ne gravamen aliquod sancta patiatur Ecclesia, nullum jus laïcis in Clericos esse volumus & censemus. Unde cavendum est, ne servilis conditionis aut Curialium officiorum obnoxii ab Episcopis promoveantur in Clerum. Ea enimvero etiam ratione ab Ordinatione arcebantur servi, quòd cum libertate & immunitate Cleri conjungi non posset servitus. Eodem vergit Nemausense Concilium sub Urbano eodem anno 1096.

Can. 14.

Nec Clericos, nec Monachos ullus ad sæculare cogat venire judicium in Curiam suam: quoniam hoc rapina esset & sacrilegium.

In Concilio Remensi anno 1148. sub Eugenio III. illud ipsum novis decretis firmatum est: *Decernimus, ut laïci Ecclesiastica terminare negotia non præsumant; & Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Ecclesiarum Prælati, de Ecclesiasticis negotiis, vel de aliis quæ spiritalia esse noscuntur, aliquorum laïcorum judicio non disponant: nec propter eorum prohibitionem, Ecclesiasticam dimittant justitiam exercere.* Alexander III. per litteras Regi Angliæ significavit, dimittendas esse Judici Ecclesiæ causas fidei, & perjurii criminales, & de bonis Ecclesiarum.

Epist. 10.

Negotia Ecclesiastica, & præsertim criminalia, quæ de læsione fidei & juramenti emergunt, causas super rebus & possessionibus Ecclesiarum, personis Ecclesiasticis tractanda relinquere, Regnum & Sacerdotium non confundere. Inter consuetudines Anglicanas, quas B. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus suo etiam sanguine expunctas voluit, huic quoque locus erat, quæ sæcularibus Judicibus Clericos subjiciebat:

Ibid. post. Epist. 14.

Quod Clerici teneantur ad sæcularia judicia.

Nec in projectis ad Septentrionem regnis religiosior tunc erat, quàm in Anglia, Canonum reverentia & canonicæ Clericorum immunitatis. Idem ipse Alexander III. datis ad Upsalensem Archiepiscopum litteris, calcatam illi & suffraganeis subjectæ conquestus est:

Append. 1. Epist. 19.

Accedit ad hæc, quod Clerici sive ipsi adversùs laïcos; sive laïci adversùs eos litigantes experiri voluerint, laïcorum judicia subire, & secundum ipsorum instituta sive leges agere vel defendere se coguntur. Nec solum inferioris ordinis Clerici talibus injuriis fatigantur, verùm etiam vos ipsi, si justitiæ rigorem zelo Dei succensi aliquando exercetis, vel ad igniti ferri examen, vel ad aliquod aquæ prohibitum & execrabile judicium provocamini: nulla Canonibus, qui id prohibent, vel pontificali dignitati exhibita reverentia. His Pontifex leges accumulat & Canones, quibus vetantur Clerici in jus vocari ad Tribunalia sæcularia. In litteris ad Ludovicum VII. Galliæ Regem perscriptis idem Alexander illud inculcat, Imperatores Regesque à quibus prognatus erat, hoc semper constantissimè retinuisse, ut qui quavis se re à Clericis potissimum majoribus injuria affectos quiritarentur, ii ne nisi ad Ecclesiæ Judicem illos provocare possent.

Append. 1. Epist. 77. Du Chesne To. 4. pag. 617.

Et Reges Francorum hoc sanxerunt, ut hi quibus à Clericis injuria irrogatur, eos apud Ecclesiasticos Judices debeant solummodo convenire. Id ipsum præsertim super his quorum injuria infra sacros Ordines peragitur, de consuetudine regni tui usque ad hæc tempora accepimus observatum.

Cùm Ludovicus hic porro VII. tam fida & diuturna tuitione Thomam Cantuariensem impertierit, probabile cum primis est, gratanter eum subscripsisse huic Clericorum immunitati à Laïco foro, quando pro ea quoque decertabat B. Præsul Thomas, ut patet ex Actis Concilii Clarendunensis anno 1164. Quin & ipse Rex Angliæ eidem libertati Clerum suum reddiderat in Concilio Abrincatensi, anno 1172. ubi novas illas ejuravit consuetudines, quarum ipse primus author & architectus fuerat adversùs Ecclesiæ libertates. Inde est, quòd idem Pontifex terrificum excussit fulmen excommunicationis in Concilio Lateranensi III. anno 1179. adversùs laïcos Judices, qui Clericos cogerent suo sisti tribunali.

Can. 14.

Sanè quia laïci quidam Ecclesiasticas personas & ipsos etiam Episcopos suo judicio stare compellant; eos qui de cætero id præsumpserint, à communione fidelium decernimus segregandos.

A Rogerio verò narratur, ut anno 1100. à Philippo Augusto Franciæ Rege damnatus sit Præpositus Parisiensis, qui tumultuaria pugna cum Scholasticis congressus erat, qua & aliqui eorum cæsi fuerant: ut aqua, vel ferro purgaret se, & suspendio pœnas daret, si nocens: exilio, si insons egrederetur, *abjuret terram*; moxque ab eodem Rege promulgata sit lex ad eorumdem Scholarium, seu Clericorum immunitatem: *Statuens, ut nullus Clericus trahatur ad sæculare examen propter aliquod delictum, sed si Clericus deliquerit, tradatur Episcopo, & secundum judicium Cleri tractetur.* Quin & Præpositum Parisiensem voluit Philippus Clericis Sacramento fidei obligari. *Juret, quod fidem servabit Clericis, salva fidelitate Regis.*

V. In Concilio Dalmatiæ, cui præfuere Legati sedis Apostolicæ anno 1199. vetitum est, ne de Clericis cognoscerent unquam laïci, quod eorum judicia miram quandam adhuc redolerent superstitionem & barbariem. Erant enim tota in probationibus fallacissimis candentis ferri, vel aquæ ferventis gelidæque. Hinc quoque factum erat, ut pleraque ad Clerum revolverentur judicia laïcorum, qui cùm jam altissimæ caligini rerum & scientiarum omnium, maximè autem legum imperitiæ immersi essent, soli

superetant Clerici, qui pares essent sustinendis Judicum partibus, citra probationes ejusmodi præposteras, & frequentissimè innoxiis quibusque noxias. Can. 5. *Sub excommunicatione prohibemus, ne aliquis laïcus Clericum ad peregrina judicia trahere præsumat, veluti candentis ferri, vel aquæ, vel cujuslibet alterius judicii. Non enim pertinet ad laïcum, Clericum judicare. Si autem Clericus peccaverit, ab Archiepiscopo, vel Episcopo, vel etiam Prælato suo, aut Romano Pontifice, si necesse fuerit, judicetur.*

VI. Ad Archiepiscopum Pisarum rescribens Innocentius III. testatum fecit, ad causas etiam temporales non posse Clericum sua sponte se Judici laïco committere, etsi pars altera assentiretur. Quod Clericorum nempè ordini universo ea immunitas adscripta sit, cui derogare, aut renunciare privati quique jam non possint. Extra. De foro compe. c. 12. *Cùm non sit Beneficium hoc personale, cui renunciari valeat; sed potiùs toti collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest.* Alibi verò idem Pontifex Prælatos urget, ut jus dicere maturent laïcis, qui Clericos coram ipsis reos agunt; ne exasperati eorum vel morositate, vel cessatione laïci, Clericos eosdem ad forum sæculare trahant, quod modis omnibus prohibendum est. Extra. De Judic. c. 17. *Ut laïcis de Clericis conquerentibus plenam faciant exhiberi justitiam. Ne pro defectu justitiæ Clerici trahantur à laïcis ad judicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus.* Gregorius IX. in confirmanda Universitate Tolosana ad Comitem Tolosanum scripsit, Doctores, Studentes, & eorum servos non subesse, nisi Judici Ecclesiæ: & laïcos ipsos convolare ad Judicem Ecclesiasticum debere, quando ad eum à Clericis provocabuntur, quod ita ferret consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ. Epist. 28. *Nulli Magistri, & Scholares, vel Clerici, ac servientes eorum, si quod absit contigerit eos in aliquo maleficio deprehendi, ab aliquo laïco judicentur, vel etiam puniantur, &c. Laïci teneantur studentibus coram Ecclesiastico Judice respondere, secundùm consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ.*

In hanc Epistolam duo sunt nobis non segniter adnotanda. Primum est Scholares & Studentes Universitatum privilegio uti, & immunitate Cleri, Clerοque accenseri. *Scholares, vel Clerici.* Cujus rei origo inde ut apparet repetenda est, quod Universitates in suis exordiis Seminaria fuerint Clericorum, ut hic præfingerentur, qui Ecclesiasticis postea dignitatibus & beneficiis exornandi erant. Alterum est, hanc fori Ecclesiasticam immunitatem altiores egisse radices tum in Gallia, quam alibi terrarum. Ad id operosiùs approbandum jam pergimus, hinc ad alia Christiani orbis regna gressum molituri.

VII. Ivonem Episcopum Carnotensem cum percontaretur Capitulum Bellovacense, Ecqua sibi ratio & via ineunda esset, in causa Canonici, qui de crimine reus agebatur & conveniebatur ad Curiam Regis; ita responsum ab eo est, ut non passim Epist. 161. non attentiores hic flagitare Lectorum animos. Impendente utrimque molestissima & inevitabili necessitate incurrendi, vel in Canones, vel in Principis indignationem: illud se consilii dare, ut excuterent ipsi sese, suique pectoris vires perpenderent, atque ita statuerent, quid sibi consilii capiendum esset: ne verò ei, quæ præter fas inferebatur violentiæ, obluctari adgrederentur, nisi tam forti & intrepido essent pectore, ut constantia, qua par est, extrema quæque pericula adirent. *Oportet ut aut legem offendatis, aut Regem; Si enim Concanonicum vestrum criminaliter impetitum alibi quam in Ecclesia examinari concedetis, canonicam legem offenditis. Si audientiam Regalis Curiæ respuitis, Regem offenditis. In qua disceptatione, cùm ipsi ex authoritate sciatis, quid sit verius, quid honestius, tamen pro temporum opportunitate sequi vos oportebit, quod infirmitati vestræ erit tolerabilius. Si autem sciremus vos esse paratos, ut cum gaudio tolerare possetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum vestrorum, possemus vos exhortari, ut sequeremini consilium Susannæ, quæ magis elegit incidere in manus hominum, quam legem Dei derelinquere.* Manifestum est, & obreptum fuisse tum Regi, & vim allatam immunitati Ecclesiæ, ubi criminalis causa Canonici in sæculari foro disceptabatur. Ex ipsismet autem Ivonis verbis liquet, uti & ex consilio quod ingerebat, leges & canonicas Regulas, quibus immunitas Cleri fulcitur, usu receptas tum fuisse in Galliis, sed ea occasione à pristina reverentia recessisse Judices sæculares.

In Concilio ad Castrum Guntherii anno 1231. Can. 19. 2[illegible] damnatur ludificatio Clericorum, qui laïcorum lites redimebant, aut eas sibi dimitti curabant, ad declinandam sæcularem jurisdictionem. Eo etiam jubetur, ut Clerici enormi in aliquo deprehensi facinore, Episcopo restituantur, qui in eos jure aget. In Concilio ad Vallem-Guidonis, anno 1242. innovati sunt Canones antiqui Concilii Milevitani & De Laval. Can. 5. Calchedonensis adversùs Monachos & Clericos, qui causas suas ad sæculi Judices referebant, quo infringebantur communes Cleri immunitates. *Juri publico quantum in ipsis est derogantes, relicto Ecclesiastico judicio, ad sæcularia judicia prorumpere non verentur.* Novæ hic in eos pœnæ decernuntur, qui idem posthac factitarint, in causis potissimum civilibus & criminalibus. *Maximè in civilibus & criminalibus causis, prout in prædictis Conciliis continetur.* In Concilio Burdigalensi anno 1255. relaxatum nonnihil est, permissumque Clericis ut in contumeliis sibi inflictis, & pro legatis piis, sæculi Judicem adirent, permittente Episcopo. Can. 7. *Nullus Sacerdos vel alia persona Ecclesiastica de personalibus injuriis, vel de eleemosynis Ecclesiæ factis audeat litigare, nisi de consensu Episcopi coram Judice sæculari.*

In Concilio Bituricensi anno 1274. præsidente Can. 8. Legato sedis Apostolicæ intortum est anathema in Judices eos, qui Clericos cogerent sæculari se foro subjicere *in actionibus merè personalibus.* Concilium Can. 15. Salmuriense anni 1276. anathema illisit dominis locorum & Judicibus, qui legitimis pœnis non coërcerent eos, qui in Clericos ipsos, vel in eorum bona injuriæ, vel damni aliquid inferrent. Cùm hæc damna sarciri non possent, nisi ingenti quadam & invicta potestate, ea erat necessaria causa confugiendi ad Judicem sæcularem. In Concilio Andegavensi anno 1279. excommunicationis telo impetiti sunt domini & Judices sæculares, qui ad sæculi Judicem Clericos raperent *in actionibus personalibus.* In Concilio Avenionensi anno 1281. eadem Can. 1. intentata est iis pœna, qui Clericos ante sæculi Judicem convenirent; quod malè is de Ecclesia existi- Can. 7. met, qui ne de Clericis quidem suis eam reputat posse cognoscere, ad quam laïcorum etiam causas Paulus transferri cupiebat. Can. 3. 4. *Iniquè de Ecclesia consortio judicant; poscunt auxilium sæculare, cùm Apostolus privatorum causas ad Ecclesiam deferri, ibique præcipiat terminari.* In Concilio Rotomagensi anno 1299. eadem anathemata & Clericis illisa sunt, qui ultro subirent, & Judicibus, qui Clericos sibi subesse cogerent in causis personalibus. *Super factis*

personalibus, ubi de facto personæ quæritur, occasione factorum à Clericis commissorum, super delictis atque factis personalibus quibuscumque. In Synodo Bajocensi anno 1300. vetitum est causas Clericorum agi coram Judice sæculi, nisi annuente Episcopo. *Nisi à* Cap. 96. *nobis habuerint super hoc licentiam specialem.* Ea Episcopali licentia remittebatur tamen aliquid de privilegio Cleri, eique nonnihil derogabatur, quo insuescebant paulatim Judices ulteriùs aliquid audere. In eadem Synodo vetitum est, ne à Judicibus Ecclesiasticis *causæ tractarentur per modum Curiæ sæcularis.*

In Concilio Compendiensi anno 1301. statutum est, ut interdictum Ecclesiasticum vibraretur in ea loca, ubi Clericum Judex sæculi captum retineret, nec Episcopo redderet; quòd sæcularis Judex in potestate non haberet Clericorum scelera ulcis- Can. 1, 2.3. ci. *Cùm per justitiam laicalem non debeant puniri excessus Clericorum, nec ab eis levari emenda de eisdem.* In Concilio Avenionensi anno 1326. communione Ecclesiæ ejecti sunt Seniores & laici Judices, qui sisti sibi juberent, aut judicarent Clericos, vel Monachos in causis criminalibus, nisi intra octo Can. 9. 10.14. dies eam injuriam sarcirent. *Coram se super criminalibus vel personalibus citet, seu citari faciat, vel quoquo modo distringat.* A Beneficiis ibidem suspensi sunt Clerici, qui Clericos alios convenirent coram Judice sæculari in causis Ecclesiasticis, personalibus, vel criminalibus: *Super spiritualibus, Ecclesiasticis, personalibus aut criminalibus quibuscumque.* In hoc denique Conciliò revocatæ sunt licentiæ ab Episcopis quandoque datæ ad capiendos & retinendos Clericos, jussis laïcis eos reddere, ubi primùm reperirentur. *Obtentu, seu occasione aliquarum licentiarum, ex causa eis ad certum tempus, vel simpliciter, vel ad certas personas, ab Archiepiscopis & Episcopis concessarum.*

Non abs re forsan quis suspicaretur, ex his concessionibus Episcoporum, ut vel Clerici coram sæculari Judice litigarent, vel ut laïcus Judex Clericis manum injiceret: januam patefactam esse, qua Judices etiam citra ejusmodi licentias impetum facerent in immunitates Clericorum. Non quò causæ non subessent quandoque justissimæ, ut hæc ab Episcopis permitterentur, cùm non semel eis confugiendum necessariò esset ad Judicum sæculi authoritatem, sive ad contundendam contumaciam quorundam Clericorum obstinatissimam, sive ut ad officium revocarentur immorigeri, fugitivi, rebelles. Verùm ea sors est rerum nunc quidem humanarum, quibus medicamur inveteratis morbis, iis novæ ægritudines invehuntur. Postremò in hoc eodem Concilio sub interminatione anathematis prohibiti sunt sæculi Judices, ne intercederent Episcopis, antiquissimam authoritatem suam explicantibus, & quocumque Diœceseos suæ loco judicum tribunal excitantibus, ubi capi, incarce- Can. 42. rari, & castigari juberent Clericos suos. *In quolibet loco suarum Diœceseon non exempto, per se, vel alium posse pro tribunali sedere, spectantes ad forum Ecclesiasticum, & personas Ecclesiasticas, cùm earum excessus exegerint, capere, & carceribus mancipare.*

VIII. Ad ea ergo jam progressi sumus tempora, quibus famosa exarsit concertatio de limitibus utriusque jurisdictionis sub Philippo Valesio Francorum Rege, anno nempe 1329. Antè verò quàm ingrediamur ad ea hic intexenda, quæ ibi super hac disceptata sunt Clericorum immunitate fort: hîc obiter attingenda sunt pauca aliqua, quæ nos pene effugerant, continuantes & quasi concatenantes seriem Conciliorum, suo quorumque tempore. Agens Vuillelmus Nangius in historia sancti Ludovici Regis de damnatione Friderici II. Imperatoris in Concilio Lugdunensi, inter Constitutiones Ecclesiasticas, quibus refragatus erat Fridericus, illam recenset, quæ ad hanc pertinet Clericorum immunitatem: *Quod nullus ibidem Clericus vel persona Ec-* Du Chesn. *clesiastica de cætero in civili vel criminali causa conve-* To. 5. pag. *niretur coram Judice sæculari, nisi super feodum quod* 345. 721. *civiliter haberetur.*

Insudavit Innocentius III. dissipandæ Baronum Galliæ conjurationi adversùs immunitatem & jurisdictionem Clericorum: posito ob oculos in primis Caroli Magni exemplo, qui Laicis etiam concessisset, ut ad forum Ecclesiæ se suasque causas conferrent, juxta antiquissimorum Imperatorum leges: ideoque minimè jam consentaneum esse, ut in Gallia Clero controversia fieret de privilegio multò minore. *Si dicti Barones diligenter attenderent, quod Carolus Magnus Ecclesiam, à qua omnem honorem acceperat, cupiens honorare, perpetua lege decrevit, ut omnes ipsius jurisdictioni subjecti, statutum à Theodosio Imperatore pro Ecclesiæ libertate edictum inviolabiliter observarent. Videlicet ut quicumque litem habens sive petitor fuerit, vel initio litis, vel decursis temporum curriculis, suum cùm negotium peroratur, sive cùm jam promi cupit sententia, si judicium elegeris sacrosanctæ Sedis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etsi pars altera refragatur, ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur; & omnes causæ quæ prætorio & etiam civili jure tractantur, Episcoporum terminatæ sententiis, perpetuæ robur obtineant firmitatis; & negotium quod judicio ipsorum deciditur, nequaquam ulteriùs ab aliquo retractetur.* Discussam facilè conjicies fuisse tunc eam procellam, cùm tot suprà pernumerata sint à nobis Concilia in omnibus Galliæ Provinciis celebrata, in quibus elucebat immunitatem Cleri furique Ecclesiastici illibatam tunc viguisse. Profero jam & aliud ejus rei argumentum.

Anno 1278. Philippo Audaci concessum est à Nicolao III. ut Clericos posset capi & in carcerem trudi jubere, ubi se atrociori quodam facinore constrinxissent; ita ut ea de causa Officiales Regii rati essent adversùs excommunicationes canonicas in violatores immunitatis Clericalis evibratas. Meminit ejus Epistolæ Pontificiæ Rainaldus, gratissi- Rainal. an. mam rem nobis facturùs, si & ipsam Annalibus 1278. n. 37. suis intexuisset. Scitè autem ab eo animadversum est, satis argumenti in eo esse, ut intelligatur, quàm latè tunc pateret Ecclesiastica jurisdictio in Galliis, in causis Clericorum; unde nec Pontifex ejus rei copiam faciebat Regi, nisi ut Clericos scelerosos jussu suo captos & incarceratos Episcopo permitteret, cujus etiam illi judicium subirent. Idem concessit & postea Philippo Regi Joannes Idem n. 13. XXII. cujus & diploma Rainaldus idem publicavit. Eo nihilo tamen minus Judici Ecclesiæ id vendicat, ut de Clericis, etiam homicidis, & facinore quovis alio inquinatis cognoscat.

Anno 1190. Libertates Ecclesiæ in Anglia restitutas fuisse perhibet Matthæus Paris, concessione Richardi Regis, qui mandavit, ut ne à Magistratibus comprehenderentur Clerici, nisi homicidæ, fures, incendiarii, & ejusmodi alii, & tum quoque Ecclesiæ foro & Judici redderentur. *Normannia de longo servientis jugo liberata est, glorioso Rege Richardo annuente. A Rege concessum de Clericis, quod nulla occa-*

sione à sæcularibus capientur Potestatibus, sicut fieri consueverat, nisi pro homicidio, furto, incendio, & ejusmodi enormi flagitio. Qui continuò cùm requisiti fuerint à Judicibus Ecclesiasticis, quietè & sine mora reddentur, in Curia Ecclesiastica judicandi.

IX. Venio ad celebratissimam de utriusque finibus potestatis & jurisdictionis sub Rege Philippo Valesio disceptationem. Usque adeo autem conveniebat tunc omnibus ultro citroque, de eo capite quod hîc vexamus, ut ne in controversiam quidem deduceretur. Propositæ sunt tantùm à Magistratibus, sive exceptiones, sive circumstantiæ quædam, ubi nihil loci esse privilegio Cleri contendebant. 1. Ubi Clericus furti reus agebatur. 2. Ubi de Clericis conjugatis agebatur. 3. Ubi Clerici hi conjugati sine veste & tonsura Clericali in flagranti delicto deprehendebantur. 4. De conjugibus Clericorum. Respondebatur autem tum à Bertrando postea Cardinali, Ex regulis Juris, accessorium ejus esse, cujus & principale; cumque de Clerico non posset nisi Ecclesia, ita nec de Clerici furto non posse nisi Ecclesiam cognoscere. *Cùm ad Ecclesiam solùm pertineat cognoscere de Clericis, Laïci non possunt nec debent se intromittere de rebus furatis, quià ad eum pertinet accessorium, ad quem principale; sic enim Laïci haberent indirectè cognitionem Clericorum, & multi possent fingere notoriam, quod non esset.*

Quoad alterum caput, responsum similiter ab eo est, Cùm Clerici conjugati foro subjaceant Ecclesiæ, quando in tonsura sunt & veste Clericali, quo se cumque crimine contaminent, posse eos ab Ecclesiæ Judice repeti, & ni extorqueantur sæculari Judici, excommunicationum jacula vibrari. *Si Clericus conjugatus deferat tonsuram & vestes Clericales, & in tali habitu capiatur per Judicem sæcularem, cùm de jure & consuetudine notoriis tales Clerici, quantùm ad delicta, sint de foro Ecclesiæ, Officiales nullam faciunt injuriam dominis temporalibus, si compellant eos per sententias excommunicationis, ad abstinendum à cognitione talium delictorum: quia quocumque modo delinquatur, cognitio pertinet ad Prælatos.*

Ad tertium idem ipse respondit, quanquam Clericus conjugatus nec vestem gestet, nec tonsuram Clericorum, si tamen notorium sit Clericum esse, privilegii Clericalis compotem illum esse; si anceps id & dubium esset, ejus rei judicem esse Ecclesiam, dum reus in custodia versatur Magistratûs civilis.

Ad quartum denique caput reposuit Cardinalis, Si qua in Ecclesia mos invaluisset, ut Clericorum conjuges Ecclesiæ tantùm foro subessent, ei mori obsequendum esse, ut qui legibus Imperatorum consentaneus sit.

Addendum postremò & hoc quintum caput, adversùs Gallicanos Barones illud confirmasse Bertrandum, posse ab Episcopis capi & incarcerari Clericos quocumque Diœceseos suæ loco: cùm spiritualis jurisdictio, uti & temporalis nullis finibus excludatur; cumque multa aliàs abitura sint impunita Clericorum flagitia, nisi penes Episcopos potestas sit, eos ubique comprehendendi. *De jure divino & humano licitum est Prælatis, & eorum Judicibus, capere Clericos ubique, quia non est dare locum, ubi non sit jurisdictio spiritualis, sicut temporalis. Unde talis capio Clericorum, quæ est spiritualis & de foro Ecclesiastico, potest & debet fieri per Judicem Ecclesiasticum, & non per alium quemcumque. Et nisi ita fieret, quod capi possint Clerici per Judices Ecclesiasticos ubique, sæpissimè delicta Clericorum remanerent impunita, cùm per laïcos non possint capi absque sententia excommunicationis à Canone incurrendæ propter hoc.*

X. Ejusmodi tum erat Cleri & immunitas & jurisdictio, de qua nihil delibari voluit Philippus Rex. Nec multo pòst in Concilio ad Castrum Guntherii, innovati sunt Canones antiqui omnes, jurisdictioni Episcoporum tuendæ, vel ampliandæ dicati. In Concilio Bituricensi eodem anno, nempe 1336. vetiti sunt Clerici, ne alii alios in jus vocarent coram Judice sæculi, quocumque de crimine. Anno 1344. idem constitutum est in Concilio No- *Can. 11.* viodunensi. Concilium Parisiense anni 1346. interdicto perculit Ecclesias omnes locorum, ubi sæcularis Judex Clericos facinorosos cepisset, in carcerem conjecisset, aut morte damnasset, nequicquam eos repetente Ecclesiæ Judice. *Si contingat Clericum* *Can. 1.* *seu personam Ecclesiasticam, in locis Provinciæ Senonensis capi per Judicem sæcularem, seu detineri, vel ultimo tradi supplicio, & Judex requisitus de reddendo Clerico, non reddiderit, cessetur à divinis, &c.* Annò 1368. communione Ecclesiæ ejecti sunt in Concilio Vaurensi, Clerici, qui Clericis aliis diem dicebant coram sæculi Judicibus, quocumque de crimine vererentur.

In Concilio Constantiensi confirmata est Constitutio Friderici II. Imperatoris, ab eo antè edita, quàm ab Ecclesia resiliret; qua declarabatur, non posse Clericos à quoquam trahi ad sæculares Judices, quacumque demum criminali, vel civili de causa. *Nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæ-* *Cap. 94.* *stione, vel civili; ad judicium sæculare præsumeret attrahere, contra canonicas sanctiones & contra constitutiones Imperiales.* Si quid contrà tentaretur, causa cadebat Actor, Judex officio spoliabatur. Annexa est hæc Constitutio ad calcem Concilii Constantiensis. Nemo in Annalibus Ecclesiæ tam hospes est, qui nesciat quantum in eo Concilio tributum sit Ecclesiæ Gallicanæ, & quantum ipsa vicissim ei Concilio semper tribuerit. In Concilio Parisiensi anni 1429. interdicto subjici jussa sunt loca omnia, ubi Clericos suis carceribus inclusos Judex sæculi restituere Ecclesiæ recusaret. Idem decrevit Ande- *Can. 13.* gavense Concilium anni 1448.

XI. Ex hac Conciliorum congerie voluptas etiam aliqua, utilitas certè non mediocris existet, si quis seriò perpendat, quanti interfuerit observasse, quantæ in Galliis reverentiæ fuerit immunitas personæ Clericorum, sive civilibus, sive criminalibus in causis, & quàm nuper illa cœperit evanescere. Illud à nupero Scriptore litteris mandatum est, cùm Bituricensis Archiepiscopus in Provinciæ suæ Concilio sub Urbano Papa V. decrevisset, ut nec capi, nec judicari possent Clerici à Judice laïco in causis criminalibus; aut si quid contra peccaretur, excommunicationibus & interdictis sævituram Ecclesiam: compulsum eum fuisse à Duce Bituricensi, Caroli V. Regis fratre, ut id retractaret, ac polliceretur id revocatum iri Concilio Bituricensi, quod primum congregaretur. Fidei Periculum penes authorem sit: *Fevret. de l'Abus l. 8. c. 1. n. 3.* Nec enim ullum habitum est sub Urbano V. Concilium Bituricense. Utcumque sit, ea fuerit vis à Duce tum Bituricensi, & contumelia Ecclesiæ irrogata, ut & alias à complusculis aliis, de quibus hactenus audivimus amarissimas Pontificum & Conciliorum querelas. Dolebat enim ea vehementer, tam crebrò conjurari & attentari multa à Baronibus & dominis temporalibus aliis, quo statu jurisdictionis Ecclesiasticæ cursui obsisterent. Nullo certè argumento proditum est, id Bituricensis

Ducis

Ducis factum Regio tunc assensu fultum fuisse.

Quin & universim illud juvabit monuisse, nusquam Concilia superius à nobis memorata, sive certè rarò de Regibus, eorumque Ministris, frequentissimè verò de Baronibus & dominis temporalibus habuisse, quod expostularent. Duces enim certissimè, Comites, & qui denique in Gallia, ut & in Anglia, Barones dicuntur, istiusmodi contumeliis Ecclesias lacessebant, variis in Regni Provinciis, in quibus dominabantur. Ecclesiis plerumque propitios se præstabant Reges, ut qui earum tuitionem ab ipsis usque Franciceæ Monarchiæ incunabulis in se suscepissent. Privata ergo authoritate sua solus Bituricensium Dux eam tetractationem exculpserat. Quanquam nusquam reperiatur memorata, vel retractatio ipsa, vel Concilii ejus Bituricensis convocatio. Sed quam multa superius prolata sunt à nobis Concilia Urbani V. Pontificatu posteriora, ubi Decretum illud ipsum quode hic agitur, confirmatum, aut innovatum est? Quid verò Constantiensi reponetur Concilio, ubi planum est id ipsum Decretum novo robore munitum esse? atqui potissimas illo partes Galli sustinuerunt.

XII. Id quoque non oscitanter hic advertendum, in superiori hac Conciliorum Canonumque farragine, nihil discriminis poni inter alia & alia crimina; nulla esse, quorum rei ad sæculare forum Clerici rapi possint: indiscriminatim semper & disertissimè quocumque de crimine ad Ecclesiæ Judicem Clerici revocantur. In animosa illa concertatione Cardinalis & Episcopi Augustodunensis Bertrandi, ubi tot objectiones, tot responsiones constipantur; nusquam monumentum, aut vestigium existit ullum distinctionis ejus criminis privilegiati & communis. In Constitutione Concilii Constantiensis nusquam vel umbra ejus distinctionis, omnia promiscuè Clericorum crimina ad Judicem Ecclesiæ referuntur. In Concilio V. Lateranensi sub Leone X. anno 1513. recitata est prolixa querimoniarum charta, adversùs Senatum in Provincia Narbonensi secunda Aquisextiensem, ob varias Ecclesiasticæ immunitatis violationes, ac præ cæteris, quod ibi convenirentur, judicarentur, pœnis afficerentur Clerici, immo & Episcopi: *Contra quascumque personas, etiam Episcopali fulgentes dignitate inquirunt, citant, coram se personaliter comparere compellunt, procedunt mulctant & puniunt.* Recitata est & in proxima Sessione Bulla Leonis X. ad nova quædam præsidia Cleri immunitati adstruenda. *Cùm à jure tam divino, quam humano nulla in Ecclesiasticas personas laicis attributa sit potestas, &c.* In sequenti mox Sessione expressa est à Procuratoribus Senatus promissio, ut ne posthac injuriosi essent libertatibus Ecclesiasticis. *Ecclesiasticam libertatem non perturbabunt, sed tanquam Catholici & obedientes filii, sanctitatis suæ mandatis acquiescent.* In Sessione eadem, quæ X. fuit, perlecta sunt Concordata Pontificia & Gallicana, & omnium consensu firmata, nisi quod conquestus est Episcopus aliquis, quod in iis nescio quid juris sæculari Judici in Clericos permitteretur. *Quatenus tribuunt jurisdictionem laicis contra Ecclesiasticos.* In eandem rem sunt & hæc verba Sessionis XI. *Dominico Tardonensi Episcopo non placuit consuetudo Parlamentorum, quod habeant jurisdictionem in personas Ecclesiasticas. Et in quantum suprascripta Bulla tribuit jurisdictionem sæcularibus in personas Ecclesiasticas, non placet.*

Sess. 8.
Sess. 9.
Sess. 10.

Ergo sub Francisco demum I. cœpit in Gallia minui personalis Clericorum immunitas fori. Et hic ipse tamen Rex in Edicto illo eodem anni 1539. quo labefactata & eversa est antiquissima Clericorum in laicos jurisdictio, etiam in temporalibus causis: ille ipse, inquam, Rex noluit posse sancit sæculares Judices, *nisi in Clericos conjugatos, aut non conjugatos quidem, sed qui artes & negotia exercerent, quibus addicti jure & more tenentur sæculari foro subesse; ad quod & pertrahentur, tam in civilibus, quam in criminalibus, sicut hactenus usitatum fuit.* Ipsissima hæc sunt Edicti verba, latinè versa, quibus sauciabatur, sed retinebatur tamen adhuc pene integra & incolumis Clericorum immunitas personalis. Longè sævius profundiusque illi vulnus impressum est Edicto Molinensi anno 1566. cujus hæc sunt verba. *Ut obvietur molestiis & difficultatibus iis, quæ hactenus emerserunt in causis criminalibus Clericorum, etiam in casu privilegiato; statuimus, edicimusque, ut Judices & Officiales nostri Regii inquirant & sententiam ferant in delicta quævis privilegiata Clericorum, antequam eos ad Ecclesiæ Judicem pro delicto communi transmittant. Nec transmittentur tamen unquam, nisi ea cautione, ut in carcere constricti retineantur in pœnam delicti privilegiati, quæ necdum exsoluta fuisset: in causam vocantis Officialibus ipsis Episcoporum, si reos carceribus antè exemeriat, quam pœnas luerint à Regio Judice indictas.*

Art. 9.
Art. 39.

Lethali prorsus eo vulnere cruentata primum, & extincta demum est Clericorum personalis immunitas fori in Gallia ad causas criminales. Non sibi defuit Clerus Gallicanus, & de imminutione gravissima sui juris apud Regem gravissimè conquestus est: à quo nihilominus idem confirmatum novo Edicto, Ambosiano videlicet, anno 1572. *Ne obutrinsque jurisdictionis altercationes, actiones, judicia, & pœna criminum protrahantur, nos confirmato capite XXXII. Edicti Molinensis super criminibus privilegiatis, præcipimus ut Judices & Officiales nostri de privilegiatis delictis promiscuè omnibus cognoscant adversus Clericos, antequam illos Judici Ecclesiæ restituant pro delicto communi.*

Fuit & aliud in quo Edictum Molinense privilegio Clericali novos limites præscripserit, ut nullus eo frueretur, *Sive ut Ecclesiæ restituatur Judici, sive ad quidvis aliud, nisi ad Ordines sacros provectus sit, saltem ad Subdiaconatum, quique resideret in Ecclesia, & ministerio, aut beneficio ejus aliquo inservieretur.* Ei capiti attulit Rex aliquid lenimenti, hoc additamento, *Scholares actu studentes, & sine fraude, & Beneficiarios omnes.* Edicto denique anni 1571. ita sancitur, *Qui reapse ministrant Ecclesiæ, Privilegio Cleri & Tonsura fruentur. Presbyteri item, & sacris Ordinibus initiati, nec si damnati, addictique morti fuerint, antè pœnam luent, quàm fuerint degradati.*

Art. 40.
Art. 14.

Edicto quidem Melodunensi sub Henrico III. anno 1580. reviviscere visa est ex parte saltem antiqua Cleri immunitas, hoc capite: *Instructio litium criminalium adversum Clericos in casibus privilegiatis, conjunctim fiet à Judice hinc Ecclesiæ, hinc Regis, tumque Regius Judex ad sedem & forum accedere tenebitur Ecclesiastici Judicis.* Altiori ab origine reperiri posset fons hujus Constitutionis, si illud componamus cum antiquiori Senatusconsulto anni 1571. tunc promulgato in causa Clerici, qui in carcere quidem Episcopi retinebatur, reus agebatur autem læsæ Majestatis. Eo autem statutum fuit, ut cognitor sederet Episcopus, adessent verò duo Consiliarii Clerici Parlamenti. *Statuitur, ut duo Seniores Clerici Parlamenti præsentes sint cum Officiali Episcopi, eo quo jam olim factitatum est modo.*

Art. 22.
Memoires du Clergé an 1571. To. 4 pag. 49.

Adverte hic autem 1. eam jam, tum perantiquam fuisse consuetudinem, fortan tamen in ea tantum

specie, hoc est, ubi de Majestate quærebatur. 2. Senatores quidem illi aderant Parlamenti, sed Clerici, ideoque soli Clerici litibus præerant, intererantque criminalibus Clericorum, etiam in crimine Majestatis. 3. Et quidem præsentes illi tantum esse jubebantur, non in partem ullam venire cognitionis & judicii. Atque ita satis probabiliter conjicitur cœptum esse, ut Parlamentorum Consiliarii ad Officiales Episcoporum accederent, ut unà lites criminales Clericorum expedirent: sed non ea diu religione se teneri passi sunt, ut omnnisi Clericos delegarent Consiliarios, nec ad aliud delegarent, quam ut interessent. 4. Inde est quod supra laudatum Caput Edicti Melodunensis, sæculares Judices concedere jubet ad sedem Judicis Ecclesiastici. Fidem facit vir doctus Du Tair, non fuisse moris ut Judex sæculi secum adduceret Graphiones suos, sed ut solus Ecclesiasticus Graphio munere fungeretur. 5. Quin & illud animadversum est, mixto huic Tribunali locum non fuisse, nisi ad causas criminales minorum Clericorum. Nam Presbyteros sæcularis Judex ad Ecclesiasticum transmittebat, ut de iis solus cognosceret, degradaret convictos, tumque publico dimitteret Judici, qui tum demum incipiebat in eos jure agere, sententiamque promere juxta inquisitiones & processus Judicis Ecclesiastici. Hæc Burdinus Procurator Generalis Parlamenti Parisiensis in Paraphrasi articuli XI. Edicti anni 1539. publicata anno 1549.

Memoi. du Clerg. to. 2 pag. 131.

Memoires du Clergé. en 1675. To. 2. pag. 750. 751.

XIII. In Vetere certè Stylo Parlamenti Parisiensis, apud Mansuetum, qui sub Carolo VI. Rege florebat, & apud Aufrerium, qui anno 1514. lucubrationes suas scriptis mandabat, multa fuisse reperies *crimina privilegiata*, quæ cognitioni suberant Judicis sæcularis, cùm Clerici iis aliqui erant irretiti. Sed & ibi reperies, non aliud unquam decrevisse Judicem sæcularem, nisi temporalium captionem & emendam. *Pœna quidem pecuniaria, non corporali*, ut ait Benedictus, Burdigalensis Parlamenti Senator. 2. Voce ipsa criminis privilegiati abundè proditur, ex privilegio tantum Judices Regios de his causis cognoscere. Rem nón dissimulat Aufrerius, quin & ipse Rex Franciscus I. idem confitetur in suo de Monetis Edicto, anno 1540. *Juxta Indultum Papæ & Edicta nostra Regia, si qui in Officio suo fungendo deliquerint, Clericatu exuendi sunt, nec in causa delicti admittentur ad excipiendum, vel tergiversandum super suis Clericatus chartis*. Diximus supra iniquo tulisse animo Episcopos quosdam Concilii Lateranensis V. quod Leo X. Papa nescio quid jurisdictionis in Clericos laïcis Judicibus relaxaret. Diximus & de Privilegio, quo Philippum Audacem Regem donavit Nicolaus III. Papa anno 1278. quo capi & custodiri possent à Magistratu laïco Clerici, gravissimis illaqueati facinoribus.

Ibidem. Pag. 746. 747. 750.

XIV. Omnibus denique hinc & hinc libratis ac pensitatis, superest sanè, quod miremur, postquam tot conspirationibus, concertationibus, plagis impetita tandiu est Clericorum personæ & fori immunitas; non omnem tamen ejus aut reverentiam excussam esse, aut memoriam, in Edictis saltem Regum. Nam si Judices sæculares ultra Canones, & ultra Edicta Regum progressi ausique sunt aliquid in causis Clericorum criminalibus, facta ea sunt, non jura; non habent illi, quod sibi gratulentur, habent Clerici, quod ingemiscant. Ideo & Concilium Rotamagense, quod altero tantum habitum est anno post promulgatum Edictum Melodunense, hoc est anno 1581. animosiùs adhuc insurrexit ad defensionem jurisdictionis Episcopalis, & immunitatis Clericorum, ea animi magnitudine, quam in antiquissimis Conciliis demirari solemus, vibratis, aut intentatis Ecclesiæ fulminibus in sacrilegos Cleri libertatum violatores. *Cùm & Canonicis & Regiis Constitutionibus Ecclesiastica jurisdictio semper sejuncta fuerit à sæculari, tam in personalibus civilibus, quam in criminalibus causis; ita ut nec à sæcularibus Judicibus Ecclesiastici debeant compelli ad debita solvenda, nec ab his puniri, si quid animadversione dignum commiserint: sed ad Judices Ecclesiasticos debeant remitti in casibus præscriptis à sacris Canonibus: Monemus in Domino Judices sæculares, ut pareant Canonibus, nec falcem in messem alienam mittant. Quod si moniti non paruerint, excommunicationis vinculo se noverint subjacere. Præcipitur verò omnibus Ecclesiasticis sub pœna excommunicationis, ne coram Judicibus laicis litigare, neve eorum jurisdictioni voluntariò se subjiciant in casibus ad Judices Ecclesiasticos pertinentibus, sive actores, sive rei sint. Quod si sententiam excommunicationis non veriti fuerint, aliis canonicis pœnis gravissime puniantur.*

Tit. De jurisd. Eccl.

In Concilio Remensi anni 1583. persimile promulgatum est Decretum. Concilium Bituricense anni 1584. prohibuit, ne Clerici alii alios unquam convenirent coram sæculari Judice. *Si quando illis necessitas litigandi incubuerit, non pertrahat Clericus Clericum ad judicium sæculare, sed tantum ad Episcopale: ne eorum dedecus laicis scandalo sit; sed causæ componantur. Qui contra fecerint, legitimis pœnis subjaceant.* Excommunicati denuntiati sunt laici Judices in Concilio Narbonensi, anno 1609. qui de Clericis, vel de rebus Ecclesiasticis judicia agitarent. *Non se immisceant Judices sæculares rebus Ecclesiasticis, neque judicium personarum aut rerum Ecclesiasticarum arrogent. Si quod hortamur non egerint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant.* Idem prohibetur & Clericis, ne se unquam publicis Judicibus sistant in causis personalibus, vel de rebus Ecclesiæ. *Non compareant vocati Clerici coram Judice sæculari, ut causas suas agant, si personales sint, aut de rebus Ecclesiasticis, quarum Judici Ecclesiastico jurisdictio est attributa; nisi ut ad superiorem Ecclesiasticum remittantur petituri.*

Tit. 25. c. 10.

Cap. 42.

Anno 1657. ad Cleri Gallicani interpellationem edita est invictissimi Regis Declaratio, qua Jurisdictio Ecclesiastica munitur adversùs innovationes Judicum Civilium, innovatur caput XXII. Edicti Melodunensis, prorogatur jurisdictio Judicibus laïcis extra Territorium suum, quando id necesse foret, ad cognitionem litis conjunctim cum Officiali Episcopi; statuiturque ne unquam possint Præsidiales Curiæ vel Præpositi militares de Clericorum criminalibus ullis omnino causis cognoscere.

Memoires du Clergé en 1675. To. 2. pag. 64.

CAPUT CXIII. *P. 4. l. 2. c. 92.*

De Jurisdictione Ecclesiæ extra Gallias in Clericos ipsos post annum Christi millesimum.

I. Exemplum memorandum personalis Episcoporum immunitatis in Anglia.

II. Qua ibi ratione cognosceretur de causis aliorum Clericorum.

III. De eodem. Diversæ leges ad tuendam immunitatem Clericorum personalem. Valide ea oppugnatur, validius propugnatur.

IV. Eidem immunitati & jurisdictioni majora præsidia asstruuntur, plus reverentiæ habetur in Germania.

V. VI. In Hispania similiter & in Italia. Decreta Concilii Tridentini.

VII. Responsa Congregationis Concilii.
VIII. Non in Gallia sola limites aliqui circumscripti sunt immunitati personali Clericorum, & jurisdictioni Ecclesiasticæ.

I. CUm de jurisdictione Ecclesiastica dictum sit à nobis universim primò, usque ad exordia juris novi per Pontificias Decretales: & rursum postea de eadem ut sequentibus sæculis in Galliis viguerit specialiter: operæ pretium jam est, ut & ad alia Ecclesiæ Christianæ regna gradum promoveamus, initiumque ducamus ab Anglia. Narrat Vuillelmus Malmesburiensis anno 1139. petiisse Regem ab Episcopis, ut Castra quæ obtinuerent omnia, sibi dederent; & dum eam in deditionem venirent, Episcopos ipsos tenuisse. Tum verò Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus Concilium indixit apud civitatem Vintoniensem, quò & invitatus ipse Rex est, gravissimæque illico personuere querelæ, quòd nullo convocato Concilio tam contumeliosè habiti essent Episcopi. *Si Episcopi tramitem justitiæ in aliquo transgrederentur, non esse Regis, sed Canonum judicium. Sine publico & Ecclesiastico Concilio illos nulla possessione privari debuisse.* Episcopus Vintoniensis, qui germanus erat Regis, & Legatus Pontificis, qui denique Regi præceperat, ut
Eadmer. Hist. Nov. L. 2. Concilio adesset: *Fratrem incunctanter Concilio adesse præcepit*: cæteris acriùs exarsit in tuitionem immunitatis Ecclesiasticæ. Denique Rex ipse excommunicationem undique ingruentem antevertit appellatione ad Pontificem interposita, ejus usus ministerio, qui Regis nomine Concilio intererat. *Ipse quia*
Script. Norman. p. 945 *gravari se videt, ultro vos ad Romam appellat.* Regi huic Stephano nomen erat, cujus qui historiam litteris mandavit, testatum facit summa cum animi moderatione, suique fastigii dejectione sarcisse injuriam Episcopis à se irrogatam, ut vestibus etiam se Regiis exuerit. *Sed quia ab omni Clero justè provisum, & discretè fuit dijudicatum, nulla ratione in Christos Domini manus posse immittere, Ecclesiastici rigoris duritiam humilitatis subjectione mollivit, habitumque regalem exutus, gemensque animo & contritus spiritu, commissi sententiam humiliter suscepit.*

II. Quod ad alios pertinet Clericos, in famosa illa Concordia Clericorum & Baronum Normanniæ anno 1205. convenit, ut si Clericus in delicto deprehenderetur, Judici Ecclesiæ restitueretur: si furti, si homicidii convinceretur, gradu moveretur, & mulctaretur exilio: si relaxato pòst exilio in eadem facinora relaberetur, eidem judicio subesset ac pœnæ, atque laïci. *Si Clericus capiatur quacumque ex causa, & Ecclesia eum requirat, reddi debet Ecclesiæ. Et si convictus fuerit de furto, vel de homi-*
Fortè, abjurabit terram. *cidio, degradabitur, & alvurabit terra, nec aliter pro delicto illo punietur; nec poterit postea intrare terram*
Ibid. pag. 1061. *sine licentia domini Regis, quin de eo fiat justitia. Si verò posteà aliquid forefecerit, dominus Rex faciat de illo justitiam sicut de laico.*

Docet nos Joannes Salisberiensis, quàm necessaria fuisset hæc conventio, cum in Epistola ad Romanum Pontificem data narrat Archidiaconum Eboracensem de propinato Archiepiscopo suo veneno accusatum fuisse, & ea occasione voluisse Stephanum Regem, ut tantæ atrocitatis facinus à Judicibus suis Regiis excuteretur. Stephano successit Henricus II. qui & ipse vehementer exarsit in hanc jurisdictionis suæ ampliationem in causas Clericorum. Sed cessit ille tandem Episcoporum invictæ constantiæ, & Ecclesiastici juris retinentissimæ. *Vix*
Epist. 122. *cum summa difficultate, in manu valida, non sine indignatione Regis & omnium Procerum jam dictam causam ad examen Ecclesiasticum revocavimus.*

III. Henrici ejusdem Regis zelo & amori justitiæ gratulandum sanè, laudesque ingerendæ essent, si ei moderari ipse potuisset. Rescivit enim ab Officialibus & ministris suis, plerumque abire impunè Clericos, postquam se immanibus contaminaverant criminibus: & à Clericis in Anglia centum amplius homicidia eo regnante perpetrata fuisse: *Ipso audiente declaratum dicitur, plusquam centum homicidia intra fines Angliæ à Clericis sub regno ejus commissa*: leges edidit austerissimas in omnes scelerum graviorum species, nullo Laicorum Clericorumque discrimine. Præsules illico & Clerus *Vuillelm. Neubrig. L. 2. c. 6.*
universus Ecclesiæ Anglicanæ intercessere tam injuriosæ suis immunitatibus, jurisque dicendi facultatibus declarationi. Non fefellit Regem non posse non nutare & retro tandem labi leges suas, nisi ab Episcopis confirmarentur. Variis ergo illecebris & delinimentis grassatus, facilè illos sibi omnes conciliavit, uno excepto Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, qui quod muneris sui erat, invictissimum se egit libertatum Ecclesiæ defensorem. Hæc prima mali labes, hinc implacatæ contentionis fons inter Archiepiscopum & Regem. Diximus jam in Concilio Abrincatensi suæ Clerum & immunitati redintegratum fuisse à Rege, & jurisdictioni. Ab ejus successoribus libertates Ecclesiæ nunc assertæ sunt, nunc imminutæ, perinde ut quædam rerum temporumque procellæ sæviebant, aut remittebant.

Anno 1261. in Concilio Lambethano vicem suam doluere primùm Episcopi, & jurisdictionis sacræ, in quam subinde sæculares incurrebant Judices, in rebus etiam spiritalibus, quarum prolixa ibi pertexitur series; mox intrepido pectore & statuta condidere, & consilia iniere fortissima, ad retundendam Judicum sæculi audaciam, prohibendumque ne Clerici ad laïcum unquam forum defluere, aut rapi possent. Anno 1281. Eduardum I. Angliæ Regem Joannes Cantuariensis Archiepiscopus audacibus litteris suis & hortamentis compellavit, ut in vestigia ingrederetur Christianorum olim Imperatorum, cum iisque immunitates Ecclesiæ sartas tectasque servaret, regnum suum regno Christi subjectum vellet, Ecclesiæ libertates eo loco & pretio haberet, quo micantissimas coronæ suæ gemmas, ex eisque non paulò plus splendoris in se derivandum speraret. *Jura coronæ vestræ Christi coronæ supponenda, cujus sunt diadema ac sponsæ suæ monilia, universa Ecclesiastica libertates.* Tum verò significavit præ cæteris Ecclesiæ libertatibus eam à summis olim Principibus & Angliæ Regibus studiosissimè confirmatam fuisse, quæ Clericos eximeret sæculari jurisdictioni: *Constantinus Rex Angliæ, & orbis nihilominus Imperator, specialiter personas Clericorum à solis Prælatis Ecclesiæ judicandas esse decrevit.*

Synodus Excestrensis anno 1287. declaravit nun- *Cap. 30. 45.*
quam posse: à Clerico Judicem deligi laïcum: non posse ab eodem Clericum alium conveniri in foro sæculari, in causa personali; non posse Clericum à laïco vocari ad forum sæculare: si in causa merè criminali ita Clericum vel conveniret laïcus, vel judicaret Judex sæcularis, utrumque excommunicationis vinculis irretiri. Ex his Diœcesanæ Synodi statutis facilè intelligitur, pristino suo vigori restitutam in Anglia fuisse libertatem & jurisdictionem Ecclesiæ.

In Concilio Londinensi anni 1321. expostulatum *Can. 5.*
est de Judicibus sæcularibus, qui nonnunquam Clericos in carcerem conjiciebant, foro suo subjecte-

bant, patibulo addicebant; nec adduci poterant, ut illos Ecclesiæ foro redderent: illa nimirum excusatione utentes, quòd bigami essent. Contrà autem in hoc Concilio declaratur, bigamiam, dotes, natalium integritatem consectaria quædam esse matrimonii, atque adeo nihilo plus de his cognoscere posse Judices sæculares, quam de ipso conjugio. Hinc intorquetur excommunicatio in Judices laïcos, qui quos retinuerint Clericos, detrectarint Ecclesiæ foro restituere. Obliquè tunc ergo tantùm & per cuniculos libertatibus Ecclesiæ insidiabantur Judices sæculi, & immunitati personali Clericorum; nec aperta vi eam impetere audebant. Multò impensiùs illis suffragatus est Eduardus IV. Rex solemni diplomate, quo Clerum Regni sui demereri studuit anno 1463. Quod suprà laudavimus Constantiensis Concilii decretum, non potuit non & summa esse in Anglia authoritate.

IV. Perlustranda jam nobis Germania est, aut salutanda saltem, quando jam nostræ nos pudet prolixitatis. Indubitatissimum est autem multò majori in pretio & reverentia apud Germanos fuisse & Episcopos ipsos, & Episcopalem jurisdictionem. Can. 8. 10. 11. Anno 1266. in Concilio Coloniensi præceptum est, ut qui laïcus Clericum provocaret ad sæculi Judicem, is & causa caderet, & excommunicatione configeretur. Eodem feriretur anathemate Judex, si de Clerico judicium institueret: & nisi intra quindecim dies pœnitentia eam maculam abstergeret, locus interdicto subjiceretur.

Nec est quod miteris, & judiciis & pœnis sæcularis fori subductos fuisse Clericos, cùm Concilium Coloniense anni 1310. ne illud quidem pati voluerit, ut Clerici pœnitentiæ publicæ subjicerentur, quæ in eo potissimum versabatur, ut in Processionibus publicis essent in nigra veste, cùm Clerus universos albis lineisque indumentis vitæ innocentiam proderet. Can. 10. *Cum Clericis publica actio pœnitentia sit prohibita.* Cupiebat quidem summopere Ecclesia, ut capitalia facinorosorum laïcorum supplicia pœnitentiis publicis mulctarentur; at pœnitentiis ipsis publicis Clericos subducere studuit, persuasissima iis & Clerum dehonestari, & offendi laïcos fideles. Hinc collige, quantò alienior illa esset à Clericis suis judicio & foro laïcorum subjiciendis, & infamiæ pœnarum, quæ ibi decernuntur.

In Concilio Salisburgensi anni 1420. fraudulentia & ludificatio damnata est illa laicorum, qui in jus vocabant non Clericos, sed Ecclesias eorum, & loca ipsa Beneficiorum, ut qui non personis, sed rebus litem moverent. Clericos & Clericorum bona eodem uti privilegio, in hoc Concilio declaraCan. 29. tur. *Allegantes quod non contra Clericos, sed ipsorum bona dumtaxat judicent & procedant. non attendentes quod Clerici & Clericorum bona eodem gaudent privilegio, & nulla sit eis de rebus & personis Ecclesiarum attributa judicandi facultas.* Synodus Frisingensis anni 1440. eodem implicat anathemate Judices, Partesque, à quibus Clerici ad forum trahentur sæculare, quòd ea Cleri immunitas ab ipso manet jure divino. *Quia privilegium fori Ecclesiæ est immediatè à jure divino.* Postremò denique Concilium Moguntinum anni 1549. laïcum jactura litis damnavit, qui Clericum ad sæculares vocasset Judices, quos ipsos jam tum excommunicatione innodatos pronunCan. 76. tiavit. *Statuimus ut Actor coram sæculari judicio actionem intendens Clerico, eo ipso omni causa cadat, nec amplius ad ejus causæ querelam, etiam coram Ecclesiastico Judice admittatur. Judicem verò sæcularem, qui causam Clerici, etiam eo consentiente, aut etiam quamcunque causam ad Ecclesiasticum judicium pertinentem, quales sunt matrimoniales & similes, judicandam sibi desumpserit, excommunicationis pœnam ipso facto incurrere decernimus.*

V. Ad Hispaniam venio, ubi Ilerdense Concilium anni 1229. declarabat capi posse à Judicibus & Officialibus Civilibus Clericos, quando illos in flagranti delicto deprehendunt furti, homicidii, raptûs, falsæ monetæ. *Flagrante maleficio in furto, rapina, homicidio, vel raptu mulierum, vel videndo falsam monetam.* Dum ne quid molestiæ illis inferant, sed ut eos tantùm Judici reddant Ecclesiæ. *Non ut vindictam in ipsum exerceat, sed ut eundem reddat Ecclesiastico Judici.*

Clerum Hispanensem acerbissimè objurgavit Urbanus IV. Papa, quòd ibi sinerentur Clerici & Monachi sinuosis ludificationibus declinare Judices Ecclesiæ, & ad Civiles Judices causas suas traducere; quanquam integrum non sit cuilibet Clerico generalibus Cleri privilegiis derogare. In Concilio Ilerdensi anno 1293. & causâ cadere, & anathemate feriri jussi sunt Clerici & Laïci, qui Clericos in foro sæculari convenirent. Hæc à nobis decerpta Pag. 36. 37. sunt ex Constitutionibus Conciliorum Provinciæ Tarraconensis, typis Barcinone anno 1557. mandatis, & compilatis decreto Concilii Tarraconensis anno 1555.

In Concilio Dertosensi anno 1429. ab Alphonso Arragoniæ Rege impetrata sunt diplomata Regia complura ad restituendam immunitatem Ecclesiasticam adversùs Judices, Nobilesque vicorum dominos. Quanquam autem Covarruvias Hispanorum hujus ævi Canonistarum facilè princeps, immunitatem fori Clericalem non vendicet juri divino, nisi ad res spirituales & Ecclesiasticas: censeatque eo privilegio à summis Pontificibus ita Clerum donari potuisse, ut à terreno Principe nullo revocari possit; Confitetur tamen mox ipse eam immunitatem Cleri à foro sæculari derivari ex sacris Litteris, ex Conciliis, ex Patribus, & Concessionibus Imperatorum: quo fit ut assentiri tandem videatur cæteris canonici Juris interpretibus, quibus convenit juxta Conciliorum decreta superiùs congesta, exemptionem personalem Clericorum à foro civili, superstrui juri divino, Ecclesiastico & civili. Iam ipsa assuenda hîc sunt verba Covarruviæ. *Ergo utile quiQuæstion. practic. To. 2. c. 31. dem est, & denique necessarium ad liberiùs & rectiùs ministrandum Ecclesiis, quòd Clerici & eorum res sint à sæcularibus Judicibus immunes. Præsertim quòd hæc immunitas maximam originem ducat à divinis veteris Testamenti Constitutionibus, à sanctorum Patrum testimoniis, publicis Imperatorum concessionibus; ut tandem totus orbis Christianus in hanc exemptionem propter utilitatem publicam consenserit; eaque propter summorum Pontificum authoritatem, hunc tacitum & expressum quandoque consensum habuerit.* Quibus ex verbis planum est, non ab Apostolica tantùm Sede profectum esse hoc privilegium, sed ex Scripturis, ex Conciliis, ex Patribus, ex Imperatorum legibus.

VI. In Italia verò, ne in dubium quidem vocari potest, quin sacra & jurisdictio & immunitas Cleri magnificentiùs semper & splendidiùs sese explicuerit. In Concilio Ravennate anno 1317. excomCan. 28 municationis jaculo confossi sunt Iudices, qui recusarent Episcopo restituere Clericos, quos comprehendissent *cum armis*, vel crimine quovis alio implicatus; aut qui eos ad Episcopum remitterent contumelia aliqua, & infamia publica aspersos,

maximè si in veste Clericali fuissent deprehensi. Quidquid hactenus accumulatum est à nobis Decretalium, vel Epistolarum Pontificiarum, dum alia regna perlustraremus; eo sanè Disciplina ipsa quoque Italiæ illustrabatur, ut quam studerent Pontifices à se profectam in alias quoque orbis Provincias propagare. A Bonifacio VIII. declaratum est Clericos conjugatos, qui bigami non essent, frui privilegio fori, si veste & tonsura Clericorum uterentur, atque ideo propter crimina à se patrata, nec civili, nec criminali judicio Magistratuum sæcularium subjici posse, hoc est, non posse ab iis vel pecuniariæ, vel corporali pœnæ addici.

In Sexto L. 3. T. 2. c. 1.

Et Bonifacii decreto limites circumscripsit Concilium Tridentinum, quoad Clericos conjugatos, quos non placuit privilegio & immunitate Clericorum frui, nisi veste & tonsura Clericorum uterentur, jussoque Episcopi alicui affixi essent Ecclesiæ. Quoad alios Clericos, qui necdum initiati sunt sacris Ordinibus, summovet eos Concilium à privilegio & ab immunitate Cleri, nisi vel Beneficiarii sint, vel tonsuram & vestem Clericalem circumgestantes, ab Episcopo uni illigentur Ecclesiæ, vel in Seminario, aut Universitate resideant, quo se suscipiendis aliquando sacris Ordinibus aptare & effingere studeant. *It etiam fori privilegio non gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur.*

Sess. 23. c. 6.

VII. Quæ doctrina cursus in Italia, & quæ disciplina vigeat, conjectura duci poterit ex Declarationibus Cardinalium Congregationis Concilii, quas hic ex Fagnano depromemus. Proposita quæstione duorum Clericorum, qui in fraudem Clero se inscribi voluerant, quo se munirent adversus sæculares Judices post cædem perpetratam: responsum est à Congregatione, pœnis corporalibus subjici eos non posse, quanquam ad hanc impunitatem assequendam Clero obrepsissent. 2. Si quis verò Clericatum citra fraudem suscepisset, quamquam perpetrato jam facinore, ejus non personam tantum, sed & rem immunitate Clericali fruituram. 3. Si fraudulentè vero quis Clericum se ordinari voluerit, potest ille pœnis subdi pecuniariis, propterea quod Clericatus ita dolosè susceptus, personam eximat, non bona. 4. Et etiam tum necesse est, ut præventionis Beneficio utatur Judex sæculi, hoc est, ut judicio instare cœperit antequam Clericus ordinaretur. 5. Non sæcularis, sed Ecclesiastici Judicis est cognoscere, an in fraudem susceptus sit Clericatus; sicut & Ecclesiæ Judicis est examinare an Clerici sint bigami, an vestem tonsuramque Cleri propriam gestaverint, & id genus alia.

Fagnan. in L. 1 Decret. Part. 2. pag. 312. 353. 355.

VIII. Et nec in Italia tamen ipsa dissimulari potuit, quin constringenda nonnunquam esset intra breviores cancellos immunitas Clericorum. Opinati sunt nonnulli, eam cessare, vel suspendi, ubicumque atrociori quopiam in facinore Clerici deprehenderentur. Homicidas alii voluere supplicio affici, non expectata degradatione, dummodo à Judice Ecclesiæ facinus ipsum esset declaratum. Memorantur à Fagnano ipso Canonistæ, qui plura permumerant crimina, in quorum reos etiam Clericos sævire potest Judex civilis. Quin & à Tridentino observat in Capite suprà laudato multis modis coarctatam fuisse hanc immunitatem; & ita necessa fuisse, quod non satis curarent Episcopi Clericos singulos Ecclesiæ alicui mancipare. Denique quod Clericos vagos jam possit Judex laïcus distringere, in minoribus quidem constitutos Ordinibus, id eo factum, quod ita decreverit Tridentinum.

Idem In l. 2. p. 51. 49.

CAPUT CXIV. *P. 4. l. 2. c. 93.*

Elucidatio quæstionum aliquot super immunitate Clericorum, pœnis fori Ecclesiastici, & causis, quæ in Palatio Regum tractantur.

I. Impunitate quam cessantibus Episcopis abutebantur Clerici facinorosi complures, Reges tandem ipsos & Magistratus adduxere, ut immunitatem & jurisdictionem Cleri arctarent. Exemplum Henrici II. Angliæ Regis.

II. Eadem contractio in Gallia, gradatim certè, & variis de causis. Quæ causa hæc?

III. Refellitur objectio ex impunitate criminum petita, quam alere videtur Ecclesiæ jurisdictio, & Cleri immunitas. Responsio nostra in undecim capita disponitur, in quibus singulis plurimum ponderis est.

IV. In Gallia & in Anglia Præsules sanctitate & eruditione præstantissimi, in hoc Cleri Privilegio tantum esse momenti existimavere, ut vel impendio sanguinis illud tueri decreverint.

V. Episcopi quo de cumque accusati in crimine, nunquam dixere causam nisi coram Episcopis, terrenis Principibus summa quadam veneratione prosequentibus Christi sacerdotium, cujus & Clerici omnes suo quisque modulo consortes sunt.

VI. Voluit B. Thomas Angliæ Martyr, pervicitque, ut Clericus ob crimen degradatus satis pœnarum una quidem luisset, nec præterea Judici & mortis supplicio permitteretur.

VII. Beati Thomæ Martyris doctrinæ & voluntati hujus Decreta Pontificum, & Concilia suffragabantur.

VIII. Vetustissima hæc Ecclesiæ disciplina deficere potuit, & ex parte defecit; quanquam summis semper honoribus laudibusque prosequendi usque sint, qui eam, dum usu valeret, fuso sanguine tuiti sunt.

IX. Sacri fori pœnæ erant, mulcta, proscriptiones bonorum, servitus, exilium, carcer, etiam perpetuus.

X. Quanta olim Majestate fulguraret Tribunal Ecclesiasticorum, pluribus ad id Episcopis cum Clero confluentibus.

XI. Rursum de pœnis fori Ecclesiastici, & quam non impunè abirent rei. Carcera perpetua omnia in futurum crimina occupabantur.

XII. Observantur aliqua in pœnas pecuniarias.

XIII. Nota in quæstiones, quibus extorquetur veritas.

XIV. Species singulares, ubi Clericorum causæ, potissimum Episcoporum, in Regum Palatio, vel in Parlamentis extinctæ sunt.

I. Rebus hactenus elucidatis innexæ contextæque sunt quæstiones aliquæ, quas hic obiter perstringere juvabit. Prima oritur ex invidiosa quadam criminum licentia, quam ex impunitate videtur alere & tegere nostra Clericorum immunitas. Non potest enim ferè non offensioni, immo & horrori esse, Clericos pietati specialiter & edendis sanctimoniæ exemplis dicatos, inquinari detestandis quibusque flagitiis, & impunè inquinari, tantoque licentiosius. Eo stimulatus est Henricus II. Angliæ Rex, leges ut conderet & promulgaret immunitati Clericali valde repugnantes, cùm certior factus esset centenas amplius cædes à Clericis perpetratas, ex quo ipse cœpisset habenas regni tractare. Id supra jam attigimus ex Vuillelmo Neubrigensi, qui ansam inde aucupatur, debacchandi in mollitiam animi, & indulgentiam exitialem Episcoporum, qui effecerant torpore suo, ut impunitas jam meta esset, quæ ab exordio immunitas fuerat; non ut nullas, sed ut salutiferas & medicinales pœnas Clerici darent. Affirmat idem Scriptor, si immoderatiori zelo æstuasset Rex, ejus rei culpam in incuriam Episcoporum conjiciendam esse. *Sanè hujus immoderationis Regia nostri temporis Episcopos*

L. 2. c. 16.

tantum respicit culpa, quantum ab eis processit & causa. Jubent enim Canones, gradu amoveri, Clericos, non ob enormia tantum crimina, sed ob non pauca etiam leviora. Et ex hac ingenti tamen turba Clericorum gravibus sceleribus irretitorum, quanti erant quos Episcopi degradassent: *Cum enim præcipiant Canones, Clericos non solum facinorosos, id est, gravioribus irretitos criminibus, verùm etiam leviorum criminum reos degradari; & tot millia talium tanquam innumeras inter pauca grana paleas Ecclesia Anglica contineat, quantos a multis retro annis Clericos in Anglia contingit officio privari?* Episcopi tuendarum libertatum, quam puniendorum criminum Cleri sui cupidiores; & retundendis sæcularibus Judicibus, quam emendandis Clericis suis addictiores; id inopini effecerant, ut & Clerus in nefaria quæque flagitia spe impunitatis provolveretur, & Rex ipse tandem pene cogeretur malo aliàs jam immedicabili manus admovere. *Nempe Episcopi dum defendendis magis Clericorum libertatibus, vel dignitatibus, quam eorum vitiis corrigendis resecandisque invigilant, arbitrantur obsequium se præstare Deo & Ecclesiæ, si facinorosos Clericos, quos pro officii debito, canonica vigore censura coërcere vel nolunt, vel negligunt, contra publicam tueantur disciplinam: Unde Clerici qui in sortem Domini vocati, tanquam stella in firmamento cæli posita, vita & verbo lucere debent super terram; habentes per impunitatem agendi quodcumque libuerit licentiam & libertatem; neque Deum, cujus judicium tardare videtur, neque homines potestatem habentes reverentur; cùm & Episcopalis circa eos sollicitudo sit languida, & sæculari eos jurisdictioni sacri eximat Ordinis prærogativa.*

Ea tum fuit temporis difficillimi ratio, quæ Sacerdotium Regno collisit, urgente Rege, ut sæculari foro subjicerentur Clerici facinorosi, utque assentirentur Episcopi. Vereor autem, ut satis constet, quod hic affirmat Historicus, ex canonicis Regulis propter minora etiam crimina Clericos esse degradandos. Non de qualicumque enim depositione hic agitur, sed de ea degradatione publica, & dedecorosa, solennique, qua dejecti Clerici mox ultricibus pœnis sæcularis fori addicebantur. At verò procul abest ea degradatio, à depositione ea, quam prisci Canones minusculis etiam sceleribus intentabant. Verùm quod ad capitalia attinet supplicia, indubitatissimum est sanctissimos primævæ Ecclesiæ Patres multò cupidius exarsisse ad eximendos extremo supplicio, non Clericos tantùm, sed & laicos. Si mediæ verò ætatis monumenta replicemus animo, constabit non immunitatem tantum pœnarum reis, maximè Clericis fuisse pro virili vendicatam: sed & laïcis criminosis non raro Clericatum fuisse collatum, quò capitali supplicio præriperentur.

II. Non paulò certè plus momenti fuit in alia ratione, quam idem Historicus deprompsit: ea est nimirum anxia Episcoporum sollicitudo tuendæ jurisdictionis Ecclesiæ in Clericos suos, ut in causis criminalibus ne sæcularia unquam experirentur judicia: simul autem supinitas & incuria eorundem, in Clericis scelerosis pœnarum & pœnitentiarum canonicarum rigore toto coercendis. Quod Neubrigensis de Anglia, id posset forsan non immeritò & de Gallia dici; pari nempe nostrorum Præsulum in flagitiis majoribus ulciscendis cessatione, compulsos tandem fuisse Reges ac Judices Regios, ut crimina quædam atrociora ab aliis seponerent, eaque Privilegiata dicerent, ut in quibus & otiaretur privilegium Cleri, & sæculares Judices quasi ex Pontificio privilegio de Clericis judicarent. 1. Nec enim privilegiata ea dicuntur crimina, nisi ratione Judicum publicorum, qui tum conticescere jubent privilegium Cleri, & ipsimet velut ea privilegio judicia de Clericorum criminibus agitant. 2. Parlamenta ipsa suo supra loco demonstrata sunt, ex Clericis & Laicis permixta fuisse, ut non temerè credatur hinc quoque complanatam fuisse viam, ut ad Clericorum criminales causas venirent. 3. Observatum est illud quoque ad atrociora quædam crimina examinanda Clericorum, delegatos fuisse Consiliarios Clericos duos, ut præsentes essent, cùm in Curia Ecclesiæ de iis cognosceretur. Posterior ætas duo innovavit, ut & laici quoque delegarentur Consiliarii, utque ne merè otiosa esset eorum præsentia. 4. Prævaricabantur Clerici ipsi causæ suæ, unde toties succensuere Synodi in Clericos, qui sponte sua forum ambiebant sæculare; & Judices laicos insuefaciebant ipsimet, ei in eos distringendæ authoritati, quæ non intra eos semper se cohiberet limites, quibus cœpisset. 5. Ex Conciliis superius delibatis, manifestum est ipsos persæpè Episcopos permisisse, ut sæculare forum Clerici adirent. 6. Concessere Principibus Pontifices, ut Clericos gravissimis in facinoribus deprehensos capi ipsi per Ministros suos, & custodiri juberent. Sapientissimè id & ab Episcopis, & à Pontificibus factitatum esse fateri cogimur ex tantæ & dignitatis præjudicio, & conspirationis. Et tamen his molitionibus via pandebatur coarctandæ jurisdictioni & immunitati Cleri, quæ hactenus illibata & latissimè fusa fuerat. Eæ sunt nimirum vices rerum humanarum. Multa extorquet tum prudentiæ, tum charitati nova & permolesta temporum rerumque necessitas, ex quibus tamen pòst ea nascuntur, quæ molestissima sunt. Æquum erat permitti sæculi Judicibus, ut caperent, & in carceres truderent Clericos in ipso facinore deprehensos; sed lapsu temporis his Judicibus in mentem ea venere, quibus abducerentur à reis ejusmodi Ecclesiæ foro restituendis, quamvis ea se primum lege astrinxissent. 7. Et hæc forsan denique ratio perfecit, ut ad tantas angustias redigeretur privilegium hoc fori Clericale, scilicet Clericorum præceps & in atrocia facinora furor, & ad ludificandas Episcopalis fori pœnas astutia. Ideo enim concessum est laïco Judici, ut illos caperet, & includeret carceri, cujus compedes & vincula quædam ferrea perfringere jam non potuit privilegium Clericale.

III. Si quis autem percontetur, ecquid causæ fuerit, quamobrem Ecclesia tam diu, & tam constanter incubuerit in vendicanda solis Episcopis potestate ulciscendi gravissima Clericorum flagitia; & quamobrem tot Conciliis visum fuerit, in ejus privilegii defensionem, nec interdictis abstinendum esse, nec excommunicationibus: cùm hinc ali videatur impunitas, & ex impunitate nova criminum & effrænis audacia: quæ horrori potius debet esse ipsa, quàm amori illa quæ in Clerum redundat ex immunitatibus suis reverentia & commendatio. Habet, fateor, hæc objectio, quo præstringantur oculi eorum, qui in cortice plerumque hærent, nec medullam ipsam rerum, ac penetralia introspiciunt.

Respondeo igitur 1. Eodem impetu posse ariete, & everti omnia Ecclesiæ asyla. 2. Eadem criminatione conspergi Ecclesiam omnem primævæ & aureæ ætatis, ubi sanctissimi, doctissimique Episcopi omni ope connitebantur, & Magistratibus ipsis tantum

non vim faciebant, ut noxios ipsis penè mortis faucibus extraherent. Utroque eo vetustissimæ disciplinæ capite videri potest criminum audaciam impunitate similiter exaggeratam fuisse. Utrique tamen astipulabantur Patres illi, qui sanctitate juxtà & doctrinæ præstantia excelluere, dum castior floreret in Ecclesiis morum disciplina. Asyla nulli non toto orbe genti, nulli non Religioni sacrosancta & commendatissima fuere, quasi vox ipsa naturæ consentiret, concineretque sacris litteris veteris Testamenti, ubi & suum Templo, & sua certis urbibus à Deo ipso designata erant asyla.

3. Nec ea exempla sunt dumtaxat, sed & argumenta necessariæ Clericorum immunitatis personalis. Clerici enim Deo consecrantur ejusmodi inauguratione, quæ tantò sanctior & augustior sit, quantò templa viventia lapideis sunt præstantiora. Si consecratio templorum reos eò confugientes absolvit, quid Clericos sua ipsorummet consecratio? Si profanatur templum, ubi reus inde abstrahitur ad supplicium, nonne & Sacerdotii sanctitas contaminabitur, si ejus consortes & ministri ad eadem tribunalis rapiantur, eademque supplicia cum cæteris reis? Si qui morti dedendi erant facinorosi, eos templum vitæ restituebat: an eodem privilegio non gaudebit sacerdotium ipsum, quo templa sanctificantur, & suo quodam modo animantur?

4. Si tantum operæ & laboris posuit olim Ecclesia, ut capite minuendis vitam prorogari, mortem condonari faceret, persuasissima eò se agi uno summæ & sempiternæ sapientiæ afflatu & amore; quin eodem illa æstu flagrasset pro eadem pœnarum capitalium immunitate ministris suis adserenda?

5. Si Ecclesia cùm Clericos criminum conscios, inter exordia sua iisdem substravisset pœnis ac pœnitentiis publicis, atque Laïcos: experimentis postea suis doctior, & experta his Cleri dignitatem vilescere, populos offendi & alienari: tum demum decrevit, ut pœnis & pœnitentiis tantùm secretis eos expiaret: quod & deinceps observatum est: quantò manifestioris erat & æquitatis, & necessitatis, Clericos ut eosdem suos subduceret judiciis suppliciisque publicis, quæ vehementissimè à Cleri observantia populos alienabant?

6. Si pars longè maxima Christianæ gentis Nationum circa mediæ ætatis tempora capitales pœnas mutavit pecuniariis, vel levioribus quibusdam carnis macerationibus, ut alibi dictum est; & si id totum effluxerat ex Evangelicæ legis rivulis in leges civiles populorum nuperrimè Ecclesiæ adgregatorum; qui non omnes nervos contendisset Ecclesia, ut eadem lenitatis & indulgentiæ suavitas in propriis ministris suis vel retineretur, vel restitueretur? Si Principes, si Imperatores, si Episcopi, cùm primùm civitatem solenni pompa inirent, aut dies maximè solennes celebrarent; carceres rescindi voluere, absolvi vincula, reos dimitti omnes; si hinc populis & civitatibus infinita quædam & incredibilis lætitia infusa est, nec quisquam fuit tam humanitatis expers, qui hinc reclamaret foveri licentiam criminum, facta spe impunitatis. Si spectabilibus sanctitate Episcopis eadem tenuata via est, nec veriti sunt, ne de impunitate criminum invidia sibi conflaretur. Si cœlum ipsum eorum clementiæ subscripsit, & terrificis ostentis carcerum valvas & vincula perfregit; quis impatienter ferat cælestis hujus clementiæ vestigium aliquod superfuisse in Clericorum causa? Et qui poteris huic Clericorum immunitati, aut si velis etiam impunitati obtrectari: nisi ejusdem criminationis invidia respergatur in summos ab ultima usque Ecclesiæ antiquitate Principes, Reges, Imperatores, Præsules, Pontificesque sanctissimos, ejus authores, fautoresque?

7. Per aliquot olim sæcula illa viguit consuetudo, ut qui gravissimorum sibi facinorum conscii erant, ii in Monachorum claustra confugerent, & Monasticam profiterentur vitam: nec usquam proditum est, eos inde abreptos, ut justitiæ litaretur, aut ut ne inulta sinerentur crimina: quòd nimirum vel ipsis sæcularibus Judicibus & humano generi exploratissimum esset, multò melius & litari justitiæ, & crimina vindicari, vitæ sanctioris diuturnis laboribus, quàm morte præcipiti.

8. Nec minùs frequentia fuere eorum exempla, qui inexplicabilibus quibusdam alterius periculis & infortuniis, non poterant non tandem in capitis discrimen incurrere, nisi sacris se Ordinibus initiari impetrasent, & in Clericatu haberent inexpugnabile munimentum, quod nec inimici privati, nec Judices publici perfringere possent. Multò magis stupendum erat, quòd ejusmodi homines ab Episcopis ordinarentur, quin & Presbyteratu ornarentur ipso, quorum finis scopusque tam alienus videbatur à Sacerdotii sanctitate & amplitudine. Nec existimo tamen sanctissimis illis Præsulibus, qui ea indulgentia utebantur, hujus objectionis & querelæ quam refellimus authores, suo etiam ipsorum judicio antehaberi posse.

9. Summos ipsos Principes & Reges juvabat, justas & pias sibi suppeditari causas indulgentiæ, & prorogandæ iis vitæ, quos vel voluntas sui minùs compos, vel sors & calamitas transversos egerat in factiones, aut defectiones criminosas. Tum enim ipsimet suadebant, ut extremum supplicium redimerent, vel ordinatione sacra, vel Professione religiosa. Usque adeo in commune tum exploratum omnibus erat, professione vel Clericali, vel Monastica, velut asylo tutissimo, reos morte absolvi, Judicibus & judiciis publicis subduci, crimina non impunita præteriri, sed expiari luculentiùs, quàm ipsa morte. Ecquis verò ambigat, multò proclivius & æquius esse, Clericos jam ordinatos contemplatione sui Ordinis & privilegii eximi supplicio, quàm Laïcos criminosos ordinari, ut eximantur?

10. Æquum est plecti crimina, & terris si detur, extirpari. Ad id vergunt indubitatissimè, & ad id conducunt non mediocriter Judicum sæcularium tribunalia, judicia, supplicia. Sed sunt & alia forsan, quæ multò magis conducant. Multò feliciùs & efficaciùs lenitas & suavitas legis Evangelicæ emendasse & extinxisse visa est scelerum licentiam, quàm veteris Testamenti minæ, pœnæque atroces. Eo Christus consilio terris allapsus est, ut crimina aboleret; id verò ille operæ pretium auspicatus est indulgentia mulieri adulteræ concessa. Sacerdotio Christianæ legis convenire non potest, nec unquam poterit cum judiciis cruentis & pœnis capitalibus. Et tamen eo Christi sacerdotio plura incomparabiliter flagitia sunt abolita, aut præfocata sunt, quàm tota veteris & Mosaïcæ legis sævitia. Multa proculdubio Judices prævertunt & opprimunt crimina judiciorum & pœnarum acerbitate. Non frustra illos gladio vindice armavit Lex. Sed bona venia Judicum, & citra sacerdotalis ministerii ostentationem, citra assentationem illud profitemur constantissimè, Christiani sacerdotii mansuetudine plus criminum præverti, expiari, sanari, plus innocentiæ, plus sanctitatis invehi & inolescere,

quàm tota eaque laudatissima Magistratuum vigilantia, sollicitudine, austeritate. Sola Christi nimirum lex & gratia Evangelica orbem universum innovavit, exundantem priùs iniquitatum eluvionem arefecit, justorum examina innumerabilia effudit effunditque in dies singulos. Civilibus & legibus & Judicibus tantumdem erat potestatis ante, atque post Evangelii promulgationem. Agendæ sunt ergo gratiæ Evangelio, ejusque lenitati, & sacerdotio Christiano, & Evangelicæ gratiæ atque doctrinæ, quòd incredibilem quendam in modum, & piorum creverit, & impiorum decreverit numerus. Hinc autem illud emergit, ad offocanda, ad præfocanda, ad exterminanda scelera ex orbe terrarum, parum esse, ut pauci Clerici flagitiosi pœnas dent: sed longè amplius & compendiosius esse, si authoritatis & reverentiæ nova Sacerdotio & Clero accedant incrementa, per ejus immunitatis & jurisdictionis tutelam. Ne si contemptui & ludibrio objiciatur Clerus paucorum è Clero impiorum supplicio publico & infamiâ, abrumpatur & dissiliat illud religionis frænum, quo innumerabiles populi retinentur in officio justitiæ & pietatis in Principes ipsos, & observantiæ in Magistratus.

III. Et hoc enim postremo tandem loco monebimus, non posse Principes & Magistratus ludibrio, contemptuique & infamiæ objectare Presbyteros, cæterosque Christi ministros, quin suæ ipsorum dignitati vehementer officiant, cui non aliud inconcussum magis præsidium & munimentum astrui potest, quàm religio populorum, quibus instantissimè Presbyteri Clericique omnes id inculcant, summi ipsius Numinis authoritatem & justitiam in Principibus & Magistratibus residere, in illis colendam ac venerandam esse. Ne mors quidem ipsa, & quidquid pœnarum corporalium à Judicibus infligitur, magnopere à crimine animos hominum absterreret, nisi mortem aliam, & longè atrociores pœnas, nempe sempiternas Religio reformidare cogeret. Nihil ergo conducibilius, nihil efficacius tum ad criminum extirpationem, tum ad reverentiam in Principes & Magistratus alendam, quàm ut ministrorum Ecclesiæ indulgeatur erratis, dissimulentur delicta, contegeatur infamia; utque ne paucorum noxiorum nece & publica ignominia, infametur Clerus, & evilescat Religio, quæ coli Magistratus, observari Principes, declinari crimina, justitiam ex animo diligi persuadet.

IV. His utique rationibus & stimulis agebantur celeberrimi quondam Præsules, ad jurisdictionem Præsulum, & immunitatem propugnandam Clericorum omnibus retro sæculis; non tantùm evibrandis excommunicationibus & interdictis, ut præcipiebant bene multa Concilia superiùs perstricta; sed etiam vita ipsa cum sanguine & bonis omnibus profundenda. Id consilii dabat Ivo Carnutensis Capitulo Bellovacensi, cùm criminalis Canonici causa
Epist. 162. in Regia Curia disceptanda diceretur. *Si sciremus vos esse paratos, ut cum gaudio tolerare possetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum vestrorum, possemus vos exhortari, ut si quæreretis consilium Susannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quàm Dei legem derelinquere.* Subnectebat & aliud mox Ivo consilium, dispensatione ut serviretur tempori, de quo infrà. Hoc secutus est Thomas Cantuariensis Archiepiscopus. Suprà enim jam nobis confirmavit Neubrigensis, totam illam dissensionis flammam inter Regem & Archiepiscopum ex ea veluti scintilla excitatam fuisse, quòd Rex vehementiùs capitalibus etiam sæviret suppliciis in homicidas, nulla Clericorum exceptione. Scriptor vitæ beati hujus Thomæ Martyris, cujus Epitomen Surius vulgavit, rem ita narrat: *Erant per id* Surius die
tempus mores quorundam à Clero valde dissoluti; sed at 29. Decem.
illi ad secularia judicia raperentur, & à laïcis condem- c. 8.
narentur, id Archiepiscopus ferre non sustinuit. Voluit Rex, ut sacris initiati priùs degradarentur, atque ita pœnas luerent pro meritis. Contrà Archiepiscopus, Ego, inquit, Dei ministros laïca potestati non exponam. Sed si peccent, ego eos sic puniam, ut leges divinæ & Patrum decreta sanxerunt. Objiciebat ei Rex coram aliis, quod homicidas, fures & sacrilegos ipse tueretur; cùm tamen sub avo ipsius sancti Archiepiscopi & Episcopi permisissent tales puniri secundùm leges. At Archiepiscopus. Poterat istud, inquit, castigatiùs à te dici, domine Rex. Ego enim homicidas & fures tueri non soleo, sed persequi. Verùm id nefas duxi, divino cultui mancipatos laïcis legibus in sanctæ matris Ecclesiæ contemptum condemnari. Quod autem dicis avum tuum, vel alium quemlibet in Clericorum sæviisse necem, nos quidem subita quadam temeritate semel id factum cognovimus. Sed valde absurdum est ab illis petere exempla justitiæ, qui quidquid suapte voluntate elegissent, pro legibus ducebant. Ego verò qui divina dispensatione ad id assumptus sum, ut Dei Ecclesiam & Clerum tuear, in ea voluntate dum spiritus hos reget artus, permanebo.

Hæc, ut vides, ipsissima est objectio, hæc responsio eadem nostra, hæc certa & inflexa sententia ac voluntas beatissimi Archiepiscopi & Martyris Thomæ: non ut impunitatem pararet Clericis peccandi, sed ut libertatibus, jurisdictioni & immunitati Ecclesiæ, tum adhuc vigenti sanguinem & vitam impenderet: ut ne quid de ea detereretur, & conservaretur Episcopis sarta tectaque antiquissima potestas ita animadvertendi in crimina, ut non peccator, sed peccatum extingueretur; ut Clericatus & sacerdotium nulla apud plebem conspergeretur infamia. Qui sub Philippo Valesio Rege Gallicani Episcopi invicta fortitudine suas & Ecclesiæ libertates tuebantur, illi ipsi contestabantur, paratos se exemplo B. Thomæ Martyris libertatem & immunitatem Cleri sanguine suo consignare. *Quos articulos erant parati defendere, sicut B. Thomas Cantuariensis Episcopus, cujus festum celebratur, illos defenderat.* Huic causæ, his defensoribus sacræ libertatis non poterat tum in Galliis non addici victoria.

Nec dispar fuit aut constantia, aut victoria Episcoporum sub Carolo VI. Rege Galliæ, cùm anno
1398. Regiorum Consiliorum Ministri in hanc con- Vie de Charles VI.
jurati essent Episcoporum potestatem, ut de Cleri- L. 12. c. 1.
cis soli cognoscant. In Anglia ipsa exoriebantur subinde vindices invictissimi libertatum Ecclesiæ. Cùm anno 1237. edixisset Rex Angliæ, ut Clerici in causa etiam criminali conveniri possent coram sæculi Judice, Robertus Episcopus Lincolnensis super ea re consuluit Archiepiscopum Cantuariensem. At verò non is erat Robertus qui mollissimæ acquiesceret Archiepiscopi responsioni; quin & ad illum litteras dedit inflammatissimas, quo eum impelleret ad ejus juris & immunitatis defensionem, à qua citra perfidiæ dedecus deficere non posset;
quin Judam potiùs Machabæum imitaretur, vel Rainal. an.
sanctissimum Angliæ Martyrem Thomam, & du- 1237. n. 57.
cem se Episcopis Angliæ præstaret, non illibenter cum eo pro libertate Ecclesiæ mortem adituris.

V. His rationibus & consiliis adducti Reges, nunquam

nunquam passi sunt causam dicere Episcopos, nisi in Concilio Episcoporum, quanquam non adulteria tantum & homicidia, sed & Majestatis crimina illis aspergerentur. (L. 5. c. 2) Apud Gregorium Turonensem Salonius & Sagittarius Episcopi, Prætextatus Rotomagensis Archiepiscopus non alios experti sunt Judices, quam Episcopos. Ebbonem aliosque conjurationis detestandæ, & exauthorationis suæ authores, non nisi in Conciliis & ab Episcopis voluit Ludovicus Pius incrucenta subire judicia. Arnulphus Remensis Archiepiscopus, etsi sub novo Rege Hugone Capetio proditionis reus ageretur, non extra Concilium tamen Remense causam dixit.

In Christos Domini vix quisquam manus audebat injicere. A Petro Blesensi memoratur Episcopos quosdam Siciliæ, qui suo se quodammodo ipsimet gradu dejecerant, Palatinis & sæcularibus ultro induti Officiis, captos deinde, & in carcerem Regium contrusos fuisse, nihil admodum satagente Pontifice Romano, ut eos libertati restitui faceret, qui se in servitutem & fœdissima Aulæ vincula ipsi conjecissent. (Baron. ann. 1169. n. 49.) *Quidam per usurpatas sæculi administrationes se vinculo Curiali obnoxiant, & quasi sic renuntiaverint privilegio dignitatis, calculum durioris eventus expectant. Nam pro causa hujusmodi hodie in Sicilia mancipati sunt Episcopi quidam carceralibus vinculis, nec aliquod expectant ab Ecclesia Romana solatium, quibus improperatur à summo Pontifice, ut bibant de calice quem sibi temerè miscuerunt.* Atrocissimis criminationibus Apamiensem Episcopum onerabat Philippus Pulcher Franciæ Rex anno 1301. quem tamen custodiendum tradidit Archiepiscopo Narbonensi, donec eas suspiciones diluisset, denique repetenti Bonifacio Papæ VIII. illum restituit. Conspirationis in Regem initæ accusatum eum fuisse narrat Valsinghamus. (Histoire du Differens. pag. 190.) *De conspiratione contra Regem Franciæ accusatus.* Petrus de Latiliaco Catalaunensis Episcopus in suspicionem adductus est, & in judicium vocatus de morte Philippi Regis Galliæ, ejusque prædecessoris. Custodiendus traditus est Archiepiscopo Remensi Metropolitano suo, & de ejus causa cognitum est in Concilio Sylvanectensi anno 1316. authore Nangio, cujus hæc sunt verba in Chronico. *De morte Regis Franciæ Philippi ac sui prædecessoris, quæ per eum dicebatur esse procurata suspectus, de mandato Regis, sub nomine Remensis Archiepiscopi in custodia detinetur. Facto Concilio Sylvanectensi, &c.* Non ergo tum Episcopos capi, aut custodiri moris erat, nisi à Metropolitanis suis. Quò spectant & Decreta Episcoporum Daniæ in Concilio suo anni 1257. Et qui posset controversia de eo fieri, cùm à Romano Pontifice licentiam supra expressenint Reges Galliæ capiendi Presbyteros, & inferiores quoslibet Clericos, qui enormioribus flagitiis implicati deprehendebantur, & ne id quidem permittebatur, nisi ea cautione, ut mox Episcopis redderentur. Reverentius utique & circumspectius cum Episcopis agebatur, quando vel in Presbyteros Clericosque omnes tantillum sibi Reges, Magistratusque permittebant.

Plura huc exempla congerere nihil attinet. Cùm ex hac copia plus satis eluceat, 1. Criminales Episcoporum causas, quamlibet gravissima eis allinerentur crimina, nusquam nisi in Conciliis, & apud Episcopos ventilatas fuisse. 2. Probabiliter commune illud fuisse Clericatus & Clericorum omnium privilegium & decus vetustissimum, quod sanctiùs & religiosiùs observabatur in Episcoporum causis. 3. Ad summi & cœlestis æternique Pontificis Christi honorificentiam id redundasse, cùm ejus vicariæ imagines, quantumvis privatis suis flagitiis dedecoratæ, his honoribus afficiebantur. 4. Hos qui tum in crimen agebantur Episcopos, ab aspersis sibi criminationibus puros plerumque, integrosque fuisse; atque adeo si pertracti fuissent ad publica Judicum tribunalia, infandum & inexpiabile piaculum id futurum fuisse. Richardus Eboracensis Archiepiscopus anno 1405. judicio afflictus, damnatus, morte affectus est in Anglia, velut conscius conjurationum in Regem initarum. Confirmat tamen Valsinghamus Præsulem eum innoxium prorsus & nullius affinem culpæ fuisse; unde & Innocentius VII. Papa justissimo anathemate percussit authores mortis ejus omnes, quos postea eo vinculo solvit Gregorius XII. (Rainald. eo anno n. 12.) Quorsum enim iræ diuturniores, postquam nihil jam sæviendo proficies?

VI. Iisdem & rationibus, & causis innitebatur disciplina, ut nec Clerici, nec Beneficiarii inferiores possent nisi ab Episcopis, vel eorum Officialibus judicari, nec possent nisi canonicis affici pœnis. Nisi in eadem sæpiùs prolapsi flagitia, Judices cogerent de eorum resipiscentia desperare, & tum demum degradatione, Clericato & privilegiis Clericatus omnibus spoliarentur. Tum enim in laïcorum sortem depressi, & à laïco Judice damnari poterant, & extremo addici supplicio. In Conciliabulo Clarendunensi in Anglia narrat Matthæus Paris anno 1164. voluisse Regem Angliæ, ut Judices Ecclesiastici Clericos degradarent, qui coram laïco Judice convicti fuissent, & statim puniendi sæculari Curiæ dimitterentur. *Præsente Regis Justitiario exauthorarent, & post Curiæ Regis traderent puniendos.* At contra nitebatur Archiepiscopus Thomas, ut qui gradu ejecti essent, ne pro eodem crimine pœna quavis alia afficerentur. *Archiepiscopus in contrarium sentiebat, ut quos exauthorarent Episcopi, à manu laïcali postmodum non punirentur, quia bis in id ipsum puniri viderentur.* Hinc illud infertur, si Clericus ob scelus degradatus, novo se facinore inquinaret, tum ne Archiepiscopum quidem Thomam intercessisse quominus & foro sæculari subesset, & supplicio. Tum enim jam nemo conqueri poterat, quod bis in idipsum vindicaretur. Alexander III. Papa quoad hoc ipsum Capiti Thomæ Archiepiscopo suffragatus est. Cúmque hoc illi Caput regiarum, ut jactabant, consuetudinum repræsentatum fuisset, *Justitia Regis mittet in Curiam sanctæ Ecclesiæ ad videndum qua ratione res ibi tractabitur. Et si Clericus convictus, vel confessus fuerit, non debet de cætero eum Ecclesia tueri:* exhorruit, & proscripsit. *Hoc damnavit.* Accommodavit se postea justissimis Papæ & Thomæ votis Anglia, ut patet ex Concordia Clericorum & Baronum Neustriæ, anno 1205. ubi ultimo loco assentiebantur, ut Judex Ecclesiæ Clericos adulterii & homicidii convictos degradaret, nec alia tum præter exilium pœna infligi posset; si redirent autem, & in capitalia resorberentur crimina aliqua, tum in eos perinde ut in laïcos Judex sæculi animadverteret. *Si convictus fuerit Clericus de furto, vel de homicidio, degradabitur, & abjurabit terram, nec aliter pro delicto illo punietur. Si aliquid postea fore fecerit, dominus Rex de illo faciet justitiam, sicut de laïco.* (Scriptor. histor. Norm. pag. 1061.) Nec Matthæus ipse Paris abhorrebat à beati Thomæ Martyris & Archiepiscopi Cantuariensis sententia, quando enarrata ad annum 1248. contumelia privilegio Clericali inusta, hæc ibidem adjicit. *Non obstante causa beati Thomæ Martyris, qui pro quodam Sacerdote homicida constanter allegans, &c.*

stans usque ad sanguinis & cerebri effusionem, ne judicio laïca Curia Clericus & præcipue Sacerdos damnaretur, & ne deordinatus suspenderetur, martyrium tolleravit, cùm non puniat Dominus bis idipsum, pœnas laxans peccatorum, & supra merita remunerans, & cum sufficienter una culpa per unicam pœnam prævia diluì debeat ratione.

VII. Consentiebant mirum in modum generales Ecclesiæ leges B. Martyris Thomæ doctrinæ. Lucii III. Papæ Decretalis contestatur, id sibi amplum & honorificum habere Leges Imperatorias; ut Canonibus se accommodent, per quos nefas est Clericos alibi quam in Curia Ecclesiastica reos agi, vel causam dicere, nequicquam obstrepentibus contrariis consuetudinibus. *Cum Imperator dicat quod Leges sacros Canones non dedignantur imitari, in quibus generaliter traditur, ut de omni crimine Clericus debeat coram Ecclesiastico Judice conveniri. Non debet in hac parte Canonibus ex aliqua consuetudine præjudicium generari, &c. Maximè in criminalibus causis in nullo casu possunt ab aliquo quam ab Ecclesiastico Judice condemnari: etiamsi consuetudo Regia habeat, ut fures à Judicibus sæcularibus judicentur.* Ei decreto Cælestinus III. vel delinimenti aliquid addidit, vel elucidamenti. Agnovit enim posse aliquando tandem Clericos ab Ecclesia dimitti; rigorique legum permitti. Sed vide quibus tandem gradibus eò veniri velit. Degradari jussit Clericos, furti & homicidii convictos. Si nec tum ad meliorem frugem se reciperent, excommunicari. Si ne ea quidem pœnæ asperitate mollirentur, diro & extremo anathemate tum eos conteri. Et si vel tunc obdurescerent adhuc ad ultionis Ecclesiasticæ tot jacula, tum eos tradi tum iri Judici sæculari, vel exilio, vel supplicio quovis alio puniendos. *Si Clericus in quocumque ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitimè, atque convictus, ab Ecclesiastico Judice deponendus est. Quod si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet. Deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri. Postmodum verò si in profundum malorum veniens contempserit; cùm Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per sæcularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.*

Extra. De Judiciis. c. 8. 10.

Nec ambigere quisquam jure potest, quin ei Decretali locus fuerit in Gallia, ubi tam certam nactus est Thomas Cantuariensis tutelam, quem Matthæus Paris nobis hic ostendit tam acerbis caput objecisse suum procellis, ne Presbyter sceleratus ab Episcopo suo degradatus, à Judice sæculari capitali pœna afficeretur. Sed & ejus rei aliud hic depromendum nobis documentum ex Concilio apud Castrum Guntherii anno 1231. *Ne facilitas veniæ delinquendi præbeat incrementum, præcipimus quod Clerici in enormi delicto deprehensi reddantur Diœcesano. Et si convicti fuerint, vel confessi coram eodem de crimine, & tale fuerit delictum propter quod debeant degradari ab Episcopo, degradentur. Et si postea incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia nullatenus defendantur.* Eo certè Canone non attinguntur sigillatim intervalla illa omnia supra memorati Decreti Cælestini III. Sed eo tamen Clericus convictus, & damnatus ac degradatus, non statim foro sæculari permittitur; non pœnitendum adhuc temporis spatium ei conceditur, ut resipiscat: non denique rejicitur ad forum sæculare Clericus degradatus, nisi per illud lenitatis intervallum prodiderit de emendatione sua conclamatum esse.

Can. 10.

Ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ ab Alexandro III. datæ sunt litteræ, fateor, ut ne amplius Regibus & Baronibus intercederent, si qui ab illis Clerici facinorosi, & in facinore deprehensi, post degradationem morti traderentur. *In enormibus duntaxat criminibus deprehensos, quæ sanguinis pœnam . . . eis primitus Clericali gradu prævia ratione privatis puniant secundum quod Justitia suadebit, consuetudine contraria non obstante.* Verùm ad conjugatos, bigamosque tantum Clericos id spectabat. Nec plura expetierat Rex: *Ex parte carissimi, &c. Francorum Regis fuit propositum coram nobis, quod nonnulli Clerici bigami, & viduarum mariti, & alii etiam Clerici uxorati, diversa maleficia committere non verentur.* Jure ergo canonico non statim post degradationem Clerici Judici laïco permittebantur, ab eoque interfici sinebantur; sed mora & spatium annuebatur, quo sui ipsos puderet ac pœniteret; nec morti addicebantur, nisi postquam novi lapsus spem emendationis omnem amputassent.

Du Chesne. To. 5. pag. 863.

Prælucentibus autem his Ecclesiæ legibus sanctissimis, & tam perspicuis, jam mirum accidet nemini, si B. Herebertus Coloniensis, si B. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, si tot alii Præsules, hi arte, illi vi, omnes summa pietate grassati sunt, ut reos Magistratibus publicis, extremisque suppliciis præriperent.

Surius die 16. Martii c. 24. Die 2. Maii c. 30.

VIII. Nec silebimus tamen Decretalibus supra relatis arctiores postea limites fuisse delineatos. Decretum Cælestini III. eodem prorsus nobiscum sensu interpretatur Fagnanus, & fatetur tamen esse Canonistas, qui velint quatuor hos gradus pœnarum, depositionem, excommunicationem, anathema, vel solennem excommunicationem, & ejectionem ad forum sæculare, servari non debere, ubi non simplicia sunt homicidia, sed atrocitate quadam circumstantiarum majori vestiuntur, ut mandatæ cædes, parricidia, Presbyteri cædes, & hujusmodi alia. Hanc autem sententiam ille iis communit argumentis, quæ magnam illi concilient speciem probabilitatis. Et quanquam in ea non versetur sententia Fagnanus ipse; fatetur tamen ei convenienter, lapsu temporis Pontifices multas designasse criminum formas, ubi degradatus reus statim Judici, foro, pœnæque sæculari permittendus erat. Ejusmodi sunt hæresis, falsificatio litterarum Apostolicarum, conspiratio in caput Episcopi, homicidium præmeditatum, libido naturæ adversaria, celebrata mysteria, vel exceptæ Confessiones ab eo qui Presbyter ordinatus non sit. Hinc facilè concluditur hanc Ecclesiæ disciplinam, suas & ipsam vices subire posse; & postquam jus ipsum, postquam Pontifices novos adhibuere modos juri vetustissimo, potuisse & modos invehi alios vastissimi regni vetusta consuetudine & præscriptione.

In l. 2. Decretal. p.

Illud enim hic apertè profitebimur, approbandis, commendandisque moribus & decretis antiquis Ecclesiæ nos hic insudare, nec damnare tamen usus contrarios, qui ante aliqua sæcula quibusdam in Regnis invaluere, non sine tacita saltem Ecclesiæ assensione, vel tolerantia. Temerè fecerit & insolenter, quisquis privato indulgens ingenio constantem & diutinam amplissimi Regni, ejusque Christianissimi jurisprudentiam censorio stylo confixerit. Multò æquius esset, ei defendendæ operam & studium dicare nostrum; nisi longè peritiores eam jam occupassent laudem, & nisi hanc lucubrationem nostram uni Ecclesiasticæ disciplinæ illus-

trandæ addixissemus. Quin & multa hic aspersimus, ea quibus authoritas possit diversæ huic Jurisprudentiæ adjungi, quæ nihil opus est hic ad nauseam rursus inculcari. Novum non est in rebus ad versatilem spectantibus disciplinam aliud alio loco, & tempore placere, & frequentari. Ne novum quidem est, sanguinem impendi, & martyrii palmam colligi ea defensione Ecclesiasticæ disciplinæ in eo usu sanctissimo, qui tum vigeat, & qui alio tempore & loco exolescat. Qui vel antiquiores, vel illustriores Martyres, quam Machabæi, qui porcina carne ne macularentur, tam exquisitis cruciatibus excarnificati sunt? Jam nemo sobrius, nemo pius hinc sibi constantiæ & Martyrii gloriam venabitur. In iis usibus moribusque, qui ad legem æternam non pertinent, quod aliquando licuit, post non licebit; licebit, quod non licuit: eæ sunt inevitabiles rerum & temporum vices, quibus necessariò serviendum est; ita certè ut non tam rebus ipsis, moribus, ritibusque serviatur mutabilibus, quam vel constantissimæ authoritati Ecclesiæ, alia aliàs jubenti: vel æternæ & incommutabili legi, quæ nos huic servituti addixit, donec à temporali & versatili disciplina absolvat ipsamet nos, traducatque ad æternam incommutabilis veritatis contemplationem & charitatem.

Quoniam verò sunt non pauci, qui in novis, quam in vetustis magis versati Ecclesiæ institutis, subinvitì audiant, & vix sibi temperent, quin priscos mores damnent, parum sibi nempè exploratos; non abs re fore duxi, si illis succurrere studerem. Eò pertinent non pauca hujus operis capita, ubi fontes & rationes retegimus priscæ disciplinæ, maximè ubi illa prisca & vetus non est, nisi nobis vehementer novis, & ne in hujus quidem nostri sæculi universali politia satis versatis. Quæ nobis enim nova & inusitata videri solent, ea & nostris his ipsis in Ecclesiis olim viguerunt, forsan & non ita pridem; ea denique etiamnunc in cæteris Christiani nominis Provinciis usu receptissima sunt. Non operam ergo curamque nostram temerè consumpsimus in defensandis, non majoribus tantum nostris, sed & complurium Ecclesiarum hodiernis moribus. Quin & necessariò nobis visum est refellendas esse eorum præcipites & inconsideratas obtrectationes, qui ea arrodunt, quæ non capiunt, quia nec sapiunt: & quæ revereri eo saltem nomine debuerant, quod à Patribus, Conciliis, Pontificibus, summa sapientia, & sanctitate viris constantissimè per plura sæcula approbata, factitata, & adversùs calumniatores propugnata sunt. Impunitate criminum homines malè feriati offenduntur, atqui eam potissimum frivolam objectionem diluere studerunt Patres, Concilia, Pontifices summi. Urque ne impunita fuisse omnino Clericorum crimina diutiùs jactent, aliqua hic de Ecclesiastici fori pœnis attingemus.

IX. Angliæ Regem querelis suis B. Anselmus interpellavit, quod à Presbyteris mulctam pecuniariam ipsemet exigeret, sanctissimè affirmans hanc esse propriam Episcoporum potestatem, vel iis cessantibus Archiepiscopi, vel Primatis. *Non pertinet*
l. 3. Ep. 109. *secundum legem Dei hujusmodi culpam vindicare, nisi ad Episcopos singulos per suas Parochias: aut si & ipsi Episcopi in hoc negligentes fuerint, ad Archiepiscopum & Primatem.* Concilium Londinense anni 1108. Episcopis adjudicavit res omnes Clericorum, qui desponsam Deo continentiam inquinassent, addixit & illis concubinas omnes Clericorum in servas,

cum omnibus bonis; *Omnia verò mobilia lapsorum* Can. 10.
posthac Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum & Canonicorum tradantur Episcopis, & concubinæ cum rebus suis, velut adulteræ. In Concilio Londinensi anni 1127. his concubinis concessum est, ut nuberent: si à licentiosa libidine non recederent, Pœnitentiæ canonicæ, aut servituti subjicerentur: *Ecclesiasticæ Disciplinæ, vel servituti Episcopali judicio* Can. 7.
mancipentur. Lucius II. Abbati Viselíacensi per litteras significavit, à prædecessore suo Paschali II. monitos esse Galliæ Episcopos, ut pœnitentiam & exilium subire cogerent eos, qui Abbati Viselíacensi prædecessori ejus cruentas manus intulissent; & nisi morem gererent, ut excommunicationis eos jaculo confoderent. *Secundum pœnitentiæ dignum mo-* Epist. 8.
dum, in exilium detruderent: & si obedire nollent, eos excommunicationi subjicerent. Episcopum Aurelianensem per Epistolas adhortatus est Ivo Carnotensis, ut novis & inusitatis pœnis subjiceret Presbyterum detestando & inaudito flagitio conspurcatum; ut illum nempe omnibus exueret Ordinibus, tum perpetuo addiceret, vel carceri, vel exilio. *Oportet,* Epist. 186.
ut adhibitis vobis aliis quinque Episcopis, publicè detractis sacerdotalibus indumentis, per singulos eum gradus deponatis, & depositum perpetuo carcere damnetis, aut in æternum exilium detrudatis.

Habes hic ergo in pœnis canonicis, mulctas pecuniarias, proscriptiones bonorum mobilium, servitutem, exilium perpetuum, perpetuum carcerem, cum aliarum pœnarum cumulo, quas arbitrio suo poterat Judex Ecclesiasticus decernere. Video non omnes has pœnas in Clericos fuisse designatas. Sed nemo nescit potiori jure & authoritate in Clericos, quam in laïcos Præsules usos fuisse. Unum erat exilium, cujus executioni non facilè instare posset Judex Ecclesiæ, nisi in immorigeros anathemata distringeret, quod & paulò antè Lucius Papa Episcopos nostrates admonebat. Addit & in eadem Epistola Ivo Carnotensis, cur indicendum necessariò esset quandoque exilium, ut vulgi oculis subducerentur & publico conspectui, qui gravissimo erant offendiculo. *Quod à conspectu eorum qui scelus ejus cognoverunt, removendus sit, ne fœda facti memoria simplicium mentes perturbet.* Ea necessitate compellebantur Episcopi pœnam indicere, quam poterat reus detrectare. Eadem ratio erat de emendis, & de bonorum proscriptione. Sed ut his omnibus sese sponte rei subjicerent, idem excommunicationis mucro distringi poterat.

X. Nec oblivione obruendum est illud ejusdem Epistolæ Ivonis Carnotensis, ubi Episcopo Aurelianensi author est, quinque ut alios Episcopos sibi adjungat, quo solennius Presbyter ille degradetur. Canone scilicet Carthaginensis Concilii præcipiebatur, ut ne Presbyter gradu moveretur, nisi ab Episcopis quinque præter Episcopum proprium: Diaconus à tribus, quorum unus esset proprius Episcopus. Ita mos ferebat antiquus Ecclesiæ, ut à Curia, vel Senatu quodam Ecclesiæ Jurisdictio exerceretur, ubi Episcopi collegio cingerentur Cleri sui, quandoque etiam aliorum Episcoporum. Hæc porro convocatio sex Episcoporum ad solennem Presbyteri degradationem, ex prisca illa manavit consuetudine plures convocandi Episcopos, non ad solenem tantum degradationem, sed & ad depositionem quamcumque. Fatetur ibidem Ivo, non facilè posse quinque Episcopos adgregari. *Quod si id facere vobis fuerit difficile.* Et ea sanè difficultas in causa fuit, ut postea Episcopi deposuerint, immo

& tandem degradaverint Presbyteros, nullo istiusmodi Episcoporum cœtu convocato.

Sed ab eodem Ivone alibi declaratur, Episcopos in Cleri sui Consistorio quodam majoris ponderis causas pertractasse. Quando Ivo ipsemet juxta Pontificis Rescriptum accessit ad tractandam causam Vicecomitis Carnotensis Cruce signati, & Comitis Rotruei, in Cleri sui Senatu sedebat. *Præceptum est considentibus Clericis, ut hanc litem justa sententia dirimerent. Qui diu dum inde disceptassent, non potuerunt in unam convenire sententiam.* [Epist. 197.] Docet nos idem alibi absente se causas aliquas à Clero suo fuisse disceptatas: si judicio partes non acquiescerent, jus eis sese dicturum. [Epist. 231.] Hildebertus Archiepiscopus Turonensis Honorio II. per litteras significavit, dijudicatam à se esse causam Decani, in eo consessu, ubi adesset Episcopus Cenomanensis, plures Abbates, aliique viri scientia & religione præstantes. *Innotuit judicio affuisse venerabilem Cenomanensem Pontificem, Abbates etiam complures, aliosque religiosos & sapientes viros.* [Epist. 67. 68.]

Hinc facilè intelliges, 1. Mirum non fuisse, si tunc jurisdictio Ecclesiæ & latiùs in dies serperet, & magis magisque convalesceret, ubi jus dicebant Episcopi ipsi, Episcopis quandoque aliis adscitis, vel accedentibus, in consessu certè semper Clericorum suorum, quibus religionis amor & disciplinæ castitas cordi erat. Non illubentes laïci ejusmodi Curiæ judiciis assentiebantur. 2. Si vel maximè perpetuas, istiusmodi Curias tunc fuisse perpetuas, cùm extraordinarii tantùm tunc essent Judicum publicorum & Parlamentorum consessus. 3. Ex adverso autem ubi lapsu temporis Curiæ Parlamentorum statæ & ordinariæ cœperunt esse, Curiæ verò Ecclesiasticæ minùs frequentari, paucisque vel uni committi, facillimè perspicis, non potuisse non defluere ab Ecclesiastica Curia ad civilem longè maximam partem jurisdictionis.

XI. Ab hoc brevi, nec infructuoso diverticulo ad propositum redeo; & ad pœnas canonicas, quæ tunc utique & acerbiores erant, & certiùs infligebantur, cum Episcopus Clero suo circumfusus judiciis præsidebat. In decretalibus Gregorianis Juris canonici novi, ex Gregorii Magni decreto, Subdiaconus Diaconi calumniator depositione plectitur, flagellatione, & exilio. *Privari officio, & verberibus publicè castigatum, in exilium deportari.* [Extra De calumn. c. 1.] Decrevit Innocentius III. ut qui Clerici facinorosi in Monasterii carceres contrudi non possunt, quòd non satis ad pœnitentiam exardescant, ii compingantur in carceres Episcopales. *Ne crimina maneant impunita, debent Prælati Clericos postquam fuerint de crimine canonicè condemnati, sub arcta custodia detinere: qui cùm sint incorrigibiles, nec Monasteriis valeant custodiri, ad similia vel pejora facilè laberentur.* [Extra. De sent. excom. c. 35.] Ea demum igitur erat ratio, qua ne crebriora patrarentur crimina, nec impunita sinerentur ire, & tamen Clericis scelerosis vitæ usura ad pœnitendum donaretur. Postquam de capitali crimine convicti fuerant, præter pœnas suprà numeratas, in Monasteria trudebantur, si criminis dolore vehementi, & pœnitentiæ amore infucato arderent: si eo cælestis spiritûs afflatu needum pectus eorum esset mollitum, in Episcopales carceres contrudebantur in reliquum vitæ curriculum, aut donec ad pœnitentiam supernæ gratiæ uberiore copia excitarentur.

Erant tamen ex hoc ipso Pontifice tam detestanda crimina, ut horum rei & convicti statim in teterrimum conjicerentur carcerem, jejuniis ibi, aliisque carnis afflictationibus reliquo vitæ tempore macerandi. *Ut in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam ipsum includas, pane doloris & aqua angustiæ sustentandum, ut commissa defleat, & flenda ulterius non committat.* [Extra De verb. signif. c. 27.] Non oscitanter prætereunda sunt hæc verba, ex quibus liquet, quæcumque pœnæ ab Ecclesiastico Judice infligebantur, eas verissimas fuisse pœnitentias; quibus si qui inviti & repugnantes subjiciantur, penes ipsos culpa est; nondum illi quidem ita affecti & comparati sunt, ut par est, convenienter his pœnis: sed non desperat Ecclesia fore ut aliquando toto eis sese animo coaptent, atque ita salutis æternæ fructum ex eis colligant. Vide ut Bonifacius in hunc ipsum peragendæ pœnitentiæ finem referat carceres perpetuos. *In perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad pœnitentiam peragendam.* [In Sexto. De pœnis. c. 3.]

In Concilio Lambethensi Provinciæ Cantuariensis anno 1261. statutum fuerat, ut atrociora illa semper crimina, quæ leges civiles jubent morte piari, carcere perpetuo ab Episcopis vindicarentur. *Si Clericus adeo malitiosus & incorrigibilis fuerit, quod si esset laïcus, secundùm legem sæculi ultimum pati deberet supplicium, talis Clericus carceri perpetuo addicatur.* Ea erat hæc pœna, quæ & præteritas elueret culpas, & futuras præveniret. Cùm execrabili se in Anglia cæde cruentasset Guido Monfortius, eum Gregorius X. Papa carcere primùm expiari fecit, tum illi ab Angliæ Rege veniam criminis fieri impetravit. [Raynal. an. 1273. n. 42. 43.] Templariorum Equitum tam inaudita pene fuere supplicia, quàm antè fuerant facinora. Permirum illud videri potest, quod Clemens V. Papa ad Episcopos Arragoniæ scripsit, mandavitque, ut tormentis & quæstionibus rei veritatem ab eis exsculperent, quam indomita contumacia dissimulabant. *Ad habendam ab eis veritatis plenitudinem promptiorem tormentis & quæstionibus, si sponte confiteri noluerint, experiri procuretis.* [Idem anno 1311. n. 53.]

Diximus alibi iniquo olim animo tulisse Ecclesiam quæstionum cruciatus, quæ ne innoxii quidem aliquando effugere possunt, cùm fallat non tarò probabilitas, possitque innocentiæ ipsi persæpè appingi species criminis, & falsa, & verisimillima. Satius est ergo, ut dicamus, Clementis mentem eam fuisse, ut ne tormenta admoverentur, nisi ubi certa jam constarent documenta sceleris, expediret autem aliquid ulterius expiscari.

XII. Est & nonnihil scrupuli in causis pecuniariis. Innocentius III. & Concilium Lateranense IV. Prælatos commonitos voluere, ne exercendæ jurisdictionis specie furtivam obumbrarent avaritiam. *Provideant Ecclesiarum Prælati, ut hoc salutare statutum ad quæstum pecuniæ vel aliud gravamen non convertant.* [C. Irrefragabili. De Offic. Ordin. C. Licet. De pœnis.] Archidiaconos jam eos damnaverat Alexander III. qui Clericorum Laïcorumque errata expiari cogebant quibusdam pecuniæ solutionibus. Anno 1316. Clerus Anglicanus apud Regem Eduardum expostulavit, quod ubi Episcopi & Prælati pœnas peconiarias indicebant ad eluenda crimina, intercederent Regii Ministri, unum id permittentes, ut privati quique pœnas corporales à Prælatis designatas pecunia possent redimere. [Conc. Gen. To. 11. pag. 2464.] Nec verò tum Clerus æquiorem votis suis Regem expertus est, quàm ejus ministros.

Non ad eas venerant angustias Gallicani Præsules sub Philippo Valesio Rege. Fidentissimè enim pronuntiavit Episcopus Augustodunensis, Posse à Prælatis pœnas indici pecuniarias, & ab Officialibus

libus eorum, quòd eà illis potestas & divino jure, & humano, & quia consuetudine adjiceretur. *De pœnis pecuniariis, quas Officiales in suis monitionibus apponunt, dicit, quod licitum est eis tales pœnas apponere, tam de consuetudine, quàm de jure. Ex quo tali Judici Ecclesiastico subditi existunt, & sic sit eorum ordinarius Judex, ipse potest in tali casu eis apponere pœnam pecuniariam, vel aliam, secundùm quod sibi videbitur expedire. Et ad hoc jus divinum & humanum concordant.*

Cùm verò de eo jure controversia Episcopis fieri non posset, nisi tamen facilè possent Judices Ecclesiastici declinare vel occasionem avaritiæ hinc emergentem, vel suspicionem; ideo consultissimè Tridentini Concilii Patres ei juri suffragati sunt, cui & Canones, & Ecclesiarum consuetudines faverent, & suspiciones abegerunt sordium, jussis Ecclesiæ Judicibus, in causis civilibus etiam Laicorum, ut censuris Ecclesiasticis abstinerent, infligerentque potiùs pecuniarias pœnas, quæ statim in

Sess. 25. c. 3. opera pia erogarentur. *Per mulctas pecuniarias, quæ locis piis ibi existentibus, eo ipso quòd exactæ fuerint, assignentur.* Pœnæ quoque pecuniariæ ab ipso in-

Ibid. c. 14. dicuntur Tridentino Concilio Clericis concubina-

Sess. 25. c. 1. riis, & non resipiscentibus; sed incunctanter hæ pecuniæ addicuntur vel locis, vel operibus piis.

Cùm verò C. Dilectus. De Officio Ordinarii doceat nos Honorius III. pecuniarias emendas jure vel consuetudine institutas ad expiationem criminum, in censum relatas fuisse Ecclesiarum, Monasteriorum, vel Prælatorum, quorum hinc reditus accrescebant: non est quod quisquam sibi fingat, eam juris dispositionem à Concilio Tridentino revocatam esse. De tribus his singularibus speciebus nihil à Concilio definitum est: Congregatio verò Concilii consulentibus de ejusmodi emendis quibusdam, respondit, si penuria premeretur Episcopus, posse illum ad suos usos derivare pecunias eas, quas Canones vel statuta Synodalia definierent solvendas, ad abstersionem quorundam criminum: quanquam consultius esset eas ab Apostolica Sede abjudicari. At verò emendas arbitrarias, quas Judex Ecclesia-

Fagnan. in l. 1. Decr. Par. 2. pag. 476. sticus indicit, non Canon aliquis, non statutum aliquod Synodicum: non posse nisi locis piis addici, vel operibus religiosis. Ideo & sæpenumero ab ea responsum est, non posse Officiales, vel quoslibet alios Ministros Episcopalis jurisdictionis, emendarum partem ullam sibi vendicare. Id ipsum decretum fuit in Conventu Melodunensi Cleri Gallicani. *Pecuniariam pœnam in corrigendis excessibus & puniendis criminibus exigi & in rem suam verti non patiatur Episcopus. Sed in usus suos depmet quidquid mulcta nomine ipse aut Officialis judicaverit dependendum.*

XIII. Illud obiter suprà perstrinxi, tormina & quæstiones rem esse à foro Ecclesiæ alienissimam. Certè in C. Gravis. De deposito, affirmat Alexander III. Judicibus à se commendatum fuisse, ut eum cruciarent, qui furto subreptam pecuniam restituere contumaciùs detrectabat. Sed constabat de rei veritate, furem esse, & illam ab eo pecuniam compilatam fuisse. Itaque non ea erant tormina quæstionis ad criminis confessionem eliciendam, sed certissimè patrati criminis pœna justissima, dum restitutione utcumque repararetur. *Judicibus dedimus in mandatis, ut illum iniquum sub quæstionibus ad rationem ponant, ut dictam pecuniam reddere compellatur.*

Eodem anno degebat Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, nec Ecclesiæ mores legesque nescire poterat. Atque quæstionum cruciatus ab illo diutissimè procul ipsi sunt à foro Ecclesiæ, quam noluit ille invidiam sustinere ingenti cujusquam noxiorum pœnis lacerati, & certi supplicii recentes criminibus justiciâ. *Reos tormentis afficere, vel suppliciis extorquere confessionem, censura Curiæ est, non Ecclesiæ disciplina. Unde & ab ejus animadversione abstinere debuisti, quem pecuniam tuam furto suspicaris asportasse, neque enim carnifex, sed sacerdos: pro reis quidem, sed non reos immolare constituti.* Epist. 30. *In reis etiam injuriis decuit hæc mansuetudo Sacerdotem, ut habentem malles impunitum dimittere, quàm pro incertis certis suppliciis debacchari.* Suffragio mox Augustini sententiam ille suam corroborat. Fatenmur ergo necesse est, si posteriores hujus ævi Officiales Episcoporum, quæstionibus torqueri reos quandoque jubeant, id ab eis fieri præter antiquos mores, nova sæcularium Judicum imitatione.

XIV. Properandum jam nobis est ad tertiam objectionem, de Episcoporum causis, quæ in Curia Regum versantur. Philippo I. Galliæ Regi testatum faciebat Ivo Carnotensis Episcopus, æquo animo laturum se, causas suas omnes terminari, vel in Ecclesia, si causæ essent Ecclesiasticæ; vel in Curia, si Curiales. *Respondere non subterfugiam, vel* Epist. 101. *in Ecclesia, si Ecclesiastica sunt negotia; vel in Curia, si sint Curialia.* Apud Philippum Augustum, Galliæ Regem conquestus est Innocentius III. Papa quòd bona temporalia capi jussisset Episcoporum Aureliæ & Altissiodori, nec animum adduceret ad ea restituenda, quanquam illi præsto essent ad subeundum pro more judicium Curiæ: *Paratis postmodum Curiæ* Regest. 15. *suæ subire judicium, sicut in talibus fieri consuevit.* Et Epist. 190. in alia Epistola: *Ita quod in Curia tua de ipso negotio secundùm approbatam consuetudinem cognoscatur.* Regest. 14. Epist. 52. Alexander III C. Ex transmissa, & C. Verùm de foro Regest. 15. Epist. 46. *competenti*, apertissimè diffinit, causas feudorum à feudorum dominis judicari debere, quanquam Clerici feuda illa obtineant. Ita habet Rubrica prioris Capitis: *Si quæstio feudalis est inter Clericum & laicum, cognoscit dominus feudi.* Bona fide confitendum est, Jure ipso canonico designari species & circumstantias, ubi foro Laicorum Clerici subjiciantur, cujusmodi certissimè sunt causæ feudorum.

His porro adde Consilium & Tribunal Regis ipsius proprium, speciali semper gloria & majestate circumfulsisse supra Justitias alias sæculares, & veluti sacrarium quoddam religionis & justitiæ habitum fuisse augustius, cui suas Episcopi Clericique alii causas lubentissimè commiserint. Cùm Ludovicus VII. Rex apud Augustam Suessionum ageret, ut cum Baronibus regni de publicis negotiis pertractaret; diffidebat ejus urbis Capitulum ab Episcopo, propterea quod id sibi timeret, ut ubi sibi aliquid contumeliæ, vel damni gravioris inustum esset, Ecclesiam majorem, adeoque civitatem omnem interdicto subjiceret, etiam inconsulto Episcopo. Sedavit eam Rex dissensionem consilio usus Du Chesne To. 4 pag. 634. Procerum suorum, & retractari curavit provocationem ad Papam interjectam, denique Pontifici ipsi per litteras significavit totam rei gestæ seriem.


Variis autem Epistolis interpellavit eundem Regem Archiepiscopus Senonensis adversùs Vicecomitem Senonensem, novum sibi quoddam jus giuriæ, ita enim vernaculè dicitur, vendicantem. Tuitioni se Regiæ commiserat Præsul, præstò futurus, ubi res vel coram Rege, vel in Capitulo Senonensi judicaretur. *Parati sumus ad justitiam vel in præsentia*

ſtra, aut in Capitulo noſtro. Scripſit & ad eundem Regem in cauſa Epiſcopi Altiſiodorenſis, quem Comes Nivernenſis variis afficiebat damnis, fraudabatque ſacramento fidei, quo Nivernenſes hactenus Comites Epiſcopo Altiſiodorenſi obligabantur. Cùm nullius ſe juri ac judicio ſubeſſe Comes pæ ſe ferret, ad Regiam tuitionem confugit Archiepiſcopus, ut quæ oppreſſis & Eccleſiis ſit deſponſa. *Epiſcopus veſter eſt, & damnum ejus utique veſtrum eſt. Eccleſia quoque ſub veſtra protectione conſiſtunt, & vos eaſdem ex poteſtate vobis à Deo collata defenſare habetis.*

Hic verò perſpicuum eſt, quanti Epiſcoporum intereſſet, ut in cauſis Eccleſiæ temporalibus plurimum Regibus tribueretur, quando niſi Regia tutela muniti vallatique fuiſſent, impetum identidem in eos facturi fuiſſent Provinciarum & Civitatum Præfecti. Sed & Regum ipſorum plurimum referebat, ut Præſulibus Eccleſiæ, eorumque juriſdictioni firmandæ, ne ope, ne defenſione, ne ullo deeſſent officio, ut tantò paratiores ad obſequium Comites haberent & Proceres, Regiæ Majeſtati non ſatis aliquando morigeros. Ad Romanum Pontificem perlata eſt cauſa Epiſcopi Altiſiodorenſis, & Comitis Nivernenſis, ſive noluerit Rex privatæ cauſæ interponere Regni majeſtatem, & bellica, ſi fors tuliſſet, ſuſtinere impendia: vel quavis alia de cauſa. Delegavit eam cauſam Pontifex Archiepiſcopo Senonenſi. Comes Nivernenſis ab Archiepiſcopo ad Pontificem ipſum provocavit. Regem denuo interpellavit Archiepiſcopus, ut commendatitiis ſuis ad Papam litteris Epiſcopum juvaret. Ibid. p. 636. 639. 640.

Archiepiſcopus quoque Turonenſis intervenire Regem optavit, ut revocaretur interdictum, quo 670.
Capitulum ſancti Martini Turonenſis eam Eccleſiam perculerat. Eundem Regem Epiſcopus Aurelianenſis rogavit, ut ne ad Regiæ ſuæ Curiæ cognitionem vocaret ſubditos Curiæ Eccleſiaſticæ Aurelianenſis. *Dignitatem Eccleſiæ Aurelianenſis, remiſſis in Curia noſtra, quæ veſtra eſt, hominibus noſtris ſervare dignemini.*

Cùm Epiſcopus Anicienſis & Vicecomes Poliniacenſis pacem iniiſſent, cujus infamia in Eccleſiam, & in rem ipſam publicam reſiliebat, litteras ad Regem dedit Epiſcopus Mimatenſis, ut Judex ipſe ſederet ejus diſſidii. *Super his judicet dominus Rex.* Ibid. To. 5.
Scripſit & Urbanus IV. ad B. Ludovicum Galliæ p. 666. 872.
Regem, ut Capitulo Carnotenſi & Comiti Bleſenſi diſſidentibus pacem indiceret & conciliaret. Sed illud enixiſſimè obteſtatus eſt, ut faciles aditus aureſque accommodaret Epiſcopis Provinciæ Narbonenſis, quibus vehementer dolebat, quod ubi ad Curiam concedebant, ut lites ibi ſuæ dirimerentur, ad finem Parlamenti eæ rejiciebantur, & non ſemel ad alia protraherentur Parlamenta. *Dum finalis de Parlamento in Parlamentum differebatur reſponſio, ſuperaddita nova gravamina novas querimonias pariebant, &c. Qui ad Parlamenta Regalia de remotis finibus concurrentes, eſſent cæteris in audientia præferendi.*



FINIS PARTIS SECUNDÆ.



